BIBLIOTECA DELLA REGIA UNIVERSITÀ DI TORINO
C. II 192

JOANNIS CALVINI,

MAGNI THEOLOGI,

PRÆLECTIONES

IN

LIBRUM PROPHETIARUM

DANIELIS,

Joannis Budæi & Caroli Jonvillæi labore
& induſtria excerptæ :

NEC NON IN

DUODECIM PROPHETAS

(QUOS VOCANT) MINORES.

CUM

INDICIBUS LOCUPLETISSIMIS.

Editio ut poſterior ita prioribus multo emendatior.



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JACOBI SCHIPPER.
M. DC. LXVII.

Illuſtriſſimo Principi ac Domino,

D. FREDERICO

Palatino Rheni, ac Sacri Romani Imperii Electori, &c.

Domino ſuo clementiſſimo,

JOANNES CALVINUS

P. S. P.

QUum à viris probis & idoneis teſtibns celebrarentur heroicæ tuæ virtutes, Princeps Illuſtriſſime, inprimus ſingularis pietas, par fovendæ propagandæque veræ religionis ſtudium, & æquabilis in tota vita moderatio; humanitas vero qualis vel in homine privato vix reperiri poſſet, oon tantum ex aliorum relatu cognita, ſed proprio experimento mihi perſpecta foret: pridem optavi, quia mihi privata qua te colebam obſervantia non ſatisfaciebat, eam publico monumento ad poſteros teſtatam facere. Id oovit Generoſus Dominus Ebhrardus Comes ab Erpacb, quem hac de re conſului. Nunc vero, ut hoc officio defungar, non tantum oblata mihi videtur juſta occaſio: ſed impoſita quædam neceſſitas. Nam quia ſanam & orthodoxam de ſacra Chriſti Cœna doctrinam quam revereoter amplexus eras, in tua ditiooe libere & cordate aſſerere noo dubitaſti, perinde contra te inſaniunt turbulenti & importuni bomines acſi totam Germaniam labefactaſſes. Cum ſuis ergo tumultuoſis clamoribus ad tuam Celſitudinem oppugnandam proſiliunt; & quia authoritate & potentia neqneunt, temeritate & protervia inſtructi, maledicta evomere non dubitant, quorum ſobrios homines pudet: oeque id modo, ſed quia te occidete non eſt in eorum manu, putidos de morte tua rumores confingunt. quaſi ſcilicet ad Solem obſcurandum ſufficeret muſcarum conſpiratio. Ac tu quidem Illuſtriſſime Princeps, conſtanter pro animi tui magnitudine, & pro honoris gradu in qno te Deus locavit, tuto eorum ſtoliditatem deſpicis Verum quando in te laceſſendo adeo ferventer ſatagunt, ſimulque ad te invidia gravandum oomen meum admiſcent, mei quoque officii eſſe duxi, ad refutandas eorum calumnias quod tam odioſum eſſe volunt nomen clypei loco opponere. Nam certe indigni ſunt, quorum cauſa vel minimum digitum tollat, vel etiam verbulum proferat tua Celſitudo. Mihi quidem ſi de eorum barbarie expoſtulare libeat, quod hominem de Eccleſia Dei non male meritum, & cujns laboribus adjuti, quamvis diſſimulent, ſe venditant apud imperitos, tantopere abominantur, ad fucandam hanc iogratitudinem nullus illis color ſuppetet. Dum ergo Calviniſmum objiciendo, aliqua infamiæ nota tuam Celſitudinem aſpergere conantur, oihil aliud quam ſuam pravitatem cum ſtultitia fruſtra & magno ſuo cum dedecore produnt. Quod ſi quid ſibi conſequi videntur apud ſui ſimiles: ex oppoſito apud pios, eruditos, compoſitæ mentis integrique jndicii bomines mea vox perſonandis juſtis tuis laudibus, ut ſpero, exaudietur. Fingunt quidem ejuſmodi rabulæ, & fortiter clamitant, tanquam pro aris & focis ſe dimicare: verum an ita ſit, judicare cuivis facile ac promptum eſt. Et ab excutiendis quidem eorum deliriis ſuperſedebo; quando major eorum pars quid garriat, non intelligit? tantum capita breviter attingam, in quibus ab ipſorum magiſtris, quos tamen nihilominus amo, diſſidemus. Chriſti carne & ſanguine vêre nos in ſacra Cœna paſci, non ſecus ac panis & vinum corporum ſunt alimenta, ingênue fatemur. Si quæritur explicatio magis dilucida, carnis & ſanguinis Chriſti ſubſtantia ſpiritualis nobis vita eſt; eaque ſub panis & vini ſymbolis nobis communicatur: quia Cbriſtus myſterium Cœnæ inſtituens neque fallaciter qnicquam promiſit, neque luſit inanibus ſpectris; ſed quod reipſa dabat, externis ſignis repræſentavit. Nunc de mndo communicationis reſtat qnæſtio. Hinc vero naſcitur conflictus, quod ſubſcribere eorum imaginationi recuſamus, qui loci præſentiam exigunt. Dicimus, quamvis in cælo ſit Chriſtus, arcana tamen & incomprehenſibili Spiritus ejus virtute ad nos penetrare gratiam illam, ut caro ejus nobis ſit vivifica, nos autem ſimus caro ex carne ejus, & oſſa ex oſſibus ejus, *Epheſ. 5. verſ.* 30. Ab illis contra, niſi ſe Chriſtus io terra ſiſtat, oulla ejus admittitur communicatio. Porro ut localis præſentiæ odium fugiant, commentum Ubiquitatis minns probabile fabricare neceſſe eſt: quod ſi non videmus poſſe cum fidei principiis conciliari, ruditati ſaltem noſtræ iguoſcant. Hic uon ſequimur proprium ſenſum: ſed quantum intelligentiæ divinitus nobis conceſſæ modulus capit, Chriſti corpus eſſe ubique minime cum Scriptura conſentaneum eſt. Verum quantumvis reclamet Chriſtus ipſe & Apoſtoli, ut immenſitas Deitatis in carnem competat, ſufficit illis perſonalis unio. Atqui nemo hactenus (præter Eutychen) docuit ſic permixtas fuiſſe naturas, nbi Chriſtus homo factus eſt, ut quod Deitati proprium erat, humanæ naturæ commune fieret. Equidem nolo ex bominis damnati nomine illis odium conflare: monendi tamen ſunt, ut propius & attentius ſecum reputent, quorſum bonos quoque doctos & perſpicaces abripiat contentio, nbi tantum ad cauſæ ſuæ patrocinium feruntur. Certe quum in concilio Epheſino hoc refutandi Neſtorii

optimum eſſet compendium, ſi unio perſonalis communicaret inter naturas quod cuique eſt proprium: hoc proferre quia pro ſumma abſurditate repudiatum eſſet, nemini venit in mentem. Itaque valde miror, eos qui nobis adverſantur, in quem labyrinthum ſe demergant, non conſiderare. Nam ſi deitatis immenſitas Chriſti carni convenit, quia 1 *Tim.* 3. *verſ.* 16. Deus manifeſtatus eſt in carne: pari quoque ratione divinitas ejus & doluit, & eſuriit, & morti fuit obnoxia, & denique mortua, neque enim effugient quin mutua ſit argumentandi ratio. Pronuntiavit Chriſtus adhuc mortalis, *Marc.* 13. *verſ.* 32. ſe neſcire quando futurus eſſet dies judicii. An non his verbis palam & articulate aliquid humanæ naturæ vendicat, quod ad divinitatem transferre fas non eſſet? Quod de communicatione proprietatum obtendunt, intempeſtivum eſt: & quod bona eorum pace dixerim, in re minuta hallucinantur. Quia Filio hominis tribuere quod deitatis proprium eſt, ac rurſum transferre ad deitatem quod non niſi humanitati convenit, impropria & aſpera eſt loquutio: ne rudes impingerent confuſe res diverſas miſcendo, vel improbi rixandi materiam acciperent, hanc figuram vocarunt Orthodoxi Scriptores ἰδιωμάτων κοινωνίαν. Quod de verbis illi dixerunt, ad rem parum conſiderate trahitur. Agebat Chriſtus in terris quum dixit *Joan.* 3. *verſ.* 13. filium hominis in cælo eſſe. Ne quis male exercitatus putaret immenſum fuiſſe Chriſti corpus: obviam itum errori fuit familiari admonitione, propter unitatem perſonæ, verbis pronuntiari de filio hominis, quod tamen non quadrabat niſi divinitati. Verba Pauli ſunt apud Lucam, *Actor.* 20. *verſ.* 28. Deum redemiſſe Eccleſiam ſanguine ſuo. Ne quis inde conciperet Deum ſanguineum, ad nodum expediendum valere debuit eadem admonitio: quia idem eſt homo & Deus, verbo tenus ad Deum transferri quod in naturam humanam proprie cadit. Quum Patribus loquendi figuram ad ſimplices docendos accommodare propoſitum fuerit, vel perperam vel parum verecunde alio trahitur, ut proprietatum communicatio realis ſit mixtura utriuſque naturæ. Atqui ſedet Chriſtus ad Patris dexteram, quæ ubique diffuſa, nullo ſpatio locorum capitur. Fateor ſane, & immenſam eſſe Dei dexteram, & quacunque patet, ſimul extendi Chriſti imperium, quod ſeſſionis voce Scriptura metaphorice ſignificat. Nam quod paſſim Deo aſſeritur, nunc ad Chriſtum transferri extra controverſiam eſt: ideoque tantundem valet Sedere atque mundi gubernationi præeſſe, quod Chriſtus cum Patre commune habet. Imo quia per illum Pater mundum ſuſtinet, potentiam ſuam exerit in adminiſtratione rerum omnium, præcipue vero in Eccleſiæ gubernatione præſentiam ſuæ gratiæ explicat, proprie regnare dicitur in ejus perſona. Unde ſequitur, ipſum quodammodo eſſe ubique: quia loco includi non poteſt, qui omnes cæli & terræ partes fovet ac tuetur, omniaque ſurſum & deorſum ſuo imperio moderatur ac temperat. Dum nunc Chriſtum nomino, totam unigeniti Filii perſonam complector, ut eſt in carne manifeſtatus. Ipſe, inquam, Deus & homo ubique eſt imperio virtuteque incomprehenſibili & infinita gloria: ſicuti claris effectis ejus præſentiam experiuntur fideles. Neque vero abs re prædicat Paulus *Epheſ.* 3. *verſ.* 17. eum in nobis habitare. Verum quod de immenſitate virtutis dicitur, quæ in donis ſpiritualibus, invicto auxilio, totaque noſtra ſalute apparet, ad eſſentiam carnis torquere minime conſentaneum eſt.

Utinam ſaltem multis, qui parum conſiderate nobis ſuccenſent, in mentem veniret dictum in ſcholis Papalibus tritum ac celebre, (*Lib.* 3. *Sentent. diſt.* 22.) Chriſtus ubique totus eſt, ſed non totum! Repudient licet, quia barbaries Petri Lombardi non arridet teneris ac delicatis eorum auribus: quod tamen ſcite dictum eſt, à quocunque manaverit, libenter amplector. Sed miror unde iſtæ lautitiæ: cum Weſphalo ejuſque ſimilibus arrideat Berengarii palinodia, Chriſti corpus dentibus atteri, & in ventrem deglutiri, cur diſtinctio ſobria faſtidio ſit, Chriſtum Mediatorem eſſe ubique integrum, ſed non carnis reſpectu, quæ finibus ſuis continetur, quum infinita ſit ejus potentia, & operatio in terra non minus quam in cælo ſentiatur. Duæ ſunt uſitatæ voces, unio & unitas: quarum prior ad naturas duas refertur, altera ſoli perſonæ convenit.

Unitatem carnis & Deitatis aſſerere, eos quoque niſi fallor, puderet, qui tamen in hanc abſurditatem imprudenter ſe conjiciunt: quia niſi differat, ſuaque proprietate diſtinguatur caro ab eſſentia divina, confuſa permixtione in unum coaleſcent. Quod cavillando facete interrogant, qua in plaga cæli empyrei ſedeat Chriſtus: fruantur ſane bellis iſtis ſpeculationibus. Ego quum ex Spiritu ſancto *Epheſ.* 4. *verſ.* 10. didicerim, eum eſſe ſupra omnes cælos: ex communi Scripturæ uſu cælum nomino quicquid extra mundum eſt; ideoque mihi ſufficit, dum quærendus eſt Chriſtus, tollendas eſſe ſurſum mentes, ne ſi in terra ſubſidant, craſſis ſuperſtitionibus implicentur. Hæc eſt totius controverſiæ ſumma, quam nimis pertinaciter exagitant præcipui adverſæ partis duces. Niſi forte alterum caput addere libeat, quod contendunt impios non minus fieri participes carnis & ſanguinis Chriſti, quam optimos Dei cultores.

Ac nos quidem fatemur peræque utriſque offerri: & qualecunque ſit hominum diſcrimen, Deum tamen ſemper manere ſimilem ſui: ideoque eorum qui ſe perperam ingerunt vitio, nihil diſcedere ex Sacramenti natura. Indignis ergo quum det Chriſtus corpus ſuum, tantum de receptione ſupereſt diſceptatio. Nos vero Chriſti capaces negamus eſſe quos Diabolus mancipatos tenet, & in quibus ſedem habet. Neque tamen interea rejicimus loquendi formam, Sacramento tenus ab illis Chriſtum recipi: modo ne præpoſteri interpretes Auguſtini verba depravent, quibus ſacramentalis eſus, eſt ſubſtantiæ perceptio abſque gratia; quod inſipidum commentum Auguſtino incognitum fuit.

Ratio quam adducunt, ut infirma eſt, nullo negotio refellitur. Chriſtum veniſſe objiciunt, non modo electis in ſalutem, ſed reprobis in judicium. Nempe ſicut 2 *Cor.* 2. *verſ.* 16. Euangelium odor

eſt

eſt mortis in mortem pereuntibus, non receptum, ſed rejectum. Quis enim fando unquam audivit, mortiferam eſſe Chriſti perceptionem? Quod ſi incredulis damnationis materia eſt Chriſtus quia ab ipſis reſpuitur, non video qui conveniat, ejus carnem recipiendo, damnationem ſibi accerſere. Excipiunt, eſſe nihilominus obſeratos ne admittant ejus gratiam. Verum ut ſibi fidem adſtruant, inprimis commentum iſtud probare neceſſe eſt, eos qui ſunt à Chriſto alieniſſimi comedere ejus carnem quaſi exanimem, & omni ſua virtute orbatam & vacuam. Fideliter & abſque fuco expoſui, cur tam hoſtiliter nobiſcum hodie decertent qui ſe jactant eſſe Lutheri diſcipulos. Qua eadem de cauſa Philippum Melancthonem virum ob incomparabilem rerum optimarum ſcientiam, ſummam pietatem, aliaſque virtutes, ætatum omnium memoria dignum, quem ſibi magiſtrum eſſe antehac profeſſi ſunt, nunc diris & execrationibus mortuum devovent. Ac mirum eſt, ut ſibi favorem acquirant, tam ſuperbæ Auguſtanæ confeſſionis patrocinium obtendere, cujus author ipſe maxime idoneus & fidus debuit eſſe interpres.

Turbulentos rabulas intelligo, apud quos neque humanitas, neque pudor ullus viget.
Nam qui excellunt in illa parte, aliquanto modeſtius ſibi temperant. Et tamen jure conqueri mihi licet, quoſdam illiberaliter agere, dum nomen meum, quod Germanica lingua impetiverant, in Latino libro expungunt. hoc quidem ſurdo maledicere eſt. Verum illis omiſſis, ad tumultuoſos clamatores redeo, qui fere ſimiles ſunt phreneticis Zelotis, quorum apud Joſephum *de bell. Judaico lib. 14. & 15.* fit mentio, quorum intemperie accenſum fuit funeſtum bellum, quo conſumpta fuit Judæa. Nullum atrocius reperiunt maledictum, quo tuam Celſitudinem inceſſant, Illuſtriſſime Princeps, quam nomen Calviniſmi.

Unde vero tanta odii in me acerbitas, non obſcura eſt conjectura. Nam quum victoriæ compendium in eo poſitum eſſe duxerint, ſi oppreſſo & ſepulto cauſæ ſtatu perſtringerent ſimplicium oculos, nihil mirum ſi urantur, diſcuſſas eſſe ignorantiæ nebulas, in quibus ſecure exultabant. Maxime vero ad inſaniam uſque eos torquet, quod tibi rem totam probe & ſolide compertam eſſe vident, ut doctrina de qua incognita triumphos agebant, ſummæ authoritatis patronum nacta, juſtaque & firma cordatiſſimi Principis defenſione freta, liberiore curſu propagetur. Ac te quidem, qui ſponte ſatis animatus es, ad perſeverantiam hortari ſupervacuum foret. Quo tamen deſpecta muliebri eorum impotentia, conſilium non minus feliciter quam dextre ſuſceptum perſequaris, non inutilis ad te confirmandum viſa eſt ratio, ſi inſigne aliquod meæ erga Celſitudinem tuam obſervantiæ pignus extaret.

Officium autem pro tua incredibili humanitate non ingratum fore putavi, ſi meos in Jeremiam commentarios ampliſſimo tuo nomini dicarem. Fateor quidem non ea cura elucubratos eſſe, qua dignus erat tam præclarus liber: quia dum pro ſuggeſtu doceo, ex ore meo fuerunt excepti. Et certe antehac me puduit, in lucem prodire, quæ non acuratius & longa meditatione limata politaque eſſent.

Veritus etiam ſum, ne in arrogantiæ crimen traherent malevoli, quod ſubitos & incompoſitos ſermones & mediocri auditorio deſtinatos, paſſim legendos obtruderem. Etſi autem hoc ſecundum diluere promptum eſt, quia me invito excuſum typis fuit primum volumen: ut tamen ab omni excuſatione ſuperſedeam, aliorum judicio adducor. Æquos & ſinceros lectores intelligo, qui fructum ex hoc labore non pœnitendum percipi affirmant. Adeoque operæ pretium quidam fuiſſe exiſtimant, ut nota eſſet hæc mea extemporalis docendi ratio, cujus ſimplicitas multos oſtentationis nimium cupidos ſanaret ab illo vitio. Ut non omnibus ſatisfaciat eruditio ac dexteritas: ſedulo certe dedi operam, ne ab æquis & humanis lectoribus deſideretur religio & fides. Nec vero arrogantiæ notam vereor, ſi ingenue profitear hunc librum nullo modo me paſſurum in lucem exire, niſi confiderem Eccleſiæ Dei fore utilem ac frugiferum. Quod ſi forte moroſis quibuſdam & rigidis exactoribus munus tua Celſitudine dignum non cenſebitur: rara tamen humanitate tua fretus Illuſtriſſime Princeps, jucundum fore confido. Ac ſi hodie ſuperſtes in terris ageret Jeremias ipſe, ad commendationem (niſi fallor) accederet ejus ſuffragium: quia ſuas Prophetias agnoſceret non ſincere minus, quam reverenter à me fuiſſe expoſitas; addo etiam ad præſentem uſum utiliter accommodatas. Neque tamen de excuſatione nimis anxie laboro, modo obtineam, nonniſi immodico teſtandæ qua tuam Celſitudinem proſequor venerationis ſtudio me peccaſſe.

Atque, ut quod initio attigi nunc omittam: niſi me tibi obſtrictum ſentirem, quod ad excipiendos Chriſti exules qui ad te profugiunt adeo facilis es ac propenſus, me ipſe ingratitudinis damnarem. Dicit apud Poëtam barbara mulier,

Non ignara mali, miſeris ſuccurrère diſco.

Pudeat omnes Dei cultores & Chriſti ſervos, quibus par eſt conditio, ſaltem non idem ſentire. Mihi quia impar animo eſt ſuccurrendi facultas, ſaltem hoc reſtabit, quicquid in eos beneficentiæ confertur, mihi libenter ferre acceptum. Triginta anni elapſi ſunt ex quo voluntarium mihi exilium à Gallia indixi, quia inde exulabat Euangelii veritas, pura religio & integer Dei cultus: nunc ita peregrinationi aſſuevi, ut nullum me patriæ deſiderium tangat. Equidem ita ſum hic peregrinus (unde ſemel ejectum me fuiſſe, quando ita ſum revocatus, non eſt cur me unquam pœniteat vel pudeat) ut indigenæ non alio me loco ducant, quam ſi atavos citare poſſem hujus urbis cives. Sed quo mitius mihi Deus pepercit, major pro fratribus meis tam Gallis quam Flandris cura me ſolicitat: & eadem quoniam liberaliter à tua Celſitudine excepti fuerunt, me ſtimulat

atque impellit ad profitendam cui me officium aſtringit, gratitudinem. Nec vero te pigeat, Illuſtriſſime Princeps, ſi quando in exteris & quidem linguæ noſtræ hominibus deceptus fueris, in curſu tuæ ſolitæ manſuetudinis pergere.

Sciunt omnes quam improbe tibi illuſerit audaciſſimus rabula, ſimulque impurum, ſuperbum & perfidioſum animal, denique monſtrum ex multa fœtida colluvie conflatum, Franciſcus Balduinus, Juriſconſultorum tamen ſolers compilator. Nam cum ex gente Attrebatum oriundus ſub Euangelii prætextu in tuam ſe clientelam contuliſſet, juris civilis Profeſſor in celebri tua Schola Heidelbergenſi tua liberalitate creatus, quum ſe totum demerendo tam munifico Principi addicere deberet; hunc ſibi commodum fore gradum putavit ad novas conditiones pro more ſuo captandas. Itaque ſimul ac ſpes neſcio quas olfecit, deſerta ſtatione, ſpretoque quod male & fraudulenter adeptus erat munere honorifico, ad hoſtes veræ puræque religionis, cujus ſe nomine venditaverat, tranſiit. Ac primo quidem (acſi quid verecundiæ reſiduum foveret) clandeſtinis artibus obrepſit, ſecretas proditiones agitavit cum Cardinali Lotharingo, in cujus gratiam ſe inſinuaverat. Summa huc tendebat: ut adulterina doctrina & ceremoniarum mixtura diſſiparentur Eccleſiæ Gallicæ. Verum quia nulla oſtendebatur occultæ fucatæque perfidiæ merces, non modo ad defectionem apertam proſiliit, ſed in flagitio adeo ſe impudenter jactat, ut apoſtatas ſui ſimiles canina protervia ſuperet. Bene tamen eſt, quod nebulonis unius improbitas tuæ erga alios humanitatis curſum non abrupit: cujus conſtantiæ merces tibi repenſa eſt, quod inter ornamenta Scholæ tuæ numerari poſſunt exteri quidam homines, ſuis virtutibus ſatis noti & celebres, quamvis à me non nominentur. Etſi vero neque ex meo præconio, neque ex operis hujus dedicatione quicquam tuæ Celſitudini accedit, temperare mihi non potui, quin hac ſaltem officii parte defungi ſtuderem. Vale Illuſtriſſime Princeps. Deus te magis ac magis donis ſuis ſpiritualibus locupletet, te diu incolumem, ſtatumque ampliſſimæ dignitatis tibi ac tuis florentiſſimum conſervet. Genevæ decimo Calendas Auguſti, M. D. LXIII.

TYPOGRAPHUS

LECTORI vere CHRISTIANO S.

Etſi jam ſatis admoniti fuerunt Lectores, quum in lucem prodierunt chariſſimi ac ornatiſſimi viri Joannis Calvini Prælectiones primum in duodecim quos vulgo Minores Prophetas appellant, deinde in Danielem, qua methodo & ratione, à quibus etiam excepta fuerint, ut fruſtra eandem velut cantilenam occinere, adeoque actum agere videar, ſi nunc iterum proferam quæ fuſius illic ſunt expoſita: non abs re tamen (niſi fallor) nunc addam, has Prælectiones in Jeremiæ Prophetias & Lamentationes à duobus illis fratribus Joanne Budæo, & Carolo Jonuillæo non minore induſtria, fide, & diligentia quam priores exceptas fuiſſe. Quod quidem facile judicabit quiſquis paulo attentius ſingula expendet. Jam vero contextum Hebraicum inſerere non placuit cum ob alia multa tum maxime, quod lingua illius peritis ad manum eſſe non dubitamus: reliquis certe putamus non ita neceſſarium. Veriti etiam merito ſumus, ne ſi ingens volumen juſtam magnitudinem excederet, nimio ſumptu, minuſque neceſſario gravaretur emptor. Cæterum, ne ſim prolixior & tædioſus, incredibilem ac multiplicem hujus libri utilitatem prætereo quæ tibi ex lectione melius conſtabit. Sic enim refertus eſt raris doctrinæ cæleſtis opibus, ut ex eo tanquam ex locuplete penu liceat totius pietatis ſummam depromere: ac proinde non dubium eſt quin ſummopere toti Eccleſiæ Dei ſit profuturus. Supereſt Chriſtiane Lector, ut quem ex his Commentariis fructum percipies, uni Deo acceptum feras: & D. Calvino de piis omnibus quam optime merito bene preceris, donec tandem æterna hæreditate potiatur. Hoc vero tam ſingulari theſauro gratus fruere, & quod tibi ex animo offertur æqui bonique conſule. Genevæ decimo Calendas Auguſti, M. D. LXXVI.

Precatio qua ſolebat uti Joannes Calvinus initio ſuarum Prælectionum.

Det nobis Dominus in cæleſtis ſuæ ſapientiæ myſteriis cum vero pietatis profectu verſari in gloriam ſuam, & ædificationem noſtram, Amen.

JOANNIS CALVINI PRÆLECTIONES IN DANIELEM.

PRÆLECTIO PRIMA.

PRÆFATIO.

SEquitur liber Danielis Prophetæ, cujus utilitas quanta ſit, melius intelligetur ex progreſſu, quam poſſit ſemel commode exponi. Ego tamen nunc dabo aliquem guſtum, qui melius nos comparet ad lectionem, & magis attentos reddat. Antequam autem illuc venio, perſtringam ſummam libri. Atque hæc etiam partitio altera in parte nos juvabit. Poſſumus ergo librum hunc dividere in duas partes. Nam Daniel commemorat quomodo acquiſierit ſibi auctoritatem etiam apud incredulos. Neceſſe enim fuit, ſingulari quodam & inſolito modo eum evehi ad Propheticum munus. Res tunc, ut ſatis notum eſt, adeo confuſæ erant apud Judæos, ut difficile eſſet cuivis ſtatuere, adhuc eſſe aliquem Prophetam. Superſtes quidem initio erat Hieremias, deinde Ezechiel. Habuerunt etiam Judæi poſt reditum ſuos Prophetas: ſed jam fere defuncti erant ſuo officio Hieremias & Ezechiel, quum cœpit Daniel exercere munus Propheticum. Alii autem, nempe Haggai, & Malachias & Zacharias fuerunt creati Prophetæ ad populum exhortandum, quemadmodum vidimus. Erat igitur quaſi reſtrictum ipſorum munus. Quantum ad Danielem ſpectat, vix poterat cenſeri Prophetæ loco, niſi Deus mirabili modo illum extuliſſet, quemadmodum dictum fuit. Hæc igitur videbimus uſque ad finem ſexti capitis, nempe fuiſſe inſignibus notis divinitus ornatum, ut Judæi poſſent certo ſtatuere, niſi vellent turpiter ingrati eſſe erga Deum, ſibi hunc datum eſſe Prophetam. Apud Babylonios inotuit ejus nomen, & fuit venerabile. Si Judæi ſprevifſent qui erat admirabilis etiam profanis gentibus, nonne hoc erat quaſi data opera ſuffocare & pedibus calcare Dei gratiam? Daniel ergo habuit certas, & illuſtres notas, quibus poſſet agnoſci Dei Propheta, & quibus indubia redditur ejus vocatio. Poſtea adjungitur ſecunda pars, ubi Deus per eum prædicit quæcunque inſtabant electo populo. Viſiones igitur à ſeptimo cap. uſque ad finem libri peculiariter ad Eccleſiam Dei ſpectant. Illic enim Deus prædicit quid futurum ſit. Et illa admonitio pluſquam neceſſaria erat. Dura fuerat tentatio, quum Judæis exilium ſeptuaginta annorum ferendum eſſet: verum poſtquam reverſi ſunt in patriam, pro ſeptuaginta annis Deus protraxit plenam liberationem uſque ad ſeptuaginta hebdomadas. Ita in ſeptuplum aucta fuit mora. Poterant millies frangi, vel concidere illorum omnium animi. Nam ita magnifice loquuti fuerant Prophetæ de redemptione, ut Judæi ſperarent ſibi felicem & modis omnibus beatum fore ſtatum, ſimulatque erepti eſſent ex captivitate Babylonica. Ubi autem tot afflictionibus premuntur, neque id ad breve tempus, ſed ultra quadringentos annos, quum tantum ſeptuaginta annis fuiſſent exules, poterat videri luſoria fuiſſe redemptio. Ita non dubium eſt, quin multorum animos ſollicitaverit Satan ad defectionem, quaſi Deus ludibrio eos habuiſſet, quum extraxerat eos è Chaldæa & reduxerat in patriam. Has igitur ob cauſas Deus per viſionem ſervo ſuo oſtendit quam multæ, & quam graves afflictiones manerent electum populum. Cæterum, Daniel ſic vaticinatur, ut hiſtorice propemodum deſcribat quæcunque adhuc occulta erant. Et hoc etiam neceſſe fuit: quia in converſionibus adeo turbulentis nunquam populus guſtaſſet, divinitus hæc fuiſſe revelata Danieli, niſi ex eventu fuiſſet comprobatum cæleſte teſtimonium. Oportuit igitur ſanctum virum ita loqui, & vaticinari de rebus futuris, acſi narraret quæ jam contigerant. Sed hæc omnia videbimus ſuo ordine. Redeo ad illud principium, nempe paucis nunc videndum eſſe, quam utilis ſit Eccleſiæ Chriſti hic liber. Primo res ipſa oſtendit, Danielem non loquutum eſſe ex proprio ſenſo, ſed dictatum fuiſſe à Spiritu ſancto quicquid protulit. Unde enim potuit conjicere, ſi tantum præditus fuiſſet humana ſolertia, quæ poſtea videbimus? Nempe exorituras eſſe alias Monarchias, quæ delerent Imperium illud Babylonicum, quod tunc ſummam poteſtatem obtinebat in toto mundo? Deinde, unde divinatio de adventu Alexandri magni? de ejus ſucceſſoribus? Longo tempore antequam naſceretur Alexander, prædixit Daniel quid ſit facturus. Deinde oſtendit regnum ejus non fore diuturnum, quia ſtatim dividitur in quatuor cornua. Alia etiam quæ commemorat certo demonſtrant, loquutum fuiſſe dictante Spiritu ſancto. Sed hujus quoque rei certior fides poteſt concipi ex aliis narrationibus, quum ſcilicet admonet quam variis miſeriis obnoxia futura ſit Eccleſia inter duos crudeliſſimos hoſtes, nempe Regem Syriæ & Regem Ægypti. Illic recitat eorum fœdera, deinde recitat hoſtiles ultro citroque incurſus: poſtea tot converſiones: quaſi res ipſas digito monſtraret, ſic totum progreſſum exequitur, ut appareat Deum per os ejus loqui. Hoc igitur jam magnum eſt, & non pœnitendi fructus, ubi certo cognoſcimus Danielem fuiſſe duntaxat organum Spiritus ſancti, neque proprio inſtinctu quicquam in medium protuliſſe. Jam quod illi parta fuit auctoritas, quo certior eſſet fides doctrinæ ejus apud Judæos, hoc etiam ad nos extenditur. Quam enim pudenda eſt ac turpis ingratitudo, ſi non amplectimur Prophetam Dei, cui honorem deferre coacti ſunt Chaldæi, quos ſcimus & ſuperſtitioſos fuiſſe & plenos faſtu ac ſuperbia? Duæ illæ gentes, nempe Ægyptii, & Chaldæi præ aliis ſibi placuerunt. Nam putabant Chaldæi apud ſe eſſe unicum domicilium totius ſapientiæ. Non fuiſſent igitur admodum propenſi ad recipiendum Danielem, niſi res ipſa coëgiſſet, ac extorta illis fuiſſet hæc confeſſio, verum eſſe Dei Prophetam. Jam quum ita ſtabilita ſit Danielis auctoritas, de rebus etiam ipſis,

quas tractat, aliquid dicendum eſt. Quantum ad interpretationes ſomniorum ſpectat, primum ſomnium Nebuchadnezer complectitur; quemadmodum videbimus, rem omnium maximam, nempe quicquid eſt ſplendoris & potentiæ in mundo, evaneſcere: manere autem ſtabile unum Chriſti regnum, nec aliam eſſe perpetuitatem. Quantum ad ſecundum ſomnium Nebuchadnezer pertinet, illic certe admirabilis refulget conſtantia Danielis. Erat enim res valde odioſa, ſummum totius orbis Monarcham ita dejicere, quemadmodum fecit: Tu eximis te numero hominum, & jam coleris inſtar Dei, Tu eris beſtia poſthac. Nemo eſt hodie qui audeat tale aliquid profari apud Monarchas, imò qui audeat vel blande eos monere, ſi quid peccaverint. Quum ergo Daniel intrepide prædixerit Regi Nebuchadnezer quantum dedecus ipſum maneret, certe in eo prodidit memorabile & rarum documentum ſuæ conſtantiæ. Et hoc modo etiam rurſus obſignata fuit ejus vocatio, quia hæc fortitudo erat ex Spiritu Dei. Sed in ſecunda parte inſiſtere præcipue convenit, ubi perſpicimus Deo curæ eſſe ſuam Eccleſiam. Extenditur quidem providentia Dei ad totum mundum. Nam ſi
Mat. 10. paſſerculus non cadit in terram ſine ejus permiſſu,
Luc. 12. conſulit haud dubie generi humano. Ergo nihil fortuito nobis contingit. Sed Deus in hoc libro lumen nobis accendit, ut ſciamus Eccleſiam ſic ab ipſo gubernari, ut ſingularem ejus curam gerat. Si res unquam fuerunt in mundo turbatæ, ut poſſent conjicere homines Deum in cælo dormire, & oblitum eſſe humani generis, certe talis fuit converſio illorum temporum, imo tot & tam multiplices ac variæ fuerunt converſiones, ut etiam cordatiſſimus quiſque poſſet quaſi evaneſcere, quum nullus eſſet bellorum finis, & jam Ægyptii prævalerent, jam eſſent alii motus in Syria. Quum ergo omnia ſurſum ac deorſum verterentur, quale potuit judicium fieri, niſi mundum negligi à Deo, & miſeros Judæos ſpe ſua deceptos fuiſſe, quum putarent Deum, ſicuti fuerat liberator, ita perpetuum fore cuſtodem ſalutis ſuæ? Nam quamvis gentes omnes tunc communiter obnoxiæ eſſent multis cladibus, ſi tamen Syri erant ſuperiores Ægyptiis, tunc abutebantur ſua potentia contra Judæos, & Jeroſolyma patebat prædæ, quaſi eſſet victoriæ merces: ſi alii prælio victores erant, ulciſcebantur ſuam injuriam, vel quærebant compenſationem apud Judæos. Ita undique expilabantur miſeri illi homines, ut multo deterior eſſet eorum conditio, poſtquam reverſi erant in patriam, quam ſi ſemper fuiſſent exules, vel inquilini in aliis regionibus. Quum autem admoniti eſſent de rebus futuris, fuit hæc illis optima fulcra, in quam recumberent. Sed hodie ejuſdem doctrinæ uſus ad nos applicandus eſt. Videmus enim quaſi in ſpeculo, vel in pictura, Deum fuiſſe ſollicitum de Eccleſia ſua, etiam quum viſus eſt ejus curam abjeciſſe: deinde factum fuiſſe ejus conſilio, ut Judæi ita expoſiti fuerint hoſtium ſuorum injuriis. Sed ab altera etiam parte agnoſcimus fuiſſe mirabiliter ſervatos, & quidem majore & magis mirabili Dei potentia, quam ſi quieti vixiſſent, ſi nemo illis fuiſſet moleſtus. Hæc igitur nobis diſcenda ſunt à ſeptimo capite uſque ad nonum. Jam ubi Daniel numerat annos uſque ad Chriſti adventum, quam clarum ac firmum hoc eſt teſtimonium, quod licet nobis opponere contra Satanam, contra omnes impiorum ſannas: quando certum eſt, librum Danielis fuiſſe verſatum in manibus hominum, antequam hoc accideret? Ubi igitur numerat ſeptuaginta hebdomadas, & dicit tunc venturum eſſe Chriſtum, veniant omnes profani homines, & ingerant ac crepent etiam plenis buccis ſuam proterviam tamen convicti tandem jacebunt, quod Chriſtus ſit ille verus Redemptor, quem Deus ab initio mundi promiſerat, quia noluit eum manifeſtari, niſi cum certa illa demonſtratione, cui nullam habent parem omnes Mathematici. Eſt igitur hoc etiam obſervatu apprime dignum, quod poſtquam Daniel de variis Eccleſiæ calamitatibus diſſeruit, tempus præfigit, quo volebat Deus Filium ſuum unigenitum mundo patefacere. Quod etiam diſſerit de officio Chriſti, hoc eſt unum ex præcipuis fidei noſtræ capitibus. Neque enim tantum de adventu ejus verba facit, ſed prænunciat tunc abolendas eſſe Legis umbras, quia ſcilicet Chriſtus complementum ſecum adferet. Et ubi prædicit mortem Chriſti, ſimul etiam docet in quem finem mortem ſit obiturus, nempe ut ſacrificio ſuo aboleat peccatum, & conferat æternam juſtitiam. Tandem hoc etiam notandum eſt, quod ſicuti veterem populum ad tolerantiam crucis inſtruxerat, ſic etiam admonet, non fore tranquillum Eccleſiæ ſtatum, ubi Chriſtus fuerit exhibitus: ſed militandum eſſe filiis Dei uſque ad finem, nec fructum victoriæ ſperandum eſſe, donec reſurgent mortui, & Chriſtus ipſe colliget nos in regnum ſuum cæleſte. Nunc paucis comprehendimus, vel ſaltem guſtamus quam utilis ſit nobis hic liber & fructuoſus. Jam venio ad verba ipſa, quia, ut dixi, tantum libare pauca volui, & lectio etiam ipſa melius oſtendet quis fructus ex ſingulis capitibus ad nos redeat.

CAPUT PRIMUM.

ANno tertio regni Jehojakim Regis Jehudah, venit Nebuchadnezer Rex Babylonis Jeroſolymam, & obſedit eam.

2. Et tradidit Deus in manum ejus Jehojakim Regem Jehudah, & partem vaſorum domus Dei, & traduxit ea, *vel eos, utrumque legi poteſt: nam Hebræi non utuntur neutro genere. malo tamen in neutro genere vertere, quia ſtatim ſequitur, Traduxit* in terram Sinear in domum Dei ſui: *Hoc non competeret in Regem, neque in captivos: ergo de vaſis videtur loqui Propheta. poſtea ſequitur repetitio ejuſdem ſententiæ, nempe* quod vaſa poſuerit in domo theſauri Dei ſui. *Duo igitur diverſa hic non dicuntur, ſed Propheta exegetice confirmat eandem ſententiam mutatis verbis: & dicit vaſa quæ traduxerat Nebuchadnezer in terram Sinear, repoſita fuiſſe in domo theſauri. Domum generaliter (ut ſcimus) accipiunt Hebræi pro quovis loco, ſicuti vocant Domum Dei, templum. De terra Sinear etiam hoc notandum eſt, eſſe planitiem illam, quæ adjacet Babyloni: & illic fuit famoſum illud templum Beli, de quo nunc Prophetam loqui veriſimile eſt.*

Hic Daniel tempus notat, quo in captivitatem abductus fuit una cum ſociis, nempe tertio anno Jehojakim. Hic naſcitur nobis difficilis quæſtio, quia cœpit quarto anno Jehojakim, regnare Nebuchadnezer: qui ergo fieri poteſt, ut jam tertio anno expugnaverit Jeroſolymam, & pro ſuo arbitrio inde abduxerit captivos? Interpretes quidam ſolvunt hunc nodum frivola (ut mihi videtur) conjectura, quod ſcilicet quartus annus referri ad initium debeat, & ita poſſit tempus illud comprehendi ſub anno tertio. Atqui ſecundo cap. videbimus Danielem fuiſſe productum coram Rege anno ſecundo

regni

regni ipſius. Expediunt etiam hunc nodum alia ſolutione: dicunt non numerari annos à regni exordio, ſed fuiſſe hunc ſecundum annum à Judæis devictis, & capta Jeroſolyma; quod tamen eſt nimis durum, & coactum. Conjectura mihi videtur magis probabilis, Prophetam loqui de primo Rege Nebuchadnezer, vel ſaltem ponere regnum ſecundi, quum adhuc pater ſuperſtes eſſet. Scimus fuiſſe duos Reges hoc nomine, patrem, & filium: quum vero filius res valde præclaras & memorabiles geſſiſſet, ſibi cognomen Magni peperit. Quicquid ergo poſtea habebimus de Nebuchadnezer, non poteſt intelligi, niſi de ſecundo, hoc eſt, de filio. Dicit autem Joſephus hunc ſecundum miſſum fuiſſe à patre contra Ægyptios, & contra Judæos. Erat enim hæc bellandi cauſa, quod Ægyptii ſæpius impulerant Judæos ad res novas, & ſemper illexerant ut jugum excuterent. Secundus ergo Nebuchadnezer bellum gerebat in Ægypto quum pater mortuus eſt: & ſatis celeriter domum rediit, ne quis anteverteret. Ut ergo res inveniret integras, ideo relicta expeditione veniſſe exiſtimat Joſephus. Nihil autem abſurdi eſt, imo hoc eſt uſitatiſſimum, vocare Regem, qui tamen imperium habeat commune cum patre. Sic igitur interpretor, Tertio anno regni Jehojakim veniſſe Nebuchadnezer, juſſu & auſpiciis patris: vel ſeniorem illum, ſi quis ita malit, veniſſe. Nihil enim eſt in ea quoque re abſurdi, ſive de patre hoc accipiatur, ſive de filio. *Venit ergo Nebuchadnezer Rex Babylonis Jeroſolymam*, hoc eſt, per manum filii obſedit Jeroſolymam: vel ſi magis placet diverſa expoſitio, quod ſcilicet ipſe adfuerit, vel præſens bellum geſſerit, poteſt etiam hoc recipi: ſed hoc factum eſt anno tertio regni Jehojakim. Interpretes hac in re hallucinantur. Joſephus quidem dicit hoc factum fuiſſe anno octavo: ſed nunquam legerat librum Danielis: fuit homo indoctus, & minime exercitatus in Scriptura: imo puto nunquam legiſſe tres verſus Danielis. Horribile fuit illud Dei judicium, quod Sacerdos fuerit tam brutus homo, ut eſt Joſephus. Sed in altero etiam loco quem retuli, videtur ſequutus Metaſthenem, & alios quos citat, ubi loquitur de interitu illius Monarchiæ. Hæc autem inter ſe optime conveniunt, quod ſcilicet anno tertio regni Jehojakim jam ſemel urbs capta fuerit, & abducti ex ſtirpe regia quaſi in triumphum aliqui nobiles, inter quos fuit Daniel, & ejus ſocii. Poſtea quum rebellaſſet Jehojakim, longe durius fuit tractatus, ſicuti prædictum fuerat à Jeremia. Quum ergo adhuc regno potiretur Jehojakim, permiſſu ſcilicet Regis Nebuchadnezer, jam Daniel captus erat: ita impletum fuit quod à Jeremia fuit prædictum, nempe ficus præcoces eſſe melioris conditionis. *Jere. 24.* Nam qui ultimi abducti ſunt in captivitatem, putabant ſe beatos eſſe præ aliis. Propheta autem excutit illis vanam hanc jactantiam, & oſtendit mitius actum eſſe cum primis captivis, quam cum reſiduo illo populo, qui adhuc integer manebat domi. Sumo igitur illud, Danielem fuiſſe quaſi ex primitiis captivitatis: & hic perſpicere licet quam incomprehenſibilia ſint nobis Dei judicia. Si qua tunc fuit integritas in toto populo, certe Daniel erat primarium exemplar. Nam Ezechiel inter tres juſtos eum numerat, *Eze. 14.* à quibus Deum placari poſſe veriſimile eſſet. Fuit igitur tanta virtutum præſtantia in Daniele, ut eſſet quaſi cæleſtis Angelus inter mortales: & tamen abducitur in exilium, & vivit quaſi mancipium Regis Babylonii. Alii interea, qui tot modis in ſe iram Dei provocaverant, quieti manent in ſuis nidis: Dominus non privat eos patria, & non abdicat etiam hæreditate, quæ ſignum erat & pignus adoptionis. Si hic velit quiſpiam definire, cur potius Daniel inter primos tractus fuerit in exilium: nonne prodet ſuam veſaniam? Ergo diſcamus admirari Dei judicia, quæ ſuperant omnes ſenſus noſtros, & interea meminerimus etiam ſententiæ Chriſti, *Luc. 23.* Si hæc fiunt in viridi, quid in arido? Quemadmodum jam dixi, erat Angelica ſanctitas in Daniele, & tamen trahitur contumelioſe in exilium, & alitur inter Eunuchos Regis. Quum hoc contigerit tam ſancto viro, qui jam à pueritia ſe totum addixerat pietati: nunc quod Deus nobis parcit, quantæ indulgentiæ eſt? Quid enim ſumus meriti? Nam quis audebit ſe conferre Danieli? Imo indigni ſumus qui ſolvamus corrigias calceamentorum pedum ejus, quemadmodum fuit in veteri proverbio. Et non dubium eſt, quin Daniel etiam ex circumſtantia temporis voluerit oſtendere, hoc fuiſſe ſingulare & extraordinarium Dei donum, quod hæc tentatio non oppreſſit animum ejus, & non potuit illum divertere à recto pietatis curſu. Quum ergo Daniel videret ſe quaſi propoſitum eſſe in exemplar probri, tamen non deſtitit Deum pure colere. Quod autem dicit traditum fuiſſe Jehojakim divinitus in manum Regis Nebuchadnezer, hac loquendi forma tollit offendiculum, quod poterat occurrere piorum animis. Nam ſi ſuperior fuiſſet Nebuchadnezer, poterat Deus ipſe videri ceſſiſſe: & ita fuiſſet oppreſſa ejus gloria. Daniel autem hic diſerte aſſerit Regem Nebuchadnezer non potitum fuiſſe Jeroſolyma, neque fuiſſe victorem gentis illius vel propria virtute, vel propriis conſiliis, vel fortuna & felicitate: ſed quia Deus voluerit humiliare populum ſuum. Hic ergo Daniel proponit nobis Dei providentiam & judicium, ne ſcilicet putemus Jeroſolymam ſic fuiſſe captam, ut non ſtaret Deus fœderi ſuo, quod pepigerat cum Abraham, & ejus poſteris. Et nominatim etiam loquitur de vaſis templi. Nam hoc poterat videri longe abſurdiſſimum, & concutere fidelium mentes: Quid hoc ſibi vult? Spoliari ab homine ſcelerato & impio Dei templum. An non Deus teſtatus eſt illic eſſe ſuam quietem? *Pſal. 132.* Hæc requies mea in ſeculum, hic manebo, quia elegi eam. Si quis ergo locus fuit inexpugnabilis in mundo, hic certe honor debebat manere integer & illibatus templo Dei. Quum autem diripitur, quum ſacra vaſa ita profanantur, neque id ſolum, ſed quum rex impius transfert in templum dei ſui quod ſemel dicatum fuerat Deo vivo, an non, quemadmodum dixi, hæc tentatio potuit labefactare animos etiam ſanctorum? Nemo certe fuit tam cordatus, quem non perculeret iſta tentatio inopinata: Ubi eſt Deus, qui non defendit templum ſuum? Nam quamvis non habitet in mundo, neque incluſus ſit parietibus ligneis, aut lapideis, tamen elegit ſibi domicilium hoc, & toties per Prophetas ſuos aſſeruit ſe inter *Pſal. 80. & 99.* Cherubim ſedere. Quid ergo hoc ſibi vult? Quemadmodum dixi, *Jeſa. 37.* Daniel hic nos revocat ad Dei judicium, & uno verbo admonet, non debere hoc videri novum, quod Deus tam graves pœnas ſumpſiſſet de impiis & ſceleratis apoſtatis. Nam ſub nomine Dei ſubeſt tacita antitheſis. Neque enim Dominus tradidit Jehojakim in manum Babylonii, niſi ob juſtas rationes. Deus ergo expoſuit ipſum in prædam, ut pœnas ſumeret de impii illius populi defectione. Nunc ſequitur,

3. Et mandavit (*vel edixit*) Rex Aſpenazo (*vel, dixit ad Aſpenazum, ut vertunt qui retinent phraſim Hebraicam*) principi Eunuchorum, ut adduceret è filiis Iſraël & ex ſemine regio, & ex principibus. (*vel proceribus*)

Hic Daniel proſequitur ſuam narrationem, & oſtendit qua ratione fuerit abductus cum ſociis ſuis. Rex enim juſſerat ſibi adduci non ex gregariis, ſed ex præcipua nobilitate adoleſcentes, qui ſtarent co-

ram ipſo: hoc eſt, qui ei miniſtrarent. Hinc ergo colligimus, Danielem, & ejus ſocios fuiſſe delectos, quod & generoſi eſſent adoleſcentes, deinde ex regio ſemine, vel ſaltem quorum parentes dignitate excelluerant ante alios. Hoc autem fecit Rex eo conſilio, ut oſtentaret ſe eſſe victorem Poteſt etiam fieri, ut ſumpſerit ſibi aſtutius conſilium, nempe ut haberet obſides apud ſe. Speravit enim (ut videbimus) quoſcunque aleret in aula ſua, fore degeneres, ut hoſtes eſſent Judæis, & putavit eorum operam ſibi fore utilem: deinde ſperavit, quum eſſent nati eximio genere, Judæos tunc fore magis pacatos, ne quid ſcilicet periculi crearent miſeris illis exulibus, qui erant etiam cognati Regis, & procerum. Quantum ad verba pertinet, hunc *Aſpenaz* vocat principem Eunuchorum, quo nomine intelligit pueros, qui alebantur in aula Regis, ut eſſent quaſi ſeminarium procerum. Vix enim probabile eſt, hunc Aſpenazum fuiſſe præfectum aliis ducibus. Sed colligimus ex hoc loco, pueros quos Rex in honore & pretio habebat, fuiſſe ſub ejus cuſtodia. *Sariſim* vocant Hebræi Eunuchos: ſed hoc nomen ad præfectos quoslibet ſpectat. Nam Putiphar vocatur
Gen. 37. hoc nomine: tamen habebat uxorem. Sic etiam
Gen. 40. paſſim nomen hoc occurrit in Scripturis pro ſatrapis Regis: ſed quoniam ſatrapæ etiam deligebantur ex pueris nobilibus, probabile eſt, vocatos fuiſſe Eunuchos, non quia eſſent caſtrati, quemadmodum inſcite Joſephus tradit pueros iſtos Judæos fuiſſe caſtratos. Sed quum Eunuchi eſſent in deliciis apud Reges Orientales, hinc factum eſt (quemadmodum jam dixi) ut pueri hoc nomine communiter vocarentur, quos Rex alebat quaſi ſeminarium procerum, ut deinde variis provinciis illos præficeret. *Juſſit* ergo *Rex adduci ex filiis Iſraël ex ſemine regio & ex proceribus*. Ita debet reſolvi oratio, mandavit non adduci ex plebe ſordida, ſed ex regio genere, ut pateret ſcilicet ipſum eſſe victorem, quum ita ageret omnia pro ſuo arbitrio. Proceres intelligit eos qui auctoritate pollebant apud Regem Jehudah. Et Daniel etiam erat ex illa tribu, quemadmodum poſtea videbimus. פרתמים *Partemim* putant deductum eſſe à Perah, quod eſt Euphrates: & intelligunt præfectos, quibus provinciæ vicinæ ripæ Euphratis mandatæ erant: ſed hoc non quadraret præſenti loco. Agitur enim de Judæis. Videmus ergo generalem eſſe ſignificationem hujus nominis, & debere ſub illo comprehendi proceres omnes. Reliqua in craſtinum.

Da omnipotens Deus, quando tam illuſtre nobis ſpeculum proponis & providentiæ tuæ admirabilis, & judiciorum tuorum in veteri populo, ut etiam certo perſuaſi ſimus, nos eſſe ſub manu tua & præſidio: quo freti, quicquid nobis accidat, tamen ſperemus te noſtrum fore cuſtodem, qui ſalutem noſtram nunquam deſeras, quo poſſimus ſecuro & tranquillo animo te invocare, & ſic intrepide expectare omnia pericula in quibuſcunque hujus mundi converſionibus, ut tamen ſtemus fundati in verbo tuo, quod nunquam labaſcit, innixique tuis promiſſionibus, non dubitemus Chriſtum, cui nos commiſiſti, & quem voluiſti eſſe paſtorem totius gregis tui, ſic eſſe de nobis ſollicitum, ut perducat nos per hunc curſum militiæ, quantumvis moleſtæ & turbulentæ, donec ad cæleſtem illam quietem perveniamus, quam nobis ſuo ſanguine peperit, Amen.

PRÆLECTIO SECUNDA
IN
DANIELEM.

4 Pueros quibus nulla eſſet macula, (*nam Hebraiſmum omitto, qui jam vobis expoſitus eſt*) & pulchros aſpectu, (*aut vultu*) & intelligentes in omni prudentia, (*hoc eſt, peritos omnis prudentiæ*) & intelligentes ſcientiam, & diſerte exprimentes cognitionem, & in quibus vigor, ut ſtarent in palatio Regis, & ad docendum ipſos (*hoc eſt, ut docerentur*) literaturam & linguam Chaldæorum.

HEſterna lectione vidimus mandatum fuiſſe Præfecto, vel magiſtro Eunuchorum, ut ingenuos pueros, & ex ſtirpe regia, vel procerum adduceret: jam deſcribit Daniel quales ſibi juſſerit adduci Nebuchadnezer, nempe *pueros*, non ſeptem vel octo annorum, ſed qui adoleſcerent, *in quibus nulla eſſet macula*, hoc eſt, in quibus nihil eſſet vitioſum, qui eſſent integro corpore: & qui eſſent *pulchri aſpectu*, hoc eſt, facie ingenua & liberali. poſtea adjungit *peritos omnis prudentiæ* & *intelligentes ſcientiam*: poſtremo *exprimentes cognitionem*. Nam videntur mihi recte ſentire qui participium hoc active accipiunt, quia alioqui frigida eſſet atque inepta repetitio. Ego igitur exiſtimo notari hic diſertos, qui non tantum intelligant, quemadmodum multi ſapiunt ſibi, & intus, neque poſſunt aliis exprimere quid habeant in animo. Non enim omnibus data eſt illa dexteritas, ut poſſint mentem ſuam explicare. Ergo utrumque hic ponit Daniel, nempe ut ſint præditi ſcientia, deinde ut poſſint cogitationes ſuas exprimere: *& in quibus ſit vigor*. Nam כח *coah* fere ſemper accipitur pro fortitudine: ſicuti Jeſaiæ 40. Qui timent Dominum mutabunt fortitudinem, hoc eſt, renovabuntur in ſuo vigore. Deinde, Defecit robur meum, (Pſalmo 22.) id eſt, defecit vigor meus. Adjungit ergo intelligentiæ, ſcientiæ, & facundiæ fortitudinem, vel vigorem, aut corpus vegetum, quod idem eſt: *ut ſtarent in palatio Regis, & docerentur literaturam*. (Ego non poſſum aliter vertere particulam ספר *Sepher*: ad verbum eſſet, literam: ſed intelligit doctrinam, vel diſciplinam) *& linguam Chaldæorum*. Videmus nunc Regem non tantum habuiſſe rationem generis, ut juberet ſibi adduci nobiliſſimos quoſque ex ſtirpe regia & procerum, ſed etiam habuiſſe delectum, ut eſſent ingenioſi, quos volebat ſibi habere miniſtros: ut eſſent bene nati, quemadmodum loquuntur: pollerent etiam facundia, ut poſſent optima quæque ab illis ſperari: atque ut eſſent optimo & vegeto corpore. Itaque non dubium eſt quin voluerit eos habere in maximo pretio, ut alliceret etiam alios Judæos. Deinde ut poſtquam adepti eſſent auctoritatem (ſi ita res, & uſus flagitaret) poſſent etiam præfici Judææ, atque ita dominari in gente ſua, & interea manerent addicti imperio Babylonico. Hoc fuit conſilium Regis. Non eſt igitur cur hic laudemus ejus liberalitatem. Nam ſpectavit proprium commodum, ut ſatis apparet. Interea tamen videmus tunc bonas artes & liberales non fuiſſe ita contemptas ut hodie & ſuperioribus ſeculis. Invaluit enim tanta barbaries in mundo, ut fere turpe eſſet nobilibus, cenſeri inter doctos & literatos homines. Hoc erat ſummum decus nobilibus, nihil prorſus tenere doctrinæ. Et gloriati ſunt etiam nobiles hoc nomine quod non eſſent clerici, quemadmodum vulgo loquuntur: & ſi qui ex nobilibus

libus fuerunt inſtituti in literis, hoc non alium in finem accidit, niſi ut poſſent adipiſci Epiſcopatus, & Abbatias. Interea (quemadmodum dixi) puduit fere nobiles aliquid tenere literarum. Videmus ſeculum illud, de quo loquitur Daniel, non ita fuiſſe barbarum. Nam Rex voluit habere in ſuis principibus pueros iſtos, quos juſſit ita doceri, propriæ quidem utilitatis cauſa (ut dictum fuit) ſed notanda interim eſt conſuetudo. Quod autem requirit in illis ſcientiam, & peritiam, poſſet videri abſurdum: neque enim ætas ferebat, ut eſſent tanta prudentia, & tanta ſcientia vel experientia inſtructi. Sed ſcimus Reges nihil mediocre requirere: quum jubent ſibi hoc vel illud parari, ſemper conſcendunt ſupra nubes. Sic ergo loquitur Nebuchadnezer: & Daniel, qui refert ejus mandata, loquitur more regali, quod ſcilicet Rex juſſerit ſibi deligi præſtantiſſimos quoſque, ita ut in ſingulis fulgeret aliquid mirabile. non eſt igitur cur hic anxie diſputemus de ſcientia, peritia, & prudentia. Simpliciter enim Rex voluit ſibi adduci pueros, & eos quidem adoleſcentes, ingenioſos, & in quibus eſſet talis dexteritas, ut apti eſſent & idonei ad diſcendum: deinde qui diſerti eſſent natura: poſtremo qui corpore eſſent vegeto. Nam ſequitur ſtatim, *ut diſcerent* vel docerentur *literaturam & linguam Chaldæorum.* Videmus ergo Regem Nebuchadnezer non flagitaſſe ſibi doctores, ſed pueros bene natos (ut jam diximus) hoc eſt, raræ indolis, & qui optimam ſpem de ſe facerent. Volebat enim illos liberaliter inſtitui in doctrina Chaldæorum. Ergo noluit habere eos jam politos, & exculto ingenio, ſed potius ſpectavit naturam. Quod voluit eos linguam Chaldaicam diſcere, huc ſpectabat conſilium, ut paulatim deſciſcerent à gente ſua, & obliviſcerentur ſe eſſe Judæos, & aſſueſcerent etiam ad Chaldaicos mores, quemadmodum lingua eſt ſingulare vinculum communicationis. Quantum ad ipſam literaturam ſpectat, poteſt hic quæri, An Danieli, & ſociis ejus licuerit artes illas diſcere plenas impoſturis. Scimus enim qualis fuerit Chaldaica doctrina. Nam profitebantur ſe tenere cujuſque fatum, quemadmodum hodie multi adhuc ſunt impoſtores in mundo, qui ſe Genethliacos vocant. Abuſi ſunt olim honorifico nomine, quum ſe vocabant Mathematicos. Quaſi vero nulla ſint mathemata ſine illis præſtigiis, & illuſionibus diaboli. Et quoniam uſitatum erat illud nomen, etiam Cæſares in ſuis legibus conjungunt Chaldæos & Mathematicos: ut ſint illæ voces mihi ſynonymæ. Cæterum ſolutio facilis eſt, nempe quod Chaldæi non tantum ſectati fuerint Aſtrologiam, quæ vocatur Judiciaria, ſed fuerint etiam periti veræ & genuinæ Aſtrologiæ. Veteres enim dicunt obſervatum fuiſſe curſum aſtrorum à Chaldæis, quod nulla regio in mundo eſſet tam plana, ad patefaciendum quaquaverſus Orizontem. Quum ergo Chaldæis jam illa oblata eſſet commoditas, ut cælum quatenus patet hominum aſpectui, poſſet ab illis conſiderari, ideo magis fuerunt propenſi ad diſcendam Aſtrologiam. Sed ut propenſa ſunt hominum ingenia ad vanas & ſtultas curioſitates, non contenti fuerunt illa legitima ſcientia, ſed delapſi etiam ſunt ad ſtultas imaginationes, & perverſas. Nam mera deliria ſunt quæcunque traduntur ab iſtis Genethliacis de fato cujuſque. Daniel ergo potuit diſcere artes illas, hoc eſt, Aſtrologiam, & alias liberales ſcientias: quemadmodum Moſes etiam dicitur fuiſſe edoctus in omni ſcientia Ægyptiaca. Scimus autem Ægyptios fuiſſe infectos ſimilibus corruptelis. Sed tam de Moſe, quam de Propheta noſtro hoc dici poteſt, fuiſſe imbutos Aſtrologia & aliis liberalibus ſcientiis. Quanquam incertum eſt, an Rex juſſerit etiam illos longius progredi. Sed hoc tenendum eſt quum Daniel abſtinuerit (quemadmodum ſtatim videbimus) à cibo & potu regio, non fuiſſe abductum, ut ſe involveret illis Satanæ impoſturis. Conſtituo igitur, quicquid Rex mandaverit, Danielem fuiſſe contentum pura & genuina ſcientia rerum naturalium. Quod ad Regem ſpectat, (ſicuti jam dictum fuit) voluit ſuæ utilitati privatim conſulere, ut Daniel & ſocii ejus tranſirent in alienam gentem, & deficerent à populo ſuo, quaſi nati eſſent in Chaldæa. Jam ſequitur,

5. Et conſtituit illis Rex demenſum (דבר, *rem*) dici in die ſuo (*hoc eſt, pro unoquoque die*) ex fruſto (*ad verbum, ſed portionem hic ſignificat: ex portione*) cibi Regis, & ex vino potus ejus. Et ut educarentur annis tribus: & à fine illorum (*quidam vertunt ex parte illorum, hoc eſt, ut ipſorum pars aliqua: ſed non dubium eſt quin hic ſpatium illud temporis deſignet Propheta, quemadmodum poſtea videbimus. Ut ergo à fine temporis*) ſtarent coram Rege.

Hoc etiam verſu oſtendit Daniel, Regem quos ſibi adduci juſſerat ex Judæa, ſic aluiſſe, ut eos inebriaret ſuis deliciis, atque ita oblivionem induceret propriæ gentis. Scimus enim ſicubi ullæ ſint aſtutiæ in mundo, maxime regnare in aulis Principum. Nebuchadnezer ergo quum videret ſibi negotium eſſe cum gente præfracta (ut ſcimus Judæos fuiſſe duro & fere indomito ingenio) voluit ſibi acquirere famulos, qui ſponte eſſent obſequentes: & ideo ſtuduit demulcere eos blanditiis. Hæc igitur fuit ratio cur præſcripſerit illis *demenſum ex portione cibi & potus ſui.* Quemadmodum hodie etiam ille eſt ſummus honor in aulis Principum, *d'eſtre ſervis de la bouche*, ut dicunt. Voluit igitur Nebuchadnezer & Danielem, & ſocios ejus ali non modo ſplendide, ſed etiam regaliter, quaſi eſſent ex genere regio: tamen eſſent captivi, & exules. Abduxerat enim ipſos violenter è patria, & pro jure victoris, quemadmodum heri diximus. Itaque non facit hoc liberalitatis cauſa, ut debeat cenſeri in ipſo virtus, quod aluerit ex ſuo cibo & potu miſeros iſtos exules, ſed aſtute (quemadmodum diximus) conciliat ſibi animos puerorum, ut malint inter Chaldæos cenſeri, quam inter Judæos, atque ita genus ſuum abnegent. Fuit quidem hoc conſilium Regis: ſed videbimus, ut Deus & Danielem, & ejus ſocios Spiritu ſuo gubernaverit, quo caverent ſibi ab iſtis diaboli inſidiis, & abſtinerent etiam à cibo & potu regio, ne ſe polluerent. Sed hæc ſuo loco poſtea dicentur. Nunc tantum agimus de ipſius Regis aſtutia. Juſſit ergo illis diſtribui unoquoque die ex potu ſuo & ex cibo: non parcimoniæ cauſa ſingulis diebus portio data fuit illis, ſed quia Rex volebat perinde illis parari cibum, atque ſibi & aliis proceribus. Addit, *ut educerentur tribus annis:* nempe donec probe formati eſſent in ſcientia Chaldaica: deinde donec etiam linguæ periti eſſent. Potuit autem ſufficere triennium ad utrumque, quia jam elegerat ſibi pueros ingenioſos, & qui facile & linguas, & ſcientias diſcerent. Quum ergo præditi eſſent tanta facultate, non mirum eſt quod trium annorum ſpatium illis præſcriptum à Rege fuerit. Tandem inquit, *ut à fine illorum*, nempe trium annorum. Diximus hoc non debere referri ad pueros, quaſi Rex poſtea ex illis quoſdam delegerit. Nam videbimus ſuo loco fuiſſe præfixum certum tempus. Ergo non opus eſt longa refutatione. Nam illud certum eſt, de extremitate trium annorum Prophetam loqui. Dictum fuerat paulo ante, *ut ſtarent in palatio:* ſed hoc etiam intelligi debet de hoc tempore, cujus nunc fit mentio.

Non igitur ſtatim apparuerunt coram Rege, ſed deſtinati erant in hunc finem. Quum ergo Rex juſſiſſet eos ali, ut eorum miniſterio poſtea uteretur, bis idem repetit Daniel, nempe ita fuiſſe ſplendide educatos, quoniam Rex volebat illos ſibi miniſtros habere in menſa & aliis officiis. Jam ſequitur,

6. Et fuit in illis ex filiis Jehudah Daniel, Hananiah, Miſaël, & Azariah.

7. Et impoſuit illis Princeps Eunuchorum (*hoc eſt, magiſter Eunuchorum*) nomina: impoſuit, inquam, Danieli Balthſazar, & Hananiæ Sadrak, & Miſaël Meſach, & Azariæ Abednego.

Jam deſcendit Propheta ad id quod proprie convenit inſtituto. Neque enim propoſuit hiſtoriam narrare, ſed breviter attigit quod neceſſarium erat, ut ſciremus quomodo Deus illum ſibi aptaverit, ut poſtea injungeret Propheticum munus. Poſtquam ergo narravit fuiſſe adductos ex ſemine regio, & ex ſemine procerum qui ingenio, & dexteritate, & facundia pollerent, & vigerent etiam corpore: jam adjungit ſe & ſocios fuiſſe in illorum numero. Alios omittit, quia in illis nihil extitit memoratu dignum. Et (quemadmodum jam dixi) quod hactenus retulit fuit quaſi parergon. Nunc ergo notandum eſt nobis conſilium Prophetæ, quod ſcilicet ipſe cum tribus ſociis abductus fuerit in exilium, & educatus fuerit in aula Regis Nebuchadnezer more regio, & ſumptuoſe, ut poſtea unus eſſet ex Præfectis, ſocii etiam in eodem eſſent ordine. Non dicit ſe fuiſſe ex ſtirpe regia, ſed tantum ex tribu Jehudah. Probabile autem eſt ex familia illuſtri fuiſſe progenitos non ex vulgo, quoniam Reges potius ſumebant ex ſuis propinquis quos præficerent toti populo, quam ex aliis. Porro quum jam regnum Iſraël eſſet exciſum, poteſt fieri, ut modeſtiæ cauſa Daniel non extulerit genus ſuum, neque palam dixerit ſe natum eſſe ex nobili & celebri familia. Contentus ergo fuit uno verbo, quod ipſe & ſocii fuerint ex tribu Jehudah, & adducti fuerint inter filios procerum. Dicit *mutata fuiſſe nomina*, nempe ut modis omnibus deleret Rex ex eorum cordibus memoriam propriæ gentis, & ut à ſua origine deficerent. Quantum ad interpretationes ſpectat, ego exiſtimo jam vobis fuiſſe dictum quod ſatisfaceret. Ego tamen non libenter ſum curioſus in nominibus, ubi ſubeſt obſcuritas: præſertim in his Chaldaicis. Quantum attinet ad Hebraica nomina, ſcimus inditum fuiſſe nomen Danieli, quaſi eſſet vel judex, vel judicium Dei. Ergo ſive inſtinctu arcano Dei parentes impoſuerint hoc nomen, ſive ex communi uſu, Daniel vocatus fuit hoc nomine, ut ſit judex Dei. Sic etiam de reliquis: nam Hananiah habet certam interpretationem, quod ſcilicet miſericordiam ſit adeptus à Domino. Ita Miſaël requiſitus vel poſtulatus à Deo. Sic etiam Azariah auxilium Dei, vel cui Deus auxiliatur. Sed hæc omnia vobis jam melius expoſita fuerunt. Ideo autem hæc attigi, quoniam mutatio non habet ſimilem rationem. Hoc igitur nobis ſufficiat, mutata fuiſſe nomina, ut aboleretur memoria regni Jehudah ex ipſorum cordibus. Et quidam etiam ex Hebræis dicunt fuiſſe hæc nomina ſapientum. Quicquid ſit, conſilium Regis fuit, abducere pueros iſtos, ne quid amplius commune haberent cum electo populo, ſed degenerarent in mores Chaldaicos. Daniel non potuit efficere, quin nomen illi mutaret Princeps Eunuchorum, vel magiſter: nec fuit in ejus arbitrio prohibere: ita etiam de ſociis ejus dicendum eſt. Sed ſatis illis fuit retinere memoriam ſui generis, quam Satan hoc artificio volebat prorſus delere. Et tamen fuit hæc gravis tentatio, quum hæc macula ſervitutis illis aſpergeretur. Quum enim mutata fuerunt nomina, Rex vel Præfectus iſte Aſpenaz voluit illos cogere ſub jugum, acſi, quoties nomen illud novum audiebant, illis ante oculos poneretur judicium ſuæ ſervitutis. Videmus ergo quorſum ſpectaverit iſta nominum mutatio, nempe ut miſeri iſti exules ſcirent ſe non eſſe liberos, quaſi reſectos eſſe à genere Iſraëlitico; & hac nota, vel hoc ſymbolo jam addictos eſſe in ſervitutem & Regi Babylonico & ejus aulæ. Fuit igitur hæc dura tentatio: ſed nihil obfuit ſervis Dei ita contumelioſe tractari coram hominibus, modo ne inficerentur ulla corruptela: quemadmodum etiam ſequitur fuiſſe ſic gubernatos divinitus, ut ſteterint puri, & integri. Dicit enim poſtea Daniel,

8. Et poſuit Daniel ſuper cor ſuum, (*vel, in corde ſuo: hoc eſt, conſtituit, decrevit apud ſe*) ne pollueretur in portione cibi Regis, & in vino potuum ejus: & quæſivit à magiſtro (*hoc eſt, rogavit magiſtrum*) Eunuchorum, ne pollueretur.

Hic oſtendit Daniel ſe paſſum fuiſſe, quod vel rejicere, vel effugere non poterat: ſed interea ſibi caviſſe, ne deficeret à timore Dei, & ne ſe alienaret à gente ſua, ſed ſemper retineret memoriam ſui generis, atque ita maneret integer & illibatus, & ſincerus Dei cultor. Dicit igitur *ſtatuiſſe in corde ſuo, ne ſe pollueret in cibo & potu Regis, & rogaſſe Præfectum*, ſub cujus cuſtodia degebat, ne adigeretur ad hanc neceſſitatem. Quæritur hoc loco an fuerit tantum momenti in cibo & potu, ut debuerit Daniel ab illis abhorrere. Videtur enim hæc quædam fuiſſe ſpecies ſuperſtitionis, vel ſaltem videtur nimis fuiſſe moroſus Daniel, qui ita rejiceret cibum & potum Regis. Scimus enim omnia eſſe pura puris: & regula hæc valuit ſeculis omnibus. Deinde nihil ſimile de Joſepho legimus. & poſtea veriſimile eſt, Danielem uſum fuiſſe promiſcue cibis quibuslibet, quum polleret magno honore apud Regem. Non fuit igitur perpetuum hoc in Daniele. Poſſet ergo videri fuiſſe quidam inconſideratus zelus: vel poſſet hoc adſcribi (ſicuti dictum eſt) nimiæ moroſitati, Si Daniel tantum ad tempus repudiavit cibum regium, fuit levitatis & inconſtantiæ poſtea ſibi permittere libertatem, à qua abſtinuerat ad tempus: Si autem judicio & ratione hoc fecit, cur non perſiſtit in ſuo propoſito? Reſpondeo, Danielem abſtinuiſſe principio à lautitiis aulæ, ne ineſcaretur. Fuit quidem & ipſi, & ejus ſociis licitum, veſci quolibet cibo, & potu: Sed videbat quid Rex captaret. Scimus quantum valeant illecebræ ad nos fallendos, præſertim ubi laute tractamur: & experientia oſtendit quam ſit difficile tenere modum ubi omnia nobis affluunt: nam copiam ſtatim ſequitur luxus. Illud eſt nimium commune: & rariſſima eſt hæc virtus, ut quis ſibi temperet quum cibo & potu abundat. Neque tamen hæc ſola ratio ſpectata fuit à Daniele. Non igitur hic ſimpliciter laudanda eſt ejus ſobrietas & continentia, quemadmodum multi torquent hunc locum ad laudes jejunii, & dicunt hanc ſummam fuiſſe virtutem in Daniele, quod prætulerit legumina aulicis deliciis. Nam Daniel non modo voluit ſibi cavere à lautitiis cibi & potus, quoniam videbat certum periculum inſtare, ne ineſcaretur talibus illecebris: ideo ſimpliciter ſtatuit in corde ſuo, non guſtare cibum aulicum, nempe ut in ipſa menſa perpetuo revocaret memoriam gentis ſuæ. Voluit igitur vivere in Chaldæa ita ut recordaretur ſe eſſe exulem & captivum, oriundum autem ex ſacro genere Abrahæ. Videmus

nunc quale fuerit conſilium Danielis. Noluit igitur tantum ſibi temperare à nimia ciborum copia, vel à deliciis, ſed voluit deflectere à laqueis Satanæ, quos videbat ſibi eſſe circumdatos. Nec dubium eſt quin ſibi conſcius fuerit propriæ infirmitatis: & hoc etiam in magna laude ponendum eſt, quod ſibi diffiſus voluit procul fugere omnes illecebras & captiones. Nam quod ad mentem Regis ſpectat, hoc fuit certe diabolicum aucupium, ſicuti dixi: Daniel hoc repudiavit: nec dubium eſt, quin Deus illuxerit ſuo Spiritu ejus menti, ut mature ſibi præcaveret. Ergo noluit ſe projicere in plagas diaboli, ſed libenter abſtinuit à cibo & potu regio. hæc ſumma eſt. Poteſt etiam quæri, cur hanc ſibi laudem vendicet Daniel, quæ communis tamen erat cum ſociis. Neque enim ſolus ipſe rejecit potum & cibum regium. Sed quoniam neceſſe erat hoc cognoſci, fuiſſe jam ab ipſa pueritia gubernatum à Dei ſpiritu, quo major eſſet ejus doctrinæ fides & auctoritas, ideo dicit ſe peculiariter loquutum fuiſſe, non jactantiæ cauſa, ſed ut conciliet fidem ſuæ doctrinæ, & oſtendat ſe longo tempore fuiſſe formatum, & politum à Deo ad munus Propheticum. Interea notandum eſt, Danielem fuiſſe auctorem ſociis ſuis. Neque enim hoc illis veniſſet in mentem, & poterant corrumpi, niſi admoniti fuiſſent à Daniele. Deus ergo voluit Danielem eſſe ducem, & magiſtrum ſuis ſociis, ut eos ad hanc abſtinentiam adduceret. Hinc autem colligimus, ut quiſque noſtrum præditus eſt uberiore Spiritus gratia, ita obſtringi ad alios docendos. Neque enim ſatis erit, ſi quiſque ſibi temperet, & quemadmodum edoctus eſt à ſpiritu Dei ita ſeſe contineat in officio, niſi etiam aliis porrigat manum, & ſtudeat ſibi adjungere in ſocietatem pietatis, timoris, & cultus Dei. Tale exemplum nobis hic in Daniele proponitur, qui non tantum reſpuit delicias aulæ, quibus poterat inebriari, imo quæ inſtar veneni fuiſſent, ſed etiam ſocios admonet, ut idem faciant, & illis perſuadet. Hæc ratio eſt cur pollutionem vel abominationem vocet, guſtare cibum regium. Non fuit quidem hoc per ſe abominabile, ſicuti dixi. Liberum enim erat Danieli comedere, & bibere in menſa Regis: ſed abominatio fuit propter conſequentiam. Ante illud tempus quum jam in Chaldæa eſſent quatuor iſti, non dubium eſt quin cibum ſumpſerint communi more, & quicquid oblatum erat, quin ſibi permiſerint inde edere. Non ergo legumina petebant quum eſſent in diverſorio, & in toto itinere, ſed jam cœperunt legumina petere, quum Rex vellet eos inficere ſuis deliciis, & ita eos captare, ut mallent conditionem illam, quam redire ad ſuos. Quum ergo viderent ita ſibi tendi inſidias, tunc pollutio fuit illis, vel abominatio, veſci lautitiis illis, & comedere ex Regis menſa. Notandus igitur eſt finis cur Daniel cenſeat ſe pollui ſi ſumptuoſe vivat, & comedat, & bibat ex portione Regis, nempe quia (ut jam dictum fuit) conſcius ſibi propriæ infirmitatis, voluit in tempore præcavere, ne talibus illecebris captus deficeret à pietate & cultu Dei, & degeneraret in mores Chaldaicos, quaſi eſſet inde oriundus, & unus ex aliorum principum numero. Reliqua differam in craſtinum.

Da omnipotens Deus, quamdiu in hoc mundo nobis peregrinandum erit, ut ita veſcamur pro infirmitate carnis noſtræ & cibo & potu, ne unquam corrumpamur, ne unquam etiam abducamur à ſobrietate, ſed meminerimus ita uti abundantia, ut quum omnia nobis ſuppetunt, ſimus tamen abſtinentes: deinde ut feramus patienter inopiam, & eſuriem, & ſic libere edamus & bibamus, ut ſemper nobis ſit propoſita nominis tui gloria, deinde frugalitas etiam ipſa, ut aſpiremus ad illam ſatietatem, qua reficiemur in ſolidum, ut ſcilicet gloria vultus tui nobis apparuerit in cælo, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO TERTIA IN DANIELEM.

9. Dederat autem Deus Danielem (*poſuerat Danielem*) in clementiam & miſerationes coram Præfecto Eunuchorum.

Retulit heri Daniel quid petiiſſet à magiſtro, cujus curæ mandatus fuerat: nunc interſerit hanc ſententiam, ut ſciamus poſtulationem illam non fuiſſe ei fraudi, quod Præfectus Eunuchorum humaniter cum ipſo egit. Fuiſſet enim hoc capitale crimen, ſi Daniel ad Regem delatus eſſet. Quanquam enim veriſimile eſt non fuiſſe uſum verbo Polluendi, neque palam & diſerte vocaſſe cibos regios Inquinamenta, potuit tamen facile conjici ex ejus verbis quod ipſe nunc refert, nempe ideo ſe rogaſſe Præfectum, ut liceret veſci leguminibus, quia non putabat ſibi licitum eſſe ali cibo regio. Cauſam heri attulimus: ſed Rex Babylonius poterat ſtatim excandeſcere, ſi hoc reſciviſſet. Quid? Ego habeo in honore captivos iſtos, poſſem illis abuti tanquam mancipiis: atqui perinde alo ipſos delicate atque proprios filios: interea quaſi ego ſim homo pollutus, reſpuunt cibum meum. Hæc igitur ratio eſt cur Daniel hic recitet ſe fuiſſe in gratia illius Præfecti. Nam (ut videbimus proximo verſu) Præfectus ſimpliciter negavit quod petebat: Ubi igitur favor ille? Sed quanquam noluit acquieſcere precibus Danielis, fuit tamen hæc rara humanitas, quod non detulerit eum ad Regem, ſicuti aulici captandæ gratiæ cauſa propenſi ſunt ad quamlibet accuſationem. Deinde fieri poteſt ut Præfectus ſciret hoc conceſſum fuiſſe Danieli à ſuo miniſtro. Si qua igitur fuit connnivenitia in Præfecto, hæc eſt gratia & commiſeratio, de qua nunc loquitur Daniel. Conſilium quidem ejus ambiguum non eſt, quod ſcilicet non dubitaverit adire vitæ diſcrimen, ut maneret purus & integer, neque ſeſe contaminaret deliciis aulæ Babylonicæ. Exprimit enim quomodo evaſerit periculum, quia ſcilicet Præfectus clementer cum ipſo egit, quum poſſet ſtatim objicere ad mortem. Sed notanda eſt loquendi forma, qua hic utitur, quod ſcilicet *Deus poſuerit illum in gratiam & miſerationes coram Præfecto illo.* Poterat communi more dicere ſe fuiſſe gratioſum, ſed adſcribit hoc beneficio Dei, quod expertus fuerit barbarum hominem adeo humanum & propitium. Loquutio, ut nobis expoſita fuit, familiaris eſt Hebræis: quemadmodum ubi dicitur Pſal. 106. Poſuit Deus Judæos in miſerationes gentium, quæ eos duxerant captivos: hoc eſt, fecit ne ſævirent adeo crudeliter victores adverſus ipſos, quemadmodum initio fecerant. Scimus enim duriter & aſpere, & contumelioſe etiam ſæpe fuiſſe tractatos Judæos. Quod autem mitigata fuit illa inhumanitas, Propheta tribuit Deo, qui dedit populum ſuum in miſerationes. Summa eſt, Danielem adeptum fuiſſe gratiam apud Præfectum, quia cor hominis alioqui parum manſueti Deus flexit ad clementiam & humanitatem. Ideo autem hoc narravit, quo ſimus magis ſtrenui ad officium, ſi quando diſ-

crimen aliquod nobis ſubeundum eſt, ubi Deus non vocat. Sæpe hoc continget, ut non ſit nobis integrum præſtare quod Deus jubet, atque exigit, ſine præſenti vitæ periculo. Quia autem maxime crucem refugimus, obrepit ignavia & mollities. Daniel igitur ut animos nobis faciat, ubi obtemperandum eſt Deo & ejus mandatis, hic exprimit ſe fuiſſe in favore Præfecti, quia ſcilicet Deus conciliavit ſervo ſuo fideliter officium præſtanti favorem. Ergo diſcamus rejicere curas noſtras in Deum, ubi inſtabit nobis terror à mundo, vel ubi minaciter etiam vetabunt nos homines, ne Deo morem geramus. Hic ſciamus eſſe in manu Dei, flectere eorum corda, qui contra nos inſaniunt, ita ut nos liberet ab omni periculo. Hic ergo finis eſt, cur dicat Daniel Præfectum fuiſſe ſibi humanum. Interea etiam colligimus generalem doctrinam ex hoc loco, nempe hominum corda gubernari divinitus: ita ut emolliat ferream duritiem, reddat ex lupis agnos, quoties viſum eſt. Nam quum redemit populum ſuum ex Ægypto, ſimul etiam dedit gratiam apud Ægyptios, ut pretioſiſſima quæque vaſa ſecum auferrent. Certum eſt Ægyptios fuiſſe perverſo animo erga Iſraëlitas: Cur ergo tam liberaliter proferunt quicquid domi ſuæ charum & pretioſum habent? Nempe quia Dominus tunc novum affectum indidit eorum cordibus. Sic etiam rurſum Dominus poteſt exaſperare eos qui nobis amici erant, ita ut hoſtiliter poſtea contra nos inſurgant. Sciamus ergo utrumque penes Dei eſſe arbitrium, nempe ut flectat corda hominum ad humanitatem, deinde etiam ut obduret corda, quæ per ſe manſueta erant. Verum quidem eſt, cuique proprium eſſe ingenium ab utero. Alii enim ſunt feroces, truculenti, & ſanguinarii: alii autem ſunt comes, & humani, & tractabiles. Hæc varietas eſt ex arcana Dei ordinatione: ſed Deus non tantum ab utero format cuique ingenium, ſed ſingulis diebus, ſi ita videtur, imo ſingulis momentis mutat uniuſcujuſqoe affectum: ſicuti etiam excæcat mentes, vel excitat rurſum à ſtupore. Videbimus enim rudiſſimos homines pollere acumine, vel habere ſingulare aliquod conſilium io una actione: alios autem qui excellunt perſpicacia, eſſe hebetes, ubi opus eſſet judicio & diſcretione. Tenendum igitur eſt & mentes & corda hominum ſic gubernari arcano Dei inſtinctu, ut mutet affectus, prout viſum eſt. Ita non eſt cur nobis tantopere metuamus ab hoſtibus noſtris, qui tametſi pleno gutture rabiem evomant, & referti ſint ſævitia: poſſunt tamen flecti à Domino. Et ita diſcamus exemplo Danielis, ſecure pergere in curſu noſtro, & non deflectere, etiamſi totus mundus ſeſe nobis opponat, quia Deo facile & promptum erit, tollere omnia impedimenta. Et experiemur humanos qui alioqui ſunt crudeliſſimi, quum Dominus volet nobis parcere. Tenemus tam ſenſum verborum, quam conſilium Prophetæ in hoc verſu. Sequitur,

10. Et dixit Præfectus Eunuchorum Danieli, Timeo ego Dominum meum Regem, qui conſtituit (*nam Minnah, quod eſt narrare, ſignificat ordinare, vel conſtituere: qui ergo conſtituit*) cibum veſtrum, & potus veſtros: quare videbit facies veſtras triſtes, (*vel, macilentas, vel auſteras, vel tetricas: nam deſcendit à verbo* זעף *zaaph, quod ſignificat iraſci: ſed translatitie ita vocantur facies tetricæ, & macilentæ, & auſteræ*) præ pueris, qui ſunt vobis ſimiles? (*alii æquales vertunt, qui ſunt ſecundum ſimilitudinem veſtram. Poſſet hic eſſe ſenſus, Qui hodie vobis ſunt ſimiles, poſtea erunt pingues, & obeſi, vos autem macilenti. Hæc mutatio creabit mihi periculum*) & obnoxium reddetis caput meum Regi. (*nam* חוב *hob Hebræis eſt debitor. Inde hoc verbum deducitur, quod ſignificat obnoxium reddere.*)

Patitur Daniel repulſam à Præfecto. Et certe quemadmodum nuper attigi) non laudata fuit illius humanitas, quod obſequutus ſit voto & precibus Danielis, ſed quod ſepelierit illud unde poterat Daniel venire in magnum diſcrimen. Et in ipſis verbis apparet humanitas, quia tametſi negat quod fuerat petitum, excuſat tamen comiter, & blandis verbis, quaſi diceret, ſe libenter hoc daturum eſſe, niſi metueret ſibi ab iracundia Regis. Hæc igitur ſumma eſt, Præfectum, quamvis non auſus fuerit Danieli morem gerere, tamen humaniter ſe geſſiſſe erga ipſum & ejos ſocios, ne traheret eos in periculum capitis. Dicit *ſe metuere Regem qui ordinavit cibum.* Hic non eſt vituperandus, quod ſibi ab homine mortali metuat magis, quam à Deo vivo. Nulla enim potuit eſſe Dei cognitio. Quanquam forte perſuaſus erat Danielem petere ſincero ſtudio pietatis quod petebat: tamen non putat hoc ad ſe ſpectare. Putavit enim Judæis ſuum eſſe peculiarem cultum: ſed interea religio Babylonica apud eum primatum retinet: quemadmodum multi profani homines putant nos recte quidem agere, quum abjicimus ſuperſtitiones, ſed interea indormiunt huic errori, ſibi etiam eſſe licitum vivere more vetuſto, quia ſcilicet ita fuerint educati, & hoc illis traditum fuerit à majoribus. Ritus ergo uſurpant quos ſuſtinent à nobis improbari. Sic etiam hic Præfectus poterat recte ſentire de Daniele, & ejus ſociis, interea non fuit eo uſque tactus, ut diſcere cuperet quidnam differret una religio ab altera. Simpliciter ergo excuſat ſibi non eſſe liberum, permittere Danieli quod petierat, quoniam hoc futurum eſſet capitale apud Regem. Nunc ſequitur,

11. Et dixit Daniel ad Meltſar, quem conſtituerat Præfectus Eunuchorum ſuper Danielem, Hananiah, Miſaël, & Azariah.

12. Proba (*vel experire*) ſervos tuos diebus decem, & apponantur nobis de leguminibus, (*legumina ſimpliciter*) & comedemus, (*quæ comedamus*) & aquæ, quas bibamus.

13. Et inſpiciantur coram facie tua vultus noſtri, & vultus puerorum, qui veſcuntur portione (*fruſto, quemadmodum diximus*) cibi Regis: & quemadmodum videris fac cum ſervis tuis.

Quia intellexerat Daniel ex reſponſo Præfecti non poſſe impetrari ab ipſo quod optabat, ideo alloquitur ejus miniſtrum. Præfectus enim ſub ſe habuit complures miniſtros, quemadmodum ſcimus eſſe uſitatum in magnis Præfecturis. Nam probabile eſt, fuiſſe idem officium Præfecti illius, quod hodie eſt magni Scutarii, quem vocant in Gallia. Erat igitur unus ex miniſtris, ſub cujus cuſtodia erant Daniel & ſocii. Ad hoc remedium deſcendit Daniel, & obtinet quod cupit: non tamen ſine artificio,

ficio, ut videbimus. Hic autem perſpicitur rara Danielis conſtantia, qui poſt rem fruſtra tentatam, non tamen deſinit tendere ad ſuum ſcopum. Et hoc eſt verum & ſerium fidei examen, ſi quid nobis occurrat adverſum: neque putamus viam ideo nobis clauſam eſſe. Ergo ſi curſum protinus non retro flectimus, ſed tentamus omnes alias vias, tunc vere oſtendimus radicem pietatis in cordibus noſtris fixam eſſe. Potuit videri excuſabilis Daniel, poſtquam repulſam paſſus fuerat. Quis enim non dixiſſet defunctum eſſe ſuis partibus? Sed ſuperavit hoc obſtaculum. Et quia apud ſummum Præfectum nihil adeptus eſt, ad miniſtrum ejus deſcendit. Fuit autem hoc non vulgaris prudentiæ, petere ut periculum faceret. Neque enim potuit objicere hic miniſter quod nunc audivimus fuiſſe reſponſum à Præfecto. Nec dubium eſt quin aliquid cognoverit tam de precibus Danielis, quam de repulſa & negatione. Ideo antevertit Daniel, & oſtendit quomodo poſſit annuere miniſter ille ſine ullo periculo: quaſi diceret, Nos quidem ideo non impetravimus à Præfecto, quia metuebat ſuo capiti: ſed nunc excogitavi novam rationem, qua & nobis gratificeris, & tamen non poſſis trahi in crimen, quia res prorſus latebit. *Proba* igitur *diebus decem ſervos tuos*, & experire: *dentur nobis tantum legumina, detur aqua quam bibamus*: Jam ſi poſt tempus illud facies noſtræ fuerint pulchræ & nitidæ, nulla erit de te ſiniſtra ſuſpicio, & nemo poterit perſuaderi quin nos educaveris laute, prout à Rege mandatum fuit. Quum ergo probatio hæc tibi ſit tuta, & non minus caveas tibi quam nobis, jam non eſt cur rejicias preces noſtras. Cæterum non dubium eſt, quum Daniel in medium hoc protulit, quin directus fuerit Dei Spiritu ad hanc prudentiam, & ſimul etiam impulſus, ut hoc peteret. Fuit ergo ſingulare Spiritus donum, quod Daniel modum invenit, quo poſſet flectere animum miniſtri, ſub cujus erat cuſtodia. Sed tenendum etiam rurſus eſt illud, nempe non temere, neque proprio motu hæc dixiſſe, ſed inſtinctu Spiritus ſancti. Fuiſſet enim non ſolertia, ſed potius temeritas, ſi Daniel ſibi fabricaſſet hoc conſilium, & non fuiſſet certior factus à Domino de felici eventu. Non eſt igitur dubium, quin hoc habuerit ex arcana revelatione, feliciter & ex voto ceſſurum, ſi permitteret miniſter ipſum & ſocios veſci leguminibus. Et ideo dixi non ita loquutum eſſe, niſi duce Spiritu & magiſtro. Hoc autem ideo notatu utile eſt, quia ſæpe nobis multa permittimus, in quibus nos tandem eventus fallit, quia ſcilicet rapimur proprio carnis ſenſu, neque expendimus quid Deo placeat. Non mirum eſt igitur, quum homines varias ſpes concipiunt, ſi ſentiant tandem ſe fuiſſe deceptos, quia nemo eſt qui ſtulte ſperando non ſit ſibi impoſtor, & qui non ſeipſum fruſtretur. Neque enim noſtrum eſt quicquam nobis promittere. Ergo notemus Danielem, quia non ſuſceperat neque aggreſſus fuerat quod vidimus, ſtulto zelo, ita etiam non loqui nunc inconſiderate, ſed à Spiritu Dei factum eſſe certiorem quid futurum eſſet. Dicit autem, *Apponantur nobis legumina quibus veſcamur, & aqua quam bibamus.* Videmus non ideo abſtinuiſſe quatuor pueros à cibo regio, ne quam immunditiem attingerent. Neque enim Lex unquam prohibuit vinum bibere, niſi Na- *Num. 6.*
zaræis: & licebat veſci carnibus, quarum copia multiplex erat in menſa regia. Unde ergo iſta religio? nempe (ſicuti heri dictum fuit) quia nolebat Daniel aſſueſcere ad delicias aulicas, quibus ſtatim factus eſſet degener. Voluit igitur non tantum frugaliter, ſed tenuiter etiam corpus ſuum alere, ut nunquam ſibi in ſorte illa placeret: quamvis etiam eveheretur ad ſummos honores, ut tamen ſemper eſſet quaſi miſerrimus inter captivos. Non eſt cur alias rationes quæramus in hac abſtinentia Danielis. Poterat quidem etiam pane cibario veſci, & aliis cibis parum delicatis: ſed contentus fuit leguminibus, ut ſcilicet aſſidue gemeret, & in animo aleret memoriam patriæ ſuæ, cujus ſtatim fuiſſet oblitus, ſi demerſus fuiſſet in illas aulicas lautitias. Sequitur,

14. Et audivit eos in hoc verbo, & probavit eos decem diebus.

15. Et à fine decem dierum viſus eſt vultus eorum pulcher, (*vel nitidus*) & *ipſi* pinguiores carne præ omnibus pueris, (*nempe cæteris*) qui comedebant portionem cibi regii.

Quia hoc mirabiliter factum eſt, quod Daniel non contraxit maciem nec debilitatem ex ſordido illo cibo, ſed perinde enituit ejus facies, acſi delicatiſſimos quoſque cibos comediſſet, hinc colligimus quod jam dixi, nempe impulſum fuiſſe divinitus, ut conſtanter perſiſteret in ſuo conſilio, ne ſcilicet ſe pollueret in cibis regiis. Deus ergo re ipſa teſtatus eſt ſe fuiſſe auctorem Danieli & ſociis in hoc voto & propoſito. Certum quidem eſt, non eſſe tantam virtutem in pane, ut nos ſuſtineat. Alimur enim arcana
Deut. 8. Dei benedictione, ſicuti dicitur apud Moſem, Non vivit homo ſolo pane, hoc eſt, panis non ſuppeditat hominibus virtutem. Neque enim panis ipſe vitam habet: Quomodo igitur vitam nobis adferret? Ergo panis nullius per ſe virtutis eſt, ſed alimur verbo Dei, hoc eſt, quia Dominus ita ſtatuit, ut alimentis foveretur vita noſtra. Ideo pani inſpiravit virtutem. Sed debemus interea vitam noſtram ferre acceptam non pani, nec aliis cibis, ſed arcanæ Dei benedictioni. Non enim hic loquitur Moſes de doctrina, nec de vita ſpirituali, ſed dicit vitam noſtram corporalem foveri Dei gratia, qui ita indidit proprium munus pani & reliquis cibis. Hoc igitur certum eſt in genere, quibuſcunque veſcamur cibis, nos ali & ſuſtentari gratuita virtute Dei. Sed exemplum hoc cujus nunc meminit Daniel, fuit ſingulare. Deus ergo (quemadmodum jam dixi) re ipſa oſtendit non aliter poſſe manere Danielem purum, & integrum una cum ſociis, niſi contentus ſit leguminibus & aqua. Hic autem notandum eſt primo loco, cavendum ſedulo eſſe, ne gulæ ſimus mancipia, & ita retrahamur tam ab officio noſtro, quam ab obſequio & timore Dei, ubi vivendum nobis eſt tenuiter, & carendum omnibus lautitiis: quemadmodum hodie videmus multis hanc eſſe ſummam crucem, nempe ſi non liguriant menſas divitum, quæ refertæ ſunt magna copia ciborum & varietate. Alii etiam qui jamptidem obduruerunt ad lautitias, non poſſunt ſe ſubmittere, neque ulla mediocritate contenti ſunt. Hinc fit igitur, ut ſemper ſordeant in luto ſuo, quia ſcilicet non poſſunt renunciare gulæ deliciis. Atqui Daniel ſatis nobis oſtendit, ubi Deus non modo redigit ad inopiam, ſed ubi opus eſt, etiam ſponte abjiciendas eſſe omnes delicias. Daniel quidem (ut heri vidimus) non conſtituit virtutem in abſtinentia hujus vel illius cibi: & quicquid hactenus retulit, non ſpectavit in alium finem, niſi ut ſciamus præcaviſſe periculum, ne ſcilicet tranſiret in mores alienæ gentis, atque ita ſe Babyloniis miſceret, ut non reminiſceretur ſe eſſe filium Abrahæ. Sed tamen hoc neceſſarium erat, renunciare aulicis deliciis. Quanquam ergo ſuppetunt cibi delicati, ſponte illos à ſe repellit, quia ſcilicet erat exitialis pollutio (ut ante vidimus, non per ſe, ſed propter conſequentiam. Sic Moſes quum fugit ex Ægypto, tranſiit in novam vitam, & longe diver-

diverſam à ſuperiori. Vixerat enim laute & opipare in aula regia quaſi eſſet Regis nepos. Tenuiter autem victitat in deſerto poſtea, & moleſtiſſimo etiam labore victum ſibi acquirit. Poſtpoſuit delicias
Hebr. 11. Ægypti (inquit Apoſtolus) cruci Chriſti. Quare? neque enim poterat ſimul & Ægyptius cenſeri, & retinere gratiam, quæ promiſſa fuerat filiis Abrahæ. Erat quædam hæc abnegarionis ſpecies, ſemper manere in aula Regis. Sciamus ergo hoc eſſe verum experimentum noſtræ frugalitatis & temperantiæ, ſi poſſumus eſurire, ubi Deus nos ad inopiam & egeſtatem cogit: imo etiam ſi ſponte poſſumus abjicere delicias, quæ nobis eſſent ad manum, ſed noſtro exitio. Nam hic ſubſiſtere in leguminibus & aqua, eſſet valde frivolum: quia major interdum intemperantia ſe prodit in leguminibus, quam in optimis quibuſque & lautiſſimis cibis. Si quis debili valetudine appetat legumina & alins cibos, qui minus conducunt, ille certe damnabitur intemperantiæ: ſi autem veſcatur cibis boni ſucci (ut loquuntur) & ita ſe ſuſtentet, erit laus frugalitatis. Si quis ergo aquam appetat, & ſeſe ingurgitet: reſpuat autem vinum, non erit hoc laudabile, quemadmodum ſcimus. Ergo in ipſa ſpecie ciborum non debemus ſubſiſtere, ut ſciamus quanta fuerit virtus Danielis. Sed ſemper debemus dirigere mentes noſtras ad finem conſilii, nempe quod voluit, quantum in ſe erat, ita vivere ſub imperio Regis Babylonii, ut tamen ſeparata eſſet conditio ipſius à communi more gentis, nec unquam obliviſceretur ſe eſſe Iſraëlitam: & niſi fuiſſet tanta diverſitas, non poterat ſatis ſeipſum acuere Daniel, & ſubinde excutere vel expergefacere torporem ſuum. Quemadmodum ſi ſuppetat tolerabilis victus, non facile retinemur in officio. Quum ergo neceſſe eſſet verſari ante oculos Danieli manifeſtum aliquod & inſigne diſcrimen, quo ſeipſum à Chaldæis ſepararet, hinc factum eſt, ut legumina & aquam peteret. Poſtremo docet hic locus, etiamſi tantum occurrant nobis radices, vel folia arborum, imo ſi terra ipſa non proferat nobis vel minimum germen: tamen Deum poſſe nobis benedicere, ut ſimus vegeti & alacres, non minus quam qui affluunt omni copia. Non ſpernenda quidem eſt Dei liberalitas, ubi nos alit pane, & vino, & aliis
cibis. Nam Paulus utrumque in laude ponit, ſcire *Philip. 4.*
ferre abundantiam, & penuriam. Quum ergo Dominus largiter nobis profert cibum & potum, poſſumus ſobrie & frugaliter vinum bibere, & edere cibos ſuaviores. Sed ubi Deus aufert nobis & panem & aquam, ita ut nobis pereundum ſit inedia, ſciamus ſufficere nobis ejus benedictionem pro omnibus alimentis. Nam videmus Danielem, & ejus ſocios fuiſſe pulchros & nitidos, fuiſſe etiam ſucculenta carne, quum legumina tantum comederent. Unde hoc, niſi quia Dominus, qui populum ſuum alere potuit in deſerto ſolo manna, quum non ſuppeterent
alii cibi, convertit etiam hodie nobis cibos in manna, *Exod. 16.*
qui per ſe eſſent noxii? Nam ſi quis interroget medicos, an leguminibus & aliis ejuſmodi veſcendum ſit, dicent hæc omnia eſſe valde noxia: & vere hoc ſentient. Sed interea ubi non eſt nobis ciborum copia ad delectum, ut poſſimus nobis accipere quod valetudini noſtræ melius conducit, ſi contenti ſumus herbis & radicibus, Dominus (quemadmodum dixi) poterit nos non minus alere, quam ſi menſam proponeret bene refertam omnibus lautitiis. Sicuti enim temperantia non eſt in ipſo cibo, ſed in palato, (quia ſi voluptas nos allicit ad malos cibos appetendos, nihilominus ſumus intemperantes: rurſum ſi veſcimur optimis cibis, hoc non obſtat noſtræ temperantiæ) idem etiam tenendum eſt de ipſa facultate alimentorum, quod ſcil. non ſuſtentat nos per ſe qualitas hujus vel illius cibi, ſed Dei benedictio, prout illi viſum eſt. Videbimus enim interdum divitum liberos eſſe macilentos, quum tamen habeatur ſumma ipſorum cura: videbimus in plebe ruſtica pueros eſſe pulcherrimos, & facie bene plena, & toto corpore ſucculento: & tamen veſcuntur cibis quibuslibet, interdum etiam maxime noxiis. Sed quia carent deliciis urbanis, ideo Dominus ſua benedictione facit, ut crudi fructus, ut caro ſuilla, laridum, & quicquid tale eſt, & olera etiam quæ videntur deteriora eſſe, ut hæc omnia multo magis proſint, quam ſi affluerent omnes deliciæ. Hoc ergo etiam notandum eſt in verbis Danielis. Sequitur,

16. Et factum eſt, ut Meltſar tolleret ſibi portionem cibi illorum & vinum potionum eorum, (*hoc eſt, vinum quod Rex illis in potum tribuerat*) & daret illis legumina.

Poſtquam vidit Meltſar ſe poſſe gratificari Danieli & ſociis abſque periculo, imo hoc eſſe ex altera parte ſibi lucroſum, facilis fuit & humanus: jam non opus fuit longa diſputatione. Nam ſæpe à ſpe lucri deterremur, objecto diſcrimine aliquo: vel ſi magno labore conſtat quod alioqui appetimus, tunc deſiſtimus: ſed ubi lucrum nobis eſt in manu, & non metuimus à periculo, jam nemo eſt qui non ſponte illuc inclinet. Videmus ergo quid ſibi velit Daniel in hoc verſu, nempe quia Meltſar vidit hoc ſibi eſſe utile, & quia potuit facere quæſtum ex victu quem Rex aſſignaverat quatuor pueris, ideo dedit legumina. Sed notandum eſt etiam conſilium Danielis. Vult enim hic oſtendere, non debere adſcribi hominis beneficio quod potuerit integrum ſe & illibatum ſervare una cum ſociis. Quare? Quia nunquam hoc impetraſſet ab iſto homine Meltſar, niſi ubi vidit ſe hoc tuto poſſe concedere. Quoniam igitur Meltſar conſuluit proprio commodo, & privatæ utilitati, deinde etiam voluit effugere omnia diſcrimina, & omnes moleſtias, hinc facile colligimus, non poſſe hoc cenſeri ejus beneficium, quod Daniel & ſocii adepti ſunt quod optabant, ſed fuiſſe rem totam gubernatam Dei providentia, ſic ut homo manſueſceret. Interea autem Deus palam oſtendit ſibi totam laudem deberi, quo ſcilicet ita exerceret Danielis & ſociorum ejus gratitudinem.

Da omnipotens Deus, quum hodie verſemur inter tot hoſtes, & diabolus non deſinat nobis ſubinde faceſſere novas moleſtias: deinde etiam totus mundus nobis infeſtus ſit, ut ſentiamus & diabolum ipſum coarctari freno tuo, & omnes impios etiam tibi ita ſubjectos eſſe, ut flectas quocunque volueris, & dirigas ipſorum corda, ut experimento edocti nos ſemper fore incolumes & tutos ſub protectione manus tuæ, ſicuti pollicitus es nobis, pergamus in curſu vocationis noſtræ, donec tandem perveniamus ad beatam illam quietem, quæ nobis in cælo repoſita eſt per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO QUARTA IN DANIELEM.

17. Et pueris illis quatuor, dedit (*inquam*) illis Deus cognitionem & ſcientiam in omni literatura & ſapientia: & Daniel intellexit in omni viſione & ſomniis.

Hic oſtendit Propheta quod jam ſupra attigimus, ſibi partam fuiſſe auctoritatem, ut majore cum fructu exerceret Prophetæ officium. Oportuit enim certis notis ipſum inſigniri, ut Judæi primum, & extranei etiam cognoſcerent ipſum eſſe præditum Prophetico ſpiritu. Pars autem hujus gratiæ collata fuit tribus ejus ſociis: ſed excelluit ſupra omnes, quia Deus aptaverat illum ad ſingulare munus. Hic finis notandus eſt, quia illud eſſet frigidum, mercedem illis fuiſſe repenſam à Deo, eo quod frugaliter imo etiam ſordide victitaverant, & abſtinuerant ſponte à deliciis aulicis. Aliud enim fuit Dei conſilium. Nam voluit, quemadmodum jam dixi, extollere Danielem, ut cum fructu oſtenderet Deum Iſraëlis unicum eſſe Deum: & quoniam volebat etiam ſocios ejus ad tempus aliquod excellere in præfectura politica, ideo etiam donavit eos aliqua parte Spiritus. Sed operæpretium eſt, nobis proponere ante oculos Danielem, quia, ſicuti jam dixi, antequam Deus Prophetam illum conſtitueret, voluit quaſi ſuis inſignibus illum ornare, ut jam parata eſſet fides ejus doctrinæ. Dicit igitur *quatuor illis pueris*, hoc eſt, adoleſcentibus, *datam fuiſſe cognitionem & ſcientiam in omni literatura & ſapientia*: Danielem vero ſingulari dono fuiſſe præditum, quod ſcilicet eſſet ſomniorum interpres, deinde viſiones intelligeret. Quum de literatura hic loquitur Daniel, non dubium eſt quin deſignet ſimpliciter artes liberales, non comprehendat artes magicas, quæ, ſi tunc vigebant, poſtea floruerunt apud Chaldæos. Scimus vero nihil fuiſſe apud incredulos ſincerum. Et jam aliqua ex parte admonui, Danielem non fuiſſe imbutum illis ſuperſtitionibus, quæ tunc maximo in pretio erant in illa gente. Corruperant tunc Aſtrologiam, non contenti genuina ſcientia: ſed Daniel & ſocii ejus ſic fuerunt inſtituti apud Chaldæos, ut non attingerent mixturas illas, vel corruptelas potius, quæ ſemper à vera ſcientia debent ſeparari. Et abſurdum eſſet, tribuere hoc Deo, quaſi probaret artes magicas, quæ ut ſatis notum eſt, ſevere prohibentur, & damnantur ipſius Lege, Deuter. 18. Quum ergo Deus abominetur magicas illas ſuperſtitiones tanquam præſtigias diaboli, non poteſt hoc quadrare, Danielem & ſocios ejus fuiſſe divinitus ornatos hoc dono, quod ſcilicet optime profecerint in omni literatura Chaldaica. Reſtringi igitur hoc debet ad veram & naturalem ſcientiam. Quantum ad Danielem ſpectat, dicit *ipſum etiam viſiones & ſomnia intellexiſſe*. Scimus autem ex duodecimo cap. Numerorum, duobus illis modis Prophetas intellexiſſe quænam eſſet Dei voluntas. Nam illic dum objurgat Deus Aaronem, & Marjam, dicit hoc eſſe quaſi ordinarium, quoties manifeſtare vult conſilium ſuum Prophetis, ut per viſiones, & per ſomnia cum illis loquatur: Moſen vero eximi à communi ordine, quia facie ad faciem, ore ad os cum ipſo loquatur. Deus ergo quoties voluit Prophetis ſuis uti, vel per viſiones, vel per ſomnia patefecit illis quod volebat perferri ad populum. Quum ergo hic dicitur, *Danielem intellexiſſe ſomnia & viſiones*, tantundem hoc valet, atque donatum fuiſſe Prophetico ſpiritu. Quum ergo ſocii ejus in omni literatura eſſent optimi doctores & magiſtri, ſolus ipſe Propheta Dei fuit. Nunc tenemus quorſum pertineat hoc diſcrimen, ubi intelligentia viſionum & ſomniorum peculiariter adſcribitur Danieli. Et hic melius confirmatur quod jam dictum eſt, nempe jam tunc Danielem fuiſſe ornatum inſignibus Dei, ut poſtea majori cum fide poſſet ſuſcipere Propheticum munus, & plus etiam fidei adhiberetur ejus doctrinæ. Potuit quidem momento uno Deus ipſum formare: deinde potuit etiam incutere vel terrorem vel reverentiam omnium animis, ut amplecterentur ejus doctrinam; ſed voluit per gradus ita extollere ſervum ſuum, ut prodiret opportuno tempore, & non eſſet novitius: imo ut omnes cognoſcerent jam à multis annis impreſſas fuiſſe notas, quæ eum diſcernerent à vulgo vel communi ordine. Poſtea ſequitur,

18. Et à fine dierum, quibus edixerat Rex ut producerentur, introduxit eos Princeps (*vel Præfectus*) Eunuchorum coram Nebuchadnezer.

19. Et loquutus eſt cum illis Rex: & non inventus eſt ex omnibus ſicuti Daniel, Hananiah, Miſaël, & Azariah: & ſteterunt coram Rege.

20. Et *in* omni verbo, ſapientia *&* intelligentia, quod ſciſcitatus eſt ab eis Rex, invenit eos decuplo ſupra omnes Genethliacos, *&* Aſtrologos, (*id eſt, præſtantiores Genethliacis & Aſtrologis*) qui *erant* in toto regno ejus.

Jam narrat Daniel ſe, & ſocios fuiſſe productos tempore præfixo: quoniam triennium à Rege conſtitutum erat, quo edocerentur in omni ſcientia Chaldaica. Producit igitur eos Præfectus Eunuchorum. Dicit ſe, & ſocios fuiſſe probatos à Rege, ita ut primas tenerent inter alios omnes. Confirmat his verbis quod jam dixi, nempe Dominum longo temporis ſucceſſu illos ornaſſe tali gratia, ut conſpicui eſſent in tota aula Regis, & Rex ipſe agnoſceret in ipſis aliquid non vulgare. Oportuit igitur tam Regem, quam omnes ejus aulicos induere opinionem de quatuor iſtis adoleſcentibus, quæ exprimeret ab illis aliquam reverentiam. Jam tunc voluit Deus illuſtrare gloriam ſuam, quia non dubium eſt, quin coactus fuerit Rex mirari, qui fieret ut iſti Chaldæos omnes ſuperaſſent. Rex enim neque ſumptibus pepercit, neque etiam neglexit inſtituere ſuos populares. Quum videret homines exteros & captivos ita excellere, poterat animum ejus pungere aliqua æmulatio. Sed quemadmodum jam dixi, voluit Deus hoc modo ſeipſum extollere in perſona ſervorum ſuorum, ut Rex cogeretur agnoſcere aliquid divinum in iſtis adoleſcentibus. Unde autem hæc illis præſtantia? Nam Chaldæi jactabant ſe quaſi naſci ſapientes ex utero, aliæ omnes gentes erant illis barbaræ. Quum igitur Judæi ita eminent ſupra omnes, ſequitur Deum quem colunt, eum eſſe qui diſtribuit, prout vult, cuique acumen & perſpicaciam, quia nemo naturaliter ingenio pollet, niſi quatenus hac gratia donatus eſt è cælo. Neceſſe igitur fuit, Deum ita glorificari, quum Daniel & ſocii ejus longo intervallo ſuperarent omnes Chaldæos. Ita Deus ſolet hoſtes ſuos rapere in admirationem ſuæ virtutis, etiam quum maxime lucem fugiunt. Quid enim propoſitum erat Regi Nebuchadnezer, niſi ut Dei memoriam extingueret? ut ha-

beret apud ſe Judæos ex nobilibus familiis, qui deinde religionem ipſam in qua nati erant, oppugnarent? Voluit hoc Nebuchadnezer: ſed Deus fruſtratus eſt tale conſilium Tyranni, & fecit ut illuſtrius redderetur nomen ſuum. Jam ſequitur,

21. Et fuit Daniel uſque ad annum primum Cyri Regis.

In hoc verſu laborant interpretes, quia poſtea videbimus Danieli oblatam fuiſſe viſionem anno tertio Regis Cyri. Quidam afferunt ſolutionem non ſatis firmam, quod Daniel fuerit uſque ad illud tempus, ſed tamen non mortuus ſit ſtatim anno primo Cyri Regis. Alii verbum היה *hajah* exponunt pro frangi. Sed hoc longe diſcedit ab hiſtoria. Recta igitur eſt eorum ſententia, qui dicunt Danielem fuiſſe uſque ad primum annum Cyri Regis, hoc eſt, functum fuiſſe Prophetæ officio: quanquam illi non tam aperte loquuntur: ſed malo in dextram partem exponere quod obſcurius dicunt. Nam quia poſtea profectus eſt in Mediam, dicunt mutationem hanc notari. Sed ſic poterimus melius verba accipere, quod ſcilicet Daniel apud Chaldæos & Aſſyrios floruerit, & agnitus fuerit pro ſummo Propheta, quemadmodum etiam ſcimus interpretatum fuiſſe viſionem Regis Balſazar, imo ea ipſa nocte qua fuit occiſus. Hoc quidem verbum eſt ſimplex & abſolutum, *quod fuerit*, ſed pendet ex ſuperioribus, quod ſcilicet apud Reges Babylonios ſemper obtinuerit fidem, & auctoritatem Prophetæ. Hæc igitur ſumma eſt.

Nunc cap. ſecundo narratur quomodo Deus produxerit Danielem in theatrum, ut auſpicaretur Propheticum illud munus, ad quod deſtinatus erat. Jam quidem Deus inſculpſerat, quemadmodum diximus, certas notas unde agnoſceretur Daniel Propheta, ſed jam reipſa Deus voluit probare quid gratia ſua valeret, quam Danieli contulerat. Primo autem ſimpliciter narratur hiſtoria: deinde Daniel ad ſomnii interpretationem deſcendit. Hoc igitur eſt principium capitis.

Cap. II.

ANno autem ſecundo Regni Nebuchadnezer ſomniavit Nebuchadnezer ſomnia: & contritus fuit ſpiritus ejus, & ſomnus ejus interruptus eſt ei. (*ut vertunt, vel diſceſſit ab eo, vel fuit ſuper ipſum*)

Dicit hic Daniel Regem Nebuchadnezer ſomniaſſe anno ſecundo imperii ſui. Videtur hoc pugnare cum ſententia quam vidimus 1. cap. Si enim Nebuchadnezer expugnavit Jeroſolymam primo anno regni ſui, qui fieri poteſt, ut jam fuerit Daniel habitus inter ſapientes, inter Aſtrologos? quia tunc adhuc erat diſcipulus: deinde colligitur facile ex contextu, jam tunc fuiſſe una cum ſociis productum, ut omnes miniſtrarent coram Rege. Hæc igitur inter ſe primo intuitu non conveniunt, quod Daniel una cum ſociis traditus fuerit in diſciplinam primo anno Nebuchadnezer, ſecundo autem jam fuerit in periculo mortis, quia erat ex numero Magorum. Quidam, ut alibi attigimus, annum ſecundum numerant ab urbe capta & exciſa. Dicunt enim Regem Nebuchadnezer vocari ab eo tempore, quo adeptus eſt Monarchiam pacatam. Priuſquam excinderet urbem & templum una cum gente, nondum potuit cenſeri Monarcha in ſolidum: ideo referunt hoc ad tempus captæ urbis, quemadmodum dixi. Sed ego in alteram potius conjecturam inclino, ut eſt magis probabilis, quod ſcilicet regnaverit una cum patre: & expoſui, quum oppugnaverit Jeroſolymam tempore Joachim, miſſum fuiſſe à patre: deinde ab expeditione Ægyptiaca reverſum fuiſſe in Chaldæam, ne quid auderet illic quiſpiam novare: voluit occurrere ſeditionibus. In hoc igitur nihil eſt abſurdum, Nebuchadnezer regnaſſe ante mortem patris, quia jam accitus fuerat in ſocietatem imperii: deinde regnaſſe ſolum: & ſecundo anno regni ejus hoc contigiſſe quod nunc narratur. Nihil in hac expoſitione eſt coactum: deinde hiſtoria conſentit. Ego igitur ſententiam hanc potius amplector. Dicit *eum ſomniaſſe ſomnia*, & tamen unum duntaxat ſomnium narratur. Sed quia res multæ erant implicitæ in hoc ſomnio, non mirum eſt ſi plurali numero utatur. Jam additur *ſpiritum ejus fuiſſe contritum*, nempe ut ſciamus ſomnium non fuiſſe vulgare. Neque enim tunc primum ſomniare cœpit Nebuchadnezer: neque ita fuit exterritus noctibus ſingulis, ut acceiſeret omnes Magos. Ergo in hoc ſomnio aliquid fuit extraordinarium, quod voluit exprimere Daniel his verbis. Quod vertunt communiter in fine verſus, *ſomnum ejus fuiſſe interruptum*, neſcio an conveniat: & expoſitio illa altera, quam etiam frater noſter D. Antonius vobis attulit, optime quadrat, quod ſcilicet fuerit ſomnus ejus ſuper eum, hoc eſt, quod iterum cœperit dormire. Videtur ergo mihi genuinus, & ſimplex eſſe ſenſus verborum, quod ſcilicet *confuſus fuerit ſpiritus ejus*: id eſt, quod occupaverit mentem ejus maximus terror, ita ut ſciret ſomnium illud divinitus profectum eſſe: deinde quod quaſi attonitus iterum dormierit, quia ſcilicet erat ſimilis homini mortuo, ita ut quum agitaret ſecum de interpretatione ſomnii, tandem obſtupefactus fuerit: & redierit ad ſomnum: unde etiam illa ſomnii oblivio, quam poſtea videbimus. Sequitur,

2. Et edixit Rex ut vocarentur (*neſcio quibus nominibus reddam has voces Hebraicas: dicam tamen de re ipſa: ut ergo vocarentur*) Aſtrologi, & conjectores, & divini, & Chaldæi, ut annunciarent Regi ſomnia ſua: (*hoc eſt, ut exponerent Regi ſomnia ſua*) & venerunt & ſteterunt in conſpectu Regis.

Hic verſus clarius demonſtrat quod jam dixi, fuiſſe tale ſomnium ut Rex ſentiret Deum ejus eſſe auctorem. Neque enim hoc primum ejus ſomnium fuit, ſed terror, quem Deus incuſſerat ejus animo, coëgit ipſum vocare omnes Magos: quia non potuit quieſcere, etiamſi rediiſſet ad ſomnum ſuum. Senſit igitur quaſi cauterium in animo ſuo, quia Dominus non paſſus eſt ipſum quieſcere, ſed voluit turbulento eſſe animo, donec data eſſet interpretatio ſomnii. Ideo profani etiam ſcriptores non male ſomnia locant inter divinationes. Varie quidem loquuntur, quia nihil poteſt eſſe apud eos certum, vel ſolidum: tamen hæc perſuaſio inſita fuit eorum animis, fieri non poſſe, quin eſſet aliqua divinatio in ſomniis. Hoc extendere ad ſomnia quælibet ſtultum eſſet, ac puerile: quemadmodum videmus quoſdam nullum ſomnium prætermittere abſque conjectura, & ita ſe faciant ridiculos: quia ſcimus ex diverſis cau-

ſis ſomnia oriri, nempe ex diurnis cogitationibus: ſi quid meditatus fuero interdiu, nocte mihi occurret aliquod inſomnium, quia ſcilicet animus non ita obruitur ſopore, quin retineat ſemper aliquod intelligentiæ ſemen, licet ſit ſuffocatum. Et experientia hoc ſatis docet, recurrere diurnas cogitationes in ipſo ſomno. Deinde varii affectus animi vel corporis pariunt etiam multa ſomnia. Si quis triſtitiam ſecum in lectum afferat vel ex morte amici, vel ex aliquo damno, vel ex injuria ſibi illata, vel ex rebus adverſis quibuslibet, ſomnia etiam concipiet, ſicuti feret illa præparatio animi. Corpus etiam ipſum ſomnia generat, quemadmodum videmus eos qui febre laborant, nunc fontes imaginari ſi eos urgeat ſitis, nunc incendia, nunc multas imaginationes concipere. Videmus etiam ut intemperantia homines conturbet in ipſo ſomno. Temulenti enim homines rapiuntur quaſi in phrenetidem ſomniando. Apparent igitur multæ naturales cauſæ, quantum ad ſomnia ipſa pertinet. Ergo velle quærere divinationem vel certam rationem in omnibus, hoc eſſet nimis inſipidum. Sed ex diverſa parte, ſatis conſtat quædam ſomnia non caruiſſe divinatione. Omitto quæ narrantur ex veteribus hiſtoriis: ſed certe ſomnium Calphurniæ uxoris Julii Cæſaris non potuit eſſe fictitium, quia antequam occideretur, vulgatum fuit, Occiſus fuit Cæſar, quemadmodum illa ſomniaverat. Idem etiam dici poteſt de medico Auguſti, qui juſſerat eum exire è tabernaculo ſuo, quo die pugnatum fuit in Pharſalia: & tamen nulla fuit ratio cur medicus juberet lectica ipſum efferri extra tentorium, niſi quia ſomniaverat ita neceſſe eſſe. Quæ fuit illa neceſſitas? nempe quæ non potuit conjici humanitus. Nam capta fuerunt caſtra Auguſti eo ipſo momento. Non dubito quin multa ſint fabuloſa: ſed ego hic habeo delectum, & nondum attingo ſomnia, quorum mentio fit in verbo Dei. Dico enim quid ſentire coacti fuerint ipſi profani homines. Et quanquam Ariſtoteles libenter rejiceret omnem ſenſum divinitatis, ut fuit malignus in hac parte, quum ſcilicet ad captum ingenii vellet Dei naturam exigere, ut omnia raperet ad acumen ſuum: tamen exprimitur ei hæc confeſſio, quod ſcilicet non temere ſemper accidant omnia ſomnia, ſed eſſe μαντικὴν, hoc eſt, divinationem, in quibuſdam. Diſputat quidem unde ſint ſomnia, ad quam partem animi pertineant, vel ad intellectivam, vel ſenſitivam: & concludit tandem ex hac ſecunda proficiſci, ſed quatenus eſt imaginativa. Poſtea quum quærit Sintne ſomnia, vel cauſæ, vel alia ejuſmodi, inclinat in hanc partem, quod ſint potius ſymptomata, vel accidentia quæ fortuito contingunt. Interea non poteſt hoc admittere, ſomnia divinitus immitti: & rationem addit, quod multi ſtupidi homines ſomnient, & eadem ſit in eorum ſomniis ratio, quæ poſſet perſpici in ſapientiſſimis. Deinde adjicit etiam bruta animalia. Sunt enim quæ ſomniant, ut elephanti. Quum ergo brutis animalibus communia ſint ſomnia, quum ſapientes rarius ſomnient quam rudiſſimi idiotæ, probabile non eſt Ariſtoteli, ſomnia immitti divinitus. Negat igitur eſſe θεόπεμπτα vel θεῖα, ſed δαιμόνια, hoc eſt, fingit aliquid eſſe medium inter divinitatem & dæmonicam naturam. ſcimus autem quam in partem accipiant Philoſophi nomen illud quod in Scripturis male ſonat. Dicit igitur ſomnia immitti ab illis inſpirationibus aëreis, non autem à Deo: Quia, inquit, non eſt divina hominis natura, ſed eſt inferior: & tamen ſupra terrenam, hoc eſt, quaſi angelica. Cicero hac de re prolixe diſputat 1. lib. de Divinatione. quanquam refellit quæcunque dixerat lib. 2. ut erat Academicus. Deinde etiam inter alia argumenta quibus probat eſſe deos ſomnia addit, Quod ſi qua eſt divinatio in ſomniis, ſequitur eſſe aliquod numen in cælo: neque tamen mens hominis poſſet aliquod ſomnium concipere abſque inſpiratione cæleſti. Valet igitur ratio illa quam Cicero affert, Si eſt divinatio in ſomniis, eſſe aliquod numen. Nota eſt etiam diſtinctio quæ ponitur à Macrobio: quanquam inſcite confundit & genera, & ſpecies, ut erat homo non magni judicii, ſed rhapſodos, qui congerebat abſque delectu quicquid legerat, & ſine ratione. Maneat igitur hoc fixum, non temere fuiſſe hanc opinionem infixam omnium cordibus, eſſe inter ſomnia aliquam ſpeciem divinationis. Unde etiam illud Homericum, Ἐκ Διός ἐστιν ὄναρ. Siquidem non intelligit hoc generaliter neque promiſcue de ſomniis quibuslibet, ſed ubi perſonas heroum in medium adducit, ſimul etiam hoc notat, fuiſſe divinitus admonitos in ipſo ſomno. Jam venio ad ſomnium Nebuchadnezer. In hoc ſomnio duo notanda ſunt, quod ſcilicet excuſſa & obliterata fuerit memoria rei: deinde quod interpretatio etiam defuerit. Videmus alibi ſomnii memoriam non fuiſſe deletam, & tamen incognitam fuiſſe interpretationem. Hic autem Nebuchadnezer non tantum perplexus fuit in ipſa interpretatione ſomnii, ſed etiam quia evanuerat ipſa viſio, duplicata fuit perplexitas, vel anxietas. Jam quod ad illud attinet, Danielem ſcilicet clariſſe interpretatione, hoc novum non eſt. Continget interdum, ſed raro, ut ſomniet quiſpiam abſque figura vel ænigmate, hoc eſt, ut rem ipſam agnoſcat, neque opus habeat conjectore (vocarunt enim conjectores interpretes ſomniorum) hoc, quemadmodum dixi, continget, ſed raro. Hæc autem fere communis eſt ratio ſomniorum, ut Deus vel allegorice, vel ænigmatice loquatur. Neque hoc tantum agnoſcitur in hominibus profanis, ſed in ipſis quoque ſervis Dei. Quum ſomniavit Joſeph ſe adorari à ſole & luna, neſcivit *Gen. 37.* quid hoc ſibi vellet: quum etiam manipulum ſuum ſomniavit adorari à manipulis fratrum, non tenuit quorſum illud ſpectaret: narravit ſimpliciter fratribus. Deus ergo per ſomnia fere ænigmatice loquitur, donec interpretatio accedat. Et tale fuit ſomnium regis Nebuchadnezer. Videmus interea etiam Deum patefacere voluntatem ſuam incredulis, ſed non ad liquidum: quia videndo non vident, & perinde eſt ac ſi quis librum porrigeret clauſum, vel literas obſi- *Jeſa. 29.* gnatas: quemadmodum apud Jeſaiam dicitur, Deum *Jeſa. 28.* loqui lingua blæſa, & balbutiente cum incredulis. Sic ergo patefacta fuit Dei voluntas Regi Nebuchadnezer, ut tamen hæreret perplexus, imo etiam obſtupefactus quodammodo jaceret. Nihil ergo potuit ſomnium hoc illi prodeſſe, niſi oblatus fuiſſet interpres Daniel, quemadmodum videbimus. Neque tantum voluit Deus ſuſpenſum tenere Regem illum, ſed ideo ex animo ejus delevit memoriam ſomnii, ut magis eum pungeret: quia quum alii negligere ſoleant ſua ſomnia, quorum non reminiſcuntur, Deus tale cauterium, quemadmodum jam dixi, penitus infixerat animo hujus increduli, ut non poſſet tranquillo eſſe animo, ſed vigilando ſemper ſomniaret, quia Deus illum arcanis vinculis ad ſe trahebat. Hæc igitur ratio fuit cur Deus neque interpretationem ſomnii illi ſtatim dederit, & aboleverit etiam ex corde ejus memoriam, donec utrumque à Daniele acciperet. Reliqua differemus in craſtinum.

Da omnipotens Deus, quum omne donum perfectum abs te proficiſcatur, & quamvis alii alios præcellant intelligentia & ingenii perſpicacia, tamen nemo quicquam proprium habeat, ſed quatenus dignaris cuique diſtribuere pro menſura gratuitæ tuæ liberalitatis: ut quicquid in nos contuleris intelligentiæ, applicemus ad gloriam nominis tui: deinde ut in humilitate & modeſtia agnoſcamus tuum eſſe quicquid apud nos depoſitum eſt, & ſtudeamus ita nos continere in ſobrietate, ut nihil appetamus ſupervacuum, neque corrumpamus veram rerum ſcientiam & genuinam, ſed maneamus in ea ſimplicitate ad quam nos vocas: deinde ut non ſubſiſtamus

in his terrenis rebus, ſed diſcamus potius attollere mentes noſtras ad veram ſapientiam, nempe ut te agnoſcamus verum eſſe Deum, nos addicamus in obſequium tuæ juſtitiæ, & nobis unum hoc ſit ſapere, tibi obſequi & conſecrare nos totos, ut nomen tuum glorificetur in tota vita noſtra, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO QUINTA IN DANIELEM.

HEri vidimus edicto Regis accitos fuiſſe Magos, ut non tantum exponerent ei ſomnium, ſed etiam ut ſomnium ipſum narrarent, quod exciderat ab ejus memoria. Cæterum quoniam hic quatuor ſpecies Magorum ponuntur, vel tres ſaltem, & genus additur quarto loco, breviter attingam quid mihi videatur. חרטמים *Hartummim* exponunt complures Genethliacos, poſtea אשפים *Aſſaphim* putant Medicos vocari. Quod ad primum ſpectat, nollem acrius contendere: ſed in ſecundo nihil video coloris. Dicunt eſſe medicos, qui ex pulſu venæ aut arteriæ judicant de valetudine hominum. Sed quia nulla ratio ſubeſt, potius ſubſcribo eorum ſententiæ, qui putant hoc nomine vocari Aſtrologos. Tertio loco ponuntur מכשפים *Mecaſphim*, vocant Præſtigiatores: Alii tamen commutant ſignificationem, & dicunt eſſe Aſtrologos qui ex poſitu ſtellarum judicent de rebus futuris, vel res ignotas præſagiant. Ego autem nihil habeo quod dicam magis probabile, quam non poſſe certo ſtatui quid ſignificent apud Hebræos hæc nomina. Nam quia res ipſa jam ſepulta eſt, ideo quis diſtinguet inter iſtas voces, quæ pertinent ad profeſſionem artis incognitæ? כשדים *Caſdim* non dubito poni tanquam genus. Etſi enim nomen eſt gentile, tamen propter excellentiam, Magi nomen hoc ſibi ſumpſerant, quaſi penes ipſos eſſet totius gentis nobilitas & præſtantia. Et ſcimus nomen hoc paſſim fuiſſe uſitatum & in Græcia, & in Italia. Quicunque ergo profitebantur ſe vel ex aſtris, vel ex aliis conjecturis poſſe res ſummas & occultas prædicere, vocati ſunt Chaldæi. Jam quantum ad tres alias voces ſpectat, non dubito quin tunc fuerint honorificæ. Nam hac ratione vocarunt ſe Mathematicos, quaſi nulla eſſet ſcientia in mundo niſi penes ipſos. Cæterum, quanquam habebant bona principia, certum tamen eſt, fuiſſe refertos multis ſuperſtitionibus. Erant ergo Arioli & divini: & ſcimus illos multam operam dediſſe auguriis præſertim. Quanquam ergo habiti ſunt apud ſuos gentiles in magno pretio, damnantur Lege Dei: quicquid præ ſe tulerint ſcientiæ, fuit mera impoſtura. Sed generali nomine vocati ſunt Magi, vocati ſunt etiam Chaldæi, ſicuti paulo poſt, quum referet Daniel illos coram Rege loquutos eſſe, non enumerabit tres iſtas ſpecies, ſed tantum dicet Chaldæos. Jam mirum eſt cur inter eos non vocatus fuerit Daniel una cum ſociis. Debuit enim inter primos vocari, quia Rex quatuor illos, ut dictum fuit, reperit decuplo excellere ſupra omnes Magos, & omnes Ariolos qui erant in toto regno ejus. Quum ergo Regi non incognita eſſet dexteritas illorum, qui fit ut eos prætereat, dum comparent omnes Magi, & vocantur ob rem adeo arduam? Poteſt quidem fieri, ut Rex illos omiſerit, quia magis fidebat indigenis, vel quia habebat illos ſuſpectos, nec volebat detegere arcana ſua captivis, quorum fidem & conſtantiam erga ſe nondum ſatis expertus erat. Potuit quidem hoc fieri: ſed conſiderandum eſt propius nobis Dei conſilium. Ego itaque non dubito, quin oblivio hæc Regis profecta ſit à providentia Dei, quia noluit initio miſceri ſervum ſuum Danielem & reliquos cum Magis & Ariolis. Hinc ergo factum eſt, ut Daniel non fuerit accitus una cum reliquis, quo ſcilicet poſtea illuſtrius eſſet vaticinium, quod videbimus. Nunc ſequitur,

3. Et dixit illis Rex, Somnium ſomniavi, & contritus eſt ſpiritus meus ad ſciendum (*vel intelligendum*) ſomnium.

Adjungam proximum verſum:

4. Et dixerunt Chaldæi Regi Syriace, Rex, in æternum vive: dic ſomnium ſervis tuis, & expoſitionem indicabimus.

Primo narrat Daniel quanta fuerit confidentia in Chaldæis, dum audent ſomnii ſibi adhuc incogniti interpretationem promittere. *Rex dicit ſe fuiſſe turbatum, ut ſomnium intelligeret:* quo ſignificat quaſi ænigma ſibi fuiſſe divinitus propoſitum. Fatetur ergo hic ſuam ignorantiam: & poteſt ex ejus verbis colligi rei magnitudo. Quum ergo Rex teſtetur ſe velle ſciſcitari de re obſcura & profunda, & quæ ſenſum ſuum excedit: quum diſerte exprimat ſe fuiſſe contritum ſpiritu, debuit tangere Chaldæos ipſos aliquis timor, vel aliqua ſollicitudo. Atqui ſecure promittunt ſe fore optimos interpretes ſomnii ſimulac intellexerint. Quod dicunt, *Rex, in æternum vive*, non eſt ſimplex, vel nuda precatio: ſed potius jubent bono & alacri animo eſſe Regem, quia poſſint illi eximere omnem curam & moleſtiam ex animo, quia in promptu ſit expoſitio ſomnii. Et ſcimus quam liberales ſemper fuerint illi impoſtores in verbis: unde etiam illud veteris Poëtæ, Locupletaſſe aliorum aures, & crumenas exinaniiſſe. Et digni certe ſunt curioſi captantes ventum ſuis auribus qui paſcantur vento, & capiantur etiam talibus decipulis. Sed hoc fuit omnibus ſeculis compertum, nihil eſſe confidentius Aſtrologis, qui ſcilicet non contenti vera ſcientia, divinant de cujuſque vita aut morte, conjiciunt omnes eventus: denique profitentur ſibi nihil eſſe occultum. In genere tenendum eſt, ſtulte & temere artem fuiſſe factam ex conjecturis ſomniorum. Etſi enim aliqua eſt, & quidem certa, ſomniorum interpretatio, ut heri dictum fuit, tamen ut poſtea videbimus, non debet hoc aſcribi certæ ſcientiæ, ſed eſt ſingulare donum Dei. Quemadmodum ergo Propheta non colliget certis rationibus quid dicturus ſit, ſed explicabit oracula Dei: ſic etiam qui recte volet interpretari ſomnium, non habebit certas regulas quas ſequatur, verum ſi Deus patefecerit quid ſibi velit ſomnium, tunc interpretis partes ſuſcipiet, qui tali dono præditus eſt. Et proprie loquendo hæc ſunt antitheta, quæ inter ſe non conveniunt, Scientia generalis & perpetua, deinde ſpecialis revelatio. Quum ergo hoc ſibi vendicet Deus, patefacere quod per ſomnium jam inſculpſit hominum mentibus, ſequitur non poſſe conſtitui artem & ſcientiam, ſed

expe-

expectandam eſſe revelationem à Spiritu. Quod ergo Chaldæi tam audacter promittunt ſe fore bonos interpretes ſomnii, non tantum in eo produnt ſuam temeritatem, ſed ſunt impoſtores meri, qui ſcilicet pollere ſe fingunt ſcientiam quæ nulla eſt, quaſi ſuis conjecturis poſſint prædicere quid ſibi velit illud Regis ſomnium. Jam ſequitur,

5. Reſpondit Rex & dixit Chaldæis, Sermo à me exiit: (*vel abiit*) ſi non indicaveritis mihi ſomnium & interpretationem ejus, fruſta efficiemini, (*Alii vertunt ſanguinem* הדמין *haddamin: ſed receptior eſt altera expoſitio: & quoniam in re ipſa parum eſt diſcriminis, ideo non admodum laboro*) & domus veſtræ ponentur ſterquilinium. (*hoc eſt, redigentur in ſterquilinium*)

Hic Rex exigit à Chaldæis pluſquam ferebat ipſorum profeſſio. Etſi enim ſtolida erat jactantia (quemadmodum diximus) promittere interpretationem cujuslibet ſomnii: tamen hoc ſibi nunquam arrogaverant, ut cuique narrarent ſomnia. Videtur ergo Rex inique agere, quod non reſpiciat quid ipſi hactenus profeſſi ſint, & quinam ſint fines artis & ſcientiæ, ſi qua tamen in illis fuiſſet ſcientia. Quod dicit rem vel ſermonem à ſe abiiſſe, verba hæc duplicem ſenſum admittunt. nam מלתה *milletbah* poteſt accipi pro edicto, quemadmodum poſtea videbimus, atque ita legendum eſſet, *manavit*. Sed quoniam paulo poſt repetitur hæc eadem loquutio, ubi de ſomnio videtur intelligi (8. verſu ſcilicet) non male quadrat hæc expoſitio, quod Rex dicat ſomnium ſibi evanuiſſe: quod tamen in medio relinquo. Iterum notare operæpretium eſt quod heri attigimus, nempe Regi inſculptum fuiſſe terrorem, ita ut non poſſet apud ſe quieſcere: & tamen interea non fuiſſe ita edoctum ut maneat ullus guſtus revelationis. perinde igitur eſt acſi bos œſtro percitus ſeſe agitaret huc & illuc, & circumvolveret. Talis eſt veſania miſeri hujus Regis, quia Deus illum vexat diris tormentis: & interea prorſus obliterata eſt memoria ſomnii ex ejus animo. Hoc tamen fatetur *ſomnium ſibi excidiſſe*: & quoniam Magi etiamſi præſcriberent ſcientiæ ſuæ certos fines, tamen gloriabantur ſe eſſe interpretes deorum: Rex non dubitat ab illis exigere quod nunquam profeſſi fuerant. Ergo hæc eſt merces arrogantiæ, quum ſcilicet homines inflati perverſa confidentia, apud alios etiam plus ſibi aſſumunt quam par ſit, & obliti omnis modeſtiæ, volunt haberi quaſi Angelici ſpiritus. Nec dubium eſt quin Dominus voluerit quaſi per ludibrium traducere ſtultam gloriationem, quæ vigebat inter Chaldæos, quum Rex præciſe ab illis poſtulat, ut ſomnium narrent, deinde afferant ejus expoſitionem. Poſtea adjungit minas, ſed plane tyrannicas, *niſi ſomnium exponant, actum eſſe de ipſorum vita*. Neque vulgare ſupplicium minatur, ſed dicit futuros in fruſta, ſi tamen recipimus illam ſententiam ut *haddamin* ſignificet fruſta. Si ſimpliciter accipimus pro ſanguine, idem erit. Quicquid ſit, hæc Regis iracundia plane furioſa eſt: imo ſuperavit Nebuchadnezer hac in parte omnem ferarum ſævitiam. Quænam enim culpa potuit Chaldæis imputari, ſi non tenerent Regis ſomnium? Nunquam profeſſi hoc fuerant, quemadmodum poſtea videbimus, nemo Rex unquam flagitaverat quod eſt ſupra hominum facultatem. Videmus ergo in Rege fuiſſe belluinam rabiem, quum mortem, imo crudele ſupplicium denunciavit Magis & Ariolis. Tyranni quidem ſæpe ita laxant frena ſuæ libidini, ut quidvis ſibi licere exiſtiment: unde etiam illæ voces apud Tragicos, Quod libet, licet. Et non abs re etiam Sophocles dicit abjiciendam eſſe libertatem, ubi quis ingreditur limen tyranni: ſed ſi quis colligat omnia exempla, vix reperiet unum aliquod tale. Sequitur ergo diabolico furore impulſum fuiſſe Regis animum, ut vellet pœnam exigere à Chaldæis, qui tamen erant innoxii, quantum ad ipſum ſpectat. Scimus fuiſſe impoſtores, ſcimus mundum fuiſſe deluſum eorum impoſturis, denique ſcimus dignos morte, quemadmodum etiam capitale crimen erat ex præſcripto Legis, ubi quis prædictionem ſibi vendicabat *Levit. 20.*
ex magicis artibus. Sed quantum ad Regem ſpectat, nullum crimen potuit in illis deprehendi. Cur ergo mortem illis minatur? nempe quia Dominus voluit illuſtrare hoc modo miraculum, de quo poſtea videbimus. Nam ſi Rex paſſus fuiſſet Chaldæos diſcedere, ſtatim etiam poterat ſepelire curam illam, quæ animam ejus angebat & cruciabat. Res etiam minus fuiſſet nota in populo. Deus ergo ſemper torquet Regis animum, ita ut præceps ruat in furorem, quemadmodum diximus. Deinde hæc tam atrox & ſæva denunciatio debuit omnes expergefacere. Neque enim dubium eſt quin ſummi & infimi trepidaverint, quum audirent tantum fuiſſe iracundiæ ardorem in Rege. Hæc igitur ſumma eſt, & notandus eſt finis providentiæ Dei, cur ita voluerit Regem excandeſcere ſine ullo modo. Sequitur,

6. Et ſi ſomnium & interpretationem ejus indicaveritis, donum, & munus, & honorem (*vel pretium*) magnum accipietis à facie mea: (*hoc eſt, à me*) propterea ſomnium & interpretationem ejus indicate mihi.

Hic Rex ex oppoſito ſtudet eos allicere ſpe lucri, ut attenti ſint ad narrandum ſomnium. Ergo ab una parte horrorem illis incutit, ut etiam ab invitis extorqueat ſomnii narrationem cum interpretatione. Interea vero ſi poſſint blanditiis adduci, etiam ipſos hoc artificio tentat. Promittit enim *donum & munus & honorem*, hoc eſt, promittit largam remunerationem ſi ſomnium narraverint, & fuerint etiam fidi interpretes. Hinc colligimus quod etiam declarant omnes hiſtoriæ, Magos quæſtum feciſſe ex ſuis prædictionibus & conjecturis. Indorum ſapientes, ut erant homines frugi & auſteræ vitæ, non fuerunt lucro dediti. Scimus enim ita vixiſſe ut neque pecunia, neque ulla ſupellectile, neque ulla re opus haberent. Nam contenti erant radicibus, & non opus erat veſte aliqua, nec alibi quam humi cubabant, & ita avaritia apud ipſos nulla fuit. Sed quantum attinet ad Chaldæos, ſcimus curſitaſſe huc & illuc, ut emungerent pecunia ſimplices & credulos. Ergo loquitur hic Rex ex conſuetudine, ubi promittit mercedem & quidem largam. Hic autem notandum eſt, quod Chaldæi ita ſparſerunt ſua vaticinia, factum eſſe cupiditate lucri. Atqui ubi ſcientia venalis eſt, non poteſt fieri quin adulteretur multis vitiis. Quemadmodum quum Paulus loquitur de corruptoribus *2 Cor. 2.*
Evangelii, dicit eos cauponari, quia ubi lucrum captatur, fieri non poteſt quin ſtatim (ſicuti dictum eſt) etiam qui alioqui fuiſſent probi doctores, degenerent, & pervertant omnem ſinceritatem ſuis mendaciis. Nam ubi regnat avaritia, illic etiam eſt adulatio, illic eſt obſequium ſervile, illic eſt vafrities. Denique veritas prorſus extinguitur. Quare non mirum eſt, ſi Chaldæi ita projecti fuerint ad fallendum, quia ſcilicet perinde ipſis erat, modo hinc inde quæ-

ſtum facerent, & corraderent aliquid pecuniæ. Licet quidem probis doctoribus victum accipere ex publico: ſed interea ſi quis lucro ducitur, (quemadmodum dictum eſt) fieri non poteſt, quin pervertat atque depravet omnem doctrinæ puritatem. Et iterum colligimus ex hoc loco quanta fuerit Regis anxietas, quod neque ſumptibus vult parcere, ſi à Chaldæis hoc modo eliciat ſomnii ſui interpretationem: & interea tamen furioſe ipſis iraſcitur, quaſi ab ipſis non obtineat quod meretur merces quam ipſe offert. Jam ſequitur,

7. Reſponderunt ſecundo, & dixerunt, Rex ſomnium exponat (*vel narret*) ſervis ſuis, & interpretationem indicabimus.

8. Reſpondit Rex, & dixit, Vere (*in veritate*) novi ego (*jam cognoſco*) quod tempus redimitis, quia ſcitis quod exierit ſermo à me. (*id eſt, quod exciderit ex animo meo ſomnium, vel, ſententia ex ore meo egreſſa ſit.*)

Addamus verſum ſequentem:

9. Propterea ſi ſomnium non indicaveritis mihi, una hæc ſententia *eſt:* & ſermonem mendacem (*vel fallacem*) & corruptum præparaſtis ad dicendum coram me, donec tempus mutetur: (*id eſt, prætereat*) propterea ſomnium narrate mihi, & cognoſcam quod interpretationem ejus mihi indicetis. (*hoc eſt, poſſitis mihi exponere.*)

Hic narratur Magorum excuſatio. Dicunt quod verum eſt, ſe non aliud præſtare poſſe ex arte ſua, niſi ut interpretationem ſomnii afferant. Sed Rex vult ſibi ſomnium narrari: unde iterum apparet fuiſſe correptum quaſi prodigioſo furore, ubi eſt tam implacabilis. Solent interdum Reges effervefcere, ſed admonitione una placantur: & ut plurimum vera eſt illa ſententia, Iram frangi blando ſermone. Quum autem tam æqua Magorum reſponſio non mitigaverit iracundiam Regis, ſequitur prorſus abripi quadam diabolica vehementia. Et hoc totum, quemadmodum dixi, gubernatum fuit arcano Dei conſilio, ut illuſtrior eſſet expoſitio Danielis. Quærunt igitur *ut Rex ſomnium ſuum narret:* deinde iterum promittunt quod antea, nempe ſibi interpretationem fore in promptu. Atqui hæc nimia fuit ſuperbia, ut dictum eſt: & debuerant ſaltem in tanto diſcrimine aliquid corrigere ex ſuo faſtu & ex ſtulta jactantia. Quum ergo perſiſtunt in illa ſtulta gloriatione & fallaci, hinc videmus fuiſſe excæcatos à diabolo: quemadmodum qui impliciti ſunt ſuperſtitioſis artibus, ſimul etiam confidenter tuentur ſuam veſaniam. Tale exemplum perſpicitur in Magis, quum ſemper ſibi reſiduam faciunt ſcientiam interpretandi ſomnii. Jam ſequitur Regis exceptio: *Scio*, inquit, *vos tempus redimere, quia ſcitis quod res à me abierit*, vel, ſermo ſit pronunciatus. ſi recipitur prior ſenſus, Rex hic eos inſimulat pejoris aſtutiæ, quod ſcilicet non habeant Magi quod præ ſe ferunt, & ita cupiant elabi, quia ſciunt inductam eſſe ſomnii oblivionem Regis animo. Perinde igitur eſt acſi diceret, Promittitis quidem vos mihi fore certos interpretes ſomnii: ſed hoc falſum eſt Si enim ſomnium narrarem, facile eſſet deprehendere veſtram arrogantiam, quia non poſſetis mihi ænigma illud explicare: ſed quia cognoſcitis me ſomnii eſſe oblitum, ideo quæritis ejus narrationem. Sed *hoc eſt tempus redimere*, inquit. Ita ergo tegitis inſcitiam, & vobis retinetis opinionem ſcientiæ. Quod ſi mihi ſomnium adhuc hæreret in memoria, facile detegerem veſtram inſcitiam: quia non poſſetis præſtare quod nunc jactatis. Videmus ergo Regem hic onerare Magos crimine novo, quod ſcilicet ſint impoſtores, qui populum deludunt falſis jactantiis: & ideo oſtendit morte eſſe dignos, niſi narrent ſomnium. Atqui mala eſt & vitioſa hæc argumentatio. Sed non mirum eſt, ſi tyranni ſemper induant colores ſuæ ſævitiæ. Interea tenendum eſt quod dixi, Magos fuiſſe hac exprobratione dignos, erant enim ventoſi homines, & qui falſo pollicebantur, ſe conjicere ex ſomniis, ex auguriis, & ſimilibus quid eſſet futurum. Sed quod ad Regem ſpectat, nihil eſt iniquius, quam confingere tale crimen in Magis, quia etiamſi omnes fallerent, ſeipſos etiam fallebant, quia erant excæcati, imo faſcinati ſtulta perſuaſione falſæ ſapientiæ: neque illis erat propoſitum decipere Regem. Putabant enim ſibi aliquid poſſe ſtatim occurrere, quod liberaret omni cura illius animum. Sed Rex ſemper proſequitur cæcum illum impetum ſuæ ſævitiæ. Acceptanda interim eſt prima cauſa, nempe quia torquetur divinitus, ut non poſſit ad momentum unum quieſcere, donec obtineat expoſitionem ſomnii. poſtea adjungit: *Si non expoſueritis mihi ſomnium, hæc una ſtat ſententia*, inquit, hoc eſt, de vobis omnibus jam decretum eſt, non inquiram ſigillatim quis in culpa ſit, & quis velit me fraudare, ſed excindam prorſus omnem ſtirpem Magorum: denique nemo ſupplicium effugiet, niſi expoſueritis mihi tam ſomnium quam ejus interpretationem. Poſtea adjungit, *Præparaſtis fallacem & corruptum ſermonem, ut diceretis hic coram me* quod fert veſtra excuſatio. Iterum Rex illis objectat fraudem & malitiam, cujus tamen non erant conſcii: quaſi diceret, eos data opera ad fallendum quærere ſpecioſos prætextus. Sed dicit, *ſermonem mendacem*, vel fallacem, *& corruptum*: hoc eſt, veſtra iſta excuſatio eſt putida, quemadmodum vulgo loquimur, Fœtet mihi: ſi quis eſſet color, ego poſſem admittere quod dicitis: ſed video in verbis veſtris nihil eſſe præter fallacias, & fallacias quæ ſapiunt ſuam putredinem. Nunc ergo videmus non tantum Regem excandeſcere, quod Magi recuſent narrare ſomnium, ſed etiam gravare ipſos majori crimine, quod ſcilicet afferant ſermonem putridum, & velint quaſi ex profeſſo illudere. Poſtea addit, *Somnium narrate mihi, & inde cognoſcam*, vel, quo inde cognoſcam vos poſſe etiam fideliter interpretari quid contineat. Hic Rex aliud argumentum ſumit, quo Magos aſtutiæ convincat: Jactatis vobis non difficilem fore interpretationem ſomnii: qua fiducia? nam ſomnium ipſum vobis eſt adhuc incognitum: ſi narraſſem vobis, tunc poſſetis dicere, ſi quid vobis occurreret. Sed nunc ego interrogo de ſomnio quod vos latet & meipſum: dicitis, ubi ſomnium narravero, vobis reliquum eſſe in manu. Ego autem cognoſcam vos eſſe bonos & dextros interpretes ſomniorum, ſi poteſtis ſomnium narrare, quia alterum pendet ex altero: & vos eſtis nimium temerarii, quum ita præſumitis quod nondum vobis compertum eſt. Ubi ergo ita feſtinanter prorumpitis, & vultis hoc mihi eſſe perſuaſum, interpretationem vobis fore certam, conſtat vos iterum hac in parte fallere: & hic detegitur veſtra temeritas una cum fraude, quia ſcilicet mihi palam illuditis. Hæc eſt ſumma. Reliqua in craſtinum diem.

Da omnipotens Deus, quando in hoc mundo ita nobis peregrinandum eſt, ut quotidie opus habeamus doctrina & gubernatione Spiritus tui, ut cum vera modeſtia tam à verbo tuo, quam ab arcana inſpiratione pendeamus, ne nimium nobis ſumamus: ſed ignorantiæ noſtræ & cæcitatis, adeoque ſtuporis no-

bis

bis conſcii ſemper ad te confugiamus, neque huc vel illuc ſinamus nos abripi aſtu Satanæ & impiorum, ſed maneamus ita defixi in veritate tua, ut nunquam ab ea deflectamus, donec nos dirigas per totum curſum vocationis noſtræ, atque ita perveniamus in cæleſtem illam gloriam regni tui, quæ nobis parta eſt ſanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO SEXTA
IN
DANIELEM.

10. Reſponderunt Chaldæi coram Rege, & dixerunt, Non eſt homo ſuper terram, qui ſermonem (*vel rem*) Regis poſſet explicare; proptérea nullus Rex, Princeps, vel Præfectus rem conſimilem exquiſivit ab ullo Mago & Aſtrologo, & Chaldæo.

EXcuſant rurſus Chaldæi, quod non poſſint Regi ſuum ſomnium narrare. Dicunt in ſumma, hoc non eſſe proprium ſuæ artis vel ſcientiæ: deinde nullo exemplo fuiſſe hoc proditum, ut interrogarentur ſapientes in hunc modum, nempe ut reſponderent tam de facto, quam de jure, ut loquuntur. Jactabant quidem ſe ſomniorum eſſe interpretes: ſed conjecturæ eorum non poterant extendi uſque ad ipſa ſomnia: ſed tantum ad interpretationem ſpectabant. Erat quidem hæc juſta excuſatio: ſed non admittitur à Rege, qui furore, ſicuti heri dictum fuit, impellitur, idque non ſine arcano Dei inſtinctu, ut pateat Magos, & Ariolos, & Aſtrologos meros eſſe impoſtores, qui illuſerant populo. Et finis ſemper nobis obſervandus eſt, quia voluit Deus extollere ſervum ſuum Danielem, & à vulgari ordine ipſum eximere. Addunt etiam nullos unquam Reges, vel Principes ita egiſſe cum Magis & ſapientibus. Poſtea ſequitur,

11. Et ſermo de quo Rex inquirit pretioſus *eſt*: (*vel rarus*) & nullus eſt qui poſſit exponere coram Rege, niſi dii, quorum habitatio cum carne non eſt ipſis. (*ſunt multa verba ſupervacua, ut lingua illa fert.*)

Addunt rem hanc de qua Rex ſciſcitatur, excedere captum humani ingenii. Non dubium eſt, quin ægre hoc confeſſi fuerint, quia, ut antehac dictum fuit, acquiſierant ſibi famam tantæ ſapientiæ, ut vulgus putaret nihil eos latere, vel eſſe ipſis incognitum. Quod ergo fatentur inſcitiam hac in parte, non dubium eſt quin libenter refugiſſent: ſed neceſſe fuit in extremo diſcrimine quærere etiam hoc ſubterfugium. Porro dubitari hic poteſt, cur dicant ſermonem de quo Rex ſciſcitatur, eſſe pretioſum. Neſciunt enim quid Rex ſomniaverit. Unde igitur hoc pretium? Sed non mirum eſt, homines anxios, & perculſos etiam extrema formidine quidvis effutire ſine judicio. Dicunt igitur *rem hanc eſſe pretioſam*, nempe miſcent hanc adulationem aliis excuſationibus, ut mitigent iracundiam Regis, atque ita effugiant præſentem mortem, quæ jam inſtabat. *Sermo* ergo *de quo Rex inquirit pretioſus eſt*: & tamen fuit hoc etiam dictu probabile, quia res erat non vulgaris, ſomnium divinitus immiſſum eſſe Regi, poſtea ſepultum fuiſſe ſubita oblivione. Oportuit igitur eſſe myſterium aliquod: & ideo non ſine colore dixerunt Chaldæi, negotium hoc, vel rem hanc, ſuperare ſua magnitudine communem ingenii humani modum: ideo adjiciunt *non poſſe alios eſſe interpretes, quam deos vel Angelos*. Quidam hoc ad Angelos referunt. Sed ſcimus multitudinem deorum fuiſſe cultam inter illos Magos. Ergo ſimplicius eſt hoc exponere de illa deorum turba, quam imaginabantur. Habebant quidem minores deos. Nam apud omnes gentes ſemper valuit illa perſuaſio, eſſe aliquem ſummum Deum, qui ſolus dominaretur. Poſtea finxerunt deos minores. Et quiſque pro ſua libidine Deum ſibi fabricavit. Deos igitur pro communi ſenſu & opinione hic nominant. Quanquam referri hoc poteſt ad genios, vel deos aërios. Scimus enim imbutos hac opinione fuiſſe incredulos omnes, ut putarent quoſdam eſſe deos intermedios. Et magnum etiam certamen fuit Apoſtolis cum errore illo vetuſto. Et ſcimus libros Platonis refertos eſſe hac doctrina, nempe inter cæleſte numen & inter homines eſſe dæmonas aut genios, quaſi mediatores. Poterimus ergo commode intelligere hæc verba, quod Chaldæi ſolos Angelos putent eſſe interpretes, non quia ſincere, vel ad liquidum ſentirent de Angelis quod Scriptura docet: verum apud ipſos vigebat Platonica illa doctrina, adeoque ſuperſtitio de geniis, qui & in cælo verſantur, & commercium habent cum ſummo Deo, & ſimul etiam familiares ſunt mortalibus. Quoniam ergo homines carne induti ſunt, non poſſunt ita ſe attollere in cælum, ut omnia arcana percipiant. Unde ſequitur, Regem inique facere, quod ipſis injungat munus Angelicum vel divinum. Hæc etiam excuſatio fuit probabilis: ſed ſurdæ erant Regis aures, quia ſuo impetu rapiebatur: & Deus etiam quaſi furiis illum inſtigabat, ut non poſſet quieſcere. Hinc igitur ſævitia, quam ſubjicit Daniel:

12. Propterea Rex in ira & indignatione magna edixit ut interficerentur omnes ſapientes Babylonis.

Denunciatio quam antea vidimus, erat horribilis: ſed jam ultra progreditur Nebuchadnezer. Neque enim minitatur Chaldæis mortem, ſed jubet eos interfici. Tale exemplum vix reperietur in hiſtoriis: ſed cauſa ſemper notanda eſt, quod ſcilicet turbulento fuerit animo, quia volebat Deus ſervum ſuum Danielem proferre in medium, ut eſſet omnibus ſpectabilis. Hæc autem fuit præparatio, quod innotuit omnibus, & palam factum eſt, ſapientes Babylonis deprehenſos fuiſſe vanos, qui ſcilicet plus promiſerant quam præſtando eſſent: deinde etiamſi præditi eſſent maxima ſcientia, tamen deſtitui hoc dono revelationis, quo pollebat Daniel. Hinc ergo factum eſt, ut Rex edicto ſuo eos omnes morti addixerit. Fieri etiam poteſt, ut tunc agnoverit quod nunquam antea animadverterat, nempe in illorum jactantia multam eſſe vanitatem, & in tota eorum arte multas eſſe præſtigias. Ergo ubi ſuperſtitio ſucceſſu caret, ſtatim emergit rabies. Et videmus eos qui cenſentur admodum devoti (ut loquuntur vulgo) ubi intelli-

guſt ſibi nihil prodeſſe fictitios ſuos cultus, tunc erumpere in illam, quam dixi, rabiem, & maledicere ſuis idolis, & deteſtari quicquid hactenus ſecuti ſunt. Sic ergo fieri poteſt, ut Nebuchadnezer tunc in re tam ſeria ſubolfecerit impoſturas, quarum nulla ante cognitio in ejus animum ſubierat; nunc autem ubi videt ſe fuiſſe deceptum, & ſimul deſtituitur in re tam perplexa & in tanta anxietate eorum conſilio à quibus omnia ſperaverat, tunc centuplo magis inſanit, quam ſi antehac fuiſſet temperatus. Poſtea ſequitur,

13. Et edictum exiit: & ſapientes interficiebantur: & quærebant Danielem & ſocios ejus ad interficiendum.

14. Et tunc Daniel ſciſcitatus eſt *de* conſilio & edicto ab Arioch principe ſatellitum Regis, qui exierat ad interficiendum ſapientes Babylonis.

15. Reſpondit, & dixit ipſi Arioch præfecto (*eſt idem nomen quod paulo ante vidimus, Præfecto*) Regis, Ad quid edictum feſtinat è conſpectu Regis? Tunc rem (*vel ſermonem*) patefecit Arioch ipſi Danieli.

Ex verbis apparet quoſdam ex ſapientibus fuiſſe interfectos. Neque enim Daniel primo loco ad mortem quæſitus eſt. Quum ergo promiſcue traherentur ad ſupplicium Magi & Chaldæi, Daniel etiam cum ſociis in eodem fuit periculo. Et diſerte hoc exprimitur: *quod ſcilicet edictum exierit*, hoc eſt, publicatum fuerit (ſic etiam Latini interdum loquuntur) *& interficiebantur ſapientes*: Daniel tunc quoque fuit quæſitus: Rex autem nunquam paſſus eſſet edictum ſuum contemni à promulgatione. Si publice mandaſſet hoc fieri, & nulla fuiſſet adjuncta exequutio, nonne hoc erat ridiculum? Colligitur ergo probabili ratione, multos ex Magis & Chaldæis fuiſſe interfectos. Etſi autem non fuit legitima cauſa Regi: dederunt tamen juſtas pœnas. Nam (ut heri dictum fuit) digni erant qui exterminarentur è mundo: & peſtis illa tollenda eſt, quoad fieri poteſt. Si Nebuchadnezer fuiſſet ſimilis vel Davidi, vel Ezechiæ, vel Joſiæ, optimo jure interficere omnes poterat, & purgare terram tali inquinamento. Sed quia tantum iracundiæ fervore illuc rapitur, delinquit ipſe. Interea Deus ſumit juſtam pœnam de Chaldæis. Et debuit etiam prodeſſe hæc admonitio toti populo Quia autem obduruerunt in ſuo errore, non dubium eſt quin redditi ſint magis inexcuſabiles, quod cæcutirent ad tale Dei judicium. Quod autem Daniel ſimul etiam morti deſtinatur, quum à Rege non fuerit vocatus, hinc apparet quam iniqua ſint Regum edicta, qui gravantur inquirere, ut decebat, de cauſis quarum ſunt judices. Nebuchadnezer ſæpius audierat Danielem, & coactus fuerat mirari dexteritatem ingenii in ipſo, & ſingulare ſapientiæ donum: Qui fit igitur, ut eum prætereat, ubi opus eſt ſingulari conſilio? Quanquam ergo Rex ſollicite inquirit de ſomnio, videmus tamen ut non agat ſerio: quia veniſſet proculdubio in mentem, Ecce tu antehac perſpexiſti in captivis Judæis incredibile donum cœleſtis ſapientiæ: illos igitur accerſe primo loco. Detegitur itaque ſocordia Regis, quod Danielem non accerſivit, ſaltem inter alios. Diximus hoc fuiſſe gubernatum arcana Dei providentia, qui noluit miſceri ſervum ſuum cum illis Satanæ miniſtris, quorum tota ſcientia in præſtigiis & erroribus erat. Interim quod ad regem ſpectat, videmus ut neglexerit Dei donum, & quaſi ſuffocaverit lucem ſibi oblatam. Nunc autem Daniel trahitur ad mortem. Ideo dixi tyrannos hac ratione ut plurimum injuſtos eſſe, & exercere immanem violentiam: quia non poſſunt ſuſcipere moleſtiam & laborem inquirendi. Interea videmus ut ſuos Deus mirabiliter eripiat à faucibus mortis, quemadmodum contigit in Daniele. Nam hoc mirum nobis videri debet, quod pepercerit ejus vitæ Arioch, quum occideret reliquos, qui tamen erant indigenæ. Qui factum eſt igitur, ut plus humanitatis expertus ſit Daniel, qui erat homo extraneus, & captivus, quam ipſi Chaldæi? Nempe quia vita ejus in manu & cuſtodia Dei erat, qui continuit & animum, & manus Præfecti, ne ſtatim in ipſum ſæviret. Dicitur autem, *Danielem interrogaſſe ſuper conſilio & edicto*. Alii vertunt, *prudenter & ſcite*: & עטה *etah* ſignificat prudentiam, ſicuti etiam טעם *teem* metaphorice accipitur pro intelligentia, quum guſtum ſignificet. Sed poſtea videbimus Teem accipi pro edicto: & quia videtur ſenſus hic melius quadrare, ideo eum amplector, quod ſcilicet Daniel ſciſcitatus fuerit ex Præfecto quodnam eſſet iſtud edictum, & conſilium Regis. Vocatur etiam Arioch Præfectus ſatellitum. Alii vertunt carnificum: alii autem coquorum. Nam *tabah* טבח ſignificat mactare: ſed nomen inde deductum ſignificat coquum. Sic vocatur Putiphar, cui venditus fuit Joſeph, 39. cap. Geneſeos. Videtur mihi eſſe aliqua abſurditas, ſi dicamus hunc fuiſſe Præfectum carnificum. Si dicamus ipſum fuiſſe Præfectum coquorum, etiam vix quadraret ejus officio, mitti ad occidendos Chaldæos. Ego igitur mitius interpretari malo, quod fuerit Præfectus ſatellitum. Nam, ut dixi, vocatur Putiphar רב טבחים *rab tabbahim*, & hic tantum mutatur pronuntiatio. Sequitur, *Danielem etiam dixiſſe, Ad quid feſtinat edictum à conſpectu Regis?* Videtur his verbis Daniel oblique perſtringere Regis iracundiam, & ſimul ingratitudinem: iracundiam, quod non ſatis diligenter inquiſierit antequam proſiliret ad crudele illud ſupplicium: deinde videtur ingratitudinem notare, quod immerito nunc trahatur ad mortem, qui accitus non fuit, quum tamen Rex poſſet cognoſcere quid eſſet in ipſo. Quum ergo feſtinationem nominat, non dubito quin expoſtulet cum Rege, quia non fuerit vocatus vel auditus, & mactetur una cum aliis, perinde acſi in eadem eſſet culpa, etiam ſi cui culpæ obnoxii fuiſſent Chaldæi. Summa eſt, non eſſe cur Rex acceleret, quia forte inveniet quod cupit, modo inquirat diligentius. Poſtea additur, *Arioch expoſuiſſe rem Danieli*. Unde apparet, Danielem antehac fuiſſe ignarum totius negotii. Et hinc etiam conjicere promptum eſt, quantus terror occupaverit animum pii viri. Nihil enim ſciverat, & quaſi noxius ad ſupplicium repente, & præter opinionem trahitur. Ergo oportuit illum divinitus confirmari, ut poſſet compoſito animo petere tam à Præfecto ipſo, quam à Rege tempus, quo poſſet Regi ſomnium narrare, & etiam adjungere ejus interpretationem. Quod ergo Daniel potuit ita compoſite agere, fuit ſingulare Dei beneficium, quia terror ejus animum obſtupefacere alioqui poterat. Et ſcimus in rebus ſubitis deſtitui nos omni conſilio, & facile animis concidere. Ubi ergo nihil tale in Daniele cernitur, certum eſt ejus mentem gubernatam fuiſſe à Spiritu Dei. Poſtea additur,

16. Et Daniel ingreſſus eſt, & poſtulavit à Rege, ut tempus daret ſibi, & expoſitionem (*interpretationem*) afferret Regi.

Nihil

Nihil hic verſus novum continet, niſi quod hoc notandum eſt, quod non exprimitur, nempe Præfectum non ſine metu hoc dediſſe Danieli, ut introduceret eum ad Regem. Sciebat enim Regem prorſus furere. Ergo fuit hoc odioſum, quod non ſtatim exequutus eſſet edictum. Sed, ut jam dictum fuit, quia Deus ſuſceperat Danielem in fidem ſuam, ideo flexit ad hanc manſuetudinem animum Præfecti, ut non dubitaret Danielem ad Regem introducere. Jam alterum etiam colligitur ex contextu, nempe Danielem quod petebat impetraſſe. Dicitur enim *domum fuiſſe reverſus*: haud dubie, quia diem unum à Rege obtinuit, quo poſſet poſtridie ſatisfacere ejus voto. Et tamen mirum eſt hoc illi fuiſſe datum: quia voluerat Rex extemplo ſomnium ſibi narrari. Quanquam autem hic diſerte non exprimit Daniel quas rationes coram Rege attulerit: probabile tamen eſt, confeſſum fuiſſe quod poſtea videbimus ſuo loco, nempe ſe non eſſe præditum tanta intelligentia, ut ſomnium exponeret: verum ſperare Dei beneficio, ſe poſtridie venturum cum nova revelatione. Alioqui Rex nunquam eum admiſiſſet, ſi dubitanter petiiſſet Daniel, vel non fuiſſet teſtatus ſe arcanam à Deo revelationem ſperare, ſtatim fuiſſet rejectus, & provocaſſet etiam magis iracundiam Regis. & Hebræis tritum eſt quæ ſuo loco omittunt poſtea in contextu perſequi. Ubi autem modeſte fatetur quod verum eſt, ſe non poſſe Regi morem gerere, donec acceperit à Domino quod fideliter ad ipſum perferret, hinc fit ut Rex concedat illi tempus: & hoc clarius poſtea videbimus. Sequitur,

17. Tunc Daniel in domum venit, (*abiit*) & Hananiæ, *&* Miſaëli, & Azariæ ſociis ſuis ſermonem (*vel rem*) patefecit:

18. Et miſericordias ad petendum (*ad verbum, hoc eſt, ut peterent miſericordiam*) à facie Dei cælorum ſuper arcano hoc, ut ne interficerentur Daniel & ſocii ejus cum reſiduo ſapientum Babylonis. (*hoc eſt, cum reliquis ſapientibus Babylonis.*)

Videmus quo conſilio, & qua etiam fiducia, Daniel poſtulaverit tempus ſibi dari. Conſilium hoc fuit, ut Dei gratiam imploraret. Acceſſit etiam fiducia, quoniam ſciebat ſibi inſtare duplicem pœnam, ſi Regis expectationem fuiſſet fruſtratus: ſi poſtridie rediiſſet vacuus & inanis, non contentus fuiſſet Rex una & ſimplici morte, ſed crudeliter ſæviiſſet in Danielem, quaſi fuiſſet ab eo deluſus. Non dubium igitur eſt quin Daniel ſperaverit quod adeptus eſt, nempe ſomnium Regis ſibi revelatum iri. Exponit ergo ſociis ſuis, ut ſimul poſtulent miſericordiam à Deo. Jam antea pollebat Daniel ſingulari illo dono, quod erat ſomniorum interpres: deinde ſolus etiam erat Dei Propheta, quemadmodum vi-
Num. 12. dimus. Deus enim ſolebat Prophetis manifeſtare ſuum conſilium vel per ſomnia, vel per viſiones: utrumque adeptus erat Daniel. Quod ergo Miſaël, Hananiah, & Azariah ſeſe adjungunt ſocios ad precandum, colligimus non fuiſſe ambitione inductos, vel quod ſibi aliquid appeterent. Nam ſi fuiſſent æmuli Danieli, non potuiſſent uno conſenſu precari. Neque enim ſibi quiſque privatim preces concipit, ſed tantum ut Danieli patefieret ſomnii interpretatio. Videmus ergo ut ſincere conſentiant in ſuis precibus, & abſit omnis ſuperbia, & ambitio, nec quiſquam proprium aliquid appetat. Cæterum hoc etiam notatu dignum eſt, quum dicuntur *poſtulaſſe miſericordiam à Deo.* Etſi enim hic non prodeunt in Dei conſpectum tanquam rei, tamen quia gratuito ſibi datum iri ſperabant quod petebant, ideo nomen miſericordiæ hic ponitur. Quoties ergo ad Deum confugimus, ut neceſſitatibus noſtris opem ferat, ſemper oculi & ſenſus vertendi ſunt in ejus miſericordiam. Mera enim ejus liberalitas nobis eum conciliat. Quod in fine verſus dicitur, *ne perirent cum reliquis ſapientibus Babylonis*, quidam ita exponunt quaſi ſolliciti fuerint de vita Magorum, & voluerint etiam ipſos eripere à morte. Sed quanquam optaſſent omnes ſalvos, non dubium tamen eſt quin ſe hic à Magis & Chaldæis ſeparent, ſicuti etiam longe diverſa erat ratio. Jam ſequitur,

19. Tunc Danieli in viſione noctis arcanum patefactum eſt: tunc Daniel benedixit Deum cæli.

Hic colligi poteſt, Danielem non vacillaſſe, neque dubio animo fuiſſe precatum cum ſociis. Nam
Jacob. 1. illa Jacobi ſententia nobis in memoriam venire debet, nempe, Qui hæſitant, & trepidant, & cum diffidentia Deum precantur, indignos eſſe, qui exaudiantur: Non exiſtimet, inquit Jacobus, talis homo quod quicquam impetret à Domino, ſi agitatur varie quaſi fluctus maris. Quod ergo Deus propitium ſe oſtendit precibus Danielis, hinc apparet precatum fuiſſe vera fiducia, quia ſcilicet certo perſuaſus fuerit vitam ſuam curæ eſſe Deo: deinde etiam ſenſerit Deum non fruſtra vexare animum Regis Nebuchadnezer, ſed aliquod inſigne & memorabile judicium præparaſſe. Quoniam ergo Daniel hac perſuaſione imbutus eſt, ideo concipit certam fidem, & precatur Deum acſi jam impetraſſet. Ex oppoſito autem videmus Deum nunquam habere clauſas aures, ubi rite & ex animo invocatur: quemadmo-
Pſal. 145. dum etiam dicitur in Pſalmo, Ipſum eſſe propinquum omnibus qui eum invocant, ſed in veritate. Non poteſt autem eſſe veritas ubi deeſt fides. Sed quoniam Daniel ad precandum & fidem attulit & ſinceritatem, ideo protinus exauditus eſt, atque in viſione noctis patefactum fuit arcanum de ſomnio. Non poſſem nunc ulterius progredi.

Da omnipotens Deus, quando quotidie & ſingulis momentis periclitamur, neque tantùm nobis diſcrimen imminet ab unius tyranni ſævitia, ſed diabolus concitat totum orbem contra nos, & armat etiam hujus mundi principes, quos impellit ad nos perdendos: da, inquam, ut ſentiamus, & experientia ipſa demonſtres vitam noſtram eſſe in manu tua, & te ita eſſe fidum ejus cuſtodem, ut non patiaris capillum unum ex capitibus noſtris decidere: ſed ſic nos tuearis, ut impii quoque ipſi agnoſcant non fruſtra nos hodie gloriari tuo nomine, nec fruſtra te invocare. Et quum experti fuerimus paternam illam ſollicitudinem in toto vitæ noſtræ curſu, tandem perveniamus ad beatam illam immortalitatem, quam nobis pollicitus es, & quæ nobis repoſita eſt in cælo per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO SEPTIMA IN DANIELEM.

20. Loquutus eſt Daniel, (*reſpondit, ad verbum*) & dixit, Sit nomen Dei benedictum à ſeculo & in ſeculum: ejus eſt ſapientia, & robur ipſius. (*ſunt tres particulæ ſupervacuæ: in ſenſu nihil eſt obſcurum.*)

PRoſequitur hic Daniël narrationem ſuam, quod ſcilicet gratias egerit Deo poſtquam patefactum ei fuit ſomnium Regis Nebuchadnezer: & ſummam verborum quibus uſus eſt, refert: *Sit nomen Dei benedictum*, inquit, *à ſeculo & in ſeculum.* Hoc quidem quotidie nobis optandum eſt: & quum precamur ut ſanctificetur nomen Dei, perpetuitas notatur ſub illa precandi forma: ſed Daniël hic majore vehementia prorumpit in laudes Dei, quia agnoſcit ſingulare ejus beneficium, quod ereptus fuerit à morte præter ſpem cum ſociis ſuis. Ubi autem Deus præclarum aliquod beneficium confert in ſervos ſuos, magis incitantur *Pſal. 40.* ad eum laudandum, ſicuti loquitur David, Dediſti *Jeſa. 42.* in os meum canticum novum. Et Jeſaias etiam bis utitur hac loquutione, Quod Deus materiam novi & inſoliti cantici dederit, quia mirabiliter egit cum Eccleſia ſua. Sic etiam non dubium eſt, quin Daniel hic extraordinario modo voluerit laudare Deum, quia expertus erat raram ejus gratiam, dum ſcilicet ereptus fuerat quaſi à præſenti morte. Poſtea adjungit, *cujus.* Relativum hic ſumitur pro cauſali particula, debet igitur ſic reſolvi oratio, *quoniam ejus eſt ſapientia & robur.* Particulæ quæ adduntur poſſunt valere ad confirmationem, & poſſunt ſumi pro particula excluſiva: quaſi diceret unum eſſe Deum, qui debetur laus & ſapientiæ & virtutis. Extra ipſum vero fruſtra quæri utrumque. Sed videtur hæc gratiarum actio non quadrare ad rem præſentem. Debebat enim potius celebrare Dei laudes Daniel, quod ei patefacta fuiſſet viſio, & hoc uno contentus eſſe. Verum hic prædicat gloriam Dei tam à potentia, quam à Sapientia: quoniam ubi Scriptura vult diſcernere verum Deum ab omnibus fictitiis, ſumit hæc duo principia, Quod ſcilicet Deus omnia gubernet ſua manu, & contineat ſub imperio ſuo. Deinde, Quod nihil ipſum lateat. hæc non poſſunt ſeparari, ubi probanda eſt Dei majeſtas. Videmus ut homines ſibi quidvis fabricent, atque ita comminiſcantur innumeros Deos, & diſtribuant cuique proprium munus, quia ſcilicet non poſſunt quieſcere in ſimplici unitate, ubi de ipſo Deo agitur. Alii fingunt nobis Deum quaſi dimidium: & tales ſunt omnes qui garriunt de nuda præſcientia. Fatentur, Deo nihil eſſe abſconditum, ſed ipſum omnia præſcire: & huc referunt vaticinia quæcunque leguntur in Scripturis. Quod dicunt verum eſt, ſed interea valde imminuunt gloriam Dei. Imo lacerant prorſus, quia ſimilem ipſum faciunt Apollini, cujus olim officium fuit prædicere res futuras, ut putabant increduli. Quum ergo quærerent vaticinia de rebus futuris, Apollo hac virtute præditus erat, ut illis manifeſtaret hoc vel illud. Multi hodie exiſtimant talem eſſe Deum, qui omnia prævideat: interim vero vel diſſimulet, vel conſulto abſtineat à mundi gubernatione. Denique præſcientia Dei illis frigida eſt, atque otioſa ſpeculatio. Ideo dixi eos ſpoliare Deum altera parte gloriæ ſuæ: ita quantum in ipſis eſt, ipſum lacerare. Scriptura autem ubi vult aſſerere Deo quod ejus proprium eſt, conjungit hæc duo inſeparabiliter, Quod Deus omnia prævideat, quod nihil ſit abſconditum ejus oculis. Deinde, Quod conſtituit etiam ipſe quicquid futurum eſt, gubernet mundum ſuo arbitrio, nihil fortuito accidat, ſed ejus moderatione. Hoc itaque principium nunc ſumit Daniel, vel hæc duo principia, Quod Deus Iſraëlis ſolus mereatur nomen Dei, quia penes ipſum ſit ſapientia, & robur. Meminerimus ergo Deum fraudari juſta laude, ubi non retinet hæc duo in ſolidum, nempe quod omnia prævideat: deinde quod mundum gubernet, ita ut nihil accidat niſi ex ejus arbitrio. Sed quia adhuc frigidum illud eſſet, Deo eſſe ſapientiam & robur, atque in ipſo ſolo, niſi & ſapientia ejus in mundo fulgeret, & robur etiam poſſet cognoſci: ideo continuo poſt ſequitur,

21. Et ipſe (*vel, ipſe eſt qui*) mutat tempora, & articulos temporum: amovet Reges, & conſtituit Reges: dat ſapientiam ſapientibus, & ſcientiam iis qui ſcientiam cognoſcunt. (*hoc eſt, iis qui pollent ſcientia.*)

Clarius his verbis explicat Daniel quod poterat eſſe obſcurum. docet enim ita Deum eſſe fontem ſapientiæ & virtutis, ut non ſupprimat apud ſe quod competit in eum ſolum, ſed per cælum & terram diffundat. Et hoc diligenter notandum eſt. Videtur enim elogium illud non adeo eſſe magnificum, ubi *Rom. 16.* Paulus Deum affirmat ſolum eſſe ſapientem. Sed ubi reputamus ſapientiam Dei nobis proponi ante oculos ſurſum & deorſum, tunc melius ſentimus quomodo, & quo ſenſu pronunciet Paulus Deum eſſe ſolum ſapientem. Deus ergo, ut jam attigi, non tenet incluſam ſapientiam apud ſe, ſed facit, ut defluat per totum mundum. Summa autem hujus verſus eſt, quicquid eſt virtutis & ſapientiæ in mundo, hoc eſſe teſtimonium divinæ & virtutis & ſapientiæ. Hæc eſt hominum ingratitudo, ubi aliquid vel in ſe, vel in aliis reperiunt laude dignum, ſtatim hoc ſibi arrogant: ita imminuitur Dei gloria, ſed eorum pravitate, ubi ſe proferebat. Hic autem docemur, adeo nihil derogare ſapientiæ & virtuti Dei, quicquid in mundo ſapientiæ & virtutis conſpicitur, ut potius magis illic refulgeat. Tenemus ergo Prophetæ conſilium, nempe Deum quaſi in ſpeculis ante oculos noſtros objicere teſtimonia potentiæ ſuæ & virtutis, ubi res in mundo volvuntur, ubi homines pollent ſapientia, ubi alii in ſublime extolluntur, alii autem concidunt: ſicuti experientia docet non poſſe fieri vel humanitus, vel aliquo æquabili curſu naturæ, ut ſummi Reges ita cadant, ut alii obtineant ſummos honorum gradus. Daniel ergo admonet non eſſe quærendam in cælo duntaxat ſapientiam & virtutem Dei, quoniam in terra nobis apparet, & quotidie utriuſque documenta ſeſe offerunt oculis noſtris. Videmus nunc quomodo inter ſe cohæreant iſti duo verſus. Dixerat ſolius Dei eſſe ſapientiam: nunc oſtendit non latere in ipſo Deo, ſed nobis manifeſtari, ita ut liceat familiari uſu cognoſcere, quicquid ſapientiæ eſt, ab ipſo manare, & ipſum eſſe unicum fontem. Idem quoque de virtute ſentiendum. *Ipſe igitur eſt qui mutat tempora & ar-*

ticulos

ſiculos temporum. Scimus hoc totum aſcribi fortunæ, quod mundus habet incertas vices, ita ut aliquid quotidie mutetur. Et profani homines hinc colligunt cæco impetu omnia verſari: alii autem dicunt humanum genus eſſe quaſi ludum Dei, & projici homines quaſi pilas. Sed, quemadmodum jam dixi, non mirum eſt homines qui perverſo ſunt & corrupto ingenio, ita in ſiniſtram partem trahere omnia Dei opera. Quantum ad nos ſpectat, teneamus quod hic docet Propheta, nempe revolutiones, ut loquuntur, eſſe teſtimonia potentiæ Dei, & quaſi digito oſtendere gubernari divinitus res humanas. Nam alterutrum ſumere neceſſe eſt, vel quod natura dominetur in rebus humanis, vel quod fortuna verſet huc & illuc quæ debebant habere æquabilem curſum. Quod ad naturam ſpectat, æquabilis eſſet ratio, niſi Deus ſingulari conſilio, prout viſum eſt, ita mutaret vices temporum. Et tamen Philoſophi, qui ſummum imperium aſſignant naturæ, multo ſunt ſaniores reliquis, qui ſtatuunt in ſupremo gradu fortunam. Jam ſi admittimus quod iſti poſteriores volunt, nempe fortunæ temerario impetu res humanas verſari, unde iſta fortuna? Et ſi petimus ab ipſis definitionem, quid reſpondebunt? Certe cogentur fateri nomen illud fortunæ eſſe vanum commentum. Atqui neque Deus, neque natura locum habebunt in vana & quaſi verſatili mundi gubernatione, dum ſine ordine omnia ſe tumultuarie in ſpeciem præcipitant. Quod ſi conceditur, certe Epicuri doctrina locum habebit: quia ſi Deus reſignat ſummum mundi imperium, ita ut omnia temere ſic verſentur, jam deſinet eſſe Deus. Verum in hac varietate potius manum ſuam exerit ad vendicandum ſibi mundi imperium. Meminerimus ergo in tot mutationibus, quæ ſubinde nobis occurrunt, & quibus renovatur quodammodo mundi facies, fulgere Dei providentiam, & res non fluere æquabili curſu: quia poſſet probabili conjectura tunc aſcribi naturæ quod unius Dei proprium eſt. Deus, inquam, ſic mutat imperia, & vices temporum, ut diſcamus in ipſum reſpicere. Si ſemper æquabiliter ſol oriatur & occidat, vel ſaltem certa ſymmetria quotannis fluant ſine adventitia mutatione, neque ſint breves hyberni dies, æſtivi autem longi, tunc poſſemus colligere eſſe certum ordinem naturæ: & hoc modo Deus quaſi rejiceretur ab imperio ſuo. Ubi autem non ſolum differunt hyberni dies ab æſtivis: ſed etiam non ſemper ver eandem temperiem retinet, imo aliquando eſt turbulentum, vel nivoſum, aliquando æquat æſtatem calore: deinde quum æſtates ſunt tam variæ, quum nullus annus ſimilis eſt prorſus alteri, quum in horas & momenta aër mutatur, & cælum induit novam faciem: quum ergo hæc omnia cernuntur, quaſi nos expergefacit Deus, ne ita torpeamus in craſſo noſtro ſenſu, & fingamus naturam eſſe aliquod numen, ita ut ipſe privetur legitimo honore, & transferatur ad noſtrum commentum quod merito ſibi uni vendicat. Si in rebus iſtis vulgaribus agnoſcere coguntur Dei providentiam, ſi qua mutatio contingat majoris momenti, ſicuti dum transfert Deus imperia, & mundum ipſum quaſi transformat, nonne tunc magis affici nos decet, niſi ſumus nimium ſtupidi? Non ergo abs re Daniel hic corrigit perverſam opinionem, quæ occupat fere omnium ſenſus, quod ſcilicet vel mundus fortuito volvatur, vel quod natura ſit ſummum numen, ubi Deum eſſe aſſerit qui mutat tempora & vices. Proprie autem de Imperiis loquitur, ſicuti ex contextu ſatis patet: quod Reges conſtituat & amoveat. vix poteſt hoc nobis perſuaderi, divinitus imponi Reges ſoliis: deinde rurſum dejici: quia putamus vel ſua induſtria conſequi imperium, vel jure hæreditario, vel fortuito caſu. Interea nulla Dei habetur ratio, dum ſic extollitur hominum induſtria, aut virtus, aut felicitas, aut aliquid tale. Ideo in Pſalmo dicitur, *Pſal. 75.* Neque ab oriente, neque ab occaſu, ſed Deus ſolus judex eſt. Propheta illic deridet ſapientum diſcurſus, ut vocant, qui colligunt omnes rationes, ut oſtendant imperia pervenire ad homines vel ipſorum conſilio & virtute, vel felicitate, vel aliis humanis & inferioribus mediis: Circumſpicite, inquit, quocunque libuerit, ſed ab ortu uſque ad occaſum non reperietis cur unus aliis præſit potius quam alter. Dominus ergo ſolus eſt judex: hoc eſt, maneat gubernatio penes unum Deum. Sic etiam hoc loco dicitur Dominus conſtituere Reges, & tollere è medio ubi ita viſum eſt. Hoc argumentum, ut eſt ſplendidum, poſſet copioſius tractari: ſed quoniam aliis pluribus locis recurret eadem occaſio, breviter nunc perſtringo quod continet hic verſus. Nam de ſtatu regnorum, & eorum ruina & mutatione ſæpius dicendum erit. Ego igitur nolo congerere quæcunque etiam in promptu haberem: ſed ſufficit mihi breviter oſtendere conſilium Danielis. Poſtea addit *ipſum dare ſapientiam ſapientibus, & ſcientiam his qui præditi ſunt ſcientia*. Hoc ſecundo membro idem confirmat Propheta quod jam diximus, ſapientiam Dei ſcilicet non latere in tenebris, ſed nobis manifeſtari: quoniam Deus quotidie dat nobis certa ejus & illuſtria documenta. Et interim hic corrigit ingratitudinem hominum qui ex ſua excellentia trahendo ad ſe Dei laudem, ſemper fere ſunt ſacrilegi. Pronunciat igitur Daniel non eſſe ſapientiam in hominibus, niſi à Deo. Sapiunt quidem homines, pollent intelligentia: ſed quæritur an à ſeipſis. Daniel ergo oſtendit nimis malignos eſſe homines, dum ſibi quicquam arrogant, etiamſi omnes rapiant in admirationem ſui: quia nihil habent proprium. Quis enim jactabit ſe proprio Marte ſapere? Se peperiſſe intelligentiam qua præditus eſt? Quum ergo Deus ſit unicus auctor & ſapientiæ & ſcientiæ, dotes quibus homines ornavit, adeo non obſcurant ejus gloriam, ut potius illuſtrare debeant. Poſtea adjungit,

22. Ipſe patefacit profunda & abſcondita: cognoſcit quod in tenebris *latet*, & lux cum eo habitat. (*vel, penes ipſum.*)

Proſequitur eandem ſententiam, & confirmat, quod ſcilicet ex Spiritu Dei cuncti mortales hauriant quicquid habent intelligentiæ & lucis. Quanquam longius progreditur hoc verſu quam ſuperiore. Dixerat enim in genere, ſapere homines, & intelligere Dei beneficio: hic autem ſpeciem unam ſumit, nempe ubi eſt rara & inſolita intelligentia illic clarius fulgere donum Dei: quaſi diceret, non modo Deum ſingulis mortalibus diſtribuere pro menſura ſuæ liberalitatis quicquid habent acuminis & ingenii, ſed quoſdam ornare tanta intelligentia, ut appareant eſſe ipſius interpretes. Loquitur ergo hic proprie de dono Prophetico: quaſi diceret, non tantum conſpici Dei bonitatem in communi hominum prudentia (quod ſcilicet nemo eſt tam rudis, qui non diſcernat inter juſtum & injuſtum, qui non teneat aliquam rationem regendæ vitæ) ſed in Prophetis aliquid eſſe extraordinarium, quod nobis reddit Dei ſapientiam magis admirabilem. Unde enim Prophetæ hoc habent, ut vaticinentur de rebus occultis, ut penetrent ſupra cælos, ut tranſcendant totum mundum? An hoc eſt commune in hominibus? Quum ergo hoc communem hominum captum longe ſuperet, Propheta docet illic plus laudis mereri Dei beneficentiam & virtutem ſimul, *quod revelat abſcondita & arcana*. Et in hunc ſenſum adjicit, *lucem apud Deum habitare*: quaſi diceret, longe differre à nobis Deum ipſum, quia obvolvimur mul-

tis vel tenebris vel oebulis, ſed Deo omnia eſſe liquida, ſic ut nuſquam hæſitet, non inquirat, non impediatur ulla ignorantia. Nunc ergo tenemus Prophetæ conſilium. Sed diſcamus ex hoc loco tribuere Deo laudem, quam major pars mundi ſacrilega audacia ſibi arrogat: Deus autem oſtendit ſibi eſſe propriam. Quicquid ergo intelligentiæ & judicii in nobis eſt, hoc meminerimus Deo acceptum referre. Proinde etiam ſi qua tantum viget in nobis gutta communis ſenſus, eatenus jam obſtricti ſumus Deo, quia eſſemus ſimiles truncis, vel lapidibus, niſi ipſe arcanu ſuo inſtinctu nos donaret intelligentia. Sed etiam ſi quis excellat, & ſit in admiratione fere totius mundi, ipſe quoque modeſte ſe Deo ſubjiciat, & agnoſcat eo magis ſe eſſe uhſtrictum, quia plus aliis accepit. Quis enim ipſum diſcernit, niſi Deus? Quo ergo quiſque majore præſtat intelligentia, eo magis extollat Dei beneficentiam, ſibi omnia derogans. Tertio diſcamus intelligentiam rerum ſpiritualium eſſe rarum & ſingulare donum Spiritus ſancti, & illic præcipue fulgere Dei virtutem. Caveamus ergo à diabolica ſuperbia, qua videmus fere totum mundum eſſe ebrium, & falſo turgere. Atque in hac parte glorificemus maxime Deum, quod non tantum ornavit nos communi prudentia, ut eſſet aliquod apud nos diſcrimen boni & mali: ſed quod evexit ſupra communem naturam, & ita illuminavit, ut teneamus quæ alioqui longe excederent captum noſtrum. Jam ubi pronunciat Daniel *lucem eſſe apud Deum*, ſubaudienda eſt tacita antitheſis, quia ſubindicat homines, ut jam attigi, circumdari multis tenebris, & quaſi palpitare in lucu obſcuro. Confertur ergo oblique hic hominum habitatio ſanctuario Dei: quaſi diceret Propheta, nuſquam eſſe puram & ſinceram lucem, niſi in ſulo Deo. Ergo ubi manemus apud nos, id eſt, in ſtatu noſtro, neceſſe eſt errare in caligine vel ſaltem obtenebrari multis nebulis. Huc pertinent ejus verba, ne ſcilicet acquieſcamus in modulu noſtro, ſed potius expetamus à Deo lucem illam, in qua ſulus habitat. Verum meminerimus interea Deum habitare lucem inacceſſam, niſi quatenus manum 1 *Tim.* 6.
ipſe uubis porrigit. Ergo ſi cupimus fieri participes divinæ lucis, caveamus ab audacia: & memores noſtræ ignorantiæ petamus à Dominu nos illuminari: ita lux ejus non erit nobis inacceſſa, quum Spiritu ſuo nos ſupra cælum ipſum ducet. Poſtea addit,

23. Tibi confiteor, Deus patrum meorum, & laudo ego, (*& ego etiam te laudo*) qui dediſti mihi ſapientiam & robur, & nunc notificaſti mihi quæ poſtulavimus abs te: qui negotium (*vel quæſtionem*) Regis patefeciſti nobis.

Convertit Daniel ſermonem ad Deum, *Te*, inquit, *confiteor, ô Deus patrum meorum, & te laudo.* Hic apertius diſtinguit Deum Iſraëlis ab omnibos figmentis gentium. Neque enim fruſtra epithetum hoc exprimit, quod laudet Deum patrum ſuorum: ſed potius vult in nihilum redigere quicquid ſibi fabricaverant aliæ omnes gentes de multitudiue deorum. Hoc ergo tanquam vanum & mendax repudiat Daniel, & oſtendit unum Deum Iſraëlis dignum eſſe omni laude. Cæterum nun fundat gloriam Dei in auctoritate patrum ſuurum, quemadmodum Papiſtæ quum volunt aſtruere vel Georgio, vel Catharinæ, vel aliis ſuis quiſquiliis aliquam ſummam potentiam, enumerant quot ſeculis jam obtinuerit error ille: ita volunt recipi pro oraculo quod conſenſus hominum approbavit. Sed ſi religio nitatur hominum conſenſu, qualis erit ejus ſtabilitas? Scimus nihil vanius eſſe humanis mentibus: Si
Pſal. 62. ponderetur homo (inquit Propheta) cum vanitate in trutina, vanitas ipſa præponderabit. Nihil ergo ſtultios eſt illo principio, nempe ſentiendum eſſe de religione quod valuit multarum ætatum conſenſu. Sed hic Daniel Deum patrum ſuurum ideo commendat, quoniam patres fuerant Dei filii. Valebat enim apud Judæos ſacra illa adoptio, qua Deus ſibi elegerat Abraham, & totum ipſius genus. Daniel ergu hic non extollit hominum perſonas, quaſi poſſint aut debeant affingere Deo quod libuerit: ſed tantum hac ratione dicit *Deum Iſraëlis eſſe Deum patrum ſuorum:* quia ſcilicet erat ex illa progenie, quam adoptaverat Deus. In ſumma, ſic opponit Deum Iſraëlis cunctis idolis gentium, ut nota diſcretionis ſit in ipſo fœdere, & in doctrina cæleſti, qua ſe patefecit ſanctis Patribus. Nam quum gentes careant omni uraculo ac ſequantur propria ſomnia, merito hic Daniel proponit *Deum patrum ſuorum.* Poſtea adjungit, *quia ſapientiam & robur dediſti mihi.* Quantum ad ſapientiam ſpectat, ſatis clare patet ratio, cur gratias Deo agat Daniel, quia ſcilicet adeptus erat, ſicuti paulo poſt dicet, revelatiunem ſomnii: deinde quoniam ante donatus fuerat Prophetico ſpiritu & viſionibus, ut ante retulit, cap. 1. verſ. 17. Sed poſſet hic quæri, quid per *robur* intelligat. Neque enim vel dignitate pollebat inter homines, vel rebus bellicis præfectus unquam fuerat: denique nullum ſpecimen magnificæ virtutis dederat, ot poſſet hanc ob cauſam Deo gratias agere. Sed Daniel reſpicit ad illud principium quod ſumpſit, nempe Deum Iſraëlis inde agnoſci verum & unicum Deum, quia quicquid eſt virtutis & ſapientiæ in mundo, ab ipſu fluat quaſi à ſuo fonte. Secundum hanc rationem nunc de ſe loquitur, ut de aliis umnibus: quaſi diceret, Si quid eſt in me vel roboris vel intelligentiæ, hoc totum tibi aſcribo, ſicuti tuum eſt. Et certe quamvis Daniel neque rex eſſet, neque præfectus, tamen illa animi invicta magnitudo quam vidimus, non erat pro nihilo ducenda. Itaque meritu agnoſcit aliquid divinitus etiam in hac parte ſibi collatum. Denique conſilium ejus eſt, ſe prorſus exinanire, ut Deo quod ſuum eſt tribuat: ſed breviter loquitur, quemadmodum dictum eſt, quia divinitatis probationem ante complexus fuerat ſuh ſapientia & ſuh virtute. Puſtea addit, *mihi patefeciſti quæ abs te poſtulavimus, Regis quæſtionem patefeciſti nobis.* Videtur hic quodammodo ſecum pugnare, quia laudat Deum quod revelationem ſomnii ipſe acceperit, deinde adjungit ſibi alios. Atqui revelatiu non fuerat communis, ſed ejus propria. Solutiu facilis eſt: nam primum exprimit peculiariter ſibi hoc fuiſſe datum, ut cognoſceret ſomnium Regis, & teneret ejus interpretationem. Ubi hoc confeſſus eſt, jam extendit beneficium ad ſocios ſuos, & meritu, quia etſi ipſi nondum tenebant quod Deus Danieli contulerat, tamen in ipſurum gratiam hoc adeptus fuerat Daniel: quandoquidem omnes erepti ſunt à morte: deinde exauditæ fuerunt eorum preces. Et hoc plurimum valuit ad confirmationem fidei ipſorum, quia ſciverunt ſe non fruſtra uraſſe. Diximus autem in eorum precibus non fuiſſe quicquam ambitionis, ut aliquid proprium quiſque appeteret, unde poſſet honorem & exiſtimationem ſibi acquirere coram mundo: nihil tale: ſed ſatis illis fuit, illuſtrare Dei nomen apud incredulos: deinde ſe eripi à morte, Dei beneficio. Ergo merito dicit Daniel ſibi patefactum fuiſſe ſomnium Regis cum interpretatione ejus: & hoc poſtea etiam transferet ad ſocios ſuos.

Da umnipotens Deus, quum tot teſtimonia gloriæ tuæ nobis quotidie ante oculos verſentur, nos vero cæcutiamus, ut noſtra ingratitudine ſepeliamus

mus totam lucem: da, inquam, ut aliquando diſcamus aperire oculos, imo Spiritu tuo nobis aperias, ut reputantes quot & quantis, & quam inſignibus beneficiis teipſum nobis oſtendas, & teſtimonium tibi aſſeras æternæ divinitatis, ut hoc, inquam, reputantes proficiamus in hac ſchola pietatis, & ſic diſcamus aſcribere tibi omnem laudem omnium virtutum, ut nihil apud nos maneat, ſed te unum extollamus. Et quo magis dignaris te nobis liberalem declarare, ut eo ardentiore ſtudio teipſum colere ſtudeamus, noſque totos tibi addicere, nihil nobis laudis reſiduum facientes, ſed hoc tantum curantes, ut apud te ſolum maneat gloria, & refulgeat in toto mundo, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO OCTAVA
IN
DANIELEM.

24 Itaque ingreſſus eſt Daniel ad Arioch, quem præfecerat Rex ad perdendum (*ad occidendum*) ſapientes Babylonis: venit ergo, & ſic loquutus eſt ei, Sapientes Babylonis ne perdas: introduc me ad Regem, & interpretationem Regi indicabo.

ANtequam Daniel perferret nuncium Regi (ſicuti heri viſum eſt) defunctus eſt officio pietatis, ut debuit. Teſtatus enim eſt gratitudinem ſuam erga Deum, quod arcanum pateſeciſſet. Nunc vero dicit *ſe veniſſe ad Arioch, qui miſſus fuerat à Rege ad occidendos Magos, & rogaſſe ne interficeret illos: ſe enim habere revelationem*, de qua poſtea dicetur. Hic notandum eſt, fuiſſe jam aliquos ex Magis interfectos, ſicuti etiam dixi. Neque enim unquam auſus fuiſſet Arioch poſt acceptum Regis mandatum differre vel ad paucos dies: ſed interpoſita fuit mora, poſtquam Daniel ſpatium aliquod temporis ſibi dari petiit. Tunc ergo deſiit Arioch ex Regis juſſu ſævire contra Magos. Nunc Daniel rogat, ut parcat reliquis. Videtur tamen hoc parum conſulte facere, quia optandum fuit, ut artes illæ Magicæ prorſus abolerentur. Vidimus enim antehac, fuiſſe præſtigias diaboli. Poteſt reſponderi, quod Daniel, etiamſi videret multa eſſe vitia & corruptelas in Magis, & illorum arte, vel ſcientia, vel falſa & fallaci profeſſione ſcientiæ: tamen quoniam erant vera principia, noluerit prorſus deleri quod à Deo profectum erat. Sed mihi videtur aliud fuiſſe conſilium Danielis. Quanquam enim poterant ſine magna jactura prorſus deleri Magi, tamen reſpexit potius ad cauſam. Et ideo voluit hominibus ipſis parci. Sæpe continget vocari in diſcrimen homines ſceleratos, & qui decem mortes meriti ſunt: cæterum ſi non puniantur juſta cauſa, tamen debemus parcere eorum perſonis, non quod digni ſint, ſed quia ſemper nobis tenenda eſt æquitas, & rectitudo. Probabile igitur eſt quum Daniel videret tyrannicum fuiſſe illud imperium Regis de cæde Magorum, hic occurrere, quia videret ipſos occidi ſæva illa & crudeli violentia, quoniam nulla ſuberat ratio. Ego igitur ſic exiſtimo, Danielem Magis parcere, non propter ipſorum perſonas. Vult quidem eas ſalvas eſſe, ſed propter alium finem, quia ſcilicet expectandum fuit dum pœnas de illis Deus ſumeret. Non maturuerat ipſorum iniquitas, ut ſubito traherentur ad pœnam ob indignationem Regis. Non igitur mirum eſt, ſi Daniel voluerit impedire hanc ſævitiam, quantum in ſe erat. Sequitur poſtea,

25. Tunc Arioch cum feſtinatione introduxit Danielem ad Regem, & ſic loquutus eſt ei, Inveni virum ex filiis captivitatis Jehudah, qui interpretationem Regi notam faciet.

Poſſet hic moveri quæſtio, quomodo Arioch loquatur quaſi de re nova, ubi Danielem coram Rege producit. Jam enim petierat Daniel à Rege (quemadmodum vidimus) ut ſibi daretur tempus ad orandum. Cur ergo Arioch nunc jactat *ſe reperiſſe virum ex captivus Jehudah*, quaſi verba faceret de homine obſcuro, & incognito? Sed fieri poteſt, ut Daniel impetraverit tempus illud ab Arioch. Scimus enim ex hiſtoriis quam difficiles fuerint acceſſus ad Reges illos. Putabant enim quodammodo profanari ſuam majeſtatem, ſi comes ſe & humanos præberent. Eſt igitur probabilis illa conjectura, Arioch fuiſſe internuncium, quum Rex tempus conceſſit Danieli. Vel poterimus etiam dicere, non referri ſimpliciter verba ipſius Arioch, ſed Danielem oſtendere qualis ſit jactantia in hominibus aulicis, qui ſemper officia ſua commendant, & ornant ſplendoro verborum. Reducit igitur Arioch Regi in memoriam, quod ipſe inciderit in Danielem, & tandem adeptus ſit quod Rex ipſe vehementer optaverat. In hoc igitur non admodum laboro, quia vel tunc Arioch clarius expoſuit Regi, Danielem eſſe qui poſſet interpretari ſomnium: vel conjunxit quod prius actum fuerat: ſive hoc Daniel coram impetraverat, ſive ipſe petierat à Rege, ut Danieli tempus aliquod daretur. Ponit *filos transmigrationis*, vel *captivitatis*, more uſitato Scripturæ, pro captivis: quanquam nomen hoc eſt collectivum. Nunc ſequitur,

26. Reſpondit Rex, & dixit Danieli, cujus nomen *erat* Balteſazzar, Eſtne tibi facultas ad notificandum (*ad declarandum*) mihi ſomnium quod vidi, & interpretationem ejus!

Rex utitur his verbis, quia jam deſperaverat de interpretatione, quum videret Magos omnes deſtitui hac in parte judicio & intelligentia. Hoc autem jam perſuaſum ei fuerat, nullam eſſe ſapientiam, niſi in Magis. Quum ergo fruſtra illos rogaſſet, vix potuit aliunde quicquam melius ſperare, quod errore illo (quemadmodum dixi) imbutus erat. Per admirationem ergo hic ſciſcitatur quaſi de re impoſſibili, Eritne tibi facultas! Nec dubium eſt, quin Deus expreſſerit ſuperbo Regi hanc interrogationem, quo illuſtrior eſſet ſua gratia in Daniele. Quo igitur minus ſpei fuit in Rege ipſo, eo plus fuit in revelatione ipſa & dignitatis, & reverentiæ: quemadmodum etiam videbimus poſtea, Regem fuiſſe quaſi attonitum, & præ ſtupore jacuiſſe proſtratum in terra coram homine captivo. Hæc ratio eſt, cur referat Daniel Regem hac interrogatione fuiſſe uſum. Nunc ſequitur,

27. Reſpon-

27. Reſpondit Daniel Regi, & dixit, Arcanum quod Rex poſtulat, ſapientes, Magi, Aſtrologi, Genethliaci (*nam de nominibus iſtis dictum fuit non anxie laborandum eſſe, quoniam ipſis quoque Judæis divinandum eſt. ſunt quidem ſatis audaces in ſuis definitionibus (nam temere quidvis affirmant) ſed non poſſunt tamen certo diſtinguere quid differant inter ſe iſtæ ſpecies: ergo ſatis eſt nobis tenere, hic ſermonem haberi de Magis, qui ſapientes erant tunc, hoc eſt, obtinuerant nomen illud, deinde etiam de Genethliacis, & Aſtrologis*) non poſſunt indicare Regi.

28. Sed eſt Deus in cælis, qui revelat arcana: & indicavit Regi Nebuchadnezer quid futurum ſit in fine (*in extremitate*) dierum. ſomnium tuum, & viſio capitis tui ſuper lectum tuum, hæc eſt.

Hic reſpondet Daniel non eſſe mirum, ſi Rex non invenerit apud ſuos Magos quod ſperaverat: quia ſcilicet Deus inſpiraverat ei hoc ſomnium ſuperius captu humani ingenii. Quod interpretes putant hic ſimpliciter damnari artem Magicam, neſcio an conveniat. Puto enim potius fieri comparationem inter ſomnium Regis, & quæ continebantur ſub ſcientia Magorum: excludo ſemper ſuperſtitiones, quibus veram & genuinam ſcientiam vitiaverant. Sed quantum ad ipſa principia ſpectat, diximus non poſſe præciſe damnari Aſtrologiam, & quicquid ad conſiderandum naturæ ordinem pertinet. Videtur ergo mihi hæc eſſe ſumma, ſomnium Regis non ſubjici hominum ſcientiæ: neque ullum eſſe tantum acumen in mortalibus, ut poſſint comprehendere quid ſomnium illud velit, quia Deus manifeſtaverit res arcanas, quæ indigent peculiari revelatione Spiritus. Quod ergo dicit Daniel, Magos & Aſtrologos & ſimiles non potuiſſe Regi exponere ſuum ſomnium, neque fuiſſe idoneos ejus interpretes, ſubeſt hæc ratio, quod ſomnium illud non fuerit naturale, nihil habuerit affine humanis conjecturis, ſed peculiaris fuerit revelatio Spiritus.
1 Cor 2. Quemadmodum quum Paulus de Euangelio diſpu-
verſ. 14. tat, cogit in ordinem quicquid eſt intelligentiæ in hominibus: quia quicunque pollent acumine, vel præditi ſunt eruditione aliqua, putant ſe quidvis poſſe conſequi. Atqui doctrina Euangelii cæleſte eſt myſterium, quod etiam à doctiſſimis & acutiſſimis hominibus non poteſt capi. Idem ergo ſenſus eſt verborum Danielis, quod Magi, & Aſtrologi, & Genethliaci non potuerint ſufficere ad exponendum Regis ſomnium, quoniam non fuit aliquid vel naturale, vel humanum. Et hoc clarius patet ex contextu, quia ſubjicit, *eſſe Deum in cælo, qui revelat arcana*. Nam ברם *beram* hic accipio pro adverſativa particula. Opponit ergo revelationem Dei, conjecturis & interpretationibus Magorum, quoniam omnes humanæ ſcientiæ iucluſæ ſunt (ut ita loquar) ſuis finibus & cancellis. Dicit igitur Daniel, opus hic eſſe ſingulari dono Spiritus ſancti. Idem certe Deus, qui patefecit Danieli ſomnium Regis, etiam diſtribuit pro ſuo beneplacito ũnicuique ingenium & acumen. Unde fit, ut alii polleant perſpicacia, alii autem vel hebetes ſint, vel tardi? Unde fit ut alii proficiant in humanis doctrinis, & artibus, alii autem jaceant quaſi inutiles: niſi quod Deus hac varietate oſtendit in manu ſua & arbitrio eſſe vel mentes hominum illuſtrare, vel relinquere hebetes, & ſtupidas? Quum igitur Deus patefaciat quicquid eſt intelligentiæ in mundo, non quadraret in ſenſu generali quod hic dicit Daniel. Et antitheſis iſta, niſi ad ſpeciem referas, vel ſupervacua eſſet, vel frigida. Tenemus ergo cur dixerit proximo verſu, non potuiſſe exponi Regis ſomnium à Magis, & Aſtrologis: quia ſcilicet ſupra menſuram communem extulerat Deus Regem Nebuchadnezer, ut per ſomnium illi oſtenderet quod futurum erat. *Eſt* igitur *Deus in cælo qui revelat arcana: ipſe*, inquit, *Regi Nebuchadnezer quid futurum eſſet oſtendit.* Confirmat quod jam dixi, nempe Regem non potuiſſe colligere quod Deus illi oſtendit per ſomnium. Sæpe enim fit, ut dum mentes hominum diſcurrunt huc & illuc, colligant certas conjecturas. Daniel autem excludit humana media, & dicit ſomnium hoc profectum eſſe à Spiritu Dei. Addit, *quid futurum eſſet in noviſſimo*, vel in extremitate, *dierum*. Quæritur quid per hanc extremitatem intelligat. Conveniunt interpretes hoc debere referri ad Chriſti adventum: ſed non explicant cur adventus Chriſti deſignetur ſub hac voce. Res tamen minime obſcura eſt, quod extremitas dierum vocetur Chriſti adventus, quia fuit quædam mundi renovatio. Verum quidem eſt, hodie mundum agitari, ut olim antequam manifeſtatus eſſet Chriſtus in carne: ſed, ſicuti poſtea videbimus, Chriſtus in hunc finem venit, ut mundum renovaret: & quia Euangelium eſt quaſi rerum omnium perfectio, dicimur eſſe in noviſſimis vel extremis diebus. Comparat ergo Daniel omnes ætates quæ præceſſerunt Chriſti adventum, cum hac dierum extremitate. Itaque Deus voluit Regi Babylonio oſtendere quid tandem futurum eſſet, poſtquam Monarchia una aliam deleviſſet. Voluit ergo oſtendere aliquem demum fore his mutationibus finem, quia ſuperventurum eſſet regnum Chriſti. Ego hoc caput ideo breviter attingo, quoniam plura dicenda erunt. *Somnium*, inquit, *& viſio capitis tui ſuper lectum tuum hæc eſt.* Videri poſſet abſurdum, quod Daniel hic profiteatur ſe expoſiturum Regi quodnam eſſet ejus ſomnium, & quænam ejus interpretatio: & tamen alia interjiciet. Cæterum, quoniam nihil addet alienum à propoſito, non debet hoc trahi in quæſtionem, cur dicat hanc fuiſſe viſionem Regis, & hoc fuiſſe ſomnium. Nam oportuit magis ac magis expergefieri Regem ipſum, ut eſſet ad ſomnium & interpretationem ejus attentior. Deinde hoc etiam notandum eſt, in hoc inſiſtere Prophetam, ut Rex certo ſit perſuaſus, Deum eſſe auctorem ſomnii, de quo Danielem interrogat. Fruſtra enim verba fundentur, niſi jam occupet hominum animos iſta perſuaſio, quicquid illis exponitur à Deo profectum eſſe. Multi enim hodie libenter audirent quæ poterunt dici de Euangelio: ſed non tanguntur intus: deinde etiam quicquid concipiunt evanidum eſt, & ſtatim illis effluit. Ergo reverentia eſt priucipium veræ & ſolidæ intelligentiæ. Ita Daniel non ex abrupto profert expoſitionem ſomnii, & ſomnium ipſum narrat: ſed præparat ſuperbum illum Regem ad audientiam, ubi oſtendit ipſum non ſomniaſſe temere, neque etiam hoc fuiſſe conſequutum ex ſuis cogitationibus: ſed divinitus fuiſſe edoctum & admonitum de rebus occultis. Nunc ſequitur,

29. Tibi, Rex, cogitationes tuæ ſuper lectum tuum aſcenderunt, quid futurum eſſet poſthac: & qui revelat arcana expoſuit tibi quid futurum eſſet.

Confirmat rurſus quod nunc attigi (vult enim hoc inſculpere animo Regis) Deum fuiſſe ſomnii auctorem: quo ſcilicet Rex ipſe qua decet ſobrietate, & modeſtia, atque etiam docilitate ſe comparet ad

audien-

audiendam interpretationem. Nam niſi ſerio fuiſſet tactus, poterat contemnere interpretationem Danielis; ut videmus homines vel ſua ſuperbia, vel ſua incuria nihil proficere, etiamſi familiariter loquatur Deus cum ipſis. Ideo nobis hic ordo tenendus eſt, ut ſimus parati ad audiendum Deum, & quaſi diſcamus frenum nobis injicere, quoties audimus ſacrum illud Dei nomen: ne quod ab ipſo nobis proponitur vel repudiemus, vel quaſi gravemur expendere. Hæc igitur ratio eſt cur Daniel iterum repetat, Regem Nebuchadnezer divinitus fuiſſe edoctum de rebus futuris. Dicit quidem priore membro, *cogitationes Regis aſcendiſſe*: loquutio eſt Hebraica, & Chaldaica. Dicuntur cogitationes aſcendere, dum volvuntur in cerebro, vel in capite, quemadmodum ante vidimus, Viſio hæc fuit in capite tuo; quoniam ſedes ratiocinandi eſt in ipſo capite. Dicit ergo Daniel Regem fuiſſe ſollicitum de rebus futuris, quemadmodum ſummi Monarchæ cogitant quid futurum ſit poſt mortem ſuam: & quiſque ſibi ſomniat imperium totius orbis: ita veriſimile eſt, Regem Nebuchadnezer fuiſſe verſatum in his cogitationibus. Sed ſtatim ſequitur non potuiſſe ſuis cogitationibus quicquam proficere, niſi Deus patefeciſſet quod futurum erat; quoniam ſcilicet proprium eſt ejus munus (inquit) *revelare arcana*. Et certe videmus, ut fruſtra ſe homines torqueant, ubi volvunt & revolvunt apud ſe quæ ſuperant ipſorum ingenia. Ergo Rex Nebuchadnezer poterat diu & multum ſe fatigare ſine profectu, niſi oraculo fuiſſet edoctus. Et ideo pondus ſubeſt in his verbis, *qui revelat arcana expoſuit Regi quid futurum eſſet*: hoc eſt, non eſt quod tibi arroges vel tuis cogitationibus ſomnium hoc, ſed Deus peculiari hac gratia te dignatus eſt, quum voluit te conſcium facere myſteriorum, quæ alioqui tibi ſemper fuiſſent abſcondita. Neque enim unquam penetraſſes ad tantam altitudinem. Poſtea adjungit,

30. Et ego (*hoc eſt, mihi*) non in ſapientia quæ ſit in me præ cunctis viventibus, arcanum hoc patefactum *eſt* mihi: (*eſt ſupervacua repetitio, ſed quæ ſenſum non obſcurat*) ſed ut interpretationem Regi exponerem, & cogitationes cordis tui cognoſceres.

Hic Daniel occurrit objectioni, quia poterat excipere Nebuchadnezer, Si unius Dei eſt revelare arcana, unde, quæſo, hoc tibi qui es homo mortalis? Daniel ergo prævenit, & transfert totam gloriam ad Deum, & ingenue fatetur ſuum nihil fore in hac interpretatione quam afferet: ſed ſe quaſi produci manu Dei, & eſſe ejus interpretem, neque habere hoc ex perſpicacia naturali, ſed quia Deo placuerit eum miniſtrum hac in parte conſtituere, & uti ejus opera. *mihi* ergo, inquit, *patefactum fuit hoc arcanum*. His verbis ſatis declarat, donum peculiare eſſe Dei, quod interpres ſomnii acceſſerit. Sed clarius exprimit, hoc donum eſſe ſupernaturale, ut loquuntur, quum dicit, *non in ſapientia quæ ſit mihi*. Nam ſi Daniel ſuperaſſet totum mundum intelligentia, tamen non poterat divinare quid ſomniaſſet Rex Babylonius. Excelluit quidem & ingenii præſtantia, & eruditione: præditus fuit maximis donis, ut jam dictum eſt: ſed non potuit tamen conſequi quod nunc impetravit ſuis precibus à Deo: non potuit conſequi, dico, vel ſtudio, vel induſtria ſua, vel ullis humanis mediis. Videmus ergo ut Daniel diſerte hic excludat non tantum quod homines falſo ſibi arrogant, ſed etiam quicquid naturaliter confert Deus: quia ſcimus profanos etiam homines donari ingenii præſtantia, & aliis eximiis dotibus: atqui vocantur hæc naturalia, quoniam Deus vult gratias ſuas fulgere in genere humano, quum profert talia exempla. Sed Daniel etiamſi agnoſcat ſe non vulgari ingenio eſſe præditum, quoniam Deo ita placuerit, & ſe etiam eruditum eſſe, quoniam benedixerit Deus ejus ſtudiis: quamvis ergo hoc fateatur, tamen conſtituit in gradu ſuperiore hanc revelationem. Videmus ergo ut dona Spiritus inter ſe differant, quia Daniel fuit quaſi duplex homo, ut ita loquar, in dotibus quibus Deus voluerat ipſum ornare. Nam quod ita dextre profecit in omnibus ſcientiis, quod viguit tanta promptitudine ingenii, certe jam ante oſtendimus hoc totum fuiſſe ex mera Dei liberalitate. Cæterum ea quoque tamen hic quaſi in ordinem cogit: & prædicat ſingularem hanc Dei gratiam in expoſitione ſomnii. *Non igitur arcanum hoc mihi patefactum fuit propter ſapientiam quæ in me ſit præ cunctis mortalibus*. Non affirmat Daniel ſe ſuperare cunctos mortales ſapientia, quemadmodum quidam falſo hæc verba torquent, ſed relinquit hoc in medio: quaſi diceret, hoc aſcribi non debet ſapientiæ. Nam ſi acutiſſimus eſſem omnium mortalium, tota mea perſpicacia nihili foret. Rurſus etiamſi rudiſſimus eſſem idiota, Deus tamen voluit me præficere miniſtrum tibi ad ſomnii interpretationem. Non eſt igitur quod quicquam hominum à me expectes: ſed perinde acſi delapſus eſſem è cælo, ita accipias quod dicturus ſum, quoniam ſum organum Spiritus Dei. Hic ſimplex eſt verborum ſenſus. Sed hinc etiam diſcamus aſſerere Deo laudem quæ ſoli ipſi debetur: nempe quod ejus proprium ſit munus illuminare mentes noſtras, ut comprehendamus myſteria cælorum. Nam etſi naturaliter ſimus præditi ſummo acumine, quamvis hoc ſit ejus donum, tamen eſt donum limitatum (ut ita loquar) quod non conſcendit uſque ad cælos. Diſcamus ergo Deo relinquere quod ſuum eſt, quemadmodum monemur hac Danielis ſententia. Poſtea adjungit, *ſed ut manifeſtarem Regi interpretationem, & cognoſceres cogitationes cordis tui*. Plurali numero utitur Daniel, ſed indefinite: quaſi diceret, Deus quidem reliquit te hactenus ſoſpenſum, ſed tamen non fruſtra ſomnium hoc tibi inſpiravit. Hæc igitur inter ſe conjuncta ſunt, quod Deus tibi patefecit arcanum hoc, deinde quod nunc me ſubſtituit ejus interpretem. Videmus quorſum tendat Daniel. Nam poterat hic obſtrepere Nebuchadnezer, Cur Deus me ita cruciat? quorſum attinet me hic hærere perplexum, quia ſomniaverim, & interea ſomnium mihi exciderit, & ejus interpretatio mihi ſit incognita? Quoniam ergo poterat Nebuchadnezer ita litigare cum Deo, Daniel hic anticipat, & oſtendit ſomnium non fruſtra fuiſſe oblatum, aut viſionem illam: ſed Deum nunc præſtare quod adhuc deerat, nempe ut redeat Nebuchadnezer in memoriam ſui ſomnii, & ſimul etiam cognoſcat quiſnam eſſet finis, & quænam eſſet ratio ſomnii illius.

Da omnipotens Deus, quum volueris nos à brutis animalibus differre, & ideo lucem intelligentiæ mentibus noſtris inſculpſeris: da, ut diſcamus hanc ſingularem gratiam agnoſcere & magnifacere: & interea exerceamus nos in earum rerum cognitione, quæ nos ad reverentiam imperii tui adducant: deinde etiam ſic diſtinguamus communem ſenſum, quo nos donaſti, à Spiritus tui illuminatione & fidei dono, ut ſolus glorificeris, quod inſiti ſimus per fidem in corpus unigeniti Filii tui: & petamus etiam profectum & incrementa ejuſdem fidei abs te, donec tandem nos adducas ad plenam manifeſtationem lucis: quum ſcilicet tibi ſimiles facie ad faciem gloriam tuam conſpiciemus, & eadem fruemur, in eodem Chriſto Domino noſtro, Amen.

PRÆLECTIO NONA IN DANIELEM.

31. Tu Rex videbas, & ecce imago una grandis, imago illa magna, & ſplendor ejus (*vel apparentia, ut vulgo loquuntur: ſplendor ergo ejus*) pretioſus (*vel excellens*) ſtabat coram te, & ſpecies ejus terribilis.

32. Hujus imaginis caput ex auro bono, (*aurum bonum*) pectus ejus & brachia ejus ex argento, venter ejus & femora ejus ex ære. (*æs.*)

33. Crura ejus ex ferro (*ferrum*) pedes ejus partim ex ferro, & partim teſta.

34. Videbas, quouſque exciſus fuit lapis, qui non ex manibus, (*qui non exciſus fuit manibus hominum*) & percuſſit imaginem ad pedes, qui *erant* ex ferro & teſta, & contrivit eos.

35. Tunc contrita ſunt ſimul ferrum, teſta, æs, argentum, & aurum: & fuerunt quaſi quiſquiliæ (*vel palea*) ex area æſtivali: & abſtulit ea ventus, & non inventus eſt locus eorum: & lapis qui percuſſerat imaginem, fuit in montem magnum, & implevit totam terram.

QUanquam Daniel hic ſomnium recitat, necdum attingit interpretationem, tamen non poſſumus ulterius progredi, quin diſſeramus de re ipſa. Poſtea ubi accedet interpretatio, confirmabimus quæ jam ante dicta fuerint, & expoliemus, ut contextus feret. Hic Daniel recitat viſam fuiſſe imaginem à Rege Nebuchadnezer, quæ conſtabat ex auro, argento, ære, & ferro: ſed in pedibus erat aliquid permixtum, nempe quod partim erant ferrei pedes, partim teſtacei. De nomine viſionis jam ante dictum eſt: ſed breviter iterum repeto, Regem Nebuchadnezer non vidiſſe oculis hanc imaginem, cujus fit mentio, ſed fuiſſe ſpeciem revelationis, quam certo cognovit divinitus ſibi fuiſſe oblatam. Alioqui poterat omnem curam excutere, & libenter feciſſet, ſed Deus tenuit illum quaſi conſtrictum in tormentis, donec adeſſet interpres Daniel. *Vidit ergo Nebuchadnezer imaginem.* Hoc extra controverſiam quicunque præditi ſunt ſano judicio, & candide etiam cupiunt mentem Prophetæ exponere, intelligunt de quatuor Monarchiis, in quibus alia aliam ſequuta eſt. Judæi quia premuntur hoc oraculo, confundunt imperium Turcicum una cum Romano. Sed facile coarguitur eorum & inſcitia & improbitas. Nam dum volunt effugere ne cogantur fateri Chriſtum mundo fuiſſe exhibitum, quærunt putidas calumnias, quæ opus refutatione non habent: ſed tamen aliquid de illis poſtea dicetur ſuo loco. Interea verum eſt quod dixi, nempe interpretes qui & mediocri judicio pollent & candore, omnes ad unum hunc locum exponere de Monarchia Babylonica, Perſica, Macedonica, & Romana. Et Daniel ipſe poſtea ſuis verbis hoc ſatis oſtendet. Quæritur tamen, cur Deus has quatuor Monarchias figuraverit ſub hac imagine. Videtur enim hoc non eſſe conſentaneum, quia nihil Romanis commune fuit cum Aſſyriis. Deinde ſcitur unde factum ſit ut ſucceſſerint Medi & Perſæ Chaldæis, quod ſcilicet hoſtiliter expugnata fuerit Babylon, & Cyrus adeptus victoriam tranſtulerit imperium ad Perſas & Medos. Poſſet igitur videri hoc abſurdum, quod una tantum imago proponitur. Sed probabile eſt, imo facile poteſt cognoſci, hic Deum non reſpexiſſe ad conſenſum, qui nullus fuit inter illas quatuor Monarchias, ſed ad ſtatum totius orbis. Voluit igitur Deus ſub hac figura pingere quæ futura eſſet mundi conditio uſque ad Chriſti adventum. Hæc ratio eſt cur ſimul conjunxerit Deus hæc quatuor imperia, quæ tamen ita inter ſe diverſa fuerunt, ut ſecundum natum ſit ex interitu primi, tertium ex interitu ſecundi. Hoc unum eſt. Jam quæri etiam poteſt ſecundo loco, cur regnum Babylonicum tam honorifice nominet Daniel *aureum.* Scimus enim illic graſſatam fuiſſe immanem tyrannidem: ſcimus quales fuerint Aſſyrii. Atqui tunc conjuncti erant Chaldæis. Nam ſcimus tandem Ninevem fuiſſe dirutam, & Chaldæos, ut certa eſſet imperii ſedes apud ſe, Babylonem feciſſe caput regni. Si expendimus quænam fuerint principia illius Monarchiæ, certe reperiemus & Aſſyrios fuiſſe immanes beſtias, plenos avaritia, & crudelitate, & rapinis: Chaldæos autem his omnibus vitiis fuiſſe ſuperiores. Cur ergo vocatur imperium illud *caput?* deinde, cur vocatur *caput aureum?* Quod ad nomen capitis ſpectat, quia præceſſit Monarchia illa tempore, non mirum eſt ſi gradum illi ſupremum aſſignet Daniel. Quod autem hic præterit Ninevem, non mirum eſt: quia jam exciſa erat: hic autem agitur de rebus futuris. Fuit igitur imperium Chaldaicum primum ordine temporis, quod vocatur aureum comparative: quia ut mundus ſemper in deterius labitur, ita factum eſt ut Perſæ & Medi, qui occupaverant totum Orientem Cyri auſpiciis, eſſent pejores Aſſyriis & Chaldæis. Profani etiam Poëtæ fabulantur de quatuor ſeculis, aureo, argenteo, æreo, & ferreo. Nulla apud eos fit mentio teſtæ: ſed tamen non dubium eſt, eos ſumpſiſſe ex Daniele quod tradunt. Si quis objiciat, Cyrum excelluiſſe ſummis virtutibus, & fuiſſe quaſi heroico ingenio, ut prudentiam ejus & ſtrenuitatem, & alias dotes celebrant hiſtorici: Reſpondeo, hic non ſpectandam eſſe perſonam unius hominis, ſed continuum ſtatum imperii Perſici. Hoc igitur jam ſatis probabile eſt, dum confertur imperium Medorum & Perſarum cum imperio Babylonico, vocari argenteum, quia prolapſi ſunt mores in deterius, ſicuti dictum eſt. Et experientia etiam demonſtrat, mundum ſemper decidere, & paulatim inclinare ad vitia, & corruptelas. Quod attinet ad imperium Macedonicum, non debet abſurdum videri quod æri confertur: ſcimus enim quam truculentum fuerit ingenium illud Alexandri. Quod enim facilitas gratiam apud hiſtoricos ei conciliat, frivolum eſt: quia ſi reputamus qualis fuerit ejus natura, certe ſpiravit à prima pueritia crudelitatem. Quid hoc fuit, cernere in puero invidiam vel æmulationem? Quum videret patrem vel bello domare, vel induſtria, vel aliis pravis artibus ſubigere urbes Græciæ, flevit præ invidia, quod putaret ſibi nihil relinqui à patre. Quod ergo puer potuerit efflare illam ſuperbiam, hinc colligitur nihil fuiſſe in eo humanum. Et quo conſilio & fine ſuſcepit expeditionem, qua factus eſt Rex Regum, niſi quod non poterat contentus eſſe, non dico propriis

opibus,

opibus, ſed mundo toto? Et ſcimus etiam fleviſſe quum audiret ex philoſophia illa phantaſtica plures eſſe mundos: Quid? ego mundo uno nondum potitus ſum. Quum ergo non ſufficeret unus mundus homuncioni qui fuit parvæ ſtaturæ, fieri aliter non poterat quin exueret omnem humanitatem, ſicuti re ipſa apparuit. Neque enim ſanguini pepercit: ſed quocunque irrupit, fuit quaſi ſæva tempeſtas, quæ omnia perderet. Deinde non debet reſtringi ad Alexandri perſonam duntaxat quod dicitur de illa Monarchia, cujus princeps ipſe & auctor fuit: ſed extenditur ad omnes ſucceſſores. Scimus autem horribilem fuiſſe inter illos ſævitiam. Nam antequam diviſum fuerit ejus imperium in quatuor partes, nempe in regnum Aſiæ, & Syriæ, & Ægypti, & Macedoniæ, videmus quantum ſanguinis effuſum ſit. Deus ſuſtulit totam illam progeniem Alexandri. Poterat domi vivere & gignere liberos, & ita fuiſſet nobilis & celebris ejus memoria ad poſteros: ſed Deus ex orbe exterminavit totum illud genus. Mater etiam octogenaria periit gladio: uxor ejus, filiique, frater, qui tamen non erat mentis compos:, denique horribile fuit documentum iræ Dei in Alexandri progeniem, ut palam fieret omnibus ſeculis quantopere diſpliceat ei crudelitas. Sed ſi complectimur imperium illud Macedonicum uſque ad ultimum finem quo devictus fuit Perſeus, deinde in Ægypto occiſa fuit Cleopatra, & Ptolemæus etiam occiſus eſt, Ægyptus redacta fuit in poteſtatem imperii Romani, & Syria, & Aſia: ſi ergo complectimur totum illud tempus, non mirabimur cur Propheta Daniel vocet Monarchiam æream. Quod autem Romanum imperium vocat ferreum, ſemper tenenda eſt ratio quam notavi, quæ generaliter ad totum mundum ſpectat, nempe homines ita vitioſos eſſe natura, ut apud ipſos ſemper creſcant vitia & perverſi mores, donec ad ſummum cumulum perveniant. Sed ſi conſideramus qualiter ſe geſſerint Romani, & quam crudeliter dominati ſint, in promptu occurret ratio, cur eorum dominatio hic vocetur ferrea à Daniele. Etſi enim in ſpeciem apud eos viguit aliqua ratio politica, ſcimus tamen quanta fuerit ambitio, & avaritia, & crudelitas. Vix reperietur gens ulla, quæ laboraverit tribus illis morbis, ſicuti Romani. Quum ergo & morbis illis, & aliis ita dediti fuerint, non mirum eſt ſi Propheta eos infamavit: ut etiam præferat & Macedones, & Perſas, & Medos, & Aſſyrios etiam ac Chaldæos. Jam quod dicit *pedes imaginis fuiſſe partim ferreos, partim teſtaceos*, referri debet ad ruinam, quæ accidit quum Deus diſſipavit illam Monarchiam, & diſcerpſit in fruſta, ut ita loquar. Cecidit quidem imperium Chaldaicum: poſtea Macedones quum domuiſſent Orientem, traxerunt ad ſe Monarchiam, ut Medi & Perſæ illis ſervierint. Idem & Macedonibus accidit: quia tandem domiti ſunt à Romanis, & profligati etiam omnes Reges, qui ſucceſſerant Alexandro. Sed alia fuit ratio, quum vellet Deus evertere Romanam Monarchiam. Ipſa enim ſic corruit, ut facile conſtet effectus hujus Prophetiæ: quoniam ſine externo hoſte per ſe ita collapſi ſunt, ut facile appareat, confractos fuiſſe à Chriſto, quemadmodum ſomnium Regis Nebuchadnezer continet. Certum quidem eſt, nihil etiam ab initio
1 Cor. 7. ſtabile in mundo fuiſſe: & ſemper illud Pauli verum
verſ. 31. fuit, nempe figuram hujus mundi præterire. Sub figuræ nomine ſignificat quicquid ſplendet in mundo, eſſe tamen umbratile & evanidum. Ideo etiam addit, hoc totum quod perſtringit nobis oculos, evaneſcere. Sed diverſa tamen fuit ratio, ut dixi, quum vellet Deus perdere imperium Chaldaicum, & deinde Perſicum, & tandem Macedonicum: quia in Romanis clarius hoc oſtenſum fuit, Chriſtum ſuo adventu ſuſtuliſſe quicquid ſplendidum & magnificum & admirabile erat in mundo. Hæc igitur ratio eſt, cur diſerte Romanis aſſignet Deus pedes teſtaceos. Hæc quantum ad quatuor Imperia pertinet. Jam tertio loco poſſet dubitari, cur *Chriſtus* dicatur *è monte fregiſſe hanc imaginem*. Nam ſi Chriſtus æterna eſt Dei ſa-
pientia, per quam Reges regnant, videtur hoc mi- Prov. 8.
nime eſſe conſentaneum, ut ſuo adventu contriverit verſ. 15.
ordinem politicum, quem ſcimus Deo probari, & ab eo eſſe conſtitutum, & ejus virtute etiam ſtabiliri. Reſpondeo, conteri & comminui terrena imperia à Chriſto accidentaliter, ut loquuntur. Nam ſi Reges probe munus ſuum exercerent, certum eſt Chriſti regnum non eſſe contrarium illorum imperiis. Unde
igitur fit, ut Reges ſceptro ferreo percutiat Chri- Pſal. 2.
ſtus, & frangat, & conterat, & in nihilum redigat? verſ. 9.
Nempe quia indomabilis eſt eorum ſuperbia, & efferunt capita ſupra cælos, & velint (ſi fieri poſſet) detrahere Deum ex ſuo ſolio. Hinc fit ergo, ut ſentiant manum Chriſti ſibi adverſam, quia non poſſunt ſe Deo ſubjicere: hoc eſt, nolunt. Sed poteſt adhuc moveri alia quæſtio: quoniam ubi Chriſtus manifeſtatus fuit, jampridem ceciderant Monarchiæ illæ, nempe Chaldaica & Perſica: deinde ſucceſſores Alexandri jam deleti erant. Solutio in promptu eſt, ſi tenemus quod prius admonui, nempe hic ſub una imagine depingi nobis ſtatum terræ. Quanquam ergo hoc non accidit eodem temporis momento, tamen verum eſſe reperiemus, nec fruſtra eſſe dictum à Propheta, quod ſcilicet Chriſtus contriverit omnes Monarchias. Nam quod mutata fuit ſedes Orientalis imperii, & diruta fuit Nineve, ut Chaldæi ſedem figerent ſummi imperii apud ſe, hoc factum eſt juſto Dei judicio: & Chriſtus jam tunc Rex erat mundi. Contrita igitur fuit illa Monarchia ejus virtute. Idem etiam de Perſis dicendum eſt. Nam quum ex ſobria & auſtera vita prolapſi eſſent ad fœdam & infamem luxuriem, deinde quum ſævirent immaniter in omnes populos, quum eſſent rapaciſſimi, oportuit tandem transferri ab ipſis imperium: & Alexander executus eſt judicium illud Dei. Idem etiam Alexandro & ſucceſſoribus ejus accidit. Ergo intelligit Propheta, antequam patefactus eſſet Chriſtus mundo, jam tunc ſumma virtute potitum eſſe in cælo & in terra, ut violentam omnium ſuperbiam frangeret & in nihilum redigeret. Sed dicit Daniel tunc imaginem periiſſe, ubi Romanum imperium fractum fuit: & tamen videmus adhuc & in Oriente & in aliis regionibus ſummos Monarchas regnare, & quidem formidabili potentia. Reſpondeo, memoria tenendum eſſe quod heri vidimus, nempe ſomnium fuiſſe oblatum Regi Nebuchadnezer, ut intelligeret quid futurum eſſet uſque ad mundi renovationem. Noluit igitur Deus ultra docere Regem Babylonium, quam ut ſciret quatuor fore Monarchias, quæ terrerent totum orbem: deinde quæ ſuo ſplendore obſcurarent quicquid erat potentiæ tunc in mundo, & traherent ad ſe omnium oculos, & ſenſus: poſtea venturum Chriſtum, qui everteret illas Monarchias. Deus ergo voluit tantum his de rebus certiorem facere Regem Nebuchadnezer. Et notandum eſt etiam conſilium Spiritus ſancti. Hic nulla fit mentio aliorum regnorum, quia nondum in tantam altitudinem emerſerant, ut poſſent conferri cum quatuor iſtis Monarchiis. Quantiſper regnarunt Aſſyrii & Chaldæi, nulla fuit illis æmulatio cum vicinis. Totus enim Oriens illis parebat. Hoc fuit incredibile, quod Cyrus, quum eſſet ex regione barbara, tam facile potuerit ad ſe trahere tot opes, & tot provincias quaſi momento uno occupare. Fuit enim quaſi turbo, qui perderet totum Orientem. Idem etiam dicendum eſt de Monarchia tertia. Nam ſi jungantur inter ſe Alexandri ſucceſſores, tunc nullum imperium in mundo fuit, quod accederet ad illam potentiam. Romanis adhuc negotium & certamen erat cum ſuis vicinis, & nondum quieti erant in agro ſuo. Deinde ubi Romanis paruit & Italia, & Græcia, & Aſia, & Ægyptus, tunc nullum fuit imperium celebris famæ. Nam quaſi

abſorpta erat tunc omnis mundi potentia & gloria armis illorum. Nunc tenemus cur Daniel quatuor illa regna nominaverit, & cur finem poſuerit in ipſo Chriſti adventu. Quum de Daniele loquor, hoc de ſomnio debet intelligi. Neç dubium eſt, quin Deus Judæis conſulere voluerit, ne deſponderent animos, quum fulgor Monarchiæ Chaldaicæ primum, deinde Perſicæ, tertio Macedonicæ, tandem Romanæ totum orbem obrueret. Quid enim ſtatuere apud ſe poterant quo tempore ſomniavit Rex Nebuchadnezer de quatuor imperiis? Jam regnum Iſraëlis erat prorſus dirutum, decem Tribus in exilium abductæ, regnum Jehudah etiam quaſi in vaſtitatem redactum erat. Quanquam adhuc ſtabat urbs Hieroſolyma, tamen quale fuit regnum illud? Nempe plenum ignominia & dedecore: imo tunc precario regnabant poſteri Davidis in tribu Jehudah: & quidem in aliqua duntaxat ejus parte. Poſtea quanquam permiſſa illis fuit reditus libertas, ſcimus tamen quam miſere afflicti fuerint. Et ubi Alexander, tempeſtas illa, totum Orientem turbavit, ſcimus verſatos fuiſſe in extremo diſcrimine: deinde fuiſſe ſæpius expilatos ab ejus ſucceſſoribus: orbem ipſam fuiſſe fere in ſolitudinem redactam, templum fuiſſe profanatum. Et quum eſſet optima eorum conditio, tamen erant tributarii, ut poſtea videbimus. Neceſſe certe fuit; eorum animos fulciri in tanta & tam confuſa perturbatione. Hæc igitur ratio fuit, cur Deus ſomnium obtulit Regi Babylonio de illis Monarchiis. Si ſomniaſſet Daniel, fideles non habuiſſent tam præclaram materiam fidei ſuæ confirmandæ: ſed quum vulgatur per totum fere Orientem ſomnium Regis, quum etiam celebratur ejus interpretatio, Judæi poterant ſuo tempore colligere animum, & bonam ſpem concipere, quia primo tenebant quatuor has Monarchias non fore ex ſortuitis mutationibus. Deus enim qui prædixerat Regi Nebuchadnezer quid futurum eſſet, idem etiam ſtatuerat quid eſſet facturus, & quid accidere vellet. Quum ergo Judæi ſcirent ex cæleſti decreto Chaldæos tunc regnare, deinde venturum aliud imperium deterius, & tertio etiam ſubeundam illis eſſe ſervitutem ſub Macedonibus: poſtremo Romanos fore victores & dominos totius orbis (ſemper, ut dixi, cæleſti decreto.) Quum ergo hæc apud ſe reputarent, deinde audirent Redemptorem, qui illis promiſſus fuerat, fore Regem perpetuum, & Monarchias omnes, etiamſi ad tempus fulgerent, tamen non habere certam ſtabilitatem: hæc fuit illis non vulgaris confirmatio. Nunc ergo tenemus quo conſilio Deus voluerit ubique tunc promulgari quod adhuc erat abſconditum: ut Judæi per manus traderent filiis ſuis, & nepotibus quod audierant ex ore Danielis: deinde etiam ut hæc Prophetia extaret, & eſſet illis monimentum ad omnes ætates. Jam quod ad verba ſpectat, dicit *imaginem unam grandem & magnam fuiſſe, ſplendorem ejus fuiſſe pretioſum, & formam terribilem*. His elogiis voluit occurrere Deus dubitationi quæ poterat Judæis obrepere, quum viderent ita fulgere imperia illa quiſque ſuo ſeculo. Quum ergo Judæi qui tunc captivi erant, viderent Chaldæos formidabiles eſſe toti mundo, deinde eſſe in ſummo pretio, & propemodum adorari à reliquis gentibus: quid poterant apud ſe concipere? Nempe nullam fore ſpem reditus, quia Deus extulerat eorum hoſtes in tantam potentiam, ut eorum avaritia, & crudelitas eſſet inſtar profundi gurgitis. Poterant ergo Judæi ita ſtatuere, ſe eſſe demerſos in ſummam abyſſum, unde non poſſet ſperari exitus. Quum autem translatum eſſet imperium ad Medos & Perſas, quanquam libertas redeundi data illis fuit, ſcimus tamen exiguum numerum uſum fuiſſe hoc beneficio, reliquos fuiſſe ingratos. Quicquid ſit, quum reverſi eſſent pauci ex Judæis in patriam, quotidie bellandum erat cum vicinis: ingerebantur aſſiduæ moleſtiæ: ita quantum ad communem ſenſum ſpectat, ſatius fuiſſet illis non movere pedem ex Chaldæa, & Aſſyria, & reliquis partibus Orientis, quam ita habere infeſtos omnes vicinos in patria ſua. Tunc vero quum ipſi eſſent tributarii, & haberentur fere pro mancipiis & quiſquiliis, atque contumelioſa eſſet ipſorum conditio, adhuc eadem tentatio manebat. Si enim erant populus Dei, cur non eatenus ſaltem eorum rationem habebat, ut eos eximeret à tyrannide tam ſæva? deinde ut tranquillos redderet & liberos à tam variis incommodis, & tam multis etiam injuriis? Ubi autem Regnum Macedonicum ſucceſſit, miſerrimi tunc fuerunt. Nam expoſiti erant in prædam ſingulis fere diebus, & omnia crudelitatis exempla in eos edita ſunt. Quod ad Romanos ſpectat, ſcimos quam ſuperbe in eos dominati fuerint. Etſi enim Pompeius primo ingreſſu non ſpoliavit templum, audacior tamen deinde factus eſt: Craſſus vero paulo poſt nihil prorſus reliquit. Deinde horribiles tandem clades & quaſi prodigioſæ ſequutæ ſunt. Quum ergo hæc Judæi colligerent, neceſſe fuit illis offerri hanc conſolationem, quod ſcilicet venturus eſſet tandem Redemptor, qui confringeret omnia illa imperia. Quod Chriſtus vocatur *lapis exciſus ſine manibus hominum*, deinde quod etiam aliis elogiis inſignitur, non poſſem nunc explicare.

Da omnipotens Deus, quando ita in mundo peregrinamur, ut facile hic occupentur mentes noſtræ, & obtenebreſcat noſtrum judicium, ubi fulgere videmus impiorum potentiam, & eſſe nobis, & aliis omnibus terribilem: da, inquam, ut ſublatis ſurſum oculis, reputemus quantum potentiæ contuleris in illum tuum Unigenitum, nempe ut nos regat, ac gubernet virtute Spiritus ſui, deinde protegat fide & tutela ſua, & totum etiam mundum proſternat in ſalutem noſtram, ut ita placide quieſcamus ſub ejus præſidio, ac pugnemus fortiter, & quidem ea patientia, quam ipſe nobis præcipit, ac commendat, donec tandem potiamur fructu victoriæ, quam nobis pollicitus es, & quam etiam oſtenſurus es in regno tuo cæleſti, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA IN DANIELEM.

EXpoſuimus quo conſilio Deus obtulerit ſomnium Regi Nebuchadnezer de quatuor Monarchiis, & de Imperio Chriſti quod finem allaturum illis erat: nempe fuiſſe hoc factum non tam ipſius Regis cauſa, quam ut reliquiæ fidelium aliquid haberent ſolatii & fulturæ in maximis perturbationibus quæ ipſos manebant, & jam prope inſtabant. Quum enim promiſſa illis eſſet redemptio, & magnificis elogiis Prophetæ extuliſſent ſingulare illud beneficium Dei, poterant concidere animis inter illas revolutiones, quæ poſtea ſequutæ ſunt. Voluit igitur Dominus illorum animos fulcire, ut inter tales agitationes & turbas, manerent tamen conſtantes, & patienter ac quietis animis expectarent Redemptorem ſibi promiſſum. Voluit interea Deus reddere Chaldæos omnes inexcuſabiles: quia hoc Regis ſomnium ubique celebre fuit, & tamen nemo fere profecit, quantum attinet

ad

ad Regnum æternum Chriſti. Atqui hoc præcipuum erat caput in hoc ſomnio, ut poſtea videbimus. Sed Deus in primis voluit conſulere ſuis electis, ne deſponderent animos inter illas revolutiones, ut loquuntur, quæ poterant videri contrariæ tot vaticiniis, quibus promiſſa fuerat non ſimplex liberatio, ſed etiam felicitas perpetua & continua ſub manu Dei. Tenemus igitur nunc finem, quem Deus in hoc ſomnio ſpectavit. Nunc expoſitio nobis tractanda eſt. Attigimus quidem aliquas ejus partes: ſed Daniel ipſe nobis aperiet viam, ut ultra progrediamur. Primum dicit,

36. Hoc eſt ſomnium: & interpretationem ejus dicemus coram Rege.

37. Tu Rex, Rex Regum *es*, cui Deus cælorum regnum, potentiam, & robur dedit, (*alii transferunt per adjectiva nomina, vel per epitheta, regnum forte & robuſtum dedit*) & gloriam tibi. (*iſtud* לך *Lach, eſt ſupervacuum.*)

38. Et ubicunque habitant filii hominum, beſtia agri, & volucris cælorum, (*id eſt, volucres: eſt enallage numeri*) dedit in manum tuam, & præfecit te omnibus, (*ad verbum, dominari te fecit in omnibus ipſis*) tu ipſe caput *es* aureum.

Daniel hic declarat aureum caput ſtatuæ eſſe regnum Babylonicum. Scimus dominatos fuiſſe Aſſyrios, antequam Monarchia tranſlata eſſet Babylonem. Sed quoniam non ita prævaluerant, ut poſſent cenſeri Monarchæ in plaga illa Orientali, ideo hic primo loco ponitur imperium Babylonicum. Deinde hoc etiam notare operæpretium eſt, Deum noluiſſe hic referre quid jam ante contigiſſet: ſed potius hoc fuiſſe ei propoſitum, ut populus in futurum penderet ab hoc vaticinio, & etiam in ipſum recumberet. Ideo ſupervacuum fuit narrare quicquam de Aſſyriis, quoniam imperium illud jam collapſum erat. Atqui Chaldæi dominaturi erant adhuc ad tempus aliquod, nempe circiter annos ſeptuaginta, vel ſexaginta ut minimum. Ideo voluit Deus ſuſpenſos tenere animos ſervorum ſuorum uſque ad finem illius Monarchiæ: deinde erigere ſpe nova, uſquedum ſecunda Monarchia diffluerent: ut poſtea etiam patienter quieſcerent ſub tertia & quarta Monarchia; & tandem ſcirent maturum eſſe tempus adventus Chriſti. Hæc ratio eſt cur Daniel hic ſtatuat in primo ordine & gradu Monarchiam Chaldaicam. Et in hac re nihil eſt difficultatis, quia dicit Regem Nebuchadnezer eſſe caput aureum ſtatuæ. Cur autem vocetur *caput aureum*, colligere licet ex proximo contextu: nempe quia major fuit tunc integritas, quam ſub imperio Perſarum & Medorum. Verum quidem eſt, fuiſſe ſæviſſimos latrones Chaldæos: ſcimus etiam quam deteſtabilis tunc fuerit Babylon apud omnes pios & ſinceros Dei cultores. Cæterum, ut res ſolent in deterius collabi, in mundo adhuc vigebat tolerabilis ſtatus ſub illa Monarchia. Hæc ratio eſt cur Nebuchadnezer vocetur caput aureum. Hoc autem non debet referri ad ejus perſonam, ſed potius extenditur ad totum regnum, & ad omnes ejus ſucceſſores, in quibus fuit Balſazar, deterrimus ille Dei contemptor: ſed per comparationem hic dicitur eſſe pars capitis aurei. Daniel autem ut oſtendat ſe non adulari Regi, cauſam ſimul aſſignat cur Nebuchadnezer ſit caput aureum: quia ſcilicet Deus præfecerit eum terris omnibus. Atqui videtur hoc eſſe cunctis Regibus commune. Nemo enim niſi Dei auſpiciis dominatur. Verum quidem eſt aliqua ex parte, ſed intelligit Propheta ſingulari modo evectum fuiſſe Nebuchadnezer, ut ſupra alios omnes Monarchas excelleret. Jam ſequitur,

39. Et poſt te exurget regnum aliud inferius te, (*hoc eſt, tuo,*) & regnum tertium aliud, quod *erit* æneum: & dominabitur in tota terra.

Hoc verſu complectitur Daniel ſecundam & tertiam Monarchiam. Secundam Monarchiam dicit fore Regno Chaldaico inferiorem, non potentia, vel opibus. Fuit enim imperium illud Chaldaicum, quantumvis longe & late pateret, acceſſio Monarchiæ Perſarum & Medorum. Cyrus enim ſubegit prius Medos: & quanquam aſcivit in Regni ſocietatem Cyaxarem ſocerum ſuum, tamen expulerat avum maternum Regno, & adeptus erat pacatam Regni poſſeſſionem in tota Media. Poſtea devicit etiam Chaldæos, & Aſſyrios: ut omittam Lydos & reliquas minoris Aſiæ gentes. Videmus itaque non vocari inferius ejus Regnum, quod minus habuerit ſplendoris, vel opulentiæ in oculis hominum: ſed quia deterior futura erat mundi conditio ſub illa ſecunda Monarchia: ſicuti corruptelæ & vitia magis ac magis creſcunt. Verum quidem eſt, Cyrum fuiſſe cordatum Principem: ſed interea fuit ſanguinis cupidiſſimus: deinde ambitio & avaritia ſic rapiebant hominem, ut oblitus omnis humanitatis huc & illuc excurreret, quemadmodum ſolent feræ beſtiæ. Et ſi probe reputamus quale fuerit ingenium ipſius, reperiemus quod dicit Jeſaias, fuiſſe appetentiſſimum
Jeſa. 13. verſ. 18.
ſanguinis humani. Et ſimul notandum eſt, hic non agi de ſolis Regum perſonis, ſed de ipſorum conſiliariis, deinde etiam de toto populo. Merito itaque Daniel pronunciat ſecundum Regnum fore inferius primo, non quod vel dignitate, vel opibus, & potentia præcelluerit Nebuchadnezer: ſed quia mundus non ita degeneraverat, ſicuti poſtea factum eſt. Nam quo ſeſe longius extendunt Monarchiæ, eo etiam plus licentiæ in mundo graſſatur: & uſus hoc facile docet. Unde apparet quanta ſit omnium fere ſtultitia & veſania, qui cupiunt habere Reges potentiſſimos: perinde acſi quis appeteret fluvium rapidiſſimum, quemadmodum Jeſaias loquitur coarguens Jeſa. 8.
hanc ſtultitiam. Nam fluvius quo celerius curret, verſ. 7.
deinde quo erit profundior, & amplior, eo etiam magis exundabit in perniciem totius viciniæ. Prorſus igitur delirant qui appetunt ſummas Monarchias, quia fieri non poteſt, quin tantundem decedat ex legitimo ordine, ubi unus occupat tam latum ſpatium. Et hoc ſub Monarchia Perſarum & Medorum contigit. Jam ſequitur deſcriptio tertiæ Monarchiæ. Vocatur *ænea* non tantum à duritie, ſed quod deterior eſſet ſecundâ. Quantum igitur differt argentum ab ære, tantum diſcriminis fore docet Propheta inter tertiam & ſecundam Monarchiam. Rabbini confundunt duas Monarchias, quia volunt ſub ſecunda comprehendi regnum Græcorum, quod vocant. Sed produnt craſſiſſimam inſcitiam, & ſimul improbitatem. Neque enim hallucinantur ſimplici ignorantia, ſed quia conſulto volunt evertere quod Scriptura hic clare docet de adventu Chriſti: ideo nihil eos pudet. Ita confuſe permiſcent hiſtorias: deinde ſecure de rebus incognitis pronunciant: incognitis, inquam, non quod poſſint homines mediocriter exercitatos in hiſtoriis fallere, ſed ipſi ut ſunt bruti homines, nihil prorſus cernunt. Et inter alia, hoc breviter attingam. Nam pro Alexandro filio Philippi ſupponunt Alexandrum filium Mammeæ, qui imperio Romano potitus eſt, quum jam dimidia ex parte ablatæ eſſent provinciæ. Fuit puer ille ignobilis, & occiſus eſt in ſuo tabernaculo cum

ſumma ignominia à propriis militibus: deinde nunquam gubernavit, ſed vixit quaſi pupillus ſub imperio matris. Et tamen nihil pudet Judæos trahere & torquere ad Alexandrum illum filium Mammeæ quod competit in Regem Macedonum. Sed facile refellitur eorum & malitia & ignorantia ex contextu, ſicuti poſtea videbimus. Breviter hic Daniel recitat fore tertiam Monarchiam. Qualis illa futura ſit non deſcribit, neque explicat apertius: ſed videbimus alio loco quid vaticinetur. Sicut viſio ei fuerat objecta de quatuor iſtis imperiis, nunc interpretatur Regis Babylonii ſomnium. Sed poſtea Angelus idem illi per viſionem confirmavit, & quidem clarius, ut videbitur ſuo loco. Non dubium igitur eſt, quin hoc competat in regnum Macedonum quod dicitur de imperio æneo. Unde autem dubitatio tollitur? nempe ex deſcriptione quarti imperii, quæ multo plenior eſt, & quaſi digito oſtendit, quod alibi iterum videbimus, nempe Romanum imperium ſimile fuiſſe pedibus partim luteis, & partim ferreis. Dicit igitur,

40. Et regnum quartum erit robuſtum inſtar ferri: quia ſicuti ferrum conterit & comminuit omnia, & ſicuti ferrum contundit omnia hæc, conteret & contundet.

41. Quod autem vidiſti pedes & digitos partim ex luto fictili, (*vel ex teſta*) & partim ex ferro: regnum diviſum erit: & de fortitudine ferri erit in eo, propterea vidiſti ferrum mixtum cum teſta luti. (*vel lutea.*)

42. Et digiti pedum, *vel* (*ſi liceat verbum repetere*) *digitos pedum*, partim ex ferro, & partim ex terra, (*vel ex luto, ex teſta de qua dixit*) ex parte regnum *illud* erit robuſtum, & ex parte erit fragile.

43. Quod vidiſti ferrum commixtum teſtæ luteæ, (*fictili*) commiſcebunt ſe inter ſe in ſemine hominis, & non cohærebunt alius cum alio, ſicuti ferrum non miſcetur cum teſta.

Hic quartum Imperium deſcribitur: quod non poteſt competere niſi in Romanos. Scimus enim quatuor Alexandri ſucceſſores tandem ſubactos fuiſſe. Primus fuit Philippus Rex Macedonum, alter Antiochus. Sed tamen Philippus nihil ex proprio regno perdidit: tantum ceſſit urbibus liberis Græciæ. Erat igitur integer adhuc, niſi quod pependit tributum Romanis ad aliquot annos ob belli impenſas. Antiochus etiam quum impoſitas à victore conditiones ſuſcipere coactus eſſet, ultra Taurum montem expulſus eſt. Sed Macedonia redacta fuit in provinciam devicto & capto Perſeo. Poſtea idem etiam contigit Regibus Syriæ & Aſiæ. Poſtrema fuit Ægyptus, quæ occupata fuit ab Auguſto. Regnaverant enim poſteri ipſorum uſque ad illud tempus: & Cleopatra ultima fuit ex illa ſobole, quemadmodum ſatis notum eſt. Quum ergo abſorptæ fuerint tres illæ Monarchiæ à Romanis, optime illis convenit quod hic dicit Propheta, nempe ſicuti ferrum comminuit & contundit & atterit omnia, ſic contuſas & contritas fuiſſe tres illas Monarchias à Romano Imperio. Nec vero mirum eſt quod hic enumerat inter Monarchias gubernationem illam populi: quia ſcimus paucos fuiſſe dominatos in populo illo: & hoc etiam illis fuit in communi uſu, vocare qualemcunque ſpeciem ſuæ gubernationis Imperium, & vocare etiam populum illum Dominum totius orbis. Ferro autem confert eos Propheta, non tantum ob duritiem (quanquam hæc cauſa diſerte exprimitur) ſed alia etiam eſt ratio ſimilitudinis, quod & aliis omnibus fuerint deteriores, & crudelitate & truculentia ſuperarent tam Macedonas quam Perſas & Medos. Quanquam enim magnifice ſuas virtutes celebrant, ſi quis tamen ſano judicio expendat qualiter ſe geſſerint, omnino reperiet fuiſſe ſævam tyrannidem præ aliis omnibus. Nam quamvis jactent totidem fuiſſe Reges quot erant Senatores, multo melius dicemus totidem fuiſſe & latrones & tyrannos. Nam vix centeſimus quiſque ipſorum oſtendit micam æquitatis vel quum miſſus fuit in aliquam provinciam, vel quum magiſtratum adeptus eſt. Quod autem attinet ad corpus ipſum illius Imperii, fuit horrenda colluvies. Et hæc eſt cauſa cur Propheta dicat Monarchiam illam partim fuiſſe compoſitam ex ferro, partim autem ex terra fictili. Nam ſcimus ipſos inteſtinis diſcordiis ſemper laboraſſe. Et Propheta hac in parte non alia interpretatione indiget, quia dicit hanc mixturam ferri & luti, quæ male cohæret, eſſe ſignum diſſidii, quod ſcilicet nunquam inter ſe conſenſerint. *Diviſum* ergo *erit regnum:* & addit tamen fore aliquam mixturam, quia *miſcebunt ſe in ſemine humano*, id eſt, erunt alii aliis affines, & mutua illa conjunctio ad fovendam amicitiam valere quidem debebit, ſed non proderit quicquam. Quod quidam hic citant affinitatem Pompeii, & Cæſaris, frigidum eſt. Propheta enim de continua illa gubernatione loquitur. Si ſtabilitas quæritur in aliquo imperio, certe potius debuerat fulgere in ſtatu populari, vel ſaltem in ſtatu optimatum, quam in unius poteſtate: quia dum omnes ſerviunt, non poteſt Rex tam ſecure fidere ſuis ſubditis, quin ſibi ſemper metuat. Sed ubi omnes ſunt conſortes imperii, & infimi etiam quique commodum aliquod ſentiunt ex communi imperio; illic, quemadmodum dixi, debebat fulgere major ſtabilitas. Daniel autem pronunciat, etiamſi commune ſit imperium Senatus & populi (quia ſicuti dignitas in Senatu, ita majeſtas in populo) tamen imperium illud fore caducum. deinde utcunque alii aliis ſint vel cognati vel affines, tamen hoc non fore obſtaculo, quominus acriter, imo etiam hoſtiliter inter ſe pugnent uſque ad internecionem ſui imperii. Viva igitur effigies Romani imperii nobis hic pingitur à Propheta, quum dicit *ferro fuiſſe ſimile*, & interea tamen *fuiſſe mixturam teſtæ*, vel luti: quia inteſtinis diſcordiis ſeſe perdiderint, poſtquam ſcilicet ad ſummum fortunæ cumulum perventum eſt. Hæc de quatuor Monarchiis. Nunc dum quæritur cur Daniel jam dixerit *lapidem, qui exciſus fuerit è monte, contriturum hæc omnia imperia*, quando non videtur primo intuitu quadrare regno Chriſti, eo quod pridem abolita fuerat Monarchia Babylonis: Perſæ etiam & Medi fuerant turpiter profligati ab Alexandro: tandem quum in quatuor regna diviſum eſſet quicquid Alexander armis occupaverat, Romani ſubegerunt omnes illas terras: dum itaque objicitur eſſe abſurdum, quod hic dicitur, *veniet lapis è monte qui confringet omnia imperia*: ſolutio in promptu eſt, ut ſupra dixi. Neque enim hic Daniel recitat quid uno momento fuerit perfectum, ſed ſimpliciter docere vult caduca eſſe mundi imperia, & unum eſſe regnum æternum. Non reſpicit igitur quando, aut qua ratione imperium tam Chaldaicum quam Perſicum ceciderit: ſed comparat regnum Chriſti cum omnibus illis Monarchiis, quarum facta fuit mentio. Et ſemper tenendum eſt quod attigi, nempe Prophetam loqui pro populi ſui captu, & accommodare ſtylum ad fideles, quibus volebat manum porrigere, ut ſtarent firmi in illis graviſſimis con-

cuſſio-

cuſſionibus, quæ jam propinquæ erant. Et ideo quum loquitur de omnibus terris, & de cunctis gentibus, ſi quis objiciat fuiſſe etiam tunc alia imperia in mundo: facilis reſponſio eſt, nempe Prophetam hic non deſcribere quid contigerit ſeculis illis in toto orbe, ſed quid tuſuri eſſent Judæi. Nam Romani dominabantur in multis regionibus antequam tranſirent in Græciam. Scimus enim fuiſſe illis duas provincias in Hiſpania: ſcimus poſt finem ſecundi belli Punici fuiſſe dominos maris illius ſuperi, & ſine controverſia dominatos fuiſſe in omnibus inſulis: deinde potitos fuiſſe Gallia Ciſalpina & aliis partibus. Non habetur igitur ratio hujus imperii, donec innotuit Judæis: quia tunc poterant in ultimam deſperationem ruere, quum viderent nullum finem imponi tot procellis, quæ mundum fere obruebant: & interea miſerrimi eſſent omnium, & non ceſſarent variæ & aſſiduæ calamitates in tota terra. Hoc igitur nobis tenendum eſt: quia alioqui frigeret totum hoc vaticinium, & careret etiam apud nos ſuo fructu. Redeo nunc ad regnum Chriſti. Dicitur *regnum Chriſti conterere omnia mundi imperia*, non ſimpliciter, ſed per accidens, ut loquuntur. Nam hic Daniel ſumit principium, quod ſatis notum erat Judæis: nempe Monarchias illas oppoſitas eſſe regno Dei. Nam Chaldæi everterant templum Dei, & quantum in ſe erat, conati fuerant extinguere totum ejus cultum, & pietatem exterminare è mundo. Quantum attinet ad Perſas & Medos, tametſi illorum beneficio conceſſa fuit populo libertas redeundi, ſcimus tamen paulo poſt ipſos quoque Perſarum Reges & Medorum ſæviiſſe in miſerrimum illum populum, ita ut major pars optaverit potius degere in exilio quam in patria. Tandem venit furia illa Macedonica: & tametſi Judæis pepercit ad breve tempus, ſcimus tamen quam impetuoſe ſæpe irruperint in Judæam Reges Syriæ, & Reges Ægypti, & quam immaniter tractaverint miſeros illos; ut illos expilaverint, & exuerint omnibus fortunis: imo quantum ſanguinis innoxii effuſum ſit. Tandem ſcimus Antiochi ſævitiam ſic graſſatam eſſe ut exuri juberet omnes libros Propheticos, perinde acſi tota religio eſſet profligata. Non igitur mirum eſt, ſi Daniel hic opponat regnum Chriſti talibus Monarchiis. Quod attinet ad Romanos, ſcimus qualiter & quam ſuperbe contempſerint nomen Chriſtianum: imo etiam ut modis omnibus conati ſint è mundo profligare Euangelium, & ſalutis doctrinam, ut illis abominabilis fuerit: ſcimus hæc omnia. Ergo Daniel ut admoneat fideles, qualis futura ſit ipſorum conditio uſque ad Chriſti adventum, dicit quæcunque in mundo erunt imperia, fore adverſa Deo, & quotquot erunt ſummi Reges & Monarchæ, totidem fore hoſtes peſſimos & crudeliſſimos ad extinguendam omnem pietatem: ſi quidem hoc eſſet in eorum manu. Et ita hortatur ad crucis tolerantiam, ne tandem in miſeris & triſtibus ſpectaculis ſuccumbant, ſed pergant nihilominus in curſu vocationis ſuæ, donec appareat promiſſus Redemptor. Diximus hoc eſſe accidentale, quia certum eſt fundata eſſe omnia regna hujus mundi in Chriſti virtute & beneficentia: ſed oportuit extare memorabile documentum iræ Dei in omnia illa, quæ tam furioſe & hoſtiliter ſeſe extulerant contra Filium Dei, ſummum Regem. Jam Chriſtus *lapidi* confertur è *monte exciſo*. Hoc quidam parum concinne reſtringunt ad generationem Chriſti, quia ſcilicet abſque viri coitu ex matre virgine fuerit genitus. Itaque dicit *exciſum eſſe è monte abſque manu hominis*, quemadmodum vidimus, eo quod divinitus miſſus fuerit, ita ut ſeparandum ſit ejus imperium ab omnibus terrenis, quia divinum ſit & cæleſte. Nunc ergo rationem ſimilitudinis tenemus. Quod ad nomen lapidis pertinet, hic Chriſtus non vocatur *lapis* eodem ſenſu quo & in Pſalmo 118. verſ. 22. & 8. capite Jeſaiæ verſ. 14. & 3. Zachariæ verſ. 9. & alibi. Illic enim tribuitur nomen lapidis Chriſto, quia in eo fundata ſit Eccleſia. Notatur quidem illic etiam perpetuitas regni, ut hoc loco: ſed quemadmodum jam dixi, debent tamen loquutiones iſtæ inter ſe diſtingui. Jam hoc addendum eſt, Chriſtum dici lapidem exciſum abſque manu hominis, quia initio fuit fere abſque decore & forma, quod ad ſenſum hominum pertinet. Et ſubeſt etiam tacita antitheſis inter magnitudinem, cujus mox fit mentio à Propheta, & inter illud principium. *Deſcendet*, inquit, *lapis è monte exciſus, & lapis ille factus eſt in magnum montem, & replevit totam terram.* Videmus ut Propheta admoneat exordia regni Chriſti fore contempta & abjecta coram mundo. Nihil enim excellentiæ conſpicuum fuit: quia, ut dicitur apud Jeſaiam, Natus eſt ſurculus ex trunco Iſai, quum posteri Davidis carerent omni dignitate, regium nomen prorſus ſepultum eſſet, diadema calcatum ſub pedibus, ut dicitur apud Ezechielem. Ergo Chriſtus primum apparuit abjectus & humilis. Sed mirabiliter ac præter ſpem ac ſenſum omnium excrevit in magnitudinem immenſam, ita ut totam terram repleret. Nunc ergo videmus quam appoſite loquatur Daniel de regno Chriſti. Sed cras nobis reliqua dicenda erunt.

Mac. 1. verſ. 59. — *Jeſa. 11. verſ. 1.* — *Eze. 21. verſ. 27.*

Da omnipotens Deus, ut meminerimus nos ita peregrinos eſſe in mundo, ne ullius ſplendor opulentiæ, & potentiæ, & ſapientiæ mundi hujus nobis oculos perſtringat, ſed ſemper in regni Filii tui intuitum oculos & ſenſus omnes noſtros dirigamus, illic ſimus prorſus affixi: & ita nihil nos impediat, quominus feſtinemus in curſu vocationis noſtræ, donec tandem emenſo ſpatio perveniamus ad metam quam nobis propoſuiſti, & ad quam nos etiam hodie per Euangelii tui præconium invitas. Et tandem nos colligas in beatam illam æternitatem, quæ nobis parta eſt ſanguine ejuſdem Filii tui, neque unquam contemnamur ab ipſo, ſed ejus virtute ſuffulti tandem ſupra omnes cælos ab ipſo erigamur, Amen.

PRÆLECTIO UNDECIMA IN DANIELEM.

QUod heri diſſeruimus de æterno Chriſti regno nunc ipſius Prophetæ verbis clarius explicandum eſt. Dixit in narratione ſomnii, *lapidem è monte exciſum abſque manu, eſſe quintum regnum*, à quo frangenda & conterenda eſſent quatuor regna, quæ in viſione oſtenſa fuerant Regi Nebuchadnezer: jam videndum eſt an ſit illud regnum Chriſti, nec ne. Verba autem Prophetæ ſic habent:

44. Et in diebus illis Regum illorum ſuſcitabit Deus cælorum regnum, quod in ſeculum non diſſipabitur, (*vel, non deſtruetur*) & regnum *hoc* populo alieno non derelinquetur: confringet, & conteret omnia illa regna, & ipſum ſtabit perpetuo.

45. Propterea vidiſti, nempe è monte exciſum lapidem, & abſque manu, qui confregit (*& confregit, ad verbum: ſed copula debet reſolvi in relativum*) ferrum, æs, teſtam, argentum & aurum: Deus magnus patefecit Regi quid futurum eſſet poſtero tempore: & verum eſt ſomnium, & fidelis interpretatio ejus.

Judæi nobiſcum in hoc conſentiunt, non poſſe aliter intelligi locum hunc, quam de perpetuo Chriſti regno, & libenter etiam, atque adeo cupide trahunt in gloriam gentis ſuæ quicquid paſſim legitur in Scriptura: imo ſæpe depravant multa teſtimonia, ut poſſint ſtulte gloriari de ſuis privilegiis. Non igitur negant ſomnium fuiſſe oblatum Regi Babylonio de regno Chriſti: ſed in eo à nobis diſſident, quod expectant ſuum Chriſtum: & ideo coguntur multis modis vaticinium hoc corrumpere: quia ſi concedant quartum Imperium, vel quartam Monarchiam debere ad Romanos referri, jam neceſſe eſt ipſos acquieſcere Euangelio, quod teſtatur exhibitum fuiſſe Chriſtum, qui promiſſus fuerat in Lege. Daniel enim hic aperte affirmat, poſt finem quartæ Monarchiæ venturum eſſe Chriſtum. Ergo confugiunt ad miſerum aſylum, quod ſcilicet quarta Monarchia intelligi debeat de regno Turcico, quod ipſi Iſmaëlitarum vocant: & ita confundunt imperium Romanum cum Macedonico. Sed quidnam habent coloris, ut conficiant ex duobus tam diverſis imperiis unum duntaxat? Dicunt Romanos oriundos eſſe à Græcis. quod ſi detur: unde Turcica origo? an non è monte Caſpio prodierunt & majore Aſia? Romani ad Ilium referunt ſuam originem: hoc jam obſoletum erat, quo tempore debuit vaticinium hoc compleri: ſed quid hoc ad rem, quum nullum illis fuerit nomen mille poſt annis? Turcæ autem longiori tempore tranſacto, nempe ſexcentis poſt annis, repente inſtar diluvii irruperunt. In tanta rerum omnium varietate & temporum diſtantia quomodo regnum unum efficient? Deinde nihil afferunt, quod non commune ſit reliquis gentibus. Nam revocant nos ad ipſius mundi exordia, ut poſſint conflare regnum unum ex duobus. Mixtura igitur illa prorſus & ratione & colore etiam caret. Et non dubium eſt, quin Daniel quartum Regnum deſignet in Romanis: quia heri vidimus fuiſſe hoc quaſi præter naturam, quod imperium illud inteſtinis diſcordiis tandem perierit: quia non regnabat illic unus Monarcha, ſed erat Democratia: & omnes putabant ſe Reges eſſe: erant autem inter ſe cognati. Illa tanta conjunctio debebat eſſe firmiſſimum vinculum perpetuitatis. Sed Daniel ante teſtatus eſt, etiamſi cognati eſſent inter ſe & affines, tamen regnum illud non fore ſociale, ſed periturum propriis diſſidiis. Denique ſatis apparet non poſſe aliter exponi Prophetæ verba, quam de Romano Imperio, nec poſſe trahi niſi violenter ad imperium Turcicum. Jam breviter etiam referam quod mihi ſuggeſſit frater noſter Dominus Antonius ex Rabbino quodam Barbinel, qui videtur præ aliis acutus eſſe. Sex autem præcipue argumentis conatur oſtendere regnum hoc quintum non poſſe ad Chriſtum noſtrum referri, nempe ad Jeſum filium Mariæ. Primo ſumit illud principium, Quum quatuor prima regna fuerint terrena, non poſſe conferri quintum regnum cum illis, niſi eſſet ejuſdem naturæ. Eſſet enim, inquit, impropria & abſurda comparatio. Quaſi vero Scriptura non conferat paſſim imperium Dei cæleſte cum regnis terrenis. Neque enim neceſſe eſt, neque etiam convenit, omnia eſſe ſimilia in comparatione. Quamvis igitur quatuor Monarchias terrenas Deus ſub figura oſtenderit Regi Babylonio, non ſequitur propterea eandem prorſus eſſe naturam quinti regni: quia poteſt eſſe prorſus diverſum. Imo ſi omnia recte expendimus neceſſe eſt aliquod diſcrimen notare inter illa quatuor, & hoc poſtremum. Eſt igitur frivola ratiocinatio illius Rabbini, quum infert regnum Chriſti debere eſſe viſibile, quoniam alioqui non reſponderet aliis regnis. Secunda ratio, qua nos oppugnat, hæc eſt, Si religio facit diſcrimen inter regna, ſequitur regnum Babylonicum, & Perſicum, & Macedonicum idem fuiſſe. Nam ſcimus gentes illas omnes coluiſſe idola, & fuiſſe deditas ſuperſtitionibus. Reſponſio facilis eſt ad tam debilem argutiam, nempe non ſimpliciter differre quatuor regna ob diverſam religionem, ſed quia Deus Babylonios ſpoliaverit ſua poteſtate, & Monarchiam ad Medos & Perſas tranſtulerit: poſtea ſucceſſerint Macedones eadem Dei providentia: tandem Romani abolitis omnibus illis regnis, potiti fuerint regno in toto Oriente. Et jam ante oſtendimus quale Prophetæ conſilium eſſet. Voluit enim ſimpliciter hoc docere, Judæis non ideo eſſe deſperandum, quod cernerent varias agitationes in mundo, imo miram & horrendam confuſionem, quia ætates illæ obnoxiæ fuerunt multis converſionibus: ſed venturum tandem Regem illum, qui promiſſus fuerat. Voluit ergo Propheta hortari Judæos ad patientiam, & tenere quaſi ſuſpenſos expectatione Chriſti. Ita non diſtinxit quatuor Monarchias, quaſi religio illis eſſet diverſa; ſed quia Deus quodammodo volvebat mundum in rota, ubi alii alios expulerunt, ut Judæi animos ſuos & ſenſus omnes applicarent ad ſpem ſuæ redemptionis, quæ illis promiſſa fuerat Chriſti adventu. Tertium argumentum, quo nititur Rabbinus ille, poteſt etiam nullo negotio refelli. Colligit ex Prophetæ verbis regnum Chriſti noſtri filii Mariæ non eſſe regnum illud de quo loquutus eſt Daniel. Nam diſerte hic exprimitur, regni hujus nullum fore tranſitum & nullam mutationem: *non derelinquetur alteri*, vel alieno *populo*. Atqui Turcæ, inquit, occupant bonam orbis partem: deinde religio ipſa inter Chriſtianos diviſa eſt, & multi abhorrent à doctrina Euangelii. Sequitur ergo Jeſum filium Mariæ non eſſe Regem illum de quo vaticinatus eſt Daniel: hoc eſt, de quo ſomnium oblatum fuit Regi Babylonio, quod Daniel expoſuit. Sed nimis ſtulte hallucinatur, quia ſumit pro confeſſo, quod illi ſemper negabimus, nempe regnum Chriſti eſſe viſibile. Nam utcunque diſperſi ſint filii Dei, & nullum nomen præ ſe ferant, certum tamen eſt regnum Chriſti ſalvum manere & incolume, nempe pro ſua natura; quia eſt regnum inviſibile, & non externum. Neque enim fruſtra hoc pronunciavit Chriſtus, Regnum meum non eſt *Joan 18.*
ex hoc mundo. *verſ. 36.* Hac ſententia voluit eximere à communi numero & ordine regnum ſuum. Quamvis ergo Turcæ longe lateque graſſentur, quamvis etiam mundus refertus ſit impiis contemptoribus Dei, Judæi etiam partem aliquam occupent: tamen non deſinit eſſe regnum Chriſti, neque transfertur ad alienos. Ergo etiam ratio illa non modo infirma eſt, ſed etiam puerilis. Sequitur quartum argumentum: pro magno abſurdo hoc habet, quod Chriſtus, qui natus eſt ſub Octavio vel Auguſto Cæſare, ſit Rex ille, de quo concionatus eſt Daniel. Nam initium, inquit, quintæ Monarchiæ & quartæ eſſet idem: quod eſt abſurdum. Oportuit enim quartam Monarchiam durare ad aliquod tempus, deinde quintam ſuccedere. Sed hic non modo inſcitiam ſuam prodit, ſed brutum ſtuporem, quemadmodum Deus excæcavit totum illum populum, ut ſint tantum protervi canes. Ego

ſæpe

ſæpe loquutus ſum cum multis Judæis : nunquam vidi guttam pietatis, nunquam micam veritatis vel ingenuæ naturæ, imo nihil communis ſenſus in ullo Judæo unquam deprehendi. Sed iſte, qui videtur ſibi valde perſpicax & ingenioſus, detegit ſuam impudentiam cum magno dedecore. Putavit enim principium Romanæ Monarchiæ eſſe in perſona Julii Cæſaris. Quaſi vero non abolitum fuerit regnum Macedonicum ubi Romani ipſa Macedonia potiti ſunt, & illam redegerunt in provinciam : ubi etiam coactus fuit ab illis Antiochus in ordinem : imo ubi cœpit declinare tertia Monarchia, hoc eſt, Macedonica, tunc ſucceſſit quarta, nempe Romana. Sic omnino habendum eſt, & ratio hoc dictat : quia niſi fateamur quartam Monarchiam ſuperveniſſe ubi ceſſit loco & gradu tertia, quomodo reliqua inter ſe convenient? Hoc igitur notandum eſt, Prophetam non reſpicere ad Cæſares, ubi agit de ipſis Monarchiis : imo quod vidimus de commixtione ſanguinis, non poteſt ullo modo aptari ad Cæſares ; quemadmodum heri admonui, qui hoc reſtringunt ad Pompeium & Julium Cæſarem inepte facere, & carere judicio hac in parte. Loquitur enim generaliter Propheta de populari ſtatu & continuo ; quum inter ſe omnes eſſent cognati, tamen non fuiſſe ſtabile imperium, quia intus ipſi ſeipſos confecerint, dum pugnant contra ſua viſcera. Quum ita ſit, colligimus inſulſum eſſe illum Rabbinum, dum abſurditatem illam adjicit, quod ſcilicet Chriſtus non ſit filius Mariæ, qui natus eſt ſub Auguſto ; ut taceam inſipide Chriſti regnum ab ejus nativitate inchoari. Quintum argumentum ponit, Quod Conſtantinus & alii Cæſares profeſſi fuerint Chriſti fidem. Si recipimus, inquit, Jeſum filium Mariæ eſſe quintum Regem, quomodo hoc conveniet? quia imperium Romanum adhuc continetur ſub illo regno. Nam ubi viget Chriſti religio, ubi ipſe colitur & agnoſcitur pro unico Rege, non debet ſeparari regnum illud ab ejus regno. quum ergo Chriſtus ſub Conſtantino & ejus ſucceſſoribus obtinuerit & gloriam & poteſtatem apud Romanos, non poteſt ſeparari ejus Monarchia à Romana. Sed facilis etiam ſolutio eſt, Quod hic Propheta finem imponat Romano imperio ex quo cœpit lacerari in partes. Quantum attinet ad principium regni Chriſti, nuper dixi non debere referri ad tempus nativitatis, ſed ad Euangelii prædicationem. Ex quo autem promulgari cœpit Euangelium, ſcimus diſſipatam fuiſſe Monarchiam Romanam, ita ut tandem evanuerit. Ergo neque in Conſtantino, neque in aliis duravit imperium : quia diſſimilis fuit ſtatus. Deinde ſcimus neque Conſtantinum, neque alios Cæſares fuiſſe Romanos. Jam à Trajano cœpit imperium alio transferri. Exteri enim Romæ dominabantur. Poſtea ſcimus quibus monſtris Deus obruerit illam veterem gloriam populi Romani. Nihil enim fuit magis probroſum, aut pudendum multis Imperatoribus. Et ſi quis percurrat omnes hiſtorias, vix reperiet tam prodigioſe alibi dominatos fuiſſe, quam Romæ vel Heliogabalum, vel alios ſimiles. Jam taceo Neronem, & Caligulam : ſed loquor de exteris. Tunc ergo abolitum fuit Romanum imperium poſtquam cœpit Euangelium promulgari, & Chriſtus mundo paſſim innotuit. Ita videmus eandem inſcitiam in illo Rabbino, quæ oſtenſa fuit in aliis argumentis. Ultimum eſt, Quod Romanum imperium adhuc aliqua ex parte maneat, ideo ad filium Mariæ non poſſe ſpectare quod hic dicitur de quinta Monarchia. Neceſſe enim eſt ut finem acceperit quartum imperium, ſi regnare incepit quintus Rex, ex quo reſurrexit Chriſtus à mortuis, & prædicatus fuit mundo. Reſpondeo, quemadmodum jam dixi, imperium Romanum ceſſaſſe, & fuiſſe abolitum ex quo Deus cum maxima eorum ignominia & contumelia tranſtulit ad homines exteros, nec tantum ad ſubulcos, ſed ad horrenda quædam monſtra, totam potentiam : ita ut ſatius fuerit Romanis prorſus deleri ipſorum nomen, quam extare ad tot ſpecies probrorum. Videmus ergo ut illa etiam ſexta & ultima ratio evaneſcat. Volui hæc obiter colligere, ut ſciatis quàm inepti ſint ratiocinatores Judæi, dum ita bellum gerunt cum Deo, & quaſi furioſe ſe proripiunt ad oppugnandam claram Euangelii lucem. Nunc redeo ad verba Danielis. Dicit *regnum venturum quod conteret omnia alia regna*. Heri expoſuimus qualiter Chriſtus fregerit veteres illas Monarchias, quæ longe ante ejus adventum finem acceperant. Neque enim hic Daniel voluit præciſe docere quid facturus eſſet Chriſtus uno momento, ſed quid futurum eſſet à tempore exilii uſque ad Chriſti exhibitionem. Si attenti ſumus ad conſilium illud, nihil nobis erit difficile in hoc contextu. Summa igitur eſt, Quamvis viſuri ſint Judæi potentiſſima imperia, quæ metum & terrorem ipſis incutiant, imo reddant fere attonitos : tamen nihil fore in illis ſtabile, vel firmum, quod ſcil. contraria ſint regno Filii Dei. Atqui maledictionem denunciat Jeſaias *Jeſa. 60.*
omnibus regnis, quæ non ſervierint Eccleſiæ Dei. *verſ. 12.*
Quum ergo omnes illi Monarchæ diabolica audacia erexerint criſtas adverſus Filium Dei & veram pietatem, oportuit deleri, & in illis conſpicuam fieri illam Dei maledictionem, quæ habetur apud Prophetam. Sic ergo contrivit Chriſtus omnia mundi imperia. Jam hodie Turcicum regnum & opibus & multitudine gentium, & robore etiam excellit : ſed non fuit Deo propoſitum oſtendere quid futurum eſſet poſt Chriſti exhibitionem. Tantum voluit admonitos eſſe Judæos, ne deficerent ſub tam gravi onere, quum ſurgerent ſubinde novæ tyrannides in mundo, ipſi aſſidue periclitarentur, neque quicquam haberent relaxationis. Voluit igitur Deus inſtruere eorum animos fortitudine. Hæc autem una fuit ratio, ut reſpicerent ad redemptionem ſibi promiſſam, & ſcirent evanida & fluxa eſſe omnia mundi imperia, quæ non fundata eſſent in Deo, & non conjuncta eſſent regno Chriſti. *Deus* ergo *cælorum regnum*, inquit, *excitabit*, *quod non diſſipabitur in perpetuum*. Hic notare operæpretium eſt qualis ſit perpetuitas regni de qua loquitur Daniel. neque enim reſtringi debet ad Chriſti perſonam, ſed pertinet ad omnes pios & totum Eccleſiæ corpus. Chriſtus quidem æternus eſt in ſe, ſed communicat etiam nobiſcum ſuam æternitatem, quia & Eccleſiam conſervat in mundo, deinde quia invitat nos ad ſpem vitæ melioris, & regignit Spiritu ſuo in vitam incorruptibilem. Duplex igitur eſt perpetuitas regni Chriſti extra ejus perſonam, nempe in toto corpore : quia etſi Eccleſia ſæpe diſſipatur, ut nulla appareat ſub oculis hominum, tamen nunquam prorſus interit, ſed Deus occulta & incomprehenſibili ſua virtute eam tuetur, ita ut ad finem mundi ſuperſtes ſit futura. Deinde in ſingulis fidelibus altera eſt perpetuitas, quod renati incorruptibili ſemine, regeniti etiam Dei Spiritu, jam non ſunt mortales filii Adæ duntaxat, ſed geſtant vitam cæleſtem in ſeipſis : quia Spiritus qui in ipſis eſt, vita eſt, quemadmodum dicit Paulus 8. ad Rom. cap. Tenendum igitur eſt, *Rom. 8.*
quoties Scriptura affirmat æternum eſſe Chriſti re- *verſ. 10.*
gnum, hoc extendi ad totum Eccleſiæ corpus, & non competere tantum in ejus perſonam. Videmus autem ut æternum fuerit hoc regnum, ex quo cœpit Euangelii doctrina promulgari. Nam quamvis Eccleſia quodammodo ſepulta fuerit, Deus tamen vitam dedit electis ſuis etiam in ſepulchro. Nunc unde factum eſt, ut emerſerint filii Eccleſiæ, qui ſunt quaſi populus novus, & nuper creatus, quemadmodum dicitur Pſalmo 102? nempe hic facile apparet mira- *Pſal. 102.*
biliter ſervari à Deo reliquias, etiam ubi nullæ extant *verſ. 19.*
in hominum conſpectu. Addit, *Non derelinquetur populo alieno regnum hoc*. Significat his verbis Propheta non poſſe alio transferri hoc regnum, ſicuti

con-

contigerat in aliis. Darius ab Alexandro victus fuit, extincta fuit quodammodo ejus poſteritas: tandem Deus perdidit maledictam illam gentem Macedonicam, ut nullus ſuperfuerit qui jactaret ſe eſſe progenitum ex illa familia. Quantum attinet ad Romanos, etiamſi fuerit illic ſemper aliquis populus, tamen probroſe illis dominati ſunt & exteri homines & barbari, & qui pleni erant ignominia & innumeris flagitiis. Quantum vero attinet ad Regnum Chriſti, neque ipſe ſpoliari poteſt imperio ſibi dato, neque etiam nos, qui ſumus ejus membra, poſſumus regnum amittere, cujus nos fecit conſortes. Chriſtus ergo tam in ſe quam in ſuis membris citra ullum mutationis periculum dominatur, quia ſalvus ſemper manet & integer in ſua perſona. Quantum ad nos ſpectat, quoniam ſervamur ejus gratia, & ipſe nos recipit in fidem & cuſtodiam ſuam, ſumus extra aleam, quemadmodum dixi, & ſalus noſtra in tuto eſt. Nam hæreditas quæ nos in cælo manet, non poteſt nobis eripi. Nos etiam qui cuſtodimur ejus vir-
1 Petr. 1. verſ. 5. tute per fidem, (ut ait Petrus) per fidem etiam poſſumus ſecuri eſſe & quieti: quia quicquid moliatur Satan, utcunque mundus admoveat omnes machinas ad nos perdendos, manebimus tamen ſalvi in Chriſto. Videmus qualiter intelligi debeant Prophetæ verba, ubi dicit quintum hoc imperium non eſſe alio transferendum, ut derelinquatur alteri populo. Quantum ad poſtremum membrum ſpectat, ubi dicit, *conteret ac confringet omnia illa regna, & ipſum ſtabit perpetuo*, non indiget longa expoſitione. Diximus enim qua ratione conterat regnum Chriſti omnia terrena, de quibus antea loquutus eſt Daniel: quod ſcilicet neceſſe ſit evaneſcere, & perire etiam miſerum in modum, quicquid adverſum eſt unigenito
Pſal. 2. Filio Dei. Hortatur Propheta Reges omnes terræ,
verſ. 12. ut oſculentur Filium. Quum neque Babylonii, neque Perſæ, neque Macedones, neque Romani ſe Chriſto ſubjecerint, imo omnes ſuas vires contulerint ad ipſum oppugnandum, fuerint hoſtes pietatis, oportuit deleri à Chriſti regno: quia etiamſi tunc non extaret imperium Perſicum, ubi Chriſtus mundo fuit exhibitus, maledicta fuit ejus memoria coram Deo. Neque etiam hic Daniel ea tantum attingit quæ patent oculis hominum, ſed altius attollit mentes noſtras: nempe ut ſciamus non alibi veram fulturam, in qua quieſcamus, poſſe reperiri, quam in uno Chriſto. Extra Chriſtum ergo pronunciat quicquid ſplendoris & potentiæ eſt in mundo, & opulentiæ, & roboris, hoc eſſe caducum, & evanidum, & nullius momenti. Confirmat ſequenti verſu eandem ſententiam, quod ſcilicet *Deus oſtenderit Regi Babylonio quid futurum eſſet poſtremis temporibus*, ubi monſtrat *lapidem exciſum è monte, & quidem ſine manu.* Diximus Chriſtum exciſum fuiſſe è monte ſine manu, quia divinitus miſſus fuit, ita ut nihil hac in parte ſibi poſſent arrogare homines, quemadmodum etiam Deus ubi de redemptione populi ſui agit, ſic loquitur apud Jeſaiam, Quoniam non vidit Dominus in mundo Jeſa 63.
adjutorem, armavit ſe brachio ſuo, & propria vir- verſ. 5.
tute. Quoniam ergo non aliunde miſſus eſt Chriſtus, quam à Patre cæleſti, ideo dicitur *exciſus eſſe abſque manu.* Et interea etiam tenendum eſt quod ſecundo loco adjunxi, nempe notari humile & abjectum Chriſti exordium, quia fuerit ſimilis rudi & impolito lapidi. Quantum attinet ad montem, non dubito quin Daniel hic voluerit Chriſti originem docere ſublimem eſſe, & ſupra totum mundum. Ergo ſub figura montis intelligit, meo judicio, Chriſtum non exoriturum eſſe ex terra, ſed venturum ex gloria cæleſti Patris, quemadmodum etiam dicitur apud
Prophetam, Et tu Bethlehem Ephratha, minima es Mich. 5.
inter præfecturas Jehudah: ex te tamen mihi orietur verſ. 2.
Dux in Iſraël, & ortus ejus à diebus æternitatis. Daniel ergo hic occurrit craſſis imaginationibus, ad quas alioqui propenſa ſunt noſtra ingenia. Nam quia initio non apparuit tanta in Chriſto dignitas, quanta cernitur in mundi Regibus, & hodie etiam dominatur quaſi ſub ignominia crucis, hinc fit ut multi eum contemnant, neque agnoſcant quicquam in eo dignitatis. Daniel ergo nunc elevat oculos & ſenſus noſtros in ſublime, quum dicit *lapidem hunc excidendum eſſe è monte.* Interea ſi quis malit *montem* accipere pro electo populo, ego non contendam: ſed hoc videtur mihi remotum eſſe à genuino ſenſu Prophetæ. Tandem ſubjicit, *Et verum eſt ſomnium, & fidelis ejus interpretatio.* Hic Daniel ſecure & intrepide affirmat ſe non afferre dubias conjecturas, ſed quod accepit à Domino fideliter exponere Regi Nebuchadnezer. Hic ergo ſibi vendicat auctoritatem Propheticam, ut Rex Babylonius agnoſcat ipſum pro fido & certo Dei interprete. Et videmus Prophetas hac fiducia ſemper loquutos eſſe: alioqui frigeret omnis doctrina. Si fides noſtra niteretur vel ſapientia hominum, vel aliis rebus, vacillaret ſubinde. Ergo neceſſe eſt ſtatui nobis illud fundamentum, quod in medium nobis profertur, hoc proficiſci à Deo. Hæc ratio eſt cur Prophetæ tantopere in hoc inſiſtant, ne cenſeatur ipſorum doctrina humanitus fabricata eſſe. Sic etiam hoc loco Daniel primum dicit, *verum eſt ſomnium*: quaſi diceret, non eſſe ſomnium vulgare, quemadmodum de porta cornea Poetæ fabulantur: non eſſe etiam ſomnium turbulentum, qualia concipiunt homines vel male ſani, vel referti cibo & potu, vel etiam pro corporis ſui conſtitutione, ut melancholici & cholerici, & cætera. Dicit ergo ſomnium Regis Babylonii fuiſſe verum oraculum: deinde adjungit *interpretationem eſſe certam*: ubi, ſicuti proximo membro, iterum ſibi auctoritatem Prophetæ conciliat: ne dubitet Nebuchadnezer ipſum divinitus eſſe inſtructum, quod ſomnii veritatem intelligat. Nunc ſequitur,

46. Tunc Rex Nebuchadnezer cecidit in faciem ſuam, & Danielem adoravit: & oblationem, & ſuffitum odoriferum (*hoc eſt, odorem bene fragrantem*) juſſit illi ſacrificari.

Quod dicitur Rex Babylonius *cecidiſſe in faciem ſuam*, aliqua ex parte laudi tribui poteſt, aliqua etiam ex parte vitio verti. Fuit hoc ſignum & pietatis & modeſtiæ, quod ſe proſtravit coram Deo & Propheta ejus. Scimus quam ferox ſit Regum ſuperbia: imo videmus ut ſimiles ſint phreneticis, quia non putant ſe eſſe ex numero mortalium: adeo excæcati ſunt ſplendore ſuæ magnitudinis. Erat tunc ſummus Monarcha Nebuchadnezer. Difficile igitur fuit ejus animum ita componi, ut gloriam Deo tribueret. Deinde ſomnium, quod expoſuit Daniel, non poterat ei gratioſum eſſe. Videbat & Monarchiam ſuam eſſe maledictam coram Deo, & perituram cum ignominia: alias, quæ ſuperventuræ erant, in cælo ordinatas eſſe: & quamvis acciperet aliquid ſolatii ex aliorum regnorum interitu, tamen fuit hoc valde aſperum auribus delicatis, audire regnum, quod tunc florentiſſimum erat, & quod omnes putabant fore perpetuum, nullius eſſe durationis, vel admodum caducæ. Quod ergo ita coram Daniele ſe proſtravit, ſicuti jam dixi, & pietatis ſignum eſt, quod Deum reveretur, & amplectitur vaticinium quod alioqui & moleſtum & acerbum eſſe poterat: & fuit etiam ſignum modeſtiæ, quod ita coram Dei Propheta ſeſe humiliat. Hæc igitur poſſunt merito laudari in Rege Babylonio: ſed quid fuerit vitioſum in illa reverentia, cras dicemus.

Da omnipotens Deus, quando tot & tam claris ac ſolidis teſtimoniis nobis patefeciſti non alium Redemptorem eſſe nobis ſperandum, quam qui ſemel

abſ

abs te fuit exhibitus: & ſanciviſti divinam & æternam ejus potentiam tot miraculis, & eam obſignaſti tam Euangelii tui præconio, quam ſigillo Spiritus tui in cordibus noſtris, & quotidiana etiam experientia idem confirmas: ut maneamus firmi & ſtabiles in ipſo: neque unquam ab eo declinemus, neque unquam labefactetur fides noſtra, quicquid contra tentet Satan. Sed ſic perſeveremus in curſu ſanctæ tuæ vocationis, ut tandem colligamur in æternam illam beatitudinem & perpetuam quietem, quæ nobis parta eſt ejuſdem Filii tui ſanguine, Amen.

PRÆLECTIO DUODECIMA IN DANIELEM.

Diximus heri hoc poſſe merito cenſeri laude dignum, quod Rex Nebuchadnezer proſtravit ſe coram Daniele, poſtquam audiverat recitari ſomnium, & quæ adjuncta etiam fuerat interpretatio. Dedit enim aliquod pietatis teſtimonium, quod in perſona Danielis adoravit verum Deum, ſicuti poſtea dicetur. Deinde præbuit ſe docilem, quum tamen prophetia animum ejus poſſet exaſperare: quia tyranni vix ſuſtinent aliquid detrahi ex ſua potentia. Sed non poteſt prorſus excuſari in omnibus: quia etſi fatetur Deum Iſraëlis eſſe unicum Deum: transfert tamen partem cultus ad hominem mortalem. Hoc qui excuſant, non ſatis attendunt, homines profanos miſcere cælum & terram: quia utcunque habeant rectos motus, ſtatim relabuntur ad ſuas ſuperſtitiones. Nec dubium eſt, quin confeſſio quam ſtatim videbimus, fuerit particularis. Neque enim vere, & in ſolidum converſus fuit Nebuchadnezer ad veram pietatem, ut valediceret ſuis erroribus: ſed aliqua ex parte agnovit ſummum imperium eſſe penes Deum Iſraëlis. Hæc igitur reverentia non correxit omnes ejus idololatrias: ſed ſubito motu, quemadmodum dixi, confeſſus eſt Danielem eſſe veri Dei ſervum. Interea neque diſceſſit à ſuis erroribus quibus aſſueverat, & paulo poſt revolutus eſt ad majorem amentiam, quemadmodum
Exod. 9. etiam proximo capite videbitur. Sic videmus Pha-
verſ. 27. raonem dediſſe gloriam Deo, ſed ad momentum:
& 10. interea pertinaciter fuiſſe & ſuperbum & crudelem,
verſ. 16. ita ut nunquam exuerit ingenium. Idem & de Rege Babylonio judicium fieri debet, quanquam diverſo in gradu. Neque enim tam ſuperba fuit obſtinatio Regis Nebuchadnezer quam Pharaonis: uterque tamen ſic aliquod ſignum reverentiæ oſtendit, ut neuter ſe vere & ex animo ſubjiceret Deo Iſraëlis. Hinc fit ut adoret Danielem: non quod putet Deum eſſe, ſed quia profani homines confuſe album nigro permiſcent. & ſcimus ab initio etiam craſſiſſimos quoſque, habuiſſe tamen aliquod principium de unico Deo. Nemo enim unquam negavit eſſe aliquod ſummum numen: ſed poſtea fabricarunt ſibi multitudinem deorum: tranſtulerunt etiam partem divini cultus ad ipſos mortales. Quum Rex Nebuchadnezer eſſet implicitus illis erroribus, non mirum eſt quod Danielem adoraverit, & ſimul confeſſus fuerit unicum eſſe Deum. Et hodie etiam videmus in Papatu hanc confeſſionem eſſe in ore omnium, interea lacerari Dei nomen, non ipſo titulo, ſed re: quia ſcilicet cultum Dei dividunt, ut quiſque partem habeat ſpolii, vel prædæ. Quod ergo nunc docet experientia, refertur à Daniele. Verum quidem eſt tunc adorationem fuiſſe uſu receptam apud Chaldæos, ſicuti Orientales populi ſemper fuerunt immodici in ſuis ceremoniis: & ſcimus adoratos fuiſſe Reges illic quaſi dii eſſent. Sed quoniam hic ponitur verbum ſacrificandi, deinde ponitur oblatio, מנחה *minha*: certum eſt, Danielem inconſiderate fuiſſe cultum, acſi eſſet aliquis ſemideus delapſus è cælo. Ita igitur ſtatuendum eſt, perperam feciſſe Regem Nebuchadnezer qui tantum honoris tribuerit Danieli. Eſt enim aliquis modus in colendis Dei Prophetis: ne ſcilicet extollantur ſupra ſuam ſortem. Et ſcimus qua lege Dominus eos excitet: nempe ut ſolus ipſe emineat, & maneant omnes doctores, & Prophetæ, & ſervi ejus in ſuo ordine. Exoritur autem quæſtio de ipſo Propheta, quod paſſus fuerit ita ſe coli. Nam ſi peccavit Nebuchadnezer, ut jam diximus, tolerantia Prophetæ nullum habet prætextum. Sunt qui anxie laborant in eo excuſando: verum ſi hoc ſilentio præteriit, fateri neceſſe eſt ipſum aliquid jam vitii contraxiſſe ex aulicis corruptelis: quemadmodum difficile eſt illic verſari, quin ſtatim obrepat aliqua contagio. Neque enim tanti nobis eſſe debet hominis defenſio, etiam perfectiſſimi, quin fixum illud maneat, nihil delibandum eſſe ex honore Dei: & perverſe fieri ubi, & quoties cultus, qui Dei proprius eſt, transfertur ad creaturas. Fieri quidem poteſt, ut recuſaverit Daniel, & ita compeſcuerit ſtultitiam Regis Babylonii: ſed hoc relinquo in medio, quoniam tacetur: quanquam certe vix mihi probabile eſt tacuiſſe, quum videret ad ſe transferri Dei honorem aliqua ex parte. Fuiſſet enim tunc ſocius ſacrilegii & impietatis. Vix potuit hoc cadere in tam ſanctum Dei Prophetam. Scimus autem multa omitti in narrationibus: & Daniel non recitat quid factum ſit, ſed quid Rex juſſerit fieri. Proſtravit quidem ſe in faciem: ſed quid ſi Daniel oſtenderit hoc non licere? ubi autem edixit, ut ſacrificia fierent, Daniel etiam potuit à ſe rejicere tantum nefas. Nam ſi merito Pe- Actor. 10.
trus correxit errorem Cornelii, qui tamen magis verſ. 26.
erat tolerabilis, quia Cornelius vulgato more tantum adorare volebat Petrum: ſi ergo hoc Apoſtolus non ſuſtinuit, ſed acriter reprehendit factum illud, quid dicendum eſt de Propheta? Sed ego, ſicuti dixi, nihil audeo aſſerere in hanc vel illam partem: niſi quod conjectura probabilis eſt, recuſatum fuiſſe præpoſterum honorem à ſervo Dei. Quod ſi admiſit, certe nulla fuit excuſatio, quin peccaverit: ſicuti jam diximus, difficile eſſe verſari in corruptelis aulicis, quin aliquid contrahant maculæ etiam qui alioqui puritati ſtudent: quemadmodum videmus etiam in perſona Joſeph. Ille, tametſi Deo ſe prorſus dica- Gen 42.
verat, tamen aliquid reſipit Ægyptiacum in ſermone verſ. 15.
ſuo, ſicuti in forma jurandi. Et quum hoc fuerit in illo vitioſum, idem de Daniele etiam dici poteſt. Pergamus.

47. Reſpondit Rex Danieli, & dixit, Ex vero Deus veſter ipſe *eſt* Deus deorum, & Dominus Regum, & revelator arcanorum, quod potueris revelare arcanum hoc.

Hæc confeſſio nihil niſi pium, & ſanctum, & rectum, & ſincerum ſpirat. Poſſet igitur videri teſtimonium veræ converſionis & reſipiſcentiæ. Sed, quemadmodum nuper admonui, profani homines interdum rapiuntur in admirationem Dei: & tunc large & prolixe fatentur quicquid poſſet requiri à veris Dei cultoribus. Sed illud eſt momentaneum: deinde interea manent impliciti ſuis ſuperſtitionibus.

Extor-

Extorquet igitur illis Deus verba, quum ita pie loquuntur: ſed intus retinent ſua vitia, ut poſtea facile recidant ad priſtinos mores: quemadmodum memorabile exemplum poſtea ſequetur. Quicquid ſit, voluit Deus ore profani Regis gloriam ſuam promulgari, & illum eſſe præconem ſuæ potentiæ & ſui numinis. Profuit autem hoc præcipue Judæis, hoc eſt, reſiduis qui adhuc integri manebant. Nam major pars deſciverat, ut ſatis notum eſt. Fuit enim illis facile degenerare à puro Dei cultu: deinde quum abducti ſunt in exilium, jam erant idololatræ & apoſtatæ, jam abnegaverant Deum vivum. Reſtabat igitur exiguus piorum numerus: illis voluit Deus conſulere, & confirmare eorum animos, quum expreſſit hanc confeſſionem Regi Babylonio. Sed altera etiam acceſſit utilitas, quod tam Rex ipſe quam omnes Chaldæi & Aſſyrii redditi ſunt magis inexcuſabiles. Si enim Deus Iſraël vere fuit Deus, cur interea Bel retinet gradum ſuum? *ipſe eſt Deus deorum*. Atqui eſt inimicus falſorum deorum, ſimul hoc addendum fuit. Videmus ergo ut lucem tenebris, & album nigro hic permiſceat Nebuchadnezer, dum fatetur Deum Iſraëlis ſummum eſſe inter deos, & tamen colit ſemper alios deos. Nam ſi Deus Iſraëlis jus ſuum obtinet, evaneſcunt omnia idola. Ergo ſecum pugnat Nebuchadnezer, quum ita loquitur. Sed, quemadmodum dixi, abripitur violento impetu, neque eſt compos ſui, ubi ita liberaliter prædicat potentiam unius Dei. Jam quod ad verba ſpectat, dicit: *Ex vero Deus veſter eſt Deus deorum ipſe*, inquit. Particula hæc minime ſupervacua eſt, quum dicit *vere*: dum ita dicit, affirmat. Nam ſi quis ex eo ſciſcitatus eſſet an Bel, & alia idola vere eſſent colenda pro diis: poterat quidem reſpondere ex opinione præſumpta, ſic eſſe, ſed dubitando: quemadmodum omnes ſuperſtitioſi perplexi hærent: & ſi quando pertinacius ſuas ſuperſtitiones defendunt, hoc fit temeritate, quam illis diabolus ſuggerit, non autem judicio: denique non ſunt compoſitæ mentis, quum ſuas ſuperſtitiones audent aſſerere eſſe pias & ſanctas. Sed hic videtur Nebuchadnezer in ſpeciem renunciare ſuis erroribus: quaſi diceret, Hactenus putavi alios eſſe deos, ſed jam muto ſententiam. Compertum enim habeo Deum veſtrum eſſe Principem omnium deorum. Et certe ſi loquutus fuiſſet ex animo, poterat colligere ſe facere gravem injuriam ſuis idolis, ſi quid divinitatis in illis eſſet. Scimus enim Deum Iſraëlis fuiſſe in ſummo odio atque etiam abominatione profanis gentibus. Ubi extollit eum ſupra omnes deos, cogit in ordinem & Bel, & totam illam fæcem falſorum deorum, quos colebant Babylonii. Sed, quemadmodum diximus, abripitur quaſi violenter, ut non cogitet quid dicat: ſed fuit iſte quaſi enthouſiaſmos, quod Dominus illum obſtupefecit, deinde traxit in admirationem, & ſimul in prædicationem ſuæ potentiæ. Vocat etiam *Dominum Regum*: quo elogio illi vendicat ſummum imperium in terra. Significat igitur Deum Iſraëlis non tantum excellere ſupra omnes deos, ſed tenere mundi hujus gubernacula. Si enim eſt Dominus Regum, omnes etiam populi ſub manu ejus ſunt ac ditione. Vulgus enim hominum non poteſt eximi à Dei poteſtate, ſi continet ſub ſe Reges ipſos. Tenemus ergo quid ſignificent hæc verba: nempe quicquid colitur deorum ſubeſſe Deo Iſraëlis, quia ille emineat ſupra omnes deos: deinde providentia ejus mundum regi, ut dominetur & populis & Regibus, & omnia moderetur ſuo arbitrio. Addit, *eſſe revelatorem arcanorum*. Hoc unum eſt ex teſtimoniis divinitatis, quemadmodum alibi dictum fuit. Nam Jeſaias ubi vult probare unicum eſſe Deum, hæc duo ſumit principia, quod ſcilicet nihil contingat niſi imperio Dei: & adjungit præſcientiam rerum omnium. *Jeſa. 48. verſ. 3, 4, 5, &c.* Hæc duo conjuncta ſunt quaſi vinculo inſeparabili. Nebuchadnezer tametſi non tenebat quid vere proprium eſſet divinitatis: quia tamen hic impellitur arcano Spiritus Dei inſtinctu, ideo tam diſerte prædicat & potentiam Dei & ſapientiam. Fatetur ergo Deum Iſraëlis excellere ſupra omnes deos, nempe quia obtineat poteſtatem in toto mundo: deinde quod nihil ei ſit incognitum. Et adjungit rationem, quod *Daniel potuerit revelare arcanum illud*. Videtur quidem hæc ratio non ſatis firma eſſe. Nam colligit Dei unius imperio gubernari mundum, quod Daniel arcanum patefecerit. Atqui nihil hoc ad potentiam. Sed facilis eſt reſponſio. Diximus enim alibi, Deum non eſſe nobis fingendum ſimilem Apollini, qui tantum prædicat res futuras. Et certe illud eſt nimis inſipidum, tribuere Deo nudam præſcientiam, quaſi aliunde quam ab ejus arbitrio penderet rerum eventus. Dicitur enim Deus potius præſcire quæ futura ſunt, quia jam ſtatuerit quid fieri vellet. Merito ergo colligit Nebuchadnezer dominium totius mundi eſſe in Dei manu, quia de rebus futuris ita pronunciet. Niſi enim quicquid futurum eſt, ſitum eſſet in ejus arbitrio, non poſſet certo hoc vel illud prædicere. Quum ergo prædicit quod futurum eſt, inde certo ſtatuitur, ab ipſo etiam cuncta ordinari, ut nihil fortuito contingat, ſed compleat ipſe quicquid decrevit. Diſcendum autem eſt ex hoc loco, non ſufficere ſi quis plenis buccis, ut loquuntur, celebret Dei ſapientiam, & potentiam, niſi ſimul rejiciat ex animo omnes ſuperſtitiones, & teneat ſic unicum Deum, ut alios omnes valere jubeat & faceſſere: quia non poteſt plenior exigi confeſſio, quam quæ hic profertur: & tamen videmus ut Nebuchadnezer ſemper implicitus fuerit Satanæ impoſturis, quia voluit retinere falſos deos: & putavit hoc ſatis eſſe, ſi primas concederet Deo Iſraëlis. Diſcamus igitur dandam eſſe operam in purgandis animis omni ſuperſtitione, quo unicus Deus occupet omnes ſenſus noſtros. Interea notandum etiam eſt, quam grave & horrendum judicium maneat & Papiſtas, & ſimiles, qui ſaltem debuerant imbuti eſſe pietatis rudimentis, dum fatentur unum eſſe ſummum Deum, & interea permiſcent ingentem turbam, & quaſi proſcindunt potentiam ejus & ſapientiam, & ſimul obſcurant quod hic dicitur à Rege profano. Nam Papiſtæ non tantum partiuntur Dei potentiam, ita ut unuſquiſque ex ſanctulis ipſorum aliquam partem ſibi arroget: ſed etiam, quum loquuntur de ipſo Deo, fingunt omnia quidem præſcire, omnia tamen contingenter fieri, quoniam & liberi arbitrii hominem Deus creaverit, deinde etiam reliquerit in ſuſpenſo omnes eventus: ut cælum & terra, prout ferunt merita hominum vel peccata, nunc officium ſuum præſtent, nunc autem ſint adverſa hominibus. Eſt quidem hoc verum neque pluere, neque eſſe calorem, neque nubes, neque ſerenum tempus, neque quicquam aliud accidere, niſi ex judicio Dei: & quicquid adverſum eſt, eſſe ſignum ejus maledictionis: quicquid autem proſperum eſt & optabile, hoc eſſe ſignum ejus gratiæ: hoc quidem verum eſt: ſed ubi principium ſtatuunt Papiſtæ in hominis arbitrio, videmus ut Deum ſpolient ſuo jure. Ergo diſcamus ex hoc loco, non minus Deo concedere, quam illi tribuitur à Rege profano. Sequitur,

48. Tunc Rex Danielem magnificavit, & munera præclara *&* magna dedit ei, *(vel munera multa, ut alii vertunt, dedit ei)* & conſtituit eum ſuper totam provinciam Babylonis, & magiſtrum procerum ſuper omnes ſapientes Babylonis.

Hoc aliud etiam additur, nempe Regem Nebuchadnezer extuliſſe Prophetam Dei, & ornaſſe ſummis honoribus. Dictum fuit de præpoſtero cultu, quem exhibuit ipſe, & juſſit ab aliis præſtari. Quantum ad munera pertinet ac præfecturam, non poſſet hoc damnari vel quod Nebuchadnezer dignatus fuit tanto honore Dei ſervum, vel quod ipſe Daniel paſſus fuerit ita ſe ornari. Eſt quidem cavendum omnibus Dei ſervis, ne quæſtum faciant ex ſuo munere: præſertim ſcimus peſtilentiſſimum hunc eſſe morbum, ubi Prophetæ & doctores addicti ſunt lucro, vel facile recipiunt oblata munera. Ubi enim pecuniæ contemptus non eſt, illic neceſſe eſt graſſari multa vitia: quoniam omnes avari & quæſtuoſi homines
2 Cor. 2. verſ. 17. adulterant verbum Dei inſtar cauponum. Ergo advigilent ſummopere omnes Prophetæ & miniſtri Dei, ne ad munera animum ſuum applicent. Sed quantum ad Danielem ſpectat, potuit recipere quod à Rege oblatum erat: ſicuti etiam & Joſepho licuit ſuſcipere Gen. 41. verſ. 40.
præfecturam totius Ægypti. Nec dubium eſt, quin Daniel aliud ſpectaverit quam propriam vel privatam utilitatem. Neque enim lucro addictum fuiſſe credibile eſt, quum tam patienter exilium tulerit: deinde quum periculo vitæ maluerit abſtinere à cibis regiis, quam ſe alienare à populo Dei. Quum ergo prætulerit ignominiam crucis (quia tunc oppreſſus erat Dei populus) & opulentiæ, & deliciis, & honoribus, quis putabit fuiſſe avaritia excæcatum, ut munera acciperet? Sed quoniam videbat filios Dei miſere & crudeliter premi à Chaldæis, voluit ipſorum miſeriis ſuccurrere, quantum in ſe erat. Quoniam ergo ſciebat hoc futurum eſſe aliquod levamen & ſolatium genti ſuæ, ideo paſſus eſt ſe præfici provinciæ. Et eadem etiam ratio apud eum valuit, ut peteret ſociis ſuis aliquem primatum, quemadmodum ſequitur:

49. Et Daniel petiit à Rege: & conſtituit ſuper opus (*vel adminiſtrationem*) provinciæ Babylonis Sadrach, Meſach, & Abednego: Daniel autem *erat* in porta Regis.

Poſſet hic notari aliqua ambitio in Propheta, quod honores venatur ſuis ſociis. Nam quum Rex ſponte præfecturam offerret, potuit accipere, ne offenderet animum ſuperbi Regis: fuit illic quædam neceſſitas. quod autem ipſe à Rege petit, ut præfecturas aliis deferat, unde dicemus fuiſſe ortum? Quemadmodum jam attigi, poſſet hic Daniel eſſe ſuſpectus ambitionis: poſſet etiam objici aliud crimen, quod quæſtum fecerit ex doctrina ſibi divinitus patefacta. Sed potius reſpexit populum ſuum, voluit oppreſſis aliquid ſolatii afferre. Nam tyrannice Chaldæi tunc dominabantur ſuis mancipiis: & ſcimus Judæos fuiſſe toti mundo fere exoſos. Quum ergo Daniel tactus miſericordia quærit aliquod levamen populo Dei, non eſt cur illum inſimulemus ullius vitii: quia neque privatis commodis addictus eſt, neque etiam honores appetit vel ſibi, vel ſociis: ſed intentus eſt in ſcopum illum, ut ſcilicet poſſint ſocii ſuppetias ferre Judæis laborantibus. Ergo auctoritas quam illis conciliat, non alio pertinet, niſi ut paulo humanius tractentur Judæi; neque tam dura & acerba ſit eorum conditio, ubi habebunt præfectos ex ſuis popularibus, qui fraterne ſtudeant illis prodeſſe. Nunc videmus Danielem hac in parte poſſe recte excuſari & ſine aliquo fuco vel argutia. Nam res ipſa ſatis patet: deinde ex re colligere promptum eſt, quia pius & humanus fuit affectus Danielis, nihil fuiſſe ab ipſo peccatum. Quod dicitur *fuiſſe in porta Regis*, non debemus intelligere ipſum fuiſſe janitorem. Quidam intelligunt fuiſſe in porta, quoniam ſolebant illic judicia exerceri. Sed transferunt ad Chaldæos quod Scriptura de Judæis docet. Ego ſimplicius accipio, Danielem præfectum fuiſſe prætorio Regis, ita ut ſummum imperium illic teneret, & ſenſus ille magis eſt genuinus. Deinde ſcimus hanc fuiſſe conſuetudinem & Chaldæis & Aſſyriis, ut difficiles eſſent acceſſus ad Regem. Dicitur ergo Daniel *eſſe in porta*, quoniam nemo poterat palatium Regis ingredi, niſi ejus permiſſu. Sequitur nunc,

CAP. III.

NEbuchadnezer Rex fecit imaginem ex auro, altitudo ejus cubitorum ſexaginta, latitudo cubitorum ſex: erexit eam in planitie Dura, (*alii faciunt nomen appellativum, & vertunt agrum habitabilem: ſed rectior eſt illa interpretatio, quod in planitie Dura imaginem locavit*) in provincia Babylonis.

Probabile eſt, non intra breve tempus erectam fuiſſe hanc ſtatuam à Rege Nebuchadnezer: neque hic notat Propheta quam multi anni effluxerint: ſed tamen magis probabile eſt, non exiguo tempore poſtquam confeſſus fuerat Deum Iſraelis eſſe ſummum Deum, ſtatuam hanc fabricaſſe. Tamen quoniam Propheta hoc ſubticet, non eſt cur de re incerta litigemus. Quidam ex Rabbinis putant erectam fuiſſe ſtatuam loco piaculi, quaſi repellere voluerit Nebuchadnezer ſomnium ſuum, hoc eſt, effectum ſomnii, hoc amuleto, ut loquuntur. Sed divinatio illa nimis frivola eſt. Jam quæritur an ſeipſum deificaverit Nebuchadnezer, an vero erexerit ſtatuam hanc Belo præcipuo deorum apud Chaldæos, vel finxerit aliquem deum novitium. Multi inclinant in illam partem, quod voluerit ſe referre in numerum deorum: ſed neſcio an hoc certum ſit: mihi certe non eſt. Videtur potius Nebuchadnezer conſecraſſe hanc ſtatuam alicui deorum. Interea vero, ſicuti ſuperſtitio ſemper conjuncta eſt cum ambitione & ſuperbia, veriſimile eſt, Nebuchadnezer fuiſſe inductum & cupiditate gloriæ & faſtu, quum erexit hanc ſtatuam. Quoties ſuperſtitioſi ſumptus faciunt in extruendis templis, & idolis fabricandis, ſi quis eos interroget quid illis ſit propoſitum, ſtatim hoc erit in promptu, ſe facere in honorem Dei. Interea nemo eſt, qui non præferat famam ſuam & exiſtimationem. Cultus ergo Dei apud omnes ſuperſtitioſos fere pro nihilo ducitur, quia potius acquirere ſibi volunt gratiam & pretium apud homines. Tale fuiſſe conſilium Regis Nebuchadnezer facile admitto, & propemodum certum mihi eſt. Sed interea fuit conjunctus aliquis pietatis color. Prætexuit enim ſe velle Deum colere. Hinc autem clarius apparet quod ante admonui, nempe Regem Nebuchadnezer non fuiſſe vere aut ex animo converſum, ſed potius ſemper defixum ſtetiſſe in ſuis erroribus, quum gloriam tribueret Deo Iſraëlis. Fuit ergo illa particularis confeſſio, ut dictum eſt: quia nunc prodit quid aluerit in corde ſuo. Neque enim rediit ad ingenium, ut loquuntur, dum erexit ſtatuam: ſed potius detecta fuit ejus impietas, quæ ad tempus fuerat occulta. Nam præclara illa confeſſio poterat accipi, quaſi teſtimonium mutationis. Omnes ergo dixiſſent eſſe novum hominem, niſi Deus voluiſſet palam fieri, adhuc teneri conſtrictum & ligatum vinculis Satanæ: & adhuc addictum eſſe erroribus. Hoc ergo exemplum voluit Deus pro-

ferre, ut ſciremus Nebuchadnezer ſemper fuiſſe impium, quamvis coactus dederit aliquam gloriam Deo Iſraëlis.

Da omnipotens Deus, quando tot receſſus occultos habent mentes noſtræ, ut nihil difficilius ſit, quam penitus eas purgari omni fictione & mendacio: da, inquam, ut nos probe examinemus: deinde præfulgeas etiam nobis Spiritus tui luce, ut vere agnoſcamus occulta vitia, & ea procul à nobis abigas, quo unus ſis nobis Deus, & obtineat in nobis vera pietas palmam, ut ſcilicet integer & illibatus cultus tibi à nobis præſtetur: & interea etiam integra conſcientia verſemur in mundo, & ſic quiſque in ſua ſorte verſetur, ut ſtudeamus potius fratrum commodis quam noſtris, ut tandem participes fiamus veræ illius gloriæ, quam nobis in cælo præparaſti per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA TERTIA
IN
DANIELEM.

COEpimus ultima lectione tractare de ſtatua aurea, quam erexit Nebuchadnezer, & poſuit in campo Dura, vel in planitie. Diximus hanc ſtatuam ſic fuiſſe erectam religionis cauſa, ut tamen prævaluerit Regis illius vel tyranni ambitio: quod ſemper animadvertere licet in ſuperſtitioſis. Etſi enim ſemper Dei nomen obtendunt, & ſibi etiam perſuadent ſe Deum colere: tamen ſemper impellit eos ſuperbia, ut velint ſpectari à mundo. Talis fuit affectus Regis Nebuchadnezer in hac ſtatua: & magnitudo etiam hoc oſtendit. Dicit enim Propheta *altitudinem hujus ſtatuæ fuiſſe ad ſexaginta cubitos, latitudinem vero ad ſex cubitos.* Oportuit ingentes ſumptus fieri in illam molem. Nam fuit imago ex auro conflata. Probabile quidem eſt, ex multis præd & rapinis fuiſſe congeſtum hoc aurum: ſed quicquid ſit, facile licet deprehendere quod jam diximus, nempe profanum Regem ſic obtuliſſe Deo aliquem cultum, ut vellet tamen memoriam ſui nominis propagari apud poſteros. Et regio in qua locavit imaginem eodem pertinet. Neque enim dubium eſt quin Propheta hic deſignet locum celebrem, & qui ſolebat frequentari vel ob emporia, vel ob alias commoditates. Jam quod ad ſpeciale conſilium Regis ſpectat, diximus frigidam eſſe eorum conjecturam, qui putant ſomnii expiandi cauſa ſtatuam hanc fuiſſe erectam. Magis probabile eſt, quum paſſim habitarent Judæi in Aſſyria & Chaldæa, imaginem hanc fuiſſe erectam, ne exteri illi, qui abducti fuerant in exilium à patria ſua, ullam novitatem inducerent. Hæc conjectura habet ſaltem aliquid coloris. Sciebat Nebuchadnezer Judæos ſic addictos eſſe Deo patrio, ut alieni eſſent ab omnibus gentium ſuperſtitionibus. Timuit ergo, ne pleroſque in ſententiam ſuam abducerent: & hoc modo voluit ire obviam, quum novam ſtatuam erexit, & adegit omnes ſuos ſubditos in ejus cultum. Interea videmus ut ſtatim evanuerit ex ejus animo cognitio Dei Iſraël, cujus potentiam & gloriam paulo ante celebraverat. Nunc enim in ejus contumeliam, quaſi devictus eſſet una cum idolis gentium, hoc trophæum erigitur. Verum, quemadmodum alibi diximus, nunquam ſerio agnovit Nebuchadnezer Deum Iſraël, ſed quodam repentino impetu coactus fuit fateri, eſſe ſummum & unicum Deum: interea ſemper in ſuis ſuperſtitionibus demerſus fuit. Ergo illa confeſſio fuit quaſi hominis attoniti, ſed non prodiit ex vero cordis affectu. Jam veniamus ad reliqua:

2. Tunc Nebuchadnezer Rex miſit ad congregandum Satrapas, (*eſt quidem mihi incognita etymologia: ſed quia certum eſt, omnia hæc nomina eſſe magiſtratuum, ideo permittam mihi libere vertere has voces, quæ non ſunt Hebraicæ, & quarum etiam origo latet ipſos Hebræos, niſi quod volunt quidam videri nimis ſubtiles, ſed nihil afferunt niſi frigidum, imo prorſus frivolum. Contenti igitur ſimus hac ſimplicitate, quod miſerit ad congregandos Satrapas*) Duces, & Quæſtores, Primates, (*vel Proceres*) Judices, Magiſtratus, Optimates, & omnes Præfectos provinciarum, ut venirent ad dedicationem imaginis, quam erexerat Nebuchadnezer Rex.

3. Tunc congregati ſunt Satrapæ, Duces, Proceres, Quæſtores, Magiſtratus, Judices, Optimates, & omnes Præfecti provinciarum ad dedicationem imaginis, quam erexerat Nebuchadnezer Rex: & ſteterunt coram imagine quam erexerat Nebuchadnezer. (*Pergamus adhuc in contextu, nam cohærent iſta.*)

4. Et præco clamabat in fortitudine, (*vel in ipſa multitudine: nam* חיל *hajil poteſt utroque modo exponi*) Vobis edicitur, populi, gentes, & linguæ: (*hoc eſt, gentes cujuſcunque linguæ ſitis*)

5. Simulac audieritis vocem cornu, (*vel tubæ*) fiſtulæ, citharæ, ſambucæ, pſalterii, ſymphoniæ, (*non poſſumus certo conjicere quales fuerint ſpecies, tamen erant inſtrumenta muſica, quemadmodum poſtea ſequitur*) & omnia inſtrumenta muſices: *ut* procidatis, & adoretis imaginem auream, quam erexit Nebuchadnezer Rex.

6. Et quiſquis non prociderit, (*hoc eſt, non flexerit genua*) & adoraverit, eadem hora (*id eſt, confeſtim*) projicietur in medium fornacem ignis ardentis. (*vel ardentem,*)

7. Itaque ſimulatque (*eadem hora atque*) audierunt omnes populi vocem cornu, fiſtulæ, citharæ, ſambucæ, pſalterii, & omnium inſtrumentorum muſices, prociderunt omnes populi, gentes & linguæ, adorantes imaginem auream, quam erexerat Nebuchadnezer Rex.

Videmus ut Nebuchadnezer religionem ſtabilire voluerit in cunctis gentibus in quas tunc imperium tenebat, ne ſcilicet propter mixturam illam exterorum aliquid novi contingeret. Ex diſſidio autem timenda fuit aliqua concuſſio dominationis. Iraque conjicere licet privatim queti ſuæ & commodo Regem

gem hunc conſuluiſſe, ut ſolent Principes potius ſpectare quid ſibi expediat, quam quid exigat Deus ipſe, ubi edicta promulgant de cultu Dei. Et ab initio graſſata fuit hæc audacia & temeritas in mundo, ut qui auctoritate pollebant, ſemper auſi fuerint deos fabricare. Deinde ultra etiam progreſſi ſunt, ut juberent deos à ſe confictos coli. Nota eſt illa partitio, tria ſcilicet eſſe genera deorum: quoſdam eſſe Philoſophicos, alios autem Politicos, tertios Poëticos. Vocarunt Philoſophicos deos in quibus colendis eſſet aliqua naturalis ratio. Verum quidem eſt, Philoſophos prorſus deſipere, quum diſputant vel de eſſentia, vel de cultu Dei. Nam quia ſequuntur proprium ſenſum, neceſſe eſt ipſos evaneſcere.

1 Cor. 2. verſ. 14. Deus enim non poteſt apprehendi humano ſenſu: ſed neceſſe eſt ut ſe nobis patefaciat verbo ſuo, & quemadmodum ad nos deſcendit, ita etiam viciſſim nos attollamur in cælum. Sed tamen Philoſophi in ſuis diſputationibus habent aliquos prætextus, ita ut poſſint videri non inſanire abſque ratione. Sed Poëtæ deinde fabulati ſunt quicquid libuit: & ita impleruntmundum craſſiſſimis, & peræque etiam fœdis erroribus. Quum perſonarent omnia theatra illis vanis commentis, ſtatim imbutæ fuerunt vulgi mentes iiſdem deliriis: quemadmodum ſcimus humana ingenia propenſa eſſe ad vanitatem. Ubi autem diabolus accendit ignem, jam furioſe videmus abripi & doctos & indoctos. Sic factum eſt, ut ſibi perſuaſerint verum eſſe quod videbant repræſentari in theatris. Sed tamen certa religio fuit gentibus, quæ fundata erat in auctoritate majorum: illos vocarunt deos Politicos, qui communi omnium conſenſu recepti erant. Et qui habiti ſunt prudentes, dixerunt etiam non eſſe utile induci quod Philoſophi docebant de natura deorum, quia hoc erat convellere omnes ritus publicos, & quicquid abſque controverſia jam obtinuerat. Nam quoſdam deos opinione genitos colebant tam Græci quam Latini, & aliæ etiam barbaræ gentes, nempe quos fatebantur mortales fuiſſe. Atqui Philoſophi ſaltem retinent hoc principium, deos eſſe æternos. Si ergo auditi fuiſſent Philoſophi, jam cadebat illa majorum auctoritas. Ita non puduit prudentiſſimos homines dicere, quemadmodum jam retuli, arcendam eſſe philoſophiam à ſacris. Quantum attinet ad Poëtas, hoc coacti ſunt permittere petulantiæ vulgi: ſed tamen ſimul docuerunt perniicioſum eſſe quicquid Poëtæ fingebant & fabulabantur de natura deorum. Fuit igitur hæc fere communis regula colendi Dei in mundo, & quaſi fundamentum pietatis, ne alii dii colerentur, niſi traditi à majoribus. Et huc etiam

Xen. in Comment. Cic. lib. 2. de legib. pertinet oraculum Apollinis, quod Xenophon in perſona Socratis magnopere laudat, nempe in ſingulis urbibus colendos eſſe patrios deos. Quum enim conſultus eſſet Apollo, quænam religio eſſet optima, ut foveret errores quibus cunctæ gentes inebriatæ erant, juſſit nihil novare in publico ſtatu: ſed illam quibuſcunque populis, & urbibus optimam eſſe religionem, quæ ab ultima vetuſtate jam recepta eſſet. Fuit hæc mira impoſtura diaboli, quia noluit expergefieri mentes hominum, ut apud ſe reputarent quid rectum eſſet: ſed detinuit in illo veterno, Alia ſufficiat vobis auctoritas majorum. Quemadmodum dixi, fuit hæc ſumma prudentia apud homines profanos, ut pro ratione valeret conſenſus. Interea tamen qui pollebant vel imperio, vel potentia, vel dignitate, ſumpſerunt ſibi aliquid juris ut fingerent novos deos. Sic videmus multos dicaſſe templa diis fictitiis, nempe quia tunc imperio inſtructi erant. Proinde mirum non eſt, ſi Nebuchadnezer ſumpſerit ſibi hanc licentiam, ut erigeret novum deum. Fieri quidem poteſt, ut dicaverit hanc ſtatuam Belo, quem putant fuiſſe Jovem Chaldæis: ſed tamen voluit aliquam novam religionem inducere, cujus prætextu celebraretur apud poſteros ejus memoria. Virgilius oblique deridet hanc ſtul-

Æneid. 7. titiam quum dicit, Et numerum divorum altaribus auget. Nam ſignificat, utcunque homines erigant multa altaria in terris, non tamen creſcere in cælo numerum deorum. Sic ergo Nebuchadnezer uno altari auxit deorum numerum, hoc eſt, induxit novum ritum, ut ſtatua illa eſſet illi quaſi monimentum, ut nomen ejus prædicaretur quamdiu vigeret illa religio. Interea videmus quam licentioſe poteſtate ſua abuſus fuerit. Neque enim conſulit Magos ſuos quid liceat, neque etiam ſecum diſpicit, an religio illa legitima ſit nec ne: ſed excæcatus ſuperbia, vult obſtringere religione omnium animos, & probari quod ipſe decrevit. Ergo hinc colligimus, quam vani ſint profani homines, dum prætexunt ſibi in animo eſſe, Deum colere, quia interim volunt ſuperiores eſſe ipſo Deo. Neque enim admittunt puram aliquam cogitationem, neque etiam ſtudium ſuum applicant ad cognitionem Dei: ſed quicquid ipſis libuit, volunt eſſe licitum. Non igitur Deum ipſum adorant, ſed potius ſuum figmentum. Talis fuit ſuperbia Regis Nebuchadnezer, quemadmodum patet ex ejus edicto, *Miſit Rex Nebuchadnezer ad congregandos omnes Satrapas, omnes Duces, Præfectos, &c. ut venirent ad dedicationem imaginis, quam erexerat Rex Nebuchadnezer.* Semper adjicitur nomen Regis, niſi uno in loco: quaſi vero regia poteſtas evehat in tantam altitudinem mortales, ut poſſint jure ſuo fabricare deos. Sed videmus Regem Babylonium hoc ſibi arrogare, ut ſtatua illa colatur pro Deo, quam erexerat non homo privatus, neque etiam vulgaris, ſed Rex ipſe. Quoniam ergo Regis poteſtas in mundo eminet, hinc fit ut Reges non agnoſcant ſe tunc demum manere in legitimo gradu, ſi continent ſe ſub Dei obedientia. Et hodie videmus tali faſtu adhuc turgere omnes terrenos Reges. Neque enim inquirunt quid conſentaneum ſit verbo Dei, quænam ſit ſincera pietas: ſed quoniam tuentur errores à majoribus traditos, interpoſito regio nomine, putant ſufficere hoc quaſi præjudicium, ne Deus aliter colatur quam ipſis viſum eſt, & quam ipſi decreverunt. Quod ad dedicationem ſpectat, ſcimus hunc morem fuiſſe profanis gentibus, ut ſuas ſtatuas & picturas conſecrarent antequam adorarentur. Et hodie idem error in Papatu regnat. Nam quamdiu manent imagines apud ſtatuarium vel pictorem, nulla eſt veneratio: ſed ſimulac privata religione dicata eſt aliqua imago (Papiſtæ devotionem vocant) vel publico & ſolenni ritu, ex trunco, ligno, ex lapide, ex coloribus fit Deus: & habent etiam certas ceremonias in ſtatuis & picturis conſecrandis Papiſtæ inter ſuos exorciſmos. Nebuchadnezer ergo quum voluit imaginem ſuam cenſeri loco Dei, eam conſecravit ſolenni ritu: ſicuti dictum fuit, hæc ratio uſitata erat profanis gentibus. Non loquitur hic de vulgo, (neque enim omnes confluere poterant:) ſed jubentur Præfecti & Proceres venire, qui ſecum etiam adducant magnas catervas: deinde perferant Regis edictum, & curent etiam ſinguli in ſuis provinciis monimentum aliquod erigi, unde appareat omnes ſubditos colere pro Deo ſtatuam illam quæ erecta fuerat à Rege. Jam ſequitur, *veniſſe omnes Satrapas, omnes Præfectos, Duces, Proceres, Quæſtores, Magiſtratus, & ſtetiſſe coram imagine, quam erexerat Rex Nebuchadnezer.* Non mirum eſt obtemperaſſe Præfectos Regis edicto, quibus nulla alia religio erat, niſi quam ipſi acceperant à patribus ſuis. Sed pluris erat obſequium quod Regi deferebant quam vetuſtas: ut hodie ſi quis Rex vel excogitet novam aliquam ſuperſtitionem, vel diſcedat à Papatu, & velit reſtituere purum Dei cultum, ſtatim cernetur ſubita mutatio in omnibus Præfectis, & in omnibus Aulicis & Proceribus. Quare? neque enim vel Deum metuunt, vel ſincere ipſum reverentur, ſed pendent ex

nutu Regis, & ſerviliter adulantur. Ita quicquid Regi placuit, hoc omnes probant, & cum plauſu, ſi opus ſit. Non mirum igitur eſt, ſi Proceres Chaldæi, qui nunquam guſtaverant quid eſſet verus Deus, aut quid eſſet vera pietas, ſtatim propenſi fuerint ad colendam ſtatuam. Sed hinc etiam colligimus, quam nihil firmum ſit, vel ſtabile in hominibus profanis, qui non edocti ſunt in ſchola Dei quænam ſit vera religio. Flectentur enim ſingulis momentis ad quaslibet auras, quemadmodum folia moventur flante vento in arboribus, ita etiam quicunque non egerunt radicem in Dei veritate, neceſſe eſt ipſos vacillare, & ferri huc atque illuc, ubi flare cœpit aliquis ventus. Non autem ſimplex eſt ventus regium edictum, ſed eſt quædam violenta tempeſtas. Neque enim impune licet, Regibus & eorum edictis ſe opponere. Hinc fit ut qui non ſunt ſolide fundati in Dei verbo, nec tenent quid ſit vera pietas, rapiantur impetu talis procellæ. Subjicitur poſtea, *præconem clamaſſe in fortitudine*, vel, in exercitu. Et poſterior hæc expoſitio non male quadrat, quod clamaverit præco in illa turba, quum ſcilicet factus eſſet magnus concurſus gentium: ſicut regnum Babylonicum tunc ſub ſe comprehendebat multas provincias. *Præco* igitur *clamavit voce magna, Vobis edicitur, gentes, populi, & linguæ.* Hoc ad incutiendum terrorem valet, dum ſine exceptione Rex imperat, ut cunctæ provinciæ idolum ſuum colant. Nam quiſque alios reſpicit: ac proinde dum tantam multitudinem parere videt unus homo, non audet ſeſe opponere. Ergo illic concidit omnis libertas. Jam ſequitur, *ubi audieritis vocem tubæ*, vel, cornu vocem, *citharæ, fiſtulæ, pſalterii, ſambucæ, &c. ut procidatis & adoretis imaginem. Quiſquis autem non procideret, projicietur eadem hora in fornacem ardentem.* Hoc plus terroris potuit incutere, quod ſcilicet ſanciebat Rex Nebuchadnezer impium cultum tam atroci pœna. Neque enim contentus erat vulgari morte, ſed juſſit in ignem projici quicunque non coluiſſent ſtatuam. Hæc autem pœnæ denunciatio ſatis demonſtrat ſuſpectam fuiſſe Regi contumaciam in aliquibus. Niſi enim permixti fuiſſent Judæi Chaldæis & Aſſyriis, quia ſemper coluerant eoſdem deos, nulla fuiſſet controverſia: deinde quia etiam hoc paſſim invaluerat, colendos eſſe deos qui probati eſſent Regibus. Apparet igitur ſtatuam fuiſſe conſulto erectam, ut Rex hoc quaſi examine probaret an obſequentes habiturus eſſet qui nondum aſſueti erant ad ſuperſtitiones gentium. Voluit ergo inducere oblivionem ſinceræ pietatis in filiis Abrahæ, & ſemel eos corrumpere: ita ut ſequerentur vulgatum morem, & ſeſe formarent ad Regis arbitrium, & conſenſum populi, cum quo habitabant. Sed hac de re iterum poſtea videbimus. Jam quod attinet ad hanc adorationem, tantum ſita fuit in geſtu. Rex Nebuchadnezer non exegit, ut profiterentur verbis ſe credere illum eſſe Deum, hoc eſt, in ſtatua illa eſſe divinitatem, cui præſtandus eſſet cultus: ſed ſatis habuit, ſic externo geſtu hoc teſtatum facere. Videmus ergo idololatriæ merito damnari quicunque ſimulant ſe idola colere, etiamſi obtendant ſe hoc non facere ex animo, ſed tantum metu, quia ſcilicet cogantur imperiis Regum. Illa excuſatio nimis frivola eſt. Videmus enim Regem hunc vel tyrannum, quamvis aſtutia diaboli fabricaſſet hanc imaginem, non aliud exigere, niſi ut genua flectant cuncti populi & cunctæ gentes coram ſtatua. Et certe hoc modo alienabat Judæos ab unius & veri Dei cultu, ſi hoc illis extorſiſſet. Deus enim vult primum intus à nobis coli: deinde etiam externa profeſſione. Præcipuum quidem altare, in quo Deus colitur, ſedem habere debet in animis noſtris. Nam
Joan. 4. verſ. 24. colitur Deus ſpiritualiter fide & precibus, & aliis pietatis officiis. Jam tamen neceſſe eſt huc accedere externam profeſſionem, non tantum ut nos exerceamus in cultu Dei, ſed etiam ut nos totos ei offeramus, & geſtemus ipſum tam in corpore quam in animo, quemadmodum docet Paulus: denique ut *1 Cor. 7. verſ. 34.*
nos totos poſſideat. Hoc ergo de adoratione, & de *1 Theſ. 5. verſ. 23.*
pœna. Sequitur iterum, *Simulac auditus fuit clangor tubarum, & ſonitus ille multorum inſtrumentorum, omnes gentes, omnes populos, omnes linguas procidiſſe, & adoraſſe imaginem, quam erexerat Rex Nebuchadnezer.* Hic memoria repetendum eſt quod dixi, nempe flexibiles eſſe cunctos mortales ad Regum ſuorum obſequia. Quicquid ergo jubentur, facile admittunt, modo ne grave ſit vel damnoſum: imo etiam ſæpe perferunt graviſſima onera, ut Regibus ſuis morem gerant. Sed hoc etiam notandum eſt, ſemper magis eſſe propenſos ad vitioſe agendum. Si Rex Nebuchadnezer juſſiſſet Deum Iſraëlis coli, & everti omnia templa, & altaria quæ prius fuerant ſub tota ejus ditione, exorti haud dubie fuiſſent maximi tumultus. Nam diabolus ita faſcinat hominum mentes, ut pertinaciter maneant defixi in ſuis erroribus, quos ſemel imbiberunt. Nunquam ergo adducti fuiſſent Chaldæi & Aſſyrii, & alii ad parendum ſine ſumma difficultate. Nunc autem ſigno dato, ſtatim procidunt, & adorant ſtatuam auream. Hic diſcâmus quaſi in ſpeculo conſiderare noſtrum ingenium, & in hunc finem, ut nos contineamus ſub verbo Dei, neque dimoveamur unquam à recta fide, ſed ſtemus invicta conſtantia, quicquid præcipiant Reges: etiamſi centum mortes nobis minentur, ne tamen fidem noſtram labefactent: quia niſi nos retineat Deus ſuo freno, ſtatim diffluemus ad omnem vanitatem. Præſertim vero ſi quas corruptelas induxerit Rex quiſpiam, ſtatim illuc rapiemur: quia, ut dixi, nimis ſumus proclives ad vitioſos & perverſos cultus. Et iterum repetit Propheta nomen Regis, ut ſciamus totam illam turbam non reputaſſe quid placeret Deo, an cultus ille ſanctus eſſet atque integer, ſed contentam fuiſſe unius Regis nutu. Damnat autem Propheta hanc nimiam facilitatem, & merito. Ita diſcamus ex hoc loco, non moveri arbitrio hominum, ut hanc vel illam religionem amplectamur: ſed prius diligenter quærendum eſſe, quiſnam cultus probetur Deo: & ita opus eſſe judicio, ne temere nos projiciamus in ſuperſtitiones. Quantum attinet ad muſica inſtrumenta, fateor fuiſſe in uſu in Eccleſia Dei, & quidem ejus mandato: ſed alia fuit ratio populi Dei, alia autem Chaldæorum. Nam quum Judæi ad canendas Dei laudes adhiberent & tubas, & citharas, & muſica inſtrumenta, non oportuit tamen ipſos obtrudere Deo hunc ritum, quaſi illic ſita eſſet pietas: ſed oportuit ſpectare alium finem, nempe quod Deus volebat modis omnibus ipſos excitare, quum nimis torperent: quemadmodum ſcimus ſemper frigere in nobis pietatis ſtudium, niſi pungamur. Deus ergo adhibuerat ſtimulos illos, quo ferventiore ſtudio ipſum colerent Judæi. Chaldæi autem putarunt ſe Deo ſatisfeciſſe, ſi congererent multa muſica inſtrumenta. Nam æſtimabant Deum ex proprio ſenſu, quemadmodum fieri ſolet. Quæcunque enim nos delectant, putamus etiam placere Deo. Hinc immenſa illa ceremoniarum congeries in Papatu: quia paſcuntur oculi noſtri tali ſplendore, ideo etiam putamus nos probe defungi coram Deo, quaſi ſimiliter nobiſcum oblectetur. Eſt autem ille nimis craſſus error. Quantum ergo ad citharam, ad tubam, & alia inſtrumenta muſica pertinet, quibus Nebuchadnezer ornavit cultum idoli ſui, non dubium eſt quin pars fuerit errorum: ſicuti etiam de auro dicendum eſt. Deus quidem voluit aliquem eſſe ſplendorem ſui Sanctuarii, non quod aurum, vel argentum, vel lapides pretioſi per ſe ei placeant, ſed voluit ita commendare gloriam ſuam populo, ut ſub figuris illis agnoſcerent quicquid pretioſum eſt debere uni Deo offerri, quia ei ſacrum eſt. Judæi ergo

quamvis

quamvis haberent multas pompas (ut ita loquar) hoc eſt, haberent magnificum ſplendorem in externo Dei cultu: tamen manebat illud principium, ſpiritualiter Deum colendum eſſe. Profani autem homines, ſicuti craſſos deos ſibi fingebant pro ſuo ingenio, ita etiam volebant pro arbitrio ſuo eos colere, & putabant hanc eſſe perfectiſſimam ſanctitatem, ſi pulchre canerent, ſi eſſet multa copia auri, & argenti, ſi magnificus eſſet apparatus in ipſis ſacrificiis. Reliqua differam in craſtinum.

Da omnipotens Deus, quando in noſtris cogitationibus miſere ſemper vagamur, & ſi tentemus te colere nihil aliud quam profanamus verum & purum numinis tui cultum: deinde tam facile abſtrahimur ad pravas ſuperſtitiones: da ergo ut maneamus in pura obedientia verbi tui, neque unquam huc & illuc deflectamus: & inſtrue etiam nos invicta fortitudine Spiritus, ne cedamus ullis terroribus vel minis hominum, ſed perſtemus in reverentia nominis tui uſque ad finem: & utcunque mundus inſaniat poſt diabolicos ſuos errores, tamen ne unquam deflectamus à recta via, ſed perſtemus in recto curſu, ad quem nos invitas, donec confecto ſtadio perveniamus ad beatam illam quietem, quæ nobis repoſita eſt in cælo per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA QUARTA IN DANIELEM.

8. Itaque ſtatim (*eadem hora*) appropinquarunt viri Chaldæi, & vociferati ſunt accuſationem contra Judæos. (*hoc eſt, clamoſe, & quaſi cum tumultu eos accuſarunt. Alii vertunt, accuſarunt accuſationem. Nam etiam* אכל *Acal, quum ſignificet Vorare, dicunt, ubi conjungitur cum hoc nomine, accipi metaphorice pro Accuſare. Sed quoniam ſignificat etiam Vociferari, bene conveniet hic ſenſus, quod ſcilicet clamoſi fuerint accuſatores.*)

9. Loquuti ſunt, & dixerunt Nebuchadnezer Regi: Rex, in æternum vive.

10. Tu, Rex, poſuiſti edictum, ut omnis homo quum audiret vocem cornu, (*vel tubæ*) fiſtulæ, citharæ, ſambucæ, pſalterii, & ſymphoniæ, & omnium inſtrumentorum muſices, procideret, & adoraret imaginem auream.

11. Et qui non prociderit, & adoraverit, projiciatur in medium (*vel intra*) fornacem ignis ardentis.

12. Sunt viri Judæi, quos ipſos poſuiſti (*id eſt, præfeciſti*) ſuper adminiſtrationem (*vel opus*) provinciæ Babylonis, Sadrach, Meſach, & Abednego, viri iſti non poſuerunt ad te, Rex, cogitationem, (*alii vertunt rationem*) deum tuum (*vel deos tuos: in eo parum eſt diſcriminis*) non colunt, & imaginem auream quam tu erexiſti non adorant.

QUanquam hic non exprimitur eorum conſilium, qui accuſarunt Sadrach, Meſach, & Abednego, tamen probabili ratione ex eventu ipſo colligimus, fuiſſe rem ex compoſito actam, quum Rex imaginem auream ſtatuit. Videmus enim ut fuerint obſervati: &, quemadmodum heri dictum fuit, videtur Nebuchadnezer ſequutus eſſe vulgare Regum conſilium. Nam quamvis ſuperbe Deum contemnant, armant tamen ſe religione ad ſtabiliendam ſuam potentiam: & in hunc tantum finem ſimulant aliquem Dei cultum, ut contineant populum in officio. Quum ergo permixti eſſent Judæi Chaldæis & Aſſyriis, voluit Rex occurrere diſſidiis omnibus: & ita ſtatuam locavit in loco celebri, ut eſſet experimentum, & quaſi examen an Judæi vellent ad ritus Babylonicos ſe adjungere. Interea locus hic docet, ſaltem probabili conjectura, Regem fuiſſe inſtigatum à ſuis conſiliariis, quoniam ſcilicet indigne ferebant homines alienigenas præfectos eſſe provinciæ Babylonis, quum tamen eſſent mancipia. Nam jure belli tracti fuerant in exilium. Hoc ergo quum indignum putarent Chaldæi, invidia eos impulit, ut Regi conſilium illud ſuggererent. Nam unde fit ut tam ſubito deprehendant Judæos non exhibuiſſe cultum & venerationem ſtatuæ, præſertim Sadrach, Meſach, & Abednego? Certe res ipſa oſtendit, eos fuiſſe quaſi in excubiis, ut notarent quid agerent Judæi: & ita facile colligitur, eos ab initio ſtruxiſſe calumniam, ubi Regi fuerunt auctores fabricandæ ſtatuæ. Et quod tumultuoſe Judæos accuſant, hinc etiam perſpicimus fuiſſe animos ipſorum refertos invidia & odio. Poſſet quidem dici, zelo fuiſſe accenſos, quemadmodum ſuperſtitioſi homines vellent omnibus legem imponere: deinde accedit etiam ad illum affectum crudelitas. Sed mera æmulatio, ut poteſt cognoſci, Chaldæos corripuit, ut ita clamoſe accuſarent Judæos. Incertum autem eſt, an loquuti ſint de tota gente in genere, hoc eſt, de cunctis exulibus, an vero deſignaverint tres iſtos duntaxat. Probabile eſt reſtringi accuſationem ad Sadrach, Meſach, & Abednego. Nam ſi fracti fuiſſent tres iſti, facilis erat de reliquis victoria. Pauci enim tam cordati fuiſſent reperti in toto populo. Credibile igitur eſt, clamatores iſtos voluiſſe aggredi quos ſciebant præ aliis animoſos eſſe & conſtantes. Deinde volebant eos dejicere de gradu honoris, in quo cernere ipſos non poterant. Quæritur tamen cur Danieli pepercerint, quum tamen non ſit conſentaneum ipſum quicquam ſimulaſſe, quum Rex juberet coli ſuam ſtatuam, hoc eſt, quam erexerat. Fieri poteſt ut abſtinuerint à Daniele ad tempus, quem ſciebant magnifieri à Rege: & traxerint iſtos tres in crimen, qui facilius & minori negotio poterant opprimi. Hac aſtutia inductos fuiſſe exiſtimo, ut Danielem non nominaverint una cum iſtis tribus, ne ſcilicet favor illius mitigaret Regis iracundiam. Jam ſubjicitur forma ipſa accuſationis, *Rex in æternum vive.* Illa fuit communis ſalutatio. Poſtea adjungitur, *Tu, Rex*, hoc eſt emphatice poſitum, quaſi dicerent, Tu pro regio imperio poſuiſti edictum, ut *quiſquis audiret vocem tubæ*, vel cornu, *citharæ, fiſtulæ, & pſalterii, & inſtrumentorum muſices, ut ille procideret coram ſtatua aurea: quiſquis autem hoc facere abnueret, projiceretur in fornacem ignis ardentis. Atqui hic ſunt viri Judæi, quos tu præfeciſti in adminiſtratione provinciæ Babylonis.* Odioſe hoc etiam addunt, quia exprobrant ingratitudinem, quod ſcilicet affecti tam eximio honore ſpernant imperium

Regis, & alios etiam ſuo exemplo ad ſimilem contumaciam inducant. Videmus ergo ad amplificandum crimen hoc fuiſſe dictum, *quod Rex præfecerat eos provinciæ Babylonis. Iſti viri non adorant imaginem auream, & non colunt deos tuos*, hoc eſt ſummum crimen. Videmus in hac tota oratione huc tantum ſpectare Chaldæos, ut damnent uno hoc crimine Sadrach, Meſach, & Abednego, quia non obſequuti ſint edicto Regis. Neque enim de ſua religione diſputant, quia hoc illis minime utile erat, vocari in quæſtionem an dii quos colebant digni eſſent tali cultu. Omittunt igitur quod ſciunt ſibi non expedire, & arripiunt hoc telum, quod ſcilicet contemptus fuerit Rex, quia Sadrach, Meſach, & Abednego non coluerint imaginem, quum tamen Rex edicto ſuo ita juſſiſſet fieri. Hic iterum videmus ſuperſtitioſos non adjicere animum nec ſtudium ad veram inquiſitionem ut pie & rite colant Deum: ſed hac cura prætérita, tantum audaciam ſuam ſequi & libidinem. Quum ergo talis temeritas nobis quaſi in ſpeculo proponitur à Spiritu ſancto, diſcamus non poſſe probari cultum noſtrum Deo, niſi innixus fuerit veritati: ideoque hic pro nihilo ducendam eſſe auctoritatem hominum: quia niſi certi ſumus Deo placere religionem quam nos ſequimur, quicquid ex parte hominum poterit in medium afferri infirmum erit. Jam quum videmus gravatos fuiſſe ſanctos iſtos viros crimine ingratitudinis, deinde etiam rebellionis, non eſt cur nobis grave ſit idem hodie ferre. Qui nos calumniantur, objiciunt contumaciam, quod ſcilicet ſpernamus Regum edicta, qui vellent nos obſtringere ſuis erroribus. Atqui, ut poſtea rurſum videbimus, facilis eſt nobis & expedita defenſio. Interea ſubire hanc infamiam coram mundo nos oportet, quaſi ſimus immorigeri & intractabiles: & quod ad ingratitudinem ſpectat, etiamſi mille probris nos onerent improbi, tamen patienter ferendæ ſunt ad tempus eorum calumniæ, donec Dominus affulgeat innocentiæ noſtræ aſſertor. Jam ſequitur,

13. Tunc Nebuchadnezer cum iracundia & excandeſcentia (*alii vertunt furorem*) juſſit adduci Sadrach, Meſach, & Abednego: viri autem illi adduxerunt coram Rege, (*ſubaudiendum eſt, eos.*)

14. Loquutus eſt Nebuchadnezer, & dixit illis, Verumne, Sadrach, Meſach, & Abednego, deos meos non colitis, (*vel, deum meum, potius*) & imaginem auream quam ſtatui (*vel erexi*) non adoratis?

15. Nunc ecce, parati eritis, (*alii interrogative legunt, paratine eſtis*) ſimulac audiveritis vocem cornu, (*vel tubæ*) fiſtulæ, citharæ, ſambucæ, pſalterii, ſymphoniæ, & omnium inſtrumentorum muſices, *ut* procidatis, & adoretis imaginem quam feci. Quod ſi non adoraveritis, eadem hora projiciemini in medium fornacis ignis ardentis. & quis ille deus, qui eruat vos è manu mea?

Hæc narratio nobis clare teſtatur, Reges in ſimulatione pietatis tantum conſulere ſuæ magnitudini, ut ſe in locum deorum potius ſubrogent. Eſt enim hoc portento ſimile, quod Rex Nebuchadnezer hic diis omnibus inſultat, quaſi ſcilicet nulla eſſet in cælo potentia, niſi quam ipſe comprobat: *Quis deus*, inquit, *poterit vos eruere è manu mea?* Cur igitur colebat aliquem deum? nempe ut populum retineret aliquo freno: & ita ſtabiliret ſuam tyrannidem, non quod animo ejus inſideret ullus affectus pietatis. Initio narrat Daniel Regem fuiſſe iracundia accenſum. Nihil enim Regibus moleſtius eſt, quam dum vident ſperni ſua imperia: volunt in omnibus ſibi morem geri, etiamſi præcipiant quod iniquiſſimum eſt. Poſtea tamen videtur Rex ſibi temperare, quum interrogat Sadrach, Meſach, & Abednego, an non parati ſint colere deum ſuum & imaginem illam auream. Quum ergo dubitanter ipſos alloquitur, & adhuc proponit illis liberam optionem, eſt in his verbis aliqua moderatio. Videtur enim eximere ipſos à crimine, modo in poſterum ſuſtineant ſe flecti. Sed interea ebullit rabies in fallaci iſta ſpecie moderationis. Nam ſtatim ſubjicit, *Si non parueritis, ecce, projiciemini in fornacem ignis ardentis*: tandem prorumpit in ſacrilegam illam vocem, & horrendam blaſphemiam, nullum eſſe deum, qui poſſit eruere ſanctos viros è manu ſua. Videmus ergo in perſona Nebuchadnezer quali ſuperbia turgeant Reges, etiam ubi ſimulant aliquem zelum pietatis: quia certe non tangit eos reverentia ipſius Dei, ſed volunt quicquid imperant excipi ab omnibus. Et ita, quemadmodum dixi, potius ſubſtituunt ſe in Dei locum, quam ſtudeant Deum ipſum colere, & aſſerere ejus gloriam. Huc pertinent verba quibus utitur, *quod erexerit ſtatuam, quod fecerit*: quaſi diceret, Jam fas vobis non eſt deliberare colendane ſit imago an non, quia ſufficere debet vobis meum imperium. Ego non ſine conſilio & ratione hanc imaginem erexi: fuit igitur officii veſtri ſimpliciter mihi parere. Videmus ergo ut ſummam poteſtatem ſibi arroget etiam in fabricando deo. Neque enim hic agitur de rebus politicis: ſed vult Nebuchadnezer ſtatuam pro deo coli, quoniam ita decrevit, quoniam promulgavit ſuum edictum. Atqui memoria ſemper tenendum eſt quod attigi, nempe tale exemplum ſuperbiæ nobis proponi, ut ſciamus non temere hoc vel illud debere nos in religione aggredi, ſed audiendum eſſe Deum, ita ut pendeamus ab ejus auctoritate & nutu: quia ſi addicti ſumus hominibus, nullus erit modus errorum. Quamvis ergo Reges ita ſuperbiant, & ferociant, tamen tenenda eſt nobis regula, nihil Deo placere niſi quod mandavit ipſe ſuo verbo: & principium veræ pietatis eſſe obedientiam, quam ei uni præſtamus. Quod attinet ad blaſphemiam, clarius demonſtrat quod dixi, Reges, utcunque præ ſe ferant aliquod pietatis ſtudium, tamen ſpernere omne numen, & in animo nihil aliud habere, quam extollere ſuam magnitudinem. Itaque mutuantur nomen Dei, ut venerationem ſibi majorem concilient: ſed interea ſi expediat centies mutare deos ſingulis diebus, nulla religio ipſos impediet. Religio igitur ipſa terrenis Regibus ut plurimum prætextus eſt: ſed nulla in ipſorum animis Dei reverentia, & nullus timor, quemadmodum hic demonſtrat Rex profanus, *Quiſnam eſt ille Deus*, inquit? Nullum deum excipit. Si quis reſpondeat, loqui ipſum comparative, quoniam hic defendat gloriam dei ſui quem colebat: tamen quum eructat hanc blaſphemiam contra omnes deos, certe intolerabilis eſt arrogantia, imo diabolicus furor, qui ipſum eo uſque impellit. Jam veniamus ad præcipuum caput, ubi Daniel narrat quanta conſtantia præditi fuerint Sadrach, Meſach, & Abednego.

16. Reſponderunt Sadrach, Meſach, & Abednego, & dixerunt Regi: Nebuchadnezer, non ſumus ſolliciti ſuper hoc ſermone (*vel negotio*) quid reſpondeamus tibi. (*Alii ver-*

vertunt, Non oportet nos tibi reſpondere ſuper hoc negotio: & ל volunt eſſe ſupervacuum, quemadmodum ſæpe etiam ponitur.)

17. Ecce, eſt Deus noſter, quem nos colimus, potens (*id eſt, poteſt*) liberare nos è fornace ignis ardentis, & è manu tua, Rex, eruet.

18. Et ſi non, notum ſit tibi, ô Rex, quod deos tuos nos non colimus, & imaginem auream quam erexiſti non adorabimus.

Hoc maxime expendere convenit in hac hiſtoria, quod infracto animo perſtiterint in Dei timore tres ſancti viri, quum tamen ſcirent ſibi inſtare præſentiſſimum mortis diſcrimen. Quum ergo mors illis objecta eſſet ante oculos, tamen non deflexerunt à recto curſu, ſed pluris fecerunt gloriam Dei, quam propriam vitam: imo centum vitas, ſi totidem opus fuiſſet profundere, & hoc fuiſſet illis datum. Non refert quidem Daniel omnia eorum verba: ſed colligit brevem ſummam duntaxat, in qua tamen ſatis refulget invicta illa Spiritus ſancti virtus, qua fuerunt inſtructi. fuit certe horribilis illa denunciatio, quum Rex diceret, *Si non parati eritis ad clangorem tubæ procedere coram ſtatua, actum eſt de vobis, & ſtatim projiciemini in fornacem ignis.* Quum ita Rex fulminaſſet, poterant percelli ut homines. Scimus enim quam chara ſit nobis vita, deinde ut horror mortis ſenſus noſtros occupet. Sed has omnes circumſtantias recenſet Daniel, ut ſciamus plus eſſe fortitudinis in ſervis Dei, ubi aguntur ejus Spiritu, quam ut cedant ullis minis, vel terroribus ſuccumbant. Reſpondent Regi, Non opus eſt longa deliberatione. Nam quod dicunt ſe non curare, ſignificant hoc verbo rem eſſe expeditam: quemadmodum etiam memorabilis illa vox Cypriani refertur ab Auguſtino, quum ſuaderent aulici, ut vitæ ſuæ parceret (nam Imperator invitus faciebat, ut eum addiceret ſupplicio mortis) quum ergo hinc inde urgerent adulatores, ut vitam ſuam redimeret abnegatione pietatis, reſpondit, In re tam ſancta nulla deliberatio. Sic etiam loquuntur ſancti viri iſti, *non curamus*, hoc eſt, nos non ingredimur in conſultationem quid utile ſit, quid expediat, nihil tale; ſed hoc nobis jam concluſum eſt, nempe nulla ratione nos debere abduci à ſincero Dei cultu. Si legere placeat, *Non oportet tibi nos reſpondere*, idem fere erit ſenſus. Oſtendunt enim fruſtra objici mortis terrorem, quia ſcilicet propoſitum ipſis ſit, & penitus cordibus infixum, ne latum quidem unguem diſcedere à vero & legitimo cultu Dei. Cæterum hic utuntur duplici ratione, ut repudient quod Rex ipſis propoſuerat. Dicunt enim in Deo ſatis eſſe potentiæ & virtutis ad ipſos liberandos: deinde, etiamſi moriendum ſit, tamen non ſibi tanto in pretio eſſe vitam, ut Deum abnegent ejus prorogandæ cauſa. Paratos igitur ſe ad mortem declarant, ſi Rex pertinaciter urgere eos voluerit ut adorent ſtatuam. Hic eſt ocus apprime dignus obſervatu. Primo enim hæc reſponſio notanda eſt, quod ubi nos homines ad veri Dei abnegationem ſollicitant claudendæ ſint aures, nec ulla admittenda ſit deliberatio. Jam enim tunc incipimus atrocem injuriam Deo facere, ubi diſputamus an liceat deficere à puro ejus cultu, quæcunque ratio nos ad id impellat. Atque utinam hoc omnibus probe notum eſſet, nempe ſic excellere & eminere Dei gloriam, ut omnia debeant in ordinem cogi, ubi ſcilicet de ea minuenda vel obſcuranda agitur. Sed hæc fallacia hodie innumeros fere decipit, quod putant ſibi fas eſſe quaſi in trutina appendere, an præſtet ad tempus deflectere à vero Dei cultu, quum aliqua utilitas ab altera parte ſe ingerit: quemadmodum hodie videmus ſimulatores, quibus referta eſt terra, habere colores ſuos quibus obtegant ſuum flagitium, ubi vel idola cum impiis colunt, vel abnegant nunc oblique, nunc palam & aperte veram pietatem. O quid fieret? Qui pollet aliqua dignitate, Ego video, dicet, quantum prodeſſe queam, modo ſimulem aliquid, & ne prodam qualis ſim. Nam iſta ingenuitas non modo mihi privatim, ſed omnibus eſſet noxia. Si Rex nullos habeat, qui interdum ſtudeant placare ejus iracundiam, ita laxatæ erunt habenæ improbis: & majore licentia impellent eum ad omnem ſævitiam. Præſtat igitur eſſe aliquos medios, qui auſcultent & obſervent ſi quid machinentur improbi: deinde ſi non poſſint aperte, ſaltem per cuniculos avertant periculum à capitibus piorum. Quum ergo hæc objiciunt, putant ſatisfactum eſſe Deo. Quaſi vero Sadrach, Meſach, & Abednego non potuerint idem prætexere: quaſi etiam hoc non venerit illis in mentem, Ecce, nos armati ſumus aliqua potentia ad fratres noſtros juvandos: nunc quanta barbaries, & inhumanitas graſſabitur, ſi nobis ſuccedant profeſſi religionis hoſtes? Nam quantum in ipſis erit, evertent & delebunt è mundo gentem noſtram & memoriam pietatis. Nonne præſtat nos ad tempus cedere tyrannidi & violento Regis edicto, quam locum vacuum relinquere, quem mox occupent furioſi, qui prorſus obruant miſeram gentem noſtram, quæ plus ſatis gravatur? Poterant, inquam, colligere omnes iſtos colores & fucos Sadrach, Meſach, & Abednego, ut excuſarent perfidiam ſuam, ſi periculi vitandi cauſa genu flexiſſent coram aurea imagine: ſed non faciunt. Ergo, quemadmodum jam dixi, tunc manet Deo jus ſuum integrum, ubi extra omnem dubitationem ſtatuitur ejus cultus, & hoc nobis ſemel perſuaſum eſt, nihil tanti eſſe, ut nobis liceat & fas ſit vel minimum deflectere ab ea profeſſione, quam nobis verbo ſuo mandat, & quam exigit. In ſumma, hic opponitur ſecuritas quæ debet confirmare pios Dei cultores, omnibus aſtutis & obliquis conſiliis, quæ ſibi accerſunt qui propter vitam amittunt vivendi cauſam, ut ille profanus Poëta loquitur. Nam quorſum vivimus, niſi ut Dei gloriæ ſerviamus? Atqui perdimus illam vivendi cauſam vitæ cauſa: hoc eſt, quum nimium appetimus vivere in mundo, non reſpicimus vivendi finem. Sic ergo opponit Daniel ſimplicitatem quam ſequi filios Dei neceſſe eſt, omnibus rationibus quas ſibi adducunt ſimulatores, ut ſuum flagitium fuco aliquo tegant. *Non ergo ſumus ſolliciti.* Quare? Quia jam ſtatutum nobis eſt, pluris eſſe Dei gloriam, quam mille vitas, & quicquid nobis ſenſus carnis ſuggeret. Ergo ubi viget hæc magnanimitas, aberit omnis tergiverſatio, neque ſeipſos fatigabunt qui vocantur in periculum ob teſtimonium veritatis: quia, ut jam dixi, aures omnibus iſtis Satanæ illecebris clauſæ erunt. Et quum addunt *Deum eſſe ſatis potentem ad ipſos ſervandos: quod ſi non, tamen ſe ad mortem paratos eſſe:* oſtendunt quid animos noſtros erigere debeat ſupra omnes tentationes, nempe quia vita noſtra pretioſa eſt Deo: ipſe autem poterit nos liberare ſi volet. Quum ergo in Deo nobis ſit ſatis præſidii, ne putemus aliam eſſe meliorem rationem vitæ ſervandæ, quam ſi nos totos rejicimus in ejus tutelam & projicimus etiam in ipſum omnes noſtras ſollicitudines. Deinde in ſecundo membro hoc notandum eſt, etiamſi Dominus volet morte noſtra illuſtrare ſuam gloriam, hoc eſſe legitimum ſacrificium, quod illi offerendum eſt, neque in nobis vigere ſinceram pietatem, niſi anima noſtra ſit in manibus noſtris, hoc eſt, niſi vita noſtra ſit ſemper parata in ſacrificium. Hæc igitur breviter nunc notare volui, quæ craſtino die, dante Domino, exponam.

Da omnipotens Deus, quum videamus impios

tanto impetu ferri poſt impuras ſuas imaginationes: deinde tanta etiam arrogantia inflatos eſſe, ut veram humilitatem diſcamus, & nos ita ſubjiciamus tibi, ut pendeamus ſemper ex tuo ore, nec quicquam aggrediamur niſi ex tuo præſcripto, deinde ubi didicerimus quiſnam cultus tibi placeat, ut in eo conſtanter perſtemus uſque ad finem, neque ullis periculis, neque ullis minis, neque ulla violentia dimoveamur à gradu noſtro, vel à via abducamur: ſed perſeverando in obedientia verbi tui, ſtudium noſtrum & obſequium approbemus: deinde agnoſcas nos pro filiis tuis, ut aliquando colligamur in æternam illam hæreditatem, quam præparaſti omnibus Chriſti Filii tui membris, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA QUINTA
IN
DANIELEM.

Diximus heri conſtantiam Sadrach, Meſach, & Abednego, innixam fuiſſe duabus iſtis rationibus, quod certo perſuaſi eſſent Deum vitæ ſuæ eſſe cuſtodem, & ſe liberatum iri ejus potentia à præſenti morte, ſi ita utile eſſet: deinde quia apud ſe ſtatuerant fortiter & intrepide moriendum eſſe, ſi Deus vellet ſibi tale ſacrificium offerri. Quod autem de his tribus viris refert Daniel, ad nos omnes pertinet. Colligere igitur hinc licet generalem doctrinam, ubi periculum nobis imminet pro teſtimonio veritatis, primum ut diſcamus vitam noſtram reponere in Dei manu: deinde ut fortiter & ſine metu parati ſimus mortem oppetere. Quantum ad primum ſpectat, experientia docet plurimos deficere à Deo & profeſſione fidei, quia non poſſunt ſtatuere, ſatis eſſe virtutis in Deo ad ipſos liberandos. Verum quidem eſt hoc ab omnibus dici, Deum noſtri curam gerere, deinde vitam noſtram in manu & arbitrio ejus eſſe poſitam: ſed vix centeſimus quiſque hoc penitus & certo habet infixum in corde ſuo: quia unuſquiſque viam & rationem inquirit ſervandæ vitæ, acſi nulla eſſet Dei virtus. Ergo ille demum rite profecit in verbo Domini, qui didicit vitam ſuam eſſe curæ Deo; deinde ſatis eſſe in illo præſidii. Nam qui hucuſque progreſſus eſt, poterit centies periclitari, quia non dubitabit ſequi quocunque fuerit vocatus. Hoc enim unum liberat eum omni metu & trepidatione, quod poſſit Deus eruere ex mille mortibus ſervos ſuos, quemadmodum dicitur in Pſalmo,
Pſal 68 vers. 21.] Penes ipſum eſſe exitus mortis. Nam mors videtur abſumere omnia: ſed Deus ex illo gurgite eripit quos vult. Ita hæc perſuaſio nobis ſufficiet ad firmam & inexpugnabilem conſtantiam. Sed neceſſe eſt eos qui ita rejiciunt vitæ & ſalutis ſuæ curam in Deum, probe ſibi conſcios eſſe, ut non dubitent ſe tueri bonam cauſam. Et hoc etiam exprimitur his verbis quum dicunt Sadrach, Meſach, & Abednego, Ecce, Deus noſter quem colimus. Quum in medium proferunt cultum Dei, teſtantur ſibi eſſe certam fulturam: quia non temere quicquam agant, ſed ſint cultores veri Dei, & laborent pro defenſione pietatis. Nam hoc eſt diſcrimen inter martyres, & inter furioſos, qui ſæpe juſtas poterunt pœnas dare ſuæ dementiæ, quia conati ſint pervertere omnia. Videmus enim pleroſque agitari ſua intemperie. Si contingat illos dare pœnas, non ſunt numerandi inter Dei martyres. Martyrem enim, quemadmodum dicit Auguſtinus, cauſa facit, non pœna. Ergo ſubeſt pondus in his verbis, quum tres iſti viri aſſerunt ſe Deum colere, quia hoc modo gloriantur ſe non temere ſubire periculum quod ſibi inſtare vident, ſed pro certo Dei cultu. Jam venio ad ſecundum: *Si Deus eruere nos à morte nolit, notum tibi ſit, Rex, quod deos tuos non colimus.* Dixi primo, ut conſtanter parati ſimus ad obeundum omne certamen, vitam noſtram permittendam eſſe Deo, ſicut æquum eſt ſubeſſe ejus arbitrio & manu, cuſtodiaque protegi. Cæterum non debet nos tenere hujus terrenæ & caducæ vitæ deſiderium, ut nos impediat à libera & ingenua profeſſione veritatis. Nam pretioſior nobis eſſe debet Dei gloria, quam centum vitæ. Ergo non poterimus Dei eſſe teſtes, niſi depoſito hujus vitæ deſiderio, ſaltem ut præferamus Dei gloriam. Interea notandum eſt hoc fieri non poſſe, quin ſpes melioris vitæ nos ad ſe rapiat. Nam ubi non inſidet cordibus noſtris promiſſio hæreditatis æternæ, nunquam poterimus à mundo avelli. Cupimus enim eſſe, & non poteſt tolli à nobis ille affectus, niſi ſuperet fides: quemadmodum etiam Paulus dicit, Non quod opte- 2 Cor. 5.
mus exui, ſed ſuperindui. Fatetur Paulus naturali- vers. 4.
ter homines non poſſe adduci, ut libenter velint migrare è mundo, niſi, quemadmodum dictum eſt, fides prævaleat. Sed ubi intelligimus hæreditatem noſtram in cælo eſſe, & nos in terra eſſe peregrinos, tunc exuimus affectum terrenæ vitæ, cui nimium addicti ſumus. Hæc igitur duo ſunt, quæ comparant filios Dei ad martyrium, ne dubitent ſe & vitam ſuam offerre Deo in ſacrificium: nempe ſi perſuaſi ſint vitam ſuam à Deo cuſtodiri, & ipſum fore certum liberatorem, ſi ita expediat: deinde quum tranſcendunt mundum, ut dum aſpirant ad ſpem æternæ & cæleſtis vitæ, ut parati ſint renunciare mundo. In verbis autem magnanimitas notanda eſt, quum dicunt, *Notum tibi ſit, Rex, quod non colimus deos tuos, neque adorabimus ſtatuam, quam erexiſti.* Hic enim Regem oblique accuſant, quod ſibi tantum arroget, ut velit religionem arbitrio ſuo ſtare, vel cadere. *Tu erexiſti ſtatuam:* atqui auctoritas tua nobis nullius eſt momenti, quia ſcimus fictitium eſſe Deum, quem vis à nobis coli ſub ſtatua. Deus autem quem nos colimus ſe nobis patefecit. Hunc ſcimus eſſe opificem cæli & terræ, hunc redemiſſe Patres noſtros ex Ægypto: idem etiam nos caſtigare voluit quum ejecit in exilium. Quoniam ergo nobis conſtat firma certitudo fidei noſtræ, ideo pro nihilo ducimus & deos tuos & tuum imperium. Sequitur,

19. Tunc Nebuchadnezer repletus fuit iracundia, & forma faciei ejus mutata fuit (צלם *zelem, hic aliter capitur quam antea. nam aliquoties jam poſuit hoc nomen Daniel pro imagine: hic autem vultum Regis aut figuram deſignat: figura ergo faciei ejus mutata fuit*) erga Sadrach, Meſach, & Abednego. loquutus eſt, & juſſit (*vel edixit*) accendi fornacem uno ſepties (*hoc eſt, ſeptuplo*) magis quam ſolebat accendi.

20. Et viris præſtantibus robore, (*vel, robuſtis virtute*) qui *erant* in ejus ſatellitio, (חיל *hajil, hic accipitur pro comitatu vel ſatellitio: ſignificat proprie exercitum: ſed quia Rex tunc non militabat, non dubium eſt quin ſignificet Daniel comitatum Regis. ergo ex ſatellitibus delegit robuſtiſſimos quoſque, & illis*) mandavit, ut vincirent Sadrach, Meſach, & Abednego, ut projicerent *illos* in fornacem ignis ardentis.

Hic primo intuitu videtur Deus ſervos ſuos deſerere, quia palam non ſuccurrit. Jubet Rex projici ipſos in fornacem ignis: nullum è cælo auxilium apparet. Fuit igitur hæc viva & apprime efficax probatio fidei ipſorum. Sed jam inſtructi erant, quemadmodum vidimus, ad omnia perferenda. Neque enim ſimpliciter de præſenti Dei auxilio confiſi tam fortiter reſponderant, ſed quia illis ſtatutum erat mori, quoniam ſcilicet melior vita occupaverat eorum animos, ut libenter abjicerent præſentem. Hinc factum eſt, ut terribili hoc Regis imperio non fuerint expavefacti, ſed ſequuti ſint curſum ſuum, nempe ut mortem intrepide ſubirent pro Dei cultu. Neque enim reſtabat aliquid tertium, quum data illis eſſet optio, ut vel ſe ad mortem projicerent, vel ut abnegarent cultum veri Dei. Hoc exemplo docemur, in otio præmeditandam eſſe nobis vitam immortalem, ut ſi ita Domino viſum fuerit, non dubitemus exponere animas noſtras pro confeſſione veritatis: quia ideo tam ſumus meticuloſi: deinde ubi ventum eſt etiam in rem præſentem, corripimur pavore & ſtupore, quia ſcilicet fingimus nobis vanam ſecuritatem, ubi non urgemur aliquo diſcrimine. Quantiſper ergo nobis datur otium, applicare oportet animos noſtros ad meditationem futuræ vitæ, ut mundus nobis vileſcat, & quoties opus fuerit parati ſimus ſanguinem noſtrum profundere pro teſtimonio veritatis. Neque enim hæc hiſtoria nobis refertur, ut celebretur duntaxat à nobis, & ſit in pretio & admiratione virtus trium ſanctorum: ſed nobis proponitur eorum conſtantia ad exemplum imitationis. Quod ad Regem Nebuchadnezer ſpectat, hic etiam rurſum quaſi in ſpeculo oſtendit Daniel, quanta ſit Regum ſuperbia, & quantus faſtus, ubi vident morem non geri ſuis placitis. Certe debuerat ferreus animus molleſcere reſponſo illo, quum audiſſet id quod jam vidimus, nempe Sadrach, Meſach, & Abednego vitas ſuas Deo permittere: deinde quum audiſſet metu mortis non poſſe ipſos abſtrahi à fide ſua. ſed iracundia tantum repletur. Quantum ad furorem iſtum ſpectat, debemus expendere quanta ſit efficacia Satanæ, ubi homines poſſidet atque occupat. Nulla enim eſt in ipſis moderatio, etiamſi alioqui magnam & præclaram ſpem virtutum oſtentent: quemadmodum Nebuchadnezer præditus erat multis virtutibus, ut viſum eſt: ſed quia diabolus illum vexat, jam nihil in ipſo cernitur niſi immane & barbarum. Interea etiam meminerimus, placere Deo noſtram conſtantiam, quamvis non ſtatim proferat fructum ſuum coram mundo. Multi enim hac ratione ſibi & ſuis deliciis indulgent, quia putant ſe fore temerarios, ſi proſtituant ſe ad mortem, dum nulla apparet utilitas. Et hoc prætextu ſe multi excuſant, quod non fortius pugnent pro gloria Dei, quia luderent operam, & mors ipſorum eſſet infructuoſa. Atqui audimus quod Chriſtus pronuntiat, nempe ſacrificium hoc placere Deo, ubi morimur pro teſtimonio cæleſtis doctrinæ, quamvis generatio, coram qua teſtamur nomen Dei, ſit adultera & perverſa, imo obdureſcat etiam ad noſtram conſtantiam. Et tale exemplum nobis hic proponitur in tribus ſanctis viris: quia utcunque Nebuchadnezer accenſus magis fuerit in furorem libera eorum confeſſione: tamen placuit Deo libertas illa, & ipſos etiam non pœnituit, quamvis non cernerent fructum ſuæ conſtantiæ qualem optabant. Propheta etiam circumſtantiam hanc exprimit ad demonſtrandum furorem Regis, *quod juſſerit ſeptuplò magis accendi fornacem, quam ſolebat*: deinde *quod etiam delegerit ex ſuo ſatellitio robuſtiſſimos quoſque, qui vincirent ſanctos homines, & projicerent in fornacem ignis*. Sed ex ipſo eventu ſtatim liquebit, non ſine arcano Dei impulſu hoc totum fuiſſe factum. Nam poterat diabolus alioqui obſcurare miraculum, niſi omnis dubitatio ſublata foret. Quum autem fornacem Rex juſſit ſeptuplo magis accendi quam pro more, deinde quum robuſtiſſimos elegit, & illis mandavit exequutionem, Deus ſervos ſuos liberando jam ſuſtulerat omnem dubitationem: quo ex illis tenebris clarior lux emergeret quibus eam moliebatur obſcurare Satan. Sic Deus ſolet fruſtrari impios: & quo magis ingenioſi ſunt ad oppugnandam ejus gloriam, eo magis ipſe illuſtrat & gloriam ſuam & doctrinam: quemadmodum hic quaſi in imagine depingit nobis Daniel Regem Nebuchadnezer nihil prætermiſiſſe, dum voluit terrorem incutere omnibus Judæis hac tam crudeli pœna: & tamen nihil aliud fuiſſe adeptum ſuis conſiliis, niſi ut clarius patefieret Dei virtus & gratia erga ſervos ſuos. Jam ſequitur,

Matth. 5. verſ. 11. & 10. verſ. 32. Marc. 8. verſ. 38.

21. Tunc viri illi vincti ſunt (*vel ligati*) in ſuis chlamydibus, (*alii vertunt, ſandalia, vel calceos: alii fæmoralia: ſed ſecundum nomen major pars accipit pro fæmoralibus: quanquam non eſt anxie laborandum de vocibus, modo de re ipſa conveniat. poſtea*). & cum tiaris ſuis, (*ſcimus enim Orientales fuiſſe uſos tiaris, quemadmodum adhuc retinent morem illum: nam faſciis obvolvunt ſua capita: & quamvis non multi appareant inter nos, tamen ſcimus qualis ſit veſtitus Turcarum. tandem ſubjicitur generale nomen*) in veſtitu ſuo: & projecti ſunt in fornacem ignis ardentis.

22. Propterea quod urgebat (*vel, feſtinabat, ad verbum*) præceptum Regis, & fornacem vehementer juſſerat accendi, viros illos qui extulerant Sadrach, Meſach, & Abednego occidit favilla (*alii vertunt flammam*) ignis.

23. Et viri illi tres Sadrach, Meſach, & Abednego ceciderant in medium fornacis ignis (*hoc eſt, intra fornacem ignis*) ardentis vincti.

Hic narrat Daniel miraculum, quo Deus liberavit ſervos ſuos. Sunt autem duæ miraculi partes, quod integri ambulaverint in medio igne tres ſancti illi homines: flamma autem vel favilla conſumpti fuerint illi ſatellites, qui eos projecerant in fornacem. Diligenter vero enumerat Propheta quæ ad demonſtrationem potentiæ Dei pertinent. Dicit, *quum urgeret mandatum Regis*, hoc, eſt quum Rex tanta iracundia juſſiſſet accendi fornacem, viros illos, quibus mandata erat exequutio, fuiſſe abſorptos favilla ignis. Nam decimo octavo capite libri Job שביב *ſchib* accipitur pro favilla, vel ſcintilla, vel extrema flamma. Senſus Prophetæ minime obſcurus eſt, quod ſcilicet extrema flamma lambendo conſumpſerit robuſtos illos ſatellites: Sadrach vero, Meſach, & Abednego ambulaverint in ipſis carbonibus, in igne, & flamma. Non erant igitur tantum in extremitate. Ita perinde eſt acſi dixiſſet Propheta, ſatellites Regis fumo duntaxat fuiſſe conſumptos: ignem vero caruiſſe omni effectu erga ſanctos illos Dei cultores. Ideo dicit *tres illos cecidiſſe in fornacem ignis*. Quum dicit *cecidiſſe*, certe non poterant ſibi cavere, aut captare aliquod effugium: deinde adjungit, *cecidiſſe ligatos*. Ergo oportuit primo occurſu naturaliter ipſos ſuffocari, deinde ſtatim conſumi. Atqui integri manent: deinde ſoluti ambulant in fornace. Videmus ergo tam perſpicuam fuiſſe Dei potentiam, ut nullis mendaciis eam offuſcare potue-

potuerit diabolus. Quod autem ſatellites devorat extrema flamma, vel ſavilla ignis vel ſcintillæ, etiam altera ex parte confirmat Deus hoc eſſe opus ſuum. Interea finis hiſtoriæ eſt, mirabiliter & præter ſpem fuiſſe tres ſanctos viros ſervatos. Hoc exemplum nobis proponitur, ut diſcamus nihil nobis eſſe tutius, quam vitæ noſtræ Deum præficere cuſtodem & præſidem. Neque tamen ſperandum præciſe eſt, nos ſervatum iri à periculo, quia videmus ſanctis iſtis viris utrumque fuiſſe conſtitutum, nempe ut ſperârent liberationem à Deo, ſi ita eſſet utile: deinde ut non dubitarent mortem oppetere ſine ullo metu, ſi ita Deo placeret. Sed tamen hoc colligere oportet ex præſenti hiſtoria, in Deo ſatis nobis fore præſidii, ſi voluerit nobis vitam prorogare. Scimus autem vitam noſtram eſſe ei pretioſam. Ergo hoc ſit penes ejus arbitrium, vel nos eripere à periculo, vel traducere ad meliorem vitam, ſi ita cenſuerit. Nam in Petro habemus utriuſque rei exemplum. Eductus ſemel fuit Petrus è carcere, quum poſtridie trahendus eſſet ad mortem: tunc oſtendit Deus curæ ſibi fuiſſe vitam ſervi ſui. Tandem Petrus mortem ſubiit: nullum illic miraculum: Quare? curſum enim vocationis ſuæ peregerat. Sic quoties expediet, Dominus exeret ſuam virtutem ad nos ſervandos: ſi autem ad mortem uſque nos ducat, ſtatuemus nihil nobis melius eſſe quam mori: & noxium eſſe, vitam longius prorogari. Hæc igitur ſumma eſt doctrinæ, quam colligere licet ex hac hiſtoria. Poſtea ſequitur,

24. Tunc Nebuchadnezer Rex contremuit, (*vel expavefactus eſt*) & ſurrexit in feſtinatione: (*celeriter*) loquutus eſt, & dixit conſiliariis ſuis, (*alii vertunt comites, & ſane quia nomen poteſt deduci tam à conſilio, quam à conſuetudine, ideo poſſumus accipere pro comitibus qui propinqui erant Regi: ſed quia paulo poſt conſiliarios deſignat eodem nomine: hoc ſequamur, ne qua ſit varietas*) An non viros tres projecimus in ignem ligatos? (*vinctos*) Reſponderunt, & dixerunt Regi, Vere, Rex.

25 Reſpondit, & dixit, Atqui ego video viros quatuor ſolutos, ambulantes in igne, & nulla noxa in ipſis eſt: & facies quarti ſimilis eſt filio Dei.

Hic narrat Daniel potentiam Dei fuiſſe manifeſtam profanis hominibus, tam Regi ipſi, quam ejus aulicis, qui conſpiraverant in mortem ſanctorum virorum. Dicit ergo *Regem contremuiſſe* illo miraculo: ſicuti Deus impios ſæpe cogit ad virtutem ſuam agnoſcendam: utcunque ſe obſtupefaciant, & obdurent omnes ſuos ſenſus, tamen velint nolint, coguntur ſentire Dei virtutem. Hoc Daniel oſtendit contigiſſe Regi Nebuchadnezer. *Contremuit* igitur, *& ſurrexit*, inquit, *celeriter*, *& loquutus eſt cum ſuis comitibus*, *An non projecimus in fornacem tres viros ligatos?* Jam quum reſpondent illi, *Ita eſt*, non dubium eſt, quin & Nebuchadnezer divinitus fuerit impulſus, hoc eſt, arcano inſtinctu, ut hoc ſciſcitaretur à comitibus ſuis: deinde quin illis expreſſa fuerit confeſſio. Poterat enim Nebuchadnezer ſtatim accedere ad fornacem; ſed voluit Deus exprimere confeſſionem hanc hoſtibus ſuis, ut faterentur una cum Rege, ereptos fuiſſe Sadrach, Meſach, & Abednego non aliquo terreno medio, ſed admirabili & minime uſitata Dei virtute. Notemus ergo impios, teſtes fuiſſe potentiæ Dei non ſponte, ſed quia Deus in ore Regis poſuit hanc interrogationem: deinde quod non permiſit illis effugere vel tergiverſari, quin faterentur quod verum erat. Dicit autem Nebuchadnezer *quatuor viros ambulaſſe in igne*, *& faciem quarti ſimilem fuiſſe Dei filio* Hic non dubium eſt, quin Deus ex Angelis ſuis unum miſerit, qui ſua præſentia magis erigeret animos ſanctorum virorum, ne labaſcerent. Fuit enim illud formidabile ſpectaculum, quum viderent fornacem ita ardere, & ſe projici Deus ergo voluit hoc ſolatio mederi ipſorum anxietati, & dolorem etiam lenire, quum Angelum illis ſocium addidit. Scimus interdum miſſos fuiſſe plures Angelos in gratiam unius hominis, ſicuti legimus de Eliſæo. [*2 Reg. 6. verſ. 15.*] Et generalis eſt illa regula, Angelis ſuis præcepit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis: deinde, [*Pſal. 91. verſ. 11. & 34: 8.*] Caſtrametantur Angeli in circuitu timentium Deum. Hoc quidem præcipue in Chriſtum competit: ſed extenditur ad totum corpus Eccleſiæ, & ad ſingula membra. Deus ergo exercitus ſuos in promptu habet, quibus ſuos ſervet. Sed legimus rurſus, ſæpe ad totam gentem miſſum fuiſſe unum Angelum. Neque enim Deus Angelis ſuis indiget, quum utitur eorum opera: ſed ita ſublevat noſtram infirmitatem. Et quando non tribuimus ejus virtuti quantum decebat, ideo Angelos ſuos interponit qui noſtras dubitationes corrigant, quemadmodum diximus. Tribus iſtis viris Angelus unus datus eſt: eum vocat Nebuchadnezer Filium Dei, non quod putaverit Chriſtum eſſe: ſed ſcimus vulgo fuiſſe illud receptum apud omnes populos, Angelos eſſe filios Dei, quia ſcilicet in illis fulgeret quædam divinitas. Promiſcue igitur quoslibet Angelos vocarunt Dei filios. Et ſecundum hanc vulgatam conſuetudinem dicit Nebuchadnezer *quartum hominem ſimilem eſſe filio Dei*. Neque enim potuit agnoſcere unigenitum Dei Filium, qui excæcatus erat tot pravis erroribus, ut ante viſum eſt. Et ſi quis dicat enthouſiaſmum fuiſſe, hoc eſſet frigidum & coactum. Hæc igitur ſimplicitas nobis ſufficiat, nempe loqui Regem Nebuchadnezer ex conſueto more, quod unuſquiſpiam ex Angelis fuerit miſſus ad tres illos viros, quia Angelos vocari filios Dei tunc, quemadmodum dixi, receptum erat. Scriptura ita loquitur. ſed Deus nunquam paſſus eſt ita mundum obbruteſcere, quin [*Pſal. 89. verſ. 7. & alios locus.*] ſemen aliquod relinqueret ſanæ doctrinæ, ſaltem ut eſſet profanis in teſtimonium, hoc eſt, ut redderet magis inexcuſabiles, quemadmodum etiam proxima lectione fuſius tractabimus.

Da omnipotens Deus, quando unius tantum momenti eſt vita noſtra, imo mera eſt vanitas & fumus: ut diſcamus curas omnes noſtras in te rejicere: & ex te ita pendere, ne dubitemus te nobis fore liberatorem ab omnibus periculis quæ inſtabunt, ubi nobis utile fuerit. Deinde ut etiam diſcamus vitam noſtram & negligere & ſpernere, præſertim pro teſtimonio gloriæ tuæ, ita ut ſimus parati ad migrandum ſimulac ex hoc mundo nos evocabis: & ita infixa ſit ſpes cæleſtis vitæ cordibus noſtris, ut libenter mundum relinquamus, & aſpiremus toto animo ad beatam illam æternitatem, quam nobis in cælo repoſitam eſſe per Euangelium teſtatus es, & quam nobis peperit unigenitus Filius tuus ſanguine ſuo, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA SEXTA IN DANIELEM.

26. Tunc acceſſit Nebuchadnezer ad oſtium fornacis ignis ardentis: loquutus eſt, & dixit, Sadrach, Meſach, & Abednego ſervi Dei excelſi, egredimini, & venite. Tunc egreſſi ſunt Sadrach, Meſach, & Abednego è medio ignis.

HIc deſcribitur ſubita mutatio in Rege crudeliſſimo & non minus ſuperbo. Vidimus antehac quam confidenter exegerit impium cultum à ſervis Dei: & quum videret illos non obſequi ſuo imperio, quantopere ſævierit contra ipſos. Nunc oſtendit Daniel exiguo tempore hanc ſuperbiam fuiſſe ſubactam, deinde placatam crudelitatem. Sed notandum eſt, Regem non ſic fuiſſe mutatum, ut prorſus ingenium & mores ſuos exueret. Nam quum tactus eſſet præſenti miraculo, dedit quidem Deo gloriam, ſed ad momentum: interea non reſipuit. Et ejuſmodi exempla diligenter notanda ſunt, quoniam multi ex uno facto æſtimant qualis ſit quiſque. Atqui poterunt peſſimi Dei contemptores ad tempus aliquod ſeſe ei ſubjicere, neque id ſimulabunt in hominum oculis, ſed facient ſerio affectu: quia ſcilicet Deus ſua virtute illos cogit: ſed interim retinent intus & ſuperbiam & ferociam. Talis igitur fuit converſio Regis Nebuchadnezer. Nam attonitus miraculo non potuit ulterius Deo reſiſtere: ſed non conſtitit ſibi, quemadmodum paulo poſt videbimus. Sciamus itaque impios, qui non ſunt regeniti Spiritu Dei, impelli ſæpe ad Deum colendum: ſed hoc eſt in ipſis particulare: neque manet æquabilis tenor in toto vitæ curſu. Ubi autem Deus ſuos reformat, ſimul ſuſcipit gubernandos uſque ad finem, & ad perſeverantiam eos animat, & confirmat Spiritu ſuo. Notandum tamen eſt, illuſtrari Dei gloriam hac temporali & evanida converſione reproborum, quia velint nolint, cedunt tamen Deo ad tempus: illic cognoſcitur quanta ſit ejus potentia. Deus ergo in ſuam gloriam accommodat quod nihil prodeſt reprobis, ſed potius cedit illis in gravius judicium. Minus enim excuſabilis fuit Nebuchadnezer poſtquam ſimul agnovit Deum Iſraëlis eſſe ſummum & unicum Deum: deinde ſtatim relapſus eſt ad ſuas ſuperſtitiones. Dicit igitur *ipſum appropinquaſſe ad oſtium fornacis, & ita loquutum eſſe, Sadrach, Meſach, & Abednego ſervi Dei excelſi, egredimini, & venite.* Paulo ante volebat ſtatuam ſuam coli, & cenſeri hoc unicum numen in cælo & in terra, quoniam ſcilicet ita placuerat. Vidimus enim eum ſibi tantum arrogare, ut religionem & cultum Dei ſubjiceret ſuo arbitrio, vel libidini potius: nunc autem, acſi eſſet novus homo, vocat Sadrach, Meſach, & Abednego, ſervos Dei excelſi. Quem igitur locum ſibiipſi reſiduum facit & omnibus Chaldæis? Nempe quod colant fictitios deos, & idola, quæ ſibi ipſi fabricati ſunt. Sed Deus extorſit hanc vocem Regi & crudeli & ſuperbo, quemadmodum ubi malefici tormentis adiguntur ad dicendum quod nollent. Sic ergo Nebuchadnezer confeſſus eſt *Deum Iſraëlis eſſe Deum excelſum*, quemadmodum ſi fuiſſet in equuleo, non autem ſponte, neque ex compoſito animi ſenſu. Non ſimulat hoc coram hominibus, quemadmodum dictum eſt: ſed animus ejus neque purus fuit neque integer, quin motu tantum particulari efferbuit. Et hoc etiam addendum eſt, fuiſſe hunc violentum potius inſtinctum quam voluntarium. Poſtea narrat Daniel *ſocios ſuos fuiſſe egreſſos è medio ignis.* Quibus verbis iterum confirmat miraculum. Deus enim poterat ignem fornacis extinguere: ſed voluit ut arderet in conſpectu omnium, quo ſcilicet magis perſpicua eſſet virtus liberationis. Et interea notandum eſt, *tres viros in fornace ambulaſſe*, donec Rex juberet ipſos egredi, quia nihil Deus præceperat. Videbant ſe ſalvos manere, & incolumes in medio fornacis: contenti fuerunt præſenti illo Dei beneficio: egreſſus autem illis nondum liber erat, donec voce Regis fuerunt accerſiti. Quemadmodum quum Noah eſſet in arca, videbat ſalutem *Geneſ. 8.*
ſibi eſſe poſitam in ſepulchro, non tentavit igitur *verſ. 16.*
quicquam, donec juſſus eſt egredi. Sic etiam exprimit Daniel ſocios ſuos non egreſſos fuiſſe è fornace, donec Rex hoc præciperet. Tunc demum intellexerunt placere Deo quod audierant ex ore Regis, non quod eſſet Propheta, vel doctor, ſed quia ejus mandato conjecti fuerant in fornacem: ita etiam quum nunc ipſos revocat, ſciunt jam finem impoſitum eſſe cruci: & ita quaſi tranſeunt à morte in vitam. Sequitur,

27. Et congregati ſunt Satrapæ, Duces, Præfecti, & Conſiliarii Regis, (*alii etiam vertunt poſtremum, Præfectos, ſed male: proprie ſignificat vel Conſiliarios vel qui familiares ſunt ex comitatu, ut conſtat ex pluribus locis: Conſiliarii ergo Regis*) ad conſpiciendos viros illos, quod non dominatus eſſet ignis corporibus eorum, & pilus capitis eorum non aduſtus eſſet, & veſtitus eorum non eſſet mutatus, & odor ignis non pervaſiſſet (*vel non penetraſſet*) ad eos. (*vel, ad ipſa: nam relativum hoc poteſt exponi tam de perſonis, quam de corporibus & veſtitu, ſed in ſumma rei parum intereſt.*)

Narrat Daniel congregatos fuiſſe Satrapas, & Duces, & Præfectos, & Conſiliarios Regis. Illud Congregari, tantundem valet ac conferre capita. Quaſi ergo deliberaturi de re magna, inter ſe conveniunt. Et hac etiam circumſtantia confirmat miraculum: quia ſi fuiſſent obſtupefacti, quid profuerat talem & tantam Dei virtutem propoſitam eſſe oculis cæcorum? Sic ergo Deus percuſſit ipſos admiratione, ut tamen prorſus non fuerint hebetes. Et hoc intelligit Daniel ubi dicit *fuiſſe congregatos.* Poſtquam ergo inter ſe rem agitarunt, dicit eos *veniſſe ad inſpiciendum ſpecimen illud incredibilis potentiæ Dei.* Et enumerat etiam partes multas, quæ clarius oſtendunt non aliter ſervatos fuiſſe tres illos viros, quam ſingulari Dei beneficio. Dicit enim *ignem non dominatum fuiſſe eorum corporibus*: deinde, *pilum capitis non fuiſſe aduſtum*: tertio, *non fuiſſe veſtem mutatam*: poſtremo, *odorem ignis non penetraſſe ad ipſos uſque*, vel ad ipſorum veſtes. Plus enim exprimit hoc verbo *odoris*, quam ſi ſimpliciter dixiſſet ignem non penetraſſe. Nam fieri poterit, ut ignis non conſumat corpus aliquod, ſed tamen amburat, vel uſtulet: ubi autem ne odor quidem ignis pervadit ad corpus, hinc magis conſpicuum

fit miraculum. Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ. In ſumma, narrat non fuiſſe obſcurum hoc beneficium liberationis, quod *egreſſi ſunt incolumes è fornace Sadrach, Meſach, & Abednego*: ſed Satrapas, & Præfectos, & Duces fuiſſe teſtes potentiæ Dei. Potuit autem illorum teſtimonium pluris eſſe, quam ſi Judæi omnes fuiſſent ſpectatores hujus gratiæ Dei: neque enim créditum fuiſſet Judæis. Sed quum certum eſſet, iſtos eſſe ex profeſſo hoſtes veræ pietatis, certe libenter ſepeliiſſent miraculum, ſi fuiſſet in ipſorum arbitrio. Sed Deus invitos trahit, ut cogantur oculati eſſe teſtes, & deinde cogantur fateri quod jam non poterat admittere ullam dubitationem. Sequitur,

28. Loquutus eſt Nebuchadnezer, & dixit, Benedictus Deus ipſorum, nempe Sadrach, Meſach, & Abednego, qui miſit Angelum ſuum, & eripuit (*ſervavit*) ſervos ſuos, qui confiſi ſunt in ipſo, & verbum Regis mutarunt, (*transgreſſi ſunt, hoc eſt, abrogarunt fidem & auctoritatem edicto Regis*) & tradiderunt corpora ſua, ne colerent, vel adorarent omnem deum, (*hoc eſt, ullum omnino deum adorarent*) præter Deum ſuum.

Hæc quidem eſt non vulgaris confeſſio: ſed ex eventu palam fiet Regem Nebuchadnezer correptum fuiſſe ſubito impetu, non autem fuiſſe vivam radicem timoris Dei in corde ejus. Et hoc iterum repeto, ut ſciamus reſipiſcentiam non eſſe poſitam in uno aut altero opere, ſed in perſeverantia, quemadmodum Paulus dicit, Si ſpiritu vivitis, ſpiritu etiam ambulate. [*Galat. 5. verſ. 25.*] Exigit illic conſtantiam à fidelibus, ut oſtendant ſe vere eſſe regenitos Dei Spiritu. Nebuchadnezer ergo quaſi enthouſiaſmo correptus celebravit Deum Iſraëlis: ſed interea permiſcuit idola ſua vero Deo. Ita nihil fuit in ipſo ſincerum. Sic impii, ubi ſenſerunt Dei potentiam, non audent quidem pertinacius contra ipſum progredi: ſed volunt ipſum placare ficta aliqua pœnitentia, neque tamen exuunt ingenium ſuum: quemadmodum facile apparet, Nebuchadnezer ſemper fuiſſe ſui ſimilem, niſi quod Deus hanc illi confeſſionem expreſſit: *Benedictus*, inquit, *Deus Sadrach, Meſach, & Abednego*. Cur non potius vocat Deum ſuum? Hoc quidem poſſet excuſari, ſi ſe vere addiceret Deo Iſraëlis, & ſuperſtitiones ſuas priſtinas abjiceret. Hoc autem non facit: ergo ficta eſt iſta confeſſio: non quod voluerit captare ab hominibus gratiam, vel favorem, quemadmodum dixi: ſed ſeipſum decepit, quemadmodum ſolent hypocritæ. Pronunciat Deum Sadrach, Meſach, & Abednego eſſe benedictum: ſi hoc pure faceret, malediceret ſimul ſuis idolis. Neque enim poteſt extolli veri & unius Dei gloria, quin idola omnia in nihilum redigantur. In quo enim ſita eſt laus Dei, niſi ut ſolus ipſe emineat? Si quis alius deus opponitur, jam obruitur ejus majeſtas quaſi obductis tenebris. Hinc ergo colligere licet, Nebuchadnezer non fuiſſe tactum vera reſipiſcentia, quum benedixit Deo Iſraëlis. Addit, *Qui miſit Angelum ſuum, & eripuit ſervos ſuos*. Hic clarius oſtendit Daniel Nebuchadnezer non fuiſſe converſum, ut amplecteretur Deum Iſraëlis, & ſolide ipſum coleret integro cordis affectu. Quare? Pietas enim ſemper fundata eſt in cognitione veri Dei, quæ requirit doctrinam. Cognovit Nebuchadnezer Deum Iſraëlis eſſe Deum excelſum: Unde? nempe ex potentia. Habuit enim ſpectaculum objectum ſuis oculis, quod non potuit contemnere, etiamſi vellet. Sic ergo fatetur Deum Iſraëlis eſſe Deum excelſum, nempe edoctus miraculo: ſed hoc ad ſolidam pietatem non ſufficit, quemadmodum admonui, niſi etiam accedat doctrina, imo primas partes occupet. Fateor quidem præparari miraculis homines ad credendum: ſed ſi nuda miracula appareant, & non ſit adjuncta cognitio ex ſermone ipſo Dei, erit fides evanida: quemadmodum ſatis illuſtre exemplum hic nobis proponitur. Sciamus ergo particularem fuiſſe fidem in Rege Nebuchadnezer, quia ſenſus ſuos defixos habuit in miraculum, & ſpectaculo illo contentus, non ſciſcitatus eſt quiſnam eſſet Deus Iſraëlis, & quid Lex ejus comprehenderet: neque etiam ſollicitus fuit de Mediatore: denique neglexit totam pietatis ſummam, & unam duntaxat partem temere arripuit. Hoc quotidie etiam cernimus in multis hominibus profanis. Nam ſæpe Deus ipſos humiliat, ut ſuppliciter ad ipſum confugiant: ſed interea manent perplexi in ſuo ſenſu, neque abnegant ſuas ſuperſtitiones, neque etiam curant quiſnam ſit verus Dei cultus. Ita ut probemus obſequia noſtra Deo, tenendum eſt illud principium, nihil placere quod non ſit ex fide. [*Rom. 14. verſ. 23.*] Fidem autem non poſſe concipi ex aliquo miraculo, ex aliquo ſenſu divinæ potentiæ: ſed ſimul requirere doctrinam. Miracula enim ad præparationem valent duntaxat, vel ad confirmationem pietatis: per ſe autem non poſſunt homines ad verum Dei cultum adducere. Hoc autem mirum eſt, quod Rex profanus dicit *miſſum fuiſſe Angelum à Deo*. Sed ſatis conſtat ex ſcriptis hominum profanorum, ſemper aliquid fuiſſe de Angelis cognitum. Fuit hæc quaſi prolepſis, anticipata quædam perſuaſio: quemadmodum omnibus populis perſuaſum fuit eſſe aliquod numen: ſic de Angelis etiam fuit aliquis guſtus, ſed obſcurus. Et quum paulo ante narravit Daniel quartum, qui in fornace erat, vocari Filium Dei à Rege Babylonio, jam tunc, ſicuti expoſui, profeſſus eſt Nebuchadnezer aliquid ſe tenere de Angelis. Nunc expreſſius loquitur, quod *Deus Angelum ſuum miſerit*. Quomodo autem ſuppetias ferant Angeli electis, & fidelibus, tunc breviter dictum eſt: neque ſoleo multum exſpatiari in locis communibus. Sufficit quantum ad præſentem locum ſpectat, etiam impios, qui nihil didicerant vel de ipſo Deo, vel de tota pietate, fuiſſe tamen imbutos iſtis principiis, quod Deus opera Angelorum uti ſoleat ad ſuos ſervandos. Hac ratione nunc dicit Nebuchadnezer, *miſſum fuiſſe Angelum à Deo, qui eriperet ſervos ipſius*. Jam addit, *qui confiſi ſunt in ipſo*, quod etiam notatu dignum eſt: quia additur tanquam cauſæ redditio, cur ita mirabiliter erepti fuerint tres illi viri, quoniam ſpem in Deo poſuerant. Quanquam autem Nebuchadnezer fuit vel trunco vel lapidi fere ſimilis, quod attinet ad fidei doctrinam: Deus tamen voluit per hunc lapidem, per hunc ſtipitem nos docere, & incutere nobis pudorem, & exprobrare nobis vitium incredulitatis, quod non poſſumus vitam noſtram permittere ejus arbitrio, & fortiter adire pericula, quoties opus eſt. Nam ſi hoc nobis eſſet perſuaſum, Deum eſſe vitæ noſtræ cuſtodem, certe nullæ minæ, nulli terrores, nullæ denique mortes nobis obſtarent, quominus pergeremus in officio. Sed diffidentia ignaviæ cauſa eſt, & quoties deflectimus à recta via, quoties fraudamus Deum honore ſuo, quoties perfide deficimus, prodit ſe & poteſt quaſi palpari manibus noſtra incredulitas. Ergo diſcamus, ſi volumus vitam noſtram protegi Dei manu, nos totos ei permittere: quia non fallet ſpem noſtram, modo in ipſo acquieſcamus. Vidimus quidem dubios & incertos fuiſſe de eventu Sadrach, Meſach, & Abednego: ſed interea hoc non potuit diminuere ſpem & fiduciam ipſorum: quia uſi ſunt hoc dilemmate: vel Deus nos eruet ex fornace ignis, vel ſi moriendum eſt, tamen ſervabit nos præſtantiore modo: quia colliget in regnum ſuum. Quanquam ergo non auſi ſunt ſibi

pro-

promittere quod ipſos latebat, tamen repoſuerunt animas ſuas in manum & cuſtodiam Dei. Merito itaque hoc elogio ornantur à Nebuchadnezer quod *conſiſi fuerint Deo ſuo*. Poſtea adjungit, quod *mutaverint edictum Regis*, id eſt, pro nihilo duxerint, ſed abrogaverint potius, quia præditi erant majori poteſtate. Quiſquis enim reſpicit in Deum, facile deſpicit cunctos mortales, & quicquid eſt ſplendoris & celſitudinis in tota terra. Et hic contextus dignus eſt obſervatu, fiduciam poni quaſi fundamentum: deinde adjungi magnitudinem animi & conſtantiam qua instructi fuerunt Sadrach, Meſach, & Abednego: quia ſcilicet quiſquis acquieſcit in Deo, nunquam poterit dimoveri, quin officium præſtet: & utcunque occurrant multa impedimenta, fiduciæ tamen alis quaſi in ſublime tolletur. Jam qui Deum à parte ſua ſtare novit, ſuperior erit toto mundo, ut ne Regum quidem ſceptra vel diademata miretur, vel ad potentiam expaveſcat: quin potius ſuperet quicquid altitudinis è terra objicietur, ne unquam reflectat curſum ſuum. Poſtea addit, *quod corpora ſua tradiderint, ne colerent, vel adorarent ullum deum, præter Deum ſuum*. Quod cogitur laudare in tribus iſtis viris Rex impius, hodie multi qui ſe jactant Chriſtianos, vellent labefactare. Nam imaginantur fidem ſepultam in cordibus, & quæ fructum nullum confeſſionis proferat. Non dubium eſt, quin Deus referri hæc ſingula voluerit à Propheta ſuo, quo magis deteſtabilis nobis ſit eorum vafrities, qui vellent fraudare Deum honore legitimo: & interea tamen quaſi oblinere ejus oculos, ne cernat ſibi fieri injuriam. Tales indigni ſunt, qui coarguantur verbo Dei. ſed hic conſtituitur illis Nebuchadnezer & magiſter, & cenſor, & judex. Et hoc etiam diligenter notandum eſt. Laudat Nebuchadnezer tres iſtos viros, quod recuſaverint ullum alium deum colere præter Deum ſuum. Cur igitur ipſe commiſcuit magnam deorum turbam? Neque enim diſceſſit à ſuis erroribus, ut ſe totum dederet Deo Iſraëlis, & amplecteretur purum ejus cultum. Cur in aliis laudat quod non imitatur? Sed hoc nimis eſt vulgare. Videmus enim virtutem laudari, & interea algere, quemadmodum ille dicit. Nam multi vo- *Juven. Sat. 1.* lunt lingua tantum defungi. Quanquam autem Nebuchadnezer viſus eſt ſibi loqui ſerio, tamen ſeipſum non conſideravit: ſed hoc abſtulit omnem prætextum excuſationis, quia poſtea non potuit obtendere ignorantiam & errorem, quum ore ſuo aſſeruiſſet non colendum eſſe alium deum. Pudeat igitur nunc eos, qui Chriſtiani cenſeri volunt, niſi procul abſint ab omnibus impiis ſuperſtitionibus, & ſe totos conſecrent Deo, & ſincerum ejus cultum retineant. Eſt etiam hoc memoria repetendum, Regem Nebuchadnezer non ſimpliciter laudare conſtantiam in tribus iſtis viris, quia quemlibet deum non colerent: ſed ſimul agnoſcere Deum Iſraëlis eſſe verum Deum. Unde ſequitur, omnes alios fuiſſe fictitios & meram vanitatem. Sed futiliter loquutus eſt, quia Deus non penitus affecerat cor ipſius, quemadmodum operari ſolet in electis ſuis, ubi eos regenerat. Sequitur,

29. Et à me poſitum eſt (*hoc eſt, ponitur*) edictum, (*vel decretum: diximus de hac voce*) ut omnis populus, natio, (*alii vertunt familiam*) & lingua quæ protulerit *aliquid* transverſum (שלה *ſalah, ſignificat errare: inde deducitur hoc nomen, quod vertunt errorem multi, alii temeritatem: ſed intelligitur ſermo perverſus: quiſquis ergo protulerit ſermonem perverſum*) contra Deum ipſorum, nempe Sadrach, Meſach, & Abednego, *in* fruſta fiet, & domus ejus *in* latrinam (*vel in ſterquilinium*) redigetur: quia non eſt Deus alius qui poſſit ſervare hoc modo.

Hic Nebuchadnezer longius truditur: hoc enim verbo utendum eſt: quia non ſuſcipit unius Dei cultum ex animo, ut vale dicat ſuis erroribus, ſicuti dictum eſt. Perinde igitur eſt acſi Deus illum violenter extruderet, dum promulgat hoc edictum. Eſt autem edictum per ſe pium & laudabile: ſed jam diximus Nebuchadnezer ferri cæco & turbulento impulſu, quia ſcilicet pietas non egerat radicem in ejus corde. Semper ergo intentus eſt in miraculum: ita fides ejus eſt particularis, & ſimul timor Dei mutilus. Cur ergo nunc videtur patronus eſſe gloriæ Dei Nebuchadnezer? Nempe quia territus eſt miraculo. Ergo non aliter impulſus non poteſt ſolide contineri in unius Dei timore. Denique ſtudium hoc, quod præ ſe fert, nihil aliud eſt quam evanidus aliquis motus. Et hoc notatu utile eſt: quoniam videmus zelo impetuoſo multos ferri, ut velint aſſerere Dei gloriam: ſed quia delectu & judicio carent, hoc non poteſt illis aſcribi in laudem. Et multi etiam longe deterius errant, quemadmodum videmus fieri in Papam, ubi volitant multa Regum & Principum edicta. ſi quis autem roget, quorſum tantopere ardent, ut non parcant ſanguini humano? Nempe obtendunt zelum Dei: ſed mera eſt rabies, ubi non prælucet vera cognitio. Tenendum eſt igitur, non poſſe ferri ullam legem, neque poſſe edictum promulgari de religione & Dei cultu, niſi affulgeat recta Dei cognitio. Nebuchadnezer quidem in hoc edicto habuit rationem: ſed quemadmodum jam dixi, fuit quidam particularis in eo motus. Qui autem nunc volunt cenſeri Chriſtiani Principes, tantum inſaniunt prætextu zeli: & ita fundunt, quemadmodum crudeles belluæ, innoxium ſanguinem. Quare? Neque enim diſcernunt inter verum Deum, & idola. Sed craſtino die plura de hac re dicentur: ideo nunc levius prætereo quod poterit fuſius tractari. Nam habebit tunc opportunum locum. *Omnis ergo populus, & natio, & lingua, quæ protulerit perverſum ſermonem contra Deum ipſorum*. Rurſus extollit Nebuchadnezer Deum Iſraëlis. Sed unde edoctus eſt Deum eſſe excelſum? Nempe uno duntaxat virtutis ejus documento: neglexit autem quod præcipuum erat, ut intelligeret ex Lege & Prophetis quiſnam eſſet Deus ille, & quænam eſſet ejus voluntas. Sic videmus in una duntaxat parte hic aſſeri Dei gloriam: interea quod in ejus cultu & in vera pietate erat præcipuum, negligi & omitti. Additur pœna non levis, *ut in fruſta redigatur: deinde ut vertatur in ſterquilinium ejus domus qui contumelioſe loquutus fuerit de Deo Iſraëlis*. Unde colligimus, non prorſus damnandam eſſe ſeveritatem, ubi aſſeritur cultus Dei pœnis atrocibus: ſed debere fieri rectum judicium de cauſa. Verum hoc quoque differo in diem craſtinum. Jam quod additur, *quia non ſit alius Deus, qui poſſit hoc modo eruere*, magis confirmat quod prius attigi, nempe Regem Nebuchadnezer in ſuo edicto non ſpectare Legem, non ſpectare reliquas partes pietatis: ſed tantum miraculo moveri & impelli, ut non poſſit ferre, neque velit quicquam probroſe dici adverſus Deum Iſraëlis. Ergo in edicto, hoc tantum reprehenſione dignum eſt, quod non inquirit quiſnam ſit ille Deus, ut poſſit firma ratione adduci ad promulgandum edictum. Tandem ſubjicitur,

30. Tunc Rex proſperare fecit (*ad verbum: nam zalach צלח ſignificat proſpere agere: inde deductum eſt hoc verbum, quod ſignificat in proſperum ſtatum reponere. feliciter ergo agere dedit illis tribus viris*) Sadrach, Meſach, & Abednego in provincia Babylonis.

Hoc videtur eſſe levis momenti, ſed tamen non fruſtra additum fuit: nempe ut ſciamus confirmatum fuiſſe miraculum per totam provinciam & regionem, quum ſcirent omnes Chaldæi fuiſſe projectos in fornacem ignis tres iſtos viros, qui deinde potiti ſunt imperio regio, & reſtituti in gradum ſui honoris. Quum ergo hoc factum eſt, non potuit latere virtus Dei. Ergo perinde fuit, acſi Deus emitteret tres præcones per totam regionem, qui ubique palam facerent quam mirabiliter fuiſſent erepti à morte, atque ſingulari Dei beneficio. Unde etiam potuit intelligi, nihili eſſe omnes deos qui tunc colebantur in Chaldæa, quum ſcilicet contemptus fuiſſet ſummus ille deus cujus ſtatuam erexerat Nebuchadnezer: & tamen probatam fuiſſe hanc conſtantiam vero Deo, qui ſervos ſuos eripuerat à morte.

Da omnipotens Deus, quum nobis innotueris doctrina & Legis tuæ & Euangelii, & quotidie etiam digneris familiariter nobis patefacere tuam voluntatem: ut defixi maneamus in vera obedientia ejus doctrinæ, in qua nobis manifeſtatur perfecta juſtitia, neque unquam dimoveamur à cultu tuo: & quicquid acciderit, ut parati ſimus ad obeundas potius centum mortes, quam deflectamus à vera pietatis profeſſione, in qua ſcimus repoſitam eſſe noſtram ſalutem: & ita glorificemus nomen tuum, ut participes ſimus ejus gloriæ, quæ nobis acquiſita eſt unigeniti Filii tui ſanguine, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA SEPTIMA IN DANIELEM.

Cap. IV.

NEbuchadnezer Rex omnibus populis, nationibus, & linguis, quæ habitant in tota terra: pax vobis multiplicetur.

2. Signa & mirabilia quæ fecit mecum Deus excelſus pulchrum coram me enarrare.

3. Signa ejus quam magna *ſint!* & mirabilia ejus quam fortia! Regnum ejus Regnum ſeculare, (*hoc eſt, perpetuum*) & dominatio ejus cum ætate & ætate.

QUidam attexunt hos tres verſus ad finem tertii cap. ſed nulla videtur eſſe ratio: & ex contextu clarius patebit, hic proponi edictum ſub nomine Regis, & ſimul inſeri quod accidit. Daniel ergo hic loquitur ſub Regis perſona: poſtea narrat quid Regi acciderit, & tandem redit ad ejus perſonam. Videntur ergo non ſatis conſideraſſe Prophetæ conſilium & verba ipſa, qui ſeparant hos tres verſus à contextu quarti capitis. Poſſet quidem videri hoc durum & aſperum, ubi nunc inducit Daniel Regem Babylonium loquentem, deinde ipſe loquitur ſuo nomine: poſtea rurſus inducit perſonam Regis. Sed quoniam hæc varietas neque ambiguum neque obſcurum ſenſum reddit, non eſt cur nobis ſit moleſta. Videmus nunc quomodo inter ſe cohæreant omnes ſententiæ, quas deinde ſuo loco exponemus. Summa autem hujus capitis eſt, quia Nebuchadnezer quum ſatis edoctus eſſet unum Deum Iſraëlis colendum eſſe, & coactus fuiſſet ad tempus hoc fateri: tamen quia non diſceſſit à ſuis ſuperſtitionibus, imo quicquid conceperat de vero Deo, fuit momentaneum, ideo juſtam dediſſe pœnam tantæ ingratitudinis. Sed voluit Deus ipſum magis ac magis excæcari, quemadmodum ſolet agere cum reprobis, atque etiam cum electis interdum. Ubi enim addunt peccata peccatis, laxat Deus illis habenas, ut ſeſe projiciant. Poſtea vel porrigit illis manum, vel retrahit illos occulta virtute, aut etiam ſuis ferulis cogit in ordinem, & humiliat ipſos. Sic egit cum Rege Babylonio, Somnium poſtea videbimus: ſed hic breviter notandum eſt, admonitum fuiſſe Regem, ut ſentiret tandem nihil ſibi eſſe excuſationis, quoniam adeo præfractus fuerat. Poterat quidem Deus jure in ipſum animadvertere ſimulatque vidit non fuiſſe vere converſum: ſed antequam ſumeret de ipſo ultimam pœnam, de qua ſuo loco videbimus, eum monere voluit, ſi qua eſſet ſpes reſipiſcentiæ. Quanquam autem viſus eſt ſumma modeſtia excipere quod Deus per ſomnium manifeſtaverat, & quod Daniel ipſe interpretatus eſt; tamen ore profeſſus eſt quod non habebat in animo. Et ſatis hoc oſtendit: quia quum deberet ſibi & timere & cavere, non deſtitit tamen à ſua ſuperbia, ſed gloriatus eſt ſe Regem eſſe Regum, & Babylonem eſſe Reginam totius mundi. Quoniam ergo ita confidenter loquutus eſt, ex quo admonitus fuerat à Propheta, videmus nihil ei profuiſſe ſomnium. Sed Deus hoc modo magis inexcuſabilem ipſum reddere voluit: deinde quanquam non ſtatim fructus emerſit, longo tamen ſucceſſu temporis, quum Deus animum ejus tetigit, melius agnovit pœnam hanc ſibi divinitus fuiſſe inflictam. Ergo ſomnium hoc fuit ad pœnitentiam ingreſſus & quaſi præparatio: & quemadmodum videtur ſemen putreſcere in terra antequam fructum ſuum proferat: ſic etiam interdum operatur Deus per lentos progreſſus, & facit ut doctrina, quæ longo tempore viſa fuit inutilis, ſit tandem frugifera & efficax. Nunc venio ad verba: præfatio edicti eſt, *Nebuchadnezer Rex omnibus populis, nationibus, & linguis, quæ habitant in tota terra*, nempe ſub ditione ejus: quia noluit hoc intelligi de Scythia, vel de Gallia, vel de aliis longinquis regionibus: ſed quia longe & late patebat ejus imperium, ſuperbe loquutus eſt: quemadmodum videmus Romanos, qui non tam late dominabantur, tamen vocaſſe Romam ipſam, ſedem imperii totius orbis. Magnifice ergo hic Nebuchadnezer prædicat amplitudinem ſuæ Monarchiæ, *quum edictum ſuum mittit omnibus populis & gentibus, & linguis, quæ habitant in terra.* Poſtea adjungit, *Signa & mirabilia quæ fecit mecum Deus excelſus, pulchrum eſt coram me enarrare.* Non dubium eſt quin tandem ſenſerit ſumptas fuiſſe pœnas de ſua ingratitudine, quod tantum perfunctorie dediſſet uni & vero Deo gloriam, poſtea relapſus eſſet ad ſuas ſuperſtitiones, imo nunquam illis vale dixiſſet. Videmus ergo ſæpius caſtigatum fuiſſe Regem Nebuchadnezer antequam proficeret ſub Dei ferulis. Ideo ne miremur, ſi Deus ſæpius nos percutiat manu ſua: quia eventus ipſe & experientia demonſtrat nos pigros eſſe, & ut

ut verius dicam, prorſus ſocordes. Ubi ergo Deus vult nos ad reſipiſcentiam adducere, neceſſe eſt ut ictus ſæpius repetat: quia vel non movemur etiam ejus manu caſtigati, vel ſi ad tempus expergefacti videmur, tamen ſubinde redimus ad priſtinum torporem. Neceſſe eſt igitur aſſidue ingeminari flagella. Et hoc perſpicimus in hiſtoria præſenti quaſi in ſpeculo. Cæterum ſingulare hoc fuit beneficium Dei, quod Nebuchadnezer poſtquam ſæpius ipſum Deus caſtigaverat, tandem ceſſerit. Neſcitur tamen an hæc confeſſio prodierit ex vera & integra pœnitentia. Relinquo hoc in medio. Tamen non dubium eſt, quin hoc edictum recitaverit Daniel, ut oſtenderet Regem hunc tandem fuiſſe ſubactum, ut Deum Iſraëlis fateretur eſſe unicum Deum: & hoc teſtatum faceret omnibus populis & gentibus ſub ditione ſua. Interea hoc etiam notandum eſt, laudari elogio Spiritus hoc edictum Regis Babylonii. Neque enim hic Daniel alio conſilio, vel in alium finem refert edictum, niſi ut oſtendat fructum converſionis in Rege Nebuchadnezer. Ergo hoc extra controverſiam eſt, teſtatum fuiſſe Regem Nebuchadnezer ſuam pœnitentiam quum celebravit Deum Iſraëlis apud omnes populos: deinde quum pœnam propoſuit omnibus qui contumelioſe loquerentur adverſus Deum. Ideo ſæpe hic locus citatur ab Auguſtino contra Donatiſtas. Volebant enim ſibi dari impunitatem, quum proterve Eccleſiam turbarent, quum corrumperent puram doctrinam: imo etiam quum permitterent ſibi graſſari inſtar latronum. Nam compertum tunc fuit jugulatos fuiſſe quoſdam ab ipſis, alios vero fuiſſe mutilatos ſuis membris. Quum ergo ita licentioſe omnia ſibi permitterent, volebant tamen impune manere ſua ſcelera: & in primis tenebant hoc principium, Non eſſe pœnas ſumendas, ſi quis ab aliis diſſideret in religionis doctrina; quemadmodum hodie videmus quoſdam de hac re nimis cupide contendere. Certum eſt quid cupiant. Nam ſi quis ipſos reſpiciat, ſunt impii Dei contemptores: ſaltem vellent nihil certum eſſe in religione: ideo labefactare, & quantum in ſe eſt etiam convellere nituntur omnia pietatis principia. Ut ergo liceat ipſis evomere virus ſuum, ideo tantopere litigant pro impunitate, & negant pœnas de hæreticis & blaſphemis ſumendas eſſe. Talis eſt canis ille Caſtalio, ejuſque ſodales, & ſi qui ſunt alibi ſimiles: tales etiam tunc fuerunt Donatiſtæ. Et ideo, quemadmodum jam attigi, Auguſtinus pluribus locis citat hoc teſtimonium: & oſtendit pudendam eſſe ignaviam Chriſtianis Principibus, ſi indulgeant hæreticis & blaſphemis, & non aſſerant legitimis pœnis Dei gloriam, quum Rex Nebuchadnezer, qui tamen nunquam vere fuit converſus, inſtinctu tamen quodam arcano promulgaverit hoc edictum. Quicquid ſit, ſatis hoc inter homines modeſtos & non contentioſos notum eſſe debet, laudari Spiritus ſancti elogio edictum Nebuchadnezer. Si ita eſt, ſequitur ergo partes Regum eſſe tueri Dei cultum, & vindictam ſumere de profanis contemptoribus, qui vel ejus cultum in nihilum redigere conantur, vel adulterant veram doctrinam ſuis erroribus, atque ita diſſipant unitatem fidei, & turbant pacem Eccleſiæ. Hoc ſatis liquet ex Prophetæ contextu. Dicit autem initio Nebuchadnezer, *Signa & mirabilia quæ fecit Deus mecum, pulchrum eſt enarrare.* Initio aliqua ex parte expoſuerat quæ mirifice Deus cum ipſo egiſſet: verum illud evanidum fuit. Nunc ergo poſtquam ſecundo & tertio Deus illum corripuit, tandem fatetur ſibi eſſe glorioſum exponere mirabilia & ſigna Dei. Poſtea erumpit in exclamationem, *Signa ejus quam magna ſunt! mirabilia ejus quam ſunt fortia! Regnum ejus Regnum ſeculi, & dominatio ejus cum ætate & ætate.* Non dubium eſt, quin Nebuchadnezer excitare voluerit ſubditos, ut attentius legerent hoc edictum, & agnoſcerent quanti eſſet ponderis, ut ſe addicerent vero & unico Deo. Vocat *Deum excelſum*, Deum Iſraëlis haud dubie. Interea neſcitur an abjecerit ſuas ſuperſtitiones. Ego tamen potius in diverſam conjecturam inclino, quod ſcilicet non exuerit ſuos errores, ſed coactus fuerit dare gloriam ſummo Deo. Sic ergo agnovit Deum Iſraëlis, ut tamen adjungeret ei minores deos quaſi ſocios vel comites: ſicuti omnes increduli ſenſerunt eſſe aliquod ſummum numen, ſed imaginati ſunt deorum turbam. Sic ergo Nebuchadnezer confeſſus eſt Deum Iſraëlis eſſe Deum excelſum: interea tamen non correxit idololatriam, quæ tunc vigebat ſub ejus imperio: imo permiſcuit confuſe falſos deos Deo Iſraëlis. Ita non reliquit ſuas corruptelas. Magnifice quidem celebrat ſummi Dei gloriam: ſed hoc non ſufficit, niſi aboleantur omnes ſuperſtitiones, ut ſola religio quæ præſcripta eſt verbo Dei locum obtineat, & floreat purus & integer ejus cultus. In ſumma, hæc præfatio poſſet nobis indicium eſſe magnæ converſionis: ſed ſtatim videbimus Nebuchadnezer non fuiſſe penitus à ſuis erroribus purgatum. Proinde eo magis nos affici convenit, ubi videmus Regem multis erroribus adhuc implicitum, rapi tamen in admirationem divinæ virtutis, ut, quia non poteſt exprimere quod habet in animo, exclamet, *Signa ejus quam ſunt magna, & mirabilia ejus quam ſunt fortia!* Adjungit, *regnum ejus eſſe regnum perpetuum, & dominationem ejus eſſe ætatis & ætatis.* Hic jam fatetur non pendere potentiam Dei ab hominum arbitrio, ſicuti paulo ante dixerat colendam eſſe ſtatuam quam erexerat, quoniam ſic decreverat pro ſua poteſtate. Nunc ergo multum remittit ex hac ſuperbia, dum fatetur regnum Dei eſſe regnum perpetuum. Nunc ſequitur narratio. Nam hactenus præfatus eſt, ut edictum magis prodeſſet apud ſubditos, ut ſcilicet attenti eſſent ad rem maximam.

Epiſtola 166. ad Donatiſtas, & alibi.

4. Ego Nebuchadnezer quietus (*aut felix*) eram domi meæ, & florens (*aut viridis*) in palatio meo.

5. Somnium vidi, & exterruit me, (*ſum expavefactus: poſſet reſolvi copula in pronomen relativum, ſomnium vidi quod exterruit me vel expavefecit*) & cogitationes ſuper cubile meum & viſiones capitis mei conturbaverunt me.

6. Et à me poſitum fuit decretum, ut adducerentur (*hoc eſt, accerſerentur*) coram me omnes ſapientes Babylonis, qui interpretationem ſomnii patefacerent mihi.

Hic exponit Nebuchadnezer quomodo tandem agnoverit Deum excelſum. Non refert quæ prius jam documenta acceperat: ſed quoniam tandem domita fuit ſuperbia hoc poſtremo ſomnio, ideo tantum ejus mentionem facit. Interea dubium non eſt, quin revocaverit in memoriam priora ſomnia, & damnaverit ſeipſum ingratitudinis, quod tantas Dei virtutes ſepelierat, & quod deleverat perverſa oblivione tanta beneficia, quibus ipſum ornaverat Deus. Hic ergo tantum de poſtremo ſomnio loquitur, quod ſuo loco deinde videbimus. Sed antequam ad ſomnium deſcendat, dicit *ſe fuiſſe quietum.* שלה *ſeleh*, ſignificat quietum, ſignificat etiam felicem: & quia proſperitas homines ſecuros reddit, metaphorice refertur ad ſecuritatem. Et David quum eandem ſententiam de ſe pronunciat, utitur nomine eodem, hoc

Pſal. 30. verſ. 7.

eſt, quod inde deducitur: Dixi in felicitate, vel quiete mea. שלוה *ſaluah* alii vertunt abundantiam: ſed potius ſignificat vel quietem, vel proſperum ſtatum. Nebuchadnezer ergo hic circumſtantiam temporis deſignat, ut ſciamus ipſum fuiſſe correptum divinitus, quoniam proſpera fortuna ipſum inebriaverat & quaſi obſtupefecerat. Hoc autem illi accidiſſe mirum non eſt. Nam vulgare eſt & vetus proverbium, Satietate gigni ferociam, ſicuti videmus equos, ubi nimis ſaturati ſunt, calcitrare, nec poſſe ferre amplius ſeſſorem. Idem etiam contingit hominibus. Nam ſi Deus indulgentius ipſos vel liberalius tractat, ferociunt, contumelioſi ſunt adverſus cunctos mortales, excutiunt jugum ipſum Dei: denique obliviſcuntur ſe eſſe homines. Et quum hoc idem acciderit Davidi, quid fiet profanis hominibus, vel aliis qui adhuc nimium ſunt addicti mundo? Nam fatetur
Pſal. 30. verſ. 7. David ſe ita fuiſſe deceptum quiete ſua & felicitate, ut ſtatueret ſibi nihil amplius eſſe timendum: Dixi in felicitate, vel quiete mea, non movebor. Et poſtea ſubjicit, Domine caſtigaſti me, & fui conſternatus. Quum igitur David ſibi promiſerit perpetuam quietem in mundo, quia Deus ei pepercerat ad tempus, quam nobis debet ſuſpecta eſſe noſtra tranquillitas, ne torpeamus in fæcibus noſtris? Non fruſtra igitur Nebuchadnezer recitat, *ſe fuiſſe domi quietum, ſe floruiſſe in palatio ſuo*: quia hæc confidentiæ & ſuperbiæ cauſa fuit, ut ſecurius Deum ſperneret. Poſtea adjungit, *ſe vidiſſe ſomnium & fuiſſe turbatum.* Voluit proculdubio hic diſtinguere ſomnium ſuum à vulgaribus, quæ ſæpe oriuntur vel ex perturbatione cerebri, vel ex diurnis cogitationibus, vel ex aliis cauſis, quemadmodum alibi fuit viſum. Neque enim hic repetere neceſſe eſt quæ ante fuſius tractavimus. Satis ſit hoc breviter tenere, diſcerni ſomnium, quo Deus ipſum præmonuit de futura pœna quæ inſtabat, ab aliis ſomniis, quæ vel turbulenta ſunt, vel fluxa, & carent ratione. Dicit ergo, *ſe vidiſſe ſomnium*, ſic tamen ut vigilaret. Subjungit enim, *cogitationes ſibi fuiſſe ſuper cubile*: deinde, *ſe viſionibus capitis fuiſſe turbatum.* Hæc verborum congeries non alio ſpectat, niſi cæleſte fuiſſe oraculum viſionem illam, vel ſomnium illud, de quo poſtea iterum uberius dicendum erit. Sequitur, *poſitum fuiſſe ab eo decretum, ut vocarentur omnes ſapientes Babylonis, qui exponerent*, vel patefacerent, *interpretationem ſomnii.* Rex haud dubie ſomniabat ſæpius: neque tamen ſingulis diebus vocavit ad ſe Magos, & Ariolos, & Aſtrologos, & alios qui pollebant divinandi ſcientia, vel ſaltem eam profitebantur. Non conſuluit eos de ſingulis ſuis ſomniis: ſed quia Deus inſculpſerat ejus cordi certam notam qua obſignaverat hoc ſomnium, ideo non potuit Rex quieſcere, donec audiret ejus interpretationem. Sic ante vidimus ſancitam fuiſſe auctoritatem primi ſomnii de quatuor Monarchiis, & de æterno Chriſti regno: ita ut ſentiret Rex hoc è cælo profectum eſſe. Eſt autem aliquod diſcrimen inter hoc ſomnium, & illud quod ante expoſuimus. Deus enim ſomnium de quatuor Monarchiis delevit ex memoria Regis Nebuchadnezer: ita ut neceſſe fuerit Danielem & ſomnium ipſum proferre coram Rege, & ſimul adjungere interpretationem. Nam tunc obſcurior adhuc erat Daniel. Quanquam enim ſic profecerat ut excelleret inter omnes Chaldæos, tamen Rex Nebuchadnezer minus fuiſſet eum admiratus, ſi tantum fuiſſet interpres ſomnii. Voluit igitur Deus Prophetæ ſuo, & ejus doctrinæ acquirere majorem reverentiam, quum duas partes illi injunxit, nempe ut divinaret quodnam fuiſſet illud ſomnium, deinde exponeret ſenſum & finem. In hoc altero ſomnio tantum Daniel eſt interpres. Jam enim ſatis probaverat Deus ipſum eſſe præditum cæleſti ſpiritu, ut Nebuchadnezer non amplius vocaret ipſum quaſi unumquemlibet ex numero Magorum, ſed ſecerneret ipſum à reliquis omnibus. Dicit autem poſtea,

7. Tunc ingreſſi ſunt Magi, Aſtrologi, Chaldæi, (*hoc eſt, ſapientes*) & Phyſici, (*vel Mathematici: quantum ad voces ſpectat, ante diximus non eſſe magnopere laborandum, quia non poſſumus certo diſcernere quam quiſque ſcientiam profeſſus fuerit: certum eſt, quanquam eſſent meræ impoſturæ quæcunque tradebant, tamen honorificis titulis operuiſſe ſuam turpitudinem: quemadmodum vocarunt ſe Mathematicos vulgari nomine, quum tamen proprie loquendo nulla fuerit ars vel ſcientia in ipſis, ſed tantum præſtigiis luſerint miſeros homines: complectitur quidem Daniel his vocibus omnes Magos, & Ariolos, & Aſtrologos, & Augures, qui profitebantur artem divinandi*) & ſomnium (*inquit*) expoſui ego coram ipſis, & interpretationem ejus non patefecerunt mihi.

Hic Nebuchadnezer fatetur fruſtra accerſitos fuiſſe omnes Magos, & Ariolos. Hinc ſequitur, totam eorum ſcientiam fuiſſe fallacem: vel ſaltem quod Daniel potuit ſomnium exponere, hoc non fuiſſe ex induſtria humana, ſed ex cæleſti revelatione. Et hanc ſententiam amplector, quod ſcilicet Nebuchadnezer diſerte exprimere voluerit Danielem non fuiſſe humanitus edoctum, ut poſſet ſomnia interpretari, ſed fuiſſe hoc ſingulare donum Spiritus. Sumebat enim hoc pro confeſſo, ſi qua eſſet divinandi ſcientia vel ratio, eam eſſe penes Magos, & Ariolos, & Augures, & alios Chaldæos qui gloriabantur titulo perfectæ ſapientiæ. Hoc ergo quaſi extra controverſiam erat, Aſtrologos & reliquos pollere tanta ſcientia divinandi, ut nihil eos fugeret, quoad ferret humana facultas. Hinc ex oppoſito ſequitur, Danielem fuiſſe divinitus edoctum, quia ſi tantum fuiſſet Magus, & Aſtrologus, nonne etiam alii longam operam dederant huic ſcientiæ? Vult ergo Nebuchadnezer hic extollere Danielem ſupra omnes Magos, acſi diceret, cæleſtem eſſe Prophetam. Et hoc etiam melius patet ex ſequentibus, ubi adjungit,

8. Quouſque tandem coram me introductus eſt Daniel cujus nomen Beltſazar ſecundum nomen dei mei, & in quo ſpiritus deorum ſanctorum: & ſomnium coram ipſo narravi.

9. Beltſazar princeps (*vel magiſter*) Magorum, quia ego novi quod ſpiritus deorum ſanctorum in te *ſit*, & nullum arcanum te anxium reddit, (*alii vertunt, tibi ſit moleſtum: dicam poſtea de voce*) viſiones ſomnii mei quod vidi, & interpretationem ejus expone.

Hic blande alloquitur Rex Babylonius Danielem, quia videt ſe deſtitui à propriis doctoribus. Et hinc colligimus nunquam veniſſe ad verum Deum, niſi dum neceſſitate impulſus fuit. Neque enim incognitus erat Daniel, neque procul aberat. Vidimus enim fuiſſe in palatio. Quum ergo poſſet Rex primo quoque momento Daniele potiri, cur ipſum prætermiſit? Cur vocavit alios Magos hinc inde, &

voca-

vocavit eos edicto? Hinc clare apparet (quemadmodum dixi) nunquam gloriam Deo dediſſe, niſi ubi ſumma neceſſitate fuit conſtrictus. Nunquam ergo ſponte ſe Deo Iſraëlis ſubjecit: & ſatis conſtat momentaneos fuiſſe motus, quoties præbuit aliquod ſignum pietatis. Quum ergo ita ſuppliciter Danielem rogat, hinc videmus ſervile fuiſſe ejus ingenium: ſicuti omnes ſuperbi dum alieno auxilio non indigent, turgeſcunt, & nemo poteſt ferre eorum inſolentiam: ubi autem redacti ſunt ad extrema, tunc lamberent potius pulverem, quam non obtineant favorem, ubi illis opus eſt. Tale ergo fuit ingenium hujus Regis: quia libenter ſpreviſſet Danielem, ſicuti data opera eum poſthabuit Magis ſuis. Sed poſtquam videt ſe manere in ſuis anguſtiis, nec poſſe aliunde remedium afferri quam à Daniele, hoc eſt, ultimum refugium: & nunc videtur oblviſci ſuæ altitudinis, quum ita blanditur ſancto Dei Prophetæ. Sed cras reliqua proſequar.

Da omnipotens Deus, quum hic nobis ante oculos inſigne exemplum proponas, unde diſcamus magnitudinem tuæ potentiæ non ſatis poſſe celebrari humanis elogiis: & quum audiamus præconem illius fuiſſe profanum Regem, & etiam crudelem ac ſuperbum, poſtquam dignatus es te nobis familiariter in Chriſto tuo manifeſtare: ut vero humilitatis ſpiritu ſtudeamus tibi dare gloriam, & nos totos tibi addicere, ut non tantum ore & lingua, ſed etiam operibus declaremus te nobis eſſe, non modo verum & unicum Deum, ſed etiam patrem, poſtquam nos adoptaſti in Filio tuo unigenito, donec tandem potiamur æterna illa hæreditate, quæ nobis in cælo repoſita eſt, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA OCTAVA IN DANIELEM.

B*Eltſazar magiſter Magorum, quia novi ego quod ſpiritus deorum ſanctorum ſit in te, & nullum arcanum te fugiat*, vel ſuperet (dicam ſtatim de voce) *viſiones ſomnii mei quod vidi, & interpretationem ejus enarra.* Heri diximus Regem Nebuchadnezer ſupplicem fuiſſe Danieli, quia redactus erat ad extrema. Neque enim ipſum principio quæſivit, ſed conſuluit Magos ſuos. Quem ergo contempſerat, nunc cogitur venerari. Vocat ipſum *Beltſazar*: non dubium eſt, quin hoc nomen graviter vulneraverit animum Prophetæ. Nam à prima infantia nomen illi aliud impoſitum fuerat à parentibus, unde agnoſceret ſe Judæum eſſe, & originem trahere à gente ſancta & electa. Nunc quod nomen illi mutatum fuit (quemadmodum alibi diximus) haud dubie factum eſt aſtutia tyranni, ut paulatim oblviſceretur ſui generis. Voluit ergo nomine mutato Rex Nebuchadnezer degenerem reddere ſanctum Dei ſervum. Ideo quoties vocatus fuit hoc nomine, certum eſt fuiſſe non leviter offenſum. Sed non poterat mederi huic malo, quum eſſet captivus, & quum ſciret negotium ſibi eſſe cum victore populo & ſuperbo & crudeli. deinde, proximo verſu dixerat Nebuchadnezer nomen hoc eſſe ſecundum nomen Dei ſui. Quum ergo Daniel haberet nomen genuinum, quod parentes ei indiderant à judicio Dei, voluit delere ſacrum illud nomen Nebuchadnezer, & ideo honorifice illum vocavit Beltſazar: quod nomen credibile eſt fuiſſe deductum à nomine idoli. Itaque hoc duplicavit ſancto Prophetæ dolorem, quum aſperſus eſſet illa turpi macula, quod geſtaret ſcilicet inſigne idoli in ſuo nomine: ſed oportuit inter alia Dei flagella ferre etiam hoc malum. Ita Deus exercuit ſervum ſuum modis omnibus ſub crucis tolerantia. Jam quod vocat *Principem Magorum*, hoc etiam haud dubie pupugit animum ſancti Prophetæ. Nihil enim magis optaſſet, quam ſecerni à Magis, qui ſuis impoſturis & præſtigiis fallebant totum mundum. Quamvis enim pollerent ſcientia Aſtrologiæ, & haberent principia quædam laude digna: ſcimus tamen corruptas fuiſſe ab illis omnes ſcientias. Ergo Daniel non libenter audivit ſe unum ex illis cenſeri: ſed non potuit etiam ſe liberare hac infamia. Ita videmus patientiam ejus fuiſſe variis modis divinitus probatam. Jam addit Nebuchadnezer, *Quia novi quod ſpiritus deorum ſanctorum in te ſit.* Multi vertunt Angelos: neque diſplicet hæc interpretatio, quemadmodum alibi attigi. Nam hoc fuit cognitum cunctis gentibus, eſſe aliquem ſupremum Deum: ſed Angelos fingebant minores deos. Quicquid ſit, hic Nebuchadnezer prodit ſuam inſcitiam, quod ſcilicet non profecerit eo uſque in notitia veri Dei, quia adhuc implicitus ſit priſtinis ſuis erroribus, & retineat plures deos, quemadmodum ab initio imbutus fuerat illa ſuperſtitione. Poſſet quidem verti hic locus in numero ſingulari, quemadmodum nonnulli faciunt: ſed illud eſſet nimis coactum, & ratio qua moventur nimis infirma eſt. putant enim Nebuchadnezer fuiſſe vere converſum, quod tamen vanum eſſe convincitur ex toto contextu: occupati hac ſententia vellent eum eximere ab omni culpa. Sed quum certum ſit, in hoc edicto Nebuchadnezer comprehendi multa teſtimonia veteris inſcitiæ, non eſt cur quicquam mutemus ex ſimplici verborum ſenſu. Spiritum ergo divinum tribuit Danieli: ſed interea imaginatur complures deos. *Quoniam ergo ſpiritus ſanctorum deorum in te eſt*, inquit, *& nullum ſecretum te ſuperat.* אנס *anas* quidam vertunt moleſtum eſſe: proprie autem ſignificat cogere, vel compellere: diſcedunt igitur à germano ſenſu qui transferunt, Nullum eſt arcanum quod te ſuperet. Quod alii vertunt moleſtum eſſe, eſſet quidem tolerabilis illa translatio: ſed poterant magis proprie loqui, reddendo, Nullum arcanum te anxium vel perplexum reddit. Si ferret ratio grammatices ut א eſſet litera ſervilis, bene quadraret ille ſenſus. Nam נסה *naſa* ſignificat tentare, vel probare: ſignificat etiam elevare. Poſſemus vertere, nullum ſecretum te eſt altius, vel tua mente, vel nullum ſecretum te probat: quaſi diceret Danielem præditum eſſe ſpiritu divino, ita ut quicquid propoſitum fuerit non examinetur, hoc eſt, non ſtatuatur examen de ejus ſcientia, quoniam facilis & prompta eſt ei reſponſio. Sed retinere tamen neceſſe eſt quod dixi, nullum arcanum te anxium reddit vel conſtringit. Sciebat hoc Nebuchadnezer, cur ergo non ſtatim illum ad ſe vocavit, quum eſſet perplexus? Quum Daniel poſſet eum liberare omni moleſtia, hic deprehenditur ejus ingratitudo, quod tamen Magos ſuos adhibuit in conſilium, neglecto Daniele. Videmus ergo ut ſemper Deum fugere conatus fuerit, donec violenta manu traheretur. unde apparet, non fuiſſe vere converſum. Nam pœnitentia voluntaria eſt: quia dicuntur reſipiſcere qui mutata mente ad Deum, à quo defecerant, libenter redeunt: quod fieri non poteſt ſine fide, & ſine amore Dei. Rogat tandem, *ut enarret ſomnium & interpretationem ejus.* Atqui ſomnium non erat incognitum, & ipſe etiam Danieli narrat. Eſt igitur aliquid ſupervacuum in his verbis: ſed in ſenſu nulla eſt ambiguitas: quia tantum poſtulat Nebuchadnezer ſibi exponi ſomnium. Sequitur,

10. Viſiones autem capitis mei ſuper cubile meum: Videbam, & ecce arbor in medio terræ, & altitudo ejus magna.

11. Crevit (*multiplicata eſt*) arbor, & invaluit, & altitudo ejus pertigit (*hoc eſt, ut altitudo ejus pertingeret*) ad cælos, & conſpectus ejus ad extremum totius (*vel univerſæ*) terræ.

12. Ramus ejus pulcher, & fructus ejus copioſus, (שגיא *ſaggui, ſignificat magnum vel multum*) & eſca omnibus in ea: ſub ea umbrabat (*ad verbum, hoc eſt, capiebat umbram*) beſtia agri, & in ramis ejus habitabant (*vel nidulabantur*) aves cælorum, & ex ea alebatur omnis caro. (*conjungi debent etiam ſequentes verſus.*)

13. Videbam *etiam* in viſionibus capitis mei ſuper cubile meum, & ecce vigil & ſanctus deſcendit è cælis.

14. Clamavit in fortitudine, (*hoc eſt, fortiter*) & ita loquutus eſt, Succidite arborem, & diripite folia ejus, (*neque enim placet bis repeti Ramos, ut quidam faciunt: fateor nomen* ענף *anaph, quod hic legitur, ſumi tam de fronde, quam de ramo:* עפי *apha autem ſignificat ramum: ergo ne ſupervacua ſit iteratio, diripite, vel excindite folia ejus*) excutite ramos ejus, & diſpergite fructus ejus: fugiat beſtia ex umbra ejus, (*de ſubtus, ad verbum*) & aves ex frondibus ejus. (*vel ex ramis ejus.*)

15. Tamen imum radicum ejus in terra relinquite, & in vinculo ferri, (*hoc eſt, ferreo*) & æneo, in herba agri, & pluvia cælorum irrigetur, & cum beſtia ſit portio ejus in herba terræ.

16. Cor ejus ab humano (*ſimpliciter, ab homine*) mutent: (*hoc eſt, mutetur, quemadmodum alibi viſum eſt*) & cor beſtiæ detur ei: & ſeptem tempora tranſeant ſuper eam.

Hic narrat ſomnium ſuum Nebuchadnezer, cujus poſtea interpretatio ſequetur ſuo loco. Tamen quia narratio hæc frigida eſſet, imo inutilis, niſi jam aliquid diceremus de re ipſa, neceſſe eſt aliquid attingere: reliqua differentur. Jam principio ſub figura arboris deſignatus fuit ipſe Nebuchadnezer, non quod omnes Regis partes præſtaret, ſed quia Deus in hunc finem conſtituit imperia in mundo, ut ſint quaſi arbores, ex quarum fructu veſcantur cuncti mortales, & ſub quarum etiam umbra quieſcant. Adeo autem viget hæc Dei ordinatio, ut tyranni quantumvis longe abſint à recta & moderata dominatione, tamen velint nolint, cogantur eſſe arbores: quia præſtat vivere ſub ſæviſſimo tyranno, quam ſine aliquo tegimine. Fingamus omnes æquali eſſe loco: quid tandem pariet talis Anarchia? Nemo enim vellet aliis cedere: quiſque experietur quantum valeat: ita ſumma erit & prædandi, & rapiendi, & fraudandi, & occidendi etiam licentia: denique laxatæ erunt habenæ omnibus hominum cupiditatibus. Ideo dixi tyrannidem meliorem eſſe, & poſſe æquius tolerari quam Anarchiam, ubi ſcilicet nullum eſt imperium, nemo eſt qui præſit & contineat reliquos in officio. Itaque nimis argute philoſophantur qui putant hic deſcribi Regem eximiis virtutibus præditum. Neque enim talis fuit juſtitiæ & æquitatis præſtantia in Rege Nebuchadnezer. Sed principio voluit Deus ſub hac figura oſtendere, quo conſilio mundum regi velit politico aliquo ordine, & ideo præficiat Reges & Monarchas & alios magiſtratus: deinde voluit etiam ſecundo oſtendere, quamvis tyranni & alii Principes qui obliviſcantur officii ſui, non præſtent quod illis divinitus injunctum erat: lucere tamen ſemper gratiam Dei in omnibus imperiis. Tyranni conantur extinguere omnem lucem æquitatis & juſtitiæ, & miſcere omnia: ſed Dominus interea ipſos retinet arcano & incomprehenſibili modo, uti cogantur aliquid utile præſtare humano generi, velint nolint. Hoc ergo tenendum eſt ex figura vel imagine arboris. Jam quod additur, *aves cæli habitaſſe in ramis*: deinde, *beſtias vixiſſe ex pabulo*, hoc ad homines referri debet. Etſi enim ſentiunt aliquid commodi beſtiæ agri ex ordine politico: tamen ſcimus in favorem hominum ordinatam fuiſſe politiam à Deo. non dubium igitur eſt, quin totus ſermo ſit metaphoricus: imo proprie loquendo eſt hic allegoria: quoniam allegoria nihil aliud eſt, quam continua metaphora. Si tantum pinxiſſet Regem ſub figura arboris Daniel, fuiſſet metaphora: ſed ubi proſequitur ſuam translationem continuo tenore, jam ſermo eſt allegoricus. Dicit igitur *beſtias agri habitare ſub arbore*, quoniam præſidio magiſtratuum tegimur: alioqui nullus Solis æſtus ita torret & adurit miſeros homines, quam ſi nudati eſſent hoc umbraculo, ſub quo Deus voluit ipſos quieſcere. *Aves etiam cæli nidulantur in ramis & frondibus.* Quidam nimis ſubtiliter diſtinguunt inter aves & inter beſtias. Mihi ſufficit, hoc à Propheta notari, homines cujuſcunque ſint ordinis, tamen ſentire non parvam utilitatem ex Principum tutela: quia ſi deſtituerentur hoc adminiculo, ſatius illis eſſet vivere inter feras beſtias, quam ſeſe mutuo conficere. Id autem neceſſe eſſet, ſi reputamus quanta ſuperbia omnibus ingenita ſit, & quam cæcus ſit noſtri amor: deinde, quam furioſæ ſint libidines. Quum ergo ita ſit, Deus in hoc ſomnio oſtendit, cujuſcunque ſimus ordinis, tamen nobis opus eſſe præſidio magiſtratuum. & per *paſtum & eſcam*, & per *umbraculum* ſignificat varias eſſe utilitates, quæ nobis redeunt ex ordine politico. Poſſet enim quiſpiam objicere, ſibi opus non eſſe magiſtratu hac vel in illa re: ſed ſi excutimus omnes vitæ neceſſitates, reperiemus omnino nobis neceſſarium eſſe hoc Dei beneficium. Jam quod additur, *altitudinem ejus fuiſſe magnam*: deinde *ipſam creviſſe ut pertingeret uſque ad cælos, & aſpectus ejus ſeſe extenderet ad extremos terræ fines*, hoc reſtringitur ad Monarchiam Babylonicam. fuerunt enim tunc alia imperia in mundo: ſed quorum conditio vel tenuis erat vel ſaltem mediocris. Sic autem tunc dominabantur Chaldæi, ut nemo Principum ad tantam magnitudinem & potentiam accederet. Quum ergo tanta eſſet eminentia in Rege Nebuchadnezer, non mirum eſt quod hic deſcribitur altitudo arboris, quæ pertigerit ad cælum: deinde altitudo quæ fuerit ſpectabilis uſque ad extremum terræ. Quod autem per medium terræ quidam ex Rabbinis vult notari Babylonem, quod fuerit ſub eadem linea, vel parallelo, ſub quo ſita erat Hieroſolyma, nimis eſt inſipidum. Et qui dicunt Hieroſolymam eſſe meditullium terræ, pueriliter labuntur: quemadmodum tamen Hieronymus, & Origenes, & alii ex veteribus tenent hoc quaſi certum principium, quod medium terræ ſit Hieroſolyma. Putant enim ſitam eſſe in medio mundi, ſed digni ſunt Cynici ludibrio, qui quum eſſet rogatus ut medium terræ indicaret, tetigit baculo ſuo terram, quæ erat ſub pedibus: deinde quum alter contra objiceret,

non

non eſſe umbilicum terræ, Tu mentire, inquit, terram. Sed quod ad Hieroſolymam ſpectat, certum eſt nihil poſſe deprehendi quale illi fingunt. Jam ille ſuperbus Barbinel voluit etiam videri Philoſophus: ſed nihil magis eſt inſipidum Judæis, quoties ex Grammatica ſua egreſſi ſunt: & Dominus ita eos excæcavit, & in reprobum ſenſum tradidit, ut voluerit eſſe ſpecula horrendæ cæcitatis, & prodigioſi ſtuporis: & in re parva & minuta oſtendit ille nebulo ſuam inſulſitatem. Jam quod dicitur, *ramos ejus fuiſſe pulchros, & fructum ejus fuiſſe copioſum*, hoc referri poteſt ad communem vulgi opinionem. Scimus enim perſtringi oculos ſplendore Principum. Nam ſi quis præ aliis excellit magna potentia, omnes eum adorant, & rapiuntur quodammodo in admirationem, ita ut nihil judicent: ubi imperatoria majeſtas, vel majeſtas regia in medium prodierit, protinus omnes obſtupeſcunt, ut nihil ſentiant. Neque enim putant ſibi fas eſſe intueri quid ſit in illis Principibus. Quum ergo tanta eſſet opulentia & potentia Regis Nebuchadnezer, non mirum eſt ſi Propheta dicit *ramos ejus fuiſſe pulchros & fructum copioſum*. Sed interea retinendum eſt quod nuper dixi, nempe fulgere Dei benedictionem in Principibus, etiam ſi longe ab officio ſuo diſtent, quia non patitur Deus prorſus extingui ſuam gratiam ab illis: ideo coguntur aliquem proferre fructum. Multo igitur pulchrius eſt videre qualecunque dominium, quam ſi eſſet æqualis omnium conditio, ubi quiſque oculos proximi ſui configeret. Et huc etiam pertinet quod dicit, *cunctis fuiſſe eſcam & cibum*, quemadmodum nuper expoſui. Sequitur ſecunda pars ſomnii. Hactenus enim deſcripſit pulchritudinem, & excellentiam ſtatus ſui Nebuchadnezer ſub figura proceræ arboris, quæ præbebat beſtiis umbram, & ipſas paſcebat ſuo fructu: deinde quæ dabat quietos nidos avibus cæli ſuis ramis. Jam ſequitur exciſio arboris: *Vidi*, inquit, *in viſionibus capitis mei ſuper cubile meum, & ecce vigil & ſanctus è cælis deſcendit*. Non dubium eſt quin per Vigilem intelligi debeat Angelus. Vocatur etiam Sanctus: ſed tamen periphraſtica eſt deſignatio Angeli: & merito hoc nomine vocantur, quia perpetuo ſunt in excubiis ad exequenda Dei mandata. Neque enim obnoxii ſunt ſopori, quia neque cibo neque potu aluntur, ſed vivunt ſpiritualem vitam: ideo etiam nullus eſt illis ſomni uſus, quia contrahimus ſomnum ex potu & cibo. Denique, quoniam Angeli carent corporibus, ideo pro ſpirituali ſua natura ſemper vigilant. Sed non tantum hic ſermo habetur de ipſorum natura, ſed ſimul exprimitur officium. Quia igitur Deus præſto ipſos habet ad quemlibet nutum, & quia deſtinat ipſos ad mandata ſua implenda, ideo
Pſal. 103. verſ. 20. dicuntur eſſe vigiles. In Pſalmo habetur, Angeli qui præſtatis voluntatem ejus: nempe quia pro agilitate nobis incomprehenſibili diſcurſant huc & illuc, & ſtatim convolant è cælo in terram, ab extrema plaga terræ uſque ad diverſam, ab Ortu uſque ad Occaſum. Quoniam ergo Angelis ita facile ac promptum eſt implere quod Deus præcepit, merito dicuntur vigiles. Dicuntur etiam ſancti, quoniam non ſunt infecti humanis ſordibus. Nos enim non tantum quia incolimus terram ſumus referti multis vitiis, ſed quoniam labem contraximus ex primo parente, quæ vitiavit omnes & corporis & animi partes. Hoc igitur elogio voluit Nebuchadnezer diſcernere Angelos à mortalibus. Quanquam enim Deus electos ſuos hic ſanctificat, tamen quamdiu habitant in ergaſtulo carnis ſuæ, nunquam ad ſanctitatem Angelicam perveniunt. Diſcrimen igitur hic notatur inter Angelos & homines. Non potuit hoc ex ſeipſo capere Nebuchadnezer: ſed edoctus fuit divinitus, ut ſentiret excidium hujus arboris non ab hominibus eſſe, ſed à juſſu Dei. Poſtea adjungit, *Angelum clamaſſe voce magna, Succidite arborem, diripite folia, diſcutite ramos ejus, diſpergite fructus ejus*, vel projicite: *& fugiat beſtia ab umbra ejus, aves etiam cæli non habitent in ramis*. Voluit hac figura Deus exprimere Regem Nebuchadnezer ad tempus fore ſimilem beſtiæ. Neque enim abſurdum hoc nobis videri debet, quamvis ſit aſperum, quod arbor dicitur ſpoliari corde humano. Scimus enim arbores non pollere alia vita quam vegetativa, ut loquuntur. Non potuit igitur imminui dignitas vel præſtantia arboris, quum exuitur corde humano. Nam nunquam cor humanum habuit. Sed quamvis hoc dictu ſit aſperum, nihil tamen continet abſurdum, quia deflectit nunc Daniel ab allegorico ſermone: imo Nebuchadnezer ipſe ſic habuit ſomnium allegoricum, ut tamen Deus aliquid permiſcuerit unde colligeret ſub imagine illa arboris notari aliud. Jubet ergo Angelus diripi, vel auferri cor humanum arbori, poſtquam exciſa fuerit, & direpti ac projecti fuerint ejus rami & fructus: deinde jubet dari cor beſtiæ, ut portio ejus ſit cum feris beſtiis & agreſtibus. Sed quoniam hoc repetendum alibi erit, nunc levius prætereo. Summa huc redit, Regem Nebuchadnezer ad tempus fuiſſe ſpoliandum non ſolum imperio, ſed etiam humano ſenſu, ut nihil differret à beſtiis, quia indignus eſſet qui etiam locum infimum teneret in vulgo: quamvis ſibi viſus fuerat longe ſuperare totum humanum genus ſua altitudine, ſic tamen dejiciendus fuit, ut ne poſtremus quidem eſſet inter mortales. Sequitur tamen hic moderatio hujus pœnæ, quum additur, *ſeptem tempora tranſeant ſuper ipſum*: deinde, *ne ſuccidite truncum radicum ejus, ſed irrigetur adhuc pluvia cælorum*: deinde, *portio ejus ſit cum feris*. Quanquam dura eſt atque horribilis caſtigatio, quum Nebuchadnezer expellitur è conſortio hominum, & ſimilis redditur feris beſtiis: hoc tamen aliquid eſt, quod Deus non evellit ipſum à radice, ſed vult radicem manere, ut iterum ſurgat & creſcat arbor, imo ut inſeratur in ſuum locum, & vigorem novum reciperet ex radice ſua. Huc reſpicit Daniel, inflictam fuiſſe pœnam Regi Nebuchadnezer, in qua tamen Deus ſpecimen aliquod præbuerit ſuæ clementiæ, quia pepercit ei, ne prorſus ipſum excinderet, ſed maneret aliqua radix. Quod hic quidam diſſerunt de pœnarum mitigatione, ubi Deus videt reſipiſcere eos, quos ſuis ferulis caſtigavit, neſcio an ſit tempeſtivum. Neque enim fuit vera converſio in Rege Nebuchadnezer, ut ante dictum eſt, & clarius iterum videbimus. Quod ergo Deus noluit eum durius urgere, hoc tribuere convenit clementiæ ejus: quia etiam ubi videtur ſine modo & menſura in hominum peccata animadvertere, tamen in omnibus temporalibus pœnis relinquit aliquem miſericordiæ ſuæ guſtum, ut reprobi etiam maneant inexcuſabiles. Nam quod aſſerunt non mitigari pœnas niſi remiſſa culpa, falſum eſt: quemadmodum videmus in exemplo Achab. Neque enim Deus remiſit culpam 1 Reg. 21.
Regi impio, ſed quia viſus fuerat oſtendere ſigna verſ. 29.
aliqua pœnitentiæ, Deus à graviore pœna abſtinuit. Sic etiam idem cernere licet in Rege Nebuchadnezer. Deus ergo noluit eum radicitus evellere (& hoc refertur ad metaphoram arboris) ſed voluit *tranſire ſeptem tempora*. Quidam intelligunt ſeptem hebdomadas, alii vero ſeptem annos: ſed hoc fuſius alibi tractabimus. Jam poſtremo hoc quoque notandum eſt, etiam medio illo tempore quo viſa eſt Dei vindicta ſævire contra miſerum hunc Regem: tamen ſimul permixta fuiſſe quædam beneficia. & hoc notatur ſub verbis iſtis, ubi dicit, *Sit portio ejus cum beſtiis agri*. hoc eſt, veſcatur aliquo cibo, ut interea toleret vitam: deinde, *irrigetur*, vel proluatur, *cæli alluvia*. Significat enim Deus, quamtiſper volebat punire Regem Nebuchadnezer, & oſtendere horribile illud iræ ſuæ exemplum: tamen reſpicere quid ferre poſſit, & ſic pœnam temperare,

ut maneat ſpes in poſterum: hinc fit, ut cibum etiam cum beſtiis terræ capiat; neque etiam fraudet eum irrigatione roris cæli.

Da omnipotens Deus, quando videmus tam difficile nobis eſſe, ferre proſperam fortunam, quin nos fere dementet, ut non meminerimus nos eſſe mortales: ut ſemper ante oculos nobis verſetur noſtra fragilitas, quæ nos contineat in humilitate, quo tibi gloriam demus, & abs te moniti diſcamus cum ſollicitudine incedere & metu, noſque tibi ſubjiceret modeſte etiam verſari cum fratribus noſtris, ut nemo vel alios faſtidiat vel contemnat, ſed ſtudeat modis omnibus obſequia & officia ſua præſtare, donec tandem nos colligas in eam gloriam, quæ nobis parta eſt unigeniti Filii tui ſanguine, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA NONA IN DANIELEM.

17. In decreto vigilum verbum, (*vel edictum: ſic enim commode poterit verti*) & in ſermone ſanctorum poſtulatio, ut cognoſcant viventes, quod dominator *ſit* Excelſus in regno hominum: & cui voluerit tradet illud, & humilem (*vel abjectum*) hominum (*id eſt, inter homines*) eriget ſuper ipſum.

HOc verſu confirmat Deus quod per ſomnium oſtenderat Regi Babylonio. Dicit igitur Regem edoctum fuiſſe de re certa: quoniam ita coram Deo & Angelis ejus ſtatutum erat. Summa igitur huc tendit, ut ſciat Nebuchadnezer ſe non poſſe pœnam effugere, cujus figuram viderat in ſomnio. Eſt autem aliqua in verbis ambiguitas: quia in ſecundo membro laborant interpretes, dicunt enim Angelos interrogare, ut reſpondeatur Regem Babylonium fore documento, ut homines agnoſcant unius Dei ſummam eſſe potentiam. ſed illud mihi videtur coactum. Quantum pertinet ad nomen פתגמא *pithgama*, ſignificat quidem Verbum apud Chaldæos: ſed hic, meo judicio, pro edicto proprie accipitur, quemadmodum & ptimo cap. Heſter: & optime conveniet hic ſenſus, quod ſcilicet edictum promulgetur in decreto, quia ſcilicet non ſit evanidus ſermo, aut viſio inefficax: quando Deus Regi demonſtrare voluit quod jam fixum & ſtatutum erat in cælo. Tenemus nunc conſilium Prophetæ. Sed adhuc reſtat nova quæſtio, quia videtur eſſe abſurdum, tribui Angelis jus & imperium: quando hoc modo videntur æquales Deo fieri. Scimus Deum eſſe unicum judicem, ideoque proprium munus ejus eſſe, ſtatuere quicquid viſum eſt: hoc ſi ad Angelos transfertur, videtur tantundum imminui ex ſummo Dei imperio: quia admittere ſocios hoc non convenit ejus majeſtati. Sed ſcimus non eſſe novum in Scriptura, ut Deus Angelos ſibi adjungat, non tanquam pares, ſed tanquam miniſtros: quibus tamen tribuat tantum honoris, ut dignetur eos vocare in conſilium. Angeli ergo ſæpe vocantur Dei conſiliarii. Proinde etiam hoc loco dicuntur una cum Deo decernere, non arbitrio ſuo vel ex ſeipſis, ut loquuntur: ſed quia judicio Dei ſubſcribunt. Interea notandum eſt, hic duplicem perſonam illis imponi. Priore enim membro Daniel ſubſcriptores Dei facit in decreto, poſtea dicit *poſtulare*. Et hoc etiam non male quadrat, quod ſcilicet Angeli ſuis votis expetant humiliari cunctos mortales, ut ſolus Deus emineat, & ita redigi in ordinem quicquid obſcurat ejus gloriam. hoc aſſidue Angelos poſtulare rectum eſt, quibus ſcimus nihil eſſe præſtantius, quam ut Deum adorent ipſi, & habeant cunctos mortales ſocios. Ubi autem vident ſuperbia hominum & audacia diminui imperium Dei, nimirum etiam hoc poſtulant, ut Deus cogat ſub jugum ſuum ſuperbos illos, qui ita criſtas erigunt. Nunc ergo videmus cur dicat Daniel, *hoc edictum eſſe in decreto vigilum, & poſtulationem eſſe in eorum ſermone*: quaſi diceret, Tu omnes Angelos habes tibi adverſarios. Nam uno conſenſu, & quaſi uno ore te accuſant coram Deo, quod obſcures, quantum in te eſt, ejus gloriam: & Deus annuens ipſorum votis decrevit te abjicere, & reddere contemptibilem & probroſum coram toto mundo: & hoc decretum obſignatum eſt ab omnibus Angelis, quaſi eſſet commune inter eum & ipſos. Nam eorum ſubſcriptio vel conſenſus, ad confirmationem valere potuit apud Regem profanum. Nec dubium eſt, quin Deus ſuo more viſionem accommodaverit ad captum illius hominis, qui nunquam edoctus fuerat in Lege, ſed qui tantum imbutus erat confuſa notitia divinitatis: ſic ut non diſcerneret inter Deum & Angelos. Interea tamen ſententia hæc vera eſt, quod ſcilicet edictum promulgatum fuerit ex decreto communi totius cæleſtis exercitus, & ſimul poſtulatione: quoniam ſcilicet Angeli ægerrime ferrent detrahi quicquam ex Dei gloria, & tantam eſſe hominum veſaniam, ut velint ad ſe trahere & rapere quod peculiare & proprium eſt unius Dei. Videtur hic eſſe genuinus ſenſus. Quod ergo poſtea ſequitur optime fluit, nempe *ut cognoſcant mortales quod Deus ſit dominator in regno hominum*. Finem enim poſtulationis notat Daniel, quia Angeli velint Deo manere jus ſuum integrum, nec quicquam ex eo delibari hominum ingratitudine. Atqui non poſſunt vel tantillum ſibi tribuere homines, quin Deum ſpolient propria laude: ideo Angeli aſſidue à Deo petunt, ut abjiciat omnes ſuperbos, neque ſinat ſe proprio jure fraudari, ſed in ſolidum penes ipſum maneat tota poteſtas. Et hoc etiam diligenter notandum eſt, *ut cognoſcant mortales quod ſit dominator Excelſus in regno hominum*. Nam fatentur etiam peſſimi quique Deo eſſe ſummam poteſtatem (neque enim audent illum detrahere ſuis blaſphemiis è ſolio cæleſti) ſed interea imaginantur vel ſua induſtria, vel ſuis opibus, vel aliis mediis ſe poſſe & conſequi, & tueri regna in mundo. Libenter ergo increduli Deum cælo includerent, quemadmodum Epicurus finxit Deum ſuis deliciis frui in otio. Ergo Daniel oſtendit Deum ſpoliari jure ſuo, *niſi cognoſcitur dominator in regno hominum*, hoc eſt, in terra, ut humiliet
quos viſum eſt. Sic etiam in Pſalmo dicitur, Neque Pſal. 75.
ab Oriente, neque ab Occaſu, ſed è cælo eſt po- verſ. 7.
teſtas. & alibi etiam, Deus eſt qui erigit pauperem Pſal. 113.
è ſtercore. Deinde in Cantico ſanctæ Virginis, Su- verſ. 7.
perbos dejicit è ſolio, & erigit humiles & abjectos. Luc. 1.
Hoc quidem etiam fatentur omnes: ſed vix centeſi- verſ. 52.
mus quiſque ex animo ſentit Deum in terra dominari, ita ut nemo poſſit ſeipſum extollere, vel manere in gradu honoris, ſed hoc eſſe peculiare Dei beneficium. Quando difficile hoc perſuadetur hominibus, diſerte exprimit hic Daniel, *quod dominator ſit Excelſus in regno hominum*, hoc eſt, non exerceat duntaxat potentiam ſuam in cælo, ſed gubernet etiam humanum genus, & aſſignet cuique ſuum gradum vel locum. *Et cui voluerit det illud.* Loquitur de

diver-

diverſis imperiis numero ſingulari: ſed perinde eſt acſi diceret, extolli Dei arbitrio quoſdam, alios autem dejici, idque totum fieri quemadmodum Deo placet. Summa eſt, ſuam cuique conditionem divinitus attribui, ita ut nihil vel ambitione ſua, vel artibus, vel prudentia, vel opibus, vel auxilio aliorum proficiant qui aſpirant ad aliquam altitudinem, niſi Deus ipſos quaſi porrecta manu attollat. Idem
Rom. 13. verſ. 1. etiam docet Paulus aliis verbis, Non eſſe poteſtatem niſi à Deo: & poſtea eandem ſententiam Daniel ſæpius repetet. Adjungit, *humilem inter homines eriget ſuper ipſum.* In hac tam clara mutatione melius refulgêt Dei poteſtas, dum attollit ex ſtercore eos qui ante obſcuri & contempti fuerant: & præficit etiam ipſos Regibus. Profani homines, dum hoc contingit, dicunt Deum ludere, & ita homines inſtar pilarum volvi ejus manu, ut nunc tollantur in ſublime, nunc dejiciantur in terram. Sed cauſa non expenditur ab ipſis, nempe quia Deus apertis documentis vult oſtendere nos eſſe ſub ejus arbitrio, ita ut conditio noſtra inde pendeat: quia ſponte hoc non apprehendimus, neceſſe eſt nobis proponi exempla, in quibus cogamur hoc perſpicere quod libenter cuncti fere ignorant. Nunc tenemus integram Prophetæ ſententiam, Angelos ſcilicet aſſiduis votis à Deo petere, ut ſuam potentiam declaret mortalibus, ideoque ut proſternat ſuperbos, qui putant ſe excellere propria virtute & induſtria, vel caſu fortuito, vel auxilio hominum. Ut ergo Deus excutiat illis ſacrilegum hunc faſtum, Angeli petunt ut eos proſternat, & ita oſtendat ſe eſſe Regem ac dominatorem non tantum cæli, ſed etiam terræ. Jam hoc non tantum in uno Rege contigit, ſed ſcimus hiſtorias refertas eſſe talibus documentis. unde enim vel ex quo ordine ſæpe creati ſunt Reges? Et quum nulla fuerit in mundo major ſuperbia quam in Romano imperio, videmus quid factum fuerit. Nam monſtra quædam produxit Deus, ut obſtupefaceret tale ſpectaculum, & Græcos, & omnes Orientales, & Hiſpanos, & Italos, & Gallos. Nihil enim magis prodigioſum fuit quibuſdam Imperatoribus. Deinde origo eorum turpis & pudenda adeo fuit, ut non potuerit clarius monſtrare Deus, imperia non transferri hominum libidine, neque etiam acquiri virtute, conſilio, & multis opiis: ſed ſub manu ſua eſſe, ut præficiat quoſcunque voluerit. Pergamus.

18. Hoc ſomnium vidi ego Rex Nebuchadnezer: & tu Beltſazar, interpretationem enarra, (*dic, ad verbum*) quoniam cuncti ſapientes regni mei non potuerunt interpretationem patefacere mihi: tu vero potes: quia ſpiritus deorum ſanctorum in te.

Hic repetit Nebuchadnezer quod prius dixerat, nempe ſe quærere interpretationem ſomnii. Sciebat quæ figura oſtenſa eſſet: verum non poterat intelligere conſilium Dei, neque etiam ſtatuere apud ſe quorſum id ſpectaret. Implorat igitur hac in parte fidem Danielis. Affirmat ſe ſomnium vidiſſe, quo Daniel magis ſit attentus ad interpretationem: deinde in eundem finem adjungit, *cunctos ſapientes regni ſui non potuiſſe ſomnium exponere*: ubi fatetur ſaltem aliqua ex parte vanos fuiſſe & fallaces cunctos Aſtrologos, & divinos, & reliquos ejus generis, qui profitebantur nihil ſibi eſſe incognitum. Nam alii erant augures, alii conjectores, alii interpretes ſomniorum, alii Aſtrologi, non tantum qui diſſererent de curſu, de ordine, diſtantia ſtellarum & proprietate cujuſque, ſed qui etiam vellent præſagire ex concurſu aſtrorum quicquid futurum erat. Quum ergo tam magnifice jactarent ſummam rerum omnium ſcientiam, fatetur Nebuchadnezer eos fuiſſe impoſtores. Nam hoc aſcribit Danieli, quia ſpiritu divino præditus ſit. Ergo excludit cunctos ſapientes Babylonis à tanto dono, quia expertus ſit eos diſtitui Dei ſpiritu. Non loquitur quidem deſtincte, ſed facile hoc elicitur ex ejus verbis, quod ſcilicet deprehenſa fuerit vanitas in omnibus Chaldæis ſapientibus. Deinde ſecundo membro Danielem ab eorum numero eximit, & ſimul cauſam notat, quod ſcilicet excellat ſpiritu divino. Deo igitur hic aſſerit Nebuchadnezer quod ejus proprium eſt: deinde agnoſcit Danielem ejus eſſe Prophetam, & miniſtrum. Quod autem vocat *deos ſanctos* Angelos, diximus alibi non debere videri mirum in homine profano, qui non erat exercitatus in vera pietatis doctrina, ſed tantum principia quædam guſtaverat. Scimus autem communi opinione, Angelos fuiſſe permixtos uni Deo. Loquitur ergo Nebuchadnezer ex communi & recepto omnium ſenſu, quum dicit ſpiritum ſanctorum deorum habitare in Daniele. Nunc ſequitur,

19. Tunc Daniel, cui nomen Beltſazar, obſtupefactus fuit circiter horam unam: & cogitationes ejus turbabant eum. Reſpondit Rex & dixit, Beltſazar, ſomnium & interpretatio *ejus* ne conturbet te. (*terreat*) Reſpondit Beltſazar & dixit, Domine mi, ſomnium *ſit* inimicis tuis, & interpretatio ejus hoſtibus tuis.

Hic recitat Daniel ſe fuiſſe quodammodo attonitum. Et hoc refero ad mœrorem, quem conceperat ſanctus Propheta ex pœna illa horribili, quam Deus ſub figura oſtenderat. Nec mirum videri debet, quod dolore tactus fuerit Daniel propter calamitatem Regis Babylonii. Etſi enim crudelis erat tyrannus, vexaverat duriter Eccleſiam Dei, imo fere perdiderat: tamen quoniam erat ſub ejus Imperio, oportuit ipſum pro eo precari. Nam hoc diſerte præceperat
Jer. 29. verſ. 7. Deus Judæis per Jeremiam, Rogate pro ſtatu proſpero Babylonis: quia in pace ejus erit pax veſtra. Poſt finem ſeptuaginta annorum licuit piis Dei cultoribus petere, ut ipſos liberaret: ſed donec elapſum eſſet illud tempus, quod præfixum etiam ore Prophetæ erat, non fuit illis fas vel odio Regem habere, vel petere à Deo vindictam. Sciebant enim fuiſſe exequutorem juſtæ Dei vindictæ: deinde ſciebant ſibi eſſe præfectum, & habendum eſſe legitimi Regis loco. Quum ergo Daniel fuiſſet humaniter tractatus à Rege, deinde eſſet jure belli tractus in exilium, oportuit ipſum ſolvere Regi ſuo fidem, quamvis ille tyrannidem exerceret adverſus Dei populum. Hæc cauſa fuit cur tantum mœrorem contraxerit ex triſti illo oraculo. Alii putant fuiſſe enthouſiaſmum. Sed videtur hoc melius quadrare, quia non ſimpliciter dicit ſe fuiſſe obſtupefactum, ſed etiam turbatum vel territum ſuis cogitationibus. Interea notandum eſt, Prophetas fuiſſe varie affectos quum Deus per ipſos judicia ſua quæ inſtabant denunciabat. Quoties ergo Deus gravium calamitatum Prophetas ſuos præcones conſtituit, duplici affectu fuerunt præditi. Nam una ex parte condolebant miſeris hominibus, quorum videbant propinquum eſſe exitium: deinde intrepide tamen pronunciabant, quod mandatum divinitus fuerat: ſic ut nunquam impedierit ipſos triſtitia quo minus defuncti fuerint ſuo officio libere & conſtanter. Et utrumque videre hic licet in Daniele. Fuit igitur hic rectus affectus, quod Regi ſuo condoluit, ut propemodum obmuteſceret fere ad horam unam. Quod autem jubet illum Rex eſſe

bono

bono animo & vetat turbari, hic nobis depingitur ſecuritas eorum, qui nondum apprehenderunt vindictam Dei. Terretur Propheta: & tamen eſt extra omne diſcrimen. Deus enim nihil ei minatur: imo pœna, quam videt Regi paratam eſſe, ſpem aliquam dabat futuræ liberationis. Cur ergo terretur? Nempe fideles etiam, ubi Deus illis parcit, & ſe oſtendit illis clementem & propitium, tamen non poſſunt ſentire ejus judicia ſine formidine: quia agnoſcunt ſe etiam obnoxios eſſe ſimilibus pœnis, niſi Deus cum ipſis indulgenter ageret: deinde nunquam exuunt humanos affectus: & ita miſericordia eos impellit, ubi vident peſſundari impios, vel ſaltem impendere illis vindictam. Ob has igitur duas rationes triſtitiam & mœrorem concipiunt. Impii autem, etiamſi Deus palam eos citat & pœnam illis proponit, non moventur: ſed manent ſtupidi, aut palam derident ejus potentiam, & donec ſerio urgeantur minas ejus pro fabulis ducunt. Tale ſere exemplum nobis hic ſpectandum Propheta exhibet in Rege Babylonio. *Beltſazar*, inquit, *ne turbent te cogitationes tuæ, ſomnium & interpretatio ejus ne terreat te.* Atqui Daniel timebat in ejus gratiam. Sed, quemadmodum jam dixi, dum fideles, quamvis ſentiant Deum ſibi propitium, formidant: impii, quamdiu ſecuritati ſuæ indormiunt, non moventur, nec turbantur ullis minis. Subjicit Daniel cauſam doloris ſui, *Domine mi*, inquit, *ſomnium ſit hoſtibus tuis, & interpretatio inimicis tuis.* Hic Daniel exponit cur ita fuerit attonitus, nempe quia cuperet averti tam horribilem pœnam à Regis perſona. Etſi enim merito potuit illum deteſtari, tamen reveritus eſt potentiam divinitus ei traditam. Diſcamus igitur exemplo Prophetæ, benepreçari pro inimicis noſtris, qui cupiunt nos perditos: maxime vero precari pro tyrannis, ſi Deo placeat nos ſubjici eorum libidini; quia etſi indigni ſunt ullo humanitatis officio, quia tamen non præſunt niſi Deo ita volente, modeſte feramus jugum: neque id tantum propter iram, ut Paulus admonet, ſed propter conſcientiam. *Rom. 13. verſ. 5.* Alioqui non tantum illis, ſed etiam Deo ipſi ſumus rebelles. Cæterum, altera ex parte oſtendit Daniel ſe non frangi ullo miſericordiæ affectu, neque etiam molliri, quo minus pergat in ſua vocatione. Dicit enim,

20. Arbor quam vidiſti, quæ magna *erat* & robuſta, & cujus magnitudo pertingebat ad cælos, & aſpectus ejus ad totam terram.

21. Et folium ejus pulchrum *erat*, (*hoc eſt, cujus frondes erant pulchræ*) & fructus ejus copioſus: & in qua (*& in ea, ad verbum*) cibus cunctis: ſub qua habitabant beſtiæ agri, & in cujus ramis quieſcebant aves cæli.

22. Tu *es* ipſe Rex, qui multiplicatus es & roboratus, (*hoc eſt, qui evaſiſti magnus & fortis*) ita ut magnitudo tua multiplicata fuerit, & pertigerit ad cælos, & poteſtas tua ad fines terræ.

Hic videmus quod attigi, nempe Danielem ſic præſtitiſſe Regi officium quod debebat, ut interea memor fuerit officii Prophetici, neque molliter exequutus ſit Dei mandatum. Et notanda eſt hæc diſtinctio: quia nihil magis difficile eſt verbi miniſtris, quam tenere hanc mediocritatem. Alii enim zeli prætextu ſemper fulminant, & obliviſcuntur ſe eſſe homines: nullum benevolentiæ ſignum oſtendunt, ſed crepant meram amaritudinem. Ita fit, ut nulla ſit ipſorum auctoritas, & odioſæ ſint omnes admonitiones. Exponunt igitur & faſtidio & probro ſermonem Dei, quum ita inhumaniter territant eos, qui peccarunt ſine ullo ſigno vel doloris vel συμπαθείας. Alii autem qui ignavi ſunt, imo qui ſunt perfidi adulatores, & ſepeliunt graviſſima quæque ſcelera: ſemper obtendunt neque Prophetas neque Apoſtolos ita fervidos fuiſſe, ut zelus ipſos exuerit humano affectu. Sic fit ut deliniant miſeros homines, & ita ſuis blanditiis eos perdant. Propheta autem noſter, quemadmodum & alii omnes, hic oſtendit mediam eſſe rationem quæ tenenda ſit Dei ſervis. Sic Jere-
Jer. 9: 1. mias ex adverſis vaticiniis mœrorem concepit & amaritudinem animi, & tamen non deflectit à libera objurgatione, deinde etiam à graviſſimis minis: quia utrumque à Deo erat. Sic & alii omnes nam: hoc ſubinde occurret in Prophetis. Daniel ergo hic ab una parte Regem miſeratur: ab altera autem, quia ſcit ſe eſſe præconem vindictæ Dei, non terretur ullo periculo, quin Regi proponat pœnam illam quam contempſerat. Hinc etiam colligimus non fuiſſe attonitum, quia ſibi metueret à tyranno, quemadmodum multi non audent hiſcere ubi legatio illis commiſſa eſt plena odii, & quæ poſſet ſtimulare ad rabiem impios & incredulos. Daniel igitur non fuit attonitus tali metu: ſed quia tantum optaſſet Deum clementer agere cum Rege ſuo. Nam hic dicit, *Tu es ipſe Rex.* Non loquitur dubitanter, neque per ambages, neque obſcure inſinuat, neque utitur etiam multis excuſationibus, ſed pleno ore pronuncia Regem Nebuchadnezer deſignari ſub illa arbore quam viderat. Ergo *arbor quam vidiſti magnam & fortem, ſub cujus umbra habitabant beſtiæ agri, in cujus ramis nidulabantur aves: tu*, inquit, *ipſe es Rex.* Quare? *Magnificatus es*, inquit, *& roboratus, magnitudo tua pertigit uſque ad cælos, potentia tua uſque ad fines terræ.* Jam quid ſequitur?

23. Et quod vidit Rex, vigilem & ſanctum deſcendere è cælis, qui dixit: (*ad verbum, & dixit: ſed debet reſolvi copula in pronomen relativum*) Succidite arborem, & diſpergite eam: tantummodo imum radicum ejus in terra relinquite: & *ſit* in vinculo ferri & æris in herba agri, & rore cælorum proluatur, & cum beſtiis agri portio ejus, donec ſeptem tempora tranſeant ſuper eam.

24. Hæc interpretatio, Rex, & decretum Excelſi eſt, quod ſpectat ad dominum meum Regem.

Proſequitur Daniel ſemper libera conſtantia quod cœpit, nempe inſtare excidium Regi Babylonio. Vocat quidem dominum & ex animo: ſed interea quoniam legatus erat ſummi Regis, non dubitat ſermonem ſibi mandatum altius extollere, quia hoc Prophetis omnibus commune eſt, ut inſurgant contra montes & colles, quemadmodum apud Jeremiam
Jerem. 1. verſ. 10. dicitur. Deinde memorabilis eſt illa ſententia, Conſtitui te ſuper regna & populos, ut evellas & plantes, ut ædifices & diruas. Deus ergo vult aſſerere tantum reverentiæ verbo ſuo, ut nihil tam ſit in mundo vel magnificum vel ſplendidum, quod non cedat. Daniel igitur, quantum ad homines ſpectat & politicum ordinem, fatetur Regem eſſe dominum ſuum: ſed interea pergit in legatione ſibi commiſſa. *Quod Rex*, inquit, *vidit vigilem deſcendere è cælis.* Loquitur ſemper de Angelo. Diximus autem cur Scriptura Angelos vigiles nominet, nempe quia præſto ſint ad

exe-

exequenda Dei juſſa: & ſcimus Deum exequi per illorum manus quod decrevit: & hoc dixi ſemper præſtare Angelos: deinde excubias etiam agere pro fidelibus. Sed nomen Vigilis eſt hic generale, & pertinet ad illam promptitudinem, qua Angeli præditi ſunt, nempe ut quicquid præcipit Deus, ſtatim exequantur ſumma celeritate. *Quod ergo vidiſti è cælo deſcendere qui dixit, Succidite arborem, & diſpergite eam*, &c. Repetit quod ante dictum fuerat, nempe hic finiri tempus pœnæ, quia poterat Deus abolere Regem Babylonium cum ejus memoria: ſed voluit mitigare pœnam. Adjungitur ergo exceptio, *donec tranſeant ſeptem tempora* De illis temporibus nihildum attigeram: ſed probabilis eſt eorum ſententia qui putant indefinitum eſſe numerum, hoc eſt, donec longum tempus tranſeat. Alii putant notari menſes, alii annos: ſed ego libentius in illam interpretationem inclino, quod ſcilicet Deus non exiguo tantum tempore velit pœnam ſumere de Rege Nebuchadnezer, ne poſſet hoc videri conſuetum: ſed quoniam placebat edere exemplum inſigne in omnes ætates, ideo voluit pœnam ejus in longum tempus prorogare. Huc igitur pertinet numerus ſeptem annorum. Scimus autem per numerum ſeptenarium ſignificari longum tempus in Scriptura, quia denotat perfectionem.

Da omnipotens Deus, quoties nobis proponis peccata noſtra, & te ſimul judicem fore pronuncias, ut ne abutamur tolerantia tua, & coacervemus nobis theſaurum majoris vindictæ ſocordia & torpore noſtro: ſed metuamus mature, & ſollicite nobis caveamus: & ſic terreamur minis tuis, ut tua quoque dulcedine allecti, nos tibi libenter ſubjiciamus, nec magis quicquam expetamus quam nos totos tibi conſecrare in obſequium, ut nomen tuum glorificetur à nobis in Chriſto Domino noſtro, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA
IN
DANIELEM.

25. Et te expellent ab hominibus, & cum beſtiis agreſtibus erit habitatio tua: & herba ſicut boves te paſcent, & rore cælorum te irrigabunt: & ſeptem tempora tranſibunt ſuper te, donec cognoſcas, quod dominator *ſit* Excelſus in regno hominum, & cui voluerit det illud.

PRoſequitur Daniel ſomnii expoſitionem. Poſtremus verſus, quem heri expoſui, hoc habebat, ſpectare ſomnium ad Regem Nebuchadnezer. Oportuit autem illud exprimi, quia nuncius hic triſtis & acerbus erat Regi. Scimus autem quam indigne ferre ſoleant Reges non ſolum ſe cogi in ordinem, ſed etiam ſe citari ad Dei tribunal, ut illic obruantur ignominia & probro. Nam ſcimus proſperam fortunam inebriare etiam plebeios homines. Quid ergo poteſt contingere Regibus, niſi ut obliti humanæ conditionis, ſeſe eximant ab omni incommodo & moleſtia? Neque enim exiſtimant ſe eſſe ex communi ordine hominum. Quoniam ergo vix poterat ferre Nebuchadnezer hunc nuncium, ideo paucis verbis admonuit ipſum Propheta, excidium arboris figuram eſſe ruinæ, quæ illi inſtabat. Hoc nunc pluribus verbis proſequitur, ac dicit, *Ejicient te ab hominibus, erit habitatio tua cum agreſtibus beſtiis.* Quum ante diſſereret Daniel de quatuor Monarchiis, non dubium eſt quin Regis animus initio exaſperatus fuerit: ſed hoc fuit longe durius, & ſecundum Regis ſenſum minus tolerabile, quod confertur feris beſtiis, quod reſecatur ex numero hominum: deinde ablegatur in agros & ſylvas, ut paſcatur una cum beſtiis. Si tantum dixiſſet Daniel ſpoliandum eſſe dignitate Regia, jam fuiſſet illa diminutione graviter offenſus: ubi autem in tantam ignominiam conjicitur, non dubium eſt quin intus inſanierit. Sed Deus tamen cohibuit ejus furorem, ne ulciſci cuperet quam putabat ſibi injuriam fieri. Nam ex contextu poſtea videbimus, illum non reſipuiſſe. Quum ergo ſemper foverit in animo eandem ſuperbiam, non dubium eſt quin etiam crudelis fuerit. Sunt enim duo vitia conjuncta. Sed compeſcuit Dominus ejus veſaniam, ita ut parceret ſancto Prophetæ. Interea obſervatu digna eſt conſtantia ſervi Dei, quod non oblique ſubindicat Regi quid futurum ſit, ſed pluribus verbis clare enarrat quam turpis & pudenda illum maneat conditio. *Ejicient te*, inquit, *ab hominibus*. Si dixiſſet, Eris quaſi unus ex grege hominum, neque differes quicquam à fæce plebis, jam illud fuiſſet valde durum. Ubi autem ejicitur Rex ex hominum ſocietate, ut ne angulus quidem unus reſiduus maneat, neque detur cum bubulcis ſaltem & ſubulcis vitam agere, hoc quam odioſum ſit quiſque ex ſuo ſenſu conjicere poteſt. Neque tamen dubitat hic Daniel proferre tale judicium: Et quæ ſequuntur etiam idem vel ſimile habent pondus: *erit*, inquit, *cum beſtiis agri habitatio tua, herba te paſcent.* Numerus pluralis debet accipi indefinite: ideo commode vertere licebit, Tu paſceris herba, tu irrigaberis rore cæli, erit habitatio tua cum feris beſtiis. Neque enim argute philoſophari placet cum quibuſdam, qui ſubaudiunt Angelos. Fateor quidem hoc verum eſſe: ſed Propheta ſimpliciter docet inſtare pœnam hanc Regi Babylonio, ut redigatur in extremam ignominiam, nempe ut nihil à brutis animalibus differat. Hæc igitur libertas, quemadmodum dixi, notatu digna eſt, ut ſciamus ſervos Dei, quibus injunctum eſt docendi munus, non poſſe fideliter agere ſuas partes, niſi clauſis oculis contemnant omnem mundi altitudinem. Deinde exemplo etiam Regis diſcamus nullo profectu nos fore præfractos & pervicaces, quoties Deus nobis minabitur. Etſi enim non reſipuit Nebuchadnezer, ut dictum eſt, & ex contextu iterum patebit: videmus tamen ut ſuſtineat ſibi denunciari horribile judicium. Si ergo nos qui præ illo ſumus fere quiſquiliæ, non poterimus ferre Dei minas quoties propoſitæ nobis fuerint, hic erit teſtis & judex noſter, qui tanta potentia quum polleret, tamen nihil auſus eſt contra Prophetam. Jam in fine verſus repetitur ſententia quæ prius expoſita fuit: *donec cognoſcas*, inquit, *quod dominator ſit Excelſus in regno hominum, & cui voluerit tradat illud.* Iterum docet hic locus quam difficile ſit nobis, Deo tribuere ſummam potentiam. Lingua quidem ſumus magni præcones gloriæ Dei: ſed interim nemo eſt qui non reſtringat potentiam ejus, dum vel ſibi aliquid uſurpat, vel transfert in hunc & illum. Præſertim ubi Deus nos extulit in aliquem dignitatis gradum, obliviſcimur nos eſſe homines, & eripimus Deo ſuum honorem, & volumus nos ſubrogare in ejus locum. Hic morbus difficile curatur, & exemplo nobis eſt hæc pœna, quam Deus inflixit Regi Babylonio. Contentus enim fuiſſet levi caſtigatione, niſi quia hæret quaſi in viſceribus & medullis hæc veſania, quod ſibi homines vendicant quod erat proprium Dei. Medicina igitur violenta opus eſt, ut

diſcant

diſcant modeſtiam & humilitatem. Hodie Monarchæ ſemper in ſuis titulis hoc obtendunt, ſe eſſe Reges, & Duces, & Comites Dei gratia: ſed quam multi falſo nomen Dei prætexunt in hunc finem, ut ſibi afferant ſummum imperium? Quid enim valet ſæpe in Regum & Principum titulis Dei gratia? nempe ne agnoſcant ſuperiorem, quemadmodum dicunt. Interea libenter Deum, cujus clypeo ſe protegunt, calcarent pedibus: tantum abeſt, ut ſerio reputent ſe habere ejus beneficio ut regnent. Merus igitur fucus eſt, quod jactant ſe Dei gratia pollere dominatione. Quum ita ſit, facile hinc judicium fieri poteſt, quam ſuperbe contemnant Deum profani Reges, etiamſi non objiciunt ejus nomen fallaciter, quemadmodum iſti nebulones, qui palam Deum ſubſannant, & ita profanant nomen Gratiæ. Jam ſequitur,

26. Et quod dixerunt de relinquenda radice ſtirpium arboris, regnum tuum tibi ſtabit, ex quo cognoveris quod poteſtas *ſit* cælorum. (*vel quod dominium ſit in cælis.*)

Hic Daniel claudit interpretationem ſomnii, ac docet Deum non ita ſevere acturum cum Rege Nebuchadnezer quin det locum clementiæ ſuæ. Mitigat igitur ſummum pœnæ rigorem ut Nebuchadnezer concepta ſpe veniæ, Deum invocet, & reſipiſcat, quemadmodum poſtea ſequetur clarior exhortatio. Sed jam præparat eum Daniel ad pœnitentiam, quum dicit *regnum illi ſtaturum*. Poterat enim Deus illum ejicere ex hominum conſortio, ita ut ſemper maneret cum feris beſtiis: poterat etiam ſtatim ejicere è mundo: ſed hoc ſignum eſt clementiæ, quod vult eum reſtituere non modo in mediocrem aliquem locum, ſed in ſuam dignitatem, quaſi ſemper fuerit integer. Videmus ergo Regi Nebuchadnezer utile fuiſſe ſomnium, modo non ſpreviſſet ſanctam admonitionem Prophetæ: imo ſi non ingratus fuiſſet Deo: quia non tantum prædixit Daniel cladem quæ inſtabat, ſed reconciliationis nuncium ſimul attulit. Utiliter ergo Deus ipſum docuerat, niſi fuiſſet indocilis & pervicax, ut eſt major pars hominum. Cæterum hinc colligere licet generalem doctrinam, quum finem Deus caſtigationibus ſuis imponit, invitari nos ad pœnitentiam: quia Deus guſtum aliquem proponit ſuæ clementiæ, ut poſſimus ſperare illum fore exorabilem nobis, ſi ex animo & ſincere ad eum confugimus. Notandum autem eſt quod addit in ſecunda parte verſus Daniel, *ex quo cognoveris quod poteſtas ſit cælorum*. Nam ſub his verbis includitur promiſſio ſpiritualis gratiæ, quod ſcilicet Deus non tantum pœnam ſumet de Rege Babylonio, ut illum humiliet, ſed etiam intus operabitur ac mutabit ejus animum: quemadmodum etiam tandem, quamvis ſero, impletum fuit. *Ex quo* igitur *cognoveris*, inquit, *quod poteſtas ſit cælorum*. Dixi hic promitti Spiritus gratiam, quia ſcimus quam male proficiant homines, etiamſi centies ferulas ſuas repetat Deus. Tanta enim eſt durities, & contumacia cordis noſtri, ut potius obdureſcamus magis ac magis, dum nos Deus ad pœnitentiam vocat. Et haud dubie Nebuchadnezer ſimilis fuiſſet Pharaoni, niſi quod Deus non tantum exterioribus pœnis illum humiliavit, ſed etiam adjecit interiorem Spiritus ſui inſtinctum, ut ſineret ſe erudiri, & ſubjiceret ſe judicio cæleſti ac potentiæ. Hoc ergo voluit Daniel, quum diceret, *Ex quo cognoveris*. Neque enim ſponte unquam deſcendiſſet Nebuchadnezer ad talem notitiam, niſi tactus fuiſſet arcano Spiritus motu. Addit, *Quod poteſtas ſit cælorum*, id eſt, quod Deus mundum gubernet, ac ſummum imperium obtineat. Cælos enim hic terræ opponit, hoc eſt, cunctis mortalibus. Nam ſi Reges vident omnia apud ſe tranquilla, ſi nemo terrorem illis incutit, putant ſe eſſe extra omnem periculi aleam, ſicuti loquuntur: & dum volunt certi eſſe de ſuo ſtatu, circumſpiciunt huc & illuc: nunquam autem attollunt oculos in cælum, quaſi hoc ad Deum non ſpectaret tueri regna, & erigere quos voluerit, & proſternere etiam omnes ſuperbos. Quaſi ergo hoc eſſet extra Dei manum, nunquam Principes hujus mundi conſiderant poteſtatem eſſe cælorum: ſed quemadmodum dixi, ad dextram, ad ſiniſtram, & ad frontem, & ad tergum reſpiciunt. Hæc ratio eſt cur dicat Daniel poteſtatem eſſe cæleſtem. Subeſt enim, quemadmodum attigi, inter Deum & cunctos mortales antitheſis: quaſi diceret, ut ſcias Deum dominari, quemadmodum prius viſum eſt. Sequitur,

27. Propterea, Rex, conſilium meum placeat apud te, (שפר *ſignificat pulchrum eſſe: ſed metaphorice transfertur ad probationem, vel complacentiam, ut vulgo loquuntur: placeat igitur apud te conſilium meum*) **& peccata tua** (*hoc eſt, ut: vau* ו *enim debet reſolvi hoc modo*) **juſtitia redimas,** (*ita vertunt: dicemus poſtea de verbo*) **& iniquitatem tuam in miſericordia erga pauperes: ecce,** (*Græci vertunt, ſi forte*) **erit prolongatio paci tuæ.** (*vel medicina errori tuo.*)

Quoniam inter interpretes de ſenſu verborum non convenit, & ſumma doctrinæ inde aliqua ex parte pendet, primo loco notandum eſt, מלכי hic tantundem valere atque conſilium meum. Quidam enim vertunt Rex, Rex mi: & utrumque nomen ductum eſt ab eadem radice, à מלך, quod ſignificat regnare. Sed ſignificat interdum hoc nomen Conſilium. Nec dubium eſt quin hoc loco debeat ita exponi. *Conſilium* ergo *meum tibi placeat: & peccata tua redimas*. verbum פרוק hic vertunt Redimere. Significat autem ſæpe vel abrumpere, vel ſeparare, vel conterere: ideo commode hoc loco verti poſſet, Separa, vel abrumpe peccata tua miſericordia & humanitate: quaſi diceret, Sic facias peccandi finem, ut ingrediaris novum curſum, nempe ut crudelitas tua mutetur in clementiam, & violentia tyrannica mutetur in miſericordiam. Sed in eo non multum eſt momenti. Significat enim hoc verbum ſæpe liberare, vel ſervare. Non admittit hic locus verbum ſervandi: & dura etiam erit loquutio, ſi dicamus, Libera peccata tua juſtitia. Ideo facile amplector ſenſum illum, quod hortetur Daniel Regem Babylonium ad mutationem vitæ, ut ſcilicet abrumpat peccata in quibus nimis diu perrexerat. Jam quod ſequitur in fine verſus, *Ecce, erit ſanatio errori tuo*, quemadmodum admonui, Græci verterunt, Si forte ſit ſanatio: ſed alter ſenſus videtur melius fluere: quaſi diceret, hæc propria eſt & genuina medicina. alii promulgationem vertunt, quemadmodum ארך ſignificat producere: & ſimul mutant ſignificationem alterius nominis. dicunt enim, Erit prolongatio paci tuæ vel quieti. Senſus ille eſſet tolerabilis: ſed alter magis convenit cum ratione grammatica: deinde magis receptus eſt, quod ſcilicet *medicina hæc propria ſit erroris*. vel etiam poterit elici diverſus ſenſus, utcunque, quod ad voces ſpectat, nihil mutetur: *erit*, hoc eſt, *ſit medicina erroribus*, hoc eſt, diſcas erroribus tuis mederi. Nam diuturna indulgentia creſcit malum, quemadmodum ſatis notum eſt. Poterit igitur ita hæc poſtrema pars

ſumi,

ſumi, ut pergat in exhortatione ſua Daniel: acſi diceret, Tempus eſt ut ceſſes à tuis erroribus. Nam hactenus caruiſti omni ſenſu, quum ita tibi dediſti effrenem licentiam. Sit igitur aliquis modus tuæ ignorantiæ, aperias oculos, & intelligas tandem eſſe reſipiſcendum. Nunc redeo ad ipſam ſubſtantiam doctrinæ. *Placeat*, inquit, *tibi conſilium meum.* Hic Daniel mitius agit cum Rege profano, quam ſi concionatus eſſet apud ſuos gentiles. Uſus enim fuiſſet authoritate Prophetica. Sed quia ſciebat Regem non tenere prima rudimenta pietatis, ideo hic tantum ſuſcipit perſonam conſiliarii: quia non erat ordinarius doctor. Quod enim accerſiverat ipſum Nebuchadnezer, hoc non erat quotidianum, neque hoc fecerat quaſi vellet ſe ſubjicere ejus doctrinæ. Meminit igitur Daniel cum quo homine & quali ſibi negotium ſit, quum temperat verba ſua, & dicit, *conſilium meum tibi probetur.* Poſtea explicat paucis verbis conſilium ſuum, *Abrumpe*, inquit, *peccata tua*, vel abjice, *juſtitia*, *& iniquitates tuas miſericordia erga pauperes.* Non dubium eſt quin Daniel voluerit Regem hortari ad pœnitentiam: ſed ſpeciem tantum unam attigit, quemadmodum ſcimus hoc valde uſitatum eſſe Prophetis. Nam ubi populum revocant in viam, non ſemper comprehendunt quid ſit pœnitentia, neque definiunt in genere, ſed attingunt per ſynecdochen vel externa officia pœnitentiæ, vel partem aliquam. Hunc morem nunc ſequitur Daniel. Si quæritur quid ſit Reſipiſcentia, eſt hominis converſio ad Deum, à quo alienatus fuerat. Converſio autem hæc an eſt tantum in manibus, & pedibus, & lingua? Potius incipit à mente, deinde à corde, poſtea tranſit ad externa opera. Vera igitur pœnitentia initium habet in mente hominis, nempe ut qui voluit nimium ſibi ſapere abneget ſuam prudentiam, vel ſe abdicet ſtulta fiducia propriæ rationis; deinde ut etiam ſubigat pravos ſuos affectus, & eos ſubjiciat Deo: ſequetur tandem exterior vita. Cæterum opera ſunt teſtimonia duntaxat pœnitentiæ. Nam pœnitentia, ut dixi, res eſt præſtantior quam ut appareat ejus radix palam in hominum oculis. Ex fructibus ergo tantum teſtamur noſtram pœnitentiam. Sed quia ſecundæ tabulæ officia quodammodo animum hominis aperiunt, ideo ſæpe Prophetæ, dum exigunt pœnitentiam, tantum proponunt officia charitatis, ſicuti facit Daniel. *Redime* igitur *peccata tua*, inquit, vel abrumpe, vel abjice: quomodo? nempe *juſtitia.* Non dubium eſt quin nomen Juſtitiæ, & nomen Gratiæ idem valeant, vel Miſericordiæ. Cæterum qui hic gratiam transferunt ad fidem, nimis violenter torquent Prophetæ verba. Nam ſcimus nihil eſſe frequentius Hebræis quam repetere duabus loquendi formis rem unam & eandem. Quum ergo hic loquitur Daniel de peccatis & iniquitatibus eodem ſenſu, hinc etiam colligimus juſtitiam & miſericordiam non debere diſcerni: ſed ſecunda voce melius exprimere quid intellexerit per Juſtitiam. Nam ubi homines vident vitam mutandam eſſe, confingunt ſibi multa obſequia, quæ tamen non merentur vocari hoc nomine: quia non reſpiciunt quid Deo placeat, neque quid præcipiat verbo ſuo, ſed prout hoc & illud probant, temere obtrudunt Deo, quemadmodum fieri videmus in Papatu. Quid eſt illic ſancte & juſte vivere? Curſitare huc & illuc, ſuſcipere votivas peregrinationes: deinde erigere ſtatuam unam, fundare miſſas, ut loquuntur: jejunare hoc vel illo die: & congerere nugas illas de quibus nunquam verbulum unum fecit Deus. Quoniam ergo homines ita craſſe aberrant in cognitione veræ juſtitiæ, ideo Propheta hic exegetice adjungit Miſericordiæ nomen: quaſi diceret, Ne putes placari Deum externis pompis, quæ homines delectant, ut ſunt carnales & addicti rebus terrenis, & ideo prave æſtimant Deum ex ſuo ingenio. Ne ergo fallat te hæc vanitas: ſed ſcias veram juſtitiam poſitam eſſe in miſericordia erga pauperes. In hoc etiam ſecundo membro eſt ſynecdoche: quia vera juſtitia non reſtringitur ad hoc nomen ſimpliciter, ſed complectitur omnia officia charitatis. Ergo fideliter nos verſari oportet cum hominibus, & neque divitem neque pauperem fallere, non gravare quenquam, reddere cuique jus ſuum. Sed ratio hæc loquendi debet eſſe nobis familiaris, ſi mediocriter exercitati ſumus in Prophetica doctrina. Quicquid ſit, Daniel voluit breviter oſtendere Regi Babylonio quid ſit juſte vivere, nempe fidem & integritatem colere apud homines: interea non ducit pro nihilo priorem Legis tabulam. Nam cultus Dei pretioſior eſt omni humana juſtitia, hoc eſt, quam mutuo inter ſe homines colunt. Sed vera juſtitia cognoſcitur ab externis teſtimoniis, quemadmodum jam dixi. Et potius de ſecunda tabula quam de priore loquitur: quoniam hypocritæ dum ſimulant ſe Deum colere multis cæremoniis, permittunt ſibi omnem ſævitiam, omnes rapinas, omnem fraudem, ita ut nulla ſit lex recte vivendi cum proximis. Quoniam ergo hypocritæ hoc colore tegunt ſuam malitiam, ideo Deus quaſi lapidem Lydium, ut loquuntur, nobis proponit, quum vocat nos ad charitatis officia. Jam quod ad finem verſus ſpectat, diximus duplicem ſenſum elici. Si retinemus futurum tempus, *ecce erit medicina*, erit confirmatio ſuperioris doctrinæ: quaſi diceret, non agendum eſſe per longos & obliquos circuitus, hanc unam eſſe medicinam. Vel ſi magis placet verbum hortandi, erit etiam aptus contextus, Sit medicina tuis erroribus, hoc eſt, ne poſthac tibi indulgeas, ut hactenus feciſti: ſed aperias oculos, & ſentias quam miſere & ſcelerate vixeris: ita ſtudeas ſanare errores tuos. Jam quod Papiſtæ hoc loco abuſi ſunt, ut probarent Deum ſatisfactionibus placari, hoc eſt nimis frivolum, adeoque etiam ridiculum, ſi excutimus eorum doctrinam. Nam quum ſatisfactiones definiunt, vocant opera ſupererogationis. Si quis enim præſtet quod Deus juſſit ſua Lege, ille non poterit ſatisfacere pro peccatis ſuis. Hoc coguntur Papiſtæ fateri. Quid ergo reſtat? Nempe ut plus offeramus Deo quam præcipit. Ideo vocant etiam opera Indebita. Atqui Daniel hic non exigit à Rege Nebuchadnezer aliquod opus ſupererogationis; exigit juſtitiam, & poſtea oſtendit juſte non componi vitam hominis, niſi ubi valet ac viget inter nos humanitas: & præſertim ubi miſericordes ſumus in pauperes. Certe hic nulla eſt ſupererogatio: quorſum enim tendit Lex? Sequitur ergo hoc non poſſe trahi ad ſatisfactiones, & ridiculos eſſe Papiſtas & ſimul putidos. Cæterum ut hoc illis demus, tamen non ſequitur redimi coram Deo peccata, quaſi opera compenſent vel culpam vel pœnam, quemadmodum ipſi loquuntur. Fatentur non redimi culpam ſatisfactionibus. hoc eſt unum. Quod ad pœnam ſpectat, dicunt eam redimi. Sed videndum eſt an hoc conveniat conſilio Prophetæ. Non litigo nunc de verbo: concedo illis poſſe accipi pro Redimere, Redimas peccata tua. Sed videndum eſt, ſitne hæc Redemptio in judicio Dei, an apud homines. Certum autem eſt, hic Danielem reſpicere quam ſe inique & inhumaniter geſſerit Nebuchadnezer, quam tyrannice vexaverit ſuos ſubditos, quam ſuperbe contempſerit pauperes & miſeros. Quoniam ergo ita ſe projecerat ad omnem iniquitatem, Daniel oſtendit remedium. Et ſi hoc remedium ponatur pro redemptione vel liberatione, nihil erit abſurdum, quia redimimus apud homines peccata noſtra, dum illis ſatisfacimus. Ego redimo peccata apud proximum, ſi poſtquam eum læſi, ſtudeo me illi reconciliare, agnoſco quod peccavi, peto veniam. Si autem fortunas ejus imminui, reſtituo quod ablatum injuſte fuerat, redimo hoc modo peccatum. Sed non ſequitur propterea, expiari peccata coram Dei judicio, acſi beneficentia quam exerceo eſſet genus ali-

aliquod compenſationis. Videmus itaque ineptos & ſtultos eſſe Papiſtas, dum ad ſe rapiunt Prophetæ verba. Jam quæritur ultimo loco, quorſum Daniel hortatus fuerit Regem Nebuchadnezer, ut peccata abrumperet vel redimeret? Nam vel hoc erat ex contingentibus, quod abſurdum eſſet dicere, vel erat cæleſte decretum, ſicuti ſomnium Regis erat promulgatio edicti, ut ante viſum eſt. Si hoc erat ſtatutum coram Deo, non potuit ullo modo mutari. Fuit igitur ſupervacuum velle redimere peccata. Si ſequimur diverſam expoſitionem, nulla reſtabit difficultas. Sed etiam ſi fatemur hic Prophetam concionari de redimendis peccatis, tamen non eſt inutilis ejus exhortatio. Utcunque enim oportuerit Regem Nebuchadnezer ſe parare ad ferendam Dei caſtigationem, tamen fuit hoc ei non parum utile, agnoſcere Deum miſericordem. Et poterat etiam tempus, quod prorogatum eſt ejus obſtinata malitia, contrahi: non quod Deus mutet decretum ſuum, ſed quia ſæpe concionatur minando, ut benignius agat cum hominibus, & temperet rigorem ſuæ vindictæ, quemadmodum patet ex pluribus aliis exemplis. Non fuiſſet igitur hoc inutile apud docilem, nec fructu cariturum erat quod Daniel hortatus eſt Regem Nebuchadnezer, ut peccata ſua redimeret: quia poterat conſequi aliquam veniam, etiamſi pœnas dediſſet: deinde, ut ne dies quidem eſſet ablatus ex ſeptem annis; tamen magnus hic erat profectus, ſi Rex ſe humiliaſſet mature coram Deo, ut ſcilicet capax eſſet obtinendæ veniæ, quæ jam promiſſa fuerat. Nam quia tempus certum erat præfixum, vel ſaltem aliquod tempus erat monſtratum à Propheta, ideo valde profuiſſet Regi, ſi judicem ſuum deprecari volens, jam ſe paraſſet ad obtinendam veniam illam. Modis igitur omnibus utilis fuit hæc doctrina, quemadmodum etiam apud nos eadem valet ratio: quia utcunque ad ferulas Dei paratos nos eſſe oporteat: tamen hæc eſt non parva aut vulgaris levatio in miſeriis, quum ita nos Deo ſubjicimus, ut perſuaſi ſimus ex oppoſito, illum fore nobis propitium, quia videt diſplicentiam noſtram, quia videt nos ex animo deteſtari peccata noſtra.

Da omnipotens Deus, ut patienter ferre diſcamus omnes caſus adverſos, & ſciamus te exercere erga nos officium judicis, quoties in hoc mundo affligimur, ut præveniamus hoc modo tuam vindictam, & cum vera humilitate ſic nos damnemus, ut tamen confiſi tuæ miſericordiæ ſemper ad te confugiamus, freti Mediatore quem nobis dediſti, Filio tuo unigenito: & ſic petamus abs te veniam, ut interea meditemur veram pœnitentiam non vanis & inutilibus figmentis, ſed veris & ſeriis probationibus, nempe ut veram inter nos charitatem & fidem colamus, & teſtemur etiam hoc modo timorem nominis tui, ut vere glorificeris in nobis per eundem Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA PRIMA

IN

DANIELEM.

28. Hoc totum impletum fuit (*vel incidit*) ſuper Nebuchadnezer Regem.

29. In fine menſium duodecim, (*hoc eſt, duodecim poſt menſibus*) in palatio regni, quod eſt in Babylone, deambulabat.

30. Loquutus eſt Rex, & dixit, An non hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni (*hoc eſt, ut eſſet ſedes regia*) in robore fortitudinis meæ, & in pretium (*vel excellentiam*) decoris mei?

31. Adhuc ſermo *erat* in ore Regis, (*id eſt, quum ſermo eſſet adhuc in ore Regis*) vox è cælis cecidit, (*hoc eſt, deſcendit, vel delapſa eſt*) Tibi dicunt, Rex Nebuchadnezer, regnum *tuum* migravit (*vel, diſceſſit*) abs te.

32. Et ex hominibus te ejicient, & cum beſtia agri habitatio tua; herbam ſicuti boves guſtare te facient: (*vel, herba ſicut boves te paſcent*) & ſeptem tempora tranſibunt ſuper te, donec cognoſcas quod dominator *ſit* Excelſus in regno hominum, & cui voluerit det illud.

Poſtquam retulit Nebuchadnezer Danielem fuiſſe præconem judicii Dei, quod inſtabat: nunc adjungit quomodo exequutus ſit Deus judicium illud, quod denunciaverat per Prophetam. Loquitur autem in tertia perſona: ſed ſcimus quam frequenter occurrat mutatio perſonæ apud Hebræos & Chaldæos. Deinde non deſcripſit Daniel dictum Regis, ſed complexus eſt duntaxat ſummam. Ita fit, ut nunc inducat Regem loquentem, deinde loquatur ipſe in ſua perſona. Non eſt igitur quod nos turbet iſta varietas, quia non obſcurat ſenſum. Primo verſu docet Nebuchadnezer non fuiſſe irritum illud ſomnium, quod expoſuerat Daniel. Ita ab effectu admonet fuiſſe oraculum cæleſte, quia evaneſcunt ſomnia, quemadmodum ſcimus. Sed quoniam Deus complevit ſuo tempore quod per ſomnium oſtenderat Regi Babylonio, hinc patet non fuiſſe turbulentum aliquod ſomnium, ſed certam revelationem futuræ pœnæ, quæ Regi inſtabat. Modus etiam exprimitur. Dicit Daniel, quum anno tranſacto Rex in palatio ſuo ambularet, gloriatum fuiſſe de ſua magnitudine, & eo momento vocem fuiſſe è cælo delapſam, qua repetitum ſuit quod jam ante in ſomnio audierat. Poſtea narrat quomodo expulſus fuerit è conſortio hominum, & verſatus ſit ad longum tempus cum animalibus brutis, ita ut nihil à beſtia differret. Quantum ad verba ſpectat, quoniam hic ponitur מהלך *mehallech*, quidam exiſtimant ambulaſſe ſuper tectum palatii ſui, unde potuit conſpicere omnes urbis partes. Scimus enim etiam in ædium culminibus Orientales ambulare. Sed ego non tam ſubtiliter interpretor: quia Propheta videtur non aliud velle, quam Regem tunc in otio, & deliciis ſibi placuiſſe in magnitudine ſua. In reliquo ſermone nihil eſt obſcurum. Jam venio ad rem ipſam. Quidam exiſtimant Nebuchadnezer tactum fuiſſe pœnitentia, quum edoctus eſſet de ira Dei: & ideo tempus pœnæ fuiſſe prorogatum. Sed mihi hoc non videtur probabile. Ego potius inclino in diverſam ſententiam, quod Deus ſuſtinuerit manum ſuam uſque ad finem anni, ut magis inexcuſabilis eſſet Regis ſuperbia. Debuerat enim terreri voce illa Prophetæ ſi Deus ipſe tonuiſſet è cælo, imo fulminaſſet. Jam apparet fuiſſe ſemper ſui ſimilem. Ego quidem non inficior quin ad primum nuncium potuerit expaveſcere: hoc relinquo in medio. Quicquid ſit, non exiſtimo Deum

illi

illi pepercisse ad tempus, quod aliquod ſignum pœnitentiæ dediſſet. Reprobis quoque, fateor, interdum indulget, ſi videat ipſos humiliatos: ſicuti exemplum ſatis inſigne nobis proponitur in Rege Achab. Neque
1 Reg 21. verſ. 29.
enim unquam ex animo reſipuit: ſed Deus voluit oſtendere quantopere ſibi placeat pœnitentia, dum veniam dedit Regi impio & obſtinato in ſua malitia. Idem etiam poſſet dici de Nebuchadnezer ſi hoc Scriptura traderet. Sed quantum colligere licet ex verbis Prophetæ, Nebuchadnezer perrexit in ſua ſuperbia, donec ejus ſocordia ad cumulum uſque pervenit. Fuit enim illud intolerabile, poſtquam ita minatus erat Deus, Regem adhuc ita ſuperbire: eſt hic prodigioſus ſtupor, quod potuit ſecurus eſſe, etiam ſi centum annos vixiſſet poſt auditam illam comminationem. Denique ita ſentio, quamvis jam Nebuchadnezer intelligeret inſtare ſibi diram & horribilem pœnam, tamen utcunque ad tempus fuerit expavefactus, non depoſuiſſe ſuperbiam & altitudinem animi. Interea potuit videri inane illud vaticinium: & probabile eſt, longo tempore evanuiſſe ex memoria Regis quod audierat, quoniam putabat ſe elapſum, ſicuti impii abuti ſolent Dei tolerantia, & ita theſaurum ſibi accumulant gravioris vindictæ, ut dicit Paulus 2. c. ad Rom. Ergo fieri poteſt ut deriſerit vaticinium illud, & ita magis ac magis obduruerit. Quicquid ſit, non poteſt aliud colligi ex Prophetæ contextu, quam tunc irritam fuiſſe admonitionem Prophetæ: imo irritum fuiſſe illud oraculum, quo vocatus fuerat Nebuchadnezer ad reſipiſcentiam. Si qua fuiſſet gutta ſanæ mentis, certe debuerat confugere ad miſericordiam Dei, debuerat ſecum expendere quot modis ejus iram provocaſſet: debuerat etiam ſe totum addicere officiis charitatis: ſicuti exercuerat gravem tyrannidem erga omnes, ita debebat ſtudere benevolentiæ: ſicuti eum exhortatus fuerat Propheta: hoc adeo non facit, ut evomat inanes jactantias, quæ oſtendunt animum ejus turgere faſtu, & ſimul contemptu Dei. Quod ergo hic notatur ſpatium temporis, hinc apparet Deum ſuſpendere ſua judicia, ſi forte reſipiſcant etiam qui videntur penitus deplorati: ſed reprobos abuti illa Dei humanitate & indulgentia, quoniam magis obſtinant animos hac occaſione, dum exiſtimant Deum ceſſare ab officio judicis, ubi ad tempus diſſimulat. *A fine* igitur *duodecim menſium ambulabat Rex in palatio: loquutus eſt, ac dixit.* Hæc geminatio exprimit Regem fuiſſe loquutum ex meditata ſuperbia, ut ita loquar. Poterat enim ſimplicius dicere Propheta, Rex dixit, ſed dicit *loquutum eſſe ac dixiſſe.* Scio quam uſitatum ſit Hebræis & Chaldæis verba hæc ſimul conjungere: ſed hoc loco puto emphaticam eſſe repetitionem, quod ſcil. Rex tunc quaſi evomuerit quod pridem conceptum in animo habuerat, & quaſi concoctum: *An non hæc eſt Babylon magna quam ego ædificavi in palatium regium, idque in fortitudine virtutis meæ, & quam ædificavi in ſplendoris mei excellentiam?* In his verbis non videmus apertam ineſſe blaſphemiam, quæ debuerit Deum tantopere offendere. ſed expendere convenit Regem loquutum eſſe hoc modo, ut ſibi arrogaret omnia, quaſi ipſe eſſet loco Dei. Ex hoc etiam poteſt colligi ex verbis: *An non hæc eſt*, inquit, *Babylon magna?* Magnitudinem ſuæ urbis jactat, quaſi inſtar gigantum vellet eam cælo opponere. *quam ego*, inquit. Pronomen etiam hoc videtur mihi emphatice poſitum: *quam ego ædificavi, idque in fortitudine meæ virtutis*, inquit. Videmus ut Deum ſpoliet omni honore, ſibi omnia vendicans. Antequàm tamen longius progrediar, videndum eſt cur dicat Babylonem à ſe conditam. Omnes enim hiſtorici in hoc conſentiunt, urbem illam fuiſſe extructam à Semiramide. Jam longo poſt tempore prædicat Nebuchadnezer laudes ſuas, quod urbem illam ædificaverit. Sed ſolutio facilis eſt. Scimus enim ut Reges terreni ſtudeant quibuſcunque poſſunt modis obruere gloriam aliorum, ut ſoli ipſi emineant, & acquirant ſibi nomen perpetuum: præſertim ubi aliquid mutant in ædificiis, ſive in palatiis, ſive in urbibus, volunt videri primi conditores, & ita extinguere eorum memoriam à quibus jacta fuerant fundamenta. Sic credibile eſt Babylonem fuiſſe exornatam à Rege Nebuchadnezer: ideoque ad ſe integram gloriam transfert, quum tamen major pars deberet adſcribi Semiramidi, vel Nino. Eſt igitur ratio loquendi tyrannica, hoc eſt, quam ſubinde uſurpant tyranni, & ex communi more, dum ad ſe trahunt alienas laudes. *Ego* igitur *ædificavi eam*, inquit, *in fortitudine manus meæ.* Nunc facile eſt videre quid Deo in hac jactantia Regis Babylonii diſplicuerit, nempe ſacrilega illa audacia, quum diceret urbem extructam ſua fortitudine. Atqui Deus oſtendit hanc laudem ſibi eſſe propriam, & merito deberi, Niſi ædificet Deus civitatem, fruſtra vigilat, &c. Pſal. 127. verſ. 1.
Quantumvis igitur ſtrenue laborent homines in urbibus condendis, tamen nihil proficient, niſi Deus ipſe præſit operi. Quum ergo Nebuchadnezer hic ſe extollit, & opponit robur ſuæ fortitudinis Deo & ejus gratiæ, fuit hæc minime tolerabilis jactantia. Hinc igitur factum eſt, ut Deus tam graviter adverſus eum excanduerit. Proinde ſciamus hoc exemplo nobis probari quod toties Scriptura inculcat, nempe Deum Pſal. 18. verſ. 28.
ſuperbis reſiſtere, humiliare eorum ſupercilium, arrogantiam non poſſe ferre. Quum ergo ubique pro- Jac 4: 6. 1 Pet. 5. verſ. 5.
nunciet Deus ſe hoſtem eſſe omnium ſuperborum, hoc nobis confirmatur præſenti exemplo, acſi imaginem ſui judicii Deus in ſpeculo nobis proponeret. Hoc eſt unum. Et ratio etiam notanda eſt, cur Deus bellum indicat omnibus ſuperbis: quia ſcilicet non poſſumus vel tantillum in ſublime attollere capita, quin denunciemus bellum Deo. Nam penes eum eſt imperium, virtus: denique in manu ejus eſt vita noſtra: neque quicquam vel ſumus vel poſſumus niſi ex ipſo. Quiſquis ergo ſibi hoc vel illud ſumit, tantundem detrahit Deo. Ideo nihil mirum eſt, ſi Deus teſtetur ſe non poſſe ferre alta hominum ſupercilia, quoniam ſponte ipſum laceſſunt, ubi vel minimum quicquam ſibi uſurpant. Verum quidem eſt, ædificari urbes hominum induſtria, & Reges eſſe laude dignos qui vel urbes condunt, vel eas exornant, modo maneat ſua laus Deo illibata. Sed ubi ſeſe efferunt homines, & volunt fortitudinem ſuam eſſe conſpicuam, ſepeliunt, quantum in ſe eſt, benedictionem Dei. Ita neceſſe eſt ſacrilegam eorum temeritatem vocari à Deo in judicium, ut jam diximus. Vanitatem etiam Rex fatetur, quum dicit, *Extruxi eam in regium palatium, & excellentiam ſplendoris mei.* His enim verbis non diſſimulat, quin ſpectaverit propriam gloriam in omnibus ædificiis, ita ut prædicaretur nomen ejus ad poſteros. Ergo in ſumma vult & ſua ætate & poſt mortem celebrari in mundo: ita ut Deus præ ipſo nihil ſit, ut jam dixi ſuperbos omnes huc tendere ut ſe ſubrogent in Dei locum. Jam ſequitur, *Adhuc ſermo erat in ore Regis quum vox de cælo delapſa eſt, Tibi dicunt, Rex Nebuchadnezer, regnum abs te diſceſſit.* Jam Deus non admonet Regem Babylonium, vel ore Prophetæ, vel nocturno ſomnio: ſed ipſe è cælo vocem emittit: & quia non domuerat faſtum, quo Rex turgebat, tam oraculo quam interpretatione Prophetæ, vox nunc è cælo auditur, quæ plus terroris incutiat. Sic Deus ſolet cum duris & præfractis capitibus agere, quia denunciat illis pœnam, quæ imminet, per ſuos Prophetas. Cæterum ubi videt eos non tangi vel affici, duplicat terrorem, donec ſequatur ultima executio, ſicut contigit huic tyranno. *Adhuc* ergo *ſermo erat in ore Regis quum vox audita eſt.* Videmus ut Deus compeſcat momento veſaniam eorum qui ſe intemperanter extollunt. Sed non mirum eſt tam ſubito auditam fuiſſe hanc vocem, quum datum fuiſſet tempus reſipiſcentiæ Regi Nebuchadnezer. In hac loquendi forma, *Tibi dicunt*, non eſt anxie quærendum de quibus intelligi debeat iſtud Dicere. Nam quod reſtringunt quidam ad Angelos, mihi non placet: videtur potius ſumpta eſſe

ex communi more: *Tibi dicunt*, hoc eſt, tibi dicitur, quaſi publico conſenſu hoc ſancitum eſt. *Tibi* ergo *dicunt*, *Rex Nebuchadnezer*. Non ſimpliciter appellat eum ſuo nomine Deus, ſed apponit nomen Regis, non honoris cauſa, ſed per ludibrium, deinde ut excutiat Régi omnes blanditias quibus ſe fallebat. Tu quidem inebriatus es præſenti tuo ſplendore. nam dum te omnes adorant, oblitus es tuæ fragilitatis: ſed non impediet hæc regia majeſtas & potentia, quo minus te proſternat Deus: quoniam ſponte non vis humiliari, regnum abs te diſceſſit. Hoc quidem erat incredibile: nam tranquilla erat regni poſſeſſio in manu ipſius Nebuchadnezer. Nemo præ ſe ferebat ſe illi fore hoſtem, domuerat omnes vicinos, terribilis erat cunctis gentibus ejus Monarchia: tamen jam pronunciat Deus *regnum ab ipſo migraſſe*. Et hoc ad certitudinem oraculi valet, ut ſciat Nebuchadnezer jam completum eſſe tempus, nec poſſe ultra differri pœnam, quando ita luſerat cum Dei indulgentia. Sequitur, *Et ab hominibus te expellent*, & *cum beſtiis agri*, vel agreſtibus, *erit habitatio tua*, *herbam te guſtare facient quaſi boves*. Quod nonnulli putant Nebuchadnezer mutatum fuiſſe in beſtiam, illud eſt nimis durum & abſurdum. Nulla igitur nobis fingenda eſt metamorphoſis: ſed ita fuit abdicatus ex hominum conſortio, ut forma hominis excepta, nihil à brutis animalibus differret: imo tanta contigit deformitas in exilio illo, ut eſſet horribile ſpectaculum, quemadmodum poſtea videbimus omnes pilos corporis ſic creviſſe, ut pennæ creſcunt aquilis: deinde ungues ejus fuiſſe ſimiles unguibus avium: hoc habuit ſimile cum beſtiis: cæterum reſidua tamen in eo fuit hominis figura. Nam incertum eſt an Deus furore percuſſerit hunc Regem, ita ut fugam arripuerit & latuerit aliquo tempore: an vero ejectus fuerit per tumultum & procerum conſpirationem, vel etiam totius populi conſenſum. Hoc ergo dubium eſt, quoniam incognitæ nobis ſunt hiſtoriæ illorum temporum. Sive autem correptus fuerit inſania Nebuchadnezer, & dum eſſet maniacus diſceſſerit è conſortio hominum, ſive ejectus fuerit, ut contingere ſæpe tyrannis ſolet: fuit hoc memorabile exemplum, quod habitavit cum beſtiis ad tempus. Et probabile eſt tamen fuiſſe obſtupefactum, ita ut Deus reliquerit ei formam humanam, rationem vero abſtulerit, ſicuti ex contextu melius liquebit. *Ejicient* ergo *te ex hominum conſortio*, *habitatio tua erit cum feris agreſtibus*: deinde, *herbam ſicuti boves te guſtare facient*: hoc eſt, privatus omnibus deliciis, imo etiam communi & plebeio victu, non reperies alium cibum quam quo veſcuntur boves. Comedes igitur herbam acſi eſſes brutum animal, & *tranſibunt ſuper te ſeptem tempora*. De ſeptem temporibus dictum fuit paulo ante. Quod quidam ad dies reſtringunt, prorſus alienum eſt non tantum ab omni ratione, ſed etiam à colore. Neque etiam de menſibus expono: fuiſſet enim nimis breve ſpatium. Ergo magis probabilis eſſet eorum ſententia qui ad annos ſeptem extendunt. Nam ſi ejectus fuit Nebuchadnezer per tumultum, non tam cito revocatus fuiſſet: deinde quia voluit Deus edere in ejus perſona exemplum, cujus memoria vigeret ſeculis omnibus, non dubito quin per longum tempus abdicatus fuerit ex communi vita. Nam ſi pœna fuiſſet ſeptem menſium duntaxat, videmus quantopere frigeant judicia Dei in mundo. Ergo ut melius inſculperet omnium cordibus Deus hanc pœnam, voluit diutius eam protrahere, non dico uſque ad annos ſeptem, quia ante expoſui numerum certum poni pro incerto, ſed in longius ſpatium. *Tranſibunt* igitur *anni ſeptem ſuper te*, inquit, *donec cognoſcas quod dominator ſit Excelſus in regno hominum*. Hic eſt finis pœnæ, quemadmodum ante diximus. neque enim repetam quæ jam ante expoſui. Sed tamen hoc memoria tenendum eſt, Deum mitigaſſe pœnæ acerbitatem, quia temporalis fuit pœna: deinde habuit hunc finem propoſitum, ut Nebuchadnezer tandem reſipiſceret, quia ſcilicet non potuit niſi ictus ſapere, quemadmodum de ſtultis vetus eſt illud proverbium, eos nunquam ad ſanam mentem revocari niſi accepto malo. Sic ergo oportuit Regem Nebuchadnezer adigi flagellis, ut ſe Deo ſubjiceret, quia ſanctis monitionibus & oraculo etiam cæleſti nihil profectum ante fuerat. Non ſic cum omnibus agit Deus. Ergo habemus hic ſpeciale exemplum ejus clementiæ, quod fecit, ne pœna hæc quam inflixit Regi Nebuchadnezer careret utilitate & profectu. Reprobi enim magis ac magis indureſcunt contra Deum, imo etiam efferantur & concitantur in rabiem. Quod igitur Nebuchadnezer ad tempus duntaxat caſtigatus fuit manu Dei, & quod tandem reſipuit, ut ſentiret Deum tenere imperium in toto mundo, hoc ſpecialis fuit gratiæ. Dicit, *quod dominator ſit Deus in regno hominum*: quia nihil difficilius ſibi perſuadent tyranni quam ſe ſubeſſe Dei potentiæ. Fatentur quidem uno verbo ſe regnare per ejus gratiam, ſed interea exiſtimant imperium ſibi eſſe partum aut virtute aut fortuna, retineri etiam ſuis præſidiis, conſiliis, opibus. Ergo abdicant, quantum in ſe eſt, Deum ab imperio mundi, dum inflati ſunt falſa illa opinione, quod ſcilicet propria virtute aut conſilio in ſtatu ſuo maneant. Non fuit igitur hic vulgaris profectus, quod Nebuchadnezer ſentire cœpit *Deum eſſe dominatorem in regno hominum*: quia Reges volunt ſtatuere ipſum quaſi medium inter ſe & vulgus. Fatentur quidem ſubeſſe plebem Deo: ſed putant ſe exemptos communi ordine, & ſibi fingunt pro ſua libidine privilegium, ne ſint ſub manu & imperio Dei. Ita fuit hoc, quemadmodum dixi, non vulgare, quod tandem didicit Nebuchadnezer *Deum regnare in terra*: quia ut plurimum tyranni eum cælo includunt, & putant contentum eſſe ſua felicitate, ita ut ſeſe non immiſceat hominum negotiis. *Ut ergo ſcias ipſum eſſe dominatorem*. Poſtea adjungit quale ſit illud genus dominii, *quod* ſcilicet *Deus extollat quoſcunque viſum eſt*, *alios autem dejiciat*. Non eſt igitur Deus tantum hoc reſpectu dominator, quod univerſali ſua providentia ſuſtineat mundum, ſed quia nemo, niſi ipſo volente, imperium obtineat. Accingit alios balteo, alios diſcingit, quemadmodum dicitur in libro Job. Non debemus igitur imaginari aliquam Dei potentiam quæ ſit otioſa, ſed debemus conjungere cum præſenti actu, ut loquuntur. Sive igitur tyranni imperium obtineant, ſive pii & juſti Reges, hoc totum gubernatur arcano Dei conſilio: quia aliter non eſſet Rex mundi. Sequitur, *Job. 12. verſ. 18.*

33. In illa hora ſermo completus fuit ſuper Nebuchadnezer, & ab hominibus ejectus eſt, & herbam tanquam boves comedit, & rore cælorum corpus ejus irrigatum fuit, donec pilus ejus quaſi aquilæ crevit, & ungues ejus quaſi avium.

Concludit Propheta quod dixerat, nempe ſimulatque vox è cælo delapſa fuit, Nebuchadnezer fuiſſe ejectum ex hominibus. Poteſt fieri ut aliqua occaſio ipſius expellendi præceſſerit. Sed quoniam incerta eſſet divinatio, malo quæ Spiritus ſanctus non patefecit in medio relinquere. Tantum hoc breviter attingere volui, quum jactaret Babylonem fuiſſe conditam fortitudine virtutis ſuæ, potuiſſe fieri ut nauſeam conceperint ipſi quoque proceres, dum viderent efferri tanto faſtu: vel poteſt etiam loquutus eſſe hoc modo, quum putaret ſibi parari inſidias: vel quum jam ſentiret moveri aliquid turbarum. Quicquid ſit, Deus tamen vocem ſuam præmiſit: deinde eodem momento expulit Regem Nebuchadnezer ex conſortio

ſortio hominum. Ergo *in illa hora*, inquit, *ſermo completus fuit*. Si fuiſſet longum tempus interpoſitum, poterat cauſa aſcribi vel fortunæ, vel aliis inferioribus mediis: ſed ubi talis eſt connexio vocis cum ipſo effectu, illuſtrius eſt judicium, quam ut poſſit hominum malignitate obſcurari. Dicit ergo *ejectum fuiſſe, & paſtum fuiſſe herbis*, ita ut à bobus nihil differret: *corpus ejus irrigatum fuiſſe pluvia*, quoniam ſcilicet ſub dio jacebat. Nam nos etiam ſæpe pluvia irrigamur, & nemo eſt qui effugiat illam neceſſitatem in agris: & ſæpe viatores madidi appellunt in hoſpitium. Sed loquitur hic Propheta de continuo Dei judicio, quod ſcilicet nullum tectum habuerit, quo ſe reciperet, ſed cubuerit in agris. Ita dicit *irrigatum fuiſſe rore cælorum. Donec*, inquit, *creſcerent illi ungues & pili quemadmodum aquilis & avibus*. Hic locus magis confirmat quod dictum eſt, ſeptem ſcilicet tempora debere exponi de longo tempore, quia non ita ſeptem menſibus creviſſent pili, nec contigiſſet talis & tanta deformitas. Ergo mutatio hæc quæ deſcribitur à Propheta ſatis oſtendit Regem Nebuchadnezer magis diuturna pœna fuiſſe affectum. Neque etiam poterat tam cito humiliari, quia indomabilis eſt faſtus etiam in aliquo mediocri homine: quanto magis in tanto Monarcha? Poſtea ſequitur,

34 Et à fine dierum (*hoc eſt, tranſacto illo tempore*) ego Nebuchadnezer oculos meos in cælum extuli, & intellectus meus ad me rediit, & Excelſum benedixi, & viventem *in* ſecula laudavi & glorificavi, quia poteſtas ejus poteſtas ſeculi, (*id eſt, æterna*) & regnum ejus cum ætate & ætate. (*hoc eſt, perpetuæ durationis.*)

Jam iterum Propheta inducit Regem Nebuchadnezer loquentem. Dicit igitur *poſt elapſum illud tempus ſe oculos in cælum ſuſtuliſſe*. Non dubium eſt quin deſignet ſeptem illos annos. Quod autem tunc demum oculos in cælum cœpit attollere, hinc apparet quam longa ſit morbi illius curatio, hoc eſt, ſuperbiæ. Quemadmodum enim ubi pars aliqua vitalis corrupta eſt & ſere contabuit, remedium difficile ac longum eſt: ſic etiam quia penitus infixa eſt ſuperbia cordibus hominum, & occupat ipſas medullas, & inficit quicquid intus eſt in anima: ideo non tam facile evellitur. & hoc notatu dignum eſt. Deinde docemur etiam hoc verbo Deum ſic operatum fuiſſe in Rege Nebuchadnezer, ut non ſtatim protulerit effectum gratiæ ſuæ palam. Profuit quidem Nebuchadnezer, ad ſeptem annos vel tempus ſimile uſque ignominioſe tractari, & exterminari è conſortio hominum: ſed hoc non potuit tam cito percipere, donec aperuit illi Deus oculos. Sic ergo Deus nos ſæpe caſtigat, & paulatim invitat, atque etiam præparat ad reſipiſcentiam: ſed gratia ejus non ſtatim agnoſcitur. Cæterum quia eſſem nimis prolixus, differam reliqua in craſtinum.

Da omnipotens Deus, quando etiamſi nihil ſumus, tamen non deſinimus nobis placere, adeoque excæcamur vana noſtri confidentia: deinde futiliter jactamus noſtras virtutes, quæ nullæ ſunt: ut diſcamus exuere hunc perverſum affectum, & ita tibi ſubjici, ut pendeamus à mera tua gratia: ſciamus nos tua ſola virtute ſtare ac ſuſtineri. Et ita diſcamus glorificare nomen tuum, ut vera & pura humilitate non tantum pareamus verbo tuo, ſed etiam opem tuam aſſidue imploremus, ac nobis diffiſi recumbamus in gratiam illam, quæ nobis unica eſt fultura, donec tandem nos colligas in regnum tuum cæleſte, ubi fruamur beata illa æternitate, quæ nobis parta eſt per unigenitum Filium tuum, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA SECUNDA IN DANIELEM.

PRoſequar nunc ſententiam quæ heri interrupta fuit. Quod dicit Nebuchadnezer *ſe extuliſſe oculos in cælum, & intellectum ſibi redditum fuiſſe*, hinc colligimus fuiſſe ad tempus mente captum. Neque tamen ſic obſtupuit, meo judicio, quin ſentiret ſua mala: ſed interea momordit frenum, & fuit phrenetico ſimilis. Alii volunt fuiſſe prorſus maniacum. De hac re non contendo: ſed mihi hoc ſatis eſt, fuiſſe alienatum mente, ita ut haberet aliquid belluinum. Sed mihi probabile eſt fuiſſe aliquid reſiduum intelligentiæ, ut ſentiret aliquem cruciatum ex clade ſua. Interim non extulit oculos in cælum, donec ad ſe Deus eum retraxit. Nihil enim prodeſſent nobis Dei ferulæ, niſi intus operaretur per Spiritum ſuum, ut heri dictum fuit. Loquutio tantundem valet acſi dixiſſet, cœpit cogitare Deum eſſe juſtum judicem. Nam ad tempus etiamſi eum torqueret ſua ignominia, tamen non reſpexit manum percutientis, quemadmodum dicitur
Jeſa. 9. verſ. 13. alibi. Cœpit igitur agnoſcere Deum ſuperbiæ ultorem poſtquam elapſum fuit tempus illud præfixum, de quo diximus. Levant autem oculos in cælum qui ſimul eos dejiciunt in terram. Quia Nebuchadnezer debuit quaſi expergefactus à ſuo veterno aſſurgere ad Deum, cujus antea fuerat oblitus: ſimul etiam debuit ſeſe proſternere in terram, quia jam receperat mercedem faſtus ſui. Auſus enim fuerat caput extollere ſupra ſortem hominis, quum ad ſe raperet quæ Dei erant propria. Non igitur extulit oculos in cælum inani confidentia, ſicuti ante inebriatus fuerat ſplendore monarchiæ ſuæ: ſed ita Deum reſpexit ut animo eſſet dejectus & proſtratus. Poſtea addit, *& Excelſum benedixi, & viventem in æternum laudavi & glorificavi*. Hæc mutatio oſtendit pœnam hac maxime de cauſa inflictam fuiſſe Regi Nebuchadnezer, quoniam ſpoliaverat Deum juſto honore. Fructum enim reſipiſcentiæ ſuæ hic deſcribit. Si ex reſipiſcentia manavit hic affectus ut Nebuchadnezer Deum benediceret, ſequitur ergo prius fuiſſe ſacrilegum, qui Deo eriperet legitimum honorem, & vellet in ejus locum ſeſe extollere, quemadmodum etiam dictum fuit. Et hinc etiam diſcendum eſt quid ſit vere Deum laudare, nempe ubi in nihilum redacti agnoſcimus & ſtatuimus apud nos omnia eſſe in ejus arbitrio, & quemadmodum poſtea videbimus, ipſum eſſe gubernatorem cæli & terræ, ut voluntas ejus ſit & pro lege, & pro ratione, & pro ſumma juſtitiæ regula. Nam poſſemus alioqui plenis buccis celebrare Dei laudes, ſed mera erit ſimulatio: quia nemo ex animo & ſincere eum laudat, niſi qui hæc omnia aſcribit quæ poſtea videbimus. Et primo dicit Nebuchadnezer, *Quia poteſtas ejus poteſtas æterna*, inquit, *& regnum ejus cum ætate & cum ætate*. Primo loco hic fatetur Deum eſſe æternum Regem: quod magnum eſt. Nam opponitur huic perpetuitati fragilitas quæ eſt in hominibus: quando & ſummi quique Monarchæ qui excellunt maxima potentia, nihil tamen habent ſolidi, non ſolum quia obnoxii ſunt fortuitis

mutationibus (ut vulgo exiſtimant profani homines) vel potius ex Dei pendent arbitrio: ſed quia vanitate ſua ut plurimum liqueſcunt. Videmus totum mundum quaſi fluctuari & eſſe inſtar turbulenti maris. Si qua ſit tranquillitas in una parte aut pluribus, tamen in ſingula momenta poteſt aliquid novi & ſubiti accidere, quod minime expectatum fuerat. Quemadmodum cælo tranquillo & ſereno ſtatim exorietur tempeſtas, ſic etiam in rebus humanis videmus fieri. Quum ita ſit, nulla eſt firma conditio in terra: præſertim vero Monarchæ turbulentis ſuis agitationibus ſeipſos concutiunt. Hæc igitur eſt perpetuitas, quæ hic prædicatur à Rege Nebuchadnezer, quod ſcilicet Deus ſit [illegible], per ſe obtineat ſuum imperium, ideoque ſit extra omne periculum mutationis. Hoc eſt primum. Jam ſequitur,

35. Et omnes habitatores terræ quaſi nihil reputantur, & ſecundum voluntatem ſuam facit in exercitu cælorum, & *in* habitatoribus terræ: & non eſt qui prohibeat manum ejus, (*vel, qui aboleat: nam utrumque ſignificat* מחא, *nempe delere, vel prohibere*) & dicat ei, Quid feciſti? (*vel, Cur ita feciſti?*)

Jam adjicitur oppoſitum membrum, ut plena ſit antitheſis: quia etſi ſequitur in hominibus nihil eſſe firmi vel ſolidi, ubi illud principium viget, nempe Deum eſſe Regem æternum: tamen pauci ita ratiocinantur: quia uno verbo concedunt omnes Deo firmum & perpetuum ſtatum: ſed interea non deſcendunt in ſeipſos, ut ſerio expendant fragilitatem ſuam. Ita immemores ſortis ſuæ ſerociunt contra ipſum Deum. Opus igitur fuit hac explicatione, quæ ponitur, nempe poſtquam Nebuchadnezer Deum laudavit, eo quod poteſtas ejus ſit æterna, adjicit ex oppoſito, *reputari cunctos habitatores terræ quaſi nihil*. כלה, quidam putant eſſe unicum verbum, & accipiunt pro re finita. Nam כלה eſt finire vel complere: ſignificat etiam conſumere interdum, unde putant nomen deductum, quod ſcilicet homines reputentur in ſuo modulo, ſed Deus ſit immenſus. Illud eſt durum: magis recepta opinio eſt, ut ה, ponatur hic pro א: & ita dicit Nebuchadnezer reputari homines quaſi nihil, nempe coram Deo. Jam ergo videmus quam apte hæc duo membra inter ſe cohæreant: nempe quod Deus Rex æternus ſit, homines autem ſint nihil. Nam ſi quid ſeorſum tribuitur hominibus, tantundem minuitur ex poteſtate & imperio ſummo Dei. Sequitur ergo Deo jus ſuum non conſtare integrum, donec cuncti mortales in nihilum redacti fuerint. Etſi autem plurimi ſe faciunt homines, tamen hic pronunciat Nebuchadnezer inſtinctu Spiritus, eſſe quaſi nihil, nempe coram Deo: quia non aliunde contigit ut ſe tantopere attollant, niſi quod cæcutiunt in ſuis tenebris. Sed ubi protracti fuerint ad lucem, ſentient ſuam [illegible], hoc eſt, ſe eſſe prorſus nihil. Quicquid autem ſumus, hoc pendet à gratia Dei, quæ ſingulis momentis nos ſuſtentat & adjungit novum vigorem. Ergo noſtrum eſſe, nihil aliud eſt quam ſubſiſtere in Deo: quia ſimulatque retraxerit ille manum ſuam & virtutem Spiritus ſui, evaneſcimus. Sumus ergo aliquid, nempe in Deo: in nobis autem nihil. Jam ſequitur, *Deum facere ſecundum voluntatem ſuam in exercitu cælorum & habitatoribus terræ.* Videri poſſet hoc abſurdum, quod Deus agere dicitur pro arbitrio ſuo, quaſi nulla eſſet apud ipſum vel moderatio, vel æquitas, vel regula juſtitiæ. Sed tenendum eſt quod alibi diximus, homines legibus regi, quoniam voluntas eorum perverſa eſt, & libidine ſua huc vel illuc fertur ſine modo: Deum autem ſibi eſſe legem, quia voluntas ejus eſt perfectiſſima juſtitia. Quoties ergo Scriptura proponit nobis Dei potentiam, ac jubet nos illa eſſe contentos, non tribuit Deo tyrannicum imperium, quemadmodum impii calumniantur: ſed quia non deſinimus obſtrepere Deo, & opponimus noſtram rationem arcanis ejus conſiliis, & ita litigamus cum eo, quaſi juſte & ſapienter non faceret quod nobis non probatur: ideo ut compeſcat Spiritus ſanctus hanc audaciam, pronunciat Deum pro ſuo arbitrio omnia facere. Meminerimus ergo, ubi fit mentio Dei, non poſſe in eum competere quicquam perverſum, vel injuſtum: voluntatem ejus non rapi aliqua libidine, ſed eſſe ſummam juſtitiam. Quum ita ſit, meminerimus etiam quanta & quam effrenis ac proterva ſit noſtra temeritas: quia audemus proſilire & objicere hoc vel illud Deo: unde ſequitur hanc doctrinam quæ nobis frenum modeſtiæ injiciat, eſſe neceſſariam, quod ſcilicet Deus pro voluntate ſua omnia faciat: quemadmodum & in Pſalmo dicitur, *Pſal. 115. verſ. 3.*
Deus noſter in cælo, quæcunque voluit fecit. Jam ex hac ſententia colligimus nihil fortuito contingere, ſed pendere quicquid accidit in mundo ex arcana Dei providentia. Neque hic admitti debet putida illa diſtinctio inter permiſſionem Dei, & voluntatem. Nam videmus Spiritum ſanctum, qui eſt optimus loquendi magiſter, hic diſerte exprimere duo, quod ſcilicet Deus faciat, deinde quod faciat pro ſua voluntate. Permiſſio autem ſecundum iſtos vanos ſpeculatores differt à voluntate, acſi Deus quaſi invitus concedat quod tamen vellet non fieri. Nihil autem eſt magis ridiculum quam Deo hanc debilitatem affingere. Deinde adjungitur etiam ipſa efficacia agendi. *Facit* igitur *Deus quæ vult*, inquit Nebuchadnezer. Et non loquitur ex ſenſu carnis, ſed ex Spiritus inſtinctu, quemadmodum dictum fuit. perinde igitur audiendus eſt acſi eſſet è cælo miſſus Propheta. Nunc ergo tenemus ſic mundum adminiſtrari arcana Dei providentia, ut nihil accidat niſi quod juſſit & decrevit: deinde ut ipſe etiam cenſeri merito debeat auctor omnium rerum. Qui objiciunt ſpeciem abſurditatis, Deum igitur eſſe auctorem peccati, ſi nihil fit niſi ejus arbitrio: imo ſi ipſe operatur: hæc calumnia facile diluitur, quod ſcilicet diverſa ſit Deo agendi ratio atque hominibus. Nam quum peccat quiſpiam, Deus ſuo modo illic operatur: ſed interea longiſſime diſtat ab homine: quia exercet ſuum judicium: quemadmodum dicitur excæcare & indurare. Quum ergo Deus præcipit reprobis vel diabolo, eos addicit projiciendos in omne genus licentiæ: quum ergo Deus ſic agit, exercet ſua judicia. Qui autem peccat, ille reus eſt merito: neque etiam poteſt implicare Deum ſocietate ſui ſceleris. Quare? Deus enim nihil habet commune cum ipſo, quantum ad peccandi rationem. Ergo videmus hæc quæ inter ſe contraria multi eſſe volunt, optime congruere, quod ſcilicet Deus ſuo arbitrio moderetur quæcunque in mundo geruntur: interea tamen non ſit auctor peccati. Quare? Nam ſic utitur diabolo & reprobis omnibus ut ſemper ſit juſtus judex. Cauſa non ſemper nobis apparet: ſed tenendum eſt illud principium, Quia penes Deum ſumma eſt poteſtas, ideo fas non eſſe obſtrepere ejus judiciis, quamlibet ſpeciem abſurditatis præ ſe ferant. Et ideo ſequitur in textu, *neminem eſſe qui prohibeat ejus manum, vel qui dicat ei, Quare ſic feciſti?* Quum dicit Nebuchadnezer non poſſe prohiberi manum Dei, hoc modo deridet hominum veſaniam, qui tamen non dubitant contra Deum inſurgere. Jam attollant digitum ſi poſſint, ut prohibeant manum ejus: & tamen convicti ſuæ infirmitatis, pergunt in ſuo illo furore. Merito igitur Nebuchadnezer oſtendit ridiculam eſſe ipſorum inſaniam,

niam, dum ſeſe intemperanter efferunt ut velint Deum compeſcere, vel includere ipſum ſuis cancellis, vel fabricare aliquas catenas quibus ipſum conſtringant. Quum ergo homines ita prorumpunt ad ſacrilegum furorem, merito ridentur. Et huc ſpectant verba quæ hic legimus apud Danielem. Poſtea adjungit *neminem dicere, Quare ſic feciſti?* Scimus quidem linguas ſolutas eſſe ad omnem petulantiam: quia vix centeſima pars hominum ſeſe continet in hac ſobrietate, ut tribuat gloriam Deo, & fateatur illum eſſe juſtum in ſuis operibus. Sed hic non reſpicit Nebuchadnezer quid fieri ſoleat inter homines, ſed quid licitum ſit. Dicit ergo Deum non poſſe corrigi, jure ſcilicet: quando, utcunque garriant reprobi, futilitas tamen ipſorum per ſe concidit: quia nulla ratione nititur: imo etiam nihil habet coloris. Summa eſt, voluntatem Dei nobis eſſe pro lege, quia fruſtra contra ipſum litigamus: deinde quia ſi tantum nobis permittimus licentiæ, & ſi eo prorumpit etiam noſtra inſania ut velimus cum Deo rixari, hoc erit ſine ſucceſſu. Deus enim
Pſal. 51. verſ. 6. ipſe juſtificabitur in ſuis judiciis, & ita omne os humanum obſtruetur. Hæc eſt ſumma. Sed notandum eſt quod inſeritur, *Dei voluntatem fieri tam in exercitu cælorum quam in habitatoribus terræ.* Per exercitum cælorum non intelligo, ut in aliis locis, ſolem, lunam & ſtellas, ſed Angelos ipſos, atque adeo diabolos, qui cæleſtes vocari poſſunt non abſurde, reſpectu ſuæ originis: deinde ſcimus eſſe aëris Principes. Ergo ſignificat Daniel tam Angelos, quam diabolos, & homines gubernari Dei arbitrio: & quamvis intemperanter ruant impii, tamen arceri arcano freno, ne poſſint exequi quicquid libido ipſis dictaverit. Deus ergo dicitur *facere tam in exercitu cælorum quam in hominibus quicquid vult;* quia Angelos habet ſibi morigeros, nempe electos: diaboli autem coguntur imperio ejus parere, etiamſi in contrarium nitantur. Scimus quidem diabolos modis omnibus adverſari, ſed tamen coguntur tandem obſequium præſtare Deo, non voluntarium, ſed coactum. Quemadmodum autem agit Deus in Angelis & dæmonibus, ſic etiam in habitatoribus terræ. Alios enim gubernat Spiritu ſuo, nempe electos, qui poſtquam regeniti ſunt ejus Spiritu, ſic ab ipſo aguntur, ut vere refulgeat ejus juſtitia in omnibus actionibus ipſorum. Agit etiam in reprobis, ſed alio modo. Nam trahit eos præcipites per manum diaboli: impellit etiam arcana ſua virtute, percutit eos ſpiritu vertiginis, excæcat eos & conjicit in ſenſum reprobum, obdurat etiam corda ad contumaciam. Ecce quomodo Deus in hominibus & Angelis agat omnia pro ſua voluntate. Jam alius eſt etiam modus agendi, quantum ad externam conditionem attinet. Deus enim hunc attollit in ſublime, alterum vero dejicit. Ita videmus ex divitibus
ſubinde fieri pauperes: deinde erigi alios ex ſtercore, & conſcendere in ſummos honoris gradus. *Pſal. 113. verſ. 7.*
Vocant profani homines ludum fortunæ. Atqui æquiſſima eſt, quamvis incomprehenſibilis, moderatio providentiæ Dei. Sic ergo agit Deus pro ſuo arbitrio in hominibus & Angelis. Sed illa interior actio priore loco ponenda eſt, quemadmodum diximus. Nunc ſequitur,

36. Et in tempore illo (*quanquam* בזמנא *proprie tempus eſt præfixum & ſtatutum*) intellectus meus rediit ad me, & ad excellentiam regni mei, (*nempe, reverſus fui: eſt enim loquutio elliptica*) decor meus & dignitas mea reverſa eſt ad me: & me Conſiliarii mei & Proceres mei requiſierunt: & in regno meo confirmatus ſum, & dignitas mea amplior aucta fuit mihi. (*addita*)

Hic pluribus verbis explicat Nebuchadnezer quod breviter prius attigerat, nempe ſe recuperaſſe ſanam mentem: & ita commendat Dei miſericordiam, quod contentus modica & temporali caſtigatione, tandem manum ei porrexit, ut ex beſtia iterum formaret hominem. Non quod mutatus fuerit in beſtiam, ſicuti dictum eſt, ſed quia in illam ignominiam conjectus fuerat ut ſimilis eſſet beſtiis agreſtibus, & paſceretur etiam cum illis. Illa igitur deformitas fuit tam horrenda, ut reſtitutio poſſit vocari nova quædam creatio. Et ideo non abs ſe tantopere hanc Dei gratiam celebrat Nebuchadnezer. *In illo* igitur *tempore intellectus meus rediit ad me.* ſemel hoc dixerat: ſed quia inæſtimabile eſt Dei beneficium intelligentia & ratio, Nebuchadnezer inculcat elogium hoc, & fatetur ſe expertum eſſe ſingularem Dei gratiam, quod fuerit redditus ſanæ menti. Et ſimul adjungit *ſe reverſum eſſe ad decorem & præſtantiam regni ſui: quia requiſitus fuit à Conſiliarus & Proceribus.* Quomodo hoc fuerit completum neſcitur, quia ſepulta eſt temporum illorum memoria, niſi quod probabile eſt tandem Principes regni flexos fuiſſe ad clementiam, ut cuperent recipere ad ſe Regem ejectum. Hoc non dicemus factum fuiſſe ab illis conſulto: quia Deus ſic uſus eſt illis, ut tamen neſcirent ſe exequi quod ſtatuerat. Audierant vocem è cælo, *Tibi dicetur, Nebuchadnezer Rex, ecce regnum ablatum eſt tibi,* &c. Hoc quidem debebat vulgo eſſe notum & celebre apud omnes: ſed ſcimus facile obrepere oblivionem hominibus, ubi Deus loquutus eſt. Principes ergo quum neſcirent ſe operam Deo impendere, tamen poſtularunt Regem ſuum. Hoc modo reverſus eſt ad dignitatem regni ſui: imo dignitas addita fuit illi amplior quam antea. Tandem ſequitur,

37. Nunc ego Nebuchadnezer laudo, & extollo, & glorifico Regem cælorum: quia omnia opera ejus veritas, & viæ ejus judicium: & eos qui ambulant in ſuperbia poteſt humiliare. (*id eſt, potens eſt ad humiliandos ſuperbos.*).

Clauſula eſt edicti, ubi Nebuchadnezer conjungit ingenuam confeſſionem ſuæ culpæ cum Dei laudibus. Nam quod ponit de ſuperbis, haud dubie ad ſuam perſonam proprie applicat: quaſi diceret, Deus voluit me ſtatuere quaſi inſigne documentum, unde omnes cognoſcerent ejus manu humiliari ſuperbos. Ego enim inflatus eram ſuperbia; hanc Deus horribili pœna ſic correxit, ut nunc exemplum meum debeat omnibus prodeſſe. Ideo dixi Regem Nebuchadnezer non hic ſimpliciter gratias agere Deo, ſed ſimul fateri culpam ſuam, quod ſcilicet merito tam duriter ſubactus fuerit: quia non poterat leviore remedio corrigi ejus faſtus. Sed primo dicit, *ego laudo, extollo, & glorifico Regem cælorum.* Non dubium eſt quin iſta verborum congeries ex vehementi affectu prodierit. Et ſimul ſubaudienda eſt antitheſis ex illo principio quod prius vidimus, nempe, Deum nunquam rite laudari, niſi quum detegitur hominum ignominia: Deum non rite extolli, niſi quum dejicitur illorum altitudo: Deum nunquam glorificari, niſi quum homines quaſi ſua ignominia obruti in terra jacent. Ergo etiam hoc loco dum laudat, extollit, & glorificat Deum Nebuchadnezer; ſimul & ſe & reliquos

omnes mortales fatetur, quemadmodum antea, nihil eſſe, nihil mereri laudis, ſed dignos eſſe omni ignominia. Poſtea addit, *quoniam opera ejus cuncta ſunt veritas.* Hic קשוט accipitur pro rectitudine vel integritate. Nam דיני אמת vocantur vera judicia: ſed hic ad æquitatem refertur. *Opera* ergo *Dei omnia ſunt veritas*, id eſt, ſunt integritas: quaſi diceret, nihil eſſe reprehenſione dignum in Dei operibus. Deinde ſequitur explicatio, quod *omnes viæ ejus ſunt judicium.* Videmus ergo hic laudari in Deo perfectam juſtitiam. Debet autem hoc referri ad perſonam Nebuchadnezer; quaſi diceret, Non egit Deus mecum nimis rigide, non eſt quod expoſtulem cum ipſo, vel obmurmurem quaſi in me fuerit nimium ſeverus. Fateor igitur quicquid pœnæ ſuſtineo fuiſſe mihi debitum. Quare? *Omnes viæ ejus ſunt judicium*: id eſt, ſumma eſt in illis rectitudo. Deinde *omnia opera ejus ſunt veritas*, hoc eſt, nihil illic reperitur inæquale, nihil flexuoſum: ſed ubique ſumma juſtitia fulgebit. Videmus ergo ut his verbis Nebuchadnezer ſe proprio ore damnet, dum prædicat juſtitiam Dei in cunctis operibus. Neque obſtat generalitas (ut loquuntur) quo minus Nebuchadnezer aperte & libere ſe reum ſiſtat apud Dei tribunal: ſed hæc loquutio plus habet vehementiæ, dum admonitus ſuo exemplo, in genere fatetur Deum eſſe juſtum, & rectum, & veracem, quicquid agat. Et hoc notatu dignum eſt: quia non adeo difficile eſt multis celebrare Dei juſtitiam & rectitudinem ubi tractantur pro animi ſui voto: verum ſi Deus cum illis aſperius agere incipiat, tunc evomunt virus ſuum, & incipiunt cum Deo rixari, & eum inſimulant injuſtitiæ vel crudelitatis. Quod ergo Nebuchadnezer hic ſine exceptione fatetur Deum eſſe juſtum & veracem in cunctis ſuis operibus, quum tamen adeo ſevere caſtigatus fuerit, hæc confeſſio non eſt ficta: quia neceſſe fuit prodire ex intimo cordis ſenſu quod loquitur: quoniam expertus fuerat rigorem divini judicii. Jam in fine additur, quod *poſſit humiliare eos qui ambulant in ſuperbia.* Hic Nebuchadnezer apertius detegit probrum ſuum: neque enim ipſum pudet culpam coram toto mundo agnoſcere, quum pœna omnibus nota eſſet. Ergo ſicuti Deus voluerat ejus veſaniam omnibus eſſe deteſtabilem, quum tam horribile pœnæ exemplum in eo edidit: ſic etiam nunc prodit Nebuchadnezer in medium, & teſtatur ſe merito luiſſe tam gravem pœnam, quia ſcilicet nimium ſuperbiebat. Et hic videmus potentiam illam Dei conjungi cum juſtitia, quemadmodum ante dictum fuerat. Non tribuit Deo aliquam tyrannidem quæ omni lege careat. Nam poſtquam confeſſus eſt Nebuchadnezer omnes vias Dei eſſe judicium, continuo poſt addit ſe fuiſſe ſuperbum. Ergo non dubitat ſe exponere probro apud homines, ut Deum glorificet. Et hic eſt verus modus laudandi Dei, non tantum ubi fatemur nos eſſe nihil, ſed etiam ubi reputamus noſtra vitia: deinde non tantum apud nos intus agnoſcimus nos reos agi & peragi coram eo, ſed etiam ore idem teſtamur apud cunctos mortales, ubi opus eſt. Et quum Humiliandi verbum ponit, hoc referri debet ad externam dejectionem. Humiliatus enim fuit Nebuchadnezer quum Deus projecit eum in ſylvas, ut communis ei vita eſſet cum feris agreſtibus. Sed humiliatus deinde fuit alia ratione, ſicuti unus ex Dei filiis. Quum igitur duplex ſit humiliatio, priorem ſpeciem hic exprimere voluit Nebuchadnezer, quod ſcilicet Deus ſuperbos proſternat ac dejiciat. Hic eſt modus unus humiliationis: ſed careret profectu illa humiliatio, niſi Dominus poſtea nos regeret ſpiritu manſuetudinis. Et ita Nebuchadnezer hic non complectitur gratiam Dei, quæ tamen digna erat non vulgari elogio & prædicatione: ſed non deſcripſit etiam in hoc edicto quicquid poſſet requiri ab homine pio & qui edoctus fuerit diu in ſchola Dei: ſed tamen oſtendit ſe multum profeciſſe ſub Dei ferulis, quum tribuit illi ſummam potentiam: deinde conjungit juſtitiæ laudem ac rectitudinis, & ſeſe interea fatetur reum, & teſtatur juſtam fuiſſe pœnam, quæ divinitus irrogata fuit.

Da omnipotens Deus, quando nobis omnibus ita infixus hæret morbus ſuperbiæ, ex quo ſumus corrupti in patre noſtro Adam: da, inquam, ut diſcamus nos penitus excutere, ut ita diſpliceamus nobis quemadmodum oportet: deinde ſentiamus nihil eſſe vel ſapientiæ vel rectitudinis niſi abs te uno, ita ut confugiamus ad tuam miſericordiam, & primum nos confiteamur addictos æternæ morti: deinde tamen freti bonitate tua, quam dignatus es nobis offerre per Euangelium tuum, freti etiam Mediatore, quem nobis dediſti, non dubitemus ad te confugere, & te invocare Patrem, ut Spiritu tuo regeniti, in vera humilitate & modeſtia ambulemus, donec tandem nos erigas in regnum illud cæleſte, quod nobis partum eſt ſanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA TERTIA IN DANIELEM.

CAP. V.

BElſazar Rex fecit convivium magnum Proceribus ſuis mille, & coram mille vinum bibit.

DAniel hic refert hiſtoriam quæ contigit quum capta fuit Babylon: ſed interea relinquit conſiderandum lectoribus judicium Dei, de quo vaticinati fuerant Prophetæ etiam antequam populus migraret in exilium. Hic non utitur ſtylo Prophetico, quemadmodum poſtea videbimus, ſed contentus eſt ſimplici narratione: cæterum uſus hiſtoriæ poterit diſci ex ſequentibus. Noſtrum igitur eſt nunc expendere in hac hiſtoria quod ad ædificationem fidei & timoris Dei valeat. Primo loco notandum eſt tempus quo celebravit Belſazar hoc epulum. Jam præterierant anni ſeptuaginta ex quo abductus fuerat Daniel una cum ſociis in exilium. Nam quamvis poſtea vocetur Nebuchadnezer pater Belſazar, tamen ſatis conſtat Evilmerodah fuiſſe medium inter illos duos. Regnavit autem Evilmerodah annis viginti tribus. Alii etiam numerant duos Reges ante Belſazar. Nam ponunt Regaſſar, poſtea Labaſſardach: illi duo efficient adhuc octo annos. Metaſthenes ita tradit, & multi eum ſequuntur. Cæterum conſtat Nebuchadnezer Magnum (qui abduxit Danielem, qui erat filius primi Nebuchadnezer) regnaſſe annis quadraginta quinque. Alii duos annos transferunt ad imperium patris ejus. Quicquid ſit, obtinuit regiam poteſtatem per annos quadraginta quinque. Jam accedant viginti tres anni Evilmerodah, efficient annos ſexaginta octo. Belſazar regnavit annos octo.

octo. Videmus ergo fluxiſſe annos ſeptuaginta duos, ex quo Daniel in captivitatem tractus fuerat. Metaſthenes ponit annos triginta in regno Evilmerodah: deinde accedunt illi octo anni: ſic eſſent anni plures octoginta. Et hoc eſt ſatis probabile. Quanquam videtur in eo erraſſe Metaſthenes, quod diverſos Reges fecit, quum tantum diverſa eſſent nomina. Herodotus enim non vocat hunc Regem, *Herodot. lib. 1.* cujus nunc fit mentio, Belſazar, ſed patrem ejus vocat Labynetum: & hunc eodem etiam nomine appellat. Videtur ergo hallucinatus eſſe Metaſthenes in nominibus. Sed quantum ad temporis ſupputationem ſpectat, libenter amplector quod dicit, Evilmerodah regnaſſe triginta annis. Nam quum agitur de ſeptuaginta annis quos ante deſignaverat Jeremias, non debemus incipere ab exilio Danielis, ſicuti neque ab urbis excidio, ſed à clade quæ media fuit inter primam victoriam Regis Nebuchadnezer, quam adeptus eſt patre adhuc ſuperſtite, & templi urbiſque incendium & ruinam. Nam quum allata eſſet fama de morte patris, quemadmodum alibi diximus, reverſus eſt in patriam, ne quid ipſo abſente turbarum oriretur. Ergo ut reperiamus annos ſeptuaginta, quibus volebat Deus finire captivitatem populi ſui, neceſſe erit longius producere regnum Evilmerodah, quam ad annos viginti tres. Quanquam in ea re non multum eſt diſcriminis. Nam paulo poſt Nebuchadnezer reverſus abduxit Regem, quamvis urbe adhuc integra. Quamvis autem tunc ſtaret adhuc Templum, Deus tamen graviſſimam pœnam populo inflixerat, quæ ultimæ cladi ſimilis eſſet, vel ſaltem non longe diſtaret. Quicquid ſit, videmus Belſazar celebraſſe hoc convivium quum jam inſtaret tempus liberationis. Et hic nobis conſideranda eſt providentia Dei, qui moderatur articulos temporum, ut impii, quum adeſt maturum ruinæ tempus, ſe ultro præcipitent. Hoc contigit huic impio Regi. Mira fuit ſtupiditas, quod paravit ſplendidum convivium & plenum lautitiis, quum tamen urbs obſideretur. Nam Cyrus jam longo tempore cœperat obſidere urbem cum magno exercitu: erat dimidia ex parte captus miſer ille: & tamen quaſi invito Deo extruit opiparum convivium, & adhibet mille convivas. Hinc ſatis conjicere licet, quantus fuerit ſtrepitus, & quantum ſumptuum in illo convivio. Nam ſi quis tantum velit accipere decem aut viginti convivas, multum erit negotii & moleſtiæ, ſi quidem velit ſplendide ipſos tractare. Quum autem eſſet regius apparatus, quum eſſent mille Proceres, uxor Regis & concubinæ: quum ergo tanta turba collecta eſſet, oportuit certe conquiri multis ex partibus quod ſufficeret ad illas lautitias: hoc poſſet videri incredibile. Sed Xenophon, quamvis multis in rebus fabuletur, neque ſervet gravitatem, neque fidem hiſtorici, quia vult celebrare ut rhetor laudes Cyri: quamvis ergo in multis nugetur, tamen hac in parte nulla fuit ratio vel occaſio mendacii: dicit repoſitam fuiſſe annonam, ut poſſent ferre Babylonii obſidionem per decem aut multo plures annos. Et Babylon etiam merito confertur regioni. Fuit enim magnitudo illius urbis tam ampla, ut fidem ſuperet narratio. Certe oportuit eſſe valde populoſam: ſed quum ex tota Aſia adveherent annonam, non mirum eſt ſi Babylonii habuerint repoſitum victum, ut poſſent etiam clauſis portis, longo tempore ſe ſuſtentare. Sed in hoc convivio eſt aliquid prodigii ſimile, quod Rex, qui debebat excubias ipſe agere, vel ſaltem mittere ſuos vigiles, ne urbs interciperetur, quod ſcilicet animum tunc ad delicias applicuerit, acſi eſſet in alta pace, & nihil eſſet periculi ab externo hoſte. Erat illi certamen cum ſtrenuo viro, ſi quis unquam fuit. Cyrus & prudentia ſingulari pollebat, & celeritate etiam agendi omnes alios longe anteceſſit. Quum ergo tam acriter oppugnaretur, mirum eſt quod ita fuerit ſocors, ut celebraret convivium. Dicit quidem Xenophon fuiſſe feſtum illum diem. Quod Judæi putant fuiſſe partam victoriam à Chaldæis contra Perſas, illud eſt nugatorium. Nam Xenophon, cui hac in parte adhibenda eſt fides, ubi ſcilicet non mentitur in Cyri gratiam, quia tunc eſt graviſſimus auctor & dignus fide teſtis: ubi autem vult laudare Cyrum, nullus eſt finis: in hac parte eſt hiſtoricus, quum dicit quotannis diem fuiſſe feſtum & ſolennem Babyloniis. Quomodo autem capta fuerit Babylon ipſe etiam tradit: nempe Gobria, & Gabatha ducibus. Nam hic Belſazar alterum caſtraverat per ignominiam, alterius filium occiderat, vivo adhuc patre. Quum ergo alter arderet cupiditate vindictæ ob mortem filii, alter vero ob ignominiam ſibi illatam, conſpiraverunt ſimul. Ita factum eſt, ut averterit multos rivos Euphratis Cyrus, & ita ſubito capta fuerit Babylon. Notandum autem eſt bis fuiſſe captam: & alioqui etiam non conſtaret fides vaticiniis: quia ubi Prophetæ minantur Babyloniis Dei ultionem, dicunt hoſtes *Jer. 50. verſ. 42.* fore atrociſſimos, qui non quærant aurum vel argentum, ſed appetant humanum ſanguinem: deinde commemorant etiam atrociſſima quæque facinora, quæ perpetrari ſolent in bello. Nihil autem tale contigit quum Babylon à Cyro capta fuit. Sed quum Babylonii excuſſo jugo ſe liberaſſent ab imperio Perſarum, Darius urbem recuperavit, nempe opera Zopyri, qui corpus ſuum mutilavit, & finxit ſe ita crudeliter affectum fuiſſe à Rege, ut urbem proderet. Tunc autem colligimus quam duriter afflicti fuerint Babylonii, quod tria millia Procerum cruci affixit. Quid factum eſt vulgo, quum deleti fuerint Proceres ipſi ad tria uſque millia, & omnes ſuſpenſi fuerint in patibulo, imo etiam affixi cruci? Hinc ergo facile apparet, pœnam Babyloniis ad tempus illud fuiſſe dilatam, quamvis interea ſubditi fuerint alieno imperio, & contumelioſe tractati à Perſis, redacti ſcilicet ad ſerviles operas. Nam prohibiti ſunt ab uſu armorum, & edocti ſunt primo die à Cyro ſervire, ita ut gladium geſtare non auderent. Hæc breviter attingere oportuit, ut ſciremus ſic gubernari occulto Dei judicio res humanas, ut præcipitet reprobos, quum inſtat illis pœna. Cujus rei habemus hic illuſtre exemplum in Rege Belſazar. Aderat tempus liberationis prædictum à Jeremia, *Jer. 25. verſ. 12.* finiti erant ſeptuaginta anni, obſeſſa erat Babylon. Jam poterant capita erigere Judæi, ut bene ſperarent: quia adventus Cyri contigerat præter omnium opinionem. Subito enim irruerat ex Perſiæ montibus, quum eſſet illa natio barbara. Quum ergo inſtar turbinis repente veniſſet Cyrus, poterat hæc mutatio dare aliquam ſpem Judæis: ſed quum diu fruſtra jacuiſſet (ut ita loquar) in obſidione urbis, poterat hoc dejicere eorum animos. Jam quum Belſazar epulatur cum ſuis proceribus, videtur per luſum & jocum, ut dicunt, Cyrum poſſe ejicere. Interea Dominus non ſedebat otioſus in cælo. Nam excæcat animum impii Regis, ut prodeat ipſe ultro ad pœnam: quamvis enim nemo ipſum trahat, ſeſe offert. Unde hoc, niſi quia Deus ipſum dediderat hoſti? Nempe ſecundum decretum cujus præco fuerat Jeremias. Ergo quamvis Daniel hiſtoriam narret, *Jer. 25. verſ. 26.* noſtrum tamen (ut dixi) eſt, expendere longe majora: nempe quod Deus, qui pollicitus fuerat liberationem populo ſuo, jam proferat manum ſuam ex occulto, & impleat quod prædictum fuerat à Prophetis. Jam ſequitur, *Regem Belſazar bibiſſe vinum coram mille.* Quod quidam ex Rabbinis dicit certaſſe cum mille ſuis Proceribus, ita ut omnes illos æquaret potandi intemperantia, illud eſt nimis craſſe ridiculum. Quod ergo dicit, *vinum bibiſſe coram mille*, reſpicit ad morem gentis. Nam hoc rarum erat ut Reges Chaldæi adhiberent convivas. Sic enim ſolebant ſoli epulari, ut nunc Reges Europæ. Putant enim

enim hoc ſpectare ad ſuam dignitatem, ſi uni tantum paretur menſa. Talis fuit ſuperbia in Regibus Chaldaicis. Quum ergo dicitur *Belſazar vinum bibiſſe coram mille*, extraordinarium aliquid notatur, quod ſcilicet præter quotidianum morem celebraverit hoc ſolenne epulum, & dignatus fuerit Proceres ſuos tanto honore, ut ſcilicet reciperet eos convivas. Neque enim illud ſatis firmum eſt quod quidam conjiciunt vinum bibiſſe palam, quod ſoleret inebriari abſque teſtibus. Sed iſtud *coram* accipitur pro communicatione vel ſocietate. Pergamus.

2. Belſazar præcepit (*dixit, ad verbum: ſed ſignificat hic præcipere*) in guſtu (*vel ſapore*) vini, ut afferrent vaſa auri & argenti, (*aurea & argentea*) quæ aſportaverat (*vel extulerat*) Nebuchadnezer pater ejus ex templo quod *eſt* in Jeruſalem, ut biberent in illis Rex, & Proceres ejus, uxores & concubinæ. (*alii vertunt uxorem: quia una erat præcipua uxor, quæ ſola erat ſocia Regis, & etiam dabatur illi nomen Reginæ, quemadmodum poſtea videbimus.*)

Hic Rex Belſazar maturat pœnam ſuam, quia furioſe provocat io ſe iram Dei, quaſi tædio moræ affectus, quod Deus judicium ſuum longios protraheret. Hoc eſt quod dixi, impios ubi imminet ruina domus, extollere poſtes & januas, quemadmodum [*Prov. 17. verſ. 19.*] dicit Solomon. Deus ergo ubi vult judicia ſua exequi, impellit arcano inſtinctu reprobos, ut quaſi ſponte occurrant, & accerſant ſibi celerem interitum. Hoc fecit Belſazar. Securitas ſignum fuit ſtoporis: & jam hoc erat ſignum iræ Dei, quum ita in ſuis malis & in periculo medio poſſet deliciis vacare: ſed hæc excæcatio clarius demonſtrat vindictam Dei, quod ſcilicet non contentus ſua intemperantia & importunis lautitiis, etiam Deo bellum aperte indixerit. *Juſſit* ergo, inquit, *afferri ſibi vaſa aurea & argentea, quæ abſtulerat Nebuchadnezer.* Apparet repoſita fuiſſe vaſa illa in theſauro. Ergo Nebuchadnezer, quamdiu vixerat, oon ita abuſus fuerat illis vaſis: Evilmerodah etiam non legitur tale quicquam feciſſe: nunc vult data opera contumeliam inferre Deo Belſazar. Neque enim dubium eſt quin proferri juſſerit vaſa illa per ludibrium, ut triumphum rurſus ageret de vero Deo, quemadmodum poſtea videbimus. Quod Nebuchadnezer vocat Propheta patrem Regis Belſazar, jam expoſuimus quo ſenſu hoc debeat intelligi: quia illud ſatis commune eſt omnibus linguis vocare patres tam avos quam abavos & atavos etiam. Quoniam ergo ex ſemine Nebuchadnezer Regis progenitus fuerat Belſazar, & erat ejus ſoboles, ideo etiam filius vocatur. Et de hoc iterum videbimus. Sunt qui etiam putant, Evilmerodah percuſſum fuiſſe gravi illa plaga, quæ recitata fuit proximo cap. Et poſſet quidem fieri, ut vocatus ille fuerit Nebuchadnezer: ſed oulla neceſſitas nos trahit in eorum ſententiam. Fuit enim hoc nimis frivolum, quum nomen patris occurreret, ſtatim confugere ad illam divinationem: dicit Propheta *Belſazar hoc mandaſſe in ſapore vini.* Quia טעם ſignificat guſtare, non dubium eſt quin hic de guſtu loquatur. Sed quoniam metaphorice hoc transfertur ad intellectum, ideo quidam exponunt quod vinum impulerit: & ita loco rationis & judicii habuerit ſuam ebrietatem. Nox & amor (inquit ille) vinumque [*Ovid. 1. Amor. Eleg. 6.*] nihil moderabile ſuadent. Sed illa expoſitio videtur mihi nimis coacta. Simpliciter igitur accipio, quod ubi vino incaluit Belſazar, tunc juſſerit vaſa ſibi afferri. Et hoc etiam magis receptum eſt. Quum ergo jam vini ſapor prævaleret, hoc eſt, quum vinum occupaſſet ſenſus Regis, *tunc præcepit ſibi vaſa afferri.* Et hoc notare operæpretium eſt, ut ſciamus cavendum nobis eſſe ab omni intemperantia potus: quia nihil proclivius eſt, quam temere multa ſuſcipere & aggredi ſimulac ſapor vini ſenſus noſtros turbavit. Ergo ſobrie utendum eſt vino, ut non tantum corpus, ſed mentem etiam, & ſenſus omnes vegetet, non autem ut debilitet corpus & enervet: multo minus ut ſenſus quoque obſtupefaciat. Et hoc porro plus quam commune eſt, ſicuti etiam celebratum fuit vulgaribus proverbiis, nempe ſuperbiam naſci ex ebrietate. Unde etiam Poëtæ finxerunt Bacchum cornutum: quia qui intemperantes ſunt in potu, exultant, & putant etiam miſerrimi quique ſe eſſe Reges. Quid ergo fiet ipſis Regibus, ubi ſui obliti ſomniant ſe eſſe non tantum Reges Regum, ſed etiam deos? Hoc ergo vitium notare voluit Propheta, quum dixit, *Belſazar juſſiſſe in ſapore vini afferri ſibi vaſa.* Nunc ſequitur,

3. Tunc attulerunt vaſa aurea, (*tantum aurea ponit, quia probabile eſt pretioſiſſima quæque vaſa allata fuiſſe: poteſt fieri, ut etiam adducta fuerint vaſa argentea: ſed quod ſplendidius erat Propheta expreſſit*) quæ extulerant (*non dicit jam, quæ extulerat, vel aſportaverat Nebuchadnezer: ſed hoc communiter transfert ad omnes Babylonios. auſpiciis quidem Regis parta fuerat victoria: ille etiam ſpolia ſibi uſurpaverat: ſed quia victores fuerant omnes Babylonii, ideo de illis nunc Propheta loquitur*) ex templo domus Dei, quæ erat (*vel quod templum erat*) io Jeruſalem: (*hic plus exprimit quam paulo ante: non dicit jam, ex Hieroſolyma, ſed ex templo domus Dei*) & biberunt in illis Rex, & Proceres ejus, & uxor, (*vel uxores, plurali numero*) & concubinæ ipſius.

4. Biberunt vinum, & laudarunt deos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneos, & lapideos.

Hic clarius & diſtinctius Propheta oſtendit Regem tunc inſultaſſe vero & unico Deo, quum juſſit vaſa ſibi afferri. Nam quum allata eſſent, *Laudarunt*, inquit, *omnes deos ſuos aureos & argenteos*: hoc eſt, in opprobrium veri Dei celebrarunt encomia falſorum deorum, quaſi illis gratias agerent: ſicuti etiam dicit Habacuc. Quanquam non dubium eſt quin ſacrificaverint ſuæ induſtriæ, ſuis viribus, ut [*Habac. 1. verſ. 16.*] etiam eodem loco dicit Propheta: ſed ut obruerent gloriam veri Dei, ita extulerunt deos ſuos. Et hæc etiam ratio eſt, cur nunc Propheta diſerte commemoret vaſa illa fuiſſe allata *ex templo domus Dei.* Nam hic exaggerat impietatem Regis & Procerum illius, quod cornua erexerint contra Deum Iſraëlis. Eſt igitur hæc antitheſis notanda inter Deum qui juſſerat ſibi templum extrui Jeroſolymæ, & offerri ſacrificia: deinde inter falſos deos. Et hoc fuit præcipitium ad pœnam, quum Belſazar conſulto ſic contra Deum inſurgeret: nec tantum opprimeret tyrannice & crudeliter miſeros Judæos, ſed triumphum etiam ageret de illorum Deo, hoc eſt, opifice cæli & terræ. Hac veſania ſibi acceleravit ultimum interitum. Sed hoc factum eſt, quia inſtabat tempus liberationis. Ideo dixi tractum fuiſſe arcano Dei inſtinctu ad talem amentiam, quo matura eſſet vindicta. *Biberunt*, inquit, *vinum, & laudarunt deos ſuos.* Non

ad-

adſcribit quidem Propheta ebrietati quod laudaverint deos, ſed tamen oblique docet petulantiam hanc fuiſſe magis accenſam potu. Nam ſi quiſque ſobrius domi ſuæ fuiſſet, non ita proterve inſurrexiſſent contra Deum: ſed quum impietas regnaret in ipſorum cordibus, acceſſit intemperies in potu, quaſi flabellum. Hoc ergo videtur mihi notare Propheta, quum repetit *illos bibiſſe*. Nam dixerat, *Biberunt Rex, & Proceres, uxor, & concubinæ*. Nunc ſecundo idem ſimilibus fere verbis inculcat, quod *biberunt*: ſed addit *bibiſſe vinum*: quaſi diceret, fuiſſe illorum veſaniam magis accenſam, quum vini calore incitarentur. *Tunc* ergo *laudaverunt deos argenteos*, &c. Propheta hic probroſe commemorat *deos aureos, argenteos, & æreos, & ligneos, & lapideos*: quia ſcimus Deum nihil habere affine vel auro, vel argento. Ergo non poteſt vera ejus effigies exprimi in corruptibili materia. Hæc ratio eſt cur Propheta hic dicat omnes deos quos colebant Babylonii, fuiſſe *aureos, argenteos, æneos, & ligneos, & lapideos*. Certum quidem eſt, nunquam ſic deliraſſe profanos homines, ut putarent eſſentiam Dei eſſe ex auro, vel ex argento, vel ex lapide: vocabant duntaxat deorum imagines. Sed quia ſemper eorum opinione incluſa fuit Dei potentia & majeſtas ſub lapide, & ligno, & auro, & argento, jure Prophetæ ſocordiam ipſorum ita craſſe damnant: quia ſcimus quam ſedulo excogitent omnia ſubterfugia idololatræ: & hodie Papatus ſatis claro documento eſt, nunquam deeſſe ſuperſtitioſis quod obtendant, ubi excuſare volunt ſuos errores: ideo Propheta hic non admittit vanos illos prætextus, quibus ſuam turpitudinem Babylonii & ſimiles fucabant: ſed dicit illorum *deos fuiſſe aureos & argenteos*. Quare? Nam quamvis ore faterentur deos regnare in cælo: (nam multitudo & turba deorum apud illos recepta ſic erat, ut ſummum illud numen eſſet quaſi implicitum tenebris:) quamvis ergo Babylonii faterentur deos in cælo habitare, tamen confugiebant ad ſtatuas & picturas. Ideo non immerito Propheta illis exprobrat, *quod adorent deos aureos & argenteos*. Quod autem dicit, *tunc allata fuiſſe vaſa*, hinc apparet ut tyrannis ſervi obſequia ſua præſtent in rebus peſſimis: quia nulla mora interpoſita ſtatim vaſa producta ſunt ex theſauris. Significat ergo Daniel ſervos omnes intentos fuiſſe ad Regis ſui nutum, ut homini ebrio & quaſi bruto placerent. Sed ſimul etiam oſtendit quam brevis fuerit illa ebria exultatio. Dicit enim,

5. In illa hora egreſſi ſunt digiti manus hominis, & ſcribebant è regione lucernæ (*vel candelabri: alii exponunt feneſtram*) ſuper calcem parietis (*alii, in ſuperficie: ſed malunt alii accipere pro tectorio: quod eſt etiam probabile: ergo ſuper calcem parietis*) palatii Regis, & Rex cernebat palmam (*alii vocant articulos*) manus ſcribentis.

Hic incipit narrare Daniel, ut mutatæ fuerint vices: quia momento ipſo Rex agnovit ſibi triſte aliquid & lugubre inſtare. Neque tamen ſtatim intellexit quidnam hoc eſſet: tantum Deus ſignum aliquod oſtendit quaſi ſiniſtrum omen, ut loqui ſolebant tunc profani. Deus ergo hoc modo præluſit, quum videret Regem ita fervere inſana licentia cum ſuis proceribus. *Apparuit* igitur *manus hominis*, inquit Propheta: vocat manum hominis à ſimilitudine vel forma. Certum enim eſt non fuiſſe hominis manum: ſed quia figuram præ ſe ferebat, ideo vocatur manus hominis. Et Scriptura etiam hac ratione ſæpe utitur, præſertim ubi loquitur de externis ſymbolis. Eſt ergo hæc etiam ſacramentalis loquutio, ut ita loquar. Deus enim ipſe ſcripſit ſua virtute: ſed oſtendit Regi Belſazar figuram, acſi homo quiſpiam ſcriberet in pariete. *Egreſſi ſunt* igitur *digiti manus*. Quum dicit digitos prodiiſſe, hoc ad certitudinem miraculi non parum facit. Nam niſi initium hoc vidiſſet Belſazar, poterat conjicere fuiſſe aliquo artificio manum illam appoſitam. Sed quum paries ante careret illa ſpecie, deinde quum ſubito manus prodit in medium, hinc colligere promptum fuit manum illam eſſe ſignum cæleſte, quo Deus oſtendere aliquid magnum volebat Regi. *Egreſſi* ergo *ſunt digiti manus*, inquit, *& ſcribebant è regione candelabri*, vel lucernæ. Certum eſt fuiſſe hoc nocturnum convivium: & capta etiam fuit Babylon media nocte. Neque mirum eſt protractas fuiſſe epulas in longum tempus. Nam intemperies nullum habet modum: deinde ita ſolebant luxuriari. quotidie, fateor, non epulabantur ad mediam noctem: ſed quum ſplendidum aliquod & lautum convivium celebrarent, non putabant ſatis diuturnam fore lætitiam, niſi quaſi in menſa putreſcerent, ut ita loquar. Sic ergo *è regione candelabri apparuit manus*, quo magis conſpicua eſſet. Scribebat autem, inquit Propheta, manus illa ſuper calcem parietis in palatio. Si quis Regi denunciaſſet apparuiſſe ſpeciem manus humanæ, poterat hoc eſſe dubium: ſed dicit Regem fuiſſe oculatum teſtem. Deus enim voluit ipſum terrere, quemadmodum ſtatim poſtea videbimus. Ergo propoſuit coram ipſo tale ſpectaculum. *Rex* ergo *cernebat*: Proceres forte non ita: & poſtea videbimus terrorem fuiſſe ſoli Regi incuſſum, niſi quod alii cœperunt cum eo trepidare. Quum enim viderent mutatam ejus faciem, & mœrore eſſe correptum, ſimul etiam cœperunt timere, quanquam ſtudebant omnes adhibere aliquid ſolatii. Ergo voluit Deus quodammodo citare ad ſuum tribunal impium Regem, quum manus hominis in ejus conſpectu apparuit, quæ ſcribebat. De ſcriptura videbimus ſuo loco.

Da omnipotens Deus, quando ita proclives ſumus ad oblivionem, ut nimis cupide nobis indulgeamus, & voluptatibus carnis: da, inquam, ut ſubinde quiſque noſtrum ſeſe revocet ad cogitanda tua judicia, quo ſollicite ſemper quaſi in conſpectu tuo ambulemus: & ſic nobis timeamus à juſta tua vindicta, ne eam provocemus noſtra protervia, & aliis vitiis: ſed nos ita tibi ſubjiciamus, ut erecti manu tua & ſuffulti pergamus in ſancto vocationis tuæ curſu, donec tandem erigas nos uſque ad regnum cæleſte, quod nobis acquiſitum eſt ſanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA QUARTA

IN

DANIELEM.

6. Tunc Regis vultus mutatus eſt, (*forma, ad verbum, vel figura: Regis ergo vultus mutatus eſt*) & cogitationes ejus terruerunt eum, & ligamina lumborum ejus ſolvebantur (*coxendices, periphraſtice loquuntur Hebræi & Chaldæi etiam*) & poplites ejus invicem colliſi ſunt.

Hic

Hic Daniel oſtendit Regis animum fuiſſe perculſum metu, ne ſcilicet quiſquam poſſet exiſtimare, fuiſſe de nihilo conceptum timorem. Sed multis etiam circumſtantiis exprimit fuiſſe ita Regem turbatum, ut facile conſtaret cauſam non eſſe levem. Oportuit enim ipſum ita percelli, ut omnes intelligerent Deum quaſi in ſolio ſuo ſedere judicem, & citare ipſum reum. Diximus ante, & Daniel etiam oſtendit, quanta eſſet ſuperbia illius Regis: & ſecuritas etiam luculentum fuit ejus rei documentum. Quum enim diuturna obſidio deberet illum reddere ſollicitum, celebravit ſolennes epulas quaſi in alta pace. Unde apparet, fuiſſe correptum ſpirituali quadam temulentia, ut ſua mala non ſentiret. Hæc igitur ratio fuit cur Deus illum expergeſaceret, imo ut veternum ejus excitaret: quia non poterat ratione aliqua uſitata redire & revocari ad ſanam mentem. Hæc amem potuit videri eſſe commoda præparatio ad pœnitentiam, quod ita fuit territus. Sed idem nobis oſtenditur in ejus perſona, quod in perſona Eſau. (*Geneſ. 27. verſ. 34.*) Ille enim non tantum tactus fuit dolore, quum videret ſe eſſe abdicatum, ſed cum magno ejulatu & lamentatione petiit à patre benedictionem: verum ſero. Idem etiam nunc de Rege Belſazar narratur. Sed ordine ſingula notanda ſunt. Dicit Daniel *Regis vultum fuiſſe mutatum*: deinde, *ſoluta fuiſſe ligamina lumborum ejus, & turbatum fuiſſe*, vel territum, *cogitationibus ſuis*: poſtremo etiam adjungit *poplites inter ſe fuiſſe colliſos*. Nam verbum ſignificat proprie impingere. A ſignis rem ipſam demonſtrat Propheta, quod ſcilicet expaverit Rex Belſazar ad viſionem, cujus facta fuit mentio. Non dubium eſt, quemadmodum nuper dixi, quin Dei inſtinctu conceperit hunc terrorem. Scimus enim reprobos, etiam ubi Deus palam oſtendit ſe tribunal conſcendere, tamen manere ſtupidos, neque moveri ullo metu. Sed Deus voluit afficere hujus impii Regis animum, ut nulla eſſet excuſatio ignorantiæ. Et hic notandum eſt, Deum variis modis tangere hominum corda: non tantum de reprobis loquor, ſed etiam de electis. Videmus etiam optimos quoſque tardos ac ſegnes eſſe, ubi Deus illos ad judicium ſuum citat. Ideo neceſſe eſt ipſos ferulis cogi. Sponte enim nunquam ad Deum accederent. Poſſet quidem ipſe movere ipſorum animos ſine ulla violentia: ſed vult nobis quaſi in ſpeculo proponere qualis ſit noſtra tarditas, & ſocordia: neque enim obtemperamus ejus verbo, niſi inviti. Ergo ferulis domat etiam filios ſuos, ubi non proficit ſolo ſermone. Quantum ad reprobos ſpectat, ſæpe detegit ipſorum contumaciam, quia priuſquam ſuſcipiat munus judicis, blande eos allicit: ubi autem hoc fit ſine profectu, minatur: ubi etiam minæ ſunt inutiles & carent omni efficacia, tunc vocat eos ad ſuum tribunal. Quantum ad Regem Babylonium ſpectat, Deus paſſus fuerat Danielem tacere. Nam Regis ingratitudo vel ſuperbia clauſerat januam, ut non poſſet Daniel ſuſcipere & obire partes doctoris, ſicuti paratus fuiſſet. Caruit igitur Rex Babylonius doctore. Subito autem Deus apparuit judex in ſcriptura, de qua jam aliquid breviter dictum fuit: ſed plura adhuc ſuo loco dicenda erunt. Quicquid ſit, videmus non tantum ſigno externo admonitum fuiſſe Regem Belſazar de propinquo interitu, ſed etiam intus fuiſſe expergefactum, ut agnoſceret ſibi negotium eſſe cum Deo. Nam ſæpe reprobi delicias ſibi faciunt, quemadmodum dixi, quamvis Deus oſtendat ſe ipſorum eſſe judicem. Sed aliter egit cum Rege Belſazar. Voluit enim ipſum terrore percelli, quo magis attentus eſſet ad legendam ſcripturam. Fuit, ut nuper dixi, hic terror præparatio ad pœnitentiam: ſed in medio curſu defecit, quemadmodum multis videmus contingere, qui trepidant ad Dei vocem vel ad ſigna vindictæ, ſimulatque illos admonet: ſed evaneſcunt paulo poſt, ita ut non plane doceantur quemadmodum neceſſe erat. Et ſimile eſt exemplum illud Eſau, (*Geneſ. 25. verſ. 33.*) quia contempſit gratiam Dei, quum audiret ſe privatum eſſe hæreditate promiſſa, & quidem divinitus. Pro fabula igitur habuit benedictionem, donec ſenſit rem ſerio agi: tunc lamentari cœpit, ſed abſque profectu. Talis igitur fuit perturbatio Regis Belſazar: quia tandem, ut videbimus, etiam ubi Daniel expoſuit ei ſcripturam, tamen nihil hac re commotus eſt: ſed ornavit Danielem regiis inſignibus. Cæterum hoc valuit in alium finem & uſum: quia ſcilicet dum Proceres ejus commoti ſunt, & res fuit patefacta, Deus hoc modo demonſtravit gloriam ſuam: & Darius, qui urbem cepit una cum Cyro ſuo genero, intellexit ſe non adeptum eſſe propria induſtria & virtute victoriam illam, nec etiam ſe ita fuiſſe adjutum à duobus Satrapis Gobria & Gabatha, quin res tota geſta eſſet auſpiciis Dei. Sic ergo Deus oſtendit quaſi in ſpeculo ſe eſſe vindicem populi ſui, quemadmodum ſeptuaginta annis ante promiſerat. Nunc ſequitur,

7. Clamavit Rex fortiter, ut introducerentur Magi, Chaldæi, & Aſtrologi: (*de his vocibus alibi dictum eſt*) & loquutus eſt Rex, & dixit ſapientibus Babylonis, Quiſquis legerit ſcripturam hanc, & interpretationem ejus indicaverit mihi, purpura veſtietur, & torques ex auro (*hoc eſt, aureus*) ſuper collum ejus, & tertius in regno dominabitur.

Narrat Propheta quæſitum fuiſſe remedium anxietatis à Rege Belſazar. Et hinc iterum colligimus, ita penitus fuiſſe vulneratum ejus animum, ut ſentiret ſe non poſſe effugere manum Dei. Neque enim tam ſubito vocaſſet ſapientes in medio convivio: deinde etiam quum dicit Propheta *ipſum fortiter clamaſſe*, hinc apparet ſic fuiſſe attonitum, ut obliviſceretur ſe eſſe Regem. Nam ita fortiter clamare in menſa, non fuit conſentaneum ejus dignitati. Sed Deus excuſſerat ei omnem ſuperbiam. Coactus eſt igitur erumpere in clamorem, acſi fuiſſet homo veſanus. Sed nunc expendere convenit quale fuerit ejus remedium. Juſſit *vocari Chaldæos, Magos, & Aſtrologos*. Hinc colligimus quam propenſa ſint hominum ingenia ad vanitatem, & mendacia, & fallacias. Daniel debuerat primus eſſe etiam inter Chaldæos: & memorabile fuerat illud reſponſum, quum prædixerat avo Regis Belſazar, ipſum futurum eſſe ſimilem beſtiis agreſtibus. Quum vaticinium hoc comprobatum eſſet eventu, certe debuit ejus auctoritas vigere etiam ultra mille annos. Erat autem ipſe quotidie in conſpectu Regis: negligitur tamen: & Rex accerſit omnes Chaldæos, & Aſtrologos, & Divinos, & Magos. Verum quidem eſt, fuiſſe tunc & Magos, & Aſtrologos, & Chaldæos in tanto pretio, ut merito potuerint obſcurare famam Danielis: nempe quia indigne ferebant hominem captivum ſuis doctoribus præferri: quum jam ſcirent ſe excellere hac gloria inter omnes populos, quod ſcilicet ſoli ſaperent. Quum igitur vellent retinere illam exiſtimationem, ſe eſſe quaſi Conſiliarios Dei, non mirum eſt quod contempſerint hominem alienigenam. Sed hoc coram Deo nihil habet coloris. Quid enim poteſt afferri pro defenſione impii Regis? Avus ejus fuerat memorabile exemplum vindictæ Dei, quum eſſet ejectus à conſortio hominum, quum habitaſſet cum brutis animalibus, imo cum ſylveſtribus feris. Et hoc non poterat videri fortuitum. Deus enim ſomnio illum admonuerat: deinde adjunxerat Prophetam ſuum interpre-

tem

tem oraculi & viſionis. Quemadmodum jam dixi, hujus rei debuit perpetua eſſe fama apud Chaldæos. Nepos Regis Nebuchadnezer oblitus hujus exempli, inſultat Deo Iſraëlis, profanat vaſa templi, & triumphum agit cum ſuis idolis. Ubi autem Deus ſignum judicii ſui proponit, convocat Magos & Chaldæos, præterito Daniele. An hoc ullo colore excuſari poſſet? Videmus ergo, quemadmodum dixi, hominum ingenia nimium propenſa eſſe ad impoſturas Satanæ, & verum eſſe illud proverbium, Mundum velle decipi. Et hoc notatu dignum eſt, quia hodie multi libenter obtenderent vice clypei ignorantiam in rebus turbatis. Sed in promptu eſt exceptio, illos ſcilicet ultro cæcutire, imo claudere oculos ad lucem manifeſtam: quia ſi Deus reddidit Regem Belſazar inexcuſabilem, quum ſemel oblatus ei eſſet Propheta, quid hodie nobis proderit prætexere fucos iſtos? Oh ego ſi poſſem certo ſtatuere quænam ſit Dei voluntas, ſtatim me ſubjicerem: quia Deus quotidie aperte clamat, & nos invitat, oſtendit viam: nemo autem eſt qui reſpondeat, vel ſequatur: ſaltem pauciſſimi ſunt. Ergo diligenter nobis conſiderandum eſt exemplum Regis Babylonii, ubi videmus eum ſatis quidem eſſe ſedulum, ſed interea non quærere Deum, ſicuti debuerat. Quare? Vagatur per ambages. Videt quidem ſe conſtringi, nec poſſe effugere Dei judicium: ſed interea ſolatium quærit apud Magos & Chaldæos, hoc eſt, apud impoſtores. Jam enim ſemel deprehenſi fuerant, & bis, quemadmodum vidimus: hoc debuerat ſatis eſſe celebre & notum omnibus. Videmus ergo Regem Belſazar fuiſſe cæcum: quia oculos clauſit ad lucem oblatam: quemadmodum hodie totus fere mundus ita cæcus eſt: quia ſcilicet non errat in tenebris, ſed ubi lux eſt oblata, oculos tamen claudit, quaſi reſpueret Dei gratiam, & vellet data opera ſe projicere: & hoc nimis vulgare eſt. Jam quod dicit Propheta, *Regem fuiſſe pollicitum ſapientibus, quiſquis legeret ſcripturam, eum donatum iri torque aureo:* deinde, *veſtitum iri purpura, tertium fore in regno:* hinc appatet non fuiſſe ſincere tactum Dei metu. Et hæc repugnantia obſervatu digna eſt in reprobis, quod ſcilicet exhorrent Dei judicium, interea non corrigitur ſuperbia in ipſorum cordibus, quin erumpat: quemadmodum videmus in hoc Rege. Nam *poplites ejus ſeſe mutuo colliduntur*: deinde, *ligamina lumborum ſolvuntur*: nulla denique pars eſt corporis, quæ non contremiſcat. Eſt igitur Rex quaſi exanimis: quoniam terror Dei occupat omnes ejus ſenſus. Interea videmus latuiſſe in ejus animo occultam ſuperbiam, quæ tandem erupit, quum promitteret *tertium fore in regno quiſquis interpres eſſet ſcripturæ.* Deus jam abdicaverat illum dignitate regia: vult autem ipſe alios extollere in ſublime, quaſi repugnante Deo. Quid hoc ſibi vult? Videmus ergo quoties expaveſcunt reprobi, tamen fovere intus occultam contumaciam, ita ut Deus nunquam eos ſubigat. Oſtendunt quidem multa ſigna pœnitentiæ: ſed interea ſiquis prudenter expendat omnia eorum facta & dicta, reperiet quod hic Propheta narrat de Rege Belſazar: nempe ipſos furere adverſus Deum, neque eſſe dociles, vel morigeros, quamvis ſint obſtupefacti. Hoc jam aliqua ex parte vidimus in hoc verſu, & clarius adhuc videbimus in fine capitis. Quantum ad finem verſus ſpectat, ubi dicit, *dominabitur ille tertius in regno*, incertum eſt an promittat tertiam partem regni, an vero dicat tertium fore: quia multi putant Reginam, cujus ſtatim fiet mentio, fuiſſe uxorem Regis Nebuchadnezer, & aviam Regis Belſazar. Sequitur,

8. Tunc ingreſſi ſunt omnes ſapientes Regis, & non potuerunt ſcripturam legere, & interpretationem *ejus* patefacere Regi.

9. Tunc Rex Belſazar multum territus fuit, & vultus ejus mutatus fuit ſuper eum: (*in eo*) & Principes ejus *fuerunt* obſtupefacti. (*vel anxii.*)

Hic narrat Daniel Regem fuiſſe opinione ſua deceptum, quia ſperaverat ex Magis, & Aſtrologis, & Chaldæis, & Genethliacis aliquem fore interpretem illius ſcripturæ: nemo autem eſt qui eam legat. Ergo hic pœnam dat ſuæ ingratitudinis, quod ſcilicet pro nihilo duxerit Prophetam Dei, quum tamen ſciret fuiſſe prædictum avo ſuo quod acciderat, & Danielem ſemper excelluiſſe ſapientia: ita ut ſatis multæ & firmæ probationes eſſent ejus vocationis. Quia igitur ita contempſerat incomparabile Dei beneficium, hic deſtituitur conſilio, & videt ſe fruſtra vocaſſe omnes Chaldæos & Aſtrologos. Dicit autem Daniel *neminem fuiſſe, qui legeret ſcripturam, vel interpretationem ejus patefaceret Regi.* Quia videtur hoc eſſe abſurdum, Rabbini hic multum laborant. Alii putant tranſpoſitas fuiſſe literas: alii autem divinant literas fuiſſe mutatas, ut æquipollerent inter ſe: alii autem exiſtimant mutatos fuiſſe characteres. Sed alibi diximus Judæos audaces eſſe in ſuis divinationibus, quoties non occurrit illis certa ratio. Nos autem non opus habemus illis conjecturis, quia probabile eſt, vel ſcripturam fuiſſe Regi propoſitam, & latuiſſe omnes Chaldæos: vel ita excæcatos fuiſſe, ut videndo non viderent, quemadmodum etiam Deus ſæpe ejuſmodi ſtuporem denunciat Judæis. Videmus quid pronun-
Jeſa. 29. ciet per Jeſaiam, Erit vobis Lex inſtar libri clauſi:
verſ. 10. ſicut dicatur, Lege, Liber eſt obſignatus; dicet, non poſſum: vel aperiatur liber, vos autem omnes eritis tanquam cæci: etiam qui nunc videntur eſſe acutiſſimi præ aliis dicent ſe eſſe idiotas, & non eſſe homines literatos. Quod ergo Deus minatus eſt Judæis, & ſcimus fuiſſe in illis completum, & hodie adhuc compleri, quia velum eſt objectum eorum oculis,
quemadmodum dicit Paulus, ut cæcutiant in clariſſi- 2 Cor. 3.
ma luce: quid mirum eſt idem contingere Chaldæis, verſ. 14.
ita ut non poſſint ſcripturam legere? Ergo quid opus eſt nunc divinare fuiſſe literas tranſpoſitas, vel fuiſſe alio ordine ſcriptas, vel ſubjectas alias aliis, ut verbum תקל *tekel* præcedat, deinde מנא מנא *mene mene*? Hæc ſunt nimis frivola. Hoc certum eſt, Deum voluiſſe Regem commonefacere de propinquo interitu: deinde fuiſſe commotum ejus animum, non ut reſipiſceret, ſed ut inexcuſabilis eſſet ejus ſocordia: atque ut volens nolens acceriſeret aliquod remedium, quia ſciebat negotium ſibi eſſe cum Deo. Jam quod ad ſcripturam ſpectat, Deus non eſſet liber, niſi in ejus arbitrio eſſet alloqui nunc unum hominem ſeorſum, nunc plures. Voluit igitur Regem Belſazar hujus ſcripturæ eſſe conſcium. Interea Magi omnes, quaſi cæci eſſent, non poterant ſcripturam legere. Quod ad interpretationem ſpectat, non mirum eſt, ſi in ea fuerint perplexi. Deus enim ænigmatice loquutus eſt, quum dicit MENE MENE, deinde TEKEL, hoc eſt, appenſum: PERES, diviſum eſt. Etiamſi centies legiſſent has quatuor voces Magi, non poterant tamen vel conjicere, vel ratione comprehendere quid hoc ſibi vellet. Fuit enim allegoricum illud vaticinium, donec interpres divinitus eſſet ordinatus. Sed quantum ad literas ipſas ſpectat, etiam non eſt quod miremur oculos Magorum fuiſſe perſtrictos: quoniam ita Deo placuit, qui volebat Regem citare ad tribunal ſuum, quemadmodum jam diximus. Dicit Propheta *Regem fuiſſe expavefactum, vultus ejus fuiſſe mutatos in eo, Principes etiam ſimul fuiſſe turbatos.* Oportuit creſcere ſenſum judicii Dei, ne res occulta

eſſet. Nam, ut poſtea videbimus, illa ipſa nocte interfectus fuit Rex ipſe Belſazar. Cyrus ingreſſus eſt, quum epularentur Babylonii, & ſecure deliciis ſuis vacarent. In illa ebrietate poterat ſtatim obrui tam inſigne judicii Dei exemplum, niſi multis circumſtantiis illuſtratum fuiſſet. Secundo igitur repetit Daniel *Regem fuiſſe turbatum*, poſtquam ſcilicet vidit nihil eſſe, conſilii vel adjumenti in Magis ſuis & Aſtrologis. Dicit etiam *Principes ejus fuiſſe attonitos*: quia non unum duntaxat Regem oportuit turbari, ſed totam aulam, ut manaret fama non modo per urbem, ſed etiam ad gentes exteras: quia dubium non eſt, quin Cyrus poſtea edoctus fuerit de hoc vaticinio. Neque enim ita amplexus eſſet Danielem, nec tam honorifice tractaſſet, niſi hac re cognita. Poſtea ſequitur,

10. Regina propter verba Regis & Procerum in domum ſympoſii (*ſic enim vertendum eſt, quia nomen hoc deductum eſt à* שתה, *bibit*) ingreſſa eſt: loquuta eſt & dixit, Rex, in æternum vive: ne terreant te cogitationes tuæ, & vultus tuus ne mutetur.

11. Eſt vir in regno tuo, in quo ſpiritus *eſt* deorum ſanctorum: & in diebus patris tui intelligentia, (*lux, ad verbum: ſed hic metaphorice accipitur*) & ſcientia, & ſapientia quaſi ſapientia deorum reperta eſt in eo: & Rex Nebuchadnezer pater tuus magiſtrum Magorum, (*voces iſtas non moror*) Aſtrologorum, Chaldæorum, Aruſpicum conſtituit ipſum pater tuus Rex, *inquam*.

Hic narrat Daniel qua occaſione productus fuerit coram Rege, ut eſſet lector & interpres ſcripturæ. Hoc dicit factum fuiſſe à Regina. Dubitatur fueritne uxor Regis Belſazar, an avia: ac probabile quidem eſt, fuiſſe mulierem jam vetulam, quæ narrat de tempore Regis Nebuchadnezer Quanquam illa conjectura forte non ſatis firma eſſet: ideoque præſtaret hic ſuſpendere judicium, quam aliquid temere aſſerere, niſi quod ante vidimus, uxorem ſimul in menſa ſediſſe. Quod autem poſſumus certo colligere ex Prophetæ verbis diligenter notandum eſt, nempe Regi exprobrari ſuam ingratitudinem, quod inter Magos, & Chaldæos, & Aſtrologos non admiſerit Danielem. Nolebat quidem cenſeri ſanctus vir in illo ordine: & dignus erat quem Deus ſpoliaret ſpiritu Prophetico, ſi ita ſe permiſcuiſſet cum impoſtoribus: & facile apparet fuiſſe ab illis ſegregatum. Rex Nebuchadnezer præfecerat illum omnibus Magis: noluit uti hoc honore, nempe quia ut nunc dicebam, privaſſet ſe ſingulari Prophetiæ dono. Nam videndum eſt quid nobis liceat. Scimus quidem nihil magis eſſe proclive, quam ut illecebris mundi trahamur: præſertim ambitio nos excæcat, & perturbat omnes ſenſus noſtros: & nulla eſt deterior peſtis: quia ubi quiſpiam videt ſe poſſe aliquid vel pretii vel honoris acquirere, non reſpicit quid liceat, vel quid Deus permittat, ſed abripitur quaſi cæco furore. Idem poterat contingere Danieli, niſi retentus fuiſſet vero affectu pietatis: ſed repudiavit illum honorem ſibi oblatum à Rege Nebuchadnezer. Ideo nunquam voluit cenſeri inter Ariolos, & Aſtrologos, & hujuſmodi impoſtores, qui præſtigiis ludebant gentem illam. Hinc fit, ut nunc Regina dicat eſſe quendam Danielem. Sed non fuit Rex excuſabilis hoc prætextu: quia (ut jam dictum eſt) Daniel etiam in multas ætates ſibi acquiſierat nomen celebre, & Deus voluerat inſignire eum certa nota, ut omnium mentes in ipſum intentæ eſſent quaſi in cæleſtem aliquem Angelum. Quod ergo Rex Belſazar ignorat talem Prophetam eſſe in regno ſuo, hoc eſt turpis & belluinæ ſocordiæ. Deus ergo voluit hoc exprobrari Regi Belſazar per mulierem, quum dicit, *ne turbent te cogitationes tuæ*. Blande quidem ipſum demulcet, quia videbat eum eſſe perterritum: ſed interim oſtendit eum nimis craſſe errare, quia vagetur per ambages, & tamen poſſit ſtatim viam tenere: quia Deus dederat Prophetæ ſuo facem in manum, qua prælucerct, niſi Rex Belſazar ſponte optaſſet errare in tenebris, quemadmodum faciunt omnes teptobi. Denique in hoc Rege cernere licet commune totius humani generis vitium, quod ſcilicet nemo extra viam currit, niſi qui vel ſibi indulget in ſua ignorantia, vel etiam cupit omnem lucem eſſe extinctam. Jam quod dicit Regina *ſpiritum deorum ſanctorum eſſe in Daniele*, alibi expoſuimus quid hoc ſibi vellet. Neque enim mirum eſt, profanos homines ita loquutos eſſe, quia non poterant diſcernere inter unicum Deum, & Angelos. Ergo promiſcue vocarunt deos, quicquid erat divinum & cæleſte. Hinc fit ergo, ut Regina deos ſanctos vocet Angelos, & interea Deum ſtatuat in turba. Sed noſtrum eſt, ita agnoſcere unicum Deum, ut ſolus emineat, & ut Angeli etiam ipſi cogantur in ordinem, neque ulla ſit excellentia tam in terra quam in cælis, quæ obſcuret unius Dei gloriam. Ita enim Scriptura in hoc incumbit, ut Deum conſtituat in ſummo gradu: deinde ut nihil polleat tanta præſtantia, quod non cedat ejus majeſtati. Sed hic videmus quantopere neceſſarium ſit nos doceri de unica Dei eſſentia: quoniam à ptimo mundi exordio ſemper hoc fuit perſuaſum hominibus eſſe aliquod ſummum numen: ſed poſtea omnes evanuerunt in ſuis cogitationibus, ita ut elapſus illis Deus fuerit: deinde permiſcuerint ipſum cum Angelis, ut omnia eſſent confuſa. Quum ergo hoc videmus, ſciamus nobis opus eſſe Scriptura duce & magiſtra, quæ præluceat, ut nihil cogitemus de Deo, niſi quatenus ipſe nos ad ſe invitat, & ultro ſe patefacit.

Da omnipotens Deus, quando nos aſſidue compellas per Prophetas tuos, & non ſinis in tenebris errorum vagari: da, inquam, ut attenti ſimus ad vocem tuam, & præbeamus tibi nos dociles ac morigeros: præſertim quum nobis proponis magiſtrum, in quo incluſi ſunt omnes ſapientiæ & ſcientiæ theſauri: da, inquam, ut nos ſic ſubjiciamus unigenito tuo Filio, ut teneamus rectum curſum ſanctæ vocationis noſtræ, & ſemper tendamus recta ad eum ſcopum, ad quem nos vocas, donec ſuperatis omnibus hujus mundi certaminibus, tandem perveniamus ad beatam illam quietem, quæ nobis parta eſt ejuſdem Filii tui ſanguine, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO VIGESIMA QUINTA IN DANIELEM.

COEpimus heri exponere locum illum, ubi narrat Daniel Regem Bellazar admonitum fuiſſe à Regina, ut ipſum accerſeret. Diximus hic ſatis ſuperque convinci Regem ingratitudinis, quod tam eximium Dei Prophetam jacere paſſus fuerit, quum tamen memorabile illud vaticinium, de quo vidimus, deberet celebre eſſe, & in ore omnium verſari, ut conſtaret ſancto viro perpetua auctoritas. Jam quia Daniel commemorat *Reginam ingreſſam fuiſſe domum ſympoſii*, hinc elicitur probabilis conjectura, non fuiſſe uxorem Regis, ſed potius aviam. Dixi me de hac re nolle contendere, quia in rebus dubiis poteſt quiſque frui ſuo judicio libero. Atqui hæc inter ſe non quadrarent, Regem epulatum fuiſſe cum uxore & concubinis ſuis, deinde Reginam ingreſſam fuiſſe in cœnaculum. Colligimus ergo Reginam hic vocari honoris cauſa, quæ prædita adhuc erat, ſi non poteſtate, ſaltem auctoritate & gratia. Et hoc etiam confirmat teſtimonium Herodoti, qui laudat uxorem Regis Nebuchadnezer, quem vocat Labynetum: laudat ob ſingularem prudentiam. vocat eam Nitocrim. *Herodot. lib. 1.* Conveniunt ergo hæc inter ſe, quod abfuerit ab illo ſympoſio matrona, quia alienum erat ab ætate ejus & gravitate, comeſſari una cum aliis, qui luxuriæ operam dabant. Illa igitur ingreſſa cœnaculum, admonuit Regem de Daniele: & nunc ſubjicit cauſam cur Daniel præfectus fuerit Magis, & Ariolis, & Divinis, & Chaldæis omnibus.

12. Propterea quod ſpiritus excellens, & intelligentia, & cognitio, interpretatio ſomniorum, & arcanorum revelatio, & ſolutio nodorum (*hoc eſt, ſolvebat nodos: ego uno contextu ita lego, tametſi ponitur nunc nomen, nunc verbum: ſed ego reſpicio facilitatem, ne quid ſit ambiguum*) inventa eſt (*nempe prudentia & cognitio, ut prius dixerat*) in eo, *nempe* Daniele, cui Rex impoſuerat nomen Beltſazar: & nunc Daniel vocetur, & interpretationem patefaciat.

Cauſam hic aſſignat Regina cur Daniel illam dignitatem adeptus eſſet, ut haberetur Princeps ac magiſter omnium ſapientum: quia ſcilicet, inquit, *ſpiritus excellentia inventa fuerat in eo, quod interpretaretur ſomnia, quod patefaceret arcana, quod ſolveret nodos.* Tria igitur dona hic enumerat, quibus pollebat Daniel: & ita probat excelluiſſe ipſum inter omnes alios Magos, quia nemo erat qui ſe conferre poſſet. Jactabant quidem Magi ſe eſſe interpretes ſomniorum, ſe poſſe ſolvere nodos omnes, & explicare ænigmata; cæterum vanitas & ſtolida ipſorum jactantia jam bis deprehenſa fuerat. Merito igitur Regina hæc tria vendicat Danieli, ut oſtendat ipſum ſuperare alios omnes. Deinde ratiocinatur ab auctoritate, quum dicit nomen ei fuiſſe impoſitum à Rege. De hoc nomine Beltſazar alibi diximus: ſed hoc conſilio nunc Regina dicit nomen hoc fuiſſe illi inditum, ut Belſazar cognoſcat fuiſſe habitum in ſummo pretio & honore apud avum ſuum: & ideo exprimitur hic nomen patris, quia poterat Belſazar exteros contemnere: ſed ratio dictabat, ut aliquid deferret judicio avi ſui, quem omnes cognoverant fuiſſe præſtantiſſimum, quamvis eum ad tempus Deus humiliaſſet, ut vidimus, & nunc repetet Daniel. Pergamus.

13. Tunc Daniel adductus eſt coram Rege: loquutus eſt Rex, & dixit Danieli, Tune es ille Daniel, (*ſi interrogative legamus: vel, Tu es ille Daniel*) qui ex filiis captivitatis Jehudah, quem abduxit Rex pater meus è Jehudah.

14. Et audivi de te, quod ſpiritus deorum in te, & intelligentia, (*vel perſpicacia: diximus heri nomen hoc, quum proprie lucem ſignificet, metaphorice ſumi pro perſpicacia, vel ſolertia*) & cognitio, & ſapientia excellens (*vel eximia*) inventa ſit in te.

15. Et nunc producti ſunt coram me Sapientes, Arioli, (*vel Genethliaci, non moror has voces, ut ante dixi*) qui ſcripturam hanc legerent, & interpretationem ejus patefacerent mihi: & non potuerunt interpretationem ſermonis indicare.

16. Et ego audivi de te, quod poſſis nodos ſolvere, & arcana explicare: nunc ſi poteris ſcripturam legere, & interpretationem ejus patefacere mihi, purpura veſtieris, & torques ex auro ſuper collum tuum, & tertius in regno dominaberis.

Hic Rex non agnoſcit ſuam ſocordiam, ſed abſque verecundia interrogat Danielem, & interrogat quaſi captivum, *Tu es Daniel ille ex captivis Jehudah, quem pater meus abduxit?* videtur hic contemptim loqui, ut ſibi addicat Danielem in obſequium ſervile: quanquam poſſumus hanc ſententiam legere, acſi per modum admirationis inquireret Belſazar, *Tune es ille Daniel! Ego autem audivi de te.* Audierat pridem, & pro nihilo duxerat: Nunc ubi eum urget ultima neceſſitas, tribuit aliquid honoris Danieli. *Audivi igitur, quod ſpiritus deorum ſit in te, quod poſſis ſolvere nodos, & patefacere arcana.* Quantum attinet ad ſpiritum deorum, jam ante diximus Regem Belſazar ex communi uſu omnium gentium Angelos promiſcue miſcere cum Deo: quia miſeri illi non poterant Deum extollere, ut decebat: ita ut Angeli eſſent tanquam ſub ejus pedibus. Sed hæc tamen loquutio oſtendit nunquam homines fuiſſe tam brutos, quin Deo adſcriberent quicquid erat eximium, quemadmodum videmus etiam à profanis ſcriptoribus vocari deorum beneficia quæcunque vel utilitatem afferunt hominibus, vel in ſe habent aliquid præſtantiæ & dignitatis. Ita Chaldæi ſpiritum deorum vocabant donum intelligentiæ, vel perſpicaciam quæ rara eſſet & eximia: quoniam ſciebant homines non propria induſtria ſibi acquirere vel conſequi Propheticum munus, ſed hoc eſſe cæleſte donum. Coacti ſunt igitur Deo laudem ſuam tribuere: ſed quia verus Deus erat illis incognitus, implicite loquuti ſunt: & quemadmodum dixi, vocarunt Angelos deos, quia non

eſſet. Nam, ut poſtea videbimus, illa ipſa nocte interfectus fuit Rex ipſe Belſazar. Cyrus ingreſſus eſt, quum epularentur Babylonii, & ſecure deliciis ſuis vacarent. In illa ebrietate poterat ſtatim obrui tam inſigne judicii Dei exemplum, niſi multis circumſtantiis illuſtratum fuiſſet. Secundo igitur repetit Daniel *Regem fuiſſe turbatum*, poſtquam ſcilicet vidit nihil eſſe conſilii vel adjumenti in Magis ſuis & Aſtrologis. Dicit etiam *Principes ejus fuiſſe attonitos*: quia non unum duntaxat Regem oportuit turbari, ſed totam aulam, ut manaret fama non modo per urbem, ſed etiam ad gentes exteras: quia dubium non eſt, quin Cyrus poſtea edoctus fuerit de hoc vaticinio. Neque enim ita amplexus eſſet Danielem, nec tam honorifice tractaſſet, niſi hac re cognita. Poſtea ſequitur,

10. Regina propter verba Regis & Procerum in domum ſymposii (*ſic enim vertendum eſt, quia nomen hoc deductum eſt à* שתה, *bibit*) ingreſſa eſt: loquuta eſt & dixit, Rex, in æternum vive: ne terreant te cogitationes tuæ, & vultus tuus ne mutetur.

11. Eſt vir in regno tuo, in quo ſpiritus *eſt* deorum ſanctorum: & in diebus patris tui intelligentia, (*lux, ad verbum: ſed hic metaphorice accipitur*) & ſcientia, & ſapientia quaſi ſapientia deorum reperta eſt in eo: & Rex Nebuchadnezer pater tuus magiſtrum Magorum, (*voces iſtas non moror*) Aſtrologorum, Chaldæorum, Aruſpicum conſtituit ipſum pater tuus Rex, *inquam*.

Hic narrat Daniel qua occaſione productus fuerit coram Rege, ut eſſet lector & interpres ſcripturæ. Hoc dicit factum fuiſſe à Regina. Dubitatur fueritne uxor Regis Belſazar, an avia: ac probabile quidem eſt, fuiſſe mulierem jam vetulam, quæ narrat de tempore Regis Nebuchadnezer. Quanquam illa conjectura forte non ſatis firma eſſet: ideoque præſtaret hic ſuſpendere judicium, quam aliquid temere aſſerere, niſi quod ante vidimus, uxorem ſimul in menſa ſediſſe. Quod autem poſſumus certo colligere ex Prophetæ verbis diligenter notandum eſt, nempe Regi exprobrari ſuam ingratitudinem, quod inter Magos, & Chaldæos, & Aſtrologos non admiſerit Danielem. Nolebat quidem cenſeri ſanctus vir in illo ordine: & dignus erat quem Deus ſpoliaret ſpiritu Prophetico, ſi ita ſe permiſcuiſſet cum impoſtoribus: & facile apparet fuiſſe ab illis ſegregatum. Rex Nebuchadnezer præfecerat illum omnibus Magis: noluit uti hoc honore, nempe quia ut nunc dicebam, privaſſet ſe ſingulari Prophetiæ dono. Nam videndum eſt quid nobis liceat. Scimus quidem nihil magis eſſe proclive, quam ut illecebris mundi trahamur: præſertim ambitio nos excæcat, & perturbat omnes ſenſus noſtros: & nulla eſt deterior peſtis: quia ubi quiſpiam videt ſe poſſe aliquid vel pretii vel honoris acquirere, non reſpicit quid liceat, vel quid Deus permittat, ſed abripitur quaſi cæco furore. Idem poterat contingere Danieli, niſi retentus fuiſſet vero affectu pietatis: ſed repudiavit illum honorem ſibi oblatum à Rege Nebuchadnezer. Ideo nunquam voluit cenſeri inter Ariolos, & Aſtrologos, & hujuſmodi impoſtores, qui præſtigiis ludebant gentem illam. Hinc fit, ut nunc Regina dicat eſſe quendam Danielem. Sed non fuit Rex excuſabilis hoc prætexta: quia (ut jam dictum eſt) Daniel etiam in multas ætates ſibi acquiſierat nomen celebre, & Deus voluerat inſignire eum certa nota, ut omnium mentes in ipſum intentæ eſſent quaſi in cæleſtem aliquem Angelum. Quod ergo Rex Belſazar ignorat talem Prophetam eſſe in regno ſuo, hoc eſt turpis & belluinæ ſocordiæ. Deus ergo voluit hoc exprobrari Regi Belſazar per mulierem, quum dicit, *ne turbent te cogitationes tuæ*. Blande quidem ipſum demulcet, quia videbat eum eſſe perterritum: ſed interim oſtendit eum nimis craſſe errare, quia vagetur per ambages, & tamen poſſit ſtatim viam tenere: quia Deus dederat Prophetæ ſuo facem in manum, qua præluceret, niſi Rex Belſazar ſponte optaſſet errare in tenebris, quemadmodum faciunt omnes reprobi. Denique in hoc Rege cernere licet commune totius humani generis vitium, quod ſcilicet nemo extra viam currit, niſi qui vel ſibi indulget in ſua ignorantia, vel etiam cupit omnem lucem eſſe extinctam. Jam quod dicit Regina *ſpiritum deorum ſanctorum eſſe in Daniele*, alibi expoſuimus quid hoc ſibi vellet. Neque enim mirum eſt, profanos homines ita loquutos eſſe, quia non poterant diſcernere inter unicum Deum, & Angelos. Ergo promiſcue vocarunt deos, quicquid erat divinum & cæleſte. Hinc fit ergo, ut Regina deos ſanctos vocet Angelos, & interea Deum ſtatuat in turba. Sed noſtrum eſt, ita agnoſcere unicum Deum, ut ſolus emineat, & ut Angeli etiam ipſi cogantur in ordinem, neque ulla ſit excellentia tam in terra quam in cælis, quæ obſcuret unius Dei gloriam. Ita enim Scriptura in hoc incumbit, ut Deum conſtituat in ſummo gradu: deinde ut nihil polleat tanta præſtantia, quod non cedat ejus majeſtati. Sed hic videmus quantopere neceſſarium ſit nos doceri de unica Dei eſſentia: quoniam à primo mundi exordio ſemper hoc fuit perſuaſum hominibus eſſe aliquod ſummum numen: ſed poſtea omnes evanuerunt in ſuis cogitationibus, ita ut elapſus illis Deus fuerit: deinde permiſcuerint ipſum cum Angelis, ut omnia eſſent confuſa. Quum ergo hoc videmus, ſciamus nobis opus eſſe Scriptura duce & magiſtra, quæ præluceat, ut nihil cogitemus de Deo, niſi quatenus ipſe nos ad ſe invitat, & ultro ſe patefacit.

Da omnipotens Deus, quando nos aſſidue compellas per Prophetas tuos, & non ſinis in tenebris errorum vagari: da, inquam, ut attenti ſimus ad vocem tuam, & præbeamus tibi nos dociles ac morigeros: præſertim quum nobis proponis magiſtrum, in quo incluſi ſunt omnes ſapientiæ & ſcientiæ theſauri: da, inquam, ut nos ſic ſubjiciamus unigenito tuo Filio, ut teneamus rectum curſum ſanctæ vocationis noſtræ, & ſemper tendamus recta ad eum ſcopum, ad quem nos vocas, donec ſuperatis omnibus hujus mundi certaminibus, tandem perveniamus ad beatam illam quietem, quæ nobis parta eſt ejuſdem Filii tui ſanguine, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA QUINTA IN DANIELEM.

COEpimus heri exponere locum illum, ubi narrat Daniel Regem Belſazar admonitum fuiſſe à Regina, ut ipſum accerſeret. Diximus hic ſatis ſuperque convinci Regem ingratitudinis, quod tam eximium Dei Prophetam jacere paſſus fuerit, quum tamen memorabile illud vaticinium, de quo vidimus, deberet celebre eſſe, & in ore omnium verſari, ut conſtaret ſancto viro perpetua auctoritas. Jam quia Daniel commemorat *Reginam ingreſſam fuiſſe domum ſympoſii*, hinc elicitur probabilis conjectura, non fuiſſe uxorem Regis, ſed potius aviam. Dixi me de hac re nolle contendere, quia in rebus dubiis poteſt quiſque frui ſuo judicio libero. Atqui hæc inter ſe non quadrarent, Regem epulatum fuiſſe cum uxore & concubinis ſuis, deinde Reginam ingreſſam fuiſſe in cœnaculum. Colligimus ergo Reginam hic vocari honoris cauſa, quæ prædita adhuc erat, ſi non poteſtate, ſaltem auctoritate & gratia. Et hoc etiam confirmat teſtimonium Herodoti, qui laudat uxorem Regis Nebuchadnezer, quem vocat Labynetum: laudat ob ſingularem prudentiam. vocat eam Nitocrim. Conveniunt ergo hæc inter ſe, quod abfuerit ab illo ſympoſio matrona, quia alienum erat ab ætate ejus & gravitate, comeſſari una cum aliis, qui luxuriæ operam dabant. Illa igitur ingreſſa cœnaculum, admonuit Regem de Daniele: & nunc ſubjicit cauſam cur Daniel præfectus fuerit Magis, & Ariolis, & Divinis, & Chaldæis omnibus. *Herodot. lib. 1.*

12. Propterea quod ſpiritus excellens, & intelligentia, & cognitio, interpretatio ſomniorum, & arcanorum revelatio, & ſolutio nodorum (*hoc eſt, ſolvebat nodos: ego uno contextu ita lego, tametſi ponitur nunc nomen, nunc verbum: ſed ego reſpicio facilitatem, ne quid ſit ambiguum*) inventa eſt (*nempe prudentia & cognitio, ut prius dixerat*) in eo, *nempe* Daniele, cui Rex impoſuerat nomen Beltſazar: & nunc Daniel vocetur, & interpretationem patefaciat.

Cauſam hic aſſignat Regina cur Daniel illam dignitatem adeptus eſſet, ut haberetur Princeps ac magiſter omnium ſapientum: quia ſcilicet, inquit, *ſpiritus excellentia inventa fuerat in eo, quod interpretaretur ſomnia, quod patefaceret arcana, quod ſolveret nodos*. Tria igitur dona hic enumerat, quibus pollebat Daniel: & ita probat excelluiſſe ipſum inter omnes alios Magos, quia nemo erat qui ſe conferre poſſet. Jactabant quidem Magi ſe eſſe interpretes ſomniorum, ſe poſſe ſolvere nodos omnes, & explicare ænigmata: cæterum vanitas & ſtolida ipſorum jactantia jam bis deprehenſa fuerat. Merito igitur Regina hæc tria vendicat Danieli, ut oſtendat ipſum ſuperare alios omnes. Deinde ratiocinatur ab auctoritate, quum dicit nomen ei fuiſſe impoſitum à Rege. De hoc nomine Beltſazar alibi diximus: ſed hoc conſilio nunc Regina dicit nomen hoc fuiſſe illi inditum, ut Belſazar cognoſcat fuiſſe habitum in ſummo pretio & honore apud avum ſuum: & ideo exprimitur hic nomen patris, quia poterat Belſazar exteros contemnere: ſed ratio dictabat, ut aliquid deferret judicio avi ſui, quem omnes cognoverant fuiſſe præſtantiſſimum, quamvis eum ad tempus Deus humiliaſſet, ut vidimus, & nunc repetet Daniel. Pergamus.

13. Tunc Daniel adductus eſt coram Rege: loquutus eſt Rex, & dixit Danieli, Tune es ille Daniel, (*ſi interrogative legamus: vel, Tu es ille Daniel*) qui ex filiis captivitatis Jehudah, quem abduxit Rex pater meus è Jehudah.

14. Et audivi de te, quod ſpiritus deorum in te, & intelligentia, (*vel perſpicacia: diximus heri nomen hoc, quum proprie lucem ſignificet, metaphorice ſumi pro perſpicacia, vel ſolertia*) & cognitio, & ſapientia excellens (*vel eximia*) inventa ſit in te.

15. Et nunc producti ſunt coram me Sapientes, Arioli, (*vel Genethliaci, non moror has voces, ut ante dixi*) qui ſcripturam hanc legerent, & interpretationem ejus patefacerent mihi: & non potuerunt interpretationem ſermonis indicare.

16. Et ego audivi de te, quod poſſis nodos ſolvere, & arcana explicare: nunc ſi poteris ſcripturam legere, & interpretationem ejus patefacere mihi, purpura veſtieris, & torques ex auro ſuper collum tuum, & tertius in regno dominaberis.

Hic Rex non agnoſcit ſuam ſocordiam, ſed abſque verecundia interrogat Danielem, & interrogat quaſi captivum, *Tu es Daniel ille ex captivis Jehudah, quem pater meus abduxit?* videtur hic contemptim loqui, ut ſibi addicat Danielem in obſequium ſervile: quanquam poſſumus hanc ſententiam legere, acſi per modum admirationis inquireret Belſazar, *Tune es ille Daniel! Ego autem audivi de te.* Audierat pridem, & pro nihilo duxerat: Nunc ubi eum urget ultima neceſſitas, tribuit aliquid honoris Danieli. *Audivi* igitur, *quod ſpiritus deorum ſit in te, quod poſſis ſolvere nodos, & patefacere arcana.* Quantum attinet ad ſpiritum deorum, jam ante diximus Regem Belſazar ex communi uſu omnium gentium Angelos promiſcue miſcere cum Deo: quia miſeri illi non poterant Deum extollere, ut decebat: ita ut Angeli eſſent tanquam ſub ejus pedibus. Sed hæc tamen loquutio oſtendit nunquam homines fuiſſe tam brutos, quin Deo adſcriberent quicquid erat eximium, quemadmodum videmus etiam à profanis ſcriptoribus vocari deorum beneficia quæcunque vel utilitatem afferunt hominibus, vel in ſe habent aliquid præſtantiæ & dignitatis. Ita Chaldæi ſpiritum deorum vocabant donum intelligentiæ, vel perſpicaciam quæ rara eſſet & eximia: quoniam ſciebant homines non propria induſtria ſibi acquirere vel conſequi Propheticum munus, ſed hoc eſſe cæleſte donum. Coacti ſunt igitur Deo laudem ſuam tribuere: ſed quia verus Deus erat illis incognitus, implicite loquuti ſunt: & quemadmodum dixi, vocarunt Angelos deos, quia non pote-

poterant diſcernere in tenebris ignorantiæ ſuæ, quiſnam eſſet verus Deus. Quicquid ſit, Belſazar hic oſtendit qua in exiſtimatione habeat Danielem. Sed dicit ſe hoc habere ex aliorum relatu duntaxat. Unde iterum detegitur ejus ſocordia. Debuerat enim uſu & experientia cognoſcere Prophetam: ubi autem contentus eſt ſimplici rumore, hinc apparet, quam ſuperbe neglexerit oblatum ſibi doctorem, neque tamen putat, neque vult etiam fateri ſuum probrum. Sed ita impiis ſæpe Deus extorquet confeſſionem, qua ſeipſos damnent, etiamſi vellent hoc maxime effugere. Eodem etiam ſpectat quod dicit, *Producti ſunt coram me omnes ſapientes, & Genethliaci*, vel Arioli, *qui ſcripturam hanc mihi legerent, & patefacerent interpretationem: neque potuerunt*, inquit. Deus enim pœnas de illo ſumpſit, quum in extrema neceſſitate oſtendit nihil illi prodeſſe Chaldæos & omnes Ariolos, in quibus tamen acquieverat. Quum ergo ſic fruſtratur eum ſpes ſua, hinc agnoſcit ſe fuiſſe deceptum, quum aluit Magos & Ariolos, & putavit ſe munitum eſſe conſilio, modo ipſos ſecum haberet. Interea quod rejectus fuit ſanctus Propheta, fuit Deo intolerabile, & merito quidem. Hoc fatetur Belſazar, quamvis non putet. Ideo dixi non ingenuam eſſe aut voluntariam confeſſionem, ſed extortam violenter arcano inſtinctu Dei. Promittit etiam Danieli quod ante Magis promiſerat: *Purpura*, inquit, *veſtieris, ſi legeris ſcripturam hanc, & torques aureus erit in collo tuo, & dominaberis in regno tertius.* Atqui tunc inſtabat regni ejus finis: & tamen ſecure hanc dignitatem offert Danieli. Unde apparet, terrorem quem Deus incuſſerat ejus animo, fuiſſe evanidum: quemadmodum phrenetici agitantur magna inquietudine, ſed tamen nihil habent certum, & inter medios pavores ſic exiliunt, ut tamen velint in cælum conſcendere, aut volare. Sic etiam hic tyrannus quanquam contremiſcit ad judicium Dei, retinet tamen occultam contumaciam in corde, & imaginatur ſe fore perpetuum Regem, dum ita aliis & opulentiam & multa dona promittit. Nunc ſequitur,

17. Tunc reſpondit Daniel, & dixit coram Rege, Dona tua tibi ſint, (*hoc eſt, maneant apud te*) & munera tua alteri da: tamen ſcripturam legam Regi, & interpretationem *ejus* patefaciam ei.

Hic primo loco reſpuit Daniel oblata ſibi munera. Non legimus hoc prius feciſſe: imo viſus eſt amplecti quod datum fuerat à Rege Nebuchadnezer. Quæritur ratio hujus diſcriminis. Neque enim probabile eſt, Prophetam diverſo fuiſſe vel animo, vel conſilio, vel affectu. Quid ergo hoc ſibi vult, quod quum ante paſſus fuerit ſe ornari à Rege Nebuchadnezer, nunc repudiet dignitatem ſibi oblatam? Deinde occurrit etiam alia quæſtio. Nam in fine capitis videbimus eum fuiſſe veſtitum purpura, deinde à præcone fuiſſe promulgatum edictum, ut tertius regnaret. Videtur ergo Propheta vel oblitus fuiſſe ſui, quum recepit purpuram, quam tamen magnifice rejecerat: vel quæritur ratio, cur ita loquutus ſit, deinde non abnuerit ornari regiis inſignibus. Quantum ad primam quæſtionem ſpectat, non dubito quin aſperius voluerit loqui cum impio, & deſperato Belſazar: quia autem in Rege Nebuchadnezer adhuc reſidebat aliqua probitas, & bene de ipſo ſperabat, ideo mitius eum tractavit. Quod ad Regem Belſazar ſpectat, neceſſe fuit ipſum excipi durius, quia ventum erat ad extrema. Non dubito hanc fuiſſe cauſam diſcriminis: quia conſtanter Propheta perrexit in ſuo curſu: ſed debuit pro officio ſuo diſtinguere inter diverſas perſonas: & quia major erat pervicacia & obſtinatio in Rege Belſazar, ideo oſtendit ſe minus ei deferre quam avo ipſius. Adde quod tempus ſubjectionis mox finiendum erat, cujus reſpectu Chaldaicam Monarchiam ante coluerat. Quod attinet ad repugnantiam, quæ apparet inter ejus reſponſum, & factum de quo poſtea videbimus: non debet nobis abſurdum videri, ſi Propheta initio teſtatus fuerit ſe nihil morari dona Regis, imo ea ſe fugere: & tamen non contenderit vehementius: quia creditus fuiſſet hoc aſtute facere fugiendi periculi gratia. Voluit igitur oſtendere invictam animi magnitudinem in utroque, Quod initio præfatus eſt dona Regis ſibi nullius eſſe momenti (ſciebat enim momentaneum eſſe ipſum regnum) deinde quod recepit purpuram & alia inſignia: quoniam hoc datum fuiſſet vitio, ſi ad extremum uſque recuſaſſet: erat enim ſignum timiditatis, quod in ſuſpicionem proditionis tractum fuiſſet. Oſtendit igitur Propheta ſe magnifice deſpicere totam illam dignitatem, quæ delata erat à Rege Belſazar. Erat enim jam fere ſemimortuus. Et ſimul etiam oſtendit ſe intrepidum eſſe ad omnia pericula. Inſtabat enim Regi interitus, & urbs paucis horis, vel eadem forte hora capta fuit. Daniel ergo non repudiat hanc purpuram, ut oſtendat ſe mortem non fugere ſi opus eſſet. Fuiſſet enim tutior in ſuis latebris, ſi verſatus fuiſſet inter gregarios homines, non autem in aula: deinde ſi habitus fuiſſet unus ex mancipiis, poterat etiam ab illo diſcrimine immunis eſſe. Quum ergo non dubitat recipere purpuram, oſtendit ſe eſſe imperterritum. Interea minime dubium eſt, quin voluerit proſternere ſtolidam illam arrogantiam Regis, qua adhuc turgebat: quum dicit, *Dona tua tibi ſint, & munera tua alteri da*: ego nihil curo. Quum ergo tam animoſe contemnit Regis liberalitatem, non dubium eſt, quin voluerit corrigere ſuperbiam qua adhuc inflatus erat, vel ſaltem vulnerare aut pungere animum ipſius, ut ſentiat Dei judicium, cujus paulo poſt Daniel futurus erat præco & teſtis. Jam ſequitur,

18. O Rex: (*ad verbum, Tu Rex: ſed compellat ipſum*) Deus excelſus imperium, & magnitudinem, & præſtantiam, & ſplendorem dedit Nebuchadnezer patri tuo.

19. Et ob magnitudinem quam dederat ei, omnes populi, gentes & linguæ tremuerunt, & formidarunt à conſpectu ejus: quem volebat, occidebat: (*hoc eſt, quem volebat occidere, erat occiſus*) & quem volebat *percutere*, percutiebat: & quem volebat *attollere*, attollebat: & quem volebat *dejicere*, dejiciebat.

20. Quando autem elevatum fuit cor ejus, & ſpiritus ejus roboratus eſt (*vel obduruit*) ad ſuperbiam, dejectus fuit è ſolio regni, & gloriam abſtulerunt ab eo.

Antequam Daniel ſcripturam recitet, atque ejus interpretationem adjungat, admonet Regem Belſazar unde hoc prodigium. Neque enim commode exordium ſumpſiſſet à lectione: ſi dixiſſet, *Mene mene*, quemadmodum videbimus in fine capitis, Rex non ita profeciſſet in ſermone abrupto. Sed hic Daniel oſtendit nihil eſſe mirum, ſi Deus manum ſuam exeruerit, vel ſpeciem manus protulerit, quæ deſcriberet Regis exitium: quoniam Rex nimis obſtinate provocaverat iram ipſius. Videmus ergo cur ab hac narratione incipiat Daniel, quod Rex Nebuchadnezer fuerit ſummus Monarcha, quod ſibi ſubegerit

egerit totum orbem, quod omnes contremuerint ad ejus conſpectum: deinde, qood dejectus fuerit à ſolio regni: nempe ut melius pateat Belſazar non peccaſſe ignorantia: quoniam inſigni illo & memorabili exemplo avi ſui debuerat modeſte ſe gerere. Quoniam ergo domeſtica illa admonitio nihil profuerit, Daniel oſtendit jam tempus maturum eſſe, ut Deus iram ſuam, & quidem formidabili portento, illi denunciet. Hæc eſt ſumma. Sed quod ad verba ſpectat, primo dicit, *Regi Nebuchadnezar datum fuiſſe imperium à Deo, & magnitudinem, & altitudinem, & ſplendorem*: quaſi diceret, magnifice fuiſſe ornatum, ut eſſet ſummus totius orbis Monarcha. Diximus alibi, & pluribus locis adhuc repetet Daniel, non fortuito contingere hominibus imperia, ſed divinitus quemadmodum etiam Paulus pronunciat, Non eſſe poteſtatem niſi à Deo: & Deus vult conſpici ſuam providentiam ſpeciali modo in regnis. Quamvis enim curam gerat totius mundi & in gubernatione humani generis quæ videntur minutiſſima, tamen regantur ejus manu: ſingularis tamen ejus providentia relucet in hujus mundi imperiis Sed quoniam de hac re alibi fuſius diſſerui, & adhuc ſæpius hæc doctrina nobis occurret, nunc mihi ſatis eſt breviter hoc caput attingere: nempe extolli Reges terrenos in ſublime Dei manu, non autem caſu fortuito. Et Daniel ut hanc doctrinam confirmet, adjungit, *propter magnitudinem, quam Deus ei contulerat, cunctos mortales tremuiſſe à conſpectu ejus.* Quibus verbis ſignificat inſculptam eſſe Dei gloriam Regibus, quantiſper vult ipſos dominari. Hoc quidem non poteſt oſtendi digito: ſed res ſatis demonſtrat, Reges divinitus armari auctoritate, ut contineant ſub manu ſua & arbitrio ingentem multitudinem hominum. Nemo enim eſt, qui non appetat primatum inter mortales. Unde igitur fit, quum ambitio ita infixa ſit omnium cordibus, ut multa hominum millia ſe ſubjiciant uni, & patiantur ſe regi, imo perferant multas indignitates? Unde hoc, niſi quia inſtruit Deus gladio & poteſtate quos vult excellere? Hæc igitur ratio diligenter notanda eſt, ubi dicit Propheta, *tremuiſſe omnes à conſpectu Regis Nebuchadnezer*, quia Deus inſtruxerat illum magnitudine, hoc eſt, quia voluerat præ aliis ipſum excellere in mundo. Deus autem multas habet cauſas, & ſæpe nobis abſconditas, cur hunc extollat, & illum humiliet. Tamen hoc extra controverſiam eſſe nobis debet, nullos Reges imperio potiri, niſi Deus porrigat illis manum: deinde ipſos fulciat. Ubi autem eos vult exuere poteſtate, ſponte ipſos cadere: non quia ſit aliquid fortuitum in mutationibus, ſed quia Deus, ſicuti dicitur in libro Job, diſcingit eos gladio quos prius accinxerat. Jam ſequitur, *Quos volebat occidere, occidebat: quos volebat percutere, percutiebat* Putant nonnulli hic deſcribi abuſum regiæ poteſtatis. Sed ego ſimpliciter malo accipere, quod Nebuchadnezer pro ſuo arbitrio dejicere alios, & alios extollere potuerit: quod fuerit in ejus manu dare aliis vitam, alios occidere. Ego igitur hæc verba non refero ad libidinem tyrannicam, quaſi Nebuchadnezer jugulaverit multos innoxios, & effuderit humanum ſanguinem ſine ulla ratione: deinde etiam quod ſpoliaverit multos ſuis fortunis, & alios ditaverit, ſive honore & opibus ornaverit. Ego non ita accipio, ſed quod in ejus arbitrio fuerit vel occidere, vel dare vitam: item, alios extollere, alios autem dejicere. In ſumma, videtur mihi Daniel hic deſcribere quanta ſit in Regibus poteſtas, quia libere poſſunt de ſuis ſubditis ſtatuere. non quod liceat, ſed quia omnes obmuteſcunt. Quicquid enim Regi placuit, hoc coguntur omnes probare, vel ſaltem nemo obſtrepere audet. Quum ergo tanta ſit Regum licentia, hic Daniel ut oſtendat Regem Nebuchadnezer non ſua induſtria, non ſuo conſilio, non ſua etiam fortuna ſic fuiſſe erectum, dicit inſtructum fuiſſe ſummo imperio, & fuiſſe omnibus formidabilem, quia Deus illum inſignierat ſua gloria. Interim Regum eſt diſpicere quid ſibi liceat, & quid permittat Deus. Nam ſicuti imperio pollent, ita etiam debent expendere ſe aliquando rationem ſummo Regi reddituros. Hinc ergo non colligimus, Reges conſtitui à Deo ſine aliqua lege, ut ſibi quidvis permittant: ſed Propheta, quemadmodum dixi, de ipſa regia poteſtate loquitur Quum autem Reges habeant in ſuos poteſtatem vitæ & necis, dicit hic fuiſſe in manu Regis Nebuchadnezer omnium vitam Jam adjungit, *quando exaltatum fuit cor ejus, tunc dejectus fuit*, vel exterminatus, *è ſolio regni, & ſpoliarunt eum ſua præſtantia* Proſequitur ſuam narrationem. Vult enim oſtendere Regi Belſazar, Deum ad tempus quidem ferre eorum inſolentiam qui obliviſcuntur ſui, ubi adepti ſunt ſummam poteſtatem. Vult ergo hoc oſtendere. ideo dicit, Rex Nebuchadnezer avus tuus fuit ſummus Monarcha: hoc non adeptus eſt ex ſeipſo, neque etiam imperium retinuit, niſi quia ſuffultus fuit Dei manu. Jam mutatio ejus inſigne fuit documentum, non poſſe uſque ad finem tolerari eorum ſuperbiam qui ingrati ſunt Deo, neque agnoſcunt ſe ejus beneficio regnare. *Ubi* ergo *cor ejus*, inquit, *elevatum fuit, & ſpiritus ejus confirmatus ad ſuperbiam*, ſubita contigit mutatio. Inde oportuit te doceri & omnes ejus poſteros, ne amplius vos deciperet ſuperbia, quin potius te percelleret patris tui exemplum, ſicuti poſtea dicemus. Ideo hæc ſcriptura tibi propoſita fuit, qua intelligas inſtare tibi & vitæ & regni interitum.

Rom. 13. verſ. 1.

Job. 12. verſ. 18.

Da omnipotens Deus, quando unicuique noſtrum attributa eſt ſua ſtatio, ut contenti ſimus noſtra ſorte: & quum nos humilias, ut libenter nos tibi ſubjiciamus, & patiamur abs te regi, neque appetamus etiam altitudinem, quæ nos in exitium præcipitet: deinde, ut in ſua quiſque vocatione modeſte ſe gerat, ut ſemper emineas inter nos. Deinde nihil aliud nobis ſit propoſitum, quam ut tibi, deinde fratribus noſtris, quibus addicti ſumus, noſtram operam ſtudeamus impendere, ut ita glorificetur nomen tuum in nobis omnibus, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA SEXTA IN DANIELEM.

IN ſententia quam cœpimus heri exponere notanda eſt loquutio, ubi dicit Daniel, *roboratum fuiſſe ad ſuperbiam cor Regis Nebuchadnezar*. ſignificat enim non fuiſſe ſtultitia repente elatum, quemadmodum ſæpe vani homines intumeſcunt, quum nihil eſt cauſæ: neque etiam interior præcedit affectus animi: ſed plus quiddam exprimere vult, nempe ſuperbiam hanc fuiſſe conceptam longo tempore: quaſi diceret, non fuiſſe occupatum ſubita aliqua vanitate, ſed meditatum fuiſſe ſuperbiam, ita ut accederet ad illam obſtinatio vel durities. Quod poſtea mutatur numerus in verbis, quidam ad Angelos referunt numerum pluralem, quod abſtulerint ab ipſo, juſſu Dei. Sed potius exiſtimo verba ſumi indefinite, quod ſcilicet ablata fuerit ab ipſo gloria, quemadmodum jam ante vidimus ſimiles loquendi formas. Nunc ſequitur,

21. Et à filiis hominum exterminatus fuit: & cor ejus cum beſtiis poſitum eſt: (*ad verbum eſt, poſuit: ideo vertunt quidam, cor ſuum poſuit cum beſtiis: qui ſenſus eſt tolerabilis: ſed alii malunt tribuere hoc Deo, quod Deus poſuerit cor illius una cum beſtiis: & ſcimus ſæpe deficere nomen ſubſtantivum apud Hebræos & Chaldæos: ſic ergo ad verbum legemus, Cor ſuum poſuit ipſe Nebuchadnezer, hoc eſt, adjecit omnes ſuos ſenſus ad beſtias, ut nihil ab illis differret: vel, Deus poſuit cor ejus cum beſtiis, hoc eſt, ita eum infatuavit, ut ſimilis eſſet beſtiis: alii verbum* שוי *capiunt abſolute: ſed active potius debet exponi*) & cum onagris habitatio ejus: herba ſicut tauros cibaverunt eum: (*alii vertunt, guſtare fecerunt eum herbam, quemadmodum tauros: alii, quod herbæ (ut ſit mutatio numeri) ipſum cibaverint: quod ad ſenſum, nulla eſt ambiguitas: ſed ſi ita legere placet, quod paverint eum herba, erit indefinita loquutio, quemadmodum jam ante multas habuimus ſimiles: ſi autem quis malit numeri eſſe mutationem, etiam ſenſus conveniet, quod herbæ dederint illi guſtum, vel paſtum*) & rore cæli corpus ejus irrigatum fuit, donec cognoſceret quod dominetur Deus excelſus in regno hominum, & quem velit imponat in illo.

Hic verſus non indiget longa expoſitione, quia tantum repetit Daniel quæ alibi ſcripſerat, quod ſcilicet avus Nebuchadnezer quamvis mutatus non fuerit in beſtiam, tamen abdicatus fuerit à communi hominum vita, ut toto corpore deformis eſſet: deinde horreret ipſe hominum conſuetudinem, & mallet habitare cum beſtiis. Hoc fuit horribile portentum, præſertim in tanto Monarcha: & dignum erat exemplum, quod per manus traderent poſteri alii aliis uſque ad mille ætates, ſi tamdiu duraſſet Monarchia illa. Quod autem nepos ejus tam cito oblitus fuit hujus documenti, hinc merito coarguitur turpiſſimæ ſocordiæ. Hæc igitur ratio eſt, cur iterum repetat Daniel hiſtoriam: *A filiis hominum*, inquit, *abdicatus fuit, cor ejus poſitum cum beſtiis*, hoc eſt, caruit ad tempus ratione & judicio. Scimus autem hoc eſſe præcipuum diſcrimen inter homines & bruta animalia, quod homines intelligunt & judicant: bruta autem animalia ſuo ſenſu rapiuntur. Deus ergo ediderat memorabile exemplum in Rege illo, quum ita ſpoliaſſet eum omni ratione & intelligentia. *Fuit*, inquit, *habitatio ejus cum onagris*, qui ante habitaverat in palatio illo, quod toti mundo conſpicuum erat, unde tunc omnes populi Orientales jura petebant. Quum ergo ſolitus eſſet coli pro Deo, hoc horribile fuit judicium, quod poſtea habitavit cum feris ſylveſtribus: quod *etiam inſtar tauri pabulum ſuum habuit in herbis*, quum ante omnes deliciæ affluerent, & ſolitus eſſet tam laute tractari, ut ferebat illius regni opulentia: præſertim quum ſciamus Orientales omnibus aliis eſſe magis delicatos, Babylonem etiam matrem fuiſſe omnis luxuriæ: quum ergo mutata fuit in hunc modum Regis conditio, nemo potuit ignorare, hoc non fortuito fuiſſe factum, ſed raro & ſingulari Dei judicio. Poſtea adjungit quod prius dixerat, *corpus ejus fuiſſe irrigatum pluvia cæli, donec cognoſceret Deum excelſum dominari in regno hominum.* Hic rurſus etiam exprimitur finis pœnæ, ut ſcilicet Nebuchadnezer ſentiret ſe creatum fuiſſe Regem divinitus, & Reges omnes terrenos non ſtare, niſi quatenus Deus ſuffulcit eos manu ſua & virtute. Putant enim ſe extra omnem fortunæ aleam eſſe poſitos: & quamvis verbo jactent ſe regnare Dei gratia, contemnunt tamen omne numen, quia ad ſe transferunt divinitatis gloriam. Hæc eſt veſania Regum omnium, quemadmodum ex his verbis colligitur. Nam ſi hoc perſuaſum fuiſſet Regi Nebuchadnezer, Reges conſtitui à Deo, pendere ex ejus arbitrio, & ſtare & cadere prout decrevit: non opus fuerat hac pœna, quemadmodum diſerte exprimitur in his verbis. Excluſit igitur Deum à gubernatione mundi. Sed hoc commune eſt cunctis Regibus terrenis, quemadmodum nuper attigi. Omnes quidem aliud profitebuntur: ſed Spiritus ſanctus non moratur falſas iſtas proteſtationes, ut vocant. Ideo hic in perſona Regis Nebuchadnezer proponitur nobis quaſi in ſpeculo Regum omnium ebria confidentia: quod ſcilicet exiſtimant ſe propria virtute ſtare, & eximunt ſe ab imperio Dei, quaſi non ſederet in cælo judex. Oportuit igitur Nebuchadnezer humiliari, donec cognoſceret Deum regnare in terra: quia ſcilicet communi opinione ipſum includunt in cælo, acſi otio ſuo contentus eſſet, neque curam gereret humani generis. Tandem adjicitur, *& quem voluerit ſtatuit*, vel imponit. Melius exprimitur quod obſcure dictum fuerat, quomodo ſcilicet cognoverit Nebuchadnezer tam ſevera pœna domitus ac ſubactus, Deum regnare in terra. Nam ubi vident Reges terreni ſe præſidiis munitos eſſe, ſe pollere opibus, poſſe ad nutum colligere exercitus magnos: ubi etiam vident ſe omnibus eſſe terrori, exiſtimant Deum nihil amplius habere juris, neque poſſunt animis concipere ullam mutationem: quemadmo-
dum etiam in Pſalmo dicitur de omnibus ſuperbis: *Pſal. 10*
& quemadmodum Jeſaias in eundem ſenſum loqui- *verſ. 6.*
tur, Etiamſi flagellum tranſierit, vel ſi diluvium *Jeſa. 28.*
graſſetur per totam terram, tamen malum nos non *verſ. 15.*
attinget: acſi dicerent, quamvis Deus fulminet è cælo, tamen erimus tuti & immunes ab omni incommodo & diſcrimine. Hoc ſibi Reges perſuadent. Ergo tunc demum incipiunt cognoſcere Deum eſſe Regem terræ, ubi ſentiunt in manu ejus eſſe & arbitrio, abjicere quos ante extulerat: deinde extollere humiles & abjectos, quemadmodum ante vidimus. Eſt igitur clauſula verſus quaſi explicatio ſuperioris ſententiæ. Nunc ſequitur,

22. Et tu filius ejus Belſazar, non humiliaſti cor tuum: quapropter (*ad verbum: ſed valet, quandoquidem*) totum hoc cognoveras.

Hic oſtendit Daniel quorſum retulerit quod hactenus audivimus de pœna Regis Nebuchadnezer. Debuerat enim Belſazar domeſtico illo exemplo ſic affici, ut ſe Deo ſubjiceret. Jam credibile eſt, patrem ejus Evilmerodah fuiſſe oblitum ejus pœnæ: quia tamen non ita petulanter ſe geſſerat contra Deum, neque inſultaverat veræ & ſinceræ pietati, Deus pepercit miſero tyranno, qui in aliqua mediocritate ſe continebat. Sed quantum ad nepotem Belſazar ſpectat, fuit prorſus intolerabilis: ideo manum ſuam exeruit Deus. Hoc nunc docet Propheta, *Tu filius ejus*, inquit. Hac circumſtantia magis eum urget, quia non oportuit longe petere exemplum ab alienis gentibus, quum domi cognoſceret quod opus erat & utile cognitu. Et amplificat etiam crimen alio modo: dicit, *Tamen hoc totum ſciebas.* Nam ſolent homines obtendere ignorantiam pro clypeo, ubi extenuant culpam ſcelerum: ſed qui

ſcientes & volentes peccant, omni excuſatione careant. Convincit igitur Propheta manifeſtæ contumaciæ hunc Regem: quaſi diceret, eum data opera provocaſſe iram Dei: quia non latuerat ipſum quale & quam horribile judicium maneat omnes ſuperbos, quum teſtimonium tam illuſtre & notabile haberet in avo ſuo, quod debuerat aſſidue verſari ante ejus oculos. Sequitur,

23. Et contra Dominum cæli te extuliſti, & vaſa domus ejus (*hoc eſt, templi ejus*) protulerunt in conſpectum tuum: & tu, & Proceres tui, uxores tuæ, (*vel uxor tua*) & concubinæ tuæ vinum bibiſtis in illis: & deos argenti, (*hoc eſt, argenteos*) & aureos, æneos, ferreos, ligneos, & lapideos, qui non vident, & non audiunt, & non intelligunt, laudaſti: & Deum, cui *eſt* in manu ejus anima tua, (*hoc eſt, in cujus manu eſt vita tua*) & cujus (*in poteſtate ſunt*) omnia tua, non honoraſti.

Proſequitur ſententiam ſuam Propheta, & confirmat quod dixi, nempe Regem Belſazar fuiſſe indocilem, & ſponte cæcutiiſſe ad judicium Dei. *Tu enim extuliſti te*, inquit, *contra Dominum cæli*. Si proterve inſurrexiſſet contra homines, jam vitium illud pœna dignum erat: ubi autem ex profeſſo Deum provocavit, hæc arrogantia nullo modo potuit neque debuit ferri. Rurſus ergo Propheta ſuperbiam Regis aggravat, quum dicit, *ipſum fuiſſe elatum contra Regem cæli*. Modum etiam ſimul exprimit, *quia juſſerit proferri in conſpectum ſuum vaſa templi, biberit in illis*. Jam illa profanatio erat indignum ſacrilegium: ſed non contentus fuit Belſazar indignitate illa, quod ſcilicet aptaſſet ſacra vaſa ad ſuam luxuriem & fœdam ebrietatem: deinde quod illa proſtituiſſet ſuis concubinis & ſcortis: ſed addidit graviorem contumeliam adverſus Deum, *quia tunc laudavit deos argenteos, & aureos, æneos, & ferreos, & ligneos, & lapideos, qui non ſentiunt*. Hoc prius non fuerat dictum: ſed Daniel quoniam hic ſuſtinet perſonam doctoris, non tam breviter narrat ut prius: quia quum diceret hoc eodem capite circa initium, Belſazar celebraſſe ſympoſium illud impurum, erat hiſtoricus: nunc autem, ut jam dixi, exequitur partes doctoris: *Tu*, inquit, *laudaſti deos fabricatos ex corruptibili materia, qui neque vident, neque audiunt, neque intelligunt: tu autem fraudaſti Deum vivum honore, in cujus manu eſt vita tua*; unde tu dependes, & à quo etiam habes quicquid tuum eſſe jactas. Quum ergo ita ſpreveris Deum vivum, qui erga te fuerat tam beneficus, hæc ingratitudo quam turpis eſt & pudenda! Videmus ergo ut Propheta hic ſevere coarguat impium tyrannum & ſacrilegii, & inſanæ temeritatis, & fœdæ ingratitudinis adverſus Deum. Nunc ſequitur, (ego enim levius hæc prætereo, quoniam alibi jam tractata ſunt)

24. Tunc à conſpectu ejus miſſa eſt particula manus, (*alii vertunt palmam: ſed intelligunt manum quæ carebat corpore: portio illa manus, hoc eſt, manus quaſi abſciſſa à corpore, miſſa fuit à conſpectu Dei, inquit*) & ſcriptura hæc notata *fuit*.

In adverbio באדין ſubeſt pondus, quod ſcilicet matura fuerit hæc Dei vindicta, vel denunciatio vindictæ. Oſtendit igitur Daniel longa patientia uſum fuiſſe Deum erga Regem Belſazar, neque ſtatim arma ſumpſiſſe ad pœnam de illo ſumendam: ſed tunc cœpiſſe prodire judicem & conſcendere tribunal, quum deſperatus eſſet faſtus, quum impietas jam nullo modo eſſet tolerabilis. Videmus ergo emphatice legendum eſſe iſtud *Bedain*: quaſi diceret, Tu hic non potes conqueri de celeritate pœnæ, quaſi eam Deus ante tempus protulerit. Non igitur potes dicere præcipitem fuiſſe Deum in hac pœna. Nam cogita, & expende quot modis, & quam longo tempore provocaveris iram ipſius. Jam quod ad extremum facinus ſpectat, tu certe perveneras ad cumulum impietatis, quum iſta manus apparuit tibi. Deus ergo nunc in tempore, vel opportune te ad pœnam trahit, quia ſuſtinuit hactenus & te & tua ſcelera. Poſt hanc tolerantiam quid reſtabat, ubi ita inſultas ſuperbe contra eum, niſi ut te compeſcat, quia prorſus deploratus es, nec jam ulla ſperanda eſt correctio? Et dicit, Ab ipſo, ne amplius inquirat Belſazar unde hæc manus: *A conſpectu Dei*, inquit: hoc eſt, manus hæc teſtis eſt cæleſtis vindictæ: ne exiſtimes eſſe ſpectrum aliquod evanidum, ſed ſcias Deum hac figura oſtendere hactenus ſibi diſplicuiſſe tua ſcelera: & jam quia ad extremum perveneris, ſimul adeſſe maturam pœnam. *Et ſcriptura hæc*, inquit, *notata eſt*: quaſi diceret non falli oculos Regis Belſazar, quoniam hæc manus ſit Dei, hoc eſt, miſſa à conſpectu ejus, ut ſit certum teſtimonium vindictæ. Poſtea adjungit,

25. Et hæc *eſt* ſcriptura quæ notata *eſt*, (*vel exarata*) MENE, MENE, (*numeratum eſt, numeratum eſt*) TEKEL, (*appenſum eſt: alii vertunt, numera, numera, appende*) VPHARSIN. (*& dividentes.*)

26. Hæc interpretatio *eſt* ſermonis: MENE, numeravit Deus regnum tuum, & complevit (*vel finivit*) illud.

27. TEKEL, (*appende, vel appenſum eſt*) appenſus es in trutina, (*vel ſtatera*) & inventus es deficiens.

28. PERES, (*pro upharſin*) diviſum eſt regnum tuum, & datum Medis & Perſis.

Hic quatuor illas voces exponit Daniel, quæ inſculptæ fuerant ad parietem. Rex vel præ ſtupore eas legere non poterat, vel quoniam Deus obſtupefecerat omnes illius ſenſus, & quaſi obleverat ejus oculos, quemadmodum prius dictum fuit. Et idem etiam dicendum eſt de Magis & Ariolis. Poterant enim legere, niſi fuiſſent divinitus excæcati. Priore igitur loco recitat Daniel quatuor illas voces, *Mene, Mene, Tekel, Vpharſin*: poſtea addit interpretationem. Bis verbum unum repetitur, *Mene*. Quidam ſic diſtinguunt, quod numerati fuerint anni vitæ Regis, deinde numeratum fuerit tempus regni: ſed illa argutia non videtur mihi firma eſſe. Ego igitur puto confirmationis cauſa bis fuiſſe poſitum hoc verbum: quaſi diceret Propheta, numerum jam completum eſſe. Nam in calculo proclivis eſt error, ut vulgo dicunt. Ut ergo intelligat Belſazar jam actum eſſe de vita ſua & regno, confirmat Deus numerum eſſe completum: quaſi diceret, ne momentum quidem temporis poſſe addi ad præfixum terminum. Et ſic etiam interpretatur Daniel ipſe, *Numeravit*, inquit, *Deus regnum tuum*, hoc eſt, Deus

con-

conſtituit certum finem & præſcripſit regno tuo: ita neceſſe eſt, ut finem accipiat, quoniam completum eſt ejus tempus. Quanquam hic Deus Regem unum alloquitur, & ſcriptura etiam propoſita fuerat ante ejus oculos, hinc tamen colligere licet doctrinam generalem, Quod Deus præfixerit certum tempus omnibus regnis. *Job. 14 verſ. 5.* Idem etiam teſtatur Scriptura de vita cujuſque noſtrum. Si Deus præſcripſit cuique ſuos dies, hoc certe magis competit in publica imperia, quoniam ſecum plus trahunt ponderis. Ergo ſciamus non tantum vivere & mori Reges ipſos Dei arbitrio, ſed etiam imperia mutari, quemadmodum ante dictum eſt: & quidem ſic erigi ab ipſo, ut finem certum præſcribat. Et hinc petenda nobis eſt conſolatio, ubi videmus tyrannos tam impetuoſe ruere, & nullum eſſe modum eorum libidini & ſævitiæ. Quum ergo ſic graſſantur, acſi cælum vellent terræ miſcere, meminerimus hujus doctrinæ, Numeratos eſſe ipſorum annos. Deus autem ſcit quouſque expediat ipſos regnare: Non fallitur. Nam niſi utile eſſe Eccleſiæ & electis cognoſceret, tyrannos ita ad tempus ruere, certe mox eos compeſceret: ſed quia ab initio ſtatuit numerum, ſciamus nondum adeſſe maturum vindictæ tempus, quantiſper patitur illos ſic abuti & tam licentioſe ſuo imperio & poteſtate ſibi divinitus conceſſa. Jam ſequitur expoſitio verbi *Tekel: Tekel*, inquit, *quoniam appenſus fuiſti in ſtatera*, vel in trutina, *& inventus es deficiens*. Hic Daniel oſtendit Deum ſic moderari ſua judicia, acſi ſtateram manu geſtaret. Similitudo eſt ab hominum conſuetudine ſumpta: Scimus quis ſit uſus ſtateræ, nempe ut certa ſit diſtri-
Sap. 11. verſ. 21. butio. Sic etiam dicitur Deus omnia agere in pondere & menſura, quoniam nihil confuſe agit, ſed ea moderatione utitur, ut nunquam reperiatur majus vel minus, ut vulgo dicunt. Hac ratione dicit Daniel, *appenſum fuiſſe Belſazar in trutina*, quod ſcilicet Deus non feſtinaverit in pœna de ipſo ſumenda, ſed pro more ſuo & perpetua regula juſte pœnam de ipſo exigat: *quoniam* ſcilicet *inventus fuerit deficiens*, hoc eſt, quod evanuerit, quaſi nullum haberet pondus: acſi diceret, Tu exiſtimas parcendum fuiſſe tuæ dignitati. Nam quoniam te omnes reverentur, putas te dignum honore: falleris, inquit: aliud enim eſt Dei judicium. Non utitur Deus communi trutina, ſed habet ipſe ſuam trutinam: *& illic repertus es deficiens*: hoc eſt, repertus es nullius momenti, vel homo nihili. His verbis non dubium eſt quin graviter exaſperatus fuerit tyrannus; ſed quoniam aderat extremum tempus, oportuit eum ferre vocem præconis. Et Deus haud dubie continuit ejus ferociam, ne inſurgeret contra Danielem. Tandem additur פרס pro voce *Pharſin*, quod *diviſum ſit regnum ejus*, nempe *à Medis*, *& Perſis*. Non dubito quin Deus voce illa ſignificaverit diſſipationem Monarchiæ, quæ inſtabat. Quum ergo dicit *Vpharſin*, *& divident*, ſignificat non poſſe diutius ſtare Monarchiam illam, quia velit eam divellere vel abrumpere. Sed aptiſſime alludit Propheta ad diviſionem, quæ facta eſt inter Medos, & Perſas: & ſic aucta fuit contumelia, quia oportuit Babylonios pluribus dominis ſervire. Hoc jam grave eſt ac moleſtum, ſi quis populus imperium obtinuerit longe & late, poſtea devictus cogatur ferre jugum unius domini: ſed quum adſunt duo domini, hoc amplificat indignitatem. Sic igitur Daniel hic oſtendit non ſimplicem fore Dei vindictam, ubi diſſipabitur Monarchia Babylonis: ſed hoc etiam acceſſurum ad gravitatem pœnæ, quia Medi & Perſæ illis dominabuntur. Verum quidem eſt, virtute & induſtria Cyri urbem fuiſſe captam: ſed quoniam detulit ſocero ſuo Cyrus tantum honoris, ut libenter eum admitteret in regni ſocietatem, ideò dicuntur Medi & Perſæ partiti fuiſſe regnum illud: etſi nulla proprie fuit diviſio regni. Cyrus poſtea, ut rapiebat eum inexplebilis ambitio & avaritia, tractus fuit ad alias expeditiones. Darius autem qui annum ſexageſimum, ut poſtea videbimus, exceſſerat, quietus habitavit domi. Erat autem Medus, quemadmodum ſatis notum eſt. Nam ſi credendum eſt multis hiſtoricis, ſoror ejus mater Cyri quaſi ablegata fuerat in Perſiden: quoniam editum fuerat oraculum de Cyri magnitudine. Is quoniam avus eum expoſuerat, ultus eſt poſtea hanc injuriam: tamen non ita crudeliter, quin parceret vitæ illius. Voluit enim illum tenere in aliqua dignitate, & conſtituit eum Satrapam. Sed filius ejus poſtea apud Medos regnavit, & quidem Cyro libenter hoc ferente. deinde ſumpſit ejus filiam: ita & ob cognationem, & in gratiam illius novæ affinitatis voluit illum habere imperii ſocium. Hoc igitur ſenſu nunc narrat Daniel diviſionem inſtare Monarchiæ, quoniam inter ſe eam divident Medi, & Perſæ. Sequitur,

29. Tunc juſſit Belſazar, & veſtierunt Danielem purpura, & torques aureus ſuper collum ejus *fuit impoſitus*: & clamabant coram ipſo quod dominaretur tertius in regno.

Mirum eſt Regem hoc juſſiſſe, quum tam aſpere fuiſſet exceptus à Propheta: videtur tunc caruiſſe ſtomacho. Nam centies prius excandniſſet, & addixiſſet mille mortibus ſanctum Dei Prophetam. Qui fit ergo, ut jubeat ipſum ornari inſignibus regiis? deinde ut jubeat edici per ſuum præconem illum fore in regno tertium? Quidam exiſtimant hoc factum eſſe, quoniam ſacroſanctæ erant Regum leges apud Babylonios: imo etiam rata erant ipſorum verba: quicquid protulerant volebant haberi firmum & inviolabile. Putant igitur ambitione hoc eſſe factum à Rege Belſazar, quod ſteterit ſuis promiſſis. Ego autem exiſtimo fuiſſe primo attonitum, & ita audiviſſe Prophetam, ut tamen fuerit quaſi ſimilis trunco, vel lapidi: deinde exiſtimo ita feciſſe, ut ſibi conſuleret, ac ſuæ ſecuritati. Poterat enim eſſe contemptibilis ſuis Proceribus. Ut ergo oſtenderet ſe non moveri, juſſit ornari Danielem illis inſignibus, quaſi illa eſſet comminatio abſque effectu. Non ſprevit quidem quod dictum fuerat à Propheta: ſed voluit hoc perſuaſum eſſe ſuis Satrapis & omnibus convivis, Deum minari, non quod exequi vellet tam gravem pœnam, ſed faceret hoc terrendi cauſa duntaxat. Et Reges etiam ubi maxime expaveſcunt, tamen ſemper hoc cavent ſedulo, ne quod ſignum præbeant ſuæ timiditatis: quia putant hoc modo ſuam auctoritatem labefactari. Ergo ut obtineat aliquid reverentiæ apud ſuos ſubditos, vult videri maxime ſecurus & imperterritus. Non dubito quin hoc conſilium fuerit hujus tyranni, ubi juſſit ornari Danielem purpura & regiis inſignibus.

Da omnipotens Deus, ut quod ſemel edidiſti iræ tuæ documentum contra omnes ſuperbos, hodie etiam nobis utile ſit: & admoniti hac unius hominis pœna, diſcamus humiliter & modeſte nos gerere: deinde non appetere magnitudinem quæ tibi diſplicеat, & ita etiam manere in gradu noſtro, ut tibi ſerviamus, & extollamus ac glorificemus ſanctum tuum nomen, ne quid ſit nobis abs te ſeparatum: & ita jugum tuum feramus in hoc mundo, & patiamur nos abs te regi, ut tandem perveniamus ad beatam illam quietem & ſortem regni cæleſtis, quam nobis præparaſti, & quæ nobis parta eſt unigeniti Filii tui ſanguine, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA SEPTIMA

IN

D A N I E L E M.

30. In illa nocte occiſus *fuit* Belſazar rex Chaldæorum.
31. Et Darius Medus accepit regnum, quum natus *eſſet* annos ſexaginta & duos.

Hic breviter narrat Daniel completum fuiſſe vaticinium nocte illa: quemadmodum ante expoſuimus, tunc fuiſſe ſolenne epulum, quia feſtus erat dies, quem quotannis celebrabant Babylonii: atque hac occaſione proditam tunc fuiſſe urbem à duobus Satrapis, Gobria, & Gadatha. Sic enim vocantur à Xenophonte. Et hoc loco produnt Rabbini ſuam impudentiam cum inſcitia, ſicuti ſuo more de rebus incognitis audacter garriunt. Dicunt enim jugulatum fuiſſe Regem, quia unus ex cuſtodibus audierat vocem Prophetæ, & voluit exequi judicium illud cæleſte: quaſi ſcilicet ſententia Dei penderet ab unius profani hominis arbitrio. Omiſſis ergo puerilibus illis nugis, tenenda eſt hiſtoriæ veritas, quod deprehenſus fuerit Belſazar in ſuo ſympoſio, quum magna licentia ſe inebriaſſet una cum ſuis Proceribus & concubinis. Interea hic obſervanda eſt admirabilis Dei gratia erga Prophetam. Neque enim fieri potuit, quin periclitaretur una cum aliis. Indutus enim fuerat purpura: vix hora una præteriit quum ingreſſi ſunt Medi & Perſæ urbem: in tumultu vix poterat elabi, niſi Deus texiſſet eum umbra manus ſuæ. Videmus ergo ut Deus curam ſuorum gerat, & eos eripiat ex maximis periculis, quaſi educeret è ſepulchro. Neque dubium eſt, quin ſanctus Propheta in tumultu illo valde turbatus fuerit. Neque enim erat ſtipes. Sed oportuit illum ſic exerceri, ut agnoſceret Deum eſſe vitæ ſuæ fidum cuſtodem, & alacrius deinde ſeſe accingeret ad ipſum colendum: quia videbat nihil eſſe melius, quam curas omnes ſuas in ipſum rejicere. Adjungit Daniel *regnum fuiſſe translatum ad Regem Medorum*, quem Darium vocat, Xenophon vero Cyaxarem. Atqui certum eſt, induſtria Cyri captam fuiſſe Babylonem, & ejuſdem auſpiciis: quia ſtrenuus erat bellator, & pollebat ſumma auctoritate. Hic autem nulla fit ejus mentio. Sed quia recitat Xenophon Cyaxarem, qui Darius hic vocatur, fuiſſe ſocerum Cyri, deinde habitum in ſummo honore & pretio: nihil mirum, ſi Daniel Regem ipſum nobis proponat: quia contentus fuit Cyrus potentia, & laude famaque victoriæ: titulum vero facile ſocero ſuo conceſſit, quem videbat jam eſſe ſenem & hominem fere ignavum. Eſt autem incertum, fueritne hic filius Aſtyagis, & ita Cyri avunculus. Nam complures hiſtorici in hoc conſentiunt, Aſtyagem fuiſſe avum Cyri, & filiam ſuam elocaſſe Cambyſi: quoniam ex Aſtrologis didicerat ſobolem ex ea orituram, quæ potiretur totius Aſiæ imperio & multa etiam adjiciunt, quod juſſerit infantem Cyrum occidi: ſed quoniam illa ſunt incerta, malo in medio relinquere. Hoc mihi probabile eſt, Darium fuiſſe avunculum Cyri, & ſimul ſocerum. Quanquam, ſi Xenophonti creditur, nondum uxorem duxerat, quum Babylon capta fuit. Nam accerſiverat illum ſocer, qui idem avunculus, ad ferendas ſibi ſuppetias, quum impar eſſet Babyloniis & Aſſyriis. Quicquid ſit, non male convenit quod hic narrat Propheta, nempe Darium Medorum Regem potitum fuiſſe imperio: quia Cyrus etiamſi potentia valeret, atque eſſet ſuperior, tamen quaſi precario illi conceſſit, ut eſſet Rex Babylonis: atque ita titulo duntaxat dominaretur apud Chaldæos. Nunc ſequitur,

Cap. VI.

Placuit coram Dario, & præfecit ſuper regnum Præſides provinciarum centum & viginti, qui eſſent in toto regno.

2. Et ſuper illos *eſſent* (*atque ut eſſent ſuper eos*) Satrapæ tres, quorum Daniel unus *eſſet*: *&* ut Præſides provinciarum illis redderent rationem: & Rex non pateretur damnum. (*vel, non pateretur Rex moleſtiam, ut alii vertunt: ſed quoniam* נזק *ſignificat damno afficere, ideo libenter amplector ſenſum illum, quod Rex non otii ſui cauſa aut fugitans laborem (quod tamen poterat, ut homo ſenex) ſed volens conſulere rebus ſuis, ne quid ſcilicet periret inter tot manus, curam triumviris mandaverit. Nam in turba ſemper eſt aliqua confuſio, ut ſatis notum eſt. Si fuiſſent igitur tot Præſides provinciarum, hoc eſt, centum & viginti, poterant multa incommoda accidere, & Rex feciſſet multis in partibus jacturam: ideo præfecit tres ſummos illis centum & viginti.*)

Hic rurſus conſpicere licet, Prophetam ſemper fuiſſe curæ Deo, neque tam privata ipſius ratione, vel privato reſpectu, quam ut ejus opera & beneficio miſeris exulibus, & captivis aliqua levatio contingeret. Deus enim voluit manum porrigere Judæis per Danielem. Et poſſemus ipſum merito vocare Manum Dei quæ ſuſtinuit Judæos: quia certum eſt, Perſas, ut erant barbari homines, nihilo clementiores dominos fuiſſe ſuapte natura, niſi interpoſuiſſet ſervum ſuum Danielem, qui illis ſuccurreret. Hoc igitur notandum eſt in contextu hiſtoriæ, quod Daniel unus ex tribus ſummis Præfectis electus eſt à Dario. Fuerat jam tertius ſub Rege Belſazar, tametſi ad momentum: tamen potuit hoc conflare invidiam apud novum Regem, quod tantus honor ei delatus eſſet. Sed probabile eſt, fuiſſe admonitum Darium de rebus illis quas prius retulit Daniel, nempe quod apparuiſſet manus in pariete, quod Daniel fuiſſet interpres ſcripturæ, & fuiſſet quaſi è cælis miſſus præco ad denunciandum interitum Regi Belſazar. Niſi enim rumor hic delatus eſſet ad Darium, nunquam tantum auctoritatis adeptus apud ipſum foret Daniel. Habebat enim in ſuo exercitu quam plurimos: & ſcimus ubi quis victor eſt in bello, circumdari multis famelicis, quia omnes volunt conſortes eſſe prædæ. Nunquam igitur ſumpſiſſet ſibi hominem exterum Darius, & captivum, quem ornaret tanto honore & potentia, niſi intellexiſſet fuiſſe certum Dei Prophetam, & ſimul præconem in denunciando Monarchiæ Babylonicæ interitu. Et hinc colligimus, divinitus etiam fuiſſe factum, ut eſſet inter primos Satrapas, atque adeo tertius in regno, quo ci-

tius

tius innoteſceret Regi Dario. Nam ſi dejectus fuiſſet Daniel à Rege Belſazar, latuiſſet domi ſuæ; ubi autem videt illum regiis inſignibus fulgere, inquirit quiſnam ſit. Audit qua ratione pervenerit ad tantum honorem: ita agnoſcit eſſe Dei Prophetam, & conſtituit unum ex tribus Præfectis. Hic ergo nobis iterum proponitur Dei providentia, qua non tantum ſervavit ſervum ſuum incolumem, ſed proſpexit totius Eccleſiæ ſaluti, ne ſcilicet Judæi in illa mutatione magis ac magis premerentur. Sed poſtea ſubjicitur tentatio, qua & ſanctus vir potuit percelli, & totus etiam populus. Dicit enim Propheta,

3. Tunc Daniel ipſe fuit ſuperior (*nam* מתנצח *ſignificat ſuperare: fuit igitur ſuperior, vel excellentior, uno verbo*) ſupra Satrapas & Præſides provinciarum: propterea quod ſpiritus amplior (*vel præſtantior*) in ipſo *erat*: & Rex cogitabat eum erigere ſuper totum regnum.

4 Tunc Satrapæ & Præſides provinciarum quæſierunt occaſionem invenire contra Danielem à parte regni, (*hoc eſt, in adminiſtratione ejus*) & omnem occaſionem, (*hoc eſt, nullam occaſionem*) & nullum crimen potuerunt invenire: quia verax (*aut fidelis, aut integer*) ipſe: (*hoc eſt, quia fidelis ipſe erat*) & nulla culpa, & nullum crimen (*repetit ſecundo nomen illud* שחיתה: *nullum ergo crimen*) inveniebatur in ipſo.

5. Tunc viri illi dixerunt, Non inveniemus in hoc Daniele ullam occaſionem, niſi inveniamus in ipſo ob legem Dei ſui.

Jam, ut dixi, narrat Propheta ſubito exortam fuiſſe tentationem, quæ poſſet tam ejus quam electi populi animum dejicere. Nam etſi ſolus Daniel conjectus fuit in ſpeluncam leonum, ut poſtea videbimus: tamen niſi liberatus fuiſſet, durior & aſperior fuiſſet populi conditio. Scimus enim ut improbi homines petulanter inſultent miſeris & innoxiis, ubi vident quicquam adverſi illis contingere. Si ergo laceratus fuiſſet à leonibus Daniel, omnes certatim inſurrexiſſent contra Judæos. Deus ergo hic non modo exercuit fidem & patientiam ſervi ſui, ſed etiam probavit omnes Judæos eodem examine: quoniam videbant ſe in unius hominis perſona extrema quæque paſſuros, niſi Deus repente opem tuliſſet, quemadmodum fecit. Primo dicit Daniel *ſe excelluiſſe inter omnes alios, quoniam ſpiritus in ipſo erat uberior*, vel præſtantior. Hoc quidem non ſemper accidit, ut qui pollent vel prudentia, vel aliis dotibus, plus etiam auctoritatis & gratiæ obtineant. In aulis Regum videmus primas teneri à beſtiis. Nam hodie, ne repetamus veteres hiſtorias, ut Reges fere omnes fatui ſunt ac bruti, ita etiam ſunt quaſi equi & aſini brutorum animalium Quo igitur quiſque audacior eſt ac protervior, eo plus auctoritatis conſequitur in aulis. Sed quum dicit Daniel *ſe excelluiſſe*, duplex Dei beneficium nobis commendat, quod ſcilicet donatus fuerit majore ſpiritu: deinde, quod Darius hoc agnoverit, atque ita magnifecerit, quum videret hominem eſſe induſtrium & præditum non vulgari ſapientia. Tenemus ergo quod hic Propheta docere voluit, nempe ſe divinitus ornatum fuiſſe prudentia & aliis donis: deinde etiam Darium Regem fuiſſe judicem idoneum, qui expenderet ejus prudentiam & reliquas virtutes, atque ita haberet in pretio. *Quoniam* ergo *ſpiritus amplior in ipſo erat*, ideo *ſuperavit alios omnes*, inquit: *imo Rex cogitabat erigere ipſum in toto regno*, hoc eſt, tribus illis Satrapis etiam præficere. Quanquam autem ſingulare fuit privilegium, quo Deus ſemel populum ſuum, & ſimul Prophetam dignatus eſt: tamen merito hodie nobis deflenda eſt Regum ſocordia, qui ſuperbe contemnunt dona Dei in optimis quibuſque, qui poſſent præeſſe in maximam utilitatem populi: & interim habent in deliciis homines ſtupidos, & ſui ſimiles: interea addictos & avaritiæ, & rapinis, crudeliſſimos etiam & projectos in omnem licentiam. Quum ergo videmus nihil eſſe conſilii in Regibus, ut diſcernant quinam ſint digni imperio & potentia, merito deflenda eſt conditio mundi: quia eſt hoc nobis quaſi ſpeculum cæleſtis vindictæ, ubi Reges ſic conſilio deſtituuntur. Cæterum Rex Darius ultimo die unus ad ipſos damnandos ſufficiet: in quo tantum fuit diſcretionis, ut non dubitaverit hominem exterum & captivum ſuis omnibus Satrapis præficere. Hæc igitur vere fuit regia, imo heroica virtus, quod Darius captivum unum prætulit omnibus ſuis familiaribus. Nunc autem nihil aliud ſpectant Reges, niſi ut efferant ſuos lenones, vel ſcurras, vel qui ipſis adulantur. Interea non erigunt niſi homines nihili, & quos Deus quaſi ignominia notavit: & quum ſint indigni qui cenſeantur in numero hominum, tamen ipſi ſunt Reges Regum: quia Reges hodie ſunt fere mancipia. Et hoc fit propter ipſorum ignaviam: quia repellunt à ſe omnes curas. Coguntur igitur aliis tradere imperium, & titulum duntaxat retinent. Hæc, ut dixi, ſunt nobis certa documenta cæleſtis iræ: quoniam indignus eſt mundus, erga quem Deus hodie manum ſuam ad regendum exerat. Jam quod ad Procerum invidiam ſpectat, videmus vitium hoc graſſatum fuiſſe omnibus ſeculis, ut ſcilicet virtutem ferre nequeant qui aſpirant ad aliquam magnitudinem. Nam dum ſibi ſunt male conſcii, neceſſe eſt ut contra aliorum virtutem exacerbentur. Neque tamen hoc mirum debet videri, quod Perſæ, qui ſuſtinuerant maximos labores, qui varia diſcrimina adierant, non poſſent ferre hominem obſcurum & incognitum, non modo ſibi ſocium adjungi, ſed etiam præfici quaſi ſuperiorem. Æmulatio igitur ipſorum videtur aliquid habuiſſe cauſæ, vel ſaltem coloris. Sed hoc ſemper merito damnabitur; quod quiſque propriæ utilitati fuerit addictus, & ita non ſpectaverit bonum publicum. Quiſquis autem ad potentiam aſpirat, & ſeipſum duntaxat reſpicit, non communem populi ſtatum, neceſſe eſt ut ſit & avarus, & rapax, & crudelis, & perfidus: denique obliviſcatur officii ſui. Quum ergo invident regni Proceres Danieli, hoc modo produnt ſuam malitiam, quod ſcilicet nulla ſit apud eos ratio boni publici, ſed cupiant ad ſe omnia trahere & rapere. Jam in hoc exemplo videmus quid pariat invidia. Et hoc diligenter notandum eſt, quoniam nihil magis proclive eſt, quam ab uno vitio ad aliud delabi. Qui invidet, nulla æquitate retinebitur, quin tentet omnia ad perdendum ſuum adverſarium. Proceres iſti indigne ferunt Danielem ſibi præferri. Jam ſi hoc uno contenti eſſent, tamen vitium illud, quemadmodum dixi, perverſæ naturæ ſignum eſſet. Atqui ulterius erumpunt: quia quærunt occaſionem vel crimen in Daniele. Videmus itaque ut invidia eos excitet ad captandum crimen. Sic omnes invidi ſunt quaſi in excubiis perpetuis, & obſervant eos quorum fortunam æmulantur, ut poſſint opprimere quavis ratione. Hoc eſt unum. Ubi autem non inveniunt crimen, tunc calcant omnem æquitatem, & ſine pudore, ſine humanitate, crudeliter non minus quam perfide ſeſe projiciunt ad perdendum adverſarium. Hoc narrat de ſuis æmulis Daniel. Dicit initio eos *quæſiſſe occaſionem, nec fuiſſe repertam*: deinde adjungit occaſionem fuiſſe ab illis captatam non juſta

de

de cauſa, ſed perfidæ. Neque enim dubium eſt, quin ſciverint Danielem eſſe pium hominem, & probari Deo. Ergo ubi inſidiantur ſancto Prophetæ, quaſi data opera bellum cum Deo ipſo gerunt: ſed excæcati ſunt perverſo illo affectu invidiæ. Unde autem invidia? nempe ex ambitione. Sic videmus deterrimam eſſe peſtem ambitionem ex qua naſcitur invidia, quum ex hac rurſus oriatur & perfidia & crudelitas. Cæterum ſuo exemplo etiam nos admonet Daniel, ſtudendum eſſe integritati, ut tollatur occaſio malevolis & improbis, qui eam captant. Nulla igitur melior nobis erit defenſio contra invidos & calumniatores, quam ſi recte & innoxie nos geramus. Utcunque enim undique nobis tendant inſidias, nihil proficient: quia innocentia noſtra erit inſtar clypei ad repellendam eorum malitiam. Interea tamen videmus Danielem non fuiſſe elapſum prorſus: quoniam prætextus in alia re quæſitus fuit contra ipſum, nempe in cultu Dei. Sed hinc rurſum diſcamus, pluris debere à nobis fieri pietatem & ejus ſtudium, quam propriam vitam. Daniel fidelis & integer fuit in ſua adminiſtratione, functus eſt officio ſuo, ut clauderet os ſuis hoſtibus ac malevolis. Ergo integritas, quemadmodum dixi, optimus eſt clypeus. Rurſus Daniel periclitatus eſt, quia non deſtitit à ſincero Dei cultu & ejus profeſſione. Ergo fortiter ſubeunda ſunt nobis pericula, quoties agetur de Dei cultu. Neque enim pretioſior nobis vita hæc caduca eſſe debet, quam res omnium ſanctiſſima, nempe ut Deo maneat illibatus honor. Videmus ergo hic nos ad colendam integritatem inſtitui ab una parte: quoniam non poterimus magis ſecuri eſſe, quam ſi muniti ſimus bona conſcientia: quemadmodum etiam Petrus priore Epiſtola hac ratione nos hortatur. *1 Petr. 3. verſ. 16.* Jam quicquid metuamus, & qualiſcunque nos eventus maneat, etiamſi centum mortes nobis occurrant, deficere tamen fas non eſt a puro Dei cultu: quia non dubitavit Daniel mortem obire, & ingredi ſpeluncam leonum, ut profiteretur ſe Deum Iſraëlis colere. Jam quod Proceres perrumpunt ad barbarum hoc & crudele conſilium, nempe ut Danielem opprimant religionis prætextu, hinc rurſum colligimus, quam cæca ſit rabies, ubi mentes hominum occupat ambitio & invidia. Nam ſuſque deque illis eſt, cum Deo manus conſerere. Non enim Danielem aggrediuntur tanquam hominem, ſed proſiliunt ad inſanum & ſacrilegum certamen, ubi volunt extinguere cultum Dei, ut cupiditati ſuæ morem gerant. Ideo dixi hoc exemplo nos moneri, quantopere cavenda ſit & fugienda ambitio, & quæ ex ea etiam oritur invidia. Quale autem fuerit crimen in Lege Dei, poſtea ſequitur:

6. Tunc Satrapæ & provinciarum Præſides illi ſociati ſunt (*nam* רגש *ſignificat proprie ſe conjungere & ſociare*) apud Regem, (*hoc eſt, conſpiratione facta adierunt Regem*) & ſic loquuti ſunt ei: Dari Rex, in æternum vive.

7. Conſilium ceperunt omnes Satrapæ regni, Proceres & Præſides provinciarum, Conſiliarii, & Duces, ut ſtatuatur ſtatutum Regis, (*hoc eſt, regium, vel à Rege*) & ſanciatur edictum, ut quiſquis petierit petitionem ab ullo deo & homine uſque ad dies triginta *hos*, præterquam à te, Rex, projiciatur in ſpeluncam leonum.

Hoc conſilio ſtuduerunt regni Proceres obruere ſanctum Dei Prophetam, nempe ut projectus in foveam leonum periret, vel deficeret ab externa profeſſione cultus Dei. Sciebant autem eum magis cordatum eſſe, quam ut vitam redimeret tanta impietate. Ergo putarunt de ejus vita eſſe actum. Videntur ſibi eſſe valde aſtuti: ſed Deus ex adverſo occurrit, & auxiliatus eſt ſervo ſuo, quemadmodum videbimus. Interea hæc fuit pluſquam deteſtabilis malitia, quod Danielem perdere cupiunt hoc prætextu. Etſi enim non colebant Deum Iſraëlis, ſciebant tamen pium & rectum eſſe Prophetæ animum: deinde experti fuerant Dei illius potentiam, qui illis erat incognitus. Non damnabant igitur Danielem, neque etiam vitio poterant vertere religionem quam colebat. Ideo dixi eos ſic rapi odio hominis in iſtam crudelitatem, ut impingant adverſus Deum. Neque enim poterat hoc eos latere, præſtandum eſſe cultum Deo. Adorabant ipſi deos incognitos, & non audebant damnare cultum Dei Iſraëlis. Videmus ergo ut diabolus ipſos faſcinaverit, quum auſi fuerunt intendere hoc crimen ſancto Prophetæ. Cæterum qua occaſione abuſi fuerint neſcitur. Quidam divinant hoc fuiſſe factum, quod Darius non poſſet æquo animo ferre gloriam generi ſui. Quum enim eſſet ſenex, alter autem eſſet in flore ætatis, putabat ſe contemni. Exiſtimant igitur quidam Darium ipſum fuiſſe tactum quadam arcana æmulatione: & ita fuiſſe datum his Proceribus aditum, ut poſſent miſerum illum ſenem & nimis credulum fallere, & quaſi perſtringere ejus oculos. Sed hæc conjectura non videtur mihi ſatis firma. Neque etiam anxie in hac laboro: quia fieri poteſt ut inter novi hujus regni exordia vellent Regi gratulari, & decernerent aliquid novum & inſolitum, quod etiam videmus ſæpius fuiſſe ab adulatoribus regiis factum. Ergo potuit hic ſenex in eo decipi, quum nuper crevisſet ejus Monarchia. Dominatus enim fuerat Medis duntaxat: pervenerant Chaldæi, Aſſyrii, & multæ aliæ gentes ad ejus imperium. Talis acceſſio potuit ipſum inebriare inani gloria: & Proceres etiam putarunt ſibi plauſibilem eſſe cauſam, ut decernerent divinum hunc honorem. Hæc igitur videtur mihi ratio una poſſe ſufficere. Ideo magis ſollicite non inquiro: quia amplector quod probabile eſt, & quaſi ſponte nobis occurrit. Reliqua differam in craſtinum.

Da omnipotens Deus, quemadmodum gubernaſti ſervum tuum Danielem, ut quum affluerent undique honores, quum elatus eſſet in maximam dignitatem, ut tamen ſemper ſtuduerit integritati, & innoxie verſatus fuerit in magna licentia rerum omnium: da, inquam, ut diſcamus nos continere in hac mediocritate, ad quam nos reſtringis: vel etiam ut contenti tenuitate noſtra, eo magis ſtudeamus nos tibi probare innoxios, & ſimul hominibus, cum quibus nobis eſt negotium, ut ita glorificetur nomen tuum in nobis, & protecti tuo auxilio pergamus contra malitiam hominum: & utcunque nos undique obſideat Satan, & inſidias tendant improbi, & nos etiam quaſi truculentæ beſtiæ aggrediantur, tamen ſalvi maneamus ſub tua protectione: deinde etiamſi nobis ſubeundæ ſint centum mortes, diſcamus & vivere & mori tibi, quo nomen tuum ſemper glorificetur in nobis per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA OCTAVA IN DANIELEM.

Diximus heri Proceres, qui inſidias machinati ſunt Danieli, fuiſſe correptos magno furore, quum auderent dictare Regi edictum, quod recitat Daniel. Fuit enim illud intolerabile ſacrilegium, quod Rex ſpoliabat ſuo honore omnes deos: tamen ſubſcripſit edicto, quemadmodum poſtea videbimus, nempe ut probaret hoc modo obedientiam populi illius, quem nuper ſub jugum redegerat opera generi ſui. Neque enim dubium eſt, quin voluerit ſubigere Chaldæos, qui ad illud uſque tempus dominati fuerant. Scimus enim ex potentia generari ferociam. Quum ergo Chaldæi tam longe & late prius regnaſſent, difficile fuit eos ita domare, ut parati eſſent ad obſequium: præſertim quum viderent ſe eorum eſſe ſervos, quorum prius fuerant æmuli. Scimus enim fuiſſe multa certamina inter ipſos, & Medos. Quanquam ergo bello ſubjugati erant, non tamen ſubacti adhuc erant eorum animi. Ideo voluit Darius probare eorum obſequium: hoc eſt, inductus fuit hac ratione. Neque enim conſulto provocat in ſe iram deorum: ſed quum homines reſpiceret, oblitus eſt divinitatis, & ſubſtituit ſe in locum deorum, acſi in ejus arbitrio eſſet trahere ad ſe cælorum potentiam. Hoc, ut dixi, horribile fuit ſacrilegium. Sed ſi quis poſſet excutere Regum corda, vix centeſimus quiſque inveniretur, qui non eodem modo contemnat omne numen. Tametſi enim fatentur ſe regnare Dei gratia, ut alibi dictum fuit: tamen volunt ipſius loco adorari. Jam videmus quam facile perſuadeant Regibus adulatores quicquid facere videtur ad extollendam eorum magnitudinem. Sequitur,

8. Nunc, Rex, ſtatue edictum, & obſigna ſcripturam, quæ non ad mutandum, (*hoc eſt, quæ ſit immutabilis*) ſecundum legem Medorum & Perſarum, quæ non tranſit.
9. Itaque *ipſe* Rex Darius obſignavit ſcripturam & edictum.

Hinc, ſicut dixi, plus ſatis apparet quam propenſi ſint Regum animi ad fallacias, ubi putant ſe poſſe creſcere, & ſuam dignitatem augeri. Rex enim non diu cum ſuis Proceribus diſputat, ſed ſubſcribit edicto: nempe quia exiſtimat hoc ſibi fore utile & ſuis ſucceſſoribus, ſi expertus fuerit Chaldæos ſibi morigeros, ita ut parati ſint potius omnes deos abnegare, quam recuſare quicquid ipſe mandat. Quod ad verba ſpectat, vertunt quidam אסרא ſcripturam, & exponunt incidere, quemadmodum ſcimus olim inciſas fuiſſe leges in tabulis æneis. Sed ſimplicius interpretor, nempe ut petant à Rege obſignationem ſcripturæ, hoc eſt, ubi ſcriptum fuerit edictum, ut ipſe obſignet. *Quod non mutetur*, inquiunt, quod non ſit mutandum: hoc eſt, edictum ſit inviolabile, *ſecundum legem Medorum & Perſarum, quæ non tranſit*, hoc eſt, quæ non evaneſcit: quemadmodum Chriſtus
Mat 24. vers 35. etiam loquitur, Cælum & terra tranſibunt, verba
autem mea non tranſibunt: hoc eſt, nonquam erunt
Marc. 13. vers. 31. irrita. Quod autem conjungunt Medos cum Perſis, hinc apparet quod antea diximus, nempe Cyrum & Darium regnaſſe in commune, quaſi collegas. Nam quum ad finem vitæ conceſſa fuerit Dario major dignitas, potentia tamen erat penes Cyrum: deinde abſque controverſia filii ejus fuerunt hæredes utriuſque regni, & Monarchiæ Orientalis, niſi ubi cœperunt inter ſe bellum gerere. Jam quod obtendunt legem Medorum & Perſarum, & dicunt *eſſe immutabilem*, hoc quidem laude dignum eſt in legibus, nempe ut ſancta ſit illarum auctoritas: deinde ut vigeant etiam, atque obtineant ſuum effectum: quia ubi ſubinde variæ feruntur leges, neceſſe eſt multis afferri injuriam: quia nullum cujuſquam privati jus erit ſtabile, niſi ubi lex eſt perpetua. deinde, ubi ita permittitur leges figere, ac refigere, in locum æquitatis ſuccedit libido. Nam qui omnia poſſunt, ſi corrupti fuerint muneribus, nunc edictum unum promulgant, deinde aliud. Sic non poteſt vigere ulla æquitas, ubi mutatio in legibus tantum habet licentiæ. Sed ſimul etiam prudenter conſiderandum eſt, primum ne Rex edictum aliquod promulget aut legem ferat ſine gravi & maturo conſilio: deinde ſecundo etiam cavere ſibi debent Reges, ne aſtu & obliquis artibus circumveniantur, quemadmodum ſæpe fieri ſolet. In Regibus ergo & eorum edictis probanda eſt ac laudem meretur conſtantia, modo præcedant prudentia & æquitas. Sed ſtatim videbimus ut ſtulte Reges affectent famam conſtantiæ, & ita ſua pervicacia jus omne pervertant. Sed hæc ſuo loco ſtatim videbimus. Jam ſequitur,

10. Daniel autem ubi cognovit quod obſignata *eſſet* ſcriptura, venit (*vel ingreſſus eſt*) in domum ſuam (feneſtræ autem apertæ *erant* ei in cœnaculo ſuo verſus Jeruſalem) & temporibus tribus in die (*hoc eſt, vicibus tribus in die, id eſt, quotidie tribus vicibus*) inclinabat ſe ſuper genua ſua, (*verbum & nomen ſunt ex eadem radice, genua flectebat ſuper genua, vel inclinabat ſe*) & precabatur, & confitebatur coram Deo ſuo, quemadmodum fecerat à priſtino illo tempore. (*hoc eſt, ſicuti antea facere ſolitus erat.*)

Nunc refert Daniel ſe fortitudine Spiritus Dei fuiſſe indutum, ut vitam ſuam in ſacrificium Deo offerret: quia ſciebat nullam fore ſibi ſpem veniæ reſiduam, ſi compertus fuiſſet violaſſe edictum Regis: ſciebat etiam Regem ipſum non fore liberum, etiamſi vellet ignoſcere, quemadmodum eventus comprobatum fuit. Quum ergo mors eſſet ante oculos Prophetæ, ipſam intrepide oppetere maluit, quam ceſſare à pietatis officio. Notandum eſt, hic non agi de interiore cultu Dei, ſed de profeſſione externa. Si vetitus fuiſſet Daniel precari, poterat videri neceſſaria eſſe hæc fortitudo, qua fuit præditus: nunc vero multi putarent eum fuiſſe periclitatum ſine gravi cauſa, ubi ſe ita ad mortem projecit, quando tantum prohibebatur ab externa profeſſione. Sed quia hic Daniel ipſe non eſt præco ſuæ virtutis, ſed Spiritus per os ejus loquitur, tenendum eſt placuiſſe Deo hanc animi magnitudinem in ſancto Propheta. Et liberatio ejus oſtendit quantopere probata fuerit ejus pietas, quia maluerat ſe propria vita abdicare, quam mutare aliquid ex ſua conſuetudine, quantum ad cultum Dei. Scimus hoc præcipuum eſſe ſacrificium, quod Deus exigit, nempe invocationem. Nam teſtamur ipſum nobis eſſe bonorum omnium auctorem, deinde etiam fidei noſtræ ſpecimen edimus, dum ad ipſum confugimus, & in ejus ſinum conjici-

mus

mus omnes noſtras curas, & offerimus illi vota noſtra. Quum ergo in adoratione & cultu Dei primas partes obtineat precatio, fuit certe hoc non levis momenti, quod Rex vetuit, ne quiſquam Deum oraret: erat illa manifeſta, & nimis craſſa abnegatio pietatis. Et hinc rurſum colligimus quam cæca fuerit Regis ſuperbia, dum potuit ſubſcribere tam impio & fœdo edicto: deinde quantopere inſanierint Proceres, qui, ut Danielem perderent, ita quantum in ſe erat, conati ſunt delere omnem pietatem, & detrahere è cælo Deum. Quid enim reliquum eſt, ubi exiſtimant homines ſe poſſe carere auxilio Dei, & ſecure eum prætereunt? Scimus niſi ſingulis momentis nos fulciat ſua virtute, in nihilum redactum iri. Quum ergo vetaret Rex uſque ad totum menſem ullam precationem concipere, hoc erat, quemadmodum dixi, exigere à ſingulis ut Deum abnegarent. Ergo Daniel non potuit edicto parere, quin Deo inferret atrocem injuriam, & deficeret à pietate: quoniam, ut dixi, præcipuum hoc ſacrificium exigit Deus. Ergo non mirum eſt, ſi Daniel cordate ſe oppoſuit ſacrilego edicto. Jam quod ad profeſſionem ſpectat, neceſſe etiam fuit teſtari coram hominibus ſe perſtare in Dei cultu. Nam ſi quid mutaſſet ex ſuo more, hæc erat obliqua abjuratio. Non dixiſſet palam ſe Deum contemnere in gratiam Darii, ſed ipſa diverſitas ſignum fuiſſet perfidæ defectionis. Scimus autem non tantum fidem cordis à Deo requiri, & interiorem affectum, ſed etiam teſtimonium & confeſſionem pietatis noſtræ. Debuit igitur Daniel, niſi vellet eſſe fœdiſſimus apoſtata, perſtare in ſancto illo more, cui aſſueverat. Solitus autem erat apertis feneſtris Deum precari. Ergo retinuit curſum ſuum, ne quiſpiam objicere poſſet illum ad tempus ita gratificatum eſſe terreno Regi, ut Dei cultum abjiceret. Atque utinam doctrina hæc nunc ita inſculpta eſſet omnium cordibus, ut decebat! Sed ridetur à multis hoc Prophetæ exemplum, non quidem plenis buccis, ſed ut facile appareat, Prophetam ipſis videri nimis ſimplicem & inconſideratum, qui ſe periculo fruſtra oppoſuit & ſine ulla neceſſitate. Nam ſic fidem ſeparant à confeſſione, ut exiſtiment poſſe integram manere, etiamſi ſepulta ſit, & centies crucis fugiendæ cauſa deficiant à pura & ſincera ejus profeſſione. Teneamus itaque non modo offerendum nobis eſſe ſacrificium precationis Deo in cordibus noſtris: ſed ſimul requiri liberam profeſſionem, ut appareat ſaltem nos eſſe veros Dei cultores. Neque enim dico, quicquid ſentimus paſſim vulgandum eſſe, ita ut ſtatim rapiamur ab hoſtibus Dei & Euangelii ad mortem: ſed dico hæc ſimul eſſe conjuncta, nempe fidem, & confeſſionem, neque poſſe ullo modo ſeparari. Confeſſio autem duplex eſt. Nam vel palam & ingenue teſtamur quod eſt in animo: vel quantum neceſſe eſt, ſic nos continemus in cultu Dei, ut ne quod ſignum perverſæ & perfidæ ſimulationis demus, acſi abjiceremus pietatis ſtudium. Quantum attinet ad primam ſpeciem, non ſemper nec ubique neceſſe eſt profiteri fidem noſtram: ſed ſecunda ſpecies debet habere perpetuum curſum. Neque enim unquam fas erit nobis ſimulare ullam defectionem vel apoſtaſiam. Daniel ergo quamvis non accerſeret clangore tubæ Chaldæos, quoties volebat precari, ſed in cubiculo, ut ſolebat, conciperet vota ſua & preces: tamen non ſimulavit ſe oblitum eſſe pietatis, quum videret tentari fidem ſuam, & experientiam ſumi an perſtaret in ipſa conſtanter. Diſerte autem exprimit *ſe veniſſe domum*, poſtquam cognovit de obſignato edicto. Haud dubie ſi admiſſus fuiſſet in conſilium, non fuiſſet illic mutus: ſed callide excluſerant eum reliqui Proceres, ne poſſet intercedere: & putabant ſerum fore remedium, imo nullum, quemadmodum ipſe ſatis agnovit ſibi moriendum eſſe. Ergo ſi in conſilium fuiſſet à Rege adhibitus, illic functus eſſet ſuo officio, & cordate interceſſiſſet. Sed quia jam obſignatum erat edictum, & ablata erat facultas Regis monendi, conceſſit in domum ſuam. Hoc notandum eſt, ut ſciamus nullo modo poſſe excuſari Regum conſiliarios, qui data opera fugiunt, ubi vident ſe non poſſe proferre ſententiam abſque aliquo diſcrimine, & putant hoc modo ſatisfactum eſſe Deo, modo ne vocem ullam proferant. Sed illa puſillanimitas nihil habet coloris. Et Daniel haud dubie non poteſt ſuo exemplo illos tueri: quia jam, ut dictum fuit, aſtu & malitia Procerum excluſus fuerat, ne interveniret, atque, ut ſolebat, Regem moneret in tempore. Jam dicit *feneſtras fuiſſe apertas verſus Jeruſalem*. Quæritur an Danieli neceſſe fuerit ita aperire feneſtras. Poſſet enim quiſpiam objicere, fuiſſe hoc factum craſſa aliqua opinione: quia ſi Deus implet cælum & terram, quorſum ſpectabat feneſtras aperire verſus Jeruſalem? Sed minime dubium eſt, quin Propheta hoc adminiculo ſeſe extimulaverit ad precandi ardorem. Orabat enim tunc pro liberatione populi: quum oculos dirigeret verſus Jeroſolymam, conſpectus ille fuit inſtar flabelli, quo magis accenderetur ejus animus. Propheta igitur non reſpectu Dei aperuit feneſtras, quaſi magis exaudiretur, ſi apertum eſſet cælum inter ædes ejus, & Judæam: ſed potius ſeipſum reſpexit, & conſuluit propriæ infirmitati. Jam ſi hoc adjumento indiguit ſanctus Propheta, qui ſedulus erat ad precandum: videndum eſt, an non pluribus ſtimulis opus hodie habeat noſtra ſegnities. Diſcamus itaque, ubi ſentimus nos eſſe nimium pigros & frigidos ad precandum, colligenda eſſe omnia adminicula, quæ poſſint expergefacere ſtudium noſtrum, & corrigere torporem illum cujus nobis ſumus conſcii. Hoc igitur fuit conſilium Prophetæ, *quum aperiret feneſtras ſuas verſus Jeruſalem*. Deinde hoc etiam ſymbolo & ſibi & ſuis domeſticis oſtendere voluit ſe perſeverare in ſpe & fiducia promiſſæ redemptionis. Quum ergo Deum oraret, habuit quaſi in conſpectu Jeruſalem: non quod oculi ejus poſſent penetrare in regionem tam longinquam: ſed verſus Hieroſolymam direxit tunc ſuum aſpectum, acſi diceret ſe eſſe peregrinum apud Chaldæos, quamvis illic & opibus floreret, & eſſet ornatus magna potentia, & ſingulari dignitate excelleret. Ita voluit hoc eſſe omnibus notum, ſe acquieſcere in hæreditate promiſſa, tametſi ad tempus inde exularet. Hæc fuit ſecunda ratio in feneſtris aperiendis. Dicit autem *ſe tribus vicibus quotidie oraſſe*. Et hoc quoque obſervatu dignum eſt: quia niſi quiſque noſtrum præfigat ſibi certas horas ad precandum, facile nobis excidet memoria. Daniel ergo quanquam aſſiduus erat in precibus fundendis: tamen ſolennem hunc ritum ſibi injunxit, ut ter quotidie ſeſe proſterneret coram Deo: quemadmodum dum mane ſurgimus, niſi incipimus à Dei invocatione, ille eſt nimis brutus ſtupor: ſic etiam dum concedimus ad lectum, deinde dum cibum ſumpturi ſumus, deinde aliis horis, ut quiſque videt ſibi eſſe commodum. Nam hic nobis permittitur à Deo libertas: ſed quiſque tamen ſentire debet ſuam infirmitatem, ut remedia ſibi accerſat. Daniel ergo ob hanc cauſam ter ſolebat precari. Et additur etiam ſignum vehementiæ, ubi dicit *ſe proſtratum fuiſſe in genua*: non quod genuflexio per ſe neceſſaria ſit in precibus: ſed quia opus habemus ſtimulis, ut dictum fuit, non parum valet genuflexio: quia primo monemur non poſſe nos ſiſtere coram Deo, niſi cum humilitate & reverentia: deinde ita animi melius præparantur ad ſeriam precationem: & hoc etiam ſymbolum cultus Deo gratum eſt. Non igitur ſupervacuum eſt quod exprimit Daniel *ſe procubuiſſe in genua quoties volebat Deum orare*. Jam quum dicit *ſe fuiſſe precatum & confeſſum coram Deo*, vel ſe Deum laudaſſe, hoc etiam diligenter notandum eſt: quia multi in ſuis

votis obmurmurant Deo. Quamvis enim cupide hoc vel illud poſtulent, tamen feruntur immodico impetu, & quemadmodum dixi, rogando obſtrepunt, niſi Deus ſtatim obediat ipſorum votis. Hæc ratio eſt cur conjungat Daniel laudes vel gratiarum
Phil. 4. 6. actionem cum precibus: quemadmodum etiam Paulus nos ad utrumque hortatur: Innoteſcant, inquit, preces veſtræ apud Deum cum gratiarum actione: quaſi diceret, non poſſe rite concipi preces & vota coram Deo, niſi ubi ſanctum ejus nomen benedicimus, quamvis non ſtatim reddat nos votorum noſtrorum compotes. Et notanda eſt circumſtantia in Daniele: exulaverat per longum tempus, & verſatus fuerat inter multas & moleſtas jactationes: celebrat tamen laudes Dei. Quis noſtrum hac patientia inſtructus erit, ut Deum laudet, ſi per tres vel quatuor annos multis moleſtiis fuerit gravatus? Imo vix dies unus præterit, quin ſic ferveant noſtra deſideria, ut prorumpat aliquis impetus contra Deum. Quod ergo Daniel potuit perſeverare in Deo laudando, quum tamen tot premeretur anguſtiis, & doloribus, & moleſtiis, hoc inſigne fuit documentum invictæ patientiæ. Et proculdubio ſignificat continuum actum, ubi ponit demonſtrativum pronomen דנה, quod refertur ad morem ordinarium, *ſicuti antea fecerat, à priſtino illo tempore*. Quum deſignat tempus, notat, quemadmodum dixi, perſeverantiam, quod non ſemel neque bis duntaxat ita ſolitus fuerit orare, ſed quod æquabili tenore per ſingulos dies ſe exerceret in hoc pietatis officio. Poſtea ſequitur,

11. Tunc viri illi ſociati ſunt, (*vel, congregati ſunt, ut ab aliis vertitur*) & invenerunt Danielem orantem & precantem coram Deo ſuo.

Hic fraudem ſuam patefaciunt Proceres Darii, dum obſervant Danielem, idque faciunt conſpiratione mutua. Neque enim aliunde impulſi fuerant ad dictandum edictum, niſi ut traherent Danielem ad mortem. Ergo conveniunt inter ſe, & deprehendunt *Danielem orantem & precantem coram Deo ſuo*. Si clanculum precatus fuiſſet Daniel, non futurus erat obnoxius his inſidiis: atqui non dubitavit ſe morti objicere. Sciebat enim quorſum tenderet edictum: & ſciebat Proceres illos venturos. Videmus ergo ut ſponte præſentem mortem adierit: neque alia de cauſa, niſi ut retineret purum Dei cultum, etiam in externa profeſſione. Eant nunc qui volunt obtegere ſuam perfidiam, dum prætexunt non eſſe temere periclitandum, & quum undique obſideant eos improbi, ſe ideo cavere, ne ita vitam ſuam temere projiciant. Nam Daniel ſecundum ipſos culpandus eſſet nimiæ ſimplicitatis & ſtultitiæ, quod ita certum diſcrimen obierit ſciens & volens. Sed jam diximus non potuiſſe effugere hoc diſcrimen, quin oblique deficeret à Deo. Nam ſtatim fuiſſet illi exprobratum, Cur deſinis à ſolito tuo more? Cur claudis feneſtras? Cur non audes Deum tuum precari? Satis ergo apparet te pluris facere Regem, quam Dei reverentiam & metum. Quoniam ergo ſic diminutus fuiſſet honor Dei, Daniel ſponte, quemadmodum jam vidimus, obtulit ſe quaſi ſacrificium ad mortem. Hoc etiam exemplo docemur, ſemper filiis Dei, quamlibet circumſpecte agant & modeſte ſe gerant, paratas eſſe inſidias. Sed ita prudenter gerere ſe debent, ut interea non ſint nimium aſtuti, vel nimium providi: hoc eſt, ne ita ſuæ ſecuritati caveant, ut interim obliviſcantur quid requirat Deus, & quam pretioſum ſit ei ſuum nomen, & quam neceſſaria ſit fidei confeſſio, in loco ſcilicet & tempore. Nunc ſequitur,

12. Tunc acceſſerunt & dixerunt (*& loquuti ſunt*) coram Rege ſuper edicto regio, An non edictum obſignaſti, ne quiſquam homo peteret ab ullo deo vel homine uſque ad triginta dies *hos*, præterquam abs te, Rex, *vel, ut quiſquis* (*potius ita vertendum eſt*) *homo peteret ab ullo deo vel homine uſque ad triginta dies hos, præterquam abs te, Rex*, projiceretur in ſpeluncam leonum? Reſpondit Rex & dixit, Firmus eſt ſermo ſecundum legem Medorum & Perſarum, quæ non tranſit.

Jam Proceres Darii tanquam victores accedunt ad Regem: ſed callide ipſum adoriuntur. Neque enim ſtatim aperte verba de Daniele faciunt, quem ſciebant à Rege diligi: ſed iterum repetunt quod dixerant, non poſſe edictum mutari, quoniam lex Medorum & Perſarum ſit inviolabilis, neque poſſit reddi irrita. Iterum igitur, quantum in ſe eſt, ſanciunt edictum illud, ne Rex poſtea ſit liber, vel audeat retractare quod ſemel mandavit. Notanda igitur eſt hæc calliditas, ubi oblique Regem circumveniunt, & quaſi irretiunt, ne poſtea liberum ſit verbum mutare. *Veniunt* igitur, *& verba faciunt de edicto*, inquit, *regio*. Tacent nomen Danielis, ſed præfantur de regio edicto, ut Regem magis ac magis obſtringant. Sequitur *Regem reſpondiſſe, verum eſſe ſermonem*. Hic videmus, ut Reges cupide affectent laudem conſtantiæ: ſed non diſcernunt inter conſtantiam & obſtinationem. Sic enim Reges debent ſtare ſuis edictis, ut tamen non pudeat ipſos retractare quod temere promulgarunt. Si quid ergo inconſiderate elapſum eſt, prudentia & æquitas hoc requirit, ut corrigant errorem ſuum: ubi autem calcato omni reſpectu juſtitiæ, volunt firmum manere quicquid juſſerunt etiam inconſiderate, hæc eſt ſumma ſtultitia, neque jam debent obtendere conſtantiam in hac pervicacia, ut jam diximus. Sed reliqua in craſtinum.

Da omnipotens Deus, quando nos pretioſo ſanguine Filii tui acquiſiiſti, ne ſimus noſtri juris, ſed tibi addicti in ſolidum obſequium, ut ſtudeamus nos tibi totos conſecrare, & corpore & anima ſic offerre in ſacrificium, ut potius certum mortes oppetere ſimus parati, quam deficere à vero & ſincero numinis tui cultu: & præſertim ita nos exerceamus in precibus, ut ſingulis momentis ad te confugiamus, & nos rejiciamus in paternam tuam curam, ut nos gubernes tuo Spiritu uſque ad finem: nos tuearis & ſuſtineas, donec colligamur in cæleſte illud regnum, quod nobis peperit unigenitus ille Filius tuus ſanguine ſuo, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO VIGESIMA NONA IN DANIELEM.

COEpimos heri exponere quod narrat Daniel de calumnia, qua gravatus fuit apud Regem Darium. Proceres regni, quemadmodum diximus, aggreſſi ſunt Regem aſtute: quia ſi exordium feciſſent a Daniele, Rex poterat abrumpere ſermonem · ſed verba faciunt de edictis regiis: oſtendunt quantum periculi immineat, niſi conſtet auctoritas omnibus Regum edictis. Et videmus hac arte adeptos eſſe quod volebant. Rex enim confirmat quod dixerant, nefas ſcilicet eſſe irritum fieri quod promulgatum fuerit nomine Regis. Placent enim ſibi Reges in ſua magnitudine, & volunt cenſeri pro oraculo quicquid ipſis placuit. Erat impium & deteſtabile edictum illud, quo vetabat Darius peti quicquam à Deo: tamen vult hoc firmum manere: quia labaſceret ejus majeſtas apud ſubditos. Interea non perſpicit quid inde ſequatur. Ergo docemur hoc exemplo nullam eſſe virtutem ita raram in Regibus ut eſt modeſtia: & tamen nullam magis eſſe neceſſariam. Nam quo plus ipſis licet, eo deceret illos magis ſibi cavere, ne indulgeant ſuæ libidini. Atqui putant eſſe legitimum quicquid placuit ipſis decernere. Nunc ſequitur,

13. Tunc loquuti ſunt, & dixerunt coram Rege: Daniel, qui *eſt* ex filiis captivitatis Jehudah, non poſuit ſuper te, Rex, ſenſum, (*vel, non adjecit ſenſum ſuum, vel animum ad te*) neque ad edictum quod obſignaſti: & vicibus tribus in die precatur petitionem ſuam. (*hoc eſt, precatur pro ſuo more, vel ut ſolitus eſt.*)

Jam ubi vident calumniatores non eſſe amplius integrum Regi Dario, defendere cauſam Danielis, liberius aperiunt quod prius tegebant. Si enim exorſi eſſent à Daniele, ut diximus, poterat ipſorum accuſatio ſtatim refelli aut dilui: ſed poſtquam expreſſa fuit Regi hæc ſententia, ſtabilem eſſe ſermonem, quod ſecundum legem Perſarum & Medorum edicta regia effectum ſuum obtinere debeant: ubi ergo hoc factum eſt, tunc veniunt ad perſonam ipſam, *Daniel*, inquiunt, *qui eſt ex captivis Jehudah non adjecit mentem ad te, Rex, neque ad edictum quod obſignaſti.* Quum dicunt Danielem eſſe ex captivitate Jehudah, non dubium eſt, quin odioſe ita crimen amplificent. Nam ſi quiſpiam ex Chaldæis auſus fuiſſet contemnere Regis edictum, temeritas ejus non fuiſſet excuſabilis. Nunc autem quum Daniel, qui nuper ſervus fuerat & captivus apud Chaldæos, audet ſpernere Regis imperium, qui jure belli potiebatur tota Chaldæa, hoc videtur minus eſſe tolerabile. Perinde eſt igitur acſi dicerent, Hic nuper captivus fuit apud ſervos tuos: tu dominaris, & domini, quibus ipſe fuit ſubjectus, ſunt jam ſub tuo jugo, quia tu es eorum victor: hic autem captivus, hic alienigena, hic homo ſervus conditione, tamen in te ſuperbit. Videmus ergo ut ſtuduerint exacerbare Regis animum hac circumſtantia, quum dicunt *eſſe unum ex captivis.* Jam oratio eorum minime ſimplex eſt, ſed conantur modis omnibus pungere Regem, & accendere ejus iracundiam contra Danielem. *Non adjecit mentem ad te, Rex*, hoc eſt, non reputavit quiſnam tu eſſes: ita ab ipſo ſpreta fuit tua majeſtas: deinde, *ad edictum quod tu obſignaſti.* Hæc eſt alia amplificatio. *Non appoſuit* igitur *Daniel mentem neque ad te, neque ad edictum:* & tu hoc feres? Tandem factum ipſum recitant, nempe *quod tribus vicibus quotidie precetur.* Fuiſſet illa ſimplex narratio: Daniel non obedivit mandato tuo, quia precatur Deum ſuum. Sed, ut jam dixi, crimen exaggerant, quum accuſant Danielem ſuperbiæ, & contemptus, & contumaciæ. Videmus ergo quibus artificiis oppreſſus fuerit Daniel à ſuis malevolis. Nunc ſequitur,

14. Tunc Rex, poſtquam ſermonem audivit, valde triſtatus eſt (*alii vertunt turbatus: alii, peſſime ipſum habuit, maxime doluit: nam* באש *ſignificat dolere*) in ſe: & ad Danielem appoſuit cor (*hic eſt metathesis in literis: nam* בל *poſitum eſt pro* לב. *appoſuit igitur cor*) ad ipſum ſervandum: & uſque ad occaſum ſolis fuit ſollicitus ad ipſum eruendum. (*vel liberandum, hoc eſt, ſatagebat ipſum eripere.*)

15. Tunc conglobati ſunt viri illi (*vel, ſeſe coadunarunt, quaſi globo facto aggreſſi ſunt Regem, & in turma, quo plus terroris injicerent: congregaverunt ergo ſe*) ad Regem, & dixerunt, Scias, Rex, quod lex Medis & Perſis *eſt*, ut omne edictum & ſtatutum quod Rex ſtatuerit, non mutetur.

Primo loco recitat Daniel, Regem fuiſſe turbatum, quum agnoſceret malitiam Procerum ſuorum, quæ prius eum fugerat. Neque enim venerat ei in mentem, quorſum tenderent vel quid captarent: nunc videt ſe deceptum & illaqueatum: ergo turbatur. Hinc iterum docemur quantopere ſibi cavere debeant Reges à pravis conſiliis: quia undique obſidentur ab hominibus perfidis, & quibus nihil aliud propoſitum eſt, quam vel facere quæſtum ex falſis delationibus, vel opprimere nunc ſuos inimicos, nunc eos ex quibus prædam aliquam ſperant: nunc autem favere malis cauſis. Quum ergo Reges circumdent tot inſidiæ, eo magis intentos eſſe oportet ad cavendas aſtutias. Sero enim agnoſcunt ſe fuiſſe circumventos, ubi jam non eſt remedio locus: partim quod ſibi metuunt, partim vero quod volunt conſulere ſuæ exiſtimationi: & ſatius eſt illis Deum offendere, quam incurrere apud homines aliquam levitatis notam. Quoniam igitur tam ſacra eſt Regibus ſua exiſtimatio, hinc fit ut pergant in male cœptis, etiamſi ipſos conſcientia arguat: & ſi æquitas ipſa eorum oculis objecta fuerit, tamen hoc frenum non eſt ſatis efficax ad ipſos cohibendos, ubi in diverſum rapit ambitio, & nolunt quicquam famæ ſuæ detrahi apud homines. Tale exemplum hic nobis proponitur in Dario. Nam primo dicitur, *ipſum fuiſſe triſtem audito ſermone, & fuiſſe ſollicitum uſque ad occaſum ſolis, quo eriperet Danielem à morte.* Volebat quidem, ſi ſtetiſſet ſalva & integra ejus fama, hoc fieri: deinde ſi placuiſſet Proceribus. Verum ubi ab una parte metuit diſcrimen, ſi conſpiratio Principum aliquid turbet: ab altera autem parte ſtulto pudore movetur: quia non vult

incurrere in illam ignominiam levitatis, quæ ipſum manebat: hinc fit, ut victus obtemperet libidini improborum. Quanquam ergo ad ſolis occaſum ſtuduerit Danielem eripere, prævaluit tamen perverſus ille pudor, quem dixi: deinde metus diſcriminis. Nam ubi non innitimur Dei auxilio, neceſſe eſt ſemper nos vacillare, etiamſi probe alioqui ſimus affecti.
Joan. 19. verſ. 12. Hoc modo Pilatus voluit Chriſtum liberare: ſed terretur minis populi, ubi denunciant offenſum fuiſſe Cæſarem. Neque mirum eſt: quia ſola fides certa eſt ac firma fultura, cui innixi fungamur noſtro officio intrepide, & ſuperemus omnes metus. Ubi autem deeſt fides, circumagit nos vacillatio, ut dixi. Hinc fit ergo, ut Darius ſibi metuens à conjuratione Procerum ſuorum, Danielem innoxium permittat eorum crudelitati. Deinde acceſſit etiam illa, quam dixi, verecundia, quod noluit videri homo inconſideratus, qui ſubito revocaret ſuum edictum, quum lex eſſet Medis & Perſis, inviolabile eſſe quicquid prodierat à Regibus. Et hoc deinde narrat Daniel. Dicit enim *viros illos ſeſe congregaſſe*: quum vident Regem mutare & quaſi alternare, ferociunt & quaſi conſerunt cum eo manus. Quod ergo dicuntur ſe congregaſſe, hoc valuit ad incutiendum metum Regi Dario. *Scito, Rex*, inquiunt. Sciebat quidem ipſe, neque docent eum de re incognita: ſed minaciter hoc proponunt, Quid? nonne vides nullius poſthac fore auctoritatis nomen regium, ſi hic impune edictum tuum violaverit? An ſines ita te ludibrio haberi? Denique ſignificant, illum non fore Regem, niſi ultus fuerit injuriam ſibi illatam à Daniele, qui imperium ejus neglexerat. *Scito* ergo, *Rex*, *quod Perſis & Medis*. Erat ipſe Rex Medorum: ſed perinde eſt acſi dicerent, Quiſnam ſpargetur rumor per omnes tuas ditiones? Nam tu ſcis hoc valuiſſe hactenus apud Medos & Perſas, ne Rex edicta ſua mutaret. Si ergo edideris tale exemplum, nonne ſtatim omnes tui ſubditi in te inſurgent? Nonne eris illis contemptibilis? Videmus ergo ut hic proterviant Satrapæ contra Regem ſuum, & deterreant ipſum à mutatione conſilii. Et conjungunt etiam edictum cum ſtatuto, quod Rex ſtatuerit: ut ſcilicet magis ipſum moveant, ne quod ſæpius ſancierat & repetito ſermone, nunc ſinat pro nihilo duci. Sequitur,

16. Tunc Rex loquutus eſt, (*hoc eſt, edixit, vel mandavit*) & adduxerunt Danielem, & projecerunt *eum* in foveam leonum. Reſpondit Rex, & dixit Danieli, Deus tuus quem tu colis ipſum jugiter, (*pronomen hoc eſt ſupervacuum*) ipſe liberabit te. (*vel, ſi accipimus in modo precandi, ipſe te liberet.*)

Rex, quemadmodum diximus, perterritus denunciatione Procerum, Danielem morti addicit. Atque hinc colligimus, Reges ipſos mercedem qualem merentur, ſuperbiæ referre, quum parere ſerviliter coguntur ſuis adulatoribus. Quomodo deceptus fuit Principum ſuorum vaſtitie Darius? Nempe quia putavit ſtabiliri ſuum imperium, ſi ita probaret omnium obedientiam, ne quis ullum Deum vel hominem precaretur toto menſe. Putavit ergo ſe tunc & diis & hominibus fore ſuperiorem, ſi expertus eſſet tale obſequium in omnibus ſubditis. Jam videmus ut Principes contra eum proterve inſurgant, ut denuncient ultimum diſcrimen, niſi ipſis obſequatur. Videmus ergo, quum nimis ſeſe Reges efferunt, exponi ignominiæ: ita ut ſint ſervi ſervorum ſuorum. Et hoc nimis vulgare eſt in terrenis Principibus: qui potiuntur apud eos auctoritate & gratia, applaudunt quidem in omnibus, & ipſos adorant: nullum eſt genus aſſentationis, quod non excogitent ad captandum favorem: ſed interea quænam eſt in illis idolis libertas? Neque enim ipſis permittitur quicquam auctoritatis, ac ne poſſunt quidem eſſe optimis & fidiſſimis amicis familiares, dum obſervantur à ſuis cuſtodibus: denique ſi conferantur cum miſeris, qui tenentur in arctiſſimo carcere, nullus eſt incluſus in tam profunda fovea, quamvis habeat tres vel quatuor cuſtodes, qui non ſit liberior ipſis Regibus. Sed quemadmodum dixi, hæc eſt juſtiſſima Dei vindicta: quia ubi non poſſunt ſe continere in ordine & gradu hominum, ſed volunt penetrare ſupra nubes, & eſſe æquales Deo, neceſſe eſt ipſos ludibrio haberi. Hinc fit, ut ſerviant omnibus ſuis ſamulis, neque audeant libere quicquam proferre, neque habeant quenquam amicum, neque audeant hunc vel illum ad ſe vocare, & permittere huic vel illi quod volunt. Sic ergo dominantur ſervi in terrenis regnis, quia non reputant ſe eſſe ex ordine mortalium. Hoc contigit Regi Dario, quia accerſit Danielem, & juſſu ejus projicitur in foveam leonum: atque hoc quidem exprimunt ejus Proceres, & invitus illis obtemperat: ſed notanda eſt cauſa, quod ſcilicet nuper oblitus ſe eſſe mortalem, voluerit rapere Deo ſuum imperium, quaſi ipſum è cælo detraheret. Si enim eſt Deus in cælo, rogandus eſt. Vetuit autem Darius, ne quis auderet precationem concipere: hoc fuit exinanire Dei potentiam, quantum in ſe erat. Nunc cogitur etiam parere ſuis ſubditis, quamvis fere contumelioſam exerceant in ipſum tyrannidem. Jam addit Daniel, *Regem ita loquutum fuiſſe ſecum, Deus tuus, cui tu inſervis jugiter*, vel quem tu colis jugiter, *ipſe te eripiet*. Poteſt hoc verbum legi in modo optativo, ut dictum fuit. Neque dubium eſt quin tale votum conceperit Darius: ſed poteſt etiam ita accipi, Deus tuus quem colis te eripiet: acſi diceret, Jam non ſum mei juris: ego hic rapior quaſi tempeſtatis impetu: Proceres me invitum compellunt ad hoc facinus. Ego igitur nunc te reſigno & vitam tuam Deo, quia non meum eſt te eripere: quaſi hac excuſatione levaret crimen ſuum, ubi transfert potentiam ſervandi Danielis ad Deum. Hæc ratio quoſdam movit, ut laudarent pietatem Regis Darii: ſed ut ego fateor in hoc ſermone nobis oſtendi ejus clementiam & humanitatem: ita certum eſt, ne micam quidem pietatis in eo fuiſſe, quum ita ſe ornare voluit ſpoliis Dei. Nam ſuperſtitioſi etiamſi non timeant ſerio Deum, retinentur tamen aliquo ejus metu: hic autem voluit in nihilum redigere omnem divinitatem. Qualis fuit hæc pietas? Laudanda igitur eſt clementia in Dario: ſed ſacrilega ejus ſuperbia nullo modo excuſabilis eſt. Deinde, cur ita humaniter ſe geſſit erga Danielem? Quia fidelem miniſtrum expertus erat. Fuit igitur peculiaris amor, qui flexit eum ad clementiam. Non ſervaſſet eundem tenorem apud alios. ſi centum vel mille Judæi tracti fuiſſent in judicium, ſecure omnes damnaſſet, quod non geſſiſſent morem edicto. Ergo fuiſſet illic pertinaciter & impius & crudelis. Parcit autem Danieli ob ſuum privatum commodum: deinde quia amplexus illum fuerat ſuo favore. Cæterum ut laudetur ejus humanitas, nullum apparet ſignum pietatis in eo. Dicit tamen, *Deus tuus quem colis, ipſe te eripiet*, nempe quia prius cognoverat Danielem vaticinatum eſſe de interitu Monarchiæ Chaldaicæ: hinc convincitur, Deum Iſraëlis eſſe præſcium rerum omnium: deinde omnia ſubeſſe ejus arbitrio. Sed interim neque ipſum colit, neque etiam patitur ab aliis coli. Excluſerat enim Deum ſuo jure, quantum in ipſo fuerat. Quamvis ergo hic tribuat Deo potentiam liberandi, non facit ex animo: deinde etiamſi faciat, eo deterior eſt ejus impietas, ubi eum quem ſentit verum & unicum Deum, & præditum ſumma poteſtate, privat tamen jure ſuo: & quum ſit cinis & terra, audet ſe ſubſtituere in ejus locum. Nunc ſequitur,

17. Et

17. Et adductus fuit lapis unus, & poſitus ſuper os ſpeluncæ: & obſignavit eum Rex annulo ſuo & annulo Procerum ſuorum, ne mutaretur placitum in Daniele. (*hoc eſt, quantum ad Danielem: qui reddunt, Contra, acſi Rex conſulto obviam ire voluiſſet eorum violentiæ, pervertunt totum ſenſum: quando haud dubie illorum inſtigatione id factum eſt, ne Rex curaret furtim educi.*)

Non dubium eſt, quin Dei conſilio hoc factum fuerit, ut Proceres ſuis annulis obſignarent lapidem, quo clauſum fuit os ſpeluncæ, quo ſcilicet illuſtrius deinde foret miraculum. Quando enim poſtridie Rex acceſſit, integri erant annuli: hoc eſt, obſignationes manebant integræ. Hinc apparuit non arte hominum fuiſſe ſervum Dei incolumem, ſed cæleſti auxilio. Interea videmus, quam audacter Regem coëgerint Proceres ad omnia ſua placita. Nam poterat videri plus ſatis defunctus, quum hominem ſibi charum & fidelem ipſis traderet, & quum juberet projici in ſpeluncam leonum. Non ſunt tamen contenti hac Regis facilitate: unum adhuc ab eo extorquent, nempe ut claudatur os ſpeluncæ: deinde lapidem omnes obſignent, ne quis Danielem eripiat. Videmus ubi ſemel erepta eſt libertas, nullum eſſe finem: præſertim ubi ſua culpa quiſpiam ſervus factus eſt, vel ſe addixit improborum arbitrio. Nam initio non prævalebit tanta ſervitus, ut hoc & illud faciat, vel quicquid mandatum fuerit, qui videtur eſſe liber: ſed ubi ſe addixit in ſervitutem, quemadmodum jam dixi, cogitur iterum, & ſecundo, & abſque fine & modo peccare. Exempli gratia: ſi quis ab officio vel metu hominum, vel adulatione, vel alio pravo affectu declinet, hoc & illud concedet, ubi non tantum rogatus fuerit, ſed importune coactus. Ubi autem ſemel ſe abdicaverit libertate, quemadmodum jam dixi, cogetur etiam pudenda quæque admittere pro cujuſque nutu. Sit quiſpiam doctor in Eccleſia aut paſtor, ambitioſe huc vel illuc deflectat: qui hoc ab eo impetraverit, veniet ad eum ſecundo, Quid? Audesne mihi negare? Heri, vel nudiuſtertius nonne hoc abs te impetravi, & illud? Sic cogetur ſecundo peccare in ejus gratiam, cui ſe addixit, tertio etiam cogetur peccare, & uſque ad finem, imo ſine fine. Sic etiam Principes, qui non modo liberi ſunt, ſed aliis dominantur, ſi mala conſcientia ſinant ſe vinci, abdicant ſe omni auctoritate, & trahuntur in omnes partes pro libidine ſubditorum. Hoc igitur exemplum nobis proponitur in Rege Dario, qui poſtquam addixit injuſtæ pœnæ Danielem, etiam hoc adjungit, nempe *ut claudatur ſpelunca*: deinde *ut lapis obſignetur*. Et in quem finem? nempe *ne placitum mutetur*, hoc eſt, ne ipſe audeat quicquam tentare circa Danielem. Videmus ergo ut Rex ſubjiciat ſe maximo probro, quia primo abrogatur ei fides à Proceribus, acſi negarent ei ſe credituros, etiamſi juſſiſſet Danielem projici in ſpeluncam leonum, ſed cautionem ſe exigere, ne eum eriperet: nec paſſuros quicquam ab eo tentari. Videmus ergo ut contumelioſe fidem Regi ſuo detrahant: deinde, ut ſibi uſurpent imperium adverſus eum, ne audeat lapidem attollere, qui erat obſignatus, niſi velit incurrere falſi crimen, quod corruperit publicas obſignationes, acſi violaſſet publicas tabulas, & eſſet falſarius. Hic ergo locus nos admonet, ne proſtituamus nos hominum libidini in ſervitutem. Serviat quiſque proximis ſuis, quantum fert charitas: deinde ut poſtulat etiam uſus. Interea nemo mala conſcientia flecti ſe ſinat in hanc vel illam partem: quia ubi deſinit eſſe liber, cogetur perferre quaſcunque contumelias, & obſequi fœdiſſimis imperiis: quemadmodum videmus contingere & lenonibus, & aliis, qui vel avaritiæ Principum ſerviunt, vel ambitioni, vel crudelitati. Ubi enim ſemel obnoxii eſſe cœperunt, ſunt miſerrima mancipia, neque poſſunt effugere extremas quaſque neceſſitates, quin contumelioſe ſerviant, & centies provocent contra ſe & Deum & homines. Nunc ſequitur,

18. Tunc profectus eſt Rex in palatium ſuum, & pernoctavit in jejunio, *jejunus*, & inſtrumenta muſica, *alii vertunt cœnam, vel, menſam: ſed hoc non quadraret: quia prius dixit Regem pernoctaſſe jejunum: melius igitur convenit diverſa interpretatio, quod inſtrumenta muſica* non fuerint allata coram ipſo, *atque ita ceſſaverint omnes lætitiæ & oblectationes*, & ſomnus *etiam* diſceſſit ab eo.

Hic refert Daniel ſeram Regis pœnitentiam: quia etiamſi fuerit in maximo luctu, non correxit tamen ſuum delictum. Et hoc multis accidit, qui non obduruerunt ad contemptum Dei & pravitatem: trahuntur ab aliis, & ſibi in vitiis ſuis diſplicent: interea tamen pergunt. Utinam hujus mali magis rara eſſent exempla. Sed paſſim occurrunt ante oculos noſtros. Darius ergo hic nobis proponitur quaſi medius inter improbos & ſceleratos, & inter rectos & cordatos. Qui improbi ſunt, non dubitant Deum in ſe provocare, & excuſſo omni metu & pudore laſciviunt in ſuis concupiſcentiis. Qui autem reguntur Dei timore, etiamſi dura certamina ſuſtineant cum carne, ſibi tamen frenum injiciunt, & cohibent perverſos ſuos affectus. Sunt alii medii, qui nondum, ut dixi, obſtinati ſunt in ſua malitia, imo ſibi non placent in corruptelis: & tamen eas ſequuntur quaſi funiculis eſſent devincti. Talis fuit Darius. Nam ubi oportuerat ipſum conſtanter repellere Procerum calumniam, quum videret ſe fuiſſe ab illis ita illaqueatum, atque viriliter ſe adverſus eos gerere, imo exprobrare quod ita facilitate ejus abuſi eſſent: adeo non fecit, ut potius obſequutus ſit eorum furori. Interea luget in palatio ſuo, à cibo & omnibus deliciis abſtinet. Ita oſtendit malum ſibi non placere, quod tamen ipſe ſuſcepit. Videmus ergo non ſufficere, ſi quum peccamus, mordeat nos propria conſcientia, & triſtitiam aliquam nobis exprimat: ultra progrediendum eſt, ut ſcilicet triſtitia adducat nos uſque ad pœnitentiam, quemadmodum etiam Paulus docet. Darius autem quaſi in luto illo 2 Cor. 7. verſ. 10. hæſit: quum lugeret, non ſtuduit corrigere quod deliquerat. Fuit hoc initium aliquod pœnitentiæ, ſed initium duntaxat. Ideo danda opera eſt, ut qui ſibi male conſcius eſt, ſeipſum ſollicitet ad pœnitentiam: & ubi ſentit aliquam punctionem doloris, illam excitet, neque concedat ſibi ullas inducias aut ullam quietem. Hoc diſcendum eſt ex præſenti exemplo, ubi narrat Daniel Regem Darium in luctu fuiſſe tota illa nocte. Poſtea ſequitur,

19. Tunc Rex in aurora (*hoc eſt, diluculo*) ſurrexit quum illuceſceret, & in feſtinatione (*hoc eſt, feſtinanter*) ad ſpeluncam leonum venit.

20. Et quum appropinquaſſet ad foveam, ad Danielem in voce triſti (*aut lugubri*) clamavit: loquutus eſt Rex, & dixit Danieli, Daniel ſerve Dei viventis, Deus tuus quem tu colis ipſum jugiter, an potuit ad ſervandum te (*hoc eſt, potuitne te ſervare*) à leonibus?

Hic Rex paulo conſtantius incipit ſe gerere, ubi accedit ad foveam. Prius fuerat ita metu perculſus, ut ſuis Proceribus cederet, & oblitus Regiæ ſuæ dignitatis, quaſi mancipio ſe illis traderet. Nunc autem non ita formidat eorum invidiam, & perverſos ſermones. *Accedit* igitur *ad foveam leonum mane*, inquit, *prima luce*, hoc eſt, antequam ſol ortus eſſet, ſub auroram, *ad foveam acceſſit, & feſtinanter*. Ita videmus correptum fuiſſe acerbiſſimo dolore, qui metus omnes priores devicit. Poterat enim adhuc ſibi metuere, & non oblitus erat illius formidoloſæ denunciationis, Tu jam non potieris imperio, niſi vindices contemptum edicti tui. Sed quemadmodum jam dixi, dolor ſuperat metum illum. Et tamen nondum poſſumus vel pietatem laudare in ipſo, vel etiam humanitatem: quia etſi ad ſpeluncam accedat, & lamentabili voce inclamet Danielem, non tamen iraſcitur adhuc ſuis Proceribus, donec videat ſervum Dei incolumem fuiſſe ſervatum. Tunc majorem animum concepit, ut videbimus. ſed adhuc perſtat in ſua infirmitate, & eſt quaſi in medio illo gradu inter perverſos contemptores, & inter cordatos cultores Dei, qui recto affectu ſequuntur quod juſtum eſſe ſciunt.

Da omnipotens Deus, quando in exemplo ſervi tui Danielis nobis oſtendis quanta conſtantia perſeverandum ſit in ſincero numinis tui cultu, ut proficiamus ad veram magnitudinem animi: & ita nos tibi addicamus, ut ne flectamur huc vel illuc pro hominum libidine, ſed perſtemus in ſancta vocatione tua: & ita devictis omnibus periculis, tandem perveniamus ad fructum victoriæ, beatam ſcilicet immortalitatem, quæ nobis repoſita eſt in cælo, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA IN DANIELEM.

PRoxima lectione tempus coëgit me abrumpere ſententiam illam, ubi refert Daniel, *Regem ad ſpeluncam approquinquaſſe*. Hic refert ejus verba, *Daniel ſerve Dei vivi, Deus tuus quem colis jugiter, potuitne te liberare?* inquit. Deum Iſraelis prædicat Darius eſſe Deum vivum. Atqui ſiquis eſt Deus vivus, excludit omnes deos imaginarios, nempe quos ſibi homines proprio ingenio confingunt. Neceſſe enim eſt, eſſe unam deitatem: & hoc principium etiam apud profanos homines valet. Quanquam poſtea in ſua quiſque ſomnia delabitur, tamen hoc fatentur omnes, non poſſe eſſe plures deos. Deum quidem diſtrahunt: ſed non poſſunt negare, quin ſit unicus Deus. Darius ergo ubi hoc elogium tribuit Deo Iſraëlis, fatetur alios omnes deos mera eſſe figmenta: ſed hoc non intelligit, quemadmodum dixi, profanos homines tenere quidem principium illud, ſed poſtea evaneſcere in ſuis cogitationibus. Hic ergo locus non evincit, quemadmodum videtur quibuſdam, Regem Darium fuiſſe vere converſum, ita ut amplexus fuerit ſinceram pietatem. Coluit enim ſemper ſua idola: ſed putavit hoc ſufficere, ſi gradum ſupremum relinqueret *Jeſa. 42. verſ. 8.*
Deo Iſraëlis. Atqui, ut ſcimus, Deus non poteſt admittere ſocium. eſt enim zelotes ſuæ gloriæ. Fuit igitur hoc nimis frigidum, quod Darius agnovit Deum, quem colebat Daniel, excellere ſupra omnes deos: quia ubi regnat Deus, neceſſe eſt in nihilum redigi omnia idola: quemadmodum etiam in Pſalmo dicitur, Deus regnat, concidant omnes dii gentium. Non igitur eouſque profecerat Darius, ut ſe addiceret vero & unico Deo: ſed coactus eſt dare ſummum honorem Deo Iſraëlis: interea ſemper ſtetit demerſus in ſuis ſuperſtitionibus, quibus aſſueverat. Poſtea adjungit, *Deus tuus quem colis jugiter, potuitne te liberare à leonibus?* dubitanter hic loquitur, ut ſolent increduli, qui videntur quidem ſibi ſperare, ſed nihil habent ſtabile vel ſolidum in ſuis animis. Invocatio eſt à natura, ut ita loquar: hoc eſt, naturaliter impellit arcanus quidam inſtinctus homines, ut ad Deum confugiant: ſed quia vix centeſimus quiſque innititur verbo Dei, hinc fit ut fortuito omnes Deum invocent. Volunt igitur experiri an Deus juvare ipſos velit, & ſuccurrere eorum neceſſitatibus: interea, quemadmodum dixi, nulla eſt firma perſuaſio in cordibus ipſorum. Talis fuit affectus Regis Darii: *Potuitne Deus te liberare*, inquit? Quaſi vero dubitandum ſit de potentia Dei. Si dixiſſet, An Deus te liberavit? hoc erat tolerabile. Neque enim Deus obſtrictus eſt aliqua lege, ut ſemper ſuos à morte eripiat, quemadmodum ſatis notum eſt: ſed hoc poſitum eſt in ejus arbitrio. Quum ergo ſuos permittit impiorum libidini, non ideo imminuitur ejus potentia, quia pendet ab ejus mera voluntate an liberet. Quod vero ad potentiam, certe non debet vocari in dubium. Videmus ergo ut Darius nunquam vere converſus fuerit, nihil diſtincte cognoverit de vero & unico Deo, ſed correptus fuerit cæco metu, qui ipſum vellet nollet, tamen cogeret tribuere Deo Iſraëlis ſummum honorem. Atqui hæc non fuit ingenua confeſſio, ſed potius extorta. Sequitur nunc,

21. Tunc Daniel cum Rege loquutus eſt, Rex, in æternum vive.

22. Deus meus miſit Angelum ſuum, & concluſit os leonum, & non nocuerunt mihi: quoniam coram ipſo innocentia (*vel integritas*) inventa eſt in me: atque etiam coram te, Rex, pravitatem non commiſi.

Hic modeſte & blande reſpondet Daniel Regi, cujus tamen imperio conjectus fuerat in ſpeluncam. Poterat merito iraſci, & cum eo expoſtulare, quod ita impie deſertus foret. Rex enim Darius expertus fuerat fidelem miniſtrum: uſus fuerat utiliter ejus opera. Quum videret opprimi injuſtis calumniis, non ſe oppoſuit tam cordate ut decebat: imo tandem fractus minis ſuorum Procerum, juſſit Danielem projici in foveam. Poterat igitur Daniel, quemadmodum dixi, de Regis crudelitate & perfidia conqueri. Hoc non facit, ſed diſſimulat hanc injuriam, quia ſatis erat ejus liberatione illuſtratam fuiſſe Dei gloriam. Neque enim aliud captabat ſanctus Propheta: imo bene precatur Regi. Et quanquam vulgarem formulam uſurpat, tamen ex animo loquitur, quum dicit, *O Rex in æternum vive*, hoc eſt, Deus prororget tibi vitam, & benedicat perpetuo. Multi futiliter ita ſalutant Reges ſuos, atque etiam ſocios: ſed minime dubium eſt, quin Daniel ex animo optaverit Regi & longam vitam & felicem. Poſtea adjungit: *Deus meus*, inquit, *miſit Angelum ſuum, & concluſit os leonum*. Hic videmus à Daniele aperte diſtribui juvandi officium Angelis, ſic ut penes Deum maneat tota poteſtas. Dicit ergo ſe liberatum fuiſſe manu atque opera Angeli: ſed exprimit Angelum fuiſſe miniſtrum ſalutis, non auctorem. *Deus ergo eſt*, inquit,

quit, *qui miſit Angelum*. Vidimus aliquoties confuſe loquutos fuiſſe Chaldæos, quum eſſet Dei mentio. Vocabant enim deos ſanctos. Sed hic Daniel aſſerit uni Deo ſuam gloriam in ſolidum: neque hic proponit deorum turbam, ſicuti hæc opinio ſemper valuit apud homines profanos. Unitatem ergo Dei primo loco prædicat: deinde adjungit Angelos præſto eſſe, ut opitulentur ſervis Dei: ſed hoc facere, prout ipſis injunctum eſt. Ita integra laus ſalutis manet penes unum Deum: quoniam ſcilicet Angeli non ferunt opem quibus viſum eſt, neque moventur ſuo arbitrio, ſed tantum obtemperant imperio Dei. Notandum etiam eſt quod ſequitur, *Deum concluſiſſe os leonum*. Nam his verbis docet Propheta & leones & ſæviſſimas quaſque belluas eſſe in manu Dei, & cohiberi ſecreto ejus freno: ita ut non ſæviant, neque afferant quicquam noxæ, niſi quoad Deus permiſerit. Sciamus ergo truculentas beſtias ideo nobis eſſe noxias, quoniam Deus vult ſuperbiam noſtram humiliare. Interea ſciamus etiam nullam eſſe adeo ſævam beſtiam, quæ vel unguibus, vel dentibus noceat, niſi quoad Deus frenum laxaverit. Et hæc doctrina apprime utilis eſt cognitu: quoniam trepidamus ad minima quæque pericula, etiam ad ſtrepitum folii cadentis. Quoniam autem neceſſe eſt multa diſcrimina hinc inde à nobis conſpici (undique enim à centum mortibus obſidemur) ideo miſerrima inquietudine vexaremur, niſi hoc nobis ſuccurreret, non tantum vitam noſtram cuſtodiri à Deo, ſed nihil eſſe noxæ, quod non ipſe dirigat pro arbitrio ſuo & nutu. Hoc porro etiam extendi debet ad diabolos ipſos, & improbos ac ſceleratos homines. Nam ſcimus diabolum ſemper ſatagere de nobis perdendis, & ſimilem eſſe leoni rugienti. Curſitat enim, ac

1 Petr. 5. verſ. 8. quærit prædam, quam devoret, ſicut dicit Petrus priore ſua Epiſtola. Videmus etiam ut omnes impii nobis in ſingula momenta mortem machinentur, & quanto furore contra nos ardeant. Sed Deus qui poteſt compeſcere ora leonum, ſimul etiam diabolum frenabit & omnes ſceleratos, ne quid nobis niſi ejus permiſſu noceant. Imo experientia docet, & diabolum, & omnes impios ab ipſo comprimi. Singulis enim momentis pereundum nobis eſſet, niſi oppoſita ſua virtute repelleret innumeras noxas, quæ capitibus noſtris impendent. Sciamus ergo ſingulari Dei beneficio fieri, quod vel diem unum incolumes manemus in tanta hoſtium noſtrorum ferocia & rabie. Dicit autem Daniel nihil ſibi damni vel jacturæ allatum fuiſſe à leonibus, *quia coram Deo inventa fuerit in ſe juſtitia*. Quibus verbis ſignificat ideo ſe fuiſſe ſervatum, quia Deus voluit aſſerere gloriam ſuam, & cultum quem Lege ſua præceperat. Neque enim jactanter hic Propheta juſtitiam ſuam extollit, ſed potius oſtendit ideo ſe fuiſſe liberatum, quia Deus voluerit certo & claro documento teſtari, probari ſibi cultum illum, pro quo pugnaverat Daniel uſque ad mortem. Videmus ergo ut Daniel omnia ad cultus Dei approbationem referat. Summa eſt, ſe piæ & ſanctæ cauſæ fuiſſe patronum, & paratum fuiſſe ad obeundam mortem non ſtulta aliqua imaginatione, non temerario impulſu, nec confuſo zelo, ſed quia certo perſuaſus erat ſe colere vivum Deum. Quoniam ergo piæ & ſanctæ cauſæ fuit defenſor, ideo dicit ſe fuiſſe ſervatum. Hæc eſt ſumma. Hinc colligere promptum eſt, quam ſtolidi ſint Papiſtæ, qui ex hoc loco & ſimilibus aſtruere conantur operum juſtitiam & merita. O, Daniel fuit ſervatus, quia inventa eſt coram Deo juſtitia in ipſo: Ergo Deus rependit cuique pro operum meritis. Atqui primo reputandum erat conſilium Danielis. Neque enim, ut jam dixi, jactat ſua merita: ſed vult ſalutem ſibi divinitus oblatam, teſtimonium eſſe veri & puri cultus, ut pudefaciat Regem Darium, & oſtendat omnes ſuperſtitiones eſſe impias, præſertim ut admoneat de ſacrilego illo edicto, quoniam ſibi arrogaverat ſummum imperium: ita ut aboleret, quantum in ſe erat, omnem deitatem. Ut ergo Darium admoneat Propheta, ideo dicit cauſam ſuam fuiſſe juſtam. Et quo facilior ſit ſolutio, notandum eſt, eſſe diſcrimen inter æternam ſalutem, & ſpeciales liberationes. Deus nos liberat à morte æterna, & ad ſpem vitæ æternæ adoptat, non quia inveniat quicquam juſtitiæ in nobis, ſed quoniam gratuito nos elegit: ideo perficit in nobis opus ſuum abſque ullo operum reſpectu. Quantum ergo ad ſalutem æternam ſpectat, nullus poteſt eſſe reſpectus juſtitiæ: quia ubi nos excutiet Deus, nihil inveniet præter damnationis materiam. Sed quantum ad particulares liberationes ſpectat, illic Deus poteſt reſpicere cujuſque juſtitiam: non quod nobis propria ſit: ſed quos gubernat ſuo Spiritu, ut vocationi ejus obtemperent, illis etiam manum porrigit: & ſi periclitentur ob id quod ſtuduerint illi obſequia ſua offerre, liberat eos. Perinde eſt hoc, acſi quis diceret Deum favere bonis cauſis. Hoc autem nihil ad merita. Ergo quantum ad hunc locum ſpectat, nimis pueriliter ineptiunt Papiſtæ, qui inde merita eliciunt: quoniam Daniel nihil aliud voluit, quam aſſerere purum unius Dei cultum: quaſi diceret, non modo ſui rationem habitam fuiſſe à Deo, ſed fuiſſe aliam cauſam ſuæ liberationis, quia ſcilicet re ipſa, & experimento Deus oſtendere voluerit fuiſſe juſtam ejus cauſam. Adjungit, *Atque etiam coram te, Rex, nullam pravitatem commiſi*. Certum eſt violatum fuiſſe Regis edictum à Propheta. Cur ergo non hoc ingenue fatetur? Imo cur contendit ſe nihil peccaſſe contra Regem? Nempe quia fideliter ſe geſſerat in omnibus juſtis officiis, potuit ſe eximere à calumnia, qua ſciebat ſe gravari, quod ſcilicet ſpreviſſet Regis imperium. Neque enim Daniel ita obſtrictus fuit Regi Perſarum, quin Deus ſibi vindicaret quod non poteſt ei auferri. Scimus conſtitui terrena imperia à Deo, ſed hac lege, ut ipſe nihil ſibi deroget, ſed emineat ſolus, atque in ordinem cogantur omnes Magiſtratus, & quicquid eſt præſtantiæ in mundo, ejus gloriæ ſit ſubjectum. Quoniam ergo non poterat Daniel parere Regis edicto, quin Deum abnegaret, quemadmodum antea viſum eſt, non deliquit contra Regem, ubi conſtanter perrexit in illo exercitio pietatis, cui aſſueverat, ut ſcilicet ter quotidie Deum rogaret. Et quo hoc melius pateat, tenenda eſt illa ſententia Petri, Deum timete, Regem honorate. 1 Petr. 2.

Sunt hæc duo inter ſe connexa, nec poteſt alterum ab altero divelli. verſ. 17. Præcedat igitur oportet timor Dei, ut Reges obtineant ſuam auctoritatem. Nam ſi quis incipiat à reverentia terreni Principis Deo præterito, ille præpoſtere faciet: quando hoc eſſet pervertere totum naturæ ordinem. Ergo priore loco timeatur Deus, obtineant Principes terreni ſuam auctoritatem, ſic tamen ut Deus emineat, quemadmodum jam dixi. Jure ergo Daniel hic ſe defendit, *quod nullam pravitatem commiſerit adverſus Regem*, quia ſcilicet coactus parere Dei imperio neglexerit quod in contrariam partem Rex mandabat. Abdicant enim ſe poteſtate terreni Principes dum inſurgunt contra Deum: imo indigni ſunt qui cenſeantur in hominum numero. Potius ergo conſpuere oportet in ipſorum capita, quam illis parere, ubi ita proterviunt ut velint etiam ſpoliare Deum jure ſuo, & quaſi occupare ſolium ejus, acſi poſſent eum è cælo detrahere. Nunc ergo tenemus ſenſum hujus loci. Sequitur,

23. Tunc Rex valde exhilaratus in ſe, (*vel ſuper eo*) Danielem juſſit educi ex ſpelunca: & eductus fuit Daniel ex ſpelunca: & nulla corruptio (*vel læſio*) inventa fuit in eo: quia credidit (*vel confiſus eſt*) Deo ſuo.

Confirmat Daniel quod prius narravit de affectu Regis Darii. Sicuti ergo anxius receſſerat in palatium, abſtinuerat à cibo & potu, & abjecerat omnes voluptates & delicias: ſic etiam gaviſus eſt, quum audiret ſanctum Dei ſervum mirabiliter ereptum eſſe à morte. Poſtea adjungit, *Et juſſu Regis eductus fuit Daniel è ſpelunca: & nulla corruptio inventa in eo fuit.* Hoc non potuit adſcribi fortunæ. Ergo illuſtravit Deus virtutem ſuam, quod ita evaſit ſalvus Daniel, ut leones eum non attigerint. Diſcerptus quidem fuiſſet, ſi Deus non clauſiſſet leonum ora: ſed hoc etiam non parum valuit ad amplificandum miraculum, quod nulla læſio, nullus tactus inventus fuit in ejus corpore. Quod ergo ei ſic leones pepercerint, factum eſt arcano Dei auxilio: & hoc etiam clarius innotuit, ubi projecti ſunt ejus calumniatores in ſpeluncam, quia ſtatim lacerati ac vorati ſunt à leonibus, ſicuti paulo poſt ſubjiciet. Sed notanda eſt ratio, quæ additur, *fuiſſe ſervatum, quoniam crediderit Deo ſuo.* Sæpe enim continget, ut quis tueatur bonam cauſam, & tamen male ac infeliciter ſuccedat: quia ſcilicet fiducia conſilii ſui, & prudentia, & induſtria aggreditur quod alioqui laude dignum erat. Non mirum igitur eſt, ſi ſæpe deſtituantur proſpero ſucceſſu, qui tamen ſuſcipiunt bonas cauſas tuendas: quemadmodum in profanis omnibus apparet. Nam hiſtoriæ omnium ætatum hoc teſtantur, ſæpe periiſſe eos qui tamen juſtam cauſam fovebant: ſed hoc factum eſt perverſa eorum fiducia, quoniam ſcilicet non erat illis propoſitum, Deo ſervire: potius ſpectabant laudem & plauſum mundi. Ut ergo rapiebat eos ambitio, ſic etiam placebant ſibi in propriis conſiliis. Et hinc manavit dictum illud Bruti, Virtutem eſſe rem frivolam; quia putabat indigne ſecum agi, quod quum pugnaſſet pro tuenda libertate populi Romani, tamen non haberet deos propitios, ſed infenſos. Quaſi vero debuerit Deus ei ſuum auxilium, quod nunquam ſperaverat, neque unquam petierat. Scimus enim quam ſuperbo fuerit ingenio vir ille. Ego profero unum exemplum: ſed ſi diligenter expendimus quid impulerit omnes profanos homines, quum ſtrenue pugnarunt pro bonis cauſis, reperiemus ambitionem ſemper in ipſis prævaluiſſe. Non mirum igitur ſi deſtituerit ipſos Deus in ipſo articulo, quia indigni erant qui experirentur ejus auxilium. Hac ratione exprimit Daniel ſe incolumem fuiſſe ſervatum, *quia crediderit Deo ſuo.* Et huc etiam
Hebr. 11. reſpexit Apoſtolus undecimo ad Hebræos capite,
verſ. 33. ubi dicit quoſdam ereptos fuiſſe, vel ſervatos, ex ore leonum per fidem. Cauſam ergo aſſignat cur Daniel evaſerit ſalvus, & revocat nos ad fidem. Sed hic tenendum eſt quid valeat & in ſe contineat verbum Credendi. Neque enim ſimpliciter docet Propheta ſe fuiſſe ſervatum, quod crediderit Deum Iſraëlis eſſe verum & unicum Deum, opificem cæli & terræ: ſed quoniam vitam ſuam ei commiſerit, quoniam recubuerit in ejus gratiam, quoniam certo ſtatuerat ſibi non fore alium quam felicem exitum, ſi ipſum coleret. Quoniam ergo Daniel certo perſuaſus fuit, vitam ſuam eſſe in manu Dei, & ſe non fruſtra in ipſum ſperare, & periclitatus eſt fortiter atque intrepide pro ſincero Dei cultu: ideo dicit, *ſe credidiſſe Deo.* Videmus ergo non ita frigide ſumi Credendi verbum, ut ſomniant Papiſtæ: quia hinc etiam commentum illud de fide implicita, & de fide mortua vel informi prodiit: quia exiſtimant fidem nihil aliud eſſe, quam apprehenſionem confuſam deitatis. Ubi ergo concipimus aliquem eſſe Deum, Papiſtæ putant eſſe fidem. Atqui longe aliter nos inſtituit Spiritus ſanctus. Nam tenendum eſt illud Apoſtoli, Non rite Deo nos Hebr. 11.
credere, niſi ſtatuamus ipſum eſſe remuneratorem verſ. 6.
omnibus qui eum quærunt. Ergo in fide includitur hæc perſuaſio, quod Deus non fruſtretur cultores ſuos. Nunc tenendus eſt modus quærendi Dei. Quæritur autem Deus non ſtulta arrogantia, quaſi poſſimus meritis noſtris ipſum nobis obligare: ſed quæritur fide, quæritur humilitate, quæritur invocatione. Ubi ergo hoc nobis perſuaſum eſt, Deum eſſe remuneratorem omnibus qui ipſum quærunt, & ſcimus quomodo quærendus ſit, hæc eſt vera fides. Sic Daniel non dubitavit Deum fore ſibi liberatorem, quia non dubitabat de pietatis doctrina, quam didicerat à puero, & qua fretus Deum ſemper invocaverat. Hæc igitur fuit cauſa liberationis. Interea certum etiam eſt, Danielem non credidiſſe Deo, quaſi de eventu jam eſſet edoctus. Potius enim vitam ſuam Deo permiſit, quoniam paratus erat ad mortem. Ergo Daniel non potuit hoc agnoſcere, antequam projectus eſſet in ſpeluncam, & expoſitus leonibus, an Deus vellet ipſum liberare, quemadmodum etiam vidimus ante de ejus ſociis: Deus ſi volet nos eripiet: ſin minus, parati ſumus eum colere, neque obediemus tuo edicto. Et ſi Daniel de eventu fuiſſet edoctus, non magna laude digna eſſet ejus conſtantia: ſed quoniam intrepide mortem oppetere voluit pro cultu Dei ſui, & potuit ſeipſum abnegare, & renunciare mundo: hæc eſt vera & ſeria probatio fidei & conſtantiæ ejus. *Credidit* igitur *Deo*, non quod tale miraculum ſperaverit: ſed quia ſcivit ſe beatum fore, ſi perſtaret in puro Dei cultu: Quemadmodum dicit Paulus, Chriſtus mihi lucrum Philip. 1.
eſt vivendo, & moriendo. Daniel ergo recubuit in verſ. 21.
auxilium Dei: ſed clauſit oculos ad ipſum eventum, neque anxius fuit ſupra modum de vita ſua: ſed quoniam animus ejus erectus erat ad ſpem melioris vitæ, ideo etiamſi centies fuiſſet moriendum, tamen non deſiiſſet credere: quia fiducia noſtra extenditur ultra fines hujus caducæ & corruptibilis vitæ, quemadmodum ſatis notum eſt omnibus piis. Poſtea ſequitur quod jam attigi,

24. Et juſſit Rex, & adduxerunt viros illos qui inſtruxerant (*erexerant, clamaverant*) accuſationem (*qui avoient dreſſé ceſte calomnie*) adverſus eum, nempe Danielem: & in foveam (*ſpeluncam*) leonum projecti ſunt ipſi, liberi ipſorum, & uxores eorum. & nondum pervenerant ad fundum (*vel pavimentum*) ſpeluncæ, quando dominati ſunt (*hoc eſt, prævaluerunt*) in eos leones, & omnia oſſa eorum fregerunt.

Hac circumſtantia clarius enituit Dei virtus in ſervando Daniele, quod ſtatim diſcerpti ſunt à leonibus qui ipſum ſceleſte accuſaverant. Si quis enim dicat ſaturos fuiſſe leones, vel aliud fuiſſe cauſæ cur non fuerit diſcerptus Daniel: cur eo extracto ſtatim tanta rabies impellat belluas illas, ut lacerent atque devorent non unum hominem, ſed magnam turbam? Ex multis Proceribus nemo ſalvus evadit: deinde accedunt eorum uxores, accedunt etiam liberi: vix leones poterant ſufficere ad tantam lanienam, & tamen ad minimum uſque omnes pereunt: unus Daniel quomodo evaſit? Videmus certe ut Deus hac comparatione voluerit teſtatam reddere ſuam virtutem, ne quis objiceret Danielem fuiſſe relictum à leonibus, quoniam jam eſſent ſaturi, neque prædam appeterent. Contenti enim fuiſſent vel tribus, vel quatuor hominibus. Atqui devorant & viros, & mulieres, & pueros. Hinc ergo patet ora leonum fuiſſe frenata divinitus, quum tota nocte fuerit ſalvus Daniel, illi autem ſtatim perierint ſimulac projecti ſunt in ſpeluncam: quia rurſus videmus impulſas fuiſſe belluas ad ſubitam rabiem, ut non

expe-

expectarent donec pervenirent ad fundum, ſed in itinere ipſo diſcerperent. Reliqua differemus in craſtinum.

Da omnipotens Deus, quando abs te creati ſumus, & locati in hoc mundo, atque etiam tua liberalitate in hunc finem alimur, ut tibi conſecrata ſit vita noſtra: da, inquam, ut parati ſimus & vivere, & mori tibi, neque aliud quæramus, quam aſſerere purum & ſincerum numinis tui cultum: deinde ſic in tuo auxilio acquieſcamus, ut non dubitemus perrumpere omnia diſcrimina, & objicere nos, quoties ita tibi viſum fuerit, ad præſentem mortem: freti non tantum promiſſione tua quæ perpetua eſt, ſed tot experimentis, quæ olim dediſti, ut ſciremus hodie tuam potentiam adhuc ita vigere, ut nobis futurus ſis liberator quocunque modo, nempe ſive vivendum, ſive moriendum ſit, ut tamen beati ſimus perſeverando in fiducia nominis tui, & vera confeſſione, donec tandem colligamur in regnum tuum cæleſte, quod nobis peperiſti ſanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA PRIMA IN DANIELEM.

Finis heſternæ lectionis fuit, hoſtes Danielis, qui maligne, per invidiam. & crudeliter eum detulerant, ſimulac projecti ſunt in ſpeluncam leonum, fuiſſe laniatos una cum uxoribus & liberis. unde clarius refulſit miraculum, ſicuti dictum fuit. Ergo iterum diſcamus leones ita regi manu Dei, ut truculentiam ſuam exerceant non ubique, nec adverſus omnes: ſed quando illos Deus armat.
Psal. 91. Nam ſicuti dicitur Pſalmo 91., Super leonem
vers. 13. & baſiliſcum ambulabis, & calcabis leonem & draconem.
Amos 5. Ita etiam ex adverſo Deus apud Prophetam
vers. 19. incredulis denunciat, Leones venturos in occurſum, ſi domo ſua exeant. Videmus ergo ut compeſcat Deus ſævitiam leonum, quoties ita viſum eſt: incitet vero ad rabiem, ubi vult pœnam exigere de hominibus. Quod autem projectæ fuerunt uxores una cum liberis in ſpeluncam, hic non eſt anxie diſputandum, fueritne hæc juſta pœna. Nam videtur hæc eſſe certa regula æquitatis, ut pœna uſque ad inſontes non tranſeat: præſertim ubi de vita aut capite agitur. Nam etſi omnibus ſeculis hoc receptum fuit in urbibus bene compoſitis, ut multæ pœnæ involverent liberos una cum parentibus, ſicuti in bonorum publicatione, ubi agitur de vi, & in crimine læſæ majeſtatis: deinde in judiciis criminalibus infamia etiam parentum ad liberos redundabat: hoc tamen longe durius eſt, occidere filios una cum parentibus, quum ejuſdem criminis rei fieri non poſſent. Sed quamvis hoc non adeo ſit uſitatum, nobis tamen non licet ſimpliciter damnare. Videmus ut Deus jubeat è mundo exterminari integras familias in ſignum deteſtationis: Deus autem, ut eſt juſtus judex, ſemper tenet modum in ſua ſeveritate. Præciſe ergo hoc exemplum damnari non poteſt: ſed præſtat hoc in medio relinquere. Scimus enim Reges Orientales exercuiſſe immane & barbarum etiam imperium, vel potius tyrannidem in ſuos. Ideo non eſt cur multum ſe quiſpiam fatiget in hac quæſtione Doluit Regi Dario, quod ita fuiſſet deceptus. Non tantum igitur pœnam de improbis calumniatoribus exegit, quod inique oppreſſerant Danielem, ſed quoniam affectus ipſe fuerat injuria. Voluit igitur ſeipſum potius ulciſci, quam Danielem: nec contentus fuit pœna talionis, ſed rapuit ad idem ſupplicium etiam ipſos liberos. Sequitur,

25. Tunc Darius Rex ſcripſit omnibus populis, *&* gentibus, & linguis, qui habitabant in tota terra, Pax veſtra multiplicetur.

26. A me poſitum eſt decretum in omni dominatione (*vel tota dominatione*) regni mei, ut ſint metuentes & paventes (*hoc eſt, ut metuant & paveant*) à conſpectu Dei Danielis: (*hoc eſt, coram Deo Danielis*) quia ipſe *eſt* Deus vivus, & permanens in ſeculum: & regnum ejus non corrumpetur, & dominatio ejus (*vel poteſtas*) uſque in finem.

27. Eripiens & liberans, & edens ſigna & miracula (*mirabilia, ut alii vertunt*) in cælo & in terra: qui eripuit Danielem è manu leonum.

Hic adjungit Daniel edictum Regis, quod voluit promulgari. Et hoc edicto teſtatus eſt, ſe ita commotum fuiſſe liberatione Danielis, ut tribueret Deo Iſraëlis ſummam gloriam. Interea non puto hinc probari ſolidam pietatem Regis, quemadmodum quidam interpretes hic immodice extollunt Regem Darium, acſi plane reſipuiſſet, & amplexus fuiſſet purum cultum præſcriptum in Lege Moſis. Nihil tale colligi poteſt ex verbis edicti: & res ipſa etiam declarat, nunquam fuiſſe purgatam ejus ditionem ſuperſtitionibus. Paſſus eſt igitur Darius Rex ſubditos ſuos idolis ſervire: & ipſe etiam non deſtitit ſe polluere talibus inquinamentis: ſed voluit locare in ſummo gradu Deum Iſraëlis, acſi poſſet aquam igni miſcere. Et de hac re prius dictum fuit. Nam profani homines putant ſe defungi erga verum Deum, ſi non prorſus eum contemnant, ſed aſſignent ei locum aliquem: præſertim vero ubi præferunt ipſum omnibus idolis, exiſtimant ita ſatisfactum eſſe Deo. Sed hoc nugatorium eſt: quia niſi aboleantur omnes ſuperſtitiones, Deus jus ſuum minime obtinet: non patitur enim ſocios. Ergo locus hic non demonſtrat nobis veram & ſeriam pietatem Regis Darii: ſed duntaxat colligere hoc licet, fuiſſe commotum miraculo, ut celebraret paſſim per omnes regiones ſibi ſubditas gloriam & nomen Dei Iſraëlis. Denique ſicut particularis fuit impulſus Regis Darii, ita etiam non progreſſus eſt ultra affectum particularem: nec agnovit omni ex parte Dei potentiam & bonitatem: ſed arripuit ſpecimen illud, quod objectum fuerat ejus oculis. Ergo non potuit generaliter Deum Iſraëlis cognoſcere, ut ſe addiceret veræ & ſinceræ pietati: ſed, quemadmodum jam dixi, voluit extare inter alios deos, & quidem eminere, ſic tamen ut non ſolus eſſet. Atqui Deus repudiat dimidium hunc cultum: ideo non eſt cur tantopere laudetur Rex Darius. Interea tamen exemplo ſuo damnabit omnes eos, qui hodie ſe profitentur vel Catholicos Reges, vel Chriſtianos, vel Protectores fidei: & interea non modo obruunt veram pietatem: ſed etiam, quantum in ſe eſt, labefactant totum Dei cultum, & libenter nomen ejus extinguerent è mundo: exercent tyrannidem adverſus omnes pios, ſtabiliunt ſua ſævitia impias ſuperſtitio-

ſtitiones. Illis idoneus judex erit Darius: & hoc edictum quod recitat Daniel, ſufficiet ad eos omnes damnandos. Jam dicit *ſcriptum fuiſſe edictum omnibus populis, gentibus, & linguis, qui habitabant in tota terra.* Videmus ut Darius non tantum vicinis populis voluerit innoteſcere Dei potentiam, ſed longe & late ſtuduerit eam promulgari. Scripſit ergo non tantum per Aſiam, & Chaldæam, ſed uſque ad Medos & Perſas. Quanquam nunquam dominatus eſt in Perſide: ſed quoniam gener eum aſciverat in ſocietatem imperii, etiam illic valuit ejus auctoritas. Et hoc intelligi debet per *totam terram.* Neque enim hic agitur de toto orbe habitabili, ſed de illa Monarchia, quæ patebat fere per totum Orientem. Nam à mari tunc dominabantur Medi & Perſæ uſque in Ægyptum. Quum igitur tanta eſſet amplitudo illius imperii, Daniel non abſque cauſa dicit edictum fuiſſe promulgatum *per totam terram Pax vobis multiplicetur.* Scimus Reges ita mulcere ſuos ſubditos, & blandas præfationes illis eſſe in uſu, ut facilius eliciant quod volunt. Deinde ut habeant ſibi magis obſequentes ſubditos. Et hoc illis eſt gratuitum, precari ſubditis ſuis pacem. Interea, quemadmodum jam dixi, hac illecebra favorem ſæpe captant, ut ſubditi parati ſint ad jugum ſubeundum. Nomine pacis ſatis notum eſt intelligi ſtatum proſperum: quaſi diceret, Bene ſit vobis, ac feliciter. Poſtea adjungit *poſitum eſſe decretum à conſpectu ſuo,* hoc eſt, ſe hoc pro imperio ſubditis omnibus mandare. Hæc enim eſt vis loquutionis. *Poſitum* ergo *eſt à me edictum,* hoc eſt, ſi apud vos imperium meum & poteſtas valet, mihi hac in parte obtemperate. *Ut ſint omnes,* inquit, *paventes,* vel, ut paveant omnes, *& timeant coram Deo Danielis.* Per metum & pavorem nihil aliud intelligit, quam reverentiam: ſed loquitur ut ſolent omnes profani, qui exhorrent ad Dei nomen. Videtur tamen hoc velle exprimere, conſpicuam fuiſſe potentiam Dei Iſraëlis, quæ merito tangere omnes debeat, ut reverenter ipſum colant, idque cum metu & timore. Et videtur hæc ratio loquendi ſumpta eſſe ex recto principio: quoniam nunquam præſtatur Deo legitimus cultus, niſi ubi humiliati ſunt homines. Ideo ſæpe Deus nominat ſe terribilem, non quod velit adigere ſuos cultores formidine, ſed quoniam, ut dictum fuit, nunquam ad reverentiam compoſiti erunt hominum animi, niſi apprehendant ſerio Dei potentiam, ita ut ſibi timeant ab ejus judicio. Sed ſi ſolus metus vigeret in animis hominum, non poſſet formare ipſos ad pietatem: quia tenendum eſt illud
Pſal. 130. verſ. 4. Pſalmi, Apud te eſt propitiatio, ut timearis. Deus ergo non poteſt rite coli vel timeri, niſi ubi perſuaſi ſumus, ipſum eſſe exorabilem: imo etiam certi ſumus, ipſum eſſe nobis propitium. Sed tamen neceſſe eſt, metum & timorem præcedere, qui humiliet ſuperbiam carnis. Hoc ſignificant verba quæ hic ponuntur, *ut omnes metuant, & paveant coram Deo Iſraëlis.* Porro *Deum Danielis* vocat Rex, non quem Daniel fabricaſſet ſibi, ſed cujus erat cultor. Merito Jovem dicemus eſſe deum Græcorum, quia deificatus eſt eorum ſtultitia: & inde obtinuit nomen & celebritatem in reliquo mundo. Interea & Jupiter, & Minerva, & turba illa falſorum deorum, nomen accipient à ſua origine. Alia eſt ratio, quum Rex Darius nominat *Deum Danielis,* eum quem colebat Daniel: ſicuti dicitur Deus Abraham, non quod auctoritatem ab ipſo Abraham quaſi precario ſumat, ſed quia ſe patefecit Abrahæ. Atque ut hoc clarius explicem: cur Danielis vocatur Deus potius quam Babyloniorum? nempe, quoniam Daniel ut didicerat ex Lege Moſis, ita pure colebat Deum, qui fœdus ſuum percuſſerat cum Abraham & ſanctis Patribus, & qui adoptaverat ſibi Iſraëlitas in peculium. Hoc igitur pendebat à cultu in Lege præſcripto: cultus autem pendebat à fœdere. Ideo hic nomen Danielis non ponitur, acſi liberum ei fuerit, confingere aut imaginari aliquem Deum: ſed quia Deum illum colebat, qui ſe patefecerat verbo ſuo. Denique hæc loquutio ſic debet reſolvi, ut ſibi omnes metuant à Deo, qui fœdus ſuum pepigit cum Abraham & ejus poſteris, & qui ſibi elegit populum illum peculiarem: qui rationem veri & legitimi cultus docuit, atque oſtendit Lege ſua, & quem Daniel coluit. Nunc ergo tenemus, quid hoc ſibi velit. Ergo diſcamus Deum verum ab omnibus idolis & hominum figmentis diſcernere, ſi cupimus ei probari cultum noſtrum. Nam multi Deum ſe putant colere, qui tamen vagantur per quoſcunque libuit errores, nec ſunt affixi uni vero Deo. Hoc autem perverſum eſt! imo nihil aliud eſt quam profanatio veræ pietatis, ita confuſe Deum colere. Ideo tenendum eſt diſcrimen quod dixi, ut ſemper incluſæ ſint mentes noſtræ intra fines verbi, ne aberrent à vero Deo: ſi quidem cupimus ipſum retinere, & religionem ſequi quæ ei placeat. Dico manendum intra limites verbi, neque vel huc vel illuc declinandum: quia ſtatim occurrent nobis innumeræ diaboli fallaciæ, niſi verbum nos quaſi conſtrictos teneat. Quantum ad Darium ſpectat, agnovit quidem illum eſſe ſummum Deum: ſed, quemadmodum jam diximus, non abjecit fictitios & perverſos cultus, quibus aſſueverat. Talis autem mixtura intolerabilis eſt coram Deo. Adjungit, *quia ipſe eſt vivus, & permanet in ſeculum.* Videtur quidem hic in nihilum redigere falſos omnes deos: ſed jam ante dictum fuit, & res ipſa demonſtrat, profanos homines ſic erigere mentes ad ſummum Deum, ut ſtatim evaneſcant. Si ergo conſtanter agnoſcerent verum Deum, ſtatim excluderent omnia figmenta: ſed putant ſatis eſſe, ſi Deus primum gradum obtineat: interim adjungunt minores deos, ut lateat quaſi in turba, etiamſi ei tribuant aliquam eminentiam. Talis igitur fuit ratio, & tale conſilium Darii, quia nihil ſincerum vel liquidum tenuit de unica Dei eſſentia, ſed putavit ſummam poteſtatem eſſe in Deo Iſraëlis, utcunque aliæ gentes colerent ſuos deos. Sic videmus ut non diſceſſerit à ſuperſtitionibus, quas imbiberat à pueritia. Et ideo non eſt cur laudemus ejus pietatem, niſi in hoc particulari actu, ut loquuntur. Interim tamen Deus confeſſionem extorſit ex ejus ore, in qua deſcribitur nobis ipſius natura. Vocat *Deum vivum,* non tantum quod vitam in ſe habeat, ſed ex ſe, & quod etiam ſit fons & origo vitæ. Active igitur ſumi debet hoc vitam epitheton: quia Deus non tantum vivit, ſed habet ex ſeipſo: deinde eſt vivificus, hoc eſt, nulla eſt extra ipſum & ſine ipſo vita. Poſtea adjungit *manere in perpetuum:* & ita diſtinguit ab omnibus creaturis, in quibus nihil eſt firmum, vel ſtabile. Scimus enim non modo quicquid ſub cælo eſt obnoxium eſſe variis mutationibus, ſed etiam cælum ipſum. In hoc igitur differt Deus ab omnibus creaturis, quod non patitur ullam mutationem, ſed perpetuo ſibi ſimilis manet. Adjungit, *regnum ejus non corrumpi, & dominationem ejus eſſe uſque in finem.* Hic clarius exprimit quod prius dixerat de firmo Dei ſtatu, quod ſcilicet non tantum maneat in ſua eſſentia, ſed poteſtatem ſuam exerceat in toto mundo, & quod gubernet ſua virtute mundum, omnia ſuſtineat. Nam ſi tantum dixiſſet, Deum perpetuo manere, ut ſumus maligni & reſtricti, tantum ſubiret hæc cogitatio, Deum in ſua quidem eſſentia non eſſe obnoxium mutationi: ſed non apprehenderent mentes noſtræ potentiam ejus ubique diffuſam. Hæc igitur explicatio notatu digna eſt, quum Darius exprimit diſerte regnum Dei non corrumpi, & dominationem ejus eſſe uſque ad finem. Secundo loco Deum liberatorem vocat. Qui arripiunt hoc edictum quaſi illuſtre teſtimonium pietatis, dicunt Evangelice loquutum eſſe Darium, & præconem fuiſſe miſericordiæ Dei. Sed, quemadmodum prius dictum fuit, Darius nunquam in genere amplexus

plexus eſt quod Scriptura docet, nempe Deum clementer ſovere omnes ſuos, illis auxiliari, quoniam miſericors eſt, & quoniam paterno favore ipſos dignatur. Cauſam illam non tenuit Rex Darius. Nota erat Danielis liberatio: fuit hoc particulare documentum gratiæ Dei. Sic ex parte tantum Darius ſenſit Deum eſſe propitium ſervis ſuis, ita ut ad eos ſervandos & liberandos ſit propenſus. Sed hoc eſſet frigidum, niſi cauſa ſimul adjuncta eſſet, *Ideo liberatorem eſſe Deum*, quoniam ſervos ſuos dignatus eſt eligere, & quia teſtatus eſt ſe illis fore patrem, quia illis eſt exorabilis, quia ignoſcit ubi peccarunt. Niſi ergo fundata ſit ſpes liberationis in gratuita Dei adoptione & miſericordia, erit particularis quædam cognitio, & inefficax. Darius ergo hic non loquitur, acſi vere & pure fuiſſet de miſericordia Dei edoctus: ſed tantum dicit ipſum eſſe liberatorem ſuorum. Recte quidem colligit in genere, Deum eſſe liberatorem, *quia eripuit è manu leonum*, hoc eſt, ex potentia & rabie leonum Danielem: ratiocinatur probe, inquam, Darius, ubi ab uno exemplo deducit ampliorem doctrinam, quod penes Deum ſit ſervare & eripere ſuos, quoties ita libuerit: ſed interim agnoſcit viſibilem illam Dei potentiam in uno actu: cauſam vero principalem vel fontem non tenet, quod ſcilicet Deus amplexus eſſet Danielem, ſicuti alios filios Abrahæ, & pro illo paterno favore eum ſervaſſet. Ergo ut hæc doctrina nobis proſit, & efficaciter animos noſtros tangat, nempe Deum eſſe liberatorem, primo loco ſtatuamus nos ab ipſo in gratiam receptos eſſe hac lege, ut nobis ignoſcat, & non tractet ut meriti ſumus, ſed pro immenſa ſua liberalitate nobis ut filiis indulgeat. Hoc ergo tenendum eſt. Poſtremo dicit *ipſum edere ſigna & mirabilia in cælo & in terra*. Hoc ad imperium & dominationem, cujus meminit paulo ante, referri debet: ſed manet ſemper Darius in præſenti ſpectaculo. Viderat Danielem ſalvum habitaſſe cum leonibus, viderat alios omnes fuiſſe diſcerptos: hæc erant manifeſta documenta potentiæ Dei. Merito igitur dicit, *ipſum edere miracula & ſigna*. Sed minime dubium eſt, quin tunc Darius etiam admonitus fuerit de aliis ſignis, quæ edita fuerant antequam potitus eſſet Monarchia illa. Audivit haud dubie quicquid acciderat Regi Nebuchadnezer: deinde Regi Belſazar, quem occiderat ipſe Darius, ut occuparet ejus Regnum. Colligit ergo plura teſtimonia potentiæ Dei, hac occaſione quod illuſtraverat gloriam ſuam in opere illo, quum ſcilicet eripuerat Danielem. In ſumma, ſi Darius renunciaſſet ſuperſtitionibus ſuis, hæc fuiſſet pura & ingenua, & plena etiam confeſſio pietatis: ſed quia non deſtitit falſos deos colere, & inquinamentis quibus aſſueverat ſemper adhæſit, ideo non poteſt laudari ejus pietas, nec ex edicto poteſt colligi vera & ſeria converſio. Hæc eſt ſumma. Jam ſequitur,

28. Daniel autem ipſe proſpere egit in regno Darii & in regno Cyri Perſæ.

Vel tranſiit: nam צלח proprie ſignificat tranſire: & ſignificatio illa eſt metaphorica, quum accipitur pro agere proſpere. Quicquid ſit, non dubito hic ſubeſſe tacitam antitheſin inter regnum Perſarum, & Monarchiam Chaldaicam: hoc eſt, inter duplicem ſtatum Danielis, ut brevius loquar & clarius. Nam Daniel aliquoties emerſerat ſub Nebuchadnezer, ut dictum fuit: poſtea tandem quum inſtaret Monarchiæ interitus, rurſum innotuit: ſed toto fere tempore quo regnarunt Chaldæi, fuit obſcurus & contemptus. Omnes quidem audierant eſſe inſignem & eximium Prophetam: ſed rejectus fuit ex aula: & quum aliquandiu ſediſſet ad portam Regis, & fuiſſet in magna dignitate, tamen ſubinde ablegatus fuit. Ergo quantiſper duravit Monarchia Chaldaica, non fuit in magno pretio vel honore Daniel: ſed ſub Monarchia Perſarum & Medorum feliciter egit: hoc eſt, obtinuit continuam dignitatem: non ea fuit ſocordia Cyri & Darii, ut ſtatim obliviſcerentur quam mirabiliter Deus operatus eſſet per illius manum. Et ideo verbum Tranſeundi mihi placet, quoniam hic notatur, quemadmodum dixi, continuus tenor honoris: quia non tantum Rex Darius eum extulit, ſed Cyrus etiam, quum audiſſet ejus famam, habuit apud ſe inter ſuos Proceres. Et ſatis apparet, ipſum relicta Babylone alio migraſſe. Quanquam probabile eſt, non diu fuiſſe apud Medos. Mortuus enim eſt paulo poſt Darius vel Cyaxares, & quum careret hærede maſculo, tota poteſtas tranſiit ad unum Cyrum, qui & nepos ejus erat, ex ſorore ſcilicet, deinde etiam gener, quia filiam ejus acceperat uxorem. Non dubium eſt, quin hic Daniel commendet favorem Dei & beneficentiam erga ſe: quia fuit hoc non vulgare ſolatium exilii, quod apud gentes exteras & barbaras obtinuit ſummam gratiam, fuit in ampliſſimo gradu honoris, ita ut omnes ipſum revererentur. Deus ergo lenivit triſtitiam exilii hoc ſolatio. Deinde hic non ſeipſum duntaxat privatim reſpicit Daniel, ſed finem ſuæ dignitatis. Nam Deus voluit vulgari & celebrari nomen ſuum per omnes illas regiones, ubi ſpectabilis erat Daniel: quia nemo poterat in eum conjicere oculos, quin occurreret gloria & potentia Dei Iſraëlis. Hoc ergo Daniel notare voluit. Interea ex altera parte minime dubium eſt, quin carere patria fuerit ei grave & acerbum: non ut ſolet eſſe reliquis, ſed quia terra Chanaan erat peculiaris hæreditas populi Dei. Quum ergo illinc abreptus eſſet Daniel, & longius abduceretur, nempe in Mediam, & poſtremo in Perſiden, ita ut nulla eſſet ſpes reditus, minime dubium eſt, quin aſſidue gemuerit. Neque enim tanti erat ſummus ſplendor apud homines profanos, quin præferret pignus illud gratiæ Dei & paternæ adoptionis, nempe terram Chanaan. Habuit enim haud dubie in corde ſuo inſculptum
quod prius à Davide ſcriptum erat, Malo eſſe in Pſal. 84.
atriis Domini, quam inter ſummam opulentiam im- verſ. 11.
proborum: deinde, Malo abjectus eſſe in domo Dei, quam in tentoriis impiorum habitare. Sic edoctus
fuerat Daniel. Et non fruſtra Ezechiel eum nominat cap. 14.
inter tres ſanctiſſimos qui fuerunt ab exordio mundi. verſ. 14.
Hoc fuit maximum, etiam quum eſſet adhuc adoleſcens vel etiam in media ætate, conjungi cum Job & cum Noah, ſic ut eſſet tertius in ſanctitate rara, & fere incredibili. Quum ergo talis eſſet, minime dubitandum eſt, quin confectus fuerit graviſſimo mœrore, ubi vidit ſe addictum æterno exilio, neque ullam ſpem reſiduam eſſe reditus, ut poſſet Deum in templo ſuo colere, & offerre ſacrificia cum reliquis. Sed ne tamen ingratus eſſet Deo, voluit hic teſtari ſe ſenſiſſe non vulgarem ejus benevolentiam, quod quum eſſet exul & extorris à patria, quum eſſet etiam tractus contumelioſe inter captivos, quod tamen honorifice tractatus fuerit, etiam inter Medos & Perſas. Hoc igitur ſimpliciter voluit. Nam certum eſt, Cyrum mortuo Dario, ut nuper dixi, fuiſſe ſucceſſorem totius Monarchiæ: & videbimus poſtea ſuo loco, Danielem habitaſſe una cum Cyro, qui regnavit fere uſque ad triginta annos. Et ita longum tempus interceſſit inter ejus mortem, & inter mortem Darii. Hoc igitur non accidit abſque admirabili Dei conſilio, quod mutatio regnorum non concuſſit ſtatum Danielis, ut ſæpe fieri ſolet. Nova enim imperia, quemadmodum ſcimus, ſunt inſtar converſionis mundi. Sed Daniel ſtetit ſemper in ſuo gradu, ut ſpectabilis eſſet Dei bonitas in ipſo, & ut quocunque iret, ſecum ferret aliquod teſtimonium gratiæ Dei. Non proſequar ulterius, quia cras aggrediemur vaticinium.

Da omnipotens Deus, quando per hominem multis erroribus implicitum voluiſti nobis teſtatam reddere tuam potentiam, ne hodie cæcutiamus in tanta luce, quæ nobis offertur per Solem juſtitiæ Chriſtum Filium tuum: & interea etiam ne pudeat nos profiteri ex verbis hominis profani, qui in Lege tua non edoctus, ſed tantum admonitus uno miraculo ſic magnifice nomen tuum celebravit: ergo ut exemplo ejus diſcamus, non tantum te verum agnoſcere ſummum Deum, ſed etiam unicum. Et ſicuti nos tibi obligaſti, quum fœdus tuum ſanciviſti nobis in unigeniti Filii tui ſanguine, ut tibi vera fide adhæreamus, & ſic renunciemus cunctis errorum nebulis, ut ſemper intenti ſimus ad eam lucem, ad quam nos invitas, & qua etiam nos deducis: donec perveniamus ad conſpectum gloriæ & majeſtatis tuæ, ut tibi conformes fruamur tandem in ſolidum ea gloria, quam nunc cernimus ex parte duntaxat, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA SECUNDA

IN

DANIELEM.

Cap. VII.

ANNO primo Belſazar Regis Babylonis Daniel ſomnium vidit, & viſiones capitis ejus in lecto ejus. Tunc ſomnium ſcripſit, ſummam ſermonum expoſuit.

2\. Loquutus eſt Daniel, & expoſuit: Vidi in viſione mea per noctem, & ecce quatuor venti cælorum pugnantes (*alii vertunt, exorientes*) in mari magno.

HIc incipit Daniel doctrinam Eccleſiæ peculiarem tradere. Deus enim prius illum conſtituerat interpretem, ac magiſtrum profanis Regibus. Nunc autem præficit Eccleſiæ doctorem, ut intus exerceat munus ſuum, & erudiat filios Dei in medio Eccleſiæ gremio. Hoc primo loco notandum eſt: quia hactenus longius patebant vaticinia, quam ad domeſticos fidei: hic vero reſtringitur Danielis officium ad Eccleſiam. Dicit *hanc viſionem ſibi oblatam fuiſſe primo anno Regis Belſazar*, antequam accideret illa mutatio, de qua vidimus. Sed primo loco tenendum eſt Spiritus ſancti conſilium: hoc eſt, in quem finem & uſum patefecerit Danieli quæ hoc capite videbimus. Prophetæ omnes ſpem dederant liberationis electo populo, poſtquam Deus pœnas de illius ingratitudine & contumacia ſumpſiſſet. Si quis legat quæ alii Prophetæ de futura redemptione denunciant, putaret felicem & modis omnibus lætum, & quietum promitti ſtatum Eccleſiæ, poſtquam ab exilio reverſus eſſet populus. Atqui longe aliter accidit, ut teſtantur hiſtoriæ. Poterant igitur labaſcere fideles, & tandem animis deficere, niſi de variis perturbationibus, quæ tunc inſtabant, admoniti fuiſſent. Hæc igitur prima ratio fuit, cur Deus Prophetæ ſuo oſtenderit quæ poſtea videbimus: nempe tres adhuc Monarchias reſtare, quarum alia priori ſuccederet: quo interea ſtarent fideles, & permanerent conſtanter in fide promiſſionum, quamvis totum orbem viderent concuti, & ubique graves & horrendas miſceri perturbationes. Ideo hic viſio Danieli proponitur de quatuor Monarchiis. Forte magis expediet differre ſummam, ubi tractare incipiet Propheta de ſingulis beſtiis. Quod ad duos verſus primos ſpectat, tempus ſomnii obſervandum eſt. Antequam enim Perſæ & Medi ad ſe transferrent Chaldaicum imperium, Propheta de hac re edoctus fuit: ut Judæi cognoſcerent impleri aliqua ex parte quod toties Deus illis pollicitus fuerat vel ipſorum patribus. Nam ſi abſque nova prædictione potiti fuiſſent Babylone hoſtes, forte Judæi non tam attenti fuiſſent ad vaticinia, de quibus tamen certiores pridem facti erant. Ergo voluit illis Deus renovare memoriam, ut quum viderent concidere imperium illud, quod omnes putabant eſſe inexpugnabile, ſcirent hoc gubernari arcano Dei conſilio, & ita impleri, ſi non in ſolidum, attamen ex parte, quod per ſuos Prophetas teſtatus fuerat. Dicit *ſe vidiſſe ſomnium*. Ante quum de ſomnio Regis Nebuchadnezer loquutus eſt, viſionis etiam meminit, ſed non pari ratione: quia increduli videndo non vident. Aſpiciunt quidem aliquid, ſed in caligine, ut nihil diſtinguant, ſed ſtatim evaneſcant in ſuis cogitationibus. Diverſa fuit Prophetæ ratio: quia non ſimpliciter ſomniavit, ſed acceſſit etiam diſtincta viſio, ut poſſet cum fructu deinde aliis tradere quod acceperat. Hoc ergo exprimit aliquid ſingulare in Propheta. Scimus enim iſtud Videre Prophetis Dei ſolere tribui, ubi ſcilicet arcana cæli perſpiciunt, non oculis carnis, ſed intelligentia Spiritus & illuminatione. Adjungit *viſiones capitis ſui fuiſſe in lecto*, quo plus ponderis habeat hoc ſomnium, ne putemus fuiſſe quicquam in cerebro Danielis confuſum. Ideo exprimit ſe compoſito animo vidiſſe quod Dominus per ſomnium volebat ei notum eſſe. Poſtea adjungit, *tunc ſomnium conſcripſit, ſummam ſermonum expoſuit*. His verbis docet ſe non privatim vidiſſe ſomnium ſua cauſa, ſed in communem Eccleſiæ ædificationem. Qui exiſtimant Danielem repente exiliiſſe è lecto, ne oblivisceretur ſomnii, frivolum & inane commentum afferunt. Potius Daniel voluit teſtari viſionem hanc ſibi non eſſe propriam, ſed communem electo Dei populo: deinde non modo ore celebrandam eſſe, ſed tradendam poſteris, ut perpetua eſſet ejus memoria. Hæc igitur duo nobis tenenda ſunt: nempe Danielem ſcripſiſſe hanc Prophetiam, ut paſſim inter fideles celebris eſſet cognitio ejus: deinde etiam rationem habuiſſe poſterorum: & ideo ſcriptam reliquiſſe viſionem. Hæc duo notatu digna ſunt, quo majore ſtudio amplectamur hanc viſionem: quandoquidem non fuit uni duntaxat homini tradita, ſed Deus miniſtrum elegit Danielem, qui præco eſſet ac teſtis hujus oraculi. Deinde colligimus ad nos ſpectare, non fuiſſe duntaxat unius ſeculi doctrinam, ſed quæ ad nos uſque extenditur, & uſque ad finem mundi vigere debet. Idem repetit addendo *ſe expoſuiſſe ſummam ſermonum*. Nam qui duo hæc membra ſeparant, videntur nodum quærere in ſcirpo. *Loquutus eſt* ergo *Daniel, & dixit*. Hoc non refertur ad verba, ſed ad ſcripturam: quaſi diceret Propheta, ſe defunctum fuiſſe officio; quoniam noverat quod poſtea videbimus de quatuor Monarchiis, non fuiſſe divinitus proditum, ut ſupprimeret quod patefactum erat: ſed potius electum fuiſſe miniſtrum à Deo, qui fidelibus hinc ſuggereret materiam fiduciæ & tolerantiæ. *Loquutus eſt* ergo *atque expoſuit*: hoc eſt, quum ſtuduit promulgare hoc oraculum, teſtatus eſt re ipſa ſe nihil habere ſeparatum ab Eccleſia Dei in

hoc

hoc oraculo: ſed ſicuti electus & ordinatus fuerat doctor, ſic etiam tradere quaſi per manus quod acceperat. Itaque non tantum fidem ſuam commendat Daniel, ſed excitat etiam pios omnes ad ſtudium & attentionem, ne contemnant quod Deus per os ejus pronunciat. Iterum repetit *ſe vidiſſe in viſione ſua per noctem.* Iterum, dico, confirmat Daniel ſe nihil afferre, niſi quod traditum ſit à Deo ipſo auctore. Scimus enim in Eccleſia pro nihilo ducendum eſſe quicquid prodierit ab hominibus, quorum tota ſapientia mendacium eſt ac vanitas. Solus ergo Deus meretur inter fideles audientiam. Itaque præfatur hic Daniel ſe nihil in medium afferre, quod ipſe ſomniaverit proprio motu, ſed eſſe certam viſionem, & quæ non fallet pios omnes. Poſtea adjungit, *Ecce quatuor venti cælorum pugnabant* (hæc enim interpretatio eſt receptior, & mihi placet) *in mari magno.* De ventis contendunt inter ſe interpretes: ſed mihi genuinus hic videtur eſſe ſenſus, quod Daniel ſimilitudinem notam omnibus aſſumit: quia in terra ſolida vix unquam cernitur talis & tam turbulenta concuſſio, ut in mari, quum exorta eſt aliqua tempeſtas. Non dubium igitur eſt, quin hic proponat imaginem maris turbati, ut intelligant fideles inſtare horrendos motus, perinde acſi mare procellis & tempeſtatibus undique agitatum ferveret. Hæc eſt ſumma. Ideo nominat *quatuor ventos*, ut diſcant fideles non fore unum & ſimplicem motum, quo orbis labefactandus erat: ſed varias tempeſtates, quæ ex hac & illa parte orituræ erant, quemadmodum etiam accidit. Videbimus interdum terram non ſecus moveri, quam ſi tempeſtas mare huc & illuc impelleret: ſed erit duntaxat unus motus. Atqui Deus oſtendere voluit Prophetæ ſuo, non fore unam concuſſionem, & ſimplicem duntaxat, ſed complures, & quidem diverſas, perinde acſi concurrerent & confligerent inter ſe omnes venti. Numerant quidem Philoſophi plures ventos, quam quatuor, qui volunt ſubtilius de numero diſſerere: ſed hæc ratio loquendi communis eſt, quatuor ventos flare à quatuor plagis vel regionibus mundi. Senſus ergo clarus eſt ac minime coactus, mundum fore ſimilem turbulento mari, quod non agitabitur una procella vel uno vento, ſed diverſis ventis inter ſe confligentibus, acſi totum cælum conſpiraret ad motus excitandos. Hæc autem viſio primo intuitu valde acerba fuit fidelibus: quia numerabant annos ſibi præſcriptos à Jeremia: jam inſtabat annus ſeptuageſimus: Deus autem pollicitus fuerat tunc fore exilio finem. Nunc Deus pronunciat adeo non ſperandam illis eſſe quietem & lætitiam, ut potius ſe parare debeant ad ſuſtinendos graviſſimos impetus ventorum; quia undique mundus agitabitur diverſis procellis. Ita ſuſpicari poterant Deum non præſtare quod fuerat pollicitus: ſed debuit hoc ſufficere ad placandos eorum animos & fulciendam ſpem ſuæ redemptionis, quod videbant nihil temere vel fortuito accidere: deinde, quod Deus obviam venerat eorum tentationibus, ne prorſus animis deficerent, quum doceret non tam facilem redemptionis modum fore, ut ipſi animis conceperant ex prioribus vaticiniis. Neque enim mutavit Deus conſilium: ſed quia longum adhuc erat ſpatium temporis, quum loquutus eſt per Jeſaiam & alios Prophetas, ideo voluit ſeſe attemperare, ne mora ipſa eorum animos frangeret, quibus tantæ moleſtiæ obeundæ erant. Sed ubi appropinquavit ipſa redemptio, tunc plenius & familiarius diſſeruit ipſe Deus de modo redemptionis, & oſtendit reſtare adhuc magna & gravia certamina, ut ſcilicet fideles inſtructi talibus vaticiniis, ſtrenue pugnarent, & conſtanter nihilominus pergerent in curſu fidei & patientiæ. Nunc ſequitur,

3. Et quatuor beſtiæ magnæ prodibant è mari, diverſæ hæc ab illa. (*hoc eſt, inter ſe differentes.*)

Poſtquam vidit Daniel graves illas perturbationes, quæ terram ex diverſis partibus concuterent, oblata eſt altera viſio. Extenditur quod jam dictum eſt de mari turbulento & de conflictu ventorum ad quatuor Monarchias, de quibus nunc tractandum erit: ſed hæc eſt quædam præparatio, ubi Deus objicit oculis Prophetæ ſui mare turbatum, & in quo venti inter ſe confligunt. Perinde eſt acſi diceret, poſthac turbæ aliæ ex aliis naſcentur, ita ut fruſtra pacem vel tranquillum ſtatum homines expectent: quia ſubinde agitabuntur novis turbis. Nunc modus ipſe exprimitur, quoniam ſcilicet *quatuor beſtiæ prodeunt è mari.* Hinc igitur illa concuſſio, hinc procellæ, hinc denique confuſa totius mundi perturbatio, quia regna alia aliis ſuccedent. Vix autem fieri poteſt, ut regnum aliquod intereat, quin ſecum trahat ingentes ruinas. Non poteſt cadere ædificium unum, quin ſonitus longe & late audiatur, atque ex fragore ipſo etiam terra videatur dehiſcere. Quid igitur fiet, ubi potentiſſimæ Monarchiæ ita ſubito concident? Ergo hoc verſu oſtendit Daniel mundum fore ſimilem turbulento mari: quoniam inſtabant tunc violentæ regnorum mutationes. Cur autem comparet beſtiis imperia, facile colligitur. Scimus lucere Dei gloriam & poteſtatem in omnibus regnis, ſi rite ad normam æquitatis eſſent compoſita. Sed quoniam ut plurimum videmus quod ille dicebat Alexandro, Maxima regna eſſe maxima latrocinia, & pauciſſimos magno imperio pollere, quin ſimul exerceant ſævam tyrannidem, atque ita modum excedant: ideo Propheta comparat magnis & ſævis beſtiis imperia, de quibus poſtea diſſeret. Jam ergo tenemus rationem nominis. Et hinc etiam colligimus notari quod accidentale eſt in terrenis imperiis: quia per ſe, ut dixi, ſunt pulcherrimæ imagines divinæ ſapientiæ, & virtutis, & juſtitiæ. Sed raro contingit, ut qui obtinent imperia, agnoſcant ſe divinitus creatos eſſe, ut fungantur ſuo officio. Quoniam igitur Reges magna ex parte ſunt tyranni pleni crudelitate & ſævitia, immemores humanitatis, Propheta hoc vitium, quod ab ipſis eſt, non autem à ſancta Dei ordinatione, notat. Pergamus.

4. Prima ſicut leo, (*ſimilis leoni prima beſtia*) **& alæ aquilæ ei: vidi donec evulſæ ſunt alæ ejus, & ſublata fuit è terra, & ſuper pedes *ſuos* quaſi homo ſtetit, & cor hominis datum eſt ei.**

Certum eſt hic depingi quatuor Monarchias. Sed non penitus convenit inter omnes quænam ſit poſtrema Monarchia, atque etiam tertia. Quod ad primam ſpectat, fatentur omnes debere intelligi viſionem de Chaldaico imperio, quod conjunctum erat cum Aſſyrio, ut ante vidimus. Abſorpta enim fuerat Nineve à Chaldæis & Babylone. Diſerte autem loquitur Propheta de regno Aſſyrio & Chaldaico, quod tunc adhuc florebat. Neque enim putaſſet quiſquam tam prope abeſſe à ſuo exitio: & ea ipſa nocte qua occiſus fuit Belſazar, vidimus quam ſecure & ſuperbe deliciis ſuis fuerit immerſus, quanta fuerit & quam ſupina ſecuritas in tota urbe. Oportuit igitur primo loco hanc Monarchiam proponi. Sicuti autem ſecundo capite imperium iſtud vocatum fuit aureum caput ſtatuæ: ſic etiam nunc vocatur leo:

hoc eſt, confertur generoſo animali. Comprehenditur quidem ſub nomine beſtiarum, & notatur truculentia & atrocitas, quemadmodum dixi: cæterum reſpectu aliorum regnorum tamen datur ei aliqua præſtantia, ſicut mundus ſemper in deterius labitur. Et quanquam Cyrus valde cordatus fuit Princeps, tamen non acceſſit ad temperantiam ſuperiorum ætatum: erat inexplebilis ejus ambitio, & avaritia, & ſimul crudelitas. Nam Jeſaias etiam quum de Perſis loquitur, dicit, Non appetent aurum vel argentum, ſed ſitient humanum ſanguinem. (Jeſa. 13. verſ. 17.) Videmus ergo cur dicat Propheta *oblatam ſibi fuiſſe primam beſtiam ſimilem leoni:* quia major adhuc vigebat integritas ſub Chaldæis, quam ubi permixta fuerunt omnia imperia ſimul, & Perſæ dominati ſunt tam Chaldæis, quam Medis. Conſtat enim ex omnibus hiſtoriis quam ferox & barbara fuerit illa natio. Fuit quidem hoc ſpecioſum ad laudem virtutis, quod auſteram vitam degebant, quod ſpernebant omnes lautitias, erant temperantiſſimi in ſuo victu: ſed ferocia illa & belluina crudelitas reddidit eos deteſtabiles. *Fuit* igitur *prima beſtia ſimilis leoni*, inquit, *& alæ aquilæ ei:* hoc eſt, quamvis eſſet leo, tamen erat alatus. Hoc ad celeritatem pertinet: quia ſcimus quam brevi temporis ſucceſſu auxerint ſuam Monarchiam Aſſyrii. Domuerant enim prius Chaldæos, perinde acſi leo quiſpiam volaret. Nam in leone eſt vis, animoſitas, & ſævitia etiam ad nocendum. Cæterum Propheta vidit alatum leonem, quoniam non modo creverant imperia illa ſuis viribus, ſed ſubito & celeriter extenderant ſuas alas huc atque illuc. Videmus itaque notari robur & potentiam ab una parte, ab altera vero ſummam celeritatem. Poſtea adjungit *fuiſſe alas depilatas*, vel evulſas. Nam quum ulterius tendere appeterent Chaldæi, Dominus illos certis finibus concluſit, & ita moratus eſt continuas eorum victorias. Tunc igitur alæ fuerunt avulſæ, ubi Deus illos quaſi injecto freno cohibuit, ne ita poſſent libere vagari, ut cœperant. Addit Propheta *beſtiam hanc fuiſſe ſublatam è terra*, nempe ut deſineret imperium. Neque enim Chaldæi & Aſſyrii è mundo prorſus deleti ſunt, ſed ſublata fuit illis ſua gloria. Nulla igitur apparuit facies beſtiæ, ubi Deus tranſtulit Monarchiam illam ad Perſas & Medos. Et ideo addit Propheta *ſtetiſſe ſuper pedes ſuos, & cor hominis illis fuiſſe datum:* quibus loquendi formulis intelligit fuiſſe redactos in ordinem Aſſyrios & Chaldæos, ut jam non eſſent ſimiles leoni, ſed privati homines, nullius potentiæ, viribus ſuis ſpoliati. Itaque ad laudem eorum non pertinet quum dicit *datum illis fuiſſe cor hominis:* ſed per hominem intelligit quemlibet privatum: quaſi diceret, non fuiſſe amplius terribilem conſpectum in Chaldæis & Aſſyriis: quia quum pollerent imperio, omnes horrebant eorum potentiam. Deus ergo abſtulit è mundo faciem illius beſtiæ, & reddidit illis cor hominis, & fecit ut ſtarent ſuper pedès ſuos. Ante volitabant in aëre, & deſpiciebant terram longe ſub pedibus ſuis: fecit autem Deus, *ut ſtarent ſuper pedes ſuos*, hoc eſt, ut non graderentur ſolito more, neque eo modo, quo antea: ſed ut eſſent tanquam alii ex vulgo, poſtquam ſcilicet Deus ſpoliavit eos imperio. Hæc eſt ſimplex Prophetæ ſententia, meo quidem judicio. Si opus erit deinde confirmabimus quæ nunc leviter percurro. Sequitur,

5. Et ecce bellua (*beſtia*) poſterior altera, (*hoc eſt, ſequuta eſt ſecunda beſtia primam illam*) ſimilis urſo, (*inquit*) & ſurrexit ad latus unum: & tres coſtæ in ore ejus inter dentes ejus: & ſic dicebant ei, (*hoc eſt, ſic ei fuit dictum: càpitur enim hoc verbum indefinite*) Surge, comede carnem multam.

Hic Propheta concionatur, ut fuerat edoctus per ſomnium, de ſecunda beſtia. Minime autem dubium eſt, ſi volumus judicium facere ex eventu, quin beſtia hæc figuret regnum Perſarum & Medorum: quanquam Perſas deſignat Propheta, quia Medi ceſſerunt paulo poſt ſub ipſorum jugum. *Ecce*, inquit, *altera beſtia ſimilis urſo*. Scimus urſum eſſe ignobile & fœdum animal, ſegne etiam vel ignavum, & tamen plenum truculentia. Si quis itaque urſum comparet cum leone, dicet fœdum & triſtem eſſe conſpectum urſi, quum ſit ſpecioſa forma in leone, quamvis ſit formidabilis. Comparat igitur urſo Perſas, propter barbariem: quoniam fera erat gens illa & immanis, ut dictum fuit: deinde non erant ſpectabiles Perſæ, ſicuti Aſſyrii & Chaldæi qui habitabant in pulcherrima totius mundi plaga, & in regione amoeniſſima, quaſi in theatro nobiliſſimo: Perſæ autem latuerant ſicuti feræ beſtiæ in ſuis ſpeluncis. Erant enim inter ſuos montes, & illic victitabant non ſecus ac bruta animalia. Hinc fit, ut aptiſſime Propheta comparet eos urſo, imo Deus ſpeciem hanc obtulerit Prophetæ. Poſtea addit *ſtetiſſe ad latus unum*. Quidam exiſtimant hoc eſſe additum, quia minus late dominati fuerunt Perſæ & Medi. Sed hoc minime convenit. Scimus enim quam ampla fuerit Medorum dominatio antequam venirent ſub poteſtatem Cyri & Perſarum. Per ſe igitur erant potentiſſimi Medi: jam accedunt illis Perſæ: poſtea occupat Cyrus quicquid ante fuerat ſub Monarchia Chaldaica. Potitus enim eſt etiam clauſtris Ægypti: deinde regnavit in Syria: tenuit Judæam, & perrexit ultra mare, donec tandem devictus fuit apud Scythas. Cur ergo dicit *ſtetiſſe ad latus unum?* Reſpicit obſcura initia regni illius. Nam fama Perſarum incluſa fuerat inter montes, donec Cyrus nomen ſibi quæſivit ex rebus geſtis. Fuit enim tam ſtrenuus bellator, ut merito obſcuraverit aliorum omnium gloriam. *Stabat* igitur principio *beſtia illa ad unum latus:* hoc eſt, Perſæ nullius erant famæ aut nominis, nulla erat ipſorum opulentia, non egreſſi fuerant ex ſuis latebris. Videmus ergo reſtringi hanc particulam ad initia, quæ obſcura fuerunt. Tamen addit Propheta *tres coſtas fuiſſe in ore illius beſtiæ inter dentes ejus, ac fuiſſe proclamatum, Surge, comede carnem multam*. Qui per tres coſtas tria regna intelligunt definite, videntur nimis argute philoſophari. Ego igitur indefinitum numerum eſſe exiſtimo, quod beſtia hæc non tantum coſtam unam momorderit ore ſuo, ſed plures: quia Perſæ, ut diximus, traxerunt ad ſe potentiam Medorum, poſtea ſubjugarunt Aſſyrios & Chaldæos: & Cyrus etiam ſubegit plures gentes, ita ut Aſia minor ſuſceperit ejus imperium. Quum ergo loquitur Propheta de tribus coſtis, perinde eſt acſi diceret beſtiam hanc fuiſſe inexplebilem, quia non contenta eſſet corpore uno, ſed voraret multos ſimul homines. Nam per plures coſtas intelligit plures prædas. Hæc eſt ſumma. Jam non dubito de Angelis exponere, vel de ipſo Deo quod ſequitur, *dictum fuiſſe beſtiæ*. Quidam referre hoc malunt ad flabella, à quibus inſtigatus fuit Cyrus ad ſævitiam. Sed quoniam Deus Prophetæ ſuo exhibuit imaginem ſuæ providentiæ, magis probabile eſt quod nuper attuli, nempe *fuiſſe dictum beſtiæ, Surge, comede carnem plurimam:* non quod Deus ſit auctor ſævitiæ: ſed quoniam occulto judicio gubernat quæ homines hic ſine modo gerunt, merito hic ejus auctoritas nobis ante oculos ſtatuitur, quod ſcilicet Cyrus non tam cito penetraverit in diverſas regiones, & ad ſe traxerit tot imperia, & jugum impoſuerit tot ac tam validis gen-

tibus, niſi quia Deus mundum volebat ulciſci, & ſtatuerat Cyrum quaſi carnificem. Quoniam ergo Cyrus exequutus eſt Dei vindictam, tantum fundendo humani ſanguinis, ideo Propheta narrat ei fuiſſe dictum, *Surge, comede carnem*. Reſpectu Cyri non placuit Deo tot gentes profligari, vel cum tanta humani ſanguinis jactura augeri unius hominis potentiam & tyrannidem: ſed alio reſpectu dicitur Deus Cyro mandaſſe quicquid fecit, nempe quia volebat tunc pœnam exigere de mundi ingratitudine, ad quam acceſſerat pluſquam deſperata pertinacia & rebellio. Nullum enim erat remedium vitiis. Ergo oportuit Deum præficere Cyrum exequendo ſuo judicio. Cogor hic ſubſiſtere.

Da omnipotens Deus, quando nos exponis variis perturbationibus in hoc mundo, ut fidem & patientiam noſtram exerceas: da, inquam, ut tamen maneamus tranquilli in ſtatione noſtra nempe inniti tuis promiſſionibus: quamvis undique variæ procellæ nos concutiant, ne tamen unquam deficiamus, ne etiam deſpondeamus animos, ſed perſtemus in vocatione noſtra. Et quicquid eveniat, ſciamus tamen te mundi gubernacula tenere, non tantum ut punias ingratitudinem reproborum, ſed etiam ut tuos contineas ſub tua fide & tutela, & conſerves uſque ad extremum, ut ita patienter feramus quæcunque acciderint nobis mutationes: neque unquam animis turbemur, vel concidamus, donec tandem colligamur in beatam illam quietem, ubi ſoluti omni militia, & cunctis certaminibus, fruamur æterna illa beatitudine, quam nobis præparaſti in Filio tuo unigenito, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA TERTIA
IN
DANIELEM.

6. Poſt hoc vidi, (*hoc eſt, viſio mihi fuit oblata*) & ecce alia (*beſtia ſcilicet*) ſicut pardus, (*ſimilis pardo*) & alæ quatuor avis ſuper dorſum ejus, & quatuor capita beſtiæ: & poteſtas data eſt ei.

LOquutus eſt Daniel de imperiis duobus, nempe Chaldaico & Perſico. Conſentiunt interpretes viſionem hanc debere referri ad imperium Macedonicum. Comparat autem regnum illud pardo (alii vertunt pantheram) quia mira celeritate Alexander adeptus eſt tantam potentiam: & quum eſſet alioqui non adeo ſplendidum animal, tamen hoc profecit ſua feſtinantia, ut domuerit totum Orientem. Alii multas ſimilitudines adducunt, in quibus Græcorum ingenia reſpondent naturæ pardi. Sed quoniam vereor, ne argutiæ illæ parum habeant firmitatis, mihi hoc ſatis eſt, nempe tertium imperium, de quo Spiritus hic agit, fuiſſe non tantæ magnitudinis ab initio, ut potuerit vel terrere longinquas regiones, vel ſua dignitate acquirere ſibi ſubditos. Fuit igitur animal quoddam volatile, ut ita loquar, quando in Alexandro fuiſſe magnam celeritatem ſatis notum eſt: ſed neque prudentia, neque gravitate, neque judicio, neque aliis virtutibus multum excelluit: mera temeritas rapuit hominem: atque etiamſi vinum non guſtaſſet, fuit ejus ambitio quædam temulentia. Ergo tota vita ebrius fuit Alexander: quoniam nihil in illo homine fuerit moderatum, vel compoſitum. Videmus ergo ut apte reſpondeat hæc figura naturæ Alexandri. Quanquam hoc etiam extenditur ad ejus ſucceſſores: nec quiſquam inter eos fuit, qui non referret aliqua ex parte naturam Principis ſui. Dicit ergo Daniel *ſibi apparuiſſe beſtiam ſimilem pardo*. Dicit autem *fuiſſe quatuor alas ſuper dorſum ejus, & quatuor capita*. Perverſe meo judicio quidam diſtinguunt inter alas, & capita: putant depingi regnum illud alatum, quia exiguo tempore Alexander multa regna occupaverit: ſed ſimplicior ſenſus eſt, in hac beſtia *fuiſſe alas quatuor, & capita quatuor*, quoniam Alexander vix potitus erat ſuis victoriis, quum præter ſpem omnium extinctus eſt, atque poſt ejus mortem quiſque partem prædæ ad ſe traxit. Certum autem eſt, poſtquam inter ſe pluribus annis dimicarunt Duces, qui erant præcipui in ejus exercitu, tandem imperium rediiſſe ad quatuor: conſtat hoc ex omnibus hiſtoriis. Nam Seleucus obtinuit Aſiam majorem, & Antigonus minorem: Caſſander vero cui Antipater ſucceſſit, fuit Rex Macedoniæ: Ptolemæus filius Lagi dominatus eſt in Ægypto. Aliter quidem inter ſe pepigerant: erat enim filius Alexandri natus ex Roxane, quæ filia erat Darii: erat etiam frater Aridæus jam matura ætate, ſed erat epilepticus, & debili cerebro. Ita quum aſtuti eſſent Alexandri Duces, hoc prætextu factum eſt, ut omnes jurarent in nomen pupilli, deinde in nomen Aridæi, ſi forte pupillum mori contingeret ante ætatem. Tunc præfectus eſt Lyſimachus theſauris, alius duxit copias, alius obtinuit hanc vel illam provinciam. Quindecim aut viginti inter ſe partiti ſunt vel officia, vel potentiam, ut tamen nemo auderet ſibi Regis nomen ſumere. Erat enim Alexandri filius, legitimus Rex, & ſucceſſor ejus erat Aridæus ille, de quo dixi. Sed paulo poſt congreſſi ſunt inter ſe. Et fuit illud admirabile ſpeculum providentiæ Dei, quod unum poſſet nobis ſufficere ad probandam ſententiam illam Scripturæ, Qui fuderit humanum ſan- *Gen. 9: 6.*
guinem, fundetur ſanguis illius. Nam ex Ducibus Alexandri nemo ſalvus evaſit præter illos quatuor, ut dictum eſt. Mater ejus jam octogenaria tracta fuit ad mortem violentam: uxor Roxane jugulata fuit: filius ejus miſere periit: Aridæus etiam frater ejus, quum nullius eſſet ingenii, & parum differret à bruta pecude, ille tamen occiſus eſt cum reliquis: denique totum genus Alexandri occubuit morte violenta. Jam quod ad Duces ſpectat, diximus periiſſe in præliis: quia partim à ſuis militibus proditi ſunt, partim ignavia ceſſerunt: & tamen, quum eſſent ſuſpecti, non effugerunt mortem ſanguinariam. Fuerunt igitur quatuor tantum ſuperſtites. Ita totum imperium Alexandri diviſum in quatuor partes fuit. Nam Seleucus, cujus ſucceſſor Antiochus fuit, obtinuit majorem Aſiam, hoc eſt, Orientale imperium: Antigonus vero minorem Aſiam cum parte Ciliciæ, & continetur etiam illic Phrygia, & aliæ vicinæ regiones: Ptolemæus ad ſe rapuit Ægyptum & partem Aphricæ: Caſſander, deinde Antipater Rex fuit Macedoniæ. Per *quatuor alas*, & per *quatuor capita* intelligit Daniel partitionem illam, quæ ſtatim facta eſt poſt mortem Alexandri. Nunc ergo tenemus quid Deus Prophetæ ſuo oſtenderit ſub hac viſione, quum propoſuit imaginem pardi una cum alis quatuor, & cum quatuor capitibus. Dicit *datam fuiſſe poteſtatem beſtiæ*, quia incredibilis fuit ſucceſſus Alexandri Magni. Quis enim putaſſet, quum mare trajiceret, fore victorem totius Aſiæ & Orientis? Ducebat ſecum triginta millia, neque bellum gerebat ſuis unius auſpiciis: ſed hoc adeptus fuerat variis artibus, ut nominaretur Dux Græciæ à civitatibus libe-

 ris.

ris. Erat igitur Alexander quaſi mercenarius Græcorum, & non potuit majores copias ſecum ducere, quam triginta millium, quemadmodum diximus. Congreſſus eſt cum centum & quinquaginta millibus, deinde cum quadringentis, tandem fere cum myriade una. Darius enim in poſtremo prælio collegerat ſupra octies centena millia præter impedimenta: denique erant decies centena millia cum Dario. Alexander jam trahebat ſecum auxilia quædam ab exteris gentibus, quas deviceras: cæterum illis non poterat fidere. Ergo totum robur erat in triginta millibus duntaxat: & quo die vicit Darium, ſic erat ſopitus ut vix potuerit expergefieri. Excuſant hoc hiſtorici, qui extollunt ejus prudentiam, quod tota nocte vigilaſſet: cæterum, hoc ſatis inter omnes conſtat, tunc fuiſſe ſimilem mortuo, & quum adeſſent omnes Duces, vix potuiſſe expergefieri: & tamen de induſtria omnes tumultuabantur circa ejus tentorium, nemo audebat ingredi. Vix ergo abſterſerat oculos Alexander, quum Darius fugit. Ergo non abs re dicit Propheta *fuiſſe datam poteſtatem beſtiæ:* quia hoc accidit præter omnem rationem naturæ, & præter hominum opinionem, quod potuit profligare tantum exercitum, qui ſolo aſpectu poterat terrere totam Græciam. Hæc igitur de tertio imperio. Nam hic non narrabo quicquid dici poſſet, & referri ex hiſtoriis: deinde multa uſque ad caput undecimum differenda erunt. Ego igitur breviter perſtringo quæ videntur facere ad loci interpretationem. Nunc ſequitur,

7. Poſtea (*poſt hoc*) vidi (*hoc eſt, videbam*) in viſionibus noctis: & ecce beſtia quarta formidabilis, & metuenda, (*hoc eſt, quæ incuteret terrorem*) & fortis valde: & dentes ferri (*hoc eſt, ferrei*) illi magni: comedens & conterens, & reliquùm pedibus conculcans: & ipſa diverſa *erat* ab omnibus beſtiis prioribus, & cornua decem illi.

Plus eſt difficultatis in hac quarta Monarchia. Fatentur quidem quicunque præditi ſunt mediocri judicio, viſionem hanc competere in Romanum imperium: ſed poſtea diſſentiunt: quia quod hic dicitur de quarta beſtia multi transferunt ad Papam, ubi ſubjicitur exortum fuiſſe parvum cornu: alii vero putant comprehendi regnum Turcicum ſub Romano. Et Judæi magna ex parte illuc inclinant: & coguntur hac neceſſitate, quoniam poſtea ſubjiciet Daniel, ſibi viſum fuiſſe thronum Filii hominis. Quia hinc ſatis aperte colligitur, erectum fuiſſe regnum Chriſti, everſo imperio Romano, Judæi tergiverſantur, & quemadmodum jam dixi, conjungunt Turcicam Monarchiam Romanæ: quia non reperiunt Chriſtum ſuum quem imaginantur. Et tamen ſunt etiam ex noſtris, qui exiſtimant non debere reſtringi hanc imaginem ad Romanum imperium, ſed ſimul etiam Turcicum adjungi. Quantum ad me ſpectat, nihil video probabile in illa ſententia. Non dubito igitur in hac viſione oſtenſam fuiſſe Prophetæ figuram Romani imperii: & hoc melius patebit ex progreſſu. Dicit *apparuiſſe quartam beſtiam*, cui nullum certum nomen attribuit, nempe quia nihil unquam extitit ſimile in mundo. Ergo ubi nullam ſimilitudinem adjungit Propheta, ſignificat fuiſſe horribile monſtrum. Nam prius contulit imperium Chaldaicum leoni: deinde imperium Perſicum urſo: pardo Macedonicum. Fuit in illis comparationibus aliquid naturale: ubi autem deſcendit ad quartam beſtiam, dicit *fuiſſe formidoloſam aſpectu & terribilem, & fortem*, vel robuſtam *valde*, & ſine adjectione Beſtiam nominat. Videmus ergo ut prodigium quoddam exprimere voluerit in hac quarta beſtia: quoniam nullum eſt adeo ferum aut truculentum animal in mundo, quod poſſit oſtendere naturam hujus beſtiæ, vel aliqua ex parte repræſentare. *Ecce* ergo *quarta beſtia*, inquit, *quæ erat formidabilis & metuenda, & robuſta valde.* Scimus nullam fuiſſe tantam Monarchiam olim. Quamvis enim Alexander ſubegerit totum Orientem, certum tamen eſt, non fuiſſe victoriam ejus ſtabilem: & contentus fuit ſola ſama: & conceſſit omnibus populis libertatem: modo adularentur, nihil aliud quæſivit. Atqui ſcimus Romanos uſque ad Babylonem fuiſſe dominatos: ſcimus Aſiam minorem, Syriam, Ciliciam, Græciam, & Macedoniam fuiſſe omnes illas ditiones ab iiſdem abſorptas: duplicem Hiſpaniam, deinde Gallias, Illyricum, & aliquam partem Germaniæ. Tandem Britannia etiam ſubacta fuit à Julio Cæſare. Itaque nihil mirum, ſi vocetur hæc beſtia *formidabilis, & robuſta valde.* Nam antequam ad ſe traheret imperium Julius Cæſar, jam totum mare Mediterraneum omni ex parte erat ſub ditione Romani Imperii. Hæc eſt maxima amplitudo, ut ſatis notum eſt. Ægyptus quidem habebat ſuos Reges, ſed erant mancipia: quicquid libebat Romanis edicere, ſtatim erat parata exequutio in Ægypto. In Aſia minore erant Reguli, ſed quaſi ſpeculatores: & de illo ſtatu poſtea etiam dicendum erit. Hoc quidem ſatis notum eſt, totum mare Mediterraneum fuiſſe tunc penes Romanos. Et Pontum etiam redegerat in poteſtatem ſuam Pompejus, victo Mithridate, ut notum eſt. In Oriente res illis pacatæ erant. Erat negotium cum Perſis & cum Medis: ſed illi nihil movebant, niſi eſſent provocati. Hiſpaniæ nondum aſſueverant jugo: ſed tamen ſcimus ſemper fuiſſe illic duos Prætores. Primus Julius Cæſar, domitis Galliis, ingreſſus eſt Britanniam. Ergo videmus quam longe & late extenderint ſuam potentiam Romani, & id immani ſævitia. Ideoque hanc beſtiam nominat Daniel *formidabilem, & fortem valde.* Poſtea adjungit, *dentes fuiſſe ferreos magnos.* Hoc tam ad audaciam quam ad inexplebilem cupiditatem debet referri. Videmus nullum fuiſſe mortis timorem in illa gente. Nam ita obduruerant, ut ſi quis fugiendi periculi cauſa deſereret ſuum ordinem, poſtea omnibus ignominiæ notis affectus, cogeretur vel ſe ſtrangulare, vel conſciſcere ſibi mortem voluntariam. Fuit igitur belluina quædam immanitas in gente illa. Deinde ſcimus quam fuerint inexplebiles. Hac ratione dicit Daniel *fuiſſe illis dentes ferreos & magnos.* Adjungit, *Comedebat & conterebat, & reſiduum*, inquit, *calcabat pedibus.* Hæc dicuntur allegorice, non tantum quoniam viſio hæc ſancto Prophetæ oblata fuit, ſed quia etiam voluit Deus quaſi vivas imagines pingere, in quibus oſtenderet quale futurum eſſet unumquodque imperium. Scimus autem quantum terrarum abſumpſerint Romani, atque ut ad ſe tranſtulerint totius fere orbis delicias. quicquid fuit lautum ac pretioſum in Aſia minore, in Græcia, in Macedonia, in omnibus inſulis, tandem in majore Aſia, hoc direptum fuit, nec quicquam potuit illis ſufficere. Hæc igitur eſt voracitas, de qua nunc Propheta loquitur, *quod comederint*, inquit, *& contriverint ſuis dentibus.* Adjungit *calcaſſe pedibus reſiduum:* quæ metaphora notatu digna eſt. Scimus enim, ut ſoliti fuerint prædas diſtribuere, quas ſecum trahere non poterant. Quantum attinet ad theſauros, ad pretioſam ſupellectilem, & alia omnia: quantum etiam attinet ad maximos proventus, ut erant vectigalia quæ conficerent ingentem vim pecuniæ, vorabant & terebant *dentibus ſuis* Sed ſi qua erat mediterranea regio, quam non poſſent tueri niſi locarent illic perpetuum præſidium, ſcimus ut conciliaverint ſibi regulos quoſdam famelicos. Sic regnum Eumenis uſque ad nepotem

potem

potem Attalum in ſublime crevit: ſic dederunt Rhodiis, nunc Cypriis, nunc aliis: quia nunquam de ſuo remunerati ſunt ſocios, qui ſe in illis juvandis fere exhauſerant: ſed eos ditarunt aliorum ſpoliis: nec tantum quod huic urbi eripuerant alteri dederunt, ſed quaſi venales habuerunt agros. Ita Nabidi tyranno prodita fuit Lacedæmoniorum libertas. Jam ante Maſiniſſam tantis opibus auxerant, ut ejus opera pacarent ſibi Aphricam. Denique dandis & auferendis regnis ſic luſerunt, ut alienis opibus & ſumptibus tranquillas provincias tenerent. Hoc vero præſertim conſpectum fuit in Judæa, ubi Ethnarchas, & Tetrarchas, & Reges de nihilo crearunt, qui tantum eſſent eorum ſatellites, idque non niſi ad tempus. Nam ſimulatque contigerat aliquid novi, fuit illis tam facile eripere quod dederant, quam ante largiri. Illa igitur aſtuta liberalitas vocatur conculcatio, quod *reſiduum*, quia ſcilicet non poterant vorare & abſumere ſuis dentibus, *pedibus ſuis calcarent*. Habebant enim omnes ſibi obnoxios, quos ditabant vel augebant. Sic videmus ut ſerviliter adulati fuerint quicunque aliquid adepti erant illorum beneficio. Et in Græcia quam fœtida fuit ſervitus, ex quo illuc penetrarunt Romani? Nam ut unaquæque civitas aliquid acquiſierat novi agri, ſic erigebat templum Romanis. Ideo mittebant ſuos legatos quaſi ſpeculatores: qui ſub delationis ſpecie, acſi vicini aliquid machinarentur, ſpoliarent ipſos, & ita eſſent locupletiores. Sic tenebant Romani ſub ſuis pedibus quicquid largiti fuerant aliis. Videmus itaque quam apte & proprie loquatur Propheta, quum dicit *calcaſſe* Romanos *reſiduum*, quod ſcilicet non poterant comedere: & quod non poterat abſumere illorum voracitas, *calcaſſe ſuis pedibus*. Adjungit poſtea, *Et hæc beſtia differebat à cunctis prioribus beſtiis, & cornua decem erant illi*. Quum dicit *beſtiam hanc fuiſſe diverſam à reliquis*, confirmat quod ante diximus, nempe fuiſſe hoc horribile prodigium, & cui nihil ſimile poteſt proferri in medio vel in rerum natura. Certe ſi quis attente ac prudenter conſideret unde exorti fuerint Romani, deinde quomodo ad tantam potentiam progreſſi fuerint, obſtupeſcet. Fuit igitur illud monſtrum inſolitum, ita ut non poſſit quicquam ſimile proponi. Sed quod ſubjicit Propheta *de decem cornibus*, interpretes huc & illuc trahunt. Ego autem ſequor ſimplicem & genuinam ſententiam, nempe quod ſignificet Propheta hoc imperium non unius fore hominis, ſed plurium. Angelus enim poſtea dicet cornua decem eſſe decem Reges: non quod fuerint tot Reges Romæ, quemadmodum ſtulte Judæi ſomniant, qui ſunt rerum omnium imperiti: ſed Propheta hic diſcernit Monarchiam quartam à reliquis, acſi diceret fore populare imperium, cui non unus Rex præerit, ſed quod erit diviſum in plura capita. Nam vel ſortiebantur inter ſe provincias, vel paciſcebantur inter ſe, ut hic præeſſet Macedoniæ: alter vero Ciliciam, alter Syriam teneret. Sic videmus fuiſſe plura regna. Nam quod ad numerum denarium ſpectat, ſcimus hanc eſſe frequentem & tritam loquendi formam in Scriptura, ut decem ſignificent plures. Ubi ergo pluralitas notatur, illic ponitur numerus denarius. Sic quum Propheta refert fuiſſe quartæ beſtiæ decem cornua, intelligit fuiſſe complures provincias ſic diviſas ut quiſque vel Proconſul vel Prætor eſſet ſimilis Regi. Nam dabatur illis ſummum imperium, perinde ac in urbe & Italia Conſulibus. Poterat quidem etiam in provincias Conſul ſcribere & mandare quicquid viſum fuerat, deinde in gradum honoris evehere favoris & amicitiæ gratia quos volebat: ſed quiſque ex Prætoribus & Proconſulibus, prout adeptus erat provinciam, erat illic inſtar Regis: quia ſumma dabatur omnibus poteſtas vitæ & necis in omnes ſubditos. Nec eſt hic anxie laborandum in numero, quemadmodum jam attigimus. Et qui recenſent Romanas provincias, longe falluntur. Omittunt enim præcipuas: Hiſpaniam faciunt provinciam unam, & tamen ſcimus ſemper fuiſſe duas: Galliam etiam non dividunt, ſcimus tamen ſemper Galliis præfuiſſe duos Proconſules, excepto Julio Cæſare, qui utramque obtinuit. Sic etiam de Græcia loquuntur: & tamen nullus fuit vel Proconſul, vel Prætor, qui mitteretur in Græciam. Denique ſimpliciter intelligit Propheta Romanum imperium fuiſſe multiplex, quoniam diviſum erat in multas provincias, & ſingulis provinciis præerant qui rerum potiebantur Romæ, & qui auctoritate & gratia pollebant præ aliis: ſortiebantur Proconſules & Prætores, ſed valebat ſemper gratia, ut ſatis notum eſt ex hiſtoriis. Pergamus.

8. Intelligebam (*hoc eſt, attentus eram*) ad cornua: & ecce cornu aliud parvum exortum fuit inter alia: & tria ex cornibus prioribus ablata ſunt è facie ejus: & ecce oculi quaſi oculi hominis in cornu illo, & os loquens grandia.

Pergit Daniel in deſcriptione quartæ beſtiæ: ac primo dicit *ſe fuiſſe attentum*, ut etiam ſecum nos ad ſeriam meditationem adducat. Nam quód dicitur de quarta beſtia, fuit in primis memorabile, & ideo obſervatu dignum. Hæc igitur ratio eſt cur Deus cor ſervi ſui admiratione perculerit. Neque enim Propheta ſtudium ſuum applicuit ad conſiderationem quartæ beſtiæ, niſi quatenus arcano inſtinctu Deus eum impulit. Fuit ergo hæc Prophetæ attentio ex cæleſti impulſu. Quare noſtrum etiam eſt, non oſcitanter legere quæ hic ſcripta ſunt, ſed ſerio expendere & ſumma diligentia, quid voluerit Spiritus per hanc viſionem. *Attentus* ergo *eram*, inquit, *ad cornua: & ecce cornu unum parvum exortum fuit in illis*. Hic incipiunt variare interpretes: quia alii hoc ad Papam detorquent, alii vero ad Turcam. Sed neutra opinio videtur mihi probabilis. Falluntur autem utrique, quoniam exiſtimant hic deſcribi totum curſum regni Chriſti, quum tamen Deus Prophetæ ſuo tantum indicare voluerit quid futurum eſſet uſque ad primum Chriſti adventum. Hinc igitur omnium error, quod volunt complecti ſub hac viſione perpetuum Eccleſiæ ſtatum uſque ad finem mundi. Sed aliud Spiritus ſancti conſilium fuit. Diximus initio, cur Prophetæ hæc viſio apparuerit, nempe quia poterant centies labaſcere piorum animi in illis tam horrendis converſionibus quæ inſtabant, quum viderent nunc ad Perſas tranſire ſummam Monarchiam, nunc poſtquam irruperant Macedones, ſtatim potitos eſſe toto Oriente, poſtea latrones illos qui militaverant ſub Alexandro, ſubito factos eſſe Reges, idque partim ſævitia, partim vero fraudibus, & perfidia, qua inter ſe magis quam armis certaverant. Deinde quum viderent Monarchias omnes illas perire, & exurgere Romanum imperium, quod eſſet prodigii inſtar. Poterant ergo exanimari fideles in illis tam confuſis & turbulentis mutationibus. Ergo Prophetæ hæc viſio oblata fuit, ex qua intelligerent omnes filii Dei, quam gravia certamina eos manerent ante adventum Chriſti. Non progreditur ergo nunc Daniel ultra redemptionem promiſſam, & non complectitur, ut jam dixi, totum Chriſti regnum: ſed contentus eſt adducere fideles ad exhibitionem gratiæ, quam ſperabant & expetebant. Hæc autem exhibitio referri debet ad primum Chriſti adventum, ut ſatis notum eſt. Ego igitur non dubito hic per *cornu parvum* intelligi Julium Cæſarem, & reliquos, nempe Auguſtum qui ei ſucceſſit: deinde Tiberium, Caligulam, & Claudium, Neronem, & alios. Quanquam, ut jam dictum eſt,

tenendum eſt Spiritus ſancti conſilium, quod ſcilicet perducat fideles uſque ad exordia regni Chriſti, hoc eſt, uſque ad Euangelii promulgationem, quæ facta eſt ſub Caligula, ſub Claudio, & Nerone, & aliis ſucceſſoribus. Vocat autem *cornu parvum*, quia Cæſar non ſumpſit ſibi Regis nomen: ſed quum devicto Pompeio & majore parte Senatus, non poſſet frui victoria, niſi ad ſe raperet totam potentiam, ſumpſit ſibi nomen Tribuni plebis: fuit Dictator: interea ſemper fuerunt Conſules: fuit ſemper aliqua ſpecies Reipublicæ, dum quotidie Senatum conſuleret, ſederet io ſubſellio, quum eſſent in tribunalibus Conſules. Idem etiam ſequutus eſt Octavius, & poſt eum Tiberius. Nemo enim ex Cæſaribus, niſi Conſul eſſet, auſus fuit tribunal conſcendere: ſed habuit ſuum ſubſellium: quanquam illinc imperabat aliis omnibus. Non mirum igitur eſt, ſi Daniel vocet monarchiam Julii Cæſaris & aliorum *parvum cornu*: quia non erat tantus ſplendor vel dignitas, ut obrueret illam amplitudinem Senatus: ſed quum Senatus retineret nomen & ſpeciem dignitatis, unus tamen potitus eſt imperio, ſicuti ſatis notum eſt. Dicit ergo *hoc parvum cornu fuiſſe exortum inter decem alia*. Quod ſubjicit *tria ex illis decem fuiſſe ablata*, non poſſem nunc exponere.

Da omnipotens Deus, quando admonuiſti olim ſervos tuos non poſſe aliter fieri, quin filii tui, quamdio in hoc mundo peregrinantur, verſentur inter horribiles & truculentas beſtias, ſi idem etiam nobis hodie contingat, ut parati ſimus animis ad omnia certamina, & omnes tentationes perferendas ac vincendas, neque unquam dubitemus, quin ubi volueris nos tueri præſidio tuo & virtute, ſicuti pollicitus es, pergamus per media & innumera pericula, uſque dum peracto militiæ noſtræ curſu tandem perveniamos ad beatam illam quietem, quæ nobis repoſita eſt in cælo per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA QUARTA IN DANIELEM.

REſtant nobis tria explicanda in expoſitione quartæ beſtiæ. Primum eſt, quod *ablata fuerunt tria cornua à facie illius*: deinde, quod *cornu parvum* (quod exortum erat inter decem) *apparuerit cum oculis humanis*: tertio, quod *loquutum ſit magnifice*, vel, quod protulerit verba grandia. Quod ad tria cornua ſpectat, ſatis liquebit ex teſtimonio Angeli tres eſſe Reges: non quod hoc debeat referri ad perſonas, quemadmodum heri perſtrinxi: ſed quia Romani mittere ſolebant in ſingulas provincias quaſi Reges, qui ſummo imperio illic potirentur. Qui extendunt hoc vaticinium ad finem regni Chriſti, putant notari diſſipationem, quæ accidit trecentis vel etiam quingentis annis poſt Chriſti mortem: ſed longe falluntur. Certum quidem eſt, collapſum fuiſſe totum robur Romani imperii, & paulatim diſcerptas fuiſſe provincias, ut eſſet quaſi mutilum corpus. ſed heri oſtendimus non poſſe hoc oraculum commode exponi, niſi de ſtatu Eccleſiæ uſque ad Chriſti adventum & Euangelii promulgationem. Eo tempore ſatis notum eſt nihil fuiſſe detractum ex finibus imperii. Nam Julius Cæſar formidabilis erat, non ſolum Gallis, ſed etiam Germanis: deinde in Oriente res tunc pacatæ fuerunt. Poſt ejus mortem, quamvis Octavius vel Auguſtus paſſus fuerit duas graviſſimas clades, præſertim ſub Quintilio Varo, qui miſſus in Germaniam fuerat cum valido exercitu: tamen auxit ipſe quoque fines imperii, præſertim in Oriente, & perdomuit totam Hiſpaniam, ut deinde nulli fuerint motus. Quum ergo tunc nulla provincia detracta fuerit ab imperio Romano, quid hoc ſibi vult, *detracta fuiſſe tria cornua & ablata à facie beſtiæ*? Solutio non eſt difficilis, modo notemus hic conferri parvum cornu cum prima ſtatura beſtiæ. Apparuit igitur beſtia cum decem cornibus: quum exortum eſt parvum cornu, mutata fuit figura beſtiæ. Dicit igitur Propheta partem cornuum fuiſſe detractam: quia tunc deſiit Senatus creare Proconſules. Scimus enim Auguſtum ſibi ſumpſiſſe quaſdam provincias: & hoc feciſſe, ut ſuo arbitrio conſtitueret Præſides, ut eſſent præſto robuſtæ copiæ, ſi quis contra ipſum inſurgeret. Neque enim tam provincias optabat, quam exercitus, ſi quis ſorte tumultus exortus eſſet. Voluit igitur frenum injicere omnibus, ne quis auderet res novas contra ipſum tentare. Sic quicquid acceſſit ad parvum cornu, detractum fuit decem cornibus, hoc eſt, corpori integro: quia mutatus fuit ſtatus Monarchiæ. In hac expoſitione nihil eſt coactum. Tenendum eſt etiam interea numerum certum, vel definitum poni pro incerto: quaſi diceret Propheta partem ex potentia beſtiæ fuiſſe detractam poſt exortum illud parvum cornu. Hoc de primo membro. Jam adjungit *fuiſſe oculos ſimiles oculis humanis in illo parvo cornu*: deinde, *loquutum fuiſſe grandia*. Quod ad oculos ſpectat, perinde eſt acſi diceret, fuiſſe tunc exhibitam ſpeciem humani corporis: quia Cæſares non aboleverunt Senatum, neque ſtatim mutarunt totam formam imperii: ſed quemadmodum heri diximus, contenti fuerunt opibus: quantum attinet ad ſplendorem, ad titulos, ad pompas, permiſerunt facile & Conſulibus & Senatui. Si quis ergo conſideret qua ratione ſe ingeſſerint Cæſares, qui notantur haud dubie per parvum cornu, fuit illa quædam humana figura. Nam fingebat Julius Cæſar, quamvis Dictator eſſet, ſe tamen parere auctoritati Senatus: & Conſules ſententias rogabant pro ſolito more: ſedebat ipſe medius, patiebatur multa decerni præter votum ſuum. Auguſtus etiam tantum prætextu Tribunitiæ poteſtatis abuſus eſt ad tenendum Imperium. Ita ſubjiciebatur Conſulibus: & quum vellet eſſe ex numero Conſulum, prodibat in medium cum aliis competitoribus: induebat veſtem candidam, quaſi unus eſſet ex privatis. Tiberius quoque multa ſimulabat, & dum agitabat tyrannica conſilia, moliebatur non ingenue neque palam. Sic igitur *apparuerunt oculi hominis in parvo illo cornu*: hoc eſt, poſtquam contigit mutatio illa, & libertas Senatus ac populi concidit: qui gubernacula Reipublicæ tenebat, non erat formidoloſus ut tota beſtia: ſed erat inſtar hominis privati, quoad externam ſpeciem. Adjungit tamen Propheta *fuiſſe os magniloquum huic parvo cornu*. Nam quamvis ad favorem conciliandum Cæſares ſeſe gererent inſtar hominum, ſcimus tamen quam atrociter minati fuerint ſuis hoſtibus: deinde ut præciſe (ut viſum fuerat) vel prohibuerint, vel mandaverint quicquid ferebat ipſorum libido. Fuit igitur magnum diſcrimen inter os ipſorum, & oculos. Nam, ut jam dictum fuit, ſplendor & dignitas Imperii erat penes Conſules & Senatum principio. Interea vero obliquis artibus ad ſe trahebant totam potentiam Cæſares ipſi, ut nemo quicquam auderet, niſi ex ipſorum nutu. Multi interpretes hoc exponunt de blaſphemiis adverſus Deum & veram pietatem: & Angelus etiam hanc partem attinget circiter finem capitis. Cæterum, ſi prudenter expendimus

dimus totum ordinem, facile hoc nobis occurret quod dico, magniloquentiam, de qua nunc diſſerit Propheta, fuiſſe ſuperbiam illam qua turgebant Cæſares, ut omnibus imponerent ſilentium, nec quiſquam hiſcere auderet præter eorum ſententiam. Optime igitur conveniunt quæcunque referuntur hic à Propheta, *quod* ſcilicet *ex decem cornibus tria ablata fuerint*, hoc eſt, quod abſtracta fuerit pars aliqua imperii à corpore beſtiæ: ſecundo, *quod parvum cornu prædictum fuerit humanis oculis* propter ſpeciem modeſtiæ, quum adhuc humaniter agerent Cæſares, & ſplendorem relinquerent penes Senatum & populum: tertio, *quod tamen os illius parvi cornu fuerit magniloquum*, quoniam ſcilicet trepidatio injecta fuit omnibus Romanis: præſertim ut quiſque pollebat aliqua exiſtimatione, intentus erat ad nutum Cæſarum, ut miſerrima eſſet ſervitus, & fœda ac pudenda adulatio in toto Senatu. Jam ſequitur,

9. Videbam uſque dum throni erecti ſunt: (*vel ablati: nam iſtud* רמיו *bifariam exponunt interpretes: ad verbum eſt, donec abſtulerunt thronos, vel, donec erexerunt in ſublime*) & Antiquus (*ſenex*) dierum ſedit: veſtimentum ejus quaſi nix candidum, & capillus capitis ejus quaſi lana munda, ſolium ejus ſcintillæ ignis, rotæ ejus ignis ardens.

Jam Daniel refert oſtenſam ſibi fuiſſe aliam figuram, nempe Dei ſedentis in throno ſuo ad exercendum judicium. Videbimus poſtea de Chriſto: ſed nunc tantum docet Daniel ſibi apparuiſſe Deum in perſona judicis. Hæc ratio fuit cur multi interpretes extenderent vaticinium hoc ad ſecundum Chriſti adventum: quæ tamen parum firma fuit, ut iterum fuſius diſſeram ſuo loco. Sed primum hic conſiderare operæpretium eſt, cur dicat *Antiquum dierum*, hoc eſt, Deum ipſum qui eſt æternus, *conſcendiſſe ſolium judicis*. Videtur enim hoc abſurdum: quia proprium Dei eſt mundum gubernare. Scimus autem hoc non fieri, niſi recto judicio. Sequitur ergo Deum fuiſſe à mundi creatione perpetuum judicem: ſed qui mediocriter verſati ſunt in Scripturis, ſciunt hoc optime quadrare, dum refertur ad ſenſus noſtros. niſi enim conſpicua ſit nobis Dei poteſtas, putamus vel abolitam eſſe, vel interruptam.

Pſal. 7. verſ. 7. & 8: 8. & aliis locis.

Inde loquutiones, quæ ſubinde occurrunt, Quouſque taces Domine? quouſque ceſſabis? Deus ſolium conſcendit: quia ſcilicet non agnoſcimus eum judicem, niſi ubi re ipſa & experimento talem ſe demonſtrat. Hæc ratio eſt, cur dicat Daniel ipſum Deum ſediſſe. Sed antequam longius pergam, ſimul videndum eſt quo ſenſu dicat thronos fuiſſe vel erectos vel dejectos. Nam iſtud רמו poteſt accipi utroque modo. Qui vertunt ablatos fuiſſe thronos, interpretantur de quatuor Monarchiis, quarum facta fuit mentio. Sed quantum ad me ſpectat, potius inclino in diverſam ſententiam. Ego non contendo, ſi quis malit de Monarchiis exponere. Probabilis enim erit etiam ille ſenſus: & quantum ad ſummam rei ſpectat, non multum intereſt. Sed exiſtimo thronos, vel ſolia hic poni pro conſpectu judicii divini: quia ſtatim ſubjiciet Propheta myriadas Angelorum ſtetiſſe coram Deo. Scimus autem Angelos ornari ſæpe hoc titulo, acſi eſſent Dei aſſeſſores: & conveniet etiam loquendi forma, qua utetur Daniel quum dicet judicium ſediſſe. Loquitur enim illic de conſeſſu judicum, acſi non ſederet ſolus Deus, ſed haberet Conſiliarios ſibi adjunctos. Meo igitur judicio optime hoc convenit, ſolia fuiſſe erecta, ut Deus ſederet una cum ſuis Conſiliariis: non quod indigeat aliquo conſilio, ſed pro ſuo beneplacito & mera gratia dignatur Angelos hoc honore, ut ſtatim videbimus. Deſcribit igitur humano more Daniel apparatum judicii: quemadmodum ſi quis Rex prodeat in publicum, aliquid magni acturus, conſcendet ſuum tribunal, ab utroque latere ſedebunt Conſiliarii & Proceres, non tam ut ſocii ſint poteſtatis, quam ut augeant ſplendorem ipſum Regis: quia ſi ſolus Rex totum locum occupet, non erit tam magnifica dignitas, quam ubi ab utraque parte adſunt Proceres, qui ab ipſo pendent, quum tamen longe excellant ſupra totum vulgus. Daniel ergo narrat hoc modo exhibitam ſibi fuiſſe viſionem: quoniam homo erat circumdatus carne: deinde non ſibi privatim hoc videbat, ſed in communem totius Eccleſiæ uſum. Sic voluit Deus præbere figuram, quæ poſſet erigere in admirationem animum Prophetæ & omnium piorum animos, tamen haberet aliquid affine cum rebus humanis. *Solia* igitur *erecta fuiſſe* dicit: poſtea, *Antiquum dierum ſediſſe*. Jam expoſuimus quomodo ſedere tunc Deus inceperit, nempe quia viſus fuerat jacere, acſi non exerceret judicium in mundo. Ubi enim res ſunt turbatæ, & permixtæ multis tenebris, quis diceret Deum regnare? Videtur ergo Deus cælo eſſe incluſus, ubi res ſunt incompoſitæ & turbulentæ in terra. Ex oppoſito dicitur conſcendere tribunal, ubi vendicat ſibi partes judicis. & palam demonſtrat ſe neque dormire, neque ceſſare, quamvis hoc lateat humanos ſenſus. Sed hæc loquendi forma aptiſſima fuit ad notandum Chriſti adventum. Tunc enim maxime Deus enituit cum ſummo imperio, quemadmodum Paulus locum ex Pſalmo citat, Aſcendiſti in altum, &c. Nam quum ſermo habetur de primo Chriſti adventu, hoc non debet reſtringi ad triginta tres annos, quibus in mundo verſatus eſt: ſed complectitur aſcenſum &

Epheſ. 4. verſ. 8. Pſal. 68. verſ. 19.

promulgationem Euangelii, quo regnum ſuum auſpicatus eſt: idque rurſum clarius & fuſius dicetur. Merito itaque Daniel narrat Deum ſediſſe, ubi agitur de priore Chriſti adventu: quia refulſit in Chriſti perſona Dei majeſtas: qua ratione etiam vocatur imago Dei inviſibilis, & character gloriæ ipſius, vel ſubſtantiæ: hoc eſt, perſonæ Patris. Deus ergo qui tot ſeculis viſus fuerat non reſpicere mundum, nec curam gerere electi populi, in Chriſti adventu conſcendit tribunal. Et huc etiam pertinent quæ habentur Pſalmo 93. 94. 95. & uſque ad 100. Deus regnat, exultet terra: Deus regnat, timeant inſulæ. Certe Deus non vixerat ut quiſpiam privatus ante adventum Chriſti: ſed imperium ejus quod exercerat, occultum erat, & abſconditum, donec oſtendit gloriam ſuam in perſona unigeniti Filii. *Sedit* ergo *Antiquus dierum*. Jam dicit *veſtimentum ejus candidum fuiſſe inſtar nivis: capillum vero capitis fuiſſe ſimilem lanæ mundæ*. Hic ſub forma hominis ſe Deus oſtendit Prophetæ ſuo. Scimus enim non poſſe à nobis conſpici Deum qualis eſt, donec ſimus plane ſimiles ei, quemadmodum dicit Joannes in ſua Canonica. Quum ergo nunc modulus noſter non ferat plenitudinem immenſæ gloriæ, quæ eſt in eſſentia Dei, neceſſe eſt ubi nobis apparet, ut induat formam aptam captui noſtro. Nunquam ergo viſus fuit Deus patribus qualis eſt in ſua perfectione, ſed quantum ferebat modulus ipſorum, præbuit guſtum aliquem præſentiæ ſuæ, ut certo cognoſcerent eſſe Deum: & tamen ipſum comprehenderent quatenus erat utile, & quatenus etiam ferre poterant. Hæc ratio eſt, cur Deus apparuerit *cum veſte candida*, quæ ſcilicet referret aliquid cæleſte, cur apparuerit *cum niveis capillis*, vel ſimilibus lanæ albæ & mundæ. Eodem pertinet quod ſequitur, *ſolium ejus fuiſſe quaſi ſcintillas ignis*, hoc eſt, quaſi ignem rutilantem: *& rotas ejus fuiſſe ſimiles igni ardenti*. Deus certe neque ſolium aliquod occupat, neque rotis vehitur: ſed quemadmodum jam dixi, non debemus imaginari

Hebr. 1. verſ. 3.

1 Joan 3. verſ. 2.

Deum in ſua eſſentia talem eſſe, qualis Prophetæ ſuo & aliis ſanctis Patribus apparuit: ſed induit ſubinde varias formas pro captu hominum, quibus præſentiæ ſuæ ſignum aliquod dare volebat. Pluribus non inſiſtam in iſtas loquutiones, quemadmodum multos oblectant ſubtiles allegoriæ; ſed mihi ſufficit tenere quod eſt ſolidum. Jam ſequitur,

10. Fluvius (*alii, lux, vel ſplendor*) ignis fluebat, & exibat à præſentia ejus: (*vel à conſpectu*) millia millium (*hoc eſt, decies centena millia*) miniſtrabant ei: & decies millia decies millium (*hoc eſt, myriades myriadum, id eſt, centies millena millia*) coram ipſo ſtabant: judicium ſedit, & libri aperti ſunt.

Proſequitur Daniel quod cœpit tractare proximo verſu: dicit ſplendorem ignis, vel fluvium (נהר enim utroque ſenſu capi poteſt, quia נהר ſignificat fluere, & ſignificat lucere) tamen quoniam de ſplendore ante loquutus eſt, non male quadrabit hunc locum exponere de fluvio, quod ſcilicet *egreſſus fuerit à conſpectu Dei fluvius igneus*, qui exundaret terram, & ſimul combureret. Minime dubium eſt, quin Deus metum incutere voluerit Prophetæ ſuo, ut melius ipſum expergefaceret: quia nunquam ſatis concipimus Dei magnitudinem, niſi humiliati: hoc autem non poſſumus ſine timore. Hæc ratio eſt cur Deus ſemper aliquid terribile oſtendat, ubi apparet ſervis ſuis: non ut ipſos reddat attonitos, ſed tantum ut formet ad metum & reverentiam. Videtur ergo hoc ſpectaſſe Deus in viſione hac, ubi *fluvius egreſſus eſt à conſpectu ejus, & fluvius ignis*. Poſtea adjungit *ſtetiſſe miniſtros innumeros coram ipſo*. Minime dubium eſt, Prophetam loqui de Angelis. Dicit autem *fuiſſe millia millium*, vel decies centena millia: deinde, *decies millia decies millium*, hoc eſt, decies mille myriadas. Hic non recenſet numerum, ſed ſignificat Deum habere præſto ad obſequium maximos exercitus, & qui ſuperent quaſcunque copias, quas ſummi Principes & potentiſſimi colligunt. Docet hic locus Angelos creatos eſſe in hunc finem, ut Dei mandata excipiant & exequantur: denique eſſe miniſtros Dei, qui ſint quaſi ejus manus in cælo & in terra. Quod ad numerum ſpectat, non mirum eſt hic poni plures myriadas à Propheta. Dicebat
Mat. 26. verſ. 53. Chriſtus, An non poſſum rogare Patrem, & mittet legionem? Sic etiam hoc loco dicit Daniel, ſub manu Dei eſſe innumeros Angelos, neque opus eſſe more Principum colligere exercitus, quia ſemper adſunt, & adſunt intenti ad parendum. Ita quicquid ipſe mandaverit ſtatim completur: quia celeriter Angeli diſcurrunt per cælum & terram. Videmus ergo notari hic ſummum Dei imperium: quaſi diceret Propheta, Deum non titulo tenus eſſe Regem vel Judicem, ſed pollere ſumma & inæſtimabili potentia, quoniam præſto adſint myriades ſatellitum, ſic ut poſſit complere, & ſtatim exequi quicquid viſum eſt. Et hoc ſenſu etiam dicit, *ſtetiſſe coram ipſo*. Ponit verbum Miniſtrandi, vel Serviendi: ſed poſtea adjungit *ſtare*. Miniſtri enim non poſſunt ſemper operam ſuam impendere tam cito, ut cuperent qui in illos dominantur. Sed alia eſt ratio in Angelis: quia non tantum parati ſunt ad obſequium, ſed ſtatim intelligunt quid Deus velit ac mandet, ita ut non opus ſit tempore: quemadmodum videmus etiam ſummos Principes non ſtatim facere quicquid decretum ipſis eſt, quia miniſtri non ſemper ſunt præſto. De Angelis hic longius diſſerere nihil opus eſt. Subjicit Daniel *Judicium ſediſſe, & libros fuiſſe apertos*. Quanquam unus Deus ſic eminet atque excellit inter Angelos, ut quicquid eſt in ipſis gloriæ aut dignitatis non obſcuret ſummum Dei imperium: tamen quemadmodum ante diximus, dignatur eos hoc honore, ut ſtatuat ſibi ab utraque parte velut Conſiliarios, idque majeſtatis ſuæ illuſtrandæ cauſa, quemadmodum diximus Proceres non ſedere ad Regis latera, ut quicquam diminuant ex ejus majeſtate, vel ad ſe trahant: ſed potius ut melius refulgeat ipſius Regis magnitudo & poteſtas. Hæc igitur ratio eſt, cur Angelos Propheta Deo adjungat, non tanquam ſocios, ſed qui tamen ſint veluti ejus Conſiliarii. Quod ad *libros apertos* ſpectat, refero ad Euangelii promulgationem. Tametſi enim Deus cognitus fuerat in Judæa, ſicuti dicitur in Pſalmo: *Pſal. 76.*
cognitio tamen ipſa perquam exigua erat, deinde *verſ. 2.*
implicita multis figuris. Ænigmatice ergo cognitus fuit Deus uſque ad Chriſti adventum: tunc vero ſeſe manifeſtavit, acſi libros aperiret qui ante clauſi fuerant. Eſt igitur hic antitheſis notanda inter obſcurum illud tempus, quod præceſſit adventum Chriſti, & inter claritatem quæ nunc refulget ſub Euangelio. Quia ergo Deus plane innotuit poſtquam illuxit Sol juſtitiæ, ſicuti dicitur apud Malachiam, hæc ratio eſt *Mal. 4.*
cur dicantur nunc *libri fuiſſe aperti illo tempore*. Interea *verſ. 2.*
fatemur Deum non prorſus latuiſſe, neque etiam fuiſſe loquutum in abſcondito: ſed comparative hoc dicitur à Propheta, quod libri fuerint aperti, ex quo Deus palam apparuit mundi Judex, Pater, Servator in perſona Filii ſui unigeniti. Poſtea ſequitur,

11. Videbam tunc, propter vocem (*id eſt, ſpectabam in illa viſione adhuc: ſignificat mentis attentionem, neque eam humano modo, ſed ſicuti raptus fuerat Prophetico ſpiritu in ſublime, ita dicit ſenſus ſuos fuiſſe defixos in viſione illa: propter vocem ergo, vel à voce*) ſermonum grandium, quos cornu proferebat, videbam uſque dum occiſa fuit beſtia, & abolitum corpus ejus, & data fuit incendio ignis.

Quoniam terrebat Prophetam magniloquentia parvi cornu, ideo dicit *ſe fuiſſe attentum in hac parte conſideranda*. Dicit tandem *beſtiam fuiſſe occiſam, & corpus ejus fuiſſe conſumptum incendio ignis*. Hoc certe ad finem Romani imperii referri debet. Nam ex quo dominati ſunt illis exteri, jam deſiit vigere beſtia illa quarta. Semper quidem retentum fuit nomen, ſed cum magno ludibrio illius vetuſtæ Monarchiæ. Taceo nunc de Caligula, de Nerone, Domitiano, & ſimilibus monſtris. Sed quum Hiſpani & Aphri ad ſe traxerunt imperium, an dicemus Romam tunc fuiſſe mundi dominam? Hoc certe nimis ſtultum eſſet. Hodie quoque Germani dicunt ſe potiri Romano imperio: ſed quum titulus imperii tranſierit ad Germanos, certum eſt Romam hodie ſervire. Nam quod Papa erexit illic ſuum ſolium, hoc imperium indignum eſt nomine Monarchiæ. Quicquid ſit, jam à mille & fere quingentis annis Romani fuerunt addicti veluti mancipia Principibus exteris. Nam poſt mortem Nervæ Trajanus ſucceſſit, ab eo tempore nullus fere Romanus potitus eſt imperio. Et Deus inuſſit turpiſſimas notas ignominiæ, quum ſubulcus creatus fuit Imperator, idque libidine militum. Senatus retinebat adhuc tunc nomen: ſed ſi libuerat militibus creare aliquem Cæſarem, ſtatim cogebatur Senatus ſubmittere cervices ſuas. Sic ergo Propheta non abs re dicit, *occiſam fuiſſe beſtiam* paulo poſt Euangelii promulgationem. Ceſſavit igitur tunc magniloquentia parvi cornu, & ſimul extincta fuit prorſus quarta beſtia. Neque

enim

enim tunc dominatus eſt quiſpiam Romanus, qui tantum partem aliquam poteſtatis ſibi arrogaret: ſed Roma ipſa in fœdam ſervitutem decidit, & contumelioſe illic regnarunt non modo exteri homines, ſed etiam barbari, ſubulci etiam, aut bubulci. Hoc totum factum eſt, ut impleret Deus quod oſtenderat Prophetæ ſuo, nempe poſt Chriſti adventum, & poſt libros apertos, id eſt, poſt notitiam quæ illuxit per Euangelii prædicationem, inſtare & propinquum & eſſe interitum illius quartæ beſtiæ & Romani Imperii.

Da omnipotens Deus, quæcunque in mundo revolutiones quotidie accidant, ut ſemper tamen intenti ſimus in conſpectum gloriæ tuæ quam ſemel nobis manifeſtaſti in Filio tuo: & ita illuceat cordibus noſtris ſplendor tuæ majeſtatis, ut cælum etiam ipſum viſibile, ſolem, & lunam, & quicquid in hoc mundo fulget, prætereamus, & ſpectemus illam etiam beatitudinem regni tui, quam nobis in luce Euangelii tui proponis: atque ita incedamus per medias tenebrarum afflictiones mundi, ut contenti ſimus ea luce qua nos ad ſpem illius æternæ hæreditatis invitas, & quam nobis præparaſti & acquiſiviſti unigeniti ejuſdem Filii tui ſanguine, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA QUINTA IN DANIELEM.

12. Et reliquis beſtiis abſtulerant poteſtatem, (*vel dominationem*) & longitudo in vita data illis fuerat uſque ad tempus & tempus.

Non dubium eſt, quin Propheta hic referat quod ordine debuerat præcedere, quia extincta fuerunt imperia de quibus loquutus eſt ante Romanum. Ergo in præterito pluſquam perfecto hæc verba debent ſumi, quod ſcilicet ablata fuiſſet poteſtas tribus reliquis beſtiis. Solent enim Hebræi quod omiſſum eſt poſtea repetere: & ſeries narrationis non ſemper ab illis ſervatur. Poſtquam ergo dixit quartam beſtiam fuiſſe occiſam, & conſumptam incendio, quod tacuerat de reliquis tribus nunc adjungit, nempe *fuiſſe illis dominationem ablatam*. Sed adjungit quod notatu dignum eſt, *longitudinem*, vel diuturnitatem *in vita fuiſſe illis conceſſam uſque ad tempus & tempus*. Duæ ſunt diverſæ voces, quibus utitur, quæ tamen unum & idem ſignificant, nempe tempus opportunum. Ergo intelligit Propheta nihil fortuito caſu accidere, ſed ſuo tempore omnia geri in mundo, ſicuti Deus in cælo decrevit. Forte etiam quum de vitæ longitudine hic fit ſermo, ſignificat non breve tempus fore afflictionum, ita ut ſubito tranſeant quaſi nubes: ſed inſtare fidelibus non ſolum graves, ſed diuturnas etiam moleſtias, quæ poſſent tædio conficere eorum animos, niſi eos fulciret ſpes melioris exitus: ſicuti hic prædicit Spiritus ſanctus tandem Deum liberaturum ſuam Eccleſiam, ubi diu ejus patientiam exercuerit. *Reliquis* ergo *beſtiis ablata fuerat poteſtas*. Et poteſt ita reſolvi copula in וארכה, Quia diuturnitas in vita: quaſi diceret, non fore perpetuas moleſtias, quibus opprimendi erant filii Dei, quia Deus certum tempus præſcripſit ac finivit. *Diuturnitas ergo illis data fuit in vita*, nempe *ad tempus & tempus*. Poteſt etiam copula reſolvi in adverſativam particulam: quaſi diceret, Quamvis diuturnitas: hoc eſt, quamvis non ſtatim emerget populus ex triſtibus ærumnis, quæ impendent, tamen veniet tandem opportunitas Dei, hoc eſt, tempus illud quod placuit Deo finire ad redimendam ſuam Eccleſiam. Sed prior expoſitio videtur magis genuina, & melius fluere, quod ſcilicet diuturnitas habeat ſuos fines vel terminos. Et ſubeſt antitheſis inter nomen *archab*, & inter *zeman*, & *iddan*, ארכא זמן עדן: quia diuturnitas hæc reſpicit ſenſus hominum, quibus etiam maxima celeritas eſt mora ubi anguntur. Nam qui deſiderat melius aliquid, ſupputat ſingula momenta, & ſic flagrat in ſuo deſiderio, ut ſubinde diſceptet cur tamdiu moretur Deus. Quoniam ergo talis eſt hominum intemperies, ubi rebus adverſis anxii liberationem expectant, Propheta ex communi illo ſenſu dicit, *diuturnitatem fuiſſe conceſſam beſtiis*: ſed opponit tempus opportunum, quaſi diceret, præpoſtere facere eos qui ita ſibi indulgent in ſuis deſideriis: quia Deus habet tempus ſuum præfixum: opus igitur eſſe patientia, neque annos eſſe numerandos: ſed hoc unum ſtatuendum eſſe, Ubi expediet, Dominus non differet ſuum auxilium. Hæc igitur eſt ſumma illius verſus. Sequitur,

13. Videbam in viſionibus noctis: & ecce in nubibus (*nam* עם *capitur hic loco* ב, *ſicuti Chaldæis hoc ſatis uſitatum eſt: ecce ergo in nubibus*) cæli (*vel cælorum*) tanquam Filius hominis veniebat, & uſque ad Antiquum dierum venit, & coram eo repræſentarunt eum. (*ad verbum, appropinquare fecerunt eum.*)

Poſtquam narravit Daniel ſe Deum vidiſſe in ſolio judicis, ut palam exereret ſuam virtutem, & mundo patefaceret quod ante occultum fuerat, nempe penes ſe eſſe gubernacula mundi: jam adjungit ſecundam partem viſionis, *quod etiam quaſi Filius hominis apparuerit in nubibus*. Minime dubium eſt, quin de Chriſto hoc ſit intelligendum: & Judæos etiam quantumvis ſint præfracti, pudet hoc negare: quanquam diſſentiunt poſtea de Chriſto. Cæterum hæc viſio ſpectavit in eum finem, ut certo ſtatuerent fideles Redemptorem ſibi promiſſum venturum ſuo tempore, qui inſtructus eſſet cæleſti potentia, & qui ſederet ad Patris dexteram. Dicit igitur Daniel *ſe fuiſſe intentum in viſiones nocturnas*. Et minime ſupervacua eſt repetitio, ut ſciamus non fuiſſe ſocordem, ubi Deus oſtendit ſe adeſſe. Deinde plus etiam exprimit ſuis verbis Daniel, quod ſubinde ſe expergefecerit, quum ſciret res magnas, & raras, denique ſingulares ſibi proponi. Hæc igitur attentio Prophetæ nos etiam excitare debet, ne oſcitanter legamus hoc vaticinium, ſed erectis in cælum mentibus cupide expetamus veram & ſinceram intelligentiam. *Eram* ergo, inquit, *attentus in viſionibus noctis: & ecce quaſi Filius hominis*. Dixi non poſſe aliter ſumi hunc locum, quam de Chriſto. Jam videndum eſt cur vocet quaſi Filium hominis: hoc eſt, cur utatur ſimilitudinis nota כ. Poſſet enim hoc torqueri ad delirium Manichæorum, qui putarunt corpus Chriſti imaginarium fuiſſe. Nam ſicuti arripiunt Pauli verba in perverſum ſenſum, Quod ſimilitudine fuerit Chriſtus quaſi homo: ſic etiam poſ- *Philip. 2. verſ. 7.*
ſent abuti teſtimonio Prophetæ, quod Chriſtus non

dica-

dicatur homo, ſed ſimilis homini. Quantum attinet ad Pauli verba, non loquitur de eſſentia naturæ humanæ, ſed tantum de ſtatu. Dicit enim Chriſtum factum fuiſſe hominem, ut ejus conditio eſſet humilis & abjecta, adeoque ſervilis. Quod attinet ad præſentem locum, alia eſt ratio. Propheta enim dicit *ſibi apparuiſſe tanquam Filium hominis*, quia nondum Chriſtus induerat carnem noſtram. Et notandum *Gal. 4: 4.* eſt illud Pauli, Quum venit plenitudo temporis miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere. Tunc igitur Chriſtus cœpit eſſe homo quum apparuit in terra Mediator: quia non ante aſſumpſerat ſemen Abrahæ, ut eſſet nobis conjunctus jure fraterno. Hæc ratio eſt, cur Propheta non pronunciet Chriſtum tunc fuiſſe hominem, ſed quaſi hominem. Nam alioqui non eſſet Chriſtus qualis promiſſus olim fuit ſub Lege, nempe Abrahæ & Davidis filius. Si enim ab initio indutus fuiſſet humana carne, non fuiſſet progenitus ex genere illo. Sequitur ergo, Chriſtum non fuiſſe hominem ab initio, ſed tantum figurative apparuiſſe; quemadmodum etiam Irenæus dicit hoc fuiſſe præludium: utitur verbo illo. Tertullianus etiam dicit, Tunc præluſit Filius Dei humanitati ſuæ. Fuit igitur hoc ſymbolum futuræ carnis Chriſti, quamvis nondum eſſet caro illa. Nunc videmus quam apte conveniat hæc figura rei ſignatæ, ubi ſcilicet Chriſtus fuit exhibitus quaſi Filius hominis, quanquam tunc erat æternus Dei Sermo. Poſtea ſequitur, *veniſſe uſque ad Antiquum dierum*. Hoc meo judicio exponi debet de Chriſti aſcenſu. Nam tunc regnum ſuum auſpicatus eſt, ſicuti innumeris Scripturæ locis videmus. Neque pugnat quod paulo ante dixit Propheta, ſibi viſum fuiſſe Filium hominis in nubibus. Nam ea voce ſimpliciter docere voluit, Chriſtum quamvis eſſet homini ſimilis, tamen differre à toto genere humano, neque eſſe ex vulgari ordine, ſed dignitatem ejus excellere ſupra totum mundum Plus autem exprimitur ſecundo membro, ubi dicitur *veniſſe uſque ad Antiquum dierum*. Nam quamvis latuerit divina majeſtas in Chriſto, ubi functus eſt officio ſervi: & ſeipſum exinanierit, quemadmodum
Philip. 2. verſ. 7. dicit Paulus: tamen ſicuti etiam legimus primo cap. Joannis, Apparuit in eo gloria quaſi unigeniti Filii
Joan. 1. verſ. 14. Dei: hoc eſt, quæ competeret in Filium Dei unigenitum. Chriſtus ergo ſic ad tempus ſeipſum exinanivit, ut tamen & miraculis & pluribus documentis præbuerit certam, & luculentam ſpeciem cœleſtis ſuæ gloriæ. Ita non abs re oſtenſus fuit Danieli in nubibus. Sed ubi aſcendit in cœlum, tunc exutus mortali corpore induit novam vitam. Ideo Paulus
Rom. 6. verſ. 10. etiam ſexto ad Rom. cap. dicit ipſum vivere vitam Dei. Et conveniunt optime loquutiones, quibus ſæpe utitur ipſe Dominus, præſertim in Evangelio
Joan. 16. verſ. 7. & 14. verſ. 28. Joannis, Vado ad Patrem: expedit ut vadam ad Patrem, quia Pater major me eſt: hoc eſt, expedit ut conſcendam regium tribunal, quod mihi Pater æterno conſilio erexit, atque ita totus mundus ſentiet mihi ſummum imperium eſſe datum. Nunc ergo tenemus ſummam verborum Prophetæ. Sed quoniam multi fanatici quæ dicuntur de perſona Mediatoris rapiunt in eam partem, quaſi Chriſtus non eſſet verus Deus, ſed initium haberet à Patre, & quidem initium temporis: ideo notandum eſt, quod hic dicitur à Propheta neque in humanam Chriſti naturam competere, proprie loquendo, neque in divinam: ſed hic ſtatui nobis Mediatorem, qui eſt Deus manifeſtatus in carne. Nunc ſi hoc principium tenemus, deſcribi nobis Chriſtum, non quatenus eſt Dei Sermo, nec quatenus eſt ſemen Abrahæ, ſed deſcribi Mediatorem, hoc eſt, æternum Deum, qui voluit eſſe homo: ut ſeſe ſubjiceret Deo Patri, ut nobis eſſet ſimilis, ut eſſet nobis Advocatus: tunc nulla reſtabit difficultas. Apparuit ergo Danieli quaſi Filius hominis, qui poſtea fuit vere & re ipſa hominis Filius. Fuit in nubibus, hoc eſt, diſcretus à communi hominum ſorte: quoniam ſemper geſtavit aliquas notas deitatis, etiam ubi humiliatus eſt. *Jam pervenit uſque ad Antiquum dierum*, nempe ubi in cœlos aſcendit: quia tunc patefacta fuit divina ejus majeſtas. Et ideo dicit, Expedit vobis ut ego vadam *Joan. 14.*
ad Patrem, quia Pater major me eſt. Chriſtus hic *verſ. 28.*
nihil diminuit ex ſua deitate: ſed quoniam non fuerat cognitus in mundo qualis erat, quum ſcilicet lateret divina ejus majeſtas ſub forma ſervi, ideo Patrem vocat ſimpliciter Deum: acſi diceret, Si manerem apud vos in terra, quid vobis prodeſſet præſentia carnis meæ? Ubi autem conſcendero in cœlos, tunc conſpicua erit unitas quæ mihi eſt cum Patre. Ubi igitur mundus intelliget me unum eſſe cum Patre & unam eſſe deitatem, ſic fiet ut ſpes omnium piorum ſit ſtabilis & invicta contra omnes tentationes. Scient enim ſe eſſe ſub præſidio hominis & Dei ſimul. Si ergo ſemper verſatus eſſet in terris Chriſtus, & teſtatus millies fuiſſet ſe datum nobis eſſe à Patre cuſtodem ſalutis: tamen ſemper eſſet aliqua vacillatio & anxietas. Ubi autem ſcimus ipſum ſedere ad Patris dexteram, tunc intelligimus eſſe vere Deum: quia non flecteretur coram ipſo omne genu, niſi eſſet Deus æternus. Tenendum eſt illud Jeſaiæ, Vivo ego, dicit Dominus, *Jeſa. 42.*
gloriam meam alteri non dabo. Quoniam ergo fieri *verſ. 8.*
non poteſt, ut gloria Dei tranſeat vel ad hominem vel ad ullam creaturam, ſequitur nunc fulgere in humana Chriſti natura veram Dei unitatem & naturam: quoniam flectitur coram ipſo omne genu. Nunc ergo tenemus quo ſenſu dicat Propheta, *Veniſſe* Chriſtum *ut Filium hominis*, hoc eſt, qui erat ſimilis homini: *veniſſe uſque ad Antiquum dierum*: quia poſtquam præteriit tempus exinanitionis, ut verbo Pauli utamur, Chriſtus in cælos conſcendit, *Phil. 2:7.*
& ita datum illi fuit imperium, ſicuti proximo verſu dicit Propheta. Ergo minime dubium eſt, locum hunc debere accipi de Chriſti aſcenſu, poſtquam ſcilicet deſiit eſſe homo mortalis. Dicit *fuiſſe repræſentatum coram Deo*, nempe quia ſedet ad ejus dexteram. Sequitur,

14. Et ei data *fuit* poteſtas, & gloria, (*vel decus*) & regnum: & omnes populi, nationes, & linguæ ei ſervient: poteſtas ejus poteſtas ſeculi, (*æterna*) quæ non auferetur, & regnum ejus non corrumpetur. (*vel non abolebitur.*)

Confirmat & clarius etiam explicat Propheta hoc verſu quod prius dixit. Nam hinc colligi poteſt quomodo pervenerit homo ille ad Antiquum dierum, hoc eſt, ad Deum: nempe *quia data fuit ei poteſtas.* Nam etſi vere in cælum aſcendit Chriſtus, ſimul tamen expendere convenit in quem finem: ut ſcilicet ſumma poteſtas eſſet penes ipſum in cælis & in terra,
Mat. 28. verſ. 18. quemadmodum ipſe loquitur. Et Paulus etiam finem
Ephes. 1. verſ. 21. & 2: 7. hunc primo & ſecundo ad Epheſios capite oſtendit, quod ſcilicet Chriſtus relicto mundo conſcenderit ad Patrem, ut ſubjiceret ſibi omnes poteſtates, ut Angeli ei parerent: deinde ut diabolum compeſceret, ut Eccleſiam protegeret ſuo auxilio & ſervaret: denique omnes electos Dei Patris. Sic ergo nunc Daniel proſequitur quod prius dixit de acceſſu Chriſti ad Deum. Et hinc refellitur eorum veſania, qui colligunt Chriſtum non eſſe verum & æternum Deum, quia dicitur ad Antiquum dierum veniſſe. Sed primo, ut dictum fuit, hoc intelligitur de Mediatoris perſona: deinde tollitur omnis ambiguitas, ubi Propheta adjungit *datam fuiſſe poteſtatem*. Ecce igitur certa explicatio. Non dicemus fuiſſe datam,

qua-

quatenus eſt Deus & vocatur. Data igitur fuit Mediatori, nempe Deo in carne manifeſtato, & quidem reſpectu humanæ naturæ. Videmus ergo quam bene omnia conveniant, ubi Propheta hic Chriſto dicit *datam fuiſſe ſummam poteſtatem.* Tenendum enim eſt, hoc ad manifeſtationem referri, quia ab [*Joan 1. verſ. 4.*] initio Chriſtus fuit vita hominum, mundus per ipſum creatus eſt: deinde, ejus virtute fuit ſemper ſuſtentatus: ſed data fuit poteſtas, ut ſciamus Deum regnare per ejus manum. Nam ſi quærendus eſſet nobis Deus extra Mediatorem, nimis longa eſſet diſtantia: ſed ubi occurrit nobis atque adeo humaniter ſe offert Mediator, talis eſt inter Deum & nos propinquitas, ut fides noſtra facile tranſcendat mundum, & penetret omnes cælos. Hac ratione igitur Chriſto *data fuit omnis poteſtas, omne decus, & regnum.* Addit etiam *omnes gentes ſervient ei*, hoc eſt, ut ſerviant ei. Sic enim debet reſolvi copula. *Ut* ergo *omnes gentes, populi, & linguæ ei ſerviant.* Diximus hoc proprie intelligi de exordiis regni Chriſti, nec debere trahi ad ultimum finem, quod faciunt nimis violenter & coacte multi interpretes. Interea tamen addendum eſt, quæ hic narrat Propheta nondum completa eſſe: ſed hoc familiare eſſe debet piis omnibus, quoties agitur de regno Chriſti, magnifice extolli ejus gloriam, acſi jam completum eſſet & abſolutum omnibus numeris. Non mirum igitur eſt, ſi ex frequenti & quaſi perpetuo Scripturæ uſu dicat Propheta, *datam fuiſſe poteſtatem* Chriſto, ut ſibi ſubjiciat omnes populos, gentes, & linguas, [*Pſal. 110. verſ. 1.*] quemadmodum etiam dicitur Pſalmo 110., Dixit Jehovah Domino meo, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Videmus ergo Chriſtum attolli in ſuum imperium, ut Patris nomine & virtute Eccleſiam ſuam gubernet: interea tamen multos hoſtes contra ipſum inſurgere. Sed non obſtat diaboli & omnium improborum contumacia, quin tamen Chriſtus gubernet cælum & terram, & ſit ſummus Rex coram quo flectitur omne genu. Sed ſcimus etiam interea eſſe diſcrimen inter initia regni ejus, & ultimum complementum. Quicquid ſit, optime convenit hæc viſio cum multis Chriſti ſententiis, ubi teſtatur ſibi datam eſſe poteſtatem à Patre. [*Mat. 28. verſ. 18. & alibi.*] Non loquitur autem de ultimo judicio, ſed tantum docet de fine ſui in cælum aſcenſus. Et hoc melius confirmat Propheta quum addit, *dominationem ejus eſſe dominationem ſeculi, quæ non auferetur, & regnum ejus nunquam corrumpi*, vel aboleri. His enim verbis aperte & familiariter docet, Chriſtum ita Regem ſummum eſſe, ut ſemper Eccleſiam ſuam in hoc mundo gubernet. Verum quidem eſt, ubi de Eccleſia & ejus ſtatu agitur, debere nos reſpicere in cælum: quia felicitas Eccleſiæ neque terrena eſt, neque caduca vel temporalis: ſub luna autem nihil eſt firmum aut perpetuum. Sed quum dicit Propheta dominationem Chriſti eſſe æternam, haud dubie ſignificat perpetuo tenore ſtaturam ejus Monarchiam uſque ad finem mundi, quum ſuos colliget in beatam vitam & æternam hæreditatem. Quamvis ergo immortalitas cæleſtis comprehendatur ſub his verbis, tamen priore loco notat Propheta, Eccleſiam in hoc mundo fore æternam: quia eam Chriſtus tuebitur, quamvis obnoxia ſit quotidianis & innumeris mortibus. Et quis non diceret Eccleſiam fere ſingulis diebus perituram, niſi mirabiliter eam Deus ſervaret per manum Filii ſui unigeniti? Ergo hoc ſenſu accipere convenit quod dicitur, *regnum ejus fore regnum ſeculi.* Et hinc ad nos pervenit non vulgaris conſolatio, dum videmus Eccleſiam jactari inter diverſos fluctus, & fere etiam obrui ac demergi multis naufragiis: fieri tamen non poſſe quin ſemper manum porrigat Chriſtus, ut ipſam ſervet, quamvis hoc fiat ſub triſti & horribili etiam mortis ſpecie. Jam ſequitur,

15. Succiſus fuit ſpiritus meus mihi Danieli (*vel, evanuit, aut defecit ſpiritus meus mihi Danieli*) in medio corporis, (*aut vaginæ, proprie: ſed hic metaphorice transfertur nomen hoc ad corpus*) & viſiones capitis mei terruerunt me.

16. Acceſſi ad unum ex his qui aderant, & ſciſcitatus ſum ex eo veritatem ſuper his omnibus: & dixit mihi, & enarrationem ſermonum patefecit mihi.

Dicit Daniel ſpiritum vel ſibi fuiſſe ſucciſum, vel evanuiſſe, quaſi paſſus fuerit deliquium mentis. Et hoc modo Deus voluit ſervum ſuum commonefacere de magnitudine viſionis. Et nobis etiam commendat viſionis hujus reverentiam, ne ſcilicet frigide quaſi in re vulgari verſemur, ſed ſciamus Deum hic myſteria, quæ humano ſenſu alioqui comprehendi non poterant, & Danieli ſervo ſuo, & per ejus operam ac miniſterium nobis aperuiſſe. Nam ſi hoc contigit Danieli, ut deficeret ac prope evaneſceret ejus ſpiritus, quem tamen ſcimus fuiſſe eximium Prophetam: certe nos qui adhuc tenuiter profecimus in myſteriis Dei, imo qui vix guſtavimus prima rudimenta, nunquam poterimus aſſequi tantam altitudinem, niſi ſuperemus mundum, & terrenos omnes ſenſus excutiamus: quia hæc res non poteſt perſpici, niſi liquida mente & bene purgata. Dicit ergo primo loco, *ſpiritum ſuum fuiſſe exciſum*, vel evanuiſſe, *in medio corpore*: quaſi diceret ſe fuiſſe tanquam exanimem vel ſimilem mortuo. Et rationem adjunxit, quod ſcilicet *viſiones capitis eum terruerant.* Nam poſſet fieri, ſicuti etiam ſæpe accidit, ut quis evaneſcat, ſed ſine cauſa. Videmus enim ut quoſdam abripiat Panicus aliquis terror, ut vocant, & ita jam non ſint mentis compotes, ſed jaceant tanquam exanimati. Daniel autem, ut oſtendat ſe non fuiſſe unum ex illorum numero, dicit *ſe fuiſſe territum*, vel turbatum, *viſionibus capitis ſui*: quaſi diceret, non de nihilo ſe fuiſſe turbatum, ſed quoniam ita ferebat myſterium hoc, cujus viſio oblata fuerat. Jam adjungit, *ſe veniſſe ad unum ex aſtantibus.* Dixerat autem paulo ante, millies mille & millies centena millia præſto fuiſſe ad tribunal Dei. Non dubium igitur, quin Propheta unum aliquem ex Angelis interrogaverit. Et hic notanda eſt ejus modeſtia & docilitas, quod ſcilicet confugerit ad doctorem, quia propriæ inſcitiæ conſcius non inveniebat aliud remedium. Simul etiam docemur exemplo Prophetæ, non eſſe cur repudiemus omnes viſiones, ſed petamus à Deo ipſo interpretationem. Quanquam hodie Deus non loquitur nobiſcum per viſiones: ſed vult nos contentos eſſe Lege ſua & Euangelio, ſicuti non apparent nobis Angeli, neque è cælo palam & conſpicue deſcendunt: ſed quia Scriptura nobis obſcura eſt propter tenebras, quibus ſumus impliciti, ideo diſcamus non rejicere quicquid ſuperat captum noſtrum, vel ubi caligo aliqua nobis objicitur: ſed confugiamus ad hoc remedium quo uſus eſt Daniel, non ut quæramus intelligentiam verbi Dei ab Angelis, qui nobis non apparent, ſed ab ipſo Chriſto, qui familiariter hodie nos docet per Paſtores & Miniſtros Euangelii. Nam ſicuti nobis datus eſt ſummus & unicus Magiſter à Patre, ita etiam exercet [*Mat. 23. v. 8. 10.*] munus illud doctoris per ſuos Miniſtros, quos nobis præfecit. Ergo ſicuti Daniel acceſſit ad Angelum, quia propinquus erat: ſic hodie jubemur accedere ad eos qui inſtructi ſunt dono interpretationis, & qui fideliter poſſunt nobis exponere quæ alioqui eſſent obſcura. Et fiduciam nobis debet addere quod continuo poſt ſequitur, *Angelum loquutum eſſe, & patefeciſſe interpretationem ſermonum.* Significat enim Daniel ſe non fruſtra fuiſſe modeſtum & humilem:

quia

quia Deus Angelo mandavit, ut quæ obſcura erant explicaret. Sic minime dubium eſt, quin ſatisfacturus ſit hodie votis noſtris Chriſtus, ſi quidem erimus veri diſcipuli: hoc eſt, ſi poſtquam terruerint nos myſteria, quæ omnes ſenſus noſtros ſuperant & abſorbent, confugiamus tamen ad ordinem illum, quem nobis præſcripſit, nempe ut interpretationem earum rerum quæ nobis arduæ ſunt, & obſcuræ, & prorſus abſconditæ, petamus à fidis miniſtris & doctoribus.

Da omnipotens Deus, quando ſuffulta fuit patrum fides obſcuris umbris, ſub quibus voluiſti eam alere, donec manifeſtatus nobis palam eſſet Filius tuus in carne: da, inquam, ut hodie poſtquam apparuit nobis optimus ille & perfectiſſimus doctor, & familiariter nobis conſilium tuum expoſuit, ne ita ignavi ſimus vel ſocordes, ut evaneſcat nobis tanta manifeſtationis claritas, quæ hodie nobis objicitur in Evangelio: ſed ita dirigamur in vitam æternam, donec peracto curſu præſentis vitæ, & ſuperatis omnibus obſtaculis quæ nobis objicit Satan ad nos tardandos vel etiam avertendos, tandem perveniamus ad ſocietatem illius beatæ vitæ, in qua nos Chriſtus unigenitus Filius tuus præceſſit, ut nos habeat conſortes, ſicuti unicus hæres abs te ordinatus fuit, ut etiam nos ſimul colligat in illam hæreditatem beatæ immortalitatis, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA SEXTA

IN

DANIELEM.

17. Hæ beſtiæ magnæ quas vidiſti quatuor, *ſunt* quatuor regna, *quæ* exurgent è terra.
18. Et ſortientur (*obtinebunt*) regnum ſanctorum excelſorum: & poſſidebunt regnum uſque in ſeculum, & uſque in ſeculum ſeculorum.

Hic Angelus reſpondet Danieli de quatuor beſtiis, quæ per viſionem oſtenſæ fuerant. Dicit igitur *eſſe quatuor regna, quæ exorientur.* Per nomen Regni ſignificat Monarchiam. Scimus enim plures fuiſſe Reges Perſarum, donec Alexander ad ſe potentiam illam Orientis tranſtulit. Quamvis igitur Cyrus ſeptem vel octo ſucceſſores habuerit, tamen fuit illud regnum Perſicum. Et jam ante vidimus, quamvis inter ſe partiti fuerint quicquid Alexander armis acquiſierat quatuor illi ſucceſſores · tamen eſſe illud regnum Macedonicum. Idem & de quarto regno dicendum eſt: quia ſcimus quotannis creatos fuiſſe Romæ Conſules: fuit tamen illud regnum, uſque dum Julius Cæſar obrepſit, & nervos detraxit imperio, ut ſuperaret potentia ſplendidam illam altitudinem, quæ longe & late tunc conſpicua erat in mundo. Angelus ergo reſpondit per *quatuor beſtias* notari *quatuor regna.* Dicit *quæ ſurgent:* & tamen regnum Chaldaicum pridem ſurrexerat, & jam vergebat ſub Belſazar ad ſuum occaſum. Sed propoſitum fuit Angelo & Prophetam & totum populum docere, non eſſe cur eos nimium turbarent revolutiones. Videbant enim tunc Iſraëlitæ ſe jacere quaſi mortuos, imo latere obrutos ſub terra. Nam exilium erat illis inſtar ſepulchri. Hac igitur ratione Angelus pronunciat *exoritura eſſe quatuor regna*, quum tamen primum tunc floreret. Sed ſicuti jam dixi, hoc non male convenit cum fine vaticinii & uſu. Prius dixerat, *è mari*, ſed metaphorice poſuerat nomen maris: quoniam turbulenta fuit terræ conditio per multa ſecula. Quum ergo nihil eſſet ſtabile, merito Deus propoſuit orbem terrarum ſub figura maris. Poſtea adjungit, *obtinebunt regnum ſanctorum excelſorum.* Hic magnopere contendunt interpretes: quia, ſicuti antea expoſui, quidam accipiunt hoc vaticinium de regno Turcico: alii autem de tyrannide Papæ Romani: & extendunt uſque ad ultimum judicium quæ hic dicuntur à Propheta. Ita non mirum eſt, ſi hæc opinionum diverſitas in ſingulis partibus aliquid diverſum pariat. Per *ſanctos excelſos* quidam Angelos intelligunt: ſed adhuc eſt aliquid controverſiæ in verbis. Nam ponitur hic nomen *ſanctorum* in regimine, quaſi diceret Propheta ſanctos excelſorum proprie loquendo. Similes loci excuſant poſſe accipi in ſtatu abſoluto. Sed tamen ſi ſequimur rationem grammaticam, non poſſumus aliter exponere: ſed prius nomen in ſtatu regiminis, ut dictum eſt, eſſet poſitum. Et ego hanc ſententiam amplector. Alii referunt ad unum Deum: ſed illa eſſet profana loquendi ratio. Non dubito igitur quin Propheta intelligat *ſanctos excelſorum* filios Dei, qui tametſi peregrinantur in mundo, tamen animos erigunt ſurſum, & ſciunt ſe eſſe cives regni cæleſtis. Ergo per עליונין non dubito quin Propheta intelligat cæleſtes poteſtates, hoc eſt, quicquid divinum concipi à nobis poteſt, & quicquid excelſius eſt mundo. Cur mihi placeat hic ſenſus rationem breviter reddam. Si vocemus *ſanctos excelſos* ipſum Deum, quem ſenſum elicere licebit? Quod uſurpaverint ac tranſtulerint ad ſe potentiam Dei tam Chaldæi quam reliqui omnes? Hoc quidem verum eſt: quia quicunque dominantur, nec ſe uni Deo ſubjiciunt, ſpoliant eum proprio honore, & ita ſunt prædones, non autem Reges. Sed Propheta, meo judicio, aliud ab Angelo intellexit, nempe Eccleſiam ſpecie omni & dignitate cariturum in mundo quantiſper vigebunt Monarchiæ illæ quatuor. Scimus
filios Dei eſſe mundi hæredes: & Paulus quum de Rom. 4.
promiſſione Abrahæ data loquitur, dicit illum fuiſſe verſ. 13.
electum mundi hæredem à Deo. Et nota eſt ſatis Hebr. 1:2.
doctrina illa, creatum fuiſſe mundum humani generis gratia. Jam quum Adam exciderit à legitimo jure, omnes ejus poſteri alienati ſunt: quoniam Deus abdicavit illos hæreditate quam deſtinaverat. Nunc ergo recuperanda eſt nobis per Chriſtum hæreditas noſtra: qua ratione vocatur unicus mundi hæres. Ideo nihil mirum, ſi Angelus dicat tyrannos, quum dominantur in mundo, ſumere ſibi & arrogare quod proprium erat ſanctis excelſorum, hoc eſt, populo Dei. Optime igitur convenit quod hic refertur, nempe nullam fore Eccleſiæ dignitatem in mundo, ut emineat vel ſpectetur ab hominibus. Tunc enim populus Dei erat inſtar putridi corporis, & membra etiam quum diſcerpta eſſent, fuerant projecta huc & illuc, ut nulla eſſet ſpes reſtitutionis. Deinde quamvis permiſſu Darii, & edicto etiam Cyri & liberalitate pars aliqua reverſa fuerat in patriam: tamen quale fuit illud nomen? Precario enim habitabant in hæreditate ſibi divinitus promiſſa, undique ab hoſtibus impetebantur, & erant obnoxii omnium libidini & injuriis. Nullum igitur fuit imperium Eccleſiæ ſub Perſis. Poſt mutationem tertiam ſcimus quam miſere afflicti fuerint, præſertim ſub Antiocho. Fuit illis ſemper gens illa infeſta: ſed tunc fere ad extrema redacti ſunt, quum Antiochus furioſe conatus eſt abolere totam Legem & cultum Dei. Ergo etiam ſub regno Macedonico fuerunt

runt

runt in ſervitute Judæi. Ubi autem Romana arma illuc penetrarunt, ſenſerunt quam horribilis eſſet quarta illa beſtia, ſicuti ante vidimus. Denique ſatis conſtat ex perpetua hiſtoria illorum temporum, filios Dei ſemper fuiſſe ſub jugo, nec tantum crudeliter fuiſſe tractatos, ſed etiam ignominioſe. Ita impletum fuit vaticinium hoc, nempe *quatuor beſtias ſumpſiſſe ſibi imperium, quod jure ſpectabat ad ſanctos excelſorum:* hoc eſt, ad electos Dei filios, qui pendebant è cælo, tametſi eſſent terræ incolæ. In hac interpretatione nihil video coactum: & quiſquis eam prudenter expenderit, facile, ut ſpero, agnoſcet hoc quod dixi oſtenſum fuiſſe Prophetæ. Nunc ſequitur poſterius membrum: *Regnum*, inquit, *obtinebunt in ſeculum, & uſque in ſeculum ſeculorum.* Hic difficilis oritur quæſtio, quia videtur his verbis exprimere Daniel, vel Angelus qui loquitur, perpetuum ſtatum in illis quatuor Monarchiis. Atqui ſcimus Belſazar fuiſſe Regem ultimum, & quum hæc viſio fuit objecta Prophetæ, propinquum fuiſſe interitum Monarchiæ illius Babylonicæ. Quantum ad Regem Perſarum ſpectat, numerantur duntaxat octo poſt Cyrum. Et de Alexandro ſcimus quàm ſubita mutatio contigerit: vagatus eſt inſtar procellæ: ſed evanuit ille terror quem incuſſerat cunctis populis Orientalibus, fuit quidem concuſſio duntaxat regni Macedonici, quum cœperunt inter ſe confligere duces, qui apud eum auctoritate & gratia pollebant: tandem tamen regnum ad quatuor pervenit, de quibus diximus, & rurſus dicendum erit. Nunc ſi anni numerentur, non fuit tanta diuturnitas illarum Monarchiarum, ut debuerit vocari perpetuum illud tempus. Reſpondeo, hoc ad ſenſum piorum referri, quibus potuit mora illa parere multum tædii: ita ut tabeſcerent in ſuis miſeriis, niſi hæc prophetia illos ſublevaſſet aliqua ex parte. Videmus hodie quantus ſit deſiderii fervor, ubi verba fiunt de auxilio Dei: deinde etiam, ut animi noſtri poſtquam æſtuarunt deſiderio, ſtatim ad impatientiam defluent. Ita fit ut Dei promiſſiones non ſufficiant ad nos ſuſtinendos: quia nihil difficilius eſt, quam longam moram ferre. Si centum jam annis oppreſſa fuiſſet Eccleſia, quid conſtantiæ in nobis cerneretur? Si exoritur turbo, jam obſtupeſcimus, Quando tandem? Quando tandem? Nondum elapſi erunt tres vel quatuor menſes, quum omnes intendent litem Deo, & cum eo expoſtulabunt, quia non magis feſtinet ad opem ferendam Eccleſiæ ſuæ. Non igitur mirum eſt, ſi Angelus hic attribuat ſeculum unum, & deinde ſeculum ſeculorum tyrannis, ſub quibus opprimenda erat Eccleſia. Quanquam non dubito, quin reſpexerit ad plenitudinem temporum. Scimus enim Chriſtum fuiſſe finem Legis: & quia jam propior erat ejus adventus, ideo admonuit Deus fideles, ut rejicerent ſuam expectationem uſque ad Redemptoris adventum. Quum igitur Angelus hic *ſeculum unum, & ſeculum ſeculorum* nominat, non dubito quin tempus præfiniat electis, ut ſtatuant ſibi patienter ferendas eſſe moleſtias quaslibet, quoniam hoc divinitus erat decretum, ut dominarentur quatuor beſtiæ, non tamen ad paucos annos, ſed *uſque in ſeculum ſeculorum:* hoc eſt, donec tempus venit renovandi orbis, quum ſcilicet Deus in ſolidum Eccleſiam ſuam reſtituit. Pergamus.

19. Tunc optavi ad veritatem (*iſtud* ליצבא *ſolet exponi communiter, ad veritatem: hoc eſt, cupivi ſcire*) de beſtia quarta, quæ erat diverſa ab omnibus illis, terribilis valde, cujus dentes *erant* ferri, (*ferrei*) & ungues æris, (*ærei*) comedens *&* conterens, & reſiduum pedibus ſuis conculcans.

20. Et ſuper cornibus decem (*de cornibus decem*) quæ *erant* in capite ejus, & *de* poſtremo quod ſurgebat, & *quod* ceciderant ex prioribus tria: & *quod* cornu illi *erant* oculi, & os loquens grandia: & aſpectus ejus magnus præ ſociis. (*hoc eſt, præ aliis beſtiis.*)

Hic Propheta attentius & magis ſedulo interrogat Angelum de quarta beſtia: ſicuti ante vidimus fuiſſe tactum majori admiratione ubi beſtiam illam conſpexit, quæ formidabilis erat præ aliis tribus, ita ut nomen non poſſet reperiri, neque etiam figura. Quoniam igitur Deus magnum aliquid oſtenderat in imagine quartæ beſtiæ, ideo affecit Prophetam ſuum, ut expergefieret ad intelligentiam illius myſterii. Hac etiam ratione nunc interrogat Angelum. Dicit igitur *ſe optaſſe veritatem* ſuper quarta beſtia. Jam repetit ſimul quæ ante vidimus, *quod* ſcilicet *diverſa eſſet ab aliis*. Et certe memorabile fuit illud diſcrimen, quod tot Reges fuerint ſubjugati à Romanis. Si enim reputamus qualis fuerit illius gentis origo, pauci latrunculi occuparunt locum deſertum: deinde audacia, & quodam bellaino impetu graſſati ſunt, donec omnes ſuos vicinos ſibi ſubjicerent. Tandem mari trajecto, nunc provinciam unam, nunc alteram occuparunt. Ubi autem & regnum Macedoniæ, & regnum Antiochi venit ſub illorum poteſtatem, fuit hoc ſimile portento. Tandem quum dominati ſunt in toto illo circuitu maris Mediterranei, & nullus angulus fuit qui non reciperet jugum, hoc nunquam comprehenſum fuiſſet humano ſenſu. Dicitur igitur *beſtia hæc diverſa fuiſſe ab aliis, & terribilis valde*. Eodem ſenſu vocantur *dentes ejus ferrei, & ungues ænei*. De unguibus nulla facta fuerat mentio: tantum loquutus fuerat Propheta de ferreis dentibus: nunc etiam adjungit *ungues æneos:* quaſi diceret, immani rabie præditam fore hanc beſtiam, ut graſſetur in ſua violentia non uſitato modo, ſed ut omnia diſcerpat, laceret, devoret: quemadmodum iterum repetit quod dixerat, *comedens & conterens, & quod reſiduum eſt calcans pedibus ſuis.* Quoniam hæc omnia ſemel expoſui, nunc nolo fruſtra tempus conſumere, & vos etiam obtundere ſupervacuis repetitionibus. *Interrogavi etiam*, inquit, *de cornibus decem, quæ erant ſuper caput ejus.* Et hæc etiam cauſa eſt cur brevius hæc perſtringam, quoniam ſequetur paulo poſt reſponſio Angeli. Propheta igitur nunc ſciſcitatur haud dubie cæleſti impulſu, quia Deus noluit tantum privatim illum docere, ſed ut teſtis eſſet ac præco hujus tanti myſterii: atque ut hodie diſcamus ex ejus ſcriptis quæ apprime nobis utilia ſunt cognitu. Dicit ergo *ſe etiam fuiſſe ſciſcitatum de cornibus decem quæ erant ſuper caput beſtiæ, & de alio cornu quod ſurrexerat*, nempe parvo: *& quod cecidiſſent ex facie beſtiæ tria cornua.* Diximus per decem cornua notatas fuiſſe provincias: deinde notatum fuiſſe diſcrimen inter Romanum imperium & Monarchias: quia nunquam unus dominatus eſt Romæ, niſi quum violenter Sylla exercuit ſuum latrocinium, Marius etiam, ſed brevi tempore. Hic autem agitur de continuo Romani imperii ſtatu. Non fuit igitur unum animal ſimpliciter, ſed cui erant decem cornua. Eſt autem numerus finitus pro infinito. Quantum ad parvum cornu ſpectat, dixi etiam referri hoc ad Cæſares, ubi oppreſſa libertate atque etiam auctoritate Senatus, ad ſe traxerunt totam potentiam: quum tamen adhuc ſplenderet aliqua dignitas in Senatu, & majeſtas in populo. Diximus etiam quomodo fracta fuerint tria cornua: hoc eſt, quomodo vafre Cæſares fregerint vel ex parte imminuerint robur populi & Senatus. Poſtremo diximus etiam cur offenſum fuerit cum oculis humanis parvum hoc cornu, quia aſtute Cæſares dominati ſunt, quum fingerent ſe eſſe Tribunos plebis duntaxat, & manerent inſignia ſummi imperii penes Conſules, venirent

ipſi in Senatum, ſederent in loco tribunalibus vel ſellis curulibus ſubmiſſo. Quum ergo perſpicacia & acumine fuerunt dominati, non libere & palam, ideo dicuntur præditi fuiſſe humanis oculis. Quod ad linguam ſpectat, idem etiam eſt ſenſus. Nam quamvis ſemper profiterentur Conſulare imperium eſſe ſummum in Republica, tamen non poterant ſibi temperare, quin evomerent multas contumelioſas voces. Videmus ergo fuiſſe oculatos ab una parte, ab altera autem fuiſſe magniloquos. *Et aſpectus ejus præ ſociis terribilis.* Videtur hoc non ſpectare proprie ad parvum cornu quod exortum fuerat inter decem, ſed potius ad quartam beſtiam. Cæterum ſi quis intelligere malit de parvo cornu, non contendam, & ſenſus etiam non male quadrabit. Sed potius tamen amplector ſententiam priorem: neque mirum eſt, poſtquam de parvo cornu inſeruit ſermonem Propheta, redire ad beſtiam illam. Sequitur,

21. Vidi, & cornu illud faciebat prælium cum ſanctis, & prævaluit illis.

22. Donec venit Antiquus dierum, & judicium datum eſt ſanctis excelſorum, & venit tempus, & regnum acceperunt ſancti.

Propheta nunc adjungit quod omiſerat. Nondum ei reſpondet Angelus, ſed quia non ſatis expreſſerat parvum illud cornu geſſiſſe bellum cum filiis Dei, nunc quod tacuerat ſupplet. Dicit igitur *ſe vidiſſe.* Hoc per modum correctionis debet accipi, *Vidi*, inquit, hoc eſt, in viſione etiam hoc mihi objectum fuerat, nempe quod cornu illud *prœliatum eſt cum ſanctis, ita ut prævaleret.* Certum eſt alios etiam tyrannos exhibuiſſe plurimum moleſtiæ electo Dei populo. Ideo multi hoc ad Antiochum Epiphanem referunt, qui præ aliis infeſtus fuit Judæis, ita ut intentus eſſet prorſus ad delendum nomen Dei Iſraëlis. Et ſcimus quoties armaverit validos exercitus, ut populum illum extingueret una cum Dei cultu. Quoniam igitur tanta fuit ſævitia Antiochi adverſus Iſraëlitas, ideo exiſtimant multi imaginem ejus fuiſſe exhibitam Prophetæ ſub parvo cornu, & quod poſtea videbimus de tempore, & de temporibus & dimidio temporis, etiam exponunt de tribus annis & dimidio, quo tempore templum collapſum fuit, ut non liceret populo offerre ſacrificia. Quoniam igitur tunc intermiſſa fuit Religio, exiſtimant notari tyrannidem illam, qua prohibitus fuit populus teſtari ſuam pietatem. Sed quamvis hæc opinio plauſibilis ſit, & primo intuitu præ ſe ferat aliquid ſpecioſi coloris: tamen ſi expendimus omnia ordine, facile judicare licet non poſſe hoc competere in Antiochum. Cur ergo dicit Propheta *parvum cornu bellum geſſiſſe cum ſanctis?* Certe jam Antiochus ſævìit contra Eccleſiam, aliique permulti. Scimus ut Ægyptii ſæpe irruperint, ut ſpoliarent templum, Romani etiam ante Monarchiam Cæſarum. Reſpondeo hoc comparative dici, quia nunquam ita duriter & ex profeſſo geſtum fuit bellum contra Eccleſiam, ſicuti poſtquam exorti ſunt Cæſares, & Chriſtus etiam mundo fuit patefactus. Diabolus enim tunc magis inſaniit, & Deus etiam laxavit ei habenas ad probandam ſuorum patientiam. Denique oportuit acerrimos tunc conflictus inſurgere, quum redemptio mundo fuit propoſita: & eventus rerum hoc oſtendit. Scimus enim primum quam horrendis exemplis vaſtata fuerit Judæa: nunquam etiam ita ſævitum fuit contra unum populum. Neque calamitas fuit exigui temporis: ſed ita ſcimus fuiſſe obſtinatos, ut coacti fuerint eorum hoſtes oblivìſci omnis clementiæ. Nam Romani ſtuduerunt illis parcere quantum in ſe erat. Sed tanta fuit pertinacia, & tam veſanus furor, ut ipſi quaſi devoti exitio provocarent ſuos hoſtes, donec horrenda illa clades accidit, quæ ſatis nota eſt ex hiſtoriis: quum ſcilicet Titus auſpiciis patris Veſpaſiani urbem cepit ac diruit: ubi per totam Aſiam paſſim Judæi inſtar pecorum fuerunt jugulati & occiſi. Hoc quantum ad Judæos ſpectat. Quoniam autem Deus tunc inſeruit in Eccleſiæ ſuæ corpus etiam Gentiles, crudelitas Cæſarum comprehendit omnes Chriſtianos: ſic factum eſt, ut parvum illud cornu geſſerit bellum cum ſanctis alio modo, quam beſtiæ priores, propterea ſcilicet quod oblata erat occaſio, & accenſa erat diaboli rabies contra omnes Dei filios, propter Chriſti manifeſtationem. Optime igitur hoc quadrat, quod *parvum cornu bellum geſſerit adverſus ſanctos:* ita, inquit, *ut prævaluerit.* Nam quum tanta intemperie ſævirent & Cæſares, & quicunque præerant omnibus imperii provinciis, Eccleſia fere perdidit faciem in mundo. Sic factum eſt, ut in ſpeciem & communi opinione prævaleret parvum illud cornu, quia deſperatum erat prorſus de Eccleſiæ ſalute ad breve tempus. Jam ſequitur, *donec venit Antiquus dierum, & judicium datum fuit ſanctis excelſorum.* Non dubium eſt, quin Propheta eodem ſenſu dicat veniſſe Deum, quo prius: nempe ubi erexit ſuum tribunal, & palam apparuit judex mundi in Chriſti perſona. Hic non proponit nobis Filium hominis, ut ante: ſed tamen ex altero loco petenda eſt plenior expoſitio præſentis loci. Dicitur ergo *veniſſe Deus* quum exeruit ſuam virtutem ad ferendas Eccleſiæ ſuppetias: ſicuti communi figura dicitur procul à nobis abeſſe, & dicitur etiam vel dormire, vel jacere, ubi re ipſa non probat ſe eſſe noſtrum liberatorem. Ergo ex oppoſito dicitur ad nos venire, ubi palam demonſtrat ſe gerere curam noſtri. Hac figura nunc dicit Daniel ſibi propoſitum fuiſſe conſpectum Dei ipſius. *Venit ergo Antiquus dierum.* Quæritur de tempore, & reſponſio in promptu eſt, quod ſcilicet ſtatim poſt Evangelii promulgationem Deus Eccleſiæ ſuæ manum porrexerit, ut emergeret quaſi ex abyſſis. Quum enim exoſum fuiſſet Judaicum nomen longo tempore, & quum omnes populi cuperent exterminatos eſſe omnes Judæos è mundo, adventu Chriſti crevit odium illud, & ſimul crudelitas: deinde acceſſit etiam licentia, quod putabant Chriſti diſcipulos res novas moliri, & velle totum mundum evertere: ſicuti etiam hodie hac invidia laborant atque gravantur pii omnes. Deus ergo dicitur veniſſe, ubi magis ac magis promulgata fuit Evangelii doctrina, & aliquid quietis datum fuit Eccleſiæ. Per illas igitur inducias factum eſt, *ut ſancti regnum acceperint* quod illis ablatum fuerat: hoc eſt, ut adepti ſint aliquod nomen in mundo, & celebre fuerit imperium Dei, & ſanctorum: quia ſcilicet voluit Deus celebrari ſuum nomen, quum doctrina pietatis ita diſperſa huc & illuc fuit. Nunc ergo tenemus quid velit Daniel quum dicit *Antiquum dierum veniſſe, & judicium datum fuiſſe ſanctis excelſorum.* Reliqua in craſtinum.

Da omnipotens Deus, quando examinas fidem ac patientiam noſtram multis certaminibus, ſicuti etiam noſtrum eſt, nos tuo arbitrio huc in parte & in omnibus ſubjicere: da, inquam, ut dum fluctuamur inter multos impetus, dum undique impetimur à Satana & omnibus impiis, dum in nos crudeliter ardet ac ſævit eorum furor, ut tamen non cedamus: ſed freti invicta Spiritus tui virtute, pergamus in militia noſtra, etiam ſi prævaleant ad tempus impii: & expectemus adventum Filii tui unigeniti, non tantum quum apparebit ultimo die, ſed etiam quum ita tibi viſum fuerit, ut Eccleſiam ſuam ſublevet, atque erigat ex ſuis miſeris afflictionibus: & etiam ſi diu ſuſtinendum ſit, ne tamen animis deficiamus, donec tandem colligamur in beatam illam quietem, quæ nobis parta eſt ejuſdem unigeniti Filii tui ſanguine, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO TRIGESIMA SEPTIMA IN DANIELEM.

COEpimus heri exponere quomodo *judicium datum ſit ſanctis* inter Euangelii exordia. Nam ſcimus Eccleſiam illis etiam temporibus minime fuiſſe tranquillam: quia ubi ceſſatum fuit ab externis perſequutionibus, & ſanguine fundendo, exorti ſunt domeſtici hoſtes, qui multo plus nocuerunt. Ita nunquam floruit regnum Chriſti in mundo, ut ſimile quicquam haberet cum imperiis, in quibus apparet magnus ſplendor, & magna pompa. Sed Deus voluit Prophetæ ſuo ſolatium hoc proponere, quod tandem futurum eſſet aliquod Eccleſiæ nomen, ſicuti etiam obtinuit gradum honoris poſtquam ita emerſit, ut palam auſi fuerint electi dare nomen Chriſto, & profiteri veram & ſinceram pietatem. Tunc ergo intelligit Propheta datum fuiſſe judicium ſanctis, vel jus à quo depulſi fuerant, redditum, & ſimul etiam adeptos fuiſſe regnum, quia non ita jacuit Eccleſia ignobilis, ut ante Chriſti adventum. Promulgatio enim Euangelii tandem fuit libera, ut ſtatim iterum videbimus. Pergamus nunc in contextu.

23. Sic dixit: (*videtur eſſe conciſa oratio: ſed quia prius adjecerat quod fuerat prætermiſſum, nunc ut contexat hiſtoriam, iterum repetit Angelum ſic dixiſſe, nempe quoad partem illam viſionis. Sic ergo dixit Angelus*) Beſtia quarta, regnum quartum erit in terra, quod erit diverſum ab omnibus regnis: & vorabit (*alii vertunt in paſſivo*) totam terram, (*ne fiat ulla mutatio*) & conteret, (*alii vertunt triturabit: ſed nihil opus eſt mutare ſenſum*) & comminuet eam.

24. Et cornua decem ab illo regno, decem Reges *ſunt*, qui exorientur; (*qui ſurgent*) & aliud poſtremum ſurget poſt illos, (*Reges, vel poſt illa cornua*) & ipſe (*Rex, vel ipſum cornu erit diverſum*) erit diverſus à ſuperioribus, (*qui notatur per cornu*) & tres Reges affliget.

In hoc reſponſo Angeli videtur non minor eſſe obſcuritas, quam in ipſa viſione: ſed hoc tamen ſufficere debuit ad pacandos animos fidelium, ut ſcirent fore varias mutationes, quæ concuterent totam terram: ita ut ſanctis parata eſſent multa certamina, quo ipſi quoque ſimul parati eſſent ad tolerantiam & fortitudinem. Noluit igitur Deus penitus explicare quod oſtenderat Prophetæ ſuo, ſed tantum voluit proponere hanc ſummam, nempe exoriturum eſſe regnum, quod ab aliis omnibus differret. Ergo Angelus per quartam beſtiam dicit ſignari *quartum regnum, quod diverſum erit ab omnibus regnis.* Ante illud tempus nulla Reſpublica tam late dominata fuerat. Nam quamvis Lacedæmonii, & Athenienſes geſſerint res præclaras & memorabiles: tamen ſcimus incluſos fuiſſe exiguis finibus: & ambitio ac garrulitas Græcorum fecit, ut celebrentur bella illa, quæ tamen nullius fere erant momenti, quemadmodum ex ipſis hiſtoriis liquet. Quicquid ſit, precario Lacedæmon obtinuit ſecundas partes in Græcia, ſicut Athenæ primas. Quantum ad Romanum imperium ſpectat, ſcimus fuiſſe amplius & potentius aliis omnibus Monarchiis. Quum Italia tota venit in illorum poteſtatem, jam hoc poterat ſufficere ad nobilem aliquam Monarchiam: ſed poſtea accedunt Hiſpaniæ, Sicilia, pars Græciæ, Illyricum, tandem tota Græcia, poſtea regnum Macedoniæ, Aſia minor, Aphrica, omnes etiam inſulæ: ita ut verbo uno expulerint Regem Cyprium, & publicaverint ejus bona. Collecta fæce plebis, Claudius tulit legem, ut Rex Cyprius ablegaretur: hoc factum eſt & ſola voce & abſque armis. Non mirum igitur eſt, ſi Deus prædixerit *regnum hoc fore diverſum ab omnibus aliis regnis*, quia nullum illic fuit caput: ſed Senatus auctoritate polluit, potentia vero fuit penes populum. Fuit igitur permixta quædam colluvies. Neque enim unquam res fuerunt Romæ compoſitæ. Et ſi omnia prudenter expendimus, neque fuit Reſpublica, neque regnum: ſed fuit confuſum neſcio quid. Populus enim trahebat ad ſe potentiam, & ſubinde tumultuabatur: Senatus autem opprimebat plebem quantum in ſe erat. Stabant tamen tres ordines, nempe Senatorius, Equeſtris, & Plebeius: ex illa mixtura confectum fuit regnum monſtro ſimile. *Diverſum* igitur *fore* denunciat *Angelus regnum quartum ab omnibus regnis.* Poſtea confirmat quod prius vidimus, *Concidet*, inquit, *& comminuet, & calcabit totam terram.* Id enim completum fuit ubi poſt ſubactas Gallias, Britanniam domitam, Germanos aliqua ex parte profligatos, captum Illyricum, Græciam, & regnum Macedoniæ, tandem penetrarunt in Aſiam, & Antiochus fuit quaſi relegatus ultra Taurum: poſtea etiam regnum ejus ceſſit in prædam, poſtquam potiti ſunt Syria: & Ægypti Reges ita fuerunt ſocii, ut tamen ſuſpenſi eſſent ad eorum nutum: Rex non auderet inſtituere hæredem, niſi ex eorum placito. Poſtquam ergo ita longe & late graſſati ſunt, vere implétum ſuit hoc vaticinium, *quod* ſcilicet *voraverint totam terram.* Nulla enim unquam fuit tanta intemperies dominandi: & ſerebant bella ex bellis: & quum eſſent avidi ſanguinis humani, proprio etiam ſanguini minime parcebant. Inexplebilis igitur fuit ille gurges, qui fere abſorpſit totum mundum, & contrivit etiam ſua ſuperbia, & calcavit. Acceſſit ad ſuperbiam crudelitas, ut omnes reſpexerint ad Romanos, & ut quiſque adulando ſibi conciliaverat Romæ favorem, ita inter ſuos populares poterat ſævire: & his artibus fere interiit tota Græcia. Sciebant enim multos innoxios paſſim occidi in ſingulis urbibus: & oblectabat eos ludus ille, quia ſciebant facile ſibi tandem fore, ad ſe attrahere totius mundi opes, quum nullum eſſet robur, nullum conſilium, nulla potentia. Nam Proceres inter ſe certabant, ut nunc una factio, nunc altera eſſet ſuperior. Ita facile concidit ſenſim ſplendor cujuſque urbis. Sic ſpoliata fuit Græcia: & facile fuit Romanis imperium ſuum illic exercere quaſi in brutas pecudes. Idem etiam de Aſia dicendum eſt. Ergo nihil mirum, ſi dixerit Angelus *calcandam fore terram, & conterendam ab hoc quarta beſtia.* Poſtea adjungit, *decem cornua fore decem Reges qui conſurgent.* Certum eſt, comprehendi hos decem Reges ſub uno Imperio. Ergo non agitur hic de perſonis. Nam vidimus in regno Perſico multos fuiſſe Reges: tamen una fuit imago ſecundæ beſtiæ, quæ complexa fuit Reges illos omnes, donec contigit mutatio. Sic etiam

nunc ubi de Romanis agitur, non intelligit decem fore Reges Propheta, qui ſuccedant alii aliis ordine, ſed potius ſignificat multiplex fore regnum, & non unius capitis. Nomen vero regium attribuit Senatoribus vel primariis civibus, quorum maxime vigebat auctoritas tam in Senatu quam in populo. Quod ad numerum ſpectat, diximus notari duntaxat pluralem numerum, non autem finiri ad decem. Summa eſt, regnum hoc fore quidem unum animal terribile, ſed quod geſtet multa cornua: quoniam non Rex unus illic ſummæ rerum præerat, ut in aliis terris, ut tunc communi more uſitatum erat: ſed fore mixturam quandam, ut plures Reges unius loco illic eminerent, quemadmodum ſatis notum eſt ex Romana hiſtoria hoc fuiſſe completum. acſi dictum eſſet, non fore unum aliquem Regem Romæ, ſicuti apud Perſas, ſicuti apud alios populos, ſed fore multos Reges ſimul: hoc eſt, Imperium hoc fore mixtum, & confuſum ex quadam colluvie. Sequitur de parvo cornu: *Surget Rex*, inquit, *etiam ab illis prioribus diverſus, & affliget tres Reges.* Diximus non poſſe hoc intelligi, niſi de Cæſaribus ad quos Monarchia tranſiit. Poſtquam diu multumque certatum fuit inteſtinis diſſidiis, tota poteſtas pervenit ad Triumviros. Nam conſpiratio facta fuit inter Lepidum & Marcum Antonium, & Octavium. Octavius erat tunc prope puer, ſaltem vix exceſſerat adoleſcentiam. Sed milites omnes veterani propter nomen Julii Cæſaris & adoptionem favebant puero. Sic factum eſt, ut receptus fuerit in ſocietatem ab illis duobus: Lepidus primus erat, ſecundus M. Antonius. Tandem diſcordiis etiam ipſorum factum eſt, ut privatus fuerit Triumviratu Lepidus: & vixit quaſi ſemimortuus, nec alia ratione prorogata fuit vita, niſi quod eſſet maximus Pontifex. Sacerdotii reverentia, abſtinuit Antonius à cæde, ut contentus eſſet ille privata & ignobili vita. Octavius tandem regnavit: ſed quo artificio? Diximus Julium Cæſarem nihil plus ſibi ſumpſiſſe, quam ut eſſet Dictator: & tamen ut quotannis eligerentur Conſules. Ipſe nomen Dictaturæ non extendit ultra modum. ſed ita ſe continuit, ut poſſet videri adhuc vigere aliquis popularis ſtatus. Octavius etiam ſequutus eſt illam vafritiem avunculi ſui, & adoptivi patris. Idem reperietur in aliis Cæſaribus: & tamen magnum fuit diſcrimen. Quum igitur adhuc ſtaret aliqua forma Reip., quum Senatus reverentiam adhuc aliquam teneret, non mirum eſt, ſi Angelus prædicit ſuperſtitem tunc fore beſtiam, *quum exurget aliud parvum cornu, quod tamen erit diverſum ab aliis.* Adjungit, *& tres Reges affliget.* Expoſui hanc partem, quod ſcilicet Cæſares aliquantulum mutaverint in provinciis. Nam ſi quæ provinciæ erant bellicoſæ, ita etiam ſolebant illuc mitti & robuſti exercitus, & milites veterani. Eas Cæſares ſibi ſumpſerunt: penes Senatum relicta fuit exequutio aliqua in ſpeciem, quod ad alias provincias ſpectat. Denique hac loquendi forma ſignificat Angelus cornu hoc parvum ſic dominaturum eſſe, ut imminueret priorum cornuum robur: & tamen maneret adhuc quaſi integra beſtia: ſicuti apparuit aliqua effigies Reip. & ſemper magnifice vocati ſunt Quirites in foro, Commilitones in bellis. Interea quamvis ita celebre eſſet nomen Romani imperii, & majeſtas etiam eſſet in ore omnium: penes unum cornu parvum quod latebat neque ingenue audebat ſe extollere, fuit tota poteſtas. Hæc igitur ſumma eſt interpretationis, quam affert hic Angelus. Sequitur,

25. Et ſermones ad regionem (*vel ad latus*) excelſi loquetur, & ſanctos excelſorum conteret, (*alii vertunt, abſumet, affliget*) & putabit ad mutandum (*hoc eſt, cogitabit apud ſe mutare*) tempora, & legem: & tradentur in manum ejus uſque ad tempus, & tempora, & diviſionem temporis.

Paulo clarius nunc Angelus exponit quod ante breviter attigerat Propheta, nempe Regem hunc poſtremum fore manifeſtum & profeſſum hoſtem Eccleſiæ. Diximus heri fuiſſe à compluribus tyrannis miſere vexatam Eccleſiam, & crudeliter: Sed ſi conferamus alios cum aliis, reperiemus poſt adventum Chriſti fuiſſe Eccleſiam multo durius afflictam, & quaſi aperto etiam bello oppugnatam fuiſſe à Cæſaribus. Sic enim ferebat occaſio. Nam diſperſa fuerat per omnes fere provincias Imperii Euangelii doctrina. Odioſum erat Judaicum nomen: & exarſit major invidia ob novitatem doctrinæ: quia putabant Judæos ſibi fabricaſſe novum deum, nempe Chriſtum: ſic enim videmus fuiſſe loquutos. Quum ergo objecta eſſet materia ſæviendi contra purum Dei cultum, hinc factum eſt ut Cæſares fuerint magis animati ad gerendum bellum contra electos, & Eccleſiam opprimendam. Neque enim per ipſos ſtetit, quo minus extinguerent totam lucem cæleſtis doctrinæ, abolerent veram religionem, & Deum quodammodo ejicerent è terra. Optime igitur hoc convenit quod narrat Daniel, nempe Regem hunc fore ita protervum, ut *ſermones proferat contra Deum excelſum.* Quidam vertunt, ex parte altiſſimi. Sed neſcio quæ ratio eos moveat: לצד ſignificat ad latus, vel ad regionem. Perinde igitur eſt acſi diceret, tantam fore ſuperbiam in hoc novo Rege (qui tamen non ingenue exercebat ſuam potentiam, ſed per occultas fraudes) ut ſedeat quaſi ad latus Dei, hoc eſt, ex oppoſito. Et ita ſignificat manifeſtum fore hoſtem Dei. Qui hoc intelligunt de Antichriſto, putant confirmari ſuam ſententiam, quia tyranni alii bellum contra Deum armis geſſerunt & violentia, non autem verbis. Sed Propheta hic non tam ſubtiliter loquitur. Non intelligit ergo per *ſermones* doctrinam, ſed magniloquentiam illam, qua auſi ſunt edicta ſua Cæſares promulgare per totum orbem, ut Proconſules omnes pœnas exigerent de Chriſtianis, ne ſinerent pullulare impiam illam & maledictam ſectam. Volitarunt enim terrores illi per totum mundum. Ergo tunc impletum fuit quod narrat Daniel, nempe *prolatos fuiſſe ex oppoſito adverſus Deum ſermones*: quia putarunt tyranni illi, etiamſi milites non armarent, edicta ſua poſſe ſufficere ad extinguendam Chriſti memoriam. Et contumelioſe etiam tunc traducta fuit vera pietas, nomen ipſum Chriſti laceratum fuit horrendis probris, quemadmodum ſatis ex hiſtoriis notum eſt. Optime igitur etiam hoc conſtat, *quod parvum hoc cornu loquutum fuerit*, vel protulerit *ſermones ex oppoſito excelſi. Affliget*, inquit, *ſanctos excelſorum.* Quid intelligat per ſanctos excelſorum breviter diximus. Sic enim accipio in ſtatu regiminis. Per ſanctos haud dubie deſignat filios Dei, vel electum populum, vel Eccleſiam. Vocat autem ſanctos excelſorum, quia pendeant è cælo electi: & quamvis in mundo peregrinentur, tamen vita illorum in cælis eſt: quia manet eos æterna hæreditas, quæ parta fuit per Chriſtum. Quum igitur theſaurus illorum in cælo ſit, & quum ipſi non immerito glorientur ſe eſſe cives cælorum, & ſocios ac fratres Angelis: ideo merito vocantur *ſancti excelſorum*, quia ſeparati ſunt à mundo, & ſciunt ſe tantum in diem hic vivere, donec perveniant ad ſtabilem & certam quietem. Hoc etiam ſcimus fuiſſe impletum, quia tantus terror incuſſus fuit omnibus piis, ut Eccleſia fere intercideri, quum tam crudeliter traherentur ad ſupplicia non pauci, ſed quicunque ſuſpecti fuerant. Quum

ergo

ergo tanta ubique eſſet licentia perſequendi omnes pios, tunc afflicti fuerunt à parvo cornu ſancti. Dicit etiam Propheta vel Angelus, *Putabit*, vel cogitabit *mutare tempus & legem, & tradentur in manum ejus.* Quod de temporibus hic dicitur, referunt multi ad dies feſtos. Sed poſſumus generaliter accipere, quod parvum hoc cornu evertet quicquid prius uſitatum erat in mundo: & ita etiam דת interpretor, non Legem Dei vel Euangelium, ſed generaliter ritus, mores, inſtituta. Etſi enim contendunt de hac voce interpretes, dum alii hoc trahunt ad Decalogum, alii ad Euangelicam prædicationem: videtur mihi ſimplicior eſſe Prophetæ ſenſus, quod ſcilicet Cæſares jura omnia tam divina, quam humana perverterint. Et vidimus hoc fuiſſe conatos, & aliqua ex parte etiam conpleviſſe. Non mirum igitur, ſi effrenem hanc audaciam huic poſtremo Regi aſſignet Propheta, quod ſcilicet *cogitabat mutare quicquid prius ordinatum fuerat* in mundo. Et hac etiam ratione prius dixerat præditum fore cornu hoc humanis oculis: deinde, fore magniloquum, ut tonaret horribili modo, & formidinem incuteret omnibus ſola voce. Scimus hoc fuiſſe repræſentatum quaſi in ſpeculo, ſi conſideremus quouſque progreſſi fuerint in ſua petulantia Cæſares. Nam quod ad Octavium ſpectat, etiamſi continuerit ſe intra civilem modum, tamen paſſus eſt ſe adorari pro deo, ſibi erigi altaria: voluit etiam aliquid eſſe vulgo perſuaſum de ſua deitate: celebravit convivium in quo ſedebat tanquam inter majores deos. Tiberius neglexit omnes religiones: interea tamen videmus ut pro nihilo duxerit cunctos mortales. Et quamvis eſſet obtuſo ingenio, tamen nihil non auſus eſt: & interea vafre quotidie circumveniebat Senatum. Quod ad Caligulam ſpectat, ille etiam Jovi minatus eſt, Quid? Tu es hic exul, ego vero indigena: te relegabo in tuam Græciam ubi natus es. Et ſæpe colaphis incuſſit ſimulachro Jovis. Nec contentus Dei nomine, opima ſacrificia ad ſe traxit. Et crevit diabolicus ille furor in Domitiano. Quantum ad homines ſpectat, quales ſemper fuerunt Cæſares? Dicebat ille, Utinam Pop. Rom. cervicem unam haberet. Ludum ſuum habuit in ſtrage Senatus: quin etiam voluit equum ſuum facere Conſulem. Quanta fuit illa ignominia? Videmus ergo non ſine cauſa fuiſſe hoc prædictum, nempe tantam fore petulantiam in parvo illo cornu, ut auderet legem, hoc eſt, ordinem quemlibet, deinde tempora, hoc eſt, ſeriem rerum omnium, & quaſi naturam prorſus mutare & convertere in novum chaos. *Cogitabat* ergo: non exprimit effectum Propheta, ſed ſimpliciter ſignificat eo uſque amentiæ venturum eſſe hoc parvum cornu, ut cogitet quaſi ſolem detrahere è cælo, convertere lucem in tenebras, nihil integrum, nihil ordinatum relinquere in mundo: quod etiam vere accidit. Ego ſingula hic non refero. Nam poſſem & triduo, & multis diebus, & menſibus etiam vos detinere narrando hiſtorias: ſed tantum breviter attingo quæ neceſſaria ſunt cognitu ad intelligentiam verborum Prophetæ, & hujus vaticinii. Quum dicit, *Tradentur in ejus manum*, ſignificat etiamſi proſiliat parvum illud cornu ad deſperatum furorem, tamen Deum ſemper dominaturum eſſe, ut nihil contingat niſi ejus arbitrio. Deus igitur fuit, qui tradidit in manum illius Regis & ſanctos, & politicum ordinem, & pietatem, ſic ut funderet promiſcue ſanguinem humanum, ut violaret omnia jura, omnem religionem quantum in ſe erat labefactaret. Hoc autem non parum affert nobis ſolatii, ubi ſcimus Dei permiſſu tyrannos graſſari in Eccleſiam, & in legitimum Dei cultum: quia ſi eſſemus expoſiti eorum libidini, qualis eſſet rerum omnium perturbatio? Sed ſuccurrat nobis quod dicit Angelus, quum tyranni ſic ſe projiciunt, & horribili licentia perturbant omnem ordinem, ſæviunt crudeliter in homines miſeros & innoxios: ſuccurrat hoc (inquam) nobis, non poſſe vel digitum movere, niſi Dei permiſſu. Cur autem Deus ita laxet frenum ſuis & Eccleſiæ ſuæ hoſtibus, noſtrum non eſt cognoſcere: niſi quod Deus ita probat & examinat patientiam ſuorum. Sed ſufficiat hoc nobis, tyrannos etiamſi omnia tentent ac machinentur, nihil tamen poſſe, niſi quatenus illis divinitus permittitur. Sed major conſolatio additur in poſtremo membro, *uſque ad tempus, & tempora, & diviſionem temporis*, vel dimidium, ut alii vertunt: proprie eſt diviſio. Hic etiam laborant interpretes *de tempore, temporibus, & dimidio temporis.* Non referam omnes ſententias, quia ſimul refellere opus eſſet. Mihi vero parum eſſet negotii, ſi vellem ſingulas opiniones refutare: ſed ego ſequar meum morem; hoc eſt, breviter complectar genuinum ſenſum Prophetæ: & ita nulla difficultas reſtabit. Qui annum putant hic notari per tempus, falluntur meo judicio. Citant ex Apocalypſi quadraginta duos *Apoc. 13. verſ. 5.* menſes, qui efficiunt triennium cum dimidio: ſed illud minime firmum eſt: quia etiamſi concedam tempus poſſe vocari annum, non erunt tamen numerandi trecenti ſexaginta quinque dies in anno, ſed annus ipſe ſumetur figurate pro tempore aliquo indeterminato. Præſtat autem manere in Prophetæ verbis. Ita tempus hic non ponitur pro certis menſibus, aut diebus, vel anno uno: ſed pro tempore aliquo, cujus finis eſt in conſilio arcano Dei. *Dabuntur* ergo *ad tempus*, inquit: poſtea addit, *Tempora:* hoc eſt, dabuntur in prorogationem temporum. Sed poſtremo adjungit, *uſque ad ſectionem* vel diviſionem *temporis:* quaſi diceret, tandem affore finem malis, ubi Dominus Eccleſiæ ſuæ miſertus compeſcet tyrannos illos cum ſua ſævitia. Quamdiu ergo crudelitas Cæſarum Eccleſiam Dei oppreſſit, tradita fuit licentia illis in manum. Jam vidimus quam multi Cæſares fuerint hoſtes veræ Eccleſiæ. Primus Nero crudeliſſime ſævit. Nam combuſſit aliquot millia Chriſtianorum Romæ, ut infamiam qua flagrabat ipſe, extingueret: quia populus non ferebat barbariem ejus, quod pars fere quarta urbis abſumpta fuiſſet incendio: & ipſe interea agitabat ſuas delicias: imo ſumma illi voluptas fuit in ſpectaculo illo tam triſti. Quum ergo ſibi metueret à populari tumultu, traxit multos Chriſtianos, & objecit populo quaſi ad piaculum. Quicunque poſtea ſequuti ſunt non deſtiterunt fundere innoxium ſanguinem: & qui viſi ſunt etiam præditi aliqua clementia & humanitate, correpti tamen fuerunt omnes furore diabolico. Trajanus habitus fuit optimus Princeps: ſcimus tamen ut ipſe quoque juſſerit paſſim interfici omnes Chriſtianos, qui pertinaces erant in errore, quemadmodum ipſe putabat. Alii vero fuerunt truculentiores. Ergo nihil mirum, ſi Angelus prædicat *uſque ad tempus, & tempora, & diviſionem temporis*, licentiam hanc fore tyrannis & hoſtibus Eccleſiæ, ut omnia pervertant, ut Deo contempto & poſthabita etiam omni æquitate, trucidationem faciant immanem & horrendam. Oportuit autem hoc prædici ob duas cauſas: primum, ne deficerent ob temporis longitudinem fideles, quia ubi tranſierat tempus, hoc eſt, vel decennium vel circiter, oportuit venire *ad tempora*, hoc eſt, ad quinquaginta, imo fere ad centum annos. Fuit igitur hæc una ratio cur Deus præmonuerit fideles *de tempore & temporibus.* Sed voluit etiam mitigare ipſorum triſtitiam, quum addidit *temporis dimidium*, hoc eſt, quum promiſit fore aliquem modum & finem his tantis calamitatibus. Et optime reſpondet quod dictum fuit à Chriſto Apoſtolis de variis motibus terræ. *Matt. 24. verſ. 6.* Exorientur, inquit, bella & rumores bellorum: & nondum finis, inquit. *Marc. 13. verſ. 7.* Denunciat fore præludia majorum malorum, quum & bellis & aliis cladibus vaſtabitur tota Judæa. *Luc. 21. verſ. 9.* Poſtea

ſubjicit, Niſi abbreviati fuiſſent dies iſti, &c. Ergo hæc brevitas dierum hic notatur, quod Dominus quaſi inciderit continuam illam ſeriem. Nam ubi viſa fuit firma poſſeſſio tyrannidis, repente & præter ſpem omnium Deus tandem Eccleſiam ſuam eripuit: & tunc emerſit Evangelii doctrina, & celebrata fuit paſſim. Deus ergo tunc abbreviavit dies propter electos ſuos. Et hoc intelligi debet per extremam particulam, ubi ponitur *dimidium temporis*. Reliqua differam in craſtinum.

Da omnipotens Deus, quando hodie quoque exercendi ſumus variis certaminibus, ne propter carnis infirmitatem unquam cedamus, vel obliviſcamur ſanctæ tuæ vocationis: ſed ita nos animemus ad omnes pugnas, ut ſtemus infracti contra omnes Satanæ & improborum inſultus: & ſic nos totos tibi tradamus, atque addicamus, ne pigeat nos etiam mortem ipſam, quoties opus fuerit, ſubire, imo nos quotidie offerre variis mortibus, donec perfuncti noſtra militia fruamur beata illa & æterna quiete, quam nobis præparaſti in Filio tuo unigenito; Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA OCTAVA
IN
DANIELEM.

26. Et judicium ſedebit, & poteſtatem ejus auferent ad diſſipandum & perdendum (*hoc eſt, ut diſſipent ac deleant*) uſque in finem.

NUnc Angelus Danieli reſpondet de interitu quartæ beſtiæ. Diximus autem quum Cæſares ad ſe traxiſſent imperium, fuiſſe quidem tunc Senatus & populi enervatum robur; ſed quia nomen adhuc reſtabat, non dicitur occiſa fuiſſe quarta beſtia, donec exteri homines contumelioſe Romæ dominati ſunt. Nam ſi fuiſſent centies victi à profeſſis hoſtibus Romani, non tantum ſubiiſſent dedecoris, ſicuti quum homines obſcuri & ſordidi illic exercuerunt tyrannidem ſævam ac barbaram: quia nulla tunc fuit Senatus auctoritas, & nullum populi nomen. Merito igitur Angelus tempus illud deſignat, quo occidenda erat quarta beſtia, ubi ſcilicet nunc Hiſpani, nunc Apbri, nunc alii barbari homines, & qui etiam in patria ſemper fuerant ignoti, præter opinionem hominum in illud culmen honoris elati ſunt, ut pro libidine opprimerent totam Rempub., jugularent nobiliſſimos quoſque ex Senatu, crearent etiam velut in notam ignominiæ qui ante fuerant ſordidiſſimi. *Tunc ergo occiſa fuit quarta beſtia*: & ſic intelligi debet reſponſum Angeli, quod nunc legimus. Dicit autem, *Judicium tunc ſedebit*: hoc eſt, Deus iterum reſtituet in ordinem res confuſas, ut ſentiat mundus ejus providentia terram & humanum genus regi. Ubi enim impune & licent omnia, & nulla habetur ratio æqui vel honeſti, creditur Deus vel otium ſuum & delicias colere in cælo, vel oblitus eſſe humani generis. Ideo dicitur etiam ex oppoſito conſcendere tribunal, quoties re ipſa & experimento ſentimus ipſum gerere curam noſtri. Conſeſſus itaque judicii hic vocatur reſtitutio, ubi deletum fuit Romanum Imperium, & Deus pœnas ſumpſit tantæ illius & tam effrenis ferociæ, de qua prius dictum fuit. Et quoniam loquutio hæc ſatis trita eſt ac frequenter occurrit in Scripturis, ego fuſius non proſequor. *Sedebit* ergo *judicium*: hoc eſt, poſtquam diu omnia demerſa fuerint in tenebris, emerget nova lux, ut facile homines agnoſcant Deum regnare. *Et poteſtatem*, inquit, *beſtiæ auferent ad diſſipandum & perdendum uſque in finem*. Hic Angelus denunciat extremum interitum quartæ beſtiæ. Quod attinet ad pluralem numerum verbi, jam ante diximus referri hoc ad Angelos, quorundam ſententia: ſed poſſe tamen ſimplicius intelligi, nempe abſolute vel indefinite. Et tamen ſi quis putet hoc melius quadrare Angelis, quemadmodum ante teſtatus ſum, non repugno: tantum vereor, ne hoc nimis ſit argutum: ideo ſequor quod ſimplicius eſt, & caret omni controverſia. Senſus ergo eſt, ubi diu, & quidem immaniter graſſata fuerit beſtia, præſertim vero parvum illud cornu, Deum functurum Judicis officio, ut beſtia hæc cum parvo cornu è medio tollatur. Deinde adjungit Angelus, nullam fore ſpem novæ vitæ, quemadmodum ſæpe contingit collabi magna regna, & deinde rurſus emergere: ſed hic pronunciat fore extremam cladem: quaſi diceret, vulnus eſſe inſanabile ac mortiferum. Nunc ſequitur,

27. Et regnum, & poteſtas, & magnitudo regni ſub toto cælo dabitur populo ſanctorum excelſorum. Regnum ejus regnum ſeculi, (*hoc eſt, perpetuum*) & omnes poteſtates ei ſervient, atque obedient.

Verſus hic admonet, quod prædictum fuerat de beſtiæ interitu ſpectare ad Eccleſiæ ſalutem, ut ſcirent fideles ſe à Deo reſpici, & mutationes, quæ aliæ poſt alias accidebant tendere in hunc finem, ut cognoſcerent pii ſe eſſe ſub Dei fide ac tutela. Nam differere de quatuor Monarchiis, fuiſſet frigidum ac parum utile, niſi hoc etiam fuiſſet adjectum, nempe peculiarem fore Deo Eccleſiæ ſuæ curam, ita ut mundum volveret aut verſaret in ſalutem ſuorum: quemadmodum etiam aliis locis dicitur, pluris eſſe electum populum Deo, quam omnia regna, quantumvis in terris ſplendeant. Hæc igitur ſumma eſt verborum. Si tollamus hunc verſum è contextu, erit quidem aliquis uſus vaticinii (nam inde poterimus elicere, quæ videntur ſtare in mundo, eſſe tamen caduca, & nihil eſſe tam firmum, quod non ſingulis momentis obnoxium ſit variis inclinationibus) ſed præcipuus, ut dixi, oraculi fructus eſt, referre ad piorum ſalutem quicquid contingit. Ubi ergo videntur omnia fortuito & cæco impetu rapi, hoc ſemper occurrere nobis debet, Deum excubias agere pro ſua Eccleſia, & temperare omnes procellas, omnes motus, ad uſum & ſalutem piorum, qui in ejus providentiam recumbunt. Hæc igitur inter ſe cohærent, nempe *quod quarta beſtia tandem interficietur, & dabitur regnum & poteſtas populo ſanctorum*. Videtur quidem hoc nondum fuiſſe completum: & hinc factum eſt, ut multi, imo fere omnes traxerint hoc vaticinium ad ultimum diem adventus Chriſti, exceptis Judæis. Chriſtiani certe omnes interpretes in hoc conveniunt. Sed quemadmodum jam expoſui, pervertunt genuinum Prophetæ ſenſum. Quantum ad Judæos ſpectat, neque cælum neque terram attingunt. Sunt enim non tantum ſtulti ac ſtupidi, ſed etiam phrenetici. Et quia illis propoſitum eſt adulterare ſanam doctrinam, Dominus etiam excæcat ipſos, ut ſint penitus cæci, atque ita pueriliter nugentur: & ſi vellem inſiſtere in refutandis eorum

Jeſa. 43. verſ. 3.

nugis,

augis, nullus eſſet modus. Quod autem videtur non fuiſſe completum vaticinium ſtatim poſt interitum beſtiæ, hoc facile diluitur: quia ſcimus Prophetas magnifice de Chriſti regno loquutos eſſe, & ornaſſe ejus dignitatem & gloriam ſplendidis elogiis: quæ tametſi non ſunt hyperbolica, tamen ſi quis velit exigere ad ſenſus humanos, certe putabit eos quaſi volitaſſe in aere, & nihil firmi ac ſolidi in eorum verbis reperiet. Neque mirum: quia regnum Chriſti & ejus dignitas non poteſt perſpici oculis carneis, neque etiam comprehendi humana mente. Conferant qui videntur acutiſſimi inter homines totam ſuam perſpicaciam: tamen nunquam conſcendent ad altitudinem regni Chriſti, quæ cælos ipſos ſuperat. Deinde nihil minus conſentaneum eſt noſtro judicio, quam vitam quærere in morte, divitias in paupertate & inedia, gloriam in ignominia & dedecore, peregrinari in mundo, & interim eſſe mundi hæredes. Hæc non poteſt mens noſtra capere. Non mirum igitur, ſi perperam judicant mortales de regno Chriſti, & cæcutiunt in ipſa luce. Interea vitium non eſt in ipſis Propheticis loquutionibus. Nam pingunt nobis Prophetæ imaginem viſibilem regni Chriſti, & ita ſe ad noſtram craſſitiem accommodant. Interea tenenda nobis eſt anagoge inter res terrenas & viſibiles, & inter ſpiritualem illam beatitudinem, quam ſecum nobis attulit Chriſtus, & quam nunc ſpe in ipſo poſſidemus: ſi ſpe, ergo abſcondita eſt felicitas illa, hoc eſt, non ſubjicitur oculis noſtris, neque etiam cadit ſub ſenſus noſtros. Nunc veniamus ad locum Danielis. Primo dicit, *Dabitur regnum, & poteſtas, & amplitudo imperii populo ſanctorum.* Hoc aliqua ex parte impletum fuit, ubi emerſit Euangelium, celebratum fuit nomen Chriſti paſſim, & fuit in pretio & honore, quum ante maxima invidia flagraret, atque etiam odio. Nihil enim magis fuit exoſum per multos annos, quam Chriſti nomen, vel etiam deteſtabile. Deus ergo tunc regnum electo populo dedit, ubi per varias mundi plagas agnitus fuit Redemptor, quem omnes non modo contempſerant, ſed etiam abominati fuerant. Aliud etiam notandum eſt, vel repetendum memoria, quoniam pluribus locis jam hoc caput attigi, nempe Prophetas quum de Chriſti regno diſſerunt, extendere longius verba ſua, quam ad primum exordium. Et tamen de ipſo exordio interea concionantur: quemadmodum hic Daniel vel Angelus non prædicit quid futurum ſit quum adveniet Chriſtus mundi Judex, ſed quid futurum ſit ubi per Euangelii prædicationem innotuerit, & celebre fuerit nomen Chriſti. Interea tamen hoc non obſtat, quo minus ſplendide loquatur de regno Chriſti, & ita in finem ipſum & complementum reſpiciat. Satis igitur eſt, quod tunc cœpit Deus regnum dare electo populo, ubi virtute Spiritus ſancti Euangelii doctrina paſſim recepta fuit in mundo. Nam ſubita illa mutatio erat incredibilis. Sed ita accidere ſolet: quum aliquid prædicitur, putamus eſſe fabulam, vel ſomnium: ubi Deus præſtitit quod nunquam putaſſet quiſquam mortalium, hoc totum vileſcit nobis, ac pro nihilo ducitur. Exempli gratia, Quum cœpit Euangelium prædicari, nemo putaſſet talem fore ſucceſſum & tam felicem: imo ducentis annis antequam manifeſtatus fuerit Chriſtus, quoniam religio propemodum deleta erat, & Judæi erant execrabiles toti mundo, quis putaſſet exorituram eſſe Legem è Sion? Tamen Deus illic ſceptrum ſuum erexit. Nulla erat regni dignitas, extincta erat ſoboles Davidis. Nam erat truncus ex familia Iſai, quemadmodum etiam ſimilitudine illa

Jeſa. 11. verſ. 1. utitur Jeſaias. Si quis interrogaſſet ordine Judæos omnes, nemo putaſſet hoc poſſe fieri quod tandem apparuit in Euangelii prædicatione: enituit enim tandem in Chriſto regni Davidis dignitas, & virtus: ſed evaneſcit ante oculos noſtros, & quærimus nova miracula. Quaſi vero non ſatis oſtenderit Deus ſe loquutum fuiſſe per ſuos Prophetas. Ergo videmus Prophetam modum non excedere, quum dicit *regnum & poteſtatem, & magnitudinem imperii datam fuiſſe populo ſanctorum*: & dicit, *Imperii ſub cælis omnibus.* Hinc colligit Rabbinus ille Barbinel, qui videtur ſibi inter alios omnes excellere, nos ſtulte imaginari ſpirituale Chriſti regnum. Nam hic ſtatuitur regnum Dei ſub cælo, inquit, & datur populo ſanctorum. Si ſtatuitur ſub cælo, inquit, ergo terrenum eſt: ſi terrenum, ergo non ſpirituale. Videtur ſibi hoc colligere valde ſubtiliter. Quaſi vero Deus non regnet in mundo, niſi ſit homo mortalis. Quoties Scriptura dicit, Deus regnat, neceſſe erit Deum transfigurari in hominem mortalem: alioqui nullum erit Dei regnum, ſi non eſt terrenum. Si terrenum eſt, ergo temporale: ſi temporale, ergo caducum. Jam etiam dicendum erit, Deum mutare naturam ſuam. Conſtabit igitur regnum ejus opulentia, & vi gladii & præſidiis militum, & deliciis & ſimilibus. Sequitur ergo, Deum jam fore ſui diſſimilem. Videmus quam pueriliter ineptiant Rabbini illi, dum affectant ingenti gloriam ad totam pietatis doctrinam labefactandam. Nihil enim, ut jam dixi, illis in animo eſt, niſi adulterare ſuis fœdis & putidis commentis quicquid eſt puritatis in Scriptura. Sed ſcimus regnum Dei & Chriſti, etiamſi in mundo ſit, *Joan. 18. verſ. 36.* non tamen eſſe ex mundo: diverſa hæc ſunt & longe inter ſe diſtant. Deus ergo regnum ſuum cæleſte in mundo nihilominus exercet, quia per Spiritum ſuum habitat in cordibus ſuorum. Quamdiu ſedem habuit Deus in Jeruſalem, an ideo terrenum & corruptibile erat regnum ipſius? Minime, quia non deſiit Deus eſſe cæleſtis, quamvis in terra locum haberet. Sic igitur Propheta audivit ex Angelo ſanctos, qui ſunt in mundo peregrini, fore tamen regni compotes, & ſummæ poteſtatis ſub cælo ipſo. Hinc recte colligimus, non debere exponi viſionem hanc de ultimo Chriſti adventu, ſed de medio ſtatu Eccleſiæ. Sub cælo igitur regnare cœperunt ſancti, quum Chriſtus per Euangelii promulgationem auſpicatus eſt regnum ſuum. Interea aliud etiam notandum eſt, transferri ad corpus ipſum quod eſt capitis: neque illud eſſe novum, quia paſſim apud Prophetas promittitur imperium Eccleſiæ, præſertim apud Jeſaiam, quoties concionatur de ſumma Eccleſiæ poteſtate. Papiſtæ rapiunt teſtimonia illa, ut ſe veſtiant Dei ſpoliis, quaſi Deus illis reſignaſſet jus ſuum. Sed in eodem errore verſantur & Papiſtæ & Judæi, quia Judæi erigunt criſtas quoties tanta dignitas electo populo promittitur: quaſi ſeparati à Deo, tamen jus obtineant calcandi totius orbis. Sic & Papiſtæ faciunt. Atqui tenenda eſt longe diverſa regula, nempe propter individuam ſocietatem Chriſti cum Eccleſia ſæpe quod proprium ipſius Chriſti eſt ad corpus transferri. Non quod Eccleſia per ſe regnet, ſed quod Chriſtus dum tanquam unicum caput in ea eminet, illic imperium obtineat, & obtineat non ſibi privatim & in ſuum uſum. quorſum enim opus eſt? ſed in communem ſalutem omnium membrorum. Quoniam ergo Chriſtus Rex noſter eſt, & dignatur ſedem ſuam erigere in medio noſtri, & nihil ſibi proprium uſurpat, ſed communicat nobiſcum quicquid habet, ac in utilitatem noſtram refert: ideo merito vocamur Reges, quum ipſe regnat: & quemadmodum jam dixi, quod non niſi in ſolam ejus perſonam proprie competit, ad nos transfertur propter communicationem, quæ eſt inter caput & membra. Et inde etiam ſumptum eſt quod hic à Propheta additur, *Omnes poteſtates ſervient atque obedient ei.* Non dubito quin Angelus confirmaverit vaticinium Jeſaiæ, quemadmodum Spiritus ſanctus quo melius confirmet ac ſtabiliat piorum fidem, ſæpe Prophetas ipſos inter ſe conciliat, ut conſenſus ipſe ſit quaſi obſignatio. Dicitur apud Jeſaiam, Regnum & terra quæ *Jeſa. 60. verſ. 12.*

non ſervient tibi exterminabuntur. Venient Reges, & adorabunt te: offerent tibi populi munera. In Pſal. 102. verſ. 23. Pſalmo etiam dicitur, Coovenient Reges in unum, ut ſerviant Deo. Sed diſerte apud Jeſaiam agitur de imperio Eccleſiæ. Nunc idem repetit Angelus, ut accedat, quemadmodum jam dixi, major fides & auctoritas Jeſaiæ vaticinio. Interea videmus quam apte inter ſe conſentiant Prophetæ omnes: & ſimul colligimus, quicquid hic dicitur ſpectare ad regnum Chriſti, ex quo Euangelii doctrina in ſublime evecta fuit: quia tunc ſceptrum regium Dei, quod exierat ex Jeruſalem, longe lateque enituit: quaſi Dominus manum ſuam & robur extenderet per omnes mundi plagas. Quia autem hoc totum ceſſit in communem ſalutem Eccleſiæ, dicitur *regnum hoc fore populi ſancti.* Quantum attinet *ad ſanctos excelſorum*, ante expoſui cur ſic fideles nominaverit Propheta, & iterum ounc Angelus ipſe nominet: quia ſcilicet Deus ipſos è mundo ſegregaverit, & reſpiciant in ſublime, quia pendet è cælo tota ſpes ipſorum. Quod Rabbinus ille qoem citavi, abutitur hoc loco, ut oſtendat non loquutum fuiſſe Prophetam de Chriſto, quum dixit exhibitam ſibi fuiſſe figuram Filii hominis, illud etiam eſt prorſus inſulſum. Dicit hic poni populum ſanctorum pro Filio hominis: ergo non fuiſſe prius habitum ſermonem de Chriſto, ſed de tota Abrahæ ſobole. Sed nihil mirum eſt, ſi in primis rudimentis ita hallucinentur, ac prodant pudendam inſcitiam Rabbini illi: quia non agnoſcunt nullam eſſe Eccleſiæ gratiam coram Deo, niſi per Mediatorem. Jactant quod illis fatemur, Abrahæ filios fuiſſe electos, & prærogativam hanc valere, ut ſint populus ſanctus, & hæredes Dei, & regnum Sacerdotale. Hoc verum eſt, ſed fœdus illud adoptionis ubi eſt fundatum, niſi in Chriſto? Ergo quum ſeparant Eccleſiam à Mediatore, perinde eſt acſi truncato capite relinquerent corpus mutilum, & mortuum. Cæterum, quod ante dixit Propheta de Filio hominis, ſatis apparet prorſus eſſe diverſum ab hoc verſu. Nam dicebat illic, datam fuiſſe poteſtatem Filio hominis poſtquam ad Antiquum dierum pervenerat: Et dicebat apparuiſſe Filium illum hominis, vel tanquam filium in nubibus. Primum notanda eſt illa oota, quod ſcilicet vidit tanquam Filiom hominis, quemadmodum tunc expoſuimus. Certe tunc poſteri Abrahæ erant homines: ſed Prophetæ objecta fuit ſpecies tanquam Filii hominis, quia Chriſtus nondum induerat carnem noſtram, ſed hoc erat præludium futuræ ejus manifeſtationis in carne. Nunc autem loquitur palam, & ſine figura *de populo ſanctorum*: & pendet hoc vaticinium à ſuperiore. Niſi enim Chriſtus ſederet ad Patris dexteram, & adeptus eſſet imperium, ut coram ipſo omne genu flectatur, certe nullæ eſſent Eccleſiæ poteſtates. Ergo nunc videmus ut omnia inter ſe pulchre conveniant. Quia autem certum eſt, multos pervicaciter fuiſſe Deo rebelles, & Euangelii doctrinæ, poſſet videri illud abſurdum, quod Angelus hic pronunciat omnes poteſtates totius mundi fore obſequentes, & morigeras. Sed tenere operæpretium eſt uſitatum loquendi morem in Scriptura. Nam ubi de omnibus populis agitur, non intelligit Spiritus ſingulos generum, ut loquuntur: ſed ſimpliciter ex quibuslibet gentibus fore aliquos, qui jugum Chriſti ſuſcipiant, & qui agnoſcant ipſum Regem, & ſimul obedienter pareant ejus Eccleſiæ. Quoties occurrunt hæ ſententiæ in Prophetis? Omnes gentes venient, omnes Reges ſervient. Nempe quoniam nemo tunc Regum erat, qui non ex profeſſo hoſtis eſſet veræ pietatis, & qui non cuperet deletum eſſe ipſum Legis nomen. Quia res erat incredibilis, ideo magnifice de futura illa reſtitutione Prophetæ diſſerunt, quemadmodum ante diximus. Sic igitur hoc loco, *Omnes poteſtates*, inquit, *ſervient & obedient ei*: hoc eſt, nulla erit tam ſublimis poteſtas, quæ non ſe libenter Eccleſiæ ſubjiciat, quum tamen nunc in omnibus tanta ſit contumacia: imo quum omnes certatim contra miſerrimam Eccleſiam ſæviant, quum ignominioſe eam tractent, quum denique eam diſcerpant, ſubjicient ſe tandem. Et hoc etiam ſcimus fuiſſe impletum. Stulte igitur quidam urgent notas univerſales, quemadmodum quum dicit Paulus Deum velle omnes ſalvos fieri. 1 Tim 2. verſ. 4. Ergo, inquiunt, nemo eſt ad interitum prædeſtinatus, ſed omnes ſunt electi, hoc eſt, Ergo Deus non eſt Deus. Sed nihil mirum eſt tanta veſania corripi impios & profanos homínes, qui ſtudent ſuis cavillis abrogare omnibus Spiritus oraculis fidem. Teneamus igitur, ſicuti jam dixi, hunc eſſe ſatis frequentem loquendi modum, ubi Spiritus ſanctus omnes nominat, quum de ſingulorum generibus agitur, & noo de ſingulis generum. Sequitur,

28. Hucuſque finis ſermonis: (*vel, adhuc finis ſermonis*) mihi Danieli (*vel, quantum ad me Danielem*) multum cogitationes meæ terruerunt me, & vultus meus mutatus eſt ſuper me, (*vel in me*) & ſermonem ſervavi (*vel repoſui cuſtodiendum*) in corde meo.

Hoc verſu Daniel primo dicit hanc fuiſſe perfectam viſionem: nempe ut ſtatuerent fideles nihil præterea quærendum eſſe. Scimus enim ut laſciviant humana ingenia, & qualis ſit morbus inſana curioſitas, ad quam feruntur. Deus ſcit quid nobis cognitu ſit utile, & ita attemperat rationem ſuam docendi ad captum noſtrum & uſum. Nos autem volitamus in aëre, & ſumus inſatiabiles: Et cur non etiam hoc additum eſt? Et cur Deus non bic ſubſtitit? Et cur non ulterius fuit progreſſus? Quum igitur ſic ferveant humana ingenia, & talis iotemperies in illis graſſetur, merito hic Daniel dicit, *finem fuiſſe impoſitum viſioni*, ut ſcilicet acquieſcerent omnes electi, & contenti eſſent hac mediocritate. Poſtea addit, *ſe fuiſſe turbatum ſuis cogitationibus, vultum ſibi fuiſſe mutatum*: nempe ut afficeret etiam pios, ne putarent evanidum fuiſſe aliquod ſpectrum. Nam magnopere interfuit diſtingui hanc viſionem à frivola quavis imaginatione. Daniel ergo ut ſignificet ſibi divinitus eſſe traditum quod proponit, diſerte exprimit *ſe fuiſſe territum in ſuis cogitationibus*. Hoc autem accidit, quia in ejus corde voluit obſignare Deus certitudinem hujus prophetiæ. Eodem etiam pertinet *vultus mutatio*. Adjungit, *ſe repoſuiſſe in corde ſuo ſermonem*, nempe ut ſciamus fidum fuiſſe interpretem: quia ſi eſſet nobis ſuſpectus negligentiæ, non poſſet quod hactenus legimus reverenter audiri tanquam à Deo profectum. Sed ubi Daniel hic affirmat ſe functum eſſe officio fidelis ſervi, quia *cuſtodierit in corde ſuo totum ſermonem*, hinc accedit ejus doctrinæ auctoritas. Duo igitur in ſumma hic tenenda ſunt, nempe cæleſti revelatione Prophetam fuiſſe edoctum, ut nobis eſſet miniſter & præco Dei: ipſum vero munus ſuum fideliter exequutum eſſe, *quia repoſuit in corde ſuo* quicquid acceperat, nempe ut per manus deinde toti Eccleſiæ traderet. Sequitur alia viſio:

CAP. VIII.

CAP. VIII.

ANno tertio regni Belſazar Regis, viſio viſa fuit (*viſio apparuit*) mihi, mihi (*inquam*) Danieli, poſtquam apparuerat mihi in principio. (*hoc eſt, præter viſionem illam quæ mihi objecta fuerat prius.*)

Hic refert Daniel aliam viſionem, quæ à proxima differt tanquam pars à toto. Nam Deus voluit illi primum oſtendere quam variæ mutationes futuræ eſſent ante Chriſti adventum. Secunda enim redemptio erat quoddam initium novæ vitæ, quia tunc Deus non ſolum de integro Eccleſiam ſuam reſtituit, ſed creavit quaſi novum populum. Et ideo exitus è Babylone, & reditus in patriam vocantur ſecunda Eccleſiæ nativitas. Sed quia Deus guſtum tunc aliquem duntaxat præbuit veræ & ſolidæ redemptionis, ideo quoties de liberatione illa tractant Prophetæ, ſeſe extendunt, & ſua vaticinia uſque ad Chriſti adventum. Deus ergo non abs re Prophetæ ſuo oſtendit quatuor illas Monarchias, ne fideles labaſcerent, quum cernerent toties mundum volvi, & quaſi mutare ſuam figuram & naturam: interea autem ſe jacere ſub duriſſimis ærumnis, ludibrio quoque haberi ab hoſtibus, & ſemper manere contemptos, & ignobiles, nec tot innovationibus ſe quicquam juvari. Ne ergo fideles putarent ſe projectos à Deo, & ita nullam amplius eſſe ſui curam: ideo oportuit præmonitos eſſe de quatuor illis Monarchiis. Nunc autem Deus partem unam duntaxat Prophetæ ſuo oſtendere voluit: nempe inſtare interitum Monarchiæ Babylonis, & in propinquo eſſe regnum aliud ſecundum: deinde non fore ſecundum illud regnum diuturnum, quia etiam concidet. & tunc ad extremas uſque calamitates redigetur populus Dei. Et hæc præcipua eſt ratio hujus viſionis, nempe ut fideles ſe pararent ad ferendam patienter horribilem illam tyrannidem Antiochi, de qua hoc cap. differet Propheta. Nunc ergo tenemus ſummam hujus vaticinii. Deus hic tantum de duabus Monarchiis loquitur, quia jam mox abolendum erat regnum Chaldaicum: tractat igitur tantum de regno Perſico, deinde adjungit regnum Macedonicum, ſed omiſſis aliis, ſtatim deſcendit ad Antiochum Regem Syriæ, & declarat tunc fore miſerrimam confuſionem in Eccleſia, quoniam nulla erit Sanctuarii dignitas, paſſim trucidabitur electus populus, & non parcetur innoxio ſanguini. Videbimus ergo præmonitos fuiſſe de his tam gravibus & atrocibus malis fideles, ut in Deum tamen reſpicerent, quum tanta caligine eſſent oppreſſi. Et hodie etiam nobis utilis eſt hæc prophetia, ne deſpondeamus animos in extrema Eccleſiæ calamitate: quoniam perpetua Eccleſiæ effigies nobis pingitur ſub illo tam calamitoſo & lugubri ſtatu. Quanquam enim Deus ſæpe infirmitati noſtræ parcit, tamen Eccleſia nunquam immunis eſt à multis incommodis. Niſi ergo parati ſimus ad ſubeunda certamina, nunquam poterimus diu ſtare in fide. Hæc eſt ſumma vaticinii, & hic eſt etiam ſcopus. Reliqua differam.

Da omnipotens Deus, quum ſervis tuis olim dederis fulcire animos ſuos inter tot & tam duras perturbationes, ut hodie etiam eadem ex vaticiniis ad nos utilitas redeat. Et quia incidimus in plenitudinem temporum, ſic proficiamus tam in exemplis veteris Eccleſiæ, quam in piis & ſanctis admonitionibus, quas etiam nobis proponis, ut ſtemus firmi & invicti contra omnes Satanæ & mundi & impiorum inſultus: & ſic fides noſtra maneat inexpugnabilis, ut fructu victoriæ ejus tandem potiamur in regno tuo cæleſti, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA NONA IN DANIELEM.

BReviter præfatus ſum in viſionem, quæ hic nobis deſcribitur octavo cap. tum ut ſumma ejus conſtaret, tum etiam ut ſciretis in quem finem fuerit objecta Prophetæ. Quod ad tempus ſpectat, notandum eſt, quum adhuc ſtaret ac floreret Monarchia Babylonica, Prophetam admonitum fuiſſe de victoria Cyri & Darii. Nam quamvis jam Cyrus magnos progreſſus feciſſet, ac cœpiſſet etiam populari fines Chaldaicos: Belſazar tamen, ut vidimus antea, ſecurus vacabat ſuis deliciis. Nemo unquam putaſſet Cyrum fore victorem tantæ Monarchiæ. Nam Belſazar noluit colligere magnum exercitum, ut fines ſui regni defenderet. Putavit enim ſe per jocum poſſe repellere omnes Cyri conatus. Nam quo plus erat violentiæ, eo facilior ſpes victoriæ erat ipſi Regi Belſazar. Tamen voluit jam tunc oſtendere Deus ſervo ſuo quid futurum eſſet. Ac primum oſtenditur mutatio, quæ tunc inſtabat: deinde additur etiam calamitas, quæ poſtea ſequuta eſt: calamitas, inquam, Eccleſiæ ſub Rege Antiocho, & ejus ſucceſſoribus. Dicit igitur Propheta,

2. Vidi in viſione: & fuit quum viderem, ut ego eſſem in Suſan הבירה, (*vertunt alii arcem, alii palatium, alii regiam*) quæ eſt in Elam provincia. Vidi in viſione, & ecce eram ſuper fluvium Ulai.

3. Et extuli oculos meos, & vidi: & ecce aries unus ſtabat coram fluvio, (*hoc eſt, ad ripam fluvii*) & ei cornua duo, & cornua erant excelſa, & unum excelſius altero, & excelſum hoc aſcendebat retro.

Non dubium eſt, quin Propheta tunc cognoverit exoriturum novum imperium, quod fieri non poterat quin Babylon in ſervitutem redigeretur. Ergo hoc non parum ad levandas piorum ærumnas valuit, & mitigandos dolores, quum viderent id quod fuerat prius incredibile, propinquum eſſe interitum horrendæ tyrannidi, ſub qua tam inhumaniter oppreſſi fuerant. Etſi autem non ſtatim data fuit populo libertas redeundi in patriam, non parvo tamen ſolatio fuit videre judicium Dei contra Chaldæos, de quo vaticinati fuerant Prophetæ. Sed expendere convenit Prophetæ verba: *Vidi in viſione*, inquit. Nomen hoc חזון diſcriminis cauſa additur, ut ſciamus non vidiſſe corporeis oculis arietem, cujus fiet mentio. Ergo fuit hoc cæleſte oraculum, & oportuit illum rapi ſupra omnes humanos ſenſus, ut quaſi è ſublimi ſpecula cerneret quod abſconditum erat cunctis mortalibus. Non vidit igitur quod eſſet hominibus con-

conſpicuum, ſed Deus per viſionem oſtendit quod humano ſenſu capere non poterat. Poſtea addit, *Mihi Danieli oſtenſa fuit viſio: & accidit*, inquit, *quum viderem, ut eſſem in Suſan*. Quidam exiſtimant Danielem habitaſſe tunc in Perſide. Sed nulla eſt probabilis ratio. Deinde quis perſuadeat ſanctum Dei Prophetam, qui tractus fuerat in exilium inter captivos, & qui fidem ſuam Regi Babylonio obſtrinxerat, migraſſe quaſi eſſet liber & ſui juris, & veniſſe in Perſiden, quum tunc Perſæ eſſent manifeſti hoſtes? Hoc igitur nihil habet coloris. Deinde miror quid eos impellat ad hoc commentum, quod omni prorſus ratione caret. Jam ne longior ſit diſputatio de re non obſcura, ſi expendimus verba Prophetæ, tollit ipſe omnem controverſiam quum dicit *ſe fuiſſe in Suſan quum videret*, hoc eſt, quum Spiritu prophetico raptus eſſet ſupra ſe, & extra mundum. Non igitur dicit Propheta ſe habitaſſe Suſis, aut in regione Suſan, ſed in ipſa viſione ſe fuiſſe in Suſan. Ex proximo etiam verſu ſatis oſtenderat ſe tunc fuiſſe in Chaldæa, Anno, inquit, tertio regni Belſazar Regis. Nominat Regem, qua voce diſerte exprimit ſe tunc fuiſſe ſub ejus poteſtate & imperio. Non dubium igitur eſt, & certo colligitur ex verbis; tunc Prophetam habitaſſe in Chaldæa. Et tunc jam ſorte obſeſſa erat Babylon, quemadmodum ante vidimus. Dicit *ſe fuiſſe in Suſan palatio*. Neſcio quomodo vertere debeam hanc vocem הבירה, quia non video firmam rationem in nomine vel palatii, vel arcis. Certum eſt, arcem illam nobilem & celeberrimam, fuiſſe poſtea quaſi caput Orientis. Petebant enim inde omnes gentes & populi leges, & jura & judicia. Sed ſimul etiam exiſtimo arcem nondum fuiſſe tunc extructam. Nam à ſucceſſoribus Cyri potius ſtabilitum fuit imperium in Perſide. Quanquam Suſane etiam à Perſia diſtinguitur. Sed quoniam vulgo cenſetur pars illius regni, de hac re non magnopere contendo. Sed longe amœnior eſt regio & magis fertilis, quam ſit Perſia: unde etiam nomen habet à roſis, quaſi dicas floridam. Dicit ergo Propheta *ſe in viſione fuiſſe illic*. Poſtea iterum repetit, *Vidi in viſione, & ecce eram prope fluvium Ulai* Latini ſcriptores vocant Eulæum fluvium, & videtis multam eſſe affinitatem, ita ut non dubium ſit intelligi debere quod dicit Daniel de Eulæo. Repetitio hæc non eſt ſupervacua. Pertinet enim ad vaticinii certitudinem, quia confirmat Daniel non fuiſſe evanidum aliquod ſpectrum, ut ſuſpecta poſſit eſſe viſio, ſed ſibi certo fuiſſe manifeſtatum, & quidem divinitus, quod poſtea narrabit. Dicit etiam *ſe oculos extuliſſe ſurſum*. Attentio hæc eodem referri debet. Nam ſcimus ut plurimum decipi homines quum vagantur in cogitationibus erraticis. Daniel autem hic teſtatur ſe oculos levaſſe ſurſum, quia ſciebat ſe divinitus vocatum eſſe ad cernendas res futuras. Poſtea ſubjungit, *Et ecce aries unus ſtabat ad ripam fluvii, & illi erant cornua*, &c. Nunc imperium Perſicum, & Medicum arieti comparat. Non debet autem videri abſurdum, quod diverſas ſimilitudines Deus ſervo ſuo propoſuit, quia oportuit etiam variis modis rudem illum populum doceri. Et ſcimus hanc viſionem non fuiſſe Prophetæ oblatam privata ipſius cauſa duntaxat, ſed in communem uſum totius populi. Cur autem Reges Perſarum vocentur arietes, non exiſtimo ſcrupuloſe quærendum eſſe. Mihi certa ratio non conſtat, niſi quod hoc notandum eſt, conferri Reges Perſarum cum Alexandro Macedone, & ejus ſucceſſoribus. Ergo quum Deus ſub figura arietis Prophetæ ſuo oſtendit regnum Perſicum, noluit ſimpliciter de natura ipſius regni aliquid tradere, ſed reſpexit ad regnum Alexandri. Sciamus ergo hæc duo imperia inter ſe opponi, & reſpectu imperii Macedonici Monarchiam Perſicam vocari arietem: reſpectu etiam Monarchiæ Perſicæ imperium Macedonicum vocari hircum, ut poſtea videbimus. Et interea hoc colligere promptum eſt, rationem hujus comparationis optimam conſtare, quia ſcimus quam ignobile fuerit exordium Perſarum Regibus. Merito itaque qui primus hoc imperium erexit, nempe Cyrus, hic depingitur nobis ſub arietis forma, vel imagine. Cornu enim percuſſit totam terram, quum tamen nemo putaſſet aliquid tale exoriturum ex regione illa, quam ſcimus fuiſſe non valde generoſam. Quantum attinet ad Alexandrum, vocatur hircus, reſpectu arietis, quia multo fuit agilior, deinde fuit etiam obſcurior ejus origo. Quid enim erat Macedonia aliud quam angulus Græciæ? Sed mihi non eſt propoſitum argute diſſerere de his rebus. Sufficiat quod Deus Prophetæ ſuo, & toti etiam Eccleſiæ oſtendere voluit, quamvis Perſæ nullius ante fuiſſent nominis, ut qui deſpiciebantur à ſuis vicinis: tamen inde exoriturum Regem qui abſumeret ſimul regnum Mediæ, ut videbimus, & everteret Monarchiam Babylonicam. *Ecce* ergo *aries unus ſtabat*, inquit, *coram fluvio*, vel ad ripam fluvii, quia domuit Cyrus Medos una cum avo ſuo, ſicuti tradunt Hiſtorici. Emerſit ergo Cyrus ex montibus ſuis, & *ſtetit ad ripam fluvii*. Dicit etiam *ei fuiſſe duo cornua*. Hic Propheta duo cornua ponit pro duobus imperiis, quod tamen non debet referri ad perſonas. Quamvis enim Cyrus uxorem duxerit filiam Cyaxaris avunculi ſui, tamen ſcimus regnum illud Perſarum ſtetiſſe per longum tempus, & referri apud Hiſtoricos longum catalogum. Quum ergo complures ſucceſſerint Cyro, per duo cornua haud dubie Deus oſtendit Prophetæ ſuo imperia illa duo, nempe Medorum & Perſarum, quæ ſimul conjuncta ſunt. Ergo quum Prophetæ oſtenſus fuit aries, figura fuit regni utriuſque. Et hoc nobis etiam confirmat in contextu, ubi dicit, *cornua duo fuiſſe excelſa, unum tamen excelſius, & hoc ſurrexiſſe retro*. Fuerunt *duo cornua excelſa*. Nam quamvis Perſarum regio non eſſet opulenta, ut ſcimus fuiſſe homines ruſticos, & prope ſylveſtres, qui vitam auſteram degebant, & qui facile ſpernebant omnes lautitias, tamen fuit ſemper bellicoſa natio. Quanquam Propheta cornu hoc dicit *fuiſſe excelſius altero*, nempe imperio Medorum, quia ſcilicet tandem Cyrus & fama, & auctoritate, & gratia ſuperavit ſocerum ſuum Darium, utcunque ejus permiſſu ſemper majeſtas regia penes Darium fuerit uſque ad finem vitæ. Erat enim ſenex, deinde ſine ulla jactura poterat ei primas partes Cyrus concedere. Recte ergo præfertur ſequentis temporis reſpectu, quia certum eſt Cyrum fuiſſe ſuperiorem Dario, quem Xenophon vocat Cyaxarem. Ergo hac ratione vocatur *hoc cornu excelſius*. Sed interim oſtendit etiam Propheta, paulatim fuiſſe in ſublime evectum Cyrum. *Retro*, inquit, hoc eſt, poſtea ſurgebat cornu illud, quaſi diceret cornu regni Medici fuiſſe initio illuſtrius, & magis conſpicuum: *ſed retro ſurrexit cornu illud*, ut obrueret claritatem & gloriam alterius prioris. Conveniunt hæc cum ſcriptis etiam profanorum hominum. Nam quiſquis leget hiſtorias, videbit nihil narrari à Daniele, quod non fuerit completum ipſo eventu. Pergamus.

4. Vidi arietem ferientem Occaſum & Aquilonem (*Septentrionem*) & Meridiem: & nullæ beſtiæ conſiſtebant coram ipſo, (*vel coram facie ejus*) & nemo eripiens è manu ejus: (*nemo erat qui eriperet ex manu ejus*) itaque fecit ſecundum arbitrium ſuum, & magnificatus eſt.

Jam

Jam breviter narrat Propheta quanti ſucceſſus futuri eſſent duplicis illius regni. Dicit ergo *arietem illum verberaſſe cunctas gentes verſus Occaſum, & Aquilonem, & Meridiem.* Erat enim Orientalis Perſarum & Medorum regio reſpectu Babylonis, reſpectu Ægypti, Syriæ, Aſiæ minoris, & Græciæ. Hoc proculdubio extenditur ad omnes ſucceſſores Cyri. Scimus enim ut concuſſerint totam terram. Cyrus ipſe paulo poſt turpiter occiſus fuit atque crudeliter, ut multi Hiſtorici tradunt, quanquam Xenophon in lecto mortuum fuiſſe affirmat. Sed jam ante admonui, non eſſe in his rebus fidem habendam ſcriptori alioqui graviſſimo, quia ſub imagine Regis illius voluit nobis proponere exemplar perfectiſſimæ virtutis. Ideo inducit eum in lecto concionantem, & hortantem filios ſuos ad regias virtutes. Quicquid ſit, tamen certum eſt in medio curſu oppreſſum fuiſſe Cyrum. Deus hoc modo caſtigare voluit inexplebilem ejus cupiditatem. Erat enim fere Alexandro ſimilis. Sed quod ad ſucceſſores ejus ſpectat, ſcimus quantos motus excitaverint in toto orbe, ita ut fere cælum & terram concuterent. Xerxes unus dicebat ſe poſſe ligare compedibus mare. Scimus quantum exercitum duxerit, & non de uno illo hic agitur, ſed de cunctis Regibus Perſarum. Ex quo igitur longe & late dominati ſunt Reges Perſici, ita eos ſemper accendit ambitio & ſuperbia, ut nullus eſſet illis finis bellandi, donec ſibi ſubjicerent extremos terræ fines. Scimus quam multa ſint moliti ad oppugnandam libertatem Græciæ. Paucis igitur verbis hoc totum Propheta complectitur. Et Deus etiam voluit breviter oſtendere Prophetæ ſuo quid futurum eſſet, quatenus ſcilicet ſciebat utile eſſe cognitu. *Vidi* igitur *arietem*, inquit, nempe beſtiam illam, quæ pollebat duplici cornu, quum eſſent conjuncti Medi Perſis. *Verberabat* ergo *Occaſum & Septentrionem & Meridiem, ut nullæ beſtiæ conſiſterent.* Quoniam hic regnum Perſicum depingitur ſub imagine arietis, ideo alios omnes Reges, & populos Propheta vocat beſtias. *Nullæ* ergo *beſtiæ ſtabant coram ipſo, & nemo poterat eripere è manu ejus.* Certum quidem eſt Xerxem inter alios pugnaſſe infeliciter, & Reges Perſarum multa bella tentaſſe, in quibus devicti fuerunt à Græcis: ſed non fuit tamen melior eorum conditio, à quibus devicti erant, quam ut peterent pacem ſupplices. Fuit enim ea potentia regni Perſici, ut formidinem incuteret cunctis gentibus. Hac ratione dicit Propheta *feciſſe pro ſuo arbitrio*, non quod ſemper ex voto vel ex animi ſententia Regibus Perſarum ſucceſſerit. Sæpe enim ipſos opinio fruſtrata eſt, quemadmodum dictum eſt, & ſatis ex hiſtoriis liquet. Tamen ſemper fuerunt formidabiles non tantum ſuis vicinis, qui jugum ſubierant, ſed etiam remotiſſimis gentibus, quum ſcilicet mare trajicerent, & ab Aſia deſcenderent in Græciam. Et ultimo verbo exprimit quod dixerat, nempe hunc *arietem fuiſſe magnificatum.* Erat enim Rex Perſarum ſummus in toto orbe, ut nemo accederet ad ejus dignitatem & robur, quemadmodum ſatis notum eſt. Sequitur,

5. Et ego eram intentus, (*hoc eſt, attendebam, & quum eſſem attentus*) ecce (*inquit*) hircus caprarum venit ab Occaſu (*à veſpere*) ſuper faciem totius terræ, neque tamen attingebat terram, (*non tangebat terram*) & hirco cornu illuſtre *erat* inter oculos ejus.

6. Et venit ad arietem, cui erant cornua duo, (*qui præditus erat cornibus: ad dominum cornuum, ad verbum*) quem videram ſtantem in ripa fluvii, (*coram fluvio*) & cucurrit ad eum cum furore fortitudinis ſuæ.

Hic mutatio altera Prophetæ oſtenditur, nempe quod Alexander venturus eſſet in Orientem, qui ad ſe traheret potentiam regni Perſarum, quemadmodum etiam contigit. Sed ut commendet Prophetiæ fidem dicit *ſe fuiſſe attentum.* Non dubium eſt quin hic prædicet qua reverentia exceperit viſionem, ut nos etiam hortetur ad pietatis ſtudium, ad modeſtiam & attentionem. Propheta ergo non imaginatus eſt per ſomnium quod poſſit nunc in diſputationem vocari: ſed quia ſciebat proponi ſibi à Deo hanc viſionem, qua decuit humilitate & modeſtia eam excepit. *Attentus* ergo *eram, & ecce hircus caprarum venit,* inquit, *ab Occaſu.* Situs Macedoniæ notandus eſt comparatione Perſidis. Quum ergo Græci Occidentales ſint reſpectu Perſarum, dicit Propheta *hircum illum veniſſe ab Occaſu, & veniſſe ſuper faciem totius terræ.* Quibus verbis ſignificat Alexandrum longe & late fuiſſe graſſatum, ut terreret undique populos. Non venit quidem cum magno exercitu, ſicuti notum eſt: ducebat tantum triginta hominum millia, quum tamen eſſet Dux Græciæ creatus à civitatibus: ſed de terrore quem ubique ſparſit hoc debet intelligi. Quaſi ergo totam terram obrueret, ita cum modico exercitu graſſatus fuit. *Terram vero non tangebat*, inquit. Hoc de celeritate Alexandri. Scimus enim ipſum volaſſe potius, quam iter feciſſe vel pedibus, vel navigiis in expeditione illa: ideo incredibilis fuit ejus feſtinatio. Nam ſi equis celeribus properaſſet per regiones pacatas, non citius perveniſſet in Aſiam. Ergo oſtenſus fuit hircus Prophetæ, *qui terram non tangeret*, hoc eſt, qui ferretur celerrimo impetu: ita ut eſſet ſimilis fulmini. *Et erat cornu*, inquit, *hirco inter oculos ejus, cornu illuſtre.* Nam ſcimus quantam ſibi gloriam brevi tempore Alexander quæſierit: & tamen non ſuſcepit bellum illud ſuo unius nomine, vel auſpiciis, ſed quibus potuit artibus obtinuit ut civitates Græciæ illum Ducem crearent contra Perſas perpetuos hoſtes. Scimus enim quam infeſti fuerint Perſæ Græcis: & quanquam ſæpe coacti ſint redire cum magno dedecore & infamia, cum magno etiam damno: ſubinde tamen renovabant bellum, quia & numero hominum pollebant, deinde non deerat etiam pecunia. Quum ergo Alexander Dux eſſet creatus totius Græciæ, tamen *habuit cornu illuſtre inter oculos*: hoc eſt, ipſe titulo tenus curavit ſe Ducem vocari, quo major eſſet auctoritas. Cæterum ſic eminebat, ut facile conſtaret ipſum unum eſſe Ducem totius exercitus, & ejus arbitrio geri omnia, ſicuti bellum ſuſceperat. Hæc igitur ratio eſt cur dicat Propheta *fuiſſe cornu viſibile inter oculos hirci.* Sequitur, *veniſſe ad arietem, cui erant duo cornua*, hoc eſt, veniſſe contra Regem Medorum, & Perſarum. Occupaverat etiam Cyrus Babylonem, deinde plures Reges domuerat: ſed duo cornua tribuuntur arieti, quoniam Reges Perſarum adjunxerant ſibi Medos quaſi in ſocietatem. *Unus ergo hircus cum ſuo cornu venit adverſus arietem, cui erant duo cornua: & cucurrit adverſus eum in ardore fortitudinis ſuæ.* Hic etiam notatur Alexandri ſtrenuitas, quoniam ſic properavit ut prævenerit ſuo adventu omnium famam. Darius enim adhuc prope ſecurus erat, tametſi collegerat magnum exercitum: ſed Alexander ſic *cucurrit in fortitudine ſuæ virtutis*, ut circumvenerit hoſtem ſua feſtinatione. Sequitur,

7. Et vidi appropinquantem ad arietem, & exaſperantem ſeipſum, (*hoc eſt, quum hircus ille accederet ad arietem, & ſeipſum irritaret, vel exacerbaret contra eum*) percuſſit arie-

arietem, & confregit duo cornua ejus, & non fuit virtus in ariete ad ſtandum coram facie ejus, & dejecit eum in terram, (*proſtravit eum*) & calcavit eum: & non fuit qui erueret arietem è manu ejus.

Hic Deus Prophetæ ſuo oſtendit victoriam Alexandri, qua totum fere Orientem perdomuit. Quamvis enim deinde præliatus ſit contra multas gentes, præſertim contra Indos: tamen tam celebre erat nomen regni Perſici in mundo, ut nulla prope eſſet aliorum dignitas. Alexander igitur, victo Dario, potitus eſt fere toto Oriente. Hanc facilitatem victoriæ Deus Prophetæ ſuo monſtravit hac figura, *Vidi*, inquit, *quum accederet ad arietem.* Erat munitus Darius & locorum diſtantia, & validiſſimis propugnaculis: erant multæ urbes inexpugnabiles communi opinione hominum. Hoc igitur incredibile erat, poſſe hircum accedere ad arietem qui undique cinctus erat tam robuſtis & validis præſidiis. Atqui dicit Propheta *ipſum acceſſiſſe ad arietem*: deinde, *exacerbabat ſeipſum*, inquit, *contra eum.* Hoc ad furioſos conatus Alexandri pertinet. Scimus enim quamvis acri ingenio polleret atque excelleret ſummis virtutibus, tamen fuiſſe immodicæ audaciæ, ut magis ad temeritatem accederet illa promptitudo, quam ad fortitudinem regiam. Sæpe enim cæco impetu ſeſe projecit contra hoſtes, & per eum non ſtetit, quo minus decies perdiderit totum nomen Macedonicum. Quum ergo rueret violenter illo furore, non mirum eſt quod Propheta dicit *fuiſſe ſua ſponte exaſperatum. Et percuſſit*, inquit, *arietem.* Duobus enim præliis Darium vicit, quum attritæ fuiſſent prius opes regni Perſarum in Aſia minore. Scimus enim pugnatum illic fuiſſe, & quidem non ſine periculo, ſed tota moles belli incubuit in locum illum, ubi primo victus fuit Darius: deinde quum collectis novis copiis iterum congreſſus eſt, tunc deſperatum fuit de ejus regno: proditus ita fuit à ſuis & crudeliter occiſus. *Percuſſit* igitur *hircus arietem, & confregit duo ejus cornua.* Potitus eſt enim Alexander tam regno Perſico, quam Medorum. Dicit *non fuiſſe robur in ariete ad ſtandum.* Etſi enim immenſam fere multitudinem collegerat, tamen apparatus ille nihil habuit præter inanem pompam. Fulgebat enim Darius auro & argento & gemmis: ſed potius oſtentavit in bello ſuas delicias, quam virile aut bellicoſum robur. *Non fuit* igitur *vis in ariete ad ſtandum coram facie hirci. Itaque proſtravit*, inquit, *eum in terram, & calcavit, & non fuit qui eriperet è manu ejus.* Occiſus quidem fuit Darius à ſuis, ſed totam ejus gloriam calcavit Alexander, & illam dignitatem imperii Perſarum, ſub quo tremebant omnes Orientales populi. Et ſcimus etiam quam ſuperbe abuſus fuerit victoria, ut arcem illam celeberrimam quæ Suſis erat, quum eſſet ebrius, & impulſu ſcorti, vel etiam, ut alii volunt, cinædi facibus tumultuarie accenſis exuſſerit. Quum ergo tam contumelioſe calcaverit gloriam regni Perſici, videmus quam apte quadrent Prophetæ verba ad ipſam hiſtoriam, qualiter etiam ab omnibus profanis narratur.

Da omnipotens Deus, quando vis nos verſari inter tot & tam varias jactationes, ut ſemper erectis ſimus mentibus in cælum, ubi nobis propoſita eſt certa quies, & tranquilla hæreditas extra omnes turbas & motus: & quamvis terra in qua nunc peregrinamur, tumultuetur, ita ut etiam verſemur inter iſtas procellas, tamen ut ſtemus compoſiti, nempe fundati in fide promiſſionum tuarum: donec perfuncti noſtra militia, colligamur in beatam illam quietem, ubi victoriæ noſtræ fructum percipiemus in Chriſto Jeſu Domino noſtro, Amen.

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA
IN
DANIELEM.

8. Et hircus caprarum magnificatus eſt admodum: & quum in robore ſuo eſſet, fractum fuit cornu magnum, & prodierunt loco ejus illuſtria quatuor *alia*, verſus quatuor ventos cælorum.

Hic de morte Alexandri refertur vaticinium. Diximus ſub hirci imagine nobis proponi imperium Macedonicum, quod initium habuit in Alexandri perſona, & tamen finem non accepit: quoniam diviſa fuit Monarchia in quatuor partes. Dicit igitur Angelus, vel refert Daniel quod ſibi ab Angelo dictum erat, nempe *hircum illum creviſſe ad immenſam magnitudinem*, quia velut ludendo peragravit totum fere Orientem, & ſimul perdomuit: *ſed quum in robore ſuo eſſet*, inquit, *fractum fuit cornu magnum.* Per cornu magnum intelligit Monarchiam, quæ penes unum Alexandrum erat quamdiu vixit. Fuit enim vere primus & ultimus ex ſua gente Monarcha. Sed quoniam ex ejus ducibus facti ſunt Reges qui dominati ſunt in quatuor plagis mundi, ut ſtatim videbimus: ideo non reſtringitur nomen hirci ad ejus perſonam, ſed extenditur etiam ad ejus ſucceſſores. Vocatur autem ipſe cornu magnum. Ergo *quum hircus eſſet in robore ſuo, fractum fuit cornu magnum.* Pervenerat enim ad ſummum fortunæ Alexander quum mortuus eſt. Neſcitur morbone interierit, an veneficio, quia magna fuit ſuſpicio fraudis, ut Hiſtorici referunt. Non tamen loquitur hic de ætate Angelus. Mortuus eſt quidem anno 33. Alexander, quum videretur natus eſſe ad domandum totum orbem. Sic igitur repente abreptus fuit. Sed Angelus reſpicit ad continuos ſucceſſus, quia ſicuti dictum fuit, Alexander fere aſpectu ſuo ſubegit totum Orientem: quia temere huc & illuc volitavit. Ita factum eſt, ut potitus fuerit continuis victoriis, quamvis periclitatus ſit etiam ſæpe de vita, ut plus fuit audaciæ in illo viro, quam conſilii. *Quum* igitur *eſſet in robore ſuo*, inquit: hoc eſt, poſt totum Orientem domitum. Redierat enim ab Indis, & ſtatuerat mare trajicere, ut Græciam ſibi ſubjiceret. Rebellaverant enim civitates contra eum: & Athenæ magnum exercitum jam collegerant: pacatæ autem erant omnes gentes verſus Orientem, tunc mortuus eſt Alexander. Et hoc intelligit Angelus per fractionem *cornu magni.* Poſtea adjungit, *loco illius nata fuiſſe quatuor cornua illuſtria*: Utitur enim nomine חזות ſicuti heſterna lectione. Fuerunt igitur quatuor regna quæ excellerent, ita ut unumquodque ipſorum eſſet celebre, & quaſi in ſublimi loco poſitum. Neque hoc ſupervacuum eſt, quia ſcimus totidem fuiſſe Reges, quotquot ſub auſpiciis Alexandri militaverant cum aliqua fama & dignitate. Perdicas primus fuit, & omnes etiam putarunt delatum fuiſſe ei præcipuum honorem ab Alexandro. Quum enim

roga-

rogatus eſſet quemnam vellet ſibi ſuccedere, reſpondit pro magnitudine, vel potius ſuperbia animi ſui, quem putaret digniſſimum eſſe Imperio. Genuerat filium ex Roxane filia Darii: erat etiam alius filius: deinde aderat Aridæus frater germanus: neminem tamen dignatus eſt honore ſucceſſoris, quaſi mundus parem ei non haberet. Fuit igitur ſuperbum illud reſponſum. Sed quum jam præcluſæ eſſent fauces, abſtulit è manu ſua annulum, & tradidit Perdicæ. Inde factum eſt, ut omnes conjicerent judicio Alexandri omnibus fuiſſe præpoſitum, & adeptus eſt ſummam auctoritatem: poſtea interfectus fuit Eumenes, qui ſub ipſo militaverat, quum tamen eſſet ſocius, judicatus fuit hoſtis, & proditus à ſuis: Lyſimachus ab alia parte occiſus. Quindecim Duces fuerunt mactati. Quum igitur in locum Alexandri complures emerſerint, & quidem cum Regia auctoritate, non fruſtra exprimit Angelus *quatuor conſpicua cornua exorta fuiſſe in locum unius magni.* Nam poſt multos conflictus, & varias concertationes quindecim annorum, aut circiter, tandem tota Monarchia Alexandri diviſa fuit in quatuor partes. Caſſander filius Antipatri obtinuit regnum Macedoniæ, nempe occiſa Olympiade matre Alexandri, occiſa ſorore, & occiſo filio, & uxore Roxane. Fuit illa horribilis carnificina: & ſi unquam protulit Deus viſibile aliquod ſpeculum in mundo, quo palam oſtenderet non impune fundi humanum ſanguinem, certe extitit memorabile documentum in toto genere Alexandri. Nemo enim ſuperſtes fuit viginti annis poſt ejus mortem. Quum mater jam eſſet decrepita, non potuit tamen deſcendere in ſepulchrum ſua morte, ſed jugulata fuit. Idem accidit uxori, idem filio, idem fratri, idem omnibus cognatis. Et fuit etiam illa ſæviſſima trucidatio, quum nemo vitæ ſocii ſui parceret ex Ducibus illis, ſed quiſque aut vi graſſaretur, aut inſidiis circumveniret ſuum amicum & fœderatum. Quicquid ſit, tandem quatuor regna fuerunt reſidua poſt ingentes ruinas. Nam Caſſander filius Antipatri adeptus eſt Macedoniam, & partem aliquam Thraciæ, una cum Græciæ urbibus. Seleucus dominatus eſt in Syria, Antigonus in Aſia minore, & conjunxit Phrygiam, Paphlagoniam, & alias omnes regiones Aſiaticas, occiſis quinque vel ſex Ducibus. Ptolemæus autem præfectus Ægypto. Hæc ſunt quatuor cornua, quæ ideo illuſtria vocat Angelus, quoniam ut hiſtoriæ teſtantur, evanuerunt omnes alii principatus. Partiti enim fuerant inter ſe Alexandri Duces multas provincias, & amplas, & ſatis fertiles: ſed tandem ventum eſt ad quatuor illa capita. Dicit *per quatuor ventos cælorum*, hoc eſt, aeris: quoniam regnum Macedoniæ longiſſime diſtabat à Syria: Aſia media erat: Ægyptus vergebat ad Meridiem. Sic igitur hircus de quo ante viſum fuit, dominatus eſt per quatuor plagas mundi, quoniam Ægyptus, ut dictum fuit, ſita erat ad Meridiem: regnum vero Perſarum, quod ceſſit Seleuco, erat Orientale, & erat conjunctum cum Syria: regnum Aſiaticum erat Septentrionale, illo reſpectu: & regnum Macedonicum Occidentale, quemadmodum ante vidimus hircum illum egreſſum fuiſſe ab Occaſu. Nunc ſequitur,

9. **Et ex uno illorum egreſſum eſt cornu unum parvum, & magnificatum fuit eximie verſus Meridiem, & ad Orientem, & ad gloriam.** (*vel deſiderium: alii in genitivo vertunt, & ſubaudiunt terram deſiderii. Vocatur autem ſæpe Judæa terra deſiderabilis, quod Deus* Pſal. 48. verſ. 2. *ſuo beneplacito eam elegerat, ut illic coleretur: ſed ſimpliciter poſſumus accipere pro gloria*)

Nunc Deus oſtendit Prophetæ ſuo quod proprie ad uſum Eccleſiæ ſpectabat. Magnopere enim interfuit, moneri Judæos de futuris calamitatibus quæ inſtabant. Nihil enim eſt quod magis excruciet hominum animos, quam ubi cæcutiunt in falſis imaginationibus, ac putant mundum fortuito volvi, neque expendunt Dei providentiam, neque reputant illius judicia. Ergo hoc conſilio voluit Deus mature Prophetam ſuum & omnes pios docere de futuris afflictionibus, ut inde colligerent non fortuito quicquam accidere, ſed proficiſci à Deo hæc flagella: quia ejuſdem Dei eſt ſtatuere & exequi quicquid decrevit, & prædicere res futuras. Si nihil fuiſſet prædictum, proclivis erat lapſus in deſperationem, ubi pii tam duriter afflicti fuerunt. Nam ſcimus Prophetas, ubi reditum & libertatem promittunt, magnifice extollere illam Dei gratiam: & Jeſa. 52. verſ. 12. & 55. verſ. 12. & 60: 6. alibi de hac re dictum fuit, Non in feſtinatione, neque in tumultu exibitis, ſed exerto vexillo, inquit Jeſaias. Deinde, Affluent vobis omnium gentium opes: Reges venient, & quiſque ſe ſubjiciet, ac genu flectet. Permiſſus quidem fuit Judæis reditus in patriam: ſed ſcimus vexatos fuiſſe inhumaniter ab omnibus ſuis vicinis, ita ut non ſine maximis difficultatibus habitarent in illo angulo. Et impedita fuit tam urbis, quam templi ædificatio à multis hoſtibus. Tandem fuerunt tributarii Regibus Syriæ. Antiochus vero de quo nunc agitur, graſſatus eſt immani tyrannide adverſus populum Dei. Si nulla fuiſſet prædictio, putaſſent ſe fuiſſe deceptos ſplendidis illis promiſſionibus. Sed quia videbant nihil ſibi accidere, de quo non fuiſſent opportune præmoniti, hoc non leve ſolatium fuit in malis: quia poterant ſimul ſtatuere, in manu & arbitrio Dei eſſe poſitum, mederi tot ac tantis malis. Quo enim conſilio Deus Prophetæ ſuo Danieli hæc omnia prædixerat? Nempe ut ſperarent felicem exitum Judæi, neque mœrori ſuccumberent in rebus adeo anxiis & confuſis. Hæc igitur fuit utilitas vaticinii, quantum ad ſeculum illud pertinet. Quod autem dicit Propheta *ex uno cornu inter illa quatuor fuiſſe exortum cornu parvum*, hic aptiſſime notatur Antiochus Epiphanes, hoc eſt, illuſtris, quia fuerat poſt devictum patrem retentus obſes Romæ, unde elapſus eſt furtim. Et hiſtorici tradunt fuiſſe ingenio ſervili, & prorſus facto ad fœdam adulationem. Quum igitur nihil regium vel heroicum præ ſe tulerit, ſed fuerit aſtutus duntaxat, non ſine cauſa Propheta vocat *cornu parvum.* Erat quidem longe potentior ſuis vicinis: ſed dicitur *cornu parvum*, non comparatione regni Ægyptii, vel regni Aſiatici, vel regni Macedonici: vocatur *cornu parvum*, quia nemo putabat eum fore Regem, qui ſuccederet patri ſuo. Erat enim frater primogenitus, deinde erant alii: hic tantum ſervili aſtutia pollebat, quum nulla eſſet indoles digna futuro Rege. Ergo *fuit cornu parvum*, quia elapſus eſt clam & fraudulenter ex cuſtodia, ut dictum fuit, & in patriam ſe contulit, poſtea dominatus eſt. Jam addit, *cornu hoc fuiſſe magnificatum valde verſus Meridiem & verſus Orientem, & ad deſiderium.* Niſi enim obviam itum fuiſſet à Romanis, potiebatur Ægypto. Nota eſt ac celebris hiſtoria de Pompilio, qui quum ad ipſum miſſus eſſet, poſtquam denunciavit placere Senatui eum abſtinere ab Ægypto, illo tempus poſtulante ad deliberandum, baculo quem manu geſtabat circumduxit lineam, & pedem movere vetuit, niſi dato reſponſo. Ille quum videret Ægyptum eſſe ſui juris, non audebat tamen palam Romanis negare quod petebant. finxerat initio ſe eſſe tutorem nepotis ſui. Atqui certum erat, regnum occupaſſe ſuo nomine. Non audebat igitur ſeſe opponere Romanis, ſed tergiverſando volebat dimittere Pompilium: erat illis hoſpitium commune, & magna interceſſerat familiaritas quum ipſe eſſet

Romæ obſes. Porrexit igitur in ipſo congreſſu Pompilio oſculum. Ille autem faſtuoſe rejecit: & quemadmodum jam dixi, lineam circumſcripſit: Antequam hinc exeas, tu mihi reſponde, inquit, ne me hic deludas quum dicis te deliberaturum cum tuis Conſiliariis, reſponde, & ſubito: alioqui ſcio quid tibi afferam. Coactus eſt ille relinquere Ægyptum: ſed tamen abnuerat prius ſe hoc facturum. Non igitur fruſtra dicit Propheta, nec immerito, *magnificatum fuiſſe parvum illud cornu ad Meridiem*: hoc eſt, verſus Ægyptum, *Orientem etiam*: ampliavit enim regnum ſuum uſque ad Ptolemaidem. Tertio loco nominat *gloriam*: hoc eſt, ſacrarium illud Dei, nempe Judæam, ubi Deus elegerat ſibi domicilium, ubi volebat nomen ſuum invocari. Cornu igitur hoc parvum ſeſe *extendit ad gloriam*, vel ad terram gloriæ, vel deſiderii. Nam in ſenſu nihil eſt ambiguum, etiamſi non conveniat de interpretatione verborum. Poſtea ſequitur,

10. Et magnificatum eſt (*cornu illud parvum*) ad exercitum cælorum, & dejecit in terram ex illo exercitu, (*nempe cæleſti*) & ex ſtellis, & calcavit eas.

Proſequitur hic Daniel viſionem, quam acceperat. Diximus hoc Deum præcipue ſpectaſſe, ut fideles ſeſe pararent ad ferendas graves ærumnas, & nihil illis novum vel inexpectatum accideret. Non mirum igitur eſt, ſi magis inſiſtat Daniel in hac parte: nempe ut ſciant fideles inſtare ſibi graves moleſtias, atque ita ſe forment ad patientiam & æquitatem. Dicit autem *cornu hoc fuiſſe magnificatum uſque ad exercitum cælorum*. Minime dubium eſt, quin hac figura deſignet electum Dei populum. Etſi enim Eccleſia in mundo ſæpe jacet & pedibus calcatur, imo fere obruta eſt: tamen pretioſa eſt ſemper coram Deo. Ergo Propheta inſigni hoc elogio Eccleſiam ornat, non quod obtineat magnam dignitatem in conſpectu hominum: ſed quia Deus illam ſegregaverit, ut habeat certam hæreditatem in cælis. Quamvis enim peregrinentur in terra filii Dei, & vix locum in ea obtineant, quia ſunt quaſi rejectitii: tamen ſunt nihilominus cives cælorum. Et hinc colligenda nobis eſt utilis doctrina, ut patienter feramus, nos in terram ſæpe proſterni: deinde è ſublimi deſpici à tyrannis & Dei contemptoribus. Eſt enim interea nobis ſedes repoſita in cælo: & Deus numerat nos inter ſtellas, quamvis ſimus ſterquilinia mundi, vel rejectamenta, ut Paulus loquitur. In ſumma, hic Deus quaſi in ſpeculo oſtendit ſuo Prophetæ, quo loco Eccleſiam ſuam reputet, quantumvis ſit contemptibilis in terra. [1 Cor. 4. verſ. 13.] *Magnificatum eſt* ergo *cornu illud ad exercitum cælorum, & dejecit ex illo exercitu in terram, & ex ſtellis calcavit*. Perinde eſt acſi diceret, laxatum iri habenas tyranno, ut Eccleſiam contumelioſe tractet, quaſi calcaret eam pedibus, vel detraheret ſtellas è cælo, hoc eſt, ut nullum Dei præſidium appareat. Nam quum Deus promittat nos fore ſalvos & incolumes ſua manu, quum pronunciet auxilium ſuum eſſe inexpugnabile: ubi tyranni pro ſua libidine nos vexant & opprimunt, perinde eſt acſi ſtellas detraherent è cælo. Deus enim, qui nos in ſuam tutelam recepit, non opponit quicquam ſubſidii, ſed perinde diſſimulat acſi nos vellet prodere hoſtibus. Nihil ergo ſupervacuum eſt in his figuris, ubi Propheta dicit *calcatas fuiſſe ſtellas, & exercitum cælorum fuiſſe projectum in terram*. Jam addit,

11. Et ad Principem exercitus magnificatum eſt (*hoc eſt, progreſſum eſt uſque ad Principem exercitus*) & ab eo ablatum fuit juge, (*nempe ſacrificium*) & projectus fuit (*vel diſſipatus*) locus ſanctuarii ejus.

Hic aliquid atrocius pronunciat Daniel, nempe quod parvum hoc cornu ſeſe efferet adverſus Deum. Quidam Principem exercitus accipiunt pro ſummo Sacerdote, quia etiam כהנים interdum vocantur Principes, ſicut שרים. Sed illud eſt nimis coactum. Senſus igitur hic tenendus eſt, tantam fore arrogantiam & veſaniam in Antiocho, ut non modo ſtellis cælorum bellum indicat: hoc eſt, non modo oppugnet Eccleſiam Dei, quæ ſegregata eſt à mundo, ſed etiam audeat aggredi ipſum Deum, & ſeſe opponere illius potentiæ. Neque enim ſævitiam ſuam duntaxat contra fideles exercuit, ſed profanavit templum ipſum, & conatus eſt extinguere omnem pietatem, & abolere cultum Dei in tota Judæa, ſicuti fuſius iterum videbimus pluribus locis. Quoniam ergo non tantum adverſus homines ſæviit Antiochus, ſed modis omnibus ſtuduit religionem evertere: ideo hoc narrat Daniel *cornu illud fuiſſe magnificatum uſque ad Principem exercitus*. Merito autem Deus Princeps exercitus vocatur, quia Eccleſiam ſuam fovet ac tuetur ſub alis ſuis. Non ergo tantum hoc exponi debet de gloria & imperio Dei, ſed ſimul etiam commendat nobis paternum ſuum favorem, quod dignetur curam noſtri ſuſcipere, acſi eſſet Princeps noſter. *Et ab illo*, inquit, *ablatum eſt juge ſacrificium, & projectus fuit locus ſanctuarii ejus*. Hæc auditu ſunt horrenda, quod ſpoliatus fuerit Deus jure ſuo, quum tamen unum ſibi in terra angulum ſumpſiſſet, ubi coleretur. Quis ex profanis hominibus non haberet ludibrin hanc Dei tolerantiam, quod permiſerit ſibi eripi legitimum honorem ab illo ſordido tyranno? Nam, ſicuti dictum fuit, nulla erat in Antiocho magnanimitas, nulla militaris virtus, ſed inſtructus erat ſola vafritie, & interea ſordidus adulator. Cæterum, ut demus fuiſſe centum Alexandros in ejus perſona, tamen quid hoc ſibi vult, quum Dominus patitur templum ſuum pollui, ut jam nullum illi ſacrificium offeratur in toto mundo? Manebat, ut dictum nuper fuit, angulus ille reſiduus, ubi Deus volebat coli: & nunc Antiochus templum occupat, & quibus poteſt contumeliis profanat ac fœdat, ut jam non ſit locus ſacer ſummo Deo. Ideo dixi hoc vaticinium pluſquam durum eſſe. Et amplificat indignitatem Propheta quum loquitur *de juge ſacrificio*. Deus enim ſæpe teſtatus fuerat templum illud ſibi fore perpetuam quietem, vel ſtationem, vel ſedem. Nunc illinc quoque ejicitur, quaſi ex tota terra exulet. Templum enim non poterat eſſe ſine ſacrificiis. Nam totus Legalis cultus erat quaſi appendix templi. Quum ergo Deus pollicitus eſt juge & æternum fore ſacrificium: ubi deletur ab Antiocho, quis non dicat vel fallaces fuiſſe omnes promiſſiones, vel in Deo nihil eſſe virtutis, ut jus ſuum aſſerat contra impium illum tyrannum? Hæc certe potuit eſſe horribilis perturbatio ad exanimandos omnes fideles. Et hodie quum legimus hoc vaticinium, fieri non poteſt quin horreſcant omnes ſenſus noſtri. Ergo non mirum eſt, quod Deus eventus adeo triſtes, & incredibiles etiam prædixerit ſervo ſuo, ut tota Eccleſia opportune admonita ſeſe armaret contra graviſſimam tentationem, quæ alioqui etiam cordatiſſimos quoſque obruere poterat. *Ablatum* ergo *ab ipſo Deo*, inquit, *fuit ſacrificium, & locus ſanctuarii ejus fuit projectus*, vel diſſipatus. Poſtea ſequitur,

12. Et

12. Et tempus (*alii vertunt exercitum: ſed mihi ſenſus ille magis probatur: poſtea rationem oſtendam. Tempus ergo*) datum eſt ſuper jugi *ſacrificio* in ſcelere, (*vel propter ſcelus: ad verbum eſt, tempus dabitur, in futuro tempore*) & projiciet veritatem in terram, & faciet, (*hoc eſt, habebit exequutionem paratam, ut vulgo loquuntur*) & proſpere aget.

Mitigat Propheta aſperitatem illam cujus nunc meminit. Videtur enim hoc eſſe abſurdum, quod Deus tantam licentiam concedat libidini Antiochi, ut ſpolietur ipſe templo ſuo, careat omnibus ſacrificiis, privetur omni cultu. Videtur hoc minime eſſe conſentaneum: deinde ſtatim obreperet opinio, Deum quaſi conſtringi, neque præditum eſſe virtute ad hoſtes ſuos expugnandos. Propheta igitur hic diſerte exprimit, non niſi Dei permiſſu tantam fore Antiochi licentiam in vexanda & opprimenda Ecclesia. *Tempus* ergo *dabitur*, inquit. Quum dicit *tempus datum iri*, hoc refertur ad Dei arbitrium, quaſi diceret non eſſe cauſam cur deſpondeant animos pii, dum videbunt ſurſum ac deorſum omnia turbari & miſceri, quia Deus tamen arcano judicio moderabitur iſtas adeo confuſas perturbationes. *Dabitur* ergo *tempus*, quaſi diceret Antiochum cum effreni & furioſa illa audacia nihil tamen poſſe, niſi quoad divinitus permiſſum fuerit & quidem ad ſpatium præfixum. צבא ſignificat exercitum, & ſignificat tempus: ſed hic melius convenit ſecunda ſignificatio. Nam quod alii vertunt exercitum illi traditum iri, hoc videtur magis coactum eſſe. Libentius itaque, ut dixi, amplector hunc ſenſum, quod tempus illi dabitur, hoc eſt, quod Deus certo aliquo & præfixo tempore experietur Eccleſiæ ſuæ patientiam, ſed tandem finem afferet his malis. Scimus autem non poſſe ſuſtineri aliter fidelium animos, quam ſi expectent meliorem exitum, atque ita ſpe emergant ex abyſſo triſtitiæ. Hæc igitur ratio eſt cur Deus oſtendat Prophetæ ſuo per viſionem, temporale fore illud imperium Antiochi. *Tempus* ergo *dabitur illi*, inquit, *ſuper jugi ſacrificio*, quaſi diceret, non abolebit cultum Dei, quamvis hoc ſibi proponat. Nam quicquid moliatur, tamen Deus non permittet ut prorſus & ſine fine intereant ſacrificia. Reſtituet enim ſuo tempore, ſicuti poſtea videbimus. Atque ita contextus optime fluet, ſicuti videbimus quum ventum fuerit ad finem. *Super jugi* igitur *ſacrificio dabitur illi tempus*. Poſtea adjungit בפשע, in ſcelere, vel in peccato. Malo ſimpliciter vertere, in peccato potius quam per peccatum, quia poſſunt elici diverſi ſenſus, ſicuti interpretes hic diſſident. Sed tamen præſtat relinquere liberam electionem, & ita ſimpliciter vertere, In ſcelere, vel peccato. Quidam hoc ad Antiochum trahunt, quod ſcilicet ſcelerate polluerit templum Dei, & abſtulerit ſacrificia. Probabilis eſt quidem ille ſenſus, ſed alios addam, poſtea dicam quis ex illis maxime mihi probetur. Alii, in peccato, intelligunt de ſacerdotibus, nempe
2 *Mach* 4. quoniam factum fuit Jaſonis perfidia, ut Antiochus
verſ. 7. urbem ingreſſus templum ſpoliaverit, & induxerit abominationes quæ labefactarent totum cultum Dei & pietatem. Jaſon ergo ut ſacerdotium eriperet fratri ſuo Oniæ, portas aperuit Antiocho, & hinc ſequuta eſt magna cædes, quoniam quicunque ſtuduerant partibus Oniæ jugulati ſunt crudeliter. Poſtea Menelaus iterum Jaſonem expulit eadem perfidia. Per ſcelus ergo quidam intelligunt, quod Antiochus inductus fuerit ab illis, ut in ſancta urbe tantum crudelitatis exerceret, deinde violaret ipſum templum. Alii magis ad genuinum ſenſum accedunt, quod in ſcelere ceſſaverint ſacrificia, quoniam ſcilicet adulterata fuerant à ſacerdotibus. Sed illud mihi videtur etiam nimis reſtrictum. Quantum ad me ſpectat, magis inclino in eorum ſententiam qui ſcelus accipiunt pro cauſa & origine, ut doceantur Judæi juſtas pœnas ſumi de ipſorum peccatis. Et jam dictum fuit, non fruſtra de tempore viſionem fuiſſe exhibitam, & ſimul de permiſſu Dei, & arcano ejus conſilio. Nunc vero cauſa exprimitur. Nam adhuc poterat rurſus objici, Qui fit, ut Deus ſeipſum, & ſacrum ſuum nomen ſubſannationi impiorum proſtituat, ut ſimul etiam derelinquat populum ſuum? Quid hoc ſibi vult? Propheta igitur hic cauſam aſſignat, ut ſentiant Judæi profanationem templi, & triſtem illam vaſtationem totius urbis, tot horrendas cædes eſſe mercedem peccatis ſuis debitam. *Tempus* ergo *dabitur ſuper jugi ſacrificio in peccato*, id eſt, propter peccatum. Nunc videmus ut Deus ab una parte temperet gravitatem malorum quæ inſtabant Judæis, & adhibeat aliquid dulcedinis, ne abſorbeat miſeros Judæos triſtitia & anxietas, & ſimul deſperatio: ab altera autem parte humiliet ipſos, & admoneat ut fateantur ſua peccata: deinde etiam ut ſtudia ſua ad reſipiſcentiam applicent, quum dicit, *In peccato dabitur*. Oſtendit ergo cauſam malorum fore in ipſis Judæis, quia ſcilicet provocata fuerat ipſorum vitiis ira Dei. Hic ſubſiſtere neceſſe eſt uſque in craſtinum.

Da omnipotens Deus, quum nobis illuxeris per Euangelii tui doctrinam, & oculis etiam noſtris propoſueris Filium tuum unigenitum, Solem juſtitiæ qui nos regat, & dignatus fueris nos ſegregare à toto mundo, ut eſſemus ſacrum tuum peculium, ac certam ſedem in cælo nobis præparare, ut ſimus jam vitæ æternæ hæredes: da, inquam, ſic eſſe memores ſanctæ tuæ vocationis, ut peregrinando in terra erectis animis ſurſum ad te tendamus, & meditemur juſtitiam regni tui, & dum ita addicti tibi ſumus, etiam nos protegas manu tua uſque ad finem, quo militemus fortiter ſub tuo vexillo, donec tandem perveniamus ad beatam illam quietem, ubi repoſitus eſt nobis fructus victoriæ in Chriſto Jeſu Domino noſtro, Amen.

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA PRIMA IN DANIELEM.

INter alia Antiochi ſcelera hoc commemorat Daniel, quod *proſternet veritatem in terram*. Hoc membrum conjungi debet cum ſuperioribus. Neque enim poterat Antiochus Deum privare legitimo cultu, niſi aboleret ſanam doctrinam. Videtur ergo hic exprimere Angelus rationem ſanctuarii delendi, quia pendebat Dei cultus à doctrina Legis, quæ hic deſignatur per nomen *veritatis*. Locus autem hic docet, nullam religionem placere Deo, niſi quæ fundata ſit in veritate. Neque enim Deus, quemadmodum tota Scriptura docet, vult hominum arbitrio coli, ſed potius experitur hominum obedientiam, dum præſcribit quid ipſe poſtulet ac probet, ne homines tranſiliant has metas. Notanda igitur eſt conjunctio hæc, quam ponit Daniel, nempe tunc everti & aboleri Dei cultum, ubi veritas projecta in terram non obtinet ſuum gradum, neque eminet in mundo, ut ſubjiciat ſibi cunctos

mortales. Poſſet etiam legi, Proſternet veritatem in terra, ut ſit diſtinctio inter cælum & terram. Et ſi ita legere placeat, ſenſus erit, veritatem manere ſtabilem utcunque in mundo labefactetur, quia habet ſtationem ſuam in cælo. Ita etiam ſenſus eſſet, abolito Dei cultu, & ſacrificiis ceſſantibus, nullam fore amplios doctrinam pietatis, nempe inter mortales. Tandem ſubjicit, *Faciet & proſperabit.* Hoc Facere notat exequutionem, ut vocant. Voluit igitur in ſumma Deus Eccleſiam moneri de proſpero Antiochi ſucceſſu, ne hoc exanimaret fideles, quum viderent impium tyrannum pro ſua libidine ſic petulanter templum Dei polluere, & delere totam religionem, quaſi Deum ipſum in certamen provocaſſet. Nam fuit hoc quaſi ex profeſſo bellum Deo indicere. Succeſſus autem potuit pios omnes turbare, acſi tyrannus ille eſſet Deo ſuperior. Ergo oportuit etiam hoc prædici, ne quid novum vel inopinatum contingeret fidelibus. Sequitur,

13. Et audivi ſanctum unum loquentem: dixit ergo ſanctus unus mirabili, (*dicemus poſtea de voce*) loquens, Quouſque viſio jugis *ſacrificii*, & ſceleris vaſtantis *ad* dandum (*alii vertunt, quouſque permittetur viſio? ſed ita reſolvi potius debet ſecundum rationem Grammaticæ: Quouſque igitur viſio jugis ſacrificii, & ſceleris vaſtantis, fore ut detur*) & ſanctuarium, & exercitus conculcatio? (*hoc eſt, in conculcationem. Poteſt repeti verbum hoc.*)

14. Et dixit mihi, Ad veſperum, mane (*hoc eſt, ad veſperum, & mane*) duo millia, & trecenti *anni:* & juſtificabitur ſanctuarium.

Hic clarius exprimitur quod ante dixi, nempe Dei conſilium fuiſſe, ſolari & lenire piorum dolores, ne ſuccumberent tam duris tentationibus, quum viderent dominari in Dei ſacrario impium tyrannum: deinde locum illum quem Deus pollicitus fuerat ſibi loco perpetui domicilii fore, eſſe jam expoſitum ſuperſtitionibus impiis, quoniam idolum Jovis Olympici illic erectum fuerat, quemadmodum
1 Mach. 1. verſ. 57. & 2.6:2. refertur in hiſtoria Machabæorum. Deus ergo voluit fulcire ſervos ſuos, ne obrueret eos tam dura tentatio: imo quum eſſent multæ ſpecies tentationum ut fortiter tamen ſtarent, neque deficerent à pietate. Sed quum Daniel attonitus ſtuperet, Deus infirmitati ejus conſuluit per operam Angeli. Daniel ipſe haud dubie ſciſcitatus eſſet de viſione, quemadmodum poſtea ipſum feciſſe videbimus: ſed hoc loco Deus occurrere voluit, quia videbat ſanctum virum ſic perculſum eſſe pavore, ut vix inquirere auderet. Hic ergo Deus non vulgare ſpecimen edidit paternæ bonitatis & indulgentiæ, quod antevertit, & Angelum miſit, qui ipſios Prophetæ nomine interrogaret. Dicit ergo *ſe audiviſſe unum ſanctum:* qua voce Angelum intelligit. Nam etſi Deus dignatur tam honorifico titulo fideles, qui in mundo verſantur, tamen ſcimus Angelos pollere longe alia puritate, quia prorſus mundi ſunt atque immunes ab omnibus carnis vitiis. Nos autem incluſi hoc ergaſtulo, adhoc detinemur ſub ſervitute peccati, atque ita inquinati ſumus multis ſordibus. In Angelis ergo longe excellentior eſt ſanctitas, quam in cunctis mortalibus: & ideo in ipſos proprie competit hoc nomen. Quum autem Daniel ſpiritu Prophetico raptus eſſet, fuit inter Angelos, quia ſeparatus erat à ſocietate hominum. *Unus* ergo *Angelus dixit ad Palmoni.* Hebræi ſæpe ita loquuntur, Peloni almoni quum volunt dicere, quiſquis ſit: & hoc tam ad perſonas refertur, quam ad loca. Quum de loco incognito vel abſcondito loquuntur, etiam uſurpant hanc formulam, Peloni almoni. Putant ergo nomen hoc eſſe compoſitum ex his duobis verbis: & multi ita interpretantur, quendam incognitum. Sed videtur magis emphaticum eſſe hoc nomen. Daniel enim hic inducit Angelum loquentem: ornat eum elogio inſigni, quod ſit ſanctus. Non dubium eſt, quin hic qui rogatur ab Angelo, obtinuerit ſuperiorem gradum. Ergo non eſſet probabile, vocari quendam, & interea Angelum vocari ſanctum. Ratio igitur oſtendit Almoni debere intelligi de Angelo, cujus gloria ſit incomprehenſibilis, vel ſaltem non ſit tam familiariter cognita, ut aliorum. Nam ſicuti unum ex *Angelis* vocat ſanctum Daniel, ſic etiam alios vocaſſet, idque poſtea videbimus. Quando igitur de aliquo certo nunc agit, etiam vocat Palmoni, & etymologia nos huc ducit, nempe ad aliquod myſterium incomprehenſibile: quis non videat hic notari Chriſtum, qui eſt Angelorum caput, & qui longe ſuper ipſos eminet? & vocatur etiam פלה Jeſaiæ nono capite. Nomen quidem hoc eſt compoſitum, ut diximus, ſed quoniam Pala Hebræis ſignificat eſſe abſconditum, & Chriſtus vocatur Pela, & Judicum etiam cap. 3. Deus hoc nomen ſibi vendicat, quod ſit Pele: hæc omnia optime reſpondent, quod Angelus in gratiam Danielis & totius Eccleſiæ ad Chriſtum venerit, & quæſierit ex ipſo tanquam ex ſummo doctore & magiſtro, quidnam ſibi vellent quæ jam audivimos. Neque mirum eſt, Angelos ſciſcitari de rebus futuris tanquam incognitis. Hoc enim Dei ſolius proprium eſt omnia cognoſcere. Ergo Angelis etiam datus eſt ſcientiæ modos.
Et Paulus docet eos mirari, quod collecta fuerit Ec- Epheſ. 3. verſ. 10.
cleſia ex profanis hominibus, & extraneis. Fuit enim hoc myſterium etiam Angelis ipſis abſconditum antequam Deus reipſa oſtenderet ſe eſſe patrem totius mundi. Quod ergo Angeli inquirunt de myſteriis, non eſt abſurdum, quoniam ignorantia non ſemper vitioſa eſt. Neque enim Deus æquavit unquam ſibi creaturas. Ex hoc, ſicut dixi, proprie in ipſum unum competit, ut omnia cognoſcat & habeat ſub oculis. Sed Angelus diſcere cupit intelligentiam hujus myſterii, non tam ſua cauſa, quam totius Eccleſiæ. Scimus enim eſſe miniſtros noſtros,
& hoc clare teſtatur Apoſtolus. Quum ergo excubias Hebr. 1. verſ. 14.
pro nobis agant, non mirum eſt, quod Angelus inquirat ſedulo de hac viſione, ut inde fructum percipiat tota Eccleſia per manum Danielis. Interea notandum eſt, Chriſtum ſicuti eſt Angelorum caput, ita etiam eſſe doctorem, quia eſt æterna Dei ſapientia. Oportet igitur Angelos quoque ex illo fonte haurire omnem intelligentiæ lucem. Itaque Angeli ſuo exemplo nos ad Chriſtum deducunt, ut nos totos illi tradamus, & perſuaſi hanc eſſe ſummam & unicam ſapientiam, ſi ſumus & diſcipuli ejus, & manſueti, & modeſti, & dociles, tantum hoc ſcire appetamus quod nobis patefaciet. Quærit autem Angelus, *Quouſque viſio jugis* ſacrificii *& peccati*, inquit, hoc eſt, quouſque viſio de abrogatione jugis ſacrificii, & de peccato vaſtante? Quantum ad ſecundum, diximus heri varie accipi ab interpretibus, quia alii torquent ad Antiochum, qui ſcelerate auſus eſt templum Dei violare, alii ad Sacerdotes. Sed diximus hic populum coargui, ne ut fieri ſolet, multi obſtreperent Deo, quum tam duriter affligeret ſuam Eccleſiam. Voluit igitur Deus hoc teſtatum eſſe, vaſtationem illam manare à peccatis populi. Ideo perinde eſt acſi diceret Angelus, Quouſque ceſſabunt ſacrificia? & quouſque durabit hæc ultio, qua Deus caſtigabit ſcelera populi ſui? Nam vocatur peccatum vaſtans, quia cauſa eſt illius vaſtitatis.

Poſtea additur, *& quouſque erit ſanctuarium & exercitus in conculcationem?* hoc eſt, quouſque tam cultus Dei, & pietas ipſa, quam populus conculcabitur ſub hac ſæva tyrannide Antiochi? Hæc autem interrogatio multò plus habet efficaciæ, quam ſi uno tenore dictum fuiſſet Prophetæ, quemadmodum heri vidimus, fore temporalem hanc pœnam. Dictum hoc fuerat: ſed oportuit nunc clarius rem explicare. Interpoſita igitur fuit in hunc finem interrogatio, ut Daniel attentior eſſet, deinde ut populus hac narratione melius excitaretur ad diſcendi ſtudium. Neque enim hoc vulgare eſt, quum Angeli noſtra cauſa ad Chriſtum accedunt, & ſciſcitantur de rebus ad ſtatum & ſalutem Eccleſiæ pertinentibus. Quum ergo Angeli hoc officio funguntur, pluſquam lapideos nos eſſe oportet, niſi accenditur in nobis diſcendi ſtudium, ac ſedulitas. Videmus ergo cur hoc de Angelo interpoſitum fuerit. Jam ſequitur, *Et dixit ad me.* Referri hoc debet non ad Angelum ſciſcitantem, ſed ad *Palmoni.* Et hinc melius colligitur, Angelum non tam ſollicitum fuiſſe ſua cauſa de interpretatione vaticinii, quam in uſum communem piorum. Quiſquis enim ſit iſte *Palmoni*, quanquam mihi certo perſuaſum eſt fuiſſe Filium Dei: ſed tamen quiſquis fuerit, haud dubie non rejecit Angeli poſtulationem. Cur ergo Danielem ipſum potius quam Angelum compellat? nempe quia Angelus non fuit addictus propriæ utilitati, ſed ſuſcepit cauſam totius Eccleſiæ, quemadmodum diximus ordinatos eſſe Angelos nobis in ſalutem. Sic ergo videmus Angelum conſuluiſſe Prophetæ ſtupori, quum eſſet ſimilis mortuo, neque veniret ei in mentem ſciſcitari, vel non auderet ſtatim eo prorumpere, quemadmodum poſtea animum collegit, ſed erectus manu Angeli, ut iterum videbimus. *Dixit* ergo *Palmoni ad me*, hoc eſt, ille admirabilis, vel incomprehenſus, vel abſconditus dixit mihi, *Ad veſperum, & mane duo millia & trecenti, & juſtificabitur ſanctuarium.* Hic Hebræi inter ſe litigant, quoniam alii intelligunt annos bis mille & trecentos, alii autem menſes. Sed mirum eſt io re clara ita craſſe eos ballucinari. Neque enim ambigua eſt hæc loquutio, *Ad veſperum & mane.* Ergo diſerte exprimit Chriſtus fore dies bis mille & trecentos. Nam quorſum alioqui ſpectaret illud, *Ad veſperum & mane?* Hoc non poteſt vel de annis, vel de menſibus pronunciari. Sequitur ergo hic debere intelligi dies naturales, qui conſtant viginti quatuor horis. Et qui de annis vel menſibus accipiunt, miſere ſe torquent, & tandem ridiculi ſunt in ſuis ſupputationibus. Qui enim hoc tempus incipere contendunt à Samuele, poſtea deſcendunt ad regnum Saulis, & veniunt ad regnum Davidis, prorſus inſulſe nugantur, quia non tenent conſilium Chriſti, qui voluit Eccleſiam ſuam eſſe præmonitam de futuris imperiis & cladibus, ut invicti perſtarent fideles, quamvis undique opprimerentur. Voluit igitur Chriſtus accendere lucernam, quæ dirigeret omnes electos per illam caliginem quæ inſtabat ſub tyrannide Antiochi, ut in tenebris denſiſſimis tamen ſcirent ſe non deſtitui Dei gratia, & ſpe erecti extenderent mentes ſuas, atque omnes ſenſus ad finem promiſſum. Quorſum igitur interpretes illi loquuntur de regno Davidis & Saulis? Videmus hoc prorſus alienum & remotum eſſe à mente Chriſti, & ab uſu hujus prophetiæ. Non minus etiam abſurde garriunt alii de menſibus. Si vellem eos refellere, opus eſſet tribus aut quatuor horis, ita tempus fruſtra tererem, vel ſine magno fructu. Satis eſt igitur, quod ex verbis ipſis colligere promptum eſt, Chriſtum hic non de annis vel de menſibus, ſed de diebus agere. Jam vera etiam hujus loci interpretatio petenda eſt ex toto contextu. Diximus vaticinium hoc non poſſe alio transferri quam ad Antiochum: & res ipſa clamat, verba de Antiocho fieri: & nimis cæcutiunt qui hoc principium non tenent, natum fuiſſe parvum cornu in uno ex præcipuis illis & illuſtribus quæ emerſerant in locum unius maximi cornu. Hoc etiam pueris ipſis notum eſt quicunque hiſtorias illorum temporum legerunt. Ergo quum hic ſermonem habeat Chriſtus de tyrannide Antiochi, videndum eſt quid maxime ejus perſonæ quadret. Numerat Chriſtus dies bis mille & trecentos, quibus ſanctuarium polluendum erat. Efficiunt autem dies bis mille & trecenti annos ſex, & circiter quatuor menſes. Scimus quidem fuiſſe annos lunares Judæis ſicuti etiam erant menſes. Intercalabant poſtea, quoniam duodecim lunæ non æquabant curſum ſolis. Idem etiam mos viguit apud Græcos & Romanos. Primus Julius Cæſar confecit nobis annum ſolarem: ſed tamen intercalatio ſupplebat defectum dierum, ſic ut ſoliti fuerint redire ad curſum ſolis. Quicquid ſit, dies iſti, quemadmodum dixi, complent annos ſex, & menſes tres, & plus dimidio menſe. Nunc ſi conferimus quæ teſtantur hiſtorici, præſertim liber Machabæorum, cum hoc vaticinio, reperiemus ſex annis oppreſſam fuiſſe miſeram illam gentem ſub tyrannide Antiochi. Idolum quidem Jovis Olympici non ſtetit in templo per ſex continuos annos: ſed primo ingreſſu cœpit templum polluere, quaſi conſpueret in faciem Dei. Non mirum eſt igitur, ſi Daniel hanc viſionem acceperit de ſex annis, & fere tertia parte: quia tunc Antiochus ludibrio habuit cultum Dei, & Legem: & quum funderet promiſcue ſanguinem innoxium, nemo audebat palam reſiſtere. Quum ergo religio tunc in terram projecta fuerit, uſque dum purgatum fuit templum, videmus ut optime inter ſe conveniant vaticinium & hiſtoria, qualiter narratur. Deinde certum eſt, non poſt finem ſexti anni vertentis, ut loquuntur, fuiſſe templum purgatum, ſed menſe כסלו, ut prudenter etiam colligunt docti viri, profanatum fuit, hoc eſt, menſe vel Octobri, vel Novembri. Nam menſis Caſleu apud Hebræos nunc incipit à dimidio Octobris, nunc à fine, ſicuti fert ratio curſus lunæ. Diximus enim illis eſſe menſes & annos lunares. Menſe igitur Caſleu pollutum fuit templum: menſe אדר, hoc eſt, tribus poſt menſibus, ita ut jam inſtaret finis menſis, purgarunt templum Machabæi. Sic *1 Mach. 4. verſ. 36.* ergo modis omnibus confirmant hiſtoriæ quod pluribus ante ſeculis à Daniele prædictum fuit, hoc eſt, trecentis fere annis antequam hoc fieret. Nam hoc accidit poſt mortem Alexandri centum & quinquaginta annis. Ante vero non parum temporis elapſum erat: quia inter mortem Cyri & mortem Darii fuerunt octo aut decem Reges Perſarum. Non teneo nunc memoria, niſi ſummas rerum: & hoc ſufficere nobis debet, ita completum fuiſſe ſuo tempore quod nobis proponit Daniel, ſicut hiſtoriæ clare narrant. Ergo nihil dubium eſt, quin hic Chriſtus prædicat templi profanationem, quæ poterat labefactare animos piorum, quaſi à Deo proditi eſſent, quaſi nullam amplius curam gereret templi ſui, quaſi electio intercidiſſet & totum fœdus. Chriſtus ergo voluit fulcire fidelium animos hac prædictione, ut ſcirent merito ſibi hæc omnia accidere, quoniam provocaſſent iram Dei: & tamen pœnam hanc fore temporalem, quia idem Deus, qui denunciaverat hoc inſtare, ſimul promiſerat felicem exitum. Quod dicit, *Sanctuarium juſtificabitur*, quidam vertunt, expiabitur tunc ſanctuarium. Sed libenter retineo verbi proprietatem. Scimus enim Hebræos Juſtificandi verbo uti quoties de jure loquuntur. Ubi ergo reſtituitur jus ſuum ſpoliatis, ubi aſſeritur in libertatem qui ſervus fuerat, ubi cauſam obtinet qui fuerat injuſte gravatus, hoc totum eſt juſtificari Hebræis. Quum ergo Dei ſanctuarium infamiæ eſſet ſubjectum quantiſper illic conſpectum fuit ſimulachrum Jovis Olympii, & ita nulla eſſet amplius ejus dignitas (Nam ſcimus à cultu Dei fuiſſe æſtimandam templi glo-

gloriam) quum ergo tanto dedecore oppreſſum eſſet templum, tunc juſtificatum fuit, ubi Deus iterum erexit ſua ſacrificia, voluit reſtitui purum cultum, quem Lege ſua præſcripſerat. *Juſtificabitur* ergo *ſanctuarium*, hoc eſt, vindicabitur ab illo probro, cui ad tempus obnoxium erit. Sequitur,

15. Et factum eſt, quum viderem ego Daniel viſionem, & quærerem intelligentiam, ecce ſtetit coram me quaſi aſpectus (*vel ſpecies*) viri.

Iterum confirmat Daniel quod prius dixit. Sed antequam ad interpretationem deſcendat, præfatur de fide & certitudine oraculi, ne ſcilicet dubitaret Eccleſia amplecti tanquam à Deo profectum quod tunc prodebat. Non fecit hoc artificio, quemadmodum ſolent Rhetores: ſed Deus voluit tam ipſum quam pios omnes erigere ad meditationem hujus vaticinii, cujus apptime utilis tunc erat imo neceſſaria cognitio. Dicit ergo *quum quæreret intelligentiam hujus viſionis, apparuiſſe ſibi quaſi viri ſpeciem.* Jam prævenerat Deus hoc deſiderium Prophetæ, ſed quia Angelus ſponte ſciſcitatus fuerat à Chriſto, Chriſtus autem reſponderat, & aliqua ex parte oſtenderat ſenſum hujus viſionis:, nunc Daniel poſtquam videt Deum ſic antevertiſſe, & non expectaſſe dum ipſe inquireret, animum colligit, & confiſus illa Dei facilitate, etiam cupit clarius diſcere: non quod prorſus ignota res eſſet, ſed quia nondum ſatis liquido cernebat quod erat utile & ipſi & toti Eccleſiæ. Videmus igitur ut guſtum ceperit duntaxat viſionis ex reſponſo Chriſti, atque ita magis accenſus fuerit ad diſcendi ſtudium. Multi faſtidium ſtatim concipiunt ex modica intelligentia. Simul enim atque viſi ſunt ſibi partem aliquam tenere, reſpuunt quicquid addi poteſt. Hinc fit, ut multi ſæpe ſubſidant in primis elementis, quia tandem hæc moroſitas illis obſtat, quo minus ſolide diſcant quod opus erat. Daniel ergò hic oſtendit ſe procul abfuiſſe ab illo faſtidio, quia attentior fuit redditus quum audiret ex ore Chriſti quorſum ſpectaret hæc viſio. *Quum ergo eſſem attentus, & quærerem intelligentiam*, inquit, *ecce ſtetit coram facie mea*, vel è regione, *quaſi aſpectus viri* Probabile eſt etiam hunc locum de Chriſto intelligi, qui nunc vocatur quaſi vir, quemadmodum an- *cap. 7: 13.*
tea. Nondum enim induerat carnem noſtram, ut proprie competeret nomen hominis in ipſum: ſed erat jam quaſi homo, quia voluit guſtum aliquem dare ſanctis Patribus, unde intelligerent ipſum tunc fore Mediatorem, quum indutus natura hominis eſſet
Deus manifeſtatus in carne. Apte ergo loquitur Da- *1 Tim. 3.*
niel ſicuti antea, quum Chriſtum dicit *ſibi apparuiſſe* *verſ. 16.*
quaſi ſub aſpectu viri. At adjungit in eundem ſenſum,

16. Et audivi vocem hominis in Ulai, (*hoc eſt, inter duas ripas fluvii*) & clamavit, & dixit, Gabriel, doce hunc viſionem.

Non utitur particula ſimilitudinis, ſed dicit vocem hominis ſe audiſſe, quia non agitur amplius vel de homine vel de figura, ſed de voce. Deinde ſatis fuit hoc ſemel attingi, eſſe quaſi virum: & non proprie tamen, ſed duntaxat ſub imagine & umbra. Chriſtus ergo *apparuit tanquam vir*, deinde
Jud. 13. vocatur homo, quemadmodum ſæpe ubi Scriptura
v. 3. &c. refert Angelos fuiſſe oſtenſos hominibus ſub hominum figura, vocat Angelos, poſtea vocat homines, ratione ſcilicet figuræ. Sic etiam nunc poſtquam Daniel dixit apparuiſſe ſibi quaſi virum, vel quaſi aſpectum viri, improprie vocat hominem. Sed in eo nihil eſt periculi, poſtquam admonuit fideles non fuiſſe virum carnis ſubſtantia indutum, ſed fuiſſe duntaxat ſpeciem vel aſpectum viri. *Audivi* igitur *vocem hominis in medio fluvio.* Jam hinc colligimus eundem hic deſignari, cujus facta fuit nuper mentio, quia imperat Angelo. Ergo non poteſt hoc referri niſi ad Chriſtum. *Gabriel*, inquit, *doce hunc.* Videmus ut hic qui loquitur ex medio flumine, tanquam ſuperior imperet Gabrieli. Nam Gabrielem unum
Luc. 1. fuiſſe ex Angelis ſatis notum eſt ex aliis locis Scri-
v. 26, 19. pturæ: & etymologia etiam optime convenit, nempe fortitudo Dei. Minime igitur dubium eſt, quin hic Angelus capeſſat mandata à Chriſto. Ergo videmus ſtatui in homine, vel in eo qui ſub figura vel aſpectu hominis apparuerat, ſummum imperium & poteſtatem: videmus in Gabriele eſſe obſequium, quoniam fungitur partibus ſibi injunctis. Hinc colligitur Chriſti divinitas, quia non potuit præcipere aliis Angelis, niſi vel ſpeciale datum fuiſſet mandatum, vel ipſe eſſet Deus. Atqui quum dicitur, fuiſſe quaſi hominem, hinc docemur fuiſſe aliquid excelſius homine in ipſo. Quid illud fuit? Non Angelica natura, ſed divina. Chriſtus ergo jam tunc apparuit ſub aſpectu viri, ut oſtenderet quodam præludio ſe futurum hominem ubi veniſſet tempus plenitudinis, & tunc etiam re ipſa monſtraret ſe eſſe caput Eccleſiæ, & ſibi curam eſſe ſalutis piorum. Oſtendit etiam poteſtatem ſe habere in omnes Angelos, quum Gabrielem juſſit fungi partibus doctoris erga Prophetam. Reliqua differemus.

Da omnipotens Deus, quum hodie referta ſit terra tot Inquinamentis quæ polluunt ſacroſanctum cultum nominis tui, & nullus ſit fere angulus in mundo quem non Satan corruperit, quum denique tota veritas tua ubique ſit adulterata, ut tamen perſtemus & certemus conſtanter in curſu pietatis, & ſemper attenti ſimus ad eam lucem, quam nobis ſemel Lege tua propoſuiſti, & qua etiam nobis plenius affulges in Euangelio, ne unquam declinemus in tenebras, quibus videmus mundum eſſe implicitum, imo in quibus demerſi ſunt etiam qui ſibi acutiſſime cernere videntur: ſed ſemper ſequamur viam illam, quam nobis oſtendis, donec pervenerimus ad eam metam quæ nobis propoſita eſt, & ad quam nos invitas quotidie, per unigenitum Filium tuum, Amen.

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA SECUNDA

IN

D A N I E L E M.

17. Et venit ad ſtationem meam: & quum veniret territus ſum, & cecidi ſuper faciem meam: tunc dixit ad me, Intellige fili hominis, quia ad tempus finis viſio. (*vel, ad tempus finis viſionis.*)

NOn repetam quæ jam antea expoſui: proſequar quod cœpi tractare, nempe Prophetam fuiſſe adjutum, quia ſine interprete non poterat viſionem aſſequi. Juſſus eſt ergo Angelus melius patefacere quod Deus oſtenderat. Sed antequam hoc narret, dicit *ſe fuiſſe territum acceſſu Angeli.* Non dubium eſt, quia hæc reverentia ſemper viguerit in ejus animo. Quoties ergo ſenſit ſe à Deo vocari, aut doceri, haud dubie fuit perculſus timore. Sed ſpeciale hic aliquid exprimitur, quod ſcilicet Deus ſic animum ejus affecit, ut nobis eſſet exemplo, atque redderemur magis attenti. Hic ergo Daniel mentem ſuam nobis exponit, ut commendet viſionis magnitudinem & pondus, ne ſcilicet neglectim quæ poſtea narrabit legamus: ſed ut ſciamus agi de re maxime ſeria. Deus enim uſus eſt Angelo miniſtro, ut conſilium ſuum Prophetæ explicaret: ſimul tamen intus animum ejus Spiritu ſuo tetigit, ut nobis viam monſtraret, atque ita nos ſecum formaret non tantum ad docilitatem, ſed etiam ad metum. Dicit igitur *ſe fuiſſe territum, & cecidiſſe.* Hoc quemadmodum dixi, ordinarium fuit in Propheta, ſicuti debet eſſe
1 Cor. 14. in omnibus piis. Nam Paulus etiam quum celebrat
verſ. 25. effectum & virtutem prophetiæ, dicit, Si quis incredulus ingreſſus fuerit in cœtum, & audiat Prophetam Dei nomine loquentem, proſternet ſe, inquit, ſuper faciem ſuam. Si hoc contingit incredulis, quiſnam erit iſte torpor, niſi excipimus reverenter & ſumma humilitate quod ſcimus proferri ex ore Dei? Sed interea meminerimus, quemadmodum nuper attigi, præſentis oraculi pondus hic nobis commendari à Propheta, *quod* ſcilicet *territus ceciderit ſuper faciem ſuam*, ſicuti proximo verſu iterum dicet. Nec ſupervacua eſt quæ ſequitur exhortatio, *Intellige*, inquit, *fili Adam.* Parum enim eſſet nos ad tempus moveri & percelli, niſi poſtea mentes noſtræ compoſitæ eſſent ad audiendum. Multi enim formidine tanguntur ubi illis Deus apparet, hoc eſt, ubi cogit illos ſentire vim & potentiam ſui imperii: ſed manent ſtupidi, & ita ſine profectu terrentur. Daniel autem hic diſcrimen ponit inter ſe & profanos homines qui obſtupeſcunt duntaxat, neque parantur ad docilitatem. Sed ſimul etiam narrat opera Angeli hoc fuiſſe factum, ut expergefieret. Timor ergo, cujus nuper facta eſt mentio, præparatio fuit ad docilitatem: ſed per ſe timor ille fuiſſet inutilis, niſi hoc fuiſſet additum, *ut intelligeret.* Sciamus ergo pietatem non in eo poſitam eſſe duntaxat, ſi Deum metuimus, ſed ſimul requiri obedientiam, ut ſcilicet compoſitis & tranquillis animis parati ſimus ad excipiendum quicquid docebitur. Hic ordo nobis diligenter eſt obſervandus. Jam ſequitur, *Quia viſioni erit finis ad tempus.* Quidam conjungunt Leeth kets, ad tempus finis: & legunt kez in genitivo caſu loco epitheti, quod ſatis eſt vulgare Hebræis. *Ad tempus* ergo finitum vel præfixum erit viſio, hunc ſenſum eliciunt. Alii autem vertunt, Ad tempus, finis viſionis: & hunc ſenſum libentius amplector, quia alter videtur mihi coactus. Quo ad ſummam rei, non multum intereſt: tamen quoniam facilior eſt iſta ratio loquendi, nempe finem vel complementum viſioni fore ad certum tempus, Ideo malo interpretationem iſtam ſequi. Intelligit autem Angelus non eſſe vanam ſpeculationem, ſed quæ conjuncta ſit cum effectu, vel habitura ſit ſuum complementum ſtatuto tempore. *Ad tempus* ergo *erit finis viſionis*, hoc eſt, quod nunc tibi oſtenditur non evaneſcet neque delebitur, ſed ubi advenerit tempus à Deo præfixum, tunc erit finis. Et kez ſæpe accipitur hoc ſenſu. *Erit ergo finis viſionis*, hoc eſt, viſio tunc complebitur, ubi advenerit tempus opportunum. Tenenda nobis eſt hæc exhortatio Angeli, quia niſi nobis certo perſuaſum eſſet, ubi Deus loquitur, rem eſſe fixam, non eſſemus addicti ad recipiendum quicquid loquitur. Sed ubi hoc nobis conſtat, Deum nunquam disjungere manum ſuam ab ore, hoc eſt, non eſſe ſui diſſimilem, ſed conjunctam eſſe potentiam ejus cum verbo, ut compleat quicquid pronunciavit: hoc eſt certum & ſtabile fundamentum fidei noſtræ. Extendi igitur debet hæc Angeli admonitio generaliter ad totam Scripturam, quod ſcilicet Deus non projiciat verba in aërem, quemadmodum loquuntur. Nihil enim accidit temere, ſed ſimulatque loquutus eſt, res ipſa etiam, & veritas, & effectus ſimul conſtat. Sequitur,

18. Et quum loqueretur mecum, ſopitus corrui ſuper faciem meam in terram: & tetigit me, (*alii vertunt, acceſſit ad me, quæ etiam interpretatio eſt tolerabilis*) & reſtituit me ſuper ſtationem meam. (*ſuper meum ſtare, ad verbum: en mon eſtre, ut dicitur Gallice.*)

Repetit Propheta quod dixerat, nempe ſe fuiſſe territum magnitudine hujus viſionis: interea tamen erectum fuiſſe ab Angelo, ne in ſtupore illo maneret. Duo igitur hæc membra notanda ſunt, quod Daniel fuerit attonitus initio, quia non potuit aliter ſatis eſſe compoſitus ad audiendam vocem Angeli: ſed ſimul adjungitur membrum illud, quod ſcilicet Angelus ipſum conſtituerit in loco ſuo. Quoties ergo nos Deus compellat, neceſſe eſt præcedere metum & formidinem, ut ſcilicet humiliemur, & ita reddamur dociles ac morigeri. Timor enim eſt vera præparatio ad obedientiam. Sed quemadmodum prius dictum fuit, neceſſe eſt alterum illud accedere, nempe ut Deus poſtquam nos proſtravit & dejecit, etiam erigat, quo ſcilicet ſimus parati ad audiendum: quod fieri non poteſt, quin mentes noſtræ ſint ſedatæ & compoſitæ. Utrumque ergo hic exprimitur à Propheta. Hoc quemadmodum dixi, generale eſt omnibus piis: ſed hic aliquid ſingulare notatur, ne torpeant lectores vel ſecure percurrant hanc viſionem: ſed colligant omnes ſuos ſenſus, & ſciant non poſſe intelligi quod hic dicitur, niſi præceſſerit metus ille Dei, quo formentur ad ejus obedientiam. *Quum* ergo *loqueretur mecum, ſopitus fui ſuper faciem meam in terra:* hoc eſt, jacui attonitus: *& tetigit me.* Dixi jam alios ſecus vertere, quod ſcilicet acceſſerit ad ipſum Angelus, ſed perinde eſt. Nunc addit,

19. Et dixit, Ecce ego docebo te (*vel patefaciam tibi, vel faciam te ſcire, ad verbum*) quod erit in fine iræ: quia ad præfixum (*vel ſtatutum*) tempus finis.

Qui in genitivo caſu legunt nomen kez verſu 17. ſubaudiunt hoc loco iterum nomen Chazon, acſi dixiſſet Propheta, ad tempus finis erit viſio. Sed quoniam Moëd ſignificat præfixum tempus & condictum, ideo eſſet aliquid ſupervacuum in loquendi forma: deinde kez, quemadmodum dixi, proprie accipitur pro ipſo effectu, & illud durum eſt ac longe petitum, quod ad tempus finis erit viſio, hoc eſt, ubi agitur de viſionis complemento. Nam hac voce illud totum exprimitur quod alii intelligunt. Cæterum, de re ipſa convenit inter omnes, quod ſcilicet Angelus teſtetur ſe electum interpretem à Deo, qui Prophetæ exponat quod futurum eſt. *Ecce ego*, inquit, *patefaciam tibi.* Hic conciliat ſibi fidem à vocatione, nempe quia mandatum hoc divinitus acceperit. Et hoc etiam notandum eſt, quia nunquam fides noſtra quieſcet vel ſtabilis erit, niſi certa authoritas ſit loco fundamenti. Quod ſi Angelus præ-

fatur ſe munus exequi divinitus injunctum, an fides habenda erit hominibus, qui ſeipſos temere ingerent, vel quamvis obtendant nomen Dei, tamen carent certa & legitima vocatione? Sciamus ergo neque hominibus neque Angelis tantum honoris habendum eſſe, ut recipiamus quicquid afferent, niſi quatenus miniſtri ſunt Dei, & nobis deſtinantur, ut ſint ejus interpretes. Dicit autem, *Annunciabo tibi quod futurum eſt uſque ad finem iræ*. Non dubium eſt, quin hac voce intelligat Angelus inopinatam Dei vindictam. Scimus ſtatim à reditu populi hoſtes fuiſſe ſic graſſatos in Judæa, ut non deſinerent quotidie multas inferre moleſtias. Ergo ſimulac reverſi ſunt Judæi ab exilio, Deus cœpit illos variis modis exercere, neque id ſine cauſa. Privatim enim quiſque ſuæ utilitati ſtudebat, nulla erat cura templi, nullum ſtudium divini cultus: deinde dediti erant avaritiæ, & rapinis. Fraudabant etiam Deum ipſum in deci-
Mal. 3. verſ. 8. mis & oblationibus, ſicuti patet ex Malachia, &
Agg. 1: 2. Propheta Chaggai. Deus ergo jam tunc cœpit in illos animadvertere, ſed diſtulit iram ſuam uſque ad tempus Antiochi. Vocat igitur Angelus *finem iræ*, pœnam illam graviorem quam exeruit Deus, poſtquam diu abuſus fuerat populus ejus tolerantia. *Docebo* igitur *te*, vel patefaciam tibi, *quod futurum ſit ad finem iræ, quia*, inquit (Repetit etiam nunc quod dixerat de prophetiæ effectu) *ad tempus* ergo *erit finis:* hoc eſt, complementum extabit tempore ſuo præfixo. Jam notandum etiam eſt nomen Moed, quia hic opponitur fervori noſtro, & intemperantiæ: In deſiderio, ut loquuntur, etiam celeritas eſt mora, nam ſimulatque Deus aliquid teſtatus eſt, vellemus primo quoque momento id compleri: & ſi ad paucos tantum dies ſuſpendit executionem, non tantum miramur, ſed etiam obſtrepimus, & fremimus. Deus ergo hic admonet per Angelum, eſſe ſibi præfixum tempus, ut ſcilicet diſcamus frenum nobis injicere, ne ſimus tam præcipites, vel ne ita importune feſtinemus quemadmodum fieri ſolet. Quanquam ſimul tenendum eſt memoria quod dixi, effectum ſcilicet viſionis hic oſtendi, quo juſtam reverentiam apud nos obtineat. Sequitur,

20. *Et* aries quem vidiſti habentem duo cornua, Reges ſunt Medorum & Perſarum.

21. Et hircus capræ, (*qui natus erit ex hirco*) Rex Græciæ: (*nam Javan vocant Hebræi non tantum Græcos, ſed etiam Macedonas, & totum illum tractum qui dividitur Helleſponto ab Aſia minore uſque ad Illyricum. Rex igitur eſt Græciæ*) & cornu magnum quod erat inter oculos ejus, eſt Rex primus.

22. Et confractum eſt, (*id eſt, quod cornu fuit confractum*) & extiterunt quatuor (*cornua ſcilicet*) loco ejus: quatuor regna à gente exurgent, (*vel exiſtent*) & non pro fortitudine illius.

23. Et in fine regni illorum, ubi perfecti fuerint ſcelerati, exiſtet Rex præfractus facie, (*ad verbum eſt, faciebus. Ideo Lutherus ſibi liberius indulgens, accipit pro larvis Antichriſti. Sed de ea re poſtea videbimus*) & intelligens ænigmata.

24. Et roborabitur fortitudo ejus, & non in fortitudine ſua: (*vel pro fortitudine illius: etiam de hac re dicendum erit*) & mirabilia (*miris modis*) evertet: (*hoc eſt, mirabiliter: nomen loco adverbii*) proſperabitur, & efficiet, & perdet (*repetit idem verbum*) robuſtos, & populum ſanctorum.

25. Et pro intelligentia ſua proſperabitur dolus in manu ejus, & in corde ſuo magnificabit ſe, & in pace perdet multos, (*vel fortes*) & contra Principem principum ſtabit, (*vel exurget*) & abſque manu frangetur.

Jam ante hæc omnia aliqua ex parte explicuimus, ſed breviter. Cæterum, hic Angelus omnem dubitationem tollit, ne ſcilicet anxie quæramus quiſnam fuerit ille aries, quem viderat Daniel, & quis fuerit etiam hircus qui ſequutus fuerat, & proſtraverat arietem. Angelus ergo hic pronunciat arietem repræſentare regna duo, quæ tamen coaluerunt in unum. Cyrus, quemadmodum dictum fuit, ad tempus conceſſit ſocero ſuo Cyaxari, ſed traxit tamen totum imperium ad ſe: & cœperunt Perſæ extendere ſuam ditionem per omnes Orientis plagas. Sed Deus in hac viſione reſpexit exordium illius Monarchiæ. Quum ergo inter ſe conjuncti eſſent Perſæ & Medi, ideo aries geſtat duo cornua. Jam ſucceſſit hircus, quemadmodum viſum fuit, qui dejecit arietem. In hirco illo erat unum cornu magnum, deinde erant quatuor parva cornua. Angelus de hirco etiam reſpondet, quod fuerit regnum Græcorum. Minime autem dubium eſt, quin Alexander occupaverit totum Orientem, ac proinde deleta fuerit etiam Monarchia Perſarum. In hirco igitur oſtenſum fuit regnum Græciæ vel Macedoniæ. Sed cornua etiam aliquid ſpeciale notabunt. *Magnum* enim *illud cornu*, inquit Daniel, *fuit Rex primus*, hoc eſt, Alexander: deinde quatuor minora cornua exorta ſunt in illius locum. Diximus quænam fuerint illa cornua. Nam quum multum ſanguinis effuſum eſſet, & major pars ex ducibus eſſet occiſa, & quum inter ſe pluſquam hoſtiliter graſſati eſſent Alexandri ſatellites, tandem qui reſtabant, inter ſe partiti ſunt, ut Caſſander Antipatri filius obtinuerit Macedoniam, deinde ut occupaverit Seleucus Syriam, & Ptolemæus Ægyptum; Antigonus vero occupaverit quartam partem. Sic factum eſt, ut ſuccreverint parva illa cornua in locum Alexandri. Hiſtoriæ profanæ hoc ſatis clare teſtantur. Et hinc etiam colligimus Deum quoties prophetia hæc nobis proponitur, hic conſpicuum ſignum dare ſuæ majeſtatis. Quomodo enim potuit tam longo tempore antequam hæc acciderent conjicere Daniel quid futurum eſſet? Atqui hic non pronunciat ænigmata, ſed narrat perinde acſi res jam tunc fuiſſent completæ. Nunc igitur Epicurei homines contemnant Scripturam, & ſubſannent noſtram ſimplicitatem, acſi nimium eſſemus creduli. Sed potius oſtendunt quam prodigioſa ſit eorum amentia & cæcitas, ubi non agnoſcunt quicquid hic profert Daniel divinum eſſe. Imo ex hac ſola prophetia poſſet nobis probari, unum eſſe Deum certum. Si quis vellet negare principium illud, & vellet abjicere omnem opinionem divinitatis, tamen poſſet hoc uno vaticinio convinci. Hoc autem non ſolum agitur, ſed Daniel oſtendit quaſi digito unicum eſſe Deum Iſraëlis, in cujus manu & arbitrio ſunt omnia, & quem nihil latet, vel fugit. Ergo ex hoc ſolo vaticinio nobis ſatis & ſuper probatur certa, & indubia Scripturæ auctoritas, quum ita diſſerit Propheta enucleate de rebus adhuc incognitis, & quas nemo mortalium unquam divinaſſet. Primo dicit, *Aries quem vidiſti, qui habebat duo cornua, ſunt Reges Medorum & Perſarum.* Hoc nondum contigerat, nempe ut ſurgeret aries ille, & occuparet Babylonem, quemadmodum vidimus: Daniel ergo quaſi in cælum ſublatus eſt,

ut

ut ex illa ſpecula poſſet cognoſcere quæ abſcondita erant hominum mentibus. Poſtea adjungit, *hircus autem eſt Rex Græcorum*. Philippus pater Alexandri, etiamſi eſſet ſtrenuus bellator & callidiſſimus etiam (ſuperavit enim aſtutia omnes alios Reges Macedoniæ) quum talis inquam eſſet, tamen nunquam auſus eſt mare trajicere. Nam ſatis erat, ſi in Græcia firmaret ſuas opes, deinde ſi formidabilis eſſet propter viciniam, Aſiæ minori. Sed nunquam auſus fuit aggredi Perſicam potentiam vel laceſſere, ac multo minus tentare ut domaret totum Orientem. Alexander temeritate magis quam conſilio & pari ſuperbia etiam correptus, putavit nihil ſibi fore difficile. Sed quum hoc vidit Daniel, quis unquam putaſſet fore aliquem Regem Græciæ, qui invaderet illam potentiſſimam Monarchiam? qui non modo occuparet totam Aſiam minorem, ſed qui dominaretur in Ægypto, in Syria, & in aliis regionibus? Nam quamvis minor Aſia ampliſſima eſſet, quemadmodum ſcimus diſtingui multis provinciis & opulentis, & fertilibus: tamen tantum erat parva acceſſio immenſi illius imperii: imo quum jam Nineveh ceſſiſſet Babyloni, & ita Chaldæi dominarentur in Aſſyrios, tamen hæc etiam fuit acceſſio Monarchiæ Perſarum. Scimus quantæ fuerint Medorum divitiæ, & tamen abſorpti etiam una fuerunt. Trahebat Darius ſecum octingenta millia quum terram quodammodo obrueret ſuo exercitu. Alexander congreſſus eſt cum eo tantum triginta millibus inſtructus Qualis erat illa proportio? Xerxes quum veniret in Græciam, jam duxerat ſecum etiam ipſe octingenta millia, & ideo minitabatur ſe poſſe injicere compedes mari: Daniel tamen de hac re incredibili ſic loquitur, acſi res eſſet geſta, & eſſet quidam hiſtoricus. Hæc diligenter notanda ſunt, ut Scriptura fidem quam meretur apud nos obtineat. *Cornu*, inquit, *magnum quod erat inter oculos ejus fuit Rex primus. Quod autem fuit confractum cornu illud*, &c. Alexander enim periit in flore ætatis, ſicuti dictum fuit, vix exceſſerat duos & 30 annos, quum mortuus eſt, ſive extinctus fuerit veneno, ſive morbo. Hoc enim incertum eſt: quanquam magna fuit ſuſpicio fraudis in morte ipſius. Quicquid tamen ſit, fractum fuit illud cornu. Poſtea venerunt in ejus locum quatuor cornua, *quæ exurgent*, inquit, à gente. Hoc notandum eſt, quia valde miror quid venerit quibuſdam in mentem, ut verterent à gentibus: & ſunt tamen homines linguæ Hebraicæ periti. Primum hæc eſt magna inſcitia, quod mutant numerum: deinde non expendunt quid ſibi velit Angelus. Nam confirmat quod prius dixit unum eſſe regnum, quamvis diviſum fuerit in quatuor partes: & rationem hic aſſignat, *A gente*, inquit, hoc eſt, ab ipſis Græcis, & ita ab una origine emergent. Quo enim jure imperium adeptus eſt Ptolemæus? Nempe quia unus erat ex ducibus Alexandri. Neque enim initio auſus eſt regium nomen uſurpare, vel diadema geſtare, ſed ſucceſſu temporis. Idem etiam & Seleuco, & Antigono contigit, idem Caſſandro. Videmus ergo merito nobis repræſentari regnum illud Græcorum ſub figura unius beſtiæ, quamvis ſtatim diſcerptum fuerit, & laceratum in quatuor partes. Ergo *à gente*, inquit, nempe à Græcia *ſtabunt, ſed non in fortitudine*. Copula hic adverſative capitur. *Stabunt* igitur *quatuor regna, ſed non in fortitudine illius*. Nam Alexander attigerat mare Indicum, & tranquilla erat imperii poſſeſſio per totum Orientem. Formidine enim ſuæ induſtriæ, & virtutis & celeritatis omnia repleverat. Angelus ergo dicit quatuor cornua ideo parva eſſe, quod nemo unus ex illis quatuor ſit par futurus primo Regi. *Et in fine regni ipſorum, ubi completi fuerint ſcelerati, ſtabit Rex unus*. Quum dicit, *In fine regni ipſorum*, non intelligit collapſa tunc fuiſſe regna quatuor. Scimus enim ſucceſſores Antiochi non ſtatim dejectos fuiſſe à regno, quandoquidem Syria in provinciam redacta eſt centum vel ſaltem octoginta annis, poſtquam devictus fuerat Antiochus, quem vocarunt magnum. Hic autem reliquit etiam hæredes, qui abſque controverſia dominati ſunt, ſicuti clarius videbimus cap. 11. Sed hoc etiam certum eſt, ultimum ex Regibus Macedoniæ fuiſſe Perſea, Ptolemæos vero duraſſe uſque ad Julium Cæſarem, imo uſque ad Auguſtum. Scimus enim Cleopatram fuiſſe devictam, & profligatam cum Antonio. Quum fœminæ ſuccederent, non poterimus interitum ponere regni Macedonici ſub Antiocho Epiphane. Sed intelligit Angelus *finem regni ipſorum*, quum ſcilicet jam regna ad ſummum veniſſent, ita ut inſtaret ruina. Nam ubi reverſus in patriam Antiochus Epiphanes viſus eſt ſtabiliiſſe regnum, paulo poſt cœpit collabi. Idem accidit etiam Ægypto: idem & Macedoniæ. Precario enim omnes regnabant, & quamvis non ſtatim dejecti fuerint, tamen pendebant ex Romanis, ut nulla illis conſtaret regia majeſtas. *In fine* ergo *regni ipſorum*, hoc eſt, ubi ad ſummum pervenerint, & ubi proclivis erit lapſus in ruinam, vel occaſum, tunc, inquit, *ubi conſummati, vel perfecti fuerint ſcelerati*. Hoc quidam ad profeſſos, & externos Eccleſiæ hoſtes trahunt: ſed mihi altera ſententia magis probatur, nempe Angelum loqui de impiis, qui ſic provocarunt iram Dei, ut neceſſe fuerit iterum tam graves & atroces ſumi pœnas de populo illo, cui tamen Deus tam magnifice pollicitus fuerat felicem & tranquillum ſtatum. Erat autem hæc non vulgaris tentatio, quum Prophetæ concionati fuiſſent de tam læto & beatò ſtatu populi, poſtquam reverſus eſſet ab exilio, videre horrendam diſſipationem, videre tyrannos non modo graſſari in homines, ſed in ipſum Dei templum. Ergo hic Angelus, quemadmodum antea, Prophetam & alios omnes pios munit contra hoc tentationis genus, ac oſtendit Deum non mutaſſe conſilium ſuum: ut affligat Eccleſiam, cui tranquillum ſtatum promiſerat, ſed quia provocatus ſit ſcelèribus populi. Deinde oſtendit quanta neceſſitas Deum quaſi compulerit ad hanc ſeveritatem. *Ubi* ergo *perfecti fuerint impii*, hoc eſt, ubi ipſi impii ad cumulum uſque conſcenderint, ita ut intolerabilis ſit illa deſperata obſtinatio. Videmus ergo ut Angelus hic occurrat tentationi, & pios omnes ſic præveniat, ut ſciant Deum non fallere datam fidem, ſed cogi ipſa improbitate populi, ut aſperius tractet eos, quibus alioqui ſtatuerat ſe liberalem omnibus modis oſtendere. Tunc, inquit, *ſtabit Rex durus facie*. Sed reliqua in diem craſtinum.

Da omnipotens Deus, quando videmus ſeculis omnibus Eccleſiam tuam fuiſſe cruce exercitatam, idque variis modis & aſſidue, ut etiam nos paremus ad ſubeundum quicquid nobis injunxeris: deinde ut diſcamus etiam adſcribere peccatis noſtris quicquid adverſi nobis contigerit, & interea ſtatuamus te eſſe non modo in omnibus tuis promiſſis fidelem, ſed etiam Patrem propitium miſeris qui ſuppliciter ad veniam confugiunt, ut humiliati ſub potenti tua manu erigamur in ſpem æternæ ſalutis, quæ nobis præparata eſt, & ſtatuamus etiam nobis felicem & lætum exitum fore omnium certaminum, donec fruamur victoriæ noſtræ fructu in regno tuo cæleſti, ſicuti nobis partum eſt unigeniti Filii tui ſanguine, Amen.

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA TERTIA
IN
D A N I E L E M.

POſtquam vaticinium expoſuit Angelus de Monarchia Græcorum, adjungit inde exoriturum Regem, quem dicit *fore durum facie.* Non dubito, quin hac loquutione deſignet improbitatem Antiochi. Fuit enim, ut ſatis notum eſt, non regali animo, ſed plenus dolis: interea tamen adjuncta erat impudentia, ut nihil non auderet. Hoc ſenſu exiſtimo vocari *durum facie.* Quod ſequitur ad vafritiem pertinet quum dicit *eum peritum fore ænigmatum.* Nam perinde eſt acſi diceret aſtutum fore, & qui non facile poſſit decipi. Duobus ergo epithetis non tam ornat, quam infamat Antiochum Epiphanem, quod ſcilicet futurus ſit homo præfractus, quales ſolent eſſe homines improbi, & quibus nulla eſt ratio, & nullum ſtudium æquitatis, & nullus pudor. Deinde vafritiem ejus & fraudes perſtringit, quum dicit *fore peritum ænigmatum.* Poſtea addit, *Et roborabitur potentia ejus, & non in potentia ſua*, vel illius. Quidam enim hic adhuc conferri exiſtimant Antiochum Epiphanem cum Alexandro, ſicuti prius dicebat Angelus quatuor Reges non fore pares primo: ideo fuiſſe figuratos per quatuor parva cornua. Nam qui erat omnium potentiſſimus, non tamen tenebat quintam partem ditionum, quas ſibi vi & bello acquiſierat Alexander. Quidam ergo hunc locum ſic exponunt, quod etſi magna futura ſit Antiochi potentia, longe tamen diſpar potentiæ Alexandri, vel illa inferior. *Non* ergo *in fortitudine illius.* Sed alii de Antiocho malunt exponere: quanquam ipſi etiam inter ſe non conſentiunt. Quidam enim ſpeciem correctionis eſſe volunt, quaſi diceret Angelus potentiam Antiochi fore magnam, ſed non fore apertam. *Roborabitur* ergo *virtus illius*, ſed non in virtute, hoc eſt, non ut ſolent Reges heroica virtute, & magnitudine animi vires ſuas augere: neque enim illos imitabitur Antiochus, ſed robur ejus erit occultum, quia ſcilicet obrepet clandeſtinis artibus, non pugnabit aperto Marte, quemadmodum qui viribus ſuis confidunt, ſed clam multa tentabit, & ita furtim dilatabit ſuum imperium. Hic ſenſus eſt tolerabilis. Alii autem exiſtimant hoc potius debere ad Deum referri, quod ſcilicet Antiochus non ſua induſtria, nec virtute tam fortis ſit futurus, ſed Dei judicio, qui ſcilicet illum armabit, quoniam volet ipſo uti quaſi flagello ad pœnas de Judæis exigendas. Roborabitur ergo fortitudo ejus, ſed non in propria virtute, quia hoc pendebit ex conſilio & juſta ultione Dei. Hic poſtremus ſenſus quamvis ſit uberior, & contineat utilem doctrinam, tamen vereor ne ſit contortus. Et ita vel eſt correctio, quia non ingenua ſtrenuitate creſcet, vel adhuc Angelus comparat robur ejus cum Alexandri potentia. *Roborabitur* ergo *virtus ipſius*, & non in virtute illius, nempe Alexandri: vel roborabitur illius virtus, ſed non more bellico, non aperta magnitudine animi, ſed quia graſſabitur per fraudes, per artes clandeſtinas: quia ex una parte fuit improbiſſimus, tamen fuit ſervili ingenio, ut prius dictum fuit. Sequitur, *Et mirabiliter perdet, & feliciter aget, & faciet*, hoc eſt, exequetur, *& perdet robuſtos, & populum ſanctorum.* Per Azumim intelligo non tantum Judæos, ſed alias etiam vicinas gentes: quaſi diceret Angelus Antiochum fore victorem quocunque arma ſua proferet, donec tandem potiatur Judæa, & miſere affligat populum Dei. *Percutiet* igitur *vel perdet fortes, & populum ſanctorum*, hoc eſt, populum ſanctum, ſicuti ante vidimus. *Et pro intelligentia ſua, & proſperabitur dolus in manu ejus.* Copula tamen poteſt hic ſupervacua eſſe: & ſenſus etiam hic fere communiter receptus eſt, ut uno contextu legatur, Pro intelligentia ſua feliciter aget, tametſi copula interponitur: ſed hic eſt frequens Hebraicæ linguæ uſus ut copula abundet. *Proſperabitur ergo Mirmah in manu ejus.* Hic confirmat Angelus quod ante dictum fuit de ſervili Antiochi ſolertia, quod ſcilicet non ingenue neque viriliter ſe geſſerit, ſed cum audacia & improbitate conjunxerit malitioſas artes, & vafritiem Rege indignam. *Dolus* igitur *proſperabitur in manu ejus, idque pro intelligentia.* Quidam exiſtimant notari Antiochi acumen, quaſi diceret Angelus, Quia pollebit ſummo ingenio & perſpicacia, ideo dolus in manu ejus proſperabitur. Sed poſſet etiam commode locus hic exponi, quod Antiochus pro animi ſui ſenſu feliciter aget, ita ut dolis ſuis adjutus adipiſcatur quicquid captabit. Sequitur enim poſtea, *in corde ſuo magnificabit*, vel ſeſe extollet, vel magnifice ſe geret: quanquam hoc ad jactantiam & faſtum pertinet, & capitur in malam partem. *Inſoleſcet* igitur *in corde ſuo.* Videtur Angelus diſtinguere inter Antiochi conſilium & perſpicaciam, & inter faſtum cordis, quod ſcil. ubi adeptus fuerit magnas victorias, & pro voto ſuo ſubegerit multas gentes, & tandem oppreſſerit Judæos, *tunc magnificabitur in corde ſuo*, hoc eſt, majore ſuperbia quam ante inflatus erit propter illos continuos ſucceſſus. *Et in pace perdet multos*, vel fortes: Rabbim enim utrumque ſignificat. Quidam vertunt, propter felicitatem, quia ſcilicet Dominus volet illi frena laxare, ut nullus impediat victoriarum curſum. Propter illam ergo felicitatem perdet multos. Et profani homines, qui nihil intellexerunt de providentia Dei, dixerunt fortunam & felicitatem plus in bello valere, quam vel conſilium vel arma. At felicitas imperatorum non eſt à caſu vel fortuna: ſed prout Deo placet agitare mundum variis modis: ita proſpere quibuſdam malis etiam, vel ignavis bellatoribus ſuccedit: alii autem fruſtra conantur multa & tentant etiamſi pollent conſilio, etiamſi inſtructi ſunt optimo apparatu. Sed mihi magis placet alius ſenſus, quem interpretes non attingunt, quod ſcilicet nullo negotio in quiete, vel quaſi per ludum, ut loquuntur, Antiochus multos perdet ac vaſtabit. Significat igitur Propheta, vel Angelus qui Prophetam alloquitur, Antiochum multarum gentium fore victorem, non tantum quia præditus erit magna vafritie, & dolis potius quam vi aperta bella geret: ſed etiam quia veluti dormiens, ſicuti de Timotheo Duce Athenienſium dictum fuit, Fortuna retia tendente capiet urbes, & terras, ac ſibi ſubjiciet. Videtur ergo hanc quietem notare Angelus, quum dicit multam fore vaſtationem per manum Antiochi in quiete & otio. Alii exponunt, gentes vaſtatum iri ab illo latrone, quæ tamen nullam occaſionem dederant, quia nihil hoſtiliter tentaverint adverſus ipſum: ſed quum pacem colerent, ipſe laceſſet eas etiam ſine ullo prætextu. Sed iſta interpretatio videtur coacta. Poſtea adjungit, *Et contra Principem Principum ſtabit*, vel exurget: *& abſque manu perdetur*, vel deſtruetur: ſed ו hic adverſative ponitur, *Tamen deſtruetur abſque manu.* Hoc fuit Prophetæ & toti populo longe moleſtius, quod Angelus prædicit Antiochum non tantum cum mortalibus, ſed cum Deo ipſo belligeraturum. Quod quidam per Sar Sarim intelligunt ſummum Sacerdotem, nimis argutum eſt & infirmum. Minime igitur dubito, quin hic Deus vocetur *Princeps Principum.* Proinde

ſumma eſt, Antiochum non modo ſuperbum, audacem, & crudelem fore adverſus homines, ſed etiam eo amentiæ & furoris progreſſurum, ut non dubitet Deum ipſum impetere vel aggredi. Hæc eſt ſumma. Sed conſolatio mox ſubjicitur quum Angelus dicit, *deſtructum iri abſque manu*. Illud enim fuiſſet prope intolerabile ſi audiſſent Judæi tantam fore Antiochi inſolentiam, ut cum Deo ipſo pugnaret, niſi addita fuiſſet hæc correctio, talem nempe exitum fore hujus belli, ut impietas Antiochi tandem ipſum perderet. *Deſtruetur* ergo: Qualiter? *Abſque manu*, inquit. Nam tot gentibus ſubactis, quum ubique omnia adeptus eſſet pro voto, quid ſperari poterat quoad homines? quis auſus fuiſſet contra illum inſurgere? Et certum eſt, ſi Reges Syriæ contenti fuiſſent ſuis finibus, à nemine illis fuiſſe metuendum, quia nullus hoſtis moleſtus fuiſſet: verum provocarunt in ſe Romanos: & quum etiam Ægyptum vellent invadere, non ſatis feliciter illis ſucceſſit. Quicquid ſit, Angelus hic pronunciat Deum ſatis fore potentem abſque ullo humano ſubſidio, ut Antiochum perdat, & aboleat. Hoc vaticinium quidam putarunt ad Antichriſtum ſpectare: itaque omiſſo Antiocho, hic depingunt nobis faciem Antichriſti, quaſi Angelus Danieli monſtraſſet quod futurum erat poſt ſecundam Eccleſiæ renovationem. Prior enim fuit quum data fuit libertas populo, & ab exilio reverſus eſt in patriam: ſecunda autem renovatio facta fuit Chriſti adventu. Ergo exiſtimant quidam interpretes hic oſtenſam fuiſſe vaſtitatem Eccleſiæ, quæ futura erat poſt Chriſtum exhibitum, & poſt Evangelii promulgationem. Sed jam ante vidimus, non poſſe hoc quadrare. Et mirum eſt, homines exercitatos in Scripturis ita nebulas offundere claræ luci. Nam hac prophetia, ut heri dictum fuit, nihil eſt clarius, vel magis perſpicuum, vel etiam familiare. Trahere igitur tam violenter ad Antichriſtum quod apparet etiam pueris ipſis dictum fuiſſe de Antiocho, quorſum ſpectat, niſi ut tota Scriptura perdat auctoritatem? Alii modeſtius loquuntur, & conſideratius, nempe ſic Angelum de Antiocho diſſerere, ut tamen depingat in ejus perſona figuram Antichriſti. Sed neſcio etiam an illa argutia ſatis firma ſit. Ego autem reverenter cupio ſacra oracula tractari, ut ne pro arbitrio hominum quiſque varietatem inducat, ſed certum aliquid teneatur. Mihi magis placeret, ſi quis vellet aptare ad uſum præſentem Eccleſiæ hoc vaticinium, & per anagogen quæ dicta ſunt de Antiocho, ad Antichriſtum traducere. Scimus quicquid contigit veteri Ec-
1 Cor. 10. verſ. 11. cleſiæ, ſpectare etiam ad nos, nempe quia incidimus in plenitudinem temporum. Nec dubium eſt, quin Spiritus ſanctus voluerit ad tolerantiam crucis nos inſtituere hoc exemplo. Sed quemadmodum jam dixi, allegorias quærere nimis frivolum mihi videtur. Contenti ergo ſimus illa ſimplicitate, nempe ut transferamus ad nos quod veteri populo contigit. Nam qua ratione dicit Apoſtolus fore falſos doctores in regno Chriſti, ſicuti olim fuerant 2 Petr. 2. verſ. 1.
Pſeudoprophetæ: ſic etiam ſtatuendum eſt, diabolum qui homicida fuit ab initio, ſemper habiturum quos incitet, atque impellat ad perſequendam Eccleſiam. Pugnat igitur hodie quoque diabolus non tantum fallacibus doctrinis & impiis erroribus & impoſturis, ſed etiam ſævitia tyrannica, quoniam accendit multos impios ad rabiem, ut ita vexentur filii Dei. Quod ergo de Antiocho Danieli fuit prædictum, ut Judæi non deficerent ſub tot calamitatibus quæ inſtabant: ſic etiam eadem doctrina hodie muniri nos decet, ne ſcilicet nobis propter novitatem ſit moleſtum, ubi Eccleſia duris oneribus gravatur, ubi tyranni ita inſaniunt & graſſantur ferro & ignibus. Nam idem experti ſunt Patres, quibus tamen Chriſtus nondum viam monſtraverat, & qui non tenebant tam aperte ut nos, configurari nos de- Rom. 8. verſ. 29.
bere unigenito Dei Filio, quia primogenitus eſt in Eccleſia, caput noſtrum, & nos membra illius ſumus. Hoc non tam aperte expoſitum fuerat ſanctis viris, qui tamen perſtiterunt ſub tot afflictionibus, quum poſſent ſtatuere Eccleſiam eſſe prorſus obrutam: ut certe mirum eſt non centies ſuccubuiſſe tot & tam atrocibus malis. Ergo ita in uſum noſtrum hæc doctrina optime accommodabitur, ſi teneamus non æquum eſſe, ut melior ſit noſtra quam Patrum conditio. Quid autem illis accidit? ut *eſſent perfecti ſcelerati*: nempe quum Judæi, qui ſe electum eſſe Dei populum, & ſanctum Abrahæ genus profitebantur, innumeris modis & obſtinate provocaſſent Dei vindictam, Eccleſia miſerrime vexata fuit. Præſertim Antiochus quaſi horribilis quædam tempeſtas ſic omnia vaſtavit, ut de ſe putarent prorſus actum eſſe, nec ulla eſſet ſpes, quoad humanum ſenſum. Quum ergo Deus tam ſevere animadverterit in ſcelera veteris populi, non mirum eſt, ubi hodie terra multis ſceleribus referta eſt, & non deſinimus aſſidue quaſi data opera Deum provocare: nihil ergo mirum, ſi etiam duriter nos caſtiget. Deinde ut non ſumat pœnam de noſtris ſceleribus, tamen ſcimus in hunc finem nos eſſe vocatos, ut tota vita exercea- 1 Theſſ. 3. verſ. 3.
mur ſub cruce. Hæc eſt militia ad quam nos deſtinat cæleſtis pater. Quum ita ſit, in hoc ſpeculo contemplari nos decet quiſnam perpetuus ſit Eccleſiæ ſtatus. Non mirum igitur eſt, ſi pro uno Antiocho plures Deus ſuſcitaverit, qui ſunt & præfracti, & indomabilis pervicaciæ, & qui crudeles ſunt, & qui etiam clandeſtinis artibus multa tentant ac moliuntur ad perdendam Eccleſiam. Quod ergo experti ſunt olim Patres, non mirum eſt, ſi etiam nos hodie aliqua ex parte ſentiamus: hæc, dico, anagoge utilis eſt, & non torquet ſimplicem Scripturæ ſenſum. Nunc pergamus.

26. Et viſio matutina & veſpertina quæ pronunciata fuit, veritas eſt. Tu ergo obſigna (*vel claude*) viſionem, quia ad dies multos *protenditur*.

Iterum confirmat Angelus, nihil in hac viſione eſſe fruſtra oſtenſum Prophetæ, quia ne minima quidem pars effectu ſuo carebit. Scimus quam neceſſaria ſit hæc ſpecies confirmationis fidei noſtræ, quia etiamſi de rebus notis agatur, non poſſumus tamen acquieſcere in verbo Dei, niſi iterum atque iterum teſtetur verum eſſe quod dixit, & ſanciat tali repetitione quod eſt apud nos ambiguum. Jam quum res ipſa oſtendat Angelum diſſeruiſſe de rebus abſconditis, & quæ erant etiam prorſus incredibiles illo tempore, non mirum eſt ſi hic rurſus pronunciet nihil Prophetam vidiſſe, quod Deus non ſit facturus. *Viſio* igitur *hæc*, inquit, *veritas eſt*. Vocat viſionem veſpertinam & matutinam, quia quum de ſex annis & fere dimidio ageret Angelus, uſus eſt hac loquutione. Et diximus hoc diſerte fuiſſe expreſſum, ne quis raperet vel ad annos vel ad menſes, quod nonnulli fecerunt, quaſi dixiſſet Angelus, Ecce ſupputando ſingulos dies reperientur ſex anni, & circiter dimidius uſque ad complementum hujus prophetiæ; nempe de templo purgando. Ergo nunc iterum dicit, *viſionem illam* in qua Deus per dies ſingulos ſupputaverat tempus profanationis templi uſque dum purgatum fuit, hanc viſionem eſſe certam. *Tu* ergo, inquit, *obſigna*, vel claude *viſionem*, *quia ad dies multos*. Mirum eſt, cur Deus voluerit eſſe abſconditum quod tamen jam patefecerat ſervo ſuo. Neque enim privatim edoctus fuit Daniel de rebus futuris, ſed in communem totius populi utilitatem. Videtur ergo hoc alienum eſſe ab ejus officio, quod

jube-

jubetur viſionem claudere, & tenere quaſi abſtruſam. Sed intelligit Angelus, etiamſi major pars hoc vaticinium repudiet, tamen non eſſe cur Daniel titubet. *Sis igitur cuſtos hujus prophetiæ*, quaſi Deus theſaurum deponeret inter manus ſervi ſui, atque diceret, non reſpicias ſi alii contemnant hanc prophetiam, multi rideant, alii exiſtiment te fabulas narrare, & pauciſſimi fidem tibi adhibeant. Ne igitur propter hoc deficias, ſed fideliter cuſtodias hunc theſaurum: *quoniam ad dies multos*, hoc eſt, quamvis non ſtatim appareat effectus, quia ſcilicet Deus pœnas, de quibus diſſeruit, adhuc aliquandiu ſuſpendet, deinde non ſtatim reſtituet templum, nec eripiet populum ſuum mox è manu tyranni: quamvis ergo differat ad multos dies tam judicia ſua, quam miſericordiam, *tu claude hanc viſionem*, hoc eſt, apud te contineas, etiamſi ſis ſolus. Non ergo ſimpliciter Deus jubet Prophetam ſuum tacere vel celare quod didicit, ſed confirmat potius ad conſtantiam, ne ſcilicet æſtimet hoc vaticinium ex communi vulgi ſententia. Et ſimul oſtendit, quamvis cum fructu non audiant Judæi quod pronunciabat illis Daniel, tamen non fore quicquam irritum. Sequitur.

27. Et ego Daniel deliquium paſſus ſum, (*vel fractus ſum*) & ægrotavi dies; (*hoc eſt, ad tempus aliquod*) & ſurrexi, (*hoc eſt, poſtquam ſurrexi*) feci opus Regis, (*hoc eſt, functus ſum officio meo quod à Rege erat injunctum*) & obſtupui propter viſionem: neque intelligens. (*hoc eſt, nemo erat qui intelligeret.*)

Iterum Daniel oſtendit ſe fuiſſe intus arcano Dei inſtinctu ſic tactum, ut certo ſciret hanc viſionem divinitus ſibi fuiſſe oblatam. Deus enim voluit afficere ſervum ſuum, ut majore reverentia amplecteretur quod audierat & viderat. Dixi jam, verbum Dei non ita attente à nobis audiri ut meretur, niſi præcedat aliquis timor qui animos noſtros quodammodo expergefaciat è ſuo torpore: ſed in hoc vaticinio aliquid ſpeciale fuit. Deus ergo non vulgariter humiliavit ſervum ſuum, ſed morbo, cujus nunc meminit, voluit oſtendere aliquid magnum & maxime ſerium hic monſtrari, nempe in hoc vaticinio. Dicit ergo Daniel *ſe fuiſſe attonitum, quaſi defectum pateretur, & fuiſſe etiam morbo affectum.* Morbus ergo hic non contigit naturaliter Prophetæ, ſed ſic concuſſus timore fuit, ut fere concideret. Et hoc etiam poſtea oſtendit, quod ſcilicet nemo intellexerit hanc prophetiam. Ergo hic admonet omnes pios, ut ne oſcitanter vel audiant, vel legant quod hic narratur, ſed afferant ſummam attentionem, & ſciant Deum hic monſtraſſe quæ apprime utilia eſſent cognitu, & quæ ſpectarent ad ſummam ipſorum ſalutis. Hæc ratio eſt cur Danielem oportuerit ita dejici, ut etiam ex morbo decumberet. Dicit tamen *ſe reverſum fuiſſe ad opus Regis*, hoc eſt, ad munus ſuum ordinarium. Unde colligimus eos nimis craſſe errare, qui putant tunc in Perſide fuiſſe, quia non poterat redire ad ſuam functionem, niſi verſatus tunc quoque eſſet in aula Regis. Quorſum autem hoc additur? Nempe ut ſciamus Prophetam non fuiſſe abſtractum à munere quod Rex mandaverat, tametſi Deus illum etiam vocaſſet ad alias partes, nempe quia elegerat in Prophetam & doctorem Eccleſiæ ſuæ. Hoc quidem rarum eſt, neque debet trahi in communem regulam, ut loquuntur. Quis enim noſtrum ſufficeret ad gubernationem, cui præfectus erat Daniel, & interea etiam par eſſet ad obeundum doctoris munus, vel Paſtoris? Sed Deus extra ordinem uſus eſt Daniele ſervo ſuo, quia voluit illum in aula verſari multis de cauſis. Vidimus enim antea, hac occaſione illuſtratam fuiſſe Dei gloriam: imo Daniel Belſazarem admonuit de propinquo interitu, quum jam hoſtes urbem aliqua ex parte cepiſſent. Et hinc etiam ſequuta eſt utilitas, quod Cyrus & Darius pepercerunt Judæis. Quantiſper autem dominati ſunt Chaldæi, fuit etiam Daniel non vulgari ſolatio miſeris exulibus. Nam etſi vixit ſub crudelibus tyrannis, tamen quia adhuc ſupererat aliqua auctoritas, hinc factum eſt, ut gentem ſuam levaverit multis incommodis. Deus ergo ita conſuluit toti populo quum voluit Danielem in officii ſui curſu pergere. Cæterum, extra ordinem voluit etiam ipſum ornare prophetiæ dono. Hoc, quemadmodum dixi, in Daniele ſingulare eſt. Nunc ſequitur,

Cap. IX.

ANno uno (*id eſt, primo*) Darii filii Aſſueri è ſemine Medorum, qui Rex fuit conſtitutus (*regiatus, ad verbum, hoc eſt, qui Rex fuit*) in regno Chaldaico.

2. In anno primo, *inquam*, (*Repetit quod dixerat de primo anno*) regni illius, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quibus fuerat ſermo Jehovæ ad Jeremiam Prophetam, (*alii vertunt illud binothi, attentus fui, hoc eſt, diligenter conſideravi: & hoc ad ſummam rei non multum pertinet*) ad implendum deſolationem Jeruſalem annos ſeptuaginta.

3. Et levavi faciem meam ad Dominum Deum, ut quærerem oratione & precationibus, (*alii in accuſativo vertunt, orationem & preces*) cum jejunio, ſacco, & cinere.

Hoc capite duo nobis exponet Daniel, nempe quum inſtaret redemptionis tempus, quod præſcriptum fuerat à Jeremia, ſe ardentius ſolito precatum eſſe: deinde narrabit quid reſponderit Deus ad ejus vota & preces. Hæc igitur duo ſunt membra hujus capitis. Dicit autem Daniel, *quum numerum annorum cognoſceret ex libris ſe fuiſſe precatum.* Unde colligimus, non in hoc Deum promittere filiis ſuis tam beneficia terrena, quam ſalutem æternam, ut ignavi torpeant, & ita abjiciant omnem curam, & omne ſtudium, ſed potius ut eos ſollicitet ad preces. Nam quorſum tendunt promiſſiones Dei, niſi ut eas fide amplectamur? Atqui præcipuum fidei exercitium eſt precatio. Ergo hoc obſervatu dignum eſt quod dicit Daniel *ſe ſtimulatum fuiſſe ad preces, quia de numero annorum ex libris cognovit.* Sed reliqua in craſtinum differam.

Da omnipotens Deus, quando hodie ad eandem ſortem nos vocaſti, quam experti ſunt olim patres ſub Lege, ſicuti eos confirmaſti ad patientiam, & armaſti etiam ad conſtantiam pugnandi, ut ſuperiores eſſent omnibus inſultibus Satanæ & mundi: da, inquam, ut hodie nos etiam, quos voluiſti ipſis eſſe conjunctos, ſic proficiamus in verbo tuo, ut meditemur tolerantiam crucis tota noſtra vita: & ita parati ſimus ad pugnandum, ut malimus miſere affligi

ſub

ſub vexillo crucis, quam ſecure degere, & luxuriari in noſtris delicìis, & eſſe interea alieni à ſpe illius victoriæ, quam nobis pollicitus es, & cujus fructus repoſitus eſt nobis in cælo, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA QUARTA IN DANIELEM.

COEpimus heri dicere fideles non ita acquieſcere in promiſſionibus Dei, ut torpeant, & inde captent occaſionem ignaviæ & ſocordiæ, quia certo perſuaſi ſunt Deum facturum eſſe quicquid promiſit, ſed potius ſtimulari ad precandum, quia hæc eſt vera fidei probatio, quum ſcil. petimus, ut Dominus re ipſa præſtet quod nobis pollicitus eſt: & hujus rei proponitur nobis exemplum in Daniele. Nam quum intelligeret jam adeſſe tempus liberationis, hæc cognitio fuit vice ſtimuli, ut vehementius Deum oraret, quam pro more. Certum quidem eſt, quemadmodum etiam ante vidimus, Prophetam fuiſſe hac in parte diligentem & ſedulum. Neque enim morem ſuum mutavit quum ſponte adiit capitis diſcrimen, quia quum edicto regio omnes prohiberentur Deum orare, ipſe faciem ſuam direxit verſus Jeruſalem. Fuit igitur hoc quotidianum ſancto Prophetæ. Sed videbimus rationem hanc precandi fuiſſe extraordinariam. Dicet enim cum ſacco & cinere ſe fuiſſe precatum. Unde apparet Dei promiſſione excitatum fuiſſe ad orandum, atque hinc etiam colligimus quod nuper attigi, fidem non eſſe otioſam aliquam ſpeculationem, quaſi ſufficeret annuere Deo. Nam aſini etiam videntur annuere ſuis auribus, ſed aliquid eſt magis ſerium in fide, quod ſcil. ubi amplexi ſumus Dei gratiam quæ nobis offertur, ſicuti ipſe nobis occurrit & nos prævenit ſua bonitate, ita etiam viciſſim nos reſpondemus & teſtamur nos ab eo expectare quod pollicitus eſt. Hoc autem non poteſt fieri melius quam ubi petimus quod promiſit. Et ideo in precibus ſanctorum hæc ſunt conjuncta, imo ſancti quoties rogant Deum, objiciunt promiſſiones. Et non poſſumus etiam aliter precari cum vera fiducia, niſi ubi innixi ſumus Dei verbo. Tale ergo exemplum nobis hic proponitur in Daniele, quod quum *intelligeret numerum annorum inſtare, de quo loquutus fuerat Deus per Jeremiam*, adjecerit animum ſuum ad precandum. Sed notare etiam operæpretium eſt quod dixi, Danielem hic non agere de quotidianis precibus. Antequam loquutus eſſet Jeremias de ſeptuaginta annis, Daniel ſeſe exercebat in precibus, quemadmodum colligi facile poteſt ex tota ejus vita. Sed quia tempus redemptionis jam propinquum eſſe cognovit, tunc ſtimulatus fuit ad preces inſolitas. Nam hoc exprimitur quum dicit, *in jejunio, & ſacco, & cinere*. Neque enim ſancti ſolebant quotidie vel projicere cinerem ſuper capita ſua, vel etiam jejuniis ſe parare ad precandum, vel ſaccos induere. Illud erat rarius, nempe quum Deus ſignum aliquod daret iræ ſuæ, vel quum expectaretur aliquod rarum & ſingulare beneficium. Daniel ergo non pro more ſolito rogavit Deum, ſed quum ſaccum indueret, & ſe aſpergeret cinere, & adderet ſimul jejunium, ſuppliciter ſeſe proſtravit coram Deo, ut veniam poſtularet, quemadmodum poſtea videbimus, & peteret ut Deus quod fuerat pollicitus re ipſa etiam præſtaret. Nunc ergo duo nobis tenenda ſunt: prius eſt, fidem noſtram aſſidue exercendam eſſe precibus: deinde ubi Deus aliquid inſigne & eximium nobis promittit, debere etiam nos magis accendi, & hunc eſſe quaſi acriorem ſtimulum. Quod attinet ad jejunium, ſaccum, & cinerem, breviter hoc notandum eſt, ſanctos Patres ſub Lege ſolitos fuiſſe adjungere extraordinariis precibus has ceremonias, præſertim ubi volebant fateri ſuam culpam coram Deo, & prodire in ejus conſpectum veluti rei, qui jam convicti eſſent, & ſpem totam ponerent in deprecatione veniæ. Hodie etiam aliqua ex parte liceret fidelibus ſimiliter adjungere precibus ſuis ritus aliquos externos. Quanquam nulla hic præfigi poteſt neceſſitas, neque etiam debet. Scimus populos Orientales fuiſſe magis deditos ceremoniis quam nos ſimus. Et diſcrimen etiam notandum eſt inter veterem populum, & novam Eccleſiam, quia Chriſtus adventu ſuo multas ceremonias abrogavit. Nam Patres ſub Lege ſimiles fuerunt pueris, quemadmodum dicit Paulus. *Gal. 4: 3.* Ergo regimen, quod illic Deus inſtituerat hoc ferebat ſecum, ut adhiberent plures ceremonias ad uſum ſuum. Jam quum hoc diſcrimen ſit inter nos & illos, ſi quis vellet per omnia imitari quicquid egerunt, potius ſimia eſſet quam verus imitator. Interea tamen notandum eſt, rem apud nos manere, quamvis abrogati ſint externi ritus. Duo igitur ſunt genera precandi, unum quod colere nos decet ſingulis diebus, mane, veſperi, & etiam ſi fieri poſſet, ſingulis momentis. Videmus enim ut precandi aſſiduitas nobis commendetur in Scriptura. *Luc. 18. verſ. 1. Rom. 12. verſ. 12. 1 Theſſ. 5. verſ. 17.* Alterum genus eſt, ubi vel Deus iram ſuam nobis denunciat, vel opus habemus ſingulari ejus auxilio, vel aliquid rarum ab ipſo petimus. Talis igitur fuit ratio precandi quum Daniel ſaccum induit, & ſe aſperſit cinere. Sed quoniam de his rebus alibi dixi, ideo nunc ſum brevior. Daniel ergo quum ſciret adeſſe liberationis tempus, non tantum pro more ſuo oravit, ſed aliis omnibus negotiis relictis, ut eſſet magis ſolutus & liber, ſingulariter adjecit animum ad precationem, atque ideo alia adjumenta ſimul adhibuit. Neque enim ſaccus & cinis tantum ad teſtimonium externum ſpectant, ſed ut qui alioqui nimium piger eſt ac tardus, his adjumentis ardorem precandi augeat. Eſt quidem hoc verum, ubi Patres ſub Lege cum ſacco & cinere orabant, valuiſſe hoc ad externam profeſſionem, ut primum hominibus teſtatum facerent ſe venire coram Deo reos & ſupplices, & ſpem ſalutis ſe habere in ſola venia. Sed alia etiam utilitas fuit, nempe ut magis ſe accenderent ad ſtudium precandi. Ergo utrumque hic notandum eſt in Daniele. Quod ſi tantus Propheta opus habuit hoc adminiculo, quid de nobis dicendum erit? Nemo enim eſt qui non plus ſatis intelligat ſe nimis eſſe lentum, & frigidum in hac parte. Ergo non aliud reſtat, niſi ut quiſque prout ſuæ infirmitatis ſibi conſcius eſt, colligat omnia adjumenta, quibus corrigat ſuam ignaviam, & ſeipſum extimulet ad precandi ardorem. Nam quum Daniel etiam ex more quotidiano ſic precatus ſit, ut ob eam rem adierit certum vitæ periculum, hinc colligere licet quam fuerit ſponte propenſus ad Deum orandum. Cognoſcit tamen hoc non ſibi ſufficere, ideo ſaccum & cinerem & jejunium adjungit. Prætereo quod fuſius tractari poſſet, jejunium ſæpe adjungi extraordinariis precibus. Unde colligimus, per ſe non eſſe opus Deo gratum, quemadmodum non tantum fingunt hodie Papiſtæ, ſed etiam olim multi ſtulte imaginati ſunt. Putarunt enim jejunium ſpectare ad cultum Dei. Sed ſemper jejunium Scriptura nobis commendat ob alium finem. Per ſe igitur nullius eſſet momenti, ſed ubi eſt admixtum precibus, ubi eſt exhortatio ad pœniten-

tiam, ubi eſt teſtimonium reatus, tunc gratum eſt, ſed propter aliud. Sic ergo videmus Danielem jejunio rite fuiſſe uſum, non quaſi vellet Deum placare tali cultu, ſed ut vehementior eſſet affectus precandi. Aliud etiam hic notandum eſt, quum interpres eſſet ſomniorum Daniel, tamen non fuiſſe elatum vel confidentia, vel ſuperbia, ut contemneret doctrinam à Prophetis aliis traditam. Jeremias tunc erat Hieroſolymæ quum Daniel tractus fuit in exilium, ubi diu functus fuit poſtea officio doctoris, ut Babylon eſſet quaſi ſuggeſtus. Et Ezechiel nominat eum tertium inter excellentiſſimos Dei ſervos. *Eze. 14. verſ. 14.* Nam celebris erat illo tempore Danielis pietas una cum integritate & ſanctimonia vitæ. Ergo videmus Jeremiam vel paulo ante fuiſſe mortuum in Ægypto, vel forte adhuc vixiſſe, quum hæc viſio oblata fuit Danieli. Atqui ante illud tempus legebat vaticinia Jeremiæ. Videmus ergo quanta fuerit ſancti viri modeſtia, quod legendo ſeſe exercuit, neque gravatus eſt proficere in ſcriptis Jeremiæ. Sciebat enim ſibi, quemadmodum reliquis fidelibus, datum fuiſſe doctorem illum. Ergo libenter ſeſe ſubmiſit doctrinæ Jeremiæ, & ita ſeipſum coëgit in ordinem. Alioqui ſi non dignatus fuiſſet legere vaticinia illa, indignus erat qui particeps fieret promiſſæ liberationis. Nam ſi erat membrum Eccleſiæ, oportuit illum eſſe diſcipulum Jeremiæ: quemadmodum Jeremias etiam non fuiſſet gravatus viciſſim proficere, ſi quod vaticinium Danielis allatum eſſet. Ergo hæc modeſtia vigere debet inter ſervos Dei, etiam qui prophetiæ dono excellunt, ut alii diſcant ab aliis, & nullus ſe eximat à communi ordine. Sic enim ſumus doctores, ut ſimul oporteat nos eſſe diſcipulos. Et hoc ſignificat Daniel quum dicit *ſe intellexiſſe numerum annorum in libris, & numerum de quo fuerat ſermo Jehovæ ad Jeremiam Prophetam.* Oſtendit cur ſeſe exercuerit in legendis Jeremiæ ſcriptis: nempe quia ſciebat Deum loquutum eſſe per os illius viri. Ergo non piguit ipſum legere quod ſciebat profectum eſſe ab ipſo Deo. Tempus Prophetiæ notandum eſt, *primo anno Darii.* Quanquam hic non diutius inſiſtam, quia malo de annis diſſerere quum ad ſecundam partem cap. ventum fuerit. Dixi enim heri hoc caput complecti duo præcipua membra. Daniel enim refert ſuam precationem, deinde adjungit vaticinium, quod allatum fuit per manum Angeli. Tunc ergo dicemus de ſeptuaginta annis, quia ſatis longa erit diſputatio. Sed tantum hoc breviter attingam, propinquum fuiſſe redemptionis tempus, quum mutata fuit Monarchia Babylonis, hoc eſt, translata ad Perſas & Medos. Deus enim quo illuſtrior eſſet redemptio populi, voluit totum Orientem expergefacere, ubi Medi & Perſæ vicerunt Babylonios. Ac eodem fere tempore promulgarunt edictum ſuum Cyrus & Darius, ut liceret Judæis redire in patriam. *Illo* igitur *anno*, hoc eſt, ſtatim ex quo *regnare* cœpit Darius. Sed hic poſſet quæri cur ſolum Darium nominet, quum tamen Cyrus fuerit & virtute militari, & prudentia, & aliis etiam dotibus longe præſtantior. In promptu eſt ſolutio, quod Cyrus ad alias expeditiones ſtatim profectus eſt. Scimus enim ut ipſum rapuerit inexplebilis cupiditas. Negant fuiſſe avarum, ſed ambitio pluſquam inſana fuit in illo homine: ideo nunquam potuit uno in loco quieſcere. Et ideo Babylone, & tota illa Monarchia potitus, in Aſiam minorem profectus eſt, & ſeipſum continua inquietudine vexavit uſque ad mortem. Alii dicunt occiſum fuiſſe in prælio: Xenophon deſcribit ejus mortem, acſi in lecto decumberet, ac per otium præciperet ſuis filiis quid eſſet agendum. Sed quicquid ſit, omnes hiſtoriæ teſtantur Cyrum ſemper huc & illuc curſitaſſe. Ideo non mirum eſt ſi Propheta hic tantum loquatur de Dario, qui & ſenior erat, & tota vita etiam fuerat tardior. Neque enim fuit vir bellicoſus, quemadmodum ſatis notum eſt. Xenophon vocat illum Cyaxarem, & certum eſt fuiſſe filium Aſtyagis. Aſtyages autem avus erat maternus Cyri, ut notum eſt: hic autem Darius qui vocatur Cyaxares, fuit ſocer, quum eſſet avunculus. Nam mater Cyri fuit ſoror Darii hujus. Quod autem Propheta patrem ejus nominat Aſſuerum, hoc nihil abſurdi continet, quia ſcimus magnam eſſe in nominibus varietatem, ſi quis Græcos ſcriptores cum Hebræis conferat. Non dubium igitur eſt, quin Aſtyages etiam vocatus ſit Aſſuerus, vel ſaltem alterum fuerit nomen, alterum cognomen. Et omnis ambiguitas tollitur quum dicit, *Darium fuiſſe ex ſemine Medorum.* Sic enim diſtinguit inter Medos & Perſas, quia Medi longe & late occupaverant ditiones ſplendidas & opulentas: Perſæ autem incluſi fuerant in ſuis montibus, ideo auſterior erat eorum vita. Sed Propheta hic exprimit Darium de quo loquitur, fuiſſe oriundum à Medis. Et addit alteram circumſtantiam, *quod ſcil. adeptus fuerit regnum Chaldaicum.* Paſſus enim eſt Cyrus illum vocari Regem non tantum ætatis cauſa, & quod eſſet ſocer, & avunculus, ſed etiam quia non poterat quicquam adverſus illum tentare. Sciebat nullum eſſe hæredem, qui poſſet faceſſere moleſtiam in poſterum. Conceſſit ergo inanem titulum Cyrus ſocero ſuo, quia interim manebat penes ipſum tota vis & potentia. Dicit: *Quum intelligerem in libris numerum annorum ad implendam*, inquit, *deſolationem Jeruſalem annos ſeptuaginta.* Vaticinium hoc legitur vigeſimo quinto capite Jeremiæ, & repetitur etiam vigeſimo nono. Præfixit Deus exilio populi ſui annos ſeptuaginta, quoniam gravis erat illa tentatio, quum ejecti eſſent ex terra Chanaan, quæ tamen illis data fuerat in hæreditatem perpetuam. Tenebant celebres illas ſententias, Hæc requies mea in ſeculum ſeculi: deinde, In perpetuum terram hanc poſſidebitis. *Pſal. 132. verſ. 14.* Quum inde ejecti eſſent ac diſperſi in varias plagas, hoc perinde erat, acſi abolitum eſſet Dei fœdus, & nihil illis prodeſſet trahere originem à ſanctis Patribus, quibus terra illa fuerat promiſſa. Ergo Deus ut occurreret his tentationibus, præfixit certum tempus exilii. Et hoc vaticinium nunc commemorat Daniel. Adjungit, *Tunc levavi faciem meam.* Eſt proprie *Etena* Ponere: ſed quoniam Interpretes quidam videntur nimium argute accipere hoc verbum, quaſi Daniel tunc reſpexiſſet ad ſanctuarium, ideo vertere placuit, quod *levarit faciem ad Deum.* Hoc quidem verum eſt, quum ſtaret altare, & arca fœderis eſſet in ſanctuario, fuiſſe illam faciem Dei, ad quam fideles oportuit preces ſuas & vota dirigere: ſed tunc diverſa fuit ratio, nempe quum exciſum eſſet templum. Nam quod ante legimus Danielem oraſſe quum oculos verteret ad regionem illam, & verſus Judæam, non *cap. 6. verſ. 10.* fecit quaſi ex more Patrum vellet precari. Nullum enim tunc erat Sanctuarium, nulla arca fœderis. Ergo vertit faciem ſuam verſus Hieroſolymam, deſiderii monſtrandi cauſa, nempe ut profiteretur ſe adhuc animo habitare in terra illa quam deſtinaverat Deus generi Abrahæ. Retinuit igitur illo geſtu vel ritu externo poſſeſſionem terræ ſanctæ Propheta, quamvis captivus & exul eſſet. Quantum ad præſentem locum ſpectat, ſimpliciter intelligo quod faciem ſuam ad Deum ſuſtulerit. *Ut quærerem*, inquit, *oratione & precibus.* Alii vertunt, Ut quærerem orationem & preces. Et quod ad ſenſum ſpectat, utrumque probabile eſt. Sed prior verſio minus coacta eſt, quod ſcilicet quæſierit Propheta Deum oratione & precibus. Nam hæc etiam loquendi ratio ſatis paſſim trita eſt Scripturis, quod ſcilicet quæramus Deum, ubi teſtatur nos ab ipſo ſperare quæ promiſit. Jam ſequitur,

4. Et

4. Et oravi Jehovam Deum meum, & confeſſus ſum, (*idem verbum in Hiphil ſignificat celebrare Deum laudibus, ſed hic accipitur pro fateri culpam*) & dixi, Quæſo Domine Deus magne & terribilis, cuſtodiens fœdus & miſericordiam diligentibus ipſum, & cuſtodientibus præcepta ejus.

Hic precationis ſuæ ſummam refert Daniel. Dicit autem *ſe fuiſſe precatum, & confeſſum coram Deo.* Nam major pars hujus orationis huc tendit, ut Deus populo ſuo ignoſcat. Ubi autem veniam poſcimus, neceſſe eſt ut præcedat teſtimonium pœnitentiæ.
Jeſa. 58. verſ. 9. Deus enim pronunciat ſe fore exorabilem & propitium, ubi ſerio & ex animo reſipiſcunt homines. Ergo una hæc ratio eſt impetrandæ veniæ, ubi fatemur culpam. Et ideo Daniel hic conſumit majorem partem orationis ſuæ in reatu ſuo profitendo. Hoc autem admonet non jactantiæ cauſa, ſed ut ſuo exemplo ad rite precandum nos inſtituat. Dicit ergo *ſe oraſſe & fuiſſe confeſſum.* Neque ſupervacuum eſt quod nomini Jehovæ addit Elohai. *Precatus ſum,* inquit, *Deum meum.* Nam ita demonſtrat non trepide, ut ſæpe fieri ſolet, ſe concepiſſe preces. Nam increduli etiam ſæpe ad Deum confugiunt, ſed abſque confidentia. Secum enim diſputant an aliquis fructus rediturus ſit ex precatione. Daniel ergo hic duo nobis aperte & diſtincte oſtendit, quod ſcilicet oraverit cum fide & pœnitentia. Verbo confitendi pœnitentiam ſuam denotat: ubi dicit *ſe oraſſe Deum ſuum,* illic exprimit fidem, quod ſcilicet non projecerit temere ſuas preces, ut increduli confuſe Deum orant, & interea diſtrahuntur in varias cogitationes. *Oravi,* inquit, *Deum meum.* Nemo autem poteſt ſic loqui, niſi qui innixus Dei promiſſionibus certo ſtatuit illum fore ſibi exorabilem. Jam addit, *Quæſo Domine.* Particula נא vertitur pluribus modis, ſed hic proprie eſt particula obſecrandi, ut Grammatici vocant. *Domine Deus,* inquit, *magne & terribilis.* Videtur Daniel quodammodo ſibi obſtaculum ponere, quum *Deum vocat magnum & terribilem.* Talis enim eſt Dei majeſtas, quæ nos procul abigat, ſtatim atque ipſam mente concepimus. Ergo hic terror videtur removendus eſſe ubi quærimus familiariter accedere ad Deum. Putaret igitur quiſpiam non eſſe hanc commodam rationem precandi, quod Daniel ſibi Deum ſtatuat ante oculos magnum & formidabilem. Perinde enim eſt acſi ſeipſum expavefaceret. Sed hic ſibi optime moderatus eſt Propheta, quum ab una parte Deum agnovit eſſe magnum & terribilem, & ex altera parte conjunctim etiam agnovit *ipſum ſervare fœdus ſuum erga eos qui ipſum diligunt & cuſtodiunt ſtatuta ejus.* Deinde videbimus poſtea additum eſſe tertium, nempe quod etiam Dominus ingratos recipiat, & qui receſſerant ab ejus fœdere. Hæc igitur ſimul conjunxit Propheta. Sed quantum attinet ad hæc epitheta *magni & terribilis,* tenendum eſt ſicuti nuper dixi, non poſſe nos rite precari, niſi humiliati ſimus coram Deo: & hæc humilitas præparatio eſt ad pœnitentiam. Daniel ergo Dei magnitudinem ſibi objecit, ut ita & ſe & alios ſuo exemplo dejiceret coram Deo, ac etiam ſerio ſe afficeret pœnitentiæ ſenſu. *Deus* ergo *magne & terribilis,* inquit. Neque enim unquam tribuetur Deo juſtus honor, niſi ubi erimus dejecti quaſi mortui coram ipſo. Et hoc diligenter notandum eſt, quia ut plurimum tanta eſt ſecuritas, ubi Deum oramus, ut ſit quaſi aliquod opus defunctorium. Sciamus ergo non poſſe nos quicquam à Deo impetrare, niſi dum prodimus in conſpectum ejus cum metu & tremore, ita ut ſimus vere dejecti. Hoc primo loco notandum eſt. Mitigat autem aſperitatem illam Daniel quum adjungit, *Cuſtodiens pactum, & miſericordiam diligentibus ipſum.* Eſt hic mutatio perſonæ. Tranſit enim à ſecunda perſona ad tertiam: ſed in ſenſu nulla eſt obſcuritas, acſi dixiſſet, *Cuſtodis pactum diligentibus te, & obſervantibus ſtatuta tua.* Hic Daniel nondum explicat quicquid neceſſe eſt. Nam hoc fuiſſet nimis infirmum ad fiduciam impetrandi. Populus enim perfide à Deo defecerat, ideo quoad ipſum abolita erat hæc pactio. Sed Daniel paulatim, & per certos gradus deſcendit ad viam ſibi ſternendam, quo ſcilicet poſſit certam fidem miſericordiæ Dei concipere. Atque in hoc membro duo complectitur. Priore enim loco teſtatur non eſſe cur Judæi expoſtulent cum Deo, vel querantur ſevere nimis ſecum agi. Daniel ergo tollit omnes illas voces obſtreperas quum dicit, *Deus tu cuſtodis pactum.* Nam hic notanda nobis eſt populi conditio qualis tunc erat. Erant Iſraëlitæ tracti in exilium: ſcimus quam dura fuerit illa tyrannis, & in ſumma, extremis opprobriis & contumeliis erant obruti: deinde crudeliter ipſos tractabant victores. Hoc ergo poterat impellere multos, ſicuti non dubium eſt impulſos fuiſſe ad obſtrependum, Quid ſibi vult Deus? Nam quid nobis prodeſt eſſe electos in peculiarem populum? Quorſum iſta adoptio, quum tamen miſerrimi ſimus omnium? Judæi ergo poterant non ſine acerbo dolore & tædio malorum conqueri de pœnarum gravitate, quas Deus illis inflixerat. Sed Daniel hic præfatur ſe non prodire coram Deo, ut litiget, vel obmurmuret, ſed tantum ut veniam deprecetur. Hac igitur ratione primum dicit, *Deum ſervare pactum erga omnes qui ipſum diligunt.* Sed interea tranſitum ſibi facit ad petendam veniam, quemadmodum poſtea videbimus. Nam de pacto & miſericordia adhuc dicendum erit proxima lectione.

Da omnipotens Deus, quando hodie etiam nos merito caſtigas ob peccata noſtra, ſicuti exemplum nobis proponis in veteri populo, ut cum vera pœnitentia & humilitate ſic erigamus ad te faciem noſtram, ut tamen ſupplices etiam ac proſtrati coram te jaceamus, ac deſperatione obruti ſpem unicam ſtatuamus in tua miſericordia, quam nobis pollicitus es: verum adoptione illa freti, quæ fundata eſt & ſancita in Filio tuo unigenito, non dubitemus te nobis fore patrem, quoties ad te confugiemus: & interim ſic afficias penitus animos noſtros, ne tantum officii cauſa te oremus, ſed etiam ut vere & ſerio confugiamus ad te: & tacti ſimus malorum noſtrorum ſenſu, ut non tamen interea dubitemus, quin nobis propitius futurus ſis, in nomine ejuſdem Filii tui Domini noſtri, Amen.

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA QUINTA IN DANIELEM.

POſtrema lectione dixit Daniel *ſe precatum fuiſſe, & confeſſum:* nunc ubi formam precationis ſuæ narrat incipit à confeſſione illa.

Hoc igitur notandum eſt, ut melius liqueat in quem ſcopum ſpectaverit Daniel, & quæ etiam fuerit ſumma precationis. Exordium igitur tale eſt, populum coram Deo reum eſſe, & ſuppliciter veniam deprecari. Sed antequam ad deprecationem veniat Propheta, fatetur modis omnibus populum juſte fuiſſe caſtigatum à Domino, quia tam graviter & varie etiam illius iram provocaverit. Primo vocavit Deum terribilem (nam recitavi verba & Latine reddidi) ubi Propheta ut conciliet ſibi gratiam coram Deo, præfatur de ejus magnitudine. Et his verbis ſe & alios etiam fideles ad reverentiam incitat, nempe ut prodeant in conſpectum Dei cum hac ſummiſſione, ut agnoſcant ſe prorſus jam eſſe damnatos, nec ſpem ullam ſibi reſtare, niſi in mera Dei miſericordia. Vocat igitur *Deum magnum & terribilem*, ut ita omnium piorum animos dejiciat coram Deo, ne ſcilicet ullam altitudinem ſpirent, vel ne ulla confidentia ſint inflati. Nam, ut alibi dictum fuit, Dei epitheta nunc perpetua ſunt, nunc reſpiciunt circumſtantiam rei de qua agitur. Poteſt ſemper vocari Deus magnus & terribilis: ſed hoc loco Daniel ita appellat, ut ſe & alios omnes, quemadmodum jam dixi, ad humilitatem & reverentiam erudiat. Deinde adjungit, fidelem eſſe in cuſtodiendo pacto, & miſericordia proſequenda erga omnes veros ejus cultores. Dixi in hoc membro eſſe mutationem perſonæ, ſed quæ ſenſum non obſcurat, neque ambiguum reddit. Dixi præterea his verbis teſtari nihil eſſe cauſæ, cur populus obmurmuret, vel queratur ſe nimis rigide tractari. Nam ubi hoc ſtatutum eſt, Deum eſſe fidelem in ſuis promiſſis, (1 Cor. 1. verſ. 9. & 10. verſ. 13. 2 Theſſ. 3. verſ. 3.) ...n eſt jam cur expoſtulent homines cum ipſo, acſi minus clementer ipſos tractaret, vel fruſtraretur ipſos, quia reperientur fallaces, & perfidi: Deus autem ſemper manebit verax. Hoc ſenſu Daniel pronunciat *Deum ſervare pactum erga omnes qui ipſum diligunt*, &c. Deinde hoc etiam notandum eſt quod adjungit Pacto nomen miſericordiæ. Non ponit has duas voces quaſi diverſas, *berith*, & *cheſed:* pactum & miſericordiam ſimul conjungit, & ita reſolvi debet oratio (eſt hypallage, ut loquuntur) nempe quod pactum Dei ſit gratuitum, vel quod fluat ex fonte miſericordiæ ipſius. Quid eſt igitur pactum, vel fœdus, & miſericordia Dei? Fœdus quod ex miſericordia Dei manat, hoc eſt, fœdus quod non eſt fundatum in hominum dignitate nec meritis innititur: ſed cauſam ſuam habet, & ſtabilitatem, & effectum, & complementum in ſola Dei gratia. Hoc notandum eſt, quia poſſent quærere qui adeo non ſunt exercitati in Scripturis, cur Daniel diſtinguat miſericordiam à pacto, quaſi tantum mutua ſit ſtipulatio ubi Deus paciſcitur cum hominibus, atque ita fœdus Dei ſimpliciter pendeat ab hominum obedientia. Solvitur hæc quæſtio, ubi tenemus eſſe hypallagen in his verbis. Atque hic loquendi modus frequenter occurrit in Scriptura. Quoties enim de fœdere Dei agitur, ſimul etiam additur vel clementia, vel bonitas, vel propenſio ad amorem. Ergo Daniel primo loco fatetur, fœdus quod pepigit Deus cum Iſraëlitis eſſe gratuitum, quia ſcilicet non alia eſt ejus cauſa vel origo, quam gratuita Dei bonitas. Deinde teſtatur Deum eſſe fidelem, qui pactum hoc nunquam violat, neque ab eo diſcedit, ſicuti pluribus locis conjungitur veritas aut fides Dei cum clementia. (Pſal. 36. verſ. 6. & alibi.) Quemadmodum enim neceſſe eſt amplecti meram Dei bonitatem, ut ſalus noſtra penes ipſum ſolum reſideat, & ita etiam gloria qualis debetur ejus miſericordiæ reddatur: ſic neceſſe eſt ſecundo loco conſtantiam Dei nobis eſſe bene perſpectam. Utrumque hic exprimitur in verbis Prophetæ, quum fœdus Dei oſtendit pendere, vel fluere à gratia ipſius: deinde quum adjungit Deum eſſe fidelem in pacto ſuo ſervando. Adjungit, *Erga eos qui te diligunt, & cuſtodiunt*, &c. Hoc etiam diligenter notaudum eſt, quia Daniel hic depellit totum populum à defenſione quam obtendere multi poterant: ſicuti hypocritæ libenter jurgantur cum Deo, imo etiam audacter ipſum objurgant, ubi non ignoſcit illis, vel non indulget. Daniel ergo ut compeſcat talem ſuperbiam, & præcidat anſam litigandi omnibus impiis, dicit *Deum eſſe fidelem erga omnes qui ipſum diligunt*. Ita admonet, Deum nunquam eſſe ſeverum, niſi dum provocatur hominum peccatis: quaſi diceret fœdus Dei firmum eſſe per ſe, ſed dum ab hominibus violatur, non eſſe mirum ſi Deus etiam non præſtet quod pollicitus eſt, ſed diſcedat à pacto ſuo, ubi videt mala fide, imo perfide ſecum agi. Ergo hic obliqua eſt condemnatio populi, quum Daniel teſtatur Deum eſſe *conſtantem in ſervandis promiſſis*, ſi viciſſim homines agerent cum ipſo bona fide. In ſumma convertit culpam in populum, quod Deus non egerit benigne & humaniter, ſicuti ſolebat, ſed exercuerit graviſſimam illam vindictam, quum ſcilicet expulſus fuit populus è terra Chanaan, quæ perpetua erat illus hæreditas. Daniel hic oſtendit non poſſe ullam culpæ partem in Deum trajici, quia ſcilicet populus ipſe deſciverit, & ſua perfidia violaverit Deipactum. Videmus ergo ut derivet culpam malorum omnium in ſuos populares, atque ita Deum ab omni culpa & omnibus injuſtis querimoniis eximat. Cæterum, oſtendit Propheta quid ſit præcipuum in vero Dei cultu, nempe ut ipſum diligamus. Multi enim ſerviliter Dei Legem obſervant: ſed interea tenendum eſt illud, Hilarem datorem à Deo amari. (2 Cor. 9. verſ. 7.) Quum igitur hypocritæ violenter trahantur in obſequium, hic diſcernit Propheta inter veros Dei cultores, & alios qui defunctorie multa præſtant, & nihil ex animo. Dicit autem hoc eſſe principium colendi Dei, ſi à nobis diligitur. Et hæc ſententia etiam frequenter occurrit apud Moſem. Tenendum igitur eſt, non eſſe grata Deo obſequia, niſi quæ proficiſcuntur à ſincero & libero animi affectu. (Deut. 10. verſ. 12.) Hæc itaque eſt prima regula in cultu Dei, ut ipſum diligamus, hoc eſt, ut ſponte parati ſimus nos totos addicere in obedientiam, & libenter præſtemus quicquid à nobis exigit, quemadmodum Pſalmo centeſimo decimo nono etiam dicitur, Lex tua oblectationes meæ: deinde alio etiam loco, hoc eſt, in eodem Pſalmo, dicit David non tantum pretioſam ſibi eſſe Legem Dei ſupra aurum & argentum, ſed gratam eſſe & ſuavem præ melle. (Pſal. 119. Gimel. Zeth. Mem.) Niſi ergo Deus à nobis diligitur, non eſt cur putemus quicquam poſſe illi probari. Omnia enim officia noſtra coram ipſo fœtebunt, niſi fluant ex hoc fonte, hoc eſt, ex liberali affectu. Et ideo ſubjicit Propheta, *Qui cuſtodiunt ſtatuta ejus.* Non ergo multum erit momenti in externa obſervatione, niſi præcedat Dei amor. Sed etiam hoc viciſſim notandum eſt, non poſſe Deum vere & ſincere à nobis diligi, quin ſequantur hunc affectum membra

omnia.

omnia, & omnes partes. Manus enim & pedes, & quicquid in nobis eſt, non diſcedent ab officio, ſi liberalis hic amor in cordibus noſtris vigeat. Nam ſi quis millies obtendat ſe Deum diligere, niſi reſpondeat tota vita, deprehenditur vanitas & mendacium. Hæc enim non poſſunt disjungi, nempe amor Dei, & obedientia. Nunc ſequitur,

5. Peccavimus, & inique egimus, & improbe nos geſſimus, & rebellavimus, & receſſimus à præceptis tuis, & judiciis tuis. (*vel, defecimus à præceptis, & à judiciis tuis.*)

6. Et non auſcultavimus ſervis tuis Prophetis, qui loquuti ſunt in nomine tuo ad Reges noſtros, Principes noſtros, & patres noſtros, & ad populum terræ.

7. Tibi Domine juſtitia, & nobis pudor vultus, (*facierum, ad verbum*) ſicuti hodie viro Jehudah, (*hoc eſt, Judæis omnibus*) & incolis Jeruſalem, & toti Iſraëli, propinquis, & longinquis, in omnibus terris, quo expuliſti eos, ob transgreſſionem (*vel, propter transgreſſionem*) ſuam qua transgreſſi ſunt contra te.

Proſequitur Daniel ſuam confeſſionem. Debuit enim (quemadmodum jam diximus) hinc ordiri, quia in genere notandum eſt, non poſſe placere Deo preces noſtras, niſi ubi prodimus coram ipſo rei, & reponimus totam ſpem noſtram in ejus miſericordia. Sed ſpecialis fuit ratio Prophetæ, quia precatus eſt non vulgari modo, ut dictum fuit: ſed in jejunio, in ſacco & cinere. Fuit igitur hæc ſolennis confeſſio, qua Daniel ſe conjunxit cum reliquo populo, ut etiam omnibus ſeculis teſtatum faceret juſtum fuiſſe illud judicium, quod Deus exercuerat quum expelleret Iſraëlitas è terra promiſſa, & quaſi eos exhæredaret. Daniel ergo in hac parte inſiſtit. Hic primo loco notandum eſt, preces, niſi in fide & pœnitentia ſint fundatæ, non recte concipi, neque eſſe legitimas, neque etiam poſſe gratiam, vel favorem invenire coram Deo. Sed in verbis magnum eſt pondus, ubi Daniel non dicit uno verbo populum impie egiſſe: ſed primo loco ponit *Chathanu*, hoc eſt, *ſcelerati fuimus*. Neque enim hoc verbum accipitur de quolibet delicto, ſed continet in ſe etiam ſcelus, vel gravius peccatum. Fuimus ergo ſcelerati: deinde *inique egimus:* poſtea *impie nos geſſimus*. Nam illud רשע etiam plus continet quam חטא. Impie ergo nos geſſimus, *& fuimus rebelles*, inquit. Poſtea, *Recedendo à ſtatutis tuis & mandatis*. Quorſum hæc copia, niſi ut Daniel ſe una cum toto populo acrius ad pœnitentiam exſtimulet? Etſi enim facile huc adducimur, ut teſtemur nos merito reos eſſe coram Deo, tamen vix centeſimus quiſque afficitur ſerio ſenſu. Et qui præ aliis excellunt, & pure etiam timent ac reverentur Deum, tamen valde pigri ſunt & frigidi in reputandis ſuis peccatis. Primo vix centeſimam partem agnoſcunt: deinde in iis quæ veniunt in mentem non expendunt quam graviter deliquerint, ſed extenuant magnitudinem: atque ut ſentiant ſe dignos eſſe centum mortibus, tamen non tanguntur amaritudine, & metu ad ſeſe humiliandos, ut par erat: imo vix ſibi diſplicent, ſaltem non abominantur ſua ſcelera. Daniel ergo non fruſtra accumulat tot voces, ubi vult fateri ſua & populi peccata. Sciamus ergo longe à pœnitentia nos abeſſe, quum tantum uno verbo agnoſcimus nos eſſe reos, deinde ſciamus opus eſſe multis ſtimulis ad urgendam noſtram pigritiem: quia etiamſi quis ſentiat magnos terrores, & ad Dei judicia expaveſcat, tamen omnes illi terrores ſunt quaſi evanidi. Neceſſe igitur eſt quaſi violenter infigi cordibus noſtris Dei timorem. Hoc Daniel oſtendit his verbis quum dicit, *populum peccaſſe, inique egiſſe, ſcelerate ſe geſſiſſe, fuiſſe rebellem, & declinaſſe à ſtatutis & mandatis Dei*. Et hæc doctrina ideo diligenter notanda eſt, quia ſicuti dixi, omnes putant ſe defunctos eſſe coram Deo, ſi leviter duntaxat profeſſi fuerint ſe coram ipſo reos, & culpam uno verbo agnoverint. Atqui ut res ſacra eſt pœnitentia, ſic etiam plus longe momenti in ſe habet, quam talis fictio. Quanquam multi non putant ſe quicquam fingere, ubi culpam fatentur: ſed interea quodammodo cum Deo ipſo pueriliter ludunt, ubi alii obtendunt ſe eſſe homines, alii ſeſe involvunt in turba, Quid facerem? Ego ſum homo: ſic vulgo peccatur: ego ſequutus ſum multorum exemplum. Denique ſi probe examinemus omnium confeſſiones, reperiemus ſemper ſubeſſe multam hypocriſin, & pauciſſimos eſſe qui ſeſe proſternant, quemadmodum decebat, coram Deo. Tenenda igitur eſt hæc confeſſio Danielis, ubi ſeipſum & alios exſtimulat ad Dei timorem, & exaggerat peccata populi, ut pro ſe quiſque concipiat veros & ſerios terrores. Deinde oſtendit quomodo *impie & ſcelerate, & perfide rebelles fuerint Iſraëlitæ*, nempe quia *declinarint à ſtatutis & mandatis Dei*. Amplificat culpam populi Daniel, quoniam nullus ſit ignorantiæ prætextus, ubi edocti fuerant Lege Dei. Perinde enim eſt acſi quis impingeret in meridie. Non eſt excuſabilis qui aut oculos attollit in cælum vel claudit, & interim ambulat, vel ſe projicit cæco impetu: quod ſi cadat, nemo eſt qui miſereatur. Sic etiam Daniel hic exaggerat crimen populi, quod ſcilicet Lex Dei erat *Pſal. 119. Nun.* inſtar lucernæ, quæ viam monſtrabat, ita ut cæcutirent ſponte, & quaſi certa malitia. Niſi enim oculos clauſiſſent, non poterant errare, ubi fideliter monſtraverat Deus quam viam ſequi & tenere debebant. Hoc unum eſt. Sed hinc etiam colligere licet alteram doctrinam, nempe non eſſe cur homines tergiverſentur, ſi transgreſſi fuerint mandata Dei, quia utcunque & ſibi & aliis placeant, ac putent ſe adeptos eſſe totius mundi ſuffragia, tamen hoc nihil proderit ſi à mandatis & ſtatutis Dei declinaverint. Quiſquis ergo Legem habet in manibus, & huc vel illuc divertit, etiamſi omnium Rhetorum facundiam accerſat, nulla tamen defenſio firma erit: quia hæc eſt inexcuſabilis perfidia, non obtemperare Deo ſimulac nobis oſtendit quid probet, quid requirat. Deinde ubi etiam vetuit hoc vel illud, ſi vel minimum deflectamus ab hac doctrina, perfidi ſumus & ſcelerati, & rebelles, & apoſtatæ. Denique oſtendit hic locus nullam eſſe legem ſancte & pie & recte vivendi, niſi ubi toti pendemus à Dei mandatis. Et hac ratione etiam ponit *ſtatuta & judicia*, ut oſtendat populum non ignorantia peccaſſe. Poterat uno verbo abſolvere ſententiam, Receſſimus à mandatis tuis: ſed mandatis etiam adjungit judicia. Quorſum? Nempe ut oſtendat fuiſſe facilem & perſpicuam, & ſatis familiarem Dei inſtitutionem, ſi dociles fuiſſent Iſraëlitæ. Et hoc notandum eſt, quia repetitio hæc ſatis trita eſt. Putant imperiti ſynonyma coacervari abſque ratione, ubi ponuntur ſtatuta, judicia, leges, præcepta, ſed Spiritus ſanctus aliud nobis commendat, nempe nihil deeſſe nobis, ſi interrogemus os Dei: quia perfecte inſtituit nos ad totum vitæ curſum regendum, Ideoque ſcientes & volentes nos errare, ubi nobis Lex Dei eſt propoſita, quæ in ſe continet perfectam doctrinæ rationem. Poſtea adjungit, *Non obedivimus ſervis tuis Prophetis qui loquuti ſunt in nomine tuo*. Hoc etiam diligenter expendere convenit, quia impii ſæpe Deo improbe illudunt, quod ipſe non è cælo palam deſcendat, neque loquatur per Angelos, quemadmodum omnibus ſeculis hæc impietas graſſata eſt. Hodie quam multi putant ſe

elapſos eſſe, ubi jactarunt nullam dari revelationem è cælo, omnia eſſe plena controverſiis, totum mundum tumultuari, & qui volunt cenſeri Eccleſiæ doctores, multis diſſidiis inter ſe confligere? ubi hoc jactarunt, putant quidvis ſibi licere: ſponte hoc modo cæcutiunt. Sed Daniel hic oſtendit, niſi auditur Deus quum mittit ſuos Prophetas, nullam tergiverſationem apud ipſum valere, quin perfidi ſint, & apoſtatæ, & ſcelerati, & rebelles quicunque ſpernunt Prophetas *qui loquuntur in Dei nomine.* Videmus ergo quam apte inter ſe conveniant quæ hic ponit Daniel, & quam fuerit neceſſaria hæc explicatio, quum dicit *populum ſceleratum fuiſſe, iniquum, rebellem, & impium, quia non* paruerit Prophetis. Non dicit ergo ſcelus populi, & impietatem, & contumaciam, & perfidiam inde convinci, quia non audierit Deum è cælo tonantem, vel fulminantem, quia non audierit Angelos, ſed quia *non obedierit Prophetis.* Cæterum, nominat Prophetas *ſervos Dei qui loquuti ſunt in ejus nomine.* Diſtinguit inter veros & falſos Prophetas, quoniam hoc titulo ſcimus multos olim impoſtores fuiſſe abuſos in veteri Eccleſia, ſicuti etiam qui hodie omnia turbant ſemper nomen Dei falſo prætexunt: & hac audacia multi ſimplices falluntur. Daniel ergo hic diſcernit inter veros Prophetas, & illos errones, qui paſſim jactabant ſe etiam divinitus eſſe electos ad docendum. Atqui inanibus illis ampullis valere juſſis, de effectu loquitur, quia ſcimus etiam omnes Satanæ miniſtros ſe transfigurare in Angelos lucis. *Cor. 11. verſ. 14.* Ergo loquuntur tam mali, quam boni in Dei nomine, hoc eſt, promiſcue impii non minus quam probi doctores Dei nomen obtendunt: ſed hic, quemadmodum diximus, Daniel effectum intelligit, vel rem ipſam, ut loquuntur: ſicuti quum Chriſtus dicit, *Mat. 18. verſ. 20.* Ubi duo aut tres convenerint in nomine meo, non intelligit hoc de ſimulatione, qualis cernitur in Papatu, ubi ad quoslibet conventus probandos ſuperbe objicitur Dei nomen. Neque vero novum eſt, ut larvata Eccleſia hoc integumento occultet ſuam turpitudinem. Sed quum Chriſtus dicit, ubi duo aut tres convenerint in nomine meo, hoc refert ad verum & ſincerum affectum. Sic etiam Daniel dicit hoc loco *veros Prophetas loquutos eſſe in nomine Dei*, non tantum quia ſacrum hoc nomen prætexuerint acquirendæ auctoritatis cauſa, ſed quoniam non abſque ſolidis documentis præ ſe tulerint Dei auctoritatem, ſicuti ſuæ vocationis probe ſibi erant conſcii. Poſtea adjungit, *ad Reges noſtros, Proceres noſtros, Patres noſtros, & totum populum terræ.* Hic Daniel proſternit omnem mundi altitudinem, ut Deus ſolus emineat, neque ulla ſuperbia conſurgat in mundo ad obſcurandam ejus gloriam, ſicuti fieri ſolet. Hic enim *Reges & Principes & Patres* implicat reatu: quaſi diceret omnes eſſe damnatos ſine exceptione coram Deo. Hoc rurſus diligenter notandum eſt. Videmus enim, ut vulgus putet ſibi eſſe permiſſum quicquid probatur Regibus & ipſorum conſiliariis. Unde enim communi hominum ſenſu pendet totius juris ratio, niſi à Regum arbitrio, vel potius libidine? Quicquid ergo Regibus placuit, atque ipſorum conſiliariis, hoc eſt legitimum, hoc eſt ſanctum, hoc denique eſt extra omnem controverſiam: & ita etiam Deus ſummo imperio excluditur. Quoniam ergo homines ſeipſos ita obnubilant, ut ita loquar, hoc eſt, ſponte offundunt ſibi tenebras, ne ad Deum perveniant: ideo hic Daniel exprimit diſerte inexcuſabiles eſſe omnes, qui Prophetis non obediunt, etiamſi mille Reges ſeſe objiciant, & totius mundi ſplendor ſit intermedius: quia iſtis nebulis non poteſt obſcurari Dei majeſtas: ſaltem hoc non poteſt quicquam vel jacturæ afferre Dei imperio, vel impedire curſum doctrinæ ipſius. Hæc fuſius poſſent tractari: ego autem breviter oſtendo quid Propheta voluerit, & quis fructus colligi debeat ex ejus verbis. Denique hoc eſt inſigne elogium doctrinæ Propheticæ, ubi coguntur in ordinem Reges, & eorum conſiliarii, & tota mundi altitudo ſubjicitur Prophetis: quemadmodum etiam loquitur Dominus apud Jeremiam, *Jerem. 1. verſ. 10.* Ecce conſtitui te ſuper regna, & ſuper imperia mundi, ut deſtruas & ædifices, ut plantes & eradices. Illic Deus aſſerit doctrinæ ſuæ auctoritatem, & oſtendit ſuperiorem eſſe toto mundo: ut ſtulti ſint ac ridiculi qui volunt ab ea eſſe immunes, quaſi eſſent quodam ſingulari privilegio donati. Hoc ergo notandum eſt in verbis Prophetæ, quum dicit, *loquutum fuiſſe Deum per ſuos Prophetas Regibus, & Principibus, & Patribus.* Quantum ad Patres ſpectat, videmus etiam quam frivola ſit eorum excuſatio, qui patres ſuos objectant Deo inſtar clypei. Nam hic Daniel involvit eodem reatu patres cum filiis, & oſtendit hoc ſatis ſuperque ad omnium damnationem ſufficere, ubi non audiunt Dei Prophetas, vel Deum loquentem in ſuis Prophetis. Poſtea ſubjicit, *Tibi Domine juſtitia, & nobis pudor vultus, ſecundum hunc diem.* Summa eſt, Juſtam eſſe Dei vindictam, quam exercuit adverſus populum, & nihil aliud ſupereſſe, niſi ut totus populus jaceat confuſus, & ingenue agnoſcat ſe fuiſſe merito damnatum. Sed hæc antitheſis quæ conciliat oppoſita membra, notari etiam debet, quia ex verbis Prophetæ colligimus non poſſe juſtum cenſeri Deum, neque ſatis illuſtrem eſſe ejus juſtitiam, niſi ubi obſtructa ſunt hominum ora, & omnes quaſi probro cooperti & obruti, ſe fatentur conſtringi juſto reatu, quemadmodum etiam Paulus ita loquitur, Ut ſit juſtus Deus, *Rom. 3. v. 4. 26.* nempe ubi obſtructa ſunt hominum ora, hoc eſt, ubi deſinunt homines obſtrepere, & ſubterfugiis ſuis captare aliquam levationem. Ubi ergo homines ita dejecti & proſtrati fuerint, tunc illuſtrabitur vere Dei gloria. Idem nunc Propheta docet quum hæc duo membra, quæ inter ſe oppoſita ſunt, ſimul conjunxit, *Tibi juſtitia, nobis autem pudor.* Ergo non poſſumus Deo laudem tribuere, præſertim ubi nos caſtigat, & pœnam ſumit de peccatis noſtris, niſi dum pudet nos malorum noſtrorum, atque ita ſentimus nos deſtitui omni juſtitia. denique ubi & ſentimus & fatemur nos merito damnari. Ubi hic pudor animos noſtros occupat, tunc incipimus Deum fateri juſtum. Denique quiſquis ſeipſum damnari non ſuſtinet, adhuc cum Deo vult rixari. Quamvis ergo hypocritæ in ſpeciem teſtentur Deum eſſe juſtum, tamen ubi ſibi aliquid exiſtimationis retinent, tantundem derogant ſuo Judici: quia certum eſt, non vere fulgere Dei juſtitiam, niſi ubi pudore nos ipſi obruimur. *Secundum diem hunc*, inquit Daniel. Hoc adjungit ad confirmationem ſuæ doctrinæ: quaſi diceret ſatis conſpicuam eſſe impietatem populi ex ipſa pœna. Sed interim tenet illud principium, nempe populum juſte fuiſſe caſtigatum. Hypocritæ enim etiamſi cogantur agnoſcere Dei potentiam, obſtrepunt tamen ejus juſtitiæ. Daniel utrumque conjungit ſimul, nempe quod Deus populum ſuum afflixerit, & hoc documento palam fecerit & ſceleratum, & perfidum, & impium & rebellem fuiſſe. *Secundum hunc diem*, hoc eſt, Ego non conquerar de immodico rigore, non dicam te crudeliter tractaſſe populum tuum. nam etiamſi graves ſint pœnæ quas de nobis ſumpſiſti, tamen in illis refulget tua juſtitia. Ego igitur fateor nos his omnibus pœnis digniſſimos eſſe. *Viro Jehudah*, inquit. Hic videtur ex profeſſo Daniel velle detrahere larvam Iſraëlitis, ſub qua putabant ſe latere. Nam honorifici erant tituli, vocari Judæum, vocari incolam Hieroſolymæ, vocari Iſraëlitam. Erant enim ſanctum illud genus, erat etiam Hieroſolyma quaſi ſanctuarium, & regia Dei. Jam etiam, inquit, ſi hactenus fuerimus quaſi in ſublime elati, ſuperaverimus totum mundum, & Deus nos dignatus fuerit tam excellentibus gratiis, aut beneficiis: tamen pudor vultus ſu-

per

per nos: Deus noſter ſit juſtus. Interea ceſſent omnes iſtæ inanes jactantiæ, nempe nos trahere originem à ſanctis Patribus, nos habitare in terra ſancta: hæc omnia faceſſant, inquit, quia nihil nobis proderunt coram Deo. Sed ego video jam me fuiſſe nimis prolixum.

Da omnipotens Deus, quando non alius ad te acceſſus nobis patet, quam per ingenuam humilitatem, ut diſcamus ſæpius nos excutere, & quidem vero pœnitentiæ ſenſu: ut nobis ſic diſpliceamus, ne ſatis ſit ſemel fuiſſe confeſſos noſtra peccata, ſed ut continui ſimus in hac meditatione, & nos ſubinde magis ac magis acuamus ad verum dolorem: ut ita etiam confugiendo ad tuam miſericordiam, proſtrati coram te jaceamus, neque alibi ſpem repoſitam habeamus quam in tua miſericordia, & interceſſione unigeniti Filii tui: ut ita tibi reconciliati non tantum abluamur à noſtris peccatis, ſed etiam gubernemur toto vitæ curſu Spiritus tui ductu: donec tandem potiti victoria in omni genere certaminum, perveniamus ad beatam illam quietem, quam nobis præparaſti per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Amen.

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA SEXTA.

IN DANIELEM.

8. **Jehovah nobis pudor faciei, Regibus noſtris, Principibus noſtris, & Patribus noſtris, quia peccavimus in te.**

Hoc verſu confeſſionem ſuam abſolvit Daniel. Diximus enim hoc fuiſſe precationis exordium, quod prodiit in conſpectum Dei reus una cum toto populo, ut ita deprecaretur veniam. Oportuit igitur ipſum ab hac parte incipere. Prius de toto populo loquutus fuerat: nunc tantum nominat *Reges & Principes & Patres*: ſed vulgus etiam comprehendit. Cæterum quia ſolent Reges, & qui proxime ad illos accedunt, ſeſe eximere à lege communi: ideo hic Daniel *Reges & Principes & Patres* exprimit. Quum de populo ageret, dicebat tam remotos, quam propinquos Dei judicio obnoxios eſſe, quia etſi vindictam ſuam exercuerat Deus non eodem, vel æquali modo: nemo tamen à ſcelere immunis erat, quamvis immunis eſſet à pœna. Deus enim non omnes expulerat vel in Chaldæam vel in Aſſyriam. Subſtiterant enim multi in vicinis gentibus. Sed Daniel tamen negat imminui ipſorum culpam, quamvis humanius tractati à Deo fuerant, vel aliqua ex parte illis pepercerat. Quibus verbis docemur, non ſemper æſtimanda eſſe hominum ſcelera, vel delicta ex modo pœnarum. Deus enim mitius cum quibuſdam agit, qui tamen digni erant majori ſeveritate: ſed etiamſi non parcat in totum, aliquid tamen de rigore ſuo remittit erga eos, ut alliciat ad pœnitentiam, vel habet ſuas cauſas nobis incognitas. Quicquid ſit, etiamſi Deus non palam animadvertat in omnes, non eſt tamen cur ſe quiſquam excuſet, vel ſibi indulgeat, quoniam non eandem experiatur Dei ſeveritatem. Summa eſt, omnes Iſraëlitas juſte affligi, quoniam à primo ad ultimum, ſicuti loquuntur, omnes impie ſe geſſerint. Nam iterum verbum illud repetit Daniel, quod non ſignificat ſimpliciter delinquere, ſed ſcelerate agere, quaſi diceret, non vulgari pœna fuiſſe dignos Iſraëlitas, ideoque non eſſe mirum, ſi Deus tam horribilem vindictam erga ipſos exercuerit. Sequitur,

9. **Domino Deo noſtro miſerationes & veniæ,** (*Nam Salah ſignificat ignoſcere. Vertunt propitiationes: in ſenſu tamen nihil eſt ambiguum*) **quamvis rebelles fuerimus in ipſum.** (*vel, quia rebelles. Nam particula* כי *proprie eſt cauſalis: ſed ex pluribus Scripturæ locis apparet adverſative ſumi, & videtur præſenti loco melius hoc quadrare.*)

Hic Daniel ſe confert ad Dei miſericordiam, quaſi ad ſacrum aſylum. Neque enim ſufficeret peccata agnoſcere & fateri, niſi ſuccurreret nobis fiducia impetrandæ veniæ ex Dei miſericordia. Videmus enim ut multi ſatis prolixe teſtentur ſe omni genere pœnarum eſſe digniſſimos: tamen nihil inde conſequuntur, quia deſperatio ipſos obruit ac demergit in abyſſum. Agnitio igitur culpæ per ſe nihil prodeſſet, niſi accederet ſimul ſpes veniæ. Nunc ergo Daniel poſtquam ingenue confeſſus eſt, totum populum merito tam duriter & ſevere tractatum eſſe à Deo, amplectitur tamen miſericordiam, quemadmodum ſi tabulam in naufragio arriperet, ſicut dicitur vulgari proverbio. Et videmus etiam eodem
Pſal. 130. verſ. 4. principio Davidem uti, Apud te eſt propitiatio, ut timearis. Et hæc moderatio diligenter notanda eſt, quia Satan vel ſecuritate nos inducit in torporem, vel ita nos exagitat, ut triſtitia abſorbeat prorſus animos noſtros. Hæc duo Satanæ artificia ſatis nota ſunt. Ergo tenenda eſt illa, quam dixi, moderatio, ne ſcilicet torpeamus in vitiis noſtris, atque ita indulgentia nos ad contemptum Dei, & oblivionem inducat: deinde ab altera parte, ne ſic expaveſcamus, ut clauſa ſit nobis janua ad ſpem veniæ. Daniel ergo hic optimum ordinem ſequitur, & eandem nobis regulam præſcribit. Nam ubi confeſſus eſt ſcelera populi, non ideo tamen abjicit fiduciam veniæ, ſed ſe & alios hac conſolatione fulcit, quod Deus ſit miſericors. Nam ſpem veniæ colligit ex ipſa Dei natura, quaſi diceret nihil magis Deo eſſe proprium, quam miſereri, ideoque non eſſe deſperandum. *Deo*, inquit, *miſerationes & veniæ*. Nec dubium eſt, quin Daniel ſumpſerit hoc ex Moſe, præſertim ex illo inſigni & memorabili loco, ubi Deus Exod. 34. verſ. 6.
pronunciat ſe vindicem quidem ſeverum eſſe, ſed tamen plenum miſericordia, propenſum ad clementiam, & veniam, deinde multæ patientiæ. Quoniam ergo tenebat Daniel fieri non poſſe ut Deus exueret miſericordiæ ſuæ affectum, ideo ſumit hoc doctrinæ caput, cui innixus poſſit & ſperare, & petere veniam. Quoniam ergo *Deo ſunt miſerationes*, hoc eſt, quoniam Deus qui ſeipſum abnegare non poteſt, ſemper erit miſericors: eſt enim hoc ab ejus æterna eſſentia inſeparabile: ideo quantumvis rebelles in eum fuerimus, tamen non abjiciet preces noſtras, neque repudiabit. Hinc colligimus nullas eſſe legitimas, vel rite compoſitas preces, niſi quæ ſunt ex his duobus membris compoſitæ, nempe ut quicunque ad Deum accedunt, ſeſe prorſus dejiciant, & agnoſcant ſe mille mortes eſſe promeritos: deinde, ut tamen emergant ex abyſſo deſperationis, & ſeſe attollant ad ſpem veniæ, ita ut Deum non trepide nec dubitanter, ſed certa & ſtabili fiducia invocent. Hæc autem fiducia non alibi fulturam habet, quam

in natura ipſius Dei, de qua nobis teſtimonium ipſe reddit. Quantum ad finem verſus ſpectat, bifariam exponi poteſt, *Quia rebelles in eum fuimus*, vel *Quamvis*. Dixi magis mihi probari, ut adverſative ſumatur particula כי. *Quamvis ergo rebelles fuerimus in Deum*, tamen nobis erit exorabilis, quia nunquam obliviſcetur miſericordiæ ſuæ. Si cui magis placeat accipere cauſaliter, non male etiam hoc conveniet, quaſi diceret Daniel, non alibi reſiduam eſſe ſpem ſalutis, quam in Dei miſericordia, quoniam ſcilicet totus populus ſatis ſuperque convictus ſit ſcelerum. *Quia ergo ſcelerate egimus in ipſum*, quid reſtat, niſi ut tota noſtra fiducia recumbat in Dei clementiam, & bonitatem? quoniam teſtatus eſt ſe fore propitium peccatoribus, qui vere & ex animo ejus gratiam implorant. Nunc ſequitur,

10. Et non auſcultavimus voci Jehovæ Dei noſtri, ut ambularemus in legibus ejus, quas propoſuit coram facie noſtra per manum ſervorum ſuorum Prophetarum.

Hic rurſus Daniel oſtendit quomodo in ſe iram Dei provocaverint Iſraëlitæ, ac ſcelerate egerint. Deſignat igitur ſpeciem ipſam ſcelerum, vel modum ſcelerate agendi, nempe quia contempſerint doctrinam à Deo auctore profectam, & ſibi expoſitam per Prophetas. Et hoc diligenter notandum eſt, quemadmodum antea admonuimus: quia etſi nemo excuſabilis eſt prætextu ignorantiæ coram Deo, ſcimus tamen ſcelus aggravari, ubi velut data opera ſcientes & volentes rejicimus quod Deus præcipit & docet. Daniel ergo crimen populi hac circumſtantia amplificat, quod *non audierint Prophetas*. Quod igitur delictum fuiſſet vel in Chaldæis, vel in Aſſyriis, erat ſcelus graviſſimum in populo electo: quoniam illic craſſior erat contumacia, quando ſcilicet Deus viam oſtenderat per ſuos Prophetas, illi autem tergum obverterant. *Non* ergo *audivimus*. Jam ſatis apparet verſum hunc exegetice adjunctum fuiſſe, ut Daniel exprimeret rationem ſcelerum. Porro leges Dei vocat doctrinam, quæ conſtabat multis partibus. Nam certum eſt nihil prætermiſſum fuiſſe à Deo, quod cognitu eſſet utile. Complexus igitur fuerat totam juſtitiæ perfectionem in ſermone ſuo. Neque enim hic tantum agitur de Lege Moſis, ſed de Prophetica doctrina, quemadmodum ex verbis liquet: & nomen *Torah* accipitur pro doctrina. Perinde eſt igitur acſi diceret Daniel Deum fuiſſe rejectum, quum per ſuos Prophetas regere populum vellet. Sed videtur plurali numero notare quam dixi in Prophetis comprehenſam eſſe doctrinæ perfectionem. Deus enim nihil omiſit, quin omnibus numeris abſolveret quod utile erat ad vitam inſtituendam. Atqui hoc totum fuit inutile. Hinc igitur apparet quam perverſa fuerit natura illius populi, qui omnes Dei leges ita rejecit. Et hoc idem confirmat Daniel quum addit *Leges illas fuiſſe propoſitas coram populo*. Nam ſignificat nihil eſſe quod obtendat populus, quoniam familiariter tradiderat Deus quicquid opus erat ad ſummam pietatis & juſtitiæ. Nam loquutio hæc, *Ponere aliquid ante faciem*, tantundem valet atque aperte, perſpicue, dilucide, vel familiariter, vel etiam enucleate tradere quod utile eſt cognitu: ne quid ſit ambiguum, implicitum, obſcurum, remotum, vel confuſum. Quum ergo Deus ita Lege ſua explicuerat totam juſtitiæ ſummam, eo gravior fuit & magis deteſtabilis populi impietas, quod nihil profecit in illa tam familiari doctrina. Huc igitur tendunt verba Prophetæ, duplici pœna eſſe dignos qui volentes peccant: quia convincitur eorum contumacia, dum ſcilicet nullus eſt ignorantiæ prætextus, ſed palam & quaſi furioſo impetu ruunt contra Deum, qui via ſic oſtenſa, tamen huc & illuc declinant, imo ſeipſos præcipitant. Tenendum etiam memoria eſt quod prius attigi, nempe hic commendari externum miniſterium: quia ſcimus jactatas vulgo fuiſſe voces in veteri populo, quum rebelles eſſent Prophetis, Deum tamen non ab ipſis contemni. Quoniam ergo hypocritæ putant hoc integumento occultari ſua ſcelera, diſerte exprimit Daniel contemni Deum in ſuis Prophetis, quamvis non deſcendat ipſe è cælo, vel mittat Angelos. Et huc pertinet quod dicit *Prophetas fuiſſe ſervos Dei*. Significat enim nihil temere tentaſſe, vel docuiſſe proprio nomine vel impulſu, ſed fideliter exequutos fuiſſe quod Deus præceperat. Sequitur,

11. Et totus Iſraël tranſgreſſi ſunt Legem tuam, & defecerunt (*ad verbum, Et recedere, vel declinare*) ne auſcultarent voci tuæ. Ideo (*nam copula hic vice illationis ponitur*) effuſa eſt ſuper nos (*vel ſtillavit. Natach utrumque ſignificat*) maledictio & jusjurandum (*alii vertunt execrationem*) quod ſcriptum eſt in Lege Moſis ſervi Dei, quia peccavimus contra ipſum.

Iterum confirmat Daniel quod prius dixi, nempe juſtiſſimas eſſe pœnas, quæ inflictæ populo fuerant, nec poſſe querimoniam moveri, quaſi Deus modum in ſeveritate illa excederet. Dicit nunc *totum Iſraëlem peccaſſe*. Jam non enumerat ordines, ſicuti paulo ante, ſed uno verbo pronunciat omnes eſſe obnoxios, quia tranſgreſſi fuerint à minimo uſque ad maximum Legem Dei. Nunc in tertia, nunc in ſecunda perſona loquitur: ſed hoc ſignum eſt vehementiæ & ardoris, ubi nunc Daniel quaſi totum mundum compellat, & poſtea coram Deo ſe proſternit, & comparet veluti ad ejus tribunal. Tantundem enim eſt acſi nunc reatum ſuum confiteretur coram Deo & Angelis, nunc conſcenderet theatrum, ut ſuam & populi totius infamiam teſtatam faceret coram cunctis mortalibus. *Declinando*, inquit, *ne audiret*. Exprimit his verbis Daniel deſtinatam contumaciam populi, quaſi diceret non fuiſſe factum vel errore vel inſcitia, vel etiam ſocordia, quod Iſraëlitæ ita cæcutierint, neque attenderint ad Dei præcepta, ſed principium fuiſſe in affectu ipſo rebellandi. *Declinando* ergo *ne audiret vocem tuam*, &c. Nunc tenemus conſilium Prophetæ. Non enim contentus fuit ſimplici damnatione populi, ſed voluit etiam ſpecies iſtas diſtincte notare, quo melius ſentirent Iſraëlitæ quam graviter provocaſſent in ſe iram Dei, quoniam ſcilicet non tantum negligentia vel ſtultitia à recto curſu diſceſſerant, ſed quoniam ſcientes tranſgreſſi fuerant Legem Dei. Et hoc diligenter notandum eſt. Quamvis enim hypocritæ teſtentur ſe paratos eſſe ad obſequium, modo ipſis certo appareat Deum loqui: certum tamen eſt ipſos retineri quadam occulta pravitate, ut conniveant ad lucem apertam. Et quoties nobis in medium proponitur ſermo Dei, quiſquis non præbet ſe docilem, etiamſi centies juret ſe perplexum eſſe, & ideo non amplecti doctrinam quæ proponitur, quoniam ſit dubius ſitne à Deo necne, mentitur: ac ſemper verum reperietur quod hic dicit Daniel, nempe omnes eos qui Deum loquentem non audiunt, declinare, hoc eſt, intus eſſe præfractos, & quadam pravitate ingenii opponere ſibi velum, ut non diſcernant: deinde animos ſuos obſtruere, ne Deo ſint morigeri. Poſtea adjungit *effuſam hac de cauſa fuiſſe maledictionem*,

de

de qua ſcripſerat Moſes. Hac quoque circumſtantia amplificat crimen populi, quoniam pridem admoniti fuerant quid illis impenderet, tamen clauſis oculis contempſerant minas ſimul cum doctrina. Hoc jam graviſſimum erat ſcelus, fuiſſe intractabiles Iſraëlitas, quum Deus manum illis porrigeret, monſtraret viam ſalutis, & fideliter doceret quod erat in ipſorum utilitatem: ſed crevit eorum pervicacia, ubi minas etiam pro nihilo duxerunt. Ergo ad contemptum doctrinæ acceſſit etiam minarum ſubſannatio, quia vel Deum ludere putarunt, quum per Moſen denunciaret ſe vindicem fore, niſi Legem ſuam ſervarent: vel putarunt hoc totum à Moſe confictum eſſe, vel Deum non poſſe exequi quod minitatus erat. Hinc ergo convincitur deſperata impietas populi, quod neque doctrinæ Dei attendit, neque etiam quicquam auctoritatis detulit minis ipſius. Si pater filio, vel ſi herus ſervo minetur, juſta erit ultio, quemadmodum etiam Comicus ille
Terent. in Andr. act. 1. ſcen. 2. dicit, Ne dicas tibi non fuiſſe prædictum. Quoniam ergo Deus prædixerat tot ſeculis non fore Iſraëlitis impune, ſi à Lege deficerent, hinc apparet quam fuerint omnibus modis intractabiles. Et quum dicit *effuſam fuiſſe maledictionem*, vel ſtillaſſe, fatetur quamvis inſtar diluvii exundaſſet Dei vindicta in totum populum, tamen fuiſſe moderatam. Deus enim
Levit. 26. prædixerat per os Moſis quicquid erat facturus.
Deut. 28. Nunc ſi quis legat maledictiones, quas Moſes denunciat tranſgreſſoribus Legis, fatebitur illic nihil eſſe immodicum. Ubi ergo ſequitur exequutio, quid jam dicendum eſt, niſi fulgere Dei juſtitiam, quæ omni reprehenſione careat? Dixi nomen *Sevrab* à quibuſdam exponi jusjurandum, ab aliis vero execrationem: proprie jusjurandum ſignificat, & deducitur à verbo *Sevab*, quod videtur translatitie ſumi, quia proprie *Seva* ſunt ſeptem, inde verbum illud deducitur, quod Jurare ſignificat quaſi adhibito teſtium numero. Inde eſt nomen *Sevrab* jusjorandum: ſed quia interponitur ſæpe execratio, & qui jurat ſtatuit Deum ultorem ſi fallat in verbis ſuis, ideo quidam hunc ſenſum eliciunt, *effuſam fuiſſe maledictionem*, & execrationem. Sed poteſt eſſe hypallage, & ego ita libenter interpretor. *Effuſa eſt* igitur *maledictio & jusjurandum*, id eſt, maledictio quam Deus jurejurando ſancivit, per hypallagen quæ nota eſt figura Grammaticis. *Maledictio* igitur *jurata ore* ipſius Dei. Scimus enim quo plus terroris injiciant minæ, eas jurejurando confirmari, ſicuti etiam Deus ex oppoſito promiſſiones gratiæ ſuæ confirmat. Poſtea adjungit, *quia ſcelerate egimus in ipſum.* Hoc verbo breviter, ſed tamen clare Daniel affirmat, non eſſe cur populus fortuito putet ſe tot calamitatibus obrui. Nam in Lege Dei poterat perſpicere malorum ſuorum cauſas. Si nihil fuiſſet prædictum, poterant Iſraëlitæ ambigere, atque etiam diſputare ſecum unde vel qua ratione factum eſſet, ut veniſſent in manum hoſtium, ut ejecti cum ignominia & cum ſumma crudelitate fuiſſent in longinquas terras. Poterant igitur cauſas malorum quaſi ignotas ſciſcitari. Sed quum Lex Moſis eſſet ante oculos, & illic juraſſet Deus ſe facturum quod tunc acciderat, nulla reſtabat amplius dubitatio. Hoc igitur in ſumma vult Daniel, quicquid denunciavit Moſes pœnarum, valere ad damnandos Iſraëlitas, quia ſatis ſuperque convicti erant ſcelerum ſuorum, quum Deus adverſus eos compleſſet quod ante per os ſervi ſui prædixerat. Sequitur,

12. Et ſtabilivit ſermonem ſuum, quem loquutus fuerat ſuper nos, & ſuper judices noſtros, qui nos judicarunt, (*hoc eſt, ſuper judices & præfectos noſtros, qui nos gubernarunt. Judicare enim Hebræis ſignificat gubernare*) ut adduceret ſuper nos malum magnum quod non factum eſt ſub toto cælo, ſicut factum eſt (*hoc eſt, ſicut accidit*) in Jeruſalem.

Proſequitur eandem ſententiam Daniel, non eſſe cauſam cur Iſraëlitæ tam duriter afflicti vel cum Deo expoſtulent, vel dubitent qua de cauſa hoc factum ſit. Fuerat enim jam ante prædictum, ſicuti expoſitum eſt. *Deus* ergo *excitavit ſuper nos verbum ſuum*: quaſi diceret, Non eſt cur litigemus cum Deo: nam in pœnis quas nobis inflixit perſpicimus ejus veritatem, quod ſcil. minæ ejus non ſunt terriculamenta vana, quemadmodum fabulæ excogitantur ad terrendos pueros. Deus ergo re ipſa probavit ſerio ſe loquutum eſſe. Quid ergo eſt cur nunc tergiverſemur, vel cur quæramus vanas excuſationes, quando veritas Dei in cladibus noſtris refulget? Volumus Deum ſpoliare veritate ſua? Atqui nihil proficient qui hoc tentabunt. Ergo jam hoc nobis ſufficiat ad nos damnandos, quod Deus prædixerat quicquid nunc accidit, ut vere probaret experientia & effectu ſeipſum eſſe vindicem. *Excitavit* ergo *Deus ſermonem ſuum*, inquit, hoc eſt, jaceret ſermo Dei quaſi abſque efficacia, nihil haberet vigoris, niſi incumberet nobis & capitibus noſtris hæc maledictio: ſed dum ita jacemus proſtrati & quaſi obruti malis, ſermo Dei quaſi in ſublime evehitur, hoc eſt, Deus facit ut palam appareat ſua veritas, quæ alioqui videretur nulla eſſe. Niſi enim Deus pœnas ſumeret de ſceleribus hominum, quis non putaret pueriliter ipſum minari in Lege ſua? Sed ubi certis documentis demonſtrat ſe non abs re terrere homines, tunc attollitur efficacia & quaſi vigor ſermonum ejus. Cæterum huc tendit Daniel, ut excluſis omnibus ſubterfugiis, populus ingenue agnoſcat, & ex animo etiam ſentiat ſe juſte plecti. Dicit, *ſuper nos, & ſuper judices noſtros, qui nos judicarunt.* Iterum Daniel omnem altitudinem carnis dejicit, ut ſolus Deus emineat: deinde ne quis mortalium ſplendor obſcuret auctoritatem Legis. Scimus enim ut vulgus putet ſe clypeum habere ad defenſionem omnium ſcelerum, ubi in medium profert Reges, & Judices. Hodie in Papatu dum coarguuntur ſuperſtitiones: Ho, etiamſi erremus, tamen quia Deus præfecit nobis & Reges, & Epiſcopos qui nos regunt ſuo more, quid nobis objicitur hoc pro crimine, quod eos ſequimur qui potentia & dignitate præditi ſunt, & quidem mandato Dei? Quoniam ergo vulgus tale ſubterfugium captare ſolet, Daniel iterum affirmat, etiamſi ſumma auctoritate polleant qui tranſgrediuntur Legem Dei, non tamen ideo eximi vel à culpa, vel à pœna, neque etiam eorum exemplo poſſe excuſari homines gregarios. Ergo *ſicuti loquutus fuerat per Moſen ſuper judices noſtros*, inquit, *qui nos judicarunt*, hoc eſt, quamvis data illis eſſet poteſtas ad nos regendos, ſicut omnis ordinatio eſt à Deo: tamen quum perperam abuſi fuerint ſuo imperio, & violaverint juſtitiam Dei, atque ita conati fuerint Deum quaſi detrahere è ſuo gradu, dicit Daniel non obſtare ipſorum magnitudinem, quo minus ipſi quoque ſint obnoxii. Poſtea adjungit, *Ut adduceret ſuper nos malum magnum, quale non accidit ſub toto cælo ſicut in Jeruſalem.* Hic prævenit Daniel objectionem, quæ non carebat aliquo colore. Etſi enim Deus merito animadverterat in Iſraëlitas, tamen quum magis in ipſos ſæviiſſet, quam in ullas gentes, poterat videri oblitus ſuæ æquitatis. Daniel hic ſignificat non debere videri abſurdum quod Deus multo ſit aſperior in electum populum, quam in gentes profanas, quia ſcilicet major erat impietas illius populi quam gentium omnium propter ingratitudinem, propter contumaciam, propter indomabilem illam pervicaciam,

de

de qua dictum fuit. Quum ergo ſuperaverint Iſraëlitæ gentes omnes & malitia, & ingratitudine, & omni genere ſcelerum, Daniel hic prædicat merito tam duriter ipſos affligi. Et iterum hic monemur, quoties Deus ſevere Eccleſiam ſuam caſtigat, redeundum eſſe ad illud principium, nempe quod eo deteſtabilior eſt noſtra impietas, quo propius ad nos Deus acceſſerit. Et quo humanior fuit erga nos, eo magis creſcere crimen, niſi viciſſim nos illi gratos & obſequentes præbemus. Neque videri debet moleſta hæc conditio, quod ſcilicet vindicta incipiat à domo Dei, & quod exempla edat ſuæ vindictæ erga populum ſuum multo magis horrenda quam in alienos: hoc, inquam, moleſte ferre non decet, quia jam expoſui rationem. Gentes enim in tenebris cæcutiunt, neque id mirum. Nos autem, quibus illuxit Deus, ubi ita impingimus certa malitia contra ipſum, bis ſumus impii. Ergo notanda eſt iſta comparatio, *malum* ſcilicet *effuſum fuiſſe ſuper Jeruſalem*, hoc eſt, pœnam cujus nullum exemplum in aliis gentibus extabat. *Quod* ergo *non accidit ſub toto cælo videtur accidiſſe in Jeruſalem*, inquit Daniel. Sequitur,

13. Sicuti ſcriptum eſt in Lege Moſis, totum malum hoc venit ſuper nos, & non deprecati ſumus faciem Jehovæ Dei noſtri, ut reverteremur ab iniquitatibus noſtris, & attenti eſſemus ad veritatem tuam.

Repetit quod jam dixerat, neque tamen ſupervacue, probari ſcilicet Dei judicia ipſo effectu, quoniam Lex Moſis contineat quicquid pœnarum tunc ſuſtinebant Iſraëlitæ. Quum ergo conſenſus ille inter Legem Dei & inter experientiam manifeſtus eſſet, non debuit populus tergiverſari: & ſine profecto quæſiiſſet omnia ſubterfugia, quoniam hoc uno Deus ſatis probabat ſe juſtum eſſe vindicem ſcelerum, quia tot ante ſeculis pronunciaverat quicquid poſtea re ipſa complevit. Huc igitur ſpectat repetitio, quum dicit Daniel populum ſentire non abs re fuiſſe denunciatas pœnas in Lege Moſis: addit interea, *deprecati non ſumus faciem Dei*. Hic gravius accuſat populi duritiam, quoniam ne flagellis quidem percuſſus reſipuerit. Dicunt, Stultos acceptis malis ſapere. Fuit igitur hæc magna veſania populi, quod ne ferulis quidem Dei correctus fuerit, imo duriſſimis flagellis. Quum ergo obſtinatus fuerit populus in ſua malitia, quis non videat fuiſſe prorſus deploratum? *Non* ergo *deprecati ſumus faciem Dei noſtri*. Docet hic locus quorſum Dominus exerceat ſua judicia, ubi non protinus homines perdit, ſed ultimum judicium quaſi ſuſpenſum tenet, nempe hoc modo vult eos impellere ad reſipiſcentiam. Invitat primo blande & comiter per verbum ſuum bonos & malos, & adjungit etiam promiſſiones quibus ipſos alliciat: deinde ubi videt vel tardos eſſe, vel refractarios, adjungit minas quæ ipſos expergefaciant. Ubi etiam frigent minæ, tunc armatus procedit, & caſtigat hominum torporem. Ubi ergo flagella profectu carent, tunc apparet prorſus deſperatum eſſe populum. Et ideo conqueritur Deus apud Jeſaiam, quod nulla ſit ſanitas, quoniam ulceribus refertum erat totum populi corpus à capite uſque ad plantam pedum: interea vero operam ſuam perderet, quod ſcilicet eſſent intractabiles. Hoc idem crimen nunc fatetur Daniel fuiſſe in populo, quum dicit non fuiſſe tactos malis Iſraëlitas, ut ſuppliciter deprecarentur veniam. Reliqua non poſſem hodie abſolvere. *Jeſa. 1:6.*

Da omnipotens Deus, ut diſcamus ſerio reputare quot modis coram te ſimus rei, præſertim ubi quotidie non deſinimus iram in nos tuam provocare, ut vera & ſeria pœnitentia humiliati, ſic ad te confugiamus, ne quid nobis reſiduum ſit præter unicam tuam miſericordiam: ſed dejecti & confuſi ac prorſus in nihilum redacti quoad nos, confugiamus ad ſacram illam ancoram, nempe quia exorabilis es, ac pollicitus fueris te propitium fore patrem omnibus peccatoribus, qui te quæſierint: & ſic te quæramus vera pœnitentia, ut freti tua bonitate non dubitemus nos impetraturos quicquid abs te petierimus, ut te propitio, liberati à Satanæ tyrannide & peccati gubernemur ſancto tuo Spiritu, & ſic dirigamur in viam juſtitiæ, ut glorificetur nomen tuum in tota vita noſtra; donec perveniamus ad beatam illam & immortalem vitam quam ſcimus nobis in cælo eſſe repoſitam, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA SEPTIMA

IN

DANIELEM.

HEſterna lectione diximus Prophetam exaggerare crimen populi, eo quod non reſipuiſſet tot Dei flagellis correptus: ſed nunc modum ipſum obſtinationis clarius demonſtrat, *quod* ſcilicet *non reverſi fuerint ab iniquitatibus ſuis, & non fuerint attenti ad Dei veritatem*. Dixerat prius, *non deprecati ſumus faciem Dei noſtri*: Sed hic plus aliquid exprimit, nempe quod etiamſi qua fuerit precandi ſimulatio, nulla tamen ſinceritas ſubeſſet. Scimus enim hypocritas improbe abuti Dei nomine, & prætendere non ſolum aliquem affectum precandi, ſed etiam maximum fervorem: ſed nulla eſt veritas in ipſorum precibus. Propheta igitur non abs re conjungit hæc quæ ſeparari non debent, nempe Iſraëlitas convinci obſtinationis, quia non confugerent ſupplices ad miſericordiam Dei cum pœnitentia & cum fide. Neque enim dubium eſt, quin aliqua fuerit ſpecies pietatis reſidua in populo. Sed Daniel hic preces æſtimat ex verbo Dei, & ideo ponit hæc duo, nempe pœnitentiam & fidem. Atque hoc diligenter notandum eſt. Nihil enim magis vulgare, quam ubi apparent ſigna iræ Dei, ſuppliciter petere veniam: & hoc omnibus ſeculis & gentibus fuit ſemper in uſu: interea nulla pœnitentia, nulla fides. Ergo merum mendacium, & mera vanitas in precibus. Hæc ſumma eſt ſententiæ quum dicit Propheta, *Non rogavimus faciem Jehovæ Dei noſtri revertendo*, vel ut reverteremur, *ab iniquitatibus noſtris, & intelligentes eſſemus in veritate tua*. Denique colligere ex hoc loco licet quænam ſit regula pie, & rite orandi, nempe ubi nobis diſplicemus in malis noſtris, deinde ubi reſpicimus ad minas Dei, & promiſſiones. Jam quod ad prius membrum ſpectat, experientia docet quam temere prorumpant multi ad precandum, etiam ubi malitia eorum quaſi ex profeſſo conſurgit adverſus Deum: ab una parte inſaniunt, ita ut non dubitent cum Deo confligere. Interea ipſum precantur, quia occupat terror eorum mentes, ut ſeſe Deo cogantur ſubjicere. Propheta igitur hic oſtendit inutilem fore pompam illam vel perverſam mixturam ex ſtrepitu & blanditiis, quia preces non aliter poſſunt Deo probari, niſi quum tam vera pœnitentia illas dictat, quam fides. Quod dicit *populum non fuiſſe attentum ad veritatem Dei*,

meo judicio hoc tam ad minas, quam ad promiſſiones extenditur: & fides etiam apprehendit miſericordiam Dei ſimul & judicium. Nec certe poteſt aliter fieri, quin terror expergefaciat pios, ut confugiant ad Dei miſericordiam. Sicuti ergo Deus utrumque ſermone ſuo complectitur, nempe quod citat eos omnes qui peccarunt ad ſuum tribunal, deinde reconciliationis ſpem facit, ſi ſe convertat peccator ex animo: ita etiam nunc Daniel ubi dicit *non attentos fuiſſe Iſraëlitas ad veritatem Dei*, haud dubie utrumque reſpicit, quod ſcilicet non ſatis operam dederint conſiderandis Dei judiciis, deinde quod fuerint ſtupidi ita ut contemnerent miſericordiam ſibi propoſitam. In ſumma oſtendit hic locus non poſſe Deo gratas eſſe preces noſtras, niſi quatenus manant ex vera pœnitentia, & fide: hoc eſt, ubi ex animo ſentimus mala noſtra, deinde confugimus ad Dei miſericordiam, freti ſcilicet ejus promiſſionibus. Inde colligimus tria requiri ut nobis propitius ſit Deus. Primum eſt, diſplicentia, quæ triſtitiam nobis affert, quia nobis ſumus male conſcii, & ſcimus nos iram Dei provocaſſe: hoc eſt primum. Deinde ſecundo neceſſe eſt, fidem accedere: Poſtremo, ſequi precationem quæ ſit documentum & pœnitentiæ & fidei. Ubi autem nulla eſt pœnitentia & fides, videmus profanari Dei nomen, dum multas preces concipimus aut fundimus, & interea deeſt quod erat præcipuum, imo duo illa præcipua ſimul deſunt. Nunc pergamus.

14. Et vigilavit Jehovah ſuper malum, & immiſit illud (*venire fecit*) ſuper nos: quia juſtus eſt Jehovah Deus noſter in omnibus operibus ſuis, quæ fecit, (*hoc eſt, facit*) & non auſcultavimus voci ejus.

Confirmat Daniel quod prius dixerat, nempe cladem qua afflicti erant Iſraëlitæ non eſſe fortuitam, ſed certum & memorabile Dei judicium. Ideo utitur verbo *Sachad*, quod ſignificat Vigilare, aut ſedulo incumbere ad rem aliquam. Proprie accipitur de cuſtodibus urbium qui agunt nocturnas & diurnas excubias. Itaque hac voce non tam feſtinatio videtur mihi notari, quam ſedulitas continua. Deus autem ſæpius hanc metaphoram uſurpat, quod ſcilicet vigilet ad caſtigandos homines, qui nimium fervent ruendo ad malum. Scimus quanta ſit intemperies in hominibus, ubi carnis cupiditates illos rapiunt. Nullus enim eſt modus. Ergo Deus ex oppoſito dicit ſe non fore ſegnem, vel ignavum in illa intemperie corrigenda. Præſertim Jeremiæ quadrageſimo quarto, exprimitur ratio metaphoræ, nempe quemadmodum homines quaſi ebulliunt ubi rapiuntur poſt ſua deſideria, ſic etiam Deum fore ſedulum ubi tempus vindictæ advenerit. Dixi hoc verbo non tam celeritatem notari, quam continuam diligentiam: & hoc etiam loco videtur innuere Propheta, Deum quamvis diu pepercisset ſceleribus populi, tandem re ipſa monſtraſſe quod ante minatus fuerat, nempe ſe excubias agere, nec ſcelera, in quibus ſibi indulgebat populus, poſſe effugere ſuum judicium. *Vigilavit* ergo *Jehovah ſuper malum, & venire fecit ſuper nos illud*, inquit. Quo melius intelligamus quid ſibi velit Propheta, notandum eſt quod Deus per Je-
cap. 3: 37. remiam pronunciat in Lamentationibus, ubi accuſat populi ſocordiam, quod non agnoſcerent ſe juſtas pœnas dare ſuorum ſcelerum, & maledicit huic ſocordiæ, Quis iſte eſt qui negat ex ore Dei egredi bona & mala? acſi Væ pronunciaret in eos qui neſciunt Deum eſſe auctorem calamitatum, ut ita populum caſtiget. Et non uno tantum loco hoc dicitur. Deus enim ſæpe invehitur in illum ſtuporem, quia ingenitum eſt hominibus tribuere Fortunæ quicquid
Joſu. 9. accidit, neque reſpicere in manum percutientis.
verſ. 13. Denique hæc doctrina paſſim occurrit in Prophetis, nihil eſſe deterius, quam trahere ad caſus fortuitos judicia Dei. Hæc ratio eſt cur tantopere in hac parte inſiſtat Daniel. Et ſcimus etiam quid denunciet in
Levit. 26. Lege Deus, Si ambulaveritis contra me temere,
v. 27, 28. ego etiam contra vos temere incedam, hoc eſt, Si non deſinitis rejicere in Fortunam quicquid malorum ſuſtinetis, ego quaſi clauſis oculis irruam contra vos, & certabo eadem temeritate vobiſcum: quaſi diceret, ſi non diſcernitis meum judicium à Fortuna, ego ſine ulla diſcretione vos à dextra & ſiniſtra, ſurſum & deorſum affligam, acſi eſſem homo temulentus, ſecundum illud, Cum perverſo præfractus eris. Ob hanc cauſam nunc Daniel fatetur *Deum vigilaſſe ſuper malum, ut ſcilicet venire faceret calamitates illas*, quibus populus erat oppreſſus. Docemur ex hoc loco, ſemper nobis reputandam eſſe providentiam Dei in rebus proſperis & adverſis, ut ſcilicet ad gratitudinem nos incitent ejus beneficia, & pœnæ ad humilitatem nos erudiant. Nam quiſquis Fortunam & caſum imaginatur, hoc ipſo demonſtrat ſe neſcire an aliquis ſit Deus, vel ſaltem quiſnam ſit Deus quem colimus. Quid enim Deo reſiduum eſt, ubi ſpoliatur ſua providentia? Sed ſatis eſt hæc breviter attingere quæ ſæpius occurrunt, & de quibus plura quotidie fere audimus. Hoc ad hujus loci expoſitionem ſufficiat, Prophetam oblique opponere fortuitis eventis judicium & providentiam Dei. Addit poſtea, *Juſtus eſt Jehovah Deus noſter in omnibus operibus ſuis.* Hoc membro confirmat Propheta ſuperiorem doctrinam, & eſt quaſi cauſæ redditio quum dicit *juſtum eſſe Deum*. Nam à Dei natura ratiocinatur, fieri non poſſe, ut quicquam cæco Fortunæ impetu eveniat. Deus enim ſedet judex in cælo. Hæc enim inter ſe directe pugnant, ita ut altero poſito neceſſe ſit alterum concidere, Si Deus eſt judex mundi, ergo Fortuna nullum locum habet: ſiquid tribuitur Fortunæ, tantundem judicio Dei detrahitur. Eſt igitur confirmatio ſuperioris ſententiæ à contrariis vel repugnantibus, quia neceſſe eſt tam bona quam mala, hoc eſt, tam res adverſas, quam proſperas aſcribi Dei judicio, ſi gubernat mundum ſua providentia, & ſi exercet officium judicis. Nam ſi vel minimum deferimus Fortunæ, ceſſabit Dei judicium & providentia. Interea tamen Daniel non tantum Deo tribuit potentiam, ſed ſimul juſtitiam ejus celebrat: quaſi diceret non gubernare mundum pro imperio, ut nulla ſit juſtitiæ vel æquitatis regula, ſed *juſtum eſſe*. Non quod fingenda ſit lex aliqua ſuperior, quæ Deum aſtringat. Ipſe enim eſt ſibi lex, & voluntas ejus eſt regula omnis juſtitiæ: tamen hoc ſtatuendum eſt, Deum non dominari tyrannice in mundo, ſed pro ſumma æquitate gerere quæ etiam nobis videntur abſurda, quoniam non perveniunt mentes noſtræ ad illam altitudinem ut poſſint complecti rationem quæ non apparet, ſed potius abſcondita eſt, ac incomprehenſibilis in judiciis Dei. Daniel ergo hoc exprimere voluit his verbis: *Jehovah*, inquit, *Deus noſter eſt juſtus in omnibus operibus ſuis, quæ facit*. Summa eſt, populum non fuiſſe tam graviter caſtigatum, & tot calamitatibus ac miſeriis afflictum, niſi quoniam provocaverat Dei vindictam, & id facile poſſe colligi ex minis, quoniam Deus multis ante ſeculis denunciaverat quod tunc re ipſa probavit non eſſe frivolum. Deinde adjungitur ſecunda pars, quod ſcilicet non tantum Dei poteſtas refulgeat in cladibus populi, ſed etiam juſtitia. Quam fuerit utrumque cognitu neceſſarium breviter attigi. Sed hoc etiam notandum eſt, Prophetam his verbis occurrere multis tentationibus, quibus haud dubie concuſſi erant fideles,

fideles, ut propemodum fides eorum concideret. Videbant ſe eſſe omnium mortalium & contemptiſſimos, & miſerrimos, ita ut omnibus eſſent in probrum & deteſtationem: tamen erant peculiaris & ſacer Dei populus, & Deus ipſos adoptaverat hac lege, ut excellerent præ cunctis populis. Quum ergo viderent ſe demerſos in profundum illum malorum & ignominiæ gurgitem, quid poterant apud ſe ſtatuere, niſi vel Deum eſſe fallacem, vel fœdus ejus eſſe prorſus exinanitum? Daniel ergo ut huic tentationi occurrat, & erigat fiduciam piorum, ut poſſint adhuc ad Deum confugere in extremis malis, dicit *Deum eſſe juſtum, & quidem in omnibus operibus ſuis*. Adjungit cauſam, *quod* ſcilicet *non audierint vocem ejus*. Hic crimen populi rurſus deſignat, quod non inſcitia vel errore lapſus fuerit, ſed quaſi data opera conflixerit adverſus Deum. Nam nulla eſt amplius excuſatio ignorantiæ, ubi Dei voluntas eſt nobis patefacta: nos autem cupiditates carnis ſic abripiunt, ut aperte cum Deo prodeamus in certamen. Et hinc colligimus crimen eſſe omnium maxime deteſtabile, ubi non obedimus voci Dei quoties dignatur nos docere, & niſi ſtatim acquieſcimus in ejus verbo. Jam ſequitur,

15. Et nunc, Domine Deus noſter, qui eduxiſti populum tuum è terra Ægypti cum
manu forti, & feciſti (*comparaſti*) tibi nnmen ſecundum diem hanc: (*hoc eſt, ſicuti res ipſa
monſtravit*) peccavimus, impie egimus.
16. Domine, ſecundum omnes juſtitias tuas avertatur, quæſo, ira tua, & excandeſcentia
tua ab urbe tua Jeruſalem, mnnte ſanctitatis tuæ: quoniam ob peccata noſtra, & ob iniquitates (*vel in peccatis noſtris, & iniquitatibus*) patrum nnſtrnrum, Jeruſalem, & pnpulus tuus eſt in probrum cunctis vicinis. (*ad verbum, omnibus circuitibus noſtris, id eſt, qui ſunt in circuitu noſtro*)
17. Et nunc audias, Deus nnſter, precationem ſervi tui, & oratinnem ejus, atque illumina faciem tuam (*hoc eſt, lucere fac faciem tuam*) ſuper ſanctuarium tuum, quod vaſtatum eſt, (*vel deſolatum*) propter Dominum.

Poſtquam Daniel ſatis confeſſus eſt juſta eſſe judicia, quæ exercuerat Deus adverſus populum, nunc rurſus ad petendam veniam ſe convertit. Sed ut ſibi favorem conciliet, deinde ut piorum animos ad fiduciam erigat, proponit in medium illud documentum gratiæ, quod debebat valere ad fulciendam piorum omnium fidem uſque ad finem ſeculi. Nam Deus quum eduxit populum ſuum ex Ægypto, non præſtitit momentaneum aliquod beneficium duntaxat, ſed ita teſtatus eſt ſe hac lege adoptaſſe Abrahæ genus, ut eſſet perpetuus ejus ſervator. Itaque quoties vult Deus ad ſe colligere eos qui ſunt diſperſi, quum vult à deſperatione in bonam ſpem attollere eorum animos, commemorat ſe eſſe illorum redemptorem. Ego ſum Deus ille qui vos eduxi ex Ægypto, inquit. Illic non tantum potentiam ſuam commendat Deus, ſed finem etiam notat redemptionis, quia ſcilicet tunc populum receperit in curam ſuam hac lege, ne unquam deſineret præſtare & amorem, & officium paternum. Ita viciſſim fideles quoties eos premebat tanta anxietas ut putarent ſe prorſus deſertos eſſe à Deo, ſolebant arripere clypeum illum, quod ſcilicet Deus non fruſtra patres ipſorum ex Ægypto eduxerat. Hanc rationem nunc ſequitur Daniel, *Tu*, inquit, *Domine Deus noſter qui eduxiſti populum tuum*: quaſi diceret ſe Deum invocare, qui uno illo documento teſtatum fecerat omnibus ſeculis, genus Abrahæ eſſe ſibi ſanctum. Videmus ergo ut ſe, & alios omnes pios animet ad precandum, quia jacto hoc fundamento, potuit & conqueri familiariter, & intrepide etiam petere à Deo, ut populi ſui miſertus tandem malis finem imponeret. Nunc tenemus Prophetæ conſilium, ubi dicit *populum eductum fuiſſe ex Ægypto*. Poſtea adjungit aliam cauſam, *quod* ſcilicet *Deus nomen ſibi tunc acquiſierit, ſicuti res ipſa palam erat*. Conjungit hic potentiam Dei cum miſericordia, quaſi diceret, ubi eductus fuit populus, non tantum ſpecimen fuiſſe editum paterni favoris erga genus Abrahæ, ſed exhibitam etiam fuiſſe potentiam Dei. Unde ſequitur, non poſſe populum illum abjici, quin ſimul intercidat memoria tantæ potentiæ, qua ſibi Deus nomen acquiſierat. Et hæc doctrina ſæpius occurrit in Prophetis, ubi objiciunt Deo, Quid fiet tandem, ſi populus hic intereat, niſi quod extinguetur etiam gloria tua, & quicquid hactenus contuliſti in populum hunc oblivioni tradetur? Sic ergo nunc Daniel, *Domine*, inquit, *tu populum tuum eduxiſti è terra Ægypti*, deinde, *feciſti tibi nomen*, hoc eſt, comparaſti tibi gloriam, quæ vigere debet omnibus ſeculis uſque ad finem mundi. Quid ergo ſi nunc totus populus in nihilum redigatur? Poſtea adjungit, *Impie egimus, ſcelerate egimus*. His verbis declarat Daniel, nihil aliud eſſe reliquum, niſi ut Deus rationem potius habeat ſui, quam populi, quia ſi reſpiciat quid ſit in populo, nihil reperiet præter materiam vindictæ. Perire igitur populum neceſſe erit, ſi Deus velit cum ipſo agere ſicuti meritus eſt. Sed Daniel hic quodammodo avertit faciem à Dei populi peccatis, ut tantum ſeipſum, hoc eſt, ſuam miſericordiam reſpiciat: deinde conſtantiam fidei ſuæ in fœdere perpetuo, quod pepigerat cum Patribus. Poſtremo, ne ſinat intercidere illam redemptionem, quæ erat illuſtre & æternum documentum tam virtutis, quam gratiæ & bonitatis ejus. Ideo ſubjungit, *Domine ſecundum omnes juſtitias tuas avertatur ira tua, & excandeſcentia ab urbe tua Jeruſalem, monte ſanctitatis tuæ*. Videmus ut Daniel hic excludat quicquid poterat eſſe meriti in populo. Nihil hoc quidem erat, ſed de ſtulta imaginatione loquor, quam vix poſſunt exuere homines. Semper enim aliquid ſibi arrogant, ac utcunque centies convicti ſint ſuorum ſcelerum, tamen cuperent conciliare ſibi aliquo merito favorem coram Deo. Hic autem Daniel excludit tales omnes reſpectus, quum Deo proponit ſuas juſtitias, neque id ſimpliciter, ſed quum adjungit, *ſecundum omnes juſtitias tuas*. Qui juſtitias Dei accipiunt pro judiciis, imperite faciunt, ut homines non ſatis exercitati in Scripturis. Putant enim hic opponi Dei juſtitias miſericordiis. Atqui ſcimus Dei juſtitiam nobis patefieri in beneficiis præcipue. Perinde eſt igitur acſi diceret Daniel ſpem unicam populi eſſe, ſi Deus ſeipſum reſpiciat, non autem populi opera. Ergo *juſtitias Dei* accipit pro liberalitate, pro gratuito favore, pro conſtantia fidei, pro ea protectione quam ſervis ſuis pollicitus eſt. *Deus* ergo *ſecundum omnes juſtitias tuas*, inquit, hoc eſt, quoniam non fallis eos qui in te confidunt, quia nihil fruſtra vel temere promittis, & quoniam non ſoles eos deſerere qui ad te confugiunt, ideo quoniam juſtus es, nunc ſuccurre miſeriis noſtris. Et notanda eſt univerſalis particula, quoniam Daniel quum tot ſcelera colligeret, quæ poſſent in mille abyſſos populum demergere, oppoſuit omnes juſtitias Dei, quaſi diceret, Etiamſi tanta ſit ſcelerum noſtrorum congeries, ut centies

Levit. 11. verſ. 45. & 19 verſ. 36. & 22. verſ 33. & 25 verſ. 38. & alibi ſæpius.

pereundum nobis ſit, tamen plures ſunt tuæ juſtitiæ, hoc eſt, juſtitia tua ſuperat quicquid in nobis reperies vel deprehendes ſcelerum. Dicit, *Avertatur ira tua, & excandeſcentia tua ab urbe tua Jeruſalem, & monte ſancto tuo.* Quum excandeſcentiam & iram Dei ſimul conjungit, non inſimulat Deum exceſſus, quaſi nimis ſevere ultus fuerit populi peccata, ſed iterum reputat quanta fuerit ſcelerum gravitas, quum Deus tantopere infenſus eſſet populo ſuo, quem abdicaverat ſecundum externam ſpeciem, ita ut poſſet videri irrita eſſe & inutilis adoptio. Hoc ergo loco non conqueritur Daniel de pœnarum atrocitate, ſed potius & ſe & reliquum populum condemnat, quia tam rigidus contra ipſos eſſet Deus. Sed iterum proponit *Deo montem ſanctum quem elegerat*: & hoc modo avertit ejus conſpectum à judicio, ne ſcilicet in rationem veniant tot peccata, quibus merito infenſus erat Deus. Hic igitur interponitur electio Dei, quia montem Sion ſibi conſecraverat, volebat illic coli, volebat illic celebrari nomen ſuum, offerri ſibi ſacrificia. Hoc igitur reſpectu Daniel conciliat ſibi gratiam coram Deo, & ita excludit, quemadmodum dixi, alios omnes reſpectus. Poſtea addit, *Quoniam ob ſcelera noſtra, & iniquitates patrum noſtrorum, Jeruſalem & populus tuus in opprobrium ſunt cunctis vicinis noſtris.* Alia etiam ratione Deum ad miſericordiam flectere ſtudet Propheta, quod ſcilicet tam Jeruſalem quam populus ſit gentibus in opprobrium. Hoc autem quodammodo recidebat in ipſius Dei ignominiam. Quum enim gentes ludibrio haberent Judæos, non parcebant ſacro Dei nomini: imo Judæi tunc adeo contempti fuerunt, ut vix dignatæ fuerint gentes de ipſis loqui: ſed Deus Iſraël traductus fuit contumelioſe, quaſi victus fuiſſet, quoniam paſſus fuerat templum ſuum excindi, & totam urbem Jeruſalem conſumi vel incendio, vel aliis cladibus. Hoc igitur nunc argumentum ſumit Propheta: & quum loquitur de urbe ſancta, haud dubie hoc ad ſacrum Dei nomen pertinet: quaſi diceret, Tu urbem Jeroſolymam elegeras, quæ eſſet quaſi regia ſedes, volebas illic coli: nunc cunctis vicinis noſtris urbs illa ceſſit in maximum opprobrium. Hinc colligit, nomen Dei expoſitum eſſe gentium contumeliis. Poſtea addit etiam de populo Dei: non quod queratur Judæos omni genere ignominiæ affici. Hoc enim promeriti fuerant ſuis ſceleribus: ſed emphatica eſt loquutio quum dicit, illos tamen eſſe populum Dei. Nam ſic conjunctum erat Dei nomen cum populo illo, ut quicquid conjiciebant profani homines ignominiæ in ipſos, in Deum ipſum præcipue conferrent. Ergo Daniel hic proponit Deo nomen ſuum, quaſi diceret, Domine ſis gloriæ tuæ vindex, quandoquidem hac lege ſemel nos adoptaſti, ut inſculpta ſit memoria nominis tui in nobis, ne permittas nos ita contumelioſe traduci, ut gentes contra teipſum inſultent. Et interea tamen dicit, *Propter iniquitates populi & patrum* hoc factum eſſe: quibus verbis tollit omnes dubitationes quæ obrepere poterant, O qui factum eſt, ut Deus ita populum ſuum proſtituerit? Cur non ſaltem pepercit nomini ſuo? Daniel ergo hic teſtatur hoc fuiſſe juſtum, quoniam euſque graſſata erat iniquitas populi & patrum, ut neceſſe fuerit exerceri talem vindictam à Deo. Poſtea adjungit, *Tu tamen Deus noſter audi precationem ſervi tui, & orationem ejus*, inquit, *& lucere fac faciem tuam.* His verbis luctatur Daniel cum diffidentia, neque id tantum ſua cauſa privatim, ſed totius Eccleſiæ cui dictabat legem orandi. Et experientia pios omnes docet, quam neceſſarium ſit hoc remedium dubitationibus, quæ ſubinde abrumpunt preces noſtras, vel faciunt ut ſtudium & ardor precandi flaceſcat, vel frigeat in nobis, aut ſaltem ne compoſita & tranquilla fide precemur, ſed trepidatio vitiet quicquid prius conceptum à nobis fuerat. Quoniam igitur hoc quotidie accidit omnibus piis, ut intermittant ſtudium precandi, ubi dubitatio aliqua illos abſtrahit, & quaſi claudit januam, ne familiariter ad Deum accedant, hæc ratio eſt cur toties Daniel repetat hanc ſententiam, *Tu tamen Domine audi precationem ſervi tui.* Et etiam David ſubinde ſententias tales inculcat in ſuis precibus, neque id facit niſi ſumma neceſſitate. Et qui vere ſunt exercitati ad precandum, ſentiunt quam non ſine cauſa ita loquuti fuerint ſervi Dei, quoties precati ſunt. Sed reliqua cras expediam.

Da omnipotens Deus, quando ſemel nos colligere dignatus es, ut eſſemus populus tuus, & ſimul etiam voluiſti nos præferre nomen tuum, & unigeniti Filii tui: etiamſi toties provocemus iram tuam noſtris peccatis, neque unquam deſinamus cumulare mala malis, ne tamen unquam ludibrio expoſiti ſimus quaſi ſpectaculum ignominiæ ſacri tui nominis. Quemadmodum ergo nunc vides impios capere omnes occaſiones, quibus & te, & ſacrum tuum Evangelium, & nomen etiam unigeniti Filii tui probroſe traducant, ne ſinas, inquam, ita eos petulanter tibi inſultare, ſed potius Spiritu tuo ita nos guberna, ut ſtudeamus glorificare nomen tuum: ſic deinde invito Satana, & omnibus impiis glorificetur, donec tandem colligamur in cæleſte illud regnum, quod nobis pollicitus es in eodem Chriſto Domino noſtro, Amen.

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA OCTAVA IN DANIELEM.

HEri ſubſtitimus in hac parte, ubi rogat Daniel, *ut Deus faciem ſuam lucere faciat ſuper ſanctuarium ſuum.* Hæc loquutio paſſim occurrit in Scripturis, ſicuti notum eſt, quemadmodum ex oppoſito dicitur abſcondere faciem ſuam Deus, ubi non opitulatur ſuis, ſed perinde diſſimulat acſi illorum oblitus eſſet. Quoniam igitur Scriptura ubique comparat calamitates noſtras, & res adverſas tenebris, ideo Deus, in cujus favore poſita eſt noſtra felicitas, dicitur faciem ſuam abſcondere, ubi non ſuccurrit nobis: & rurſum dicitur faciem ſuam reddere lucidam & conſpicuam, ubi ſignum aliquod nobis dat paterni favoris. Quoniam ergo viſus fuerat Deus longo tempore deſeruiſſe ſanctuarium ſuum, ideo rogat Propheta, *ut nunc lucere faciat faciem ſuam.* Et notandum eſt quod dicit, *Super ſanctuarium tuum quod vaſtatum eſt.* Nam hinc colligimus, Prophetam, quamvis omnia videret perdita ſecundum carnis ſenſum, tamen non ideo deſperaſſe, quin pergeret in ſuis precibus. Et hæc regula nobis tenenda eſt, non eſſe ex præſenti rerum aſpectu æſtimandam Dei gratiam, quia ſæpe oſtendit ſe nobis iraſci. Superanda igitur eſt ratio carnis noſtræ, ſi velimus in rebus adverſis Deum precari, quemadmodum hic nos ſuo exemplo docet Propheta. Nam ſanctuarium erat exciſum: vaſtitas illa poterat præcludere januam & Danieli & omnibus piis, ne amplius orarent. Quis enim profectus ſperari poterat in rebus tam deploratis? Sed Daniel hac circumſtantia oſtendit ſe ita luctatum

tum eſſe, ut obſtaculum illud non interruperit curſum ſuæ precationis. Addit, *Propter Dominum.* Conſentiunt omnes doctores Hebræi, Adonai, ubi ſcribitur cum magno puncto *Kamets*, non ſumi niſi pro ſolo Deo: ſed ex quibuſdam Scripturæ locis certo ſtatuo transferri etiam ad Mediatorem. Et hoc loco melius conveniet ſenſus ille, quia tametſi Hebræis uſitata eſt hæc loquendi forma, *Propter Deum*, hoc eſt, propter te, atque ubi ad Deum dirigunt ſermonem, fateor ſæpe uti tertia perſona, quid tamen opus eſt confugere ad illam loquendi formam, quæ durior eſt, ubi ex oppoſito melior ratio apparet? Paulo poſt dicet, Propter te Deus mi, ſed hic dicit, *Propter Dominum.* Ego tamen ſi mihi negotium ſit cum homine litigioſo, fateor non poſſe ex hoc loco ſatis convinci: ſed ſi extra contentionem expendimus verba Prophetæ, inclinabimus potius in illam partem, quod ſcilicet hic Deo Mediatorem proponit, cujus gratia ſperat ſe impetraturum quod petit. Si quis tamen malit ad Deum referre, fruatur ſuo judicio. Nunc pergamus.

18. Inclina, Deus mi, aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & reſpice deſolationes noſtras, (*vel vaſtitates*) & civitatem ſuper quam invocatum eſt nomen tuum, ſuper eam: (*ſed redundat*) quia non propter juſtitias noſtras nos proſternimus preces noſtras coram facie tua, ſed propter miſericordias tuas (*vel ſuper miſerationibus tuis*) multas. (*vel magnas.*)

Hæc clauſula precationis ſpirat mirum fervorem & vehementiam. Hic enim Daniel profundit verba, acſi eſſet extra ſe. Et hoc ſæpe contingit filiis Dei, ut inter precandum ſimiles ſint ecſtaticis: balbutiunt, garriunt cum Deo, loquuntur variis modis, accumulant verba, & non poſſunt ſibi ſatisfacere. In eo quidem interdum ſuperiores ſunt hypocritæ, quia non tantum æmulantur ſinceros Dei cultores, ſed quoniam toti feruntur ad externas pompas, ideo multa erit verborum congeries in illorum precibus, erit etiam elegantia & ſplendor: denique erunt magni rhetores. Sed Daniel hic partem aliquam duntaxat affectus ſui oſtendit: nec dubium eſt quin teſtari voluerit toti Eccleſiæ, quam vehementer, & quanta contentione precatus eſſet, ut alios ſcilicet accenderet ad ſimilem ardorem. Dicit hoc verſu, *Inclina Deus mi aurem tuam, & audi.* Satis fuerat dicere, Audi: ſed quoniam viſus fuerat Deus ad multas preces & multa vota obſurdeſcere, ideo rogat Propheta, ut tandem *inclinet aurem ſuam.* Ergo tacita antitheſis ſubeſt, quoniam viſi fuerant fideles apud ſurdum verba facere, quum per ſeptuaginta annos continui illorum gemitus in cælum ſeſe efferrent, idque ſine profectu. Deinde adjungit, *Aperi oculos tuos, & vide.* Conniventia enim Dei poterat dejicere ſpem piorum, quoniam indigne tractati fuerant Iſraëlitæ. Nam omni contumeliarum genere oppreſſi fuerant: deinde & in ſuis fortunis, & in aliis omnibus paſſi fuerant graviſſimas moleſtias. Deus quaſi clauſis oculis præterierat omnes illas calamitates populi ſui. Ob hanc igitur cauſam nunc rogat Daniel, ut Deus aperiat oculos. Et has circumſtantias diligenter notare convenit, ut diſcamus precari Deum non modo ubi ſumus quieti, & poſſumus vota concipere ſine aliqua perturbatione, ſed ubi mœror & anxietas ſenſus omnes noſtros occupat, ubi tenebræ nos undique circumſtant: ut tamen preces noſtræ retineant curſum ſuum inter tanta obſtacula. Et ſimul etiam colligimus, dum nos ſic Deus urget ut ſimus quaſi exanimes, tunc debere magis nos accendi, quia huc ſpectat quum nos ita ſevere affligit, ut expergefaciat noſtram pigritiem.
Pſal. 32. verſ. 6. Et ideo etiam dicitur in Pſalmo, Orabit ad te ſanctus in tempore opportuno. Hæc autem eſt opportunitas noſtra, ubi ultimæ neceſſitates nos conſtringunt: quia Deus tunc nos exſtimulat, & corrigit, quemadmodum dixi, noſtram tarditatem. Diſcamus ergo nos aſſuefacere ad precandi vehementiam, ubi Deus talibus ſtimulis nos urget vel incitat. Poſtea dicit, *Reſpice deſolationes noſtras.* De hoc jam ſatis dictum eſt. *Et urbem ſuper quam invocatum eſt nomen tuum*, inquit. Iterum Daniel ſibi proponit materiam fiduciæ, quoniam Jeroſolyma electa fuerat in ſanctuarium Dei. Scimus autem adoptionem Dei eſſe ſine pœnitentia, quemadmo-
Rom. 11. verſ. 29. dum etiam Paulus docet. Daniel igitur hic ſumit quod erat firmiſſimum ad fiduciam impetrandi, quod ſcilicet Deus voluerat coli in monte Sion, & ſibi deſtinaverat Jeroſolymam quaſi regiam ſedem. Invocari autem nomen Dei tantundem valet, atque locum, vel gentem aliquam cenſeri Dei nomine. Dicitur invocari nomen Dei ſuper nos, dum profitemur nos eſſe populum ipſius, & nos etiam inſignit ſuis notis, quaſi oſtenderet palam ſub oculis hominum ſe ratam habere profeſſionem noſtram. Sic ergo nomen Dei invocatum fuit ſuper Jeruſalem, quia celebrata erat jam multis ſeculis Dei electio, quod ſcilicet collegerat populum unum peculiarem, deinde locum deſignaverat, ubi vellet ſibi offerri ſacrificia. Poſtea adjungit, *Quia non ſuper juſtitiis noſtris*, vel propter juſtitias noſtras, *nos proſternimus preces noſtras coram facie tua*, (ſed כי adverſative hic ponitur, meo judicio) *ſed ſuper miſerationibus tuis multis*, vel magnis. Daniel clarius hic confirmat quod heri dictum fuit, nempe ſpem ſibi in unica Dei miſericordia eſſe fundatam. Sed dixi nunc ipſum clarius exprimere quod dixerat, quoniam opponit duo membra inter ſe contraria. *Non in juſtitiis*, inquit, *noſtris, ſed in miſerationibus tuis.* Quanquam autem non ſemper tam diſtincte ponitur hæc comparatio, tamen tenenda eſt regula, quoties ſancti in Dei gratiam recumbunt ſimul renunciare omnibus ſuis meritis, nec quicquam in ſe quærere cur Deum habeant propitium. Sed tamen locus hic diligenter notandus eſt, ubi diſerte excludit Daniel quicquid pugnat cum gratuita Dei bonitate: deinde oſtendit ſi quid proferant homines quaſi proprium quo poſſint Dei gratiam mereri, tantundem diminui ex ejus miſeratione. Denique verba Danielis hoc continent, non poſſe conciliari hæc duo inter ſe, ut confugiant fideles ad Dei miſericordiam, & aliquid afferant proprium, vel meritis ſuis nitantur. Quum igitur talis ſit repugnantia inter Dei gratuitam bonitatem & omnia merita hominum, quam ſtupidi ſunt qui conantur hæc duo ſimul conjungere, ſicuti videmus factum fuiſſe in Papatu? Et nunc etiam qui non libenter cedunt Deo & verbo ipſius, vellent tamen aliquo fuco obtegere errorem illum, nempe ut dimidia laus eſſet penes Deum, & ejus miſericordiam, & aliquid maneret proprium hominibus. Sed quemadmodum jam dixi, tollitur omnis dubitatio quum Daniel hæc duo quaſi in certamen committit, juſtitias hominum & Dei miſericordiam. Nihilo igitur magis convenit meritis noſtris cum gratia Dei, quam ſiquis ignem vellet aquæ miſcere, & vellet quærere aliquam concordiam inter res tam contrarias. Poſtea adjungit, *magnas*, ſicuti prius vidimus uſum fuiſſe magna verborum congerie, ut exprimeret quam variis modis obnoxius eſſet populus Dei judicio. Hic ergo implorat multas vel magnas Dei miſerationes, quoniam ad ſummum uſque cumulum pervenerant populi ſcelera. Quod ad

hanc

hanc loquutionem pertinet, ubi dicit *populum ſuas preces coram Deo proſternere*, Scriptura videtur quodammodo pugnare ſecum, quoniam ſæpe utitur diverſa metaphora, quod ſcilicet preces in cælum tollantur. Et ſæpe occurrit loquutio illa, Deus, elevamus vel attollimus preces noſtras ad te. Hic autem, quemadmodum etiam aliis locis, Spiritus aliam loquendi formam dictat, nempe quod fideles vota ſua & preces ſuas proſternunt. Sed hæc duo optime inter ſe conveniunt, quoniam in precibus, ut heri dictum fuit, neceſſe eſt conjungi pœnitentiam cum fide. Pœnitentia autem homines proſternit deorſum, fides vero ſurſum ipſos attollit. Primo intuitu videntur quidem hæc non ſatis eſſe conſentanea: ſed ſi quis duo membra veræ & legitimæ orationis expendat, reperiet non poſſe vota & preces in cælum attolli; quin dejiciantur uſque ad inferos, ut ita loquar. Nam ab una parte ubi prodit peccator in conſpectum Dei, neceſſe eſt ut totus jaceat, imo evaneſcat quaſi exanimis. Hic eſt pœnitentiæ effectus. Et hoc modo ſancti proſternunt omnes ſuas preces, quoniam ſuppliciter agnoſcunt ſe indignos eſſe, quos reſpiciat Deus. Et talem imaginem nobis proponit Chriſtus in Publicano, quod ſcilicet dejecto vultu Luc. 18.
pectus ſuum feriret, ac peteret veniam. Sic ergo verſ. 13.
proſternunt filii Dei ſuas preces, nempe humilitate quæ ex pœnitentia naſcitur. Attollunt autem preces ſuas fide, quia ubi Deus ipſos ad ſe invitat, dum teſtatur ſe illis fore propitium, tunc ſeſe erigunt, & ſuperant omnes nubes, imo cælum ipſum, ubi ſcilicet prælucet hæc doctrina, Tu Deus es, qui exaudis preces, quemadmodum in Pſalmo dicitur. Quo- Pſal. 65.
niam ergo ſtatuunt fideles Deum eſſe ſibi propitium, verſ. 3.
ita audacter prodeunt coram facie ejus, & erectis animis precantur, quia ſciunt placere Deo hoc ſacrificium quod illi offerunt. Sequitur,

19. Domine audi, Domine propitius eſto, Domine attende, (*vel animadverte*) & fac ne moreris propter te, Deus mi, quia nomen tuum invocatum eſt ſuper urbem tuam, & ſuper populum tuum.

Hic melius etiam exprimitur vehementia quam dixi. Neque enim hic Daniel oſtentat, ſicuti facere ſolent hypocritæ, aliquam eloquentiam, ſed tantum ſuo exemplo docet quænam ſit vera lex & ratio precandi. Neque enim dubium eſt, quin fuerit impulſus ſingulari zelo, ut alios ſecum traheret. Operatus eſt igitur Deus in Propheta per Spiritum ſuum, ut ipſe eſſet aliis omnibus magiſter, & ut ejus precatio quaſi norma eſſet communis precandi toti Eccleſiæ. Hoc conſilio nunc Daniel refert quod apud ſe conceperat. Precatus enim fuerat ſine teſte: ſed nunc convocat totam Eccleſiam, & vult teſtem eſſe ſui zeli & fervoris, ut ſcilicet omnes ſequantur quod non tam ipſe illis præſcribit, quam Deus. *Domine* ergo *audi*, inquit. Poſtea, *Domine propitius eſto*. Hoc ſecundo membro ſubindicat clauſas, & quaſi ſurdas fuiſſe aures Dei, quoniam merito infenſus erat populo. Et hoc notandum eſt, quia ſtulte miramur non reſpondere Deum precibus noſtris ſimulac votum aliquod nobis effluxit. Atqui ratio hæc notanda erat, Deum ſcilicet tardum eſſe, quia ipſi frigemus, & ſumus ignavi: deinde, iniquitates noſtras interponere quaſi maceriem inter nos & aurem Dei. *Propitius* ergo *ſis Domine, ut audias*. Ita reſolvi debet oratio. Poſtea adjungit, *Domine animadverte*. Hoc verbo ſignificat Daniel, etiamſi multis modis, & longo tempore provocaverit populus iram Dei, tamen tam indigne opprimi ab impiis & crudeliſſimis hoſtibus, ut tanta calamitas debeat flectere Deum ad miſericordiam. *Domine* ergo, inquit, *animadverte & ne moreris*. Atqui jam per ſeptuaginta annos projecerat Deus populum ſuum, & paſſus fuerat ſic premi ab hoſtibus, ut fideles deſpondere animos poſſent. Ergo videmus etiam hoc loco ſanctum Prophetam fortiter luctatum eſſe cum duriſſima tentatione: Rogat Deum *ne moretur*, vel differat. Jam ſeptuaginta anni effluxerant, ex quo abjecerat in ſpeciem Deus populum illum, ut nullum ſignum daret benevolentiæ. Ergo iterum colligimus ex hoc loco, non poſſe rite nos precari, niſi ubi ſuperamus quicquid occurrit nobis, quoniam ſi æſtimamus Dei gratiam ex ſtatu noſtro, ita concidet ſtudium precandi: imo potius contici tabeſcemus in malis noſtris, quam poſſimus animos ad Deum attollere. Denique ubi videtur longam moram feciſſe Deus, tamen rogandus ſemper eſt, *ne moretur*. Poſtea adjungit, *Propter te, Deus mi*. Iterum Daniel in nihilum redigit fiducias omnes, quibus hypocritæ putant conciliari ſibi poſſe favorem apud Deum. Etſi enim hic non opponit contraria membra, ut paulo ante, quum tamen dicit, *Propter te*, tenenda eſt illatio quam dixi, ergo non propter nos. Et hoc etiam confirmat reliquo contextu, *Propter te, Deus mi, quia invocatum eſt nomen tuum ſuper urbem tuam*, inquit, *& ſuper populum tuum*. Videmus ergo Danielem nihil ſibi reliquum facere ad impetrandum quod poſtulat, niſi quoniam fretus gratuita adoptione, non dubitat Deum fore propitium populo ſuo. Non quod cauſam in cunctis mortalibus, vel eorum meritis reperiat, ſed quia vult perpetuo tueri ſuum beneficium, & perducere uſque ad finem. Sequitur,

20. Et adhuc ego loquens, *hoc eſt, quum adhuc loquerer*, & precarer, & confiterer peccatum meum, & peccatum populi mei Iſraël, & proſternerem (*vel cadere facerem, eſt idem verbum quod prius*) precationem meam coram Jehova Deo meo, ſuper montem (*hoc eſt, propter montem, vel in gratiam montis*) ſanctuarii Dei mei.

21. Quum, inquam, loquerer in precatione mea, tunc vir Gabriel quem videram in viſione principio volantem volatu, (*quidam ſic vertunt: alii, cum fatigatione, ſive alacritate, hoc eſt, celeriter volantem. Quidam enim deducunt à radice* עוף, *quod ſignificat volare, & conjungunt cum participio, ut Hebræis tritum eſt. Alii autem à* יעף *putant potius deduci, quod ſignificat fatigare: ſed metaphorice exponunt, quod in feſtinatione volaverit*) tetigit me circa tempus oblationis veſpertinæ.

Hic incipit referre Daniel preces ſuas non fuiſſe inutiles, nec caruiſſe fructu, quoniam miſſus fuit Gabriel, qui fiducia erigeret ejus animum, & conſolatione dolorem leniret: deinde miniſtrum gratiæ Dei illum præficeret toti Eccleſiæ, ut fideles ſperarent brevem reditum in patriam, atque ita æquis animis ferrent ſuas miſerias, donec aperiret illis Deus viam ad reditum. Porro ſi votis noſtris non ſemper reſpondet Deus, non eſt cur miremur, quia vix centeſimam partem juſti zeli & ardoris afferunt qui videntur præ aliis optime precari. Si ergo quis rationem precandi noſtram conferat cum hac vehementia Prophetæ, certe longe ab ipſo abſumus. Non igitur mirum eſt, ſi in tanto diſcrimine etiam diſſimilis eſt ſuc-

ſucceſſus. Et tamen ſtatuendum eſt, preces noſtras nunquam fore irritas, ſi etiam longo intervallo ſequamur ſanctum Prophetam. Si ergo non fuit modulus fidei noſtræ, ut preces noſtræ quaſi æquali greſſu ad hunc Prophetæ zelum perveniant, Deus tamen nihilominus erit nobis exorabilis, modo fundati ſimus in fide & pœnitentia. Dicit autem Daniel, *Quum adhuc loquerer, & precarer, & confiterer peccatum meum, & peccatum populi mei Iſraël.* Primo notandum eſt quod Spiritus ſanctus conſulto hic dictavit Prophetæ, gratiam Dei ſemper fore paratam & expoſitam omnibus miſeris, qui ad eam confugiunt, & eam implorant. Oſtendit igitur Propheta, ideo nos deſtitui auxilio Dei in malis, quia etiamſi dolor exprimat nobis multos gemitus, tamen non reſpicimus in Deum, unde ſolatium ſemper malis omnibus petendum eſt. Et ita hortatur nos ad precandi ſtudium quum dicit *ſe fuiſſe exauditum.* Neque enim ſingulare aliquod exemplum refert, ſed quemadmodum jam dixi, generaliter pronunciat nunquam fore vanas vel infructuoſas eorum preces, qui Deum liberatorem quærunt. Dixi non eodem neque æquali modo ſemper exaudiri vota noſtra, quia torpor etiam noſter hoc meretur, ut Deus auxilium ſuum differat. Sed tamen in genere hoc docet Propheta, nunquam vanas fore eorum orationes, qui veram pœnitentiam & veram fidem, quamvis exiguam, afferunt coram Deo. Poſtea adjungit quid ſit neceſſarium ad conciliandum Dei favorem, nempe ut homines præveniant judicium Dei, ſeipſos damnando. Dicit enim *ſe confeſſum fuiſſe peccatum ſuum, & peccatum populi ſui.* Non loquitur hic de una ſpecie, ſed ſub voce *chatta* comprehendit omnes ſpecies ſcelerum, quaſi diceret, Quum ego faterer me eſſe peccatis refertum, & quaſi demerſum ſub iniquitate, & idem etiam faterer de populo meo. Et hoc etiam notandum eſt quod dicit, *peccatum populi mei Iſraël.* Poterat nomen hoc omittere, ſed voluit teſtatum facere, totam Dei Eccleſiam eſſe ſub reatu, neque aliam eſſe ſpem abſolutionis, niſi Deus gratis ſibi reconciliaret eos, quibus merito erat offenſus. Sed magis notanda eſt ſuperior particula ubi Daniel refert *ſe confeſſum fuiſſe peccatum ſuum coram Deo.*
Eze. 14. verſ. 14. Scimus quid dicat Ezechiel, vel Spiritus per os ipſius pronunciet. Nam Deus tres perfectiſſimos qui fuerunt ab initio mundi nominat, & in illis Danielem, qui tunc adhuc vivebat. Quum ergo Daniel eſſet exemplar Angelicæ juſtitiæ, & elogio illo tam inſigni celebretur, Si eſſet coram me Daniel, etiam non exaudirem ipſum ſi me rogaret pro hac civitate: ſed liberarem eum, quia juſtus eſt: quum ergo Deus ita extollat Prophetam ſuum in ſublime, acſi eſſet extra omnes ſordes, & extra omnia vitia: ubi reperiemus in terra hominem, qui poſſit jactare ſe immunem eſſe ab omni macula & vitio? Prodeant in medium qui ſunt perfectiſſimi: quantum intererit inter ipſos & Danielem? Atqui Daniel confeſſus eſt ſe eſſe peccatorem coram Deo, & ingenue renunciavit omnibus ſuis juſtitiis, & palam eſt teſtatus ſibi unicam ſpem ſalutis eſſe ſitam in mera Dei miſericordia. Ideo Auguſtinus prudenter hunc locum toties citat contra Pelagianos, & contra Cæleſtinos. Scimus ab illis hæreticis obſcuratam fuiſſe Dei gratiam, & ſpecioſo illo colore, quia non debeant filii Dei ſemper in carceribus ſubſiſtere, ſed contingere metam. Ac vendibilis quidem eſt illa doctrina, quod filii Dei debeant carere omni vitio: ſed ubi talis integritas reperietur? Auguſtinus ergo aptiſſime hunc locum toties objecit illis nebulonibus, ut oſtenderet in terra neminem unquam fuiſſe ita juſtum, qui non indiguerit miſericordia Dei. Nam ſi quis eſſet, certe reperiſſet eum Dominus qui ſolus eſt idoneus judex. Atqui ſervum ſuum Danielem aſſerit eſſe perfectiſſimum, ſi tres ſolum ab exordio mundi quærendi ſint. Quum autem Daniel ſeſe conjiciat in gregem peccatorum, & non faciat hoc ſimulatione, vel humilitate ficta, ſed ex animo quia coram Deo loquitur: quis nunc ſibi majorem ſanctimoniam arroget? *Quum ergo confiterer,* inquit, *coram facie Dei mei.* Illic certe fictio locum non habet. Hinc ſequitur, diabolos eſſe indutos humana carne qui fingunt neſcio quam perfectionem, ſive ſit Caſtalio, ſive alii ſimiles Cynici, vel prorſus canes. Tenendum igitur principium illud, nempe neminem, etiamſi eſſet ſemiangelus, poſſe ad Deum accedere, niſi concilìet ſibi gratiam confeſſione ſincera & ingenua ſuorum ſcelerum, ut reus ſit coram Deo. Hæc igitur juſtitia noſtra eſt, fateri reatum noſtrum, ut Deus gratis nos abſolvat: & quod jam dixi de populo Iſraël, ad nos ſpectare apparet ex regula quam nobis Chriſtus dictat, Remitte nobis debita noſtra. Matth. 6. verſ. 12.
Quibus voluit Chriſtus hoc præceptum eſſe in uſu? Luc. 11. verſ. 4.
nempe omnibus ſuis diſcipulis. Ergo exeat ex ſchola Chriſti, & concedat in haram porcorum quiſquis putat ſe non opus habere hac precandi forma, & hac confeſſione. Jam adjungit, *Super montem ſanctitatis Dei mei.* Hic etiam aliam rationem notat Propheta cur fuerit exauditus, quia ſcilicet fuerit ſollicitus de communi Eccleſiæ ſtatu & ſalute. Nam ſi quiſque ſibi privatim ſtudeat & non reſpiciat proximos, indignus eſt qui obtineat quicquam coram Deo. Ergo ſi cupimus gratas eſſe Deo preces noſtras, & fructum aliquem conſequi, diſcamus conjungere totum Eccleſiæ corpus nobiſcum, neque tantum reſpicere quid nobis expediat, ſed quid faciat in communem ſalutem totius electi populi. *Quum ergo ſic loquerer,* inquit, *adhuc in oratione.* Apparet Danielem non ſolo tantum affectu fuiſſe precatum, ſed prorupiſſe etiam in aliquem ſermonem. Verum quidem eſt, verbum hoc ſæpe ad animum reſtringi, etiamſi quis linguam non moveat, dicetur tamen loqui ubi apud ſe aliquid cogitat: ſed quoniam dixit Daniel, *Quum adhuc loquerer in oratione,* videtur prorupiſſe in aliqua verba: ſicut etiam ſi ſanctis non ſit propoſitum pronunciare quicquam ore, tamen rapit eos zelus, ut interdum excidant illis verba. Et alia etiam eſt ratio, quoniam ut ſumus tardi, lingua adjuvat animum. Potuit igitur Daniel ob has cauſas non tantum tacite apud ſe concipere preces, ſed etiam ore & lingua proferre. Poſtea adjungit *veniſſe Gabrielem.* Sed non poſſem nunc abſolvere.

Da omnipotens Deus, ut magis ac magis diſcamus nos penitus excutere, & reputare quot vitiis ſcateamus, imo quanta ſit ſcelerum noſtrorum gravitas, ut vere humiliati veniamus in conſpectum tuum, & quaſi ex inferis te invocemus: neque tamen ideo deſinamus bene ſperare de tua gratia, ſed ſpe eniti ſupra omnes cælos, certo perſuaſi te nobis ſemper fore propitium Patrem. Et quoniam nobis abs te datus eſt Mediator, qui favorem nobis apud te conciliet, ne dubitemus ipſo freti ad te familiariter accedere, & quicquid malorum nos ad deſperationem ſollicitet, ne tamen unquam ſuccumbamus: ſed invicta animi fortitudine pergamus in nomine tuo invocando & imploranda tua miſericordia, donec ſentiamus orationum noſtrarum fructum, & tandem perveniamus, defuncti omni certamine, ad beatam illam quietem, quæ nobis repoſita eſt in cælo, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA NONA IN DANIELEM.

PRoxima lectione expoſuimus Angelum apparuiſſe Danieli, qui ſatisfaceret ejus deſiderio. Nam admodum anxie precatus fuerat, quum videret jam tempus elapſum eſſe, quod
Jer. 25. verſ. 11. per os Jeremiæ præfixerat Deus, & tamen populum adhuc manere captivum. Diximus ergo Angelum fuiſſe miſſum ſancto Prophetæ, qui triſtitiam ejus leniret, atque levaret eum aliqua parte ſollicitudinis. Vocavit autem Angelum *virum*, quia præ ſe ferebat formam hominis, quemadmodum dictum fuit. Hoc tantum reſtabat, quod dicit *viſionem ſibi oblatam circa tempus ſacrificii veſpertini*. Jam fere ſeptuaginta anni effluxerant, quibus nullum ſacrificium offerri viderat Daniel: & tamen adhuc commemorat ſacrificia acſi quotidie in templum veniret, quod tunc nullum erat. Unde apparet ſervos Dei, etiam ubi carent externis adminiculis, quoad præſentem uſum, tamen aliquid utilitatis inde capere. quoniam apud ſe cogitant quorſum Deus & ſacrificia, & alios ritus, atque ceremonias inſtituerit, quemadmodum ſi quis hodie conjiceretur in carcerem. & uſque ad finem vitæ prohiberetur à ſacræ Cœnæ uſu tamen non ideo deberet abjicere memoriam ſacri illius ſymboli, ſed apud ſe reputare ſingulis diebus cur nobis data fuerit Cœna à Chriſto. & quem fructum inde percipere nos velit. Videmus ergo talem fuiſſe affectum ſancti Prophetæ, quia perinde loquitur de quotidianis ſacrificiis, acſi eſſent in uſu. Et tamen ſcimus tunc fuiſſe abolita, ipſe autem jam multis annis non adfuerat, quamvis adhuc ſtaret templum. Nunc pergamus.

22. Et docuit me, & loquutus eſt mecum, & dixit, Daniel, nunc exivi ut te intelligere facerem intelligentiam. (*hoc eſt, ut docerem quod ſcitu opus eſt.*)

Hic præparat Angelus animum Prophetæ quum dicit *ſe veniſſe è cælo, ut ipſum doceret. Exivi*, inquit, *ut te intelligere facerem*. Nam debuit colligere Daniel ex officio Angeli quid ſibi agendum eſſet. Quoniam ergo dignatus fuerat eum Deus tanto honore, ut præficeret unum ex Angelis magiſtrum & doctorem, non potuit negligere tam ſingularem gratiam Propheta, quin Deo eſſet ingratus. Nunc ergo tenemus cur Angelus teſtetur *ſe veniſſe ut Prophetam doceat*. Et hoc etiam in mentem venire nobis debet quoties templum Dei ingredimur, vel quoties aliquid legimus in ſacris Scripturis, nempe doctores nobis à Deo conſtitui, qui opitulentur ruditati noſtræ, & qui Scripturam nobis interpretentur: deinde Scripturam quoque ipſam datam eſſe, ut illic reperiamus quod alioqui nobis eſt abſconditum. Deus enim cor ſuum nobis quodammodo aperit, ubi patefacit nobis ſua arcana, ſicuti fecit per Legem & Prophetas, & tandem per ſuos Apoſtolos.
Et ideo Paulus docet Euangelium prædicari in fidei obedientiam, quaſi diceret non ceſſurum nobis impune, niſi obedienter amplectimur Euangelii doctrinam, quia fruſtramur quodammodo Deum, quantum in nobis eſt, & eludimus ejus conſilium, niſi fide obedimus ejus verbo. Sequitur, Rom. 1: 5.

23. Principio precationum tuarum exivit verbum, & ego veni ut annunciarem, quia tu deſideriorum vir: (*hoc eſt, tu vir es deſiderabilis*,) itaque intellige in ſermone, & intellige in viſione.

Hic Angelus non modo exigit docilitatem à Propheta, ſed etiam ad majorem attentionem hortatur. Videbimus enim poſtea opus fuiſſe non vulgari ſtudio, quia vaticinium erat ſingulare & extraordinarium. Hæc igitur ratio eſt cur Angelus non modo jubeat Danielem fidei obedientia excipere quod dicturus eſt, ſed etiam majori quam ſoleat attentione ſeſe erigere, quoniam hoc erat rarum & inſigne myſterium. Dicit primo, *egreſſum fuiſſe ſermonem ex quo precari cœpit* Propheta. Hic non inſiſtam in recitandis opinionibus, quia videor mihi tenere genuinum hujus loci ſenſum, quod ſcilicet Deus exaudierit vota ſervi ſui, atque ita quod decreverat promulgaverit. Nam verbo *exeundi* intelligit, quod ante fuerat decretum jam prodire in medium, & quaſi in publicum manare, quemadmodum dicuntur Principum edicta exire ubi paſſim vulgantur. Statuerat quidem Deus quid facere vellet, atque ut ceſſaſſet Daniel, tamen nunquam intercidiſſet conſilium illud Dei: ſed hic oſtendit non eſſe irritas ſanctorum preces, quia concedit illis quod ipſis quieſcentibus facturus erat, ut eorum deſideriis obſequatur & morem gerat. Certum quidem eſt nihil nos impetrare precibus noſtris, niſi quod Deus apud ſe ſtatuit: hæc tamen inter ſe non pugnant, Deum obtemperare votis noſtris, quemad-
Pſal. 145. verſ. 19. modum dicitur in Pſalmo, dum facit quod optamus: & interea exequi quod ante mundi creatio-
Jer. 25. verſ. 11. nem decrevit. Per Jeremiam prædixerat, quemadmodum ante admonuimus, finem exilio populi fore poſt annos ſeptuaginta: jam Daniel hoc ſciebat, quemadmodum retulit initio capitis. Neque tamen interea deſtitit à precando. Sciebat enim Dei promiſſiones non dare nobis materiam vel occaſionem ſocordiæ, vel ignaviæ. Precatus eſt igitur Propheta: Deus nunc oſtendit non fuiſſe vanum illud ſtudium, quod pro totius Eccleſiæ ſalute ſuſceperat. Dicit igitur *egreſſum fuiſſe verbum ſimulatque precari cœperat Daniel*, hoc eſt, jam ſtatim ex quo os aperuit fuiſſe divinitus exauditum. Et poſtea adjungit *ſe veniſſe, ut hoc patefaceret, quia*, inquit, *vir es deſiderabilis*. Quidam accipiunt active deſideria, quod Daniel ferveret ingenti zelo. Sed illud eſt coactum, & præter uſum linguæ. Ego itaque non dubito hic vocari Prophetam *deſiderabilem*, quod Deo acceptus fuerit. Et in hanc etiam partem major pars interpretum deſcendit. Angelus itaque pronunciat ſe veniſſe in gratiam Danielis, quod Deo eſſet gratus. Hoc notatu dignum eſt, quia inde colligimus non aliter conciliari votis & precibus noſtris favorem coram Deo, niſi ubi jam nos complexus eſt ſuo favore. Scimus autem non aliter nobis eſſe propitium Deum, quam ubi fide confugimus ad ejus miſericordiam, & freti Mediatore & Advocato Chriſto audemus in ejus conſpectum prodire tanquam filii. Sequitur denique, preces noſtras nullius eſſe pretii apud Deum, niſi quatenus in fide fundatæ ſunt, quæ ſola nos Deo reconciliat, quoniam ſine venia &

 pec-

peccatorum remiſſione non poſſumus Deo eſſe grati. Interea tamen videmus ſanctos ita placere Deo, ut non ſemper obtineant quicquid expetunt. Daniel enim multis jam annis inter continuos gemitus quaſi confectus fuerat mœrore: & tamen nondum ſenſerat ſe feciſſe aliquid operæpretium. Poterat igitur ex proprio ſenſu ſtatuere ſe luſiſſe operam, quum toties, ac tam aſſidue precatus foret. Sed Angelus occurrit ex oppoſito, & teſtatur ipſum eſſe Deo gratum, ut ſcilicet agnoſcat, quamvis non eſſet adeptus quicquid ferebat animi ipſius ſententia, tamen ſe non fuiſſe paſſum repulſam. Ergo ubi nos ſollicitat hæc cogitatio, & quaſi ad deſperationem impellit, precibus noſtris nullum ſubeſſe profectum vel fructum, quia Deus non ſtatim neque palam reſpondet, teneamus quod hic docet Angelus, nempe Danielem, qui Deo erat gratiſſimus, ſic fuiſſe exauditum, ut tamen interea non perſpiceret oculis quicquid optabat. Mortuus eſt ipſe in exilio, & non ſtatim vidit quod polliciti fuerant Prophetæ, nempe de felici Eccleſiæ ſtatu, quaſi Eccleſia jam ageret ſuos triumphos. In fine verſus, quemadmodum jam attigi, Danielem exſtimulat, quo ſcilicet majore ſtudio, & attentione applicet totam mentem ſuam & omnes ſenſus ad intelligentiam vaticinii quod juſſus fuerat Angelus afferre. Nunc ſequitur,

24 Septuaginta hebdomades finitæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem tuam ſanctam (*ſuper urbem ſanctitatis tuæ, ad verbum*) ad claudendum ſcelus, & obſignandum peccatum, & expiandam iniquitatem, & adducendam juſtitiam æternam, & obſignandam viſionem (*repetitur illud ſecundum verbum* חזון) & prophetiam, & ungendum ſanctum ſanctorum (*vel ſanctitatem ſanctitatis, alludit ad templum.*)

Locus hic varie tractatus fuit, & ita diſtractus variis ſententiis interpretum, vel laceratus etiam, ut fere inutilis fuerit habitus propter obſcuritatem. Sed quia ſcimus nihil fruſtra fuiſſe prædictum, ſperanda eſt intelligentia vaticinii, modo & attenti ſimus & dociles, quemadmodum exemplo Prophetæ nos jam admonuit Angelus. Non ſoleo referre diverſas opiniones, quia non delector refutationibus: & mihi placet ea ſimplicitas quam ſequor, nempe ut exponam quod exiſtimo traditum fuiſſe à Spiritu Dei. Sed tamen non poſſum hanc neceſſitatem effugere in præſenti loco, quin diverſas opiniones refutem. Exordiar autem à Judæis, quia hic locus ab illis non tantum inſcite, ſed perdita etiam impudentia fuit depravatus. Quoties urgentur luce Chriſti, ſcimus eos tergiverſari ſine ullo pudore, & nihil prorſus eſſe in illis ingenuitatis. Sunt enim canes, quibus ſufficit latrare. Sed in hoc maxime loco produnt ſuam petulantiam, quia perfricta fronte eludunt quicquid hic dicitur à Propheta. Videamus tamen quid ſentiant. Neque enim magni momenti eſſet ipſos damnare, niſi ſimul certis & firmis rationibus convicti jacerent. Hieronymus quum refert quid docuerint ſuperiores Judæi, hoc eſt, qui ipſum ætate præceſſerant, plus illis modeſtiæ & verecundiæ tribuit quam præ ſe tulerint qui poſtea ſequuti ſunt. Fateri enim ipſos dicit locum hunc non poſſe aliter intelligi, quam de Meſſiæ adventu. Sed quoniam forte Hieronymus noluit congredi in apertum certamen, quia etiam non erat inſtructus ut fuiſſet neceſſe, ideo aſſumpſit plus quam dixerant. Et hoc mihi videtur probabile. Neque enim vel uno verbo attingit quid ipſe probet: imo excuſat ſe abſque præjudicio hic in medium proferre omnes ſententias. Ita non audet pronunciare meliusne ac rectius doceant Judæi, quam Græci & Latini interpretes, ſed relinquit lectores prorſus ſuſpenſos. Cæterum, facile hoc liquet, exponi vaticinium Danielis fere ab omnibus Rabbinis de pœna continua, quam inflicturus erat Deus populo, etiam poſt reditum. Hic ergo excludunt prorſus Dei gratiam, & dicunt reprehendi errorem Prophetæ, quia putaret Deum jam tunc fore propitium miſeris exulibus, ut eos reſtitueret: deinde ut templum rurſus erigeretur: & ita ſeptuaginta hebdomadas inchoant à prioris templi deſtructione, deinde finiunt eas excidio ſecundi templi. Conſentiunt quidem una in re nobiſcum, quod hic Propheta non numeret dierum hebdomadas, ſed anno-

Levit. 25. verſ. 8. rum, quemadmodum Levit. 25. Nullum igitur nobis certamen eſt cum Judæis de annorum numero. Fatentur enim nobiſcum hic præfigi annos 490. ſed longe diſſident quoad finem vaticinii. Dicunt enim quemadmodum jam attigi, prænunciari aſſiduas calamitates, quæ populo inſtabant. Sperabat Propheta jam malis finem adeſſe, quoniam Deus per Jeremiam teſtatus fuerat ſe contentum fore ſeptuaginta annorum exilio. Dicunt hoc ita debere intelligi, ut tamen populus miſere vexetur, uſque dum ſecundum templum rurſus hoſtes excindant: deinde populus ipſe privetur urbe, & urbs ipſa exciſa ſit triſte ſpectaculum ruinæ & vaſtitatis. Ideo dixi eos excludere Dei gratiam. Et ut breviter abſolvam quod ipſi docent, hæc ſumma eſt, Prophetam falli qui exiſtimet meliorem fore ſtatum Eccleſiæ poſt finitos ſeptuaginta annos, quia ſuperſunt ſeptuaginta hebdomades, hoc eſt, quod Deus ſeptuplicet numerum ad ipſos caſtigandos, donec tandem aboleat urbem & templum, & ipſos diſpergat per totam terram, ita ut nullum obtineant nomen donec tandem adveniat Meſſias, quem expectant. Ita loquuntur ipſi. Sed omnes hiſtoriæ refellunt eorum inſcitiam, & ſimul temeritatem. Nam ut poſtea dicemus, vix ſe expediunt quicunque præditi ſunt recto judicio, quia reperiuntur apud omnes Hiſtoricos plures anni inter Monarchiam Cyri vel Perſarum, & inter Chriſti adventum, quam hic Daniel ſupputet. Judæi autem includunt præterea annos à ruina prioris templi, deinde adjungunt annos à Chriſti adventu uſque ad excidium urbis. Ita fiet ſecundum communem & receptam ſententiam, ut coacervent circiter annos ſexcentos. Poſtea dicam quid probem in illa ſupputatione, vel quid mihi diſpliceat. Tamen hoc certum eſt nimis turpiter & falli, & fallere Judæos, quum ita ſine judicio plura tempora congerunt. Deinde certa eſt erroris refutatio ex vaticinio Jeremiæ, atque ex initio hujus capitis, & ex Eſræ etiam ſententia. Nebulo ille & impoſtor Barbinel, qui putat ſe eſſe acutiſſimum inter omnes Rabbinos, videtur hic ſibi habere concinna effugia, quum uno verbo hoc vel illud eludit, & reſpondet ad objectionem unam. Sed quam frivolis ineptiis ludat ego breviter oſtendam. Dum repudiat Joſephum, putat ſe eſſe victorem. Ego quidem ingenue fateor Joſepho non ſemper, nec abſque exceptione habendam eſſe fidem: ſed quid inde conſequitur Barbinel cum omnibus ſuis? Veniendum eſt enim ad vaticinium Jeremiæ, quemadmodum dixi. In hoc autem effugium captat. Ho Chriſtiani, inquit, volunt Nebuchadnezer regnaſſe annis 45: non abſolvit annos illos. Ita etiam decerpit vel dimidium annum, vel unum ex ſingulis Monarchiis. Sed quid hoc ad rem? quia interea manebunt ducenti anni, de quibus litigandum ipſi erit. Ergo videmus quam pueriliter nugetur dum quinque vel ſex annos detrahit ex maximo numero, & interea gravatur ducentis annis, & non excutit onus illud. Sed quemadmodum jam dixi, manet fixum

illud

illud vaticinium Jeremiæ de annis ſeptuaginta. Unde autem incipiunt illi? An à templi excidio? Minime hoc conveniet. Vult Barbinel eſſe annos 49, vel circiter ab excidio templi uſque ad Cyri imperium. Atqui ante vidimus tunc edoctum fuiſſe Prophetam de finito exilio. Non pudet canem illum, & ſimiles dicere, fuiſſe Danielem hac in parte male interpretatum vaticinium Jeremiæ, quia putabat jam completas eſſe pœnas, quum tamen aliquid temporis reſtaret. Hoc quidam ex Rabbinis dicunt: ſed quam ſit frivolum inde apparet, quia Daniel hic non profitetur ſe erraſſe, ſed ſecure affirmat, quum didiciſſet ex libro Jeremiæ jam completum eſſe exilii
Eſr. 1. verſ. 1. tempus, ita ſe fuiſſe precatum. Deinde Eſras ſic ad verbum loquitur, Quum eſſent completi anni ſeptuaginta, de quibus loquutus fuerat Deus per Jeremiam, excitavit ſpiritum Cyri Regis Perſarum, ut primo Monarchiæ ſuæ anno populum remitteret. Illic Eſras aperte dicit, arcano Spiritus impulſu, Cyrum dediſſe populo libertatem. An Spiritus Dei oblivione lapſus eſt, quum accelerarct reditum populi? Deinde neceſſe erit coargui Jeremiam mendacii vel falſitatis, quoniam Eſras etiam dicit exitum populi reſpondere vaticinio. Citant in contra-
Zach. 1. verſ. 12. riam partem locum ex primo capite Zachariæ, Uſquequo Domine non miſereberis urbis tuæ Jeruſalem, quia jam præterierunt anni ſeptuaginta? Atqui Propheta illic non deſignat momentum, quo finiti ſunt ſeptuaginta anni: ſed quum pars aliqua populi reverſa eſſet in patriam Cyri permiſſu, & tamen impedita eſſet templi ædificatio, ideo poſt viginti aut triginta annos conqueritur quod Deus non prorſus & omni ex parte populum ſuum ſimul liberet. Quicquid ſit, non poterunt ſe explicare Judæi quin hebdomadas incipiant à priore exilio ante deſtructum templum: alioqui non congruerent quæ citavimus tam ex Daniele, quam ex Eſra. Neceſſe erit ergo ante Cyri Monarchiam complecti ſepmaginta annos, quibus finem Deus ſe impoſiturum dixerat exilio populi ſui. Sunt ergo jam ſeptuaginta anni. Nunc à Cyri Monarchia uſque ad Chriſti adventum fere omnes profani ſcriptores annos quingentos & quinquaginta numerant. Non dubito quidem errorem eſſe, quia hoc modo etiam nobis maneret non parva difficultas: ſed poſtea dicam quid ſentiendum ſit de numero annorum. Interea hoc habemus, Judæos modis omnibus excedere ſexcentos annos, ubi ſeptuaginta annos exilii comprehendunt ſub ſeptuaginta hebdomadibus, deinde adjungunt etiam tempus quod effluxit à Chriſti morte uſque ad Veſpaſiani imperium. Sed res ipſa melius ipſos urget. Nam dicit Angelus *hebdomadas ſeptuaginta finitas eſſe*. Barbinel etiam verbum *Chatac* accipit pro Intercidere, & vult notari continuas miſerias quibus afflictus fuit populus: quaſi diceret Angelus nondum adeſſe tempus redemptionis, quia populus ſemper miſer futurus eſſet, donec infligeret Deus ultimam plagam, quæ eſſet inſtar deſperatæ cladis. Sed quum verbum *Chatac* ſumatur pro Finire vel Terminare, ſatis conſtat Angelum pronunciare hic finitas eſſe ſeptuaginta hebdomadas. Pugnat hoc argumento ille impoſtor, fruſtra hic poni hebdomadas annorum, niſi reſpectu exilii. Et hoc verum eſt, ſed ipſe tamen longe alio trahit quam decebat. Alludit quidem Propheta noſter ad ſeptuaginta annos Jeremiæ. & miror à noſtris hoc non fuiſſe expenſum, quia nemo eſt qui cauſam afferat, cur annos ſupputet Daniel per hebdomadas. Scimus tamen hac figura fuiſſe conſulto uſum, quia volebat conferre ſeptuaginta hebdomadas annorum cum ſeptuaginta annis. Sed ſi quis diligenter expendat hanc ſimilitudinem vel analogiam, reperiet Judæos proprio gladio jugulari. Nam Propheta hic confert Dei gratiam cum judicio, quaſi diceret fuiſſe populum exilio mulctatum per ſeptuaginta annos, ſed nunc adeſſe gratiæ tempus: imo illuxiſſe diem redemptionis, qui continuo tenore quamvis inter nebulas, luceret uſque ad annos quadringentos & nonaginta, hoc eſt, uſque ad Chriſti adventum. Proponendus ergo Propheta ſic loquens, Triſtes quidem tenebræ vobis incubuerunt per annos ſeptuaginta: ſed Deus proſequetur nunc in ſeptuplum gratiam ſuam erga vos, quia veſtras ærumnas levando & dolores temperando, non deſinet ſe vobis propitium oſtendere uſque ad Chriſti adventum. Erat autem, quemadmodum ſatis notum eſt, illa præcipua ſpes ſanctorum, nempe ut in medium prodiret Redemptor. Nunc ergo tenemus cur Angelus neque annos, neque menſes, neque dies numeret, ſed hebdomadas annorum, quia reſpiciat ad pœnam quam populus pertulerat ſecundum vaticinium Jeremiæ. Ex oppoſito autem oſtendit quanto prævaleat Dei miſericordia, quoniam populi ſui curam geret uſque dum exhibeat promiſſam ſalutem in Chriſto ſuo. *Finitæ*, inquit, *ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem tuam ſanctam hebdomades ſeptuaginta*. Quod Hieronymus putat hic oblique notari populi rejectionem, acſi diceret, Tuus eſt, non meus populus, mihi non videtur firmum eſſe: imo prorſus alienum eſt à Prophetæ conſilio. Dicit igitur populum vocari Danielis & urbem, quia Deus faciat divortium cum populo illo, & urbem repudiet. Sed, quemadmodum jam dixi, voluit Deus ſolatium aliquod afferre ſervo ſuo, & aliis omnibus piis, ut ſeſe fulcirent hac fiducia, quum premerentur ab hoſtibus, Deum tamen tempus ſuum habere præfixum, quo Redemptorem mitteret. Vocatur ergo populus & urbs Danielis, quoniam ante vidimus, quam ſollicitus fuerit Propheta de communi gentis ſuæ ſalute, & de inſtauratione urbis & templi. Denique confirmat Angelus quod prius dixit, Deum hoc dare precibus ſervi ſui, quod promulgat vaticinium futuræ redemptionis. Jam quæ ſequuntur prorſus oſtendant Judæos quaſi ex profeſſo corrumpere & verba & ſenſum Danielis, quia dicit Angelus *tempus hoc eſſe finitum ad claudendum ſcelus, & ad obſignandum peccatum, & ad expiandam iniquitatem*. Hinc colligimus Deum fore exorabilem populo ſuo poſt ſeptuaginta hebdomadas, de quibus loquitur. Quorſum enim ſtatuit Deus tempus illud? Nempe ut tandem prohibeatur peccatum, ut ſcelus claudatur, ut expietur iniquitas. Videmus ergo non prorogari hic pœnam, quemadmodum Judæi garriunt, quia volunt Deum ſemper infenſum fuiſſe populo ſuo, & hoc eſſe ſignum extremæ offenſæ, quia templum tandem fuit dirutum. Propheta autem, vel Angelus nos potius in contrariam partem ducit, nempe quod Deus finire & claudere vult peccatum & expiare iniquitatem. Poſtea adjungit, *Ad juſtitiam æternam adducendam*. Videmus ergo hic lætum nuncium afferri de populi reconciliatione cum Deo: deinde videmus aliquid melius & longe excellentius promitti, quam fuiſſet ſub tota Lege, adeoque quum etiam florerent Judæi ſub Davide & Solomone. Angelus ergo hic fideles attollit, ut melius aliquid expectent, quam experti fuerant Patres ipſorum, ex quo Deus ipſos adoptaverat. Subeſt enim antitheſis inter expiationes Legales, & hanc de qua Angelus concionatur: item inter veniam quæ promittitur, & quam Deus ſemper dederat veteri populo. Subeſt etiam eadem antitheſis inter æternam juſtitiam, & juſtitiam quæ viguerat ſub Lege. Poſtremo adjungit, *Ad obſignandam viſionem & prophetiam*. Hic verbum obſignandi duobus modis ſumi poteſt, vel quod adventus Chriſti ſanciet quicquid ante prædictum fuerat: & conveniet optime metaphora: vel poſſumus etiam aliter accipere, nempe quod obſignabitur viſio, hoc eſt, tandem claudetur, ita ut deſinant eſſe prophetiæ. Barbinel hic magnam abſurditatem ſe proferre exiſtimat, quum dicit minime eſſe conſenta-

Agrippa, quem certum eſt fuiſſe occiſum, quum Auguſtus imperium adeptus eſſet. Quærunt tantum quid dicant: & hoc ſanis & modeſtis lectoribus ſatis erit conſpicuum, nempe eos ſine judicio & ſine pudore futiliter vomere quicquid venit illis in buccam. Modo igitur aliquid dicant hoc illis ſatis eſt. Excuſat nebulo ille, de quo heri loquutus ſum, Barbinel, poſſe Agrippam non minori jure vocari Chriſtum quam Cyrum, quia etiamſi ad Romanos defecerit, dicit hoc invitum feciſſe, & fuiſſe cultorem Dei: etiamſi conſtet fuiſſe apoſtatam, tamen dicit non fuiſſe deterrimum inter alios omnes. Ideo vult hunc Chriſtum vocari. Sed primum ſcimus Agrippam non fuiſſe legitimum Regem, & tyrannidem illam
Gen. 49. pugnaſſe cum oraculo Jacob, quoniam abreptum
verſ. 8. fuit ſceptrum à tribu Jehudah. Non poteſt igitur ullo modo vocari Chriſtus, etiamſi ſuperaſſet omnes Angelos & ſapientia, & virtute, & potentia, & modis omnibus. Hic enim agitur de legitima gubernatione populi: non reperietur in perſona Agrippæ. Sequitur ergo, Judæos eſſe prorſus falſarios. Deinde accedit aliud argumentum, *quod confirmabit fœdus cum multis*. Et hanc quoque partem nimis improbe, & abſque ulla verecundia eludunt Judæi. Torquent hoc ad Veſpaſianum, & Titum. Miſſus enim fuerat in Syriam, & Orientem Veſpaſianus à Nerone. Et verum quidem eſt, ne faceret gravem jacturam militum, tentaſſe omnes conditiones pacis, & blanditiis etiam pellexiſſe Judæos, quantum in ſe erat, ut ſe potius dederent, quam extrema omnia experirentur. Hoc verum eſt, quod hortatus fuerit Veſpaſianus Judæos ad pacem: deinde Titus poſtquam pater in Italiam trajecerat, ſequutus fuerit illud conſilium: ſed an hoc eſt confirmare fœdus? Hic ubi de rebus maximis diſſerit Angelus Dei, & complectitur totum Eccleſiæ ſtatum, faceſſant illi garritus, quod voluerint fœdus paciſci Romani duces cum populo, hoc eſt, tentaverint an poſſent per deditionem potiri imperio Orientali, an vero neceſſe eſſet confligere totis viribus ad urbem expugnandam. Illud enim eſt nimis inſulſum. Conſtat igitur, Judæos non tantum deſtitui ratione, dum locum hunc exponunt de continua Dei vindicta, & excludunt ejus gratiam & reconciliationem cum populo, ſed etiam prorſus eſſe improbos, & ſine pudore verba projicere, ut tantum offundant tenebras. Interea tamen deprehenditur eorum vanitas, quia nullus color ſubeſt eorum commentis. Venio nunc ad vetuſtos Scriptores. Hieronymus, ſicuti heri breviter attigi, varias opiniones rejicitat. Sed antequam de ſingulis tractemus, paucis reſpondendum eſt ad calumniam illius impuri Rabbini, vel canis, nempe Barbinel. Ut eripiat tam fidem quam auctoritatem omnibus Chriſtianis, objicit illos inter ſe diſſidere. Quaſi vero diſſidium inter homines non ſatis exercitatos in Scripturis veritatem prorſus evertat. Quid ſi etiam viciſſim adverſus eum objicere mihi libeat, non eſſe conſenſum inter ipſos Judæos? Nam ſi quis velit colligere diverſas eorum ſententias, poſſet etiam hac in parte quaſi victor exultare, quod inter Rabbinos non conveniat. Imo non ſatis oſtendit quantopere inter ſe pugnent Chriſtiani. Ego autem plus illi multo concedam, quam poſtulet. Fuit enim rabula duntaxat ignarus rerum omnium, niſi quod parata erat loquacitas & petulantia. Et ideo non dubium eſt, quin valde plauſibiles ſint ejus libri inter Judæos, qui nihil aliud quærunt. Sed ſumit Aphricanum, & Lyranum, vel Nicolaum de Lyra, Burgenſem, & quendam magiſtrum Remundum. Scilicet non potuit alios nominare, ut Euſebium, Origenem, Tertullianum, Hypolitum, Apollinarem, Hieronymum, Auguſtinum, & alios ſimiles. Videmus ergo ut ille nebulo perfrictæ frontis, de rebus incognitis auſus fuerit balbutire. Sed quemadmodum jam dixi, fateor multum inter ſe diſcrepare Chriſtianos. Euſebius ipſe cum Judæis nomen Chriſti accipit de Sacerdotibus, & putat quum de morte Chriſti loquitur Angelus notari mortem Ariſtobuli, qui occiſus fuit. Illud eſt pluſquam inſulſum. Ille tamen eſt ex noſtris: verum eſt, ſed lapſus eſt inſcitia & errore. Aphricanus rectius quidem ſentit, ſed tamen male tempus inchoat à Dario filio Hyſtaſpis, ut poſtea dicam. Deinde etiam errat in altero capite, quod ſumit annos lunares, ſicuti & Lyranus facit. Nec dubium eſt, quin fuerit hoc cavillum, quia non reperiebant ſuos annos, excogitarunt poſſe perfici totum numerum ſi ἐμβολισμοὺς ſimul ponerent cum annis quadringentis & nonaginta, hoc eſt, intercalationes. Nam antequam anni digeſti eſſent ad curſum ſolis, ſolebant veteres conficere annum ex lunis duodecim, poſtea intercalabant menſem unum. Sic ergo illi imaginati ſunt, poſſe totum numerum confici, ſi illos ἐμβολισμοὺς ponerent una cum annis illis, qui hic numerantur à Propheta. Hoc etiam libere repudio. Jam Hypolitus in alio etiam errat. Nam rejicit ſeptem hebdomadas in tempus quod ſequutum eſt Chriſti mortem & reſurrectionem. Hac in re conſentit cum Judæis. Jam Apollinaris prorſus delirat. Putat enim exordium debere ſumi à Chriſto nato, & ita hoc vaticinium trahit uſque ad finem mundi, ſicuti etiam Euſebius quodam loco, qui ſecum pugnat, ultimam hebdomadam ponit pro ſeculis omnibus, donec ad mundi interitum perventum fuerit. Ego igitur hæc omnia ingenue confiteor falſa eſſe, ſed tamen non propterea intercidet Dei veritas. Quomodo igitur certum aliquid deprehendemus? Neque enim ſufficeret refutare quod alii inſcite tradunt, niſi veritas ipſa patefieret, deinde niſi certis & ſolidis rationibus comprobaretur. Ego libenter parcerem nominibus eorum qui adhuc ſunt ſuperſtites, vel qui noſtro tempore vixerunt: ſed tamen dicam quod utile erit lectoribus, & interea parce loquar, quia niſi quid erit cognitu utile & quaſi neceſſarium libenter tacebo. Si cui placeat, atque etiam vacet diligentius per otium inquirere de tempore, cujus hic fit mentio, OEcolampadius recte admonet & prudenter, ſupputationem debere fieri à mundi exordio. Nam uſque ad templi ruinam & excidium urbis, certo colligitur quot anni effluxerint à mundi creatione: in eo nullus poteſt eſſe error. Exſtat enim annorum ſeries in Scriptura. Sed deſtituit poſtea ſuos lectores, quoniam à ruina templi leviter, & ſine magna diligentia annos ſupputat, ut accepit ab Euſebio, vel ab aliis. Ita fit, ut à populi reditu uſque ad Chriſti adventum reperiantur anni quingenti & quadraginta. Videmus ergo non poſſe ſatisfieri ſanis lectoribus, ſi tantum colligant annos, ut illic eos OEcolampadius recenſet. Dominus Philippus, ut ingenio doctrinaque excellit, ac feliciter verſatus eſt in omnibus hiſtoriis, ponit duplicem ſupputationem. Exordium unius ſumit à ſecundo anno Cyri, hoc eſt, ab initio Monarchiæ Perſarum: ſed putat ſeptuaginta hebdomadas finiri circiter mortem Auguſti, hoc eſt, quo tempore natus eſt Chriſtus. Ut autem ad Chriſti baptiſmum perveniat adjungit aliam ſupputationem, quam orditur à tempore Darii; & ita edictum cujus hic fit mentio, intelligit illud quod profectum eſt à Dario filio Hyſtaſpis, quoniam interrupta fuerat templi ædificatio per annos ſexaginta ſex, vel circiter. Quantum attinet ad hanc ſupputationem, mihi nullo modo probatur. Et tamen fateor non poſſe aliter exponi locum hunc ubi dicit Angelus *uſque ad Chriſtum ducem*, niſi de Chriſti baptiſmo. Hæc igitur duo tenenda, meo judicio, ſunt, nempe hebdomadas ſeptuaginta incipere à Monarchia Perſarum, quia tunc liber reditus conceſſus fuit populo: deinde non accipere finem niſi ad baptiſmum Chriſti, quum in medium prodiit, ut ſatisfaceret muneri ſibi à Patre injuncto. Sed nunc videndum eſt, an conveniat annorum numerus.

Hic

Hic fateor tantam eſſe diſcrepantiam inter vetuſtos Scriptores, ut conjectura utendum ſit, quia non ubique poteſt nobis liquere certa ratio, ut digito res monſtretur. Scio hoc fore obnoxium quorundam calumniis, qui cuperent reddere omnia incerta, imo caliginem offundere claræ luci. Nam profani, & Epicurei homines cupide hoc arripiunt, ubi aliquid vident eſſe diſſenſionis, ut oſtendant nullam eſſe doctrinæ certitudinem. Itaque ſi videant interpretes non eodem ſemper ore loqui, ſed diſſentire in minimo apice, hinc colligunt, omnia igitur eſſe tenebris implicita. Sed eorum protervia nos terrere non debet, quia etiamſi in profanis hiſtoriis aliqua occurrat diſſenſio, non tamen ideo dicemus fabuloſum eſſe quicquid narratur. Sumamus Græcas hiſtorias, quantopere inter ſe Græci variant? Si quis hoc prætextu abjiciat omnes, & dicat ficta eſſe quæcunque ab ipſis traduntur, nonne omnes clamabunt ipſum eſſe nimis impudentem? Jam ſi non aperte repugnent Scriptores inter ſe, ſed aliquid ſit vel in annis vel in locis diverſum, an propterea dicent, omnes eſſe mendaces? Atqui ſcimus in omnibus Hiſtoricis aliquid eſſe diverſum: & tamen non ideo perdunt ſuam auctoritatem: citantur, & illis adhibetur fides. Quantum ergo ad præſentem locum attinet, fateor, nec poteſt hoc negari, eſſe multam controverſiam de annis inter omnes Scriptores tam Græcos, quam Latinos. Hoc eſt verum: ſed interea an ſepeliemus quicquid geſtum eſt, & putabimus mundum tunc quaſi fuiſſe interruptum? Conſtat poſtquam Cyrus ad Perſas tranſtulit potentiam Orientis, ſequutos fuiſſe aliquos Reges: quot fuerint Reges non convenit: deinde quamdiu, & quot annis quiſque regnaverit, hic Scriptores diſſentiunt. Tamen in ſumma tandem eſt aliquis conſenſus. Nam alii numerant fere uſque ad annos ducentos: alii centum & viginti quinque: alii ſunt medii, & quindecim annis ſecundos ſuperant. Quicquid ſit, conſtat fuiſſe aliquam ſucceſſionem inter Reges Perſarum, deinde fuiſſe tranſactos complures annos, antequam Alexander Macedo adeptus eſt Monarchiam totius Orientis. Hoc quoque ſatis conſtat. Jam à morte Alexandri etiam colligitur aliquis annorum numerus. Citat Philippus locum ex Ptolemæo, ubi ponuntur anni 292. Sed multa etiam teſtimonia adduci poſſunt, quæ ſpatium illud temporis confirmant. Si quis objiciat, potuiſſe annos numerari vel per luſtra, ſicuti mos fuit receptus à Romanis, vel per Olympiadas: fateor vix potuiſſe obrepere quicquam erroris, quantum ad Olympiadas ſpectat. Fuit enim magna Græcorum diligentia, vel potius curioſitas, ut cupidi erant gloriæ. Sed hoc non poteſt certo trahi ad imperium Perſarum, quoniam qua quiſque Olympiade Rex vixerit, & quoto anno auſpicatus ſit regnum, & quoto etiam anno aliquis mortuus fuerit, hoc non poteſt certo animadverti. Quicquid ſit, veriſſimum eſt quod dixi, nempe etiamſi protervi homines inſurgant, & obtenebrent claram lucem, non poſſe tamen hoc extorqueri, quin ex hiſtoriis tam Græcis quam Latinis colligere liceat ſummam aliquam temporum, quæ facile conveniat cum vaticinio Danielis. Si quis autem abſque contentione, ſed diſcendi ſtudio conferat omnes hiſtorias, & annos ſedulo numeret, reperiet non potuiſſe melius annos ſubduci, quam hic ſit ab Angelo per ſeptuaginta hebdomadas. Exempli gratia, ſi quiſpiam ſtudioſus, & homo etiam acutus & ſolers, & peritus rerum, poſtquam evolverit quicquid Græce & Latine ſcriptum eſt, per capita diſtinguat quicquid tradunt ſinguli, & poſtea comparet Scriptores ipſos inter ſe, & ſtatuat quantum quiſque mereatur fidei, & quam ſit idoneus & claſſicus teſtis, reperiet ſummam quæ hic traditur à Propheta. Hoc ſufficere nobis debet. Sed interim etiam tenendum eſt, inſcitiam horum temporum magna ex parte natam eſſe ex conſuetudine Perſarum, quoniam ſi quis ſuſceperat expeditionem bellicam, ſubrogabat filium ſuum. Ita regnavit Cambyſes ſecundum quoſdam, annos 20, ſecundum alios annos 7, nempe quia patre vivo jam diadema impoſitum fuerat ejus capiti. Deinde alia etiam fuit ratio. Scimus Orientales populos eſſe tumultuoſos, quia ut ſunt agiles, ſic etiam ſemper appetunt res novas. Exoriri igitur poterat aliqua contentio inter germanos fratres, quemadmodum ita accidit, ut videmus referri ab Herodoto, præſertim illum nomino inter alios: ſed tamen res ſatis nota eſt. Quum patres viderent periculum eſſe inter fratres ne ſeſe mutuo conficerent, ſolebant Regem creare: ſi quis præferre volebat filium minorem natu, illum ex conſilii ſententia vocabat Regem. Sic ergo permixti fuerunt anni, ut non conſtet certa ratio. Et ideo dixi, etiamſi Olympiades nunquam poſſent fallere, tamen non poſſe hoc transferri ad Perſarum imperium. Proinde ſi qua ſit diverſitas & repugnantia, ſi qua etiam caligo: huc tamen ſemper redire oportet, poſſe aliquam ſummam colligi, quæ conveniat cum hoc vaticinio Prophetæ. Ego igitur hic non numerabo annos ſingulos, ſed tantum vos monebo, ut quiſque pro ſuo captu expendat quod legitur in hiſtoriis. Ita acquieſcent omnes ſani & modeſti, quia videbunt optime congruere hoc Danielis vaticinium cum omnium profanorum teſtimoniis, quantum ad ſummam ſpectat, ſicuti dixi. Quod autem dixi initium ſumendum eſſe à Cyri Monarchia, certo colligitur ex verbis Angeli, præſertim ex partitione hebdomadum. Dicit enim *hebdomadas ſeptem ſpectare ad reparationem urbis & templi.* Neque enim ullis cavillis poteſt corrumpi quod hic dicit Propheta, nempe *ab exitu edicti de reductione, & ædificanda urbe uſque ad Meſſiam ducem eſſe hebdomadas ſeptem*: deinde *hebdomadas ſexaginta duas.* Poſtea adjungit, *Poſt hebdomadas ſexaginta duas excidetur Chriſtus.* Quum ergo ponit *ſeptem hebdomadas* primo loco, & diſerte exprimit initium temporis ſe facere à promulgatione edicti, quorſum ſpectarent ſeptem iſtæ hebdomades, niſi referantur ad tempus medium à Monarchia Cyri uſque ad tempus Darii, qui filius fuit Hyſtaſpis? Conſtat tam ex hiſtoria Machabæorum, quam ex teſtimonio Joannis: deinde etiam poteſt idem colligi ex vaticiniis Aggæi & Zachariæ, nempe templi ædificationem fuiſſe interruptam per annos 46. Permiſerat Cyrus populo templum extruere: jacta ſunt fundamenta, profectus eſt Cyrus ad bellum Scythicum, ſtatim coacti ſunt ceſſare Judæi, ſucceſſor ejus Cambyſes infeſtus fuit populo. Ideo dicunt Judæi apud Joannem, Quadraginta ſex *Joan. 2. verſ. 20.*
annis extructum fuit hoc templum, & tu triduo illud ædificabis? Ut derideant Chriſtum, quia dixerat, Deſtruite hoc templum, & triduo excitabo illud, quod tunc tritum erat & quod acceperant olim à Patribus per manus, objiciunt quadraginta ſex annis fuiſſe extructum templum. Addamus tres annos, quibus jacta ſunt fundamenta, ita fient ſeptem hebdomades, hoc eſt, anni 49. Quum ergo eventus ipſe palam oſtendat completum fuiſſe quod prædixerat Danieli Angelus, quiſquis hic tergiverſari volet, nonne prodet ſuam impudentiam? Et nonne poterit merito rejici, quia obſcuret res tam claras & manifeſtas? Poſtea tenendum eſt memoria quod prius dixi. Nam heſterna lectione vidimus deciſas fuiſſe ſuper populum ſeptuaginta hebdomadas: Angelus autem ſimul dixerat egreſſum fuiſſe edictum, ex quo precatus fuerat Daniel. Nunc quid opus eſt rem tam certam in dubium vocare, & adhuc litigare, ubi Deus pronunciat exordium ſeptuaginta hebdomadum eſſe in ipſo termino annorum ſeptuaginta, quemadmodum præfixerat Jeremias? Certum enim eſt, ſeptuaginta annos & ſeptuaginta hebdomadas ſimul conjungi. Quum ergo contigua ſint hæc duo tempora, quiſquis trahit ad Darium Hyſtaſpis quod hic dicitur,

tur, ille primo abrumpit quæ inter ſe cohærent quaſi individuo nexu: deinde pervertit totam rationem, quia ſicuti heri dictum fuit, Angelus opponit conſolationem mœrori. Per ſeptuaginta annos populus fuerat miſere afflictus in exilio: & illa erat abdicatio quædam, acſi Deus non agnoſceret filios Abrahæ pro gente ſua & hæreditate. Quum ergo hoc fuerit Dei conſilium, ſatis conſtat exordium ſeptuaginta hebdomadum non poſſe aliter accipi, quam ſi ad Cyri Monarchiam referatur. Hoc unum eſt. Jam quod attinet ad ſexaginta duas hebdomadas, etiamſi non ſatisfaciam omnibus, tamen ego hac ſimplicitate contentus ſum, & confido etiam omnes ſanos & modeſtos Chriſti diſcipulos facile in hoc poſſe acquieſcere: quod ſi anni numerentur à regno Darii uſque ad Chriſti baptiſmum, reperientur ſexaginta duæ hebdomades, vel circiter. Quemadmodum dixi, non poſſum ſingulos dies nec ſingulos menſes, neque etiam ſingulos annos numerare: ſed qualis erit iſta moroſitas, ſi repudiare velimus quicquid tradunt hiſtorici, quia non conſentiunt per omnia in ſingulis annis? Quicquid ſit, reperiemus inter tempus Darii & Chriſti mortem, annos quadringentos & ſupra octoginta. Ideo autem neceſſe eſt annos producere uſque ad Chriſti baptiſmum, quia quum de ultima hebdomade loquitur Angelus, diſerte hoc ponit, *confirmatum iri fædus eo tempore*, deinde etiam, *Meſſiam occiſum iri.* Quum ergo hoc factum ſit ultima hebdomade, neceſſe eſt, quemadmodum dixi, tempus extendere uſque ad prædicationem Euangelii. Et hac etiam ratione Chriſtus dux vocatur, quia etſi quum in utero conceptus eſt jam deſtinatus erat Rex cæli & terræ, non tamen auſpicatus eſt regnum ſuum donec in medium prodiret magiſter, & redemptor populi. Ergo antonomaſia eſt in voce ducis, quaſi diceret Angelus finem ſeptuaginta hebdomadum tunc fore, quum Chriſtus profeſſus fuerit ſe datum eſſe Regem populo, qui colligeret illum ex miſera illa & horribili diſſipatione, in qua fuerat ad longum tempus demerſus. Reliqua in diem craſtinum differam.

Da omnipotens Deus, quum ſervi tui olim ante exhibitionem unigeniti Filii tui ſe oraculis ſuſtentaverint, quibus nondum conjunctus erat effectus: ut nos hodie poſtquam ſeſe nobis per Euangelium tam clare patefecit Dominus noſter, diſcamus in ipſum recumbere: & ita ſtare firmi & conſtantes in fide Euangelii ipſius, ut inter omnes turbas & tumultus hujus mundi nunquam fluctuemur: ſed pergamus ſemper in curſu ſanctæ vocationis tuæ, donec tandem defuncti omnibus certaminibus, perveniamus in beatam illam quietem, quæ nobis repoſita eſt in cælo, per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Amen.

PRÆLECTIO QUINQUAGESIMA PRIMA
IN
DANIELEM.

Heſterna lectione expoſui quid mihi videatur de ſeptuaginta hebdomadibus. Nunc redeo ad Prophetæ verba, quæ tantum breviter attigeram. Primo dicit *ſeptuaginta hebdomadas deciſas eſſe ſuper populum, & ſuper urbem ſanctam*: quibus verbis intelligit primo, ſub fide & patrocinio Dei fore Iſraëlitas, donec adveniat Chriſtus: deinde venturum Chriſtum antequam effluxerit quingenteſimus annus. Hæc igitur duo Angelus pronunciat, ut fideles ſecum reputent Deum non eſſe oblitum fœderis ſui, atque ita ſe in omnibus curis ſuis & moleſtiis ſuſtineant. Sequitur nunc inſignis locus de officio Chriſti. Docet enim Angelus quid à Chriſto ſperandum ſit, & primo loco ſtatuit remiſſionem peccatorum. Eam vero tribus loquendi formis deſignat, *Ad prohibendum*, vel claudendum *ſcelus*, inquit, *ad obſignandum peccatum, & expiandam iniquitatem.* Non mirum eſt ſi Angelus pluribus verbis rem adeo neceſſariam exprimat. Videtur quidem ſupervacua eſſe congeries verborum, ſed quoniam ſcientia ſalutis compre-
Luca 1. henditur in hoc capite, nempe ut ſciamus nos Deo
verſ. 77. reconciliari per gratuitam veniam: hæc ratio eſt cur pluribus verbis Angelus hac in parte inſiſtat. Cæterum memoria repeter econvenit quod diximus nudiuſtertius, nempe ſubeſſe antitheſin inter remiſſionem, qualis hodie nobis offertur in Euangelio, & qualis olim ſub Lege Patribus etiam fuit oblata. Neque enim à mundi creatione potuit quiſquam Deum invocare tranquillo animo, & certa fiducia, niſi ſpe veniæ fretus. Nam ſcimus omnibus nobis clauſam eſſe januam, quia merito ſumus Deo exoſi. Ergo niſi præluceat doctrina de gratuita remiſſione peccatorum, nulla erit invocandi Dei libertas, & ſimul etiam extincta erit omnis ſpes ſalutis. Sequitur ergo, Patres etiam ſub Lege hoc commune beneficium habuiſſe nobiſcum, quod certo perſuaſi erant Deum ſibi propitium eſſe, quia ignoſceret eorum peccatis. Quid ergo hoc ſibi vult, Chriſtum ſuo adventu obſignaturum peccata, & expiaturum iniquitates? Hic quemadmodum dixi, oſtenditur diſcrimen inter ſtatum veteris & novæ Eccleſiæ. Nam Patres ſperarunt quidem ſibi peccata remitti, ſed conditio eorum fuit inferior duobus modis. Neque enim tam luculenta erat tunc doctrina, neque tam plenæ & firmæ promiſſiones. Præcellimus igitur
eos hac parte, quod Deus teſtatur ſe nobis eſſe pa- *Rom.* 8.
trem, ita ut liberum ſit nobis intrepide ad ipſum *verſ.* 15.
confugere: & deinde accedit etiam quod Chriſtus *Gal* 4: 6.
ſanguine ſuo nos Patri reconciliavit. Ergo præter doctrinam, ſimul etiam ſuperiores ſumus ipſo effectu vel complemento, quoniam non tantum hodie promittit nobis Deus peccatorum veniam, ſed teſtatur & confirmat peccata noſtra deleta eſſe, & abolita Chriſti Filii ſui ſacrificio. Diſcrimen ergo hoc aperte ab Angelo notatur, ubi dicit *clauſum iri peccata, & obſignatum, etiam iniquitatem expiatum iri quum* advenerit Chriſtus. Ideo prius dictum fuit hic melius aliquid promitti, quam Patres experti fuerant ante Chriſti exhibitionem. Videmus ergo quomodo Chriſtus *clauſerit peccata, & obſignaverit ſcelera, & iniquitatem expiaverit*, nempe quia non tantum doctrinam attulit de gratuita venia, nec tantum pollicitus eſt Deum fore exorabilem populo, quia eorum iniquitati ignoſcere vellet, ſed re ipſa etiam præſtitit quod ad reconciliandos homines Deo neceſſe erat. Sanguinem enim ſuum fudit, quo delevit peccata noſtra: deinde ſe in victimam expiatricem expoſuit, & ſacrificio mortis ſuæ ſatisfecit Deo, ita ut abſolverit nos à reatu. Sæpe Moſes utitur hoc verbo *Chatac* quum de ſacrificiis loquitur: ſed Angelus oblique hic docet expiationes omnes Legales fuiſſe figurativas duntaxat, & nihil in illis fuiſſe præter umbram. Nam ſi vere tunc expiata fuiſſent peccata, nihil opus erat Chriſti adventu. Si igitur expiatio fuit uſque ad Chriſti exhibitionem ſuſpenſa, ſequitur in Lege nullum fuiſſe ſolidum piaculum, ſed umbratiles dumtaxat fuiſſe omnes illas ceremonias. Poſtea adjungit, *ut adducatur juſtitia æterna.* Hæc juſtitia pendet ab expiatione. Unde

enim

enim fit, ut Deus fideles cenſeat juſtos, vel illis im-
Rom 4. putet juſtitiam, quemadmodum loquitur Paulus,
verſ. 11. niſi quia ſepelit ac tegit eorum peccata, vel quia
purgati ſunt Chriſti ſanguine? & placatus eſt Deus
ipſe ſacrificio Filii ſui? Conjunctim ergo hæc le-
genda ſunt, *quod expiabitur iniquitas, & proferetur*
in medium æterna juſtitia. Neque enim reperietur
unquam in homine mortali juſtitia, niſi eam mutue-
tur à Chriſto: & ſi quis propriè loqui velit, non
alibi ſita nobis juſtitia eſt, quam in venia gratuita,
quam conſequimur Chriſti ſacrificio. Interea tamen
non abs re Scriptura diſtinctè ponit remiſſionem pec-
Rom. 4. catorum & juſtitiam, ſicuti etiam Paulus dicit, Chri-
verſ. 25. ſtum propter peccata noſtra mortuum eſſe, & re-
ſurrexiſſe propter juſtitiam noſtram. Morte enim
ſua perfunctus eſt ſatisfactione, ita ut non ſimus jam
ſub reatu, nec ſimus obnoxii judicio æternæ mor-
tis: reſurrectione tamen juſtitiam nobis peperit,
ſicuti acquiſivit vitam æternam. Quod autem juſtitia
perpetua, vel ſeculorum à Propheta hic ponitur,
ratio eſt, quoniam ſubinde coacti fuerunt Patres ſub
Lege placare Deum quotidianis ſacrificiis. Non
opus fuiſſet repetere ſacrificia, quemadmodum
Hebr. 10. Apoſtolus admonet, ſi qua fuiſſet in uno ſacrificio
verſ. 2. idonea virtus ad placandum Deum. Sed quoniam
omnes ritus Legales tendebant in hunc finem, ut
Chriſtus eſſet unica & perpetua victima ad recon-
ciliandos homines Deo, oportuit quotidie ſacrificia
offerri. Unde palam factum eſt, quemadmodum
ante diximus, non ſufficere illas ſatisfactiones ad
juſtitiam acquirendam. Ergo Chriſtus ſolus æter-
nam juſtitiam attulit, quoniam ſufficit mors ejus
unica ad expiandas omnes transgreſſiones. Neque
enim Chriſtus ſubinde patitur, ut ſatisfaciat pro pec-
catis noſtris, ſed proponit nobis mortem ſuam, in
qua acquieſcamus. Hæc igitur æternitas juſtitiæ pen-
det ex effectu mortis Chriſti perpetuo, quoniam acſi
flueret ſanguis Chriſti coram Deo, quotidie ablui-
mur & purgamur à ſordibus noſtris, & quotidie
etiam nobis placatur Deus. Videmus ergo non fuiſſe
ſolidam juſtitiam ſub Lege, ſed hodie nobis in Euan-
gelio proponi. Sequitur, *Ad obſignandam viſionem*
& prophetiam. Duobus modis poteſt accipi hoc
membrum, quia ut ante docui, Chriſtus obſignavit
omnes prophetias & viſiones, quoniam in ipſo ſunt
2 Cor. 1. Etiam, & Amen, ſicuti loquitur Paulus primo cap.
verſ. 20. ſecundæ ad Corinth. Quoniam igitur in Chriſto
ratum fuit, & completum quicquid pollicitus fue-
rat Deus in ſalutem fidelium, ideo non abs re in ejus
adventu Angelus affirmat *obſignatum iri viſionem &*
prophetiam. Ille eſt unus ſenſus. Alter vero, Obſi-
gnabitur viſio, quoniam deſinet: quaſi diceret An-
gelus Chriſtum impoſiturum finem vaticiniis, nempe
quia diverſa eſt noſtra & Patrum ratio. Deus enim
Hebr. 1. multis modis olim loquutus eſt, quoniam ſuſpenſus
verſ. 1. erat Eccleſiæ ſtatus & magna rerum varietas. Ubi
autem Chriſtus nobis patefactus eſt, jam ventum eſt
ad ipſam clauſulam. Et ideo adventus ejus vocatur
Galat. 4. plenitudo temporum quarto ad Galatas capite: &
verſ. 4. alibi etiam idem Paulus dicit Fines temporum ad
1 Cor. 10. nos perveniſſe, quia ſcilicet expectamus ſecundum
verſ. 11. Chriſti adventum, neque opus eſt novis prophetiis,
quemadmodum olim, ubi res adhuc obſcuræ erant,
& Deus populum ſuum quaſi ſub obſcura nube re-
gebat. Alia eſt hodie noſtra conditio. Ergo nihil
mirum, ſi pronunciet Angelus *obſignatum iri omnes*
Mat. 11. *viſiones & prophetias*, quia Lex & Prophetæ uſque
verſ. 13. ad Joannem: ab eo autem tempore cœpit promul-
Luc. 16. gari regnum cælorum, hoc eſt, Deus multo clarius
verſ. 16. apparuit quam olim. Nam viſionis etiam nomen
aliquid vel obſcurum, vel ambiguum ſonat. Nunc
autem illuxit nobis Sol juſtitiæ Chriſtus, & ſumus
quaſi in meridie, ita ut Lex non ſit amplius nobis
lucernæ inſtar ad gubernandam vitam noſtram:
quia Chriſtus viam ſalutis pleno fulgore nobis de-
monſtrat. Nec dubito quin Angelus ita diſcernere
voluerit inter obſcuram Legis doctrinam & veteres
figuras, atque inter apertam lucem Euangelii. Porro
nomen Prophetiæ tam pro ipſo munere Prophetico
quam pro vaticiniis accipitur. Poſtea addit, *Ad un-*
gendum Sanctum ſanctorum. Alludit etiam hic An-
gelus ad ritum conſecrationis qui obſervatus fuit
ſub Lege. Tabernaculum enim conſecratum fuit
unctione una cum ſuis appendicibus. Sed hic ſigni-
ficat unctionem perfectam, & vere ſpiritualem
differri uſque ad Chriſti adventum. Chriſtus autem
ipſe proprie & merito vocatur Sanctus ſanctorum,
vel Tabernaculum Dei, quia ſcimus corpus ejus eſſe Col. 2: 9.
templum deitatis, & ſcimus quærendam ab ipſo eſſe
ſanctitatem. Ergo Propheta hic admonet unctio-
nem Sanctuarii ſub Lege fuiſſe duntaxat meram figu-
ram: in Chriſto autem eſſe firmam rei exhibitio-
nem, quia non tantum ungatur viſibili oleo, ſed
modo ſpirituali, quoniam ſcilicet requieſcet Spiri-
tus Dei ſuper ipſum cum omnibus donis ſuis. Pro-
pterea dicit Joan. 17. cap., Propter eos ſanctifico Joan. 17.
meipſum. Jam ſequitur, *Et cognoſces & intelliges ab* verſ. 19.
egreſſu verbi, vel decreti, *pro reductione* (vel de re-
ductione) *& de ædificanda Jeruſalem uſque ad Chri-*
ſtum Ducem, hebdomadas ſeptem, & hebdomadas
ſexaginta duas, & revertatur populus, vel reducatur,
& ædificetur platea, & murus, vel foſſa, *idque* (ſic
enim reſolvo copulam) *in anguſtia temporum.* Par-
titur, quemadmodum diximus, tempus illud quod
præfixerat uſque ad perfectionem Eccleſiæ. Primo
loco ſeorſum ſtatuit hebdomadas ſeptem, poſtea
adjungit hebdomadas ſexaginta duas, unam relin-
quit, de qua poſtea loquetur. Cur autem ſeptem
hebdomadas à reliquis diſcernat ſtatim explicat, ut
non opus ſit alio interprete. Quantum ad egreſſum
edicti pertinet, diximus non poſſe aliter hoc intel-
ligi, quam de primo Cyri edicto, quo permiſſa
fuit populo libertas repetendæ patriæ. Nam hoc
clare demonſtrant ſeptem hebdomades, quæ effi-
ciunt annos quadraginta novem. Scimus autem à
principio Monarchiæ Perſicæ uſque ad regnum Da-
rii, qui filius fuit Hyſtaſpis, gentes omnes vicinas
fuiſſe infeſtas Judæis, ut abrupta fuerit templi ædi-
ficatio, & urbis ſimul. Quanquam ergo liberum
populo fuerat redire in patriam, fuerunt tamen illic
hoſtiliter vexati, ut fere pigeret eos gratiæ Dei.
Major enim pars optaſſet priſtinum exilium præ
moleſta & inquieta vita, quam agebat inter crude-
liſſimos hoſtes. Hæc igitur ratio eſt, cur Angelus
præmoneat ſeptem hebdomadibus poſtquam redu-
ctus populus erit, tamen non ſperandum eſſe, ut
pacatam vitam agant, & ſine ullo incommodo ædi-
ficent urbem & templum: quia hoc futurum eſſe
pronunciat *in anguſtia temporis.* Per vocem *Tſok* non
intelligit brevitatem, ſed potius ſignificat anxia fore
tempora, quia ſcilicet multas moleſtias inferent
omnes vicini miſero populo. Operæpretium vero
fuit pios hac præmonitione fulciri, ne abjicerent
ædificandi ſtudium, vel deſponderent animos, quum
illis tot incommoda ferenda eſſent. Scimus enim
quam magnifice concionati fuerint Prophetæ de fe-
lici Eccleſiæ ſtatu poſt reditum: quia res longe di-
verſa erat, poterant fideles ita quaſi deſperatione
ſubmergi, niſi Angelus hoc vaticinio eos suble-
vaſſet. Ergo videmus quam utilis fuerit tunc admo-
nitio. Sed ſimul etiam exemplum hoc ad nos trahen-
dum eſt. Tametſi enim admirabile Dei beneficium
fuerit, quod rurſus emerſit pura Euangelii doctrina
ex horrendis illis tenebris, quibus multis ſeculis
obruta fuerat: tamen videmus quam res ſint turbu-
lentæ, quoniam non deſinunt impii furioſe oppu-
gnare miſeram Eccleſiam, vel gladio, vel linguis
virulentis: domeſtici hoſtes clandeſtinis artibus ſub-
vertere moliuntur ædificium: ſcelerati omnem or-
dinem diſſipant; multa interveniunt ad impedien-
dos

dos progreſſus. Deus ergo vult hodie quoque ſpirituale templum ſuum extrui *inter temporum anguſtias*, ut fideles manu una trullam geſtent, quemadmodum habetur in libro Nehemiæ, altera autem geſtent gladium, quia ædificium Eccleſiæ conjunctum eſt cum multis certaminibus. Poſtea ſequitur, *Nehem 4. verſ. 17.*

26. Et poſt hebdomadas ſexaginta duas excidetur Chriſtus, & nihil erit: & urbem & ſanctuarium perdet populus ducis venientis, & finis ejus cum inundatione *erit*, (*vel in diluvio*) & ad finem belli definitio deſolationum.

Hic Daniel ſubnectit ſexaginta duas hebdomadas, ab anno ſexto Darii uſque ad Chriſti baptiſmum, quo Euangelium cœpit promulgari: interea non excludit ſeptem hebdomadas, de quibus loquutus fuerat. Nam comprehendit ſpatium temporis, quod interceſſit inter Monarchiam Perſarum, & ſecundum edictum quo iterum data fuit libertas populo poſt mortem Cambyſis. *Poſt hebdomadas* igitur *ſexaginta duas*, nempe quæ ſuccedent illis ſeptem prioribus, *excidetur Meſſias*, inquit. Hic Angelus prædicit mortem Chriſti. Nam quod Judæi hoc referunt ad Agrippam, nugatorium eſt, ſicuti diximus, & inſulſum prorſus. Quod etiam Euſebius & ſimiles intelligunt de Ariſtobulo, hoc etiam caret omni ratione. Ergo hic de ſolo Mediatore loquitur Angelus, quemadmodum proximo verſu dixerat, *uſque ad Chriſtum Ducem*. Nam extendere illud ad omnes ſacerdotes, coactum eſt, atque etiam abſurdum. Potius enim intelligit Angelus Chriſtum tunc prodiiſſe ut ſuſciperet gubernationem populi: quaſi diceret, ubi Meſſias in medium prodibit, & auſpicabitur regnum ſuum. Nam diximus etiam, quoſdam nimis pueriliter errare in nomine Ducis, quaſi ſit inferius dignitate Regia. Sicuti ergo Angelus Chriſti nomen poſuerat pro Mediatore, ſic etiam hoc loco repetit nomen illud eodem ſenſu. Et certe quia prius diſſeruit de ſingularibus Dei beneficiis, quibus nova Eccleſia præcellit veterem, non poteſt hoc aliter intelligi, quam de unico Chriſto, cujus typum geſſerunt tam Sacerdotes, quam Reges ſub Lege. Ergo hic aſſerit Angelus *Chriſtum moriturum*: & ſimul deſignat mortis ſpeciem, quum dicit, *nihil ei fore*. Quanquam enim hæc particula varie accipitur, non tamen dubito quin ſignificet Angelus Chriſtum ſic moriturum, quaſi in nihilum eſſet redactus. Quidam exponunt, nihil ei urbs, vel populus, quia tunc divortium faciet à populo, & adoptio ceſſabit, quoniam ſcimus Judæos ſua perfidia ſic decidiſſe à vera pietate, ut ſimul alienati ſint à Deo, & perdiderint Eccleſiæ nomen. Sed illud eſt coactum. Alii, nihil ei erit, nempe adverſum, vel quod noceat. Alii, nihil illi reſtabit, hoc eſt, deſtituetur omni ope & auxilio. Sed omnia illa commenta videntur mihi frigida eſſe. Ego igitur non dubito hunc genuinum eſſe ſenſum, talem fore Chriſti mortem, acſi nulla eſſet ejus ſpecies, vel
Jeſa. 53. decor, quemadmodum dicitur Jeſaiæ 53. In ſumma,
verſ. 2. Angelus admonet Chriſti mortem fore ignominioſam, acſi evaneſceret è conſpectu hominum propter deformitatem. *Nihil* ergo *reſtabit ei*, inquit, nempe quoad communem ſenſum, quia putabunt homines prorſus eſſe abolitum. Jam addit, *Et urbem, & ſanctuarium perdet*, &c. Hic interſerit Angelus quod potius ſpectaret ad finem capitis. Nam redibit poſtea ad Chriſtum. Ergo hic commemorat quid futurum ſit, Chriſto occiſo: & facit præter ordinem narrationis, non tamen ſine cauſa, nempe ut ſciant Judæi non ceſſuram impune hanc impietatem, quod non tantum repudiaverint Chriſtum Domini, ſed etiam interfecerint, ac conati etiam fuerint delere ejus memoriam. Et quanquam reſpexit ſolos fideles Angelus, tamen oportuit etiam incredulos moneri, ut eſſent inexcuſabiles. Nam ſcimus quam ſupina fuerit & bruta ſocordia illius gentis, quum Chriſtum occidit. Triumphum enim egerunt & ſacerdotes, & totus populus de Chriſti morte. Ideo oportuit hoc adjungi. Sed conſuluit etiam fidelibus Angelus, quoniam poterant graviter concuti, quum audirent non modo de Chriſti morte quod diximus, ſed etiam de ignominia & abolitione. Quum ergo mors Chriſti eſſet horribilis interitus, quantum ad opinionem hominum ſpectat, poterant labaſcere omnes animi piorum, niſi Angelus obviam iviſſet. Remedium igitur hic opportune adjecit, nempe quod *dux populi venientis perdet urbem ac ſanctuarium*, quaſi diceret non eſſe cur increduli ſibi placeant vel blandiantur, ubi Chriſtus in nihilum redactus fuerit ſecundum carnis ſenſum, quia vindicta continuo poſt inſtabit, ubi ſcilicet *populus Ducis venientis perdet tam urbem, quam ſanctuarium*. *Ducem venientem* nominat, ne increduli indormiant ſuis blanditiis, quia non ſtatim proferet Deus manum ſuam ad ipſos ulciſcendos. Tametſi ergo non ſtatim apparuit Romanus exercitus, qui urbem & ſanctuarium perderet, tamen Propheta admonet venturum Ducem cum exercitu, à quo urbs & ſanctuarium perdentur. Ita non dubium eſt, quin ſignificet Deum horribilem ſumpturum vindictam de Judæis, ubi Chriſtum interfecerint. Nebulo ille Barbinel dum vult refellere Chriſtianos, dicit pluſquam ducentos annos præteriiſſe inter excidium templi, & Chriſti mortem. Quanta eſt illa inſcitia? Etiamſi nullum eſſet Euangelium & nulla fides adhiberetur Apoſtolis, profani tamen ſcriptores hanc vanitatem ſatis coarguunt. Sed tanta eſt barbaries gentis illius, & tanta illorum etiam canum protervia, ut nihil eos pudeat. Quantum ad nos ſpectat, ſatis clare colligimus Angelum hic breviter diſſeruiſſe de futura clade urbis, & excidio templi, ne fideles ſuccumberent tentationi ob Chriſti mortem: & ne etiam increduli obdureſcerent hac de cauſa. Quod quidam interpretantur populum Ducis venturi, quia Titus voluerit pulcherrimæ urbi parcere, & eam ſervare incolumem, videtur mihi eſſe nimis argutum. Simplicius igitur accipio, *Ducem cum exercitu venturum, qui urbem perdat*, & templum etiam funditus diruat. Poſtea addit, *finem ejus fore in diluvio*. Hic ſpem Angelus adimit Judæis, ne ſcilicet pertinacia ſua exiſtiment ſe quicquam lucri facturos. Scimus enim etiam in rebus deſperatis quam fuerint ſtupidi. Ergo ne ſibi fideles indulgeant cum apoſtatis illis & defectoribus, dicit, *finem ducis*, hoc eſt, Titi, *fore in diluvio*, ut ſcilicet ſubvertat urbem & ſtatum gentis, atque ita intereat penitus & ſacerdotium & nomen, & omnes etiam gratiæ Dei ſimul auferantur. Hoc ſenſu dicit *finem ejus fore in diluvio*. Poſtremo, *ad finem belli definitio deſolationum*. Nam vox *Necheretſeth*, hic vix aliter poteſt accipi, quam pro ſubſtantivo nomine. Sequitur enim poſtea plurale nomen *Somemoth*, deſolationum, vel vaſtitatum. Ad verbum eſſet, Definita, vel terminata vaſtitas. Sed hoc etiam admittunt Grammatici, & periti linguæ, poſſe ſubſtantive accipi vocem iſtam *Necheretſeth* pro definitione, quaſi diceret Angelus, Etiamſi contingat varie pugnare Judæos, ita ut ſperent ſe fore aliquando ſuperiores, & poſſe emergere, & poſſe prohibere ab ingreſſu urbis ſuos hoſtes, imo procul eos repellere, tamen finem belli non fore alium, quam ut vaſtentur prorſus, quia illorum interitus præfinitus eſt. Duo igitur hic notanda ſunt, ſpem eripi Judæis, ut ſciant ſibi neceſſario pereundum eſſe: deinde cauſam ſimul aſcribi, quia ſcilicet Deus hoc apud ſe ſtatuerit, & inviolabile ſit ejus decretum. Poſtea ſequitur,

27. **Et roborabit (*confirmabit*) fœdus multis, hebdomade una: & dimidia hebdomade quieſcere faciet (*hoc eſt, ceſſare*) ſacrificium, & oblationem: & ſuper extenſionem (*vel expanſionem, ad verbum, alam*) abominationum obſtupeſcet, (*vel ſtupeſcere faciet. Quidam enim tranſitive accipiunt*) & ad finem, & determinationem ſtillabit ſuper ſtupentem.**

Redit nunc Angelus ad Chriſtum. Diximus cur inſeruerit mentionem futuræ cladis, nempe ut fideles intelligerent non eſſe cauſam, cur mallent in corpore gentis ſuæ manere, quam inde reſcindi: deinde, ut increduli ſibi non placerent in ſua pertinacia, & contemptu inæſtimabilis beneficii, quod repudiaverant in Chriſti perſona. Sic igitur interpoſitum fuit membrum illud de futura vaſtatione urbis, & interitu reipub. Jam Angelus continuat ſermonem ſuum de Chriſto, ac dicit, ***confirmaturum fœdus cum multis hebdomade una.*** Reſpondet hoc membrum ſuperiori, ubi vocabat Chriſtum Ducem. Cœpit enim Chriſtus inſignia Ducis, vel Regis ſumere, ubi promulgavit Dei gratiam. Hæc eſt confirmatio fœderis de qua nunc Angelus loquitur. Sicuti autem diximus opponi Legalem expiationem, & alia quibus ſub Lege dignatus eſt Deus Patres, Chriſti beneficiis: idem etiam nunc intelligere convenit de fœderis confirmatione. Scimus Dei fœdus fuiſſe certum, & ſtabile ſub Lege. Deus enim ab initio verax fuit & fidelis, ſicuti ſibi perpetuo conſtat: ſed reſpectu hominum fœdus Legis infirmum
Jer. 31. v. 31, 32. fuit, quemadmodum dicitur Jeremiæ 31. Feriam vobiſcum fœdus, non quale pepigi cum Patribus veſtris: irritum enim fecerunt, inquit. Hinc videmus quid differat fœdus, quod ſancivit Chriſtus adventu ſuo, à fœdere Legali. Quanquam hæc ſtabilitas pendet etiam à Chriſti ſacrificio. Ideo enim ratum eſt fœdus Dei nobiſcum, quia ſemel expiati ſumus Chriſti morte: & ſimul adjungitur virtus Spiritus ſancti, quia Deus inſcribit Legem cordibus noſtris: & ita jam fœdus ejus non eſt lapidibus inſculptum, ſed cordibus noſtris, & quidem carneis, quemadmodum docet Ezechiel. Nunc ergo tenemus cur Angelus *Eze. 11.*
dicat ***Chriſtum fœdus confirmaturum hebdomade una***, *verſ. 19.*
quæ ſcilicet ſepoſita fuerat in ultimum ordinem. Hac, inquit, ***hebdomade confirmabit fœdus.*** Addit, ***Cum multis.*** Sed non poſſem nunc abſolvere.

Da omnipotens Deus, quando tam liberaliter effuſi ſunt omnes theſauri bonitatis tuæ, & indulgentiæ, quum nobis apparuit unigenitus Filius tuus, & quotidie etiam nobis per Euangelium offeruntur: da, inquam, ne ingratitudine noſtra nos privemus fruitione tantorum bonorum, ſed vera fide Filium tuum amplexi, fruamur etiam beneficio redemptionis, quod nobis peperit: & ſanguine ejus mundati ac purgati, compareamus in conſpectum tuum, & plena ac certa fiducia audeamus te Patrem invocare, & confugiamus ad tuam miſericordiam & auxilium in omnibus miſeriis noſtris & certaminibus, donec tandem colligas nos in æternam illam quietem, quæ nobis parta eſt ſanguine ejuſdem unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO QUINQUAGESIMA SECUNDA
IN
D A N I E L E M.

POſtrema lectione expoſuimus quomodo ***confirmaverit Chriſtus fœdus cum multis ultima hebdomade***, nempe ubi ex diſſipatione collegit filios Dei, quum miſera eſſet atque adeo horribilis vaſtitas Eccleſiæ. Etſi autem non ſtatim promulgatum fuit Euangelium exteris gentibus, tamen merito dicitur Chriſtus ***fœdus cum multis confirmaſſe***, quia ſtatim vocatæ etiam ſunt Gentes in
Mat. 10. verſ. 5. ſpem ſalutis. Et quanquam vetuit diſcipulos Euangelium prædicare vel Gentibus, vel Samaritanis,
Joan. 10. verſ. 16. docuit tamen multas oves eſſe diſperſas, & inſtare tempus quo Deus efficeret unum ovile. Hoc impletum fuit poſt ejus reſurrectionem. Sed quum in terris verſatus eſt, jam cœpit guſtum aliquem dare vocationis Gentium: & ita interpretor quod Propheta dicit, ***Confirmabit fœdus Larabbim.*** Nam ***Rabbim*** hic accipio comparative pro fidelibus qui conjuncti fuerunt Judæis. Nam ſatis notum eſt, depoſitum fuiſſe fœdus Dei quaſi jure hæreditario apud Iſraëlitas, donec etiam ad Gentes perveniret eadem gratia. Dicitur ergo Chriſtus non tantum renovaſſe fœdus Dei cum una gente, ſed promiſcue cum toto mundo. Fateor quidem, ***multos***, ſæpe accipi pro omnibus,
Rom. 5. verſ. 19. ut quinto capite ad Romanos, & aliis locis: ſed videtur ſubeſſe antitheſis inter Eccleſiam veterem, quæ incluſa erat anguſtis finibus, & novam Eccleſiam, quæ extenditur per totum mundum. Scimus enim ex ultimis regionibus vocatos fuiſſe per Euangelium qui prius fuerant extranei, & ita conjunctos fuiſſe Judæis in ſocietatem, ut ſcilicet omnes communiter eſſent, ac reputarentur filii Dei. Jam ſubjicit Propheta, ***Faciet ceſſare ſacrificium & oblationem hebdomade dimidia.*** Hoc referre oportet ad tempus reſurrectionis. Neque enim Chriſtus quantiſper curſum ſuum peregit in terra, ſacrificia abrogavit: ſed poſtquam ſeſe obtulit in victimam, illic ceſſarunt omnes ritus Legales. Et per ſynecdochen Propheta ſub nomine ſacrificii & oblationis deſignat omnes ceremonias, quaſi diceret, Poſtquam defunctus fuerit Chriſtus unico & æterno ſacrificio, tunc quicquid uſitatum prius fuerat ſub Lege, abolitum iri: quia ſcilicet ſupervacua eſſet Chriſti mors, niſi finem impoſuiſſet omnibus veteribus umbris. Etſi autem multis annis poſt Chriſti mortem in uſu adhuc fuerunt ſacrificia, tamen non dicemus legitima fuiſſe, quoniam non alia poteſt ratio afferri, cur ſacrificia Legis debuerint placere Deo, niſi quoniam referebantur ad cæleſte exemplar, quod viderat Moſes *Exod 25.*
in monte. Ergo poſtquam exhibitus fuit Chriſtus, *verſ. 40.*
& expiavit omnia mundi peccata, neceſſe etiam fuit *Hebr. 8.*
omnia ſacrificia deſinere. Ad hunc ſcopum nunc *verſ. 5.*
reſpicit Propheta, quum dicit ***dimidia hebdomade Chriſtum facturum, ut ceſſent ſacrificia.*** Cæterum duo ſimul comprehendit, nempe quod re ipſa, vel effectu Chriſtus finem impoſuerit ſacrificiis Legalibus: deinde quod hoc ipſum oſtenderit Euangelii prædicatione per Apoſtolos ſcilicet. Videmus ergo quo ſenſu Prophetæ ſuo Deus teſtatus fuerit ***ſacrificia finem habitura poſt Chriſti reſurrectionem***, nempe quia tunc velum templi ſciſſum fuit: deinde quoniam libertas fuit promulgata, ut cognoſcerent fideles jam ſe eſſe ſimiles adultis, neque amplius opus eſſe puerili illa gubernatione, quæ ſub Lege viguerat. Nunc ſequitur in ſecunda parte verſus, (legimus etiam hoc membrum, ſed neceſſe eſt iterum repetere, ut memoria ſit recentior) ***Et ſuper extenſionem***, vel expanſionem, ***abominationum ſtupeſcens***, vel obſtupeſcere faciens: ***& uſque ad conſumptionem, & definitionem fundet ſe*** (vel fundetur: ſtillabit, alii vertunt) ***ſuper*** (Al) ***ſtupentem.*** Dicemus poſtea de verbis. Quoniam

niam hic locus ut eſt obſcurus, ita etiam varie torquetur: & interpretes valde inter ſe diſſentiunt: quidam *Cnaph* accipiunt pro *Cherub*, & volunt eſſe enallagen numeri, dum ſingulariter putant vocari alam à Propheta, ipſos Cherubim, qui erant alati. Et duplex eſt eorum quoque expoſitio quibus convenit de ipſa voce. Quidam enim exponunt, *ſuper alas*, hoc eſt, ſuper Arcam fœderis erit abominatio, quia templum fuit profanatum, & ita prævaluit abominatio ut ipſos Cherubim quodammodo obrueret. Alii exponunt cauſaliter, Pro Cherubim, aut vice Cherubim erunt abominationes. Sed quoniam argutia illa non videtur mihi habere quicquam ſolidi, eam relinquo. Alii autem ſequuntur Græcam verſionem quam Chriſtus citavit Matthæi vigeſimo quarto capite, & aliis locis. Quanquam videtur potius reſpicere Chriſtus ad duodecimum caput. Sed quoniam utroque loco eandem abominationem deſignat Propheta, ego in ea parte non inſiſto, niſi quod tantum uno verbo dicam, nimis ſecure præterire verba Danielis qui vertunt Abominationes deſolationis, quia hic שקוצים non ponit Propheta in ſtatu regiminis, ut ſatis notum eſt. Ergo rectius ſentiunt qui alam accipiunt pro extremitate, vel extenſione. Quidam tamen rurſus extremitatem accipiunt pro deſperato ſtatu, quaſi dixiſſet Angelus, Et propter extremitatem abominationum, quia ſcilicet mala cumulabuntur, ut nullus ſit finis, ſed res venturæ ſint ad ultimam deſperationem. Alii autem ſimplicius exponunt alam abominationum pro ipſa expanſione, quaſi diceret Angelus templum profanatum iri, & quidem palam, ut ipſa pollutio longe lateque appareat. De voce *Meſchomem*, & *Schomem* etiam non convenit inter interpretes. *Meſchomem* quidam exponunt tranſitive, obſtupeſcere faciens: alii autem, obſtupeſcens. Quanquam *Schamam* ſignificat nunc perdere, aut vaſtare, nunc ſignificat mirari, & ſtupere. Ego tamen exiſtimo tam *Meſchomem*, quam *Schomem* eodem ſenſu accipi, quaſi diceret Propheta, Stupeſcent omnes propter extentas abominationes, hoc eſt, ubi viderint quaſi inſtar diluvii ſubmerſum eſſe templi cultum, tunc erunt quaſi attoniti. Poſtea adjungit, *Stillabit*, vel ſeſe fundet, *ſuper attonitum*, nempe calamitas, quæ cœpit quum Deus oſtendit templum eſſe pollutum. Sed ut melius nobis liqueat verborum ſenſus, de re dicendum eſt. Non dubito quin hic ſpem omnem inſtaurationis voluerit Deus præcidere Judæis, quos ſcimus fuiſſe excæcatos ſtulta fiducia, quoniam putabant Deum affixum eſſe viſibili templo. Quia igitur hoc illis perſuaſum erat, non poſſe fieri ut unquam Deus ab ipſis diſcederet, oportuit hanc confidentiam proſterni, ne ſe talibus blanditiis amplius deciperent. Sic Ezechieli oſtenſa fuit temporalis pollutio templi capite decimo. Nam quum Prophetæ aſſidue vociferarentur inſtare hoſtes, qui urbem & templum diruerent, ridebat major pars populi, quia hoc erat illorum opinione, evertere fidem Dei, quaſi Deus mentitus eſſet, quum promiſerat perpetuam ſibi fore quietem in monte Sion. Ergo Ezechiel narrat ſe vidiſſe Deum ſedentem in templo, deinde evanuiſſe, & fuiſſe vacuum templum omni gloria: hoc temporale fuit. Nunc autem de æterna & irreparabili (ut ita loquar) templi profanatione agitur. Minime autem dubium eſt, quin vaticinium hoc impletum fuerit, quum & urbs fuit capta, & diruta, & templum etiam ſimul exciſum à Tito filio Veſpaſiani. Hoc quantum ad ſummam rei ſpectat. Nunc quidam metaphorice putant vocari abominationem, oppugnationem urbis: quod videtur mihi coactum. Alii referunt ad ſtatuam Caligulæ, quæ erecta fuit in templo: alii vero ad vexillum Tiberii, quum juſſit locari aquilas in pinnaculo templi. Sed ego ſimpliciter interpretor de profanatione, quæ contigit poſtquam cœpit Euangelium promulgari, & deinde pœna inflicta fuit Judæis, ut viderent templum pollui etiam craſſis modis, quia noluerant admittere verum templi decus, nempe unigenitum Dei Filium. Alii etiam impias doctrinas, ſuperſtitiones, & perverſos errores intelligunt, quibus tunc imbuti fuerunt ſacerdotes. Sed in genere exiſtimo notari mutationem quæ contigit ſtatim poſt Chriſti reſurrectionem, ubi ſcilicet detecta fuit obſtinata gentis impietas. Nam ad reſipiſcentiam vocati ſunt: quamvis conati fuiſſent extinguere omnem fiduciam ſalutis in Chriſto, Deus tamen adhuc illis manum porrexit, & tentavit an ſanabilis eſſet illorum malitia. Poſtquam obſtinate rejecta fuit gratia Chriſti, tunc ſequuta eſt *extenſio abominationum*, hoc eſt, Deus ſubmerſit templum ipſum pollutionibus, ita ut ſanctitas ejus & gloria tunc penitus evanuerit. Quamvis autem poſt finem ultimæ hebdomadis non ſtatim apparuerit hæc vindicta, ſufficit tamen quod Deus ultus eſt impium Euangelii ſui contemptum: deinde oſtendit non opus eſſe amplius templo viſibili, quoniam dedicaverat ſibi totum mundum ab Occaſu uſque ad Orientem. Nunc deſcendo iterum ad verba. Dicit Angelus, *Super extenſionem abominationum ſtupor*, vel ſtupeſcens. Quidam enim putant eſſe adjectivum, alii ſubſtantiale nomen. Sed quantum ad ſummam rei pertinet, dicit Angelus *Propter extenſionem abominationum fore omnes ſtupidos*, vel attonitos. Si cui magis placeat quod retuli, nempe *Cnaph*, vocari extremitatem, non repugno. Nam eodem recidet ſenſus, quod ſcilicet uſque ad cumulum pervenient abominationes. Idem ſibi vult nomen expanſionis. Significat enim Deus tantam fore colluviem pollutionum, ut graſſentur & ſurſum, & deorſum, ac ita obruant templi gloriam, nedum obſcurent. Ergo *propter extremitatem*, vel expanſionem *abominationum erit ſtupor*, hoc eſt, ſtupebunt omnes, inquit. Videtur Angelus opponere ſtuporem hunc ſuperbiæ, qua turgebant Judæi, quum perſuaſi eſſent Deum ſibi eſſe obſtrictum, nec poſſe unquam divelli à ſuo templo, ubi elegerat æternum domicilium. Dicit ergo venturum ſtuporem loco illius tam ſupinæ ſecuritatis. Poſtea adjungit, *Et ſuper conſumptionem*. *Calah* ſignificat finem, & perfectionem: ſignificat etiam interitum. Hic accipio pro conſumptione, vel interitu. *Uſque ad conſumptionem*, inquit, *ſtillabit ſuper attonitum*. Dixi *Schomem* non aliud mihi notare, quam *Meſchomem*, quod eſt compoſitum. Sed hic ſubaudire oportet vel cladem, vel aliud ſimile. Quantum ad ſententiam Prophetæ pertinet nulla eſt ambiguitas. Dicit enim cladem hanc fore inſtar continuæ pluviæ, quæ conſumat totam gentem. Vocat autem *Schomem* ipſum populum, qui erat attonitus malis ſuis, quum ſcilicet tota ſpes eſſet extincta. *Stillabit* ergo *clades ſuper attonitum*, inquit. Interim oſtendit quam ſtulte ſuperbiant Judæi, & quam fallaciter ſibi blandiantur dum exiſtimant Deum ſibi affixum eſſe, & viſibili templo alligatum. *Super attonitum* ergo *ſtillabit clades uſque ad conſumptionem*, inquit: hoc eſt, uſque dum pereat totus populus. Poſtea addit etiam aliud nomen, *uſque ad finem determinatum*. Jam vidimus quid hoc nomen ſignificet: ſed cauſam hic oſtendit Propheta illius æterni interitus, quoniam ſcilicet Deus ita ſtatuerit, & decretum ejus ſit irrevocabile.

Nunc ſequitur decimum caput, quo præfatur Daniel in caput undecimum & duodecimum. Narrat enim qualiter fuerit affectus, quum oblata fuit ultima viſio, quam deinde exponet, quæ continet quicquid futurum erat uſque ad Chriſti adventum: deinde etiam protenditur uſque ad ultimum diem reſurrectionis. Prædixerat quidem Deus Prophetis ſuo, qualis futura eſſet conditio Eccleſiæ à reditu uſque ad Chriſti adventum, ſed undecimo cap. diſtinctius & magis enucleate ſingula quaſi digito monſtrat, quemadmodum ſuo loco videbimus. Hoc autem capite Daniel admonet prophetias, de quibus

Marginal references: Eze. 10 verſ. 18. (beside "plius deciperent. Sic Ezechieli oſtenſa fuit temporalis pollutio templi capite decimo."); Pſal. 132. verſ. 14. (beside "Dei, quaſi Deus mentitus eſſet, quum promiſerat perpetuam ſibi fore quietem in monte Sion.")

poſtea diſſeret, non vulgari attentione dignas eſſe: quoniam apparuerit Angelus, quum ipſe propemodum mœrore & luctu confectus eſſet: deinde quia arcano Spiritus inſtinctu ſic fuerit nunc conſternatus, nunc vero dejectus, ut jacuerit quaſi ſimilis mortuo, donec ſemel atque iterum recreatus fuit ab Angelo Dei. Sed hæc videbimus in progreſſu. Nunc dicit,

CAP. X.

ANno tertio Cyri Regis Perſarum ſermo revelatus fuit Danieli, cujus nomen Beltſazar, & veritas ſermo, (*hoc eſt, ſermo ipſe fuit veriſſimus*) & tempus magnum, (*hoc eſt, quamvis tempus ejus complendi longum foret*) & intellexit ſermonem, & intelligentia ei fuit in viſione.

Videmus Prophetam non contentum fuiſſe vulgari loquendi modo, ut melius expergefaceret ſtudia piorum, & moneret vaticinia quæ poſtea ſequentur, ſingulari attentione digna eſſe. Tempus deſignat, annum tertium Cyri Regis, quia tunc novo edicto veriti ſunt Judæi templum extruere, quum ante data illis fuiſſet libertas. Dicit vero *ſibi patefactum fuiſſe ſermonem*: & addit, *ſermonem fuiſſe verum*, quamvis longum eſſet tempus. De tempore, proximo verſu prolixius tractatur. Quod dicit, *ſermonem ſibi fuiſſe manifeſtatum*, putant diſtingui hanc prophetiam à reliquis, quod non oblata fuerit vel per viſionem, vel per ſomnium. Sed poſtea utetur voce *Mareh*. Non video igitur cur debeat tam reſtricte accipi nomen ſermonis. Quod dicit nomen ſuum fuiſſe Beltſazar, quærunt interpretes rationem. Et quidam exiſtimant celebrari honorem, in quem evectus fuerat: alii vero commendari ingenii præſtantiam, quia impoſitum illi fuerat hoc nomen, acſi eſſet è cælo delapſus: alii alias conjecturas afferunt. Ego autem non dubito quin Daniel voluerit extare illuſtre monumentum ſuæ vocationis, etiam apud Medos & Perſas & Chaldæos. Deinde quoniam probabile eſt, vulgo fuiſſe vocatum Beltſazar, ita ut jam fere ſepultum eſſet nomen Danielis, voluit teſtari ſe non ideo alienum eſſe à Dei populo, quamvis nomen illud adventitium paſſus fuiſſet ſibi imponi, quia non poterat obſtare, quemadmodum alibi vidimus. Ego itaque non exiſtimo quicquam aliud velle Prophetam, niſi ut hoc vaticinium celebre ſit per omnes regiones, in quibus ſub nomine Beltſazar, ipſe magis erat cognitus: deinde quin voluerit etiam ſuis popularibus teſtari non ideo ſe abdicatum ab Eccleſia, quod apud Chaldæos vocaretur Beltſazar: ſed ſemper ſe eundem eſſe, qui ſcilicet abductus in exilium à patria, fuiſſet donatus Spiritu Prophetico, quemadmodum ante vidimus. Quoniam ergo fere obſoleverat nomen Danielis, ideo voluit oſtendere ſe eſſe binominem, nempe in Chaldæa. Poſtea ſequitur, *Et veritas ſermoni*. Hic commendat vaticinium Daniel à certitudine, quaſi diceret nihil ſe proferre in medium, niſi quod firmum eſſet ac ſtabile, & cujus effectum deberent certo fideles ſperare. *Veritas* ergo *ſermoni*, inquit, perinde acſi aſſereret ſe non loqui de rebus dubiis, ſed ſibi divinitus prædictum eſſe quod ſuo tempore complendum erat. Quod ſequitur ita reſolvo, Quamvis longum eſſet tempus. Quidam ex Rabbinis *Zaba* accipiunt pro exercitu Angelorum, quod nimis abſurdum eſt hoc loco. Significat quidem *Zaba* tam exercitum, quam tempus præfixum: ſed hic non poteſt ſtare illa quam obtrudunt expoſitio. Copula autem hic adverſative ſumitur, meo judicio. Admonet ergo Propheta opus eſſe animis quietis, & longa patientia, donec compleat Deus ac præſtet re ipſa quod verbo docuit. Et hoc extendi quidem debet ad omnes prophetias. Scimus enim quantopere ferveant humana ingenia, atque ut rapiantur celeriter ſuis deſideriis. Neceſſe igitur eſt frenare impetus illos, ſi volumus proficere in ſchola Dei, & tenere principium illud generale. Si mo- *Hab. 2: 3.*
ram fecerit promiſſio, expecta illam, quia veniens veniet, non morabitur. Sed tamen ſpecialiter hic Daniel affirmat *longum fore tempus*, ne ſcilicet fideles nimia feſtinatione ſeſe præcipitent, ſed contineant animos ſuos, & tranquilli maneant uſque dum maturum advenerit tempus. Poſtea adjungit ſe intellexiſſe viſionem. Et hoc rurſus elogio confirmat vaticinia, quæ deinde exponet, quia ſcilicet admonet ſe non loqui de rebus perplexis vel obſcuris. Et ſpem etiam facit piis omnibus ejuſdem intelligentiæ, quam ipſe adeptus fuerat, quaſi diceret, Scio quid Deus voluerit. Patefecit enim mihi per Angelum ſingula quæ nunc ordine ſuo proferam. Ergo quiſquis attente leget ac reverenter hæc vaticinia, eum etiam Deus eodem intelligentiæ dono adducet ad certam notitiam. Quod ergo de ſe Propheta affirmat pertinet ad omnes pios, ne deſperent vel tardiores reddantur, quoniam primo intuitu obſcurior erit hæc doctrina, ſed petant à Domino eandem lucem manifeſtationis, qua ipſum Prophetam dignatus fuerat. Nunc ſequitur,

2. Diebus illis ego Daniel dedi me luctui tribus hebdomadibus dierum.

3. Panem deliciarum (*delicatum, ad verbum deſideriorum*) non comedi: & caro & vinum non intravit in os meum: & ungendo non fui unctus donec impletæ ſunt tres hebdomades dierum.

Hinc colligimus cur tertio Cyri anno Angelus apparuerit Prophetæ. Dicit enim *ſe tunc fuiſſe in maximo luctu*. Unde autem lugendi cauſa? Nempe quia ſcimus tunc fuiſſe interruptum opus templi & urbis. Cyrus procul aberat: profectus enim erat in Aſiam minorem, & gerebat bellum etiam cum Scythis. Cambyſes filius ejus corruptus à ſuis aulicis, vetuit ne pergerent Judæi in templo extruendo & urbe. Potuit autem tunc videri irrita populi liber-
Jeſa. 52. tas. Nam magnifice pollicitus fuerat Deus extento
verſ. 12. vexillo redituros Judæos in patriam: deinde ſcimus
Aggæi 2. quam ſplendide concionentur Prophetæ de gloria
verſ. 10. ſecundi templi. Quum ergo nulla eſſet ædificandi
& alibi. templi facultas, quid poterant ſtatuere Judæi, niſi ſe fuiſſe deluſos quum reverſi erant in patriam, & Deum oſtentaſſe ſpem aliquam evanidam, quæ mox exeat fere in merum ludibrium? Hæc igitur cauſa fuit luctus & mœroris ſancto Prophetæ. Et nunc tenemus cur tertium Cyri annum poſuerit, quia circumſtantia temporis etiam hodie oſtendit cur abſtinuerit ab omnibus deliciis. Dicit autem *ſe fuiſſe in luctu per tres hebdomadas dierum*. Sæpe Hebræi hebdomadas vel tempora dierum accipiunt pro plenis temporibus. Fieri tamen poteſt ut Daniel poſuerit hic dies, quia poterat facilis & proclivis eſſe lapſus quum paulo ante loquutus eſſet de hebdomadibus annorum. Poteſt ergo hic eſſe notata diſtinctio inter ſeptuaginta hebdomadas de quibus vidimus, & inter

tres

nes hebdomadas quarum nunc fit mentio. Et quod completis tribus hebdomadibus apparuit Angelus, videtur hoc conſulto factum eſſe, quoniam ille erat tertius annus Cyri Regis. Dicit *ſe non comediſſe panem delicatum, & abſtinuiſſe à carne & vino*: quaſi diceret ſe cum mœrore junxiſſe etiam jejunium. Hinc patet ſanctum Prophetam libere uſum fuiſſe & carnibus & cibo, quum Eccleſia Dei tranquilla eſſet: ſed quoniam periculum erat, ne exiguus ille hominum numerus, qui redierat in patriam, deficeret, & multi præferrent Babylonicum exilium gravibus illis moleſtiis, quas patiebantur à vicinis & hoſtibus: quoniam ergo inſtabat nova Eccleſiæ calamitas, ideo Propheta abſtinuit ab omnibus deliciis. Quod autem initio libri dixit ſe & ſodales ſuos contentos fuiſſe pane cibario, aquæ potu, & leguminibus, hoc non pugnat cum præſenti loco. Neque opus eſt confugere ad argutiam illam, quod ſenex uſus fuerit vino quod non ſolebat guſtare in adoleſcentia & flore ætatis. Commentum illud nimis frigidum eſt. Ac diximus Prophetam initio ſui exilii non alia de cauſa abſtinuiſſe à lautitiis aulicis, niſi ut ſeſe integrum ſervaret ab omni corruptela. Nam quorſum ſpectabat conſilium Regis, vel aſtutia potius, quum juſſerat Danielem & ejus ſocios laute & opipare tractari? Nempe ut paulatim obliviſcerentur gentis ſuæ, & tranſirent in mores Chaldaicos, atque talibus illecebris deliniti, prorſus deſciſcerent à Lege, à cultu Dei, & ab omni pietate. Quum ergo ita inſidioſe videret ſe & ſocios captari Daniel, ideo petiit ſibi dari legumina, vinum Regis non guſtavit, & ſprevit ejus lautitias. Fuit igitur temporalis illa ratio, quemadmodum tunc fuſius monſtravi. Interea non dubium eſt, ubi ſignum dedit ſuæ conſtantiæ, & elapſus eſt ex illis diaboli & Regis Chaldaici inſidiis, quin libere quamvis frugaliter, uſus fuerit & pane meliore, & carnibus, & vino: quia non debet illud referri ad jejunium, de quo hic agitur, quaſi nunquam guſtaverit carnem, neque vinum etiam biberit. Certum igitur eſt, Danielem viviſſe communi more apud Chaldæos, ita ut à vino, & à carnibus, & ab omni genere ciborum non abhorruerit. Quod autem dicit *ſe non comediſſe panem delicatum*, hoc ſymbolum fuit luctus & mœroris, quemadmodum abſtinentia à carne & vino. Non igitur temperantiæ cauſa duntaxat Daniel vinum per tres illas hebdomadas rejecit, & panem lautum, ſed quoniam volebat ſuppliciter deprecari, ne Deus iterum permitteret Eccleſiam ſuam periſſum ire, quemadmodum prius contigerat. Cæterum hic non tractabo fuſius de fine & uſu jejunii, alibi hæc dicta ſunt. Sed etiamſi nunc vellem, tempus non patitur. Cras forte pauca verba duntaxat attingam, & reliqua proſequar.

Da omnipotens Deus, quando nobis proponis tam inſigne exemplum in ſancto tuo Propheta quem exornaſti tot modis, ita ut uſque ad extremum ſenectutem luctatus fuerit cum variis & prope innumeris tentationibus, neque tamen unquam animo fractus fuerit, ut eadem qua ipſe animi fortitudine præditi etiam nunc pergamus in curſu ſanctæ vocationis tuæ, neque unquam deſpondeamus animos, quicquid contingat. Et ut videmus Eccleſiam tuam propinquam eſſe ruinæ, & hoſtes omnia machinari in ejus interitum: tamen ut conſtanter expectemus liberationem, quam pollicitus es: & interea certemus infractis animis, donec tandem perfuncti noſtra militia colligamur in beatam illam quietem, quam nobis repoſitam eſſe in cælo ſcimus, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO QUINQUAGESIMA TERTIA

IN

DANIELEM.

Diximus heri cur abſtinuerit Daniel à carnibus & vino per tres hebdomadas, nempe quoniam triſtis, & luctuoſa erat conditio Eccleſiæ, quum prohiberentur Judæi ab extruendo templo. Diximus etiam falli eos qui exiſtimant, quum eſſet in flore ætatis, ſemper fuiſſe abſtemium, quia vixit pane cibario & leguminibus, tantum ut maneret integer, neque aſſueſceret ad mores Chaldaicos: quoniam hoc fuerat conſilium Regis, tam illum, quam ſocios avellere à populo Dei, ut eſſent quaſi oriundi ex Chaldæa. Fuit igitur illa temporalis ratio. Sed quod nunc recitat, *ſe non guſtaſſe panem delicatum*, hoc eſt, confectum ex ſimilagine, *& non guſtaſſe etiam vinum aut carnes*, hoc ideo factum fuit, quoniam impediebatur templi ædificatio. Et hoc diligenter notandum eſt, quoniam jejunium celebrarunt multi, acſi fuiſſet præcipua pars cultus Dei. Putarunt enim hoc obſequium Deo in primis placere. Sed fuit nimis craſſus error, quia jejunium per ſe debet cenſeri in rebus mediis, vel indifferentibus. Ergo laudem non meretur, niſi propter finem. Jam quum diverſi ſint fines jejunii, hic tamen præcipuus eſt, quum ſcil. fideles ſuppliciter iram Dei deprecantur cum ſolenni teſtimonio pœnitentiæ, atque ita ſe melius ad preces exſtimulant. Preces quotidianæ non indigent jejunio: ſed ubi urget major aliqua neceſſitas, tunc adhibetur jejunium inſtar adminiculi, quo ſcil. animi ſint ad precandi ſtudium alacriores, & magis accenſi. Et ideo ſæpe conjungit Scriptura jejunium cum luctu, quemadmodum eandem rationem hic ſequitur Daniel. Videmus ergo cur reſpuerit omnes lautitias in cibo & potu, nempe quia volebat ſe totum abſtrahere ab omnibus impedimentis, ut magis intentus eſſet ad precandum. Hoc breviter nunc attingo de uſu jejunii, quia non libenter inſiſto in locis communibus. Notandum etiam eſt perperam & abſurde jejunium hodie obſervari in Papatu, quia exiſtimant ſe defunctos eſſe, ſi tantum ſemel in die uno comedant, & abſtineant à carnibus. Hæc igitur eſt jejunandi regula Papiſtis, tantum ne carnes attingant, deinde ne conjungant cœnam cum prandio. Atqui jejunium longe aliud requirit, nempe ut abſtineant homines ab omnibus lautitiis. Nam extenditur hoc jejunium à Daniele uſque ad panem. Dicit *ſe vinum non guſtaſſe*. Omnino igitur vinum ſibi interdixit. Jam quod ad carnes ſpectat, non intelligit tantum carnes bubulas, vel vervecinas, vel agninas, vel capones, vel ex omni genere volatilium: ſed quicquid homines comedunt præter panem, hoc totum comprehenditur ſub carnis nomine. Neque enim Daniel luſit cum Deo pueriliter, quemadmodum hodie Papiſtæ faciunt, quibus nulla eſt religio veſci ſummis & exquiſitis deliciis, modo ne carnem guſtent. Et hoc melius apparet, quia dicit *ſe non comediſſe panem lautum*, hoc eſt, confectum ex ſimilagine vel flore, ut loquuntur, farinæ. Contentus igitur fuit pane cibario, quoad neceſſitatem. Ergo hic ſatis ſuperque coarguitur eorum ſuperſtitio, qui inter carnes & ova, & piſces diſtinguunt. Nam hoc eſt vere jejunare, ubi homines ſibi frenum injiciunt, ne comedant niſi parce & tenuiter, idque ad neceſſitatem, & contenti ſunt atro pane & aqua. Jam hoc ſimul tenendum eſt, jejunium hoc loco & ſimilibus

ſumi non pro temperantia, quam nobis Deus commendat toto vitæ curſu: (ſic enim fideles ſibi debent temperare, ut continuum jejunium obſervent, nempe quoad frugalitatem, ut ne ſeſe ingurgitent immodico cibo & potu, ne indulgeant nimis deliciis, atque ita mentes ſuas obruant, & corpora ſua debilitent luxurie) ſed pro indicio luctus, & humilitatis exercitio, quia præter ordinariam illam ſobrietatem fideles legem jejunii ſibi imponunt, ubi ſentiunt aliquod ſignum iræ Dei, & tunc ſeipſos exſtimulant ad precandi ardorem, quemadmodum diximus, & coram toto mundo fatentur ſe reos eſſe coram judicio Dei. Tale igitur fuit conſilium Danielis, quum ſibi non permiſit vel panem lautum guſtare, vel bibere vinum, vel comedere carnes. Nunc ſequitur,

4. Die viceſima quarta menſis primi, ego fui ſuper ripam fluvii magni, nempe Hidekel. (*nam pronomen demonſtrativum hic ponitur explicative.*)

Jam narrat Daniel exauditas fuiſſe ſuas preces, quia apparuerit Angelus, à quo edoctus fuit de futuro Eccleſiæ ſtatu. Non dubium autem eſt quin jejunium, de quo loquutus eſt, fuerit quaſi præparatio ad oſtendum, ſicuti jam diximus, & colligitur tum ex multis Scripturæ locis, tum ex illa Chriſti

Mat. 17. verſ. 21. ſententia, ubi dicit non ejici illud dæmonium, niſi in jejunio & precatione. Daniel ergo non abſtinuit à cibo, à vino, & omnibus lautitiis, ut præſtaret aliquod Deo obſequium. ſed voluit hac ratione teſtari mœrorem ſuum: deinde voluit ſe excitare ad preces, & voluit etiam ſigno illo humilitatis melius ſe parare ad pœnitentiam. Dicit autem, *die viceſimo quarto primi menſis*, nempe Martii, ut ſolebant ab illo menſe annum incipere. Dicit *ſe ſtetiſſe ſuper ripam* (nam *Jad* accipitur metaphorice pro ripa) *magni fluminis*, nempe Tigris. Nam ſatis in hoc conſentiunt interpretes, *Hidekel* eſſe Tigrim. Et Geographi etiam docent vocari in quibuſdam locis *Digliton*, præſertim ubi fluvius ille exit è fonte ſuo, & reſpondet nomen illud Hebraico nomini *Hidekel*. Nec dubium eſt, quin fluvius ille idem vocetur Phiſon à Moſe, quia Tigris habet tria nomina, etiam apud profanas gentes. Vocatur enim Tigris communi nomine, deinde vocatur una parte tractus *Hidekel*, vocatur etiam *Paſitigris* & *Phaſis*, hoc eſt, Phiſon. Dicit Propheta *ſe ſtetiſſe ſuper ripam magni illius fluvii*. Incertum eſt fueritne tunc in illa regione, an vero Deus propoſuerit illi conſpectum fluvii, quemadmodum alibi vidimus. Et ego magis in hanc partem inclino, quod ſcilicet fuerit raptus ſpiritu Prophetico ad conſpectum fluvii, quamvis alibi degeret. Poteſt tamen fieri, ut tunc fuerit ei mandata illa provincia, quemadmodum ſcimus magnas fuiſſe converſiones temporibus illis. Quum adhuc viveret Belſazar, non potuit eſſe Suſis: ergo neceſſe fuit tunc exponere de raptu Prophetico quod dicebat. Quantum ad præſentem locum pertinet, ſi quis exiſtimet Danielem tunc habitaſſe in illis partibus, non rixabor: ſed mihi probabile eſt, quemadmodum jam dixi, hoc ſpectaculum fuiſſe oblatum ſancto Prophetæ, quum procul abeſſet à ripa fluminis, ut tamen flumen ipſum ſpiritu videret. Poteſt fieri ut inceperit ab exordio menſis abſtinere à carnibus & cibo & omni lauto victu, atque ita jejunium laxaverit tribus ſabbathis, quoniam ponit hic vigeſimum quartum diem. Hoc tamen relinquo in medio, quia non poſſumus quicquam pro certo aſſerere. Nunc pergamus,

5. Et levavi oculos meos, & vidi, & ecce vir unus indutus lineis, (*veſtibus ſcilicet*) **& lumbi ejus accincti auro Uphaz.** (*alii exiſtimant potius eſſe margaritam, vel lapidem pretioſum* כתם *alii vertunt aurum purum Quanquam ſunt qui Uphaz adjective accipiant pro auro puro: non tamen exiſtimo eſſe epitheton, ſed potius eorum ſententiæ ſubſcribo, qui dicunt eſſe proprium nomen loci, quia etiam hoc colligitur ex decimo capite Jeremiæ. Et non congrueret illa opinio, nempe Uphaz deduci à nomine Phaz, & vocari purum: & redundare literam Aleph. Locus tamen ille Jeremiæ videtur ſufficere ad probandum quod dixi, nempe fuiſſe certam regionem: itaque quidam Uphaz verterunt Ophir.*)

6. Et corpus ejus ſicut Tharſis, (*alii dicunt ſicut Chryſolithum: alii putant notari colorem undarum maris, quia per ſynecdochen Tharſis ſæpe generaliter accipitur pro mari quolibet. Putant igitur notari colorem cæruleum*) **& facies ejus quaſi aſpectus fulguris, & oculi ejus quaſi lampades ignis: & brachia ejus, & pedes ejus quaſi conſpectus æris politi,** (*alii vertunt æris candentis*) **& vox ſermonum ejus quaſi vox multitudinis.** (*Hamon etiam alii vertunt tumultum, vel ſtrepitum.*)

Jam incipit narrare Daniel quomodo ſibi oblata fuerit viſio. Dicit ergo quum ſtaret ad ripam fluminis, apparuiſſe ſibi virum, quem tamen diſtinguit à communi hominum numero. Virum quidem vocat, ſed oſtendit præditum, vel ornatum fuiſſe inſignibus, quæ plenam fidem facerent cæleſtis gloriæ. Diximus autem alibi Angelos vocari homines, quoties voluit illis Deus externam hanc formam induere. Metaphorice igitur tribuitur illis nomen hominum, quoties formam illam Dei juſſu ſumpſerunt: & jam aliquoties ita loquutus eſt Daniel. Interea abſurde quidam imaginantur Angelos vere fuiſſe homines, quoniam præ ſe tulerunt talem figuram, & veſtiti etiam fuerunt corpore humano. Neque enim ideo credendi ſunt homines fuiſſe, quia apparuerint ſub forma hominum. Chriſtus vere fuit homo, quia conceptus fuit ex ſemine Abrahæ & Davidis, & Adæ etiam. Sed quantum ad Angelos ſpectat, Deus ad diem unum, vel ad exiguum tempus induit illis corpora in certum finem & uſum ſpecialem. Ideo dixi, nimis craſſe errare eos qui colligunt Angelos fuiſſe homines quoties conſpecti ſunt ſub figura humani corporis. Sed nomen hoc potuit in ipſos transferri, quoniam Scriptura ſeſe accommodat ad ſenſus noſtros, ſicuti ſatis notum eſt. Dicit ergo Daniel *ſe vidiſſe virum*: & poſtea diſcernit eum tamen ab hominum numero, & oſtendit certas & illuſtres notas fuiſſe inſculptas quæ palam facerent eſſe Angelum è cælo delapſum, non autem terrenum hominem. Quod quidam ſubtiliter philoſophantur in verbo *levandi*, quod ſcilicet Daniel oculos ſuos ſurſum extulerit, neque fuerit implicitus aliquo terreno objecto, illud non ſatis mihi firmum videtur. Sed tantum intelligit Propheta viſionem hanc fuiſſe certam, quia ſcilicet non tantum mente fuerit compoſita & ſedata, ſed etiam ſenſus omnes ſuos applicuerit ad eam rem, de qua tractat, nempe ut impetraret à Deo aliquid ſolatii. Tantum igitur notatur hic ſtudium Prophetæ, quod ſcilicet multis curis & anxietatibus confectus circumſpexerit. Jam quod ad ſigna perti-

pertinet; unde certo potuit colligere Daniel non eſſe terrenum & mortalem virum quem cernebat, dicit primo *fuiſſe veſtitum lineis.* Verum eſt hoc genus veſtis fuiſſe ſatis vulgare apud Orientales populos. Nam ut regiones illæ magis ſunt calidæ, ita non ſolent ſe munire contra frigus, ut hic nos cogit neceſſitas. Raro igitur pannis ſeſe induunt. Præſertim vero quum vellent ſplendidius ſe veſtire ſumebant tunicas lineas, ſicuti non tantum apparet ex plurimis Scripturæ locis, ſed etiam ex profanis ſcriptoribus. Perinde igitur accipio hunc locum, acſi diceret Daniel virum hunc apparuiſſe in veſtitu ſplendido. Nam *Bad* etiam non vulgare linum eſſe putant, ſed quoddam genus lini magis exquiſitum. Hoc unum eſt. Dicit poſtea *fuiſſe accinctum auro puro*, hoc eſt, baltheo aureo. Solebant autem olim ſe præcingere baltheis, aut zonis, quoniam longæ ſunt veſtes in Oriente, & fere talares. Ideo neceſſe erat eos qui vellent eſſe magis expediti, ſeſe accingere baltheis. Sed quum Angelus apparuit cum tali ornatu, oſtenſum fuit Prophetæ diſcrimen inter ipſum & alios homines. Quidam lineam veſtem referunt ad ſacerdotium Chriſti, cincturam vero ad vigorem. Sed ſunt meræ argutiæ, quæ non videntur mihi habere ſatis firmitatis. Ego igitur contentus ſum ſimplici illa ſententia quam attigi, nempe hac ſpecie veſtitus fuiſſe diſtinctum Angelum ab hominibus terrenis. Sed hoc etiam clarius patet ex ſequenti verſu. Dicit enim Daniel *corpus ejus fuiſſe vel cæruleum*, vel ſimile pretioſo lapidi, quem vocant aureum. Non dubium eſt quin aliquid conſpexerit Propheta diverſum ab humana ſpecie, ut certo colligeret non eſſe hominem quem videbat, ſed Angelum ſub ſpecie humana. Ego relinquo etiam hic allegoriam, ſicuti in toto verſu. Scio allegorias eſſe plauſibiles, ſed ubi reverenter expendimus quæ Spiritus ſanctus docet, evaneſcunt illæ ſpeculationes, quæ primo intuitu nobis valde placebant. Ego autem non capior illis illecebris, & velim etiam hoc omnibus eſſe perſuaſum, nihil eſſe melius, quam ſobrie tractare Scripturam, neque accerſere procul ſubtiles ſenſus, qui ſponte, quemadmodum jam dixi, effluunt ubi res ipſa melius expenditur. Dicit *faciem ejus fuiſſe quaſi aſpectum fulguris.* Inde etiam certo cognovit Propheta non eſſe hominem terrenum. Idem ſtatuere oportet de oculis. Docet enim fuiſſe *quaſi lampades igneas.* Dicit *brachia, & pedes fuiſſe ſimiles æri polito*, vel candenti. Poſtremo, *vocem ſermonum fuiſſe vocem tumultuoſam*, vel ſtrepitus, vel multitudinis. Summa eſt, Angelum ſic fuiſſe indutum humana forma, ut tamen certis & manifeſtis inſignibus Deus ipſum diſcerneret à communi hominum turba. Hinc factum eſt, ut Daniel ſentiret Angelum ſibi divinitus eſſe miſſum. Ita voluit conciliare Deus fidem & certitudinem vaticiniis, quæ poſtea ſequentur undecimo cap. Pergamus.

7. Et vidi ego Daniel ſolus viſionem, & viri qui erant mecum non viderunt viſionem, imo (***nam Abal hic ponitur adverſative: non affirmat ſimpliciter, ſed dicit, quin potius***) terror magnus irruit ſuper eos, & fugerunt in latebras. (***ut abderent ſe ad verbum.***)

Proſequitur ſuam narrationem, in qua videtur prolixus eſſe, ſed non abſque conſilio. Oportuit enim modis omnibus hanc prophetiam ſanciri, ut indubia eſſet ejus fides tum apud Judæos qui tunc vivebant, tum etiam apud poſteros. Et quanquam impleta ſunt quæcunque videbimus undecimo capite, magna tamen utilitas ex hac prædictione ad nos redit, quia primo perſpicimus ſemper Deo fuiſſe curæ ſuam Eccleſiam, deinde nunquam fuiſſe pios deſtitutos aliqua conſolatione, quoad opus fuit: poſtremo quaſi in ſpeculo aut viva effigie cernimus Spiritum Dei loquentem in Prophetis, quemadmodum jam antea admonui, & ex progreſſu iterum patebit. Daniel ergo non abs re inculcat certitudinem viſionis, & quæcunque ad eam probandam faciunt. Ideo dicit *ſe ſolum vidiſſe hanc viſionem: viri autem*, inquit, *qui mecum erant non viderunt*: quemadmodum nec Pauli
Act. 9. verſ. 7. comites audierunt vocem Chriſti, ſed ſonitum confuſum duntaxat: quid autem proferret Chriſtus non intellexerunt, ſed datum hoc fuit uni Paulo. Hoc autem valet ad fidem prophetiæ. Neque enim magis auritus erat Daniel quam alii: ſed Deus voluit ipſum ſolum alloqui. Hinc ergo factum eſt, ut vox illa, quæ vox erat multitudinis, tamen non penetraret uſque ad aures comitum ipſius. Solus ergo excepit hæc vaticinia, quoniam ſoli datum fuit & prædicere res futuras, & pios ſolari atque hortari, quum ſcirent quid futurum eſſet uſque ad diem ultimum. Si quis autem interroget, quomodo ſecum traxerit comites, quum eſſet forte in ſuo cubiculo procul à ripa fluminis, facilis reſponſio eſt, nempe quum haberet ſuos domeſticos ſecum, fuiſſe tamen per viſionem in ripa fluminis, & fuiſſe ſimilem attonito, ut tota ejus familia cognoſceret ecſtaſin illam, tamen cauſam neſcirent. Daniel ergo quum eſſet domi ſuæ per viſionem fuit ſuper ripam fluminis: & quum adeſſent multi teſtes, Deus reddidit omnes attonitos: Daniel autem ſolus percepit quod poſtea videbimus. Deus enim illum ſingulari honore dignatus eſt, ut eſſet aliis doctor & magiſter. *Viri* ergo *qui mecum erant, non viderunt*, inquit, *viſionem, ſed terror magnus irruit ſuper eos.* Tale diſcrimen, quemadmodum dixi, oſtendit electum eſſe Danielem, qui ſolus audiret vocem Angeli, & perciperet quod poſtea traderet aliis per manum. Interea Deus voluit cognoſci à multis teſtibus, Danielem non fuiſſe ſomnio aliquo deluſum, vel fluxa imaginatione. *Fuerunt enim comites ejus territi.* Hic horror probavit, Prophetam non aliquo delirio laboraſſe, ſed vere fuiſſe divinitus edoctum. *Fugerunt*, inquit, *in latebras.* Poſtea ſequitur,

8. Et ego relictus fui ſolus, & vidi viſionem magnam hanc, & non fuit reſiduum in me robur, (***vel non fuit vigor reſiduus in me***) atque etiam decor (***& decor, ad verbum***) meus everſus fuit ſuper me (***in me***) ad corruptionem, (***hoc eſt, ut evaneſcerem***) & non retinui vigorem.

Hæc omnia tendunt in eundem finem, ut ſcilicet certo ſciamus Danielem non ſcripſiſſe temere ſua commenta, ſed vere & certo fuiſſe ab Angelo edoctum de omnibus quæ tradit: atque ita non dubitemus amplecti quicquid poſtea videbimus, tanquam à fido Dei interprete. Jam primo dicit *ſe vidiſſe viſionem.* Hoc prius fuerat dictum, ſed iterum repetit certitudinis cauſa: & dicit *viſionem magnam*, quo magis rurſum ſtudia noſtra erigat. Addit *non fuiſſe ſibi relictum vigorem*, quaſi diceret ſe fuiſſe exanimatum afflatu Spiritus. Hinc colligimus non tantum ſigna fuiſſe exhibita, quæ palam facerent Deum loqui Angeli ſui ore, ſed etiam Prophetam ipſum pararent & formarent ad reverentiam. Deus enim non ideo terret ſuos, quoniam ipſum oblectet noſtra perturbatio, ſed quoniam id nobis utile eſt, quia ſcilicet nunquam erimus idonei ad diſcendum, niſi carne noſtra prorſus ſubacta. Hoc autem neceſſe eſt fieri vio-

lento modo, propter pervicaciam nobis ingenitam. Hæc igitur ratio eſt cur oportuerit Prophetam reddi quaſi exanimem. *Quin etiam decor*, inquit, *meus*, id eſt, forma, vel ſpecies mea fuit mutata, *aut verſa in me ad corruptionem*, hoc eſt, ut poſſem cenſeri mortuus propter deformitatem. Poſtremo addit, *non retinui vigorem*. Multis verbis utitur, ut oſtendat ſe fuiſſe ita dejectum cæleſti afflatu, ut ne exigua quidem vitæ portio in ipſo maneret, ſed nihil fere differret à mortuo. Diſcamus autem hæc in nos transferre, non quidem ut quoties nos Deus compellat evaneſcat vigor noſter, aut mutetur ſpecies, ſed tamen ut concidat omnis repugnantia, ut omnis ſuperbia & altitudo proſternatur coram Deo: denique quantum ad nos & ingenium carnale ſpectat, ut redigamur in nihilum, quia nunquam reperietur in nobis vera docilitas, donec ſimiles ſimus mortuis quantum attinet ad omnes noſtros ſenſus. Nam ſemper tenendum eſt illud, omnes cogitationes noſtras eſſe inimicas Deo. Poſtea ſequitur,

9. Et audivi vocem ſermonum ejus, & quum audirem vocem ſermonum ejus, tunc ego fui ſopitus ſuper faciem meam, (*hoc eſt, tanquam ſopitus cecidi ſuper faciem meam*) & facies mea in terram. (*projecta fuit ſcilicet.*)

10. Et ecce manus tetigit me, (*tetigit in me: ſed ב abundat*) & movere me fecit ſuper genua mea, & palmas (*aut volas*) manuum mearum.

Non poſſem hodie abſolvere, ſed proſequar die craſtino.

Da omnipotens Deus, quum olim apparueris & Danieli ſancto ſervo tuo, & aliis etiam Prophetis, quo gloriam tuam hodie quaſi conſpicuam cerneremus in eorum doctrina, ut reverenter illuc accedamus, atque ubi fuerimus prorſus tibi addicti, myſteria, quæ tibi placuit nobis per eorum manum & operam proferre, juſtam ſuam dignitatem apud nos obtineant, atque ita dejecti in nobis, tantum ſpe & fide in cælum attollamur, & ſic verſemur in mundo, proſtrati coram facie tua, ut interim expediti omnibus curis & pravis cupiditatibus carnis noſtræ, habitemus mente in cælo, donec tandem educti ex hac terrena militia, perveniamus in quietem illam cæleſtem, quam nobis præparaſti, per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Amen.

PRÆLECTIO QUINQUAGESIMA QUARTA IN DANIELEM.

Heſterna lectione dicebat Daniel *ſe fuiſſe attonitum conſpectu Angeli, ita ut nulla eſſet in ipſo reſidua virtus*. Poſtea addit, *audita voce ſermonum ſe jacuiſſe pronum in terram*. Sic enim verba ſonant, *audiendo vocem ſermonum ejus ego fui ſopitus ſuper faciem meam, & facies mea in terram*. Dicit ſe fuiſſe *ſopitum*, quia quodammodo alienatus eſſet mente, ut accidere ſolet ubi evaneſcunt omnes ſenſus præ formidine aliqua. Pronus ergo in terra jacuit ſine ſenſu. Poſtea addit, *Ecce manus tetigit me, & movere fecit me ſuper crura, & palmas manuum mearum*. Hic dicit aliqua ex parte ſe fuiſſe levatum ab Angelo, neque id voce duntaxat, ſed etiam tactu manus. Significat tamen ſe nondum fuiſſe erectum ut ſtaret, vel ut ſederet. Innixus enim fuit genibus ſuis, deinde etiam oppoſuit manus ſuas in terram: hoc ſignum fuit dejectionis. Et ita colligimus fuiſſe quidem aliquantiſper recreatum, ut tamen timor adhuc occupaverit non tantum ejus animum, ſed etiam membra. Diſcamus autem ex hoc loco, ubi Deus voce ſua nos proſtravit, non poſſe nos aliter reſtitui, niſi ejus virtute. Nam ſcimus manum eſſe ſymbolum virtutis. Niſi ergo Deus ipſe nobis manum porrigat, ſemper manebimus tanquam mortui. Hoc unum eſt. Sed ſimul etiam addit Propheta Angelum fuiſſe loquutum.

11. Et loquutus eſt ad me, Daniel vir deſideriorum intellige (*attentus ſis*) ad verba quæ loquor tecum, & ſta ſuper ſtare tuum: quia nunc miſſus ſum ad te. Et quum loqueretur mecum ſermonem hunc, ſteti tremens. (*vel trepidus.*)

Hic narrat ſe fuiſſe confirmatum exhortatione Angeli. Jam cœperat ſe erigere ſuper genua & manus: nunc autem Angelus jubet ipſum eſſe meliore animo. Et rurſus nominat *virum deſiderabilem*: de qua voce prius diximus, quam etſi nonnulli referunt ad zelum Danielis, & ita paſſive exponunt, quod ſcilicet fuerit in ipſo vehementiſſimus ardor, dum anxius erat pro ſalute communi Eccleſiæ: ego tamen in contrariam partem magis inclino, vocari ſcilicet virum deſideriorum, qui Deo charus ſit, vel pretioſus. Et hoc epitheto voluit Angelus animare ſanctum Prophetam, ut ſcilicet ſedato & quieto animo audiret quod tantopere expetiverat. Dicit igitur, *Intellige*, vel attende *ad verba quæ ego loquar tecum, & ſta ſuper ſtare tuum*. alii vertunt, in ſtatione tua. Sed aliud eſt ſtatio quam poſitus corporis. Adhuc Propheta, quemadmodum dixi, quamvis non toto corpore jaceret, tamen propenſus erat in terram. Procumbebat enim in genua & manus: Nunc videmus ſecundo gradu ipſum attolli. Et hæc doctrina nobis utilis eſt, quia plerique niſi ſtatim vigorem animi colligunt, putant ſe negligi & deſeri prorſus à Deo. Atqui non protinus vivificat Deus quos reddidit quaſi exanimes, ſed paulatim ipſos vivificat, & inſpirat mortuis novum robur. Videmus hoc fuiſſe factum in Daniele. Ergo neque miremur, ſi Deus per certos gradus nos paulatim erigat, & medeatur infirmitati noſtræ: ſed ſi tantum gutta aliqua virtutis ejus nobis ſubveniat, hoc ſolatio contenti ſimus, donec abſolverit quod cœpit in nobis. Denique hic locus admonet, Deum ſic operari in ſervis ſuis, ut non ſtatim reddat illos perfectos, ſed aliquid infirmitatis maneat reſiduum, donec opus ſuum abſolverit. Et poſtea addit Daniel, *Quum audiſſet hunc ſermonem ſe ſtetiſſe*. Videmus ergo efficaciam & fructum exhortationis Angelicæ, quia non opus fuit Danielem amplius fulciri ſuper genua & manus. Potuit enim rectus ſtare, ſed addit *ſe fuiſſe trepidum*. Ergo quamvis erectus fuerit toto corpore, non tamen fuit prorſus extra omnem metum, ſed reſidua fuit in ipſo trepidatio, quamvis ad mandatum Angeli ſtaret ſuper pedes ſuos. Hic confirmatur quod nuper dixi, Deum ſcilicet relinquere in ſervis ſuis ſigna aliqua formidinis, ut ſuæ infirmitatis admoniti,

ſpe

ſpe quidem audeant ſupra mundum ſe attollere, ſed interea non obliviſcantur ſe eſſe fumum & cinerem, ideoque contineant ſe in humilitate & modeſtia. Jam ſequitur,

12. Et dixit ad me, Ne timeas Daniel, quia à die primo quo adjeciſti cor tuum ad intelligendum, & affligendum te (*vel humiliandum*) coram facie Dei tui, exaudita ſunt verba tua: & ego veni in verbis tuis. (*hoc eſt, propter verba tua*)

Quando Angelus Prophetam jubet ſecuro & tranquillo animo eſſe, hinc colligimus tantam fuiſſe trepidationem, ut nondum ſatis fuerit ad audiendum compoſitus. Et tamen trepidatio illa valuit ad docilitatem. Neque enim dubium eſt, quin Deus ſervum ſuum hoc modo præparare voluerit, quo eſſet attentior diſcipulus: ſed impediebat tamen ſimul tremor, ne Daniel conferret omnes ſenſus ad audiendum ſermonem Angeli. Remedium ergo adhibetur his verbis, *Daniel ne timeas.* Quanquam Angelus non vult excutere omnem metum ex animo Prophetæ, ſed tantum vult eſſe animo quietiore, ne ſcilicet perturbatio ipſum impediat, quo minus apud ipſum vaticinia, quæ poſtea videbimus, locum inveniant. Et de hac loquutione ſæpius jam diximus quod ſatis erat. Deus enim, quoniam ſcit nobis metum eſſe utilem, non vult prorſus nos ſecuros eſſe, quoniam nimia confidentia ſtatim gigneret in nobis ſocordiam, & accederet ſimul ſuperbia. Deus ergo vult tanquam freno nos metu ſemper cohiberi, ſed interea ſic temperat metum in ſervis ſuis ne perculſo ſint vel perturbato animo, quin placide ipſum adire parati ſint. Addit Angelus, *A die primo ex quo cœpiſti animum adjicere ad intelligendum, & te affligendum coram Deo, vota tua exaudita ſunt.* Ratio hæc ſatis oſtendit quo ſenſu & conſilio Angelus vetuerit Prophetam timere, *quia*, inquit, *exaudita ſunt vota tua.* Non igitur abſtergere voluit omnem metum, ſed dare aliquid ſolatii, ut bene ſperaret, & hac ſpe fretus expectaret revelationem, quam tantopere expetiverat. Dicit igitur *exaudita fuiſſe ejus vota ex quo animum adjecit ad intelligentiam, & ad ſe affligendum coram Deo.* Duo hæc notanda ſunt, quia ſub voce intelligentiæ admonet Angelus, Deum fuiſſe propitium ſervi ſui precibus, quoniam rectæ erant ac legitimæ. Quid enim ſpectavit Daniel? nempe quum videret ſtatum Eccleſiæ penitus confuſum, petiit ſibi oſtendi aliquod ſignum gratiæ, unde colligeret Deum non oblitum eſſe fœderis ſui, neque etiam ſpreviſſe miſeros Iſraelitas, quos adoptaverat. Quoniam ergo in hunc finem tendebant Prophetæ vota, ideo obtinuit quod volebat: & teſtatur Angelus Deum fuiſſe exoratum ab ipſo. Docemur itaque hoc loco ſi cupimus preces noſtras Deo probari, & ſimul ab ipſo exaudiri, non eſſe laxandas habenas ſtultis cupiditatibus & deſideriis, quæ nos ſollicitant ac titillant, ſed tenendam eſſe regulam quæ nobis præſcribitur ab Apoſtolo, nempe, ut preces noſtræ formentur ad voluntatem Dei. Scimus, inquit Joannes, ſi quid petimus ſecundum ejus voluntatem, nos exauditum iri. (*Joan. 5. verſ. 14.*) Hoc unum eſt. Jam additur ſerius precandi ardor una cum pœnitentia, ubi dicit Angelus *animum Danielis fuiſſe afflictum*, vel humiliatum. Hic ergo ponitur altera conditio veræ orationis, ubi ſcilicet fideles ſeſe coram Deo humiliant, & tacti vera pœnitentia coram ipſo etiam profundunt ſuos gemitus. Ergo ſignificat Angelus Danielem adeptum eſſe quod optabat, quoniam ſuppliciter ſeſe coram Deo afflixit, & non tantum perfunctorie rogavit pro Eccleſia, ſed quemadmodum ante vidimus, conjunxit precibus jejunium, & abſtinuit ab omnibus lautitiis. Hæc ratio eſt cur Deus non repudiaverit ejus vota. Dicit, *Coram Deo tuo:* qua voce ſignificat Angelus, Prophetæ orationem ex vera fide manaſſe. Nam impii ſic Deum precantur ut ſemper ambigant, neque certo ſibi perſuadeant Deum fore propitium. Quoniam ergo ita hæſitant & vacillant increduli, hic datur certæ fiduciæ teſtimonium Danieli, *quod* ſcilicet *Deum ſuum precatus ſit.* Quiſquis accedit ad Deum, inquit Apoſtolus 11. ad Hebræos cap., eum ſtatuere oportet, quod (*Hebr. 11. verſ. 6.*) Deus ſit, deinde quod ſit exorabilis omnibus qui ipſum quærunt & invocant. Hoc etiam diligenter notandum eſt, quia vitium hoc ſeculis fere omnibus graſſatum eſt, ut quoties precati ſunt homines Deum, dubitanter tamen profunderent ſua vota in aërem. Neque enim tenebant, Deum ſibi eſſe patrem. Atqui ſicuti alibi dicitur (nempe primo capite Jacobi) minime ſperandum eſt, ut qui ſic agitantur (*Jac. 1. v. 6, 7.*) & nutant ad quoslibet motus, quicquam proficiant precando. Fides enim niſi præluceat, non mirum eſt eos qui Deum invocant, ludere operam, quia profanant ejus nomen. Denique hac voce docet Angelus precationem Danielis fuiſſe in fide fundatam, quia non temere quæſivit Deum, ſed certo perſuaſus fuit ſe agnoſci à Deo inter filios. *Precatus eſt* igitur *Deum ſuum.* Hinc factum eſt, ut vota ejus exaudita fuerint. Ideo addit Angelus *ſe veniſſe ad verba ejus*, quemadmodum dicitur in Pſalmo, (*Pſal. 145. verſ. 19.*) Deum morem gerere deſiderio eorum qui ipſum timent: ita hic Angelus obſequitur Danieli. Nunc ſequitur,

13. Et Princeps regni Perſarum ſtetit coram me (*vel è regione*) viginti diebus & uno. Et ecce Michaël unus Principum primorum (*hoc eſt, unus ex Ducibus primariis*) venit ad opem ferendam mihi: (*vel ad roborandum me*) & ego reſiduus (*hoc eſt, relictus*) fui apud Reges Perſarum. (*vel Perſidis.*)

Nunc rationem aſſignat Angelus cur non ſtatim primo, ut ita dicam, momento apparuerit Prophetæ. Nam poterat excipi, Quid ergo ſibi vult quod diu paſſus es me quaſi tabeſcere mœrore? Fuerat enim Daniel jam per continuas tres hebdomadas in graviſſimo luctu. A primo die jam exaudierat ipſum Deus: quorſum igitur illud ſpectabat, miſerum hominem ita languore confici? Cur non ſtatim Deus re ipſa palam fecit, non fruſtra ipſum oraſſe? Ergo huic dubitationi nunc occurrit Angelus, & docet ſe alibi fuiſſe occupatum, & quidem in Prophetæ gratiam. Locus hic diligenter notandus eſt, quia ſæpe mora nos conturbat, ubi non protinus exerit Deus ſuum auxilium, & aliquandiu fructus precum noſtrarum nobis eſt abſconditus. Quoniam ergo ebulliant magno impetu noſtra deſideria, & facile ad impatientiam prorumpimus, ideo notandum eſt quod hic dicitur ab Angelo, nempe etiam ubi nos latet gratia & virtus Dei, tamen preces noſtras jam eſſe exauditas. Nam quod Danieli contigit, quotidie etiam impletur in ſingulis Eccleſiæ membris: nec dubium eſt quin hoc ad omnes pios communiter pertineat. Hoc unum eſt. Jam ſecundo loco notanda eſt Dei humanitas, quod dignatur per Angelum quodammodo ſe excuſare Prophetæ ſuo. Reddit enim rationem cur non citius advolaverit Angelus, quia ſcilicet impediebatur, quemadmodum dictum fuit, in curanda ſalute populi electi. Quod ergo Deus tam comiter apud Prophetam ſuum excuſat, quia non primo ſtatim die oſtenderit ſe ab ipſo fuiſſe

exora-

exoratum, hæc eſt, ſicut dixi, admirabilis ejus clementia Sed tertia etiam utilitas colligi debet ex hoc loco, nempe Deum non ideo ceſſare, ubi non facit nos conſcios ſuæ gratiæ, vel ſaltem eam nobis non ſtatuit ante oculos, ſed potius abſcondit. Hinc enim colligimus, Deum curam gerere ſalutis noſtræ, ſed alio modo quam mentes noſtræ concipiant vel apprehendant. Deus ergo ſuperat omnes ſenſus noſtros in ſalute noſtra curanda, ſicut Angelus hic dicit ſibi alias partes fuiſſe mandatas, & quidem in Eccleſiæ favorem. Apparet igitur Danielem fuiſſe primo die adeptum quod optabat, quia ab illo die Angelus pro Eccleſia pugnavit: ſed hoc fugit Danielem uſque dum voluit Deus ejus mœrori ſolatium adhibere. Exponitur autem hic verſus aliter quam intelligam. Putant enim interpretes Angelum miſſum fuiſſe in Perſidem, ut protegeret regnum illud. Et ſubeſt probabilis color, quoniam adhuc ſub Monarchia Perſarum erant Iſraëlitæ, ideo Deum in gratiam populi ſui aliquid opis tuliſſe Regibus Perſarum. Sed ego exiſtimo Angelum ſtetiſſe in conflictu & certamine contra Cambyſem, ne ſcilicet magis ac magis ſæviret in populum Dei. Vulgaverat crudele illud edictum, ne pergerent Judæi in templo extruendo, & erat infeſtus eorum reſtitutioni: non tamen fuiſſet contentus hoc rigore, niſi Deus ſævitiam ejus compeſcuiſſet opera & manu Angeli. Et ſi rite verba expendimus, facile nobis conſtabit, Angelum potius pugnaſſe contra Regem Perſarum, quam pro illo. *Princeps*, inquit, *regni Perſarum*, nempe Cambyſes, quum pater ejus Cyrus trajecto mari pugnaret in Aſia, & contra Scythas. Sic ergo dicit Principem regni Perſarum ſtetiſſe ex oppoſito, quaſi diceret, Ille me detinuit ne ad te venirem, ſed me detinuit in bonum gentis tuæ, quia ſcilicet niſi Deus oppoſuiſſet auxilium per me, magis graſſata fuiſſet ejus crudelitas, & longe atrocior fuiſſet contra gentem tuam. Tu vides igitur me non ceſſaſſe, tu vides etiam Deum non fuiſſe ſurdum ad vota tua. *Stetit* ergo *Princeps regni Perſarum viginti diebus & uno*: hoc eſt, ex quo cœpiſti fundere coram Deo vota tua, jam non deſtiti eſſe in acie & prælio, ut defenderem ſtatum populi tui. *Stetit* ergo *contra me Princeps regni Perſarum*, hoc eſt, ita excanduerat contra Iſraëlitas, ut profunderet ſuam rabiem, niſi oppoſitum fuiſſet divinitus auxilium, quod vobis tuli. Poſtea adjungit, *Et ecce Michaël unus ex Ducibus*, vel Principibus *primariis venit ad roborandum me*. Per Michaëlem quidam Chriſtum volunt intelligi, quorum ſententiæ non repugno. Certum eſt, etiamſi Angeli omnes pro electis & fidelibus excubias agant, tamen Chriſtum primas ſemper tenere: imo quia eſt caput Angelorum, ideo utitur illorum miniſterio & opera ad ſuos omnes tuendos. Quia tamen hoc non omnes admitterent, ego in medio relinquo, & plura dicturus ſum 12 cap. Hoc quidem certo elicimus ex præſenti loco, Angelos pugnare pro Eccleſia Dei nunc in univerſum, nunc prout ſingula membra indigent eorum auxilio. Scimus ergo Angelos exerceri in his partibus, ut fideles ſuo auxilio protegant, & quemadmodum dicitur Pſalmo 34., caſtra figant in *Pſal. 34.*
circuitu ipſorum. Deus itaque Angelos ſuos oppo- *verſ. 8.*
nit & contra omnes conatus Satanæ, & contra furorem impiorum, qui cuperent nos perditos, & machinantur etiam omnia in noſtrum exitium. Quod niſi protegeret nos Deus hoc modo, actum ſubinde eſſet de nobis. Scimus quam horribile ſit Satanæ odium erga nos, & quantus furor ad nos peſſundandos: ſcimus quot & quam variis artificiis polleat, ſcimus ipſum eſſe Principem mundi, ſcimus etiam majorem hominum partem ab ipſo trahi & rapi: videmus impios profundere ſuas minas. Quid obſtat quo minus Satan nos centies abſorbeat quotidie, hoc eſt, totum Eccleſiæ corpus & ſingula membra? Certe neceſſe eſt, Deum obſtare ejus furori. Id facit per Angelos. Non cernimus autem occultam hanc militiam: hoc eſt, dum pro nobis & ſalute noſtra pugnant Angeli, hoc nobis eſt occultum. Sed eo diligentius expendere convenit quod dicitur hoc loco: nempe Angelum ſtetiſſe in Perſide, ut reprimeret audaciam & immanitatem Cambyſis, qui ſcilicet non fuiſſet contentus uno edicto, ſed vi retraxiſſet miſeros Iſraëlitas in novum exilium, niſi obviam itum fuiſſet hoc modo, nempe quum Angelus unus pugnavit, deinde additus eſt etiam alter. Nam Angelus dicit, Michaëlem unum ex præcipuis Ducibus veniſſe, ut ferret ſuppetias. Poterat quidem ſufficere Angeli unius defenſio. Quid enim poſſunt Angeli, niſi quatenus illis datum eſt? Deus autem non eſt ita alligatus mediis, quin poſſit per unum tantundem præſtare, quam per mille
vel plures, quemadmodum etiam ubi Joſaphat de *2 Par. 14.*
exiguo exercitu ſic loquitur, Nihil refert coram *verſ. 11.*
Deo, inquit, ſimusne multi vel pauci. Deus enim *1 Sam. 14.*
poterit ſervare per exiguum numerum ſuos, ſicuti *verſ. 6.*
per ingentes copias. Idem etiam ſentire oportet de Angelis. Sed voluit Deus ita magis teſtatam facere curam quam gerebat pro ſalute populi ſui, & rarum amorem quo Iſraëlitas proſequebatur, dum ſubmiſit alterum Angelum. Duplicavit igitur Deus ſuppetias, ut teſtatior fieret ejus dilectio erga miſeros illos & innoxios, qui premebantur hoſtium ſuorum calumniis, & tyrannide etiam Regis illius impii. In ſumma dicit Angelus *ſe fuiſſe relictum apud Reges Perſarum*, hoc eſt, ut obſiſteret multis incommodis quæ electum populum manebant, niſi Deus quaſi oppoſito clypeo retinuiſſet diluvium illud quod poterat ſtatim Judæos obruere. Pergamus.

14. Et veni ut tibi patefacerem (*ut facerem te intelligere*) quod occurret populo tuo (*hoc eſt, quod eveniet populo tuo*) in extremitate dierum, (*diebus poſtremis*) quia adhuc viſio ad dies.

Proſequitur eandem ſententiam Angelus. Dicit ergo nunc ſe veniſſe, ut Danieli prædiceret quæ ventura erant, & quidem in longum tempus. Probavit non fuiſſe vanas aut irritas Danielis preces ipſo effectu, quia ſcilicet conflixerit cum Regibus Perſarum, patre & filio. Nunc autem aliam probationem affert, nempe quia Deus Prophetam ſuum velit docere, ut ſcilicet patienter expectet rerum eventus, poſtquam intellexerit ſemper populum electum eſſe ſub cura & protectione Dei: quod facile agnoſcere potuit ex vaticiniis quæ referet capite 11. Poſtea dum addit, *In extremitate dierum*, commendat hac circumſtantia Angelus gratiam Dei, cujus miniſter eſt erga Prophetam, quia ſcilicet non tantum juſſus ſit ipſum docere quid tribus vel quatuor annis futurum ſit, vel quid brevi impendeat, ſed ſimul extendere ſua vaticinia in annos complures: imo uſque ad dierum extremitatem. Ego autem hanc extremitatem libenter interpretor de renovatione Eccleſiæ, quæ contigit Chriſti adventu. Scriptura enim quum de ultimis diebus vel temporibus loquitur, ſemper deſignat Chriſti exhibitionem, à quo renovata fuit mundi facies. Perinde igitur eſt acſi diceret Angelus ſe palam facturum Danieli quæcunque contingent uſque ad ſolidam redemptionem populi, quum ſcilicet Chriſtus ipſe exhibitus fuerit in ſalutem ſuæ Eccleſiæ. Ergo complectitur Angelus quadringentos & nonaginta illos annos, de quibus loquutus eſt. Nam temporis plenitudinem ſtatuit in Chriſti adventu. Et ratio quæ ſubnectitur optime convenit,

Ad dies, inquit, *adhuc viſio*. Frigide quidam accipiunt hæc verba. Sed non dubito quin ſignificet Angelus Deum nunc patefacere ſervo ſuo quæ futura ſunt, ut vaticinia hæc quaſi inſtar lucernæ ſemper fulgeant in Eccleſia. [Pſal. 74. verſ. 9.] Fideles queruntur in Pſalmo ſe non videre amplius ſigna ſua, quoniam nulli extabant Prophetæ, Signa noſtra non videmus, & non eſt amplius Propheta apud nos, inquiunt. Hoc fuit quaſi ſignum rejectionis, acſi Deus ipſos deſeruiſſet. Nam quantiſper nobis affulget doctrinæ ſuæ luce, hoc nobis ſufficere debet ad patientiam & quietem. Ubi autem extincta eſt lux verbi, perinde eſt acſi eſſemus demerſi in ipſis inferis. Ergo quoniam multa paſſuri erant Iſraëlitæ per annos fere quingentos, oportuit illis ſubveniri hoc remedio, nempe quum teſtatur Angelus *adhuc eſſe viſionem ad dies*, quaſi diceret, Tametſi miſere affligi ſinet Deus populum ſuum, tamen hoc documento probabit ſe non abjeciſſe in totum illius curam, quoniam viſio aliqua manebit, hoc eſt, luce Prophetica ſemper teſtabitur ſe adeſſe ſuis, ita ut ſperare queant felicem exitum in ſuis malis. Tenemus ergo nunc quo ſenſu dicat Angelus *viſionem eſſe adhuc ad dies*. Nam quamvis paulo poſt ceſſaverint prophetiæ, hoc eſt, deſierit Deus ſubmittere Prophetas ſuos alios aliis: tamen viguit hæc doctrina quæ ſemper directrix eſſet, quemadmodum in ea complexus fuerat Deus ſeriem omnium temporum uſque ad Chriſti adventum. Nunquam igitur deſtituit filios ſuos neceſſario ſolatio, quia tametſi non erant ſuperſtites Prophetæ, qui ore ad os, quemadmodum dicunt, proferrent quod mandatum à Deo fuerat, tamen doctrina Danielis etiam quadringentis & fere etiam quingentis annis poſt ejus mortem adhuc viguit & retinuit ſuas partes, nempe ut fulciret animos piorum, & oſtenderet foedus Dei firmum nihilominus manere: & quamvis agitaretur variis modis Eccleſia, tamen Deum conſtare ſibi in ſuis promiſſis, donec unigeniti Filii ſui adventu penitus Eccleſiam ſuam redimeret.

Da omnipotens Deus, quando tanta eſt fidei noſtræ imbecillitas, ut fere ad minimas occaſiones evaneſcat: da, inquam, ut hoc tam inſigni & memorabili exemplo quod nobis propoſitum eſſe voluiſti in Daniele, ſuffulti non dubitemus, etiamſi ad tempus abſcondas à nobis faciem tuam, & jaceamus in tenebris, tamen te nobis propinquum eſſe, & ita ſpe indubia freti perſtemus in votis, & gemitibus noſtris, donec tandem fructus ipſe precationum noſtrarum appareat, & ſic conſtanter etiam militemus ſub omni genere tentationum, ut perſtemus invicti uſque dum nobis manum è cælo porrigas, & nos etiam attollas in beatam illam quietem, quæ nobis repoſita eſt in cælo per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO QUINQUAGESIMA QUINTA

IN

DANIELEM.

15. Et quum loqueretur mecum ſecundum verba hæc, poſui faciem meam in terram, & obmutui.

Significat rurſus his verbis Daniel ſe reverentia Angeli ita fuiſſe tactum, ut ſtare non potuerit. Et hoc ad commendationem Prophetiæ valet, ut ſciamus ſanctum Prophetam non modo fuiſſe edoctum ab Angelo, ſed ita confirmatum ut quod poſtea referet cap. 11. omni dubitatione careat. Denique fidem conciliat verbis Angeli, quia non vulgari more loquutus fuerit, ſed præ ſe tulerit aliquid divinum, ita ut Daniel jacuerit pronus in terram. Quod *ſe obmutuiſſe* dicit, quidam, meo judicio, perperam exponunt, quaſi poenituerit eum muneris Prophetici, quia non putabat vota ſua exaudita fuiſſe. Sed illud eſt nimis coactum, quia ſimpliciter docet Propheta ſe metu fuiſſe correptum, ut neque pedes officium ſuum fecerint, neque lingua. Erat enim quaſi extra ſe poſitus. Sed quum ſe proſterneret in terram, ſignum dedit reverentiæ: quum obmutuit, oſtendit ſe eſſe attonitum. Et jam breviter admonui quorſum hæc ſpectent, nempe ut ſciamus Angelum fuiſſe ſuis inſignibus ornatum, ut plena auctoritas conſtaret ejus dictis. Sequitur,

16. Et ecce ſecundum ſimilitudinem filiorum hominis (*hoc eſt, quidam præ ſe ferens formam filiorum hominis*) tetigit labia mea, & aperui os meum, & loquutus ſum: & dixi ad eum qui ſtabat ad conſpectum meum, (*hoc eſt, è regione, vel qui ſtabat mihi ex oppoſito*) Domine, in viſione converſi ſunt dolores mei ſuper me, & non continui robur.

17. Et quomodo poterit ſervus Domini mei hujus loqui cum Domino meo hoc? Et exinde non ſtetit in me (*ad verbum, & ego, non ſtetit in me*) robur: (*ſed pleonaſmos ille non quadraret linguæ Latinæ*) & anima, *halitus* non fuit reſiduus in me.

18. Et addidit (*hoc eſt, ſecundo*) tetigit me ſecundum ſimilitudinem (*hoc eſt, is qui repræſentabat ſimilitudinem*) hominis, & roboravit me.

Hic narrat Daniel Angelum qui vulnus inflixerat, ſimul medicinam attuliſſe. Fuerat enim metu dejectus, nunc erigitur, & quidem tactu Angeli, non quia vis fuerit in ſolo tactu, ſed ſcimus Deum libere uti ſymbolis, prout viſum eſt. Ita Angelus non ſola voce Prophetam erexit, ſed etiam tactu. Unde colligimus tantam fuiſſe vim pavoris, ut difficile fuerit eum recreari. Hoc etiam ad ſuum finem referri debet, nempe ut nobis indubia ſit auctoritas vaticinii, quod palam oſtendit Daniel fuiſſe à Deo profectum. [2 Cor. 11. verſ. 14.] Scimus enim Satanam ſe transfigurare in Angelum lucis. Ideo certis notis hanc prophetiam diſcrevit Deus ab omnibus fallaciis Satanæ. Denique his omnibus circumſtantiis docet Propheta, Deum eſſe auctorem vaticinii, quod poſtea ſubjiciet, quoniam Angelus ſecum attulerit certa teſtimonia, quibus ſibi acquireret gratiam, & palam faceret ſe divinitus fuiſſe miſſum Danieli. Dicit autem fuiſſe *ſecundum ſimilitudinem hominis*, vel filiorum hominis. Videtur hic Angelum alium notare, ſed ex progreſſu colligere licebit eundem fuiſſe Angelum qui loquutus erat. Prius impoſuerat ei nomen viri aut hominis: nunc ut diſtinguat ab hominibus, & oſtendat forma tantum fuiſſe hominem, non autem natura, dicit geſtaſſe ſimilitudinem filiorum hominis. Quod reſtringunt quidam ad Chriſtum, vereor ne coactum ſit: & ubi omnia propius excuſſa fuerint, ſicuti jam dixi, probabile eſt eundem hic de-

deſignari Angelum, de quo hactenus loquutus eſt Daniel Eum vero non fuiſſe Chriſtum jam diximus, quia Chriſtus potius cenſendus eſſet Michaël ille, cujus facta fuit mentio, & rurſus fiet in fine hujus capitis. Simplicius ergo eſt ita accipere, quod Angelus *Danielem roboraverit tangendo ejus labia*, & Angelus ille quem prius vocavit hominem, fuerit forma duntaxat homo, hoc eſt, geſtaverit hominis figuram & imaginem, non autem indutus fuerit natura ipſa. Nam etſi Deus ſæpe Angelos ſuos miſit corporibus humanis indutos, nunquam tamen creavit ipſos homines, ſicuti Chriſtus factus eſt homo: magnum eſt diſcrimen inter Angelos & Chriſtum. Antea autem diximus depictum fuiſſe nobis Chriſtum ſub hac imagine. Et in eo nihil eſt abſurdi, quod Chriſtus aliquam ſpeciem humanæ naturæ exhibuerit antequam manifeſtatus eſſet in carne, & quod Angeli etiam ipſi induerint humanas formas. Dicit poſtea *ſe os aperuiſſe & loquutum eſſe*. His verbis plenius explicat quod prius vidimus, nempe fuiſſe terrore quaſi obſtupefactum, ut eſſet quaſi ſimilis mortuo. Cœpit ergo os aperire, nempe quum animatus eſſet ad fiduciam. Nec vero mirum eſt, ubi Deus ſigna gloriæ ſuæ oſtendit, ſic homines concidere, & quaſi deficere. Quid enim ſumus ſi Deus exerit erga nos vires ſuas? Ipſe eſt ad cujus ſolum conſpe-
Pſal. 104. verſ. 32. ctum liquefiunt montes, & cujus ſola voce concutitur tota terra. Quomodo igitur ſtarent homines, qui ſunt cinis & flatus duntaxat, ubi Deus cum gloria ſua apparet? Sic ergo proſtratus fuit Daniel, ſed poſtea vires recuperavit, quum Deus reſtituit illi animum. Sciamus ergo fieri aliter non poſſe quin evaneſcamus quoties Deus ſignum aliquod nobis proponit potentiæ ſuæ ac virtutis; tamen nos etiam viciſſim refici, ubi oſtendit ſe nobis eſſe patrem, vel ubi teſtatur nobis aut verbo aut aliis ſignis favorem ſuum. Videri quidem poſſet ſupervacuus ſermo, dicit *ſe aperuiſſe os, & loquutum eſſe, & dixiſſe*: ſed voluit certius hac congerie verborum exprimere quod jam dixi, nempe ſibi ademptum fuiſſe loquendi uſum, donec tactu Angeli recreatus fuit. Dicit ſe loquutum eſſe *ad eum qui ſtabat ex oppoſito*. Hinc colligimus fuiſſe eundem illum Angelum, qui ad eum miſſus fuerat. Quod etiam rurſus clarius patebit ex fine cap. & ex continuo progreſſu. Dicit autem, *Domine mi, in viſione verſi ſunt dolores mei ſuper me, & non continui robur*. Hic more Hebraico Angelum vo-
1 Cor. 8. verſ. 6. cat Dominum. Fuit quidem verum illud Pauli etiam ſub Lege, unum ſcilicet eſſe Dominum: ſed promiſcue utuntur hac voce Hebræi, dum honorifice aliquem compellant. Non fuit minus uſitatum vulgo ſic vocare quoslibet obvios quam hodie ſit. Fateor quidem eſſe corruptelam, ſed quoniam ratio communis loquendi ſic ferebat, nulla fuit Prophetis religio etiam Angelos vocare Dominos. Sed vocatur Angelus *Dominus*, honoris cauſa, quemadmodum homines qui excellunt aliqua dignitate. *In viſione ipſa*, hoc eſt, antequam cœperis verba facere, ego obrutus fui dolore, neque continui vires. Quomodo igitur nunc poſſem loqui? inquit. Tu ſolo conſpectu me exanimaſti: non igitur mirum eſt ſi prorſus obmutuerim: & nunc etiamſi os aperio, tamen non occurrit quid ſim dicturus, quoniam ſenſus omnes meos conſtrictos tenet pavor ille quem mihi attulit tua præſentia. Videmus ergo Prophetam ſic fuiſſe ex parte erectum, ut tamen adhuc metu retentus fuerit, ne poſſet libere proferre quod habebat in animo. Ideo ſubjicit, *Et quomodo poſſet ſervus Domini mei hujus loqui cum Domino meo hoc?* Demonſtrativum *Zeh* videtur poni amplificationis cauſa, quemadmodum etiam hoc nobis tritum eſt quum dicimus, *avec un tel*. Non igitur ſimpliciter demonſtrat Angelum Daniel, ſed vult exprimere raram, & quaſi ſingularem in ipſo præſtantiam. Hic vero ſuperflua eſſet atque adeo importuna diſputatio, ſi quis dicat fas non fuiſſe Prophetæ tale imperium adſcribere Angelo. Nam ex uſu linguæ Propheta ſic loquutus eſt, quemadmodum jam dixi. Interea nihil detrahere voluit Dei Monarchiæ. Sciebat unicum eſſe Deum, ſciebat etiam Chriſtum unicum eſſe Principem Eccleſiæ: interea libere ſibi permiſit ſequi communem & popularem loquendi formam. Et certe religio nimia in verbis ſemper fugienda eſt nobis, aut negligenda ſaltem Quanquam ſimul tenendum eſt, Prophetam ſequutum eſſe quod tunc vulgo uſitatum erat, non ut detraheret quicquam Deo, quod ad Angelum transferret, quemadmodum Papiſtæ, ubi ſibi fabricant innumeros patronos, ſpoliant Chriſtum juſto ſuo honore. Hoc noluit Daniel, ſed quemadmodum jam dixi, honorifice cum Angelo loquutus eſt perinde atque cum homine quopiam præſtanti & eximio. Sciebat quidem eſſe Angelum, ſed in ipſo ſermone non ſibi oppoſuit inanes ſcrupulos, quia cernebat hominis formam, ideo quaſi cum homine loquutus eſt: ſed quod ad certitudinem vaticinii ſpectabat, certo perſuaſus fuit Angelum ſibi eſſe miſſum è cælo doctorem. Poſtea addit, *Mihi exinde non ſtetit in me robur, & halitus non fuit reſiduus in me*. Quidam in futuro tempore convertunt, Non ſtabit, & certe eſt futurum tempus in verbo *Jaamad*: ſed ſequitur deinde tempus præteritum, quum dicit, *non fuit reſiduus halitus in me, Niſarah* Non dubito igitur quin repetat Daniel quod prius vidimus, nempe ſe correptum fuiſſe non metu duntaxat, ſed etiam ſtupore ad conſpectum Angeli. Unde colligit ſibi non ſuppetere vel ingenium vel linguam, ut comprehendat quod dicetur, vel etiam reſpondeat Angelo. Hæc eſt ſumma. Ideo ſubjicit *ſecundo ſe tactu fuiſſe confirmatum ab eo qui ſimilitudinem hominis geſtabat*. *Addidit* ergo *ille, & tetigit me*, inquit. His verbis clarius exponit Daniel ſibi non fuiſſe redditas vires integras primo tactu, ſed pauliſper ſe fuiſſe animatum, ut poſſet ſaltem tria vel quatuor verba effari. Videmus ergo non uno momento ſtatim vires colligere eos qui proſtrati ſunt à Deo, ſed paulatim & per certos gradus recuperare quod amiſerant. Sic ergo opus fuit ſecundo tactu, ut Daniel poſſet animo quieto & compoſito audire loquentem Angelum. Et hic rurſus nobis commendat fidem vaticinii, quia non fuit prorſus ecſtaticus quum Angelus diſſereret de rebus futuris. Si enim jacuiſſet ſemper proſtratus, nulla fuiſſet ejus attentio ad ſermonem Angeli. Non poterat igitur fungi erga nos Prophetæ & doctoris officio. Sed ideo hæc duo conjunxit Deus, nempe terrorem & novas vires, ut poſſet excipere Daniel ipſe animo ſedato quod Angelus docebat, & poſtea etiam quaſi per manus tradere quod acceperat ab ipſo Deo per manum Angeli. Sequitur,

19. Et dixit, Ne timeas vir deſideriorum: (*hoc eſt, deſiderate, ut prius diximus*) pax tibi, confortare, & confortare. (*Alii vertunt, viriliter te geras, & fortis eſto: ſed repetitio eſt ejuſdem verbi*) & quum loqueretur mecum, roboravi me: tunc dixi, Loquatur Dominus meus, quia roboraſti me.

Primum dicit exhortatione Angeli ſe rurſus animum collegiſſe. Refert enim exhortationem Angeli, qua juſſit eum eſſe bono animo. *Ne timeas* ergo *vir deſideriorum*. Hic blande alloquitur Angelus Danielem, ut quaſi ipſum demulceat. Oportuit enim quodammodo allici, quoniam ſemper exhorruiſſet tam verba quam conſpectum Angeli. Hæc igitur ratio eſt cur iterum vocet *hominem deſideratum*. Poſtea addit,

addit, *Pax tibi.* Scimus hunc ſalutandi morem eſſe Hebræis: & nomine *Salom* intelligunt quod Latini dicunt, Bene tibi ſit. Pax Hebræis tantundem valet atque proſper ſtatus, & omnia felicia, & quies, & quicquid tale eſt, *Pax* ergo *tibi ſit*, hoc eſt, Bene tibi ſit. Hac voce Angelus ſe veniſſe declarat in gratiam Prophetæ, ut ſcilicet teſtetur Deum eſſe propitium Iſraëlitis, deinde preces ejus fuiſſe exauditas. Et hoc diligenter notandum eſt, quia ſicuti jam dixi, quoties profert Deus ſignum aliquod ſuæ majeſtatis, neceſſe eſt nos terreri. Nulla autem alia eſt medela, quam ubi Deus favorem erga nos ſuum demonſtrat, & teſtatur ſe adeſſe ut Patrem. Hoc ergo etiam voluit Angelus his verbis, quaſi diceret fuiſſe juſtam cauſam cur Daniel quaſi exanimis concideret ob reverentiam præſentiæ Dei, ſed nunc poſſe tamen eſſe bono & tranquillo animo, quia ſciat ſe miſſum fuiſſe ad teſtandum Dei favorem. *Pax* ergo *tibi.* Poſtea addit, *Roborare & roborare.* Hac repetitione docet Angelus non levi aut vulgari remedio opus fuiſſe ad Prophetam erigendum. Si enim mediocriter fuiſſet territus, etiam uno verbo animum recipere poterat. Sed quoniam erat veluti extra ſe, & evanuerant omnes ejus ſenſus, ideo Angelus candem exhortationem bis inculcat, ut roboretur. *Roborare* igitur *& roborare*, hoc eſt, colligas animum, & ſi hoc fieri non poſſit uno tantum momento, perge ut recuperes eam alacritatem, quæ poſſit te reddere idoneum diſcipulum: quia ut nunc es attonitus, fruſtra apud te verba facerem. Hoc etiam notandum eſt ob duplicem uſum, quia iterum docet Propheta quantopere fuerit dejectus, quo ſcilicet ſciamus non fuiſſe ambiguam hanc revelationem, ſed quæ inſignita fuerit ſuis legitimis notis. Deinde hinc etiam diſcendum eſt, quam formidabilis ſit nobis Dei præſentia, niſi nobi certo perſuaſi ſumus de paterno erga nos ejus amore. Poſtremo tenere convenit, ubi ſemel ſumus perculſi non poſſe ſtatim reſtitui nobis integrum animum, ſed ſatis eſſe ſi Dominus vires ſucceſſu temporis nobis paulatim inſpiret. Dicit poſtea Daniel *ſe fuiſſe confirmatum & dixiſſe, Loquatur Dominus meus, quia roboraſti me*, quibus verbis indicat ſe fuiſſe pacato animo, poſtquam Angelus duplici tactu eum quaſi expergefecit: deinde poſtquam ſua etiam exhortatione addidit animum. Hæc vero animi tranquillitas cognitu valde nobis eſt utilis, quia oportuit Prophetam eſſe bonum diſcipulum, ut poſtea præſtaret nobis probi doctoris munus & partes. Non ſine cauſa igitur iterum aſſerit ſibi fuiſſe vires redditas, ut poſſet ſecure cum Angelo ipſo loqui. Nunc ſequitur,

20. Et dixit, An cognoſcis (*ſcisne*) quare venerim ad te? & nunc revertar ad pugnandum cum Principe Perſarum: & ego egrediens (*hoc eſt, ubi egreſſus fuero*) tunc ecce Princeps Javan (*hoc eſt, Græcorum*) veniet.

Videtur Angelus hic fruſtra ſuſpendere Prophetam longis ambagibus. Poterat enim ſtatim & ſimpliciter narrare cur veniſſet. Verum neceſſe fuit Prophetam ad ſeipſum revocari, quia ante vix erat ſui compos. Non erat quidem mente alienatus, ſed illa perturbatio de qua vidimus excuſſerat aliqua ex parte quietam cogitationem. Et hoc ſcribitur noſtra cauſa, ſicuti etiam factum fuit. Hæc ratio eſt cur præfatione rurſus Angelus utatur: *Scisne?* inquit: perinde acſi vellet ſenſus Prophetæ, qui antea vagi erant & diſperſi, in unum colligere. Hortatur ergo ut attente audiat. *Et nunc*, inquit, *revertar*, hoc eſt, poſtquam tibi expoſuero quod paulo poſt audies, *iterum revertar ad pugnandum cum Principe Perſarum.* Hic ſubindicat Angelus ſe miſſum fuiſſe ſerius, non quod Deus negligeret Prophetæ ſui gemitus & vota, ſed quia nondum advenerat opportunum tempus. Prius enim dixerat Angelus Principem Perſarum coram ſe ſtetiſſe, quaſi diceret, Ille me detinuit quoniam oportuit me cum ipſo confligere: alioqui graſſata fuiſſet ejus ſævitia contra populum multo inſolentius. Sic ergo illic ſe fuiſſe occupatum dicebat. Nunc vero addit, *Ego redibo ad pugnandum cum Principe Perſarum*, quaſi diceret, Deus miſit me data opera, ut intelligas quod poſtea ſtatim accidet: ſed jam ſcias me non fuiſſe hactenus otioſum, neque in poſterum fore. Ego nunc venio ut tibi ſim teſtis & præco benevolentiæ Dei erga te & populum: ſed re ipſa ego etiam defenſor ſum ſalutis veſtræ, quoniam mihi aſſidue pugnandum eſt cum Principe Perſarum. Cambyſem hic intelligit. Sequor quod ante dixi, nempe prælium fuiſſe Angelo cum Rege Perſarum, quem ſtimulaverant improbi ad crudelitatem. Revocaverat enim tunc edictum patris ſui. Angelus ergo obſtitit furori Regis, qui ſponte nimis erat turbulentus, quemadmodum deſcribunt profani ſcriptores ejus ingenium. Nunc addit, *Veniam ad pugnandum contra Principem Perſarum.* Nam *Im* tantundem hic valet atque Contra, ut pluribus locis. Poſtea addit, *Et quum egrediar*, hoc eſt, ubi egreſſus fuero, *tunc aderit Princeps Græcorum*, inquit, hoc eſt, Deus alio modo eum exercebit. Non intelligit hoc de Cambyſe, ſed de aliis Perſarum Regibus, quemadmodum ſuo loco dicetur. Verum quidem eſt, Regem Macedonum veniſſe inſtinctu Dei, ſed ſimpliciter intelligit Angelus varias fore rationes Deo, quibus impediat Regum crudelitatem quoties tentabunt populo nocere. Mittet Principem Græcorum, inquit. Sicuti ergo Deus compeſcuit Cambyſem opera Angeli, ita etiam alios deinde à ſævitia prohibuit per Alexandrum Macedoniæ Regem. Idem Deus ſemper conſulit populi ſui ſaluti, ſed habet in manu varias rationes. Hoc docere voluit ſimpliciter Angelus. Tandem ſubjicit,

21. Verum indicabo tibi quod exaratum eſt in ſcriptura veraci: & non unus qui ſe roboret (*vel qui viriliter agat*) mecum in his, niſi Michaël Princeps veſter,

Omitto quod alii interpretantur, poſtquam egreſſus fuit Angelus, veniſſe Principem Græcorum, quia deſierit Deus regno Perſarum auxiliari. Illud enim prorſus remotum eſt à Prophetæ ſenſu. Sed tenendus eſt ille ſenſus quem attigi. Jam adjungit Angelus ſe veniſſe, ut palam faceret Danieli quæ paulo poſt referet. Sed conciliat rurſus fidem dictis ſuis, non tantum privatim ipſius Prophetæ cauſa, ſed ut certo perſuaſi eſſent omnes pii, non eſſe humanum vel delirium, vel commentum quod ſcripſit Daniel, ſed vaticinium divinitus allatum. *Annunciabo* ergo *quod exaratum eſt*, vel inſculptum *in ſcriptura veraci.* Scripturam veracem haud dubie nominat æternum & inviolabile Dei ipſius decretum. Deus libris non indiget: ſunt enim chartæ & libri ſubſidia memoriæ noſtræ quæ alioqui facile labitur: atqui ut nulla in Deum cadit oblivio, ideo libris ipſe non indiget. Sed ſcimus Scripturam ſæpe mutuari loquendi formas ab hominum conſuetudine. Perinde eſt igitur acſi diceret Angelus nihil ſe afferre niſi quod Deus apud ſe certo decrevit, & quod coram ipſo fixum eſt, ita ut poſſit tuto ſperare effectum & complementum Propheta. Poſtea addit *neminem eſſe, qui in iſtis negotiis viriliter agat præter Michaëlem* quem vocat *Principem electi populi.* Mirum eſt cur ſolus Angelus cum Michaële pugnaverit pro ſalute populi. Scriptum

Pſal. 34. enim eſt, Angelos caſtra metari in circuitu timen-
verſ. 8. tium Deum. Una tunc fuit in toto orbe Eccleſia.
Cur ergo Deus non mandavit illius curam pluribus
Angelis? & cur non emiſit ingentes copias? Sed ſci-
mus Deo non eſſe fixam certam legem, ut per ma-
gnas copias nobis auxilietur, vel per unum Ange-
lum duntaxat, vel per plures. Neque enim Angelis
utitur, quia per ſe non poſſit quantum ſatis eſt. Hæc
etiam ratio eſt varietatis cur nunc contentus ſit uno
Angelo, nunc autem plures ſimul conjungat. Dabit
2 Reg. 6. uni homini magnum exercitum, ſicuti de Eliſeo le-
verſ. 17. gitur, & extant paſſim in Scripturis exempla. Vidit
ergo miniſter Eliſei plenum aërem Angelis. Ideo
Mat. 26. dixit Chriſtus, An non poſſum rogare Patrem meum,
verſ. 53. & mittet mihi legionem, non unum Angelum dun-
Pſal. 91. taxat? Et Pſalmo 91. Spiritus Dei plures Ange-
verſ. 11. los ſingulis fidelibus attribuit. Nunc ergo tenemus
cur Deus non ſemper eodem tenore neque æqua-
liter plures Angelos mittat, nempe ut ſciamus in ipſo ſatis eſſe nobis præſidii, etiamſi nulla adminicula accedant. Contulit quidem noſtræ infirmitati dum nobis opem fert per ſuos Angelos qui ſunt quaſi vice manuum: ſed quemadmodum jam dixi, hoc non eſt perpetuum, neque noſtrum eſt obſtringere eum certa lege, ut eodem ſemper modo nobis ſuccurrat. Tunc ergo viſus eſt Deus ſaltem ad tempus deſtituere ſuos auxilio, interea tamen fuerunt duo Angeli qui pugnarent, nempè hic Angelus qui miſſus fuit ad Danielem, deinde Michaël, cujus nomine ſi Chriſtum intelligere placeat non repugno. Vocat enim Principem Eccleſiæ: & videtur hic titulus non proprie competere aliis Angelis, ſed eſſe quaſi peculiaris Chriſto. In ſumma ſignificat Angelus, Deum non exerere plenas vires ut pro Eccleſia ſua pugnet, ſed ſe unum eſſe miniſtrum ſalutis, donec adveniat liberationis tempus. Poſtea adjungit, (nam verſus hic poterit breviter abſolvi, & contextu uno legendus eſt)

Cap. XI.

ET ego anno primo Darii Medi ſteti in roboratorem, & auxilium illi. (*hoc eſt, ſteti ut ipſum roborarem, & ei opitularer.*)

Varie exponunt interpretes hunc verſum. Qui putant Angelum pugnaſſe pro Rege Perſarum, ſequuntur ſuam ſententiam, quod non inceperit nunc primum defendere Monarchiam illam in favorem populi, ſed ſtatim ab initio. Alii referunt hoc ad Michaëlem, quod Angelus viciſſim dicat ſe auxilium ferre Michaëli. Sed illud coactum eſt, ac etiam frigidum. Ego igitur non dubito quin ſit argumentum à majori ad minus, quale eſt illud Ovidii in tragœdia, *Servare potui, perdere an poſſim rogas?* Sic etiam dicit Angelus, Ego erexi Monarchiam Perſarum: minime igitur dubium eſt, quin mihi nunc integrum ſit cohibere Reges ipſos, ne furorem ſuum effundant ſuper populum. Summa huc tendit, Rex Perſarum nihil eſt, ac nihil poteſt niſi per me. Ego enim miniſter Dei fui ut transferrem Monarchiam Medorum & Chaldæorum ad Perſas, vel ut transferrem Monarchiam Babylonicam ad Medos. Deus, inquit, has partes mihi mandavit: ego igitur impoſui Darium ſolio. Nunc tu vides in arbitrio meo eſſe, arcere ipſum ne populo noceat, etiamſi velit. Quod Angelus jactat *ſe ſtetiſſe in auxilium Darii*, hic nihil ſibi ſeorſum arrogat, ſed loquitur quaſi in Dei perſona. Neque enim Angeli quicquam habent à Deo ſeparatum, ubi eorum opera & miniſterio utitur. Non eſt igitur cur quiſpiam quærat an Angelus debuerit ſe ita jactare, vel tale aliquid ſibi vendicare. Neque enim proprium quicquam ſibi uſurpat ut dixi, ſed oſtendit ſe auctorem fuiſſe mutationis quum ſubacta fuit Babylon à Medis, & imperium ad Darium translatum fuit. Quanquam autem Cyrus potitus eſt victoria ut prius dictum fuit, quia tamen detulit hunc honorem Dario ſocero ſuo qui vocatur Cyaxares, ideo ſolent Hebræi facere ipſum Monarcham biennio illo primo, poſtea cœpit Cyrus regnare, & jam annus tertius erat quum Angelus apparuit Danieli, ſicuti viſum fuit capitis initio.

Da omnipotens Deus, quando quotidiè familiariter nos dignaris luce cæleſtis doctrinæ, ita venire in ſcholam tuam cum vera humilitate & modeſtia, ut appareat noſtra docilitas: deinde ut ea reverentia excipiamus quicquid proficiſcitur ab ore tuo, ut emineat tua inter nos majeſtas: & ut ſic guſtemus bonitatem tuam quam nobis in verbo tuo manifeſtas, ut poſſimus gloriari te nobis eſſe Patrem, atque ita non adeo horreamus præſentiam tuam, quin dulceſcat nobis teſtimonio gratiæ & favoris paterni, atque ita verbum tuum nobis pretioſius ſit quovis auro & quibuslibet theſauris: & interea ejus dulcedine paſcamur, donec perveniamus ad illam plenam ſatietatem, quæ nobis in cælo repoſita eſt per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO QUINQUAGESIMA SEXTA IN DANIELEM.

2. Et nunc veritatem annuncio tibi: Ecce adhuc tres Reges ſtabunt in Perſide, & quartus ditabitur opibus magnis (*vel opulentus erit opulentia magna*) præ omnibus, & ſecundum fortitudinem ſuam, in (*inquam*) opibus ſuis (*vel cum opibus ſuis, hoc eſt, quum prævaluerit*) excitabit omnes contra regnum Græcorum.

TEnendum eſt conſilium Dei cur Danielem ſervum ſuum præmonuerit de rebus futuris: Noluit certe obſequi vanæ curioſitati, ſed de rebus cognitu neceſſariis diſſeruit, ut Propheta non tantum ipſe privatim recumberet in gratiam Dei, quum ſciret ipſum gerere curam Eccleſiæ ſuæ, ſed alios etiam exhortaretur ad perſeverantiam fidei. Caput hoc niſi quod ænigmatice deſcribit quæ poſtea contigerunt, videtur eſſe quaſi hiſtorica narratio. Perinde enim Angelus quæ futura poſtea erant narrat acſi oſtenderet ante oculos. Sed hinc certius colligimus, Deum loquutum eſſe per Prophetas ſuos: Danielem vero, etiamſi unicus eſſet Propheta, luculentum nobis eſſe documentum peculiaris gratiæ Dei erga Iſraelitas. Differit autem hic Angelus non de univerſo ſtatu orbis, ſed tantum de regno Perſarum primo loco, deinde tam de Monarchia Alexandri, quam de duobus regnis, hoc eſt, Syriæ & Ægypti. Unde clarius perſpicitur totum hunc ſermonem directum fuiſſe ad fideles.

les. Neque enim Deus reſpectum habuit aliarum gentium, ſed voluit Eccleſiæ ſuæ conſulere, ut fideles in maximis perturbationibus retinerent tamen hoc principium, Deum non eſſe oblitum fœderis ſui, ſed ita moderari turbas quæ tunc erant diſperſæ per totum mundum, ut ſuos tamen protegeret ſuo auxilio. Sed hæc iterum repetenda erunt, & quidem ſæpius in progreſſu. Primo dicit Angelus *ſtaturos adhuc tres Reges in Perſide.* Quantum attinet ad particulam illam, *Ecce annuncio tibi veritatem*, heſterna lectione admonui, quoniam de rebus maximis facturus erat verba, & quæ prope erant incredibiles, ideo ſæpius confirmaſſe ſuum vaticinium. *Dicturus* ergo *ſum tibi veritatem*, inquit: *Stabunt tres Reges.* Hebræi ut ſunt non tantum ignari rerum omnium, ſed etiam prorſus ſtupidi, deinde etiam & pudore carent, & præditi ſunt ſtolida audacia, putant tres duntaxat fuiſſe Reges Perſarum, deinde neglectis omnibus hiſtoriis miſcent ac confundunt quæ liquida ſunt ac bene diſtincta. Conſtat autem alios fuiſſe octo Perſarum Reges, quorum nulla hic fit mentio. Cur ergo dicit Angelus *ſtaturos adhuc tres Reges?* Erat ille annus primus Darii, quemadmodum prius viſum fuit. Ergo in hoc numero comprehenditur tam Cyrus primus Monarcha, quam filius ejus Cambyſes. Verum duobus Regibus poſitis naſcetur iterum nova quæſtio. Plures enim *Smerden* ſubjiciunt Cambyſi, qui tamen fuit Rex ſuppoſititius. Nam Magi ut ad ſe Imperium traherent falſo jactarunt illum eſſe filium Darii. Ita factum eſt ut per ſeptem menſes fuerit agnitus pro Rege: ſed fraude poſtea deprehenſa, interfectus fuit à ſeptem Proceribus regni, inter quos fuit Darius filius Hyſtaſpis, qui Rex creatus fuit aliorum conſenſu ad hinnitum equi: ſatis vulgaris eſt hiſtoria. Interpretum varietas lectores impedire poteſt. Atqui ex eventu ipſo colligi poteſt veritas. Nam Smerdes, quemadmodum dixi, non poteſt cenſeri inter Reges Perſicos, quia fraude erat ſuppoſitus. Ego igitur illum excludo, ſicuti & alii nonnulli prudenter hoc conſiderant. Nunc videndum eſt cur Daniel ponat quatuor Reges, quorum *quartum* dicit *fore opulentiſſimum.* Succeſſit Cyro Cambyſes, qui jam tunc regnabat, quoniam Cyrus ſemper vagatus eſt huc & illuc, & vix ſibi permiſit unius anni inducias, quin ſemper ut cupidiſſimus erat gloriæ, & inſatiabilis in ſua ambitione, ſubinde nova bella concitaverit. Cambyſes ejus filius, qui fratrem occiderat, mortuus eſt in Ægypto: & tamen eam adjecit regno Perſarum. Succeſſit Darius filius Hyſtaſpis, hunc ſequutus eſt Xerxes. Falluntur itaque qui Darium filium Hyſtaſpis putant hic vocari quartum Regem. Nec vero dubium eſt quin Propheta Xerxem deſignet, qui trajecit mare cum ingenti exercitu. Secum enim ducebat nongenta millia: & hoc eſt incredibile, quod tamen conſtanter affirmant omnes hiſtorici. Et tanta fuit ſuperbia inflatus, ut diceret ſe veniſſe ut injiceret compedes Helleſponto. Nam operiebat ille exercitus fere totam terram. Hoc unum eſt, quatuor Reges hic notari, Cyrum & Cambyſem, deinde omiſſo Smerde, filium Hyſtaſpis Darium, & poſtea adjungi quarto loco Xerxem. Sed nunc quæritur cur dicat Angelus ſtaturos quatuor Reges, quum ſucceſſerit Xerxi Artaxerxes, vel Darius longimanus, μακρόχειρ, & poſtea etiam alii ſequuti ſint. Solvitur hic nodus ratione ſatis probabili, quoniam Xerxes afflixit opes regni Perſarum ſua temeritate. Diſceſſit enim cum maximo dedecore, & vix elapſus eſt turpi fuga. Paucos enim ſecum comites raptim abduxit in cymba duntaxat: nec potuit nanciſci navem onerariam, quum tamen prius totum mare Helleſponticum conſtratum fuiſſet ejus navibus: & quatuor præliis totus ille exercitus fere deletus eſt, primum ad Thermopylas, deinde in Leuctris, poſtea in aliis locis. Ab eo tempore non floruit Perſicum imperium, quoniam ubi laus bellica illis ablata fuit, non puduit ipſos deſciſcere in mollitiem & ignaviam, quemadmodum etiam Xenophon tradit. Sic ergo quidam interpretes hunc locum exponunt, *quod ſteterint tres Reges*, quia tunc florebat Monarchia Perſarum: & volunt hoc verbum Standi emphaticum eſſe, quoniam ab eo tempore cœperunt peſſum ire opes gentis illiu. Nam Xerxes reverſus quum exoſus eſſet toti populo propter ſtultitiam, deinde ob ſævitiam in cæde fratris, & libidinem in ſtuprata ſorore, denique ob alia flagitia: quum igitur ita flagraret odio & infamia apud ſuos, occiſus fuit ab Artabano, qui ſeptem menſes regnavit. Quoniam vero tunc collapſa fuit potentia Perſarum magna ex parte, vel ſaltem inclinare cœpit, ideo quidam interpretes dicunt ſtetiſſe tres Reges Perſarum, deinde quartum fuiſſe opulentiſſimum, nempe Xerxem. Sed quid ſi verbum Standi ſumamus relative, reſpectu Eccleſiæ Dei? Dixit enim ante Angelus Principem Perſarum, nempe Cambyſem ſtetiſſe coram ſe, hoc eſt, ex oppoſito, quaſi in conflictu. Videtur ergo Angelus potius innuere *ſtaturos quatuor Perſarum Reges*, ita ut Judæi ſenſuri ſint multa incommoda, & graves moleſtias ſub ipſis. Hoc igitur Stare ego de certaminibus interpretor, quibus exercuit Deus Eccleſiam ſuam uſque ad mortem Xerxis. Nam ab eo tempore, quoniam minor erat Perſarum potentia, plus quietis vel relaxationis ſaltem, datum fuit populo Dei. Hæc ratio eſt cur Angelus omittat, & quaſi ſilentio opprimat alios omnes Reges ab Artabano uſque ad Darium filium Arſacis: nam fuit Arſaces penultimus, ac quamvis regnaſſet ante ipſum Ochus, ſcimus ex profanis ſcriptoribus poſteros ejus fuiſſe ignobiles ſub Dario ultimo, quem Alexander vicit, ut poſtea videbimus. Ego igitur exiſtimo hanc eſſe genuinam ſententiam, quod à Cyro uſque ad Xerxem ſtaturi eſſent Reges Perſarum contra Iſraëlitas, quia ſcilicet toto illo tempore ſubinde renovata ſunt certamina, ut Judæi poſſent fere concidere deſperatione in illa continua ſerie malorum. Dicunt quidam ſtaturos quatuor Reges donec educti eſſent omnes Judæi. Atqui ſcimus hoc nunquam fuiſſe completum: rediit duntaxat exigua portio. Quantum ad me ſpectat, tametſi nollem cum aliis contendere, tamen non dubito quin voluerit Angelus hortari ad tolerantiam omnes pios quum dixit *ſtaturos adhuc quatuor Reges*, qui varias illis moleſtias inferrent. Quantum ad quartum ſpectat, aptiſſime convenit in Xerxem quicquid hic dicitur. *Ditabitur quartus*, inquit, *divitiis*, quia nomen convenit cum verbo, ut ex ea radice ſumptum. Et ſane Darius filius Hyſtaſpis ſtatuerat bellum inferre Græciæ, & jam aliquid tentaverat, ſed infeliciter, præſertim in pugna Marathonia: morte vero interceptus fuit, quum jam & theſauri parati eſſent, & multæ copiæ collectæ. Reliquit igitur materiam belli filio ſuo. Xerxes quum eſſet in flore ætatis, & videret ſe inſtructum eſſe toto belli apparatu, cupide arripuit illam occaſionem: & tamen non obtemperavit ſanis conſiliis. Seipſum enim & totam Monarchiam perdidit non una tantum clade, ſed quatuor, quemadmodum diximus. Et hoc fuit non vulgare, quod potuit conficere exercitum fere ex nongentis millibus. Nam ſi centum duntaxat millia ſecum traxiſſet ultra mare, hoc jam magnum erat. Sed quod potuerit tantas copias alere, quum iter faceret per multas provincias, deinde quum mare quoque trajiceret, hoc exceſſit communem fidem. Non mirum igitur eſt quod Angelus prædicit fore Regem locupletiſſimum. Et adjungit, *In fortitudine ſua, in opibus ſuis excitabit omnes contra regnum Græcorum.* Hoc non factum fuit à Dario filio Hyſtaſpis: quanquam, ut dictum eſt, aggreſſus eſt urbes quaſdam Græcas, tamen non ita turbavit totum Orientem, ſicuti fecit Xerxes ejus ſucceſſor.

Quod ad regnum Javan pertinet, ego libenter ſubſcribo eorum ſententiæ, qui putant quadrare hoc nomen cum nomine Ioniæ. Nam Javan illuc profectus eſt, & habitavit illic cum ſuis poſteris, hoc eſt, in illa parte Græciæ, unde tota fere Græcia nomen obtinuit. Vocatur ſæpe tota Græcorum natio Chitim, & exiſtimant quidam non abſque ratione Machetas vocatos fuiſſe à Chitim filio Javan, & fuiſſe Macedonas, addita una litera. Nam olim vocati ſunt Maketæ, qui poſtea Macedones: & probabilis eſt illa conjectura. Non dubium quidem eſt quin & hoc loco, & aliis pluribus, Javan ponatur pro Græcia ſynecdochicôs, quoniam Ionia erat pars Græciæ, & maxime celebris apud Judæos, & in Oriente. Excitavit autem Xerxes contra regnum Javan, hoc eſt, contra regnum Græcorum omnes Orientales populos, quoniam longe lateque patebat ejus Imperium, ſicuti ſatis notum eſt. Sequitur,

3. Et ſtabit Rex fortis, & dominabitur dominatione magna, & faciet ſecundum voluntatem ſuam. (*hoc eſt, prout libuerit, vel pro ſua libidine.*)

Hoc de Alexandro Macedone dicitur. Jam breviter rationem expoſui cur Angelus præterierit ab Artabano uſque ad ultimum Darium omnes Perſarum Reges, quia ſcilicet non fuit tunc Judæis ita certandum, ſicuti uſque ad Xerxem. Sed quum irrupit Alexander in Aſiam, formidinem incuſſit Judæis, ſicuti aliis omnibus gentibus. Fuit enim inſtar fulminis. Ita non mirum eſt Judæos ejus adventu fuiſſe perterritos, quoniam celeritate quodammodo volavit, ſicuti ante dictum eſt. Surrexit igitur Alexander non tantum opulentiæ & bellicæ virtutis reſpectu, ſed quia neceſſe fuit miſere tunc Judæos trepidare, quoniam videbant ſe non eſſe pares ad reſiſtendum; & Alexandrum merito infeſtum eſſe genti, quoniam ab initio ejus imperium ſpreverant. Et Joſephus refert conſpectu ſummi Sacerdotis fuiſſe commotum, ne ſæviret in Judæos ſicuti ſtatuerat. Nam quum adhuc eſſet in patria ante reditum Aſiaticum, oblata fuerat ei ſpecies ſummi Sacerdotis, hoc eſt, Deus Angelum miſerat ſub illo habitu. Putavit Alexander aliquem eſſe Deum, ſed poſtquam obviam proceſſit illi ſummus Pontifex, redit in animum viſio illa, & cohibitus fuit quaſi videret Deum ſibi è cælo apparentem. Quicquid ſit, certum eſt initio Alexandrum veniſſe eo animo in Judæam, ut totam gentem perderet. Hæc ratio eſt cur hanc mutationem diſerte prædicat Angelus. *Stabit* ergo *Rex fortis*, inquit, *& dominabitur dominatione magna, facietque pro libidine*, hoc eſt, perinde illi ſuccedet acſi haberet omnes bellorum eventus ſub manu ſua & arbitrio, quemadmodum etiam eventu hoc comprobatum fuit. Sequitur,

4. Et ubi conſtiterit, frangetur (*vel conteretur*) regnum ejus, & dividetur in quatuor ventos cælorum, (*hoc eſt, in quatuor plagas mundi*) & non poſteritati ejus, & non ſecundum dominationem ejus, qua dominatus fuerit: quia extirpabitur (*radicitus evelletur*) regnum ejus, & aliis abſque illis. (*conciſa eſt oratio, ſed nulla tamen eſt in ſenſu ambiguitas.*)

Primo dicit Angelus, Poſtquam ſteterit Rex ille fortis, regnum ejus contritum iri. Nam ad ſumma pervenerat Alexander quum repente decubuit, & paulo poſt mortuus eſt Babylone. Venerant undique ad eum Legati: ipſe proſpera Fortuna ebrius, ſibi ipſi veneficus fuit, quemadmodum probabile eſt. Sed hiſtorici quoniam ſumpſerant ſibi inſigne exemplar virtutis in ejus perſona, finxerunt, vel ſaltem quoniam ita putabant, ſcripſerunt veneno fuiſſe necatum fraude Caſſandri. Sed tamen ſatis apud omnes convenit, potaſſe, ut fuit intemperans, ultra modum ut fere ſe vino obrueret, inter pocula correptus fuit morbo, decubuit, non fuit inventum remedium. Hoc ergo venenum fuit Alexandri. Quicquid ſit, repente concidit ſimulac cœperat ſtare. Devicto enim fere toto Oriente venerat Babylonem, & incertus erat conſilii quorſum vires ſuas conferret, quoniam totum Orientem pacaverat. Volebat igitur arma transferre vel in Europam, vel in Aphricam. Dicit Angelus, *Poſtquam ille ſteterit*, hoc eſt, poſtquam potitus fuerit Monarchia totius Orientis *conteretur regnum ejus*. Utitur hac ſimilitudine, quoniam non prorſus extincta fuit potentia Alexandri, ſed fracta. Scimus enim duodecim Proceres, qui ſub ipſo militaverant, ſpolia ad ſe traxiſſe, quemadmodum ſi ex corpore lacero quiſque fruſtum acciperet, atque ita partitos fuiſſe regnum Alexandri inter ſe, quemadmodum prius diximus. Frater ejus Rex creatus fuit omnium conſenſu, nempe Aridæus, quem vocarunt Philippum, ut memoria patris ad commendationem valeret donec adoleſcerent filii. Sed tandem quatuor regna prodierunt ex Monarchia Alexandri. Nihil attinet hic referre quæ legi poſſunt per otium apud hiſtoricos. Et certe Propheta tantum breviter hic attingit quæ ſpectabant ad doctrinam Eccleſiæ, ideo non recenſet ordine, nec ſigillatim quæcunque apud hiſtoricos leguntur, ſed tantum dicit, *Frangetur Imperium ejus, & dividetur in quatuor ventos cælorum*, inquit. Omittit Angelus partitionem illam, quoniam unus ſibi theſauros accepit, alius datus fuit Conſiliarius Philippo, alius, nempe Perdicas fuit tutor filii, poſtea alii alibi dominati ſunt. Sed Seleucus obtinuit Syriam, cui Antiochus filius ſucceſſit: Antigonus autem præfuit Aſiæ minori: Caſſander pater Antipatri rapuit ad ſe Macedoniæ regnum. Ptolemæus autem Lagi filius, qui fuerat gregarius miles, potitus eſt Ægypto. Hæc igitur ſunt quatuor regna de quibus nunc loquitur Angelus. Nam Ægyptus reſpectu Judææ vergebat ad Meridiem, Syria autem ad Septentrionem, ſicuti poſtea dicetur. Poſtea erat Macedonia, erat Aſia minor ad Orientem, & ad Occaſum. Sic ergo Angelus non inſiſtit in prolixa narratione, ſed breviter perſtringit quæ neceſſaria erant ad communem uſum electi populi. Hoc quidem omnium conſenſu traditum fuit, ex multis partibus tandem quatuor regna fuiſſe conſtituta, poſtquam alii ab aliis ita confecti ſunt, ut tantum ſuperſtites eſſent quatuor illi, nempe Ptolemæus, & Seleucus, & Antigonus, & Caſſander. Poſtea etiam regnum Antiochi dilatatum fuit devicto Antigono. Conjunxit enim Antiochus regno Syriæ Aſiam minorem, ſed ad tempus tantum ſtetit Antiochus, ut vere & proprie dicat Angelus hoc regnum diviſum iri in quatuor partes. Poſtea adjungit, *& non poſteritati ejus.* Hoc nemo unquam fore putaſſet, quod Angelus prædixit multis annis ante natum Alexandrum. Neque enim centum poſtea annis natus eſt. Sed qui ſciebant quam ſtrenuus eſſet bellator ille, deinde quanta eſſet ejus celeritas, & quam felices ſucceſſus, nunquam perſuaſi fuiſſent hoc poſſe contingere, nempe deletum iri omnes cum ipſo poſteros, totumque adeo genus extinctum iri. Si vixiſſet Alexander quietus in patria, poterat uxorem ducere, ex qua liberos ſuſtuliſſet abſque controverſia ſucceſſores. Mortuus eſt adhuc juvenis, hoc eſt, paulo poſt annum triceſimum:

mum: ſed poterat tunc ducere uxorem ex qua procreata eſſet ſoboles. Erat illi frater Aridæus, erant multi cognati, erat Pyrrhus avunculus Rex Epirotarum, & ſoboles regia non poterat deficere quin ſemper paratus eſſet ſucceſſor. Poſtquam Aſiam minorem & majorem ſibi ſubjecit, factus eſt dominus Syriæ, Ægypti, Judææ, & uſque ad mare Perſicum vires ſuas extendit, ut etiam fama ejus volitaret per Aphricam, & Europam. Quum nemo auderet contra ipſum mutire, quum haberet maximum exercitum, quum omnes Duces eſſent devincti maximis ejus beneficiis, quum tot haberet Præfectos quos locupletaverat, ut erat liberalis: quis putaſſet ita deletum iri omnes ejus poſteros & cognatos? Reliquit duos filios, ambo ſunt jugulati, frater Aridæus occiſus eſt, idem contigit ejus uxoribus, idem etiam matri jam octogenariæ. Neque enim pepercit illi Caſſander, quoniam molita erat inſidias. Tandem quaſi Deus ſumeret pœnam de tot ſtragibus, quas fecerat Alexander, voluit extingui totam illam ſobolem. Et tamen nullus fuit hoſtis extraneus tantarum pœnarum exactor, quemadmodum jam dixi. Subjugaverat enim totum Orientem, & perinde illic cultus fuit, ac ſi tota illa Monarchia à proavis ad eum hæreditario jure veniſſet. Quum ergo nemo illi eſſet hoſtis aliunde, domi ejus reperti ſunt hoſtes, qui & matrem, & uxores, & liberos, & omnes cognatos interficerent, ita ut radicitus evulſum fuerit genus Alexandri. Videmus ergo quam diſerte & ſine ambagibus hic Angelus prædicat quod non tantum occultum fuit illa ætate & centum poſtea annis, ſed quod minime unquam fuiſſet creditum. Et videtur ſubeſſe antitheſis quum dicit, *Frangetur regnum ejus, & dividetur in quatuor ventos cælorum, & non poſteris ejus*, hoc eſt, etiamſi naſcantur quatuor regna per quatuor mundi plagas, nemo tamen erit ex poſteris Alexandri qui hæreat uno in loco, qui obtineat vel minimam partem. Hoc fuit inſigne documentum vindictæ Dei contra Alexandri ſævitiam, non quod natura fuerit tantopere crudelis, ſed ita ambitio rapiebat hominem, ut eſſet ſanguinarius, propterea quod non poterat facere ullum finem bellandi. Deus ergo ultus eſt illam Alexandri cupiditatem, quum voluit totum ejus genus: & cum ignominia, & cum horrenda crudelitate ſic perire. Ergo majeſtas Alexandri qui voluit cenſeri Jovis filius, & qui etiam occidit ex amicis & familiaribus ſuis eos qui nolebant coram ipſo tanquam coram Deo ſe proſternere: majeſtas, inquam, ejus non potuit efficere, ut unus ex poſteris ſuis regnaret loco ſuo, neque ut eſſet ſaltem aliquis Satrapa. *Non ergo ex poſteris ejus*, inquit Angelus, *& non ſecundum dominationem*. Tranſit ad quatuor Reges, de quibus loquutus eſt, Non irrumpet, inquit, nempe ex quatuor Regibus. Poſtquam dixerat fore exteros, & non ex ſanguine & cognatione illius Regis, nemo tamen ex illis quatuor æquabit ejus potentiam, quia extirpabitur regnum ejus. Hic non videtur Angelus attingere quod continuo poſt ſequutum eſt. Loquitur enim de ultimo interitu. Scimus ultimum Regem Perſea fuiſſe devictum à Romanis, & poſtea regnum Antiochi etiam fuiſſe partim afflictum bellis, partim oppreſſum fraude. Et videtur Angelus hoc notare. Sed poſſumus tamen commodius interpretari, quod regnum Alexandri interierit, quantum ſcilicet ad genus ipſius, quaſi diceret Angelus, nemo ex ſucceſſoribus Alexandri æquabit ejus potentiam. Quare? Nemo enim unus poterit ſufficere. Nam Alexander ſibi acquiſierat tantum nomen, ut libenter omnes populi ejus imperio parerent. Nemo ergo unus par fuit ad tantum onus ſuſtinendum. Ergo quia regnum Alexandri, quantum attinet ad ejus perſonam & ejus poſteros diviſum fuit: hinc factum eſt, ut nemo accederet ad ejus vires & opulentiam. *Et dabitur aliis.* Jam ſeipſum exponit Angelus. Ergo exitium regni non debet exponi particulariter de ſingulis partibus, ſed quia quiſque ad ſe rapuit partem unam, ut ſucceſſores Alexandri omnes extranei fuerint. *Aliis* ergo *abſque ipſis*, hoc eſt, regnum ejus ab aliis occupabitur abſque ipſis, hoc eſt, abſque poſteris ejus, id eſt, exteri perrumpent in locum Alexandri, ita ut nemo futurus ſit ſucceſſor ex propinqua cognatione. Poſtea ſequitur,

5. Et roborabitur Rex Auſtri, & ex Principibus ejus, & roborabitur adverſus eum, & dominabitur: dominatio magna, dominatio ejus.

Hic incipit tractare Angelus de Rege Ægypti & de Rege Syriæ. Nondum Regem Syriæ exprimit, quod faciet proximo verſu: ſed incipit à Rege Ægypti, qui vicinus erat Iſraëlitis. Dicit ergo Regem illum Auſtri, hoc eſt, Regem Ægyptiacum fore fortem. Poſtea addit, *Et ex Principibus ejus.* Hoc uno contextu multi accipiunt. Sed Angelus, meo judicio, transfert ſermonem ad Antiochum filium Seleuci. *Et ex Principibus ejus*, inquit, hoc eſt, alter ex Principibus Alexandri fortificabitur contra eum. Nam ו hic oppoſitive capitur, ac ſubeſt antitheſis inter Ptolemæum filium Lagi, & inter Antiochum Regem Syriæ. Ergo *Rex Auſtri fortificabitur*, ſed etiam ex Principibus Alexandri alter fortificabitur contra eum, & dominabitur. Scimus autem longe opulentius & amplius fuiſſe regnum Syriæ quam Ægypti, præſertim ubi acceſſit Aſia minor. Ergo non dubium eſt quin Angelus intelligat ſuperiorem fore Antiochum Ptolemæo, ſi illi duo Reges inter ſe comparentur. Sed reliqua in craſtinum.

Da omnipotens Deus, quando non tantum ſervo tuo Danieli & piis qui expectarunt unigeniti Filii tui adventum dignatus es patefacere quæ tunc inſtabant, ut compoſiti eſſent ad omnia ferenda, & ſcirent tamen ſubeſſe curæ tuæ & protectioni Eccleſiam, ſed etiam voluiſti eadem vaticinia hodie nobis prodeſſe, & ipſis nos confirmari in eadem doctrina, ut diſcamus ſemper conjicere omnes curas noſtras & ſollicitudines in paternam tuam providentiam, nec dubitemus ſpectari abs te etiam hodie Eccleſiæ tuæ ærumnas, & furorem improborum qui modis omnibus conantur eam perdere, ut ita quieti recumbamus in eam tutelam quam nobis pollicitus es, & certemus ſub crucis vexillo, & poſſideamus animas noſtras in patientia, donec tandem appareas nobis Redemptor extenſa manu, exhibito Filio tuo, quum advenerit mundi Judex, Amen.

PRÆLECTIO QUINQUAGESIMA SEPTIMA IN

DANIELEM.

6. Et in fine annorum ſociabuntur, (*convenient inter ſe*) & filia Regis Auſtri (*Regis Ægyptii, ut dictum fuit*) veniet ad Regem Aquilonis, (*id eſt, Syriæ*) ut faciat recta: (*hoc eſt, componat pacem inter eos*) & non retinebit vires brachii, (*id eſt, brachium non retinebit ſuas vires*) & non ſtabit ipſe, (*hoc eſt, pater Ptolemæus, vel ipſe Antiochus Theos, ut poſtea dicemus*) & (*quia tamen negative accipitur, legendum, neque*) ſemen ejus. (*Alii vertunt brachium*) & dabitur ipſa, (*hoc eſt, prodetur, vel tradetur in mortem*) & qui adduxerit eam, & qui genuerit ipſam, (*Alii vertunt, vel mater ejus, vel nutrix*) & roborabit eam temporibus illis. (*vel roboraverit.*)

Hic Angelus vaticinatur de ſtatu utriuſque regni, nempe Ægyptii & Syriaci. Sed quemadmodum heri dictum fuit, reſpicit Eccleſiam Dei, quæ media erat inter illas duas gentes. Tenendum ergo ſemper eſt conſilium Spiritus ſancti. Voluit enim pios fulcire in variis perturbationibus, quibus non tantum agitari vel concuti, ſed prorſus everti poterat eorum fides, niſi hoc fuiſſet illis perſuaſum, nihil temere accidere, quoniam omnia illa prædicta fuerant: deinde quoniam Deus Angelum ſuum ad Danielem miſerat, in ejus manu & arbitrio eſſe, tueri Eccleſiam, idque facturum, quia non temere, nec ſine fructu voluiſſet fideles præmonitos. Sed prius narranda eſt hiſtoria. Dicit Angelus, *Ad finem temporum duos Reges inituros fœdus & amicitiam.* Dixerat Regem Syriæ prævaliturum: ut certe devicto Antigono, & mortuo filio ejus, longe ſuperavit & viribus, & amplitudine regni Ptolemæum Seleucus ille primus Rex Syriæ. Sed quum mutua eſſet inter ipſos æmulatio, & leviter utrimque præliati eſſent, & deterior eſſet conditio Ptolemæi, quoniam Seleucus ſæpe tumultuarie irrupit in Ægyptum, latronis more potius quam pro magnanimitate regia: quum ergo ſic inter ſe diu certaſſent, tandem data fuit Berenice (Alii vocant Beronicen, alii Bernicen) filia Regis Ptolemæi Philadelphi, qui ſecundus fuit, in uxorem Antiocho Theo. Sic enim excæcatus fuit ſuperbia, ut ad ſe raperet Dei nomen. Fuit ille Antiochus Theos tertius in regno, ſicuti ſuperior Rex dictus fuerat Soter, hoc eſt, ſervator. Nam quoniam Seleucus tot & tam amplas ditiones occupaverat, filii ejus rebus nondum bene ſtabilitis, putarunt hos titulos tam magnificos poſſe valere ad incutiendum omnibus gentibus terrorem. Primus ergo vocatus eſt Soter, alter Theos. Jam Ptolemæus ſecundus quem vocarunt Philadelphum, filiam ſuam dedit Antiocho Theo. Hoc vinculo conciliata fuit inter ipſos & pax & amicitia, ſicuti Romæ duxit Pompeius Juliam filiam Cæſaris. Et quotidie videmus hoc fieri, ut ſcilicet Rex unus habeat in manu vel filiam vel nepotem, vel aliquos ex cognatis: alter etiam reperiat apud ſe vel maſculos, vel fœminas, ut conjugiis inter ſe confirment pacem. Id factum fuit: quanquam hiſtorici putant Philadelphum non ſine dolo filiam ſuam dediſſe Antiocho Theo. Putavit enim hac ratione poſſe tandem ſe potiri tota Syria & aliis ditionibus, quibus præerat Antiochus ille. Quicquid ſit, profani ſcriptores oſtendunt completum fuiſſe quod prædictum fuerat ab Angelo. Nec dubium eſt quin Deus admirabili conſilio dictaverit hiſtoricis quæ hodie legimus, ut nobis teſtes eſſent ſuæ veritatis. Hoc quidem nunquam illis venit in mentem, ſed quum Deus gubernet mentes hominum & linguas, voluit extare luculenta & firma teſtimonia hujus vaticinii, ut ſciremus nihil fuiſſe abs re prædictum. *Ad finem ergo annorum*, inquit, *ſociabuntur*. Poſtea, *Et filia Regis auſtri*, nempe illa Berenice, de qua diximus, *veniet ad Regem Aquilonis*, hoc eſt, ad Regem Syriæ Antiochum Theon. Hæc vero affinitas contracta fuit præter æquitatem. Nam repudiata fuit ab Antiocho uxor Laodice, quæ tamen mater erat duorum filiorum. Suſceperat enim ex Antiocho Seleucum Callinicum, & Antiochum minorem, qui vocatus eſt Hierax, hoc eſt, accipiter, ob rapacitatem. Videmus ergo repudio injuſto & illegitimo primæ uxoris contractas fuiſſe ſecundas nuptias. Ideo non mirum eſt ſi hanc affinitatem Deus maledixerit. Unde etiam infeliciter ſucceſſit tam Regi Ægyptio, quam Regi Syriæ. Neque enim debuit obtrudere filiam ſuam Ptolemæus Antiocho, qui jam maritus erat, neque debuit filiam ſuam dare pellicem repudiata juſta uxore. Videmus ergo ut Deus vindex fuerit horum ſcelerum, quia tandem & Antiocho & Philadelpho male ſucceſſit. Putant nonnulli Antiochum uxoris fraude fuiſſe ſublatum è vita: quoniam tamen illud incertum eſt, ego in medio relinquo. Quicquid ſit, genuit filium unum Antiochus ex filia Regis Ægypti, & ſtatim mortuus eſt, quum tamen reconciliatus fuiſſet uxori ſuæ. Et ideo quidam hiſtorici dicunt, poſtquam illa recuperavit ſuam dignitatem, & gradum Reginæ, quoniam experta fuerat levitatem mariti & perfidiam, occupaſſe ne iterum repudiaretur. Mortuo Antiocho, mulier illa quæ accenſa fuerat prius, & perverſi erat ingenii, ut res oſtendit, impulit ad cædem novercæ filios ſuos, præſertim Seleucum Callinicum, qui patri ſucceſſit in regno. Hierax enim tantum præfuit Aſiæ minori. Stimulavit ergo filium ſuum quaſi furia, ut novercam ſcelerate occideret. Tametſi enim Antiochus Theos fuerat illi reconciliatus, manebat tamen aliquis gradus gratiæ & honoris penes ſecundam Reginam, hoc eſt, Berenicen filiam Ptolemæi. Atque hoc facinus patravit filius nimis obſequens, non tantum ſcelerate, ſed etiam turpiſſima perfidia. Perſuaſit enim ut ſe committeret in ejus fidem, & jugulavit eam una cum filio. Dicit igitur nunc Angelus, *quum venerit ad Regem Aquilonis filia Regis Auſtri, non continebit brachium vires ſuas.* Metaphorica eſt loquutio, quoniam conjugium illud erat veluti brachium commune. Porrexerat enim Rex Ægypti manum Regi Syriaco, ut ſeſe mutuo tuerentur. *Brachium* ergo *illud non retinuit vires ſuas*, quoniam ſceleratiſſime interfecta fuit Berenice à ſuo privigno, nempe Seleuco Callinico, ut dictum fuit. Dicit autem *venturam illam, ut faciat rectitudines*, Meſarim. Hic per conceſſionem Angelus vocat Rectitudines vinculum illud conjugii, quod initio putabant omnes in eum finem ſpectare. Atqui Antiochus jam fidem datam uxori ſuæ violaverat, & diſceſſerat à legitimo conjugio. Nihil ergo ab illa parte fuit rectum. Deinde non dubium eſt quin captaverit aliquid utilitatis, ut ſolent Reges ſemper facere. Quod attinet ad Ptolemæum, multi hiſtorici, ut jam monuimus, inſimulant illum inhiaſſe regno Syriaco. Quicquid ſit, nihil tamen ſincere inter ipſos fuit geſtum. Sed conceſſio eſt in voce Rectitudinum, ut diximus. Neque enim ſic Angelus loquitur in eorum laudem, vel ut per-

perfidiam utriuſque excuſet, ſed potius amplificat crimen, quoniam hinc colligimus eos abuſos fuiſſe tam prætextu ſacri conjugii, quam fœderibus, quæ Deus vult ſancta eſſe inter homines. Ergo quum ſit honorificum nomen per ſe, hic ponitur quaſi probroſe, ut ſciamus voce Angeli damnari & Ptolemæum Regem, qui filiam ſuam turpiter proſtituit, & Antiochum qui rejecta ſua uxore, alteram induxit, quæ non fuit vera uxor, ſed pellex duntaxat. Et forte Deus per os Angeli voluit oſtendere quorſum tendant omnia Regum fœdera. Habent enim ſemper ſpecioſiſſimos colores, nempe quietem gentium, pacem publicam, & quæ poſſunt dextre obtendi. Reges ergo ſemper ſibi favorem & laudem conciliant apud ſtultum vulgus, dum inter ſe paciſcuntur. Sed illæ omnes rectitudines non alio ſpectant, niſi ut quiſque ſocium ſuum fraudet, ut tandem rectitudines cedant in mutuam perfidiam, dum ſcilicet alii aliis ſceleſte inſidiantur. Jam ſubjicit Angelus, *Non ſtabit ille.* Hic in maſculino loquitur. Poteſt hoc tam de Antiocho intelligi, quam de Ptolemæo ſocero ejus. *Non ſtabit* igitur *ille*, *neque ſemen ejus*, nempe filius genitus ex Berenice filia Ptolemæi. Neque enim audeo vertere brachium, quia meo judicio abundat in media dictione litera ו, & videtur potius notari ſemen. Poſtea addit, *Et tradetur ipſa.* Jam redit ad Berenicen. *Tradetur* ergo *ipſa*, proditione ſcilicet, vel tradetur in mortem: *& qui adduxerunt eam.* Loquitur de comitibus. Certum eſt ſemper mandari has partes lenonibus, quum aliquod inceſtum conjugium contrahitur, ut adducant Regi uxorem. Et probabile eſt tunc fuiſſe duas factiones in aula Antiochi, quum alii magis propenſi eſſent ad Seleucum & fratrem ejus, & matrem Laodicen, alii vero appeterent res novas, ut fieri ſolet. Qui ergo auctores fuerant conjugii inter Antiochum & Berenicen, iidem etiam miſſi ſunt, qui honoris cauſa eam adducerent in Syriam. Dicit Angelus hos omnes traditum iri una cum Regina. Poſtea addit, *& qui genuerunt eam.* Quoniam ה caret puncto *Mappik*, ideo putant multi eſſe fœmininum nomen. At quia de matre hæc vox poteſt exponi, ideo putant genitricem poni pro nutrice. Sed hoc relinquo in medio. Jam adjungit, *& qui confirmaverit eam illis temporibus.* Non dubium eſt quin hic deſignet eos omnes qui volebant aucupari gratiam apud Regem, & ideo conciliaverant has nuptias inter ipſum & filiam Regis Ægypti. Tota igitur illa factio periit tandem, ubi interfecta fuit Berenice à Seleuco Callinico. Si autem ille novercæ ſuæ non pepercit, multo minus factioni, à qua dejectus fuerat à ſpe regni, & cujus culpa etiam mater dedecus illud repudii paſſa fuerat, nempe Laodice. Jam ſequitur,

7. Et ſtabit ex germine (*vel ſurculo*) radicum ejus (*nempe Berenices: nam articulus relativus eſt fœminini generis*) in gradu ſuo, (*alii vertunt, in gradu ejus: ſed non video rationem. Ego igitur transfero, in gradu ſuo*) & veniet cum exercitu, (*El hic ponitur pro Cum: vertunt tamen ad literam alii, Ad exercitum veniet, ſed prior illa expoſitio melius quadrat*) *&* veniet in munitionem Regis Aquilonis, & faciet in illis, (*hoc eſt, inter munitiones, vel inter populos. Eſt mutatio numeri, neque poteſt referri niſi ad populos*) & prævalebit.

Hic jam differit Angelus de Ptolemæo Euergete, qui tertius fuit Rex Ægypti. Succeſſit enim patri ſuo Philadelpho. Hic collegit magnas copias, ulturus ſororis ſuæ injuriam, atque ita intulit bellum Seleuco Callinico, qui poſt mortem patris regnum occupaverat. Hoc igitur bellum nunc breviter perſtringit Angelus, ac dicit *ſtaturum è ſurculo radicum illius Reginæ.* Fieri enim poteſt ut fuerit minor natu quam ſoror Berenice. Dicit autem *ſtaturum in gradu ſuo*, nempe in gradu regio. Nam coactum eſt quod alii vertunt, Stabit in gradu patris. Sed quorſum illud? Imo *ſtabit in gradu ſuo*, hoc eſt, perveniet ad ſuum gradum hæreditario jure. Quamvis ergo initio putarent omnes inultam fore mortem Berenices, quum pater eſſet mortuus, hic Angelus pronunciat fratrem ejus qui erit inſtar ſurculi, futurum ultorem tanti ſceleris. *Stabit* ergo *in gradu ſuo*, hoc eſt, perveniet in faſtigium regii ſolii *ex ſurculo*, vel germine *radicum illius*, nempe Berenices. *Veniet*, inquit, *cum exercitu adverſus Callinicum.* Quod etiam teſtantur profani ſcriptores. *Et veniet uſque ad munitionem Regis Aquilonis.* Ingreſſus enim eſt Syriam, & tantam formidinem paſſim injecit, ut ſe dediderint multæ urbes munitæ. Quum ergo hoc bello ad ſe traxerit multas urbes quæ poterant inexpugnabiles videri, non mirum eſt quod dicit Angelus ipſum venturum uſque ad munitionem. Quod alii vertunt habitaculum, ratione caret, & corrumpunt prorſus ſenſum Prophetæ. *Veniet* ergo *in ipſam munitionem*, hoc eſt, perveniet in ipſam Syriam, ac potietur multis urbibus munitis. Poſtea addit, *Et faciet in ipſis*, hoc eſt, proſperabit. Facere enim ſine adjecto ſæpe accipiunt Hebræi pro res magnas gerere. *Faciet* ergo, hoc eſt, potenter pervadet bonam partem Syriæ, *& prævalebit.* Seipſum explicat hoc ultimo verbo, quod ſcil. Callinico futurus ſit ſuperior. Nam Seleucus Callinicus quamvis accerſiverit fratrem ſuum minorem natu, quia tamen ſuſpectam ejus fidem habuit, ideo tranſegit cum hoſte ſuo, & putavit hoc ſibi eſſe tutius. Hierax enim ille, hoc eſt, accipiter, ſtatuerat expeditione illa abuti in ſuum commodum. Quia igitur non contentus erat dominio Aſiæ, ſed ſperabat ſe fore hæredem unicum patris, præſertim quia ſecum adduxerat conductitios milites Gallos, qui jam irruperant in Aſiam minorem, in Bithyniam, & illas partes: magis erat inflatus ut ſuam cupiditatem proderet. Seleucus Callinicus maluit cum hoſte ſuo pacem facere, quam nimis fovere fratris vires. Et Hierax tandem magis detexit perverſum animum. Bellum enim ultro fratri intulit, in cujus auxilium ſimulabat ſe veniſſe, & fuerat etiam interpoſito pacto accitus. Promiſerat enim frater Seleucus aliquam partem Aſiæ uſque ad Taurum montem. Quum ergo videret ſe dejectum inſidiis illis impiis & ſceleratis, bellum apertum geſſit cum fratre. Sed tandem victus fuit, & retulit mercedem ſuæ impietatis. *Sic ergo prævaluit Ptolemæus Euergetes*, ut tamen diſceſſerit è Syria, ſed ſpoliato prius hoſte, quemadmodum ſequitur.

8. Atque etiam deos ipſorum cum conflatilibus ipſorum, & cum vaſis pretioſis ipſorum (*hoc eſt, cum vaſis deſiderabilibus, ut prius dixi de hac voce*) auri & argenti in captivitatem ducent in Ægyptum, (*vel, captivos ducent in Ægyptum deos ipſorum una cum ſimulachris, & vaſis deſiderabilibus auri & argenti*) & ipſe *pluribus* annis ſtabit quam Rex Aquilonis.

Latius explicat Angelus quod jam brevius dixerat, nempe ſic fore victorem Ptolemæum, ut pro ſuo arbitrio ſpoliet fere totam Syriam. Profani etiam ſcriptores hoc dicunt, tantam ſimulachrorum co-

piam fuiſſe ablatam, ut Ægyptus recuperaverit quæ multo ante tempore perdiderat, nempe deos aureos & argenteos. Sic igitur eventu comprobatum fuit vaticinium Angeli. *Gam* particula interponitur amplificandi cauſa, ut ſciamus pacem non fuiſſe compoſitam æquis conditionibus, ſed Ptolemæum uſum fuiſſe jure victoris, quia ſpoliavit totam Syriam pro libidine. Quod ſubjicitur *ſtaturum pluribus annis*, *quam Regem Aquilonis*, quidam hoc reſtringunt ad mortem aut vitam utriuſque Regis: alii vero latius extendunt. Sed probabile eſt, Angelum loqui de Ptolemæo Euergete, qui regnavit quadraginta ſex annis. Quum ergo Deus produxerit ejus vitam longius, non mirum eſt ſi Angelus dicat fore magis diuturnum ejus tempus, quam Regis Syriaci. Hoc vero ad præſentem cauſam pertinet, quia ſi mortuus fuiſſet priore loco, poterat reparare bellum Callinicus, ſed quoniam ſuperſtes fuit Ptolemæus, ideo non auſus fuit quicquam tentare, quoniam fruſtra putabat id ſe facturum contra eum à quo jam devictus fuerat. Sequitur,

9. Et veniet in regnum Rex Auſtri, & redibit in terram ſuam.

Clauſula eſt ſuperioris ſententiæ: quaſi diceret, pacato itinere Ptolemæum eſſe rediturum. Invaſerat hoſtiliter Syriam. Ergo potuit ſibi metuere, niſi profligatus fuiſſet hoſtis. Sed quoniam victor diſceſſit, ideo dicit Angelus venturum eſſe in regionem ſuam. Nam iſtud Venire, & iſtud Redire emphatice ponitur, pro eo quod eſt ſine aliqua moleſtia, ſine aliquo metu, ſine aliquo periculo. Rediit igitur in regnum ſuum, & in terram ſuam, quoniam potuit tranſire quietis hoſtibus ſuis, quos jam proſtraverat. Sequitur,

10. Et filii ejus provocabuntur, & congregabunt multitudinem copiarum magnarum: & veniendo veniet, & inundabit & tranſibit: revertetur & incitabitur uſque ad munitionem ejus.

11. Tum exacerbabitur Rex Auſtri, & egreſſus pugnabit adverſus eum, adverſus Regem Aquilonis, & ſtare faciet (*ſtatuet*) multitudinem magnam, tradeturque multitudo illa in manum ejus.

Hic Angelus tranſit ad tertium bellum, nempe quod filius Callinici movit contra Ptolemæum Philopatorem. Mortuo igitur Euergete, duo filii Callinici conjunctis viribus putarunt recuperandam eſſe Syriam, ſaltem partem illam qua exuti fuerant. Quum autem jam eſſent fere in procinctu, hoc eſt, quum jam eductæ eſſent copiæ, mortuus eſt primogenitus Seleucus: ſuperſtes fuit Antiochus Magnus quem vocarunt. Tunc vivebat Ptolemæus Philopator, amator ſcilicet patris ſui, quia ſic dictus fuit à parricidio utriuſque parentis, quibus etiam adjunxit fratrem. Per antiphraſin ergo vocatus fuit Philopator in ludibrium, quia honorificum eſt nomen illud, & teſtimonium pietatis in ſe continet. Ille autem patrem jugulavit, & matrem, & fratrem. Propter has omnes neſandas cædes, ignominioſe nomen Philopatoris impoſitum illi fuit. Quoniam ergo exoſus erat etiam ſuis popularibus, putarunt filii Callinici, nempe Seleucus Keraunos, qui erat primogenitus, & Antiochus Megas, jam ſibi veniſſe tempus opportunum, quo ad ſe recuperarent urbes Syriæ perditas. Erat enim ille propter tot ſcelera infamis & exoſus. Ergo nihil ſibi fore negotii putabant in recuperanda illa ditione, quum hoſtis flagraret infamia, & haberet multos hoſtes domeſticos. Hæc ratio eſt cur dicat Angelus de filiis ejus, nempe Seleuci Callinici, *Provocabuntur, & ducent multitudinem exercituum magnorum*. Quanquam vertere placuit copias magnas. Narrant quidam hiſtorici fuiſſe tunc duos validiſſimos exercitus. Niſi fallor Antiochus Magnus adduxit ſeptuaginta millia peditum, & quinque equitum millia. Prævaluit Ptolemæus equitatu. Habuit enim ſex millia equitum, ſed peditum habuit duntaxat ſexaginta duo millia, ut auctor eſt Polybius libro quinto. Erant fere pares viribus, ſed auxerant fiduciam duo filii Seleuci Callinici, de quibus ſolis nunc loquitur Angelus, quod viderent hoſtem ſuum eſſe ſceleratum, & propter parricidia eſſe in maximo odio. Dicit autem poſtea, *venturum*: mutat numerum, quoniam mortuus eſt in ipſo belli apparatu prior frater, vel primogenitus Callinici, nempe Seleucus Keraunos, & dicunt fuiſſe interſectum à ſuis in tranſitu Aſiæ. Quicquid ſit, conſtat ex omnibus hiſtoriis ſolum Antiochum, cui cognomen fuit Magni, geſſiſſe bellum contra Philopatora. Dicit autem ſic venturum, *ut inundet ac pervadat*. Recuperavit enim partem illam Syriæ, quam perdiderat, & quum accederet ad Ægyptum, tunc occurrit tandem Philopator ille, quem dicunt profani ſcriptores fuiſſe hominem ignavum. Fraudibus enim duntaxat pollebat, non autem aperta virtute. Serius ergo ſuas copias paravit, ut hoſti ſuo reſiſteret. Hæc ratio eſt cur dicat Angelus *venturum eſſe Regem Syriæ*, vel Aquilonis *uſque ad arces*, vel munitiones, quoniam ſcilicet tandem expergefactus fuit Philopator: ſed nunquam induit arma ut hoſtem repelleret, niſi ſumma neceſſitate coactus. Et ideo etiam ſubjicit, *Et irritabitur*, vel exaſperabitur *Rex Auſtri*, inquit. Utitur verbo Exaſperandi, quoniam, ut jam dictum fuit, non ante ſeſe oppoſuit hoſti Antiocho, quam ubi ſenſit regnum ſuum in magno eſſe diſcrimine. Forte paſſus fuiſſet ſibi eripi Syriam, modo de regno Ægypti fuiſſet ſecurus: ſed quoniam periclitabatur & de vita, & de omnibus fortunis, ideo exaſperatus fuit, ut tandem prodierit contra hoſtem: & tamen prævaluit, ut poſtea videbimus. Non poſſem hodie abſolvere. Hic igitur finiam. Prævaluit Philopator: ſed quum eſſet homo ſegnis, deinde quum tam ſuis, quam hoſtibus diffideret, ideo etiam coactus fuit hoc metu paciſci cum hoſte ſuo, quamvis eſſet victor. Poterat non tantum hoſtem ſuum repellere, quem jam deviceras, ſed poterat graſſari per totam ejus ditionem: non auſus eſt facere, nempe quum eſſet parricida, & ſibi eſſet male conſcius, quum ſciret inviſum eſſe nomen ſuum omnibus: ideo quamvis ſuperior viribus eſſet, ac jam prælio viciſſet hoſtem ſuum, non tamen auſus eſt ulterius progredi. Sed quæ ſequuntur poſtea explicabimus.

Da omnipotens Deus, quando dignatus es nobis quaſi in ſpeculo proponere ante oculos providentiam tuam peculiarem, qua Eccleſiam tueris, ut confirmati exemplis iſtis diſcamus in te recumbere, atque inter tot perturbationes, quibus hodie mundus agitatur, tamen maneamus quieti ſub protectione tua: atque ita commendemus tibi ſalutem noſtram, ne dubitemus, quicquid accidat, tamen nos fore ſalvos & incolumes, & quicquid patiendum erit, id nobis ceſſurum in ſalutem quamdiu ſub manu tua degemus, & invocabimus nomen tuum ſincero animo, & viciſſim etiam oſtendes te nobis Patrem in unigenito Filio tuo, Amen.

PRÆLECTIO QUINQUAGESIMA OCTAVA IN DANIELEM.

EXpoſuimus proxima lectione cur Angelus hic loquatur de exacerbatione Ptolemæi Regis. Niſi enim pertractus fuiſſet in bellum; ut erat ingenio ſegni, paſſus fuiſſet ſibi eripi multas urbes, neque motus fuiſſet dedecore aut damno. Sed quum videret ſibi eſſe negotium cum hoſte acri & ſtrenuo, tandem ſuſcepit arma. Poſtea adjungit, *Egredietur & prælíabitur cum ipſo*, nempe cum Antiocho, *cum Rege Aquilonis*, hoc eſt, cum Rege Syriæ. *Et ſtatuet multitudinem magnam.* Poteſt hoc ad utrumque referri. Antiochus enim tunc adduxit magnum exercitum. Habebat enim quinque millia equitum & ſeptuaginta peditum. Superior erat Ptolemæus equitatu, nempe qui armaverat ſex millia equitum. Poteſt igitur hoc apte exponi de Antiocho, *Statuet ille multitudinem magnam, & dabitur multitudo in manum ejus*, nempe in manum Ptolemæi. Videtur contextus ita melius fluere. Tamen ſi quis de ipſo Ptolemæo accipere malit, non contendam. In re enim hoc non habet multum momenti, quia ſimpliciter pronunciat Angelus, Ptolemæum ſuperiorem fore in hoc prælio, in quo Antiochum Magnum devicit. Cæterum hoc notandum eſt, fuiſſe victorem non propria induſtria aut virtute, neque etiam conſilio, aut bellandi peritia: ſed quoniam Dominus, qui moderatur ſucceſſus bellorum; voluit tunc ad tempus domare ſuperbiam Antiochi Magni. Nunc ſequitur,

12. Et tolletur multitudo illa, (*hoc eſt, ſeſe attollet*) & elevabitur cor ejus, & dejiciet myriades, (*hoc eſt, magnas copias*) & non roborabitur.

Finem belli Angelus hic notat. Si enim juviſſet Fortunam virtute Ptolemæus, poterat facile occupare totum Syriæ regnum, quemadmodum tradunt profani ſcriptores. Sed erat ſuis deliciis ita addictus, ut libenter tranſigeret cum hoſte ſuo. Reverſus in regnum occidit uxorem ſuam Eurydicen: deinde abuſus eſt ſcorto maſculo Agathocle, cujus & ſororem alteram ſcortum paſſus eſt dominari in regno: fuit denique fœdiſſimum exemplum & crudelis & ignavi hominis. Itaque initio dicit Angelus fore *ut exercitus ejus ſeſe attollat in ſublime, cor ejus etiam elevetur*, nempe ob proſperos ſucceſſus. Injecerat enim terrorem non ſolum Antiocho, ſed etiam omnibus vicinis regionibus. Quum ergo poſſet ad ſe trahere potentiam Orientis, tamen defecit in ipſo curſu. Profligavit quidem exercitum hoſtilem, & hac in parte non parum opitulata eſt Arcinoë (ut dicunt hiſtorici) ſoror ejus, ſed poſt magnas clades, tandem robur non obtinuit. Quid autem fuit obſtaculo? Nempe ſegnities, quoniam erat homo ebrioſus, & qui nihil aliud curabat quam convivia & fiſtulas, & magis obſcœnas voluptates. Hinc igitur factum eſt ut concideret, quum tamen eſſet elatus quaſi ſupra nubes. Poſtea ſequitur,

13. Et redibit Rex Aquilonis, (*Rex Syriæ*) & ſtatuet multitudinem magnam præut antea, (*hoc eſt, majorem exercitum colliget, quam prius*) & circiter finem (*hoc eſt, ad terminum, ad certum tempus: ſed dicit ad finem*) temporum annorum (*ad verbum*) veniendo veniet cum exercitu magno, & cum opibus magnis. (*vel multis. Sunt enim duæ voces, Gadol, & Rab.*)

14. Et temporibus illis multi ſtabunt contra Regem Ægypti, & filii diſſipatores populi tui ſeſe attollent ad ſtabiliendam viſionem, & corruent.

Hic vaticinatur Angelus de aliis bellis. Nam deſcribit initio bellum quod geſtum eſt ab Antiocho adverſus Ægyptios, quum mortuus eſſet Philopator, relicto parvo filio hærede, qui vocatus eſt Ptolemæus Epiphanes. Quum ergo videret terram illam orbatam eſſe Rege, inſtruxit exercitum, & Ægyptum invaſit. Quia non ſuppetebant Ægyptiis vires ad reſiſtendum, miſſa fuit Romam legatio: & quemadmodum ſcimus Romanos cupide ſeſe implicuiſſe omnibus negotiis, ut ita Imperium ſuum longe & late extenderent, miſerunt ſtatim ad Antiochum Magnum, & rogarunt ut deſiſteret ab illo bello. Non paruit quidem ſtatim, ſed multa tentanti ſucceſſus defuit, donec acerrimo prælio congreſſus eſt cum Scopa: victoriam adeptus tandem eſt. Neque enim Ægyptii interea quieſcebant, & quamvis ſperarent poſſe compeſci interpoſita Senatus auctoritate Antiochi impetum, tamen ipſi quoque exercitum ſedulo oppoſuerunt duce Scopa, qui multis rebus feliciter geſtis devictus fuit in finibus Judææ. Hoc bellum nunc Angelus deſcribit. *Revertetur*, inquit, *Rex Syriæ*, nempe poſt mortem Ptolemæi Philopatoris. Quievit enim uſque ad tempus illud, quia infeliciter expertus fuerat vires ſuas, & ſic attritæ fuerant ejus copiæ, ut non confideret ſe quicquam profecturum. Sed putavit nihil ſibi fore negotii, quum Ægyptus capite ſuo careret, & eſſet quaſi truncum corpus. Tunc ergo elatus fuit nova fiducia, & reverſus eſt in Ægyptum. *Et conſtituet*, inquit, *multitudinem majorem quam initio.* Erat quidem magnus ille exercitus & validus, ut dictum eſt, quum inſtructus eſſet tanto equitatu: deinde quum haberet ſeptuaginta millia peditum, ſed tunc coëgit majores copias. Et ſignificat Angelus venturum Regem Syriæ aliquo tempore interpoſito. Dicit enim, *Ad finem temporum annorum veniendo veniet*, hoc eſt, perrumpet. Videtur enim augendi cauſa ſic loqui Angelus, quoniam contempſerit tunc Romanos, quia ſcilicet longe ab ipſis diſtabant, neque metuebat quod poſtea accidit. Nunquam enim putaſſet tantum eſſe in illis audaciæ ut mare trajicerent. Poſtea addit, *Et temporibus illis multi ſtabunt contra Regem Auſtri*, vel Ægypti. Subindicat Antiochum Magnum non fore ſolum hoſtem, ſicuti ex hiſtoriis conſtat Philippum Regem Macedoniæ fuiſſe illi ſocium & fœderatum in hoc bello. Nec dubium eſt quin commoverint totam Aſiam minorem duo illi Reges, atque ut pollebant ſumma potentia fieri non potuit quin multi cum ipſis tumultuarentur. Actum igitur videri poterat de regno Ægypti, & ideo dicit Angelus *ſtaturos multos contra Regem Auſtri.* Adjungit, *Et filii diſſipantes. Paritzim* vocant Hebræi Latrones. Sed radix hujus vocis eſt *Paratz*, quod ſignificat rumpere, & frangere, & diſſipare, interdum etiam deſtruere. Nec dubium eſt quin hic *Paritzim* vocet Angelus homines factioſos. Neque

enim

enim poterat aliter ſtare populus ille, niſi manerent inter ſe quieti & concordes. Vocat igitur *Paritzim* qui violarunt illam unitatem, quia quum quiſque ſeſe addiceret exteris Regibus, ita factum eſt ut Judæa expoſita fuerit quaſi in prædam nunc Syris, nunc Ægyptiis. Quanquam locum hunc accipiunt interpretes de Onia minore qui conceſſit Heliopolim, & ſecum traxit quoſdam exules, atque illic templum extruxit, ſicuti liber Machabæorum narrat, & Joſephus etiam. Prætexuit autem vaticinium Je-
Jeſa. 19. ſaiæ, quod habetur cap. 19., ubi dicitur, Et erit altare
verſ. 19. Deo in medio Ægypti. Non dubium eſt quin Propheta illic prædicat amplitudinem regni Dei, quia propaganda erat religio per totum orbem. Quum autem Ægyptus eſſet apprime dedita idololatriis, ideo diſerte exprimit cultum Dei fore purum & integrum in Ægypto, quaſi diceret, Accedent Ægyptii qui hactenus conati ſunt veram & ſinceram pietatem abolere; accedent, inquam, ad populum Dei, & rite ipſum colent. Scimus enim Prophetas figurate loqui de ſpirituali Chriſti regno, & ſemper adducere in medium umbras temporis ſui. Per altare igitur ſimpliciter cultus Dei intelligitur. Impoſtor ille Onias quum erigeret profanum templum, & ita pollueret ſacrum altare, tamen jactavit ſe implere vaticinium. Sic igitur hunc locum accipiunt, *Filii diſſipatores populi tui ſeſe attollent ad ſtabiliendam viſionem*, hoc eſt, fallaci illo prætextu, quaſi hoc modo implerent quod prædictum fuerat à Jeſaia, *& tamen corruent*. Sed poteſt etiam indefinite hoc accipi, ut Angelus admoneat, iſtas turbas non venturas niſi arcano Dei conſilio. Scimus autem quantum hoc ad levandum mœrorem piorum valeat, & quantum afferat ſolatii, ubi agnoſcunt regi omnes mundi tumultus certo Dei conſilio, nec quicquam temere accidere, ſed turbari mortales, quoniam Deus pœnas de illis velit exigere, & Eccleſiam ſæpe concuti, quia hoc modo probare atque examinare Deus velit ſuorum patientiam. Poſſumus ergo hoc vaticinium abſolute accipere, quaſi diceret Angelus, non fore quidem hoc propoſitum iſtis apoſtatis & diſſipatoribus ut impleant vaticinium, ſed tamen nihil fore in his rebus tam confuſum vel turbulentum, quin Deus compleat quod ante teſtatus fuerat per ſuos Prophetas. Ergo vaticinium hic poſſumus accipere ſimpliciter pro tot prædictionibus quæ paſſim occurrunt in Prophetis, ſicuti jam ante audivimus Prophetam de multis Eccleſiæ vexationibus fuiſſe admonitum, ut acquieſcerent fideles in providentia Dei, quum viderent res ita in mundo turbatas. Poſtea ſequitur,

15. Et veniet Rex Auſtri, & fundet aggerem, (*hoc eſt, cumulabit aggerem projiciendo lapides & ligna & terram*) & capiet urbem munitionum: & brachia Auſtri (*hoc eſt, Ægypti*) non ſtabunt, neque populus electorum ejus, neque virtus *erit* ad ſtandum.

Proſequitur eandem ſententiam Angelus. Dicit enim, Quum irrumpet Antiochus Magnus nullam fore Ægyptiis virtutem ad reſiſtendum, quin capiat urbem munitam. Hic eſt heteroſis numeri. Loquitur enim de urbibus munitis. Nam recuperavit urbes quas prius perdiderat, & pervenit uſque in Ægyptum ad urbem Raphiam. Sequitur explicatio, *Brachia*, inquit, *Ægypti non ſtabunt, nec populus etiam delectuum ejus* quoniam miſſus fuerat Scopas cum magnis copiis. qui rebus proſpere geſtis ultimo conflictu fuit profligatus: ita defuit virtus ad reſiſtendum. Poſtea ſequitur,

16. Et faciet veniens ad eum pro beneplacito ſuo, (*hoc eſt, pro ſua libidine*) & nullus ſtabit coram facie ejus, & ſtabit in terra deſiderabili, & conſumetur (*alii nomen eſſe volunt, Conſumptio*) in manu ejus.

Pergit adhuc in eodem ſermone Angelus. Dicit enim Antiochum Magnum fore votorum ſuorum compotem, ita ut paſſim diffundat terrorem belli, ut nemo audeat ſe coram opponere. *Faciet* igitur *pro ſuo beneplacito*, inquit, *& nullus ſtabit coram facie ejus, & ſtabit in terra deſiderabili*, hoc eſt, adducet exercitum victorem in Judæam, & erit gravis conſumptio ſub manu ejus, vel conſumetur Judæa ipſa in manu ejus, hoc eſt, perdetur. Diximus initio non fuiſſe miſſum Angelum qui diſſereret de hiſtoriis, quemadmodum ſolent narrari res geſtæ: ſed hoc ideo fuiſſe factum, ut fideles agnoſcerent ſemper Deo fuiſſe curæ ſalutem ſuam. Experientia enim docebat nihil contingere, quod non fuiſſet divinitus præviſum. Deinde ut agnoſcerent ſibi in ſalutem omnia ceſſura. Neque enim fruſtra prædixerat Deus quæcunque poſtea ventura erant. Ideo nunc Angelus exprimit venturum Antiochum *in terram deſiderabilem*. Prius dictum fuit cur hoc nomine vocetur Judæa, non quod excelleret præ aliis omnibus terris, ſed quoniam Deus illic ſibi elegerat ſedem & domicilium. Præſtantia igitur illius terræ pendebat à gratuito Dei beneficio. Hoc autem potuit videri abſurdum, tantum licentiæ permitti impio tyranno & latroni, ut diriperet Judæam quam Deus dignatus fuerat peculiari honore, ut ſcilicet illic habitaret, ſicuti
Pſal 132. verſ. 14. vocabat requiem ſuam. Sed ſcimus Eccleſiam quamdiu peregrinatur in mundo, non eſſe immunem à multis moleſtiis, quoniam utile eſt filiis Dei humiliari ſub cruce, ne laſciviant in terra, vel ſeſe projiciant ad delicias, vel indormiant cupiditatibus carnis ſuæ. Angelus cauſam hic omittit cur Deus paſſurus ſit Antiochum ita crudeliter graſſari in terra ſancta, ſed fideles jam edocti erant ex Lege & Prophetis, hanc eſſe Eccleſiæ conditionem, ut obnoxia ſit variis moleſtiis. Satis igitur habet rem ipſam ſimpliciter narrare, *& conſumetur terra amœna ſub ejus manu*, vel erit conſumptio. Quantum ad ſummam rei parum intereſt utrumvis legamus. Denique hic Angelus & Danielem, & alios omnes hortatur ad patientiam, ne deficiant ſub illa Dei ferula, quum Antiocho tantum permittet, ut inſtar prædonis vagetur, & exerceat ſuam tyrannidem & ſævitiam inter ipſos Judæos. Ego hic prolixius non refero quæ legi poſſunt in libris Machabæorum. Sed tantum hoc breviter attingam, non ſponte Antiochum veniſſe cum exercitu, ut Judæam vexaret, ſed fuiſſe accitum ab impiis ſacerdotibus. Tanta fuit in illis perfidia & immanitas, ut proderent ſponte templum Dei, ut etiam exponerent tot malis gentem ſuam. Fuit illa gravis tentatio, ideo optime conſuluit Deus ſuis cultoribus, quum prædixit quod poterat labefactare ipſorum fidem, & ipſos in deſperationem conjicere. Sequitur,

17. Et ponet faciem ſuam, (*id eſt, ſeipſum convertet*) ad veniendum cum potentia totius regni, & rectitudines cum eo, (*alii vertunt, Recti cum eo*) & faciet: (*poteſt etiam eſſe ſuperflua copula, ut ſæpe videmus vacare in Scripturis. Ita uno contextu legendum eſſet*,

eſſet, faciet cum eo rectitudines, ut ante viſum eſt) & filiam mulierum dabit illi ad perdendum eam, ſed non ſtabit ipſa, & non erit ipſa ei. (*hoc eſt, non ſe conferet in ejus arbitrium, neque ſtabit ab eo.*)

Hic deſcribit ſecundum bellum Antiochi contra Epiphanem, qui jam adoleverat, ideo dedit illi Cleopatram filiam, quoniam ſperabat hoc modo obliquis artibus ſe poſſe ſubigere regnum Ægypti. Nam ita apud ſe ſtatuerat filiam ſibi fore morigeram, illa autem ſervavit marito fidem conjugalem, & non dubitavit in gratiam mariti inimicitias ſuſcipere cum patre ſuo. Coluit igitur maritum fideliter ut decebat, neque autem præbuit verſutis conſiliis Antiochi. Ita fraudatus fuit ſpe illa, quia non potitus eſt per filiam regno Ægypti. Antequam vero filiam daret Ptolemæo, jam bellum tentaverat, ſed quoniam carebat ſucceſſu, & videbat Romanos ſeſe interponere, deinde aliis bellis diſtinebatur, contentus fuit hac ratione, nempe quia putabat, quemadmodum diximus, auxilio filiæ ſuæ regnum Ægypti fore ſtatim ſuum. *Convertet* ergo *ad veniendum cum potentia totius regni*, hoc eſt, collegit omnes ſuas copias, ut obrueret ipſum Ptolemæum Epiphanem, qui tunc adoleſcens quidem erat, ſed nondum adeptus magnam auctoritatem, neque etiam pollebat conſilio & prudentia. Quum autem videret ſibi non ſuccedere belli fortunam, *filiam mulierum*, hoc eſt, formoſam, *dedit illi*. Nam ſic exponunt interpretes, vocari *filiam mulierum*, quæ pulchritudine eſſet inſigni ante alias. Quantum attinet ad particulam illam, ubi dicit *Viſcharim Immo*, qui rectos putant hoc dictum eſſe de Judæis: quoniam Antiochus illos in deditionem acceperat, & erant permulti qui illi gratificabantur. Exiſtimant igitur Judæos honoris cauſa vocari rectos, propter Dei cultum. Sed videtur illud nimis coactum eſſe. Non dubito igitur quin Angelus ſignificet ſpecie fœderis Antiochum fore amicum Ptolemæo, quia aperto Marte illum non poterat regno ſpoliare. Tametſi enim Romani nullum exercitum armaverant, cœpit tamen ipſos timere Antiochus, & ideo maluit aſtute conſulere rebus ſuis, præſertim quum inhiaret aliis prædis, ut nuper dictum fuit. Statim enim bellum traduxit in Græciam, quemadmodum dicet Angelus. Sed prius hoc pronunciat *daturum filiam ſuam ut eam perdat*. Hic perſtringit vafritiem Magni Antiochi, qui filiam ſuam turpiter vendidit, non ſecus ac ſcortum. Quantum enim in ſe fuit, voluit per ipſam interfici maritum, aut veneno aut alia ratione. Ergo *filiam dedit, ut eam perderet. Sed illa non ſtetit*, hoc eſt, non aſſenſa eſt impiæ patris ſui libidini: *& non fuit illi*, id eſt, noluit favere tantis ſceleribus. Quicquid hic Angelus prædicit legimus apud profanos ſcriptores fuiſſe completum: & hinc clarius apparet, Deum tunc quaſi in ſpeculo poſuiſſe ante oculos piorum ſuam providentiam in regenda & ſervanda Eccleſia. Nunc ſequitur,

18. Et vertet faciem ſuam ad inſulas, & capiet multas, & quieſcere faciet (*hoc eſt, retorquebit*) Princeps opprobrium ejus apud ipſum. *Ideo* non torquebit opprobrium ſuum in ipſum. (*Eſt in verbis obſcuritas, ſed poſtea ex hiſtoria conjicere licebit quid velit Angelus.*)

Primo per Inſulas non dubium eſt quin Aſiam minorem deſignet, atque transmarinas regiones, ſicuti Græciam & Cyprum, & omnes inſulas maris Mediterranei. Judæis enim non eſt novum, Inſulas vocare regiones omnes quæ ultra mare ſitæ erant, quoniam non erant magnopere periti navigandi. Dicit ergo, *vertet faciem ſuam ad inſulas*, id eſt, convertet ſe ad plagas mundi oppoſitas. Mare enim Mediterraneum eſt inter Syriam & Aſiam minorem, ut ſatis notum eſt: media eſt Cilicia, cui etiam dominabatur Antiochus: ſed ſedes regni Syria erat. Ergo Inſulas vocat reſpectu Syriæ, & Judææ, tam Aſiam minorem, quam Græciam, & inſulas etiam poſitas in mari Mediterraneo. Hoc accidit quum Ætoli bellum renovarunt devicto Philippo. Fuerant enim Romanis auctores ſuſcipiendi belli in Græcia, & honeſto prætextu, nempe ut totam Græciam liberarent, cujus multas urbes, & apprime munitas occupaverat Philippus Macedo. Sed Ætoli, ut erant ſuperbi, & cupidi dominationis, aliud captabant, quemadmodum eventu probatum fuit. Jactarunt enim ſe eſſe Græciæ liberatores: ipſos quidem fuiſſe Romanorum auxilio, ſed ſe præcipuos fuiſſe in bello duces: & quum viderent Chalcidem, & alias quaſdam urbes teneri à Romanis, cœperunt conflare illis invidiam. Titus Flaminius deduxit ex urbibus illis præſidia: ſed tamen non ceſſarunt Ætoli. Volebant enim ſoli eminere, & rejicere procul Romanos. Ita factum eſt, ut miſerint legatos ſuos ad Labim Lacedæmoniorum tyrannum, ad Philippum Regem, & deinde ad Antiochum: & præcipuum flabellum hujus contentionis fuit Thoas. Nam poſtquam concitavit vicinas gentes profectus eſt ipſe ad Antiochum. Ejus relatu quum inflati eſſent Ætoli largis promiſſis, putarunt ſine ullo negotio pacatam ſibi fore Græciam. Interea Antiochus exiguo tantum exercitu appulit in Aſiam minorem. Ducebat ſecum Annibalem, qui erat ſola fama Romanis formidabilis, & ſi creditum fuiſſet ejus conſilio, haud dubie Antiochus poterat facile depellere Romanos. Sed aulici adulatores non paſſi ſunt Annibalem pollere ulla gratia apud ſtolidum Regem. Deinde Villius etiam aſtute reddidit eum ſuſpectum Antiocho. Nam quum miſſus eſſet legatus in Aſiam minorem, ſeſe inſinuavit in amicitiam Annibalis, familiariter cum eo verſatus eſt, & tantum profecit ex quotidianis colloquiis, ut Antiochus putaverit Annibalem jam non fore ſibi fidum. Hinc factum eſt ut bellum illud totum geſſerit ſine ulla ratione, vel conſilio, vel ſtrenuitate. Imo quum veniſſet in Chalcidem correptus amore cujuſdam puellæ tanquam in alto otio celebravit inſanas nuptias: & habuit ſocerum quendam Chalcidenſem civem, quum tamen eſſet tantus Rex, cui nullus eſſet par in toto orbe. Etſi autem inconſiderate ſe geſſit, famæ tamen ſuæ auſpiciis magis quam induſtria initio multas urbes cepit non tantum in Aſia minore, atque in mari Mediterraneo, ſed etiam in Græcia ipſa. Recuperavit enim Chalcidem, & alias urbes, quæ occupatæ fuerant à Romanis. Hoc nunc refert Angelus quaſi res geſta eſſet: tamen concionatur de rebus futuris, ut ſcimus. *Vertet igitur faciem ſuam ad inſulas, & capiet multas, & Dux quieſcere faciet, retorquebit opprobrium ejus in ipſum.* Sæpius pugnavit Antiochus cum Romanis, & ſemper infeliciter: quanquam aliquando putavit ſe eſſe ſuperiorem: ſed ex quo Attilius claſſis præfectus intercepit ejus commeatus, & itinera clauſit, M. Acilius Conſul terreſtri prælio frangere cœpit ejus vires, & paulo poſt magis ac magis collapſa fuit ejus potentia. Devictus etiam à Livio Prætore navali prælio, magnam jacturam fecit: & ſero tunc agnovit Rex errorem ſuum, quod non obtemperaſſet conſilio Annibalis, ſed non fuit tempus juſtum repa-

reparandi belli. Ideo quum dicit hic Angelus, *Dux reſidere facit opprobrium ejus penes ipſum*, ſignificat quum inflatus eſſet ſtolida ſuperbia Antiochus, fore ut in caput ejus redundent veſanæ jactantiæ, quas vomebat pleno ore adverſus Romanos. Nam quum hic loquitur *de opprobrio ejus*, ego active opprobrium interpretor. *Manere* igitur *faciet opprobrium*. Nam *Cherpath* ſignificat Opprobrium: ſed poſſet duobus modis ſumi opprobrium Antiochi paſſive, vel opprobrium active. Verum mihi, quemadmodum jam dixi, magis probabile eſt Angelum hic loqui de ſtulta ejus gloriatione. Contemptim enim & probroſe ſpernebat Romanos. Scimus quam ſtulte per legatos ſuos illis inſultaverit apud omnes conventus Græciæ. *Dux* ergo vel Acilius, vel Lucius Scipio, qui tandem compulit eum ultra Taurum montem, *quieſcere fecit opprobrium ejus penes ipſum, & non torquebit*, inquit, *in illum opprobrium ſuum*, hoc eſt, ore & plenis buccis Antiochus evomuit ſua convitia contra Romanos, ſed futiliter. Evanuerunt igitur omnia illa probra Antiochi, nec quicquam nocuerunt Romanis: ſed *Dux ipſe*, vel Lucius Scipio, vel Acilius, ut dixi, retorſit in ipſum opprobria illa, quibus putaverat poſſe Romanos proſterni, ſed ventus erat duntaxat. Deridet igitur faſtum Antiochi Angelus, quum dicit, *Venturum Ducem qui rejiciat in ipſum opprobria, ut non veniant in Ducem*, hoc eſt, in Romanos. Caput enim accipit pro toto corpore.

Da omnipotens Deus, quando ita tibi placet exercere fidem noſtram, ut nulla ſit nobis certa vel ſtabilis quies in terris, quamvis contingat mundum centies volvi ac revolvi, ut recumbere tamen in te diſcamus, nec dubitemus nos ita protectum iri manu tua, ut ſemper nobis omnia eveniant in bonum. Et quamvis non ſimus extra telorum jactus, tamen ſciamus nullum nobis poſſe vulnus lethale infligi, ubi oppoſueris manum tuam: atque tali fiducia freti non deſinamus conſtanter & invictis animis militare ſub tuo vexillo, uſque dum colligas nos in beatam illam quietem quæ nobis repoſita eſt in cælo, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO QUINQUAGESIMA NONA

IN

D A N I E L E M.

19. Et vertet faciem ſuam ad munitiones terræ ſuæ, & impinget, & cadet, neque invenietur.

Hic vel notatur turpis exitus Antiochi, qui populari tumultu interfectus eſt quum ſpoliaret templum Beli, vel deſcribitur eventus belli quod geſſerunt Romani cum eo ſub auſpiciis Lucii Scipionis, cui extra ſortem mandata fuit illa provincia, quia Cneus Scipio, qui victor fuerat Aphricæ, offerret ſe legatum fratri. Prius, ut dictum fuit, acciſæ fuerant opes Antiochi. Perdiderat enim urbes Aſiæ, quibus ſi principio ceſſiſſet, poterat quietus tenere bonam partem Aſiæ minoris. Sed quoniam extenderat alas ſuas in Græciam, & ſperabat hoc modo ſe aliquando fore dominum totius Græciæ, atque adeo Macedoniæ, non potuit adduci ut præſidia deduceret ex illis urbibus: tandem coactus fuit etiam minore Aſia cedere. Hoc ſi placeat, progreſſus belli deſignat Angelus quum dicit, *vertet faciem ſuam ad munitiones terræ ſuæ*, id eſt, Ubi coactus fuerit relinquere Græciam, conferet ſe in loca munita. Erat enim in locis tutiſſimis & regione ſatis pacata. Habebat undique urbes fere inexpugnabiles, & viſus fuerat pugnam fugere. Hiſtorici quidam tradunt factum hoc fuiſſe conſilio Cnei Scipionis. Nam filius ejus captivus erat tunc apud Antiochum, & ſciebat ipſum pollere auctoritate ſupra fratrem, quamvis legatus eſſet titulo. Dicunt igitur perſuaſum fuiſſe Antiochum, ne ultimo prælio fortunam experiretur. Quicquid ſit, ſatis conſtat non ante pugnaſſe, quam pudore coactus fuit, quoniam omnes objiciebant ignaviam, quod tanto exercitu præditus non auderet ſubire periculum certaminis. Vix enim unquam Romani cum tanto exercitu conflixerunt: tamen nunquam minus fuit terroris vel curæ, quemadmodum etiam narrat Titus Livius. Et ſatis apparet quam ingentes fuerint copiæ Antiochi ex ſtrage ipſa, quoniam uno die quinquaginta millia perierunt: quod eſſet fere incredibile, niſi teſtatum eſſet tot ac tam certis teſtimoniis. Hoc modo diceret Angelus *Antiochum rediturum*, quia non progreſſus ſit obviam, ſed paſſus ſit Lucium Scipionem trajicere. Quod ſi minimum ſignum reſiſtendi dediſſet, haud dubie Philippus habebat in manu ſua & arbitrio totam potentiam Romanorum. Et multis viſus eſt temere facere L. Scipio quum auderet tantum Philippo permittere, qui nuper devictus fuerat, & qui ob damnum & ignominiam acceptam adhuc gerebat animum exulceratum. Quod ſi Antiochus fuiſſet in procinctu ad cohibendos hoſtes, actum erat de exercitu Romano inter illas anguſtias & aſperitates locorum: ſed quemadmodum dictum eſt, aluit in otio & luxu ſuum exercitum inter urbes munitas. Quod ſi magis probetur alter ſenſus, ut certe probabilis eſt, ſermo eſt de turpi in ulteriorem Aſiam receptu, ubi impegit trucidatus à ruſticis. *Cadet, nec invenietur*. Certum quidem eſt regnaſſe Antiochum, ex quo poſt exercitum profligatum conditiones accepit quales tulerunt Romani: obtinuit enim pacem, quamvis non abſque gravi mulcta, tamen retento nomine regio: quin etiam fœdere honorifico conjunctus fuit cum Romanis: tantum coactus fuit & quaſi relegatus ultra Taurum montem, & juſſus pendere ſatis magnam pecuniam ob belli impenſas, deinde obſides dare, & partiri naves ex æquo cum Romanis, quanquam craſſa fraude illic fuit deluſus. Nam Lucius Scipio juſſit naves omnes conſcindi, & tradidit ligna quæ nihil afferebant utilitatis Antiocho. Sciebat enim hominem eſſe fraudulentum & inquietum: ita barbare cum ipſo egit, ut dignus erat. Quantum ad obſides pertinet, vidimus Antiochum & Demetrium ejus filios Romæ fuiſſe obſides, uſque poſt ejus mortem. Fuit quidem ipſe tranquillus, ſed ablatæ ſunt urbes Aſiæ minoris, & juſſus eſt ſe recipere ultra Taurum montem: Pylæ illæ fuerunt fines imperii ejus. Eumeni data fuit pars Aſiæ: multæ urbes ſui juris factæ ſunt. Et Antiochus ut deleret infamiam, dicebat etiam jocoſe præclare ſecum fuiſſe actum, quod difficilis eſſet procuratio Aſiæ minoris. Habebat enim alioqui amplum & opulentum regnum quo poterat eſſe contentus. Ego fui, inquit, hactenus œconomus in Aſia: Romani me levarunt hac moleſtia. Quum ergo dicit Angelus, *Poſt caſum, Regem illum non fore amplius*, hoc intelligi debet de ignominioſa morte, quæ paulo poſt ſequuta eſt. Inſatiabilis enim fuit ejus avaritia: deinde quoniam pendebat magnum tributum Romanis, finxit ſe eſſe redactum ad extremam inopiam: ita voluit ſpoliare templum Jovis Dodonæi: illic occiſus eſt per tumultum. Huc ergo proprie referri debet po-

ſtremum

ſtremum illud verbum, quod evaneſcet Rex Antiochus, quia ſcilicet occident eum homines ruſticani in tumultu. Hoc de Antiocho magno. Sequitur nunc de Seleuco, qui primus fuit ejus ſucceſſor. Habebat enim tres filios, Seleucum, quem multi vocant Keraunon, deinde Antiochum Epiphanem, & Demetrium. De Seleuco ita loquitur Angelus,

20. Et ſtabit ſuper locum ejus tranſire faciens exactorem *in* honore regni, (*alii vertunt appoſitive, honor, vel decor regni*) & diebus paucis conteretur, idque non in ira, neque in prælio.

Satis notum eſt Seleucum non diu fuiſſe patri ſuperſtitem, ſive extinctus fuerit veneno, ſive à ſuis domeſticis interfectus. Suſpicio quidem cecidit in fratrem ejus Antiochum, qui audita patris morte remiſſus fuit in patriam. Solus autem Demetrius retentus fuit, qui poſtea fuga elapſus eſt, quum egreſſus urbe ſub ſpecie venationis pervenit uſque ad ripam Tiberis Hoſtiam uſque, & conſcenſo parvo navigio, maluit ſe in ultimum diſcrimen conjicere, quam perpetuo manere exul. Quantum ad Seleucum ſpectat, dicit Angelus, *Stabit ejus loco*, hoc eſt, ſuccedet jure hæreditario in locum Antiochi magni Seleucus, *qui tranſire faciet exactorem:* alii vertunt, Auferet exactorem. Nam in hiphil hoc verbum עבר ſignificat Auferre. Dicitur enim apud Hebræos facere tranſire aliquem, qui eum excludit. Exiſtimant enim quidam interpretes hoc dictum eſſe in laudem Seleuci, quaſi tributa à patre impoſita minuerit, quod tamen hiſtorici falſum eſſe produnt. Nam damnant ipſius avaritiam & rapacitatem. Alijs in rebus excellentior fuit fratre Antiocho: tamen crudelis fuit erga ſuos, deinde homo libidinoſus. Quum magnos ſumptus faceret, non potuit ita eſſe temperans ut parceret ſuis ſubditis. Nam luxuria & prodigalitas trahunt ſemper ſecum ſævitiam in exigendis tributis. Qui enim multum profundit, neceſſe eſt ut exugat fere populi ſanguinem. Quum ergo Seleucus fuerit libidinoſus homo, commodior eſt atque aptior hic ſenſus, *quod fuerit tranſire exactorem*, hoc eſt, quod gravaverit totam ſuam ditionem magnis & novis exactionibus. Hoc tantum de ipſo dicitur, quoniam ſtatim interfectus eſt, quemadmodum ſequitur in ſecunda parte verſus. Si placeat appoſitive legere decorem regni, laudabitur Seleucus, acſi dictum eſſet, qui decus erit ac ornamentum. Sed ego exiſtimo ſubaudiendam eſſe literam ל. *Stabit* ergo *in locum ejus tranſire faciens exactorem, & paucis diebus conteretur.* Significat hoc verbo cruentam mortem. *Neque enim*, inquit, *in ira.* Miror cur quidam vertit in conſpectu mutuo. *Appajim* enim accipiunt Hebræi pro iracundia, quaſi diceret, non conteretur aperto Marte, nec prælio commiſſo, ſed interficietur à ſuis domeſticis. Variant autem in ſpecie mortis hiſtorici, quoniam nonnulli ſcribunt veneno fuiſſe necatum, alii autem fuiſſe occiſum gladio. Sed hoc parum ad rem refert. Nunc ſequitur ſucceſſio Antiochi Epiphanis.

21. Et ſtabit ſuper locum ejus probroſus, & non dabunt ei (*non conſtituent ſuper eum*) decorem regni, (*hoc eſt, non deferent gloriam regni*) & veniet cum pace, & apprehendet regnum per blanditias.

Conſentiunt in hoc ſcriptores, Antiochum Epiphanem fuiſſe admodum verſuto ingenio: & quidam etiam volunt furtim Roma egreſſum. Probabilis tamen conjectura eſt, fuiſſe dimiſſum à Romanis, audita patris morte, quia contenti erant fratre ejus Demetrio, præſertim quum haberent ex maximis regni Proceribus etiam alios obſides, ſed ille erat unus ex tribus filiis Regis. Quicquid ſit, de vaſtitie hujus hominis ſatis convenit inter omnes. Interea tamen fuit ſævus & atrox, & ideo Polybius dicit vocatum fuiſſe Epimanem per ludibrium. Quum ergo ſumpſiſſet ſibi cognomen Illuſtris, vocatus fuit Veſanus, ob turbulentum ingenium. Sed erat monſtrum conflatum ex diverſis vitiis. Nam erat ſervili & adulatorio ingenio, & ſtuduerat etiam Romæ ſibi favorem acquirere illo artificio, quemadmodum poſtea videbimus. Ubi autem extra metum erat, nullus modus ejus crudelitati, atque etiam ferociæ. Hac ratione vocatur hic *deſpectus*. Nam Romæ certe habitus fuit in pretio, deinde exceptus fuit cum ſummo plauſu à magna parte populi. Sed quoniam non erat heroica vel regali natura præditus, ſed ſordide ſemper adulatus fuerat Romanis, & inſinuaverat ſe in civium gratiam hoc modo, deinde etiam venerat in regnum quaſi ſupplex: ideo vocat eum Angelus Contemptum, vel probroſum. Poteſt tamen alia etiam ratio adduci æque probabilis, quod ſcilicet regnum fraude & per nefas occupaverit ſublato legitimo hærede. Relictus enim fuerat ſucceſſor à Seleuco, quem perfidus hic nebulo fraudavit jure ſuo, atque ita regnum ad ſe fraudulenter traxit. Scimus autem quanti faciat Deus vocationem ſuam, ne quid temere ſibi rapere audeant homines, quia ſemper videndum eſt quem quiſque gradum obtineat mandato Dei. Quoniam ergo Antiochus invaſit regnum nullo jure, ſed depulſo hærede legitimo, coram Deo fuit probroſus, quia non regnavit niſi per vim, & tyrannidem ex una parte, deinde per dolum & per obliquas artes. Non tamen dubito quin hic perſtringat Angelus perverſos mores Antiochi, ubi vocat eum *deſpectum*, quia ſcilicet nulla fuit in eo ingenuitas. Poſtea addit, *Non deferent ei regni honorem.* His verbis pronunciat non fore juſtum Regem, quia non creabitur ſuffragiis populi. Diximus Seleuci filium debuiſſe abſque controverſia regnare. Hic autem qui debuerat pupilli & nepotis eſſe tutor, ſpoliavit eum ſceleſte hæreditate paterna. Ergo Angelus pronunciat fore potius latronem, quam Regem, quia regnum occupabit, neque tamen creabitur ſuffragiis populi. Sequitur, *Et veniet in pace, & apprehendet regnum in blanditiis.* Explicatio eſt proximi membri. Quæri enim poterat qua ratione poſſet regnum eripere nepoti ſuo: nempe, inquit, *veniet in pace*, hoc eſt, non præ ſe feret id quod agitabit in animo, neque palam jactabit ſe eſſe Regem, ſed obtendet fallaciter nomen tutoris, donec poſſit pupillum illum perdere. *Veniet* igitur *in pace, & regnum apprehendet in blanditiis.* Ita videmus quid his verbis Angelus intelligat. Cæterum, quamvis Daniel hæc omnia non viderit, neque etiam multi ex electo populo, tamen quia delibarunt aliquid ex his vaticiniis, potuit hoc illis ſufficere, ne anxietas obrueret ipſorum animos, quia colligere licebat Deum loquutum eſſe per os Angeli ſui, & experientia docebat veriſſimum eſſe quicquid hic comprehenditur, etiamſi multi eventus adhuc eſſent abſconditi. Sed propoſitum fuit Deo fulcire piorum animos, uſque ad Chriſti adventum, & ita tranquillos retinere in maximis turbis, donec agnoſcerent non fruſtra fuiſſe promiſſum Redemptorem, poſtquam fuit exhibitus, quemadmodum dicetur in fine capitis. Nunc proſequar verba.

22. Et brachia inundatione obruentur (*ad verbum, inundabuntur*) à conſpectu ejus, & conterentur, atque etiam Dux fœderis.

Conjicere promptum eſt non fuiſſe ſtatim pacatam ditionem Antiocho, quoniam pars aulæ ſavebat legitimo hæredi. Sicut ergo in rebus novis fieri ſolet, multi fuerunt tumultus in Syria, antequam adverſarios è medio tolleret Antiochus. Quanquam autem tunc regnum Ægypti deſtituebatur capite (erat enim tantum Ptolemæus Philometor, quem vocabant hoc modo) tamen Conſiliarii pueri illius, quum magis ſtuderent filio Seleuci, occultis ſubſidiis opem tulerunt adverſæ ſactioni. Fuit igitur negotium Antiocho non tantum cum ſuis popularibus, ſed etiam cum gentibus vicinis Nam miſerabantur ſortem pupilli omnes, deinde indignitas ipſa multos movebat, ut ferrent aliquid auxilii. Adjutus ergo fuit Ægypti favore, & aliarum gentium puer ille. Ita Antiochus ſuſtinuit multos & graves motus. Sed Angelus pronunciat fore victorem. *Inundabuntur*, inquit, *brachia.* Metaphorice ſic vocat quæcunque auxilia contraxit filius Seleuci, non proprio conſilio (neque enim poterat) ſed per ſuos comites. *Brachia* ergo, hoc eſt, omnia auxilia quæ convenient ad reſtituendum filium Seleuci, *inundabuntur inundatione.* Eſt altera metaphora, id eſt, obruentur quaſi diluvio. Et hac figura ſubindicat Angelus non modo fore victorem Antiochum, ſed etiam facilem fore ejus victoriam, quoniam erit inſtar diluvii, non ſua virtute, ſed quoniam volebat Deus per manum illius tyranni affligere Iſraëlitas, ut poſtea videbimus, & ſimul etiam vexare tam Ægyptum, quam Syriam. Fuit denique flagellum Dei Antiochus, ideo confertur diluvio. Et ideo dicit, *à conſpectu ejus.* Oſtendit enim tantum fore terrorem Antiochi, ut ſolo aſpectu dejiciat atque proſternat hoſtes ſuos, etiamſi careat viribus, neque ſit induſtrius vel ſtrenuus bellator. *Et conterentur*, inquit, *atque etiam Dux fœderis*, hoc eſt, Ptolemæus fruſtra ſtudebit partibus ſui conſobrini. Erat enim filius Seleuci conſobrinus Ptolemæi Philometoris, quoniam ut dictum fuit, Cleopatra nupſerat Ptolemæo Philopatori, unde genitus fuit ille Philometor, & Seleucus frater erat Cleopatræ. *Dux* ergo *ipſe fœderis.* Non quod potuerit proprio conſilio quicquam aggredi aut gerere Ptolemæus, qui adhuc puer erat, ſed tanta erat dignitas in regno Ægypti, ut merito vocetur *Dux fœderis*, quoniam alii omnes ſequuti ſunt potentiam Regis illius. Hoc quoque eventu comprobatum fuit, quoniam inſeliciter pugnarunt omnes qui conati ſunt ejicere Antiochum ex regni poſſeſſione. Nunc ſequitur,

23. Et à conjunctione, cum eo faciet dolum, & aſcendet, & prævalebit cum exigua gente. (*vel manu.*)

Significat Angelus aliquam intermiſſionem bellorum, quia Antiochus contentus erit ad tempus Syria, neque tentabit Ægyptum. Magnum enim fuit repellere omnes omnium conatus, qui volebant recuperare jus nepotis. Et minime dubium eſt quin gravata fuerit, & fere exhauſta illa tota regio continuis impenſis bellorum. Nam quum ſubinde ſurgerent novi motus, oportuit auxilia hinc inde contrahere, quod fieri non poterat ſine magno ſumptu. Non mirum igitur eſt ſi Antiochus ut erat callido ingenio, pacem ſimulaverit cum nepote ſuo Rege Ægypti, nempe Ptolemæo Philometore, quum ſuperſtes eſſet ſoror Cleopatra: & fuit illa honeſta excuſatio. Ergo Angelus hic primo ſignificat ſore aliquas inducias, imo fore pacem inter Antiochum & Regem Ægypti. Sed tamen adjungit Antiochum ſemper fore perfidum in ſuis amicitiis. *A conjunctionibus* ergo, hoc eſt, poſt conjunctiones *cum ipſo faciet dolum.* Quantumvis ergo prætexat ſe amicum eſſe & ſocium nepoti, tamen geret ſe doloſe cum ipſo: *& aſcendet*, inquit, *& prævalebit cum exigua manu*, nempe quia aggredietur puerum ex inopinato Quum enim putaret Ptolemæus ſibi firmam eſſe amicitiam cum avunculo, facile fuit Antiocho intercipere per fraudem aliquas urbes, & quidem exigua manu. Fefellit enim hoſtem ſuum qui putabat omnia ſibi tranquilla eſſe. Quum ergo Ptolemæus nihil ſibi metueret ab avunculo, repente quædam urbes illi ereptæ ſunt. Hoc intelligit Angelus. *Aſcendet*, inquit, nempe per dolum, deinde, *prævalebit, neque magnis copiis*, quia nulla erit belli ſuſpicio. Eſt autem facile in rebus tranquillis, ubi nihil timetur, hoſtem ſuum opprimere. Poſtea adjungit,

24. In pace, & in pinguedinibus regionis (*aut provinciæ*) veniet, (*hoc eſt, in deliciis*) & faciet quæ non fecerunt patres ejus, & patres patrum ejus: ſpolia & prædam, & ſubſtantiam illis diſpertiet, (*vel, quæ illorum fuit diſperget*) & ſuper munitiones cogitabit cogitationes ſuas, idque ad tempus.

Continuus eſt hiſtoriæ tenor: deſignat enim Angelus quomodo Antiochus tam brevi tempore, & exigua manu compos futurus ſit multarum urbium, nempe, inquit, *veniet in pace, & deliciis provinciæ*, hoc eſt, opprimet dormientes & ſecuros. Significat ergo Antiochum ſore victorem, quia non hoſtiliter invadet Ægyptum, ſed aſtu duntaxat & furtim urbes auferet Regi Ptolemæo nihil tale metuenti. Nulla igitur erit belli ſpecies. Ideo dicit, *veniet in pace, & in pinguedinibus terræ.* Per pinguedines metaphorice intelligit delicias. Quum ergo putarent Ægyptii ſe procul abeſſe ab omni diſcrimine, & perſuaſi eſſent Antiochum non modo ſibi amicum eſſe, ſed etiam fore adjutorem ſi quid adverſi contingeret: quum ergo ita in deliciis ſuis eſſent demerſi, raptim venit Antiochus, & ita prævaluit. Poſtea adjungit, *Diſperget ſpolia & prædam, & bona, quæ ipſis fuerant. Bizzab Veſchalal*, quidam referunt ad milites, & conjunctim legunt cum verbo *Jebzar*, quaſi diceret, militibus ſuis diſpertiet prædam, ut concilier ſibi eorum animos, & ita paret ipſos ad nova bella, quoniam ſcimus facile allici milites, ubi percipiunt uberes fructus. Nam trahuntur ſolo quæſtu, & ſua avaritia. Sic igitur quidam exponunt, quod Antiochus dividet prædam inter ſuos milites. Sed videtur ſenſus alter mihi melius congruere, quod ſcilicet *diſperget prædam, & ſpolia, & bona Ægyptiorum.* Poſtquam ergo oppreſſerit ex improviſo Ægyptios, graſſabitur etiam ad ipſos ſpoliandos more prædonis. Poſtea addit, *Et ſuper munitiones cogitabit cogitationibus ſuis*, id eſt, agitabit conſilia, ut etiam urbes munitas occupet. Principio enim penetravit in urbes quaſdam, & præſertim Cœleſyriam occupavit, poſtea Phœnicen, ſed non potuit tam cito potiri urbibus munitis. Ergo diſtulit in tempus magis opportunum ſua conſilia. Et ideo dicit Angelus, *Adjiciet etiam ſua conſilia ad urbes munitas, ſed ad tempus*, hoc eſt, non ſtatim proferet quid habeat in animo, ut poſſit adhuc opprimere nepotem ſuum incautum, deinde ut pacis ſimulatione ſemper

aditus

aditus pateat in urbes illas, & ſibi conciliet quoſcunque corrumpere poterit vel donis, vel aliis artibus. Videmus ergo hic prædici in ſumma, quibus artibus & modis Antiochus aliqua ex parte ſpoliaverit nepotem ſuum urbibus & ditione, nempe quia repente rebus tranquillis invaſit urbes non adeo validas: deinde paulatim agitavit conſilia quomodo etiam poſſet in urbes magis munitas penetrare. Ideo dicit, *Ad tempus.* Semper apparet calliditas & malitia Antiochi inter omnes iſtas actiones. Neque enim aperte geſſit bellum, ſed obliquis fraudibus ſemper aliquid ad ſe trahere conatus eſt, quod etiam non caruit ſucceſſu. Quod autem dicit *facturum quod non fecerunt patres ejus, & patres patrum*, reſtringitur ad Ægyptum ſulam. Nam Seleucus primus Rex Syriæ late eſt dominatus, deinde feliciter pugnavit & floruit ejus nomen uſque ad ultimum ſenium, & quamvis tandem infeliciter pugnaverit, tamen fuit ſummus & celeberrimus bellator: deinde ſcimus fuiſſe unum ex præcipuis Ducibus Alexandri Magni. Jam quod ad filium ejus Antiochum ſpectat, ante vidimus quam late dominatus ſit, deinde quanta fuerit in exiſtimatione & prudentiæ & virtutis. Non igitur ſimpliciter comparat Angelus Antiochum Epiphanem cum patre, & cum avo, & proavo, ſed reſpectu Ægypti duntaxat. Patres enim ejus ſemper inhiaverant Ægypto, ſed fruſtrati fuerant ſuis conſiliis. Hic autem felicius aggreſſus eſt, quod fruſtra tentaverant ejus majores. Hinc apparet, Deum ſic moderari bellorum eventus, ut vincat, & prævaleat non qui conſilio, aut prudentia, aut virtute pollet, ſed qui cælesti ductu pugnat, ſicuti Deo placet nunc affligere populos, nunc autem Reges præficere qui vere ſint ejus miniſtri. Sic voluit Ægyptum punire per manum hujus latronis. Poſtea ſequitur,

25. Et excitabit robur ſuum, & cor ſuum adverſus Regem Auſtri, cum exercitu magno: & Rex Auſtri irritabitur ad prælium cum exercitu magno, & robuſto valde: & non ſtabit, quia cogitabunt contra eum cogitationes. (*id eſt, agitabunt contra eum perfida conſilia*)

Hic Angelus pronunciat, poſtquam fraudibus invaluerit Antiochus Epiphanes, plus eſſe auſurum, nempe ut audeat prodire cum exercitu hoſtiliter, & ita invadere Ægyptum palam, & ſine ulla ſimulatione. Dicit igitur, *Excitabit tandem robur ſuum, & cor ſuum.* Nam antea per latebras obrepſerat vel per cuniculos, non excitaverat, vel cor ſuum, vel robur, quum domi quieſceret: interea autem ſibi vel proditionibus, vel aliis modis acquireret urbes. Hoc erat igitur per cuniculos reptare. Sed nunc ubi palam bellare incipit, & copias ſuas emittere in apertum campum, dicitur *excitare robur & cor ſuum.* Deſcribitur ergo, quemadmodum jam dixi, nova & inſolita bellandi ratio, quia Antiochus haud dubie audaciam collegit ex illa ſerie felicitatis, quum jam potior fuiſſet, vel potentior nepote ſuo per fraudes. Poſtea addit, *cum exercitu magno.* Loquutus fuerat de manu exigua, nunc opponit magnum exercitum, quia ſcilicet potuit longo temporis ſpatio colligere magnam vim pecuniæ ad gerendum bellum, deinde protogaverat fines ſuos vel ampliaverat. Potuit etiam contrahere nova auxilia, & propter felicitatem multi ad eum acceſſerant. Quum ergo modis omnibus ſentiret ſe ſuperiorem nepote ſuo, tunc collegit magnum exercitum. *Rex etiam Auſtri irritabitur*, id eſt, non audebit quidem laceſſere avunculum ſuum Antiochum, ſed coactus prodibit ad bellum, *& veniet etiam ipſe cum magno exercitu*, ſed magno & valido, inquit, vel robuſto valde: *neque ſtabit, quia cogitabunt contra eum cogitationes*, id eſt, proditione vincetur. Hic Angelus ſignificat Ptolemæo ſatis quidem fore virtutis ad reſiſtendum, niſi quod prodetur à ſuis, quemadmodum clarius videbimus craſtino die in proximo verſu.

Da omnipotens Deus, ut inter tot tantaſque perturbationes, quas ſubinde oculis noſtris objicis in hac terra, ut tamen quieti maneamus ſub fide tua & patrocinio, neque tamen indulgeamus nobis quo facultas detur Satanæ & inimicis noſtris ad nos opprimendos, ſed manentes ſecuri ſub tua protectione, tamen ſingulis horis, atque etiam momentis confugiamus ad opem & tutelam tuam, & freti invicta tua virtute non dubitemus per omnes motus ſic tranſire, ut tamen quietis animis recumbamus in gratiam tuam, donec tandem colligamur in beatam illam & æternam quietem, quam nobis præparaſti in cælo, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO SEXAGESIMA IN DANIELEM.

26. Et qui comedent portionem cibi ejus, conterent eum, & exercitus ejus obruetur, & cadent vulnerati multi.

Heri prædixit Angelus non ſtaturum Ptolemæum in prælio, quoniam prodendus eſſet à ſuis: nunc ſpeciem ipſam proditionis exprimit, quod ſcilicet primarii aulici, vel Conſiliarii auctores erunt hujus perfidiæ. Opponit enim gregarios milites ipſis Ducibus. Nam in ſecunda parte ſignificat milites ipſos officio ſuo functuros eſſe, quoniam vitæ & ſanguini non parcent. Nunc ergo tenemus conſilium Spiritus ſancti in hoc verſu. Nam dicit auctores hujus perfidiæ futuros non ex vulgo homines, ſed præcipuos ex Conſiliariis. Nam *Pathbagh* tantundem valet ac Comedere in menſa ipſius Regis, quemadmodum primo capite vidimus datam fuiſſe portionem Danieli, & ſociis ejus ex cibo regio, id eſt, ex menſa regia. Honoris igitur cauſa hic dicit Regi fore perfidos, qui cibum comedent in menſa ejus, acſi eſſent ſodales. *Ipſi eum conterent*, inquit, *exercitus autem ipſe mergetur.* Oſtendit multos paratos fore ad officium, quia capita ſua libere & audacter exponent diſcrimini pro ſalute Regis & defenſione patriæ, *ſed cadent multi vulnerati.* Significat fore magnam ſtragem in ipſo exercitu, ſed eventum belli non fore ex voto, quoniam Duces ipſi Regi ſuo fidem non ſervabunt. In hac autem imagine deſcribit nobis Angelus qualis plerumque ſit Regum conditio. Nam deligunt Conſiliarios non ex probitate, ſed quoſcunque vident aptos eſſe ſuis affectibus. Ac ut quiſque Rex aut avarus eſt, aut vafer, aut crudelis, aut libidinoſus: ita etiam cupit habere amicos & familiares qui non repugnent vel avaritiæ, vel aſtutiis, vel crudelitati, vel libidini. Ita digniſſimi ſunt hac mercede, ut ſcilicet perfidos experiantur, quibus non debuerant tantum honoris tribuere, ſi reſpicerent ſe & Deo & populo eſſe debitores. Jam ſequitur,

27. Et duorum Regum cor ipſorum (*hoc eſt, & cor his duobus Regibus*) in malum: & in menſa eadem (*una*) mendacium loquentur, & non proſpere eveniet, quia adhuc finis ad tempus ſtatutum.

Hic narrat Angelus poſtquam cladem Ptolemæus acceperit, finem præſenti bello fore per inducias, & per ſimulationem pacis. Quamvis enim Antiochus poſſet Fortunam ſuam proſequi, non auſus eſt tamen uſque ad extremum periclitari, ſed pro more ſuo, & ut diximus fuiſſe hominem vafri ingenii, & nulla ingenuitate præditum, ita putavit ſibi utilius eſſe paciſci cum hoſte ſuo. Prædicit Angelus in utroque Rege fore malam fidem. Convenient enim, inquit, & ſimul cœnabunt, avunculus & nepos, & præ ſe ferent ſummam amicitiam, *ſed in eadem menſa*, inquit, *loquentur mendacium*, hoc eſt, alter alteri inſidiabitur, & uterque pro ſe fraudulenter aget. Videtur quidem hæc prophetia parum habere momenti: ſed expendere convenit in rebus adeo confuſis non potuiſſe fideles perſtare, niſi modis omnibus ſuffulti fuiſſent. Si generaliter tantum dixiſſet Angelus fore bellum, deinde pacem temporariam, hoc non poterat ſufficere ad ſuſtinendos piorum animos, verum ubi res digito notantur, hic ſingularis confirmatio ſuppetit, quoniam nulla eſt ratio, cur dubitent fideles Deum loquutum eſſe, ubi de rebus futuris ſic concionatus eſt Angelus, hoc eſt, tam aperte acſi narraret rem geſtam. Poſtea adjungit *proſpero non ceſſurum, quoniam adhuc finis ad tempus*, inquit. Revocat Angelus fideles ad providentiam Dei. Nam ſemper ſubſidunt mentes noſtræ in mediis terrenis. Quantum enim oculis cernimus, tantum fere percipimus animo. Occurrunt autem ſemper nobis cauſæ, cur hoc ita contigerit, cur non habuerit ſucceſſum hæc vel illa actio: interea Deus omittitur. Ergo ut huic vitio, hoc eſt, ut ſtupori hominum Angelus occurrat, dicit non proſpere ceſſurum quicquid inter ſe agitabunt Reges, *quoniam finis ad tempus*, hoc eſt, quoniam Deus tenet multas res ſuſpenſas. Videmus ergo ſic conſiderandas nobis eſſe cauſas inferiores, ut interea penes Deum reſideat ſumma poteſtas, atque ut ipſe moderetur ſuo arbitrio quicquid inter ſe verſant homines. Hæc autem non parum utilis fuit doctrina fidelibus, quum ſcirent Reges quidem multa hinc inde moliri, & non deſtitui aſtutia, & plurimis artibus perverſis, Deum tamen tenere tam ipſorum animos, quam rerum eventus arcano freno, ut nihil poſſet accidere, niſi ex decreto cæleſti. Etſi autem colligere licet ex hoc loco generalem doctrinam, non dubium tamen quin Angelus ad præſentem hiſtoriam reſtringat quod dixit, nempe nondum adeſſe finem, ſed opportunum tempus occulto Dei conſilio eſſe præfixum, quo nunc vincat Antiochus, nunc autem recedat, quemadmodum videbimus. Sequitur,

28. Et revertetur in terram ſuam cum opibus magnis, & cor ejus ad fœdus ſanctitatis, & faciet, & revertetur in terram ſuam.

Hic Angelus prædicit pacem illam fore calamitoſam populo Dei, quoniam Antiochus convertet ſuum impetum contra Jeroſolymam & totam gentem. Dicit enim principio verſus, *Revertetur in terram ſuam*, nempe quia non potietur Ægypto. Reditus ergo hic ſignificat Antiochum ita fore victorem, ut tamen ſeſe recipiat intra antiquos fines ſuæ ditionis. Quum autem adjungit, cum ſupellectile magna, vel *cum magnis opibus*, ſimul exprimit unde colliget opes illas, nempe quia *cor ejus erit contra fœdus ſanctum*. Diripuit enim Jeroſolymam & templum Dei aliqua ex parte. Coactus quidem fuit vel pudore, vel reverentia, vel etiam miraculo, ut dici-
2 Mach 5. verſ. 2. tur in libro Machabæorum, relinquere templum, & multos theſauros. Libenter enim exinaniiſſet totum templum, ſed Deus illum tunc compeſcuit. Collegit tamen ſibi magnas opes. Et ideo Angelus utrumque conjungit, nempe *rediturum eſſe* in Syriam cum magnis opibus, *& cor ejus fore contra fœdus ſanctitatis*. Quidam hoc ad perſonas volunt referri, quaſi populum ipſum intelligeret Angelus, qui fœderatus erat Deo. Sed mihi ſimplicior ſenſus probatur, quod ſcilicet bellum geret adverſus Deum, quia ditatus non erit tam amplis ſpoliis ut ſperaverat. Diximus enim pacem feciſſe cum hoſte. Ne igitur expeditio illa eſſet irrita, ſpoliavit templum Dei. *Sic cor ejus elatum fuit contra Deum, & contra ſanctum fœdus ipſius*. Altera expoſitio frigidior eſt, & nimis coacta. *Et faciet, & revertetur in terram ſuam*. Reverſio in fine aliter accipitur quam in principio verſus, nempe quod pro arbitrio ſuo redibit tanquam victor, nec quiſquam ſeſe opponet quin perveniat in ſuam ditionem. Conjunctim enim legenda ſunt hæc duo, *faciet, & revertetur in ſuam ditionem*. Quid ſit Facere jam antea expoſuimus. Significat enim Angelus nihil fore obſtaculo, quo minus & urbem, & templum diripiat Antiochus. Fuit autem hæc gravis tentatio, & qua vehementer poterant animi piorum turbari vel percelli, quod Deus templum ſuum aperiret crudeli tyranno, & permitteret cum ſumma ignominia illinc ſacra vaſa auferri & reconditos theſauros. Oportuit igitur fideles præmoneri de hac tam triſti clade, ne ipſa novitas ipſos redderet attonitos, vel everteret conſtantiam fidei ipſorum. Et hinc colligimus, quamvis Deus ſæpe multa lugubria nobis prædicat, tamen hac doctrina non debere nos exacerbari. Deus enim vult nos munire contra tentationem, quæ ex novitate contingeret. Sic igitur Angelus quamvis de rebus parum jucundis diſſereret, tamen utilis fuit præco omnium calamitatum, quæ venturæ erant, ne quid inſolitum vel minime expectatum contingeret piis, deinde ut certo ſtatuerent ſe affligi Dei manu, & ita exponi libidini Antiochi, ut tamen Deus certo conſilio, quamvis incomprehenſibili, tantum licentiæ impio tyranno permitteret. Poſtea ſequitur,

29. Ad tempus revertetur, & veniet in Ægyptum: & non erit ut prius, ita poſterius. (*hoc eſt, diſſimilis eventus erit, quia non ita ſuccedet poſterior expeditio ut prior.*)

30. Et venient contra eum naves Cithim, & debilitabitur, (*vel dolebit, quod poſterius mihi magis placet*) & revertetur, & indignabitur adverſus fœdus ſanctitatis, & faciet, & revertetur, & intelliget (*hoc eſt, adjiciet mentem ſuam*) ad deſertores fœderis ſanctitatis.

Primum dicit Angelus rediturum aliquanto poſt tempore Antiochum, ut Ægypto potiatur. Hic fuit fructus fucatæ illius pacis & perfidæ amicitiæ, cujus
verſ. 27. facta fuit mentio. Nam inter ſe fuerant epulati avunculus & nepos, ſed mala fide, quemadmodum dixit Angelus. Erupit igitur fallacia illa paulo poſt, quum Antiochus nulla cauſa impulſus, rediit in Ægyptum. Nam hoc modo oſtendit ſe nihil aliud captaſſe, quam occaſionem, & tantum diſtuliſſe in aliud tempus, quia tam cito non poterat opprimere

nepo-

nepotem ſuum. Hoc igitur unum eſt. *Moëd* poſſumus accipere pro tempore divinitus præfixo, ſed quoniam poſſet illa expoſitio videri nimis arguta, ego contentus ſum vulgari ſignificatione. *Redibit* igitur *ad tempus, & veniet*, inquit, *in Ægyptum, ſed non erit poſterior expeditio ut prior*, quia ſcilicet effectu carebit totus ille apparatus belli, qui incuſſerat magnum Ægypto terrorem. Occupaverat enim partem regni, & jam obſidebatur Rex Ptolemæus Philometor, quum venit Publius Popilius, de quo poſtea Angelus diſſeret. Nam proximo verſu additur cauſæ redditio quum dicit *venturas eſſe naves Cithim*. De voce Cithim alibi dictum fuit. Si conferre libeat omnes Scripturæ locos, ubi hæc vox occurrit, reperiemus à Macedonia uſque ad ultimos fines Græciæ, imo uſque ad Illyricum gentes omnes illas vocari Cithim: deinde eadem etiam eſt Italiæ ratio. Et veteres uſi ſunt alio nomine in Macedonibus. Vocabant enim eos Maketas, & putant quidam *Mem*, literam eſſe addititiam. Sed quicquid ſit, res ipſa demonſtrat Cithim vocari tam Macedonas, quam Græcos, & alios transmarinos populos. Si quis de voce rixari velit, ſinamus contentioſis ſuas lites, ſed tamen non poterunt nobis excutere quod jam dixi, nempe ex perpetuo Scripturæ tenore certo colligi, Cithim eſſe & Macedonas, & Græcos, & Italos. Hic autem locus dubitatione caret, quia non retentus fuit Antiochus à Græcis, ſed à Romanis. Miſſi autem fuerant legati non hac tantum de cauſa, ſed ut ſpecularentur totum ſtatum Græciæ, & Aſiæ minoris. Res enim tunc erant in Græcia turbatæ: deinde Romani intenderant animos in Achaiam. Putabant enim Achaicum conventum nimis potentem eſſe. Inter legatos erat P. Popilius, vir acri ingenio, ut conjicere licet, ſed auſtero & fere barbaro. Ille quum ad Antiochum veniſſet qui tunc obſidebat Alexandriam, & tenebat fere puerum Regem captivum, uſus eſt more ſuo. Nam Rex Antiochus benigne eum excepit, & comiter, imo blande, ut erat ſervili ingenio, quemadmodum diximus, & voluit etiam oſculum porrigere. Repudiavit omnia illa officia Popilius, & juſſit faceſſere privatam familiaritatem. Verſatus cum eo fuerat familiariter Antiochus quum eſſet obſes Romæ, patre vivo. Ille autem rejecit illas omnes Regis blanditias. Poſtea expoſuit illi Senatus mandata, & juſſit ut ſtatim diſcederet ex Ægypto. Rex dicit ſe conſideraturum cum amicis. Ille autem, ut nihil poterat remittere è ſolita auſteritate, circulum duxit ſua virga, quam geſtabat manu, & juſſit Regem vocare ſuos Conſiliarios, & illic eodem articulo temporis deliberare, alioqui ſe bellum adferre. Rex quum videret illum hominem barbarum tam præciſe agere, non auſus eſt amplius tergiverſari, & dixit ſe fore in poteſtate Senatus, & ſubito diſceſſit. Hæc hiſtoria nunc deſcribitur ab Angelo. Nondum res geſta erat, ſed Deus propoſuit ante oculos piorum id quod tunc occultum erat, & quod erat etiam præter omnium opinionem. Reddit igitur cauſam Angelus, cur illa expeditio Antiochi diſſimilis proximæ futura eſſet: *quoniam venient*, inquit, *naves Cithim*, id eſt, Italicæ, *& dolebit, & revertetur*, hoc eſt, parebit quamvis indigne ferat tam imperioſe ſecum agi, & ſe cogi in ordinem non ſine ignominia. Erat enim hoc indignum Rege, tam ſerviliter ſe dejicere ad verbulum unum. Hinc indignatio, *ſed tamen revertetur, & indignabitur contra fœdus ſanctitatis*, hoc eſt, convertet ſuam rabiem in templum Dei, & urbem. Et hic ſecundus reditus longe plus cladis intulit Judæis, quam prior. Noluerat quidem reverti Antiochus in patriam, niſi præda aliqua ditatus, quum ſimulaſſet pacem, ſed nunc quum coactus eſſet abire cum tanta contumelia, exarſit in majores furias. Et ideo atrocius ſe geſſit in populum Dei, & templum ejus. Et ideo dicit Angelus, *indignabitur contra fœdus ſanctum, & faciet & revertetur*. Secundo loco repetit idem verbum, quaſi diceret, rebus infectis Antiochum venturum in Syriam, quia parebit Senatui Romano, vel potius veteri ſuo patrono quem coluerat. Cæterum, diximus & fuſius poſtea explicandum erit, cur Angelus prædicat Regis furorem converſum iri *adverſus fœdus ſanctum*, ne ſcilicet labefactetur fides piorum, ubi videbunt tantum divinitus concedi tyranno, ut templum ſpoliet. Poſtea adjungit, *Et intelliget ad deſertores fœderis ſanctitatis.* Modum etiam Angelus deſignat, quod ſcilicet occultæ erunt pactiones inter Antiochum & inter apoſtatas, qui deſerent ſanctum Dei fœdus. Conſtat autem accitum fuiſſe Jeroſolymam ab Jaſone primum, deinde à Menelao. Ego breviter perſtringo quæ ad hiſtoriam pertinent. Nam hinc inde colligo quæ extant paſſim apud profanos ſcriptores, ſed totus liber Machabæorum huc ſpectat, ut nobis ſtatuat ante oculos quæcunque Angelus hic prædicit. Ergo quiſquis volet cum fructu legere hæc vaticinia, neceſſe eſt ut ſe exerceat in libris illis, & memoriter etiam teneat
totam illam hiſtoriam. Onias ſenior erat vir ſanctus: 2 Mach 3.
de filio prius dictum fuit. Ille enim ut ſe eximeret verſ. 2.
ab inſidiis profectus eſt in Ægyptum, & templum extruxit, quemadmodum narrat etiam Joſephus, & prætexuit locum illum Jeſaiæ, Erit altare Deo in
Ægypto. Onias autem ſenior, qui functus fuerat 2 Mach 4.
ſancte & fideliter munere Sacerdotali, coactus fuit v. 33, 34.
fugere: tandem interfectus eſt. Jaſon qui ab ipſo 2 Mach 4.
miſſus fuerat ad placandum Antiochum, ſacerdotio verſ. 7.
ſe ornavit, prodidit templum & totam gentem ſuam una cum cultu Dei. Poſtea retulit mercedem qua di-
gnus erat. Fuit enim ipſe quoque occiſus. Mene- 2 Mach 4.
laus iterum ſucceſſit, & captavit gratiam Antiochi. v. 26, 27.
Auctoritas autem Sacerdotii tantum poterat, ut qui & 5: 8.
erat in illo gradu, ſecum traheret magnam partem populi. Ergo hic prædicit Angelus Antiochum ubi in urbem veniet, habiturum ſocios ex apoſtatis & deſertoribus. Quoniam ergo *adjiciet animum*. Ad verbum eſt, intelliget *ſuper deſerentes fœdus ſanctitatis*, ſed ſenſus minime obſcurus eſt, quod ſcilicet Antiochus non geret palam bellum contra Judæos, ſed quia una factio obviam prodibit, & aucupabitur ipſius favorem. Poſtea ſequitur. Ego breviter hæc percurro, quia poſtea ubi ad ſummam rerum ventum fuerit, commodius tunc elicere licebit doctrinam generalem. Dicit poſtea Angelus,

31. Et brachia ab ipſo ſtabunt, & profanabunt ſanctuarium roboris, (*aut virtutis*) & abolebunt juge, (*ſacrificium ſcilicet*) & ponent abominationem quæ obſtupefaciet. (*de hac voce jam ante diximus*)

32. Et impie agentes *contra* fœdus abducet in errorem blanditiis, (*hoc eſt, pervertet magis ac magis blanditiis*) & populus intelligentes (*id eſt, quicunque ex populo cognoſcent*) Deum ſuum roborabuntur & facient.

Hic deſcribit Angelus Inteſtina Eccleſiæ mala, & clarius explicat quæ breviter proximo verſu attigit. Dicit ergo *brachia ex parte Antiochi ſtatura eſſe*. Quidam de præſidiis exponunt quæ Jeroſolymæ impoſuit ille tyrannus. Sed hoc videtur nimis eſſe contortum. Ego igitur non dubito quin Angelus contexat ſermonem ſuum de apoſtatis & Legis deſertoribus. *Stabunt* igitur *ab ipſo brachia*, hoc eſt, non propriis opibus pugnabit, ſed fretus auxiliis ipſius populi. Multi enim ſeſe offerent ad obſequium. Ergo reperiet Antiochus Jeroſolymæ propriam ſectam, quæ libenter ſe proſtituet ad ejus arbitrium. Poſtea adjungit, *Profana-*

fanabunt ſanctuarium virtutis. Hic Antiochum & impios apoſtatas ſimul conjungit Angelus. In gratiam igitur Antiochi dicit pollutum iri templum, 2 Mach. 6. verſ. 2. quod impletum fuit, ubi erecta fuit ſtatua Jovis Olympii. Poſtea longius graſſata eſt tyrannis, & violentia Antiochi, ut ſuo loco videbimus. Sed ut cultum Dei everteret induxit io templum ſtatuam Jovis Olympii: deinde alias corruptelas quibus vitiavit purum Dei cultum. Poterat uno momento totam Legem evertere: ſed hoc principiò tentavit ut miſceret multas ſuperſtitiones Legi Dei, atque ita paulatim Judæos abduceret à vera & ſincera pietate. Vocat autem Angelus *Sanctuarium potentiæ*, ut fideles reputent Antiochum non eſſe Dei victorem, quia nihil decedet potentiæ Dei, qui templi ſui & præſes, & cuſtos uſque ad illud tempus fuerat. Tribuit igitur hoc epitheton templo, ut pii agnoſcant Deum non ceſſiſſe violentiæ tyranni, ſed ſtare integram & illibatam ejus virtutem, quamvis templum expoſitum eſſet tam fœdis ludibriis. Denique voluit fideles retinere in hac doctrina, invictam eſſe Dei potentiam, qui ſibi templum illud elegerat inſtar domicilii, quamvis ad tempus ita inſoleſceret Antiochus, & templum una cum impiis profanaret: perinde acſi juberet pios oculis fidei reſpicere in potentiam Dei, quæ tunc erat abſcondita, & quam impii pro ſua ſuperbia pedibus calcabant. Fuit ſane illud ſpectaculum pluſquam triſte quum ſtatua erecta eſſet in templo. Deus enim, quemadmodum dictum fuit, promiſerat ſe fore tutorem illius montis ſacri. Quum ergo ita impii proterve inſultarent, quis non putaſſet Deum eſſe victum, nec poſſe amplius locum ſuum tueri? Ergo hic Angelus jubet fideles aliud ſtatuere cum animis ſuis, quam oculis aſpiciant, nempe ſanctuarium quod tunc erat debile, & quod exutum erat omni ſuo præſidio, tamen eſſe ſanctuarium virtutis, idque Dei reſpectu. Poſtea adjungit, *Et abolebunt juge ſacrificium:* quod etiam factum eſt: ſed breviter hæc ſingula perſtringo, quoniam tandem licebit tempeſtive ſummam colligere. *Et ponent*, vel ſtatuent, *illam abominationem quæ obſtupeſcere faciet.* Nam quis oon fuiſſet attonitus quum videret templum derelictum eſſe à Deo? Nam ſi Deo curæ erat religio illius templi, cur non obſtitit tanto furori? Cur paſſus eſt ſeipſum affici tam indigna contumelia? Ergo his tentationibus Angelus occurrit, & dicit, etiamſi obſtupeſiant optimi quique tanto probro, tamen nihil fortuito contingere. Nam Deus jam hæc omnia præviderat, & decreverat etiam. Neque enim prædicta fuerunt, niſi quia voluit Deus probare ſuorum fidem, deinde pœnam exigere de ingratitudine populi. Sed non poſſem hodie abſolvere.

Da omnipotens Deus, ut inſtructi virtute Spiritus tui, deinde ut armati etiam ſacra tua doctrina, non tantum fortiter bellum geramus cum apertis hoſtibus, & qui palam religionem veram impetunt, ſed ſimul etiam conſtanter ſpernamus omnes hoſtes domeſticos, & apoſtatas, & illis viriliter reſiſtamus, neque unquam turbemur, etiamſi contingat tumultus varios exoriri in tua Eccleſia: ſed defixis in te oculis, ſemper expectemus lætiorem exitum, quam nunc appareat, donec tandem impleas quod pollicitus es, nempe ceſſura nobis in ſalutem quæ hodie contraria videntur, ubi apparuerit Redemptor noſter Filius tuus, Amen.

PRÆLECTIO SEXAGESIMA PRIMA

IN

D A N I E L E M.

Diximus poſtrema lectione quam ſerio examine probaverit Deus ſuorum fidem, quum tantum licentiæ permiſit Antiocho ut templum pollueret, & ad tempus aboleret ſacrificia & totum cultum: deinde ſtatueret abominationem in medio templo, quæ ſtupore dejiceret omnes pios, quoniam prodigium illud non poterat conſpici quin omnes attoniti eſſent, quia nemo putaſſet fieri poſſe, ut Deus tanto probro exponeret ſanctuarium ſuum, quod unum in toto orbe elegerat. Nunc ſequitur, *Et tranſgreſſores fœderis decipiet blanditiis, verum populus cognoſcentes Deum ſuum roborabit ſe & faciet.* Hic clarius exprimit Daniel quod prius dixerat de corruptela cultus Dei, adeoque everſione, nempe quoniam Antiochus blande ad ſe alliciet homines perfidos, qui tamen erunt ex populo Dei, titulo tenus ſcilicet. Atque ita repetit quod prius vidimus. Fuerunt enim hypocritæ quaſi brachia Antiochi, quia etiamſi vi & armis cepiſſet urbem, non tamen auſus fuiſſet tantas contumelias inſerre templo Dei, niſi adjutus ab illis apoſtatis, qui jam abjecerant omnem timorem Dei, & quos ſola ambitio & avaritia impellebat, ut ſeſe conjungerent cum illo impio tyranno, qui manifeſtus erat ac profeſſus hoſtis religionis. Confirmat igitur hic Angelus quod ante dixerat, nempe ſceleratos qui impie agent in fœdus, ſatellites fore latronis. Nam deducitur vox à *Raſſa*, ſed intelligit eos qui ſcelerate ſe gerent contra fœdus Dei. Hoc autem refertur ad hoſtes inteſtinos, qui ante jactaverant ſe eſſe filios Abrahæ, & qui ſignum fœderis in corporibus ſuis geſtabant, nempe Circumciſionem. Neque etiam hic deſignat quoslibet è media & contempta plebe, ſed impios Sacerdotes, quemadmodum expoſitus fuit locus de Menelao, & Jaſone, & ſimilibus. Dicit autem *hos deceptum iri blanditiis ab Antiocho.* Neque enim dubium eſt quin obtulerit & Sacerdotibus, & aliis quæ putabat poſſe eſſe alicujus momenti apud eos, nempe ut unum templo præficeret, alterum vero lactaret vanis & fallacibus promiſſis uſque ad tempus, inter alios diſtribueret varia munera. Sic factum eſt, ut ſuis blanditiis eos omnes corrumperet. Opponit autem Propheta ſinceros Dei cultores, & ו copula hic in adverſativam reſolvi debet. Poſtquam enim dixit multos deceptum iri vanis promiſſis, & illos vocavit fœderis tranſgreſſores, nunc adjungit, *Atqui populus qui cognoſcent Deum ſuum roborabunt ſe, & facient.* Significat ergo Angelus, eorum de quibus loquutus eſt perfidiam non tanti fore apud pios, ut ipſi quoque rapiantur in ſocietatem ſcelerum, vel ſeſe projiciant in eaſdem decipulas. Quamvis ergo talis erit perfidia in defectoribus, tamen *quicunque cognoſcent Deum*, illi, inquit, *ſeſe roborabunt.* Locus hic apprime notatu dignus eſt, quoniam experientia etiam docet, pauciſſimos ſtare in ſuo gradu, ubi multi deficiunt. Nam unus centum fere trahit in eandem ruinam: centum autem vix poterunt unum retinere ſua conſtantia. Et in ea re perſpicimus quanta ſit ingenii noſtri pravitas. Nam ad minimas quaslibet auras non tantum movemur, ſed concutimur: ubi autem Dominus materiam firmitatis nobis oſtendit, non tamen deſinimus vacillare. Apoſtolus quum proponit nobis ſanctorum exempla, dicit nubem teſtium Hebr. 12. verſ. 1. nobis verſari ante oculos, quæ nos retineat in timore Dei & pura fidei confeſſione. Atqui mox illa nubes evaneſcit nobis. Interea autem ſi quis nebulo, quem ante cognovimus eſſe hominem nihili, quem damnavimus ore noſtro, vel tantillum declinet à recta via, putamus illud exemplum ſufficere nobis ad excuſationem. Itaque non abſque cauſa dixi, hac in

parte

parte patefieri quam perverſo & maligno ſimus ingenio, qui multis adjumentis vix poſſumus trahi ad Deum, rapimur autem vel minimo flatu ad diabolum in perniciem noſtram. Ergo diligenter expendere convenit hunc locum, & aſſidue meditari, ubi dicit Propheta, Quamvis apoſtatæ blanditiis decepti, cultum Dei repudient, prodant Eccleſiam & pietatem abnegent, tamen ſtaturos in fide omnes pios. Non eſt igitur quod quiſquam obtendat exempla levitatis, quo ſuam culpam tegat, ſi imitetur homines perfidos & duplices, vel hypocritas, quoniam hic nobis depingit Angelus Eccleſiæ imaginem quum dicit multos quidem fore defectores, ſed tamen eorum levitatem & inconſtantiam, imo perfidiam non fore obſtaculo filiis Dei, quo minus proſequantur fidei & pietatis ſuæ curſum. Sed notandum etiam eſt epitheton quo pios ornat, quum dicit, *populus cognoſcens Deum ſuum.* Poſſet nomen populi trahi ad ipſum vulgus, ſed illud eſſet coactum. Poſſet etiam ſimpliciter opponi profanis gentibus: ſed puto hic ſubeſſe obliquam antitheſin inter veros & genuinos Abrahæ filios, & inter falſos Iſraëlitas, qui ſeſe jactabant eſſe membra Eccleſiæ, quum tamen nihil haberent præter inanem titulum. Nam apud Prophetas, ſicuti apud Moſen nomen populi ſæpe accipitur in bonam partem, pro gente illa electa, quam Deus ſcilicet adoptaverat in peculium. Iſraëlitæ omnes qui ex Abraham erant progeniti ſecundum carnem, plenis buccis gloriabantur ſe eſſe populum electum, ſemper nomen populi illis erat in ore. Hic autem Propheta perſtringit ſtultam jactantiam eorum qui ſolebant ita prætexere Dei nomen, quum tamen nihil in ipſis ſolidum eſſet. Ergo *populus qui cognoſcens Deum ſuum*, hoc eſt, populus Dei, *ſeſe roborabit*, ſed per correctionis ſpeciem adjungit, *qui cognoſcens Deum*, quemadmodum Pſalmo ſeptua-
Pſal. 73. geſimo tertio, Quam bonus Iſraëli Deus his qui
verſ. 1. recto ſunt corde. Reſtringit illic Propheta nomen Iſraëlis ad electos Abrahæ filios, nempe qui pietatem ſerio & ex animo colebant, quoniam illud in conſuetudinem venerat, ſecure Dei nomine abuti. Sic ergo nunc, *Populus qui cognoſcens Deum ſuum*, qui etiam iidem ſunt verus populus, hoc eſt, quos Deus agnoſcit pro ſuo electo populo. Diſcernit hoc modo Angelus inter carnales filios Abrahæ, & inter pios Dei cultores. Jam hoc etiam obſervatu dignum eſt, dum cauſam & quaſi fundamentum conſtantiæ aſſignat Angelus in cognitione Dei. Quomodo igitur fiet, ut ſint aliqui reſidui, ubi apoſtatæ ſeſe ita proſtituerint? Nempe quia cognitio Dei prævalebit, ut ſuperent hos inſultus, vel fortiter repellant, neque ſuccumbant ullis tentationibus. Videmus ergo ubi poſita ſit noſtra fortitudo, nempe in Dei cognitione. Cognitio autem hic non tantundem valet ac frigida imaginatio, ſed accipitur pro fide quæ radicem vivam egit in cordibus. Hinc ſequitur, non cognoſci vere Deum à nobis, niſi ubi fortiter pugnamus dum ad experimenta veniendum eſt, & manemus firmi & ſtabiles; quamvis Satan diverſis machinis fidem noſtram labefactare conetur. Niſi ergo perſtamus in illa firmitate, quæ hic nobis deſcribitur, certum eſt nunquam vere & ſolide cognitum à nobis fuiſſe Deum. Et relativum etiam pondere non caret, quum dicit, *Populus qui cognoverint Deum ſuum.* Eſt enim hic tacita exprobratio, quoniam Deus ſeſe patefecerat Iſraëlitis quantum ſatis erat ad ipſos retinendos. Nemo igitur excuſationem obtendere potuit, quin reus eſſet impiæ & ſacrilegæ perfidiæ, poſtquam ita familiariter in Lege & Prophetis edoctus fuerat. Jam accommodanda etiam eſt ad tempus noſtrum hæc doctrina. Hodie videmus quam multi ex Eccleſia diffluant. Probatio enim cribrat eos omnes qui profitentur ſe eſſe Chriſti: multi autem excutiuntur tanquam paleæ, & exigua portio manet. Ne igitur fidem noſtram evertat eorum defectio, qui ita leviter pietatem abnegant vel illecti blanditiis Satanæ, vel ab improbis decepti: veniat nobis in mentem quod hic dicit Angelus, nempe veram Dei cognitionem fore victricem in cordibus noſtris, ut pergamus nihilominus in curſu noſtro. Atque ut conſtanter fideles magis ac magis proficiant in Legis & Euangelii doctrina, dicit, *fortificabunt ſe, & facient.* Hic Facere accipitur pro Exequi, *exploicter* quod dicimus Gallice, quaſi diceret, Animos colligent ut fungantur ſuo munere. Nam facere, vel exequi refertur ad vocationem piorum. Ergo ne pigri ſint vel ſegnes in officio (inquit Propheta) in his certaminibus robur colligent. Et unde? Ex cognitione Dei. Videmus ergo fidem non eſſe rem otioſam, vel frigidam imaginationem, quæ jaceat ſuffocata in animis noſtris, ſed eſſe operatricem, ut ita loquar, quoniam ex fide robur, ex robore autem exequutio, ne ſcilicet tardi ſimus in noſtra vocatione. Sequitur,

33. Et intelligentes populi (*hoc eſt, qui docti erunt in populo*) docebunt (*ad verbum, intelligere facient*) multos: (*quidam Maſkilim tranſitive accipiunt, ſed falluntur, & coarguit ipſorum inſcitiam quod poſtea ſubaudiunt in verbo Jabinu, relativum: Et qui docebunt. ſimplex ergo ſenſus eſt, Qui intelligentes erunt in populo, docebunt multos*) & cadent in gladio, & flamma, & exilio, (*vel captivitate*) & direptione, diebus multis.

34. Et in cadendo ipſos, (*quum ipſi cadent*) juvabuntur auxilio (*ab eadem radice duæ iſtæ voces veniunt, fortificabuntur fortitudine, juvabuntur auxilio*) modico: & adjungent ſe illis multi in blanditiis.

Hic Propheta edoctus ab Angelo prædicit inter multos apoſtatas fore tamen quoſdam diſſimiles qui retinebunt populum in puro cultu Dei & timore. Nec dubium eſt quin ſpecialiter loquatur de Sacerdotibus. Major pars deſciverat, imo trahebant in ſcelerum ſuorum implicationem ſtultum vulgus, ut hodie videmus in Papatu corruptum eſſe totum mundum à Sacrificis. Tunc igitur Sacerdotes tendebant laqueos plebi, ut omnes fere ſecum abſtraherent in eandem impietatem. At vero hic Angelus dicit fore tamen aliquos in populo intelligentes. Quanquam non præciſe reſtringo hoc ad Sacerdotes, ſed tamen non dubito quin Angelus ab ipſis incipiat. Erat exigua portio eorum, qui vere docerent, ſicuti has partes injunxerat illis Deus, ſed tamen Angelus prædicit fore aliquos reſiduos. Tamen poſtea ſecundo loco comprehendit etiam alios, qui vere erant edocti in Lege Dei: & quamvis non obſtringeret eos ſacerdotii neceſſitas, tamen ſtudebant revocare in viam ſalutis errantes. Dicit igitur: *Quicunque erunt periti docebunt multos*, inquit. Cæterum hoc etiam loco ſubeſt aliqua antitheſis inter probos Dei ſervos & illos fictitios doctores, qui titulis ſuperbiebant, quemadmodum hodie cernimus idem exemplum in Papatu. Nam inſolenter exultant tam Epiſcopi quam Cardinales, deinde Abbates & quiſquiliæ illæ, ac obſtupefaciunt miſerum vulgus. Quid? Nos ſumus repræſentativa Eccleſia, & penes nos eſt judicium & interpretatio Legis, & Scripturæ. Quemadmodum ergo hodie nebulones illi ſibi arrogant quicquid eſt ſcientiæ, & volunt etiam cenſeri Angelis æquales, ita ſcimus fuiſſe factum in veteri populo. Propheta autem hic ſubſannat ſtolidam illam confidentiam, ac dicit, *Qui intelligentes erunt in*

populo, hoc eſt, qui vere ſapient, quaſi diceret exiſtimatiunem illos larvatos Præſules ſibi acquirere, ſed ſine ratione ulla: coram Deo autem reputari demum intelligentes, qui manent in pura Legis doctrina: deinde qui colunt ſimpliciter pietatem, & abſque ullo fuco. Ergo tales vocat *intelligentes populi*. Iterum repetit nomen populi, & eodem ſenſu, quaſi diceret, non omnes qui ſibi nomen uſurpant coram Deo, eſſe veros Iſraëlitas, ſed requiri ſimul veram ſcientiam. Qualis autem illa ſit ſcientia vel prudentia ex proximo verſu facile colligitur. Nam vanitas eſt quicquid ſcire ſe homines exiſtimant abſque notitia Dei. Illi ergo *docebunt multos*. Angelus porro hic non tantum prædicit fore aliquos in populo, qui maneant conſtantes inter graves illos inſultus, & conſiſtant firmi in fide, ſed dicit etiam aliis fore rectores, quaſi diceret, Deum ſuis electis daturum, ut non modo quiſque fortiter reſiſtat, & ſeſe conſervet purum & impollutum contra omnes corruptelas, ſed ſimul eos qui tales erunt, aliis fore adjutores, ne ſcilicet declinent, vel ſi declinaverint, ut reducant eos in viam. Denique hic ſignificat Angelus, quamlibet exiguum ſemen Deus conſervet in Eccleſia ſua, tamen fore paucos aliis doctores & *Jeſa. 10. verſ. 22.* magiſtros, quemadmodum dicit Jeſaias cap. 10. Deus conſumet, inquit, populum ſuum: ſed conſumptio illa aliquid reſiduum habebit, & deinde exundabit. Eadem eſt ſententia hujus loci, nempe etiamſi multi & degenerent, & prorſus deſciſcant à fide, imo fere totus populus, tamen ubi ſtabunt pauci quidam, hoc eſt, decem ex mille, illos fore Dei miniſtros, ut colligant adhuc novam Eccleſiam, quoniam ſua irrigatione efficient, ut terra, quæ prius erat ſterilis, producat novum aliquod ſemen. *Docebunt* igitur *qui erunt intelligentes in populo multos*, inquit. Quanquam autem hic prædicit Angelus quod futurum erat, hinc tamen colligere admonitionem oportet, nempe ut quiſque noſtrum magis profecit in fide, ita etiam magis obſtringi ad ſtudium hoc de quo loquitur Angelus, nempe ut proximos ſuos magis rudes vel imperitos doceat. Neque enim Deus nobis manum porrigit, ut quiſque ſeorſum ſequatur, ſed etiam ut alios adjuvet, & ſtudeat ſecum adducere. Videmus ergo damnari eorum ignaviam, quibus Deus plus ſcientiæ & fidei contulit, ubi non conferunt in fratrum ſuorum ædificationem quod apud ipſos depoſuit. Nam hæc Angeli prædictio inſtar legis & regulæ valere apud nos debet, ut ſcilicet pro modo intelligentiæ ſuæ ſtudeat quiſque prodeſſe fratribus ſuis. Adjungit Angelus non fore hos doctores umbratiles, qui in otio præſcribant quid agendum ſit, & diſputent ſine diſcrimine & ſine periculo, vel moleſtia quid ſit rectum, quid Deo placeat, ſed ſimul fore ſtrenuos bellatores. Hic ergo conjungit Angelus doctrinam cum fortitudine, quæ ſuperet omnes periculorum metus ac terrores. Hic locus hodie nobis pluſquam utilis eſt, modo diſcamus expendere quid Deus nobis tradat per Angelum & Prophetam ſuum. Nam in ſumma Angelus demonſtrat non alius probari coram Deo doctores pro veris & legitimis, niſi qui in procinctu aſſerunt ipſam doctrinam, hoc eſt, qui parati ſunt ſuo ſanguine eam obſignare quoties opus erit. Hæc igitur conjunctim legenda ſunt, quod *docebunt Dei cultum multos, & ſimul cadent in gladio, & flamma*, hoc eſt, etiamſi cadendum ſit, aut pereundum centies vel gladio, vel flamma, ne tamen deſiſtant ab officio docendi. Cæterum hic ponit varias ſpecies mortis Angelus, exhortationis cauſa, quia ſi tantum dixiſſet *in gladio*, non expreſſiſſet quod utile eſt cognitu, nempe quos Deus præfecit doctores Eccleſiæ ſuæ, non tantum in hoc probari in munere ſuo exequendo, ſi ſuperent unum genus tentationis, ſed etiam ſi à dextris & ſiniſtris ſit pugnandum, ne tamen ideo debilitent varia pericula eorum conſtantiam & fortitudinem. Si igitur ab una parte immineant gladii, deinde ſi ignes accenſi ſint, ſi direptio bonorum, ſi exilia hinc inde minentur, ut nihilominus pergant doctores in curſu ſuo. Videmus ergo multiplices conflictus hic numerari ab Angelo, ut doceat tantam fore gratiam Spiritus in fulciendis doctoribus & magiſtris Eccleſiæ, ut non ſuccumbant ullis tentationibus, quamvis pugnandum ſit & cum gladio, & cum igne, & cum exilio, & cum direptione bonorum. Adjungit, *uſque diebus multis*. Et hæc circumſtantia magnum pondus in ſe continet, quia videmus multos ad tempus ſatis virili eſſe & intrepido animo, poſtea langueſcere, & tandem evaneſcere, ut fiant prorſus ſui diſſimiles. Angelus autem hic promittit fore inſuperabilem conſtantiam eorum qui ſuſtinebuntur Dei Spiritu, ita ut non uno tantum die, vel menſe, vel anno certent, ſed ſubinde colligant animos ad nova certamina, neque unquam deficiant. Poſtea addit, *Et quum illi cadent*, vel quum ceciderint, *fortificabuntur*, vel adjuvabuntur, *auxilio parvo*. Non dubium eſt quin Angelus loquatur hic de Machabæis, quorum opera collecti fuerunt fideles, ut ſe disjungerent ab illis apoſtatis qui prodiderant & templum & cultum Dei. Vocat *auxilium parvum*, ut revera fuit. Quid enim poterant Machabæi Antiochi reſpectu? Scimus quanta fuerit potentia illius Regis. Quid enim erat Judæa præ regno Syriæ? Deinde Judæi ſeipſos perdiderant, quoniam illi fœdifragi, de quibus ante viſum eſt, corruperant multos ex plebe: nulla erat amplius ratio, nullum conſilium, & nullus conſenſus. *Parvum* igitur *fuit illud auxilium*, quod Deus ſuis attulit. Sed tamen ſignificat Angelus Deum opem laturum ſuis laborantibus, ita ut aliquid levationis tandem ſentiant à ſævitia tyranni. Poſtea addit, *Adjungent ſe illis multi per blanditias*. Adhuc Angelus reſecat ex parvo illo numero majorem partem, & ita admonet quam miſera ſit futura Eccleſiæ conditio, quoniam pauciſſimi audebunt ſe opponere tyranni amentiæ, deinde ex paucis illis multi tamen hypocritæ erunt. Etſi autem totum hoc caput non aliter poteſt accipi quam de Antiocho, tamen non dubium eſt quin Deus etiam nobis conſulere voluerit in his vaticiniis. Ergo ad nos etiam pertinent, quoniam etſi Deus varie gubernat ſuam Eccleſiam, tamen ſemper continet eam ſub cruce & ſub variis tentationibus, deinde idem hoſtis qui olim Eccleſiam oppugnavit, adhuc nobis moleſtus eſt, nempe diabolus. Partim autem nos aggreditur per hoſtes manifeſtos, partim vero per domeſticos. Ergo non tantum veteribus utilis fuit hæc doctrina, ſed ad nos etiam hodie pertinet. Primo igitur quum prædicit Angelus *adjutum iri auxilio parvo fideles*, diſcamus etiam ubi Deus nobis ſuccurrere vult atque opitulari, tamen non ſemper exerere plenam ſuam virtutem, ut fulminet è cælo, proſternat primo impetu hoſtes noſtros: ſed pugnare ſub ſpecie crucis, ita ut longe ſimus impares reprobis ad reſiſtendum. Jam ſecundo membro notandum eſt, fieri non poſſe quin multi hypocritæ fallaciter ſe permiſceant filiis Dei, etiam ubi Deus Eccleſiam ſuam ſic purgat, ut maneat tantum exigua portio, quemadmodum hodie hujus vaticinii experimentum nobis verſatur ante oculos. Totus Papatus vocatur Dei Eccleſia, nos pauci numero ſumus: inter nos qualis eſt mixtura? Quam multi nomen hodie dant Euangelio, in quibus tamen nihil eſt firmum, nihil ſincerum? Quod ſi parvas Eccleſias Deus examinet, tamen inter paucos adhuc multi erunt fallaces. Nunquam aliter factum eſt, neque continget etiam aliter uſque ad finem mundi. Et hinc etiam monemur quantum in nobis eſt, ſtudendum eſſe puritati Eccleſiæ, ne ſcilicet hinc inde coacervemus multas ſordes, quia ubi appetimus nimis cupide auxilia, ubi neceſſitas aliqua nos urget, certe contrahimus multas maculas, quæ tandem nos obruent. Et non dubium

bium eſt quin hic Angelus perſtringat vitium quod fuit in Machabæis. Quamvis enim eos excitaverit Deus, ut aliquid ſolatii afferrent Eccleſiæ ſuæ, non tamen probandum eſt quicquid fecerunt, quia etſi ſuſceperant & piam & ſanctam cauſam, non ſequitur tamen eos omnia recte egiſſe. Sed hac de re craſtino die dicendum erit.

Da omnipotens Deus, quando hodie tot probationibus examinas tuorum fidem, ut etiam robores eos invicta Spiritus tui fortitudine, quo conſtanter militemus ſub vexillo tuo uſque ad finem, neque unquam ſuccumbamus ullis tentationibus: & ita etiam conjungamus intelligentiam cum zelo ædificandæ Eccleſiæ tuæ, ut quo quiſque majoribus donis præditus eſt, ſimul etiam fortius & virilius, & majore ardore incumbat ad ædificationem fratrum ſuorum, ac quiſque alios colligere ſtudeat, & quamvis imminuas eorum numerum, qui profeſſi ſunt ſe eſſe membra Eccleſiæ tuæ, tamen ut ſemen aliquod maneat, deinde ex ſemine illo profluat major abundantia, & proveniat talis ubertas, ut glorificetur nomen tuum per univerſum orbem, in Chriſto Jeſu Domino noſtro, Amen.

PRÆLECTIO SEXAGESIMA SECUNDA IN DANIELEM.

COEpimus heri exponere quod dicit Angelus de futura Eccleſiæ perſequutione, deinde etiam de ſolatio. Dicebat initio, quicunque eſſent in populo intelligentes, hos fore obnoxios ſævitiæ hoſtium, quia ſcilicet viriliter docerent alios. Admonuimus non ſufficere ſi doctores quos Eccleſiæ ſuæ Deus præfecit, munus ſuum exerceant in umbra & otio, niſi etiam parati ſint ad obeunda certamina, & vitam ſuam intrepide variis periculis exponant. Hæc igitur viva eſt & efficax docendi ratio, ubi inter gladios & ignes non tamen deſinimus fungi noſtris partibus. Sed altera etiam ex parte notandum eſt, tunc maxime quærendam eſſe doctrinam, dum ad tales conflictus ventum eſt. Multi hodie libenter audirent quod de Chriſto docemus, modo citra diſcrimen & moleſtiam. imo videmus pleroſque ſatis cupide arripere Euangelii doctrinam: ſed ubi aliquid turbæ movetur ſtatim diffugiunt, quemadmodum inconſiderate prius accurrerant. Quod nunc cernimus oculis, olim etiam uſitatum fuit. Nam certum eſt hoc vitium ſeculis omnibus regnaſſe: & quaſi ingenitum eſt hominibus non modo crucem fugere, & omnes moleſtias, ſed præcipue hac in parte detegere ſuam ignaviam, quia ſcilicet nihil periculi obire volunt pro Dei cultu & libera confeſſione veritatis. Notandus igitur eſt hic locus, ubi Propheta non tantum hortatur doctores & intelligentes ad alios docendos, ſed præſcribit infirmis & indoctis normam, ut ſcilicet ſeſe muniant contra tentationes, ubi viderint omnia turbari, & Satan machinabitur omnia ad interitum pietatis. Quum ergo ita loquitur Angelus, diligenter nobis notanda eſt temporis circumſtantia, quoniam hic non inſtituit ſcholam pacatam, quemadmodum Philoſophis facile fuit diſſerere de virtutibus extra omne certamen: ſed admonet docendum & diſcendum eſſe, etiam ſi variæ mortes oculis ſeſe objiciant. Poſtea loquitur, quemadmodum nuper dixi, de ſolatio. Sed ſignificat Deum ſuis electis laturum opem, quæ poſſit videri fere nullius momenti. Dicit enim *adjutum iri auxilio parvo*, quod etiam contigit. Nec dubium eſt quin Angelus deſignet

1 Mach. 2. verſ. 5. Mathatiam & filios ejus, quos vocarunt Machabæos. Et reſtringit adhuc illud auxilium, ubi adjungit multos fore ſimulatos in illo exiguo numero, nempe ut ſciamus quamvis redigenda eſſet Eccleſia ad paucitatem, non tamen omnes fore integros, ſed in magna parte fore multas fallacias, quas Angelus hic *blanditias* appellat. Hæc fuit graviſſima tentatio fidelibus, quum cernerent ſe & paucos & debiles, reſpectu hoſtium: deinde non auderent ſociis ipſis fidere, qui fidem dederant, ac mira fuerant polliciti, quoniam multi fallaciter blandiebantur, neque cauſam ſuſceperant ſincero animo. Diximus hanc doctrinam valde utilem eſſe noſtris temporibus, & debere etiam accommodari, quia idem nobis contingit quod veteribus. Videmus enim ex ingenti multitudine eorum qui Chriſtiani haberi volunt, pauciſſimos eſſe qui retineant purum Dei cultum & incorruptum, quoniam Papiſtæ habent ſtabulum fœdum & inquinatum omnibus ſordibus pro Eccleſia: illic tota pietas everſa eſt, vel contaminata multis ſuperſtitionibus. Sed in exiguo numero qui ſeſe ab idololatriis Papatus ſubduxerunt, major pars plena eſt perfidia & dolis. Præclarum quidem zelum ſimulant, ſi tamen intus excutias, reperies plenos eſſe fraudibus. Jam ſi Deus magis ad vivum examinet Eccleſiam ſuam, quemadmodum ante aliquot annos in Germania contigit, & poteſt etiam nobis contingere brevi, inter hos quoque ſerios conflictus, ac in tali perturbatione multi ſe venditabunt pro fortibus athletis quorum tamen zelus ſtatim diffluet. Ergo quum Dominus ſimilibus fere modis nos exerceat, quibus veterem Eccleſiam probavit, hæc doctrina ſemper nobis occurrat in memoriam, ne animi noſtri liqueſcant. Poſſet hoc loco quæri an Angelus probet quicquid ſuſceptum fuit à Machabæis. Poteſt enim hoc diſputari in utramque partem. Primo loco ſi quis velit pertinaciter ex verbis Angeli contendere, probatum fuiſſe Deo quicquid geſſerunt Machabæi, hoc parum erit firmum. Deus enim potuit miſeris Iſraelitis ſuccurrere per Machabæos, & tamen non ideo ſequitur ipſos bene & legitime egiſſe bonam cauſam. Et ſæpe hoc contingit, ut ipſi quoque fideles velint impendere operam ſuam Deo, & hoc unum habeant propoſitum, tamen labantur vel zelo inconſiderato, vel alia inſcitia. Quicquid ſit, ſæpe aliquid rectum agitur, neque tamen recte. Quantum ad Machabæos ſpectat, non dubito quin Deus Mathatiam excitaverit, qui colligeret diſſipatas reliquias, & reſtitueret Dei cultum, templum purgaret abominationibus, quas Antiochus erexerat: tamen ut in rebus turbulentis fieri ſolet, non dubito quin filii ejus in multis deliquerint. Sed juſta fuit cauſa quam agebant, utcunque particulares actiones non poſſint probari. Jam ſequitur,

35. Et ex intelligentibus cadent ad probandum (*vel examinandum: Zaraph, proprie ſignificat fundere*) in ipſis, (*hoc eſt, ad ipſos excoquendos*) & mundandos, (*vel purgandos, iterum*) & dealbandos uſque ad tempus finis, (*id eſt, finitum*) quoniam adhuc uſque ad præfixum tempus.

Proſequitur Angelus eandem ſententiam, nempe filios Dei, qui cordati erunt ad pietatis defenſionem, fore obnoxios multis & gravibus perſequutionibus. *Cadent* ergo *ex doctis*, hoc eſt, Non unius tantum momenti erit illa calamitas, ut qui animoſe ſtuduerint tueri verum Dei cultum, pereant ſub gladio,

per

per ignem & aliis modis, ſed poſtea ſucceſſores idem patientur. *Ex doctis* ergo *cadent*, quaſi diceret florem Eccleſiæ interiturum. Nam erant multæ quiſquiliæ in populo, & major pars ſtatim transvolavit ad defectionem, ubi religio aſſerenda erat proprio ſanguine. Pauci erant reſidui quos vocat intelligentes, ut heri dictum fuit, qui non ſapiebant ſecundum carnem. Hæc enim eſt carnis prudentia, ſibi & propriis commodis conſulere, cavere pericula, occurrere omnibus moleſtiis, ſed vocat intelligentes, qui obliti vitæ ſuæ, offerunt ſe Deo in ſacrificium, qui non gravantur ſe exponere omnium odiis, qui fortiter mortem oppetere parati ſunt. Florem igitur illum Eccleſiæ dicit periturum Angelus. Jam quis ſperaſſet aliquod nomen Dei fore in terris, quum omnes ejus ſinceri cultores ita jugularentur impune? Nam ſcimus ut graſſata fuerit tyrannis An-
1 Mach. 1. tiochi: nemo audebat hiſcere, libri omnes ſacri tunc exuſti ſunt, & putavit impius ille totum Dei cultum eſſe abolitum, quum mulieres promiſcue raperentur ad incendium una cum ſuis liberis, neque etiam parcerent tyranni ſatellites nutricibus, ex quarum mammis pendebant infantes. Quum igitur tanta ſævitiæ atrocitas graſſata fuerit illo tempore, quis non putaſſet totum ſemen Dei eſſe extinctum? Sed Angelus hic oſtendit diverſum fore finem, nempe *ut purgentur, ut mundentur ac dealbentur filii Dei.* Significat igitur adeo non fore exitiale quod ipſis continget, ut potius cedat ipſis in ſalutem. Hic etiam locus docet hanc eſſe coram Deo veram prudentiam, ſi patimur nos ad mortem potius rapi quam deflectamus à libera & ingenua cæleſtis doctrinæ profeſſione, & ab ipſo etiam cultu Dei. Hæc enim neceſſitas impoſita eſt filiis Dei, ut cadant ſive gladio, ſive igne, deinde ut bonis ſpolientur, vel trahantur in exilium. A fine autem ipſo demonſtrat Angelus, perſequutiones quæ videntur ſpectare in Eccleſiæ perniciem, prodeſſe tamen & eſſe ſalutiferas filiis Dei, nempe quia hoc modo *purgantur & mundantur & dealbantur.* Sed hinc etiam colligere oportet ſemper ſubeſſe aliquas fæces, ut ita loquar, in ipſis electis, imo in ſanctiſſimis Martyribus, quæ purgandæ ſint. Neque enim hic Angelus de hypocritis diſſerit, neque etiam de vulgo fidelium, ſed ſumit quod maxime ſplendebat in Eccleſiis, & quod erat perfectiſſimum: & tamen dicit talibus opus eſſe purgatione. Sequitur ergo nullos pollere tanta ſanctimonia & puritate, quin adhuc reſideant in ipſis aliquæ ſordes, quæ purgationem exigunt, ita ut ipſis neceſſe ſit tranſire per fornacem, & mundari inſtar auri & argenti. Hoc ad omnes Dei Martyres extenditur.

Unde etiam videmus quam inſulſe imaginentur Papiſtæ merita Sanctorum ad nos redundare, quoniam plusquam neceſſe erat præſtiterint. Nam hinc pendent Indulgentiæ, quas vocant, quia ſic ratiocinantur, Si Petrus defunctus fuiſſet ſuo fato, jam fideliter ſe geſſerat toto vitæ curſu: ergo meritus erat coronam regni cæleſtis: quum ultra progreſſus fuerit, & fuderit ſanguinem ſuum, aliquid igitur jam ſuperabundat, illud non debet eſſe inutile, ergo Petri & Pauli ſanguis prodeſt hodie nobis ad remiſſionem peccatorum. Hæc eſt theologia Papalis, neque vero pudet miſeros illos ſophiſtas tam craſſas blaſphemias & tam fœda ſacrilegia evomere. Atqui longe aliter hic pronunciat Angelus, nempe proficere ipſos Martyres, quum mortem oppetunt pro veritatis patrocinio, quia Deus *ipſos purgat, & mundat*, & excoquit, *& dealbat.* Hoc non diceret Angelus, niſi ſemper aliquid fæcis admixtum eſſet puritati ſanctorum. Hæc autem doctrina ſatis ſuperque nos animare debet ad omnes conflictus ſubeundos, ubi videmus nos occultis ſordibus plenos eſſe, vel ſaltem adhuc inquinatos: deinde ubi certo poſſumus ſtatuere mortem nobis profuturam hac in parte, quoniam ſcilicet Dominus nos vitiis, quibus adhuc polluti & infecti ſumus, purgabit. Et huc etiam valet repetitio, quia non ſimpliciter dicit Angelus *ad purgandos* ipſos, ſed addit, *ad mundandos, & dealbandos.* Qualiſcunque igitur ſanctitas refulgeat in optimis quibuſque, latent tamen in ipſis adhuc multæ ſordes & maculæ, & ſunt multa vitia, ideo ſemper utilis ipſis eſt perſequutio. Jam mitigat Angelus quod poterat videri valde acerbum, quum dicit *uſque ad tempus finis*, id eſt, uſque ad tempus finitum. Quibus verbis intelligit Deum fore propitium ſuis, ut non urgeat ipſos ultra modum, quemadmodum dicit Pau- 1 Cor. 10.
lus ipſum fidelem eſſe, ut det felicem exitum tenta- vers. 13.
tionibus, neque nos premat ultra vires, & menſuram ejus fortitudinis quam nobis contulit. Dicit ergo Angelus fore aliquem finem his malis, & confirmat hanc ſententiam quum dicit, *quia adhuc uſque ad tempus præfixum.* Sed hoc poſtremo membro ſignificat ſic temporarias fore perſequutiones, de quibus loquutus eſt, ut non ſtatim, vel poſt annum unum vel duos ceſſent. *Adhuc* ergo *uſque ad præfixum tempus*, hoc eſt, comparent ſe filii Dei ad nova prælia, neque promittant ſibi poſt finem anni metam. Sed ſi Deus tribus & decem & centum annis velit ipſos humiliare, ne tamen animos deſpondeant, ſed expectent tempus illis præfixum divinitus, neque præfigant ſuo arbitrio. Hæc ſumma eſt. Nunc ſequitur,

36. Et faciet ſecundum voluntatem ſuam (*vel libidinem*) Rex: & extollet ſe, & magnificabit ſe ſupra omnem Deum, & contra Deum deorum loquetur mirabilia, & proſpere aget uſque ad conſummationem iræ, quoniam deciſio facta eſt. (*vel deciſa eſt, nempe conſumptio*)

Locus hic valde eſt obſcurus, ideo etiam diſtrahitur ab interpretibus in contrarias ſententias. Nam fere quod obſcurum eſt etiam eſt ambiguum. Si referre velim omnium opiniones, nullus erit finis: deinde non magna erit utilitas. Ego igitur ſequar aliam rationem, hoc eſt, omiſſo illo ſupervacuo labore, tantum quæram quid voluerit Angelus. Tamen cogar breviter referre ſententias, quæ majori conſenſu receptæ, ſic occupant fere omnium animos, ut poſſint claudere januam veræ interpretationi. Judæi adeo inter ſe non conſentiunt, ut diſſidium quod eſt inter ipſus poſſit generare nobis & inducere tenebras potius quam adferre quicquam lucis. Nam alii de Antiocho exponunt, alii autem de Romanis, ſed alio modo quam poſtea dicam. Quantum ad Chriſtianos ſpectat, etiam magnopere inter ſe variant. Sed major pars huc inclinat, vaticinium hoc debere exponi de Antichriſto. Alii ſibi melius temperant, dum Antichriſtum quidem hic oblique notari tradunt, ſed tamen non debere excludi Antiochum, qui typus & imago fuit Antichriſti. Hæc poſtrema ſententia aliquid habet veriſimilitudinis, tamen nullo modo mihi probatur, & facile eſt eam refellere. Antiochus enim non ſupervixit diu ex quo templum polluerat, deinde quæ poſtea ſequentur nullo modo quadrant ejus perſonæ. Quantum ad filios ejus ſpectat, non poſſunt etiam hic ſubſtitui in ejus locum. Denique neceſſe eſt tranſitum facere ad alium Regem, quam fuerit Antiochus, vel etiam ejus hæredes. Quemadmodum jam dixi, quidam ex Rabbinis volunt intelligi Romanos, ſed carent prorſus judicio. Trahunt enim hæc verba ad Veſpaſianum & Titum filium ejus, & poſtea extendunt ad hoc uſque ſeculum, quod prorſus ratione caret, itaque garriunt duntaxat futiliter ſuo more. Qui autem de Antichriſto exponunt, habent vel obten-

dunt

dunt aliquid coloris, ſed nihil in eorum doctrina eſt firmum: & hoc toto orationis progreſſu melius videbimus. Videndum igitur nunc eſt, quemnam Regem hic ſignificet Angelus. Primum exiſtimo hoc totum de Romana Monarchia dici: regnum autem non incipio à Cæſarum Monarchia. Illud enim eſſet ineptum & intempeſtivum, ut videbimus. Et ita nomine Regis non puto certum hominem notari, ſed imperium illud, qualiter gubernatum fuit per Senatum, per Conſules, & Proconſules. Neque hoc abſurdum aut durum videri debet, quia antehac diſſeruit Propheta de quatuor Monarchiis, & quum verba de Romanis fecit, etiam illorum potentiam vocavit regnum, acſi unus quiſpiam dominaretur inter ipſos, deinde quum loquutus eſt de Monarchia Perſarum, non poſuit unum hominem duntaxat, ſed à Cyro pervenit uſque ad ultimum Darium, qui ab Alexandro victus fuit. Hæc igitur loquutio jam nobis trita eſſe debet ipſo uſu, nempe Regem poni pro ipſo regno. Quum ergo dicit Angelus, *Rex faciet*, jam non loquitur de Antiocho. Poſſet enim illud refelli ex hiſtoriis. Non loquitur etiam de uno certo homine. Nam ubi reperietur ille, qui ſeſe ita extulerit contra omnes Deos? qui oppreſſerit Dei Eccleſiam, qui palatium ſuum fixerit inter duo maria, & occupaverit totum Orientem? Hoc tantum competit in Romanos: deinde cras oſtendam clarius, quam pulchre & concinne omnia quæ hic refert Angelus, competant in Romanum imperium: & continua interpretatio melius, ſi quid eſſet adhuc vel obſcurum vel dubium, adducet in lucem, & confirmabit. Jam igitur hoc ſit poſitum, nempe Angelum vaticinari non de Antiocho, neque de uno aliquo Rege, ſed de nova Monarchia, nempe de Romano imperio. Cur autem Angelus ab Antiocho ad Romanos deſcendat, ratio in promptu eſt. Voluit enim Deus fulcire piorum animos, ne ſuccumberent tot & tam duris cladibus, quæ ipſos manebant, & totam Eccleſiam uſque ad Chriſti adventum. Non erat igitur ſatis prædicere quid futurum eſſet ſub tyrannide Antiochi. Nam poſtea religio magis ac magis peſſundata fuit, non tantum ab externis hoſtibus, ſed ab ipſo ordine ſacerdotali. Nihil enim fere manſit impollutum, quoniam eo uſque pervenerat ipſorum avaritia & ambitio, ut calcarent pedibus totam Dei gloriam, & Legem ipſam. Oportuit igitur fideles contra tot tentationum genera muniri, donec in medium prodiret Chriſtus, atque ita renovaret Deus Eccleſiæ ſuæ ſtatum. Non oportuit igitur tempus illud omitti, quod erat intermedium inter Machabæos & Chriſti manifeſtationem. Nunc conſpicua eſt ratio cur Angelus poſtquam de Antiocho diſſeruit, ad Romanos tranſiliat. Jam videndum eſt quid Romanis fuerit negotii cum electo Dei populo. Si enim tantum in Europa dominati eſſent, inutilis & intempeſtiva eſſet eorum mentio. Sed ex quo Reges Syriæ multis & continuis bellorum cladibus fuerant attriti, partim exteris, partim domeſticis, non poterant ut ſolebant nocere Judæis: tunc à Romanis ingeſtæ fuerunt novæ moleſtiæ. Scimus enim, quum ab una parte multi ſe jactarent Syriæ Reges, Romanos interpoſuiſſe ſuam auctoritatem, idque mala fide, ut ſibi Orientem ſubjicerent: deinde quum Attalus populum Romanum inſtituit hæredem, hinc factum eſt ut Aſia minor ab ipſis abſorpta fuerit. Dominati ſunt etiam Syris ex teſtamento ſtulti illius Regis, qui fraudavit legitimos hæredes, ut poſt mortem aliquid gratiæ vel memoriæ acquireret, ſi populus Romanus eſſet hæres. Ab eo tempore, quum ſuboluiſſent opulentiam illarum regionum Romani, non deſtiterunt quærere bellandi materiam. Et tandem Pompeius Syriam fecit provinciam, quum tamen Lucullus, qui ante geſſerat bellum cum Mithridate, Tigrani reſtituiſſet regnum. Pompeius, quemadmodum jam dixi, ſubjecit Syriam Romanis. Reliquit quidem templum intactum, ſed quam crudeliter egerit cum Iſraelitis, etiam conjici poteſt ex communi illius gentis more. Scimus enim quam clementer Romani tractaverint gentes devictas. Poſtea Craſſus qui erat omnium rapaciſſimus, quum multa audiviſſet de Judææ opibus, appetivit provinciam illam. Scimus enim ipſum, & Pompeium, & Cæſarem, quum adhuc amici eſſent, partitos fuiſſe orbem terrarum, ut Cæſari Gallia & Italia tota cederet, Pompeius autem duas Hiſpanias obtineret, & partem Aphricæ, & Siciliam, Craſſus ſibi optavit Syriam, & Orientales illas regiones, ubi miſere tandem periit, & caput ejus oppletum auro perlatum fuit per ludibrium huc & illuc. Secunda fuit calamitas in illo incurſu Craſſi: ab eo tempore multis bellis & fere continuis vexati fuerunt Judæi. Ante illud quidem tempus fœdus pepigerant cum Romanis, quemadmodum ſatis apparet non tantum ex libris Machabæorum, ſed etiam ex profanis ſcriptoribus. *1 Machab. 8. & 14.* Ideo etiam ille dicebat largitos fuiſſe ex alieno, quum aſſererent Judæos in libertatem. Sed hoc fuit illis ſolenne & perpetuum, ut initio comiter exciperent quicunque petebant cum ipſis ſocietatem & fœdus: deinde ipſos crudeliter obruerent. Sic actum fuit cum miſeris Judæis. Non abs re igitur Angelus de ipſis vaticinatur, poſtquam loquutus eſt de Antiocho. Atque hæc quidem omnia nunc breviter tenenda ſunt: deinde ex contextu melius nobis liquebit, non poſſe alios in hoc vaticinio intelligi, quam Romanos. Sed nunc venio ad verba: *Faciet*, inquit, *Rex ſecundum voluntatem ſuam*. Dixi perperam hoc reſtringi ad unius hominis perſonam, quia vaticinatur Angelus de continuo tractu Monarchiæ Romanæ. *Extollet ſe, & magnificabit ſe*, inquit, *ſupra omnem Deum*. Hoc poſtea iterum explicabitur, ubi dicet Regem hunc fore contemptorem omnium deorum. Sed quod ad præſentem locum ſpectat, ſciamus, quamvis tunc impietas & contemptus Dei pervagaretur totum orbem, hoc tamen non abs re de Romanis dici, quoniam tantum ex ſuperbia ſua judicium fecerunt, an colendus eſſet Deus hic vel ille. Et ideo ponet Angelus Deum *Maozim*, hoc eſt, fortitudinum vel munitionum. Locus ille, ut cras dicam, male expoſitus fuit. Neque enim cælum, neque terram attingunt interpretes, ut videbimus. Sed hic Angelus quum Romanis tribuit Dei contemptum, & omnium deorum, ſignificat tam ſuperbos fore, ut ſuperent quaslibet profanas gentes ſua impietate. Et certum eſt, nullum fuiſſe Dei timorem etiam ſuperſtitioſum apud illos, & quamvis magnifice prædicarent ſuam & majorum pietatem, tamen ſi quis diligenter expendat eorum ſcripta, facile deprehendet intimos ſenſus, quod ſcilicet omnes deos habuerint ludibrio, & abuſi fuerint titulo & colore pietatis ad faſtum ſuum: deinde ad continendos in officio omnes ſubditos. Non abs re igitur dicit de hoc imperio Angelus, *magnificabit ſe ſupra omnes deos*: deinde, *loquetur mirabilia contra Deum deorum*, ex quo ſcilicet innotuit Judaica religio. Nam antequam tranſirent in Aſiam majorem, & penetrarent ultra fines Tauri montis, incognita illis erat Lex Dei, & nomen Moſis nunquam fuerat auditum. Inde cœperunt cognoſcere in illa gente coli aliquem Deum peculiarem, deinde eſſe formam pietatis ab aliis omnibus populis diſtinctam. Ex quo igitur propior cognitio Judaicæ religionis apud Romanos lucere vel micare cœpit, cœperunt evomere ſuas blaſphemias *in Deum deorum*. Neque opus eſt colligere quæcunque extant in ipſorum hiſtoriis: ſed Cicero pro Flacco pluſquam contumelioſe lacerat nomen veri Dei: & impurus ille rabula (nam dignus eſt illo nomine) ſic deblaterat ſua convitia, acſi Deus, qui ſeſe patefecerat electo populo per Legem ſuam, eſſet indignus qui numeraretur vel

cum

cum Venere, vel cum Baccho, vel cum aliis idolis: denique dicit inviſam eſſe illam religionem omnibus diis, quoniam Judæi tot cladibus affecti fuerant, & hoc ſignum debere ſufficere, ut religio illa eſſet deteſtabilis omnibus. Non igitur ſine cauſa hic Angelus inducit Romanos tanto faſtu & contumacia inflatos, ut non dubitent conviciis proſcindere veri Dei nomen. *Loquetur*, inquit, *mirabilia contra Deum deorum.* Tanquam de uno homine hic diſſerit Angelus: ſed diximus ad ipſam Monarchiam ſpectare. Poſtea adjungit, *Et feliciter aget uſque ad conſumptionem* vel complementum. Alii vertunt, conſummationem *iræ*, *quoniam determinatio facta eſt.* Hic etiam de longo ſucceſſu, & continua ſerie victoriarum diſſerit Angelus, quod in Antiochum non poſſet competere. Nam ſtatim extinctus fuit, poſtquam templum ſpoliaverat: deinde tota ejus ſoboles parricidiis etiam periit: tandem cum ſummo dedecore traxerunt ad ſe Romani Syriam, & illam partem Orientis. Neceſſe igitur eſt hoc de Romanis exponere, quos ſcimus feliciter bellatos eſſe præſertim inter Orientales populos. Etſi enim interdum laborarunt, ut poſtea videbimus, & craſtino die Angelus exponet, tamen ſtatim ad ſuam felicitatem reverſi ſunt. Dicit ergo Angelus *hunc Regem feliciter acturum uſque ad finem iræ*, hoc eſt, uſque dum pœnas exegerit Deus de hypocritis, & ita humiliaverit Eccleſiam ſuam. Hoc enim ad Deum refero, quemadmodum cras fuſius dicendum erit.

Da omnipotens Deus, quando hodie res in mundo ita turbantur, ut quocunque circumferamus oculos, nihil cernamus præter horrendam confuſionem: da, inquam, ut intenti ſimus in doctrinam tuam, neque vagemur poſt noſtras imaginationes, neque abſtrahamur ullis curis, neque etiam declinemus huc & illuc per curioſitatem: ſed defixi in ſermone tuo, ſemper te quæramus, & recumbamus in tuam providentiam, nec dubitemus quum tutelam ſalutis noſtræ ſuſceperis, nos ſemper fore ſalvos, modo te ſemper invocemus in nomine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO SEXAGESIMA TERTIA

IN

D A N I E L E M.

COEpimus heri exponere vaticinium, ubi de Romano imperio diſſerere incipit Angelus. Neque enim, ut oſtenſum fuit, aliter poteſt hic locus exponi, quoniam abſurdum fuiſſet, prætermittere quod erat maxime neceſſarium cognitu. Diximus initio, non ut paſceret ſtultam & inanem curioſitatem multorum hæc Deum teſtatum fuiſſe Danieli, ſed ut muniret ſervos ſuos, ne deficerent in graviſſimis illis certaminibus. Atqui poſt Antiochi mortem ſcimus quam variis & gravibus machinis Satan conatus fuerit evertere fidem omnium piorum. Hac igitur in parte fulciri oportuit eorum animos. Jam ſi hoc totum tempus fuiſſet ſepultum ſilentio, Deus certe non viſus eſſet proſpexiſſe ſervis ſuis. Ergo aut quicquid hactenus dictum fuit, eſſet fere inutile, aut oportuit hoc membrum adjungi, ne prophetia eſſet trunca, vel mutila. Et ante vidimus quum Angelus prædiceret futuras mutationes, non fuiſſe omiſſum quod nunc iterum tractatur de Romano imperio. Hoc igitur tenendum eſt memoria, Angelum non loqui de Antiocho, neque etiam tranſilire nunc ad Antichriſtum, ut alii exiſtimant, ſed contexere perpetuam ſeriem, ita ut fideles præparati eſſent ad omnes inſultus, quibus poterat concuti eorum fides, niſi oppoſita fuiſſet hæc munitio. Jam reſtat explicandum quod dicitur in fine verſus, nempe *uſque ad finem iræ, quia deciſio facta eſt.* Dixerat Angelus hunc Regem fore protervum, ita ut non parceret Deo viventi, ſed jacularetur contra ipſum ſua convicia. Nunc adjungit, *uſque ad finem iræ proſperabitur.* Non dubium eſt quin Angelus hic occurrat tentationi, quæ poterat demergere penitus fideles, niſi ſperaſſent aliquem exitum. Per *iram* porro non intelligitur furor eorum, qui miſſi ſunt Proconſules in Aſiam & Orientem, vel ipſius Romani populi vel Senatus acerbitas ac rigor, ſed refertur hoc nomen ad Deum. Tenendum enim eſt quod prius admonui, nempe revocari Dei filios ad examen ſuorum vitiorum, ut ſeſe humilient coram Deo, neque obmurmurent, vel obſtrepant, dum caſtigantur ejus ferulis. Scimus enim ut natura hominum ad impatientiam feratur, deinde nihil cruce magis adverſum, & ſic non eam modo refugimus, ſed tumultuamur contra Deum. Hinc igitur fit, ut qui premuntur manu Dei ſemper ferociant, niſi oſtendat ſe eſſe eorum judicem. Ergo hanc rationem nunc ſequitur Angelus, quod ſcilicet Deus non exponat Eccleſiam ſuam impiorum libidini temere, ſed quia pœnas exigere velit de peccatis ſuorum. Nam judicium ſemper incipere debet à domo Dei, quemadmodum habetur apud alium Prophetam. In ſumma, hic primo loco Angelus hortatur pios ad reſipiſcentiam, & oſtendit merito eos percuti Dei manu, quoniam ita meriti ſint. Mitigat tamen quod fuiſſet alioqui nimis aſperum, quum addit, *ad finem*, vel complementum. *Calah* ſignificat nunc conſumptionem, nunc finem, ſed hoc loco pro fine, aut complemento accipitur. Et mox etiam ſequitur explicatio, *quoniam determinatio facta eſt*, inquit, vel deciſio, hoc eſt, Deus non perſequetur ad extremum uſque, vel abſque modo filios ſuos, ſed imponet finem pœnis, poſtquam ipſos humiliaverit. Quemadmodum etiam habetur Jeſaiæ quadrageſimo, Completum eſſe tempus militiæ, quum Deus miſertus Eccleſiæ ſuæ eam à tyrannide hoſtium liberat. Et dicit etiam illic Jeſaias in perſona Dei, Eccleſiam recepiſſe duplicia, quaſi diceret, ſatis pœnarum ſe exegiſſe, quia quodammodo ſibi diſplicet, acſi fuerit nimis ſeverus erga Eccleſiam, quia ſcimus quam indulgenter cum filiis ſuis agat. Sic etiam hoc loco dicit, *ad finem uſque iræ*, hoc eſt, erunt temporales pœnæ, & Deus præſcripſit illis certum terminum, qui adferet finem omnibus moleſtiis & malis. Sequitur,

Jeſa. 10. verſ. 12.
Jer. 25. verſ. 29.
1 Petr. 4. verſ. 17.
Jeſa. 40. verſ. 2.

37. Et ad Deos patrum ſuorum non attendet, & ad deſiderium (*vel amorem*) mulierum, & ad ullum Deum non attendet, quia ſuper omne (*ſuper omnia*) ſeſe magnificabit.

Qui exponunt vaticinium hoc de Antiocho, non mirum eſt ſi anxie laborent in his verbis, neque tamen ſe expediant, quia nuſquam legitur de Antiocho quod Angelus prædicit, nempe quod neglexeris & Deos omnes, & Deum patrum ſuorum. Deinde quod ad mulierum amorem ſpectat, hoc non competit in ejus perſonam. Sed aliis rationibus evincere facile eſt, quemadmodum dixi, hic nullam fieri Antiochi mentionem. Qui autem ad Papam, vel Mahometum trahunt hanc prophetiam, quod ad mulierum amorem, videntur aliquid adferre. Nam quia Mahomet permiſit brutam licentiam viris, ut ſibi coacervarent uxores, in hoc corrupit fidem conjugii, & [illegible] illam, quæ devincit uxori mari-

maritum. Niſi enim contentus ſit vir quiſque ſua uxore, jam nullus eſt amor, quia nulla poteſt eſſe fides conjugalis ubi inter pellices æmulatio eſt. Quoniam ergo Mahomet frenum laxavit variis libidinibus, & voluit viros ſibi ſumere plures uxores, habet hoc aliquid coloris, quod non fuerit attentus ad mulierum amorem. Qui vero de Papa hunc locum intelligunt, proponunt in medium cælibatum, cujus prætextu conjugii honor fuit quaſi pedibus calcatus. Nam ſcimus quam fœde latrent Romani Pontifices, ubi agitur de conjugio. Dicunt enim eos qui ſunt in carne, non poſſe Deo placere. Ita comparant ſcortationi conjugium, & ita probroſe ac contumelioſe conſpuunt adverſus illum ordinem à Deo ſancitum. Videmus ergo hoc non prorſus carere aliquo colore: ſed reliqua non conveniunt. Dicunt quidam etiam aliquid, nempe quod Mahomet fabricaverit novam religionis formam, ſicut & Papa. Cæterum, jam dictum fuit, neque ad Mahometum, neque ad Papam poſſe hoc trahi. Ratio eſt, quia voluit ſuſtinere Deus animos ſuorum uſque ad Chriſti exhibitionem. Ergo per Angelum ſuum prædixit quæcunque ferenda erant Eccleſiæ, donec Chriſtus eſſet in carne manifeſtatus. Veniamus igitur nunc ad Romanos, de quibus cœpimus hunc locum exponere. Dicit Angelus, *Non intelliget Rex ille ad deos patrum ſuorum.* Quomodo hoc debeat accipi primo intuitu obſcurum eſſet: verum ſi expendimus quanta fuerit in Romanis ſuperbia, imo etiam barbaries, nihil nobis ambiguum erit in Prophetæ verbis. Duo enim hic ponit Angelus, nempe Regem fore contemptorem omnium deorum, deinde adjungit, fore tamen deum aliquem quem colet, & quidem magnifice & ſingulari pompa, quæ excedet communem uſum. Hæc duo videntur inter ſe contraria, & tamen reperiuntur in ipſis Romanis. Sed ut tota res melius pateat, addamus etiam ſequentem verſum.

Vide decreta Siricii Papæ c. 7. tomo Conciliorum primo.

38. Et Deum fortitudinum (*vel munitionum*) in loco ſuo honorabit: & Deum quem non cognoverunt patres ejus honorabit cum auro, & argento, & lapide pretioſo, & deſiderabilibus. (*hoc eſt, rebus omnibus pretioſis.*)

39. Et faciet adverſus munitiones fortitudinum cum Deo alieno, quem agnoverit, multiplicabit gloriam, & dominari faciet eos in multis, & terram dividet pretio.

Quemadmodum jam attigi, primo intuitu hæc inter ſe pugnant, quod Rex de quo hic agitur, contemnet omnes deos, & tamen colet non vulgari modo aliquem deum. Hoc autem optime convenit Romanis, ſi reſpicimus eorum ingenia & mores. Utcunque enim fuerint valde negotioſi in cultu deorum ſuorum, conſtat tamen eos caruiſſe omni ſenſu deitatis, & ſimulaſſe religionem. Profanæ aliæ gentes quamvis in tenebris errarent, ſuperſtitioſe tamen colebant aliquos deos. In Romanis autem non fuit error, neque inſcitia, ſed craſſus Dei contemptus, ſimul tamen aliqua pietatis ſimulatio. Hoc colligitur ex omnibus eorum rebus geſtis. Nam tametſi ſibi accerſiverint hinc inde complures deos, & promiſcue coluerint cum aliis gentibus Minervam, Apollinem, Mercurium & alios ſimiles, tamen videmus ut pro nihilo duxerint omnes alios cultus. Jovem coluerunt ut ſummum Deum. Jupiter in patria ſua quid illis erat? An unius oboli fecerunt Jovem Olympium? Imo ſecure ipſum riſerunt cum ſuis cultoribus. Quid ergo illis fuit Jupiter? Nempe gloria Capitolii, & ſine illo epitheto nullus illis erat Jupiter. Jupiter Capitolinus, hoc eſt, Jupiter quem nobis tenemus quodammodo devinctum. Et ideo Propheta vocat *Deum Maozim*, hoc eſt, Deum potentiarum. Neque enim unquam perſuaſi fuerunt Romani aliquem eſſe Jovem dignum cultu, vel aliquam eſſe Junonem, ſed quia freti ſuis opibus, putabant ſe eſſe pluſquam deos, ideo ſumpſerunt ſibi Jovem unum: & quoniam ſedes ejus in Capitolio illis erat pluſquam centum Joves cæleſtes, quoniam affixerant ſua ſuperbia totam Dei virtutem ſuo Capitolio. Putabant enim ſe eſſe extra omnem aleam. Et hinc etiam illa audacia, quod quiſque potuit novos deos fabricare ſuo arbitrio. Templum fuit dicatum Fortunæ equeſtri. Sic enim placuit Duci, qui uſus fuerat ſtrenua opera ſuorum equitum, acſi eſſent adepti victoriam: & Fortunæ equeſtri templum extruendo ſe potius voluit deum cenſeri. Deinde Jupiter Stator ſit deus. Quare? Ita enim placuit alteri, & Roma plena fuit talibus templis. Unus imaginatus eſt Fortunam, alius Virtutem, alius Prudentiam, alius neſcio quid: denique quiſque auſus eſt ingerere propria commenta, & totidem deos Roma coluit. Hinc etiam factum eſt, ut fuerit apud ipſos factus deus Romulus. Et quo jure eum deificaverunt? Si quis excipiat idem etiam aliis populis contigiſſe, verum quidem eſt, ſed in ſtulta & bruta adhuc & rudi vetuſtate, ut ſatis notum eſt. Romani autem, quemadmodum jam dixi, non errore, neque ſuperſtitione finxerunt ſibi deos, ſed temulenta illa arrogantia, quamvis ſe in primo gradu ſtatuerent, & ſibi jam viderentur ſuperiores eſſe diis omnibus, quin etiam paſſi ſunt templum ſibi extrui in Aſia, & ſacrificia offerri, & libenter nomen dei retinuiſſent. Qualis eſt iſta ſuperbia? An hoc eſt credere eſſe aliquem deum, vel aliquos deos? Roma eſt dea, & dea quæ præ aliis omnibus ſancte colenda eſt. Videmus ergo non fruſtra hoc dictum eſſe de Romanis, *quod coluerunt Deum unum fortitudinum*, hoc eſt, quod ſibiipſis arrogaverint deitatem, & tantundem conceſſerint diis ſuis, quantum putabant commodis ſuis fore utile, & ut efferrent proprias ſuas virtutes & fingerent pro ſua libidine quoslibet deos. Omitto quod dicit Plutarchus. Neque enim puto ad præſentem locum ſpectare. In Problematis dicit nefas fuiſſe proferre nomen dei, in cujus patrocinio & tutela erat Romana civitas, & dicit Valerium Soranum evanuiſſe, quoniam effutiverat nomen illius dei, ſive, inquit, maſculus ſit, ſive fœmina, hæc enim ſunt ejus verba. Et addit rationem, quod ſcilicet magicis incantationibus uti ſolerent in colendo illo deo, quiſquis fuerit. Scimus bonam deam apud ipſos fuiſſe in præcipuo honore. Quænam fuerit illa dea, incognitum erat viris: mulieres tantum ingrediebantur ſummi pontificis domum, & illic colebant ſua Orgia. Et in quem finem? Quænam illa erat bona dea? Nempe ſemper erat *deus Maozim*, hoc eſt, deus fortitudinum, quia nullus erat deus Romanis, niſi penes ipſos: ita ut ſibi erigerent altaria, & immolarent omnes victimas ſuæ felicitati & fortunæ, & hoc modo obſtringerent ſuo imperio deos ipſos, quibus in ſpeciem & fallaciter tribuebant aliquid honoris. Nihil ergo in his verbis coactum eſt, ubi dicit Angelus, *Non intelliget ad deos patrum ſuorum*, id eſt, non ſequetur uſitatum omnium gentium morem, ut retineat ſuperſtitioſos cultus errore & inſcitia. Nam Græci quantumvis acuti eſſent, tamen non audebant quicquam movere in religione aut verba facere. Scimus enim hoc fuiſſe illis fixum, colendos eſſe deos, qui à majoribus eſſent traditi. Romani autem auſi ſunt non modo libere, ſed etiam petulanter conſpuere adverſus omnes religiones, & inducere quantum in ſe erat, Atheiſmon. Ideo dicit Angelus *non fore attentus ad deum patrum ſuorum.* Quare? Nam ſeipſos reſpicient, & nulla erit deitas, niſi in fiducia propriæ fortitudinis. Quantum ad *deſiderium mulierum* ſpe-

ctat, ſic interpretor, per ſynecdochen hic notari barbaros illorum mores. Nam amor mulierum in Scriptura accipitur pro ſingulari amore. Deus enim indidit hunc affectum & viris & mulieribus, ut quamdiu retinent aliquam guttam humanitatis, maneant etiam inter ſe conjuncti. Unde etiam dicitur David dilexiſſe Jonathan ſupra amorem mulierum, (*2 Sam. 1. verſ. 26.*) vel pro amore mulierum. Illic non certe perſtringitur fœdus, aut turpis amor Davidis erga Junathan. Scimus enim quam caſte illum amplexus fuerit, ſed amor mulierum, quemadmodum dixi, κατ' ἐξοχὴν, id eſt, per excellentiam, ponitur pro amore eximio. Quum igitur Deus in natura & in ſocietate humani generis inſtituerit hoc ſacerrimum amoris vinculum inter conjuges, non mirum eſt, ſi per ſynecdochen tota humanitas & ejus officia comprehenduntur ſub hac voce. Perinde igitur eſt acſi diceret Angelus, Regem hunc de quo vaticinatur, ſore impium & ſacrilegum, ut omnes deos contemnere audeat: deinde ſore immanem, ita ut nullum charitatis officium curet. Videmus autem ἄστοργοι fuiſſe prorſus Romanos, nec dilexiſſe uxores, aut mulieres. Non referam pauca quædam exempla, ex quibus hoc poſſit colligi. Sed in tota gente reperietur immanis barbaries, quæ horrori merito nobis eſſe debet. Nemo poterit hoc ſatis conſiderare, niſi qui probe verſatus fuerit in illorum hiſtoriis. Sed quiſquis tenebit res illorum geſtas, quaſi in ſpeculo poterit conſpicere quod hic dicit Angelus. Ergo neque pietatem colet Rex iſte, neque humanitatem. *Et non intelliget ad ullos deos*, inquit, *quia ſeſe magnificabit ſupra omnes.* Cauſa etiam aſcribitur cur tam craſſus contemptor Deorum futurus ſit hic Rex, atque etiam tam ferus & barbarus adverſus cunctos mortales, nempe *quia ſeſe magnificabat ſupra omnes.* Iſta enim ſuperbia ſic excæcavit Romanos, ut obliviſcerentur utriuſque, nempe & pietatis & humanitatis. Ergo in cauſa fuit illa intolerabilis ipſorum confidentia, ut neque deferrent quicquam honoris ulli Deo, & ſubjicerent pedibus ſuis cunctos mortales. Nam certe principium veræ pietatis eſt humilitas: & hoc etiam ſemen religionis inditum eſt hominum cordibus, ut velint nolint agnoſcant aliquod numen. Atqui mentem ſic Romanis excuſſit ſuus faſtus, ut ſe extulerint ſupra omnes deos, & ita pro ludibrio duxerint omnes religiones. Quum autem omnes deos ſpernerent, non potuit aliter fieri quin deſpicerent etiam omnes mortales, ſicut ſcimus fuiſſe factum. Jam opponitur ſecundum illud membrum, quod *deum Maozim colet*, vel honorabit. *Colet* igitur *Deum fortitudinum.* Prius dixerat *Maoza* de templo, ſed non videtur ſtare hæc argutia, quod ſcilicet unitatem Dei ante expreſſerit Angelus, nunc autem complures enumeret deos. Sed fortitudines accipit Angelus pro illa perverſa fiducia, qua turgebant Romani, ſic ut præ ſe tam deos quam homines pro nihilo ducerent. Quomodo igitur hæc conveniunt inter ſe, contemptum omnium deorum eſſe in Romanis, & eſſe tamen aliquem cultum? Nempe, quia ſpernerent quicquid de diis traditum fuerat, ſed poſtea quum ſeſe extuliſſent ſupra omnes cælos, quia pudebat eos barbaræ impietatis, ideo prætexuerunt nomina deorum. Sed ubi quæſierunt deos illos? Nempe Jovem in ſuo Capitolio, cui ſubjecta fuit reliqua deorum turba. Sic ergo in ipſorum cerebris creati ſunt dii, & non putarunt quicquam eſſe divinum, niſi quod ipſis placuiſſet. Et ideo etiam dicitur, *In loco ſuo honorabit.* Hic Angelus tollit omnem ambiguitatem, quum dicit *In loco ſuo colet*, vel *honorabit Deum fortitudinum.* Colebant quidem alios deos Romani ubicunque eſſent, ſed mera erat ſimulatio. Non dubium igitur eſt quin Jovem affixerint Capitolio ſuo & urbi ſuæ, & alios omnes deos, ideo quicquid præ ſe tulerint, nulla tamen vera religio fuit, quia ſeipſos potius adorabant, quam deos illos fictitios. *Deum* igitur *Maozim colet in loco ſuo*, inquit, *& honorabit Deum alienum, & Deum quem non cognoverunt patres ejus.* Iterum, *honorabit in auro, & argento, & lapide pretioſo, & omnibus deſiderabilibus*, hoc eſt, magnifice & cum eximia pompa colet deum ſuum. Et quidem ſcimus congeſtas fuiſſe totius mundi opes in ornatum templorum. Simul enim atque animo quis deſtinaverat templum aliquod, neceſſe erat hinc inde rapere, & ita ſpoliabant omnes provincias, ut templa ſua locupletarent. Quum ergo talis fuerit ſplendor Romæ neque ob ſuperſtitionem, ſed tantum ut ſeſe extollerent, & eſſent admirationi cunctis gentibus, videmus quam bene hoc vaticinium cum re ipſa vel eventu conveniat. Nam quantumvis alii ſuperſtitioſi fuerint in colendis ſuis idolis, tamen Romani omnibus aliis fuerunt ſuperiores. Nam initio quum victores eſſent Siciliæ, ſcimus quantas opes abſtulerint ex una urbe duntaxat. Etenim ſi unquam referta fuerunt templa magno & copioſo ſplendore & multis divitiis, certe fatentur ipſi Syracuſas fuiſſe in ſumma præſtantia. Atqui Marcellus exinanivit fere omnia templa, ut ditaret urbem Romanam, & ita ornaret falſorum deorum templa. Quorſum illud? An quia Jupiter, & Juno, & Apollo, & Mercurius meliores erant Romæ quam alibi? Minime, ſed quia volebat urbem ipſam locupletare, deinde volebat omnes deos ubicunque eſſent ludibrio habere & ducere in triumpho, ut nulla eſſet excellentia deitatis, niſi in illa ſede imperii, hoc eſt, Romæ. Et poſtea adjungit, *Faciet.* Hic iterum de proſperitate videtur loqui Angelus. Neque dubito quin hic fulciat animos piorum, qui alioqui vacillare aut etiam labaſcere poterant, quum viderent tot & tam incredibiles ſucceſſus in illa gente tam ſacrilega & impia, deinde etiam tam barbaræ crudelitatis. Dicit igitur Romanos fore votorum ſuorum compotes quicquid aggrediantur, quoniam fortitudo ipſorum prævalebit, nempe *cum Deo* ipſorum. Etiamſi contemnant omnes deos, & tantum ſibi deum fabricent ambitionis ſuæ cauſa, tamen, inquit, ſuccedet illis. Nunc vocat *deum alienum.* Hac voce utitur Scriptura quum diſcernit idola & fictitios deos ab unico & vero Deo. Nihil ergo videtur ſpeciale dicere Angelus de Romanis. Nam Athenienſes & Lacedæmonii, deinde Perſæ ab alia parte, & Aſiatici, & omnes totius orbis gentes colebant deos alienos. Quid ergo ſibi vult hoc nomen? Nam certum eſt, Angelum non loqui ex communi more aliorum. Ergo hic *alienum* vocat, qui non fuerit traditus de manu in manum, ſicut loquuntur, quia etiamſi plenis buccis crepparent ſe colere deos acceptos à majoribus, & illorum inſtituta ſibi eſſe ſacroſancta, ritus omnes eſſe inviolabiles, ridebant tamen intus, neque putabant unius pili eſſe omnes ſuos deos, ſed tantum volebant retinere aliquam fallacem ſpeciem religionis, nempe pudoris cauſa. Scimus quid dixerit Cato de Aruſpicibus, Miror quum alius alium aſpicit, cur non rideat, dicebat eſſe mera ludibria. Si quis Catonem interrogaſſet vel in Senatu, vel privatim, Quid tu cenſes de Aruſpicibus, & tota religione noſtra? Ah potius pereat totus mundus, quam Aruſpices: nam his conſtat ſalus populi, & totius Reip., & hos accepimus à majoribus. Illos igitur perpetuo retineamus. Ita loquutus fuiſſet nebulo ille, ita etiam omnes alii. Sed inter ſe dum garriebant, nihil eos pudebat negare omne numen, & ita etiam ſugillare quicquid creditum ab initio fuerat, ut prorſus in nihilum redigerent quicquid à majoribus ſuis acceperant. Non mirum igitur eſt, ſi Angelus hic vocet *alienum deum*, qui non fuit Romæ cultus, ut jam dictum eſt, ſuperſtitionis cauſa, vel per errorem, ſed tantum ut ne ipſorum barbaries eſſet abominabilis toti mundo. *Deum* igitur illum, in-

quit,

quit, *quem agnoverit*. In hac etiam voce magnum ſubeſt pondus. Nam ſignificat Angelus totum illud numen fundatum eſſe in opinione & arbitrio illius Regis, hoc eſt, quoniam ipſis ita placuit, idque reſpectu utilitatis privatæ. Quoniam igitur conſilium probabitur colendi aliquos deos, ideo cum ſuis placitis ſeſe efferent, ac jactabunt magna confidentia, nuſquam eſſe pietatem niſi Romæ. Sed unde id? Nempe quia agnoſcent illos deos, hoc eſt, ſtatuent ac decernent ſervandam eſſe talem formam. Hic totam Romanorum religionem Angelus ponit in libidine, & oſtendit interea fore impuros Dei contemptores. Poſtea dicit, *Multiplicabit gloriam*. Hoc poteſt referri ad Deum, ſed mihi magis probatur diverſa interpretatio, nempe quod magnas opes ſibi congerent Romani, & creſcent mirabiliter tam opulentia, quam amplitudine imperii & aliis omnibus præſidiis. Ergo *multiplicabunt gloriam*, hoc eſt, acquirent ſubinde novas ditiones, & augebunt ſuam potentiam, cumulabunt etiam multiplices theſauros. Nam hæc expoſitio bene contexitur cum fine verſus, ubi adjungit, *dominari ipſos faciet late*. Hæc pars eſt gloriæ, quam ſibi coacervaturus erat Rex iſte, nempe quoniam præficiet Reges magnis terris, deinde diſtribuet quaſi prædam quicquid acquiſierit, idque *pretio*. Dicit ergo, dominari ipſos (eſt relativum ſine ſubjecto, ut loquuntur: & hæc ratio ſatis trita eſt Hebræis) *Dominari* ergo *faciet ipſos in multis* Quos dominari faciet Rex Romanus, hoc eſt, imperium ipſum Romanum? Nempe ſi quis operam illis impenderit, mercedem referet ex alieno, quemadmodum ſcimus Eumenem fuiſſe ditatum præda & ſpoliis Antiochi. Scimus fuiſſe diſtributas provincias pro ipſorum arbitrio. Rhodiis data fuit hæc inſula, alteri vero regnum ablatum eſt: Ætoli ampliarunt ſuam ditionem Ut ergo quiſque graviter laboraverat, & fecerat largos ſumptus, ita etiam ſingulos ditarunt Romani. Ubi devictus fuit Antiochus, tunc liberaliores fuerunt erga Attalum & Eumenem. Subjecta enim fuit major pars Aſiæ illis. Deinde quum ſpoliarunt, vel ſaltem nudarunt parte ditionis Nabidem tyrannum Lacedæmonium, etiam hujus ſpoliis ornati fuerunt qui ſedulo gratificati erant Romanis. Scimus quantum contulerint Maſiniſſæ Carthagine devicta. Nam longe lateque in Aphrica dominatus eſt, quum ante ſua ditione expulſus fuiſſet. Nam exutus fuerat paterno regno, non erat locus in terra ubi pedem figeret. Atqui largiti ſunt quod rapuerant Carthaginenſibus. Et quomodo? *Pretio*, inquit, *divident terram*. Hic Angelus oblique perſtringit aſtutiam Senatus & populi Romani, quod ſcilicet non gratuito largiti fuerint tam amplas ditiones (libenter enim devoraſſent quicquid acquiſierant) ſed quia erat illis utilius vendere quam retinere. Non vendebant quidem certo pretio (neque enim hic nomen Pretii reſtringi debet ad numeratam pecuniam) ſed tam avare ſe gerebant, & vendebant quæſtus ſui cauſa in hac diſtributione, quam ſi ſtatim omnes illæ partes devictæ redactæ fuiſſent in provincias. Opus enim fuiſſet magnis copiis. Odioſum erat in Græcia perpetuo tenere præſidia in urbibus. Ergo pronunciant omnes urbes Græcas fore liberas. Qualis fuit hæc libertas? Nempe ut quæque civitas eligeret Senatum prout Romanis liberet, deinde ut quicunque pollebant gratia & imperio apud ſuam gentem, illi eſſent aſſeclæ Romani Imperii, & quaſi mancipia. Jam hoc poſito, ſi bellum aliquod movendum erat, petebant auxilia à ſociis & amicis. Nunquam tantum tributi auſi fuiſſent exigere quantum unaquæque civitas erogabat. Nam ſumamus ipſos Carthaginenſes, poſtquam multis penſionibus fuerant fere ad ultimam inopiam redacti, tamen ubi ſuſceperunt bellum contra Philippum & Macedonas, ubi contra Antiochum Romani poſtulant naves à fœderatis, poſtulant annonam, poſtulant magnam copiam auri, argenti, & tritici, poſtulant veſtes, tunicas: denique miſeri illi Carthaginenſes, quorum ſanguinem ebiberant Romani, adhuc tamen mittunt in belli ſubſidia quicquid auri habent, & quicquid poterant corradere. Ita cogitur Philippus Rex Macedoniæ perdere ſe, & ſe jugulare proprio gladio. Nulla erat tunc Græcorum civitas quæ non ſolveret ſuum penſum. Videmus ergo ut *diviſerint terras pretio*, hoc eſt, reſpectu ſuæ utilitatis, non quod certam pecuniæ ſummam acceperint, ſed quia ſpectarunt quid ſibi magis eſſet utile. Et interea tamen quod genus nundinationis inter ſe poſtea exercuerunt? Scimus quid valuerit apud Romanos proſcriptio, qua factum eſt ut ſuam rapacitatem in ſua viſcera converterent Proſcripſerant multo ante hoſtium bona. Nam certe Philippus magna pecuniæ ſumma redimere coactus eſt nomen Regis & ditionem quæ reliqua manebat: idem etiam contigit Antiocho, idem Carthaginenſibus. Nemo denique unquam devictus fuit à Romanis, qui non exhauſerit & ſe, & totam ditionem, ut illorum cupiditati, & inexplebili avaritiæ ſatisfaceret. Ergo videmus *terras ab illis fuiſſe diviſas pretio*: & tenebant omnes Regulos ſibi addictos, prout ſingulis ex alieno largiti fuerant. Nunc ergo videmus quid ſignificet Angelus, quum dicit *Regem hunc ita fore potentem, ut dominari faciat quos voluerit in multis*, & amplis ditionibus, ſed tamen non gratis. Poſtea ſcimus etiam alios fuiſſe ſpoliatos & honore regio & potentia, alios autem fuiſſe reſtitutos, quum eſſent privati. Placuit Lucullo ejicere unum è finibus regni, alter illum reſtituit in poſſeſſionem. Unus civis Romanus potuit creare magnum Regem: Ita ſubinde factum eſt. Claudius ad plebem tulit, ut Rex Cypri proſcriberetur, tamen erat ex ſtirpe regia, pater etiam fuerat amicus & ſocius populi Romani, nihil admiſerat contra Romanum Imperium, nulla erat cauſa qua denunciaretur bellum Interea nullæ etiam interceſſerant ceremoniæ, quibus bellum indictum eſſet, ille erat domi ſecurus. Proſcribitur in foro à paucis nebulonibus: ſtatim mittitur Cato qui totam inſulam expilaret, & Romanis acquireret: miſer ille cogitur ſe projicere in mare, ut deſperatus. Sic ergo videmus non fruſtra hoc prædictum fuiſſe ab Angelo, nempe quod partiti fuerint Proconſules Romani provincias & regna, *ſed tamen pretio*, hoc eſt, ut interim exinanirent quicquid erat in mundo, & traherent in illum gurgitem inexplebilem omnes divitias, omnes theſauros, & quicquid denique erat pretioſum. Reliqua differemus.

Da omnipotens Deus, quando omnibus ſeculis tanta fuit in hominibus cæcitas, ut ſuperſtitioſe te ac per errorem colendo, tamen adhuc duplices eſſent animis, in aliis autem tanta eſſet ſuperbia, ut & tuum nomen, & quæcunque etiam ſibi confinxerant ſpectra ſpernerent: da, inquam, ut radicitus infixa ſit cordibus noſtris vera pietas, & ita inſculptus timor nominis tui, ut ſincere & abſque ulla ſimulatione tibi ſimus addicti, & quum ſtudemus ex animo glorificare nomen tuum, quiſque fratres ſuos etiam in idem ſtudium adducere conetur, & magis ac magis nos repurges omni ſimulatione, donec tandem perveniamus ad perfectam illam puritatem, quæ nobis in cælo repoſita eſt, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆ.

PRÆLECTIO SEXAGESIMA QUARTA
IN
D A N I E L E M.

40. Et in tempore finis (*hoc eſt, poſt certum tempus, vel præfixum*) confliget cum eo Rex Auſtri, (*ad verbum eſt, cornu petet, à verbo Nagah: heurter Gallice*) & tanquam turbo irruet (*nam idem valet verbum quod deductum eſt à Saar: tanquam ergo turbo irruet*) Rex Aquilonis, (*diximus de Auſtro & Aquilone. Nam prius nomen pro Ægypto accipitur, alterum vero pro Syria, reſpectu Judææ ſcilicet*) cum curru & equitibus, & navibus multis: & veniet in terras, & exundabit, & tranſibit. (*pervadet.*)

HIc Angelus prædicit multas victorias, quibus fiet, ut Romani longe & late extendant ſuum Imperium, quanquam non ſine magnis difficultatibus & periculis. Dicit ergo *Regem Auſtri bellum cum Romanis geſturum eſſe, tempore finito.* Quodnam tempus deſignet Angelus non audeo aſſerere. Neque enim tanta fuit Ægypti potentia, ut unquam Reges illius terræ confiſi propriis viribus auſi fuerint cum Romanis bellum gerere. Gabinius Proconſul illuc exercitum intulit reſtituendi Ptolemæi cauſa. Sed non magno negotio Archelaum expulit, imo tanquam mercenarius quiſpiam, ſe famamque ſuam cum exercitu locavit. Periclitatus eſt illic Cæſar, devicto Pompeio, deinde Antonius bellum Auguſto intulit, adjutus auxiliis Cleopatræ: & tunc Ægyptus vires ſuas nimium extulit: & hinc factum eſt, ut redacta ſtatim fuerit in provinciam. Non fuit autem propoſitum Angelo, notare continuam temporum ſeriem, ſed tantum breviter fideles monere, ut ſtarent firmi inter graviſſimas concuſſiones quæ inſtabant. Quicquid ſit, non dubium eſt quin Angelus ſignificet bellum difficile Romanis fore contra Ægyptios. Dixi quod etiam hiſtoriæ teſtantur, nunquam Ægyptios propriis auſpiciis bellum cum Romanis geſſiſſe: tamen ſic interdum res confuſæ fuerunt, ut Ægyptii conſpiraverint cum Syris: & ita conjunctim hæc duo legenda eſſent, nempe Regem Auſtri adjutum auxiliis Regis Syriæ bellum cum Romanis geſturum. Quanquam admonet Angelus majores fore copias ac vires Regis Syriæ, quam Ægypti, quod accidit præcipue ſub initium Triumviratus. Dicit enim *Regem Aquilonis venturum cum curribus, & equitibus, & navibus multis.* Neque etiam hic tempus aliquod digito monſtrare neceſſe eſt, quum plura bella in Oriente geſſerint Romani, ex quo Aſiam occuparunt, & pars Libyæ jam illis contingerat ex Regis teſtamento abſque manu & armis. Quantum attinet ad duo regna, quorum jam ſæpius facta fuit mentio, in Syria intra exiguum tempus multi dominati ſunt. Nam nunc mater unum ex filiis ſuſtulit, & alterum creavit Regem, deinde ejus pertæſa, regnum tranſtulit ad alienos. Sic factum eſt ut Alexander ille obrepſerit, qui tamen peperit ſibi magnum nomen. Erat ignobilis, pater ejus fuit incognitus. Certum tamen eſt natum fuiſſe ex domo obſcura: uno momento quum neque auctoritate, neque auxilio polleret, factus fuit Rex Syriæ, quia mentitus eſt ſe fuiſſe ſpurium Seleuci, & ſtatim occiſus ille fuit: qui ſucceſſit in ejus locum poſtea non diu regnavit. Sic factum eſt ut Syria tranſierit ad Romanos poſt mortem Seleuci. Tigranes fuit accitus, Rex ſcilicet Armeniæ, & ita dominatus eſt in Syria, donec eum devicit Lucullus: tunc Syria in provinciam redacta fuit. In Ægypto regnarunt fœdiſſimi homines. Nam Phyſcon, qui cohibitus fuit à Romanis, quum tentaret eripere Syriam ſuo Regi, erat homo fœdiſſimus & corpore & animo, & nomen etiam inde adeptus eſt. Nam tantundem valuit cognomen illud Phyſconis, acſi Gallice diceremus *andouille.* φύσκη enim inteſtinum eſt illud craſſius, quod ſolet farciri aliis inteſtinis. Ille ergo ob deformitatem vocatus fuit quaſi ventricoſus: deformis prorſus erat, & ſimilis belluæ: deinde nullo ingenio, nulla ingenuitate præditus. Ultimus qui Romanos præfecit tutores filiis ſuis, fuit νόθος Auletes, quem vocarunt (ita etiam ipſum vocat Cicero) *fluteur*, quia ſcil. immodice delectabatur tibiarum cantu. Igitur in utraque regione fuit horribilis deformitas, quum nomen regium tenerent illi vel porci, vel canes potius quam homines. Sed Tigranes multum negotii Romanis fecit, quemadmodum ſatis notum eſt. Ab altera parte Mithridates diutiſſime Romanos exercuit, & quidem vario ac multiplici eventu. Scimus in tota Aſia fuiſſe occiſos Togatos omnes, deinde quum ventum eſt ad manus, ſæpe Mithridates fuit ſuperior: poſtea conjunxit ſe cum Tigrane, qui etiam fuit ejus ſocer. Tigranes quum teneret Armeniam, & eſſet Rex Regum, poſtea adjecit ſibi Syriam, quaſi partem duntaxat. Tandem quum ultimus Antiochus impoſitus eſſet regno Syriæ à Lucullo, dejectus eſt Pompeii juſſu: & tunc Syria in formam provinciæ tranſiit, ut diximus. Pompeius transgreſſus eſt mare, & perdomuit totam Judæam ſimul cum Syria: poſtea ingreſſus eſt templum, abſtulit partem aliquam prædæ: pepercit tamen ſacris theſauris. Succeſſit Craſſus ille inexplebilis gurges, qui hac tantum de cauſa optavit ſibi provinciam illam, quod nullis opibus eſſet contentus. Ille ſpoliavit templum Hieroſolymitanum: poſtremo, devicta Cleopatra, ſimul etiam Ægyptus perdidit nomen regium, & redacta fuit in ordinem provinciæ. Si centum alias provincias Romani viciſſent, nulla fuiſſet facta illarum mentio ab Angelo. Nam hic peculiarem habet reſpectum electi populi, ut dictum fuit. Itaque non diſſerit niſi de illis cladibus quarum major pars redundabat ad miſeros Judæos. Primo igitur dicit Romanis fore magnum certamen cum Regibus Ægypti, & cum Regibus Syriæ, *quos* dicit *venturos inſtar turbinis*, ſed Romanos *venturos in terras inſtar diluvii, & tranſituros.* Comparat Regem Syriacum turbini, quia ſcilicet initio movebit magnos impetus, replebit terram & mare ſuis copiis, deinde habebit claſſem bene inſtructam, magnos excitabit terrores: ſed turbo ille ſtatim evaneſcet. Romani autem comparantur diluvio. *Veniet ille*, inquit, nempe novus Rex, de quo loquutus eſt, *& exundabit*, hoc eſt, obruet omnes illas copias tam Ægypti quam Syriæ, quaſi diceret abſorptum iri apparatum utriuſque regni, ubi Romani trajecerint. *Tranſibit*, inquit, hoc eſt, quocunque venerint Romani, patebunt illis viæ, ac nihil illis erit clauſum, quod alia forma iterum rejicit. Non loquitur autem de una tantum regione, ſed dicit *venturos in terras*, hoc eſt, vagam fore illorum populationem, quia nemo audebit ſe opponere ut arceat ipſorum furorem. Poſtea ſequitur,

41. Et veniet in terram deſiderii, (*nempe in Judæam, quæ vocatur terra amœna, vel deſiderabilis, quod Deus favore peculiari ipſam dignatus eſſet. Elegerat enim ſibi illic domicilium, & vocaverat quietem ſuam, deinde illic reſidebat ejus benedictio. Veniet ergo in terram deſiderabilem*) & multæ (*regiones ſcilicet*) cadent, & hæ evadent è manu ejus, (*regiones. Non loquitur tantum de urbe, ſed de regionibus: nempe regio*) Edom, (*regio*) Moab, & principium filiorum Ammon.

42. Et mittet (*hoc eſt, extendet*) manum ſuam in terras, & terra Ægypti non erit in evaſionem. (*hoc eſt, non evadet, vel ſeſe non eripiet.*)

Poſtquam breviter Angelus prædixit inſtare graviſſima bella Romanis, nunc adjungit, quemadmodum breviter attingere cœperat proximo verſu, fore victores omnium gentium. *Venient*, inquit, *in terram deſiderabilem* Hæc ratio eſt cur Angelus vaticinetur de Romano imperio, quoniam non miſſus fuerat ut Danieli exponeret hiſtoriam totius mundi, ſed ut fideles retineret in fide, quum perſuaſi eſſent in graviſſimis perturbationibus tamen ſe manere ſub patrocinio & tutela Dei. Hac ratione dicit *venturos in terram deſiderii.* Fuit enim hæc horribilis tentatio, & quæ poterat evertere omnem pietatis ſenſum, quia multis modis vexati fuerant Judæi nunc à Syris nunc ab Ægyptiis. Et ſcimus quanta ſævitia Antiochus conatus fuerit totam gentem non tantum opprimere, ſed prorſus delere. Non pepercerant illis neque Syri, neque Ægyptii. Procul Romani veniunt quaſi ex alio orbe, deinde erant confœderati ipſis: nunc autem perrumpunt hoſtiliter in Judæam. Quis putaſſet illam regionem eſſe curæ Deo, quum ita expoſita eſſet omnibus omnium latrociniis? Ergo neceſſe fuit moneri fideles, ne in tam confuſo rerum ſtatu deficerent. *Venient ergo in terram deſiderii, multæ regiones cadent*, quaſi diceret non ſuperfore ullam ſpem Judæis, quoniam quocunque venerint Romani, parata illis erit & quaſi ad manum victoria. Non videtur quidem hoc valere ad ſolatium, ubi meram deſperationis materiam proponit Angelus: ſed quoniam fideles ſciebant divinitus hoc eſſe prædictum, & ſciebant eundem Deum, qui per Angelum ipſos monuerat, habere remedium paratum, & eſſe in ejus arbitrio à centum mortibus eripere ſuam Eccleſiam. Fuit inæſtimabilis hic theſaurus, nempe hæc prophetia, ut perſtarent in ſpe promiſſæ liberationis fideles. Et poſtea adjunget etiam Angelus promiſſionem quæ fulciat, imo erigat collapſos ipſorum animos, deinde confirmet. Sed hic pronunciat auxilium Dei non ſtatim appariturum, quia laxabit frenum Romanis, ut per totam Aſiam, & per totum Orientem exerceant crudele imperium, imo tyrannidem potius vel latrocinium. Dicit *immunes ab hac clade fore terras Edom, Moab, & partem terræ Ammon.* Hæc etiam tentatio non leviter concutere poterat piorum animos, Quid hoc ſibi vult? terram in qua nobis promiſit fore quietem, nunc eam patitur diripi, & vaſtari ab hoſtibus? terra autem Moab quieſcat & fruitur ſumma tranquillitate? proſper etiam eſt ſtatus filiorum Ammon? Nam memoria tenendum eſt quid Prophetæ dicant de illis terris, quod ſcilicet relegatus fuerit Eſau in montes aſperos, quod *Mal.* 1:3.
etiam Moabitis Deus aſſignaverit ſuos fines extra terram benedictam. Soli ergo Judæi peculiari jure & privilegio obtinuerant terram illam, in qua Dominus etiam pollicitus fuerat ſibi ſure quietem Nunc quum vaſtatur Judæa, & quum hoſtes pro libidine non tantum abripiunt quicquid eſt pretioſum in urbibus & pagis, ſed etiam videntur quaſi data opera terram ipſam redigere in vaſtitatem, & hoc illis permittit: quid poterant conjicere Judæi? Ergo Angelus occurrit his ſcandalis, & lenit quicquid triſtitiæ & mœroris concipere poterant fideles ex horrendis illis cladibus, ac dicit terram *Edom*, & terram *Moab*, & terram *filiorum Ammon* fore ab illis calamitatibus tutas & tranquillas. Quantum attinet *ad initium filiorum Ammon*, veriſimile eſt notari receſſum, unde traxerant Ammonitæ originem. Nam Romani haud dubie non pepercisſent Ammonitis, niſi quatenus erant quaſi reconditi in montibus: itaque quicquid erat vicinum Judææ, hoc etiam ſubjectum fuit iiſdem ærumnis. Qui de Antichriſtu intelligunt, hic fabulantur ſolos fideles tutus fore, qui profugi erunt ex mundo, & qui in deſerta conſcendent. Sed illud omni ratione caret. Sufficiat ergo genuinus ille ſenſus quem retuli. Poſtea adjungit Romanos *miſſuros manum ſuam in terras, ita ut non evadat etiam terra Ægypti.* Non dubium eſt quin hic concionetur Angelus de plurimis victoriis, quas exiguo tempore adepti ſunt Romani. Nam diu quidem bellum geſſerant cum Mithridate, & fere tunc amiſſa fuit Aſia: ſed poſtea iterum extendere cœperunt manus ſuas, nunc in totam Aſiam, poſtea in Syriam: tandem adjuncta illis fuit Armenia, poſtea Ægyptus ſubacta fuit: interea erat tantum modica acceſſio, & verſus Perſas etiam dominati ſunt, & formidabilis erat ipſorum potentia. Impletum igitur fuit hoc vaticinium, quod *extenderint manus ſuas in multas regiones*, ita *ut terra Ægypti etiam ceſſerit illis in prædam.* Sequitur,

43. Et dominabitur (*ſemper loquitur quaſi de uno Rege, ſed quemadmodum admonui, regnum ipſum intelligi debet. dominabitur ergo*) theſauris auri, & argenti, & omnibus deſiderabilibus (*hoc eſt, omnibus rebus pretioſis*) Ægypti, & Libyæ, & Æthiopiæ in greſſibus ſuis.

Confirmat quod jam vidimus, nempe quamvis multæ gentes conentur Romanis obſiſtere, tamen fore omnium victores, ita ut undique magnas prædas & rapinas contrahant. Scimus quanta fuerit ipſorum avaritia & cupiditas: ideo dicit *dominaturos theſauris auri & argenti*: deinde, *quicquid pretioſum erit in Ægypto, Libya & Æthiopia ad ſe tracturos, idque in greſſibus ſuis.* Hac voce clarius explicat quod prius diximus de ſimilitudine diluvii. Dicit igitur terras omnes illis expoſitas fore, quantumvis munitæ fuerint urbes, quæ illos tegerent quaſi multis clauſtris oppoſitis, ac proinde fore illis apertam viam, quia nemo impediet quominus perrumpant per totum Orientem, & ſimul etiam ſubigant & urbes, & pagos, & oppida, quod etiam ſcimus eventu fuiſſe completum. Ergo in hoc toto contextu videmus nihil coactum eſſe: ſed optime quadrare hiſtoriam cum vaticinio. Poſtea adjungit,

44. Rumores vero (*auditus ad verbum, hoc eſt, qui audientur*) terrebunt eum ab Oriente, & ab Aquilone: egredieturque cum ira magna, ut perdat & internecione deleat multos.

Hic videtur Angelus diverſum aliquid tradere, quod ſcilicet Romanis non ita feliciter ſuccedet, quin quaſi ſubſiſtant in medio curſu victoriarum. Dicit enim *ipſos territum iri rumoribus*: ſed bene omnia conveniunt, quia etſi Romani domuerint quaſi nullo negotio & intra paucos annos totum Orientem, ſcimus tamen poſtea fuiſſe illis res adverſas. Nam Craſſus ſpoliato templo miſere periit, & ſecum perdidit quaſi Romani imperii florem: victus eſt ad Carras ingenti prælio, non procul Babylone, proditus ſcilicet ab exploratore cui nimium fidebat. Poſtea iterum Antonius, quum partiti eſſent orbem terrarum in tres partes, ipſe & Octavius, & Lepidus, iterum miſere afflictus fuit in eodem fere loco adverſus Parthos. Non mirum igitur eſt quod dicit Angelus *territum iri ab Oriente & à Septentrione* Romanos, ſicut re ipſa etiam contigit. Sed tamen dicit *venturos in magna iracundia*, quaſi diceret, etiamſi multas copias amittant, etiamſi graves ſint illæ clades, non tamen ideo deficient animis. Scimus enim ſemper in rebus deſperatis ipſos quaſi aptos vel truculentas beſtias fuiſſe concitatos furore, ut in mortem ipſam ruerent. Et hoc etiam factum eſt, præſertim Auguſto dominante. Nam ille feliciter aliquando pugnavit cum Parthis, & coëgit ipſos ad deditionem, impoſuit conditiones quaſi victor, & coëgit etiam Aquilas referre, quoniam hæc erat maxima ignominia, quod translatæ erant Aquilæ in Perſidem. Coëgit igitur ipſos referre Aquilas, & ita abolevit dedecus quod contractum fuerat ab Antonio. Videmus ergo etiam optime fluere contextum, quod ſcilicet *venient Romani cum magna iracundia ad perdendos multos*, quamvis putabunt Parthi ſe tranquillos fore multis ſeculis, neque unquam auſuros eſſe Romanos quicquam tentare vel aggredi. Nunc ſequitur,

45. **Et figet tabernacula palatii ſui inter maria ad montem deſiderii ſanctitatis, & veniet ad finem ſuum, & non auxiliator ei.**

Tandem concludit Angelus, Romanis fore pacatum imperium in Aſia majore, & in illis plagis Orientalibus: in Syria, in Judæa, & uſque in Perſidem. Jam oſtendimus nihil hic prædici, quod non referant profanæ hiſtoriæ, & quod non ſit ſatis cognitum omnibus qui mediocriter exercitati ſunt in cognitione illorum temporum. Notandum vero eſt quod dicit Regem Romanum *fixurum tentoria palatii ſui*. Significat enim hac loquutione non tantum Romanos bellum geſturos in Oriente, ſed fore totius illius plagæ dominos. Nam dixiſſet fixuros ſua tentoria, ut ſolent qui bellum gerunt, & contentus fuiſſet communi loquendi more, ſed nomen palatii crebris migrationibus opponit, atque ita ſignificat non metaturos caſtra militari more tantum, ſed ſtationem diuturnam fore. Cur autem de tentoriis loquitur? Nempe quia non erit illic imperii ſedes. Nam ſibi ſedulo cavebant, ne plus dignitatis tribuerent ulli loco, quam erat ipſis utile. Ergo ſic Proconſules trahebant ſecum magnos comitatus, ut tamen nullum illis eſſet certum palatium: habebant ſua tentoria, ſed ſæpe habitabant in hoſpitiis, qualia tunc erant hoſpitia. Sic ergo aptiſſime hic loquitur Angelus quum dicit Romanos *fixuros tentoria palatii*, quia ſcilicet domito Oriente, illic tranquille regnarunt: & tamen nulla fuit certa ſedes, quia nolebant ullum locum ſic excellere ut eſſet rebellandi occaſio. Quod dicit *inter maria*, quidam putant notari mare Mortuum, & lacum Aſphaltiten, & opponi mari Mediterraneo. Sed non dubito quin mare Perſicum intelligat Angelus. Neque enim dicit Romanos fore dominos omnium terrarum quæ interjacent inter duo maria, ſed tantum dicit *fixuros tentoria palatii inter maria*. Hoc autem ſcimus factum eſſe, quum à Ponto Euxino dominati ſunt uſque in Perſidem. Scimus quam late patuerit regnum Mithridatis. Nam hiſtorici commemorant viginti duas gentes, quas habuit ſub ditione ſua. Poſtea ab una parte ſtabat Aſia minor, quæ conſtabat multis gentibus, ut alibi dictum fuit. Armenia illis ceſſit poſt devictum Tigranem. Cilicia fuit una provincia duntaxat, imo pars provinciæ, quæ tamen fuit ampliſſima & ditiſſima regio. Habuit quidem multa deſerta & multos montes ſaxoſos & incultos: ſed erant etiam in Cilicia multæ urbes opulentæ, nec tamen effecit integram provinciam, fuit Syria, fuit Judæa: denique non mirum eſt quum dicit Angelus *inter maria* Romanos *fixuros tentoria ſua*. Nam habitabant ultra mare Mediterraneum. Primus illis trajectus fuit in Siciliam, deinde in Hiſpanias: tertio cœperunt extendere manus ſuas in Græciam, deinde in Aſiam majorem adverſus Antiochum: poſtea occuparunt totum Orientem. Nam ab uno littore erat Aſia minor & multæ gentes: deinde ab altero erat mare Syriacum & Judaicum uſque ad mare Ægyptiacum. *Inter maria* igitur videmus fuiſſe tranquillum imperium Romanis, & tamen non fuiſſe ullam Imperii ſedem, quia Proconſules quaſi peregrini apud hoſpites ſuos degebant. Tandem adjungit *venturos ad montem deſiderii ſanctitatis*. Hæc, ut nuper dixi, prophetiæ hujus edendæ cauſa fuit, ne novitas ipſa concuteret animos piorum, quum viderent barbaram gentem & procul ante remotam, eſſe impoſitam ſuis cervicibus, & non minus ſuperbe & contumelioſe, quam crudeliter dominari. Quum ergo tam triſte ſpectaculum objectum eſſet piorum oculis, oportuit non vulgari modo confirmari, ne prorſus ſuccumberent. Ergo prædicit Angelus quid futurum ſit, ut agnoſcant re ipſa nihil ſibi fortuito accidere: deinde ut ſciant divinitus gubernari illos quantumvis turbulentos motus. Sequitur conſolatio, *venturos tandem ad finem ſuum, & neminem illis fore auxilio*. Hoc non ſtatim Impletum fuit. Nam poſtquam Craſſus templum ſpoliavit, quamvis adverſo prælio conflixerit contra Parthos, non tamen ideo ceſſerunt Romani, ſed magis ac magis floruit ipſorum Monarchia ſub Auguſto. Tandem ſcimus urbem à Tito fuiſſe exciſam, & tunc fere ad internecionem uſque extinctum fuit nomen Judaici populi. Sed poſtea ſcimus quam fœda diſſipatio ſequuta ſit. Romani enim dejecti ſunt à toto Oriente: coacti ſunt ſæpius paciſci nunc cum Parthis, nunc cum Perſis, nunc cum aliis gentibus: tandem ablatum illis fuit imperium. Et ſi quis centum annorum hiſtoriam expendat, reperiet nunquam de ulla gente tam atroces pœnas fuiſſe ſumptas, quam de Romanis, nec majore probro ullam Monarchiam fuiſſe everſam. Deus enim incubuit in gentem illam toto furore, ut eſſet quaſi ſpectaculum toti mundo. Ergo non fruſtra dicit Angelus *venturum tandem illis ſuum finem*. Poſtquam ergo omnia populati fuerint, & vaſtaverint, poſtquam illis penetrabiles atque adeo apertæ fuerint omnes terræ, poſtquam illis obviam prodierint omnes populi ut ſe dedant, tandem Romanos ipſos perditum iri, & extinctum. *Nemo* ergo *erit illis auxiliator*. Non dubium eſt quin hoc vaticinium extendatur ad Euangelii promulgationem. Etſi autem ſeculo uno, vel circiter, ante illud tempus Chriſtus natus erat, tamen tunc vere mundo illuxit, quum innotuit per Euangelium. Angelus ergo ad hunc uſque articulum temporis proſequutus eſt vaticinium ſuum. Jam ſubjungit,

CAP. XII.

CAP. XII.

ET tempore illo ſtabit Michaël Princeps magnus, ſtans pro filiis populi tui, & erit tempus afflictionis quale non fuit ab eſſe gentem (*hoc eſt, ex quo cœperunt eſſe gentes*) ad rempus illud uſque: & tempore illo ſervabitur populus tuus quicunque inventus fuerit ſcriptus in libro.

Jam nunc non commemorat Angelus ſpecialiter quid futurum ſit, ſed in genere pronunciat Deum fore Eccleſiæ ſuæ cuſtodem, ut eam mirabiliter conſervet inter multa diſcrimina, inter horrendos motus, denique in profunda malorum caligine, quaſi inter multas mortes. Huc igitur ſpectat hæc ſententia. Nam continet hic verſus duas partes, nempe fore tempus hoc miſerrimum, & refertum variis & fere innumeris calamitatibus. Hæc eſt pars una. Altera vero, Deum nunquam defore Eccleſiæ ſuæ quin eam protegat & ſervet ſua virtute incolumem. Quantum ad ſecundam partem hanc ſpectat, reſtringitur promiſſio ad electos: & poſſet ſtatui hoc tertium membrum: ſed eſt quaſi acceſſio ſecundi, quemadmodum diximus. Atque ideo definit Angelus in fine verſus Eccleſiam, quoniam multi profitebantur ſe eſſe ex populo Dei, qui tamen non erant. Dicit ergo *ſtaturum Michaëlem Principem populi*. Et ſimul neceſſitatem oſtendit, *quia erunt*, inquit, *tempore illo calamitates quales nunquam viſæ ſunt ab initio uſque mundi.* Quoniam Danielem alloquitur, dicit *filios populi tui*. Erat enim unus ex filiis Abrahæ. Populum ergo Danielis vocat ex quo ipſe erat oriundus. Et hinc ſequitur, calamitates de quibus paulo poſt differet, ſpectare ad ipſam Eccleſiam, non autem ad profanas & externas gentes, quia non erat opus ſingulari auxilio Michaëlis, niſi Eccleſia maximis ærumnis oppreſſa. Videmus ergo Angelum in ſumma dicere quod expoſui, nempe Eccleſiam Dei obnoxiam fore plurimis & graviſſimis malis, ubi advenerit Chriſtus, ſed tamen ſenſuram Deum ſibi eſſe propitium, & ejus auxilio ac protectione fore ſalvam. Per Michaëlem hic multorum conſenſu intelligitur Chriſtus, qui eſt caput Eccleſiæ. Si ad Michaëlem Archangelum referre placeat, etiam optime conveniet ſenſus. Scimus enim ſub capite Chriſto Angelos eſſe Eccleſiæ cuſtodes. Quicquid ſit, Deus Eccleſiæ ſuæ fuit ſervator per manum unigeniti Filii ſui: & quia Angeli etiam ſub Chriſti imperio ſunt, potuit mandare has partes Michaëli. Auſus eſt ille fœdiſſimus nebulo Servetus ad ſe trahere hunc locum. Nam quaſi elogium commendationis inſcripſit ſuis horrendis commentis, quia ſcilicet vocatus fuit Michaël. Et videmus ut diabolicus furor abripuerit illam beſtiam, quoniam quod hic dicitur de ſingulari Chriſti auxilio erga Eccleſiam, auſus eſt ſibi arrogare. Erat enim impuriſſimus canis, quemadmodum ſatis nobis compertum fuit. Sed hoc fuit documentum impudentiæ ipſius, & ſacrilegæ etiam amentiæ, quod non erubuit, quum ſe ornaret hoc Chriſti elogio, & ſtatueret ſe quaſi in locum ipſius, dicere & jactare ſe illum eſſe Michaëlem Eccleſiæ cuſtodem, & Principem magnum populi. Res ſatis nota eſt. Liber enim apud me extat, ſi quis mihi non habeat fidem.

Da omnipotens Deus, quando in has miſerias incidimus, de quibus voluiſti nos per Angelum tuum eſſe præmonitos, ſicut & populum veterem, ut nobis quoque affulgeas per manus unigeniti Filii tui: & ita ſentiamus nos invicta ejus virtute tutos ſemper fore, ut ſecuri habitemus ſub ipſius umbra, & ſtrenue fortiterque pugnemus uſque in finem adverſus ipſum Satanam & omnes impios, ut tandem defuncti omnibus noſtris certaminibus, perveniamus ad beatam illam quietem, ubi etiam manet nos fructus victoriæ, in eodem Chriſto Domino noſtro, Amen.

PRÆLECTIO SEXAGESIMA QUINTA IN DANIELEM.

DIximus heſterna lectione Angelum initio duodecimi capitis prædicere qualis futurus eſſet Eccleſiæ ſtatus poſt Chriſtum manifeſtatum, nempe refertus multis miſeriis: diximus etiam lenire mœrorem Danielis & piorum omnium, quoniam promittit ſalvam nihilominus fore Eccleſiam Dei auxilio. Conſtituit vero Daniel Michaëlem cuſtodem Eccleſiæ, quia Deus has partes Chriſto injunxit, quemadmodum teſtatur ipſe
Joan. 10. 10. cap. Joannis: quanquam, ut heri diximus, poteſt
v. 23,29. etiam locus de Angelo exponi. Sed quia Chriſti perſonæ hoc optime convenit, nempe ſtare pro defenſione electi populi, ego libenter amplector eorum ſententiam qui ad Chriſti perſonam referunt. Et vocatur *Princeps magnus*, quia neceſſe fuit opponi invictam Dei fortitudinem tot periculis, quibus obnoxiam fore Eccleſiam dicit Angelus. Scimus quam levibus de cauſis ſæpe horror mentes noſtras occupet: & ubi cœpimus trepidare, nihil poteſt ſedare noſtros tumultus, & perturbationes. Ergo quoniam Angelus hic differit de graviſſimis certaminibus, & ex quibus inſtabit periculum exitii Eccleſiæ, ideo vocat *Michaëlem Principem magnum*, quaſi diceret, Michaël qui cuſtos erit ac præſes electi populi, exeret immenſam Dei potentiam, ut minime dubitandum ſit quin ad ſuos tuendos ſufficiat. Idem confirmat Chriſtus, ut nuper attigi, Joannis 10. cap. Dicit enim omnes electos ſibi à Patre datos eſſe, & neminem ex illis periturum, quia Pater major eſt omnibus, inquit, nemo rapiet oves meas è manu mea. Pater enim qui dedit mihi, major eſt omnibus, hoc eſt, Deus quicquid habet potentiæ, quod eſt infinitum, oſtendet pro ſalute eorum quos elegit ante creatum mundum, & mihi commiſit, vel depoſuit in manu mea. Nunc ergo tenemus rationem hujus epitheti, quum vocatur *Michaël magnus Princeps*. Nam pro magnitudine certaminum oportuit etiam nobis proponi virtutem quæ ſit inſuperabilis, ut inter maximos motus tamen ſimus tranquilli. Quod autem prædicit Angelus tantas calamitates inſtare Eccleſiæ, non fuit illo tempore ſupervacuum: & hodie etiam nobis in primis utile eſt. Videmus ut Judæi felicem ſtatum
imaginati ſint ſub Chriſto: & Apoſtolos tenebat er- Mat. 24.
ror ille, quoniam ſimulac apud ipſos differuit Chri- verſ. 3.
ſtus de excidio templi & urbis, putarunt finem adeſſe mundi, & ita nihil illis venit in mentem præter gloriam & triumphos. Propheta igitur hic edoctus fuit ab Angelo, Deum ſic geſturum curam Eccleſiæ ſuæ, ubi Filium unigenitum manifeſtaverit, ut tamen maneat pios omnes dura conditio, quaſi diceret nondum adeſſe tempus triumphandi, ſed pergendum eſſe in militia, & quidem dura & laborioſa. Nam hic confertur novi populi conditio cum miſeriis veteris illius, quem Deus exercuit multis tum pericu-

lis, tum afflictionibus. Dicit ergo Angelus, etiamſi duriter & aſpere tractati fuerint fideles ſub Lege & Prophetis, tamen inſtare tempus magis moleſtum, quoniam Deus probabit Eccleſiam ſuam multo ſeverius quam antea: & ideo ſubjiciet eam variis generibus crucis. Huc ſpectant hæc verba, *tempus hoc futurum afflictionibus plenum, quales viſæ non fuerant ex quo cœperunt eſſe gentes*, hoc eſt, ex quo creatus eſt mundus: vel ſi hoc referre ad populum ipſum placeat, apta etiam erit expoſitio, nempe quamvis ſemper in ſpeciem miſera fuerit Eccleſia, fore tamen calamitoſam, Chriſto exhibito, magis quam antea fuerit. *Pſal. 129. verſ. 1.* Scimus quid dicatur in Pſalmo, Sæpe oppugnarunt me à juventute mea, traxerunt impii ſuper dorſum meum aratrum. Ergo omnibus ſeculis ſubjecit Deus Eccleſiam ſuam multis malis & incommodis. Sed hic ponitur comparatio veteris & novi populi. & Angelus diſerte exprimit poſtquam apparuerit Chriſtus mundo, Eccleſiam adeoquietam & felicem non fore, ut longe gravioribus malis premenda ſit, quia non mirum eſt, *Rom 8 verſ. 28.* ſi Pater vult nos configurari Filio ſuo unigenito. Et quoniam Chriſtus à morte reſurrexit, etiam ſi durior militia nos maneat, tamen æquo animo hoc ferendum eſt, quia ante oculos nobis verſatur cæleſtis gloria, quæ Patribus longe fuit obſcurior. Tandem ſubjicit, *In tempore illo ſervabitur populus tuus.* Hic expreſſius docet Angelus quantum momenti futurum ſit in præſidio Michaëlis. Promittit igitur certam ſalutem electo populo, quaſi diceret, quamvis periclitetur miſeris modis Eccleſia, tamen reſpectu Dei ipſius ſemper fore tutam & extra omne diſcrimen, quoniam ſuperior erit Michaël cunctis hoſtibus. Ubi ergo Angelus hic hortatur fideles ad crucis tolerantiam, oſtendit ſimul non pugnaturos dubio eventu, quoniam illis repoſita eſt victoria. Quamvis itaque hæc prophetia primo intuitu poſſit gignere nobis & metum & horrorem: tamen ſufficere debet quod opponitur ſolatium, nempe nos in ipſo prælio jam eſſe victores, inter ignes & gladios: denique inter multas mortes, certos tamen eſſe de vita. Quoniam ergo ſalus hic nobis proponitur, ſecuros eſſe oportet, & alacriter deſcendere in omnes pugnas, quia quantum ad nos, pugnandum quidem eſt, ſed Chriſtus nobis vicit, *Joan. 16. verſ. 33.* quemadmodum etiam ipſe loquitur, Confidite, ego vici mundum. Cæterum poſtea reſtringit Angelus per modum correctionis quod generaliter dixerat. Multi enim tunc profitebantur ſe eſſe ex populo Dei: nemo erat ex tota gente, qui non jactaret ſe progenitum eſſe ex ſemine ſancto. Quum ergo cenſeri omnes promiſcue vellent in populo Dei, Angelus hic reſtringit quod dixit de populo, nempe *cunctus populus, qui inventus fuerit in libro ſcriptus*, inquit. *Rom. 9. v. 6, 7, 8.* Hæc particula ſignificat non omnes, qui ſunt ex Iſraële ſecundum carnem, tales coram Deo reputari, quoniam apud ipſum valet ſola gratuita electio. Hic ergo diſtinguit inter titulares filios Abrahæ, & inter legitimos, inter externam Eccleſiam, & arcanam quæ vera eſt Eccleſia, & quæ cenſetur coram Deo. Unde autem pendet hoc diſcrimen, ut alii qui glorientur ſe eſſe Abrahæ filios, tamen repudientur à Deo, alii autem reputentur inter legitimos filios? Nempe ab ipſo Deo & mera ejus gratia. Declarat quidem Deus ſuam electionem quum regenerat electos ſuos Spiritu ſanctitatis, & ita inſculpit illis certam notam, ut probent tota vita ſe veros eſſe ejus filios, & adoptionem ſuam confirment. Interea ad fontem venire neceſſe eſt, nempe quod ſolus Deus gratuita electione diſcernat externam Eccleſiam (quæ nihil habet præter titulum) à vera Eccleſia, quæ perire vel excidere non poteſt. Sic videmus plurimis Scripturæ locis rejici hypocritas qui turgent ſuperbia, quoniam externa ſymbola geſtant cum filiis Dei communiter. Et ideo hæc reſtrictio nobis notanda eſt, ut ſciamus nullius eſſe momenti externam pompam, atque ut millies occupemus locum in Eccleſia, hoc tamen nihil nobis prodeſſe, niſi vere ſimus populus Dei, quemadmodum etiam dicitur Pſalmo 15. & 24. Nam huc tendit uterque Pſalmus, ſicuti etiam Pſalmus 73. Quam bonus Iſraëli Deus, nempe qui recto ſunt corde. Quanquam in his locis Pſalmorum non ſtatuitur cauſa in electione arcana Dei, ſed in externo teſtimonio, quod etſi inferius eſt ordine, tamen non pugnat cum prima cauſa. Obtinet quidem ſuum gradum, ſed electio Dei ſemper dominatur. Et ideo per *librum* hic notatur æternum conſilium Dei, quo nos elegit & ſibi adoptavit in filios ante creatum mundum, ſicuti dicitur primo *Epheſ. 1. verſ. 4.* ad Epheſios capite. Eodem etiam ſenſu dicit Ezechiel capite 13. quum invehitur adverſus pſeudoprophetas qui fallebant populum Iſraël, *Eze. 13. verſ. 9.* Manus mea, inquit Deus, erit ſuper Prophetas iſtos, qui populum meum decipiunt. Non erunt igitur in arcano cœtu (*Beſod*) populi, neque etiam in ſcriptura, inquit, domus Iſraël reperientur. Ponitur tamen illic verbum, quod ſignificat ſcribere. Ergo in ſcriptura domus Iſraël non ſcribentur, inquit. Hic vero ponitur nomen libri eodem ſenſu. Et interea nihil craſſum fingere oportet, quaſi Deus opus habeat libro. Nam liber ejus eſt æternum illud conſilium, quo ſuos ſibi prædeſtinat & eligit in ſpem æternæ ſalutis. Nunc ergo tenemus ſummam hujus doctrinæ, quod ſcilicet Eccleſia manebit ſalva inter multas mortes, atque in ultima deſperatione tamen evadet Dei virtute & auxilio. Sed tenenda eſt definitio Eccleſiæ, quoniam multi ore jactant ſe eſſe Dei filios, qui tamen extranei ſunt. Ergo veniendum eſt ad electionem, quia ex illo fonte manet ſalus noſtra. Jam gratuitam adoptionem, quæ per ſe eſt abſcondita, ſequitur vocatio quæ eſt ejus teſtimonium, quum ſcilicet Deus regenerans nos Spiritu ſuo, inſculpit ſuas notas & inſignia unde agnoſci poſſit nos eſſe vere ejus filios. Sequitur,

2. Et multi ex dormientibus (*vertunt, ad verbum in terra pulveris*) in terra pulvere, (*vel, multi ex dormientibus, qui ſunt terra & pulvis. Ita genitivus eſſet loco epitheti, poteſt tamen appoſitive legi: hoc eſt, qui redacti ſunt in terram & pulverem*) evigilabunt, hi in vitam ſeculi, (*hoc eſt, perpetuo*) hi vero in opprobrium & in abominationem perpetuam.

Videtur Angelus hic tranſitum facere ab exordio prædicati Euangelii ad ultimum diem reſurrectionis non ſatis opportune. Cur enim tranſit tempus intermedium, de quo multa certe dicenda erant? Sed optime vel aptiſſime conjungit hæc duo, nempe ſalutem Eccleſiæ cum reſurrectione ultima, vel cum ſecundo Chriſti adventu. Si enim circumſpicimus huc & illuc, nuſquam occurret nobis materia ſalutis in terra. Pronunciat Angelus omnes electos fore ſalvos. Jam electi dum miſerrime undique premuntur, ſi oculos vertant in omnes partes, jacebunt ſemper confuſi. Ergo non ante concipi poterit ſpes ſalutis promiſſæ, quam ſi electi animos ſuos attollant in ſecundum Chriſti adventum. Perinde igitur eſt acſi dixiſſet Angelus, Deus Eccleſiæ ſuæ ſervator quidem erit uſque ad finem, ſed modus ipſe ſervandi ne æſtimetur ex ſenſu carnis, quoniam Eccleſia ſimilis erit mortuo cadaveri uſque dum reſurgat. Videmus ergo idem Angelum nunc docere quod aliis verbis tradit Paulus, nos eſſe mortuos, & vitam noſtram *Coloſ. 3. verſ. 3.* abſconditam eſſe cum Chriſto, tunc vero manifeſtam fore quum apparuerit è cælis. Hoc quidem initio

tenen-

tenendum eſt, Deum ſatis potentem eſſe ad nos tuendos, & ideo minime dubitandum eſſe, quin ſalvi ſimus ſub ejus manu & tutela: ſed interim neceſſe eſt hoc ſecundum adjungi, nempe quamdiu oculos noſtros defigimus in præſenti ſtatu, vel conſideramus quid ſeſe nobis in mundo offerat, ſemper fore ſimiles mortuis. Quare? Oportet vitam noſtram eſſe abſconditam cum Chriſto. Salus igitur nobis certa eſt, ſed in ſpe, quemadmodum etiam dicit Paulus
Rom. 8. alio loco, nempe 8. ad Rom. cap. Quod autem ſpe-
v. 23, 24. ratur non videtur, inquit. Ergo videmus tranſitum non fieri intempeſtive à doctrina illa quæ præceſſit de ſalute electi populi, ad ultimum Chriſti adventum. Hoc quantum ad contextum pertinet. *Multos* autem hic ponit pro omnibus, ut certum eſt. Neque hæc loquutio debet nobis videri abſurda. Non enim *Rabbim* opponit Angelus omnibus vel paucis, ſed opponit uni. Quod autem ex Judæis quidam ad inſtaurationem Eccleſiæ hoc trahunt, quæ futura eſt ſecundum ipſos in mundo, prorſus eſt frivolum. Neque enim ſtaret quod dicitur, *Reſurrecturos eſſe alios in vitam, alios in opprobria & abominationem.* Si hoc tantum in Eccleſiam Dei competeret, certe nulli reſurgerent in opprobria & abominationem. Sequitur ergo hic Angelum diſſerere de reſurrectione ultima, quæ omnibus communis eſt, ita ut nulla ſit exceptio. Cur autem nos ad diem illum adventus Chriſti vocet, nuper expoſui, quoniam ſcilicet in mundo omnia ſemper confuſa erunt. Neceſſe igitur eſt mentes noſtras attolli ſurſum, & ſuperare quicquid nunc oculis cernitur, & quicquid poteſt ſenſu comprehendi. *Reſurgent* ergo *ex dormientibus in terra, & pulvere*, hoc eſt, quamvis ſint terra & pulvis, nihilominus reſurgent, quaſi diceret ſpem reſurrectionis non eſſe fundatam in aliqua naturali cauſa, ſed pendere ab inæſtimabili virtute Dei, quæ ſuperat omnes ſenſus noſtros. Itaque quamvis redigendi ſint tam electi, quam reprobi in terram & pulverem, non tamen hoc fore obſtaculo, quo minus Deus omnes excitet. Ponit *terram pulverem*. *Admath* hic eſt genus meo judicio, *Aphar* autem eſt ſpecies, quaſi diceret, Etiamſi non tantum putrida ſint cadavera, ſed ſint redacta in pulverem, hoc eſt, terram minutam, Deus tamen ſatis magna potentia præditus eſt, ut mortuos excitet in novam vitam. Hic autem locus apprime notatu dignus eſt, quia nuſquam in Prophetis clarius extat teſtimonium de reſurrectione ultima, præſertim quum diſtincte aſſerat Angelus, tam impios, quam electos reſurrecturos, idque in vitam ſempiternam, vel in opprobria & abominationem. Æternitas autem hæc opponitur temporalibus miſeriis, quibus nunc ſubjecti ſumus. Et hic notanda eſt Pauli admonitio, nempe momentaneas afflictio- Rom 8.
nes, quibus Deus nos exercet, non poſſe conferri verſ. 18.
cum æterna illa gloria, quæ fine caret. Hæc igitur ratio eſt cur diſerte Angelus exprimat vitam ſempiternam manere electos, opprobria autem & abominationem æternam, vel ſeculi, manere reprobos. Poſtea ſubjicit,

3. Et prudentes (*vel intellectu præditi. Alii tranſitive accipiunt, & hoc forte loco probabilis eſſet eorum opinio, quia mox iiſdem tribuit juſtificandi partes. Sed cap. 11. melius quadrabat prior ſenſus, & paulo poſt verſu* 10. *abſolute ponetur. Ergo qui intellectu ſunt præditi*) fulgebunt quaſi fulgor expanſionis, (*cælorum: vertunt firmamentum Harakia*) & qui juſtificant multos, (*hoc eſt, qui juſtificaverint multos*) ſicut ſtellæ in ſeculum & ſeculum. (*id eſt, in perpetuum*)

Hic Angelus confirmat quod nuper attigi de reſurrectione ultima, & oſtendit fructum hunc ſatis nobis eſſe, quod ſcilicet repoſita eſt nobis æterna gloria in cælo. Non eſt igitur cur queramur indigne nobiſcum agi, quamvis Deus non ita delicate nos tractet, quoniam ſufficere nobis debet cæleſtis gloria, & ejus vitæ, quæ nobis promiſſa eſt, perpetuitas. Dicit autem doctores, vel *qui intellectu erunt præditi, fore fulgidos quaſi lucem cælorum.* Si doctores notari placeat, erit ſynecdoche, ideoque generalem expoſitionem ſequar. Vocat intellectu præditos qui non diſcedent à recta & pura Dei cognitione, quemadmodum fuſius poſtea dicetur. Nam ponet Angelus antitheſin inter veſanos, qui contempto Deo inſaniunt in ſua ſuperbia, & inter fideles, quorum tota ſapientia eſt, Deo ſe ſubjicere, & ipſum colere puro animi affectu. Illic ergo plura dicenda erunt die craſtino. Sed nunc dicit eos qui ſinceram pietatem retinuerint, fore ſimiles *luci expanſionis*, hoc eſt, fore hæredes regni cælorum, ubi potientur gloria, cui nihil eſt par in toto fulgore mundi. Neque enim dubium eſt quin hic Angelus quod incomprehenſibile eſt, figuris deſignet, quaſi diceret, non poſſe quicquam reperiri in mundo, quod gloriæ electi populi reſpondeat. *Et qui juſtificaverint multos, quaſi ſtellæ*, inquit. Hic aliis verbis idem repetit. Nam ponit nunc *ſtellas*, quum antea dixerit *fulgorem expanſionis*, ſed eodem ſenſu: pro intellectu præditis dicit eos *qui juſtificaverint*. Non dubium eſt quin doctores præcipue hic notet Angelus: tamen, meo judicio, complectitur omnes pios Dei cultores. Neque enim quiſque ex filiis Dei ſibi privatim eſt addictus, ſed debet quantum in ſe eſt, conſulere etiam fratrum ſuorum ſaluti. Hac enim lege depoſuit apud nos Deus ſalutis doctrinam, non ut eam quiſque ſupprimat, ſed ut ſtudeat viam ſalutis aliis omnibus monſtrare. Hoc igitur communiter extenditur ad omnes Dei filios, nempe quod debent ſtudere fratrum ſaluti. Hoc per juſtificandi verbum intelligit Angelus, non quod ſit in hominum arbitrio quenquam juſtificare, ſed quod proprium Dei eſt transfertur ad ejus miniſtros. Interea certum eſt nos juſtificari doctrina, quæ affert nobis fidem, ſicuti etiam fide juſtificamur, quæ à doctrina pendet. Cur fidei juſtitia noſtra aſcribitur? Nempe quia fides nos ad Chriſtum dirigit, in quo eſt tota perfectio juſtitiæ. Nunc ſi fides juſtificat, eadem etiam ratione doctrina. Qui autem doctrinam hanc nobis afferunt, etiam miniſtri ſunt noſtræ juſtificationis. Perinde igitur eſt acſi diceret Angelus filios Dei, qui & ſe totos addicent Deo, & ſpiritu prudentiæ regentur, deinde qui etiam monſtrabunt aliis viam, eos non tantum ſalvos fore, ſed etiam potituros inæſtimabili gloria, cui nihil ſimile poteſt oſtendi in mundo. Hæc ſumma eſt. Hinc vero colligimus quænam ſit vera prudentia, nempe ubi ſimplici docilitate ſubmittimus nos Deo, ſed neceſſe eſt etiam alterum accedere, ut ſedulo curemus ſalutem fratrum noſtrorum. Et effectus ipſe laboris noſtri debet animos addere & alacritatem. Quanto enim honore nos dignatur cæleſtis Pater, quum vult nos eſſe miniſtros ſuæ juſtitiæ? Sicuti etiam dicit Jacobus, nos Jacob. 5.
ſervare qui perituri erant, ſi eos in viam reducamus. verſ. 19.
Vocat nos Jacobus ſervatores, ſicuti etiam Angelus vocat nos juſtificatores, non quod interea quicquam vel Jacobus, vel Angelus delibet ex Dei gloria, ſed his loquendi formis ſignificat Spiritus nos eſſe miniſtros & juſtitiæ & ſalutis, quum adducimus nobiſcum in ſalutem eos, qui opus habebant noſtro labore adjuvari. Tandem ſequitur,

4. Et tu Daniel, claude (*vel obſera*) verba, (*ſermones*) & obſigna librum ad tempus finis: (*hoc eſt, ad tempus præfixum, quod Deus finivit ſuo conſilio, ut ante docuimus*) diſcurrent multi, (*vel indagabunt: Schuth ſignificat quidem diſcurrere, ſed non accipitur in malam partem pro vagari: imo ſæpe etiam ſignificat inveſtigare: multi ergo inveſtigabunt*) & augebitur ſcientia.

Hunc locum exponunt interpretes acſi diceret Angelus multos fore indignos, quos admittat Daniel ad hoc vaticinium, ideo claudendum eſſe inter paucos, vel ſaltem ænigmatice eſſe tradendum, ut vix centeſimus quiſque aſſequatur quod dictum fuerit. Ego autem exiſtimo aliud fuiſſe conſilium Spiritus ſancti, nempe quaſi dixiſſet Angelus, Non eſt quod deſpondeas animum, aut vileſcat apud te hæc prophetia, quoniam pauci eam excipient, imo paſſim ſpernetur & ludibrio habebitur, *claude nihilominus eam* inſtar pretioſi theſauri. Idem fere valet locus
Jeſa 8. verſ. 16. ille Jeſaiæ 8., Claude Legem meam, obſigna teſtimonium inter diſcipulos meos. Jeſaias enim poterat frangi animo quum videret ſe eſſe deſpectui apud omnes, & quaſi pedibus calcari ſacra Dei oracula. Poterat ergo abjicere animum, & ita ſe abdicare officio doctoris. Deus autem ſolatium adhibet, Claude, inquit, inter diſcipulos meos Legem meam, hoc eſt, ne moreris profanum hoc vulgus. Quamvis ergo omnes tuam doctrinam ſpernant, non eſt quod propterea exiſtimes vocem tuam eſſe ludicram: claude, claude inter diſcipulos, inquit, hoc eſt, quamvis pauci ſint qui hanc doctrinam amplectantur, ſit tamen repoſita in piorum cordibus, & ſancta maneat. Poſtea ſequitur apud Prophetam, Ecce pueri mei mecum, Illic gloriatur Propheta ſe contentum eſſe paociſſimis, & ita inſultat multitudini impiæ quæ inſoleſcebat, quemadmodum hodie videmus fieri in Papatu: & in toto orbe ita graſſatur impietas, ut nullus fere ſit angulus, ubi major pars conſentiat in verum Dei obſequium. Ergo quoniam futurum videbat Deus, ut pauciſſimi amplecterentur qua decebat reverentia hoc vaticinium, ideo per Angelum voluit animare Prophetam, ne deficeret, vel ne putaret minoris pretii eſſe hoc vaticinium, quia non excipietur plauſu totius mundi. *Claude* ergo *librum*. Et quid eſt claudere? non ut omnibus ſit abſconditus, ſed ut Propheta ſatis habeat, ubi viderit paucos tamen eſſe qui reverenter amplectantur doctrinam, quæ fuerat illi per Angelum patefacta. Non eſt autem hoc propriæ mandatum, hoc eſt, non ſimpliciter Angelus præcipit Danieli, ut abſcondat vel obſignet hunc librum & hos ſermones, ſed hoc ſubjicitur ſolatii loco, quaſi diceret, Si omnes conſpuant in hanc doctrinam, vel ubi propoſueris eam rejiciant, ſi major pars illam contemptim prætereat, *claude*, inquit, *ac obſigna*, hoc eſt, ne vileſcat tibi propterea, ſed maneat apud te inſtar theſauri. Ego enim eam depono apud te, & inter diſcipulos meos conſerva. *Tu* igitur *Daniel*. Ideo exprimitur nomen Prophetæ, quaſi diceret, Etiamſi putas te nunc eſſe ſolum, tamen erunt qui poſtea accedent tibi ſocii, & ſubſcribent vera pietate huic vaticinio. *Claude* ergo, *& obſigna uſque ad tempus finis*, hoc eſt, tandem Deus comprobabit ipſo eventu ſe non fruſtra loquutum eſſe, & experientia patebit me fuiſſe ab ipſo miſſum, ut tibi hæc ante tempus prædicerem. Jam ſequitur, *Inveſtigabunt multi, & augebitur ſcientia*. Quidam contrario ſenſu accipiunt hoc ſecundum membrum, quod ſcilicet multi erratici ſpiritus per vagas ſpeculationes diſcurrent, atque errabunt. Sed illud eſt nimis coactum. Ego itaque non dubito quin hic promittat Angelus venturum eſſe tempus, quo Deus multos ſibi diſcipulos colliget, quamvis initio pauciſſimi erunt ac fere nulli. *Multi* ergo *inveſtigabunt*, hoc eſt, etiamſi nunc ut plurimum ignavi ſint ac ſocordes, qui jactant ſe eſſe ex populo Dei, tamen Deus colliget ſibi hinc inde magnam copiam. Eſt quidem nunc exiguus numerus, imo nulli fere apparent fideles, quibus curæ ſit Dei veritas, vel qui ſtudium ſuum ad eam diſcendam applicent, ſed ne te moveat hæc paucitas. Tandem enim fiet, ut augeſcant filii Dei. *Multi* ergo *inveſtigabunt*, *& ſcientia augebitur*, hoc eſt, non ſemper in obſcuro latebit hæc prophetia. Dominus enim tandem efficiet, ut multi eam amplexentur, & quidem in ſalutem; quod etiam videmus fuiſſe factum. Ante adventum Chriſti non obtinuit pretium ſuum & gratiam hæc doctrina. Scimus enim quanta tunc fuerit inſcitia & ruditas, ut denique fere ſubverſa fuerit religio, tamen poſtea Deus Eccleſiam ſuam auxit. Et hodie quanta ad nos redeat utilitas ex hoc vaticinio quiſque apud ſe expendat: nullis certe verbis poteſt ſatis exprimi; quia niſi ſervata nobis fuiſſet hæc prophetia, & quaſi recondita inſtar inæſtimabilis theſauri, multum fidei noſtræ decederet. Habemos autem adjumentum ad nos confirmandos, quod ſuperare poteſt omnes diaboli, & mundi, & inferni inſultus.

Da omnipotens Deus, quando toto vitæ noſtræ curriculo nobis pugnandum eſt, & quidem variis modis, deficiunt autem nobis vires, ut ſuffulti tua virtute, perſtemus uſque ad extremum, nec unquam deficiamus, ſed diſcamus emergere ſupra totum mundum, & reſpicere in illam beatam æternitatem ad quam nos invitas, neque dubitemus, quin ſic pugnet pro nobis Chriſtus Filius tuus, in cujus manu & virtute eſt noſtra victoria, ut ſemper admiſſurus ſit nos in ſocietatem ejus victoriæ, quam nobis peperit, donec tandem ſecum ultimo die colligat in fruitionem quoque triumphi, in quo nos præceſſit, Amen.

PRÆLECTIO SEXAGESIMA SEXTA

IN

DANIELEM.

5. Et aſpexi ego Daniel, & ecce duo alii ſtantes, unus hac ad ripam fluminis, & unus (*id eſt, alter*) illac ad ripam fluminis. (*hoc eſt, unus à parte una, & alter à parte oppoſita.*)

6. Et dixit ad virum qui indutus erat lineis, (*veſtibus, ſubaudiendum eſt*) qui erat ſupra aquas fluminis, (*hoc eſt, eminebat in ipſa ripa*) Quouſque finis mirabilium?

7. Et audivi virum indutum lineis, qui erat ſupra aquas fluvii, & ſuſtulit dextram ſuam, & ſiniſtram ſuam verſus cælos, & juravit per Viventem in æternum, quod ad tempus præfixum, tempora præfixa, & dimidium: & ut conſumpſerint (*vel compleverint*) diſperſionem (*vel contritionem*) manus populi ſancti, complebuntur omnia hæc.

Narrat hic Daniel ſe vidiſſe alios Angelos ſtantes ab utraque ripa fluminis. Tigrim vero deſignat, quemadmodum ante meminit. Illic enim oblata fuit hæc viſio. Dicit *unum ex illis fuiſſe ab altero rogatum, quouſque eſſet finis*: eum vero qui rogatus fuerat, manibus in cælum ſublatis, juraſſe per Deum viventem nihil fruſtra fuiſſe prædictum, quoniam ſuo tempore veritas patefiet, ſed expectandum *ad tempus, tempora, & dimidium temporis.* Hæc ſumma eſt. Quum dicit *ſe aſpexiſſe*, iterum certitudinem viſionis commendat. Niſi enim fuiſſet attentus, & ſerio applicuiſſet animum ad hæc myſteria, minus haberet fidei ejus narratio. Sed quum animo compoſito fuerit, deinde quum ſtuduerit intelligere quod Deus per Angelum ſuum docebat, non poteſt vocari in dubium quod tam fideliter nobis tradit. Nomen virorum attribuit Angelis, ſecundum eam rationem quæ prius fuit expoſita. Neque enim ſignificat vere fuiſſe homines, ſed nomen illis imponit ab externa ſpecie. Quoniam ergo geſtabant faciem humanam, ideo viros appellat. Neque tamen dico imaginarium illis fuiſſe corpus, aut quum Daniel videret homines, fuiſſe duntaxat ſpectra aut larvas, ſed fieri potuit ut Deus induerit Angelos ſuos ad tempus corporibus, neque tamen ideo eſſent homines. Nam Chriſtus ſic carnem noſtram accepit, ut [1 Tim. 3. verſ. 16.] vere fuerit homo, & Deus manifeſtatus in carne. Aliter autem de Angelis dicendum eſt, quibus datum fuit temporale corpus, donec ſuis mandatis eſſent defuncti. Hoc quidem dubitatione caret, improprie virorum nomen attribui Angelis, ſed apte propter ſimilitudinem, vel formam hominum quam geſtabant. Quod autem alter ex Angelis alterum interrogat, non mirum eſt. Scimus quum Paulus extollit myſterium vocationis Gentium, quod fuerat [Epheſ. 3. verſ. 10.] abſconditum à ſeculis, hoc etiam adjungi, Angelis eſſe admirabile: quia ſcilicet prius nihil tale ſperaverint, quia patefactum illis non erat. Sic igitur mirabiliter operatur Deus in Eccleſia ſua, ut Angelos ipſos cæleſtes in admirationem rapiat. Et ſcimus [Mat. 24. verſ. 36.] multa Angelis ipſis eſſe incognita, ut teſtatur Chriſtus de extremo die. Hæc igitur ratio eſt cur Angelus hic interroget *quouſque finis mirabilium*. Et impulit Deus haud dubie Angelum ſuum, ut ſciſcitaretur quaſi de re obſcura, quo mentes noſtras expergefaceret. Nimis enim abſurdum eſſet, neglectim hæc à nobis legi & tranſcurri, ubi Angeli ipſi anxie interrogant, & vident ſubeſſe arcanam Dei virtutem. Ergo hæc dubitatio Angeli, niſi pluſquam ſtupidi ſimus, debet nos ad majorem & attentionem & ſtudium erigere. Et eodem etiam ſpectat nomen *Plaoth*. Vocat enim *Mirabilia* Angelus quæ etiam ipſum latebant. Nunc ſi fiat comparatio, quantæ ingratitudinis erit, non addicere nos totos ad hæc myſteria conſideranda, quæ Angeli ipſi coacti ſunt fateri eſſe ſupra captum ſuum? Nam quaſi attonitus vocat Angelus Mirabilia, quæ non tantum humanis mentibus abſcondita erant, ſed ſibi & aliis ſociis. *Alter autem reſpondet.* Unde apparet, inter Angelos eſſe aliquod diſcrimen, non perpetuum. Neque enim hic admitti debet illa philoſophia Dionyſii, qui ſpeculatur nimis argute, vel potius profane ludit, quum diſſerit de ordinibus Angelorum. Sed tantum hoc dico, diſcrimen eſſe, quia Deus varie officia partitur inter Angelos ipſos, & cuique certum modum gratiæ & revelationis diſpenſat, prout viſum eſt. Scimus quidem unicum eſſe doctorem hominum & Angelorum, nempe Filium Dei qui æterna eſt ejus ſapientia & veritas. Et poſſet hoc ad ipſum Chriſtum referri: cæterum quia nihil pro certo aſſeri poteſt, contenti ſimus ſimplicitate illa, quam poſui. Dicit *Angelum hunc fuiſſe indutum lineis veſtibus*, nempe ad ſplendorem. Lineæ enim veſtes erant tunc majore in pretio: & ideo ſignificat additum fuiſſe ornamentum, & decus Angelis, ut Deus ipſos diſcerneret à vulgo hominum, & poſſet Daniel ipſe ſtatim concipere, non eſſe mortales ex terra genitos, ſed potius Angelos, quibus Deus formam illam ad tempus induerat. Dicit *Angelum hunc extuliſſe manus ſuas in cælum.* Quod hoc ſymbolum potentiæ quidam eſſe volunt, ratione caret. Non dubium igitur eſt quin ſolennem jurandi ritum deſignet Propheta. Sæpe tollebant manum dextram, ſicuti plurimis Scripturæ locis conſtat, Levavi ma- [Geneſ. 14. verſ. 22.] num meam ad Deum. Jusjurandum ergo externo illo ſigno notat. Sed hic Angelus utramque manum levat, quia ſcilicet voluit hoc modo exponere rei magnitudinem. Plus enim eſt duas manus attollere, quaſi duplicaſſet jusjurandum, quam ſi levaſſet manum dextram pro communi more. Tenendum igitur eſt, utramque manum fuiſſe adhibitam ad confirmationem jurisjurandi, quoniam maximi ponderis res erat. Sequitur, *Ad tempus, tempora, & dimidium temporis*. Dixi antea me non ſubſcribere eorum ſententiæ qui hic putant annum unum, & duos, & dimidium præfigi. Fateor quidem, quum de polluto templo ante diſſeruit Propheta, locum ſic debuiſſe intelligi. Nam conſtat ex hiſtoriis non fuiſſe purgatum templum, niſi poſt finem triennii, & ſeptem vel octo menſes. Valeat illud ſuo loco: ſed quantum ad doctrinam quæ hic traditur pertinet, ſimpliciter, ut etiam antea, *tempus* hic ponitur pro longo tractu, *tempora*, pro longiore tractu, *dimidium* vero pro fine, vel exitu. Summa igitur eſt, adhuc multos annos eſſe expectandos, donec compleat Deus quod Prophetæ ſuo oſtendit. Ergo *tempus* diuturnam moram ſignificat, *tempora* autem quaſi duplicem, acſi diceret, Ubi diu ſpem ſuam filii Dei ſuſpenſam tenuerint, tamen nondum compotes erunt ſuorum votorum, quia prorogabitur illis tempus, imo duplicabitur. Videmus ergo tempus non accipi præciſe pro anno uno, neque tempora pro duobus annis, ſed notari diuturnitatem. Quantum attinet ad *dimidium temporis*, hoc additur ad ſolatium piorum, nempe ne frangantur tædio, quamvis Deus non ſtatim expleat ipſorum deſiderium, ſed patienter quieſcant, donec effluxerit tempus, & effluxerint etiam tempora. Cæterum per *dimidium temporis* proponitur illis exitus, ne prorſus deſperent propter longitudinem moræ. Eſt quidem alluſio, ut ſtatim dicam, ad annos, ſed tamen ſciendum eſt, non præſcribi hic tres annos duntaxat cum dimidio, ſed metaphorice accipi, quemadmodum jam dixi, triennium cum dimidio anno, pro diuturno tempore. Poſtea adjungit, *Et in complemento*, vel conſumptione *diſperſionis*, vel contritionis *manus populi Dei complebuntur omnia hæc*, id eſt, neceſſe eſt ut prætereat tempus, deinde accedant tempora, donec ſequatur dimidium temporis, dum hæc omnia ad effectum ſuum perveniant, idque dum completur, inquit, vel dum finitur *contritio manus populi ſancti*. Iterum Angelus commemorat, Eccleſiam Dei fore conſtrictam multis malis, & ideo totus hic verſus continet exhortationem ad tolerantiam, ne fideles ſpem ſuam abjiciant, vel ne langueſcant ipſorum animi, etiamſi graves & multiplices ærumnæ ferendæ ſint, neque id paucis tantum menſibus, ſed diuturno temporis tractu. Vocat *contritionem manus populi ſancti*, ſi ita legere placeat, metaphorice, quaſi diceret, nullas fore vires populo ſancto, perinde acſi manus eſſent illis contritæ. Scimus enim ſi quid eſt in homine agilitatis, perſpici in manu, & etiam manus in hunc uſum datæ fuerunt homini à Deo, ut ſeſe extendant per omnes corporis partes, & exequantur etiam quicquid agitur fere ab homine. Nunc ergo metaphora optime quadrat, quaſi diceret mutilum fore populum, ita ut nullæ vires, nullus vigor ſuppetat. Hæc ſumma eſt. Si diſperſionem

legimus, quemadmodum communis eſt ſignificatio, non male etiam conveniet, quod diſperſa erit manus populi ſancti, hoc eſt, Eccleſia peregrinabitur in mundo, & erit quaſi diſſipata. Videmus etiam hoc à tempore illo uſque in præſentem diem fuiſſe completum. Hodie quam triſtis eſt Eccleſiæ diſſipatio? Deus quidem eam tuetur ſua virtute, ſed præter ſpem hominum. Ubi enim apparet nobis Eccleſiæ corpus? Et ubi apparuit etiam omnibus ſeculis? Imo ſunt fruſta quædam lacera & diſperſa. Ergo non fruſtra diceret Angelus, ſi ita interpretari libet, manum populi ſancti fore diſperſam, ſed tamen finem fore beatum, quemadmodum paulo ante concionatus eſt de ſalute, & de reſurrectione ultima. Nunc ſequitur,

8. Et ego audivi, & non intellexi: & dixi, Domine mi, quod poſtremum horum? (*hoc eſt, quis tandem finis his rebus?*)

Hic jam Daniel exemplo Angeli edoctus interrogat. Prius audierat Angelum unum ſciſcitantem ex altero: nunc quaſi concepta fiducia, ipſe etiam, ut erat diſcendi cupidus, ſeſe offert, & quærit, quiſnam tandem finis vel exitus? Dicit *ſe audiſſe neque intellexiſſe.* Verbo audiendi teſtatur ſe non fuiſſe ignarum vel ſocordia, vel contemptu. Multi enim etiamſi res aliqua optime explicetur, tamen diſcedunt ſine ullo guſtu, nempe quia non fuerunt attenti. Sed hic Propheta aſſerit ſe audiſſe, hoc eſt, non ſtetiſſe per diligentiam, quo minus intelligeret, quia ſicuti dictum fuit, cupidus erat diſcendi, & præbebat aures: tamen fatetur *ſe non intellexiſſe.* Hic non intelligit Daniel prorſus ſe fuiſſe ſtupidum, ſed hæc ignorantia reſtringitur ad ejus interrogationem. Quid ergo neſcivit Daniel? Nempe quis eſſet finis, hoc eſt, non potuit aſſequi quod ad plenam intelligentiam & ſolidam neceſſarium erat, quid ſibi vellent tot prædictiones, quæ tunc adhuc erant obſcuræ. Certum enim eſt Deum nunquam verbum ſuum proferre abſque fructu, quemadmodum dicitur apud Je- *Jeſa. 45.*
ſaiam, Non in abſcondito loquutus ſum, neque *verſ. 19.*
fruſtra dixi ſemini Jacob, Quærite me. Noluit igitur Deus Prophetam ſuum manere ita perplexum, ut audiendo non audiret, ſed ſcimus certos eſſe proficiendi gradus in Dei ſchola. Deinde ſcimus Prophetis fuiſſe manifeſtum quod ſatis erat ad exequendum ſuum munus: nemo tamen eorum perfecte unquam tenuit quicquid poterant expetere. Et ſcimus quid Petrus dicat, nempe illos tempori noſtro po- *1 Petr. 1.*
tius, quam ſuo miniſtraſſe. Non erant quidem inuti- *verſ. 12.*
les ſuæ ætati: ſed ſi conferatur noſtrum ſeculum cum veteri, certe hodie utilior eſt Prophetarum opera & doctrina, & uberiorem nobis fructum affert, quam olim. Ergo non mirum eſt, quod Daniel hic fatetur *ſe non intellexiſſe*, modo hoc, quemadmodum jam dixi, ad ſpeciem unam reſtringatur. Sequitur nunc,

9. Et dixit, Vade Daniel, quia clauſi ſunt, & obſignati ſermones ad tempus finis. (*hoc eſt, ad tempus præfixum, ut prius expoſuimus.*)

Quamvis Daniel non ſtulta curioſitate inductus quæſierit ex Angelo de fine mirabilium, tamen non obtinet quod petebat, quia ſcilicet voluit Deus ad modum aliquem intelligi quæ prædixerat, ſed tamen aliquid manere occultum uſque dum veniret maturum plenæ revelationis tempus. Hæc igitur ratio eſt cur Angelus non exaudiat Danielem. Pium quidem erat ejus votum (neque enim, ut dictum fuit, optat quicquam ſcire pluſquam fas eſſet) verum Deus ſcit quid opus ſit, ideo non conceſſit illi quod optabat. Dimittitur ergo ab Angelo, *quoniam clauſa ſunt & obſignata verba.* Hic alio ſenſu dicit Angelus verba clauſa eſſe, quam prius. Nam jubebat Danielem claudere & obſignare ſermones inſtar pretioſi theſauri, quamvis apud multos incredulos & totum fere populum vileſcerent. Hic autem dicit *ſermones eſſe clauſos & obſignatos*, quia nondum opportuna ſit revelatio, quaſi diceret nihil fruſtra vel temere fuiſſe quidem prædictum, ſed tamen plenam lucem nondum maturam eſſe: ergo expectandum donec ipſa veritas vel effectus ipſe rerum comprobet divinitus Angelum fuiſſe loquutum. Hæc eſt ſumma. Et ideo dicit, *Ad tempus finis.* Poterat enim quiſpiam excipere, quorſum igitur oportuit hæc prædici. Nam Daniel ipſe qui edoctus fuit ab Angelo, non tamen potuit penitus aſſequi quod dictum erat: deinde alii etiam fideles verſati ſunt in hoc vaticinio quaſi in labyrintho aliqua ex parte. Reſponſio hic additur, *uſque ad tempus finitum*: & tamen ſimul memoria tenendum eſt neque Danielem, neque alios pios luſiſſe operam in hoc vaticinio. Deus enim patefecit illis quantum ſatis erat pro temporis ratione. Sequitur, (Nam levius multa prætereo, ut hodie finiam.)

10. Mundabuntur, & dealbabuntur, & fundentur multi, (*vel excoquentur: verbum hoc Tſaraph ſignificat fundere: ſed accipitur hic translatitie pro purgare*) & impie ſe gerent impii: & non intelligent omnes impii: & prudentes intelligent.

Iterum commemorat Angelus perſequutiones quæ inſtabant, ut ſcilicet fideles armaret ad obeunda certamina. Scimus alioqui quam teneri ſint nobis ac molles animi. Nam ſimulac nobis objicitur aliquis metus, antequam ad manus ventum fuerit, quaſi exanimes concidimus. Quum ergo tanta ſit in nobis animi puſillanimitas, ideo neceſſe eſt multis modis inſtrui ad patientiam, quo ſcilicet ſtrenue pugnemus, neque ſuccumbamus ullis tentationibus. Hæc ratio eſt cur iterum pronunciet Angelus opus eſſe piis multiplici purgatione, *ut mundentur, & dealbentur, & excoquantur.* Primo autem, quemadmodum nuper attigi, admonet de futuro Eccleſiæ ſtatu Danielem & pios omnes, ut ſe comparent & accingant ad pugnas, & colligant invictam fortitudinem, quoniam illis hæc conditio propoſita eſt, ut iter faciant per medias cruces. Hoc eſt unum. Deinde Angelus etiam docet utilem illis fore hanc ſortem, quæ alioqui videri poterat nimis acerba. Refugimus enim crucem, quia putamus nobis adverſam. Deus autem oſtendit nihil eſſe utilius quam ut pii exerceantur per varias afflictiones. Hoc eſt ſecundum. Nam per ſe afflictiones poſſent nos conſumere. Conjicimur enim quaſi in fornacem. Quid ergo fieret, niſi Dominus mirabiliter mutaret afflictionum naturam, ut ſint nobis adjumenta in ſalutem, quæ eſſent alioqui exitio? Cæterum quum *excoquimur, & dealbamur, & purgamur*, hinc videmus Deum optime conſulere noſtræ ſaluti, ubi nos cruce premit, & rebus adverſis ſubjicit. Jam tertio ſignificat Angelus non ſufficere unam purgationem duntaxat, ſed opus eſſe multis. Et huc ſpectat congeries verborum, *purgabuntur, dealbabuntur, & excoquentur*, vel fundentur. Uno verbo

ſummam

ſummam rei poterat complecti, ſed quoniam tota vita non deſinit Deus nos varie examinare, ideo tria verba ſimul congeſſit Angelus, ut oſtenderet opus eſſe continua purgatione fidelibus, quantiſper carnem ſuam geſtant: quemadmodum ubi quotidie applicantur veſtes in uſum, opus etiam habent purgatione. Mantile aliquod ſit quaſi niveum, tamen contrahet ſtatim ſordes ubi fuerit in uſu vel ad unum diem. Ergo neceſſe erit ſubinde ablui ut redeat iterum ad eandem munditiem. Sic & nos quoniam verſamur inter multas ſordes, fieri non poteſt quamdiu peregrinamur in mundo, quin aliis atque aliis ſordibus inquinemur. Cum ergo non deſinant fideles infici contagione multorum vitiorum, ideo neceſſe eſt etiam ipſos quotidie purgari, & diverſis modis. Hæc igitur tria diſtincte nobis tenenda ſunt. Poſtea adjungit Angelus *impios impie acturos, neque quicquam intellecturos, ſed prudentes tamen fore præditos intelligentia.* Hic munire voluit pios contra ſcandalum quod illis objicitur, ubi vident profanos Dei contemptores ab omni parte ſic exultare, ut quaſi conſpuant in faciem ipſius Dei. Quum ergo fideles vident mundum ita refertum eſſe impiis, vident tantam ipſorum laſciviam, ac ſi nullus eſſet in cælo Deus, fieri non poteſt, quin graviter turbentur, ac percellantur. Nē ergo hæc tentatio eorum animos concutiat, admonet Angelus *impios impie ſe geſturos*, quaſi diceret, non eſt quod vel tu Daniel, vel alii fideles pendeatis ab aliorum exemplis. Satan enim aſtute vobis objiciet quæ vos abripiant in contemptum Dei & abyſſum impietatis, niſi ſedulo vobis caveatis. Sed ne moreris vel tu, vel alii pii quid impii agant, *Impii*, inquit, *impie ſe gerent*, vos autem invicti perſtate. Poſtea aſſignat cauſam cur impii ſe gerent impie, *quia nihil intelligent*, hoc eſt, quia ſunt excæcati. Unde autem iſta cæcitas? Nempe quia traditi ſunt in reprobum ſenſum. Si quis videat cæcum cadere, & ſeſe projiciat poſt cæcum, an erit excuſabilis? Scit enim cæcitatem fuiſſe in cauſa cur miſer ille periret. Cur ergo ſponte ſe perdit? Sic etiam ubi videmus impios furioſe ruere in ſuum exitium, & ſimul admonet Deus ipſos eſſe excæcatos à Diabolo, & conjectos eſſe in reprobam mentem, nonne ſumus bis amentes ſi ultro ipſos ſequimur? Ergo non abs re adjicitur hic cauſa, cur *impii impie ſe gerant*, nempe quia nihil intelligunt. Interea revocantur fideles ad ipſum remedium, & ideo ſubjicit etiam Angelus, *Prudentes autem intelligent*, inquit, hoc eſt, non ſinent ſe implicari eorum erroribus, quos viderint exitio ſuo eſſe devotos & addictos. Denique Angelus oſtendit nobis in promptu eſſe remedium, ne Satan nos ad impietatem trahat, imo etiam ne abripiant nos impii malis exemplis, ſi animos noſtros & ſtudia adjicimus ad cæleſtem doctrinam. Si ergo cupimus ex animo à Deo doceri, & nos offerimus diſcipulos, doctrina quæ ab ipſo proficiſcetur, nos ab interitu eripiet. Hæc ſumma eſt. Poſtea ſequitur,

11. Et à tempore quo ablatum fuerit juge, (*nempe ſacrificium,*) & poſita fuerit abominatio obſtupefaciens, (*ſic enim alibi vertimus. Alii vertunt, deſolationis: & Samam etiam ſignificat deſolare. Sed convenit melius præſenti loco alter ſenſus.*) erunt dies mille ducenti & nonaginta.

12. Beatus qui expectaverit, & attigerit uſque ad dies mille trecentos & triginta quinque.

Hic locus propter obſcuritatem varie torquetur, ſed in fine capitis noni jam oſtendi non poſſe hoc intelligi de templi profanatione quæ ſub Antiochi tyrannide contigit: quando hac poſtrema vice teſtatus fuit Angelus templum ſic vaſtatum iri ut de inſtauratione, vel reparatione nihil ſperandum eſſet. Deinde circumſtantia temporum hoc evincit. Nam tunc dixit, Hebdomade una confirmabit Chriſtus fœdus cum multis, ceſſare faciet ſacrificia & oblationem. *Poſtea, accedet abominatio obſtupefaciens, & ſtillabit*, inquit, deſolatio, vel ſtupor, deinde ſtillabit interitus ſuper attonitum vel ſtupentem. Illic ergo Angelus de æterna templi vaſtatione diſſerit. Ita etiam hoc loco non dubium eſt quin repetat poſtquam vaſtatum fuerit templum, jam nihil ſperandum eſſe reparationis, quoniam ſcilicet Lex tunc finem accipiet cum ſuis ceremoniis. Et ideo dum citat Chriſtus locum hunc *Matth. 24. cap.* admonet auditores, ut diligenter attendant, Qui legit intelligat, inquit. Diximus enim vaticinium hoc eſſe obſcurum, & ideo opus habere ſumma attentione & non vulgari. Primo igitur hoc tenendum eſt, incipere tempus de quo nunc Angelus loquitur, ab ultima templi vaſtatione. Contigit autem vaſtatio illa ſimulac promulgari cœpit Euangelium. Deus enim tunc templum illud deſeruit, quia ad tempus conditum fuerat, & erat umbratile, deinde Judæi ſic totum ſœdus exinanierant, ut nulla eſſet vel in templo, vel in gente, vel in terra ipſa ſanctitas. Quod reſtringunt quidam ad vexilla Tiberii, quæ erexit in ſummo templi faſtigio, alii ad ſtatuam Caligulæ, jam ante dixi videri mihi nimis coactum. Non dubito igitur Angelum hic loqui de templi profanatione, quæ contigit poſt Chriſtum patefactum, ubi ſcilicet ceſſarunt ſacrificia, & umbræ Legis abolitæ ſunt. *A tempore* igitur *quo ablatum fuerit juge ſacrificium*, id eſt, à tempore quo Chriſtus ſuo adventu umbras legales abolevit, ut jam fas non ſit Deo offerre illic ſacrificia. *Ab illo* igitur *tempore*. Deinde, *à tempore quo poſita fuerit abominatio obſtupefaciens*. Nam ſequuta eſt Dei vindicta templi profanationem. Judæi nunquam putaſſent finem eſſe impoſitum ſuis ceremoniis, ſed ſemper fuiſſent gloriati in externo illo cultu, niſi Deus palam & ante oculos comprobaſſet, ſibi non placere amplius ſacrificia, nec totum illum cultum umbratilem: ideo Hieroſolymam, & templum expoſuit gentium libidini. Hæc igitur fuit *abominatio obſtupefaciens, quæ poſita eſt*, nempe clarum teſtimonium vindictæ Dei, ut Judæi confuſi non amplius jactarent ſuum templum vel ſanctitatem ejus. *Ergo ab illo tempore erunt dies mille*, inquit, *ducenti & nonaginta*. Dies hi efficiunt triennium & dimidium annum. Sed non dubito quin allegorice ſemper loquatur Angelus: ſicuti antea poſuit annum unum, & duos annos, & dimidium anni, pro longo temporis tractu & felici exitu, ita nunc ponit *dies mille, ducentos, & nonaginta*. Et qua ratione? Nempe videmus quid nobis contingat, ubi moleſtiæ aliquæ nos urgent. Si ægrotus decumbat, non dicet, Hic jam fui menſem unum, ſed agitur annus. Non dicet, Hic fui per tres dies, ſed jam per triginta, per ſexaginta hic miſere langueo. Angelus ergo data opera hic dies poſuit pro annis, quaſi diceret, Quamvis tempus illud videri poſſit immenſum, & ſua diuturnitate poſſit terrere, & etiam proſternere animos piorum, tamen ſuſtinendum eſt. Numerentur *dies mille, & ducenti, & nonaginta*, tamen non eſt cur filii Dei in tanto iſto numero deſperent, quia ſemper redire debent ad illud principium, Si ad tempus & tempora maneant eos afflictiones, ſequi tamen poſtea dimidium temporis. Deinde adjungit, *Beatus qui expectaverit, & attigerit uſque ad dies mille, & trecentos, & triginta quinque.* In numeris non ſum Pythagoricus, & qui nimia ſubtiliter exponunt hunc locum, nihil aliud

quam ineptiunt in ſuis ſpeculationibus, & detrahunt authoritatem vaticinio. Quidam hic volunt per dies annos intelligi, ita efficiunt annos bis mille, & ſexcentos. Jam uſque ad Chriſti adventum effluxit tempus fere ſexcentorum annorum. Reſtant igitur à Chriſto manifeſtato duo annorum millia, & putant præfixum eſſe hoc tempus uſque ad finem mundi, ſicuti Lex duo annorum millia, aut circiter, viguit ex quo lata erat, donec accepit finem, Chriſto exhibito. Volunt igitur illum eſſe ſenſum. Sed perperam ſeparant dies mille, ducentos, & nonaginta mille, trecentos, & trigintaquinque. Nam certum eſt pro eodem accipi annos mille, ducentos, & nonaginta, deinde mille trecentos & trigintaquinque, ſed tamen cum aliqua exceptione. Perinde enim eſt acſi diceret Angelus, Etiamſi dimidium illud temporis prorogetur, tamen fideles debere conſtanter perſtare in ſpe liberationis. Nam adjungit fere duos menſes, vel adjungit menſem unum, & dimidium, aut circiter. Per dimidium temporis diximus notari exitum, quemadmodum etiam Chriſtus loquitur, *Matth.* 24. Niſi dies illi abbreviati fuiſſent, nulla caro fieret ſalva. Hic eodem ſenſu ponitur pro illa abbreviatione, ut ita loquar. Sed nunc adjungit Angelus dies quadragintaquinque. Efficiunt autem ſeſquimenſem, quaſi diceret, Etiamſi ultra ſex menſes Deus differat liberationem Eccleſiæ ſuæ, tamen ſitis bono & forti animo, & perſtate in excubiis veſtris. Tandem enim Deus non fraudabit vos, quin adſit finis omnibus malis, & vos colligat in beatam quietem. Ideo ſequitur in clauſula vaticinii,

Mat. 24. *verſ.* 22.

13. Et tu vade ad finem, & quieſces, & ſtabis in ſorte tua ad finem dierum.

Hic Angelus repetit quod dixerat, nempe tempus maturum nondum adeſſe plenæ luci, quia Deus velit tenere ſuſpenſos ſuorum animos uſque ad Chriſti manifeſtationem. Angelus ergo Prophetam dimittit, & jubet ipſum abire, quaſi diceret, Contentus ſis hac menſura tua. Nam Deus differre vult ſolidam manifeſtationem hujus vaticinii in aliud tempus, quod ipſe opportunum eſſe novit. Poſtea adjungit, *Et quieſces, & ſtabis.* Alii vertunt: Quieſce, & ſta. Atqui non tam mihi videtur Angelus jubere, vel mandare quid fieri velit, quam denuntiare quid ſit futurum, quaſi diceret, Tu quieſces, id eſt, morieris, deinde, *ſtabis*, hoc eſt, mors tua non erit interitus. Deus enim faciet, ut ſtes in ſorte tua, nempe cum electis, *uſque ad finem dierum in ſorte tua*, hoc eſt, poſtquam Deus ſatis probaverit patientiam ſuorum, & longis multiſque, imo infinitis certaminibus Eccleſiam ſuam humiliaverit, & purgaverit, tunc aderit finis. *In fine illo tu ſtabis in ſorte tua*, etiamſi ad tempus ſit quieſcendum.

Da omnipotens Deus, quando non alium finem nobis proponis, quam ut conſtanter militemus tota vita, & ſubjicis multis ærumnis, donec perventum fuerit ad metam temporalis hujus curriculi: da inquam, ne etiam fatigemur, ſed ſemper ſimus in procinctu parati ad pugnandum, deinde quocunque genere tentationis nos examines, ne unquam deficiamus, ſed erectis animis ſemper aſpiremus, & nitamur etiam toto conatu ad beatam illam quietem, quæ nobis repoſita eſt in cælo, in Chriſto Jeſu Domino noſtro, Amen.

LAUS DEO.

INDEX

I N D E X
PRÆCIPUORUM QUORUNDAM CAPITUM

Quæ juvandæ memoriæ cauſa ex his

PRÆLECTIONIBUS JOANNIS CALVINI IN DANIELEM

Colligere licuit.

Primus numerus indicat caput libri Danielis, ſecundus verſum capitis, tertius paginam Calvini: literæ vero a. b. columnas paginæ denotant.

Quædam in genere de Danielis Prophetia.

DIviſio libri Danielis in duas partes. Prior quomodo ſibi authoritatem acquiſierit, etiam apud incredulos: altera continet prædictiones rerum quæcunque inſtabant electo populo, ante cap. 1. pag. 1. a. & cap. 7. verſ. 1. pag. 94. col. a

Utilitas libri Danielis, ubi dictatum fuiſſe à Spiritu Sancto, multis argumentis probatur, ante cap. 1. pag. 1. b. & cap. 7. verſ. 1. pag. 94. col. b. & verſ. 28. pag. 118. b

Quam utile fuerit præmoneri Judæos de afflictionibus quæ ſequutæ ſunt captivitatem Babylonicam & reditum, ante cap. 1. pag. 1. a. b. & cap. 7. verſ. 1. pag. 96. a. & 7. 2. 97. b. & 7. 8. 101. a. b. & 7. 17. 102. a. & 8. 1. 117. a. & 8. 2. 121. a. & 8. 11. 122. b. & 9. 25. 156. b. & 10. 14. 167. a. b. & 11. 6. 174. a. & 11. 14. 178. b. & 11. 16. ibid. a. & 11. 21. 181. b. & 11. 27. 184. a. & 11. 32. ibid. b. & 11. 41. 197. b. & 11. 45. 198. b

Arcana & occulta Dei Providentia impulſos fuiſſe Hiſtoricos profanos homines ad ſcribendum: ne nobis tuſſes eſſent impleta fuiſſe quæ prædixerat Daniel, 11. 6. 174. a

A.

De Ægypti Regibus.

PRophetia de Regibus Ægypti & Syriæ, 11. 5. 173. a. & 11. 6. 174. a

Berenice filia Regis Ægypti Ptolemæi Philadelphi data uxor Antiocho Theo Regi Syriæ repudiatâ Laodica, 11. 6. 174. a

Ptolemæus Evergetes tertius Rex Ægypti, 11. 7. 175. a. quot annis regnarit, 11. 8. 176. b

Berenices cædem ulciſcitur frater Ptolemæus Evergetes Rex Ægypti, 11. 7. 175. a

Ptolemæus Philopator homo fraudulentus & ignavus, 11. 11. 178. b. crudelis etiam, 11. 12. 177. a

Prædicitur Cleopatra Antiochi Magni Syriæ Regis Filia danda uxor Ptolemæo Epiphani Regi Ægypti, 11. 17. 179. a

Ptolemæus Philometor Rex Ægypti, 11. 22. 181. a

Antiochi Epiphanis Regis Syriæ perfidia in Ptolemæum Philometorem Regem Ægypti, ſororis Filium, 11. 25. 182. a. b. & 11. 24. 183. a. & 11. 25. ibid. a

Ptolemæus Philometor proditus à ſuis Ducibus, cum bello impeteretur ab Antiocho Epiphane avunculo, 11. 26. 183. a

In Ægypto regnarunt ridiculi homines & ſordi, Phyſcon & Auletes, 11. 40. 196. a. b

Ægyptus redacta in provinciam, ibid.

De Afflictionibus.

SÆpe cogi Deum ingeminare flagella, antequam proficiamus, 4. 1. 51. a

In omnibus temporalibus pœnis Deum relinquere aliquod ſpecimen ſuæ clementiæ, etiam quando videtur ejus ira ſævire. 4. 15. 55. b. & 4. 21. 59. b. & 4. 16. 60. a. & 4. 32. 64. b

Cum finem Deus caſtigationibus ſuis imponit, invitari nos ad pœnitentiam, 4. 26. 60. a

Nihil prodeſſe nobis Dei ferulas, niſi ipſe intus operetur per Spiritum ſuum, 4. 14. 65. a

Non poſſe nos laudem Deo tribuere, præſertim ubi nos caſtigat, niſi pudore confuſi ipſum juſtum agnoſcamus, 9. 7. 138. b

Non ſemper æſtimanda eſſe hominum ſcelera ex modo pœnarum quas Deus infligit. 9. 8. 138. b

Aſperius ſæpe caſtigari Eccleſiam, quam gentes profanas, quia minus excuſabiles ſunt quibus Deus illuxit ſuo verbo, 9. 12. 141. b

Memoria potentiæ & miſericordiæ Dei in noſtra redemptione & præteritis beneficiis, fulcire debet fidem noſtram in ejus caſtigationibus aſperis, 9. 15. 144. a. & 9. 15. 146. b. & 9. 19. 147. b

Cum neceſſitas urget, non nimis cupide appetenda auxilia, ne multas ſordes concerpamus. 11. 34. 188. b

Vide reliqua ſub capite de crucis tolerantia in litera C.

De Alexandro Magno.

ALexandri ingenium ſuperbum & truculentum jam à prima pueritia, 2. 32. 26. b

Alexandri audacia, temeritas, & ambitio temulenta, 7. 6. 93. a. & 8. 7. 120. a

Incredibilis ſucceſſus victoriarum Alexandri. 7. 6. 55. b. & 8. 5. 119. a. & 8. 7. 120. a

Alexandri irruptio in Aſiam, & quomodo viſione à Deo immiſſa cohibitus fuerit, ne ſæviret in Judæos, 11. 3. 172. a. b

Alexandri mors, 11. 4. 172. a

Alexandri Monarchia fracta, & diviſa in quatuor regna, 7. 6. 55. a. & 8. 8. 120. a. b. & 11. 4. 172. a

Aridæus Alexandri frater, 11. 4. 172. a

Prophetia memorabilis vindictæ Dei in totum genus Alexandri, ibid. 171. a

Alexander adorari voluit pro Deo, ibid. b

De Ambitione.

AN ambitioſus fuerit Daniel, cum à Rege honores impetrarit ſociis, 2. 02. 37. a

Fugienda ambitio, ex qua deterrima peſtis invidia naſcitur: deinde ex invidia, perfidia & crudelitas, 6. 4. 85. b

De vitanda ambitione Eccleſiæ paſtoribus, ſi officio ſuo fungi velint, 6. 17. 88. a

Multis bonas cauſas tuentibus male tamen ſuccedere, quia à Deo opem nec ſperant, nec petunt, ſed ambitio eos impellit, 6. 23. 90. a

De Angelis.

CUr Deus Angelorum miniſterio utatur, & varie: quos Filios Dei vocari, etiam inter profanos receptum ſuit, 3. 25. 46. b. & 3. 28. 45. b

Profani homines fixerunt Angelos eſſe minores deos, 4. 9. 55. a. & 4. 12. 57. b

Quo ſenſu dicantur Angeli decernere, & ſimul poſtulare quod à Deo ſit, 4. 17. 56. a

Cur Angeli vocentur Vigiles & Sancti, 4. 13. 55. a. & 4. 25. 58. b

Profanos homines non potuiſſe diſcernere inter Deum & Angelos, 5. 10. 74. b. & 5. 14. 75. b

Daniel diſtinguit inter Deum & Angelos: aſſerit uni Deo ſuam gloriam, Angelis tribuit miniſterium, 6. 22. 90. b. &c.

De Angelorum multitudine & miniſterio, 7. 10. 104. a

Quo ſenſu Angeli nonnunquam dicantur homines in Scriptura, 10. 5. 161. a. & 10. 16. 167. b. &c. & 12. 6. 203. a

Cur dicantur Angeli veſtibus lineis induti appareiſſe, 10. 5. 163. a. & 12. 6. 225. a. b

Quod Daniel Angelum vocet Dominum ſuum ex communi forma compellandi homines, non ut Chriſto aut Deo quidquam detrahat, 10. 17. 192. a

Angelos ſtare in conflictu contra Satanam, impios, & tyrannos, quorum furor ſtatim Eccleſiam perderet, 10. 13. 126. b. & 10. 20. 169. a. b

Cur Deus modo per unum Angelum, modo per plures, & Eccleſiæ & ſingulis fidelibus ſuccurrat. 10. 21. 170. a

Deum ita per Angelos operari, ut nihil gloriæ ſuæ decedat, 11. 1. 170. a

Non Angelos, ſed Deum ſolum omnia cognoſcere, 3. 19. 204. b

Multa Angelis ipſis eſſe incognita, & ſic Deum mirabiliter operari in Eccleſia ſua, ut Angelos etiam cæleſtes in admirationem rapiat, 12. 6. 205. a

Inter Angelos eſſe aliquod diſcrimen, & diverſum modum gratiæ & revelationis, 12. 6. 203. a

Cur Angelus res magnas pronuntiaturus, dicatur utramque manum ſuſtuliſſe in cœlum, 12. 7. 203. b

De Aſtrologia Judiciaria.

DE Aſtrologia Judiciaria, 1. 4. 5. b

De Chaldæis, ſive Mathematicis, Aſtrolis, & eorum profeſſione, 2. 2. 14. b

Danielem noluiſſe cenſeri inter Magos, 5. 11. 74. a

Aſtrologorum & ejuſmodi impoſtorum confidentia, 2. 4. 14. b. Merces eorum arrogantiæ, in conjectoribus Regis Nebuchadnezer, 2. 5. 15. a. & 2. 9. 16. a. & 2. 12. 17. b. & 2. 13. 12. a

Aſtrologorum ſtulta jactantia, 2. 7. 16. a. contra, Danielis modeſtia, 2. 10. 19. b

Magos quæſtum feciſſe ex ſuis prædictionibus & conjecturis, maxime Chaldæos: Judæorum tamen ſapientes non fuiſſe ipſorum deditos, 2. 2. 15. a

Cur Daniel petat ne interficiantur Magi, quum potius optandum foret, in artes illæ Magicæ prorſus abolerentur, 2. 24. 23. a. b

De vanitate Aſtrologorum & Mathematicorum, 4. 7. 52.

Nebuchadnezer ſtatuit varios eſſe & impoſtores cunctos Chaldæos ſapientes, Aſtrologos, Ariolos, &c. 4. 18. 57. a

S 2

Quomodo fieri potuerit, ut Magi Chaldæorum juſſione Belſazar non potuerint legere, nedum interpretari ſcripturam in pariete, 5. 8. 72. a. b. & 5. 25. 79. a

De Avaritia.

DE vitanda Avaritia, Verbi miniſtris præcipue; & Eccleſiæ Doctoribus, 2. 6. 16. a. & 2. 46. 37. a

B.

De Babylone & Babylonico ſive Chaldaico imperio.

AQua conditu fuerit Babylon, 4. 30. 63. a

Captivitas Babylonica, gravis tentatio Judæis, 8. 2. 114. b

Cur regnum Babylonicum honorifice nominet Daniel caput aureum, quum & avaritia, & crudelitate, & rapina infame fuerit, 2. 32. 26. b. & 2. 37. 29. b

Cur imperium Chaldaicum comparetur leoni, 7. 4. 97. b

De nominibus Regum Babyloniorum, ab initio captivitatis populi Judaici ad liberationem, & quot annis quiſque regnaverit, 5. 1. 68. b. & vide infra, de Belſazar, & ſub litera N. de Nebuchadnezer.

Quomodo ſint ſupputandi ſeptuaginta anni captivitatis Babylonicæ, 5. 1. 68. a

Quomodo capta fuerit Babylon à Cyro; ibid. b. & bis fuiſſe captam: nempe ſecundo à Dario, ibid.

Babyloniorum ignominia, quum antea Domini & Monarchæ duobus Dominis ſervi ſint facti, 5. 28. 80. b

De Bellis.

FElicitas Imperatorum in bellis non eſt à fortuna, 2. 25. 152. b

Congreſſus copiarum Alexandri cum exercitu Darii, 8. 21. 129. a. Vide reliqua ſub litera A. de Alexandro Magno

Prædicitur bellum Seleuci Cerauni, & Antiochi Magni Filiorum Seleuci Callinici Regis Syriæ, contra Ptolemæum Philopatorem Regem Ægypti, 11. 12. 178. a

Bellum Antiochi Magni Regis Syriæ contra Ægyptios, Rege Ptolemæo Epiphane adhuc puero, 11. 13. 177. a

Secundum bellum Antiochi contra Ptolemæum Epiphanem, ubi jam adoleverat, 11. 17. 172. a

Bellum Antiochi Magni ad recuperandas urbes Græciæ occupatas à Romanis. 11. 18. 175. a. b

Bellum Antiochi Epiphanis Regis Syriæ, contra Ptolemæum Philometorem Regem Ægypti, 11. 25. 183. a. b. deinde pax ſimulata, 11. 27. 184. a. & 11. 28. ibid. a. b

Romanorum bella & victorias vide ſub capite de Romano imperio.

De Belſazar Rege Babylonico.

SEcuritas, ſtupor, & execratio Regis Belſazar jamjam impendente cervici ejus Dei vindicta, 5. 2. 70. a. & 5. 6. 72. a

Regem Belſazar ſic fuiſſe perterritum ſigno illo repente oblato, ut agnoſceret ſibi negotium eſſe cum Deo, neque tamen ad pœnitentiam converſum, 5. 6. 72. b. & 5. 7. ibid. a

Regis Belſazar ſuperbia, ſacrilegium, & contumelia adverſus Deum, 5. 23. 79. a

Cur Rex Belſazar, Danielem denuncientem ſibi propinquum exitium, ornari juſſerit inſignibus regiis, 5. 25. 80. b

C.

De Cæſaribus Romanis.

PEr cornu parvum deſignari Julium Cæſarem & ſucceſſores, & de ratione dominationis eorum, 7. 8. 101. b. &c. & 7. 20. 109. b. & 7. 24. 111. a

Nunquam tam duriter geſtum fuit bellum contra Eccleſiam, atque poſtquam exorti ſunt Cæſares, & Chriſtus mundo patefactus, 7. 21. 110. a. & 7. 25. 112. a

Cæſarum audacia & petulantia, 7. 25. 113. a

De Chriſto.

COntra quoſdam fanaticos, qui Chriſtum dicunt initium habere à Patre, & quidem temporale, quaſi non eſſet verus Deus, 7. 13. 106. b. & 7. 14. ibid.

Cur

Cur Chriſtus Angeli & Michaëlis nomine deſignetur, 10. 13. 166. a. & 10. 21. 170. b. & 12. 1. 190. b
Chriſtum in aliqua ſpecie humanæ naturæ ſe exhibuiſſe, antequam manifeſtatus eſſet in carne, 10. 16. 183 a
Chriſtus vere homo factus eſt, nec tantum induit corpus humanum ad tempus ut Angeli, 12. 5. 203. a
Cur primus Chriſti adventus dicatur, extremitas dierum, vel ultimum tempus, 2. 28. 24. b. & 10. 14. 180. b
Cur Chriſtus conferatur lapidi è monte exciſo, 2. 40. 31 b & 2. 44. 34. a
Cur in priore Chriſti adventu, dicatur Antiquus dierum, id eſt Deus, conſcendiſſe ſolium ſuum, 7. 9. 103 a. & 7. 22. 110 b
Cur Daniel dicat Chriſtum apparuiſſe tanquam Filium hominis, & non ſimpliciter Filium hominis, 7. 13. 105. b. & 7. 27. 116. a. & 8. 15. 120. b. & 9. 18 ibid. a
Chriſtum & caput & doctorem eſſe Angelorum, 8. 13. 124. b
Cur Chriſtus vocetur Palmoni, 9. 13. 124. a. b. & 8. 16. 126. a
Cur apud Danielem deſignetur per ſeptuaginta hebdomades, annorum tempus manifeſtationis Chriſti, 9. 24. 131. a. b
Deſcriptio adventus & officii Chriſti, 9. 24. 131 b. &c.
De Chriſto Jeſu loqui Danielem capite nono, quum nominat Maſſiam, nec poſſe illa convenire Agrippæ, aut Veſpaſiano & Tito, aut Ariſtobulo, 9. 25. 132 b. & 9. 26. 137. a
Prædictio de ſpecie mortis Chriſti, 9. 26. 137. a. & de vindicta immiſſa in Judæos propter ſcelus tantum perpetratum, ibid. b
Chriſtus dux, 9. 25. 132. b & 9. 27. 138. a
Aſcenſio Chriſti prædictus à Daniele, 7. 13. 106. b

De Confeſſione, id eſt, profeſſione externa pietatis.

A vera religione alieni quidam ſuſtinebunt aliquando nos abjicere aut damnare tanquam ſuos, neque tamen meliores ipſi ſunt noſtro exemplo, 1. 10. 8. b
Multi pietatem & purum Dei cultum in aliis laudant, ipſi non imitantur, 3. 28. 49
Non tantum fidem cordis à nobis requiri, ſed etiam profeſſionem externam pietatis, 6. 10. 93. a. & duas ſpecies eſſe hujus confeſſionis, ibid. & 8. 11. 86 a
Simulatorum, qui fidem ſepultam in cordibus imaginantur & ſine confeſſione, judex erit etiam Rex Nebuchadnezer, 3. 28. 49. a

De Conjugio.

MOs Principum confirmandi pacem mutuis conjugiis, 11. 6. 174. a. & 11. 18 179 b.
De inceſtis Regum conjugiis, 10. 6. 173. a
Antiochi infanæ nuptiæ, 11 13. 179. b
Fœda licentia Papæ contra conjugii fœdus, 11. 37. 191. a
Amor mulierum ſynecdochice pro humanitate & charitatis officiis, 11. 38. 194. a

De Crucis tolerantia.

DE tolerantia crucis, pag. 2 b. ante cap. 1
Quoties perfide deficimus à Deo, vel eum fraudamus ſuo honore, ignaviæ hujus cauſa eſt diffidentia & incredulitas: ſicut contra conſtantiæ fundamentum eſt fiducia, 3. 29. 48 b
Conſolatio, ne impatientia abripiamur propter futuras Eccleſiæ oppreſſiones, 7. 18. 109 b & 7. 25 113. b. & 8. 1. 117. a
Ex comparatione veteris Eccleſiæ, conſolatio in afflictionibus hodiernæ Eccleſiæ, 8. 25. 121. b
Si videmus Deum parcere in afflictionibus Eccleſiæ, non eſſe æſtimandam Dei gratiam ex præſenti rerum aſpectu, 9. 17. 145 b
Perſecutiones & ſævas mortes fidelium, purgationes eſſe quibus Deus ſubinde aliquid reſiduæ fæcis in illis expellit, 11. 35. 190. a. b
Perſecutiones etiam quæ ſpectare videntur in Eccleſiæ exitium, eſſe ſalutiferas filiis Dei, ibid. a
Durius ſæviatque piorum perſecutiones, temperantur tamen ad menſuram roboris ipſis collati, ibid. b
Non eſſe fortuitas Eccleſiæ perſecutiones, ſed immitti à Deo ut adducamur ad examen vitiorum noſtrorum & ab eodem temperari & terminari, 11. 36. 192. b
Gravis tentatio: Eccleſiam conteri diverſis caſibus, dum in otio vivunt ſine moleſtia profani gentes: niſi omnia ex Dei voluntate pendere intelligeremus, 11. 41. 197 a
Piis afflictiones & quaſi perpetua crux adjumenta ſunt ad ſalutem, 11. 35. 190. a. & 12. 10. 204. b. quia corruptionum purgationes habent quamdiu carnem ſuam geſtant, ibid.
Admonetur Daniel, Eccleſiam fore obnoxiam pluribus & graviſſimis malis, ubi advenerit Chriſtus, ſed tamen Dei protectione ſemper ſalvam fore, 12 1. 199 a. b
Utile fuiſſe & veteri Eccleſiæ, & nobis, prædici magnas calamitates inſtare filiis Dei poſt Chriſtum manifeſtatum in carne, & magis quam antea fore calamitoſam Eccleſiam, 12. 1. 199. Paul. b
Vide reliqua ſub capite de Afflictionibus.

De Cultu Dei.

PRincipes, ubi edicta promulgant de cultu Dei, potius ſpectant quid ſibi expediat, quam quid exigat Deus ipſe, 3. 3. 39. a. & 3. 8 41. a. & 3. 23. 42. a
Cur Deus voluerit olim in Sanctuario ſuo conſpici aurum, argentum, & ſimilia, 5. 5. 40 b
Pluris à nobis debere fieri pietatem, & ejus ſtudium, quam propriam vitam, 6. 3. 83. a. & 6. 10. 84. a. & 6. 11. 26. a
Unde immenſa illa ceremoniarum congeries in Papatu, 5 5. 40. b
Participatio in vero Dei cultu, ut ipſum diligamus, 9 4. 138 b
Romani conati ſunt inducere Atheiſmum, 11. 38. 193. b

De Cyro Perſarum Rege.

CYri ingenium quale, 2. 39 29. a
Cyrus Dario filius ſororis & gener, 5. 27 80. b. & 5. 31 81. b
Cyri pluſquam inſana ambitio, 9. 1. 134. a
Cyrus & Darius collegæ in Regno, 6 8. 84. a
Cambyſes Cyri filius, 11. 2. 171. a

D.

De Daniele.

EJus ſanctitas, 2. 2. 3 b. & 6 29. 95 b
An tantum fuerit momenti in cibo & potu, ut debuerit Daniel abſtinere à cibo regio, 1. 9. 6. a. & 1. 12. 9. b. & 1. 15. 9. a
Jam à prima adoleſcentia Deum inſignaſſe certa nota Danielem, ut per gradus ipſum extolleret, & opportuno tempore Prophetam daret authoritate præditum, 1. 17. 12. b. & 1. 20. 12. a. & 1. 21. 12. a
Cur Princeps Eunuchorum mutaverit nomina Danielis & ſociorum, 1. 7. 8 a. & 4. 9. 53. a
Graviter vulneraſſe animum Danielis, mutari nomen ejus patrium, quod erat pietas religionis teſtimonium, 4. 9. ibid.
Pupugiſſe animum Danielis quod cenſet eum Nebuchadnezer in numero Magorum, ibid. & 5. 11. 74. a
Quo ſenſu dicatur Daniel fuiſſe uſque ad annum primum Cyri, quum tertio etiam anno Cyri fuerit illi oblata viſio, 1. 21. 12. a
Quomodo dicatur Daniel ſecundo anno Nebuchadnezer habitus inter ſapientes & expoſuiſſe Regis ſomnium: quum primo anno fuerit abductus captivus, & traditus in diſciplinam per tres annos, priuſquam produceretur coram Rege, 2. 1 12. a
Non poſſe excuſari Danielem, ſi paſſus eſt ſe coli ut juſſerat Nebuchadnezer: ſed id non eſſe veriſimile, 2. 48 13 b
Daniel præfectus prætorio apud Nebuchadnezer, 2 49 37 b
Cur Danieli pepercerint qui accuſarunt Sadrach, Meſach, &c. 3. 12. 41 b
Danielem potuiſſe accipere munera à Rege Nebuchadnezer, oblata, & aliud ſpectaſſe quam propriam utilitatem, 2. 48. 37 a
Cur Daniel repudiet dignitatem oblatam à Rege Beltſazar, cum antea paſſus fuiſſet ſe ornari à Nebuchadnezer, 5. 17. 78. a
Admirabilis gratia Dei in ſervando Daniele, cum capta ſuit Babylon, 5 31. 81. a. & erigendo apud Darium, ut hic proſpiceretur Eccleſiæ, 6. 1 81. a b &c.
Cur Danielem Deus evexerit in aula Darii & Cyri: grave tamen illi fuiſſe exilium in ſtatu illo honorifico, 6. 18. 95 a b
Cur Daniel ipſe de ſe loquens dicat nomen ſuum fuiſſe Beltſazar, 10 1. 160 a
Cur Daniel abſtinuerit à carne, vino, & pane delicato, cum impediebatur templi & urbis reſtauratio, 10. 3. 182. a & quid cariæ nomine intelligatur, ibid. b
Cur Deus præmonuerit Danielem de rebus futuris, 11. 1. 170. a

De Dario.

DArius idem qui Cyaxares & Aſſuerus, 9 1. 134 b
Darii heroica virtus in evehendo Daniele, 6. 3. 91 b
Darii cæca ſuperbia, dum ſubſcribit fœdo & impio edicto, 6. 20. 83 a
Darii clementia, ſed ſine pietate in Deum, & ex privatis ſui commodi reſpectu pendens, 6. 16. 81 b
Darius filius Hyſtaſpis, 11. 2. 171. a
Darii ultimi exercitus pene innumerabilis, 7. 6. 200 a

De Deo.

QUod Scriptura, ubi Deo vult aſſerere quod ejus proprium eſt, & eum diſcernere à diis fictitiis, potentiam ejus cum ſapientia conjungit: & quod qui hæc duo ſeparant, Deum ſpoliant altera parte ſuæ gloriæ, 2. 20. 20. a. & 2. 47. 66. b
Poëtarum fabulæ de diis, 8. 8 19. a.
Nunquam tam brutos fuiſſe homines, quin Deo implicite tribuerent quidquid non exiſtimant, 5. 24. 75. b
Deum ita eſſe fontem ſapientiæ & virtutis, ut non ſupprimat apud ſe quod in eum ſolum competit, ſed per totum mundum diffundat, 2. 21. 20. a
Deum non eſſe authorem peccati, quamvis omnia Providentia ejus diſponantur, 4 35. 66. b
Cur Deus vocetur Deus Danielis, aut Abrahæ, &c. 6 :8 84. a
Naturam Dei optime deſcribi in confeſſione quam extorſit ex ore Darii, ibid. b
Deum Iſraelis ſolum eſſe Deum, evincitur neceſſariis demonſtrationibus, 8. 21. 129. b
Cicero impurum ſe rabulam oſtendit, deblaterans convicia in Deum Iſraelis, 11. 38. 101. b
Deus Princeps Principum, 8. 25. 130. b

De Diſciplinis liberalibus.

QUidquid ſapientiæ & intelligentiæ communis habent homines, Dei eſſe beneficium, 2. 21. 21. b. & 8. 22. 22. a. ſed ubi rara eſt, & inſolita intelligentia, illic clarius fulgere donum Dei: ut in Prophetis, 2. 21 21 a. & 1 30 15 a
De conjungendis liberalibus Diſciplinis cum nobilitate generis, 1. 4 4. b
An licuerit Danieli diſcere diſciplinam Chaldæorum, quæ multis impoſturis conſpurcatæ erant, 1. 4. 5. a. & 1. 17. 11. a

E.

De Eccleſia.

CUr Angelus vocet populum Dei & Eccleſiam, ſanctos excelſorum, 7. 18. 108. a. b. & 7. 25. 112. b. & 7 27. 112. a
Cur Eccleſiam vocet Daniel Exercitum cœlorum, 8. 10. 122. a. & Deum Principem exercitus, 8. 11 ibid. a
Quo ſenſu & quando dicatur Judicium & Regnum datum ſanctis Excelſorum, id eſt, Eccleſiæ, 7. 22. 110. b. & pag. 121 a. & 7 27. 123. b
Quod proprium eſt Chriſti ſæpe ad Eccleſiam transferri, propter individuam ſocietatem, 7. 27 113. b
De Eccleſiæ perpetuitate, 2. 44. 33. b. & 7. 14. 107. b
Eccleſiam quamdiu peregrinatur in mundo, non eſſe immunem à multis moleſtiis, 11. 18. 178. b
Juſtitiam Dei affligentis Eccleſiam ſuam propter peccata, 9 11. 141 a. & 9 13. 142. a. & 9. 16. 145. a. b
Profanationem & vaſtationem Eccleſiæ manare à peccatis populi, 9. 12 113 b. & 8 13 124. b
De ſuperando offendiculo, quum ob peccata populi, Eccleſiam Deus tyrannis & impiis velut calcandam tradit, 3. 2. 3. b
Exiguus numerus eorum qui ſe adjungant & opem ferunt laboranti & diſſipatæ Eccleſiæ, & tamen in paucis illis plerique hypocritæ, 11. 34. 220. b. & pag. 189. a
Deum ita ſuccurrere nobis & Eccleſiæ, ut non ſemper exerat plenam ſuam virtutem, ſed ſub ſpecie crucis pugnet pro nobis, 11. 34. 198 b
Non probandum quidquid fecerunt Machabæi ut ſuccurrerent Eccleſiæ, ibid 189. a. ſic hodie multos qui bene volunt Eccleſiæ labi zelo inconſiderato, ibid. b
Iſraëlitica Eccleſia multa perpeſſa à Regibus Syriæ, crudeliter etiam tractata fuit à Romanis, ſub Pompeio primum, deinde Craſſo, & deinceps, 11 38. 191. a. b
Qui deficiunt, & Apoſtatas omnes nunquam vere cognoviſſe Deum, 11. 32. 197. b
Remedium contra tentationem, cum multi deficiunt vel diffluunt ab Eccleſia, ibid.
In diſſipatione & defectione Eccleſiæ, Deum miſericordem conſervare exiguum ſemen, & paucos fidos Doctores, 11. 33. 197. a. & 199. a
Etiam ubi emerſerit Evangelii doctrina, & Eccleſiæ fuerint conſtitutæ, non tamen ſemper fore turbulentas in hac vita, 9. 25 156. b.
Vide reliqua ſub cap. de Afflictionibus, & ſub cap. de Crucis tolerantia.

De Edictis Regum.

REgum edicta formidabilia, & quaſi violenta tempeſtas, ad abripiendos homines à puriore cultu Dei, 3. 6. 40. a
Non poſſe edictum promulgari de religione, niſi aſſulgeat ex Verbo recta Dei cognitio, 3. 28 49. a
Blandæ purſuriones Regum, ad muliendos ſubditos, 6. 23. 94. b
In Regibus & eorum edictis, ſtandem merentur conſtantia & immutabilis authoritas, modo procedant prudentia & æquitas, 6. 8. 84. b. & 6. 12. 86. a. b. alioqui obſtinatio eſt, & vitioſus pudor, 6. 14 87. a. b. &c.
Non delinquere contra Reges, qui eorum edictis non parent, quando id non poſſunt quin Deum abnegent, 6. 22. 91. b

F.

De Fide.

FIdem longe aliud eſſe quam putent Papiſtæ, 6. 23. 92. b
Spiritus illuminationem & fidei donum, diſtinguenda eſſe à communibus naturæ dotibus, 2 30. 33. a
Fidem non poſſe concipi ex aliquo miraculo, aut ſenſu divinæ potentiæ, ſed ſimul requirere doctrinam, 3. 26. 43. a
Potentiam Dei nunquam debere in dubium vocari, 6 12. 90. b
Contra dogma Papiſticum, de dubitatione bonæ voluntatis Dei, 10. 12. 183 b

Invo-

Invocatio probatio eſt fidei, & verum ejus exercitium, 9. 1. 155. a

De Fidelibus.

Conſtantia piorum, etiam cum multi ſunt in Eccleſia perfidi defectores & Apoſtatæ, 15. 32 167. b. pendet ex Dei cognitione, id eſt fide, ibid.
Contra ſcandalum quod exiguus piorum numerus concipere poſſet, ex ingenti multitudine profanorum & impie agentium, 12. 10. 205. a
Quare veri fideles dicantur populus cognoſcens Deum ſuum, 11. 32. 187. a
Ut quiſque magis profecit in fide, ita magis obſtringi ad docendos proximos, 11. 33 188. a
Solos fideles vere dici à Daniele intellectu præditos, quia reliqui homines ſunt veſani, 12. 3 202. a. & 12 10. 205. b
Quiſque fidelium debet, quantum in ſe eſt, ſtudere ſuorum ſaluti, 12. 3. 201. b

H.

De Hæreticis.

Contra Caſtalionem alioſque ſimiles, qui pro impunitate hæreticorum contendunt, 4. 1. 31. a
De Donatiſtis, ibid.
Diabolicus furor Serveti, ornantis ſe elogio Chriſti, quia Michaël dicebatur, quo nomine deſignari videtur Chriſtus apud Danielem, 12. 1. 198. b

De Hebdomadibus ſeptuaginta.

Cur apud Danielem ſupputentur per ſeptuaginta hebdomades annorum, tempus manifeſtationis Chriſti, 9. 24. 151. a
Veterum Doctorum & recentiorum opiniones, in expoſitione loci de ſeptuaginta hebdomadibus, 9. 25 153. a
Quid ſentiendum de ſupputatione annorum ex hiſtoriis, ad conficiendas ſeptuaginta hebdomadas, 9. 25. 154. a

De Homine.

De duritie & contumacia cordis humani adverſus Dei ſervulos, 4. 28. 80. b
Durities non reſipiſcentium ad Dei ſerulas, 9. 14 142. a
Quam propenſa ſint hominum ingenia ad oblivionem judiciorum Dei, & impoſturas Satanæ, 5. 7. 72. a. & 73. a. & 5. 18. 77 a. & 5. 22. 76. a

De Humilitate.

Non poſſe vere Deum laudari, niſi ab iis qui omnia illi tribuentes ſe penitus dejiciunt, 4. 34 85. b. 4. 37. 87. b. qui intus agnoſcunt ſe reos, & idem ore fatentur, 4. 17. 66. b

I.

De Idololatria.

De minoribus diis quos imaginabantur Ethnici, itemque de geniis quos fingebant Mediatores inter homines, & ſummum Deum, 2. 11. 17. b
Profanos homines cognoviſſe unicum eſſe Deum, ſed tamen delapſos eſſe ſemper ad ſua figmenta, 3. 20 90. a
Quam grave judicium maneat Papiſtas, qui uni ſummo Deo permiſcent ingentem turbam, 2. 47. 58. b
Quo animo Nebuchadnezer erexerit imaginem illam auream, 3. 1. 37. a. b. & 6. 1. 39. a. b. & 3. 6 40. a. & 3. 8 41. a
Gentium & Papiſtarum mos in conſecrandis ſtatuis & picturis, 6. 1. 68. b
Cur Daniel idola Babylonis vocat Deos aureos, argenteos, &c. quum nunquam profani homines putarint eſſentiam Dei eſſe ex auro, 3. 4. 71. a
Idololatras merito damnari, quicunque ſimulant ſe idola colere, tantum adoratione & geſtu tantum externo, 3. 5. 40 a
Quali ſuperbia turgeant tyranni idololatriam afficientes, & qualis rabies in ipſis ebulliat, etiam ubi ſimulant aliquem zelum pietatis, & præ ſe ferunt ſpeciem moderationis, 3. 15. 42. a
Caſſo errore adhibita fuiſſe à gentibus muſica inſtrumenta in deorum cultu: alia ratione in populo Dei locum habuiſſe, 3. 5 40. b
Satanæ efficacia in Regum ſuperbia, faſtu, & furore, ubi vident morem non geri ſuis placitis de religione, 6. 10. 45. a. ſed hinc etiam Deum magis illuſtrare gloriam ſuam, ibid. b. & 3. 26. 47 a. b
Bona Dea Romanorum, 12. 38. 183. b
Ingentem ſimulachrorum copiam è Syria in Ægyptum tranſtulit Ptolemæus Euergetes, 11. 8. 175. a. b &c.

De Jejunio.

De jejunio, ſacco, & cinere adhibitis olim in precibus extraordinariis, 9 3. 133 a. b
De jejunio cum precibus, & perperam ſtultaque ſuperſtitione jejunare Papiſtas, 10. 3. 181. a. b

De Imperiis & Regnis.

Regnorum & Imperiorum ſtatum vel ruinam ab unica Dei providentia pendere, 2. 21. 21. a. b
Imperia eſſe ſub manu Dei, nec transferri hominum libidine, virtute, aut conſilio, 4. 17. 57. b. & 4. 32. 64. b
Cyrum & Darium intellexiſſe Babylonem captam Dei auſpiciis, non ſua induſtria, 5. 8. 72. b. & 5. 30. 81 a. b & 6. 1. 61. b
Non fortuito, ſed Divinitus contingere hominibus imperia, 5. 18. 77. a
Finem regnorum & ſævitiæ tyrannorum pendere Dei providentia, 5. 26 80. a
Deum transferre Monarchias à gente una in aliam, idque facere nonnunquam Angelorum miniſterio, 11. 1. 170. a. b
Magni fieri à Deo ſuam vocationem oſtendit, contra regnorum uſurpatores, 11 21. 181. a
Cur ſub unica imagine non pluribus, Deus objecerit Danieli quatuor Monarchias, quum illis nunquam ſe conſenſus nullus fuerit? 2. 41. 28 a
Fabulati poëtas de quatuor ſeculis, aureo, argenteo, &c. ſumpſiſſe tamen illa ex Daniele, 2. 31. 16. b
Quatuor illas ſummas Monarchias de quibus vaticinatur Daniel, inſurrexiſſe in Eccleſiam & Chriſtum ſummum Regem, 2. 40. 31. a. b. & ibid. 33. b
Cur Chriſtus æterna Dei ſapientia per quam Reges regnant, dicatur confregiſſe imaginem, id eſt terrena imperia: idque fieri per accidens, 2. 34. 27. b. & 2. 40. 31. a. b. & 2. 40. 33. b
Quomodo dicatur Chriſtus contriviſſe Monarchias, quum Chaldaica, Perſica, Macedonica, jam finem cepiſſent ante ejus adventum, 2. 44. 27. b. & 2. 40. 30. b
Cur dicat Daniel imaginem periiſſe ubi Romanum imperium confractum fuit, quum adhuc hodie regnent ſummi Monarchæ, 2. 34. 27. b
Deum quum ſomnium obtulit Regi Nebuchadnezer de quatuor Monarchiis, voluiſſe conſulere Judæis ne animos deſponderent: quum viderent ſub his imperiis rerum ſuarum ſtatum concuti & calcari, voluiſſe etiam reddere Chaldæos inexcuſabiles, 2. 34. 28. a. & 2. 40. 30. b
Dei ſummum imperium in terra ſuper ſummos etiam Monarchas, 2. 47. 38. a
Quo conſilio Deus velit mundum regi ordine politico, ubi oſtenditur lucere Dei gratiam in omnibus imperiis, etiam tyrannicis, 4. 10. 54. & 4. 12. 55. a
Homines cujuſcunque ſint ordinis ſentire variis in rebus non parvam utilitatem ex Principum tutela, 4. 12 54. b
Cur imperia comparet Daniel magnis & ſævis beſtiis, 7. 3. 97. b
Eccleſiæ graves afflictiones ſub quatuor illis ſummis Monarchiis, 7. 18. 106. b. & pag. 108. a

De Impiis.

Sic Providentiam Dei moderari articulos temporum, ne impii, cum adeſt mortuum tempus ruinæ eorum, ultro ipſi ſe præcipitent, 5. 2. 69. a. b & 5. 2. 70. a & 5. 4. ibid. b
Deum ſæpe extorquere violenter à reprobis confeſſionem ſuæ ingratitudinis, 5. 23. 78. a
Opprobria & ludibria impiorum in Eccleſiam, Deum ſtimulant ad vindictam ſumendam, quia piorum ſuæ vindex eſt, quæ tunc imperitur, 8. 16. 145. a
Cur dicantur impii nihil intelligere, 12. 3. 201. a. & 12. 10. 205. b

De Integritate vitæ.

Quid ſit juſte vivere: & quomodo hic à ſcopo aberrent Papiſtæ, 4. 27. 81. a
Studendum integritati, ut tollatur calumniandi occaſio malevolis, qui eam captant, 6. 4. 83. a

De Invidia.

Exemplo ſociorum Danielis vitandam ſuperbiam, invidiam, & ambitionem, ſi qui ampliore Spiritus gratia polleant quam alii, 2. 17. 19. b. & 2. 23. 22. b
Mera æmulatione commotos fuiſſe, qui accuſarunt Sadrach, Meſach, & Abednego, & interim aſtutia uſos, 3. 8. 42. b
Invidia graſſatur præcipue in aulis Regum, & itaner eſt calumniatrix, impudentia, crudelitatis, &c. 6. 4. 82. b
Procerum Darii deteſtabilis malitia ad perdendum Danielem, 6. 8. 83. a

De Judæa.

Cur Judæam vocet Daniel Gloriam, 8. 9. 121. a
Judæa cur dicta terra deſiderabilis, 11. 15. 178. a
Romanorum fœdus cum Judæis, 11. 16. 181. b

De Judiciis Dei.

Veſanit eorum qui cum Deo litigant, quia judiciorum ejus rationem non capiunt, 4. 35. 88. b. &c.
Exemplum incomprehenſibilium Dei judiciorum, quod Sanctus Daniel puer adhuc in exilium trahitur, multis domi remanentibus, 1. 1. 3. b
Etiam quando Deus fidelibus ſuis oſtendit ſe clementem, & propitium, ipſi tamen non poſſunt ejus judicia in impios videre vel audire ſine formidine, 4. 23 58. a
Horribilis vindicta Dei in Alexandrum, totamque ejus progeniem, 7. 8. 99 b. & 8. 8. 121. a

De Juſtificatione.

Deus juſtificat, doctrina juſtificat, fides juſtificat, doctores etiam juſtificant: & quo ſenſu quidque horum dicatur, 12. 3. 201. b

M.

De Macedonico imperio, vel Monarchia Græcorum.

Cur Daniel imperium Macedonicum conferat æri, 2. 40. 26. b. & pag. 27. a. & 2. 39. 29. b
Cur imperium Macedonicum comparetur pardo, 7. 6. 99. a
Cur hircus repræſentet Alexandrum, & Monarchiam Græcorum, 6. 21. 118. a. &c. vide etiam de Alexandro ſub litera A.

De Martyribus.

Veram eſſe prudentiam coram Deo, ſi potius patimur nos ad mortem rapi, quam deflectamus ab ingenua cæleſtis doctrinæ profeſſione, 11. 33. 190. a
Cypriani vox memorabilis, cum pro pietate vitam exponeret, 3 18. 43 a
Conſtantia piorum in retinendo puro cultu, etiam cum Reges fulminant, & mortem omnia minantur, conſtat nulla admittenda deliberatione: nititurque potentia Dei, & vitæ noſtræ oblatione in ſacrificium pus illuſtranda ejus gloria, 3. 18. 42. b. & pag. 43. a. & 5. 10. 45. a. & 5. 21. 46. a
Diſcrimen inter Martyres, & furioſos qui dant pœnam ſuæ dementiæ, 3 18. 40. a
Placere Deo noſtram conſtantiam in obeunda morte pro ejus cultu, etiamſi non ſtatim proferat fructum, 6. 10. 45. b
In poteſtate Dei eſſe, vel miraculo prorogare vitam ſuis cultoribus in media morte: hoc tamen non præciſe ſperandum, ſed ejus arbitrio relinquendum, 3 21. 46. a. b. interim tamen certa fiducia in eum inniti oportere, 3. 28. 48. b

De Mediatore.

De Chriſto Mediatore, 7. 13. 106. b. & 9. 14. ibid.
Non aliter conciliari precibus noſtris favorem coram Deo, niſi ubi nos complexus eſt favore ſuo, confugientes ad ejus miſericordiam, per fidem in Chriſtum, 8. 23. 149. b

De Meritis operum.

Contra doctrinam Papiſticam de meritis hominum, 6. 22. 91. a. & 9. 4. 138 a & 9. 16. 144. b. & 9 18 146. b
Contra falſam Papiſtarum imaginationem de Meritis Sanctorum, oſtenditur in electis, imo ſanctiſſimis Martyribus, ſubeſſe ſemper aliquas feces, 11. 35. 190. a

De Minis Dei.

Vetitas & ſtabilitas minarum Dei, 9. 12. 141. a. & 9 14. 143. a
Contemptus doctrinæ Dei, & minarum ejus ſubſannatio, crimen atrociſſimum, 9. 11. 141. a. & 9. 14. 143 a. b
Securitas & ſtupiditas impiorum, etiam cum Deus palam illos terat, & denunciat propinquam vindictam, 4. 13. 52. a
Nullo profectu nos fore præfractos & pervicaces, quoties nobis Deus minabitur, 4. 23. 59. b

De Miniſterio Eccleſiæ.

Hanc modeſtiam colendam Dei ſervis & Eccleſiæ Miniſtris, ut alii diſcant ab aliis, 8. 2. 134. a
Non eſſe locum ulli tergiverſationi, quando non audiuntur veri Prophetæ & Dei miniſtri, 9. 6. 137. b. Etiamſi nulla Reges ſe objiciant, 9. 6. 138. a. & 9. 10. 140. a. b. & 9. 11. 141 a. & 9. 12. ibid. a b
Contra eos qui obtendunt ignorantiam vice clypei, 8. 5. 137 b. & pag. 138. b. & 9 10. 140. a
Perfectionem contineri in doctrina quam tradidit Deus Eccleſiæ ſuæ, 9. 10. 140. a. b
Non alios probari coram Deo Doctores, niſi qui parati ſunt doctrinam ipſam ſuo ſanguine obſignare, 12. 33. 188 a
Fidis Doctoribus ſuperandum non unum tentationis aut perſecutionis genus, ſed multa. idque longo tempore, ibid. & 11. 35. 189. b. &c.
Etiamſi major pars contemnat, ſubſannet, rejiciat ſalutarem doctrinam, pios Doctores conſolari debet, quod exiguus tamen piorum numerus illam reveretur, apud quos manet velut abſcondita & obſignata. 12. 4. 203. a. & 12. 10. 205 a
Fidelium Doctorum ampla gloria menſura in vita æterna, 12. 3. 201. a
Omnes ſenes vix ſenſus, 11. 30. 185. b

Diſtinguendos veros Prophetas & Dei ſervos, ab iis qui falſo prætendunt ſe loqui in Dei nomine, 9. 8. 138. a
Confidentia magna caterva falſorum Doctorum, inſolenter exultantis contra paucos veros Doctores, ſicut olim fit hodie, 11. 33. 207. b
Antiochus Magnus graſſatur in Judæos perfidia impiorum Sacerdotum, 11. 10. 171.
Antiochus Epiphanes diripit Jeroſolymam & templum Dei aliqua ex parte: quæ gravis fuit tentatio piis, 11. 21. 184. a. b poſtea etiam ſecundo ſeverius accenſus perdidit Sacerdotibus, 11. 18. 105. b & 11. 31 108. a
Sacerdotum avaritia & ambitio, etiam poſt mortem Antiochi Epiphanis, calcavit totam Dei gloriam & ipſam legem, 08. 30. 192. a

De Miraculis.

AD ſolidam pietatem non ſufficit cognoſcere Deum ex miraculis, (licet miracula ſint præparationes ad fidem, & confirmationes fidei) nec effectibus potentiæ ipſius, niſi adjuncta ſit cognitio ex ſermone ipſo Dei, 3. 28. 48. a. & 3. 29. 49. b
Contra eos qui quærunt miracula, 7. 27. 115. a
Circumſtantia miraculi, quod Deus edidit in liberando è fornace Sadrach, Meſach, &c. 3. 22. 45. a. & 3. 24. 46. a. & 3. 27. 47. a. &c.
Miraculo conſervationis ſanctis Danielis in ſpelunca leonum, 6. 22. 90. b

De Miſericordia Dei.

PActum vel fœdus Dei conjungi cum miſericordia optima ratione, 9. 4. 130. a
De amplectenda Dei miſericordia, 9. 9. 139. b
Juſtitia Dei, id eſt, miſericordia, opponenda abyſſis peccatorum noſtrorum, 9. 10. 144. b
Agnitio culpæ nihil profuiſſet, niſi ſimul accederet ſpes veniæ, 9. 8. 139. a
Exemplum patientiæ Dei in expectandis ad pœnitentiam reprobis etiam, 4. 20. 85. a. quæ ſi abutantur, duplicat poſtea terrorem, ibid. & 4. 31. 85. b
Dei clementia erga ſuos etiam cum auxilium ſuum non ſtatim exerit, 10. 13. 185. b. &c.

N.

De Nebuchadnezer Rege.

NEbuchadnezer duo, pater & filius, 1. 1. 3. a
Quæſtio, quomodo dicatur anno tertio Jehojakim Nebuchadnezer oppugnaſſe Jeroſolymam, qui cœpit regnare tantum anno quarto Jehojakim, ibid. 2. b
Cur Nebuchadnezer ex captivis Judæis pueros quosdam primarios in aula ſua educari voluerit, 1. 3. 4. a. & 1. 4. 4. b & 1. 3. 5. a
Regem Nebuchadnezer nunquam vere converſum fuiſſe ad veram pietatem, ſed tantum ſubito motu erupiſſe in particularem confeſſionem, 2. 46. 31. a. & 2. 1. 37. b & 3. 20. 47. a. & 3. 28. 41. a. & 3. 39. 50. a. & 4. 1. 50. a. & 38. a. & 4. 9. 52. a. & 33. a. & 4. 15. 51. b & 4. 15. 50. a. b
Cur Deus voluerit prius ſomnium deleri ex memoria Regis Nebuchadnezer, non autem poſterius, 4. 5. 51. b
Nebuchadnezer ſuperbia, non repentina, aut ex inconſideratione, ſed concepta longo tempore, 3. 20. 77. Præf. a
Quomodo intelligendum ſit, Nebuchadnezer habitaſſe cum beſtiis, 4. 32. 64. a. & 4. 36. 67. a
Nebuchadnezer caſtigatus incredibili pœna ſuperbiam ſuam agnoſcit, ſe damnat, & prædicat Dei juſtitiam, 4. 37. 67. a. b &c.
Quomodo Nebuchadnezer ſevera pœna demum cognoverit Deum regnare in terra, 3. 11. 78. b
Evilmerodah filius & ſucceſſor Nebuchadnezer Regis, 8. 22. 98. a
Uxor Regis Nebuchadnezer matrona prudens, 5. 11. 75. b

P.

De Papatu.

NOn intelligi de Antichriſto, ſed de Antiocho Prophetiam Danielis, 8. 25. 131. a
Per quartam beſtiam non deſignari Papatum, nec imperium Turcicum, & cur, 7. 8. 121. a
Unde immenſa illa cognitionum congeries in Papatu, 8. 1. 40. b

De Patientia.

PAtienter expectandum, dum differt Deus præſtare ea ipſa quæ verbo docuit, 10. 1. 160. b
Contra impatientiam, oſtenditur etiam ubi non ſe oſtendit gratia & virtus Dei, jam tamen exauditas eſſe preces noſtras, 10. 13. 165. a. b
Contra impatientiam, dum differt Deus in longum tempus effectum eorum quæ prædixit, 11. 7. 201. b. maxime dum ſub diuturnis afflictionibus languet Eccleſia, & ſub cruce contentur, ibid. & 12. 10. 209. a. b. & 12. 12. 205. b. &c.
Contra impatientiam, & humanum terrorem in deſideriis, 8. 10. 118.

De Patrum authoritate.

COntra frivolam commotionem objicientium Patres Deo inſtar clypei, 9. 6. 138. b
Quod Daniel invocans Deum Patrem ſuorum non fundat Dei gloriam in Patrum authoritate, quemadmodum Papiſtæ, 6. 23. 22. a

De Perſarum imperio.

AStyages pater Darii Medorum Regis, & avus maternus Cyri Perſarum Regis, 7. 1. 84. b
De Cyro, vide ſub litera C. & de Dario, ſub litera D.
Perſarum ingenium, 7. 5. 98. a. &c. & 8. 3. 118. b
Cur imperium Medorum & Perſarum vocet Daniel argenteum, 2. 32. 26. b & 2. 39. 29. a
Cur regnum Perſarum & Medorum comparetur Urſo, 7. 5. 98. a
Cur imperium Perſarum & Medorum comparetur Arieti, 8. 3. 118. a & 8. 20. 128. a
Arx celeberrima Suſis, 8. 2. 118. a & 8. 7. 120. b
De Perſarum Regibus, & regni potentia, 8. 4. 119. a
Smerdes Rex ſuppoſitus Magorum fraude, quaſi eſſet Darii filius, 11. 2. 171. a
De Regibus Perſarum poſt Xerxem, ibid. b

De Pœnitentia.

QUid ſit pœnitentia, & de ejus fructibus, 4. 27. 81. a
Pœnitentia voluntaria eſt, 4. 2. 53. Præf. b
Reſipiſcentiam non eſſe poſitam in uno altero opere, ſed in perſeverantia, 9. 8. 48. a
Hominibus prævenienduni Dei judicium, ſeipſos damnando, 9. 8. 148. a
Multos triſtitiam concipere ex ſuis peccatis, ſed interim non corrigere, nec ad pœnitentiam adduci, 6. 18. 89. a. & 6. 20. 90. Præf. b
Petitio veniæ cum peccati confeſſione & pœnitentia conjungenda, 9. 4. 133. a
Non ſufficere qualemcunque peccatorum confeſſionem, ſed noſtri affici eſſe ſtimulare nos & urgere acrius ad pœnitentiam, 9. 3. 133. a. b
Cur ad ſecundam tabulam potius nos revocet Scriptura, quam ad priorem, quum ad reſipiſcentiam hortatur, 4. 27. 81. b

De Præceptis Dei.

CUr mandata Dei inſigniantur ſtatutorum judiciorumque nomine, & aliis titulis, 9. 5. 137. b
Non eſſe cur homines tergiverſentur, ſi tranſgreſſi fuerint mandata Dei, ibid. & 9. 10. 140. a. b
Verus amor erga Deum ab obedientia ſeparari non poteſt, 9. 4. 137. b

De Prædeſtinatione.

DIſcernit Scriptura ſæpe titularem & externam Eccleſiam à vera & arcana: atque diſcrimen pendet non ab hominum meritis, ſed à gratuita Dei electione, 12. 1. 200. a &c.
Quo ſenſu æternum Dei conſilium dicatur liber, ibid. b
Quomodo optime cohæreat arcana æternaque electio cum vocatione, ibid.
Contra adverſarios doctrinæ Prædeſtinationis reſpectu notæ generalis Omnes, 7. 22. 110. b

De Precibus.

INvocatio primas obtinet in cultu Dei, 6. 10. 85. a
Quidquid petamus à Domino, ſemper in ejus miſericordiam convertendos oculos, 2. 18. 19. b
Etiam in maximis periculis, cum fiducia precari nos debere, docetur Danielis exemplo, 2. 17. 18. a. & 2. 19. 20. a
Cum precibus conjungendas eſſe laudes Dei & gratiarum actionem, 6. 10. 86. a
Ubi Dominus præclarum aliquod nobis confert beneficium, tum magis accendi nos debere ad gratias illi agendas, Danielis exemplo docemur, 2. 20. 20. a
Precandum pro inimicis, & pro tyrannis ſub quorum ditione degimus, 4. 19. 73. b
Cur Daniel oravit feneſtris apertis verſus Jeruſalem, 6. 10. 85. b
De colligendis adminiculis omnibus quæ poſſint torporem noſtrum corrigere, dum ſentimus nos pigros ad precandum: & præfigendis certis horis ad preces, ibid. & 6. 10. 87. b
De precibus quotidianis, item de extraordinariis, 9. 4. 133. a. b
Cur Daniel orаturus reſpexerit verſus Jeroſolymam, 9. 4. 134. b
Metum & tremorem concipiendum nobis, ut deſpectiore precemur, 9. 4. 135. b
Preces non placere Deo, niſi prodimus rotam ipſi, 9. 4. 137. a
In precibus, pœnitentia cum fide conjungenda, 9. 18. 147. a & 9. 20. 148. a
In precibus fidelium, pœnitentia concurrit cum fide, & propterea dari fideles aliquando attollere preces ſuas ad Deum, aliquando proſternere coram Deo, ibid.
Vanæ preces hypocritarum in afflictione, quia ſine pœnitentia & fide, 9. 13. 142. a &c.
Remedium contra dubitationes quæ abrumpunt ſtudium precandi, 9. 17. 145. b
Daniel Deum precatur per Dominum, id eſt per Mediatorem, 9. 17. 146. b
Pios, etiam ubi mœror & anxietas ſenſus omnes occupat, perſeverare in precibus, imo eo magis accendi ad preces, 9. 18. 140. a
Quomodo ſit precandum, quum Deus auxilium ſuum differt in afflictionibus, 9. 19. 147. a
Nunquam fore irritas eorum preces, qui vera fide & pœnitentia ad Deum confugiunt, licet torpor qui adhuc inhæret noceat fidei, in cauſa ſit ut Deus auxilium ſuum differat, vel minus abundanter illos ſuccurrat, 9. 20. 142. a
Fideles etiam cum ſoli ſunt, non tamen concipere aliquando preces ſuas, nec tantum corde ſecum orare, 9. 21. 140. b
In precibus ſolicitos eſſe nos oportet de communi Eccleſiæ ſtatu & ſalute, nec tantum nobis ſtudere, 9. 20. ibid. b
Non eſſe irritas ſanctorum preces, licet Deus nihil illis largiatur, quod non eſſent facturi ipſis quærentibus, 9. 23. 149. a
Sanctos ita placere Deo & exaudiri, ut non ſemper obtineant quidquid appetunt, 9. 25. 150. a
In precibus, ut Deo probentur, non eſſe laxandas habenas ſtultis cupiditatibus & deſideriis, 10. 12. 163. a

De Promiſſionibus Dei.

DEum non fallere datam fidem, cum affligit Eccleſiam, ſed peccata populi compulſum id facere, 9. 23. 129. b. & 9. 23. 131. b. & 9. 4. 134. b
Promiſſiones Dei nos ſolicitant ad preces, 9. 3. 133. a

De Prophetis.

IN Prophetis relucere admirabilem Dei ſapientiam, 2. 20. 21. a. b
Qui deſpiciunt Dei Prophetas, & confugiunt ad impoſtores, dant pœnas ſuæ ingratitudinis, 5. 8. 73. a. & 5. 11. 74. a & 5. 13. 76. a
In honore exhibendo Prophetis, ſervandum eſſe modum, 2. 46. 34. a. & 2. 47. 35. b
Quoties Deus conſtituit Prophetas ſuos præcones gravium calamitatum, duplici affectu ſolitos præditos, triſtitia ſcilicet, & tamen conſtanti magnanimitate, 4. 19. 77. b. & 4. 10. 55. b
Prophetias, viſiones, & prædictiones Danielis ad nos quoque ſpectare, 7. 1. 96. b
Etiam ex Prophetiis quæ jam effectu ipſo impletæ ſunt, magnam utilitatem ad nos redire, 10. 7. 163. a
Cur Daniel jubeatur claudere & obſignare Prophetiam, 8. 26. 131. b
Deum nunquam deſtituiſſe ſuos neceſſario ſolatio, etiam cum nulli Prophetæ ſuperſtites apparuerunt, 10. 14. 107. b
Magnopere intereſſe, confirmari nobis conciones & viſiones Propheticas, 10. 7. 163. a. & 10. 15. 107. a. & 10. 19. 169. b & 10. 21. ibid. a. & 11. 2. 171. a. & 12. 5. 205. a
De Daniele, vide reliqua ſub litera D.

De Providentia Dei.

PRæſcientia Dei arguit ſummum ejus eſſe imperium, quia non eſt nuda, 3. 47. 30. b
Mutationes & rerum humanarum converſiones non debere adſcribi naturæ aut fortunæ, ſed Dei Providentiæ & potentiæ, alioqui locum habere Epicuri doctrinam, 2. 21. 21. a
Papiſtas non vere agnoſcere Dei potentiam & ſapientiam, qui dicunt omnes contingenter fieri, 2. 21. 16. b
Nihil fortuito contingere, ſed omnia arcana Dei providentia: ubi refutatur diſtinctio inter Permiſſionem & Voluntatem, oſtenditurque Deum tamen non eſſe peccati authorem, 4. 35. 80. b
Nihil eſſe fortuitum, ſed omnes geri in mundo ſicut Deus in cœlo decrevit, 7. 32. 105. a
Singularis Dei providentia relucet in imperiis, 5. 19. 77. a
Deum ſpoliari jure ſuo, niſi agnoſcatur Dominator in terra, non tantum in cœlis, ut fingunt Epicurei & vulgus hominum, 4. 17. 16. b & 4. 25. 90. b
Homines non evehi prudentia ſua, aut aliis ſuis artibus, ſed Dei providentia & manu, 4. 17. 77. a
Deum optime moderari ſua judicia quaſi in ſtatera, & nihil confuſe agere, 5. 27. 80. a
Cum dicitur Deus omnia facere ſecundum voluntatem ſuam, non ſignificari tyrannicum imperium, ſed ſummam juſtitiam, 4. 35. 66. a. b. & 4. 37. 68. a. b
Deum occulto judicio gubernare, quæ hic homines ſine modo gerunt, 7. 5. 98. b. & 7. 25. 113. a. b
Quæ videntur valde confuſa in mundo, temperari tamen à Deo in uſum Eccleſiæ & ſalutem piorum, 7. 27. 114. a. b & 8. 21. 155. a
Tam Angelos, quam diabolos & homines, gubernari Dei arbitrio, licet varie, 4. 31. 67. b
In manu Dei eſſe, vel flectere ad humanitatem hominum corda, vel obdurare, idque ſingulis momentis, 1. 9. 8. b
Deum variis modis tangere hominum corda, & reproborum & electorum, 5. 8. 72. a
Cur exhortetur Daniel Regem Nebuchadnezer ad compenſanda peccata, quum jam decretum eſſet à Deo ipſum gravi flagello caſtigare, 4. 27. 82. a

R.

De Rabbinis Judæorum.

Judæos Scripturarum ſenſum pervertere, ne fateri cogantur Chriſtum fuiſſe exhibitum mundo, 6.38:26. a. & 2 39.29. b. & 2. 44. 32. a
Judæi tergiverſantur ne cogantur agnoſcere Chriſtum noſtrum in Scripturis, 7. 7. 100 a
Judæos ſemper tergiverſari, & depravare Scripturæ teſtimonia, quoties urgentur luce Chriſti, 9. 24. 150. a. & 9 25. 153. b
Rabbinorum frivola divinatio, 5. 5. 37. a
Rabbini cujuſdam error, 4 11. 54. b
Judæorum inſcitia in rebus etiam manifeſtiſſimis, 4. 11. 55. b
Rabbinorum inſcitia, 7. 27. 116 b
Rabbinorum inſcitia & impudentia in confingendis mendaciis, 5. 30 81. a
Rabbinorum ſtolida audacia, & hiſtoriarum imperitia, 11 2 171 a
Contra Rabbinum quendam Barbinel, qui dicit nos ſtruere imaginarium ſpirituale Chriſti regnum, quum dicatur regnaturus ſub cœlo, 7. 27. 115. b
Pudenda inſcitia Rabbini Barbinel in doctrina de Mediatore, 7. 27. 116. a
Barbinel Rabbini impudentia & inſcitia in refellendo adventu Chriſti, qui probatur ex ſupputatione ſeptuaginta hebdomadum, 9. 24. 150. b. & ibid. 152. a. b. & 9. 25. 153. a
Inſcitia Barbinel numerantis pluſquam ducentos annos, inter Chriſti mortem & ultimum templi excidium, 9 26. 157. b
Judæi adulterant ſanam doctrinam, ſtupidi ſunt ac phrenetici, 7. 27. 124. b

De Regibus hujus mundi.

Regum partes eſſe tueri Dei cultum, abolere omnes ſuperſtitiones, & vindictam ſumere de profanis contemptoribus, hæreticis, & aliis Eccleſiæ turbatoribus, oſtenditur exemplo Nebuchadnezer, 4. 1. 51. b. & 6. 26. 95. a. b
Regibus maxime & principibus vitio cavendam potum intemperantiam, 5. 2 70 b
Quanta ſit Regum poteſtas, ſed ipſorum eſſe deſpicere quid Deus permittat, 5. 19. 77. a. b
Quantopere ſibi debeant Reges cavere à pravis conſiliis, quum undique ipſos obſideant homines aſtuti & perfidi, 6 14. 67. a
Regum fœdera ſpecioſis coloribus prætexta, fere tamen nihil ſoliditatis habent, 11 6. 175. a. & 11 17. 179 b
Regum ſtultitia, qui conſiliarios diligunt aptos ſuis affectibus, 11. 26. 163 b
Regibus facile perſuadent adulatores quidquid facere videtur ad extollendam eorum magnitudinem, etiam cum Dei contemptu. 6. 7. 23. b. & ibid. 24. b
Aulicos, & omnes qui non ſolide ſunt fundati in Dei verbo, quidvis probare quod placeat Regibus ſtatuere de religione, 3 1. 39. b. & ibid. 40 a. potius tamen vitioſos cultus, quam veram pietatem, 8. 7. 40. b
Aſtutia impiorum, dum ingratitudinis & rebellionis in Reges, accuſant puros Dei cultores, 3 12. 61 b. & ibid. 42. b
Reges mercedem referre ſuæ ſuperbiæ qualem merentur, cum patere ſerviliter coguntur ſuis adulatoribus, 6. 28. 89. a. & 6. 17. 89. a. b
Regum & tyrannorum impotens iracundia, etiam in inſanies, a. 5. 15. b. & 2. 9. 16. a. b. & 8. 13. 16. a
Stultitia eorum qui appetunt habere Reges potentiſſimos, 2. 39. 39. b
Vulgi oculos nimium perſtringi ſplendore Principum, 4. 18 55. a
Quod Nebuchadnezer audita interpretatione ſui ſomnii, proſtravit ſe coram Daniele, pietatis & modeſtiæ ſignum fuiſſe Regibus imitandum, 2 46. 34. b
Cur Daniel mœrorem conceperit ex pœna horribili quam Deus per ſomnium denunciabat Regi Nebuchadnezer, cum impius tyrannus eſſet, & Eccleſiæ perſecutor, 4. 19. 57. a
Indigne ferre Reges ſe cogi in ordinem, & citari ad Dei tribunal, 4. 25. 59. a
Quam falſo abutantur Dei nomine Monarchæ fere omnes, cum obtendunt ſe eſſe Reges Dei gratia, 4. 25. 60. a. b. & 5. 21. 76. a. b
Prudentia Danielis Regem profanum exhortantis ad pœnitentiam, 4. 27. 61. b
Tyrannos nihil difficilius ſibi perſuadere, quam ſe ſubeſſe potentiæ Dei, 4. 32. 84. b
Tyrannorum ſervos ſua mora ipſis obſequium præſtare in rebus peſſimis, 5. 4. 71. b
Tyrannos contra Deum ferocientes, in mediis triumphis repente trepidare cogit, 5. 5 71. b. & 5. 6. 72 a
Reges etiam ubi expaveſcunt, cavent ſedulo ne quod præbeant ſignum timiditatis, 5. 29. 90. b
Regum hujus temporis ſocordia, qui deſpiciunt Dei dona in optimis quibuſque. & interim honores conferunt hominibus ſtupidis, avaris, crudelibus, &c. 6 3. 82. a
Non poſſe excuſari Regum conſiliarios, qui ut diſcrimen effugiant, diſſimulant quod bene ſentiunt, 6. 10 83. b
Contra Proceres & Magiſtratus qui ſimulant idola ſe colere; & diluuntur vani colores quibus ſe excuſant, 3. 16. 45. a. & 3. 39. 45. b
Aſtutia adulatorum, qui circa Reges verſantur, ad illaqueandos innocentes, 6. 12. 26. a. & ibid. 29. b
Tyranni perſequentes Eccleſiam detrahunt ſtellas è cœlo, 9. 10. 122. b

De Regno Chriſti.

Regni Chriſti perpetuitas, licet ejus initia contempta coram mundo, 6. 40. 32. b. & 2, 44. 34 b
Refutatio ſex argumentorum Rabbini cujuſdam Barbinel, quibus conatur oſtendere regnum quintum de quo vaticinatur Daniel, non poſſe ad Chriſtum noſtrum referri, nempe ad Jeſum filium Mariæ, 2. 40. 32. a
Qualis ſit perpetuitas regni Chriſti, & duplicem eſſe extra ejus perſonam, nempe in toto corpore Eccleſiæ, deinde in ſingulis fidelibus, 2. 44. 33. b
De æternitate regni Chriſti & Eccleſiæ in hoc mundo, 7. 14. 107 b
Deſcriptiones Prophetarum de regno Chriſti non eſſe hyperbolicas, & quomodo ſint accipiendæ, 7. 27. 113. a
Quo ſenſu dicant Prophetæ omnes populos obedituros Chriſto, 7. 27. 116 b

De Religione.

Philoſophorum diſputationes de religione, 3. 2. 39. b
Religiones gentium fundatæ tantum ſunt in authoritate Majorum, neque rationem ullam admittunt, ibid.
Nullam religionem placere Deo, niſi quæ fundata ſit in veritate, 6 12. 123 Præf. a. b

De Remiſſione peccatorum.

Non ſine cauſa variis elogiis commendari nobis beneficium remiſſionis peccatorum, perſpectum adventu Chriſti, 9. 25. 155. Præf. a
Neminem filiorum Dei perfectum eſſe in hoc mundo, oſtenditur contra Catharorum & ſimiles cynicos, 9. 20. 148. b
Falſum eſſe, non mitigari pœnas niſi remiſſa culpa, 4 15. 55. b

De Reſurrectione ultima.

Quia Chriſti fidelibus nuſquam tranquillus ſalutis portus hic apparet, aptiſſime Danielem ab exordio prædicationis Evangelii, ſtatim ſacere tranſitum ad ultimam reſurrectionem. & ſecundum Chriſti adventum, 12 2 200. a b.
Clariſſimum teſtimonium de reſurrectione ultima, & æterna conditione tam impiorum, quam piorum, 12 2. 201 b
Non eſſe cur queramur, etiamſi Deus non ita delicate nos tractet, quoniam ſufficere nobis debet cœleſtis gloria. 12. 3. ibid. b
De ineſtimabili gloria repoſita apud Deum fidelibus Chriſti, ibid.

De Romano imperio.

Non poſſe niſi Romano imperio convenire quod dicitur a Daniele de quarta Monarchia, 2. 40. 30 a. & 2. 44. 32 a
Cur Deus voluerit Danielem & Eccleſiam præmoneri de ſtatu Romanorum monarchiæ, 11. 36. 192 Præf. b
Cur Romanum imperium Daniel vocet ferreum, 2 33. 27. a
Cur imperium Romanum comparetur beſtiæ, ſine certo nomine, 7 7. 100 a
Imperii Romani decem cornua, quid, 7. 7. 20 101. b. & 7 109 b
Romanam dominationem neque Rempublicam neque Regnum fuiſſe, ſed neſcio quid confuſum, 7. 23. 112. a
Romanos, quamvis magnifice prædicarent ſuam Majorumque ſuorum pietatem, nullum tamen habuiſſe Dei timorem, etiam ſuperſtitioſum, 11. 36. 191. b. & 11. 36. 198 a & 11. 39. 195 a
Romani paſſi ſunt ſibi templum extrui & ſacrificia afferri in Aſia, 11 38 183 b
Quo jure Romulum ſuum deificaverint Romani, ibid. b
Quis Deus Maozim, id eſt fortitudinum, quem cultum iri à Romanis prædicebat Daniel, ibid. a b
Romanæ dominationis crudelitas, item incertus ſtatus, 2. 40. 30 a. & 2. 44 33
Quam longe & late extenderint ſuam potentiam Romani, atque nomen ſuum, 7. 7. 100. a. b & 7. 23. 112. a
Romanorum inexplebilis cupiditas, aſtuta liberalitas, 7. 7. 100. a. b & 7. 19. 109. a. & 7 23. 111. b. & 11. 32. 195. b
Captioſa Romanorum humanitas erga populos qui ſocietatem cum ipſis petebant, 11. 36 191. b
Si quibus bene fecerunt Romani, illos ditabant ex præda & ſpoliis aliorum, 11. 39. 125 a. b
Ridicula liberalitas Romanorum, ſimulatam libertatem concedentium devictis populis, ibid. b
Romani tandem proſcriptionibus rapacitatem ſuam in viſcera ſua converterunt, ibid. b
Romanorum ſuperbia, barbaries & ἀσπλαγχνία, 11. 37. 193 b. & 11. 39. 194. b
Multæ & magnæ Romanorum victoriæ, 11. 42. 197. b. & 11. 45. 197 a
Romanorum avaritia, 11. 43. ibid. a
Poſt multas victorias Romanos graviter afflictos fuiſſe a Parthis Craſſo duce primum, deinde etiam Antonio ſed nihilo humiliores fuiſſe, non truculentiores factos, 11 40. 198 a. b & 11 45. ibid. b. tandem tamen poſt excidium urbis Jeruſalem, ſecutam contigiſſe diſſipationem Romanæ Monarchiæ, 11 41 196. b
Pacatum tandem Romanis fuiſſe imperium in Oriente, ibid. a. ſed aſtute ita longe lateque dominatos, ut ſedes tamen imperii eſſet Roma, neque ulli loco plus tribuerent dignitatis, quam ipſis erat utile, ibid.
Quo ſenſu dicantur Romani dominari inter maria, ibid.
Superbiam imperii Romani pudefecit Deus, cum monſtra quædam erexit coram gentium omnium oculis ad imperii ſedem, 4. 17. 57. b
Interitum Romani imperii, ex quo dominati ſunt illic exteri, 7. 12 104. a. & 7. 26 114. a
Ita concidiſſe & reiſſe Romanam Monarchiam, ut vere appareat confractam fuiſſe à Chriſto, 2. 34. 27. a. & 2. 44. 33. a

S.

De Sacramentis.

Fideles, etiam ubi carent externis pietatis adminiculis quoad præcipuum uſum, aliquid tamen utilitatis ex iis capere, 9. 21. 149. b

De Satisfactionibus.

Refutatio doctrinæ Papiſticæ, Deum placari ſatisfactionibus, 4. 27 81. b
Contra Theologiam Papalem de Indulgentiis, 12. 35. 190. b

De Scriptura & Verbo Dei.

Quia principium veræ & ſolidæ intelligentiæ eſt reverentia, expergefaciendos eſſe auditores ut certo perſuaſi ſint Deum loqui, oſtenditur exemplo Nebuchadnezer, 2. 28. 14. b. & 2. 45 14 b
De modeſtia ſervanda, & vitanda curioſitate in Scripturæ lectione, 7. 19. 118 a
Deus tantum reverentiæ vult aſſerere verbo ſuo & prophetiæ, ut ſummi etiam Reges illi ſubjiciantur, 4. 23. 38 b
Cum reverentia ſemper conſideranda eſſe myſteria comprehenſa in verbo Dei, 7. 53. 107. a
Modeſtia & docilitate opus eſſe, ne rejiciamus quidquid ſuperat captum noſtrum in Scriptura, ſed petamus à Deo interpretationem, & ab ipſo Chriſto per Paſtores & Miniſtros, 7. 16. ibid b
De reverentia in excipiendis Dei oraculis, 8. 5. 319. a
Dei ne à manu non disjungendam, id eſt verbum ab effectu, 6. 17. 127. b
Præſentia Dei in verbo non ad timorem, reverentiam, & docilitatem expergefacere debet, ibid. a. & 8. 16. 127 a b
Confirmatio authoritatis Scripturæ ex prophetiis & prædictionibus, 6. 22. 123 b
Confirmari nobis verbum Dei, neceſſarium eſt fidei noſtræ, 8. 26 131 a
Quid cogitandum quoties templum ingredimur, vel legimus aliquid in Scripturis, 9. 22. 149. a
Contra Epicureos qui convellunt Scripturæ certitudinem, quia non conſentiant ſemper interpretes in expoſitione locorum Scripturæ, 9. 25 156 a
Reverenter tractandas & exponendas Scripturas, 6. 25 131. a
Reverenter interpretandam Scripturam, nec captandos ſenſus allegoricos, 10. 6. 163. b
Timor præparat ad attentionem verbi Dei, 9. 27. 152 a
Turbari & dejici nos in nobis neceſſe eſt, ut ad audientiam, reverentiam, & obedientiam verbi Dei præparemur, 10. 3. 163. b. & ibid. 164. a. b. & 10. 15. 167. a. b. & 10. 16. 166. a. & 10. 16. 169. a
Ubi nos proſtravit Deus voce ſua, non poſſe aliter erigi & recreari, quam ejus virtute, 10. 10. 164. b. & cum ad id Angelorum miniſterio utatur, 10. 18. 167. a. & 10 19 169. a
Deum non penitus ſtatim erigere ſuos, ſed per certos gradus mederi ipſorum infirmitati, 10 12. 164. b. & 10 16. 162 b. moderandam tamen eſſe ejuſmodi trepidationem, 10 12 165. a
Contra ſocordiam legendi & meditandi verbi Dei, 12. 6. 203. b
Neque Danielem, neque alios pios fuiſſe operam, dum attenti fuerunt ad prædictiones & viſiones à Deo miſſas, licet multa illic eſſent ipſis abſcondita, 12 6. 204. a. & 12. 9. ibid. b
Non deſperandum ſi primo intuitu obſcura ſit doctrina, ſed poſtulanda à Deo intelligentia, 10. 1. 160. b

De Sobrietate.

De ſobrietate, Danielis exemplum, ne lautitiæ retrahant nos ab officio & timore Dei, 1. 6. 7. a. b. & 1. 13. 9. b.
Item Moſis, ibid.
Leguminibus & cibis vilibus veſci, item aquæ potorem eſſe, non eſt ſemper temperantia, 1. 15. 10. a
Intemperantia protrahentium epulas in multam horam, 5 5. 71. b
De vitanda ebrietate, & intemperantia potus, 5. 2. 70. b. & 5 4 71. a.
Vide quædam ſub cap. de Daniele, item de Jejunio.

De Somniis.

DE ſomniis, & quandam divinatio immini, utcunque contradicat Ariſtoteles, 1. 2. 13. a. & 4. 4. 12. a b

Cur Deus voluerit Regi Nebuchadnezar obliteratam memoriam ſui ſomnii, 2. 2. 12 b

Cur non fuerit antè Daniel vocatus cum Magis ad indicandum ſomnium Regis Nebuchadnezar, 2. 3. 14. Præl. b

Non poſſe confilium artem & ſcientiam interpretandorum ſomniorum, ſed eſſe ſingulare donum Dei: & expectandam eſſe revelationem à Spiritu, 2. 4. 14. b. & ibid. 15 a. & 4. 7. 58. a

De Superbia.

TRanquillitas & proſpera Fortuna ne nos inebriet & ferociam in nobis gignat, cavendum, 4. 4. 12. a

Quam difficile curetur morbus ſuperbiæ: ideoque violenta medicina opus eſſe, 4. 29. 59 b

Quam longæ ſit curationis, morbus ſuperbiæ, 4. 14. 41. a

Angelos aſſidue poſtulare à Deo, ut ſuperbos cogat ſub ſuum jugum, & redigat in ordinem quidquid obſcurat ejus gloriam, 4. 17. 18. b

Cur Deus ſuperbis reſiſtat, 4. 30. 63. b

Deum non poſſe uſque ad finem tolerare eorum ſuperbiam, qui ingrati ſunt erga ipſum, 1. 20. 77. b

Nebuchadnezer Rex, propter ſuperbiam ſpoliatus ad tempus non ſolum imperio, ſed etiam humano ſenſu, 4. 14. 55. b. & 4. 25. 18 Præl. a

Superbiæ pœnitus infanæ & prodigioſæ ſtupenx exemplum in Rege Nebuchadnezer, 4. 29. 63 a

Quomodo Nebuchadnezer ob ſuperbiam juſto Dei judicio habitavit cum beſtiis, 5. 21. 78 a

Superborum deſpiſſo caecia, ubi ad extrema ſunt redacti, 4. 2. 12. a. & ibid. Præl. a

De Superſtitione.

MUndum velle decipi, verum proverbium, 5. 7. 73. a. & ibid. 73 a. & 5. 11. 74 b

Superſtitionem & qui proca ſunt ſumptus, nunquam carere ambitione & ſuperbia, 1. 2. 37. a. & ibid. 38. Præl a

Profanos homines interdum rapi in admirationem Dei, & prolixe fateri quidquid poſſet requiri à veris Dei cultoribus: ſed illud eſſe momentaneum, & interea manere ipſos implicitos ſuis ſuperſtitionibus, 3. 47. 21. a. b. & 3. 28. 42 b

Non ſufficere ſi quis celebret Dei potentiam & ſupremitiam, niſi ex animo relinquat omnes ſuperſtitiones, 3. 47. 36. b

De Syriæ Regibus.

SEleucus primus Rex Syriæ celeberrimus bellator, 11. 24. 188. a b

Antiochus Theos Rex Syriæ rapuit ad ſe honorem Dei, 11. 8 174 a

Antiochus Theos repudiata uxore Laodice ducit Beronicem filiam Regis Ægypti, 21. 6. ibid. a. cujus ſceleris Deus paulo poſt fuit vindex, ibid. b

Antiochus minor Hierax dictus ob rapacitatem, ibid.

Antiocho Magno conjunctus Annibal in bello contra Romanos, 11. 18. 179. b

Antiochus Magnus victus à Romanis pluribus præliis, tandem pace facta valde duris conditionibus, Rex remanſit, ibid. & 11. 19. 180. b

Antiochi Magni avaritia & mors, 11. 19. ibid. b

Filii Antiochi Magni, ibid. 181. b. &c.

Seleucus filius Antiochi Magni, avarus, crudelis, & libidinoſus, 11. 20. ibid. a

Antiochus Epiphanes, 8. 9. 122. b. ejus horrenda perſecutio in Eccleſiam, 8 11. 122. a

Antiochus Epiphanes per ludibrium dictus Epimanes, adulatorio ingenio & minime heroico præditus, ſpoliavit regno fratris filium pupillum, 11. 21. 181. a. b

Antiochi Epiphanis improbitas, impudentia, & aſtutia, 8. 21. 120. a. Juge Sacrificium ablatum ab Antiocho Epiphane, 8. 11. 122. b. & 8. 12. 123. a

Templum profanatum ab Antiocho Epiphane, 8. 13. 124. b & 8. 30. 125. b & 11. 31 186. a

Antiochus Epiphanes polluit templum, & miſcet multas ſuperſtitiones Legi Dei, 11. 31. 186. a

Horrenda tyrannis Antiochi Epiphanis graſſantis in Eccleſiam Dei, 11. 35. 190. a

P. Populi Romanorum legati precisò agendi ratio, apud Antiochum Epiphanem Regem Syriæ, juſſum ex Ægypto decedere, 11. 30. 185 a

Syria intra exiguum tempus ſæpe mutavit dominos, ante quam à Romanis redigeretur in provinciam, 11. 40. 196 a

T.

De Templo Dei.

TEmplum Dei non deſinebat eſſe Sanctuarium potentiæ, etiam cum profanabatur à tyranno & impiis Apoſtatis: quia non fortuito illa acciderunt, ſed Dei decreto, 11. 31. 186. b

Onias Minor contra Legem templum extruxit Heliopoli, falſo prætexens locum Jeſaiæ, 11. 14. 178. a. & 11 32. 186. b

Prophetia de ultimo templi & urbis excidio, & ceremoniarum Legis abrogatione, 9. 27. 159. a. & 12. 11. 201. a

De ſtulta fiducia & ſecuritate Judæorum ſibi blandientium in peccatis, qui putarent Deum viſibili templo alligatum, 9. 27. 159. a

De Templis profanorum.

SUperbus ſplendor templorum Romæ, ex rapinis & ſpoliis exterarum gentium, 11. 38 194. b

Jovis Statoris templum Romæ, item Fortunæ, Virtutis, Prudentiæ, 11. 38. 193. a. Item Jupiter Capitolinus, ibid.

De Teſtamento veteri & novo.

PLenior revelatio in Evangelii promulgatione, quam in miniſterio Legis, 7. 10. 104. b

Diſcrimen fœderis quod ſancivit Chriſtus adventu ſuo, à fœdere legali, 9. 27. 158. b

Diſcrimen inter ſtatum veteris Eccleſiæ ſub Lege, & novæ Chriſto manifeſtato in carne, 9. 24. 155. Præl. a. & 9. 27. 158. Præl a

De vocatione Gentium, 9. 27. 158. Præl. b

De abrogatione ſacrificiorum & ceremoniarum legalium, per unicum & æternum Chriſti ſacrificium, ibid. b. & 12. 11. 203. a

V.

De Vita præſenti.

QUod pane veſcimur, non ex virtute ejus eſſe, ſed ex arcana Dei benedictione. 1. 12 9. a & ibid 10 a

Vitam noſtram cuſtodiri à Deo, & nihil nobis contingere noxæ à truculentis beſtiis, à ſceleratis hominibus, à diabolis ipſis, quod non ipſe dirigat. 3. 17. 44. Præl. a. b. & 6. 22. 91. a. & 6. 21. 91. a. & 6. 24. 91. Præl a

Deum mirabiliter eripere ſuos è faucibus mortis, oſtenditur exemplo Danielis, 3. 23 18. a

Gratia Dei in ſervandis ſuis, cum toti populi periſſerunt, 5. 11. 31. a

Depoſito vitæ præſentis deſiderio, ſæpi nos oportet ad ſpem meliorem, & per manum exercere in hac meditatione, ut conſtanter perſiſtamus in Dei cultu puro, 3. 18. 44. Præl. b

De Vocatione.

STrenue pergendum in curſu vocationis, neque metu periculorum deſerendum officium, quia in manu Dei eſt flectere ad humanitatem eos qui nobis minantur, 1. 9. 8. a. b. aut obſiſtunt, 1. 16. 10. b

Prudentia in flectendis hominibus à religione alienis, ut nobis per ipſos liceat in timore Dei vivere, 1. 18. 9. a. quæ tamen non ab ingenio noſtro petenda eſt, ſed à Dei Spiritu, ibid.

In lucro faciendo vel honore admittendo, ſemper reſpiciendum quid Deus permittat, non quid poſſimus, 5. 12. 74. a

Danielis conſtantia & magnanimitas in deſpiciendis muneribus Beltſazar, & tamen accipiendis, ne videretur periculum fugere, 5. 12. 78. b

Ambulaverunt Sedrach, & ſocii in fornace, cum tamen egrediendi daretur occaſio, ne quid ſeſſe ſuit tentarent niſi ex Dei voluntate, 3. 26. 47. b

De Vocum quarundam proprietate & uſu.

EUnuchorum nomen pro pueris quos Rex educabat, ut eſſent ſeminarium Procerum, 1. 3. 4. a

Quale fuerit officium præfecti Eunuchorum, 1. 11. 8. b

Ponere aliquem in gratiam & miſerationes alterius quo ſenſu dicatur Deus, 1. 9. 7. b

Deum abſcondere faciem ſuam, aut facere lucere faciem ſuam quid ſit, 9. 17. 141. Præl a

Eſſe in porta Regis, quid ſignificet, 2. 49. 17. b

Quis ſit menſis Caſleu Hebræis, 8 14. 124 b

Quæ gentes intelligantur nomine Cithim, 11. 30. 185 a

Græci Javan ab Hebræis dicti, unde Ionis nomen, 11. 2. 172. a

Quid ſignificet vox Hebræa, Ploni Almoni, 8. 13. 124. a

Fugiendam, aut certe negligendam nimiam religionem in verbis, 10. 17 188.

F I N I S.

A M S T E L O D A M I,
Ex Typographiâ BORRITII JANSONII SMIT.
M. DC. LXVII.

JOANNIS CALVINI,

MAGNI THEOLOGI,

PRÆLECTIONES

IN

DUODECIM PROPHETAS
(QUOS VOCANT) MINORES.

Ad Sereniſſimum Suetiæ & Gothiæ Regem.

Reconditam harum Commentationum doctrinam facile commonſtrabunt Indices in calce operis adjecti.

Editio ut poſtrema ita emendatiſſima.



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JACOBI SCHIPPER.
M. DC. LXVII.

Sereniſſimo & Potentiſſimo Regi

G U S T A V O,

Gothorum & Vandalorum Regi,

J O A N N E S   C A L V I N U S.

QUod ſemel ſum teſtatus, Rex præſtantiſſime, quum annotationes in Hoſeam ex meis Lectionibus exceptæ in publicum exirent, me, qui alioqui in lucubrationibus, majore meo labore & diligentia limatis, ſatis moroſus ſum cenſor, non eſſe illius editionis authorem, iterum nunc repeto: ſi in meo arbitrio poſita res fuiſſet, potius daturum fuiſſe operam, ne hoc extemporale docendi genus, cui privatus auditorii noſtri fructus ſufficere debet, latius ſpargeretur; quo etiam abunde contentus ſum. Verum quia ſpecimen illud (Commentarios in Hoſeam dico) feliciore quam ſperavi ſucceſſu editum multorum deſideria accendit, ut jam unus Propheta reliquos Undecim minores ſecum trahat, oon intempeſtivum fore cenſui, ſi opus juſtæ amplitudinis & non pœnitenda doctrina refertum Majeſtati tuæ nuncuparem: non modo ut meæ erga illam obſervantiæ pignus foret, ſed etiam ut celeberrimi nominis inſcriptio aliquid gratiæ acquireret. Quo tamen noo me ambitio impulit, qui pridem didici oon ſervire mundi theatro, & qui ad multorum iogratitudinem obdurui: ſed quia optabam ad tuæ ditionis homines fructum aliquem ex hoc montium noſtrorum receſſu pervenire, adhibenda etiam opera jure fuit, ut plerique, quibus ſum ignotus, ſancta Regis ſui auctoritate adducti, æquiores & melius præparati ad legendum accederent. Quod mihi fore polliceor. tantum apud omnes ſubditos venerationis adeptus es: ſi modo non gravaberis judicium interponere, quale tibi ſingularis tua prudentia dictabit; vel, quia ſenectus ferendæ lectionis moleſtiæ par forte noo eſſet, quod filius Majeſtatis tuæ primogenitus E R I C U S Rex deſignatus ſuggeret, quem ſic liberalibus doctrinis poliendum curaſti, ut tuto has partes in eum rejicere liceat. Nam quo minus de tua humanitate dubitem, faciunt multi virtutum tuarum præcones, & quidem nonnulli graves & cordati homines, ut idonei teſtes cenſeri mereantur. Itaque non eſt quod mireris, nobiliſſime Rex, munus ex tam longinqua regione tuæ Majeſtati offerri ab homine oon admodum tibi cognito, qui ob præclaras & heroicas, quibus te pollere intellexit, ingenii animique dotes, ſatis ſe tibi devinctum putat. Etſi autem non ea forte eſt libri excellentia, quæ multum favoris mihi conciliet, ſtudium tamen, quo adductus fui declarandæ, qua tuam Majeſtatem proſequor, obſervantiæ non aſpernaberis. Neque tamen, quamvis infra tanti Regis altitudinem ſubſidat hoc munus, indignum prorſus reperies, quod in tuum conſpectum prodeat. Si qua me dexteritate inſtruxit Deus ad Scripturæ interpretationem, mihi probe conſcius ſum, qua fide & diligentia procul removere ab ea coner ſteriles omnes argutias, quantumvis alioqui plauſibiles ſint, concinnæque mulcendis auribus: ac præſtare, ut eam comitetur genuina ſimplicitas ad filios Dei ſolide ædificandos apta, qui putamine non contenti ad nucleum penetrare appetunt. Quid aſſequar, non eſt meum profiteri: niſi quod mihi perſuadent pii & eruditi homines, me oon abſque ſucceſſu laborare. Hi vero Commentarii ſi ooo omnium votis & expectationi reſpondeant, ego quoque ipſe cuperem potuiſſe aliquid excellentius ac perfectius dare, vel ſaltem, quod propius ad Propheticum ſpiritum accederet. Verum hoc me adeptum eſſe confido, ut experientia doceat integros & æquos Lectores ſanoque judicio præditos, modo compoſitis animis, nec faſtidioſe, quæ in eorum utilitatem ſcripſi, legere ſuſtineant, plus lucis duodecim Prophetis fuiſſe allatum, quam prædicare meus pudor mihi concedat. Cum aliorum induſtria meam oon confero (quod odioſum foret) neque aliud poſtulo, quam ut probi Lectores ac cordati, ubi ex meo labore profecerint, latius in publicum Eccleſiæ bonum prodeſſe ſtudeant: ſed quia aliis illecebris Librum ornare curæ non fuit, neque etiam cordi; hæc admonitio importuna non fuit, quæ ſegniores ad legendum invitet, donec capto guſtu æſtiment, utile ſibi ſit necne in lectionis curſu longius pergere. Ille quidem fructus, quem protulerunt aliæ meæ io Scripturæ interpretatione lucubrationes, & ſpes quam de hujus quoque utilitate concipio, ita me oblectant, ut quod reſiduum vitæ eſt cupiam io hoc genere laboris conſumere, quoad per continuas & multiplices quibus diſtringor occupationes licuerit. Neque enim à me, cui præter ordinarium Paſtoris munus alia onera vix minimum dant relaxationis, quod ab homine otioſo flagitandum eſt. quod tamen reſtabit ſucciſivi temporis nuſquam alibi melius poſitum eſſe ducam. Jam ad te, ô fortiſſime Rex, iterum revertor: cujus res geſtas, gubernandi prudentiam & æquitatem, mores, totumque ingenium & virtutes qui cognoverit, conſilium dicandi tibi hujus laboris non mirabitur. Sed quia prolixum de tuis laudibus ſermonem texere mihi non eſt propoſitum, tantum breviter attingam, quod & fama & publicis ſcriptis ſatis celebratum eſt, Deum te miris modis antequam ad ſolium eveheret exercuiſſe, noo modo ut ſingulare ſuæ providentiæ documentum in te ederet, ſed etiam ut noſtro ſeculo, adeoque poſteris illuſtre exemplum proponeret æquabilis in recto curſu con-

ſtantiæ. Utraque certe fortuna ita probatus fuiſti, ut neque in rebus proſperis juſtum modeſtiæ & moderationis examen defuerit, neque in adverſis tolerantiæ: donec tibi non minori felicitate quam virtutis laude divinitus ex tot diſcriminibus, periculis, difficultatibus & obſtaculis tandem emergere datum eſt, ut compoſito Regni ſtatu, publice & privatim læta tranquillitate fruaris. Nunc ergo, ſuffragante Ordinum omnium conſenſu, onus tibi ſplendidum & honorificum magis ſuſtines quam moleſtum: quia & auctoritatem venerantur omnes, & ſtudium tam amore quam laudibus proſequuntur. Ad hæc Dei beneficia cumulus non prætereundus accedit, quod tibi deſignatus eſt ex tuo ſanguine ERICUS ſucceſſor filius tuus primogenitus, jam non generoſæ modo indolis, ſed maturis virtutibus ornatus: & quo vix alium magis idoneum, ſi liberis careres, ſibi populus eligere potuiſſet. Hoc vero inter alia rarum eſt decus, tantos eum in doctrinis liberalibus progreſſus feciſſe, ut non pœnitendum inter literatos gradum obtineat: neque tamen, quoad patiuntur tot curæ & diſtractiones, quibus implicita eſt Regalis dignitas, aſſiduo earum ſtudio fatigari. Quanquam hoc apud me præcipuum eſt, quod non profanis tantum Muſis, ſed cælcſti Philoſophiæ ſacrarium in ſuo palatio dicavit. Quo magis confido, his Commentariis, quos & ad ſinceræ pietatis normam videbit compoſitos, & mediocri adminiculo ſibi eſſe ſentiet, aliquem illic fore locum & nonnihil gratiæ.

Deus Majeſtatem tuam, ſereniſſime Rex, diu florentem tueatur, omnique benedictionum genere locupletare non deſinat, Spiritu ſuo te gubernet, donec confecto curſu in regnum cæleſte è terra migrans, ſereniſſimum Regem ERICUM ſucceſſorem tuum, ac illuſtriſſimos fratres JOANNEM, MAGNUM & CAROLUM ſuperſtites relinquas: in quibus poſt mortem tuam eadem refulgeat Dei gratia cum fraterno & unanimi conſenſu. Genevæ 7. Calend. Februarii, M. D. LIX.

JOAN-

JOANNES BUDÆUS
CHRISTIANIS LECTORIBUS S.

QUum ante annos aliquot doctiſſimus vir Joannes Calvinus, amicorum hortatu & precibus, Davidis Pſalmos in Schola enarrandos ſuſcepiſſet, initio aliquot ejus auditores pauca quædam pro more noſtro, privatis ſtudiis judicio arbitratuque noſtro annotabamus: ſed experientia tandem commonefacti cogitare cœpimus, quanta multorum ac totius propemodum Eccleſiæ fraude, tantarum Lectionum fructus in paucos auditores abſumeretur. Itaque collectis animis faciendum nobis omnino duximus, ut ad privatas rationes publici quoque curam & procurationem adjungeremus. Quod ita fieri poſſe videbatur, ſi ultra ſolitum morem colligendis, & de verbo ad verbum, quoad fieri poſſet, excipiendis Lectionibus ſtudium intenderemus. Nec mora; huic quidem negotio duobus ſtrenuis fratribus me tertium adjunxi: atque ita accidit Dei benignitate, ut conatui prorſus non deeſſet eventus. Namque in unum collatis cujuſque noſtrum operis, & Lectionibus ſtatim deſcriptis, adeo pauca nobis elapſa eſſe reperiebamus, ut nullo negotio compleri lacunæ poſſent. Idque quum in eo opere, in quo virium noſtrarum periculum primum factum eſt, ita eſſe Calvinus ipſe nobis teſtis eſt: tum vero in his in Hoſeam Lectionibus (longo ſcilicet uſu jam & exercitatione peritiores facti) longe veriſſimum eſſe, omnes etiam auditores facile agnoſcent. Conſilium autem erat, hac occaſione ipſum, ſi fieri poſſet, pellicere ad juſtos Commentarios in autorem ipſum edendos, verum paulo aliter quam ſperabamus nobis tunc accidit. Etenim hujus conſequendi ſpem omnem nobis ipſe præcidit ob unius Buceri reverentiam quem hac in parte, ut in omnibus reliquis, fideliſſimam & utiliſſimam operam præſtitiſſe cum tota Eccleſia agnoſcat, tum ipſe præcipue D. Calvinus honorificentiſſime nobis omnibuſque ſemper aſſeruit. Reſtabat itaque ut prælectiones ipſæ qualiter à nobis exceptæ fuiſſent, evulgarentur. Factum eſt autem ut dum optimus quiſque ingens laboris noſtri operæpretium ſibi promitteret, nos quoque in dies majorem contentionem adhiberemus, ne ea ſpes in fumum illis abiret. Itaque ſeu his ſtudiis, ſeu certe piorum commodis, accenſi tantum effecimus, ut ad ſummam diligentiam nos reliquum nihil feciſſe omnes facile judicarent. Quo magis mirum videri poſſet, quid eum poſtea conſilium mutare in animum induxerit, ut & noſtram & piorum multorum expectationem fruſtraretur: & contra quam vellet, in utiliſſima Eccleſiæ opera navanda ingentem multorum invidiam & implacabile odium accerſere coactus ſit Cæterum eos quidem qui Buceri authoritatem ſimpliciter in hoc negotio obtendunt, ut non iniqua prorſus ratione permoveri libenter agnoſcam: ſic mihi duri nimium & præfracti videbuntur, ſi ſe non æquis quoque excuſationibus duci patientur. quod etiam propediem factum iri ſpero. Quod autem ad eos attinet qui inſano maledicendi amore feruntur, & rixandi minimas quaſque occaſiones aucupantur, quemadmodum pii omnes talia monſtra averſari ac deteſtari debent, ita his ut ſatisfiat non magnopere laborandum eſt. Canum enim latratus, qui Eccleſiæ modò obfuturus non ſit, ſine magno periculo diſſimulari & deſpici poterit. Atque hæc quidem præfanda habuimus in eorum gratiam qui nos ſæpius de Pſalmorum prælectionibus interpellarunt, ne ſe putent vana expectatione à nobis deluſos eſſe. Nam pro his ſciant ſe aliquando, Deo propitio, juſtos & integros Commentarios habituros. Quod ſi eos adhuc gravius longum hoc afficit deſiderium, cogitent nos quoque non minus anxie tantum theſaurum expetere. Cæterum, par eſt utroſque aſſiduis viri & graviſſimis occupationibus veniam dare, & modum aliquem huic nimium prurienti & præmaturo deſiderio ſtatuere. Parcere etiam homini æquum fortaſſe vel uno eo nomine fuerit, quod omnium minime ipſe ſibi parcat, haud ullam unquam ab inſano labore quietem aut animi relaxationem capiens. Ut nemini jam dubium ſit, divina non modo benignitate, ſed inſigni & ad poſteros nunquam non prædicando miraculo corpuſculum hoc trahere, natura imbecillum, crebris inſuper morbis vehementer affectum, immenſis deinde laboribus exhauſtum: poſtremo aſſiduis impiorum aculeis confoſſum, & omni contumeliarum genere undique afflictum & divexatum. Sed quoniam hujus loci querelæ non ſunt: ad vos nunc, Chriſtiani lectores, venio, quibus hoc Prælectionum opus in Hoſeam Prophetam dicare nobis in animo eſt. Dicamus autem, non quod quicquam in eo nobis proprium vendicemus præter ſolam diligentiam, quam in his colligendis adhibuimus: ſed tanquam noſtrum facere non dubitamus, quod nunquam niſi auſpiciis noſtris ad vos perveniſſet. Nam etſi dignam omnino rem eſſe judicaremus, quæ Eccleſiæ Domini offerretur; authori tamen ipſi vix tandem hoc perſuadere potuimus, donec importunis precibus hac lege vinci ſe à nobis paſſus eſt, ut fide noſtra eſſet quale poſthac judicium de eo boni omnes facerent: ſuorum adeo iniquus æſtimator eſt. Nos vero, tametſi verecunde ea paulo plus quam par erat extenuat, nihilominus promittere nobis audemus non modo authori ipſi apud vos juſtum laboris ſui conſtaturum operæpretium, ſed nos quoque gratiam non vulgarem eſſe inituros. Neque enim eo minus jucundas vobis fore has lectiones confidimus, quod ſcholæ (ut par erat) inſerviens, aliquanto longius à ſolita ſuorum omnium gratia, & orationis ornatu author ipſe receſſit. Nam quum ingenti negotiorum mole oppreſſus, vix plerumque ſemihoræ ſpatio meditatas Lectiones domo afferre cogeretur, auditorum ædificationi & commodis maluit, vero ſenſu eliciendo & planum faciendo, conſulere, quam inani verborum pompa eum ipſorum aures paſcere, tum oſtentationi & gloriæ ſuæ ſtudere. quan-

quam hand etiam negare auſim hanc Lectionum legem eſſe, ut in his ſcholaſtico potius quam oratorio more diſſeratur. Quamobrem ſi quem offeudit ſimplex hoc, nec tamen inurbanum dicendi genus, vel aliorum, vel hujus ipſius alia adhibeat opera, eaque præſertim in quibus ſcholæ legibus ſolutus Oratorem non minus quam Theologum in primis nobilem agit. quod nos non minus verecunde quam optimi cujuſque & doctiſſimi bona pace ac venia dictum non dubitamus. Neque enim de his ita pronuntiamus: quaſi cenſorio ſupercilio huic uni Oratoris gloriam vendicemus; aut Theologum vocando, nou alios quoque inſignes permultos agnoſcamus. Abſit à nobis hæc vecordia. Sed tanta teſtificandi animi noſtri oblata occaſione, vix unquam aliter culpam deprecari poſſemus apud pios omnes, quibus ſatis notum eſt, noſtrorum de Calvino ſilentium, hactenus non ſatis placuiſſe turbulentis hominibus, quibus vanitatem ſuam diſertis vocibus à nobis exprobrari magis cordi eſt, quàm nos ſinere tacito noſtro ſuffragin & verecundo ſilentio, cum ejus doctrinam comprobare, & divinæ erga nos benignitatis conſignatiſſimum inter nos teſtimonium in eo agnoſcere, tum eorum inſaniam fraterna diſſimulatione tegere, & vero tacite apud ſe quemque noſtrum gemere. Sed, ut jam dixi, nuda hic & ſimplex eſt oratio, ei perſimilis qua antehac ſemper in Lectionibns uti ſolitum eſſe novimus. Non quemadmodum à multis fieri accepimus, qui domi prius digeſtas auditoribus poſtea ex ſcripto recenſent: ſed qualis ex tempore fingi formariqne potuit ad docendi uſum, ædificationemque magis quam ad aures accommodata. Quamobrem aut nos vehementer fallimur, aut ipſius Prophetæ mentem ita propemodum ad vivum expreſſit, ut nihil poſſe addi videatur. Nam cum ſingula quæque momenta diligenter excurit, tum etiam doctrinæ uſum & applicationem breviter ſic demonſtrat, ut à ſcopo aberrare nemo quamvis rudis poſſit. Denique veræ Theologiæ locos ac ſontes ſic aut oſtendit aut aperit, ut ex his cuivis haurire promptum ſit quod reficiendæ ac recreandæ animæ ſufficiat: imo vero etiam unde amplos rivos diducere commode poſſint Verbi miniſtri, quibus veluti cæleſti rore ſalubriter plebem Domini aſpergant; ſive exhortatione, ſive conſolatione, ſive reprehenſione, ſive denique ædificatione opus ſit. Sed horum omnium veluti ſpeciem & imaginem quandam melius in omnibus ejus concionibus cernimus, ac in his potiſſimum, in quibus Prophetarum doctrinam ſic ad hæc tempora noſtra accommodat, ut ſuo ſeculo non melius quadrare videantur. Sed ut aliquando finem faciamus, reſtat, Chriſtiani lectores, ut cum innumerabilia alia Dei dona quæ quotidie in nos abunde effundit, tum etiam incomparabilem bonitatis ejus theſaurum, qua decet animi gratitudine recipiamus & amplectamur: eoque ad vitam noſtram ſancte & pie inſtituendam, ad nominis ejus gloriam & fratrum ædificationem utamur. id autem ut fiat, orandus eſt nobis Dei Spiritus, ut eo inſtructi ad Sacram lectionem accedamus, animumque ab inquinamentis hujus carnis repurgatum, & manſuetudinis ſpiritum cæleſtis doctrinæ capacem afferamus: ad quod etiam multum nos juvare poterunt breves precatiunculæ quas ad finem cujuſque lectionis addendas curavimus, proût à nobis collectæ ſunt pari cum Lectionibus diligentia & fide; ut & his reficiantur piorum animi, ſpirituſque novos ad novam lectionem colligant; & rudiores velut in tabula depictam formandarum orationum ſuarum ex Sacra lectione rationem habeant. nam ſicuti Lectionum initio eadem ſemper utitur hic noſter precandi formula, quam nos quoque hic addi voluimus, ut tota ejus docendi ratio vobis nota eſſet: ita etiam ſingulas Lectiones novis ſubinde precationibus claudere ſolet, prout illi ex Spiritu Domini datur eas ex tempore formare, adque lectionis cujuſque ſubjectam materiam accommodare. Hoc ſi Commentarium genus vobis placere intellexerimus, etſi alieni laboris res eſt, tamen fidem noſtram, favente divino numine, pro reliquis Prophetis obſtringere non dubitamus. minores dico Prophetas: quos quum perlegendos ſuſceperit, nobis quoque in animo eſt non minori diligentia quam reliqua ad finem uſque excipiendo perſequi. Vos interim his fruimini, Bene valete. Genevæ, poſtridie Idus Febr. M. D. LVII.

JOAN-

JOANNES CALVINUS
CHRISTIANO LECTORI S.

Quam mihi vere & merito aſſerere liceat, idoneiſque teſtibus probare, lucubrationes quas hactenus in publicum emiſi, tametſi majore cura & ſtudio politæ eſſent, mihi flagitando propemodum fuiſſe extortas: nunquam certe me authore in lucem editæ fuiſſent Annotationes iſtæ, quarum ut tolerabilis fuerit auditio, lectu tamen dignas non putabam. Nam ſi multis vigiliis vix conſequor, ut mediocris ex meis lucubrationibus ad Eccleſiam redeat utilitas, quam ſtulte meis ſermonibus locum inter publica ſcripta arrogarem? Deinde ſi in lucubrationibus, quas domi privatim vel ſcribo vel dicto, ubi plus otii ad meditandum datur, & ubi limata etiam brevitas curæ & diligentiæ accedit, ſedulitas tamen mea à malignis & invidis in crimen vocatur, quomodo notam ſuperbiæ effugerem, cogitationes, quas libertas in auditorio ad uſum præſentem effudi, nunc toti mundo legendas obtrudens? Sed quum eas ſupprimere in manu mea non foret, nec earum editio aliter poſſet à me impediri, quam ſi novum ſcribendi laborem (quod meæ rationes non patiebantur) de integro ſuſciperem: complures vero amici, dum nimis ſum moroſus laborum meorum cenſor, me Eccleſiæ injuriam facere clamitarent: ut hoc, qualecunque erat, volumen ex ore meo ſuſceptum in publicum exiret, permittere malui; quam prohibendo ſcribendi neceſſitatem mihi injungere, quod ante in Pſalmis facere coactus, quam impar ſim tot ſcriptionibus adhuc in longo illo & difficili opere experior. Prodeant ergo hæ in Hoſeam enarrationes, quas publice arcere mihi liberum non fuit. Quomodo autem exceptæ fuerint, operæ pretium eſt teſtari: non ſolum ne ſua laude fraudetur eorum diligentia, induſtria, & dexteritas, qui laborem hunc Eccleſiæ navarunt; ſed ut certe perſuaſi ſint lectores, adeo nihil hic eſſe aſcititium, ut ne in melius quidem ſibi permiſerint vocem unam corrigere ſcriptores ipſi. Quomodo inter ſe operas contulerint, unus ex eorum numero optimus amicus noſter, & propter ſuas virtutes bonis omnibus charus, D. Joannes Budæus, fuſius, ut ſpero, exponet. Incredibilis vero mihi res fuiſſet, niſi, quum mihi poſtridie recitarent, clare vidiſſem, quæ ſcripſerant à ſermone meo nihil differre. Optanda forte major fuiſſet libertas ut ſupervacua reſecarent, alia digererent in meliorem ordinem, alia diſtinctius vel ornatius traderent, ſed meum judicium non interpono: tantum hoc manu mea conſignatum eſſe volui, tanta fide eos excepiſſe quod ex ore meo audierant, ut nullam mutationem animadvertam. Vale Chriſtiane lector, quiſquis me tum in cœleſti doctrina proficere cupis. Genevæ, Idibus Februarii, M. D. LVII.

JOAN-

JOANNES CRISPINUS
CHRISTIANIS LECTORIBUS, S.

QUia mirum videri poſſet quibuſdam, atque adeo incredibile, Prælectiones iſtas ea fide & diligentia fuiſſe exceptas, ut ne verbum quidem protulerit D. Joannes Calvinus inter legendum, quod non ſtatim adſcriptum ſit: operæ pretium fuerit pios Lectores paucis hic monere, quamnam tenuerint rationem qui eas nobis exceperunt. Sic enim fiet ut horum ſedulitas & induſtria ſingularis, ſtimulos multis aliis ad idem præſtandum addat, & res ipſa minime videatur eſſe incredibilis. Ac primo quidem tenendum eſt, ipſum Calvinum nihil unquam, quod plerique faciunt, dictare, neque omnino jubere ut quicquam annotetur dum publice interpretatur Scripturam; & multo minus finita Lectione, vel poſtridie quam legit: ſed integra hora perpetuam orationem habere, nec ſolere verbulum ullum interea libro ſuo adſcribere memoriæ cauſa. Quum ergo ante aliquot annos D. Joannes Budæus & Carolus Jonuillæus adjunctis duobus illis fratribus (quorum meminit ipſe Budæus in ſua Præfatione, & ita eſſe norunt plurimi) in Pſalmorum expoſitione deſcribenda experti eſſent communem illum laborem non fuiſſe prorſus inutilem, majore ſtudio atque animi alacritate impulſi ſunt, ut diligentius quam antea, ſi fieri poſſet, excipere ſtatuerent univerſam in Duodecim (quos vocant) minores Prophetas expoſitionem. Cæterum, in conſcribendo ſequuntur hanc rationem: quiſque paratam habet chartam, forma quam poteſt commodiſſima & ſeorſum excipit ſumma celeritate adhibita; ſi qua vox uni excidat (ut ſolet interdum accidere, præſertim in contentionibus & locis paulo vehementius explicatis) ab alio excipitur; hoc vero ſi contingat, facile reponitur ab Authore. nam abſoluta ſtatim Prælectione, unus ille Jonuillæus ſecum aſportat duorum chartas, quibus ob oculos poſitis & ſuis ſimul conſultis, ac inter ſe accuratius collatis, cuidam alteri dictat exſcribenda quæcunque excepta fuerant ſubita ſcriptione: & tandem relegit ipſe, ut poſtridie coram D. Calvino domi recitet: ubi nonnunquam ſiqua deſit vocula, ſuo loco additur; aut ſi quid non ſatis videatur explicatum, facile etiam illuſtratur. Atque ita factum fuit, ut hæ Prælectiones in lucem prodierint: ex quibus quantum fructus percepturi ſint qui ſerio dabunt illis operam, dici nullo modo poteſt. Ecquis enim ſano judicio præditus non videt eam eſſe clariſſimi hujus hominis rationem in Scripturis explicandis, ut cum pauciſſimis communem habeat? ſic ubique Spiritus ſancti conſilium aperit, genuinum ejus ſenſum reddit: ita denique doctrinam illic reconditam oculis ſubjicit, ut nihil omnino deſideres, quod non aperte explicatum habeatur. Quod ſatis ſuperque teſtantur tot illius ſcripta, quibus ſingula religionis Chriſtianæ capita ſic plana fecit, ut fidiſſimum interpretem agnoſcant omnes, niſi prorſus ad Solem caligent. Jam vero ut tot etiam ejus Commentarios nunc taceam, in his Prælectionibus ita ſe ipſe ſuperavit, ut vix quiſquam ſibi perſuadeat, ex tempore tam concinnam orationem, ſuiſque numeris abſolutam fluxiſſe. nam propriis verbis graviſſimas ſententias explicat, dilucide tractat res obſcuras, variis ornamentis veſtit: atque in docendo ita progreditur, ut genus dicendi ſua ſponte fuſum, quo utitur, diu multumque elaboratum fuiſſe videatur. Sed malo de his omnibus judicium fieri ex ipſa lectione, quam ſingula prolixius tractando, Lectores diutius remorari. Valete igitur quotquot ex his Prælectionibus fructum aliquem ad vos rediturum ſperatis, Genevæ, Calend. Februarii, M. D. LIX.

JOAN.

JOANNIS CALVINI PRÆLECTIONES IN HOSEAM PROPHETAM.

PRÆLECTIO PRIMA.

Det nobis Dominus in cæleſtis ſuæ ſapientiæ myſteriis cum vero pietatis profectu verſari, in gloriam ſuam, & ædificationem noſtram, AMEN.

Precatio, qua uti ſolet Joannes Calvinus initio ſuarum Prælectionum.

EGo ſuſcepi duodecim Prophetas minores interpretandos. Conjuncti autem fuerunt jam olim ſimul, & ſcripta eorum redacta in unum volumen. hac de cauſa, ne, ſi ſingula tantum extarent in manibus, ſucceſſu temporis evaneſcerent propter brevitatem, quemadmodum ſæpe ſolet fieri. Efficiunt igitur unum volumen duodecim Prophetæ minores. Inter eos primus eſt Hoſeas, qui proprie deſtinatus fuit regno Iſraël. Eodem tempore prophetabant apud Judæos Micheas & Jeſaias. Sed hoc notandum eſt, Prophetam hunc fuiſſe doctorem in regno Iſraël, quemadmodum Jeſaias & Micheas erant in regno Juda. Nec dubium eſt, quin Dominus voluerit eum exercere in hac parte: quia ſi prophetaſſet apud Judæos, non fuiſſet illis blanditus. Res enim erant tunc admodum corruptæ, non ſolum in Judæa, ſed etiam Jeroſolymæ, quum tamen eſſet Regia & Sacrarium Dei. Videmus, quam acriter & ſevere Jeſaias & Micheas objurgant populum illum. Congrueret etiam ſtylus Prophetæ noſtri, ſi Dominus uſus fuiſſet ejus opera apud Judæos: ſed ſequutus eſt vocationem ſuam. Scivit, quid divinitus ſibi mandatum eſſet: fideliter functus eſt officio ſuo. Eadem etiam fuit ratio Prophetæ Amos. Nam Propheta Amos duriter invehitur contra Iſraëlitas: videtur parcere Judæis. Et eodem etiam tempore docuit, quo Hoſeas. Videmus, quantopere inter ſe differant iſti quatuor: nam Jeſaias & Micheas dirigunt ſuas increpationes ad regnum Juda: Hoſeas autem & Amos tantum impugnant regnum Iſraël, & videntur Judæis parcere: nempe quiſque eorum agnovit, quid Deus mandaſſet, atque ita quiſque etiam continuit ſe intra metas vocationis ſuæ & officii. Nam ſi nos, qui ſumus vocati ad hanc Eccleſiam docendam, claudamus oculos ad peccata quæ hic graſſantur, & nullam habeamus rationem eorum quos Dominus nobis docendos propoſuit, hoc fiet à nobis præpoſtere. Siqui etiam aliis locis deſtinati ſunt, debent reſpicere

quorſum eos dirigat vocatio Domini. Nunc ergo tenemus, ad quos pertineat totus hic liber Hoſeæ, nempe ad regnum Iſraël. Jam, quod ad Prophetas ſpectat, hoc omnibus commune eſt, ut ſint Legis interpretes, quemadmodum aliquando diximus. Hæc autem ſumma Legis eſt, quod Deus populum, quem ſibi adoptavit, vult regere ſuo imperio. Jam, duæ ſunt partes Legis: nempe ſalutis & vitæ æternæ promiſſio; deinde regula pie & ſancte vivendi. Hinc pendet tertia pars: nempe ut homines, ſi non reſpondeant vocationi ſuæ, revocentur ad timorem Domini minis & objurgationibus. Jam, Prophetæ inculcant præcepta Legis de vero & puro Dei cultu, de charitate: inſtituunt denique populum in ſancta & pia vita: deinde proponunt gratiam Domini. Et quia nulla eſt ſpes reconciliationis cum Deo, niſi per Mediatorem; ideo ſemper afferunt in medium illum Meſſiam, quem Dominus jam ante pollicitus erat. Quantum ad tertiam partem ſpectat, hoc eſt, ad minas & objurgationes, peculiare hoc habent Prophetæ, quod tempora deſignant, & denunciant hoc vel illud Dei judicium. Dominus vos puniet hoc modo, puniet etiam hoc tempore. Non ergo ſimpliciter citant Prophetæ homines ad tribunal Dei, ſed certas ſpecies pœnarum deſignant: & edunt etiam ejuſdem generis vaticinia de gratia Domini, & redemptione. Sed hoc breviter tantum attingo, quia in progreſſu melius licebit ſingula obſervare. Redeo nunc ad Hoſeam. Dixi, peculiariter ejus miniſterium ſpectaſſe ad regnum Iſraël, quia tunc illic totus Dei cultus vitiatus erat: nec vero corruptela illa inceperat à paucis diebus, ſed ita erant obſtinati in ſuis ſuperſtitionibus, ut nulla eſſet ſpes reſipiſcentiæ. Scimus enim, ſtatim atque Jarobeam abduxerat decem Tribus ab obſequio Rechabeam filii Solomonis, fuiſſe erectos fictitios cultus: & viſus eſt Jarobeam ſibi prudenter excogitare illud artificium, ne ſcilicet populus rediret ad domum Davidis: ſed interea factum eſt, ut accerſeret ſibi & toti populo Dei vindictam. Et poſteri ſequuti ſunt eandem impietatem. Quum talis pervicacia eſſet jam intolerabilis, Deus voluit exerere ſuam potentiam, & edere aliquod inſigne documentum vindictæ ſuæ, ut populus tandem reſipiſceret. Itaque unctus fuit Dei mandato Jehu in regem Iſraël, qui deleret omnes poſteros Achab: ſed ipſe quoque ſtatim relapſus eſt ad ſimilem idololatriam. Viſus fuerat exequi Dei ultionem, præ ſe tulerat magnum: zelum ſed retecta fuit hypocriſis paulo poſt, quia amplexus eſt falſos & perverſos cultus. Et poſteri nihilo fuerunt meliores uſque ad Jarobeam, ſub quo prophetavit Hoſeas noſter. Sed inſcriptio libri melius hoc oſtendet.

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

SErmo Jehovæ, qui fuit ad Hoſeam filium Beeri, diebus Uziæ, Jotham, Achaz, Ezechiæ, regum Jehudah, & diebus Jarobeam filii Joas regis Iſraël.

PRimus hic verſus oſtendit quo tempore prophetaverit Hoſeas. Nominat quatuor reges Juda, nempe Uziam, Jotham, Achaz, Ezechiam. Uzia (qui idem fuit Azarias) regnavit annis 52: ſed poſtquam percuſſus eſt lepra, non verſatus eſt in cœtu hominum, & abdicatus etiam fuit honore regio. Jotham filius ejus ſucceſſit in ejus locum. Numerantur anni Jotham 16, vel circiter: totidem etiam regis Achaz, qui fuit pater Ezechiæ. Jam, mortuus eſt Hoſeas ſub rege Ezechia. Nunc, ſi volumus colligere quamdiu proſequutus fuerit officium docendi, notandum eſt quod dicitur in ſacra hiſtoria, anno 27. Jarobeam filii Joas Uziam regnaſſe. Ut demus Hoſeam nonniſi paucis annis, regnante Jarobeam, functum eſſe doctoris partibus, tamen demptis annis 16, qui fluxerunt ab initio regni Uziæ uſque ad mortem ipſius Jarobeam, ſub regno Uziæ prophetavit per annos 36. Dubium tamen non eſt, quin cœperit munus ſuum obire pluribus annis ante finem regni Jarobeam. Hic jam ad minimum conſtabunt nobis anni 40. Succeſſit Jotham in locum patris, regnavitque annos 16. Quanquam autem probabilis conjectura eſt, initium regni ejus numerari ab eo tempore, quo ſuſcepit gubernacula, poſtquam pater lepra percuſſus, rejectus erat à cœtu communi; tamen veriſimile eſt tempus aliquod fuiſſe reſiduum à morte patris, quod in ſupputationem venire debet. Ut tamen ſumamus paucos annos, neceſſe erit Hoſeam prophetaſſe ultra annos 45 antequam regnare cœpiſſet Achaz. Accedant jam anni 16, quibus regnavit Achaz, numerus annorum aſcendet uſque ad 61. Reſtant anni, quibus prophetavit ſub regno Ezechiæ. Fieri ergo aliter non poteſt, quin munus ſuum proſequutus fuerit ultra annos 60: forte etiam annum 70. exceſſit. Hinc apparet, quanta & quam invicta fortitudine & conſtantia Spiritus ſancti præditus fuerit. Nam, ſi Deus tantum per annos 20 aut 30 noſtra opera utatur, hoc nobis eſt moleſtiſſimum: præſertim ſi bellandum eſt cum impiis hominibus, & qui non libenter ſuſcipiant jugum, imo qui contumaciter nobis reſiſtant, cupimus ſtatim liberari, & vellemus eſſe emeriti milites. Quum ergo videmus hunc Prophetam duraſſe ad tam longum tempus, ſit nobis exemplum tolerantiæ: ut ſcilicet non deſpondeamus animos, etiamſi Dominus non ſtatim nos ab onere liberet. Hæc de quatuor regibus Juda quos nominat. neceſſe enim fuit, quemadmodum jam oſtendi, ipſum prophetaſſe per annos fere 40 ſub regno Uziæ vel Azariæ: deinde prophetaſſe per aliquot annos ſub rege Achaz, (ut interea omittamus regnum Jotham, quod concurrere potuit cum regno patris) & tandem veniſſe uſque ad ætatem Ezechiæ. Cur autem potius nominaverit Jarobeam filium Joas, quia non potuit prophetare ſub eo niſi tempore exiguo? Succeſſit in ejus locum Zacharias filius ejus: poſtea exorta eſt conſpiratio Selum, qui ſtatim extinctus fuit. poſtea implicitum fuit regnum illud multis turbis, & tandem Aſſyrius per manum Salmanazar abduxit decem tribus captivas, quæ diſperſæ fuerunt inter Medos. Quum ita ſit, cur Propheta hic tantum unius regis Iſraël meminit? Hoc videtur eſſe abſurdum: quia continuavit munus docendi uſque ad regni finem & interitum. Sed reſponſio facilis eſt: voluit enim diſerte exprimere, ſe rebus adhuc integris feciſſe initium docendi: quia ſi prophetaſſet poſt mortem Jarobeam, viſus fuiſſet ex præſenti rerum intuitu conjicere magnam aliquam cladem: ita non fuiſſet prophetia, vel ſaltem minor fuiſſet ejus auctoritas. O! ſcilicet hic divinat quod omnium oculis perſpicuum eſt. Nam Zacharias brevi tempore floruit: & illa conſpiratio, quam attigi, fuit quoddam præſagium propinqui interitus: & ſtatim etiam diſſipatum fuit regnum. Propheta igitur hic diſertis verbis teſtatur ſe jam tunc minatum fuiſſe populo futuram vindictam, quum regnum Iſraël floreret & opibus & potentia, quum triumphos ſuos ageret Jarobeam, quum proſperitas ejus inebriaret totam illam terram. Hæc igitur ratio eſt, cur Propheta hunc ſolum regem deſignet, ſub quo regnum Iſraël & validum fuit, & magnis præſidiis atque opibus munitum: ſub quo etiam affluxit magnis divitiis. Narrat enim ſacra hiſtoria Deum liberaſſe per manum Jarobeam regnum Iſraël, quanquam indignus erat: & recuperavit multas urbes, & ampliſſimam regionem. Quum ergo auxiſſet regnum ſuum, quum eſſet formidabilis omnibus vicinis, quum multas opes congeſtas haberet, quum populus degeret in otio & deliciis, fuit hoc incredibile quod prædixit Propheta noſter: ſcilicet, Vos eſtis non populus Domini, vos eſtis filii adulterini, vos eſtis nati ex ſcortatione. Non fuit certe opportuna talis objurgatio. Deinde, Vobis eripietur regnum, inſtat vobis interitus. Quid, nobis? Atqui jam Rex noſter tam multis victoriis potitus eſt, & terrorem aliis regibus incuſſit. Regnum Juda quod erat æmulum, erat tunc fere conciſum: nemo erat qui auderet etiam ſuſpicari tale aliquid. Nunc ergo tenemus cur Propheta hic clare dicat, ſe prophetaſſe ſub Jarobeam. Prophetavit igitur poſt ejus mortem, & officium ſuum perſequutus eſt etiam poſt cladem regni Iſraël: ſed cœpit tunc docere quum ludibrio eſſet ipſe impiis, qui ſuperbiunt adverſus Deum, & fortiter contemnunt omnes ejus minas, ubi illis parcit & eos tolerat: quemadmodum ſatis notum eſt continua omnium ætatum experientia. Et hinc melius perſpicimus quali virtute Spiritus inſtruxerit Deus hunc Prophetam: qui auſus eſt inſurgere contra tam robuſtum regem, & coarguere ejus ſcelera: vocare etiam omnes ejus ſubditos in idem judicium. Quum ergo tam libere ſe geſſerit Propheta quo tempore Iſraëlitæ propter felices ſuos ſucceſſus non tantum temulenti erant, ſed etiam prorſus inſani, hoc certe miraculo non caret. Et hoc plurimum valere debet ad confirmandam ejus auctoritatem. Videmus ergo nunc quorſum pertineat inſcriptio quæ habetur in primo verſu. Sequitur,

2. Principium quo loquutus eſt Jehova per Hoſeam. (*alii vertunt*, cum Hoſea: *ad verbum eſt*, in Hoſea: *eſt litera Beth*) Dixit Jehova ad Hoſeam, Vade, ſume tibi uxorem ſcortationum, & filios ſcortationum, quia ſcortando ſcortabitur terra, (*hoc eſt*, ſcortata eſt,) ne ſequatur Jehovam.

Propheta hic demonſtrat quale ſibi initio datum fuerit mandatum, nempe ut apertum bellum indiceret Iſraelitis, & quaſi excandeſceret in perſona Dei, & exitium denunciaret. Non ergo incepit à blanditiis, neque comiter hortatus eſt populum ad reſipiſcentiam, neque longo circuitu uſus eſt ut leniret acerbitatem ſuæ doctrinæ. Nihil tale fuiſſe demonſtrat, ſed dicit ſe fuiſſe miſſum quemadmodum ſolent

lent caduceatores vel feciales ad bellum denunciandum. Initium ergo loquendi tale fecit Dominus per Hoſeam, Populus hic progenies eſt adulterina, omnes ſunt quaſi ex meretrice nati, regnum Iſrael eſt foetidiſſimum lupanar: & ego jam eos repudio & abdico: non agnoſco amplius eos pro filiis. Fuit hæc non vulgaris vehementia. Videmus ergo *Principii* nomen non abs re, ſed conſulto fuiſſe poſitum, ut ſciamus Prophetam, ſimulatque docendi munus ſuſcepit, fuiſſe acrem & aſperum, & quaſi fulminaſſe contra regnum Iſraël. Nunc ſi quæritur cur Deus tantopere exarſerit, cur non revocaverit prius miſeros homines: & ita videtur tuliſſe ordo, ut ſcilicet ſtuderet Propheta manſueto ſermone & paterno revocare ad ſanam mentem eos qui defecerant à puro Dei cultu. Cur ergo non tenuit Deus hanc mediocritatem? Sed hinc colligimus fuiſſe morbos populi inſanabiles. Nec dubium eſt quin Propheta hic diſerte exprimat ſe fuiſſe divinitus miſſum, quum jam res erant fere deſperatæ. Scimus enim Deum non ſolere homines tam duriter tractare, niſi poſtquam omnia expertus eſt alia remedia. Et certe hoc ex ſacra hiſtoria facile colligitur: nam decem tribus ſtatim poſt defectionem à familia Davidis ſimul, abjecto Dei cultu, idololatriam amplexæ ſunt, & impias ſuperſtitiones. Debebat vigere in omnium animis recens memoria vaticinii, Quod Dominus elegerat montem Sion, in quo volebat coli. dixerat,
Pſal. 132. verſ. 14. Hæc requies mea in ſeculum ſeculi: hic habitabo, quia elegi eam. Et videmus illud vaticinium fuiſſe non ſemel nec decies, ſed centies repetitum, ut ſcilicet melius in hominum cordibus hæreret. Quum ergo deberent habere defixam penitus in cordibus doctrinam illam, Quod Dominus non alibi quam in monte Sion coli vellet: fuit hic ſtupor portento ſimilis, quod erectum fuit templum, deinde vituli etiam fuerunt conflati. Quod ergo populus tam cito deficere potuit à Dei obedientia, id nimis perverſæ amentiæ fuit: ſed, quemadmodum jam dixi, uſque ad ſummum impietatis cumulum pervenerat. Quum Deus ultus eſt tam multa ſcelera per manum Jehu, debuit etiam tunc populus redire ad purum Dei cultum, & fuit quædam renovatio illius terræ: ſed ſemper ad ingenium reverſi ſunt, imo res ipſa palam oſtendit eos ſimulaſſe aliquid ad breve tempus, ſed tamen fuiſſe diabolica pervicacia excæcatos, ut ſemper in ſuis ſuperſtitionibus manerent. Ergo non mirum eſt quod Dominus tale initium fecerit per Hoſeam, *Vos eſtis omnes nati ex ſcortatione*, veſtrum regnum eſt foetidiſſimum lupanar: vos eſtis non populus meus, vos eſtis non dilecta. Quod ergo Deus tam horribili modo fulminavit contra iſtum populum, quis non dicet juſte atque optima ratione factum eſſe? Quia ſcilicet contumacia illius populi indomita erat, nec poterat alio remedio ſanari. Nunc tenemus cur Propheta uſus ſit hoc verbo, *Principium loquendi quod fecit Deus.* Jam ſequitur, *In Hoſea.* Primo verſu dixerat, *Sermo Jehovæ qui fuit ad Hoſeam:* nunc dicit, בְּהוֹשֵׁעַ, In Hoſea: & tertio addit, Loquutus eſt Deus, & dixit ad Hoſeam. Repetit eandem particulam: & in primo verſu, ſermo Domini dicitur fuiſſe ad Hoſeam: non ſimpliciter quod Deus alloquutus ſit Prophetam, ſed quod eum cum certis mandatis miſit. Sic enim dicitur ſermo Dei fieri ad Prophetas. Deus etiam promiſcue ſermonem ſuum ad alios dirigit, quoſcunque ſcilicet vult ſermone ſuo docere: ſed peculiariter alloquitur & compellat Prophetas ſuos, quia ſcilicet conſtituit miniſtros & præcones verbi ſui, & quaſi ſuggerit illis in os quod poſtea ad populum perferant. Sic dicit Chriſtus ſermonem Dei fieri ad Reges, quia ſcilicet eos conſtituit & præficit ad regendum humanum genus: Si deos vocat eos ad quos ſermo Dei factus eſt, inquit. Scimus autem Pſalmum illum compoſitum eſſe de Regibus. Jam tenemus quid contineat hæc loquutio primo verſu, *Sermo Dei factus eſt ad Hoſeam.* Dominus enim non ſimpliciter ut qualeſcunque e vulgo Prophetam alloquutus eſt, ſed mandatis inſtruxit, ut poſtea populum doceret quaſi in perſona ipſius Dei. Jam additur ſecundo verſu, *Principium loquendi tale fecit Dominus in Hoſea.* Qui vertunt, Cum Hoſea, videntur frigide exponere Prophetæ mentem. Scio hoc ſenſu ב literam ſæpe occurrere in Scriptura: ſed hoc loco mihi dubium non eſt quin Propheta ſe conſtituat tanquam organum Spiritus ſancti. Deus ergo loquutus eſt *in Hoſea*, vel per Hoſeam: quia ipſe nihil protulerit ex ſuo cerebro, ſed Deus per ipſum loquutus eſt. quemadmodum hæc forma ſubinde nobis occurret. Et hinc etiam pendet tota auctoritas ſervorum Dei, quod ipſi non laxant ſibi frenum, ſed fideliter quaſi de manu in manum tradunt quod Dominus juſſit, & nihil prorſus addunt de ſuo. Deus ergo loquutus eſt in Hoſea. Poſtea ſequitur, *Dicit Dominus ad Hoſeam.* Jam hoc tertium dicitur: hoc eſt, quod tertio repetitur, nihil aliud eſt quam ſpecies mandati. Dixerat prius in genere, Sermo Domini qui fuit ad Hoſeam: jam dicit, Deus ſic loquutus eſt. Exprimit diſerte qualis fuerit illic ſermo, cujus primo verſu mentio facta fuerat. *Vade*, inquit, *ſume tibi uxorem ſcortationum, & filios ſcortationum.* Et ratio additur, *Quia fornicando* vel *ſcortando ſcortata eſt terra.* Nam non dubium eſt quin loquatur hic de ſceleribus quæ diu pertulerat Dominus inæſtimabili patientia. *Scortando igitur ſcortata eſt terra, ne ſequatur Jehovam.* Hic multum ſudant interpretes: quia videtur nihil eſſe magis abſurdum, quam Prophetam duxiſſe ſcortum in uxorem. Quidam dicunt hoc fuiſſe extraordinarium. Certe non eſſet talis licentia in doctore tolerabilis. Videmus quid Paulus in Epiſcopo requirat: nec dubium eſt quin hoc etiam olim locum habuerit in Prophetis, ut ſcilicet domus illorum caſtæ eſſent & puræ ab omni macula, & ſiniſtra nota. Poterat igitur hoc exponere Prophetam omnium ludibrio, ſi lupanar ingreſſus, ſcortum ſibi ſumpſiſſet: neque enim hic agitur tantum de muliere impudica, ſed de muliere ſcortationum, hoc eſt, de obſoleto ſcorto. Vocatur enim mulier ſcortationum, quæ diu aſſuevit ſcortationibus, quæ paſſim omnibus, & ad omnium libidines fuit expoſita, quæ non ſemel nec bis, nec paucis hominibus, ſed omnibus ſe proſtituit ad flagitia. Hoc fuiſſet parum probabile in Propheta. Sed reſpondent quidam, ut dixi, non debere hoc exigi ad communem regulam, quia extraordinarium fuerit Dei mandatum. Atqui non videtur hoc rationi conſentaneum, quod Dominus ultro reddiderit Prophetam ſuum contemptibilem. Nam quomodo exceptus fuiſſet prodiens in publicum poſt inflictam ſibi talem ignominiam? Si ipſe uxorem duxiſſet, qualis hic deſcribitur, debebat potius tota vita latere, quam ſuſcipere munus Propheticum. Non eſt igitur probabilis eorum opinio, qui putant Prophetam ſumpſiſſe uxorem, qualis hic deſcribitur. Deinde militat contra eos alia ratio, quæ eſt prorſus inſolubilis. Neque enim Propheta tantum jubetur uxorem ſcortationum accipere, ſed filios etiam ſcortationum, & ex ſcortatione genitos. Perinde eſt igitur acſi ipſe ſcortatus eſſet. Nam ſi dicamus duxiſſe uxorem, quæ parum ante honeſte & caſte ſe geſſerat, (quemadmodum Hieronymus multis verbis hac de re diſputat ad Prophetam excuſandum) hæc excuſatio frivola eſt. Neque enim tantum de uxore agitur, ſed de liberis. Vult enim Deus totam ſobolem eſſe adulterinam: hoc autem fieri non potuit in legitimo conjugio. Et ideo fere omnes Hebræi in hoc conſentiunt, Prophetam non reipſa duxiſſe uxorem, ſed in viſione hoc fuiſſe ei mandatum. Et certe cap. 3. videbimus idem fere deſcribi: & tamen non potuit hoc fieri quod narratur eo loco. Jubetur enim Propheta ducere uxorem quæ violaverit fidem conjugii: dein-

de

de poſtquam ipſe exiit, domi retinere ad tempus. Scimus hoc non fuiſſe completum. Sequitur ergo tantum hanc figuram fuiſſe propoſitam populo. Quidam objiciunt, non poſſe intelligi contextum Prophetæ, de viſione. Quare? Viſio enim ei ſoli data eſſet, inquiunt: Deus autem potius reſpectum habuit totius populi, quam Prophetæ. Sed fieri poteſt, ac probabile eſt, ut Prophetæ nulla fuerit objecta viſio: ſed tantum Deus promulgari juſſerit hoc mandatum. Quum ergo Propheta docere cœpit, tale fuit exordium ejus, Dominus hic me conſtituit quaſi in theatro, ut vobis exponam uxorem eſſe à me ductam, uxorem aſſuetam ſtupris & ſcortationibus, & me genuiſſe ex ea liberos. Sciebat totus populus nihil eſſe tale: ſed Propheta perinde loquutus eſt, acſi pictam tabulam ante oculos eorum exponeret. Talis igitur fuit viſio, hoc eſt, figura: non quod per viſionem hoc Propheta cognoverit, ſed quia Dominus juſſerit præferre hanc parabolam, ut ita loquar, hoc eſt, hanc ſimilitudinem, ut populus poſſet quaſi in viva pictura agnoſcere ſuam turpitudinem & flagitium. Denique hypotypoſis eſt, in qua non tantum res verbis exponitur, ſed quaſi viſibili forma ſubjicitur oculis. Ratio additur, *Quia ſcortando ſcortata eſt terra.* Videmus ergo nunc quomodo intelligi debeant ſimpliciter Prophetæ verba. Induit enim perſonam antequam in medium prodeat, & ſub hoc habitu populum alloquitur, quod Deus juſſerit eum ducere ſcortum in uxorem, & gignere ex ea liberos adulterinos. Non fuit hac de cauſa contemptibile ejus miniſterium: ſciebant enim omnes eum probe & frugaliter ſemper vixiſſe: ſciebant omnes domum ejus exemptam eſſe omni opprobrio: ſed in ſua perſona hic propoſuit quaſi vivam imaginem publicæ turpitudinis. Hæc ſumma eſt, & nihil video in hac expoſitione coactum: & ſimul tenemus ſenſum hujus membri, *Scortando ſcortata eſt terra.* Poterat Hoſeas uno verbo hoc dicere, ſed ſurdis loquutus eſſet: ſcimus enim quanta ſit, & quam ſtupida amentia eorum qui ſibi placent in ſuis ſuperſtitionibus: non poſſunt ferre ullum probrum. Ergo non auditus fuiſſet Propheta, niſi quaſi in ſpeculo exhibuiſſet ante eorum oculos quod volebat ab ipſis percipi: acſi diceret, Si nemo veſtrûm poteſt in ſe deſcendere, ut publicam turpitudinem agnoſcat: ſi omnes tantopere obſtinati eſtis contra Deum, ſaltem nunc in mea perſona ſcitote vos eſſe adulterinos, & originem veſtram eſſe ex fœtido lupanari, quia Deus ſic de vobis pronunciat: & quoniam non libenter ſuſcipitis tale judicium, proponitur vobis in mea ipſius perſona. Ad verbum eſt, *De poſt Jehova.* מאחרי, hoc eſt, *Ne ſequatur Jehovam.* Hic videmus qualis ſit ſpiritualis caſtitas populi Dei, & quid etiam ſignificet Scortandi verbum. Spiritualis ergo caſtitas populi Dei eſt, ſequi Dominum. Quid autem eſt iſtud Sequi, niſi dum patimur nos regi ejus verbo, & libenter ei obſequimur; quocunque nos vocat, ſumus prompti & parati? Quum ergo Dominus præit nobis per doctrinam ſuam, & viam monſtrat, nos autem ſumus dociles & morigeri, & in eum reſpicimus, & non deflectimus vel ad dexteram vel ad ſiniſtram, ſed totam vitam noſtram referimus ad obedientiam fidei, hoc eſt vere ſequi Dominum. & ita optime definitur ſpiritualis piorum caſtitas. Et ex oppoſito colligere etiam licet quid ſit Scortari, nempe ubi diſcedimus à verbo Domini, ubi aures præbemus falſis doctrinis, ubi ad ſuperſtitiones nos projicimus, ubi denique vagamur poſt noſtra figmenta, & non continemus omnes ſenſus noſtros ſub verbo Domini. Quantum attinet ad Scortandi verbum, poſtea plura dicentur 2 capite: ſed breviter nunc attingere volui quid intelligat Propheta, quum exprobrat Iſraëlitis omnes ipſos eſſe ſcortatos. Nunc precemur.

Da omnipotens Deus, quando nos ſemel tibi adoptaſti in populum, & non deſinis etiam ſancire hanc tuam gratiam, aſſidue nos ad te vocando, & non tantum aſpere etiam nos caſtigas, ſed paterno more nos ad te invitas, & ſimul hortaris ad reſipiſcentiam: da, inquam, ne obdureſcamus contra hanc tuam bonitatem, ne abutamur hac tua tam incredibili tolerantia, ſed ſubjiciamus nos tibi in obſequium. Quod ſi etiam aliquando duriter nos corripis, ut feramus vero fidei obſequio tuas objurgationes, & non maneamus indomiti, neque obſtinati uſque ad extremum: ſed redeamus ad te fontem unicum vitæ & ſalutis, ut ſicut ſemel in nobis inchoaſti opus tuum, ita perficias uſque ad diem Domini noſtri, Amen.

PRÆLECTIO SECUNDA IN HOSEAM PROPHETAM.

CAP. I.

3. Et profectus eſt, & accepit Gomer filiam Diblaim: & concepit, & peperit ei filium.
4. Et dixit Jehovah ad eum, Voca nomen ejus Jizreel, quia adhuc pauxillum, & viſitabo ſanguines Jizreel ſuper domum Jehu, & ceſſare faciam (*hoc eſt, abolebo*) regnum domus Iſraël.

Diximus heſterna lectione, quod injunxit Deus Prophetæ ſuo ut acciperet uxorem ſcortationum, id non fuiſſe completum re ipſa. Quorſum enim hoc ſpectaſſet, niſi ut Propheta omnibus eſſet contemptibilis? atque ita nulla fuiſſet ejus auctoritas. Sed tantum voluit Deus quaſi in imagine oſtendere Iſraëlitis falſo eos gloriari, quum tamen nihil haberent laude dignum, ſed modis omnibus probroſi eſſent. Dicit igitur, *Profectus eſt* Hoſeas, *& ſibi accepit Gomer filiam Diblaim.* גמר ſignificat Deficere Hebræis, & active etiam interdum accipitur pro Conſumere: ideo *Gomer* tantundem valebit ac Conſumptio. *Diblaim* autem vocant Maſſas ficuum, quum caricæ redactæ ſunt in maſſam. Græci vocant παλάθας. Cabaliſtæ hic dicunt uxorem Hoſeæ fuiſſe notatam hoc nomine, quia qui effuſi ſunt in delicias, tandem ad interitum & corruptionem labuntur. Ita conſumptio eſt filia ficuum, quia per ficus intelligunt dulcedinem voluptatum. ſed ſimplicius erit ſi dicamus oſtenſam populo fuiſſe hanc picturam, quod Propheta loco uxoris poſuerit conſumptionem filiam maſſarum: hoc eſt, propoſuerit maſſas vel παλάθας, ita ut eſſet Gomer quædam conſumptio: quemadmodum quum Mathematici deſcribunt ſuas figuras, Si hoc valeat tantundem, hoc etiam tantundem. Poſſumus ergo ita accipere quod Propheta hic pro uxore nominaverit maſſas ficuum corruptas, ita ut eſſet conſumptio vel putrefactio nata ex caricis redactis in tales maſſas. Ego enim ſemper in ea ſententia, quam heri expoſui, perſiſto, quod ſcilicet Propheta non ingreſſus eſt lupanar, ut inde acciperet uxorem. Nam alioqui oportuit ipſum gignere ſpurios, & non filios ex legitimo conjugio. Eadem enim ratio & uxoris & ſobolis, quemadmodum heri dictum fuit. Nunc ergo tenemus ſimplicem ſenſum hujus verſus, quod ſcilicet Pro-

 pheta

pheta non duxerit ſibi ſcortum, ſed tantum ob oculos populi ſeipſum poſuerit, acſi eſſet corruptio nata ex maſſis ficuum putrefactis. Jam ſequitur, *Concepit uxor*, nempe illa imaginaria, uxor illa in figura vel in ſpeculo: *Concepit*, inquit, *& peperit filium: tunc dixit Jehova ad eum, Voca nomen ejus Jizreel.* Multi exponunt יזרעאל, *diſperſionem*, & ſequuntur paraphraſten Chaldæum. Putant etiam hic eſſe alluſionem in voce ambigua. Nam quum זרע zéra, ſit *ſemen*, putant Prophetam oblique perſtingere inanem jactantiam populi illius. Vocabant enim ſe electum ſemen, quia plantati erant à Domino: inde nomen Jizreel. Sed Propheta hic deridet talem ſtultitiam, ſecundum illos interpretes: quaſi diceret, Vos eſtis Iſrael: ſed alio modo, Vos eſtis diſperſio. Quemadmodum enim ſemen projicitur in varias partes, ita etiam Dominus vos diſſeminabit, & hoc modo vos diſperdet ac projiciet. Putatis vos eſſe plantatos in hac terra, & habere ſtationem è qua nunquam poſſitis excuti vel avelli: Dominus autem manu ſua vos tenet, ut vos projiciat in remotiſſimas orbis plagas. Hunc ſenſum colligunt multi interpretes: neque etiam hoc nego, quin Propheta ad verbum ipſum Serendi, & ad ſemen alludat. hoc mihi non diſplicet: tantum videtur mihi Propheta longius reſpicere, quod ſcilicet ſint prorſus degeneres, non vera nec genuina ſoboles Abrahæ. Videmus quanta ſit affinitas inter iſta duo nomina, *Jizreel & Iſrael.* Nomen Iſraël quam ſit honorificum, patet ex etymologia: deinde ſcimus divinitus fuiſſe impoſitum
Gen. 32. verſ. 28. ſancto patri Jacob. Deus ergo qui fuit auctor hujus nominis, hoc meretur ſua auctoritate, ut qui vocantur Iſraëlitæ, excellant præ aliis. Deinde ratio etiam tenenda eſt cur Jacob vocatus fuerit Iſraël: quia certaverat cum Deo, & fuerat ſuperior in lucta. Gloriabantur igitur poſteri Abrahæ ſe eſſe Iſraëlitas. Et Propheta etiam Jeſaias perſtringit iſtam
Jeſa 48. verſ. 1. arrogantiam, quum dicit, Venite qui vocamini nomine Iſraël: acſi diceret, Vos eſtis Iſraëlitæ, ſed titulo tenus, quia res ipſa in vobis non extat. Nunc redeamus ad Hoſeam noſtrum. *Voca*, inquit, *nomen ejus Jizreel:* acſi diceret, Vocant ſe Iſraëlitas, ego vero modica deflexione oſtendam ipſos eſſe degeneres & adulterinos: ſunt enim potius Jizreelitæ quam Iſraelitæ. Conſtat autem Jizreel fuiſſe metropolim regni illius, tempore Achab. & illic etiam edita fuit magna ſtrages à Jehu, quemadmodum refertur 2 Regum capite decimo. Nunc tenemus conſilium Prophetæ: quod ſcilicet totum illud regnum deſciverit à prima origine, neque amplius cenſeri debeant in genere Abrahæ: quia ſua perfidia exciderunt ab illo honore, & perdiderunt etiam primum ſuum nomen. Deus ergo vocat Jizreelitas per ludibrium, & non Iſraelitas. Poſtea ſequitur ratio, quæ confirmat hanc ſententiam, *Quia adhuc pauxillum*, inquit, *& viſitabo cædes Jizreel ſuper domum Jehu.* Hic interpretes non parum laborant, quia videtur abſurdum eſſe, quod Deus ulciſci velit cædem factam à Jehu, quam tamen ipſe probaverat. Imo Jehu nihil temere fuerat aggreſſus, ſed ſciebat ſibi injunctam eſſe hanc ultionem. Fuit ergo legitimus Dei miniſter: & cur nunc in ſcelus imputatur quod Deus præcepit? Hæc ratio quoſdam interpretes impulit ut hic per *ſanguines* intelligerent ſcelera generaliter: Ulciſcar ſcelera Jizreel ſuper domum Jehu. Alii dicunt, Ulciſcar cædem Naboth. Sed illud eſt prorſus abſurdum, nec poteſt quadrare, quia diſerte exprimitur, ſuper domum Jehu. Deus autem vindictam illius cædis ſumpſit non ſuper domum Jehu, ſed ſuper domum Achab. Cæterum, non conſiderant qui ſic impediuntur, quorſum ſpectet Propheta. Deus enim quum voluit Jehu exerto gladio delere totam domum Achab, hunc finem habuit propoſitum, ut Jehu purum cultum reſtitueret, purgaret terram ab omnibus inquinamentis. Jehu ergo fuerit Spiritu Dei excitatus, ut aſſereret purum Dei cultum. Quum eſſet vindex pietatis, quid fecit? contentus fuit præda. Poſtquam rapuit ſibi regnum, confirmavit idololatriam, & quicquid abominationum fuit. Ergo non impendit operam ſuam Deo. Fuit igitur cædes illa, reſpectu Jehu, latrocinium: reſpectu Dei, fuit juſta ultio. Hæc ratio nobis ſufficere debet ad explicationem hujus loci: & nihil affero quod non contineat ſacra Scriptura. Poſtquam enim Jehu viſus eſt totus ardere zelo Dei, ſtatim oſtendit nihil fuiſſe in animo ſuo ſincerum: nam amplexus eſt omnes ſuperſtitiones, quæ prius viguerant in regno Iſraël: denique talis fuit reformatio ſub Jehu, qualis ſub Henrico Angliæ Rege. Ille enim quum videret ſe non poſſe aliter excutere jugum Rom. Antichriſti, quam aliquo fuco, præ ſe tulit ad tempus aliquem zelum: poſtea crudeliter ſævitt adverſus omnes pios, & duplicavit tyrannidem Romani Pontificis. Talis etiam fuit Jehu. Si reputemus quale fuerit illud factum Henrici, certe erat heroica virtus, eripere è tyrannide duriſſima regnum illud: ſed interea quantum ad ipſum ſpectat, certe fuit deterior omnibus aliis mancipiis Romani Antichriſti. Nam qui ſub illa ſervitute manent, ſaltem retinent aliquam ſpeciem pietatis: ille autem nullo pudore hominum retentus fuit, & oſtendit ſe prorſus vacuum eſſe omni timore Dei. fuit homo belluinus. Talis etiam fuit Jehu. Nunc quum dicit Propheta, *Ulciſcar cædes* ſuper domum Jehu: nihil mirum eſt. Quare? nam erat hic ſummus honor, quod Dominus unxerat eum in Regem: quum eſſet ex mediocri familia, præter ſpem electus fuit Rex à Domino. Debuit igitur omnes nervos intendere, ut purum Dei cultum reſtitueret, ut deleret omnes ſuperſtitiones. Hoc non fecit, ſed potius confirmavit. fuit igitur potius latro. Non fuit ergo miniſter Dei, quantum ad ipſum ſpectat. Summa igitur eſt: Vos non eſtis Iſraelitæ, (nam hic eſt tantum ambiguitas in una litera, quantum ad pronunciationem attinet) ſed Jizreelitæ: hoc eſt, Vos non eſtis poſteri Jacob, ſed eſtis Jizreelitæ: hoc eſt, eſtis populus degener, & nihil differtis à Rege veſtro Achab. Ille fuit maledictus, & ſub eo maledictum etiam fuit regnum. Eſtisne mutati? ubi reformatio in melius? Quum ergo obſtinati ſitis in veſtra malitia, etiamſi ſuperbe obtenditis nomen Jacob, tamen indigni eſtis tanto honore. Ego igitur voco vos Jizreelitas. Et ratio additur, *Quia adhuc pauxillum, & viſitabo cædes ſuper domum Jehu.* Oſtendit nunc Deus populum illum deſtitui omni gloria. Nam putabant ſepultam eſſe memoriam omnium ſcelerum, poſtquam domus Achab fuerit exciſa. Quid? ego ulciſcar cædes illas, inquit Dominus. Nam videmus hoc ſolenne eſſe hypocritis, poſtquam ſumpſerunt pœnam de aliquo ſcelere, ut putent omnia ſibi eſſe licita: & volunt erga Deum ſic defungi, Puniet latro cædem, ſed ipſe etiam multas cædes patrabit: putabit ſe redemptum eſſe, quia pretium Deo perſolvit in unius hominis pœna: alios autem abſolvet, qui ejus ſocii erunt: ipſe etiam non dubitat multas injuſtas cædes patrare. Quum ergo hypocritæ ita Deo illudant, merito Propheta nunc excutit talem ſocordiam, dicens, *Ego ulciſcar iſtas cædes.* Putatis facinus fuiſſe laude dignum in Jehu, quod perdiderit ac deleverit totam domum Achab? Ego quidem illud mandavi: ſed in alium finem retulit ipſe injunctam ſibi vindictam. Quare? fuit enim potius latro. Neque enim punivit ſcelera Achab: quia eadem perpetravit ipſe uſque ad vitæ finem, & hodie etiam adhuc perpetrat, nempe in ſuis poſteris: nam Jarobeam quartus erat in regno. Quum igitur Jehu non mutaverit ſtatum terræ, & vos etiam ſemper obſtinati fueritis in veſtra malitia, ego ulciſcar cædes illas factas. Inſignis eſt hic locus, quia dicit non ſufficere, imo nullius eſſe momenti, ſiquis præclare ſe

gerat

gerat coram hominibus, niſi etiam conjungat rectum & ſincerum animum. Qui ergo punit maleficia in aliis, abſtineat ipſe, & ſtatuat in ſe idem juris quod in alios. Nam ſi peccandi licentiam ſibi uſurpat, dum alios punit, provocat in ſe iram Dei. Nunc ergo tenemus verum hujus loci ſenſum, *Ulciſcar ſanguines Jizreel*, hoc eſt, cædes quæ editæ fuerunt in valle Jizreel, ſuper domum Jehu: *& abolebo regnum domus Iſrael.* Domum Iſrael vocat quæ reſecta fuerat à familia Davidis: acſi diceret, Hæc eſt domus ſeparata. Deus enim conjunxerat totum populum, & erat unum corpus: laceratum fuit ſub Jarobeam. hæc fuit horribilis Dei vindicta: perinde enim eſt acſi populus fuiſſet diſſectus in duas partes, ſicut corpus aliquod lacerum. Sed tamen Deus continuit adhuc duas illas partes, acſi unum eſſet corpus: & idem futurus erat Redemptor utriuſque populi, niſi ſequuta fuiſſet illa fœda defectio. Poſtquam autem putrefacti ſunt Iſraelitæ, ut jam non eſſet pars electi populi, merito per contemptum vel opprobrium Propheta noſter vocat eos domum Iſraël. Jam ſequitur,

5. Et erit in die illa, & conteram (*vel confringam*) arcum Iſraël in valle Jizreel.

Hic verſus conſulto additus fuit, quia præſenti fortuna ſic inflati erant Iſraelitæ, ut riderent iſtam denunciationem. Videbant enim ſe probe inſtructos eſſe & armis, & viris, & pecunia: denique putabant ſe modis omnibus inexpugnabiles. Propheta igitur oſtendit non fore hoc totum obſtaculo, quominus Deus pœnam de illis ſumat. Vos eſtis, inquit, inflati ſuperbia, vos opponitis veſtram ferociam Deo, quia polletis armis & viribus: quia vos eſtis viri militares, putatis Deum nihil poſſe. Atqui arcus veſtri non impedient ejus manum, quominus vos deleat. Eſt autem ſynecdoche, quum dicit, *Confringam arcum*: quia ſub una ſpecie comprehendit omne armorum genus. Sed quantum ad mentem Prophetæ, videmus tantum ei fuiſſe propoſitum falſam confidentiam domare: quia ſcilicet non putabant Iſraelitæ ſe fore obnoxios huic exitio quod prædixerat Hoſeas. Nam ſtupebant in ſua potentia, & putabant ſe eſſe extra omne periculum, quum undique eſſent bene muniti. Dicit igitur Propheta omnia eorum præſidia nihili fore adverſus Deum: quia *in illa die*, hoc eſt, ubi venerit maturum vindictæ tempus, Dominus confringet omnes arcus ipſorum, id eſt, conteret omnia arma, & vires in nihilum rediget. Monemur hoc loco, ſemper cavendum eſſe, quoties nobis Deus minatur, ne quid nos ad torporem inducat: etiamſi vires nobis ſuppetant, etiamſi fortuna (ut ita loquar) arrideat, ſi denique totus mundus conſpiret in ſalutem noſtram, non eſt tamen cur nobis placeamus, ubi Deus pronunciat ſe nobis eſſe adverſum & infenſum. Quare? Nam ſicuti poteſt ſervare inermes, quoties viſum eſt; ita etiam ſpoliabit nos omnibus armis, & potentiam noſtram in nihilum rediget. Veniat igitur nobis in mentem hic verſus, quoties Deus terret nos propoſitis minis, quod ſcilicet tollet omnia noſtra præſidia quibus falſo confidimus. Quoniam autem metropolis regni erat Jizreel, ideo Propheta diſerte locum illum exprimit, *Confringam arcum domus Iſraël in valle Jizreel*: hoc eſt, Dominus videt quale ſit propugnaculum in Samaria, in Jizreel: ſed vos illic conficiet, hoc eſt, in ipſo umbilico terræ. Putatis illic eſſe ſedem ſalutis & firmam ſtationem, Dominus autem in nihilum vos rediget in ipſa valle Jizreel. Sequitur,

6. Et concepit adhuc (*concepit rurſum*) & peperit filiam: & dixit ei, Voca nomen ejus Lo-Ruchama: (*hoc eſt*, non adepta miſericordiam, *vel* non dilecta: *ſic enim Græci*
Rom. 9. verſ. 25. *verterunt, & Paulus ſequutus eſt illam receptam verſionem capite 9 ad Rom.*) quia non adjiciam amplius ut miſericordia proſequar (*vel ut diligam*) domum Iſraël, quia tollendo tollam eos.

Hoc verſu Propheta oſtendit res magis ac magis fuiſſe prolapſas in regno Iſrael, ut nullum peccandi modum fecerint, donec ad extremum impietatis ruerent. Jam ab initio fuiſſe reprobos & degeneres docuit, quum vocabat eos Jizreel: acſi diceret, Origo veſtra non continet in ſe quicquam laude dignum: putatis vos excellere, quia genus ducitis à ſancto Jacob, ſed eſtis filii adulterini, nati ex ſcorto: lupanar non eſt domus Abrahæ, neque domus Abrahæ eſt lupanar. Vos ergo ex flagitio profecti eſtis. Sed jam ultra progreditur, quod ſcilicet ſucceſſu temporis prolapſi fuerint ſemper in deterius. Nam hoc nomen turpius eſt, Lo-Ruchama quam Jizreel: deinde Dominus etiam hic denunciat vindictam multo apertius, quum dicit, *Non adjiciam amplius ut miſericordia proſequar domum Iſrael.* רחם ſignificat *miſereri*, & ſignificat *diligere*: ſed ſecunda illa ſignificatio eſt translatitia. neque enim רחם eſt ſimpliciter diligere, ſed gratuito favore proſequi. Ergo quum filia vocatur Lo-Ruchama, ſignificat Deus favorem ſuum jam ablatum eſſe ab illo populo. Scimus vero populum gratis fuiſſe electum. Nam ſi cauſa adoptionis quæritur, fuit mera Dei miſericordia & bonitas. Nunc ergo Deus populum repudians, dicit, Vos eſtis ſimiles filiæ quam pater abjicit atque abdicat: quia non dignatur eam favore ſuo. Tenemus ergo nunc conſilium Prophetæ. Nam poſtquam oſtendit Iſraelitas ab initio fuiſſe ſpurios, & non veros filios Abrahæ; jam addit, ſucceſſu temporis ita fuiſſe corruptos, ut jam Deus ipſos prorſus abdicet, neque amplius in ſua domo cenſeri velit. Ergo exprobrat illis aliquid gravius quam paulo ante, quum dicit *filiam hanc vocari Lo-Ruchama*: nata eſt autem poſt Jizreel. Et gradatim hic deſcribit ſtatum populi, quod ſcilicet fuerit deterior: quanquam eſſent initio pravi; quod nunc, hoc eſt, poſt aliquod tempus, jam ſint prorſus indigni Dei favore. Dicit, *Non adjiciam amplius proſequi favore meo domum Iſraël.* Deus hic oſtendit quam diuturna tolerantia uſus fuerit erga hunc populum: *Non adjiciam amplius*, inquit: acſi diceret Dominus, Non proſilio nunc ad ſumendam de vobis vindictam primo fervore, quemadmodum ſolent homines iracundi. ſimulatque injuria illata eſt, arripiunt gladium. Ego non tam repente excandeſco. Hactenus ergo vos pertuli. ſed jam intolerabilis eſt veſtra obſtinatio: non adjiciam ergo amplius. Videmus ut tacite ſignificet Propheta Iſraelitas nimis diu abuſos fuiſſe clementia Domini, dum illis pepercit, ita nunc veniſſe maturum vindictæ tempus. quia ſcilicet Dominus per annos complures ſit proſequutus favorem ſuum erga illos, quamvis non deſiſterent ſubinde exitium ſibi accerſere. Hinc colligimus (ſicuti heri dictum fuit) vehementiam Prophetæ non fuiſſe præcipitem. Deus enim prius ſatis ſuperque monuerat Iſraelitas: deinde ignoverat multa ſcelera, ſuſtinuerat eos, donec res ipſa oſtendit eſſe prorſus incurabiles. Quum ergo patientia Dei nihil apud eos proficeret, neceſſe fuit venire ad ultimum remedium, ut ſcilicet Dominus exerto gladio juſtum judicem ſe oſtenderet adverſus eos. Poſtea dicit, כי נשוא אשאלהם Varie exponitur hic locus: putant quidam verbum hoc deductum eſſe à radice נשה, per ה in fine, quod ſignificat Obliviſci: acſi dictum eſſet, Obliviſcendo obliviſcar eorum: & ſenſus ille non male con-

grueret. Chaldæus Paraphraſtes diſcedit prorſus à ſenſu: nam dicit, Parcendo parcam eis: nulla eſt illic ratio. Deus enim nondum veniam illis promittit, quemadmodum contextus melius oſtendit. Non poteſt ergo ſtare ſenſus ille. Propius ad Prophetæ mentem accedunt, qui dicunt, Adducam illis, nempe hoſtem. Nam נשא ſignificat *tollere*, & ſignificat etiam *afferre in medium*. Sed potius eorum ſententiam amplector, qui לחם poſitum exiſtimant pro אתם. Nam ל litera ſervilis ſæpe idem valet atque את particula, quæ jungitur cum accuſativo caſu. Ergo tantundem valebit acſi dictum eſſet ad verbum, Quia tollendo tollam ipſos: & Hebræi ſæpe ita loquuntur. & ſimplicior hic eſt ſenſus, Tollendo tollam ipſos. Quidam vertunt, Comburam: ſed durior eſt illa expoſitio. Ego contentus ſum verbo Tollendi, ſed accipio pro Auferre è medio. Tollendo igitur tollam ipſos. Et hoc etiam confirmat proximus verſus: quia ubi loquitur Propheta de domo Jehudah, dicit Dominus, Miſericordia proſequar domum Jehudah, & ſervabo eos. Servare & Tollere inter ſe opponit Propheta. Ergo ex contextu licet colligere quid ſibi voluerit his verbis: quod ſcilicet Iſraël hactenus ſteterat miſericordia Domini. acſi diceret, Quî factum eſt ut adhuc duretis ſuperſtites? Putatis vos fuiſſe incolumes veſtra virtute? imo miſericordia mea hactenus vos ſuſtinuit. Jam igitur ubi gratiam meam & favorem à vobis abſtulero, actum eſt: neceſſe erit vos perire, & in nihilum redigi. hoc eſt, Sicuti hactenus vos ſervavi, ita prorſus evellam vos & delebo. Jam utilis doctrina colligitur ex hoc loco, Quod ſcilicet ſe decipiant hypocritæ quum præſenti Dei favore ſuperbiunt, & interea exultant adverſus eum, ſine timore: quia ſicuti Deus ad tempus illis parcit, & eos tolerat, ſic etiam merito poterit eos perdere & redigere in nihilum. Sed conjungi etiam debet proximus verſus.

7. Et domum Jehudah miſericordia proſequar: (*vel favore: vel diligam. diximus enim jam de hoc verbo*) & ſervabo eos in Jehova Deo ipſorum, & non ſervabo eos in arcu, neque in gladio, neque in prælio, neque in equis, neque in equitibus.

Hic verſus ſatis oſtendit quod heri dicebam, Prophetam fuiſſe proprie deſtinatum regno Iſraël. Videtur enim hic blandiri Judæis, quos tamen ſcimus aſpere fuiſſe caſtigatos à ſuis doctoribus: & merito. Quid enim dicit Jeſaias, poſtquam loquutus eſt de perditis corruptelis, quas dicit tunc graſſatas fuiſſe in regno Iſraël? Venite, inquit, in domum Jehuda,
Jeſa. 28. verſ. 8. illi ſaltem adhuc manebunt integri. Ego, inquit, illic vidi omnes menſas impletas vomitu, illi ebrii ſunt, illic regnat etiam contemptus Dei, & omnis impietas. Videmus ergo Judæos non fuiſſe dignos de quibus tam honorifice loquutus eſſet Propheta. Nam etſi vigebat exterior Dei cultus Hieroſolymæ, & Templum ſaltem ſub Uzia & Jothan purum eſſet ab omni ſuperſtitione, item ſub rege Ezechia: tamen ſcimus fuiſſe mores perverſos. Avaritia enim & crudelitas, & omne fraudis genus illic regnabant: item fœdæ libidines. Vita ergo populi illius nihilo melior erat quam Iſraëlitarum. Cur ergo Propheta hic dignatur eos tanto honore, ut à vindicta Dei excipiat? Nempe reſpicit populum cui deſtinatus erat Propheta. Utitur ergo comparatione: relinquit Judæos: ſciebat enim illos non carere probis paſtoribus, qui eorum ſcelera coarguerent: ſed manet in ſuo auditorio. Et iſta comparatio plurimum valuit ad vulnerandos animos populi Iſraëlitici. Scimus enim in hoc maxime inſiſtere Prophetam, ut fictitios cultus damnet. Jam opponit cultum Hieroſolymæ omnibus ſuperſtitionibus quas primo induxerat Jarobeam, quas auxerat Achab, & proſequuti fuerant omnes poſteri. Jam dicit, *Ego favore meo proſequar domum Jehudah*. Sed quo melius teneamus Prophetæ mentem, repetere memoria convenit quod heri diximus, Regnum Jehudah tunc fuiſſe miſere diſſipatum. Regnum Iſraël ſub ſe habebat decem Tribus, regnum Jehudah unam cum dimidia duntaxat, ſed fuerat attritum multis cladibus: imo Iſraëlitæ ſpoliaverant Templum Domini, & abſtulerant quicquid auri & argenti illic invenerant. Judæi ergo ad inopiam redacti erant, vix audebant mutire: interea Iſraëlitæ erant ſimiles animalibus bene ſaginatis, quemadmodum etiam poſtea dicet Propheta noſter. Quum ergo præ ſe contemnerent Judæos, qui videbantur coram mundo eſſe deſpicabiles, Propheta retundit hanc inanem confidentiam, & dicit, *Miſericordia proſequar domum Jehudah*. Domus Jehudah nunc nulla fere videtur eſſe, quia pauci ſunt numero, neque etiam valde robuſti: deinde illis non affluunt tam largæ divitiæ ut apud vos: ſed reſidebit illic favor meus, & eum vobis auferam. Poſtea ſequitur, *Et ſervabo eos in Jehova Deo ipſorum*. Opponitur iſta ſalus excidio, cujus Propheta meminerat proximo verſu. Oſtendit autem Hoſeas ſalutem hominum minime pendere vel ab armis, vel ab ullis mediis hujus mundi, ut loquuntur: ſed fundatam eſſe in mero Dei favore. *Servabo eos*, inquit. Quare? Quia *favore meo proſequar eos*. Debet ſedulo notari hæc connexio, Ubi favor Domini, illic vita. Tu Deus noſter, ergo nunquam peribimus: quemadmodum dicitur 1. cap. Abacuc. Conjungit igitur hic Propheta ſalutem cum gratuito favore Dei: quia non poſſumus aliter ſtare incolumes, niſi quatenus nobis Deus eſt propitius: ſicuti contra pronunciavit actum fore de Iſraelitis, ſimulatque Deus ab illis abſtulerit favorem ſuum. Dicit autem, *In Jehova Deo ipſorum*. Hic tenenda eſt antitheſis inter falſos deos & *Jehovam*, qui Deus erat domus Jehudah. Perinde enim eſt acſi diceret Propheta, Vos quidem obtenditis nomen Dei, ſed vos colitis diabolum, & non Deum. Nihil enim vobis cum Jehova, hoc eſt, cum Deo, qui creator eſt atque opifex cœli & terræ. Ille enim reſidet in Templo ſuo: ille fidem ſuam devinxit Davidi, quum juſſit Templum ſibi extrui in monte Sion: habitat illic inter Cherubim, quemadmodum loqui ſolent Prophetæ: exulat autem à vobis verus Deus. Videmus ergo ut hic condemnet omnes cultus, quos tunc magni faciebant Iſraëlitæ. Quare? quia ſcilicet non erant Deo accepti. Et hic locus obſervatu dignus eſt: quia videmus quam ſtupidi ſint homines in hac parte: ubi ſemel perſuaſi fuerint ſe Deum colere, quodam Satanæ faſcino tenentur, ut ſibi placeant in omnibus ſuis deliriis: quemadmodum hodie videmus Papiſtas non modo inſanos eſſe, ſed bis furioſos. Si quis exprobret illis quod non colant verum Deum, ſtatim exardent, Quid? annon Deus gratos habebit cultus noſtros? Sed hic Propheta uno verbo oſtendit, non eſſe Jehovam, niſi ubi rite colitur ex præſcripto verbi ſui. *Servabo*, inquit, *eos*. Quomodo, *In Jehova Deo ipſorum*. Deus autem ipſe loquitur. Poterat dicere, Servabo ipſos per me: ſed non fruſtra hoc verborum circuitu uſus eſt, ut oſtenderet Iſraëlitis non eſſe cur confiderent ſibi Deum eſſe propitium. Quare? Deus enim domicilium ſibi elegerat in monte Sion & Jeroſolymæ. Poſtea ſequitur major expreſſio: *Non in arcu ſervabo eos, non in gladio, neque in prælio, neque in equis, neque in equitibus*. Sed hoc membrum cras abſolvam, Deo favente.

Da

Da omnipotens Deus, quando & ab origine noſtra perditi eramus, quum dignatus es nobis manum porrigere, & revocare in ſalutem gratia Filii tui: deinde non ceſſamus etiam quotidie in perniciem noſtram ruere: da, inquam, ne toties peccando, tandem ſic provocemus iram tuam, ut miſericordia, qua hactenus uſus es erga nos etiam, & nos adoptaſti, à nobis auferatur, ſed Spiritu tuo corrigas malitiam cordis noſtri, & ſic ad ſanam mentem nos revoces, ut tibi adhæreamus perpetuo, & quidem vero & ſincero corde: ut tuo præſidio muniti, maneamus incolumes etiam inter omne genus pericula, donec tandem nos colligas in beatam illam quietem, quæ nobis in cœlo repoſita eſt, per eundum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Amen.

PRÆLECTIO TERTIA IN HOSEAM PROPHETAM.

CAP. I.

Reſtat nobis explicandum hoc membrum, ubi dicitur, *Servabo domum Jehudah non in arcu, neque in gladio, neque in prælio, neque in equis, neque in equitibus.* Clarius autem exprimitur quod prius attigerat Propheta, Deum ſcilicet opus non habere alienis ſubſidiis, quoniam ſua virtute contentus ſit. Continuat interim Hoſeas ſuam antitheſin: populus enim Iſraël, quia inſtructus erat carnis potentia, putabat ſe extra jactum telorum eſſe, ut loquuntur: regnum vero Juda expoſitum eſſe omnibus periculis, quia viribus & armis non pollebat. Deridet hanc ſtultitiam Propheta, & dicit ſalutem eſſe in ſola Dei manu: fruſtra igitur homines confidere propria virtute. & non eſſe etiam cur deſperent de ſalute ſua qui inopes ſunt, & vacui: quoniam unus Deus abunde ad ſervandos fideles ſufficit. Summa igitur eſt, quamvis inopia regni Judæ contemptui ſit omnibus, tamen hoc non fore obſtaculo, quominus per Dei gratiam ſervetur, etiamſi nihil auxilii ab hominum parte ſuppetat. Diſcamus autem ex hoc loco, ſic nos ſervari à Domino, ut non indigeat ullis mediis naturalibus: deinde ut nihil etiam acceſſat, abunde ad ſalutem noſtram perficiendam ſufficere. Sic ergo tribuenda eſt ſalus noſtra Domino, ut nihil imaginemur vel ex nobis, vel ex Angelis, vel hominibus provenire. Nunc pergamus.

8. Et ablactavit Lo-Ruchama, & concepit & peperit filium:

9. Et dixit, Voca nomen ejus, Non populus meus, *Lo-ammi:* quia vos non populus meus, & ego non ero vobis. (*hoc eſt, non ero veſter.*)

Ablactatio, cujus hic meminit Propheta, allegorice à quibuſdam accipitur, acſi vellet dicere, populum ad tempus & prophetiis, & ſacerdotio, & reliquis ſpiritualibus donis privandum eſſe. ſed illud eſt frigidum. Itaque non dubito quin Propheta hic commendet diuturnam Dei patientiam erga populum illum. Priuſquàm ergo Dominus Iſraëlitas penitus abdicet, expectat patienter donec reſipiſcant, ſi forte ſpes ſit aliqua reſipiſcentiæ: ſed ubi videt perpetuo manere ſimiles ſui, tunc demum ad ultimam vindictam progreditur. Dicit igitur Hoſeas filiam, quæ ſecundo loco genita fuerat, fuiſſe ablactatam: acſi diceret, non repente abdicatum fuiſſe populum Iſraël, quia Deus longa patientia eum ſuſtinuit, & ita ſuſpendit gravius judicium, donec tandem, ubi vidit inſanabilem eſſe malitiam, protulit quod poſtea ſequitur: nempe, *Voca* filium tertium *Lo-ammi.* Additur ratio, *Quia vos non eſtis populus meus, & non ero poſthac veſter.* Eſt hæc, ut dixi, ultima abdicatio. Prius vocati fuerant Jizreelitæ: deinde ſub filiæ perſona Deus teſtatus fuerat ſeſe jam ab illis alienatum: hoc vero tertium gravius eſt, quum dicit, *Non eſtis populus meus.* Deus enim hic fœdus quod pepigerat cum ſanctis Patribus, quodámmodo abolet, ut deſinant excellere ſupra alias gentes. Sic ergo coguntur in ordinem Iſraëlitæ, ut nihil differant à profanis Gentibus: & ita Deus ipſos prorſus exheredat. Non dubium eſt quin male acceptus fuerit Propheta, quum negaret eſſe populum Dei, qui tamen progenitus fuerat ex Abraham ſecundum carnem, & qui ſemper habitus fuerat eo loco, & qui adhuc ſuperbe jactabat ſe electum. Sed hinc diſcamus, perperam eos facere, qui cæcutiunt in ſuis vitiis, quia Dominus ipſis parcit & indulget. Semper enim tenendum eſt memoria, quod ante dixi, regnum Iſraël tunc fuiſſe opulentum. Et tamen Propheta negat eos qui opibus & potentia & divitiis florebant, eſſe populum Dei. Non eſt igitur cur hypocritæ ſibi placeant in fortuna proſpera, ſed ſemper attenti ſint potius ad judicium Dei. Quod ſi illi, ut videmus, ſecure Deum contemnunt, hic tamen locus nos admonet ſollicite cavendum eſſe ne abutamur præſentibus Dei gratiis. Sequitur,

10. Et erit numerus filiorum Iſraël tanquam arena maris, quæ non menſuratur, & non numeratur: (*non menſurabitur nec numerabitur, ad verbum: ſed ſignificant hæc verba actum continuum, & eſt indefinita etiam loquutio*) & erit in loco ubi dicetur, (*hoc eſt, ubi dictum fuerit eis*) Non populus meus vos: & dicetur, (*hoc eſt, illic dicetur*) Filii Dei vivi.

Sequitur jam conſolatio, quæ tamen non ſimplex eſt. Videtur enim Deus hic occurrere objectionibus quas ſcimus in promptu eſſe hypocritis, quoties Prophetæ exitium ipſis denunciant. Nam inſimulant Deum mendacii, niſi eos ſervet. Quia enim ſibi arrogant Eccleſiæ titulum, ideo ſtatuunt fieri non poſſe ut pereant, quia Deus verax non eſſet in ſuis promiſſis. Quid? Deus pollicitus eſt, Eccleſiam ſuam æternam fore: nos ſumus illa Eccleſia: Ergo ſumus in tuto, quia Deus ſeipſum abnegaret. Sed falluntur in hypotheſi, dum ſcilicet ſibi uſurpant Eccleſiæ titulum, quum tamen alieni ſint à Deo. Videmus hoc faſtu hodie turgere Papiſtas. Nam objiciunt nobis hunc clypeum ad excuſandos omnes ſuos errores: Chriſtus promiſit ſe adfuturum ſuis uſque ad finem mundi. An ſponſus Eccleſiam ſuam deſereret? an Filius Dei, qui eſt æterna veritas Patris, fidem falleret? Extollunt magnifice fidem Chriſti Papiſtæ, ut ſcilicet illum ſibi obligent: ſed interea non reputant ſe eſſe fœdifragos, non reputant ſe ex profeſſo eſſe Dei hoſtes, non reputant ſe feciſſe cum eo divortium. Ergo Propheta, quum ſciret negotium ſibi

eſſe

eſſe cum hominibus ſuperbis, quibus ſolenne eſt
Deum in jus trahere, ideo dicit, *Erit numerus filiorum*
Iſraël tanquam arena maris: hoc eſt, Ubi vos excide-
rit Dominus, tamen manebit ſalva illa promiſſio quæ
Geneſ. 22. data fuit Abrahæ: Aſpice ſtellas coeli, numera are-
verſ. 17. nam maris, ſi potes: ſic erit ſemen tuum. Scimus
enim ſemper hoc fuiſſe objectum Prophetis, quoties
durius increpabant populum, & denunciabant interi-
tum. Quid? fierine poteſt ut Dominus nos perdat?
Ubi eſſet illa promiſſio, Sic erit ſemen tuum, ut
ſunt ſtellæ coeli & arena maris? Ergo Propheta hic re-
tundit vanam illam confidentiam, qua ſeſe efferebant
hypocritæ adverſus omnes minas: Deus, etiamſi vos
exſcindat, nihilominus verax manebit, & conſtabit
fides oraculo, immenſum eſſe ſemen Abrahæ, ſicuti
eſt arena maris. Fateor quidem hic Prophetam ſpem
ſalutis dediſſe fidelibus, quia certum eſt aliquos fuiſſe
reſiduos in regno Iſraël: etiamſi totum corpus deſci-
verat, tamen Deus ſibi ſervaverat ſemen aliquod,
1 Reg. 19. quemadmodum etiam dictum fuerat Eliæ. Propheta
verſ. 18. igitur noluit fideles, qui reliqui erant in populo
illo perdito, ſine ſpe ſalutis relinquere: ſed interim
reſpexit hypocritas, quemadmodum diximus. Tene-
mus nunc conſilium Prophetæ. Docet enim talem
fore vindictam de qua loquutus eſt, ut tamen Deus
non obliviſcatur verbi ſui: docet talem fore abdica-
tionem populi, ut tamen firma & rata maneat Dei
electio: ideoque docet non fore irritam adoptionem
qua ſibi Deus progeniem Abrahæ elegerat in popu-
lum. Hæc ſumma eſt. Erit ergo numerus filiorum
Iſraël tanquam arena maris quæ non menſuratur nec
numeratur. Poſtea addit, *& erit in loco ubi dictum*
fuerit eis (*dicetur*, ad verbum) *non populus meus vos: illic*
dicetur, Filii Dei vivi. Quæritur an prophetia hæc ad
poſteros eorum, qui diſperſi fuerunt, pertineat. Illud
enim eſſet abſurdum, quia tam longum tempus
effluxit ab eorum exilio: & hodie disjecti & palati in
montibus, & aliis deſertis locis habitant: ſaltem
multi ſunt in montibus Armeniæ, alii in Media & in
Chaldæa, denique in toto Oriente. Jam, quum nulla
fuerit reſtitutio illius populi, certum eſt non debere
reſtringi hoc vaticinium ad ſemen carnale. Nam præ-
ſcriptum fuit Judæis tempus, quo Dominus vellet
ipſos reducere in patriam, & tranſactis ſeptuaginta
annis liber reditus per Cyrum permiſſus fuit. Ho-
ſeas ergo hic non de regno Iſraël concionatur, ſed de
Eccleſia quæ poſtliminio reſtituenda erat tam ex Ju-
dæis quam ex Gentibus. Sicuti etiam Paulus admo-
Rom 9. net, qui idoneus eſt interpres hujus loci, Quos vo-
verſ. 24. cavit non ſolum ex Judæis, verum etiam ex Genti-
bus. Sicuti dicit per Hoſeam, Vocabo populum qui
meus non erat, populum meum: & eam quæ dilecta
non erat, dilectam. Et erit ubi dictum fuerit eis,
Non populus meus vos; illic dicentur filii Dei vivi.
Paulus locum hunc ad totum fidelium corpus accom-
modat: quod collectum fuit promiſcue tam ex Ju-
dæis quam ex Gentibus: & merito. Nam alioqui non
conſtaret prophetiæ fides & veritas, ut diximus.
Deinde optime hoc congruit cum Prophetæ conſi-
lio quod nuper expoſui. Quia enim hypocritæ virtu-
tem Dei ſibi quodammodo alligant, dicit Propheta
in arbitrio Dei eſſe novam Eccleſiam momento uno
erigere, quæ ſuperet arenam maris. Quare? Deus
enim creabit ſibi Eccleſiam. Et unde? Ex lapidibus,
Rom 4. ex nihilo: vocat enim ea quæ non ſunt tanquam ſint,
verſ. 17. quemadmodum alibi dicit Paulus. Interea tamen,
ſicuti dictum fuit, Deus certavit bonitate ſua cum
malitia illius populi: quia quamvis reſpuerent ejus
gratiam, imo obſtinate eam à ſe repellerent, talis
pervicacia non obſtitit quominus reliquias ſibi Do-
minus ſervaret. Jam docet hic locus, præpoſtere eos
facere, qui ſuo ſenſu æſtimant ſtatum Eccleſiæ, ut
Deum mendacii accuſent ſi non reſpondeat exterior
ſpecies ipſorum opinioni: quemadmodum Papiſtæ,
niſi videant fulgere magnas pompas, non putant re-

ſtare ullam Eccleſiam in mundo: Deus autem nunc
Eccleſiam ita imminuit, ut videri poſſit in nihilum
redacta: nunc vero præter ſpem eam auget ac multi-
plicat, poſtquam excitavit quaſi à morte. Dicit Je- Jeſ. 10.
ſaias cap. 10. Si numerus filiorum Iſraël fuerit ſicut verſ. 22.
arena maris, reliquiæ tantum ſalvæ erunt. Illic Pro-
pheta ex profeſſo inſultat hypocritis, qui falſo ob-
tendebant vaticinium illud, Reſpice ſtellas coeli & Geneſ. 15.
arenam maris, ſi potes numerare: ſic erit ſemen tuum. verſ. 5.
Quum ergo videret Jeſaias hypocritas illo vaticinio
fretos tam proterve inſurgere: Bene, bene, inquit, vos
eſtis tanquam arena maris, vos eſtis tanquam ſtellæ
coeli, ſed reliquiæ tantum ſalvæ erunt: hoc eſt, Domi-
nus vos tandem excidet, & rediget ad tam exiguum
numerum, ut ſitis pauciſſimi. Jam ex adverſo dicit
Hoſeas, Poſtquam ad illam paucitatem redacti fue-
rint Iſraëlitæ, ut mera vaſtitas & ſolitudo appareat,
tunc Dominus Eccleſiam reſtituet præter humanum
ſenſum, & oſtendet ſe non fruſtra pollicitum fuiſſe
Abrahæ, ſemen ejus fore inſtar arenæ maris. Quum
ergo Dominus mirabiliter Eccleſiam ſuam tueatur
ac conſervet in hoc mundo, ut nunc quaſi ſepeliat,
poſtea excitet à morte, nunc eam excidat, quod
ad externam ſpeciem attinet, poſtea inſtauret, ca-
vendum eſt ne exigamus ad ſenſum noſtrum &
rationem carnis quæcunque Dominus de Eccleſia
ſervanda pronunciat. Nam ſalus ejus ſæpe eſt abſ-
condita oculis hominum. Quicquid ſit, Deus hic ſe
non aſtringit ad humana media, neque ad ordinem
naturæ, ſed vult ſuperare virtute ſua incredibili
quicquid concipiunt hominum mentes. Sic ergo ex-
poni debet hic locus, *Erit* numerus filiorum Iſraël
tanquam arena maris: quia undique tam ex Genti-
bus quam ex Judæis Eccleſiam ſuam colliget Deus,
poſtquam totus mundus extinctam putabit. *Et erit*
in loco ubi dictum fuerit, Non populus meus vos: & di-
cetur illic, Filii Dei vivi. Propheta his verbis ampli-
ficat comparatione Dei gratiam: acſi diceret, Ubi
Deus Eccleſiam ſuam de integro reſtituet, ſtatum ejus
excellentiorem fore quam prius fuiſſet. Quare? non
tantum erunt populus Dei, ſed filii Dei vivi, inquit:
hoc eſt, Deus familiarius ſe patrem illis oſtendet,
quos ita repente colliget in unum corpus. Fateor qui-
dem etiam veteres ſub Lege ornatos fuiſſe hoc titulo,
ſed debemus attendere ad præſentem locum. Pro-
pheta enim duo hæc membra inter ſe confert. *Et erit*
in loco ubi dictum fuerit, Non populus meus vos: & dice-
tur, Filii Dei vivi. Potuit dicere, Et erit in loco ubi
dictum fuerit, Non populus meus vos: & illic dice-
tur, Vos eſtis jam populus meus. Sed altius conſcen-
dit, quod ſcilicet Deus plus honoris erga novum
hunc populum conferet, quia patefaciet luculentius
gratiam ſuam hoc adoptionis elogio. Pertinet autem
communiter hoc tam ad Iſraëlitas quam ad Gentes.
Non debemus præciſe exponere de Gentibus, quem-
admodum vulgo factum eſt. Nam Hoſeas hic non
tantum de Eccleſia quam Deus ſibi acquiſierat ex
Gentibus, ſermonem habet, ſed de toto Iſraële Do-
mini, cujus pars eſt ſemen Abrahæ. Ergo ſciamus
generaliter hic Deum offerre gratiam ſuam tam
Iſraëlitis quam Gentibus: & teſtari, poſtquam viſus
fuerit abjeciſſe populum, ſe tamen facturum ut
omnes agnoſcant ipſum non fuiſſe immemorem fœ-
deris ſui: quia Eccleſiam multo majorem ſibi acqui-
ret. Unde? Tam ex filiis Abrahæ quam ex alienige-
nis, ut dictum eſt. Subeſt etiam emphaſis in verbo
Dicetur: *erit ubi dictum fuerit, Non populus meus vos:*
illic dicetur. Significat enim Propheta ſalutem no-
ſtram non ante illuceſcere, quam Dominus cœpe-
rit nobis teſtari de ſuo beneplacito. Initium igitur
ſalutis noſtræ eſt à vocatione Dei, ubi ſe declarat no-
bis propitium. ſine verbo nulla ſpes nobis affulget.
Potuit dicere Hoſeas, Erit in loco ubi dictum fuerit,
Non populus meus vos: illic incipient eſſe filii Dei:
ſed plus exprimit, Erit ubi dictum fuerit, Non po-
pulus

pulus meus vos, illic dicetur, Vos filii Dei vivi. Quantum ad prius membrum ſpectat, referri debet ad minas quæ jam expoſitæ fuerunt: & hoc modo etiam retunditur contumacia populi, qui ſecure omnes Prophetas ſpernebat. Quid? Deus ſemel ſe nobis devinxit: nos ſumus genus Abrahæ: ergo ſumus gens ſancta & electa. Propheta autem hic auctoritatem conciliat doctrinæ ſuæ: Ego ſum præco vindictæ Dei, & ſerio vobis denuncio abdicationem hanc. Ergo non eſt quod nunc obduretis corda, vel obturetis aures veſtras. Nam ſequetur tandem executio vindictæ hujus quam nunc denuncio vobis. Propheta igitur hic denunciat ſe non temere pronunciaſſe quod prius vidimus, ut eſſet inane terriculamentum, ſed ſe Dei nomine loquutum eſſe: quemadmodum etiam Paulus dicit, Paratam nobis eſſe 2 Cor. 10. verſ. 6. in manu vindictam adverſus eos omnes qui ſe extollunt contra Chriſtum. Et videmus etiam quod dictum fuerit Ezechieli: Vade, & obſide Hieroſolymam, converte faciem tuam, & ſta illic donec eam expugnaveris, donec eam exciderís. Propheta certe non erat inſtructus exercitu, ut poſſet impetum facere contra Hieroſolymam: ſed Deus illic ſignificat, in verbo ſuo ſatis eſſe potentiæ ad perdendos omnes impios. Sic etiam Hoſeas hic: Ubi ſolo verbo abdicati fuerint Iſraëlitæ, dicetur, Vos filii Dei vivi. Ergo ſciamus Deum nobis exhiberi cum certa ſalute ubi audimus ipſum loquentem. Sequitur,

11. Et congregabuntur filii Jehudah, & filii Iſraël ſimul, & ponent ſibi caput unum, & aſcendent è terra, quia magnus dies Jizreel.

Hic peculiariter loquitur Propheta de filiis Abrahæ. Nam quamvis Deus nihilo pluris illos faceret quam reliquas Gentes, tamen voluit hoc tribuere foederi ſuo, ut gradu honoris præcellerent: & ſcimus illis paſſim attribui jus primogenituræ. Quia ergo primogeniti erant Abrahæ filii in Eccleſia, etiam poſt Chriſti adventum: ideo hic Deus ſpecialiter ad ipſos ſermonem dirigit: *Aſcendent ſimul è terra filii Iſraël & filii Jehudah, & congregabuntur ſimul, & ſtatuent ſibi caput unum.* Loquutus eſt proximo verſu Hoſeas de univerſa collectione Eccleſiæ: jam vero reſtringit ſermonem ſuum ad carnale Abrahæ genus. Quare? Deus enim fecit initium inſtaurationis ab illa gente, quum manum porrexit miſeris exulibus, ut redirent à Babylonico exilio in patriam. Quia ergo hoc fuit collectionis initium, Propheta non temere hic ſermonem ſuum ad eos convertit, & ita conſtituit in gradu ſuperiori, non quod digni eſſent, non quod aliquo merito ſibi vindicarent hunc locum, ſed quia Deus nolebat foedus ſuum irritum eſſe, & quia etiam elegerat eos, ut eſſent primogeniti, quemadmodum dictum fuit, & quemadmodum
Jer. 31. verſ. 9. etiam alibi vocantur, Primogenitus meus Ephraim. Nunc tenemus ordinem & contextum Prophetæ, qui ſedulo notandus eſt: & eo magis, quod hæc omnia involvunt interpretes. nihil enim diſtinguunt, quum tamen Propheta non hic permiſcuerit filios Iſraël & filios Jehudah Gentibus, niſi certo conſilio. Jam videamus Prophetæ verba. *Congregabuntur ſimul,* inquit, *filii Jehudah, & filii Iſraël.* Non dubium eſt quin reſpiciat Hoſeas ad illam diſſipationem quæ jam ultra annos ducentos duraverat, poſtquam ſcilicet Jarobeam abduxerat decem Tribus. Quoniam ergo erat tunc corpus lacerum, dicit Propheta, *Simul congregabuntur filii Jehudah, & filii Iſraël.* Et conſulto ita loquitur, ne ſibi placeant Iſraëlitæ in ſua potentia, quoniam erat corpus mutilum ſine capite. Neque enim Rex Iſraël erat legitimus, proprie loquendo. Unxerat quidem Dominus Jarobeam, poſtea unctus fuerat Jehu, fateor: ſed fuit hoc ratione vindictæ. Nam quum Dominus vellet in ſolidum benedicere populo, elegit Davidem qui præeſſet. Deinde imperium mandavit ſuper omnes filios Abrahæ poſteris Davidis. Non fuit ergo legitimum caput in populo Iſraël. Et Propheta hoc diſerte exprimere voluit, quum dicit, *Congregabuntur filii Jehudah & filii Iſraël ſimul:* hoc eſt, Vos jam ſecuri eſtis, quia fortuna vobis arridet, quia affluitis pecunia & omnibus bonis, quia terribiles eſtis vicinis, quia habetis urbes bene munitas: ſed ſalus veſtra alibi poſita eſt, nempe ut ſitis unum corpus ſub uno capite. Vos enim eſtis miſeri, niſi Deus vobis præſit. Atqui hic unus modus eſt, ut ſitis ſub imperio Davidis. Hæc igitur diſſipatio oſtendit ſtatum veſtrum eſſe maledictum: felicitas iſta terrena, in qua vobis placetis, coram Deo infelix eſt. Admonuit igitur Propheta populum Iſraëliticum, tunc demum feliciter Deum acturum cum ipſo, ubi reſtitueret ad primam unitatem. Summa igitur eſt: Tunc demum beati erunt filii Abrahæ, ubi coaluerint rurſum in unum corpus, & ubi præerit ipſis caput unum. *Congregabuntur ergo ſimul, & conſtituent unum caput.* Hic Propheta etiam deſignat, quænam ſit futura hæc collectio cujus meminit, nempe ubi collecti fuerint ſub unius Regis imperium. Nam quoties Deus de reſtitutione populi loquitur, ſemper revocat fideles ad Davidem: David præerit, erit unus paſtor, deinde erit Rex unus, & caput unum in medio eorum. Nunc tenemus conſilium Prophetæ. Sed hic locus clare docet nihili eſſe coram Deo unitatem hominum, niſi incipiat ab uno capite. Porro Deus populo veteri Davidem præfecit, quemadmodum ſatis notum eſt, uſque ad Chriſti adventum. Jam ergo, tunc bene compoſita erit Eccleſia Domini, ubi verus David præerit: hoc eſt, ubi ſe omnes uno conſenſu Chriſto ſubjicient, & pendebunt ab ejus nutu. Scimus autem qualiter dominari velit Chriſtus in Eccleſia. Sceptrum enim regni ejus eſt Euangelium: ergo ubi obedientia fidei colitur Chriſtus, omnia ſalva ſunt: & hic eſt felix Eccleſiæ ſtatus, de quo nunc concionatur Propheta. Videtur quidem ad homines perperam transferri quod proprium eſt Dei unius, nempe Regem conſtituere: ſed Propheta hac voce fidei obſequium notavit, quia non ſatis eſt Chriſtum Regem dari & præfici hominibus, niſi eum amplectantur pro Rege, ac reverenter excipiant. Unde colligimus, dum credimus Euangelio, quaſi voluntariis ſuffragiis nos Chriſtum in Regem eligere. Poſtea ſubjicit: *Aſcendent è terra*, inquit. Plus exprimit quam initio verſus: quod ſcilicet Deus ab exilio ipſos in patriam reducet. Promittit ergo quod valde neceſſarium erat, exilium non fore impedimento, quominus Eccleſiam ſuam Deus inſtauret. Nam erat ille interitus populi, quum disjectus eſſet procul à patria, deinde quum privati eſſent promiſſa ſibi hereditate, quum diſperſi eſſent inter gentes profanas. Dominus ergo hanc difficultatem illis tollit, & diſerte pronunciat, etiamſi ad tempus jaceant quaſi obruti, tamen rurſus venturos in terram. *Aſcendent* ergo: reſpectu Judeæ hoc dicitur, quia altior erat quam Chaldæa. *Aſcendent* igitur è Chaldæa & aliis locis in quibus prius diſperſi fuerint. Nunc tenemus quid velit Propheta. *Congregabuntur*, inquit, *filii Jehudah & filii Iſraël ſimul,* hoc eſt, in unum: deinde, *ſtatuent ſibi caput unum.* Hic modus eſt collectionis: & hoc etiam addendum eſt, tunc ſcilicet Eccleſiam parere Deo quum omnes à primo ad ultimum conſentiunt in unum caput. Neque enim ſatis eſt nos cogi, niſi ſponte omnes ſe Chriſto offerant: quemadmodum dicitur Pſalm. 110. Populus ſpontaneus in die quo Rex vocabit ſuos. Ergo Propheta etiam notare voluit fidei obſequium quod reddent fideles Chriſto, ubi Dominus eos reſtituet. *Et aſcendent*, inquit,

è terra,

è terra, quia magnus dies Jizreel. Quæritur cur hic vocet magnum diem Jizreel: nam videtur hoc eſſe contrarium huic vaticinio. Poteſt bifariam locus hic exponi: magnus erit dies Jizreel, dicunt quidam, quia Deus ſeminabit populum quem prius diſſipaverat: ita putant Prophetam alludere ad nomen Jizreel, quemadmodum prius dictum fuit. Sed mihi videtur eſſe alius ſenſus: ego enim non reſtringo ad proximam particulam, neque ad promiſſionem, ſed ad cladem illam cujus mentio facta fuerat. Conveniunt enim hæc inter ſe, *Aſcendent è terra, quia magnus dies Jizreel.* Adhuc in ſuis nidis quieſcebant Iſraëlitæ, neque putabant ſe ullo modo poſſe avelli. Deinde regnum Jehudah etiam tunc non timebat ſibi à propinquo exitio. Propheta igitur hic ſignificat opus fore inſigni & extraordinario remedio: quia erit dura illa & horribilis clades in die Jizreel. Nunc tenemus genuinum Prophetæ ſenſum: *Aſcendent è terra,* quia magnus dies Jizreel. Poterant enim alioqui objicere, Quid hic nobis de aſcenſu vaticinaris? quiſnam eſt hic aſcenſus? Nonne quieſcimus in hæreditate quam Deus olim Patribus noſtris pollicitus eſt? quid ergo ſibi vult aſcenſus iſte? Propheta hic expergefacit eos, & admonet non eſſe cur confidant nunc in ſua quiete, quemadmodum vinum fovetur in ſuis fecibus. Nam hæc etiam ſimilitudo alibi ponitur. *Jer. 48. verſ. 11.* Propheta hic denunciat fore graviſſimam cladem, quæ requirat inſignem miſericordiam Dei: ut ſcilicet populum reſtitueret mirabiliter, acſi mortuos educeret è ſepulchris. *Quia ergo magnus erit dies Jizreel:* hoc eſt, quia erit gravis & horrenda illa calamitas, quam Dominus vobis infliget, ideo non fruſtra vobis polliceor hunc reditum & aſcenſum. Videtur hic prorſus eſſe ſenſus Prophetæ.

Da omnipotens Deus, quando non tantum abducti ſumus ab exilio Babylonico, ſed emerſimus etiam ex ipſis inferis: quum eſſemus filii iræ, nos tamen ſponte adoptaſti, & pro tua immenſa bonitate, quum alieni eſſemus, tamen aperuiſti nobis januam Regni tui, ut jam cenſeamur tui hæredes in Filio tuo: da, inquam, ut ſollicite ambulemus coram te, & nos totos ſubjiciamus tibi & Chriſto tuo, & non mentiamur nos eſſe ejus membra, ſed re ipſa teſtemur nos eſſe ejus corpus, & nos ita gubernari Spiritu ipſius, ut nos tandem ad te ſimul colliges in Regnum illud tuum cœleſte, quo nos quotidie invitas, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO QUARTA IN HOSEAM PROPHETAM.

CAP. II.

Dicite fratribus veſtris, Populus meus: & ſororibus veſtris, Dilecta.

Poſtquam vaticinatus eſt Propheta de reſtitutione populi, & promiſit aliquando fore ut Deus reciperet in gratiam quos prius abdicaverat, jam hortatur fideles ut ſe invicem incitent ad hanc gratiam recipiendam. Fuerat prius facta mentio publicæ prædicationis, quia non eſt in arbitrio hominum ſe Dei filios facere, ſed Deus ipſe gratis eos adoptat. Jam vero prædicationem ſequitur mutua iſta cohortatio, de qua nunc Propheta loquitur. Deus enim ſimul nos ad ſe invitat: poſtquam communiter ſumus edocti, ſupereſt ſecundo loco, ut quiſque manum porrigat fratribus ſuis, ut ſcilicet uno conſenſu ita aggregemur ad Dominum. Hoc ergo nunc intelligit Propheta, quum dicit, *Dicite fratribus veſtris* עמי: *& ſororibus veſtris* רחמה, hoc eſt, Poſtquam vobis pollicitus ſum me fore propitium, jam poteſtis ſecure alii aliis hoc teſtari. Videmus ergo ſermonem hunc dirigi ad ſingulos fideles, ut mutuo ſe confirment in fide, poſtquam ſcilicet Dominus obtulerit illis gratiam & reconciliationem. Nunc pergamus.

2. Litigate cum matre veſtra, litigate, quia ipſa non uxor mea, & ego non maritus ejus: & tollat (*hoc eſt, tollat igitur*) ſcortationes ſuas à facie ſua, & adulteria ſua è medio uberum ſuorum.

Videtur hoc verſu Propheta ſecum pugnare: nam promiſit reconciliationem, nunc loquitur de novo, repudio. Videntur hæc non ſatis inter ſe congruere quod ſcilicet Deus rurſum complectatur, vel complecti velit amore ſuo quos prius rejecerat: & tamen mittat libellum divortii, & fidem conjugii renunciet. Cæterum, ſi expendimus conſilium Prophetæ, videbimus optime fluere contextum, & in his verbis nullam eſſe repugnantiam. Promiſit quidem in futurum tempus, Deum fore propitium Iſraëlitis: ſed quia nondum reſipuerant, oportuit durius iterum tractari, donec vere & penitus ſubacti redirent ad Deum ſuum. Quemadmodum videmus Scripturam miſcere promiſſiones minis: & merito. Si enim Dominus totum menſem conſumeret in objurgandis peccatoribus, poſſent centies interea deficere. Deus ergo, poſtquam oſtendit hominibus peccata, adjungit aliquam conſolationem, & temperat aſperitatem, ne ſcilicet deſpondeant animos. poſtea iterum revertitur ad minas: & hoc facit neceſſario, quia etiamſi homines territi fuerint metu pœnæ, non tamen in ſolidum reſipiſcunt. Utile igitur eſt ipſos non modo ſemel aut iterum, ſed ſæpius objurgari. Nunc tenemus quid ſpectet Propheta: loquutus eſt de populi defectione, poſtea oſtendit ipſum populum merito rejectum eſſe à Domino, tertio promiſit ſpem veniæ. Jam vero, quia videbat manere adhuc plures in ſuis vitiis obſtinatos, iterum objurgat qui opus habebant tali caſtigatione. Ergo in ſumma reſpicit præſentem ſtatum. Omnes fere hunc locum ita exponunt, quaſi Propheta ſermonem ad fideles dirigeret. Et ſubtilius etiam exponunt, quod Propheta hic alloquatur fideles qui defectionem fecerant à Synagoga. Ego non dubito quin omnes admodum fuerint decepti: quia potius hic Propheta oſtendit Deum juſte pœnam ſumere de Iſraëlitis, quibus ſolenne erat ſeipſos excuſare. quemadmodum hypocritæ facere ſolent. Si Dominus aliter eos tractat quam pro voto, expoſtulant, & intentant litem, Quid hoc ſibi vult? quemadmodum videmus eos induci loquentes apud Jeſaiam cap. 58. Illic enim cum Deo ferociter litigant, quaſi Dominus ipſos injuſte perſequatur, quia non ſint ſibi male conſcii. Propheta ergo, quum videret tam ſtupidos eſſe Iſraëlitas in ſuis peccatis, dicit, *Litigate, litigate cum matre veſtra.* Loquitur hic in perſona Dei. Jam Deus ſimilitudine conjugii utitur, quemadmodum di-

ctum fuit. Videamus nunc quæ ſit ſumma verborum. Si maritus repudium fecerit cum uxore, inurit aliquam ignominiæ notam liberis ſuis, qui nati ſunt ex conjugio. Mater ipſorum repudiata fuit: minori igitur in pretio ſunt filii propter divortium. Si maritus propter moroſitatem uxorem à ſe repudiet, merito eum exoſum habent liberi. Quid? non dilexit matrem noſtram ut debebat: non coluit fidem conjugii. Hoc igitur uſu receptum eſt, ut alienentur à patre animi filiorum, ſi parum humaniter, vel etiam prorſus contumelioſe matrem tractaverit. Sic Iſraëlitæ, quum viderent ſe rejectos, volebant conferre culpam in Deum. Nam *mater* hic vocatur populus: hoc eſt, nomen matris transfertur ad corpus ipſum populi, vel ad genus Abrahæ. Deus ſibi deſponſaverat populum illum, & volebat inſtar uxoris ſibi eſſe. Quum ergo Deus maritus eſſet populi, Iſraëlitæ erant quaſi filii ex conjugio illo progeniti. Jam, poſt repudium, Iſraëlitæ dicebant Deum fuiſſe crudelem, quia ſine culpa ipſos rejecerat. Nunc Propheta ſuſcipit patrocinium cauſæ Dei; & loquitur tamen in ipſius perſona: *Litigate*, inquit, *litigate cum matre veſtra.* Denique locus hic congruit cum Jeſaiæ cap. 50. Dicitur initio cap. Ubi eſt libellus repudii? An ego vendidi vos creditoribus meis? Sed venditi eſtis propter peccata veſtra, & mater veſtra repudiata fuit propter ſuam iniquitatem. Solebant mariti dare libellum repudii uxoribus, ut poſſent ipſæ ſibi proſpicere. Nam liberabant eas omni probro. Maritus enim reddebat teſtimonium uxori ſuæ, Ego hanc dimitto, non quod ſe infideliter geſſerit, non quod violaverit fidem conjugii, ſed quia vel forma ejus mihi non placet, vel mores non ſunt grati. Lex cogebat maritos ad tale teſtimonium. Dicit nunc Deus per Prophetam ſuum, Oſtendite jam mihi libellum repudii, an ego ſponte rejecerim matrem veſtram. Non ita eſt: non poteſtis arguere me ſævitiæ, quaſi mihi non placuerit ejus forma, & ſequutus fuerim vulgatum illum morem, qui jam inter vos receptus eſt. Ego illam non ſponte rejeci, nec arbitrio meo: ego etiam non vendidi vos creditoribus meis, quemadmodum ſolebant interdum patres, quum eſſent obærati, vendere filios ſuos. Denique oſtendit illic Dominus in culpa eſſe Judæos, cur rejecti fuerint cum matre ſua. Sic etiam hoc loco, *Litigate, litigate cum matre veſtra*, inquit: hoc eſt, Non mecum vobis eſt diſceptatio. & repetitione oſtendit quam importuna fuerit eorum protervia: neque enim ceſſabant Deo obſtrepere. Nunc tenemus genuinum Prophetæ ſenſum. Fruſtra ergo philoſophantur qui dicunt, damnandam eſſe matrem à filiis ſuis: quia ubi converſi fuerint ad priorem fidem, debeant etiam ſynagogam ipſam damnare. Nihil tale voluit Propheta: ſed potius exprobrat Iſraëlitis quod propter flagitia matris ſuæ abdicati fuerint, & deſierint cenſeri inter Dei filios. Nam hic tenenda eſt comparatio inter maritum & uxorem: deinde ſtatuuntur filii medio loco. Si mater rejecta fuit, filii indigne ferunt patrem fuiſſe parum humanum, ſiquidem fecit ipſe divortium ſponte ſua cum uxore: ſi vero uxor perfida marito fuit, vel ſe proſtituit ad aliquod flagitium, liberatus eſt maritus à tali culpa, non eſt quod liberi cum ipſo expoſtulent: debuit enim talem pœnam ſumere de uxore impudica. Deus ergo oſtendit, merito rejici Iſraelitas, & culpam abdicationis hærere in toto genere Abrahæ: ſibi vero nihil culpæ poſſe imputari. Et loco rationis additur, *Tollat igitur ſcortationes ſuas à facie ſua, & adulteria ſua è medio uberum ſuorum.* Quum dicit Propheta, *Tollat ergo ſcortationes ſuas*, (nam copula debet reſolvi in particulam illativam) confirmat quod jam nuper diximus: nempe Deum ſtetiſſe in fide data, ſed populum fuiſſe perfidum: & hanc fuiſſe cauſam divortii vel diſceſſionis, quod ſcilicet non perſtiterint Iſraëlitæ in obedientia fidei, ut debebant. Deus ergo dicit, *Tollat ſcortationes ſuas.* Sed videtur aſpera eſſe loquutio, *Tollat à facie ſua, & uberibus ſuis.* Quid enim hoc ſibi vult? quum neque facie, neque uberibus ſcortantur mulieres. Satis conſtat Prophetam ad cultum meretricium alludere: quia meretrices, ut alliciant viros, ſumptuoſius ſe colunt; & majore cura fucant faciem ſuam; deinde ornant ſuas mammillas. Apparet igitur impudicitia tam in facie quam in uberibus. Sed interpretes non attingunt conſilium Prophetæ. Non dubium autem eſt quin Propheta hic exprimat impudentiam populi: quia jam ſic obduruerant ad Dei contemptum, ad impias ſuperſtitiones, ad omne genus ſcelerum, ut ſimiles eſſent meretricibus, quæ non occultant ſuam turpitudinem, ſed palam ſe proſtituunt, imo volunt extare ſigna fœditatis ſuæ tam in oculis ſuis, quam in toto corpore. Videmus ergo hic populum argui deſperatæ impudentiæ, quoniam ſic occalluerant, ut vellent agnoſci quales erant: quemadmodum etiam alibi exprobrat Ezechiel, Divaricavit meretrix tibias ſuas, vocavit omnes qui tranſibant *Eze. 16. verſ. 25.* per viam. Nunc ergo tenemus cur diſerte Propheta dixerit, *Tollat à facie ſua ſcortationes ſuas, & ab uberibus ſuis adulteria ſua.* Docet enim non occulta eſſe ſcelera populi, neque jam peccare, ut tegant ſuam turpitudinem, quemadmodum ſolent hypocritæ: ſed prolapſos eſſe ad contemptum Dei, ut ſimiles ſint publicis ſcortis. Hic eſt inſignis locus: quia videmus primum fruſtra homines conqueri quoties Dominus videtur parum clementer cum ipſis agere. Semper enim reperient in ſe culpam, & in ſuis parentibus, imo in toto ſuo corpore: ſi ſe invicem reſpiciunt, agnoſcent omnes concludi ſub uno & eodem reatu. Quare diſcamus, quoties Dominus nos caſtigat, deſcendere in nos ipſos, & fateri merito ipſum erga nos ſeverum eſſe: imo, etiamſi in ſpeciem nos abdicari contingat, neceſſe eſſe fateri, hoc fieri noſtra culpa, non autem immodico Dei rigore. Docemur etiam quam frivolo prætextu utantur qui Deo objiciunt exempla patrum, quemadmodum faciunt Papiſtæ. Nam libenter vocarent vel raperent Deum in jus, ſi liberum eſſet: quia deſerat ipſos, & jam pro Eccleſia non agnoſcat. Quid? an Deus non obſtrinxit nobis fidem ſuam? annon Eccleſia eſt ejus ſponſa? eſſetne ipſe perfidus? Sic loquuntur Papiſtæ. Sed interea non reputant matrem ſuam fuiſſe prorſus multis ſtupris fœdatam, non reputant fuiſſe rejectam, quia Dominus non potuit amplius ferre tot ejus flagitia. Sciamus ergo fruſtra obtendi adverſus Deum hominum exempla: quia ſemper ſtabit quod hic à Propheta dicitur, nempe Deum non dediſſe libellum repudii Eccleſiæ ſuæ: hoc eſt, non feciſſe ſponte ſua divortium, ut ſolent moroſi & crudeles mariti: ſed coactum fuiſſe, quia non potuerit connivere ad tam multa flagitia. Jam ſequitur,

3. Ne expoliem eam nudam, (*hoc eſt, ne expoliando denudem*) & ſtatuam eam ſecundum diem nativitatis ſuæ, & ponam eam quaſi deſertum, ponam eam quaſi terram ſiccitatis, (*hoc eſt, terram aridam*) & occidam eam ſiti. (*hoc eſt, perire faciam:* Je la feray mourir, *ad verbum.*)

Quanquam hoc verſu duriter Propheta Iſraëlitis minatur, ſi tamen probe ad totum contextum attendas, mitigat quam expoſuimus ſententiam. Denuncians enim qualis impendeat vindicta, niſi mature reſipuerint, ſpem aliquam veniæ reſiduam facit, quam clarius exprimet poſtea, ut videbimus. Hic autem incipit ſic dicere, *Ne expoliem eam nudam, & ſtatuam eam ſecundum diem nativitatis ſuæ.* Hoc ad-

huc per ſe horrendum eſſet. ſed videbimus in contextu Deum ſic pœnam denunciare, ut tameo non prorſus ſpem miſericordiæ ſuæ præcidat. Interea etiam admonet, tale eſſe repudium, de quo ipſi cum Deo libenter jurgati eſſent, ut tamen adhuc indulgeat Deus uxori repudiatæ. Nam maritus, ſi adulteram dimittit, eam prorſus expoliat, & merito: Deus autem hic oſtendit, etiamſi ſcortati eſſent Iſraëlitæ, & ſimiles eſſent impudicæ mulieri, ſe tamen ita feciſſe hactenus cum eis divortium, ut tamen reliquerit illos cum dote, cum ornatu, & donis conjugalibus. Videmus ergo Deum noo uſum fuiſſe jure ſuo ſicuti poterat: & ideo dicit, *Ne expoliem eam nudam*: hoc eſt, Ego videor vobis nimium rigidus, quia pronuncio me non eſſe amplius maritum matris veſtræ: atqui videtis quam humaniter parcam, quia manet adhuc fere integra: etiamſi nomen uxoris amiſerit, tamen ego eam non ſpoliavi, vivit adhuc ſatis liberaliter. Unde hoc, niſi ex mea indulgentia? quia non volui jus meum perſequi, ut mariti ſolent. Verum niſi ſe humiliare diſcat, jam me ad majores pœnas exigendas accingo. Tenemus ouac totam rationem contextus. Porro quid per Diem nativitatis intelligat Propheta, colligere promptum eſt ex Ezechielis 16. cap. Nam Ezechiel illic multo fuſius proſequitur hanc Prophetæ ſententiam. Dicit ergo tunc Iſraëlitas fuiſſe natos, quum Deus liberavit eos ex tyrannide Ægypti. Hæc igitur fuit populi nativitas. Atqui fuit miſerum illud ſpectaculum, quum profugerent cum magno metu & formidine, quum expoſiti eſſent hoſtibus ſuis: deinde, poſtquam ingreſſi ſunt deſertum, quia carebant pane & aqua, fuit etiam illa valde triſtis conditio. Jam dicit Propheta, *Ne ſtatuam eam ſecundum diem nativitatis ſuæ, & ponam eam quaſi deſertum.* Quidam ſubaudiunt literam כ, acſi eſſet כבמדבר, *ſecundum in deſerto*: hoc eſt, Ut ponam eam ſicuti prius in deſerto fuit. & non male congrueret hæc expoſitio, quoniam Diem nativitatis Propheta haud dubie vocat tempus illud quo populus eductus fuit ex Ægypto. Statim deſertum ingreſſus eſt, ubi erat rerum omnium inopia. Potuit igitur ſtatim illic conſumi, & perire fame & ſiti, niſi Dominus ipſum mirabiliter aluiſſet. Senſus ergo hic videtur apte fluere, *Ponam eam quaſi in deſerto, & quaſi in terra arida.* Tamen altera expoſitio magis recepta eſt: *Ponam eam inſtar deſerti & terræ aridæ.* Quantum attinet ad Prophetæ mentem, ſatis convenit hic revocari Iſraëlitis in memoriam quales fuerint à ſua origine. Unde enim contemptus ille Dei: unde tam contumax ſuperbia, niſi quod ebrii erant ſuis deliciis? Nam quum affluerent copia omnium bonorum, putabant ſe quaſi venisse ex nubibus: quemadmodum homines ſolent obliviſci quales olim fuerint, ſi eos Dominus ditavit. Quia ergo Dei beneficia ut plurimum nos excæcant, & faciunt ut putemus nos eſſe quaſi ſemideos, ideo Propheta hic proponit filiis Abrahæ, qualis fuerit ipſorum conditio, quando ſcilicet Dominus eos redemit. Ego, inquit, vos redemi ex ſummis miſeriis & extremis probris. Filii Regum naſcuntur Reges, & educantur in pompis & deliciis; imo antequam naſcantur, jam ſcimus magnas pompas illis parari, quæ ab utero matris eos excipiant. Sed ſiquis natus fuerit ex matre ignobili & obſcura, genitus etiam à patre contempto & ſordido, poſtea pervenerit ad aliam fortunam, ſi ſuperbiat in ſuo ſplendore, & non meminerit ſe fuiſſe aliquando hominem plebeium, & nihili, poterit hoc merito illi objici in faciem, Quis tu fuiſti olim? Quid? Neſcis te fuiſſe hominem vel bubulcum, vel opificem aliquem, vel demerſum in ſordibus? Fortuna tibi arriſit, vel Deus evexit te ad divitias & honores: tu autem perinde tibi places, acſi ſemper eadem fuiſſet tua conditio. Hoc eſt conſilium Prophetæ: *Ego*, inquit, *ſtatuam matrem veſtram* ſicuti ab initio nativitatis ſuæ fuit. Quinam vos eſtis? Genus ſanctum, gens electa, populus ſacer mihi. Bene: ſed gratuita adoptio hoc totum vobis contulit. Exules fuiſtis in Ægypto, inquilini in terra Chanaan: & nihilo meliores eratis quam alii populi. Deinde Pharao redegit vos in probroſam ſervitutem: eratis illic mancipia viliſſima. Quam magnificus fuit ille egreſſus veſter, quod ad vos attinet? Annon trepide & noctu fugiſtis? poſtea annon vixiſtis mirabiliter in deſerto per quadraginta annos, quum vobis pluere feci Man è nubibus? Quum ergo tanta fuerit veſtra paupertas & inopia, quum nihil ſit in vobis cur debeatis criſtas attollere, quî fit ut non ſitis modeſtiores? Quod ſi vobis oblivionem inducit præſens veſtra conditio, ego vos ſtatuam ſicuti in die nativitatis veſtræ. Jam ſequitur,

4. Et filiorum ejus non miſerebor, quia filii adulterini ſunt.

5. Quia ſcortata eſt mater eorum, probris fœdata eſt quæ concepit ipſos: (*vel genitrix ipſorum*) dixit enim, Ibo poſt amatores meos, datores panis mei, (*vel qui dant panem meum*) & aquarum mearum, lanæ meæ, & lini mei, & olei mei, & potus mei.

Jam Dominus premit ſingulos, poſtquam loquutus eſt in genere de toto populo. Et ita videmus verum eſſe quod dixi: nempe remotam prorſus eſſe à Prophetæ mente illam imaginationem, quod Deus hic doceat fideles ſuos qui jam reſipuerant, quomodo debeant damnare matrem ſuam. Nihil tale voluit Propheta: ſed potius retundere voluit pervicaciam populi qui non ceſſabat litem Deo intendere, quaſi juſto fuiſſet ſeverior contra ipſorum genus. Nunc ergo ſingulos perſtringit. *Filiorum ejus*, inquit, *non miſerebor: ſunt enim filii adulterini.* Dixerat quidem prius natos eſſe ex adulterio, ſed poſtea receperat eos in gratiam. Verum eſt: ſed tenendum eſt memoria quod dixi, Prophetam adhuc inſiſtere in objurgationibus: quia etiamſi permiſcuerit aliquam conſolationem, tamen videbat nondum fractos eſſe animos, vel ſatis humiliatos. Tenendum ergo diſcrimen eſt inter præſentem ſtatum, & futuram gratiam. Deus antehac promiſit ſe fore propitium apoſtatis, qui ab eo defecerant: jam vero oſtendit nondum eſſe maturum tempus, quia adhuc non ceſſabant peccare. Dicit igitur, *Ego non miſerebor filiorum ejus.* Poſtquam loquutus eſt de repudio matris, jam dicit filios, qui nati ſunt ex adulterio, non ſuos eſſe. Et certe quod antehac pollicitus eſt Propheta, non ſtatim completum fuit. Scimus enim populum abdicatum fuiſſe, & quum privatus eſſet terra Chanaan, fuiſſe quaſi rejectum à Domino. Exilium Babylonicum fuit quædam ſpecies mortis: deinde quum reverſi ſunt ab exilio, tamen exigua tantum portio reverſa eſt, non totus populus: & ſcimus fuiſſe jactatos multis miſeriis, donec tandem apparuit Chriſtus redemptor. Quum ergo Propheta totum illud tempus complexus fuerit, non mirum eſt ſi dicat rejiciendos eſſe filios à Domino, quia ex adulterio nati erant. Nam donec reverſi ſunt à captivitate, & tandem exhibitus fuit Chriſtus, ſemper duravit hæc abdicatio de qua nunc loquitur Propheta. *Filiorum ejus*, inquit, *non miſerebor.* Hoc primo intuitu videtur eſſe horribile, quod Deus tollit ſpem miſericordiæ. Sed debemus reſtringere hanc ſententiam ad tempus illud quo viſus eſt Deus populum ſuum abjicere. Quamdiu ergo duravit temporalis illa abdicatio, abſcondita fuit Dei gratia. Et hoc nunc Propheta attingit. *Non miſerebor* ergo *filiorum ejus, quia nati ſunt ex adulterio.* Interea etiam tenendum eſt, hanc ſententiam

propriè ſpectare ad reprobos, qui gloriabantur ſe eſſe filios Abrahæ, quum tamen eſſent profani homines & impuri, quum impiè perverterent totum Dei cultum, quum prorſus indomiti eſſent. Propheta igitur meritò pronunciat tam durum judicium adverſus præfractos homines, qui nullis monitionibus ſanari poterant. Poſtea declarat quomodo ſint filii adulterini, *Scortata eſt mater ipſorum, quæ concepit*, vel genuit, *ipſos: probris fœdata fuit.* בוש ſignificat *pudefieri.* Sed hic Propheta non intelligit Iſraelitas fuiſſe tactos aliquo pudore: nam pugnaret hoc cum priore ſententia. ſed intelligit fuiſſe mulierem probroſam & infamem, licet eam nulla turpitudinis ſuæ verecundia tangeret. *Scortata eſt igitur mater ipſorum, & genitrix eorum probroſa eſt.* Hic Propheta excutit ſtultam confidentiam Iſraëlitis, qui ſolebant obtendere Dei nomen, quum tamen ab eo eſſent prorſus alieni. Defecerant enim ſua impietate à puro cultu, Legem ipſam abjecerant, imo omne jugum. Quum ergo eſſent feræ beſtiæ, fuit hic nimius ſtupor, ſemper objicere pro clypeo Dei nomen, & ſemper jactare illam adoptationem patris Abrahæ. Sed quum Judæi tam contumaciter ſuperbirent, hic reſpondet Propheta, *Mater veſtra ſcortata eſt, & probris fœdata eſt*: ego igitur vos non cenſeo nec agnoſco pro filiis meis, quia nati eſtis ex adulterio. Confirmat hic locus quod paulo ante expoſui, Non ſufficere ſi Deus populum aliquem ſibi elegerit, niſi populus ille perſtet in fidei obedientia. Hæc enim eſt ſpiritualis caſtitas quam Dominus exigit ab omnibus ſuis. Quomodo autem dicitur ſcortari uxor, quam Deus ſacro conjugio ſibi devinxerat? nempe ubi deficit à pura & integra fide, quemadmodum poſtea clarius videbimus. Sequitur ergo, tantiſper durare conjugium inter Deum & homines, ubi qui adoptati ſunt, manent in pura fide. Nunc apoſtaſia Deum quodammodo à nobis liberat, ut meritò nos repudiet. Quum talis apoſtaſia graſſetur in Papatu, & jam multis ſeculis graſſata fuerit, quam inſipidi ſunt in ſua jactantia, dum volunt cenſeri Eccleſia catholica, & ſancta, & electus Dei populus? Omnes enim nati ſunt ex
1 Pet. 1. verſ. 23. ſcortatione, ſunt filii adulterini. Nam ſemen incorruptibile eſt ſermo Dei. Atqui illic qualis doctrina? Eſt autem ſemen adulterinum. Sunt igitur Papiſtæ omnes ſpurii, quantum ad Deum ſpectat. Fruſtra ergo jactant ſe eſſe filios Dei, & ſe habere matrem ſanctam Eccleſiam, quia nati ſunt ex fœtido ſcorto. Jam proſequitur eandem doctrinam Propheta: *Dixit, Ibo poſt amatores meos, datores panis mei, aquarum mearum, lanæ meæ, & lini mei, & olei mei, & potus mei.* Hic definit Propheta, qualis ſit illa ſcortatio de qua loquutus eſt. Hæc igitur poſterior pars eſt exegetica: hoc eſt, exponit Propheta pluribus verbis, quod breviter attigerat, *Scortata eſt mater veſtra.* Nunc ſi excipiant Judæi, quomodo ſit ſcortata: quia *dixit, Ibo poſt amatores meos, qui dant mihi panem meum & aquas meas*, &c. Hic Propheta falſos deos amatoribus comparat, qui mulieres abducunt à fide conjugali. Proſequitur enim ſimilitudinem quam poſuit. Eccleſia, cui Deus fidem ſuam obſtrinxit, cenſetur uxoris loco. Quemadmodum autem mulier, ſi trahatur donis, ut multæ avaritiam ſectantur, & libidinoſæ fiunt, ut ſe veſtiant ſumptuoſius, ut delicate vivant: Propheta hoc vitium deſignat in Iſraëlitica Eccleſia. *Dixit, Ibo poſt amatores meos.* Quidam amatores intelligunt, vel Aſſyrium, vel Ægyptium: quia ſcimus, quum illigati fuerunt Judæi cum profanis gentibus, ſimul abductos fuiſſe à Deo ſuo. Sed Propheta præcipue invehitur in falſos & pravos cultus, & omne genus ſuperſtitionum. Scimus enim ſemper primo loco ſtatui purum Dei cultum. & meritò: quia inde etiam dependent omnia vitæ officia. Ego itaque non dubito quin fictitios omnes deos ſub hoc nomine comprehendat, quum dicit, *Ibo poſt amatores meos.* Quum autem ponit verbum Dicendi, hic amplificat populi impudentiam, qui conſulto deſecit à Deo ſuo, qui erat inſtar legitimi mariti. Interdum enim continget, errore & ſtultitia hominem aliquem leviter abripi, qui ſtatim reſipiſcet. Videmus enim multos imperitos deludi ad breve tempus. Sed Propheta hic oſtendit Iſraelitas meditatos fuiſſe perfidiam illam, ut ſponte à Deo defecerint. *Dixit* igitur: ſcimus enim hoc valere verbum Dicendi. non refertur ad externum ſermonem & pronunciationem, ſed ad interius conſilium. *Dixit* ergo, hoc eſt, ſtatuit apud ſe: quaſi diceret, Ne quis mihi objiciat frivolam excuſationem, quod fuerint decepti, quod fecerint hoc ſimpliciter. Ex profeſſo, inquit, vos eſtis perfidi, & meditato conſilio quæſiſtis repudium iſtud. Tamen tribuit hoc matri ipſorum, quia ab ipſa radice defectio incepit, quum traducti ſunt à Jarobeam ad perverſas ſuperſtitiones, & quaſi hereditaria fuit malitiæ ſucceſſio. Itaque voluit totum corpus hic damnare. *Dixit* igitur, *Ibo* poſt amatores meos qui dant mihi panem meum, & aquas meas. Sed non poſſum hodie abſolvere, neceſſe eſt abrumpere ſententiam.

Da omnipotens Deus, quando non tantum nuper nos adoptaſti in filios, ſed antequam nati eſſemus, & ſtatim egreſſos ab utero matris dignatus es nos inſignire ſymbolo ſacræ illius redemptionis, quæ nobis parta eſt ſanguine unigeniti Filii tui: nos autem ingratitudine noſtra tanto beneficio renunciavimus: da, inquam, ut memores noſtræ defectionis & perfidiæ, cujus omnes ſumus nobis conſcii, & ob quam meritò nos rejeceras, cum vera humilitate & cum fidei obedientia nunc amplectamur gratiam Evangelii tui rurſus nobis oblatam, qua nobis te reconcilias, & perſtemus conſtanter in pura fide, ne unquam deflectamus à vero fidei obſequio, ſed magis ac magis proficiamus in agnitione miſericordiæ tuæ, ut ſcilicet radicibus bene & profunde actis, ut etiam ſolide fundati in fiducia illius certæ fidei, nunquam deficiamus à ſincero tuo cultu, donec tandem nos recipias in æternum illud Regnum, quod etiam ſanguine ejuſdem Filii tui nobis partum eſt, Amen.

PRÆLECTIO QUINTA IN HOSEAM PROPHETAM.

CAP. II.

REſtat nobis exponendum ex verbis Prophetæ, quod Iſraëlitæ jactant proventum vini, & olei, & bonorum omnium ſibi contigiſſe ex ſuis ſuperſtitionibus. Quod ergo tribuere debebant uni Deo, perperam transferunt ad idola. Hanc ingratitudinem hic Propheta accuſat in perſona ipſius Dei, & interea oſtendit rebus proſperis ſic deludi impios, ut ſe magis ac magis obdurent in ſuis ſuperſtitionibus. Idque non uno tantum tempore contigit, ſed eſt fere ordinarium in mundo. Videmus ut hodie ſuperbiant Papiſtæ, quia regnum in mundo obtinent, quia potiuntur & divitiis & honoribus. Putant igitur Deo acceptos eſſe cultus ſuos, quia non palam oſtendit ſe illis adverſum & infeſtum. ita etiam ab initio factum fuit. Ergo Propheta hic ſtultam illam confidentiam perſtringit, ut ſciamus non æſtimandum eſſe ſemper amorem Dei ex proſpero rerum ſucceſſu. Duo igitur hic notanda

ſunt, quo ſuperſtitioſi homines falſo adſcribant ſuis idolis quod ab uno Deo profectum eſt: deinde quod colligant ſe à Deo amari, quia non ſtatim ſumit de ipſis vindictam: ſicuti videmus Sodomitas fuiſſe præfractos, quia ſcilicet ſtatuebant ſe placere Deo, quum deliciæ omne genus affluerent. Jam pergamus ad reliqua.

6. Propterea ecce ego concludo viam tuam ſpinis, & circumdo (*circumdabo*) ſepem, (*ad verbum eſt, ſepire ſepem: ſed tamen ſenſus clarus eſt, circumdabo ſepem, vel maceriem*) & ſemitam ſuam non reperiet.

Hic Propheta eandem ſententiam perſequitur quam heri attigimus. Oſtendit enim quam neceſſaria ſit caſtigatio, poſtquam populus ita ſibi blanditur in ſuis vitiis. Deus enim, quia videt homines non ſtatim agnoſcere ſua peccata, quaſi defendit cauſam ſuam, acſi litigaret ſub aliquo judice. In ſumma igitur hic oſtendit Deus, aliter non poſſe fieri quam ut pœnas ſumat de tanta obſtinatione populi: quia ſcilicet non aliud appareat remedium. *Propterea*, inquit, *ecce ego*. Pondus in hoc verbo ſubeſt: teſtatur enim Dominus ſe fore ultorem impietatum, ubi populus in anguſtias redactus fuerit: acſi diceret, Etiamſi non agnoſcant ſtatim Iſraëlitæ ſe merito pœnas dare, tamen ego jam pronuncio hoc fore opus meum, ubi privati fuerint deliciis, & ſublata fuerit illis occaſio ſuperbiendi. Metaphorice autem ſignificat ſe facturum ut populus non ita vagetur poſt ſua idola, quemadmodum hactenus fecerat: ſed retinet ſimilitudinem ſcorti. Nam uxor impudica, ſi adulteros ſuos ſequitur, neceſſe eſt ut maritus vel conniveat, vel non ſit admonitus flagitii. Quicquid ſit, tamen niſi permiſſa fuerit licentia à maritis, uxores non poterunt ita frangere conjugii fidem. Quod ſi maritus intelligat uxorem ſuam ſcortari, attentius eam cuſtodit, obſervat omnes ejus vias die & noctu. Deus ergo ſimilitudinem hanc uſurpat. *Ego*, inquit, *concludam viam tuam ſpinis, & circumdabo maceriem*, ita ut nullus acceſſus ad ſcortatores pateat. Sed ſub hac figura intelligit Propheta populum redigendum eſſe in tales anguſtias, ut non laſciviat in ſuis ſuperſtitionibus, ſicuti prius ſolitus fuerat. Quamdiu enim Iſraëlitæ rebus proſperis uſi ſunt, putarunt ſibi quidvis licere: hinc ſecuritas, hinc etiam contemptus verbi Domini Per *ſepem* igitur & per *ſpinas* intelligit Deus res adverſas, quibus conſtringit impios, ita ut deſinant ſibi blandiri, & non ita ſecure, ut prius ſolebant, ſuas ſuperſtitiones ſequantur. *Non reperiet igitur vias ſuas*: hoc eſt, Ego cogam eos ſic gemere ſub onere malorum, ut amplius non laxent ſibi habenas, quemadmodum prius fecerunt. Poſtea ſequitur,

7. Et perſequetur amatores ſuos, & non apprehendet eos: & quæret eos, & non inveniet: tunc dicet, Ibo, & revertar ad maritum meum priorem, quia melius mihi tunc fuit, quam nunc.

Jam oſtendit Deus, quid futurum ſit poſtquam multis pœnis caſtigaverit populum durum & rebellem. Priore membro oſtendit, tam penitus hærere pervicaciam in cordibus ipſorum, ut non ſtatim redituri ſint ad ſanam mentem. *Perſequetur amatores ſuos*, inquit, *& quæret*. Hic refert Propheta, etiam ubi Iſraelitæ multis pœnis caſtigati fuerint, manſuros tamen in ſua pertinacia. Unde apparet quam dura ſint cervice, & incircumciſi corde: quemadmodum Prophetæ illis exprobrant poſt Moſem. Et hinc colligimus, ſi leviter tantum fuiſſent caſtigati, hoc non potuiſſe ſufficere ad correctionem. & tamen ſtupenda eſt iſta obſtinatio: nam Deus repudium fecerat cum ipſis, deinde coëgerat ipſos in extremas anguſtias: pergunt tamen acſi eſſent prorſus ſtupidi & omni ſenſu carerent. Nonne hæc prodigioſa eſt vecordia, quum homines ita obſtinate ruunt, etiam ubi Deus opponit manum ſuam tam violenter? Sed tamen exprimitur talis obſtinatio in Iſraelitis. Senſus eſt igitur, Poſtquam ſubacti fuerint, non tamen protinus emolliet Deus ipſorum animos. Non ergo corriget eos Deus, licet conterat: quia major eſt ipſorum durities, quam ut ſtatim flectantur ad docilitatem, quia potius perſequentur amatores ſuos. In Perſequendi verbo notatur veſanus fervor, quemadmodum videmus idololatras ſimiles eſſe phreneticis. Quia igitur nulla eſt in ipſis temperies nec moderatio, ſed veſanus furor retinet ad tempus ſuperſtitioſos, ideo Propheta dicit, *Perſequetur amatores ſuos, & non apprehendet eos*. Quid hoc ſignificat? Deus fruſtrabitur ſpem impiorum, ut intelligant ſe fruſtra colere falſos deos, & ſe cupide ſectari perverſas ſuperſtitiones. *Quæret eos*, inquit, *& non inveniet*. Loquitur ſemper de ipſo populo ſub perſona impudicæ & perfidæ uxoris. Videmus ergo quid voluerit Propheta: vindicat ſcilicet Deum ab omni culpa, ne homines obſtrepant, quaſi inclementius cum ipſis ageret. Oſtendit, Deum, etiam quum tam rigidus eſt, parum tamen proficere, quia luctantur impii ſua pertinacia cum ejus virgis, & non ſtatim ſinunt ſe cogi in ordinem. Jam ſecundo membro addit Propheta, fore tandem aliquem profectum, ubi idololatræ abuſi fuerint Dei bonitate, ubi etiam obduruerint contra ejus virgas: tamen hoc non fore perpetuum, quia Dominus meliorem ſucceſſum dabit. Sequitur ergo, *Dicet tunc, Ibo, & revertar ad virum meum priorem*. Hic clarius ſpem veniæ oſtendit Propheta, quoniam de reſipiſcentia populi diſſerit. Scimus autem homines non reſipiſcere ſine fructu, quia Deus ſemper ipſos paratus eſt excipere ubi redierint cum vero dolore. Propheta igitur hic conſulto reſipiſcentiam populi prædicat, ut inde agnoſcant Iſraelitæ ſibi utiles eſſe has correctiones, à quibus tamen homines ſemper natura abhorrent. Vellemus Deum nobis ſemper favere, vellemus etiam blande foveri in ejus ſinu & delicate: interea autem non poteſt nos ad ſe allicere, quibuſcunque id tentet modis: & hinc fit, ut etiam acerbæ ſint nobis caſtigationes, & obmurmuret ſtatim caro noſtra. Ubi Dominus digitum ſuum attollit, priuſquam nos feriat, ſtatim gemimus & excandeſcimus, fremimus etiam adverſus ipſum: denique nunquam poſſunt adduci homines ut libenter ſe offerant Deo caſtigandos. Propheta igitur nunc oſtendit utilem fore nobis rigorem Dei, quia tandem adiget nos ad reſipiſcentiam: denique commendat Dei gratiam in ipſo quoque rigore, ut ſciamus Deum conſulere ſuorum ſaluti, etiam dum inclementius videtur ipſos tractare. *Dicet igitur, Ibo, & revertar ad virum meum priorem*. Cæterum, notandum eſt, quum ſerio homines reſipiſcunt, hoc fieri ſingulari Spiritus inſtinctu, quia perpetuo manerent in illa pervicacia, de qua diximus: etiamſi centum annis Dominus aſſidue ſubigeret homines perverſos, non tamen mutarent ingenium: & verum eſt dictum illud vulgare, Improbos facilius frangi quam corrigi. Sed quum poſt multas admonitiones tandem homines ſapere incipiunt, hæc mutatio à Spiritu

Dei contingit. Jam ex hoc loco licet colligere quæ ſit vera reſipiſcentia: nempe, ubi non tantum qui peccavit agnoſcit ſe reum eſſe, & fatetur ſe dignum pœna, ſed vere ſibi diſplicet: deinde etiam ſerio affectu ad Deum ſe convertit. Videmus multos ſatis faciles eſſe ad confeſſionem & propenſos, interea pergunt in eodem curſu: ſed Propheta hic longe aliud nobis oſtendit in vera pœnitentia: *Ibo, & revertar*, inquit. Pœnitentia igitur in actu ipſo (ut loquuntur) ſita eſt: hoc eſt, pœnitentia hominem ipſum mutat in melius, ita ut Deo ſe reconciliet, à quo prius defecerat. *Ibo igitur, & revertar ad virum meum priorem.* Quare? *Quia melius tunc mihi fuit quam nunc.* Iterum Propheta confirmat quod ſuper diximus: nempe fideles ipſos non ſapere niſi bene caſtigati fuerint. Neque enim hic Propheta de reprobis loquitur, ſed de ſemine reſiduo. Exterminandus enim erat populus Iſrael: ſed nunc Propheta declarat fore aliquos reſiduos, qui tandem proficient ſub Dei ferulis. Quum ergo de electis intelligenda ſit hæc concio Prophetæ, hinc colligere promptum eſt, quam neceſſariæ ſint nobis caſtigationes, quia obſtupeſcimus in noſtris vitiis quamdiu parcit nobis Deus. Niſi ergo reipſa appareat Deum nobis eſſe infeſtum, nunquam hoc nobis in mentem veniet, reſipiſcendum eſſe. Nunc pergamus:

8. Et ipſa non cognovit quod ego dederim ei triticum, & vinum, (תירוש *ſignificat proprie* muſtum) & oleum, & argentum multiplicaverim ei. & aurum aptarunt ipſi Baal.

9. Propterea revertar, & tollam triticum meum tempore ſuo, & muſtum meum ſuo ſtatuto tempore; & eripiam lanam meam, & linum meum ad tegendam turpitudinem ejus. (*vel nuditatem: hoc eſt, quibus texit ſuam nuditatem.*)

Hic amplificat Deus ingratitudinem populi, quod ſcilicet non intellexerit unde tanta bonorum copia. *Non intellexit quod ego dederim ei*, inquit, *triticum & vinum.* Nam bis, vel duobus modis peccant ſuperſtitioſi homines: primum quod adſcribunt ſuis idolis quod proprium erat unius Dei: deinde fraudant Deum ipſum honore debito, quia non intelligunt ipſum eſſe unicum auctorem, ſed putant ſe ludere operam, ſi colant verum Deum. Conqueritur ergo nunc Propheta de hac ingratitudine: *Ipſa non intellexit quod dederim ei triticum, & vinum, & oleum.* Fuit autem hic inexcuſabilis ſtupor in Iſraelitis, quum ſatis ſuperque admoniti eſſent, ex benedictione Dei fluere bonorum omnium copiam, & omne alimenti genus. Hoc clare teſtatus illi fuerat Moſes, deinde conſpectus terræ Chanaan erat illis viva imago divinæ gratiæ. Fuit igitur prodigioſa hæc amentia, quod populus, qui & re, & verbo ſatis edoctus fuerat, Deum unum omnia largiri, tamen hoc ſecum non expendit. Damnat igitur Propheta populi veſaniam, quod neque ipſa experientia quicquam profecerit, neque doctrina Legis. *Ipſa*, inquit, *non cognovit.* In pronomine demonſtrativo eſt emphaſis: debuerat enim populus familiariter aſſueſcere cum Deo, quia educatus fuerat in ejus ædibus, quemadmodum mulier contubernalis eſt viri ſui. Quod populus ita mentem ſuam, & ſenſus omnes averterit à Deo, hoc omni excuſatione caret. *Ipſa ergo non cognovit quod ego dediſſem ei triticum, & vinum, & oleum: quod multiplicaſſem ei argentum. & ita aurum aptarunt ipſi Baal.* עשה non ſignificat hic proprie Facere, ſed Accommodare in uſum. *Aptaverunt igitur aurum ipſi Baal:* quum non tantum deberent primitias omnium bonorum dicare mihi in obſequium & cultum numinis mei, quicquid honorum in ipſos contuleram, aptarunt ipſi Baal. Videmus ergo hoc verſu utrumque vitium reprehendi: nempe quod populus Deum fraudaſſet juſto honore: deinde quod tranſtuliſſet ad ſua idola quod uni Deo tribuere debebat. Jam hoc poſterius vitium attigerat quinto verſu, quia illic retulerat in perſona populi, *Ibo poſt amatores meos, qui dant panem meum, & aquas meas, lanam meam, & vinum meum*, &c. Hic iterum repetit, quod *aptaverunt aurum ipſi Baal.* Quantum attinet ad nomen Baal, non dubium eſt, quin hoc nomine complexi fuerint ſuperſtitioſi, omnes minores deos, ut vocant. Neque enim tantus furor corripuerat Iſraëlitas, ut obliti eſſent unum eſſe opificem cœli & terræ. Tenebant igitur principium illud, aliquem eſſe ſummum Deum, ſed addebant patronos: & hoc fuit communi omnium gentium conſenſu receptum. Non putabant igitur Deum ſpoliari prorſus ſua gloria, ſi adjungerent ei aliquos patronos, vel minores deos. Vocarunt autem communi nomine Baalim, quaſi patronos: erat Baal qualiſcunque patronus. Alii vertunt, Maritum. Sed non dubito quin ſemper hæc ſuperſtitio fuerit ſtultis hominibus, minores deos propius accedere ad homines, & ita eſſe quaſi intermedios inter mundum & ſummum Deum: Quemadmodum hodie Papiſtæ habent ſuos Baalim, non quod exiſtiment patronos ſuos eſſe loco Dei: ſed quia formidant omnem Dei acceſſum, & non intelligunt Chriſtum eſſe mediatorem, ideo, ut gratiam ſibi concilient, huc & illuc ſe conferunt ad diverſos Baalim: interea, quicquid honoris exhibent vel lapidibus, vel lignis, vel oſſibus mortuorum, & omnibus ſuis figmentis, vocant cultum Dei. Ergo quicquid colitur apud Papiſtas, eſt Baal: ſed habent interea pro ſuis Baalim ſuos patronos. Nunc ergo tenemus quid velit Propheta hoc verſu. Jam ſequitur, *Propterea revertar, & tollam triticum meum tempore ſuo, & muſtum meum ſuo ſtatuto tempore.* Hic iterum Propheta oſtendit Deum extrema neceſſitate cogi ad ſumendam vindictam de impio & deſperato populo. Proponit in medium quanta ſit ipſius populi durities: deinde adjungit, Ergo quid reſtat, niſi ut priventur omnibus bonis, qui tam ingrati mihi fuerunt? Eſt enim hoc plus quam indignum, ut homines fruantur Dei beneficiis, & auctorem ipſum ſpernant, imo extollant in ejus locum hoſtes ejus, & quaſi in nihilum redigant totum ejus imperium. Hoc enim faciunt ſuperſtitioſi: nam dejiciunt Deum è ſuo gradu, & ejus gloriæ inſultant. Interea an Dominus ita proſtituet ſua beneficia, ut ſinat profanari ab impiis, & ita etiam ſibi impune illudi? Videmus ergo nunc conſilium Prophetæ. Nam Deus hic oſtendit nullum amplius eſſe aliud remedium, niſi ut Iſraëlitas ſpoliet omnibus ſuis donis: ditaverat enim ipſos, ſed abuſi fuerant tali opulentia. Neceſſe igitur fuit redigi ad extremam inopiam, ut deſinerent polluere dona Dei, quæ ſancta nobis eſſe debent: & ideo etiam utitur proprio verbo. Nam נצל ſignificat proprie Eruere, liberare. Dicit, *Eripiam lanam meam, & linum meum.* Videtur enim notare injuſtam dominationem, quemadmodum ſi quis eripiat è manu prædonis quod injuſte poſſidet, ſi quis liberet ab imperio tyranni miſeros homines: ita etiam loquitur nunc Deus, Ego eripiam beneficia mea ab iſtis hominibus, qui perperam & injuſte ea polluunt. Et addit, *Ad tegendam ſuam nuditatem.* ערוה proprie ſignificat Nuditatem, ſed non ſimpliciter. Eſt igitur nuditas rei pudendæ, quemadmodum Moſes vocat carnem ערוה, pro aliqua parte probroſa, in qua eſt fœditas: ſic etiam pro Fœditate capitur. Hæc particula ſedulo notanda eſt, quia oſtendit Deus: niſi idololatras denudet, ſemper ipſos fore obſtinatos. Quare? quia ſcilicet utuntur tanquam tegumentis turpitudinis ſuæ. Dum triumphos ſuos agunt in

mundo impii, putant quaſi obducta eſſe vela, nequid turpe vel pudendum in ipſis conſpici poſſit: quemadmodum ſummi reges & monarchæ ſuo ſplendore putant omnium oculos perſtringi, & ita tam audacter laſciviunt: putant ſua ſtercora bene olere: hæc eſt ſuperbia mundi. Ita etiam ſuperſtitioſi homines, quum Deus illis indulget, putant ſe habere integumenta: ergo ſi ſe projiciant ad omne ſcelus, hoc putant eſſe quaſi ſacrum. Quare? Proſpera enim fortuna tegitur quicquid eſt in ipſis obſcœnum. Deus quum talem vecordiam in hominibus conſpicit, an poteſt ceſſare quin eripiat bona ſua, ne ſcilicet talis corruptela perpetuo graſſetur? Hic enim eſt nimis craſſus abuſus, quod quum Dei beneficia ſint totidem imagines gloriæ ejus, ſicuti etiam in impiis relucet paterna ejus bonitas, ea mundus rapiat in finem prorſus diverſum, & integumenta ſibi faciat tegendæ turpitudinis ſuæ cauſa, quo liberius peccet, & cum Deo ipſo bellum gerat. Ergo, ne amplius tegat turpitudinem ſuam, inquit, Ego eripiam quicquid illi contuli. Quum dicit, *Auferam triticum & vinum tempore ſuo, & ſtatuto tempore:* non dubito quin tempus meſſis & vindemiarum deſignet: acſi dictum eſſet, Veniet meſſis, venient vindemiæ. Hactenus fuit magna ubertas: ſed ego oſtendam in meo arbitrio eſſe & terram & omnes ejus fructus. Quamvis ergo nunc ſaturi ſint Iſraëlitæ, & cellas ſuas bene refertas habeant, ſentient me dominari ſuper meſſes & vindemias. Tempore igitur ſuo ſtatuto. Voluit autem mature hanc pœnam denunciare Spiritus Dei, ut ſi ſanabiles eſſent Iſraëlitæ, redirent in rectum curſum. Cæterum, quia tam obſtinata fuit eorum cæcitas, ut contempſerint totam hanc doctrinam, nulla excuſatio illis ſuperfuit. Jam ſequitur,

10. Et nunc retegam flagitium ejus in oculis amatorum ejus, & nullus eripiet eam è manu mea.

11. Et ceſſare faciam omne gaudium ejus, feſtivitatem ejus, (*alii vertunt* tripudium) novilunium ejus, ſabbathum ejus, & omnem diem ejus feſtum.

12. Et deſtruam (*vel in ſolitudinem redigam*) vineam ejus, & ficum ejus, de quibus dixit, Merces hæc ſunt mihi, quam dederunt mihi amatores mei: & ponam eas (*vel redigam, nempe vineas & ficus*) in ſylvam, & comedet (*vel depaſcet*) eas fera campeſtris.

Proſequitur eandem doctrinam, & Propheta explicat pluribus verbis, & etiam partitur, quod uno capite dixerat, in plura membra, vel ſpecies. Nunc primo dicit, *retegam flagitium ejus.* Quomodo hoc factum eſt? nempe poſtquam Deus integumenta illa abſtulit ſub quibus latebant Iſraelitæ. Nam, ut diximus, hypocritæ blanditias ſibi faciunt ex Dei beneficiis, & ita ſe occultant quaſi ſub cavernis, quemadmodum latrones: putant etiam ſe Deo impune illudere, quum pinguedine oculorum habent quaſi obtuſam aciem, quemadmodum dicitur in Pſalmo. Pſ. 73. 7. Jam ergo denunciat Deus futurum ut appareat fœditas populi, poſtquam ſcilicet privatus fuerit donis illis, quibus locupletatus fuerat ad tempus. Dicit, *Nunc retegam flagitium ejus in oculis amatorum ejus.* Significat hac voce mutationem, à qua populus ſibi non timebat. Nam quamdiu non ſentiunt ictus reprobi, ſubſannant omnes minas. Ergo ut Deus excutiat illis talem indulgentiam, dicit, *Nunc retegam in oculis amatorum ejus.* Ego non dubito quin Propheta loquatur de fictitiis diis, & de omnibus figmentis quibus Iſraelitæ corruperant purum Dei cultum. Neque enim poſſum adduci, ut hoc vel de Aſſyriis, vel de Ægyptiis exponam. Scio (quemadmodum heri attigimus) fuiſſe tendiculas diaboli, fœdera quibus tam Iſraëlitæ quam Judæi ſeſe junxerunt idololatris. hoc fateor: ſed interim video quid præcipue agat Propheta. Hic enim directe invehitur in cultus perverſos & vitioſos. Quid ergo hoc ſibi vult, quod Deus reteget flagitium populi coram amatoribus ejus? Alludit ad mulieres impudicas, quæ audent etiam terrore compeſcere maritos, ne jure ſuo utantur. Quid? tu male me tractas: erit qui ultionem ſumat. Sæpe mariti, etiamſi indigne ferant ſuum probrum, non tentant quod erat ſui juris, quia vident ſibi oppoſitum eſſe terrorem. Dicit igitur Deus, Hoc me non impediet quominus te caſtigem ut digna es. (alloquitur enim populum ſub perſona mulieris.) Ergo coram amatoribus tuis nunc retegam flagitium tuum: *Et vir non eripiet eam è manu mea.* Nomen Viri hic ponitur pro ipſis idolis: nam generale eſt apud Hebræos. Interdum ubi de brutis animalibus agitur, nomen Viri ſumitur: de fruſtis etiam unius cadaveris. Gen. 15. verſ. 10. Nam quum Moſes deſcribit ſacrificium Abrahæ, Vir, inquit, aptatus eſt ad ſocium ſuum: hoc eſt, Abraham partes ipſas ſacrificii interſe conjunxit: quemadmodum Gallice dicimus, *Il n'y a piece.* Deus ergo hic de ipſis idolis loquitur: *Nemo,* inquit, *eripiet eos è manu mea.* Nunc tenemus Prophetæ mentem. Simul etiam videndum eſt quorſum reſpiciat. Putabant enim Iſraelitæ, quamdiu vigebant apud ipſos cultus perverſi, ſe ſalvos fore & incolumes: hoc illis erat impoſſibile, nempe ſtante idololatria poſſe aliquid adverſi accidere. Quoniam ergo imaginabantur falſos deos ſibi eſſe inſtar invicti propugnaculi, Manebunt, inquit, idola tua, & tamen concides. Ego enim coram amatoribus tuis retegam flagitium tuum, & nemo ipſorum liberabit te è manu mea. Jam Propheta ad ſpecies deſcendit, ac priore loco dicit populum ſpoliatum iri ſuis ſacrificiis, & feſtis diebus, & tota illa externa pompa, quæ larva erat pietatis apud ipſos. Poſtea adjungit ſpoliatum etiam iri ſuo victu & rerum omnium opulentia. Hactenus de nuditate loquutus eſt, ſed nunc deſcribit qualis futura ſit nuditas: & quidem ſpecialiter oſtendit fore aliquando ut ceſſent ſacrificia, ceſſent dies feſti, neomeniæ, & quicquid pertinet ad externum cultum. *Ceſſare* igitur *faciam,* inquit, *omne gaudium ejus.* Loquitur de ſacris gaudiis proculdubio, & hoc facile colligitur ex toto contextu. Addit, *Omnem diem ejus feſtum.* Quia tripudiare ſolebant in feſtis diebus, ideo nomen hoc ad morem illum poſſet referri. Poſtea addit, *Sabbathum,* & omnes dies feſtos. Fuit igitur hæc prior ſpecies nuditatis, quod Deus abſtulit Iſraëlitis fallacem illam & evanidam religionis ſpeciem, in qua ſibi ſtulte placebant. Secunda nuditatis ſpecies fuit, quod exuti fuerint omnibus terrenis divitiis, & redacti ad miſeram & extremam inopiam. Sed hodie non poſſem abſolvere.

Da omnipotens Deus, quando tam ſumus ſegnes ac tardi, ut etiam ſæpius admoniti, non tamen reputemus vitia noſtra, imo etiam manu tua caſtigati, tamen non ſtatim redeamus ad ſanam mentem: da, inquam, ut melius poſthac ſub virgis tuis proficiamus, nec ſimus etiam præfracti ac indomiti: ſed ſimulac manum tuam ſuſtuleris, quiſque noſtrûm ingemiſcat, ſentiamus mala noſtra, deinde uno conſenſu nos tibi offeramus gubernandos: & interea patienter feramus tuas caſtigationes ac placide, neque tibi obmurmuremus, ſed ſemper aſpiremus ad veram pœnitentiam, donec tandem exuti omnibus vitiis & corruptelis carnis noſtræ, perveniamus ad plenitudinem juſtitiæ, & ad veram illam & beatam gloriam, quæ nobis parata eſt in cœlo per Jeſum Chriſtum, Amen.

PRÆLECTIO SEXTA IN HOSEAM PROPHETAM.

CAP. II.

HEri cœpimus exponere hunc verſum, ubi Dominus de ceſſatione ſabbathi, & neomeniæ, & externi cultus loquitur. Diximus ſpoliatum hoc modo fuiſſe populum Iſraël præclaris dotibus, quibus ornatus fuerat. Scimus autem Deum liberalem eſſe duobus modis erga homines. Nam communis eſt ejus beneficentia in victu & omnibus terrenis commodis: peculiariter autem liberalis eſt erga populum ſuum in donis ſupernaturalibus, ut vocant. Priore igitur loco Propheta dicit, *Ego ceſſare faciam ſabbathum, & neomeniam, & dies feſtos.* Putabant enim ſe beatos eſſe quum celebrarent feſtos dies, quum ſacrificia offerrent, quum denique apud eos externa pompa cultus Dei fulgeret. Scimus tamen neque legitimo loco Deum coluiſſe, neque etiam rite, ut ipſe in Lege præceperat. Miſcebant enim multas ſuperſtitiones, imo tota religio apud eos fœdata erat: ſed putabant tamen hunc cultum Deo placere. Nunc videmus quorſum hæc pœna pertineat: nempe ut populus Iſraël jam deſinat ſibi blandiri in externa pietatis ſpecie, poſtquam ſcilicet exutus fuerit & templo, & ſacrificiis, & toto externo cultu. Hoc autem factum eſt quum Iſraëlitæ in exilium abrepti ſunt. Scimus enim non prius deſtitiſſe à ſuis ſuperſtitionibus quam privati ſunt patria, & tracti in exilium. Jam deſcendo ad ſecundam ſpeciem: dicit Propheta, *Perdam* (vel *deſtruam*) *vitem ejus, & ficum ejus, de quibus dixit, Merces iſta mihi:* hoc eſt, Iſtæ res ſunt mihi merces, quam *dederunt mihi amatores mei: & ſtatuam eas in ſylvam, & depaſcet eas fera campeſtris.* Diximus hoc ſecundum eſſe ſpoliationis membrum, quòd redacti ſunt ad miſeram penuriam Iſraëlitæ, quum ante apud eos non tantum magna copia bonorum eſſet, verum etiam luxuria, quemadmodum poſtea ſuis locis clarius videbimus. Quia ergo rebus proſperis turgebant, ideo Propheta nuditatem futuram illis denunciat: *Auferam*, inquit, *vitem & ficum.* Synecdochica eſt loquutio, quia ſub vite & ficu complecti voluit Propheta omnem bonorum varietatem. Quicquid ergo ad victum pertinet, hac per metaphoram Propheta deſignat: & repetit quod dixerat nuper, nempe Iſraëlitas falſo putaſſe hanc mercedem ſuis ſuperſtitionibus rependi, dum colerent falſos deos: dixerat, *Hæc eſt merces:* nomen ſcilicet deductum à verbo תנה. alii verterunt Donum, ſed male: fateor quidem paulo poſt ſequi נתן quod Dare ſignificat, unde quidam nomen derivant. Sed ſcimus innumeris Scripturæ locis אתנה proprie accipi pro Mercede: & transfertur interdum ad milites conductitios: ſed tamen ſæpe, ubi agitur de meretricibus, uſurpant Prophetæ hoc nomen. Inducit ergo Propheta populum Iſraël ſub perſona meretricis. *Iſta ſunt merces mea,* (vel *iſtæ res ſunt merces mea*) *quam mihi dederunt amatores mei.* Quoniam ergo ſic obduruerant Iſraëlitæ in ſuis ſuperſtitionibus, ut non poſſet excuti illis falſa perſuaſio, donec privati eſſent bonis omnibus, ideo hanc pœnam illis denunciat, quod Deus auferet quicquid putarunt ſibi provenire à ſuis idolis, vel diis fictitiis. *Convertam*, inquit, *hæc omnia in ſylvam:* hoc eſt, redigam in ſolitudinem & vites & loca bene culta, ſic ut nihil proferant: quemadmodum fieri ſolet in locis deſertis. Nunc ergo tenemus totum Prophetæ conſilium: pergamus.

13. Et viſitabo ſuper eam dies Baalim, quibus incenſum (*vel ſuffitum*) illis obtulit, (*vel adolevit illis*) & ornata fuit inaure ſua, & monili (*vel torque*) ſuo, & profecta eſt poſt amatores ſuos, & mei oblita eſt, dicit Dominus.

Confirmat proximam doctrinam. Diximus antehac quam utilis ſit iſta admonitio, nempe quoties Deus tractat duriter homines, hoc modo ulciſci eorum peccata, & ſumere juſtam vindictam. Nam etiamſi homines reputant ſe caſtigari à Domino, non tamen ſe penitus excutiunt & examinant, ut decebat. Repetit ergo Propheta quod prius vidimus, nempe hanc caſtigationem juſtam fore: & ſimul digito oſtendit quid maxime diſpliceat Deo in Iſraëlitis, nempe quod religio ab illis vitiata eſſet: nihil enim utilius eſt cognitu, quam ut ſemper ſe aſſuefaciant homines ad Deum pure colendum, hoc illis teſtatum fieri, nempe omnes ſuperſtitiones eſſe tantæ abominationi Deo, ut eas ferre nequeat. Dicit igitur, *Viſitabo ſuper eam dies Baalim*: hoc eſt, Ubi viderint Iſraëlitæ ſe carere templo, orbatos eſſe & ſacrificiis, & neomeniis, & jam nullum amplius externi cultus ſignum extare, agnoſcant ſe ideo puniri, quia coluerint Baalim pro unico Deo. Interea Propheta rurſus alludit ad meretrices, quæ ſe cultius ornant, & majore ſtudio, dum expectant ſuos amatores, ut ſcilicet capiant eos ſuis illecebris. *Ornata fuit*, inquit, *inaure ſua & monili ſuo.* Hoc facere ſolent ſuperſtitioſi, dum celebrant dies feſtos: putant enim magnam partem ſanctitatis eſſe poſitam in ſplendore veſtium: & videmus hodie ſtuporem hunc graſſari adhuc in Papatu. Putarent enim ſe Deo, vel potius ſuis idolis facere gravem injuriam, niſi ſe colerent quum volunt peragere ſacra ſua. Hoc proculdubio fuit etiam communi errore & uſu tunc receptum. Sed Propheta, quo melius oſtendat Deum abominari tam craſſas ſuperſtitiones, dicit eos ſimiles eſſe ſcortis. Quemadmodum enim meretrix, ut viros alliciat, fucum ſibi inducit, deinde veſtit ſe ſplendide, & induit ſua ornamenta, colit ſe monilibus & auro: ſic etiam faciunt Iſraëlitæ, inquit: ſcortantur, & interea ferunt etiam ſigna ſuæ impudicitiæ. Talis eſt igitur alluſio Prophetæ in his verbis, quum dicit, *Cultam fuiſſe monilibus & inaure, & profectam poſt amatores ſuos.* Graviſſimum vero eſt quod in fine verſus adjungit, *Mei oblita eſt.* Deus enim hic conqueritur nihil valuiſſe contubernium ſui conjugii: quum vixiſſet cum populo ſuo tam longo tempore, & benigne atque humaniter eum tractaſſet, hanc memoriam fuiſſe ſepultam. *Mei oblita eſt*, inquit. Eſt igitur tacita comparatio inter Iſraëlitas, quos Deus ſibi adjunxerat, & alios homines, qui nunquam guſtaverant puram religionem, non tenebant quiſnam eſſet verus Deus. Neque enim mirum fuit gentes decipi impoſturis Satanæ: ſed quum Iſraëlitæ probe edocti eſſent, ac pridem aſſuevisſent etiam ad verum cultum Dei, quod potuerint abjicere ejus memoriam, certe prodigioſa ingratitudo fuit. Quemadmodum ſi mulier ad tempus vixerit cum marito, & liberaliter ab ipſo tractata fuerit, ſi poſtea ſe proſtituit adulteris, & nullum amplius amorem mariti fovet vel retinet in ani-

mo ſuo, hæc pravitas eſt quaſi belluina. Nunc tenemus in quem finem hoc additum fuerit, *Iſraëlitas Dei fuiſſe oblitos.* Eſt enim gravis hæc & ſevera expoſtulatio, quod, quum diu coluiſſent verum Deum, abrepti fuerint ad tantam amentiam, ut colerent falſos deos, & in cerebro ſuo confictos. Prius enim didicerant quiſnam eſſet verus & unicus Deus. In ſumma, hoc verſu (quemadmodum prius admonui) confirmat Propheta non modo juſtas fore pœnas, quas Deus ſumpturus eſt de impio populo, ſed etiam neceſſarias: & interim demonſtrat quam turpiter à fide conjugii defecerint, quum nihil apud ipſos valuerit Dei memoria, quoniam, ſectati ſunt idola, & figmenta cordis ſui. Nunc pergamus.

14. Propterea ecce ego inclino illam, (*vel perſuadeo illi. dicemus poſtea de hoc verbo*) & proficiſci eam faciam (*hoc eſt, deducam eam*) in deſertum, & loquar ſuper cor ejus (*hoc eſt, loquar quod gratum eſt.*)

Hic Dominus clarius exprimit, poſtquam diu & variis modis afflixerit populum, ſe tandem propitium fore: neque id modo, ſed etiam facturum ut pœnæ omnes cedant in ſalutem, & ſint remedia ad morbos ſanandos. Eſt autem Anaſtrophe, quum dicit, *Ecce ego inclino eam, & proficiſci eam faciam in deſertum*: ideo ſic reſolvi debent verba, Ecce ego inclinabo eam, vel perſuadebo illi, poſtquam deduxero in deſertum; tunc, inquam, *loquar ad cor ejus.* Sæpe פתה capitur in malam partem pro Decipere, vel inducere fallaciis, vel lactare, ut vulgo loquuntur: ſed hoc loco accipitur pro blande alloqui: ita ut Deus perſuadeat populo rebelli & obſtinato quod rectum eſt. Hoc autem fore pronunciat, ubi deduxerit populum in deſertum. Pendet hoc ex ſuperiore doctrina, ubi dictum fuerat, Ego ſtatuam eam ſicuti in die nativitatis ſuæ. Alludit enim Deus ad primam populi redemptionem, quæ inſtar nativitatis fuit. Perinde enim acſi emergeret populus è ſepulchro, tunc adeptus eſt novam vitam, quum liberatus fuit à tyrannide Ægypti. Tunc ergo genuit Deus ſibi populum. Jam Propheta addit, *Ego*, poſtquam eam in deſertum duxero, *inclinabo eam*, hoc eſt, reddam mihi flexibilem. His verbis ſignificat nullam eſſe ſpem reſipiſcentiæ, donec ad extremum malorum populus deductus fuerit: quia ſi mediocres tantum pœnæ ſumptæ eſſent, non fuiſſet correcta illius pervicacia. Hoc igitur verſu Deus oſtendit non ante malorum fore finem vel modum, quam populus in deſertum tractus fuerit, hoc eſt, quam fuerit privatus & patria, & ſacrificiis, & omni opulentia: imo privatus etiam fuerit ordinario victu, & conjectus in deſertum & ſolitudinem, ubi rerum omnium penuria ipſum premet, ac ultima neceſſitas mortem minabitur. Ergo ſi tantum admonitus fuiſſet populus levibus pœnis, nihil profectum eſſet hoc modo: quia major erat durities, quam quæ poſſet levibus aut uſitatis remediis flecti. Cæterum, hæc ſententia eximiæ conſolationis plena fuit, ne fideles prorſus deficerent, quum videbant ſe rapi in exilium, ſibi tolli conſpectum terræ quæ erat quaſi ſpeculum divinæ adoptionis: quum videbant ſe diſpergi in varias partes, & jam nullum eſſe corpus, nullum eſſe Abrahæ ſemen. Ne ergo fideles abſorberet deſperatio, Dominus hoc modo lenire voluit eorum dolorem: quod ſi in deſertum rurſus tracti eſſent, eundem tamen manere Deum, qui prius eos redemit, & præditum eſſe eadem virtute & potentia, quam exeruerat erga patres ipſorum. Nunc tenemus conſilium Prophetæ. Nam potuit calamitas tantum incutere terroris ipſorum cordibus, ut abjicerent omnem fiduciam gratiæ Dei, & ſtatuerent ſe eſſe perditos. Deus proponit illis deſertum. Quid? annon ſemel eduxi vos ex deſerto? an ab eo tempore virtus mea imminuta eſt? Ego igitur idem maneo Deus quem patres veſtri experti ſunt: rurſus ego educam vos ex deſerto. Sed interea admonuit Deus incurabiles eſſe ipſorum morbos, donec ventum eſſet in deſertum: hoc eſt, donec privati eſſent patria, & omnibus gratiæ teſtimoniis, ne amplius ſe in vana fiducia deluderent. *Poſtquam* ergo *duxero eam in deſertum, tunc ego perſuadebo illi*, vel *flectam ipſam.* Malo uti verbo flectendi vel inclinandi: quanquam verbum perſuadendi non male etiam quadrat. Sed videtur tacita eſſe comparatio inter præſentem contumaciam populi, & obſequium quod Deo ſuo præſtabit, ubi multis plagis fuerit ſubactus. Tunc ergo incipiet flexibilis eſſe populus, inquit, poſtquam abductus fuerit in deſertum. *Et tunc loquar ad cor ejus.* Scimus quid valeat hæc loquutio ex Jeſaiæ 40. capite. Loqui ad cor, eſt aliquid ſolatii afferre, & mulcere dolorem amico ſermone, offerre benevolentiam, & ſpem aliquam proponere: ut qui prius mœrore confectus fuerat, tandem reſpiret, colligat animum, & ſpem concipiat melioris ſtatus. Et hæc loquutio diligenter notanda eſt, quia ſignificat Deus jam non eſſe locum promiſſionibus ſuis, quoniam tam præfracti ſint Iſraelitæ. Non 2 Cor. 6. verſ. 11.
fruſtra dicebat Paulus Corinthiis, Os meum aperite, Corinthii: ego enim non ſum anguſtus erga vos, ſed anguſti eſtis in viſceribus veſtris. Quia Corinthii, quum alienati eſſent à Paulo, quaſi obſtruxerant aditum ejus doctrinæ, ut non poſſet paterno more illos alloqui: ſic etiam hoc loco Dominus teſtatur januam clauſam eſſe ſuis promiſſionibus, quia ſi ſpem veniæ proponat Iſraëlitis, hoc erit ludibrio: ſi clementer eos ad ſe invitet, reſpuent, imo calcitrabunt, tanta eſt eorum ferocia: ſi illis reconciliari velit, aſpernabuntur vel negabunt, vel abuti pergent ejus manſuetudine ſicuti prius. Oſtendit ergo eorum culpa fieri, ut non poſſit placide & amice cum eis agere. *Poſtquam ergo duxero in deſertum, alloquar cor ejus.* Sciamus ergo, quoties privamur ſenſu gratiæ Dei, præcluſam eſſe viam noſtra culpa. Deus enim ſemper ſponte ad manſuetudinem propenſus foret, niſi obſtaret noſtra contumacia & durities. Ubi autem videt nos ita eſſe domitos, ut ſimus flexibiles, & parati ad reddendum obſequium, tunc etiam paratus eſt viciſſim loqui ad cor noſtrum: hoc eſt, paratus eſt ſe talem oſtendere qualis eſt, plenum ſcilicet gratiæ & favoris. Ergo videmus quam bene conveniat hic contextus Prophetæ. In ſumma, duæ ſunt partes. Prior eſt, quod Deus non in totum ſpem veniæ tollit Iſraëlitis, ſiqui ſint ſanabiles inter eos: ſed oſtendit, etiamſi ſevera ſit caſtigatio, tamen utilem fore: quemadmodum conſtabit ex ipſo profectu. hoc eſt unum membrum. Alterum vero, ne nimium feſtinent ſciſcitando cur non Deus citius mitiget ſuum rigorem: reſpondet nondum eſſe maturum tempus, quia non ſint capaces ſuæ manſuetudinis, donec gravioribus pœnis paulatim fuerint domiti & humiliati. Jam pergamus.

15. Et dabo ei vineas ſuas illinc, (*ab eo loco*) & vallem Achor in apertionem (*vel januam*) ſpei: & canet illic ſicuti diebus adoleſcentiæ (*vel pueritiæ*) ſuæ, & ſicut in die quo aſcendit è terra Ægypti.

Nunc declarat etiam Propheta, favorem Dei non ſolum verbis, ſed effectu & experientia perſpicuum fore, ubi populus flexus ad obſequium fuerit. Dixerat Propheta proximo verſu, Loquar ad cor ejus: nunc addit, Ego proferam certum & illuſtre teſtimonium favoris mei, ut ſentiant me ſibi reconciliatum eſſe.

Dicit igitur ſe daturum vites. Dixerat prius, *Ego deſtruam vites ejus & ficum*: nunc tantum vinearum fit mentio: ſed ſub una ſpecie omnes alias comprehendit Propheta, ut diximus. Vites autem elegit, quia in vitibus maxime refulget Dei liberalitas. Nam panis neceſſarius eſt ad vitam tolerandam, vinum abundat, & tribuitur etiam illi officium Pſal. 104. exhilarandi cordis. Panis cor hominis confirmat vel ſuſtentat; vinum lætificat cor hominis. Quoniam ergo vites non tantum ad neceſſarios uſus plantari ſolent, ſed ad copiam liberaliorem; ideo Propheta dicit Dominum, poſtquam reconciliatus fuerit populo, daturum vites ſuas ab eo loco: *Et dabo*, inquit, *vallem Achor*. Alludit ad ſitum deſerti. Nam ſtatim atque egreſſi ſunt Iſraëlitæ ex deſerto, excepit eos planities Achor, quæ erat fertilis & amœna, vitifera etiam. Quidam putant Prophetam alludere ad ultionem *Joſ.7:28.* quæ tunc inflicta fuit populo propter ſacrilegium Achan: ſed meo judicio falluntur. Nam Propheta hic nihil aliud intelligit, quam ſubitam fore mutationem in ſtatu populi, quemadmodum contigit poſtquam egreſſus eſt è deſerto. Nam in deſerto ne granum quidem erat tritici, vel hordei, nullus etiam acinus uvæ: denique fuit penuria conjuncta cum mille mortibus in deſerto. Statim atque pedem extulit populus, deſcendit in planitiem Achor, ubi erat ſumma amœnitas & fœcunditas. Hoc ergo ſimpliciter Propheta intelligit, poſtquam reſipuerit populus, nullam fore moram in Deo, quin liberet ab omnibus malis, & reſtituat beatam rerum omnium copiam, ſicuti factum eſt quum deſcendit olim populus in planitiem Achor. Reducit ergo Iſraëlitis in memoriam quod patribus ipſorum contigerat. *Vites ergo ſuas dabo ei ab eo loco*: hoc eſt, Simulatque verbo teſtatus fuero amorem meum, reipſa ſentient & experientur me vere & ex animo reconciliatum eſſe, & intelligent quam propenſus ſim ad beneficentiam: quia non diu tenebo populum ipſum ſuſpenſum. Et addit, *Ad apertionem ſpei*, vel *ad januam ſpei*. Hic ſignificat reſtitutionem fore quaſi à morte in vitam. Tametſi enim quotidie cernebat ſuis oculis populus vitam ſuam curæ eſſe Deo, quum Man è cœlo plueret, quum ex rupe etiam manaret aqua, tamen erat quædam interea mortis ſpecies ante oculos. Quamdiu ergo populus in deſerto peregrinatus eſt, ſemper oppoſuit Deus mortis terrores; denique, ut diximus, ſepulchrum fuit habitatio deſerti. Poſtquam autem populus deſcendit in planitiem Achor, jam cœpit haurire vitalem auram: ſenſit etiam ſe tunc demum vivere, quia potitus erat ſuo voto. Venerat enim jam in conſpectum hereditatis ſibi promiſſæ. Quemadmodum ergo vallis Achor fuit initium & quaſi janua bonæ ſpei patribus, ita etiam Propheta nunc alludens ad illam redemptionem, dicit, Deum momento tam benigne acturum cum Iſraelitis, ut aperiat eis ſpei & ſalutis januam, ſicuti fecerat olim in valle Achor ipſorum patribus. *Et canet illic.* Ex contextu facile colligimus hallucinari interpretes, qui ſubtiliter philoſophantur in valle Achor. Verum quidem eſt, radicem nominis eſſe verbum עכר, quod ſignificat turbare vel perdere: & nomen illud fuiſſe impoſitum loco ab eventu: ſed Propheta nihil tale reſpexit, quemadmodum facile apparet ex ſecundo membro. Dicit enim, *Canet illic ſicuti diebus adoleſcentiæ ſuæ*, & ſicut in die quo aſcendit è terra Ægypti. Tunc enim demum pleno ore celebravit populus Dei laudes, poſtquam potuit conjicere oculos in terram promiſſam, poſtquam vidit jam veniſſe finem tam ſeveræ Dei vindictæ, quæ graſſata fuerat per totos quadraginta annos. Tunc ergo populus effudit corda & linguas ſuas in laudes Dei. Ergo Propheta hic talem fore reſtitutionem docet, ut poſſit populus canere Dei laudes in ſolidum, & non vulgares illi gratias agere, quemadmodum ſolent qui aliquo incommodo levati ſunt: ſed qui ſunt redempti à morte in vitam. *Canet* igitur *ſicuti diebus pueritiæ ſuæ: & ſicuti die illo, quo aſcendit è terra Ægypti.* Ita videmus hic ſpem fieri liberationis, ut animos ſuos fideles in exilio ſuſtineant, & foveant ſpem futuræ gratiæ: quamvis ad tempus averſa ſit ab ipſis Dei facies, ut tamen expectent futuram liberationem, nec dubitent Deum ſibi fore propitium, ubi ſcilicet perfuncti fuerint juſtis pœnis, atque ita correcti fuerint: quia, quemadmodum diximus, ſufficere ad ſubigendam eorum pervicaciam non poterat mediocris aliqua caſtigatio. Sequitur,

16. Et erit in die illo, dicit Jehova, vocabis me, Vir meus: (*vel marite mi*) & non vocabis me amplius, Baal meus. (*alii vertunt, non vocabis me amplius, Dominus meus: ſed retinendum eſt nomen Baal, ſicuti mox dicam.*)

Jam pluribus verbis continuat Propheta ſuam ſententiam. Oſtendit enim, poſtquam reſipuerit populus, fructus etiam pœnitentiæ palam fore conſpicuos. Fructum unum commemorat, quod pure incipiet tunc coli Deus, ſuperſtitionibus abolitis. *Erit*, inquit, *in die illo, dicit Jehova, tu vocabis me, Vir meus.* Ponit hic nomen Viri, ut oſtendat populum, poſtquam fuerit correctus, memorem fore fœderis quod Deus cum ipſo pepigerat: in fœdere autem erat pactio mutui conjugii, quemadmodum prius dictum fuit. Videmus ergo quid Propheta ſibi velit: docet tunc populum non amplius addictum fore ſuperſtitionibus ut olim, ſed memorem potius fœderis Dei manſurum in vera & ſincera conjugii fide. Vocabis ergo me, *Vir meus*: hoc eſt, Tu ſenties qualis tibi ſim, nempe adjunctus ſacro & inviolabili conjugio. *Et non vocabis me amplius, Baal meus*: hoc eſt, non impones mihi falſum & alienum nomen: quemadmodum nomen Baal paſſim volitabat in ore omnium, ſicuti prius dixi. Sed conjungi etiam debet proximus verſus.

17. Et auferam nomina Baalim ex ore ejus, & non recordabitur amplius nominis ipſorum. (*Baalim ſcilicet.*)

Hoc verſu clarius explicat Propheta quod prius dixit: nempe tunc fore novam populi mentem, ut pure Deum colere incipiat, quum prius implicitus eſſet ſuis ſuperſtitionibus. Senſus eſt igitur, Religio tunc in verum ſtatum redibit, quia ceſſabunt nomina Baalim. Diximus unde prodierit nomen illud: neque enim profani homines volebant detrahere unicum Deum è ſolio cœleſti, quum ſibi fingerent plures deos: ſed quum relinquerent ſupremum aliquod numen, tamen volebant habere patronos quibus uterentur ad conciliandam ſummi Dei gratiam & favorem. Et ſatis facile colligitur ex Platone hanc fuiſſe admodum vulgarem doctrinam: nec dubium eſt quin Judæi etiam ſaperent ex communi aliorum ſenſu. Habebant igitur ſuos Baalim. Cæterum quamvis Baalim vocabant patronos, tamen nomen hoc uſurpatum fuit pro Deo: Colamus Baalim: quemadmodum Papiſtæ quum irrumpunt in ſua templa, ſtatim ſe convertunt ad ſimulachrum Mariæ, vel cujuſpiam Sancti, & non audent accedere ad Deum. Interea colunt Deum, hoc eſt, obtendunt ſe Deum colere: & ſuperſtitiones vocantur cultus Dei. Sic ergo apud Iſraelitas quanquam non fuit abolita Dei ſummi majeſtas, tamen acciderat quod etiam Papiſtæ dicunt,

dicunt, Chriſtum non cognoſci inter Apoſtolos: omnia erant permixta illic & confuſa. Dicit igitur, *Ego auferam Baalim ab ore ejus, & non recordabitur amplius nominis Baalim*: hoc eſt, contenti erunt pura fidei profeſſione, & celebrabunt nomen unius Dei: non amplius miſcebunt ſua commenta cum doctrina Legis, atque ita vitiabunt purum Dei cultum & integrum: ſed acquieſcent in uno & ſolo Deo. Nunc tenemus conſilium Prophetæ. Colligimus autem ex hoc loco, non poſſe bene reformari Eccleſiam, niſi formata ad obſequium fuerit multis Dei ferulis. tunc enim Dominus creat ſibi novum populum. Et videmus hodie quantus ſtupor in eorum animis dominetur, qui non fuerunt bene præparati ad Dei cultum. Rident quidem ſuperſtitiones Papatus, ſed interea ſunt quidam Cyclopes: videmus eſſe meram barbariem in ipſorum cordibus. Ergo non fruſtra hic Propheta dicit, tunc fore verum religionis ſtatum, ubi Dominus populum ſuum penitus domuerit. *In die illo* igitur: refertur hoc ad graves illas pœnas quas ſumpturus erat Deus de Iſraëlitis. *In die* ergo *illo, dicit Jehova, non amplius vocabis me Baal: ſed vocabis me maritum.* Quare? Quia *Auferam nomina Baalim ex ore tuo*: hoc eſt, Ego faciam ut populus abjiciat omnia ſua figmenta, & contentus ſit pura doctrina Legis meæ. Interea etiam tenendum eſt, hic laudari fidei confeſſionem à Propheta. Et certe hic eſt veræ pœnitentiæ fructus, ubi ore & lingua teſtamur nobis unicum eſſe Deum, & non pudet nos ejus nomen celebrare coram mundo, etiamſi inſaniat contra nos. Simul monemur his verbis, non poſſe nimium diligentiæ & ſtudii adhiberi, ut bene purgemur ab omnibus inquinamentis. Nam quamdiu apud nos manent aliquæ reliquiæ ſuperſtitionis, ſemper nos involvunt: atque ita impingimus, vel ſaltem non tam ſtrenue currimus ut decebat. Quoniam ergo, quicquid retinent homines ex ſuis pravis figmentis, obſtaculo eſt ne recta ad Deum aſpirent; ideo eniti nos convenit, ut prorſus ceſſent nomina Baalim, & abuleantur in nobis: hoc eſt, ne quid nos impediat vel retardet in vero Dei cultu. Jam precemur.

Da omnipotens Deus, quando tot tibi objicimus obſtacula pravitate carnis noſtræ & ingenii, ut videamur quaſi data opera præcludere januam bonitati tuæ, & paterno favori: da, inquam, ut Spiritu tuo ſic emolliantur corda noſtra, & corrigatur iſta durities quæ hactenus invaluit, ut nos tibi ſubjiciamus cum vera docilitate: atque ita viciſſim nos blande & comiter ad te invites, ut curramus ſuavi iſta invitatione allecti, & ſic curramus, ut non fatigemur in curſu noſtro, donec tandem nos ad te colligat Chriſtus, & ſimul etiam ad te perducat in vitam æternam, quam nobis peperit ſanguine ſuo, Amen.

PRÆLECTIO SEPTIMA IN HOSEAM PROPHETAM.

CAP. II.

18. Et percutiam illis fœdus in die illa cum beſtia agri, & cum volucre cœli, & cum reptili terræ: & arcum, & gladium, & prælium confringam è terra, & quieſcere eos faciam ad fiduciam. (*hoc eſt, confidenter.*)

Hic Propheta oſtendit beatum fore populum modis omnibus, ubi redierit in gratiam cum Deo ſuo: & ſimul admonet, hinc oriri omne malorum genus, quod homines iram Dei in ſe provocant. Deo igitur infeſto, neceſſe eſt etiam omnia nobis eſſe adverſa. Nam quum Deus creaturas omnes habeat in arbitrio ſuo & manu, armat eas in vindictam contra nos, quoties ita viſum eſt: ubi autem nobis eſt propitius, ſimul etiam facit, ut quicquid in cœlo & terra eſt ſaluti noſtræ ſerviat. Quemadmodum ergo in Lege ſæpius minatur, ſe, ubi volet de populo pœnas ſumere, facturum ut bruta animalia, & aves cœli, & omne etiam reptilium genus exequantur ſuam vindictam: ita hoc loco denunciat, pacem fore hominibus ubi illos in gratiam receperit. *Percutiam*, inquit, *fœdus in die illa cum beſtia*
Amos 5. verſ. 19. *agri.* Scimus quid alio loco dicatur, Si tu domi te includas, ſerpens illic te mordebit: ſi vero domum egrediaris, vel urſus, vel leo tibi occurret in via: quibus verbis ſignificat Deus nos effugere non poſſe ſuam vindictam, ſi nobis iratus ſit: quia tam leones & urſos, quam ſerpentes in nos armabit, idque domi & foris. Hic autem dicit, Percutiam illis fœdus cum animalibus: ut ſcilicet animalia officio ſuo in nos fungantur. Scimus enim creata eſſe in hunc finem, ut ſe hominibus ſubjiciant. Quum ergo deſtinata ſint in uſus noſtros, naturaliter debebant nobis ſubeſſe: & ſcimus Adam hoc fuiſſe promeritum ut tam contumaciter ſeſe attollant in nos feræ beſtiæ, quæ ſponte alioqui & placide nobis parerent. Jam quum ſit hæc horribilis diſſipatio, ubi bruta animalia in homines ſæviunt, quos debebant pro dominis ſuis agnoſcere, Dominus hic nos ad primum naturæ ordinem revocat: *Paciſcar*, inquit, *illis fœdus cum beſtia agri*: hoc eſt, Faciam ut agnoſcant bruta animalia, quem in finem condita ſint: ut ſcilicet ſe poſthac hominum dominio ſubmittant, & nihil amplius ſit contumaciæ. Nunc ergo tenemus Prophetæ conſilium, Admonet enim Iſraëlitas cuncta eorum ſaluti fuiſſe contraria, quantiſper fuerunt alienati à Deo: ubi autem redierint cum ipſo in gratiam, tunc diſſipationem illam non amplius fore, quæ ad tempus viſa fuerat: quia ſcilicet vigebit legitimus naturæ ordo, ut bruta animalia ſe patiantur redigi in obſequium. Hoc eſt fœdus de quo nunc loquitur Propheta. *Percutiam* igitur *fœdus illis*, hoc eſt, ipſorum nomine, *cum beſtia agri, & cum volucre cœli, & cum reptili terræ.* Sequitur, *Confringam arcum, & gladium, & prælium*: hoc eſt, omnia inſtrumenta bellica: nam hac voce מלחמה complexus eſt Propheta quicquid aptatur in uſus belli. *Confringam* ergo *omne genus armorum, in die illa*, inquit, *& habitare eos faciam ſecure.* Hoc poſtremo membro declarat quid valeat armorum & gladiorum confractio, nempe ut Iſraëlitæ, qui prius inter varios terrores inquieti fuerant, poſthac habitent in pace, neque amplius quicquam metuant periculi. Hæc eſt ſumma. Jam memoria repetere convenit quod prius diximus, Prophetam ſic loqui de populi reſtitutione, ut vaticinia ſua extendat uſque ad regnum Chriſti, quemadmodum etiam colligere licet ex Pauli teſtimonio, quod prius citavimus. Videmus ergo non reſtringi gratiam Dei, de qua nunc Propheta concionatur, ad breve tempus, vel ad paucos annos: ſed patere ad Chriſti regnum, & nobis communem eſſe cum veteri populo. Sciamus itaque, niſi peccatis noſtris Dei vindictam in nos provocemus,

mus, omnia fore nobis addicta, ut ſcilicet promoveant ſalutem noſtram: & per nos ſtare, quominus ſingulæ creaturæ obſequium ſuum nobis præſtent: quia ubi tumultuamur contra Deum, nihil mirum eſt ſi etiam bruta animalia in nos ferociant ac ſæviant. Qualis enim poteſt eſſe pax, ubi bellum ipſi Deo inferimus? Si ergo homines ſubeſſent Dei imperio, ut decebat, in brutis animalibus nulla eſſet contumacia: imo placide quieſcerent ſub præſidio Dei, quicunque turbantur. Sed quia inſoleſcimus adverſus Deum, ipſe merito ſe ulciſcitur, & ita excitat nobis varias pugnas, & varios tumultus. Hinc ergo gladii, hinc arcus in nos intenti ſunt, hinc etiam prælia nobis moventur, quia non deſinimus pugnare adverſus Deum. Cæterum, ſimul notandum eſt, hoc pro ſingulari beneficio poni, ut populus confidenter habitet. Scimus enim, etiamſi reliqua omnia nobis ſuppetant, tamen miſeram eſſe noſtram conditionem, niſi degamus in pace. Poſuit ergo hanc particulam Propheta, quaſi beatæ vitæ cumulum. Jam ſequitur,

19. Et deſponſabo te mihi in perpetuum, & deſponſabo te mihi in juſtitia, & in judicio, & in clementia, (*vel bonitate*) & in miſericordiis.

20. Et deſponſabo te mihi in fide, (*aut veritate*) & cognoſces Jehovam.

Hic Propheta rurſus modum declarat quo Deus populum ſuum in amorem recipiet. Perinde enim acſi populus non violaſſet fidem conjugii, promittit illum Deus fore ſibi loco ſponſæ: quemadmodum ſiquis ducat puellam virginem & intactam. De populi defectione antehac diximus. Porro, quia repudium Deus fecerat, hoc non jam vulgaris fuiſſet gratiæ, populum ipſum recipi à Deo, & recipi cum venia: quemadmodum ſi mulier ad maritum ſuum redeat, hoc magnum eſt, ſi ignoſcat maritus, neque exprobret flagitia quæ admiſit. Sed Deus ultra progreditur, quod ſcilicet deſponſabit ſibi populum tot probris infamem: idque abolitis peccatis, acſi contraheret novas nuptias, & ſi de integro illum ſibi conjungeret. *Deſponſabo* igitur *te mihi.* Nunc tenemus quorſum pertineat Deſponſandi verbum. Significat enim Deus ſe fore immemorem perfidiæ ob quam populum prius abjecerat, ut deleat omnem ignominiam. Eſt enim hæc receptio in gratiam honorifica, quum Deus ſe offert ad novum conjugium, acſi populus non fuiſſet ſimilis mulieri adulteræ. Dicit autem, *Deſponſabo te mihi in perpetuum.* Subeſt tacita antitheſis inter conjugium de quo hactenus loquutus eſt Propheta; & alterum iſtud, de quo nunc Deus paciſcitur. Nam Deus populum redimens, jam contraxerat cum eo conjugium, ut diximus: ſed populus defecerat à fide. hinc alienatio & divortium. Fuerat ergo conjugium illud non modo temporale, ſed caducum vel fragile, quia populus non diu in obedientia ſtetit. Hic autem novum conjugium Propheta aſſerit ſtabile & perpetuum fore: opponens ſcilicet hunc durabilem ſtatum defectioni, quæ populum à Deo alienaverat ſtatim. *Deſponſabo* ergo *te mihi in perpetuum*, inquit. Nunc declarat quibus legibus hoc facturus ſit: nempe, *in juſtitia & judicio*: deinde, *in clementia & miſericordiis*: tertio, *in fide.* Deus quidem pepigerat ab initio cum Iſraëlitis in juſtitia & judicio: hoc eſt, in ejus fœdere nihil fuit ſimulatum vel fallax. Quum ergo ſincere Deus populum adoptaſſet, quibus vitiis opponit juſtitiam & judicium? Reſpondeo, hæc nomina ad utramque partem contrahentem referri. Juſtitiam ergo Deus intelligit non ſuam duntaxat, ſed quæ mutua ſit, & reciproca, ut loquuntur. Porro, per *juſtitiam* & *judicium* intelligitur rectitudo in qua nihil deeſt. Nunc ergo tenemus Prophetæ mentem. Jam ſecundo addit, *In clementia, & miſericordiis*: quibus verbis ſignificat, etiamſi indignus ſit populus, tamen hoc non fore obſtaculo, quominus in gratiam cum Deo redeat: quia ſcilicet in hac reconciliatione Deus reſpiciet bonitatem ſuam potius quam merita ipſius populi. Tertio addit, *In fide*, confirmans quod prius attigimus de ſtabili firmaque hujus conjugii duratione. Scio nomen Juſtitiæ & Judicii ſubtilius exponi à quibuſdam. Dicunt enim Juſtitiam eſſe, quæ nobis à Deo confertur gratuita imputatione: Judicium vero pro defenſione ſumunt, quam violentiæ & injuriis hoſtium noſtrorum opponit. Sed hic non dubito quin generaliter ſignificet Propheta fœdus hoc ratum fore, quia utrimque aderit veritas & rectitudo. Et ut hoc clarius intelligatur, ſumamus locum ex Jeremiæ 31. capite, ubi conqueritur Deus fœdus ſuum, quod cum veteri populo percuſſerat, non fuiſſe firmum, quia ſcilicet ipſum deſeruerant. Non fuit, inquit, diuturnum fœdus meum cum patribus veſtris. Quare? Ipſi enim receſſerunt à mandatis meis. Deus quidem optima fide populum tunc ſibi adoptavit, & nulla juſtitia in eo deſiderari poteſt: quia autem nulla fuit conſtantia & veritas in populo, fœdus ipſum evanuit: ideo adjungit Deus, Poſthac feriam novum fœdus vobiſcum, quia inſculpam Leges meas in corda veſtra: & quæ ſequuntur. Nunc ergo videmus quid ſignificet Propheta, quum loquitur de juſtitia & judicio: nempe Deum facturum ut ſervetur utrimque fides conjugii, quia populus quem ab exilio reſtituet, non violabit amplius datam fidem, neq; ita perfide ſe geret. Sed notandum eſt quod additur, nempe *in bonitate & miſericordiis* Hanc etiam partem non omittit Jeremias, quia addit, Iniquitatum ejus non recordabor. Quia ergo trepidare poterant Iſraelitæ ſibi male conſcii, Propheta huic diffidentiæ mature occurrit, promittens conjugium, quod Deus contrahere de integro paratus eſt, fore in clementia & miſericordiis. Non eſt igitur quod populum abſterreat ſua indignitas, quia hic Dominus explicat immenſam ſuam bonitatem, & incomparabiles ſuas miſericordias. Poterat quidem hoc notare Propheta uno verbo, ſed bonitati addit miſericordias. Populus enim demerſus erat quaſi in profundam abyſſum, ut vix ſperanda eſſet reſtitutio. Ergo vix poterat nomen *clementiæ* vel *bonitatis* ſufficere ad erigendas mentes, niſi confirmationis loco additum eſſet ſecundum nomen, *in miſericordiis.* Jam addit, *In fide*: & per fidem non dubito quin rurſus intelligenda ſit illa ſtabilitas, de qua dixi. Nam quod philoſophantur quidam, Deſponſabo te mihi in fide, hoc eſt, per Euangelium, quia amplectimur gratuitas Dei promiſſiones, & ita ſancitur fœdus quod Dominus vult nobiſcum paciſci, illud nimis argutum eſt. Simpliciter ego interpretor hac voce notari firmitatem. Cæterum, poſtea oſtendit Propheta ideo ratum fore hoc fœdus, quia reciproca erit veritas. *Cognoſcent Jehovam*, inquit. Non dubito quin mutuatus ſit ex hoc loco Jeremias quæ habentur illo 31. capite. Nam illic etiam addit, Poſthac non docebit quiſque proximum ſuum, quia omnes à minimo uſque ad maximum cognoſcent me, inquit Dominus. Hic Propheta noſter dicit uno verbo, *Cognoſcent Dominum.* Hinc ergo fœderis ſtabilitas, quia Deus luce ſua corda eorum diriget, qui prius in tenebris erraverant, & vagati fuerant poſt ſuas ſuperſtitiones. Quum ergo horrenda cæcitas graſſata eſſet in populo Iſraelitico, hanc lucem rectæ notitiæ Hoſeas promittit. Ubi autem talis eſt Dei cognitio, populus à Domino non deficit, neque abripitur poſt Satanæ fallacias. Manet igitur tunc firmum Dei fœdus. Nunc tenemus ſummam verborum. Quod Hieronymus exiſtimat hic Prophetam deſponſationem ter promittere, quia ſemel Dominus populum ſibi deſponſaverat in Abraham: ſecundo, quum

ex

ex Ægypto eum deduxit: tertio, quum totum [illegible]em ſimul reconciliavit in Chriſto: illud eſt argutum, ſed frivolum. Ego enim ſimplicius hoc accipio, quod Propheta tertio deſponſationem in medium adducat, quia difficile fuit revocare populum à metu & deſperatione, quia ſcilicet ſatis tenebat quam graviter, & quidem variis modis, ſe à Deo alienaſſet: oportuit igitur adhibere multa ſolatia, quæ valerent ad fidei confirmationem. Hæc ratio eſt, cur non ſemel Dominus hic dicat, *Deſponſabo te mihi:* ſed tertio repetat hoc verbum. Viſus eſt enim tunc Propheta concionari de re incredibili. Nam quale hoc exemplum eſt, ut Dominus putidum ſcortum in uxorem accipiat? imo ut contrahat novum conjugium cum impura adultera, & flagitiis cooperta? Hoc erat inſtar portenti. Ergo Propheta, ne quid impediat animos, quominus recumbant in hanc promiſſionem, dicit, Ne dubitetis: Dominus enim vobis ſæpius confirmat certum hoc fore. Jam quum hic promiſſio nobis ſit communis, videmus in his Prophetæ verbis quale ſit ſalutis noſtræ exordium: Deus ſibi deſponſavit Iſraëlitas, quum reducti ſunt ab exilio in bonitate & miſericordus. Quid nobis cum Deo commune eſt, ubi naſcimur, & egredimur ex utero, niſi gratuito nos adoptet? quia ſcimus nos nihil afferre præter maledictionem. Hæc eſt totius humani generis hereditas. Quum ita ſit, neceſſe eſt fundari totam noſtram ſalutem in bonitate Dei, & miſerationibus. Sed alia etiam noſtra fuit ratio, quum rurſus in gratiam nos Deus recepit. Eramus enim fœdifragi ſub Papatu: nemo eſt noſtrûm qui non deſciverit à fide baptiſmi ſui: & ita non potuimus redire cum Deo in gratiam, niſi nos gratuito ſibi adjungeret. Deus autem non tantum nobis ignovit, ſed contraxit novum conjugium, ut nunc pleno ore poſſimus tanquam in die adoleſcentiæ noſtræ ei agere gratias, quemadmodum prius dictum fuit. Sed notanda eſt clauſula hæc, ubi dicit, *Cognoſcent Dominum.* Videmus enim diſſipari nos ſimulatque deflectimus à recta & pura Dei notitia, imo prorſus evaneſcere. Quum igitur ſalus noſtra in luce fidei conſiſtat, ſemper intentæ ſint mentes noſtræ ad Deum, ut ſcilicet maneat firma & ſtabilis ejus conjunctio, quam per Evangelium pepigit. Quia autem hoc non eſt in poteſtate vel arbitrio hominum, colligere promptum eſt, Deum non modo offerre ſuam gratiam in externa prædicatione, ſed ſimul in renovatione cordium. Niſi ergo Deus nos de integro crearet ſibi in novum populum, nihilo plus eſſet firmitatis in fœdere quod hodie nobiſcum percutit, quam in illo veteri quod olim ſub Lege pepigit cum Patribus. nam ſi conferimus nos cum Iſraëlitis, nihilo ſumus meliores. Neceſſe eſt igitur, ut Deus intus operetur & efficaciter in cordibus noſtris, quo ratum ſit ejus fœdus. Imo quum ejus notitia ſit ſpeciale Spiritus donum, certo colligere licet, hic non tractari ſolum de externa prædicatione, ſed adjungi ſimul Spiritus gratiam, qua Deus nos ad imaginem ſuam reformat: quemadmodum etiam prius oſtendimus ex loco illo Jeremiæ. Sed ne quid videamur aliunde accerſere, ex Prophetæ verbis idem liquido conſtat, quod ſcilicet non aliud ſit vinculum firmitatis ad fovendum & retinendum Dei fœdus, niſi quatenus ſe nobis patefacit. Id autem fit non tantum externa doctrina, ſed quia illuminat mentes noſtras per Spiritum ſuum, imo etiam reformat corda noſtra. Sequitur,

21. Et erit in die illa, exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cœlos, & ipſi audient terram:
22. Et terra exaudiet frumentum, & muſtum, & oleum, & ipſa exaudient Jizreel.

Iterum Dominus promittit nihil populo defore, ubi fuerit ipſe erga eum placatus. Eſt quidem hoc primo loco nobis expetendum, ut Deus propitius ſit nobis. Perperam enim faciunt qui tantum cupiunt ſibi bene eſſe & commode, interea non admodum curant gratiam Dei. Propheta oſtendit unde incipiat hominum felicitas, nempe ubi Deus ipſos ſibi adoptat in populum, ubi etiam peccatis abolitis eos ſibi deſponſat. Hoc ergo primo loco expetere convenit, quia, ut diximus, præpoſterum eſt hoc deſiderium, ubi rapimur ad terrenæ vitæ commoda, ubi quietem, & rerum omnium affluentiam, & ſanitatem corporis, & alia expetimus. Propheta ergo jam oſtendit, tunc vere felices nos eſſe, ubi Dominus nobis placatur: neque id modo, ſed etiam iterum nos in amorem ſuum complectitur, & contrahit ſanctum illud conjugium, ea lege, ut ſit nobis pater & ſervator, & tuti ſimus atque ſalvi ſub ejus præſidio & fide. Sed interim deſcendit ad ſecundum gradum. Felicitas quidem noſtra, ut diximus, in Dei amore poſita eſt: ſed iſtæ acceſſiones locum habent poſtea, quod ſcilicet Dominus nobis proſpicit, & curam gerit noſtri, ita ut ſuppeditet quicquid ad tolerandam vitam neceſſe eſt. Hoc ergo poſterius membrum nunc exequitur Propheta: dicit, *In die illa.* Videmus ut nos revocet ad fœderis memoriam, ne ſcilicet cumenti ſimus ſaturitate, quemadmodum vulgo homines addicti ſunt ſuis commodis, ut dictum fuit. Propheta ergo hic ſtatuit nobis fœdus Domini ante oculos, poſtea addit gratiam Dei perventuram uſque ad triticum, uſque ad vinum & oleum. Sed notanda ſunt Prophetæ verba: *exaudiam*, inquit, vel *reſpondebo.* ענה ſignificat *reſpondere*: ſed hic tantundem valet atque *exaudire. Exaudiam*, igitur, *exaudiam cœlos, & ipſi exaudient terram.* Hæc etiam repetitio non ſupervacua eſt, quia jampridem Iſraëlitæ fame confecti erant, quum abducti ſunt in exilium: acſi cœli fuiſſent ferrei, nulla pluviæ gutta inde ſtillabat. Poterant igitur ita apud ſe reputare, jam nihil eſſe ſperandum. Sed hic Deus ipſos erigit, *Exaudiam, exaudiam*, inquit: acſi diceret, Non eſt quod vos exanimet miſera iſta conditio, in qua vos diu languere paſſus ſum, ut ferebant peccata veſtra: ſed poſthac ego cœlos exaudiam. Quemadmodum prius admonuit Propheta, ſi in eos truculentæ ſint beſtiæ, hoc iræ Dei eſſe ſignum: ita etiam docet his verbis cœlos non arcano aliquo inſtinctu ſiccos; ſed ubi Deus arcet ſuam gratiam, tunc nullam eſſe pluviam, qua cœli terras irrigent. Deus ergo hic palam oſtendit, totum naturæ ordinem (ut loquuntur) ita in manu ſua eſſe, ut nulla pluviæ gutta è cœlo cadat, niſi ſuo nutu, terra nullum germen producat: denique totam naturam fore ſterilem, niſi eam fœcundet ſua benedictione. Et hæc ratio eſt, cur dicat, *Exaudiam cœlos, & ipſi exaudient terram: & terra exaudiet triticum, vinum & oleum, & hæc omnia exaudient Jizreel.* Antehac uſus eſt Propheta nomine Jizreel in malam partem. Voluit enim exprobrare Iſraëlitis ſuam perfidiam: quum jactarent ſe eſſe ſemen Jacob, & obtenderent ſemper honorificum illud & ſplendidum elogium, Vos eſtis Jizreel & non Iſrael, dicebat Dominus. Jam poteſt fieri ut rurſus Propheta oſtendat quid meriti ſint, ſed tamen ſimul doceat impeditum minime iri Deum, quominus indignis benefaciat ubi reconciliatus fuerit. Tametſi ergo Jizreelitæ eſſent potius quam Iſraëlitæ, tamen non obſtitit hæc eorum indignitas, quominus liberaliter Deus cum illis ageret. Interea poteſt eſſe alluſio ad novum populum, quia ſequitur proximo verſu וזרעתיה, *& ſeminabo eam:* & nomen Jizreel affinitatem habet cum verbo illo: imo deducitur à זרע, quod eſt *ſeminare:* & quod mox adjungit Propheta, ut Jizreel ſit quaſi ſemen Dei. ego hanc alluſionem non improbo: ſed tamen videtur Propheta hic commendare Dei gratiam, dum pronunciat Jizreelitas eſſe quibuſcum tam benigne Deus agit, ut ſcilicet in eorum gratiam terram fœcun-

fœcundet. Jam iterum repetamus totum contextum. *Vinum, & muſtum, & oleum exaudient Jezreel.* Erant Iſraelitæ famelici, & quemadmodum fieri ſolet in victus penuria clamabant, Quis nobis panem dabit, & vinum, & oleum? nam venter ut dicitur caret auribus, ita etiam caret ratione & judicio: ubi urget extrema neceſſitas, homines quaſi rabioſi panem invocant, & vinum, & oleum. Deus ergo reſpicit ad illos cæcos hominum impetus, qui feruntur duntaxat ad ſua objecta: ideo dicit, *Vinum, triticum, & oleum exaudient Jezreel:* quomodo autem? ubi ſcilicet terra exaudierit vinum, triticum, & oleum: hoc eſt, ubi terra humorem ſuppeditaverit arboribus & ſuccum, ubi etiam vim ſuam porrexit ſemini, tunc terra exaudiet vinum, & triticum, & oleum. Neque enim ſponte naſcuntur hæc, ſed expectant terræ vigorem: & ideo terra dicitur exaudire. Sed terra ipſa num poteſt exaudire vel triticum, vel vinum, vel oleum? minime, niſi ſtillet è cœlo pluvia. Quum ergo terra ipſa hauriat è cœlo humorem & ſuccum, videmus fruſtra homines clamare in fame, niſi ad cœlum reſpiciant. Atqui cœlum regitur arbitrio Dei. Diſcant igitur homines ad Deum uſque conſcendere, ut petant ab eo quotidianum panem. Nunc ergo videmus quam apta ſit iſta Prophetæ gradatio, ubi Deus ad ſe tandem homines deducit; ſed pro rudi & infirmo eorum captu. Nam conjiciunt ſenſus ſuos in panem, vinum, & oleum: petunt inde victum: ſunt in hac re nimium ſtupidi. bene, Deus indulget hoc eorum ruditati, & inſcitiæ: ſed gradatim à vino, & tritico, & oleo ad terram procedit; deinde à terra ad cœlum: poſtea oſtendit, cœlum ipſum non poſſe pluere, niſi ſuo arbitrio. Sequitur tandem,

23. Et ſeminabo eam mihi in terra, (*vel in terram*) & miſerebor ejus quæ non erat adepta miſericordiam, & dicam לֹא עַמִּי (*hoc eſt, ei qui non erat populus meus*) Tu populus meus: & ipſe dicet, Deus mi.

Hic per occaſionem de multiplicatione populi loquitur Propheta. Promiſerat uberem & largum proventum tritici, & vini, & olei: ſed quorſum hoc ſpectabit, niſi terra habeat multos incolas? Hoc igitur addi operæ pretium fuit. Nam prius dixerat Propheta, Etiamſi vos ingenti ſitis numero, tamen manebunt duntaxat reliquiæ. Jam opponit vindictæ Dei novam gratiam, quod ſcilicet Deus populum rurſus ſeminabit. Ex hoc verbo colligimus non abſurde notari à quibuſdam alluſionem in voce *Jizreel*, quod ſcilicet tunc erit verum ſemen Dei, qui prius degener fuerat populus, & non verus Iſraëlita. Quanquam verba hæc duplicem ſenſum admittunt. Nam זרע zara, tam ad ſemen, quam ad terram refertur. Dicunt Hebræi ſeminari terram; deinde ſeminari triticum, & ſeminari alia grana. Si ergo populum terræ conferat Propheta, ſenſus erit, Ego populum, qui eſt inſtar terræ, ſeminabo: hoc eſt, replebo, perinde ac terra ubi fructificat: tunc legendum eſſet, Seminabo eam mihi in terram: hoc eſt, acſi terra mea eſſet. Vel poteſt ſimpliciter exponi, *Seminabo eam mihi in terra*: ut ſcilicet terra, quæ ad tempus vaſta & deſerta fuit, multos habitatores habeat: quemadmodum ſcimus factum fuiſſe. Cæterum, relativum fœminini generis non debet nos turbare, quia ſemper tanquam de muliere loquitur Propheta. Scimus hactenus populum ſub perſona mulieris nobis fuiſſe deſcriptum: & poſtea addit, לֹא רחמה. Ergo vel de *Lo-ruchama*, hoc eſt, de filia adulterina hic loquitur, vel de adultera muliere, quam ad ſe maritus recepit. Quantum ad rem ipſam ſpectat, facile eſt colligere quid Propheta ſibi velit: quod ſcilicet Deus longe lateque ſobolem diffundet, ubi populus non modo ad exiguum numerum redactus fuerit, ſed etiam fere in nihilum. Quantulum enim diſtabat illa populi vaſtitas ab interitu, quum diſperſus fuit in exilium? Tunc enim fuit lacerum corpus, quemadmodum dictum eſt. Terra interim fruebatur ſuis ſabbathis: hoc eſt, Deus eam incolis exoneraverat. Tenemus ergo Prophetæ mentem, quod ſcilicet Deus populum multiplicabit, ut tenues reliquiæ exundent & in magnam & fere innumeram ſobolem. *Seminabo ergo in terra*: hoc eſt, per totam terram. *& miſerebor Lo-ruchama*: hoc eſt, miſericordia complectar eam, quæ non erat miſericordiam adepta: *Dicam etiam non populo, Tu jam populus meus.* Videmus in hoc Prophetam inſiſtere, ut populus non tantum appetat externas commoditates vitæ præſentis, ſed exordium faciat à fonte ipſo: nempe ut redeat cum ipſo in gratiam, ſentiat ipſum propitium patrem. hoc enim eſt Prophetæ conſilium, de quo iterum cras adhuc aliquid dicendum erit.

Da omnipotens Deus, quando tot miſeriis in hac vita ſumus obnoxii, & interim ſtupeſcimus tamen in peccatis noſtris: da, inquam, ut diſcamus deſcendere in nos ipſos, & examinare peccata noſtra, ut vere coram te humiliemur, & tribuamus nobis omnium malorum culpam, ut inde etiam trahamur ad verum reſipiſcentiæ ſenſum, & ſic ſtudeamus tibi reconciliari in Chriſto, ut toti pendeamus à paterno tuo amore, & ita ſemper aſpiremus ad plenitudinem felicitatis æternæ ex bonitate tua, & immenſa illa beneficentia, quam teſtaris fore paratam & expoſitam omnibus qui ſincero corde & te colent, te invocabunt, & ad te confugient, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO OCTAVA
IN
HOSEAM PROPHETAM.

CAP. III.

Diximus heſterna lectione Prophetam iterum non fruſtra teſtari paternum Dei favorem erga populum, quia hæc ſumma eſt felicitatis noſtræ, quum Deus nos agnoſcit pro ſuis, & quum nos viciſſim poſſumus in ejus conſpectum venire, idque certa fiducia. Itaque notandus eſt hic ordo in verbis Prophetæ, *Miſerebor*, inquit, *Lo-ruchama*: hoc eſt, propitius ero Iſraelitis, quos hactenus privavi mea gratia. *& dicam non populo meo, Populus meus tu.* Sequitur, *& ipſe dicet mihi, Tu Deus meus.* Propheta enim ſignificat Deum antevertere nos favore ſuo; quia alioqui arcemur ab acceſſu. Deus ergo ſponte nos prævenit, & porrigit nobis manum, deinde ſubſequitur conſenſus fidei noſtræ. Deus ergo prior ipſe compellat Iſraëlitas, ut ſciant ſe jam cenſeri in ejus populo: deinde reſpondent, poſtquam Deus teſtatus eſt de favore ſuo, Jam tu incipies poſthac eſſe Deus noſter. Videmus ergo principium hujus boni à Deo eſſe, quum ſcilicet ex alienis facit domeſticos, & adoptat in filios qui prius erant hoſtes. Sequitur caput tertium.

CAPUT III.

ET dixit Jehova ad me, Adhuc vade, ama mulierem dilectam à marito, (*ad verbum eſt, à proximo, vel ſocio: ſed intelligit comparem*) & quæ adultera eſt, (*ſed copula debet reſolvi in adverſativam, Quæ tamen adultera eſt*) ſecundum amorem Jehovæ erga filios Iſraël: & ipſi (*hoc eſt, qui tamen*) reſpiciunt ad deos alienos, & amant lagenas (*vel cados*) uvarum.

SUmma hujus capitis eſt, quod Deus vult retinere bona ſpe animos fidelium in exilio, ne deſperatione obruti prorſus deficiant. Prius loquutus eſt Propheta de reconciliatione Dei cum populo ſuo, & magnifice extulit gratiam illam, quum diceret, Eritis tanquam in valle Achor, reſtituam vobis omnem bonorum copiam: denique eritis numeris omnibus felices. ſed interim manebat populum diuturna miſeria. Deus enim ſtatuerat ipſos transferre Babylonem. Poterant igitur concidere in illa calamitate, acſi protſus ablata eſſet omnis ſpes ſalutis. Propheta igitur nunc oſtendit Deum ſic rediturum in gratiam cum populo ſuo, ut non ſtatim deleat omnem memoriam iræ ſuæ, ſed ad tempus retinere velit aliquam ſeveritatem. Videmus itaque hoc vaticinium medium eſſe inter denunciationem qua prius uſus eſt Propheta, & promiſſionem veniæ. Erat illud horrendum, quod Deus faceret divortium cum populo ſuo, quod abjiceret omnes Iſraëlitas tanquam filios adulterinos: ſed poſtea addita fuit conſolatio. Jam ne Iſraëlitæ putent ſtatim primo die ſic Deum ſibi fore propitium, ut nulla caſtigatione puniantur, Propheta conſulto hanc correctionem interponere voluit: acſi diceret, Deus quidem iterum vos ad ſe recipiet, ſed interea parata eſt vobis caſtigatio, quæ ſua duritie poſſet frangere animos veſtros, niſi hoc ſolatium vos levaret, quod ſcilicet Deus, etiamſi pœnam ſumat de peccatis veſtris, non deſinit tamen conſulere ſaluti veſtræ, & eſſe quaſi maritus veſter. Nunc tenemus conſilium Prophetæ. Sed ego percurram prius verba, deinde revertar ad ſummam rei. *Dixit* igitur *Jehova ad me, Vade adhuc, & ama mulierem.* Non dubium eſt quin Deus depinxerit hac gratiam qualem promittit Iſraëlitis, idque ſub figura, aut viſione. Nam nimis craſſi ſunt qui imaginantur Prophetam duxiſſe uxorem quæ ſcortata fuerat. Simplex igitur eſt iſta viſio, acſi Deus picturam ante oculos populi ſui locaret, in qua conſpiceret ſtatum ſuum. Et quum dicit, *adhuc*, refertur hoc ad viſionem, quæ expoſita fuit primo capite. Jubet autem diligi uxorem illam antequam recipiat in ſocietatem tori conjugalis: quod notandum eſt. Vult enim hic Deus inter reſtitutionem populi, & occultam gratiam diſcernere. Deus ergo antequam populum reduceret ab exilio, amavit eum quaſi in viduitate. Nunc ergo tenemus cur non potius dicat Propheta, *Accipe tibi in uxorem*, quam *dilige mulierem.* Summa hæc eſt: Significat Deus, quamvis exilium triſte & acerbum ſit, tamen populum, quem duriter & ſevere tractat, ſibi charum eſſe. *Ama* igitur *uxorem, quæ dilecta fuerat à marito.* ריע hic accipitur pro Marito, quemadmodum & Jeremiæ 2. capite, ubi dicitur, Perfide egerunt mecum filii Iſraël, acſi mulier (מריע dicit) à ſocio ſuo defecerit, vel à compare ſuo. Et amplificatio in hac voce ſubeſt. Sæpe enim mulieres, dum ſe proſtituunt, queruntur hoc fieri nimio rigore, quia non ſatis amice foventur à ſuis maritis. Verum ſi maritus comiter uxorem ſuam apud ſe habeat, & præſtet officium maritale, ſi mulier poteſt adjicere animum ad alienos, minus eſt excuſabilis. Ergo ad augendum populi crimen hæc circumſtantia ponitur, quod hæc mulier dilecta fuerit à ſocio ſuo, vel compare; & interim non retinuerit hæc mariti humanitas ejus animum in pudicitia. Dicit poſtea, *Secundum amorem Jehovæ erga filios Iſraël:* hoc eſt, Sicuti Deus populum Iſraël dilexit, qui tamen non deſtitit reſpicere ad deos alienos. Metaphora hæc ſatis frequenter in Scriptura occurrit, nempe dum verbum נבט, quod Reſpicere ſignificat Hebræis, transfertur ad ſpem vel ad deſiderium. Ubi ergo intentæ ſunt hominum mentes in rem aliquam, vel affectus illuc feruntur, dicuntur homines illuc reſpicere. Quoniam ergo fervebant inſano ſuperſtitionum ſtudio Iſraëlitæ, dicuntur reſpicere ad deos alienos. Poſtea ſequitur, *Et amant lagenas uvarum.* Non dubito quin Propheta veſaniam illam comparet ebrietati. Et ponit Lagenas uvarum potius quam vini, quia idololatræ ſimiles ſunt ebrioſis hominibus, qui ita interdum ſe ingurgitant, ut vinum illis amplius non ſapiat: imo odor ipſius vini eos offendit, & parit faſtidium ex nimia crapula: ſed affectant novas artes quibus redeant in gratiam cum vino. Et tale novitatis ſtudium regnat in hominibus ſuperſtitioſis: hoc nunc, illud nunc appetunt, & agitantur ipſorum mentes aſſidue, quia non poſſunt acquieſcere in uno Deo. Nunc ergo tenemus quid ſibi velit iſta metaphora, quum exprobrat Iſraëlitis Propheta, eos amaſſe lagenas uvarum. Nunc revertor ad conſilium Prophetæ, vel potius Dei. Hic Deus erigit animos fidelium, ut certo ſtatuant ſe amari, etiam dum caſtigantur. Oportuit enim diſcrimen iſtud bene infixum eſſe Iſraëlitis, ut poſſent in exilio bene ſperare, & patienter ferre illam Dei caſtigationem; deinde ut ſpes iſta mitigaret acerbitatem doloris. Deus ergo dicit, etiamſi nondum oſtendat ſe ipſis reconciliatum, ſed adhuc ſeverus appareat, tamen non ideo ſe vacuum eſſe omni amore. Et hinc colligimus quam utilis ſit iſta doctrina, & quam late etiam pateat. Iſta enim conſolatio nobis omnibus eſt communis: quoties nos Deus humiliat rebus adverſis, quoties aliquod rigoris & iræ ſuæ ſignum nobis demonſtrat, poſſemus deficere uno momento, niſi hæc diſtinctio nobis occurreret, nempe amari nos à Deo, etiam quum erga nos eſt ſeverus, & quum videtur adhuc nos abjicere, tamen non ideo prorſus eſſe alienos, quia retineat aliquem affectum etiam in media ira: ſic ut nobis ſit inſtar mariti, quamvis non ſtatim admittat in honorem conjugii, neque nos reſtituat in priſtinum gradum. Jam videmus quomodo applicandus ſit ad nos hujus doctrinæ uſus. Interim notanda eſt exprobratio de qua dixi, quod ſcilicet Deus uxorem ſuam dilexerit: & quum hoc adeptus non fuerit ſuo amore ut ipſa caſtitatem coleret, tamen adhuc ſe amare adulteram. Hic notatur turpiſſima ingratitudo populi, & opponitur immenſa Dei miſericordia & bonitas. Fuit hoc ſummæ pravitatis, quod populus à Deo ſuo defecit, quum tamen tam benigne & humaniter ſemper tractatus fuiſſet. Sed mira hæc fuit Dei patientia, quod populum amore proſequi non deſtitit, quem videbat tam perverſum eſſe, nec poſſe flecti ullis officiis, vel poſſe retineri ullis beneficiis. Quantum ad lagenas uvarum ſpectat, notemus hoc præpoſterum ſtudium ſemper dominari in ſuperſtitioſis, quod ſcilicet poſt ſua commenta huc & illuc feruntur, & nihil habent in ſe ſtabile. Ne ergo nos tales illecebræ decipiant, diſcamus manere firmi & ſtabiles in verbo Domini. Jactant quidem hodie Papiſtæ ſuam vetuſtatem, quum nobis volunt invidiam facere, acſi religio quam ſequimur, nova eſſet, ac nuper inventa. Sed videmus ut muſtaceæ ſint ipſorum ſuperſtitiones, quia continuus fervor illic ebullit, & nihil

habent

habent firmum: nec mirum eſt, quia ſcilicet pro nihilo apud ipſos ducitur æterna Dei veritas. Si ergo cupimus pravam hanc libidinem corrigere, quam damnat Propheta in Iſraëlitis, ſic addicti ſimus verbo Domini, ut nulla novitas nos capiat, vel inde abducat. Sequitur jam,

2. Et acquiſivi eam mihi quindecim argenteis, & uno homer (*vertunt eorum Græci interpretes:* uno coro) hordei, & dimidio coro hordei.

3. Et dixi ad eam, Diebus multis ſedebis mihi, non ſcortaberis, & non eris viro; (*hoc eſt, manebis vidua vel cælebs*) & ego etiam ad te. (*nempe reſpiciam: vel jam tibi ſpondeo me fore maritum, ubi expertus fuero tuam reſipiſcentiam. Alii vertunt, Et ego ad te non accedam. ſed videtur hoc eſſe nimis coactum: ideo magis arridet Hieronymi interpretatio, Ego te expectabo.*)

4. Quia diebus multis ſedebunt filii Iſraël ſine Rege, & ſine Principe, & ſine ſacrificio, & ſine ſtatua, & ſine Ephod, & ſine Teraphim.

5. Poſtea convertentur (*vel redibunt*) filii Iſraël, & quærent Jehovam Deum ſuum, & David Regem ſuum, & timebunt ad Jehovam, & ad bonitatem ejus in extremitate dierum.

Hæc omnia legenda fuerunt uno contextu. Nam his quatuor verſibus Propheta viſionem, quæ oblata fuerat, exponit. Ac dicit primo ſe feciſſe quod divinitus injunctum erat: nempe per viſionem, vel in figura, ut tali imagine magis afficeret animos populi. *Emi*, inquit, *uxorem* quindecim argenteis, & coro hordei & dimidio coro, hoc eſt, ſeſquicoro hordei. Hoc verſu narrat, ſe vili pretio redemiſſe uxorem quam ſumpturus erat. Per *quindecim argenteos*, & *ſeſquicorum hordei*, non dubito quin abjecta & ſordida conditio notetur. Scimus ſervos æſtimatos
Exod. 21. verſ. 32. fuiſſe triginta ſiclis, ſi à bove læſi eſſent. Propheta autem hic dat uxori ſuæ quindecim argenteos. Videtur hoc contumelioſum eſſe munus: ſed ita teſtatur Dominus, etiamſi tenuiter alat populum ſuum in exilio, ſibi tamen charum eſſe. quemadmodum ſi vir uxorem ſuam diligat, & tamen non indulgeat, quia non expedit: diſſoluta enim indulgentia ſæpe corrumpit eos qui peccarunt, quemadmodum ſatis notum eſt. Si maritus uxori adulteræ ſtatim parcat, & blando vultu accipiat, imo adulatorie ſe dejiciat, depoſito ſuo jure & imperio, ſtultus eſt, & ſua lenitate perdit uxorem: ſi autem maritus ignoſcat uxori, ſed interim ſevere ipſam contineat in officio, nec profundat affectum ſuum, illa mediocritas valde utilis eſt, & oſtendit non vulgarem prudentiam in marito, qui tametſi non eſt crudelis, tamen non abripitur ſtulto amore. Hoc ergo intelligit Propheta quum dicit ſe dediſſe uxori quindecim argenteos, & ſeſquicorum hordei. Nam mulieres ingenuæ non ſolebant veſci hordeo. Non ergo dat vel triticeam farinam uxori Propheta, vel ſimilaginem ipſius farinæ, ſed dat nigrum panem & cibarium: imo dat loco demenſi hordeum, & quidem exigua menſura, ut uxor tenuiter victitet. Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ. Alii eliciunt contrariam ſententiam, quod ſcilicet Dominus ſplendide tractaverit & ſumptuoſe uxorem quæ fuerat adultera. Sed illud nullo modo congruit cum mente Prophetæ, ut antea vidimus: deinde etiam verba alio nos deducunt. Hieronymus ſuo more argutus eſt in allegoriis: dicit populum redemptum eſſe quindecim argenteis, quia decimo quinto die menſis egreſſus eſt ex Ægypto: deinde quia homer valebat Hebræis 30 modiolos, ideo dicit redemptum fuiſſe ſeſquicoro, hoc eſt, quadraginta quinque modiolis, quia Lex promulgata fuerat poſt quadraginta quinque dies. Sed ſunt pueriles nugæ. Sufficiat igitur nobis illa ſimplicitas quam attuli, nempe quod Deus, etiamſi non ſtatim dignetur honore conjugii & liberali victu uxorem ſuam, tamen non deſinat eam amare. Videmus hoc modo erectos fuiſſe fidelium animos, ut patienter ferrent ſuas ærumnas, quia hæc inæſtimabilis conſolatio eſt, ubi agnoſcimus nos Deo eſſe charos. Si hoc amoris teſtimonium non temperat dolores noſtros, ſumus nimium maligni & ingrati. Clarius ergo his verbis demonſtrat Propheta quomodo populum dilexerit Deus, quum tamen videri alienus ab eo poſſet. Nam poterat in totum abolere: victum nihilominus ſuggeſſit etiam in ipſo exilio. Victitavit quidem populus in maximis anguſtiis: & non dubium eſt quin ablatæ fuerint omnes deliciæ, quin ſordidus etiam & valde tenuis fuerit victus ipſorum: ſed Propheta vetat æſtimari Dei gratiam ex illa tenuitate, quia etiamſi Deus non ſtatim in amplexum ſuum recipiat uxorem quæ fuit adultera, velit tamen eam ſibi manere uxorem: & ideo addit, *Dixi ad eam, Diebus multis ſedebis mihi, & non ſcortaberis, & non eris ullius viri.* hoc eſt, manebis tanquam vidua: ego enim hac lege adhuc te retineo, ut experiar an ſincere reſipueris. Nolo enim nimium facilis erga te eſſe, ne indulgentia mea te corrumpam: videbo qualiter te geras: interim maneas vidua. Fuit ergo illa exigua gratia Dei, quæ ſuperfuit in populo, quaſi viduitas quædam. Deus enim, quemadmodum diximus, poterat è medio tollere populum ſuum: atqui mitigavit iram ſuam, quum tantum punivit exilio: & interim oſtendit ſe non eſſe oblitum populi exulis. Quamvis ergo tantum erogaverit aliquod tenue demenſum, non tamen prorſus deſtituit eum victu, neque paſſus eſt inedia perire. Fuit ergo tractatio illa vere depicta ſub hac imagine, quod ſcilicet Propheta juſſerit uxorem ſuam manere cœlibem. Dicit, *Et ego etiam ad te.* Cur dicit, *Ego etiam?* Uxor quæ jam marito addicta eſt, non eſt ſui juris, ut poſſit alteri fidem dare. Propheta igitur oſtendit retineri Iſraëlem à Domino, ne alibi conditiones appetat, quia obſtricta ſit ejus fides. *Ego* igitur *etiam ad te.* hoc eſt, Ego obſtringo tibi fidem meam: vel, Ego me tibi aſſigno maritum: ſed expectandum eſt aliud tempus. Ego gratiam meam adhuc differo, & ſuſpendo uſque dum tu mihi fidem feceris veræ reſipiſcentiæ. *Ego etiam ad te*, inquit: hoc eſt, Non eris vidua gratis: ſi queraris tibi fieri injuriam quod te prohibeo ab aliis conjugiis, ego etiam viciſſim tibi me obligo. *Ego*, inquit, *te expectabo*, *tu etiam me viciſſim expecta.* Nunc ergo apparet mutua illa pactio inter Deum & populum, quod ſcilicet populus, etiamſi viduitas plena ſit mœroris, non tamen debeat ſuccumbere huic triſtitiæ, ſed ſe integrum ſervare Deo uſque ad tempus liberationis plenæ & ſolidæ, quia dicit ſe ſtaturum in fide illa. Ego igitur ero tuus: etiamſi in præſentia te non admitto in honorem uxorium, tamen ego non te prorſus repudio. Sed quomodo conveniet hæc ſententia cum primo vaticinio, ubi viſus eſt Deus cum populo divortium facere? Facilis eſt conſenſus. Propheta enim dixit alienandum eſſe corpus populi à Deo: ſed jam alloquitur ſolos fideles. Ne ergo deſpondeant animos qui adhuc ſunt ſanabiles, Propheta hic proponit illud quod dixi ſolatium, quod ſcilicet ſedebunt quaſi cœlibes, ſed Dominus ipſe manebit quaſi obſtrictus illis, ne ſcilicet alium populum ſibi adoptet, illo quidem rejecto. Nam ſtatim videbimus vaticinium hoc communiter ſpectare tam ad Gentes quam ad Judæos & Iſraëlitas. Poſtea addit, *Die-*

bus multis ſedebunt filii Iſraël. Diebus multis dicit, ut ſe comparent ad longam patientiam, neque exanimentur tædio, etiamſi non ſtatim Dominus ipſos à clade eripiat. Quanquam ergo diuturnum erit exilium, fovete bonam ſpem in animis veſtris, inquit: neceſſe enim eſt ſumi tam longum experimentum veſtræ reſipiſcentiæ, quia ſæpius finxiſtis vos reverti ad Dominum: fuit autem ſtatim retecta veſtra hypocriſis: deinde jam obduruiſtis ad pravam contumaciam. Neceſſe igitur eſt, ut Dominus longa caſtigatione vos ſubigat. *Sedebunt* igitur *filii Iſraël abſque Rege, & abſque Principe*, inquit. Sed tamen poſſet adhuc quæri, quiſnam ſit numerus dierum de quo hic Propheta loquitur. Hic non ponitur certa definitio. Scimus autem indictum fuiſſe exilium Judæis ad 70 annos. Sed Propheta videtur longius extendere ſuum vaticinium: nempe uſque ad tempus Chriſti. Reſpondeo, hic ſimpliciter tractari de 70 annis: quanquam interim tenendum eſt, qui non reverſi ſunt ab exilio, fuiſſe ſuffultos hac promiſſione, ut in Mediatore promiſſo ſperarent. Sed Propheta non egreditur ultra illum numerum, qui *Jer. 29. verſ. 10.* præfixus fuit poſtea per Jeremiam. Quod autem Propheta annos & dies non ſupputaverit, non mirum eſt. Nondum enim inſtabat captivitatis tempus, hoc eſt, captivitatis ultimæ. Paulo poſt enim abductæ ſunt quatuor Tribus, deinde decem, & totum regnum Iſraël fuit exciſum. Sed ultima totius populi clades nondum tam propinqua erat. Non oportuit igitur annos tunc numerari: ſed loquitur de longo tempore indefinite: & loquitur de filiis Iſraël, ac dicit, *Sedebunt abſque Rege, & abſque Principe.* quoniam in Rege ſuo locabant fiduciam, & putabant vel hoc uno titulo ſe felices, ſi Rex eorum eſſet formidabilis. Dicit, *Sedebunt ſine Rege, ſine Principe.* Jam viduitatem explicat abſque figuris. *Carebunt* igitur *& Rege & Principe*, inquit: hoc eſt, nulla erit ſpecies ſtatus politici inter ipſos: erunt quaſi truncum corpus ſine capite. quemadmodum in illa miſera diſſipatione contigit. *Et ſine ſacrificio*, inquit, *& ſine ſtatua.* מצבה accipiunt Hebræi ſæpe in malam partem: quanquam generaliter ſignificat ſtatuam, ut in ſepulchro monumentum vocatur מצבה. Sed videtur hoc loco Propheta loqui de idolis, quemadmodum quum addit תרפים. Non dubium eſt quin Teraphim imagines ſint, quibus utuntur ſuperſtitioſi, ut colant fictitios deos, quemadmodum multis locis legitur. Dicitur Rex Babylon conſuluiſſe Teraphim: dicitur etiam *Geneſ. 31. v. 19, 30.* Rachel furata Teraphim: & paulo poſt Laban vocat deos ſuos Teraphim. Nugantur autem Hebræi quum dicunt imagines iſtas ex conſtellatione fieri, & poſtea edere voces. Sed illud totum eſt commentitium: & ſcimus quantum licentiæ ſibi permittant in fingendis fabulis. Summa eſt, quod Deus auferet omnem politicum ordinem, deinde omnes ſacros ritus & ceremonias à populo Iſraëlitico, ut ſedeant tanquam mulier vidua: & interea tamen ſciant ſe non prorſus rejectos eſſe à Deo ſine ſpe reconciliationis. Quæritur cur hic fiat mentio *Ephod.* Nam ſacerdotium manebat in Tribu Juda: Ephod autem erat pars veſtitus ſacerdotalis, ut notum eſt. Reſpondeo, quum Jarobeam invexit perverſum cultum, ſimul uſum fuiſſe hac aſtutia, ut ſimilis fere eſſet, quoad externam formam, religio apud Iſraelitas. Voluit enim videri quam minimum deflectere à legitimo Dei cultu: ideo dicebat, Grave tibi eſt & moleſtum *1 Reg. 12. verſ. 28.* aſcendere Jeroſolymam. Ergo hic colamus Deum. Sed præ ſe fert nihil mutare: non vult videri apoſtata, qui ab unico Deo deſciſcat. Quid igitur? Poteſt Deus ſine moleſtia hic à nobis coli: ego enim erigam multis locis templa, & illic etiam altaria extruam: quid vetat quominus multis locis offerantur Deo victimæ? Non dubium eſt igitur quin & altaria ſua compoſuerit ad formam veri altaris, & addiderit etiam Ephod, & alias ceremonias, ut putarent Iſraëlitæ ſe adhuc manere in primo Dei cultu. Jam ſequitur, *Poſtea redibunt filii Iſraël, & quærent Jehovam Deum ſuum, & David Regem ſuum.* Hic Propheta à fructu caſtigationis oſtendit non eſſe cur Iſraelitæ obmurmurent vel obſtrepant Deo, acſi nimium rigide cum ipſis ageret. Nam ſi ſtatim porrigeret illis manum, nulla eſſet in ipſis reſipiſcentia. Ubi autem longa caſtigatione bene purgati fuerint, tunc vere & ſincere Deum ſuum agnoſcent. Videmus ergo ſolatium hoc proponi ab ipſo fructu caſtigationis, ut Iſraëlitæ patienter ferant temporalem illam Dei iram. *Poſtea*, inquit, *redibunt*: acſi diceret, Jam præcipites feruntur ad ſuam impietatem, & non poſſunt ullo modo cohiberi niſi longa iſta malorum tolerantia. *Redibunt* ergo, *& tunc quærent Jehovam Deum ſuum.* Hic nomen unius veri Dei opponit (quemadmodum prius) omnibus Baalim. Profitebantur quidem Iſraëlitæ ſe colere Deum: ſed interim ſcimus apud illos fuiſſe in pretio Baalim, qui totidem dii erant, & obrepſerant in locum veri Dei, ut abolerent purum ejus cultum. Dicit ergo Propheta non ſimpliciter, Deum quærent: ſed, *Quærent Jehovam Deum ſuum.* Et tacita eſt exprobratio in hac voce אלהים. Significat enim ipſos non ideo abductos fuiſſe ad impias ſuperſtitiones, quod carerent vero Deo, vel quod notitia illius nulla apud ipſos vigeret. Deus enim ſe illis obtulerat: imo familiariter verſatus fuerat cum ipſis: quaſi educaverat eos in ſinu ſuo, ut pater filios. Propheta ergo ingentem illis malitiam oblique exprobrat, quum dicit, *Quærent Deum ſuum.* Et quiſnam eſt ille Deus? nempe Jehova. Nam hactenus ſibi finxerunt vanos deos. Et quoniam, inquit, deluſi ſunt in ſuis commentis, jam ſentient illum unicum Deum, qui ab initio illis ſe patefecit etiam Deum ipſorum. Poſtea addit ſecundum membrum de Rege Davide. Sed non poſſem nunc abſolvere.

Da omnipotens Deus, quum ſæpe à nobis faciem tuam merito abſcondas, ita ut circumquaque nihil ſentiamus præter ſigna horribilis tuæ vindictæ: da, inquam, ut, erectis animis ſupra mundi aſpectum, interim foveamus ſpem quam nobis aſſidue proponis, ut ſcilicet perſuaſi certo ſimus nos abs te amari, etiamſi nos durius caſtiges, quo ſcilicet iſta conſolatio animos noſtros foveat, & ſuſtineat uſque ad finem, ut patienter ferentes quaſcunque caſtigationes nobis impoſueris, ſemper tamen reconciliationem teneamus quam nobis pollicitus es in Chriſto Filio tuo, Amen.

PRÆLECTIO NONA IN HOSEAM PROPHETAM.

CAP. III.

Reſtat nobis hoc ſecundum membrum de Rege Davide: oſtendit enim Propheta, quum ſtudio quærendi Dei tacti fuerint Iſraëlitæ, ſimul etiam quæſituros Regem ſuum Davidem. Deſciverant autem ab obſequio, quemadmodum ſatis notum eſt. Atqui Deus hac lege toti populo Davidem præfecerat, ut omnes ſub ejus manu & imperio beati forent, & manerent ſalvi & incolumes,

acſi

acſi Deum oculis ſuis conſpicerent. David enim erat quaſi Angelus Dei: ergo illa populi, vel decem Tribuum defectio, quaſi Dei vivi abnegatio fuit. Dicebat Dominus Samueli, Non te ſpreverunt, ſed me potius. *1 Sam. 8. verſ. 7.* debebat hoc multo magis valere in Davide, quem Samuel divinitus unxerat, & quem Dominus tot præclaris elogiis ornaverat, ut non poſſent ejus jugum abjicere, quin Deum ipſum quodammodo palam reſpuerent. Ergo non fruſtra Hoſeas hic in reſipiſcentia populi diſerte commemorat, quod redibit ad Regem ſuum Davidem. Nam aliter vere & ex animo Deum quærere non potuit, quin ſe etiam ſubjiceret legitimo imperio, cui adſtrictus erat, non per homines neque fortuito, ſed ipſius Dei juſſu. Verum quidem eſt, tunc Davidem fuiſſe mortuum: ſed hic in unius hominis perſona Hoſeas æternum illud regnum proponit, quod ſciebant Judæi fore ſtabile cum ſole & luna. Nota enim & celebris erat illa promiſſio apud omnes, *Pſal. 72. verſ. 38.* Quamdiu ſol & luna in cœlo fulgebunt, mihi teſtes erunt fideles, quod manebit etiam ſolium Davidis. Ergo poſt mortem Davidis hic Propheta oſtendit regnum fore æternum, quia ſuperſtes erat in filiis ſuis; & vulgo etiam Meſſiam ſuum vocabant filium Davidis, quemadmodum ſatis conſtat. Nunc ad Chriſtum venire neceſſe eſt: quia non potuit quærere Iſrael Regem ſuum Davidem pridem mortuum, ſed debebat Regem illum quærere, quem Deus pollicitus fuerat ex genere Davidis. Non dubium eſt igitur, quin vaticinium ſuum extendat Propheta ad Chriſtum. Et certe hæc una ſpes fuit colligendi populi, quod Deus teſtatus fuerat ſe daturum redemptorem. Videmus ergo nunc quo ſpectaverit conſilium Prophetæ. Iſraelitæ fuerunt degeneres, & ſe abdicaverunt ſua perfidia à vero & genuino Dei populo, quamdiu alienati fuerunt à familia Davidis. Nunc cum de plena ipſorum reſtitutione Propheta loquitur, conjungit Davidem ipſi Deo, quia non aliter poterant reſtitui in corpus Eccleſiæ, niſi coaleſcerent cum Judæis, ut colerent unum & idem caput. Atqui interea tenendum eſt, Regem illum cujus meminit Propheta, non eſſe Davidem, qui pridem mortuus fuerat, ſed filium ejus, cui promiſſa erat regni perpetuitas. Hæc doctrina apprime nobis utilis eſt. Oſtendit enim nunc Deum à nobis quæri non poſſe, niſi in Mediatore Chriſto. Quiſquis ergo à Chriſto declinat, Deum ipſum relinquit: nam qui Filium non habet, etiam non habet Patrem, ſicuti *1 Joan 2. verſ. 23.* dicit Joannes. Et res ipſa hoc clare demonſtrat. Nam Deus lucem inacceſſam habitat: deinde quanto ſpatio nos ab ipſo diſtamus? Ergo niſi Chriſtus ſe medium nobis offerat, qua via poſſemus ad Deum accedere? Sed tunc Deum vere quærere incipimus, ubi convertimus oculos ad Chriſtum, qui ſponte ſe nobis offert. Hæc igitur unica ratio eſt Dei rite quærendi. Argutius contendunt quidam Chriſtum eſſe illum Jehovam, quia Propheta dicit illum quærendum eſſe non ſecus ac Deum. Quærendi enim verbo ſignificat Propheta, Iſraëlitas ut ſalvi ſint & incolumes, non aliam rationem habere, niſi ut confugiant ſub tutelam & præſidium legitimi Regis, quem ſciebant divinitus ſibi eſſe ordinatum. Ergo non ſufficeret hoc ad refellendos Judæos. Ego ſimplicius accipio, quod Deum ſuum quærent in perſona Regis, cujus manu & opera Deus volebat uti ad populi conſervationem. Jam ſequitur, *Et pavebunt ad Jehovam, & ad bonitatem ejus in noviſſimo dierum.* Verbum iſtud פחד ſignificat interdum Expaveſcere: quemadmodum faciunt qui ſic terrentur, ut animum prorſus abjiciant. Sed hoc loco in bonam partem ſumitur pro Revereri, ſicut ex contextu colligere licet. *Deum* ergo *reverebuntur*, inquit, *& bonitatem ejus.* Prius jugum Dei excuſſerant Iſraëlitæ. Hoc enim ſignum erat protervi contemptus, quod ſibi erexerant novum templum, quod novam religionem ſuo arbitrio fabricaverant, quod denique ſibi permiſerant effrenem licentiam. Dicit ergo, Incipient poſthac revereri Deum, ut ſcilicet maneant ſub ejus obſequio. Et addit, *Ad bonitatem ejus.* Quo ſignificat non fore ipſis formidabilem Deum, ſed potius ſuaviter allecturum eos ad ſe, ut ſponte & libenter, atque etiam hilariter pareant. Et certe Deus tunc demum vere apud nos ſibi reverentiam conciliat, ubi guſtum præbet bonitatis ſuæ. Nam majeſtas Dei terrorem nobis incutit: ſed interea quærimus latebras; & ſi poſſemus ab ipſo nos ſubducere, quiſque hoc libenter captaret. Atqui hoc non eſt Deum colere qua decet obſervantia, ubi ipſum fugitamus. Senſus ergo bonitatis Dei nos ad ejus reverentiam adducit. Apud te eſt propitiatio, inquit David, ut timearis; *Pſal. 130. verſ. 4.* quia niſi agnoſcant homines Deum ſibi eſſe placabilem, & certo ſtatuant ipſum propitium fore, nemo eum quæret, nemo ipſum timebit, quia vellemus abolitam eſſe & extinctam ejus gloriam, ipſum carere judicio, ne eſſet judex noſter. Sed quiſquis guſtavit Dei bonitatem, ille ſeipſum in ordinem cogit, ut Deo pareat. Hoc ergo intelligit Propheta, quum dicit, *Tunc reverebuntur Deum*: quia ſcilicet intelligent ſe fuiſſe miſeros quamdiu ab ipſo fuerunt alieni; & hanc eſſe veram felicitatem, ſubmittere ſe ejus imperio. Porro bonitas iſta refertur ad Chriſtum. Quidam טוב accipiunt pro Gloria: quemadmodum etiam accipitur Exod. 33. cap. Sed circumſtantia loci poſtulat ut in proprio ſenſu hoc nomen ſumatur. Scimus autem Dei bonitatem ſic nobis in Chriſto eſſe exhibitam, ut nulla gutta alibi quærenda ſit. Nam ex hoc fonte haurire neceſſe eſt quicquid ad ſalutem noſtram & beatam vitam ſpectat. Sciamus ergo non poſſe ex animo à nobis Deum coli, niſi quum in perſona Filii eum conſpicimus, & ſentimus illum nobis eſſe benignum Patrem: ideo dicit Joannes, Qui non honorat Filium, etiam Patrem *Joan. 5. verſ. 23.* non honorat. Tandem ſubjicit, *In extremitate dierum*: quia voluit Propheta iterum reducere in memoriam Iſraëlitis quod prius dixerat, nempe opus eſſe ipſis longa afflictione, qua paulatim Deus ipſos corrigat in melius. Oſtendit ergo pervicaciam ipſorum talem eſſe, ut non ſtatim redituri ſint ad ſanam mentem; ſed hoc fore *in extremitate dierum*. Interea ſublevat piorum animos, ne languore tandem fatiſcant: quia etſi non ſentiant primo die illam bonitatem Dei, Propheta admonet non eſſe cur deſperent, quia Dominus ſuam bonitatem in extremitate dierum manifeſtabit. Porro hæc dierum extremitas initium habuit à populi reditu. Quum ergo libertas permiſſa fuit Judæis, ut in patriam redirent, fuit hæc extremitas dierum, vel plenitudo, de qua loquitur Propheta. Sed continua ſeries à reditu populi uſque ad Chriſti adventum ſimul tenenda eſt: quia tunc plenius præſtitit Dominus quod hic per Prophetam ſuum denunciat. Ideo paſſim in Scriptura, præſertim in novo Teſtamento, manifeſtatio Chriſti locatur in noviſſimis temporibus. Nunc habemus caput illud expoſitum. Jam ſequitur quartum.

CAPUT IV.

CAPUT IV.

AUdite verbum Jehovæ, filii Iſraël, quia lis Jehovæ cum incolis terræ: quia nulla fides, (*aut veritas, nulla fidelitas*) & nulla beneficentia, & nulla cognitio Dei in terra.

2. Maledicere, & mentiri, & occidere, & furari, & adulterium committere perruperunt, & ſanguines ſanguinibus fuerunt continui.

HÆc eſt nova Prophetæ concio, & diſtincta à prioribus. Tenendum eſt Prophetas non ſcripſiſſe ad verbum quæ ad populum diſſeruerant, neque etiam ſemel tractaſſe de his rebus quæ nunc apud nos extant: ſed habemus in libris eorum collectas rerum ſummas & capita, de quibus ſoliti ſunt concionari. Non dubium eſt quin ſæpius Hoſeas diſſeruerit de exilio populi & reſtitutione, quoniam illa omnia, quæ hactenus vidimus, inculcaverit. Talis enim erat populi tarditas & ſocordia, ut quotidie eadem repetenda eſſent. Sed ſatis fuit Prophetis, complecti breviter & redigere in ſcriptum quæ docuerant ſermone. Nunc ergo Hoſeas recitat quam vehementer objurgaverit populum, quia corruptelæ omne genus vulgo invaluerat, ut nulla jam in corpore pars ſana foret. Ergo videmus quid nunc agat Propheta. Hoc vero notandum eſt: quia hypocritæ vellent ſibi fieri ſemper delicias: & ſi proponitur illis miſericordia Dei, vellent defuncti eſſe omni metu. Itaque illis acerbum eſt ubi miſcentur minæ, ubi aſperius illos Deus objurgat. Quid? Heri audivimus concionem de miſericordia Dei, & nunc fulminat contra nos. Ergo eſt varius. Si conſtaret ſibi, nonne eadem eſſet hodie & æquabilis docendi ratio? Atqui neceſſe eſt ſubinde expergeſieri homines, quia ſubinde etiam obrepit illis Dei oblivio, ſibi indulgent, & nihil difficilius eſt, quam ipſos adducere ad Deum: imo ſi quos fecerunt progreſſus, ſtatim reflectunt alio curſum. Videmus ergo non poſſe aliter doceri homines, quam ſi Deus illorum vitia coarguat verbo ſuo: & deinde ne deſpondeant animos, ſpem miſericordiæ illis faciat: poſtea iterum ad objurgationes & minas redeat. Hic ergo ſtylus in Prophetis omnibus notandus eſt. Jam venio ad Prophetæ verba: *Audite*, inquit, *verbum Jehovæ, filii Iſraël, lis eſt Domino.* Quum dicit Propheta Deo litem eſſe cum habitatoribus terræ, ſignificat fruſtra ſibi blandiri homines, quia Deum habeant adverſum, & ſenſuri ſint paulo poſt judicem, niſi mature præveniant ejus vindictam. Cæterum hic admonet Iſraëlitas litem eſſe Deo cum ipſis, ut non experiantur ſummum jus, ſed reconcilient ſe Deo, dum tempus opportunum datur. Præfatio igitur Prophetæ tendit in hunc ſcopum, ut Iſraëlitæ ſentiant Deum ſibi fore adverſum, niſi ſtudeant cum ipſo mox redire in gratiam. Ergo non vult Dominus litigare cum ipſis, quum hoc ſe facturum denunciat. Nam ſi Deo fuiſſet decretum ſumere pœnas de populo, quid opus fuit iſta admonitione? annon potuit ſtatim eos rapere in judicium? Quum ergo Propheta ad filios Iſraël mittitur, qui de tanto & tam exitiali periculo præmoneat, Deus adhuc proſpicit ipſorum ſaluti. Et valuit haud dubie hæc admonitio apud multos: quia perculſi hac denunciatione, coram Deo ſe humiliaverint, non obtorpuerint in malis ſuis. Reprobi vero, etiamſi non fuerint correcti, redditi ſunt bis inexcuſabiles. Et idem etiam notandum eſt, quoties Deus nos ad tribunal ſuum citat. Quicunque enim non prorſus ſunt indomiti, vel incurabiles, illi reatum ſuum agnoſcunt, & deprecantur iram Dei. Alii vero ſi animos obſtinarunt in malitia, non poſſunt tamen extinguere vim doctrinæ, quia Dominus omnem prætextum ignorantiæ tollit: magis enim eos vulnerat conſcientia, poſtquam ita fuerunt admoniti. Jam tenemus quid hoc ſibi velit, Deo litem eſſe cum habitatoribus terræ. Sed quo magis perſpicua ſit nobis mens Prophetæ, notandum eſt, ipſum & alios probos doctores defeſſos fuiſſe clamando, & interea nullum fuiſſe profectum. Videbat ergo ſecure contemni ſuas admonitiones, ideo hoc extremum eſſe, revocare ipſos homines ad Dei tribunal. Quemadmodum, ubi nihil proficimus, cogimur etiam hanc regulam ſequi, Deus ergo judicet vos, quia nullus patitur ſe judicari ejus verbo: ludibrio habetur quicquid vobis proponimus ejus nomine: ille tandem oſtendet ſecum vobis fuiſſe negotium, quemadmodum dicitur apud Zachariam, *Zach. 12. verſ. 10.* Videbunt in quem pupugerunt: & Jeſaias eodem ſenſu dicit contriſtari Spiritum Domini; ſicuti dixerat capite ſeptimo, *Jeſa. 7. verſ. 12.* Non ſatis eſt quod fuiſtis moleſti hominibus, niſi etiam eſſetis Deo meo? Conjungit enim ſe Propheta cum Deo ipſo: quia impius ille Rex Achaz, Deum tentando ſimul etiam ludebat cum ejus Peophetis. Subeſt igitur tacita antitheſis inter hanc litem quam Deus Iſraëlitis denunciat, & quotidiana jurgia quibus uſus fuerat per Prophetas ſuos. Hac ratione etiam dicebat Dominus, *Gen. 6: 3.* Non rixabitur amplius Spiritus meus cum homine, quia caro eſt. Deus enim illic dicit ſe fruſtra expectaſſe dum homines in viam redirent, quia præfracti erant ſine ulla ſpe reſipiſcentiæ: ideo denunciat ſe mox ſumpturum pœnas. Sic etiam hoc loco, *Judicium eſt Domino*: hoc eſt, ipſe re ipſa jam aget ſuam cauſam. Hactenus diu vobiſcum jurgando exercuit Prophetas ſuos, imo fatigavit eos multo & continuo labore: vos manetis ſemper vobis ſimiles: ipſe igitur incipiet nunc cauſam ſuam efficaciter agere: non loquetur amplius ore vobiſcum, ſed manu ſua oſtendet ſe judicem. Quanquam Propheta conſulto ponit nomen *litis*, ut intelligant Iſraëlitæ non ſine cauſa, nec immerito Deum ſevere contra ipſos agere: acſi diceret, Deus ſic vos puniet, ut ſimul oſtendat ſe hoc facere optima ratione: eluditis omnes minas, & putatis veſtris tergiverſationibus vos fore ſalvos: hæc non ſunt effugia quibus aliquid ſperandum ſit vos poſſe conſequi: nam Deus tandem reteget veſtra ſcelera. Denique Propheta conjungit hic pœnam cum juſtitia Dei: vel uno verbo deſignat realem (ut ita loquar) vel effectualem contentionem, ubi Dominus non tantum ſermone coarguit homines, ſed vindictam etiam exercet contra ipſorum ſcelera. Sequitur, *Quia nulla veritas*, nulla beneficentia, nulla cognitio Dei. Dixerat litem eſſe cum habitatoribus terræ. Per *habitatores terræ* intelligit univerſum corpus populi: acſi diceret, Non paucos homines corruptos eſſe, ſed paſſim graſſari omne genus ſcelerum. Et hac ratione etiam ſubjungit, *Non eſſe in terra*: acſi diceret, Jam non abdunt ſe, qui peccare volunt, in aliquas latebras: non quærunt receſſus quaſi eos puderet: ſed tantum licentiæ ubique regnat, ut terra impleta ſit contemptu Dei & ſceleribus. Fuit hæc objurgatio dura hominibus ſuperbis. Scimus enim quantopere ſibi placuerint Iſraëlitæ: ſed oportuit tamen Prophetam cum præfractis illis capitibus ſic aſpere loqui: quia apud manſuetos & dociles ſufficeret placida & lenis admonitio: ubi autem obduruit mundus contra Deum, neceſſe eſt ad hunc rigorem deſcendere, quem in his Prophetæ verbis conſpicimus. Videant igitur quibus mandata eſt docendi cura, ne leniter homines tantum admoneant, ſi obduruerint ad ſua vitia, ſed hanc Prophetæ vehementiam ſequantur. Diximus autem

initio,

initio, Prophetæ fuiſſe juſtam rationem cur tantopere excandeſceret. neque enim præpoſtere ſtatim abreptus fuit iſto ardore zeli, ſed videbat ſibi negotium eſſe cum hominibus tam obſtinatis, ut alio modo tractabiles non eſſent. Jam non unam duntaxat mali ſpeciem reprehendit Propheta, ſed accumulat omne genus ſcelerum: acſi diceret, omni ex parte Iſraelitas corruptos eſſe & perverſos. Primo dicit nullam eſſe fidem, & nullam beneficentiam. Loquitur hic de contemptu ſecundæ tabulæ Legis, quia hinc melius proditur hominum impietas, quum ſcilicet examen ſumitur de ipſorum vita: quia hypocritæ magnifice obtendunt nomen Dei, & plenis buccis fidem ſibi arrogant: deinde externa cultus Dei ſpecie & frigidis exercitiis tegunt ſua ſcelera: imo illud quod dicit Jeremias, nimis vulgare eſt, nempe fieri *Jer. 7:11.* ex templo Dei cavernam latronum. Ergo Prophetæ ut pertrahant impios ad lucem, examinant vitam ipſorum ad officia charitatis: Eſtis boni Dei cultores, eſtis ſanctiſſimi: ſed interim ubi eſt veritas, ubi mutua inter vos fides, ubi beneficentia? Si non eſtis homines, quomodo eritis Angeli? Eſtis avaritiæ dediti, eſtis perfidi, eſtis crudeles: quid ergo aliud reſtat, niſi ut quiſque alios omnes damnet coram Deo, & vita etiam veſtra ferat de omnibus judicium? Quum *veritatem* vel *fidem* extinctam eſſe dicit, facit ſimiles vulpibus, qui tantum fraudulenter agunt. Quum dicit *nullam* eſſe *beneficentiam*, accuſat in ipſis crudelitatem: acſi diceret, ſimiles eſſe leonibus & feris beſtiis. Fontem vero omnium ſcelerum deſignat tertio membro, dicens nullam eſſe Dei notitiam. *Notitiam* enim *Dei* accipit pro timore qui naſcitur ex notitia: acſi diceret, Denique perinde licentioſe graſſantur homines, acſi non putarent Deum eſſe in cœlo; acſi deleta eſſet omnis religio ex ipſorum cordibus. Quamdiu enim reſidet aliqua Dei notitia in nobis, inſtar freni eſt ad nos cohibendos: ubi autem laſciviunt homines, & quidvis ſibi permittunt, certum eſt ipſos prorſus oblitos eſſe Dei, & jam nullam valere Dei notitiam *Pſal. 14. verſ. 1.* apud ipſos. Hinc illæ querimoniæ in Pſalmis, Dixerunt impii in corde ſuo, Non eſt Deus: loquitur impietas in corde ſuo, Non eſt Deus: quia nunquam ad brutum ſtuporem homines proruerent, ſi fulgeret vel micaret ulla ſcintilla veræ Dei notitiæ in eorum animis. Nunc ergo tenemus verum Prophetæ ſenſum. Jam, poſtquam dixit ipſos plenos eſſe perfidia & crudelitate, addit, *Maledicere, & mentiri, & occidere.* אלה ſignificat Jurare. quidam hoc loco exponunt Pejerare: alii vero conjunctim legunt hæc duo, אלה וכחש jurare & mentiri, hoc eſt, jurando fallere. Sed quia אלה ſignificat etiam Maledicere ſæpenumero, non dubito quin Propheta hic execrationes damnet, quæ tritæ & vulgares erant in populo. Species autem hic enumerat, ut melius compeſcat ferociam populi: quia ſcimus improbos non facile ſubmittere cervicem: obmurmurant primo, deinde fremunt contra ſanam doctrinam: tandem aperto furore inſaniunt, & prorumpunt etiam ad violentiam, ubi non poſſunt aliter curſum abrumpere ſanæ doctrinæ. Quicquid ſit, videmus non facile ipſos adduci ad ſcelerum ſuorum agnitionem. Hæc ratio eſt cur hic per ſpecies oſtendat Propheta quot modis iram Dei provocarint. Ecce, inquit, graſſantur inter vos execrationes, mendacia, cædes, furta, adulteria. Et videtur hic alludere Propheta ad præcepta Legis: acſi diceret, Siquis conferat vitam veſtram cum Lege Dei, reperiet vos quaſi ex profeſſo & data opera ſic vitam inſtituere, ut cum Deo pugnetis, ut violetis ſingulas Legis ejus partes. Notandum autem eſt hic non de furibus loqui, vel homicidis, quales hodie trahuntur ad furcas, vel aliis modis plectuntur: nam potius fures vocat, & homicidas, & adulteros, qui tamen in pretio erant, & qui pollebant honore & opibus; qui denique ſoli ſplendebant in populo Iſrael: illos Propheta pudendis iſtis nominibus infamat, quum vocat homicidas & fures, quemadmodum etiam Jeſaias exclamat, Principes tui ſunt latrones & *Jeſa. 1. verſ. 23.* ſocii furum. Et jam admonuimus Prophetam non dirigere ſermonem ſuum ad paucos homines, ſed ad totum populum: quia omnes à minimo uſque ad maximum defecerant. Dicit poſtea, *Perruperunt*. Non dubium eſt, hoc verbum metaphorice ſumi, acſi diceret, Jam nulla ſunt vincula, nulla repagula: ſic enim populus ipſe inſanit contra Deum, ut nulla modeſtia, nullus Legis pudor, nulla religio, nullus metus apud ipſos valeat, aut cohibeat ipſorum intemperiem. *Perruperunt* igitur. Verbo Perrumpendi comprehendit Propheta furioſam laſciviam, quæ conſpicitur in reprobis poſtquam depoſito Dei timore ſeſe projiciunt ad peccandum, idque ſine modo ullo, ſine ulla temperie. Et eodem ſenſu adjungit, *Sanguines ſanguinibus eſſe continuos.* Per ſanguines intelligit graviſſima quæque ſcelera. Dicit autem ſanguines eſſe continuos ſanguinibus, quia ſcilicet jam contexant ſcelera. Quemadmodum Eſaias dicit eſſe quaſi plauſtrum iniquitatum: ſic etiam Propheta noſter dicit, tam confuſam eſſe licentiam peccandi, ut quocunque vertat oculos, non poſſit ullam partem intactam à ſcelere notare. Sanguines ergo ſunt continui ſanguinibus; hoc eſt, ubique obverſatur horribilis ſcelerum facies. Hæc ſumma eſt: jam ſequitur,

3. Propterea lugebit terra, & languebit (*vel ſuccidetur: עמל enim utrumque ſignificat*) omnis habitans in ea, in beſtia agri, in volucre cœli, atque etiam piſcibus maris colligentur. (*ſed* in *tantundem hic valet ac* cum. *Poſſemus etiam vertere, A beſtia agri, à volucre cœli uſque ad piſces maris colligentur omnes, vel tollentur è medio.*)

Clarius nunc exprimit Propheta litem illam cujus meminit primo verſu: & jam facile conſtat non fuiſſe judicium illud verborum. Deus enim fruſtra tentaverat reducere populum in viam minando & objurgando, litigaverat ſatis cum ipſis: ipſi manebant præfracti; ideo addit, *Jam lugebit omnis terra*, hoc eſt, jam Deus ſtatuit exequi ſuum judicium. Non eſt igitur quod amplius paretis vos ad tergiverſandum, ſicuti hactenus ſoliti eſtis. Deus enim manum ſuam proferet ad ultimam perniciem. Lugebit ergo terra: malim, Et excidetur quiſquis habitat in ea: niſi forte ſignificet Propheta, Etiamſi ad tempus ſuſtineat Deus ultimum judicium, tamen nihil profecturos Iſraëlitas: quia languore continuo tabeſcent. Sed quia luctum poſuit primo loco, videtur prior ille ſenſus melius quadrare, quod ſcilicet Deus è medio tollet omnes ejus incolas. Addit, *Colligentur omnes*, vel è medio tollentur, (nam utrumque recte convenit) *à beſtia agri, & volucre cœli, uſque ad piſces maris.* Hic amplificat Propheta gravitatem iræ Dei, quia involvet etiam innoxias beſtias, & volucres cœli, imo piſces maris. Si Dei vindicta ſe extendat uſque ad bruta animalia, quid futurum eſt hominibus? Sed poſſet hic quiſpiam objicere, indignum eſſe Deo, ut in miſeras creaturas ſæviat, quæ nihil tale meritæ ſunt. quorſum enim iraſcitur Deus & piſcibus & beſtiis? Sed ſolutio facilis eſt: quoniam enim & beſtiæ, & volucres, & piſces, & reliqua denique omnia in uſum hominis condita ſunt, non mirum eſt ſi Deus maledictionis ſuæ ſigna extendat ſurſum & deorſum ad omnes creaturas, ubi vult homines ipſos ulciſci. Quærimus enim ut plurimum vana ſolatia quæ nos oblectent, vel mœrorem noſtrum temperent, quum Deus ſe nobis iratum oſtendit. Jam ubi Deus maledicit innoxiis animalibus propter nos, illic magis expaveſcimus, niſi forte nimius

minus ſtupor nos occupat. Tenemus ergo nunc cur Deus hic exitium denunciet tam brutis animalibus quam avibus & piſcibus maris, ut ſcilicet homines ſentiant ſe privari omnibus donis: quemadmodum ſiquis in ignominiam ſcelerati hominis domum evertat, ſiquis exurat totam ſupellectilem; ſic etiam Deus, qui ornavit mundum tot & tam variis opibus noſtra cauſa, ubi redigit omnia in vaſtitatem, oſtendit quam graviter nobis ſit infenſus, & ita cogit nos ad humilitatem. Hæc igitur ſumma eſt conſilii Prophetæ.

Da omnipotens Deus, quando hodie etiam non minus tibi ſumus obſtricti quam olim Iſraëlitæ, qui tam rebelles fuerunt Prophetis tuis: & quum tam ſuaviter nos ad te ſæpius allicere tentaveris, idque ſine profectu: & quum noſtra obſtinatione continua non deſierimus hactenus provocare iram tuam: da, inquam, ut ſaltem tacti iſtis admonitionibus, quas nobis proponis, dejiciamus nos totos coram facie tua, neque expectemus dum manum tuam ad nos perdendos exeras, ſed potius ſtudeamus prævenire judicium tuum, & interea certo perſuaſi te fore nobis placabilem in Chriſto tuo, confugiamus ad illum Mediatorem, ejuſque interceſſione freti non dubitemus quin paratus ſis ad dandam nobis veniam, donec tandem exuti omnibus peccatis, perveniamus ad beatam illam gloriam, quæ parta eſt nobis ejuſdem Filii tui ſanguine, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA IN

HOSEAM PROPHETAM.

CAP. IV.

4. Cæterum, vir ne objurget, & non corripiat virum: quia populus tuus tanquam objurgatores Sacerdotis.

PRopheta hic deplorat extremam populi malitiam, quod nullas admonitiones ferre poſſet: quemadmodum qui deſperati ſunt repudiant omnia conſilia, non admittunt medicos, remediis etiam ſunt infenſi. Et hoc ſignum eſt deploratæ malitiæ, ubi homines claudunt aures ſanis conſiliis, & animos ſuos obdurant. Propheta igitur ſignificat in tot & tam multis corruptelis accedere hanc pervicaciam, quod nemo audeat jam reprehendere publica vitia. Addit rationem, *Quia populus ſunt tanquam objurgatores Sacerdotis*, vel revera litigant cum Sacerdote. כ Caph enim quidam non putant hoc loco eſſe notam ſimilitudinis, ſed potius exprimere rem ipſam: & ita affirmative accipiunt, Omnino jurgantur cum Sacerdote. Sed prior ſenſus mihi probatur, quod ſcilicet ironice Propheta quoſlibet è populo vocet cenſores Paſtorum ſuorum. Et videmus homines protervos ita inſoleſcere dum reprehenduntur. Statim enim occurrit hæc objectio, Quaſi vero ego ſim puer: an ego non ſatis profeci, ut teneam quomodo vivendum ſit? Quotidie experimur tales eſſe multos, qui ſcilicet inflatis buccis jactent ſcientiam, acſi eſſent ſuperiores omnibus Prophetis & doctoribus. Et certe impii oſtentant ingenium ſuum & acumen, dum reſpuunt ſanam doctrinam: & tunc apparet plus eos didiciſſe quam quiſquam putaſſet. in quem finem? tantum ut litigent cum Deo.

Nunc redeamus ad Prophetæ verba. *Cæterum*, inquit. אך hic non accipitur pro Verè, ut multis locis: ſed eſt nota exceptionis, Interea. Cæterum, nequis alium objurget & reprehendat. In ſumma, conqueritur Propheta, quum omne genus ſcelerum in populo exundet, tamen non eſſe locum doctrinæ nec monitionibus, ſed omnes ita eſſe præfractos, ut verbum audire non ſuſtineant: ſimulac quis voluerit attingere eorum vitia, eſſe magnos doctores in replicando, ut loquuntur. Et amplificat quum dicit, eſſe *quaſi objurgatores Sacerdotis*. dicit enim eos qui ita impune contra Deum laſciviunt, non tamen contentos eſſe ſua contumacia, quum procul à ſe repellunt omnes objurgationes: ſed ultro etiam inſurgere contra ſuos doctores. Et quemadmodum jam dixi, communis uſus ſatis oſtendit omnes profanos Dei contemptores inflatos eſſe hac confidentia, ut audeant alios impetere. Divinant hic quidam Sacerdotem fuiſſe adeo probroſum, ut obnoxius eſſet omnium convitiis; ſed illud eſt leve ac frigidum. Propheta enim hic ſtylum non ſtringit contra unum hominem, ſed potius graviter increpat illam populi contumaciam, quemadmodum diximus, quod nemo poterat reprehenſorem audire. Sciamus ergo tunc inſanabiles eſſe vitiorum morbos, ubi populus obduruit ad ſana conſilia, nec patitur amplius ſe reprehendi. Sequitur,

5. Et corrues interdiu, & corruet etiam Propheta tecum nocte, & abolebo matrem tuam.

Hic copula loco illativæ particulæ accipitur, *Corrues igitur*. Denunciat hic Deus vindictam præfractis hominibus: acſi diceret, Quia nihil amplius auctoritatis mihi defertis, ut verbis vos caſtigem, jam non agam vobiſcum hoc modo, ſed ulciſcar hunc contemptum verbi mei. Sic autem agere ſolet Deus: tentat primo homines, hoc eſt, facit periculum an ad reſipiſcentiam adduci queant, ſevere eos objurgat, expoſtulat cum ipſis: ſed poſtquam omnia verbis expertus eſt, tandem deſcendit ad extremum illud remedium: nempe manum ſuam exerit, quia non dignatur amplius litigare cum hominibus, ut prius dictum fuit. Concludit ergo hoc loco Dominus, quia videt Prophetas ſuos contemni, adeoque totam doctrinam eſſe ludibrio, brevi futurum ut populus ipſe pereat. Quidam היום vertunt Hodie, & putant notari breve tempus: ſed quia paulo poſt ſubjicit Propheta, *Et corruet ſimul Propheta tecum* לילה *nocte*, ideo ſic interpretor, quod populus ipſe turmatim peribit; deinde trahentur etiam in idem exitium Prophetæ, qui ſcilicet bona ex parte accerſiverant populo talem vindictam. Corrues igitur die, & corrues nocte Propheta: hoc eſt, idem exitium ſimul omnes implicabit. quod ſi non ſtatim abripiat Prophetas interitus, non tamen effugient manum meam: ſequentur ipſi ordine ſuo. Noctem igitur & diem conjungit Propheta continua ſerie: acſi diceret, Ego à primo ad ultimum omnes perdam, & nullus ſe eximet à pœna. quod ſi putent ſe fore impunitos, qui tardius rapientur ad vindictam, fallentur. Quemadmodum enim nox ſequitur diem, ita etiam alii alios ſecum trahent in eundem interitum. Interea tamen non dubito quin metaphorice Propheta per *diem* ſignificet tranquillum & lætum illud tempus

quo

quo populus ſuperbiebat. Significat ergo pœnam, de qua vaticinatur, fore repentinam: quia niſi prope aſpiciant impii manum Dei, ſemper minas omnes ſubſannant, quemadmodum alibi viſum fuit. Deus ergo dicit ſe pœnas ſumpturum de populo *interdiu*, hoc eſt, etiam in ipſa meridie, & quum ſol lucebit: jam poſtquam obtenebratum fuerit tempus, ſequentur etiam ſuo loco Prophetæ. Satis conſtat Hoſeam hic non de veris & fidelibus Dei miniſtris loqui, ſed de impoſtoribus, qui populum fallebant ſuis blanditiis, quemadmodum fieri ſolet. Nam ſimulac Propheta aliquis ſincere volebat præſtare ſuum officium Deo, prodibant in medium adulatores, Hic eſt nimium rigidus, & abutitur Dei nomine, quum denunciat tam graves pœnas: nos ſumus populus Dei. Tales igitur Prophetas tenendum eſt hic notari, quia pauci erant qui tunc fideliter peragerent munus ſuum: magna autem erat eorum turba qui populo indulgebant & ejus vitiis. Poſtea additur, *Abolebo etiam matrem tuam.* Matris nomen hic accipitur pro ipſo Eccleſiæ nomine, quo ſcimus Iſraëlitas ſolitos fuiſſe ſuperbire adverſus Deum, quemadmodum hodie faciunt Papiſtæ: jactant matrem ſuam Eccleſiam; & hic eſt ipſis clypeus Ajacis, ut loquuntur. Siquis corruptelas eorum oſtendat, ſtatim confugiunt ad illam umbram, Quid? annon ſumus Eccleſia Dei? Quum ergo Iſraëlitas videret Propheta abuti fallaci hoc titulo, dicit, Ego ſimul perdam matrem veſtram: hoc eſt, Non impediet veſtra iſta gloriatio, & nobilitas generis Abrahæ, & Eccleſiæ ſacer titulus, quominus ſumat Dominus de omnibus horrendam vindictam; quia ab ipſa radice avellet & abolebit ipſum quoque nomen matris veſtræ: hoc eſt, diſcutiet fumum illum quem jactatis, quum tegitis veſtra flagitia ſub Eccleſiæ titulo. Sequitur,

5. Periit (*perierunt, ad verbum: ſed quia* עם *eſt nomen collectivum, ideo promiſcue conjungitur utrique numero*) populus meus abſque ſcientia: quia tu ſcientiam repuliſti, etiam repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi: & quia oblitus es Legis Dei tui, obliviſcar filiorum tuorum ego quoque.

Hic diſerte perſtringit Propheta ignaviam Sacerdotum, quos Dominus præfecerat regendo populo, ut ſatis notum eſt. Quanquam enim non potuit hoc valere ad excuſandum populum, vel extenuandam ejus culpam, quod Sacerdotes ipſi erant ignavi; hic tamen merito invehitur Propheta in eos, quia ſcilicet non præſtiterint officium quod illis Deus injunxerat. Sed hoc non tantum in Sacerdotes competit: ſimul enim Deus oblique taxat voluntariam populi cæcitatem. Unde enim factum eſt ut non viguerit inter Iſraëlitas pura doctrina, niſi quod populus hoc maxime optavit? Fuit igitur craſſa ignorantia, ut loquuntur: ſicuti etiam hodie multi impii non modo affectant tenebras, ſed undique etiam attrahunt, ut ſit illis ignorantiæ prætextus. Deus ergo hic Sacerdotes primo loco aggreditur, ſed comprehendit etiam totum populum, quia ſcilicet non viguerit illic doctrina quemadmodum decebat. Dominus autem exprobrat Iſraëlitis ingratitudinem, quia illic accenderat lucem cœleſtis ſapientiæ: quia Lex, ſicuti notum eſt, valere debet ad regendos homines. Perinde eſt igitur acſi Deus ipſe affulgeat è cœlo, quum proponit Legem ſuam. Unde igitur factum eſt ut Iſraëlitæ perierint ſua ignorantia? nempe quia clauſerunt oculos ad lucem cœleſtem, quia non ſunt dignati ſe præbere dociles ſapientiæ æterni Patris. Videmus ergo hic non extenuari populi culpam, ut dictum fuit; ſed Deum potius conqueri, quod ſuppreſſerint maligne Legis ſuæ uſum: quia Lex idonea erat ad ipſos regendos. Populus ergo periit abſque ſcientia, quia voluit perire. Jam denunciat Propheta tam Sacerdotibus quam toti populo vindictam. *Quia ſcientiam repuliſti*, inquit, *ego etiam te repellam, ne ſacerdotio fungaris mihi.* Hoc ad Sacerdotes proprie dirigitur. accuſat eos Dominus, quod ſcientiam repulerint. Nam petenda erat ſcientia ex labiis ipſorum: quemadmodum dicit
Mal. 2:7. Malachias, & Moſes etiam idem attingit Deutero-
Deut. 33. verſ. 10. nomii triceſimo tertio capite. Fuit igitur hæc extrema pravitas in Sacerdotibus, acſi vellent evertere ſanctum Dei ordinem, quum appeterent honorem & gradum officii abſque ipſo officio: quemadmodum hodie Papiſtæ contenti ſunt tam dignitate quam ſuis opibus. Cornuti Epiſcopi ſunt Præſules, ſunt Antiſtites, magnifice jactant ſe eſſe capita Eccleſiæ, & volunt haberi pares Apoſtolis: interea quis eorum curat ſuum munus? imo putant hoc ſibi quodammodo fore dedecori, ſi officio ſuo & vocationi Dei reſpondeant. Nunc ergo videmus quid velit Propheta. *Quia tu ſcientiam repuliſti, ego quoque te repellam, ne fungaris mihi ſacerdotio.* In ſumma, oſtendit divortium, quod facere tentabant Sacerdotes, eſſe ridiculum & præter naturam, eſſe portenti loco, eſſe denique impoſſibile. Quare? volebant enim retinere titulum & opes, volebant cenſeri præſules Eccleſiæ ſine ſcientia. Deus non patitur ita divelli res ſacroſancto nexu inter ſe conjunctas. Tu ergo, inquit, officium tibi ſumes abſque ſcientia? imo quia tu repuliſti ſcientiam, ego etiam recipio ad me honorem ſacerdotii quem prius detuli. Eſt hic inſignis locus, quo retunditur veſana illa jactantia Papiſtarum, dum nobis magnifice obtrudunt ſuam Hierarchiam & ordinem ſui Clericatus, ut vocant, hoc eſt, putidæ ſuæ fæcis: quia Deus hic pronunciat verbo ſuo, fieri non poſſe ut quis Sacerdos ſit abſque ſcientia. Cæterum non vult Sacerdotes ſibi tantum ſapere, & eſſe quaſi mutos. vult enim theſaurum, quem apud ipſos depoſuit, toti Eccleſiæ eſſe communem. Ergo Deus de ſcientia ſacerdotali loquens, complectitur etiam prædicationem. Siquis ſit literatus, quemadmodum fuerunt noſtra ætate quidam inter Epiſcopos & Cardinales: ſiquis ergo talis ſit, tamen non ideo cenſebitur inter doctos; quia doctrina ſacerdotalis, ut dictum fuit, eſt theſaurus totius Eccleſiæ. Ubi igitur jactatur ſacerdotium ſine miniſterio verbi, merum ludibrium eſt, quia ſunt termini convertibiles fere (ut loquuntur) Doctor & Sacerdos. Nunc tenemus ſenſum prioris membri. Jam ſequitur, *Quia oblitus es Legis Dei tui, obliviſcar etiam filiorum tuorum.* Quidam hoc poſterius membrum reſtringunt ad Sacerdotes, & putant uno contextu hæc omnia dici: ſed ſiquis propius expendat Prophetæ verba, reperiet hoc potius ſpectare ad populi corpus. Hic noſter Propheta in ſuis ſententiis ſæpe conciſus eſt, & ita ſunt variæ & ambiguæ tranſlationes: nunc loquitur in ſua perſona, nunc aſſumit perſonam Dei, nunc convertit ſermonem ad populum, nunc in tertia perſona loquitur, nunc Sacerdotes objurgat, poſtea ſtatim ad totum populum tranſit. Prius viſa fuit communis denunciatio, Corrues ipſe interdiu, nocte Propheta ſequetur, & mater veſtra peribit. Jam non dubito quin confirmet eandem ſententiam Propheta aliis verbis. Ac primo loco ſumit illud principium, quod ignavi fuerint Sacerdotes, & quod populus etiam extinxerit lucem cœleſtis doctrinæ. Poſtea denunciat Sacerdotibus quale meriti ſunt judicium: Ego, inquit, te à ſacerdotio dejiciam. Nunc deſcendit ad omnes Iſraëlitas, *Tu oblitus es*, inquit, *Legis Dei tui, obliviſcar etiam filiorum tuorum.* Hæc autem culpa haud dubie reſidebat in toto populo: nemo erat ab

hoc

hoc ſcelere immunis. & hæc oblivio apte tribuitur populo. Unde enim factum eſt ut Sacerdotes ſecure excuſſerint onus illud à ſuis humeris ut populum docerent? nempe quia populus etiam nolebat ſibi aures obtundi. Nam impii queruntur ſervos Dei importunos eſſe, dum aſſidue clamitant contra vitia. Populus ergo libenter dat inducias doctoribus, ne officium faciant. ita obrepit Legis Dei oblivio. Quemadmodum ergo denunciavit Propheta Sacerdotibus ſuam pœnam, ita nunc compellat totum populum, quod Deus extendet horribile judicium ad omnes, nempe ut deleat totum Abrahæ genus: *Ego filiorum tuorum*, inquit, *obliviſcar*. Quare? Dominus pepigerat fœdus cum Abraham, ut fœdus illud valeret, ac ratum eſſet ad poſteros: ipſi deſciverant à vera fide, erant filii degeneres. Merito ergo Deus hic teſtatur ſe habere juſtam cauſam cur non amplius reputet inter filios Abrahæ illum degenerem populum. Quare? Vos enim obliti eſtis Legis meæ, inquit. Nunc ſi memores eſſetis Legis, ego viciſſim fœdus meum erga vos ſervarem: ſed non recordabor amplius fœderis, quia à vobis violatum eſt. Filii ergo veſtri non merentur cenſeri in tali fœdere, quia tales eſtis. Sequitur,

7. Secundum multiplicari eorum, ſic peccaverunt mihi: gloriam eorum in ignominiam mutabo.

Hic amplificat Propheta ſcelus populi & impietatem, addita circumſtantia, quod ſcilicet magis proterve laſcivierint adverſus Deum, quum ipſis tam eſſet liberalis, ut effunderet plena exuberantia in eos ſuas divitias. Talem prius querimoniam vidimus: ſed ſcimus Prophetas non ſemel tantum loquutos eſſe de una re: quum viderent ſe nihil profeciſſe, viderent graſſari Dei contemptum, neceſſe fuit ſubinde repetere quæ prius dixerant. Hic ergo Propheta Iſraelitas accuſat, quod indigne abuſi fuerint Dei indulgentia: quia ſcilicet ſibi majorem licentiam peccandi conceſſerint, quum Dominus tam benigne & clementer ipſos tractavit. Quidam reſtringunt hoc ad Sacerdotes, quod ſcilicet magis peccaverint adverſus Deum, ubi Tribum Leviticam auxit numero, deinde ubi etiam auxit opibus. Sed non dubito quin totum populum complecti voluerit Propheta. Partitus enim eſt proximo verſu crimina Sacerdotum & populi, quum principium commune initio ſumpſiſſet. Jam redit ad principium illud, quod ſcilicet à ſummo uſque ad infimum omnes ſe impie & ſcelerate geſſerint adverſus Deum. Scimus autem tam hominum numero quam opibus auctos fuiſſe Iſraelitas. Florebant enim ſub ſecundo Jarobeam, ut dictum fuit: & putabant tunc ſe prorſus beatos eſſe, quia omni rerum copia referti erant. Deus ergo nunc oſtendit eo deterius ipſos agere, & minus eſſe excuſabiles, quia ſic laſciviant, quemadmodum equus, ubi bene ſaginatus eſt, ſi calcitret
Deut. 32. contra ſuum dominum: ſicuti etiam Moſes utitur
verſ. 19. hac ſimilitudine in ſuo cantico. Nunc tenemus quid velit Propheta. Ergo quum dicit, כרבם, *ſecundum multiplicari eorum*: ego hoc neque de hominibus ſimpliciter, neque de divitiis interpretor, ſed de omni benedictionum genere. Nam Dominus hic in ſumma accuſat populi ingratitudinem, quod quo benignius cum ipſo egerat & liberalius, eo protervior fuerit ad peccandum. Poſtea adjungit, *Gloriam eorum in ignominiam mutabo*. Hic denunciat ſuperbis hominibus Dei judicium, quod non timebant. Scimus enim homines excæcari proſpera fortuna. Et iſta eſt peſſima ebrietas, quum nobis videmur beati. Ita enim quidvis nobis permittimus contra Deum, & ſurdi ſumus ad omnem doctrinam: denique ſumus prorſus indociles. Jam Propheta dicit, *Ego commutabo hanc gloriam in ignominiam*: hoc eſt, Non eſt quod ſibi confidant, & ſtulte ſibi imponant, quum oculos defigunt in ſuum præſentem ſplendorem: nam meum eſt mutare illorum gloriam, inquit Dominus. Videmus ergo ut hic Propheta velit excutere inanem confidentiam Iſraëlitis: quia ſolebant opponere Deo ſuas divitias, ſuam gloriam, opes, equitatum, & currus. Hæc eſt veſtra gloriatio. atqui in manu mea eſt & poteſtate arbitrium utriuſque fortunæ: imo, in me unum competit mutatio gloriæ in ignominiam, inquit Dominus. Sed interim ſignificat Propheta, fieri non poſſe ut Deus ita proſtituat ſua beneficia indignis hominibus, tanquam porcis. Eſt enim hæc quædam profanationis ſpecies, quum homines ſic adverſus Deum ſuperbiunt, dum ipſos tolerat, dum ipſis indulget. Competit igitur hæc comminatio in eos omnes qui abuſi fuerint Dei beneficentia: quia ſcilicet nolit Dominus profanari hoc modo ſuam gratiam. Sequitur,

8. Peccatum populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum tollent animam ejus. (*ad verbum, levabunt animam ejus.*)

Occaſionem multis interpretibus dedit hic verſus, ut putarent hæc omnia quæ prius vidimus, debere ad ſolos Sacerdotes reſtringi. Sed non fuit ſatis firma ratio. Diximus enim Prophetam ſolere ſubinde à populo ad Sacerdotes tranſitum facere: ſed quia gravior culpa in ipſis Sacerdotibus hærebat, ideo ſæpius in ipſos invehitur, quemadmodum etiam hoc loco. *Comedent*, inquit, *peccatum populi mei*, *& levabunt ad iniquitatem eorum animam ejus*: hoc eſt, quiſque levabit animam ſuam, vel levabit animam peccatoris in iniquitate. Relativum enim tam Sacerdotibus quam plebeiis convenit: mutatur numerus. Nam dicit יאכלו, deinde ישאו in plurali numero, *Comedent peccatum*, *& levabunt*, in tertia perſona: poſtea addit, *animam ejus*: poteſt eſſe, *ſuam*; tamen eſt relativum ſingularis numeri. Neceſſe eſt igitur eſſe numeri mutationem. Nunc liberum erit eligere ſive hoc Propheta dicat de plebeiis, ſive de Sacerdotibus: & quadrat utriſque, ut dictum fuit, ſed diverſo ſenſu. Poſſemus enim intelligere Sacerdotes levare animas ſuas ad iniquitatem populi, quia cupide audiant populum deditum eſſe multis ſceleribus, quia ſcilicet tantundem prædæ inde ſperant: quemadmodum ſiquis ſperet à prædonibus aliquod præmium, libenter audiet ipſos ditatos eſſe. deputabit enim illas divitias in ſuo lucro. Sic etiam quum inhiarent Sacerdotes quæſtui, putabant ſecum agi præclare, quum populus adduceret multas hoſtias. Id autem fieri ſolet ubi adulterata eſt Legis doctrina, & impii putant ſibi hoc unum reſtare, ut ſatisfaciant Deo per ſacrificia, & tales expiationes. Ergo levatio animæ erit (ſi de Sacerdotibus accipimus hunc locum) cupiditas lucri. Si ad ipſos peccatores referre magis libeat, ſenſus erit, Super iniquitatem eorum levant animam eorum: hoc eſt, Vanis ſolatiis erigunt qui erant rei, & extenuant eorum vitia: vel ſuis blanditiis ſepeliunt quicquid fuit timoris Dei, & prorſus ſuffocant. Ergo hoc ſecundo ſenſu, Levare animam, erit vanis ſolatiis lactare, & eximere omnem ſcrupulum, vel levare omnem triſtitiam, imo abolere omnem reatum falſa imaginatione. Nunc venio ad ſummam totius rei. Quanquam Propheta hic Sacerdotes accuſat, non dubium tamen eſt quin ſimul populum involvat eodem reatu. & merito. Unde enim fit ut Sacerdotes lucrum ſperent ex ſacrificiis? nempe quia everſa eſt Legis doctrina. Deus inſtituerat ſacrificia in hunc finem, ut quiſquis peccaverat, admonitus de ſuo

reatu, gemeret: deinde ut triſti illo ſpectaculo magis vulneraretur ejus conſcientia. Quum videbat innoxium animal occidi ad altare, debebat horrere judicium Domini: deinde volebat etiam Deus exercere fidem omnium, ut confugerent ad expiationem quæ præſtanda erat per Mediatorem promiſſum. Simul etiam mulcta quam tunc Deus peccatoribus inflixit, debuit inſtar freni eſſe ad eos cohibendos. Denique modis omnibus ſacrificia huc ſpectabant, ut non tam facilis vel propenſus eſſet populus ad peccandum. Quid autem faciunt impii? nempe Deo illudunt, & putant ſe perfunctos eſſe, ubi ſolverunt bovem aut agnum: & liberius poſtea ſibi indulgent. Deriſa fuit hæc tam craſſa inſania etiam à profanis
Plato. ſcriptoribus. Plato enim de talibus ſacrificiis ita diſſerit, ut oſtendat ſceleratos prorſus eſſe, qui volunt talibus nugis paciſci cum Deo. Et certe ita loquitur lib. 2. de Repub. acſi vellet deſcribere Papatum. Nam loquitur de purgatorio, loquitur de ſatisfactionibus: & quicquid hodie afferunt Papiſtæ, hoc totum Plato illic diſerte exprimit eſſe prorſus inſulſum & ridiculum. Sed tamen invaluit omnibus ſeculis hæc ſecuritas, ut putarent homines ſe liberatos eſſe à manu Dei, ſi afferrent aliquod ſacrificium: hæc fuit illis compenſatio, ſic imaginati ſunt. Propheta ergo nunc de hac pravitate conqueritur: *Comedunt*, inquit, (nam loquitur de continuo actu) *peccata populi mei, & ad iniquitatem levant animam cujuſque*: hoc eſt, Dum omnes peccant unus poſt alium, quiſque facile abſolvitur, quia ſcilicet affert Sacerdotibus prædam. Perinde acſi diceret Propheta, Colludunt inter ſe & Sacerdotes & populus. Quare? Nam Sacerdotes ſunt ſocii prædonum, & rapiunt libenter quicquid affertur: ita non bellum gerunt cum ipſis vitiis, ut decebat, ſed potius tantum urgent ſacrificia: & hoc unum ſatis eſt, ſi homines large ad templum afferant: populus autem ipſe ita oſtendit contemptum Dei, quia modo ſatisfaciat ſuis ceremoniis, fingit ſe fore immunem à pœna. Sic ergo quædam impia conſpiratio graſſatur inter Sacerdotes & populum: Dominus in medio ipſorum deluditur. Nunc ergo tenemus genuinum Prophetæ ſenſum: & ita mihi magis placet poſterior expoſitio de levatione animæ, quod ſcilicet levent Sacerdotes cujuſque animam, hoc eſt, vanis ſuis blanditiis levent conſcientias, & vivificent animas quæ moriebantur, Eze. 13.
quemadmodum dicit Ezechiel. Jam ſequitur, verſ. 19.

9. Et erit, Sicut populus, ſic erit Sacerdos: & viſitabo ſuper eum vias ejus, & opera ejus rependam ei.

10. Comedent enim & non ſaturabuntur, ſcortabuntur & non augeſcent, (*vel creſcent, id eſt, non propagabuntur*) quia Jehovam reliquerunt ad ſervandum. (*hoc eſt, dereliquerunt Deum, ne ipſum obſervent.*)

Hic rurſum Propheta communem utriſque pœnam denunciat, ſicuti nemo à culpa erat immunis. Dicit, *Sicuti populus, ſic erit Sacerdos*: hoc eſt, neque his neque illis parcam, quia Sacerdos abuſus eſt honore ſibi delato, & quum hac lege præfectus eſſet divinitus Eccleſiæ, ut populum in pietate & ſancta vita contineret, ipſe perrupit, & violavit omnem doctrinam: deinde populus ipſe voluit habere tales doctores, hoc eſt, mutos. Ego igitur nunc de omnibus ſimul pœnas ſumpturus ſum, inquit Dominus. Erit ergo ſicut populus, ita Sacerdos. Quidam magis reſtringunt, quod ſcilicet Deus ſpoliabit Sacerdotes honore, ut nihil à populo differant: quod quidem verum eſt, ſed interea non putant Prophetam aliis minari quam ſolis Sacerdotibus, quod falſum eſt. Quanquam enim ubi Deus ulciſcitur contemptum Legis ſuæ in Sacerdotibus & populo, delet Sacerdotii honorem, & abolet ita ut æqualitas ſit inter magnos & contemptos: tamen non dubium eſt quin Propheta hic pronunciet Deum fore ultorem Legis ſuæ, tam adverſus Sacerdotes, quam reliquos peccatores. Latius ergo patet hæc doctrina, quam illi volunt. Reliqua differemus in diem craſtinum.

Da omnipotens Deus, quando tam blande hactenus nos ad te invitaſti, & quotidie etiam invitas, & quando etiam minas ſæpe inſeris quibus expergefacias torporem noſtrum, nos autem torpidi fuimus tam ad illam paternam comitatem, quam ad objurgationes: da, inquam, ne ad extremum pergamus in hac noſtra malitia, atque hoc modo provocemus vindictam quam hic perditis hominibus denuncias: ſed antevertamus iram tuam vera reſipiſcentia, ac ſub manu tua, imo ſub verbo tuo humiliemur, ut nos recipias in gratiam, & in ſinu tuo paterno foveas, per Chriſtum Dominum, Amen.

PRÆLECTIO UNDECIMA IN HOSEAM PROPHETAM.

CAP. IV.

UNum mihi excidit heſterna lectione, quod nunc breviter attingam. Quæri poſſet cur dicat hic Propheta ſpoliandum eſſe honore ſuo qui verus non erat Sacerdos, nec legitimus. Nam ſcimus nullum fuiſſe Templum apud Iſraëlitas, in quo rite Deum coluerint. Etſi enim ſolenne illis fuit obtendere veri Dei nomen, ſcimus tamen fuiſſe inanes illos prætextus: ſiquidem Dominus Sacrarium unum duntaxat elegerat Jeroſolymæ: hinc ſequitur, quotquot fuerunt Sacerdotes in populo Iſraëlitico, fuiſſe adulterinos. Non potuit igitur fieri, ut Deus honorem illis detraheret. Sed non novum eſt, Deum tales pœnas ſumere de impiis, ut etiam quod videntur habere, illis eripiat. Quemadmodum hodie in Papatu, qui ſe Clericos & Sacerdotes jactant, ſunt meræ larvæ: quia tamen adhuc retinent titulum illum, ideo poſſet jure idem illis objici, quod ſeculi ſui falſis Sacerdotibus minatus eſt Propheta, nempe ipſorum dedecus manifeſtum fore, ut deſinant jactare ſuam dignitatem, qua adhuc fallunt ſimplices & imperitos. Ergo nunc tenemus Prophetæ conſilium. Quemadmodum prius dixerat, Ego te deducam in deſertum, & tunc ceſſabit Ephod, & ceſſabunt Teraphim. Scimus nullum fuiſſe Ephod quod Dominus probaret, præter unicum illud quo induebatur Sacerdos legitimus. Sed quia erat æmulatio inter Iſraelitas & Judæos, & qui deſciverant à vero & puro Dei cultu, jactabant tamen ſe Deum Abrahæ colere: ideo etiam pronunciat Dominus ſe non paſſurum ut deliteant ſub talibus larvis. Nunc redeo ad locum Prophetæ: dicit hoc loco, *Comedent & non ſaturabuntur*: deinde, *Scortabuntur & non creſcent, quia Dominum dereliquerunt ad obſervandum*. Propheta rurſus hic denunciat pœnam quæ inſtabat Iſraelitis. Ac primo dicit, *Comedent & non ſaturabuntur*, reſpiciens ſcilicet ad proximam ſenten-

tentiam. Inhiabant enim lucro Sacerdotes, & hæc illis una cura erat, ut ſatiarent ventrem ſuum. Quoniam ergo inexplebilis erat ipſorum cupiditas, quæ etiam in cauſa erat ut pravam licentiam populo concederent, ideo nunc dicit, *Comedent & non ſaturabuntur.* Porro his verbis ſignificat Propheta non copia vel abundantia annonæ homines ali, ſed benedictione Dei potius. Fieri enim poterit ut quis multum ingurgitet, neque tamen ſufficiat quantumvis larga copia. Et hoc ſæpe experimur in fame, quia tunc frangitur baculus panis, hoc eſt, Dominus aufert fulturam à pane, ut voracitas nos non expleat. Huc pertinet etiam ſententia iſta Prophetæ: *Comedent*, inquit, *& non ſaturabuntur.* Quia Sacerdotes putabant ſibi bene eſſe, ſi colligerent undique magnam prædam, ex oppoſito ſignificat Deus hoc fore ipſis inutile & vanum, quia nulla ſatietas ſequetur: utcunque abſorbeant ingluvie ſua quicquid affertur in medium, quod tamen nunquam erunt ſaturi. Poſtea addit, *Scortabuntur & non creſcent*: id eſt, quamvis ſibi frenum laxent ad promiſcuas libidines, tamen ego non patiar ipſos propagari: tantum abeſt ut creſcant, vel generent ſobolem ex legitimis conjugiis, ut etiamſi paſſim ſcortentur, tamen maneant ſteriles. In ſumma, hic Propheta teſtatur falli impios, quum exiſtimant pravis & illicitis mediis ſe fore compotes votorum: quia ſcilicet Dominus eorum deſideria fruſtratur. Putant avari, ſi mulum rapiant, ſe fore probe munitos adverſus omnem inopiam: & ut alios omnes urgeat penuria, tamen exiſtimant ſe fore immunes ab omni periculo. Dominus autem illam ſtultitiam deridet. Colligite, colligite magnos acervos: ego autem ſufflabo in veſtras divitias, ut evaneſcant, vel ſaltem nihil vobis proſint ad uſum. Sic etiam date operam generandæ ſoboli, etiamſi quis decem uxores ducat, vel paſſim ſcortetur, manebit tamen ſterilis. Sic videmus juſtam pœnam ſumi de profanis hominibus, ubi ſuis cupiditatibus indulgent: quia ſcilicet promittunt ſibi lætum exitum, Deus autem ex oppoſito maledictionem ſuam denunciat. Poſtea addit, *Dereliquerunt Dominum ad cuſtodiendum*: hoc eſt, ne ipſum cuſtodiant vel ſervent. Hic fontem & præcipuam cauſam omnium malorum oſtendit Propheta, quod ſcilicet Iſraëlitæ à vero Deo & ejus cultu defecerint. Etſi enim retinebant nomen Dei, imo audacter ſolebant objicere Prophetis ſe eſſe filios Abrahæ, & electos à ſummo Deo, tamen dicit ipſos eſſe apoſtatas. Quare? quia quiſquis Deo fidem ſervat, ille etiam continet ſe ſub cuſtodia verbi ejus, & ita non vagatur poſt ſua figmenta: Iſraëlitæ autem ſibi quidvis permiſerant. Quum ergo certum ſit excuſſum fuiſſe ab ipſis Legis jugum, non mirum eſt quod Propheta dicat receſſiſſe à Domino. Sed notanda eſt confirmatin illius ſententiæ, Quod ſcilicet nemo poteſt conſtanter ſervare Deo fidem, niſi qui obſervat ejus verbum, vel manet ſub ejus cuſtodia. Nunc pergamus.

11. Scortatio, & vinum, & muſtum auferent cor. *(alii vertunt, occupant cor.)*

Verbum לקח ſignificat Tollere: & poſſet etiam tolerabilis eſſe ſenſus, quod ſcilicet vinum & ſcortatio cor poſſideant. ſed ego ſimplicius interpretor pro Auferre. Non eſt autem generalis ſententia, ut magna pars fingit. nam putant eſſe quaſi proverbiale dictum, quod ſcortatin & vinum privent homines recto ſenſu & intelligentia. Ego autem non dubito reſtringi ad Iſraelitas: acſi diceret Propheta ipſos carere recto ſenſu, & eſſe ſimiles brutis animalibus, quia ebrietas & ſcortatio illos infatuarunt, vel faſcinarunt. Jam poſſumus utrumque metaphorice accipere, ut ſcortatio ſit ſuperſtitio, & etiam ebrietas. Videtur tamen aptius eſſe ad contextum, quod Propheta hic exprobret Iſraelitis petulanter ipſos projicere omnem doctrinam, quia nimis dediti ſunt ſuis voluptatibus, & nimis etiam ſunt ſaginati. Quia ergo Iſraëlitæ & omni copia bonorum ditati erant, & etiam diffluxerant in fœdas delicias, ideo dicit Propheta ipſos carere ſenſu: & hoc ut plurimum fieri ſolet. Ego itaque non tractabo hic fuſius de ebrietate & ſcortatione. Hæc quidem vera ſunt, ſiquis addictus eſt ſcortationi, privari & modeſtia & recto ſenſu: vinum etiam eſſe quaſi virulentum, quia ſemper venenum admixtum eſt, ut ille dicebat: & terra, ubi videt ſanguinem ſuum ſorberi intemperanter, ulciſcitur homines. hæc vera ſunt: ſed videndum eſt quid voluerit Propheta. Quemadmodum autem dixi, ſimpliciter dirigit ſermonem ad Iſraëlitas; & dicit, ideo tam eſſe fatuos & dementes, quia Dominus nimis liberaliter ipſos tractaverit. Nam, ut diximus, tunc regnum Iſraëlis valde opulentum erat, & refertum omne genus deliciis. Hoc ergo ipſum nunc diſerte perſtringit Propheta: Unde fit ut ſitis tam ſocordes, ut nulla jam ſit in vobis rectæ intelligentiæ gutta? nempe quia crapulæ dediti eſtis: hoc eſt, Quia apud vos nimis larga bonorum omnium copia abundat, hinc fit etiam, ut diffluant omnes in ſuas delicias. Hæc igitur vobis cor auferunt. In ſumma, hic Deus intelligit, ſuis beneficiis abuſos fuiſſe Iſraelitas, quia ſcilicet lautitiæ ipſos excæcaverint. Hæc ſumma eſt: nunc pergamus.

12. Populus meus in ligno ſuo interrogat, *(vel lignum ſuum conſulit)* & baculus ejus reſpondet ei: *(ad verbum, reſpondebit: ſed ſignſicat actum contmuum)* quia Spiritus fornicationem decepit, & fornicati ſunt à Deo ſuo. *(à ſubtus Deo ſuo: hoc eſt, ne amplius ſubjecti ſint Deo, vel pareant.)*

Hic Propheta Iſraëlitas appellat Dei populum, non honoris cauſa, ſed potius ut augeat crimen: quia eo magis deteſtabilis fuit populi perfidia, quod quum electus eſſet, potuit ita cœleſtem ſuum Patrem deſerere. *Populus ergo meus.* Hic ſubeſt tacita comparatio inter omnes alias gentes, & ſemen Abrahæ, quod eos adoptavit. Hic eſt ſcilicet populus ille, quem volui mihi eſſe ſacrum, quem ego mihi ex cunctis gentibus mundi aſſumpſeram; erat hereditas mea. Nunc populus iſte, qui meus eſſe debuerat, conſulit lignum ſuum, & baculus ejus reſpondet. Videmus ergo gravem & ſeveram eſſe hanc exprobrationem, quum Dominus inæſtimabile illud beneficium commemorat, quo dignatus fuerat filios Abrahæ. Sic hodie gravior erit noſtra culpa, niſi maneamus in puro Dei cultu, poſtquam nos ſibi aſcivit, & voluit ſibi eſſe in peculiarem gregem. Imo Papiſtis idem poteſt objici quod videmus objectum fuiſſe Iſraelitis: nam ſimulatque naſcuntur illic infantes, Dominus eos inſignit ſacro ſymbolo Baptiſmi. Sunt ergo Dei populus aliqua ex parte. Interea videmus quam craſſæ & fœdæ ſuperſtitiones illic graſſentur: nihil eſt illis ſtupidius. Turcæ ſaltem & Sarraceni præ illis ſobrii ſunt. Quantum eſt igitur iſtud flagitium, & quam turpe, quod Papiſtæ, qui jactant ſe eſſe populum Dei, ita poſt ſuas amentias feruntur? Jam dicit Propheta Iſraëlitas *Conſulere lignum ſuum*, vel ſciſcitari in ligno. Non dubium eſt quin hic eos accuſet, quod tranſtulerint veri & unici Dei gloriam ad ſua idola, vel deos fictitios. Conſulunt, inquit, lignum ſuum, *& baculus* reſpondet illis. Videtur tamen in ſecundo membra alludere ad cæcos, quemad-

modum ſi cæcus baculum ſuum interroget, ita dicit Iſraëlitas petere conſilium à ligno ſuo & baculo. Quidam putant hic notari ſuperſtitiones quæ tunc in uſu fuerunt. Scimus augures uſos fuiſſe lituo: & credibile eſt etiam in Oriente divinos adhibuiſſe vel baculum, vel aliquid tale, quum ſuas incantationes peragerent. Alii allegorice exponunt has voces, quaſi lignum ſit falſa religio: baculus autem ſignificet impios Prophetas. Sed ego libenter in ſimplicitate maneo. Mihi ergo videtur magis probabile, quod jam attuli, nempe hic damnari Iſraëlitas, quod conſuluerint lignum, id eſt, mortua idola unius Dei loco. Hoc enim perinde eſſe, acſi cæcus conſilium à baculo ſuo petat: baculus autem caret omni ratione & ſenſu. Eſt quidem uſus aliquis baculi, ſed in alium finem. Et ita non modo per contemptum, ſed ironice Propheta deridet eorum ſtultitiam, qui conſuluut deos ligneos & lapideos, quia tantundem hoc valet acſi quis baculum haberet pro ſuo conſiliario. Jam ſubjicit, *Quia ſpiritus fornicationum decepit.* Hic rurſus crimen exaggerat Propheta, quod ſcilicet Iſraëlitis non debeat tantum imputari mediocris culpa. Dicit enim prorſus fornicationi eſſe deditos. *Spiritus ergo fornicationum decepit*, perinde eſt acſi quis inflammatus ſua libidine rueret: quemadmodum videmus brutos homines ferri interdum cæco & pudendo impetu, quia jam ablatum eſt diſcrimen omne ex oculis, nullus eſt delectus, nullus pudor. Ergo quoniam interdum ſolet homines abripere tantus fervor libidinis, ut nihil diſcernant, ideo Propheta, quo plus ignominiæ incutiat populo ſuo, dicit illum ſimilem eſſe ſcortatoribus, qui amplius non judicant, qui non retinentur ullo pudore. *Spiritus ergo fornicationum decepit.* Sed quia tam frequenter occurrit hæc ſimilitudo, ego non longius inſiſtam. *Scortati ſunt*, inquit, *ne pareant Domino.* Non dicit ſimpliciter, A Deo ſuo: ſed dicit מתחת *Scortati ſunt ergo, ne amplius Deo obtemperent*, vel maneant ſub ejus obſequio. Jam hinc colligere licet quæ ſit ſpiritualis noſtra caſtitas: nempe ſi Deus nos verbo ſuo gubernat, ſi non egredimur huc & illuc, neque temere delabimur ad noſtras ſuperſtitiones. Si ergo manemus ſub imperio Dei noſtri, & in illum quaſi defixis oculis reſpicimus, tunc caſte ſervamus illi fidem. ſin vero ad idola delabimur, tunc ſcortamur à Deo noſtro. Nunc pergamus.

13. Super capita montium ſacrificabunt, *(id eſt, ſacrificant)* & ſuper colles adolent ſuffitum, ſub quercu, & ſub platano, & ſub tilia, *(alii* אלה *vertunt Terebinthum: ſed ego non laboro)* quia bona umbra ejus: propterea filiæ veſtræ ſcortabuntur, & nurus veſtræ adulteræ erunt.

14. Non viſitabo ſuper filias veſtras, quia ſcortatæ ſint, & ſuper nurus veſtras, quia adulteria commiſerint: nam ipſi cum meretricibus dividunt ſe, *(ſeparant ſe cum meretricibus)* & cum ſcortis ſacrificant: & populus non intelligens *(non intelligit, ad verbum: ſed debet verti, Populus qui non intelligit)* corruet *(alii vertunt, erit perverſus,* ילבט*.)*

Hic Propheta clarius oſtendit qualis fuerit illa fornicatio cujus nuper damnavit populum: nempe quod Deum coluerint ſub arboribus, & in ſuis excelſis. Hoc ergo exegeticum eſt: quia definit Propheta quid prius intellexerit per verbum Scortandi. Et hæc admonitio apprime utilis fuit, imo neceſſaria. Scimus enim non libenter cedere homines, præſertim ubi colorem aliquem poſſunt obducere ſuis peccatis: quemadmodum ſuperſtitioſi, ubi Dominus coarguit perverſos & vitioſos ipſorum cultus, ſtatim fremunt, & etiam pleno ore litigant. Quid? an hoc ſcortari cenſebitur, ſi nos Deum colimus? Quicquid enim faciunt zelo inconſiderato, putant hoc reprehenſione carere. Sicuti hodie Papiſtæ extra controverſiam ſtatuunt omnes cultus ſuos placere Deo. Nam etiamſi nihil ſit fundatum in verbo ejus, bona tamen illa intentio (ut loquuntur) illis ſatis ſuperque eſt ad excuſationem. Ergo ſuperbe Deo obſtrepere audent, quoties damnat ipſorum corruptelas & abuſus. Talis etiam ſuperbia haud dubie ab initio graſſata eſt. Ergo neceſſe habuit Propheta palam & diſerte Iſraelitis oſtendere, quamvis ſe putarent pio zelo & bona intentione colere Deum, ipſos tamen ſcortari. Hæc, inquit, veſtra ſcortatio eſt, quod ſub arboribus ſacrificatis. Quid? annon hoc ſemper laude dignum fuit ſacrificia offerre, & ſuffitum facere Deo? Tale autem conſilium Iſraëlitis fuit. Quid cauſæ eſt cur Deus tantopere excandeſcat? Fingamus ipſos fuiſſe errore lapſos: cur tamen Deus non tolerat hanc præpoſteram intentionem, quæ tegitur honeſto & ſpecioſo zelo, quemadmodum dictum fuit? Sed Deus hic acriter increpat Iſraëlitas, quamvis prætexerent bonum zelum, & quamvis etiam fucarent ementito titulo cultus Dei omnes ſuas ſuperſtitiones: hoc nihil aliud eſt quam ſcortari, inquit. Dicit, *Super cacumina montium ſacrificant, & ſuper colles ſuffitum offerunt, ſub quercu, & platano, & tilia*, &c. Videtur in ſpeciem hoc fuiſſe laudabile in Iſraëlitis, quod pluribus locis erexerint altaria: nam potuit hæc frequentia templorum eos magis accendere ad cultum Dei. Quemadmodum Papiſtæ, quum replent templa picturis, dicunt ubique occurrere Dei memoriam quocunque vertamus oculos, & hoc eſſe pluſquam utile: ſic etiam videri poſſet fuiſſe pium exercitium, quod in collibus & ſuper cacumina montium, & quod ſub unaquaque procera arbore Iſraëlitæ erigerent aliquem Dei cultum. Sed Deus hoc totum repudiat, non vult hac ratione coli: imo videmus ipſum graviter excanduiſſe: dicit hoc modo violari fidem ſibi datam: dicit populum ſuum fœde ſcortari. Quanquam hæc Prophetæ doctrina hodie parum eſt plauſibilis mundo, ut vix decimus quiſque eam amplectatur: tamen fruſtra litigabimus cum Spiritu Dei. Ergo nihil ſatius eſt quam audire judicem noſtrum. Pronunciat autem omnes fictitios cultus, quamlibet ſpecioſo fuco ornentur, eſſe adulteria & ſcortationes. Hinc etiam colligimus bonam intentionem, de qua tantopere ſibi placent Papiſtæ, eſſe matrem omnium ſcortationum, & omnis fœditatis. Quare? Nam ſacrilegium eſt diſcedere à verbo Domini: Deus autem præceperat ſibi offerri tam ſacrificia quam ſuffitus, ſed non alibi quam Jeroſolymæ. Tranſgreſſi ſunt Iſraëlitæ illud mandatum. Atqui pluris eſt obedientia Deo, quam omnes victimæ, ſicuti dicitur 15. cap. 1. Samuelis. Et excludit etiam diſerte Propheta illud figmentum, in quo blandiri ſibi ſolent impii & hypocritæ: *Bona*, inquit, *fuit umbra ejus.* hoc eſt, placuerunt ſibi in talibus figmentis: ſicuti Paulus *Col. 2.*
dicit ſpeciem ſapientiæ eſſe in hominum inventis & *verſ. 23.*
legibus. Quum ergo homines ſuſcipiunt cultus voluntarios, ἐθελοθρησκείας vocant Græci, ſuperſtitiones: ſed nihil aliud ſunt quam voluntarii cultus. Quum ergo homines hoc vel illud in honorem Dei agendum ſuſcipiunt, ſpecies ſapientiæ illic refulget: ſed coram Deo mera eſt abominatio. Hoc perſtringit diſerte Propheta, quum dicit bonam fuiſſe umbram vel platani, vel quercus, vel tiliæ: quia ſcilicet imaginati ſint impii & hypocritæ cultum hunc probari Deo, & ſe ſuperare Judæos, qui tantum uno in loco Deum colebant. Terra noſtra plena eſt altaribus, ubique memorialia Dei ſeſe offerunt. Quum ergo putarent ſe adeptos eſſe ſummam gloriam tali frequentia altarium, dicit Propheta bonam quidem eſſe

umbram, ſed placere tantum ſcortatoribus, qui turpitudinem ſuam non agnoſcunt. Poſtea ſubjicit, *Propterea filiæ veſtræ ſcortabuntur, & nurus veſtræ adulteræ erunt: ego non viſitabo ſuper filias veſtras & nurus.* Quidam exponunt hunc locum, acſi diceret Propheta, dum aberant parentes, hac occaſione filias ipſorum & nurus fuiſſe ſcortatas. Quemadmodum hodie nulla eſt major licentia in lenocinijs, quam in votivis peregrinationibus. Nam ſi qua velit libere ſcortari, vovebit aliquam peregrinationem: adulter præſto eſt qui ſe offerat comitem. Deinde ſi maritus etiam tam ſtultus eſt ut curſitet huc vel illuc, interea uxori licentiam ſcortandi concedit. Deinde ſcimus etiam, dum extraordinariis horis conveniunt multæ mulieres in templa, & habent privatas ſuas Miſſas, illic eſſe latibula, ſub quibus omne genus flagitii perpetrent. Videmus ergo hoc eſſe nimis tritum. Sed ſenſus Prophetæ alius eſt. Deus enim pœnam hic denunciat, de qua Paulus diſſerit 1. ad Romanos capite. Quemadmodum homines, inquit, tranſtulerunt gloriam Dei in res mortuas, ita etiam Deus conjiciet ipſos in ſenſum reprobum, ut nihil ſcilicet judicent, ut ſe projiciant ad omnem turpitudinem: imo proſtituant ſua ipſorum corpora. Sciamus ergo, ubi non præſtatur juſtus & debitus honor Deo, merito ſequi hanc vindictam, quod homines opprobriis teguntur. Quare? quid enim æquius, quam ut Deus ſit vindex ſuæ gloriæ? Eam homines corrumpunt & adulterant. Cur ergo illis maneret ullus honor? cur non potius eos in extremas quaſque ignominias Deus ſubmergeret? Sciamus ergo hanc juſtam eſſe pœnam, ubi graſſantur adulteria, ubi etiam ſequuntur promiſcuæ libidines & vagæ. Qui ergo non colit Deum, ille habebit domi & uxorem adulteram, & filias putida ſcorta, quæ libere ſcortentur, & ille etiam nurus habebit adulteras: non quod tantum de eventu loquatur Propheta, ſed potius oſtendit qualem vindictam ſumpturus ſit Deus. Scortabuntur igitur filiæ veſtræ, & nurus veſtræ adulteræ erunt. *Et non viſitabo ſuper filias veſtras & ſuper nurus veſtras:* hoc eſt, Ego non corrigam hæc flagitia, volo enim vos eſſe expoſitos dedecori. Nam
1 *Sam.* 2. valere ſemper debet illa ſententia, Qui me honore
verſ. 30. affecerit, hunc ego honore afficiam: & qui vilipendet nomen meum, hunc ego contemptibilem reddam & probroſum. Negat igitur Deus ſe pœnam ſumpturum de ſceleribus, quia volet hoc modo punire impios, à quibus corruptus fuerat cultus ſuus. Dicit, *Quia ipſi cum meretricibus ſe dividunt.* Quidam verbum hoc פרד exponunt, *Dividunt maritos ab uxoribus:* ſed Propheta baud dubie intelligit ipſos dividi à Deo: quemadmodum ſi mulier à marito ſuo deſciſcat, & ſe ſubjiciat adultero. Allegorice igitur, vel ſaltem metaphorice hoc verbum accipit Propheta: & aſt cauſæ redditio, quam non intelligunt qui literaliter accipiunt hoc de adulteriis: & eorum error ſatis refellitur proximo membro, ubi dicit, *Cum ſcortis ſacrificant.* Hoc eſt igitur divortium illud cujus meminit, nempe quia ſacrificant: quod fieri non poterat, quin Deo fidem datam violarent. Nunc tenemus genuinum Prophetæ ſenſum: *Non ulciſcar,* inquit, ſcortationes, & adulteria in veſtris familiis. Quare? volo enim vos eſſe probroſos, nam priores ſcortati eſtis. Sed mutatio eſt perſonæ. Hoc etiam tenendum eſt; debuerat enim potius proſequi uno contextu in ſecunda perſona ſermonem, Quia vos ſeparati eſtis cum meretricibus, & ſtatis cum ſcortis, debuerat hoc modo loqui: ſed quaſi per modum indignationis ſermonem alio convertit; Iſti, inquit, ſcortati ſunt: acſi eos jam alloquio non dignetur. Scortati ſunt igitur cum meretricibus. Per *meretrices* haud dubie intelligit corruptelas quibus perverſus fuerat Dei cultus etiam per ſcorta. *Sacrificant cum ſcortis,* inquit: hoc eſt, deficiunt à vero Deo, & permiſcent ſe pollutionibus quibuſlibet. hoc autem eſt ſcortari; quemadmodum ſi quis relicta uxore, vel ſi qua mulier relicto marito, projiciat ſe ad fœdam libidinem. Non eſt autem novum vel inſolens puniri peccata novis peccatis. Præſertim tenenda
eſt illa Pauli doctrina, quod ſcilicet Deus, ut eſt ultor *Rom.* 1.
gloriæ ſuæ, ſic conjiciat homines in ſenſum repro- *verſ.* 28.
bum, & ſinat operiri multis ignominiis: quia ſcilicet non poteſt ferre, dum ipſi convertunt gloriam ejus in ignominiam, & veritatem in mendacium. Poſtea addit, *Et populus non intelligens corruet.* Qui verbum לבט accipiunt pro Perverti, intelligunt reddi perplexum; & ſenſus ille non male quadrat. *Populus* ergo *non intelligens perverſus ac perplexus erit:* acſi diceret, Nullam tenebit rectam viam. Sed ſignificat etiam hoc verbum Impingere & cadere ſæpius: & quum ſenſus hic receptior ſit, libenter amplector. *Populus* ergo *non intelligens corruet.* Hic concludit Propheta nullius momenti fore ignorantiæ prætextum coram Deo: quemadmodum hypocritæ ſolent ad extremum huc confugere: dum vident ſe omni ratione deſtitui, confugiunt ad hoc aſylum, Atqui putabam me recte facere: ego deceptus ſum: ſed eſto, error hic eſt tolerabilis. Propheta hic denunciat vanas & fallaces eſſe has excuſationes: quia populus qui non intelligit, corruet: idque merito. Unde enim illa inſcitia in populo Iſraëlitico, niſi quod ſponte clauſerunt oculos ad lucem? quemadmodum prius dictum fuit. Quum ergo homines ita velint ſponte cæcutire, non mirum eſt ſi Dominus tradat illos in ultimum interitum. Quod ſi nunc ſibi blanditias faciunt ex errore ſuo, quemadmodum jam dixi, Dominus illam falſam confidentiam diſcutiet, & jam verbo ſuo diſcutit. Quid ergo reſtat? nempe ut ſapere diſcamus ex ejus verbo, quia hæc noſtra eſt ſapientia & intelligentia, ut dicit Moſes 4. capite Deuteronomii.

Da omnipotens Deus, quando natura tam propenſi & faciles ſumus ad omne errorum genus, ad tot ſuperſtitionum & tam multiplices formas, Satan etiam non deſinit nobis inſidiari, & tot laqueos nobis tendit: da, inquam, ut verbi tui doctrina ſic cuſtodiamur ſub obſequio tuo, ne unquam deflectamus huc vel illuc ad dextram vel ſiniſtram, ſed maneamus in puro cultu quem nobis præſcripſiſti, ita ut ſincere poſſimus teſtari te verum nobis eſſe Patrem, quum ſcilicet manebimus ſub præſidio Filii tui unigeniti, ſicuti nobis datus eſt abs te paſtor & gubernator uſque in finem, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO DUODECIMA IN HOSEAM PROPHETAM.

CAP. IV.

15. Si ſcortaris, tu Iſraël, ne offendat Jehudah; ne veniatis in Gilgal, & ne aſcendatis Beth-aven, & ne juretis, Vivit Jehova.

Hic Propheta conqueritur etiam Tribum Jehudah infectam fuiſſe ſuperſtitionibus, quum tamen Dominus mirabiliter eam ſibi integram ab ejuſmodi pollutionibus ſervaſſet. Comparat Iſraëlem cum Jehudah: acſi diceret, Quod Iſraël ſcortatur, non mirum eſt; pridem excuſſit omne jugum, & defectio ejus ſatis nota eſt: ſed quod Judæi etiamnum prolabi incipiunt ad eadem flagitia, hoc non eſt tolerabile. Nunc ergo tenemus quorſum iſta comparatio pertineat. Scimus ex quo Jaro-
1 Reg. 12. beam decem Tribus ad ſe traxit, corruptum fuiſſe
vers. 28. Dei cultum: quia vetiti ſunt Iſraëlitæ aſcendere Jeroſolymam, & ſacrificia illic offerre Deo ex præſcripto Legis. Interim erecta ſunt altaria, quæ meræ erant corruptelæ divini cultus. Hoc jam per multos annos duraverat. Dicit igitur Propheta Iſraëlem inſtar putidi ſcorti carere omni pudore, neque id eſſe mirum, quia Dei timorem abjecerit: ſed quod Jehudah etiam ſimul cum Iſraële deſereret ſincerum Dei cultum, hoc Propheta deplorat. *Si ergo tu Iſraël ſcortaris, ſaltem ne Jehudah delinquat.* Hic videmus primo quam difficile ſit intactos manere ab omni macula, qui permixti ſunt pollutionibus & inquinamentis: quemadmodum ſi quis inter Papiſtas verſetur, vix poterit ſe integrum ſervare Domino; quia etiam vicinia ipſa contagionem affert, quemadmodum videmus. Iſraëlitæ diſtincti erant à Judæis, & tamen videmus corruptos fuiſſe Judæos eorum morbis ac vitiis. Nihil enim proclivius eſt quam relinquere veram pietatem. Nam ingenita nobis eſt quædam perverſa libido comminiſcendi falſos & impios cultus: & quiſque in hac re erit ſibi magiſter. Quid ergo fiet, ſi aliunde nos ſtimulet Satan? Caveant ergo ſibi quicunque vicini ſunt idololatris, ne quid pollutionum ab ipſis contrahant. Cæterum videmus non levari eorum culpam qui recte edocti ſunt, ſi permiſceant ſe cæcis & incredulis. Tunc Iſraëlitæ, etiamſi adhuc jactarent nomen Dei, erant tamen alieni à pura doctrina, & fuerant diu in tenebris errorum demerſi: nulla apud eos vigebat religio, imo nulla fere liquida erat ſcintilla Divinæ lucis. Jam accuſat Propheta Judæos, quod ab Iſraëlitis nihil differant, quibus tamen Deus ad illum uſque diem prætulerat facem. Noluerat enim extingui ſanam doctrinam Jeroſolymæ, neque in tota Judæa. Quod nihil proficiunt Judæi in hoc ſingulari Dei beneficio, duplicat eorum culpam. Hæc ratio eſt cur nunc dicat Propheta, *Etiamſi ſcortetur Iſraël, tamen Jehudah ne offendat.* Dicit, *Ne veniatis in Gilgal, & ne aſcendatis Beth-aven.* Hic rurſus deſignat ſuperſtitiones quibus Iſraëlitæ vitiaverant purum Dei cultum: nempe quod in Bethel, & Gilgal erexerant ſibi templa, ubi fingebant ſe Deum colere. Quantum attinet ad Gilgal, ſcimus locum fuiſſe celebrem, quia tranſmiſſo Jordane, illic erectum fuerat monumentum miraculi. Et non dubium eſt quin populus ſemper exercuerit ſe in memoria tam inſignis gratiæ: & locus etiam ille famam & honorificum nomen retinuerat in populo. Hoc per ſe non fuit reprehenſione dignum: ſed quemadmodum ſolent homines pervertere ſuo abuſu quicquid boni eſt, ita Jarobeam, vel quiſpiam ex ejus ſucceſſoribus, templum extruxit in Gilgal: quia jam occupati erant omnium fere animi aliqua loci reverentia. Si nullus fuiſſet loci delectus, non poterat tam facile pellicere vulgi animos: ſed quia jam invaluerat in illis opinio, locum eſſe ſanctum, & id ob mirabilem trajectum populi, Jarobeam potuit facilius obtrudere illic vitioſum cultum. Nam quiſque ſuis illecebris jam captus erat, quum fingeret locum illum magis placere Deo. Idem etiam dicendum eſt de Bethel. Scimus impoſitum fuiſſe loco nomen à ſancto Patre
Jacob: quia Deus illic apparuerat. Terribilis eſt Gen. 28.
locus iſte, hæc eſt janua coelorum, dicebat. Vocavit vers. 17.
igitur locum Bethel, hoc eſt, domum Dei. Quum illic Deo ſacrificaſſet Jacob, putarunt poſteri hoc quoque eſſe probabile. Nam hypocritæ non expendunt quid præcipiat Deus, ſed arripiunt tantum Patrum exempla, & inſtar regulæ ſequuntur quicquid audiunt factum eſſe à Patribus. Quia ergo nudis exemplis contenti ſunt ſtulti homines, neque attendunt quid Deus exigat, ideo hic Propheta invehitur diſerte contra utrumque locum, nempe Bethel, & Gilgal. *Ne veniatis in Gilgal,* inquit, *& ne aſcendatis in Beth-aven.* Sed notanda eſt nominis mutatio qua utitur Propheta: neque enim honorifice appellat locum illum Bethel, ſed dicit eſſe domum iniquitatis: & tamen illic Deus ſe patefecit ſervo ſuo Jacob, hoc verum eſt: ſed noluit ſtabilem eſſe ſibi locum, noluit eſſe perpetuum altare illic: fuit viſio temporalis. Si populus confirmatus fuiſſet in fide, quoties auditum fuiſſet nomen illud, hoc quidem erat laudabile: ſed deſciſcunt à vera fide, quia contemnunt certum Dei præceptum, & præferunt id quod factum fuerat ab uno homine, & quidem impulſi zelo præpoſtero. Non mirum eſt igitur quod Propheta laudem in vituperium convertit, & negat amplius eſſe domum Dei, quæ fuit olim: ſed eſſe domum iniquitatis. Jam tenemus genuinum Prophetæ ſenſum. Redeo ad objurgationem qua utitur contra Judæos. Exprobrat quod relicto legitimo altari curſitent ad profana loca, & appetant illos extraneos cultus, qui tamen hominum arbitrio vel libidine conficti erant. Quid vobis cum Gilgal vel Bethel, inquit? nonne Deus vobis Sanctuarium propoſuit Jeroſolymæ? cur non eum illic colitis, quo vos ipſe invitat? Videmus ergo ſubeſſe antitheſin, inter Bethel & Gilgal ab una parte; ab altera vero Templum, quod mandato Dei Jeroſolymæ in monte Sion extructum erat. Cæterum hæc objurgatio etiam hodie in multos competit. Si prudenter reputamus ſtatum noſtri ſeculi, Papiſtæ Iſraëlitis ſunt ſimiles: eſt enim ſatis nota eorum apoſtaſia: nihil apud ipſos ſanum eſt, ſed tota religio eorum eſt putrida: ſunt illic meræ corruptelæ. Jam, quia Dominus nos ſibi peculiariter elegit, videndum eſt, ne ſecum nos attrahant & implicent: & eſt ſemper timenda contagio, quemadmodum diximus, quia nihil facilius eſt, quam nos infici eorum vitiis: ut ingenium noſtrum ſemper ad vitia proclive eſt. Deinde monemur etiam, quam ſtulta ſit & frivola eorum excuſatio, qui Patrum exemplis contenti, verbum Dei prætereunt, & putant ſe omni regula ſolutos eſſe, quia ſequantur ſanctos Patres. Jacob enim

dignus imitatione fuit inter alios: & tamen quid valuerit prætextus ille; quum dicerent poſteri ſe Deum colere in Bethel, colligimus ex hoc loco. Sciamus ergo non aliud nobis certum eſſe, quam ubi obtemperamus mandato Domini, neque quicquam tentamus arbitrio hominum, ſed tantum ſequimur quod ille jubet. Præterea notandum eſt, non extenuari crimen, ſi res à bona & probabili origine profectæ ſint, ſi tamen hodie apparet eſſe perverſas. Exempli gratia: Papiſtæ hunc clypeum ſubinde opponunt; ubi coarguuntur eorum ſuperſtitiones, Atqui hoc natum ex bona cauſa. Sed quale eſt hoc? Si ergo judicium facere oportet ex præſenti uſu, videbimus eſſe impiam abominationem, quod excuſant prætextu bonæ & ſanctæ originis. Ita in Baptiſmo videmus quam varias & multiplices corruptelas admiſcuerint. Baptiſmus quidem ab inſtitutione Chriſti profectus eſt: ſed non licuit hominibus tot additamentis eum corrumpere. Non excuſat igitur origo Baptiſmi Papiſtas, ſed potius duplicat eorum crimen: quia ſacrilega audacia contaminarunt, quod Filius Dei inſtituerat. Sed in Miſſa eorum multo plus eſt flagitii. Miſſa enim, ut ſcimus, nihil habet commune cum ſacroſancta Cœna Domini. Saltem manent aliquæ Baptiſmi reliquiæ: ſed Miſſa nullo modo accedit ad ſacram Chriſti Cœnam. Jactant tamen Papiſtæ eſſe ejus loco. Obrepſerit ſane, idque Satanæ aſtutia, & malitia etiam vel pravitate hominum: interim principium, qualecunque fuerit, non delet extremam ignominiam, quæ in Miſſa apparet: quia illi abolent unicum Chriſti ſacrificium, ut ſatis notum eſt: trahunt ad ſua figmenta expiationem, quæ petenda erat à morte Filii Dei. Et non tantum hic cum Papiſtis certamen nobis eſt, ſed cum nebulonibus iſtis, qui jactant ſe Nicodemitas. Nam iſti quoque negant ſe ideo accedere ad Miſſam, quia deferant aliquid reverentiæ Papiſtico figmento: ſed quia dicunt illic proponi memoriam Cœnæ Chriſti, & mortis ejus. Si Beth-El potuit olim converti in Beth-aven, hodie quid erit Miſſa? Ergo ſemper videndum eſt, ut quicquid Dominus inſtituit, maneat in ſua puritate, neque degeneret: alioqui, ut dictum eſt, ſemper rei impiæ audaciæ erunt qui mutaverint veritatem in mendacium. Nunc tenemus quorſum pertineat, & in quem uſum accommodanda ſit hæc doctrina Prophetæ. Tandem ſubjicit, *Et ne juretis, Vivit Jehova.* Videtur hic damnare Propheta quod per ſe rectum erat. Juſjurandum enim profeſſio eſt ac teſtimonium pietatis, præſertim ubi pure homines jurant. Atqui hæc forma, quam Propheta attingit, omni vitio caret. Cur ergo non patitur Deus jurare per nomen ſuum, & quidem ſancto modo? nempe quia vult ſolus regnare, nec ſuſtinet miſceri idolis. Quis enim conſenſus Chriſto cum Belial? inquit *2 Cor. 6.*
Paulus. Quomodo conveniet lux cum tenebris? *verſ. 15.*
Ita Deus nullum conſenſum cum idolis admittit. Hoc clarius exprimitur ab altero Propheta, nempe Zephania, quum dicit, Perdam eos qui jurant in *Zeph 1.*
Deo vivo, & jurant in Rege ſuo. Deus enim præci- *verſ. 5.*
pit nominatim ut jurent fideles per ſuum unius nomen, Deuter. 5. & aliis locis. Deinde ubi de vero pietatis cultu agitur, ponitur hæc formula, Jura- *Jer. 4.*
bunt, Vivit Dominus. Cæterum, ubi involvunt no- *verſ. 2.*
men Dei perverſis ſuis figmentis homines, hoc nullo modo eſt tolerabile. Hanc ergo perfidiam Propheta nunc taxat, *Ne juretis, Vivit Jehova:* acſi diceret, Qui fit ut audeant iſti homines ſumere nomen Dei, quum tamen ſe proſtituant idolis? Deus enim nomen ſuum accommodat tantum populo ſuo. Uſurpant enim fideles quaſi precario Dei nomen in juramentis. Niſi Dominus hoc juris nobis concederet, certe eſſet ſacrilegium: ſed mutuamur Dei nomen ejus permiſſu. Verum eſt, ſiquidem ſervamus illi fidem, ſi manemus ſub ejus obſequio. Cæterum, ſi colimus alienos deos, jam nihil nobis cum eo commune, ſed aufert privilegium quod dederat. Dicit ergo, Poſthac ne permiſceatis verum & unicum Deum cum idolis. Neque enim hoc ferre poteſt; ſicuti etiam Ezech. 20. cap. dicit, Ite, colite idola veſtra: ego repudio omnes cultus veſtros. Dominus illic graviter iraſcitur, dum videt offerri ſibi ſacrificia. Cur iſtud? nempe quia ſpecies erat pollutionis, quum profiterentur Judæi ſe ipſum colere, deinde tranſibant ad impias ſuperſtitiones. Nunc ergo tenemus ſenſum hujus verſus. Sequitur,

16. Quia ſicut juvenca indomita, indomitus Iſraël: nunc paſcet eos Jehova quaſi agnum tenerum (*nam* כלבש *proprie ſignificat Agnum tenerum: hoc eſt, qui adhuc eſt anniculus:* איל *autem vocant Arietem, qui annum unum exceſſit*) in loco ſpatioſo.

Hic comparat Propheta Iſraëlem juvencæ indomitæ. Alii vertunt juvencam errantem. Poſſemus etiam vertere laſcivam. Alia autem videtur magis exprimi defectio, quod ſcilicet receſſerit à Deo, vel declinaverit: ſed ſimilitudo non tam eſſet appoſita. Vertunt illi, Sicut juvenca declinans, vel quæ receſſit. Malo igitur petulantem vel laſcivam vertere. Et correctio, quæ ſubjicitur, optime congruit, *Nunc Dominus paſcet eos quaſi agnum tenerum in loco ſpatioſo*, ut ſtatim videbimus. Hoc primo loco tenendum eſt, Iſraelem conferri juvencæ, & quidem laſcivæ, quæ ſcilicet non poteſt vel in ſtabulo manere quieta, vel jugo aſſueſcere: ideo ſubjicitur, *Nunc Dominus paſcet eos quaſi agnum in loco ſpatioſo.* Duplex poteſt eſſe hujus membri ſenſus. Vel, quod Dominus relinquet eos in ſuis lautitiis, ut ſeſe ingurgitent quoad tulerit libido, atque expleverint ſuam ingluviem. Et hæc formidabilis eſt pœna: ubi ſcilicet Dominus non compeſcit hominum intemperiem, ſed patitur eos protervire ſine ullo fine & modo. Quidam ergo ita hunc locum accipiunt, *Nunc paſcet Deus tanquam agnum*: hoc eſt, quaſi pecudem judicio carentem: idque *in loco ſpatioſo*: id eſt, in uberrimo agro, & qui victus copiam ad ſatietatem uſque ſuppeditet. Sed videtur potius aliud ſentire Propheta, quod ſcilicet Dominus ſic diſſipabit Iſraëlem ut ſit quaſi agnus in loco ſpatioſo. Scimus hoc proprium ovibus eſſe, ut ſe contineant ſub paſtoris cuſtodia: & ovis, ſi in ſolitudinem abacta fuerit, balatu ſuo declarat ſe eſſe timidam, & quaſi paſtorem ſuum & gregem quæritat. Denique ovis non eſt animal ſolitarium: & iſta eſt fere pars victus ovibus & agnis, ut ſimul paſcant, & quidem ſub unius hominis oculo, cui ſe putant eſſe curæ. Nunc apparet elegantiſſima alluſio. *Sunt*, inquit Propheta, *quaſi juvenca indomitæ*, quia laſciviunt, ut nullus campus ſufficiat eorum proterviæ, quemadmodum ſi juvenca vellet occupare totum agrum. Talis igitur, inquit, & tam importuna eſt inobedientia hujus populi, ut non amplius poſſint aliter durare, quam ſi cuique detur locus ſpatioſus. Dabo igitur locum ſpatioſum, ſed longe in alium finem: nempe ut quiſque eorum ſit quaſi agnus, qui circumſpiciat, & non videat ullum gregem cui ſe aſſociet. Hoc factum eſt quum terra fuit nudata ſuis cultoribus: neque enim tunc habitabat tanta populi frequentia. Nam abductæ fuerunt primo quatuor Tribus, ſicuti ante dictum fuit: & cœperunt tunc eſſe quaſi agni in loco ſpatioſo, quia Deus expaveſecit eos terrore hoſtili. Poſtea reſidua pars populi vel diſperſa vel in exilium tracta eſt. Erant igitur ſimiles agnis; & quidem in loco ſpatioſo, quum

quum eſſent in exilio. Nam tametſi erant incluſi tuguriis, & conditio eorum modis omnibus anguſta erat, tamen erant in loco quaſi deſerto: quia vix alius alium aſpicere audebat, & quaſi vaſtitas & ſolitudo occurrebat eorum oculis quocunque ipſos verterent. Videmus ergo quid velit Propheta. *Sunt ſimiles juvencæ indomitæ*, inquit, vel laſcivæ: ego manſuefaciam eos, ut ſint ſimiles agnis: & poſtea diſperſi pavebunt tanquam in deſerto, quia ſcilicet nullus erat grex ad quem accedant. Pergamus.

17. Adjunxit ſe (*vel aſſociavit*) idolis Ephraim: dimitte eum.

Hic Deus quaſi tædio feſſus jubet Prophetam quieſcere: acſi diceret, Quandoquidem nihil proficio erga populum iſtum, ceſſandum eſt: tu deſiſte ab officio. Deus enim Hoſeam præfecerat Iſraëlitis in hunc finem, ut eos ad reſipiſcentiam adduceret, ſi quo modo eſſent ſanabiles: hoc fuit injunctum Prophetæ munus à Domino, ut ſcilicet retraheret miſeros homines & vagos ab errore, & colligeret rurſus in obedientiam puræ fidei. Jam videt laborem Prophetæ irritum, & carere omni ſucceſſu. Itaque jam, ut diximus, tædium concipit, & jubet Prophetam ſuperſedere. *Dimitte eos*, inquit: hoc eſt, Non eſt quod te amplius fatiges. ego remitto tibi laborem hunc, & nolo amplius etiam moleſtiam hanc ſumere, quia prorſus ſunt incurabiles. Nam quum dicit ipſos ſe idolis adjunxiſſe, intelligit non poſſe avelli ab illa pertinacia, in qua obduruerant: acſi diceret, Iſta eſt conſpiratio quæ non poteſt corrigi. Et alludit ad conjugium illud, cujus prius meminerat. Scimus enim Iſraëlitas Deo fuiſſe conjunctos, quia eos ſibi adoptaverat in ſacrum populum: poſtea defluxerant ad impios cultus. Sed potuit tamen ſpes eſſe ſanationis, donec prorſus affixi fuerunt ſuis idolis, & ita mordicus illis hæſerunt, ut non poſſent abſtrahi. Hanc ſocietatem deſignat Propheta, quum dicit, *Aſſociati ſunt idolis.* Ponit autem Tribum Ephraim, quia ſcimus Reges ex ea fuiſſe ortos (Reges Iſraël dico): & exprobrat ſimul quod Tribus illa indigne abuſa fuerit benedictione Dei. Scimus Ephraim fuiſſe benedictum à ſancto Jacob præ fratre ſuo majori: & tamen nulla erat ratio cur Jacob poſtponeret primogenitum, & præferret minorem natu, niſi quod Deus ſuum beneplacitum illic oſtendit. Minus ergo excuſabilis fuit illa ingratitudo Ephraim, quum non modo à puro Dei cultu defecit, ſed etiam polluit totam terram; quia Jarobeam invexit impias ſuperſtitiones. Fuit igitur ille fons omnis corruptelæ. Hæc ratio eſt cur Propheta nunc diſerte nominet Ephraim. quanquam ſatis trita eſt hæc loquendi forma apud Prophetas, ut ſcilicet per ſynecdochen totus Iſraël ſub nomine Ephraim notetur. Hic autem locus notatu dignus eſt, ut attenti ſimus ad Dei objurgationes, neque maneamus torpidi ubi nos excitat: quia ſemper timendum eſt ne momento nos rejiciat, ubi exanimatus fuerit noſtra contumacia, vel tale conceperit faſtidium, ut non dignetur nos amplius alloquio. Sequitur,

18. Putruit potus eorum: ſcortando ſcortati ſunt: dilexerunt, Afferte; turpiter (*vel ignominiam* קלון) principes ejus.

Hic metaphorice primum dicit Propheta potum eorum putruiſſe: hoc eſt, ita intemperanter fuiſſe projectos ad omne ſcelus, ut omnia inter ipſos fœterent. Alludit autem Propheta ad turpem & belluinam crapulam. Nam ebrioſi homines ita ſunt vino dediti, ut pleno gutture fœtorem exhalent: nunquam ſatiantur potando, donec ructando, projiciant etiam vomendo fœtorem vini. Propheta ergo huc reſpexit. Non tamen loquitur de potu vini, hoc certum eſt: ſed potius ebrietatem vocat illam effrenem licentiam quæ tunc regnabat in populo. Quum ergo ſine pudore quidvis ſibi permitterent, quemadmodum ebrioſi homines videntur inexplebiles eſſe, ubi ita fuerunt addicti vino ut exiſtiment ſummas delicias ſemper vinum in palato ſentire, vel ſorbere magnam copiam gutture, vel implere etiam ventrem ſuum: ubi ergo ebrioſi homines huc venerunt, jam exhalant fœtorem vini. Hoc ergo intelligit Propheta. *Putruit*, inquit, *potus eorum*: hoc eſt, Nulla eſt in populo iſto mediocritas peccandi: non jam vulgari modo vel uſitato Deum offendunt, ſed prorſus ſunt ſimiles belluinis hominibus, quos nihil pudet aſſidue ructare & vomere, ita ut offendant fœtore ſuo omnes obvios: tales ſunt iſti. Poſtea adjungit, *Scortando ſcortati ſunt.* Eſt altera etiam ſimilitudo. Scimus hactenus Prophetam de ſcortatione loquutum eſſe metaphorico ſenſu, quod ſcilicet perfide Iſraël ſe proſtitueret idolis, atque ita violaret datam vero Deo fidem. Proſequitur ergo nunc eandem metaphoram hoc loco. Scortando igitur ſcortati ſunt. Duplici ergo nomine infamat eos & traducit, quod ſcilicet pudorem omnem abjecerint: quemadmodum ebrioſi quos ita vinum delectat, ut evomant deinde cum magno fœtore crapulam ſuam. Jam comparat ſcortatoribus. Tandem dicit, *Dilexerunt, Afferte, turpiter principes ejus.* Peculiariter hic demonſtrat Propheta in proceribus fuiſſe extremam peccandi licentiam: quia ſcilicet addicti erant muneribus. Scimus autem donis excæcari oculos ſapientum, perverti corda juſtorum. Hoc autem conſulto addidit Propheta, ut ſciamus nullos tunc fuiſſe in populo, qui ſtuderent remedium adhibere tot vitiis: quia ſcilicet ipſi proceres captabant prædam, nemo tenebat quorſum vocatus eſſet. Hinc factum eſt ut quiſque impune ſibi quidvis permitteret. Quare? nulli enim erant cenſores morum. Hic videmus quam miſere agatur cum populo ubi nulli ſunt qui ſuſcipiant curam diſciplinæ: ubi etiam ipſi judices prædæ inhiant, & nihil curant præter munera & divitias: quia tunc etiam neceſſe eſt accidere quod hic Propheta in populo Iſraëlitico deſcribit. *Dilexerunt* ergo *principes ejus*, *Afferte.* De nomine קלון etiam dicendum eſt uno verbo, non ſimpliciter deſignare Hoſeam quælibet munera, ſed munera quæ poſſent oſtendere publicam eſſe juris nundinationem: acſi diceret, Jam ipſi judices quum dicunt, Afferte: quum amant, Afferte: non habent diſcrimen ullum, & putant hoc ſibi licitum eſſe, quia populus obduruit ad tale flagitium. Turpiter ergo & cum ignominia appetunt prædam.

Da omnipotens Deus, quando hodie tua miſericordia dignatus es nos colligere in Eccleſiam tuam, & circumdare nobis cancellos verbi tui, quibus nos contines in vero & recto numinis tui cultu: da, inquam, ut maneamus quieti ſub hac obedientia: & quanquam multis modis conetur nos Satan huc vel illuc abducere, & ſimus etiam natura tam propenſi ad malum, tamen confirmati in fide, & ſacro illo vinculo tecum uniti, conſtanter maneamus ſub hac verbi tui cuſtodia, & ita adhæreamus Chriſto Filio tuo unigenito, qui nos ſibi in æternum adjunxit, ut nunquam etiam abs te ullo modo deflectamus, ſed potius confirmemur in fide Euangelii ejus, donec tandem in Regnum ſuum nos ſimul omnes recipiat, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA TERTIA IN HOSEAM PROPHETAM.

CAP. IV.

19. Ligavit ventus eam in alis ſuis, & pudefient à ſacrificiis ſuis. (*vel ligavit ventum in alis ſuis. Ambigua enim eſt loquutio apud Hebræos. Atque utrovis modo legas, genus verbi relativis non convenit, quæ fæminina ſunt: ſed frequenter occurrunt ejuſmodi exempla. Libera igitur erit optio.*)

SI placeat lectio prior, *Ligavit ventus eam in alis ſuis:* ſenſus erit, Turbo repentinus abripiet hunc populum, & ita pudefient à ſacrificiis ſuis. Sic tempus verbi præteritum pro futuro accipitur. Quanquam poſſumus etiam legere in tempore præterito, acſi Propheta ſermonem de re jam peracta haberet. Ventus ergo jam abripuit populum hunc: hoc eſt, Videotur ſibi egiſſe altas radices, & profundas in ſuis ſuperſtitionibus, ſed jam Dominus permiſit eos veoto, qui eos ligatos teneat ſub alis ſuis. Scimus autem alibi etiam tribui vento alas, Pſal. 104. & 18. etiam. Atque ita uno contextu fluet ſententia, ut ſit deouociatio vindictæ. Altera ſimilitudo, vel metaphora, aptiſſima erit, & bene quadrabit ad præſentem cauſam: quia niſi homines vana confidentia ſurſum animos tollereot, nunquam tanta audacia deſpicerent verbum ejus. Dicuntur ergo ventum ligare in alis, qui gradus ſui immemores ventoſo impetu ad volandum nituntur, & dum ſuperbe ſe attolluot, oullam habent fulturam niſi in vento. Nunc pergamus.

CAPUT V.

AUdite hoc Sacerdotes, & attendite domus Iſraël, & domus Regis auſcultate, quia vobis judicium, (*hoc eſt, judicium in vos dirigitur*) nam laqueus fuiſtis (*hoc eſt, tanquam laqueus. ſubaudienda eſt* כ *nota ſimilitudinis, & addenda ad nomen* פח: *fuiſtis ergo tanquam laqueus*) in Mizpah, & rete expanſum ſuper Tabor.

HIc rurſus coocionatur Propheta adverſus totum populum: ſed præcipue ſermooem ſuum ad Sacerdotes & Proceres dirigit: quia ſcilicet hinc prima erat malorum omnium origo, quod Sacerdotes locro intenti, Dei cultum negligebaot: Proceres etiam, ut ante vidimus, modis omnibus erant corrupti. Ergo Propheta hic maxime in illos duos ordines invehitur, & ſimul commemorat certa ſcelera quæ tunc in populo regnabant, & quidem Sacerdotum & Procerum culpa. Sed priuſquam ulterius proſequar ſententiam Prophetæ, aliquid de verbis dicendum eſt. Ubi dicit, *Vobis judicium eſt*: quidam exponunt, Veſtrum erat facere judicium: hoc eſt, teoere gubernacula, ut quiſque officium ſuum præſtaret. Judicium enim loco rectitudinis accipitur. משפט ſignificat Rectum ordinem: ideo putant hic damnari Sacerdotes & Proceres, qood officio ſuo male functi ſint, quia ſcilicet nulla illis cura fuerit rectitudinis. Sed ſeoſus ille nimis coactus eſt. Ego itaque non dubito quin hic Propheta citet Sacerdotes & Conſiliarios Regis ad Dei tribunal, ut illic reſpondeant: quia ſcimus in Primoribus regnare contemptum Dei. Securi igitur ſuot, acſi immunes eſſeot à judicio, acſi ſoluti eſſent legibus, & omni ordine. *Vobis* igitur *judicium eſt*: hoc eſt, Deus nominatim vos compellat, & denunciat ſe fore ultorem contra vos, qui tam ſecure contemoitis judicium ejus. Quidam etiam מצפה accipiunt pro Specula: & ita vertunt, Laqueus fuiſtis loco ſpeculæ. Sed refellitur eorum error ſecundo membro: ſtatim enim ſequitur apud Prophetam, *Rete expanſum ſuper Tabor*. Satis vero ootum eſt Mizpah & Tabor fuiſſe altos montes, & propter ſuam altitudinem celebres ac famoſos. Jam ſcimus ot venatio ſoleat in montibus exerceri. Non dubium igitur eſt quin hic Propheta intelligat tam Sacerdotes quam Conſiliarios Regis fuiſſe laqueos & retibus ſimiles. Quemadmodum ſolent aucupes & venatores tendere retia ſua & laqueos ſuper montem Mizpah & Tabor, ita etiam populus irretitus fuit à vobis. Hic ſimplex eſt ſeoſus verborum. Alii divioant fuiſſe locatos illic à Regibus Iſraël latrones, qui interciperent Iſraelitas, ſi quos viderent aſcendere Jeroſolymam: quemadmodum ounc videmus ubique poſitas eſſe inſidias, ne quis è Papatu huc commeet. Sed conjectura illa nimis eſt remota. Et jam expoſui quidnam Propheta velit. Utitur enim ſimilitudine, ut diximus. Nunc redeamus ad ſummam doctrinæ. *Audite hoc*, inquit, *Sacerdotes, & attendite domus Iſraël, & auſcultate domus Regis.* Complectitur quidem Propheta totum populum ſecundo loco: ſed diſerte ſermonem ſuum ad Sacerdotes & Conſiliarios Regis convertit. quod prudenter notandum eſt. Nam generalis quidem eſt hujus capitis doctrina, ut poſtea videbimus: ſed interim Propheta non temere aggreditur ipſos Principes, quia præcipuum crimen in ipſis reſidebat: quia ſcilicet Sacerdotes erant canes muti, imo populum abduxerant à puro Dei cultu ad falſas ſuperſtitiones: & tantum erat ſtudium turpis quæſtus apud eos, ut perverterent Legem, & quicquid prius ſincerum fuerat in populo illo. Non mirom eſt igitur quod Propheta, tametſi generalem doctrinam hic tractet quæ promiſcue in omnes ordines competit, tamen Sacerdotibus denuociet judicium, & Regis Conſiliariis. Quantum ad Conſiliarios ſpectat, illi etiam ut ſtabile eſſet regnum, approbaverant falſos & adulterinos cultus, quemadmodum prius dictum fuit: deinde ſequuta etiam fuerant alia vitia. Et non dubito Prophetam hic una cum ſuperſtitionibus taxare alias corruptelas, quas ſcimus tuoc paſſim graſſatas fuiſſe in populo, & de quibus antehac aliquid etiam dictum fuit. Porro, ad vehementiam hoc valet, quod tribus verbis utitur, *Vos Sacerdotes hoc audite*: deinde, *Domus Iſraël attendite*: poſtea, *Tu domus Regis auſculta*: acſi diceret, fruſtra eos ſubterfugis captare, quia Dominus ſumet de ipſis judicium, quod nunc pronunciat: ſed interim dat illis locum & tempus reſipiſcentiæ, quum attentos ad hanc denunciationem eſſe jubet. Docet autem hic locus ne Reges quidem ipſos eximi à communi doctrina, ſi velint cenſeri membra Eccleſiæ. Dominus enim ſine exceptione omnes regere vult verbo ſuo. Et hoc experimentum etiam capit obedientiæ hominum, ſi ſe verbo ejus ſubjiciant. Quoniam autem Reges putant ſe exem-

exemptos eſſe communi hominum numero, Propheta hic oſtendit ſe mitti ad Regem & Conſiliarios ejus. Eadem etiam ratio in Sacerdotibus valet: nam quia ſumma eſt illius ordinis dignitas, ideo omnibus ſeculis graſſata fuit hæc impietas, ut putent Sacerdotes jam ſibi quidvis licere. Ergo Propheta oſtendit non ita in ſublime evectos eſſe, quin Dominus emineat ſupra ipſorum capita cum verbo ſuo. Denique ſciamus in Eccleſia Dei verbum ita obtinere ſummum gradum, ut nec Sacerdotes, nec Reges, nec eorum Conſiliarii ſibi privilegium arrogent, acſi vita eorum non eſſet verbo Dei ſubjecta. Hic ergo inſignis eſt locus ad ſtabiliendam auctoritatem verbi Dei. Et ita videmus quam putida ſit hodie jactantia Cleri Papalis: nam obtendunt nobis Sacerdotii fucum, ubi verbum Dei objicitur, acſi opprimerent ſplendore gradus ſui totam Legem, omnes Prophetas, & ipſum Euangelium. Dominus autem hic verbum ſuum aſſerit contra omnes hominum gradus, & oſtendit tam Reges quam Sacerdotes cogendos eſſe in ordinem, ut verbo pareant. Imo tenendum eſt quod prius dixi: quanquam peccaſſet totus populus, tamen ſpecialiter hic argui tam Reges quam Sacerdotes, quia ſcilicet majore pœna digni erant, quod pravis exemplis corrumperent totum populum. Ergo, quum laqueis & retibus ipſos comparat, non reſtringo hoc ad ſpeciem unam: ſed quia contagio totius populi provenerat à Sacerdotibus & Conſiliariis Regis, & Rege etiam ipſo, ideo Propheta non abs re comparat ipſos laqueis; non tantum quia ſuperſtitionum erant auctores, ſed quia judicia perverterant, & omnem æquitatem. Pergamus.

2. Et jugulando declinantes profundaverunt: ego autem correctio illis omnibus.

שחט ſignificat Jugulare & mactare. Solet autem exponi hic locus de ſacrificiis: & ego hanc ſententiam non rejicio. Cæterum ſi de ſacrificiis loquutus eſt Propheta, non dubium eſt quin per ludibrium jugulationem vocaverit, ac ſi quis templum vocaret macellum, & ipſa ſacrificia, lanienam: ſic etiam Propheta dicit, *Mactando & jugulando declinantes profundaverunt*: hoc eſt, declinando ad mactationes ſuas, prorſus obſtinarunt animos, ita ut incurabilis ſit pravitas eorum. Nam quum dicit profunde egiſſe, ſenſus eſt, fuiſſe ita addictos ſuis ſuperſtitionibus, ut non potuerint reduci ad ſanam mentem, etiamſi ſæpius admoniti fuerint à Prophetis. Quanquam hoc verbum etiam aliud exprimit in Scriptura, nempe quod homines ſibi placeant in ſuis conſiliis, & dum implicant ſuas rationes, putant ſe Deo poſſe illudere. Et hac metaphora Prophetæ utuntur adverſus profanos Dei contemptores, quos etiam vocant לצים, illuſores. Illi enim dum homines fallunt, putant nihil ſibi fore cum Deo negotii: ut videmus hodie & aulicos, & hujuſmodi ſuperbos homines ſibi blandiri in ſuis fallaciis, & ſuaviter ridere noſtram ſimplicitatem: quia ſcilicet exiſtimant ſapientiam ſecum natam eſſe, & quaſi incluſam in ſuis cerebris. Sed neſcio an hæc metaphora præſenti loco conveniat. Mihi ſimplicior ille ſenſus arridet, quem jam attuli: quod ſcilicet obſtinati fuerint Iſraëlitæ in ſuis ſuperſtitionibus, ita ut præfracte contemnerent omnia conſilia, omnes admonitiones; imo ut petulanter etiam inſurgerent contra omnem doctrinam. Sed ſingula verba notanda ſunt: *Ad mactandum declinantes*, inquit, *profundi fuerunt*. Quum dicit declinaſſe ad mactandum, non dubium eſt quin diſtinguat falſos & extraneos cultus à vero cultu Dei, quem præſcripſerat Lege ſua. Frequentia enim ſacrificandi non potuit damnari neque in Iſraëlitis, neque in Judæis per ſe: ſed declinaverant, hoc eſt, deſciverant à Legis præſcripto. Quo igitur majore ſtudio ſeſe occupaverunt in ſacrificiis, & quo plures victimas obtulerunt Deo, provocaverunt magis ac magis in ſe Dei vindictam. Videmus ergo Prophetam hic quaſi digito notare vitium quod reprehendit in populo Iſraëlitico: nempe quod non ſacrificabant ex mandato Dei, & ſecundum Legis ritum; ſed declinaverant, hoc eſt, ſequuti fuerant ſua figmenta. Hinc fit ut contemptim, vel etiam contumelioſe vocet ipſorum ſacrificia mactationem, vel jugulationem: Sunt carnifices, inquit, vel ſunt lanii. Quid ad me, quod cum magna pompa & ſplendore victimas ſuas adducunt? quod utuntur multis ceremoniis? Ego hoc totum repudio, inquit Dominus: eſt profana laniena: nihil ergo commune habent iſtæ mactationes cum cultu quem ego probo. Ergo ut ſacrificia noſtra Deo placeant, neceſſe eſt exigere ad regulam verbi ipſius. Obedientia enim, quemadmodum jam ſæpius dictum fuit, melior eſt quam omnes victimæ. 1 Sam. 15. verſ. 22. Ubi autem ſeſe homines transferunt ad falſos cultus, vel commentitios, jam nihil ſacrum eſt vel acceptum Deo, ſed eſt profana colluvies. Cæterum, quemadmodum dixi, Propheta non tantum accuſat populum quod declinaverit ad cultus perverſos, ſed quod in illis obſtinate defixus fuerit. Profundi fuerunt, inquit, in ſuis ſuperſtitionibus. Quemadmodum prius dixit agglutinatos eſſe idolis, ut non poſſent ab illis avelli: ſic etiam nunc dicit profundas egiſſe radices in ſua malitia. Sequitur, *Et ego correctio illis omnibus*. Quidam exiſtimant Prophetam in Dei perſona minari Iſraëlitis quod Deus ſe ultorem fore pronunciet, quia populus adeo pervicaciter ſequutus fuerit pravas ſuperſtitiones: Ego ſedeo judex in cœlo, neque patiar impune vos elabi, quandoquidem ita obduruiſtis in veſtra malitia. Sed rectius ſentiunt qui putant hac circumſtantia crimen magis augeri, quod Deus per ſuos Prophetas non deſtiterit revocare ad ſanam mentem Iſraëlitas, ſi quidem non fuiſſent prorſus deſperati. *Ego fui illis correctio*: hoc eſt, Non eſt quod excuſent ſe lapſos errore & ignorantia: fuit enim pervicax obſtinatio in illis: quia non ceſſavi illis rectam viam monſtrare per Prophetas meos. *Ego* igitur *fui correctio illis omnibus*, ſed non potui eos flectere: tam indomita fuit illa protervia, vel potius rabies, qua ardebant poſt ſua idola. Nunc ergo tenemus quod rectius è duobus exiſtimo: ſed adducam etiam tertium. Poſſet enim hic Deus conqueri quod faſtidio fuerit Iſraëlitis: acſi diceret, Quum Prophetas meos miſi, non paſſi ſunt ſeſe moneri, quia verbum meum illis nimis acerbum fuit: quemadmodum objurgationes non facile tolerantur ab hominibus. Scimus enim eos qui ſibi male conſcii ſunt, tamen non libenter audire ullam objurgationem: quiſque, ut ſibi facit blanditias, ita vellet ſe ab aliis decipi. Quoniam ergo adeo teneræ ſunt hominum aures & delicatæ, ut nullam reprehenſionem placide admittant, hic ſenſus non male congrueret, *Ego fui illis omnibus correctio*: hoc eſt, doctrina mea ab ipſis rejecta fuit, quia ſcilicet nimium aſperitatis in ſe habebat. Sed altera expoſitio, quam ſecundo loco attuli, magis recepta eſt: ego tamen nolui omittere quod mihi videtur non minus conſentaneum. Nunc liberum ſit eligere, vel admittere ex his duabus expoſitionibus: vel quod Dominus hic excuſationem erroris tollat Iſraëlitis, quia ſcilicet non deſtiterit coarguere ipſorum vitia per ſuos Prophetas: vel quod expoſtulet cum Iſraëlitis, quia reſpuerunt verbum ſuum, quaſi nimis rigidum & aſperum eſſet. Semper autem manebit ſumma hæc, Populum Iſraëliticum non modo fuiſſe apoſtatam, quia defecit à legitimo Dei cultu ad ſuas ſuperſtitiones: ſed fuiſſe contumacem & præfractum in ſua malitia, quod ſcilicet nullam doctrinam, nulla ſana conſilia admiſerit. Pergamus.

3. Ego cognovi Ephraim, & Iſraël non eſt abſconditus à me: quia tu ſcortatus es Ephraim, pollutus eſt Iſraël.

Hic Deus oſtendit ſe non placari vanis excuſationibus, quas hypocritæ objectant, & quibus putant repelli ipſius Dei judicium. Videmus quanta ſit in multis ſocordia, ubi Deus ipſos accuſat, & proponit in lucem ipſorum ſcelera. Dum involvunt ſe vanis & frivolis defenſionibus: ita putant quaſi impoſitum eſſe frenum Deo, ne amplius audeat ipſos urgere. Hoc modo hypocritæ eludunt omnem doctrinam. Deus autem hic teſtatur, plurimum falli homines dum ita æſtimant ex ſenſu ſuo cœleſte illud judicium ad quod vocantur. *Ego*, inquit, *cognovi Ephraim, & Iſrael non eſt abſconditus à me.* Subeſt tacita antitheſis, quaſi diceret ipſos eſſe ſibi ignotos, quia ſcilicet tegebant ſua ſcelera frivolis excuſationibus, ut dixi. Deus teſtatur oculos ſuos non perſtringi talibus fumis. Utcunque ergo ſeſe excuſet Ephraim & Iſraël, tamen non effugiet meum judicium: vanæ ſunt & ridiculæ iſtæ tergiverſationes quibus utuntur: ego autem non ſum puer. Diſcamus ergo non metiri ſenſu noſtro Dei judicium, & ubi verbo ſuo nos accuſat, ne fallamus nos noſtris deliciis: quia nihil proficiunt qui tali ſecuritate ſeſe obdurant. Deus acutius videt quam homines. Cavendum igitur nequis velum obtendat ſuis peccatis, quia oculi Dei penetrant per omnes iſtas excuſationes. Quod autem Ephraim ſeorſum nominat, ſcimus non fieri abſque ratione: nam ex illa Tribu ortus erat primus Jarobeam. Ergo honoris cauſa impoſitum fuit nomen Ephraim decem Tribubus: ſed Propheta hic Ephraim, qui putabat ſe excellere ſupra omnes alias Tribus, probroſe nominat. *Ego*, inquit, *cognovi Ephraim.* Placent ſibi, quoniam primus Rex Iſraël ortus fuit ex illa Tribu: *Ego ipſos cognovi, & Iſraël non eſt à me abſconditus.* Poſtea exprimit quid cognoſcat in populo illo, nempe quod *ſcortatus fuerit Ephraim, & quod pollutus Iſraël:* acſi diceret, Litigate ut viſum fuerit: ſed hoc facturi eſtis abſque profectu. Ego enim habeo aures obtuſas veſtris mendaciis: ſed ubi omnia à vobis allata fuerint, ubi ſedulo egeritis cauſam veſtram, & nihil prætermiſſum fuerit, quod ad excuſationem faciat, tamen vos eſtis ſcortatores & polluti. In ſumma, confirmat Propheta hoc ſecundo membro quod prius dixi, nempe homines dum ſibi adulantur, ſeipſos decipere, quia Deus interea judicat ipſos, neque patitur ſibi fucum hoc modo fieri. Iſraël & Ephraim tunc jactabant ſuas ſuperſtitiones, acſi Deum tenerent ſibi obſtrictum: Hæc eſt ſcortatio, inquit, hæc eſt pollutio. denique hic Propheta anſam præcidit omnibus blanditiis quas obtendunt homines, dum excuſant cultus fictitios: quia ſcilicet Deus ex alto pronunciat pollui omnes qui à verbo ſuo declinant.

4. Non adjicient ſtudia ſua, ut convertantur ad Deum ſuum: quia ſpiritus fotnicationum in medio ipſorum, & Jehovam non noverunt.

Alii vertunt, Non permittent ſtudia ipſorum, ut ſe convertant: & ſenſus ille eſſet probabilis, quod ſcilicet tantopere dediti ſint ſuis ſuperſtitionibus, ut jam non ſit illis integrum nec liberum redire in viam: acſi diceret Propheta, Mancipati ſunt prorſus ſuis diabolicis figmentis, & ſtudia ipſorum non permittent ut reſipiſcant. Sed prior ſenſus (ut etiam magis receptus eſt) videtur aptior eſſe ad contextum. *Non adjicient*, inquit, *ſtudia ſua, ut convertantur ad Deum ſuum.* Hic Deus affirmat actum eſſe de populo illo, & nihil prorſus ſpei reſtare, quemadmodum etiam prius dixit, Relinque eos: quid faceres amplius? neque enim locum præbent ſanæ doctrinæ. Quoniam ergo prorſus devoti ſunt exitio, jam non eſt cur tu ſis ſollicitus de ipſorum ſalute, quia hoc eſt ſupervacuum. Sic etiam hoc loco, *Non adjicient*, inquit, *ſtudia ſua, ut convertantur ad Deum ſuum.* Si Propheta hic in ſua perſona loquitur, ſenſus erit, Quid ego me fatigo? Deus quidem mandavit mihi, ut reprehendam hunc populum, ſed interea video me operam ludere, quia mihi negotium eſt potius cum brutis animalibus vel cum ſaxis, quam cum hominibus: nulla eſt in ipſis ratio, nullum judicium: nam diabolus faſcinavit eorum mentes. Nunquam ergo ſtudia ſua adjicient ut ſe convertant ad Deum ſuum. Si malumus accipere hanc ſententiam in perſona Dei, eadem fere manebit doctrina. Deus hic pronunciat populum illum eſſe inſanabilem: *Nunquam* ergo *adjicient ſtudia ſua.* Quare? Sunt enim quaſi demerſi uſque in profundum gurgitem, & eorum obſtinatio eſt quaſi abyſſus. Quoniam ergo ita defixi ſunt in ſuis ſuperſtitionibus, *Nunquam adjicient ſtudia ſua, ut redeant ad Deum ſuum.* Sed interim Deus non tantum hic oſtendit nullum amplius eſſe remedium curandis populi morbis, ſed graviter & ſevere malitiam ipſorum infamat: quod ſcilicet non cogitent de reconciliatione cum Deo ſuo: acſi diceret, Quid ego poſtulo à miſeris iſtis hominibus, niſi ut redeant ad Deum ſuum? debuerant hoc ſponte facere. Nunc quod moniti non curant, ſed potius ferociter reſiſtunt ſanæ doctrinæ, annon iſta eſt mira & portentoſa veſania? Videmus ergo emphaticam eſſe loquutionem, quum dicitur, *Non adjicient ſtudia ſua, ut redeant ad Deum ſuum.* Poterat enim hoc ſimpliciter dicere Propheta, Ut redeant vel ad Jehovam, vel ad Deum: ſed dicit, *Ad Deum ſuum*: quia ſcilicet familiariter Deus ſe illis patefecerat, imo educaverat ipſos in ſinu ſuo, acſi filii eſſent, & ipſe pater. Deſciverant ab ipſo, & fuerant apoſtatæ: nunc quum Dominus vult corrigere iſtam perfidiam, annon hoc mirum eſt quod populus claudit aures, & animum ſuum obdurat contra omnem doctrinam? Videmus ergo quam acris ſit iſta reprehenſio. Et dicit, *Quia ſpiritus fornicationum eſt in medio ipſorum:* hoc eſt, ita ſibi placent in ſua fœditate, ut jam nullus ſit pudor, nulla reverentia. Tenenda enim eſt ratio hujus ſimilitudinis quam prius expoſui. Quemadmodum mulier adhuc aliquid retinet pudoris, etiamſi fidem marito non ſervet, quamdiu domi ſtat, & ubi adhuc cenſetur aliquo loco inter probas mulieres & pudicas: ſi vero ſemel ingreſſa ſit lupanar, & palam ſe omnibus proſtituerit, ſi ſciat flagitium ſuum omnibus cognitum eſſe, tunc excutit omnem pudorem, & prorſus obliviſcitur famæ ſuæ. ita etiam Propheta dicit, *Spiritum fornicationis eſſe in medio populi Iſraelitici:* acſi diceret, imbutos eſſe Iſraëlitas ſuis ſuperſtitionibus, ut jam non poſſint tangi vel affici ulla Dei reverentia, non poſſint revocari in viam, quia ſcilicet diabolus ipſos dementavit, & abjecto omni pudore ſimiles ſunt ſcortis fœtidis. Et poſtea addit, *Dominum non noverunt.* Hac particula non extenuat Propheta culpam populi, ſed potius amplificat ingratitudinem, quod ſcilicet obliti ſint Dei ſui, qui tam indulgenter ipſos tractaverat. Fuit enim hæc monſtroſa ignorantia, quum redempti eſſent Dei manu, quum vigeret apud ipſos Legis doctrina, quum aſſiduis Dei beneficiis ſervati fuiſſent uſque ad diem illum, quod potuerint momento uno impios cultus ſuſcipere, amplecti illas corruptelas, quas ſciebant damnari in Lege. Quod ergo populus ita abductus fuit à Deo ſuo, certe inexcuſabilis eſt malitia. Hæc ratio eſt cur Propheta nunc dicat, *Ipſos Jehovam non noviſſe.* Atqui ſi cauſa quæritur, non poterunt dicere ſibi defuiſſe lucem: Deus enim viam ſalutis illis monſtraverat. Quod ergo Jehovam non cognoverunt, hoc imputandum eſt ipſorum pervicaciæ: clauſis enim oculis ruebant ſcientes & volentes in diabolica illa figmenta, quæ ſciebant divinitus damnata eſſe, quemadmodum prius dictum eſt.

Da omnipotens Deus, quando non deſinis nos quotidie

tidie hortari, & quia ſubinde vides deflectere à recto curſu, non deſinis nobis manum porrigere, & reprehenſionibus etiam nos expergefacere ut reſipiſcamus: ne permittas ut tali pervicacia repudiemus verbum tuum, qualem hic damnas per os Prophetæ tui in veteri populo, ſed rege nos Spiritu tuo, ut placide & obſequenter tibi ſubjiciamur, eaque docilitate, ut ſi non ſponte hactenus ſapuimus, ſaltem ne ſimus incurabiles, ſed patiamur te mederi morbis noſtris, ut vere reſipiſcamus, & toti ſimus tibi addicti in obſequium, ne quid tentemus præter regulam verbi tui, & præter eam ſapientiam quæ nobis expoſita eſt non tantum per Moſen & Prophetas tuos, ſed etiam per unigenitum Filium tuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA QUARTA
IN
HOSEAM PROPHETAM.

CAP. V.

5. Et reſpondebit (*vel teſtificabitur*) ſuperbia Iſraël ad faciem ejus: Iſraël ergo & Ephraim concident in ſua iniquitate, concidet etiam Jehudah cum ipſis.

Poſtquam damnavit Propheta Iſraëlitas duplici nomine, quod ſcilicet defecerant à vero Deo, & contumaciter reſpuerant omnem doctrinam, nunc adjungit propinquam Dei vindictam inſtare. *Teſtificabitur ergo ſuperbia Iſrael in conſpectu ejus*: hoc eſt, Iſrael ſentiet quid ſit ita Deo obſiſtere, & ejus Prophetis. Neque enim dubium eſt quin ſuperbiæ nomen referat Propheta ad contemptum doctrinæ, quod ſcilicet ſic turgebant inani confidentia, ut putarent ſibi fieri injuriam quoties Prophetæ ipſos arguerent. Quanquam ſimul notandum eſt, ita fuiſſe præfractos, quia velut ebrii erant in ſuis deliciis. Nam ſcimus quamdiu rebus proſperis fruuntur homines, magis inſoleſcere: ſicuti etiam veteri proverbio fertur, Satietas ferociam parit. Alii verbum ענה pro Humiliari poſitum exiſtimant: & ſenſus hic non male quadraret. Superbia ergo Iſraël humiliabitur coram facie ejus. Sed altera expoſitio magis recepta eſt, ideo libenter eam amplector, Quod ſcilicet Deus non alio teſte opus haberet ad refutandum Iſraelem, quam ipſius ſuperbia. Scimus autem ubi obduruit quiſpiam, putare nullum amplius fore judicium, nec cogitare de ratione Deo reddenda, quia ipſa ſuperbia tollit omnem metum. Hac ratione dicit Propheta, Deus vos convincet, quia fuiſtis hactenus tam ſuperbi, ut nihil profecerit ſuis admonitionibus. Jam addit, *Iſraël & Ephraim cadent in ſua iniquitate*. Proſequitur eandem ſententiam, quod ſcilicet fruſtra ſibi impunitatem promittant, quia Dominus jam ſtatuit de illis pœnam ſumere. Addit, *Etiam Jehudah corruet ſimul*. Poſſet videri Propheta ſecum pugnare. Prius enim quum minitabatur populo Iſraëlitico, ſimul diſſeruit de ſalute Jehudah: Servabitur Jehudah in Deo ſuo, non in gladio, nec in arcu. Quum ergo prius diſtinxerit Propheta, vel diſcrimen poſuerit inter decem Tribus & regnum Jehudah, qui fit ut nunc ſimul omnes involvat promiſcue? Reſpondeo, hic de Judæis Prophetam loqui, non qui perſtiterant in vera & ſincera pietate, ſed qui ſe alienaverant ab unico Deo cum Iſraelitis, & permiſcuerant ſe eorum ſuperſtitionibus. Judæos ergo degeneres, & non legitimos hic deſignat. Nam quicunque Deum pure colebant, illis jam promiſſa fuit ſalus. Quia autem multi ſe projecerant ad vulgares ſuperſtitiones, ideo communem omnibus pœnam inſtare oſtendit. *Judæi ergo ſimul concident*: hoc eſt, Quicunque ex Judæis ſequuti ſunt impios cultus & alias corruptelas, non effugient judicium Dei. Nunc ergo tenemus verum Prophetæ ſenſum. Jam ſequitur,

6. Cum ovibus ſuis, & cum armentis ſuis ibunt ad quærendum Jehovam, & non invenient: ſubduxit ſe ab illis.

Deridet hic Propheta hypocriſin populi, quia putabat ſibi in promptu eſſe rationem tranſigendi cum Deo, ſi placaret eum ſuis victimis. Oſtendit igitur tam Iſraëlitas quam Judæos nihil proficere dum accumulant multas hoſtias, quia non poterunt hoc modo redire cum Deo in gratiam. Oſtendit igitur Deum veram reſipiſcentiam exigere; neque aliter reconciliari hominibus, niſi ex animo ipſum quærant, & ſeipſos conſecrent ei in obſequium, non autem offerant brutas pecudes. Certum eſt, fideles illo tempore expiaſſe etiam ſua peccata ſacrificiis: ſed tantum per figuram. Sciebant enim in quem finem & uſum Deus legem de ſacrificiis poſuerat, nempe ut conſpectu victimæ admonitus peccator, agnoſceret ſe reum eſſe æternæ mortis, atque ita confugeret ad Dei miſericordiam, & reſpiceret in Chriſtum & ſacrificium ejus: quia illic, non alibi reperitur vera & ſolida expiatio. Deus ergo in hunc finem ſacrificia inſtituerat. Ita fideles, quum victimas offerrent, non imaginati ſunt ullam ſatisfactionem in illo externo opere, neque etiam finxerunt hoc eſſe redemptionis pretium, ſed exercuerunt ſe in illis ceremoniis tum ad fidem, tum ad pœnitentiam. Nunc Propheta opponit tacite boves, & arietes, & agnos ſpiritualibus ſacrificiis. Subeſt enim antitheſis, quum dicit, *Venient cum ovibus ſuis*. Quid afferent in conſpectum Dei? Afferent, inquit, tantum arietes ſuos, afferent boves. Atqui Deus longe aliud præcipit, nempe ut homines ſeipſos conſecrent, idque ſpirituali modo: deinde quoad externos ritus, ut referant illos ad Chriſtum, & ad veram placationem, quæ adhuc in ſpe erat abſcondita. Quum ergo Iſraëlitæ tantum boves ſuos & agnos obtrudant Deo, fruſtra ſperant ſibi fore propitium. neque enim placatur his nugis: quia ſi ſacrificium externum quis ſeparet à ſuo fine, ille nihil affert niſi profanum. Vera enim & legitima conſecratio in verbo conſiſtit. Verbo autem dirigimur ad fidem Chriſti, dirigimur ad pœnitentiam. Ubi his neglectis & poſthabitis homines ſecure in ſuis ſacrificiis confidunt, nihil aliud quam ludunt cum Deo. Videmus ergo Prophetam hic non abs re ſtultitiam in Iſraelitis refellere, quod *quærant Deum cum ovibus ſuis, & armentis*. Dicit autem, *Venient ad quærendum Deum*, vel proficiſcentur. Hoc verbo ſubindicat, ſedulo hypocritas dare operam ut Deum ſibi reconcilient: & videmus etiam magno fervore eos ſatagere. Et inſigne exemplum hodie in Papiſtis extat. Illi enim nihil diligentiæ reliquum faciunt, ubi volunt Deum placare. Sed Propheta inane & ridiculum eſſe illud ſtudium dicit: Eant, inquit: hoc eſt, multum ſe fatigent, ſed hoc facient ſine profectu, neque enim invenient Deum. Quod autem dicit, *Venturos ad quærendum Jehovam*, improprium eſt:

nam hypocritæ per circuitus & ambages potius declinant à Deo, quam ad ipſum aſpirent. Sed interea hoc illis propoſitum eſt finali intentione, ut loquuntur, Deum quærere: poſtea non accedunt quidem ad ipſum, imo formidant ejus faciem & refugiunt quantum in ſe eſt: ſed tamen ſi quis roget, quid ſibi velint quum ſacrificant, quum peragunt alios ritus, ſtatim reſponſio in ore erit, Nos Deum colimus: hoc eſt, cupimus ipſum colere. Quoniam ergo id ſolent jactare hypocritæ, Propheta per modum conceſſionis loquitur, quod *venient ad quærendum Deum, ſed non invenient*. Quemadmodum hodie Papiſtæ quum circumeunt ſua altaria, quum curſitant ad peregrinationes votivas, quum preces ſuas demurmurant, quum Miſſas audiunt & redimunt: quorſum hæc omnia, niſi ut quaſi interpoſitis velis effugiant judicium Dei? Sciunt ſe eſſe obnoxios ejus judicio: conſcientia ergo ipſos cogit ad placandum Deum. ſed interea quid faciunt? Ego modum inveniam quo Deus non me perſequatur. Sit igitur hoc pretium redemptionis, ſit hæc compenſatio. Videmus in ſumma Papiſtas cum ſuis ceremoniis ludere cum Deo, nihil aliud ſpectare niſi ut latebras captent: & ideo conquerítur Dominus ipſe per
Jer.7:12. Prophetam, Templum ſuum eſſe inſtar cavernæ latronum: quia ſecurius peccant homines ubi tales expiationes in medium afferunt. Imo Papiſtæ quum ſuas preces murmurant, dicunt finalem intentionem gratam eſſe Deo, etiamſi vagentur: quum ſcilicet incipiunt precari, ſi hoc illis veniat in mentem, Rogandus eſt Deus, etiamſi non attenti ſint ad ſuas preces, etiamſi contaminent ſe multis pravis cupiditatibus; interea dum ore reſonant ſuas preces, dicunt finalem illam intentionem placere Deo. Quare? Nam propoſitum eſt illis quærere Deum. Hoc quidem nimis inſulſum eſt ac puerile, ſed quemadmodum jam dixi, Propheta hoc non urget, ſed concedit Iſraëlitis quod præ ſe ferunt, *Vos quæritis Deum*, ſed interea vos curritis extra viam. Ergo iſti circuitus non facient ut Deus vobis occurrat. Quare? Vos enim magis ab ipſo recedatis: ſicut dicit Jeſaias, Multum fatigabit ſe in viis ſuis, ſed interea non ſequuta eſt compeodium, ſed potius deflexit poſt varios errores: itaque receſſit à Domino, non autem ad ipſum acceſſit. Quum dicit, *Deum ab illis remotum eſſe*, & ſeparatum, ſignificat non eſſe propitium niſi fidelibus, qui non tam craſſe de ipſo ſentiunt, ut velint eum paſcere, vel carne bubula, vel aliis ſacrificiis, vel nidore fœtido ipſum placare: ſed qui ſpiritualiter & ex animo ipſum quærunt, qui afferunt veram reſipiſcentiam. Jam ſequitur,

7. Contra Jehovam (*vel* cum Jehova) perfide egerunt, quia filios alienos genuerunt: nunc vorabit eos menſis cum portionibus ſuis.

Dicit, *Perfide ipſos egiſſe cum Deo*, quia ſcilicet violaverint fœdus ejus. Nam tenendum eſt memoria quod prius dixi de mutua fide, quam Deus à nobis ſtipulatur, quum ſe nobis obligat. Deus ergo hac lege nobiſcum paciſcitur, ut velit eſſe loco patris & mariti: ſed exigit à nobis tale obſequium quale filius præſtare debet patri: exigit caſtitatem quam marito uxor debet. Nunc Propheta accuſat populum perfidiæ: quod ſcilicet contempſerit verum Deum, & ſe proſtituerit idolis. Crimen etiam hoc aggravat, quum dicit, *Genuiſſe filios alienos*. Significat enim ita vitiatum fuiſſe ſtatum, ut in poſteris nulla ſpes melior eſſet reſidua. Quidam exponunt filios alienos genuiſſe, quia uxores ſibi ex profanis gentibus ſumpſerint, quod Lege prohibitum erat. Sed ſenſus ille eſt nimium frigidus. Alii intelligunt genitos fuiſſe adulterinos filios, quia male inſtituerint ſuos liberos, & ſtatim ab ipſa infantia eos implicuerint pravis ſuperſtitionibus. Hoc quidem verum eſt, ſed longius reſpexit Propheta, quemadmodum jam dixi, quod ſcilicet Iſraelitæ non tantum alienati fuerint à Deo, ſed prorſus abſtulerint ſpem omnem, etiam in futurum tempus. Fieri enim poteſt, atque interdum contingit, ut ad tempus homines ſeſe proſtituant ad multa ſcelera, ſed poſtea in viam ſe recipiant. Ubi autem ita invaluit corruptio, ut filii imbuti ſint iiſdem ſceleribus, & quaſi in poſſeſſionem venerit ipſa impietas, tunc omnia ſunt deſperata. Videmus ergo nunc Prophetæ conſilium, quod ſcilicet non tantum fœdifragi fuerint Iſraëlitæ erga Deum, ſed filios etiam ſuos abduxerint in eandem perfidiam, ut nulla eſſet ſpes reſipiſcentiæ. Ideo adjungit, *Vorabit eos menſis cum portionibus ſuis*. Quidam nomen *menſis* reſtringunt ad neomenias, hoc eſt, ad novilunia. Scimus autem fuiſſe dies illos Judæis feſtos: ſed videtur hoc longe petitum eſſe & coactum. Ego igitur non dubito quin hic *menſem* accipiat Propheta pro brevi tempore: & ita exponunt Hebræi. ſed interea non ſatis explicant loquendi formam. Solent autem Prophetæ uti variis figuris, quum volunt notare exiguum tempus. Jeſaias dicit, Adhuc triennium quaſi tempus mercenarii: quia ſolebant ſe locare in tres annos: ideo dicit, Hoc eſt præfixum tempus à Domino, quemadmodum ſi dies condictus ſit. Scimus autem contractus tunc fuiſſe menſtruos, quemadmodum hodie ſunt annales, ut in uſuris, & quavis mutatione pecuniæ. Quoniam ergo ſolebant inter ſe paciſci in ſingulos menſes, non dubito quin Propheta hic metaphorice accipiat *menſis* nomen pro tempore certo & ſtatuto. Ideo non prorſus aſſentior Hebræis, qui uno verbo dicunt breve tempus exprimi à Propheta. Nam non tantum exprimit breve tempus, ſed etiam exprimit finem ipſum, ita ut fruſtra Iſraëlitæ expectent aliquam prorogationem, vel aliquas inducias, quemadmodum hypocritæ ſemper procraſtinant, & tempus extrahunt vanis illecebris. Propheta ergo hic dicit, *Menſis vorabit eos*: hoc eſt, Jam imminet ipſorum capitibus ultio, quam non effugient. Et dicit, *Cum ſuis portionibus*. Non dubito quin hic ſignificet, etiamſi omni rerum copia tunc affluant, tamen nihil illis fore ſubſidio, quominus pereant, quia manus Dei erit illis adverſa. Scimus enim homines quamdiu bene muniti ſunt & annona & aliis præſidiis, non eſſe valde ſollicitos, ſed ſecure ſpernere quicquid eſt periculorum in mundo. Ideo Propheta dicit, Etiamſi ipſi opulenti ſint, & bene referti, etiamſi omne genus munitionum illis ſuppetat, nihil tamen hoc illis proderit ad ſalutem, quin devoret ipſos menſis, & quidem cum ipſorum opulentia. Sequitur,

8. Clangite cornu in Gibeah, canite tuba in Ramah, buccinate etiam in Beth-aven, poſt te Benjamin.

Hic Propheta magis emphatice loquitur, & in his verbis eſt hypotypoſis, hoc eſt, viva quædam repræſentatio. Propheta enim hic ſuſcipit præconis perſonam, vel præcones inducit qui bellum denuncient & indicant. Deberet quidem ipſa doctrina non tantum aures noſtras, ſed etiam corda percellere, & quidem efficacius quam ulla buccina: ſed interim videmus quam ſimus ſocordes. Ideo cogitur Dominus hic induere perſonam præconis ſervo ſuo, vel ſaltem jubet ſervum ſuum emittere præcones, qui ubique

per

per totum regnum Iſraëlis bellum indicant. Non fuit, proprie loquendo, hoc Prophetæ officium: ſed videmus ut Ezechiel juſſus ſit à Domino obſidere ad tempus Jeroſolymam. Sed in quem finem? quia ſcilicet quum millies Judæis minati eſſent, frigebat tota doctrina. Deus ergo viſiones adjungit, quæ magis pungant homines adeo torpidos. Sic etiam facit Hoſeas hoc loco, *Clangite tuba in Gibeah, buccinate in Ramah, & ſonate cornu in Beth-aven*: quia Deus perſequitur Iſraëlem, ut diximus, ideoque non ſinet eum quieſcere: ut ſciant Iſraëlitæ Deum non fruſtra minari, nec objurgationes eſſe vana terriculamenta, ſed ſerio agere quum arguit impios: & doctrinæ conjunctam fore exequutionem, ut loquuntur: quem-
2 Cor. 10. verſ. 6. admodum etiam Paulus dicit, Parata eſt nobis & in promptu vindicta contra illos omnes qui ſe extollunt adverſus altitudinem Chriſti, quantumvis ipſi alti ſint. Quoniam ergo impii ſolent excipere, nihil eſſe præter verba quicquid Prophetæ concionantur, ideo hic teſtatur Hoſeas ſe non fruſtra terrere homines, ſed effectum, ut loquuntur, ſtatim appariturum, niſi Deo ſe reconcilient. Jam quia tenemus Prophetæ mentem, videndum eſt, quum Dominus quotidie per ſuos caduceatores pacem nobis annunciat, ut eam
2 Cor. 5. verſ. 20. fide amplectamur. Quis enim eſt finis Euangelii, niſi quem Paulus demonſtrat? *Legatione*, inquit, *fungimur pro Chriſto, ut Deo reconciliemini*; & Chriſti nomine hortamur, ut redeatis cum Deo in gratiam. Videmus ergo miniſtros omnes Euangelii, eſſe Dei caduceatores, qui ad pacem nos invitent, & promittant Deum propenſum fore ad dandam veniam, ſi ipſum ex animo quærimus. Jam, ſi non recipimus hunc nuncium, & hanc legationem, reſtabit horribile hoc judicium, de quo nunc loquitur Propheta, & impietas noſtra accerſet nobis hanc denunciationem. Quaſi ergo Deus bellum nunc indiceret omnibus impiis, & gratiæ ſuæ contemptoribus, dicit Propheta ſenſuros armatum eſſe Deum ad vindictam. Porro non dubium eſt quin Propheta hic *Gabaa, & Rama, & Beth-aven* nominaverit, quia illic ſolebant agi celebres conventus: & fieri etiam poteſt ut in locis iſtis fuerint valida propugnacula. Quum ergo putarent Iſraëlitæ ſe fore invictos, quia poſſent invictas arces hoſtibus ſuis opponere, Propheta hic diſerte bellum locis illis indicit. Ubique ergo canite tuba, vel buccinate, vel ſonate cornu, præſertim in præcipuis locis regni: *Poſt te Benjamin.* Hic per ſynecdochen Tribus Benjamin accipitur pro toto Iſraële: quia frater uterinus fuit Joſeph, ideo paſſim ipſa Tribus Benjamin conjungitur cum Ephraim. Interea certum eſt Prophetam hic non reſtringere ſermonem duntaxat ad unam Tribum, ſed complecti totum regnum Iſraël ſub una ſpecie, vel ſub una parte. Sequitur,

9. Ephraim in vaſtitatem erit in die correctionis: in Tribubus Iſraël docui veritatem. (*intelligere feci, ad verbum.*)

Hic abſque figura aſſerit Hoſeas non fore hanc lenem aut paternam caſtigationem: ſed Deum ſumpturum de Iſraëlitis pœnas quas meriti ſunt, ita ut in nihilum ipſos redigat. Scimus Deum nonnunquam impiis parcere, dum ipſos caſtigat: quotidie apparent ſigna iræ Dei per totum orbem; ſed interim mediocres ſunt pœnæ, quas Deus exigit de hominibus, & quodammodo eos ad reſipiſcentiam invitat, quum ita clementer animadvertit in eorum peccata. Propheta autem hic dicit non amplius acturum eſſe Deum hoc modo: quia perdet ac prorſus delebit totum Iſraëlis regnum. Sæpius jam admoniti fuerant non tantum verbis, ſed etiam re ipſa, & experti fuerant ſæpius iram Domini, ſed pergebant nihilominus. Et nunc quum Deus videt ita eſſe ſtupidos, dicit, *Jam in die correctionis, Ephraim erit in deſolationem*: acſi diceret, Ego non corrigam, ut hactenus, Iſraëlem: nam variis modis prius caſtigatus fuit, non tamen reſipuit. Ego igitur nunc omittam illas paternas correctiones quibus hactenus uſus ſum, quia fruſtra adhiberem tales medicinas. Ego igitur ſic poſthac reprehendam Iſraëlem, ut pereat in totum. Nunc tenemus conſilium Prophetæ. Eſt autem hic inſignis locus: quia ſemper homines tardi ſunt ac lenti: etiam quum Dominus ipſos quaſi ſtimulis confodit, tamen reſides manent in ſuis peccatis. Deus addit correctiones alias atque alias. Ubi autem videt homines ipſos manere quaſi attonitos, jam teſtatur non eſſe locum reprehenſioni, ſed reſtare ultimum exitium. Videmus ergo hic præcidi ſpem omnem Iſraëlitis, ne putent uſitato modo pœnas de ſuis peccatis ſumptum iri: quia Dominus, ſimulac reprehendere ipſos incipiet, perdet ac delebit eorum nomen. *Iſraël ergo in vaſtitatem erit in die correctionis.* Poſtea addit, *Per tribus Iſraël ego notam feci veritatem.* Accipiunt quidam hoc membrum in perſona Dei, & referunt ad primum fœdus quod Deus pepigerat cum toto populo: ita volunt hunc eſſe ſenſum, Non abrupte nunc proſilio ad ſumendam vindictam de Iſraëlitis: ego enim hunc populum genui, ego alui, ego extuli uſque ad ætatem virilem. Quum ita ſit, jam non eſt quod querantur me eſſe nimis præcipitem in ſumenda vindicta. ille eſt unus ſenſus. Sed potius inclino in eorum ſententiam, qui hoc accipiunt in perſona Prophetæ. Interea tamen non prorſus ſequor quod illi intelligunt: quia putant ſimpliciter exaggerari populi culpam, quod eſſet indocilis. *Ego notam feci veritatem per Tribus Iſraël*: acſi diceret Propheta, Populus iſte indignus eſt, quem Deus caſtiget paterno more, nam obduruit ad ſuam malitiam: & quum fuerit ſatis ſuperque edoctus de ſuo officio, contempſit tamen palam Deum, & fecit hoc non errore, ſed contumacia. Quum ergo populus Iſraël ſeipſum excæcaverit, & dementaverit quaſi data opera, quid reſtat niſi ut Deus redigat ipſum in vaſtitatem? Sic illi exponunt hunc locum. Mihi tamen videtur eſſe conteſtatio, quæ proprie aptari debet ad præſentem locum, *Ego veritatem notam feci per Tribus Iſraël*: acſi diceret, Hoc ſit ſtabile & ratum, quod nunc denuncio: & certe erit. Nemo ergo ſibi effugium aliquod captet: quia Deus non minatur, quemadmodum ſæpe, ut revocet homines ad pœnitentiam, ſed pronunciat quod facturus eſt. Ut hoc melius intelligatur, notanda eſt loquendi ratio, quæ eſt in uſu familiari apud omnes Prophetas: ſæpe minantur, & poſtea oſtendunt ſpem veniæ, & promittunt ſalutem, ita ut ſpecies ſit aliqua repugnantiæ. Nam poſtquam fulminarunt contra populum, repente deſcendunt ad prædicandam gratiam, & offerunt ſalutem, teſtantur Deum fore propitium. Primo intuitu videntur Prophetæ non congruere ſibi ipſis: ſed facilis ſolutio eſt: quia ſub conditione minantur hominibus vindictam: poſteaquam vident aliquem profectum, jam proponunt favorem Dei, & incipiunt caduceatores eſſe, qui reconcilient homines Deo, & tranſigant. Sic igitur Propheta noſter Iſraëlitis ſæpe minatus eſt: ſed adhuc ſi reſipuiſſent, non erat præciſa ſpes ſalutis. Poſtquam autem expertus eſt ipſos eſſe tam obſtinatos, ut nullam doctrinam admitterent, jam dicit, *Annunciavi veritatem per Tribus Iſraël*: hoc eſt, Jam Deus non dicit, Niſi reſipueritis, de vobis actum eſt: ſed præciſe loquitur, quia ſcilicet videt contemptam fuiſſe notam doctrinam. Hæc eſt igitur veritas: tandem acſi diceret, Ultima hæc eſt denunciatio, quam dicit ſtabilem fore & ratam. Et Jeremias etiam ſic loquitur, nam refertus eſt ejus liber variis minis: ſunt tamen omnes illæ minæ conditionales. Poſtquam jam adfuit Deus, tunc cœpit alio modo agere. Nunc ego non invito vos amplius ad pœnitentiam, ego non litigo vobiſcum, ego non propono Deum judi-

judicem, ut confugiatis ad miſericordiam ejus: hæc omnia ſublata ſunt. reſtat ultimum mandatum, inquit, ut oſtendam vos jam eſſe deſperatos. Hic eſt verus & genuinus Prophetæ ſenſus: & quiſquis expendet totum contextum, facile agnoſcet hanc eſſe Prophetæ mentem. Prius dixerat, Ephraim erit in vaſtitatem in die correctionis, hoc eſt, Dominus non reprehendet amplius Ephraim ſicuti hactenus, ſed perdet in totum: deinde adjungit, *Ego promulgavi, vel publicavi veritatem per Tribus Iſrael:* jam, inquit, ſcitote hanc vindictam brevi inſtare, & eſſe coram Deo ratam, & agnoſcite me efficaciter loqui, acſi Dei manus jam ſe oculis veſtris exereret. Precemur.

Da omnipotens Deus, quando natura jam ſumus filii iræ, & tamen dignatus es nos recipere in gratiam, & nobis propoſuiſti ſacrum gratiæ tuæ pignus in Filio tuo unigenito, neque tamen deſinimus ſubinde iram tuam in nos provocare, & deficere etiam turpi perfidia à fœdere quod nobiſcum pepigiſti: da, inquam, ut ſaltem tacti monitionibus tuis, non obduremus animos ad malitiam, ſed flexibiles nos ac dociles præbeamus, atque ita ſtudeamus tecum in gratiam redire, ut intercedente ſacrificio Filii tui reperiamus te propitium Patrem, & in poſterum ita nos totos tibi addicamus, ut qui nos ſequentur, & poſt nos etiam ſuperſtites erunt, confirmentur in cultu nominis tui, & in vera pietate, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA QUINTA

IN

HOSEAM PROPHETAM.

CAP. V.

10. Fuerunt Principes Jehudah quaſi transferentes terminum: (*vel poteſt omitti* כ *nota ſimilitudinis, & ſæpe etiam ita ſumitur: Fuerunt igitur Principes Jehudah transferentes terminum*) ſuper eos effundam quaſi aquas furorem meum. (*vel, indignationis meæ.*)

Hic Propheta confert culpam omnium malorum, quæ tunc regnabant in Tribu Jehudah, in ipſos Principes. Dicit igitur: quod populus dilapſus eſt & receſſit à Deo, hoc factum eſſe eorum culpa. Et utitur aptiſſima ſimilitudine. Scimus enim nihil eſſe certum in rebus humanis, niſi fixi ſint termini agrorum: nemo enim alioqui quod ſuum eſſet retineret. Jam metaphorice Propheta per Terminos agrorum deſignat totum politicum ordinem. Senſus eſt, Omnia eſſe nunc turbata & confuſa apud Judæos: quia duces, qui debuerant populum regere, & tenere in officio, abruperint totum ordinem. Nunc ergo tenemus ſimplex conſilium Prophetæ. Sed hoc notandum eſt, quaſi limitibus fuiſſe adhuc diſtinctam Tribum Jehudah, ut eſſet Dei hereditas: nam Iſraël fuerat alienatus. Poſſeſſio igitur Dei fuerat imminuta poſt defectionem Jarobeam, quia retinuerat duntaxat unam Tribum & dimidiam in obſequio. Nunc dicit Propheta permixtos fuiſſe Judæos Iſraëlitis, & ita fuiſſe etiam ipſos alienatos à Domino, *Quia Principes ipſi abſtulerint terminos*, hoc eſt, ſua ignavia vel aliis vitiis perverterint omnem timorem Dei, omne pietatis ſtudium, omnem denique curam recti & honeſti: ideo gravitér illis minatur. *Effundam*, inquit, *iram meam ſuper eos inſtar aquarum.* Hac metaphora intelligit Deum multo ſeverius cum ipſis acturum, quam cum reliquo vulgo. *Ego*, inquit, *effundam toto impetu furorem meum in eos*, acſi eſſet aliquando diluvium. Summa eſt, Ego obruam eos mea vindicta, quia plus nocuerint malis exemplis, quam ſi fuiſſent privati homines. Videmus ergo populi corruptionem imputari Principibus, & ideo denunciari illis magis horribilem Dei vindictam. Sed tenendum memoria eſt quod dixi, nempe hic Prophetam metaphorice vocare Limites cultum legalem, & quicquid Deus in populo illo mandaverat, ut eſſet certa Dei poſſeſſio, quemadmodum inter homines agri ſuis terminis finiri ſolent, ut quiſque ſuum retineat. Sequitur,

11. Prædæ expoſitus eſt Ephraim, (*vel direptus eſt:* עשק *ſignificat diripere & prædari*) fractus judicio: quia volens ambulavit poſt mandata.

Hic rurſus Propheta oſtendit juſtam fore Dei vindictam contra Iſraëlem, quia ſponte ſequutus ſit impia edicta Regis ſui. Poterat enim utcunque videri excuſabilis populus, quum non fuiſſet mutata religio vel ſuffragiis, vel publico conſenſu, vel aliqua conſpiratione multorum, ſed ſolo nutu Regis, & quidem tyrannico. Jarobeam non ſuperſtitione inductus fuit, ſed aſtuta malitia, ut erigeret alibi altaria quam Jeroſolymæ. Populus ergo poterat videri extra culpam, quia ſolus Rex excogitaverat hoc artificium, ut ſibi caveret ab omni periculo. Sed Propheta oſtendit omnes eſſe implicitos eodem reatu coram Deo, quia populus alacriter ſuſceperit impios cultus, quos Rex mandaverat. Dicit ergo, quod *Ephraim expoſitus eſt in prædam, quod fractus eſt judicio*, vel quod frangetur. (poſſunt enim hæc verba in futurum tempus transferri.) Quod ergo populus ita conteritur, & patietur etiam in poſterum longe graviora, non eſt quod dicat ſe hæc omnia pati præter meritum: neque enim eſt innoxius. Quare? Nam ſponte ſequutus eſt mandata Regis ſui: neque enim Rex coegit ipſos ut deficerent à Legis doctrina, ſed quiſque voluntarius perrexit ad impias ſuperſtitiones. Quum ergo volentes obſequuti fuerint Regi ſuo, jam non eſt quod excuſent, non eſt quod objiciant hoc profectum eſſe ab uno homine duntaxat, & ſe non admiſſos fuiſſe in conſilium. Hæc promptitudo oſtendit eos omnes fuiſſe perfidos. Quidam הואיל exponunt pro Incipere, & יאל ſæpe hoc ſenſu accipitur pro Incipere: ſed quum ſæpius ſignificet Velle, non dubium eſt quin Propheta hic intelligat Iſraëlitas non fuiſſe vi & metu coactos, ut poſt ſuperſtitiones abirent, ſed fuiſſe promptos & paratos ad obſequium, quia nullus in ipſis vigebat Dei timor, nulla pietas. Si nunc quiſpiam roget, an excuſabiles ſint igitur qui tyrannide trahuntur ad ſuperſtitiones, quemadmodum fieri videmus in Papatu: reſponſio in promptu eſt, Hic non abſolvi eos qui plus deferunt hominibus quam Deo. Neq; enim, ut ſcimus, terror iſte ad defenſionem ſufficiet, ſi præferimus vitam noſtram gloriæ Dei; & dum nobis conſulere volumus, & effugere crucem, ſi abnegamus Deum, ſi deflectimus à recta & pura fidei confeſſione: ſed duplicatur culpa, quum homines ita ſeſe

offe-

offerunt morigeros, ſi quid à tyrannis mandatur. Oſtendunt enim unumquemque jam ante fuiſſe propenſum ad contemptum Dei & abnegationem veræ pietatis. Detexit igitur impietas Jarobeam commune totius populi malum ac vitium: quia ſimulac digitum ſuſtulit, & juſſit perperam Deum colere, omnes cum plauſu ſequuti ſunt impium illud edictum. Ergo occaſio tunc ipſis oblata fuit, ſed malum ante reſidebat in ipſorum animis: quia non tam propenſi fuiſſent & alacres ad obediendum. Nunc ergo videmus quorſum ſpectet Propheta. Dicit Deum juſte pœnas ſumpturum de omnibus Iſraëlitis, & de ipſo hominum vulgo: quia quamvis Jarobeam ſolus mandaſſet Deum perperam colere, tamen omnes ad unum ſponte amplexi ſunt quod ille volebat: ita palam factum eſt, nullum apud ipſos vigere Dei timorem. Nunc videmus inanis quam ſit eorum prætextus, qui dicunt parendum eſſe Regibus, & interea deficiunt à verbo Domini. Quid enim hic reprehendit Propheta, niſi quod Iſraëlitæ Regi ſuo fuerint nimium morigeri? Atqui hoc per ſe laude dignum erat. Verum eſt, ſi Rex nihil mandaſſet contra Deum: ſed ubi cultum Dei pervertit, ubi inſtituit pravas ſuperſtitiones, debebat hic populus conſtanter ſe opponere: ſed quia nimium eſt flexibilis, imo libenter permittit ſe abſtrahi à vero Dei cultu, Propheta hic dicit non eſſe quod querantur ſe nimis duriter ac rigide caſtigari à Domino. Sequitur,

12. Et ego tanquam tinea ipſi Ephraim, & tanquam putredo (*vel caries: quanquam alii vertunt Teredinem, qui eſt etiam vermiculus, qui naſcitur in lignis*) domui Jehudah.

Jam Deus communiter utrique regno pœnam denunciat, ſed non loquitur ut antea: non dicit furorem ſuum inſtar fore diluvii, quod ſubmergat & obruat iſtos populos. Quid igitur? comparat ſe vermiculis qui ligna arrodunt, pannos etiam conſumunt: vel comparat ſe putredini. Diximus enim ſecundum nomen hoc modo ſumi: nempe רקב, quia proprie eſt Putredo: deducitur etiam à רקב, Putreſcere. Eſt igitur putredo vel caries. Sed, quemadmodum jam dixi, aliis placet verti Teredinem. & ſubeſt aliqua ratio probabilis: quia prius de tinea loquutus eſt. Melius autem aptantur hæc duo inter ſe, tinea & teredo, quam tinea & caries: tamen ſenſus Prophetæ minime eſt obſcurus: quod ſcilicet Dominus paulatim quaſi lenta corroſione conſumet utrumque populum: etiamſi non uno impetu perdat, tamen quod tabeſcent donec computruerint. Hæc ſumma eſt. Sed videndum eſt cur hac metaphora uſus fuerit Propheta: nempe ut intelligant Iſraelitæ & Judæi, etiamſi Dominus ſuſtentet quodammodo manum ſuam ne tanto onere incumbat, denique ſi parcat ipſis, tamen ſe non ideo fore incolumes: quia paulatim ſentient lentam tabem, quæ ipſos abſumat. Volebat autem Dominus hoc modo populum ad pœnitentiam flectere: ſed nihil profecit. Tanta enim erat durities, ut non ſentirent lentum illud malum: quemadmodum, niſi graviſſimum dolorem ſentiant qui ſtupidi ſunt, non moventur, putant ſe recte valere, & luctantur cum ſuo morbo. multos videmus tales. Propheta igitur hic admonet, etiamſi Dominus non palam fulminet contra Iſraëlitas & Judæos, fruſtra tamen ipſos ſibi blandiri, quoniam Dominus ſit ipſis tinea, & teredo: hoc eſt, quamvis ſenſim ipſos arrodat, longe tamen falli, niſi ſentiant ſibi cum ipſo eſſe negotium. Summa eſt, Deum non ſemper æquabili modo punire homines: varie enim nos tractat, prout vel expedit in ſalutem noſtram, vel quia hoc modo neceſſe eſt nos reddi magis inexcuſabiles. Deus ergo interdum ſeveritatem ſuam effundit: aliquando autem lente nos caſtigat. Sed quicquid ſit, monemur non eſſe dormiendum, ſimulac Dominus nos expergefacit: neque expectandum eſſe, dum appareat ſimilis leoni vel urſo, dum nos devoret, dum horribili furore in nos ſæviat: non eſſe ergo hoc expectandum monemur: ſed etiamſi paulatim nos Deus conficiat, tamen ſtatim nobis occurrendum eſſe: quia ſi reſpicimus quid ſit tinea & teredo, ſunt puſilli vermiculi, vix cernuntur oculis, & tamen arbor dura & robuſta tandem conſumitur ab ipſis vermiculis, vel à ſua carie: panni etiam putredine conſumuntur, ſi ſemel ipſos tinea occupaverit: videmus pretioſas ſupellectiles perire. Quum ita ſit, non eſt quod ſecuri ſint homines ſimulac Deus oſtendit aliquod ſignum iræ ſuæ, quamvis non proferat horribilem vindictam, ſed ſit tanquam occulta putredo. Nunc ergo tenemus quid velit Hoſeas hoc verſu. Jam ſequitur,

13. Et vidit Ephraim dolorem ſuum, (*morbum ſuum potius*) & Jehudah vulnus ſuum: profectus eſt Ephraim ad Aſſur, & miſit ad Regem Jareb: ipſe tamen non potuit mederi vobis, & non ſanabit à vobis vulnus. (*dicunt Hebræi, Sanare ab aliquo vulnus pro auferre vulnus: potius Latine dicendum eſſet, Non ſanabit vos à plaga.*)

Hic Dominus conqueritur ſe fruſtra caſtigaſſe Iſraëlitas uſitatis modis, quoniam putarint ſibi in promptu eſſe remedia, & animos ſuos contulerint ad vanas ſpes. Ita ſolet fieri ut plurimum. Nam ſi Dominus mitius nobiſcum agat, non ſentimus ejus manum, ſed putamus fortuito contingere quicquid mali eſt. Quaſi ergo nihil nobis eſſet cum Deo, quærimus remedia, & vertimus mentes noſtras & ſenſus in omnes partes. Hoc ergo nunc Deus exprobrat Judæis & Iſraelitis: *Vidit*, inquit, *Ephraim morbum ſuum, Jehudah plagam ſuam.* Quid autem fecit? *Ephraim profectus eſt in Aſſyriam*, inquit, *& miſit ad Regem Jareb*: hoc eſt, non reverſi ſunt ad me, ſed putarunt ſibi in manu eſſe effugia: itaque inanis fuit labor quem ſumpſi in illis caſtigandis. hæc ſumma eſt. Quod dicit, *Ephraim vidiſſe morbum ſuum, & Jehudah plagam ſuam*, non ita accipere convenit quaſi expenderint cauſas ipſas. Nam cæcutiunt impii ad cauſas malorum, & tantum feruntur ad præſentem dolorem: quemadmodum homines intemperantes, ſi morbus eos invadat, ſentiunt calorem, ſentiunt dolorem capitis, & alia ſymptomata, interim morbi nulla cura eſt: neque etiam reputant quomodo ſibi hos dolores accerſiverint, ut ſcilicet quærant apta remedia. *Ephraim ergo cognovit morbum ſuum*, ſed interea neglexit cauſam ipſius morbi: tantum tactus fuit præſenti dolore. *Sic etiam, Jehudah vulnus ſuum agnovit*, non quod intelligeret ſe percuſſum fuiſſe aut vulneratum Dei manu: ſed tantum affectus fuit dolore, quemadmodum brutæ pecudes ſentiunt ictus, & ejulant; interea non ſuppetit ratio vel judicium, ut intelligant unde ſibi malum vel qua de cauſa provenerit. In ſumma hic brutum ſtuporem damnat Propheta in utroque populo, quod non eo uſque profecerint ſub Dei ferulis, ut ad ipſum redirent, ſed potius vana remedia captarint: quia ſcilicet ſtupor occupaverat mentes ipſorum, ut non reputarent ſe caſtigari divinitus, & fieri hoc juſtis de cauſis. Quia ergo nihil tale venit illis in mentem, ſed tantum ſenſerunt ſibi male eſſe, & doluerunt belluino more, ideo profecti ſunt ad Aſſyrium, & miſerunt ad Regem Jareb. Videtur

Propheta hic in ſolas decem Tribus invehi: ſed quamvis diſerte loquatur de regno Iſraël, non tamen dubium eſt quin promiſcue accuſet etiam Judæos. Cur ergo potius nominat Ephraim? nempe quia initium hujus mali cœpit in regno Iſraël. Priores enim profecti ſunt ad Regem Aſſur, ut ejus ope repellerent vicinos ſuos Syrios: poſtea eorum exemplum ſequuti ſunt Judæi. Quoniam ergo Iſraëlitæ auctores Judæis fuerunt, ut accerſerent ſibi ejuſmodi auxilia, nominatim Propheta orationem ſuam in ipſos ſtringit. Sed non dubium eſt, quemadmodum jam dixi, quin communis ſit accuſatio. Nunc tenemus quid velit Propheta: *Vidit*, inquit, *Ephraim morbum ſuum, Jehudah vulnus ſuum*: hoc eſt, Ego quamvis arroderem inſtar tineæ aut vermiculi tam regnum Iſraël, quam regnum Jehudah, ſenſerunt tamen ſe quaſi tabeſcere: & quum morbus ad reſipiſcentiam ipſos trahere deberet, tamen alio verterunt animos, nempe putarunt ſe fore ſalvos, ſi vel ab Aſſyriis, vel ab aliis levamen peterent: ita factum eſt ut curſitarent in Aſſyriam, peterent auxilium à Rege Jareb. Videmus ergo in ſumma ſtuporem populi & duritiem hic coargui, quod non flexi fuerint ad pœnitentiam ipſis malis. Quidam Jareb putant fuiſſe urbem Aſſyriæ: ſed nulla eſt hujus conjecturæ ratio. Alii exiſtimant Regem Jareb fuiſſe vicinum Aſſyrio, & fuiſſe accitum quum Aſſyrius jam ex amico & fœderato hoſtis factus eſſet, atque invaderet regnum Iſraël. Sed hæc etiam divinatio non eſt ſolida. Poteſt eſſe nomen proprium hominis: & ego mallem ita accipere. Neque enim videtur conſentaneum hic Prophetam de variis auxiliis loqui: ſed bis idem repetit more Hebraico. Alii vertunt, Ad ulciſcendum: quod ſcilicet ultorem illum Regem advocaverint, nempe Aſſyrium. Sed hæc etiam expoſitio coacta eſt. Simplicius eſt quod jam dixi mihi probari, nempe quod miſerint ad Aſſyrium, hoc eſt, ad Regem Jareb. Jam ſequitur, *Non tamen poterit mederi vobis, & non ſanabit à vobis vulnus.* Hic Deus pronunciat irritum fore quicquid captant Iſraëlitæ: Vos, inquit, putatis his ſolatiis poſſe effugere manum meam, ſed tandem ſtultitia veſtra ſeſe prodet: ille enim nihil vobis proderit: hoc eſt, non medebitur vobis Rex Jareb. Hoc membro oſtendit Propheta, niſi ſtatim ad Deum revertimur dum ferulis ſuis nos admonet, fruſtra huc & illuc reſpicere ut remedia quæramus, quia in mundo ſatis multæ illecebræ occurrent: ſed ubi ſperabimus aliquid ſolatii, tandem Dominus oſtendet nos fuiſſe deluſos. Una igitur eſt medicina, recta ad Deum tendere. & hoc etiam Propheta intelligit: & hic eſt præſentis doctrinæ uſus. Dixerat prius ſenſiſſe Ephraim morbum ſuum, & Jehudah plagas ſuas: hoc eſt, Ego huc uſque ipſos adegi, ut agnoſcerent ſibi male eſſe: ſed non progreſſi ſunt quo debebant, nempe ut ad me redirent: potius deflexerunt ad Regem Jareb, & alias impoſturas. Poſtea ſequitur, Atqui hæc remedia vertentur potius vobis in noxam: certe nihil proderunt. Sequitur confirmatio illius ſententiæ.

14. Quia ego tanquam leo ipſi Ephraim, & tanquam leunculus domui Jehudah: ego, ego rapiam, & abibo: tollam, & nemo eripiet.

Quemadmodum dixi, Propheta confirmat fruſtra currere Iſraëlem ad vanos medicos, idque relicto Deo. Quare? nempe quia etiamſi totus mundus nobis faveat, non poterit tamen juvare, Deo invito & repugnante. Hic autem pronunciat Deus ſe fore infeſtum Iſraëlitis: acſi diceret, Inſtruite vos humanis præſidiis ut libuerit: ſed an Aſſyrius erit ſuperior virtute mea? an poterit mihi obſtare quominus ego vos perſequar, quemadmodum jam decrevi? Et ita oſtendit Deus ſe novo & diverſo modo acturum cum Iſraelitis & Judæis. Non ero, inquit, amplius tinea & vermiculus: ego veniam inſtar leonis ad vos ore aperto ad vorandum. nunc prodeat in medium Rex Aſſyrius, quum ego ita incedam contra vos armatus, an obſtaculum afferet, ne exequar vindictam meam, prout mihi viſum fuerit? Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ. Dixerat, Deum pœnas ſumpturum de Iſraëlitis & Judæis, ut ſenſim eos conficeret, quo ſcilicet plus eſſet temporis ad reſipiſcendum: ſed dicit hoc fore inutile, quia non putabunt ſerio rem agi. Ergo decipient ſe vanis fallaciis. Quid ergo reſtabit demum? nempe, inquit, Ego indutus nova forma progredior ad prælium: *Ego ero vobis velut leo & leunculus*: ego tanquam truculenta beſtia in vos ſæviam: non erit jam vobis moleſtia à tineis & vermiculis, ſed erit apertum certamen & horribile cum leone, & cum leunculo. Quid ergo tunc vobis proderit Rex Aſſyrius? Docet autem hic locus, hoc tantum conſequi homines, ubi conantur opponere contra iram Dei vana ſubſidia, quod magis ac magis iram ejus in ſe provocant & inflammant. Si Deus prius rodebat, vorabit tandem: ſi pungebat, alte vulnerabit: ſi feriebat, prorſus occidet. Hoc proficimus noſtris perverſis ſtudiis, quum putamus nobis patere effugia. Ergo niſi ſponte volumus accendere Dei furorem, ut ſimilis leoni appareat, & ſæviat in nos toto impetu furoris ſui, cavendum eſt ne vanis ſolatiis nos ludamus. Ideo dicit, *Ego, ego rapiam*, vel lacerabo, diſcerpam: nam טרף proprie hoc ſignificat: & melius etiam hoc convenit cum reliquo contextu. Diſcerpam igitur, quemadmodum ſolent leones vel leunculi, membratim totos iſtos populos. Poſtea dicit, *Diſcedam*, ſicuti leo, poſtquam præda ſua potitus eſt, diſcedit victor eo animoſius, nec fugitur, quia non movetur ullo terrore. Sic etiam dicit Propheta, Veniat Rex Aſſyrius, non coget me pedem referre, nec prædam mihi eripiet: ac ubi ſatiatus fuero veſtro interitu, tunc ego non timebo mihi à Rege Aſſyrio, ut raptim aufugiam, quemadmodum ſolet vulpes: non obſiſtam aſtute, ſed ego aperte prodibo: violentia mea ſufficiet ad ipſum profligandum. ita diſcedam libere, quia non afferent mihi ullum metum veſtra ſubſidia. *Tollam*, inquit, *& nemo rapiet.* Nunc tenemus totam Prophetæ ſententiam.

15. Ibo, revertar ad locum meum, donec agnoſcant ſe peccaſſe, (*ad verbum eſt, peccare*) & quærant faciem meam: ubi fuerit ipſis afflictio, properabunt ad me. (*vel me quærent.*)

שחר ſignificat Auroram: ideo verbum ſignificat Mane quærere, vel cito ſurgere, quemadmodum ubi ſedulo aliquid curant homines. Sed multis etiam Scripturæ locis ſimpliciter pro Quærere accipitur: & videtur melius congruere præſenti loco illa ſimplex ſignificatio, Quærent me in tribulatione ſua. Hic Deus pronunciat, poſtquam horribili modo ſævierit contra utrumque regnum, tam Jehudah quam Iſrael, ſe ad tempus fore quietum, & expectaturum è cœlo quid facturi ſint. Poſtea addit, Tandem iſti redibunt ad ſanam mentem. Ubi ſenſerint extremam manum, tunc obliti ſuæ pervicaciæ agnoſcent ſua peccata, & vere humiliabuntur. Hic eſt ſenſus. Loquutio in ſpeciem poſſet videri dura, quum Deus dicit ſe iturum: neque enim vel cœlo ita ſe abſcondit ut res humanas negligat, vel manum ſuam ſubducit quin ſuſtineat mundum præſenti virtute, vel etiam aufert Spiritum ſuum ab hominibus, præſertim ubi ad

reſi-

reſipiſcentiam vult ipſos adducere. Neque enim unquam ſponte homines ſe ad Deum convertent, niſi arcano ejus inſtinctu. Quid ergo hoc ſibi vult, *Vadam & revertar ad locum meum?* nempe hic agitur de externo ſtatu populi. Senſus eſt igitur, Poſtquam exciſa fuerint hæc duo regna, tunc ego abſcondam ad tempus faciem meam ab utroque populo, & putabunt nullam mihi eſſe curam ſalutis ſuæ, putabunt me eſſe remotum. Videmus ergo Prophetam hic tantum notare qualis futurus ſit externus populi ſtatus: deinde videmus etiam aptari iſtas loquendi formas ad ſenſum hominum. Sic etiam loquitur Deus ipſe, Jeſ. 18. tametſi in alium finem. Sed tamen Propheta idem re ipſa illic exprimit: Quieſcam, inquit, & ſpeculabor in tabernaculo meo. Quænam eſt iſta Dei quies, & quodnam ejus tabernaculum? nempe quum Deus judicia ſua exercet, tunc cogimur ſentire ejus præſentiam: quum etiam nos benigne fovet, ac exhibet patris officia, tunc oſtendit re ipſa ſe nobis propitium. Sed ubi neque de peccatis noſtris pœnas ſumit, neque etiam dat ſignum favoris ſui, videtur ſe procul ſubducere, & jam negligere vitam noſtram. Nunc ergo intelligimus Prophetam loqui de tempore exilii: acſi diceret, Poſtquam Deus ultimam vindictam exequutus fuerit contra vos, & ita in exilium fueritis abrepti, tunc Deus ceſſabit, acſi neutram in partem vos curaret, ſed eſſet veſtri immemor: quia illic quietos relinquet, nempe in Chaldæa & Aſſyria: deinde non proferet etiam aliquam lucem ſalutis. Deus ergo erit quaſi otioſus in cœlo: hoc eſt unum. Sed finem ſimul oſtendit Propheta, quod ſcilicet poſtea revertentur ad Dominum, & hoc etiam eſſe conſilium Dei affirmat: Donec, inquit, intelligant ſe peccaſſe. Nam hoc eſt initium ſanationis, dum homines cauſam morbi reputant. Prius dixerat Iſraëlem vidiſſe morbum ſuum, ſed non recto judicio: quia ſcilicet origo morbi eum latebat, & adhuc abſcondita erat. Nunc autem diſerte Propheta oſtendit hoc Deum quærere ut populus peccata ſua agnoſcat ac fateatur. Verbum hoc paſſim occurrit in Scriptura, ubi de ſacrificiis agitur. Dicuntur ergo homines tunc peccata fateri, dum prodeunt in conſpectum Dei cum vera confeſſione, dum agnoſcunt ſuum reatum, & veniam precantur. Sic etiam hoc loco, *Dum*, inquit, *ſe peccaſſe fateantur*, ego me ad tempus abſcondam. Et addit, *Quærant faciem meam*. Hoc ſecundum eſt in ſalute recuperanda: nempe ut quæramus faciem Dei. Scimus enim pœnitentia & fide nos reconciliari Deo: non quod pœnitentia veniam nobis conciliet, ſed quia neceſſario requiritur. eſt cauſa ſine qua non, ut loquuntur. Hic ergo primus eſt gradus ſanationis, quemadmodum nuper dixi, ut tangamur dolore, dum ſentimus nos provocaſſe iram Dei, atque ita peccata nobis diſpliceant. Jam qui ita factus eſt apud ſe peccator, hoc eſt, qui cœpit eſſe judex ſuus, poſtea debet addere hoc ſecundum, nempe ut quærat faciem Dei, hoc eſt, ut ſe Deo offerat ſupplicem, & veniam poſtulet. Hoc autem naſcitur ex fide. Ergo ad pœnitentiam verbum אשם, hoc eſt, Agnoſcere peccatum: ad fidem vero refertur proprie Quærere faciem Dei. Nunc videndum eſt quiſnam fuerit hujus doctrinæ uſus in veteri populo: nempe quum in exilio degerent Iſraëlitæ & Judæi, operæ pretium fuit hoc illis teſtatum eſſe, ita abſconditam eſſe faciem Dei ad tempus, ut tamen daret illis ſpatium temporis ad reſipiſcendum: hoc unum eſt. Jam ubi audiunt homines conſulto hoc Deum quærere ut reſipiſcant, animantur: & hic eſt acerrimus ſtimulus ad animos erigendos, ne amplius torpeant in ſuis vitiis. & hoc voluit Propheta, quum Dominus expulerit tam Judæos quam Iſraëlitas in exilium, etſi ad tempus videbitur ipſos abjicere, non putent ſe in totum deſertos, quia adhuc tempus opportunum illis eſt ad reſipiſcendum. Jam poſtea modum reconciliationis deſcribit, nempe ut *ſe agnoſcant peccaſſe*: deinde, *ut quærant faciem Dei*. Et ſimul fructum afflictionis declarat, quum dicit, *Quum erit ipſis afflictio, tunc ipſi me quærent*. Hic oſtendit Propheta, quanquam exilium erit valde acerbum Iſraëlitis, tamen fore utile: quemadmodum ſi medicus porrigat amaram potionem, vel cogatur etiam aliquo aſperiore remedio curare difficilem morbum; ſic etiam Propheta oſtendit pœnam hanc utilem fore populo, atque etiam jucundam, quantumvis ad tempus fuerit acerba. Quare? redibit enim ad Dominum. Et diſerte dicit, *quærent me*. Complectitur tam fidem quam pœnitentiam hoc verbo: neque enim duo membra diſtinguit, ſicuti prius: ſed generaliter oſtendit finem afflictionis fore, ut populus ad Deum ſe convertat. Quod ad verbum Properandi ſpectat, ego jam dixi mihi non placere: quia non properarunt vel Iſraëlitæ vel Judæi, ſed vix tandem longo ſucceſſu & longa ſerie 70 annorum adducti ſunt ad pœnitentiam. Qualis igitur fuiſſet illa celeritas? Ideo mihi non placet ita vertere, Mane quærent me: ſed ſimplex illa ſignificatio melius convenit, ut dixi.

Da omnipotens Deus, quando non deſinimus ſubinde iram tuam in nos innumeris peccatis accendere: da, inquam, ut ſaltem ubi nos admones atque in viam reducis, ſimus flexibiles, & ſtatim attenti ad ferulas manus tuæ; neque expectemus extremum rigorem, ſed mature reſipiſcamus: deinde ut vere & ex animo te quæramus, non obtendamus falſam pœnitentiam, ſed nos ſtudeamus totos tibi addicere, idque per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA SEXTA IN HOSEAM PROPHETAM.

CAPUT VI.

VEnite, & convertamur ad Jehovam, quia ipſe rapuit, & ſanabit nos: percuſſit, & alligabit plagas noſtras.

PRoxima lectione dixerat Propheta, poſtquam caſtigationibus & pœnis domiti eſſent Iſraëlitæ, tunc ab errore curſum reflexuros, ut Deum quærerent. Sed quia terror procul arcet homines ab acceſſu Dei, nunc addit talem fore afflictionis modum, ut non deſpondeant animos, neque deſperationi ſuccumbant: quin potius confidant Deum ſibi fore propitium: atque ut hoc melius exprimat, inducit ipſos loquentes, *Venite, accedamus ad Dominum*. Nam hæc loquendi ratio magis eſt emphatica. Sciendum autem eſt hic rationem poni cur Iſraëlitæ tuto & certa fiducia ad Deum redire poſſint: quia ſcilicet officium ejus hoc eſſe agnoſcunt, ut ſanet poſtquam percuſſerit, & vulneri-

neribus quæ inflixit, remedium afferat. His verbis intelligit Propheta, Deum non ita ſe ulciſci de hominibus, ut velit iram ſuam effundere adverſus ipſos uſque in exitium, ſed potius eorum ſaluti conſulere, ubi ſeverus eſt ac de peccatis eorum pœnas ſumit. Niſi præcedat hæc cognitio, nunquam ſe animabunt homines ad pœnitentiam, ſed potius obdureſcent in ſuis vitiis, & quaſi frenum arrodent, ut vulgo dicunt. Tenendum eſt igitur, quemadmodum etiam prius vidimus, initium pœnitentiæ eſſe ſenſum clementiæ Dei: hoc eſt, dum homines perſuaſi ſunt Deum eſſe propenſum ad dandam veniam, tunc incipiunt colligere animos, ut reſipiſcant: alioqui ſemper creſcet in ipſis contumacia: utcunque peccata ſua horreant, tamen nunquam redibunt ad Dominum. Et in hunc finem etiam alibi citavi locum illum memorabilem ex Pſal. 130. Apud te eſt miſericordia, ut timearis. Quia fieri non poteſt ut ſe Deo ſubjiciant homines vero & ſincero affectu, niſi guſtus bonitatis ejus ipſos alliciat, ac certo ſtatuant non fruſtra ſe ad ipſum venturos: ſed, quemadmodum diximus, ipſum ad veniam propenſum fore. Hic eſt verborum ſenſus, quum dicit, *Venite, & convertamur ad Jehovam: quia ipſe percuſſit, & ſanabit nos*: hoc eſt, non inflixit Deus nobis lethifera vulnera, ſed percuſſit ut velit ſanare. Quanquam plus etiam aliquid exprimitur Prophetæ verbis, quod ſcilicet Deus nunquam adeo rigide tractet homines, quin tamen relinquat ſemper locum gratiæ ſuæ. Nam verbo Rapiendi Propheta notat gravius illud judicium de quo prius loquutus eſt in perſona ipſius Dei. Illic enim Dominus ſimilem ſe fecit truculentæ beſtiæ: Ego ero quaſi leo, vorabo, rapiam, & nemo auferet prædam quam ſemel corripuero. Deus ergo illic oſtendere voluit vindictam ſuam fore horribilem adverſus Iſraëlitas. Nunc etiamſi tam duriter cum ipſis Deus egerit, non tamen deſperant de venia: utcunque ergo experti ſimus ad tempus Deum ſimilem leoni vel urſo, tamen quia proprium munus ejus eſt ſanare poſtquam ita diſcerpſit, alligare quæ inflixit vulnera, non eſt cur nunc fugiamus ejus conſpectum. Videmus quorſum ſpectent Prophetæ verba, nullam ſcilicet eſſe tam aſperam caſtigationem, quæ frangere animos noſtros debeat, quin ſpe veniæ concepta nos incitemus ad pœnitentiam. Hæc ſumma eſt. Præterea notare convenit, hic fideles ſeſe primo loco hortari, ut alios deinde ſecum adducant. Sic enim ſonant verba: non dicit, Ite, redite ad Jehovam; ſed, *Venite, redeamus ad Dominum*. Videmus ergo ut quiſque à ſeipſo incipiat, deinde ut alii alios mutuo hortentur. Atque hæc ratio nobis tenenda eſt. quia ſiquis fratres ſuos ad Deum mittat, male ſibi conſulit, quum deberet potius illis monſtrare viam. Quiſque ergo ſeipſum ſtimulare diſcat, deinde aliis porrigat manum, ut ſequantur. Interea monemur ſuſcipiendam nobis eſſe curam fratrum noſtrorum: quia indignum eſſet quemque propria ſalute eſſe contentum, & ita abjicere fratres ſuos. Hæc ergo duo ſimul conjungere neceſſe eſt, nempe ut nos ad pœnitentiam incitemus, deinde ut ſtudeamus etiam nobiſcum alios adducere. Jam pergamus.

2. Vivificabit nos poſt biduum, die tertio ſuſcitabit nos, & vivemus in conſpectu ejus. *(vel coram facie ejus.)*

Hunc locum Hebræi depravant, quia putant ſe adhuc eſſe redimendos adventu Meſſiæ: & hunc fingunt eſſe diem tertium. quia ſemel Deus eduxit eos ex Ægypto: hæc prima vita fuit. Deinde ſecundo eos reſtituit in vitam, ubi ab exilio Babylonico reduxit. Nunc quum Deus per manum Meſſiæ colliget eos ex diſſipatione, dicunt hanc fore tertiam reſurrectionem. Sed nugæ ſunt. Solet autem hic locus exponi de Chriſto, quod poſt biduum, & die tertio ſuſcitabit Deus Eccleſiam ſuam, quia ſcimus Chriſtum non ſibi privatim reſurrexiſſe, ſed ſuis membris. Eſt enim primitiæ reſurgentium. Videtur ergo hic ſenſus non male quadrare, quod Propheta hic erigat fideles in ſpem ſalutis, quia Deus excitabit Filium ſuum primogenitum, cujus reſurrectio communis erit totius Eccleſiæ vita. Sed ſenſus ille videtur mihi nimium argutus. Et ſemper hoc ſpectandum eſt nobis, ne volitemus in aëre: placent argutæ ſpeculationes primo intuitu, ſed poſtea evaneſcunt. Ergo quiſquis volet proficere in Scripturis, ſemper hanc regulam teneat, ut ſolidum ſit quicquid colligit ſive in Prophetis, ſive in Apoſtolis. Jam videndum eſt quid velit Propheta. Non dubito quin hic ſecundam ſpeciem conſolationis adjungat, nempe ſi Deus non ſtatim populum ſuum vivificet, non tamen eſſe cur mora tædium ipſis afferat, quemadmodum ſolet. Videmus enim, ſi diu languere nos Deus patitur, deficere animos noſtros: & qui initio videntur eſſe ſatis alacres & cordati, ſucceſſu temporis diffluunt. Quia igitur rara virtus eſt patientia, ideo hic Hoſeas hortatur nos ad moram patienter ferendam, ſi non ſtatim vivificet nos Dominus. Sic ergo loquuntur Iſraelitæ, *A biduo nos vivificabit Deus, tertio die excitabit nos in vitam*. Quid intelligunt per biduum? nempe diuturnam afflictionem: acſi dicerent, Quamvis Dominus non eripiat nos ex noſtris miſeriis primo die, ſed differat longius noſtram redemptionem, non tamen eſt cur ſpes noſtra concidat. Deus enim etiam putrida cadavera excitare poteſt ex ſepulchris non minus quam vitam reſtituere momento. Daniel, quum vult exprimere longam fore popu- Dan. 7.
li afflictionem, dicit, Poſt tempus, tempora, & di- verſ. 25.
midium temporis. Diverſa eſt illa ratio loquendi, ſed tamen quoad ſenſum eodem ſpectat: dicit, Poſt tempus, id eſt, poſt annum: illud eſſet tolerabile. ſed ſequitur, Tempora, hoc eſt, plures annos: poſtea Deus abbreviabit illam horam, & afferet redemptionem quo tempore minime ſperabitur. Hoſeas hic biduum ponit, nempe quia Deus non tantum uno die populum ſuum affliget, ſed quemadmodum prius vidimus, paulatim domabit ipſum, quia ſic invaluerat contumacia populi, ut non eſſet ſanabilis: quemadmodum morbi ubi egerunt radices longo tempore, non poſſunt ſtatim curari, ſed opus eſt lentis & pluribus remediis. Si autem medicus velit ſtatim revellere morbum, qui occupavit quicquid eſt in homine, certe non curabit hominem, ſed vitam illi auferet: ita etiam quum Iſraelitæ propter longam obſtinationem eſſent fere incurabiles, oportuit ipſos lentis pœnis adduci ad pœnitentiam. Dicunt igitur, *Poſt biduum nos Deus vivificabit*, & ita ſe confirmant in ſpe ſalutis, quamvis non ſtatim affulgeat, ſed diu maneant demerſi in tenebris, & longum ſit exilium illud quod paſſuri erant, tamen non deſinunt ſperare: Bene, tranſeat biduum, Dominus vivificabit nos. Videmus hic opponi conſolationem tentationibus, quæ nobis ſpem ſalutis eripiunt ubi Deus gratiam ſuam ſuſpendit diutius quam caro noſtra appetat. Dicebat Martha Chriſto, Domine, jam fœtet, quatriduanus eſt. Putabat hoc eſſe abſurdum, ſi lapidem tollerent è ſepulchro, quia jam putrefactum erat cadaver Lazari. Chriſtus autem in hoc voluit oſtendere incredibilem ſuam potentiam, quod hominem putridum reſtituit in vitam. Eodem etiam modo nunc loquuntur fideles, *Dominus nos ſuſcitabit à biduo*. Etiamſi exilium videtur eſſe inſtar ſepulchri, ubi nos putredo manet, Dominus ſuperabit ſua inæſtimabili virtute quicquid videtur obſtare noſtræ reſtitutioni. Jam tenemus ſimplicem & germanum hujus loci ſenſum, meo quidem judicio: ſed interea non nego quin Deus ediderit inſigne

& memorabile ſpecimen hujus rei in Filio ſuo unigenito. Ergo quoties mora nobis faſtidium generat, & videtur jam Deus abjeciſſe omnem curam noſtri, confugiamus ad Chriſtum. Nam ſicuti jam dictum fuit, reſurrectio ejus ſpeculum eſt vitæ noſtræ. Illic ergo cernimus quomodo agere Deus ſoleat cum ſuis. Neque enim Chriſto vitam reſtituit Pater ſimulatque è cruce ſublatus eſt, ſed depoſitus fuit in ſepulchro, & illic jacuit uſque ad tertium diem. Si ergo Deus velit nos languere ad tempus, ſciamus nos ita configurari Chriſto capiti noſtro: & hinc colligamus materiam fiduciæ. Habemus ergo in Chriſto illuſtre documentum hujus vaticinii. Sed priore loco tenendum eſt quod diximus, nempe hic fideles ſibi ſpem facere ſalutis, etiamſi Deus non ſtatim manum ipſis porrigat, ſed ad tempus differat gratiam redemptionis. Poſtea addit, *Vivemus in conſpectu ejus*, vel coram ipſo. Hic fideles iterum ſe confirmant: quod ſcilicet Deus ipſos aſpectu paterno dignabitur, ubi diu tergum illis obverterit. *Vivemus ergo coram facie ejus.* Nam quamdiu Deus non gerit curam noſtri, manet nos certus interitus: ſimul autem atque oculos ſuos in nos convertit, inſpirat vitam ſolo intuitu. Promittunt igitur fideles ſibi hoc bonum, quod Dei facies poſt longas tenebras rurſus illuceſcet: hinc etiam ſpem vitæ colligunt, & ſimul revocant ſe ab omnibus obſtaculis quæ obſcurant hanc vitæ lucem: quia dum huc & illuc diſcurrimus & vagamur, non poſſumus apprehendere vitam quam Deus nobis promittit. Illecebræ enim hujus mundi totidem ſunt vela, quæ impediunt oculos noſtros, ne cernant paternam Dei faciem. Ergo tenendum eſt particulam hanc ideo additam eſſe, ut fideles non dubitent ubi viſus fuerit Deus tergum illis vertiſſe, tandem futurum ut eos reſpiciat. Nunc pergamus.

3. Et cognoſcemus, & proſequemur ad cognitionem Jehovæ: ſicut aurora diſpoſitus eſt egreſſus ejus, & veniet tanquam pluvia nobis, tanquam pluvia ſerotina, pluvia terræ.

Hoc verſu continuant fideles quod prius vidimus, nempe ut certam ſibi faciant ſalutis fiduciam. Neque mirum eſt Prophetam hac in re inſiſtere prolixius. Scimus enim quam proclives ſimus ad dubitationem: præſertim ubi Deus ſigna iræ ſuæ nobis oſtendit, nihil difficilius eſt quam nos colligere, ut certo perſuaſi ſimus illum eſſe medicum noſtrum, quum videtur ſe de peccatis ulciſci. Ergo hic ſtrenue luctandum eſt. quod non poteſt fieri ſine moleſtia: ideo fideles nunc dicunt, *Sciemus, & proſequemur ad cognoſcendum Jehovam.* His ergo verbis oſtendunt ſe non diffidere quin lux vitæ exoritura ſit poſt tenebras. Nam hæc ſumma eſt verborum. *Sciemus ergo*, inquiunt: hoc eſt, Quamvis nunc undique inſtet horrenda caligo, tamen Dominus patefaciet ſuam bonitatem erga nos, etiamſi non ſtatim hoc appareat: ideo addunt, *Et proſequemur ad cognitionem Jehovæ.* Nunc tenemus quorſum ſpectent verba. Docet autem hic locus, quum Deus faciem ſuam abſcondit, tamen perperam nos facere, ſi infidelitatem noſtram fovemus: quia potius, ſicuti jam dixi, certandum eſt cum illo exitiali morbo. Satan enim nihil aliud venatur, niſi ut nos deſperatione abſorbeat. Ergo hæc ejus aſtutia nobis tenenda eſt, ut Paulus admonet: [2 Cor. 2.] & Spiritus ſanctus hic arma nobis ſuppeditat, [verſ. 11.] quibus repellamus hanc tentationem Satanæ, Quid? Tu vides Deum tibi eſſe infeſtum: nec eſt cur ad ipſum accedere coneris: præcluſi enim ſunt omnes aditus. Satan hoc nobis ſuggerit dum ſentimus noſtra peccata. Quid agendum eſt? Propheta hic remedium proponit: Sciemus, etiamſi nunc demerſi ſumus in obſcura caligine, ſi ne ſcintilla quidem lucis uſquam nobis affulget, tamen ſciemus (quemadmodum dicit Jeſaias, Sperabo in Domino, qui abſcondit faciem ſuam à Jacob) hoc verum eſſe fidei noſtræ exercitium, ubi oculos attollimus ad lucem quæ videtur extincta eſſe, & in mortis tenebris adhuc non deſinimus nobis vitam promittere, quemadmodum hic docemur. *Sciemus ergo*: deinde *Proſequemur ad cognitionem Jehovæ*: hoc eſt, etiamſi Deus ſubducat faciem ſuam, & quaſi conſulto duplicet tenebras, & ſit quaſi extincta omnis cognitio gratiæ ejus, nos tamen *proſequemur ad cognitionem illam*: hoc eſt, non impediet nos obſtaculum illud, quin enitamur, & conatus tandem noſtri penetrabunt ad gratiam illam quæ videtur omnino à nobis eſſe excluſa. Exponunt alii, *Sciemus & proſequemur ad cognoſcendum Jehovam*, quia non ita profecerant Iſraëlitæ in Lege Moſis, quin adhuc ſperanda illis eſſet plenior doctrina, quam Chriſtus adventu ſuo attulit: putant igitur hic vaticinium eſſe ejus doctrinæ, quæ nunc per Euangelium nobis pleno fulgore proponitur, quia Deus ſe in Filio ſuo, tanquam in viva imagine patefecit. Sed illa etiam eſt arguta expoſitio: & ſatis eſt tenere Prophetæ conſilium. Ideo enim ſic pios loquentes inducit, quia opus fuit magno & arduo conatu, ut aſſurgerent ad ſpem ſalutis, quia ſcilicet exilium non unius diei futurum erat, ſed annorum 70. Quum ergo tam gravis tentatio maneret pios, voluit hic Propheta ad laborioſam militiam inſtruere. *Cognoſcemus ergo, & proſequemur ad cognoſcendum Jehovam.* Poſtea dicit, *Quaſi aurora nobis veniet egreſſus ejus.* Eſt aptiſſima ſimilitudo. nam hic fideles revocant in memoriam ſeriem continuam dierum & noctium. Non mirum eſt ſi ſperare nos Deus jubeat gratiam ſuam, cujus tamen aſpectus nos latebit. Nam niſi edocti eſſemus longo uſu, quis ſperaret ſubitam lucem quum dominantur noctis tenebræ? nonne putaret terram omnino luce eſſe privatam? Quum autem repente aurora affulgeat, & afferat finem noctis tenebris, eaſque diſcutiat, quid mirum eſt, ſi Dominus præter ſpem affulgeat? *Egreſſus igitur ejus erit inſtar auroræ.* Vocat hic Egreſſum Dei, novam manifeſtationem, quum ſcilicet Deus oſtendet ſe populum ſuum complecti favore, ubi oſtendet ſe memorem fœderis quod pepigit cum Abraham: quia quantiſper populus exulavit à patria, viſus eſt Deus non reſpicere amplius ipſum, ut diximus. Imo tunc ſenſus carnis hoc tantum dictabat, Deum procul diſtare ab ipſo populo. Vocat igitur Egreſſum Dei, ubi Deus ſe exhibebit propitium captivis, & illos in integrum reſtituet. *Egreſſus ergo Dei veniet nobis & erit inſtar auroræ.* Nunc ergo videmus, ut ab ordine naturæ ſe confirment, quemadmodum Paulus objurgat eorum diffidentiam, quibus incredibilis eſt futura reſurrectio, quia ſuperet carnis ſenſus: Stulte, inquit, non [1 Cor. 15.] vides quod ſeminas prius corrumpi, & tamen germinare? [verſ. 36.] Deus in ſemine mortuo tibi proponit jam effigiem futuræ reſurrectionis. Sic etiam hoc loco, quandoquidem quotidie exoritur nobis lux, & aurora affulget poſt tenebras noctis. Quid igitur Dominus tam potenter agens per mortuas creaturas, non efficiet per ſeipſum? ubi volet exerere plenam potentiam ſuam, quid facturum putamus? annon multo amplius ſuperabit omnes ſenſus carnis noſtræ? Nunc ergo videmus quorſum addita ſit hæc ſimilitudo. Poſtea fructum hujus manifeſtationis nobis deſcribit: *Veniet*, inquit, *tanquam pluvia nobis, tanquam pluvia ſerotina, pluvia terræ.* Similitudo hæc oſtendit, ſimulac Deus populum ſuum reſpicere dignabitur, perinde fore ejus aſpectum, acſi pluvia irrigaret terram. Terra quum poſt longos æſtus & longam ſiccitatem arida eſt, jam videtur eſſe inutilis ad fructum proferendum: pluvia autem una ſuccum & vigorem ei reſtituit. Sic ergo Propheta in per-

ſona fidelium hic confirmat ſpem plenæ reſtitutionis: *Veniet nobis quaſi pluvia, quaſi pluvia ſerotina.* מלקוש vocant ſerotinam pluviam Hebræi, qua maturheſcunt fruges. Et videtur ita per nomen גשם, notare Propheta pluviam vernam. Denique ſenſus clarus eſt: quod etiamſi exaruerint Iſraelitæ, ita ut nullus amplius vigor ſuppetat, tamen non minus fore virtutis in gratia Dei, quam ſit io pluvia, quæ terram fœcundat ubi videtur eſſe ſterilis. Quum autem in fine addit Pluviam terræ, non dubito quin notare velit pluviam opportunam, quæ terræ ſuavis & grata eſt, vel quam terra pro ſua neceſſitate expetit: violentus enim imber non proprie vocabitur pluvia terræ, quia ooxius eſt ac contrarius. Hæc eſt ſumma. Sequitur,

4. Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Jehudah? nam bonitas veſtra eſt quaſi ros matutinus, quaſi nebula mane tranſiens.

Hunc locum ita quidam exponunt, quod Deus non ſemel irrigare velit populum ſuum, ſed proſequi hanc gratiam: acſi diceret, Fallitur qui putat momentaoeam fore redemptionem, quam jubeo à me ſperari: ego enim continuo ordine perducam populum meum uſque ad plenam fruitionem ſalutis. Sed ſenſus ille prorſus alienus eſt. Noo dubium igitur, quin Propheta hic inducat Deum hoc modo loquentem, Quid vobis faciam? quia non poteſtis locum dare gratiæ meæ, tanta eſt veſtra pravitas. Videtur quidem abrumpi hoc modo contextus: ſed teneoda eſt nobis regula, Quoties Prophetæ gratiam Dei io medium proferunt, ſimul addere exceptionem; ne ſcilicet hypocritæ falſo ad ſe trahant quod ſolis fidelibus offertur. Scimus Prophetas nunquam mioatos fuiſſe exitium populo, quin adderent aliquam promiſſionem, ne ſcilicet fideles deficerent: quod neceſſe erat, niſi aliqua mitigatio illis oſtenſa foret. Prophetæ ergo hoc habent ordinarium, ut temperent ſuas minas, & quicquid eſt rigoris, addita ſpe gratiæ Dei. Sed interim, quia hypocritæ ſemper ad ſe trahunt quod proprium eſt ſolis fidelibus, & ita ſecure illudunt Deo, Prophetæ adjiciunt ſecundam exceptionem, qua ſignificant hoc noo eſſe uoiverſale, nec promiſcue ſpectare ad omnes, quod Deus ſe clementem & miſericordem erga populum ſuum fore promittit. Pluribus verbis hoc iterum repetam. Negotium fuit Prophetis cum toto populo, negotium fuit cum paucis fidelibus: nam exiguus erat numerus piorum tam apud Judæos quam apud Iſraëlitas. Quum ergo Prophetæ objurgant populum, dirigitur ſermo ille ad totum corpus. Sed interim quia reſiduum erat aliquod ſemen, ideo admiſcent conſolationes, quemadmodum dixi: & ideo admiſcent, ut electi Dei ſemper recumbant in ejus miſericordiam, atque ita patienter ſubjiciant ſe ejus ferulis, perſiſtantque in timore ejus, dum ſciunt certam ſibi fore in eo ſalutem. Ergo promiſſiones quas videmus inſeri à Prophetis inter minas & objurgationes, non debent communiter ad omnes referri vel ad promiſcuum vulgus, ſed tantum ad fideles qui tunc erant pauci numero, ut diximus. Hæc igitur ratio eſt cur Prophetæ excutiaot blanditias improbis Dei contemptoribus, quum addunt, Non eſt quod ſperetis quicquam ſalutis ex hac promiſſiooe quam ego filiis Dei propono: Deus enim non projicit panem canibus, quem ſolis filiis deſti-
Amos 5. navit. Sic etiam videmus alterum Prophetam loqui,
verſ. 18. Ad quid vobis dies Domini? dies ille eſt caliginis
& oon lucis, dies mortis & non vitæ. Nam quia ſæpius audierant, fœdus quod Deus pepigerat cum Abraham non fore irritum, ideo ſuperbiebant omnes: Nos quidem nunc duriter tractamur, ſed paulo poſt Deus ex ooſtris malis nos eripiet. eſt enim pater noſter, non fruſtra nos adoptavit, non fruſtra genus noſtrum redemit & elegit, nos ſumus peculium ejus & hereditas. Ita ergo ſibi blandiuntur improbi. & hoc quidem videntur habere commuoe cum fidelibus: fideles enim etiam in profundiſſima ahyſſo mortis tamen lucem vitæ aſpiciunt, quia fide penetrant extra mundum, ut diximus. Sed interim cum ſeria pœnitentia ad Deum accedunt: impii autem manent in ſua contumacia, & per ludibrium ita ſibi adulantur, quum putent quicquid Deus promittit ad ſe ſpectare. Nunc ergo redeamus ad Prophetam noſtrum. Dixerat, Io tribulatione ſua quærent me. Poſtea verbis populi expoſuerat quomodo ſe ad Deum convertaot fideles, & quid ſecum afferat vera reſipiſcentia. Jam ſequitur, *Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Jehudah?* hoc eſt, Quid vobis omnibus faciam? populus enim tunc io duo regna diviſus erat: nam regnum Jehudah habebat proprium nomen; decem Tribus habebant commune illud nomen Iſraël, ut dictum fuit. Poſtquam ergo ſpem veniæ fecit filiis Dei Propheta, jam convertit ſe ad corpus totius populi quod corruptum erat, & dicit, Quid jam facturus ſum vobis, & Judæi & Iſraëlitæ? Significat autem his verbis Deus ſe tentaſſe omnia remedia, & fruſtra expertum eſſe, Quid ergo amplius vobis faciam? inquit: vos eſtis incurabiles prorſus, vos eſtis inexcuſabiles & omnino deſperati, quia nulla ratio à me omiſſa eſt, qua ſaluti veſtræ conſulerem: ſed ego luſi operam, poſtquam pœnis & caſtigationibus nihil profeci, poſtquam gratia etiam mea apud vos nihil habuit momenti, quid jam ſupereſt niſi ut vos prorſus abjiciam? Nunc ergo videmus quam diverſus ſit loquendi modus apud Prophetas: quia ſcilicet illis negotium erat non cum una hominum ſpecie, ſed cum filiis Dei, & cum reprobis qui pertinaces in vitiis ſuis manent. hinc ergo fit ut mutent loquendi rationem: & ita neceſſe eſt. Similis fere querimonia apud Jeſaiam legitur cap. 1. niſi quod illic tantum mentio fit de pœnis. Quorſum percuterem vos ultra? oihil enim hactenus adeptus ſum. A planta pedis uſque ad verticem capitis nulla eſt ſanitas: & tamen manetis veſtri ſimiles. Cap. 5. de beoeficiis Dei loquitur, Quid fieri debuit vioeæ meæ amplius, quod ego non fecerim? Illis duobus locis oſtendit Propheta populum eſſe ita perditum ut non poſſit ad ſanam mentem reduci: quia ſcilicet Deus modis omnibus tentaverat ipſum ſanare, & manebant incurabiles morbi. Nunc redeamus ad Hoſeæ verba, *Quid faciam tibi Ephraim, quid faciam tibi Jehudah?* Ego quidem veniam omnibus offero, ſed vos interea contumaciter manetis in peccatis veſtris, imo gratia mea vobis ludibrio eſt. ego igitur jam non litigo vobiſcum, & vobis etiam denuncio clauſam eſſe januam ſalutis. Quare? hactenus enim fruſtra variis modis tentavi vos ſanare. Dicit poſtea, ipſorum bonitatem ſimilem eſſe rori matutino. *Bonitas veſtra*, inquit, *eſt quaſi ros matutinus.* חסד quidam accipiunt pro clementia quam Deus erga utroſque exercuerat, nempe tam Iſraëlitas quam Judæos. Clementia igitur veſtra, hoc eſt, miſericordia qua hactenus vos proſequutus ſum, *eſt quaſi ros matutinus, quaſi nubes quæ tranſit mane*: hoc eſt, ſtatim arefacitis gratiam meam. & hoc non male quadraret. Videmus enim incredulos abſorbere ſua malitia miſericordiam Dei, ita ut nihil utilitatis afferat: quemadmodum ſi pluvia defluat ſuper ſaxum aliquod vel rupem, tamen iotus ſaxum propter duritiem ſiccum manet. Quemadmodum igitur humor pluviæ non penetrat in ſaxa, ſic etiam gratia Dei fruſtra conſumitur & abſque profectu apud iocredulos. Sed Propheta potius de ipſorum bonitate loquitur, quod

ſcilicet

ſcilicet fictam probitatem oſtentent, quæ tamen evaneſcit quemadmodum ros matutinus. ſimul enim atque ſol ſurrexit, rorem ad ſe trahit ut amplius non appareat, nebulæ etiam tranſeunt. Dicit Propheta ſimiles fuiſſe Judæos & Iſraelitas nebulis matutinis & rori: quia ſcilicet non fuerit in ipſis ſolida probitas, vel intrinſeca, ut vocant, ſed fuerit evanida ſpecies duntaxat, hoc eſt, apparentiam habuerint, ut loquuntur. Nunc ergo tenemus Prophetæ ſenſum, quod ſcilicet Deus hic queratur ſibi negotium eſſe cum hypocritis. Scimus reſpici ab ipſo fidem: hoc eſt, Nihil eſt quod magis Deo placeat quam ſinceritas cordis. Deinde ſcimus fruſtra ſpargi doctrinam, niſi recipitur ſerio affectu. Quia igitur hypocritæ ſeſe transfigurant in varios modos, deinde licet oſtentent aliquam probitatis larvam, tamen nihil eſt in ipſis ſolidum, ideo conqueritur Deus ſe operam perdere. Et tandem dicit ſe nolle amplius fruſtra laborare erga homines fictos, qui præter mendacium & ſimulationem nihil habent. quod ſignificat his verbis, quum dicit, Nihil eſt quod vobis faciam amplius, Iſraelitæ & Judæi.

Da omnipotens Deus, quando ea qua decebat gratitudine beneficiis tuis non reſpondemus, & guſtata tua clementia, tamen exitium ſponte nobis accerſimus: da, inquam, ut renovati Spiritu tuo, non tantum conſtanter maneamus in timore nominis tui, ſed proficiamus magis ac magis & confirmemur, ut ſcilicet ita inſtructi virtute tua invicta, pugnemus ſtrenue adverſus omnes Satanæ inſidias & inſultus, & ita proſequamur hanc noſtram militiam uſque in finem, ut ſcilicet ita ſuffulti miſericordia tua, ſemper aſpiremus ad vitam illam quæ nobis abſcondita eſt in cœlo, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA SEPTIMA IN HOSEAM PROPHETAM.

CAP. VI.

5. Propterea ſecui (*vel excidi*) in Prophetis meis, occidi eos in verbis oris mei, & judicia tua lux quæ egreditur.

HIc Deus per Prophetam ſuum oſtendit ſe magna neceſſitate fuiſſe coactum, ut durius & aſperius hunc populum tractaret. Scimus Deo nihil eſſe magis cordi quam clementer agere nobiſcum. Nullus enim invenietur pater in mundo, qui indulgentius foveat ſuos filios: ſed nos, ut ſumus præfracti, non patimur ipſum ſequi quod ferebat ejus natura. cogitur ergo quaſi induere novam perſonam, & nos durius objurgare, quemadmodum hic dicit ſibi fuiſſe agendum cum Iſraelitis. *Secui per Prophetas meos*, inquit, *& occidi eos per verba oris mei.* Quidam aliter vertunt: quod ſcilicet Deus occiderit Prophetas: & torquent hoc ad impoſtores, qui corruperant purum Dei cultum ſuis erroribus. Sed illud non videtur mihi ullo modo congruere: & ſcimus hanc loquendi formam Hebræis eſſe communem, ut rem unam duobus modis exprimant. Sic etiam nunc loquitur Propheta, *Secui*, vel excidi, *per Prophetas meos, occidi per verba oris mei.* Non dubito quin ſecundo membro repetat quod jam breviter expoſuimus, nempe Deum ſecuiſſe vel dolaſſe per Prophetas ſuos. Sed videndum eſt quo conſilio Deus hic dicat ſe mandaſſe Prophetis ſuis, ut aſperius populum hunc tractarent. Scimus enim hypocritas, quamvis modis omnibus illudant Deo, tamen eſſe delicatos, nec ferre poſſe ullam objurgationem. Craſſa ſunt eorum ſcelera, niſi quod fucum faciunt hominibus: ſed interim ſi Deus incipiat objurgare, expoſtulant, Quid hoc ſibi vult? Deus ubique prædicat ſe manſuetum eſſe & clementem: fulminat autem nunc contra nos, non videtur hoc eſſe conſentaneum ejus naturæ. Sic ergo hypocritæ vellent Deum eſſe ſuum adulatorem. Jam reſpondet ſe non modo juſta cauſa, ſed etiam neceſſaria fuiſſe compulſum ut illos occideret, & verbum ſuum daret Prophetis inſtar mallei vel dolabræ. Hæc ratio eſt, inquit, cur Prophetæ mei non mitius neque humanius ſtuduerint populum hunc allicere. Deus enim quos videt eſſe dociles, blande & ſuaviter ad ſe adducit vel invitat: ſed ubi videt eſſe tantam pervicaciam in hominibus, ut non poſſit eos flectere ſua bonitate, tunc incipit, quemadmodum diximus, agere novam perſonam. Nunc ergo tenemus Dei conſilium: ne hypocritæ querantur ſe aliter fuiſſe tractatos, quam ferat Dei ingenium, hic reſpondet Dei nomine Propheta, Vos me cogitis ad hanc duritiem: fuit enim mihi reperiendus malus cuneus malo nodo, quemadmodum dicunt. *Dolavi* igitur *per Prophetas meos, occidi eos per verba oris mei:* hoc eſt, verbo meo uſus ſum tanquam dolabra, quia vos ſimiles eratis lignis nodoſis & robuſtis. Oportuit igitur verbum meum vobis eſſe inſtar dolabræ, & occidi per verba oris mei: hoc eſt, verbum meum non fuit cibus dulcis, quemadmodum ſolet eſſe manſuetis hominibus, ſed fuit inſtar gladii ancipitis. oportuit igitur vos jugulari, quia non poteſtis ferre ut ſim vobis pater. Sequitur, *Et judicia tua lux quæ egreditur.* Quidam per judicia intelligunt res proſperas, quaſi Deus hic exprobret Iſraelitis per ſe non ſtetiſſe quo minus ipſos lucrifaceret. Ego non deſtiti benigne vos tractare, & meo præſidio tueri: vos autem ingrati eſtis. ſed illa expoſitio eſt coacta. Major pars interpretum ſic reſolvit, Ut judicia tua eſſent lux egrediens: ſed ego non video cur mutemus quicquam in verbis Prophetæ. Simpliciter ergo ſignificat hic Deus, ſe regulam pie & ſancte vivendi monſtraſſe Iſraelitis, ita ut ignorantiam obtendere nequeant: per judicia enim Hebræi ſæpe intelligunt rectitudinem. Ego hoc ad doctrinam refero. *Judicia* igitur *tua*, hoc eſt, ratio pie vivendi fuit inſtar lucis: hoc eſt, Ego ita vos admonui, ut ſcientes & volentes poſtea peccaveritis. Quod ergo fuiſtis in me tam obſtinati, imputandum eſt veſtræ pervicaciæ: quia ſi fuiſſetis flexibiles, ego certe non vos celavi quid eſſet rectum. Quemadmodum enim ſol quotidie terris illucet, ita doctrina mea vobis fuit inſtar lucis ad viam ſalutis vobis monſtrandam, ſed ſine profectu. Tenemus ergo quid velit his verbis Propheta. Sequitur,

6. Quia miſericordiam volo (*vel quia humanitas placet mihi*) & non ſacrificium: & cognitio Dei (*placet mihi, ſubaudiendum eſt*) præ holocauſtis.

7. Et ipſi tanquam homines tranſgreſſi ſunt pactum, illic perfide egerunt in me. (*vel tanquam hominis pactum tranſgreſſi ſunt, ut poſtea videbimus.*)

Quum pronunciat hoc loco Deus ſe velle clementiam & non ſacrificia, occupatio eſt, qua prævenit frivolos omnes prætextus. Scimus enim hypocritis nunquam deeſſe quod obtendant: & tanta eſt ipſorum ſecuritas, ut non dubitent ſubinde cum Deo litigare. Hoc quidem ſuffugium illis commune eſt, quod Deum colere ſtudent dum illi offerunt ſacrificia, dum laborant in ceremoniis, & multos ritus accumulant. Putant igitur tunc Deum eſſe ſibi obſtrictum, & ſe pulchre eſſe defunctos officio. Hoc vitium commune fuit omnibus ſeculis: ideo nunc Propheta anticipat illam exceptionem, ac dicit, *Miſericordiam volo, & non ſacrificium:* acſi diceret, Scio quid jam vobis in promptu ſit, & quid ſitis dicturi, nempe vos mihi offerre ſacrificia, vos defungi multis ceremoniis: hæc exceptio frivola eſt apud me, & nullius momenti. Quare? Neque enim appeto ſacrificia, ſed clementiam ac fidem. Jam breviter tenemus ſummam hujus verſus. Locus hic inſignis eſt, quia bis eum citavit Filius Dei. Nam Matth. 9. cap. quia Phariſæi exprobrabant illi conſuetudinem cum hominibus malæ & probroſæ vitæ, dicit, Miſericordiam volo, & non ſacrificium: oſtendit illa excuſatione, Deum non coli externis ceremoniis, ſed ubi homines mutuo ſibi ignoſcunt ac ſe tolerant, nec ſunt ultra modum rigidi. Duodecimo etiam cap. Matth. quia Phariſæi diſcipulis vitio verterant quod colligerent ſpicas, Quin potius ite, & diſcite quid ſit illud, Miſericordiam volo, & non ſacrificium, inquit. Quia tam ſeveri erant adverſus diſcipulos, Chriſtus oſtendit eos eſſe præpoſteros Dei cultores, qui ſanctimoniam conſtituant in ceremoniis: interea vero obtrectant ſuis fratribus ſine cauſa, & trahunt in crimen quod per ſe malum non eſt, & quod poteſt facile excuſari, ſiquis eſſet dexter ac quietus interpres. Sed ut melius intelligamus hanc Prophetæ ſententiam, primo notandum eſt, ſub nomine Sacrificii & holocauſtorum comprehendi externum Dei cultum, & omnes ceremonias legales. Subeſt igitur in his nominibus ſynecdoche: ſicuti viciſſim in voce חסד, id eſt, clementiæ vel humanitatis. Neque enim dubium eſt quin hic Propheta fidem vel pietatem erga Deum, deinde charitatem erga proximos opponat omnibus externis ceremoniis. Volo, inquit, miſericordiam: vel, placet mihi miſericordia præ ſacrificio: deinde placet cognitio Dei præ holocauſtis. Cognitio Dei hic haud dubie pro fide vel pietate accipitur, quia hypocritæ exiſtimant rite coli Deum, ubi utuntur multis ceremoniis. Propheta deridet totam illam pompam & evanidum ſplendorem, ac dicit cultum Dei longe alium eſſe: nempe ubi cognoſcitur. Summa eſt, Deum alio modo velle coli, quam ſomnient craſſi homines: quia tantum oſtentant ſuos ritus, & negligunt ſpiritualem Dei cultum, qui poſitus eſt in fide & charitate. Conjunctim igitur legi debent hæc duo membra, quod Deo placeat humanitas & placeat fides: quia fides per ſe Deo placere non poteſt, quum ſtare etiam nequeat ſine charitate erga proximos: deinde humanitas non ſufficeret. ſiquis abſtineat ab omni injuria, & fratribus ſuis nulla in re noceat, interim ſit ſacrilegus & contemptor Dei, certe ejus humanitas nihili erit. Videmus ergo non poſſe divelli hæc duo membra, ſed perinde valere quod Propheta dicit, acſi pietatem cum charitate conjungeret. Summa eſt, Deum longe pluris facere fidem & humanitatem, quam ſacrificia & omnes ceremonias. Quum autem dicit Propheta non placere Deo ſacrificium, non dubium eſt quin loquatur comparative. neque enim præciſe Deus ſacrificia repudiat, quæ mandavit Lege ſua: ſed hic præfert fidem & charitatem ſacrificiis. quemadmodum etiam certius colligitur ex particula מ, quum dicit מעלות, hoc eſt, præ holocauſtis. Hinc ergo apparet Deum non ſibi eſſe contrarium, acſi rejiceret ſacrificia quorum ipſe auctor erat; ſed damnare potius præpoſterum abuſum quo gloriabantur hypocritæ. Et hic duo notanda ſunt: Deus enim non exigit externas ceremonias, acſi per ſe aliquid valeant, ſed in alium finem. Fides per ſe Deo placet, ſicuti etiam charitas: ſunt enim de genere bonorum, ut loquuntur. ſed ſacrificia alio reſpiciunt, quia mactare bovem, aut vitulum, aut agnum, quid aliud eſt quam ſi lanio in macello idem faceret? Deus ergo non poteſt oblectari cæde pecudum: ergo ſacrificia, ut dicimus, per ſe nullius ſunt momenti. Alia eſt fidei & charitatis ratio: ideo etiam Dominus 7. cap. Jer. dicit, An ego patribus veſtris præcepi, quum illos eduxi ex Ægypto, ut mihi offerrent ſacrificia? nihil tale: nunquam præcepi, inquit; ſed tantum ut audirent vocem meam. Quid autem Lex continet magna ex parte, niſi præcepta de ceremoniis? Sed ſolutio illa facilis eſt: quod ſcilicet nunquam Deo placuerint ſacrificia, propria vel intrinſeca æſtimatione, acſi pretium in ſe aliquod haberent. Quid ergo? fides ſcilicet placet & pietas: hoc eſt, ſemper legitimus Dei cultus fuit ſpiritualis. Hoc eſt unum: deinde notandum etiam eſt, ubi Prophetæ hypocritas objurgant, reſpicere quid conveniat ipſorum perſonis, & non diſſerere quaſi ex profeſſo de rebus quas tractant. Dicit alicubi Jeſaias, Qui bovem mactat, perinde eſt acſi occideret canem. canis autem fuiſſet ſumma abominatio. *Jeſ. 66. verſ. 3.* imo, Qui offerunt ſacrificia, perinde eſt acſi homines jugularent. Quid? conferre ſacrificia cum homicidiis, videtur hoc nimis eſſe abſurdum: ſed Propheta ſermonem illum dirigit ad impios qui tunc abutebantur toto externo Legis cultu. Non mirum eſt igitur ſi ita loquatur de ſacrificiis. Et in hunc modum etiam exponi debent complures loci, qui paſſim occurrunt in Prophetis. Jam videmus quomodo non ſimpliciter Deus ſacrificia reſpuat, quatenus ea ſemel præcepit, ſed tantum condemnet abuſum. Et ideo notandum eſt quod jam dixi, Prophetam hic opponere externos ritus pietati & fidei, quoniam hypocritæ divellerent quæ erant quaſi inſeparabilia: hoc eſt impium divortium, ſiquis tantum obtrudat ceremonias Deo, & vacuus ſit pietate. Sed quoniam vulgariter hic morbus regnat inter homines, Propheta antitheſin addit inter fictitium illum cultum & veram pietatem. Jam hoc etiam obſervatu dignum eſt, quod fidem vocat Dei notitiam. Videmus ergo fidem non eſſe frigidum aliquod & inane figmentum, ſed longius extendi: nempe ubi voluntas Dei nobis patefacta eſt, & illam amplectimur, ita ut poſſimus illum colere loco patris. Cognitio igitur Dei neceſſario ad fidem requiritur. Itaque nimis pueriliter nugantur Papiſtæ de ſua fide implicita. nam quum nihil teneat homo, nec minimum quidem guſtum Dei habeat, tamen dicunt illum eſſe præditum fide implicita. Illud eſt nimis ſtultum commentum: nam ubi nulla eſt Dei cognitio certa, nulla eſt etiam religio, & pietas prorſus extincta eſt, & fides abolita: quemadmodum ex hoc loco ſatis conſtat. Jam ſubjicit Deus querimoniam, *Ipſi autem tanquam homines tranſgreſſi ſunt pactum, illic perfide egerunt in me.* Hic oſtendit Deus fruſtra jactari ab Iſraëlitis ſacrificia, & omnes illas pompas externi cultus, quia ſcilicet Deus non ſpectaverit illa externa, ſed tantum exercere voluerit fideles ad ſpiritualem cultum. Summa igitur eſt, Mihi propoſitum fuit, quum ſacrificia inſtitui & totum legalem cultum, vos ad me ſic adducere, ut in ſacrificiis nihil carnale eſſet vel terrenum: vos autem corrupiſtis totam Legem. Fuiſtis igitur perverſi interpretes, quia ſacrificia nihil apud vos aliud fuerunt quam ludibria, quaſi mihi ſatisfactum eſſet poſt bovem occiſum vel arietem. Vos ergo tranſgreſſi eſtis pactum meum: hoc eſt, non eſt quod mihi objiciat hic populus ſe diligenter perfunctum

eſſe

eſſe externis ceremoniis, quia cultus ille apud me ne pili quidem æſtimatur. Et ultra conſcendit, dicens, *Illic perfide egerunt in me.* Dixerat, *Tranſgreſſi ſunt pactum:* hoc eſt, Si volebant ſervare fœdus meum, hoc primum erat caput, ut me ſpiritualiter colerent, nempe fide & charitate: ipſi autem poſthabito vero cultu, tantum arripuerunt quod frivolum erat. Pactum igitur meum ipſi violarunt. Sed jam addit, illic apparuiſſe eorum perfidiam: imo in hoc convinci ipſos violatæ fidei, oſtendique fœdifragos, quod ſacris teſſeris, quibus pactum ſuum Deus ſanciebat, abuſi ſint ad tegendam ſuam perfidiam. Eſt igitur magnum pondus in adverbio שם, quum dicit, illic perfide egiſſe. Significat enim Propheta, ubi præcipue criſtas erigunt hypocritæ, convinci eos falſitatis & perjurii. Quid enim? nempe proponunt ſuas ceremonias: quemadmodum videmus ipſos induci loquentes Jeſaiæ capite quinquageſimo octavo, Quare jejunavimus, & non reſpexiſti? Illic Deum inſimulant nimii rigoris, quod perdiderant operam quum tam laborioſe ipſum colerent. Fruſtra igitur conſumpſimus hunc laborem, & ipſum tam ſedulo coluimus. Reſpondet Deus, Quis hæc quæſivit ex manibus veſtris? Ita etiam hoc loco Propheta, & gravius dicit, *Illic perfide egerunt in me:* hoc eſt, putant mihi os fore obſtructum hac ſola defenſione, ubi objecerint ſua ſacrificia, & oſtentaverint ſe pro more ſuo, acſi eſſent optimi pietatis cultores: ſed hac in parte ego oſtendam ipſos eſſe fœdifragos. Quare? nam nulla eſt deterior falſitas, quam convertere Dei veritatem in mendacium, quam adulterare puram ejus doctrinam. Hoc faciunt omnes hypocritæ, dum Sacramenta ſic convertunt in craſſos abuſus & falſos cultus, dum templa extruunt, quum imaginantur Deum probe coli ubi oblatus fuerit bos vel aries. Quum ergo tam craſſe illudunt Deo hypocritæ, & avertunt ſacrificia à Chriſto, avertunt à doctrina pœnitentiæ & fidei, denique Deum faciunt ſimilem mortuo idolo: quum ergo ſic depravant totum Dei cultum, & adulterant, quum ita impie corrumpunt verbum Dei, ac detorquent ejus inſtituta, annon ſunt fœdifragi? *Illic ergo perfide egerunt in me.* Hoc diligenter notandum eſt, quod non animadverſum fuit ab interpretibus. Quidam באדם vertunt, Quaſi hominis pactum tranſgreſſi ſunt: transferunt in genitivo caſu. Illi autem, tranſgreſſi ſunt quaſi hominis pactum: hoc eſt, acſi negotium illis fuiſſet cum aliquo homine mortali, ita contempſerunt ſacrum fœdus meum, & violaverunt. Et hæc expoſitio non male quadraret, niſi quod videtur eſſe aliquantum detorta: debuerat enim aliter Propheta loqui, nempe, Ipſi tranſgreſſi ſunt pactum quaſi hominis. dicit autem, Ipſi quaſi homo. Eſſet vero hoc remotum à verbis, Ipſi quaſi homines tranſgreſſi ſunt pactum. Simplicius igitur interpretor, quod ſe oſtenderint homines in fœdere violando. & ſubeſt tacita antitheſis vel comparatio inter Deum & Iſraelitas: acſi diceret, Ego bona fide pepigi cum illis, dum inſtitui certum cultum, ſed ipſi fuerunt homines erga me: hoc eſt, mera fuit in illis levitas & inconſtantia. Oſtendit ergo Deus non fuiſſe mutuum conſenſum inter ſe & Iſraelitas, ſicuti homines nunquam Deo reſpondent, quia ipſe ſincere ipſos ad ſe vocat: infideliter autem agunt, vel quia ſtatim reſiliunt ubi dederint aliquod ſignum obedientiæ, vel ſpernunt ac palam rejiciunt oblatam doctrinam. Videmus ergo quo ſenſu dicat Propheta, ipſos tranſgreſſos fuiſſe pactum Dei tanquam homines. Alii exponunt, Tranſgreſſi ſunt pactum ſicut Adam. Sed ſcimus nomen Adam indefinite ſumi pro hominibus. & illa eſt frigida ac diluta expoſitio, Tranſgreſſi ſunt ſicut Adam pactum: hoc eſt, ſequuti ſunt, vel imitati exemplum patris ſui Adam, qui etiam ſtatim ab initio tranſgreſſus eſt mandatum Dei. Ego non inſiſto in refutatione illius commenti: per ſe enim videmus eſſe frigidum. Nunc pergamus.

8. Galaad civitas operantium iniquitatem, aſtuta à ſanguine. *(ad verbum ita eſt, vel retenta à ſanguine: alii vertunt, ſupplantata à ſanguine: alii, inquinata à ſanguine.)*

Dicam primum de reipſa, deinde aliquid ſuo loco addetur de verbo illo. Non dubium eſt quin aliquid ſpeciale hic Propheta notet contra Galaad, quod propter inſcitiam hiſtoriæ nobis eſt hodie obſcurum. Sed primo tenendum eſt, Galaad unam fuiſſe ex urbibus refugii. Tenebant autem urbes illas Levitæ, quæ deſtinatæ erant profugis. Siquis fortuito hominem occiderat, ne cognati vindictam de eo ſumerent, Dominus volebat eum confugere in aliquam ex urbibus deſtinatis in eum uſum. Erat igitur illic tutus apud Levitas: & Levitæ ſolebant ſuſcipere in ſuum patrocinium, quæſtione prius habita. Nam legitima cognitio præcedere debebat, an ille qui occiderat hominem, eſſet innoxius. Primo igitur tenendum eſt, urbem hanc fuiſſe occupatam à Levitis & Sacerdotibus. debebant autem illi omnibus
Matth. 5. aliis eſſe exemplo: quia ſicuti Chriſtus Apoſtolos
verſ. 14. ſuos vocat Lucem mundi, ſic Dominus hac lege Sacerdotes elegerat, ut facem præferrent toti populo. Quum ergo deberet ſumma ſanctitas lucere in Sacerdotibus, hoc fuit inſtar prodigii, eſſe latronibus ſimiles, & urbem ſacram, quæ erat quaſi ſacrarium Dei, eſſe ſpeluncam latronum. Propheta igitur hac de cauſa præcipue invehitur in urbem Galaad. Dicit, *Galaad eſt civitas operantium iniquitatem, & operta eſt ſanguine.* Quum autem Galaad adeo eſſet corrupta, quid dicendum fuit de aliis? Perinde igitur eſt acſi diceret Propheta, Unde ego incipiam? ſi reprehendam vulgus promiſcuum, Sacerdotes putabunt ſibi ideo parci, quod ſint magis integri, imo ſint penitus extra culpam. Imo, inquit, Sacerdotes ſunt ſceleſtiſſimi, ſunt etiam duces latronum. Quum ergo tantæ corruptelæ graſſentur in ordine Sacerdotum, ubi ſumma ſanctitas excellere debuit, quanta erit licentia omnium ſcelerum in ipſa plebe? Deinde quid dicendum erit de aliis urbibus, quum Galaad, quam Deus conſecravit in peculiarem uſum, acſi eſſet ſanctuarium aliquod? quum igitur Galaad ſit ſpelunca latronum, aliæ urbes quid erunt? Tenemus nunc conſilium Prophetæ. עקובה מדם: עקב Hebræis ſignificat Decipere & fallere: ſignificat etiam Retinere. עקב ekeb ſignificat Plantam pedis, unde etiam עקב ſignificat Supplantare. Et non dubium eſt quin illud Decipere ſit metaphoricum. Jam venio ad ſenſum Prophetæ: dicit hanc urbem eſſe עקובה מדם. Quidam dicunt, Eſt deceptoria à ſanguine: quod ſcilicet non palam trucidarent homines, ſed inſidiis. Eliciunt igitur illum ſenſum. Mihi autem magis placet quod alii afferunt, Urbem illam plenam fuiſſe ſanguine. non quod talis ſit verbi Hebraici ſignificatio, ſed poterimus proprie vertere, Occupatam à ſanguine. Quare? nam עקב, ut dixi, interdum Tenere, morari, & impedire ſignificat. Ergo proprie & apte vertemus, quod Galaad eſſet occupata à ſanguine. Jam ſequitur clarior & plenior hujus ſententiæ expoſitio.

9. Et ſicut expectant latrones hominem, ſocietas Sacerdotum *(vel factio)* in via trucidant conſenſu, quia cogitationem *(aut ſcelus)* perficiunt.

Pro-

Proſequitur pluribus verbis Propheta quod breviter attigerat, nempe ſe jam non morari plebeios homines, ſed accuſationem ſuam dirigere in ordinem ſacerdotalem. Ecce, inquit, Sacerdotes conſpirant inter ſe quaſi latrones, ut jugulent miſeros homines, quicunque in via occurrunt. Certum quidem eſt, Prophetam bic non loqui de manifeſtis cædibus: neque enim credibile eſt, Sacerdotes in tantam uſque licentiam progreſſos fuiſſe, ut Galaad eſſet ſpoliarium, Sed ſcimus Prophetas ita ſolere loqui: quoties objurgant homines ſanguinarios & crudeles, comparant eos latronibus, ut digni ſunt. Dicit ergo, *Factio Sacerdotum jugulat homines in via, acſi latrones inter ſe conſpirarent.* Deoique oſtendit Sacerdotes ita vacuos eſſe omni timore Dei, ut perpetrent omne genus crudelitatis, perinde acſi imbuti eſſent latrociniis. Hæc eſt ſumma. שכמה non dubium eſt quin Propheta accipiat pro Conſenſu. שכם proprie ſignificat Humerum: ſed metaphorice transfertur in ſenſum illum quem dixi, quemadmodum Zephania tertio capite, Servient Domino שכם אחד, inquit, humero uno: hoc eſt, uno conſenſu: ita etiam hoc loco, Sacerdotes ioter ſe conſpirant שכמה. Nam qui putant notari proprium loci nomen, nimis falluntur. Jam in clauſula verſus ſatis apparet cur Propheta dixerit Sacerdotes latronibus ſimiles eſſe: *Quia*, inquit, *cogitationem vel ſcelus perficiunt.* זמם ſignificat Cogitare, ut alibi dictum fuit: unde etiam זמה Cogitatio eſt in genere; ſed ſæpe in malam partem ſumitur apud Hebræos, pro ſcelerato conſilio vel prava aliqua aſtutia: *Perficiunt* igitur *conceptum ſuum ſcelus*, inquit. Hinc colligimus non fuiſſe latrones manifeſtos & publice infames in conſpectu hominum: ſed coram Deo latrones erant, quia ſcilicet urbs illa plena erat ſceleratis conſiliis quæ illic coquebant. Quum autem perficerent ſua conſilia, merito à Propheta illis objicitur quod uſque ad licentiam latronum proruperint. Nunc pergamus.

10. In domo Iſraël vidi flagitium, illic ſcortatio Ephraim, pollutus eſt Iſraël.

11. Etiam Jehudah poſuit meſſem (*vel plantam*) tibi, dum ego reduco captivitatem populi mei. (*vel in reducendo me, ad verbum, captivitatem populi mei.*)

Hic Deus pronunciat ſe idoneum eſſe judicem, qui cognoſcat de ſceleribus Iſraël: & hoc facit ut anſam præcidat vanis excuſationibus, quas ſubinde ingeruot hypocritæ dum coarguuntur. Quis eoim perſuadebit hodie Papiſtis omnes eorum cultus eſſe fœtidam abominationem, eſſe mera ſacrilegia? Videmus quam furioſe inſurgant ſimulac verbulo quiſpiam audet attingere eorum ſuperſtitiones. Uode hoc? quia ſcilicet volunt ſuum arbitrium valere pro ratione. Quid? bona intentio judicat, inquiunt. Quaſi vero hæc bona intentio Regina eſſet quæ domioaretur in cœlo & in terra, & Deus jam excluſus eſſet omni ſuo jure. Et tamen hic furor hodie, & hæc veſania occupat Papiſtas. oec mirum eſt. Sic enim dementat homines Satan, ubi eos adducit ad pravos & degeneres cultus: & ab initio ſic inebriati fuerunt omnes hypocritæ. Hæc igitur ratio eſt cur nunc dicat Propheta in perſona Dei, *Vidi flagitium in regno Iſrael*, aut video. Deus enim uno verbo hic proſternit quicquid homines pro ſe obtendunt, & oſtendit nihil amplius reſtare patrocinii, ubi ipſe ſibi non placere pronunciat, quod homines tamen magni faciunt, & in quo ſibi applaudunt. Quid? vos putatis hunc eſſe meum cultum; & veſtra imaginatione, ſanctiſſima eſt religio, hæc eſt via ſalutis, hæc eſt eximia ſanctitas: ego autem contra pronuncio, hoc eſſe ſacrilegium, hanc eſſe turpitudinem, hoc eſſe flagitium. Ite nunc, inquit, & alibi venditate veſtras nugas: apud me enim locum non habent. Nunc tenemus conſilium Prophetæ, quum dicit, *In domo Iſraël vidi flagitium.* & per domum Iſrael hic Propheta deſignat totum regnum decem Tribuum. Quare? *Quia illic ſcortatio eſt Ephraim:* hoc eſt, illic regnat idololatria, quam Jarobeam invexit, & quam ſequuti ſunt alii Reges. Ita videmus Prophetam non parcere vel Regi vel ejus conſiliariis & regni proceribus, quemadmodum nuper Sacerdotibus non pepercit. Et hæc magnanimitas decet omnes Dei ſervos, ut ſic dejiciant omnem altitudinem quæ ſe erigit contra verbum Domini: quemadmodum dicitur Ezechieli, Objurga mootes, & corripe colles. Hujus rei exemplum nobis proponit Propheta, quum Sacerdotes hic comparat latronibus, deinde comparat templa regia lupanari. Jarobeam extruxit hic templum, in quo putatis Deum optime coli: ſed hoc eſt lupanar, inquit Propheta, hæc eſt putida ſcortatio. Et poſtea addit, *Etiam Jehudah poſuit plantationem tibi.* Ut abſolvam hoc caput, ego breviter adhuc expediam hunc verſum.

Ezech. 6. verſ. 2. & 16: 1.

Vertunt interpretes, Etiam Jehudah poſuiſti tibi meſſem. ſed verbum eſt, ut ſatis conſtat, tertiæ perſonæ: ergo non poteſt aliter exponi, quam, *Etiam Jehudah poſuit.* Qui in ſecunda perſona vertunt, Poſuiſti tibi meſſem, eliciunt hunc ſenſum, Tu quoque Jehudah, quem ego mihi ſelegeram, poſuiſti tibi meſſem, hoc eſt, paras tibi miſerrimam meſſem: tu enim ſeris impietatem, cujus fructum deinde colligas. Sed illud eſt coactum. Quum autem קציר noo modo Meſſem Hebræis ſignificet, ſed etiam Plantam, proprie ſic poterit ſumi hoc loco, *Etiam Jehudah, dum converto captivitatem populi mei poſuit tibi plantam*: hoc eſt, propagavit ſuas impietates. Deus enim adhuc alloquitur Iſraëlitas, & conqueritur de Jehudah. Scimus enim Judæos retentos fuiſſe à Domino, quum diſſipatæ ſunt decem Tribus. Defectio illa decem Tribuum non fecit ut in toto populo religio protinus concideret. Manebat igitur purus Dei cultus, ſaltem quoad externam ſpeciem, Jeroſolymæ. ergo hic noo fruſtra conqueritur Dominus de Jehudah. Prius dixerat, Jehudah ſervabitur in Deo ſuo: nunc autem dicit, Etiam Jehudah poſuit tibi plantam: hoc eſt, ſatis longe & late pullulaverant ſuperſtitiones in toto Iſraële, occupaverant omnes terræ angulos: ounc Jehudah etiam propagines ſuas plantat, inquit, quia attrahit ad ſe Iſraëlitas. Fuit ergo oova propagatio. *Dum igitur converto captivitatem populi mei*, hoc eſt, dum ego volo reducere populi mei diſſipationem. In ſumma, hic Deus oſtendit oullam partem amplius ſanam eſſe. Siquis curandum corpus putridum ſuſcipiat, ſaltem ubi videt aliquam partem manere integram, iocumbet cum aliqua ſpe ad remedium: ſi autem ne digitus quidem integer manet, quid illic faciet medicus? ſic etiam Dominus hoc loco, Ecce, inquit, ſperandum ſaltem fuit aliquid de tribu Jehudah: manebat illic aliqua ſpecies cultus mei, & manebat doctrina Legis purior: jam autem propagat Jehudah ſuperſtitiones Iſraëli: hoc eſt, quum videt totam terram Iſraëlis plenam eſſe ſuperſtitionibus, inde ſumit ſurculos & propagines, & corrumpit etiam reſiduam illam terræ partem, quæ adhuc mihi ſacra manebat. Nunc tenemus, ut quidem exiſtimo, genuinum Prophetæ ſenſum.

Da omnipotens Deus, quando tam proclives ſumus ad omne genus vitii, & tam facile etiam abripimur ad imitationem, ubi aliquis eſt peccandi prætextus, & aliqua offertur occaſio: da, inquam, ut Spiritus tui præſidio confirmati maneamus in puri-

tate

tate fidei, & ita proſit nobis quod didicimus te eſſe Spiritum: ut ſpiritualiter te colamus & ſincero cordis affectu, neque diffluamus poſt mundi corruptelas, neque etiam putemus tibi poſſe illudi: ſed ita & animas & corpora noſtra tibi offeramus, ut vita noſtra omni ex parte teſtetur, nos eſſe tibi purum & ſanctum ſacrificium in Chriſto Jeſu Domino noſtro, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA OCTAVA
IN
HOSEAM PROPHETAM.
CAPUT VII.

DUm medeor Iſraëli, tunc retecta fuit iniquitas Ephraim, & malitiæ Samariæ, quia geſſerunt ſe mendaciter, (*vel fallaciter: ad verbum, fecerunt fallaciam*). & fur ingreſſus eſt, ſpoliavit prædo foris.

HIc ut oſtendat Deus quam corruptus eſſet ſtatus totius populi Iſraëlitici, comparat ſe medico, qui dum vult tentare remedia, agnoſcit graviores morbos latuiſſe: quod ſæpe accidere ſolet. Siquis ægrotus vocet ad ſe medicum, ſtatim morbus patebit: ſed forte per multos annos laboravit alijs occultioribus vitiis, quæ non ſtatim veniunt in notitiam medici. Putat enim eſſe morbi ſymptomata, quæ ex fonte magis recondito deſcendunt: ſed tertio vel quarto die, ubi aggreſſus fuerit remedia, tunc agnoſcet eſſe aliquod malum occultius. Deus ergo dicit ſe deprehendiſſe inter ipſa remedia, quam corruptus eſſet Iſraël: *Dum volo mederi populo*, inquit, *tunc ego cognovi qualis eſſet iniquitas Samariæ & Ephraim totius.* Per Samariam intelligit præcipuam partem regni: quia urbs illa erat, ſicuti notum eſt, caput, & primaria regni ſedes. Ideo Propheta dicit, tunc patefactas fuiſſe malitias Samariæ, quod ſcilicet non eſſent vulgares duntaxat morbi, ſed capitales. ille eſt ſenſus. Nunc videmus quorſum Deus tendat. Nam poterat ſeipſum decipere populus, ſicuti ut plurimum fieri ſolet: Nos quidem non ſumus penitus immunes ab omni vitio, ſed Deus tamen non debet tam ſevere exigere pœnas à nobis: nam quæ eſt ſub Sole gens ulla, quæ non laboret communibus morbis? Sed hic excipit Propheta, populum Iſraëliticum ſic corruptum eſſe, ut non opus habeat levibus remediis. Deus ergo hic ſuſcipit medici perſonam: ac dicit, Ego hactenus volui ſanare Iſraëlem, & hoc fuit meum conſilium, ubi & dolavi per meos Prophetas, & uſus ſum verbo meo quaſi gladio: deinde ubi etiam caſtigationes addidi: ſed tunc expertus ſum majorem eſſe malitiam, quam ut corrigi poſſet talibus remediis. *Diſcooperta* igitur *fuit iniquitas Ephraim*, inquit, *& tunc animadverti malitias Samariæ.* Docet autem hic locus, etiamſi non ſtatim appareant hominum vitia, tamen qui & ſeipſos fallunt, & fucum etiam faciunt aliis, nihil proficere, neque ideo levari coram Deo, & non extenuari eorum culpam, neque etiam ipſos abſolvi à reatu: quia tandem in medium prodibunt occulta vitia. Hoc vero præcipue contingit, ubi Dominus fungitur medici officio erga nos: videmus enim ut tunc homines amarulentiam ſuam evomant, quum Dominus vult ſanare ipſorum corruptelas. In Papatu, etiam qui deterrimi ſunt, tamen occultant ſua vitia. Quare? Deus enim ipſos non urget, nulla eſt doctrina quæ ſit inſtar cauterii, vel quæ ſanguinem eliciat. Quoniam ergo quieſcunt Papiſtæ in ſuis fæcibus, ideo non apparet ipſorum perverſitas. Cæterum in aliis locis, ubi Deus exerit potentiam verbi ſui, & ubi efficaciter loquitur per ſervos ſuos, illic homines produnt quanta prius in ipſis latuerit impietas, quoniam plena rabie ſeſe efferunt contra Deum, & non poſſunt ferre ullam admonitionem. Simul ergo atque Deus cœpit agere officium medici, tunc homines retegunt ſuos morbos. Et hæc etiam ratio eſt cur mundus tantopere refugiat lucem cœleſtis doctrinæ. Qui enim male agit, odit lucem. Idem etiam licet obſervare in caſtigationibus: ſi Dominus indulget reprobis, adhuc ore tenus ipſum benedicunt: ſed ſi incipiat pœnam de ipſorum peccatis ſumere, fremunt contra eum, & indignantur: & tandem oſtendunt quantus furor prius delituerit in cordibus ipſorum. Videmus ergo quid hic Propheta exprobret populo Iſraëlitico. Hodie etiam in toto mundo animadverti poteſt, quod ſcilicet ipſa morborum curatio aperiat mala quæ prius incognita fuerant. Diximus autem, & hoc memoria tenendum eſt, Tribum Ephraim diſerte hic exprimi à Propheta, & urbem Samariam: quia notare voluit morbos eſſe capitales, & non tantum ſubſiſtere in extremis membris, ſed infixos eſſe in ipſo capite & viſceribus, & occupaſſe vitales partes. Poſtea ſequitur, *Quoniam fecerunt mendaciter*, vel, egerunt fallaciter. Hoc verbo intelligit Propheta nihil ſanum eſſe in toto populo, quia ſcilicet addicti ſint ſuis pravitatibus. Nam per nomen שקר intelligit fallacias omne genus, dum ſcilicet homines penitus imbuti ſunt cupiditatibus pravis, & jam nihil in ipſis ſanum vel integrum manet. Hæc ſumma eſt igitur, retectam fuiſſe populi malitiam, quæ non poſſit mediocri ſeveritate curari, quoniam penetraverit in ipſa viſcera, & non ſolum corpus occupet. Quod ſequitur ſolent interpretes accipere de pœnis quas jam Deus inflixerat. Dicit Propheta, *Fur ingreſſus eſt, & ſpoliavit latro foris.* Putant igitur hic referri quomodo Deus jam cœpiſſet pœnis revocare ad ſanam mentem populum illum: acſi diceret, tam à furibus fuiſſe expilatos, quam vexatos à prædonibus. Sed potius exiſtimo Prophetam hic proſequi quod dicere cœperat, nempe intus & extra populum eſſe multis ſceleribus ita infectum, ut nulla pars jam ſincera ſit. Et per ſynecdochen hic deſignat quodvis genus mali, quia duas notat ſpecies quæ efficiunt totum genus. Dicit igitur, *Fur ingreſſus eſt*: hoc eſt, furtim & per inſidias peccat: vel etiam palam, inſtar latronum, utuntur manifeſta violentia: hoc eſt, aut fraudibus, aut aperto Marte ita graſſatur apud eos impietas, ut tamen omnibus modis ſint perverſi. Quum ergo dicit, Furem eſſe ingreſſum, intelligit multos ex populo ſimiles eſſe vulpibus, qui aſtute peccant: quum dicit, Foris ſpoliare latronem, intelligit alios inſtar leonum palam & ſine pudore rapere ad ſe alienam ſubſtantiam, & ita vi aperta nudare ac ſpoliare miſeros & pauperes. Tenemus nunc Prophetæ ſenſum. Poſtquam dixit Iſraëlitas, & præſertim cives Samariæ ſe geſſiſſe fallaciter, nunc per duas ſpecies oſtendit quomodo deſciverint ab omni rectitudine, & ſe proſtituerint ad omne ſcelus: quia ſcilicet ubi regnat violentia, illic etiam regnant fraudes & omnes malitiæ. *Fur* igitur *ingreſſus eſt, & prædo ſpoliavit foris*: hoc eſt, occulte circumveniunt ſuos proximos, vel graſſantur more latronum palam & ſine ulla verecundia. Poſtea ſequitur, Joan. 3. verſ. 20.

2. Et non dixerunt in corde ſuo, Omnis malitiæ eorum recordatus ſum: (*hoc eſt, quod recordatus ſim omnis malitiæ ipſorum*) nunc circumdederunt ipſos facinora eorum, in conſpectu meo ſunt.

Hic Propheta oſtendit Iſraëlitas progreſſos eſſe ad ſummum cumulum omnis malitiæ, quod non putarent unquam ſibi reddendam eſſe rationem coram Deo. Et hinc etiam emergit contemptus Dei, dum ſcilicet homines fingunt illum quaſi dormire in cœlo, & ab officio ſuo ceſſare. Non audent quidem negare Deum, ſed tamen eripiunt illi quod maxime proprium eſt divinitatis, quia excludunt eum à judicio. Hinc ergo tantum ſibi permittunt licentiæ homines, quia ſibi inducias fingunt cum Deo eſſe: imo
Jeſa. 28. verſ. 15. quaſi pactum haberent cum morte & inferis, quemadmodum dicit Jeſaias, putant ſe impune quidvis facturos. Hanc igitur ſocordiam nunc Propheta accuſat in Iſraëlitis. *Non dixerunt in corde ſuo*, inquit, *quod recordatus ſim omnis malitiæ ipſorum*: hoc eſt, ita audacter mihi illudunt, acſi non eſſem judex mundi: non reputant omnia eſſe ſub conſpectu meo, & nihil me latere. Quoniam ergo ita fingunt me eſſe ſimilem mortuo idolo, hinc nullus timor, imo ſeſe projiciunt ad omne ſcelus. Poſtea addit, *Circumdederunt nunc ipſos facinora ipſorum*, quia *ſunt in conſpectu meo*. hoc eſt, quamvis ipſi promittant ſibi impunitatem, & blandiantur ſibi in ſua hypocriſi, tamen omnia opera eorum ſunt coram me: & ideo ipſos circumdabunt, hoc eſt, ſentient tandem ſe implicitos eſſe ſuis ſceleribus, neque ſibi patere ullum effugium. Tenemus nunc Prophetæ conſilium. Poſtquam enim conqueſtus eſt de ſtupore populi, jam dicit ipſos ita ſibi delicias facere ſine profectu, quia Deus interea non excutiat. Licet igitur ipſi putent obductum eſſe velum ſuis peccatis, falluntur tamen; nam omnia ipſorum ſcelera in conſpectu meo verſantur, & hoc ipſi tandem experimento ſentient; quia circumdabunt ipſos, hoc eſt, obſidebunt. Diſcamus ex hoc loco, nihil magis eſſe metuendum, quam ne Satan corda noſtra ſic faſcinet, ut putemus Deum quieſcere otioſum in cœlo. Ergo nihil eſt quod magis nos excitet ad reſipiſcentiam, quam ubi Deum armamus ſua potentia, & perſuaſi ſumus illum eſſe judicem mundi; deinde ubi ambulamus tanquam in ejus conſpectu, & ſcimus non poſſe in oblivionem peccata noſtra venire, niſi ea per veniam ſepeliat. Hoc ergo docere prima parte verſus Propheta voluit. Jam, ſi nobis fingimus pacem eſſe vel cum Deo, vel cum ipſis inferis & morte, quemadmodum citavimus Jeſaiæ locum; docet Propheta Deum nihilominus vigilare, & non eripi illi ſuum munus, quoniam ſcilicet agnoſcat quicquid in hoc mundo agitur: idque tandem ipſo effectu palam fore, ubi ſcilicet circumdabunt nos ſcelera noſtra: quemadmodum etiam dicitur Geneſeos quarto, Cubabit peccatum in foribus. Nam ad tempus fingimus nobis multa effugia, vel ſaltem latebras: tandem oſtendit Deus hoc fruſtra fieri, quia urget nos: & non opus habet multis copiis, quas hinc inde accerſat: ſatis eſt nobis hoſtium in propriis vitiis, quia obſidebimur ab ipſis non ſecus acſi Deus armaret totum mundum contra nos. Pergamus.

3. In malitia ſua exhilarant Regem, & in mendaciis ſuis Principes.

Nunc Propheta accuſat omnes cives Samariæ, & ſub eorum perſona totum populum, quod ſcilicet per adulationem obſequium præſtiterint Regi & Proceribus in rebus impiis, & in quibus propria conſcientia eos arguebat. Capite quinto notavit jam in eo defectionem populi, quod obtemperaſſet Regio edicto. Poterat quidem videri hoc laude dignum, quod populus placide amplexus fuerat quicquid Rex mandabat. Quemadmodum etiam multi hodie hunc prætextum obtendunt: quia in Papatu non audent ſeſe ſubducere à ſuperſtitionibus impiis, afferunt hanc excuſationem, quod obediendum ſit Principibus. Sed, quemadmodum jam dixi, Propheta hoc obſequium prius damnavit, & nunc oſtendit defectionem quæ tunc regnabat in toto Iſraële, non debere adſcribi vel Regi vel paucis hominibus, ſed eſſe commune malum, quod uno & eodem reatu omnes involvat ſine exceptione. Quare? *In malitia ſua exhilarant Regem*, inquit, *& in ſuis mendaciis Principes*: hoc eſt, ſi velint rejicere culpam in ſuos gubernatores, hoc fruſtra fiet. Nam unde iſta promptitudo, ſtatim atque Jarobeam fabricavit vitulos, ſtatim atque erexit templa, quod ſine controverſia religio collapſa eſt, & quicquid ante purum fuerat degeneravit? unde tam ſubita mutatio? Nempe quia populus intus coxerat ſuam malitiam, quæ tunc occaſione oblata apparuit: quia hypocriſis in omnibus latebat, quæ tunc fuit retecta. Tenemus nunc conſilium Prophetæ; & hic locus diligenter notandus eſt, quia ſæpe continget ut obrepat aliquod vitium, quod profectum erit vel ab uno homine vel à paucis: ſed ubi omnes facile amplexantur quod à paucis profectum erat, hinc ſatis conſtat nullam fuiſſe vivam radicem pietatis vel timoris Dei. Qui ergo tam propenſi ſunt ad recipienda vitia, prius erant hypocritæ. Atqui quotidie hoc experimur. Si pii homines teneant gubernacula urbis unius, & ſe cordate gerant, tunc totus populus dabit ſpem aliquam timoris Domini. Si etiam quiſpiam Rex ſtudio gloriæ Dei propagandæ ardeat, dabit operam ut ſubditos omnes ſuos contineat in puro cultu: tunc ergo videbitur in omnibus vigere idem affectus pietatis. Sed ſi quiſpiam Rex impius ſuccedat, ſtatim reſiliet major pars. Si etiam Magiſtratus declinet à ſuo officio, prorumpet major pars populi ad manifeſtam impietatem. Et utinam nulla eſſent hujus rei experimenta: ſed in toto mundo Dominus exempla hujus rei extare voluit. Ergo notandum eſt hoc conſilium Dei. Accuſat enim populum, quod ſe nimis morigerum & flexibilem præbuerit. Ubi Rex Jarobeam erexit vitioſos cultus, ſtatim populus ſeſe obtulit facilem ad obſequium. hinc ergo palam facta fuit impietas. Ergo *in malitia ſua exhilarant Regem, & in mendaciis ſuis Principes*: acſi diceret, Non eſt quod culpam transferant in Regem & Proceres. Quare? Exhilarant enim eos in malitia ſua: hoc eſt, adulantur Regi in ſua malitia, & in ſuis mendaciis exhilarant Proceres. Sequitur,

4. Omnes adulteri, ſicut fornax incenſa à piſtore ceſſabit ab excitando poſt conſperſionem (*vel mixtionem*) farinæ, donec fermentetur.

Proſequitur eandem ſententiam Propheta hoc verſu: dicit omnes adulteros eſſe. Similitudo hæc jam ſæpius fuit expoſita: non loquitur hic de vulgari ſcortatione, ſed adulteros vocat, quod violaverint datam Deo fidem, quod ſeſe proſtituerint ad fœdas ſuperſtitiones, denique quod ſe totos corruperint. Nam fides & ſinceritas cordis ſunt ſpiritualis pudicitia coram Deo. Ergo ubi ſeſe homines pervertunt

in

in tota vita, & etiam degenerant à puro Dei cultu, cenſentur merito adulteri. Hoc ſenſu nunc Propheta dicit omnes eſſe adulteros: & ita melius confirmat quod prius dixi, nempe in corruptelis quæ tunc invaluerant, non paucos homines trahendos eſſe in crimen, quia totus populus implicitus eſſet reatu: *Omnes enim ſunt adulteri*, inquit. Si objiciant ſe deceptos fuiſſe à Rege, ſe coactos fuiſſe ejus imperio, proceres etiam tyrannide uſos fuiſſe, illud eſt vanum & frivolum: *Omnes enim ſunt adulteri.* Poſtea comparat eos fornaci vel clibano. *Sunt*, inquit, *tanquam fornax*, vel clibanus *accenſus à piſtore, qui ceſſat ab excitando uſque dum farina ſubacta bene fermentata fuerit.* Propheta hac ſimilitudine clarius demonſtrat non extrinſeco aliquo impulſu populum fuiſſe corruptum, ſed proprio motu & propenſione animi: imo inſana & furioſa cupiditate male agendi. Prius jam dixerat ipſos ſponte peccaſſe, quum ſcilicet fuerunt adeo morigeri ad amplexandum Regis edictum: ſed nunc ultra progreditur, quod ſcilicet accenſi fuerint occulto peccandi impetu, & fuerint ſimiles clibano ardenti. Poſtea addit non fuiſſe hunc impetum ſubitaneum, ut ſolet interdum contingere, ſed duraſſe ſic, ut confirmati fuerint in ſua malitia. Quum ergo dicit, *Adulteros eſſe inſtar fornacis ardentis*, hoc dicit, non tantum voluntariam fuiſſe ipſorum defectionem, ita ut culpa in ipſis reſideat: ſed etiam ipſos captaſſe ardenter occaſionem peccandi, & fuiſſe ita accenſos, quemadmodum clibanus qui ardet. Continent enim ſæpe impii ſuas cupiditates, ac ſupprimunt, ubi occaſio non eſt ad manum; ſed erumpunt foras, quum impune peccandi illis data eſt facultas. Sic etiam nunc exprimit Deus populum Iſraëliticum non modo fuiſſe jam propenſum ad defectionem, ſed etiam cupide expetiviſſe, ita ut vecordia ſimilis eſſet flammæ ardenti. Jam ſequitur illud tertium, quod ſcilicet ignis ille non fuerit repente conceptus, ſed diu collegerit ſuum vigorem: ideo dicit, *Quaſi clibanus accenſus à piſtore, qui ceſſat*, inquit, *ab excitando poſt agitationem*, vel poſt mixtionem, *farinæ, uſque dum bene fermentata fuerit.* לוש ſignificat Conſpergere farinam: *Empaſter*, quod hic dicunt. Stulte quidam exponunt ipſos ſimiles eſſe dormientibus, & poſtea mane evigilare. Propheta enim alio reſpexit, quod ſcilicet per otium creverit ipſorum malitia, & quaſi per gradus. In ſumma, non intelligit repente fuiſſe impulſos, quemadmodum ſæpe homines prorumpunt per incogitantiam, deinde eos ſtatim pœnitet: & libido eorum quæ momento exarſerat, etiam brevi tempore reſidet. Propheta dicit alium fuiſſe populi Iſraëlitici furorem, quod ſcilicet fuerit ſimilis clibano, quem poſtquam accendit piſtor, ſinit bene incaleſcere uſque ad ſummum gradum: quia expectat dum farina bene fermentata fuerit. Non fuit igitur paucorum dierum hæc intemperantia & libido, ſed calefecerunt cor ſuum, quemadmodum ſi piſtor accendat clibanum, & magnam congeriem lignorum ponat, ut bene longo temporis ſucceſſu incaleſcat, uſque ad fermentationem farinæ. מעיר accipitur pro מהעיר *ab excitando.* Nam quod aliqui exponunt Piſtorem quieſcere à civitate, hoc eſt, non tractare publica negotia, illud eſt frigidum. Alii, Quieſcit à civitate: ut non ſit civitas. Quorſum? Non igitur dubium eſt quin Propheta hic proſequatur ſuam ſimilitudinem, quam iterum paulo poſt repetet. Sequitur,

5. Dies Regis noſtri, fecerunt Principes ægrotare utre vini, extendit manum ſuam ad illuſores.

Hic Regem ipſum ſpecialiter objurgat Propheta & proceres aulicos. Loquutus eſt de toto populo, & oſtendit colluviem malorum ubique eſſe diffuſam. Nunc autem demonſtrat quam præpoſtera eſſet gubernandi ratio in Rege, & omnibus ejus aulicis. Dicit ergo, *Dies Regis noſtri, Principes fecerunt eum ægrotare*: hoc eſt, Tanta fuit crapulæ intemperies, ut Rex ipſe ægrotaverit nimia potatione, & extenderit manum ſuam ad illuſores. Breviter, ſignificat Propheta gubernationem regni Iſraëlitici fuiſſe ita corruptam, ut in aula vel palatio Regis nullus eſſet honeſti reſpectus, & nullus pudor. Illa ſumma eſt. Per Diem Regis quidam intelligunt diem natalem: & ſcimus morem illum fuiſſe antiquiſſimum, ut etiam plebeii homines natalem ſuum celebrarent. Alii referunt ad diem coronationis. quod magis eſt probabile. Quidam accipiunt pro ipſo regnandi principio. quod videtur eſſe coactum. *Dies Regis noſtri:* hoc eſt, Jam Rex noſter locatus eſt in ſuo ſolio, jam ſuſcepit regni gubernacula: epulemur ergo largiter, & nos ingurgitemus potu & crapula. Senſus ille bene quadraret, ſed neſcio an hoc poſſit ferre nomen Diei: dicit *Diem eſſe Regis.* Ego igitur potius amplector eorum ſententiam qui de ſolenni die coronationis exponunt. *Dies* ergo *Regis noſtri.* Quanquam vertunt interpretes, Die Regem noſtrum ægrotare fecerunt Principes: ſed ego ſic diſtinguo, *Dies Regis noſtri, Principes fecerunt ægrotare.* Hoc quidem non erat vitioſum vel reprehenſibile, quotannis celebrare coronationis memoriam, ſed debebat tunc Rex ſe & alios hortari ad gratias Deo agendas: poſt finem anni hoc Dei beneficium agnoſci debuit, quod ſtatum regni Dominus incolumem ſervaſſet: debebat etiam Rex in poſterum petere à Deo Spiritum prudentiæ & fortitudinis, ut pergeret in ſuo officio. Sed hic Propheta demonſtrat nihil tunc reſiduum fuiſſe integri, quia verterant in craſſum abuſum quod per ſe, quemadmodum dixi, utile fuiſſet. *Dies* igitur *Regis noſtri*: Quid agitur? An Rex tunc coram Deo ſuppliciter deprecatur veniam, ſiquid indignum ſuo gradu admiſerit? ſiqua in re deliquerit? An gratias agit quod hactenus Deus ſuſtinuerit eum ſuo præſidio? an in poſterum ſeſe comparat ad munus ſuum peragendum? Nihil tale: ſed crapulæ indulgent Principes, & Regem ſuum incitant: imo ſic eum obruunt immodico potu, ut conjiciant in morbos. Hæc igitur ratio eſt apud ipſos, inquit: hoc eſt, Jam in aula Regis nihil apparet regium, vel etiam dignum hominibus, quia inſtar pecudum ſeſe provolvunt ad ebrietatem: & illic intemperies inter ipſos tanta graſſatur, ut Regem etiam ipſum perdant utre vini. Hic quidam vertunt Lagenam. חמת ſignificat proprie utrem. Scimus autem tunc vina fuiſſe conſervata in utribus: ſicuti etiam Orientales hodie retinent adhuc morem illum. *Utre ergo vini*, hoc eſt, immodica crapula, *Regem in morbum conjiciunt.* poſtea ipſe *manum ſuam extendit ad illuſores*, inquit: hoc eſt, Rex oblitus ſui nihil retinet gravitatis, ſed ſimilis eſt ſcurræ, & petulanter ſeſe commiſcet cum hominibus nihili. Neque enim dubito quin hic Propheta vocet *Illuſores*, qui depoſito omni pudore ſcurriliter & petulanter vivunt. dicit ergo Regem manum ſuam protraxiſſe illuſoribus, nempe in ſignum ſocietatis. Acſi ergo ſodalis eſſet ſcurrarum & hominum nihili, ita quicquid in ipſo regium eſſe debebat, projecit à ſe. Hæc ſumma eſt. Deplorat igitur Propheta illam corruptelam, quod ſcilicet in Rege & proceribus nulla amplius eſſet dignitas neque honeſtas, quia dediti erant crapulæ & ebrietati, imo ſacros dies in hunc abuſum trahebant: quum Rex deberet aliquid præ ſe ferre dignum gradu ſummi honoris, tunc ſeſe proſtituebat ad omnem petulantiam, & proceres etiam erant quaſi faces vel ſtimuli. Hanc ergo tantam pravitatem nunc deplorat Propheta. Sequitur,

6. Quoniam appropinquare fecerunt (*ad verbum eſt, aptarunt*) inſtar fornacis cor ſuum in fraudibus ſuis, (*vel inſidiis*) tota nocte dormiet piſtor ipſorum, mane fornax ardebit quaſi ignis flammæ. (*hoc eſt, ignis projiciens flammam.*)

Hic dicit Propheta Iſraëlitas furtim & occultis modis aptaſſe cor ſuum, nempe ad peccandum: & eandem fere ſimilitudinem uſurpat quam paulo ante, licet,in diverſum finem. Dicit enim cor ſuum aptaſſe per inſidias, quemadmodum noctu piſtor ignem ſupponit in ſuo clibano, deinde quieſcit; mane autem clibanus bene calet. Concepit enim fervorem, quantus ad coquendum panem ſufficit. ardet igitur clibanus mane, licet dormiat piſtor. Quare? Jam enim congeſta erat ligni copia, ſic ut poſſet uſque ad mane ardere. Quies igitur nocturna non impedit quominus ignis calefaciat furnum, ubi ſcilicet ſatis eſt magna lignorum congeries, ubi ſic piſtor inſtruxit ſuum clibanum, ut non poſſit ignis extingui, neque etiam paulatim ſopiri. Ubi ergo ita piſtor compoſuit pyram, tunc ſecure quieſcit: poteſt enim ignis uſque ad mane durare. Nunc ergo videmus quorſum tendat Propheta: *Aptarunt*, inquit, *cor ſuum per inſidias*: id eſt, etiamſi non primo die protulerint in medium ſuam malitiam, tamen prius aptaverunt cor ſuum, quemadmodum fornax incenditur, vel furnus accenditur antequam paratus ſit panis. Imo vero non opus eſt magno tumultu, non opus eſt clamore dum piſtor accendit clibanum, quia poteſt aptare ligna, deinde ſe confert ad quietem: & interea dum tota nocte dormit, accenditur ignis. Sic & iſti, etiamſi non ſentirent omnes eorum ſcelera, tamen interea accenderunt cor ſuum inſtar fornacis: hoc eſt, concepta fuerunt ab ipſis ſcelera paulatim & longo temporis ſucceſſu, antequam proſilierint ad manifeſta ſcelera. Videmus ergo ſimilitudinem clibani hic alio ſenſu poſitam eſſe à Propheta quam prius. Et hoc notandum eſt, quia interpretes hoc totum ſecure tranſeunt, acſi ſemper idem diceret Propheta. Atqui longe diverſa eſt ratio, ut ſatis notum eſt. Prius enim tantum voluit arguere inſanam libidinem qua ardebant: nunc autem loquitur de inſidiis, vel occultis fraudibus, quod ſcilicet Iſraëlitæ, antequam palam oſtenderent ſe eſſe impios & ſceleratos, jam coram Deo erant ſcelerati. Quare? Nam jam incenſus erat clibanus nocte: quum ſcilicet piſtor clauſa janua domus ſuæ ignem ſupponit, tunc nemo intelligit clibanum vel furnum eſſe accenſum; ita etiam populus hic coram Deo fovit & aluit ſuam malitiam. poſtea tandem patefacta eſt ſucceſſu temporis, ubi ſcilicet opportunitas ei fuit data.

Da omnipotens Deus, quando ſemel nobis illuxiſti per Euangelium tuum: da ut ſemper regamur hac luce, & ita regamur, ut ſubſidant omnes noſtræ cupiditates: & quicquid eſt vitioſi fervoris in nobis extinguat virtus Spiritus tui, ita ut non incaleſcamus poſt noſtra perverſa deſideria, ſed illis omnibus domitis, colligamus quotidie novum fervorem, ut ad te magis ac magis aſpiremus: neque unquam frigus carnis noſtræ nos occupet, ſed continuo pergamus in curſu pietatis, uſque dum tandem perveniamus in beatam illam quietem, ad quam nos invitas, ſicuti etiam parta eſt nobis ſanguine unigeniti Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA NONA
IN
HOSEAM PROPHETAM.

CAP. VII.

7. Omnes calent tanquam clibanus, comederunt judices ſuos: omnes Reges eorum ceciderunt, nemo in illis clamat ad me.

Repetit Propheta quod prius dixerat, inſano ardore Iſraelitas ferri ad ſuas ſuperſtitiones & prava ſtudia, qui nullis remediis mitigari vel ſedari queant: & ſimul oſtendit graſſari hunc morbum vel intemperiem in toto populo, ne vulgus accuſet paucos homines, acſi illi auctores eſſent omnium ſcelerum. Fervorem probat, quia nullis plagis ſint hactenus correcti in melius. *Comederunt Judices ſuos*, inquit, *Reges eorum ceciderunt, & interea nemo ex illis ad me clamat.* Quod hic dicit Propheta, refero ad probos Reges, vel qui poterant tueri mediocrem populi ſtatum. Dicit tam Judices quam Reges cecidiſſe: quibus verbis ſignificat Iſraëlitas privatos eſſe bonis & cordatis gubernatoribus. hæc vero triſtis eſt ac miſera diſſipatio populi, perinde acſi tollatur caput à corpore. Dicit in ſumma, eſſe corpus truncum & mutilum, quia Dominus abſtulerit Reges & Judices. Scimus quidem continua ſerie aliquos regnaſſe inter Iſraëlitas, ſed videndum eſt de quibus Regibus hic loquatur Propheta. Jam notandum eſt etiam, quod dicit *Judices fuiſſe voratos.* Quidam exponunt populum ſua protervia inſurrexiſſe contra Judices, & quaſi ſolutus eſſet legibus, vi & armis pervertiſſe omnem ordinem: ſed videtur mihi hoc eſſe coactum. Non dubito quin *voratos* intelligat Propheta *Judices*, quia populus ſua culpa quaſi in nihilum redegerat Dei gratiam, quemadmodum quotidie accidere ſolet. Deus enim ſic benefacere incipit, ut velit ſua beneficia uſque in finem erga nos proſequi: ſed nos voramus ejus beneficia, quia quaſi exſiccamus fontem bonitatis ejus, qui alioqui inexhauſtus eſſet ac perpetuo in nos flueret. Quoniam igitur bonitas Dei, quæ alioqui inexhauſta eſt, quodammodo exareſcit erga nos, ubi non damus illi acceſſum, hoc ſenſu nunc Propheta conqueritur Judices fuiſſe voratos ab Iſraelitis: quia ſcilicet propter ſuam impietatem privati fuerant ſingulari illo Dei beneficio, illudque conſumpſerant non ſecus ac rubigo vel aliud aëris vitium bonas fruges exurit. Nunc tenemus ſummam hujus verſus. Primo oſtendit Deus ſic ardere Iſraëlitas, ut non poſſit corrigi vel ſedari veſania ipſorum. Quare? Ego expertus ſum, inquit, an ſanabilis eſſet eorum morbus. Nam abſtuli Reges & gubernatores: quod fuit non obſcurum vindictæ meæ ſignum: ego autem nihil profeci. Sequitur enim, אין קרא בהם אלי *Nemo*, inquit, *eſt inter ipſos qui ad me clamet.* Dixerat omnes ardere libidine peccandi: jam ſtuporem accuſans neminem excipit. videmus ergo totum populum ſic correptum fuiſſe furore, ut quum caſtigati eſſent Dei manu, tamen non clamaverint ad eum. Certum quidem eſt clamaſſe Iſraëlitas, ſed ſine pœnitentia. Hoc autem ſolenne eſt hypocritis, ululare quum Deus pœnas de ipſis exigit: ſed interea non dirigunt ad ipſum vota ſua & gemitus: cor enim ipſorum pertinacia obſeratum eſt. Sic ergo exponi debet hoc membrum, quod non reſipuerint neque confugerint ad miſericordiam Dei. Jam ſequitur,

8. Ephraim inter populos ipſe miſcuit ſe: Ephraim fuit panis ſubcinericius qui verſus non eſt.

Jam conqueritur etiam Deus, Ephraim, quem ſibi in peculium elegerat, nihil differre à reliquis gentibus. Scimus hac lege adoptatos fuiſſe filios Abrahæ Deo, ut diſſimiles eſſent hominibus profanis: nam vocatio Dei ſanctitatem ſecum affert. Et tenenda eſt etiam ſententia illa memorabilis, quæ ſubinde occur-
Lev. 19. verſ. 2. rit, Sancti eſtote, quia ſanctus ſum. Decebat igitur Iſraëlitas, vocationis ſuæ memores, ſeſe colligere ut pure Deum colerent, neque ſe pollueren Gentium inquinamentis & ſordibus. Deus autem hic dicit Ephraim nihil jam ab incircumciſis gentibus differre. *Miſcet ſe*, inquit, *cum populis*. Et notanda eſt emphaſis in pronomine demonſtrativo הוא, *Ipſe Ephraim*, inquit. Nam certe hoc indignum fuit & minime tolerabile, Ephraim, cui Deus notam ſuæ electionis inſculpſerat, jam involvi Gentium ſuperſtitionibus. Videmus ergo nunc quorſum pertineant Prophetæ verba, *Ipſe quoque Ephraim miſcet ſe cum Gentibus*. Si par & æqualis fuiſſet conditio Iſraelis & omnium Gentium, non ita loquutus fuiſſet Propheta: ſed quoniam Deus volebat Ephraim ſibi ſanctum eſſe, ideo Propheta hic crimen amplificat, quum dicit *ipſum Ephraim ſe miſcuiſſe Gentibus*. Poſtea adjungit, *Ephraim ſimilis eſt ſubcinericio pani, qui non eſt verſus*. Hæc metaphora aptiſſime convenit ad ſenſum Prophetæ, & circumſtantiam loci, modo dextre intelligatur. Ego autem exiſtimo Prophetam ſimpliciter hoc velle, Ephraim nihil habere certum, ſed varium eſſe ac verſipellem: quemadmodum vulgari ſermone notamus eorum verſutiam, qui ſibi non conſtant, & in quibus nulla eſt ſinceritas: *Il n'eſt ne chair ne poiſſon*, dicimus. Ita etiam hoc loco dicit Propheta, Ephraim ab una parte eſſe quaſi placentam exuſtam, ab altera parte eſſe conſperſionem, vel maſſam crudam & incoctam. Ephraim enim, ut ſcimus, jactabat ſe eſſe populum ſacrum Deo; & quum Circumciſio diſtingueret populum illum à reliquis gentibus, poterat videri aliquod eſſe diſcrimen. Sed interea corruptus erat cultus Dei, adulterata erant omnia ſacrificia, quemadmodum prius vidimus; & tota eorum religio confuſa quædam mixtura erat, imo chaos ex Gentium ſuperſtitionibus & ſimulatione aliqua veri cultus & legitimi conflatum. Quum ergo Iſraëlitæ ita cum Deo perfide luderent, nec quicquam haberent ſtabile, ideo dicit Propheta ſimiles eſſe placentæ, quæ poſita in foco non vertitur. Nam ab una parte poterit exuri, ab altera vero ſemper manebit cruda. Et hic Propheta occupat quod excipere poterant Iſraëlitæ: ſcimus enim nunquam deeſſe hypocritis aliquos prætextus. Poterant igitur hanc excuſationem objicere Iſraëlitæ, Tu dicis jam nos implicitos eſſe Gentium inquinamentis: atqui nulla eſt apud Gentes Circumciſio, illic Deus Iſraelis contemnitur, nullum eſt altare ubi ſacrificet populus vero Deo: nos autem ſumus filii Abrahæ, nos teſtamus Deum qui manum nobis porrexit ut nos eriperet ex Ægypto, & apud nos ſemper manet Sacerdotium. Quoniam ergo Iſraëlitæ poterant colores iſtos inducere ſuis ſuperſtitionibus, ideo dicit Propheta, per anticipationem, ipſos *ſimiles eſſe panis ſubcinericio*, qui in focum projectus non vertitur, ut æqualis ſit coctio: nam tunc ab altera parte calorem reciperet, & in priore eſſet juſtum temperamentum. Vos eſtis, inquit, ab una parte exuſti, ab altera autem crudi; ita apud vos nihil eſt niſi mera perfidia. Nunc tenemus quid Propheta ſibi velit. Cæterum, poſſet etiam hæc ſimilitudo ad pœnas referri: nam antehac pluribus locis oſtendit Deus Iſraëlitas fuiſſe adeo præfractos, ut nullis malis domari potuerint, vel reduci ad ſanam mentem. Et iterum ſæpius hanc querimoniam repetet. Hic igitur poſſet eſſe ſenſus verborum, Ephraim ſimilis eſt placentæ, quæ non vertitur in foco, quod ſcilicet duriter fuiſſet caſtigatus & ſevere, ſed abſque profectu: quemadmodum reprobi, etiamſi Dominus eos conterat, manent tamen obſtinati in ſua duritie. Sunt igitur ab una parte cauſti, quia fere tabeſcunt ſub malis ſuis: ab altera autem parte ſunt prorſus incocti, quia Dominus non emollit ipſorum pervicaciam. Sed quod priore loco attuli, melius aptari poteſt ad contextum. Tenemus ergo nunc quid dicat Propheta: priore membro accuſat Deus Ephraim, quod ſe profanaverit, ritus & ſuperſtitiones Gentium recipiens, ut confuſa eſſet mixtura, ſicuti prius dixi. Deinde reſpondet Iſraëlitis, ſi forte objectent Dei nomen, quemadmodum illis ſolenne erat falſo obtendere. Dicit igitur apud ipſos eſſe aliquid diverſum à Gentibus incircumciſis: ſed hoc nihil eſſe coram Deo, quia *ſimiles ſint panis ſubcinericio*, qui neque coctus eſt utrimque, neque crudus: exuſtus enim eſt ab una parte, ab altera vero crudus manet. Jam ſequitur,

9. Comederunt extranei robur ejus, & ipſe non intelligit: etiam canities ſparſa eſt in eo, & ipſe non intelligit.

Proſequitur eandem ſententiam Propheta, nempe Iſraelem non reſipiſcere, quamvis Dominus variis modis ipſum ad pœnitentiam invitet, imo etiam ferulis ſuis cogat. Hoc autem eſt ſignum deſperatæ malitiæ & incurabilis, ubi Deus neque verbo ſuo, neque verberibus quicquam apud nos proficit. Si ad doctrinam & pias admonitiones ſurdi ſumus, jam hinc apparet nos eſſe nimium præfractos: ubi autem Dominus etiam manum ſuam attollit, & pœnas exigit de peccatis noſtris, ſi non flectimur, tunc quid dicendum eſt niſi vitia noſtra egiſſe tam altas radices ut non poſſint à nobis avelli? Deus ergo his verbis oſtendit jam deploratos eſſe Iſraëlitas: quia ſcilicet toties admoniti & tam variis modis, non tamen redeant in viam: imo non cogitent de ſuis peccatis, ſed
Eph. 4. verſ. 10. ſtupidi maneant. Et Paulus tales vocat ἀπηλγηκότας, hoc eſt, qui jam ſenſu privati ſunt. Ubi igitur nullo dolore tanguntur homines in ſuis malis, certum eſt ipſos percuſſos eſſe ſpiritu vertiginis. Cæterum, non dubium eſt quin Iſraëlitæ mala ſua ſenſerint: ſed Propheta intelligit ſic fuiſſe attonitos, ut non expenderent cauſam & fontem. Quorſum autem juvat, ſiquis agnoſcit ſe male habere, interea vero non reſpicit ad Deum, neque cogitat ſe merito ita plecti? Siquis ergo tantum clamat ad ictus, & non reſpiciat manum percutientis, ut alter Propheta loquitur, Iſa. 9. verſ. 13.
certe illic apparet merus ſtupor. Videmus ergo quorſum reſpiciat Propheta, quum dicit *Iſraëlem non intelligere dum vexatur ab extraneis, dum ſparſa eſt in ipſo canities*: quia ſcilicet non attendit ad cauſam malorum, ſed ſtupidus manet: denique non attollit mentem ſuam ad Deum, ut imputet ſuis peccatis quicquid malorum patitur. Dicit *robur ejus comedi ab extraneis*. Atqui Deus promiſerat populum illum fore ſub ſuo præſidio. Quum ergo expoſitus ſit alienigenis in prædam, cur non ſentit ſe ſpoliatum eſſe præſidio Dei? hoc autem accidere non potuit, niſi ſua culpa ſe nudaſſet. Oportuit igitur nimis cæcos eſſe & mente alienatos Iſraëlitas, qui non ſentirent ideo ſe ſpoliari ab extraneis, quod Deus jam ipſos non defenderet, neque eſſet ipſorum patronus, ut ſolebat prius eſſe. Addit, *Canitiem fuiſſe in eo*. Quidam intelligunt etiam longa annorum ſerie Iſraëlitas non fuiſſe emendatos. Ætas, ut ſcimus, propter longum uſum affert aliquid prudentiæ hominibus. Juvenes, etiamſi Dominus eos ad ſe revocet, tamen rapiuntur

neſcio quo impetu: ſed in ſenibus major eſt prudentia & moderatio. Putant igitur multi hic damnari Iſraëlitas, quod ne proceſſu quidem ætatis quicquam profecerint: ſed non dubito quin magnitudinem calamitatum exprimat Propheta hoc loquendi genere, quum dicit, *Canitiem fuiſſe in ipſo ſparſam*: ſcimus enim ubi quis graviter angitur & cruciatur, caneſcere ipſo malorum ſenſu. Neque enim canities tantum provenit ex annis, ſed etiam ex moleſtiis & gravibus curis, quæ homines non tantum macerant, ſed conficiunt. Denique ſcimus homines ſeneſcere malorum ſenſu. Et hic meo judicio intelligit Propheta canitiem fuiſſe in ipſo Iſraele: hoc eſt, fuiſſe tot malis obrutum, ut oporteret quaſi ſenio confici: & tamen hoc totum caruiſſe profectu. Nunc videmus quod prius dixi: nempe continuam eſſe Prophetæ doctrinam, quod incurabiles ſint morbi qui regnum occupant in populo Iſraelitico: quia ſcilicet nullis remediis adduci queant ad reſipiſcentiam. Sequitur,

10. Et teſtificabitur *(vel teſtificata eſt)* ſuperbia Iſraëlis ad faciem ejus, & non reverſi ſunt ad Jehovam Deum ſuum, & non quæſierunt eum in omnibus his.

Jam confirmat ſuperiorem doctrinam Propheta, & generaliter nunc loquitur, quod *Superbia Iſraëlis teſtimonium ferat illi in faciem*, vel humiliet ipſum in faciem. ענה Hebræis accipitur pro Teſtari, & ſæpe etiam Humiliare ſignificat, vel affligere: quemadmodum dictum fuit capite quinto, & nunc eadem verba uſurpat Propheta, & uterque ſenſus non male quadrat. Neque tamen magnopere hic laboro, quia conſilium Prophetæ ſatis clarum eſt, quod ſcilicet Deus palam ita caſtigaverit Iſraëlitas, ut deberent, niſi fuiſſent nimis excæcati, ſentire ejus manum, & ſimul reatu admoniti ſe ſuppliciter dejicere. Sive ergo legamus Teſtificari, ſive Humiliari, eodem redibit ſenſus, & ſemper conſtabit Prophetæ conſilium. Superbia igitur Iſraëlis humiliabit eum coram facie ejus, vel ſuperbia Iſraëlis teſtificabitur coram facie ejus. Nam intelligit Propheta, quantumvis ferociter Iſraëlitæ ſeſe attollant contra Deum, & ſint ejus Prophetis immorigeri, quantumvis etiam proterve reſpuant omnem doctrinam, & excuſent etiam peccata ſua, tamen hoc nihil prodeſſe, quia cum illa ſuperbia ſic dejecti ſunt, ut Dominus teneat ipſos convictos, acſi multis teſtibus probatum eſſet eorum crimen, acſi detracta jam eſſet illis larva, denique nihil amplius eſſet dubitationis. hoc intelligit Propheta. *Superbia* ergo *Iſraëlis teſtatur in faciem ejus*, vel humiliat: hoc eſt, Iſraël etiamſi hactenus viſus fuerit eſſe inflexibilis adverſus omnes admonitiones, adverſus omnes pœnas, tamen convictus tenetur: & interea *Non redeunt ad Deum ſuum*, inquit, *& non quærunt eum in omnibus his*. Videmus quod dixi: nempe confirmari ſuperiorem querimoniam de obſtinatione diabolica, quæ regnabat in populo illo, ut jam deſperata eſſet ſalus. Dicit autem *Non reverſos ad Jehovam Deum ſuum*, quia ſedulo currebant ad ſua idola, quemadmodum prius vidimus: Imo ille eſt immodicus fervor, de quo Propheta diſſeruit initio capitis. ſed non revertebantur ad Jehovam: hoc eſt, erant occupati in multitudine falſorum deorum; interea Deum pro nihilo ducebant. Et quod addit *ipſorum eſſe Deum*, gravem exprobrationem continet: Deus enim ſe illis patefecerat, imo familiariter innotuerat per Legem ſuam. Quod ergo ad ipſum non redeunt, hoc non fit ignorantia vel errore ſimpliciter, ſed quodam diabolico furore, acſi ſponte & conſulto perire vellent. Deus ergo hic ſe nominat Deum Iſraëlis non honoris cauſa, ſed ut magis illis ingratitudinem exprobret, & exaggeret eorum perfidiam: quod ab ipſo defecerint, *neque eum quæſierint*. Quum dicit, *in his omnibus*, ſignificat tentata fuiſſe omne genus remedia, ideo jam morbum eſſe prorſus incurabilem. Nam ſi una ratione nihil fuerit profectum, nos aliam viam aggredimur. Deus autem jam non uno modo tentaverat Iſraëlem ad ſe reducere, ſed omnia remedia expertus erat. Ubi nulla utilitas ſequitur, quid dicendum eſt niſi populum eſſe perditum & deploratum? Hoc ergo Propheta nunc intelligit. Jam ſequitur,

11. Et fuit Ephraim tanquam columba credula, *(vel quæ fallitur, vel declinans, ut alii vertunt)* ſine corde: *(id eſt, ſine intelligentia: cor enim ſæpe eſt Hebræis voluntas: ſed interdum mentem & intelligentiam ſignificat)* clamant Ægyptum, proficiſcuntur in Aſſyriam.

12. Ubi autem profecti fuerint, *(vel quocunque profecti fuerint)* extendam ſuper eos rete meum: tanquam avem cœli dejiciam eos, corrigam eos *(vel ligabo)* ſecundum auditionem cœtus ipſorum.

Hic primo accuſat Propheta Iſraëlem ſtultæ credulitatis, & comparat eum columbæ: quod ſcilicet invocaverit Ægyptios, quod in Aſſyriam cucurrerit auxilii petendi cauſa. Simplicitas quidem virtus eſt laude digna, modo conjuncta ſit prudentiæ: ſed ſicuti quicquid rationis & conſilii eſt in hominibus, vertitur in malitiam ubi non accedit ſinceritas; ita etiamſi ſint homines nimium creduli, & vacui omni conſilio & ratione, mera eſt illa ſtultitia. Cæterum, quum dicit *Iſraëlem ſimilem eſſe columbæ*, non intelligit Iſraëlitas nuda inſcitia peccaſſe, ſed fuiſſe privatos omni judicio. Et opponitur hæc ſtultitia intelligentiæ quam Dominus illis obtulerat Lege ſua: neque enim Dominus deſierat Iſraëlem ſemper regere ſana doctrina: prætulerat ſemper facem verbi ſui: ſed quum ita Deus illuxerit, Iſraël tamen credulus fuit blanditiis Satanæ & mundi. Nunc ergo tenemus Prophetæ ſenſum. פותה, quemadmodum dixi, aliqui vertunt Declinantem: & פתה ſignificat Declinare præter rationem. Significat etiam Perſuadere interdum, unde quidam exponunt Columbam perſuaſibilem, vel credulam: ſed non dubito quin Propheta intelligat blanditiis fuiſſe allectos, vel illecebris fuiſſe deceptos. quod idem eſt. Iſraël ergo fuit tanquam columba decepta variis illecebris. Quare? *Cucurrit enim ad Aſſyrios, invocavit Ægyptios*: Iſraël ſi attentus fuiſſet ad Legem Dei, poterat certo ſtatuere ſe eſſe extra errandi periculum. Dominus enim non tenet nos ſuſpenſos vel anxios ut fluctuemur, ſed facit ut reſides & tranquillæ ſint mentes noſtræ in verbo ſuo: quemadmodum etiam alibi dicitur, Hæc eſt quies. Stetit ergo per Iſraëlitas quominus tanquam in ſolido loco pedem figerent. Maluerunt igitur volitare huc & illuc tanquam columbæ, & abduxit eos in varios errores ſua credulitas. Quare? Quia ſcilicet maluerunt ſe fallendos proſtituere tam Ægyptiis quam Aſſyriis, quum tamen Deus vellet eos regere ſana intelligentia. Jam tenemus quorſum tendat hæc Prophetæ exprobratio: quod ſcilicet Iſraël ultro reſpuerit oblatam ſibi rationem, quam ſequi certo poterat, & tranquillo ac compoſito animo: interea autem volitaverit, & fuerit ſponte erraticus: quia ſcilicet paſſus eſt ſe decipi variis illecebris. Docet autem hic locus non excuſari homines ſimplicitatis prætextu, quia hoc ipſum vitium nunc damnat Propheta in Iſraëlitis. Tenenda eſt igitur regula Chriſti, ut ſimus ſimpli- *Matt. 10.*
ces ſicut columbæ; & tamen prudentes ſicut ſerpen- *verſ. 16.*
tes. Si autem inconſiderate nos projicimus, excuſatio

igno-

ignorantiæ frivola erit, quia ſcilicet Dominus interea nobis prælucet verbo ſuo, oſtendit viam: deinde habet penes ſe Spiritum prudentiæ & conſilii, quem nunquam negat petentibus. Ubi autem contempto verbo, & neglecto Dei Spiritu ſequimur vagas noſtras imaginationes, duplex eſt noſtra culpa: quod ſcilicet ita in nihilum redigimus lucem verbi, & extinguimus: deinde quod volumus ultro perire, quum tamen Dominus nos ſalvos cupiat. Sed ſequitur poſtea denunciatio pœnæ: *Quocunque*, inquit, *proficiſcantur, expandam ſuper eos rete meum, & detraham eos tanquam aves cœli.* Oſtendit Deus, ubi Iſraëlitæ huc & illuc circumacti fuerint, tamen exitum fore infelicem, quia habebit rete expanſum: & manet in ſimilitudine, quam proximo verſu poſuit. Dixerat ſimiles eſſe columbis, quæ ſcilicet feruntur ſubito impetu ad eſcam, & non conſiderant rete expanſum. Si ergo columba tantum videt illecebras, & interea periculum non præcavet, hæc eſt nimis ſtulta ſimplicitas. Dicit ergo Deus, *Ego expandam rete meum:* hoc eſt, faciam ut infeliciter cadant omnia eorum ſtudia & conſilia, & irritæ ſint ſpes eorum, quia *Quocunque volitaverint expanſum erit rete meum.* Locus hic inſignis eſt, quia hinc colligimus ſemper infauſtos fore exitus, ſiquid tentemus præter verbum Domini, & ſi agitemus conſilia quibus non præſidet Spiritus ejus, quemadmodum dicitur Jeſa. 30. & 31. Væ qui texunt telam, & non ex ore meo ordiuntur: væ qui agitant conſilia, & non invocant Spiritum meum. Prorſus hic locus convenit cum illis verbis Jeſaiæ, quamvis diverſa ſit loquendi forma: Dei enim eſt benedicere noſtra conſilia, ut ſucceſſum proſperum & optabilem habeant. Ubi autem Deus non favet, imo adverſatur noſtris conſiliis, quis tandem finis nos manet, niſi ut quicquid experti erimus, tandem nobis vertatur in perniciem? Sciamus ergo gubernari occulta Dei providentia quicquid homines in hoc mundo agitant: & ſicuti Deus porrecta
Pſal. 90. verſ. 11. manu deducit ſuos, & Angelis etiam ſuis mandat, ut eos dirigant; ſic etiam *rete ſuum habet expanſum*, ut deprehendat eos omnes qui vagantur poſt erraticas ſuas imaginationes. Quocunque igitur profecti fuerint, *Expandam ſuper eos rete meum*, inquit: deinde, *Detraham ſicut aves cœli.* Videtur alludere Propheta ad vanam confidentiam, cujus prius meminit, quum dicebat Iſraëlem ligaſſe ventum in alis ſuis. Nam quum aliquid temere ſuſcipiunt homines, ſimul etiam ſibi ſpondent nihil fore impedimento quin perveniant quo tendunt. Quoniam ergo hac ſtulta confidentia elati homines, plus audaciæ colligunt, imo tandem impetuoſe ruunt adverſus Deum, & videntur velle nubes ipſas perrumpere, ideo dicit Propheta, *Ego detraham eos tanquam aves cœli:* hoc eſt, Ego permittam ad tempus ipſos efferri: ſed ubi penetraverint ad nubes, ego detraham eos, ego faciam ut intelligant ſuum volatum nihil ſibi profuiſſe. Et notandum eſt unde detracti fuerint Iſraëlitæ. Nam quis non putaſſet tantum eſſe præſidii in Aſſyriis, vel Ægyptiis, ut non fruſtra illinc ſperarent ſalutem? Sed Dominus vanam illam mundi potentiam deridet, quia ſcilicet quicquid ſpei concipient homines, ut ſe alienent à Deo, hoc totum evaneſcet inſtar fumi. Et poſtea addit, *Corripiam eos*, vel ligabo. Quoniam יסר, utrumque ſignificat, nempe tam corripere quam ligare, ideo utraque expoſitio tolerabilis eſt. Si Ligandi verbum placeat, bene conveniet metaphoræ: acſi diceret, Ego tenebo ipſos inter retia mea. Nam quamdiu liber eſt volatus avibus, putant totum cœlum eſſe ſuum: ubi autem inciderint in retia, conſtrictæ illic manent, jam ad volandum ſunt inutiles, & nullum membrum movere queunt. Sic igitur optime conveniet ſenſus ille, Ego ligabo eos: hoc eſt, non poterunt rete meum frangere, ſed illic tenebo victos uſque in finem. Si quis malit, *Corrigam eos:* ego etiam non improbo illam expoſitionem: & quantum ad ſummam rei ſpectat, videmus parum referre utrumvis legatur; niſi quod, ut prius dixi, Ligandi verbum melius continuat metaphoram. Dicit, *Secundum auditionem cœtus ipſorum.* Omnes fere ita exponunt, acſi diceret Deus ſe pœnas ſumpturum quas minatus fuerat per Moſen: & ita eſſet etiam obliqua accuſatio ſocordiæ, quod pridem admoniti tamen non ſaperent, imo contemnerent illas denunciationes, quæ debebant aſſidue reſonare in ipſorum auribus. Deus enim non modo Lege ſua præſcripſit Iſraëlitis regulam pie vivendi, ſed addidit etiam graves & acerbas comminationes, quibus doctrinam Legis ſuæ ſanciret. Scimus quam horrendæ ſint maledictiones Legis. Quum ergo Deus ſtatim ab initio ita Iſraëlitis minatus eſſet, annon debebant magis ſollicite ambulare coram ipſo? ſed non fuerunt iſtis denunciationibus territi. Deus ergo hic oblique perſtringit tantam veſaniam, quod Iſraëlitæ non ſatis attendant ad ſuas minas, quibus alioqui revocari poterant in viam. Moſes enim illic frenum injicit etiam furioſis hominum cupiditatibus, ſi modo gutta aliqua ſanæ intelligentiæ maneret in ipſis. Adde quod ſubinde eædem admonitiones ſuggeſtæ fuerunt à Prophetis, neque unquam deſtitit Deus eos expergefacere, niſi ad ejus vocem occalluiſſent omnium aures. *Tenebo* igitur *eos ligatos*, vel corripiam, *ſecundum auditionem cœtus ipſorum:* hoc eſt, pœna, quam de ipſis exigam, debuit illis pridem nota eſſe. nam clare juſſi promulgari Legem meam, ita ut terrerem etiam duris comminationibus populum meum: nunc ergo exequar judicium illud, quod fuit apud illos incredibile, quia hactenus illis peperci. Et, quemadmodum jam dixi, interpretes fere in hanc ſententiam conveniunt, niſi quod non expendunt Prophetæ conſilium: hoc eſt, non animadvertunt exprobrari Iſraëlitis ſuam duritiam, ſed tantum loquuntur de pœnis ſine aliqua notatione, in quem finem vel ſcopum Deus promulgaverit maledictiones in Lege ſua, & earum memoriam revocaverit per ſuos Prophetas. Hieronymus etiam affert alium ſenſum: quod ſcilicet Deus pœnas ſumpturus ſit de populo ſecundum auditionem cœtus ipſorum: hoc eſt, ſicuti uno conſenſu ipſi violaverant cultum Dei, & tranſgreſſi fuerant Legem ejus, ita de omnibus pœnas ſumpturus ſit. Quanquam mallem etiam addere, quod ſecundum ſtrepitum congregationis ipſorum, Dominus caſtigaturus ſit ipſos, ut Propheta deſignet non modo conſpirationem in populo Iſraëlitico, ſed etiam impetum, quum ſcilicet alii alios ad peccandum incitarent. Quoniam ergo ita tumultuoſe inſurrexerant adverſus Deum, ſic nunc viciſſim denunciat Propheta Deum pœnas ſumpturum: hoc eſt, Non impediet me tumultus veſter quominus compeſcam veſtrum furorem. Vos quidem cum magno ſtrepitu in me ruitis, & putatis vos fore ſalvos, etiam addicti peccatis. Atqui hæc veſtra intemperies nihil impediet: ego enim habeo penes me caſtigandi modum.

Da omnipotens Deus, quando vides nos tam propenſos ad omnes Satanæ & mundi illecebras, interea vero tam parum in nobis eſſe conſilii, ſed potius mera levitate ferri: da, inquam, ut Spiritu tuo duce ſic pergamus in recto curſu, in quem ſemel ingreſſi ſumus te duce, & manu tua directrice, ut nunquam aberremus à verbo tuo, & præſertim non declinemus à ſcopo quem nobis proponis, ſed etiamſi omnia tentaverit Satan, qui nos abripiat, tamen maneamus firmi ſub tuo obſequio, & ita pergamus, ut tandem perveniamus ad beatam illam quietem, quam nobis pollicitus es poſt militiam præſentis vitæ in Chriſto Jeſu Domino noſtro, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA IN HOSEAM PROPHETAM.

CAP. VII.

13. Væ illis, quia receſſerunt à me. vaſtitas illis, (*vel direptio*) quia perfide egerunt in me: & ego redimam eos, (*poteſt etiam reſolvi in tempus præteritum, Redemi eos*) & loquuti ſunt contra me mendacia.

Hic Propheta ſpem veniæ tollit Iſraëlitis, ac pronunciat actum eſſe de ipſis, quia Deus jam decrevit eos perdere. Nam quia Deus ſe facilem & propenſum ad ignoſcendum ubique prædicat, hypocritæ ſperant Deum ſibi fore propitium: & hac inani confidentia ſpernunt omnes ejus minas, & audacius etiam inſurgunt adverſus eum. Propheta igitur hic oſtendit Deum fore poſthac ipſis inexorabilem, quia ſcilicet nimis diu & pertinaciter abuſi ſunt ejus patientia: *Væ illis*, inquit, *quia receſſerunt à me. vaſtitas illis, quia perfide egerunt in me.* Non eſt igitur, inquit Propheta, quod ſe in poſterum deludant vana fiducia, ſicuti hactenus fecerunt: nam hoc ſemel ſtatutum eſt Deo, extremam vindictam ipſis infligere: defectio enim ipſorum hoc meretur. Poſtea addit, *Redimam eos, & ipſi loquuti ſunt contra me mendacia.* Qui legunt in tempore futuro, putant interrogative Prophetam loqui: Egone ipſos redimam? loquuti enim ſunt contra me mendacia. Et putant indefinitum eſſe modum, An ego redimerem ipſos, homines nullius fidei: quid enim proficerem hoc beneficin? Alii exponunt, Ego quum eos vellem redimere, expertus ſum hoc neque utile fore, neque juſtum, quia loquuntur contra me mendacia: ut Deus hic non exprimat quid fecerit, ſed quid facere habuerit in animo. Sed non male conveniet tempus præteritum. Scimus autem quam trita ſit ac familiaris Hebræis temporum mutatio. Senſus ergo hic erit, *Ego* redemi eos, & loquuti ſunt contra me mendacia: hoc eſt, ſæpius eripui eos à morte, quum jam inſtaret extrema neceſſitas, ſed non mutarunt ingenium: imo fraudarunt me laude ſuæ liberationis, vel nihilo melius poſt ſuam liberationem vixerunt. Quum ergo tam male locaverim hactenus apud ipſos mea beneficia, jam nihil amplius reſtat niſi ut eos perdam. Et videtur mihi hoc eſſe conſilium Prophetæ. Priore igitur membro pronunciat fruſtra ipſos ſperare à Deo miſericordiam, quia decreta ſit ultima ipſorum clades. Poſtea ſequitur cauſæ redditio, quod ſcilicet antehac perperam & impie abuſi ſint Dei gratia: quoniam redempti ab ipſo, tamen progreſſi ſunt in ſua malitia, & ſemper fuerunt perfidi adverſus Deum, quum tamen ſimulaſſent ſe alios fore. Quia ergo non contigit in melius mutatio, jam oſtendit Deus ſe nolle conſumere ſuam gratiam apud tam impios homines. Docet autem hic locus quam intolerabilis ſit noſtra ingratitudo, ubi à Domino redempti non ſervamus datam ei fidem quam à nobis ſtipulatur. Nam hac lege Deus liberator noſter eſt, ut ſimus ei prorſus addicti. Qui enim redemptus eſt, non ita debet vivere acſi eſſet ſus juris vel arbitrii, ſed debet totus pendere à redemptore ſuo. Si ergo ita perfide nos erga Deum gerimus, ubi ejus gratia erimus liberati, hæc impietas & perfidia duplicem vindictam meretur. Atque hoc docet nunc Propheta. Scimus autem quam clementer pepercerit populo Iſraelitico. poſtquam deſciverat jam ad ſuperſtitioſos cultus, & fidem etiam violaverat poſteris Davidis, Dominus tamen non deſtitit multis adhuc beneficiis populum illum proſequi, quantumvis indignus foret. Et ſcimus ſub Jarobeam res illis proſpere fluxiſſe præter ſpem hominum. Atqui magis ac magis obduruerunt in ſua malitia, tantum abeſt ut reverſi fuerint in viam. Nunc pergamus.

14. Et non clamaverunt ad me in corde ſuo, quia ulularunt ſuper cubilibus ſuis: ad triticum & vinum congregabunt ſe. defecerunt (*deficient, ad verbum*) à me.

Hic rurſus objurgat Propheta Iſraëlitas, quod non reſipiſcant; toties admoniti. Nam in hunc finem (ſicuti heri dictum fuit) ſpectant omnes caſtigationes quas Deus manu ſua nobis infligit, ut ſanemur à vitiis noſtris. Propheta autem hic oſtendit Iſraelitas non clamaſſe ad Deum: quod tamen præcipuum eſt in reſipiſcentia. Sed notanda eſt etiam particula, *In corde ſuo non clamaverunt*, inquit, ſincere. Nam ſcimus ſemper reſiduum aliquem fuiſſe cultum Dei. Quamvis plures deos ſibi fingerent Iſraëlitæ, tamen non erat prorſus abolitum veri Dei nomen apud ipſos: ſed miſcebant Deum ſuis figmentis. Deus autem non moratur iſtas fictitias invocationes. Ideo dicit, *Ipſos non clamaſſe ex corde.* Ergo nnn accuſat quod nulla ceremonia defuncti ſint, ſed quia nnn attulerint ſerium cordis affectum: imo ſimulate tantum ad Deum clamaverint. Nunc tenemus Prophetæ mentem: *Non clamarunt*, inquit, *ad me in cordibus ſuis.* . Quia Dei invocatio præcipuum eſt exercitium pietatis, & maxime reſipiſcentiam noſtram declarat, iden Propheta diſerte hoc vitium in Iſraëlitis notat, quod ad Deum non clamaverint. Sed quia poterant excipere ſe fuiſſe precatos in ſpeciem, iden addit non factum fuiſſe ex corde: quia externa ceremonia ſine cordis ſtudio, quid aliud eſt quam profanatio nominis Dei? In ſumma, hic duritiem Iſraëlitis Propheta oſtendit, quia manu Dei percuſſi, non tamen ad ipſum confugerint, & deprecati ſint veniam: ſaltem hoc non fecerint ex corde, vel ſincere. Poſtea adjungit, *Quia ulularunt in cubilibus ſuis.* Quidam adverſative exponunt particulam כי, acſi dixiſſet Propheta, Quamvis ululent in cubilibus ſuis, ipſi tamen non dirigunt ad me vota ſua. Sed poſſumus in proprio ſenſu accipere, & optime fluet hoc modo ſententia. *Ululant* igitur *in cubilibus ſuis*, hoc eſt, non conferunt ſua ſtudia ad me, quia inſtar brutorum animalium projiciunt ſuos ululatus. Sicuti videmus facere incredulos: quia exhorrent conſpectum Dei, & ipſa etiam mentio eſt illis formidabilis, ideo ululant, hoc eſt, profundunt impetuoſos ſuos affectus: ſed interea quantum poſſunt fugiunt ab omni acceſſu Dei. Senſus eſt igitur, Non clamant ad me in corde, quia tantum ululant: ſed bruto impetu ſine ratione. Siquis tamen adverſative legere malit particulam כי, etiam ſenſus non male quadrabit: Quamvis ululent in ſuis cubilibus, tamen ad me non clamant: hoc eſt, quamvis urgeat ipſos dolor ad magnas vociferationes, ſunt tamen muti quantum attinet ad precandi ſtudium. Siquis hunc ſenſum magis probet, ego non repugno. Sed quia particula כי fere accipitur cauſaliter, ideo

male

malo ſic exponere, Quod clamant in ſuis cubilibus, & ideo non aſſurgant ad Deum. Jam ſequitur, *Congregant ſe*, vel congregabunt ſe, *ad triticum & ad vinum.* Bifariam etiam hic locus exponitur. Quidam putant hic oblique perſtringi Iſraëlitas, quod ſi reperiant vinum vel triticum in foro venale, voti ſui compotes ſecure pergant ad peccandum, & Deum contemnant, acſi amplius non egerent ejus auxilio. *Concurrunt* igitur *ad vinum & triticum*: hoc eſt, ſimul atque allata eſt fama de vino aut tritico, comparant ſibi annonam, & poſtea negligunt Deum. Sed ſenſus ille videtur eſſe nimium frigidus & coactus. Ego itaque non dubito quin Propheta opponat concurſum iſtum de quo loquitur, vero & ſincero ſtudio precandi: acſi dixiſſet, Non tanguntur dolore quia me offenderint, quia ex ſignis perſpiciant me ſibi infeſtum. Non morantur igitur meam gratiam vel offenſam, modo fruantur copia vini ac tritici: hoc illis ſufficit: perinde illis eſt, ſive me adverſum habeant ſive propitium. Videtur hæc eſſe genuina mens Prophetæ. Sed ut clarior ſit reprehenſio, notandum eſt quod docet Chriſtus, quærendum eſſe primo regnum Dei. Nam præpoſtere aguntur homines, dum anxie laborant de vita, & ſtudent ſibi comparare victum & quicquid opus eſt ad carnis neceſſitates. Semper inde facimus exordium. Atqui iſta eſt nimis inconſiderata cupiditas, dum ſcilicet ita intenti ſumus ad vitam caducam, & interea negligimus regnum Dei. Quoniam ergo homines illo perverſo affectu conturbant totum pietatis ordinem, ideo Propheta hic Iſraëlitas oſtendit non vere neque ex animo clamare ad Deum: quia ſcilicet tantum ſolliciti ſunt de vino & tritico. nam niſi eſſent famelici, contemnerent Deum & ſinerent ipſum in cœlo quieſcere. Cogit igitur ipſos penuria & inedia. Sicuti brutæ pecudes, quum eſuriunt, feruntur ad populum, ſed non quærunt paſci à Domino: ſic etiam Iſraëlitæ tanguntur quidem aliquo penuriæ ſuæ affectu, ſed interea ſubſiſtunt in vino & tritico. neque enim alius Deus illis eſt. Itaque ſic vociferantur, ut tamen clamor eorum ad Deum non perveniat, ſicuti etiam vere & rectà ad eum non tendunt. Ergo ab una ſpecie hic Propheta Iſraelitas coarguit impiæ ſimulationis, quod ſcilicet Deum non quærant, nempe quia tantum intenti ſint ad victum: &, modo venter bene refertus ſit, Deum negligunt, & non expectant etiam ejus gratiam, ſed tantum volunt habere plena horrea, & plenas cellas. quia ſine favore paterno Dei, tantum optant copiam annonæ. Hinc ſatis apparet ipſos non clamare ad Dominum. Hic locus obſervatu dignus eſt, quia videmus preces noſtras vitioſas eſſe coram Deo, ſi incipimus à vino & pane, & non quærimus primo loco regnum Dei, hoc eſt, ipſius gloriam: & non etiam huc applicamus animos noſtros ut ſub Deo propitio vivamus. Quum ergo non tendimus ad ipſum fontem divinæ benedictionis, ſed tantum cupimus nos ingurgitare copia bonorum quam ſuppeditat, tunc omnes preces noſtræ ab ipſo reſpuuntur, & merito. Sicuti videmus Papiſtas, quum ſupplicationes ſuas inſtituunt, prorſus ſimiles eſſe pecudibus: nam implorant quidem Deum pro pluvia vel ſiccitate, ſed an hoc habent propoſitum, ut ſe Deo reconcilient? minime. Nam quoad ipſis liceret, cuperent ab ipſo eſſe remotiſſimi: ſed dum cogit eos inedia & fames, tunc poſtulant pluviam. In quem finem? tantum ut pane & vino abundent. Ergo tenendus eſt legitimus ordo in precibus noſtris: ſi Dominus oſtendat nobis iræ ſuæ ſigna, ſtudendum eſt in primis ut redeamus cum ipſo in gratiam: deinde ſpectanda eſt nobis ejus gloria, & vero affectu pietatis quærendus eſt, ut ſit nobis pater. poſtea accedant ſuo loco, quæ pertinent ad conſervationem & ſtatum præſentis vitæ. Et notandum eſt quod dicit, *Ipſi defecerunt à me.* נדד ſignificat Recedere: ſignificat etiam Deficere: & ſecundus hic ſenſus melius convenit, quia prius dixit Propheta ipſos receſſiſſe à Deo: nunc autem videtur gravius aliquid notare, quod ſcilicet à Deo defecerint. Ita hypocritæ quum ſimulent ſe Deum quærere per circuitus, tamen produnt ſuam defectionem, quia nollent cum eo reconciliari hac lege, ut cogantur vitam ſuam in melius mutare, abjicere affectus carnis ſuæ, renunciare ſibi & pravis cupiditatibus: hoc minime quærunt. Hinc igitur patet ipſos eſſe teſtes ſuæ defectionis & perfidiæ, etiam in precibus, ubi eſt aliqua pietatis ſpecies. Sequitur,

15. Et ego ligavi, roboravi brachia ipſorum, & contra me cogitant malum.

Iterum exprobrat Deus, quod Iſraëlitæ indigne ſua bonitate & clementia abuſi fuerint. Quidam verbum יסר accipiunt pro Caſtigare, quod ſcilicet Deus erudiverit Iſraëlitas: &, quemadmodum heri dictum fuit, ſæpe hoc ſenſu capitur. Sed quoniam Ligare interdum ſignificat, videtur aptior eſſe metaphora ad præſentem locum, *Ego ligavi & roboravi brachia ipſorum*: acſi diceret Deus, ſe feciſſe ne diſſolverentur ipſorum brachia. Scimus enim robur brachii conſiſtere in nervorum compactura. Niſi ergo oſſa nervis alligentur, ſtatim ſequetur diſſolutio. Dicit igitur Deus, *Ego ligavi & roboravi brachia ipſorum*: quæ duo in eundem finem tendunt, & verbum Corripiendi non videtur mihi ullo modo ad contextum aptari poſſe. Summa eſt, hactenus ſtetiſſe Iſraëlitas, quia Deus ſua virtute eos fulciret: quemadmodum ſiquis brachium debile vel luxatum alliget & roboret, ita Deus hic exprobrat Iſraëli, quod conſervaverit eum in ſtatu. Et non dubito quin alludat hic Propheta ad multas calamitates quibus diſſolvi poterat robur Iſraëlis, niſi adhibitum fuiſſet mature remedium à Domino. Deus ergo hic ſe medico vel chirurgo comparat, *Quod alligaverit brachium Iſraëlis & roboraverit*, quod potuerat alioqui diſſolvi. Fuerunt enim ſæpius quaſi enerves, ſed Dominus reſtituit ipſos. Nunc ergo tenemus Prophetæ mentem, quod ſcilicet Deus non tantum virtute ſua Iſraelitas ſuſtinuerit, ſed etiam quod fecerit officium chirurgi vel medici, quum videret diſſolvi eorum brachia, ubi ſcilicet attriti erant bellorum cladibus, & aliis rebus adverſis. Jam, tantum abeſt ut Iſraëlitæ gratos ſe præbuerint Deo & memores, ut cogitarent etiam malum contra ipſum. Potiti enim victoriis, recreati, & etiam referti omnium bonorum opulentia, conſpirarunt audacius contra ipſum, quia ſtabilitæ fuerunt hoc prætextu ſuperſtitiones: deinde ſequuta eſt licentia omnium ſcelerum. Nam & ſuperbia & crudelitas, & ambitio & fraudes magis ac magis graſſatæ ſunt. Quum ergo ſic perverterint Dei beneficia Iſraëlitæ, annon merito præciditur illis ſpes veniæ & ſalutis? Monemur autem hoc loco, quoties Dominus medetur malis noſtris, & nos in rebus adverſis ſublevat, nobiſque ſuccurrit, reverenter agnoſcendam eſſe hanc gratiam, ne ſcilicet cogitemus malum contra ipſum, ubi tam humaniter manum nobis porrigit. Nunc pergamus.

16. Revertentur non Deo, fuerunt tanquam arcus doloſus, (*vel doli*) ceciderunt (*vel cadent*) in gladio Principes eorum à ſuperbia (*hoc eſt, propter ſuperbiam*) linguæ ipſorum: hoc eorum ludibrium in terra Ægypti.

Iterum Propheta exagitat obſtinatam malitiam Iſraëlis una cum fraude & perfidia. Dicit igitur ipſos fingere aliquam reſipiſcentiam, ſed nihil aliud quam mentiri, quia ad Deum non revertuntur. *Revertentur* ergo, *ſed non ad Deum*, inquit. Quidam tamen על putant notare cauſam, & ſubaudiunt aliquid, acſi ecliptica eſſet loquutio. Revertentur, ſed non propter quid: hoc eſt, dum revertentur, ſiquis quærat quid ſit in eorum animis, vel quid conſilii agitent, reperiet merum eſſe fumum, nihil ſolidi. Sed illa expoſitio coacta eſt, ut videmus. Deinde etiam contextus ipſe poſtulat, ut legamus על pro Deo: ſicuti etiam aliis locis. Nam hoc novum non eſt. *Revertentur* ergo *non Deo.* Hic igitur Propheta pronunciat Iſraelitas omnino eſſe præfractos, ita ut Deus nullam pœnitentiam ab ipſis extorqueat: quod ſi aliquam ſimulent, eſſe merum mendacium, quia ſcilicet non recta ad Deum veniunt. Nam ut prius dictum eſt, hypocritæ, quum premit eos manus Dei, videntur quidem alii eſſe quam prius, ſed ſemper fugiunt Deum. Nec fruſtra hortatur populum Dominus per Jeremiam ut ad ſe revertatur: *Jer. 4. verſ. 1.* Si revertaris Iſraël, ad me revertere, inquit. Sciebat enim ambagibus ſemper homines errare, & non tenere rectam viam. Hic ſenſus eſt. Jam addit Propheta, *fuiſſe inſtar arcus doloſi.* Eſt expoſitio proximæ ſententiæ. Et hinc colligitur particulam על non poſſe aliter accipi, quam pro Deo. Oſtendit Propheta quomodo Iſraëlitæ à Deo ſe ſubducant dum videntur reſipiſcere: quia ſcilicet *ſunt ſimiles arcui doloſo*, inquit. Quidam exponunt arcum jaculationis vel projectionis: & certe רמה ſignificat jaculari & projicere. Sed non poteſt ſtare ille ſenſus: quia videmus quorſum reſpiciat Propheta, Iſraëlitas ſcilicet fucum facere, & nihil aliud quam decipere dum reſipiſcentiam oſtentant. Ut hoc confirmet, dicit eſſe ſimiles arcui obliquo. Nam arcuarius quum vult ſagittam ſuam jaculari, collimat primo ad certum ſcopum. Videtur ergo jam ſagitta eſſe defixa ei loco quem deſignat arcuarius oculis. Nunc ſi arcus obliquus ſit, ſagitta alio volabit; vel etiam arcus fallet, ut retorqueat ſagittam in ipſum arcuarium. Et ſimilis comparatio etiam legitur Pſal. 78. ubi dicitur, reflexos eſſe Judæos inſtar arcus doloſi: & ponitur hoc idem nomen. Atqui illic nulla eſt ambiguitas, quia Deus accuſat populum quod reflexus fuerit: hoc eſt, quod retroflexerit curſum ſuum, nempe inſtar arcus doloſi. Siquis legat, Arcum jaculationis, vel projectionis, nullus erit ſenſus, imo hoc erit inſulſum & ridiculum: ideoque ſatius eſt hic accipere pro Arcu doloſo. Et notanda eſt ratio ſimilitudinis quam attuli, quod ſcilicet quaſi ſagittam arcuarii intenderent in ſcopum, quaſi etiam nictu & collimatione dirigerent ictum ſuum, & jacularentur: ita hypocritæ videntur magno conatu eniti, ſed interea ſunt arcus doloſi: hoc eſt, animus ipſorum retroagitur, & fugitant etiam Deum, & per flexuoſas ambages vagantur, ut nunquam ad Deum accedant: ſed potius illi tergum obvertant. Poſtea addit, *Principes eorum cadent in gladio propter ſuperbiam linguæ ipſorum.* Propheta rurſus denunciat vindictam Iſraëlitis, ut certo ſtatuant non poſſe mutari cœleſte decretum de ſuo exitio. Etſi enim hypocritæ ſemper trepidant, & non poſſunt quicquam ſperare à Deo, tamen non deſinunt ſibi facere delicias, & ſemper aliquid novæ ſpei fingere. Quoniam igitur ſunt ita liberales in vanis pollicitationibus, dicit Propheta non eſſe quod Iſraëlitæ expectent aliquod remedium in ſuis malis. *Cadent* igitur *Principes eorum.* Jam in Principum nomine eſt ſynecdoche: nam Deus non ita minatur Principibus, vel denunciat illis cladem, acſi vellet vulgus hominum excipere, ſed dicit fore communem omnibus cladem, quam ne Principes quidem ipſi effugient. Scimus autem in præliis, ubi fiunt magnæ ſtrages, occumbere gregarios milites magno numero, paucos vero ex Principibus. Atqui Deus hic dicit, Ego auferam totum florem populi; ſed nemo ex Principibus erit reſiduus. Quid fiet de vulgo ignobili, quod nullius pretii ducitur? *Cadent* igitur *Principes in gladio.* Poſtea addit, *Propter ſuperbiam linguæ ipſorum.* Quidam active exponunt hoc nomen, quaſi diceret Propheta eos provocaſſe iram Dei ſuis blaſphemiis, vel ſuis ſceleſtis ſermonibus. Sed potius accipio pro magniloquentia: *Propter ſuperbiam linguæ ipſorum*, inquit, *occumbent*, quia magnifice jactarunt ſuas vires, quia etiam contemptui fuerunt illis omnes prophetiæ: quia auſi ſunt etiam evomere ſuas blaſphemias in Deum: quia non minus obſtinate, quam ſuperbe auſi ſunt tueri impios ſuos ac pravos cultus, Ego, inquit, hanc ſuperbiam ulciſcar. Ergo videmus ſuperbiam hic accipi pro faſtu illo, quem oſtentant impii in ſua magniloquentia: quemadmodum alibi dicitur, *Pſa. 73. verſ. 9.* Eſſerunt in cœlum linguas ſuas. *Erit hoc ludibrium ipſorum in terra Ægypti.* Quia Iſraëlitæ tunc freti ſuo illo maledicto fœdere quod cum Ægyptiis pepigerant, manebant contra Deum obſtinati: dicit, Ego exponam eos ludibrio apud ſuos fœderatos: jactant opes Ægypti, putant ſe eſſe extra omnem telorum jactum, quia Ægyptios ſtatim vocabunt ad auxilium ſiquis eos oppugnet, vel ſiquis hoſtis eos invadat. Quoniam ergo fiducia ipſorum ita quieſcit in Ægypto, Ego faciam, inquit, ut Ægyptii eos ludibrio habeant: & ſint probroſi non tantum inter æmulos vel malevolos, ſed amicos in quibus gloriantur. Ego proſtituam te ad omne genus dedecoris coram amatoribus. Comparat enim, ut prius vidimus, tam Ægyptios quam Aſſyrios amatoribus; & comparat populum ſuum mulieri impuræ, quæ deſerto marito, ſuam pudicitiam proſtituit. Tu, inquit, te venditas amatoribus tuis, & ſtudes illis placere, & te pingis & ornas ut ipſos allicias: ego cooperiam te omni dedecore & probro, ut amatores tui à conſpectu tuo abhorreant. Sic etiam hoc loco dicit Iſraelitas fore ludibrio in terra Ægypti: hoc eſt, non hoſtes à quibus nunc ſibi metuunt, habebunt eos ludibrio, ſed ſubſannatio eorum erit in ore illorum, quos putarunt ſibi fore vindices, & quorum armis viſi ſunt fore immunes ab omni ignominia. Sequitur caput octavum.

CAPUT VIII.

SUper palatum tuum tuba, tanquam aquila ſuper domum Jehovæ, quia tranſgreſſi ſunt fœdus meum, & contra Legem meam impie egerunt. (*vel perfide ſe geſſerunt.*)

IN hoc fere conſentiunt interpretes, Prophetam minari non regno Iſraëlis, ſed regno Jehudah, initio bujus capitis: quia domum Dei nominat, quam accipiunt pro templo. Fateor quidem jam duobus locis Prophetam loquutum fuiſſe de regno Jehudah, ſed quaſi in tranſitu. Inſeruit enim objurgationes quaſdam & minas, ſed ita ut clara eſſet diſtinctio: nunc autem non videmus ipſum pergere in regnum Jehudah, ſed ſecundo verſu nominat Iſraëlem, & tamen ſuam ſententiam continuat. *Super palatum tuum*, inquit, *tuba*, *tanquam aquila*, & quæ ſequuntur: poſtea addit, *Ad me* clamabunt, Deus meus, novimus te, Iſraël. Hic certe ſermo refertur ad decem Tribus. Itaque nullo modo

adducor ut initium capitis exponam de regno Jehudah. Et certe miror interpretes in re tantula fuiſſe hallucinatos: quia domus Dei non modo Templum ſignificat, ſed etiam totum ipſum populum. Quoniam ergo Iſraël retinebat illam jactantiam, quod eſſet populus ſacer Deo, & quod eſſet ejus familia; ideo dicit, Pone tubam, vel admove tubam ad palatum tuum, & bellum denuncia, quod jam propinquum eſt. accelerat enim hoſtis qui oppugnet domum Dei, hoc eſt, ſacrum hunc populum, qui obtendit Dei nomen, & qui electione vel adoptione confiſus, ideo putat ſe immunem fore ab omnibus malis: *Veniet tanquam aquila* bellum contra hanc domum Dei. Si Propheta verbum aliquod adderet quod referri poſſet proprie ad regnum Jehudah, ego libenter accederem eorum ſententiæ qui domum Dei volunt eſſe Sanctuarium. Sed legatur totus contextus, & quivis facile intelliget Prophetam non minus primo verſu quam ſecundo & tertio de Iſraële loqui. Nam, ut dictum fuit, nullam ponit diſtinctionem, ſed proſequitur ſemper eodem tenore ſuam doctrinam vel concionem. Primo dicit, *Sit tuba ad palatum tuum*, vel admove palato tuo tubam. Eſt hypotypoſis. Scimus, enim quo efficacius tangantur homines, Deum induere ſuis Prophetis varias perſonas. Propheta igitur tanquam caduceator hic inducitur, qui bellum denunciet, vel fecialis, vel quocunque nomine appellare libeat. Ergo hic Propheta non jubetur tantum ore loqui, ſed ſigno etiam tubæ oſtendere propinquum eſſe bellum, acſi Deus ipſe per ſuum tubicinem bellum indiceret Iſraëlitis, quod paulo poſt futurum erat à terrenis hoſtibus. Hoſtes paulo poſt venturi erant, & ſolenni etiam ritu venturus erat caduceator vel fecialis qui bellum indiceret: vocant Græci κήρυκας, præcones. *les heraux*, dicimus. Quemadmodum ergo terreni Reges habent ſuos præcones, vel κήρυκας, vel caduceatores, aut feciales, qui bellum denuncient; ita Dominus Prophetam ſuum cum ſolenni iſto mandato mittit ut bellum indicat: Eas, & intelligant Iſraëlitæ non jam ex ore tuo, ſed etiam ex guttute, idque clangente tuba: intelligant me ſibi eſſe hoſtem, & me inſtare eum valldo exercitu ut perdam eos. Certum quidem eſt Prophetam non uſum fuiſſe tuba, ſed Dominus hac figura, quemadmodum jam dixi, exaggerat vehementiam doctrinæ, ut ſentiant Iſraelitæ non eſſe ludum & jocum, quod Propheta ipſis minatur, ſed ſerio rem agi, acſi viderent jam præconem qui bellum indiceret: quod non ſolet fieri niſi jam exercitus ſit paratus ad bellandum. Poſtea dicit, *Tanquam aquila ſuper domum Jehovæ*. Jam diximus quid Propheta per domum Jehovæ intelligat, nempe populum illum, qui putabat ſe ideo fore expertem omnis incommodi, quia erat adoptatus à Domino. Iſraëlitæ ergo vocabant ſe Dei domeſticos, & hoc prætextu quum impie & ſcelerate ſe projicerent ad omne genus turpitudinis, tamen putabant ſibi optime convenire cum Deo ipſo: Veniet, inquit, commune excidium omnibus: hoc eſt, non impediet iſta jactantia quominus tandem ulciſcar peccata eorum: ſed addit, *Tanquam aquila*: ne ſcilicet Iſraelitæ putent adluc longam eſſe moram, ſicuti procraſtinant impii dum vident quicquam periculi inſtare. Ergo ne torpeant Iſraëlitæ in ſuis vitiis, dicit Propheta, exitium, de quo loquitur, venturum inſtar aquilæ: momento enim aquila conficit immenſum ſpatium, & miramur quum videmus inſtare capitibus noſtris quæ paulo ante non apparuerant. Sic etiam dicit Propheta, exitium hoc, licet nondum cernatur, tamen eſſe propinquum, ut terrore perculſi, ſaltem, etiamſi ſero, tamen quum Dominus ita ipſos urget, ad ipſum redeant.

Da omnipotens Deus, quando quotidie non ceſſas nos & ferulis tuis & verbo ad te reducere, nos autem non ceſſamus vagari in concupiſcentiis noſtris: da, inquam, ut Spiritu tuo duce aliquando ad te ſic redeamus, ut nunquam poſtea diffluamus, ſed retineamur in pura & vera obedientia, & conſtanter ſic permaneamus in puro numinis tui cultu, & vera obedientia, ut confecto bujus vitæ ſpatio, tandem perveniamus ad beatam illam quietem, quæ nobis repoſita eſt in cœlo, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA PRIMA
IN
HOSEAM PROPHETAM.

CAP. VIII.

HEri non potuimus abſolvere primum verſum 8. capitis. Reſtat igitur poſterius membrum, ubi Propheta cauſam belli exprimit, quod prius denunciavit ex mandato Dei. Dicit enim Iſraëlitas tranſgreſſos eſſe fœdus Domini, & perfide ſe geſſiſſe contra Legem ejus. Bis idem repetit, quia Fœdus & Lex ſunt hic ſynonyma, niſi quod expoſitive additur, meo judicio, nomen Legis: acſi dixiſſet ipſos violaſſe fœdus Domini, quod ſancitum erat vel conſignatum Lege ipſius. Deus ergo pepigerat fœdus cum Iſraële, quod voluit redigi in tabulas. Quum ergo non lateret Iſraëlitas quid Deo deberent, tamen fuerunt fœdifragi. Hæc igitur duplicatio ad augendum crimen valet, ut ſcilicet demonſtret Propheta, non fuiſſe errore lapſos dum tranſgreſſi ſunt fœdus Domini, quia ſatis ſuperque in Lege edocti erant quam fidem & quam puritatem Dominus ab illis exigeret: interea tamen neglectum fuit fœdus illud quod tam aperte Dominus cum ipſis pepigerat. Sequitur,

2. Mihi clamabunt, Deus mi, novimus te, Iſraël.

3. Deſeruit Iſraël bonum, (*vel abominatus eſt, repulit, vel receſſit procul à bono*) hoſtis perſequetur eum.

Quum dicit Propheta, *Ad me clamabunt*, quidam putant hic accuſari Iſraëlitas, quod ad Deum non confugerint: & reſolvunt Prophetæ verba, Ad me clamare debuerant. Aliis videtur eſſe exhortatio, Clament nunc ad me Iſraelitæ. Sed ego ſimpliciter accipio verba ut ſonant, quod Deus hic ſimulationem iterum perſtringat in Iſraelitis: *Clamabunt ad me, Novimus te.* Atqui in promptu erit reſponſio, *Iſraël procul à ſe rejecit bonum, hoſtis eum perſequetur.* Ideo conjunxi hos duos verſus ſimul, quia priore loco Dominus recitat quid facturi ſint, vel quid jam facere cœperint Iſraelitæ: ſecundo autem loco oſtendit eos ludere operam, quia ſemper fovent malitiam in animis ſuis, & falſo Dei nomen obtendunt etiam in precibus, ſicuti prius dictum eſt. *Iſraël ergo clamavit ad me, Deus mi, novimus te.* Sic hypocritæ plenis buccis detonant nomen Dei, & magnifice affirmant ſe eſſe Dei populum: atqui

Deus deridet totam hanc jactantiam, ſicuti futilis eſt, ac digna ludibrio. *Clamabunt* igitur *ad me*. Poſtea mimitice refert eorum clamores, *Deus mi, novimus te*. Quoniam ergo hypocritæ, acſi eſſent Deo familiares, ſeſe obtegunt ejus umbra, & profitentur ſe agere ſub tutela ejus: deinde ſimul etiam jactant notitiam veræ doctrinæ, jactant fidem & cultum Dei. Bene: reſonabunt quidem iſti clamores in ore eorum: ſed interea res ex adverſo loquitur, & coarguit ipſorum hypocriſin ac refellit. Nunc ergo tenemus quomodo cohæreant iſti duo verſus inter ſe, & in quam ſummam tendat Propheta. Verbum זנח ſignificat Elongare, & procul abjicere: ſignificat etiam interdum, ut alii exponunt, Deteſtari. Hic non dubito quin obliqua ſit antitheſis inter rejectionem boni, & perſequutionem de qua mox loquitur Propheta, *Iſraël bonum procul à ſe repulit*. טוב nonnulli exponunt de ipſo Deo, acſi eſſet generis maſculini: ſed non dubito quin Propheta ſimpliciter accuſet Iſraelitas, quod ab omni juſtitia & æquitate receſſerint: imo procul repulerint quicquid fuit recti & juſti. *Iſraël* ergo *repulit bonum, hoſtis eum perſequetur*, inquit. Inter Perſequi & Repellere eſt contraria antitheſis: acſi diceret Propheta Iſraëlem ſua defectione hoc eſſe adeptum ut hoſtis jam ſit ipſum comprehenſurus. Nulla enim melior nobis munitio eſt adverſus omnem noxam, quam ſtudium pietatis & juſtitiæ: ubi autem integritas à nobis exulat, tunc ſumus expoſiti malis omnibus: nudati enim ſumus Dei auxilio. Ergo videmus quam eleganter iſta duo inter ſe Propheta comparet, quod Iſraël procul bonum rejecerit, & quod perſequendus ſit ab hoſtibus ſuis. Poſtea adjungit,

4. Ipſi regnare fecerunt, & non ex me: principatum inſtituerunt, & neſcivi: argentum ſuum & aurum ſuum fecerunt ſibi idola, propterea excidetur.

Hic duas ſpecies Propheta deſignat, in quibus convincat perfidiam & impiam contumaciam populi, quod ſcilicet quaſi invito Deo novam religionem ſibi fabricaverint, & novum etiam inſtituerint regnum. Scimus ſalutem illius populi fuiſſe quaſi fundatam in Regno & Sacerdotio. Ex duobus etiam illis modis teſtatus eſt Deus ſe eſſe propinquum filiis Abrahæ. Scimus ubi ſita ſit piorum felicitas, nempe in Chriſto. Chriſtus autem ideo nobis eſt plenitudo beatæ vitæ, quia Rex eſt & Sacerdos. Ideo dixi in Regno & Sacerdotio tunc reſplenduiſſe Dei gratiam erga populum. Jam quum Regnum, quod Deus oraculo inſtituerat, evertunt Iſraëlitæ, quum etiam corrumpunt & adulterant Sacerdotium, annon quaſi data opera extinguunt Dei gratiam, & conantur io nihilum redigere quicquid erat io ipſorum ſalutem? Hoc ergo nunc tractat Propheta, nempe quod in Regno mutando & Sacerdotio, Iſraëlitæ labefactaverint totum Dei ordinem, & palam oſtenderint ſe nolle Dei manu regi, quia nunquam auſi fuiſſent à regno Davidis vel minimum deflectere. Nunquam etiam auſi fuiſſent erigere novum & adulterinum Sacerdotium, ſi qua gutta timoris Dei viguiſſet in ipſorum animis. Nunc tenemus conſilium Prophetæ, quod non ſatis expendunt interpretes, quia quidam hoc referunt ad fœdera: quia videtur eſſe abſurdum tam ſevere expoſtulari cum Iſraelitis, quod inſtituerint Regem Jarobeam, quum tamen Achias Silonites Dei juſſu jam pronunciaſſet ita fore. Sed non ſatis attendunt ad Prophetæ mentem: quia ſicuti jam diximus, quum Deus inſtitueret Sacerdotium, illic fulgebat imago Chriſti Mediatoris, cujus partes ſunt intercedere apud Deum ut reconciliet eum hominibus. Deinde io Davidis perſona fulgebat etiam regnum Chriſti. Nunc quum populus tumultuoſe novum Regem ſibi eligit nullo Dei mandato, quum novum templum ſibi fabricat & altare præter Legis præſcriptum, quum etiam Sacerdotium diſcerpit, nonne hæc corruptela eſt manifeſta abnegatio pietatis? Ergo in utroque patebat Iſraelitas eſſe apoſtatas. Deum enim bis deſeruerant, quum à domo Davidis fuiſſent alienati, deinde quum ſibi finxiſſent cultum extraneum, hoc eſt, quem Deus Lege ſua non præceperat. Quod ad primum attinet, dicit, *Regnare fecerunt, ſed non ex me: Principatum inſtituerunt me inſcio*, inquit: hoc eſt, ſine meo conſenſu. Deus enim ſe neſcire dicit quod non probat, vel de quo non conſulitur. Jam ſiquis objiciat Deum fuiſſe conſcium novi regni, quum etiam auctor fuerit: facilis eſt ſolutio. Scimus Deum ita operari, ut tamen non excuſet hic prætextus impios, dum alio ſpectant, quam ut ejus conſilium exequantur. Exempli gratia, Deus voluit probare patientiam ſervi ſui Job: prædones qui rapuerunt ejus bona, an ideo fuerunt excuſabiles? Minime. Nam quid erat illis propoſitum, niſi diteſcere, & quidem cum injuria & rapinis? Quum igitur illi commodum ſuum venentur ex alterius diſpendio, & injuſte ſpolient hominem qui eos non læſerat, ideo omni excuſatione carent. Interea tamen Dominus per ipſos exequitur quod ſtatuerat, & quod jam Satanæ permiſerat. Volebat ſervum ſuum ſpoliari, quemadmodum dictum eſt: & Satan qui impulit prædones, non poterat ipſe digitum movere niſi Dei permiſſu: imo niſi hoc illi eſſet mandatum. Interea Dominus nihil commune habet vel permixtum cum impiis: quoniam conſilium ejus longe diſtat à prava eorum libidine. Sic etiam dicendum eſt de præſenti Prophetæ loco. Quia Deus volebat pœnam ſumere de Solomone, ideo abſtulit decem Tribus. Paſſus eſt quidem Solomonem regnare uſque ad vitæ finem, & tenere regni gubernacula: ſed Rechabeam, qui ſucceſſit, perdidit decem Tribus. Hoc non factum eſt fortuito: Deus enim ſic decreverat, imo pronunciavit ita fore: miſit Achiam Silonitem, qui offerret regnum ipſi Jarobeam, qui nihil tale ſomniaverat. Deus ergo hoc totum gubernavit arcano ſuo conſilio, ut decem Tribus deficerent ab obſequio Rechabeam, & Jarobeam Rex creatus occuparet majorem pertem regni. Hoc, inquam, factum eſt cœleſti decreto: ſed interea populus non exiſtimat ſe Deo obſequi, quum deficit à Rechabeam: appetit enim aliquid relaxationis. ubi videt juvenem velle tyrannice quidvis exprimere, ideo eligit ſibi novum Regem. Sed debebat potius omnes injurias perferre quam ut ſe privaret ineſtimabili illo bono, cujus Deus ſymbolum & pignus dederat in regno Davidis. Nam, quemadmodum dictum eſt, David non regnabat more vulgari, ſed erat Chriſti figura: & Deus pollicitus fuerat gratiam populo quamdiu vigeret regnum illud, acſi jam Chriſtus habitaret in medio populi. Quum ergo populus excutit jugum Davidis, perinde eſt acſi reſpueret Chriſtum ipſum: quia contemptus fuit Chriſtus in figura. Videmus ergo quam indigne populus ſe contulerit ad Jarobeam. Neque enim ſeditio illa tantum levitatis ſignum fuit, ſicuti temere ſæpe populus quiſpiam ſtatum ſuum pervertit: non fuit igitur quædam temeraria levitas, ſed fuit impia abnegatio gratiæ Dei, perinde acſi Chriſtum ipſum rejicerent. Hoc etiam modo avulſi ſunt ab Eccleſiæ corpore: imo quamvis regnum Iſraël opibus & potentia excelleret ſupra regnum Juda, fuit tamen inſtar putridi membri, quia tota integritas à capite pendebat, à quo ſe abſciderant decem Tribus. Nunc ergo videmus cur tam duriter expoſtulet Propheta, quod inſtituerint Iſraëlitæ regnum, & non à Deo. Et ſimul etiam ſoluta eſt quæſtio illa, quomodo hic

Deus à ſeipſo non eſſe pronunciet, quod tamen ſtatuerat, & quod teſtatus fuerat per os Prophetæ ſui Achiæ Silonitæ: nempe quia, ut dictum eſt, Deus mandatum illud non direxit ad populum, neque populo permiſit ut ſe ſubduceret ab obſequio Rechabeam. Negat igitur Deus reſpectu populi Regnum illud fuiſſe à ſuo decreto: & dicit factum hoc fuiſſe, quod populus ſcilicet Regem creavit ſe inconſulto, nempe quia populus debuit attendere quid ſibi liceret, hoc eſt, quid Dominus ipſe concederet: hoc non fecit, ſed repente ſequutus eſt cæcum ſuum impetum. Et hic locus dignus eſt obſervatu, quia inde colligimus fieri à Domino rem unam, & non fieri. Hodie ſtulti homines, & qui in Scriptura non ſunt exercitati, magnas turbas nobis movent de providentia Dei: imo etiam ſunt multi rabioſi canes, qui nos allatrant, quia dicimus (quod etiam Scriptura ubique docet) nihil fieri niſi Dei ordinatione & arcano conſilio, & quicquid etiam geritur in hoc mundo gubernari ejus manu. Quomodo? Ergo Deus erit homicida: Ergo Deus erit fur: vel ſaltem ei cædes, & furta, & omnia genera ſcelerum imputanda erunt. Oſtendunt iſti homines, dum volunt videri arguti, quam ſtolidi ſint: & interea etiam quam præpoſteri, imo potius furioſæ beſtiæ. Nam hic Propheta oſtendit rem eandem factam fuiſſe à Domino, & non factam fuiſſe, nempe diverſo reſpectu. Deus hic diſerte negat Jarobeam fuiſſe creatum Regem à ſe. Contra ſiquis objiciat ſacram hiſtoriam, conſtat Jarobeam fuiſſe creatum Regem non populi ſuffragiis, ſed Dei oraculo: populo enim nihil dum tale in mentem venerat, quum jubetur Achias ire ad Jarobeam. ipſe quoque non aſpirat ad Regnum, non impellit eum ambitio, quietus manet tanquam homo privatus, Dominus illum excitat: Volo ut regnes. Populus nihil horum novit. Poſtquam hoc factum eſt, quis negabit Jarobeam fuiſſe impoſitum ſolio quaſi Dei manu? Hoc verum eſt, ſed reſpectu populi non fuit divinitus creatus Rex. Quare? Dominus enim mandaverat Davidi & ejus poſteris, ut perpetuo regnarent. Videmus ergo ſic diſponi, quæcunque in mundo fiunt, arcano Dei conſilio, ut moderetur quicquid tentant impii, & quicquid etiam molitur Satan: & tamen maneat ipſe juſtus, & nihil hoc ad levandam malorum culpam valeat, ſi dicant omnia gubernari arcano Dei conſilio. Nam, quantum ad ipſos ſpectat, ſciunt quid Dominus præcipiat Lege ſua: ſequantur eam regulam. ubi ab ea deflectent, non eſt quod excuſent ſe obſequutos fuiſſe Deo. Nam ſpectandus eſt ſemper eorum animus. Videmus ergo qualiter Iſraëlitæ inſtituerint Regem non ex Deo, quia ſcilicet ſeditio iſta eos impulit, quum tamen Lex præciperet ne quem alium in Regem eligerent, niſi qui à Deo electus eſſet. Ipſe autem deſignaverat poſteros Davidis, & volebat uſque ad Chriſti adventum ipſos tenere ſolium regium. Jam ſequitur altera exprobratio, *Quod fecerint ſibi idola ex auro ſuo, & ex argento ſuo*. Hic conqueritur Deus cultum ſuum fuiſſe non modo labefactatum, ſed penitus corruptum impiis ſuperſtitionibus. Illa jam erat non ferenda impietas, quod populus ſibi novum Regem appetiverat: ſed hic eſt cumulus omnium malorum, dum Iſraelitæ convertunt aurum ſuum & argentum in idola. Dicit, *Fecerunt aurum ſuum & argentum idola*: hoc eſt, Ego deſtinaveram longe in alios uſus aurum & argentum, quo ditati fuerant. Quum ergo liberalis fuiſſem erga illos, ipſi abuſi ſunt mea beneficentia, & ex auro & argento ſuo idola vel deos ſibi fecerunt. Ergo hic tacite Propheta mordet cæcam populi amentiam, quod ſibi ex materia corruptibili deos fecerit, quæ tamen ſervire debuerat. Nam quorſum dantur nobis pecuniæ à Domino, niſi in quotidianum uſum? Quum ergo Dominus ad ſervitium deſtinaverit aurum & argentum, quænam iſta eſt vecordia ut inde ſibi deos conflare velint homines? Sed ſemper tenendum eſt illud caput, quod ſcilicet modis omnibus Iſraelitæ defectionem ſuam prodiderint, quia neque dubitarunt Regnum labefactare quod Deus inſtituerat in ipſorum ſalutem, & totum etiam Dei cultum una cum Sacerdotio pervertere auſi ſunt, inductis novis ſuperſtitionibus. Poſtea ſequitur pœnæ denunciatio, *Ideo Iſraël excidetur*. Nam ſi objiciant Deum nimis rigidum eſſe, illa exceptio locum non habet, quum ita prodiderint & violaverint datam fidem, quum tam Regni quam Sacerdotii contemptu & proculcatione reſpuerint ejus gratiam. Videmus ergo juſtum illis exitium Prophetam nunc minari. Pergamus.

5\. Elongavit (*vel procul rejecit: eſt idem verbum* זנח) vitulus tuus (*vel vitulum tuum*) Samaria, excanduit furor meus in illos: quouſque non poterunt munditiem? (*vel innocentiam.*)

Proſequitur eandem ſententiam Propheta: oſtendit enim Iſraelem ſua culpa perire, nec poſſe alio transferre crimen, vel cauſam ſui exitii. In verbis eſt aliqua ambiguitas, quæ tamen ſenſum non obſcurat: ſive enim legamus in accuſandi caſu *vitulum*, ſive dicamus *vitulus tuus elongavit*, perinde erit. Quidam ponunt hic, Deſeruit te: etiam ſupra vertunt, Deſeruit Iſrael bonum: ſed præferri debet verbum Rejiciendi. *Procul ergo rejecit vitulus tuus Samaria*, vel Dominus procul rejecit vitulum tuum. Si legimus in caſu accuſativo *vitulum tuum*, hic Propheta non modo Iſraelitis, ſed etiam idolo in quo ſperabant, exitium denunciat. Sed probabilis eſt illa expoſitio, quod ſcilicet vitulus Somron vel Samariæ elongaverit populum, vel procul rejecerit. Et non dubito hunc ſenſum verbis ſubeſſe. Videtur enim Propheta, ut confirmet ſuperiorem doctrinam, iterum objicere Iſraelitis non alibi quærendam eſſe cauſam exitii, quam in eorum ſceleribus: præſertim quia poſtbabito vero Deo idolum ſibi accerſiverint, & fabricaverint vitulum loco Dei. Fuit autem hæc nimis craſſa & perverſa ſtupiditas; quum experti eſſent tot miraculis immenſam Dei potentiam & bonitatem, quod tamen ſe ad rem mortuam tranſtulerint. Conflarunt ſibi vitulum: nonne oportuit ipſos quaſi prodigioſo furore agi, quum ita defecerunt à vero Deo, qui illis toties & tam mirabiliter patefactus fuerat? Dicit igitur nunc Deus, *Vitulus tuus Samaria*: hoc eſt, Neque fortuito caſu eveniet captivitas quæ jam impendet: neque etiam licebit hoc aſcribere injuriæ hoſtium, quod violenter in longinquas terras vos rapient: ſed *vitulus tuus ipſe te abſtrahit*. Deus enim te in hac terra locaverat, ut tibi eſſet quieta hereditas uſque in finem: ſed vitulus tuus non paſſus eſt te hic quieſcere. Erat enim terra Chanaan hereditas tua, ſicuti etiam erat hereditas Domini. Poſtquam autem expulſus eſt Deus, & ſubrogatus vitulus in ejus locum, quo jure nunc manebis in ejus poſſeſſione? Ergo *vitulus tuus te expulit*: ſicuti etiam prius occaſione vituli auſus es expellere verum Deum. Nunc tenemus Prophetæ mentem. Et poſtea dicit *excanduiſſe furorem ſuum in illos*. Hic comprehendit omnes Iſraëlitas, & oſtendit non aliter poſſe fieri quin Deus extremam vindictam de ipſis ſumat: quia ſcilicet (ut prius aliquoties vidimus) non eſſent dociles, nec poſſent flecti ulla admonitione, vel corrigi in melius. *Quouſque*, inquit, *non poterunt munditiem*, vel innocentiam? Hic deplorat obſtinationem

nem populi, quod nullo temporis progreſſu vel ſpatio reverſus eſſet ad ſanam mentem: deinde quod in poſterum etiam nulla eſſet ſpes. *Quouſque* igitur *non poterunt innocentiam*? Quum ita ſit, hoc eſt, quum ſint incompatibiles, ut vulgo loquuntur, quum omni puritate vel innocentia vacui ſint, ideo jam cogor omnia extrema remedia experiri: nempe ut ipſos perdam. Hic Deus occludit os impiis, ne poſſint objicere immodicam ſeveritatem, quod tam rigide ab ipſo tractentur. Refutat igitur eorum calumnias, quia ſcilicet patienter expectaverit, & adhuc eos expectet. Videt enim ipſos obſtinatos eſſe in ſua malitia, ut nihil ſperandum ſit prorſus. Sequitur,

6. Quia ex Iſraële etiam (*ſic verto*) artifex fecit eum, & non eſt Deus: quia in fruſta (*vel fragmenta. Contritiones alii vertunt, alii Scintillas: ſed clarus eſt ſenſus ſi ita vertatur, in fragmenta*) erit vitulus Samariæ.

Initium verſus non recte exponitur, meo judicio, quia quidam conjungunt particulam הוא, hoc eſt, pronomen demonſtrativum, acſi non eſſet interpoſita copula, quæ tamen notanda eſt, quia multum amplificat ſententiam Prophetæ. *Etiam hic eſt ex Iſraële*, inquit. Quid autem intelligit Propheta? Nempe vitulum hunc eſſe ex Iſraële, ſicuti ab initio pridem vitulum in deſerto ſibi fabricaverant. Sed nondum liquido tenemus Prophetæ mentem, niſi ſimul obſervetur tacita comparatio. Accuſat enim Iſraëlitas quod primarii fuerint auctores hujus ſuperſtitionis, utpote qui non aliunde fuerunt decepti: hoc eſt, non mutuati fuerunt hanc corruptelam à Gentibus, ut fieri interdum ſolet; ſed fuit intrinſecum figmentum, ut loquuntur. *Ex Iſraële eſt*, inquit: hoc eſt, Jam iterum vos deprehendo architectos impiæ ſuperſtitionis. Patres veſtri quum ſibi vitulum in deſerto conflarunt, an poterant objicere (quemadmodum fit) ſe aliena fide fuiſſe inductos? An dicent ſibi datum fuiſſe offendiculum à Gentibus, & fuiſſe quaſi irretitos, quemadmodum ſæpe contingit ut alii alios trahant in errorem? Minime. Ergo ſicuti patres veſtri, quum nemo illos ad ſuperſtitionem impelleret, proprio motu, & quaſi diabolico inſtinctu ipſi ſibi fuerunt auctores novæ ſuperſtitionis: ita hic vitulus iterum eſt ex Iſraële: hoc eſt, non poteſtis alio referre ejus originem, non poteſtis transferre culpam in gentes alias: intus, intus hoc malum natum eſt, inquit. Jam tenemus conſilium Prophetæ, quod ſcilicet hæc ſuperſtitio non ſit adventitia, ſed quod Iſrael, quum nemo eſſet malus ſuaſor, ſponte ſibi excogitaverit hanc corruptelam, qua deficeret à vero & puro Dei cultu. Verum quidem eſt, in Ægypto adoratos fuiſſe boves & vitulos: idem etiam poterit dici de reliquis gentibus: ſed hæc æmulatio non impulit Iſraëlem. Quid igitur? Certe negari non poteſt quin ſeipſos ad impiam hanc Dei abnegationem ſtimulaverint. Quemadmodum ſi hodie quis Papiſtis objiciat, ab ipſis natam eſſe illam ſuperſtitionum colluviem, qua apud eos corruptus eſt totus Dei cultus, hoc vere dicetur: ſi excipiant ſe mutuatos eſſe ex Gentibus multos ritus, hoc etiam verum eſt: ſed interea an Gentium imitatio traxit eos ad iſta diabolica inventa? Minime: ſed propria libido ipſos impulit, quia non contenti ſimplici Dei verbo, finxerunt ſibi cultus extraneos & degeneres: poſtea quiſque voluit etiam aliquid proprium addere: ſic factum eſt, ut demerſi fuerint in hanc profundiſſimam abyſſum. Unde igitur Papiſtis tot patroni, quibus freti contemnunt Chriſtum Mediatorem? nempe ipſi ſibi excogitarunt. Unde etiam tot diabolicæ ceremoniæ, quibus pervertunt cultum Dei? nempe eas ſibi fabricarunt. Nunc ergo videmus quam gravis ſit iſta expoſtulatio, quum dicit hunc etiam vitulum eſſe ex Iſraële. Non eſt igitur quod dicatis vos fuiſſe malis exemplis deceptos, ſicuti qui permixti ſunt profanis gentibus contrahunt eorum vitia, & contagio ſerpit facile inter homines, quia natura propenſi ſunt omnes ad vitium: non eſt cur mihi quiſquam hoc objiciat, inquit Dominus. Quare? Nam vitulus quem fabricarunt ſibi patres veſtri in deſerto, fuit ex Iſraële, & hic etiam vitulus eſt ex Iſraële: hoc eſt, non obtruſus vobis fuit ab aliis, ſed Jarobeam Rex veſter eum vobis fabricavit, & vos cum plauſu facile excepiſtis. *Artifex*, inquit, *fecit illum, & non eſt Deus*. Hic deridet ſtuporem populi Propheta: & ſunt complures alii loci ſimiles, qui paſſim occurrunt, præſertim in Prophetis, ubi Deus exprobrat hanc amentiam, quod ita ſe projiciunt ad cultus tam inſulſos. Nam quid magis alienum ratione eſt, quam hominem ſe proſtituere coram ligneo trunco, vel coram lapide, ut inde ſalutem expetat? Increduli quidem fucos ſuos inducunt, nempe ſe quærere Deum in cœlo: quoniam autem idola & imagines, Dei ſunt figuræ, ideo illuc accedere: ſed interim apparet quid ipſi faciant. Colores igitur illi ſunt prorſus evanidi, quia ſtupor ipſorum palam deprehenditur, quum ita genua flectunt coram lapide vel ligno. Propheta ergo hic invehitur in illum brutum ſtuporem: quod homo fecerit. An hominis eſt mortalis Deum facere? Tribuitis certe vitulo divinitatem: an hoc eſt in manu artificis? Homo ſibi vitam non contulit, & non poteſt momento tueri quam vitam adeptus eſt precario: quomodo igitur ex trunco vel lapide faceret Deum? quænam eſt iſta dementia? Poſtea addit, *Non eſt Deus, quia in fragmenta erit vitulus Samariæ*. Ab eventu hic oſtendit Propheta quam nulla ſit potentia, vel quam nullum ſit numen in vitulo illo, quia ſcilicet *redigetur in fragmenta*. Eventus ergo tandem demonſtrabit quam ſtulte deſipuerint Iſraëlitæ, qui ſibi fabricaverint vitulum, ut eſſet quaſi ſymbolum præſentiæ Dei. Nunc videmus quid velit Propheta. Exaggerat enim crimen Iſraëlis, quod non fuerint aliunde allecti, ut deſciſcerent à puro & genuino Dei cultu, ſed ſibi ipſi fuerint impoſtores. Hæc ſumma eſt. Sequitur,

7. Quia ventum ſerent, (*certe ſerunt ventum, inquit, primo loco*) & turbinem metent: non eſt ei culmus, germen non producet farinam: (*non faciet, ad verbum*) ſi forte produxerit, extranei vorabunt eam.

Hic Propheta alia figura oſtendit quam inutiliter Iſraëlitæ ſeſe exerceant in cultu perverſo: deinde quam inutiliter etiam excuſent ſuas ſuperſtitiones. Et iſta objurgatio valde neceſſaria fuit, ſicuti etiam hodie eſt. Videmus enim ut hypocritæ etiam centies convicti, non tamen deſinant aliquid obſtrepere. Denique non ſuſtinent vinci: etiamſi conſcientia ipſos coarguat, ſemper tamen audent virulentiam ſuam contra Deum evomere. Audent etiam inanes prætextus afferre: ideo dicit Propheta quod ventum ſeminaverint, & metent turbinem. Concinna eſt metaphora, quod ſcilicet relaturi ſint meſſem ſimilem ſationi. Projicitur ſemen in terram, deinde colligitur meſſis. dicit, *Seminarunt ventum*, ergo *turbinem colligent*, vel tempeſtatem. Seminare ventum, nihil aliud eſt quam obtendere ſpeciem aliquam, ita ut oculos ſimplicium perſtringant, qui aſtu & verborum fuco tegunt ſuam impietatem. Si quis

ergo

ergo manum jactet, videbitur ſemen projicere in terram, ſed tamen ſeminat ventum. Sic etiam hypocritæ habent ſuas pompas, & ita ſe componunt, ut videantur eſſe prorſus ſimiles piis Dei cultoribus. Videmus ergo quorſum pertineat hæc metaphora Prophetæ, quum dicit eos ſeminare ventum: nempe quia etiamſi nihil differant à veris Dei cultoribus quoad externum aſpectum, tamen nihil ſeminent præter ventum: quia ſcilicet quum tunc Iſraëlitæ offerrent ſua ſacrificia in Templo, non dubium eſt quin compoſuerint ſe ad Legis regulam, ſed interim defecerant à Dei obedientia. Nulla erat fides in ipſorum actionibus. Erat ergo ventus: hoc eſt, erat ventoſa quædam & inanis oſtentatio apud ipſos, etiamſi externus aſpectus nihil differret à vero & legitimo Dei cultu. Serent igitur ventum, & metent turbinem. Sed non poſſemus hodie abſolvere.

Da omnipotens Deus, quando nobis ſatis aperta eſt regula veri tui & legitimi cultus, deinde non deſinis etiam nos hortari ut perſeveremus quo nos invitas, & ſtemus etiam in puro & ſimplici cultu illo, quem ſemel probaſti: da, inquam, ut vero fidei obſequio tibi reſpondeamus: & quamvis nunc videamus totum mundum huc & illuc ferri, & omnia eſſe plena horrendis exemplis apoſtaſiæ, & ubique graſſari tantam inſaniam, ut homines quotidie magis ac magis obdureſcant: da, inquam, ut muniti invicta fide contra tot iſtas tentationes perſtemus in vera pietate, neque unquam deflectamus à præſcripto verbi tui, donec tandem colligamur ad Chriſtum Regem noſtrum, ſub quo capite pollicitus es nos ſemper fore incolumes: & perveniamus ad beatam illam vitam quæ nobis repoſita eſt in cœlo, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA SECUNDA
IN
HOSEAM PROPHETAM.

CAP. VIII.

Ultima lectione non potuimus abſolvere quod dicebat Propheta ſeptimo verſu, nempe quicquid ſpei Iſraelitæ conceperint, fallax & irritum fore: quia ſcilicet de nihilo ſibi multas ſalutes fingebant. Nam prius damnaverat vagos & perverſos eorum circuitus, quod nunc in Ægyptum, nunc in Aſſyriam confugerent quærendi auxilii cauſa: idque poſthabito vel etiam neglecto Deo. Jam ergo dicit fructum collecturos qui ſationi reſpondeat: *Seminarunt ventum, metent turbinem*, inquit. Hac autem figura ſignificat fruſtra eos confidere, quia ſcilicet conſilia eorum frivola ſint. Poſtea addit nullum fore culmum. Proſequitur ſuam ſimilitudinem, *Et germen non faciet farinam: ſi forte fecerit, alieni vorabunt.* Summa eſt, Iſraelitæ in ſuis conſiliis aberrant, & nihil habent ſolidum, perinde acſi quis ventum ſereret. Sequetur ergo meſſis turbinis; quia ſemen eorum non aſſurget, non naſcetur inde ſeges quæ farinam reddat: quod ſi ad frugem perveniant eorum conſilia, hoc eſt, ſi ipſi adepti fuerint aliquem effectum, tamen alieni vorabunt: hoc eſt, Dominus tandem efficiet ut hoſtes eorum diſpergant quicquid putabunt ſe adeptos eſſe. Jam ſequitur,

8. Voratus eſt Iſraël, nunc erunt inter Gentes quaſi vas in quo non eſt oblectatio. *(hoc eſt, vas rejectitium, vel contemptibile.)*

Utitur eodem verbo quo prius, ubi loquebatur de farina. Dicit autem non modo annonam Iſraëlis abſorbendam eſſe, ſed populum ipſum: & exprobrat Iſraelitis ſuas miſerias, ut tandem agnoſcant Deum ſibi adverſum eſſe. Nam huc tendit Propheta, ut eos afficiat malorum ſuorum ſenſu, quo ſe tandem humilient, & ſupplices diſcant veniam precari. Hæc enim magna eſt prudentia, ubi eo uſque proficimus in Dei ferulis, ut peccata noſtra veniant nobis ante oculos. Dicit ergo *Iſraelem voratum eſſe, & ſimilem vaſi rejectitio, etiam inter Gentes*, quum tamen populus ille excelleret ſupra reliquum mundum, ſicuti Dominus eum ſibi delegerat. Quum ergo eſſet peculiaris Dei populus, erat reliquis gentibus ſuperior. Deinde in hunc finem erat ſegregatus, nequid illi eſſet cum Gentibus commune. Dicit autem nunc populum eſſe diſperſum, & ubique contemni ac rejici. Hoc fieri non potuit, niſi quia Deus præſidium ſuum abſtulerat. Videmus ergo hoc unum ſpectaſſe Prophetam, ut Iſraëlitæ manum Dei ſibi infeſtam eſſe ſentirent. Nunc ſequitur,

9 Quia ipſi aſcenderunt in Aſſyriam, onager *(aſinus ſylveſtris)* ſolitarius: *(aliqui tamen generaliter accipiunt pro quavis fera: ſylveſtris ergo aſinus ſolitarius)* Ephraim conduxit amores. *(vel amatores conduxerunt: eſt quidem verbum pluralis numeri* התנו*, ſed quia Ephraïm eſt collectivum nomen, ideo nihil eſt abſurdi. Sequitur)*

10 Quamvis conducant *(vel conduxerint)* inter Gentes, nunc congregabo eos, & dolebunt *(vel incipient)* paululum ab onere Regis, Principum. *(hoc eſt, Regis & Principum, ſubaudienda enim eſt copula inter nomen* מלכ *&* שרים*.)*

Hic Propheta rurſus deridet quicquid populus ſuſceperat laboris, ut ſe à pœnis eximeret. Nam hypocritæ etiamſi non auſint palam & ex profeſſo cum Deo bellare, tamen quærunt vana effugia, quibus eum eludant. Sic Iſraëlitæ non ceſſabant ſatagere, ut effugerent judicium Dei. Et hanc ſtultitiam, vel potius veſaniam Propheta deridet: *Ipſi*, inquit, *aſcenderunt in Aſſyriam quaſi onager ſolitarius: Ephraim conduxit amatores.* Priore membro brutam populi feritatem oblique accuſat, acſi diceret ſimilem eſſe ſylveſtribus belluis, quæ cicurari nullo modo poſſunt. Et hac eadem ſimilitudine utitur Jeremias,
Jer 14, verſ. 9. dum conqueritur indomita ſua libidine populum abripi, perinde acſi onager hauſto vento ſeſe pro more ſuo in præcipitem curſum projiceret. Forte etiam oblique perſtringit populi incredulitatem, quod contempſerit Dei tutelam. Neque enim populus debuit ita in Aſſyriam properare, acſi nudatus eſſet omni auxilio: ſciebat enim ſe protegi Dei manu. Propheta autem hic exprobrat quod pro nihilo duxerint illud auxilium, quod Dominus pollicitus fuerat, & quod reipſa paratus erat præſtare, niſi ſponte Iſraëlitæ alio ſe contuliſſent. *Ephraim ergo tanquam aſinus ſylveſtris aſcenderunt in Aſſyriam*, inquit: non ſentit ſe fore tutum & ſalvum, modo deliteat ſub umbra manus Dei ſui: ſed perinde acſi Deus nihil

poſſet, conferunt ſe ad Aſſyrios: hæc eſt ingratitudo. Deinde rurſus illam ſimilitudinem uſurpat quam prius vidimus, quod ſcilicet populus Iſraël ſcelerate & turpiter à fide conjugii deficeret, quod Deus cum ipſo pepigerat. Scimus enim Deum fuiſſe loco mariti, & fidem dediſſe Iſraëlitis. Jam quum alio ſe transferrent, ſimiles erant mulieribus impuris, quæ ſe adulteris proſtituunt, & deſerunt maritos ſuos. Iterum ergo Propheta objurgat Iſraelitas, quod fidem Deo ſuo datam violaverint, & ſimiles ſint mulieribus adulteris. Quanquam ultra progreditur, quod ſcilicet mercede conducant adulteros. Solent impuræ mulieres illecebris lucri trahi: nam adulteri dum volunt mulierem aliquam corrumpere, offerunt dona, offerunt pecuniam. Dicit hunc morem fuiſſe inverſum, quemadmodum alibi idem exprimitur: Solent,
Eze. 16. verſ. 31. inquit Propheta Ezechiel, mulieres ideo corrumpi, quoniam proponitur aliquod lucrum vel aliquis quæſtus: tu autem conſumis ſubſtantiam tuam, & non te elocas, ſed potius ſcortatores conducis. Idem etiam nunc, licet brevius, Propheta attingit: *Ephraim conduxit ſibi amatores mercede*, inquit. Jam ſequitur, *Etiamſi conduxerint in Gentibus, nunc colligam eos*. Varie exponi poteſt hic locus. Hæc expoſitio communiter recepta eſt, quod Deus Gentes mercede conductas colliget adverſus Iſraëlem: ſed potius refero ad populum ipſum. Duplex autem poteſt afferri ſenſus, Quod non impedient magnæ copiæ, quas ſibi undique accerſiverit populus, quin eum abſumat. nam verbum קבץ, quod vertunt Colligere, ſæpe apud Hebræos tantundem valet ac ſtrage conjicere in acervum, ſicuti Gallice dicimus, *Trouſſer*. Atque ita optime conveniet ſententia, Quamvis longe lateque extendant copias undique contrahendo, ipſos alio modo collectum iri: quia in acervum redigentur. Secundus ſenſus erit, Quod ubi Iſraël fuerit diſtractus ad Gentes, Dominus ipſum colliget: acſi diceret, Iſraël fervet ſuis veſanis cupiditatibus, & curſitat huc & illuc ad Gentes: hic fervor nihil aliud eſt quam diſſipatio, perinde acſi unitatem, qua conſtat ejus ſalus, vellet quaſi data opera diſſipare: ſed ego invitum tamen colligam: hoc eſt, retinebo ad tempus. Poſtea ſequitur, *Dolebunt pauxillum ab onere Regis & Principum* Verbum quo utitur Propheta bifariam interpretes exponunt יחלו, quidam deducunt à verbo חל, quidam à חלל, quod ſignificat Incipere. Vertunt igitur, Incipient ab onere Regis & Principum: hoc eſt, incipient onerari à Rege & Principibus. Alii, Dolebunt pauxillum ab onere Regis & Principum, quia ſcilicet erunt tributarii antequam hoſtes eos in exilium trahant: hic erit dolor ille modicus. Si prior interpretatio ex duabus quas attuli placeat, hic erit comparatio inter ſerulas quibus leviter populum illum inter principia Deus caſtigavit, & ultimam vindictam, quam ſumere demum coactus eſt: acſi diceret, quod ſe gravari tributis queruntur, nihil eſſe, vel ſaltem non ita moleſtum præut futurus eſt dirus ille mœror quem ſecum afferet extrema clades. Sed non diſplicet membrum hoc contexi cum illa quam breviter expoſui mitigatione: nempe quum populus ultro ſe diſtraheret, fuiſſe tamen retentum præter animi ſententiam, ita ut non ſtatim perierit, quemadmodum ruebat in ſuam perniciem, niſi poſuiſſet Deus illud obſtaculum. Ita conjunctim legendi erunt duo iſti verſus, *Ipſi aſcenderunt in Aſſyriam, quaſi ſylveſtris aſinus*: hoc eſt, produnt indocile ferumque ſuum ingenium, dum ita effreoes rapiuntur. Deinde faciunt mihi gravem injuriam; quod perinde acſi orbati eſſent meo auxilio, confugiunt ad profanas gentes, & nihili æſtimant virtutem meam, quæ præſto illis futura erat ſi vellent à me pendere, & deponere in manu mea ſalutem ſuam. Poſtea exprobrat perfidiam, quod ſint ſimiles impuris mulieribus, quæ maritos ſuos relinquunt, ut ſe ad impudicitiam projiciant. Jam ſequitur, *Quamvis hoc faciant*: hoc eſt, quamvis ſpreto auxilio meo, ſalutem quærant apud gentes profanas: deinde quamvis me aſpernentur, & malint adulteris ſe ſubjicere quam ſervare mihi fidem conjugii, *Tamen ego ipſos colligam*, ubi ſe ita diſperſerint. Dominus autem hic amplificat crimen populi, quia non ſtatim de ejus ingratitudine & malitia pœnas ſumpſit, ſed diſtulit ad tempus; & manſuetudine ſua voluit ad reſipiſcentiam adducere, niſi fuiſſet dementia prorſus inſanabilis. *Quamvis* ergo *ita conducant in Gentibus, tamen colligam eos*, hoc eſt, retinebo ipſos. Et quorſum? nempe ut parum doleant: hoc eſt, ut non pereant in totum, ſicuti præcipites ruunt in ultimam cladem: videntur enim conſulto appetere ultimum exitium, dum ita cupide & ardenter feruntur ad profanas gentes. Eſt enim hæc miſerrima corporis laceratio, quæ non poteſt niſi exitialis eſſe. tamen *dolebunt paululum*: hoc eſt, efficiam ut ſenſim poſſint ad me reverti, nempe temperato dolore. Et hinc melius perſpicimus cur dixerit Propheta hunc dolorem fore exiguum, qui erit ab onere Principum & Regis: quia Iſraëlitis propoſitum erat ſtatim ad bellum concitare Aſſyrios. Hoc vero ceſſiſſet illis in perniciem, quemadmodum tandem factum eſt: ſed Dominus ſuſpendit vindictam ſuam, & interea dolorem mitigavit, quia facti ſunt tributarii: coactus eſt Rex cum ſuis conſiliariis exigere magna tributa. Doluit ergo populus, ſed doluit moderate, ut poſſet ſecum reputare peccata ſua, deinde redire ad Dominum. ſed hoc factum eſt ſine profectu. Ergo eo minus excuſabilis fuit populi obſtinatio. Jam tenemus quid velit Propheta. Sequitur nunc,

11. Quia multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum, erunt ei altaria ad peccandum.

Hic Propheta rurſus in idololatriam populi invehitur, quæ tamen tunc habita fuit optima religio. Obduruerant enim Iſraëlitæ in ſuis ſuperſtitionibus, ut dictum eſt: jam pridem à puro & legitimo cultu Dei defecerant. Scimus autem ubi error ſemel invaluit, ipſa vetuſtate contrahere duritiem: occalluerant igitur Iſraelitæ ad perverſos ſuos & fictitios cultus. Putabant ſe optime mereri quoties ſacrificabant, quum tamen magis ac magis in ſe provocarent hoc modo iram Dei. Quia autem ſic occalluerant, iden Propheta dicit *eos multiplicaviſſe ſibi altaria ad peccandum, & illis altaria fore in peccatum*. Hoc, quemadmodum jam dixi, perſuadere illis difficillimum fuit, altaria ſcilicet eſſe ad peccandum; & quo magis attenti erant ad colendum Deum, eo gravius peccare. Videmus quomodo hodie Papiſtæ ſuperbiant in ſuis abominationibus. certum eſt nihil ipſos tentare quod non ſit maledictum coram Deo: nam prorſus illic regnant omne genus ſpurcitiæ, & nulla eſt amplius ſinceritas. Non deſinunt igitur, quaſi ex profeſſo Deum offendere: ſed interea hæc eſt illis ſumma ſanctitas, multiplicare altaria. Idem etiam error graſſatus fuit tempore Prophetæ. Hæc ratio eſt, cur dicat *multiplicata fuiſſe altaria ad peccandum*. Hodie quis perſuadeat Papiſtis, quotquot extruunt ſacella, totidem eſſe ſcelera quæ iram Dei provocent? Nam debebant fideles contenti eſſe non altari uno, (neque enim hodie opus eſt altari) ſed debebant contenti eſſe communi menſa: ipſi autem altaria ſibi abſque modo & fine extruunt, ubi ſacrificent. Jam putant Deum ſibi tot vinculis obſtrictum eſſe, quotquot ſunt ſacella in Papatu: putant totidem eſſe Dei carceres, & teneri illic Deum incluſum. Jam ſi quis dicat illic totidem eſſe diabolos, ſcimus quam furioſe exardeant illi. Non igitur ſupervacua eſt iſta repetitio, quum Propheta dicit, *Multiplicata eſſe altaria ad peccandum: altaria* igitur *erunt in peccatum*. Nam ſecundo membro loquitur de

pœna

pœna quam Dominus inſliget ſuperſtitioſis hominibus. Priore membro oſtendit bonas eorum intentiones frivolas eſſe, & eos magnopere falli, dum ſibi pro libidine confingunt multiplices cultus. Hoc igitur unum eſt. Deinde ſequitur, Ergo *altaria erunt illis in peccatum:* quia nolunt ſponte reſipiſcere, & non poſſunt amplecti ſanas admonitiones, ideo reipſa tandem oſtendet Deus quanti æſtimaverit ipſorum intentiones, ut loquuntur, quia jam inſtat horribilis vindicta, quæ teſtetur ipſos nihil aliud feciſſe, quam quod peccata ſua cum altaribus auxerunt. Poſtea ſequitur,

12. Scripſi ei pretioſa Legis meæ, ſicuti alienum reputata ſunt. (*quaſi aliquid extraneum reputatum fuit.*)

Hic Propheta oſtendit breviter, unde cenſeri debeat cultus Dei: & ita anſam voluit præcidere omnibus commentis, quibus ſolent homines ſeipſos fallere, & facere etiam fucum, ſi quando coarguuntur. Nam opponit Legem Dei, & regulam quæ illic præſcripta eſt, omnibus hominum figmentis. Putant homines iniquum eſſe Deum, niſi quicquid imaginantur, ipſe tanquam probum & legitimum accipiat. Atqui [1 Sam. 15. verſ. 22.] Deus præfert obedientiam omnibus ſacrificiis, ut alibi dixit. Pronunciat igitur nunc Propheta omnes ſuperſtitiones, quæ tunc regnabant in populo Iſraëlitico, damnatas eſſe coram Deo, quia ſcilicet non obediant Legi, ſed habeant cultus degeneres & perverſos, quos ipſi ſibi fabricarunt. Videmus ergo qualis ſit contextus Prophetæ. Nam dixerat proximo verſu, populum multiplicaſſe ſibi altaria in peccatum: quia, ut jam dixi, tanta erat obſtinatio, ut populus nullo modo ferret hoc dici; ideo addit in perſona Dei ipſius Legem fuiſſe datam, & ipſos ab ea defeciſſe. Videmus ergo non eſſe multis verbis litigandum cum ſuperſtitioſis, dum audacter cultus varios excogitant, & quidem alienos à mandato Dei. Nam præciſe urgendi ſunt uno verbo, Deo pluris eſſe obedientiam quam ſacrificia: deinde certam eſſe regulam quæ continetur in Lege; & Deum non tantum velle coli, ſed tradere rationem, à qua diſcedere fas non eſt. Quum ergo nota ſit Dei voluntas & perſpicua, jam quid diſputamus ubi homines claudunt oculos, & ſponte ſe convertunt alio, & non dignantur Deo morem gerere? *Scripſi* ergo, inquit Dominus. Et quo plus ponderis habeat ſententia, inducit ipſum Deum loquentem. Satis quidem fuiſſet ſic dicere, Deus vobis Legem tradidit: cur ex ea non ſapitis potius, quam ex proprio carnis ſenſu? cur vultis ita licentioſe vagari, acſi nullum frenum vobis impoſitum eſſet? Cæterum, magis emphatica eſt iſta locutio, quum dicit Deus ipſe, *Ego Legem ſcripſeram, ſed reputarunt eſſe quaſi aliquid alienum*, hoc eſt, acſi nihil ad ſe pertineret. Dicit autem *ſe ſcripſiſſe Iſraëli*. Non ſimpliciter ponit Scribendi verbum, ſed dicit theſaurum hunc fuiſſe depoſitum in populo Iſraëlitico. Et eo deterior fuit populus, quod non agnovit tantum honoris ſibi fuiſſe delatum. nam erat peculiaris hæc ejus hereditas. *Scripſi ergo Legem*, & ſcripſi non promiſcue omnibus, ſed ſcripſi electo populo, inquit; jam *reputarunt eam quaſi aliquid extraneum*. Nam utroque modo verti poteſt verbum. Addit *magnalia*, vel *pretioſa*, vel *honorabilia*. Si dixiſſet, Scripſi illis Legem meam: certe dignus eſt hic Legiſlator cui omnes ſumma cum reverentia ſe ſubjiciant, & ad cujus arbitrium forment totam ſuam vitam: ſed Dominus hic Legem ſuam extollit ſplendido elogio, idque facit adverſus hominum malitiam qui ejus dignitatem & præſtantiam obſcurant: *Ego ſcripſi*, inquit, *magnalia Legis meæ*. Utcunque Legem meam deſpiciant, tamen illic ego complexus ſum ſapientiam quæ admirabilis eſſe toti mundo debuerat: illic proſculi arcana cœleſtis ſapientiæ. Quum ergo ita ſit, jam quæ excuſatio reſtat Iſraëlitis, quod Legem meam contempſerint? Dicit *Reputaſſe quaſi aliquid extraneum*, quum tamen eſſent educati ſub illa doctrina, & à prima infantia Dominus ipſos ad ſe vocaret. Quum ergo deberent agnoſcere Legem Dei inſtar ſigni ſub quo Dominus eos continebat, hic exprobrat quod reputaverint tanquam aliquid extraneum. Jam ſequitur,

13. Sacrificia holocauſtorum meorum immolant carnem, & comedunt: Jehova gratum non habebit, nunc recordabitur iniquitatis eorum, viſitabit ſcelus ipſorum, ipſi in Ægyptum revertentur.

Hic putant interpretes rideri Iſraëlitas, quod ſuis ceremoniis confiderent, & probroſe vocari ſacrificia Carnem. Sed videndum eſt annon aliquid magis reconditum contineant Prophetæ verba. Nam nomen הבהבי, quidam bene exponunt, meo judicio, pro ſacrificiis vel exuſtis, vel aſſis poſitum, ut ſit nomen quadratum. Alii deducunt hoc nomen ab יהב, quod Dare ſignificat: ideo vertunt, Sacrificia donorum meorum. & hæc opinio magis recepta eſt. Ego exiſtimo Prophetam hic non tantum objicere Iſraëlitis quod fruſtra ſpem in ſuis ceremoniis conſtituant, quæ erant perverſæ & vitioſæ, ſed aliquid etiam craſſius adducere, & in quo poterat coargui, imo ridicula eſſe ipſorum ſtultitia, etiam apud profanos homines vel pueros. Si ſimpliciter legamus, Sacrificia donorum meorum quæ mihi offerre debuerant: frigidior erit ſenſus. Si autem legamus, *Sacrificia holocauſtorum immolant carnem*: ſenſus erit, Adeo palpabilis eſt ipſorum contemptus, ut poſſint etiam à pueris ipſis damnari. Quare? Nam pro holocauſtis offerunt carnem mihi: hoc eſt, metuunt nequid pereat ex ſacrificiis; & ubi holocauſta offerre debebant, hoc eſt, exurere carnes, volunt ſibi integras ſervare, ut ventrem ſuum farciant. Ergo pompam oſtentant in ſacrificiis, & interea apparet palpabile ludibrium, quod convertant holocauſta in pacifica, ut ſcilicet carnes ipſis integræ ad veſcendum maneant. Et certe non dubium eſt hoc vitium ſemper regnaſſe inter hypocritas, ut conjungerent cum ſuperſtitionibus quæſtum. Utcunque ergo idololatræ oſtentent ſe totos eſſe Deo addictos, tamen reſpiciunt nequid pereat. Videtur ergo hoc vitium nunc perſtringere Propheta. interim tamen fateor objurgari Iſraëlitas, quod putarent placari Deum ſacrificiis quæ per ſe nullius erant momenti: quemadmodum ſimilem ſententiam prius habuimus. ſed utrumque ſimul conjungo, quod ſcil. frivola abſque pietate immolent Deo ſacrificia: deinde quod pro holocauſtis carnes offerant, atque ita ſeipſos paſcant, & non magnopere curent Dei cultum. *Holocauſtorum* ergo, vel exuſtorum meorum, *ſacrificia offerunt*: & quid? *carnem*. Neque enim videtur fruſtra poſuiſſe nomen Carnis. Alii dicunt contemptim hic vocari omnes hoſtias, carnem: ſicuti prius dictum fuit, Adducent pecudes. Sed potius videtur ſubeſſe antitheſis inter Exuſta & Carnem, quia ſcilicet populus Iſrael voluerit cutem ſuam curare, & habere pingue convivium, quum Dominus poſtularet offerri ſibi holocauſta. Poſtea addit, *& comedunt*. Comedendi verbo confirmat quod jam dixi, nempe hic perſtringi vitium illud in Iſraëlitis, quod tantum intenti eſſent ſaginæ, & tantum inani prætextu obtenderent Dei nomen, interea vero vellent ſeipſos bene paſcere. Sicuti hodie Papiſtæ, dum celebrant feſtos dies, illic ſibi indulgent,

& putant quo largius bibunt & epulantur, eo magis ſibi nbſtrictum eſſe Deum. hic eſt eorum zelus, comedunt carnem, & interea putant ſe offerre Deo ſacrificia. Offerant igitur ventrem ſuum Deo, ubi ita bene refertus eſt: iſtæ ſunt oblationes Papiſtarum. Sic etiam nunc Propheta, *Comedunt carnes*, inquit, *quæ debebant exuri*. Dicit, *Jehova non habebit gratum*. Hic rurſus breviter pronunciat, dum fucum ita faciunt hypocritæ, falli ipſos, & ſenſuros tandem quam futiliter mentiti ſint Deo & hominibus. Deus non habebit gratum. Hic repudiat eorum ſacrificia Dei nomine, quia quicquid ipſi ſibi promittant, ſatis eſt quod à ſeipſis fabricaverint illos cultus, Deus autem nunquam verbum de illis præceperit. Poſtea ſequitur, *Recordabitur nunc iniquitatis eorum, viſitabit ſcelus ipſorum*. Denunciat Propheta futuram pœnam, ne ſibi placeant idololatræ ſi non ſtatim exardet contra eos Dei furor: nam illis commune eſt abuti Dei patientia. Anticipat igitur nunc Hoſeas, dicens, etiamſi Deus ad tempus conniveat, tamen non eſſe cur Iſraël putet ſe immunem fore à pœna: *Deus tandem recordabitur*, inquit, *iniquitatis eorum*. Utitur uſitata loquendi forma quæ paſſim occurrit in Scripturis. Deus recordari dicitur, ubi reipſa, & quaſi exerta manu oſtendit ſe vindicem. Nunc ergo vobis parcit Dominus, ſed paulo poſt oſtendet quantopere abominatus ſit hæc veſtra impura ſacrificia. *Recordabitur* ergo *iniquitatis*. Recordationem ſequitur viſitatio, perinde ac cauſam effectus, &c. Dicit, *Ipſi confugient in Ægyptum*. Non dubito quin Propheta hic ſignificet vana fore quæcunque effugia captent Iſraelitæ, acſi permitteret illis Deus in Ægyptum confugere: ſed hoc dicit fore illis infructuoſum. Ite, fugite in Ægyptum, ſed curſus veſter erit inutilis. Hoc autem diſerte expreſſit Propheta, ut ſciret populus ſibi cum Deo eſſe negotium, cui nihil defenſionis opponere licet: ideoque non amplius ſeſe ſtultis imaginationibus deciperet. Etſi autem tanta obſtinatione excæcatus fuit populus, ut nihil profecerit iſta admonitio, tamen magis redditus fuit inexcuſabilis. Jam ſequitur,

14. Et oblitus eſt Iſraël factoris ſui, & ædificavit altaria: Juda autem multiplicavit urbes munitas: ego vero ignem emittam (*& emittam ignem, ad verbum*) in urbes ejus, & comedet (*qui comedet, aut vorabit*) palatia ejus.

Hic concludit Propheta ſuperiores ſententias. Eſt quidem probabile variis temporibus fuiſſe concionatum: ſed, quemadmodum alibi diximus, hic collecta ſunt capita ſermonum quos Propheta habuit, ita ut liceat cognoſcere quale fuerit doctrinæ genus. Diſſeruit ergo quotidie de idololatria, de ſuperſtitionibus, & aliis corruptelis quæ tunc regnabant in populo: ſæpius repetivit eaſdem minas, ſed poſtea in certa capita collegit quæcunque dixerat. Hæc igitur clauſula eſt ſuperioris doctrinæ, quod ſcilicet *Iſraël oblitus ſit factoris ſui*, dum ſibi *fabricavit templa*. Dicit oblitum eſſe factoris, templa extruendo: nempe quia non ſequutus eſt quod Lex mandabat. Ergo videmus Deum in verbo ſuo velle cognoſci. Iſrael potuit excipere ſibi nihil tale fuiſſe in animo, quum templa extruxit in Dan & Bethel: volebat enim illis templis renovari Dei memoriam. Sed Propheta hic oſtendit, non aliter vere cognoſci Deum, & homines non aliter vere ejus reminiſci, niſi dum ex præſcripto Legis eum colunt, dum ſe totos ſubjiciunt ejus verbo, dum nihil ſuſcipiunt vel tentant niſi quod ille præcepit. Quod ergo ſuperſtitioſi homines pro memoria dicunt, hic Propheta aperte teſtatur eſſe oblivionem: quemadmodum hodie quum Papiſtis objicimus ſua idola, hæc eſt eorum excuſatio, In pictura & ſtatuis Dei imaginem ſibi proponi: ita fieri ut imagines ſint libri idiotarum. ſic loquuntur. Sed quid Propheta hic reſpondet? *Oblitus eſt Iſraël factoris ſui*. In Bethel erat altare, illic Iſraelitæ ſolebant offerre hoſtias, vocabant cultum Dei: ſed Propheta oſtendit talem cultum maledictum eſſe coram Deo, & non alio ſpectare niſi ut prorſus obliteret ſacrum Dei nomen ex hominum animis, ut tota religio pereat. Inſignis eſt igitur hic locus, quum dicit Propheta, *Populum oblitum fuiſſe Dei factoris ſui, quum ſibi templa extruxit*. Nam quid fuit in templis tam vitioſum, ut tollerent Dei memoriam è mundo? nempe quia Deus volebat unum eſſe templum & altare. Si quæratur ratio, poterit quidem aliqua afferri, ſed oportuit populum acquieſcere in Dei imperio. Etiamſi Deus non oſtendat cur hoc vel illud præcipiat, ſufficiat obediendum eſſe ejus verbo. Nunc ergo quum Iſraël extrueret ſibi diverſa templa, diſceſſit à Deo, nempe quia non ſequutus eſt Legis regulam, quia non ſe continuit ſub mandato cœleſti. Hæc igitur fuit Dei oblivio. Jam tenemus conſilium Prophetæ. Quum ergo ſolerent gloriari in ſuis templis, & quia illic erant magnificæ pompæ, quum ſuperbe ſibi in ſuis ſuperſtitionibus placerent, dicit Propheta oblitos fuiſſe Creatoris, hac tantum cauſa quod non ſe continuerant ſub Lege ejus. & dicit oblitos eſſe Dei factoris ſui. Hic per nomen *factoris* non ſignificat Propheta Deum eſſe mundi opificem, & creatos fuiſſe ab ipſo homines: ſed refert hoc ad ſtatum populi. Peculiaris enim fuerat Dei gratia erga hunc populum, ut ſatis ſcimus: non tantum eos condiderat, ut eſſent pars generis humani, ſed formaverat eos ſibi in populum. Quum ergo Deus ita eos ſibi vellet eſſe addictos, Propheta hic eorum crimen auget atque exaggerat; quod non obediverint verbo ejus, ſed ſequuti ſint ſua figmenta & pravas imaginationes.

Da omnipotens Deus, quum toties jam in nos iram tuam provocaverimus, tu autem vel paterna indulgentia nos ſuſtinueris, vel ſaltem ita leniter caſtigaveris, ut parceres: da, inquam, ne obdureſcamus in malitia noſtra, ſed reſipiſcamus tempeſtive, & non diſtrahamur poſt figmenta carnis noſtræ, neque effugia captemus, ſed recta offeramus nos in conſpectum tuum, & quidem ſuppliciter, cum ſcelerum noſtrorum pura & ingenua confeſſione, ut nos recipias in gratiam, & reconciliatus benedictiones tuas magis ac magis erga nos proſequaris, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO VIGESIMA TERTIA IN

HOSEAM PROPHETAM.

CAP. VIII.

Reſtat nobis ex capite octavo ſecunda pars ultimi verſus, ubi Propheta Tribum Juda accuſat quod *Multiplicet ſibi urbes munitas*: non quod per ſe hoc coram Deo ſit damnabile, ſed quia videbat Propheta transferri in illas urbes populi fiduciam, quemadmodum ſemper fieri ſolet. Rarum enim exemplum eſt, ubi populus quiſpiam bene munitus eſt, ut non implicitus ſit perverſa aliqua confidentia. Jam quia hoc vitium ſatis notum erat in Tribu Juda, non abs re hic Propheta conqueritur quod ſpem ſuam reponant in urbibus munitis, atque ita eripiant Deo juſtam laudem. Et poſtea denunciat pœnam, *Emittam ignem in urbes ejus, qui comedat palatia ejus.* Summa eſt, ubi homines ita animum ſuum à Deo avertunt & recumbunt in res caducas, exitum fore tandem exitialem, quia Dominus fruſtrabitur ſpes eorum, à quibus ita fraudatur ſuo honore. Hæc igitur ſumma eſt. Jam ſequitur cap. 9.

CAPUT IX.

NE læteris, Iſraël, ſuper exultatione ſicuti populi, quia ſcortata es à Deo tuo: dilexiſti mercedem ſuper omnes areas tritici.

NEſcitur quo tempore hanc concionem habuerit Propheta: ſed debet hoc nobis ſufficere, quod invebitur in obſtinatam populi malitiam, quia non poterat ullo modo ad reſipiſcentiam flecti, quum tamen manifeſta eſſet defectio ejus. Jam denunciat Deum ita eſſe iratum, ut nihil ſperandum ſit proſperi. Et iſta admonitio diligenter notanda eſt. Videmus enim hypocritas, quantiſper parcit illis Deus vel indulget, arripere occaſionem ſecuritatis: putant ſibi eſſe certam pacem cum Deo, ubi ſuſtinet eos ad breve tempus: denique, niſi appareat gladius exertus, nunquam ſibi metuunt. Quum igitur tam ſecure homines indormiant ſuis vitiis, præſertim ubi Dominus tolerantia & manſuetudine ſua eos invitat, ideo Propheta hic denunciat Iſraëlitis, non eſſe cur rebus proſperis gaudeant, vel ſibi placeant hoc prætextu, quod Dominus non protinus ſumit de ipſis vindictam. Nam dicit, etiamſi omnes populi qui ſub cœlo ſunt, bene habeant, Iſraëlem fore miſerum, quia ſcortatus eſt à Deo ſuo. Nunc tenemus ſenſum Prophetæ. *Iſraël*, inquit, *ne læteris ſuper exultationes ſicut populi*: hoc eſt, quicquid tibi proſperi contingat, etiamſi videtur tibi Deus propitius eſſe, quoniam non te affligit, ſed benigne te ſuſtinet: imo ſi fovet te liberaliter, & videtur dare multa ſigna paterni favoris, tamen non eſt quod tibi placeas. Inane enim erit iſtud gaudium, quia infelix exitus te manet: *Scortatus es*, inquit, *à Deo tuo.* Hæc admonitio valde utilis eſt. Scimus ſemper hoc vitium regnaſſe inter homines, ut cæcutirent ad ſua peccata quoties Dominus illis pepercit: & hodie experientia plus ſatis demonſtrat eundem morbum adhuc infixum eſſe medullis noſtris. Quum ita ſit, expergefaciat nos hic Prophetæ locus, non eſſe lætandum etiamſi arrideat nobis magna proſperitas, ſed potius videndum eſſe an Deus juſtam cauſam habeat iraſcendi: quamvis non palam exerat manum ſuam, quamvis non perſequatur nos, tamen debemus iram ejus antevertere. Hoc enim proprium fidei eſt, non tantum ſentire ex pœnis præſentibus iratum Deum, ſed ex ipſis vitiis metuere pœnas procul diſtantes. Diſcamus ergo in nos deſcendere, & ſeverum exigere examen à nobis, etiam quum Dominus diſſimulat, & non exigit pœnam de peccatis noſtris. Si ergo ſcortati ſumus à Deo noſtro, ſuſpecta ſit nobis omnis proſperitas, quia magno nobis redimendus erit hic contemptus, quum abutimur Dei beneficiis. Et comparatio etiam magnum pondus habet: *Quemadmodum populi*, inquit Propheta. Nam intelligit, etiamſi Dominus ignoſcat profanis gentibus, Iſraëlem nihilominus daturum pœnas: quia minus excuſabilis eſt ejus apoſtaſia & rebellio, quod ſcilicet à Deo ſuo ſcortatus ſit. Nam alias gentes vagatas eſſe in ſuis erroribus, nihil mirum eſt: quod autem Iſraël ita jugum excuſſerit, deinde quod abnegaverit Deum ſuum, quod ruperit ac violaverit fidem ſacri conjugii, hoc ſimile portento eſſe debet. Non mirum igitur quod hic Dominus per os Prophetæ ſui denunciat, etiamſi veniam dederit omnibus populis, tamen de Iſraële juſtas pœnas ſumpturum. Poſtea addit, *Dilexiſti mercedem ſuper omnem aream tritici.* Proſequitur ſuam metaphoram, quod ſcilicet Iſraël ſcortatus ſit inſtar mulieris impudicæ ac perfidæ. Dicit ergo ſimiles fuiſſe meretricibus, quæ ita ad quæſtum feruntur, ut non pudeat ipſas flagitii. Dixerat heri, populum ſibi conduxiſſe alibi amores: nunc autem dicit abductum fuiſſe ſpe mercedis. Hæc videntur in ſpeciem contraria: ſed notandi ſunt diverſi reſpectus. Conduxit enim ſibi Iſraël amatores, quum redemit magna pecunia fœdus cum Aſſyriis: ſed interim dum falſos deos coluit ſpe lucri, fuit ſimilis meretricibus, quæ corpus ſuum ad omnem fœditatem proſtituunt, ubi aliqua merces ipſas allicit. Cæterum poſſet hic moveri quæſtio, Cur dicat Propheta meretriciam eſſe illam mercedem, ubi appetitur copia frumenti. Nihil enim aliud exprobrat Iſraëlitis, niſi quod optaverint areas ſuas tritico repleri. Hoc vero non videtur ſimpliciter reprehenſione dignum: quis enim noſtrûm non appetit uberem proventum & tritici & vini? imo quum Dominus inter alias benedictiones hoc promittat, ſe daturum copiam annonæ, certe licet quod ipſe promittit, votis expetere & precibus. Sed Propheta vocat mercedem nefandam, quum ab idolis petitur quod Deus ipſe pollicitus eſt ſe daturum. Quum ergo deficimus ab uno Deo, & fingimus nobis novos deos qui nos alant & ſuppeditent victum ac veſtitum, ſimiles ſumus meretricibus, quæ malunt ſcortando acquirere ſibi alimenta, quam ſumere à maritis. Erit igitur aliqua mulier quam maritus liberaliter tractare volet, ipſa autem oculos conjiciet alio, & expetet fœdam mercedem ab adulteris. Tales ſunt idololatræ. Deus enim ſponte ſe nobis offert, teſtatur ſe facturum patris & nutricii officium. Jam major pars contempta Dei benedictione, alio tranſvolat, fingit ſibi falſos deos: quemadmodum fieri videmus in Papatu. Quos enim implorant nutricios, ſi val ſiccitas vel aliud adverſum tempus ſterilitatem & inopiam minatur? Habent innumeram deorum turbam, ad quos confugiunt. Sunt igitur meretrices, quæ venantur lucrum ab adulteris, quum tamen Deus ultro promittat ſe fore illis maritum, & ſibi

curæ fore ne quid deſit. Quoniam ergo non acquieſcuot io ſola benedictione Dei, hæc eſt meretricia cupiditas, quæ eſt inexplebilis, deiode quæ per ſe eſt fœda & ſcelerata. Videmus ergo nunc quid Propheta exprobret populo Iſraelitico, quod ſcilicet ſperavit majorem frumenti copiam à ſuis idolis, quam à vero Deo: quemadmodum etiam loquuntur
Jer. 44. apud Jeremiam idololatræ: Quum ſerviebamus re-
verſ. 17. ginæ cœli, abundavimus vioo & frumento, inquiunt. Illic comparant Deum cum idolis, & negaot ſibi eſſe tam beoe & laute ubi unicum Deum coluot. Quia igitur idololatræ hunc honorem deferunt fictitiis diis, ut putent ſibi fore magis liberales quam futurus ſit verus Deus, hæc ratio eſt cur tam ſevere nunc Propheta accuſet Iſraëlem, ubi dicit amaſſe mercedem meretriciam ſuper omnes areas tritici. Jam ſequitur,

2. Area & torcular non paſcet eos, & muſtum mentietur in ea.

Jam denunciat pœnam Deus qualem meriti ſunt Iſraelitæ. Diximus hac illecebra fuiſſe abductos à puro Dei cultu, quod ſperarent ſibi plus lucri ex ſuperſtitionibus. Deus ergo oſtendit ſe pœnas in hac parte ſumpturum, quod ſcilicet auferet illis & vinum, & triticum, quemadmodum etiam vidimus cap. 2. Nam hæc unica ratio eſt qua Dominus revocet homines ad ſanam mentem; vel ſaltem reddat eos inexcuſabiles, dum ſpoliat eos ſuis bonis. Nam meretrix quamdiu lucrum provenit, quamdiu & veſtitu & alimentis ſuperat omnes honeſtas & pudicas matronas, placet ſibi & excæcatur ſuo ſplendore: ſi autem ad extremam inopiam redacta fuerit, ſi videat ſe omnibus eſſe ludibrio, & ſi miſere etiam trahat vitam in egeſtate, tunc ſuſpirat, & agnoſcit quantopere dementata fuerit quum reliquit maritum. Sic etiam Dominus iterum per Prophetam ſuum denonciat ſe facturum ne amplius Iſraelitæ ſeſe oblectent in talibus deliciis. *Area* igitur *& torcular non paſcet eos*, inquit, *& muſtum mentietur illis*: hoc eſt, vindemiæ non reſpondebunt eorum ſpei. Perinde eſt acſi diceret, Quia pendent iſti homines ex ventre ſuo, quia nihil aliud apud eos quicquam habet momenti quam annona, ideo & *area & torcular non paſcent eos*: hoc eſt, Ego privabo eos victu, ut intelligant ſe fruſtra falſos deos colere. Sumamus vulgarem ſimilitudinem: videmus pueros quoſdam parum ingenuos non moveri vel ignominia vel etiam verberibus: ſed quia addicti ſunt ventri ſuo, ſi pater privaverit eos pane, ſuot fere deſperati: verbera nihil profectura erant, admonitiones omnes fuiſſent illis luſoriæ. Puer qui ſaturitatem amat, quum videt panem ſibi ablatum, ſentit quam metuenda ſit patris ira. Sic ergo Deus homines ventri deditos corrigit, quia ſunt alioqui ſtupidi, & nulla alia medicina illis prodeſſet. Nunc ergo tenemus ſenſum Prophetæ: primo exprobrat Iſraelitis quod diligant mercedem: quia ſcilicet curſitent ad fictitios deos ut ſe ingurgitent magna copia. Jam ubi Dominus videt ſic obſtupefactos in ſua ſagina, dicit, Privabo vos omni proventu: jam neque vinum neque triticum vobis ſuppetet: hæc inedia coget vos tandem ad reſipiſcentiam. Videmus ergo ut Dominus tractet homines pro ingenio. Et notandæ ſunt loquendi formæ, quum dicit, Neque area, neque torcular paſcet eos. Non dicit agros fore ſteriles, non dicit ſe miſſurum grandinem vel procellam: ſed, Neque area, neque torcular paſcet eos, inquit: *imo muſtum fallet eos*: hoc eſt, ubi putaverint ſe fore omni copia beatos, ubi apparuerit copioſa meſſis, ubi etiam jam ſpe devoraveriot largas vindemias, hoc totum nihil erit: quia neque area, neque torcular eos paſcet: imo vinum ipſum quod putabant jam collectum eſſe, fallet eos. Sequitur,

3. Non habitabunt in terra Jehovæ, & revertetur Ephraim in Ægyptum, & in Aſſyria immundum comedent.

Hic graviorem pœnam denunciat Propheta, quod ſcilicet Dominus eos in exilium projiciet. Hæc autem horribilis fuit abdicatio, quum privati ſunt terra
Pſal. 132. Chanaan, quæ erat quies Domini, ſicuti vocatur in
verſ. 14. Pſal. Quum ergo habitarent in terra Chanaan, agebant tanquam io Dei ædibus, & poterant certo ſperare illum fore ſibi patremfamilias. Quum autem inde expulſi ſunt, Dominus teſtatus eſt ſe pro alienis eos ducere, perinde acſi pater filium exheredet. Nunc ergo non modo victus inopiam Propheta illis minatur, ſed abdicationem, quæ longe gravior erat. *Non habitabunt*, inquit, *in terra Jehovæ*. Eſt elegans alluſio inter ישבו & ושב: alterum eſt à ישב, alterum à שוב. Non habitabont ergo in terra Jehovæ, ſed revertetur Ephraim in Ægyptum. Et alia circumſtantia plus terroris adhuc incutit, quum dicit, *In Aſſyria comedent immundum*. Perinde enim eſt acſi Dominus miſceret ſacrum illum populum profanis gentibus, ut poſthac nullum ſit diſcrimen. Nam iſta immundities, de qua loquitur Propheta, huc tendit, ut adoptio Dei jam non diſtingueret populum illum à profanis gentibus. His enim ſymbolis Dominus retinebat populum Iſraël, quum jubebat ab immundis carnibus abſtinere. Ubi autem jam in victu communi à Gentibus nihil differunt, hinc patet ipſos rejectos eſſe à Deo, & deletam eſſe illam ſanctitatem, quæ ex gratuito Dei fœdere pendet. *Comedent* igitur *in Aſſyria immundum*: hoc eſt, jam non erunt ſub mea cura nec manu: vivant ſuo arbitrio ut aliæ gentes: ego hactenus continui eos ſob aliquo freno: nunc autem quia noo ſuſtinent ſub Lege mea degere, fruantur ſua liceotia, ſed quæ ipſos profanet inſtar reliqui orbis, ita ut ſe permiſceant omnibus Gentium inquinamentis & pollutionibus. Hæc ſumma eſt. Nunc autem videndum eſt an liceat, etiam quum verſamur inter idololatras, ſuſcipere tamen ritus ab ipſis receptos. Certe hic locus, ut alii ſimiles, ſatis clare oſtendit nihil gravius poſſe nobis accidere, quam ubi non differimus etiam in externo vivendi more à profanis & Dei contemptoribus. Si dixiſſet Propheta, Iſraëlitæ jam erunt famelici in terra longinqua: Dominus opulente hactenus ipſos aluit: nam præſtitit quod per Moſen fuerat olim pollicitus. terra enim hæc omnibus modis benedicta fuit, & ſuggeſſit nobis magnam copiam vini, tritici & olei, imo mel fere profluxit inſtar aquæ: ſed nunc cogentur quaſi tabeſcere inedia inter hoſtes ſuos. Si hoc dixiſſet Propheta, fuiſſet gravis & ſevera denunciatio: nunc autem, quemadmodum dictum eſt, vult plus horroris illis incutere, quum dicit, *Comedent immundum*. Quaſi vero in externo ritu tantum fuerit momenti. Sed externa illa profeſſio ſymbolum erat divinæ adoptionis. Quum ergo populus ſibi habenas laxavit, ut promiſcue quoslibet cibos ederet, neque delectum haberet ex Legis præſcripto, tunc ſublatum fuit diſcrimen, ut deſineret eſſe populus Dei. Sic etiam hodie qui deflectunt à ſincera profeſſione fidei ſuæ, & ſocietatem ineunt cum Papiſtis, renunciant, quantum in ſe eſt, gratiæ Dei, & ſeſe projiciunt ad libidinem Satanæ. Sciamus ergo hanc eſſe horrendam Dei vindictam, ubi non licet nobis profiteri externo cultu fidem noſtram: ſed impii ſic dominantur, ut neceſſitatem nobis injiciant qualem hic dicit Propheta, nempe ut veſcamur rebus immundis: hoc eſt, ut ſimus impliciti eorum profanis ſuperſtitionibus. Quare hæc gratia non ducenda eſt pro nihilo, quum

licet

licet abſtinere ab omnibus inquinamentis, & ubi licet Deum pure colere, ita ut quis ſe non contaminet etiam per ſimulationem. Ubi vero ſub tyrannide impiorum cogimur nos miſcere impuris ſuperſtitionibus, ſignum eſt horrendæ vindictæ Dei. Et non eſt quod quiſquam in hac parte ſe excuſet vel extenuet culpam, quemadmodum faciunt multi, quos tamen conſcientia intus mordet. Sed ſatis eſt illis obtendere colores in oculis hominum. Atqui non eſt quod iſti homines vel ſibi delicias faciant, vel ſimplicium oculos velint perſtringere. extrema enim hæc eſt maledictio, quum populus qui ſacer Deo eſſe debebat, & profiteri purum ejus cultum externo ritu, ille cogitur ſe polluere immundo victu. Sequitur,

4. Non libabunt Jehovæ vinum, & non dulcia erunt illi libamina: (*vel ipſi non erunt grati & ſuaves Domino*) ſacrificia ipſorum ſicut panis lugentium ipſis, quicunque comederint polluenrur: quia panis ipſorum pro anima ipſorum non veniet in domum Jehovæ.

Incertum eſt an hic teſtetur Propheta eos perdere operam & oleum (quemadmodum loquuntur) dum ſacrificant Deo: vel an denunciet quid futurum ſit ubi in exilium ejecti fuerint. Uterque ſenſus videtur eſſe probabilis. Nam ſi ad tempus exilii referre placet, bene convenient Prophetæ verba, *Tunc non libabunt* vinum Jehovæ, & non erunt grata illorum ſacrificia. non veniet amplius oblatio in Templum Jehovæ. Et ſic multi intelligunt hunc locum: tamen prior ſenſus longe aptior eſt, quemadmodum etiam promptum erit ex verborum contextu colligere. Dicit enim Propheta, Non libabunt vinum Jehovæ, & non erunt illi grata eorum ſacrificia: deinde addit, *Quicunque comederint, polluentur*. Hoc non videtur poſſe competere in exules, quod fruſtra ſtudeant libare vinum Deo. Hoc enim facere religio vetabat. Jam, quum dicit *ſacrificia eorum fore panis lugentium ſimilia*: hoc etiam neceſſe eſt intelligere de ſacrificiis quæ quotidie tunc ſolebant offerre Deo. Nam in exilio, quemadmodum dictum eſt, non fuiſſet fas quicquam offerre: neque enim illic erat altare, neque Sanctuarium. Quomodo ergo dicit Propheta, Quicunque comederint ex eorum ſacrificiis, polluentur? Sciamus Prophetam hic loqui de tempore intermedio, acſi diceret, quod nunc ſacrificant Iſraëlitæ, ſine ullo profectu facere. neque enim Deus placatur his nugis: nam afferunt manus pollutas, non mutant animum, obtrudunt Deo ſua ſacrificia, ſed quæ prius ipſi contaminant. Et ſimilem doctrinam jam aliquoties attigimus, ideo nunc non infiſto: ſed ſatis eſt tenere conſilium Prophetæ, quod ſcilicet fruſtra placationem Dei quærant Iſraëlitæ in ſuis ceremoniis, quia ſunt vana piacula, quæ Deus nihil moratur, & ne pili quidem æſtimat. Non ergo *libabunt* vinum Deo. Eſt emphaſis in hac voce, quia certum eſt quamdiu vixerunt Iſraëlitæ in patria, fuiſſe ſatis in externo cultu ſedulos, & libamina non fuiſſe ab illis neglecta. Quum ergo illa conſuetudo maneret apud ipſos, Propheta tantum de fructu hic diſſerit, quod ſcilicet fruſtra ſe exerceant in illo frivolo cultu, quia non libent Jehovæ, hoc eſt, libamen iſtud non perveniat uſque ad Jehovam. Et ſe ipſe poſtea expoñit, quum dicit, *Non dulcia erunt illi libamina*. Quantumvis ergo laborent Iſraëlitæ, Propheta eorum laborem dicit fore infructuoſum, quia Dominus repudiat quicquid ipſi faciunt. Poſtea addit in eundum ſenſum, Sacrificia ipſorum ſicut panis lugentium ipſis, & quicunque comederint polluentur: hoc eſt, polluta ſunt omnia eorum ſacrificia. Jam Propheta clarius oſtendit non fore prorſus nulla eorum ſacrificia, ſed irrita, quod ſcilicet ea Dominus abominetur: & quod repudiet quaſcunque larvas ingerant in ejus conſpectum, quarum obtentu procul ab ejus obſequio ſe ſubducant. Ratio eſt, quia ſiquis immundus attingat carnem puram, polluit eam ſua immunditie. Neceſſe eſt igitur Deum abominari quicquid offerunt impuri homines, niſi animum purgare ſtudeant. Ex hoc principium etiam ſemper valuit inter ipſos cæcos,

Non bene cæleſtes impia dextra colit.

Voces iſtæ quæ volitabant vulgo, teſtes fuerunt communis ſenſus: Dominus enim voluit quaſi extrahere homines ex ſuis latebris, quum adegit ad talem confeſſionem. Non mirum eſt igitur quod nunc dicit Propheta (quemadmodum doctrina etiam hæc ſubinde in Scripturis occurrit) nempe Sacrificia populi, qui in ſua perfidia manebat, ſimilia fore pani lugentium: quemadmodum dicit Jeſaias, Siquis *Jeſa. 66.*
bovem occidat, perinde acſi hominem interficiat: *verſ. 3.*
ſiquis mactet pecudem, perinde acſi canem jugulet. Comparat illic ſacrificia homicidiis: nec mirum, quia atrocius crimen eſt abuti ſacro Dei nomine, quam jugulare hominem. Hoc autem faciunt impii homines. Tandem dicit, Siquis comederit, polluetur. Amplificat quod prius dixit, nempe, Etiamſi quis purus accedat, polluetur, inquit, ſola ſocietate. Videmus nunc quam acriter expergefaciat hic Propheta hypocritas, ut jam ſibi deſinant promittere quod ſolent, nempe propitium ſibi fore Deum, ubi illum nugis placaverint. Minime, inquit: imo tantum eſt inquinamenti in ſacrificiis veſtris, ut etiam contaminent alios qui per ſe puri accedent. Jam quæritur, An polluat nos aliorum impietas, ubi non oſtendimus ullum ſignum ſocietatis, nec ſimulatione etiam teſtamur aliquem conſenſum. Si ergo abſtinemus ab omni ſuperſtitione, an ſocietas ipſa nos contaminat? Reſponſio facilis eſt, Prophetam hic non ex profeſſo tractare quomodo aliena impietas contaminet homines puros: ſed conſilium ejus fuit exaggerare quantum Deus abhorreat ab impiis, quod non tantum ſacrificiis eorum non placatur, ſed etiam habet in ſumma abominatione. Jam quod ad ipſam quæſtionem ſpectat, certum eſt, ſimulatque accedimus ad ſuperſtitiones profanas, nos pollui: ſi autem impii homines vel ſacrum Baptiſmum adminiſtrent, vel ſactam Cœnam, non polluimur ipſorum conſortio, quia actio ipſa nihil habet vitii. Ergo polluit nos tantum actio, & non occulta vel interior hominum impietas. hoc verum eſt: ſed tenemus quorſum dixerit Propheta, Quiſquis comederit ex ipſorum ſacrificiis, fore pollutum. Proſequitur eandem doctrinam: *Panis eorum pro anima ipſorum.* Poteſt bifariam exponi hoc membrum, Pro anima ipſorum. Si dicamus, Panem animæ ipſorum, contemptim ita loquutus eſt Propheta: quaſi diceret, Servent ſibi & ventri ſuo panem, & ne offerant amplius Deo. Saturent igitur ſe pane: quia non poſſunt conſecrare Deo panem ſuum, quum ipſi ſint immundi. Sed libenter ſequor quod magis receptum eſt, nempe panem pro anima ipſorum non venturum in domum Jehovæ, quia ſcimus homines tunc ſolitos offerre ſua ſacrificia Deo, ut ſe reconciliarent, vel ut ſaltem ſigna haberent expiationis: ideo dicit Propheta offerri panem pro anima ex Legis præſcripto: ſed impios non poſſe afferre panem in domum Jehovæ, quia illos quaſi interdicto Dominus excludat. Non quod hypocritæ abſtineant: videmus enim quam audacter ſeſe ingerant in Templum, imo velint primos gradus tenere, ſed Dominus tamen prohibet à conſpectu ſuo. Hæc ratio eſt cur dicat panem impiorum non venturum coram Deo, quamvis in ſpeciem oblationes ipſorum refulgeant coram hominibus. Sequitur,

5. Quid facietis in die ſolenni, in die feſtivitatis Jehovæ?

Hic jam ad auxilium Propheta revertitur,& oſtendit quam triſtis futura ſit populi conditio, ubi carebit omnibus ſacrificiis. Verum quidem eſt Iſraëlitas, quum mutaſſent locum Templi, & quum per Jarobeam inducti eſſent novi & degeneres ritus, fuiſſe omnino rejectos, ita ut nullum ſacrificium ab illo tempore Deo placuerit. Immolabant enim idolis ac dæmoniis, & non Deo, quemadmodum alibi dicitur: (*Deut. 32. verſ. 17.*) ſed interea quum adhuc eſſet ſpecies aliqua divini cultus, quum vigeret Circumciſio, & ſacrificia offerrent quaſi ex mandato Moſis, & jactarent ſe eſſe Abrahæ filios, & degerent in terra ſancta, adhuc potuit illis ſufficere illa conditio. Sed quum in exilio jam nullum ſignum conſpicerent gratiæ Dei, quum privati eſſent Templo, & altari, & omnibus ceremoniis, quum occurreret omni ex parte mera ſolitudo & vaſtitas: quum ergo Deus ſe oſtenderet procul ab ipſis remotum eſſe, debuit major triſtitia penetrare in ipſorum animos. Hoc ergo dicit Propheta, *Quid facturi eſtis in die ſolenni?* Et diſerte exprimit ſolennes & feſtos dies. Si mane & veſpere non redeat in memoriam oblatio quæ fieri ſolebat, ſi ne alia quidem ſacrificia vos tangunt, quid tandem facturi eſtis ubi venient feſti dies? Nam tunc Dominus palam oſtendet ſe nihil amplius habere commune vobiſcum. Canebant enim buccinæ feſtis diebus, ut populus ex tota terra in Templum conflueret. Illa enim erat quaſi vox Dei, quæ ſonabat è cœlis. Jam ubi feſti dies ſepulti ſunt, ubi nulli aguntur ſacri conventus, perinde eſt acſi Dominus edicto ſilentio oſtenderet ſe non amplius gerere curam illius populi. Ergo ne ſimpliciter exiſtiment Iſraëlitæ denunciari ſibi exilium, jam Propheta oſtendit aliquid conjunctum eſſe deterius, quod ſcilicet Dominus ipſos prorſus deſeret, & nullum amplius extabit ſignum præſentiæ ejus, acſi reſecti eſſent ex Eccleſia. *Quid* igitur *facietis in die ſolenni, in die feſtivitatis Jehovæ?* Hoc eſt, Putatiſne aliquid vulgare vobis denunciari quum de exilio loquor? Dominus enim auferet ſimul totum cultum, & ita privabit vos omnibus teſtimoniis præſentiæ ſuæ. Quid ergo tunc facturi eſtis? Quod ſi mentes veſtras adeo occupat brutus ſtupor, ut hoc non veniat vobis quotidie in mentem, ſaltem ſolennes & feſti dies cogent vos ſentire quam iſtud horribile ſit, nihil amplius eſſe apud vos reſiduum, quod ſpem faciat paterni Dei favoris. Tenemus nunc ſenſum Prophetæ. Hinc colligimus quod prius dixi, nihil poſſe durius nobis contingere in hoc mundo, quam ubi ſumus diſperſi abſque ullo ordine, ubi nullum ſignum nobis occurrit, quo Dominus nos ad ſe colligat. Satius igitur eſſet nos privari & potu & cibo, & nudos incedere, & perire demum inopia, quam auferri nobis exercitia pietatis, quibus Dominus nos quaſi in ſinu ſuo continet. Ubi igitur privamur iſtis adminiculis, & ita Deus faciem ſuam à nobis abſcondit, & undique formidinem nobis oſtendit triſtis diſſipatio, hæc eſt extrema plaga, hoc eſt ſignum horribilis Dei vindictæ. Diſcamus ergo ſi caro noſtra afficitur, quum impendet vel ſterilitas vel aliqua inopia: diſcamus magis metuere diſſipationem hanc, quum ſcilicet Dominus privat nos diebus feſtis: hoc eſt, tollit omnia pietatis adminicula, quibus continet nos in ſua domo, & oſtendit nos eſſe partem Eccleſiæ ſuæ. Hoc igitur poſtremo loco notandum eſt. Reliqua proſequemur ſequenti lectione.

Da omnipotens Deus, quando hodie tot caſtigationibus nos ad te invitas, & tamen torpemus præ ignavia, vel potius ſocordia carnis noſtræ; da, inquam, ne ſic perpetuo nos obduret Satan, vel etiam faſcinet, ſed ut tandem expergefacti ſentiamus mala noſtra, neque tantum tangamur externis pœnis, ſed excitemus nosipſos, & ſentiamus quam graviter offenderimus te variis modis, ut redeamus ad te cum ſerio dolore, & ſic diſpliceamus nobis, ut quæramus in te omnem oblectationem, donec tandem offeramus gratum tibi & jucundum ſacrificium, ubi ex animo & ſincere dedicaverimus nos tibi & omnia noſtra, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA QUARTA
IN
HOSEAM PROPHETAM.
CAP. IX.

6. Quia ecce abierunt à vaſtatione, (*vel propter vaſtationem*) Ægyptus colliget eos, Memphis ſepeliet eos: deſiderabile argenti eorum hereditabit urtica: ſpina in tabernaculis eorum.

HIc confirmat Propheta ſententiam proximi verſus, quod ſcilicet Iſraëlitæ tandem ſenſuri ſint non fruſtra Prophetas illis minatos eſſe, quum tamen ſecure judicium Dei ſpernerent: *Ecce*, inquit, *abierunt*. Quaſi de re jam facta loquitur, quum adhuc inſtaret exilium. Habitabant tunc in patria Iſraelitæ, dicit tamen profectos. Sed commendat vaticinii certitudinem hoc loquendi genere, ut deſinant profani homines ſibi impunitatem promittere, quum Deus eos jam ad tribunal ſuum citat: imo oſtendit ſe jam armatum eſſe ad ſumendam vindictam. Abierunt, inquit, præ deſolatione. Poſtea addit, *Ægyptus colliget eos*: hic Colligere ſonat in malam partem: tantundem enim valet atque lingua noſtra, *Trouſſer*: & ſæpe ita accipitur apud Prophetas, quum de excidio fit mentio: & hoc patet clarius ex verbo Sepeliendi quod continuo poſt adjungit Propheta. *Ægyptus colliget eos.* Non loquitur certe de humano hoſpitio, ſed pronunciat Ægyptum fore illis ſepulchrum, in quo incluſi manebunt: & ita ſpem liberationis illis adimit. Iſraëlitæ ſperabant ſibi fore temporale hoſpitium in Ægypto, quum illuc deflecterent propter metum hoſtium: jam Propheta oſtendit longe eos falli, quod de exitu ſomnient, quia illic manebunt collecti: hoc eſt, non erit illis liber reditus, quemadmodum fingebant, ſed perpetua manſio, imo ſepulchrum. Colliget eos Ægyptus, & Memphis ſepeliet eos. Imo eſt concinna alluſio in vocibus קבץ & קבר. Priore verbo intelligit Propheta ſic incluſos iri, ut ſint quaſi alligati vel affixi loco: deinde addit, illos ſepeliendos eſſe. Poſtea dicit, *Deſiderabile argenti eorum urtica poſſidebit*, quaſi hereditario jure, *& ſpina*: alii vertunt, Paliurum. ſed ſequor quod receptius eſt. *Spina* ergo *in tabernaculis eorum*. Summa eſt, Exules fore Iſraëlitas, non tantum ad breve tempus inquilinos; & tam longum fore exilium, ut terra vaſta & inculta maneat. Neque enim urticæ, vel ſpinæ creſcerent in loco habitato. Pronunciat igitur Hoſeas terram fore deſertam ac nudam ab incolis, quia urticæ & ſpinæ illic dominabuntur loco hominum. Hoc autem plurimum valuit ad triſtitiam exilii augendam,

quod

quod ſpes reditus illis erat præcluſa, & Deus etiam oſtenderat Ægyptum, ubi hoſpitium ſibi promiſerant, fore illis inſtar ſepulchri. Et ita ut plurimum contingere ſolet impiis, qui ſeſe conferunt ad vana ſolatia, ut declinent vindictam Dei. Nam ſeſe ipſi demergunt in profundos labyrinthos: ubi putant ſibi fore portum quietis ad tempus, & commodam habitationem, illic reperiunt vel gurgitem vel ſepulchrum. Hæc ſumma eſt. Pergamus.

7. Venerunt dies viſitationis, venerunt dies retributionis, agnoſcet Iſraël, ſtultus Propheta (*vel uno contextu, ſicuti alii legunt, Cognoſcet Iſraël ſtultum Prophetam*) inſanum virum ſpiritus, propter multitudinem iniquitatis tuæ, & multum odium. (*vel, Stultus eſt Propheta, veſanus vir ſpiritus, propter multitudinem iniquitatis tuæ, & multum odium. & propter accentum melior eſt diſtinctio, quam ſecundo loco poſui, Cognoſcet Iſraël, ſtultus eſt Propheta: & quæ ſequuntur poterunt legi ſeparatim. ſed tamen ego utrumque exponam, ut libera deinde ſit electio.*)

Quum dicit Propheta veniſſe dies viſitationis, excutere vult hypocritis ſupinum illum torporem de quo jam ſæpe diximus. Nam ſicuti à ſuis cupiditatibus vexantur, & ſunt in continuo fervore, ita ſe obdurant contra judicium Dei, & quaſi obducunt callum. neceſſe eſt igitur violenter cum ipſis agi ad frangendam talem pervicaciam. Hæc ratio eſt cur Propheta toties ac tam diverſis modis repetat quod uno verbo dici potuit, Deum fore juſtum ultorem. clamat igitur nunc veniſſe dies viſitationis. Nam quia Dominus illis pepercerat, quemadmodum etiam refert ſacra hiſtoria, & initio diximus; imo ſub rege Jarobeam ſecundo, qui fuit filius Joas, res illis erant proſperæ: hinc illis crevit ſuperbia & contemptus Dei. Quum ergo putarent jam ſe eſſe extra telorum jactum, Propheta pronunciat veniſſe dies. Subeſt autem tacita antitheſis reſpectu illius temporis quo Dominus illos ſuſtinuerat: quia enim non ſtatim ultus fuerat Dominus illorum peccata, putabant ſe elapſos eſſe. Diſtinguit autem hic Propheta inter tempus & tempus: Hactenus, inquit, putaſtis vobis pacem eſſe cum Deo. quaſi vero ubi connivet ad hominum ſcelera, ſeipſum abneget, ut non amplius fungatur officio judicis: imo alia hic ratio conſideranda eſt, quod ſcilicet Deus certos habeat viſitationis dies, quos ſibi conſtituit. *Venerunt* igitur *dies illi*. Et rurſus inculcat *veniſſe dies retributionis*. Utitur alio nomine, ut ſciant non impune ſibi ceſſurum quod tot modis Deum provocaverint. Quemadmodum enim non fruſtratur Dominus ſpem ſuorum qui eum colunt, ita etiam merces repoſita eſt impiis, qui pro nihilo ducunt ejus judicium. Deus ergo rependet vobis quod meriti eſtis, etiamſi ad tempus viſus fuerit judicium ſuſpendere. Poſtea dicit, *Iſraël cognoſcet*: hæc eſt ſapientia ſtultorum, ut veteri etiam proverbio fertur; & Homerus etiam dixit, [illegible], non niſi quum paſſus eſt ſtultus, ſapit. Dicit ergo Propheta ſenſurum Iſraël tunc quum afflictus fuerit: quia ſcilicet doctrina erat contemptui, & omnes admonitiones erant quaſi ludicræ, ſaltem nullum habebant pondus. Cognoſcet ergo Iſraël: hoc eſt, ſero tandem intelliget ſibi fuiſſe cum Deo negotium, nempe ubi non erit reſipiſcendi tempus. Senſus ergo eſt, impios, quia reſpuunt Dei verbum, & ſanis monitionibus & conſiliis non obtemperant, tandem trahendos eſſe ad aliam ſcholam, ubi non ore doceat ipſos Deus, ſed manu. Quiſquis ergo nunc ſe non ultro ſubjiciet doctrinæ, experietur Deum eſſe judicem, neque effugiet manum ejus. Qui conjungunt ſequentia, eliciunt hunc ſenſum, *Cognoſcet Iſraël ſtultum Prophetam, veſanum hominem ſpiritus*: hoc eſt, tunc intelliget Iſrael ſe fuiſſe deluſum blanditiis, quum pſeudoprophetæ polliciti ſunt omnia proſpera. Scimus

Mich. 2. verſ. 10.

enim, quemadmodum etiam illis exprobrat Michæas, captaſſe vaticinia quæ auribus placerent: ideo vocat Prophetas vini & olei & tritici, qui ſpem dabant melioris ſtatus. Et mundus hoc modo ſemper decipi cupit. Quum ergo in Iſraël multi eſſent tales, qui ſuis impoſturis fallebant miſeros, ideo dicit, Tandem Iſrael cognoſcet ſe fuiſſe deluſum à ſuis doctoribus. Si recipimus hunc ſenſum, erit exprobratio, quod Iſraël putabat quodammodo prohibitam eſſe Dei vindictam, ſi pſeudoprophetæ dicerent placatum eſſe ipſum, & nihil metuendum eſſe periculi. Nam hoc modo nonne homines ſe obſtupefaciunt? & quam craſſus eſt ſtupor iſte, ubi putant ligatas eſſe Dei manus, ſi homines taceant, vel ſi perfide convertant veritatem in mendacium? Et tamen hodie etiam hic morbus graſſatur in mundo, ſicuti omnibus fere ſeculis graſſatus eſt. Quid enim captant impii, niſi ut parcatur eorum ſceleribus? ubi ora occluſa ſunt, putant ſe multum adeptos eſſe. Hanc vecordiam Propheta deridet, ſignificans profanos iſtos homines, qui tam ſunt delicatis auribus, ut nullam correctionem verborum ſuſtineant, ſenſuros tandem quid profecerint quum haberent conductitios Prophetas, qui illis blanditi ſunt. Videmus ergo in ſumma, adulationes quibus ſeſe impii contra Deum obdurant, fore illis cauſam duplicis exitii, quia dementant eos tales fallaciæ, ut multo audacius provocent in ſe iram Dei. Si autem disjunctim legamus hæc duo membra, ſenſus erit, Stultus eſt Propheta, inſanus vir ſpiritus. Et quantum ad rem ipſam ſpectat, non multum eſt diſcriminis, ideo non tantopere contendo: quia ubi convenit de conſilio Prophetæ, & eadem doctrina manet, in forma verborum adeo anxie laborare ſupervacuum eſt, vel ſaltem non adeo utile. Senſus ergo erit, ſi incipimus ſententiam à dictione אויל הנביא, Scio Prophetas vobis promittere impunitatem: ſed qui ita operiunt peccata veſtra, & quaſi emplaſtria obducunt, ſunt inſani homines, imo ſunt prorſus fatui. Non eſt igitur quod vos allectent ipſorum blanditiæ, quia effectus monſtrabit fuiſſe meras ineptias & deliria. Jam videmus in ſenſu non eſſe magnum diſcrimen: ſemper enim hoc fixum manet, fuiſſe in populo multos adulatores qui operam ſuam locabant mentiendo, ut hoc modo colligerent favorem populi, quemadmodum omnibus ſeculis regnavit hæc ambitio: interdum etiam cupiditas & avaritia eo rapit homines, ut habeant linguam ſuam meretriciam, & excuſent graviſſima quæque ſcelera, deinde eludant omnes minas. Hoc primo loco oſtendit Propheta noſter: deinde oſtendit, ſine profectu homines ſibi placere in ſuis vitiis, dum nemo eſt qui ſevere eos corrigat, vel ad reſipiſcentiam acriter hortetur: quia etiamſi omnes Prophetæ illis ſpem faciant ſalutis, perituros tamen, quia non poſſunt cohibere Deum homines ſuo ſilentio, quin tandem judicium ſuum exerceat. Imo tenendum eſt illud, tunc Deum parcere hominibus ubi illis non parcit; hoc eſt, ubi illos caſtigat, ubi accuſat eorum peccata, ubi etiam cogit ad terrorem, tunc vult illis parcere. ubi autem parcit Deus, tunc non parcit: hoc eſt, ubi diſſimulat hominum peccata, & relinquit eos ſuo arbitrio, ut ſine jugo & freno libere laſciviant, tunc minime parcit, quia deſtinat eos exitio. *Virum ſpiritus* multi transferunt Ventoſum; alii Fanaticum: ſed meo judicio falluntur. neque enim dubito quin Propheta honorifice loquatur, ſed tamen per conceſſionem. Vocat igitur Viros ſpiritus, qui Prophetæ erant officio, ſed abutebantur hoc titulo, quemadmodum

dum qui hodie ſe paſtores vocant, quum ſint rapaces lupi: Prophetæ, ut ſcimus, ſemper præfati ſunt ſe non loqui ex proprio ſenſu, ſed quod Spiritus Dei illis dictaverat. Erant igitur homines ſpiritus: hoc eſt, homines ſpirituales. Scimus enim genitivum Hebræis epitheti loco eſſe. *Erant* igitur *Prophetæ viri ſpiritus.* Concedit hoc nomen, quod per ſe ſplendidum eſt ac honorificum, impoſtoribus: ſed quemadmodum ſi in genere loquar de doctoribus, ego complectar falſos cum veris. Hæc igitur genuina eſt loquendi ratio, & hoc melius colligere licet ex contextu. Bis enim idem dicit, אויל הנביא & משגע איש הרוח: hoc eſt, Stultus eſt Propheta: deinde, Veſanus eſt vir ſpiritualis. Quemadmodum loquutus eſt de Propheta, ita nunc virum ſpiritus aut ſpiritualem repetit. Addit in fine verſus, *Propter multitudinem iniquitatis tuæ, propter magnum odium,* vel multum odium: duobus enim his modis poteſt exponi. Hic Propheta oſtendit etiamſi ſuis fallaciis dementaverint populum falſi Prophetæ, hoc tamen nihil prorſus valere ad excuſationem, vel ad extenuandam culpam populi. Quare? dabat enim pœnas ſuæ impietatis. Nam unde fit ut lucem ſuam Dominus à nobis auferat, poſtquam ſemel monſtravit viam ſalutis; ut obvertat nobis repente tergum, & ſinat errare in perniciem noſtram? unde hoc fit? Certe quia indigni ſumus illa luce quæ nobis erat teſtis gratiæ Dei. Ergo quoniam tale judicium accerſunt ſibi homines propria culpa, neque Dominus eos excæcat, neque etiam dat efficaciam erroris Satanæ, niſi quia ſic merentur: ideo dicit Propheta, *Propter multitudinem iniquitatis tuæ*, & propter ſcelera tua quibus in te concitaſti iram & odium Dei. Videmus ergo cur prætextus iſti frivoli ſint ad homines purgandos, dum objiciunt ſe deceptos fuiſſe, & ſi fuiſſent fidi & ſinceri doctores, ſe libenter fuiſſe parituros Deo. Quum ergo hoc objiciunt homines, reſponſio in promptu eſt, privatos fuiſſe veris & fidis doctoribus, quia reſpuerint oblatam ſibi gratiam, & lucem extinxerint: & quemadmodum dicit Paulus, mendacium prætulerint veritati, *Rom. 2.*
& ideo decipi à pſeudoprophetis, quoniam ſponte *verſ. 25.*
in exitium ipſi properent, quum Dominus eos ad ſalutem vocaret. Nunc ergo tenemus ſummam hujus doctrinæ. Primo loco dicit Propheta, jam mox inſtare diem vindictæ, quia Dominus patientia ſua nihil proficeret apud obſtinatos. Deinde adjungit, quoniam ſpernuntur omnes minæ in populo, & ſurdi ſunt ad omnem doctrinam, ſenſuros tandem Deum non fruſtra loqui, ſed ſenſuros ut digni ſunt: quia Dominus jam non docebit eos verbo ſuo, ſed flagellis. Tertio addit, Prophetam ſtultum eſſe & delirum: deinde qui ſe jactant viros ſpiritus, eſſe veſanos. Quibus verbis intelligit blanditias, quibus populus indormiebat, ſtultas fore: quia ſcilicet non deſinet tandem exequi Deus ſuum officium ubi tempus aderit. Poſtremo admonet hoc accidere culpa populi, non eſſe cur mali cauſam alio derivet vel tranſcribat, quoniam hæc excæcatio juſta eſt pœna. Dominus enim nunquam paſſus fuiſſet Satanam ita graſſari in ſua hereditate, niſi populus ingenti congerie ſuorum ſcelerum, quaſi data opera Deum longo tempore provocaſſet. Sequitur nunc,

8. Speculator Ephraim cum Deo meo, Propheta laqueus aucupis ſuper omnes vias ejus, odium (*hoc eſt, res execrabilis. eſt idem nomen quo uſus eſt in proximo verſu: res igitur execrabilis*) in Domo Dei ſui.

Hunc verſum obſcurant interpretes variis opinionibus: omnes fere ſubaudiunt verbum, quod Ephraim ſpeculatorem poſuerit. Sed non video opus eſſe quicquam mutare in Prophetæ verbis: ego igitur ſimpliciter accipio ut ſonant. Putant autem quidam hic fieri comparationem inter veteres Prophetas qui non deflexerant à Dei mandato, & iſtos adulatores qui prætendebant Dei nomen, quum tamen eſſent Satanæ miniſtri ad fallendum. Ergo ſic diſtinguunt, *Fuit ſpeculator Ephraim cum Deo meo:* hoc eſt, viſum olim fuit tempus quum ſpeculatores Ephraim eſſent Deo conjuncti, & nihil alienum proferrent, haurirent ex fonte illo quicquid docebant. fuit igitur tunc ſancta conjunctio inter Deum & Prophetas, quia pendebant ex ore Dei, & quaſi de manu in manum tradebant Prophetæ populo quicquid præceperat Deus: nihil tunc fuit in eorum verbis corruptum, vel impurum, vel adventitium: nunc autem *Propheta eſt laqueus aucupis*: hoc eſt, verſa eſt alea, facta eſt horribilis mutatio, quod nunc tendunt laqueos Prophetæ ut ſuis decipulis trahant populum in perniciem: & regnat hæc deteſtatio: hoc eſt, tam deteſtabile monſtrum regnat in Templo Dei: non verſantur Prophetæ iſti in ſpeluncis, neque oberrant per vias publicas, ſed occupant locum in Templo Dei: ita ex ſacro Dei Templo faciunt quaſi proſtibulum impoſturis Satanæ. ſic illi. Ego autem eodem contextu lego hunc verſum, *Speculator Ephraim*, qui debebat eſſe *cum Deo*; *Propheta*, inquam, *eſt laqueus aucupis ſuper omnes vias ejus.* Placeret quidem mihi ſuperior ſententia, niſi viderem trahi verba violenter: ego autem non amo ſenſus iſtos coactos. Hæc ratio mihi obſtat quominus ſubſcribam expoſitioni quæ per ſe mihi placeret, ſicuti continet utilem doctrinam. Sed hæc ſimplicitas rectior eſt, quod ſpeculator Ephraim, Propheta ſit laqueus aucupis. Additur autem Cum Deo: quia hoc erat doctorum munus, nihil habere à Deo ſeparatum. Oſtendit igitur Hoſeas quid debeant facere Prophetæ, non autem quid faciant. Ergo *Propheta qui ſpeculator eſt Iſrael.* nam ſcimus commune hoc mandatum omnibus Prophetis dari, ut ſint quaſi in ſpecula & invigilent ſuper Dei populum. Non mirum eſt igitur quod hic ſuo elogio Propheta inſignit omnes eos qui tunc doctores erant in populo Dei. Sed hoc modo crimen eorum duplicat, quod ſcilicet tantum fuerint acuti & perſpicaces ad illaqueandum populum. Speculator ergo Iſrael Propheta. hoc eſt, Propheta qui locatus eſt in ſpecula ut vigilet, vel excubias agat in ſalutem totius populi, ille eſt laqueus aucupis. Jam triplicat crimen quum dicit, *cum Deo meo.* Nam ſicuti nuper attigimus, non poterant fideliter officio fungi doctores, niſi affixi eſſent Deo, & poſſent vere teſtari nihil ſe proferre commentitium, ſed Dominum ipſum loqui, quod eſſent ejus organa. Nunc ergo tenemus genuinum Prophetæ ſenſum: & ita nihil in verbis coactum eſt. Hoc etiam modo confirmat Propheta quod prius dixit, Stultos eſſe Prophetas: hoc eſt, vaticinia ipſorum fore tandem irrita & vana, quod non impedient Deum quominus tandem pœnam ſumat de reprobis, ubi blanditi illis fuerint fallaciter. Confirmat hanc doctrinam quum dicit, Speculator Ephraim eſt laqueus aucupis ſuper omnes vias ejus: hoc eſt, debebat dirigere populum & ab inſidiis tutum ſervare. Atqui nunc populus non poteſt movere pedem, quin laqueus aliquis occurrat. Unde autem hic laqueus niſi ex falſa doctrina & impoſturis? Quid ergo futurum eſt tandem? An laquei valebunt ad cavendum? minime: ſed Satan hoc modo prædam ſuam venatur quum per falſos doctores populum demulcet, & quaſi tenet ſopitum ne reſpiciat ad manum Dei. Non eſt igitur quod ſibi placeant Iſraelitæ in aucupiis, quibus vident ſe trahi in exitium. Hæc indignitas melius exprimitur quum dicit eſſe rem deteſtabilem in Templo Dei. non erat quidem Templum Dei in Bethel, quemadmodum aliquoties diximus: ſed quia ſolebat populus Dei nomen obten-

obtendere, ideo per conceſſionem dicit Propbeta iſtas abominationes obtegi Dei titulo, & ideo non opus eſt hic anxie diſputare, an templum Samariæ, an templum Bethel fuerit domus Dei vel ſacrarium. Eſt enim conceſſio quæ non oſtendit rem ita habere, ſed tantum de communi opinione loquitur. Sic ergo Propheta non abs re hic conqueritur profanatum eſſe locum cui inſcriptum erat Dei nomen, & ita pro doctrina ſalutis ubique eſſe aucupia, quæ populum in defectionem rapiant, & tandem in ultimum interitum. Sequitur,

9. Profundaverunt, (*ad verbum. alii vertunt, multiplicaverunt: ſed male. alii, Aſtute cogitaverunt: quod mihi etiam non placet. Sed quia verbum quod poſui, neque Latinum eſt, & eſſet ambiguum; ideo vertamus, Profunde vel alte defixi ſunt*) corruperunt ſicuti in diebus Gabaa: recordabitur iniquitatis eorum, viſitabit ſcelera eorum.

Hic pronunciat Hoſeas populum ſic demerſum eſſe in ſuis ſceleribus, ut noo poſſit inde extrahi. Qui cecidit, poteſt ſe erigere ubi quis manum porrigit: qui etiam laborat ut emergar ex aliquo luto, ſi nactus ſit adjutorem, poterit in ſolido pedem ponere: ſed ubi quis in profundum dejectus eſt, jam nullus eſt locus remedio. Fruſtra extendam manum ſiquis naufragio ſit abſorptus, & io profundum gurgitem cecideris. Sic ergo dicit Propheta inſanabilem eſſe populum, quia alte defixus ſit: deinde quia imbutus ſit ſuis corruptelis. Significat ergo morbos eſſe inſanabiles, & ita profunde radicem egiſſe, ut purgari nullo modo queant. *Profunde* ergo *defixi ſunt, & corrupti ſunt ſicuti diebus Gabaa.* Scimus Gabaonitas eo uſque fuiſſe prolapſos, ut urbs eorum nihil à Sodoma differret. nam illic effrenis licentia omnium ſcelerum graſſata eſt: & prodigioſæ etiam libidines illic regnarunt, ut oullum eſſet diſcrimen boni & mali, nullus eſſet pudor. Unde factum eſt ut abripuerint uxorem Levitæ, & enecaverint fœdis ſtupris: unde ſequuta eſt clades illa memorabilis, quæ fere delevit totam Tribum Benjamin. refertur hiſtoria libro Judicum à 19. cap. uſque ad plura. Nam hoc fuit memoratu dignum, ut populus agnoſceret quid ſit non ſollicite ambulare & cum timore ſub jugo Domini. Quis enim crederet populum in Lege Dei edoctum poſſe eo dementiæ prolabi, ut urbs quæ vicina erat Jeroſolymæ, ubi etſi nondum extructum erar Templum, locus tamen deſtinatus erat: atque ut Templum in ratiooem oon veniat, quum orbs illa eſſet in medio populi, quis putaſſet poſſe ita dementari, ut quaſi brutæ pecudes ſe projicerent ad fœdas libidines? imo etiam turpiores eſſent pecudibus? quia illic, quemadmodum dixi, portenta libidinum impunita erant, ſicut Sodomæ, & in vicinis nrbibus. Nuoc dicit Propheta totum Iſraëlem non aliter fuiſſe corruptum, quam olim fuerant cives Gabaon. Profunde igitur demerſi ſunt Iſraëlitæ in ſuis ſceleribus, dediti ſunt ſuis corruptelis non aliter quam olim cives Gabaa. Quid igitur reſtat? *Recordabitur Deus iniquitatis eorum*, inquit, *& viſitabit ſcelera eorum.* Duo intelligit Propheta: jam quia Iſraëlitæ ſunt prorſus immorigeri, nec doctrinam capiuot, Deum acturum eſſe alio modo. quaſi diceret, Non amplius Domious fruſtra conſumet operam vos docendo per ſuos Prophetas; ſed arripiet gladium, & vindictam ſuam exequetur: neque enim digni eſtis quos amplius doceat, apud quos ſic ludibrio habetur ejus doctrina. Hoc unum eſt. Alterum vero, etiamſi Deus hactenus pepercerit populo Iſraël, tamen non eſſe oblitum quanta colluvies ſcelerum illic regnaverit. Deus ergo tandem recordabitur, inquit, veſtra peccata, & viſitabit, quemadmodum prius dixerat. Nunc ergo tenemus ſimplicem Prophetæ ſenſum. Jam hinc etiam expergefacere nos diſcamus, & primo loco notemus quod dicit Propheta, profundos eſſe Iſraëlitas, quia neceſſe eſt homioes obrutos eſſe Dei cootemptu, ubi ita in profundum deſcendunt, ſicuti dicit Solomo. Quiſ- *Prov.* 18.
que igitur noſtrûm ſe quotidie ad reſipiſcentiam ſol- *verſ.* 3.
licitet, ac ſedulo caveat ne in hunc profundum gurgitem deſcendat. Jam, quum dicit, Recordabitur Dominus & viſitabit; ſciamus magnopere falli qui ſibi indulgent quamdiu Domious clementer ipſorum peccata tolerat: quia etiamſi ad tempus diſſimulet, tamen nunquam obrepit talis oblivio, quin tempore opportuno recordetur, idque effectu oſtendat, quum ſcilicet exequitur juſtas pœnas.

Da omnipotens Deus, quum oobis illuceas per verbum tuum, ne cæcutiamus in meridie, neque etiam ultro accerſamus nobis tenebras, & ita ſopiamus mentes noſtras, ſed excitati quotidie tuis vocibus, magis ac magis nosipſos accendamus ad timorem nominis tui, & ſic offeramus nos & noſtra omnia ſtudia tibi in ſacrificium, ut placide in nobis regnes & perpetuo habites, donec colligas nos in habitaculum tuum cœleſte, ubi repoſita eſt nobis æterna quies & gloria, per Jeſum Chriſtum Domioum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA QUINTA
IN
HOSEAM PROPHETAM.

CAP. IX.

10. Tanquam uvas in deſerto inveni Iſraël, ſicut primum fructum ficulneæ in ſuo exordio vidi patres eorum: ipſi ingreſſi ſunt ad Baal-Peor, & ſegregati ſunt in opprobrium, & fuerunt abominationes ſecundum amores ſuos.

HOc verſu Deus Iſraelitis exprobrat, quod quum ab initio eos amplexus ſit ſuo favore, tameo maluerint ſe proſtituere idolis quam manere ſub ejus tutela: acſi diceret, præventos amore gratuito alio tranſtuliſſe animum. Dicit autem ſe inveniſſe illos tanquam uvas in deſerto. Nomen deſerti conjungi debet cum uvis, acſi diceret fuiſſe tam ſuaves & gratos ſibi quam uva, ſi poſſet reperiri in deſerto. Si viator forte uvam in loco ſterili & vaſto reperiat, non tantum mirabitur, ſed magnam oblectationem capiet ex fructu illo inſperato. Sic etiam Dominus amplificat amorem ſuum erga Iſraëlitas hac comparatione. Addit, *Tanquam fructum primum ficus*, quia ſcimus ficus bis quotannis fructus ſuos producere. Dicit igitur Deus, Quemadmodum oblectabiles ſunt ficus initio, & quidem primitivæ, ut loquuntur; ita oblectationem ex hoc populo cepi. Porro non intelligit Propheta dignum fuiſſe populum quem tantopere amaret: ſed Hebræi dicunt Iovenire, quemadmodum etiam Gallice dicimus, *Je trouve cela à mon gouſt.* Reputavi igitur *Iſraëlem tanquam uvas in deſerto.* Et hoc notandum eſt, nequis

quis ſorte argute colligat, Iſraëlitas ideo dilectos fuiſſe à Domino, quod aliquid eſſet in ipſis ſapidum. Neque enim hic Propheta recitat quid Deus in populo illo invenerit, ſed tantum accuſat ingratitudinem, quemadmodum ſtatim videbimus. Hoc igitur eſt prius membrum, quod Deus populum hunc in ſummis deliciis habuerit. Eadem vel ſimilis ſententia occurret cap. 11. ubi dicetur, Quum adhuc puer eſſet Ephraim, ego dilexi eum: niſi quod illic non exprimitur tanta vehementia, tantuſque ardor amoris. ſed idem argumentum illic tractatur, & finis etiam idem eſt: nempe quod Deus antevertit ſuo amore hunc populum. Minus autem excuſationis reſtat ubi homines Deum vocantem repudiant, ac non reſpondent ejus amori. Malitia hæc vix tolerabilis eſſet inter homines: ſiquis me ultro diligat, ego autem illum reſpuo, jam hoc ſignum eſt ſuperbiæ vel inhumanitatis: ubi autem Deus ipſe nos gratis amplectitur, & non contentus vulgari amore perinde nos amat ac fructus delectabiles, ſi rejicimus hunc amorem, ſi contemnimus hanc gratiam, nonne turpiſſimam pravitatem hac in parte prodimus? Ergo nunc tenemus conſilium Prophetæ. Priore membro dicit in perſona Dei, Ego Iſraelem non ſecus dilexi quam ſi viator reperiat uvas in deſerto: deinde quam ſolent amari ficus primitivæ. Quum ergo ipſos in tantis deliciis habuerim, nonne debebant viciſſim me colere? nonne debebat amor ille gratuitus accendere illorum corda, ut ſe totos mihi addicerent? *Atqui ipſi ingreſſi ſunt ad Baal-Peor.* ſic enim interpretor verbum באו: & pluribus etiam aliis locis eodem ſenſu capitur. nam Hebræi dicunt Ingredi, quum loquuntur de concubitu viri & mulieris: rem pudendam verecunde ſcilicet deſignant. Propheta autem ſacrificia quæ populus obtulit Baal-Peor, non abs re comparat adulterio: quemadmodum ſi adulter coeat cum ſcorto. Ingreſſi ſunt igitur ad Baal-Peor: & addit, ſegregatos fuiſſe. Quidam verbum נזר interpretantur de cultu, quod ſcilicet ſe conſecraverint Baal-Peor: quanquam alii deducunt à זור, & putant eſſe Niphal, quod eſt Alienari: ſed ego accipio quemadmodum etiam dicit Ezechiel 14. cap. Segregavit ſe מאחרי, de poſt me: hoc eſt, ne me ſequatur. Deus illic expoſtulat cum populo, quod ſequutus ſit ſuas ſcortationes, atque ita deſeruerit conjugium illud ſacrum quod paciſcitur Deus cum omnibus ſuis. Ego igitur uno contextu lego Iſraëlitas ingreſſos fuiſſe ad Baal-Peor, quemadmodum ſiquis adulter ad ſcortum accedat: deinde fuiſſe ſegregatos, quia ſcilicet abnegaverint Deum, & violaverint fidem ei datam, diſceſſerint à conjugio illo ſpirituali quod Dominus cum ipſis pepigerat. Scimus enim Prophetam, quoties de idololatria concionatur, allegorice vel metaphorice loqui tanquam de adulterio. Dicit, *Segregati ſunt in opprobrium*: hoc eſt, quum pudenda eſſet fœditas, tamen fuerunt prorſus ſtupidi, quemadmodum ſi mulier famam ſuam negligat, aut vir non reputet ſe digito ab omnibus oſtendi, & ſuum flagitium ab omnibus haberi ludibrio: ita dicit Iſraëlitas fuiſſe in opprobrium ſegregatos: acſi diceret, abjecto pudore fuiſſe ad flagitium projectos. בשת alii interpretantur rem pudendam: alii ipſum Baal-Peor. Segregati ſunt igitur ad idolum illud fœdum: quia Priapum quidam fuiſſe putant Baal-Peor. & illa opinio fere omnium ſuffragio recepta eſt. Sed hic latius extendo nomen opprobrii, quod ſcilicet populus nullum habuerit amplius diſcrimen honeſti vel turpis, ſed ſtupidus fuerit in ſuo ſcelere. *Fuerunt* igitur *abominabiles ſecundum amores ſuos*, vel fuerunt abominationes. Hic non dubito quin Propheta conjungat Iſraelitas cum idolis & cum ipſo Baal-Peor, ita ut exuat omni illa ſanctitate quam adepti fuerant gratia Dei. Nunc tenemus ſcopum Prophetæ. Eſt autem hæc doctrina digna obſervatu & utilis. nam quemadmodum diximus, non eſt excuſabilis noſtra malitia, ſi contemnimus gratuitum Dei amorem ubi præventi fuerimus. Si ergo Deus ipſe ultro ad nos accedit, ſi nos invitat, ſi offert jus filiorum, quod eſt inæſtimabile beneficium: nos autem reſpuimus ejus gratiam, nonne iſta eſt pluſquam immanis feritas? Huc igitur ſpectat objurgatio Prophetæ, quod Deus Iſraëlem dilexerit, ac ſiquis uvas in deſerto reperiat, vel ſiquis comedat ficus primitivas. Sed ſimul etiam notandum eſt cur tantopere extollat amorem Dei Propheta erga populum Iſraël: nempe quia adoptio non erat vulgaris nec promiſcua omnibus gentibus, ut ſatis notum eſt. Quum ergo electus eſſet populus ille in peculium Dei, merito hic Propheta inſigni elogio amorem hunc extollit. & ſimilis eſt hodie noſtra ratio: Deus enim non omnes dignatur hac gratia quæ nobis oblata eſt. nam illuxit nobis per Euangelium ſuum. Alii populi errant in tenebris, lux vitæ tantum inter nos reſidet: nonne ita oſtendit Deus nos ſibi eſſe in præcipuis deliciis? Jam ſi manemus noſtri ſimiles, & ſi ipſum repudiamus atque alio transferimus affectum noſtrum, vel potius alio nos libido rapit, nonne iſta eſt deteſtabilis malitia & perverſitas? Jam quod dicit Propheta, ſegregatos fuiſſe in opprobrium, notatu etiam dignum eſt: quia crimen hac circumſtantia exaggerat, quod Iſraëlitæ excæcati ſic fuerint, ut non ſentirent turpitudinem, quæ tamen manifeſta erat. Non dubium eſt quin ſuperſtitiones quæ tunc regnabant in terra Moab, fuerint craſſiſſimæ: ſed ſic faſcinavit eorum mentes Satan, ut projicerent ſe ad illud flagitium, quod tamen pluſquam pudendum erat. Sciamus ergo crimen noſtrum eo graviore pœna dignum eſſe, ubi ſublatus eſt apud nos omnis delectus, & ſpiritu vertiginis abripimur ad omne nefas, neque amplius diſcernimus inter lucem & tenebras, inter album & nigrum: hoc enim ſignum eſt ultimæ reprobationis. Ergo quum obſtare deberet pudor, tamen dicit Iſraëlitas ſegregatos in *opprobrium*, *& abominationes fuiſſe ſecundum amores ſuos*: hoc eſt, quemadmodum Baal-Peor eſt mihi ſumma abominatio, ita etiam populus hic poſthac mihi erit in pari abominatione. Jam ſequitur,

11. Ephraim, quaſi avis avolavit gloria eorum, à partu, & ab utero, & à conceptione.

Jungamus etiam ſequentem verſum.

12. Quia ſi extulerint filios ſuos, tunc exterminabo eos ab homine: (*hoc eſt, ne ſint in numero hominum*) certe etiam væ illis quum receſſero ab eis.

Scimus Hebræis ſæpe abruptas eſſe loquutiones, quemadmodum hoc loco, *Ephraim, avolavit gloria ipſorum*. Ephraim ſeorſum ponitur, & apparet orationem eſſe patheticam, ubi Dominus ita contextum abrumpit, *Ephraim*: non continuat ſenſum, ſed ſtatim adjungit, *Sicut avis avolavit gloria ipſorum*. Quum loquitur de gloria Ephraim, non dubium eſt quin præcipue ad ſobolem reſpiciat: ſed per ſynecdochen comprehendit quicquid tunc valebat ad opes, vel ad gloriam, vel ad potentiam. Dico Prophetam de liberis loqui, quia ſtatim addit, *A partu, & utero, & conceptione*. Sed falluntur tamen qui reſtringunt ſententiam ad ſolos liberos, quia ſynecdochica eſt locutio, ut dixi. Secundum literam Liberos vel ſobolem deſignat: ſed tamen generaliter complectitur totum ſtatum populi. *Sicut* igitur *avis avolavit gloria Ephraim*. Quomodo? *A partu, ab utero, à conceptione*. Non dubium eſt quin Propheta hic gradatim exprimat

mat

mat vindictam Dei, quæ adhuc partim inſtabat Iſraëlitis, partim vero jam erat patefacta claris documentis. Dicit, *A partu*, deinde *ab utero*, poſtremo *à conceptione*. ſi ergo gloria Ephraim initio evanuiſſet, non ita loquutus eſſet Propheta: ſed quoniam Dominus paulatim iræ ſuæ ſigna oſtendit, ut tandem ad ſummum cumulum perveniret ultio, ideo Propheta primo loco nominat Partum, deinde uterum: acſi diceret, Evaneſcet gloria Iſraël ab ipſo partu: quod ſi adhuc ſuperbiant, vel nondum videam ſubactos eſſe hac pœna, ego in ipſo utero eos interficiam: imo à conceptione, ſi nondum reſipiſcant, ubi fuerint quaſi in ipſo utero ſuffocati. Poſtea adjungit, *Etiamſi extulerint filios ſuos, exterminabo tamen ne ſint homines*, vel, priuſquam adoleverint, ut alii exponunt. Summa eſt, Quamvis tunc Ephraim ſibi placeret, tamen inſtare horribile exitium, quod extinguet totum ſemen, ita ut nihil maneat reſiduum. Sed, ne putent ſe defunctos eſſe ubi Dominus pœnam unam de ipſis ſumpſerit, ponit tres gradus: quod ſcilicet Deus à partu eos primum interficiet: deinde in ipſo utero extinguet eos: poſtremo ante conceptionem. quod ſi illis parcat, ut etiam filios ſuos tollant, tamen hoc fore ſine profectu, quia etiam ipſos adoleſcentes in flore ætatis Deus rapiet. Sic ergo minatur interitum regno Iſraël. Poſtremo claudit ſententiam his verbis, *Certe etiam væ illis, ubi ab ipſis receſſero.* Significat his verbis Propheta miſeros & maledictos eſſe homines, ubi à Deo alienati ſunt, & Deus favorem ſuum ab ipſis abſtulit. Poſtquam ergo notavit ſpecialiter vindictam Dei quæ tunc inſtabat, hic dicit cauſam & originem omnium malorum eſſe, quia Deus ab ipſis diſceſſerit, quemadmodum etiam prius fidem renunciaverant. Sed tenendum eſt quo conſilto hoc membrum addiderit Propheta, nempe quia reprobi homines ſomniant etiam Deo infenſo, tamen ſibi fore proſpere. Neque enim res adverſas aſcribunt iræ Dei, neque agnoſcunt fontem omnium bonorum eſſe gratuitum & paternum Dei favorem. Quia igitur non tenent principium illud profani homines, ideo quamvis Deus clamet ſe eſſe illis hoſtem, ſe armatum eſſe ad ipſos perdendos, non curant, ſed promittunt fortunam ſibi propitiam fore: donec ſentiant manum Dei, & appareant exitii ſigna, ſemper ſecuri manent. Hæc ratio eſt cur Propheta dicat væ hominibus eſſe ubi Deus ab ipſis receſſit. Quemadmodum ergo ubique Scriptura docet oriri nobis & fluere ex mera Dei gratia & paterno ejus favore quicquid optabile eſt, ſic etiam Propheta hoc loco denunciat homines miſeros & maledictos eſſe ubi Deus eſt illis infeſtus. Jam ſequitur,

13. Ephraim, ſicut vidi in Tyro plantatam (*ſubaudi arborem*) in habitaculo: Ephraim tamen ad educendum (*hoc eſt, educet*) ad excidium (*vel mactationem*) filios ſuos.

Hic confirmat ſuperiorem ſententiam Hoſeas, quod ſcilicet fruſtra confidant Iſraëlitæ præſenti ſtatu, quia Dominus hanc felicitatem, ubi ita viſum fuerit, momento convertet. Scimus homines obdureſcere in ſuis vitiis, ubi fruuntur votis ſuis, & ubi in ſuis voluptatibus ſunt demerſi: nam proſperitas non temere ſæpe confertur vino, quia inebriat homines, imo potius dementat. Videmus quid Sodomitis & aliis contigerit: imo hæc fere omnibus reprobis cauſa exitii ſemper fuit, quod abuſi ſint Dei tolerantia, *Rom.2:4.* quemadmodum etiam dicit Paulus. Talis ſuperbia in populo Iſraël graſſata eſt, ita ut ſecure ſpernerent omnes minas, quemadmodum ſæpius jam dictum fuit Huc ergo nunc reſpicit Propheta: *Ephraim eſt quaſi arbor plantata in Tyro: tamen educet filios ſuos ad mactationem.* Ponit igitur hic Propheta delicias Iſraëlis: deinde addit, brevi futurum ut Dominus tamen ipſos ad judicium extrahat, quamvis ad tempus molliter & tenere ipſos fovendo, quaſi arborem pretioſam habuerit. Vertunt hunc locum, Vidi Ephraim tanquam Tyrum plantatam: & בנוה quidam exponunt, In amœnitate: ſed quum נוה ſignificet Domicilium vel tugurium, ideo proprium ſenſum libenter retineo. Sed tamen variant interpretes in ſententia. Dicunt enim quidam, Vidi Ephraim ſicut Tyrum, quia ſimilis exitus manet populum hunc qui Tyro contigit: quemadmodum enim ſupplicium de Tyro ſumptum fuit, ita neque Ephraim impune effugiet. Quidam ita exponunt, ſed nimis argute meo judicio. Verum quia hic addunt ל, libenter ſubaudio arborem vel plantam, vel aliquid ſimile. Ephraim ergo fuit tanquam ſiquis aſpiciat arborem in Tyro: ad verbum eſt, ad Tyrum, vel in Tyro. Fateor literam eſſe ſupervacuam multis locis; tamen niſi cogat neceſſitas, retinet aliquam proprietatem: & hoc loco optime ſic conveniet quod jam dixi, Ephraim eſt quaſi arbor plantata in Tyro: nempe *in habitaculo* vel tugurio. Scimus Tyrum fuiſſe extructam in medio mari. erat inſula: habuit hortos plenos amœnitatis, ſed non ſine magno ſumptu & labore, quia undique mari alluebatur: & niſi oppoſiti fuiſſent aggeres, illic anguſtæ erant domus. Quum ergo illic difficile eſſet erigere arbores, non dubium eſt quin adhibuerint plus operæ & laboris, ſicuti fieri ſolet. nam homines ſæpe luctantur cum natura ipſa. Et ſi dicamus fuiſſe Ephraim plantatam inſtar Tyri in habitaculo, quid hoc valebit? Sed ſi dicamus fuiſſe tanquam arborem quaſi in tugurio ſervatam: ut videmus arbores quaſdam, quæ non poſſunt ferre aërem frigidum, hyeme contineri in tuguriis, ut ſerventur: ita etiam probabile eſt Tyrios, qui divites erant, quum eſſet illic opulentum emporium, plus curæ adhibuiſſe in fovendis ſuis arboribus. Summa eſt, quod Ephraim fuerint ſimiles arboribus delicatis, quas magna cura homines conſervant, nec ſine ſumptu: ſed educent poſthac filios ſuos ad mactationem. Opponitur hæc eductio habitationi vel tugurio. Fuerunt ergo extra periculum frigoris & caloris, erant quaſi arbor tenera in tugurio, ſed *cogentur filios ſuos ad mactationem extrahere*: hoc eſt, amplius non erit illis tugurium quod eos protegat à violentia hoſtium, ſed ipſi in lucem trahentur. Nunc videmus optime congruere verba ad hunc ſenſum, quod ſcilicet fruſtra ſibi blandiatur populus Iſraël, quia hactenus non fuerit obnoxius ullis malis, ſed Deus quaſi immunem ipſum continuerit ab omni noxa. Dicit Propheta non eſſe cur populus ſuperbiat, ſi hactenus tam indulgenter tractatus fuit: quia etiamſi fuerint ſimiles arboribus teneris, cogentur tamen filios ſuos ad interfectionem trahere: quemadmodum hæc comparatio, quæ amplificat, ſæpe occurrit in Scripturis. Si Joachim ſit tanquam annulus in dextra mea, inde extraham eum, inquit Dominus: quemadmodum ſolent homines *Jer.22.* etiam Dei promiſſionibus falſo abuti. Quia Rex *verſ.24.* Joachim erat ex poſteris Davidis, putabat fieri non poſſe ut unquam hoſtes ſpoliarent eum regno. Non ita erit: etiamſi ſit tanquam annulus in manu mea, tamen inde extraham eum. Sic etiam hoc loco, Etiamſi in ſinu meo hactenus educati ſint Iſraëlitæ, & eos humaniter proſequutus fuerim omnibus beneficiis, deinque fuerint ſimiles teneris arboribus, poſthac tamen erit alia prorſus eorum conditio. Jam ſequitur,

14. Da illis Jehova: quid dabis? da illis vulvam abortientem, (*vel interficere facientem*) & ubera arida.

Vertunt aliter interpretes hæc verba, Da illis ſcilicet quod daturus es. poſtea repetunt, Da illis &c. ſed meo judicio non aſſequuntur Prophetæ mentem, & prorſus aberrant, quia hic Propheta induit perſonam hominis anxii & perplexi. Hic igitur ſe coram Deo offert quaſi deprecatorem, acſi diceret, Domine, ego libenter intercederem pro hoc populo. Quid igitur eſt quod præcipue illis optem? certe hoc eſt ſummum votum in iſta miſera diſſipatione, *Ut des illis vulvam interficientem & arida ubera*: hoc eſt, ut nemo ex illis
Luc.23. naſcatur. Chriſtus dicit, quum inſtabit ultima cla-
verſ.29. des Jeroſolymæ, beatas fore ſteriles: & ſumpſit hoc ex communi doctrina Scripturæ, quia ſimiles loci notari poſſunt apud Prophetas. Scimus inter benedictiones Dei hanc eſſe non ultimam, ſi naſcatur multa ſoboles. Ergo ſignum eſt horribilis vindictæ, ubi ſterilitas, quæ per ſe maledictio cenſetur, tamen pro ſummo bono optanda eſt. Quid enim miſerius quam rapi infantes è ſinu matrum, & jugulari coram ipſis liberos? vel mulieres gravidas interfici? vel incendio conſumi urbes & agros, ita ut fœtus nondum nati una intereant? hæc autem omnia accidunt in ultimis cladibus. Videmus ergo Prophetam in ſumma hoc velle, tam deſperatum eſſe populi ſtatum, ut nihil magis optabile ſit quam mulierum ſterilitas, ut poſthac nulla naſcatur ſoboles, ſed paulatim aboleatur nomen & memoria populi. Hactenus quidem propoſuit ſatis graves adeoque formidabiles pœnas: ſed ſcimus quanta ſit contumacia & durities eorum quos nulla amplius tenet religio. ſic ergo ludibrio fuerant omnes minæ apud hunc obſtinatum populum. Hæc ratio eſt cur Propheta nunc ſuſcipiat deprecatoris perſonam. Addit, *Domine, da illis*: hoc eſt, Domine, ſaltem ignoſce illis aliquo modo, concede adhuc aliquid illis. Et quid dabis? Hic quaſi ſuſpenſus & attonitus ſecum diſputat, & cum Deo etiam deliberat quid maxime optandum ſit. Equidem pro gente mea, cujus me miſeret, ſupplex adſum: ſed quid ego petam? Ego, Domine, vellem ut populo huic ignoſceres. Sed quænam erit ratio, quodnam ſuppetet mihi ſolatium, vel quale remedium adhuc ſupereſt? Certe nihil video melius, quam ut ſteriles ſint, ut poſthac nihil ex illis naſcatur, ſed ſinas eos conſumi & putreſcere: quia ſola hæc erit illis ſumma felicitas in tanta deſperatione. Conſilium igitur Prophetæ eſt, hic ſummum terrorem incutere hypocritis & profanis hominibus, ut intelligant nullis modis poſſe exprimi Dei vindictam quæ illis inſtat: quia ſatius eſſet illos deſtitui iſta benedictione ſobolis, ne ſcilicet cum ipſis perirent eorum infantes, ne viderent mulieres prægnantes ac gravidas crudeliter ab hoſtibus interfici, vel ſaltem abduci in prædam ſuos liberos. Ne ergo contingant ejuſmodi exempla, dicit Propheta ſterilitatem illis optandam eſſe loco ſummi boni. Non dubito quin hoc Propheta voluerit. Jam ſequitur,

15. Omne malum eorum in Gilgal, quia illic odium concepi contra eos: ſuper malitia (*vel propter malitiam*) operum ipſorum è domo mea eijciam eos: non pergam amare eos: omnes principes eorum ſunt defectores. (*perfidi.*)

Eſt autem elegans paranomaſia in verbo שרים & שוררים, qua etiam utitur Iſaias primo cap. Primo dicit, *Omne malum eorum eſſe in Gilgal*: quia ſcilicet putabant ſe habere optimum prætextum, quod illic ſacrificia offerrent in honorem Dei, & quod locus ille antiquitus ſacer eſſet. Quemadmodum ergo prius dixit ipſos multiplicaſſe ſibi altaria ad peccandum, & illis in peccata ceſſura: ita nunc repetit eodem ſenſu: *Omne malum eorum in Gilgal eſt*, inquit. quaſi diceret, Obtrudent mihi ſcilicet ſua ſacrificia, quæ offerunt in Gilgal, & putabunt valere ad excuſationem omnium malorum. Atqui hoc eſt ſummum ſcelus. Ego forte illis ignoſcerem, ſi eſſent & pleni rapinis, & crudelitate, & perfidi, & fraudulenti, modo adhuc vigeret apud ipſos integer cultus, & non ita adulterata eſſet prorſus religio: ſed quia mutarunt quicquid Lege mea præceperam, & locum illum celebrem traxerunt ad turpe flagitium, ut ſit illic quaſi lupanar ubi religio proſtituitur; ideo totum illorum malum eſt in Gilgal. Certum eſt populum aliis etiam ſceleribus fuiſſe obſtrictum: ſed hic nomen כל accipitur pro ſummo, vel præcipuo. Comparative ergo loquitur Propheta, non ſimpliciter: quaſi diceret, magis abominabilem eſſe hanc corruptelam Deo, quod ſacrificia offerant in Gilgal, quam & adulteria, & rapinas, & fraudes, & injuſtam violentiam, & quicquid ſcelerum denique regnabat apud eos. Totum ergo malum eorum eſt in Gilgal. Cur autem ſic loquatur Propheta, nuper oſtendi: quia ſcilicet ſuperſtitioſi homines regerunt ſua figmenta, quum ipſos Deus accuſat, O! nos tamen habemus multa pietatis exercitia. Vellent hæc objicere in compenſationem. Dominus autem oſtendit ſe longe gravius offendi iſtis ſuperſtitionibus quas hypocritæ obtendunt clypei loco, quam ſi palam eſſent ſine aliqua ſpecie religionis. Quia illic odium concepi adverſus eos, inquit, propter malitiam operum ipſorum. Hic Propheta rurſus condemnat quod tamen homines putant eſſe inſtar præcipuæ ſanctitatis. Quis enim hypocritis perſuadeat fictitios eorum cultus ſummæ eſſe abominationi? imo etiam extollunt ac fingunt ſe Angelis ſimiles eſſe, & quaſi occultant omnia ſua ſcelera ſub his latebris: quemadmodum fieri videmus in Papatu, ſi multas Miſſas obtrudant Deo & alia figmenta, putant redimi quicquid ſceletum apud ſe eſt. Quum ergo hypocritæ ita fucum facere Deo ſoleant, & ſimul etiam ſibi facere blanditias, Propheta hic denunciat magis exoſos eſſe Deo propter hoc malum, quod ſcilicet audeant corrumpere & adulterare purum ejus cultum. Poſtea addit, *Ejiciam eos è domo mea.* Quum minatur Deus ſe ejecturum Iſraelitas è domo ſua, perinde eſt acſi diceret, Ego prorſus eos abdicabo, quemadmodum ſiquis vel ramum ſiccum abſcindat ex arbore, vel membrum putridum ex corpore. Certum quidem eſt Iſraëlitas fuiſſe tunc ſimiles ſpuriis: neque enim digni erant aliquo numero vel ordine in Eccleſia, quum haberent extraneum templum & profana ſacrificia: ſed quia adhuc manebat inter eos Circumciſio, manebat nomen Sacerdotii, jactabant ſe eſſe filios Abrahæ & ſacrum populum, ideo Propheta hic tale denunciat excidium, ut appareat fruſtra ipſos gloriari ſuperbis iſtis titulis, quum ſcilicet Deus expunxerit eos è ſuo catalogo. Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ. ſed cras reliqua proſequemur.

Da omnipotens Deus, quum nos tam liberaliter amplexus fueris in Filio tuo unigenito, & ex filiis Adæ & genere maledicto feceris ſemen ſacrum & benedictum, nos autem non deſierimus hactenus nos alienare ab ea gratia quam nobis obtuleras: da, inquam, ut poſthac ſic redeamus ad ſanam mentem, ut adhæreamus fideliter & ſincero affectu cordis Filio tuo, & hoc vinculo ſic retineamus amorem tuum, & retineamur etiam in adoptione gratiæ, ut nomen tuum glorificetur in nobis quamdiu in hoc mundo peregrinamur, donec tandem nos colligas in regnum tuum cœleſte, quod nobis acquiſitum eſt ejuſdem Filii tui ſanguine, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO VIGESIMA SEXTA IN HOSEAM PROPHETAM.

CAP. IX.

Diximus heri, quomodo expellat Deus è domo ſua, qui tamen jam cenſeri debebant inter exteros. Hypocritæ enim ſemper inveniunt opercula ad ſe tegendos, donec palam oſtendat omnibus Dominus ipſe eorum turpitudinem. Ergo neceſſe eſt auferri quod videntur habere, quemadmodum etiam Chriſtus de hypocritis pronunciat. (Mat. 13. verſ. 12.) Sequitur poſtea, *Non pergam amare eos:* Poſſet etiam hic moveri quæſtio, cur ita loquatur Deus de amore ſuo. nam tunc jam deſierat amare illum populum, quemadmodum ſatis ex re ipſa colligitur. Sed quamvis impropria ſit loquutio, non tamen male quadrat. Profani homines, & qui addicti ſunt terrenis commodis, amorem Dei æſtimant ex præſenti intuitu: quum Dominus ipſos bene & pinguiter ſaginat, quum fruuntur ſuis deliciis, quum nihil moleſtiæ ſuſtinent, putant ſe eſſe Deo gratiſſimos. Talis erat conditio populi, quantiſper Dominus ſuſpendit vindictam ſuam, ſicuti jam aliquoties dictum eſt: præſertim ſub Rege Jarobeam ſecundo ſcimus quam indulgenter Dominus illis pepercerit. Erat igitur quædam amoris ſpecies quum Dominus adhuc ita eos foveret & alliceret ad pœnitentiam hac dulcedine ſuæ bonitatis: nunc quia videt magis ac magis obdureſcere, dicit, *Non perſequar amorem meum erga ipſos:* hoc eſt, jam reipſa oſtendam me ipſis eſſe infeſtum, quia video me nihil proficere mea tolerantia, quam ipſi quodammodo ſubſannant. Ita videmus eodem fere modo rejici homines à Deo, tam ubi eos exterminat ab Eccleſia ſua, quam ubi ſubducit ſuam benedictionem, quæ eſt quaſi pignus & ſymbolum amoris. Poſtea ſequitur ratio, *quod Principes eorum ſint perfidi.* atque hoc diſerte expreſſum eſt, quia utile fuit notari totius mali originem. Hic ergo Propheta oſtendit non cœpiſſe à vulgo hominum corruptelas, ſed ab ipſis Principibus. Scimus autem in quem finem Deus velit extare aliquem ordinem inter homines, nempe ut ſit inſtar freni ad cohibendam plebis proterviam. Quum igitur Principes ipſi duces ſunt ad omne ſcelus, tunc neceſſe eſt omnia peſſum ire, quia quod remedii loco eſſe debebat, convertitur in cauſam exitii. Hoc ergo primum voluit Propheta. Cæterum Principes accuſans non tamen populum abſolvit, ſed quemadmodum alibi fuit dictum, oſtendit fuiſſe nimis cæcos, qui paſſi fuerunt ſe trahi in foveam à cæcis: neque enim dubium eſt, quin populus ſponte & libenter erraverit, quamvis haberet perverſos duces: imo quoniam cupide captaret aliquos errandi prætextus. idque etiam alibi viſum fuit. Sed hinc colligitur quam frivola ſit eorum excuſatio, qui obtendunt hodie ſe parere & Principibus & Epiſcopis: quia hic Dominus pœnam denunciat toti populo, quod Principes fuerint perfidi. Si ita eſt, videmus involvi totum corpus ubi mali duces præeunt, & abducunt populum à recta via: imo præcipitant in eaſdem tranſgreſſiones, vel ſecum rapiunt. Ubi igitur eſt talis confuſio, neceſſe eſt ſequi univerſalem pœnam, quæ omnes ſimul abſumat. Pergamus.

16. Percuſſus eſt Ephraim, radix eorum exaruit, fructum non facient: etiam ſi genuerint, tunc interficiam deſiderabilia uteri ipſorum.

Rurſus ultimam vindictam minatur Propheta Iſraëlitis. nec mirum eſt toties repeti eandem ſententiam, quia ſcimus hypocritas nimium ſibi blandiri, & non admodum percelli etiam graviſſimis minis. Quia ergo hypocritæ tam lenti ſunt, ideo neceſſe eſt ſæpius, imo ſubinde ipſos pungi, & quidem acerrime, ut tandem expergeſiant à ſuo torpore. Propheta igitur inculcat minas quibus antehac ſæpe uſus eſt: dicit *Iſraëlem ita percuſſum eſſe, ut radix ipſorum exaruerit.* Similitudo eſt ſumpta ab arbore, quæ non tantum cæſa eſt quantum ad ſuperficiem, ſed à radice etiam evulſa. Summa eſt, Deum talem vindictam ſumpturum de populo hoc perdito, ut in totum & ſine ulla ſpe ſanationis pereat. Radix ergo exaruit, non proferent amplius fructum. Deinde ab illa ſimilitudine vel metaphora diſcedit: *Si genuerint,* inquit, *ego interficiam deſiderabilia uteri ipſorum:* hoc eſt, etiamſi naſcatur aliquod ſemen, tamen ego ipſum interficiam. Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ: quod ſcilicet non amplius mediocri aliqua pœna contentus erit Dominus, quia ſæpe expertus eſt fruſtra caſtigari paterno amore deſperatum hunc populum, ſed reſtare ultimam vindictam, quæ non modo viros abſumat, ſed eorum ſobolem, ita ut nihil maneat reſiduum. Poſtea additur ratio.

17. Abjiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum, *(vel non obedierunt ei, ut ſit clarius)* & erunt vagi inter Gentes.

Propheta, quemadmodum nuper attigi, cauſam aſſignat cur tam ſevere Deus agere ſtatuerit cum hoc populo, quia ſcilicet videt indomabilem ejus pervicaciam. Semper enim aſſerunt Prophetæ juſtitiam Dei contra impias hominum querelas, qui obmurmurant ſiquando acrius ipſos Deus puniat, & clamitant crudelem eſſe, neque ſervare modum. Prophetæ igitur os obſtruunt impiis, ne ita evomant ſuas blaſphemias adverſus Deum: & in hac parte doctrinæ nunc verſatur Propheta. Dicit ideo inſtare perniciem Iſraëlitis, quod Deus ipſos reprobaverit. Nam מאס, ſignificat Reprobare, abjicere, ſpernere. Quamdiu ergo curam hujus populi gerere dignatus eſt Dominus, ſaltem in aliquo gradu ſtetit: ſed nunc Propheta dicit prorſus eſſe abjectum. Quid igitur ſupereſt niſi ut in totum pereat? Dicit autem, *Abjiciet eos Deus meus.* Auctoritatem ſibi hoc verbo adſtruit, & fulminat contra totum populum: quia etiamſi totus Dei cultus turpiter corruptus eſſet in regno Iſraël, jactabant tamen ſe eſſe ſanctum Abrahæ ſemen, & nomen Dei adhuc volitabat in ore omnium: quemadmodum ſcimus impios ſumere ſibi licentiam hanc, ut Dei nomen profanent abſque ullo diſcrimine vel pudore. Quoniam ergo adhuc falſa illa gloriatio regnabat in Iſraëlitis, dicit Propheta, Deus non eſt amplius veſter: meus eſt. Ita ſtatuit ſe ab una parte, & ſe unum opponit toti populo. Sed ſimul demonſtrat plus ſibi eſſe auctoritatis quam illis omnibus, quia Deum ſimul adducat patronum & vindicem ſuæ doctrinæ. Deus ergo

meus abjiciet eos. Sic etiam Jeſaias objurgans perfidiam Achaz, dicit, *Jeſ.7.13.* Num ſatis eſt quod eſtis moleſti hominibus, niſi etiam moleſti eſſetis Deo meo? Atqui non ſolus erat Jeſaias qui Deum pure coleret. Verum eſt: ſed reſpicit Regem cum ſua caterva: & ideo conjungit ſe Deo, & illos omnes ſeparat, quemadmodum etiam ſua perfidia divortium ab eo jam fecerant. Deus ergo meus, inquit, abjiciet eos. Sic hodie ſecure nomen Dei ſumere nobis licet contra Papiſtas, quia nihil illis cum vero Deo commune eſt, poſtquam ſe polluerunt tot abominationibus: atque etiamſi contra nos ſuperbiant confiſi ingenti ſua multitudine, eo quod pauci ſimus, tamen intrepide licet contra ipſos inſurgere, quando ſcimus Deum nunquam ſeparari poſſe nec avelli à verbo ſuo. Verbum autem ſcimus à nobis ſtare. Ergo licebit exprobrare Papiſtis, Deum ipſis eſſe adverſum, quia ſcilicet nos certamus ſub ejus vexillo. *Quia non obedierunt ei*, inquit. Videmus cauſam extremæ vindictæ eſſe contumaciam: ubi ſcilicet homines quaſi data opera obſtinant animos contra Deum. Pereunt quidem Gentes etiam ſine ulla doctrina, ſed duplicatur ultio ubi Dominus manum porrigit errantibus, & ſtudet ipſos revocare in viam ſalutis, ipſi autem contumaciter renuunt parere: imo oſtendunt ſibi eſſe cor in malitia pertinax. Ubi ergo ad errores & vitioſos affectus accedit talis pertinacia, neceſſe eſt Deum prodire cum ultima vindicta, quemadmodum hic per Prophetam ſuum minatur. Quia ergo non obedierunt, ideo abjiciet eos Dominus, *& profugi erunt inter Gentes.* Videtur hoc levius eſſe quam quod prius dixit de ſemine extinguendo. Sed tenenda eſt antitheſis inter quietem Dei & vagum hunc errorem de quo nunc Propheta diſſerit. Terra Chanaan erat illis ſtatio tranquilla, ſub qua quieſcerent, acſi Deus ſub alis ſuis eos foveret: & ideo etiam vocatur Quies Domini, Pſalmo 95. Nunc autem ubi profugi Iſraelitæ vagantur, & huc & illuc ſedem quærunt nec uſquam reperiunt, magis conſpicua eſt abdicatio ipſorum. Dominus enim quotidie & ſingulis momentis oſtendit jam à ſe ipſos rejectos eſſe, quia priventur requie illa quæ promiſſa ipſis fuerat. Pergamus.

CAPUT X.

VItis ſpoliata Iſraël, fructum ponet ſibi: ſecundum multitudinem fructus ſui multiplicavit altaria, (*in altaribus multiplicavit.*) ſecundum bonitatem (*hoc eſt, proventum fertilem*) terræ ſuæ benefecerunt in ſtatuis. (*alii, bonas fecerunt ſtatuas: ſed prior verſio mihi magis probatur.*)

VErſum hunc varie exponunt interpretes. Qui putant vocari vineam בוקק, quia ſit ſterilis, falluntur: potius enim intelligit Propheta, Iſraelem ſimilem eſſe viti, quæ ſpoliata eſt poſt vindemias. Nam verbum בקק proprie ſignificat Diripere vel prædari. Sed vindemias comparat Propheta ſpoliationi: & optime hoc convenit. Dicit ergo *Iſraelem eſſe vitem ſpoliatam*, quia jam nudata ſit ſuis fructibus. poſtea addit, *Fructum faciet ſibi.* Verbum שוה ſignificat Æquare: & ideo multi vertunt, Fructum ſibi æquabit, vel fructus æquatus fuit ipſi. ſed hæc verſio non affert liquidum ſenſum. Ego potius eos ſequor, qui vertunt, Ponere. Significat etiam interdum שוה, Mentiri: ſaltem ita exponunt quidam, Fructus mentietur illi. & שוא quamvis habeat א finale, ab hac tamen radice deducatur, ut ſit commutatio literæ ה in א, ſicuti Grammatici volunt. Itaque etiam hoc poſſet videri probabile, quod שוא ſignificet Mentiri. Eliciunt autem hunc ſenſum, Iſrael eſt vitis ſpoliata: ergo fructus mentietur ei: hoc eſt, nullum proventum afferet, quia continget quod ſolet ubi prædones agros & vineas omnes vaſtarunt. Sed, quemadmodum jam dixi, rectius alii vertunt, Ponere: *Fructum ponet ſibi.* Sunt tamen qui interrogative legunt, Fructum ponet ſibi Iſrael? ut ſenſus ſit, Iſraëlem direptum eſſe, ita ut reſtitutio nulla ſperanda ſit. Sed non videntur illi interpretes tenere Prophetæ mentem. Ego potius contrariam ſententiam colligo ex verbis, quod ſcilicet Iſrael ponet ſibi fructum poſt ſpoliationem. & hiſtoria ſacra confirmat hanc doctrinam: ſcimus enim variis modis caſtigatum fuiſſe populum illum, ſic tamen ut vires novas colligeret. Nam Dominus volebat tantum leniter monere, ſi fuiſſet ſanabilis: ſed nihil profectum fuit illa Dei moderatione, quemadmodum prius viſum eſt. Sic tamen res habet, quod Iſraël fructum novum attulerit, quemadmodum vitis poſtquam ſpoliata eſt uno anno, affert novas vindemias: nam unæ vindemiæ non perdunt vitem. Sic etiam Iſraël poſuit ſibi fructum: hoc eſt, poſtquam Dominus illic vindemias ſuas egerat, tamen populum rurſus ſua benedictione dignatus eſt, & quaſi in integrum reſtituit: quemadmodum Vere gemmas ſuas vites projiciunt, deinde afferunt fructum ſuum. Sed quid contigit? *Secundum multitudinem fructus ſui*, inquit, *multiplicavit altaria.* Hic conqueritur Deus quod Iſraël, poſtquam ſemel vindemiatus fuit, perrexit in malitia ſua. Debebant caſtigationes in hoc ſaltem prodeſſe, ut Iſraël ſe reciperet ad purum Dei cultum: atqui hic Deus non tantum accuſat populum hunc, quod ſemper fuerit obſtinatus, ſed quod velut ex profeſſo auxerit ſua ſcelera. Fuit enim hæc quaſi horribilis conſpiratio adverſus Deum, quod populus ſimulatque novas vires recepit, multiplicaverit ſibi altaria, quum tamen Dominus jam manifeſtis ſignis monſtraſſet fictitios illos cultus ſibi non placere: imo ſibi eſſe ſummæ abominationi. Nunc tenemus Prophetæ conſilium. *Vitis ergo ſpoliata Iſraël multiplicavit ſibi altaria*: hoc eſt, Iſraël quidem fuit vindemiatus, ſed Dominus reſtituit & opes & victus abundantiam, & quicquid pertinet ad ſtatum incolumem & felicem: an Iſraël in melius correctus eſt? an ideo reſipuit poſtquam tam clementer Dominus retraxit manum ſuam? Minime, inquit: ſed multiplicavit ſibi altaria: hoc eſt, deterior fuit quam ſolebat: *& ſecundum abundantiam terræ ſuæ benefecit in ſtatuis.* Eſt autem valde utilis doctrina: videmus enim ut Dominus ſibi temperet in pœnis, neque enim eas ſummo rigore exequitur, ſed ſimulatque paucos ictus inflixit, retrahit manum ſuam. Quid autem faciunt qui ſic mediocriter fuerunt caſtigati? Simulac poſſunt animos colligere, majore petulantia feruntur, & inſoleſcunt adverſus Deum. Videmus hunc morbum etiam hodie in mundo graſſari, ut omnibus ſeculis graſſatus eſt. Non mirum igitur quod hic Propheta expoſtulat cum populo Iſrael. ſed ſimul in uſum noſtrum applicare convenit eandem doctrinam. Quamvis ergo Dominus nobis parcat, & poſtquam cœpit nos caſtigare, ſtatim indulgeat, & quaſi nos in integrum reſtituat, videndum eſt ne oblivio nobis obrepat priorum ſcelerum, ſed valeant apud nos caſtigationes, etiam poſtquam Deus jam modum & finem illis impoſuit. Nam huc tendit conſilium Prophetæ, ut homines non obliviſcantur iræ Domini, etiamſi non ſemper vel aſſidue ictus infligat: ſed ſecum reputent ideo Dominum tam moderate agere, ut plus ſpatii ad reſipiſcendum habeant; & concedi ſibi inducias, ut quietius reputent ſua peccata. Jam dicit, *Secundum bonitatem terræ ſuæ benefecerunt*

in ſtatuis. Prius retuli quoſdam ita accipere, quod bonas faciant ſtatuas, & accipiunt pro elegantibus. ego autem repeto literam ל. Ubi prius dixit Propheta, Iſraël ſibi altaria multiplicaſſe, ad verbum legitur, Multiplicat in altaribus, vel ad altaria; id eſt, multus fuit, vel nimis liberaliter profudit pecuniam in altaria: ita etiam hic repetere convenit quod benefecerint in ſtatuis. Eſt autem conceſſio in verbo היטיבו. nam certum eſt, graviter eos peccaſſe: quia non provocaſſent iram Dei, ſi non ſceleſte egiſſent in altaribus & ſtatuis. Sed Propheta ironice de perverſo Dei cultu loquitur: quemadmodum ſi hodie dicam Papiſtas furere in ſuis bonis intentionibus. quum vocabo intentiones Bonas, ego concedam illis nomen quod non competit. Ergo ex ſenſu eorum nunc loquitur Propheta, ſed ironice; Beneficiunt, inquit, in ſtatuis: hoc eſt, ſibi etiam videntur ſanctiſſimi Dei cultores, nam oſtentant magnum zelum. Hæc eſt inſana, ut loquuntur, devotio: ſed hic apparet pluſquam cæca durities, quod ſcilicet tam cito obliviſcuntur iræ Domini, de qua admoniti fuerant claris ſignis. Nunc igitur tenemus quorſum tendat Propheta, & quis ſit hujus doctrinæ uſus. Pergamus.

2. Diviſum eſt (*vel ſe diviſit*) cor eorum: nunc convicti erunt: (*alii, peribunt: nam* אשם *utrumque ſignificat. refertur tam ad culpam quam ad pœnam. Sed mihi probatur eorum ſententia, qui vertunt, Nunc convicti erunt: hoc eſt, nunc erunt ſcelerati. quemadmodum etiam ſimile exemplum jam vidimus capite 5. niſi fallor. Nunc ergo convicti erunt*) ipſe evertet altaria eorum, deſtruet ſtatuas ipſorum.

Primo dicit *Cor eorum diviſum eſſe*, nempe à Deo. Scimus vero hoc præcipue requiri, ut adhæreat fideliter populus Deo ſuo: Et nunc, Iſraël, quid abs te poſtulat Deus tuus, niſi ut adhæreas illi toto corde? Quum ergo Deus nos ſibi devinciat hac ſacra unitate, caput omnium ſcelerum eſt, ubi cor noſtrum ab ipſo dividitur: quemadmodum ſi uxor impura & perfida alio animum ſuum adjiciat. Nam quamdiu maritus retinet cor uxoris quaſi ſibi obſtrictum, manet conjugalis fides & pudicitia: ſi autem dividitur cor ejus à mariro, jam actum eſt, & ſeſe proſtituet ad flagitium. Sic etiam nunc Propheta dicit, diviſum fuiſſe cor populi à Deo, quod ſcilicet non fuit integro ſinceroque affectu addictus Deo ſuo, quemadmodum decebat. Populus ergo hic cor ſuum à me abduxit. Jam dicit, *Nunc erunt ſcelerati:* hoc eſt, Ego oſtendam quid meriti ſint, ita ut ne poſthac ſuis cavillis ludant, ſicuti hactenus ſunt ſoliti. Nam iſtud אשם non refertur ad actum, ſed potius ad manifeſtationem, ut loquuntur. Dicit ergo fore ſceleratos, quia convicti erunt: quemadmodum Juſtificari ſignificat abſolvi, ita etiam Sceleratum eſſe ſignificat damnari. Summa eſt, Quia populus hic ſentire non poterat iram Domini quamdiu tolerabilis fuit ejus conditio, daturum horribiles pœnas quæ ipſum convincant, ita ut ſibi deſinant placere & blandiri. Damnati igitur nunc erunt. Quare? Dominus enim evertet altaria eorum. Poteſt hoc referri ad miniſtrum vindictæ: ſed quia nullum nomen exprimitur, malo ſubaudire nomen ipſius Dei. *Deus* ergo *evertet eorum altaria, & deſtruet,* vel in nihilum rediget, *eorum ſtatuas.* Hoc ideo additum fuit, quia ſcimus impios confidere ſuis figmentis, & nunquam poſſe adduci ad ſerium timorem, niſi ubi intelligunt ſe fuiſſe deceptos Satanæ præſtigiis, quamdiu operam dederunt ſuperſtitionibus & idololatriæ. Propheta ergo denunciat altaria eorum everſum iri, & ſtatuas in nihilum redactum iri, ut hypocritæ fiduciam illam deponant qua adhuc turgebant adverſus Deum. Jam ſequitur confirmatio illius ſententiæ.

3. Quia nunc dicent, Non Rex nobis, quia non timuimus Jehovam, & Rex quid faciet nobis?

Pluribus verbis explicat quod breviter attigerat uno verbo: dixerat enim jam inſtare damnationem quæ illorum ſcelera detegeret: nunc addit etiam ſponte dicturos ſe merito puniri, ſe jam eſſe Rege nudatos, imo Regem ſibi nihil profuturum, quia non timuerint Jehovam. Subaudienda ſemper eſt antitheſis inter populi obſtinatam jactantiam & inter ſenſum iræ Dei, de quo nunc Propheta loquitur. Quantiſper enim Deus Iſraëlitis pepercit, abuſi ſunt ejus tolerantia & manſuetudine. Non putabant igitur quicquam poſſe in ſua vita reprehendi: imo ſcimus quam proterve litigaverint cum Prophetis: ſimulac durius verbum exibat ab ore Prophetæ cujuſpiam, magnæ rixæ oriebantur. Quid? tu ſic tractas populum Dei, & electum Abrahæ genus? Quum ergo tam pervicaciter ſpernerent omnem doctrinam, Propheta hic dicit, Jam veniet tempus quum dicent ſibi non eſſe Regem, quia non timuerint Dominum. Summa eſt, quia non proficient ex verbo Domini, inſtare aliud docendi genus: nempe quod Dominus reipſa monſtrabit ſuam vindictam, & coget etiam invitos fateri quod jam excuſant: nunquam enim expreſſa fuiſſet illis confeſſio hæc peccati, niſi Dominus violenter ipſos tractaſſet. Dicent igitur, Quomodo? nempe ubi tracti fuerint in aliam ſcholam. Dominus enim poſthac non diſceptabit verbis, ſed manu ſua ſic eos percutiet, ut intelligant ſibi cum eo eſſe negotium. Cæterum notandum eſt, Prophetam hic non loqui de populi reſipiſcentia, neque etiam referre eorum verba, ſed potius de re ipſa concionari. Hypocritæ vel obſtrepunt Deo quum ipſorum peccata ulciſcitur, vel ficte agnoſcunt ſe dignos eſſe talibus pœnis: & interim manet intus eadem contumacia. Sed quum Propheta hic inducit eos loquentes, non intelligit dicturos quod refert, ſed potius tractat, quemadmodum jam dixi, de re ipſa. *Dicent* igitur, hoc eſt, res ipſa clamabit, ipſos ſcilicet deſtitui Rege, quia non timuerint Jehovam: imo etiamſi Rex ipſis præeſſet, fore tamen inutilem. Quanquam ergo Iſraëlitæ vel nunquam ceſſarunt obſtrepere Deo, vel etiam plenis buccis blaſphemias in ipſum vomere, tamen verum eſt quod dicit Propheta. Quare? quia etiamſi Deus non extorſerit illis hanc confeſſionem, ſatis eſt quod re ipſa convicti fuerint: imo apud ſeipſos etiam ita ſenſerint, licet contumaciter negarent apud homines ſe manu Dei juſte percuti. Adhæc oſtendit hic Propheta, homines profanos, quamdiu proponitur aliqua ſpes in terra, ſuperbe contemnere Dei manum, & torpere in ſua ſecuritate tanquam in ſuis fæcibus. Quamdiu ergo Iſraël Regem conſpexit in medio ſui, putavit ſe eſſe tutum ab omni noxa, & fortiter deſpexit omnes minas. Hoc ergo voluit Propheta. Porro, quum Dominus aufert quicquid oculos perſtrinxit profanis hominibus & reprobis, tunc incipiunt agnoſcere, quam ſtulte ſibi delicias fecerint, & quantopere etiam decepti fuerint à Satana. Hoc nunc intelligit Hoſeas, quod ſcilicet cogentur ſentire Iſraëlitæ, ideo ſibi non eſſe Regem, quia non timuerint Deum: ſed pœnitentia hæc nimis ſera erit, carebit enim profectu. Jam ſequitur,

4. Loquuti ſunt verba, *(protulerunt verba)* jurando mendaciter, incidendo fœdus: *(paciſcendo fœdus)* germinabit tanquam abſynthium *(vel herba aliqua amara)* ſuper ſulcos agri judicium.

Loquuti ſunt verba. Quidam exponunt, quod audacter conſilia ſua captaverint, quemadmodum ſolent Dei contemptores quicquid in mentem illis venit ſtatuere & decernere pro ſuo arbitrio: neque enim dignantur ſciſcitari ex ore Dei quid rectum ſit. Sic illi accipiunt: ſed ego aliter expono, quod ſcilicet loquuti ſunt verba, hoc eſt, ſatis liberaliter teſtati ſunt, ſe optimos fore & fideliſſimos Dei cultores. Deinde, *jurando mendaciter.* Hoc etiam quidam referunt ad fœdera. Ego particulas iſtas ſigillatim exponam, quia volo poſtea inſiſtere in genuino Prophetæ ſenſu. *Mendaciter* ergo *juraſſe* dicit, ſecundum illos, quia multa eſſet in illis levitas & inconſtantia. Et hoc quidem verum eſſe fateor, quod ſibi accerſiverint graves pœnas ſuis perjuriis: ſed potius intelligit Propheta eos falſo juraſſe Domino. Deinde, *incidendo fœdus.* Hic etiam non dubito quin exprobret Propheta renovatum fuiſſe fœdus cum Deo, ſed cum perfidia, quia ſcilicet fuerit mera duntaxat ſimulatio. Jam ſequitur, *germinabit tanquam abſynthium.* כראש quidam vertunt, Tanquam fel: ſed non quadraret ſimilitudo, quum hic Propheta de agris loquatur. Dicit enim poſtea, *Super ſulcos agri* germinabit *judicium.* Expoſui breviter, quomodo alii accipiant hunc verſum: nempe quod Iſrael in ſuis conſiliis ſit audax & inflatus, quidvis audeat decernere, acſi non eſſet in arbitrio Dei mutare quicquid homines ſtatuunt. Deinde, quod multis fœderibus ſe implicuerint, quod ſine ulla fide ſæpius tranſegerint cum hac vel illa gente, & quod tandem fuerint mera amaritudo. Sic illi exponunt. Ego autem potius exiſtimo hic cauſam Dei agi à Propheta, quod ſcilicet Iſraëlitæ, quoties polliciti ſunt aliquam reſipiſcentiam, vel ejus ſignum dederunt, ſimularint duntaxat & mentiti fuerint Deo. Ergo, *Loquuti ſunt verba,* inquit, ſed fuerunt verba: hoc eſt, nunquam ex animo tacti ſunt aliquo ſenſu iræ Dei, ut ſibi diſplicerent in ſuis vitiis. *Verba* igitur *dederunt tantum.* Poſtea eandem fallaciam aliis loquendi formis exprimit: *Juravunt,* inquit, *fallaciter,* & *percuſſerunt fœdus:* hoc eſt, Etiamſi viſi fuerint velle ad Deum redire, fuit tamen fallax ſimulatio, imo perjurium: quum vellent probare ſe eſſe maxime fideles, tunc gravius peccarunt, renovarunt etiam fœdus. *Judicium* igitur *tanquam abſynthium ſuper ſulcos agri germinabit.* Judicium hic accipitur pro rectitudine, perinde acſi diceret Propheta, Ubi præbent aliquam ſpeciem pietatis, & colorem ſuis impietatibus inducunt, videtur quidem hoc eſſe judicium; videtur eſſe aliqua rectitudo, ſed tandem erit abſynthium, & germinabit ſuper ſulcos agri. Non videntur mihi animadvertiſſe interpretes quorſum tendat Propheta. Cur enim potius dicit, Super ſulcos agri, quam, in agro? nempe quia ubi ager excultus eſt aratro; eſt præparatio aliqua ut proferat bonum ſemen; ſi ergo naſcantur vitioſæ herbæ ſuper ſulcos terræ, hoc minus tolerabile eſt quam ſi naſcantur in aridis locis & deſertis. Nam hoc naturaliter accidere ſolet. Ubi autem pro tritico germinat abſynthium in ſulcis, hoc eſt, in locis bene cultis, hoc magis indignum eſt ac minus tolerabile. Nunc ergo tenemus quid velit Propheta: Ipſi quidem interdum videntur aliquo pietatis affectu tangi, & multa promittunt, & ſunt ſatis liberales in bonis verbis: jurant etiam, & videntur parati eſſe ad renovandum fœdus cum Deo: Sed quid hoc eſt? perinde acſi agricola agrum præparet, & tandem naſcantur herbæ vitioſæ ubi multum laboris & operæ poſuerit: ita etiam rectitudo ipſorum, hoc eſt, fucata iſta ſpecies vel pietatis umbra nihil aliud eſt quam ſi abſynthium in locis bene cultis naſcatur.

Da omnipotens Deus, quum tanta diligentia & aſſidua ſedulitate nos excolas, & non ſecus charos ac pretioſos habeas, quam hereditariam vitem: da, inquam, ne tibi proferamus labruſcas, ne fructus etiam amarus & acerbus à nobis tibi prodeat, ſed ſtudeamus ita formare totam vitam noſtram ad obſequium Legis tuæ, ut omnes noſtræ actiones & cogitationes tibi ſint grati ac ſuaves fructus. Et quoniam ſemper aliquid vitii permixtum eſt noſtris operibus, etiam ubi ſincere & ex animo cupimus tibi ſervire, fac ut ſacrificio Filii tui ita purgentur & abſtergantur omnes maculæ in operibus noſtris, ut tibi etiam ſint ſacrificia boni odoris, per eundem illum Chriſtum, qui nos ita tibi placavit, ut etiam operibus noſtris veniam acquirat, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA SEPTIMA
IN
HOSEAM PROPHETAM.

CAP. X.

5. Propter vitulas *(juvencas)* Beth-aven pavebunt *(ad verbum)* incolæ Samariæ: *(ſed mutatio eſt numeri. Pavebunt igitur. Alii vertunt, Exulabunt incolæ Samariæ: ſed male)* quia lugebit ſuper eum populus ſuus, & Sacerdotes ejus, qui ſuper eum exultant, *(vel propter eum exultabunt)* ſuper gloria ejus, quia tranſivit ab eo. *(vel averſa eſt ab eo.)*

PRimo loco breviter attingam quod jam in recitando textu dixi, nempe quoſdam interpretes exponere hunc verſum de exilio populi. גור ſignificat Exulare, ſignificat etiam timere: ſed circumſtantia loci non patitur verbum hic accipi de exilio, ut videbimus. Alii accipiunt שכן pro Habitare, ſed falluntur. Simpliciter ergo intelligit Propheta habitatores Samariæ nunc gloriari in vitulis ſuis (ſcimus enim vitulos fuiſſe in Dan & Bethel) ſed brevi fore ut Dominus terrorem ipſis incutiat: & cauſam poſtea videbimus. Jam venio ad genuinum Prophetæ ſenſum: *Incolæ Samariæ,* inquit, *pavebunt* propter vitulas Beth-aven. Deridet hic Propheta ſtultitiam populi Iſraelitici, qui vitulos colebat, & totam ſpem ſalutis ſuæ in ipſis putabat eſſe incluſam. Quare? *Cogentur,* inquit, *deflere* exilium vituli ſui: tantum abeſt ut poſſit auxilium ipſis afferre, ut fruſtra deplorent cives Samariæ ejus captivitatem. Contemptim juvencas nominat vitulos. Poterat in maſculino genere ponere: ſed totus hic verſus perſtringit amentiam populi Iſraëlitici, quod ſcilicet tam craſſe in ſuis ſuperſtitionibus delirans,

tamen

tamen nihil ſentiret. *Pavebunt* igitur *incolæ Samariæ propter vitulas Beth-aven:* quia idololatræ ubi vident inſtare aliquod diſcrimen ſuis idolis, trepidant, & libenter ſuccurrerent. hic autem metus prodit eorum ſtuporem ac dementiam. Cur enim dii ipſi auxilium ſibi non ferunt, ſed expectant à mortalibus? Nunc tenemus conſilium Prophetæ. Jam dicit, *Quia lugebit ſuper ipſum.* Numerus hic mutatur: nam dixerat propter juvencas: deinde etiam genus ipſum. ponitur relativum maſculini generis ו Redit igitur ad vitulos; deinde ponit ſingulari numero vitulum, quia unus erat duntaxat in Beth-aven, alter vero in Dan. Sed jam oſtendimus cur Propheta vocaverit juvencas. *Populus ſuus*, inquit, *lugebit ſuper eum, imo ipſi Sacerdotes.* כמרים putant quidam eſſe dictos, quia ſoliti eſſent nigras veſtes induere in ſacris peragendis: nam כמר ſignificat Nigrum eſſe. Sed illa eſt futilis conjectura: & Rabbini, ut ſæpe viſum eſt, nimis ſunt audaces in ſuis figmentis: neque enim reſpiciunt quid verum ſit; ſed tantum divinant, & volunt haberi pro oraculo quicquid illis venit in mentem: neque etiam hiſtorias expendunt: denique ſine ratione proferunt quicquid libitum eſt. Poſſet alia afferri etymologia, quæ meo judicio magis eſſet probabilis. nam כמר ſignificat etiam Reſonare. Scimus autem Sacerdotes illos magno clamore & ululatu fuiſſe uſos
1 Reg. 18. verſ. 27. in ſuis ſacris: quemadmodum dicebat Elias, Clamate fortiter, Baal enim veſter forte dormit. Ergo ſi dandus ſit locus conjecturis, malim dici כמרים, quaſi clamoſos. ſed ego hoc relinquo in medio. Fuit vero nomen hoc communi uſo receptum, quemadmodum conſtat ex aliis locis. Nam כמרים etiam in Judæa vocati ſunt illi novi Sacerdotes, quia & illic eos ſuſtulit Joſias, ſicuti refertur 2. Reg. cap. 23. Cæterum ſive à clamore, ſive à nigro veſtium colore nomen adepti ſint, hoc tamen certum eſt, fuiſſe Sacerdotes falſorum deorum. Nunc dicit Propheta, Lugebunt etiam Sacerdotes: repetendum enim eſt illud verbum אבל Poſtea addit, יגילו על-כבודו Hic deeſt relativum, Qui exultant: ſed facile ſubauditur poſt במרים. Qui ſuper eo exultant. Quomodo? *Lugebunt propter gloriam ejus, quia* tranſivit ab eo: nunc lugere incipient, quia gloria vituli ab eo tranſivit. Hic Propheta docet gloriationem qua ſe decipiunt hypocritæ, non fore ſtabilem, quia Dominus coget ipſos ad ſubitum & inexpectatum pudorem, quemadmodum videbimus. Ergo dicit luctum fore inter cives Samariæ propter juvencos. nam putabant regnum bene munitum eſſe, quia in ipſis finibus eſſent erecta templa, quaſi propugnacula. Fingebant ergo ſe tutos eſſe ab omni hoſtium incurſu: dicit Propheta, Imo lugebunt propter vitulos ſuos. Quare? Nam populus ſuus lugebit ſuper eum. Longius extendit ſermonem. vocat populum vituli, omnes ejus cultores. Scimus vero totum regnum Iſraël implicitum fuiſſe illa impia ſuperſtitione: Imo etiam Sacerdotes, inquit, lugebunt, qui ſuper eum exultant. Quare? nam tranſibit ab eo. Jam ſequitur,

6. Etiam ipſe in Aſſyriam feretur munus Regi Jareb, pudorem Ephraim accipiet, & pudefiet Iſraël à conſilio ſuo.

Hic Propheta clarius exprimit quæ futura ſit luctus cauſa in Sacerdotibus & toto populo: quia ſcilicet *feretur vitulus in Aſſyriam*, inquit, *& feretur munus Regi Jareb.* Credibile eſt quum ultimum diſcrimen inſtaret, Regem Iſraël coactum fuiſſe vel conflare vitulum illum in novam formam, vel confringere in fruſta, ut redimeret pacem à Rege Aſſyrio. Quia ergo totum regnum ad inopiam redactum erat, colligere licet ex hoc loco vitulum aut vitulos fuiſſe portatos in Aſſyriam placandi Regis cauſa. Quum ergo viderent Iſraëlitæ ſe nudatos eſſe præſidio ſuo, (jam enim quaſi omni ſpe ſalutis carebant, quum nullus eſſet apud ipſos Deus) ideo Propheta de luctu nuper diſſeruit: ſed jam oſtendit inſtare exilium non tantum Iſraëlitis, ſed vitulis quos colebant, & quorum auxilio putabant ſe fore in patria ſalvos & incolumes. In particula גם ſubeſt emphaſis, perinde acſi Propheta diceret, Non tantum Iſraëlitæ migrabunt, ſed ipſe quoque vitulus in Aſſyriam portabitur. Quantum ad nomen *Jareb*, diximus capite quinto, videri proprium fuiſſe hominis nomen. Alii divinant urbem fuiſſe in Aſſyria, quæ tamen non celebratur à ſcriptoribus. Quod alii putant fuiſſe Regem vicinum Aſſyrio, illud ratione caret: deinde refelli etiam poteſt ex hoc loco. Neque enim dubium eſt quin Propheta hic Regem Aſſyrium deſignet. Vocat tamen Jareb. Fieri poteſt ut fuerit nomen hominis adhuc privati: & forte contumeliæ cauſa ſic vocatus fuit. tamen illud eſt incertum. Hieronymus vertit, Ultorem: ſed ſatis patet proprium nomen eſſe, neque tam urbis vel loci, quam hominis, ut dictum eſt. Libenter autem ego inclino in illam ſententiam, quod vocet Regem Jareb per contemptum, quia hoc invaluerat inter Iſraëlitas quamdiu putarunt ſe fore pares ad reſiſtendum. Sed Dominus poſtea compeſcuit illam ſuperbiam: ideo nunc Propheta mordaciter dicit, *Feretur ipſe vitulus in Aſſyriam ad placandum Regem Jareb.* Poſtea addit, *Pudorem*, vel probrum, *accipiet Ephraim, Iſraël pudefiet à ſuo conſilio.* Bis idem inculcat diverſis modis, nec ſine cauſa: nam difficile fuit initio perſuadere Iſraëlitis, ceſſurum illis in pudorem quicquid putabant ſe prudenter excogitaſſe. Siquidem Rex Jarobeam primus, quum templa erigeret, putavit hoc eſſe optimum ſtratagema, ne ſcilicet populus pœnitentia ductus iterum ſeſe ſubjiceret poſteris Davidis. Putavit ergo avulſas eſſe decem Tribus ubi inſtituit peculiarem illum cultum, ut nihil poſthac commune eſſet cum Tribu Jehudah. Et certe ſi decem Tribus coluiſſent verum Deum Jeroſolymæ, illa conjunctio poterat facere ut rurſus coaleſcerent in unum corpus ſub uno capite. Rex ergo Jarobeam putavit bene proſpectum eſſe regno ſuo, ut ſtabile foret, quia jam abſciſſa erat omnis communicatio inter duos populos: & nemo erat in regno Iſraël qui non probaret conſilium illud. Placebant enim ſibi in opulentia, in multitudine hominum, & in aliis commodis. Quum ergo regnum Jehudah eſſet longe inferius, Iſraëlitæ ſibi valde placebant. Hæc ratio eſt cur Propheta dicat, *Ephraim pudorem accipiet, Iſraël pudefiet à conſilio ſuo.* Hoc autem, quemadmodum dixi, potuit videri initio incredibile. Nam promittunt ſibi homines in ſua aſtutia optabilem ſucceſſum: & hinc fit etiam ut quidvis audeant tentare ſine auxilio Dei. Hæc cauſa eſt cur repetat Propheta eandem ſententiam: Pudorem accipiet Ephraim, & Iſraël pudefiet, inquit. Quomodo? propter conſilium ſuum. Putant conſilium ſuum ſibi fore valde utile, imo ſalutem ſuam conſtituunt in illa aſtutia: Dominus autem regeret quicquid machinati ſunt in eorum pudorem. Sequitur,

7. Succiſus eſt Samariæ Rex ſuus, ſicuti ſpuma in ſuperficie aquarum. *(alii* קצף *vocant corticem: ſed nomen ſpumæ multo aptius eſt.)*

Proſequitur eandem doctrinam Propheta: nec debet videri ſuperflua hæc prolixitas. Satis quidem fuiſſet uno verbo minari Iſraëlitis, ſi fuiſſent flexibiles & morigeri. Quum vero eſſent ſtupidi in ſua pertinacia, oportuit ſæpius illis obtundi aures continuis minis, ſaltem ut eſſent magis inexcuſabiles coram Deo. Propheta igitur nunc dicit, *Regem Samariæ ſuccisſum iri inſtar ſpumæ*: & de Rege ideo loquitur, quod Iſraëlitæ poſt ſua idola putabant Regem ſuum ſibi fore inſtar arcis invictæ. Sic enim profani homines, ut alibi dictum fuit, ſibi munitionem in mundo & rebus terrenis ſemper fingunt. Ergo Dominus juſtam ultionem denunciat in excidio Regis, quia non poterat aliter corrigi prava illa confidentia de qua diximus. Rex ergo Samariæ ſucciſus eſt. Quomodo? inſtar ſpumæ. Eſt aptiſſima comparatio: nam Propheta oſtendit ſtatum regni, quem imaginabantur illic firmum & diuturnum, nihil habere præter vanam ſpeciem, quemadmodum in ſpumis nihil ſolidum eſt. Deinde videtur etiam mihi aliud notare; nempe regnum illud, etiamſi emineat, eſſe tamen quaſi excrementum. Spuma eminet ſuper aquas maris, & propter altitudinem videtur excellere. Sed quid eſt ſpuma niſi excrementum aquæ? quicquid enim corruptum eſt in aquis, hoc tranſit in ſpumas. Sic Iſraël putavit quum potentia inſtructus eſſet, deinde quum ſuperaret Tribum Jehudah omnibus modis, ſe quaſi equitare ſuper caput ejus. Propheta ex oppoſito dicit ipſos eſſe ſpumas, imo Regem ipſorum. Rex veſter, inquit, etiamſi conferri cum eo non poſſit Rex Jehudah, tamen ſpuma eſt. Altitudine quidem ſua eſt admirabilis, & hinc etiam naſcitur illa apud vos ſuperbia; quia jam obduruiſtis contra Deum: ſed Dominus eum ſuccidet inſtar ſpumæ. Non ergo tantum comparat Propheta bullæ vel fluidis aquis Regem Iſraël, ſed reſpectu Regis Jehudah dicit eſſe excrementum. Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ.

8. Et perierunt (*vel peribunt*) excelſa Aven, ſcelus Iſraël: ſpina & carduus aſcendet ſuper altaria eorum: & dicent montibus, Operite nos; & collibus, Cadite ſuper nos.

Videmus quantopere inſiſtat Propheta in una re. Sed, quemadmodum jam dixi, opus fuit valido malleo ad ferrum illud tundendum: nam ferrea erant corda populi, vel etiam chalybea. Non potuit igitur frangi illa durities, niſi violenter. Hæc ratio eſt cur Propheta pergat illis minari, & diverſis modis ponere ante oculos Dei vindictam, de qua tamen ſatis fuiſſet ipſos breviter moneri, niſi tam præfracti fuiſſent. Primo autem dicit, *Perierunt*, vel peribunt, *excelſa Aven*. Vocat nunc Aven Beth-El, ſicuti prius Beth-aven. Diximus rationem mutati nominis. Jarobeam enim potuit hoc etiam prætextu fucare cultum illum quem ſcelerate induxerat, quod in eo loco Deus apparuerat ſancto Jacob: & ſcimus loco fuiſſe nomen divinitus impoſitum. Sed interim quia populus abuſus eſt exemplo Patriarchæ, locus vocatus eſt Beth-aven. Scimus Beth-aven eſſe domum iniquitatis: acſi dixiſſent Prophetæ, non habitare Deum in loco illo, quemadmodum fingebant ſuperſtitioſi homines, ſed ab impiis cultoribus corruptum eſſe. Dicit ergo, excelſa Aven, hoc eſt, impietatis. Et hic memoria repetere convenit quod ante diximus, nempe ubi homines degenerant à pura Dei inſtitutione, fruſtra obtegere ſua ſacrilegia vanis nominibus, quemadmodum videmus hodie facere Papiſtas: nam ornant ſacrilegium illud Miſſæ, titulo ſacramenti, quaſi aliquid eſſet affine. Volunt etiam Miſſam ſuam haberi loco ſacræ Cœnæ, acſi in eorum arbitrio eſſet delere quicquid à Filio Dei præſcriptum eſt, ac ſubſtituere ſua figmenta. Ergo utcunque Papiſtæ honorificis nominibus celebrent ſua ſacrilegia, nihil tamen proficiunt. Quare? Quia Deus clamat de Beth-El eſſe Beth-aven. Et cauſa ſatis nota eſt, quia ſcilicet præter ejus mandatum Jarobeam templa erexerat, & inſtituerat nova ſacrificia. Simul ergo atque diſcedunt homines à verbo Domini, nihil illis proderit fucare ſua ſomnia: nam Dominus nihil probat niſi quod ipſe præcepit. Perierunt ergo, vel peribunt, excelſa Aven. Addit, *Scelus Iſraël*. Eodem pertinet hoc nomen, quod appoſitive additur. Scelus ergo Iſraël peribit. Atqui, ſicuti heri dictum eſt, putabant Iſraëlitæ ſe præſtare Deo gratum obſequium. & hinc etiam tam ſedulo vacabant ſuis ſacris: ſed Deus ex adverſo pronunciat Scelus eſſe. Quare? Sacrilegium enim eſt & idololatria, ubi relicto Dei mandato homines indulgent ſuis vel phantaſiis vel inventionibus. Tenendum igitur eſt, non eſſe in arbitrio hominum cultus quoslibet fabricare: deinde etiam non eſſe in eorum arbitrio ſententiam ferre de hoc vel illo cultu, ſitne legitimus an degener: ſed nihil aliud reſtare niſi ut pendeamus ex ore Domini. Quum ergo Dominus pronunciet ſacrilegium eſſe quod nobis arridet, acquieſcamus ejus judicio, quia noſtrum non eſt cum eo diſceptare, idque fruſtra ſumus facturi. Dicit, *Spina & carduus aſcendent ſuper eorum altaria*. Quæri poſſet an ſimpliciter debuerit his ſignis Propheta coarguere ſuperſtitionem populi, quia idem paulo poſt contigit Templo, quod tamen extructum fuerat non hominum conſilio, ſed divinitus. Quum ergo herba creverit ubi prius Templum erat, an ideo potuit ludibrio haberi religio, quam ſcimus fuiſſe in Dei verbo fundatam? Idem etiam dici poſſet de vitulis. Demus, vitulos fuiſſe portatos in Aſſyriam, ut pretio illo placarent miſeri Iſraëlitæ Regem ſibi infeſtum. Annon arca fœderis etiam captiva fuit apud hoſtes? Annon vaſa templi abſtulit Rex Nabuchadeneſer? Annon etiam pius Ezechias coactus eſt ſpoliare valvas Templi ſuis ornamentis? Videtur ergo hoc parum appoſite dictum à Propheta. ſed facilis ſolutio eſt, Quia Iſraëlitæ ſibi promiſerint quod poſtea viderunt & experti ſunt vanum eſſe: ut ſolent hypocritæ ſecure ſpernere omnia judicia & omnes pœnas. Quare? Putant enim ſufficere ſibi ad ſalutem perverſos ſuos cultus. Etiamſi tota vita ſint abominabiles, quia tamen in ſpeciem eſt aliqua apud ipſos religio, putant Deum ſibi eſſe obſtrictum. Talis fuit ac tam ſupina ſecuritas iſtius populi. In Tribu Jehudah longe diverſa erat ratio. Deus enim per ſuos Prophetas clamabat, Nolite confidere in verbis mendacii: jactatis enim aſſidue, Templum Domini, Templum Domini. *Jer. 7. verſ. 4.* Ego enim non habito amplius in iſto Templo: ſicuti etiam Ezechiel vidit gloriam Domini alio migrare. *Eze. 10. verſ. 4.* Non potuit igitur hoc competere in Templum, neque in verum & legitimum altare, neque etiam in veros Dei cultores: ſed hic Propheta Iſraëlitis merito exprobrat quod fruſtra expectent ſalutem ab altaribus ſuis, quum tamen provocaverint in ſe iram Dei figmentis talibus. Ergo tenendum eſt illud diſcrimen inter Tribum Jehudah, & inter decem Tribus. Jam addit, *Dicent montibus, Operite nos; & collibus, Cadite ſuper nos.* His loquendi formulis Propheta exprimere voluit horribilem Dei vindictam: acſi diceret tam gravem fore cladem quæ jam inſtabat, ut ſatius eſſet centies perire, quam illo modo eſſe ſuperſtites. Quum enim dicunt collibus, Cadite ſuper nos; & montibus, Tegite nos: certe appetunt interitum dictu horribilem. Sed perinde eſt acſi diceret Propheta, vitam illis, & hanc lucem, & conſpectum Solis, & com-

mutiem ſpirituum fore horrori; quia ſentient manum Dei ſibi adverſam. Denique hoc ſignum eſt ultimæ deſperationis, quum homines libenter quærerent abyſſos, in quibus demerſi fugerent Dei conſpectum, & interitum præſentem. Et ideo etiam Chriſtus tranſtulit locum hunc ad ultimam cladem, de qua concionatur, Dicent hoc montibus, Operite nos; & collibus, Cadite ſuper nos: hoc eſt, iterum tunc implebitur quod ſemel dictum fuit à Propheta, ut ſcilicet reprobi homines præferant centum mortes uni vitæ, quia & lux & ſpiritus vitalis illis erunt odio & deteſtationi, propterea quod ſentient inſtare ſibi horribilem Dei manum. Sequitur,

9. A diebus Gabaa peccaſti Iſraël: illic ſteterunt: non apprehendit eos in Gibea prælium ſuper filios iniquitatis.

Hic exprobrat Iſraëlitis, quod pridem fuerint delibuti in ſuis ſceleribus, non autem nuper fuiſſe corruptos. Illa eſt ſumma. Dixerat proximo capite, fuiſſe profundos in ſuis peccatis tanquam diebus Gibea: tunc expoſuimus cur Propheta exemplum Gibea adduceret, quod ſcilicet diſcivérant Gabaonitæ ab omni timore Dei, acſi nullum unquam de Lege apud eos verbum factum eſſet. Scimus enim fuiſſe projectos ad fœdas & prodigioſas libidines, non aliter ac incolas Sodomæ & Gomorrhæ. Quum ergo tanta obſcœnitas palam & impune regnaret in Gibea, merito Propheta dixit Iſraëlitas nunc eſſe perditos & deſperatos, ſicuti illo tempore contigerat. Sed nunc alio reſpicit, quod ſcilicet ab eo tempore non deſtiterint cumulare ſubinde mala malis, atque ita quaſi continuum funem trahere iniquitatis: quemadmodum alibi dicitur. *A diebus* igitur *Gabaa tu peccaſti Iſrael.* Sed videtur hæc iniqua eſſe objectio: ſcimus enim totum populum conſpiraſſe contra Tribum Benjamin. Quum ergo ulti fuerint Iſraëlitæ flagitium illud quod admiſſum fuerat in oppido Gabaa, cur nunc Propheta culpam in ipſos regerit, cujus fuerant vindices? Sed ſcimus ſæpe fieri ut qui exequuntur Dei vindictam, nihilo ſint meliores: & inſigne hujus rei exemplum habuimus initio in Jehu. Ille enim fuerat miniſter Dei ad ulciſcendas ſuperſtitiones: ſed Deus vocat latronem, & vindictam illam comparat latrocinio: Ego, inquit, rependam in caput Jehu quod ſanguinem domus Achab effuderit. Atqui ſcimus armatum fuiſſe Dei gladio. verum eſt: ſed non ſincere neque recto animo hoc fecit: ſequutus enim eſt idem exemplum poſtea. Ita nunc Iſraëlitas Propheta dicit peccaſſe jam ab illo tempore: acſi diceret, Dominus per manum patrum veſtrorum vindictam ſumpſit de Gabaonitis, & de tota Tribu Benjamin. Atqui prorſus eratis ſimiles. Hæc corruptio jam tunc, quaſi diluvium, totam terram Iſraël obruerat. Non eſt igitur quod jactetis vos fuiſſe meliores: nam poſtea ſatis apparuit quales eſſetis, imitati enim eſtis Gabaonitas. Tenemus igitur nunc & conſilium Prophetæ, & quam juſte objiciat Iſraëlitis, A diebus Gibea ipſos peccaſſe. Putant enim exiguum terræ angulum culpa illa conſtringi. Propheta autem dicit totam terram fuiſſe coopertam, & omnes eſſe obnoxios Dei judicio, & meritos eſſe eandem pœnam quæ ſumpta fuit de Gabaonitis, & eorum fratribus: hoc eſt, de tota Tribu Benjamin. Tu igitur peccaſti Iſraël à diebus Gibea. Dicebant Iſraelitæ ſolos Benjamitas peccaſſe. Atqui, inquit, commune fuit illud ſcelus. *Illic ſteterunt.* Varie exponitur hoc membrum: quidam putant reprehendi populum, quia poſtquam infeliciter bis pugnavit, voluit ſe recipere. Ergo videmus molles & fœmineos fuiſſe animos, quum ſtatim tentationi ſuccumberent. Putant ergo notari illam incredulitatem à Propheta: Steterunt illic, inquit, hoc eſt, reſilierunt à prælio: quia non ſtatim ſucceſſit ut volebant, putarunt ſe fuiſſe deceptos. Unde colligitur non tribuiſſe Deo juſtum honorem, atque hac in parte eſſe reprehenſibiles. Alii autem dicunt, tunc claro documento Deum fuiſſe teſtatum Iſraelitas pares eſſe Gabaonitis. Unde enim factum eſt, inquit, ut congreſſi in prælio, bis retrocedere coacti ſint? Totus Iſrael armatus erat contra unam Tribum. Quomodo ergo non ſtatim oppreſſit? nam ſcimus non ſine magna jactura tandem dejectos fuiſſe Benjamitas. Certe tunc oſtendit Deus Iſraelitas indignos eſſe tam honorifico munere: volebant enim exequi Dei judicium Iſraëlitæ, quum ipſi æque ſcelerati eſſent. Dominus ergo illic palam ipſos admonuit non eſſe cur zelum ſuum in alios converterent, quum ipſi non minus eſſent ſcelerati. Aliis videtur potius notari obſtinatio: Illic ſteterunt: hoc eſt, ab eo tempore fuerunt pertinaces in ſuis ſceleribus, neque apprehendit eos prælium ſuper filios iniquitatis. Hæc tertia expoſitio mihi magis probatur, quod ſcilicet Iſraëlitæ, quum jam improbi eſſent ac ſcelerati, ubi tamen præ ſe tulerunt magnum zelum & ardorem contra Tribum Benjamin, ex eo non deſtiterint pertinaciter ferri contra Deum, ita ut ad ſummum uſque impietatis cumulum pervenirent. Jam quod ſequitur, *Non apprehendit eos prælium in Gibea ſuper filios iniquitatis*, poteſt etiam varie exponi: vel quod non debeant Iſraëlitæ hoc clypeo ſe tueri, quia Deus Gabaonitas & tribules ipſorum tam ſevere punivérit. Pepercit vobis ſemel Dominus, ſed quid tum? diſtulit ſuam vindictam in longum tempus: ſed an mitius nunc vobiſcum propterea aget? imo gravior vos manet ultio, quia ab eo tempore non extorſit à vobis reſipiſcentiam. Alii etiam interrogative legunt, Non apprehendit eos prælium in Gibea ſuper filios iniquitatis? Sed videtur mihi ſimplex verborum eſſe ſenſus, quod non apprehenderit Iſraëlitas prælium, quia non fuerunt tacti illo exemplo. Scimus proponi nobis ante oculos Dei judicia, ut quiſque noſtrûm in uſum ſuum applicet. Propheta nunc vecordiam Iſraëlis in eo objurgat, quod acſi res illa nihil eſſet, contempſerit. Non apprehendit ergo prælium ipſos: id eſt, non ſenſerunt ſe aliorum diſpendio moneri ut reſipiſcerent, & poſtea ſanctius ac caſtius viverent ſub obſequio Dei. quemadmodum etiam poſtrema particula melius confirmat, *ſuper filios iniquitatis.* Cur enim hoc nominatim additum fuit à Propheta, niſi quod Dominus teſtatus eſt, nullos fore impunitos, qui ſimiles eſſent Gabaonitis, in quos tam rigidus erat ac ſeverus? Quum ergo non fuerint tacti Iſraëlitæ, hinc coarguitur eorum ſtupor. Et hac ratione dicit Paulus, Super filios inobedientes vel incredulitatis veniet ira Dei. Tametſi enim Dominus de uno populo, vel de uno homine pœnam ſumat, non dubium tamen eſt quin ſe mundi judicem oſtendat in particulari judicio. Videtur mihi genuinus hic eſſe ſenſus Prophetæ. Cæterum meminerimus ubi pergunt homines in ſua malitia, illis merito imputari, quicquid etiam peccarunt eorum patres. Si redimus in viam, Dominus momento ſepelit omnia noſtra peccata, & hac lege nos ſibi reconciliat, ut quicquid eſt in nobis culpæ, condonet: etiamſi tota vita provocaverimus in nos ejus iram, tamen hoc totum ſepelit momento uno, quemadmodum dixi. Si autem non reſipiſcimus, non tantum Dominus in memoriam revocat noſtra ſcelera, ſed etiam patrum, quemadmodum hic videmus à Propheta fieri.

Eph. 5. 6.

Da omnipotens Deus, quum ſemel apparueris in perſona unigeniti Filii tui, & conſpicuam nobis illic reddideris gloriam tuam, & quotidie etiam in ſpeculo Euangelii tui nobis proponas eundem Chriſtum:

ſtum: da, inquam, ut defixi in ejus intuitu non aberremus, neque feramur poſt prava figmenta, & Satanæ fallacias, & mundi etiam hujus illecebras huc & illuc: ſed maneamus conſtantes in obedientia fidei, & in ea pergamus toto vitæ curſu, donec tandem plena conformitate transfiguremur in imaginem æternæ tuæ gloriæ, quæ jam in nobis ex parte refulget, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA OCTAVA
IN
HOSEAM PROPHETAM.

CAP. X.

10. In voto meo eſt, & caſtigabo eos, & congregabuntur contra eos populi, ubi colligati fuerint (*vel ſe colligaverint*) in duobus ſulcis ſuis. (*alii vertunt, in duabus iniquitatibus ſuis, quaſi nomen eſſet ab* עו)

QUum Deus ſibi in voto eſſe dicit caſtigare populum, ſignificat hoc ſibi decretum eſſe, quemadmodum ſiquis ſummopere aliquid expetat. Et poſſet etiam tolerabilis ſenſus eſſe, ſi omiſſa copula ita quis verteret, *In voto meo eſt caſtigare eos.* Sed nunc à verbis diſcedere mihi neceſſarium non videtur: ideo ſimpliciter, ut verba ſonant, ſeorſum accipio, quod Deus ſuo deſiderio velit obſequi in populo caſtigando. Videtur quidem hæc ſententia cum multis aliis pugnare, ubi Deus triſtitiam præ ſe fert, dum cogitur ſeverius agere cum populo ſuo: ſed utrumque non male convenit. Scimus paſſiones in Deum non cadere, ſed pro ſenſu hominum, vel hanc vel illam perſonam induit. Quum ergo videtur invitus accedere ad pœnas ſumendas, oſtendit quanto amore proſequatur ſuos, vel quam molli & tenero affectu eos diligat. Nunc autem, quia negotium eſt cum hominibus perverſis & deſperatis, ideo dicit ſe capturum voluptatem ex eorum exitio. Et hac ratione etiam dicitur Deus ſe ulciſci. Nunc ergo tenemus ſenſum Prophetæ: ſignificat jam non poſſe revocari decretum quod Deus apud ſe ſtatuit de perdendo populo Iſraël, quia hæc pœna ſit illi pro ſumma oblectatione. Jam dicit, *Caſtigabo eos, & congregabuntur populi contra eos.* His verbis oſtendit Deus ſibi in manu eſſe omnes populos, ut, quoties viſum fuerit, eos armet: quemadmodum etiam ubique eadem doctrina occurrit in Scripturis. Deus ergo ſic continet omnes populos ſub imperio ſuo, ut ſibilo vel nutu, quoties ita viſum fuerit, eos ad prælium excitet. Quoniam ergo Iſraël ſecurus ridebat Dei judicium, nunc oſtendit quam efficax futura ſit ſua ultio, quoniam ſcilicet congregabit omnes populos in eorum perniciem. Et addit in eundem finem, *Ubi colligaverint ſe in duobus ſulcis.* Hac particula Propheta admonet Iſraëlitas nihil proficere dum ſeſe muniunt contra omne periculum, & dum vires undique contrahunt: quia non impedient eorum conatus quin Deus exequatur ſuam vindictam. *Ubi* ergo *fuerint colligati in duobus ſuis ſulcis*, non deſinam propterea congregare populos qui diſſipent omnes eorum munitiones. Nunc tenemus conſilium Prophetæ. Non dubium eſt quin duos ſulcos hic vocet reſpectu arationis: videbimus enim Prophetam in hac metaphora inſiſtere. Quamvis ergo conjungant ſe Iſraëlitæ & vires colligant, tamen Deo facile erit colligere populos qui eos perdant. Quidam hoc referunt ad totum corpus populi, quia putant hic notari fœdus inter regnum Jehudah & Iſraël: ſed mera eſt divinatio, hiſtoriæ enim non reſpondet. Alii excogitant diverſum commentum, quod ſcilicet Dominus omnes ſimul puniet, quum Jehudah conjunxerit ſe cum populo Iſraël in vitulis colendis: ita vinculum ſocietatis inter duo regna exiſtimant eſſe communem ſuperſtitionem. Alii exiſtimant Prophetam alludere ad duos vitulos, quorum alter in Dan, alter in Bethel colebatur, ut notum eſt: ſed omnes illæ interpretationes nimis argutæ ſunt & contortæ. Non dubito quin ſimpliciter hic Propheta *duos ſulcos* nominet, quia populus (ut ſolent facere profani homines) fretus ſua potentia, fortiter & ſuperbe contemnebat omnes minas. Utcunque ſe conjungant duobus ſulcis, inquit; tamen nihil proficient ſua ſuperbia, quominus ego vindictam meam exequar. Pergamus.

11. Ephraim juvenca eſt edocta ad diligendum trituram, & ego tranſivi ſuper pulchritudine colli ejus, equitare faciam Ephraim, arabit Jehudah, occabit ſibi Jacob.

Quidam diſtincte legunt מלומדה & אהבתי. putant enim initium verſus eſſe exprobrationem: quaſi diceret Propheta, Ephraim eſſe prorſus indocilem, quoniam à pueritia Deus illum educaverit ſub diſciplina ſua, & tamen nunc erumpat in tantam proterviam: imo non deſinat rebellis eſſe Deo, & obſtinate etiam in ſua malitia pergat. *Ephraim* ergo *eſt quaſi juvenca edocta.* Sed ſenſus ille videtur longe remotus. Ego itaque ſimul contexo uno tenore, & ſequor etiam quod magis receptum eſt, *Ephraim eſt juvenca edocta ad amandum*, vel ut amet, *trituram:* id eſt, in hoc aſſuefactus eſt Ephraim, ut trituram amet. Subeſt tacita comparatio inter arationem & trituram. Scimus plus moleſtiæ & laboris eſſe in aratione, quam in tritura: nam boves ſimul copulantur, deinde coguntur parêre, & fruſtra in hanc vel illam partem luctantur ubi ſimul conjuncti ſunt. Si autem boves triturent, ſunt ſoluti, & labor ille minus moleſtus eſt ac gravis. Propheta igitur hoc intelligit, Ephraim ſimulare aliquod obſequium, ſed tamen non poſſe jugum ſubire, ita ut ſolide & omni ex parte Deo obtemperet. Alii populi non tenebant quid eſſet ſe Deo ſubjicere, ſed in Iſraële erat aliqua pietatis ſpecies. Illic enim profitebantur ſe colere Deum Iſraëlis, illic extabant templa: ſed Dominus deridet hanc hypocriſin, ac dicit *Ephraim ſimilem eſſe juvencæ*, quæ non poteſt collum ſubmittere jugo, ſed tantum ludendi gratia vellet per aream tranſire, & calcare triticum, quemadmodum hypocritæ ſolent. Neque enim penitus repudiant omnem doctrinam, ſed admittunt aliqua ex parte. Si autem Dominus eos nimium urgeat, tunc ferociter repugnant, ac demonſtrant ſe proprio arbitrio velle permitti. Totus enim fere mundus oſtendit neſcio quam ſpeciem obedientiæ: ſed vellet paciſci cum Deo, ne plus exigeret quam ferat eorum libido. Si quis obnoxius eſt multis vitiis, eorum licentiam concedi ſibi cupiet, in aliis præſtabit aliquod obſe-

obſequium. Nunc tenemus conſilium Prophetæ, & videmus quorſum tendat. Deridet igitur ſimulatum illud obſequium quod Iſraelitæ præſtabant Deo, quia interim nolebant jugum ferre, ſed erant indomiti. Ad trituram accedere non horrebant, quia ſiquid facile Deus mandaret, hoc vel libenter præſtabant, vel ſaltem utcunque in illa parte defungebantur ſuo officio: ſed non poterant aſſueſieri ad arationem. Quum ita ſit, *Tranſivi*, inquit, *ſuper pulchritudine colli ejus*. Deus oſtendit qua ratione durius tractaverit Ephraim, quia ſcilicet ſubigendus fuit quum ita præfractus eſſet. Ego tranſivi ſuper bonitatem colli ejus: hoc eſt, quoniam videbam eſſe nimis obeſo collo, & jugum reſpuere, ego afflictionibus tentavi an poſſet domari talis ferocia. Alii referunt ad doctrinam Legis, quod Deus tranſierit ſuper pulchritudine colli Iſraël, quia ſcilicet Legem ſuam communiter tradiderat omnibus poſteris Abrahæ. Sed illud alienum eſt à contextu. Ego igitur non dubito hanc eſſe Prophetæ mentem, quod Deus hic pronunciet ſe non fruſtra fuiſſe tam ſeverum in domando Iſraele, quia ſcilicet videbat aliter non poſſe ad obſequium adduci. Quoniam ergo Ephraim tantum amabat trituram, ego volui corrigere iſtas blanditias, nam non debui parcere. Si fuiſſet bos laſſus, vel jam fractus ſenio, vel macer & nullis viribus, erat quidem habenda ratio: ſed quum pingui & obeſo collo eſſet Iſraël, quum ſatis eſſet robuſtus ad ferendum jugum, & tamen amaret ſuas delicias, & jugum reſpueret, oportuit domari afflictionibus. *Ego* igitur *tranſivi ſuper bonitate*, vel pulchritudine, *colli Ephraim*. Sed quoniam Deus nihil profecerat leniter caſtigando Iſraëlem, nunc ſubjicit, *Equitare faciam*. alii vertunt, Equitabo: ſed quia eſt verbum Hiphil, neceſſe eſt ita exponere, Quod Deus equitare faciet Iſraelem. Quid autem hoc ſibi vult? Qui verterunt, Equitabo, videbant ſe diſcedere à Grammatica, ſed neceſſitas cogebat eos ad hanc violentam interpretationem. Alii, Equitare faciam ſuper Ephraim, ſubaudiunt עַל: & ſubaudiunt etiam nomen, Equitare faciam populos ſuper Ephraim. Sed optime conveniet ſententia, ſi nihil mutemus in verbis Prophetæ: imo corrumpunt & verborum elegantiam & rem ipſam, qui afferunt commenta illa quæ retuli. Sic ergo loquitur Deus, Quoniam Ephraim trituram diligit, & mediocres pœnæ quibus eum ſubigere volui, nihil proſunt, ideo incipiam poſthac alio modo agere: *Faciam equitare*, inquit. hoc eſt, Ego abripiam quaſi per nubes. Alludit Propheta ad laſciviam illam vel intemperiem Iſraelis: libido enim ſic ferebat populum illum, ut non poſſet recta incedere vel gradu compoſito, ſed vellet huc & illuc ſe projicere, quemadmodum etiam dicit juvencos eſſe indomitos Jeremias. Quid re- *Jer. 31.*
ſpondet Deus? Ego equitare faciam eos: hoc eſt, tra- *verſ. 18.*
ctabo populum illum pro ingenio. Similis eſt locus 30. cap. Job. ubi conqueritur vir ſanctus ſe fuiſſe vi abreptum, ut Deus equitare ipſum faceret ſupra nubes: Deus, inquit, equitare me fecit. (utitur illic eodem verbo.) Quid hoc eſt? nempe quod Dominus eum violenter huc & illuc tranſtulerit. Ita etiam nunc dicit Propheta, Iſraël delicatus eſt, ſed interea video tantam luxuriam in ejus natura, ut non poſſit jugum recipere. Nihil ergo aliud reſtat, niſi ut equitet ſuper nubes. Sed qualis futura eſt iſta equitatio? nempe quum populus traductus eſt in exilium, quum poſſet placide quieſcere in terra Chanaan, quum poſſet frui Dei benedictionibus, equitavit, hoc eſt, celeriter raptus eſt in longinquam regionem. Nunc ergo videmus quomodo Deus cum Iſraële egerit, ut videbat ferre ejus ingenium. Neque enim potuit in ſua terra ad obſequium cogi: ſed neceſſe fuit alio transferri, ſicuti factum eſt. Poſtea ſubjicit, *Arabit Jehudah, occabit ſibi Jacob*: hoc eſt, Reliqua pars populi manebit in ſuis afflictionibus. Fuerunt quidem pœnæ iſtæ graves, ſi per ſe æſtimentur: ſed longe mitius fuit ac magis tolerabile, quod Jehudah in populo ſuo aravit & occavit, quam ſi equitaſſet. Jehudah ergo paſſus eſt graves jacturas, & Dominus afflictionibus eum etiam caſtigavit: ſed fuit hæc pœna, quemadmodum dixi, longe mitior. Perinde acſi bos è ſtabulo eductus ducatur in agrum, & illic cogatur perferre diurnas operas: gravis quidem & moleſtus erit ille labor, cæterum vivet bos ſaltem ex ſuo labore, & ſe nocturna quiete reficiet: occando etiam ſuſcipiet aliquid moleſtiæ, & contrahet laſſitudinem, ſed redibit ad ſtabulum: deinde non erit tam immitis dominus, quin adhuc bovi ſuo indulgeat. Videmus ergo quorſum ſpectet iſta comparatio, quod *Jehudah arabit, & Jacob*, hoc eſt, reliqua pars populi, *occabit*: hoc eſt, Franget glebas populus ille reſiduus, (id enim eſt Occare apud Latinos, Glebas frangere) Dominus autem faciet equitare Ephraim. Ego non dubito quin ſit ille genuinus loci ſenſus: interea relinquo aliis liberum judicium. Nunc ſequitur,

12. Seminate vobis ad juſtitiam, colligite (*metite*) ad menſuram (*vel pro menſura*) clementiam, (*vel bonitatem*) arate vobis arationem: (*alii vertunt, Novate vobis novale, ſicuti Jeremiæ 4. Cæterum quia idem eſt ſenſus, ego relinquo hoc liberum*) & tempus inquirendi Jehovam, donec veniat, & pluere faciat juſtitiam vobis. (*quanquam magis recepta verſio eſt, Doceat vos juſtitiam.*)

Hic hortatur ad pœnitentiam Iſraëlitas quanquam non videtur ſimplex & nuda eſſe exhortatio, ſed potius conteſtatio: acſi diceret Dominus, ſe fruſtra hactenus navaſſe operam erga populum Iſraëlem, quia ſemper obſtinatus eſſe perrexerit. Nam ſtatim ſequitur,

13. Araſtis impietatem, iniquitatem meſſuiſtis, comediſtis fructum mendacii: quia confiſus es in via tua, in multitudine fortium tuorum.

Hæc ratio eſt cur non exiſtimem Prophetam hic ſimpliciter hortari populum, ſed potius objicere duritiem, quod ſcilicet ſæpe admonitus, non tamen ad bonam frugem redierit. Commemorat igitur qualiter antea conatus fuerit Deus revocare ad ſanam mentem hunc populum. Hæc enim fuit aſſidua doctrina, *Seminate vobis juſtitiam, metite pro menſura humanitatem*, vel humanitatis, *arate vobis arationem: tempus inquirendi Dominum*. Quum ergo quotidie eadem hæc verba audiret populus, & fere obtuſas haberet aures, non tamen mutatus eſt in melius, neque etiam flexibilem ſe præbuit: imo quaſi data opera aravit impietatem, inquit; meſſuit iniquitatem: comedit igitur fructum mendacii, quia juſtas pœnas ſuſtinuit, vel ſatiavit ſe mendacio & perfidia. Nunc tenemus Prophetæ ſenſum. Jam venio ad ſingulas partes. *Seminate vobis juſtitiam.* Oſtendit non fuiſſe neglectam ſalutem hujus populi à Deo, quia tentaverit an eſſet ſanabilis. Hæc erat medicina, ut populus ſciret placabilem ſibi fore Deum, ſi ſe juſtitiæ addiceret. Dominus obtulit ſuam gratiam: Redite tantum ad me. Nam ſimulac jactum fuerit à vobis juſtitiæ ſemen, parata erit meſſis: hoc eſt, apud me repoſita vobis erit merces.

Mete-

Metetis igitur fructum pro humanitate. Cæterum ſiquis quærat, an ſit in hominum arbitrio ſerere juſtitiam: facilis reſponſio eſt, Prophetam hic non diſſerere quouſque ſe extendat hominum facultas, ſed exigere ab illis quod debent. Unde enim fit ut Dei tot maledictiones nos ſubinde obruant, niſi quia ſerimus fructum ſimilem proventui? hoc eſt, Deus rependit nobis quod meriti ſumus. Hoc igitur oſtendit Propheta: Seminate vobis juſtitiam, inquit. oſtendit per ipſos ſtare quominus benigne & humaniter ac paterno more Dominus ipſos foveat: quia hoc non patitur eorum impietas. Et tantum concionatur Propheta de officiis ſecundæ tabulæ, ſicuti dum ad reſipiſcentiam hortantur homines Prophetæ, ſæpe incipiunt à ſecunda Legis tabula: quoniam illic craſſior eſt hominum perverſitas, & poſſunt facilius convinci. Jam quod poſtea ſubjicit נירו ניר, fateor non eſſe ſervatum ordinem: ſed in ea re nihil eſt abſurdi. Poſtquam enim hortatus eſt ad arandum, jam addit eos ſimiles eſſe agris incultis & deſertis, ut non ſatis ſit ſemen jacere donec præparati fuerint. Propheta ergo debuerat ſecundum naturæ ordinem incipere ab aratione, ſed ſimpliciter dixit quod volebat, ideo Iſraëlitas non percipere fructum qualem optabant, quia ſeminaſſent tantum injuſtitiam: nunc ſi velint ſecum agi clementius, oſtendit remedium, ut ſcilicet ſeminent juſtitiam; ſiquidem oſtendit ipſos occupatos jam eſſe malitia, acſi ager ſentibus & ſpinis obſitus eſſet. Ubi ergo ager aliquis diu manſit incultus, creſcunt illic ſpinæ & tribuli, & aliæ noxiæ herbæ, opus eſt duplici aratione, & vocatur ille duplex labor Novatio,
Jer. 4: 3. quemadmodum eodem ſenſu loquitur Jeremias: oſtendit enim populum obduruiſſe in ſua malitia, & ita non poſſe fructum aliquem ferre, donec evulſæ radicitus fuerint ſpinæ, & donec bene purgatus fuerit à vitiis ſuis in quibus occalluit. Novate ergo vobis novale. *Et tempus eſt inquirendi Jehovam, donec veniat.* Hic Propheta offert ſpem veniæ populo, ut ad reſipiſcendum animet. Scimus enim ubi revocantur homines ad Deum, torpere; imo deficere animis, donec ſtatuant Deum ſibi eſſe propitium. Et hoc alibi fuſius tractatum fuit. Nunc eandem doctrinam tractat Propheta, *Tempus eſt inquirendi Dominum.* Utitur enim voce עת, quæ ſignificat tempus opportunum. *Tempus* igitur *eſt quærendi Dominum:* quaſi diceret, Nondum vobis præcluſa eſt ſalutis via. Dominus enim vos ad ſe invitat, & ipſe ultro ad miſericordiam propenſus erit. Hoc unum eſt. Interea tamen docemur non eſſe tardandum, quia pigritia hæc magno illis conſtabit ſi contemnant tam benignam Dei invitationem, & pergant in ſua obſtinatione. *Tempus* ergo *eſt quærendi Jeho-*
Jeſa. 55. verſ. 6. *vam*, ſicuti etiam dicit Jeſaias, Quærite Dominum dum inveniri poteſt, invocate eum dum prope eſt: Ecce nunc tempus beneplaciti, ecce nunc dies ſalutis. Sic etiam hoc loco Propheta Deum teſtatur fore exorabilem, ſi in viam redeat Iſraël: ſi autem præfracte continuet ſua ſcelera, jam tempus hoc non fore perpetuum, quia claudetur janua, & populus fruſtra clamabit ubi præterierit hanc opportunam invitationem, ubi Dei patientia abuſus fuerit. *Tempus* ergo *inquirendi Dominum*, inquit, *donec veniat.* Confirmatio eſt ſuperioris ſententiæ: Propheta enim hic diſerte aſſerit non fore inutilem operam ſi Iſrael Deum quærere incipiat: Ipſe ad vos veniet. Sed admonet ſimul non eſſe nimis feſtinandum. Nam quamvis Deus in gratiam nos recipiat, non tamen ſtatim nos liberat ab omnibus pœnis vel incommodis. Ergo expectandum eſt patienter donec appareat reconcilationis fructus. Videmus ergo utrumque hic prudenter agi à Propheta, ut ſcilicet Iſraël feſtinet ardenti zelo, neque differat in longum tempus pœnitentiam: deinde ut tamen maneat quietus ſi non ſtatim Deus oſtendat ſe eſſe propitium, & non demonſtret favoris ſui ſigna. Propheta hic vult populum eſſe placidum. *Et pluat vobis juſtitiam.* ירה quidem ſignificat Docere, ſignificat etiam Projicere: ſed quoniam מורה, quod nomen deducitur ab illo verbo, ſignificat pluviam, ut ſatis notum eſt, ego non poſſum hic aliter exponere, quam *pluet vobis juſtitiam.* quid enim eſſet juſtitiam docere? Sed alludit Propheta ad meſſem, quia poterat excipere populus, An certi ſumus de proventu, etiamſi quæramus Deum? Omnino, inquit: veniet ipſe, hoc eſt, occurret vobis, & pluere faciet vobis juſtitiam, hoc eſt, fructum juſtitiæ ſuper vos. In ſumma, hic Propheta oſtendit Deum, quoties ex animo & ſincere quæritur à peccatoribus, prodire obviam, & ſe benignum & clementem offerre. Sed quoniam de aratione & ſemente loquutus eſt: fructus autem, vel meſſis reſtabat: ideo ut promittat non perdituros ſumptum & operam qui juſtitiam ſeminaverint, dicit, Dominus pluet ſuper vos fructum juſtitiæ. Jam ſequitur alter ille verſus qui implet ſententiam, quemadmodum dixi. *Araſtis impietatem, iniquitatem meſſuiſtis, comediſtis fructum mendacii.* Oſtendit Propheta fruſtra quotidie admonitum fuiſſe populum, & tam benigne ac ſuaviter allectum fuiſſe à Domino, quia non tantum contempſerit ſanas admonitiones, ſed obſtinata malitia contra ſeſe projecerit in diverſam partem. *Araſtis impietatem*, inquit. Deus vos hortatus eſt ad ſerendam juſtitiam: quid vos ſeminaſtis? impietatem. Deinde, *meſſuiſtis iniquitatem.* Quidam hic putant notari pœnas quas populus ſuſtinuit: acſi diceret Propheta, Deus talem proventum vobis rependit, qui ſationi reſpondeat. Ergo ſaturati eſtis mendacio: hoc eſt, veſtra inani fiducia. Sed videtur potius unam ſententiam proſequi, quod ſcilicet araverint impietatem, id eſt, ab initio fuerint impii: deinde meſſuerint iniquitatem, id eſt, continuaverint ſuam malitiam ad meſſem uſque, & repoſuerint fructum illum quaſi in borreum, ut ſe ſatiarent perfidia. Ego exiſtimo Prophetam hoc ſenſu loqui. ſed libera ſit electio: tantum oſtendo quid melius conveniat. Nam poſtea ſequitur, *Quia confiſus es in via tua, in multitudine fortium tuorum.* Hic Propheta notat præcipuum ſcelerum omnium caput, quod ſcilicet Iſraelitæ ſuis conſiliis freti non præbuerint aurem Dei verbo: deinde ſuis viribus muniti non exhorruerint ejus judicia, neque etiam ad ejus fidem confugerint, ut ipſos tueretur. Hæc igitur ſuperbia non abs re hic à Propheta nominatur, tanquam præcipuum caput omnium ſcelerum. Nam ſiquis vel prudentiæ ſuæ diffidat, vel ſuæ infirmitatis conſcius timeat, facile poterit ſubigi: ſed ubi ſuperbia occupat hominis mentem, ut ſe exiſtimet ſapere, nihil apud eum tunc proficit vel conſilium vel doctrina. Itidem ſiquis ſuas vires magnifice extollat, & faſtu ſit inflatus, non poterit manſueſcere, etiamſi centies admonitus fuerit. Ergo Propheta hic definit illud mendacium, illam impietatem, & illam iniquitatem, de quibus loquutus eſt. Quamvis enim variis modis peccaret populus, tamen fons & radix in iſto mendacio erat, quod ſcilicet ſolebat opponere vires ſuas Deo, & putabat ſe inſtructum eſſe prudentia, ut non opus haberet doctoribus. Quoniam ergo populus ita excæcatus fuit ſua ſuperbia, hic Propheta oſtendit fuiſſe illud mendacium quo ſe ſaturaverant. Sequitur,

14. Et (*vel ideo: copula enim illativam particulam valet*) ideo ſurget tumultus in populis tuis, & unaquæque munitionum tuarum vaſtabitur ſecundum vaſtationem Salman Beth-Arbel: in die prælii mater ſuper filios allidetur.

15. Se-

15. Secundum *(hoc modo)* faciet vobis Bethel à facie malitiæ, malitiæ veſtræ: in aurora pereundo peribit Rex Iſraël.

Hic Propheta pœnam denunciat, poſtquam ſcelera populi in medium propoſuit, & ſatis peregit reos, qui tergiverſando, judicium fugitabant: nunc addit, Deum fore juſtum ultorem. *Surget* ergo *tumultus in populis tuis.* Hactenus tu ſaturatus es mendacio, quia ſper fortitudinis te inebriavit, deinde falſa opinio prudentiæ: ſed jam Dominus repente tumultum excitabit inter populos tuos, id eſt, momento uno omni ex parte ſurget tumultus. Significat non fore progreſſus lentos, ſed talem fore tumultum qui omnia conturbet ab extremo angulo uſque in oppoſitam partem. *Surget* igitur *in populis tuis tumultus*, vel perditio. שאון enim ſignificat interdum Perditionem vel interitum. Sed malo Tumultum, quia verbum קאם videtur id exigere. Dicit, Unaquæque munitionum tuarum vaſtabitur: oſtendit, quicquid roboris erat in populo, fore infirmum & prorſus vanum, ubi Dominus tumultuari cœperit, quia rediget hic tumultus in vaſtitatem omnes tuas urbes munitas. Poſtea addit exemplum, quod alii referunt ad Salmanazar. Ponit hic שלמן tantum. & Salmanazar quidem nomen eſt compoſitum: ſed neſcitur an Propheta poſuerit hic nomen ſimplex Salman; deinde poſuerit Beth-Arbel pro urbe cujus mentio fit in quibuſdam Scripturæ locis, quæ trans Jordanem erat reſpectu Judææ. Si recipimus hanc ſententiam, Propheta voluit renovare memoriam cladis recentis. Scitis quid vobis nuper contigerit quum Salmanazar tam crudeliter graſſatus eſt per regionem veſtram, quum pagos & oppida & urbes veſtras vaſtavit: præcipue vero ſcitis, quam atrox fuerit prælium illud in Beth-Arbel, ubi ſtrages fuit edita, ubi matres ſuper filios alliſæ fuerunt, ubi hoſtis non pepercit ſexui vel ætati, quod ſæviſſimum eſt in extremis bellis. Talis igitur eſſet Prophetæ ſenſus. Sed alii exiſtimant notari hiſtoriam, quæ alibi non celebratur. Quicquid ſit, conſtat Prophetam loquutum fuiſſe de aliqua clade quæ ſuo tempore ſatis nota erat. Fama igitur hæc ſatis vulgata erat, ſive fuerit illa clades illata per Salmanazar, ſive alia cujus nuſquam expreſſa legitur mentio. Nunc tenemus Prophetæ mentem. Sed non poſſum abſolvere.

Da omnipotens Deus, quando jam toties admoniti, & tam ſuaviter etiam abs te invitati, manemus tamen in noſtra malitia, & nihil quotidiana doctrina apud nos proficis: da, inquam, ut Spiritu manſuetudinis tandem flectamur in obſequium tuum, & pugnemus etiam ipſi cum carnis noſtræ duritia & contumacia, donec nos tibi præbeamus morigeros, neque expectemus donec adverſus nos manum tuam exeras, vel ſaltem ſic proficiamus ſub tuis ferulis, ne cogaris extremam vindictam in nos exerere, ſed ſtatim reſipiſcamus, & quidem abſque mendacio, ut aremus ſub jugo tuo, & ita fruamur benedictionibus tuis domeſticis, ut non tantum te nobis Dominum oſtendas, ſed etiam Patrem plenum miſericordiæ & humanitatis, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA NONA
IN
HOSEAM PROPHETAM.

CAP. X.

HEri expoſuimus verſum 14. cap. 10. ubi Propheta denunciabat populo ſuo vindictam Dei, qualem experti fuerant, ſive quum regio vaſtata fuit ab exercitu Salmanazar, ſive quum alia clades illata fuit. Ex verbis quidem certo colligitur prælium fuiſſe commiſſum in Arbel, quod diximus fuiſſe oppidum trans Jordanem. Jam docet etiam Propheta quanta fuerit prælii illius atrocitas, & quam gravis & dira clades, quàm nunc populo minatur, futura ſit: nempe quia mater alliſa fuerit ſuper filios. Jam poſtea oſtendit Propheta, hanc Dei vindictam fore juſtam, quia provocaverant Deum Iſraëlitæ ſuis ſuperſtitionibus. Cauſam ergo poſtremo verſu notat, cur Dominus tam ſevere acturus ſit cum populo ſuo. & notanda eſt loquendi formula: *Sic faciet vobis Bethel*, inquit. Poterat dicere Deum ſic facturum, ſed expreſſius oſtendit malum in ipſis reſidere, & mali cauſam: *Bethel*, inquit, *ſic faciet vobis.* Certum eſt, bellum non fuiſſe ortum à Bethel: ſed quia cultum Dei corruperant adorando vitulum, ideo Propheta dicit non Aſſyrium fuiſſe auctorem, proprie loquendo, hujus cladis, ſed potius imputandam eſſe corruptelæ, quæ nata fuerat in Bethel. *Bethel* ergo *ſic vobis faciet.* Jam addit, *A facie malitiæ, malitiæ veſtræ.* Quidam exponunt, Propter malitiam malitiæ: ut augendi cauſa notetur extremitas quædam, ſicuti genitivus Hebræis ſuperlativi loco ſæpe accipitur. Sed poteſt eſſe ſimplex repetitio, Propter veſtram malitiam hoc fiet, & fiet ita ut non poſſitis alio culpam transferre: vos enim omnium malorum vobis eſtis auctores. Poſtremo dicit, *In aurora ſuccidendo ſucciſus eſt*, vel pereundo periit, *Rex Iſraël.* His verbis ſignificat Propheta Dominum ita pœnam ſumpturum de populo Iſraël, ut ſatis appareat rem non contingere humanitus vel fortuito. Dominus enim regnum illud, quod tam bene munitum erat, quod florebat tanta opulentia & viribus, repente evertet. *Succiſus eſt* igitur *aurora Rex Iſraël*, vel uno mane. Quidam legunt כשחר, pro בשחר, tanquam aurora periit Rex Iſraël, quia ſcimus auroram ſtatim evaneſcere dum Sol exoritur. Sol plenum diem ſecum affert, ideoque ſtatim tranſit aurora. Sed verior eſt altera lectio, ut etiam ſemper magis recepta fuit, quod ſcilicet in aurora, hoc eſt, uno mane, Rex Iſraël periturus ſit, quemadmodum Gallice dicimus, *Cela n'eſt que pour un desjeuner.* Nam putabat ſuperbus ille populus vix fieri poſſe ut poſt multos annos ſibi quicquam adverſi contingeret: nam excæcatus erat fiducia roboris ſui. Propheta deridet hanc amentiam, & dicit cladem ſubitam fore ut momento pereat Rex Iſraël, quamvis putet ſe eſſe inſtructum & militibus, & aliis omnibus præſidiis. Jam ſequitur,

CAPUT XI.

QUia puer Iſraël, & dilexi eum: *(hoc eſt, Quando adhuc puer erat Iſraël:* כי *non accipitur hic cauſaliter, ſed Adverbium eſt temporis. Quum ergo puer erat Iſraël, tunc dilexi eum)* & ex Ægypto vocavi filium meum. *(ad verbum eſt, clamavi ad filium meum.)*

Hic expoſtulat Deus cum populo Iſraël propter ingratitudinem. Nam duplex erat obligatio populi, quod Deus illum fuerat amplexus à prima origine, quum nihil adhuc eſſet vel meriti vel dignitatis in ipſo. Qualis enim conditio fuit populi quum mancipatus erat ſervilibus operis in Ægypto? Certe potuit tunc videri vel quiſpiam homo ſemimortuus, vel jam fere putridum cadaver: nihil enim reſtabat amplius vigoris. Dominus ergo quum tam deſperatus eſſet ſtatus populi, porrexit manum, & deduxit quaſi è ſepulchro, reſtituit à morte in vitam. Nunc quod populus non agnovit tam admirabilem gratiam Dei, ſed ſtatim petulanter illi tergum obvertit: quale fuit hoc flagitium, & quam fœda pravitas, referre talem mercedem auctori vitæ & ſalutis ſuæ? Amplificat ergo Propheta populi crimen & flagitium hac circumſtantia, quod Dominus ſtatim à pueritia eum dilexit: *Quum adhuc*, inquit, *puer eſſet Iſrael, ego eum amavi.* Nam fuit hæc populi nativitas, quum egreſſus eſt ex Ægypto. Dominus quidem fœdus ſuum pepigerat cum Abraham 400 ante annis, deinde Patriarchæ, ut ſcimus, habiti ſunt ab ipſo pro filiis: ſed voluit Deus Eccleſiam ſuam eſſe quaſi extinctam quum eam redemit: ideo ſæpe Scriptura, quum loquitur de liberatione populi, perinde recenſet illam Dei gratiam acſi quis natus eſſet in mundo. Ergo non abs re hic Propheta docet populum fuiſſe dilectum quum adhuc puer eſſet. Signum hujus amoris demonſtrat, quod eductus fuerit ex Ægypto. amor jam præceſſerat, quemadmodum cauſa ſemper effectu ſuo prior eſt. Sed Propheta hic per amplificationem loquitur, *Dilexi Iſraël, adeoque quum adhuc puer eſſet, ego vocavi eum ex Ægypto*: hoc eſt, Non modo amavi puerum, ſed antequam natus eſſet jam incepi eum amare. Liberatio enim ex Ægypto fuit nativitas, amor autem meus præceſſit. Hinc ergo apparet populum illum fuiſſe à me dilectum antequam editus eſſet in lucem. Ægyptus enim fuit inſtar ſepulchri, nulla fuit ſcintilla vitæ. Sed conditio quam tunc ſuſtinuit miſer ille populus, deterior erat mille mortibus. Ego itaque quum ex Ægypto vocavi populum meum, ſatis oſtendi gratuitum fuiſſe meum amorem antequam natus eſſet. Ergo minus excuſabilis populus eſt, qui tam indignam mercedem Deo rependit, quum præventus fuerit gratuito ejus favore. Nunc tenemus Prohetæ ſententiam. Sed hic oritur difficilis quæſtio, quoniam Matthæus 2. cap. locum hunc ad Chriſti perſonam accommodat. Qui minus exercitati erant in Scripturis, ſecure locum hunc de Chriſto expoſuerunt. tamen contextus repugnat. Hinc factum eſt ut naſuti homines exagitaverint totam Chriſti fidem, quaſi Euangeliſta Prophetæ teſtimonio abuſus eſſet. Qui magis appoſite reſpondent, putant eſſe comparationem duntaxat, quemadmodum alibi citatur locus Jeremiæ dum refertur crudelitas Herodis, qui ſævit in omnes infantes ditionis ſuæ, qui eſſent infra bimatum: Rachel plorans filios ſuos, noluit conſolationem admittere, quia non erant. Euangeliſta dicit impletum fuiſſe illud vaticinium. Atqui certum eſt aliam eſſe Jeremiæ mentem. Sed nihil obſtat quominus idem teſtimonium etiam aptari ad illam hiſtoriam potuerit. Sic locum hunc intelligunt. Sed ego exiſtimo Matthæum propius expendiſſe conſilium Dei, ubi Chriſtus in Ægyptum ductus eſt, & illinc poſtea reverſus in Judæam. Primo loco ſic habendum eſt, Chriſtum non poſſe avelli ab Eccleſia, ſicuti corpus manebit mutilum ſine capite, & truncum. Ergo quicquid olim in Eccleſia contigerat, oportuit tandem in capite ipſo impleri. hoc unum eſt. Deinde etiam non dubium quin admirabili providentia voluerit Deus Filium ſuum ex Ægypto prodire, ut redemptor eſſet fidelibus: atque ita oſtendit verum & ſolidam & perfectam liberationem nunc demum fuiſſe præſtitam quum apparuit Redemptor promiſſus. Fuit igitur hæc plena nativitas Eccleſiæ quum ex Ægypto Chriſtus prodiit ad Eccleſiam redimendam. Ita meo judicio nimis frigidum eſt illud commentum, quod Matthæus per ſimilitudinem loquutus ſit. Nam illud expendere nos convenit, quod ſcilicet Deus, quum populum ſuum olim redemit ex Ægypto, tantum quodam præludio oſtendit redemptionem quam diſtulit uſque ad Chriſti adventum. Sicuti ergo tunc corpus Eccleſiæ ex Ægypto eductum eſt in Judæam, ſic caput ipſum tandem ex Ægypto etiam prodiit: atque tunc demum oſtendit Deus ſe verum eſſe liberatorem populi ſui. Hæc igitur ſumma eſt: ideo Matthæus aptiſſime locum hunc ad Chriſtum accommodat, quod ſcilicet Deus Filium ſuum dilexerit à prima pueritia, & vocaverit eum ex Ægypto. Scimus interea alio reſpectu Chriſtum vocari Filium Dei, quam populum Iſraël. Nam adoptio filios Abrahæ fecit filios Dei: Chriſtus autem naturâ eſt unigenitus Dei Filius. Sed oportet etiam ſuum gradum manere capiti, ut corpus infra reſideat. Itaque in eo nihil eſt abſurdi. Quod autem ingratitudo objicitur, quia tantam Dei gratiam non agnovit, hoc non poteſt competere in perſonam Chriſti, ut ſatis ſcimus: neque etiam ad eum referre opus eſt. Nam videmus aliis locis non omnia in Chriſtum competere, quæ dicuntur vel de Davide, vel de ſummo Sacerdote, vel de poſteris Davidis, & tamen erant figura Chriſti. Sed diſcrimen ſemper magnum eſt inter rem & figuras. Nunc pergamus.

Jer. 31. verſ. 15. Matth. 2. verſ. 18.

2. Vocarunt illos, (*vel clamaverunt ad illos*) ſic ambulaverunt à facie illorum, Baalim ſacrificia obtulerunt, & ſculptilibus ſuffitum fecerunt.

Jam ingratitudinem populi recitat Propheta, quod ſcilicet neglexerit memoriam redemptionis. Clamandi verbum hic diverſo ſenſu accipitur. Nam Deus populum, vel filium ſuum ex Ægypto vocavit effectualiter, ut loquuntur: vocavit rurſus per ſuos Prophetas externa voce, vel doctrina. Ergo quum prius dicebat, ſe filium vocaſſe ex Ægypto, hoc intelligi debet de actuali, ut loquuntur, liberatione. Nunc quum dicit, *Vocarunt eos*, intelligitur hoc de doctrina. Non exprimitur Prophetarum nomen: ſed res ipſa clara eſt. Et videtur conſulto Propheta indefinite dixiſſe, vocatum fuiſſe populum, quo melius pateret indignitas: quia ſcilicet toties, & à tam multis vocatus, non tamen reſipuerit. *Vocarunt* igitur *eos*. Quum ita loquitur, non intelligitur ſermo de uno vel altero homine, vel paucis: ſed potius comprehenditur multitudo hominum, quaſi hoc paſſim factum eſſet. Sic etiam nunc, *Vocarunt eos*: hoc eſt, populus hic vocatus fuit non bis vel ſemel, ſed aſſidue: & Deus non modo nuncium unum vel præconem miſit qui eos vocaret, ſed multi Prophetæ alii poſt alios ſubinde excitati ſunt. id vero contigit ſine ullo profectu. Nunc tenemus quid velit Propheta. *Vocarunt eos*, inquit, *ſic abierunt à conſpectu eorum*. Particula כן hic ponitur quaſi per hypotyposin, ut loquuntur: demonſtrat enim Propheta, tanquam digito, ut ſcelerate conſpiraverint ad conſilia ſua exequenda, quaſi data opera vellent contemptum palam oſtendere. *Sic abierunt*. Quum ad unam partem vocarent Prophetæ, in diverſam partem profecti ſunt. Videmus ergo hanc demonſtrationem non eſſe ſupervacuam, quum dicit ita eſſe profectos: deinde, *A facie eorum*: nam oſtendit populum latebras captaſſe & refugiſſe lucem. Denique colligimus ex his verbis, tantam fuiſſe pervicaciam populi, ut non modo cuperet alienus eſſe à Deo, ſed nihil etiam haberet negotii cum Prophetis. Hoc autem ſignum eſt extremæ malitiæ, ubi doctrina ipſa tædio eſt, &

miniſtri etiam ejus jam ferri non poſſunt. Et non dubium eſt quin Propheta hoc crimen exprimere in populo voluerit. Poſtea dicit, *Sacrificaſſe Baalim, & ſuffitum feciſſe ſculptilibus.* Priore membro oſtendit contumaciam, quod ſcilicet non fuerint dignati Iſraëlitæ aurem præbere ſervis Dei. Nunc addit, *Suffitum feciſſe* ſuis ſculptilibus, & cultum etiam exhibuiſſe ſuis idolis. Per *Baalim*, quemadmodum alibi dictum fuit, intelligit Propheta minores deos. Neque enim tantus ſtupor regnabat in populo, quin ſentiret aliquod ſupremum eſſe numen: imo profanæ etiam Gentes hoc confeſſæ ſunt, eſſe ſummum aliquem Deum. Sed Baalim vocabant patronos: ut hodie in Papatu videmus ad mortuos tranſcriptum eſſe idem munus: nempe ut concilient hominibus gratiam coram Deo. Non eſt igitur cur Papiſtæ effugium quærant in vocibus, quia eadem apud ipſos graſſatur hodie ſuperſtitio, quæ olim apud Gentes & apud populum Iſraël. Hic Propheta exaggerat malitiam populi, quod ſcilicet non tantum præterierit contemptim omnem pietatis doctrinam, ſed perverterit manifeſte totum Dei cultum, & ſe proſtituerit fœdis abominationibus, ut ſuffitum faceret idolis ſuis. Pergamus.

3. Et ego ad pedes deduxi eum, *(vel ad pedes deductio mea)* ad Ephraim attollendum *(vel ſuſtulit)* ſupra brachia ſua, & non cognoverunt quod ſanaverim eos.

Hic Deus iterum amplificat populi crimen, quod nullis beneficiis, etiam poſt longum tempus, vel allici, vel flecti, vel corrigi, vel ad ſanam mentem reduci potuerit. Satis hoc erat, quum manu Dei populus Iſraël è ſepulchro eductus eſſet in lucem vitæ, tamen poſtea repudiaſſe omnem doctrinam. Hoc erat grave & atrox crimen. Sed jam Deus ultra progreditur, quod ſcilicet non deſtiterit amorem ſuum erga ipſum oſtendere, & tamen hac perſeverantia nihil adeptus ſit, quoniam incurabilis fuit malitia & pravitas populi: ideo dicit, Ego deduxi Ephraim ad pedes. Quidam volunt eſſe nomen רגל: & videtur hoc optime quadrare. Nam alioqui erit literæ mutatio, quam Grammatici non admittunt in principio dictionis. Nam ת eſſet hic poſitum loco ה. Atqui etiamſi frequenter hoc occurrat in lingua Hebraica, nullum tamen exemplum tale proferri poſſet: ſicuti qui linguæ periti ſunt, putant potius eſſe nomen hac de cauſa. & libenter hoc amplector. Qui tamen volunt eſſe verbum, dicunt, Deduxi eum ad pedes, תרגלתי. hoc eſt, Quemadmodum puer qui nondum firmo pede graditur, paulatim aſſueſcit; & nutrix, vel pater, vel mater, qui eum deducunt, indulgent infantiæ: ſic etiam Iſraelem ego deduxi, quantum poterant ferre ejus pedes. Sed altera verſio minus obſcura erit. *Ambulatio* igitur *mea ad pedes ejus*: hoc eſt, Ego me demiſi ſicuti ſolent matres. Deinde dicit ſe tuliſſe populum in humeris ſuis. Et videbimus eandem ſimilitudinem paulo poſt. & Deuter. cap 32. dicit Moſes portatum fuiſſe populum illum ſub alis Dei, vel Deum expandiſſe alas ſuas, quemadmodum aquila volitat ſuper pullos ſuos. Quantum ad rem ſpectat, ſenſus Prophetæ non obſcurus eſt. Intelligit enim populum hunc paterno more & indulgenter fuiſſe tractatum à Deo: tamen etiam hanc perſeverantiam caruiſſe profectu, quum Dominus non deſineret ſua beneficia erga eum proſequi. Dicit poſtea, *Ad portandum* ſuper brachia ejus. קחם aliqui exponunt Portavit, ut ſit præteritum; & ſubaudiunt nomen Moſis: Deus enim hic loquitur. Alii volunt eſſe infinitivum, Ad portandum: quemadmodum ſiquis portaret aliquem ſuper humeros ſuos. Et videtur iſta expoſitio melius quadrare. In ſenſu nulla eſt ambiguitas, quia Prophetæ conſilium, ut jam dixi, tale eſt, hunc populum eſſe ſceleſtiſſimum qui Deo non obediat, quum tam clementer ab ipſo tractatus fuerit. Quid enim potuit expetere quod non præſtiterit Deus? quemadmodum etiam dicit per Jeſaiam, Vinea mea, quid debui tibi facere quod non præſtiterim? Jeſ.5.4. Ita etiam hoc loco, *Ambulatio mea fuit ad pedes Ephraim*, idque *ad portandum*, quemadmodum ſiquis portet ſupra brachia ſua: non tamen cognoverunt quod ſanaverim eos. hoc eſt, neque principium bonitatis meæ, neque continua ſeries quicquam apud eos valuit. Ego quum ex Ægypto eos eduxi, mortuos reſtitui in vitam: hoc beneficium abolitum fuit. Jam in deſerto ego tot modis teſtatus ſum me eſſe optimum & indulgentiſſimum patrem: ego operam meam etiam hac in parte perdidi. Quare? Nulla enim mea gratia agnita fuit in hoc perverſo & vecordi populo. Nunc ergo videmus quid Propheta voluerit: & eandem ſententiam continuat proximo verſu.

4. In funibus hominis traham eos, *(hoc eſt, traxi eos)* in vinculis amoris: & fui illis ſicuti qui attollunt jugum ſuper maxillas: & attuli ſuper eos cibum *(vel feci eos comedere)* quiete: *(Dicemus poſtea de utroque ſenſu.)*

Primo objicit Propheta, populum hunc non fuiſſe duriter habitum, quemadmodum ſolent vel mancipia, vel boves, vel aſini. Prius dixerat populum Iſraël ſimilem eſſe juvencæ quæ jugum excutit, & propter laſciviam diligit triturationem duntaxat. Quanquam autem tanta erat ferocia populi, hic Deus oſtendit ſe non uſum fuiſſe ſummo rigore: *Ego*, inquit, *traxi eum funibus humanis, & vinculis dilectis.* Per funes hominis intelligit gubernationem humanam. Ego, inquit, non ſerviliter tractavi eos, ſed habui pro filiis: ego etiam non reputavi tanquam pecudes, ego non conjeci in aliquod ſtabulum, ſed traxi duntaxat vinculis amabilibus. Summa eſt, totum illud regimen quod Deus impoſuerat populo, fuiſſe certum & illuſtre ſignum favoris paterni, ita ut populus non potuerit conqueri de nimio rigore, quemadmodum ſi Deus reſpexiſſet quale eſſet ipſorum ingenium, & adverſus durum nodum (ſicuti fertur vulgari proverbio) uſus eſſet cuneo duro. Si ergo talis fuiſſet Deus erga populum, poterat objicere ſe potuiſſe quidem allici, ſed non eſſe mirum ſi non paruerit, qoia tam violenter tractus eſſet. Atqui non eſt quod excipiant me uſum fuiſſe aliqua ſævitia, inquit Dominus: ego enim clementius me gerere non potui erga eos. *Traxi eos funibus humanis*: hoc eſt, non ſecus gubernavi eos quam pater filios ſuos, fui liberalis erga ipſos. Ego quidem volui prodeſſe, & exegi ab illis obſequium, ut par erat: interea ego jugum impoſui neque ſervile, neque etiam quale imponi ſolet brutis animalibus, ſed contentus fui paterna diſciplina. Quum ergo tanta clementia apud eos nihil profuerit, nonne hinc colligitur perdita & extrema eorum malitia? Poſtea addit, *Ego fui illis tanquam qui attollunt jugum ſuper maxillas.* Ego, inquit, non gravavi eos nimis duris oneribus, quemadmodum onerari ſolent boves, vel alia bruta jumenta: ſed ego ſuſtuli jugum ſuper maxillas: ego malui ipſe ferre jugum, & levare onere impios iſtos & ſceleratos homines. Et Deus non fruſtra hoc afferit: ſcimus enim, etiam quum imperio ſuo utitur & auctoritatem ſibi vendicat, non tamen incumbere ut gravet populum, quemadmodum ſolent terreni Re-

ges, ſed ferre onus quod hominibus injungit. Non mirum eſt igitur ſi nunc dicat, *Se levaſſe jugum ſuper maxillas hujus populi*: quemadmodum ſiquis non velit gravare bovem ſuum, ſed ipſe manibus ſuis ferat jugum, ne bos laſſitudine deficiat. Poſtea addit, *Et quiete feci eos comedere*, vel cibum ad eos attuli. אוכיל putant quidam eſſe verbum futuri temporis, & eſſe poſitum אוכיל pro אאכיל: hoc eſt, comedere faciam eos: & futurum debebit reſolvi in præteritum hoc modo: nam certum eſt particulam אט accipi aliquando pro tranquillo. Feci ergo ut tranquille comederent. Sed altera expoſitio receptior eſt, ut אט ducatur à נטה, quod eſt Tollere, perinde acſi diceret Propheta, cibum fuiſſe admotum. Deus ergo hic modis omnibus exaggerat populi ingratitudinem & malitiam, quod ſcilicet non agnoverit paternum illum favorem, quum tam familiariter tamen ipſe ante oculos poneret ſuam gratiam. *Ego*, inquit, *porrexi ſuper eos cibum*: hoc eſt, ego neque projeci in terram, neque etiam altius poſui: non laborarunt in ſumendo cibo, ſed ego quaſi manu mea attuli & ſubjeci, ut poſſent comedere ſine ullo labore. Breviter ſignificat Deus omnia ſe fuiſſe expertum ſiqua fuiſſet manſuetudo vel docilitas in populo Iſraël; ſed male ſe omnia ſua beneficia locaſſe, quoniam populus hic cæcutierit ad tam familiares gratias, hoc eſt, quæ poterant certo teſtari Deum omnibus modis ſe præſtare patrem. Sequitur,

5. Non revertetur in terram Ægypti, Aſſur dominabitur ipſis, quia noluerunt converti. (*renuerunt ad convertendum.*)

Hic novam pœnam denunciat Propheta, quod ſcilicet populus fruſtra ſperet ſibi Ægyptum fore loco refugii vel aſyli, quia Dominus in contrariam partem eum abſtrahet. Nam Iſraëlitæ ſpem hanc apud ſe fovebant, ſi forte Aſſyrius eſſet potentior, tamen commodum ſibi fore hoſpitium in Ægypto apud amicos, quibuſcum fœdus inierant. Quum ergo ſibi promitterent hoſpitale exilium in Ægypto, hic vanam fiduciam deridet Propheta: Fruſtrabitur, inquit, populum hæc ſua opinio, quia putant ſibi viam patere in Ægyptum: clauſa eſt, inquit, *Non revertentur in terram Ægypti, ſed Aſſur erit Rex eorum.* Quum dicit Aſſyrium dominaturum, ſignificat populum hunc fore exulem ſub Aſſyriis, quod etiam contigit. Ergo hic præoccupat omnes vanas ſpes quibus ſe populus fallebat, ut obdureſceret contra omnes minas Dei. Non eſt, inquit, quod in Ægyptum reſpiciant: Dominus enim non permittet ut illuc perveniant, quia trahet eos in Aſſyriam. Et poſtea cauſam reddit: *Quia noluerunt reverti*, inquit. Hic alio ſenſu accipitur verbum: ſed elegans eſt paronomaſia. Putabant ſibi fore liberum tranſitum ad Ægyptios. Atqui noluerant ad Deum tranſire, quum toties eos vocaſſet. Dicit ergo Propheta jam præcluſum illis eſſe reditum in Ægyptum, quia ad Deum ipſum redire noluerant. Hæc ſumma eſt, Quum pervicaciter reſiſtunt homines Deo, fruſtra ſibi poſtea vel in hanc vel in illam partem ſperare aliquas liberas tranſitiones, quia Dominus ligatos & conſtrictos teneat. Quemadmodum ſolent feræ beſtiæ, ubi oſtendunt nimiam ſævitiam, includi caveis, vel etiam catenis conſtringi: quemadmodum etiam ſolent furioſi homines ligari fortibus vinculis; ita etiam Dominus præfractos homines durius conſtringit, ut non poſſint vel digitum movere. Hic Prophetæ ſenſus eſt. Interea ſubaudienda eſt tacita comparatio inter antiquam ſervitutem quam pertulerant in Ægypto, & novam hanc quæ ipſos manebat. Experti fuerant quale eſſet Ægypti hoſpitium, & tamen tanta cæcitate occupatæ erant eorum mentes, ut cuperent illuc redire. Excepti fuerant illorum patres ſatis humaniter, ſed poſteri eorum gravati fuerant, imo parum abfuerant ab ultimo interitu. Qualis fuit iſta dementia, ultro velle in Ægyptum redire, quum tamen ſcirent qualis eſſet Ægyptiorum ſævitia & crudelitas? Atqui, quemadmodum dixi, aliquid gravius eos manet: indigni ſunt qui redeant in Ægyptum. Eſſet quidem jam maledicta iſta conditio, ſed interea Dominus non aperiet illis viam, coget enim eos alio tranſire: imo violenter trahentur à victoribus in Aſſyriam. Summa eſt, ſi populus duriter in Ægypto tractatus fuerat, jam inſtare tyrannidem longe graviorem, quia ſcilicet Aſſyrii duplicabunt injurias, & vim, & omne genus injuriæ & contumeliæ contra hunc populum. Nonnulli putant hoc ad conſolationem fuiſſe additum, quod Deus, quamvis tantopere provocatus à populo, nolit tamen rurſus in Ægyptum traducere, ne prior redemptio aboleatur: ſed mediam rationem ſibi fore in promptu qua ingratos caſtiget, retineat tamen in ſuo peculio. Sed jam oſtendi quid mihi magis placeat. Cæterum, utrumvis eligatur, videmus quam gravis & dura ſit iſta denunciatio Prophetæ.

Da omnipotens Deus, quando nos dignatus es eligere ante jacta mundi fundamenta, & gratuita adoptione nos complexus es quum eſſemus filii iræ, & devoti extremo exitio: deinde etiam ſtatim ab utero nos amplexus es, tandem dignatus es etiam nos teſtimonio clariore amoris tui, quum per Euangelium tuum nos vocaſti in ſocietatem & communionem unigeniti Filii tui: da, inquam, ne immemores ſimus tot & tam ſingularium bonorum, ſed vocationi tuæ ſanctæ reſpondeamus, & ſtudeamus nos totos tibi addicere, neque ad unum diem, ſed quemadmodum ad tempus nos hic collocaſti, ita etiam ſtudeamus & vivere & mori tuo arbitrio, ut ita glorificemus te uſque in finem, per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA

IN

HOSEAM PROPHETAM.

CAP. XI.

6. Et cadet gladius in urbes ejus, & conſumet vectes ejus, (*alii vertunt, ramos vel membra*) & vorabit propter conſilia eorum.

Quia

Quia difficile erat perſuadere ſuperbo populo cladem inſtare qualem prædixerat Hoſeas, quoniam videbat ſe inſtructum eſſe multis præſidiis, ideo nunc adjungitur hæc ſententia, quod urbes munitæ non impedient quominus hoſtis perrumpat, devaſtet totam regionem, & populum abducat captivum. Nunc tenemus quomodo verſus hic cohæreat cum proximo. Minatus fuerat Propheta exilium. Jam quia Iſraëlitæ putabant ſe tutos eſſe in ſuis oidis, ideo adjungit non eſſe cur munitionibus ſuis confidant, quia Dominus poterit gladio conſumere urbes ipſorum. Dicit ergo, *Gladium cadet* ſuper urbes eorum. חיל ſignificat Manere & caſtrametari: ſignificat etiam interdum Cadere vel irruere: & hic ſecundus ſenſus melius conveniet præſenti loco. Alii tamen vertunt, *Manebit* gladius in urbibus, donec eas conſumat. Sed quantum ad ſummam rei, non multum intereſt. Ego tamen breviter attingo quid mihi probetur: *Gladius* ergo *cadet* (vel irruet) *in urbes*: deinde, *Conſumet vectes ejus*. בדים vocant Hebræi Vectes ſæpe: ſæpius tamen vocant Ramos, vel membra: ramos arboris, & membra hominis. Ideo quidam metaphorice accipiunt hic pro oppidis vel pagis: ſunt enim quaſi membra urbium, vel rami. Quanquam alii exponunt filios, qui ſuccreſcunt ex ſuis parentibus non ſecus ac rami ex trunco. Sed videtur illud nimis remotum. Ego ſententiam illam non improbo, quod Propheta hic deſignet oppida & villas quæ erant quaſi appendices urbium, quemadmodum rami ſe huc & illuc projiciunt ex arbore. Senſus ergo hic non male quadrabit, quod gladius abſumet & vorabit oppida & pagos, ubi ceciderit ſuper urbes. Sed quod jam dixi de vectibus, videtur aptius eſſe ad Prophetæ mentem. Synecdoche autem erit in voce בדים, quia pars munitionum eſt in vectibus: portæ enim clauſæ & munitæ efficient urbes validas. Sic per ſynecdochen poſſet hic locus exponi, quod gladius, poſtquam ceciderit in urbes, quicquid eſt in illis roboris ac præſidii conſumet ac vorabit. Adjungit ſimul cauſam, *Propter conſilia eorum*, inquit. Non dubium eſt quin hoc nomine uſus fuerit, quod Iſraëlitæ ſe ſapere putabant: quemadmodum profani homines arrogant ſibi multum prudentiæ; & hoc faciunt ut Deum quaſi ex alto deſpiciant, & derideant omnem doctrinam. Quoniam ergo ſibi videntur valde providi qui Deum contemnunt, & muniti eſſe bonis conſiliis, Propheta oſtendit hanc Iſraëlitis cauſam fore exitii, quod diabolica illa prudentia turgeant, quod non ſuſtineant parere verbo Domini. Pergamus.

7. Et populus meus ſuſpenſi ad averſionem: *(alii vertunt, converſionem)* & ad excelſum vocabunt, *(id eſt, vocant)* ſimul non extollet. *(id eſt, nemo extollit.)*

Varie torquetur hic verſus, quoniam alii תלואים exponunt quaſi perplexum: acſi diceret Propheta, populum juſtam pœnam dare dum anxius eſt; ac dum circumſpicit, nihil uſquam reperit ſolatii, quia hæc merces ſit defectionis vel apoſtaſiæ. *Populus* ergo *meus ſunt ſuſpenſi*: id eſt, non mirum eſt ſi Iſraëlitæ nunc magna anxietate torquentur, & nullum malis ſuis exitum inveniunt: digni enim ſunt quos Dominus ita conſtringat, qui ab ipſo rebellarunt. Hic ergo fructus eſt defectionis eorum, quod nunc ita pleni ſunt triſtitia, & ſimul deſperatione. Hæc una eſt expoſitio. Alii dicunt hic potius Deum conqueri de populi malitia, utpote qui deliberet an debeat reſipiſcere. Suſpenſum ergo pro dubio accipiunt. *Populus meus ſunt ſuſpenſi*: hoc eſt, quaſi de re ambigua conſultant, dum eos ad pœnitentiam exhortor, & non poſſunt ſemel ſtatuere quid factu ſit opus: ſed alternant inter diverſa conſilia, & nunc in illam inclinant partem, nunc in alteram: quaſi vero res ipſa eos ad deliberandum cogat. Certe quid juſtum ſit, eos minime latet: ſed quia nolunt, tergiverſando ſibi accerſunt colores dubitandi. Clamant enim Prophetæ ad eos, & nemo *extollit*. Illa eſt ſecunda expoſitio. Interim notandum eſt varie accipi nomen משובה. Quia priores averſionem transferunt, & Jod affixum, paſſive tunc neceſſe erit exponere, vocari à Deo averſionem ſuam, quoniam Iſraëlitæ ab eo defecerant. Sicuti Jeſaiæ 56. vocat domum orationis ſuæ, in qua ſolebat precari populus. Paſſive ergo ſecundum illos, averſio Dei vocabitur, quia populus ab eo alienatus fuerat. Alii converſionem vocant. Sed Hebræi doctores nomen hoc ſemper volunt accipi in malam partem, & affirmant nullum locum extare, ubi aliud quam rebellionem vel apoſtaſiam ſignificet. Quum ita ſit, libenter de averſione accipio: & ita non ſtabit ſecundus ſenſus, quod ſcilicet populus deliberet an audire debeat monitiones Prophetarum. Quanquam videtur mihi aliud velle Propheta, quam primo loco ex ſententia aliorum retulerim. Dicunt illi, *Populus meus ſunt ſuſpenſi*: hoc eſt, anxie torquentur propter defectionem, quia ſcilicet ego juſtas pœnas ſumo de apoſtaſia, qua factum eſt ut me relicto, vagati ſint poſt ſua figmenta. Sed ego aliter accipio, ut jam dixi. *Populus meus ſunt ſuſpenſi*: hoc eſt, populus meus non tantum à me ſemel defecit, ſed quaſi ſuſpenſus eſt in illa ſua defectione. Suſpenſos igitur vocat, non quia mœſti ſint & perferant magnos cruciatus, & videant res ſuas perplexas, ſed potius vocat ſuſpenſos, quia obſtinati maneant: quemadmodum ſiquis dicat neminem una in re eſſe ſuſpenſum, ubi non movetur. Denique illa ſuſpenſio nihil aliud eſt quam obſtinatio populi: *Suſpenſi* igitur *ſunt ad defectionem*. Poſtea addit: *Ad excelſum vocant*, inquit, *ſimul nemo extollit*. Indefinita oratio quid valeat, heri diximus: ſignificat enim Propheta, doctrinam perſonuiſſe in populo illo, & ſatis multos teſtes vel præcones fuiſſe à Domino emiſſos, ſed hoc totum fuiſſe inutile. *Vocant* ergo *ad excelſum*, *nemo attollit*. Quidam etiam ſubaudiunt nomen Dei: & illa magis eſt recepta opinio. Sed meo judicio falluntur: neque enim dubito quin Propheta de Iſraëlitis loquens, intelligat ſtetiſſe in uno gradu, & non fuiſſe commotos ulla doctrina, ut ſcilicet progreſſum facerent, vel oſtenderent ſignum aliquod reſipiſcentiæ. *Nemo igitur attollit*. Utitur ſingulari numero, & ponit particulam יחד: acſi diceret, A primo ad ultimum nemo eſt qui dolore afficiatur, perſtant enim obſtinati in ſua malitia. Et quum dicit neminem attollere, videtur alludere ad nomen ſuſpenſionis. Sunt igitur ſuſpenſi ad ſuam defectionem. Ubi autem clamant Prophetæ, & eos aſſidue hortantur ut reſipiſcant, *Non attollunt*, hoc eſt, non aſpirant ad Deum: & quidem hoc fit uno conſenſu, acſi omnes pariter excæcati conſpiraſſent in una & eadem malitia. Hoc igitur verſu iterum Propheta populi ſcelera in medium producit, ut melius appareat, Deum non ſine cauſa tam atrociter minari: quia digni ſunt graviſſimis quibuſque exemplis, qui tam pervicaciter Deo rebelles ſunt. Hæc ſumma eſt. Nunc pergamus.

8. Quomodo ponam te Ephraim? tradam te Iſraël? quomodo ponam te ſicut Sodomam? ſtatuam te ſicut Zeboim? Inverſum eſt in me cor meum, ſimul revolutæ ſunt *(alii, incaluerunt: nam* נכמר *illud ſignificat. ſimul ergo revolutæ ſunt)* pœnitudines meæ.

9. Non faciam (*id eſt, non exequar*) furorem iræ meæ, non revertar ad perdendum Ephraim: quia Deus ego, & non homo: in medio tui Sanctus, & non ingrediar urbem.

Hic Deus conſultat quid acturus ſit cum populo: & primum quidem oſtendit ſibi jam propoſitum eſſe exequi vindictam, qualem Iſraelitæ meriti erant, nempe ut eos in totum aboleat: ſed tamen perſonam deliberantis ſuſcipit, ne quis exiſtimet eum præcipitanter ad iracundiam ruere, vel nimio furore concitum celeriter addicere exitio qui leviter peccarunt, vel rei ſunt mediocris culpæ. Ne quis ergo Deo affingat nimis fervidam iracundiam, hic dicit, *Quomodo ponam te Ephraim? quomodo tradam te Iſrael? quomodo ſtatuam te ficut Sodomam?* Hac particula oſtendit Deus quid meriti ſint Iſraëlitæ, & jam ſe propenſum eſſe ad ſumendam pœnam qua digni ſunt: non tamen id ſine pœnitentia, vel ſaltem ſine dubitatione. Poſtea addit ſecundo membro, *Hoc non faciam*, inquit: *cor meum ſuper* (vel, in) *me inverſum eſt*: jam ego muto conſilium, *Et pœnitudines meæ revolutæ ſunt*: hoc eſt, quum mihi in animo eſſet vos omnes perdere, jam obrepit mihi pœnitudo, quæ revocat illum affectum. Tenemus nunc quid velit Propheta. Quantum attinet ad iſtas loquendi formas, primo quidem intuitu videtur eſſe abſurdum quod Deus ſimilem ſe facit mortalibus dum varia conſilia ſuſcipit, & ſe nſtendit quaſi flexibilem. Scimus Deum nullis paſſionibus obnoxium eſſe: ſcimus non cadere quicquam mutationis in ipſum. Quid ergo loquutiones iſtæ ſibi volunt, quum dubius videtur? Certe accommodat ſe noſtræ ruditati quoties induit alienas perſonas. Et hinc etiam refellitur eorum tam ſtultitia quam improbitas, qui urgent ſingulas ſyllabas, ut oſtendant Deum quaſi ſimilem eſſe mortalibus. Quemadmodum homines iſti importuni, qui hodie cuperent evertere æternam Dei providentiam, & abolere electionem, qua diſcernit inter homines. O! Deus eſt ſimplex, inquiunt: atqui dixit

Eze. 33. verſ. 11. ſe nolle mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat. Ergo neceſſe eſt Deum illic manere quaſi dubium, & pendere ex cujuſque libero arbitrio. Eſt igitur in hominis poteſtate vel accerſere ſibi exitium, vel ad ſalutem venire. Deus interea expectabit quietus quid facturi ſint homines, & nihil poterit diſcernere niſi ex ipſorum arbitrio. Dum ita ineptiunt iſti inſani, putant ſe niti invicta ratione, quod ſimplex & una ſit Dei voluntas. Atqui ſi una ſit Dei voluntas, non ſequitur propterea quin ſeſe hominibus accommodet, atque induat alienas perſonas, idque quantum fert vel poſtulat ratio ſalutis noſtræ: quemadmodum hoc loco non fruſtra Deus ſe quaſi dubium inducit. Nam hinc colligimus non ferri nimis ſubito ad pœnas ſumendas, etiam quum pluribus modis homines provocarunt ejus vindictam. Deus ergo hoc teſtatur hac loquendi figura. Interim ſcimus certum illi eſſe quid facturus ſit, nec pendere ejus decretum ex hominum arbitrio: neque enim ignorat quidnam facturi ſimus. Deliberat ergo Deus non apud ſe, ſed reſpectu hominum. Hoc unum eſt. Jam tenendum eſt etiam memoria quod dixi, Prophetam hic terrorem incutere ſuperbis & profanis contemptoribus, dum ante oculos illis ponit ſuum exitium, & oſtendit parum eos abeſſe à ſorte Gomorrhæ & aliarum urbium. Quid enim reſtat, inquit Dominus, *niſi ut ſtatuam* vos quaſi Sodomam & Zeboim? hæc eſt veſtra conditio, & merces iſta vos manet; ſi ego judicium meum exequar, quod jam quaſi decretum eſt: non quia Deus ſtatim hoc faciat, ſed tantum admonet Iſraëlitas quid meriti ſint, & quid ipſis futurum ſit niſi Dominus clementer cum ipſis agat. Hoc de priore membro verſus. Jam quum dicit, *Cor ſuum inverſum eſſe, & revolutas ſuas pœnitudines*, eadem eſt anthropopathia in his verbis: ſcimus enim affectus iſtos non competere in Deum, ut tangatur pœnitentia, & cor ejus feratur in diverſas partes. Nihil tale imaginari fas eſt. Sed hoc tantum ſpectat, ſi tractet populum Iſraëliticum ut dignus eſt, jam ſimilem fore Sodomæ & Gomorrhæ. Quia vero Deus miſericors eſt, & paterno affectu complexus eſt hunc populum; fieri non poſſe ut ſe obliviſcatur patrem, ſed proclivem fore ad veniam dandam: quemadmodum ſi pater ubi videt filium ſuum perdito eſſe ingenio; fervorem ſubito concipiat, deinde pœnitudine retractus inclinet ad parcendum. Deus ergo ita ſe acturum cum populo denunciat. Et ſequitur etiam hujus ſententiæ explicatio, *Non faciam furorem iræ meæ*: qua figura ſermonis deſignat pœnam quæ reſpondeat hominum ſceleribus. Nam ſemper illud habendum eſt, Deum immunem eſſe ab omni paſſione. Jam ſi nulla ira nobis in Deo fingenda eſt; quid per furorem iræ deſignat? Nempe relatio eſt inter ingenium ejus, & ingenita vel naturalia peccata noſtra. Cur autem vocat Scriptura Deum Iratum? Nempe quia talem nos pro ſenſu carnis fingimus: neque enim apprehendimus Dei indignationem, niſi quatenus peccata noſtra eum provocant ad iram, & ejus vindictam contra nos inflammant. Ergo reſpectu ſenſus noſtri Deus furorem iræ ſuæ nominat judicii gravitatem, quæ par ſit vel conveniat noſtris ſceleribus. *Non faciam*, inquit: hoc eſt, non rependam mercedem quam vos meriti eſtis. Quid igitur? *Non convertar ad perdendum Ephraim.* Verbum אשוב videtur ideo poſitum, quia Deus jam vaſtaverat regnum Iſraël magna ex parte. Dicit ergo talem fore ſecundam cladem quam paulo poſt inferet, ut tamen non perdat totum Iſraëlem, hoc eſt, non penitus conſumat. *Non revertar* ergo *ad perdendum Ephraim*: hoc eſt, etiamſi ſecundo me accingam ad ulciſcenda populi ſcelera, ego tamen moderabor mihi, ut vindicta mea non perveniat uſque ad interitum populi totius. Adjungitur ratio; *Quia Deus ego, & non homo.* Quoniam hoc loco voluit ſpem ſalutis relinquere piis, ideo confirmationem adhibet: ſcimus enim ubi Deus iram denunciat, quam difficile ad ſpem revocentur trepidæ conſcientiæ. Impii homines ſubſannant omnes minas: ſed in quibus ſemen eſt aliquod pietatis, illi exhorrent Dei vindictam, & ſimulatque incuſſus eſt terror, mira inquietudine vexantur, & non poſſunt facile pacari. Hæc igitur ratio eſt cur nunc Propheta confirmet doctrinam quam poſuit. *Ego*, inquit, *Deus ſum, & non homo*: quaſi diceret, ſe ideo propitium fore huic populo, quia non ſit implacabilis ut ſunt homines: & perperam eos facere, qui æſtimant eum, vel metiuntur humano more. Hic primo tenendum eſt, Prophetam non dirigere ſermonem promiſcue ad omnes Iſraëlitas, ſed tantum ad fideles, qui reſidui erant in populo illo tam corrupto. Deus enim nunquam paſſus eſt ita alienari omnes Abrahæ filios, quin manerent ſaltem pauci aliqui, quemadmodum alibi dicitur. Nunc illos compellat Propheta, & conſolatione temperat quicquid prius dixit de 1 Reg. 19. verſ. 18.
horribili vindicta Dei. Hic ergo ſermo non poteſt levare hypocritis ſuum dolorem: quia Propheta tantum reſpexit miſeros homines, qui ſic perculſi erant ſenſu iræ Dei, ut eos fere abſorberet deſperatio, niſi mitigatus fuiſſet dolor. Hoc unum eſt. Jam ergo dicit, *ſe Deum eſſe, & non hominem.* Vox iſta, quoties vacillamus in promiſſionibus Dei, vel quoties ita mentes noſtras occupat terror, ut promiſſiones gratuitas non guſtemus, debet nobis venire in mentem. Quid? ambigis quando tibi negotium eſt cum Deo? Unde enim fit ut tam ægre Dei promiſſionibus acquieſcamus, niſi quod fingimus illum

nobis

nobis eſſe ſimilem? Quoniam ergo illum ita transfigurare nobis mos eſt, ſit nobis hæc doctrina pro vitii remedio. Et quoties Deus nobis veniam promittit, unde ſpes ſalutis nobis concipienda ſit, qui tamen ante nos terruit ſuo judicio: veniat nobis in mentem, quia Deus eſt, non æſtimandum eſſe ex ſenſu noſtro. Ergo ſimpliciter recumbamus in ejus promiſſiones. Atqui nos indigni ſumus quibus parcat; deinde tanta eſt ſcelerum noſtrorum atrocitas, ut jam nulla ſpes ſit reconciliationis. Hic arripere clypeum oportet, hic nos munire diſcamus Prophetæ ſententia, *Deus eſt, & non homo*: ſemper occurrat iſte clypeus ad repellendum omne genus diffidentiæ. Sed poſſet hic objici quæſtio, Anon fuerit Deus, quum fulminavit contra Sodomam & vicinas urbes. Judicium illud non abſtulit Domino ſuam gloriam, neque ejus majeſtas propterea imminuta eſt. Sed conjunctim hæc duo legenda ſunt, Deus ſum, & non homo, ſanctus in medio tui. Siquis ſeorſum legat iſtas ſententias, corrumpet ſenſum Prophetæ. Non ergo præciſe hic aſſerit Deus ſe hominibus eſſe diſſimilem, ſed addit præterea ſe ſanctum eſſe in medio Iſraëlis. Ab una parte hic ſtatuitur nobis Dei natura, & ponitur immenſa diſtantia inter eum & homines: quemadmodum ſcriptum eſt apud Prophe-
Jeſ. 55. verſ. 8. tam Jeſaiam, Non ſunt cogitationes meæ, ut veſtræ: quantum cœlum à terra diſtat, tantum diſtant cogitationes meæ à cogitationibus veſtris. Sic etiam hoc loco Propheta oſtendit qualis ſit Deus, & quantum differat ejus natura ab ingeniis hominum. Poſtea proponit in medium fœdus illud quod pepigerat Deus cum populo. Quæ autem erat ſumma ejus fœderis? Nempe Deum pœnas ſumpturum de populo, ut tamen ſemper maneret aliquod ſemen reſiduum.
2 Sam. 7. verſ. 14. Caſtigabo, inquit, eos in virga hominum, non tamen auferam miſericordiam meam ab illis. Quum ergo pollicitus eſſet Deus aliquod temperamentum, vel modum aliquem in omnibus pœnis, ideo nunc reducit in memoriam quod nolit prorſus Eccleſiam abolere in mundo, quia hoc modo pugnaret ipſe ſecum. *Ego* igitur *ſum Deus, & non homo, ſanctus in medio tui*: & quandoquidem ego te mihi elegi, ut peculium meum eſſes, & hereditas; & promiſi etiam me tibi perpetuo fore in Deum: ego nunc temperabo meam vindictam, ut maneat ſemper aliqua Eccleſia. Et ideo dicit, *Non ingrediar urbem.* Quidam exponunt, Non ingrediar aliam urbem quam Jeroſolymam. Atqui hoc male quadraret: Propheta enim alloquitur hic decem Tribus, & non Tribum Juda. Alii fingunt contrarium ſenſum: *Ego non ingrediar urbem*: quaſi diceret ſe quidem clementer acturum cum populo iſto, quia non abolebitur in ſolidum, ſed tantum poſthac cariturum ordine politico, imperio, & aliis inſignibus gratiæ Dei. *Non ingrediar urbem*, id eſt, non reſtituam vos, ut ſit aliqua civitas, & aliquod regnum, & aliquod populi corpus. Illa enim expoſitio nimis eſt coacta, imo mera argutia, quæ per ſe evaneſcit. Non dubium eſt quin ſimilitudo ſumpta ſit à conſuetudine bellica: nam ſi victor ingreditur urbem armata manu, non parcitur cædibus, ſed ſanguis promiſcue funditur. Si autem urbs in deditionem accipitur, victor quidem poterit ingredi, ſed non repentino impetu, neque violento, ſed certis conditionibus: deinde expectabit vel biduum, vel aliquod tempus, dum furor militum manſueſcat. Venit igitur non tanquam ad hoſtes, ſed tanquam ad ſuos ſubditos. Sic etiam Propheta loquitur, quum dicit, *Non ingrediar urbem*: hoc eſt, Ego inferam vobis bellum, & domabo vos, & cogam ad deditionem, neque id ſine magna jactura: ſed ubi portæ apertæ erunt, etiamſi murus erit dirutus, me tamen cohibebo, quia nolo vos penitus conſumere. Si quis objiciat, ſententiam hanc pugnare cum multis aliis quas vidimus, facilis eſt reſponſio, & jam alibi ſolutio hæc adducta fuit. Nunc igitur tantum breviter attingo, Quum Deus præciſe denunciat populo interitum, corpus ipſum reſpicere: atqui in corpore tunc nulla erat ſinceritas. Quoniam ergo Iſraëlitæ omnes erant corrupti, deſciverant à Dei cultu & timore, ab omni pietate & juſtitia ſeſe ad omne flagitium projecerant: ideo Propheta perituros affirmat ſine aliqua exceptione. Ubi autem reſtringit vindictam Dei, vel temperat, habet reſpectum exigui numeri: quia, ut jam dictum eſt, corruptela nunquam ita graſſata ſit in populo, quin tamen maneret aliquod ſemen. Quum ergo Propheta electos Dei reſpicit, tunc adhibet iſtas conſolationes, quibus terrorem mitiget: ut intelligant Deum etiam in extremo rigore fore propitium. Talis eſt hujus loci ratio. Quantum ad promiſcuum vulgus, Propheta jam oſtendit urbes incendio eſſe deſtinatas, & totam gentem devotam iræ Dei: Addixi igni & gladio quicquid erat. Nunc autem dicit, *Non ingrediar*, nempe eorum reſpectu, quibus Dominus volebat parcere. Et notandum etiam eſt mitigatam fuiſſe pœnam, non modo erga electos, ſed etiam erga reprobos qui in captivitatem abducti ſunt. Tenendum tamen eſt, quum illis Deus ad tempus parceret, præcipue electis ſuis conſuluiſſe; nam illa temporalis ſuſpenſio vindictæ, auxit ejus judicium erga reprobos. Quiſquis enim non reſipuit in exilio, duplicavit ſibi iram Dei, ut ſatis notum eſt: Dominus tamen pepercit ad tempus populo ſuo; quia illic erat incluſa Eccleſia. quemadmodum ſervatur palea cum tritico, & ex agro advehitur cum ſtraminibus. Quorſum? nempe ut triticum inde ſeligatur. Sic etiam Dominus multam paleam ſervat cum tritico: ſed poterit deinde ordine diſtinguere triticum à palea. Nunc tenemus totum Prophetæ ſenſum, & ſimul etiam uſum doctrinæ. Sequitur,

10. Poſt Jehovam ambulabunt, & quaſi leo rugiet: quum ipſe rugiet, tunc pavebunt filii à mari. (*vel Occidente: mare enim vocatur Occidentalis regio, reſpectu ipſius Judææ.*)

11. Pavebunt quaſi paſſer (*vel avis: tam ſpecies eſt quam genus*) ab Ægypto, & quaſi columba à terra Aſſur: (*hoc eſt, ab Aſſyriis*) & habitare eos faciam in domibus ſuis, dicit Jehova.

Quum dicit Propheta, *Ambulaturos poſt Jehovam*, ultra progreditur: neque enim tantum hic diſſerit de pœna mitiganda, ſed reſtitutionem quoque promittit. Prius dixerat, etiamſi ſevere acturus eſſet Dominus cum populo ſuo, tamen aliquem fore iræ modum, ne totum populum abſumeret. Jam ſequitur, Poſtquam Deus ita ſibi moderatus fuerit, extendet gratiam ſuam ad reſtitutionem uſque populi, & ad vitam reducet qui viſi fuerant prius mortui. Tenemus nunc ergo Prophetæ ſcopum. Cæterum, quod interpretes exponunt, *Incedent poſt Jehovam*, de obedientia populi, mihi non videtur quadrare. Certum quidem eſt non poſſe reſtitui populum aliquem niſi reſipiſcat: imo hoc præcipuum eſt caput gratiæ Dei, quum homines ipſos corrigit, & ſanat à ſua malitia: ſed Propheta hic aliud tractat, nempe quod Dominus ducem ſe populo ſuo oſtendet, qui ad tempus diſſipatus fuerat. Quamdiu diſperſus in Aſſyria populus jacuit & in aliis longinquis terris, fuit ſine aliquo capite, quaſi truncum corpus: jam ubi maturum advenit tempus reductionis, eripere voluit Dominus, & profeſſus eſt ſe adhuc

ducem eſſe populi ſui: atque hoc modo collectus eſt populus ad Deum. Hoc iotelligit ouoc Propheta. *Poſt Jehovam*, id eſt, ad tempus quidem deſtituet eos Deus, ut in ſua diſſipatione langueant: ſed tandem colliget eos, & ducem ſe itioeris oſtendet, ut reducat in patriam. *Sequentur* ergo *tunc Jehovam*, inquit, *& ruget tanquam leo: quum ipſe ruget, tunc pavebunt filii à mari*: hoc eſt, Deus formidabilis erit hoſtibus, ut nemo impediat populi reditum. Multi quidem erunt hoſtes, multi ſeſe opponere nitentur: ſed populus liber nihilominus emerget. Quare? Domious enim omnia formidine implebit: & comprimet omnes hoſtium conatus, ita ut cogantur recedere, tam ab Aſſyriis, quam ab Ægyptiis. Etiamſi inſurgaot ab una parte Ægyptii, ab altera Aſſyrii, tamen noo impedient populi reditum. Quare? Dominus enim eos profligabit, & erit ſimilis leoni, & implebit omnia terrore. Sed reliqua differemus.

Da omnipotens Deus, quando nimis ſecuri torpemus io peccatis noſtris, ut veniat nobis in mentem horrenda tua majeſtas, quæ nos humiliet, deinde dejiciat etiam timorem, ut diſcamus ſollicite quærere reconciliationem per Chriſtum, & ſic etiam diſpliceamus nobis io peccatis noſtris, ut deinde ad nos recipiendos paratus ſis: & ne incredulitas nobis jaouam præcludat, fac ut reputemus te qualem te nobis proponis, & agnoſcamus non eſſe noſtri ſimilem, ſed fontem omnis propitiationis, ut ita intrepide ad ſpem ſalotis evehamur, ac freti Mediatore Filio tuo uoigenito, ſciamus throoum gratiæ & manſuetudinis plenum eſſe: da, inquam, ut ad te ſic accedamus, ut per ipſum certo ſciamus te nobis eſſe io patrem, ut illud fœdus quod nobiſcum pepigiſti, nunquam excidat culpa noſtra: nempe ut ſimus populus tuus, quia ſemel nos adoptaſti in eodem Filio tuo unigenito Domino noſtro Jeſu Chriſto, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA PRIMA

IN

HOSEAM PROPHETAM.

CAP. XI.

POſtrema lectione cœpimus exponere quid vellet Propheta, quum diceret, *Iſraëlitas venturos poſt Dominum*: nempe quum tempus exilii finitum eſſet, Deum fore itineris ducem populo ſuo, ut rediret incolumis in patriam. Et hac ratiooe etiam adjungit timidos fore tam Ægyptios quam Aſſyrios: ideoque comparat *eos columbis, & paſſeribus*, vel avibus, quia ſcilicet quum tentarent populi reditum impedire, & magnis opibus magnoque conatu niterentur, fracturus eorum animos Deus eſſet. Nam quia Deus ſtatuerat populum ſuum redimere, non potuit ejus decretum ab omnibus infringi. Quicquid ergo conati ſint tam Aſſyrii quam Ægyptii, etiamſi pollerent magnis viribus, hoc totum nihil profecit: imo Deus incuſſit utriſque metum ac terrorem, ut ſe non moverent quum Dominus populum ſuum reſtitueret. Similis fere loquendi ratio eſt 3. capite Joëlis: niſi quod ſimilitudinem hanc non ponit, quod ſimiles ſint futuri avibus, & columbis: ſed tameo loquitur de rugitu Dei, acſi diceret potentiam Dei fore terribilem & invictam, ut populum ſuum tueatur ac protegat, & nemo audeat contra inſurgere, & ſi quis auſus fuerit, ſtatim ſuccumbat. Nunc pergamus.

12. Circumdedit me mendacio Ephraim, & fraude domus Iſraël: Juda autem adhuc dominatur (*vel principatum tenet*) cum Deo, & cum ſanctis fidelis eſt.

Ego non inſiſto in recitandis aliorum ſententiis, neque etiam videtur eſſe utile, quemadmodum proximo verſu poteram referre quid alii dicant de rugitu Dei, nempe quod per Euangelium vox ejus tonabit. Sed quia ſunt argutiæ de quibus Prophetam oon cogitaſſe exiſtimo, ſatis eſt tenere ſimplex Prophetæ conſilium, neque cumulare varias ſenteotias. Scio quidem hoc valere ad oſtentationem, & ſunt etiam noonulli quos oblectat iſta congeries opinionum: ſed ego reſpicio quid magis ſit utile. Venio nunc ad ultimum verſum, ubi Dominus conqueritur *ſe obſeſſum fuiſſe mendacio & fraude populi*. His verbis ſignificat ſe modis omnibus expertum fuiſſe multiplicem perfidiam in Iſraelitis. Nam huc pertinet verbum *obſidendi*. Tenemus ergo quid velit Propheta: nempe Iſraëlitas non uno taotum modo, vel uno genere infideliter egiſſe cum Deo, & fraudibus fuiſſe uſos; ſed perinde acſi magno exercitu quis hoſtem ſuum obſideat, ſic etiam ipſos refertos fuiſſe innumeris fraudibus quas undique Deo opponereot. Et ita etiam ſolent hypocritæ: neque enim tantum una io re Deum fallere conantur, ſed transfigurant ſe in diverſas formas, & ſemper quærunt nova effugia. Si deprehenſi fuerint in ſcelere uno, tranſeunt in diverſam partem: ita nullus eſt illis fallendi modus. Hanc doctrinam nunc tractat Propheta, quod ſcilicet Iſraelitæ non ceſſaverint pridem doloſe agere cum Deo. Et de *fraudibus* ac *mendacio* loquitur, quia putabant ſe elapſos eſſe, modo objicerent aliquem fucum, quoties Prophetæ eos reprehendebant. Hic autem teſtatur Deus, eos nihil perficere ſuis verſutiis: acſi diceret, Putatis quidem veſtra integumenta apud me valere, ſed hoc vanum eſt. Ego enim video me quaſi obſeſſum veſtris mendaciis, quia omni ex parte tentatis tegere veſtra ſcelera: ſed ſunt mendacia duntaxat. Denique Propheta hic iofamat illas ſpecioſas excuſationes, quibus putabat ſe populus coram Deo abſolvi, ita ut minas omoes & objurgationes Prophetarum hac fiducia eluderent. Video quid pro ſe afferant Iſraëlitæ, inquit Dominus: ſed mendacia ſunt ac fraudes duntaxat. Ergo docet hic locus, fruſtra homines tergiverſari coram Deo, quia ſi excogitent colores quibus Deum fallant, ipſi longe falluntur: deprehendit enim ipſe dolos & mendacia. Poſtea ſubjicit, *Jehudam principatum adhuc tenere cum Deo, & fidelem eſſe cum ſanctis*. Quum dicit principatum tenere cum Deo, ooo dubito quio regnum Jehudah hic legitimum eſſe pronunciet, quia conjunctum erat cum puto & integro Sacerdotio. Unde enim ortæ ſunt corruptelæ io regno altero, niſi quia populus deſcivit à familia Davidis? Novus ergo Rex ſimul & Legem & cultum Dei mutavit, & erexit nova templa. Non dominatus eſt ergo Iſraël cum Deo, quia regnum illud fuit adulterinum, & initium fuit diſſipationis, ita ut populus Deum relinqueret. De Juda autem hic longe aliter Propheta loquitur, quod *dominetur adhuc cum Deo*, quia ſcilicet poſteri Davidis, quanquam multis vitiis ſcimus eos laboraſſe, tamen non mutaverunt cultum à Lege præſcriptum, niſi quod Achaz erexit altare inſtar 2 *Reg.* 16.
Damaſceni, quemadmodum refert ſacra hiſtoria: *verſ.* 12.

ſed

ſed tamen Jeroſolymæ ſemper viguit pura religio. Et comparative loquitur Propheta, quemadmodum ſtatim rurſus dicendum erit. Neque enim Judæos excuſat in totum, ſed dicit præ Iſraële adhuc dominari cum Deo. Quia ſcilicet, ut diximus, Regnum & Sacerdotium res erant conjunctæ in Juda, & utrumque divinitus fuerat inſtitutum. Dicit præterea, *Fidelem eſſe cum ſanctis*. Per Sanctos quidam Deum intelligunt. Scimus nomen קדושים plurale eſſe, & interdum etiam epitheton pluralis numeri additur, non tamen id ſæpe fit: ſed Joſue ultimo dicitur, קדושים הוא, i.e. Ipſe ſanctus eſt. Sed quemadmodum dixi, exempla ſunt rara. Hic autem neſcio an Propheta Deum intelligat. Potius referrem hoc ad ſanctos Patres, vel ad totam Eccleſiam. קדושים ergo vocat hic Propheta tam Abraham quam reliquos qui merito cenſeri poterant inter filios Dei. Et libenter etiam Angelos ſimul complector: nam de Sanctuario non legimus hoc nomen alicubi poſitum. Additur litera ם quum de Sanctuario Scriptura agit. Unitur quidem numero plurali. niſi quis hic & Sanctuarium & cultum notari intelligat. Sed quoniam illud coactum eſſet, & caret exemplo, ego contentus ſum genuino illo ſenſu, quod ſcilicet *Jehudah fidelis ſit cum ſanctis*: hoc eſt, fidem Deo ſervaret una cum Patribus, & non deſciſceret à puro cultu qui per manus fuerat traditus, ex quo Deus fœdus ſuum cum Abraham & ſemine ejus pepigerat. Quod autem hic Propheta laudat Tribum Jehudah, ideo non fit quod voluerit illis adulari; ſed, quemadmodum alibi dictum eſt, reſpexit munus ſibi injunctum. Hodie dum nobis clamandum eſt contra domeſticos morbos, ſi dicamus alibi res eſſe melius compoſitas, quo conſilio hoc fiet? Nempe habent alii ſuos doctores à quibus reprehendantur, & ſiqua illic graſſantur vitia, ſunt qui remedium adhibeant. Ergo hæc ratio ſæpe nobis tenenda eſt, ut objiciamus probri loco aliorum mores, quum volumus acriter pungere eos quorum cura nobis à Deo mandata eſt. Sic etiam egit Propheta noſter: nam qui tunc docebant Jeroſolymæ, non parcebant etiam Judæis, clamabant fortiter & ſevere contra eorum vitia. Sed hic Hoſeas vocationem ſuam expendit, quemadmodum diximus; & ideo exaggerat crimen decem Tribuum, quod deſciverint à legitimo cultu, quum tamen haberent inſigne & memorabile exemplum in Tribu Jehudah, quæ ſteterat in obſequio Legis. Hæc ſumma eſt. Nunc pergamus.

CAPUT XII.

Ephraim paſcitur vento, & ſequitur Orientem: quotidie mendacium & vaſtitatem multiplicat: fœdus cum Aſſyrio percutiunt, & oleum in Ægyptum portatur.

Hic invehitur Propheta contra vanas ſpes populi, quia inflatus erat tali arrogantia, ut deſpiceret omnem doctrinam, & omnes admonitiones. Oportuit igitur in primis hoc vitium corrigi: & ideo dicit, *Ephraim paſci vento*. Nam ſiquis ventum ingurgitet, videtur quidem implere & os ſuum, & guttur, & ventriculum, & totum ventrem: ſed nihil præter flatum, nulla inde ſatietas. Sic etiam dicit Iſraëlem concipere quidem multum fiduciæ ex ſuis aſtutiis, ſed *paſci tantum vento*: quia ſomniat ſe beatum fore, ſi acquirat ſibi multa fœdera, ſi habeat tam Aſſyrios quam Ægyptios ſibi conjunctos: ſunt flatus duntaxat, inquit Propheta: imo dicit flatus eſſe noxios. Nam per *Orientem* intelligit Eurum qui flat ab ortu Solis. Ventus autem ille ſiccus eſt, & ſæpe tempeſtuoſus in Judæa, ut dicunt. Alii venti ſaltem vel adducunt pluvias, vel aliquid commoditatis afferunt, ſed hic ventus præter ſiccitatem & procellas nihil adducit. Hinc ergo apparet quid velit Propheta, quod ſcilicet Iſrael ſua confidentia accerſat ſibi multos dolores, & ſemper maneat vacuus & inanis. *Paſcitur* ergo *Ephraim vento*: deinde *ſequitur Orientalem ventum*. Poſtea clarius explicat mentem ſuam Hoſeas: *Quotidie multiplicat mendacium & vaſtitatem*, inquit. Per mendacium non dubito quin perſtringat impoſturas quibus ſeipſum fallebat populus: ut hypocritæ dum acuunt ingenia ſua ad fallendum Deum, ſeipſos involvunt multis exitialibus laqueis. Sic etiam Iſraël dicitur multiplicaſſe mendacium, quia ſcilicet ſeipſum obſtinavit ut obduraſceret contra doctrinam Dei: & mendacium ideo vocatur illa obſtinatio, quia videmus incredulos ſibi multas excuſationes fingere: & quamvis impoſturæ ſint, tamen putant ſe fore tutos contra omnes minas Dei, modo opponant illud neſcio quid, quod putant ſatis valere. Ergo iterum repetit Propheta, nihil in omnibus iſtis aſtutiis eſſe præter mendacium. Poſtea magis urget, quum dicit *eſſe vaſtitatem*, hoc eſt, cauſam exitii. Primo ergo deridet vanam confidentiam populi, quia exiſtimet ſe poſſe Dei oculos obſinere, quum habet inanes fucos: hoc eſt mendacium, hæc impoſtura eſt, inquit. Deinde gravius ipſos premit, Hæc eſt veſtra perditio: tandem ſentietis vos nihil aliud adeptos fuiſſe veſtris conſiliis quam interitum. Quare? Quia *fœdus percutiunt*. Ego exegetice accipio hoc poſterius membrum. Nam ſi tantum loquutus fuiſſet generaliter Propheta, non ſatis retecta fuiſſet populi impietas: & neceſſe eſt larvas ſecuris hominibus detrahi, & quaſi depingi illis ſua ſcelera, ut ipſos pudeat. Nam niſi protracti fuerint quaſi in theatrum, & expoſita fuerit eorum turpitudo in omnium conſpectum, ſemper occultant ſe in ſuis latebris. Hæc ratio eſt igitur cur Propheta hic ſpecialiter deſignet fraudes illas, quarum prius meminit. *Ecce*, inquit, *percutiunt fœdus cum Aſſyrio, & portatur oleum in Ægyptum*: hoc eſt, venantur amicitiam Regis Aſſyrii ab una parte, & ab altera parte conciliant ſibi magna ambitione Ægyptios: imo etiam non parcunt ſuis facultatibus: munus enim illuc deportant ad eos ſibi acquirendos. Ergo jam tenemus quomodo multiplicaverit ſibi Iſraël mendacia & vaſtitatem: quia ſcilicet implicuit ſe fœderibus illicitis. Cur autem nefas fuerit confugere ad Aſſyrios & Ægyptios, alibi diximus, neque opus eſt hic pluribus repetare: Deus enim volebat populum ſuum habere ſub ſua cuſtodia. Quum ergo pollicitus eſſet Deus ſe fore præſidem ſalutis ipſorum, debebant contenti eſſe unica ejus tutela. Proinde quum ad Ægyptios vel in Aſſyriam ſe conferrent, hoc clarum erat ſignum infidelitatis. Perinde enim hoc erat, acſi negarent Dei virtutem ſibi ſufficere. Deinde ſcimus nunquam profectos fuiſſe in Aſſyriam vel in Ægyptum Iſraëlitas, niſi dum fratribus ſuis machinabantur exitium. Sæpe enim conati ſunt evertere regnum Jehudah, quærebant tantum ſocios ſuæ crudelitatis: ſed tamen unica illa ratio abunde ſufficere potuit ad eos damnandos, quod ſe alienis præſidiis munirent, quum Deus vellet illos tenere quaſi incluſos ſub alis ſuis. Quoties ergo tentamus illicitis modis nobis conſulere, perinde eſt acſi Deum abnegaremus, quia ille ſub tutelam ſuam nos vocat & invitat: ſi autem tranſcurrimus mentibus noſtris huc & illuc, & ſi accerſimus hinc inde vana ſubſidia, facimus Deo gravem injuriam. hoc eſt quaſi in Ægyptum vel in Aſſyriam confugere. Et in hunc uſum aptanda eſt doctrina hujus verſus. Sequitur,

2. Con-

2. Contentio Jehovæ cum Jehudah, & ad viſitandum ſuper Jacob: ſecundum vias ejus, ſecundum opera ejus rependet ei.

Mirum eſt, cur nunc Propheta *Deo eſſe litem* dicat *cum Jehudah*: nuper autem dixerat Jehudah ſtare fidelem cum ſanctis. Videntur eorum hæc inter ſe pugnare, quod Deus litiget cum Judæis, & tamen pronunciet ipſos eſſe integros, & disjungat à perfidis & impiis. Quid ergo hoc ſibi vult? diximus Prophetam comparative loquutum eſſe de Tribu Jehudah, quum diceret manere fidelem cum ſanctis. Neque enim voluit in totum abſolvere Judæos, qui ſcatebant etiam gravibus morbis: ſed voluit laudare cultum, qui adhuc vigebat Jeroſolymæ, ut minus excuſabilis eſſet decem Tribuum impietas, quæ ſponte deſciverant à regula quam Deus tradiderat. Si hodie quis accuſat Papiſtas, dicent ſibi incognitum eſſe alium vivendi modum, & ſe ita edoctos fuiſſe à proavis, & cultum quem obſervant, jam ſic vetuſtate invaluiſſe, ut eum mutare, vel ab ipſo deflectere non audeant. Talis potuit afferri excuſatio ab Iſraëlitis. Ideo Propheta objecit illis voluntariam defectionem, quia ſtabat in eorum conſpectu Templum quod Deus ſibi elegerat: illic conſpicua erat Dei facies quodammodo, quia ſcilicet omnia compoſita erant ad cœleſte exemplar quod Moſi fuerat oſtenſum in monte. Quum ergo pura religio eſſet ante oculos, nonne hinc convictum fuit eorum crimen, quod neglecto Dei verbo ita ſe proſtituerent ad novos & fictitios cultus? Propheta igitur antehac laudavit cultum illum, non autem hominum mores: jam deſcendit ad mores ipſos, & dicit multa eſſe in Jehudah quæ caſtiget Deus. *Domino eſt* igitur *diſceptatio cum Jehudah*, & incipiet Tribum illam punire, ſed *deſcendet ad domum Jacob*. Cæterum, hic Propheta loquitur duntaxat per occaſionem de Tribu Jehudah: & ideo leviter perſtringit litem ei eſſe cum illa parte populi. Quare? Neque enim, ut alibi dictum eſt, fuerat præfectus doctor regno Jehudah, ſed tantum Iſraëlitis. Nunc de regno illo tantum meminit ut terrorem incutiat ſuis popularibus: acſi diceret, Putatisne æternam fore hanc Dei patientiam, quia vos hactenus ſuſtinuit? Imo Deus incipiet litigare cum Tribu Jehudah. Ego jam dixi illos eſſe innoxios ſi vobiſcum comparentur, ſed non tamen effugient pœnam: brevi enim Dominus illos ad judicium trahet. Si non parcet Judæis, quomodo impune feretis tanta ſcelera? Nam certe meriti eſtis centum mortes præ Judæis, apud quos ſaltem adhuc viget aliquid integrum & ſincerum, quandoquidem cultus Dei nihil mutatus eſt. Vita eorum corrupta eſt, ſed tamen non ita contemnitur Lex Dei, & religio, quemadmodum fit apud vos. Si ergo non pepercerit illis Deus, multo minus vobis parcet. Tenemos nunc, quo conſilio dicat Propheta, *Litem fore Deo cum Judæis*. Neque enim propoſitum ei fuit Judæos ipſos terrere, vel hortari ad pœnitentiam, niſi forte per occaſionem; ſed propoſuit tale exemplum Iſraëlitis, ut expaveſcerent. Debebant enim ſecum ita cogitare, Si hoc fit in viridi, quid in arido Luc. 23.
fiet? Si Deus tam ſevere vindictam ſuam exercet verſ. 31.
contra fratres noſtros Judæos, apud quos tamen ſtetit religio integra, qualis exitus & quam horribilis nos manet, qui deſcivimus à Lege, à cultu, à doctrina, & obedientia Dei? qui fuimus fœdifragi & degeneres & profani omnibus modis? Et ideo continuo poſt addit, *Ad viſitandum ſuper Jacob*. Incipiet quidem Deus à Tribu Jehudah, ſed hoc erit præludium, & mitius tractabit Judæos: at pleno impetu in vos fulminabit. Non erit igitur diſceptatio qua vos ad pœnitentiam eliciat, ſed exiget pœnam qualem eſtis meriti, quia ſatis ſuperque jam litigavit vobiſcum. *Secundum vias ejus & ſecundum opera ejus rependet ei.* Vias & opera hic ponit non ſuperflua repetitione, ſed ut oſtendat jam plus ſatis expectatam fuiſſe reſipiſcentiam in hoc populo, quia non deſtiterit longo temporis ſucceſſu perſequi ſuam malitiam. Non dubium eſt igitur quin hic Propheta Judæos damnet obſtinatæ malitiæ, quod nunquam deſtiterint à ſuis ſceleribus, quamvis jam pridem admoniti fuiſſent, & ſæpius correpti à Prophetis. Nunc ſequitur,

3. In utero apprehendit plantam fratri ſuo, & in fortitudine ſua dominatus eſt cum Deo: (*quanquam nomen* אלהים *transfertur etiam ſæpe ad Angelos*)

4. Et dominatus eſt cum Angelo, (*vel adverſus Angelum. Vel, luctatus eſt, ſiquis malit. quanquam ad verbum ita habetur: ſed quia ſequitur* יוכל, *prævaluit, ideo libenter admitto Luctandi verbum, non quod proprie conveniat, ſed rem potius reſpicio quam verba*) & prævaluit, flevit & rogavit eum: in Bethel invenit eum, & illic loquutus eſt cum eo.

5. Et Jehova Deus exercituum, Jehova memoria ejus.

Hoc toto ſermone Propheta populi ingratitudinem traducit: deinde oſtendit quam turpiter deſciverit ab exemplo patris ſui, cujus tamen adhuc nomine ſuperbiebat. Hæc ſumma eſt. Ingratitudo in hoc oſtenditur, quod non agnoſcat ſe in perſona patris ſui Jacob præventum fuiſſe gratuita Dei miſericordia. Hiſtoria enim prior refertur in hunc finem, ut intelligant poſteri Jacob ſe divinitus fuiſſe electos antequam nati eſſent. Jacob enim non judicio vel induſtria arripuit plantam fratris ſui in utero matris, ſed fuit hoc extraordinarium. Deus ergo manum infantis illuc direxit, & hoc ſigno teſtatus eſt gratuitam ſuam adoptionem. In ſumma, quod dicitur Jacob tenuiſſe in utero matris plantam fratris ſui, hoc tantundem valet acſi exprobraret Deus Iſraëlitis, ipſos non ſua vel parentum virtute excellere ſupra alios populos, ſed quoniam Deus pro ſuo beneplacito eos elegit: quemadmodum etiam illis objectat
Mal. 1:3. per Malachiam, Nonne fratres erant Jacob & Eſau? Jacob tamen dilexi, Eſau autem odio habui. Nam ſcimus quanto faſtu ſemper ſeſe extulerit illa natio; ſed unde eſtis procreati? reſpicite ad originem veſtram: vos eſtis ſcilicet filii Abrahæ & Iſaac. Quid ergo differtis ab Idumæis? Illi certe progeniti ſunt ab Eſau: Eſau autem erat filius Iſaac, & frater Jacob, & quidem primogenitus. Ergo non excellitis aliqua dignitate quæ in vobis reſideat. Agnoſcite igitur veſtram originem, & ſcitote quicquid eſt in vobis eximium provenire à mera Dei gratia, hæc autem magis ac magis vos obſtringit. Unde igitur iſta ſuperbia? Sic etiam nunc Propheta noſter, *Jacob tenuit plantam fratris ſui in utero matris*: hoc eſt, vobis propinqua eſt cognatio cum Eſau & ejus poſteris: atqui ſunt illi vobis deteſtabiles. Unde hoc? An propter veſtrum aliquod meritum? Jactate ſi poteſtis aliquid à vobis profectum eſſe, quod conciliaret gratiam coram Deo. Imo pater Jacob, qui tamen fuit ſanctiſſimus, ille jam in utero matris apprehendit plantam fratris ſui Eſau: hoc eſt, non adoleverat, neque pollebat judicio aut virtute aliqua, quum ſuperior fuit fratre ſuo, & quum primogenituram adeptus eſt: erat enim tunc adhuc incluſus in utero

matris: nulla fuit propria dignitas, nullum meritum. Nunc ergo ingratitudo veſtra eo fœdior eſt, quia Deus vos ſibi obligavit antequam nati eſſetis: in perſona ſancti Patriarchæ vos elegit in peculium. Nunc autem eo deſerto, & abnegato ejus cultu quem tradiderat Lege ſua, proſtituitis vos ad idola & impias ſuperſtitiones. Afferte nunc colores veſtros, quibus tegatis veſtram impietatem. Nonne flagitium veſtrum tam craſſum eſt & palpabile, ut pudere vos debeat? Tenemus ergo nunc in quem finem dicat Propheta, *Plantam Eſau fuiſſe apprehenſam à Jacob in utero matris.* Porro hic locus ſatis docet, homines non ſuo arbitrio adipiſci Dei gratiam, ſed mera ejus bonitate eligi antequam naſcantur: & eligi non operum reſpectu, quemadmodum imaginantur Papiſtæ, qui aliquam Dei electionem concedunt, ſed exiſtimant pendere ab operibus futuris. Sed ſi ita res haberet, frigida eſſet objectio Prophetæ & jejuna. Ubi autem Deus mero beneplacito prævenit homines; & non operum reſpectu, ſed pro ſua miſericordia adoptat quos viſum eſt: hinc ſequitur, qui electi ſunt, magis erga eum obſtringi, & minus eſſe excuſabiles ſi rejiciant oblatam ſibi gratiam. Cæterum, hic ſiquis excipiat abſurdum eſſe quod dicantur poſteri Jacob eſſe electi in ejus perſona, & tamen interea à Deo deſciverint: quia electio Dei non eſſet firma nec ſtabilis hoc modo. Scimus autem quos Deus elegit, etiam juſtificare, & ita abſolvere eorum ſalutem, ut nemo pereat: traduntur etiam Chriſto in cuſtodiam omnes electi, ut eos ſervet divina ſua virtute, quæ inſuperabilis eſt, ut ipſe docet Joannis 10. Quid ergo hoc ſibi vult? Sed ſcimus, & alibi dictum fuit, duplicem fuiſſe Dei electionem in populo illo: una enim fuit generalis electio, altera ſpecialis. Specialis fuit electio ſancti Jacob, quia vere erat unus ex Dei filiis: ſpecialis etiam fuit eorum
Rom. 9:8. electio qui vocantur à Paulo filii promiſſionis. Fuit alia generalis electio, quia totum ejus ſemen recepit in fidem ſuam, & omnibus fœdus ſuum obtulit. Interea non omnes fuerunt regeniti, non omnes donati ſunt adoptionis ſpiritu. Illa ergo generalis electio non fuit efficax in omnibus. Nunc ſoluta eſt quæſtio illa, quod nemo ex electis pereat, quia non fuit totus populus electus ſpeciali modo, ſed Deus novit quos vellet ex populo illo deligere, & illos, quemadmodum diximus, ſpiritu adoptionis donavit, inſtruxit etiam virtute ſua, ut nunquam exciderent. Alii quidem ſuo modo electi fuerunt: hoc eſt, Deus obtulit illis fœdus ſalutis, ſed tamen ſua ingratitudine fecerunt ut Deus ipſos abdicaret, neque agnoſceret pro filiis. Jam ſubjicit Propheta, *Jacob in fortitudine ſua dominatum fuiſſe cum Deo, & cum Angelo etiam prævaluiſſe.* Hic exprobrat Iſraelitis quod falſo obtendant nomen ſancti Jacob, cum quo tamen nihil habent ſimile, ſed à cujus exemplo turpiter ſe alienaverint. *Dominatus eſt* ergo *cum Angelo & cum Deo ipſo, fuit etiam Angelo ſuperior:* ipſi autem quales? Quemadmodum ergo profani Poëtæ dum Romanos qui degeneres erant & effœminati, vocant Romulidas, & dicunt natos fuiſſe ex illis inſignibus & præclaris heroibus, quorum virtutes tunc celebres & notæ erant, vocant etiam eadem ratione Scipiadas: ſic etiam Propheta, Venite filii Jacob: quales eſtis? Ille fuit præditus heroica virtute, imo Angelica, & pluſquam Angelica: luctatus enim eſt cum Deo, & victoriam adeptus eſt: vos autem eſtis mancipia idolorum, diabolus vos ſibi addictos tenet: vos eſtis quaſi in proſtibulo, quia templum veſtrum quid aliud eſt quam lupanar? Et illic eſtis ſimiles ſcortis, & quotidie ſcortamini cum idolis veſtris: abominationes veſtræ quid aliud ſunt quam fœda vincula, & quæ teſtentur nihil in vobis eſſe intelligentiæ & cordis? Oportuit enim vos fuiſſe faſcinatos quum ita relicto Deo tranſiiſtis ad novos & profanos cultus. Notanda eſt igitur iſta diverſitas inter ſanctum Patriarcham Jacob, & poſteros ejus, alioqui non tenebimus conſilium Prophetæ: & parum proderit colligere ſententias diverſas, niſi primum ſciamus quid voluerit Propheta, & quorſum tendat iſta objectio vel narratio, quod ſcilicet Jacob dominatus cum Deo & Angelo fuerit. Cæterum, notandum eſt eodem ſenſu hic vocari & Deum & Angelum. Quanquam poſſemus utroque loco vertere Angelum, quia tam אלהים quam מלאך Angelum ſignificat. Sed tamen tollitur omnis dubitatio à Propheta, quum tandem addit, *Jehova Deus exercituum, Jehova nomen ejus.* Nam hic diſerte exprimit Propheta nomen eſſentiale Dei, quo teſtatur eundem illum fuiſſe æternum & unicum Deum, qui tamen ſimul Angelus fuit. Jam quæritur quomodo Deus fuerit æternus, & ſimul tamen Angelus. Nempe hoc ſatis frequenter occurrit in Scripturis, ut familiare nobis eſſe debeat, quoties Dominus apparuit per Angelos ſuos, ſimul nomen Jehovæ illis fuiſſe impoſitum, non quidem omnibus Angelis promiſcue: ſed Angelo præcipuo, per quem Deus ſe manifeſtabat. Hoc, quemadmodum jam dixi, familiare nobis eſſe debet. Sequitur ergo Angelum illum fuiſſe vere Deum, & eſſentialem. Atqui non poteſt hoc proprie competere in Deum, niſi ſit aliqua perſonarum diſtinctio. Ergo oportet eſſe in Deo aliquam perſonam, cui competat nomen & titulus Angeli. Nam ſi indiſcrete vel confuſe tantum accipimus Dei nomen, & proponimus in medium ejus eſſentiam, certe hoc abſurdum erit, quod ſit Deus & Angelus. Ubi autem diſtinguimus in Deo perſonas, jam nihil manet abſurdi. Quare? Chriſtus enim æterna Dei ſapientia induit perſonam Mediatoris, antequam indueret carnem noſtram. Fuit ergo tunc Mediator, & eo reſpectu fuit etiam Angelus. Interea fuit etiam Jehova qui nunc eſt Deus manifeſtatus in carne. Atqui ex adverſo refutandum eſt illud delirium, imo diabolicus furor canis illius Serveti, qui finxit Chriſtum fuiſſe ab initio Angelum, quaſi eſſet phantaſma hominis, & quaſi eſſet aliqua perſona exterior, eſſentiam ſeorſum à Patre diviſam habens: ſicuti dicit fuiſſe conflatum ex tribus elementis increatis. Illud phantaſma diabolicum omnino faceſſere à nobis debet. Sed Chriſtus, quum Deus eſſet, fuit etiam Mediator, & quatenus Mediator fuit, etiam merito & apte vocatur Angelus Dei, vel nuncius, quia ſponte interpoſuit ſe inter Patrem & homines.

Da omnipotens Deus, quando nobis tam familiariter hodie te exhibes in Patrem, ſicuti nobis ſingulare & ineſtimabile hujus gratiæ pignus in Filio tuo unigenito obtuliſti: da, inquam, ut nos totos tibi addicamus, & vere præſtemus obſequium & obedientiam liberalem quæ Patri debetur, ut nihil aliud nobis ſit propoſitum tota vita, quam ſancire adoptionem illam qua nos ſemel dignatus es, donec tandem ejus fructum percipiamus, ubi colliges nos in regnum tuum æternum, cum eodem Jeſu Chriſto Filio tuo, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA SECUNDA
IN
HOSEAM PROPHETAM.

CAP. XII.

HEri expoſuimus quomodo eundem & Deum
& Angelum dici conveniat qui apparuit
ſancto Jacob in Bethel. Neque enim poſ-
ſet in Angelum transferri nomen Jehovæ,
quo exprimitur æterna Dei & potentia & eſſentia &
majeſtas. Certum eſt igitur fuiſſe unicum Deum.
Jam non potuit ſimpliciter & ſine aliqua notatione
vocari Angelus: ſed quia tunc quoque Chriſtus per-
ſonam Mediatoris ſuſtinuit, non abſurde Angelus
vocatus eſt: & tamen ſcimus æternum eſſe Deum.
Ita hic eſt locus memoratu dignus ad teſtandam
Chriſti deitatem. Nam Propheta clare affirmat eſſe
Jehovam creatorem coeli & terræ, & qui ſua virtute
eſt, non autem in alio ſubſiſtit quemadmodum
omnes creaturæ. Quum ergo ita ſit, jam probata eſt
ejus ſumma majeſtas, ut non ſit Patre inferior. Dicit
autem, *hoc eſſe ejus memoriale*, vel memoriam. Vox
iſta reſpectum habet ad homines. Itaque Propheta
intelligit nomen hoc admirabile & magnificum, fore
celebre in mundo, ubi Chriſtus exhibitus fuerit.
Nam tunc quidem populus agnovit verum Deum
apparuiſſe patri ſuo Jacob: ſed adhuc obſcura erat
Mediatoris notitia. Videtur ergo Propheta hic reſpi-
cere ad Chriſti adventum: acſi diceret nomen Jeho-
væ fore ſatis notum & celebre omnibus, ubi clarius
exhibitus fuerit Mediator ille. Jam venio ad reli-
quum Prophetæ contextum: dicit, *Principem fuiſſe*,
vel dominatum tenuiſſe, *in virtute ſua cum Deo*. Quid
hæc loquutio valeat, breviter tantum attingam. In-
ditum fuit nomen Iſraëlis ſancto Jacob, quia victo-
riam obtinuerat in nobili illa lucta cujus fit mentio
Geneſeos 32. cap. Nam ſancto viro non erat cum
aliquo mortali homine certamen, ſed cum Deo ipſo.
Superior autem fuit in pugna illa. Vocatur itaque
victor Dei. Quia aſperior eſt illa loquutio, conati
ſunt quidam commento ſuo inflectere ad aliquam
moderationem, quod ſcilicet *Princeps fuerit Jacob
cum Deo*, id eſt, quod Deus approbaverit virtutem
inſolitam. Sed plus aliquid exprimere voluit Deus
quum nomen ſervo ſuo imponeret: confeſſus enim
eſt ſe cedere quaſi devictum, & palmam tradere ſan-
cto Jacob. Hoc autem non debet videri nimis ab-
ſurdum: quia ſcimus quoties Deus probat fidem
noſtram, & examinat tentationibus, totidem eſſe
pugnas quibus luctatur nobiſcum: experitur enim
quale ſit fidei noſtræ robur. Jam ſi dicimur luctari
cum Deo, & exitus pugnæ talis eſt ut Deus nobis
relinquat victoriam, non abſurde tunc vocamur
victores, & quidem ipſius Dei. Quomodo? nempe
quia Deus mirabiliter operatur in ſanctis ſuis, ut
dejiciat ſe propria virtute, & dum nobiſcum lucta-
tur, vires ſuppeditet, quibus poſſimus ſuſtinere pon-
dus & gravitatem certaminis. Si Deus velit nos ag-
gredi, quid reperiet præter infirmitatem? ſed dum
nos in certamen vocat, ſimul inſtruit armis neceſſa-
riis. Et hæc admirabilis eſt diſtinctio, ut ab una par-
te Deus ſe conſtituat antagoniſtam, ab altera autem
parte pugnet ipſe in nobis contra ſuas tentationes,
vel contra omnes luctas, quibus fidem noſtram pro-
bat. Dicitur ergo Deus vinci à nobis, quando virtute
Spiritus ſui & auxilio nos confirmat & reddit inex-
pugnabiles, imo facit ut triumphum agamus de ten-
tationibus. Et ſi ſingula reputamus, talis eſt tunc
partitio, ut Deus majorem partem ſuæ virtutis à
parte noſtra ſtare velit, & tantum ſumat partem
magis infirmam ad nos tentandos vel experiendos.

Non eſt quidem hic nobis imaginandum aliquod
divortium, quaſi Deus ſeipſum per fruſta dividat:
ſed ſcimus quum examinat fidem noſtram, hic pro-
dire in medium acſi eſſet luctator, vel acſi nos provo-
caret ad certamen: hoc enim certum eſt. Quid enim
ſunt tentationes, vel quorſum ſpectant, niſi ut quaſi
in arena ſpecimen & documentum præbeamus no-
ſtræ virtutis & conſtantiæ? Atqui hoc non fieret
ſine aliquo adverſario. Nam quid attinet pugnare
contra umbram, vel ubi nullus nos aggreditur? Deus
ergo eſt ſimilis adverſario, quoties fidem noſtram ex-
peritur: & quemadmodum prius dictum fuit, cer-
tamen hoc non eſt nobis cum hominibus, ſed cum
Deo ipſo. Eſt quidem nobis cum diabolo: ut Paulus *Eph. 6.*
dicit, non eſſe nobis certamen cum carne & ſanguine, *verſ. 12.*
ſed cum poteſtatibus aëris. Hoc verum eſt: ſed Deus
interea ſupremum locum obtinet, quemadmodum
teſtatur inſignis ille locus Job. Dominus dedit, Domi- *Job. 1.*
nus abſtulit. Sic ergo neceſſe eſt manus conſerere *verſ. 21.*
cum ipſo Deo. Quare? nam tentat nos & examinat:
ſed non tentat quemadmodum dicit Jacobus unum- *Jac. 1.*
quemque tentari à propria concupiſcentia: non ten- *verſ. 14.*
tat nos ad malum, non inſtillat nobis pravas cupidi-
tates quæ ſponte ſe ingerunt, & quæ ſunt ingenitæ
naturæ: ſed tentat, hoc eſt, examinat nos, ſicuti dici- *Gen. 22.*
tur tentaſſe etiam Abraham. Quum ita ſit, jam lu- *verſ. 1.*
ctandum eſt nobis cum Deo: & in quem finem? ut
ſcilicet vincamus. nam Deus non vult nos opprimere
dum fidem noſtram & conſtantiam obedientiæ illu-
ſtrat: potius enim theatrum erigit in quo oſtentet
ſua dona. Ergo deſcendimus in certamen ſpe vin-
cendi. Quum vincimus, ipſe, ut jam dixi, non tan-
tum nos hortatur ad fortitudinem, ſed arma etiam
ſuppeditat, viribus inſtruit, denique ipſe quodam-
modo ſecum certat, & in nobis eſt ſuperior, quia facit
ut tentationes vincamus. Hac ratione dicitur Jacob
dominatus fuiſſe cum Deo, vel fuiſſe victor Dei. Sed
poſſet videri durum quod Propheta addit, hoc fa-
ctum eſſe ejus virtute: *Dominatum obtinuit cum Deo
virtute ſua*, inquit. Atqui ſi Jacob ſuo Marte pu-
gnaſſet, non poterat ferre umbram ipſius Dei quin
concideret: redactus fuiſſet in nihilum, niſi oppo-
ſita fuiſſet major virtus quam hominis. Quid ergo
hoc ſibi vult, quod victor fuerit ſua virtute? Nempe
quia virtus hæc quam prædicat Propheta, poteſt
aſcribi ſancto Jacob, quoties dominatus fuit. Nul-
lus eſt melior titulus quam donationis, ut vulgo di-
cunt: & Deus ſolet in nos transferre quicquid con-
tulit, acſi noſtrum eſſet. Diſtinguere ergo prudenter
neceſſe eſt hic inter virtutem hominis quam habet à
ſeipſo, & eam quam Dominus in ipſum contulit.
Papiſtæ ſtatim atque fit mentio aut virtutis aut facul-
tatis hominis, hoc arripiunt, Si non eſſet liberum
arbitrium in homine, nulla eſſet fortitudo, vel non
eſſet ulla vis ad reſiſtendum. Atqui produnt ſuum
ſtuporem & ſocordiam, quia non poſſunt diſtinguere
inter virtutem intrinſecam quæ ſit in homine à ſe-
ipſo & à natura, & inter virtutem adventitiam qua
Deus homines ipſos inſtruit & quæ eſt donum Spiri-
tus ſancti. Propheta autem quum hic commendat
virtutem ſancti Jacob, non extollit liberum ejus ar-
bitrium, acſi ex ſeipſo attulerit virtutem qua poſſet
Deum ſuperare: ſed intelligit fuiſſe divinitus præ-
ditum inexpugnabili virtute, ſic ut victor evaſerit
in illa pugna. Nunc ergo tenemus Prophetæ ſen-
ſum. Et quia hoc in primis memoratu dignum erat,

repetit

repetit fuiſſe dominatum cum Angelo, & prævaluiſſe. Jam diximus quomodo Jacob prævaluerit, nempe non à ſeipſo, ſed quatenus Deus virtutem ſuam ſic diſtribuit, ut ſuperior pars aſſet in ipſo Jacob. Ideo hanc ſimilitudinem adducere ſoleo, dum loquor de lucta illa & de quotidianis etiam certaminibus quibus Deus exercet pios, quod pugnet nobiſcum ſiniſtra manu, & quod nos tueatur dextra ſua. Deus ergo ita virtutem ſuam partitur, ut non exerat plenas vires, ſed pugnet tantum ſiniſtra manu, hoc eſt, infirmo (ut ita loquar) modo nos aggrediatur. Interea autem porrigit dextram manum ad nos tuendos: hoc eſt, illic explicat majorem potentiam, ut ſimus in lucta ſuperiores. Et hæc loquutio tametſi primo intuitu aſpera videtur, tamen magnifice extollit Dei gratiam ac bonitatem, quod ita dignetur ſe demittere noſtra cauſa, ut velit nobis concedere victoriæ laudem: non quidem ut ſuperbiamus in nobis, ſed ut hoc modo magis glorificetur, dum ſcilicet mavult fortitudinem ſuam exerere ad nos tuendos, quam ad nos opprimendos: quod poſſet tantum uno flatu. Neque enim opus eſſet conatu aliquo, ut nos in nihilum redigeret: ſi tantum velit flare contra humanum genus, totus mundus momento extinctus erit. Atqui Dominus pugnat nobiſcum, & interea non patitur nos opprimi: imo extollit nos in ſublime, & concedit, quemadmodum jam dixi, victoriam. Pergamus. Addit Propheta, fleviſſe & rogaſſe: *Flevit*, inquit, *& rogavit eum*. Quidam de Angelo membrum hoc exponunt: ſed neſcio an fletus in eum competat. Poſſet quidem excuſari hæc loquutio, quod Angelus fuerit quaſi ſupplex dum herbam porrexit ſancto viro: perinde enim eſt acſi ſe dejiceret qui fatetur ſe non eſſe parem in lucta. Fletum ergo hoc modo illi exponunt, Rogavit quidem Angelus Patriarcham, quum diceret, Dimitte me: & illa fuit victoriæ confeſſio. Jam ergo ſenſus eſſet, non adeptum fuiſſe vulgare aliquid Patriarcham Jacob, quum in illo certamine victor evaſit: Deus enim fuit quodammodo ei ſupplex, quia conceſſit nomen victoris & laudem. Cæterum malo hoc exponere de Patriarcha: & melius convenit, meo judicio. Non dicitur quidem fleviſſe Jacob, hoc eſt, non exprimitur hoc diſerte & ad verbum apud Moſen, fateor: ſed fletus poterit accipi pro humilitate quam ſemper afferunt fideles in conſpectum Dei. deinde conveniet etiam fletus Patriarchæ, quia ſic in pugna fuerit ſuperior, ut non tamen diſceſſerit ſine dolore & jactura. Scimus enim crus illi fuiſſe luxatum, & coxam fuiſſe quaſi ſuo loco motam, ut claudicaret tota vita. Jacob ergo victoria potitus eſt, & triumphum illic egit, etiam plaudente Deo: ſed interim non receſſit integer, Deus enim claudum reliquit. Ergo ſenſit non exiguum dolorem quum tota vita infirmitas in ejus corpore infixa fuit. Quare non male conveniet fletus ſancto viro, qui humiliatus fuit in illa pugna, tametſi retulerit palmam. Et hoc diligenter notandum eſt: hic enim Propheta occurrit omnibus calumniis, quum ſic temperat ſermonem ut nihil Deo & ejus gloriæ deroget, licet ita ſplendide exornet victoriam Patriarchæ. *Fuit ergo Princeps cum Deo, prævaluit quam, fuit victor*: ſed quomodo? *Flevit tamen, & rogavit eum*: hoc eſt, non fuit hæc illi materia ſuperbiæ quum palmam ex certamine retulit, ſed Deus ſimul inſtituit eum ad humilitatem, nempe fractura coxæ vel cruris: & ita rogavit illum. Precatio Jacob refertur à Moſe, quum ſcilicet poſtulavit benedici. Atqui benedicitur minor à majore,
Heb. 7:7. quemadmodum dicit Apoſtolus. Ergo Jacob non ſeſe extulit, quemadmodum faciunt cæci homines, qui ſibi quicquam arrogant, ſed oravit Deum, & petiit benedici ab eo qui ſe victum eſſe dicebat. Hoc autem diligenter notandum eſt, præſertim adjuncta circumſtantia: nam hinc colligimus non eſſe cur fugiant Deum qui probantur tentationibus, quemadmodum caro noſtra appetit delicias, & vellet ſibi parci. Quum ergo imminet aliqua tentatio, ſubducimus nos, & nemo eſt qui non libenter inducias captet, & procul etiam ſe abſcondat tunc à conſpectu Dei. Quoniam ergo cupimus Deum eſſe à nobis remotum quoties prodit quaſi antagoniſta ad fidem noſtram tentandam, ideo notanda eſt hæc precatio Jacob. Nam quanquam fuit crure luxato, quanquam laſſitudine confectus, non tamen ſeſe ſubduxit, non optavit diſceſſum Angeli, ſed quaſi violenter retinuit: Tu me benedices: ego malo tecum pugnare & conſumi totus, quam te dimittere donec mihi benedicas. Videmus ergo appetendam nobis eſſe præſentiam Dei, etiamſi duriter nos exerceat, etiamſi ſudandum ſit, etiamſi vires noſtræ deficiant, etiamſi claudicandum ſit tota vita, non tamen fugere debemus Dei conſpectum, ſed potius eum utroque brachio amplecti, & quaſi violenter retinere: quia multo ſatius eſt ſub onere gemere, & ſentire virtutem ejus quæ nobis ſit ſuperior, quam manere otioſos, & interea putreſcere in noſtris deliciis, quemadmodum faciunt quos Deus relinquit. Et videmus quam nobis timenda ſit talis indulgentia, quia niſi quotidie nos acuamus variis tentationibus, ſtatim contrahimus rubiginem & alia vitia. Neceſſe eſt igitur, ut ſtemus integri, renovari quotidie certamina: & ideo dixi appetendam nobis eſſe Dei præſentiam, quamvis duriter nobis luctandum ſit. Sequitur, *In Bethel inveniet eum*. Ego verto, In Bethel invenerat eum: ut tollatur omnis ambiguitas. Eſt quidem verbum futuri temporis, ſed certum eſt Prophetam loqui de tempore præterito. Interea ſi ſumimus tempus præteritum, manebit ambigua loquutio: ſic enim quidam intelligunt, quod poſtea invenerit Deus Jacob in Bethel, vel quod Jacob Deum invenerit, quum ſcilicet confirmatum fuit ei nomen Iſraelis, nempe poſt ſtragem urbis Sichimæ. Nam ad ſolandum ejus mœrorem illic rurſus Deus apparuit. Exponunt igitur hunc locum de ſecunda illa viſione. Sed mihi videtur alio reſpicere Propheta, quod ſcilicet Deus jam invenerat Jacob in Bethel, hoc eſt, occurrerat ei quum fugeret in Syriam exulandi cauſa, metu fratris ſui: tunc primum apparuit Deus ſervo ſuo, & hortatus eſt ad conſtantiam, pollicitus eſt illi ſalvum in patriam reditum. Intelligit ergo Propheta Jacob victoria potitum eſſe, quia Deus pridem inceperat ipſum amore ſuo complecti, & teſtari etiam amorem illum, quum ſcilicet ſeſe illi exhibuerat in Bethel. Invenit ergo eum in Bethel. Poſſet hoc quidem referri ad Jacob, Invenit eum in Bethel: hoc eſt, Deum invenerat. Sed quoniam ſtatim additur, *Ibi loquutus eſt nobiſcum*, & non poteſt ad aliam perſonam aptari quam Dei ipſius, ego libenter contexo, quod Deus invenerit Jacob in Bethel. Et commendat rurſus nobis Propheta gratuitam Dei bonitatem erga Jacob, quia ſcilicet dignatus fuerit illi occurrere in via, & oſtendere ſe eſſe ducem itineris ipſius Jacob. Neque enim unquam putaſſet Deum ſibi eſſe propinquum, quemadmodum etiam dicit ipſe, Hic eſt domus Dei & porta cœli, & ego neſcie- Gen. 28. vers. 16.
bam. Quum ergo putaret ſanctus vir ſe eſſe quaſi projectum à Deo, & ſe omni auxilio deſtitutum, quum eſſet ſolitarius & extra aliquam ſpem, Deus dicitur illum reperiſſe: quia ſcilicet ſponte ſe illi obtulit, quum ſanctus vir nihil tale ſperaret, neque animo conciperet. Invenerat ergo Deus jam ſervum ſuum in Bethel: deinde illic loquutus eſt, vel loquutus erat. ut ſit continua ſeries. Illic ergo loquutus erat nobiſcum. עמנו quidam accipiunt pro עמו, loquutus erat cum eo: & faciunt hoc coacti neceſſitate, quia non reperiunt certum ſenſum in his verbis, quod loquutus ſit Dominus nobiſcum in Bethel. Sed nihil opus eſt torquere verba præter rationem Grammaticæ. Alii qui non audent diſcedere à verbis Prophetæ, excogitant ſenſus prorſus alienos. Quidam dicunt, Loquutus eſt illic nobiſcum: hoc eſt, Dominus per me Hoſeam, & per Amos, qui mihi collega

eſt & ſocius, loquitur. Nam nos eo auctore denunciamus vobis exitium & ultimam cladem: & Deus Bethel nobis patefecit quicquid ad vos afferimus. Sed quam hoc ſit coactum, omnes vident: hoc eſt torquere Scripturam, & non exponere. Alii etiam frigidius loquuntur, *Illic nobiſcum loquutus eſt*: acſi Angelus diceret, Expecta, Dominus loquetur nobiſcum: ego jam te voco Iſraelem, ſed aderit tandem Deus ipſe, qui ratum habeat quicquid nunc tibi dico. Quaſi vero non eſſet ille Deus æternus. Hoc enim continuo poſt exprimit, cùm dicit, *Jehova memoria ejus, Jehova exercituum*. Sed ita nugantur Judæi, qui brutæ ſunt pecudes ubi agitur de Chriſto. Cæterum non videtur eſſe magna ratio, cur multum ſudemus in his Prophetæ verbis. Et quidam etiam ex Rabbinis (ne fraudemus eos ſua laude) hoc viderunt, nempe Deum ſic loquutum fuiſſe cum Jacob, ut tamen ſermo communis fuerit toti populo. Nam certe quicquid tunc promiſit Deus ſervo ſuo, hoc ad totum corpus populi ſpectabat, & omnes ejus poſteros. Quid ergo hic magnopere ſe macerant interpretes, quum certum ſit Deum in perſona unius hominis loquutum fuiſſe cum omnibus poſteris Abrahæ? Et hoc optime quadrat contextui: Propheta enim jam applicat, ut ita loquar, in uſum totius populi quod hactenus retulit de Patriarcha Jacob. Ne ergo exiſtiment recitari hiſtoriam unius hominis, dicit hoc ad ſingulos pertinere. Quare? Dominus enim ſic loquutus eſt cum ſancto Jacob, ut vox ejus ſonare debeat in omnium auribus. Quid enim dictum eſt ſancto viro? An Deus ſe tantum illi patefecit? An tantum promiſit ſe fore illi in Patrem? Imo adoptavit totum ejus ſemen, & extendit ſuam gratiam ad ejus poſteros. Quum ergo ita loquutus ſit omnibus Iſraëlitis, jam magis eos pudere debet ſuæ defectionis, quum tam ſint degeneres à patre ſuo, cui tamen conjuncti erant. Nam ſacrum vinculum unitatis erat inter Jacob & filios ejus, quum Deus omnes ſimul complexus eſt amore ſuo, & omnes ſimul adoptione dignatus eſt. Nunc tenemus Prophetæ mentem. Jam pergamus.

6. Et tu ad Deum tuum convertere, bonitatem & judicium cuſtodi, & ſpera in Deo tuo ſemper.

7. Chanaan, in manu ejus ſtatera fraudis, (*vel doloſa*) prædari diligit.

Hic jam Propheta populum urget. Poſtquam retulit exemplum Patriarchæ, oſtendit quam diſſimiles ſint poſteri, apud quos Deus nihil proficiat ſana doctrina, quum tamen aſſidue de ipſorum ſalute ſit ſollicitus, & Prophetas excitet, qui reducant in viam ſalutis perditos vel diſperſos. Quum ergo ita ſit, jam Propheta accuſat eorum ingratitudinem. Concionatur autem priore loco de pœnitentia: deinde oſtendit ſe & alios Dei miniſtros operam ludere, quia ſcilicet tanta ſit pervicacia populi, ut non ſit doctrinæ locus. Concio brevis eſt, ſed tamen multum continet. *Convertere*, inquit, *ad Deum tuum*. Perſtringit hic apoſtaſiam populi quum ad Deum ſuum converti jubet: ſimul etiam damnat quicquid opponere ſolebant Iſraelitæ loco defenſionis, quum Prophetæ eos reprehendebant. Volebant enim ſuos fictitios cultus venire in rationem: volebant deos à ſe fabricatos tenere locum Dei. Propheta anſam præcidit hujuſmodi ſubterfugiis, quum jubet populum redire ad Deum ſuum. Quid? inquit. Tu colis quidem deos, & multum te fatigas in tuis ſuperſtitionibus: ſed agnoſce jam te eſſe apoſtatam, qui abjeceris Legem à vero Deo tibi traditam. *Redi* igitur *ad Deum tuum*. Et Deum Iſraëlis vocat, non tam honoris ipſorum quam contumeliæ cauſa, quod ſcilicet ſponte & quaſi data opera abjecerint cultum veri Dei, qui jam ipſis innotuerat. Poſtea oſtenditur vera ratio pœnitentiæ. Initium verſus, quemadmodum jam dixi, tantum exigit ut populus reſipiſcat: ſed quia ſcimus homines ludere cum Deo ubi ad pœnitentiam vocantur, non fruſtra addita fuit definitio pœnitentiæ, vel ſaltem brevis deſcriptio, unde conſtet quid ſit reſipiſcere vel converti ad Deum. Dicit igitur Propheta, *Miſericordiam*, vel humanitatem, *& judicium cuſtodi*. Incipit à ſecunda Legis tabula: deinde addit pietatem erga Deum. Cæterum duas tantum ſpecies ponit, quibus complectitur totam doctrinam ſecundæ tabulæ. Quid enim ſibi vult Deus à quinto præcepto uſque ad ultimum, niſi quod inſtituit vitam noſtram ad regulam charitatis? Docemur ergo in ſecunda Legis tabula, quomodo verſari oporteat cum fratribus noſtris. Vel ſiquis brevius habere velit, In ſecunda Legis tabula oſtenditur mutua inter homines communicatio. Hic autem incipit Propheta à ſecundo membro, quia curioſe non ſolent ſervare ordinem Prophetæ, neque ſemper obſervant certam methodum, ſed ſatis eſt illis referre capita quibus oſtendant rem ipſam: & ideo non mirum eſt ſi pro conſueto more hic Propheta priore loco ſtatuat charitatem; deinde ad cultum Dei deſcendat. Non eſt quidem ille ordo, ut dixi, vel naturalis, vel legitimus: ſed parum refert: imo nonniſi optimo conſilio hoc facere ſolent Prophetæ, quia reſipiſcentia melius cognoſcitur ab obſervatione ſecundæ tabulæ, quam à cultu Dei. Nam ut hypocritæ diſſimulant, & ſe occultant miris integumentis, ideo quoties Dominus vult eos protrahere in lucem, & proferre in medium eorum fraudes, rapinas, ſævitiam, & perjuria, & furta, & quicquid tale eſt, quaſi Lydium lapidem admovet: quoniam ergo melius convinci poſſunt hypocritæ à ſecunda Legis tabula, ideo quum de reſipiſcentia agitur, Dominus merito hoc poſtulat ab illis: acſi diceret, Jam re ipſa manifeſtum fiet qualis ſit veſtra pœnitentia, fictane an ſincera. Nam ſi juſte & innoxie agitis cum proximis, ſi colitis æquitatem & rectitudinem, hoc erit certum veſtræ pœnitentiæ teſtimonium. Interea tamen Propheta non negligit cultum Dei: ideo addit, *Spera ſemper in Deo tuo*. Sub verbo Sperandi primo requirit fidem, deinde invocationem quæ ex illa naſcitur, & gratiarum actionem quæ neceſſario accedit: ſic totus Dei cultus breviter hic per ſynecdochen comprehenditur ſub verbo Sperandi. Summa igitur Prophetæ eſt, ut Iſraël relictis ſuis ſuperſtitionibus recumbat in unum Deum, & in eo reponat ſuam ſalutem, ad eum confugiat, & illi uni tribuat laudem omnium bonorum. Perinde autem eſt acſi reſtitueret purum Dei cultum, rejectis omnibus adulterinis ſuperſtitionibus. Jam loquutus eſt de ſecunda Legis tabula. Videmus ergo ut pœnitentia nihil aliud ſit quam reformatio vitæ noſtræ ad Legem Dei. Deus enim voluntatem ſuam in Lege expoſuit: ſimulatque ab ea deſciſcimus vel deflectimus, diſcedimus tantundem à Domino: ubi autem ad Deum convertimur, hæc erit vera probatio, ſi vitam noſtram corrigimus ad ipſius Legem, & incipimus ab ſpirituali ejus cultu, cujus præcipua pars eſt fides, ex qua deinde naſcitur invocatio. Adhæc, ſi agimus cum proximis noſtris ex bono & æquo, & abſtinemus ab omnibus injuriis, fraudibus, rapinis, omni denique malitia, hoc eſt verum pœnitentiæ teſtimonium. Jam ubi hortatus eſt Propheta Iſraëlitas ad reſipiſcentiam, adjungit eſſe tantam pervicaciam, ut ſine profectu hoc fiat: *Chanaan*, inquit. Ego abrupte lego. nam frigidum eſt quod alii ſubaudiunt, Ipſe aſſimilatus eſt, vel ſimilis fuit Chanaan, in cujus manu. Potius enim hoc uno verbo damnat Propheta Iſraelitas: acſi diceret extraneos eſſe prorſus, & indignos qui vocentur Abrahæ filii. & ita ſæpe abrupta

eſt

eſt oratin quum loquimur ſtomachoſe. Ergo Propheta hic per indignationem vocat Chanaan: hoc eſt, Vos non eſtis filii Abrahæ, vos falſo jactatis nomen illud quod non poteſt in vos competere: eſtis enim Chanaan. Poſtea addit, *In manu ejus ſtatera fraudis, diligit ſpoliare*, vel prædari: ad verbum eſt, Ad ſpoliandum amans. Sed ſenſus clarus eſt, quod diligant prædari, hoc eſt, cupiditate tota ferantur ad rapiendum. Prima loco notandum eſt, quod hic Propheta infamat carnale genus Abrahæ, dum vocat Chanaan. & ſæpius recurret hæc doctrina apud Prophetas. Ratio autem ita loquendi fuit, quod ſuperbe npponere ſolebant craſſi illi homines pro clypeo nomen ſui generis. Quid? nos ſumus ſanctum genus. Quum hoc prætextu rejicerent omnes admonitiones Propheticas, ideo Deus regeſſit boc probrum, Vos non eſtis filii Abrahæ, ſed eſtis Chanaan: quaſi diceret, nihil adhuc fuiſſe mutatum in illa gente, ſimiles ſui ſemper manere Iſraëlitas. Dominus ſemel expurgaverat terram à profanis hominibus: ſed quum poſteri Abrahæ ſimiles eſſent Chananitis, ideo vocantur ſemen Chanaan, acſi maneret gens eadem quæ prius fuerat, quoniam nihil erat in moribus diverſum, quoniam erant pravitate pares vel iidem. Jam ſequitur ratio cur vocet ipſos genus Chanaan, nempe quia *geſtant in manu ſua ſtateram doloſam, & feruntur toto ſtudio ad rapinas*. Statera doloſa poſſet extendi ad ſimulationes illas, ad fallacias & mendacia, quibus conqueſtus eſt nuper Deus ſe fuiſſe obſeſſum. ſed quoniam continuo poſt ſequitur, *Diligens rapinas*, ideo malo hic accipere duas partes nocendi, quæ fere ſub ſe continent omnia ſcelera: aut enim fraudant homines doloſe quoties nocent, aut aperta vi ſeſe efferunt contra proximos. Quoniam ergo aut violenter inferunt injuriam qui nocent proximis, aut circumveniunt fraudibus & aſtutiis ſuis ſimplices, ideo priore loco hic ponit Hoſeas ſtateram doloſam, deinde addit ſpoliandi vel prædandi cupiditatem. Perinde eſt igitur acſi diceret & fraudulentos eſſe & latrones, qui vi aperta graſſantur. Ita intelligit eos ſine lege & ſine ullo freno deditos eſſe omnibus injuriis, & tantum intentos eſſe ad nocendum, ſive faciant hoc aſtutia, ſive aperta violentia. Non mirum eſt igitur ſi vocentur genus incircumciſum. Quare? Quid enim jam habent commune cum Deo, quum ita jam defecerint ab ejus Lege? imo quum abhorreant ab omni humanitate & clementia? ſequitur etiam eos jam omni pietate vacuos eſſe, ubi ita immemores ſunt omnis æquitatis erga proximos. Hæc eſt ſumma.

Da omnipotens Deus, quando hodie nnbis non in ænigmate, neque in figura tantum appares, quemadmodum olim ſanctis Patribus, ſed conſpicuus nobis es in Filio tuo unigenito: da, inquam, ut toti rapiamur ad contemplandam tuam imaginem, quæ ita nobis refulget: & ſic in illam transfiguremur, ut magis ac magis proficiamus, donec tandem exuti omnibus ſordibus carnis noſtræ conformemur ad puram & perfectam illam ſanctitatem, quæ reſidet in Chriſto, ſicuti plenitudo omnium bonorum illic habitat, atque ita tandem perveniamus ad ſocietatem illius gloriæ, quam nobis ſua reſurrectione peperit idem Dominus noſter, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA TERTIA

IN

HOSEAM PROPHETAM.

CAP. XII.

8. Et dixit Ephraim, Attamen ditatus ſum, inveni opes mihi: in omnibus laboribus meis non invenient mihi iniquitatem, quia ſcelus. (*vel piaculum.*)

Hic conqueritur Deus per Prophetam ſuum, quod Iſraël blanditus ſibi fuerit in ſuis ſceleribus, quia proſpere & ex voto res ſuccederent. Hoo autem vitium nimis vulgare eſt, ut homines ſibi applaudant quamdiu fortuna, ut loquuntur vulgo, ipſis arridet: nam exiſtimant ſe Deum tunc habere propitium. Quoniam ergo talis erat conditio populi, ideo ſpernebat nmnes Prophetas, & eorum objurgationes. De hac duritie conqueritur nunc Dominus: *Dixit Ephraim, Atque ego ditatus ſum.* Nntanda eſt emphaſis in particula adverſativa אך. Aliquando ſimpliciter affirmat apud Hebræos: ſed hic voluit aliud exprimere Propheta, quod ſcilicet Iſraëlitæ derideant omnes nbjurgationes, quia videtur illis Deus eſſe propitius, quum in rebus proſperis declarat ſuum favorem. *Ego tamen ſum ditatus*: itaque nihil moror quid dicant Prophetæ. Ego enim contentus ſum ſorte mea. Dixi bunc eſſe communem morbum: & ideo diligenter nntandus eſt locus, ne ſcilicet ubi Dominus ad tempus nobis parcit, putemus tamen nos coram ipſo eſſe innoxios: nihil enim magis timendum, quam ne oculos nnbis perſtringat proſpera & nptabilis conditio. Quamvis ergo Dominus nos toleret, neque ſtatim vindictam ſuam depromat contra nos, quin potius nos quaſi blande foveat in ſinu ſuo: ſi tamen verbo ſuo nos objurgat, attenti ſimus ad ejus minas. Jam addunt etiam, *Cunctis labores mei non invenient mihi iniquitatem*, vel non invenient in cunctis laboribus meis iniquitatem. Multi ſimpliciter legunt ut ſonant verba, Labores mei iniquitatem non invenient: ſed quoniam loquutio hæc videtur eſſe durior, ego conatus ſum mitigare, ut etiam alii faciunt, Non invenient iniquitatem in cunctis laboribus meis. Hæc jactantia longius progreditur: nam oſtendit Propheta populum illum non modo fuiſſe ſecurum, quia Dominus dabat ſigna aliqua paterni favoris; ſed ſimul etiam fuiſſe inebriatum prava confidentia, quod Deus non faveret niſi eſſet immunis ab omni culpa & vitio. & hoc ſecundum membrum diligenter notandum eſt. Jam illa pravitas minime ferenda eſt, quum homines incipiunt Deum contemnere, quia clementer cum ipſis agat, & abutuntur ejus lenitate, ut ferociter contemnant totam ejus doctrinam & omnes minas: hoc jam nimis perverſum eſt. Sed ubi accedit etiam hæc ſuperbia, quod ſtatuant impii & reprobi homines ſe eſſe juſtos, quia Deus non ſtatim pœnas de ipſis exigit, bic eſt quaſi diabolicus furor: & tamen videmus hoc vulgo fieri. Neque enim tantum ſuperbiunt in ſuis opibus profani homines, neque tantum inflantur ſua potentia, ſed putant Deum quodammodn ſibi eſſe nbſtrictum. Quid? neceſſe eſt ut me Deus innoxium agnoſcat & purum ab omni crimine, quia mihi favet. Nibil ergo deprehendit in me quod ſit pœna dignum. Sic erigunt cornua adverſus Deum improbi, dum ipſis indulget, neque tam ſeverus ſpparet erga eos, quam ipſi erant meriti. Quum hodie perſpicimus in magna parte hominum iſtos morbos, non eſt quod miremur. Sed interim tamen proficere nos decet in Prophetæ doctrina, ne ſcilicet excæcati rebus proſperis, ſpernamus objurgationes, & plaudamus ipſi nobis in peccato: deinde

ne cumulemus nobis theſaurum iræ Dei, ſiquando nobiſcum mitius agit. Ne abutamur ergo ejus lenitate, ne putemus nos ideo coram eo eſſe innoxios, quia non ſtatim exequitur ſua judicia: ſed diſcamus potius examen de nobis ſumere, & excutere noſtra vitia, ut humiliemus nos ſub ejus manu, etiamſi temperet ſibi à poenis. Hic eſt uſus præſentis doctrinæ. Notandum eſt autem quod addit Propheta, *Non invenient in laboribus meis iniquitatem*, hoc eſt, non invenietur iniquitas in laboribus meis, *quæ ſcelus*, vel piaculum. Miror interpretes tam frigide hunc locum exponere: dicunt enim, Non reperietur in laboribus meis iniquitas, vel peccatum. Verum Propheta hic non ponit copulam, ſed ponit אשר, quæ particula exegetice capitur hoc loco. Senſus autem eſt, quod hypocritæ dum ſibi arrogant laudem innocentiæ, ut fucum faciant, deteſtantur omne ſcelus & piaculum. Non invenietur iniquitas in laboribus meis, quia hoc eſt ſcelus: abſit ut deprehendar ſceleratus in meis factis, ego enim ſine ulla fraude verſatus ſum in omnibus meis negotiis. An quia ita res habent? minime: ſed quia æſtimant ex proſpera fortuna Dei favorem, & putant Deum non fore ſibi tam clementem niſi ipſos pro juſtis & puris agnoſceret. Videmus ergo quam ſecure Deo illudant hypocritæ, ubi cœperunt ſpernere doctrinam & admonitiones. ideo non miremur ſi hodie tanta paſſim occurrat in mundo obſtinatio: ſed utamur etiam hac ratione docendi quam præſcribit Propheta. Nunc pergamus.

9. Ego autem Jehova Deus tuus à terra Ægypti: habitare te faciam in tabernaculis ſicut diebus conventus.

Priore membro exprobrat Iſraëlitis Deus, quod ſepelierint beneficium redemptionis, cujus memoria ſemper apud ipſos vigere & florere debuerat: *Ego tamen*, inquit, *ſum Deus tuus à terra Ægypti:* hoc eſt, Mirum eſt vos eſſe tam obliviofos, ut non veniat in mentem veſtra redemptio, quæ tamen celebris eſſe debebat, & quaſi verſari ante oculos veſtros. Fuit enim illud memorabile Dei beneficium, quemadmodum ſcimus. Quum autem dicit ſe eſſe Deum illius populi à terra Ægypti, deſignat finem redemptionis: acſi diceret, Ego hac lege te redemi, ut perpetuo mihi eſſes obſtrictus. Scimus enim quum Deus populum illum eripuit ab illa crudeli tyrannide, ſimul ſibi acquiſiiſſe æternum regnum: ſanctificatus tunc fuit in populo electo. Notandum eſt ergo redemptionis finis in verbis Prophetæ: Ego ſum, inquit, Deus tuus à terra Ægypti: alioqui quomodo poteras exire è ſepulchro? erant enim tunc ſimiles mortuis, quum Deus illis manum porrexit. A terra ergo Ægypti ego ſum Deus tuus: hoc eſt, Quum tam mirabiliter reſtitutus fuiſti à morte in vitam mea gratia, annon ab illo die ſum Deus tuus? quia teipſum & omnia tua mihi debes: ego enim te mihi acquiſivi in peculium. Quum ergo jam audeas petulanter rejicere meos Prophetas, qui meo nomine loquuntur, certe hæc eſt non ferenda ingratitudo, quod oblitus es tuæ redemptionis, & quem in finem patefecerim erga te virtutem meam & gratiam. Jam quod ad ſecundum membrum ſpectat, variant interpretes. Quidam enim exponunt, quod Deus non deſtiterit tamen bonitatem ſuam proſequi erga Iſraëlitas, quantumvis indigni eſſent: *Ego habitare te faciam in tabernaculis tuis:* & tabernacula accipiunt pro ædibus improprie. Poſtea dicunt, *Secundum dies Moed:* hoc eſt, antiquæ pactionis, vel ſecundum dies conſtitutos. Deus enim promiſerat ſe daturum terram Chanaan poſteris Abrahæ in perpetuam quietem. Sed expoſitio illa non videtur quadrare. Alii dicunt hic exprobrari Iſraëlitis quod tam male profecerint in mandato Dei, quia ſcilicet diem feſtum inſtituerat, in quo ſe quotannis exercerent in redemptionis memoriam. Scimus enim ſolennem fuiſſe diem tabernaculorum. Ita putant huoc ſenſum eſſe Prophetæ, Ego non modo ſemel te redemi, ſed volui extare memoriale iſtius gratiæ: quia quorſum mandavi ut quotannis celebretis diem feſtum, niſi ut reducatis in memoriam quod poterat alioqui excidere ex animis veſtris? Atqui nihil profeci hac ceremonia, quia interim ego rejicior, & Prophetæ mei nihil auctoritatis apud vos obtinent. ſed ſenſus etiam ille eſt frigidus. Quidam exiſtimant Prophetam hic terrere Iſraelitas: acſi diceret, Iterum expellet vos Deus, ut habitetis in tabernaculis, quemadmodum olim in deſerto. Sed quanquam non repudio illam ſententiam, exiſtimo tamen aliquid eſſe magis emphaticum in Prophetæ verbis, nempe quod Deus hic oblique dicat opus eſſe nova redemptione, ut populum ſibi magis devinciat: acſi diceret, Ego video vos immemores eſſe antiquæ redemptionis: ego enim video vos ipſam pro nihilo ducere, acſi eſſet obſoleta: ego igitur perdidi meam operam niſi renovetur memoria veteris beneficii: ergo iterum faciam te habitare in tabernaculis: hoc eſt, neceſſe eſt ut iterum te ejiciam ex tua hereditate, deinde ut rurſus reſtituam, & quidem inſolito & minime expectato modo, ut intelligas me eſſe tuum redemptorem. Nunc ergo tenemus mentem Prophetæ. Poſtquam dixerat Deus ſe eſſe Deum Iſraëlis à terra Ægypti, jam addit, Quia jam obruta eſt illa vetus redemptio, impia oblivione apud vos, ego iterum ero redemptor veſter. Sedere igitur vel habitare te faciam in tabernaculis, ſicut olim: quia nihil apud vos prodeſſet prior redemptio, ego conjungam ſecundam, ut tandem reſipiſcatis, & ſciatis quantopere mihi eſtis obſtricti. *Dies Moëd* accipit pro illa ratione quam deſcribit Moſes fuiſſe in deſerto: nam convocabantur ad ſacrificia ex caſtris. Non loquitur ergo hic Deus de conventione quam habuerat cum populo ſuo, quaſi notet aliquod continuum pactum: ſed vocat Dies Moed, quibus congregati fuerunt Iſraëlitæ quum eſſent diſpoſiti per ſua caſtra, quemadmodum ex Moſe patet. Nunc ſequitur,

10. Et loquutus ſum ſuper Prophetas, & ego viſionem multiplicavi, & in manu Prophetarum aſſimilavi. (*vel ſimilitudines poſui.*)

Amplificat Propheta crimen populi, quod pervicaciter ſemper repugnaverit Deo, itaque careat omni ignorantiæ prætextu. Scimus enim refugere homines extremum Dei judicium, quantiſper poſſunt objicere vel errorem vel incogitantiam: negat Propheta populum fuiſſe errore lapſum, quia ſubinde, imo ſingulis momentis fuerit à Prophetis admonitus. Conſtat igitur quaſi data opera hunc populum fuiſſe rebellem Deo, quia ſemper contempſerit Prophetas: neque id ſemel aut iterum, ſed quum Dominus alios aliis ſubmitteret. *Ego*, inquit, *loquutus ſum ſuper Prophetas meos*, vel per Prophetas: על enim variis modis accipitur. Loquutus ſum igitur ſuper Prophetas meos: hoc eſt, depoſui apud illos doctrinam quæ vos reducere in viam deberet: neque id modo, ſed *multiplicavi etiam viſiones:* hoc eſt, non uno modo ſtudui vos colligere, ſed multas viſiones cumulavi. Poſtea, *In manu Prophetarum poſui ſimilitudines:* hoc eſt, quibuſcunque potui modis ego conatus ſum vos revocare ad ſanam mentem. Deus enim hominum more loquitur. Poſſet quidem hoc efficere arcano inſtinctu Spiritus, ſi

vellet;

vellet; ſed hoc ſufficit ad tollendam omnem excuſationem hominibus, quum verbo non obtemperant, neque ſe præbent morigeros ac dociles Deo, ubi per ſuos Prophetas eos hortatur ad reſipiſcentiam. Eſt igitur amplificatio ſceleris notatu digna, quum Deus expoſtulat ſe inutiliter operam luſiſſe, dum aſſidue opera Prophetarum ſuorum uſus eſt, ut colligeret diſperſum Iſraelem. Hæc autem exprobratio in nos etiam hodie competere poſſet: imo quicquid hactenus dixit Propheta merito hodie poſſet in capita noſtra torqueri. Videmus enim ut mundus ſeſe obduret contra omnes admonitiones: videmus etiam quamdiu Dominus ſuſpendit ſua judicia, & homines ipſos tolerat, ut deriſui habeant ejus lenitatem. Eadem ergo hodie pravitas in mundo graſſatur, quam Propheta deſcribit hoc loco. Deinde non tantum ex Ægypto nos Deus redemit, ſed ex profundiſſimis inferis: & hac lege ſcimus nos redemptos fuiſſe per Chriſtum, ut ſimus addicti
Rom. 14. verſ. 9. prorſus Deo. Nam in hoc mortuus eſt Chriſtus & reſurrexit, ut vivis dominetur & mortuis. Videmus autem quanta ſit hominum protervia, & ut impune laſciviant contra Deum. Quotuſquiſque meminit ſe non amplius eſſe ſui juris, quia acquiſitus ſit Chriſti ſanguine? Pauci hoc cogitant. Atqui non tantum valere apud nos debebat hæc unica & perpetua redemptio, ſed iterum nos redemit Dominus quum eſſemus demerſi in abyſſo Papatus: & quotidie etiam idem beneficium iterat erga nos, & tamen ſumus tam oblivioſi, ut ſubinde gratia Dei nobis effluat. Videmus nunc quam neceſſaria ſit hæc doctrina etiam ætati noſtræ. Præterea, quemadmodum jam dixi, non deſinit Deus quotidie nos ſtimulare & urgere, multiplicat prophetias & ſimilitudines: hoc eſt, modis omnibus ſeſe nobis accommodat. nam per Similitudines intelligit omnes figuras docendi. Et certe videmus ut Deus ſeſe quodammodo transformet in verbo ſuo, quia non loquitur pro ſua majeſtate, ſed prout videt congruere noſtro modulo & infirmitati: Scriptura enim proponit varias figuras, quæ nobis oſtendant Dei faciem. Quum ergo Dominus ita ſe ruditati noſtræ accommodet, quanta eſt noſtra ingratitudo, quod nullus profectus ſequitur? Meminerimus ergo Prophetam ita objurgaſſe homines ſui ſeculi, ut etiam hodie nobiſcum loquatur. Nunc pergamus.

11. An in Gilead iniquitas? (*vel, an Gilead cœpit peccare?*) certe vanitas (*vel mendacium*) fuerunt in Gilgal, (*alii disjungunt iſtud* בגלגל, *ut contexant cum ſequentibus*) boves ſacrificarunt, etiam altaria eorum ſicut acervi ſuper ſulcos agrorum.

Interrogatio ironica eſt, quum dicit Propheta, *An in Gilead eſt iniquitas?* & ſubſannat ſocordiam eorum qui ſibi tam craſſis flagitiis placebant, quum eorum cultus eſſent prorſus adulterini & degeneres: quum ſcirent ſe eſſe Deo perfidos, & ſe alienos cultus ſequi ab ejus Lege, tamen ſic erant obſtinati ut ſuperbe reſpuerent omnes admonitiones. Quum ergo ita cæcutirent in ſuis vitiis, interrogat ironice Propheta, An eſt in Gilead iniquitas? Iſti adhuc dubitant ſcilicet an rei ſint coram Deo, an culpam aliquam ſuſtineant. *Certe*, inquit, *vanitas fuerunt*: hoc eſt, utcunque accerſant ſibi ſpecioſos prætextus, & negent ſe eſſe ſibi male conſcios, inducant etiam multas dubitationes ne cogantur culpam agnoſcere, mendacium tamen, inquit, facti ſunt: hoc eſt, omnia eorum commenta nihil continent ſolidi, ſed merum fucum, qui nihil proderit coram Deo. Nunc ergo tenemus ſenſum Prophetæ. Cæterum minime dubium eſt quin damnet etiam hoc loco perverſos cultus, in quibus tamen Iſraelitæ putabant ſe præſtare optimum obſequium Deo. Sed ſcimus obedientiam potiorem eſſe omnibus victimis. Propheta igitur hic invehitur in omnes fictitios cultus, qui excogitati fuerant præter & contra Legem Dei. Sed interim, quemadmodum nuper attigi, oblique ſubſannat eorum ſocordiam, qui putabant ſe eſſe inaccuſabiles, modo objicerent ſuam bonam intentionem, quemadmodum vulgo ſolet fieri, & dicerent ſe non alio animo altaria erigere, niſi ut celebraretur paſſim nomen Dei, ut ubique refulgerent etiam aliqua pietatis inſignia apud ipſos. Quum ergo ita obducerent varios fumos ad tegendam impietatem, dicit Propheta, Adhuc ſcilicet iſti quærunt quaſi de re dubia, an ſit in Gilead iniquitas. Quærant & diſputent, certe vani facti ſunt, inquit. Ad verbum eſt, *Atqui fuerunt mendacium*: ſed intelligit eos ſtulte in medium adducere frivolas illas excuſationes, quibus effugerent & crimen & pœnam. Quare? Deus enim pluris æſtimat Legem ſuam quam omnia hominum commenta: vult homines ſine ulla controverſia parere verbo ſuo: ubi autem ita licentioſe diſcedunt ab ejus mandatis, hoc ferre non poteſt. Mendaces igitur ſunt, & ſeipſos decipiunt, quicunque exiſtimant ſua commenta unius pili æſtimari coram Deo. Quare? Ponit hic eorum crimen, *In Gilgal*, inquit, *boves ſacrificarunt.* Hieronymus vertit, Bobus ſacrificantes: & putat hic reprehendi Iſraëlitas, quod ſacrificent vitulis. ſed videtur illud eſſe nimis remotum à verbis Prophetæ. Hoc igitur crimen ſtatuit Propheta, quod boves ſacrificent, & multiplicent altaria. Atqui videtur hæc ſedulitas fuiſſe digna laude, quod cumularent ſibi multa altaria, quod Deum ubique colerent, quod non pepercerint ſumptibus neque labori, quod non contenti fuerint paucis ſacrificiis, ſed addiderint ingentem multitudinem: videtur hoc totum mereri non vulgarem laudem. Sed Dominus, quemadmodum jam dixit, nihil moratur iſta prava ſtudia: vult enim ſimpliciter adorari à ſuis, & vult probare eorum pietatem hoc uno documento, ut ſcilicet verbo ſuo obtemperent. Ubi ergo deflectimus à verbo Dei, imo laxis habenis projicimus nos ad novas inventiones, etiamſi clare profiteamur nobis in animo eſſe Deum colere, hoc totum vanum eſt, & fallax prætextus, quemadmodum hic dicit Propheta. Quod Gilgal putat Hieronymus fuiſſe oppidum in Tribu Jehudah, fallitur, neque poteſt congruere loco Prophetæ: ſcimus enim Jehudam tunc fuiſſe purum à craſſis illis pollutionibus: hoc eſt, Tribum Jehudah non fuiſſe pollutam ab illis inquinamentis, quæ hic Propheta damnat in regno Iſrael. Certum igitur eſt, Gilgal etiam fuiſſe oppidum Iſraëlis: & ſcimus illic fuiſſe templum celebre & altare, ideo præcipue locum hunc deſignat. Sed poſtea addit etiam, *Altaria ipſorum tanquam acervi ſuper ſulcos agrorum.* Scimus fuiſſe tunc unicum altare legitimum: Deus enim nolebat ſibi offerri ſacrificia niſi in uno loco. Ergo quo magis fervebant Iſraëlitæ ad multiplicanda altaria, eo magis provocabant in ſe Dei vindictam: utcunque illis eſſet propoſitum, Deum colere, tamen Deus aſpernabatur ſtultam illam curioſitatem. Videmus ergo cur Propheta hic comparet acervis lapidum altaria quæ tunc erecta erant in regno Iſrael: acſi diceret, Quemadmodum quiſque congerit lapides in acervum, ſi ager lapidoſus eſt, ut poſſit commodius aratrum tranſire; ita quiſque fabricat ſibi altaria, quemadmodum ſi erigeret tumulum in agro ſuo: ſic fit ut perverſe corrumpant purum & legitimum cultum quem ego in Lege mea inſtitui. Nunc ergo tenemus ſenſum Prophetæ, quod ſcilicet nihil proficiant ſuperſtitioſi homines, dum plenis buccis jactant ſe Deum colere:

quia

quia utcunque fucum ſibi & aliis faciant, Dominus tamen abominatur quicquid repugnat verbo ſuo. Et hic unicus eſt & legitimus ritus colendi Dei, ſi tantum ſequimur quod ille præſcribit, & nihil nobis permittimus niſi ex ejus mandato & inſtitutione. Illa ſumma eſt. Pergamus.

12. Et fugit Jacob in agrum Syriæ, & ſervivit Iſraël in uxore: (*hoc eſt, pro uxore*) & pro uxore cuſtodivit. (*id eſt, cuſtos fuit gregis.*)

13. Et per Prophetam eduxit (*aſcendere fecit*) Jehovah Iſraëlem ex Ægypto, & per Prophetam ſervatus eſt.

Nunc alio exprobrationis genere utitur Propheta, quod ſcilicet non reputent Iſraelitæ ex quo fonte prodierint, ſed immemores ſint ſuæ originis. Propheta autem conſulto hanc doctrinam proponit, quia ſcimus quam audacter ſuperbierit populus ille in ſua præſtantia. Nam ſicuti gloriatus eſt profanus ille ſe eſſe Athenienſem, ita etiam Judæi putant nos omnes eſſe brutas pecudes, & fingunt ſibi diverſam originem à reliquo genere humano, quia ſint poſteri Abrahæ. Quum ergo excæcati eſſent tali ſuperbia, Deus eos refellere voluit, quemadmodum nunc facit. Jacob pater veſter quiſnam fuit? quæ fuit ejus conditio? quæ nobilitas ejus? quæ potentia? & quæ dignitas & amplitudo ſecundum carnem? Certe fuit profugus à patria. Si perpetuo domi vixiſſet, pater ejus erat inquilinus: ſed coactus eſt tamen in Syriam fugere. Et quam ſplendide illic vixit? erat quidem apud ſuum avunculum, ſed non minus ſordide tractatus fuit quam vile aliquod mancipium. *Servivit etiam pro uxore.* Et quomodo ſervivit? fuit pecuarius homo. Ite nunc, & jactate veſtram excellentiam, quaſi eſſetis multo aliis nobiliores, quaſi conditio veſtra eſſet ſuperior communi ſorte hominum. Deus ergo illis objicit probroſam conditionem ejus patris, cujus nomine gloriabantur: qui tamen fuit miſer & fugitivus, qui fuit ſimilis vili mancipio, qui fuit homo pecuarius, qui denique nihil in ſe habuit quod poſſit eſſe in pretio apud homines. *Deus autem eduxit vos per Prophetam*, inquit, *ex Ægypto, & per Prophetam fuiſtis ſervati.* hæc fuit quaſi ſecunda nativitas. Alii putant comparationem eſſe inter primam originem & inter liberationem hanc: quaſi dixiſſet Hoſeas, Quum progeniti ſitis ex homine pauperculo & ignobili, Dominus tamen dignatus eſt vos ſingulari privilegio, quia Moſen vobis dedit qui miniſter eſſet liberationis. Sed ſimplicius meo judicio loquitur Propheta. Primo enim oſtendit qualis ſit origo populi, nempe à Jacob: deinde oſtendit qualis ſit ſecunda origo. iterum enim eos Deus genuit quum eduxit ex Ægypto. Fuerant autem illic miſerrimi, quemadmodum ſatis notum eſt: & non exierunt propria virtute, non ſeipſos vindicarunt in libertatem, ſed unus Moſes illis porrexit manum, miſſus in hoc à Deo. Quum ita ſit, mirum eſt quod nunc ita provocent Deum in ſuis altaribus, quemadmodum dicit ultimo verſu. Hoc autem ſatis frequenter occurrit apud Prophetas, quod ſcilicet Deus Iſraëlitis commemorat, unde
Jeſa. 51. vel ex quo fonte prodierint. Reſpicite ad originem
verſ. 2. veſtram, ad lapidem exciſionis veſtræ: nam Abraham erat unicus & ſterilis, uxor ejus erat effœta, & tamen Deus multiplicavit eorum genus. Hoc dicitur, quia non reſpicerent Iſraëlitæ in Deum, ſed in rebus miſeris eſſent deſperati, quia non extabat aliqua ratio qua poſſent reſtitui in integrum; in rebus autem proſperis ſuperbirent, & ita pro nihilo haberent gratiam Dei. Videmus ergo quorſum tendat conſilium Prophetæ. Agnoſcite quid mihi debeatis, inquit Dominus: ego enim elegi Jacob patrem veſtrum, & non elegi quod polleret magna excellentia in mundo: fuit enim & fugitivus & paſtor gregis, & ſervivit pro uxore: poſtea *ego vos redemi ex terra Ægypti*, & in illo exitu nihil fuit veſtrum: non eſt quod jactetis virtute veſtra fuiſſe partam hanc liberationem, ſolus enim Moſes fuit miniſter meus hac in re. nunc ergo etiam ſecundo vos genui, ubi vos redemi. Quanta eſt veſtra ingratitudo, quod me pro redemptore veſtro non agnoſcitis & colitis? Jam ergo videmus Prophetam ſic agere cum populo Iſrael, ut modis omnibus conſtet fuiſſe indignum tot ac tantis Dei beneficiis, quia ſcilicet perverteret omnia Dei opera, & ita perverteret, ut interim non ſentiret ſe nihil habere proprium, & non ageret gratias Deo: imo perinde ſe extolleret, acſi Deus nihil unquam contuliſſet beneficiorum. Cæterum ego non immoror in tractanda hiſtoria Jacob, quia non faceret etiam ad ſenſum Prophetæ, & res ſatis notæ ſont: & ſatius eſt etiam tractari opportune ſuis locis. *Fugit* ergo *Jacob in agrum Syriæ*: deinde, *ſervivit Iſrael*, inquit, *pro uxore.* Ponit nomen Iſraël poſt nomen Jacob. Nomen Iſraël erat ſplendidum & memorabile, imo divinitus fuerat inditum ſancto Patriarchæ: ſed interim Jacob non excelluit in ſe vel in ſua perſona: ſervivit nihilominus, & fuit in illa miſerrima conditione, *& pro uxore ſervivit*, nempe ut haberet uxorem. Scimus enim quomodo pepigerit cum avunculo ſuo Laban. Jam, *per Prophetam eduxit eum ex Ægypto.* hæc fuit ſecunda nativitas: *& per Prophetam ſervatus fuit Iſraël.* Eſt alluſio ad verbum שמר: ego enim accipio נשמר paſſive. Dixerat enim prius, Cuſtodivit gregem Jacob: nunc dicit, נשמר, Cuſtoditus fuit Iſraël per Prophetam: acſi diceret, Jam videtis Deum vobis dediſſe materiam humilitatis in patre veſtro, quum paſſus eſt tam miſere ipſum affligi. Quum autem vos ſervavit præter ſpem hominum, neque humanis modis, ſed per ipſum Moſen, qui etiam fuerat homo profugus, & qui prodiit quaſi ex antro, ipſe enim fuerat paſtor gregis: quum ergo ita cuſtoditi fueritis per Dei gratiam, qui fit ut veſtra conditio nunc vos faſcinet, neque cogitetis vos ſemel ea conditione redemptos fuiſſe à Domino, ut in perpetuum ſitis illi prorſus addicti? Jam addit, (Ego percurram etiam hunc verſum, quia non vacabit cras neque perendie legere)

14. Provocavit Ephraim excelſis ſuis, & ſanguis ejus ſuper eum manebit, (*vel fundetur*) & opprobrium ejus reddet illi Dominus ſuus.

Primo dicit Propheta, quod *Ephraim provocaverit Deum ſuis excelſis.* Quidam tamen תמרורים accipiunt pro amaritudinibus. Provocavit igitur in amaritudines Iſraël vel Ephraim Deum. Sed quum hoc nomen aliis locis, ſicut Jeremiæ trigeſimo primo, ſumatur pro locis excelſis, & ſatis conſtet hic Prophetam invehi ex profeſſo contra Iſraëlem & vitioſos ejus cultus, ego non dubito quin denotet excelſa illa loca, in quibus Iſraëlitæ inſtituerant falſos cultus & impios. *Provocavit* ergo *Ephraim excelſis ſuis*: hoc eſt, quum Ephraim tot modis eſſet in ſuis ſuperſtitionibus demerſus, provocavit Deum in ſuis excelſis. Ergo *ſanguis ejus manebit ſuper eum.* Quia נטש ſignificat Fundere, & ſignificat etiam Manere, ideo quidam exponunt, Manebit ſanguis: alii, Fundetur ſuper eum. Sed hoc parum facit ad ſummam rei:

nequ

neque enim aliud ſibi vult Propheta quam Ephraim daturum pœnas ſuæ impietatis: acſi diceret, Non effugiet tandem manum Dei, accipiet mercedem ſuarum iniquitatum. *Et Dominus ſuus op probrium reddet illi.* Hic Dominum Iſraëlis Deum ipſum vocat, quanquam Iſraël excuſſerat jugum, & ſe alienaverat ab obſequio Dei. Non poterunt, inquit, effugere imperium Dei: quanquam aſpernentur ejus Legem, quanquam laſciviant poſt ſuas ſuperſtitiones, ſentient tamen ſe manere ſub Dei manu & dominio, ſentient ſe nihil proficere hac ſua petulantia: quum ita vagantur poſt ſuas abominationes, Dominus non perdet jus ſuum quod ſibi acquiſivit redimendo Iſraëlem. *Dominus* ergo *ſuus reddet illi opprobrium ſuum*, qun dignus eſt.

Da nmnipotens Deus, quando non ſemel abs te creati ſumus, ſed ubi nos locaſti in hoc mundo, omni bonorum copia nos locupletas, ne gloriam tibi debitam alio transferamus: præſertim quotidie verbo tuo moniti, imo etiam aſpete dolati, non ſimus ferrea duritie ad reſiſtendum, ſed flexibiles nos tibi præbeamus: neque etiam addicti ſimus noſtris figmentis, ſed regulam, quam verbo tuo præſcribis, ſequamur vera docilitate & manſuetudine, donec tandem exuti reliquiis omnibus errorum, fruamur beata illa luce quam nobis in cœln præparaſti, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA QUARTA
IN
HOSEAM PROPHETAM.

CAPUT XIII.

Quum loqueretur Ephraim, tremor: extulit ſe ipſe in Iſraël, & peccavit in Baal, & mortuus eſt.

NOn conſentiunt interpretes in hujus verſus intelligentia Dicunt enim quidam tremorem fuiſſe commotum in Iſraël, qnum Ephraim, hoc eſt, Jarobeam, qui ex illa Tribu natus erat, hortatus eſt populum ad colendos vitulos. Per nomen Tremoris, רתת, intelligunt, quod populus fuerit attonitus, ita ut ſine ratione ſtatim morem gereret arbitrio, vel potius libidini impii regis. Poſſet etiam, ſi placeret ſenſus ille, nomen Tremoris aliter exponi, quod ſcilicet non ſtatim amplexus fuerit populus perverſum illum cultum, ſed abhorruerit, quemadmodum ſolet fieri in rebus novis, & quæ videntur carere omni ratione. Sed illi prorſus diſcedunt, meo judicio, à Prophetæ mente: potius enim hic proponit duplicem ſtatum regni Iſraël, ut inde pateat decem Tribus ſua culpa fuiſſe rejectas à Domino, atque hoc etiam modo prolapſas fuiſſe ex illa dignitate, in quam Dominus eas extulerat. Dicit igitur, *Quum olim loquebatur Ephraim, fuit vox ejus formidabilis: ipſe etiam extulit ſe in Iſraël*, hoc eſt, in toto genere Abrahæ. *Nunc autem mortuus eſt*, vel concidit, *poſtquam peccare cæpit in Baal.* Priore igitur loco commemorat Propheta honorem, quo dignatus fuerat Deus Tribum illam. Scimus Ephraim fuiſſe minorem natu inter duos filios Joſeph. Manaſſe debuerat non modo præcellere, ſed ſolus regnare in illa familia. Nam populus diſtinctus erat in duodecim Tribus. Deus autem voluit dun capita erigere in domn Jnſeph, & prætulit minorem natu primogenito. Debuit igitur Ephraim, quum & numero hominum eſſet auctus & potentia, tandem vero adeptus regium gradum, agnoſcere ſingularem Dei gratiam. Et per modum exprobrationis recenſet hic Propheta quod ad ſolam vocem Ephraim omnes contremuerint, quum ſcilicet præditus eſſet auctoritate: deinde quod fuerit exaltatus in Iſrael. Debuit nullo numero cenſeri, debuit etiam fratre ſuo primogenito eſſe inferior: atqui ſuperavit omnes Tribus. Quum ergo Deus tantum hnnoris contulerit in Tribum Ephraim, eo gravior fuit culpa, quod poſtea defecit ad idola: imo initium regnandi fecit à ſuperſtitione, quum Deus Jarobeam dignatus fuiſſet eligere in Regem, & ungere. Et certe quod præter ſpem evectus Dei manu in ſublime, loco teſtandæ gratitudinis, ſtatim corrupit totum Dei cultum, hoc pluſquam abſurdum fuit. Propheta autem dicit ſecundo loco, fuiſſe mortuos, ex quo ita exciderunt à vero & legitimo cultu, ut intelligant ſe recipere juſtam mercedem ſuæ impietatis quum ita manus Dei illis eſt infeſta, quum rebus adverſis premuntur. Nunc tenemus genuinum Prophetæ ſenſum, nempe quod olim floruerint Iſraëlitæ, præſertim vero Tribus Ephraim, ex qua natus fuit Jarobeam, ita ut ſola voce domuerint omnes ſuos vicinos: quod præter opinionem hominum repente emerſerint, ut novum regnum erigerent in filiis Abrahæ. Poſtea addit, *Poſtquam peccarunt in Baal, fuiſſe mortuos*, nempe quia Deus ſpoliavit Tribum Ephraim illa potentia qua prius ornaverat, ſic ut parum abfuerint ab exitio. Tametſi enim nondum prorſus regnum ejus exciderat, tamen ventum erat uſque ad extrema, ut merito Propheta dixerit mortuos eſſe qui tam procul diſtabant à priore illo ſtatu. Cæterum, quod dicit, *peccaſſe in Baal*, certum eſt non fuiſſe hoc principium idololatriæ. Jarobeam fabricavit primo vitulos, deinde ſucceſſor ejus erexit Baal, & mutuatus eſt ſuperſtitionem illam à vicinis Sidoniis, ſicuti exiſtimant. Sed Deus hic poſuit quod gravius erat, & minus excuſabile, nempe quod ſe Iſraëlitæ polluerint Gentium inquinamentis, ita ut nihil à profanis & incredulis differrent, qui nullum ſanæ doctrinæ guſtum habuerant. Porro docemur hoc loco, ſi Reges præditi ſunt aliqua auctoritate, ſi pollent imperio, hoc totum à Deo proficiſci: quia niſi Deus incuteret terrorem hominibus, nemo vellet alterius jugum ſuſcipere, ſaltem omnes appeterent æqualitatem, vel quiſque ſeſe extolleret ſupra alios. Certum eſt igitur quum unus quiſpiam inter multos excellit potentia, hoc fieri arcano Dei conſilio, qui cogit in ordinem totum vulgus, & facit ut parere non detrectet unius hominis imperio. Hoc nunc docet Hnſeas, quum exprobrat Tribui Ephraim terrorem iſtum, quia ſi propria virtute fuiſſet Ephraim formidabilis, nullum locum haberet objurgatio Prophetæ: ſed quia hoc fuit peculiare Dei beneficium, merito dicit Propheta fuiſſe Tribum Ephraim in magna honore donec prolapſa fuit ad ſuperſtiunnem. Nunc pergamus.

2. Et nunc addunt ad peccandum (*hoc eſt, pergunt peccare*) & fecerunt ſibi conflatile ex argento ſuo, ſecundum intelligentiam ſuam, idola opus artificum omnis: (*vel omne*) Ipſis ipſi dicunt ſacrificantes hominem, vitulos oſculentur.

Hoc verſu amplificat Propheta ſcelus populi, quod non uno tantum die purum Dei cultum abjecerint, & ſe implicuerint ſuperſtitionibus, ſed quod obſtinati fuerint in illa ſua pravitate: *Addiderunt*, inquit, *ad peccandum, & fecerunt ſibi conflatile ex argento ſuo*. Diximus, quum à Dei cultu deflexit Iſraël, fabricatum fuiſſe vitulos, idque ſub aliqua ſpecie: ſed poſtquam multæ ſuperſtitiones aliæ ſuper alias additæ fuerunt, fuit ille quaſi furoris cumulus, acſi Iſraëlitæ vellent evertere data opera Dei Legem, & oſtendere ſibi curæ non eſſe unicum illum Deum, à quo fuerant redempti. Hæc ratio eſt cur dicat Propheta ipſos progreſſos fuiſſe in ſceleribus, nec feciſſe ullum peccandi modum: & ſolet hoc plerumque accidere, niſi Deus homines retrahat. ſimulac prolapſi ſunt, poſtea ruunt præcipites: nam ſumunt ſibi majorem peccandi licentiam poſtquam tergum verterunt Deo. Quare notanda eſt iſta objurgatio Prophetæ, quia invehitur in obſtinatam Iſraelis malitiam. Dicit autem *Feciſſe ſibi ex argento ſuo conflatile*, quemadmodum ſupra vidimus abuſos fuiſſe Dei donis, quum ſcilicet projicerent ad ſuperſtitionem, quæ Dominus in ipſorum uſum deſtinaverat. Nam ſcimus in quem finem Deus argentum condiderit, nempe ut eo homines contrahant inter ſe viciſſim commercia: deinde ut aptent etiam in alios uſus. Ubi autem deos ſibi fabricant ex argento, mirus eſt ſtupor in iſta ingratitudine, quod pervertunt naturæ ordinem, neque reputant ſibi hoc fuiſſe alia ratione datum, ut ſcilicet utantur: quemadmodum diximus. Et ſimul etiam notat Propheta, Iſraëlitas eo minus eſſe excuſabiles, quod quum ditati eſſent, ſua opulentia ſuperbierint, quemadmodum ſcimus ſatietatem cauſam eſſe laſciviæ, ut iterum paulo poſt dicetur. Sed præcipue notandum eſt quod addit Propheta, *Secundum intelligentiam ſuam*. Hic enim ſevere objurgat Iſraelitas, quod non ſubjecerint omnes ſuos ſenſus Deo, ſed potius ſequuti ſint quod placebat. Ergo, *Secundum ſuam inventionem*. Nomen quo utitur Propheta non male ſonat: nam Intelligentia apud Hebræos in bonam partem accipitur. dico nomen hoc quod uſurpat Propheta. Sed hic agitur de cultu Dei, in quo ceſſare debent quicquid eſt prudentiæ, quicquid rationis in hominibus, quicquid conſilii, & denique omnes eorum ſenſus. Nam ſi hic tantillum ſibi permittunt, nihil aliud quam Dei cultum vitiant. Quare? Scimus obedientiam eſſe potiorem omnibus victimis. Ergo hoc principium eſt rite colendi Dei, ut homines ſtulti fiant, neque permittant ſibi ſapere, ſed tantum præbeant aurem Deo, & ſequantur quod præcipit. Ubi autem audacia hæc hominum ſe ingerit, ut quiſque excogitet novum cultum, jam deſciſcunt à vero Deo homines, & mera idola colunt. Ergo ſub Intelligentiæ nomine Propheta hic damnat quicquid arridet judicio hominum vel rationi: acſi diceret, Deum ſic velle adorari ubi agitur de vera pietatis regula, ut nihil humanum miſceatur, ut nemo proferat quod ſuum eſt, vel quod ſibi videtur. Denique hic *intelligentia hominum* opponitur Dei mandato: acſi diceret Propheta, hoc unum eſſe diſcrimen inter verum Dei cultum & omnes fictitios ac degeneres, ſi obtemperamus Dei verbo: quod ſi ſapimus ex proprio ſenſu, jam omnia eſſe corrupta. Quare? pollutio enim eſt divini cultus quicquid ex ſeipſis excogitant homines. Ideo Paulus ad Col. 2. hoc ſolo argumento refellit omnia hominum commenta. Sunt, inquit, hominum traditiones, etiamſi habeant colorem ſapientiæ. Nunc ergo tenemus quid velit Propheta, & cur addiderit Intelligentiæ nomen, ut ſcilicet diſcerent Iſraelitæ cultus omnes qui apud ipſos erant in uſu, eſſe perverſos & vitioſos, quia non eſſent fundati in Dei mandato, ſed manaſſent ex diverſo fonte, nempe ex intelligentia hominum. Sequitur ergo, quemadmodum jam dixi, in religione nihil eſſe à nobis tentandum, ſed unam hanc eſſe legem rite colendi Dei, ut ſimpliciter obediamus verbo ejus. Poſtea addit, *Idola opus artificum totum*. Secundo loco deridet Propheta craſſitiem quæ faſcinaverat mentes populi, quod ſcilicet loco deorum colerent hominum opera. Nam hoc ſolenne eſt omnibus Prophetis, quaſi palpabilem reddere ſtuporem hominum, ubi oſtendunt nihil eſſe rationis cur idola colantur: neque enim proprie colitur materia. Si ante oculos verſetur magna congeries, vel magnus acervus auri vel argenti, nemo illic finget divinitatem aliquam: ſiquis tranſeat per ſylvas, non includet gloriam Dei in arboribus: idem etiam de ſaxis dicendum eſt. Jam, ſi accedat manus artificis, lamina auri incipit eſſe Deus, ita etiam truncus ligni videtur induere Dei gloriam ubi formam accipit à fabro: idem eſt de reliquis. Atqui hoc eſt magis quam abſurdum ut artifex ſimulac dolaverit lignum aliquod, ſimulac conflaverit aurum vel argentum, poſſit Deum efficere, & divinitatem rei mortuæ tribuere: & tamen hoc paſſim fieri ſatis notum eſt. Excuſant ſuperſtitioſi homines non provenire hoc ex manu artificis: ſed quia expetunt aliquod ſignum præſentiæ Dei, & quia non poſſunt aliter exprimere Dei faciem, ideo in illa forma eſſe Deum. Sed tamen ſemper illud verum manet, quod ſcilicet fabri ſuo artificio deos efficiant ex rebus mortuis, & in quibus nullum erat pretium. Quum ita ſit, merito nunc dicit Propheta, opus eſſe artificum quicquid adorat populus Iſraël: ut ſcilicet agnoſcat ſe turpiter deſipere quum relicto vero Deo, qui cœli & terræ eſt opifex, ita ſeſe proſtituit coram idolis manufactis. Jam dicit, *Alios alius dicere dum ſacrificant homines, oſculentur vitulos*. Quanquam locus hic diverſis modis exponitur, tamen contentus ero genuina Prophetæ mente. Deridet iterum quod alii alios hortentur ad vitulorum cultum. Nam per oſculum metonymice intelligit profeſſionem cultus vel adorationem, quemadmodum ex aliis Scripturæ locis patet: ſicut 1. Regum 19. dicitur, Servavi mihi ſeptem millia hominum, qui non curvarunt genua coram Baal, nec oſculati ſunt eum. Oſculari ergo Baal, eſt ſignum aliquod reverentiæ dare. Et videmus retentum fuiſſe hunc morem apud ſuperſtitioſos: quemadmodum hodie adhuc Papiſtæ hoc habent præcipuum ſignum, ut idola ſua oſculentur. Quid autem nunc dicit Propheta? *Hortantur*, inquit, *alii alios ad cultum vitulorum: interea ſacrificant hominem*. Non dubito quin Propheta hic illam fœdam & belluinam conſuetudinem perſtringat, quod ſcilicet patres filios ſuos immolabant Moloch. Illud eſt prorſus alienum à ſenſu naturæ, ut patres filios ſuos immolent. Tametſi enim illud ſemel Abrahæ mandatum fuit, tamen ſcimus in quem finem: Volebat ſcilicet Deus probare ſervi ſui obſequium hoc documento: ſed non paſſus eſt tandem exequi quod Abraham volebat. Iſti ergo immolant hominem. Si fas eſſet homines mactare, certe cultus hic referendus erat ſaltem ad unicum Deum: ſi liceat hominem mactare in gratiam hominis, in gratiam vituli certe eſt ridiculum, præſertim ubi patres filiorum ſanguine mortuis ſtatuis litare non dubitant. Hanc ergo abſurditatem nunc digito Propheta oſtendit, quo tandem incipiat Iſraëlitas flagitii ſui pudere. Videte, inquit, quam bruti ſitis, nempe immolatis vitulis, & oſculamini eos, interea mactatis homines. In vitulo eſtne tantum dignitatis, ut debeat homo qui longe præcellit, coram ipſo mactari? nonne hoc ab omni ratione diſſentaneum eſt? Nunc tenemus quid Propheta velit. *Dicunt* ergo *alii alius dum hominem immolant, ut vitulos oſculentur*. Cæterum, diſcimus ex hoc loco & ſimilibus notandas eſſe abſurditates quibus ſe miſeri homines involvunt, ubi evaneſcunt in ſuis figmentis relicto verbo Dei. Nam hoc

nobis

nobis inſtar freni erit, ne cum ipſis erremus in prodigioſis illis figmentis: quia ubi videmus deliria, quæ etiam natura ipſa reſpuit, certe Deus quaſi injecta manu nos cohibet & retrahit. Hoc conſilio nunc Propheta oſtendit quam ſtupidi ſint Iſraëlitæ, & quam prodigioſus ſit eorum furor, quod vitulos oſculentur cum magna reverentia, interea vero mactent homines. Sic hodie in Papatu non tantum ntendum eſt illo principio, quod ſcilicet defecerint à vero Deo quum aſciverunt ſibi novos & extraneos cultus præter ejus verbum, ſed colligendæ etiam ſunt ineptiæ. Et videmus quomodo Deus ipſos projecerit in ſenſum reprobum, ut nullum abſurditatum genus refugiant: & hoc, quemadmodum dixi, valebit ad expergefaciendos eos qui ſunt adhuc ſanabiles, ut intelligant ſe fuiſſe dementatos. hoc modo redibunt in viam admoniti. Atque ut nos etiam gratias agamus Deo, & deteſtemur magis ac magis fœditatem illam in qua fuimus ad tempus provoluti, & meminerimus nihil magis eſſe timeodum quam ut Dominus frenum nobis laxet, etiam tamen exemplum hujus vindictæ nobis apparet in omnibus idololatris, quia ſimulac deſciſcunt à puro Dei cultu, ſeſe projiciunt ad fœdam iſtam ſtupiditatem, quemadmodum diximus. Pergamus.

3. Propterea erunt quaſi nubes matutina, quaſi ros mane exoriens, tranſiens quaſi palea quæ ex area projicitur, & quaſi fumus è fumario. (*Nam* ארובה *accipitur hoc ſenſu. ſignificat quidem feneſtram, ſed eſt vaporarium camini.*)

Hic quatuor ſimilitudioes uſurpat Propheta, ut oſtendat ſtatum Iſraelis, quamvis ad tempus floreant & cenſeri poſſint felices, fore tamen caducum & evanidum. *Erunt*, inquit, *quaſi nubes matutina*: etiamſi alte ſuperbiant, Dominus tamen diſcutiet quicquid eſt in ipſis potentiæ. Deinde, *quaſi ros exoriens mane*: hoc eſt, nihil erit in ipſis ſolidum. Tertio, *erunt quaſi palea quæ ex area projicitur turbine.* Poſtremo, *erunt quaſi fumus*, inquit. Nam ſicuti fumus etiamſi denſam caliginem efficiat, poſtquam egreſſus eſt è ſuo fumario liqueſcit & diſparet: ſic etiam iſti ſuperbi, quantumvis ſibi applaudant, non manebunt in ſtatu diuturno. Hinc colligimus Iſraëlitas ſic fuiſſe mortuis ſimiles, ut tamen adhuc reſidua eſſet inter ipſos aliqua potentia. Fruſtra enim alioqui minatus fuiſſet Deus fore inſtar nebulæ, & roris, & paleæ, & fumi: ſed jam magna ex parte attriti fuerant. Deus autem hic ultimum interitum illis denunciat, ne ſcilicet putent ſe extremis pœnis defunctos eſſe, & ne exiſtiment ſe poſſe colligere novas vires, quemadmodum ſuperbi homines concipiunt vanas fiducias, quibus procul repellant judicium Dei. Ne ergo ſeſe deludant talibus illecebris, Propheta hic deounciat ſtatum ipſorum caducum fore, & qui ſtatim concidet. Sequitur,

4. Et ego Jehova Deus tuus è terra Ægypti, & Deum extra me non cognoſces, & ſervator nemo præter me.

5. Ego cognovi te in deſerto, in terra ſiccitatum. (*hoc eſt, in terra arida.*)

Repetit nunc Propheta ſententiam illam quam vidimus proximo capite, idque amplificandi criminis cauſa. Nam ſi populus ille nunquam guſtaſſet ſanam doctrinam, nunquam fuiſſet educatus in Lege: erat ſaltem aliquis prætextus ad culpam levandam. Poterant enim objicere, ſe, quum nuoquam guſtaſſent veram pietatem, errare communi hominum more: ſed quia jam imbiberant ab infantia ſanam doctrinam, quia Deus ipſos educaverat in ſinu ſuo, quia didicerant à primis annis quid eſſet ipſum purè colere, dum ita ſeſe provolvunt ad ſuperſtitiones Gentium, quid amplius ad excuſationem ipſis ſupereſt? Videmus ergo quorſum hæc circumſtantia pertineat, ubi Deus conqueritur ſe fuiſſe *Deum Iſraëlis è terra Ægypti.* Ego igitur, inquit, *ſum Jehova* Deus tuus. Quum ſe Jehovam nominat, hoc nomine proſternit omnes deos fictitios: acſi diceret, Ego certe merito & jure meo ſum Deus: nam ego ſum à meipſo, ego ſum Creator mundi, nemo hanc potentiam à me tollet. Unde autem iſti habent ſuam divinitatem, niſi ab hominum dementia? Jam dicit, *Ego ſum, Iſraël, Deus tuus*: hoc eſt, Ego me tibi patefeci à terra Ægypti, ſi cogites de tua nativitate: ego te quum redemi ex Ægypto, quaſi eduxi in lucem vitæ ex utero: Ægyptus enim inſtar ſepulchri fuit: tu cœpiſti tunc vivere, & eſſe aliquis populus quum ego tibi porrexi manum. Et nunc etiam notandum eſt quod prius diximus, hac lege redemptum fuiſſe populum, ut totum ſe Deo addiceret. Quemadmodum hodie Chriſti ſumus, & nemo noſtrum debet ſuo arbitrio vivere, quia in hoc mortuus eſt Chriſtus, & reſurrexit, ut dominetur vivis & mortuis: ita etiam tunc redempti fuerunt divinitus Iſraëlitæ, ut ſe totos Deo offerrent. Quum autem Deus hoc jure regnaret ſuper populum Iſraël, quam fœda & inexcuſabilis fuit illa defectio, ubi populus ſponte ad ſuperſtitiones Gentium ſe projecit? *Deum*, inquit, *præter me non debebas cognoſcere.* His verbis antea non uſus eſt Propheta. Ergo hæc ſententia eſt plenior, quia clarius exponit quorſum illud pertineat, quod ſcilicet Deus Iſraëlem ab exitu Ægypti ſibi acquiſierit, nempe ut Iſraël contentus ſit unico illo redemptore, neque alios deos ſibi adſciſcat. *Deum* ergo *præter me non cognoſces.* Nam ſi unus ille Deus ſuffecit ad redemptionem populi ſui, quid jam ſibi vult populus, quum vagatur, & mentem ſuam huc vel illuc applicat? debet enim acceptam Deo vitam referre, qua nunc potitur, & debet agnoſcere in illo uno ſatis eſſe præſidii ad ſalutem. Nunc ergo videmus cur additum hoc fuerit, *Non cognoſces Deum* præter me. Sequitur ratio quæ ad confirmationem valet. *Et nemo*, inquit, *ſervator præter me.* Copula hic reſolvi debet in cauſalem particulam, *Quia nemo præter me ſervator*, vel, *& certe nemo eſt ſervator præter me.* Et locus eſt inſignis: colligimus enim Dei cultum non eſſe poſitum in voce una, ſed potius in fide, & ſpe, & invocatiooe. Hodie Papiſtæ exiſtimaot non violari Dei cultum etiamſi confugiant ad ſtatuas, etiamſi invocent mortuos homines, etiamſi ſpes ſuas huc & illuc diſpergant. Quare? Retinent ſemper unicum Deum: hoc eſt, non tribuunt nomen Dei vel Chriſtophoro, vel Antonio: putant Papiſtæ ſe immunes eſſe ab omni vitio, quum Deus nomen ſuum retinet. Atqui videmus longe aliud ſpectari à Domino: Ego, inquit, unicus ſum Deus. Quare? quia unicus ſum ſervator, ne alium Deum tibi fingas, quia non reperies qui te ſervet. Ergo Deus præcipue æſtimat honorem ſibi debitum ex ſpe & invocatione, ubi ſcilicet recumbit animus noſter in ipſum ſolum, neque aliunde vel petimus vel ſperamus ſalutem quam ab ipſo. Videmus ergo quam utilem doctrinam contineat hic locus, ubi ratiocinatur Propheta, perperam & indigne feciſſe Iſraëlitas quod alium Deum ſibi fabricaverint: quia non poterat extra unum Deum reperiri ſervator. Poſtea addit, *Ego te cognovi in deſerto, in terra ſiccitatum.*

Hic

Hic Deus confirmat, nimium abſurde facere Iſraëlitas, quod mentem ſuam convertant ad alios deos: quia ſcilicet ipſe eos cognoverit. Duplex hic ponitur notitia, nempe hominum & Dei. Pronunciat Deus ſe curam geſſiſſe populi ſui, quum adhuc eſſet in deſerto: & paternam hanc ſollicitudinem deſignat ſub voce notitiæ. *Ego te cognovi:* hoc eſt, ego te mihi tunc elegi in populum, & familiariter tibi patefeci quam mihi eſſes propinquus. Jam ergo reſtabat ut viciſſim abs te cognoſcerer. hæc eſt notitia hominum. Nam ubi homines cogniti ſunt à Deo, cur non intendunt omnes ſenſus ſuos, ut defixi in eo maneant? Ubi autem diſtrahunt in diverſas partes, extinguunt, quantum in ſe eſt, illud Dei beneficium. Gal. 4: 9. Sic etiam loquitur Paulus ad Galatas, Poſtquam cognoviſtis Deum, vel potius poſtquam cogniti eſtis ab eo. Hic priore membro oſtendit ipſos nimis ſcelerate facere quum poſt oblatam Euangelii lucem iterum ſeſe transferunt ad varia figmenta: ſed auget crimen illud altera voce, quum dicit, Potius cogniti eſtis ab eo: acſi diceret, Deus vos prævenit gratuita ſua bonitate. Quum ergo Deus ita prior vos cognoverit, & anteverterit ſua gratia, nunc quanta eſt & quam flagitioſa ingratitudo ipſum viciſſim non cognoſcere? Nunc ergo videmus cur Propheta addiderit, *cognitos fuiſſe Iſraëlitas in deſerto, in terra ſiccitatum.* Et expreſſa ſit mentio deſerti, quia tunc neceſſe fuit mirabiliter ſuſtineri populum à Domino: niſi enim quotidie Deus pluiſſet Man è cœlo, niſi etiam aquam dediſſet in potum, periiſſet ſingulis diebus miſer ille populus. Quum ergo præter uſitatum naturæ curſum ita Deus populum ſuum aluerit, ut ſine paterna ejus cura nulla fuerit ſpes vitæ, merito nunc addit Propheta, *In deſerto, in terra ſiccitatum:* hoc eſt, in illa arida ſolitudine, ubi ne granum quidem tritici creſcebat ut poſſet aliunde vivere populus, niſi Deus quaſi manu ſua cibum porrigeret, ac ſuggereret in os. Jam videmus extremam populi impietatem hinc convinci, quod edoctus in Dei Lege, tot etiam beneficiis confirmatus, tamen deſciverit ad profanas ſuperſtitiones. Et ſimul etiam addit Propheta,

6. Juxta paſcua ſua, & ſatiati ſunt, ſaturati ſunt, & elevatum eſt cor ipſorum, propterea obliti ſunt mei.

Hic oſtendit Propheta populum illum modis omnibus fuiſſe intractabilem. Jam aliis locis hoc idem argumentum attigit, ſed non eſt ſupervacua repetitio. Poſtquam dixit populum eſſe ingratum, qui non maneat in obſequio ſui Redemptoris, à quo tam benigne & liberaliter in deſerto tractatus fuerat, ubi tamen fame & inopia pereundum erat, niſi Dominus modis inuſitatis opem tuliſſet tam extremæ neceſſitati: jam addit, Dominus aliis modis etiam te potuit allicere, niſi eſſes prorſus fero & barbaro ingenio: ſed hinc patet te eſſe prorſus immorigerum, quia poſtquam eductus fuiſti ex deſerto, veniſti ad opima paſcua. Terra enim Iſraël hic confertur paſcuis pinguibus & opimis: acſi diceret, Deus te locavit in hac hereditate ubi poſſes ad ſatietatem veſci, quemadmodum ſi paſtor oves adducat in locum apprime fertilem. Quid actum eſt? *Ad paſcua ſua, & ſatiati ſunt, ſaturati, & elevatum fuit cor ipſorum, & obliti ſunt mei.* Quum ergo extinxerint redemptionis memoriam Iſraëlitæ, poſtquam Dominus famelicos in deſerto aluerat, quum etiam in ipſa pinguedine reſpuerint Deum, & excuſſerint jugum ejus, & quaſi feroces equi adverſus ipſum calcitraverint, hinc apparet indomitam fuiſſe ipſorum naturam, ut nullis modis cogi in obſequium vel ordinem potuerint. Reliqua differemus in diem craſtinum.

Da omnipotens Deus, quando nos quotidie voce tua tam blande compellas, ut manſuetis etiam animis & placide nos tibi offeramus regendos: & quum nos in ſummum honoris gradum extuleris liberando nos à formidine diaboli, & ab illa tyrannide quæ nos detinebat ſub miſero timore, & etiam donaveris nos adoptionis ſpiritu & fiduciæ: da, inquam, ut horum beneficiorum memores, perpetuo nos tibi ſubjiciamus, & tantum ſtudeamus in hoc vocem attollere, ut totus mundus ſe tibi ſubjiciat: & qui nunc videntur prorſus contra te inſanire, tandem redigantur in communem obedientiam nobiſcum, ut ſcilicet Chriſtus Filius tuus omnium ſit Dominus, quo ſolus ipſe emineas & nos ſubjiciamur tibi, ut aliquando etiam extollamur in ſocietatem ejus gloriæ, quæ nobis parta eſt per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA QUINTA

IN

HOSEAM PROPHETAM.

CAP. XIII.

Vidimus heſterna lectione damnari Iſraëlitas, quod poſtquam ſaturati eſſent in pinguibus paſcuis, fuerint ſimiles equis ferocibus, quemadmodum hoc accidere ut plurimum ſolet. Deut. 32. verſ. 15. Et Moſes etiam prædixerat in ſuo Cantico, Dilectus poſtquam ſaginatus eſt, recalcitravit contra me. Hoc jam fuiſſe completum dicit Propheta, quod ſcilicet ſatietas illa genuerit ferociam in populo Iſraël. *Secundum paſcua ſua*, inquit, *ſatiati ſunt: ſaturati ſunt, & elevatum eſt cor eorum.* Idem Eze. 16. verſ. 49. etiam Ezechiel de Sodoma pronunciat, quod ſcilicet poſtquam bene refertus fuit eorum venter, ſuperbierint. Sed loquitur illic Propheta de crudelitate erga homines: dicit enim Sodomitas, quoniam affluerent bonis omnibus, fuiſſe plenos ſævitia, ſic ut contumelioſe deſpicerent pauperes. Propheta autem hic aliquid deterius damnat in populo Iſraël, quod ſcilicet cor ipſorum ſuperbia inflatum fuerit contra Deum: poſtremo loco ponitur oblivio ipſius Dei. Et fieri non poteſt, ubi homines ita excæcati ſunt prava confidentia, quin abjiciant omnem Dei timorem, & omne pietatis ſtudium. Docet autem hic locus ſobrie & frugaliter utendum eſſe noſtra abundantia, & primo videndum eſſe ne Dei liberalitas oblivionem ejus inducat. Illud enim eſt nimis perverſum, quo largius Deus bona ſua in nos diffundit, ut cor habeamus veluti conſtrictum, & ejus beneficia inſtar velorum ſint ad tegendos noſtros oculos. Danda igitur opera eſt ut Dei beneficia potius renovent in animis noſtris ejus memoriam: accedat deinde modeſtia, ut jam dixi, & frugalitas. Nunc pergamus.

7. Et ero illis tanquam leo, tanquam pardus in via Aſſur: (*vel aſpiciam, vel inſidiabor, ut alii vertunt*)

8. Occurram illis tanquam urſus orbatus, (*ſuis parvulis ſcilicet*) & diſrumpam clauſuram cordis eorum, vorabo eos quaſi leo, beſtia agri ſcindet (*vel lacerabit*) ipſos.

Iterum denunciat Propheta vindictam Dei Iſraëlitis: & quoniam in ſuis blanditiis torpebant, ut jam aliquoties vidimus, hic pingit Dei judicium terribile, ut metum obſtinatis incutiat, quo tandem ſentiant ſibi negotium eſſe cum Deo, atque ita potentiam ejus horrere incipiant. Dicimus autem hoc pluſquam neceſſarium eſſe, ubi volunt Prophetæ expergefacere hypocritas: quia ſecuritas ſic eos inebriat, ut non dubitent contemnere omnes minas Dei: & hæc ratio eſt cur tres ſimilitudines uſurpet. Comparat primo loco Deum leoni, deinde pardo, tandem orſo: *Ero*, inquit, *inſtar leonis, inſtar pardi*, deinde *inſtar urſi*. Scimus Deum natura ſua clementem ac manſuetum eſſe. Quum ergo ſe dicit fore ſimilem leoni, induit quaſi alienam perſonam: ſed hoc fit hominum vitio, quemadmodum Pſ. 18. dicitur, Cum manſueto manſuetus eris, cum perverſo perverſus. Deus enim etiamſi aſpere & duriter loquatur per Prophetam ſuum, exprimit tamen quod ſentire operæ pretium eſt, nempe ubi poſſumus ferre illum agere nobiſcum pro ſua natura, hoc eſt, placide & etiam benigne: ubi autem videt nos eſſe præfractos & indomitos, tunc etiam certat nobiſcum eadem contumacia, ut ita loquar; non quod perverſitas iſta proprie competat in Deum, ſed mutuatur illam ſimilitudinem ab hominibus, idque hac de cauſa ut homines deſinant ſibi blandiri quum illis eſt infeſtus. *Ego igitur ero tanquam leo, tanquam pardus in via*. Quantum attinet ad nomen *Aſſur*, interpretes varie accipiunt. nam alii vertunt Aſſyriam: quanquam hic ſcribitur per Kamets. Sed putant Hebræi accipi nomen hoc appellative, non eſſe nomen loci vel regionis. Vertunt autem quidam, Ego aſpiciam eos; & deducunt à שור, ut א ſit nota futuri temporis. Alii ab אשר deducunt, & volunt eſſe conjugationis Pual: & tamen hic diſſentiunt inter ſe. Quidam vertunt, Inſidiabor illis. Putant alii eſſe nomen Tôar, Inſidiator ero quaſi pardus. Sed hæc varietas, quantum ad ſummam rei pertinet, non eſt magni momenti. Videmus enim quorſum tendat Prophetæ conſilium: vult hic tollere vanam confidentiam hypocritis, & illos terrere ſenſu aliquo vindictæ Dei quæ impendet. Dicit igitur, etiamſi hactenus illis Deus pepercerit, imo quodammodo blande ipſos foverit, quum tamen iram ejus in ſe provocare non deſinerent; aliquando fore diverſum: quia ſcilicet *veniet contra ipſos* tanquam leo: hoc eſt, cum maximo furore in ipſos inſiliet. Erit etiam pardo ſimilis. Scimus autem pardum crudelem eſſe beſtiam. Denique comparat ſe urſæ orbatæ, vel urſo orbato. Jam poſtea addit, *Frangam*, vel diſrumpam, *clauſuram* cordis eorum. Videntur hic ſubtiliter nimium torquere Prophetæ verba qui per clauſuram cordis intelligunt obſtinatam duritiem. Scimus quidem Prophetas aliquando uti hac loquendi forma; dicunt enim Cor obſtupum, vel cor pinguedine obductum, quod non eſt flexibile, neque facile ſanam doctrinam admittit. Sed potius reſpexit Propheta ad ſævitiam urſi, quum diceret, Frangam vel diſrumpam pericardion, & vorabo eos tanquam leo. Nam hoc eſt ſæviſſimum mortis genus, ubi leo & unguibus & dentibus cor ipſum impetit & diſcerpit viſcera hominis. Voluit igitur illud ſæviſſimum mortis genus Propheta exprimere. Diſrumpam ergo pericardion vel clauſuram cordis. Quanquam non repugno quin ad obſtinationem alludat Propheta, dum ſimilitudinem ſuam retinet. *Et beſtia agri* ſcindet ipſos. Jam abſque ſimilitudine loquitur: ſignificat enim Deus omnes feras ſibi fore miniſtras ad exequendum ſuum judicium. Ego igitur immittam omnes beſtias agri, quæ ipſos diſcerpant ac lacerent, ut illic nihil ſalvum maneat. Nunc videmus quorſum hic locus pertineat, & in quem uſum debeat aptari: quia natura nimium pigri ſumus, imo ſocordes: & quum Deus nos excitat, indulgemus tamen blanditiis. Ideo notandæ ſunt figuræ quæ excutiunt nobis hanc tarditatem, & oſtendunt quam horribile ſit Dei judicium. Huc etiam pertinent illæ metaphoræ ignis æterni, & vermis qui non moritur. Scriptura enim quia videbat hominum ſenſus adeo eſſe torpidos, adhibuit quæ poſſent corrigere iſtam ignaviam. Et ideo, quoties Deus alienas perſonas induit, ſciamus hoc fieri noſtro vitio: quia ſcilicet non patimur ipſum pro ſuo ingenio nobiſcum agere, propterea quod ſumus intractabiles. Pergamus.

9. Perdidit te Iſraël, quia in me auxilium tuum.

10. Ero: Rex tuus ubi, ut ſervet te in cunctis urbibus tuis? & Judices tui, de quibus dixiſti, Da mihi Regem & Principes?

11. Dabo tibi (*hoc eſt, dedi tibi*) Regem in ira mea, & ſuſtuli in furore meo.

Primo loco exprobrat Deus Iſraëlitis, quod ſua pertinacia rejiciant quicquid offertur in ſalutem. Sed longius etiam progreditur, quod ſcilicet prorſus deſperati ſint, & ſit aliqua cauſa occulta, quæ impediat Deum ipſum, quominus ipſos juvet atque opem ferat quum laborant extrema neceſſitate. *Perdidit te Iſraël*, inquit. Subaudiunt quidam nomen vituli, Vitulus te perdidit. ſed hoc eſt durum. Alii putant eſſe mutationem perſonæ. Et ego hunc ſenſum libenter amplector, quemadmodum ſcimus hoc genus loquendi eſſe ſatis tritum: *Perdidit te Iſraël*: hoc eſt, tu cauſa es tui exitii, vel, Iſraël ſeipſum perdidit. Quanquam ergo ponitur verbum tertiæ perſonæ, & poſtea additur affixum ſecundæ perſonæ, poſſemus tamen ſic reſolvere, quod Iſraël ſeipſum perdiderit. Dum tamen propius ſingula expendo, video melius ac commodius poſſe exponi hunc locum, ſi indefinite ſumatur, Perdidit te Iſrael, hoc eſt, quære nunc quiſnam te perdidit. Deus ergo hic neque Iſraëlem nominat, neque certum auctorem exitii deſignat, ſed oſtendit tamen Iſraëlem eſſe perditum, & cauſam exitii alibi quærendam eſſe quam in ſe. Hæc ſumma eſt. *Iſraël ergo perdidit te, quia in me auxilium tuum*. Hic oſtendit Deus & probat Iſraelem culpa ſua nunc perire, qui antehac ſervatus fuerit: nam quod ſemel Deus adoptaverat populum illum, id factum erat ut non deſineret proſequi erga eum ſuam gratiam. Si ergo non obſtitiſſet malitia & ingratitudo populi, Deus haud dubie fuiſſet ſemper ſui ſimilis, & fluxiſſet continuo tenore & æquabili ejus bonitas erga populum illum. Hoc ſignificat ſecundo membro, ubi dicit, *In me auxilium tuum*: hoc eſt, Quî fit, & quænam ratio impedit quominus nunc tibi auxilier pro more meo? Tu enim hactenus expertus es me eſſe tuum liberatorem: etiamſi ſæpe luctatus fueris cum magnis & gravibus periculis, ego tamen nunquam tibi defui: ſemper reperiſti in me promptum auxilium: quî fit nunc ut ego te abjiciam? ut fruſtra clames, & nemo tibi opem ferat? Quî fit ergo ut ita

nunc jaceas deſertus, & non ſentias quicquam levationis ex mano mea, quemadmodum ſolitus eras? Et certe ego nunquam tibi deeſſem, ſi poſſes ferre: ſed tu mihi occludis januam, & repellis tua malitia gratiam meam, ne ad te uſque perveniat. Sequitur ergo, te nunc perire propria culpa. *Perdidit* ergo *te aliquid.* Hic indefinite loquitur, ſed hæc ſuſpenſa loquutio magis emphatica eſt, quum Iſraëlem oſtendit fruſtra eſſe attonitum, & fruſtra etiam expoſtulare cum Deo ipſo. Non eſt igitur quod hic litiges quaſi Deus fruſtretur tuam expectationem, & contemnat vota tua & clamores. Deus enim conſtaret ſibi, nam mutabilis non eſt: acſi diceret, eorum perditionem aliunde eſſe, ut agnoſcant eſſe aliquod obſtaculum cur Deus manum ſuam non extendat ad eos juvandos: hactenus enim hoc facere ſolitus eſt. Nunc tenemus Prophetæ mentem. Primo loco commemorat Deus, qualis fuerit erga populum ſuum hactenus: deinde ſumit pro confeſſo ſe non mutari, ſed præditum eſſe æquabili bonitate & indefeſſa. Jam quum hactenus opitulatus fuerit populo ſuo, infert perditum eſſe aliunde Iſraëlem, quia nihil auxilii ferat: niſi enim Iſraël arceret Dei bonitatem, certe flueret ſuo more. Ergo conſtat impediri ejus curſum populi ipſius malitia, quia obſtaculum ponit ſcilicet. Docet autem hic locus, fruſtra obſtrepere Deo homines in ſuis miſeriis, quia niſi rejicerent oblatam ſibi gratiam, ipſe ſemper paratus eſſet ad eos juvandos. Quoties ergo Deus non occurrit nobis in neceſſitate, & patitur nos languere, & quaſi tabeſcere in malis noſtris, certum eſt id fieri, quia non ſumus capaces ejus gratiæ, ſed potius ei obſtruimus aditum: quemadmodum dicitur apud
Jeſa. 59. Jeſaiam, Non eſt abbreviata manus Domini, ut
verſ. 1. non poſſit ſervare: neque auris mea eſt aggravata, ut non audiat. Peccata veſtra, inquit, oppoſuerunt maceriem inter vos & me. Eodem pertinent hæc Prophetæ verba, quum dicit quærendum eſſe nobis auctorem noſtri exitii ubi Dominus non ſtatim nos liberat: quia quemadmodum ſemel guſtum præbuit ſuæ bonitatis, ita ad finem uſque perget. Neque enim fatigatur in ſua beneficentia, neque etiam poteſt exhauriri ejus largitas. Ergo culpa in nobis reſidet. Videmus quam inſignis ſit hic locus, & quam utilem etiam doctrinam contineat. Poſtea id melius confirmat uno verbo: *Ero*, inquit. deinde, *Rex tuus ubi?* Quum Deus ſe fore dicit, repetit quod jam prius expoſuit, nempe ſe ſemper eundem fore, quia nulla obumbratio in ipſum cadit, quemadmo-
Jac. 1. dum dicit Jacobus. Ero igitur. h. e. ſi jam oblatrent
verſ. 17. Iſraëlitæ me non proſequi bonitatis meæ curſum, hoc falſiſſimum eſt: ego enim maneo ſemper idem, & conſtanter paratus ſum me oſtendere beneficum
Pſal. 138. erga homines. Ego enim opera manuum mearum
verſ. 8. non deſero, quemadmodum dicitur alibi. Quum ergo ita continuem meam gratiam erga homines, neceſſe eſt aditum præcludi meæ gratiæ ipſorum malitia. Excutiant igitur ſeipſos, ubi me inclamant, & non reſpondeo: ubi in ſuis malis quodammodo tabeſcunt, & nullam ſentiunt levationem, agnoſcant ſe in culpa eſſe, quia ego eundem me præſtarem qualis ſemper fui, & experirentur me eſſe ſuum liberatorem, niſi hæc mutatio aliunde contingeret. Hic jam habemus quid voluerit Propheta illo verſu; & deinde ſequenti verbo, אהי, *Ero.* Poſtea, *Ubi eſt Rex tuus?* inquit. Hic exprobrat rurſum Deus Iſraëlitis, quod ipſorum fiducia recubuerit in Regem, & omnes terrenas opes, quibus putabant ſe optime eſſe munitos: *Ubi eſt Rex tuus?* inquit. Inſultat Iſraelitis, quia videbant Regem ſuum jam exutum eſſe omni facultate juvandi, omnes etiam Principes & prudentia carere; & omnibus aliis mediis. Quum ergo nihil eſſet in hominibus præſidii, jam Propheta docet Iſraëlem fruſtra confiſum fuiſſe, quum putaret ſe tuto latere ſub umbra Regis, quum ſecurus eſſet quamdiu regebatur à viris prudentibus. Hæc omnia, inquit, vana ſunt. Sed ſemper tenendum memoria eſt quod prius dixit, *Ero:* niſi enim oppoſitus fuiſſet hic clypeus, ſemper obloquuti eſſent hypocritæ, Ubi nunc eſt Deus? Quid ſibi vult? Cur nunc ceſſat? Deus ergo præfatus eſt ſe paratum eſſe ad eos juvandos, niſi quia aditum ipſi propria malitia clauſerant. Jam vero deridet quod fruſtra ſpem ſuam & opes ſuas contulerint in Regem & Principes ipſos: *Rex tuus ubi*, inquit, *ut ſervet te in* cunctis urbibus tuis? Non abs re hic urbes nominat Propheta, quoniam Iſraelitæ ſpernebant omnes minas, quum undique urbes eſſent inexpugnabiles ad hoſtes arcendos. Quum ergo Deus per Prophetas ſuos minitaretur, putabant ſibi narrari fabulas, acſi quiſque eorum objeciſſet, Quomodo poterunt nos hoſtes aggredi? etiamſi centum bella immineant, annon urbes ſunt oppoſitæ quæ excipiant hoſtium impetus? Nos ergo tuti ſedebimus, & fruemur noſtris deliciis, etiamſi Deus cœlum & terram concutiat. Quum ergo ita inebriati eſſent perverſa fiducia, jam Propheta dicit, Ego ſcio vos pollere magnis & multis urbibus: ſed quia ſtatuitis in illis præſidium, Deus oſtendet ſpem hanc vanam eſſe & fallacem. *Ubi ergo eſt Rex tuus, ut in* urbibus tuis te ſervet? Atqui etiamſi Rex tuus militibus inſtructus ſit & præſidiis, tamen nihil hoc proderit tibi, ubi ſemel Deus contra te ſurrexerit. Jam ſubjicit, *Et judices tui, de quibus dixiſti, Da mihi* Regem & Principes. Hic altius conſcendit Propheta: oſtendit enim non hac tantum in parte peccaſſe populum Iſraël, quod fiduciam ſuam locaſſet in Rege ſuo, & terrenis opibus, ſed quod Regem ſibi delegerit, quem Deus non probabat. ſcimus enim hac lege unctum fuiſſe Davidem, ut colligeret totum populi corpus: & voluit Deus ſub illo capite Eccleſiam ſuam & electum populum manere, ſi vellet eſſe ſalvus. Fuit igitur impia diſſipatio, quum decem Tribus optarunt ſibi novum Regem. Quare? defectio enim à regno Davidis fuit quaſi abnegatio Dei. Nam ſi hoc vere di-
ctum eſt ad Samuelem, Non te repudiaverunt, ſed 1 Sam. 8.
me, ne regnem ſuper eos: certe multo verius hoc in verſ. 7.
Davide impletum fuit. Nunc ergo videmus quid velit Propheta. Poſtquam invectus eſt in pravam fiduciam populi, quod putaret ſe tutum eſſe Regis ſui potentia, jam addit, Ego progredior ad alium fontem. Tu enim non cœpiſti tunc demum peccare, quum tranſtuliſti Dei gloriam ad Regem tuum, ſed quum voluiſti regnum proprium habere, non contentus regno illo quod Deus inſtituerat in perſona Davidis. Jam ergo defectionem populi accuſat Propheta, quum Rex novus ab ipſo electus fuit, nempe Jarobeam. Quanquam enim id factum fuit certo Dei conſilio, ut alibi vidimus; tamen nihil hoc valet ad levandam populi culpam: nam quantum in ſe fuit renunciavit Deo: & quemadmodum pes ſi abſciſſus fuerit à corpore, non modo eſt mutilum & inutile membrum, ſed ſtatim putreſcit, ita etiam Iſraël fuit quaſi dimidia pars corporis mutili & laceri. debuit ergo ſtatim collabi in putredinem, niſi quod mirabiliter ſervatus eſt. Sed interea merito Deus hic damnat illam defectionem, quod ſcilicet Iſraël novum Regem expetendo, abruperit ſacram unitatem Eccleſiæ, & impiam diſſipationem induxerit. *Sunt illi Principes, de quibus dixiſti, Da mihi Regem & Principes. Ego tibi dedi in ira mea, & ſuſtuli in furore meo:* hoc eſt, initium fuit maledictum, & finis etiam erit maledictus: nam electio Jarobeam non fuit legitima; ſed impia libidine contra me tunc protervivit populus, quum deſcivit à familia Davidis. Non potuit igitur quicquam proſpere contingere ex tam inauſpicato principio. Nam hæc ſunt vera auſpicia, ubi ſubjicimus nos Deo, ubi Spiritus ejus præſidet noſtris conſiliis, ubi os ejus interrogamus, ubi etiam ordimur ab ejus invocatione.

catione. Si autem ſpreto Dei verbo laxamus habenas noſtræ laſciviæ, & ſtatuimus quicquid nobis libitum eſt, non poteſt fieri quin male & infeliciter ſuccedat. Dicit igitur Deus, ſe dediſſe Regem in ira ſua: hoc eſt, Putatis vobiſcum actum fuiſſe præclare, quum Jarobeam evectus fuit in regnum, qui præcelleret: nam regnum Jehudah erat longe inferius: regnum vero Iſrael non tantum potentia excellebat, ſed ingenti hominum multitudine. Putatis ergo vos eſſe beatos, quia rex Jarobeam inter vos dominatus fuerit: *Fuit autem datus in furore, & ira Dei*, inquit Propheta. Atqui tu juſſiſti ungi Jarobeam in Regem: hoc verum eſt, ſed hoc fuit in ira mea. *Jam tollam in furore meo:* hoc eſt, ſpoliabo vos iſto regno quod video vobis cauſam eſſe cæcitatis. Nam ſi maneat regnum hoc integrum, ego nullus ero, nulla erit apud vos verbi mei auctoritas. Neceſſe eſt igitur regnum hoc prorſus everti, quia etiam infeliciter exorſi eſtis, quum petiſtis novum Regem. Nunc tenemus quid velit Propheta. Diſcimus interea ex hoc loco, Deum exercere ſic judicia ſua, ut quicquid mali eſt, debeat hominibus adſcribi. Nam quod evectus fuit in regnum Jarobeam, hoc certe fatebimur fuiſſe factum & perperam & injuſte, quia hoc modo violatum fuit cœleſte illud oraculum quod
Pſal. 2. verſ. 8. datum fuerat Davidi, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi Gentes, &c. Quis autem Jarobeam inſtituit Regem? Dominus ipſe. Quomodo fieri poteſt ut Deus evexerit Jarobeam in regnum, & interea ſuo decreto præfecerit Davidem non tantum omnibus filiis Abrahæ, ſed etiam Gentibus, propter ſpem venturi Chriſti ſcilicet? Videtur hic Deus ſecum pugnare. Minime: nam quum præfecit electo populo Davidem, hæc fuit legitima ordinatio: quum autem creait Jarobeam in regnum, hoc fuit extraordinarium judicium. ita in Deo nulla repugnantia eſt. Interea populus qui ſuis ſuffragiis Jarobeam adoptat & creat in Regem, impie facit & perverſe. Deus tamen videtur hoc totum dirigere ſua providentia: verum eſt. Nam priuſquam populus unquam cogitaſſet de novo Rege, jam Deus ſtatuerat Jarobeam eligere. & voluit etiam ulciſci hoc modo defectionem & ingratitudinem Solomonis. Hæc omnia vera ſunt: nempe quod Deus arcano ſuo conſilio hoc negotium direxerit, & tamen nihil habeat commune cum populi vitio. Ita diſcamus admirari ſobrie arcana Dei judicia, neque imitemur impuros iſtos canes qui obganniunt, quia non poſſunt agnoſcere quomodo Deus ſic utatur etiam improbis hominibus, & quomodo quæ male & perperam ab hominibus fiunt, dirigat in optimum finem: quia hoc non percipiunt, concludunt ſi Dominus omnia gubernet, eſſe cauſam peccati. Atqui Scriptura, ut videmus, quum loquitur de ira & furore Dei, commendat ſimul nobis rectitudinem in omnibus ejus judiciis: & diſtinguit inter Deum & ipſos homines, quemadmodum longa eſt diſtantia: quia Deus dum convertit perverſa hominum ſtudia in ſuum finem, juſtus eſt judex. Atqui cauſa non ſemper nobis apparet: noſtrum tamen eſt reverenter & ſobriis animis ſuſpicere & adorare myſteria quæ captum noſtrum ſuperant. Sequitur,

12. Obſignatum eſt peccatum Ephraim, (*vel obſignata eſt iniquitas Ephraim*) reconditum peccatum ejus.

13. Dolores parturientis venient ei, ipſe filius inſipiens, (*non ſapiens*) quia tempore non ſtaret in ruptura filiorum. (*ad verbum.*)

Primo dicit, *obſignatam eſſe iniquitatem Ephraim, & reconditum peccatum ejus.* Quibus verbis intelligit fruſtra ſibi blandiri hypocritas quamdiu ſuſpendit Deus ſuam vindictam, quia licet ad tempus conniveat, non tamen dormit: neque etiam credendus eſt cæcutire, ſed obſignat peccata hominum, & clauſa tenet, donec tempus juſtum revelationis veniat. Hæc eſt ſumma: ſed aliquid etiam majus exprimere Pro-
Jer. 17. verſ. 1. pheta voluit. Quemadmodum enim dicit Jeremias, Peccatum Jehudah ſcriptum eſſe ſtylo ferreo, in ungue adamantino: ita etiam nunc dicit Hoſeas, obſignatam eſſe iniquitatem Ephraim. Nam diſpereunt chartæ ſi ſparguntur, ſed quod reconditur & obſignatur ſub ſigillo, illud perpetuo durat. Sic igitur nunc intelligit Hoſeas fruſtra ſibi placere populum quum dantur induciæ, quia ſcilicet Dominus ſub ſigillo ſuo teneat ipſorum peccata: acſi diceret, Deus non obliviſcitur iniquitatis veſtræ, ſed quum vobis ad tempus parcit, præſtaret longe vos ſtatim dare pœnas: nam evaneſceret hoc modo memoria peccati veſtri, nunc autem omnes veſtras iniquitates ſedulo cuſtodit quaſi ſub ſigillo, & peccata veſtra ſunt apud ipſum recondita. Nunc etiam videmus quid velit Propheta hoc verſu: nempe Iſraëlitas eouſque ſcelerum progreſſos eſſe, ut jam nulla ſperanda ſit venia vel remiſſio. Deus ergo nunquam erit vobis propitius: nam *peccatum veſtrum eſt obſignatum.* Et hæc ſententia in eos omnes competit, qui fucum Deo faciunt, ubi non ſevere ipſos perſequitur, ſed potius clementer eos ſuſtinet ac tolerat. Quum ergo ſic deludant ejus lenitatem, neceſſe eſt hoc illis accidere: nempe ut obſignet eorum iniquitates, & peccata clauſa teneat. Poſtea dicit *dolores parturientis venturos populo ſuperbo & rebelli.* Proſequitur eandem ſententiam, ſed ſub alia figura: nam per dolores parturientis deſignat repentinum exitium quod ſecuris hominibus accidit. Et hæc ratio loquendi ſatis trita eſt Scripturæ. *Venient* igitur *dolores parturientis iſtis hominibus*: hoc eſt, quia ſibi æternam pacem promittunt, & nullis minis expergeſiunt, quia etiam ſuperbe contemnunt tam manum meam quam verbum, ideo repentinus interitus illos opprimet. Hoc quantum ad initium verſus, *Venient* ergo *dolores parturientis.* Poſtea addit, *Ipſe eſt filius inſipiens*: hoc eſt, ipſe prorſus deſipit. Hic exprobrat etiam Deus populo Iſraël amentiam deſperatam: acſi diceret, Saltem ſi qua gutta reſtaret ſanæ intelligentiæ in hoc populo, agnoſceret judicium quod impendet, & eſſet ſpes aliqua remedii: nunc autem prorſus dementatus eſt populus iſte. Et arguit vecordiam, *Quia non ſtaret*, inquit, *in ruptura filiorum.* Nam hoc membrum quidam interpretes ſic exponunt, Veniet tempus, non ſtabit in ruptura filiorum. Sed potius eſt inverſio in verbis: ſignificat enim Propheta quum jam opportunum adſit tempus pariendi, ſtare populum in ruptura, quod non faceret ſi recta & ſana mente eſſet præditus. Notandum eſt Prophetam alludere ad partum, quia prius dixerat, ſuperventuros populo Iſraël dolores parturientis: nunc iſtos dolores pronunciat fore lethiferos. Mulier etiamſi graviter & cum ſummo diſcrimine laboret in partu, tamen momento etiam liberatur, & naſcitur ex dolore illo gratulatio & gaudium, quemadmodum etiam Chriſtus
Joan. 16. verſ. 21. dicit. Propheta autem hunc partum longè diverſum fore affirmat, quia ſcilicet abortum faciet, & retinebit fœtum ut putreſcat in utero. Quod ſi mulier in ipſo partu retineat anhelitum, & contrahat vires ſuas, enecat partum & ſeipſam ſimul: neque enim poteſt ſine magno nixu parere. Quum ergo ſalus mulieris in nixu ſit poſita, jam Propheta contrarium eſſe dicit in populo Iſraël: Sunt, inquit, ſimiles mulieri parturienti, ſed interea ſunt excæcati amentia: retinent enim fœtum ſuum in utero, & ſeipſos cohibent: ita neceſſe erit tandem parturitionem hanc

illis eſſe mortiferam. Quare? neque enim nituntur ut partum emittant. Jam non dubium eſt quin Propheta his figuris perſtringat obſtinatam illam duritiem populi: quum enim deberet gemere & ſe humiliare ſub potenti Dei manu, ſcimus quam pervicaciter obduruerit ad pœnas. Quum ergo frenum ita arroderet populus ille, & interim comprimeret cor ſuum partim ferocia, partim ſtupore, partim deſperatione, non mirum eſt ſi dicat Propheta eſſe populum inſipidum vel dementem, *quia ſteterit in ruptura filiorum*, hoc eſt, quia non nitatur ut tandem optabilem habeat exitum malorum ſuorum. Nam ſi Dominus nos affligat, parimus tamen demum, quia liberatio eſt inſtar partus. Unde autem liberatio, niſi quod diſplicemus nobis in vitiis noſtris? niſi quod attollimus mentes noſtras ad Deum, atque hoc modo patefacimus aditum gratiæ Dei? Ubi autem pertinaciter ferociam & ſtuporem adverſus Deum opponimus, perinde eſt acſi quis omnes aditus obſtrueret. Nunc ergo videmus quam apta ſit hæc metaphora Prophetæ, quum dicit populum eſſe dementem, quia nunc quum tempus pariendi adeſſet, *ſteterit in ruptura*, hoc eſt, in ore matricis: ſic enim vocem hanc intelligit Propheta. Quum ergo ſtent in ipſa ruptura, & quaſi cohibeant ſuum anhelitum, & nixus ſuos contrahant, neceſſe erit ipſos perire. Nunc videmus quid proficiat hominum obſtinatio, ubi ſeipſos conſtringunt, ubi ita quaſi in anguſtias & cor ſuum & mentem & omnes ſenſus ſuos contrahunt: nempe ſi mulier quæ parturit, ita ſuos nixus contrahat, ſibi mortem ſponte acceſſit: ita idem iſti faciunt, qui ſeipſos obdurant adverſus pœnas, & præſertim ubi maturus eſt partus. Huc enim ſpectat nomen rupturæ, quia ſi Dominus non tantum ſemel nos percutiat, ſed continuet diverſos ictus, ita ut neceſſe ſit vel reſipiſcere vel ad extremum perire: hæc eſt noſtra maturitas pariendi, ubi ſcilicet Deus ad extrema nos adduxit, & nihil amplius reſtat niſi ut humiliemur ſub ejus manu, vel pereamus. Hanc ergo rupturam dicit Propheta, in qua ſtant homines obſtinati, qui ſe Deo ſubjicere nequeunt. Neceſſe erit contexere duos verſus ſequentes: cras faciam.

Da omnipotens Deus, quando nobis ſemel dediſti Filium tuum unigenitum qui nos regeret, & felicibus auſpiciis eum nobis conſecraſti in Regem, ut tuti & ſalvi perpetuo ſimus, etiam invito diabolo, & toto mundo, ſub ejus manu: da, inquam, ut ſinamus nos regi ejus imperio, & ſic morem geramus, ut non deſinat etiam ipſe viciſſim vigilare in ſalutem noſtram: & quemadmodum nos ei commendaſti, ut ſit cuſtos ſalutis noſtræ, ita etiam non ſinat nos neque dilabi, neque diffluere, ſed perpetuo ſub obſequio ſuo nos retineat, donec tandem colligamur in beatum illud & æternum regnum, quod partum eſt nobis ejuſdem Filii tui ſanguine, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA SEXTA

IN

HOSEAM PROPHETAM.

CAP. XIII.

14. E manu ſepulchri redimam eos, à morte redimam: *(eſt quidem aliud verbum, ſed utrumque ſignificat Redimere)* ero perditio tua, mors: ero excidio tua, *(vel interitus tuus)* ſepulchrum. *(vel inferne)* conſolatio *(vel pœnitentia)* abſcondita eſt ab oculis meis.

NOn dubito quin Propheta hic ſententiam ſuam continuet, quod ſcilicet Iſraël non poſſit ferre miſericordiam ſibi fieri à Deo: quanquam hic expreſſius loquitur. Nam videtur Deus promittere redemptionem, ſed facit hoc ſub conditione. Falluntur enim meo judicio, qui ſimpliciter hæc verba accipiunt, quemadmodum ſæpe ubi Deus objurgavit & minatus eſt, mitigat aſperitatem illius doctrinæ, & addit conſolationem, gratiam ſuam offerens. Sed alia eſt ratio hujus loci: Deus enim, quemadmodum jam diximus, non ſimpliciter hic ſalutem promittit, ſed oſtendit ſe quidem eſſe paratum ad ſervandum, verum obſtare malitiam populi, ut jam dictum fuit. Sed expendamus diligentius verba: *E manu ſepulchri*, inquit. Per manum intelligit poteſtatem haud dubie. Nam Hieronymus nihil quam nugatur, dum hic diſputat de operibus: dicit opera ſepulchri eſſe peccata. Sed illud eſt nimis remotum à mente Prophetæ. Eſt autem hæc metaphora ſatis trita in Scripturis, ut manus vocetur poteſtas vel imperium. *Ego* igitur *redimam eos è poteſtate ſepulchri, ego à morte redimam eos*: hoc eſt, niſi per ipſos ſtaret, ego voluntarius eſſem eorum redemptor. Ideo quidam per ſubjunctivum modum transferunt, E manu ſepulchri eos redimerem, à morte eos liberarem. Sed nihil opus eſt mutare tempus verbi: quanquam fideliter, ut dixi, illi reddunt Prophetæ mentem. Sed ne quis dicat hoc nimis remotum eſſe à verbis, poteſt optime ſtare contextus Prophetæ, etiamſi maneat futurum tempus verbi. *Redimam* igitur *eos*, quantum in me eſt: inſeritur enim conditio, acſi Deus prodiret in medium, & profiteretur ſe adeſſe ad implendum munus Redemptoris. Quid ergo obſtat? nempe populi durities: quia malunt centies perire, quam ſe convertere ad Dominum, ſicuti paulo poſt videbimus. Addit poſtea, *Ero perditio tua, mors: ero excidio tua, ſepulchrum.* His verbis expreſſius commendat Propheta Dei virtutem, & magnifice eam extollit, ne homines putent nullam illi patere viam ad ſervandum, quia nulla ſpes appareat ſecundum ſenſum carnis. Dicit igitur Propheta, etiamſi jam mortui ſint homines, hoc tamen non obſtare quominus eos Deus vivificet. Quare? *Eſt enim interitus mortis, & excidio ſepulchri*: hoc eſt, quamvis mors abſorbeat omnia, quamvis ſepulchrum aboleat, tamen Deum eſſe ſuperiorem & morte & ſepulchro; quia ipſe mortem interimat, quia ipſe aboleat ſepulchrum. Nunc tenemus genuinum ſenſum Prophetæ. Diſcamus autem ex hoc loco ubi pereunt homines, Deum tamen manere ſui ſimilem, neque vel extingui virtutem ejus, qua pollet in ſalutem mundi, neque etiam mutari ejus propoſitum, quin ſemper ad juvandum propenſus ſit: ſed obſtinationem hominum rejicere gratiam illam quæ parata erat, & quam Deus ipſe ſponte & liberaliter offert. Hoc eſt unum. Diſcamus ſecundo, non æſtimandam eſſe virtutem Dei ex ſtatu noſtro, quia fieri poterit ut centies ſimus perditi, Deus tamen maneat ſervator. Ergo ſiquando deſperatio nos ita dejiciat, ut non guſtemus omnes Dei promiſſiones, veniat in mentem hic locus, quod ſcilicet Deus ſit excidio mortis, & interitus ſepulchri. Mors jam nobis imminet: quid ergo licet amplius ſperare? Quaſi vero Deus non ſit morte ſuperior. Nam ſi mors tantum ſibi imperii

perii

perii vindicat in homines, quanto plus poterit ipſe Deus ſupra ipſam mortem? Statuamus ergo Deum eſſe interitum mortis, nempe ut mors non poſſit amplius nos perdere, hoc eſt, ut mors ſpolietur virtute illa qua naturaliter pollet ad homines perdendos & abolendos: etiamſi jaceamus in ſepulchro, Deus tamen eſt exciſio ipſius ſepulchri. Hic eſt uſus præſentis doctrinæ. Nam quod vertit quidam, Ero perditio tua ad mortem, acſi ſermo fieret ad populum, inſulſe totum locum depravat, & utiliſſimam doctrinam nobis eripit. Quia autem putabant multi interpretes hunc locum citari à Paulo, ſimul etiam expoſuerunt de Chriſto quicquid hic dicitur, ac multis modis errarunt. Primo dixerunt Deum hic redemptionem promittere abſque ulla conditione: videmus autem longe diverſum fuiſſe Prophetæ conſilium. Poſtea ſumpſerunt in perſona Chriſti, De manu ſepulchri redimam eos. Quanquam infernum etiam nimis argute putarunt vocari tormenta quibus cruciantur reprobi, vel locum ipſum tormentis deſtinatum. Sed Propheta variis verbis idem repetit, & nota eſt ſatis illa phraſis Hebraica. Sepulchrum ergo hic non differt à morte: quanquam Hieronymus hic laborat, & contendit longe aliud eſſe ſepulchrum quam mortem: ſed illud totum eſt nugatorium. decepti igitur fuerunt in iſtis vocibus. Deinde quum dicit Propheta, Ero exciſio tua, inferne, vel ſepulchrum; poſuerunt nomen Morſus: & allegorice expoſuerunt Chriſtum fuiſſe inſtar hami. Quemadmodum ergo vermis ſi hamo aptatur, quum voratur à piſce, eſt illi interitus: ita etiam Chriſtum dixerunt, quum depoſitus fuit in ſepulchrum, fuiſſe morſum lethiferum: quia ſicuti hamo capiuntur piſces, ita mors ineſcata fuerit morte Chriſti. Et argutiæ illæ magno plauſu acceptæ fuerunt: ideo in toto Papatu ſine controverſia hoc pro oraculo viget, quod Chriſtus fuerit morſus mortis. Sed interea ſi quis propius Prophetæ verba expendat, videbit illos inſcite & turpiter abuſos fuiſſe Prophetæ teſtimonio. Atqui nobis ſummopere ſtudendum eſt ut maneat vera & certa Scripturæ intelligentia. Jam videndum eſt quid reſpondebimus, quum tamen videatur Paulus citare hunc locum. ſolutio facilis eſt. Neque enim ex profeſſo ſemper locos adducunt Apoſtoli, qui toto contextu ad inſtiturum quod tractant pertineant: ſed interdum alludunt ad unum verbum duntaxat, aliquando aptant locum ad ſententiam per ſimilitudinem, aliquando adhibent teſtimonia. Ubi Apoſtoli utuntur Scripturæ teſtimoniis, illic quærenda eſt ſimplex & genuina veritas: ubi autem verbum unum duntaxat perſtringunt, non eſt tam anxie laborandum: ubi etiam per ſimilitudinem deſignant aliquem Scripturæ locum, eſt illa etiam nimis ſcrupuloſa anxietas, quærere quomodo ſingulæ partes conveniant. Atqui ſatis conſtat, Paulum illo 15. cap. 1. ad Corinth. non citaſſe Prophetæ teſtimonium ad confirmandam illam doctrinam de qua diſſerit. Quid igitur? Quia reſurrectio carnis eſt valde difficilis creditu, imo abhorret prorſus à ſenſu naturæ, ideo Paulus dicit non mirum eſſe ſi Chriſtus venturus ſit ad nos excitandos. Quare? Nam proprium Dei munus eſt eſſe interitum mortis, & eſſe exitium ſepulchri: acſi diceret, Etiamſi millies computruerint homines, Deus tamen non amiſit virtutem illam quam prædicat, quod ſcilicet ſit excidium mortis, & interitus ſepulchri. Sciamus ergo, etiamſi naturæ ſenſus hoc reſpuat, Deum præditum eſſe illa virtute ineſtimabili, ut nos excitet à putredine: imo ſi creavit mundum ex nihilo, ita etiam nos excitabit è ſepulchro, quia eſt mors mortis, ſepulchrum ſepulchri, abolitio abolitionis, & exitium exitii: hoc tantum vult Paulus ſimpliciter, nempe illis inſignibus elogiis extollere incredibilem illam Dei potentiam, quæ abſcondita eſt ab humani ingenii captu. Nunc, ſiquis citet in eundum finem locum illum Pſalmi, Domini ſunt exitus mortis: an *Pſal. 68. verſ. 21.* quærendum erit quomodo hoc dixerit David, & de quo tempore loquatur? Minime: ſed agitur de perpetuo Dei munere & ejus virtute, qua nunquam poterit ſpoliari. Sic etiam hoc loco videmus quid per Hoſeam pronunciet: & illud facturus erat niſi obſtaculum fuiſſet in populi ingratitudine. dicit enim, *Ero exitium tuum, ſepulchrum: ero mors tua, ô mors.* Jam quum ſemel Deus hoc pollicitus fuerit, ſtatuamus certo hoc nos tandem in nobiſipſis experturos. Tenemus ergo nunc quomodo conveniat cum illa Pauli tractatione germanus Prophetæ ſenſus. Nunc ſequitur, *Conſolatio eſt abſcondita*, vel pœnitentia, *ab oculis meis:* נחם enim utrumque ſignificat. נחם ſignificat Pœnitentia duci: ſignificat etiam Conſolationem accipere. Si placeat nomen Conſolationis, hic erit ſenſus: Non eſt quod miretur quiſpiam me tam aſpere loqui, & nihil aliud quam fulminare contra populum meum: neque enim conſolatio jam locum apud eos obtinet. Eſt igitur conſolatio abſcondita ab oculis meis: nempe quia deſperata populi malitia non patiebatur ut Deus ſtylum ad manſuetudinem inflecteret, ut faceret aliquam ſpem veniæ & ſalutis. Hoc igitur ſenſu dicitur conſolatio eſſe abſcondita ab ejus oculis. Si autem magis probetur nomen Pœnitentiæ, eodem prorſus ſpectabit, quod ſcilicet ſemel decretum ſit populum hunc perdere. Non eſt igitur quod ſperetis temporis ſucceſſu me poſſe miteſcere: nam pœnitentia abſcondita eſt ab oculis meis. Hoc mihi manebit fixum, vos in nihilum redigere, quia ſcilicet eſtis deſperati. Videmus ergo utrumque nomen eodem debere referri, quod ſcilicet Deus ſpem ſalutis auferat perdito & reprobo populo. Nunc ſequitur,

15. Quia ipſe inter fratres fructum faciet, *(vel augeſcet: vel, Quamvis ipſe inter fratres ſuos augeſcat. Alii putant* אחים *poſitum eſſe pro* אחוים*, Inter germina: ſed nimis coacta eſt interpretatio. Legamus igitur ſimpliciter ut verba ſonant, Ipſe inter fratres augeſcet)* veniet ventus Orientalis, ventus Jehovæ è deſerto aſcendens, & areſaciet venam ejus, & ſiccabitur fons ejus: ipſe diripiet theſaurum omnis vaſis deſiderabilis.

Iterum confirmat Deus ſententiam illam, quod Iſraël fruſtra confidat ſuis opibus & præſidiis, & quod immineat ei certus interitus ob ſcelera, quæ ſine fine & modo proſequutus fuerat. Incipit autem ſententiam Propheta ab his verbis, *Ipſe inter fratres augeſcet.* Non dubito (quod etiam notarunt alii interpretes) quin alludat ad benedictionem Tribus Ephraim, quæ legitur Geneſis 48. Scimus enim quum minor natu eſſet Ephraim, fuiſſe poſitum à Jacob priore loco, ut ſcilicet honore fratrem ſuum primogenitum antecederet. Deinde ſcimus vaticinium quod tunc protulit Jacob, fuiſſe impletum re ipſa: Tribus enim Ephraim & numero hominum, & aliis etiam modis alias dignitate ſuperavit, excepta duntaxat Tribu Jehudah. Sed Ephraim tamen multum eminentiæ obtinuit in toto populo. Jam quum deberet hoc adſcribere gratuitæ Dei bonitati, inflatus fuit ſuperbia. Hanc ingratitudinem Propheta nunc objurgat: *Ipſe*, inquit, *inter fratres augeſcet:* ſed unde hæc incrementa, unde hæc tanta dignitas, niſi quia poſthabitus fuit frater Manaſſe, qui tamen jure naturæ prior erat? Jam non ſatis fuit miſero populo obliviſci tantam Dei gratiam, niſi ſuis opibus abuteretur ad ſuperbiam: deinde etiam ſe obduraret ad Dei

contemptum. Unde enim tanta audacia repugnandi? unde tantus ſtupor, tanta etiam veſania, ut contemneret judicium Dei, niſi quia auctus fuerat inter fratres ſuos? Licet ergo xugeſcat inter fratres ſuos, *veniet tamen ventus Orientalis, ventus Jehovæ, qui ſiccabit venam ejus, & ita fons ejus areſcet*. Hic pronunciat Deus, quemadmodum nuper attigi, in manu ſua eſſe eripere populo Iſraël quod gratis contulerat: quemadmodum poteſt quoties voluerit, ſiccare fontes. Et adhibet aptiſſimam ſimilitudinem: Quemadmodum, inquit, ventus Orientalis ſiccat & exurit: quod ſi diu vigeat, areſcunt fontes ſolo ejus flatu: ita ego, inquit, areſaciam omnes venas Ephraim. Si putat ſibi plus eſſe vigoris quam fontibus, qui habent inexhauſtam ſcaturiginem, certe fontes areſcunt quum ita mihi viſum eſt. *Ego* igitur *areſaciam venas & fontes Ephraim:* quamvis puset ſe haurire ex alto & profundo fonte, tamen ventus ubi exſurrexerit, poterit ſiccare totum hunc vigorem & ſuccum ejus. Tenemus nunc quid velit Propheta. Quantum ad verba ſpectat, קדים quidam male vertunt Auſtrum: eſt enim Orientalis ventus. Deinde etiam male alii exponunt, Ventum Jehovæ, pro violento. Fateor quidem divinum vocari quicquid rarum eſt: ſed hoc loco exprimere voluit Propheta, Deo ſemper paratos eſſe ventos quibus xreſaciat quicquid vigoris eſt in hominibus, aut videtur eſſe. Opponitur ergo nomen Jehovæ cauſis naturalibus vel mediis. Non erit igitur fortuitus ventus qui ſiccabit venas Ephraim, ſed excitabitur conſilio Dei & certo judicio: acſi diceret ventum hunc fore Dei flagellum. Hic vero docemur, ſi ad tempus Deus nobis benedicat, tamen cavendum eſſe ne favore ejus xbutamur ad pravam fiduciam, quemadmodum videmus feciſſe Ephraim: quia florebat inter fratres ſuos, ideo extulit caput ſuum, & ita obliteravit Dei gratiam ſua ſuperbix & faſtu. Semper ergo quum nobis proſpere eſt, metuere debemus nequid tale nobis contingat. Quo itaque Deus nos benignius tractat, eo ſemper magis excitemur ad eum invocandum, ut dignetur opus ſuum abſolvere uſque in finem, ne ſcilicet indormiſmus noſtris deliciis, etiamſi Deus nobis indulgeat. Hoc primo loco tenendum eſt. Jam notanda eſt etiam hæc Prophetæ admonitio, quod ſcilicet Deus repente & ſingulis momentis poterit evertere fortunas hominum: nihil eſſe in mundo ſtabile quod non ſtatim mutari queat, ſimulac Deus favorem ſuum à nobis ſubduxerit. Hæc igitur ſimilitudo debet nobis ſubinde occurrere, Si tranquillus eſt aër, ſi quietum tempus, momento excitabitur ventus qui ſiccabit terram, qui fontes etiam areſaciet: & tamen videtur perpetuus eſſe fontium vigor. Quid igitur nobis fiet? Annon poterit Dominus ſingulis momentis nos areſacere, quum nihil in nobis ſit vigoris? Poterat quidem hoc loco etiam dicere quod habetur apud Jeſaiam capite quadrageſimo, hominem eſſe ſimilem flori qui ſtatim marceſcit: ſed voluit aliquid altius exprimere, quia populus hic alte defixus in ſuis opibus putat ſibi inexhauſtos fontes ſuppetere, & vigorem ſuum non poſſe ſiccari: ideo dicit, Quamvis fontes apud te ſint & venæ, tamen Deus te areſaciet, quia reperiet ventum aliquem præditum hac virtute, quemadmodum ſæpe ipſo uſu & experimento patet fontes & venas ſiccari. Jam ſequitur, *Ipſe diripiet theſaurum omnis vaſis deſiderabilis*. Improprie hoc dicitur de vento: ſed tamen ſatis clarus eſt Prophetæ ſenſus, quod ſcilicet nihil intactum manebit in Tribu Ephraim, ubi ventum illum excitaverit Dominus. Quamvis ergo abſconditi ſint theſauri, inquit; tamen ventus ille flatu ſuo penetrabit uſque ad intima, ſic ut nihil tutum eſſe poſſit ab ejus impetu. In ſumma, intelligit Propheta magis violentum fore impetum vindictæ Dei, quam ut ullis munitionibus poſſit ſibi cavere Ephraim, quia ſcilicet ventus Dei penetrabit uſque ad intimas terræ venas. Hæc eſt ſumma. Sequitur,

CAPUT XIV.

DEſolabitur Samaria, quia exacerbavit Deum ſuum: in gladio cadent, parvuli eorum allidentur, gravidæ eorum ſcindentur.

HÆc eſt clauſula concionis: ideo male hic verſus ſeparatus fuit à prioribus. neque enim hic novum ſermonem ingreditur Propheta, ſed tantum confirmat quod dixit de ultimo interitu Samariæ & totius regni. *Samaria* ergo *deſolabitur:* acſi diceret, Jam ſæpius vobis denunciavi quod non creditis, inſtare ſcilicet propinquum exitium: nunc hoc vobis perſuaſum ſit: quod ſi non creditis, Deus tamen exequetur quod ſtatuit, & quod nunc per os meum pronunciat. Et ſimul cauſam addit, *Quia exacerbavit Deum ſuum*: ne ſcilicet crudeliter ſecum xgi querantur, dicit ipſos quas meriti ſunt pœnas ſolvere hoc modo. Et ſimul exitii ſpeciem notat, quod *cadent in gladio, parvuli eorum allidentur, ſcindentur etiam gravidæ mulieres*, ut ſcilicet extrahatur fœtus ab utero. Quum dicit caſuros gladio cives Samariæ & incolas totius regionis, non dubium eſt quin deſignet Deum hac ſpecie vindictæ uſurum eſſe, quod ſcilicet hoſtes accerſet qui eos exitio tradant. Nunc ergo videmus quid contineant Prophetæ verba: initio oſtendit jam de Samaria & toto regno Iſrael actum eſſe, quia Deus nullis modis eos adducere poterat ad reſipiſcentiam, nunc vindictam ſumpturum de tam ſceleſta eorum obſtinatione. Poſtea oſtendit juſte Deum hoc facturum, quia ſcilicet exacerbatus fuerit. Poſtremo oſtendit quale futurum ſit vindictæ genus. Ne ſcilicet fortuito putent veniſſe Aſſyrios, dicit Propheta hunc exercitum qui invadet regionem Samariæ & deſtruet, fore quaſi conductitium ſub manu Dei: quia etiamſi Aſſyrii vellent propagare fines ſuos, & propria xvaritia & cupiditas eos impelleret, Deus tamen utetur ipſorum opera xd judicium ſuum exequendum. & ut agnoſcant quam horribilis futura ſit ultio, ſimul etiam duas ſpecies commemorat, quod xllidentur parvuli eorum, quod ſcindentur gravidæ eorum mulieres, & fœtus trahentur ex viſceribus ipſarum. Hoc eſt horribile dictu, nec ſolet accidere etiam quum hoſtes magnopere ſæviunt, niſi provocati fuerint ad extremum. Tenemus ergo nunc conſilium Prophetæ. Jam ſi quis excipiat, infantes & fœtus etiam qui adhuc latent in matrum viſceribus, indignos eſſe tam gravi pœna, quia nondum quicquam fuerint promeriti: reſponſio facilis eſt, totum genus humanum Deo obnoxium eſſe: ita etiam infantes, quamvis nondum in lucem prodierint, jam tamen incluſi ſunt ſub reatu, ut Deus crudelitatis damnari nequeat, quamvis ſuo jure utatur erga eos. Deinde audimus quid multis locis pronunciet, quod ſcilicet rejiciet ſcelera patrum in liberos. Quum ergo ita ſit, diſcamus ſuſpicere hæc tremenda Dei judicia, quamvis longe ſenſus noſter abhorreat: quia ſcimus non eſſe litigandum cum Deo, & hoc temere nimis fieri: eſt enim ſacrilega xudacia. Quamvis ergo non conſtet nobis ratio hujus vindictæ, ſobrie adorandum eſt hoc Dei judicium. Quinetiam ita ratiocinari convenit, Si parvulis non parcitur, etiam qui adhuc in utero matrum latent, quid fiet adultis? quid fiet ſenibus, qui tota vita non deſtiterunt vindictam Dei in ſe provocare? non dubium etiam eſt quin Dominus

voluerit

voluerit his verbis magis terrere profanos illos contemptores verbi ſui, cum quibus erat illi negotium. Quale imminet vobis, inquit, judicium, & quam tremendum! nam parvuli etiam veſtri non eximentur. Ego enim involvam eos in idem exitium, ut alliduntur ad ſaxa, ut extrahantur ex utero matrum. Quum ergo tam gravis vindicta de illis ſumetur, quid vobis fiet? nam cauſa mali in vobis reſidet. Nunc ergo habemus verſum illum expoſitum. Jam ſequitur exhortatio.

2. Revertere Iſraël ad Jehovam Deum tuum, quia corruiſti in iniquitate tua.

3. Tollite vobiſcum verba, & convertimini ad Jehovam: & dicite ei, Omnem tolle iniquitatem, & ſume (*vel attolle*) bonum, & ſolvemus vitulos labiorum noſtrorum.

Hortatur hic Propheta Iſraëlitas ad reſipiſcentiam, & adhuc ſpem aliquam miſericordiæ proponit. Hoc autem poſſet videri abſurdum, quia jam teſtatus eſt nihil fore remedii amplius, quod ſcilicet nimis Deum exacerbaſſent. Videtur hic Propheta ſecum pugnare: ſed ſolutio in promptu eſt, Quum hactenus eſt loquutus de ultima clade populi, habuiſſe reſpectum corporis totius, nunc vero ſermonem ad paucos dirigere, qui adhuc integri manebant. Et diſtinctio hæc ſedulo notanda eſt, quemadmodum aliis locis admonuimus: alioqui perplexi eſſemus in multis Scripturæ locis. Nunc ergo videmus quo conſilio Propheta exhortationem hanc attexat. Poſtquam aſſeruit jam Deum fore implacabilem populo Iſraël, nempe quod ad univerſum corpus ſpectat, nulla erat ſpes ſalutis: Deus enim apud ſe jam decreverat illos perdere, & ſimul etiam voluerat hoc eſſe notum præconio Hoſeæ. Nunc vero quia ſemper Deus habuit ſemen aliquod reliquum in populo electo, etiamſi totum corpus eſſet putridum & corruptum, manebant tamen etiam aliqua membra ſana, ſicuti ſub magna paleæ congerie poſſunt grana quædam latere. Quoniam ergo Deus quoſdam ſervaverat (ſicuti etiam ſemper facere ſolitus eſt) ideo proponit illis ſuam miſericordiam: & quia abrepti fuerant quaſi tempeſtate, quum iniquitas ſic graſſata eſſet in populo, ut nihil eſſet ſanum, jam Propheta eos hic alloquitur, quia non ſint prorſus inſanabiles. Sciamus ergo jam dimitti illos deſperatos, & totum corpus populi, quia erant ſic obſtinati ut ſine profectu Propheta verba apud eos facturus eſſet. Sermo igitur hic ſpecialiter referri debet ad Dei electos, qui etiamſi ad tempus prolapſi eſſent, & impliciti communibus vitiis, non tamen erant inſanabiles prorſus. Illos nunc hortatur Propheta, ac dicit, *Revertere Iſraël ad Jehovam Deum tuum, quia corruiſti in iniquitate tua.* Ratio hæc additur, quia nunquam reſipiſcent homines niſi humiliati fuerint. Unde autem vera humiliatio & ſeria, niſi ex ſenſu peccati? Ergo niſi ſibi diſpliceant homines, & agnoſcant ſe dignos eſſe exitio, nunquam tangentur ſerio affectu reſipiſcentiæ. Itaque prudenter hæc duo ſimul conjungit Hoſeas, quod ſcilicet Iſraël corruerit in ſuis ſceleribus: deinde jam tempus eſſe ut ad Jehovam redeant. Quare? nam ubi perſuaſi fuerint ſe dignos eſſe exitio, imo jam deſtinatos morti, quia Deum toties provocaverint, tunc incipient ſibi diſplicere: & deteſtatio peccati eos impellet ut ad reſipiſcentiam aſpirent. Dicit autem, *Tu Iſraël convertere ad Deum tuum.* Jam blande hic eos invitat Propheta: neque enim proficeret ſeveris verbis, niſi miſceret ſpem gratiæ, quemadmodum ſcimus nullam ſine fide eſſe pœnitentiam. Ergo Propheta non tantum hic oſtendit quid facto ſit opus, ſed dicit, Tu es Iſraël, tu es electus populus. Neque tamen omnes promiſcue alloquitur, quemadmodum dictum eſt; ſed qui veri erant Abrahæ filii, etiamſi ad tempus degeneraſſent. Tu ergo Iſraël convertere ad Deum tuum. Nam utcunque ad tempus defeceris, tamen Deus nondum te abnegavit: redeas modo ad ipſum, tu gratiam invenies, quia placabilis eſt populo ſuo. Poſtea oſtendit modum reſipiſcentiæ. Et hic locus notabilis eſt, quia videmus ut homines mera ludibria afferant, ubi de pœnitentia agitur. Si ergo nomen pœnitentiæ in medium profertur, excogitant homines poſſe Deum placari hac vel illa ceremonia, quemadmodum videmus fieri in Papatu. Quid eſt illic pœnitentia? nempe ſi certis diebus jejunant, ſi demurmurant preculas, ſi ſuſcipiunt votivas peregrinationes, ſi Miſſas redimunt: ſi his nugis ſe multum fatigant, putant afferri juſtam & legitimam pœnitentiam coram Deo. illud eſt prorſus ridiculum. Ergo quoniam non intelligit mundus quid valeat nomen pœnitentiæ, & quorſum etiam ſpectet, Propheta hic exprimit veram pœnitentiam à fructibus. Dicit ergo, *Tollite vobiſcum verba, & convertimini ad Jehovam: & dicite ei, Omnem tolle iniquitatem, & ſuſcipe bonum, & reddemus tibi vitulos labiorum noſtrorum.* Quum jubet verba tollere vel accipere, quæ loco ſacrificii offerant, non dubium eſt quin reſpiciat ad doctrinam Legis. Primo certum eſt Prophetam non loqui de verbis ſimulatis: ſcimus enim quid Deus per Jeſaiam pronunciet, Populus hic appropinquat labiis *Jeſa. 29.*
ſuis ad me, cor autem procul à me diſtat. Sed jubet *verſ. 13.*
verba ſumere quibus teſtetur populus id quod conceptum habet in animo. Vult ergo hoc primum, ut verba affectus reſpondeant: deinde notandum eſt, hic non de quibuſlibet verbis loqui Prophetam, ſed mutuam eſſe relationem inter verba Dei, & verba hominum. Quomodo igitur verba afferre debemus ad Deum, quibus profiteamur veram pietatem? nempe ubi ſumus dociles: ſi caſtigat nos, libenter ſufferimus: ſi objurgat, fatemur merito id fieri: ſi minatur, ſuppliciter deprecamur pœnam: ſi veniam promittit, amplectimur. Ubi ergo ita ex ore Dei ſumimus verba, & afferimus ad ipſum, hoc eſt Sumere verba, quemadmodum Propheta hoc loco intelligit. Videmus ergo quorſum pertineat hæc Prophetæ exhortatio, quum verba ſumere jubet. Sed non poſſem ulterius progredi.

Da omnipotens Deus, quum nunc circumferamus hoc mortale corpus, imo mille mortes in nobis propter peccatum alamus: da, inquam, ut ſemper fide oculos dirigamus in cœlum, & in illam incomprehenſibilem virtutem, quæ manifeſtanda eſt extremo die in Chriſto Jeſu Domino noſtro, ut ſcilicet in media morte ſperemus te fore redemptorem noſtrum, & fruamur illa redemptione, quam implevit ipſe quum ſurrexit à mortuis: & non dubitemus quin etiam fructus ille quem tunc per Spiritum ſuum protulit, ad nos uſque perveniat, quum ipſe Chriſtus aderit ad judicandum orbem: atque ita ambulemus ſub timore nominis tui, ut vere colligamur inter ejus membra, quo nos recipiat in ſocietatem illius gloriæ, quam nobis morte ſua peperit, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA SEPTIMA IN

HOSEAM PROPHETAM.

CAP. XIV.

TOllite vobiſcum verba, & convertimini ad Jehovam, & dicite ei, Omnem remove iniquitatem, & tolle bonum, & ſolvemus vitulos labiorum noſtrorum.* Diximus proxima lectione, quænam verba hic Propheta Iſraëlitas tollere jubeat, dum eos hortatur ad pœnitentiam: nempe quia hactenus ſurdi & muti fuerunt, vult non modo attentos eſſe ad verbum Domini, ſed eſſe promptos ad reſpondendum, ut mutuus ſit conſenſus inter doctrinam quam audiunt, & inter confeſſionem ipſorum. Nunc ſeipſum exponit, dicens, *Omnem remove iniquitatem, & tolle bonum.* Hæc ſunt igitur verba cum quibus juſſit eos ad Deum accedere: nam dictat illis confeſſionem quam Dominus requirit. Primo jubet eos petere remiſſionem & veniam peccatorum: nam ſi velit peccator redire cum Deo in gratiam, interea non agnoſcat ſuum reatum, illa eſt præpoſtera ratio. Ergo initium debet fieri à confeſſione qualem hic Propheta deſcribit. Nam Iſraëlitæ dum petunt ut Deus peccata remittat, ſimul fatentur ſe eſſe coram ipſo reos: imo ſeipſos damnant, ut obtineant gratuitam abſolutionem. Et emphaticum eſt quod dicunt, *Tolle omnem iniquitatem.* Nam hoc modo non tantum pronunciant ſe unius culpæ eſſe reos, ſed multas eſſe iniquitates de quibus merito Deus pœnas exigeret, niſi eſſet illis propitius. In ſumma hic agnoſcunt varium & multiplicem reatum. Jam addunt, *Tolle bonum.* Sic exponitur vulgo hic locus, acſi dicerent Iſraëlitæ ſe hactenus fuiſſe ſteriles & vacuos bonorum operum, nunc poſt reconciliationem utiles & frugi ſervos Deo fore. Sed videtur mihi ſenſus hic non quadrare præſenti loco: poſtea enim ſubjicit teſtimonium gratitudinis, *Solvemus vitulos labiorum noſtrorum.* Ego igitur non dubito quin hic loquantur de benedictione Dei, quæ fluit ex gratuita peccatorum venia. Neque enim ſimpliciter Deus recipit nos in gratiam, ſed re ipſa etiam oſtendit non fruſtra ſe reconciliatum nobis eſſe, quia addit fructus paterni amoris, dum ſcilicet nos proſequitur ſua beneficentia. Quemadmodum ergo jubebat Propheta Iſraëlitas afferre verba coram Deo, ſic etiam nunc inducit ipſos loquentes, ut *Deus bonum afferat.* Et Scriptura fere conjungere ſolet hæc duo: nempe gratiam Dei, qua ultro peccata remittit; & benedictionem, qua dignatur filios ſuos poſtquam complexus eſt ipſos amore paterno. *Tolle* igitur *bonum*: hoc eſt, Domine, primum recipe nos in gratiam: deinde reipſa teſtare te nobis eſſe propitium, nempe externis beneficiis. Nunc ſequitur, *Et ſolvemus vitulos labiorum noſtrorum*, vel reddemus. Fatentur hoc loco fideles ſe nihil habere quod viciſſim Deo rependant ubi liberaliter omnia in ipſos contulerit, niſi ut celebrent ejus bonitatem laudibus, & fateantur ſe illi omnia debere. Eſt igitur inſignis hic locus, quia extollit Dei bonitatem erga homines: deinde docet nullam eſſe in hominibus mutuam compenſationem, ſed tantum poſſe afferre laudes, quibus celebrent bonitatem Dei; nihil autem præterea: quemadmodum dicitur Pſal. 116. Quid rependam Domino pro omnibus beneficiis quæ in me contulit? Calicem ſalutis accipiam & nomen Domini invocabo. Illic etiam Propheta teſtatur Deum non ideo liberalem eſſe erga homines, quod ab illis quicquam expetat vel exigat: quid enim afferre poſſent? Sed interea exigere gratiarum actionem, & contentum eſſe ſacrificio laudis, ſicuti etiam Pſalm. 50. habetur. Jam idem nunc diſcendum ex hoc loco: *Domine, tolle bonum*, inquiunt: hoc eſt, Etiamſi multis modis & variis obnoxii ſimus tuo judicio, ſicuti innumeris peccatis provocavimus iram tuam, ſuperet tamen omnes noſtras iniquitates tua bonitas: ubi nos mundaveris, tolle etiam bonum quod hactenus quaſi remotum à nobis fuit. Quamdiu enim ſigna oſtendit Deus iræ ſuæ, neceſſe eſt nos privari omnibus bonis. Ergo poſtulant, ut Deus poſtquam reverſus fuerit cum ipſis in gratiam, beneficus eſſe incipiat. Quid tandem? Domine, nihil tibi promittimus mercedis: neque enim tu poſtulas, vel in nobis ſita eſt facultas: ſed *ſolvemus tibi vitulos labiorum*: hoc eſt, fatebimur nos tibi debere omnia, quia unicum eſt ſacrificium laudis, quod nobis ſuppetat, ubi oneraveris nos omni genere bonorum. Eleganter autem vitulos labiorum vocat Propheta laudes, quas Deus à nobis requirit quaſi præcipuum ſacrificium: nam ſub Lege offerebant quidam vitulos quum ſolvebant vota. Sed Propheta oſtendit, Deum non morari externa illa ſacrificia, ſed tantum exercitia eſſe quæ alio deducant homines, nempe ut gratiarum actionem ſacrificent. Hæc igitur ratio eſt metaphoræ: quaſi diceret, vitulos qui ſolebant offerri, non eſſe vera ſacrificia quæ Deum oblectent, ſed potius tendere in hunc finem, ut homines offerant laudem Deo. Jam ergo tenemus ſenſum hujus verſus. Sequitur,

4 Aſſur (*Aſſyrius*) non ſervabit nos: ſuper equum non aſcendemus, & non dicemus poſthac, Dii noſtri, operi manuum noſtrarum, quia in te miſericordiam conſequetur pupillus.

Contexi debet hic verſus cum proximo: nam clarius & plenioribus verbis hic demonſtrant Iſraëlitæ in quo peccaverint, & ſimul etiam demonſtrant ſuam reſipiſcentiam: nam quum dicunt, *Aſſyrius non ſervabit nos, non conſcendemus equos, non dicemus operi manuum noſtrarum, Dii noſtri*, ſubaudienda eſt confeſſio, quod his omnibus modis in ſe concitaverint Dei vindictam, quod ſcilicet ſperaverint ſalutem ab Aſſyriis, quod curſitaverint huc & illuc, & ita ſe à Deo alienaverint, quod etiam ſupplices confugerint ad ſtatuas & idola, & tranſtulerint in mortua ſimulachra honorem unius Dei. Videmus ergo, tametſi fideles de futuro tempore loquantur, ſimul tamen oblique fateri ſe graviter peccaſſe, quod Deum vivum deſeruerint, & ſpes ſuas tranſtulerint huc & illuc, vel ad Aſſyrios, vel ad fictitios deos. Interea vero profitentur ſe alios fore in poſterum: acſi dicerent non modo ſe gratos fore Deo in referendis laudibus, ſed fore prorſus novam rationem vivendi, ne abutantur Dei bonitate. Hæc ſumma eſt. Quod dicunt, *Aſſyrius non ſervabit nos*, quemadmodum jam attigi, non dubium eſt quin condemnent perverſam fiduciam, qua fuerant prius deluſi, quum ſcilicet ſalutem ſuam ab Aſſyriis peterent. Non dubium quidem eſt quin ſemper Iſraëlitæ obtendere ſoliti fuerint Dei nomen: ſed quum putarent ſe eſſe perditos niſi Aſſyrii ſuccurrerent, certe ita fraudabant Deum juſto honore, & ejus ſpoliis ornabant homi-

homines: quia niſi ſtatuimus unum Deum nobis ſufficere etiamſi nos deſtituant omnia terrena ſubſidia, non locamus in eo ſpem ſalutis, ſed potius transferimus ad mortales quod ejus eſt proprium. Hujus ergo ſacrilegii ſe damnant Iſraelitæ, & interea oſtendunt hunc fore pœnitentiæ ſuæ fructum, quod colligent animos ſuos ad Deum, ne diſtrahantur huc & illuc quemadmodum antea, vel putent ſe fore ſalvos hominum auxilio. Ergo diſcamus non aliter converti homines ad Deum, niſi quum valedicunt omnibus creaturis, nec illic amplius ſpes ſuas defigunt. Hoc eſt unum. Quod ſequitur, duobus modis poteſt exponi, *Super equum non aſcendemus*: acſi dicerent ſe non amplius fore tam amentes, ut ſuperbiant in ſua virtute, vel exiſtiment ſe fore ſalvos, quia probe muniti ſint equis & curribus. Sed poteſt etiam ſimplicius exponi hoc membrum, quod ſcilicet non errabunt ſicuti antea, quum auxilia hinc inde procul ſibi accerſerent: *Non conſcendemus* ergo *equum*, ſed ſtabimus hic quieti. Et videtur ſenſus hic eſſe aptior: ita non exiſtimo Prophetam aliquid diverſum nunc afferre, ſed conjunctim lego hæc duo ſimul, *Aſſyrius non ſervabit nos, ideo non conſcendemus equum*, nempe ut curſitemus: quemadmodum fatigaverunt ſe longinquis profectionibus. Simulatque aliquod inſtabat periculum, fugiebant procul in Aſſyriam, ut inde opem peterent: Deus autem jubebat eos quietos manere. Melius poterit hoc intelligi ex aliis locis, qui reſpondent præſenti ſententiæ: nam per
Jeſ. 30. verſ. 16. Jeſaiam dicit Deus, Ne equos conſcendatis: dixiſtis autem, Nos conſcendemus: Ergo conſcendite, inquit. Eſt illic concinna alluſio, quod Judæi invito Deo & repugnante curſitarent & feſtinarent ad petenda auxilia: Ego video vos, inquit, nimis propenſos & celeres eſſe: ergo conſcendetis, ſed fugiendo. Videmus quorſum pertineat illa objurgatio Prophetæ, quod ſcilicet Judæi, qui manere debebant tranquilli in ſtatione ſua, huc & illuc confugerent cauſa petendi auxilii. Ita etiam hoc loco dicunt, ubi volunt oſtendere fructum ſuæ pœnitentiæ, Nos poſthac non conſcendemus equum, quia Dominus, qui promittit ſe fore nobis auxilio, non procul quærendus eſt. non ergo nos fruſtra poſthac fatigabimus. Videtur mihi hoc Propheta velle. Jam addit, *& non dicemus, Dii noſtri, operi manuum noſtrarum*. Sicuti loquuti ſunt de perverſa fiducia quam locabant in hominibus, ita nunc damnant ſuperſtitionem. Et duæ ſunt iſtæ peſtes quæ ſolent afferre interitum hominibus, quia nihil magis exitiale eſt, quam transferre ſpem noſtram à Deo. Atque hoc fit duobus modis: vel dum homines ſuis viribus confiſi, vel humanis opibus, ſuperbiunt, & incipiunt Deum contemnere, acſi poſſent extra ipſum eſſe ſalvi: vel quum ſe addicunt falſis ſuperſtitionibus. Uterque morbus ſemper in mundo graſſatus eſt, ubi homines impliciti ſunt ſuis ſuperſtitionibus, ut fingant ſibi novos deos, unde proveniat ſalus: ſicuti videmus in Papatu Deum pro nihilo fere duci, Chriſtum non ſufficere: unde enim fit ut tot ſibi patronos fabricent, ut fingant ſibi tot præſidia in ſuis figmentis, niſi quia ſpernunt auxilium Dei, vel ita extenuant, ut non audeant ſperare illinc ſalutem? Ergo videmus ſuperſtitionem abſtrahere homines à Deo, ita eſſe cauſam peſſimi exitii. Jam, alii non tam ſuperſtitionibus addicti ſunt, quin ſimul concipiant ſpem ex ſua virtute vel ſapientia: filii enim hujus ſeculi inflati ſunt ſuis opibus: & Principes ſi habeant paratos exercitus, ſi habeant urbes munitas, ſi etiam ſuppetat copia pecuniæ, ſi muniti ſint multis fœderibus, excæcantur hac falſa perſuaſione. Sic ergo docet hic verſus, duas eſſe exitiales peſtes, quæ homines fere abducunt à vera ſalute: & ideo ſi volumus ex animo & ſincere reſipiſcere, purgemus animos noſtros utroque vitio, ne ſcilicet quicquam tribuamus propriis opibus, vel terrenis ſubſidiis: deinde ne extra Deum fingamus nobis idola: & ſtatuamus unicum Deum nobis ſufficere. Jam ſequitur, *Quia in te miſericordiam* conſequetur pupillus. Hic Iſraëlitæ oſtendunt quorſum oporteat nos redigi, ut maneamus defixi in uno Deo: comparant enim pupillis eos qui ita humiliati ſunt, ut abjiciant omnes vanas ſpes, & conſcii nuditatis & inopiæ ſuæ recumbant in unum Deum. Ergo ut pateat miſericordiæ Dei ad nos acceſſus, neceſſe eſt nos eſſe pupillos. Jam, quid ſibi velit metaphora hæc, ſatis notum eſt. Scimus pupillos primò auxilio deſtitui, deinde etiam prudentia, & nihil virtutis illis ſuppetere. Pendent igitur ab alieno auxilio, indigent etiam directione: denique ſalus eorum poſita eſt in aliena ope. Sic etiam vere ſumus pupilli, ubi neque prudentiæ noſtræ innitimur, neque recumbimus in opes noſtras, neque etiam putamus nos ſalvos fore auxiliis quæ nobis è terra ſuppetunt, ſed conjicimus omnes ſpes noſtras & curas in unum Deum. Hoc unum eſt. *Pupillus* ergo *in te* miſericordiam conſequetur: hoc eſt, Domine, ubi nos ita afflixeris, ut ſimus prorſos dejecti, tunc miſericordiam in te conſequemur; & hæc miſericordia nobis ſufficiet, ne vagemur poſthac, vel abſtrahamur pravis figmentis, quemadmodum antehac nobis contigit. Quum ergo dicunt, *in Deo* pupillos miſericordiam conſequi, intelligunt ſufficere gratiam quæ offertur à Domino, ita ut non opus ſit amplius quicquam ſubſidii aliunde accerſere. Nunc tenemus etiam quid velit hoc verſu Propheta. Sequitur,

5. Sanabo defectiones eorum, diligam eos ſponte, (*vel liberaliter*) quia averſus eſt furor meus ab eo.

Hic jam confirmat Deus quod prius vidimus de gratuita reconciliatione. neque ſupervacua eſt repetitio: nam ut propenſi ſunt homines ad ſpes vanas & erraticas, ita nihil difficilius eſt quam ipſos retinere in uno Deo, & pacare eorum animos, ut non tumultuentur neque æſtuent, quemadmodum experientia nos omnes docet. Nam dum amplectimur promiſſiones de gratuita venia, tamen caro noſtra ſemper nos ad diffidentiam ſollicitat, & agitamur variis figmentis: Quid? An tu potes vel audes certo tibi polliceri, Deum eſſe tibi propitium, quem tot modis ſcis tibi merito infenſum eſſe? Quoniam ergo tam ſumus propenſi ad diffidentiam, ideo confirmat rurſus Propheta doctrinam illam quam prius vidimus, nempe quod Deus ad reconciliationem paratus ſit, nec quicquam magis expetat quam populum ſuum recipere, & amplecti: ideo dicit, *Sanabo defectiones eorum*. Modus ſanandi eſt in venia gratuita. Quanquam enim Deus nos Spiritu ſuo regenerans, ſanat rebelliones noſtras, hoc eſt, ſubigit nos in ſuum obſequium, & corruptelas à nobis aufert, quæ nos incitant ad peccandum: tamen hoc loco non dubium eſt quin Propheta in perſona Dei pronunciet ſanos fore Iſraëlitas à ſuis defectionibus, quia non venient in judicium, neque imputabuntur. Sciamus ergo Deum bifariam medicum eſſe in ſanandis peccatis noſtris, nempe dum Spiritu ſuo nos repurgat, & dum abolet ac ſepelit omnes offenſas. Sed de ſecundo remedii genere loquitur nunc Propheta, quum dicit, *Sanabo averſiones ipſorum*. Utitur autem atroci nomine: nam poterat ponere delicta vel errores, ponit autem defectionem à Deo: acſi diceret, Quamlibet graviter peccarint, ita ut ſuis criminibus meriti ſint centum mortes, tamen ego ſanabo eos ab iſtis tam atrocibus peccatis, & diligam eos ſponte. נדבה poteſt exponi vel Sponte vel Liberaliter. *Diligam eos* igitur *liberaliter*, hoc eſt, effuſo amore vel non vulgari: aut *diligam eos ſponte*, id eſt, gratuito: nam qui vertunt,

Dili-

Diligam ſponte, quia non coactus, corrumpunt Prophetæ ſenſum. Quam enim illud frigidum eſſet, Deum non cogi ad nos amandos? & quis ſenſus inde poſſet elici? Sed dicitur Dominus gratis nos diligere, quia cauſam in nobis non reperit: indigni enim ſumus quos reſpiciat vel dignetur ullo favore: ſed in eo ſe liberalem oſtendit & beneficum, quod indignos amore proſequatur. Sic igitur tenemus genuinum Prophetæ ſenſum, Quod etiamſi Iſraëlitæ modis omnibus pruvocaverint iram Dei, quaſi data opera vellent perire, & illum habere ſibi infenſum; tamen Dominus promittit ſe fore illis propitium. Quomodo? nempe quia ſpecimen edet ſuæ liberalitatis, cùm ita gratuito ipſos complexus fuerit. Jam videmus quomodo Deus ſit nobis Pater, & nos in filiis ſuis cenſeat, nempe dum peccata noſtra abolet: deinde quum nos gratuito recipit in ſuum amorem. Et hoc diligenter notandum eſt, quia ſemper imaginatur mundus ſe Deo occurrere, & aliquid afferre quo eum flectat vel inclinet in amorem. Hoc figmento nihil poteſt eſſe ſaluti noſtræ magis adverſum. Ergo diſcamus ex hoc loco, non poſſe aliter Deum nobis eſſe Patrem, niſi ubi eſt medicus, & ſanat tranſgreſſiones noſtras. Jam hic etiam ordo notabilis eſt, cùm Deus amorem ſubjicit medicinæ. Quare? Nam quia juſtus eſt, neceſſe eſt ut nos odio habeat quamdiu imputat peccata. Ergo hoc amoris initium eſt, ubi purgat nos ab omnibus vitiis, & maculas noſtras abſtergit. Quum ergo quæritur quomodo Deus amet homines, exordium fieri debet à gratuita venia: quoniam quamdiu peccata imputat Deus, neceſſe eſt ut homines ſint ei exoſi. Tunc ergo incipit nos ille diligere, poſtquam morbos noſtros ſanavit. Nec ſupervacuum eſt quod ſubjicit, *Averſum eſſe furorem* Dei ab Iſraële. Voluit enim quaſi ſigillum addere Propheta ad confirmationem ſuæ doctrinæ, quia ſemper diſceptant ſecum homines ubi audiunt Deum eſſe ſibi propitium. Quomodo? Quia ſanat infirmitates tuas. Sed hactenus expertus es illum tibi iratum eſſe, & nunc quomodo ſtatues iram illius eſſe placatam? Ergo obſignat teſtimonium amoris Dei Propheta, quum dicit, jam ceſſare ejus iram. *Averſus eſt* ergo *furor meus*. Etiamſi hactenus multis ſignis demonſtraverim tibi iram meam, nunc tamen ego quaſi mutatus ad te venio. Ne igitur me æſtimes ex præterito tempore, quia nunc placatus ſum, *& furor meus abs te averſus eſt*. Sequitur,

6. Ero quaſi ros Iſraëli, florebit quaſi lilium, *(alii vertunt, roſam)* figet radices ſuas quaſi Libanus. *(vel, quaſi Libani.)*

Jam iterum repetit Propheta quod dixerat, Ubi ſcilicet Deus in gratiam redierit cum populo ſuo, fore ita beneficum, ut fructus reconciliationis appareat. Nam quod miſere afflicti fuerant Iſraëlitæ, hoc debebant imputare ſuis peccatis: debebant in talibus documentis ſentire iram Dei: fuerant ſtupidi, ut potius fingerent accidere res adverſas fortuito. Propheta multus fuit in hoc ſermone, quod ſcilicet Iſraëlitæ ſemper miſeri futuri eſſent, donec converſi eſſent ad Deum: deinde quod omnia illis infeliciter ceſſura eſſent, donec conſequuti eſſent veniam. Jam mutationem docet, quod Deus non tantum verbis teſtetur ſe propitium fore, ſed experimentum ſimul daturus ſit unde agnoſcant Iſraëlitæ ſe jam beatos eſſe, quoniam reconciliati ſint Deo: propterea quod benedictio ejus, fructus erit gratuiti amoris. Sic ergo contexi debent iſtæ ſententiæ, *Ero Iſraëli quaſi ros.* Significat ideo antea fuiſſe aridos, quoniam privati fuerant Dei favore. Comparat eos roſæ vel lilio. Jam ſi urantur agri vel prata æſtu Solis, nullus ros à cœlo diffluat, omnia areſcent. Unde ergo fit ut lilia floreant & roſæ, niſi quoniam ſugunt humorem è cœlo, & ros vivificat terram, ut poſſit vim ſuam proferre? Hæc igitur ratio eſt ſimilitudinis, quod homines areſcant & deſtituantur omni vigore, quamdiu Dominus ſubducit favorem ſuum. Quare? neceſſe enim eſt ut Deus quaſi rorem diſtillet, alioqui, ut jam dictum fuit, nos ſumus ſteriles prorſus & aridi. *Ero igitur quaſi ros Iſraëli*: deinde, *florebit quaſi lilium, & radices ſuas emittet.* ויך vertunt quidam Percutiet: & נכה ſignificat Percutere. hoc certum eſt. Alii vertunt, Pertingent rami ejus: ſed verbum eſt ſingularis numeri, ponit autem radices in plurali numero. Propheta ergo loquitur de Iſraële, quod radices ſuas percutiet. Sed metaphorice ſignificat Defigere. Defiget igitur radices ſuas. Quemadmodum dum percutimus, defigimus ictus, vel projicimus brachia noſtra: ita etiam projiciet radices ſuas tanquam Libanus. Hic ſecundus eſt effectus gratiæ & benedictionis Dei, nempe quod diuturna erit populi felicitas. Quum loquutus eſt de roſa vel lilio, fuit hæc ratio metaphoræ, quod repente poſſet & quaſi momento uno vivificare Deus Iſraëlitas, tametſi erant ſimiles mortuis. Quemadmodum nocte una ſurgit lilium, & præter ſpem, roſa etiam: ſic ſubita mutatio per illam metaphoram notatur. Sed quoniam lilia & roſæ ſtatim marceſcunt, non ſatis fuit promitti hoc Iſraëli, quod ſcilicet repente exoriretur ſalus; ſed oportuit addi hoc ſecundum membrum, nempe quod etiamſi ſimiles ſint roſis & liliis, tamen ſimiles etiam erunt arboribus proceris, & quæ altas radices jaciunt ſub terram, ut maneant ſtabiles, ut diu vigeant. Nunc ergo tenemus Prophetæ ſenſum. Duplicem hic effectum ponit benedictionis Dei erga Iſraëlitas: nempe quod ſubita erit ipſorum inſtauratio, ſimulatque Deus inſtar roris inſtillaverit ſuam gratiam in eos: deinde quod non erit caduca hæc felicitas, ſed diuturna & ſtabilis. Poteſt autem verti, *Quaſi Libanus*, vel Libani: *tanquam Libanus projiciet radices ſuas*, ſicuti arbores quæ illic naſcuntur: vel projiciet radices ſuas tanquam arbores quæ ſunt in Libano: ſed quoad ſenſum nihil refert. Sequitur,

7. Ibunt rami ejus, & erit quaſi olivæ decor ejus, & odor ei quaſi Libani.

8. Revertentur incolæ umbræ ejus, *(qui habitant ſub ejus umbra)* & ſe vivificabunt tritico, *(vel quaſi triticum)* & germinabunt tanquam vitis: odor ejus *(alii vertunt, Memoriam: ſed male. Nam* זכר *proprie Memoriam ſignificat, à verbo* זכר*, quod eſt Recordari. ſed metaphorice etiam Hebræi Odorem vocant Memoriam: quia etiamſi res non videtur, tamen diffundit ſuam fragrantiam: Odor igitur ejus)* tanquam vini Libani.

Proſequitur eandem ſententiam Propheta, ſed cohæret principium hujus verſus cum ſecundo membro ſuperioris. Dixerat altas fore radices populi, poſtquam eum reſtituiſſet Deus: nunc adjungit quod *rami ejus ibunt*. Hic Ire metaphorice ponitur pro longius progredi: rami autem arborum videntur ire, dum ſeſe latius extendunt & propagant. *Ibunt* ergo *rami ejus*: hoc eſt, arbor illa poſtquam radices egerit, non manebit in uno ſtatu, ſed augeſcet, ac ramos ſuos in omnes partes diffundet: denique hic promittit Deus quotidiana incrementa ſuæ benedictionis, poſtquam ſemel cœperit ſe oſtendere liberalem erga populum Iſraël. Ero igitur initio liberalis, ſed tamen ſucceſſu temporis augeſcet ac multiplicabitur

bene-

benedictio mea erga eos, inquit. Poſtea addit, *Et decor ejus erit quaſi olivæ.* Similitudines multas congerit Propheta, quo melius confirmet animos populi. Et certe videmus evaneſcere mentes hominum, dum hinc inde proſperitatem expetunt: quia vix centeſimus quiſque eſt, qui certo ſibi perſuadeat, Deo propitio omnia bene & feliciter ceſſura. Non reſpiciunt in Dei amorem homines, ubi cupiunt ſibi bene eſſe, ſed vagantur in toto mundo: & nunc in ſeipſis quærunt proſperitatis materiam, nunc in terra, nunc in aere, nunc in mari. Quoniam ergo tam difficile eſt penitus infigere hanc doctrinam hominum cordibus, ut certo agnoſcant Dei amorem eſſe fontem omnium bonorum, ideo Propheta tantam congeriem ſimilitudinum hic poſuit ad confirmationem ſuæ doctrinæ. *Erit* ergo *decor ejus*, inquit, *tanquam olivæ:* deinde *fragrantia ei quaſi Libani.* Scimus autem odoriferas arbores naſci in monte Libano. Sed variis figuris oſtendit Propheta ſtatum populi fore lætum & beatum, ſimulac receptus fuerit à Deo in gratiam. Poſtea iterum addit, *Revertentur incolæ umbræ ejus:* ſed differam in craſtinum.

Da omnipotens Deus, quando tam miſeri ſumus ſimulatque gratiam tuam à nobis ſubducis: da, inquam, ut vere tangamur hoc ſenſu, quo diſcamus coram te humiliari, & nobisipſis diſplicere: ac interea ne fallamus nos ſolitis illecebris, ut ſpem noſtram ponamus in creaturis, vel in hoc mundo, ſed tollamus in te ſurſum mentes noſtras, & illic ita animos defigamus, ut non dubitemus, ſimulac complexus nos fueris paterno amore, nihil nobis defuturum. Interea vero ſupplices confugiamus ad tuam miſericordiam, & cum vera ac ingenua confeſſione, fateamur hoc unum eſſe nobis præſidium ſalutis, ſi dignatus fueris nos recipere in gratiam, & abolere ea peccata, quibus non tantum quotidie labimur, ſed etiam tenemur in æterna morte, ut tamen etiam quotidie reſurgamus gratuita venia, donec tandem appareat nobis Redemptor Chriſtus Filius tuus è cœlo, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA OCTAVA

IN

HOSEAM PROPHETAM.

CAP. XIV.

R*Evertentur incolæ umbræ ejus*, (ita eſt ad verbum) *vivificabunt ſe tritico*, (vel tanquam triticum) *germinabunt tanquam vitis, odor ejus tanquam vini Libani.* Proſequitus eandem ſententiam Propheta, quod ſcilicet Deus liberalem ſe oſtendet erga populum ſuum, ut facile appareat ex diverſo ſtatu prius meritas pœnas dediſſe. Dicit autem, *Incolæ umbræ ejus revertentur:* quanquam verbum ישׁבו, proprie ſignificat Recreari hoc loco, quemadmodum Pſalmo 19. ubi dicitur, Lex Domini משׁיבת convertens animas: tantundem hoc valet atque Reſtaurans, vel Reſtituens animas. Ita ſignificat Propheta, poſtquam iterum florere cœperint Iſraëlitæ, umbram ipſorum fore vivificam, ut reſtituat vel recreet qui ſub ipſa latebunt. Vocat igitur *incolas umbræ*, quicunque erant ex populo: & comparat communem ſtatum populi Iſraelitici arbori frondoſæ, quæ ramos longe & late extendit, ut poſſint abſcondi ab æſtu Solis qui confugiunt ad umbram ejus. Nunc tenemus rationem metaphoræ, & quid intelligat etiam Propheta per verbum ישׁבו. Poſtea addit, *Vivificabunt ſe tritico*, vel tanquam triticum. Si legimus in caſu nominandi, ſubaudienda erit nota ſimilitudinis כ. Quibuſdam magis placet caſus ablativus, Vivificabunt ſe tritico. Sed videtur prior ſenſus melius quadrare: nam, ut heri dictum fuit, Propheta quia tractat rem perſuaſu difficilem, ideo multas ſimilitudines coacervat quæ ad confirmationem valent. *Vivificabunt* igitur *ſe ut triticum:* hoc eſt, augeſcent. Quemadmodum ex uno grano ſcimus provenire multa, ſic etiam Propheta quum loquitur de incrementis populi, ubi receptus fuerit à Deo in gratiam, dicit fore ſimilem tritico. Jam addit, *Germinabunt tanquam vitis.* Hæc ſimilitudo confirmat quod nuper dixi, nempe populum tam arboribus, quam tritico, & vitibus etiam conferri. Quod autem de incolis loquitus, non debet videri abſurdum, quia voluit melius exprimere quorſum perventura eſſet utilitas illa communis, nempe ad ſingulos. Poſtea addit, *Odor ejus tanquam vini Libani:* hoc eſt, ubi germinaverint inſtar vitis, proferent non vulgare aut aſperum vinum, ſed ſuaviſſimum, quale in monte Libano naſcitur, & optimi odoris. Cæterum nihil aliud intelligit Propheta, quam felices fore Iſraelitas, & proſperum ac lætum fore eorum ſtatum, ubi converſi fuerint à ſuis ſuperſtitionibus, & aliis vitiis, & ſe totos tradiderint regendos Deo. Hæc eſt ſumma. Nunc pergamus.

9. Ephraim, quid mihi adhuc cum idolis? Ego reſpondi & reſpexi eum, (*vel exaudivi*) ego tanquam abies frondoſa, à me fructus tuus inventus eſt.

Iterum Propheta Iſraëlitas loquentes inducit ſicut prius, quod ſcilicet deplorent ſuam cæcitatem & vecordiam, & renuncient in poſterum ſuperſtitionibus. Repetitur ergo hic confeſſio illa quam prius vidimus, quæ teſtis eſt veræ pœnitentiæ, ubi ſcilicet homines pudefacti, in ſuis peccatis ſibi diſplicent, & applicant animos ſuos ad obſequium Dei, & totam priorem vitam ſuam deteſtantur. Huc pertinet quod nunc dicit Propheta. Eſt conciſus ſermo, ſed tamen brevitas hæc nihil obſcuri continet: *Ephraim*, inquit, *quid mihi cum idolis?* Subaudiendum quidem eſt verbum, Ephraim dicet, Quid mihi cum idolis? Sed tamen ſatis conſtat quid velit Propheta. Eſt igitur in his verbis, quemadmodum dixi, ſincera confeſſio, quia decem Tribus deteſtantur ſuam vecordiam, quod alienatæ fuerint à vero Deo, & implicitæ falſis & fœdis etiam ſuperſtitionibus, *Quid ergo mihi cum idolis?* inquiunt. Et quum addunt *Amplius*, fatentur ſuperiorem vitam fuiſſe corruptam & vitioſam: interea prædicant ſuam reſipiſcentiam, quum dicunt nihil ſibi amplius fore cum fictitiis diis. Sequitur ratio: nempe quia exaudiet Deus Iſraëlem, ac reſpiciet, ut ſit ei *arbor frondoſa.* Quidam ita exponunt, acſi promitteret Deus ſe fore propitium Iſraëli, poſtquam ſuam reſipiſcentiam demonſtraverit. Sed corrumpunt illi ſenſum Prophetæ: potius enim dicit, Poſtquam ſenſerint Iſraëlitæ, atque ipſo etiam effectu experti fuerint, Deum ſibi eſſe propitium, tunc dicturos, Quam ſtulti & inſani fuimus, quamdiu ſequuti ſumus idola? Jam ergo tempus eſt ut animi noſtri in Deum recumbant. Quare? Perſpicimus enim nihil nobis eſſe melius quam ſub ejus fide & tutela degere. Ipſe enim nos exaudit, ipſe nos reſpicit, ipſe eſt nobis inſtar arboris frondoſæ,

doſæ, ut nos protegar ſub umbra ſua. Nunc videmus quomodo inter ſe cohærcant hæc duo membra: cauſam enim oſtendit Deus, cur Ephraim idolis renunciabit, quia ſcilicet intelliget ſe fuiſſe miſere deceptum, quamdiu vagatus eſt poſt ſua idola. Unde hoc intelliget? nempe quia videbit ſe nunc reſpici à Domino, quum ante deſtitutus eſſet ejus ope. Ubi ergo tale experimentum dederit Deus populo ſuo, ſimul efficiet ut abjiciat omnes pravas fiducias, & fateatur ſe fuiſſe miſerum ac perditum quamdiu idolis fuit deditus. *Exaudivi* igitur *eum, & reſpexi*, inquit. Præcedit ergo quod poſterius eſt in verbis Prophetæ: præcedit ordine illud membrum, *Ephraim dicet, Quid mihi cum idolis?* Quum dicit, *Ero tanquam abies frondoſa*, & ſimul addit, *ex me fructus tuus inventus eſt*, videntur duæ iſtæ ſimilitudioes parum inter ſe congruere: neque enim abies eſt fructifera, ut notum eſt. Cur ergo fructus deinde fit mentio? Solutio in promptu eſt: duas eſſe ſimilitudines diverſas. Nam quum Deus abieti ſe comparat, tantum de protectione loquitur. Scimus enim, ſi quis refrigerium expetat, abietem eſſe arborem frigidam: deinde ſemper viret, quemadmodum ſatis notum eſt, quum defluunt folia ex aliis arboribus: deinde proceritas ipſa, & denſitas majorem umbram ſuppeditat. Hæc igitur ratio eſt cur Deus officium abietis ſibi tribuat erga populum: quia ſcilicet ab æſtu recreabit quicunque ad ejus umbram confugient. Jam alia eſt ratio ſecundæ ſimilitudinis, quod Deus etiam fructum ſuggeret populo ſuo. Prius dixit Propheta, Iſraëlitas fore ſimiles arbori, & quæ ramos ſuos alte defiget ſub terram. Nunc transfert nomen hoc ad Deum, & utrumque merito: ubi enim nos fœcundat Deus, ſumus palmites plantati in vite optima. Deinde hoc verum eſt, totum fructum quem percipimus, eſſe ab ipſo: nam deficiet nos omnis vigor, niſi Deus humorem & vitam ipſam nobis ſuggerat. Nunc ergo videmus non eſſe abſurdam hanc varietatem, quæ legitur in verbis Prophetæ, quia varii ſunt reſpectus. *Fructus ergo tuus ex me inventus eſt:* acſi diceret Deus, Iſraëlitas ſi, ſapiant, contentos fore ſua gratia, quoniam qui alimenta ab ipſo petunt, ſaturabuntur. Reperient enim illic fructum copioſum & ſatis uberem. Nunc ergo tenemus quid hoc ſibi velit. Jam ſequitur,

10. Quis ſapiens, & intelliget hæc? intelligens, & cognoſcet ea? Quia rectæ viæ Jehovæ, & juſti ambulabunt in illis, & impii impingent in illis.

Non dubito quin hanc ſententiam ſæpius inculcaverit Propheta, & ſubinde eam revocaverit in animos, quia ſcimus fuiſſe illi aſſiduum certamen cum horribili contumacia. Neque enim uno tantum die populum illum expertus eſt durum & præfractum, ſed toto curſu ſuæ prædicationis. Quum ergo non deſinerent Iſraëlitæ, vel palam contemnere Prophetæ doctrinam, vel ſaltem pro fabulis ducere apud ſeipſos quæcunque ex ore ejus audiebant, vel verbo etiam obſtrepere, & minaciter inſurgere, quum eſſet illis moleſtus vel aſperior; ideoque videret Propheta deſperatam eſſe malitiam populi: non dubito quin ſæpius hac ſancta confidentia armatus prodierit in medium, Vos putatis impune vobis ceſſurum, dum ludibrio habetis meam doctrinam: certe tandem ſentietis vias Domini rectas eſſe. Et jam prius admonui, Prophetas, poſtquam concionati erant prolixe & multis verbis ad populum, tandem breviter notaſſe capita ſuæ doctrinæ. Neque enim probabile eſt, quum tamdiu Hoſeas defunctus fuerit doctoris officio, loquutum fuiſſe hæc pauca, quæ tribus horis percurri poſſunt. hoc eſſet ridiculum. Sed quum aſſidue incubuerit in munus ſibi injunctum, poſtea quemadmodum dixi, pauca hæc capita collegit, ut memoria aliqua doctrinæ ejus extaret. Quod ergo ſæpe repetere coactus eſt, nunc ad finem libri ſui poſuit, ut ſit quaſi legitima obſignatio totius doctrinæ. *Quis ſapiens*, inquit, *& intelliget hæc? quis intelligens, & cognoſcet ea?* Interrogatio hæc emphatica eſt: miratur enim Hoſeas paucitatem eorum, qui Deo ſe præbeant dociles. Nec dubium eſt quin Iſraëlitæ ſibi arrogaverint magnam prudentiam, ſicuti profani homines ſolent. Nam tunc demum videntur ſibi maxime acuti, dum ſubſannant quicquid eſt pietatis, dum ludibrio habent nomen Dei, & ita ſibi indulgent in ſua impietate, ſicuti hodie videmus. Nam multos abripuit diabolicus hic furor, quia putabant ſe nimis eſſe ſimplices & tardos, ſi amplecterentur quicquid Scriptura continet: O! quid eſt aliud fides quam ſtulta credulitas? hoc enim illis venit in mentem. Et ſunt etiam impuri canes, qui hanc contumeliam evomere non dubitent, Niſi tu credas: ſed quid eſt iſtud tuum credere, niſi quod ultro abdicas te omni judicio & delectu? quod inſtar brutæ pecudis permittis te huc & illuc impelli? Ergo, ſi ſapis, tu nihil credes. Sic loquuntur profani homines: & ideo, quemadmodum dixi, placent ſibi in ſuo acumine, quum poſſunt excutere omnem Dei timorem, & omnem reverentiam cœleſtis doctrinæ. Tales multos fuiſſe credibile eſt tempore Prophetæ. Quum ergo tota terra horribili Dei contemptu referta eſſet, & tamen vulgo putarent homines ſe ſapere, imo in illis profundis ſuis cogitationibus, quemadmodum dicit Jeſaias, putarent ſe poſſe fucum facere Deo, jam interrogat, *Quis ſapiens, & intelliget hæc?* acſi diceret, Ego quidem video, ſi vobis habetur fides, omnes ſapere: nam Gigantum more audetis inſurgere contra Deum, & putatis vos eſſe ingenioſos ſi eluditis omnem doctrinam, ſi religio à vobis ſuperbe calcatur: vos hoc modo omnes eſtis ſapientes. Sed interea, ſi qua eſſet in vobis ſapientiæ gutta, certe agnoſceretis me à Deo eſſe miſſum, & quicquid profero non eſſe figmentum hominum, ſed oraculum vivi Dei. Nunc ergo videmus quam vehementiam in ſe continet iſta interrogatio, quum dicit Propheta, *Quis ſapiens, & intelliget hæc? quis intelligens, & cognoſcet ea?* Interea videmus hic Prophetam quicquid eſt prudentiæ in hominibus damnare, & quaſi fulminare è cœlo contra eorum ſuperbiam, qui ſic Deo temere illudunt. Nam utcunque excellere ſe putent, dicit eſſe & cæcos, & ſtupidos, & veſanos. *Quis ergo ſapiens?* inquit. Jam ſimul oſtendit quænam ſit vera hominum ſapientia: nempe ſubjicere ſe Deo & verbum ejus amplecti; quemadmodum alibi dicitur, *Prov. 1. verſ. 2,7.*
Sapientiam & caput ſapientiæ eſſe Dei timorem. Quiſquis ergo recte ſapere cupit, incipiat à timore Dei, & reverentia verbi ejus: nam ubi nulla eſt religio, certe præſtaret homines nihil intelligere. Fingamus homines præditos eſſe non tantum magna perſpicacia, ſed etiam ſcientia rerum omnium: ſint Philoſophi, ſint Medici, ſint Juriſconſulti, nihil illis deſit, niſi quod nullus apud ipſos viget guſtus vitæ æternæ: obſecro, annon ſatius eſſet ipſos prorſus eſſe pecudes, quam hoc modo ſapere, ut ſcilicet tantum ad tempus exerceant ſuum ingenium in rebus caducis, & putent theſaurum iſtum inæſtimabilem abolitum iri ſimul cum ipſorum vita? Certe hoc ſapere longe eſt miſerius, quam ſi homines ſenſu prorſus carerent Merito igitur Propheta hic dicit non tantum inſipidos eſſe, ſed etiam dementes, & omni intelligentia prorſus vacuos, qui non reverentur doctrinam cœleſtem, & ſurdi ſunt ad prophetias, & non diſcernunt ubi loquitur Deus, neque perſpiciunt efficaciam verbi ejus. Quicunque ergo non judicant in hac parte,

illos

illos Propheta merito dicit eſſe prorſus inanes omnis prudentiæ & judicii. Et ideo etiam repetitione uſus eſt, *Quis ſapiens, & intelliget hæc? quis intelligens, & cognoſcet ea?* hoc eſt, ſiquis excelleret, certe oſtenderet in hac parte ſuam prudentiam: etiamſi quis mediocri ſenſu eſſet præditus, tamen guſtaret quid ſibi velit hæc doctrina, ubi relucet imago & gloria Dei. Quicunque ergo hac in parte nihil cognoſcunt aut intelligunt, illi certe prorſus ſunt ſtupidi. Poſtea addit, *Quia rectæ viæ Jehovæ.* Opponit hanc ſententiam ſacrilegæ hominum temeritati, qui Deum faſtuoſe repudiant, & audent etiam verbum ejus contemnere. Dicit *rectas eſſe vias Domini.* Et quum dicit *rectas*, non dubium eſt etiam quin perſtringat fœtidas blaſphemias quas excogitant impii, dum volunt non modo vel odioſum vel contemptibile reddere Dei verbum, ſed etiam inſulſum, ita ut non mereatur quicquam reverentiæ: ſicuti hodie videmus profanos homines non uno tantum verbo repudiare & Legem & Prophetas, ſed exquirere aliquos colores, ut videantur juſte abrogare oraculis Dei omnem fidem. Exempli gratia, Excutiunt ſiqua eſt ſpecies repugnantiæ in Scriptura, ſiquid parum plauſibile, ſiquid abhorret à communi ſenſu: colligunt iſti omnes illas abſurditates, ſaltem quas ipſi putant, & tandem colligunt ſtultos eſſe qui obſtringunt mentem ſuam religione aliqua, ubi verbum Dei tam inſipidas (ut ipſi dicunt) nugas continet. Non dubium eſt quin jam tunc graſſata fuerit hæc rabies in mundo. Quum dicit Propheta, *Rectas eſſe vias Jehovæ*, intelligit utcunque vel obſtrepant, vel obmurmurent, vel etiam convitientur impii, tamen nihil proferri à Domino quod non ſit rectum, & omni reprehenſione ac vitio careat. Ergo utcunque evomant impii blaſphemias contra verbum Dei, perinde eſt acſi vellent aſpergere cœlum pulvere, & ita offuſcare lumen Solis: tantundem iſti proficiunt ſua audacia, inquit. Nam ſemper reperietur *ſumma rectitudo in viis Domini*: hoc eſt, deprehendetur verbum ejus purum ab omni macula & vitio. Poſtea addit, *Et juſti ambulabunt in illis: impii vero in illis impingent.* Quum dicit *juſtos ambulaturos*, confirmat proximam ſententiam ab experimento, quod ſcilicet juſti reipſa ſentient *vias Domini rectas eſſe.* Et debemus etiam inſtructi eſſe hac fiducia, ſi volumus fortiter repellere omnes impias calumnias, quæ ſolent à profanis hominibus congeri adverſus verbum Dei. Nam ſi neſcimus quid ſit ambulare in viis Domini, certe ſimulatque aliquid adductum fuerit, illic ſuſpenſi hærebimus, vel etiam jacebimus proſtrati: quemadmodum videmus multos, qui non egerunt firmas radices in verbo Domini, labaſcere ſimulatque aliquid dictum eſt: neſciunt enim quid ſit ambulare in viis Domini. Nam ambulant in viis Domini, qui fortiter militant contra omnes mundi tentationes: qui pergunt in illa militia, ut aſpirent ad vitam cœleſtem: qui ſtatuunt, etiamſi miſeri ſint ad tempus, ſe tamen beatos eſſe, quia amplexi ſunt gratiam Dei in Chriſto: qui etiam ſuſtentantur ſua conſcientia, ut poſſint deſpectis omnibus mundi probris & contumeliis pergere in ſuo curſu. Qui ergo ſic ambulant in viis Domini, erunt inexpugnabiles, etiamſi totus mundus obſiſtat: etiamſi ſuis ſacrilegis vocibus impii inficiant totum aërem, pii nihilominus peragent ſuum curſum, donec ad metam pervenerint. *Viæ* igitur *Jehovæ omnes rectæ ſunt, juſti ambulabunt in illis: impii vero in illis impingent*, vel corruent. Nam כשל utrumque ſignificat: ſed malui vertere Impingent, quia videtur hoc aptius eſſe ad Prophetæ contextum. Quare? Juſti viam planam & æquabilem reperiunt in verbo Domini: nihil enim illis obſtare poteſt quominus proficiant, & per quotidianos progreſſus tandem perveniant quo Dominus eos vocat, nempe ad hereditatem cœleſtem. Juſti ergo ſic ambulabunt in viis Domini, quia Dominus quaſi porrecta manu illos deducet: fides eſt illis pro centum oculis, deinde etiam eſt pro alis. Spes etiam ſimul eos ſuſtentat: nam armantur promiſſionibus & exhortationibus: deinde habent etiam incitamenta, quoties Dominus vehementius ipſos compellat: adhæc in minis etiam habent terrores quibus expergefiunt. Sic ergo fideles reperiunt in verbo Domini optimas vias, & illas ſequuntur. Impii autem quid? Minimos quoſque ſcrupulos fingunt eſſe montem. Nam ſimulatque occurrit aliquid perplexum vel obſcurum, hic conturbantur: Ego libenter proficerem in Scriptura ſacra, ſed occurrunt tam multæ difficultates. Ergo ſi minimus ſcrupulus ingeritur, opponunt ſibi quaſi montem: imo fingunt data opera ſcrupulos, ut aliquem prætextum habeant, dum volunt ſubterfugere, & dum volunt etiam curſum alio vertere, ne ſequantur Deum. *Impii* ergo *impingent in viis Jehovæ.* Sed hoc adverſative legi debet, *Quamvis impingant impii, tamen juſti ſemper ambulabunt in viis Jehovæ*: hoc eſt, Non eſt quod nos morentur vel retardent impii, dum ſubinde impingunt, & clamant verbum Dei plenum eſſe offendiculis: nam reperiemus illic viam æquabilem, modo gloriam hanc tribuamus Deo, quod juſtus ſit, & quod rectæ ſint viæ ejus. Hæc eſt ſumma hujus ſententiæ.

JOAN-

JOANNIS CALVINI PRÆLECTIONES IN JOËLEM PROPHETAM.

PRÆLECTIO PRIMA.

PRÆFATIO.

NUnc aggredior Joëlem Prophetam. Quo tempore vaticinatus ſit Joël, non ſatis conſtat, niſi quod quidam ex Judæis uſpicantur docuiſſe tempore Joram regis Iſraël: quia tunc dira fames totam terram occupaverat, ut ſatis apparet ex ſacra hiſtoria. Quoniam autem famis hic Propheta meminit, conjiciunt referri debere ejus concionem ad illud tempus. Alii putant docuiſſe ſub Manaſſe: ſed nullam rationem afferunt ſuæ opinionis. Eſt igitur mera divinatio. Alii putant non tantum ſub uno Rege functum eſſe Doctoris officio, ſed docuiſſe ſimul cum Jeſaia ſub multis Regibus. Cæterum quia nihil certi conſtat, ſatius eſt tempus quo docuit in medio relinquere: & non magnopere etiam hoc ad rem facit, quemadmodum videbimus. In Hoſea temporis inſcitia multum faceret negotii Lectoribus. Multi enim loci ſunt, qui nunquam poſſent aliter explicari quam ex notitia hiſtoriæ. Sed quantum ad Joëlem, minus eſt laborandum, quemadmodum dixi: quia conſtabit nobis fructus doctrinæ ejus, etiamſi tempus ſit obſcurum & incertum. Colligere autem licet ipſum docuiſſe Jeroſolymæ, vel ſaltem in regno Jehudah. Ergo ſicuti Hoſeas deſtinatus erat Propheta regno Iſraël, ita etiam Joël habuit diverſam functionem. Peculiariter enim debuit operam ſuam impendere Judæis, & non reſpicere decem Tribus. hoc præcipue notatu dignum eſt. Hæc autem eſt ſumma libri: initio objurgat populi ſtuporem, qui ſevere à Deo percuſſus, tamen non ſentiat mala ſua, ſed potius in illis obdureſcat. hoc eſt unum. Deinde minatur etiam clades longè graviores: quoniam populus ita occalluit ad omnes pœnas, ut non humilietur: ideo Propheta denunciat inſtare adhuc multo pejora quam hactenus experti fuerint. hoc eſt ſecundum. Tertio hortatur ad pœnitentiam ſuos populares, & oſtendit non vulgari teſtimonio pœnitentiæ opus eſſe: quia Deum non leviter offenderant, ſed ſua pertinacia quaſi provocaverant in ſe ultimum exitium. Quoniam ergo tanta fuerat eorum obſtinatio, ideo jubet venire ſupplices cum lachrymis, cum ſacco, cum gemitu, cum cinere, nempe ut miſericordiam impetrent: quia indigni erant quos Dominus reſpiceret, niſi ita ſuppliciter ſe demitterent. hoc eſt tertium. Quarta pars libri conſumitur in promiſſionibus. Vaticinatur enim de regno Chriſti, & oſtendit etiamſi jam plena ſint omnia deſperationis, Deum tamen non eſſe oblitum fœderis ſui, quod pepigit cum Patribus. Venturum igitur Chriſtum, qui colligat reliquias diſſipatas: imo qui reſtituat in vitam populum illum, licet jam eſſet perditus ac mortuus. hæc eſt ſumma. Videbimus autem in progreſſu capita perperam & inſulſe diſtincta fuiſſe. Sic autem incipit:

CAPUT

CAPUT I.

VErbum Jehovæ, quod fuit ad Joël filium Pethuel.
2. Audite hoc ſenes, & auſcultate omnes incolæ terræ, an fuerit hoc diebus veſtris, & ſi diebus patrum veſtrorum.
3. Super hoc filiis veſtris narrate, & filii veſtri filiis ſuis, & filii ipſorum generationi poſteræ.
4. Reſiduum locuſtæ comedit (*eſt alia ſpecies*) bruchus, (*ita ponamus, quoniam non poſſumus certo ſcire quænam fuerint iſtæ ſpecies*) & reſiduum bruchi comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ comedit eruca. (*Alii primo loco ponunt Erucam, eſt proprie Chenille, & puto potius eſſe hoc poſterius. Picardi vocant Caſée, quaſi* חסיל. *verisimile eſt deductum fuiſſe nomen illud vulgare ab Hebræis, quia eſt fere idem: ſed tamen ego non anxie ſudo in iſtis nominibus, quia de ſenſu Prophetæ ſatis conſtabit. Nunc venio ad inſcriptionem libri.*)

V*Erbum Jehovæ, quod fuit ad Joël filium Pethuel.* Hic patrem ſuum nominat, ideoque probabile eſt fuiſſe hominem notum & famæ celebris. Sed nunc quis fuerit iſte Pethuel omnes ignorant. Quod autem Hebræi tradunt pro generali regula, quoties adjungitur nomen patris, illum fuiſſe Prophetam, apud me frivolum eſt: quia videmus quam ſint audaces in fingendis talibus commentis. quoties nulla ratio illis apparet, inveniunt aliquam fabulam, & eam obtrudunt pro oraculo. Quum igitur ita nugari ſoleant, ego non moror quid apud illos pro regula valeat. Sed tamen hoc probabile eſt, quum Prophetæ præfantur ſe hoc vel illo patre fuiſſe natos, fuiſſe patres eorum homines aliqua auctoritate præditos. Jam, quod dicit ſe tradere verbum Domini, obſervatu dignum eſt: quia oſtendit ſe nihil privatim ſibi ſumere, quaſi vellet regnare ex proprio ſenſu, & ſubjicere alios ſuis commentis: ſed ſe proferre tantum quod à Domino accepit. Quum autem Prophetæ nihil ſibi auctoritatis vendicent, niſi quatenus fideliter exequuntur officium ſibi divinitus mandatum, & quaſi de manu in manum tradunt quod Dominus juſſit, hinc ſtatuere licet nullas humanas doctrinas admitti debere in Eccleſiam Dei. Quare? nam ſimulatque ſe ingerunt homines, tantundem detrahunt Dei auctoritati. Ergo notanda eſt hæc præfatio, qua fere utuntur omnes Prophetæ, nihil ſcilicet ipſos attuliſſe proprium vel ex ſuo ſenſu, ſed fuiſſe fidos diſpenſatores doctrinæ ſibi divinitus mandatæ. Verbum autem dicitur fuiſſe ad Joëlem, non quia Deus voluerit illum ſibi duntaxat diſcipulum habere, ſed quia depoſuit hunc theſaurum apud ipſum, ut miniſter eſſet toti populo: quemadmodum etiam
2 Cor. 5. verſ. 20. Paulus dicit miniſtris Evangelii mandatam eſſe hanc legationem pro Chriſto, vel Chriſti nomine, ut homines Deo reconcilient. Alibi, Depoſuit apud
2 Cor. 4. verſ. 7. nos theſaurum hunc, quaſi in vaſis fictilibus. Jam tenemus cur Joël dicat verbum Domini ſibi traditum fuiſſe, non ut ſolus eſſet diſcipulus: ſed quia oportuit aliquem eſſe Doctorem, electus eſt Joël, cui Dominus mandavit iſtas partes. Ergo verbum Dei pertinet quidem promiſcue ad omnes, ſed interea mandatur Prophetis & aliis doctoribus: quia ſunt veluti depoſitarii, ut ita loquar. Quantum attinet ad verbum היה, nihil opus eſt philoſophari tam argute ut facit Hieronymus. Quomodo factum eſt verbum Domini? Veretur enim ne dicatur Chriſtus eſſe factus, quia ipſe ſit Verbum Domini. Sunt nugæ magis quam pueriles: & non poteſt tamen aliter ſe expedire, niſi quod verbum dicitur fieri reſpectu hominis quem Deus alloquitur, & non fieri reſpectu ipſius Dei. Hæc omnia ſunt puerilia, ut videtis. nam ſimpliciter hic dicit Propheta ſermonem Dei fuiſſe directum ad ſe; quia ſcilicet Dominus voluit uti ejus opera erga totum populum. Jam, poſtquam oſtendit ſe idoneum eſſe miniſtrum Dei, quia inſtructus ſit verbo, quaſi pro imperio loquitur: nam ſuſtinet Dei perſonam. Nunc videmus quænam ſit legitima auctoritas, quæ in Eccleſia vigere debet, & cui ſic parendum eſt abſque controverſia, ut omnes libenter ſe tradant in obſequium: nempe ubi Deus ipſe loquitur per homines, & Spiritus ſanctus utitur illis tanquam organis. Propheta enim non hic inanem titulum obtendit: non dicit ſe eſſe Sacerdotem ex tribu Levi, vel ex primario ordine, vel ex familia Aaron. Nihil tale affert, ſed dicit verbum Dei apud ſe eſſe depoſitum. Quiſquis ergo audiri in Eccleſia poſtulat, neceſſe eſt ut re ipſa demonſtret ſe eſſe præconem verbi Dei: non autem afferat propria figmenta, vel quicquam comminiſcatur ex carnis ſuæ ſenſu. Jam initio objurgat Propheta Judæos, quod tam ſtupidi ſint, ut non expendant ſe caſtigari Dei manu, quum tamen res perſpicua ſit. Itaque corrumpunt, meo judicio, Prophetæ ſenſum, qui putant hic denunciari pœnas quæ adhuc pendebant. Nam transferunt hæc omnia ad futurum tempus. Ego autem diſtinguo inter hanc objurgationem, & inter denunciationes quæ poſtea ſequentur. Hic igitur Propheta exprobrat Judæis, quod tam duriter percuſſi, tamen non ſapiant. Atqui etiam ſtulti, dum flagellum perſonat in ipſorum tergo, agnoſcunt ſe dare pœnas. Quum ergo tam ſtupidi ſint Judæi, ut etiam caſtigati non intelligant ſibi negotium eſſe cum Deo, merito hanc vecordiam Propheta hic objurgat. *Audite*, inquit, *hoc ſenes, auſcultate omnes incolæ terræ, & narrate filiis veſtris.* Sed hæc differam in craſtinum.

Da omnipotens Deus, quando hodie ſibi totus fere mundus ita frenum licentiæ ſuæ laxat, ut verbum tuum ſacroſanctum non dubitet vel ſpernere, vel pro nihilo ducere: fac, Domine, ut nos ſemper contineamus in reverentia, quæ merito illi debetur, & ſacris tuis oraculis: & ſic tangamur quoties dignaris nos alloqui, ut vere humiliati, fide in cœlum uſque attollamur, & gradatim ſpe ad illam gloriam aſpiremus, quæ adhuc nobis abſcondita eſt. Et interea etiam ſic modeſte nos cohibeamus, ut tota noſtra ſapientia ſit tibi parere & obſequium præſtare, donec tandem in regnum illud tuum nos colligas, ubi participes ſimus gloriæ tuæ, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO SECUNDA IN

JOELEM PROPHETAM.

CAP. I.

AUdite hoc ſenes, & auſcultate omnes incolæ terræ, an hoc fuerit diebus veſtris, & diebus patrum veſtrorum. Super hoc narrate filiis veſtris, & filii veſtri filiis ſuis, & filii eorum generationi poſteræ. Reſiduum locuſtæ comedit bruchus, & reſiduum bruchi comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ comedit eruca. Proxima lectione jam attigi quid ego ſentiam de hoc Prophetæ loco. Putant aliqui denunciari pœnam in futurum tempus: ſed contextus ſatis oſtendit eos errare & corrumpere genuinum Prophetæ ſenſum: potius enim hic Propheta objurgat duritiem populi, quod plagas ſuas non ſentiat. Et quoniam non facile moventur homines judiciis Dei, Propheta hic pronunciat Deum exercuiſſe tale vindictæ genus, quod non poſſit haberi alio loco quam prodigii: acſi diceret, Sæpe Deus pœnas de hominibus exigit, & decebat nos eſſe attentos ſimulac digitum tollit. Sed vulgares pœnæ ſolent negligi, homines facile prætereunt pœnas quibus ſunt aſſueti. Atqui jam Deus vobiſcum egit non uſitato modo, ſed palam exeruit manum ſuam è cœlo, & pœnæ quas vobis infligit, ſunt mera prodigia. Eſtis igitur pluſquam ſtupidi, niſi ſentiatis vos Dei manu percuti. Ille verus eſt Prophetæ ſenſus, & facile hoc colligitur ex verbis. *Audite ſenes*, inquit. Senes diſerte hic compellat, quia experientia multum affert hominibus: & qui ſenes ſunt, ſi vident aliquid novum & inſolitum, debent ſentire non eſſe hoc ex ordinario naturæ curſu. Qui jam præteriit quinquaginta vel ſexaginta annos, & videt aliquid novum accidere quod nunquam putaſſet, ille certe agnoſcit aliquod inſolitum eſſe Dei opus. Hæc ratio eſt cur Propheta hic ſermonem ad ſenes dirigat; acſi diceret, Ego non terrebo vos de nihilo, ſed ſenes ipſi audiant, qui jam multis annis aſſuefacti eſſe debent ad multas revolutiones: jam reſpondeant mihi an tota vita, etiamſi ſeculum unum in terra tranſegerint, viderint tale aliquod opus. Tenemus nunc conſilium Prophetæ. Vult enim hic expergefacere Judæos, ut intelligant Deum exerere manum ſuam è cœlo, & jam non poſſe vel fortunæ aſcribi, vel terrenis mediis, quod oculis ſuis vident, ſed eſſe aliquod prodigium. Finis autem eſt, ut pudeat tandem Judæos ſuæ ſocordiæ, quia hactenus non fuerint magis attenti ad Dei vindictas, ſed ſecure ſemper ſibi blanditi ſint, acſi Deus in cœlo dormiret, quum tamen tam violenter in ipſos fulminaverit, & voluerit etiam præter conſuetum ordinem ipſos afficere, ut tandem ſentirent ſe vocari in judicium. Poſtea addit, *Vos etiam omnes incolæ terræ.* Si tantum de ſenibus loquutus eſſet Propheta, poterant alii captare aliquem ignorantiæ prætextum, ideo hic compellantur omnes à minimo ad maximum, atque ita oſtendit, ne juvenes quidem eximi à culpa, ſi pergant in ſua obſtinatione, & ita Deo illudant, quando tamen ſerio ipſos ad reſipiſcentiam compellet. *Vos*, inquit, *omnes incolæ terræ attendite, an hoc fuerit diebus veſtris, & diebus patrum veſtrorum.* Primo dicit, an fuerit tale aliquid diebus veſtris, quia certe quæ raro acciduot digna ſunt majori conſideratione. Hoc quidem verum eſt, perperam homines cæcutire ad quotidiana Dei opera, quemadmodum vileſcit nobis Dei gratia, dum quotidie ſol exoritur. Hoc accidit noſtra ingratitudine: ſed duplex eſt ingratitudo, & longe fœdior, & minus excuſabilis, ſi Dominus inſolito modo operetur, & nos tamen clauſis oculis præterimus quod debebat cenſeri miraculi loco. Hanc nunc tarditatem Propheta coarguit. Acciditne tale aliquid diebus veſtris, imo diebus patrum veſtrorum? inquit. Poteſtis revocare in memoriam quid patres veſtri narraverint. Certe duobus jam ſeculis nihil tale accidit. Ergo nimius eſt torpor veſter, quum etiam negligitis hoc Dei judicium, quod tamen ſua raritate debebat expergefacere mentes veſtras. Poſtea adjungit, *Narrate filiis veſtris, filii veſtri filiis ſuis, filii eorum generationi poſteræ.* Hoc verſu oſtendit Propheta rem eſſe memoratu dignam, & quæ non debeat contemni à poſteris, etiamſi per multas ætates narretur. Jam facile apparet Prophetam non minari in futurum tempus, quemadmodum interpretes exiſtimant: illud eſſet puerile. Potius enim hic expoſtulat cum Judæis, quod tam ſint pigri & ignavi ad conſideranda Dei judicia: præſertim vero hoc tam inſigne documentum, ubi Deus non agit ſolitis modis, ſed prodigiis vult homines movere, & quaſi concutere. *De hoc igitur narrate.* Nam iſtud עליה nihil aliud eſt, quam Narrate hanc rem filiis veſtris. deinde *filii veſtri filiis ſuis*. Quum accidit aliquid novi, fieri poteſt ut initio tangamur aliqua admiratione, ſed ſtatim evaneſcit una cum rei novitate judicium noſtrum, & contemnitur quod initio magni æſtimavimus. Sed Propheta hic oſtendit tale eſſe judicium Dei de quo loquitur, ut contemni non debeat neque etiam poſſit à poſteris: *narrent*, inquit, *filii veſtri* generationi *uſque ad quartam ætatem*, hoc tamen ſemper erit memorabile. Addit quale ſit illud judicium Dei, nempe quod multis annis ſpes alimentorum eos fruſtrata ſit. Fieri videmus ut *locuſtæ* ſæpe devorent ſegetem, deinde *bruchi & erucæ*: accedunt etiam aliæ calamitates: hoc eſt ordinarium. Sed ubi vaſtatio una accidit, ſequitur deinde altera, & nullus eſt finis, quatuor anni ſunt ſteriles, idque quoniam animalia repente naſcuntur quæ ſubſtantiam terræ devorent: hoc certe eſt inſolitum. Ideo dicit Propheta non poſſe vocari hoc fortuitum, quia Deus voluit inſigne portentum oſtendere Judæis, ut etiam inviti attenderent ad manum ejus. Si quid frivolum acciderit, quia tamen erit rarum, movebit homines, quemadmodum videmus levibus de cauſis ſæpe mundum tumultuari. Atqui hoc portentum, inquit Propheta, debebat vos magis afficere. Quid ergo ſibi vult quod eſtis famelici, & cauſæ etiam apparent, quia ſcilicet Dominus terræ veſtræ maledixerit, quod excitaverit beſtias iſtas, quæ rapuerunt victum ex oculis veſtris? Quum ergo ita ſit, jam certe tempus eſt reſipiſcendi, & vos hactenus fuiſtis nimium ſocordes, qui neglexiſtis tam inſignes, & memorabiles Dei vindictas. Nunc pergamus.

5. Expergiſcimini ebrii, & flete, & ululate omnes qui bibitis vinum, ſuper muſto, quia exciſum eſt ab ore veſtro.

Amplificandi cauſa hanc ſententiam Propheta addit. Quoniam enim Deus videt homines contemptim vel ridere vel pro nihilo ducere ſua judicia, illis inſultat. Et hanc rationem nunc Propheta tenet: Vos, inquit,

inquit, ebrii expergiſcimini, flete & ululate. Nam his verbis quaſi in rem præſentem adducit eos, qui libenter clauſiſſent oculos ad tam manifeſtas pœnas. Obtorpuerant Judæi, & jam quaſi obduxerant callum: neceſſe igitur fuit illos quaſi violenter trahi in lucem. Nominatim vero Propheta ebrios compellat. Et credibile eſt vitium hoc tunc fuiſſe nimis vulgare in populo. Quicquid ſit, Propheta hic per hypotypoſin magis efficaciter docet non eſſe locum diſſimulandi, atque Judæos non poſſe excuſari à ſocordia, ſi amplius conniveant: quia ebrii ipſi qui degenerant à ſenſu humano, illi etiam ſentient cladem, quoniam vinum abſciſſum eſt ab ore eorum. Et notandæ ſunt iſtæ loquutiones Prophetæ, *Expergiſcimini*. Nam ebrii etiam vigilando dormiunt: deinde conſumunt majorem partem temporis in ſomno. Propheta ergo huc tendit, quod etiamſi homines ne mediocri quidem intelligentia polleant, ſed fere careant ſenſu, non tamen poſſint jam amplius ſibi blandiri: quia ebrii ipſi, qui ingenio ſunt prorſus ſuffocato, adeoque alienati ſunt mente, illi etiam ſentient Dei judicium: etiamſi ſopor illos conſtrictos teneat, cogentur tamen expergiſci ad tam manifeſtam pœnam. Quid ergo ſibi vult iſta ignorantia, ſi non ſentitis manu Dei vos percuti? Et eodem etiam ſpectant aliæ loquutiones, *Flete & ululate*. Ebrii potius ſeſe projiciunt in lætitiam, & intemperanter ſibi indulgent: & nihil difficilius eſt quam illis exprimere dolorem, quia vinum occupat ita eorum ſenſus, ut etiam in maximis cladibus non deſinant ridere. Dicit autem Propheta, *Flete & ululate ebrii*. Quid ergo ſobrii agent? Poſtea, *abſciſſum eſt vinum ab ore veſtro*. Non dicit vobis ablatus eſt uſus vini, ſed dicit *ab ore veſtro*: etiamſi nemo de vindemiis cogitet, vel de cellis vinariis, vel de ipſis cantharis, tamen cogentur, velint nolint, ſentire Dei judicium in ipſo ore, & ipſis labris. Hoc intelligit Propheta. Videmus ergo quantopere exaggeret quod prius dixit. Et tenendus eſt finis ille, quod ſcilicet voluit pudorem incutere populo qui ſic obtorpuerat ad Dei judicium. Quantum attinet ad nomen עסיס, vertunt alii Muſtum. עסס eſt Exprimere, & ideo proprie עסיס dicitur vinum quod exprimitur in torculari; non muſtum quod elicitur è cupa, ſed quod extorquetur quaſi violenter. Ego tamen non dubito quin hic per ſpeciem Propheta deſignet quodlibet genus vini. Pergamus.

6. Quia gens aſcendit ſuper terram meam robuſta, & abſque numero, dentes ejus dentes leonis, & maxillæ (*alii vertunt, molares*) leonis illis: (*quanquam aliud eſt nomen. alii vertunt, leunculum*)

7. Poſuit vineam meam in vaſtitatem, (*vel deſolationem*) & ficulneam meam in decorticationem: nudando nudavit eam, & disjecit, albi facti ſunt rami ejus.

Quod alii putant, hic pœnam denunciari populo quæ nondum inflicta erat, iterum repeto, mihi non placere: ſed potius meo judicio commemorat Propheta aliam Dei vindictam, ut oſtendat Deum non uno tantum modo admonuiſſe Judæos de ſuis peccatis, ut tandem revocaret ad ſanam mentem: ſed tentaſſe omnia ut eos reduceret in viam, niſi fuiſſent prorſus deſperati. Poſtquam ergo de ſterilitate agrorum, vel de aliis calamitatibus loquutus eſt, jam addit etiam bello fuiſſe Judæos afflictos. Certe fames debuerat illos tangere, præſertim quum incommoda alia aliis ſuccedentia animadverterent præter conſuetum naturæ curſum plures annos occupare, ut jam non poſſet hoc imputari fortunæ. Sed ubi Deus fame jam confectos iterum bello perſequutus eſt, nonne oportuit pluſquam eſſe alienatos à mente, qui manerent in his Dei vindictis attoniti, & non reſipiſcerent? Hoc igitur conſilium Prophetæ eſt, quod Deus quibuſcunque fieri potuit modis expertus fuerit an ſanabiles eſſent Judæi, & occaſionem reſipiſcendi illis dederit, niſi quod prorſus erant intractabiles & indomiti. Dicit ergo, *Certe gens aſcendit*. Particula כי non debet hic accipi cauſaliter, ſed tantum expoſitive: Certe, vel nempe, *gens*, inquit, *aſcendit*. Quanquam illatio etiam non male conveniet, ſi dicamus ſententiam pendere ab illo exordio, Audite ſenes, narrate filiis veſtris: quid narrabimus? Nempe quod &c. Cæterum hoc quoque modo כי erit exegeticum, & non mutabitur ſententia: ſed oſtendo rationem contextus. *Gens ergo aſcendit ſuper terram meam*. Deus hic honorifice terram Canaan ſibi vindicat quaſi propriam hereditatem. Sed facit hoc conſulto, ut melius agnoſcant Judæi illum ſibi eſſe infeſtum: quia non fuiſſet deterior eorum conditio quam aliarum gentium, niſi Deus voluiſſet pœnas de eorum ſceleribus ſumere. Subeſt igitur tacita comparatio inter Judæam & alias regiones: acſi diceret Propheta, Qui fit ut terra veſtra bellis & multis cladibus vaſtetur, aliæ autem regiones quieſcant? Certe hæc terra ſacra eſt Deo. Ille enim ſibi eam delegit in qua regnaret: hic habet ſuum domicilium. Neceſſe eſt igitur aliquam cauſam iræ Dei ſubeſſe, quod terra veſtra tam miſere vaſtetur, quum aliis terris ſit otium. Nunc teneamus quid velit Propheta *Aſcendit gens ſuper terram meam*, inquit. & quid hoc eſt? Certe Deus poterat ſe opponere, poterat tueri terram ſuam, cujus ipſe erat cuſtos: & quæ erat ſub ejus præſidio. Qui fit ergo ut hanc terram impune hoſtes invadant, in ea graſſentur, & eam prorſus devaſtent, niſi quia deſerta eſt à Domino ipſo? *Gens*, inquit, *aſcendit ſuper terram meam robuſta, & abſque numero*. deinde, *cujus dentes ſunt leonis, maxillæ ſunt leunculi*. Nullum eſt tantum robur in Gentibus, quod Deus non poſſit momento frangere: neque opus habet magnis auxiliis. Poterit enim ſolo nutu in nihilum redigere quicquid conantur homines. Quum ergo tam impetuoſe ruunt Aſſyrii contra Judæos, neceſſe eſt expoſitos eſſe hoſtium ſuorum libidini: quia indigni ſunt quos amplius Deus manu ſua protegat, quemadmodum hactenus fecit. Poſtea addit, *vitem ſuam poſitam fuiſſe in deſolationem & vaſtitatem, ficulneam ſuam in decorticationem*. Non loquitur hic Deus de vinea ſua, quemadmodum aliis locis Eccleſiam hoc elogio inſignit: ſed quicquid in terra erat, vocat ſuum: quemadmodum etiam totam ſobolem Abrahæ vocat filios ſuos. Et ita exprobrat Judæis quod culpa ſua tam miſere pereant: quia nunquam ſpoliati fuiſſent ab hoſtibus, niſi prius repuliſſent Deum ipſum, qui ſolebat eos tueri: quia nihil erat in ipſorum terra quod non ipſe agnoſceret pro ſuo. Nam ſicuti elegerat populum illum, ita terram ſibi conſecraverat. Quicquid ergo tunc naſcebatur in Judæa, hoc erat quaſi ſacrum Deo. Nunc quum & vites & ficus expoſitæ ſint infidelium injuriis, certum eſt non amplius Deum illic regnare. Quare? nempe quod Judæi eum expulerunt. Et poſtea amplificat eandem rem. Nam quod ſequitur non eſt ſimplex narratio; *Nudando nudavit eam & disjecit*. Non ſimpliciter hic narrat Propheta quod accidit, ſed quemadmodum jam diximus, quo plus attentionis ſibi conciliet, atque expergefaciat ſopitos ſenſus populi, imo ut veternum corrigat, quo occupatæ fuerant omnium mentes, ideo hic exornat ſuam doctrinam pluribus verbis. Hæc ratio eſt cur dicat nudatam fuiſſe vineam, & ficum: deinde projecta fuiſſe folia, nudatos fuiſſe ramos & albos, quia ſcilicet nihil reſiduum fuerit ſubſtantiæ aut vigoris. Multi interpretes

conjungunt iſtos tres verſus cum prioribus, acſi nunc exprimeret Propheta quod prius dixerat de erucis, de brucho & locuſta. Putant enim allegorice loquutum eſſe, quum dicebat, Omnes terræ fruges fuiſſe conſumptas à locuſtis & bruchis. Jam ergo addunt, locuſtas iſtas, vel bruchos, vel erucas eſſe tam Aſſyrios, quam Perſas & Græcos, hoc eſt, Alexandrum Macedonem, & Romanos. Sed illud eſt omnino coactum, imo jam non opus eſt longa diſputatione. Facile enim quiſque nunc videt Prophetam proferre in medium aliud pœnarum genus, ut modis omnibus reddat Judæos inexcuſabiles, qui etiam ad tam multiplices plagas non expergeſiunt, ſed manent ſemper obſtinati in ſuis vitiis. Nunc pergamus.

8. Plange tanquam puella accincta ſacco ſuper marito adoleſcentiæ ſuæ.

Nunc Propheta alloquitur totam terram. *Plange*, inquit: neque id vulgariter, ſed tanquam vidua, cui mortuus eſt maritus, cui adoleſcentula nupſerat. Scimus magis tenerum eſſe amorem viri adoleſcentis erga puellam, & viciſſim puellæ erga maritum adoleſcentem, quam ſi quiſpiam ſenex vetulam ducat. Hæc ratio eſt cur Propheta hic nominet maritum adoleſcentiæ. Vult enim exprimere graviſſimum planctum: & ideo dicit, Certe non ſecus debent affici Judæi tot cladibus, quam mulier vidua quæ maritum adhuc juvenem perdidit, qui videtur abreptus eſſe nondum matura ætate, ſed in flore ipſo. Quoniam ergo tales viduæ acerbius ferunt ſuam calamitatem, hæc ratio eſt cur Propheta hanc circumſtantiam appoſuerit. בעל vocant Hebræi ſæpe Maritum, quia dominus eſt mulieris, & eam habet ſub ſua tutela. Ad verbum eſt, Super dominum adoleſcentiæ ſuæ: & ideo etiam vocarunt idola ſua בעלים, quaſi patronos, quemadmodum aliquoties diximus in Prophetam Hoſeam. Summa eſt, Judæos non poſſe quieſcere niſi prorſus abjecerint omnem rationem & judicium, quia cogentur, velint nolint, ſentire graviſſimam cladem. Hoc erit monſtrum, ſi vidua quæ maritum adhuc juvenem perdidit, abſtineat à luctu. Ergo nunc quum Deus terram ſuam tot cladibus afflixerit, voluit quaſi dolorem viduitatis infligere. Sequitur,

9. Succiſa eſt oblatio & libamen è domo Jehovæ: luxerunt ſacerdotes miniſtri Jehovæ.

Hic aliis verbis Propheta cladem illam nobis depingit. Nam, ut dictum eſt, videmus quanta ſit hominum tarditas ad reputanda Dei judicia. Et ſcimus Judæos non fuiſſe magis attentos quam nunc ſimus. Oportuit igitur variis ſtimulis ipſos pungi, quemadmodum nunc Propheta facit: acſi diceret, Si jam non laboratis de victu, ſi etiam non expenditis quod ebrii ipſi coguntur ſentire, etiamſi non procul cernant, ſed tantum in labris ſuis deguſtent cladem iſtam: ſi ergo hæc omnia nullius apud vos ſunt momenti, ſaltem reſpicite Templum Dei quod jam caret ordinario ſuo cultu. Nam in hac ſterilitate agrorum, in hac tanta inopia neque panis offertur neque vinum. Quum ergo ceſſare videatis cultum Dei, quid adhuc ceſſatis ipſi? cur non ſentitis accenſum eſſe in vos Dei furorem? Nam certe niſi Deus graviſſime offenſus eſſet, rationem ſaltem haberet cultus ſui, non ſineret Templum ſuum manere vacuum ſacrificiis. Scimus quotidie Judæos fudiſſe ſua libamina, & obtuliſſe etiam panes. Quum ergo מנחה & libamen ponit Joel, non dubium eſt quin velit exprimere jam fere abolitum eſſe Dei cultum: Deus vero hoc nunquam permitteret, niſi graviter eſſet offenſus propter hominum peccata. Hinc ergo melius coarguitur populi torpor, vel potius ſtupor, quod non ſentit etiam in Templo ipſo manifeſta ſigna iræ Dei. Sequitur,

10. Vaſtatus eſt ager, luxit terra, (*hoc eſt, luxerunt terræ incolæ*) quia vaſtatum eſt (*idem eſt verbum: vel, quia periit*) frumentum, aruit (*eſt à verbo* יבש, *non à* בוש *quod ſignificat Pudefacere. Quanquam utraque radix ſignificationem hanc admittit apud Hebræos: quia ergo aruit*) muſtum, & exterminatum eſt (*infirmatum, ad verbum, ab* אמל: *ſed ſignificat Debilitatum eſſe*) oleum.

Hic proſequitur eandem ſententiam Propheta: ſed adhibet hanc verborum congeriem, ut plus efficaciæ habeat doctrina. Sciebat enim ſe apud ſurdos verba facere: ita longo uſu obduruerant, ut nihil vel ſaltem minimum proficeret Deus verbo ſuo. hæc igitur ratio eſt cur Propheta vehementius inſiſtat in re non obſcura. Siquis nunc roget quid opus fuerit tot verbis: videtur enim eſſe ſupervacua loquacitas. Fateor quidem, quicquid voluit dicere Propheta, uno verbo poſſe intelligi: nihil eſt hic obſcurum. Sed non ſatis erat intelligi quod dicebat, niſi etiam Judæi in ſeipſos deſcenderent, & ſentirent ſibi negotium eſſe cum Deo. Ad hunc ſenſum non adeo proclives erant. Ergo non abs re hic laborat Propheta, quum inculcat eandem ſententiam pluribus verbis. Dicit igitur *agrum eſſe vaſtatum, & terram luxiſſe, quia triticum perierit, quia aruerit vinum, quia exterminatum ſit oleum.* His autem verbis ſignificat eos videndo nihil videre: acſi diceret, Neceſſitas vobis luctum extorqueat: eſtis enim famelici: nemo eſt qui non queratur de inedia, qui non deploret penuriam panis & vini, & interea nemo veſtrûm cogitat unde hæc inopia, nempe ex manu Dei. Sentitis ergo in ore, ſentitis in palato, ſentitis in gutture, ſentitis in ſtomacho, ſed in corde non ſentitis. In ſumma, Propheta ſignificat vera intelligentia carere Judæos, qui deplorant quidem famem ſuam, ſicuti brutæ pecudes quum eſuriunt oſtendunt ſigna impatientiæ. dicit Judæos lugere hoc modo: quia ſcilicet venter ipſorum clamitet: ſed interea non agnoſcere culpam hujus inediæ & famis eſſe in ſuis peccatis. Poſtea ſequitur,

11. Erubeſcite agricolæ, ululate vinitores ſuper tritico & hordeo, quia periit meſſis agri.

Nihil novum hic dicit Propheta: ſed confirmat rurſus quod prius dixit. & non eſt verboſus ſine cauſa: quoniam hic non tantum vult docere, ſed potius afficere. Atque hic eſt doctrinæ cœleſtis uſus. Neque enim tantum vult Deus intelligi quid ipſe dicat, ſed vult penetrare in animos noſtros. Et ſcimus verbum Dei non conſtare ſimplici doctrina, ſed etiam exhortationibus, & minis, & objurgationibus. In hoc ergo nunc Propheta incumbit. *Vos*, inquit, *agricolæ erubeſcite, & vos vinitores ululate, quia periit meſſis agri.* Summa eſt, quod, ſicuti jam diximus, Judæi nulla jam excuſatione poterant tegere ſuam ſocordiam, quoniam paſſim audiebatur eorum clamor, paſſim querimoniæ reſonabant, quod vaſtata eſſet terra, quod ipſi eſſent famelici, quod tot cladibus afflicti eſſent: interea vero nemo agnoſceret Deum

eſſe

eſſe auctorem, qui animadverteret in ipſorum peccata. Sed reliqua differam in diem craſtinum. Precemur Dominum.

Da omnipotens Deus, quando etiam hodie tot modis nos ad pœnitentiam invitas, & non deſinis etiam nos urgere, quia nimiam cunctationem noſtram vides: da, inquam, ut tandem ab hoc torpore expergefiamus, neque ſinas nos inebriari Satanæ illecebris & mundi, ſed Spiritu tuo nos excites ad veros gemitus, ut pudefacti in nobis confugiamus ad tuam miſericordiam, nec dubitemus te nobis propitium fore, modo ſincero corde te invocemus, & quæramus eam reconciliationem, quam nobis quotidie offers per Euangelium tuum, in nomine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO TERTIA
IN
JOELEM PROPHETAM.

CAP. I.

12. Vitis exaruit, & ficulnea infirmata eſt: *(vel periit)* malogranatum, etiam palma & malus, omnes arbores agri exaruerunt: certe exaruit gaudium à filiis hominum.

Concludit nunc Propheta ſuperiores ſententias, quod ſcilicet Dominus exerceat tam ſevera judicia adverſus populum, ut mirum ſit ipſos obſtupeſcere, dum ita redacti ſunt ad extrema. Dicit *vitem exaruiſſe, & omne genus fructuum*: adjungit *ficulneam*, poſtea רמון *malogranatum* (ſic enim vertunt,) *palmam, malum, & omnes arbores*. Hæc vero ſterilitas clarum erat ſignum iræ Dei: niſi homines vel nimium ſibi blanditi fuiſſent, vel occalluiſſent ad omnes pœnas. Hæc autem *inuritoria* eſt quaſi ſummus cumulus malorum, ubi ſcilicet homines jam non ſentiunt mala ſua, vel ſaltem non intelligunt ſibi infligi à Dei manu. Jam pergamus.

13. Accingimini, & plangite Sacerdotes, ululate miniſtri altaris, venite, pernoctate cum ſaccis miniſtri Dei mei: quia prohibita eſt à domo Dei veſtri oblatio & libamen.

14. Sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate ſenes, omnes incolas terræ in domum Jehovæ Dei veſtri: & clamate ad Jehovam,

15. Heus diem! quia propinquus eſt dies Jehovæ, & tanquam vaſtans ab Omnipotente veniet.

Nunc incipit Propheta hortari populum ad pœnitentiam. Poſtquam expoſuit illos tam graviter affligi Dei manu, jam addit remedium eſſe paratum, modo ipſi ad Dei gratiam ſe conferant. Et ſimul etiam denunciat graviores pœnas in futurum tempus: quia non ſatis fuiſſet ipſos eſſe admonitos de ſuis cladibus & incommodis, niſi etiam timuiſſent in futurum tempus. Propheta igitur ut magis eos commoveat, dicit adhuc extentam eſſe manum Dei, & inſtare aliquid deterius, niſi ſponte ipſi præveniant. Hæc ſumma eſt. Jam venio ad verba. *Accingimini, plangite, & ululate*, inquit, *Sacerdotes, miniſtri altaris*. Iſtud חגרו poteſt bifariam exponi. Sic intelligitur à quibuſdam, Accingite vos ſaccis: quia paulo poſt dicet *cum ſaccis*, vel *in ſaccos*. Sed poſſemus etiam ſimplicius accipere: *Accingite vos*, hoc eſt, Feſtinate. Nam iſta loquutio metaphorica frequenter occurrit. Quantum ad ſummam rei, parum refert ſive legamus, Accingite vos ſaccis, ſive properate. Alloquitur autem Sacerdotes: quanquam poſtea ſequatur communis & promiſcua exhortatio ad totum populum. Sed quia Deus conſtituerat illos populi ſui duces, oportuit etiam exemplo ſuo præire aliis. Commune officium eſt piorum omnium, & precari & curare etiam fratrum ſalutem: ſed ſpecialiter hoc munus injunctum eſt verbi miniſtris, & paſtoribus. Sic etiam ubi Deus ad reſipiſcentiam nos invitat, qui aliis præſunt debent viam monſtrare, idque duabus de cauſis: quia ſcilicet non fruſtra in hunc finem electi ſint à Domino, ut aliis præfulgeant, & ſint quaſi luminaria. Deinde qui ſuſtinent publicum aliquod onus, debent duplicem reatum ſentire, quoties Dominus publica delicta ad judicium, vel ad rationem vocat. Nam privati peccant, ſed in paſtoribus eſt culpa negligentiæ: deinde etiamſi vel minimum deflectant à recta via, gravius offendiculum inde naſcitur. Merito itaque Propheta à Sacerdotibus exordium facit, dum jubet totum populum reſipiſcere. Quanquam non tantum jubet eos induere ſaccum, ſed ſimul præcipit, ut jejunium indicant, deinde convocent cœtum, quemadmodum videbimus. *Vos* ergo *Sacerdotes*, inquit, *accingimini & induite ſaccos, plangite, & ululate, pernoctate cum ſaccis*. deinde vocat *miniſtros altaris, & miniſtros Dei*, idque diverſo reſpectu. Neque enim altare Propheta ſubrogat in locum Dei. nam hoc modo fabricaret idolum. Sed vocantur miniſtri altaris, quia illic offerunt ſacrificia Deo. Proprie autem vocantur miniſtri Dei. Sed quoniam Sacerdotes quoties immolabant hoſtias, ſiſtebant ſe in conſpectum Dei, & altare erat illis quaſi acceſſus ad ipſum, vocantur propterea miniſtri altaris. Vocat autem ſimul miniſtros Dei, & proprie, ut dictum fuit. Sed ponit hic אלהי: jod à quibuſdam omittitur, acſi non eſſet ſervilis litera, ſed ſupervacua. Ego tamen non dubito quin Propheta hic Deum ſuum nominaverit: quia hoc modo volebat aſſerere plus auctoritatis doctrinæ ſuæ. Negotium vel certamen erat illi cum toto populo: non dubium eſt quin ſuperbe pro more ſuo oppoſuerint nomen Dei, clypei inſtar: Quid? annon ſumus etiam populus Dei? Ergo Propheta ut hanc ſuperbiam refelleret, ſtatuit Deum à parte ſua: ideo ſic loquitur. *Miniſtri Dei mei*, inquit. Si quis contra excepiſſet Deum eſſe communem toti populo, facilis exceptio erat Prophetæ, Ego ſpecialiter ab eo miſſus ſum, & ſuſtineo ejus perſonam, & cauſam ejus ago, quam ipſe mihi mandavit. Eſt igitur Deus meus, & non veſter. Nunc ergo tenemus quid velit Propheta his verbis. Jam addit, *Quum ſucciſa eſt oblatio & libamen à domo Dei veſtri*. Jam ſimul etiam fatetur Deum eſſe ipſorum, reſpectu ſacerdotii. Scimus enim nihil temere fuiſſe inventum apud Judæos, ſed Templum extructum fuiſſe Dei mandato, & ſacrificia oblata ex præſcripto Legis. Tribuit ergo hunc honorem Sacerdotio, quod Deus in Templo illo regnat: quia ſcilicet, ut jam diximus, Deus probabat cultum illum, ſicuti profectus erat ex ejus verbo. Quo etiam pertinet illud dictum Chriſti, Nos ſcimus quid

colamus. Sed interea non rite coluerant Deum Sacerdotes, quia etſi externæ ceremoniæ ſanctæ erant propter Dei mandatum, qnia tamen polluta erant corda, certum eſt quicquid agebant repudiatum fuiſſe à Domino, donec tacti judicii ejus timore ad ipſius gratiam confugerent, quemadmodum nunc Propheta eos hortatur. Poſtea addit, *Sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate ſenes, omnes incolas terræ.* קדש ſignificat Sanctificare & properare: ſed retinui propriam ſignificationem, Sanctificate jejunium: quia edictum illud ſpectabat in finem ſanctificationis. *Jejunium* ergo *edicite*. Quorſum? Nempe ut populus ab omnibus inquinamentis ſe purget, atque ſe purum & integrum nunc offerat Deo *Vocate cœtum*. Apparet ſolennem fuiſſe convocationem, quoties edicebatur jejunium in populn. Neque enim ſatis erat ſi quiſque privatim domi ſuæ à cibo abſtinuiſſet, niſi palam omnes uno ore & uno conſenſu profeſſi fuiſſent ſe reos eſſe coram Domino. Jejunium igitur conjunctum fuit cum ſolenni profeſſione pœnitentiæ. Scimus diverſos eſſe jejunii uſus ac fines: ſed qnum hic Propheta loquitur de ſolenni jejunio, non dubium eſt quin jubeat populum ſuppliciter accedere, quemadmodum ſolent rei, qui volunt deprecari culpam coram judice, ut ejus miſericordiam ſibi concilient. Sed de jejunio plura dicentur ſecundo capite. Ego nunc tantum hoc breviter attingere volui. Poſtea jubet *congregari ſenes*. Addit quidem, omnes incolas terræ: ſed incipit à ſenibus. & merito: quia ſemper gravior eſt reatus ſenum. Nomen vero hoc jam non refertur ad ætatem, ſicuti prius. Heri, qnum dicebat, Audite ſenes, alloquebatur eos qui longa experientia jam didicerant in mundo, quæ erant ignota juvenibus, vel hominibus mediæ ætatis. Jam autem Propheta ſenes intelligit quibus commiſſa erant gubernacula populi. Quia vero ignavia ſua paſſi fuerant collabi in deterius Dei cultum, & omnem integritatem, merito Propheta hic vult eſſe duces & anteſignanos reliquo populo in profeſſione pœnitentiæ. Deinde ratione muneris oportuit etiam eos monſtrare viam, quemadmodum diximus de Sacerdotibus. Interea tamen oſtendit Joël totum populum obſtringi culpa, & neminem poſſe excipi ab hoc numero, quia vult omnes venire cum ſenibus. *Vocate*, inquit, *in domum Jehovæ Dei veſtri, & clamate ad Jehovam.* Hinc colligimus quorſum loquutus ſit de jejunio & de ſacco, nempe ut ſuppliciter deprecarentur iram Dei. Jejunium enim per ſe frigeret: ſcimus etiam in ſacco per ſe eſſe inane ſignum. Sed precatio hic ſtatuitur à Propheta in primo gradu: jejunium vero nihil aliud eſt quam appendix: ita & de ſacco dicendum eſt. Quiſquis ergo ſaccum induet, & abſtinebit à precibus, merum erit ludibrium: jejunio etiam nemo quidquam proficiet. Sed ubi jejunium & ſaccus accedunt ad precationem, & ſunt quaſi adminicula, tunc non inutiliter exercent ſe in illis homines. Notemus ergo tam jejunium quam ſaccum non alio ſpectare, niſi ut Sacerdotes una cum toto populo ſe Deo ſupplices offerant, & fateantur ſe dignos eſſe exitio, neque ſpem ſibi reliquam eſſe niſi in ejus gratuita miſericordia. Hæc ſumma eſt. Sequitur jam, *Heu diem! nam propinquus eſt dies Jehovæ.* Hic Propheta minatur in poſterum tempus aliquid gravius quam experti fuerant, ſicuti initio dictum fuit. Hactenus oſtendit eorum torporem, nunc vero pronunciat eos nondum perfunctos eſſe omnibus pœnis, ſed deterius aliquid metuendum, niſi mature ſe ad Deum convertant. Et jam inclamat quaſi ante oculos eſſet dies Jehovæ. Vocat autem diem Jehovæ, quo exeret manum ſuam ad ſumendas pœnas. Quamdiu enim tolerat homines, vel ſuſtinet eorum peccata, videtur non regnare in mundo. Et quanquam loquutio hæc ſatis trita eſt in Scripturis, tamen ſedulo notanda eſt, quia ab omnibus non intelligitur, quod ſcilicet Deus appellet diem ſuum, ubi palam illucet & apparet judex mundi. Nam quamdiu nobis parcit, videtur obnubilata eſſe ejus facies: imo videtur jam non curare mundum. Propheta igitur hic ſignificat inſtare diem Domini: quia fieri non poteſt, quin tandem exurgat Dominus, & conſcendat tribunal ſuum ad homines puniendos, etiamſi ad tempus conniveat. Cæterum, iſta interjectio dolentis ſignificat non poſſe contemni vindictam de qua loquitur Propheta, ſed eſſe horribilem. Vult enim metum Judæis incutere, quia nimis ſecuri erant. Dicit autem, *Propinquus eſt dies*, ne ſcilicet diem de die trahant, quemadmodum fieri ſolet. Nam etſi tangantur homines judicio Dei, tamen ſemper cupiunt tempus ſibi prorogari, & tardiſſime ad Deum accedunt. Propheta ergo ut ſegnitiem omnem corrigat, dicit propinquum eſſe diem iſtum. Addit, כשר משדי יבוא, *tanquam vaſtitas ab Omnipotente veniet.* Nomen שדי tantundem valet ac Victor: ſed deſcendit à radice שדד. Verbum autem illud Hebræis ſignificat Perdere & deſtruere. שדי vocatur Pntens & victor: ideo vocant Deum שדי, propter ejus potentiam. Alii deducunt ab ubere. שדי igitur vocant Deum, acſi illi tribueret Scriptura hoc nomen, quoniam ex eo fluit omnis copia bonorum tanquam ex fonte unico. Sed nomen iſtud ad virtutem potius & fortitudinem refero. Jam, ſcimus gloriatos fuiſſe Judæos Dei nomine, acſi eſſet armatus ad tuendam eorum ſalutem. Quoties ergo Prophetæ dicebant Deum eſſe שדי, rapiebat hoc populus ad perverſam fiduciam: Deus eſt omnipotens, nos ergo ſumus ſecuri à malis omnibus. Sed interea non erat fundata hæc fiducia in promiſſionibus. Scimus enim perperam & ſacrilega etiam audacia fuiſſe abuſos Dei nomine. Quoniam ergo ſtulte ſuperbiebant Judæi eo quod Deus ipſos adoptaverat in populum, dicit hic Propheta, Veniet tanquam vaſtitas ab Omnipotente: hoc eſt, Deus eſt omnipotens, ſed vos longe decipitis, ubi putatis ſalutem veſtram ejus virtute munitam eſſe, quia potius erit vobis adverſarius, ſicuti etiam provocaſtis ejus iram. Sequitur,

16. Annon coram oculis noſtris cibus exciſus eſt? è domo Dei noſtri gaudium & exultatio?

17. Putrefacta ſunt grana ſubtus ſulcos ſuos, deſolata ſunt reconditoria, (*vel apothecæ deſolatæ ſunt*) diruta ſunt horrea, quia exaruit frumentum.

Repetit eandem ſententiam quam prius habuimus. Exprobrat enim Judæis quod tam ſero expendant manum Dei ſibi infeſtam eſſe. *Annon*, inquit, *coram oculis noſtris cibus exciſus eſt? à domo Dei noſtri gaudium & exultatio?* Hic caſtigat Judæorum amentiam, quod etiam non animadverterent quæ ante oculos ipſorum erant poſita. Dicit igitur cæcutire in ipſa luce, & ita eſſe oculatos, ut videndo non videant: debebant enim affici, quum penuria uſque in Templum veniret. Nam quum Deus mandaſſet ſibi primitias offerri, certe oportuit Templum ornari ſuis ſacrificiis: etiamſi pereundum fame & inedia eſſet centies mortalibus, non debet Deus fraudari jure ſuo. Quum ergo jam non eſſet ulla oblatio neque libamen, quantus fuit ſtupor populi, non ſentire illam maledictionem, quæ debebat ipſos vulnerare magis quam ſi centies fame confecti eſſent? Videmus igitur quorſum tendant hæc verba Prophetæ, nempe ut Judæi ſeipſos ſtuporis damnent: quia non reputarunt ſibi infligi graviſſimam pœnam, quum Templum orbatum eſſet ſolitis ſacrificiis. Poſtea addit, *Gaudium & lætitiam* ſublata eſſe: quia ſcilicet jubebat Deus venire

in Templum Judæos, ut gratias agerent, & agnoſcerent ſe eſſe felices, quia domicilium ſibi inter ipſos elegerat. Ideo hæc loquutio tam frequenter repetitur apud Moſen, Lætaberis in conſpectu Dei tui. Volebat enim hac loquendi forma Deus magis animare populum, ut alacriter ad Templum veniret: acſi dixiſſet, Ego certe non indigeo veſtro conſpectu, ſed volo vos exhilarare præſentia mea. Nunc autem quum ceſſaret cultus Dei, dicit Propheta ſimul abolitum fuiſſe gaudium, quia ſcilicet non poterant hilariter gratias agere Deo Judæi, quum ante oculos eſſet ejus maledictio, quum viderent eum ſibi eſſe adverſum: deinde quum carerent etiam pietatis exercitiis. Nunc ergo tenemus cur Propheta oblationibus adjungat gaudium & lætitiam: quoniam ſcilicet erant ſymbola gratiarum actionis. Oſtendit cauſam mali, quod ſcilicet *computruerant grana in ipſis ſulcis.* Nam פרודת vocant ſemina proprie à diſperſione. Ergo à diſperſione vocat grana, & dicit putrefacta fuiſſe in ipſis agris ubi debebant germinare. Poſtea adjungit, *apothecas fuiſſe deſolatas, & horrea fuiſſe diruta:* quia ſcilicet nullus erat uſus. Hinc colligimus graviſſimam fuiſſe ſterilitatem & diuturnam. Neque enim ſi tantum afflictus fuiſſet populus fame ad paucos menſes, vel ad unum annum, Propheta ſic eſſet loquutus. Neceſſe eſt igitur fuiſſe diuturnam iſtam famem, quemadmodum etiam ſupra dictum fuit. Nunc pergamus.

18. Quomodo ingemuit beſtia? confuſa ſunt armenta boum? quia deſunt illis paſcua: etiam greges ovium deſolati ſunt.

Propheta ſuam objurgationem amplificat, quod tam boves quam reliqua animalia ſentiant vindictam Dei. Subeſt igitur hic tacita comparatio inter ſenſum brutorum animalium & populi ſocordiam: acſi diceret, Certe plus eſt intelligentiæ & rationis in bobus & in aliis animalibus brutis, quam in vobis ſit. Nam gemunt armenta, gemunt greges: vos autem manetis ſtupidi & attoniti. Quid hoc ſibi vult? Videmus ergo ut hic Propheta comparet ſtuporem populi cum ſenſu animalium, quo plus pudoris illi infligat: *Quomodo*, inquit, *ingemuit beſtia?* Interrogatio ad vehementiam multum valet: quia ſi more recitantis dixiſſet etiam animalia ingemuiſſe, confuſa fuiſſe armenta; & greges fuiſſe perditos, minus efficaciter affecti fuiſſent Judæi. Sed dum exclamat & interrogative loquitur per admirationem, Quomodo ingemuit beſtia? non dubium eſt quin velit afficere Judæos, ut incipiant ſentire illud Dei judicium, quod prius clauſis oculis prætericrant, quantumvis manifeſtum foret. Sequitur,

19. Ad te Jehova clamabo, quia ignis conſumpſit paſcua *(vel habitacula)* deſerti, & flamma accendit omnes arbores agri.

20. Etiam beſtiæ agri clamabunt ad te, *(quanquam* ערג *proprium eſt cervi, ut dicunt Grammatici, ſicuti etiam Pſalmo* 42. *habetur: eſt illic idem verbum. Clamabunt igitur beſtiæ ad te)* quia aruerunt decurſus aquarum, quia ignis conſumpſit habitacula deſerti. *(vel paſcua.)*

Quoniam videbat Propheta ſe minus proficere quam optaſſet, ideo quaſi relicto populo, de ſeipſo privatim loquitur, *Ego ad te clamabo Jehova.* Prius juſſerat etiam alios clamare: nunc cur non eundem ſermonem proſequitur? quia ſcilicet videbat ſurdos eſſe Judæos, vel tam ignavos ut contemnerent omnes exhortationes, Ego, inquit, ad te clamabo Domine, quando iſti neque pudore neque metu tanguntur: quando abjiciunt omnem curam ſalutis, quando nihil momenti habent apud eos exhortationes, ego illis relictis *ad te clamabo.* hoc eſt, Video Domine proficiſci ex manu tua omnes iſtas calamitates: ego non ululabo quemadmodum faciunt homines profani, ſed ad te recta concedam: quia te ſentio judicem in omnibus his incommodis, quæ perpetimur. Poſtquam ergo Propheta dixit Judæos tardiores eſſe brutis animalibus, & probroſe oſtendit acutius ſentire boves & oves quam ipſos, nunc dicit, etiamſi illi omnes maneant obſtinati, ſe tamen facturum quod pium hominem decebat, & Dei cultorem, Ego clamabo ad te. Quare? Nam *ignis conſumpſit paſcua* vel habitacula *deſerti.* Hic rurſus prodigioſe Dei judicia commemorat. Scimus etiamſi æſtus exurat omnes regiones, tamen loca paſcua non tam facile exareſcere, præſertim montoſa. Hic enim loquitur de paſcuis illis frigidis. Scimus quantalibet ſit ubertas montium, tamen illic dominari frigus: & in maxima ſiccitate ſemper virent illæ regiones montanæ. Propheta autem hic prodigii loco recitat fuiſſe habitacula deſerti exuſta. נאות quidam vertunt Paſcua, alii Habitacula. Sed quantum ad rem ipſam ſpectat, perinde eſt utrumvis legamus: quia Propheta hic deſignat frigidas regiones & humidas, quas nunquam humor etiam in ſummis caloribus deſtituit. Vertunt alii Pulchritudines vel ſpecioſa deſerti: ſed male. Non dubium eſt quin paſcua, vel habitacula, aut caulas intelligat. *Ignis* ergo *conſumpſit habitacula*, vel *paſcua deſerti.* Hoc accidere non ſolet, neque etiam cadit in communem ordinem naturæ. Ergo ſequitur fuiſſe portentum. Hæc ratio eſt cur dicat Propheta jam tempus eſſe clamandi ad Deum, quia non poterat fortuitum videri, quod æſtus exureret humidas & aquoſas regiones. *Flamma*, inquit, *exuſſit omnes arbores agri.* Poſtea addit, *Etiam beſtiæ agri clamabunt.* (nam eſt verbum pluralis numeri: beſtiæ ergo clamabunt.) Hic Propheta clarius exprimit quod prius dixerat, nempe etiamſi ratione careant bruta animalia, ſentire tamen vindictam Dei, ita ut cogant ſuo exemplo homines pudefieri, quia ſcilicet ad Deum clamant. *Clamabunt* igitur *beſtiæ agri.* Tribuit illis clamorem, quemadmodum tribuitur alibi pullis corvorum. Pulli certe corvorum non invocant Deum, proprie loquendo, & tamen ita loquitur Pſalmus, nempe quia roſtra ſua tollendo in ſublime, fatentur nullum aliud eſſe penuriæ remedium, niſi Deus ſuccurrat. Sic etiam Propheta hic inducit beſtias ad Deum clamantes: eſt autem proſopopœia. Nam hoc proprie non potuit dici de beſtiis. Sed quum beſtiæ ulularent præ fame, nonne fuit quædam invocatio Dei, ut ferebat ipſarum ingenium? Quantum igitur capit natura brutorum animalium, dicuntur petere cibum à Domino, ubi edunt lamentabiles clamores & ululatus, & oſtendunt ſe fame & inedia premi. Quum ergo Propheta hanc perſonam imponit beſtiis, probroſe ſimul objicit Judæis ſuum torporem, quod nondum invocent Deum: Quid vultis? inquit. Ecce bruta animalia oſtendunt vobis quid agendum ſit: ſaltem valeat hæc doctrina apud vos. Si hactenus luſimus operam ego & alii Prophetæ, ſi Deus fruſtra functus eſt doctoris officio apud vos, ſaltem boves ipſi ſint vobis magiſtri, quibus turpe quidem eſt vobis eſſe diſcipulos, ſed multo turpius non attendere ad eorum doctrinam: nam boves ſuo exemplo ad Deum vos deducent. Nunc tenemus quanta ſit vehementia in his Prophetæ

verbis, quum dicit, Etiam beſtiæ agri ad Deum clamabunt, quia *exaruerunt decurſus aquarum, & ignis conſumpſit habitacula deſerti, vel paſcua.* Iterum inculcat quod nuper dixi, nempe ſterilitatem illam profectam eſſe ex claro Dei judicio, & quod horrorem merito incutere debeat hominibus, quia ſcilicet fuit ſpecies portenti. Dum ergo in ipſis montibus areſcunt decurſus aquarum, an poterit hoc dici naturale? אפיקים vocant decurſus aquarum, vel etiam valles per quas decurrunt aquæ: nec dubium eſt quin Propheta hic regiones deſignet, quæ ſemper copia aquarum ubertatem ſuam retinebant. Quum ergo valles ipſæ exuſtæ eſſent, certe oportuit agnoſcere illic aliquod miraculum: ideo etiam tribuit clamorem illum jumentis, & brutis animalibus; nec quemlibet clamorem, ſed quo Deum ipſum invocent. Reliqua differemus in diem craſtinum. Præcemur Dominum.

Da omnipotens Deus, quando vides nos circumdatos eſſe infirmitate carnis noſtræ, & ita etiam teneri quaſi obrutos terrenis curis, ut ægre ad te mentes & ſenſus noſtros tollamus: da, inquam, ut verbo tuo & quotidianis admonitionibus expergefacti, tandem ſentiamus mala noſtra: neque tantum erudiamur plagis, quas nobis infligis, ſed ultro etiam nos vocemus in judicium, & examinemus animos noſtros, & ita veniamus in conſpectum tuum, ut ſimus ipſi noſtri judices, quo præveniamus iram tuam, & hoc modo impetremus miſericordiam, quam pollicitus es omnibus, qui ad te converſi tantum deprecabuntur iram tuam, & ſperabunt etiam gratiam in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Amen.

PRÆLECTIO QUARTA
IN
JOELEM PROPHETAM.
CAPUT II.

CLangite tuba in Sion, & clamate (*alii vertunt, tantarizate: ſed eſt generale verbum. clamate igitur, vel clamorem edite*) in monte ſancto meo: contremiſcant omnes incolæ terræ, quia venit dies Jehovæ, quia propinquus eſt.

2. Dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & obſcuritatis, ſicut aurora expanditur ſuper montes: populus magnus & robuſtus, (*vel terribilis*) ſimilis ei non fuit à ſeculo, & poſt eum non addet (*hoc eſt, non erit amplius*) ad annos generationis & generationis. (*ego cogor uno contextu legere hæc omnia: dicam poſtea ſuo loco rationem.*)

3. Coram facie ejus (*coram ipſo*) devorans ignis, & poſt eum exuret flamma: ſicut hortus Eden terra coram ipſo, (*ante faciem ejus, ad verbum*) & poſt eum deſertum ſolitudinis, (*vel vaſtitatis*) adeoque evaſio non erit ei.

4. Quaſi aſpectus equorum aſpectus ejus, & tanquam equites current.

5. Secundum vocem quadrigarum (*ſic* כמראה *interpretes vertunt: poſtea dicam de hoc verbo*) ſuper cacumina montium ſaltabunt, ſecundum vocem flammæ ignis vorantis ſtipulam, quaſi populus robuſtus (*vel terribilis*) paratus ad prælium.

6. A facie ejus pavebunt populi, omnes facies colligent nigredinem.

7. Quaſi gigantes (*vel fortes*) diſcurrent, ſicut viri prælii aſcendent murum, & vir (*hoc eſt, quiſque*) in viis ſuis ambulabit, & non tardabunt greſſus ſuos. (*alii, non inquirent de viis ſuis.*)

8. Vir fratrem ſuum (*hoc eſt, quiſque ſocium ſuum*) non premet, quiſque in viis ſuis ambulabit: uſque in gladium cadent, (*hoc eſt, ſuper gladium cadent*) non vulnerabuntur. (*alii, non concupiſcent.*)

9. Per urbem gradientur, per murum diſcurrent, in domos aſcendent, uſque ad feneſtras intrabunt tanquam fur.

10. Coram eo contremiſcet terra, & angentur cœli: Sol & Luna nigreſcent, & ſtellæ retrahent ſplendorem ſuum.

11. Et Jehova edet vocem ſuam coram exercitu ſuo: quia magna valde caſtra ejus: quia robuſtus qui facit (*vel exequitur*) verbum ejus: quia magnus dies Jehovæ, & terribilis valde: & quis ſuſtinebit eum?

CAput hoc continet ſeveras exhortationes minis permixtas. Minatur autem Propheta, ut corrigat torporem populi, quem jam vidimus nimis fuiſſe tardum ad reputanda Dei judicia. Ego autem volui ſimul contexere iſtos undecim verſus, quia nihil hic aliud propoſitum eſt Prophetæ, niſi ut metu commoveat animos populi. Hæc igitur deſcriptio tantum hoc ſpectat, ut ſentiat populus jam non eſſe tempus quieſcendi: quia Dominus poſtquam toleravit eorum ſcelera, jam velit uno impetu effundere totum ſuum furorem. Hæc ſumma eſt. Nunc veniamus ad verba. *Clangite tuba in Sion: clamate in monte ſancto meo,* inquit: *contremiſcant omnes incolæ terræ.* Propheta ab exhortatione incipit. Scimus enim eum alludere ad ſolennem Legis ritum, quia ſicuti diebus feſtis clangebant tubæ ad populum vocandum, ſic etiam ubi aliquid extraordinarium acciderat. Non ergo tantum privatim ſingulos Propheta hortatur, ſed quia à minimo uſque ad maximum omnes ſcelerate egerant, ideo etiam jubet totam Eccleſiam vocari, ut communiter agnoſcant ſe reos eſſe coram Deo, & pœnam deprecentur. Perinde igitur eſt acſi diceret Propheta, neminem eſſe in populo, qui ſe eximere à culpa poſſit, quoniam graſſata fuerit iniquitas per totum corpus. Cæterum, docet hic locus, quoties impendet aliqua Dei vindicta, & jam ſigna nobis apparent, utendum eſſe hoc remedio, nempe ut publice omnes conveniant, & fateantur ſe dignos eſſe exitio, confugiant interea ad Dei miſericordiam. Scimus, quemadmodum jam dixi, hoc fuiſſe olim mandatum veteri populo: & talis ratio non fuit abolita per Euangelium. Unde etiam apparet, quanto-

pere deſciverimus à vero & legitimo ordine, quia hodie novum eſſet & inſolitum, ſi jejunium indiceretur. Quare? nam major pars obduruit: & quemadmodum vulgo neſciunt quid ſit pœnitentia, ita etiam non intelligunt quid ſibi velit pœnitentiæ profeſſio. Neque enim intelligunt quid ſit peccatum, quid ſit ira Dei, quid ſit gratia. Ideo non mirum eſt tam ſecuros eſſe, & quum de veniæ deprecatione agitur, hoc totum eſſe hodie incognitum. Sed quanquam ita vulgus obſtupuerit, noſtrum tamen eſt ex Prophetis colligere qualis ſemper fuerit vera populi Dei gubernatio; & quantum in nobis eſt, etiam ſtudere quiſque debet ut hæc innoteſcant, ut ſiquando uſus erit publicæ pœnitentiæ, etiam rudiſſimi quique intelligant fuiſſe ſemper hoc uſitatum in Eccleſia Dei, & fieri non inconſiderato hominum zelo, ſed arbitrio ipſius Dei. Jubet autem *incolas terræ contremiſcere*: quibus verbis ſignificat non ludendum eſſe inanibus ceremoniis coram Deo, ſed ſerio agendum. Ubi ergo clangunt tubæ, corda etiam expaveſcere debent; & ita conjungitur rei veritas cum ſignis externis. Quod diligenter notandum eſt, quia mundus ſemper propenſus eſt ad oculare aliquod obſequium, & putat ſatisfactum eſſe Deo, ubi ſervatus eſt externus ordo aliquis. Atqui nihil aliud quam illudimus Deo, ſi obtendimus ceremonias, & non reſpondet ſincerus cordis affectus, quemadmodum iterum poſtea videbitur ſuo loco. Jam adjungit Propheta etiam minas, ut permoveat animos populi: *Quia*, inquit, *venit dies Jehovæ, quia propinquus eſt*. His verbis primo ſignificat non eſſe expectandum uſque dum percutiat nos Deus, ſed ſimulatque oſtendit iræ ſuæ ſigna, præveniendum eſſe ejus judicium. Quoties ergo Deus nos admonet de ſua vindicta, ſtatim properandum eſt ad deprecationem veniæ: *Propinquus*, inquit, *eſt dies Jehovæ*. Quæ ſequuntur debent referri ad eum finem quem diximus. Propheta enim hic depingit nobis terribile Dei judicium, ut animos etiam ſtupidos vel nimis torpentes percellat. Ac primo dicit, *Dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & obſcuritatis, quaſi aurora quæ expanditur ſuper montes*. Quum vocat diem tenebroſum & obſcurum, vult denunciare nullam fore ſpem ſalutis. Nam ſcimus vulgari Scripturæ uſu lucem vocari vel hilarem & lætum ſtatum, vel etiam ſpem ſalutis ubi accidit aliqua afflictio. Jam autem Propheta, quaſi extingueret omnem ſpem in mundo, pronunciat diem Jehovæ fore tenebroſum, nempe abſque ſpe remedii. Hæc ſumma eſt. Poſtea, quum dicit, *ſicut aurora quæ expanditur*, hoc ad notandam celeritatem poſitum eſt. Scimus enim quam ſubitus ſit quotidie exortus auroræ ſuper montes: momento aurora ſuper montes expanditur ubi ſunt tenebræ. Neque enim ſtatim vel in valles, vel in loca etiam plana lux penetrat: ſed ſi quis reſpicit cacumina montium videbit momento auroram conſurgere. Perinde eſt igitur acſi Propheta diceret, Diem Domini propinquum eſſe, quia ſcilicet repente poterit Dominus emittere manum ſuam, quemadmodum aurora expanditur ſuper montes. Poſtea addit ſpeciem, *Populus magnus & robuſtus, cui ſimilis non fuit ab initio, vel à ſeculo, & poſt quem non addet eſſe ſimilis uſque ad annos generationis & generationis*. Hic Propheta ſpeciem vindictæ exprimit, de qua tantum in genere loquutus erat. Dicit autem, quod hactenus meminit vindictæ Dei, non eſſe ita intelligendum acſi Deus palam & viſibili forma à cœlo deſcenderet, ſed Aſſyrios fore miniſtros & exequutores vindictæ ejus. In ſumma, hic oſtendit Propheta metuendum eſſe adventum illius populi, acſi Deus manum ſuam è cœlo exereret, & ageret cum populo ſuo, ſumeret de ſceleribus ejus vindictam. Docet autem his verbis non proficere quidquam homines ubi cæcutiunt ad Dei judicia, quoniam Deus nihilominus exequitur opus ſuum, & utitur hominum manu. ſunt enim flagella ejus, quibus caſtigat etiam populum ſuum. Chaldæi & Aſſyrii increduli erant, Deus tamen uſus eſt eorum opera ad Judæos affligendos. Hoc nunc Propheta docet, quod ſcilicet Deus appareat vindex in ipſis Aſſyriis, quoniam eos adhibet miniſtros & exequutores judicii ſui. Interea videmus ut hic depingat Propheta terribilem iram Dei, ut excutiat Judæis ſuam cunctationem: quia ſcilicet videbat parum moveri omnibus minis, & ſemper novas blanditias captare. Hæc ratio eſt cur in hac tam longa deſcriptione inſiſtat. *Coram eo*, inquit, *ignis vorabit, & poſt eum flamma exuret*. Significat talem fore vindictam Dei, quæ abſumat totum populum. Nam Deus multis modis cœperat populum illum caſtigare, ſed ſine profectu, quemadmodum vidimus. Propheta igitur nunc dicit reſtare extremam manum, ut ſcilicet Dominus in totum aboleat iſtos tam præfractos homines, quos hactenus non potuit redocere ad ſanam mentem mediocribus pœnis. Pepercerat enim illis magna ex parte, etiamſi ſevere & duriter ipſos tractabat, & illis dabat ſpatium reſipiſcendi. Quum ergo videret Propheta eſſe prorſus deſperatos, dicit, nunc tantum reſtare ut Dominus ſemel eos penitus conſumat. Addit, *ſicut hortus Eden terra ante ipſum, poſt eum autem terra ſolitudinis, adeoque (& etiam) evaſio non erit ei*. Hic Propheta admonet Judæos, etiamſi amœniſſimam regionem inhabitent & apprime fœcundam, non eſſe cur ſibi placeant, quia Deus in vaſtitatem convertit etiam pulcherrimas terras. Comparat igitur hic Judæam horto Eden, hoc eſt, paradiſo. Atqui talis etiam fuit ſitus Sodomæ, quemadmodum docet Moſes. Quid profuit Sodomitis habitare quaſi in paradiſo, hoc eſt, incolere pinguem illam & opimam terram? deinde ubi putabant ſe foveri in Dei ſinu? Sic etiam nunc dicit Propheta, quamvis terra ſimilis ſit paradiſo, tamen ubi hoſtis illic graſſatus fuerit, ſequetur triſtis vaſtatio, ſequetur ubique diſſipatio, nullus erit illic cultus, nulla amœnitas, nulla ſpecies terræ: quia hoſtis ille ſufficiet ad omnia perdenda. Finis eſt, ne Judæi confiſi Dei benedictione quam hactenus experti fuerant, in poſterum ſecure etiam contemnant ejus vindictam: quia ira ejus momento abſumet & vorabit quidquid hactenus fœcunditatis in terra fuit. Hæc ſumma eſt. Tandem concludit non fore evaſionem ab iſtis hoſtibus, id eſt, ab Aſſyriis: quia venient inſtructi illo mandato, ut totam terram in nihilum redigant. Adjungit poſtea multas ſimilitudines, quas quiſque per ſe ſatis intelligit: ideo ego non ero in illis explicandis longior, & ſermo eſſet ſupervacuus. *Quaſi aſpectus equorum aſpectus ejus, & tanquam equites, ſic diſcurrent*. Verſus hic iterum celeritatem vindictæ exprimit. acſi diceret Propheta longam diſtantiam non fore obſtaculo quominus ſtatim inſiliant Aſſyrii, & occupent Judæam: quia longinquitas etiam fallebat Judæos, quum putarent adhuc longas ſibi fore inducias. Ergo Propheta hic tollit vanam illam fiduciam, quum dicit fore equis & quadrigis ſimiles. Addit deinde, *ſecundum vocem quadrigarum*. מרכבות exponunt Quadrigas. quanquam Hebræi putant potius eſſe Ephippia, vel ſellas quas vocamus. Sed tamen malo de quadrigis accipere: quia hoc non poſſet quadrare ephippiis equorum, quod dicit Propheta ſecundum vocem quadrigarum *ſuper cacumina montium ſaltaturos*. *Saltabunt* igitur *ſuper cacumina montium*. Quomodo? tanquam quadrigæ: h. e. magno impetu venient, vel edent magnum ſonitum, vel terribilem. Loquitur autem de capitibus montium: quoniam ſcimus illic majorem eſſe reſonantiam ubi eſt aliqua concuſſio. Modis igitur omnibus Propheta amplificat vindictam illam Dei, ut tandem expergefaciat Judæos, qui nimis diu ſua indulgentia provocaverant iram Domini. *Secundum*, inquit, *vocem flammæ ignis*, hoc eſt, igneæ, *vorantis ſtipulam*. Comparat ab una parte Aſſyrios flammæ, quæ omnia conſumit: comparat autem Judæos ſtipulæ, etiamſi putent ſe munitos

eſſe

eſſe multis opibus & præſidiis. Tandem addit, *ſicut populus robuſtus paratus ad prælium: à facie ejus pavebunt populi, & omnes facies contrahent nigredinem.* His verbis ſignificat Propheta, Aſſyrios, quum venient, inſtructos fore potentia, quæ omnes populos etiam ſolo rumore proſternat. Quod ſi formidabiles erunt Aſſyrii omnibus populis, quid facturi ſunt Judæi? In ſumma, hic Propheta oſtendit Judæos nullo modo fore pares ad repellendum tam robuſtum hoſtem, quia alios omnes populos ſolo ſuo rumore ſic proſternet, ut nemo ſe movere audeat. Comparat deinde ipſos gigantibus: *Sicuti gigantes*, inquit, *diſcurrent, ſicuti viri prælii aſcendent murum, & vir*, hoc eſt, quiſque, *per vias ſuas ambulabit.* Denique iſtas loquendi formas in huoc finem congerit Propheta, ut ſciant Judæi ſibi fore negotium cum inexpugnabili Dei manu, & fruſtra jam ipſos uodique imploraturos opem, quia nihil remedii invenient in toto mundo, ubi ſcilicet Deus tam formidabili modo vindictam ſuam exerit. Dicit inter alia, *non tardabunt greſſus ſuos*, quanquam alii vertunt, Non inquirent de viis ſuis, quia proxime dixit, Per vias ſuas gradientur; hoc eſt, Non venient, ſicuti ſæpe quum exteri homines faciunt iter per vias incognitas, ſollicite inquirunt ne lateant alicubi inſidiæ, ne ſint aliqui anfractus, ne ſint viæ difficiles & perplexæ: *non inquirent*, inquit: acſi jam iter eſſet patefactum, acſi jam regio tota illis cognita eſſet, ſic etiam ſecure pergent. Hæc etiam pars ad notandam celeritatem valet, ut ſcilicet Judæi perinde ſibi metuant à Dei vindicta, acſi jam inſtaret eorum cervicibus. Poſtea addit, *Vir fratrem ſuum non premet.* Hac loquendi forma ſignificat Propheta compoſito ordine venturos, ita ut turba nihil confuſionis generet, quemadmodum ſolet ut plurimum fieri. Nam hoc valde difficile eſt, ut exercitus iter faciat non tumultuoſe, ſed compoſito gradu, acſi duo vel tres ſimul incederent. Nam ſi centum equites ſimul iter faciant, tamen alii impedient alios. Ubi igitur tanta multitudo collecta eſt, vix aliter poteſt fieri, quin alii alios retardent ac morentur. Propheta autem hoc negat fore in Aſſyriis, quia Dominus diriget greſſus ipſorum. Quamvis ergo ingentem turbam Dominus adducat, tamen erit compoſita & ordinata, ut nemo ſocium ſuum urgeat, vel afferat aliquod obſtaculum. *Vir*, inquit, per viam ſuam ambulabit, nempe ſine remora: *& in gladios cadent, neque vulnerabuntur*: hoc eſt, Non modo robuſti erunt bellatores, ut intrepide ſe projiciant in omne genus diſcriminis, ſed erunt etiam quaſi immunes ab omni jactu telorum: quamvis irruant in gladios ſicuti furioſi, neque ſibi caveant, non tamen vulnerabuntur. Poteſt tamen hoc ſimplicius accipi, Non vulnerabuntur: hoc eſt, acſi non eſſent vulnerandi. Et videtur mihi genuinur eſſe Prophetæ ſenſus, quod ſcilicet non concipient ullum mortis metum, ut caute aggrediantur hoſtes ſuos, ſed quaſi poſſent impune laceſſere mortem ipſam, quod ſe projiciant in ipſos gladios: non timebunt igitur vulnur ullum, ſed perinde acſi gladii eſſent innoxii, audebunt ſe in ipſos projicere. Alii vertunt, Non concupiſcent, & verbum etiam hoc ſignificat: quaſi diceret Propheta, non fore pecuniæ cupidos. Sed vix poteſt quadrare illa ſignificatio loco præſenti: & videmus optime ſenſum illum fluere, quod ſcilicet abſque dubitatione irruent in gladios, acſi non eſſent vulnerandi. Poſtea ſequitur, *Per urbem gradientur, per murum diſcurrent, in domos aſcendent, uſque ad feneſtras intrabunt tanquam fur.* Hic ſignificat Propheta, fruſtra Judæos confidere ſuis urbibus munitis, quia illuc quoque facile penetrabunt hoſtes: Gradientur, inquit, per urbem, hoc eſt, acſi nullæ eſſent portæ. Senſus ergo eſt, Quamvis Judæa multis urbibus abundet, quæ videntur eſſe inexpugnabiles, & quæ videntur etiam poſſe abrumpere curſum hoſtium, quemadmodum ſemper fere contingit, ut ſubſiſtere cogantur etiam magni exercitus, ubi eſt appoſita aliqua urbs bene munita: Propheta hic dicit urbes non fore impedimento quum Aſſyrii venient in Judæam, quia ſcilicet gradientur per urbem, acſi eſſet planum iter, & nullæ portæ illis eſſent clauſæ. Gradientur igitur per medias urbes tanquam per planitiem, & per campos apertos. Sic etiam quod ſequitur; Diſcurrent per murum, inquit. Sunt quidem hyperbolicæ loquutiones: ſed ſi expendimus quanta ſit ſegnities hominum ad metuendas poenas, fatebimur Prophetam modum non excedere in iſtis loquutionibus. Diſcurrent igitur per urbem, hoc eſt, fruſtra putabitis fore vobis aliquam remiſſionem, vel aliquod tempus quietum, quia vobis putatis ſuſtinendos eſſe ad tempus hoſtium impetus: minime, inquit, diſcurrent enim per murum acſi eſſet planities: deinde *aſcendent in domos, & intrabunt uſque ad feneſtras, & facient hoc tanquam fur.* Hoc eſt, etiamſi nullus eſſet hoſtilis impetus, tamen furtim & clanculum penetrabunt in domos veſtras: ubi erit magnus tumultus, ubi tota regio ad arma concurret, ubi etiam putabitis vos fore pares ad reſiſtendum, tanquam fures pedetentim domos veſtras ingredientur, & venient uſque ad feneſtras, non poteritis & aditum illis præcludere. Tandem addit, *Coram facie ejus contremiſcet terra, & augentur cœli, Sol & Luna nigreſcent, ſtellæ ipſæ retrahent ſplendorem ſuum.* Hic magis hyperbolice loquitur Propheta: ſed ſemper memoria tenendum eſt fuiſſe illi ſermonem cum hominibus pluſquam ſtupidis. Oportuit igitur ipſum quaſi monſtruoſe loqui, ut magis afficeret iſtorum animos: quia vulgari loquendi modo nihil proficitur apud homines præfractos, præſertim qui jam exuerunt omnem pudorem, & ſimul quos faſcinavit Satan, ut nihil metuant, ut nihil doleant. Ubi ergo talis ſtupor occupat mentes hominum, neceſſe eſt Deum fulminare, ut audiatur ejur ſermo. Quemadmodum ergo monſtruoſa erat populi ſocordia, ſic etiam oportuit, ut ita loquar, Prophetam monſtra verborum in medium proferre. Hæc ratio eſt cur nunc dicat, *Coram facie ejus* (nempe hoſtis) terram fore trepidam. Deinde addit, *etiam cœli ipſi angentur*: non quod cœli ſibi ab Aſſyrio metuerent, ſed ſignificat Propheta tale fore vindictæ genus, quod totum mundum expavefaciat, ut ſcilicet deſinant Judæi ſubterfugia aliqua ſperare, quemadmodum ſibi blandiebantur acſi poſſent evolare ſupra nubes, acſi poſſent reperire ſibi latebras, vel aliquos angulos procul. Propheta ſignificat totum mundum fore horrore plenum, ubi Dominus inſtructus ſuo exercitu veniet. Tandem addit etiam de *Sole & Luna*, acſi diceret, Nihil amplius auxilii ſperandum erit à creaturis. Nam lux ipſa vitalis eos deficiet ubi Dominus effundet illum impetum furoris ſui. *Sol & Luna nigreſcent*, inquit, *& ſtellæ retrahent ſplendorem ſuum.* Ergo etiamſi ſurſum jam tollatis oculos, ne ſcintilla quidem lucis vos poterit recreare, quia ab omni parte caligo vos obruet. Sentietis enim Deum vobis infeſtum in cœlo, ſicuti in terra ipſa. Hic denique præcludit Judæis omnes aditus ad bene ſperandum, quia non tantum tumultuabitur Aſſyrius in terra, ſed etiam Deus ſigna vindictæ ſuæ è cœlo dabit, ut Sol cogatur expaveſcere ad tale ſignum, & Luna & ſtellæ omnes. Tandem addit, *Et Jehova edet vocem ſuam coram exercitu ſuo.* Videtur Propheta hoc verſu antevertere quicquid contra adduci poterat ex parte hominum. O! tu denuncias nobis magnos terrores. Quaſi vero Aſſyrii non ſint ex numero hominum, quaſi nulli ſint alii populi in mundo, quaſi nullus ſit alius exercitus, quaſi nullæ ſint aliæ vires, quaſi nulla ſit etiam alia audacia. Nam ſi hodie Aſſyrii ſunt formidabiles, tamen habent etiam vicinos, qui poterunt robur adverſum colligere, ut illos facile ſuſtineant. Ægyptus etiam tunc erat populoſa

regio,

regio, & optime munita: quis non dixiſſet Ægyptios pares fore Aſſyriis? quemadmodum etiam Judæi putabant ſe illorum fœdere fore ſalvos. Deinde erat Syria, erant tot regna, quibus Judæi poterant jactare ſe eſſe cinctos, ut nullus acceſſus pateret Aſſyriis. Nam utcunque non ſufficeret populus Moab, vel populus Ammon, ſimul tamen omnes collecti, nempe Edom, & Ammon, & Moab, deinde Tyrus & Sidon, & tot regna vicina poterant certe ſufficere ad repellendos Aſſyrios. Cæterum, ne quis hoc objiceret, breviter excipit Propheta Deum fore ducem illius exercitus: quaſi diceret, Ego hactenus prænunciavi hanc eſſe Dei manum. Aſſyrii enim non ſponte huc veniunt, hoc eſt, niſi excitati divinitus: ſed quia hoc nondum ſatis animos veſtros afficit, ſcitote Deum fore ducem in illo exercitu. *Deus ergo emittet vocem ſuam à facie exercitus ſui.* Hic diſerte nominat Aſſyrios Dei ſatellites. Non venient ergo quaſi milites conductitii ſub Rege ſuo, non venient etiam quaſi militent terreno Regi, ſed Dominus ipſe eos reget, & voce ſua ipſos incitabit. Hoc verbo docet Propheta bellum Judæis fore non cum una gente duntaxat, ſed cum Deo ipſo & tota virtute ejus cœleſti. *Deus* ergo, inquit, *edet vocem ſuam coram exercitu ſuo, quia magna valde caſtra ejus.* Iterum repetit tantam fore multitudinem, quæ ad exequenda Dei juſſa ſufficiat, ut fruſtra vires undique comparent Judæi ad reſiſtendum. *Robuſtus*, inquit, *qui exequitur verbum ejus.* Clarius exprimit quod jam dixi, nempe Aſſyrios etiamſi ſua cupiditas eos impellat, etiamſi intenti ſint ad rapinas & prædam, tamen non venturos tantum proprio motu, ſed quia Dominus illos armavit, & quia utitur eorum opera. *Validus eſt* ergo *qui facit verbum Dei*, hoc eſt, qui exequitur ejus mandatum: non quod Aſſyriis hoc eſſet propoſitum, nempe morem Deo gerere, vel offerre illi ſuum obſequium, quemadmodum fideles ſponte ſe illi addicunt: ſed quia Dominus arcana ſua providentia eos direxit, quia uſus eſt eorum manu ad pœnas de populo ſuo ſumendas. Poſtea tandem addit, *quia magnus dies Jehovæ, & terribilis, & quis ſuſtinebit eum?* Hac clauſula oſtendit talem fore vindictam, quæ Judæos in nihilum redigat, ideo jam tempus eſſe reſipiſcendi: alioqui Deum pœnas ſumpturum de illorum pervicacia ſi adhuc ſurdis auribus prætereant quod illis Propheta denunciat. Jam, quod ad locum hunc pertinet ubi dicit robuſtum eſſe qui facit verbum Dei, alibi admonuimus bifariam homines ſervire Deo; vel ejus mandata exequi ſponte, vel quatenus ipſos cæco motu impellit. Angeli & fideles exequuntur mandata Dei, quia reguntur Spiritu obedientiæ: ſed impii etiam & diabolus ipſe, qui eorum eſt caput, juſſa Dei implent, neque tamen hoc illis imputatur in obſequium. Nam furioſe tantum pravo ſuo affectu feruntur, & cuperent quantum in ſe eſt abolere omne imperium Dei: ſed coguntur etiam, velint nolint, parêre Deo, non ultro neque voluntarie, quemadmodum dixi, ſed quia Dominus convertit in eum finem quem decrevit, omnes eorum conatus. Quicquid ergo moliatur Satan & omnes impii, interea ſerviunt Deo, atque obtemperant ejus mandatis, & tumultuoſe feruntur contra Deum: ſed ipſe continet eos ſub freno, deinde dirigit eorum opera & mentes in ſuum finem. Sic ergo nunc dicit Joel Aſſyrios facturos Dei verbum, non quia propoſitum illis eſſet obtemperare Deo, non quod etiam Deus illis quicquam mandaſſet, ſed verbum Domini hic ponit pro arcano decreto. Ergo ſicuti impii non voluntarium obſequium Deo præſtant, ſed coactum, ubi Dei mandata exequuntur: ita duplex eſt Dei mandatum vel verbum. Eſt enim mandatum quo docet ſuos filios ac in ſuam obedientiam adducit: aliud autem eſt mandatum arcanum, ubi homines ipſos non dignatur alloquio, neque oſtendit quid placeat aut quid velit facere, ſed illos pravis ſuis cupiditatibus ferri ſinens, interea habet arcanum ſuum decretum, quod per ipſos exequitur, etiamſi nolint.

Da omnipotens Deus, quando nos tam benigne & ſuaviter quotidie invitas, & proponis nobis in medium paternam benevolentiam, quam ſemel exhibuiſti nobis in Chriſto Filio tuo: da, inquam, ut hac dulcedine allecti nos totos tibi tradamus, & ſimus ita tibi dociles ac morigeri, ut etiam ubi direxeris nos Spiritu tuo, proſequaris omni genere benedictionis: interea tamen ne ſimus ſurdi ad tuas admonitiones: & quando toties deflectimus à recta via, da ut ſtatim expergefiamus ubi nos admones, & redeamus in viam, & nos etiam digneris amplecti, & reconciliare tibi per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO QUINTA
IN
JOELEM PROPHETAM.

CAP. II.

12. Atque etiam nunc dicit Jehova, Convertimini ad me in toto corde veſtro, & in jejunio, & in fletu, & in planctu.

13. Et ſcindite cor veſtrum, & non veſtimenta veſtra, & convertimini ad Jehovam Deum veſtrum, quia ipſe propitius & miſericors, longus ad iram, & multus clementia, & pœnitebit eum ſuper malo.

POſtquam horribile illud judicium, de quo vidimus, denunciavit Propheta, jam oſtendit ſibi non eſſe in animo terrere populum ſine aliquo profectu, ſed potius animare ad reſipiſcentiam: quod fieri non poteſt, niſi oblata ſpe veniæ. Diximus enim aliis locis, & colligere hoc licet ex tota Scriptura, non poſſe homines reduci in viam, niſi ſpem concipiant miſericordiæ Dei: quia deſperatio prorſus contumaces redderet, & duplicat etiam, imo centuplicat pravitatem hominum. Nam qui ante erat improbus, ſi deſperet, jam totum ſe projiciet ſine aliquo modo. Ideo Propheta nunc deſcribit propitium & miſericordem Deum, ut hoc modo blande populum ad ſtudium pœnitentiæ alliciat. Primum dicit, *Et nunc etiam dicit Dominus, Convertimini ad me.* Propheta non ſuo nomine populum hortatur, ſed loquitur ex perſona ipſius Dei. Poterat quidem teſtis eſſe ejus gratiæ quam prædicat, ſed efficacior ſermo eſt ubi inducit Deum ipſum loquentem. Subeſt autem magnum pondus in his verbis, *nunc etiam.* Si quis enim expendat quæ vidimus ab initio ſecundi capitis, non putabit jam eſſe remedio locum. Deus enim multis modis tentaverat populum hunc in viam reducere: ſed, quemadmodum jam vidimus, obſtupuerat major pars, ut ferulæ Dei eſſent prorſus inutiles. Reſtabat igitur clades ultima,

quam

quam etiam Propheta minatus fuit ab initio ſecundi capitis. In hac autem deſperatione adhuc proponit ſpem aliquam miſericordiæ, ſi ad Deum ſe convertant. *Nunc quoque*, inquit. Emphatica eſt particula וגם, Etiam nunc: hoc eſt, quamvis nimium diu abuſi fueritis Dei tolerantia, & quantum ad vos ſpectat, elapſa fuerit occaſio, quia vobis clauſiſtis januam: tamen nunc etiam, quod nemo ſperaſſet, imo quod vobis ipſis debet eſſe incredibile: nunc Deus adhuc vos expectat, & invitat ad ſpem ſalutis. Sed conjungi debent duæ iſtæ particulæ, *nunc etiam*: quia non eſt in arbitrio hominum ſibi fingere locum miſericordiæ quoties libuerit. Deus enim hic oſtendit tempus eſſe acceptabile, quemadmodum loquitur
Jeſa. 49. verſ. 8. Jeſaias, ubi nondum rejicit homines, ſed offert ſe propitium. Meminerimus ergo Prophetam hic non laxare habenas hominibus, ut tempus extrahant, quemadmodum ſolent facere profani & deriſores qui de die in diem illudunt Deo. Sed Propheta hic oſtendit ubediendum eſſe voci Dei, ubi nos invitat: quemadmodum etiam Jeſaias loquitur, Ecce nunc tempus acceptum, ecce dies ſalutis: nunc Deum quærite, quia prope eſt; invocate eum, dum inveniri poteſt. Sic igitur, quemadmodum admonui, cohærent duæ iſtæ particulæ *nunc etiam*, ut debeant attenti eſſe homines ad vocem Dei, dum ipſos invitat: ne ſcilicet differant in craſtinum, quia forte Dominus ipſe claudet januam, & nimis ſera eſſet pœnitentia. Interim videmus quam indulgenter ſuſtineat Deus homines, quum relinquit ſpem veniæ tam obſtinato populo & fere perdito. *Nunc etiam*, inquit, *convertimini ad me in toto corde veſtro.* Propheta hic admonet non eſſe agendum ficte cum Deo, quemadmodum homines libenter ſemper ei illuderent. Videmus enim quid ſoleat totus fere mundus facere. Deus liberaliter occurrit nobis, & paratus eſt nos in gratiam recipere, etiamſi centies alienati ſimus ab eo: ſed nos præter hypocriſin & fucum nihil afferimus: ideo Propheta diſerte hic denunciat ſimulationem hanc Deo non placere, & nihil profecturos eſſe qui tantum pœnitentiam aliquam obtendunt externis ſignis, ſed opus eſſe ſerio & ſincero cordis affectu. Hoc intelligit per Totum cor, non quod poſſit inveniri perfecta pœnitentia in hominibus, ſed cor totum vel integrum opponitur dimidio. Nam homines ſatis intelligunt Deum non eſſe puero ſimilem, ſed partiuntur cor ſuum, & quum aliquam partem erogant Deo, putant ſatisfactum eſſe: interea vero manet interior & occulta quædam obſtinatio, quæ ipſos longe à Deo ſeparat. Hoc vitium nunc corrigit Propheta, quum dicit, *Convertimini in toto corde.* Oſtendit ergo hypocriſin hanc abominabilem eſſe Deo, quum homines retinent majorem partem cordis ſui quaſi occluſam, & putant ſatis eſſe, ſi modo afferant aliquem volaticum affectum, ut ita loquar. Poſtea addit *jejunium, & planctum, & fletum.* quibus verbis oſtendit quam graviter peccaverint: acſi diceret, non unum modo exitii genus meritos eſſe, ſed dignos centum mortibus: ergo jam non fore Deum contentum mediocri aliqua pœnitentia, niſi ipſi ſupplices veniant, ſubeant reatum ſuum. Verum quidem eſt, quotidie, imo aſſidue ſuſpirandum eſſe nobis, quia non deſinimus ſingulis fere horis provocare in nos iram Dei: ſed Propheta hic de ſolenni jejunio loquitur, quia populus tam graviter Deum offenderat, ut opus eſſet ſingulari aliqua profeſſione qualem hic deſcribit. *Venite* ergo *ad me, in jejunio, in fletu & planctu*: hoc eſt, tandem oſtendite vos eſſe reos, & ſuppliciter deprecamini vindictam, quam meriti eſtis tot ſceleribus: acſi judex denunciaret malefico non agendum eſſe ſimulare, ſed ſimpliciter culpam eſſe profitendam. Solent enim rei prætexere multas excuſationes, ut ita effugiant pœnam. Si autem judex teneat reum ſuper & ſatis convictum, dicet, Quid proficis? nam tuæ iſtæ tergiverſationes vel ſubterfugia mihi fœtent. Jam enim teneo te conſtrictum: tu autem velles elabi iſtis cavillis: tu magis iram meam provocas. Si ergo cupis me eſſe tibi placabilem, agnoſce quam graviter deliqueris, & ſine ullo colore jam oſtende te eſſe morte dignum, & nihil amplius ſupereſſe, niſi ut clementer tibi ignoſcam: quia ſi vis culpam extenuare, ſi vis tua excuſatione quærere ſalutem, tu nihil proficies. Sic nunc agit Dominus cum hoc populo, *Convertimini ad me*, inquit, ſincere primo; deinde addit, *in jejunio, in fletu & planctu*: hoc eſt, appareat vos ſuppliciter deprecari exitium quod meriti eſtis, quia mediocris pœnitentia non ſufficeret, quum vos tot ſceleribus ſitis mihi obſtricti. Nunc tenemus Prophetæ ſenſum. Poſtea adjungit, *Scindite cor veſtrum & non veſtimenta veſtra, & convertimini ad Jehovam Deum veſtrum.* Iterum repetit Propheta ſincere agendum eſſe cum Deo: quia omnes ceremoniæ, quibus putant ſe homines defungi, mera ludibria ſunt, ubi non præcedit cor purum & ſincerum. Quoniam autem ſolebant in rebus luctuoſis veſtimenta ſcindere, ideo dicit, Deus jam occalluit ad veſtros iſtos ritus, quia quantum ad homines ſpectat, ſatis eſtis & plus æquo ceremonioſi. Sciditis enim veſtes veſtras, & ita elicitis miſericordiam apud homines, interea cor veſtrum manet obſtipum, nulla eſt illic laceratio, nulla apertura. *Scindite* ergo *cor veſtrum*: hoc eſt, deſinite ita ludere cum Deo, ſicuti hactenus eſtis ſoliti: ſed incipite à corde ipſo. Certum quidem eſt Orientales populos fuiſſe deditos multis ceremoniis: ſed vitium quod hic perſtringit in Judæis Propheta, ingenitum eſt fere cunctis mortalibus. Quiſque ergo noſtrûm propenſus erit ad hypocriſin, niſi revocetur ad ſincerum affectum cordis. Ideo tenendum eſt, hanc doctrinam proponi omnibus ſeculis & gentibus. Excutiat quiſque ſeipſum, reperiet ſe hoc morbo laborare, quod ſcilicet potius ſcindet veſtem ſuam quam cor ſuum. Quum autem Judæi haberent in ſolenni more ceremoniam iſtam, non abs re Propheta eam deridet, ac dicit pro nihilo cenſeri apud Deum, niſi ſcindant corda. Cæterum, quum jubet corda ſcindere & non veſtes, quanquam videtur repudiare externum illum ritum, non tamen præciſe eum damnat, ſed oſtendit hunc eſſe legitimum ordinem, ubi cor ſcinditur. Non debet autem videri dura hæc loquutio, quum dicit, *Scindite cor*, quia alludit ad externum ritum: quum ſcinderent veſtes, nudabant ſe coram Deo, & exuebant omnibus ornamentis. Vult ergo ut ſibi diſpliceant, & cor ipſum potius denudent. Scimus autem cor implicitum eſſe in hypocritis, & ſemper eos captare latebras, ut fugiant conſpectum Dei. Similitudo igitur hæc optime quadrat quum jubet Propheta cor ſcindere. Jam locus ſatis clarus eſt, neque opus habet multis verbis, quod ſcilicet Deus reſpiciat verum cordis affectum, quemadmodum dicitur Jeremiæ 5. non contentus ſit obſequio oculari quale obtrudunt homines, ſed velit bona fide & ſincere agi ſecum. Ideo iterum repetit, *Convertimini ad Jehovam Deum veſtrum.* Hic à natura Dei ratiocinatur Propheta, nimis ſtulte & craſſe falli homines dum volunt Deum placare ſuis ceremoniis. Quid? eſt ne vobis negotium cum puero? inquit. Nam tale ſubeſt pondus in his verbis. Si redimenda eſſet offenſa hominis, magis ſollicite veniretis ad ipſum: nunc dum ſentitis Deum vobis infenſum eſſe, putatis fore propitium ſi modo illuſeritis: an Deus poterit ferre tale opprobrium? Videmus ergo quid intelligat his verbis Propheta. *Convertimini ad Jehovam Deum veſtrum*, inquit: hoc eſt, Reputate apud vos non eſſe vobis negotium cum trunco, vel cum lapide, ſed cum Deo veſtro qui corda ſcrutatur, & quem nullis aſtutiis fallent mortales, quemadmodum dicit per Jeremiam, *Jer. 4: 1.*
Iſraël, ſi converteris, convertere ad me: hoc eſt, ne per circuitus vel per ambages ſimules converſionem,

ſed recta & puro cordis affectu ad me venias, quia ego ſum qui te voco. Sic etiam nunc Propheta, *Convertimini ad Jehovam Deum veſtrum*, inquit. Sequitur nunc promiſſio veniæ, *Quia propitius eſt & miſericors.* Diximus fruſtra ſermonem haberi de pœnitentia niſi homines concipiant ſpem ſalutis, quia non poterunt unquam adduci ad verum Dei timorem, niſi confidant ſibi patrem eſſe, quemadmo-
Pſal.130. dum dicitur in Pſalmo, Apud te eſt propitiatio ut
verſ. 4. timearis. Ideo quoties Prophetæ volunt aliquid proficere ſua doctrina dum hortantur populum ad pœnitentiam, adjungunt iſtam ſecundam partem, Venite, non fruſtra eſtis venturi. Iſtud Venite, comprehendit exhortationes omnes ad pœnitentiam: Non fruſtra eſtis venturi, comprehendit teſtimonium gratiæ Dei, quod nunquam rejiciet miſeros peccatores, ſi modo ex animo ad ipſum redeant. In hoc igitur ſecundo capite nunc verſatur Propheta: *Deus*, inquit, *propitius eſt & miſericors.* Et hæc conjunctio nobis tenenda eſt, quia Satan, quemadmodum torporem nobis inducit, ubi Deus nos non ſollicitat, ſic etiam deſperatione nos procul abſtrahit, quum Deus vindictam denunciat, quum oſtendit jam non eſſe dormiendi tempus. Quid proficies? Satan ergo hac vafritie nos exanimat, quod ludemus operam, ſi ſtudeamus nos Deo reconciliare. Ergo quoties Scriptura nos ad pœnitentiam hortatur, diſcamus conjungere hanc ſecundam partem, Deus nos non fruſtra invitat. Ergo ſi ad eum redimus, ſtatim propenſus erit ad dandam veniam. Neque enim vult miſeros homines fruſtra laborare vel torqueri. Hæc eſt utilitas hujus doctrinæ quum dicit Propheta Deum eſſe propitium & miſericordem. Poſtea addit, *Tardum eſſe ad iram & multum clementiæ.* Hæc elogia Dei ſæpe occurrunt aliis locis, & Prophetæ omnes, tam David quam alii, mutuati ſunt hanc ſententiam ex 34. cap. Exodi, ubi deſcribitur Dei natura: vocatur etiam illic propitius & miſericors, tardus ad iram, & multus clementia. Non opus eſt autem inſiſtere longius in his verbis, quia tenemus Prophetæ conſilium: niſi quod ſupervacua non eſt verborum congeries, ubi Propheta tam prolixe nobis commendat Dei miſericordiam. Etſi enim ſibi nimium ſecure indulgent homines, tamen ubi Deus ipſos ad ſe revocat, tunc non poſſunt guſtare ejus gratiam: quamvis bis & ter ſe fore illis propitium teſtetur, non tamen perſuadet niſi cum magna difficultate. Hæc ratio eſt cur Propheta, poſtquam dixit Deum eſſe propitium & miſericordem, addit *tardum eſſe ad iram, & multum clementia*: ut ſcilicet Judæi diffidentiam ſuam ſuperent: & quamvis deſperatio poſſit illos retrahere, non tamen dubitent accedere ad Deum, quum ſe tam miſericordem eſſe pronunciet. Poſtea adjungit, *Pœnitebit eum ſuper malum.* Hic non tantum Propheta deſcribit naturam Dei, ſed ultra progreditur, quod ſcilicet Deus, qui natura eſt placabilis, ſi videat populum ſincere redire, non manebit defixus in ſuo propoſito, ſed patietur ſe flecti ad gratiam, ita ut pœnam remittat, de qua tamen prius tulerat judicium. Hæc autem figura frequenter occurrit in Scripturis, quod ſcilicet Deum pœniteat ſuper malo: non quod proprie conſilium mutet, ſed refertur hoc ad ſenſum hominum. Deus ergo in ſe eſt immutabilis; ſed dicitur à propoſito ſuo deflectere, quum pœnam remittit hominibus quæ prius denunciata fuerat. Quicquid enim profectum eſt ex ore Dei, inſtar inviolabilis decreti haberi debet. Sed interea Deus ſæpe conditionaliter nobis minatur; & quanquam conditio non exprimitur, ſubaudienda tamen eſt. Ubi autem placatur nobis, & pœnam relaxat, quæ jam erat nobis quodammodo decreta ſecundum externum verbum: tunc dicitur pœnitentia duci. Scimus autem, quia non apprehendimus Deum qualis eſt, ideo deſcribi nobis qualem pro modulo noſtræ infirmitatis capere poſſumus. Proinde Deus ſæpe induit perſonas hominum, quaſi nobis eſſet ſimilis. & quia hæc loquendi ratio ſatis trita eſt, & de ea alibi diximus, ego brevius nunc prætereo. Sequitur,

14. Quis novit an revertatur, & pœniteat eum, & relinquat poſt ſe *(alii vertunt, Poſt eum: ego tamen malo ſic transferre, Relinquat poſt ſe)* benedictionem, oblationem, & libamen Jehovæ Deo veſtro?

Videtur Propheta primo intuitu hic perplexos relinquere homines ac dubios. Atqui proximo verſu, quemadmodum vidimus, obtulerat ſpem gratiæ, ſi modo ex animo reſipiſcerent. Videtur ergo Propheta non proſequi ſermonem ſuum, ſed potius eſſe varius: & jam diximus frigidas, imo frivolas omnes exhortationes fore, quibus nos Deus ad pœnitentiam incitat, niſi teſtetur ſe fore paratum ad reconciliationem. Quum ergo hic Propheta ſuſpenſos relinquit animos hominum, videtur reſcindere quod jam prius de miſericordia Dei aſſeruit. Sed tenenda eſt loquendi ratio, quæ ſæpe occurrit in Scriptura. Quoties enim deſcribitur nobis Deus ad ignoſcendum difficilis, hoc pertinet ad excitandam noſtram ſocordiam: deinde ad excutiendam negligentiam. Primo torpemus quum Deus nos invitat, niſi admoveat plures ſtimulos: deinde quum ad eum accedimus, tamen facimus hoc defunctorie. Neceſſe eſt igitur utrumque vitium in nobis corrigi, nempe expergefieri torporem noſtrum, & excuti etiam illas delicias, quibus nimium blandimur nobis: & huc ſpectat conſilium Prophetæ. Nam alloquitur homines deſperatos, quemadmodum jam vidimus. Quod ſi tantum dixiſſet, Deus paratus eſt ad ignoſcendum, ſi tantum uſus eſſet hac formula loquendi, forte neglectim veniſſent, & non ſatis fuiſſent ſerio tacti Dei metu: ideo Propheta hic quaſi conſultat cum ipſis: Etiamſi merito deſperandum ſit nobis de venia, ſumus enim indigni quos Deus unquam admittat, ſed tamen non eſt cur deſpondeamus animos. *Quis enim ſcit?* Hoc eſt, Deus eſt placabilis, & non eſt deſperandum. Propheta igitur hic difficultatem proponit impetrandæ veniæ, non ut relinquat ſuſpenſos homines: (hoc enim contrarium eſſet ſuperiori doctrinæ) ſed ut guſtum aliquem præbeat gratiæ Dei, ut paulatim colligant animos, & interea non ſtatim aſſurgant ad ſecuritatem, ſed ſollicite veniant ad Deum, & cum multa deliberatione, ubi ſcilicet reputaverint ſuas offenſas. Nunc tenemus conſilium Prophetæ. Sed hoc adhuc erit facilius ſi duo gradus ſtatuantur in pœnitentia. Sit igitur hic primus gradus, dum homines ſentiunt quam graviter deliquerint: illic non ſtatim curandus eſt dolor, quemadmodum impoſtores deliniunt conſcientias, ita ut ſibi indulgeant, & ſe fallant inanibus blanditiis. Medicus enim non ſtatim leniet dolorem, ſed videbit quid magis expediat: forte magis augebit, quia neceſſaria erit acrior purgatio. Sic igitur faciunt etiam Prophetæ Dei: quum vident trepidas conſcientias, non ſtatim adhibent blandas conſolationes, ſed potius oſtendunt non eſſe ludendum cum Deo, quemadmodum jam diximus, & ſollicitant ſponte currentes, ut ſibi proponant terribile Dei judicium, quo magis ac magis humilientur. Hic eſt igitur primus gradus in pœnitentia. Secundus gradus eſt quum Prophetæ exhilarant animos, & oſtendunt Deum jam occurrere ultro, & nihil magis appetere, quam ut videat homines velle reconciliari. In hoc priore gradu nunc Propheta inſiſtit, dicens, *Quis ſcit an convertatur Dominus?* Sed objiciet quiſpiam, præpoſtere igitur

tur loquutum eſſe Prophetam. Prius enim deſcripſit Deum miſericordem; & loquutus eſt de ejus clementia, acſi jam nihil eſſet dubitationis: poſtea injicit ſcrupulum: videtur hic non ſervare juſtum ordinem. Reſpondeo Prophetas Dei non ita anxie ſemper tenere ordinem in ſuis ſermonibus: deinde non fruſtra nec temere Prophetam ita eſſe loquutum. Generaliter enim hactenus deſcripſit Deum miſericordem: poſtea pro circumſtantia rei compellat deſperatum populum, ac dicit, Etiamſi actum eſſe putatis de ſalute veſtra, & digni etiam eſtis quos Deus rejiciat, tamen non debetis illic hærere: concipite potius ſpem veniæ. Summa tamen huc redit, Prophetam non injicere dubitationem, ut peccator ſecum diſceptet an poſſit veniam impetrare; ſed tantum vult, quemadmodum dixi, expergefacere torporem, deinde etiam excutere vanas blanditias. Poſtea addit, *Relinquat poſt ſe benedictionem.* Hic clarius perſpicimus quod jam dixi: nempe Prophetam, habita eorum ratione quos alloquitur, hanc difficultatem proponere. Neque enim poterant effugere Judæi temporalem pœnam. Et Propheta etiam non vult eos dimittere ſecuros, acſi Deus jam nullam ab ipſis pœnam exigere vellet: imo vult ipſos cervices flectere, ut recipiant ictus, & placide ſeſe ſubjiciant Dei correctioni. Hoc autem poterat ſpem tollere, quum viderent Judæi, etiamſi Propheta denunciaſſet Deum fore placabilem, tamen ſibi non parci, ſed ſeveram vindictam exigi de ſuis peccatis: Quid hoc ſibi vult? Deus ergo nos fruſtratus eſt? Speravimus illum nobis fore propitium. Atqui non deſinit nobis iraſci. Propheta igitur nunc ſubjicit, *Quis ſcit an relinquat poſt ſe benedictionem?* Quid eſt iſtud, *poſt ſe?* quid ſibi vult? nempe quia Deus futurus erat ſeverus judex ad ulciſcenda populi ſcelera, nunc Propheta dicit, Deus etiamſi flagellis ſuis vos contundat, poterit tamen adhibito ſolatio relevare. Putabitis quidem vos ad internecionem uſque cæſos eſſe, ſed Dominus temperabit iram ſuam, ut benedictio ſequatur iſtas graviſſimas pœnas. Nunc ergo tenemus Prophetæ conſilium. Neque enim hic ſimpliciter veniam promittit Judæis, ſed mitigat terrorem pœnarum, quia ſcilicet ubi Deus ipſos caſtigaverit, adhuc locum dabit miſericordiæ ſuæ. *Deus ergo relinquet poſt ſe benedictionem*, hoc eſt, plagæ iſtæ non erunt incurabiles. Et hæc admonitio valde utilis eſt, quoties Deus ſeverius nobiſcum agit. Neque enim putamus quicquam reſiduum eſſe gratiæ, ubi ſentimus ejus iram. Ergo non abs re occurrit Propheta, dicens, *Deum poſt ſe relinquere*, hoc eſt, quum tranſibit una cum ſuo flagello, tamen non obſtare ejus rigorem, quominus adhuc maneat aliqua benedictio. Poſtea addit, מנחה ונסך ליהוה אלהיכם: *Oblationem*, inquit, *& libamen Jehovæ Deo veſtro.* Hoc conſulto additum fuit, quo plus ſpei conciperent Judæi. Nam quantum ad ipſos ſpectat, centies debuerant exterminari prorſus è medio, debuerant etiam fame prorſus contabeſcere: ſed Propheta hic ſignificat Deum habiturum eſſe gloriæ & cultus ſui rationem: Etiam, inquit, ſi fame pereundum nobis eſſet, Deus tamen alio reſpectu movebitur, nempe ut ſit aliqua oblatio in Templo, ut ſit aliquod libamen. Quoniam ergo Deus elegit nos ſibi in populum, & voluit ſibi primitias offerri ex fructibus, & ſibi conſecrari omnem noſtram annonam, & proventum totum noſtrum in primitiis, deinde in quotidianis oblationibus: jam etiamſi ſtatuiſſet apud ſe nos fame conſumere & inedia, tamen ut maneat integer cultus ipſius, adhuc reddet nobis terram fœcundam, adhuc proveniet nobis & triticum & vinum. Non intelligit autem Propheta, tantum fore tritici quod ad oblationes ſacras ſufficiat, vini etiam quantum ſatis ſit ad libamina: ſed intelligit, quemadmodum jam dixi, etiamſi Deus noluerit conſulere hominum ſaluti, tamen curam habiturum ſuæ gloriæ. Voluit Dominus ſibi offerri triticum & vinum, non quod indigeat ipſe, ſed quia conſecravit ſibi victum noſtrum. Quoniam ergo victum & alimenta, quibus veſcimur, ſacra ſibi vult eſſe, in totum intercidere non permittet. Deus certe adhuc miſerebitur noſtri, & miſerebitur quia dignatus eſt nos ſibi in populum eligere, & ita conjungere ſibi, ut velit quaſi veſci nobiſcum. Nam viſus tunc fuit Deus quodammodo participare eandem menſam cum populo ſuo. Jubebat enim Lex offerri panem vel ſpicas, offerri etiam vinum: non quod indigeat Deus iſtis ſubſidiis, ut jam dixi, ſed ut oſtenderet ſibi omnia eſſe communia cum ſuo populo. Hæc igitur communitas vel ſocietas Dei cum electo populo potuit plus ſpei dare: & huc ſpectat totus Prophetæ ſermo.

Da omnipotens Deus, quando nos vides adeo ſocordes eſſe in vitiis alendis, & etiam ſic carnis blanditiis irretiri, ut nonniſi ægre & fere coacti ad te redeamus: da, inquam, ut ſentiamus iræ tuæ gravitatem, & ſic terrore ejus tangamur, ut ſollicite ad te redeamus, & depoſita omni fictione: & ſic nos totos addicamus tibi in obſequium, ut appareat nos ex animo reſipuiſſe, & non inani prætextu luſiſſe tecum, ſed tibi obtuliſſe in ſacrificium corda noſtra, ut tandem etiam ſimus tibi in tota vita ſacræ oblationes una cum omnibus operibus noſtris, ut nomen tuum glorificetur in nobis per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO SEXTA
IN
JOELEM PROPHETAM.

CAP. II.

15. Clangite tuba in Sion, ſanctificate jejunium, indicite conventum.
16. Colligite populum, ſanctificate cœtum, coadunate ſenes, colligite parvulos & ſugentes ubera, & egrediatur ſponſus è penetrali ſuo, & ſponſa è thalamo ſuo.
17. Inter atrium & altare plorent Sacerdotes miniſtri Jehovæ: & dicant, Propitius eſto Jehova ſuper populum tuum: & ne des hereditatem tuam in opprobrium, ut dominentur ſuper eos Gentes: cur dicent in populis, Ubi eſt Deus eorum?

Hic rurſum Propheta admonet opus eſſe ſolenni pœnitentia: quia non tantum privatim quiſque deliquerat, ſed totus populus reus erat coram Deo. Deinde ſcimus quot & quam gravibus culpis fuerint obſtricti. Non mirum eſt igitur ſi Propheta exigat ab illis publicam profeſſionem pœnitentiæ. Primo jubet ut *clangant buccina in Sion.* Quemadmodum vidimus initio capitis, ritus ille in uſu communi fuit ſub Lege, ut indicerent ſuos conventus clangore tubarum. Ergo non dubium eſt quin

quin Propheta hic extraordinarium conventum deſignet. Clangebant tubis quoties vocabant populum ad dies feſtos. Sed hoc oportuit fieri extra ordinem, ut ſcilicet Judæi jejunium indicerent: quia tunc inſtabat gravis Dei viodicta, oiſi anteverterent. Poſtea uſum vel finem declarat, jubens *ſanctificari jejunium*. Hoc verbo קדש ſignificat omnem ſacram indictionem. *Sanctificate* ergo *jejunium*: hoc eſt, indicite jejunium Dei nomine. Attigimus aliquid breviter de jejunio primo capite: ſed diſtulimus in hunc locum pleniorem ſermonem. Scimus jejunium per ſe non eſſe opus aliquod meritorium, quale fingunt Papiſtæ: quanquam, ſi vere loquamur, oullum eſt meritorium opus. Sed Papiſtæ præter meritum & dignitatem ſomniant etiam jejunium per ſe valere ad Dei cultum. Atqui jejunium eſt medium opus, ſi in ſe reputetur. Non probatur igitur Deo, niſi in alium finem: debet referri ad aliquid, alioqui res eſt frivola. Privatis jejuniis homines ſe ad precandi ſtudium melius præparant, vel macerant carnem ſuam, vel medentur aliis occultis vitiis. Jejunium nunc voco non frugalitatem: nam ſcimus filios Dei tota vita debere eſſe ſobrios & temperantes in victu ſuo. Sed jejunium nomino ubi etiam de moderato victu aliquid corrigitur. Tale autem jejunium, ut dixi, quum ſuſcipitur privatim, vel præparatio eſt ad ſtudium precandi, vel eſt exercitatio ad carnem mortificandam, vel remedium eſt aliis vitiis. Ubi autem publice ſuſcipitur jejunium, eſt ſolennis profeſſio reatus, dum homines ſuppliciter comparent ad Dei tribunal, agnoſcunt ſe dignos eſſe morte, ſed culpam tamen deprecantur. Idem eſt igitur jejunium reſpectu Dei, quod veſtes pullæ & ſqualidæ & promiſſa barba apud judices terrenos. Reus non prodibit in conſpectum judicis cum ſplendido ornatu, cum ſuis deliciis, ſed abjiciet quicquid etiam fuit prius elegantiæ in veſtitu: & impexo capillo, & barba promiſſa ſtudebit provocare miſericordiam judicis. Quanquam alia eſt etiam ratio jejunii: quia ubi negotium eſt nobis cum hominibus, tunc volumus oculis eorum placere, & conciliare eorum gratiam. Qui autem jejunat, ooo tantum palam teſtatur ſe eſſe reum, ſed ſeipſum admonet: quia non ſatis tangimur ſenſu iræ Dei, ideo utilia ſunt nobis hæc adminicula, quæ nos magis excitent & afficiant. Qui ergo jejunat, quemadmodum dixi, ille ſeipſum magis ſollicitat ad pœnitentiam. Nunc tenemus quiſnam ſit verus uſus jejunii. Propheta autem hic de publico jejunio loquitur: in quem finem? Ut ſcilicet Judæi ſe ſiſtant, quemadmodum prius citavit ipſos, ad Dei tribunal, & veniaot illuc, non cum vanis cavillis, ſed cum ſupplici deprecatione. hic eſt finis jejunii. Jam videmus quam ſtulte jejunio abuſi fuerint Papiſtæ. Nam fingunt opus eſſe meritorium: fingunt Deum abſtinentia carnium coli: deinde non referunt jejunium ad iſtos uſus, de quibus jam diſſerui: ſed conjungunt cum diebus feſtis jejunia, acſi eſſet aliquod pietatis opus abſtinere à carne, vel à certis cibis. Nunc ergo videmus quam craſſis ineptiis ludant Papiſtæ cum Deo. Itaque diligenter notandum eſt, quoties loquitur Scriptura de jejunio, quorſum ſpectet. Omnia autem confuſa erunt niſi tenemus illud principium quod poſui, jejuoium ſcilicet debere referri in alium finem. Nunc pergamus. *Indicite*, inquit, *conventum*. עצרה proprie non eſt cœtus, ſed ipſa actio. Uode etiam transfertur hoc nomen ad dies feſtos. *Indicite* ergo *conventus*, *vocate populum*, *ſanctificate cœtum*. Hic verbum Sanctificandi videtur alio modo accipi quam prius. Populus enim dum operabatur Sacris, habebat ſuos ritus, quibus expiabat ſuas ſordes, quemadmodum ſatis notum eſt. Nemo iogrediebatur Templum, quin lavaret: deinde nemo offerebat ſacrificium quin abſtineret à concubitu uxoris ſuæ. Alludit igitur Propheta ad illas purgationes legales, quum dicit, *Sanctificate cœtum*. Poſtea addit, *Coadunate ſenes, colligite parvulos ſugentes ubera*. Quantum ad ſenes ſpectat, diximus ante ſeorſum illos nominari, quia debebant præire exemplo: deinde, gravior etiam culpa in ipſis reſidebat. Scimus enim incumbere ſenibus hoc officium, ut regant alios, & quaſi teneant frenum. Ubi autem ſenes ipſi primum diſſoluti ſunt, deinde non compeſcunt libidines in adoleſcentibus, bis culpabiles ſunt coram Deo. Non mirum igitur ſi Propheta hic jubeat ſenes vocari: quia ſcilicet decebat ipſos aliis eſſe duces in profeſſione pœnitentiæ. Sed quod poſtea ſequitur videtur abſurdum. Vult enim ſimul congregari parvulos ſugentes ubera. Atqui primum innoxii erant infantes. Cur ergo trahuntur ipſi quoque in reatum? Deinde, populus illic profitebatur ſuam pœnitentiam. Atqui carent infantes ſenſu & judicio, ut poſſint ſe coram Deo humiliare. Fuit igitur ludicrum hoc & inane ſpectaculum: imo videtur Propheta ad ſimulationem populum inducere, quum jubet miſceri parvulos infantes cum viris & mulieribus. Reſpondeo, pueros oportuiſſe ſimul adduci, ut majores natu & provectæ ætatis homines in illis perſpicerent quid eſſent meriti. Scimus enim iram Dei graſſari uſque ad ipſos infantes, imo uſque ad bruta animalia. Si Deus manum ſuam exerat ad populum aliquem ulciſcendum, neque aſini, neque boves immunes erunt à communi flagello. Quum ergo ad bruta animalia, ad parvulos infantes ira Dei perveniat, non mirum eſt ſi Dominus jubeat ſtatui omnes in medium, & illic fieri profeſſionem pœnitentiæ. Videmus etiam, & (ſi Dominus dederit) quum ventum fuerit ad prophetiam Jonæ, illic tractabimus de brutis animalibus. Ninivitæ enim dum jejunium indicunt, non tantum abſtinent ipſi à cibo & potu, ſed cogunt ad inediam & boves ſuos & equos. Quorſum? nempe quaſi ipſa elementa ſecum iovolvunt eodem reatu: Domine, oos contaminavimus terram, quicquid in manu noſtra eſt polluimus etiam noſtris ſceleribus: boves, equi & aſini per ſe innoxii ſunt, ſed traxerunt contagionem à vitiis noſtris. Ergo ut miſericordiam conſequamur, non tantum offerimus nos ſupplices coram facie tua, ſed adducimus etiam boves & equos noſtros. Tu enim perdes quicquid in manu noſtra poſitum eſt, ſi utaris ſummo erga nos rigore. Sic etiam nunc quum Propheta jubet adduci iofantes in conſpectum Dei, hoc fit reſpectu patrum. Infaotes per ſe innoxii erant, quantum attinet ad ſcelera, de quibus concionatus eſt: ſed Dominus tamen merito poterat infantes cum hominibus provectæ ætatis abolere. Ergo noo mirum eſt ſi ad placandam iram Dei infantes etiam ipſi trahantur ad pœnam cum reliquis: ſed, quemadmodum jam dixi, ratio patrum habetur, ut patres ipſi perſpiciant quid meriti ſint coram Deo, & magis exhorreant ſua ſcelera, quum videant etiam Deum ſumpturum eſſe vindictam de eorum liberis, niſi fuerit placatus. Debent enim ratiocinari à minori ad majus, Ecce, ſi Deus in nos jure ſuo utatur, non tantum imminet nobis interitus, ſed etiam liberis noſtris: ſi ſceleribus noſtris rei ſunt, quid de nobis ipſis dicendum eſt, qui ſumus malorum auctores? Culpa tota in nobis reſidet: ergo ſevera & horribilis erit io nos Dei vindicta, niſi fuerit nobis placabilis. Tenemus ergo nunc, cur adducti fuerint eum patribus infantes: non ut ipſi profitereotur ptenitentiam, quemadmodum non cadit in eorum ætatem, ſed ut magis moverentur patres, & vulneraret eorum animos tale ſpectaculum, horrorem etiam incuteret, quum viderent pueros ſuos reos mortis ſecum eſſe, non alia de cauſa, niſi quod ſua contagione & ſuis flagitiis infecerant totam terram, & quicquid Dominus ipſis contulerat. Poſtea adjungit, *Egrediatur ſponſus è cubili ſuo, vel è penetra-*

metrali, & ſponſa è thalamo ſuo. Perinde eſt acſi juberet Propheta ceſſare omne gaudium in populo. nam per ſe malum non erat celebrare nuptias, ſed oportuit populum abſtinere ab omni lætitia, quum viderent jam inſtare ſuis capitibus iram Dei. Ergo quæ per ſe licita ſunt, ad tempus ceſſare debent, ubi Deus iratus nobis apparet. Neque enim vel nuptiis, vel epulis lætioribus locus eſt ubi accenſa eſt ira Dei, ubi undique tenebræ mortis imminent. Non mirum eſt igitur ſi Propheta jubeat ſponſum & ſponſam exire è ſuo thalamo: hoc eſt, abjicere omnem lætitiam, differre ſuas nuptias in aliud tempus opportunum, & jam non vacare deliciis: quia ſcilicet Dominus apparet armatus contra omnes. Hoc igitur eſſet quaſi provocare iram ejus, ſecure deliciari, ubi ipſe vult non modo terrere, ſed propemodum exanimare eos qui peccarunt. Quid enim aliud eſt ſecuritas, ubi Dominus vindictam minatur, niſi quod habetur ludibrio ejus potentia? Vocavi vos ad planctum & ad fletum & luctum: vos autem dixiſtis, Epulemur. Vivo ego, dicit Dominus, nunquam delebitur hæc iniquitas. Videmus quam ſevere illic excandeſcat Dominus contra delicias eorum, qui vocati ad planctum & jejunium, adhuc ſibi indulgent. Nam, ut jam dixi, tales prorſus ſubſannant Dei potentiam. Et ideo notanda eſt hæc exhortatio Prophetæ, quum jubet ſponſum & ſponſam relictis nuptiis ſimul etiam induere eundem ſquallorem cum reliquo populo: ita excutit omnibus ſecuritatem, ubi Deus cum ſignis iræ ſuæ apparet. Hæc ſumma eſt. Poſtea ſequitur, *Inter atrium & altare plorent Sacerdotes miniſtri Jehovæ.* Scimus injunctum Sacerdotibus fuiſſe officium hoc, ut preces conciperent totius populi nomine: nunc ergo ordinem illum ſequitur Propheta. Non fuit quidem hoc peculiare Sacerdotibus, precari & petere à Deo veniam: ſed precati ſunt in perſona totius populi. Et ratio ſatis nota eſſe nobis debet. Deus enim ſub illis figuris legalibus voluit Judæos admonitos, non poſſe perferri ad ſe preces, niſi per mediatorem aliquem. indignus erat populus qui per ſe precaretur. Sacerdos igitur fuit quaſi intermedius. Hoc totum ad Chriſtum refertur: quia per ipſum hodie precamur: ipſe enim eſt Mediator, qui pro nobis intercedit. Populus interea ſtabat procul: nunc audemus propius accedere ad Deum: quia velum abruptum eſt, & per Chriſtum ſumus omnes ſacerdotes: ideo audemus familiariter & pleno ore vocare Deum Patrem. Sed interea niſi intercedat Chriſtus, certe acceſſus ad Deum nobis non patet. Fuit igitur hæc ratio ceremoniæ legalis: ideo nunc dicit Propheta, *Plorent Sacerdotes*: non quod populum velit has partes interea negligere, ſed exprimit quid præſcriptum fuerit Lege Domini, ut ſcilicet Sacerdotes vota nomine populi conciperent. Dicit autem, *Inter atrium & altare*, quia populus manebat in atrio. Sacerdotes ipſi habebant ad latus atrium, quod vocabant Sacerdotale: ſed atrium populi erat è regione Sanctuarii. Stabant ergo Sacerdotes quaſi medii inter Deum, id eſt, arcam fœderis, & populum ipſum: populus autem illic ſtabat. Nunc tenemus quid velit Propheta, ut ſcilicet populus habeat Sacerdotes quaſi internuncios, qui preces concipiant: interea autem publica ſit omnium hæc confeſſio. Dicit *Sacerdotes eſſe miniſtros Jehovæ*, quemadmodum prius vidimus. ita deſignat eorum officium: acſi diceret non eſſe digniores reliquo populo, quaſi excellant propria virtute vel meritis: ſed quia Dominus contulit hunc honorem in tribum Levi, quia elegerat ſibi ipſos miniſtros. Ergo ratione officii propius ad Deum accedunt, non autem aliquo operum ſuorum merito. Jam adjungit, *Parce Domine*, vel propitius eſto, *ſuper populum tuum, & ne des hereditatem tuam in opprobrium, ut dominentur ſuper eos Gentes.* Hic Propheta nihil reſiduum facit Sacerdotibus, niſi ut ad Dei miſericordiam confugiant: perinde eſt acſi diceret jam nihil reſtare defenſionis populo, & nimis eos falli, ſi adhuc obtendant aliquid excuſationis, totam ſpem poſitam eſſe in Dei miſericordia. Poſtea oſtendit quænam ratio ſit quærendæ & ſperandæ miſericordiæ. Revocat autem eos ad gratuitum fœdus: *Ne des hereditatem tuam Gentibus in opprobrium.* His verbis oſtendit ſi in ſeipſis maneant Judæi, eſſe prorſus deploratos: quia toties & tot modis iram Dei provocaverant, ut non poſſent quicquam veniæ ſperare; deinde fuerant adeo obſtinati ut quaſi clauſa eſſet ipſis janua propter eorum duritiem. Sed Propheta hic admonet, quia gratis electi ſunt à Deo in populum peculiarem, ideo reſtare ſpem ſalutis, ſed non alibi quærendam eſſe. Tenemus ergo Prophetæ conſilium, ubi de hereditate Dei loquitur: acſi diceret, populum non jam quicquam ſibi debere ad placandum Deum ſumere, niſi quia eſt Dei hereditas. *Ne des* ergo *hereditatem tuam in opprobrium*, &c. Reſpicit ad illam comminationem, cujus meminit antea. Nam hoc erat extremum vindictæ genus, quod Dominus volebat populum perdere extrema clade: poſtquam attriti & confecti fuerant fame & inedia, volebat Deus prorſus conſumere ipſos hoſtili gladio. Ad hanc igitur vindictam nunc reſpicit, dicens, *Ne dominentur ſuper eos Gentes.* Ideo ridiculum eſt quod multi putant contexi ſermonem de locuſtis; illud prorſus alienum eſt à Prophetæ mente. Jam ſubjicit, *Ut quid dicent in populis, Ubi eſt Deus eorum?* Aliam rationem nunc adducit Propheta, qua Deum propitient Judæi, nempe quia hic agitur de gloria ipſius. quanquam ratio hæc affinis eſt priori. Nam certe Deus non poterat hereditatem ſuam proſtituere Gentium opprobriis, quin ſubjiceret etiam blaſphemiis ipſorum ſacrum ſuum nomen. Sed Propheta hic expreſſius oſtendit periclitari Dei gloriam inter populos, ſi ſummo jure agat cum ſuo populo. Nam Gentes contumelioſe ridebunt ipſum, quaſi non potuerit populum ſuum ſervare. Ergo hoc ſecundo loco admonet, ubi de impetranda venia agitur, debere ante oculos nobis verſari Dei gloriam: non ita nos debere conſulere ſaluti noſtræ, quin veniat nobis in memoriam ſacrum Dei nomen, quod merito præferendum eſt aliis omnibus rebus. Et interea etiam confirmat ſpem populi, ubi docet conjunctam eſſe Dei gloriam una cum ſalute eorum qui peccaverant: acſi diceret, Deus ut conſulat ſuæ gloriæ, veſtri miſerebitur. Oportuit igitur eo alacrius prodire in conſpectum Dei, ubi videbant à Dei gloria pendere ſalutem ſuam, atque ut nomen Dei ſalvum & integrum maneret à blaſphemiis, ideo ſe fore ſalvos. Nunc ergo tenemus quid ſibi voluerit Propheta hoc verſu. Primum exuit Judæos omni operum fiducia: oſtendit nihil ipſis eſſe reliquum, niſi ut confugiant ad meram Dei miſericordiam Deinde oſtendit hanc miſericordiam eſſe fundatam in gratuito Dei fœdere, quia ſunt ejus hereditas. Tertio oſtendit Deum fore illis miſericordem, quia habebit rationem gloriæ ſuæ, quam proſtitueret Gentium opprobriis, ſi extrema ſevaritate uti vellet erga populum. Nunc pergamus.

18. Et æmulatus eſt (*æmulabitur, ad verbum*) Jehova (*hoc eſt, zelo ducetur Jehova*) ſuper terram ſuam, & propitius erit (*& miſerebitur, vel parcet: nam* חמל *eſt Parcere*) populo ſuo.

19. Et reſpondit Jehova, (*vel reſpondebit*) & dicit, *vel dicet*) populo ſuo, Ecce ego mitto vobis triticum, & muſtum, & oleum, & ſaturabimini eo, (*vel illis potius: eſt mutatio numeri*) & non dabo vos amplius opprobrium inter Gentes.

Hic

Hic jam Propheta ſecundo repetit non irritas fore preces, modo ſincere proſternant ſe coram Deo Judæi. Zelabitur ergo Deus terram ſuam, & parcet populo ſuo, inquit. Confirmat quod nuper dixi, Deum clementer acturum cum populo hoc, quia eſt ejus hereditas, hoc eſt, quia eum ſibi elegit. Nam titulus hereditatis unde manat, niſi ex gratuito Dei fœdere? Neque enim præſtantiores erant aliis Judæi: ſed electio fons unicus fuit, unde oportuit Judæos haurire quicquid habebant ſpei. Nunc ergo videmus conjungi illas ſententias, *Deus zelabitur ſuper terram ſuam*: hoc eſt, quamvis terra hæc polluta fuerit hominum ſceleribus, tamen Deus eam ſibi conſecravit. Convertet ſe ergo ad fœdus ſuum, atque ita avertet faciem ſuam à ſcelerum intuitu. *Parcet populo ſuo*, inquit; nempe electo: quia ſicuti jam dixi, non dubium eſt quin Propheta hic ſalutem populi & ſpem ſalutis ejus includat in electione Dei gratuita. Zelus autem hic Dei nihil aliud eſt quam vehementia vel ardor paternæ dilectionis. Deus enim non poteſt ſatis exprimere quam ardenter amet quos elegit, niſi mutuando hominum perſonam. Scimus enim non cadere in ipſum paſſiones. Sed quemadmodum pater ardet zelo ubi videt male cum filio ſuo agi, agnoſcit ſuum ſanguinem, viſcera ejus incaleſcunt: vel quum maritus videt dedecus uxoris ſuæ, illic movetur, & etiamſi centies offenſus fuerit, tamen obliviſcitur omnis offenſæ. Habet enim rationem illius ſacræ conjunctionis, quæ eſt illi cum uxore. Talem ergo perſonam Deus ſuſcipit, ut melius exprimat quantopere & quam ardenter amet ſuos electos. *Zelabitur* ergo *Dominus ſuper terram ſuam*, inquit: quemadmodum hactenus fuit accenſus juſta ira, ſic etiam nunc contrarius affectus vincet illum priorem. non quod Deus agitetur inter varias paſſiones, ut jam dixi: ſed tranſlatitiæ iſtæ loquutiones referri debent ad noſtram ruditatem. Poſtea dicit, *Deus reſpondit & dixit populo ſuo, Ecce ego mittam vobis triticum, muſtum, & oleum.* Propheta hic non recitat quid jam actum ſit, ſed potius denunciat in futurum tempus Deum fore placabilem: acſi diceret, Ego hactenus fui præco belli, & jubebam ut omnes ſe ad ſubeundam cladem pararent: nunc ego ſum novus caduceator ad promulgandam vobis pacem: ſi tantum vobis animus fuerit reverti ad Deum, & id feceritis non ſimulate, jam ego vobis teſtor Deum fore propitium. & quantum ad preces veſtras, ſcitote jam exauditas eſſe: hoc eſt, ſimulac conceptæ fuerint, ſcitote jam exauditum iri à Domino. *Reſpondit* igitur: hoc eſt, ſi vos mea exhortatione commoti ſincere ad Deum redieritis, ipſe vobis occurret, imo jam vobis occurrit: non expectat dum vos jam perfuncti ſitis veſtris partibus, ſed dum jubet vos venire in Templum & plorare, ſimul abſtergit lachrymas veſtras, tollit omnem materiam triſtitiæ & anxietatis. *Deus* ergo *reſpondit*: hoc eſt, Ego ſum vobis teſtis certus & idoneus, quod preces veſtræ jam ſuſceptæ ſint coram Deo, etiamſi non eas conceperitis, quemadmodum prius admonui. Et ſimul etiam de effectu loquitur: *Ecce ego mitto vobis frumentum, muſtum, & oleum, & ſaturabimini*, inquit. Hic ab effectis probat Deum fore propitium. Nam penuria victus fuerat prius teſtimonium vindictæ Dei: reſtabat clades quam minatus eſt Propheta. Quid nunc dicit? Deus reſtituet vobis copiam frumenti, & vini, & olei: deinde etiam, *Non dabo vos Gentibus in opprobrium ut vobis dominentur.* Nunc ergo tenemus mentem Prophetæ: quia non modo promittit Deum fore placabilem, ſed jam denunciat eſſe placatum: & hoc confirmat ab externis ſignis, quia ſcilicet protinus auferet ſigna iræ ſuæ, & convertet eam in benedictiones. Dabit igitur vobis copiam vini, & tritici, & olei ad ſatietatem, inquit. Sicuti ſenſerant Deum iratum in ſterilitate terræ: deinde quod conſumptæ fuerant fruges à bruchis, à locuſtis, & aliis animalibus vel inſectis: dicit nunc fore ſummam ubertatem rerum omnium: quia ſcilicet Dominus amorem ſuum hoc modo teſtabitur. Deinde adjungit ſecundo loco, *Non dabo vos amplius in opprobrium Gentibus.* Quum dicit Amplius, ſignificat antè ipſos fuiſſe expoſitos ludibrio. Et certe ſcimus illo tempore paſſos fuiſſe multa incommoda: ſed reſtabat clades illa, de qua audivimus. Deus ergo hic promittit non fore amplius obnoxios Gentium opprobriis, modo reſipiſcant: conditionaliter enim ſemper loquitur Propheta. Jam ſequitur,

20. Et Aquilonarem procul abigam à vobis, & disjiciam eum ad terram deſertam, & ſiccitatis: facies ejus ad mare Orientale, & terminum ejus *(disjiciam: ego enim* [illegible] *repeto)* ad mare noviſſimum: & aſcendet fœtor ejus, & aſcendet putredo ejus, quia magnificavit ad faciendum. *(hoc eſt, quia magnifice ſe extulit ad faciendum.)*

Hoc verſu melius confirmat Judæos, ne ſibi metuant à Gentium opprobrio. Credibile eſt jam tunc Aſſyrios fuiſſe in procinctu, & bellum fuiſſe paratum; ſic ut difficile fuerit Judæos liberari ab omni metu. Dixerat in genere Propheta, amplius non fore obnoxios Gentium ludibriis. Sed interea potuit occurrere ille metus, Videmus tamen Aſſyrios jam armatos eſſe: & quid ſupereſt, niſi ut nos devorent? neque enim ſumus pares ad reſiſtendum. Ergo hæc anxietas poterat ſemper torquere Judæos, niſi diſerte & verbis expreſſis denunciaſſet. Hoc quoque eſt in manu Dei, ut Aſſyrios disjiciat, & omnes eorum conatus diſturbet. In eo igitur nunc verſatur Propheta: *Aquilonarem*, inquit, *procul à vobis abigam.* Scimus Chaldæos & Aſſyrios fuiſſe Aquilonares reſpectu Judææ. Ergo hic per Aquilonem intelligit hoſtes illos, quorum apparatus merito poterat Judæos terrere. *Disjiciam* ergo *eos à vobis, & procul disjiciam in terram deſerti & ſiccitatis.* His verbis ſignificat, etiamſi inſtructi ſint maximis copiis Aſſyrii, etiamſi inhient terræ Judææ, & eam cupiditate ſua devorent, tamen redituros fruſtra domum. *Projiciam* ergo *ipſos in terram deſertam.* Fruſtra, inquit, appetunt veſtras copias, & volunt ſaturari hac terra veſtræ fœcunditate: ego enim disjiciam cum metu. Poſtea addit, *Facies ejus ad mare Orientale, & terminum ejus ad mare noviſſimum*: hoc eſt, Diſpergam huc atque illuc, ita ut caput ſit ad mare unum (putant notari mare Salſum) altera extremitas *ad mare noviſſimum.* Non dubium eſt quin de mari Mediterraneo loquatur: mare autem Salſum erat orientale Judæis, hoc eſt, ſpectabat verſus Orientem, ſicuti ſatis notum eſt. Nunc tenemus ex parte quid velit Propheta. Sed ſimul etiam hoc addendum eſt, Prophetam eximere formidinem Judæis, quæ poterat occupare eorum animos, quum viderent tam longe & late patere Aſſyrii potentiam: Quid fiet? etſi Deus nobis adſit, & nos auxilio ſuo protegat, quonam repellet Aſſyrium? nam exercitus iſte replet totam terram. Atqui Deus inveniet ſpatium, inquit Propheta: etiamſi totam terram occupent Aſſyrii à mari Salſo vel Orientali uſque ad mare Meridianum vel Mediterraneum, tamen Dominus disjiciet iſtam magnitudinem: non eſt quod vos timeatis. Ergo data opera Propheta expreſſit quam terribiles fuerint copiis Aſſyrii, ut oſtenderet tamen non poſſe obſtare, quin Dominus diſpergeret ac disjiceret omnes illos conatus. Tandem addit, *Et fœtor ejus aſcendet.* Sed non poſſem hodie abſolvere.

Da omnipotens Deus, quando non deſinimus iram tuam in nos concitare, & ſumus adeo torpidi etiamſi nos quotidie ad pœnitentiam horteris: da, inquam, ut penetret in animos noſtros hæc doctrina Prophetæ tui, & ſit inſtar tubæ clangentis, quo vere & ſincere humiliemur coram te, & ſic tangamur ſenſu iræ tuæ, ut diſcamus exuere pravos omnes carnis noſtræ affectus: & non tantum deflere peccata quæ jam admiſimus, ſed etiam in poſterum nobis proſpicias, ut ſollicite ambulemus ſub timore tuo, & nos totos tibi conſecremus, quemadmodum dignatus es nos eligere in tuam hereditatem, & colligere ſub Chriſto tuo: ſic ergo vivamus ſub capite iſto, donec tandem colligamur in Regnum illud cœleſte, ubi fruamur beata illa quiete, quam nobis pollicitus es, & quam quotidie etiam promittis, & quæ etiam parta eſt ſanguine ejuſdem Domini noſtri, Amen.

PRÆLECTIO SEPTIMA
IN
JOELEM PROPHETAM.

CAP. II.

HEri loquutus eſt Propheta de hoſte Septentrionali. Dicebat autem in Dei manu eſſe illum procul abigere, ne populo noceret, nec poſſe ingentem ejus exercitum obſtare, quominus diſſiparet omnes ejus vires ac conatus. Jam hoc tandem addit, quod heri non potuimus abſolvere, *Aſcendet fœtor ejus, & aſcendet putredo, quia magnifice ſe geſſit ad faciendum*, hoc eſt, extulit ſe. Propheta plus exprimit quam ſuperiore contextu, nempe quod Deus totam Aſſyrii potentiam in probrum convertet. Notanda eſt iſta ratio quam adjungit, Extulit ſe magnifice ad faciendum: hoc eſt, elatus eſt magna ſuperbia: putat ſe quidvis poſſe, ideo Aſcendet putredo & fœtor ejus, inquit. Eſt pulcherrima alluſio, quia dum homines deliberant de rebus magnis, perinde eſt acſi in ſublime ſurgerent: & videmus etiam huc ſpectare omnia eorum ſtudia, qui agitant res difficiles & arduas. Neque enim contenti ſunt ſua ſorte, ſed vellent tranſcendere nubes ipſas. Quoniam ergo in ſublime aſpirant omnium mortalium conſilia, dum plus ſibi arripiunt quam par ſit, Propheta oblique deridens hanc veſaniam, dicit, Aſcendet fœtor Aſſyrii, quemadmodum ex cadavere putrido aſcendit fœtor. Putat, inquit, ſe quidvis facturum, perinde acſi cœlum & terra ſub ejus arbitrio eſſent: vires ejus, conatus, copiæ, apparatus non aſcendent, ſed aſcendet tantum fœtor tanquam ex cadavere mortuo. Quare? Magnifice, inquit, extulit ſe ad faciendum. Nunc tenemus conſilium Prophetæ. Et hinc colligi poteſt utilis doctrina, Deum ſcilicet ita occurrere ſtultæ confidentiæ eorum qui ſuperbiunt in ſuis viribus, ut non modo ipſos dejiciat, ſed etiam convertat totam gloriam in probrum, ut nihil ab ipſis aſcendat præter fœtorem & putredinem. Jam ſequitur ex oppoſito,

21. Ne timeas terra, exulta & lætare; quia magnifice extulit ſe Jehova ad faciendum.

Hic oſtendit Deo fore ſuas vices, ut ſe attollat, quemadmodum auſus eſt facere Aſſyrius. Deus enim ad tempus videtur jacere, quia ſeſe continet, non exerit robur ſuum, ſed expectat quorſum tendant conſpirationes tam veſanæ, & diabolica illa inſania eorum, qui contra ipſum & Eccleſiam ejus inſurgunt. Poſtquam autem ad tempus ita ſe continuit, tandem prodit in medium: hoc nunc intelligit Propheta. *Deus*, inquit, *magnifice extulit ſe ad faciendum*: hoc prius fecerat Aſſyrius, ſed nunc viciſſim Dominus ipſe exurget. Poterat quidem Deus antevertere, ſed noluit: quemadmodum videmus hunc ejus eſſe morem, ut ad audaciam hominum conniveat, donec tempus maturum, quale ipſe præfixit, adveniat: tunc autem diſſipat momento omnes eorum conatus. Deus ergo magnifice nunc ſe extulit: ergo *gaude & exulta terra*. Primo dicit, *Ne timeas terra*: poſtea, *Exulta & lætare*. Nam oportuit priore loco eximi hunc terrorem, quo jam omnium animi occupati erant. A conſolatione igitur Propheta incipit, quia vix poterant Judæi concipere aliquod gaudium, niſi prius excuſſus fuiſſet timor ille cui ſuccubuerant. Ergo Propheta optimum ordinem tenet, quum dicit, Ne timeas terra, ſed potius Exulta & lætare. Poſtea adjungit,

22. Ne timeatis beſtiæ agri, quia germinarunt paſcua deſerti, quia arbor protulit fructum ſuum, ficulnea & vitis protulerunt virtutem (*vel ſubſtantiam*) ſuam.

Hic ſermonem convertit Propheta ad ipſas beſtias: non quod proprie illis conveniat doctrina, ſed efficacior fuit hæc ratio loquendi, quum vocaret etiam ipſas beſtias ad ſocietatem lætitiæ: quia niſi Judæi ſenſiſſent iram Dei ſibi jam propinquam, quicquid hactenus conſolationis adhibitum fuit à Propheta, fuiſſet non magni momenti. Jam vero quum intelligunt iram Dei non tantum ſuis capitibus inſtare, ſed ſe extendere longius, nempe uſque ad beſtias: ubi autem miſertus fuerit eorum Dominus, etiam benedictionem ejus fore communem ipſis beſtiis & brutis animalibus: hoc longe efficacius eſt. Videmus itaque optimo conſilio Prophetam ipſas beſtias alloqui, quæ tamen ratione & judicio carent. Nam in brutis animalibus his alloquitur ipſos homines: hoc eſt, efficacius penetrat in eorum animos, ut ſerio agnoſcant quid valeat ira Dei, & rurſum quid valeat ejus benedictio. *Beſtiæ ne timeatis*, inquit: ergo oportuit beſtias agri terreri illo Dei judicio, quod prius denunciavit. Niſi enim placatus fuiſſet Deus populo ſuo, incendium iræ ejus comprehendiſſet totam terram, arbores, paſcua: ita omnes beſtiæ fuiſſent famelicæ. Nunc autem ubi Deus populo ſuo reconciliatur, jam ejus benedictio refulget in ipſis brutis animalibus. Quid ergo de hominibus ipſis dicendum eſt? Nam Dominus proprie ipſis eſt propitius, non autem animalibus brutis. Videmus ergo fructum reconciliationis melius patere, quum pars ejus uſque ad bruta animalia extenditur. Ergo, *Ne timete beſtiæ agri*, inquit: *quia paſcua deſerti germinabunt, arbores proferent fructum ſuum*. Significat his verbis Propheta, ſi implacabilis fuiſſet ira Dei erga populum ſuum, ſterilitatem terræ non potuiſſe corrigi. Nunc ergo unde tam ſubita mutatio, quod germinent paſcua,

ſcua, quod arbores producunt fructus ſuos, & ficulnea & vites, niſi quia Deus dignatur benedicere terræ, poſtquam homines ipſos recepit in gratiam? Nunc ergo tenemus quid velit Propheta, nempe irato Deo terram fore armatam, ut exequatur Dei judicium, & nullum eſſe remedium in ſterilitate & aliis incommodis, donec homines Deum ſibi propitiaverint. Hæc ſumma eſt. Jam ſequitur,

23. Et filii Sion exultate, & gaudete in Jehova Deo veſtro, quia dedit vobis pluviam ad juſtitiam, (*alii vertunt, Doctorem juſtitiæ: ſed de eo paulo poſt dicemus*) & deſcendere faciet vobis imbrem pluviam, (*vel pluviam tempeſtivam, ut vertunt: dicemus etiam de hac voce*) & pluviam in menſe primo.

Jam hortatur etiam Judæos ad gaudium, alio tamen modo quam terram & beſtias. Dicit, *In Deo veſtro gaudete.* Nam beſtiæ & pecudes dum gaudent, non poſſunt tamen ſenſus ſuos altius erigere quam ad pabulum. Definit igitur lætitia brutorum animalium in objecto, ut loquuntur. Sed Propheta proponit Judæis Deum tanquam materiam gaudii. Ergo videmus ut ipſos à brutis animalibus, à terra & aliis elementis diſcernat. Neque enim tantum jubet lætari in cibo & potu, in abundantia frugum, ſed jubet gaudere in Domino Deo ſuo: neque amplius dicit, Terra dabit virtutem ſuam, vel vites & ficulneæ aut arbores proferent fructus ſuos, & germinabunt paſcua. non hoc modo nunc loquitur: ſed Deus ipſe vobis dedit pluviam, inquit: quia negotium eſt cum hominibus, qui intelligentia præditi ſunt, imo cum ipſis Judæis, qui à pueritia edocti ſunt in Lege Dei: non tantum de terra, non tantum de pane & vino loquitur, ſed de ipſo auctore. Revocat igitur eos ad Dei benedictionem, & oſtendit Deum illis fore propitium, ita ut gratiam ſuam effundat, & faciat officium erga eos patris ac nutricii. Deus ergo proferet, inquit, vobis, vel dabit pluviam ad juſtitiam. המורה vertunt alii Doctorem: & ſcimus etiam ambiguam eſſe ſignificationem vocis. Interea מורה ſæpius accipitur pro Pluvia, & interdum generaliter, aliquando in ſpecie, ut ſtatim dicemus. Quanquam ergo מורה Doctorem ſignificet, non videtur tamen ferre hunc ſenſum circumſtantia loci. Qui ita ſumpſerunt videntur hac una ratione adducti, quod abſurdum eſt priore loco, & quaſi altiore gradu ſtatui caducas benedictiones, quæ tantum pertinent ad victum, & alimenta corporis. Sed ratio illa eſt nimis frigida. Scimus enim Prophetas deducere quaſi rudimentis pueros ad doctrinam altiorem. Non mirum eſt igitur ſi Propheta hic guſtum gratiæ Dei præbeat in corporalibus beneficiis, poſtea conſcendat altius, quemadmodum videbimus: & certe hoc etiam poſtulat contextus. Dicet enim tandem Propheta, Poſt hoc effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem, &c. Illic Propheta commendat gratiam Dei, quæ debebat in majori pretio eſſe. Nunc autem incipit à beneficiis temporalibus, ut paulatim, & per certos gradus deducat rudem & infirmum populum. Nomen ergo Doctoris nullo modo convenit: & notandum eſt etiam quod ſtatim ſequitur. Ponit verbum unde deducitur מורה. poſtea addit מורה. Secundo loco non dubium eſt quin ſignificet Pluviam: omnes hoc fatentur, & eodem verſu fatentur ſumi pro Pluvia. Quum ergo de hac re conſentiant omnes, videtur hoc eſſe nimis coactum, in eodem verſu vertere ſemel Doctorem, & ſemel pluviam: præſertim quoniam videmus Prophetæ conſilium huc tendere, ut ſcilicet populus etiam in rebus externis Dei benedictionem ſentiat. Eſt etiam alia ratio quæ fefellit iſtos interpretes. Sequitur ſtatim לצדקה, Ad juſtitiam: quum vellent conjungere iſtas voces המורה לצדקה, quid eſt Pluvia juſtitiæ? Ergo putarunt hic de Doctore tractari. Sed ſcimus משפט & צדקה ſæpe accipi in Scripturis pro Juſta menſura, pro Rectitudine. Deus ergo non aget vobiſcum inæqualiter ut hactenus: ſed poſtquam reconciliatus vobis ipſe fuerit, ad officium patris redibit, & ſervabit etiam erga vos legitimum ordinem: nam utrinque res confuſæ ſunt. Vos enim bellum geſſiſtis cum Deo, & malitia veſtra pervertit totum naturæ ordinem. Jam ubi Deus vobis fuerit placatus, erit utrinque æquabilitas, omnia convenient: nihil aget amplius tumultuoſe vobiſcum. Nunc ergo tenemus genuinum ſenſum Prophetæ, & videmus quam frivolis rationibus inducti fuerint iſti interpretes, ut Doctorem juſtitiæ verterent. Ego autem expoſitiones coactas non amo. Jam redeamus ad Prophetæ verba: *Dabit*, inquit, *vobis pluviam ad juſtitiam*: poſtea, *Deſcendere vobis faciet imbrem.* (utitur alio nomine) deinde addit iterum nomen מורה: hic haud dubie ſignificat pluviam, & nemo reclamat. Sed tamen videtur hic ſpecialis eſſe ſignificatio nominis גשם, quod putant eſſe imbrem violentum, qui excitatur turbine vel procella. Sed tamen ex compluribus Scripturæ locis colligere licet generaliter vocari Pluviam hac voce. מורה autem videtur hic accipi pro pluvia menſis Septembris, quam Græci vocarunt πρώϊμον: ſicuti מלקוש vocarunt pluviam ὄψιμον, vel ſerotinam, ut vulgaris interpres reddidit. Scimus autem culturam terræ opus habere duabus pluviis: nempe poſt ſationem, & quum fruges mautreſcunt. Poſt ſationem, ut terra humore conceptum melius germinet: nam opus tunc habet ſucco, quem ſuppeditet radicibus. Pluvia igitur Septembris vel Octobris poſt ſationem, vocatur pluvia tempeſtiva proprie; & Græci, quemadmodum jam dixi, vocant πρώϊμον. & Jacobus capite quinto ita vocat, hoc ſequutus: Dabit vobis pluviam, inquit, & primi temporis, & ſerotinam, hoc eſt, menſis Martii. Scimus vero in illis calidis regionibus meſſem eſſe magis tempeſtivam, quam apud nos: hic Julio menſe colligimus triticum, illic autem colligunt menſe Maio. Fruges ergo tunc matureſcunt menſe Martio: ideo opus habent pluvia ſerotina. Et capite quinto Jeremiæ ſatis apparet מורה vocari pluviam illam, ſicuti hoc loco, quæ diſtillat poſt ſationem. Dicit enim illic Deus, Dabo vobis (primum ponit generale nomen) גשם. poſtea addit duas ſpecies, quæ hic etiam ponuntur. Deinde adjungit, In tempore ſuo, hoc eſt, unamquamque pluviam tempeſtive & opportune. Ergo מורה habet ſuum tempus: מלקוש etiam habet ſuum tempus: alioqui non quadraret illud Prophetæ verbum. Nunc tenemus quid velit Propheta: & de voce מלקוש etiam aliquid diximus ſexto capite Hoſeæ. Dicit ergo nunc Propheta, Deum fore ita propitium Judæis, ut nihil omittat teſtandæ ſuæ gratiæ erga eos: quia dabit pluviam & menſe Octobri & menſe Martio, ut terram fœcundet in ipſa ſatione, & ante meſſem, vel antequam fruges ad maturitatem perveniant. Hic ergo promittitur Judæis & terræ fœcunditas per naturalia media. Jam ſequitur,

24. Et implebuntur horrea frumento, & reſonabunt torcularia vino & oleo. (*Muſto, ad verbum: diximus de hac voce prius.*)

Proſequitur hoc verſu eandem ſententiam: ſed oſtendit effectum pluviæ. Nam ubi terra irrigata fuerit, & ſatiata juſto humore, ſimul etiam uberem & copioſum fructum reddet. Faciet igitur Deus ne inutiles ſint pluviæ, quoniam horrea plena erunt tritico, & torcularia reſonabunt tam vino, quam oleo. Poſtea adjungit,

25. Et reddam vobis annos, (*pro aliis annis, ſubaudiendum eſt*) quibus comedit locuſta, bruchus, eruca, (חסיל *alii vertunt Rubiginem: ſed dixi primo capite me non adeo ſollicitum eſſe de iſtis vocibus, quia etiam ignotæ ſunt hodie ipſis Judæis: ſed certum eſt eſſe inſecta, quæ corrumpunt omnes terræ fruges, ut tunc diximus*) exercitus meus magnus, quem miſeram ad vos.

Confirmat Propheta ſuperiorem doctrinam, & ratiocinatur à contrariis: quia ſcilicet Deo non minus facile ſit reſtituere uberem proventum terræ, quam prius facile fuit terram reddere ſterilem, immiſſis illis corruptelis. *Reddam vobis annos* (pro aliis annis) inquit. Sed quo melius intelligant Judæi hoc totum in manu Dei eſſe poſitum, diſerte pronunciat, *Erucas, & bruchos, & locuſtas* fuiſſe ſuos milites, & quidem conductitios, quorum opera uſus fuerit, quemadmodum viſum eſt. Corruptelas ergo quæ conſumpſerant totum terræ proventum, dicit Propheta fuiſſe quaſi ſatellites Dei. Non fortuito, inquit, exortæ ſunt locuſtæ, vel erucæ, vel bruchi, ſed Deus conduxit illorum militum operam: fuerunt ejus copiæ & exercitus ad ipſos opprimendos. Fames autem & inedia confecerat totum populum. Ergo non fruſtra hic Propheta commemorat fuiſſe exercitus Dei illas beſtiolas. Jam tenemus argumentum à contrariis, Si enim Deus conſumpſit totam ſubſtantiam terræ per illos exercitus: nunc non erit difficile reſtituere ubertatem pro illis annis. Jam ſiquis arma deponat, poſtea colentur terræ, & afferent ſolitum fructum: ſic etiam nunc Dominus oſtendit terram fuiſſe ſterilem, quia ſuos exercitus immiſit, qui vaſtarent omnes ejus proventus. Nunc, inquit, poſtquam rediero vobiſcum in gratiam, nulli erunt milites, qui devorent fructus veſtros. Terra igitur vos alet, quia nihil impediet quominus recipiatis ſolitum proventum. Niſi enim hoc perſuaſum fuiſſet Judæis terram fuiſſe ſterilem, quoniam armatæ fuerant locuſtæ & bruchi & erucæ à Domino, poterant ſemper ſibi metuere ab illis corruptelis, Atqui exorientur locuſtæ, exorientur bruchi, & erucæ, quæ deglutient omnes fruges. Propheta oſtendit hoc non fuiſſe fortuitum. Nunc ergo poſtquam placatus fuerit vobis Deus, terra ipſa officium præſtabit: deinde nihil impediet quominus fruamini ejus abundantia. Quod vocat exercitum magnum, oſtendit Deo non opus eſſe validis copiis ut homines ſubigat. Nam ubi armat locuſtas & animalcula, quæ nullius ſunt momenti, rapiunt victum ex hominum ore, relinquunt eos famelicos: etiamſi nullus exerat contra ipſos gladium, tabeſcunt tamen in ſua inedia. Hic ergo deridet Propheta hominum arrogantiam, ut oſtendat nihil eſſe negotii Deo, ubi vult ipſos in nihilum redigere. Nunc pergamus.

26. Et comedetis comedendo & vos ſatiando, & laudabitis nomen Jehovæ Dei veſtri, quia egit vobiſcum mirabiliter: (*ad miraculum*) & non pudefiet populus meus in perpetuum.

Jam concludit quod hactenus diſſeruit de benedictione Dei. Sicuti enim eſurierant Judæi offenſo Deo, ſic etiam promittit aliam ſatietatem ex terræ proventu, poſtquam reconciliati fuerint: *Comedetis comedendo*, inquit, *& vos ſatiando*. Sed ſimul etiam adjungit gratitudinem: quia hoc debebat eſſe teſtimonium veræ pœnitentiæ, ut laudarent nomen Dei, quem ſatis tenebant auctorem eſſe illius fœcunditatis: ſicuti prius oſtenderat in manu ſua eſſe terram, ut poſſit conſumere totam ſubſtantiam ejus ne perveniat uſque ad homines. Hortatur ergo Propheta eos ad gratias agendas, ut hoc modo declarent ſe ex animo reſipuiſſe. *Laudabitis ergo nomen Jehovæ Dei veſtri.* Quare? *Quia egerit vobiſcum mirabiliter.* Hic tollit omnem cauſam ignorantiæ. Scimus quam difficile ſit homines cogere ad hoc pietatis officium, ad quod tamen fatemur nos eſſe natos. Nam quid magis naturale eſt, quam ut reputemus erga nos Dei beneficentiam, ubi fruimur tanta bonorum abundantia? Interea tamen etiamſi multis modis nos Dominus ſtimulet, non poteſt extorquere veram gratitudinem. Hæc ratio eſt cur Propheta nunc dicat, Deus aget vobiſcum mirabiliter. Ergo etiamſi ſitis ſtupidi, ipſa tamen Dei potentia vos expergefaciet: neque enim aget vobiſcum uſitato modo. Miraculum itaque hoc proponit, ut nihil excuſationis relinquat Judæis, niſi ſecum expendant Dei beneficentiam, & intelligant in hac mutatione quid primum meriti fuerint: deinde quam miſericors fuerit erga ipſos Deus. Iſta enim converſio non potuit adſcribi Fortunæ: nec vulgaris certe fuit, quum per continuos quatuor annos Judæi propemodum confecti fuiſſent rerum omnium inopia, deinde quum hoſtis inſtaret eorum capitibus, dum vident terram nunc ſibi fœcundam eſſe, dum vident purgatam eſſe illis inſectis, dum etiam pacati ſunt, & nullus eſt metus ab hoſte externo: quum ergo præter ſpem è cœlo turbido Dominus cœlum ſerenum reddit, nonne iſta admirabilis rerum mutatio debet eos afficere? Hoc nunc intelligit Propheta, Quia nunc Dominus aget vobiſcum mirabiliter, ideo nulla erit excuſatio torporis veſtri, niſi ſedulo intenti ſitis ad laudandum ejus nomen. *Non pudefiet*, inquit, *populus meus in ſeculum.* Hic tacite exprobrat Judæis ſuperiorem ignominiam. Jacebant enim confuſi, etiamſi hoſtes digito illos non attingerent, moriebantur fame: jam hoſtis accinctus erat, quemadmodum vidimus, ad eos perdendos. Erant igitur expavefacti metu: deinde confuſi ſuis malis, quibus Deus ipſos fere attriverat. Nunc dicit Propheta, *Populus meus non pudefiet in ſeculum*: hoc eſt, Deus tandem incommodis omnibus populum ſuum levabit, ut non pudefiat, quemadmodum hactenus. Tandem ſubjicit,

27. Et cognoſcetis, quia in medio Iſraël ego, & ego Jehova Deus veſter, & nullus præterea: & non pudefiet populus meus in ſeculum.

Eandem ſententiam repetit. Explicat autem initio verſus quod prius dixi, tale ſcilicet fore miraculum, ut populum cogeret ad Dei laudes: *Cognoſcetis*, inquit, *quod ego ſum in medio Iſraelis.* Hoc autem factum eſt, quia Deus non vulgari modo ſuam bonitatem erga ipſos monſtravit, & præſertim quia prædictum hoc fuerat: deinde quia etiam cauſa fuerat adducta, quod ſcilicet Deus memor eſſet

ſui

ſui fœderis. Modus ergo agendi, deinde ipſa prædictio non relinquebant ullum ignorantiæ prætextum populo. Ideo nunc dicit Propheta, Vos cognoſcetis quod ego ſum in medio Iſraelis: deinde, Quod ego ſum Jehova Deus veſter. His verbis admonet Propheta, hoc totum eſſe tribuendum gratuitæ Dei miſericordiæ, quod tandem populus levabitur ſuis malis: quia jam vidimus fuiſſe res prorſus deſperatas, niſi addita fuiſſet illa conſolatio, Et nunc quoque ad me convertimini. Repetit igitur Propheta non aliam fore cauſam cur Deus tam benigne agat cum populo ſuo, & cur tam clementer parcat, niſi quia habitat in medio Iſraëlis. Unde autem iſta habitatio, tuſi quia hunc populum gratis elegerat? Potuit autem hoc plurimum valere ad erigendos populi animos. Nam quomodo alioqui ſperaſſent Deum ſibi fore propitium, niſi ad hoc principium fuiſſent revocati, Deum ſcilicet in medio ipſorum habitare? noo quod digni eſſent, ſed quod dignatus fuiſſet deſcendere ad ipſos. Poſtea addit, *Et nullus amplius.* Hoc verbo Propheta eos magis & acrius ſtimulat, ut confeſtim ad Deum redeant: quia ſi differaot longius, fruſtratio erit in mora. Ne ergo more ſuo Judæi adhuc procraſtinent, dicit oullum eſſe amplius Deum: & ita oſtendit nullum aliud eſſe remedium ipſorum malis, niſi ut Deum ſibi reconciliare ſtudeant. Nullus ergo præter me Deus eſt, & habito in medio tui. Hic Dominus vendicat ſibi omnem potentiam: deinde familiariter ad ſe invitat populum: quia ſcilicet habitet in medio ejus. Ergo ne populus fingat ſibi alias ſpes, oſtendit Deus in ſe uno reſidere omnem ſpem: poſtea oſtendit ſalutem hanc non procul quærendam eſſe, ſi modo populus non obliviſcatur fœderis: quia ſcilicet Deus in medio ejus habitet. Jam ſequitur altior illa doctrina.

28. Et accidet poſt ſic (*hoc eſt, poſtea*) effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem: & prophetabunt filii veſtri & filiæ veſtræ: ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt: juvenes veſtri (*aut viri electi*) viſiones videbunt.

Diximus cur Propheta exorſus fuerit à terrenis alimentis. Nam poſſet quiſpiam putare hunc ordinem eſſe præpoſterum. Neque enim fruſtra admo-
Matth. 6. net Chriſtus, quærendum eſſe primo regnum Dei, ut alia deinde ſuo loco accedant. Victus enim, & quicquid pertinet ad hanc caducam vitam, eſt quaſi acceſſio ſpiritualis vitæ. Sed conſulto Propheta propoſuit ſignum gratiæ Dei in externis beneficiis: quia videmus quam tardi ſint hominum ſenſus & pigri etiam ad quæreodam ſpiritualem vitam. Quia ergo tam difficulter aſſurgunt homines, ideo Propheta uſus eſt optimis adminiculis. Et certe tractandi ſumus, ut ſolemus tractare pueros: quia nondum conſilii tantum in ipſis eſt, ut rationibus adduci queant, proponimus illis quæ conveniuot teoero & rudi ingenio: ſic nunc facit Propheta. Nam io corporali victu oſtendit Deum fore propitium Judæis. Poſtea ubi uſus eſt tali adminiculo, adjungit, *Poſt hæc effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem.* Et his verbis admonet Propheta perperam facere populum, ſi inſiſtat io iſtis evanidis rebus, ſi nihil præſtantius à Deo expetat, quam ut ſaginetur, ſicuti ſolent bruta animalia. Quid enim different filii Dei ab aſinis & canibus, niſi altius conſcendant, nempe ad ſpiritualem vitam? Ergo Propheta poſtquam elementa propoſuit tanquam pueris, jam propooit magis ſolidam doctrinam (deducendi enim ita ſunt) & guſtum illis præbet gratiæ Dei in externis ſignis. Ergo conſcendite nunc, inquit, ad ſpiritualem vitam: quiá hic fons eſt unicus, etſi terrena beneficia vos occupant & retinent, certe polluitis ea. Nam Deus alio conſilio vos paſcit, quam ut ſaturet ac ſaginet. Neque enim vult ſimiles vos eſſe brutis animalibus. Ergo agnoſcite vos corporaliter paſci, & Deum vobis ſuggerere alimenta, ut aſpiretis ad cœleſtem vitam: nam quaſi manu illuc vos deducit. ſit ergo ille finis veſter. Nunc tenemus cur Propheta non ioitio diſſeruerit de ſpirituali gratia Dei: ſed nunc demum ad eam deſcendat. Exorſus autem fuerat à temporalibus beneficiis, quia rudem populum neceſſe fuit paulatim deduci iſto modo, ut pro infirmitate ſua, & pigritia, & tarditate majores progreſſus faceret, donec intelligeret Deum in hunc finem fore ſibi Patrem.

Da omnipotens Deus, quándo indigemus hic tot ſubſidiis in hac caduca vita, & qtuum umbratilis ſit, non poſſumus momentum tranſigere, niſi ſubinde & ſingulis momentis tua largitate nobis ſuppedites quicquid opus eſt: da, inquam, ut ſic proficiamus in tot tuis beneficiis, quo diſcamus mentes noſtras erigere ſurſum, & ſemper aſpirare ad cœleſtem vitam, ad quam tam comiter & blande nos quotidie invitas per Euangelium tuum, donec collecti io Regnum illud cœleſte fruamur felicitate ſumma, quæ nobis parta eſt ſanguine Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti, Amen.

PRÆLECTIO OCTAVA
IN
JOELEM PROPHETAM.

CAP. II.

E*T erit, poſtea effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri & filiæ veſtræ, & ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, & juvenes veſtri viſiones videbunt.* Diximus poſtrema lectione cur de ſpirituali Dei gratia nunc demum Propheta loquatur, poſtquam diſſeruit de benedictionibus terrenis. Videri etiam poſſet hic ordo perverſus. ſed ſolutio facilis eſt. Prius enim dixit Propheta, poſtquam reconciliatus eſſet Deus populo ſuo, hoc palam facturum externis ſignis: quia ſcilicet reſtitueret copiam vini & tritici. Fuerant autem hæc vindictæ Dei ſigna, quod populus fame & inopia propemodum confectus fuerat: teſtimonium igitur reconciliationis Propheta in contrariis ſignis poſuit. Sed quia vera Eccleſiæ inſtauratio non eſt vel in fœcunditate agrorum, vel in proventu annonæ: ideo nunc Propheta altius animos piorum erigit, ut ſcilicet expectent ſpiritualem Dei gratiam. Hac ratione dicit, *Poſtea effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem.* Non dubium eſt quin Propheta hic aliquid majus promittat quam ſenſerant Patres ſub Lege. Scimus viguiſſe gratiam Spiritus ſancti, etiam in veteri populo: ſed Propheta hic non promittit quod prius experti erant fideles, ſed aliquid majus, quemadmodum attigi. Et hoc colligi poteſt ex verbo Fundendi, quo utitur. Nam שפך, non ſignificat tantum ſtillare, ſed plena copia fundere. Deus autem non tam abunde neque largiter Spiritum S. ſub Lege effudit,

dit, ſicut poſt Chriſtum manifeſtatum. Quoniam ergo uberior gratia Spiritus contigit Eccleſiæ poſt Chriſti adventum, ideo Propheta hic utitur verbo inſolito, quod ſcilicet *Deus Spiritum ſuum effundet.* Accedit ſecunda circumſtantia, quum dicit, *ſuper omnem carnem.* Scimus etiamſi olim Prophetæ habuerint ſua collegia, tamen fuiſſe paucos numero. Quoniam igitur rarum erat prophetiæ donum apud Judæos, Propheta ut oſtendat Deum liberalius acturum cum nova Eccleſia quam reſtituerat, dicit, Effundam ſuper omnem carnem. Significat igitur vulgo omnes fore participes gratiæ Spiritus, & quidem plena abundantia, quum pauci tenuem guſtum habuiſſent ſub Lege. Nunc ergo tenemus Prophetæ conſilium: perinde eſt enim acſi hic diſcrimen apertum poneret inter ſtatum veteris populi, & ſtatum novæ Eccleſiæ, de cujus reſtitutione nunc diſſerit. Talis eſt comparatio, quod Deus non tantum paucos donabit Spiritu ſuo, ſed totam populi multitudinem: deinde quod locupletabit omni genere donorum ſuos fideles, ut poſſit videri plena copia effuſus eſſe Spiritus. *Effundam* igitur *ſuper omnem carnem Spiritum meum.* Hinc colligimus quam perperam verterit Græcus interpres, Effundam è Spiritu meo. Diminuit enim promiſſionem hanc, quum dicit, E Spiritu meo, acſi portiunculam aliquam Spiritus ſui Deus hic promitteret. Atqui potius de plenitudine loquitur Propheta, & eam vult exprimere. Sequitur, *Prophetabunt filii veſtri & filiæ veſtræ.* Nunc exegetice proſequitur eandem ſententiam Propheta. Exponit ergo pluribus verbis quid ſibi velit hæc particula, Super omnem carnem, quod ſcilicet populus totus prophetabit, vel quod vulgare erit prophetiæ donum, & regnabit paſſim inter omnes Judæos, ita ut futura ſit nova & prius inſolita ratio. Habuerant enim veteres quoque ſuos Prophetas, ſed exiguo numero. Nunc autem Propheta extendit donum illud & gratiam ad omnes ordines: Prophetabunt igitur filii veſtri, & filiæ veſtræ, inquit, ut etiam fœminas non excludat. Poſtea attingit duas ſpecies prophetandi, *Senes veſtri ſomnia ſomniabunt: juvenes veſtri,* ad verbum ſignificat Electos, בחורים. Sed quoniam media ætate floret robur in hominibus, ideo Electos vocant qui viribus & conſilio pollent, & qui adhuc integri ſunt. Maturæ igitur ætatis homines intelligit per Electos: *videbunt,* inquit, *illi viſiones.* Scimus quum Deus ſe manifeſtaret Prophetis, uſum fuiſſe vel ſomniis, vel viſionibus, ſicuti etiam dicitur Numerorum duodecimo capite. Illa fuit ordinaria diſpenſatio, ut ita loquar. Nunc ergo hanc diſtributionem Propheta adjungit, acſi diceret donum prophetiæ commune fore tam viris, quam mulieribus: tam ſenibus, quam aliis ætatis mediæ. Nunc tenemus ſummam hujus verſus. Ergo inter Somnia & Viſiones nulla eſt diſtinctio, niſi quod Propheta ſpecies iſtas enumerat, quo melius agnoſcant Lectores, quod prius generaliter de prophetia dixit, fore omnibus communem. Cæterum, jam diximus vaticinium hoc debere conferri in Chriſti adventum: quia antequam exhibitus fuerit Chriſtus mundo, ſcimus non fuiſſe impletum quod hic ſcribitur. Et Propheta etiam concionatur nunc de nova Eccleſiæ reſtitutione, quam ſcimus fuiſſe ſuſpenſam uſque ad prædicationem Euangelii. Ergo nunc videndum eſt, an Chriſto exhibito Deus præſtiterit quod ante per Prophetam ſuum dixerat. Petrus ſecundo capite Actorum dicit prophetiam hanc impletam fuiſſe quum miſſus eſt Spiritus. Sed nunc poſſet objici, non fuiſſe omnes præditos dono prophetiæ, etiam quum Deus explicavit omnes gratiæ ſuæ theſauros: quum maxime floruit Eccleſia, tamen non omnes tunc fuiſſe Prophetas Paulus dicit, & ipſa etiam experientia clamat. Quomodo igitur dicit Petrus hoc fuiſſe impletum, quod Deus effuderit ſuper omnem carnem Spiritum ſuum? Reſponſio non difficilis eſt, modo ſciamus Prophetam hic loquutum eſſe comparative, ut Scriptura ſolet. Non ergo præciſe affirmat omnes fore participes hujus doni: ſed reſpectu veteris Eccleſiæ hoc donum fore quaſi publicum, ſicuti hoc ſatis notum eſt. Nam ſi quis conferat ſtatum veteris Eccleſiæ cum opulentia illa, quam Deus largitus eſt ſuis poſt Chriſti adventum, certe reperiet quod dico, nempe effuſum fuiſſe Spiritum Dei ſuper omnem carnem, qui paucis tantum datus fuerat ſub Lege. Verum eſt igitur quod Propheta dicit, modo ſubaudiatur illa antitheſis, quod ſcilicet Deus multo fuerit liberalior erga novam Eccleſiam, quam olim erga Patres. Neque enim multi tunc fuerant Prophetæ: ſed plures fuerunt ſub Euangelio. Et ſimul tenendum eſt, Prophetam hyperbolice extollere Dei gratiam: quia tantus eſt ſtupor noſter, & tarditas, ut nunquam ſatis apprehendamus Dei gratiam, niſi quum nobis proponitur ſub figuris loquendi hyperbolicis. Non eſt quidem exceſſus in re ipſa, ſi eſſemus ſatis attenti: ſed quia vix centeſimam partem apprehendimus donorum Dei, ubi ea nobis proponit ante oculos, ideo neceſſe eſt accedere hanc commendationem, quæ ſenſus noſtros attollat. Hyperbolice igitur cogitur loqui Spiritus Dei propter noſtrum torporem, vel potius ſocordiam. Et interea non timendum eſt, ne ſenſus noſter tranſcendat verba ipſa: quia ubi ſupra cœlos volet nos Deus efferre, vix poterimus conſcendere tres vel quatuor pedes. Nunc ergo tenemus cur Propheta hic omnem carnem ſine exceptione nominet. Primo, quemadmodum dixi, plures fuerunt Prophetæ ſub Euangelio, quam ſub Lege: ergo comparatio iſta optime convenit. Deinde hic Propheta non loquitur de publico munere docendi, quia Prophetas vocat, etiam qui non erant vocati ad docendi munus, ſed qui præditi erant tanta doctrinæ luce, ut poſſent Prophetis conferri. Et certe cognitio quæ viguit in prima Eccleſia, talis erat, ut qui erant contemptiſſimi, tamen pares eſſent veteribus Prophetis magna ex parte. Nam quid Deus contulit veteribus Prophetis, niſi quod vaticinati ſunt de re aliqua? Fuit igitur ſpeciale aliquod donum, & valde reſtrictum. Deinde vaticinia hæc vix digna ſunt, quæ conferantur cum ſapientia cœleſti, quæ in Euangelio patefacta fuit. Fides igitur poſt Chriſti adventum præcellit donum prophetiæ, ſi recte æſtimetur pro ſuo merito. Itaque Propheta hic non abs re dignatur tam honorifico nomine qui privati erant homines, & quibus non erat injunctum munus docendi in populo, ſed qui tantum illuminati erant: quia lux illa multo fuit præſtantior quam donum prophetiæ in multis qui ſub Lege vixerunt. Nunc tenemus quid velit Propheta, quum Spiritum Dei promiſcue facit communem omnibus piis, ita ut prophetandi dono excellant. Nunc quantum attinet ad ſpecies duas quæ hic ponuntur, notandum eſt Prophetam loquutum eſſe pro communi populi uſu. Quia ergo aſſueti erant Judæi ad viſiones & ſomnia, ideo prophetias inſignit his titulis. Et hæc loquendi ratio paſſim in Prophetis occurrit: ideoque nobis tenenda eſt. Quum loquuntur de cultu Dei, utuntur Sacrificii nomine, Venient, & afferent thus & aurum: deducent camelos opulentia terræ onuſtos. Denique ſuis vaticiniis erigunt altaria, & extollunt Templum. Atqui nihil tale viſum eſt poſt Chriſtum exhibitum. Neque enim Jeroſolymam venerunt Gentes ut ſacrificia offerrent: imo paulo poſt everſum fuit Templum: nullum fuit apud illos altare, ceſſavit totus ille cultus legalis. Quorſum igitur ſpectant loquutiones iſtæ, quod venient undique populi, ut ſacrificent ſimul? nempe ſub viſibili forma deſcribunt ſpiritualem cultum Dei. Sic etiam hoc loco, quoniam uſitata erat ratio in populo veteri, ut Deus per ſomnia & viſiones manifeſtaret ſe Prophetis, dicit, *Senes veſtri ſomnia ſomniabunt, & juvenes veſtri viſio-*

nes

nes videbant. Sed non dubium eſt quin Propheta ſub his loquendi formis deſignet illam intelligentiæ lucem, quæ excelluit nova Eccleſia poſt Chriſtum exhibitum. Comparat enim fidei lucem prophetiæ; quemadmodum diximus: ſed accommodat ſtylum vel ſermonem ad captum populi ſui: videt enim quibuſcum loquatur: ſicuti eandem regulam ſequuti ſunt omnes Prophetæ. Offeretur ſacrificium ab ortu Solis uſque ad occaſum, inquit Malachias. Quale eſt iſtud ſacrificium? Papiſtæ arripiunt hoc pro ſua Miſſa: ergo ſub regno Chriſti erit aliquod ſacrificium: nunc autem non offerimus Deo pecudes aut vitulos: ſequitur itaque nunc ſacrificium panis & vini reſtare. Quaſi Propheta tam argute philoſophatus fuerit in Sacrificii voce, qui docet rudem populum ut ferre poterat. Ideo dicit cultum Dei fore communem cunctis Gentibus, ſicuti nunc dicit Joël, *Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem: ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, & juvenes veſtri viſiones videbunt.* Nunc tenemus totum Prophetæ ſenſum. Jam ſequitur,

29. Atque etiam ſuper ſervos, & ſuper ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum.

Quoniam particula גם apud Hebræos amplificat, videtur hoc eſſe abſurdum, quod Propheta donum omnibus commune, reſtringat nunc ad paucos. Dixerat prius, Super omnem carnem effundam Spiritum meum. Quid nunc? ſuper ſervos & ſuper ancillas. Interea ponit, Etiam. Si ſimpliciter diceret, Super ſervos & ſuper ancillas effundam Spiritum meum, nihil eſſet abſurdi: nam eſſet explicatio ſuperioris doctrinæ. Scimus enim quod hic dicit Propheta de cunctis hominibus, debere cum exceptione accipi: quia ſcilicet multi increduli privati fuerunt hoc dono, etiam qui ante aliqua Dei notitia pollebant. Scimus enim Judæos fuiſſe excæcatos: ſcimus etiam in ipſa plebe non omnes fuiſſe participes tam excellentis doni. Non dubium eſt igitur hoc reſtringi ad Eccleſiam debere quum loquitur de univerſa carne. Ergo non eſſet mirum ſi nunc adderet Propheta, Super ſervos & ſuper ancillas: ſed particula וגם injicit ſcrupulum, Atque etiam, adeoque: augendi cauſa ſic loquitur, & non videtur tamen augere. Nam plus eſt Spiritum effundi ſuper totum vulgus, quam ſuper ſervos & ancillas. Duplex eſt ſolutio: nam particula וגם interdum confirmative accipitur:
Gen. 27. Benedixi ei, etiam erit benedictus, dicebat Iſaac de filio ſuo Jacob. Ita hoc loco poſſemus commode accipere Prophetæ verba, *Nam certe*, ut ſcilicet repetitio ad confirmationem valeat. ſed malo alterum ſenſum eligere: quia non dubito quin Propheta hic aliquid magis incredibile addere voluerit, quam prius dixerat, Super ſervos & ſuper ancillas effundam Spiritum meum: nempe etiam qui prius Prophetæ erant, tamen locupletabuntur novo dono, & proficient poſt hanc Eccleſiæ reſtitutionem, quæ nunc inſtat. Tenemus Prophetæ ſenſum. Promiſerat gratiam Spiritus ſancti toti populo, nempe ſi quis veterem ſtatum cum noſtro conferat, hoc jam dixi: ſed poſtquam de multitudine vel de hominum vulgo diſſeruit, venit ad ipſos Prophetas, qui eximii ſunt, qui functi ſunt prius docendi officio, qui gradum & nomen adepti ſunt in Eccleſia, illi etiam proficient: hoc eſt, Spiritus meus non tantum conſpicuus erit in idiotis & plebeiis hominibus, ſed in ipſis Prophetis. Atqui hoc majus eſt ubi docentur qui ante eximii erant, & quos Dominus præfecerat Eccleſiæ ſuæ, etiam novi homines apparent, ubi refulget donum, quod prius illis Deus non contulerat. Ubi ergo in ipſis luminibus apparet novum lumen, certe hoc majus eſt, quam ubi Spiritus ſuper vulgus effunditur. Nunc ergo tenemus ſenſum Prophetæ, quatenus attinet ad ſervos & ancillas: & ideo repetit, *In diebus illis*: hoc eſt, tam ſubita & incredibilis erit mutatio, ut Prophetæ ipſi videri poſſint fuiſſe prius indocti homines. accedet enim multo excellentior doctrina. Deus ergo ſic effundet Spiritum ſuum, ut omnes veteres prophetiæ futuræ ſint obſcuræ & ignobiles, ubi ventum fuerit ad illud immenſum & incomparabile lumen, quod Chriſtus Sol juſtitiæ afferet ſuo exortu. Addit autem Ancillas, quia ſcimus Prophetiſſas etiam fuiſſe ſub Lege. Pergamus.

30. Et ponam (*ſtatuam*) prodigia in cœlis & terra, ſanguinem, & ignem, & columnas nubis.

31. Sol vertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem, antequam veniat dies Jehovæ magnus & terribilis.

Videtur Propheta hic quodammodo pugnare ſecum. Nam hactenus promiſit Deum benigne & liberaliter acturum cum populo ſuo: quicquid habuimus huc ſpectabat ut erigeret populi animos ad lætitiam, nunc vero videtur iterum iram Dei minari, & formidinem incutere miſeris hominibus, qui nondum reſpiraverant. Scimus quo tempore loquutus eſt Propheta, adhuc Judæos fuiſſe in maximo mœrore. Quid ergo hoc ſibi vult, quod iterum renovat triſtitiæ materiam? quaſi vero non ſatis eſſet ægritudinis & luctus. Sed potius admonitio eſt, quam comminatio. Propheta igitur admonet quid futurum ſit, ne fideles promittant ſibi felicem aliquem ſtatum in hoc mundo, acſi exempti eſſent omnibus curis & moleſtiis. Scimus enim quam propenſi ſint hominum animi ad mollitiem. Ergo ubi Deus aliquid promittit, indulgent ſibi & accerſunt multa figmenta quaſi jam eſſent extra omnem telorum jactum, acſi vacui eſſent ab omni dolore, ab omni incommodo. Tales ergo delicias caro ſibi fingit. Ideo Propheta admonet, quamvis Deus liberaliter paſcat Eccleſiam ſuam, quamvis ſuppeditet victum populo ſuo, & his externis ſignis teſtetur paternum ſuum amorem, quamvis deinde Spiritum ſuum effundat (quod longe præclarius eſt) tamen non deſinent fideles vexari multis miſeriis. Deus enim non vult nimium delicate tractare Eccleſiam ſuam in terra: ſed ubi præbet ſigna benevolentiæ ſuæ, ſimul admiſcet quædam exercitia ad patientiam, ne ſcilicet fideles nimium molleſcant, vel ne indormiant terrenis benedictionibus, ſed altius ſemper aſpirent. Nunc ergo tenemus Prophetæ conſilium: non vult minari fidelibus, ſed potius admonet ne ſe fallant vanis illecebris, vel expectent quod nunquam futurum eſt, ut ſcilicet potiantur beata quiete in hoc mundo. Deinde aliud etiam ſpectat Propheta. Scimus enim vix homines adduci ad quærendam Dei gratiam, niſi quaſi violenter trahantur: ideo negligitur ſpiritualis vita, & quicquid pertinet ad cœleſte regnum, ubi omnia nobis pro voto in terra ſuppetunt. Ergo Propheta hic commendat hac circumſtantia ſpiritualem gratiam de qua diſſeruit, quod ſcilicet miſera ſit futura hominum conditio, niſi Dominus eorum animos exhilaret ac recreet hoc ſolatio, de quo jam vidimus. Quare? *Erunt prodigia in cœlo & terra, Sol vertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem*, & omnia erunt confuſa horrendis tenebris. Quid ergo fieret hominibus, niſi Deus affulgeat per gratiam Sp. ſui, ut eos in tanta perturbatione cœli

& terræ

& terræ ſuſtineat, & oſtendat ſe illis eſſe patrem? Videmus ergo hoc additum eſſe ad majorem commendationem gratiæ Dei, ut ſcilicet agnoſcant homines ſe fore pluſquam miſeros, niſi Dominus eos ad ſe vocet præeunte luce Spiritus ſancti. Quod autem tale fuerit conſilium Prophetæ, conjicere *Mat. 24.* licet ex illa Chriſti concione, quam habuit ad diſcipulos ſuos paulo ante mortem. Quærebant enim, Quod ſignum adventus tui? quum admoneret de Templi ruina. Putabant enim ſe ſtatim acturos triumphum illum, de quo audierant, & ſe fore conſortes illius æternæ beatitudinis, de qua Chriſtus ſæpe apud eos diſſeruerat. Illic Chriſtus admonet longe falli tam craſſa opinione. Loquitur de excidio Jeroſolymæ: deinde oſtendit hæc omnia fore tantum præludia malorum: Erunt, inquit, hæc tantum præludia: nam exorientur tumultus, erunt bella, omnia erunt plena cædibus: denique erit infinita congeries malorum omnium. Quemadmodum ergo Chriſtus illic corrigit errorem, quo imbuti fuerant diſcipuli, ita etiam nunc occurrit Propheta falſis illis imaginationibus, ne putarent fideles terrenum fore Chriſti regnum, & defigerent mentes ſuas in tritico & vino, in deliciis, in quiete, in commodis vitæ præſentis: dicit, *Dabo prodigia in cælo & terra, nempe ſanguinem, ignem, & obſcuras nubes: Sol in tenebras vertetur, Luna in ſanguinem, antequam veniat dies Jehovæ magnus & terribilis.* Nunc ergo videmus cur Propheta hic triſtem hanc deſcriptionem adjungat, & quomodo hæc optime inter ſe conveniant, quod ſcilicet Deus teſtabitur paternum ſuum amorem manifeſtato Chriſto, & interea proferet ſigna iræ ſuæ, quæ mundum totum cura & metu percellant. Quod autem de ſanguine & tenebris dicit, non dubium eſt metaphorice accipi pro confuſo ſtatu, quemadmodum ſcimus res adverſas ſæpe conferri caligini & tenebris. Perinde eſt igitur acſi diceret, Tanta erit calamitatum ſeries, ut videri poſſit converſus ordo naturæ, ut elementa ipſa induant novam faciem: Sol, qui terris illucet, vertetur in tenebras, Luna in ſanguinem: hoc eſt, calamitates quæ impendent auferent omnia ſigna benevolentiæ Dei. Ergo nihil aliud reſtabit, niſi ut homines quaſi demerſi in profundiſſima abyſſo malorum omnium quærant aliquam ſcintillam gratiæ Dei, & nuſquam reperiant: quia cœlum obſcurum erit, terra erit caligine obruta. Nunc ergo videmus Prophetam non exprimere quid futurum ſit, ad verbum: neque hoc literaliter, ut loquuntur, debet intelligi, ſed figuratis etiam loquendi modis utitur, quibus vult exprimere tam horribilem fore mundi ſtatum, ut elementa ipſa induant novam naturam, quia Sol non fungetur amplius officio ſuo, Luna etiam negabit lumen ſuum terris. Quoniam ergo Deus auferet ab hominum conſpectu omnia ſigna gratiæ ſuæ, ideo per ſanguinem & per tenebras, & per obſcuras nubes, Propheta metaphorice deſignat triſtitiam illam, qua neceſſe erit occupari omnium animos. Nunc ſiquis interroget, Cur adventu Chriſti ira Dei magis excanduit contra homines? quia hoc poſſet videri abſurdum. Reſpondeo hoc eſſe quaſi accidentale. Nam ſi exceptus fuiſſet Chriſtus ut decebat, ſi eum omnes pia obſervantia amplexi eſſent, certe fuiſſet auctor, non tantum ſpiritualis gratiæ, ſed etiam terrenæ beatitudinis. Omnibus ergo numeris completa fuiſſet omnium Felicitas Chriſti adventu, niſi malitia eorum & ingratitudo accendiſſet novam iram Dei. Et videmus quale diluvium exundaverit ſtatim poſt Euangelii prædicationem Nam ſi reſpicimus quam ſevere olim Deus afflixerit populum ſuum, certe dicemus longe graviores fuiſſe clades quæ inflictæ mundo fuerunt poſt Chriſti manifeſtationem. Unde hoc? Nempe quia mundi ingratitudo pervenerat uſque ad ſummum cumulum, quemadmodum idem etiam hodie nobis uſu venit. Iterum enim produit lux Euangelii, & Deus ſe patrem exhibuit mundo. Videmus autem quanta ſit hominum & malitia, & pervicacia etiam in reſpuendis Dei donis. Videmus alios contumaciter reſpuere Euangelium, alios etiam diabolico furore impelli ad oppugnandam Chriſti doctrinam: videmus crepare ſuas blaſphemias: videmus etiam accenſos eſſe mira ſævitia, & ſpirare cædes contra filios Dei: videmus mundam refertum eſſe profanis hominibus, & Dei contemptoribus: videmus horrendum contemptum gratiæ Dei paſſim graſſari: videmus ſcelerum licentiam tam effrenem eſſe, ut pudere nos & pigere debeat noſtræ vitæ. Quum ergo poſt tantam gratiam mundus tam ingratus ſit, quid mirum ſi Deus etiam profert ſigna vindictæ ſuæ magis horrenda? Nam certe hodie ſi prope excutimus qualis ſit mundi conditio, reperiemus omnes eſſe miſeros, etiam qui ſibi applaudunt, & quos etiam miratur mundus tanquam ſemideos. Quid hoc ſibi vult? Vulgus certe hominum gemit ſub miſeriis: nempe Deus hoc modo ulciſcitur contemptum gratiæ ſuæ, quam iterum nobis obtulit, & quæ tam indigne repudiatur. Quum ergo tam fœda hominum ingratitudo provocaverit iram Dei, non mirum eſt ſi flagellis etiam ejus ubique reſonant. Nam ſervus qui voluntatem Domini ſui novit, & eam non facit, dignus eſt gravioribus plagis, quemadmodum etiam *Luc. 12.* Chriſtus pronunciat. Hoc autem factum eſt per totum mundum, poſtquam Deus illuxit per Euangelium ſuum, poſtquam Chriſtus ubique publicavit reconciliationem, ita ut tunc deficerent palam, & oſtenderent ſe malle Deum habere iratum, quam propitium. Ubi enim reſpuitur Euangelium, quid hoc aliud eſt, niſi quod indicitur bellum Deo, & quod mundus inſultat, neque admittit ullam reconciliationem, ad quam paratus erat Deus, & de qua etiam ultro agebat cum ipſis hominibus? Ergo quod Propheta hic mundum dicit plenum fore tenebris, ubi apparuerit Chriſtus, qui Sol eſt juſtitiæ, & qui nobis in ſalutem illuxit, hoc non mirum eſt: ſed per accidens contigit ut Deus tam ſeverum ſe exhibuerit mundo, quum tamen eſſet tempus acceptum, quum eſſent dies ſalutis & beneplaciti: quia mundus non paſſus eſt impleri quod ante pollicitus eſt nobis Deus per Joelem, neque admiſit Spiritum adoptionis, quia poterat placide confugere ad Deum: imo Deus paratus erat eos fovere in ſinu ſuo. Sed quoniam fuerunt admodum præfracti & intractabiles, oportuit etiam Deum modis inſolitis animadvertere in talem pervicaciam. Ergo non mirum eſt quod Propheta dicit, *In diebus illis fore prodigia in cælo & terra: quia Sol vertetur in tenebras*, &c. *antequam veniat dies Jehovæ magnus & terribilis.* Quæritur nunc quem diem hic Propheta notet. Nam hactenus loquutus eſt de priore Chriſti adventu. Videtur etiam hoc loco eſſe quædam ſpecies repugnantiæ. Reſpondeo Prophetam comprehendere totum Chriſti regnum ab initio uſque ad finem: & hoc ſatis tritum eſt: & aliis etiam locis diximus Prophetas communiter ita loqui. Quum ergo ſermo de Chriſti regno habetur, interdum attingunt principium duntaxat, interdum etiam loquuntur de ipſo fine. Sed ſæpe uno complexu deſignant totum curſum regni Chriſti ab initio uſque ad finem. Talis eſt hujus loci ratio. Quum diceret Propheta, Poſt dies illos effundam Spiritum meum, non dubium eſt, quemadmodum expoſuimus, quin hoc impletum fuerit quum Chriſtus auſpicatus eſt regnum ſuum, & innotuit per doctrinam Euangelii. Tunc ergo effudit Chriſtus Spiritum ſuum. Jam, quia regnum Chriſti non eſt ad triduum, vel ad breve tempus, ſed uſque in finem mundi curſum ſuum peragit, ideo Propheta ſeſe convertit ad diem illum, & dicit, Erunt interea maximæ calamitates. Ergo quicunque non confugient ad hanc Dei gratiam, illi erunt pluſquam miſeri, nuſquam quietem reperient, vel ſolatium, vel lucem vitæ, quia mun-

mundus demerſus erit in tenebris: & Deus etiam à Sole, & Luna, & elementis, & omnibus aliis adminiculis auferet ſigna gratiæ ſuæ. Ubique ergo oſtendet ſe iratum & infeſtum hominibus. Jam oſtendit Propheta hæc mala, de quibus diſſeruit, non fore tantum tridui, vel paucorum annorum, ſed diuturna: Antequam, inquit, veniat dies Jehovæ magnus & terribilis. In ſumma ſignificat, quæ hactenus recenſuit flagella Dei, fore quaſi præparationes ad domandos hominum animos, ut majore reverentia & obſequio excipiant Chriſtum. Quoniam ergo homines natura gerunt altos ſpiritus, & non poſſunt collum flectere ad excipiendum Chriſti jugum, ideo Propheta hic dicit ſubigendos eſſe duris flagellis, quum Dominus auferet omnia teſtimonia amoris ſui, & replebit cœlum & terram formidine. Sic ergo quodammodo flectet duritiem vel contumaciam, quæ ingenita eſt hominibus, ut ſentiant ſibi cum Deo eſſe negotium. Et interea admonet Propheta, niſi correcti fuerint iſtis flagellis, aliquid magis horrendum reſtare, quia ſcilicet tandem adveniet Judex è cœlo, qui non modo inducet Soli & Lunæ tenebras, ſed qui convertet vitam in mortem. Præſtaret enim longe, centies mori reprobos, quam ſemper vivere, ita ut ſuſtineant mortem æternam in vita ipſa. Significat igitur Propheta, poſtquam homines perſtiterint in ſua obſtinatione, tunc reſtare aliquid gravius & magis exitiale, quod ſcilicet neceſſe erit tandem omnes ſiſti ad cœleſte Judicis tribunal. Veniet enim dies Jehovæ magnus & terribilis: in qua voce reſpexit incredulos & Deo rebelles. Nam quum venturus ſit piis Redemptor Chriſtus, nullus illis dies tota vita jucundior illucet, tantum abeſt ut metum vel terrorem afferat: ideoque jubentur ad ſpem adventus ejus attollere capita ſua. quod alacritatis & gaudii ſignum eſt. Sed quia Joëli propoſitum erat ſecuram carnis ſuperbiam humiliare, & præfractos ac rebelles alloquebatur, non mirum eſt ſi horrorem poſuit.

Da omnipotens Deus, quando tot miſeriis undique nunc ſumus circumdati, & talis eſt noſtra conditio, ut inter gemitus & continuos dolores nobis vita ægre trahenda ſit, niſi ſpirituali gratia nos ſubleves: da, inquam, ut reſpicere diſcamus in faciem Chriſti tui, illinc petere ſolatium malis noſtris, & tale ſolatium, quod non occupet nos, vel ſaltem in mundo retineat, ſed mentes noſtras attollat in cœlum, & quotidie teſtimonium adoptionis in cordibus noſtris obſignet: etiamſi multæ miſeriæ in mundo nobis ferendæ ſint, non tamen deſinamus proſequi curſum noſtrum, & contendere, atque eniti invicta perſeverantia, donec tandem perfuncti omnibus certaminibus, perveniamus ad beatam illam quietem, quæ nobis parta eſt ſanguine unigeniti Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti, Amen.

PRÆLECTIO NONA
IN
JOELEM PROPHETAM.

CAP. II.

32. Et erit, quiſquis invocaverit nomen Jehovæ, liberabitur: quia in monte Sion, & in Jeruſalem erit evaſio, ſicuti promiſit Jehova, & in reſiduis quos Jehova vocaverit.

Diximus heri Prophetam ideo denunciare futuras calamitates, ut hoc modo ſtimulet homines variis malis afflictos ad quærendum Deum. Scimus enim quam tardi ſimus natura, niſi Dominus nos pungat. Deſcriptio igitur de qua heri diſſeruimus, huc tendebat, quum tot & tam graves calamitates urgerent populum Judaicum, miſeros omnes eſſe qui ad Deum non confugerent: & hoc unum reſtare ſolatium in extremis malis. Ideo nunc tempeſtive addit Propheta, *Quiſquis invocaverit nomen Domini, liberabitur*. Poſtquam ergo ſtimulavit homines ad quærendum Deum, nunc certam illis fiduciam facit, ſi modo ſincere & ex animo ad Deum confugiant, fore ſalvos. Eſt autem hic inſignis locus, quia Deus in rebus perditis pronunciat invocationem nominis ſui nobis eſſe tutum ſalutis portum. Fuit certe horribile quod dixit Propheta, totum naturæ ordinem ſic converſum iri, ut nuſquam appareat ſcintilla lucis, ſed omnia tenebris referta ſint. Perinde eſt igitur acſi nunc diceret in ſepulchro fore vitam, modo invocent homines nomen Dei. Qui etiam deſperati videntur, & quibus videtur Deus abſtuliſſe omnem ſpem gratiæ, ſi tamen illi invocent Dei nomen, Propheta in tanta deſperatione & tam profunda abyſſo dicit ſalvos fore. Notanda eſt diligenter hæc circumſtantia, quia ſi quis ſeorſum accipiat hanc ſententiam Prophetæ, etiamſi per ſe non ſit frigida, non tamen habebit tantum efficaciæ. Sed ubi hæc duo ſimul junguntur, Deum fore Judicem mundi, qui non parcet hominum ſceleribus, ſed ſumet horribilem vindictam, & tamen expoſitam fore ſalutem omnibus qui invocaverint nomen Domini, videmus quanto efficacior ſit hæc promiſſio, quod ſcilicet Deus offert nobis vitam in morte, & lucem dicit eſſe in profundiſſimo ſepulchro. Ideo pondus ſubeſt in verbo iſto והיה, Et tunc. Nam copula reſolvi debet in adverbium temporis, Tunc quiſquis invocaverit nomen Domini. Utitur autem Liberandi verbo, quia oportuit exprimi etiam ſalvos fore qui nihil differunt à perditis. Si Propheta uſus fuiſſet verbo Servandi, minus expreſſe loquutus eſſet. Nunc vero quum liberationem promittit, opponere jubet hunc clypeum tentationibus etiam graviſſimis, quia Deus ad ſuos liberandos ſatis magna potentia inſtructus eſt, modo ipſum invocent. Tenemus ergo nunc quorſum ſpectet Prophetæ conſilium: oſtendit Deum non tantum in rebus proſperis velle à nobis invocari, ſed in ultima rerum omnium deſperatione. Perinde eſt igitur acſi Deus mortuos ad ſe vocaret, atque oſtenderet in manu ſua eſſe vitam reſtituere, & ipſos educere è ſepulchro. Quum igitur invitet Deus hic perditos & mortuos, non eſt cur etiam graviſſimæ afflictiones præcludant nobis aditum, vel precibus noſtris. Perrumpere enim oportet per hæc obſtacula. Quo igitur graviores ſunt noſtræ moleſtiæ, eo major concipienda eſt fiducia: quia Deus non modo ſuam gratiam offert miſeris hominibus, ſed prorſus deploratis. Neque enim Propheta minatus eſt aliquod mediocre incommodum Judæis, ſed oſtendit per Chriſtum exhibitum omnia fore horrore plena: poſt hanc denunciationem jam ſubjicit, Quiſquis tamen invocaverit nomen Domini, liberabitur. Cæterum quia hunc locum citat Paulus 10. ad Rom. cap. & extendit ad omnes Gentes, videndum eſt an appoſite utatur Prophetæ teſtimonio. Probare vult Paulus communem eſſe Gentibus adoptionem, ut confugere ipſis ad Deum liceat, & familiariter ipſum invocare Patrem: Quiſquis invocaverit nomen Domini, inquit, ſalvus erit. Hinc probat oportuiſſe

etiam Gentibus prædicari Euangelium, quia invocatio ex fide naſcitur. Niſi enim præluceat nobis Deus verbo ſuo, non poſſumus ad eum accedere. Ergo fides ſemper eſt mater invocationis. Paulus videtur inſiſtere in particula univerſali, *quiſquis*: quaſi diceret Joëlem non ad ſolos Judæos verba facere, ſed etiam ad Gentes, ut promiſcue & ſine exceptione teſtetur Deum omnibus fore expoſitum, qui eum quærent. Atqui videtur Paulus torquere Prophetæ verba. Nam hic certe Joël compellat populum, cui fuerat doctor & Propheta deſtinatus. Quod ergo Paulus hoc generaliter ſpectare contendit ad totum humanum genus, videtur eſſe præter mentem Prophetæ. Sed reſponſio facilis eſt. Propheta enim poſtquam diſſeruit de regno Chriſti, non dubium eſt quin ſicuti promiſſa erat cunctis Gentibus benedictio in ſemine Abrahæ, ita ſequatur hanc regulam: & quum hactenus deſcripſit miſerrimum fore ſtatum totius mundi, certe voluit expergefacere etiam ipſos Gentiles, qui extranei fuerant ab Eccleſia, ut communibus ſtudiis Deum quærerent una cum electo populo. Ergo promiſſio quæ continuo poſt ſequitur, etiam dirigitur ad Gentes, alioqui non quadraret Prophetæ contextus. Ac proinde videmus Paulum aptiſſime ad cauſam ſuam accommodare hunc Prophetæ locum. Nam principium illud tenendum eſt, benedictionem promiſſam fuiſſe non tantum filiis Abrahæ, ſed etiam cunctis Gentibus in Chriſto. Quum ergo nunc Propheta deſcribat regnum Chriſti, non mirum eſt ſi communiter alloquatur & Judæos & Gentiles. Deinde quod dixit ſtatum mundi fore plenum horrenda caligine, hoc certe non ad ſolos Judæos ſpectabat, ſed ad Gentiles. Quorſum id, niſi ut oſtenderet nihil aliud reſtare, niſi ut confugerent ad Deum? Ergo videmus hic patefieri aditum Gentibus, ut uno conſenſu ipſæ quoque Deum invocent cum Judæis. Quod ſi promittitur ſalus & liberatio omnibus qui invocaverint nomen Domini, ſequitur quemadmodum illic Paulus diſputat, Euangelii doctrinam ad Gentes quoque ſpectare, quia clauſum illis os eſſet, quemadmodum & nobis omnibus, niſi Deus ipſe anteverteret voce ſua, dum nos hortatur ad precandum: alioqui obmuteſcendum eſſet nobis. Eſſet hoc magnæ temeritatis, offerre nos in Dei conſpectum, niſi daret ipſe nobis fiduciam, & promitteret ſe fore exorabilem. Si igitur communis eſt precandi libertas omnibus, ſequitur communem eſſe omnibus ſalutis doctrinam. Nunc addendum etiam eſt, *promitti liberationem omnibus, qui Dei nomen invocaverint*, quia ſcilicet Deo eripitur ſua potentia, ſi alibi quam in eo ſolo quæritur ſalus: & ſcimus hoc eſſe ſacrificium quod ſibi uni vendicat. Si ergo liberari cupimus, hoc unum remedium eſt, ut invocemus nomen Jehovæ. Poſtea addit, *Quia in monte Sion, & in Jeruſalem erit evaſio, ſicuti promiſit Jehova*. Hic ſignificat Propheta, quamvis in ſpeciem videri poſſit deletus eſſe populus, tamen Deum memorem fore ſui fœderis, ut reliquias colligat. Fuit enim talis clades populi, ut nihil prorſus ſpei reſiduum eſſet ſecundum carnem. Nam diſperſi erant per varias mundi plagas, nullum erat corpus, nullum nomen, nulla gubernatio, nullus Dei cultus. Quis ergo putaſſet ſuperſtitem adhuc fore Dei Eccleſiam? Imo probabile erat prorſus extinctum iri nomen Abrahæ, & ſeminis ejus poſt 30 vel 50 annos. Nam coaluerant in unum corpus cum Chaldæis & Aſſyriis. Illa igitur diſſipatio fuit quaſi interitus totius gentis. Deus autem per Joëlem hic pronunciat, *fore evaſionem adhuc in monte Sion, & in Jeruſalem*: hoc eſt, quanquam ad tempus exterminabo populum hunc, ut deſerta maneat terra, adhuc tamen erit aliqua reſtitutio, & iterum colligam aliquod corpus Eccleſiæ in monte Sion & in Jeruſalem. Hæc ſumma eſt. Colligimus autem ex hoc loco, quantumvis graviter affligat Deus ſuam Eccleſiam, tamen fore perpetuam in mundo, quia non magis deleri poteſt quam ipſa Dei veritas, quæ æterna eſt ac immutabilis. Deus enim promiſit non modo diuturnum fore ſtatum Eccleſiæ; ſed quamdiu fulgebit Sol & Luna in cœlo, fore aliquem populum in terra, qui ipſum invocet. Quum ita ſit, ſequitur Eccleſiam non poſſe funditus everti, nec in totum perire, quantumvis ſevere & duriter eam Dominus caſtiget. Qualiſcunque igitur ſit Eccleſiæ diſſipatio, Dominus tamen colliget membra, ut ſit populus in terris, qui oſtendat ipſum eſſe in cœlo veracem, & conſtantem in ſuis promiſſis. Et hæc doctrina diligenter notanda eſt, quia ubi videmus Eccleſiam diſſipari, obrepit ſtatim dubitatio iſta, an Deus velit penitus omnes ſuos perdere, an velit abolere omne ſemen fidelium. Occurrat igitur nobis hic locus, In monte Sion fore aliquam liberationem, poſtquam Dominus pœnas ſumpſerit de profanis nominis ſui contemptoribus, qui ejus tolerantia abuſi ſunt, & qui falſo etiam prætexuerunt ejus nomen. Sed addit, Quemadmodum promiſit Jehova: quod ad confirmationem valet. Jubet enim Propheta hic rationem potius Dei haberi, quam noſtri ſtatus. Nam ſi credimus oculis noſtris, putabimus ſubinde actum eſſe de Eccleſia: nempe quia Dominus graviores de ſervis ſuis ſumit pœnas, ideo non videtur ullum eſſe remedium: & quum incurabiles credantur eſſe Eccleſiæ morbi, ſtatim animi noſtri conciderent, niſi occurreret nobis Dei promiſſio. Propheta igitur ſenſus noſtros ad Deum revocat, acſi diceret non æſtimandam eſſe Eccleſiæ ſalutem ex intuitu, ſed ſtandum eſſe & acquieſcendum in verbo Dei. loquutus eſt, dixit Eccleſiam fore æternam: figamus pedem in hac promiſſione, nec dubitemus quin Dominus compleat quod teſtatus eſt. Cæterum, ſubjicitur ſpecies correctionis quum addit Propheta, *In reſiduis quos vocaverit Jehova*. Hoc conſulto exprimi neceſſe fuit, ne hypocritæ, quemadmodum ſolent, abuterentur hoc teſtimonio. Scimus eos qui locum occupant in Eccleſia, & titulo tenus ſe venditant pro filiis Dei, turgere magna audacia, & confidenter illudere Deo. Putant enim illum ſibi eſſe obſtrictum, ubi obtendunt vel externa ſigna, vel profeſſionem, qua ſe jactant apud homines: putant hoc ſufficere. Et ſatis colligere licet ex innumeris Scripturæ locis, Judæos inflatos fuiſſe perverſa illa confidentia carnis, ut Deum ſibi obſtringere vellent. Ideo Propheta oſtendit ſe non omnes Judæos promiſcue alloqui, quoniam multi ſint adulterini filii Abrahæ, qui ſunt degeneres. Si ergo ſolo hoc prætextu velint arripere hanc promiſſionem de ſalute promiſſa, Propheta oſtendit illos excludi à Dei Eccleſia, quoniam non ſunt legitimi filii poſtquam deſciverunt à fide & pietate patris ſui Abraham. Dicit ergo Reſiduos: hoc verbo in ſumma ſignificat non ſalvam fore totam multitudinem, ſed exiguum numerum duntaxat. Quum ergo de ſalute Eccleſiæ agitur, non debemus in unum faſciculum colligere quicunque profitentur ſe eſſe Dei filios. Nam videmus vix centeſimum quemque ſincere & abſque fictione colere Deum. Major enim pars abutitur ejus nomine. Et hodie videmus quam improba ſit Papiſtarum jactantia. Putant enim penes ſe reſidere Dei Eccleſiam, & derideat noſtram paucitatem. Quum dicimus Eccleſiam Dei cenſeri ex verbo & ex puro Sacramentorum uſu: Scilicet, an Deus potuit deſerere tot populos, ubi prædicatum erat Euangelium? Poſtquam ergo ſemel innotuit Chriſtus, putant illic defixam manere gratiam, nec poſſe ullo modo avelli, qualiſcunque ſit hominum impietas. Quum ergo tam impudenter Papiſtæ arripiant Eccleſiæ titulum, quia multi ſunt numero, non mirum eſt ſi Propheta, cui certamen erat cum Judæis & Iſraëlitis, hic diſerte poſuerit Reſiduos: acſi diceret fruſtra gloriari impios Dei nomine, quoniam ipſos non reputet in ſuo populo, ſicuti vidimus etiam

Pſalmo

Pſalmo 15. & Pſalmo 24. deſcribi nobis Eccleſiæ cives, non qui ſuperbiant externis ſignis, ſed qui ſincero animo Deum colant, & ſincere verſentur cum ſuis proximis, Quis habitabit in monte Dei? Quoniam non erat difficale hypocritis irrumpere in ipſum Sanctuarium, & illic obtrudere Deo ſua ſacrificia. Sed Propheta oſtendit non agnoſci à Deo, niſi qui integri ſunt corde, & puri manibus. Ita etiam hoc loco dicit Joël ſalvam quidem fore Eccleſiam, ſed non illa ingenti turba. Quomodo igitur? In reſiduis duntaxat. Sed notanda eſt etiam particula quæ ſequitur, *Quos Jehova vocaverit*. Jam vidimus Eccleſiam Dei conſtare ſæpe exiguo hominum numero, quoniam Deus inter filios ſuos non reputat, niſi qui ſe vere & ex animo ſanctificant in ejus obſequium, ſicuti dicit Paulus, Quiſquis invocat nomen Dei, diſcedat ab iniquitate. Tales autem non reperiuntur multi in mundo. Sed non ſatis eſt tenere Eccleſiam Dei non eſſe niſi in reſiduis: hoc quoque addendum eſt, Reſiduos iſtos non alia de cauſa manere in Eccleſia Dei, niſi quia Dominus ipſos vocavit. Unde igitur iſta portio Eccleſiæ, quæ ſalva manet, ubi videtur totus mundus devotus eſſe exitio? Nempe ex vocatione Dei. Minime autem dubium eſt, quin Propheta Vocandi verbo intelligat gratuitam electinnem. Dicitur quidem ſæpe Dominus vocare homines, dum eos compellat voce Evangelii ſui: ſed præcedit interea vocatio arcana, ubi Deus ſibi deſtinat quos vult eſſe ſalvos. Ergo interior eſt vocatio, quæ reſidet in arcano Dei conſilio: ſequitur deinde vocatio, quæ nos facit vere participes ſuæ adoptionis. Nunc Propheta ſignificat, quicunque reſidui erunt, non ſua virtute propria ſtaturos, ſed quia divinitus vocati ſunt, hoc eſt, electi. Electio autem Dei non debet à vocatione externa ſeparari, fateor: ſed tenendus eſt interea ordo ille, quod Deus, antequam hominibus teſtetur ſuam electionem, prius ſibi eos adoptet in arcano ſuo conſilio. Summa hæc ſit, vocationem hic opponi omnibus hominum meritis, deinde virtuti & induſtriæ: quaſi diceret, Homines hoc non ſibi acquirere, ut reſidui maneant ac ſuperſtites quum Deus ulciſcitur mundi ſcelera, ſed mera ejus gratia ipſos ſervari, quoniam electi ſint: ſicuti etiam Paulus de reliquiis tractat 11. ad Rom. cap. & prudenter expendit locum illum, Servavi mihi ſeptem millia. Dei igitur proprium munus eſt ſervare qui non deficiunt. Et ideo Paulus dicit reliquias eſſe gratiæ: quoniam ſi tollatur Dei miſericordia, nihil in toto genere humano reſtabit. Scimus enim omnes eſſe interitu dignos, idque ſine diſcrimine. Sola eſt igitur electio Dei, quæ alios ab aliis diſcernit. Sic videmus commendari gratuitam Dei bonitatem, ubi Propheta dicit ſalvas fore reliquias, quæ vocatæ erunt à Domino: quia non eſſet in manu hominum ſeipſos ſervare, niſi electi eſſent, & gratuita Dei bonitas eſſet quaſi cuſtodia ſalutis. Nunc ſequitur,

CAPUT III.

QUia ecce, diebus illis, & tempore illo quo convertam captivitatem Jehudah, & Jeruſalem:

2. Et congregabo (*tunc congregabo*) omnes Gentes, & deſcendere faciam in vallem Joſaphat, & diſceptabo illic cum ipſis ſuper populo meo, & ſuper hereditate mea Iſraël, quia diſperſerunt inter Gentes, & partiti ſunt terram meam. (*Addemus & hunc etiam verſum*)

3. Et ſuper populo meo jecerunt ſortem, & poſuerunt puerum pro ſcorto, (*hoc eſt, addixerunt pro ſcorto*) & puellam vendiderunt pro vino ut biberent.

COnfirmat his verbis Propheta quod prius docuit de Eccleſiæ reſtitutione. Fuit enim res difficilis creditu, quum ita laceratum eſſet corpus populi, quum ablatum eſſet nomen, quum abolita eſſet omnis poteſtas, quum eſſet everſus etiam cultus Dei una cum Templo, nulla amplius eſſet regni ſpecies vel etiam politici regiminis, quis putaſſet Deum adhuc curam gerere illius populi tam deſperati? Ergo non mirum eſt, ſi Propheta pluribus verbis de Eccleſiæ inſtauratione diſſerat, ut ſcilicet melius confirmet quod alioqui fuiſſet incredibile: ideo dicit, *Ecce, diebus illis, tempore illo, quo convertam captivitatem Jehudah & Jeruſalem: & deſcendere faciam omnes Gentes in vallem Joſaphat*. Hoc autem dicit Propheta, quoniam Judæi tunc exoſi eraot omnibus populis, & erant quaſi execratio, vel excrementum totius mundi. Quotquot igitur ſub cœlo tunc erant Gentes, totidem erant hoſtes Judæis. Ergo proclivis erat lapſus in deſperationem quum viderent totum mundum ſibi eſſe infeſtum: Etiamſi Deus velit nos redimere, tot tamen ſunt obſtacula, ut nobis pereundum ſit neceſſario: noo enim ſoli Aſſyrii nobis infeſti ſunt, ſed experti ſumus majora odia in omnibus vicinit noſtris. Nam ſcimus Moabitas & Ammonitas, Tyrios, Sidonios, Idumæos, Palæſtinos, quicquid denique fuit hominum in illa terra, fuiſſe Judæis infeſtiſſimum. Quoniam ergo præcluſi erant omnes aditus in patriam Judæis, difficile fuit concipere ſpem aliquam redemptionis, etiamſi Dominus illos animaret. Hac ratione nunc dicit Propheta Deum fore judicem totius mundi, & in ejus arbitrio ac poteſtate eſſe vocare Gentes omnes: acſi diceret, ne vos terreat hoſtium multitudo & varietas: ſcio non ſolos Aſſyrios vobis eſſe hoſtes, ſed etiam omnes vicinos. ego autem ubi ſuſcepero cauſæ veſtræ patrocinium, unus ſufficiam ad vos tuendos; & quantumvis ſe opponant omnes populi, non tamen prævalebunt. Ergo confidite me fore idoneum vindicem, qui vos redimam à manu omnium Gentium. Tenemus nunc conſilium Prophetæ cur hic pronunciet Deum venturum *in vallem Joſaphat, ut illic convocet omnes populos*. Dicit autem Propheta, *diebus illis & tempore illo quum Dominus converterit captivitatem Jehudah & Jeruſalem*. Tempus hoc Judæi reſtringunt ad reditum: quum ergo promiſſa illis fuit libertas redeundi in patriam à Cyro & Dario, putant tunc completum fuiſſe quod docet hic Propheta. Chriſtiani doctores trahunt hoc vaticinium ad Chriſti adventum. Sed utrique detorquent alio verba Prophetæ, quam poſtulet circumſtaotia loci. Neque enim dubium eſt, quin Propheta hic loquutus fuerit de redemptione illa quam diximus, & tamen complexus ſimul fuerit regnum Chriſti. Atque hoc, quemadmodum alibi vidimus, ſatis tritum eſt. Dum igitur Prophetæ teſtantur Deum fore redemptorem populi ſui, & promittunt liberationem ab exilio Babylonico, quaſi continuo tractu & tenore deducunt fideles ad Chriſti regnum. Quid enim aliud fuit reſtitutio illa, quam præludium veræ & ſolidæ redemptionis, quæ vere etiam exhibita fuit in perſona Chriſti? Nunc ergo Propheta neque tantum de Chriſti adventu loquitur, neque de reditu populi Judaici, ſed complectitur totam redemptionem, quæ tantum incepta fuit, quum reduxit Domious populum ſuum ab exilio Babylonico, deinde à Chriſti priore adventu uſque

ad diem ultimum: acſi diceret, Ubi Deus populum ſuum redimet, hoc non erit breve aut momentaneum beneficium, ſed proſequetur ſuam gratiam, donec pœnas ſumpſerit de cunctis Eccleſiæ ſuæ hoſtibus. In ſumma, Propheta hic oſtendit Deum non fore dimidium redemptorem, ſed finem non facturum, donec compleverit quicquid pertinet ad felicem ſtatum Eccleſiæ, & eum quidem perfectum omnibus numeris. Hæc eſt ſumma. Agg. 2. Sicuti etiam videmus Prophetam Aggai loqui de ſecundo Templo, Gloria ſecundi Templi major erit quam primi. Atqui non dubium eſt, quin reſpiciat ad vaticinium Ezechielis. Ezechiel autem loquitur de ſecundo Templo, quod ædificandum erat poſtquam reverſus eſſet ab exilio populus. Verum eſt: ſed Ezechiel non reſtrinxit ad quatuor vel quinque ſecula, quod dicebat de ſecundo Templo. Potius enim voluit continuari gratiam Dei uſque ad Chriſti adventum. Sic etiam nunc Joel, *Quum Deus convertet captivitatem Jehudah & Jeruſalem, ſimul etiam vocabit omnes Gentes:* quaſi diceret, Deus non tantum libabit aliquam tenuem gratiam, ſed erit perfectus redemptor populi ſui: atque ut totus mundus contra inſurgat, ipſe tamen prævalebit, quia ſuſcipiet patrocinium Eccleſiæ ſuæ, & defendet ſuorum ſalutem. Ita nihil proficient quicunque ſtudebunt vel morari, vel impedire Eccleſiæ reſtitutionem: quia Dominus vindex eſt ſuorum, judicabit omnes populos. Nunc videndum eſt cur deſignet Propheta vallem Joſaphat. Multi exiſtimant hic notari vallem illam, quæ vocata fuit vallis Benedictionis, ubi ſcilicet Joſaphat inſigni illa & memorabili victoria potitus eſt, quum tamen non inſtructus eſſet magnis copiis, & multi populi in eum conſpiraſſent. Quum ergo confligeret Joſaphat cum ingenti exercitu, & paucos ſecum duceret, prævaluit mirabiliter: illic benedixit populus Deo: & inditum fuit loco nomen. Putant ergo multi notari vallem illam, ut in memoriam reducat Propheta Judæis, quam mirabiliter tunc ſervati fuerint, quia venerant eo animo hoſtes, ut ſine ullo negotio perderent totum Dei populum: & putabant hoc ſibi eſſe promptum in manu. Debuit igitur memoria hujus hiſtoriæ erigere animos piorum in bonam ſpem, quia tunc Dominus ſuſceperat cauſam exigui numeri contra ingentem turbam, imo contra multos & robuſtos populos. Et hoc mihi videtur probabile. Quidam locant hanc vallem Joſaphat mediam inter montem Oliveti & Urbem. Sed neſcio quam probabilis ſit eorum conjectura. Certe quod ad præſentem locum ſpectat, rectius ſentiunt meo judicio, qui volunt hic revocari in memoriam beneficium illud Dei, quod poterat omnibus ſeculis animare fideles, ut ſperarent de ſalute ſua. Quidam tamen appellative accipere malunt. Et certe יהושפט eſt judicium Dei: & ideo vertunt, Vallem judicii Dei. Hoc ſi placeat, non repugno. Et certe etiamſi nomen ſit proprium, & Propheta loquatur hic de ſancto illo Rege, ut hortetur Judæos ad ejus ſequendum exemplum, non tamen dubium eſt quin ſimul etiam alludat ad judicium Dei, vel ad diſceptationem quam ſumpturus erat in populi ſui gratiam. Sequitur enim continuo poſt, ונשפטתי עמם שם, Diſceptabo illic cum illis. Eſt autem verbum unde deducitur nomen illud שפט. Itaque etiamſi nomen ſit proprium loci, & ſumptum à Regis nomine, Propheta hic etymologiam expendi voluit: acſi diceret, Deus vocabit omnes Gentes in judicium, & quidem ut habitet in medio populi ſui, & reipſa hoc teſtetur ac comprobet. Quidam hoc detorquent ad ultimum judicium: ſed nimis coacte. Hinc etiam natum eſt figmentum, quod conveniet totus mundus in vallem Joſaphat. Sed ſcimus deliriis illis imbutum fuiſſe mundum quum extincta eſſet lux ſanæ doctrinæ: & non mirum eſt, poſtquam mundus ita profanaverat cultum Dei, fuiſſe faſcinatum tam craſſis figmentis. Sed quantum ad Prophetæ mentem ſpectat, non dubium eſt quin vallem Joſaphat hic nominet, ut Judæi ſperarent Deum fore cuſtodem ſalutis ſuæ, ſicuti paſſim dicit ſe habitaturum inter ipſos, quemadmodum etiam vidimus proximo capite: Et Deus habitabit in medio veſtri. Sic etiam nunc, & eodem ſenſu, *Congregabo omnes Gentes, & deſcendere faciam in vallem Joſaphat:* hoc eſt, quamvis ad tempus inculta ac deſerta erit terra, Dominus tamen colliget populum ſuum, & oſtendet ſe eſſe Judicem totius mundi: eriget trophæum in media Judæa, quod nobilius erit quam ſi populus ſemper ſalvus & integer fuiſſet. Nam utcunque Gentes omnes contendant delere reliquias, quantulæcunque ſuperſunt, ſicuti ſcimus factum eſſe: tamen Deus ſedebit in valle Joſaphat, habebit illic ſuum tribunal, ut populum ſuum cuſtodiat, & vindicet ab omnibus injuriis: interea tenenda eſt illa notatio quam dixi. Potius enim hic nominat vallem Joſaphat quam Hieroſolymam, quia memorabilis fuerat illa liberatio, quum tot populos Deus profligaſſet, quum deleti fuiſſent multi exercitus uno momento, & quidem ſine hominum manu. Quum ergo Deus tam incredibili potentia tunc maxime liberaſſet populum ſuum, non mirum eſt ſi hic repetat nomen vallis Joſaphat. *Diſceptabo*, inquit, *illic cum ipſis ſuper populo meo, & ſuper hereditate mea Iſraël.* Oſtendit his verbis Propheta, quam pretioſa ſit Deo ſalus electi populi. Neque enim hoc vulgare eſt, quod Deus dignatur ſuſcipere cauſam ſuorum, acſi eſſet ipſe offenſus ac læſus. Neque enim diſceptat Deus, niſi quia vult habere nobiſcum omnia communia. Videmus ergo nunc quorſum tendat hæc diſceptatio, nempe quia Deus tanti æſtimat ſalutem ſuorum, ut lædatur in eorum perſona: quemadmodum alibi dicitur, Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Et quo melius confirmet Propheta ſuam doctrinam, addit, Super hereditate mea Iſraël. Deus hic nominat Iſraël hereditatem ſuam, ut confirmet afflictos animos & erigat etiam, quia ſi Judæi tantum defixi fuiſſent in reputando ſuo ſtatu, certe indigni erant quos Deus reſpiceret: fœtebant enim cunctis gentibus. Deinde ſcimus fuiſſe tam duriter caſtigatos, quia deſciverant ab omni pietate, & quaſi ſe prorſus alienaverant à Deo ipſo. Quum ergo eſſent quaſi putridum corpus, poterant deſpondere animos in ſua afflictione. Sed occurrit hic Propheta, & proponit in medium nomen Hereditatis: quaſi diceret, Deus judicium ſuſcipiet pro vobis, non quod ſitis digni, ſed quia vos elegit. neque enim unquam obliviſcetur fœderis ſui, quod pepigit cum patre veſtro Abraham. Videmus ergo quorſum pertineat nomen Hereditatis, nempe ne Judæi reſpectu ſcelerum ſuorum deſperent: & interea commendat, quemadmodum prius, gratuitam Dei miſericordiam: acſi diceret, fontem hujus redemptionis non alium eſſe, niſi quia Deus genus Abrahæ ſibi adoptavit, & voluit habere in peculium. Reliqua differemus in diem craſtinum.

Da omnipotens Deus, quando non tantum Euangelii tui voce aſſidue nos invitas ad te quærendum, ſed etiam offers nobis Filium tuum Mediatorem, per quem nobis ad te pateat acceſſus, ut reperiamus te propitium Patrem: da, inquam, ut freti tam benigna invitatione exerceamus nos tota vita in precibus: & quoniam tot mala nos undique ſollicitant, tot neceſſitates nos urgent ac premunt, ut ſimus eo ardentiores ad te invocandum, neque interea unquam fatigemur in hoc pietatis exercitio, donec exauditi tota vita tandem colligamur in æternum illud regnum, ubi fruemur illa ſalute quam nobis pollicitus es, & de qua etiam nobiſcum quotidie teſtaris per Euangelium tuum, & uniti erimus unigenito Filio tuo, cujus etiam ſumus membra, ut participes ſimus omnium bonorum, quæ nobis morte ſua peperit, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA

IN

JOELEM PROPHETAM.

CAP. III.

Diximus heſterna lectione, Deum teſtari, quam ſingulari amoris affectu proſequatur ſuam Eccleſiam, quod dignatur pro ea litem ſuſcipere, acſi mortalis homo pro hereditate paterna contenderet. Dicit *hereditatem ſuam Iſraël fuiſſe diſperſam in Gentibus*: acſi diceret ſibi hoc eſſe intolerabile, quod hoſtes more prædonum hereditatem ſuam ita partiti ſint. Loquitur adhuc de populo: poſtea ſubjicit etiam de ipſa terra. Deus enim terram illam ſibi conſecraverat, ut ſatis notum eſt. Nolebat igitur à profanis gentibus occupari. Fuit ergo duplex ſacrilegium, quod populus abreptus eſt in longinquas terras, deinde quod ſubmiſſi ſunt qui terram incolerent & ea potirentur: quum tamen deſtinata eſſet filiis Dei, & electo populo. Nunc ſequitur alia indignitas major, nempe quod ſortem jecerunt ſuper populum Dei: *Et ſuper populum meum ſortem jecerunt, & proſtituerunt puerum pro ſcorto, & puellam vendiderunt pro vino ut biberent.* His verbis auget Propheta injuriam, quod ſcilicet contumelioſe tractati fuerint Judæi. Nam ſaltem habetur aliqua humanitatis ratio ubi venduntur homines. Sed Propheta hic conqueritur in perſona Dei, expoſitos fuiſſe Judæos venales, acſi eſſent quiſquiliæ hominum & nullius pretii: *Sortem*, inquit, *jecerunt.* Sors jacitur ubi eſt contemptus: & Propheta etiam clarius exprimit aliis verbis quod volebat, dicens, *puerum fuiſſe traditum pro ſcorto, & puellam pro vino.* Quidam accipiunt Prophetæ verba, quaſi diceret proſtitutos eſſe pueros ad fœdam imo nefandam nundinationem. Sed mihi aliud videtur: quod ſcilicet vile illud pretium hoſtes expoſuerint vel in crapulam, vel in libidinem: quaſi diceret Propheta Judæos gravi contumelia fuiſſe affectos, quod quaſi nummo addicti fuerint, ut loquuntur, hoc eſt, vili pretio. Deinde adjungit alterum genus probri, quod ſcilicet quicquid retulerant hoſtes pretii ex venditione, conſumpſerint vel in ſcorta, vel in epulas. Ideo videmus hic notari duplicem injuriam, nempe quod contemptibiles fuerint Judæi quaſi non eſſent ex numero hominum, & ita venditi fuerint non uſitato pretio, ſed tantum fuerit opprobrii, ut pene eos hoſtes pro derelictis abjicerent. Jam altera eſt ſpecies opprobrii, quod poſtea conſumptum fuit pretium venditionis in crapulam & ſcortationes. tamen populus ille ſacer erat Deo. Quod ergo tam contumelioſe tractatus fuit, hoc Propheta dicit non poſſe à Deo ferri, quin tantam injuriam quaſi ſibi illatam vindicet. Hæc igitur eſt ſumma. Cæterum, ut ſic interpreter Prophetæ verba, hæc ratio me movit, quod puellas dicit venditas fuiſſe pro vino, ſicuti puerum pro ſcorto: & eadem eſt ſyntaxis in verbis Prophetæ. Certum autem eſt in poſteriore membro Prophetam nihil aliud velle, quam pretium fuiſſe male conſumptum in ſordidos & pudendos uſus. Ergo eadem erit etiam ratio prioris membri. Pergamus.

4. Atque etiam, quid vobis mecum Tyre & Sidon, & cuncti termini Palæſtinæ? an mercedem vos rependitis mihi? & ſi confertis hoc in me, velox (*ſubito*) rependam mercedem veſtram in caput veſtrum:

5. Quia argentum meum, & aurum meum abſtuliſtis, & deſiderabilia mea bona tranſtuliſtis in templa veſtra: (*alii palatia*)

6. Et filios Jehudah, & filios Jeruſalem vendidiſtis filiis Græcorum, ut elongaretis eos à termino ſuo. (*hoc eſt, procul abduceretis eos à finibus ſuis.*)

Hic jam expoſtulat Deus cum Tyro & Sidone, aliiſque vicinis gentibus, & oſtendit ſine cauſa fuiſſe moleſtos populo ſuo. Si fuiſſent provocati, aliqua ſaltem excuſatio obtendi poterat: nunc ubi ſponte bellum ſuſcipiunt, duplicatur injuria. Hoc ergo intelligit Deus his verbis, *Quid vobis mecum Tyre & Sidon?* Continuat vero ſententiam illam, quæ prius expoſita fuit. Nam hic agit quaſi proprium negotium: non videtur jam ſuſcipere patrocinium populi ſui, ſed cauſam ſuam tuetur: Quid vobis mecum, inquit? Opponit igitur ſe Deus quaſi medium: acſi diceret Tyrios & Sidonios non tantum hoc nomine à ſe vocari in judicium, quod injuſte populum laceſſiverint, & multas moleſtias intulerint hominibus nihil tale meritis; ſed dicit ſe ſtare pro ſua cauſa. *Quid ergo mihi vobiſcum negotii*, inquit, *Tyrus & Sidonii?* Quemadmodum nos Gallice dicimus, *Qu'avons-nous à deſmeller?* Jam huc tendit Propheta, Tyrios & Sidonios, quum nulla illis controverſia eſſet cum Judæis, tamen fuiſſe hoſtes voluntarios. Hoc vero minus eſt tolerabile, quemadmodum diximus. Quid vobis ergo mecum Tyrii & Sidonii? an aliquid vobis debeo? an vobis obſtrictus ſum? an rependitis mercedem mihi? hoc eſt, an licebit jactare fuiſſe aliquid rationis vel honeſti coloris, ut bellum inferretis populo meo? Significat ergo nullam fuiſſe illatam injuriam Tyriis & Sidoniis, quam nunc retalient; ſed prorumpere ſua malitia, & tantum vel avaritia vel crudelitate impelli, ut miſeros Judæos ita vexent: Vos, inquit, non rependitis mihi mercedem, hoc eſt, non poteſtis prætexere aliquid vobis injuriæ à me eſſe factum: *quod ſi hoc infertis mihi*, inquit, *velox (ſubito) rependam mercedem in caput veſtrum.* גמל Hebræis non tantum ſignificat Retribuere, ut ſemper vertunt; ſed Conferre etiam, ut loquuntur Latine: quemadmodum alibi dictum fuit, *Pſal.* 116.
Quid rependam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Illa eſt communis verſio. Sed improprium eſſet, atque abſurdum loquendi genus. Non dubium eſt igitur quin David ſignificet Dei beneficia. Quid ergo rependam pro omnibus beneficiis quæ Dominus in me contulit? Ergo qui prior vel facit injuriam, vel confert beneficium, dicitur Retribuere. Et hic etiam ſenſus eſt præſentis loci: *Si vos ita*, inquit, *mecum agitis, velox*, מהרה ſubito (nam nomen hic accipitur adverbialiter: ſubito igitur) *rependam mercedem in caput veſtrum*: hoc eſt, vos non impune feretis, quandoquidem tam inique agitis mecum & cum populo meo. Tenemus nunc totum Prophetæ ſenſum. Nam exaggerat crimen in Tyriis & Sidoniis, quod ultro moleſti fuerint Judæis, & ſe externis hoſtibus adjunxerint, ut ſcilicet partem prædæ ad ſe raperent. Quum ergo vicinia non emollierit eorum animos, inhumanitas ipſorum hoc modo ma-

gis convincitur. Sed, quemadmodum dixi, hic Dominus ſe interponit medium, ut ſignificet ſe quaſi proprium negotium agere ubi curat Eccleſiæ ſalutem. Poſtea oſtendit non fore impunitam iſtam malitiam: *Si ita agitis mecum*, inquit, *ego velox* (ſubito) *rependam in capita veſtra*. Hic locus continet eximiam conſolationem, dum pronunciat Deus quicquid incommodi perferunt fideles, hoc in ipſum competere: deinde ſe non paſſurum, ut impune vexentur qui ſunt ſub ejus præſidio & fide, ſed celeriter mercedem ſe repenſurum in eorum capita, qui ita injuſte hereditatem ſuam violaverint. Nunc tenemus Prophetæ conſilium. Neque enim dubium eſt, quin fulcire voluerit pios animos hac cogitatione, dum intelligerent ſuas afflictiones curæ eſſe Deo, & fore brevi earum vindicem, utcunque ad tempus neceſſe eſſet ipſos ita violenter & probroſe tractari à profanis hominibus. Pergamus nunc. Dicit *argentum ſuum & aurum ſuum eſſe ablatum à Tyriis & Sidoniis*. Non dubium eſt, quin, ut fieri ſolet, captaverint lucrum ex clade gentis illius quicunque vicini erant. Prius fuerant male affecti: nunc accedit nova occaſio: inhiant prædæ. Nunc ergo ſe profitentur manifeſtos hoſtes, ubi vident ſpem eſſe quæſtus: id factum fuit à Tyriis & Sidoniis. Non dubium eſt quin ſedulo conciliaverint ſibi gratiam apud Aſſyrios, quin eos adjuverint annona, & aliis ſubſidiis, ut eſſent participes prædæ. Et ideo mirum non eſt ablatum fuiſſe ab illis aurum & argentum, quia longa fuiſſet vectura. Deinde hoc, quemadmodum nuper attigi, fieri ſolet, ut gratificentur victores aliis à quibus adjuti ſunt. Multi generaliter extendunt ad omnes populi opes, quod ſcilicet quicquid fuit auri & argenti in Judæa, hoſtes rapuerint, & Sidonii traxerint ad ſe aliquam partem. Sed videtur eſſe ſpecialis querimonia, quod ſcilicet ſacra Templi vaſa ablata fuerint per Tyrios & Sidonios. Ideo malui Templa vertere quam Palatia. Dicunt alii, Vos tranſtuliſtis argentum meum & aurum meum in veſtra palatia. Quum ambiguum ſit nomen, non dubito quin Propheta hic potius Templa deſignet. Tyrii ergo & Sidonii profanaverant aurum & argentum Templi, quum illud idolis ſuis dicarent. Spoliis ergo veri & unius Dei ornarunt ſua idola. Hæc ratio eſt cur Deus tam vehementer excandeſcat. Fuit quidem aliqua ratio, cur Deus contenderet pro tota gente Iſraël, quemadmodum diximus: ſed hæc fuit longe atrocior injuria, quod ſpoliatum fuit Templum, & nudatum ſuis opibus: deinde quod ornata fuerunt idola ſacris illis vaſis. Sic enim Deus habitus fuit ludibrio: & in ejus contemptum Tyrii & Sidonii quaſi trophæum victoriæ erexerunt in ſuis illis cavernis, ubi exercebant ſacrilegia, quum ſcilicet deos fictitios colerent. *Abſtuliſtis*, inquit, *aurum & argentum meum, & deſiderabilia mea bona*. Deus hic humano more loquitur. Nam certum eſt, etiam ſub Lege ipſum non indiguiſſe auro, vel argento, vel aliis rebus pretioſis: quod voluit Templum ornari vaſis, & illa pretioſa ſupellectile, fecit in gratiam rudis populi: quia non poterant contineri Judæi in puro & legitimo cultu, niſi Deus adminiculis iſtis juvaret imbecillem eorum fidem. Sed tamen quoniam grata illi obedientia erat, ideo dicit quicquid ornatus fuit in Templo, hoc fuiſſe ſibi deſiderabile. Sed induit aliam perſonam, quemadmodum dixi, ita loquens, quoniam neque opus habuit iſtis rebus, neque oblectatus eſt. Neque enim debemus imaginari Deum ſimilem puero, qui voluptatem capiat ex auro, vel argento, vel aliis rebus: ſed accommodandus eſt hic ſermo in uſum populi, quod ſcilicet Deus probaverit cultum illum, quia pendebat ex ſuo mandato. Vocat igitur Deſiderabile quidquid in Templo fuit. *Tranſtuliſtis ergo in Templa veſtra*, inquit, *deſiderabilia mea bona*. Sequitur, *& filios Jehudah & filios Jeruſalem vendidiſtis filiis Græcorum*. Hic altera querimonia ſubjicitur, quod ubi fuerunt ſacrilegi in Deum Tyrii & Sidonii, crudeliter etiam tractaverint afflictum Dei populum. Proximo igitur verſu Deus invectus eſt in Tyrios & Sidonios, quoniam aurum & argentum ſibi ereptum idolis proſtituerant. Jam iterum redit ad ipſos Judæos, quos dicit venditos fuiſſe filiis Græcorum, id eſt, tranſmarinis populis. Quia enim Javan tranſiit in Europam, ideo ſub nomine hoc comprehendit gentes tranſmarinas. Dicit autem *venditos fuiſſe Græcis Judæos, ut procul abigerentur è ſuis finibus*, hoc eſt, ut nulla ſpes eſſet reditus. Inde autem clarius apparet crudelitas, quod curarunt Tyrii & Sidonii procul trahendos eſſe miſeros homines, ne illis pateret reditus in patriam, ſed ut in totum excluſi eſſent. Nunc videmus quorſum ſpectet Propheta. Vult enim fideles, etiam quum pedibus Gentium calcantur, hoc tamen ſolatio lenire dolorem ſuum, quod ſciant ſe non negligi à Deo, quamvis ad tempus conniveat, ſed tandem ipſum fore ultorem, ut non ſecus ac pro hereditate ſua contendat, eo quod tam injuſte vexati fuerint. Poſtea adjungit,

7. Ecce ego excitabo eos è loco in quem vendidiſtis eos, & rependam mercedem veſtram in caput veſtrum.

Hic melius ac certius exprimit Propheta, Deum non ita deſeruiſſe Judæos, quin velit temporis ſucceſſu rurſus illis manum porrigere. Fuit quidem temporalis derelictio, ſed oportuit tamen fideles recumbere in hanc fiduciam, quod Deus iterum vellet eos reſtituere. Et hoc nunc tractat Propheta: *Ecce ego*, inquit, *excitabo eos è loco, in quem vendidiſtis eos*: acſi diceret, non impediet vel diſtantia locorum, vel intermedium mare, quominus reducam populum meum. Quia ergo putaverant Tyrii & Sidonii Judæos præcluſos eſſe à patriæ reditu, quod abſtracti eſſent in tam longinquas orbis plagas, dicit Deus ſibi hoc non fore obſtaculo, quominus Eccleſiam ſuam rurſus colligat. Sed quæritur, quando impletum fuerit hoc vaticinium. Scimus enim Judæos nunquam rediiſſe in patriam. Nam paulo poſt quam reverſi ſunt ab exilio, fuerunt variis modis attriti. Tandem ſequutæ ſunt graviſſimæ clades, quæ conſumpſerunt majorem partem populi. Quum ergo talis fuerit gentis conditio, videndum eſt nunc an Chriſtus Judæos, qui procul diſperſi erant, collegerit. Atqui ſcimus tunc maxime fuiſſe diſſipatos. Neque enim deſtitit Judæa continuis bellis affligi, donec exciſa eſt Jeroſolyma, & populus ille fere fuit in totum conſumptus. Quum igitur ita ſit, quando dicemus impletum fuiſſe hoc vaticinium? Multi allegorice hæc exponunt, quod Propheta loquatur de Apoſtolis & Martyribus, qui per varias perſequutiones jactati fuerunt in diverſa loca. Sed illud eſt coactum. Ego igitur non dubito quin hic ſpiritualem collectionem deſignet. Et certe Deus vinculo fidei Eccleſiam coadunavit poſt Chriſtum exhibitum. Nam non modo rurſus coaluit in unum populus ille, ſed Gentes, quæ prius alienatæ fuerant ab Eccleſia Dei, & quibus nihil commune erat cum Eccleſia, ſimul etiam collectæ ſunt in unum corpus. Videmus ergo ſpiritualiter fuiſſe impletum quod dicit Propheta, nempe *filios Jehudah & Jeruſalem fuiſſe redemptos à Domino*, & iterum reductos, non pedibus vel navigio, ſed quia Jeroſolyma tunc ubique ædificata fuit, quemadmodum dicitur apud Zachariam. *Ego igitur colligam eos*, inquit: poſtea, *rependam mercedem in caput veſtrum*. Iterum confirmat quod prius dixit, nempe etiamſi exultent impii, dum ſuperiores ſunt Dei filiis, tamen

non fore inultam eorum crudelitatem, quia ſentient Eccleſiam nunquam à Deo negligi: quamvis ſubjiciat eam variis ærumnis, & exerceat hoc modo ad patientiam, vel etiam caſtiget, ſemper tamen fore ultorem. Sequitur,

8. Et vendam filios veſtros, & filias veſtras in manum filiorum Jehudah, & vendent eos Sabæis genti longinquæ, quia Jehova loquutus eſt.

Miram hic viciſſitudinem deſcribit Propheta, quia ſcilicet vendentur Tyrii & Sidonii Judæis. Quis autem erit venditor? Deus ſibi has partes ſumit, *Ego*, inquit, *vendam filios veſtros*: quaſi diceret, Judæi potientur vobis, & redigam vos in ſervitutem. Quo auctore? Perinde acſi emiſſent è manu mea. Significat hanc ſervitutem fore legitimam: & ita diſtinguit Judæos à Tyriis & Sidoniis, qui fuerant prædones violenti, & qui injuſte rapuerant quod non erat ſuum. Deſcribitur itaque venditionis ratio, Quia ego ipſe auctor ero hujus mutationis, & res auſpiciis meis agetur, acſi nomen meum interponerem: *ipſi autem Judæi*, inquit, *vendent filios veſtros & filias veſtras Sabæis genti longinquæ*, hoc eſt, populis Orientalibus. Neque enim dubito quin per ſynecdochen Propheta hic notare voluerit populos Orientales, quemadmodum Perſas & Medos: ſed dicit trahendos Tyrios & Sidonios in longiſſimas regiones. Sabæi autem longius diſtabant à mari illo Phœnicio, quemadmodum ſatis notum eſt: & erant incogniti, quia propius etiam ad Indos accederent. Jam hic quæritur, quando hoc judicium exequutus ſit Deus: neque enim tali imperio unquam potiti ſunt Judæi ut ſubjicerent vicinas gentes, & venderent pro arbitrio mercatoribus ignotis. Sed hic ſtultum eſſet ac puerile, nimis inſiſtere in ipſa litera. Quanquam non dico allegorice Prophetam loqui. Ego enim abſtineo ab allegoriis libenter, quia in illis nihil eſt firmum, nec ſolidum: ſed dico tamen aliquam figuram ſubeſſe in his verbis, quod ſcilicet vendentur Tyrii & Sidonii, ac diſtrahentur huc & illuc in regiones procul diſſitas, idque fiet in gratiam electi populi, & Eccleſiæ, acſi Judæi ipſi eſſent venditores. Quum Deus dicit, Vendam, certe non deſcendit è cœlo ut venderet, ſed adjudicavit eos: deinde, hoc alterum ex priore pendet, quod venditi fuerint à Judæis. Hæc non vulgaris eſt venditio, quaſi pretium Judæi receperint, quaſi negotiati fuerint de illis: ſed Deus Judæos venditores fore pronunciat, quoniam ſcilicet hoc modo ulciſcetur injuriam ipſis illatam. *Vendent igitur eos Sabæis genti longinquæ*. Jam ſcimus mutationes, quæ deinde ſequutæ ſunt, tales fuiſſe ut Deus fere converterit totum orbem. Traxit enim Tyrios & Sidonios in regiones longinquas. Nemo putaſſet hoc fieri in gratiam Judæorum qui apud omnes & exoſi & abominabiles erant. Sed tamen Deus pronunciat ſe hoc Eccleſiæ ſuæ reſpectu facturum, ut diſtrahantur Tyrii & Sidonii, quanquam hoc vulgo latebat homines. Fuit enim Dei hoc judicium arcanum. Sed fideles, qui jam edocti fuerant Deum hoc facturum, admoniti ſunt ipſo eventu quam pretioſa eſſet Deo ſua hereditas, dum ejus injurias ulciſcitur, quarum memoria jam pridem ſepulta fuerat. Hæc igitur ſumma eſt. Nunc ſubjicit Propheta,

9. Publicate hoc in Gentibus, ſanctificate prælium, excitate robuſtos, venient, aſcendent omnes viri bellatores.

10. Concidite vomeres veſtros in gladios, & falces veſtras in lanceas, debilis dicat, Ego ſum robuſtus.

11. Congregamini & venite omnes gentes, congregamini in circuitu, (*hoc eſt, undique congregamini*) illic proſternet Jehova fortes tuos.

Quidam exiſtimant hæc ideo narrari, ne populus territus ſuis malis prorſus dejiciat animum: & hunc ſenſum eliciunt, quod Deus formidabile ſpectaculum hic oculis ingerat, ut ſe ad tolerantiam præparent ac confirment Judæi: quamvis ergo undique conſurgant gentes, tamen ut maneant firmi in hac ſpe, Deum fore Eccleſiæ ſuæ judicem. Sed non dubito quin ſermonem ſuum contexat Propheta, atque hic bellum denunciet profanis gentibus, quæ tot moleſtiis Eccleſiam fatigaverant. *Publicate hoc in Gentibus*, inquit, *indicite prælium*, *excitate robuſtos*, *venient*, *aſcendent*. Scimus autem cur neceſſe fuerit talibus formis ſuperiorem doctrinam confirmari. Nam impii nullis minis moventur: imo ſubſannant omnia Dei judicia. Fideles autem quum ſuccumbunt ſuis malis, vix poſſunt animos levare, etiamſi Dominus promittat ſe illis fore adjutorem. Donec igitur res quaſi depicta objicitur eorum oculis, non ſentiunt conſolationis efficaciam. Ideo hypotypoſis quam videmus, ſpectat in hunc finem, ut populus quaſi in rem præſentem adductus, concipiat ſpem futuræ ſalutis, ubi videt Deum jam colligere ſuos exercitus, & inſtruere ſuas copias, ut pœnas ſumat de hoſtibus Eccleſiæ ſuæ. Quum ergo fideles non tantum ſimplicibus verbis hoc fore audiunt, ſed quaſi oculis ſpectant, dum illis Dominus rem proponit ſub figura, & viva imagine, efficacius tanguntur, ut ſtatuant Deum tandem fore ſuum liberatorem. Nunc ergo videmus cur Propheta hic jubeat publicari bellum ubique & indici: deinde, cur jubeat colligi robuſtos, & aſcendere omnes viros bellatores: quaſi diceret, Dominus non fruſtratur vos inanibus verbis, ſed venit inſtructus potentia ad vos ſervandos. Ergo quum auditis illum fore ſalutis veſtræ auctorem, ſimul concipite ſubeſſe ejus arbitrio omnes gentes, & ad ejus nutum poſſe uno momento concitari totum orbem, ut undique confluant omnes copiæ, & quidquid eſt roboris in mundo conveniat ad ejus obſequium. Agnoſcite ergo illum inſtructum ſuis copiis, non venire ad vos nudum, ut verbis paſcat, quemadmodum ſolent quibus nihil auxilii ſuppetit: dant enim illi verba. Deus autem hoc non facit. Nam poſſet hodie exequi quod denunciavit: ſed differt in tempus maturum. interea tribuite illi ſuum honorem, & ſcitote non deeſſe rationem, qua vos protegat, ſi velit: ſed vult ad tempus ſubjicere cruci & ærumnis, ut tandem vindicet injurias vobis illatas. Quæritur nunc quoſnam populos intelligat Propheta. Prius enim dixit Deum pœnas ſumpturum de omnibus populis: quia nulla erat gens tunc in mundo Judæis amica. Sed in eo nihil eſt abſurdi, quia Deus commiſit inter ſe ultro & citro omnes Eccleſiæ inimicos, ut ſe mutuis vulneribus conficerent. Quum ergo voluit vindictam ſumere de Tyriis & Sidoniis, excitavit Perſas & Medos: quum etiam voluit ulciſci Perſas & Medos, vocavit Græcos in Aſiam. Antea afflixerat Aſſyrios. Sic igitur armavit omnes gentes, ſed viciſſim: ut ſcilicet aliæ poſt alias ſubirent pœnam, quam meritæ fuerant. Et ideo non debet hæc ſententia Prophetæ tam reſtricte exponi, quaſi ſimul colligeret Dominus exercitum ex toto mundo ad puniendos Eccleſiæ hoſtes: ſed conturbat totum mundum ut alii de aliis tumultuoſe pœnas ſumant: interea nullus hoſtis Eccleſiæ maneat inultus. Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ. *Publicate hoc in Gentibus*: hoc eſt, Deus movebit horrendas

turbas in toto mundo; ſed hoc faciet in gratiam Eccleſiæ ſuæ: quia etiamſi nunc exponat multis miſeriis ſuos, vult tamen reliquias ſalvas eſſe, quemadmodum prius viſum eſt. Poſtea addit, *Concidite vomeres veſtros in gladios.* Quum de regno Chriſti vaticinantur Jeſaias & Michæas, dicunt, *Jeſa 2. Mich. 4.* Tunc concident gladios ſuos in falces, & lanceas ſuas in vomeres, Invertitur nunc illa ſententia à Joële. Figurata eſt Jeſaiæ & Michææ loquutio, quia ſignificant pacatum iri orbem ubi Chriſtus homines Deo reconciliaverit, & ſimul etiam eos inſtituerit ad colendam fraternam benevolentiam. Sed hic Propheta dicit fore ubique turbulentos motus, ita ut nullus ſit aratri, vel falcis uſus, hoc eſt, ut ceſſent agricolæ à ſuo officio, terra maneat deſerta, quemadmodum fieri ſolet, ubi tota regio expoſita eſt violentiæ, nemo audet egredi: omnes tunc ſuos agros deſerunt, negligitur cultura. Sic igitur dicit Propheta, Convertite vomeres veſtros in gladios, & falces veſtras in lanceas: hoc eſt, ceſſet agricultura, & omnes ſtudia ſua applicent ad bellum: & debilis dicat, Ego ſum fortis, hoc eſt, nulla ſit hic vacatio militiæ. Scimus excuſationem ab ætate vel morbo valuiſſe dum olim colligebantur milites: & ſiquis morbum prætendere poterat, ille dimittebatur. nunc Propheta dicit nullam fore vacationem. Deus, inquit, etiam nemini permittet, coget omnes ad bellum: etiam extrahet ex ipſo lecto omnes ægrotos: cogentur omnes arma induere. Hinc apparet quam ardenter Eccleſiam ſuam amet Dominus, quum gentibus & populis non parcit, deinde, quod etiam neminem eximit à pœna. Quicunque enim moleſti fuerunt Eccleſiæ, eos neceſſe eſt recipere ſuam mercedem. Quum ergo Deus tam ſevere ulciſcatur Eccleſiæ ſuæ hoſtes, ſingulare nobis paterni amoris teſtimonium reddit. Et tandem concludit, *illic Jehova fortes tuos proſternet.* Non dubium eſt, quanquam ſingulari numero Propheta utitur, hoc intelligi de tota terra: acſi diceret, Quicunque hoſtes fuerint populo meo, illos ego proſternam quantumlibet ſint robuſti. Nunc tenemus quicquid hactenus dixit Propheta quorſum tendat, nempe etiam in graviſſimis afflictionibus Deum ſalutem Eccleſiæ ſuæ curare: ideoque fore vindicem, ubi ad tempus vel patientiam ſuorum examinaverit, vel caſtigaverit eorum delicta: tamen mutuam fore vicem, ut ſemper optabilior ſit Eccleſiæ conditio, etiam in extremis malis, quam illorum, quos Dominus tolerat, & quibus indulget, & de quibus non tam cito exigit vindictam.

Da omnipotens Deus, quando undique obſidemur ab hoſtibus, neque tantum infeſti ſunt nobis ſecundum carnem improbi, ſed Satan etiam ipſe copias ſuas admovet, & tot modis perniciem nobis machinatur: da, inquam, ut inſtructi fortitudine Spiritus tui ſub auſpiciis tuis bellemus uſque in finem, neque unquam fatigemur ullis malis. Interea vero humiliemur ſub potenti manu tua, dum tibi placet nos affligere: & interim tamen ſic ſuſtineamus omnes ærumnas, ut forti animo eluctemur ad illam victoriam quam nobis promittis, & defuncti omnibus certaminibus, tandem perveniamus ad beatam illam quietem, quæ nobis repoſita eſt in cœlo, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO UNDECIMA IN JOELEM PROPHETAM.

CAP. III.

12. Expergeſiant & aſcendant Gentes ad vallem Joſaphat: quia illic ſedebo ad judicandum omnes Gentes ex circuitu.

Proſequitur eundem ſermonem Propheta, quod ſcilicet Deus tandem vindex erit populi ſui, ubi vexatus fuerit injuſte ab hominibus profanis. Scimus enim Deum non ſtatim ſuccurrere ſervis ſuis, ſed quieſcere acſi non reſpiceret eorum moleſtias. Hoc autem facit ad probandam eorum tolerantiam: deinde tempore opportuno declarat ſe non fuiſſe otioſum, ſed notaſſe ſcelera, & diſtuliſſe pœnas, donec impleta eſſet malitia hoſtium ſuorum. Sic etiam nunc dicit, tandem fore Deum judicem populi ſui adverſus omnes gentes undecunque conveniant in vallem Joſaphat. Jam de valle Joſaphat ſatis diximus. Sed huc redit ſumma, afflictiones Eccleſiæ non fore impunitas, quia Deus tempore opportuno tandem conſcendet tribunal ſuum, & faciet ut ex cunctis terræ partibus conveniant omnes gentes, & ſubeant illic judicium. Nunc ſequitur,

13. Mittite falcem, quia maturuit meſſis: venite, deſcendite, quia plenum eſt torcular, refertæ ſunt cupæ, quia multiplicata eſt malitia ipſorum.

Quia Deus judicia ſua differt dum miſeri homines gemunt ſub oneribus ſuis, ideo Propheta utitur loquendi formulis, quæ exprimant Deum non morari, ſed potius feſtinare ad judicium: quanquam hoc non apprehendat ſenſus carnis. Hæc enim duo inter ſe optime conveniunt, quod ſcilicet Deus expectet impios, & pœnas ſuſpendat quas mereantur: interea tamen mature acceleret eorum exitium. Nam dicitur reſpectu hominum differre, quia unus dies nobis eſt inſtar centum annorum: dicitur autem properare, quia novit temporum articulos. Sic etiam hoc loco, *Mittite falcem*, inquit, *maturuit enim meſſis.* Utitur metaphoricis loquutionibus: ſed poſtea ſine figura explicat quid velit, dicens *multiplicatam eſſe malitiam ipſorum.* Sunt autem hic duæ metaphoræ: altera ſumpta eſt à meſſe; altera à vindemiis. Vocat igitur Propheta meſſores qui deſtinati erant ad exequendum ejus judicium: nempe quia Deus conductitiam habet operam hominum, & pro ſuo arbitrio huc vel illuc applicat eorum manus. Poſtea adjungit alteram metaphoram ſumptam à vindemiis: dicit *plena eſſe torcularia, & cupas eſſe refertas.* Sed tandem exprimit quid hæc ſibi velint: nempe quod multiplicata ſit malitia ipſorum, hoc eſt, quod ad cumulum uſque pervenerit. Dicebat Deus Abrahæ nondum impletam eſſe malitiam Chananæorum, quia longum erat illud ſpatium quod denunciabat: nempe poſt quatuor ſecula dicebat ſe vindictam ſumpturum de inimicis populi. erat illud longum ſpatium. Poterat igitur objicere Abraham, Cur Deus tam longo tempore quieſceret. Sed hæc eſt reſponſio, nondum impletam eſſe malitiam. Hoc autem loco dicit Propheta multiplicatam eſſe malitiam ipſorum: ideo ſpem facit ſervis Dei propinquæ vindictæ, quemadmodum quum meſſis impendet, & inſtant vindemiæ, omnes animos erigunt ad hilaritatem. Sic

etiam

etiam Propheta, ut colligant fideles animos, & expectent propinquam redemptionem, dicit jam veniſſe uſque ad ſummum cumulum iniquitates hoſtium, ita ut Deus jam paratus ſit ad ſumendam de ipſis ultionem. Hæc ſumma eſt. Sequitur,

14. Populi, populi in valle conciſionis, (*vel tribulæ*) quia propinquus dies Jehovæ in valle conciſionis.

Confirmat eandem doctrinam Propheta: ſed pluribus verbis inſiſtit, quia vaſtitas illa Eccleſiæ poterat ſpem omnem adimere ſervis Dei. Quis enim dixiſſet poſſe reſtitui Eccleſiam, quum eſſet adeo miſere vaſtata, imo quum redacta eſſet quaſi in nihilum? Nam populus ſic erat diſperſus, ut nullum jam eſſet nomen Iſraelis. Deſierat ergo eſſe populus, quia perdiderat nomen ſuum: denique nullus erat ſtatus Eccleſiæ, & omnes dixiſſent populum illum devotum eſſe mille exitiis: ſicuti omnes execrabantur nomen Iſraelis. Quum ita eſſet, certe potuit videri res incredibilis quicquid docebant Prophetæ de reſtitutione populi illius. Ergo non ſupervacua eſt iſta repetitio, quum Propheta pluribus loquendi formis teſtatur atque affirmat Deum adhuc manere integrum: etiamſi perierit Iſraël in conſpectu hominum, tamen ſuppetere Deo virtutem qua vivificet mortuum illum populum: & ideo emphatice loquitur Propheta, *populi, populi*, inquit. Nam hic ſuſcipit perſonam præconis, ſicuti etiam hoc munus ei injunctum erat: & oſtendit ſua vaticinia non carere effectu, ſe non proferre verba, quæ evaneſcant in aërem: ſed quicquid nomine Dei pronunciat, plenum eſſe virtutis & efficaciæ. Potuit quidem videri hoc ridiculum quia citaret Propheta omnes populos, quum tamen ludibrio eſſet ejus doctrina, etiam Jeroſolymæ. Quomodo ad ultimos uſque orbis fines penetrare vox ejus poterat, & etiam audiri? Sed quanquam occulta tunc erat virtus prophetiæ, exeruit ſe tandem, & reipſa apparuit Prophetam non fruſtra loquutum eſſe. Cæterum; non alloquitur populos quaſi audituri ſint, ſed in gratiam piorum hic attollit vocem, & magnifice inſultat omnibus impiis, qui tamen ſuperbe tunc dominabantur, & cum alto contemptu: Venient, inquit, tandem illi ad Dei tribunal, etiamſi hodie impune ita Eccleſiam conculcant. Populi ergo, populi: jam non ponit vallem Joſaphat, ſed Conciſionis. חרוץ quidam accipitur pro determinato judicio. Sed nomen hoc accipitur pro Tribula, vel pro inſtrumento ad triturandum. Neſcimus quænam fuerit Judæis ratio triturandi, ſed tamen ex pluribus locis conſtat, חרוץ eſſe inſtrumentum quo ſolebant uti ad trituram. Ego autem hunc ſenſum libenter amplector, quia prius metaphorice Propheta vocavit judicium Dei meſſem, poſtea comparavit torcularibus. Quanquam ſi magis placeat nomen conciſionis, non repugno. Interea non dubito, quin alludat Propheta ad triturationem, quum Deo tribuit has partes, nempe ut diſſipet populos, qui nunc videntur conſpiraſſe ad perdendam Eccleſiam. Siquis accipiat pro determinato judicio, vel pro re conciſa, quemadmodum apud Jeſaiam, non repugno. Nam ſic etiam multi interpretantur. Ego tamen jam expoſui quid mihi magis placeat. Quantum ad ſummam rei pertinet, ſenſus Prophetæ non eſt ambiguus: intelligit enim Deum tales ſumpturum pœnas de omnibus impiis, ut omnes concidat, diſſipet, quemadmodum quum in area trituratur meſſis. Et tandem addit, *propinquum eſſe diem Jehovæ in valle tribulæ*. Significat, etiamſi adhuc conniveat Dominus ad ſcelera ipſorum, tamen inſtare diem, qui adhuc incognitus eſt hominibus, & tandem ſe venturum in vallem illam: hoc eſt, ſe editurum tale genus pœnæ, unde appareat ipſum fuiſſe præſidem populi ſui. De valle enim jam diximus: & non dubium eſt quin ſemper illuc reſpiciat, alioqui improprie loquutus eſſet, quum diceret, *Aſcendent in vallem*. Quid eſt aſcendere in vallem? potius enim debuit loqui de deſcenſu. Sed comparat Judæam reliquis orbis partibus: quoniam ſitus illius terræ erat editior, quemadmodum notum eſt. Sublimitas ergo Judææ optime convenit cum aſcenſu, de quo loquitur Propheta. Ergo ſemper intelligit Deum ita ſumpturum pœnas de Gentibus, ut appareat ipſum hoc facere in Eccleſiæ ſuæ favorem, ſicuti nunc clarius videbimus. Jam dicit,

15. Sol & Luna obſcurabuntur, (*vel contrahent nigredinem*) & ſtellæ retrahent ſplendorem ſuum.

Jam alibi hunc verſum expoſui: cap. 2. ſcilicet. Diximus in ſumma Prophetam deſcribere terribile Dei judicium, ut ſocordiam excutiat hominibus, qui ſecure audiunt minas omnes & contemnunt, niſi Dominus percellat eorum animos. Ergo figuræ iſtæ non alio ſpectant, niſi ut impii expergiſcantur, & ſentiant ſerio rem agi, ubi Dominus judicium ſuum denunciat. Nunc pergamus in contextu.

16. Et Jehova è Sion rugiet, & è Jeruſalem dabit (*edet*) vocem ſuam: & contremiſcent cœli & terra: & Jehova ſpes erit populo ſuo, & fortitudo filiis Iſraël.

Hic conſilium ſuum Propheta clarius explicat: nempe in quem finem hactenus diſſeruerit de judicio Dei. Nam quicquid audivimus, tantum ad incutiendum terrorem valebat. Interea Propheta admonet ſibi in animo eſſe fideles ſolari, & dare aliquod levamen eorum moleſtiis & ægritudini. Hæc ratio eſt cur Deum inducat rugientem è Sion, & clamantem è Jeruſalem. Rugitus autem tribuitur Deo, quemadmodum alibi ſe comparat leoni, quum aſſerit ſe fidum cuſtodem fore ſalutis ſuorum: Ego, inquit, ſimilis ero leoni, qui non patitur eripi ſibi prædam, ſed fortiter defendit qua pollet violentia: ſic etiam non patiar populum meum mihi eripi. Eodem ſenſu nunc dicit Propheta, *Deum rugire è Sion*. Fuerat enim Deus ad tempus contemptibilis: nam graſſatæ erant omnes Gentes contra electum ejus populum, & eum diripuerant pro ſua libidine: nulla tunc Dei potentia ſe exerebat. Quoniam ergo ad tempus tacuerat Deus, nunc Propheta dicit non ſemper ipſum diſſimulaturum, quin ſuſcipiat defenſionem populi ſui, idque inſtar leonis: quia inſurget horribili violentia contra omnes hoſtes ſuos. *Et contremiſcent*, inquit, *cœli & terra*. Quoniam totus fere mundus contrarius erat electo populo, Propheta in hoc ſedulo incumbit, ne quid impediat animos fidelium quominus expectent redemptionem, quæ illis promittitur: etiamſi cœli, inquit, & terra ſeſe opponerent, Deus tamen prævalebit admirabili ſua virtute. *Contremiſcent*, inquit, *omnia elementa*. Quid nunc facient homines? etiamſi admoveant omnes ſuas copias, etiamſi omnia conentur, an poterunt præcludere viam Domino, quo minus populum

ſuum

ſuum liberet? Tenemus ergo conſilium Prophetæ, quum de concuſſione cœli & terræ loquitur. Tandem adjungit, *Erit Deus ſpes populo ſuo, & fortitudo filus Iſraël.* Hac parte ſatis demonſtrat quod dixi, nempe ſe denunciare extremam vindictam Gentibus in Eccleſiæ favorem: quia ſcilicet Dominus tandem populi ſui miſerebitur, etiamſi videatur periiſſe antequam ſuccurrat. Quanquam ergo populus erit deploratus & ſua & omnium opinione, Deus tamen rurſus eriget ſpem omnium piorum qui reſidui erunt, & fortitudinem novam illis ſuggeret. Loquitur in genere de filiis Iſraël: ſed hoc tantum ad reliquias pertinet, de quibus nuper loquutus eſt Propheta. Scimus enim non omnes qui originem trahebant à Patribus ſecundum carnem fuiſſe veros Iſraëlitas. Hic autem Propheta veram Eccleſiam deſignat: & ideo Iſraël debet accipi pro genuinis & legitimis Abrahæ filiis: ſicuti in perſona Nathanaël Chriſtus vocat veros Iſraëlitas, qui imitantur fidem *Joan. 1.* patris ſui Abrahæ. Ego abſolvam hodie hunc Prophetam: ideo non multum immoror in ſingulis ſententiis. Sequitur nunc,

17. Et cognoſcetis quod ego ſum Jehova Deus veſter, habitans in Sion monte ſanctitatis meæ: & erit Jeruſalem ſanctitas, & alieni non tranſibunt per eam amplius.

Confirmat ſuperiorem ſententiam: *Cognoſcetis me eſſe Deum veſtrum,* inquit. Tacite Propheta ſignificat Dei gratiam ſic fuiſſe abſconditam inter afflictiones, ut populus conjicere poſſet ſe derelictum à Deo. Deberet quidem ſufficere nobis verbum in extremis malis: nam quamvis Deus nos conjiciat in ultimas abyſſos, tamen ubi verbo ſuo nobis illucet, hæc conſolatio ſatis & ſuper valere debet ad ſuſtinendos animos. Sed tamen niſi reipſa appareat Deus, turbamur, & quærimus ubinam ſit ejus potentia. Secundum hanc rationem nunc Propheta dicit, *tandem cognituros fideles*: nempe reipſa. Duplex enim cognitio eſt: cognitio fidei, quæ ex ſolo verbo concipitur; & cognitio experimentalis, ut ita loquar, quæ pendet ab ipſo effectu. Fideles ergo ſemper agnoſcunt ſalutem ſibi eſſe in Deo repoſitam: ſed titubant interdum, & patiuntur graves cruciatus in animo ſuo: etiam agitantur huc & illuc. Quicquid ſit, certe ipſo effectu non ſentiunt Deum ſibi eſſe patrem. Ergo de reali notitia nunc agitur, quum Propheta dicit cognituros ſe habere Deum. Quomodo cognoſcent? nempe ipſa experientia. Docet autem hic locus, quamvis Deus non exerat palam manum ſuam ad nos juvandos, bene tamen ſperandum eſſe de ejus gratia. Nam in hunc finem etiam Propheta loquutus eſt, ut pii ante ipſum eventum aut complementum prophetiæ, tamen ad Deum aſſurgerent, & projicerent in eum omnes ſuas curas. Antequam ergo realis cognitio veniret, fideles Deum apprehenderunt ſibi eſſe patrem, & ideo non dubitarunt ad ipſum confugere, quamvis reipſa hoc nondum palam factum eſſet, quod Propheta teſtatus erat. *Habitans in Sion monte ſanctitatis meæ.* Hoc conſulto additum fuit, ut ſcirent fideles non fruſtra Deum pepigiſſe fœdus cum Abraham, non fruſtra montem Sion fuiſſe electum, ut illic nomen Dei invocaretur. Nam revocandi ſumus ad promiſſiones, alioqui frigebit omnis doctrina. Scimus autem omnes promiſſiones in illo fœdere fuiſſe fundatas: quia ſcilicet Dominus adoptaverat ſibi populum: deinde depoſuerat rurſus fœdus ſuum in manu Davidis, & tunc montem Sion deſignaverat ſuo Sanctuario. Quum ergo omnes promiſſiones ex fonte illo manarent, oportuit revocari Judæos ad memoriam fœderis. Et hæc ratio eſt cur nunc dicat Propheta Deum habitare in Sion. Et certe alioqui hæc doctrina tantum ad ſuperſtitionem ſpectaret. Deum enim ſcimus non includi ulla circumferentia locorum: tantum abeſt ut potuerit in illas Templi anguſtias conſtringi. Sed habitavit in monte Sion propter Legem ſuam, quia fœdus ſuum pepigerat cum Abraham, deinde cum Davide. Poſtea ſequitur, *Et erit Jeruſalem ſanctitas, & alieni non tranſibunt per eam amplius.* Quum Jeruſalem denunciat fore ſanctam, eximit à profanatione. Scimus has loquendi formas ſatis tritas eſſe in Scriptura, & ſæpius occurrere, quod ſancta erit Deo ſua hereditas, deinde quod eam profanarunt. Quum ergo expoſitus fuit populus libidini inimicorum quaſi in prædam, tunc hereditas Dei fuit rejecta, & polluta: tunc profani homines calcarunt quaſi pedibus Jeroſolymam. Nunc autem Propheta eximit ſanctam urbem ab illa pollutione: quaſi diceret, Dominus non permittet ſic miſere populum ſuum vexari, & oſtendet urbem hanc fuiſſe à ſe delectam, & ſe in ea habere domicilium. *Alieni ergo per eam non tranſibunt amplius.* Quare? Eſt enim ſancta Civitas, primum Deo, deinde Eccleſiæ ipſius. Cæterum quia extenditur hæc promiſſio ad totum Chriſti regnum, non dubium eſt quin Deus hic generaliter pronunciet ſe cuſtodem fore Eccleſiæ ſuæ, ne obnoxia ſit impiorum libidini: quanquam videmus ſæpe aliter contingere. Sed hoc debet imputari peccatis noſtris: nos enim facimus rupturas. Nam Deus eſſet nobis murus & antemurale, quemadmodum alibi dicit: ſed pec- *Jeſa. 26.* catis noſtris prodimus ejus Eccleſiam. Ideo alieni in ea locum occupant, ſicuti hodie videmus Antichriſtum jam tot ſeculis dominatum eſſe in Sanctuario Dei, quemadmodum etiam prædictum fuerat. Quum *Dan. 9.* ita ſit, gemamus videntes profanari ſanctam Dei Eccleſiam. Interea tamen ſciamus curæ Deo fore ut colligat electos ſuos, & expurget ab omni immunditia & inquinamento. Sequitur,

18. Et erit in die illa, ſtillabunt montes muſtum, & colles decurrere facient lac, & omnes rivi Jehudah emittent aquas: (*hoc eſt, deſcendere facient*) & fons è domo Jehovæ egredietur, & irrigabit vallem Sittim.

19. Ægyptus in ſolitudinem erit, & Edom in deſertum ſolitudinis erit, propter vexationem filiorum Jehudah, quia fuderunt ſanguinem innoxium (*vel purum*) in terra ſua. (*vel ipſorum.*)

Hic Propheta denunciat Deum populo ſuo ita fore beneficum, ut nihil deſit ex omni bonorum copia & varietate. Poſtquam ergo inſtauraverit Deus Eccleſiam ſuam, inquit, affluet omni benedictionis genere. Huc enim ſpectant formæ iſtæ loquendi, *Stillabunt montes muſtum, & colles decurrere facient lac: deinde omnes rivi habebunt aquas largas: fons etiam orietur è domo Jehovæ ad irrigandum vallem Sittim.* Nunc intelligimus conſilium Joëlis. Tenendum vero eſt ubi ita ſplendide Prophetæ extollunt Dei benedictionem, non velle occupare animos piorum in ſagina: quemadmodum profani homines arripiunt iſtas ſententias, acſi Dominus vellet replere ingluviem ſuorum. Scimus autem longe differre filios Dei à porcis. Ergo non ſaturat fideles terrenis bonis, quia hoc etiam non eſſet ipſis utile in ſalu-

tem:

tem: ſed tamen ita amplificat ſuas benedictiones, ut ſciamus nihil ad omnes numeros felicitatis nobis deeſſe, ubi Deus nobis propitius eſt. Videmus ergo Prophetam noſtrum ſic concionari de terrenis Dei benedictionibus, ut tamen non occupet illic animos piorum, ſed altius velit attollere: acſi diceret beatos fore omnibus modis Iſraelitas, ubi primum reconciliati fuerint Deo. Unde enim omne genus miſeriæ & afflictionis, niſi ex peccatis? Quum ergo omnes moleſtiæ, omnia incommoda ſigna ſint iræ & alienationis Dei, non mirum eſt ſi Dominus ubi ſe propitium fore denunciat, ſimul etiam conjungat ſigna paterni amoris, quemadmodum hic facit. Et ſcimus oportuiſſe rudem illum populum ſub elementis Legis ſic doceri: quia nondum poterat capere ſolidum cibum. Scimus enim veteres ſub Lege ſimiles fuiſſe pueris. Cæterum ſatis eſt tenere conſilium Spiritus ſancti: quod ſcilicet Deus populum ſuum ſatiabit omni bonorum copia, quatenus ſcilicet expediet. Nunc ubi Deus recta in cœlum nos vocat, & ad vitam ſpiritualem erigit mentes noſtras, ſufficiat
1 Tim. 4. quod Paulus dicit, nempe pietati ſpem dari, non tantum futuræ vitæ, ſed etiam præſentis: quia ſcilicet Deus benedicet etiam nobis in terra, ſed pro modo noſtræ infirmitatis, ſicuti jam attigimus. *Vallis Sittim*, erat propinqua Moabitis, quemadmodum ſatis notum eſt ex 25. cap. Numerorum, & ex 2. cap. Joſuæ. Quum autem dicit Propheta Aquas quæ manabunt ex fonte ſacro, irrigaturas vallem Sittim: perinde eſt acſi diceret, tam largam fore benedictionem Dei in Judæa, ut procul etiam ſeſe diffundat: nempe uſque ad valles deſertas. Sed poſtea adjungit, Ægyptios & Idumæos fore ſteriles & aridos in hac tam multiplici bonorum abundantia: erant enim illi profeſſi Eccleſiæ hoſtes. Deus ergo hoc verſu pronunciat non fore participes ſuæ largitatis, etiamſi tota Judæa irrigua ſit: etiamſi abundet melle, lacte, & vino, tamen ipſos fore ſteriles & jejunos. *Erit* ergo *Miſraim in ſolitudinem: erit Edom in deſertum ſolitudinis.* Quare? *Propter moleſtias illatas filiis Jehudah*, inquit. Rurſum confirmat Deus ſe curam talem habere Eccleſiæ ſuæ, ut injurias illatas ulciſci velit. Deus ergo non ſemper occurrit quum injuſte affligimur, etiamſi nos receperit in ſuam tutelam, ſed patitur ad tempus nos laborare, interea exitus oſtendit nos ſemper fuiſſe illi charos & pretioſos. Sic etiam nunc, *Propter vexationes, quas intulerunt Ægyptii & Idumæi filiis Jehudah*, dicit ipſos fore jejunos in omni abundantia bonorum: *quia fuderunt*, inquit, *ſanguinem innoxium in terra ipſorum*, vel ſua. Si referimus ad Ægyptios & Idumæos, ſenſus erit, quod profugos adeo non ſint tutati, ut potius crudeliter eos occiderint, acſi fuiſſent jurati hoſtes. Scimus multos rebus perditis ac deploratis fugiſſe in Ægyptum & Idumæam, ut illic quærerent latebras. Quoniam ergo Ægyptii fuerant tam inhumani contra afflictos, ideo vindictam illis minatur Propheta. Sed malo accipere de Judæa quod dicit. *Fuderunt* ergo *ſanguinem purum in Judæa ipſa.* Atqui terram illam Dominus ſibi conſecraverat: quum polluta fuerit injuſtis cædibus, atrocius fuit crimen. Quum ergo Ægyptii & Idumæi ita proruperunt contra Judæos, & quamvis domi manerent quieti, in patria interfecerunt ipſos indignis modis, non mirum eſt quod Deus ultorem ſe fore pronunciat. Sequitur,

20. Et Jehudah in æternum habitabit, (*alii paſſive accipiunt, Habitabitur*) & Jeruſalem erit in generationem & generationem.

Hic Deus aſſerit redemptionem hanc fore non exigui temporis, ſed fructum fore diuturnum, imo perpetuum. Parum enim eſſet redimi uno die Eccleſiam, niſi etiam Deus incolumem ſervaret ſub manu ſua. Hoc ergo ſecundum nunc Propheta addit, quod ſcilicet *Jehudah ſemper manebit incolumis*, & Jeruſalem habebit continuas ætatum ſeries. Nam ſcimus interdum impios ad tempus florere, etiamſi coram Deo jam exitio devoti ſint. Sed Propheta hic declarat fructum redemptionis, quem promittit fore æternum: quia ſcilicet Deus non tantum momento impellitur ad liberandam Eccleſiam, ſed quia proſequitur eam æterno favore, & conſtanter manet in ſuo propoſito, ſemperque eſt ſui ſimilis: ideo æternus eſt cuſtos & fidelis ſuorum. Sequitur ultimus verſus.

21. Et mundabo ſanguinem eorum, non mundavi: & Jehova habitans in Sion.

Principium verſus variis modis accipiunt interpretes. Quidam ſic diſtinguunt, Mundabo, ſanguinem tamen eorum non mundabo: acſi diceret Deus, ſe alias omnes injurias remiſſurum gentibus profanis, ſed fieri non poſſe ut ignoſcat tantæ ſævitiæ, quam exercuerunt contra ſuos electos. Ita eſſet ſenſus, Tolerabilis eſſet avaritia, ego parcerem rapinis: ſed quoniam populum meum interfecerunt, ego inexorabilis ero hac in parte. Ergo ſecundum iſtos oſtendit Deus quam pretioſa ſit ſibi vita ſanctorum: quia ſcilicet implacabilem ſe fore dicat contra omnes impios, ubi ſanguinem innoxium fuderint. Sed videtur ſenſus ille nimis coactus. Alii vertunt, Sanguinem eorum mundabo, & non mundabo: hoc eſt, Ego purgabo Judæos à ſuis inquinamentis, ſed non utar extrema ſeveritate: quemadmodum dicit
Jeſa. 48. apud Jeſaiam, Ego non excoquam te inſtar auri vel argenti: nam in ſcoriam totus abires. Putant ergo illi hic Deum promittere talem munditiem Eccleſiæ, ut tamen extremo rigore non utatur, ſed moderetur ipſam purgationem, ſicuti neceſſe eſt in ſordibus noſtris, quibus ſcatemus toti. Sed videtur ſimplicior eſſe ſenſus, quod ſcilicet mundabit Deus ſanguinem, quem non mundavit: acſi diceret, Ego hactenus non purgavi immunditias populi mei: ergo quaſi computruit in ſuis peccatis: ſed nunc incipiam purgare omnia ſcelera, ut purus eniteat coram me. Subaudiendum eſt relativum, quemadmodum ſæpe fieri ſolet apud Hebræos. Verbum autem hoc נקה accipitur 30. capite Jeremiæ alio ſenſu, quod ſcilicet non exterminabit Deus Eccleſiam ſuam. Sed non poſſumus hoc loco alium ſenſum elicere, quam quod Deus jam Eccleſiam ſuam purgabit à ſordibus. Nam per ſanguines haud dubie Propheta intelligit inquinamenta, quibus populus refertus erat. Fieri ergo non poterat ut frueretur Deo propitio, quum ita jaceret in ſuis ſordibus. Nunc Deus quum ſe redemptorem fore promittit, ſimul etiam venit ad fontem ipſum & primam cauſam, quod ſcilicet ſordes abluet. Quomodo enim Deus eſſet redemptor populi, niſi prius deleret ejus peccata? Quamdiu enim peccata nobis imputat, neceſſe eſt etiam ipſum nobis iraſci, neceſſe eſt nos ab eo prorſus eſſe alienos, & privari omni ejus benedictione. Dicit ergo non fruſtra ſe fore purgatorem, quia purgatis ſordibus, jam ſequitur etiam illud alterum, quod de redemptione futura nuper vidimus. Tandem concludit, *Et Jehova habitans in Sion.* Iterum Propheta populum ad memoriam fœderis revocat: acſi diceret, Deum ultro promittere, & tam libe-

liberaliter, quicquid dictum fuit, non quod ita promeritus fuerit populus, ſed quia pridem Deus dignatus eſt adoptare filios Abrahæ: quia domicilium ſibi elegerat io monte Sion. Hac ergo ratione oſtendit cur nunc Deus ad miſericordiam inclinet, ut ſervare velit populum, qui tamen ſuis peccatis centies perierat.

Da omnipotens Deus, quando in hoc mundo militandum nobis perpetuo eſt, non tantum cum uno genere hoſtium, ſed cum innumeris: neque etiam cum carne & ſanguine, ſed cum diabolo principe tenebrarum: da, inquam, ut armati tua virtute ſtemus conſtanter in hac militia: quod ſi nos affligis ob peccata noſtra, diſcamus nos humiliare, & interea ſic nos ſubjicere tuo imperio, ut expectemus redemptionem nobis promiſſam: & quanquam ſigna iræ tuæ nobis ſæpius appareant, ſpe tamen animos ſemper attollamus in cœlum, & inde expectemus Filinm tuum unigenitum, donec adveniens mundi Judex colligat nos in fruitionem beatæ illius & æternæ vitæ, quam peperit nobis ſanguine ſuo, Amen.

JOANNIS CALVINI PRÆLECTIONES IN AMOS PROPHETAM.

PRÆLECTIO PRIMA.

PRÆFATIO.

QUo tempore cœperit fungi Doctoris officio ipſe oſtendit · ſed quamdin prophetaverit non conſtat, niſi quod exiſtimant Hebræi fuiſſe diuturnum curſum: quia ſcilicet munus ſuum continuavit ſub quatuor Regibus, ut ipſi ſcribunt. Meminit autem hic tantum regni Uziæ & Jarobeam: ſed voluit notare quando cœperit Prophetæ munus exequi, non autem exprimere quamdiu in hoc officio operam ſuam Deo præſtiterit. Cur autem nonniſi initium hoc attingat, poſtea ſuo loco videbimus. Certum hoc quidem eſt, exorſum fuiſſe ſub Rege Uzia, & ſub Rege Jarobeam. Deinde hoc quoque notandum eſt, fuiſſe ordinatum Prophetam regno Iſraël. Tametſi enim oriundus erat ex Tribu Jehudah, voluit tamen eum Dominus præficere regno Iſraël, quemadmodum etiam videbimus. Interdum convertit ſermonem ad Tribum Jehudah: ſed hoc eſt quaſi accidentale, & ut occaſio ferebat: præcipue vero intentus eſt ad decem Tribus. Nunc venio ad ejus verba.

CAPUT PRIMUM.

VErba Amos, qui fuit inter paſtores (*vel pecuarios*) ex Tecua: quæ vidit ſuper Iſraël diebus Uziæ Regis Jehudah, & diebus Jarobeam filii Joas Regis Iſraël, biennio ante motum terræ. (*vel* χώρα.)

HIc Amos non jactat ſe aliquid afferre à ſeipſo, quum de verbis ſuis loquitur, ſed tantum profitetur ſe miniſtrum eſſe Dei: quia mox addit ſe vidiſſe per revelationem. Deus enim ipſe ſuſcitat Prophetas, & utitur eorum opera: ſed interim dirigit eos ſuo Spiritu, nequid proferant niſi ab ipſo acceptum, ut fideliter quaſi per manus tradant quod ab ipſo ſolo profectum eſt. Duo igitur hæc ioter ſe cohærent, prophetias, quæ poſtea ſequentur, eſſe verba Amos: ſed hæc verba fuiſſe illi patefacta divinitus. Nam verbum חזה, quo utitur Amos, proprie ſignificat Videre per revelationem: unde etiam prophetiæ nomen habent. Cæterum dicit ſe fuiſſe *inter paſtores Tecua*. Oppidum hoc fuit ignobile, & paulo ante cinctum fuerat muris, quum ſemper pagus fuiſſet. Patriam igitur hic non nominat, quaſi celebris fuerit, vel quaſi inde ſibi acquirere potuerit plus auctoritatis vel famæ: ſed potius Tecuitam ſe vocat, quia Deus ex loco obſcuro eum eduxerat, ut præficeret toti regno Iſraël. Ideo falluntur, meo judicio, qui exiſtimant vocari Amos unum ex paſtoribus, quia fuerit notus propter divitias, & abundantiam pecoris. Nam dum omnia expendo, non video quomodo poſſit hoc quadrare. Fateor נקדים vocari non tantum paſtores qui operas ſuas locant, ſed pecuarios homines, qui negotiationem exercent: ſicuti etiam Rex Moab dicitur fuiſſe נקד, nempe quod aleret multas pecudes: ſed per ſuos paſtores mercenarios. Quantum ad Prophetæ nomen pertinet, non video quomodo hoc poſſit aptari ejus perſonæ. Neque enim fuit locus ille *Tecua* famoſus ob divitias: & quemadmodum jam dixi, erat exiguum oppidum, & nullius opulentiæ. Ego itaque non dubito, quin Amos hic inſul-

tet

ret ſuperbiæ regis Iſraël & totius populi: quia dignati non fuérant audire Dei Prophetas, mittitur homo pecuarius ad ipſos. Deinde notandum eſt non vocari paſtorem Tecua, ſed *ex Tecua*: & interpretes non obſervant particulam illam. Videbimus autem cap. 7. Amos quamvis oriundus eſſet ex Tribu Jehudah, habitaſſe tamen in regno Iſrael. Nam Sacerdos poſtquam eum calumniatus eſt apud Regem, jubét tranſire alio, & comedere alibi panem ſuum, ne res tranquillas perturbet. Habitavit igitur tanquam hoſpes in alieno loco. Si fuiſſet tam dives & tam multæ opulentiæ, certe habitaſſet domi: cur mutaſſet locum? Quum ergo ſatis appareat fuiſſe inquilinum in terra Iſraël, non dubito quin fuerit ex communi vulgo hominum: ita ignobilitas ejus ad hoc ſpectabat, ut Deus retunderet arrogantiam regis Iſraël & totius populi. Scimus enim quantopere inflati fuerint ob terræ ſuæ fœcunditatem & ob divitias. Amos ergo illis præficitur, hoc eſt, homo pecuarius, quem Deus eduxit ex caulis. Et tempus etiam notandum eſt, quum dicit ſe vidiſſe has prophetias *diebus Uziæ regis Juda, biennio ante terræ motum, & diebus Jarobeam filii Joas.* Qualis fuerit illius temporis ſtatus, dixi quum exponerem prophetias Hoſeæ. Nam ſacra hiſtoria refért floruiſſe ſub ſecundo Jarobeam regnum Iſraël. Tametſi enim ipſe impius ac ſceleratus fuerit, Deus tamen pepercit tunc populo ſuo, & fecit ut non modo integræ manerent decem Tribus, ſed etiam ut Jarobeam regnum ſuum dilataret. Nam recuperavit quaſdam urbes, quæ prius fuerant amiſſæ. Fuit ergo tranquilla tunc conditio populi: deinde fuit talis proſperitas, quæ poſſet animos inflare, ſicuti fieri ſolét. Uzias etiam ſic regebat Tribum Jehudah, ut nihil illic eſſet adverſum. Sequutus eſt terræ motus paulo poſt. Quo tempore acciderit hic terræ motus, ſacra hiſtoria non refert. Sed Joſephus dicit tunc fuiſſe quum Uzias arripuit ſibi munus Sacerdotii, & percuſſus eſt lepra. Confért igitur in unum tempus plagam illam lepræ, & terræ motum. Cæterum tam Amos quam alii Prophetæ loquuti ſunt quaſi de re nota: ſicuti Zacharias 14. capite, poſt reditum populi, dicit, Erit vobis terror, qualis fuit in terræ motu ſub rege Uzia. Illic annum etiam non deſcribit, ſed hiſtoria erat tunc vulgaris. Ergo Propheta nihil aliud voluit, quam oſtendere ex temporis circumſtantia ſe denunciaſſe vindictam Dei Iſraëlitis quo tempore proſpere agebant, & quaſi in ſuis deliciis erant demerſi. Fieri autem non potuit quin illa ſatietas reddiderit illos feroces, quemadmodum ſemper contingit. Fuit igitur male acceptus. Sed hinc melius ſancitur nobis ejus auctoritas: quod ſcilicet in rebus proſperis non fuerit blanditus populo, ſed ſevere objurgaverit: deinde quod prædixerit quæ non poterant perſpici humano ſenſu: imo quæ poterant videri prorſus abſurda. Non potuit igitur, niſi donatus eſſet Spiritu cœleſti, prædicere futuras clades, quum ubique homines, quemadmodum jam dixi, tam Judæi quam Iſraëlitæ, & reliqui ſibi promitterent omnia proſpera, quia Deus tunc parcebat regno Iſraël & regno Jehudah: deinde etiam non exercebat ſuum judicium in gentes vicinas. Jam hoc etiam notandum eſt, quod *viderit ſuper Iſraël.* Hinc colligimus, quemadmodum jam dixi, Prophetam hunc fuiſſe proprie deſtinatum Iſraëlitis, quamvis aliunde natus eſſet. Quomodo autem, vel qua occaſione migraverit in regnum Iſraël, neſcitur: & ad rem etiam non magnopere pertinet, niſi quod probabile eſt, ſicuti jam dixi, hoc conſulto fuiſſe factum, quo Deus compeſceret inſolentiam populi illius, qui ſibi tantopere placebat in rebus ſuis proſperis. Quum ergo Iſraëlitæ hactenus reſpuerint ſervos Dei, nunc coguntur audire exulem & pecuarium, qui exprobret illis ſua ſcelera: deinde qui exerceat judicis officium: eſt cœleſtis præco, qui denunciat quod jam impendet exitium. Quum ita ſit, videmus Deum non fruſtra hujus hominis miniſterio fuiſſe uſum: quemadmodum ſolet eligere infirma *1 Cor. 1.* hujus mundi, ut confundat fortia: & aſſumit ſibi Prophetas & Doctores ex infima plebe, ut cogat in ordinem totius mundi excellentiam: & reponit theſaurum incomparabilem ſuæ doctrinæ in vaſis fictilibus, *2 Cor. 4.* quo melius virtus ejus appareat; quemadmodum Paulus docet. Sed ſpecialis fuit ratio in Propheta Amos, quia miſſus eſt ut decem Tribus ſevere coargueret, quemadmodum videbimus poſtea quanta aſperitate inſurgat. Neque enim fuit delicatus, ſed oſtendit ſibi eſſe negotium cum hominibus, qui non humano more tractandi eſſent, ſed tanquam brutæ pecudes: imo qui pejores erant brutis pecudibus propter ſuam contumaciam. Nam eſt aliqua docilitas in bobus & vaccis, in ovibus autem maxima: audiunt enim vocem paſtoris ſui: ſequuntur etiam ipſum quocunque invitaverit. Iſraëlitæ pleni erant pervicacia, ac prorſus indomiti. Oportuit igitur præfici illis Doctorem, qui non ageret comiter cum ipſis, ſed ſuam ruſticitatem erga ipſos exereret. Nunc pergamus: nam de regno Uziæ, & de Jarobeam filio Joas, qui fuit poſterior, diximus primo capite Hoſeæ. Sequitur nunc,

2. Et dixit, Jehova è Sion rugiet, & è Jeruſalem edet (*vel emittet*) vocem ſuam: & lugebunt (*vel diſperibunt*) habitacula paſtorum, & areſcet (*vel pudefiet*) vertex Carmeli.

Hic refert eadem verba, quæ heri expoſuimus ultimo capite Joëlis: ſed alio conſilio. Quum diceret Joël, Jehova è Sion rugiet, volebat aſſerere Dei virtutem, qui ad tempus conticuerat, acſi non eſſet par ad hoſtes ſuos repellendos. Quoniam ergo cœperat contemni Deus ab impiis, ideo Joël oſtendit inſtructum eſſe virtute, qua frangeret ac diſperderet omnes hoſtes ſuos ſtatim atque defenſionem ſuſciperet ſuæ Eccleſiæ & electi populi. Nunc autem Amos, quia ſermonem ſuum ad Iſraëlitas dirigit, hic vendicat purum Dei cultum ab omni contemptu, & oſtendit Iſraëlitas, quamvis multum ſe fatigent in ſuis ſuperſtitionibus, colere tamen ſua figmenta: quia Deus repudiat quicquid religionis ſe habere putant. Subaudienda igitur eſt tacita vel obliqua antitheſis inter montem Sion, & templa quæ erexerat prior Jarobeam in Dan & Bethel. Iſraëlitæ ergo fingebant ſe colere Deum Abrahæ patris ſui: & illic forte majores erant pompæ, quam in Jeruſalem: ſed Propheta Amos hic conſpuit contra omnes illos fictitios cultus: acſi diceret, Vos quidem jactatis adorari & coli apud vos Deum Abrahæ: ſed eſtis degeneres, eſtis fœdifragi, & perfidi Deo: apud vos etiam non habitat, quia ſacraria quæ vobis finxiſtis, ſunt mera lupanaria: Deus non alibi elegit ſibi domicilium, quam in monte Sion: illic eſt perpetua ejus quies. *Rugiet* ergo *Dominus è monte Sion.* Videmus quorſum tendat Propheta. Hic enim non tantum oſtendit ſe habere Deum auctorem ſuæ doctrinæ, ſed ſimul diſcernit verum Deum ab idolis, quæ prior Jarobeam fabricaverat, quum ſcilicet vellet hac aſtutia abducere decem Tribus à domo David, & prorſus alienare à Tribu Jehudah: tunc erexit vitulos in Dan & Bethel. Propheta ergo Amos oſtendit damnari illas ſuperſtitiones à vero Deo. *Jehova* ergo *rugiet è Sion, edet vocem ſuam è Jeruſalem.* Hic non dubium eſt quin terrere voluerit Iſraëlitas, qui putabant ſibi eſſe pacem cum Deo. Quum ergo abuterentur ejus patientia, nunc dicit Amos tandem ſenſuros illum non dormire. Ubi ergo Deus pertulerit veſtras

iniquitates longo tempore, tandem conſurget in judicium. Per Rugitum heri diximus notari vocem Dei horrificam: ſed Propheta potius de voce Dei loquitur, quam de ipſis actualibus (ut loquuntur) judiciis, ut diſcant Iſraelitæ exempla pœnarum, quæ Deus exercet in mundo, neque fortuito, neque repente contingere, ſed pendere à minis. Denique hic ſignificat Propheta, omnes pœnas, quas Deus exigit de impiis, & verbi ſui contemptoribus, nihil aliud eſſe quam exequutiones ejus doctrinæ quam Prophetæ promulgant, ut ſcilicet ſiqua ſit ſpes reſipiſcentiæ, præveniant homines interitum, quem propinquum eſſe audiunt. Ergo honorifice Propheta hic commendat vim doctrinæ, dicens non eſſe evanidam, ſed conjunctam eſſe cum ſuo effectu: quia ubi perdit Gentes & regna, non aliunde hoc oritur, quam ex prophetiis. *Deus ergo edet vocem ſuam à Jeruſalem*: deinde, *& lugebunt*. אבל ſignificat Lugere: ſignificat etiam Vaſtari, & Perire. Uterque ſenſus non male quadrabit præſenti loco. Si legimus, *lugebunt habitacula*, vertendum poſtea erit, *& pudefiet caput Carmeli*, vel vertex. Si autem legimus, *diſperibunt habitacula paſtorum*, verbum יבש, vertendum erit, *areſcet*. & quia ſcimus opima fuiſſe paſcua Carmeli, mihi magis probatur hæc ſecunda interpretatio. *Areſcet* igitur *vertex Carmeli*: ideo priore loco dicendum erit, *& diſperibunt habitacula paſtorum*. Quantum ad ſummam rei ſpectat, tenemus quid velit Propheta: nempe quicquid & amœnum & pretioſum erat in regno Iſrael, jam periturum brevi, quia *Deus vocem ſuam emittet è Sion*. Summa igitur huc redit, Vos nunc jacetis ſecuri, ſed Deus ſtatim, & quidem repente proferet virtutem ſuam ad vos perdendos: idque faciet, quia jam per me interitum vobis denunciat, & excitabit alios Prophetas, qui præcones erunt hujus vindictæ. illam exequetur Deus per extraneos & profanos homines: ſed tamen pendebit veſter interitus ab iſtis minis, quas nunc ducitis pro nihilo. Putatis enim eſſe fluxa verba: ſed tandem oſtendet Deus ſermonem ſuum plenum eſſe efficaciæ. Quantum attinet ad *Carmelum*, duo fuerunt montes hujus nominis: ſed quia ambo erant fertiliſſimi, ideo non eſt magnopere ſudandum de quo Carmelo nunc loquatur Propheta. Sufficiat quod jam dixi, denunciari talem vindictam regno Iſraëlis, quæ abſumat omnem pinguedinem, quia, ut poſtea ſuo loco videbimus, & jam etiam aliquid ſimile dictum fuit in Hoſeam Prophetam, fuit magna fœcunditas paſcuorum in illis regionibus. Interea notandum eſt, Prophetam, qui erat homo pecuarius, loqui pro ſuo ingenio, & pro vitæ ratione, quam ſequutus fuerat. Dixiſſet alius, Lugebit tota regio, contremiſcent palatia: vel aliquid tale. Propheta autem loquitur de monte Carmelo, de habitaculis paſtorum, quia ipſe paſtor erat. Non dubium eſt quin contemptibilis fuerit ejus doctrina: & credibile eſt profanos multos homines fuiſſe obloquutos, Quid? hic cogitat ſe adhuc eſſe cum ſuis vaccis, vel cum ſuis ovibus: jactat ſe eſſe Dei Prophetam: interea tamen ſemper defixus eſt in ſuis caulis vel ovilibus. Probabile eſt igitur ſic fuiſſe à naſutis hominibus deriſum: ſed data opera voluit eorum pervicaciam retundere, quum miſceret Propheta officium iſtis loquendi formis, qui adhuc reſpiciebant paſtorem, vel hominem pecuarium. Nunc pergamus.

3. Sic dicit Jehova, Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non ero propitius ei: quia trituraverunt ferris (*vel tribulis ferreis*) Gilead.

4. Et mittam ignem in domum Chaſaël, & vorabit palatia Ben-Adad.

5. Et confringam vectem Damaſci, & excidam habitatorem ex Bikath-Aven, (*vel ex planitie Aven, vel moleſtiæ, vel doloris: alii vertunt, Ex templo idoli*) & tenentem ſceptrum è domo Eden, (*alii appellative accipiunt, E domo voluptatis*) & transferetur populus Syriæ Kirah, (*in Kir*) dicit Jehova.

Mirum eſt cur Amos præfatus ſe verba facturum contra Iſraëlitas, nunc ſermonem ad Damaſcum & regionem Syriæ convertat. Videri hoc poſſet abſurdum. Cur enim non defungitur munere ſibi injuncto? cur non objurgat Iſraëlitas? cur non terret? cur non arguit eorum peccata? cur ergo concionatur de ruina, quæ tunc inſtabat populo Syriæ? Sed hic convenit expendere ejus conſilium. Breviter proximo verſu oſtendit inſtare ruinam Iſraëlitis: quia Deus qui ad eum uſque diem illis pepercerat, jam velit conſcendere tribunal. Sed nunc ut melius præparet Iſraëlitas, oſtendit Deum fore Judicem, qui vocet ad reddendam rationem omnes vicinos populos. Si enim tantum Iſraëlitis minatus eſſet Propheta, putaſſent fortuitum eſſe quicquid patiebantur: quia vidiſſent in ſuis vicinis eadem, vel ſimilia: Quomodo credibile eſt mala hæc vel calamitates profluxiſſe ex vindicta Dei, quum & Idumæi, & Moabitæ, & Ammonitæ, & Tyrii, & Sidonii etiam nobiſcum impliciti ſint communibus malis? Nam ſi Dei manus nos perſequitur, idem valere debet etiam in ipſis. Si fortuna dominium ſuum cæco impetu exercet contra Moabitas, & Idumæos, & Tyrios, certe idem etiam de nobis ſentiendum eſt. Concidiſſet igitur omnis auctoritas Prophetæ, niſi ſenſiſſent Iſraëlitæ Deum fore Judicem omnium gentium. Nam ſimul etiam tenendum eſt, vaſtatum fuiſſe regnum Iſraël cum aliis regionibus vicinis. Bellum enim ſparſum fuit longe & late. Nam Aſſyrius fuit violenta quædam tempeſtas, quæ exundavit per totam illam mundi plagam. Non ſoli igitur Iſraëlitæ tunc rebus adverſis fuerunt afflicti, ſed omnes Gentes de quibus vaticinia ſubjiciet Amos. Ergo neceſſe fuit hunc catalogum referri, quem videbimus, ut Iſraëlitæ totidem haberent confirmationes vindictæ Dei, quot ſpectacula eorum oculis obverſata ſunt, quum ſcilicet viderent diras afflictiones ubique graſſari, hoc tenendum eſt. Deinde aliud etiam ſpectavit Propheta: nam ſi Idumæi, & Moabitæ, & Tyrii, & Ammonitæ tam duriter fuiſſent tractati, & non fuiſſet hæc conjunctio facta à Propheta, putaſſent ſe eximi à communibus pœnis, quia Deus eſſet illis propitius: ſicut hypocritæ ſemper ſeſe magis obdurant quantiſper Deus illis parcit: Ecce puniuntur Ammonitæ, & Moabitæ, trahuntur in ſupplicium Idumæi, & Tyrii, & reliquæ Gentes. Deus ergo illis omnibus eſt infenſus: ſed nos ſumus ejus filii, quia ſic nobis indulget. Propheta autem hic involvit in unum faſciculum Iſraëlitas cum Moabitis, & Idumæis, & reliquis profanis gentibus: acſi diceret, Non parcet Deus vitiis veſtris: ſed ne putetis vos immunes fore ab ejus vindicta, quum illi rapientur ad pœnam, denuncio vobis Deum fore omnium Judicem ſimul. Nunc tenemus conſilium Prophetæ. Ergo voluit hic ante oculos ponere Iſraëlitis aliorum pœnas, ut hoc modo expergefierent, ac poſtea deſcenderent in ſeipſos. Videmus enim ſæpe hoc contingere, ut qui intractabiles ſunt ac præfracto ingenio, ſi ad eos ſermo dirigitur, non admodum ſint attenti. Si autem audiant aliorum peccata, deinde etiam ſi audiant aliquid de pœnis, illic advertunt animum. Voluit igitur Propheta ſenſim adducere Iſraëlitas ad docilitatem, quia ſciebat ipſos torpere in ſuis deliciis: deinde excæcatos eſſe ſuperbia, ut non tam facile poſſent

ſubire

ſubire jugum: ideo propoſuit illis pœnas, quæ viciniis populis inſtabant. Quanquam notandum eſt aliam fuiſſe rationem. Non rejicio quas hactenus recenſui: ſed dico præterea hoc Prophetam ſpectaſſe, nempe Deum ſumpturum eſſe pœnas de Syriis, quia crudeliter ſævierant adverſus Iſraëlitas, & præſertim adverſus urbem Gilead, & incolas. Quum ergo Deus tam graves pœnas exigat de Syriis, propterea quod injuriam intulerant incolis Gilead; quid expectandum fuit de ipſis Iſraëlitis, qui contumelioſi fuerant in Deum? qui cultum ejus violaverant? qui diripuerant ejus honorem? qui viciſſim, alii alios, ſe confecerant? Nam ut poſtea videbimus, nulla inter eos æquitas, nulla humanitas vigebat: obliti erant omnis rationis. Quum ergo tales eſſent Iſraëlitæ, an impune laturi erant tot & tam deteſtanda ſcelera, quum viderent non parci Syriis, qui tamen incircumciſi erant, propterea quod duriter tractaverant hoſtes profeſſos, quibus indixerant bellum legitimum? Nunc venio ad verba Prophetæ. *Sic dicit Jehova, Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non ero illi propitius*: ad verbum, *non convertam eam*. Sed hoc active accipio: quia ſcilicet Deus ſe non convertet, nempe ad miſericordiam: hoc eſt, non erit propitius Damaſco. Scimus Damaſcum fuiſſe metropolim Syriæ. Per ſynecdochen igitur Propheta hic minatur toti populo, & citat omnes Syrios ad Dei tribunal: quia injuſte vexaverant urbem Gilead, quemadmodum videbimus. Sed dicit, *Deum non fore propitium ſuper tribus & quatuor ſceleribus Damaſci*. Quidam ſubaudiunt, Super tribus ſceleribus propitius fueram, ſuper quarto non ero. Sed nihil opus eſt quicquam addere verbis Prophetæ. Senſus enim hic optime quadrat, quod ſcilicet Deus ſuper multis ſceleribus Damaſci non erit propitius. Neque enim dubito quin per numerum duplicem Propheta voluerit notare perditam obſtinationem in Syriis. Numerus ſeptenarius in Scriptura indefinitus eſt, & accipitur pro ingenti multitudine, ut ſatis notum eſt. Quum ergo dicit, *Tria & quatuor ſcelera*, tantundem hoc valet acſi dixiſſet Septem. Sed elegantius Propheta ſignificat Syrios progreſſos fuiſſe in ſuis ſceleribus uſque ad tantam obſtinationem, ut nulla ſit reſipiſcentiæ ſpes. Hæc igitur ratio eſt cur Deus neget ſe amplius poſſe Syriis ignoſcere. Quoniam ſine modo & fine proruperant in ſuis ſceleribus, neque deſtiterant, etiamſi datum eſſet illis tempus ad converſionem. Hic eſt genuinus ſenſus.

Repetet autem Propheta eandem loquendi formam, quum verba faciet de Gaza, de Ammon, de Edom & reliquis populis. Diſcamus autem ex hoc loco, Deum, quem mundus nimis crudelem eſſe exiſtimat, quum ſumit vindictam de ſceleribus, vere & certo experimento oſtendere quod toties Scriptura de ipſo prædicat, nempe ipſum eſſe longæ patientiæ, neque ſtatim proſilire ad vindictam: quamvis digni ſint homines qui pereant, Dominus tamen ſuſpendit ſua judicia. Habemus hujus rei inſigne documentum in his vaticiniis. Neque enim tantum de populo uno Propheta concionatur, ſed de multis. Pertulerat igitur Dominus multa ſcelera non tantum in Syriis, ſed in aliis etiam gentibus. Ergo nulla erat regio, in qua non extaret teſtimonium longæ tolerantiæ Dei. Hinc ſequitur mundum impie conqueri de nimio rigore, quum Deus vindictam ſumit, quia ſemper expectat dum iniquitas ad ſummum uſque cumulum pervenerit, ſicuti heri dictum eſt. Jam ſimul etiam hic nobis horribile ſpectaculum proponitur in tot gentibus. Si comparemus ætatem illam cum noſtra, certe adhuc tunc vigebat major integritas: hodie corruptelæ omnes ita exundarunt, ut fuerit quaſi aureum ſeculum tempore Amos: & tamen audimus quid hic pronunciet, nempe & populum Jehudah, & Iſraëlitas, & reliquas omnes gentes fuiſſe quaſi monſtra, quum ſcilicet Deus nullam reſipiſcentiam exprimere poſſet. Neque enim fruſtra hic teſtatur ſe ſumpturum pœnas de malitia prorſus obſtinata, quoniam non fuerint ad ipſum converſi, qui ad ſeptenarium uſque numerum progreſſi erant: hoc eſt, qui peccaverant ſine modo & fine, quemadmodum dictum fuit. Hoc ergo etiam notandum eſt in verbis Prophetæ. Sed non poſſem nunc ulterius progredi.

Da omnipotens Deus, quando vides nos eſſe tam duro & rebelli ingenio, ut non ſine magna difficultate ad te trahamur: da, inquam, ut ſaltem flectamur minis, quas nobis quotidie denuncias, & ſic flectamur, ut jam allecti verbo tuo, tradamus nos tibi, & patiamur non tantum ſubigi & pœnis & caſtigationibus, ſed etiam ſponte tibi obediamus, imo cum ſumma alacritate offeramus nos tibi in ſacrificium obedientiæ, quo ſcilicet ita gubernati Spiritu Filii tui, tandem perveniamus ad beatam illam quietem, quæ præparata eſt nobis per eundem Filium tuum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO SECUNDA IN AMOS PROPHETAM.

CAP. I.

EXpoſuimus heſterna lectione quid intelligat Propheta per tria & quatuor ſcelera Damaſci: nempe obſtinatam malitiam, & incurabilem. Deus enim hic pronunciat ſe ſatis diu tuliſſe ſcelera Damaſci: ſed nunc quodammodo ſe cogi ad ultimum rigorem, quoniam videat nullam ſpem eſſe correctionis. Sed poſſet videri abſurdum quod ſequitur. Continuo enim poſt ſubjicit Propheta, *Quod trituraverint ferreis plauſtris* (vel ſerris) *Galaad*. Hic tantum commemorat unum ſcelus. Ubi igitur ſeptem illa de quibus loquutus eſt? Solutio eſt facilis. Neque enim quum tria & quatuor ſcelera Damaſci nominat, intelligit ſpecies ſcelerum diverſas, ſed potius illam pervicaciam de qua diximus. Fuerant enim Deo rebelles uſque ad extremum: & Deus vindictam ſuam ſuſpenderat, donec palam conſtaret ipſos eſſe inſanabiles. Ergo non opus fuit hic recenſeri ſeptem diverſa ſcelera. Satis enim fuit Damaſcum, hoc eſt, regnum Syriæ teneri convictum tantæ obſtinationis, ut conſtaret non potuiſſe remedium adhiberi ejus ſceleribus: quia tentaverat longo tempore patientiam Dei. Jam ſubjicit Propheta, *Emittam ignem in domum Chaſaël, qui comedet palatia Ben-Adad*. Loquitur adhuc Propheta de regno Syriæ. Scimus tam Ben-Adad quam Chaſaël fuiſſe Reges Syriæ. Quanquam nimis craſſe fallitur Hieronymus, qui putat Ben-Adad ſecundo loco poni, quaſi fuerit ſucceſſor Chaſaël. Sacra autem hiſtoria refert veniſſe Chaſaël ad Heliſæum, quum Ben-Adad in lecto decumberet. Miſerat autem illum 2 Reg. 8. verſ. 9.
petendi reſponſi cauſa. Jam Propheta declarat Chaſaël futurum Regem Syriæ, & id non ſine lachrymis, quia miſertus populi ſui, cujus futurus erat vaſtator Syrius ille. Poſtquam rediit domum, ſtrangulavit

Regem Ben-Adad: atque ita tranſtulit ad ſe regiam poteſtatem. Sed ſatis tritum eſt Scripturæ loqui de re præſenti, poſtea addere rem præteritam, quemadmodum hoc loco, *Mittam ignem in domum Chaſaël, & devorabit* ille ignis *palatia Ben-Adad*: quaſi diceret, Ego perdam regnum Syriæ, acſi incendio conſumerem. Sed prius nominat domum Chaſael, deinde palatia Ben-Adad: quaſi diceret, non impediet vetuſtas, quominus intereat regnum illud. Nam metaphorice ſub Igne deſignat quodlibet genus conſumptionis. Scimus autem quanta ſit ignis violentia. Perinde eſt igitur acſi diceret nullas opes, nullum robur, nullam munitioοem fore obſtaculo, quominus perdatur regnum Syriæ. Poſtea addit, *Confringam vectem Damaſci.* Confirmat ſuperiorem ſententiam Propheta: quia Damaſcus quum eſſet urbs valde munita, potuit videri inexpugnabilis. Per Vectem ſynecdochice Propheta ſigoificat propugnacula, & quicquid poteſt hoſtes arcere. Nihil ergo impediet, quominus hoſtes potiantur urbe Damaſco, inquit. Quare? Dominus enim confringet vectes. Poſtea adjungit, *Excidam*, vel perdam, *habitatorem ex Bikeath-Aven*, vel ex planitie Aven. Incertum eſt fueritne loci proprium nomen: & hoc eſt probabile: quanquam proprie eſt planities, à ſcindendo, quoniam planities, vel vallis montes ſcindit: ideo vallis aut planities vocantur Diviſio apud Hebræos. Scimus autem fuiſſe amœniſſimos campos in regno Syriæ, & prope Damaſcum etiam. *Aven* potuit etiam eſſe nomen loci: quanquam eſt Moleſtia, vel labor, Hebræis. Sed quicquid ſit, non dubito quin Propheta hic ſignificet omnes campos qui erant prope Damaſcum, & in regno Syriæ, fore exſpoliandos ſuis incolis. Perdam igitur habitatorem ex planitie Aven, & tenentem ſceptrum è domo Eden, hoc eſt, è domo voluptatis. Ex hoc quoque fuiſſe proprium nomen loci credibile eſt, tamen ex ipſo ſitu, quod regio ſuis deliciis ſuaviter oblectaret incolas. Cæterum, non dubito quin alludat Propheta inter duas voces, Moleſtiæ & voluptatis. *Transfertur*, inquit, *populus Syriæ in Kir.* Hæc ſumma eſt, vaſtandum eſſe regnum Syriæ, ita ut populus transferatur in Aſſyriam: quia denunciat Propheta Aſſyrios fore victores, ita ut ſpolia in regnum ſuum transferant, & ſimul deducant homines captivos. Nam urbis nomen ſynecdochice pro tota terra poſitum eſt. Nunc ſequitur,

6. Sic dicit Jehova, Super tribus ſceleribus Gazæ, & ſuper quatuor non ero propitius ei: quia tranſtulerunt captivitatem perfectam, ut concluderent in Edom.

7. Et mittam ignem in murum Gazæ, qui devorabit palatia ejus.

8. Et excidam habitatorem de Azoto, & tenentem ſceptrum de Aſcalon: & convertam (*vel reducam*) manum meam ſuper Ekron, & peribunt reliquiæ Philiſtinorum, dicit Dominus Jehova.

Hic Amos ſermonem ſuum dirigit contra Gazam, quam occupabant Philiſtini. Sita quidem erat in Tribu Jehudah verſus mare: ſed quoniam Enachim erant illius incolæ, Philiſtini retinuerant poſſeſſionem. Ergo Judæi habebant illos hoſtes ἀστυγείτονας, & quibus dabatur major occaſio nocendi propter viciniam. Promptum autem eſt colligere ex Prophetæ verbis, Philiſtinos qui Gazæ habitabant, quum viderent Iſraëlitas ab hoſtibus ſuis premi, deinde Judæos, conjunxiſſe vires ſuas cum hoſtibus externis. Deus ergo nunc illis pœnam denunciat. Quantum attinet ad nomen *Gazæ*, putant fuiſſe inditum, eo quod Cambyſes bellum Ægyptiis inferens depoſuerat illic pecuniam & pretioſam ſupellectilem: quia & Perſæ vocant Gazam, Theſaurum. ſed illud frivolum eſt. Scimus enim Græcos interpretes ſemper poſuiſſe γ ubi erat ע, ſicuti ex Amorrha faciunt Gomorrham: ſic etiam ex Aza Gazam. Et ante Cambyſen urbs illa jam nomen ſuum obtinuerat. Potius ergo ſic vocata fuit à fortitudine: & quod Græci vertunt Gazam, illud eſt uſitatum, ſicuti jam attigi, in aliis nominibus. Fuit autem duplex Gaza, quoniam priore diruta, incolæ aliam ædificaverunt prope mare. Ideo 8. capite Actorum Lucas dicit Gazam fuiſſe deſertam: & diſcrimen ponit inter Gazam maritimam, & illam veterem, quæ prius fuerat diruta. Loquitur autem de priore Gaza Amos: quia minatur excidium illud, quo factum eſt, ut tranſlata urbs fuerit in littus maris Mediterranei. Jam venio ad verba Prophetæ. Dicit, *Deum non fore propitium Gazæ ſuper tribus & quatuor ſceleribus*, quia Philiſtini etiam ſic iram Dei provocaverant, ut jam indigni prorſus eſſent venia & miſericordia. Admonui autem heſterna lectione hic nobis proponi triſte ſpectaculum, ſed tamen utile, quum videmus tot populos ita fuiſſe corruptos, ut fuerit intolerabilis Deo ipſorum malitia. Nam hodie res magis corruptæ ſunt in mundo, & iniquitas exundavit quaſi diluvium. Utcunque ergo non ſentiant homines mala ſua, Dominus è cœlo proſpicit quanta ſit, & quam deplorata obſtinatio. Nec eſt quod alii in alios rejiciant culpam, vel expectent inde aliquod levamen, ſi omnes ſint improbi & ſcelerati. Videmus enim ut Deus hic eodem momento denunciet ſe vindictam ſumpturum de multis populis. Poterant tunc Idumæi objicere vicinos ſuos nihilo eſſe meliores: poterant idem excipere alii: quiſque habebat paratam defenſionem, ſiquidem valeret ille prætextus, omnes pariter eadem culpa vel noxa eſſe implicitos. Sed videmus ut Deus hic conſurgat Judex contra omnes populos. Ergo ne fallamur vanis illecebris quum videmus alios nobis eſſe ſimiles, & quiſque reputet ſibi portandum eſſe onus ſuum coram Deo. *Non ero* igitur *propitius ſuper tribus & quatuor ſceleribus: quia*, inquit, *tranſtulerunt captivitatem perfectam.* Hic unum præcipue ſcelus commemorat Propheta, quod Gazitæ rapuerunt Judæos & Iſraëlitas, ut transferrent eos captivos in Idumæam, atque illic includerent. Jam dixi non fuiſſe propoſitum Prophetæ noſtro, recenſere omnia ſcelera: ſed contentus fuit ſcelus unum ponere, ut intelligerent Iſraëlitæ ſe graviori culpa conſtringi, quod & Deum & homines graviter violaverant. Si ergo tam ſevera ultio ſumenda erat de Gazitis, debebant agnoſcere ſibi inſtare graviorem vindictam, quo ſcilicet & pluribus & majoribus etiam peccatis erant obſtricti. Dicit autem tranſtuliſſe captivitatem perfectam, quia neque mulieribus, neque parvulis, neque ſenibus pepercerant. *Captivitas* enim *perfecta* vocatur ubi nullum habetur diſcrimen, ſed rapiuntur omnes promiſcue, & ſine delectu. Tranſtulerunt igitur captivitatem perfectam, ita ut nulla eos miſeratio vel ſexus, vel ætatis tangeret, *ut eam includerent*, inquit, *in Edom*. Jam ſequitur denunciatio pœnæ, quod Deus *ignem emittet in murum Gazæ, qui devorabit palatia ejus*. Hinc autem apparet Gazam fuiſſe urbem ſplendidam, & ſumptuoſe ædificatam: quia de palatiis ejus non abs re Propheta loquitur. Sed ſimul oſtendit neque munitionem, neque opes fore impedimento quominus Deus pœnam exigat quam meriti ſunt ipſi Gazitæ. Nominat etiam alias urbes Palæſtinæ, nempe *Aſcalon, & Azdod*, vel Azotum, *& Ekron.* has urbes teoebant tunc Philiſtini. Significat igitur Propheta, quocunque fugiant, tamen nullum fore illis

tutum

tatum locum, quia Dominus exponet in prædam hoſtibus non Gazam duntaxat, ſed alias etiam omnes urbes. Et colligere licet Aſcalon fuiſſe urbem primariam, quia hic nominatur Regia ſedes. Quanquam enim Gaza fuit caput totius gentis, poteſt tamen fieri ut loci amœnitas, & aliæ commoditates pellexerint Regem, ut illic habitaret, quanquam non erat metropolis. *Tenentem* igitur *ſceptrum ego excidam ex Aſcalon.* Tandem concludit perituras eſſe omnes reliquias Palæſtinæ. Jam quoties denunciat Deus interitum Judæis, tamen facit ſpem aliquam, & dicit ſalvas fore reliquias: hic autem Propheta aſſerit periturum quicquid ſuperfuerit ex gente illa, quia Deus vult omnes ſimul perdere, & totum nomen. Ideo addit, *Jehovam Dominum loqui: Adonai Jehova*, inquit: & confirmationis cauſa hoc fuit additum, quoniam tunc multis præſidiis & validis inſtructi erant Philiſtini, ut ſecure deriderent Prophetæ minas. Proponit ergo hic Dei nomen. Nunc ſequitur vaticinium contra Tyrum.

9. Sic dicit Jehova, Super tribus ſceleribus Tyri, & ſuper quatuor non ero ei propitius: quia concluſerunt captivitatem perfectam in Edom, & non recordati ſunt fœderis fratrum.

10. Et mittam ignem in murum Tyri, qui comedet palatia ejus.

Iiſdem fere verbis utitur adverſus Tyrum, quæ jam vidimus adverſus Gazam: & idem etiam peccatum in illis accuſat, quod ſcilicet Judæos exules & profugos à patria tranſtulerint in Idumæam, & addixerint Idumæis captivos. Sed interea idem pronunciat de Tyro quod de aliis omnibus, nempe non leviter peccaſſe, ut mediocris caſtigatio ſufficiat, quoniam abuſi fuerant Dei tolerantia ad longum tempus, & ſteterant in ſua malitia obſtinati. Quod autem dicit *non fuiſſe memores fœderis fratrum*, hoc quidam referunt ad Hiram & Davidem. Nam ſcimus fraterne fuiſſe conjunctos, & uſos etiam fuiſſe ultro & citro hoc nomine: tanta erat inter ipſos benevolentia. Putant igitur quidam Tyrios hic damnari, quod exuerint memoriam illius fœderis. Debebat enim apud eos manere aliqua ratio veteris illius amicitiæ, quæ contracta fuerat inter duos Reges. Sed neſcio an illud ſit nimis coactum: potius inclino in diverſam ſententiam, quod ſcilicet Tyrii prodiderint Judæos & Iſraelitas Idumæis, quum tamen ſcirent eſſe fratres. Qui autem accommodant ſuam operam hac in parte, minus excuſabiles ſunt. Si videam aliquem conſpirare in perniciem fratris ſui, eſt monſtrum deteſtabile: ſi non abhorream à conſenſu ſceleris, ego eadem culpa conſtringor. Quum ergo viderent Tyrii Idumæos crudeliter ſævire contra ſuos fratres, quia progeniti erant ex eadem gente, certe debebant potius Idumæis oſtendere, quam eſſent & ab omni humanitate alieni, & perfidi etiam contra fratres & conſanguineos ſuos. Jam Propheta dicit, *fuiſſe immemores fœderis fratrum*, quia ſeſe præbuerunt miniſtros tanti & tam execrandi ſceleris, ut ſcilicet traducerent Judæos in Idumæam, & illic concluderent, quum tamen ſcirent nihil aliud Idumæos venari, quam ut fratres ſuos in totum perderent. Videtur hic eſſe magis genuinus ſenſus Prophetæ. Jam addit, *Deum miſſurum ignem in murum Tyri, qui comedat palatia ejus*. Quomodo hoc contigerit non poteſt certo ſciri. Etſi enim Tyrus diruta fuerit ab Alexandro, ſicuti etiam Gaza, non dubito tamen, quin duæ illæ urbes paſſæ fuerint hanc cladem multo tempore ante adventum Alexandri Macedonis. Et quemadmodum jam admonui, probabile eſt Aſſyrios vaſtaſſe omnes illas regiones, & potitos etiam fuiſſe Tyro, quanquam urbem ipſam non everterint. Nam tempore Alexandri nullum erat illic Regnum, ſed erat converſum in Rempublicam: populus erat liber & ſui juris. Oportet igitur fuiſſe non parvas mutationes, quia prorſus alia erat forma urbis, & aliud regimen, quam antea fuiſſet. Sciendum igitur eſt, Tyrum fuiſſe vaſtatam ab Aſſyriis: ſed tamen poſtea recuperaſſe novas vires, & tempore Alexandri Magni fuiſſe liberam civitatem. Nunc pergamus. Nam ego non inſiſto in ſingulis verbis, quando videmus eaſdem ſententias à Propheta repeti.

11. Sic dicit Jehova, Super tribus ſceleribus Edom, & ſuper quatuor non ero ei propitius: quia perſequutus eſt gladio fratrem ſuum, & violavit miſericordias ſuas, & diripuit in ſeculum ira ejus, & indignationem ſervavit perpetuo.

12. Et mittam ignem in Theman, qui comedet palatia Bozrah.

Jam Propheta tranſit ad ipſos Idumæos. Denunciavit interitum gentibus incircumciſis, quæ prodiderant Judæos in illorum manus. Ergo oportuit illas multo durius puniri, quo ſcilicet atrocius erat ipſorum crimen. Ducebant enim originem Idumæi à patre communi Iſaac, quemadmodum ſatis notum eſt, & geſtabant idem fœderis Dei ſymbolum: erant enim circumciſi. Quum neque ſanguinis propinquitas, neque ſacra illa conjunctio poſſet ipſos placare Judæis, hinc colligitur quam bruta fuerit eorum inhumanitas. Ergo indigni erant quibus Deus ignoſceret, quum ſeverus eſſet judex contra profanas gentes. Dicit autem nunc Propheta Idumæos nihilo levius peccaſſe quam ſuos vicinos, & fuiſſe inſanabilem eorum pervicaciam: non poſſe igitur amplius tolerari, quia nimis diu abuſi fuerint Dei clementia, qui vindictam ſuam ſuſtinuerat uſque ad illud tempus. Scelus autem ipſorum accuſat, quod *perſequuti ſint gladio fratrem ſuum*. Eſt autem heteroſis numeri, quia loquitur de toto populo. Edom ergo perſequutus erat fratrem ſuum, nempe Judæos. Sed Propheta conſulto ſingularem numerum poſuit, ut crimen augeret hoc modo. Statuit enim hic quaſi duos homines Edom & Jacob: illi erant fratres germani, imo etiam uterini. Quum perſequebatur Edom fratrem ſuum Jacob, nonne iſta ferocitas magis eſt execrabilis? Duos ergo populos hic proponit tanquam duos homines, ut magis exaggeret barbariem illam, quæ fuit in Idumæis, quod ſcilicet obliti cognationis ſuæ ita ſævierint in proprium ſanguinem. *Perſequuti ſunt* igitur *fratrem ſuum gladio*: hoc eſt, fuerunt profeſſi hoſtes, quia ſcilicet adjunxerant ſe exteris. Aſſyrii venerant contra Iſraëlitas, Idumæi ſimul arma induerant: vel hoc forte contigerat ante bellum illud. Nam quum Syri & Iſraëlitæ conſpiraſſent adverſus Judæos, probabile eſt fuiſſe etiam Idumæos in eodem fœdere. Quicquid ſit, Propheta exprobrat ſævitiam, quod nullo ſanguinis ſui reſpectu arma induerint contra ſuos conſanguineos. Poſtea addit, *violaverunt miſericordias ſuas*. Quidam vertunt, Sua viſcera; ſed coacte. Alii autem male relativum transferunt ad filios Jacob: quaſi diceret Propheta, Edom violaſſe miſericordias, quæ debitæ erant poſteris Jacob propter ſanguinis propinquitatem. Sed ſenſus Prophetæ ſatis clarus eſt, quod ſcilicet miſericordias ſuas violaverint, hoc eſt, exuerint omnem pietatis ſenſum, & primos naturæ affectus abjecerint. Vocat igitur Miſericordias Edom, quibus debuit affici: ſed quia abje-

abjecit omnem humanitatis curam, nulla fuit in eo miſericordia, quæ eſſe debebat. Addit poſtea, *ira ejus rapuit perpetuo*. Comparat hic feris beſtiis ſævitiam Idumæorum, quod ſcilicet graſſati fuerint, quemadmodum feræ trucolentæ, & non pepercerint ſuo ſanguini. Rapuerunt igitur perpetuo, hoc eſt, ſine ullo fine: & indignationem ſuam ſervarunt perpetuo. Videtur Propheta alludere ad Edom vel Eſau, qui pater erat illius gentis. Scimus enim illum diu fovisse iracundiam ſuam adverſos fratrem: quia non audebat patre vivo fratrem interficere. Dicebat igi-
Gen. 27. verſ. 41. tur, Ego differam uſque ad mortem patris, tunc ego me ulciſcar. Quum ergo aluerit illud crudele odium Eſau contra fratrem Jacob, hic Propheta ejuſdem criminis poſteros accuſat: acſi diceret, nimium ſimiles eſſe patri ſuo, vel nimis referre perverſum ejus ingenium, quod ſcilicet vindictam ſuam foveant in cordibus, & cuſtodiant perpetuo: hoc eſt, ſint prorſus implacabiles. Credibile eſt fuiſſe alias odii cauſas inter Idumæos & poſteros Jacob: ſed debebant tamen ſi quid eſſet iracundiæ, remittere fratribus ſuis. Hoc prodigium eſt non ferendum, ubi ſaltem non reconciliat reſpectus ſanguinis eos, qui ſanctis vinculis inter ſe conjuncti ſunt. Videmus ergo quorſum ſpectet conſilium Prophetæ. Unde etiam colligimus, gravius multo damnari Idumæos quam priores, quod ſcilicet in ſua viſcera tam crudeliter ſævierint. Tandem dicit, *Mittam ignem in Theman, qui comedet palatia Bozrah*. Semper Ignis nomine ſignificat quamlibet ſpeciem excidii. Sed comparat vindictam Dei incendio. Scimus ubi ignis ſemel corripuit non modo unam domum, ſed totam urbem, non eſſe locum remedio. Sic etiam nunc dicit Propheta fore horribilem Dei vindictam, quæ abſumat quicquid fuerit odii. Mittam ergo ignem in Theman, quæ erat urbs primaria Idumææ, quemadmodum ſatis notum eſt. Nunc pergamus.

13. Sic dicit Jehova, Super tribus ſceleribus filiorum Ammon, & ſuper quatuor non ero ei propitius: quia ſecuerunt gravidas (*prægnantes*) Gilead, ut propagarent ſuum terminum.

14. Et accendam ignem in muro Rabbah, qui vorabit palatia ejus in clamore (*vel jubilo*) in die prælii, in turbine die tempeſtatis.

15. Et tranſibit Rex eorum in captivitatem, ipſe & Principes ejus ſimul, dicit Jehova.

Nunc vaticinatur contra Ammonitas, qui trahebant etiam originem à communi gente. Erant enim poſteri Loth, quemadmodum ſatis notum eſt. Loth autem fuerat habitus quaſi filius Abrahæ: nec dubium eſt quin Abraham quum eum adduceret ſecum ex patria, aluerit eum pro filio. Erat igitur Abraham communis pater tam Judæis quam Ammonitis. Nunc quum filii Ammon nullo conjunctionis illius reſpectu vires ſuas conjungunt cum hoſtibus, & ſimul conſpirant, non poteſt excuſari eorum crudelitas. Interea non dubium eſt, quin multis aliis ſceleribus fuerint obſtricti. Nam Deus per Prophetam ſuum non enumerat ſingula peccata, de quibus exigere vindictam ſtatuerat: ſed tantum digito quaſi in tranſitu notat peccatum unum, & in genere pronunciat ſingulos populos eſſe prorſus deſperatos, quia obduruerant omnes in ſua malitia. Dicit ergo de filiis Ammon, quod *ſecuerint gravidas*. Quidam הרות accipiunt pro ערים, pro montibus: & tamen non video quæ ratio eos inducat, niſi quia putabant abſurdum eſſe ſecari mulieres gravidas, ut Ammonitæ ſuos fines longius extenderent. hoc autem melius quadrabat in montes: quaſi diceret, ſecuerunt montes, hoc eſt, terram ipſam: nullum fuit impedimentum, quod non perrumperent Ammonitæ: ita eos accendit ſua cupiditas inexplebilis, ut montes ipſos ſecuerint, hoc eſt, violaverint omnem ordinem naturæ. Alii metaphorice Montes accipiunt pro urbibus munitis. Nam ſi quis regnum occupare velit, urbes ſunt oppoſitæ inſtar montium. Sed iſta expoſitio nimis eſt coacta. Jam, quum הרות ſint mulieres gravidæ, non dubito quin debeat hoc nomen accipi in ſenſu genuino & conſueto: ſicuti etiam vidimus apud Hoſeam. Cur autem dicit Propheta Ammonitas ſecuiſſe mulieres gravidas? Quaſi diceret adeo furioſam fuiſſe eorum avaritiam, ut nullum omiſerint genus ſævitiæ. Fieri poterit, ut quiſpiam devoret ſua cupiditate totam terram, & tamen ad clementiam ſit propenſus. Alexander Macedo, etiamſi eſſet homo ſanguinarius, tamen præ ſe tulit ſpeciem aliquam clementiæ? alii autem ſunt multo truculentiores,
Eſa 13. verſ. 17. quemadmodum dicit Jeſaias de Perſis, non appetent pecuniam, ſed ſanguinem haurient. Sic etiam hoc loco dicit Propheta de Ammonitis, non modo illicitis artibus propagaſſe ſuos fines, uſos fuiſſe violentia, & fuiſſe prædones, qui rapuerint bona aliena: ſed dicit ne gravidis quidem mulieribus peperciſſe. Hoc autem eſt extremum in urbium expugnatione. Si qua urbs fatigaverit hoſtem ſuum, in ipſo ardore poterunt & gravidæ mulieres interfici, & pueri, & infantes. Sed illud eſt rarum exemplum, nec ſolet admitti, niſi quum cogit extrema neceſſitas. Exprobrat igitur Ammonitis, quod non tantum avari fuerint, ſed etiam nullum omiſerint genus crudelitatis, ut ſuam cupiditatem explerent. *Secuerunt ergo gravidas mulieres, ut propagarent ſuos terminos: Ego igitur accendam ignem in muro* רבה*, qui vorabit palatia ejus*, (hic nihil novum Propheta adducit, ideo prætereo) *idque in tumultu*, vel in clamore, *die belli*. Significat Propheta venturos hoſtes, qui ſubito vaſtent regnum Ammon. & quaſi repentinum incendium corriperet aliquam ſylvam, hoc fiet in illa die belli: hoc eſt, ſimulac ipſos aggreſſus fuerit hoſtis, ſtatim expugnabit, & exiget vindictam qualem meriti ſunt, *in turbine die tempeſtatis*. His figuris ſignificat Propheta repentinam fore cladem, qua perdentur Ammonitæ. Tandem adjungit, *Et Rex eorum in captivitatem ibit ipſe, & Principes ejus ſimul*. Quia מלכם fuit idolum illius populi, quidam putarunt poni hic proprium nomen: ſed dicit, מלכם הוא ושריו: Ipſe, inquit, & Principes ejus. Non dubium ergo eſt, quin Propheta appellative deſignet Regem Ammon quum adjungit illi ſuos proceres. Dicit igitur talem fore cladem regni, ut Rex ipſe trahatur captivus ab Aſſyriis. Nec dubium eſt quin hoc vaticinium impletum fuerit, quanquam non extant hiſtoriæ.

Da omnipotens Deus, quando tot documentis voluiſti erudire mundum ad timorem nominis tui, ut proficiamus ſub potenti manu tua, neque tolerantia tua abutamur, & colligamus nobis theſaurum horribilis vindictæ noſtra obſtinatione & perdita malitia: ſed mature reſipiſcamus dum nos invitas, & dum tempus eſt acceptum, & te nobis ad reconciliationem offers, ut ſubacti in nobiſipſis, colligamus animos in gratia, quæ nobis offertur per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO TERTIA IN AMOS PROPHETAM.

CAPUT

CAPUT II.

Sic dicit Jehova, Super tribus ſceleribus Moab, & ſuper quatuor non convertam eum: *(vel non convertam me, ſicuti prius diximus)* quia ipſe combuſſit oſſa Regis Edom in calcem.

2. Et mittam ignem in Moab, qui comedet palatia קריות, *(alii vertunt, Urbium, appellative: ſed magis arbitror eſſe proprium nomen loci)* & morietur in tumultu, in ſtrepitu, in clangore tubæ.

3. Et excidam Judicem è medio ejus, & omnes Principes ejus occidam cum eo, dicit Jehova.

Hic jam vaticinatur Amos contra Moabitas, & pronunciat de ipſis quod ante vidimus de aliis gentibus vicinis, nempe Moabitas eſſe prorſus obſtinato animo, ut nulla reſipiſcentia ſperari queat, quoniam addiderint ſcelera ſceleribus, & pervenerint uſque ad ſummum cumulum. Diximus enim quid numerus ſeptenarius valeat. Propheta igitur hic accuſat obſtinationem in Moabitis. Unde etiam colligimus non fuiſſe præcipitem Dei vindictam contra ipſos, quia intolerabilis erat eorum malitia, quum ita ſua ſcelera perſequuti eſſent. Speciem vero unam deſignat, quod *combuſſerint oſſa Regis Edom.* Quidam allegorice accipiunt oſſa pro fortitudine, quaſi dixiſſet Propheta, redactum fuiſſe totum robur Edom in cineres. Sed illa expoſitio eſt coacta: & qui ejus ſunt auctores fatentur etiam ſe neceſſitate cogi, quæ tamen nulla eſt. Non placet illis commentum quod legitur apud Rabbinos, corpus Regis cujuſdam fuiſſe exuſtum, deinde Moabitas abuſos fuiſſe cineribus ad cæmentum pro calce. Rabbini ſic nugantur ſuo more, quia ubi locus aliquis obſcurus occurrit, ſtatim comminiſcuntur fabulam: etiamſi nulla hiſtoria conſtet, tamen exercent ſuum ingenium in illis fabuloſis commentis. Hoc etiam mihi diſplicet: ſed interim quid opus eſt confugere ad allegoriam, quum ſimpliciter accipere liceat quod Propheta dicit, nempe *exuſtum fuiſſe cadaver Regis Edom.* Neque enim dubito quin Propheta barbaram crudelitatem accuſet in Moabitis. Effodere cadavera hoſtium, & oſſa exurere, hoc immane eſt facinus, & prorſus barbarum. Fuit autem magis deteſtabile in Moabitis, quibus aliqua erat cognatio cum populo Edom: deſcenderant enim ex eodem genere: & debebat etiam vigere memoria illius propinquitatis, quoniam Abraham aluerat Loth patrem Moabitarum: & ideo obſtricti erant Moabitæ Idumæis. Si qua igitur viguiſſet apud eos humanitas, debebant cohibere ſuos affectus, ne tam hoſtiliter pugnarent cum fratribus ſuis. Nunc quum excedunt omnem rationem belli, & ſæviunt in ipſa cadavera, oſſa mortuorum exurunt, hoc certe nimis eſt barbarum, quemadmodum dixi. Summa igitur eſt, Moabitas jam non poſſe ferri, quia in hoc uno facto ſpecimen præbuerint truculentiæ quaſi ferinæ. Nam ſi gutta ulla humanitatis in illis fuiſſet, mitius tractaſſent fratres ſuos Idumæos: nunc autem exurunt *oſſa Regis in calcem*, id eſt, in cinerem oſſa Regis Edom. hinc certe apparet illos oblitos fuiſſe omnis humanitatis, & æquitatis. Nunc tenemus genuinum Prophetæ ſenſum. Addit igitur comminationem, *Mittam ignem in Moab, qui vorabit palatia* קריות. diximus quid Propheta ſibi velit per has loquendi formas, quod ſcilicet Deus violenta pœna conſumet Moabitas quaſi incendio, nec poſſe obſtare munita eorum loca, quin vindictam ſuam exequatur: quia ſi palatiis ſuis ſuperbiant, hoc tamen nihil ipſis proderit. Adjungit etiam, *Morietur Moab in tumultu, in ſtrepitu, in clangore tubæ*: hoc eſt, ego accerſam hoſtes robuſtos, qui pervadant, & non paciſcantur cum Moabitis, ſed occupent loca omnia, & urbes munitas vi & gladio. Hoc enim intelligit Propheta per Tumultum, per ſtrepitum, per clangorem tubæ, quod ſcilicet non venient in poteſtatem hoſtium Moabitæ certis legibus & pactis, quemadmodum deditio voluntaria mitigare ſolet hoſtilis ſævitiæ rigorem: hoc non fiet, inquit, quia hoſtes potientur non opibus modo ipſorum, ſed etiam ipſa vita. Tandem adjungit, *Et excidam Judicem è medio ejus, & occidam Principes ejus, dicit Jehova.* Deus hic pronunciat nullum fore amplius regnum Moabitarum, & nullum populi corpus. Scimus enim non poſſe conſiſtere homines ſine aliquo ordine politico. Ergo ubi eſt aliquis conventus hominum, illic neceſſe eſt eſſe Principes qui alios gubernent & moderentur. Quum igitur pronunciat Deus nullum amplius fore Judicem in Moabitis, tantundem hoc valet acſi diceret nomen ipſum eſſe abolendum, quia ſi ſtaret populus Moab, manerent etiam aliqui Principes reſidui, ut neceſſe eſt, quemadmodum diximus. Extinctis ergo Principibus, neceſſe eſt etiam populum ipſum perire, ita ut nulla ſit reſidua ſalus. Non ergo temporalem pœnam hic Propheta Moabitis denunciat, ſed ultimum exitium, ex quo nunquam reſurgant. Hæc ſumma eſt. Nunc pergamus.

4. Sic dicit Jehova, Super tribus ſceleribus Jehudah, & ſuper quatuor non convertam eum: quia ſpreverunt *(vel abjecerunt)* Legem Jehovæ, & ſtatuta ejus non cuſtodierunt, & errare eos fecerunt mendacia ſua, poſt quæ ambulaverunt patres ipſorum.

5. Et mittam ignem in Jehudah, qui devorabit palatia Jeruſalem.

Hic jam incipit Amos ſermonem convertere ad Tribum Jehudah & regnum illud quod adhuc manebat in familia Davidis. Hactenus verba fecit de profanis & incircumciſis gentibus. fuit hoc præludium excidii, quod inſtabat electo populo: quia quum Deus non parceret cœcis, qui per ignorantiam peccaverant, quid futurum erat de populo Iſraël, qui edoctus fuerat in Legis doctrina? Servus enim ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens eam, dignus eſt qui longe gravius vapulet. *[Luc. 12. verſ. 47.]* Non potuit igitur Deus ignoſcere filiis Abrahæ, quos ſibi in populum peculiarem adoptaverat: quum tam graves pœnas exigeret de gentibus profanis, in quibus excuſabilis erat ignorantia, quemadmodum ſolet fieri inter homines. Verum quidem eſt juſte perituros omnes qui Lege carent, quemadmodum dicit Paulus 2. ad Rom. cap. ſed ſi fiat comparatio inter filios Iſraël, & miſeras Gentes, quæ in ſuis erroribus demerſæ erant, certe dignæ erant venia præ illo populo, qui ſuam contumaciam prodiderat, quaſi ex profeſſo vellet Dei vindictam in ſe accerſere. Quum ergo hactenus concionatus ſit Propheta de Gentibus, nunc tandem ad populum electum & filios Abrahæ ſermonem convertit. Sed loquitur de Tribu Jehudah, ex qua ipſe erat oriundus, quemadmodum dixi initio: ne ſcilicet quiſpiam objiceret illum blandiri ſuis popularibus. Migraverat enim in regnum Iſraël: erat illic inquilinus. Jam videbimus quam ſevere illos coarguerit. Si ergo tacuiſſet de Tribu Jehudah, poterat obnoxius eſſe calumniæ. Dixiſſent enim permulti illum colludere cum ſuis popularibus, & tegere ipſorum flagitia: interim acriter invehi in vicinos, id fieri prava æmulatione, quod ſcilicet cuperet iterum transferre regnum in familiam Davidis. Ne ergo talis aliqua ſuſpicio maculam aſpergeret doctrinæ,

Propheta hic in judicium vocat regnum Jehudah, & nihilo mitius de Judæis loquitur, quam de aliis populis. Dicit enim ipſos etiam ſua pervicacia ſic provocaſſe iram Dei, ut nulla ſit ſpes veniæ, quod ſcilicet tanta ſit ſcelerum congeries, ut merito jam Deus ſumpturus ſit ultimam vindictam, quia mediocris caſtigatio non ſufficeret. Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ. Jam venio ad ipſa verba: *Quia ſpreverunt*, inquit, *Legem Jehovæ*. Hic damnat Judæos apoſtaſiæ, quod abjecerint cultum Dei, & puram religionis doctrinam. Eſt hoc graviſſimum crimen. Videmus ergo Prophetam hic libere, & qua decebat ſinceritate damnare ſcelera populi ſui, ideoque non fuiſſe locum calumniæ, ſi poſtea ſeverus eſſet cenſor & judex contra Iſraëlitas: quia ſcilicet hic non leviter attingit delictum aliquod in Tribu Jehudah, ſed dicit eſſe apoſtatas & perfidos, qui abjecerint Legem Dei. Sed quæritur cur tam atrociter accuſet Judæos Propheta, quum tamen adhuc vigeret illic religio, quemadmodum vidimus in vaticiniis Hoſeæ. Sed facilis reſponſio eſt, illic etiam corruptum fuiſſe Dei cultum, quanquam non ita palam deſciverant ut Iſraëlitæ. Nam apud Iſraelitas manebat quidem circumciſio, ſed ſacrificia eorum polluta erant, templa erant quaſi lupanaria: putabant ſe Deum colere, ſed quia templum fuerat erectum in Bethel contra mandatum Dei, fuit totus ille cultus plenus ſacrilegiis. Judæi erant aliquanto puriores: ſed ſcimus ipſos quoque degeneraſſe à genuino Dei cultu. Quare non immerito Propheta hic dicit ſpreviſſe Legem Dei. Sed notanda eſt expoſitio quæ mox additur, quod ſcilicet *non cuſtodierint ejus ſtatuta*. Quomodo igitur probat Amos Judæos fuiſſe fœdifragos, & repudiata Lege Dei delapſos fuiſſe ad impias ſuperſtitiones? quia ſcilicet non cuſtodierunt præcepta Dei. Videtur tamen hic nimium aſpere ipſos tractare. Fieri enim poterit ut quis vel per negligentiam & incuriam, vel alio vitio non prorſus ſervet mandata Dei, & tamen non ideo ſit fœdifragus, neque apoſtata. Reſponden, in his Prophetæ verbis non perſtringi duntaxat negligentiam in Judæis, ſed damnari ipſos, quod data opera, hoc eſt, ſcientes & volentes diſceſſerint à mandatis Dei, excogitaverint ſibi diverſos cultus. Hoc eſt igitur non ſervare præcepta Dei, quum homines non manent ſub ejus Lege, ſed audacter ſibi fabricant novos cultus; non reſpiciunt quid Deus jubeat, ſed arripiunt quicquid illis placet, ac venit ipſis in mentem. Hoc crimen nunc Propheta damnat in Judæis. Hinc etiam ſequitur ipſos ſpreviſſe Legem Dei. Neque enim unquam ſibi tantum ſumerent homines, ut aliquid mutarent in Dei cultu, ſed valeret apud eos quæ debet Dei reverentia: ſi hoc eſſet illis perſuaſum, non eſſe ſapiendum niſi ex ore Dei, certe continerent ſe ſub ejus mandatis. Ubi ergo ſibi comminiſcuntur novos cultus & fictitios, ſatis hoc ipſo demonſtrant ſe non curare quid velit Dominus, quid præcipiat, quid vetet. Hoc igitur modo ſpernunt ejus Legem, vel etiam abjiciunt. Inſignis eſt hic locus, quia videmus primo damnari graviſſimum crimen à Propheta, quod Judæi non ſe continuerint ſub Dei Lege, ſed ſibi ſumpſerint licentiam aliquid novandi. Hoc eſt unum. Unde etiam colligimus quanto in
1 Sam.15. pretio apud Deum ſit obedientia: ſicuti alibi dicitur,
verſ.22. meliorem eſſe omnibus victimis. Jam ne putemus hoc leve eſſe vel mediocre peccatum, notanda eſt loquutio, quum dicit, *ipſos ſpreviſſe Legem Dei*. Nemo eſt qui non exhorreat iſtud portentum. Neque enim poſſumus ſpernere Legem Dei, quin violetur ejus majeſtas. Atqui Spiritus ſanctus pronunciat hic Legem Dei repudiari & abjici à nobis, niſi prorſus ſequimur quicquid mandat, & etiam manemus intra fines illic nobis præfixos. Nunc tenemus quid intelligat Propheta. Jam addit etiam, quod deceperint vel errare fecerint *ipſos mendacia ſua*. Hic confirmat ſuperiorem doctrinam, quia in promptu erat exceptio Judæis, facere bono animo quicquid Propheta in ipſis damnabat. Sedulo enim colebant Deum, licet miſcerent ſua fermenta, quibus ſacrificia corrumpebantur: non erat illis propoſitum conſumere fruſtra ſuam ſubſtantiam, facere magnos ſumptus in ſacrificiis, multum etiam laborem impendere, niſi putaſſent hoc obſequium eſſe Deo gratum. Quia ergo ſemper decipit incredulos prætextus bonæ intentionis, ut loquuntur, ideo Propheta refellit hunc prætextum, & oſtendit fallacem ac nihili prorſus eſſe: non eſt, inquit, quod objiciant Deo bonam aliquam intentionem, fallunt eos ſua mendacia. Porro dubium non eſt, quin mendacia hic Amos Dei præceptis opponat. Simul ergo atque declinant homines à verbo Dei, involvunt ſe multis fallaciis, & nihil aliud quam errare queunt: quod notatu dignum eſt. Videmus enim quantum arroget mundus ſuæ prudentiæ. Nam ſimulatque aliquid fabricavimus, nobis arridet; & ſimiæ placet ſemper ſuus fœtus, ut veteri proverbio dictum eſt. Præſertim vero vitium hoc graſſatur ubi fallaciis noſtris corrumpimus & adulteramus Dei cultum. Ideo Propheta hic clamat mendacium eſſe quicquid additur ad verbum Domini, & quicquid homines in cerebro ſuo excogitant: hoc totum, inquit, plenum eſt impoſtura. Jam videmus quid valeat bona intentio: in ea quidem ſeſe obdurant homines, ſed non facient ut Dominus retractet ſententiam, quam ſemel protulit per os Prophetæ ſui. Quare videndum eſt ut intra fines verbi Dei maneamus, neque tranſiliamus vel in dexteram, vel in ſiniſtram partem, quia ſi tantillum deflectimus à puro Dei verbo, ſtatim impliciti erimus multis mendaciis. Sequitur deinde, *Poſt quæ ambulaverunt patres ipſorum*. Ad verbum eſt, *Quæ ambulaverunt patres ipſorum poſt ea*: ſed nos ſenſum reddidimus. Hic Propheta crimen exaggerat, quod ſcilicet inſatiabilis ſit populi furor, quia nunc filii patres ſuos ſequantur. Scimus hoc vitium ſeculis omnibus regnaſſe apud Judæos, ut relicto Dei verbo appeterent ſua ſomnia, & Satanæ fallacias. Nunc quum ſæpius tentaverit Dominus corrigere vitium hoc per ſuos Prophetas, & nullus profectus ſequutus ſit, hanc duritiem hic Propheta accuſat, & hac circumſtantia amplificat crimen in Judæis: Non eſt, inquit, hoc novum, quum æmulantur patres ſuos filii, & illis ſunt prorſus ſimiles. Sunt igitur mala ova malorum corvorum. Sic
etiam dicebat Stephanus, Vos duri & incircumciſi *Actor.7.*
corde reſiſtitis Spiritui ſancto, ſicuti etiam fecerunt olim patres veſtri. Nunc tenemus conſilium Prophetæ. Sed hinc colligimus quid valeat ſubterfugium quo nunc utuntur Papiſtæ, quum antiquitatem jactant. Opponunt enim contra Legem, Prophetas, & Evangelium hunc clypeum, quod vetus ſit eorum religio, quod ipſi non fuerint primi auctores, ſed ſequantur quod jam olim per manus traditum eſt, ac multis etiam ſeculis obſervatum fuit. Quum plenis buccis hoc prædicant Papiſtæ, putant eſſe unde obturent os Deo, & rejiciant verbum ejus. Sed videmus quam frivola ſit iſta cavillatio, & quam ſit nihili apud Deum. Adeo enim Propheta non concedit Judæis excuſationem ab exemplo patrum, ut magis crimen eorum amplificet, quia *ſequantur patres ſuos perfidos*, & qui jam deſciverant à Lege Domini: quemadmodum etiam dicit Ezechiel cap.20., Poſt præcepta patrum veſtrorum ne ambuletis. Nunc ergo tenemus quale fuerit hoc crimen, de quo concionatur Propheta. Tandem ſequitur comminatio, quod dicit Dominus, Ignem emittam in Jehudah, qui devorabit palatia Jeruſalem. Sed hoc totum jam expoſuimus. Pergamus nunc.

6. Sic dicit Jehova, Super tribus ſceleribus Iſraël, & ſuper quatuor non convertam eum: (*vel ad eum*) quia emerunt (*vel vendiderunt: quidam enim deducunt à* בזה, *& putant* מ *eſſe literam formalem nominis. Alii autem deducunt à* מכר, *quod eſt Vendere vel mercari. Sed ſenſus Prophetæ eodem redit, quia intelligit quaſi ad nundinationem expoſitos fuiſſe juſtos: idgoque præſtabit vertere, pretium ipſorum: quaſi diceret, commercium non ſecus ac de merce venale fuiſſe habitum. quoniam ergo emerunt*) juſtum pro argento, & miſerum pro calceamentis.

Hic jam Propheta aggreditur Iſraëlitas, ad quos miſſus fuerat, quemadmodum initio diximus. Jam omittit alios omnes populos. Negotium enim habebat cum Iſraëlitis, quorum erat peculiaris doctor. Sed voluit illis proponere, quaſi in diverſis ſpeculis, judicium Dei quod ipſos manebat, quo melius expergeſierent. Voluit etiam in ipſis Judæis oſtendere exercſam vindictam Dei, quum tamen major illic eſſet integritas, ſaltem adhuc purior illic vigeret religio, & Dei reverentia. Hoc modo præparavit Iſraëlitas, ne præfracte, qua erant ſuperbis, reſpuerent ejus doctrinam. Nunc ergo ipſos compellat, & dicit eſſe obſtinatos in multis ſceleribus. Summa eſt, ſi Moabitæ, Idumæi, Tyrii, Sidonii, & ſimiles, ſi Judæi etiam perditæ ſunt obſtinationis, ita ut morbi eorum ſint incurabiles, & malitia eorum jam non ſit tolerabilis coram Deo, Iſraëlitas eſſe in eodem gradu: quia ipſi quoque multis modis perſtiterint in ſua malitia, & provocaverint iram Dei, neque reſipuerint, quum tamen Deus ipſos diu expectaverit, & hortatus etiam ſit ad pœnitentiam. Jam memoria repetere convenit quod prius diximus. Si enim ſeculo illo ita graſſata fuit impietas, ita prævaluit Dei contemptus, ut non poſſent revocari homines ad ſanam mentem: & ſi paſſim exundavit iniquitas (quia non accuſat Amos paucos homines, ſed multos populos) hodie videndum eſt ne communes corruptelæ nos involvant: quia certe mundus longe deterior eſt quam tunc fuit: imo quum Propheta hic dicat tam Iſraëlitas quam Judæos fuiſſe prorſus deſperatos in ſua obſtinatione, non eſt cur hodie nos fallamus inani titulo, ſi geſtamus inſigne fidei, quia baptizati ſumus: ſi etiam aliæ notæ nobis ſuppetunt, quæ videntur reſidere in Dei Eccleſia; tamen nos non propterea eximi à reatu ſi nobis permittimus eam licentiam quæ hic damnatur à Propheta tam in Iſraëlitis quam in Judæis, quod ſcilicet obduruerant ad omnem doctrinam, ad omnes admonitiones. Ergo hæc exempla excitent in nobis attentionem, ne ſcilicet obdureſcamus, quemadmodum illi, ut tandem cogatur Dominus ultimam vindictam de nobis exigere. Nunc videndum eſt quid accuſet Propheta in Iſraële. Incipit à crudelibus eorum factis: ſed totum librum deinde conſumet in objurgationibus; uſque ad finem ſemper continua erit accuſatio ſcelerum, quæ tunc dominabantur in populo Iſraëlitico. Non ergo ſpeciem unam deſignat, quemadmodum in aliis populis, ſed excutiet omnia vitia, quibus laborabat populus ille, acſiquis anatomen perfectam faceret. Sed videbimus illa ſuo ordine. Jam, quod ad principium iſtud pertinet, dicit Propheta *venditum fuiſſe juſtum argento, imo calceamentis inter Iſraëlitas.* Quæri poteſt cur non potius ordiatur ab eorum ſuperſtitionibus, quibus vincebant Judæos. Nam ſi Deus Jeroſolymam & Templum ſuum excidi voluit, propterea quod declinaverant ad ſuperſtitiones & adulterinos cultus, quanto hoc magis fieri debuit in Iſraëlitis? Nam perverterant totam Legem: erant prorſus degeneres. Circumciſio enim nihil aliud erat quam profanatio fœderis Dei. Cur igitur hoc Propheta non attingit? Reſpondeo: quoniam ſuperſtitio jam per multos annos illic graſſata fuerat, Propheta eam non attingit: ſed poſtea videbimus ipſum non pepegciſſe illis pravis corruptelis, quæ regnabant apud Iſraelitas. Acriter enim exagitabit omnes illorum ſuperſtitiones: ſed id faciet ſuo loco. Nunc autem opus fuit à notis principiis incipere: & hoc erat longe commodius, quia ſi initio loquutus eſſet de ſuperſtitionibus, dixiſſent ſe tamen Deum colere. Maluit igitur damnare ipſos Judæos, quod alienati fuerint à puris Dei mandatis. Quantum ad Iſraelitas ſpectat, hic coarguit craſſa ſcelera in ipſis. Ubi autem convicti fuerint crudelitatis, impudicitiæ, rapacitatis, multarum libidinum: ubi ergo fœditates iſtæ detectæ fuerint, jam locus erit multo opportunior clamandi contra ſuperſtitiones. Hunc ordinem conſulto ſervat Propheta noſter, quemadmodum melius ex contextu videbimus. Jam redeo ad verba ipſa. Dicit ergo *fuiſſe venditum juſtum argento, & pauperem pro calceamentis.* Significat nihil fuiſſe juris vel æquitatis apud Iſraëlitas, quia filios Dei venales habebant. Hoc autem valde indignum eſt, quod nullum ſit remedium injuriis. Nam facile colligere licet, Prophetam hic ſtylum ſtringere contra ipſos Judices, qui rerum tunc potiebantur: dicit venditum fuiſſe juſtum argento. hoc non poteſt competere in homines privatos, ſed proprie aptatur ipſis Judicibus, quorum munus erat porrigere manum miſeris & pauperibus, ulciſci etiam injurias, & jus ſuum cuique tribuere. Ergo perinde eſt acſi dixiſſet Propheta regnare apud Iſraëlitas effrenem licentiam, ita ut juſti homines expoſiti ſint prædæ, & ſint quaſi venales. Primum dicit *eos venire pro argento:* tandem addit, *pro calceamentis.* Et hoc diligenter notandum eſt, quia ubi ſemel deflectere cœperint homines à recto curſu, proſtituunt ſe abſque ullo pudore. Initio ſi quis adoriatur virum juſtum & integrum, & immunem à corruptelis, non ſtatim vincetur, etiamſi oblatum fuerit magnum pretium, conſtabit tamen ſibi: ſed ubi decem aureis vendiderit fidem ſuam, poſtea venalis erit, quemadmodum ſolent mulieres. Mulier quæ eſt adhuc integra, non poterit tam facile abduci à fide conjugali: poterit tamen corrumpi magno pretio: tandem ſe proſtituet, ita ut fruſto panis venalis ſit. Idem etiam cernitur in ipſis Judicibus. Qui ergo initio argentum appetunt, hoc eſt, qui corrumpi non poſſent niſi opima & pingui præda, poſtea etiam viliſſima mercede fidem ſuam projicient. Nullus enim amplius in his reſiduus eſt pudor. Hoc Propheta notat his verbis, quod juſtum vendiderint argento, hoc eſt, addixerint pretio: deinde quod etiam viliſſima mercede corrupti fuerint, nempe ſi quis offerret par calceamentorum, illos abſque verecundia ultro ire obviam ad captanda ſpolia: ita ut jugularent etiam innocentiſſimos quoſque. Nunc ergo videmus quod crimen accuſet Amos in Iſraëlitis. Non poterant hic quidquam objicere, quemadmodum ſi de ſuperſtitionibus ipſorum verba feciſſet. Voluit igitur auctoritatem acquirere in iſtis manifeſtis criminibus coarguendis. Poſtea, quemadmodum dictum fuit, opportune differet de fictitio cultu, quem ſuſceperant rejecta Lege Dei. Sequitur,

7. Anhelantes ſuper pulverem terræ ad caput inopum, viam miſerorum (*vel pauperum*) deflectere facient: vir & pater ejus ingredientur ad puellam, ut profanent nomen ſanctum meum. (*vel nomen ſanctitatis meæ.*)

Hic inexplebilem avaritiam primo accuſat Amos, quod ſcilicet anhelent ad capita pauperum ſuper pulverem terræ. Male intelligitur hic locus meo judicio. שאף ſignificat Anhelare, & reſpirare: metaphorice etiam ſæpe capitur pro Appetere. Vertunt igitur quidam, Appetunt capita pauperum ad pulverem terræ: hoc eſt, cupide vident dejectos innoxios homines, & proſtratos in terram. Sed nihil opus eſt multis verbis commentum illud refellere, quod videtis eſſe coactum. Alii exponunt quod ſua cupiditate dejiciant miſeros homines in pulverem. Putant igitur conjungi pravam cupiditatem ſimul cum violentia: imo affectum ponunt pro ipſo actu. Sed quid opus eſt confugere ad iſtos extraneos ſenſus, quum verba Prophetæ liquida ſint & clara per ſe? Dicit *anhelare ad capita pauperum ſuper terram*: acſi diceret non contentos ubi dejecerint miſeros homines, adhuc tamen cupide inhiare, donec ipſos prorſus interfecerint. Nihil ergo mutandum vel addendum eſt in Prophetæ verbis quæ optime conveniunt, quod ſcilicet ſuſpirent præ cupiditate ad capita pauperum, ubi tamen jam dejecti ſunt, & proſtrati in pulverem: debebant ſaturari iſta miſeria, quum viderent pauperes ſibi eſſe obnoxios, & jacere ſub pedibus ſuis. Ubi autem adhuc inexplebilis cupiditas eos inflammat, ut majorem pœnam expetant de pauperibus & miſeris hominibus, nonne belluina eſt prorſus iſta rabies? Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ. Poſtea oſtendit denuo quod prius dixit ſuperiore verſu, Iſraelitas ſcilicet deditos eſſe rapacitati, avaritiæ, & omnibus modis eſſe crudeles. Tandem addit, *& viam miſerorum pervertunt.* Adhuc invehitur in ipſos judices. Neque enim quadrare poteſt hoc in privatos homines, ſed proprie in judices competit, quod pretio corrupti tollunt jus omne, & æquitatem labefactant: ita ut qui optimam cauſam attulerit, tamen diſcedat vacuus, quia ſcilicet non affert ſatis amplam mercedem. Nunc ergo videmus quodnam crimen accuſet in Iſraëlitis. Jam ſequitur alia objurgatio contra libidines.

Da omnipotens Deus, quando videmus tam graves olim pœnas ſumptas fuiſſe de incredulis hominibus, qui nunquam guſtaverant puram verbi tui notitiam, ut eorum exemplis admoniti abſtineamus ab omni ſcelere, & maneamus in pura verbi tui obedientia: quum etiam oſtenderis ita te abominari omnes ſuperſtitiones & corruptelas, quibus deflectimus à verbo tuo: da, inquam, ut ſemper intenti ſimus ad regulam, quæ nobis à te præſcripta eſt tam in Lege, quam in Prophetis, & Evangelio, ut conſtanter maneamus in præceptis tuis, & pendeamus toti à ſacro ore tuo, ne unquam declinemus vel ad dextram vel ad ſiniſtram, ſed glorificemus nomen tuum, quemadmodum præcipis, vero & integro & ſpirituali cultu, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO QUARTA IN AMOS PROPHETAM.

CAP. II.

SEquitur in verſu ſeptimo, *filium & patrem fuiſſe ingreſſos ad eandem puellam*: ubi Propheta accuſat effrenes libidines, quæ tunc regnabant in populo Iſraël, ut promiſcui eſſent, atque etiam inceſtuoſi concubitus. Scimus hoc portentum eſſe deteſtabile, ſi rem habeant cum una muliere pater & filius. Naturæ enim ſenſus abhorret à tali flagitio. Atqui tam projecti erant in ſuas libidines Iſraelitæ, ut communis eſſet eadem mulier patri & filio: quemadmodum neceſſe eſt id contingere, ubi homines nimiam licentiam ſibi permittunt. Scortum enim facile admittet filium & patrem ſine diſcrimine, quia nullus eſt pudor: deinde nullus timor Dei etiam retinet mulieres fœdas & deditas turpitudini. Ergo hoc nimis erit vulgare exemplum, ut pater & filius ſeſe commiſceant, atque ita polluant inceſto concubitu. Sed tamen hoc non minuit culpam coram Deo, ubi homines excæcati ſua libidine, nullum amplius diſcrimen tenent, ſed abſque ullo delectu & pudore ſequuntur ſuam libidinem. Hoc ergo ſi contingat, certe apparet nullum amplius vigere timorem Dei, ſed extinctum etiam eſſe ipſum ſenſum naturæ. Merito igitur Propheta crimen hoc in Iſraëlitis nunc damnat, Quod pater & filius ingreſſi ſint ad unam mulierem. Additur etiam amplificatio criminis, quod hoc modo polluerint nomen ſanctum Dei. Scimus enim ea lege fuiſſe electum populum Iſraël, ut invocaretur illic Dei nomen. Et celebris eſt illa ſententia, quæ toties repetitur apud Moſen, *Lev. 11, vers. 44.*
Sancti eſtote, quia ſanctus ſum. Non poterant igitur ſe inquinare filii Iſraël, quin ſimul polluerent nomen Dei, quod erat illis inſculptum. Deus ergo conqueritur hic de ſacrilegio illo, quod ſcilicet non tantum ſeipſos contaminaverint filii Iſraël, ſed etiam profanaverint quicquid ſanctum erat apud eos, quia ſcilicet ludibrio expoſitum fuit nomen Dei quum populus ille ita frenum laxaret turpitudini ſuæ. Nunc ergo tenemus quid velit Propheta. Sequitur,

8. Et ſuper veſtes oppignoratas accubuerunt prope omne altare, & vinum damnatorum biberunt in domo Dei ſui.

Hic rurſus invehitur Propheta in avaritiam populi: præſertim vero ſermonem dirigit contra ipſos proceres, quia quod hic notatur non potuit eſſe in ipſo vulgo. Neque enim poterant plebeii homines & obſcuri ex præda iſta judiciaria epulas inſtituere. Non dubium igitur eſt quin Propheta hanc luxuriam una cum rapacitate in ipſis proceribus damnet.
Exo. 22, vers. 26. Dicit *accubuiſſe ſuper veſtes oppignoratas prope omne altare.* Deus vetuerat Lege ſua, ne quis pignus ſumeret à paupere, quo ipſe opus haberet ad ſubſidia vitæ ſuæ & quotidianos uſus. Exempli gratia, Lege prohibitum erat, ne quis ſpoliaret pauperem ſuo pallio vel tunica, ne quis culcitram acciperet, vel tolleret aliquid ſimile, quo carere non poterat. Nunc autem Propheta accuſat Iſraëlitas, quod arripiant ſine delectu pignora, & veſtes ipſas etiam: deinde accumbant prope altaria. Hoc ad omnes divites extenditur. Jam ſequitur alterum membrum, quod

pro-

prope altaria. Hoc ad omnes divites extenditur. Jam ſequitur alterum membrum, quod proprie ad judices ipſos & gubernatores reſtringi debet, quod ſcilicet *biberent vinum damnatorum in domo Dei ſui*, vel in Templo. Quanquam poſſet etiam hoc intelligi de ipſis divitibus, qui ſolent luxuriari ex præda male parta. Nam litigant ſine ratione. Si obtineant in judicio, putant ſibi licere majores inſtituere lautitias. Ergo hoc Prophetæ dictum poſſet etiam ad quoſlibet divites extendi. Sed videtur proprie hic damnare ſævitiam & rapacitatem in ipſis Judicibus. Nunc videmus quorſum ſpectet Prophetæ conſilium: dicit eos *accumbere ſuper veſtes oppignoratas*, deinde *bibere vinum ex mulcta*, quæ inflicta erat damnatis. Sed circumſtantia quæ additur notanda eſt, quod ſcilicet *accubuerint prope altaria, & biberint in ipſo templo*. Propheta enim hic ſubſannat craſſam ſuperſtitionem in Iſraëlitis, quod putabant ſe defunctos eſſe erga Deum, modo accederent in templum, & victimas ſuas ad altare offerrent. Sic enim ſolent hypocritæ placare Deum, quemadmodum ſiquis ludat crepundiis cum puero. Fuit hoc vitium nimis commune omnibus ſeculis, & hic coarguitur à Propheta in Iſraëlitis, quod ſcilicet auderent fronte aperta prodire in templum, & illuc etiam afferre veſtes oppignoratas, epulari ex præda. Nam hypocritæ ſemper ex

Mat. 21. verſ. 13. Templo Dei faciunt cavernam latronum. Putant enim ſibi omnia permitti, modo ſimulaverint externo cultu ſe eſſe Deo addictos. Quoniam ergo captatur impunitas, & licentia peccandi ex ceremoniis, ideo Propheta hic acerbe invehitur in Iſraelitas, quod audeant teſtem & conſcium facere Deum ſuæ crudelitatis, dum afferunt veſtes oppignoratas, dum miſcent ſuas prædas cum ſacrificiis, acſi qua eſſet Deo ſocietas cum prædonibus. Videmus ergo non ſimpliciter hic damnari rapacitatem & avaritiam à Propheta, ſed perſtringi ſimul craſſam illam ſuperſtitionem, quod ſcilicet Iſraëlitæ putabant ſibi impune ceſſurum, quum raperent undecunque, & ſpoliarent pauperes, modo partem aliquam prædæ erogarent Deo, acſi non abominabile eſſet ſacrificium ex rapinis. Sed quæritur hic cur Propheta Iſraëlitas damnet, quibus nullum erat ſacrum Templum. Scimus enim (& alibi etiam dictum fuit) templa in quibus putabant ſe Deum colere, fuiſſe fœda lupanaria, & plena fœtoris. Quomodo igitur nunc Propheta tam aſpere in eos invehitur, quod permiſceant ſuas prædas cum illis impuris ſacrificiis? Reſponſio facilis eſt. Reſpicit enim ad eorum affectum, & deridet craſſitiem illam, quod tam pueriliter ludant cum Deo, quem ſibi finxerant: quemadmodum ſi hodie dicamus Papiſtis eos ſacris miſcere profana, quum ſuas Miſſas ita proſtituunt, deinde quum in ſuis ceremoniis ita ludunt cum Deo. Certum eſt quicquid tentant Papiſtæ, eſſe meram abominationem, quia apud eos tota religio adulterata eſt: ſed interim non deſinunt injuriam Deo facere, cujus prætexunt nomen. Sic etiam tunc Iſraëlitæ: quia profitebantur ſe colere Deum adhuc, erant ſacrilegi: tametſi ſuas victimas offerrent vitulis in Dan & Bethel, contumelioſi tamen erant ipſi Deo. Abutebantur enim ſemper ejus nomine. Ergo hoc crimen nunc Propheta in ipſis damnat. Sed tenendum eſt quod dixi, reprehendi in Iſraëlitis cæcam illam ſecuritatem, quod putabant prædas ſibi eſſe licitas, quia profitebantur aliquem cultum Dei: ſed duplicabant hoc modo crimen, quemadmodum diximus, quaſi Deus ſocius eſſet latronum. Miſcebant enim ſuas pollutiones cum ſacrificiis. Pergamus.

9. Et ego exterminavi Amorrhæum à facie ipſorum, cujus proceritas erat ſicut proceritas cedrorum, & qui fortis erat ſicut quercus: & perdidi fructum ejus ſuperne, & radicem ejus ſubtus.

10. Et ego eduxi vos è terra Ægypti, & deduxi vos (*ambulare feci vos, ad verbum*) in deſerto per quadraginta annos ad poſſidendam terram Amorrhæi.

11. Et ſuſcitavi ex filiis veſtris Prophetas, & ex juvenibus veſtris Nazaræos: annon etiam hoc filii Iſraël? dicit Jehova.

12. Et propinaſtis Nazaræis vinum, & ſuper Prophetis mandaſtis, dicendo, Non prophetabitis.

Hic expoſtulat Deus cum populo Iſraël de ingratitudine. Commemorat beneficia quæ prius contulerat in populum illum. Et hinc oſtendit quam indigne & turpiter populus ſe gerat, quum tot bonorum oblitus jam contemnit ſuperbe Deum, & perinde agit acſi eſſet ex communi hominum vulgo, nec eſſet obſtrictus Deo ob ſingulare illud beneficium adoptionis. Hæc igitur ſumma eſt, quod Deus hic conqueritur ſe male locaſſe ſua beneficia, & exprobrat populo ſuam impietatem, quod non ſanctius ſe gerat, poſtquam ita redemptus fuit. Principio dicit, *Ego exterminavi Amorrhæum à facie ipſorum*. Hic oſtendit Deus ſe indigne fraudari ab Iſraëlitis, in quorum gratiam Amorrhæos prius deleverat. Nam quorſum interitus Amorrhæorum, niſi ut Deus terram illam purgaret? deinde ut illic daret hoſpitium populo ſuo, ut pure coleretur? Populus ergo Iſraël debuit ſe prorſus addicere in obſequium Dei: quia officium non præſtitit, fruſtratus eſt Deum, qui Amorrhæos expulerat è terra illa, imo ſuſtulerat prorſus è medio. Hæc prima querimonia eſt, quod filii Iſraël nihilo meliores fuerunt Amorrhæis, quum tamen Deus terram indigenis ſuis ereptam illis dediſſet, in qua habitarent, & ea lege ut illic invocaretur nomen ſuum. Ideo alibi Prophetæ dicunt eſſe ipſos Amorrhæos. Nam debebant eſſe nova gens. Quum autem ſequantur aliorum exempla, quid ab ipſis differunt? Ergo vocantur eorum poſteri. Sed Propheta hic non tam aſpere loquitur: tantum exprobrat Iſraëlitis, quod nihil ab Amorrhæis differant, quos tamen ſciebant eſſe deletos ut ſubrogarentur in eorum locum, & ſuccederent in hereditatem. Jam additur, *Amorrhæos fuiſſe proceræ ſtaturæ*: deinde, *robuſtos homines*. His verbis ſignificat Propheta, non fuiſſe devictos Amorrhæos virtute populi, ſed admirabili Dei potentia. Scimus enim fuiſſe populo Iſraël formidabiles, quia ſimiles erant Gigantibus. Ergo de altitudine & de virtute hic Propheta loquitur, ut reputent filii Iſraël ſe non fuiſſe ſuperiores proprio Marte, ſed ſibi datam fuiſſe terram illam miraculo, quia negotium illis erat cum Gigantibus, quos vix auſi fuiſſent intueri. Proſtravit ergo Deus cedros & quercus coram populo ſuo. Hinc colligimus Iſraëlitas non poſſe gloriari in ſua virtute, quaſi terram occupaverint, quod jure belli ejecerint hoſtes ſuos: quandoquidem hoc factum fuit ſingulari Dei beneficio. Neque enim poterant congredi cum ſuis hoſtibus, niſi impletum fuiſſet quod toties Dominus prædixerat, Vobis quieſcentibus ego pugnabo. Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ. *Exod. 14. verſ. 14.* Atque hinc rurſus colligimus populum Iſraël non occupaſſe terram quod præſtantior eſſet Amorrhæis vetuſtis poſſeſſoribus: ſed quoniam ita placuit Deo. Non eſt igitur cur ſuperbiat populus Iſraël aliqua excellentia. Hinc apparet bis & ter ingratos eſſe Deo, qui non cogitent tam inſigne beneficium

ſibi fuiſſe præſtitum. Dicit fuiſſe *perditum fructum ſuperne, & radicem ſubtus.* Hic per metaphoram Deus amplificat quod prius dixit, nempe deletos fuiſſe Amorrhæos, ita ut nihil fuerit reſiduum: Delevi, inquit, vel perdidi radicem ſubtus, & fructum ſuperne: hoc eſt, prorſus extinxi ipſum nomen gentis. Atqui non meliores erant Iſraëlitæ quam hoc modo perditi ſunt Amorrhæi: dum autem ſuccedunt in eorum locum, & ſimul manent ſimiles, hoc eſt prorſus inexcuſabile. Quo igitur ſeverior fuit Dei vindicta contra Amorrhæos, eo debebant magis extollere ejus gratiam Iſraëlitæ. Ubi autem clauſit oculis prætereunt tam inſigne teſtimonium paterni Dei amoris, apparet eſſe pluſquam malignos & ingratos. Poſtea ſubjicit, *Ego aſcendere vos feci è terra Ægypti, ambulare vos feci in deſerto per 40 annos ad poſſidendam terram Amorrhæi.* Circumſtantiæ quæ hic notantur, referri debent ad eundem ſcopum, quod ſcilicet mirabiliter Deus populum illum redemerit. Scimus homines extenuare Dei beneficia ut plurimum: imo eſt hic morbus quaſi nobis ingenitus. Hæc ratio eſt cur Propheta pluribus elogiis deſcribat & commendet redemptionem populi. Nunc ergo dicit *eductos fuiſſe è terra Ægypti.* Debebant autem memoria tenere qualis fuiſſet ſua conditio in Ægypto: nam illic miſerrime premebantur. Quum ergo proponitur illis exitus iſte, perinde eſt acſi Deus in memoriam reduceret quam ignominioſe tractati fuerint, & quam dura fuerit eorum ſervitus in Ægypto. Origo illa debebat eos humiliare, debebat etiam ſtimulare ad ſtudium pietatis. Quum nunc ſuperbe exultent contra Deum, quum nulla eos tangat memoria ſuæ redemptionis, hoc vitium merito illis objicitur à Propheta: Ecce, inquit, *Ego vos eduxi è terra Ægypti:* quales eratis? quænam erat veſtra nobilitas? quænam opes vel divitiæ? qualis potentia? nam abuſi ſunt Ægyptii vobis tanquam viliſſimis mancipiis. Fuit igitur pluſquam probroſa veſtra conditio, eratis quaſi perditi: ego redemi vos: & nunc ſepulta eſt cognitio tam illuſtris beneficii, quod tamen æterna memoria dignum erat. Poſtea addit, *Ego vos ambulare feci,* &c. Propheta hic meminit Deſerti, ut agnoſcant Iſraëlitæ ſe fuiſſe dignos quibus Deus clauderet terræ ingreſſum, tametſi eam pollicitus fuerat Abrahæ in hereditatem. Unde enim factum eſt, ut Dominus ipſos circumduxerit tam longo tempore, niſi quia quantum in ipſis fuit, abnegaverant Deum, & ſe reddiderant indignos qui fruerentur hereditate promiſſa? Ergo Propheta hic oblique perſtringit Iſraëlitas, quod per annos 40 Deus remoratus fuerit ipſos, neque ſtatim induxerit in terram promiſſam: quod facile erat, niſi ipſi clauſiſſent ſibi januam propria ingratitudine. Hæc una eſt ratio cur nunc de 40 annis Propheta loquatur. Deinde quoniam Deus multis modis in deſerto teſtatus fuerat benevolentiam ſuam erga Iſraëlitas, ideo magis ac magis eos devinxerat ſibi, tuſi impia oblivio ſepeliſſet apud eos omnia beneficia: Deus quotidie Man illis pluebat è cœlo: deinde dabat potum ex rupe arida: dirigebat eos interdiu per columnam nubis, nocte autem per ignem. Deinde ſcimus quam variis modis Deus ipſos toleraverit, & quam multa dederit ſigna ſuæ indulgentiæ erga eos. Quum ergo Propheta hic de 40 annis loquitur, voluit Iſraëlitas monere, ut colligerent tot gratias quibus obſtricti erant Deo, quum ſcilicet mirabiliter per annos 40 fuiſſent in deſerto deducti. Jam ſubjicit, *Suſcitavi è filiis veſtris Prophetas, & ex adoleſcentibus veſtris* (vel robuſtis. nam בחורים, quemadmodum alibi diximus, Hebræi vocant electos homines: Ex adoleſcentibus ergo, vel ex ipſo flore, ego ſuſcitavi) *Nazaræos: annon hoc etiam filii Iſraël?* vel utique. Nam particula אם aliquando affirmat ſimpliciter, aliquando etiam auget. *Annon ergo hoc totum verum eſt filii Iſraël? dicit Dominus.*

Primo exprobrat Deus quod ſuſcitaverit ex filiis ipſorum Prophetas. Hoc autem inſigne documentum fuit amoris Dei, quod dignatus eſt populum ſuum regere per Prophetas: quia ſi Deus è cœlo ipſe loquatur, vel Angelos huc demittat, hoc quidem in ſpeciem erit multo excellentius; ſed ubi ſe ita demittit, ut dignetur adhibere homines mortales, & fratres noſtros, qui ſint Spiritus ejus organa, in quibus ipſe habitat, & quorum ore nobiſcum loquitur, hoc certe non poteſt pro dignitate æſtimari, ubi Dominus tam familiariter ſe nobis accommodat. Hæc ratio eſt cur nunc dicat *ſe ſuſcitaſſe Prophetas ex filiis ipſorum.* Poterat objicere ſe Legem tuliſſe, & tunc commotum fuiſſe cœlum, concuſſam terram: ſed loquitur de quotidiana hac gratia, quod ſcilicet quaſi ore ad os loqui dignatus fuerat aſſidue cum populo illo, idque per homines. *Ego ſuſcitavi Prophetas ex filiis veſtris,* inquit: hoc eſt, ego elegi Angelos è medio veſtri. Prophetæ enim ſunt quaſi cœleſtes legati: & Deus ipſos audiri jubet, perinde acſi ipſe appareat viſibili forma. Quum ergo eligit Angelos è medio noſtri, nonne hæc eſt ineſtimabilis gratia? Unde videmus quantum vehementiæ in ſe contineat hæc exprobratio; quum dicit Dominus *electos fuiſſe Prophetas ex ipſo populo.* Addit etiam, *Nazaræos.* Satis apparet ex ſexto Numerorum capite cur Deus *Nazaræos* inſtituerit. Scimus nihil eſſe difficilius, quam ut ſequantur homines communem regulam. appetunt enim ſemper aliquid novum: & inde tot commenta, tot acceſſiones, tot denique fermenta, quibus corrumpitur Dei cultus: quia quiſque vult eſſe aliis ſanctior, & aliquid ſingulare affectat. Ergo ſi quis præter communem regulam vellet ſe Deo conſecrare, Dominus inſtituerat peculiarem cultum, ne quid tentarat populus abſque ſuo permiſſu ſaltem. Si quis igitur volebat ſe Deo conſecrare, tametſi omnes ſancti erant, tamen habebat certam formam, ut abſtineret à vino, capillitium foveret; denique ſervaret ceremonias, quæ leguntur illo capite quod citavi. Deus nunc exprobrat Iſraëlitis, quod nihil omiſerit, quo manerent puri, & ſancti, & integri in ſuo cultu. Poſtquam has ſpecies duas retulit, interrogat *annon hoc ſit verum.* Res quidem ſatis per ſe nota erat. Ergo videtur ſupervacua eſſe interrogatio. Sed Propheta conſulto hic interrogat Iſraëlitas annon ita ſit, quo magis ſerio afficiat eorum animos. Contemnimus enim ſæpe res notas: & videmus quam ſecure multi fateantur quicquid audiunt, interea autem prætereant ſine ullo affectu. Talis fuiſſet torpor in Iſraëlitis: confeſſi fuiſſent abſque controverſia hoc eſſe verum, quod Dominus ſuſcitaverat Prophetas ex eorum filiis, quod dederat illis peculiarem illum cultum, de quo diximus: ſed interea præteriiſſent contemptim, niſi hoc fuiſſet adjunctum, Quid vultis vobis Iſraëlitæ? videtis enim nihil à me fuiſſe prætermiſſum, ut vos retinerem in obſequio: qui fit nunc, ut veſtra libido vos aliorſum rapiat, & excuſſo jugo ita laſciviatis contra me? Nunc ergo tenemus cur Propheta hanc clauſulam inſeruerit, quia oportuit Iſraëlitas magis pungi & acrius, ut convicti agnoſcerent ſuam culpam. Jam nunc ſequitur, *Et propinaſtis Nazaræis vinum, & ſuper Prophetis mandaſtis ne prophetent.* Hic conqueritur Deus cultum illum, quem inſtituerat, fuiſſe violatum à populo. Videtur quidem hæc levis offenſa, quod Nazaræis vinum porrectum fuerit. Scimus enim regnum Dei non eſſe poſitum in eſca & potu. non- *1 Cor. 8, verſ. 8.* dum Paulus dictum illud protulerat, ſed verum tamen fuit omnibus ſeculis. Nazaræis ergo licuit vinum bibere, modo temperate uſi eſſent? Reſponſio facilis eſt, illicitum fuiſſe potum vini, quia ſponte ſuſceperant hanc abſtinentiam: ſicuti Sacerdotibus interdixit Deus ſub Lege, ne vinum biberent *Lev. 10. verſ. 9.* vel ſiceram, quoties Templum ingrediebantur. Deus quidem noluit coli hac ceremonia, ſed voluit

hoc rudimento oſtendere, requiri majorem temperantiam in Sacerdotibus, quam in vulgo hominum. Voluit igitur ipſos quaſi ſubduci à communi vivendi ratione, quum Templum ingrediebantur. Erant enim quaſi mediatores inter Deum & populum. Ergo oportuit ipſos ſpeciali modo conſecrari. Nunc videmus externo illo ſymbolo admonitos fuiſſe Sacerdotes, requiri in ipſis majorem ſanctitatem, quam in promiſcuo grege. Ita etiam dicendum eſt de Nazaræis. Nazaræi poterant vioum bibere: ſed quo tempore ſe conſecrabant Deo, prohibebantur à potu vini, ut ſcilicet agnoſcerent ſe quodammodo excluſos eſſe à vulgari conſuetudioe, & propius jam acceſſiſſe ad Deum. Nunc tenemus cur non liceret Nazaræis vinum bibere. Quod autem Papiſtæ obtendunt exemplum illud, ut colorem inducant ſuis ſuperſtitionibus, & ſtultis ac temerariis votis, quæ ſine ulla Dei reverentia nuncupant, frivolum eſt. Deus enim voce ſua ſancivit, & ratum habuit quicquid fecerunt Nazaræi ſub Lege. Oſtendant Papiſtæ probari monaſtica vota, & ſtultas ceremonias quibus nunc cum Deo luduot. Deinde ſcimus quantum ſit diſcrimen inter Nazaræos & monachos Papales. Nam monachi vovent Deo perpetuum cælibatum: alii vovent carnium abſtinentiam tota vita. hoc fit & ſtulte & temere. Putant enim ſitum in illis nugis eſſe cultum Dei. Promittunt etiam quod non eſt in ipſorum arbitrio: renunciant enim conjugio, quum tamen non iotelligant an ſint prædití dono caſtitatis. Quod etiam abſtinent à carnibus tota vita, longe ſtultius hoc faciunt, quia ſcilicet conſtituunt illic aliquem cultum Dei. Quanquam ego miror illos obtendere exemplum iſtud, quum tamen nulli ſint tam ſancti in Papatu, qui abſtineant à vino. Nam Chartuſiani & reliqui ſanctiores monachi videntur ſe velle ulciſci quum abſtinent ab eſu carnium. Deligunt enim ſuaviſſimum ac fortiſſimum vinum, acſi vellent compenſare damnum vel fraudationem, quum pepigerint cum Deo de carnium abſtinentia: interea retinent optimum vinum. Hæc ſunt pluſquam ridicula. Cæterum, uno verbo ſatisfactum eſt, ſi tenemus quod jam dixi, nempe Nazaræos nihil tentaſſe ſub Lege, quod Deus non approbaret verbo ſuo, & ratum haberet. Interea quum tam graviter & aſpere Dominus exprobret Iſraëlitis, quia Nazaræis vioum propinaverint, quid fiet nunc, ſi tranſgreſſi fuerimus præcipua Dei mandata, ſi totum ejus ſpiritualem cultum corruperimus? Videtur in ſpeciem fuiſſe hoc veniale delictum, ut ita loquar, quod Nazaræi vinum biberint. Si ſcortati fuiſſent, vel furati, vel ſi quam injuriam intentaſſent ſuis fratribus, ſi admiſſum fuiſſet ab illis aliquod perjurium, certe fuiſſet multo atrocior accuſatio. Nunc tamen Propheta non deſinit acerbe conqueri quod vinum biberint. Ergo quum Deus velit ſpiritualiter à nobis coli, ſi hic ſpiritualis ejus cultus violatur, multo gravior in nobis reſidebit culpa. Quemadmodum ſi ounc polluimus Sacramenta, ſi corrumpimus puram nominis Dei invocationem, ſi verbum ejus habemus ludibrio: ſi ergo tranſgredimur hæc præcipua capita pietatis, minor eſt excuſatio. Tenendum igitur eſt quod Propheta hic accuſat populum Iſraëlis, quia vinum dederit bibendum Nazaræis. Jam ſubjicit, *Dixiſſe etiam Prophetis, ne prophetarent.* Certum eſt nunquam vetitos fuiſſe Prophetas loqui, præciſe ſaltem: ſed ubi tollitur libertas ſervis Dei, ne pure doceant, quemadmodum oportet atque illis mandatum eſt, perinde hoc valet acſi prorſus rejiceretur eorum doctrina. Iſraëlitæ volebant apud ſe eſſe Prophetas: ſed interea non poterant ferre liberas objurgationes. Nam quum polluerent Dei cultum, quum tota eorum vita diſſoluta eſſet, Prophetæ acriter in illos invehebantur. Illa ergo ingeouitas non erat tolerabilis Iſraëlitis: volebant ſibi parci, & fieri blanditias. Hoc igitur nunc exprobrat Propheta, quod ſcilicet ſervos Dei vetuerint verbum proferre, libere & ingenue ſcilicet, quemadmodum illis mandaverat Deus. Ergo *ſuper Prophetis mandarunt ne prophetarent.* Hodie hoc etiam vitium in mundo regnat: quia execrabilis eſſet audacia, prorſus rejicere verbum Domini. hoc palam non audent impii homines, ſed interea vellent teneri mediam aliquam rationem, ne Deus libere in ipſos dominaretur. Libenter ergo frenum iojicerent Spiritui ſancto, ut cum certis pactis loqueretur: Ecce, nos libenter quidem aliquid tibi permitteremus, ſed non poſſumus hoc ferre: tanta aſperitas nobis nimium odioſa eſt. Et in Papatu hodie quaſi io totum ſupprimitur libertas prophetandi. Apud nos quam multi eſſent, qui cuperent leges imponere Dei ſervis, ultra quas non tranſcenderent? Sed videmus quid hic dicat Propheta, nempe repudiari prorſus Dei verbum ubi prohibetur liber curſus docendi, & homines appetunt ſibi fieri blanditias, & volunt tegi ſua peccata, nec ferre queunt liberas admonitiones. Notandum eſt etiam Mandandi verbum, quo utitur Propheta. צוה ſignificat Præcipere, vel jubere, vel ſtatuere, quum intercedit publica auctoritas. Non ergo tantum expoſtulat Propheta, quod multi fuerint obſtreperi homines, qui murmurarent contra Prophetas, quemadmodum ſemper factitatum eſt: ſed potius damnat iſtam audaciam in proceribus, quod auſi fuerint conſultare quomodo compeſcerent Prophetas, & noo permitterent illis liberum jus docendi: quemadmodum ounc etiam fieri videmus. Nam oon tantum in cauponis, & in ſuis latibulis impii homines obſtrepunt ubi ſevere coarguuntur peccata, ſed prodeunt etiam in publicum, & queruntur nimium permitti licentiæ verbi miniſtris, & ineundam eſſe rationem, ut moderatius loquantur. Hoc ergo ſacrilegium nunc taxat Propheta, quum dicit, *impios mandare Prophetis ne prophetent*, quaſi legem ferrent, quaſi vellent decretum aliquod promulgare, ne Prophetæ tam libere & ingenue verba facerent. Nunc ſequitur,

13. Ecce ego anguſtians (*vel anguſtiatus: conſtrictus vel conſtringens*) in loco veſtro, (*vel ſub vobis*) ſicuti conſtringitur plauſtrum quod plenum eſt manipulo. (*id eſt, manipulis.*)

עוק Hebræis ſæpe verbum eſt tranſitivum: ſed eſt etiam neutrale. Ideo poteſt eſſe duplex interpretatio hujus loci, quod ſcilicet Deus conſtrictus fuerit ſub Iſraëlitis, quemadmodum plauſtrum gemit dum oneratum eſt ſub nimio pondere: ſic enim Deus
Jeſ.1:14. etiam per Jeſaiam expoſtulat, quod gravatus fuerit ab Iſraëlitis, Cogitis me laborare, inquit, in veſtris ſceleribus. Poſſet ergo hic ſenſus non male quadrare, quod Deus fuerit conſtrictus ſub illis. Quanquam autem receptior eſt altera ſententia, Ecce ego conſtringam vos ſicut plauſtrum conſtringitur: ego tamen magis inclino in priorem ſenſum, quod ſcilicet Deus hic accuſet Iſraelitas, quia fuerit ab illis gravatus. Nam particula תחתיכם proprie ſignificat, Sub vobis; quam alii vertunt, In loco veſtro, ſed coacte: quia ſi tranſitivum eſt verbum, neceſſe eſt iſtud תחתיכם accipi, In loco veſtro. ſed illud eſt frigidum & coactum. Optime autem fluet contextus ſi dicamus, Ecce ego conſtringor ſub vobis, quemadmodum ſi eſſetis plauſtrum plenum manipulis: hoc eſt, vos eſtis mihi intolerabiles. Nam Deus geſtabat populum illum humeris ſuis. Quum autem gravarent iniquo onere, non mirum eſt ſi dicat eos eſſe inſtar plauſtri, & plauſtri quod plenum eſt multis manipulis. Vos eſtis ventoſi, ſed vos eſtis etiam mihi nimium oneroſi, & cogar tandem vos excutere quemadmodum poſtea ſubjiciet.

Da omnipotens Deus, quum non tantum nos redemiſti Filii tui unigeniti ſanguine, ſed per hanc peregrinationem terrenam nos circumducis, atque interea ſuppeditas quicquid nobis neceſſe eſt: da, inquam, ne immemores tot bonorum tibi tergum obvertamus, & oberremus poſt noſtras cupiditates, ſed potius conſtricti maneamus ſub tuo obſequio, neque etiam te oneremus noſtris peccatis, ſed ſubjiciamus nos tibi placide in veram obedientiam, ut glorificando nomen tuum portemus te tam in corpore quam in anima, donec tandem nos ad te colligas in regnum illud beatum, quod nobis partum eſt ejuſdem Filii tui ſanguine, Amen.

PRÆLECTIO QUINTA IN AMOS PROPHETAM.

CAP. II.

14. Peribit fuga à veloce, & fortis non roborabit vires ſuas, & robuſtus non ſervabit animam ſuam. (*non liberabit.*)

15. Et tenens arcum non ſtabit, & velox pedibus ſuis non liberabit, neque aſcenſor equi liberabit animam ſuam.

16. Et qui robuſtus eſt corde ſuo inter fortes, nudus fugiet die illa, dicit Jehova.

EXpoſuimus heri ſententiam illam, ubi ſub Dei nomine Propheta dicebat populum fuiſſe inſtar gravis & moleſti oneris, quemadmodum ſi plauſtrum onuſtum ſit multis manipulis. Dixi aliter exponi Prophetæ verba à multis interpretibus, nempe quod Deus ſe plauſtro onuſto comparet, ſub quo populus ſit conterendus. Sed nulla neceſſitas cogit duobus modis accipere idem verbum, nempe active & neutraliter, quemadmodum illi faciunt. Deinde non videtur ſatis apta eſſe comparatio. Tertio dixi etiam melius congruere, quod ſub populo queratur Deus ſe onerari & conſtringi, quam ſi vertamus particulam, תחתיכם, In loco veſtro. nam expoſitio eſt prorſus coacta. Bene autem conveniet ſenſus Prophetæ, ut ſit querimonia Dei, quia graviter ferat onera illius populi, quum ſcilicet videat homines eſſe & ventoſos, & tamen moleſtos. Nunc igitur Propheta vindictam denunciat qualem meriti erant: ac primo dicit, *Peribit fuga à veloce*, hoc eſt, nemo tam velox erit, qui fugiendo ſeſe eripiat: fortis etiam nihil proficiet pugnando. Hoc enim eſt roborare vires, ubi quis reſiſtit adverſario ſuo, & repellit inſultus. Fortis ergo ſine profectu tunc pugnabit, denique *robuſtus non liberabit animam ſuam. Qui tenet arcum, non ſtabit*: hoc eſt, qui inſtructus eſt arcu, & poteſt eminus hoſtem ſuum repellere, ille tamen non audebit ſtare in ſuo loco. *Qui velox erit pedibus, non poterit aufugere, neque etiam aſcenſor equi*: hoc eſt, ſive pedites ſint, ſive equites, celeritate tamen non poterunt effugere mortem: denique qui corde erit robuſto & intrepido inter fortes, ille tamen *fugiet nudus*, contentus erit ſola vita, & modo ſaluti ſuæ conſulat, nihil aliud curabit. His omnibus verbis ſignificat Propheta tam gravem fore cladem populi, ut miraculum ſit ſi quis effugiat. Nunc ergo videmus quam ſevere Propheta ſtatim ab initio tractaverit hunc populum. Neque enim dubium eſt, quin videret magnam pervicaciam: alioqui non fuiſſet tam aſpere illos aggreſſus ſtatim ab initio, niſi multo tempore fuiſſent rebelles, & ſprevisſent omnes admonitiones ac minas. Neque etiam primus Amos illis concionatus eſt, ſed obduruerant potius Iſraëlitæ, antequam illuc veniſſet, ad omnes minas. Oportuit igitur cum præfractis ipſum tam aſpere agere, quemadmodum Deus tractat homines pro cujuſque ingenio. Nunc venio ad 3. caput.

CAPUT III.

AUdite verbum hoc quod pronunciat Jehovah ſuper vos, filii Iſraël, ſuper totam familiam quam eduxi (*vel aſcendere feci*) è terra Ægypti, dicendo,

2. Tantummodo vos cognovi ex omnibus familiis terræ: propterea viſitabo ſuper vos omnes iniquitates veſtras.

NOn dubium eſt quin Propheta ſibi auctoritatem acquirere voluerit his verbis, quia videbat contemptui eſſe ſuam doctrinam. Et credibile eſt, non ſemel habitum fuiſſe ab eo ſermonem quem hic recitat, ſed ſæpius fuiſſe repetitum. Scimus quanta fuerit ſuperbia & ſecuritas illius populi. Oportuit igitur illam retundi, ut aſſueſcerent timere, quum Deus eos coarguebat per ſuos Prophetas. Fuit igitur hæc uſitata ratio loquendi, quum dicit, *Audite verbum quod loquutus eſt Deus ſuper vos, filii Iſraël.* Nam hic obtendit nomen Dei, ut reputent ſibi non eſſe negotium cum homine mortali, vel cum pecuario, qualis ipſe erat. Videmus ergo quod nuper attigi, nempe confirmari Prophetæ doctrinam, ut plus haberet reverentiæ in populo. Jam adjungit, *Super totam familiam, quam eduxi ex Ægypto.* Certum eſt, ſermonem hunc non dirigi niſi ad decem Tribus. Cur ergo Propheta tam generaliter hic loquitur? Nempe quia regnum Iſraël erat major pars generis Abrahæ: ideo jactabant penes ſe manere adoptionem. Quum ergo contemnerent Tribum Jehudah, & dimidiam Tribum Benjamin, quæ adjuncta fuerat, & in ore ſemper haberent ſuam multitudinem, ideo Propheta per conceſſionem hic dicit, eos quidem eſſe ſemen illud benedictum, poſteros Abrahæ, denique electum populum, quem Deus redemit ex Ægypto. Non comprehendit igitur Propheta ſub hac voce regnum Jehudah, ſed concedit Iſraëlitis quod jactabant, ipſos ſcilicet eſſe electum populum, eſſe ſanctum Abrahæ genus, eſſe gentem illam, quæ fuerat mirabiliter redempta. Valeant igitur, inquit, iſtæ omnes jactantiæ, tamen Deus non deſinet propterea exequi ſuum judicium contra vos. Nunc tenemus Prophetæ conſilium. Hac enim conciliat reverentiam ſuæ doctrinæ, & argumentum à ſua vocatione ſumit, quod nihil proprium afferat, ſed tantum fideliter fungatur munere ſibi injuncto: imo ſit ipſe organum Spiritus Sancti: nihil proferat ex ſuo ſenſu, ſed tantum loquatur quod Dominus præcepit. Deinde quia Iſraëlitæ ſua multitudine freti putabant ſibi fieri injuriam, quum tam graviter arguebantur à Prophetis, & erat perverſa quædam æmulatio inter ipſos & regnum Jehudah, Propheta concedit illis, ut ſtulte ſuperbiant: ſed interim oſten-

oſtendit fruſtra confidere ſua multitudine, quoniam Deus hic vocet ipſos tamen ad judicium, quamvis ſint electus populus, & ſemen ſanctum, & gens redempta. Hæc ſumma eſt. Poſtea recitat Propheta quid habeat in mandatis: *Tantummodo vos cognovi ex omnibus familiis terræ, propterea viſitabo ſuper vos iniquitates veſtras.* Putant multi adhuc concedi Iſraëlitis quod ſolebant jactare, oempe ſe exemptos eſſe ab ordine communi hominum, quia Dominus ipſos adoptaverat. Sed potius mihi videtur eſſe ſimplex exprobratio. Deus ergo hic beneficia ſua in medium profert, quemadmodum heri etiam vidimus ſimile exemplum, ut magis exaggeret crimen populi, quod ſcilicet referat Deo peſſimam mercedem, à quo tamen fuerat tam liberaliter & benigne tractatus: *Ego*, inquit, *vos tantummodo dilexi.* Verum quidem eſt Iſraëlitas, ut alibi ſæpe vidimus, gloriatos fuiſſe ſuis privilegiis: ſed non videtur huc reſpicere Propheta. Deus ergo cum ipſis expoſtulat, quod adeo ingrati ſint. Dicit, *Tantummodo ipſos fuiſſe cognitos.* Certum quidem eſt Dei curam extendi ad totum humanum genus: imo etiam ad boves & aſinos, imo ad minimos quoſque paſſeres. [Pſal. 146. verſ. 9.] Nam pulli corvorum ipſum invocant: nulla eſt avicula quæ non paſcatur ab ipſo. Videmus ergo Dei providentiam ad omnes mortales extendi: ſed hoc tamen non eſt æquale. Deus enim alios homines ſemper cognovit, ut præberet quæ neceſſaria erant ad vitam ſuſtinendam. Solem igitur ſuum ſemper Deus oriri fecit ſuper humanum genus. deinde fecit ut procrearet terra victum. Functus eſt igitur patris officio erga homines quantum ad vitæ ſubſidia. Sed cognovit electum populum, quia eum ſegregavit à reliquis gentibus, ut ſibi eſſet inſtar propriæ familiæ. Dicitur ergo Iſraël cognitus, quia eum ſolum dignatus eſt Deus gratuita adoptione, voluit eum ſibi habere populum peculiarem. Hæc eſt cognitio, de qua nunc Propheta loquitur. Quum autem dicit *fuiſſe cognitum duntaxat*, רק, hic oſtendit ſingulari Dei gratia fuiſſe electum: quia nullum erat diſcrimen inter ſemen Abrahæ & alias gentes ſi in ſe æſtimentur, alioqui ſupervacua eſſet iſta exceptio. Nam ſi quid fuiſſet præſtantiæ vel meriti in populo Iſrael, promptum erat objicere, Nos quidem electi ſumus, ſed non ſine aliqua ratione. Deus enim reſpectum habuit noſtræ dignitatis. Sed quia nihil differebant à reliquis gentibus, & æqualis erat omnium conditio quantum attinet ad naturam, Dominus illis exprobrat, *quod tantummodo illos cognoverit*: acſi diceret, Qui factum eſt, ut ſitis mihi peculium & hereditas? An veſtro merito? an quia vobis magis fui obſtrictus quam reliquis populis? Hoc oon poteſtis mihi objicere. Fuit igitur gratuita adoptio. Ergo mihi eſtis tanto magis obſtricti: & minus excuſabilis eſt ingratitudo veſtra quum rependitis tam iniquam mercedem. Sicuti etiam Paulus dicit, Quis te diſcernit? [1 Cor. 4. verſ. 7.] dum vult oſtendere Deo quidquid eſt excellentiæ in hominibus, debere ferri acceptum. Sic etiam nunc, *tantummodo vos dilexi & cognovi ex omnibus familiis terræ.* Quid fuiſtis? Nempe eratis filii Adam, ſicuti reliquæ gentes: eadem fuit omnium origo. Non eſt igitur cur dicatis me fuiſſe aliquo præjudicio obſtrictum: ego vos libere elegi, & elegi ſolos. Hoc ad gratiæ amplificationem pertinet, ut melius appareat ingratitudo ex parte oppoſita. Nam ſi Deus hic verba faceret de generalibus ſuis beneficiis, non tam grave eſſet electi populi crimen. Sed quum dicit illos *ſolos fuiſſe electos*, aliis præteritis, certe eo fœdior & magis ſcelerata eſt ipſorum impietas, quum Deum non agnoſcant viciſſim, ut ſe totos ei addicant, cui omnia debebant. Et hinc etiam melius refulget mera Dei liberalitas, quod ſolos Iſraëlitas cognoverit inter multas gentes. Nam ſiquid debeat hominibus Deus, non fraudabit eos, hoc certum eſt. Quum autem repudiet alias omnes gentes, ſequitur ipſas merito rejici, ut nullam illarum rationem habeat. Unde ergo fit ut eligat Iſraelitas? Hic videmus in ſublime extolli Dei gratiam, quum ſcilicet fit comparatio populi unius cum aliis omnibus gentibus. Et huc etiam pertinet univerſale nomen, quum dicit, *Ex cunctis familiis terræ*: quaſi diceret Deus, Tam multæ ſunt gentes in mundo, tanta eſt hominum copia: ego autem cunctos populos pro nihilo duxi ut vos ſuſciperem in meam tutelam. atque ita contentus fui exiguo numero, quum tamen omnes homines mei eſſent: ego autem hoc feci mera gratia, quia neque in vobis erat quo excelleretis ſupra alios, neqoe illi obtendere poterant ſe injuſte rejici. Proinde quum meo jure vos illis prætulerim, patet me non fuiſſe illis obſtrictum. Nunc ergo tenemus quorſum ſpectent Prophetæ verba. Jam ſubjicit, *Propterea viſitabo ſuper vos iniquitates veſtras.* Hic pronunciat Deus Iſraëlitas ſubituros gravius judicium, quia tot beneficiis obſtricti non reſponderint Deo, ſed viſi fuerint data opera contemnere ejus gratiam, & ipſum ludibrio habere, qui auctor erat tot bonorum. Quum ergo Iſraelitæ tot beneficiis & tam ſingularibus devincti eſſent, interea vero fuerint ſcelerati ſicut reliquæ gentes, Propheta oſtendit eo mereri graviorem pœnam, & inſtare etiam illis Dei judicium quale meriti erant. Hæc eſt ſumma. Nunc ſequitur,

3. An duo ambulabunt ſimul, niſi inter ipſos conveniat?

4. An rugiet leo in ſylva, & præda non erit ei? An dabit leo (*vel, leunculus edet, vel emittet*) vocem ſuam è cubili ſuo (*vel luſtro*) quum nihil ceperit?

5. An cadet avis ſuper laqueum ad terram abſque aucupe? (*& auceps non erit ei? ad verbum*) An tollet auceps laqueum ex terra priuſquam capturam ceperit? (*ad verbum, & capiendo non capiet: ſed ego reddidi ſenſum Prophetæ.*)

6. An clanget tuba in urbe, & populus non contremiſcet? An erit malum in urbe quod Jehova non fecerit?

7. Quia (*vel certe*) non faciet dominator Jehova quidquam niſi revelaverit ſecretum ſuum ſervis ſuis Prophetis.

8. Leo rugivit, quis non timeât? dominator Jehova loquutus eſt, quis non prophetet?

Hic multas ſimilitudines congerit Propheta, quæ tamen omnes pertinent ad quinque hæc capita. Primo loco oſtendit ſe non projicere evanidas voces; ſed Dei auctoritate nixum, habere quem appellet teſtem ac ſuffragatorem. Hoc eſt unum. Deinde oſtendit Deum conſulto denunciare quas de tranſgreſſoribus ſumpturus eſt pœnas, ut mature reſipiſcant: nec fruſtra vociferari, ſicuti inconſiderati homines de nihilo excandeſcunt, ſed juſtis cauſis ad iracundiam impelli, ut deinde terrorem incutiat per ſuos Prophetas. Tertio docet nihil fortuito contingere: ut ſcilicet attenti ſint Iſraëlitæ ad Dei judicia. Quarto pronunciat homines eſſe nimium ſtupidos, niſi moveantur comminationibus, quas audiunt à Deo eſſe profectas. Quinto ſignificat exequutionem paratam eſſe, poſtquam Deus aliquid denunciavit: neque minas eſſe inanes, quemadmodum terreri ſolent pueri. Hæc igitur quinque poſtea ſuo ordine videbimus. Interim confirmat quod dixit initio capitis, nempe Deum non ſumere pœnam repente de Iſraëlitis, ſed ipſos

ipſos vocare ad reſipiſcentiam, ſi tamen eſſent ſanabiles. nam hactenus magis præciſe loquutus fuerat, Super tribus ſceleribus & ſuper quatuor non ero ei propitius: nunc autem attentionem exigit à populo Iſrael, Audite hoc filii Iſraël, *An duo* homines *ambulabunt ſimul, niſi inter ipſos conveniat?* His verbis docet etiamſi Deus poſſit illos ſtatim ad ſupplicium trahere ex inopinato, parcere tamen & ſuſpendere ſuum judicium, donec reſipiſcant, niſi prorſus ſint deſperati. Confirmat igitur nunc ſententiam illam Amos, quod ſcilicet Deus non puniat Iſraëlitas, quemadmodum poterat ſuo jure: ſed prius experiatur an ſit aliqua ſpes reſipiſcentiæ in ipſis. Nunc veniamus ad primam ſimilitudinem. Quærit, *An duo ambulabunt ſimul abſque conſenſu?* Quidam violenter torquent hæc Prophetæ verba, quod Deus cogatur à populo iſto diſcedere, quem videt tam proterve vagari poſt ſuas concupiſcentias. Secundum illos talis eſſet ſenſus, Vultiſne ut vobiſcum ambulem? hoc eſt, ut penes vos reſideat benedictio mea? ut vos proſequar, pro more meo, paterno amore, & liberaliter vos foveam? Cur mecum igitur non ambulatis, hoc eſt, cur non eſt mutuus inter nos conſenſus? Cur mihi non reſpondetis? Ego enim paratus eſſem vobiſcum ambulare. Illa expoſitio, ut videtis, nimis eſt coacta. Reſtant igitur duæ aliæ, vel quod Propheta hic ſignificet non fruſtra tot Dei ſervos quaſi uno ore minari Iſraelitis; vel conſenſus de quo loquitur, eſt Dei cum ſuis Prophetis. Hoc eſſet obſcurum, niſi familiarius explicarem. Quidam igitur ſic accipiunt hunc verſum, Ego non ſolus ſum qui vobis pœnam denuncio. Deus enim hactenus vos admonuit per alios Prophetas: vivunt adhuc multi: & videtis quam bene inter nos conveniat: non conſpiravimus humano more, neque hoc accidit ex compacto, quod Jeſaias & Michæas vobis denunciant, quod ex ore meo auditis. Eſt igitur arcana iſta conſenſio Spiritus Sancti. Poſſet non male congruere hic ſenſus. Sed peræque etiam conveniet tertius, quem attigi, nempe ſi Propheta hic affirmet ſe loqui ex Dei mandato: quemadmodum ſi duo inter ſe ſint concordes, dum eandem ſequuntur viam, quemadmodum ſiquis incidat in comitem fortuitum, quæret quonam tendat: ubi ille reſponderit ſe ad certum locum proficiſci, mihi etiam commune eſt iter tecum. Amos igitur hac ſimilitudine optime exprimit conſenſum inter Deum & Prophetas, quia ſcilicet non temere ſe ingerant illi, ut quidvis pronuncient pro ſuo arbitrio, ſed expectent Dei vocationem, & probe ſibi conſcii ſint ſe non fortuito errare, ſed tenere iter quod Dominus oſtendit. Non fuiſſet quidem hæc ſatis firma probatio vocationis: ſed jam Propheta ingreſſus fuerat curſum doctrinæ: & quaoquam obſtrepebat fere totus populus, habebat tamen quædam non obſcura teſtimonia ſuæ vocationis. Non utitur ergo hic integra probatione quemadmodum ſi à principio vellet oſtendere ſe eſſe Dei Prophetam, ſed tantum confirmat objurgatione quod prius doctrina ſatis aſſeruerat. Quærit ergo, *An duo ſimul ambulabunt niſi inter eos conveniat?* acſi diceret, Vos erratis, quia fertis de me judicium acſi ſolus eſſem: interim nulla Dei eſt ratio. putatis me hominem eſſe pecuarium, hoc verum eſt: ſed hoc etiam addendum fuerat, miſſum divinitus, & præditum eſſe dono Prophetiæ. Quum igitur loquar ex Dei Spiritu, ego non ſolus ambulo. Deus enim præit: ego autem ſum comes. Scitote igitur quicquid profero non eſſe natum in cerebro meo: ſed Deum habeo auctorem meæ doctrinæ. Videtur mihi hic genuinus eſſe Prophetæ ſenſus. Ergo hac ſimilitudine confirmat ſe fideliter munere ſuo defungi, quia ſcilicet nihil ſeparatum habeat à Deo, ſed ſit ejus comes: quemadmodum ſi duo inter ſe conſentiant facturi commune iter, ita etiam oſtendit ſibi eſſe cum Deo conſenſum. Si tamen magis arrideat ſuperior interpretatio, ego non contendam, quod ſcilicet hic Propheta confirmet doctrinam ſuam, quia non ſolus ſit, ſed habeat etiam alios collegas. Nam fuit hæc non vulgaris confirmatio, quum ſatis conſtaret alios Prophetas ſuffragari ejus doctrinæ. Quia tamen poſtea non accommodat in illum finem hanc ſimilitudinem, neſcio an fuerit tale ejus conſilium: ideo jam attuli quod ſimplicius mihi viſum eſt. Sequitur ſecunda ſimilitudo, *An rugiet leo in ſylva abſque præda? An leo vocem ſuam emittet è cubili ſuo quum nihil ceperit?* Hoc verſu ſignificat Deum per ſuos Prophetas non vociferari de nihilo, quemadmodum profani homines exiſtimant aërem tantum verberari inani ſonitu, quum Prophetæ minantur: Hæc ſunt verba, inquiunt. Quaſi vero non reperiant in ſeipſis clamandi neceſſitatem, quia Deum ſuis ſceleribus provocarunt. Ideo ex adverſo occurrens Propheta, Si leones, inquit, non rugiunt niſi prædam adepti, an Deus clamabit è cœlo, & vocem ſuam uſque ad terras emittet, interea vero nulla erit præda? Hæc ſumma eſt, nimis perperam contemni Dei verbum ab Iſraëlitis, acſi nulla eſſet ratio clamandi, quia ſcilicet Deus non ludat. Verbum enim ejus pretioſum eſt, ideo non projicitur temere in aërem, acſi eſſent quiſquiliæ: ſed eſt ſemen ineſtimabile. Quum ergo Dominus clamat, hoc non fit abſque legitima cauſa, inquit Amos. Quare? Leones enim ſine præda non rugiunt. Deus ergo nonniſi optimo conſilio per ſuos Prophetas clamat. Hinc ſequitur Iſraelitas fuiſſe hactenus nimis ſtupidos, qui non auſcultaverint majore ſtudio & attentione ad Propheticam doctrinam, acſi Deus inanem ſonitum ederet. Nunc ſequitur tertia ſimilitudo, *An cadet*, inquit, *avis in terram abſque aucupe?* Hic ſignificat Propheta nihil accidere niſi à Deo proviſum. Quemadmodum enim aucupia tenduntur avibus, ſic etiam Deus illaqueat homines occultis pœnis. Subito quidem eveniet calamitas, & hoc ſolet fortunæ aſcribi: ſed Propheta hic admonet Deum tendere ſua aucupia, quibus capiuntur homines, etiamſi putent fortunam dominari, & non obſervent Dei manum: falluntur, inquit. Nam *avis* non prævidet inſidias ſibi paratas, ſed tamen *non cadit in terram ſine aucupe.* Neque enim retia illa fortuito ſeſe contexunt, ſed hoc fit induſtria hominis qui venatur. Sic etiam calamitates non contingunt à fortuna, ſed manant ex arcano conſilio Dei. Notandum autem eſt, ſimilitudines non debere aptari nimis ſcrupuloſe ad cauſam præſentem. Siquis quærat, quomodo Deus hic ſe comparet aucupi, quum tamen fraus ſit & aſtutia in captandis innoxiis avibus, quum retia illis tenduntur, hoc eſt frivolum: quia ſatis conſtat quid ſibi velit Propheta, & quorſum ſpectent ejus verba; nempe arcano Dei conſilio homines incidere in pœnas, & illaqueari: quoniam Deus longe proſpexit quid facturus eſſet, etiamſi homines ſeſe temere projiciant, quemadmodum aviculæ, quæ nihil prævident. Sequitur jam, *An tollet laqueum ſuum auceps priuſquam capturam ceperit?* Hoc ſecundo membro ſignificat Propheta minas Dei non fore irritas, quia exequetur quicquid pronunciat. Certum quidem eſt, aucupes ſæpe vacuos redire domum, & colligere ſua retia etiamſi nihil ceperint: ſed Propheta, quemadmodum dixi, dum iſtas ſimilitudines adducit, tantum recitat quid facere ſoleant aucupes, quum ſcilicet præda aliqua ſperatur. Exempli gratia, Siquis retia tetenderit, quieſcet, neque colliget retia ſua, donec prædam aliquam ceperit, ſi quidem præda contingat: nam fruſtra illic quieſceret totam noctem. Ergo ſicuti aucupes non fatigantur, neque volunt perdere ſuum laborem poſtquam retia tetenderint: ſic etiam Propheta dicit Deum non fruſtra ſpargere ſuas minas, ut tantum ſint vana terriculamenta, ſed manere hæc retia donec ceperit ſuam prædam, hoc eſt, reipſa exequutus fuerit Deus quod minatus eſt

per

per ſuos Prophetas. Summa igitur eſt, verbum Dei non cadere ſine efficacia, ſed ſimul conjunctum eſſe effectum ubi Deus aliquid protulit: & ideo objurgat Iſraelitas, quod tam ſecure, & ſurdis auribus excipiant omnes minas, acſi Deus tantum luderet: non fiet quemadmodum ſperatis, inquit. Nam Deus prædam ſuam capiet antequam auferat ſua retia. Poſtea addit, *An clanget tuba in urbe, & populus non contremiſcet?* Hic, ut dixi, caſtigat torporem populi, cui luſoriæ erant omnes minæ: *Clangente tuba*, inquit, *omnes contremiſcunt*. eſt enim ſignum periculi. Omnes ergo vel ad auxilium confugiunt, vel obſtupeſcunt clangente tuba: Deus clamat ipſe, vox ejus longe plus meretur reverentiæ, quam tuba metus injiciat hominum animis; & tamen ſurdis canitur. Quid ergo hoc ſibi vult, niſi quod homines dementia ſua occupat? jam carent ſenſu & omni vigore mentis? Nunc ergo videmus quorſum ſpectent hæ ſententiæ Prophetæ, quod ſcilicet faſcinati eſſent quodammodo Iſraëlitæ à Diabolo, quia nullus erat apud eos ſenſus malorum: & quum ſcirent Deum tuba clangere, & denunciare exitium, tamen quod ſecuri interea manebant, & nihilo plus movebantur, quam ſi fuiſſent apud eos res quietæ. Reliqua non poſſem nunc abſolvere.

Da omnipotens Deus, quando dignaris quotidie nos hortari ad pœnitentiam, & non exequeris repente tuum judicium, quo poſſemus etiam repente & momento uno obrui, ſed das nobis ſpatium reconciliationis quærendæ, ut interea attenti ſimus ad doctrinam, & ad omnes admonitiones & minas, & nos tibi obſequentes præbeamus ac dociles, ne ſcilicet cogaris ultimam de nobis vindictam ſumere, ſi forte videris nos occalluiſſe ad omnes minas, & eſſe prorſus incurabiles: fac igitur ut ſpiritu docilitatis & obedientiæ nos ita tibi ſubjiciamus, ut collecti ſub manum Filii tui, vere invocemus te Patrem, & ſentiamus etiam re ipſa, ubi nobis oſtenderis paternum illum amorem, quem pollicitus es, & quem etiam experti ſunt ab initio omnes, qui vere & ex animo invocarunt nomen tuum, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO SEXTA IN AMOS PROPHETAM.

CAP. III.

PRoxima lectione dixerat Amos *contremiſcere totum populum ad clangorem tubæ*: nunc videtur ſubjicere ſententiam prorſus alienam, quod ſcilicet *nulla calamitas accidat niſi à Deo*. Sed præfatus fuerat de clangore tubæ quod jam vidimus, ut intelligeret populus nihil fortuito ſibi accidere, ſed infligi juſtas pœnas à Domino. Et hoc etiam paulo poſt confirmat, quum dicit Deum nihil facere, niſi prius manifeſtaverit ſecretum ſuum Prophetis. Summa igitur eſt, populum Iſraël nimis eſſe ſtupidum, qui non reſipiſcat toties admonitus: imo etiam violentis remediis coactus, tamen maneat ſemper in ſua obſtinatione. Nunc ergo tenemus Prophetæ ſenſum. Sed ut melius pateat tota res, ſumamus mediam hanc ſententiam, *Nullum eſſe malum in urbe, quod Deus non fecerit.* Propheta his verbis admonet, calamitates non accidere fortuito, quemadmodum vulgus hominum credit. Nam ſcimus vel proſperam, vel adverſam fortunam eſſe in omnium ore, quaſi Deus otium coleret in cœlo, & non curaret res humanas. Quicquid ergo contingit, hoc ſolet mundus adſcribere fortunæ. Propheta autem hic oſtendit adminiſtrari imperium mundi hujus à Deo, & nihil accidere niſi ab ejus manu. Neque enim hic agitur de peccato: ſed Malum, רעה, vocat Propheta pro communi more quicquid nobis adverſum eſt. Quod ergo natura fugimus, hoc ſolet vocari malum: & hunc morem loquendi nunc Amos ſequitur.
Jeſa. 45. verſ. 7. quemadmodum apud Jeſaiam dicitur Deus habere in manu ſua noctem & diem, lucem & tenebras, bonum & malum. Quum illic agitur de bono & malo, certum eſt referri hoc ad res proſperas vel adverſas. Sic etiam nunc Propheta docet caſtigari homines à Deo, quoties aliquid adverſi contigit: acſi diceret, non dominari fortunam ſicuti mundus imaginatur, neque etiam res temere in mundo rotari, ſed Deum ſemper eſſe mundi judicem. In ſumma, vult Amos revocare populum ad examen vitæ ſuæ, perinde acſi illum citaret ad tribunal Dei: & oſtendit ex ſignis ipſis externis Deum fuiſſe merito Iſraëlitis offenſum: videtis vos tam duriter tractari, putatiſne Deum in cœlo dormire otioſum? Si nihil accidat niſi volente Deo, jam quum vos ita duriter & aſpere tractat, vult expergefacere, ut ſentiatis veſtra vitia. Nunc ergo tenemus Prophetæ conſilium, ubi dicit *non eſſe malum in urbe, quod Deus non fecerit*. Sic etiam apud Jeremiam Deus graviter expoſtulat cum populo, quia imputaret fortunæ clades bellorum, famem, & reliqua incommoda. Siquid ergo triſte contigerat, conquerebantur Judæi de mala fortuna, quemadmodum ſolet mundus. Deus iraſcitur, & ſevere objurgat profanam illam imaginationem: quia hoc modo eripitur ei imperium mundi. Siquid enim contingat ipſo non volente, jam excluditur à poteſtate ſua. Deinde obdureſcunt homines in ſuis peccatis, quia etiamſi graviter ipſos percutiat, non tamen agnoſcunt manum ejus. Clamitant quidem ad ictus ipſos, ſentiunt quam gravia ſint flagella: ſed non reſpiciunt manum percutientis, quod erat præcipuum, quemadmodum alibi dicitur. *Jeſa. 9. verſ. 13.* Ergo hoc Propheta ſumit pro confeſſo, quoties aliquid adverſi contingit, homines nimis eſſe ſtupidos, niſi expergefiant, & reputent ſecum ſua peccata, & ſtatuant ſibi proponi ſigna iræ Dei, ut hoc modo ad ipſum confugiant, fateantur ſe reos merito eſſe, & implorent ejus miſericordiam. Præfatus autem fuerat de clangore tubæ, quia hoc modo ſublata fuit excuſatio Iſraelitis, quum Deus non tantum ſuis flagellis illos revocaret in viam, ſed præiret etiam verbo ſuo. Et oſtendit ſe juſte illis eſſe iratum: & ideo Propheta ſubjungit aliam ſententiam, *Quia non faciet Dominus Jehova quicquam niſi revelaverit ſecretum ſervis ſuis Prophetis.* Hoc verſu Propheta dicit, non agere Deum cum Iſraelitis quemadmodum cum profanis gentibus. Deus enim pœnas ſumebat de aliis populis abſque verbo: non citabat neque Idumæos, neque Ammonitas, neque Ægyptios ad judicium; ſed exequebatur vindictam ſuam, quamvis apud eos tacuiſſet. Diverſa fuit ratio apud Iſraelitas. Deus enim non tantum ſumpſit de illis pœnas quales meriti erant, ſed prævenit verbo ſuo, & mature oſtendit quid mali inſtaret, ut poſſent antevertere. Dabat enim illis ſpatium reſipiſcendi, & paratus erat ſimul ad veniam, ſi fuiſſent curabiles à parte ſua. Nunc igitur Propheta aggravat crimen populi, quia non fuerit ſimpliciter caſtigatus à Domino; ſed poterat, ſi vellet, antevertere pœnas ipſas: interea autem obſtinaverit ſe in malitia. *Non faciet ergo quicquam Deus, quin revelaverit ſecretum ſuum ſervis ſuis Prophetis.* Hoc reſtingi debet ad populum, deinde reſtringi debet ad pœnas de quibus nunc Pro-

pheta concionatur. Certum eſt Deum exequi multa judicia, quæ latent & homines & Angelos. Nec vero Amos voluit hic neceſſitatem aliquam Deo imponere, quaſi non ſit ei liberum facere niſi quod prius manifeſtaverit. non fuit tale Prophetæ conſilium: ſed ſimpliciter voluit Iſraëlitas damnare deploratæ pervicaciæ & obſtinationis, quod admoniti non tamen induxerint in animum reſipiſcere, ſed contempſerint omnes Dei minas, imo ludibrio habuerint. *Deus ergo non faciet quicquam*: hoc eſt, Deus non aget vobiſcum vulgari ratione, quemadmodum caſtigat alios populos, & interea tacet. Illi ut plurimum non intelligunt quid agatur: ſed Deus paterno more familiariter vos admonet de veſtris peccatis, oſtendit cur in animo habeat vos caſtigare, & antevertit etiam, ut ſit vobis ſatis temporis ad quærendam ac petendam veniam. *Revelat* igitur *Deus ſecretum ſuum Prophetis*: hoc eſt, non ſubito neque ex inopinato vos punit, quemadmodum poterat, & quemadmodum videtis etiam ipſum facere erga alios. Sed denunciat quid ſit facturus, & mittit ſuos præcones. Acſi caduceatores eſſent denunciant vobis bellum, & interea aperiunt januam ad reconciliationem, niſi prorſus eſſetis deſperati & obſtinati in malitia veſtra. Eſtis ergo bis inexcuſabiles, ubi Deus nihil proficit verbo ſuo, & pœnis, quas etiam poſtea verbo adjungit. Tenemus nunc conſilium Prophetæ. Ergo ſtulta eſt illa quæſtio, vel ſaltem importuna, An Deus hic ſe alligaverit certa lege, ne quicquam faceret, niſi prius manifeſtaſſet ſervis ſuis Prophetis. Hoc enim non intelligit Amos: ſed aſſerit tantum de communi ratione, quam Dominus tenebat in populo illo caſtigando. Certum eſt, celatos interdum fuiſſe Prophetas de multis rebus. Deus enim diſtribuit illis Spiritum ſuum ad menſuram. Non igitur manifeſtata fuerunt omnia Prophetis. Sed Amos hic tantum ſignificat Deum non agere cum electo populo quemadmodum ſolet cum profanis gentibus: quia illæ ex improviſo ſæpe experiebantur Deum ſibi iraſci, & tamen non erat ſpatium meditandi, ut reſipiſcerent. Multo liberalius & clementius Amos dicit Deum egiſſe cum illo populo, quia noluit Deus repente eum obruere, neque deprehendere etiam: ſed admonuit per ſuos Prophetas. Videmus quam late pateat hæc doctrina: ſed ſatis eſt tenere conſilium Prophetæ, & tenere etiam in quem finem accommodari debeat ejus ſermo. *Deus* igitur *non faciet quicquam niſi prius revelaverit arcanum ſuum Prophetis.* Vocat Arcanum, quia homines perplexi hærent quum Deus vindictam de illis exigit, & obſtupeſcunt. Ubi autem in tempore ſunt admoniti, jam patet quidnam ſibi velit Deus: agnoſcunt etiam pœnarum cauſam & fontem. Jam ergo revelatum eſt ſecretum, quod lateret miſeros homines: & ideo duplicatur populi culpa, dum ad minas non reſipiſcunt. Jam ſequitur, *Leo rugit, quis non timeat? Dominus Jehova loquutur, quis non prophetet?* Hoc verſu objurgat Propheta Iſraëlitas, quod ſolerent cum Prophetis rixari, quando aſperius invehebantur in ipſorum peccata. Sic enim ſolent homines: non expendunt Prophetas divinitus eſſe miſſos, & injunctum eſſe illis hoc munus. Si ergo auſteri ſunt Prophetæ in ſuis verbis, obſtrepit mundus, & litigat, Quid ſibi volunt iſti homines? cur nos tantopere urgent? cur non ſinunt nos quieſcere? nam provocant erga nos iram Dei. Quoties ergo expergefiunt homines, ſtatim intentant litem & jurgium contra Prophetas Dei, neque reſpiciunt aliunde proficiſci minas ipſas. Hoc vitium nunc damnat Propheta: *Leo rugit, quis non timeat?* inquit: *Deus loquutur, quis non prophetet?* Vos putatis me eſſe veſtrum adverſarium: ſed nihil proficietis mecum jurgando. ſi taceam, vox Dei ſatis per ſe erit formidabilis. Malum igitur non procedet ex ore meo, ſed potius ex mandato Dei. Ergo velim nolim, cogor obedire Deo: delegit me Prophetam, & oſtendit quid velit à me proferri. Quid facerem? inquit. non eſt mihi liberum fingere revelationes, ſed quod mihi traditum eſt à Domino, hoc fideliter ad vos perfero. Quanta igitur iſta dementia eſt, quum mecum litigatis, & non reputatis vobis eſſe negotium & certamen cum Deo ipſo? Tenemus ergo nunc quid velit Propheta: atque hoc modo etiam tenemus cur poſuerit quatuor illas ſimilitudines, de quibus antehac ſatis diſſeruimus. Nunc pergo in reliquo contextu.

9. Promulgate in palatiis Aſdod, & in palatiis terræ Ægypti, & dicite, Congregamini ſuper montes Samariæ, & videte tumultus multos (*vel concuſſiones multas*) in medio ejus, & oppreſſiones in medio ejus.

Hic incipit Amos judices ferre Iſraëlitis, quia non poterant Dei judicio patienter ſe ſubjicere. Conſtituit ergo ac præficit illis Ægyptios & Idumæos judices. Non dubium eſt quin hæc prophetia magis exaſperaverit animos populi jam nimium præfracti ac rebellis: ſed tamen ita oportuit fieri. Deus enim illos ad tribunal ſuum citabat, ut tamen maneret ſpes reconciliationis. ubi excandeſcunt contra Dei minas, fremunt contra ſervos ejus, imo contumaciter diſceptant, acſi non eſſent culpæ obnoxii, quid reliquum eſt niſi ut Deus conſtituat illis judices, quos nominat Propheta, nempe Ægyptios & Idumæos? Non poteſtis ergo judicium meum ferre: increduli qui jam damnati ſunt, ferent de vobis ſententiam. Ego quidem legitimus ſum judex veſter; ſed quia me repudiatis, ego oſtendam quid valeat mea auctoritas: ego tacebo, Ægyptii loquentur. Quinam ſunt Ægyptii? Nempe etiam cum Iſraelitis obnoxii erant, & eundem ſuſtinebant reatum, vel ſaltem non longe diſtabant à ſimili pœna: ſed tamen Deus trahet Iſraelitas, ut cogantur audire ſententiam quæ pronunciabitur ab Ægyptiis, & ab Idumæis. Scimus quam ſuperbe gloriati fuerint Iſraëlitæ de ſua prærogativa. Hic autem Dominus faſtum illum deridet, quia abutebantur ſuis beneficiis. Nunc ergo tenemus Prophetæ conſilium. *Promulgate*, inquit, *in palatiis Aſdod, in palatiis terræ Ægypti, & dicite*. quidnam? *Congregamini ſuper montes Samariæ.* Vult Ægyptios & Idumæos confluere, & montes Samariæ eſſe inſtar theatri. Quanquam potius ad ſimilitudinem hanc quadrabit tribunal. Perinde ergo eſt acſi Ægyptii ac Idumæi ſederent in excelſo loco: Deus proponit illis oppreſſiones, & rapinas, & injuſtas prædas, quæ fiebant in regno Iſraël. *Congregamini* ergo *ſuper montes Samariæ.* Alludit Propheta ad ſitum regionis. Nam quum Samaria ſita eſſet in planitie, in circuitu tamen montes erant: putabant ſe illic latere, & erant quaſi vinum in ſuis fæcibus. Dicit nunc Deus, Conveniant Ægyptii & Idumæi ad ſpectaculum: ego illis dabo locum unde conſpiciant quam injuſtè graſſetur omnis iniquitas in regno Iſraël. Poſſident quidem ſuam planitiem, & putant circuitu montium ſe eſſe probe munitos: ſed ex ipſis montibus cæci ipſi videbunt quam fœda & turpis ſit ipſorum conditio. *Veniant* ergo, inquit, *videant oppreſſiones* מהומת vocat tumultus: ſed intelligit oppreſſiones quæ fiunt ubi nulla amplius viget ratio vel æquitas: dum aguntur omnia cum ſtrepitu, & impetuoſe. Videant ergo oppreſſiones, & videant afflictiones. Loquitur de ipſo actu, poſtea addit perſonas: ſed tamen idem duobus diverſis modis ſignificat Propheta, nempe regnum Iſraël plenum eſſe multis ſceleribus, quia graſſentur illic rapinæ, & nulla moderatio contineat homines, quin per tumultum & ſtrepitum exſpolient pauperes & miſeros. Jam ſequitur,

10. Et

10. Et non noverunt facere rectum, dicit Jehova, theſaurizantes rapinam & prædam in palatiis ſuis.

Hoc verſu confirmat quod prius dixit de oppreſſionibus. Dicit ergo eos contemnere omnem rectitudinem. Nam iſtud neſcire non elevat ipſorum culpam, acſi incogitanter deliquiſſent, ſed potius intelligit Propheta eos procul à ſe rejicere omne judicium, ac ſibi permittere omnem licentiam peccandi ſine ullo delectu, ſine ullo pudore: quaſi diceret, Ipſi ſunt ſicuti bruta animalia, quia carent omni judicio, omni ratione & pudore. neque enim intelligere amplius volunt. Hic ergo accuſat voluntariam cæcitatem in Iſraëlitis, quod ſeipſos obdurent ad omne malum, & extinguant quicquid eſt judicii, puduris & rationis, ne amplius diſcernant inter æquum & injuſtum. Et ſpeciem illam adjungit, quod ſcilicet accumulent ſibi multas opes ex prædis & rapinis. Non dubium eſt quin aliis etiam ſceleribus obſtricti fuerint Iſraëlitæ. Sed per ſynecdochen hic notatur ſpecies una quæ comprehendit ſub ſe alias: nempe quod populus ſe prorſus addixerit ſceleribus, quum ſcilicet abjecto omni pudore, extincto omni delectu, & repudiata omni ratione æquitatis proſtitueret ſe ad omne ſcelus. Hæc ſumma eſt verborum Prophetæ. Propheta autem noſter hic deſignat craſſa ſcelera, quoniam prius conſtituit Iſraëlitis judices cæcos. Perinde eſt igitur acſi diceret, Quamvis Ægyptii & Idumæi luce careant, tamen iniquitas veſtra palpabilis eſt, ut poſſit ab illis agnoſci. Neque enim ſubtiliter diſputandum eſt, quum prædæ ipſæ & rapinæ ſic graſſentur violento impetu, quum nulla amplius ſervetur moderatio vel æquitas, nullus etiam amplius pudor; ſed ruant homines cæco impetu ad omne malum: cæci ipſi palpabunt etiamſi careant oculis. Ergo Ægyptii & Idumæi conſpicient veſtra ſcelera, ubi locati fuerint in vicinis montibus. Hæc ſumma eſt. Sequitur nunc,

11. Propterea ſic dicit Dominus Jehova, Adverſarius, & quidem in circuitu terræ, & tollet abs te robur tuum, & diripientur palatia tua.

12. Sic dicit Jehova, Quemadmodum eripit paſtor ex ore leonis duo crura, vel extremam partem auris, ſic eripientur filii Iſraël qui habitant in Samaria, in angulo lecti, & in Damaſco tanquam in grabato.

Propheta hic denunciat qualem pœnam ſumpturus ſit Deus de Iſraelitis: *Hoſtis*, inquit, *& quidem in circuitu.* Putant quidam צר eſſe imperativum modum verbi: ſed non poteſt hoc ſtare. Amos ergo hic pronunciat propinquum eſſe hoſtem Iſraëlitis, qui ipſos obſideat omni ex parte. Nam ſolent impii ſemper quærere effugia, & ſi minimam rimam aſpiciant, putant ſe eſſe elapſos. Mira eſt hominum ſecuritas contra Deum: ubi vident ſe conſtringi, tunc ſerio terrentur, imo exanimantur prorſus. Sed interea captant ſubterfugia ad dextram & ſiniſtram partem, neque unquam cedunt Deo, niſi coacti. Hæc ratio eſt cur dicat Propheta *hoſtem inſtare, & quidem in circuitu*: quaſi diceret, Non eſt quod putetis jam vobis patere aliquem exitum: Deus enim vos conſtringet omni ex parte. Eſt igitur obſidio quæ vos ſic tenebit devinctos, ut fruſtra ſperetis vos poſſe effugere. *Hoſtis* ergo, *& quidem in circuitu*, inquit. *In circuitu totius terræ, qui auferet abs te fortitudinem tuam.* Hic Propheta tollit vanam confidentiam Iſraelitis, quia non poterant concipere vindictam Dei, quum intuebantur opes ſuas. Putabant enim ſibi eſſe ſatis præſidii in multitudine ſua, in divitiis, in armis, quemadmodum homines ſolent Deo opponere quicquid ab ipſo profectum eſt: quaſi poſſent aliquid creaturæ adverſus ipſum: deinde quaſi Deus non auferret ſuo arbitrio quicquid dedit. Sed tamen hæc eſt hominum cæcitas: ideo Propheta dicit totam opulentiam, & totum robur quo pollebant Iſraelitæ, fore inutile: quoniam *hoſtis à Deo armatus*, inquit, *auferet abs te fortitudinem tuam, & diripientur hoc modo palatia tua.* Proximo verſu relinquit nonnihil ſpei: ſed non facit hoc ex profeſſo. Quum ergo dicit aliquos fore incolumes, quemadmodum ſi paſtor ex faucibus lupi eripiat auriculam ovis unius, vel duo crura, non tamen conſilium Prophetæ eſt mitigare illum rigorem, de quo prius loquutus eſt: ſed potius oſtendit ſi quid erit ſalvum, hoc non fore quia populus ſe ipſum defendat, vel quia par ſit ad reſiſtendum, ſed quemadmodum ſi paſtor trepidus eripiat aliquam particulam prædæ ex ore leonis. Tenendum eſt quod nuper dixi de ſuperba illius populi confidentia. Putabant enim Iſraëlitæ ſatis ſe eſſe tutos ab omni periculo: ideo ſpernebant omnes minas. Quid autem Amos? Ne putetis, inquit, ullam vobis fore defenſionem, quia hoſtes veſtri ſimiles erunt leonibus, & nihilo plus erit vobis fortitudinis ad reſiſtendum, quam eſt ovibus quum eas diripiunt ac prædantur non ſolum lupi, ſed etiam leones: ſi quid erit tunc ſalvum, hoc fiet miraculo, quemadmodum ſi paſtor eripiat particulam auris, vel duo crura ex ore leonis, quum leo ſatiatus eſt. Paſtor non auderet congredi cum leone, fugiet ſemper à conſpectu ejus: ſed leo potietur præda ſua, deinde ſatiabitur pro libidine. Si relinquat extremam partem auriculæ, vel duo crura: paſtor tunc rapiet, & dicet, Ecce, tot ſunt oves voratæ à leonibus: & hoc eſt teſtimonium. Sic etiam nunc dicit Propheta, Dominus exponet vos in prædam hoſtibus veſtris: & ipſorum rapacitas vobis non ſecus erit formidabilis, quam ſi leo ovem aliquam invaderet. Fruſtra igitur putatis vos eſſe munitos opibus veſtris. quid enim ovis ad leonem? Sed ſi quid erit ex vobis reſiduum, hoc erit inſtar auriculæ, vel inſtar cruris. Plus autem hoc valet: quemadmodum ſi leo vorет ovem, quemadmodum ubi tenet prædam nihil relinquit donec ſatiatus eſt, ſic etiam continget vobis. Falluntur ergo qui putant hic conſulto mitigari comminationem, quæ præceſſit. Neque enim Propheta in hoc eſt, ſed continuat ſuam ſententiam, quod ſcilicet totus populus diripietur, & hoſtes inſtar leonum erunt, nihil erit virtutis ad reſiſtendum. Fateor quidem hic dari ſpem aliquam populo, quemadmodum prius viſum eſt, ſemper Deum voluiſſe manere aliquas reliquias in electo illo populo inſtar ſeminis. fateor hoc verum eſſe: ſed interea videndum eſt quid agat Propheta, & quorſum ſpectet. Non vult igitur hic conſolari Iſraëlitas ex profeſſo: ſed quamvis per occaſionem indicat fore aliquid reſiduum, tamen conſilium ejus eſt oſtendere nunc totum regnum datum eſſe in prædam leonibus, neque quicquam ſalvum fore, niſi quemadmodum ſi paſtor reportet auriculam ubi lupi & leones ſatiati fuerint. Sequitur,

13. Audite & teſtificamini in domo Jacob, dicit Dominus Jehovah, Deus exercituum:

14. Quia die quo viſitabo ſcelera Iſraël ſuper ipſum, etiam viſitabo ſuper altaria Bethel: & ſcindentur cornua altaris, & cadent ad terram.

Non dubito quin Amos hanc ſententiam adjecerit, ut oſtenderet ſuperſtitiones, quibus falſo ſciebat confidere Iſraëlitas, adeo illis non fore adjumento, ut potius ceſſuræ eſſent in exitium: quia ſcilicet hoc modo magis in ſe provocabat populus iram Dei. Quum ergo audirent Iſraelitæ Deum eſſe offenſum, inſtar clypei vel umbræ erant ſacrificia, & aliæ ſuperſtitiones. Sic enim hypocritæ Deo illudunt. Atqui ſcimus ſacrificia illa quæ offerebantur in Bethel, fuiſſe plena ſacrilegiis. erat enim totus ille cultus adulterinus. Nam Deus elegerat ſibi locum ubi volebat ſacrificia offerri. Iſraelitæ templum erexerant ſine ullo mandato, imo contra manifeſtam Dei prohibitionem. Quum ergo ita violaſſent & corrupiſſent totum Dei cultum, mira fuit eorum veſania, quod audebant Deo obtrudere illas ſuperſtitiones, quaſi poſſent hoc modo iram ejus placare. Propheta igitur nunc ſtuporem illum coarguit, dicens, *Quo die viſitabit Deus ſcelera Iſraël, ſumpturum etiam pœnam de altaribus Bethel.* Quum hic ſcelera nominat Propheta, intelligit rapinas, & injuſtas exactiones, prædas, & quicquid ſimile fuit. Nam tunc, ſicuti vidimus, effrenis crudelitas, avaritia, perfidia graſſata fuit in illo populo. Dicit ergo nunc, *quum Deus viſitabit ſcelera Iſraël ſuper ipſum*: hoc eſt, quum puniet avaritiam, ſuperbiam, crudelitatem, quum vindictam exiget de rapinis, & prædis, tunc etiam viſitabit ſuper altaria Bethel. Putant Deum ſibi fore propitium Iſraëlitæ dum ſacrificant, quamvis tota vita ſint ſcelerati. Putant enim purgari omnem ſuam immunditiem ſuis illis piaculis: & putant ſatisfactum eſſe Deo, quum defuncti ſunt externo illo cultu. Ergo quum offerunt ſacrificia, exiſtimant ſe hoc modo paciſci cum Deo, ne audeat exigere pœnas de reliquis ſceleribus, acſi eſſet illa juſta compenſatio: Multum fallit eos ſua opinio, inquit Amos. Nam interea, ut ſcimus, hoc erat præcipuum, quod perperam Dei cultum mutare auſi ſint, quod auſi ſint templum erigere ſine ejus mandato, quod denique violaverint totam Legem. Deus ergo incipiet à ſuperſtitionibus quum volet pœnas exigere de peccatis populi. Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ, ubi dicit Deum viſitaturum ſuper altaria Bethel quum pœnas ſumet de ſceleribus Iſraël. Sed quia hoc perſuaſu erat difficile, Propheta hic conciliat ſibi attentionem. *Audite, & teſtificamini*, inquit, *in domo Jacob.* Quum audire jubet, inducit loquentem Deum. Nam poterant Iſraëlitæ, ut ſcimus ſolitos fuiſſe facere, cauſari Amos temere minari talem pœnam: Nihil eſt meum, inquit. Videmus ergo quorſum ſpectet præfatio hæc, quum dicit, *Audite.* Nam oſtendit Deum auctorem eſſe hujus vaticinii, & nihil ſibi eſſe proprium, excepto ſolo miniſterio. *Audite ergo, & teſtificamini in domo Jacob.* Teſtificandi verbo obſignat prophetiam, quo plus habeat ponderis, ne putent rem eſſe ludicram: ſed intelligant ſerio Deum agere. Teſtificamini ergo in domo Jacob. Et eodem pertinent elogia, quæ Deo tribuit: *Dominus Jehova*, inquit, *Deus exercituum.* Poterat uno verbo dicere, Jehova ita dicit, ſicuti ut plurimum ſolent Prophetæ. Sed tribuit illi dominium: præterea hic producit in medium ejus potentiam. in quem finem? ut ſcilicet terrorem incutiat Iſraëlitis, ne illos amplius occupent vanæ blanditiæ, ſicuti antehac: ſed intelligant ſuis ſuperſtitionibus adeo nihil proficere ad placandam iram Dei, ut eam magis ac magis provocent.

Da omnipotens Deus, quando ſceleribus noſtris ita te quotidie provocamus, ut digni ſimus æterno exitio, & nihil in nobis maneat reſiduum, ac tametſi ſevere caſtigemur temporalibus pœnis, ne tamen eripias à nobis ſpem ejus miſericordiæ, quam pollicitus es in Filio tuo his qui vere & ex animo reſipuerint, & te invocaverint Patrem: da, inquam, ut tacti ſenſu malorum noſtrorum, cum vera humilitate & ſerio pœnitentiæ affectu offeramus nos tibi in ſacrificium, & cum gemitu ſic poſtulemus veniam, ut defuncti pœnis temporalibus, tandem perveniamus ad fructum illius gratiæ, quæ repoſita eſt omnibus peccatoribus, qui vere & ex animo ad te converſi imploraverint gratiam illam quæ parata eſt omnibus, qui vere oſtendunt ſe eſſe membra unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO SEPTIMA IN AMOS PROPHETAM.

CAP. III.

HEri unum mihi exciderat; impediebat enim capitis dolor ne inſpicerem librum. Dicit Propheta verſu 12. liberandos eſſe filios Iſrael ſicuti paſtor eripit auriculam, vel partem aliquam ovis: addit, *Sic filii Iſraël eripientur qui habitant in Samaria in angulo lecti, & Damaſci in grabato.* Similitudinem illam non expoſui. Putant quidam hic conferri Damaſcum cum Samaria, quod ſcilicet urbs erat opulentior: deinde Jarobeam ſecundus ampliaverat regni ſui fines ad illam urbem uſque, & ſubegerat ſibi partem aliquam regni Syriæ. Putant igitur vocari Samariam angulum lecti propter anguſtias: grabatum vero Damaſcum. Sed illud prorſus ratione caret. potius vocaſſet Amos Damaſcum lectum. Alii ſic exponunt, Qui ſalvi evadent ex populo Iſraël, non fore ſtrenuos & fortes viros, qui ſuſtineant hoſtilem impetum, vel qui manu arma ſe defendant, ſed ſalvos fore latendo, quia ſcilicet ad lectum confugient. Sed videtur Propheta hic Damaſcum & Samariam conferre lectulis, eo quod putabant Iſraëlitæ ſibi illud eſſe tutum receptaculum. Quamvis ergo habitetis Samariæ & Damaſci quaſi in quieto nido, tamen hoc erit admirabile, ſi pauci ex vobis evadant, quemadmodum ſi paſtor reportet auriculam ovis, poſtquam ſatiatus fuerit leo. Videtur hic genuinus eſſe ſenſus Prophetæ. Neque enim dubito quin rideat ſtultam confidentiam, cui indormiebant Iſraëlitæ, quum putarent ſe fore immunes ab omni periculo, ſi clauſi eſſent inter portas Samariæ vel Damaſci. Putatis ergo nidos illos vobis fore quietos: ſed leones illuc uſque perrumpent, & vix ex angulo lecti centeſimus quiſque, vel milleſimus evadet incolumis, quemadmodum ſi leo auriculam, vel partem cruris relinquat. Nunc pergamus.

15\. Et percutiam domum hyemalem cum domo æſtiva, & peribunt domus eburneæ, & deficient domus magnæ, dicit Jehova.

Hic rurſus Amos oſtendit, fruſtra proceres confidere ſuis opibus & præſidiis, quia hoc non impediet, quominus Deus extrahat eos ad ſupplicium. Quia ergo abundantia excæcat homines ut plurimum ubi habitant in magnis palatiis, exiſtimant ſe eſſe quaſi inacceſſibiles: ideo Propheta hic denunciat domos iſtas non fore obſtaculo, quominus illuc uſque perrumpat Dei vindicta. *Perdam igitur domum hyema-*

lem

lem cum domo æſtiva. Non dubium eſt quin periphraſtice hic palatia deſignet Amos: quia ſatis eſt pauperibus, ſi tugurium aliquod habeant tam hyeme quam æſtate. Non enim mutant partes ædium, ut calidius hyeme habiteot, deinde ut ſeſe refrigerent per æſtatem. Non eſt ea commoditas pauperibus: contenti ſunt uno habitaculo per totam vitam. Sed quia divites reporem captant hyeme, & habent partem æſtivam, ideo dicit Propheta amplas iſtas & magnificas ædes noo fore præſidio divitibus, quominus Dei vindicta illuc etiam penetret. *Perdam igitur domum hyemalem cum æſtiva.* Deinde, *deficient domus eburneæ.* Jam clarius videmus Prophetam hic concionari contra divites & opulentos, qui habitabant in ſplendidis & magnificis palatiis. *Peribunt* igitur *domus eburneæ, & deficient domus magnæ.* Alii vertunt, multas: ſed perperam. Propheta enim continuat eaodem ſententiam: & quemadmodum prius nominaverat domos eburneas, ita etiam nunc vocat magnas: quod ſcilicet non tantum extructæ eſſent ad commoditatem & uſum, ſicuti vulgares domus & plebeiæ; ſed additus eſſet luxus, ſplendor, & pompa: quemadmodum ſcimus ſemper luxuriari divites, noo tantum in victu ſuo & veſtitu, ſed etiam in palatiis. Hæc ſumma eſt. Nunc ſequitur,

CAPUT IV.

AUdite verbum hoc vaccæ Baſan, quæ eſtis in monte Samariæ, quæ opprimitis pauperes, quæ conteritis egenos, quæ dicitis dominis eorum, Affer, & bibemus.

VIdetur quiſquis diſtinxit capita, non ſatis conſideraſſe Prophetæ contextum. Nam objurgationem contra divites proſequitur: quia vaticinatus fuerat contra proceres regni Iſrael. Scimus autem quanta ſit ferocitas in divitibus qui formidabiles ſunt aliis ob ſuam potentiam. Ideo Propheta hic ſubſannat quicquid eſt in ipſis arrogantiæ: *Audite*, inquit, *hoc verbum.* Quaſi diceret, Video quid futurum ſit. Nam ſuperbe contemneot meas minas magni iſti & ſplendidi homines: noo putabunt ſe eſſe obnoxios Dei judicio: deinde putabunt etiam ſibi fieri injuriam: quærent quiſnam ego ſim, & quomodo audeat homo pecuarius ipſos tanta fiducia aggredi. *Audite* igitur *vaccæ.* quaſi diceret ſe non morari illam magnitudinem, qua ſuperbiunt. Qualis eſt igitur veſtra opulentia? Nempe pinguedo. Ergo non pluris vos facio, quam vaccas: eſtis ſaginati, ſed non terrebit me veſtra potentia, non eripient mihi libertatem veſtræ divitiæ, quominus vobiſcum agam ut decet ac Dominus mihi mandavit. Videmus ergo Prophetam hic per ludibrium inſurgere contra regni proceres, qui volebant eſſe ſancti & iotacti. Quærit Propheta quo privilegio veliot ſe munire, ne audiant verbum Domioi. Si objiciant ſuas divitias, & ſuam auctoritatem, hæc eſt, inquit, ſagina: vos interea manetis vaccæ, & habebo vos pro vaccis; hoc eſt, non minus libere vobiſcum agam, acſi eſſem cum pecore meo. Nuoc ergo tenemus Prophetæ conſilium. Pergit autem in ſimilitudine ſua. Nam quamvis hic accuſet regni proceres, quod opprimant homines innoxios, & affligant pauperes, tamen ſemper compellat eos in genere fœminino: *quæ habitatis*, inquit, *in monte Samariæ, quæ opprimitis pauperes, quæ conteritis egenos, quæ dicitis.* Non dignatur nomine virorum, tamen volebant ſe eximere ab ordine communi, acſi eſſent heroës quidam ac ſemidei. Propheta contemptim hic vaccas nominat, deiode adimit illis nomen virorum. Scimus Baſan nomen habere à pinguedine: fuit mons valde opimus, & celebris etiam ob paſcua: quia fertilitas montis illius ſatis nota erat in populo illo, Propheta nominat vaccas Baſan illos pingues & bene refertos homines. Neceſſe autem fuit tam aſpere tractari, quia ex pinguedine contraxeraot hebetudinem, quemadmodum fieri ſolet. Nam ſi homines affluant divitiis, ſi potentia excellant, obliviſcuntur ſeipſos, & contemnunt Deum, quia exiſtimant ſe eſſe extra omnem aleam. Quoniam ergo ſecuritas iſta facit, ut torpeant divites, neque attenti ſint ad ullas minas, neque etiam dignentur obedire verbo Dei, exiſtiment ſupervacua eſſe omnia conſilia: ideo Propheta aſperius eos objurgat, & contumelioſe etiam compellat vaccarum nomine. Quum dicit eſſe in monte Samariæ, hoc eſt adhuc ironicum. Poterant enim excipere ſe habitare in urbe regia, & ſe excubias agere pro publico ſtatu totius gentis, & ſuis conſiliis, ac ſua ioduſtria regnum ſtare. Video quid ſit, inquit, vos non eſtis in monte Baſan, ſed in monte Samariæ: quid eſt aliud Samaria quam Baſan? vos enim illic eſtis inebriati veſtris deliciis: quemadmodum vaccæ quum ſaturæ ſunt, ſuo pondere gravantur, & vix poſſunt amplius trahere corpus ſuum: eadem etiam io vobis eſt tarditas ob ſaturitatem. Samaria igitur etſi videtur eſſe ſpecula, nihil tamen eſt aliud quam mons Baſan. Neque enim illic tantopere (ſicuti fingitis) eſtis ſolliciti pro populi ſalute. Sed potius voratis magnas opes: & quia inſatiabilis eſt veſtra cupiditas, hoc totum regimen nihil eſt aliud vobis quam ſagina vel pinguedo, & opimum paſcuum. Accuſat autem præcipue eos Propheta, quod opprimant pauperes, & conterant egenos. Etſi enim minime dubium eſt, feciſſe etiam aliis injuriam, tamen quia ut plurimum exercent ſuam crudelitatem divites contra homines miſeros, & qui deſtituuntur omni auxilio, hæc ratio eſt cur Propheta diſerte hic exprimat pauperes & egenos homines affligi à divitibus. Deinde ſcimus etiam Deum promittere peculiare auxilium miſeris hominibus, ubi non inveniunt quidquam ſubſidii in terra. Hoc enim magis provocat Dei miſericordiam, ubi crudeliter omnes ſæviunt contra homines miſeros, ubi nemo illis manum porrigit, vel ſuccurrere dignatur. Addit poſtremo quod dicuot *dominis eorum.* Miror cur interpretes vertant in ſecunda perſona, Dicitis domiois veſtris. Nam hic in tertia perſona loquitur Amos. Deiode videotur data opera corrumpere genuinum Prophetæ ſenſum. Nam Dominos intelligunt Regem & ejus conſiliarios. Quaſi vero hic Propheta verba ſua non dirigat ad ipſos regni proceres. Non poteſt igitur quadrare quod illi reddunt. Cæterum dominos Propheta appellat exactores, quibus ſcilicet pauperes erant obærati. Hæc ſumma eſt, Regis conſiliarios & judices colludere cum divitibus, qui rapinas ſuas exercent contra pauperes. Nam ſi illi pretium attulerunt, ſtatim obtinent io judicio quicquid poſtulant. Pretio enim venales ſunt qui nihil aliud venantur quam prædam. Dicunt igitur dominis ipſorum, *Affer, & bibemus*: hoc eſt, tantummodo ſatia ingluviem meam, ego tibi adjudicabo quicquid poſtulare libuerit. Modo igitur pretium afferas, ne cura, ego tibi addicam omnes pauperes. Nunc ergo tenemus Prophetæ conſilium. Nam hic modum exprimit afflictionum de quibus fuerat conqueſtus. Opprimitis igitur pauperes. Quomodo? Nempe quia addicitis eos ſuis creditoribus, & addicitis pretio. Ubi ergo allata eſt vobis merces, hoc vobis ſufficit: non quæritis de bonitate cauſæ, ſed ſtatim damnatis miſeros & inooxios homines, quia non habeot ipſi uode ſe redimant. Domini autem, qoibus illi obærati ſunt, ubi eos veſtra iniquitate ſibi addictos tenent, perſolvunt pretium: ita mutua eſt inter vos colluſio. Videmus quam bene fluat Prophetæ ſenſus. Sequitur,

2. Juta-

2. Juravit Dominus Jehova per ſanctuarium ſuum, quia ecce dies veniunt ſuper vos: & tollet vos in clypeo, (*vertunt quidam: alii, in hamo*) & reſiduum veſtrum in ſpinæ piſcationis.

Hic jam pronunciat Amos qualis pœna maneat pingues iſtos & craſſos boves, qui bene referti contemnunt Deum, & torpent in ſua pinguedine. Dicit ergo venturos eſſe dies, imo jam inſtare. Hoc enim valet loquutio qua utitur. Dicit, dies inſtare ſuper eos, quum tolleotur cum tota ſua ſubſtantia, & omnibus poſteris quaſi hamo piſcatorio. ſed quo plus efficaciæ habeat iſta comminatio, dicit *Deum juraſſe per ſuum ſanctuarium.* Sufficere quidem debebat ſimplex Dei ſermo: ſed quemadmodum non facile amplectimur Dei promiſſiones, ita etiam hypocritæ & reprobi homines non terrentur ejus minis, ſed ſubſannant, vel ſaltem exiſtimaot evanidum eſſe quicquid denunciant ſervi Dei. Neceſſe fuit hoc jusjurandom Dei interponere, quo melius expergeſierent ſecuri iſti homines. *Juravit* ergo *Dominus,* ioquit, *per ſanctuarium ſuum.* Mirum eſt cur Deus per Templum hic potius juret, quam per ſeipſum. Videtur etiam hoc abſurdum eſſe. nam ideo per
Hebr. 6. verſ. 16. ſeipſum jurare ſolet Dominus, quia non eſt major per quem juret, ſicuti dicit Apoſtolus. Videtur ergo Deus transferre honorem ſibi debitum ad lapides & ligna: quod minime conſentaneum eſt. Sed tantundem valet Templi nomen ac ipſius Dei. Dicit ergo Deus ſe jurare per ſanctuarium, quia ipſe inviſibilis eſt. Templum autem eſt viva quædam ejus imago, in qua ſe conſpicuum exhibet. Eſt enim inſigne & ſymbolum religionis, ubi relucet Dei facies. Ergo Deus non exuit ſe propria gloria, ut ea Templum materiale ornet, ſed potius hic ſe accommodat ad ruditatem hominum. Quia enim per ſe non poteſt cognoſci, in Templo autem quodammodo apparet: ideo per Templum jurat. Sed ſpecialis ratio notanda eſt quam non obſervant interpretes, quod ſcilicet Deus per ſanctuarium ſuum jurans, repudiet fictitios omnes cultus quibus ſuperbiebant Iſraelitæ, quemadmodum etiam antehac vidimus. Summa eſt, Deus qui rite io monte Sion colitur, & qui illic tantum vult invocari, per ſeipſum jurat: & quanquam ſanctitas io ipſo ſolo reſidet, proponit tameo vobis ſymbolum ſanctitatis ſuæ Sanctuarium illud quod eſt Jeroſolymæ. Ergo repudiat omnes veſtros cultus, & habet pro luſtris vel lupanaribus omnia veſtra templa. Videmus ergo ſubeſſe in hac voce antitheſin inter ſanctuarium, ubi rite & legitime Deum colebant Judæi, & inter adulterina templa, quæ erexerat Jarobeam, deinde omnia excelſa, ubi Iſraëlitæ putabaot ſe ipſum colere. Nunc ergo tenemus quid ſibi velit hæc præfatio, quum dicit, *Deum juraſſe per ſanctuarium ſuum, dies venturos eſſe, imo inſtare ſuper ipſos, quibus tollentur in hamis,* vel clypeis. צנה ſignificat Frigere apud Hebræos: ſed צנות vocant Clypeos, vocant etiam interdum Hamos piſcatorios. Quanquam putant alii potius notari inſtrumentum, quo trahuntur carnes: ut ſemper alludat Propheta ad ſuperiorem metaphoram. Sed videtur potius aliud velle, & prorſus quidem diverſum, quod ſcilicet pingues iſtæ vaccæ trahuntur quaſi piſciculus hamo. Nam poſtea adjungit ſpinam, vel rurſus hamum. Perinde eſt igitur acſi dixiſſet, Vos quidem trahitis magnum pondus, & oneroſæ eſtis veſtra ſagina: ſed craſſities iſta non impediet quominus Dei judicium celeriter vos abripiat, quemadmodum ſi quis ſpina, vel hamo extrahat piſcem. Videmus quam apposite conveniant iſtæ duæ contrariæ ſimilitudines, Vos nunc confiditis veſtra pinguedine, Deus autem eriget vos acſi oullum eſſet in vobis onus. Extrahemini ergo ab hoſtibus, non tanquam vaccæ pingues, ſed tanquam piſciculi, & ſufficiet hamus unus, ſufficiet una ſpina, quæ vos abripiat in longinquas terras. Mutatio hæc debuit magis ſerio afficere Iſraëlitas, quum intelligerent ſe exuendos eſſe ſua pinguedine & opulentia, & perinde abripiendos eſſe acſi eſſent piſciculi, tantum opus eſſe hamo, non opus eſſe magnis plauſtris. Sequitur,

3. Et per rupturas exibitis unaquæque coram ſe, (*coram facie ſua*) & projicietis vos ab excelſo, (*vel ex palatio*) dicit Jehova.

Nunc aliis verbis exprimit Propheta qualis futura ſit clades illius regni. Quanquam divites ipſos, & proceres regni ſemper alloquitur. Nam quamvis minetur etiam plebeiis & gregariis, noo tamen opus fuit diſerte ipſos nominari. Quum enim Deus fulminat contra ipſos proceres, nonne terror etiam perveoire debet ad infimos? Ergo Propheta conſulro ſemper dirigit ſermonem ad judices, & conſiliarios Regis. *Exibitis* ergo *per rupturas unaquæque.* Videmus adhuc perſeverare in illa loquendi forma. Neque enim habet iſtos ſplendidos & magnificos dominos pro viris, ſed habet ſemper pro vaccis: *unaquæque vacca,* inquit, *exibit per rupturas è regione ſua.* Scimus quam curioſe obſervent ordinem ſuum divites: deiode quam difficiles ſint ad illos acceſſus. Sed Propheta hic dicit longe diverſam fore rationem: Non erit, inquit, triplex murus, neque triplex janua, quæ procul arceat omnes ſtrepitus, quemadmodum degitis io otio & quiete: ſed undique erunt rupturæ, & unaquæque vacca exibit per rupturas: imo *projiciet ſe ab ipſo palatio:* non vigebunt amplius apud vos iſtæ deliciæ, nec iſta mollities, in qua nunc reſidetis: minime, ſed tantum ſufficiet ſalutem fuga quærere. Ergo ſinguli veſtrûm præcipites ruent, quemadmodum ſi vacca œſtro percita, vel ſtimulis, ſeſe projiciat. Scimus autem impetuoſas eſſe projectiones vaccarum. Sic etiam vobis continget, inquit Propheta. Nunc ergo tenemus ſummam verborum. Quidam הרמנה accipiunt pro Armenia, quod abducti ſint Iſraelitæ in longinquam regionem. Alii etiam accipiunt pro monte Amano: quod prorſus omni colore caret. Ego oon accipio quemadmodum alii, pro Io palatio; ſed potius, è palatio, vel ab excelſo. *Projicietis ergo vos è palatio,* hoc eſt, non curabitis amplius veſtras pompas vel delicias, ſed ſufficiet effugere mortis periculum, idque belluino impetu, quemadmodum ſi vaccæ abſque ullo delectu ruerent. Quod toties repetit nomen Dei, non eſt ſupervacuum: vult enim excutere blanditias Iſraëlitis, quia jam diximus nimis ſecuros fuiſſe, imo ſocordes, illos Regis conſiliarios & judices: quia obſtupuerant quodammodo in ſua pinguedine. Sequitur,

4. Ite in Bethel, & ſcelerate agite in Gilgal, adjicite ad ſcelerate agendum, & adducite mane ſacrificia veſtra, ad tres dies (*hoc eſt, tertio anno*) decimas veſtras.

5. Et adolete è fermento laudem, & adducite voluntarias oblationes, publicate, quia ſic vobis libuit filii Iſraël, dicit Adonai Jehova.

6. Atque etiam ego dedi vobis munditiem dentium (*alii vertunt, obtuſiones: ſed male*) in omnibus oppidis veſtris, & penuriam panis in omnibus regionibus veſtris, & non eſtis reverſi uſque ad me, dicit Jehova.

Hic rurſus Propheta perverſam fiduciam deludit, qua obdurati erant Iſraëlitæ. Putabant enim cultum ſuum optime probari Deo, quum ſacrificia offerebant in Bethel & in Gilgal. Propheta autem hic oſtendit quo magis ſedulo in peragendis illis ſacris laborent, eo gravius Deum offendere, & ſibi accerſere gravius judicium. Quid proficitis ſatagendo, quum tam accurate offertis ſacrificia in Bethel, nihil omittitis quod ſit Lege Dei præſcriptum? Nempe vos magis ac magis provocatis iram Dei. Non damnat autem Iſraelitas, quod putarent ſe defungi illa compenſatione, quemadmodum hypocritæ ſolent, & hoc nomine etiam ſæpe arguuntur à Prophetis: ſed cultus ipſos pronunciat vitioſos eſſe & perverſos & abominabiles coram Deo. Dupliciter reprehendunt Prophetæ ſacrificia, vel quum hypocritæ ea coram Deo in compenſationem afferunt, ut ſcilicet effugiant quas merentur pœnas, quaſi ſolverent Deo quod debent. Sic Jeroſolymæ in ipſo Templo Judæi abutebantur Dei nomine; offerebant ex Legis præſcripto ſacrificia, ſed negligebant verum & legitimum finem. Putabant enim Deum placari ſanguine pecudum, ſuffitu & aliis externis ceremoniis. Fuit ergo perverſus ille abuſus. Ideo hoc nomine ſæpe eos Prophetæ caſtigant, quod obtrudant Deo ſacrificia compenſationis vice, acſi eſſent hæc vera piacula purgandis peccatis. Hoc nimis eſt puerile & ſtultum, inquiunt Prophetæ. Sed longius nunc progreditur Amos. Neque enim Iſraëlitas ideo tantum accuſat quod putent ſe defungi erga Deum externis ceremoniis: ſed pronunciat degeneres ac præpoſteros eſſe omnes eorum cultus, quia ſcilicet alibi Deum invocant, quam ipſe præceperat. Deus volebat unicum eſſe altare in populo ſuo, volebat ſacrificia illic ſibi offerri: Iſraëlitæ autem pro ſua libidine templa erexerant in Bethel, & Gilgal. Ergo Propheta hic pronunciat meras eſſe abominationes omnes illos profanos cultus, in quibus tamen fiduciam ſalutis repoſuerant Iſraëlitæ. Hæc ratio eſt cur nunc dicat, *Ite in Bethel.* Eſt vox indignantis. Ironice quidem loquitur Deus, ſed interea profert indignationem ſuam, acſi diceret eſſe prorſus indomitos, nec poſſe retineri ullis pœnis, quemadmodum Gallice dicimus, *Fay du pis que tu pourras.* Sic etiam ait Deus 20. cap. Ezechiel. Ite, ſacrificate idolis veſtris. Quum videret populum tanta pervicacia ruere ad idololatriam & ſuperſtitiones, dicit, Ite: quaſi vellet accendere eorum animos. Certum quidem eſt, Deum non addere ſtimulos peccatoribus; ſed hoc modo declarat extremam indignationem: quum fruſtra tentavit retinere homines, ac videt intemperanter furere, tunc dicit, Ite. Perinde eſt acſi diceret, Vos eſtis prorſus deſperati, nihil proficio bene conſulendo. Audite ergo diabolum, qui vos deducet quo vos propenſi eſtis. *Ite* igitur *in Bethel, & illic ſcelerate agite. Ite in Gilgal, & adjicite ad ſcelerate agendum*, hoc eſt, cumulate ſcelera ſceleribus. Quomodo autem ſcelerate ſe gerebant in Bethel? nempe Deum colendo. Hic videmus quid valeat prætextus bonæ intentionis apud Deum, quem tamen audacter ſemper objiciunt hypocritæ. Putant, modo propoſitum ſibi ſit colere Deum, non poſſe improbari quicquid agunt: ita laſciviunt in ſuis figmentis, & putant Deo ademptum eſſe jus ſuum, ne queri poſſit. Propheta autem pronunciat meras eſſe abominationes, & execranda ſcelera omnes illorum cultus, quorum tamen fiducia putabant Iſraëlitæ ſe fore ſalvos. Adjicite igitur ad ſcelerate agendum in Gilgal. Poſtea, Offerte ſacrificia veſtra mane, hoc eſt, ſitis diligentes, ita ut nihil poſſit vobis objici quantum attinet ad externam ſpeciem. *Poſt tres annos*, hoc eſt, tertio quoque anno, *afferte etiam decimas* veſtras. Sic enim præceptum erat, quemadmodum legimus Deuter. 14. Quamvis ergo Iſraelitæ in ſpeciem ſatis accurate Deum colerent, Amos tamen pronunciat hoc totum eſſe frivolum, & nihili, imo abominabile eſſe coram Deo: & quo magis ſatagunt, eo magis accendere ignem iræ Dei in ſua capita. Eodem etiam ſpectat proximus verſus, *Et adolete è fermento laudem.* Loquitur de pacificis. Solebant offerre ſacrificia ad gratiarum actiones una cum fermento. Nam aliis ſacrificiis adhibebantur placentæ, & panes azymi. In pacificis autem licebat offerre fermentum. Quamvis ergo Iſraelitæ in ipſis formulis eſſent plus ſatis ſeduli, Propheta oſtendit nihil probari Deo, quia defecerint à puro mandato Legis. Quod alii accipiunt fermentum in malam partem pro vitio vel corruptela ſacrificii, quod purum à fermento eſſe Lex jubebat, non videtur quadrare. Neque enim hic aliud in Iſraëlitis damnat, niſi quod diſceſſerint à mandato Legis: quia auſi fuerant mutare locum Templi, deinde erigere novum ſacerdotium. In aliis ſatis erant cauti & diligentes, ſed illa defectio erat principium abominationis. Fieri ergo non potuit ut Deus reciperet corruptelas: quia obedientia coram eo pluris eſt, quam omnes victimæ, ſicuti alibi dicitur. 1Sam.15.
Indicite, inquit, נדבות, oblationes voluntarias: hoc verſ. 22.
eſt, etiamſi non tantum peragatis ſacrificia mane & veſperi, ſicuti vobis mandatum eſt, etiamſi non tantum diebus feſtis offeratis alia ſacrificia, ſed utcunque accedant voluntariæ oblationes, nihil mihi placet. *Deducite* ergo, & *publicate oblationes voluntarias*: hoc eſt, cum magna pompa Inſtituite ſolennes conventus: tamen hoc nihil aliud eſt, quam addere peccata peccatis. Scelerate ergo agitis, quia principium ipſum vitioſum eſt. Et notanda eſt poſtrema pars verſus, quum dicit, *Sic enim libuit vobis filii Iſraël, dicit Adonai Jehova.* Quum dicit Iſraelitas hoc amaſſe, exprobrat audaciam illam, quod ſcilicet pro ſuo arbitrio excogitaverant ſibi novos cultus: quaſi diceret, Ego non exigo ſacrificia à vobis, niſi quæ Jeroſolymæ offeruntur: vos autem offertis mihi in loco profano. Ergo vobis ipſi imputate veſtra ſacrificia, & non mihi. Nam ſcimus ut hypocritæ ſemper Deum ſibi faciant debitorem: quum aliquid laboris ſumpſerunt in ſuis frivolis ceremoniis, putant Deum ſibi eſſe obſtrictum. Deus autem negat ſibi hoc debere ferri impenſum, quia Lege ſua non præcepit: ita placuit vobis, inquit: *Vous faites cela pour voſtre plaiſir; & bien, mettez le ſur vos contes.* Videmus ergo quidnam Amos ſibi velit hoc loco quum dicit, Sic vobis libuit filii Iſraël, hoc eſt, deberetis conſulere os meum, & ſimpliciter obedire verbo meo, reſpicere quidnam mihi placeat, quidnam mandaverim. Atqui poſthabito verbo meo, & neglecta Lege mea ſequuti eſtis quod vobis arridet, & quod natum eſt in cerebro veſtro. Quoniam ergo libido veſtra vobis eſt pro lege, quærite à vobis ſolutionem, quia ego nihil horum admitto. Volo enim ſimpliciter mihi præſtari obſequium: aliud non expeto, niſi ut pareatis Legi meæ: quia non facitis niſi veſtra libidine, non eſt cultus nominis mei.

Da omnipotens Deus, quando voluiſti vitam noſtram formari ad regulam Legis tuæ, & illic manifeſtaſti nobis quid tibi placeat, ut non vagemur incerti, ſed ut tibi pareamus: da, inquam, ut ſubjiciamus nos totos tibi, & non tantum ſacrificemus vitam noſtram, & omnia opera, ſed etiam mentes noſtras: & quicquid eſt in nobis prudentiæ & rationis offeramus tibi in ſacrificium, ut ſpiritualiter te colendo, nomen tuum vere glorificetur per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO OCTAVA IN AMOS PROPHETAM.

CAP. IV.

A*Tque etiam ego dedi vobis munditiem dentium in omnibus urbibus veſtris, & penuriam panis in omnibus regionibus veſtris, & non eſtis converſi uſque ad me, dicit Jehova.* Hic expoſtulat Deus cum populo de pervicacia inſanabili, quod ſcilicet tentaverit ipſum in viam revocare non tantum verbo ſuo, ſed etiam gravibus pœnis: nihil tamen profecerit. Hæc durities duplicat culpam, quod non potuit ſubigi populus ille Dei caſtigationibus. Dicit autem Propheta caſtigatum fuiſſe populum fame. Dedi munditiem dentium, inquit. Figurata eſt loquutio, qua ſignificat Amos inediam: & ſeipſum exponit per defectum panis. Tota igitur regio laboravit penuria, & defectu annonæ, quum tamen haberet fertiliſſimos agros, ſicuti ſatis notum eſt. Jam, quum finis pœnarum ſit flectere homines in Dei obſequium: ubi nullus profectus ſequitur, apparet obduratos eſſe ad malum animos. Hic ergo oſtendit Propheta non tantum unius culpæ reos eſſe Iſraëlitas, ſed etiam pervicaciter reſiſtere Deo, quia non potuerint ſanari eorum vitia ullis pœnis. Diximus jam de fame. Sequitur alterum pœnæ genus.

7. Atque etiam ego prohibui à vobis pluviam, quum adhuc eſſent tres menſes ad meſſem: & plui ſuper urbem unam, & ſuper alteram urbem non feci pluere: pars una compluebatur, & ſuper quam non pluebat exaruit.

Dixi aliud pœnæ genus hic referri à Propheta, non tamen penitus eſſe diverſum. Nam unde penuria, cujus nuper meminit, niſi ex ſiccitate? Deus enim quum vult eripere victum hominibus, claudit cœlos, vel ferreos ipſos reddit, ne exaudiant terram, quemadmodum alibi vidimus. Interea non ſupervacuus eſt Prophetæ ſermo, quia vult Deus attentius conſiderari quas hominibus infligit pœnas. Si ſimpliciter eſuriant homines, agnoſcent quidem maledictionem Dei niſi ſtupidi ſint. Sed ubi præcedit ſiccitas, terra fraudat ſuos cultores, poſtea ſequitur penuria victus, plus datur hominibus ſpatii ad meditandam iram Dei. Hæc ratio eſt cur Propheta hic diſtincte loquatur de pluvia prohibita, poſtquam dixit populum fuiſſe annonæ defectu prius caſtigatum: quaſi diceret, Debuiſtis ſaltem longo temporis ſucceſſu redire ad ſanam mentem. Si tantum die uno offenſus fuiſſet vobis Deus, vel ſaltem dediſſet ſigna iræ ſuæ, potuit ipſa brevitas vos excuſare. Sed quum exaruerit terra, quum Deus pluviam prohibuerit, quum inde ſequuta ſit ſterilitas, poſtea ſupervenerit eſuries, qualis fuit hic ſtupor, non adjicere mentem ad tot ſigna iræ Dei, & tam continua? Nunc ergo tenemus cur adjungat hic Propheta ſiccitatem penuriæ victus, hoc eſt, cauſam ſuo effectui: nempe ut inde melius appareat ſtupiditas populi. Dicit autem *Deum prohibuiſſe ab illis pluviam, quum adhuc reſtarent tres menſes uſque ad meſſem.* Si toto menſe non pluat, jam terra ſitiet: homines etiam ipſi ſolliciti erunt, quia illud eſt ſiniſtrum præſagium. Si autem duo menſes prætereant aridi, jam incipiunt mirari homines, & horrere etiam. Quod ſi ad finem uſque tertii menſis duret perpetua ſiccitas, illud eſt quaſi portentum. Ergo Propheta hic oſtendit non fuiſſe vulgari modo caſtigatos Iſraëlitas, & etiam fuiſſe ſtupidos, qui totis tribus menſibus non adjecerint animum ad reputanda ſua peccata, quum Deus inſtaret illis, & quum tam diuturno tempore arderet ejus ira. Nunc ergo videmus in hac circumſtantia temporis amplificari populi duritiem, quod ad portentum illud ſaltem non fuerint expergefacti. *Quum adhuc eſſent tres menſes*, inquit, *uſque ad meſſem, ego prohibui à vobis pluviam.* Sequitur alia circumſtantia, quod *Deus pluerit ſuper unam urbem, ſuper aliam non pluerit; pars una fuerit madida, nulla autem gutta pluviæ ſuper aliam partem ceciderit.* Hæc diverſitas non poteſt fortunæ adſcribi: niſi homines ſponte furere velint, & rejicere omnem rationem, certe coguntur hic ſentire manifeſta iræ Dei ſigna. Qui fit, ut locus unus bene ſit madidus, alter vero areſcat? duæ urbes vicinæ ita diverſam habeant ſortem? Unde hoc, niſi quia palam Deus iratus apparet è cœlo? Hic ergo coarguit rurſus Propheta populi obſtinationem, quod non perſpexerit in iſta varietate iram Domini, quæ tamen magis erat conſpicua. Finis ſemper eſt, ut Deus oſtendat ſibi negotium eſſe cum populo incurabili, quia præfractus ſit & obſtinatus in ſua malitia, nec ſuſtineat ſibi adhiberi ullum remedium.

8. Et venerunt duæ, tres urbes ad unam urbem, ut biberent aquas, & non ſatiatæ ſunt, & non reverſi eſtis uſque ad me, dicit Jehova.

In hac diverſitate recitat Propheta veniſſe urbes duas vel tres ad unam, ut inde potum peterent; non fuiſſe ſatiatas, quod ubique defecerant aquæ ob tantam hominum multitudinem. Etſi enim fontes poterant ſufficere ſuis incolis, quum tamen undique conflueret tantus hominum numerus, exhauriebantur ipſi fontes. Aggravat igitur Propheta pœnam à Deo inflictam Iſraëlitis, quod tanta fuerit ſitis, ut civitates totæ confluerent ad fontes, ubi audiebant alicubi eſſe aquam. Hoc vero inſolitum eſt, ut incolæ relinquendo urbem ſuam, confugiant ad quærendum potum, quemadmodum feræ beſtiæ ubi ſatiatæ ſunt præda, procul currunt aquatum: homines vero conficere magnum iter cauſa potus, hoc eſt inſolitum. Effodiunt enim ſibi puteos, & ſua induſtria quærunt ſibi aquas, etiamſi non ſponte currant fluvii, vel fontes ipſi potum non ſuppeditent. Quum ergo homines coguntur domos ſuas relinquere, & procul quærere aquam, ita ut fontes exhauriant, hoc eſt portentum notatu dignum. Qui fit ergo ut Iſraëlitæ non reſpexerint ad manum Dei, quæ tamen tunc erat quaſi viſibilis? Hinc ergo convincitur eorum obſtinata cæcitas, dum non reſipiſcunt. Non dubium eſt quidem fuiſſe & metu perterritos, & confectos etiam mœrore. Sed hoc totum nihil profuit, quia pergebant interea in ſuis peccatis, placebant ſibi in ſuis ſuperſtitionibus: deinde proſequebantur etiam præteritam vitam. Quum ergo non exuerint ſuum ingenium, neque deſtiterint provocare aſſidue iram Dei, hic palam convincitur ipſorum perdita & deſperata obſtinatio. Hoc eſt Prophetæ conſilium. Sequitur,

9. Per-

9. Percuſſi vos Orientali vento, & rubigine: magnos hortos veſtros, & vites veſtras, & ficulneas veſtras, & oliveta veſtra voravit bruchus: (*vel eruca*) & non reverſi eſtis uſque ad me, dicit Jehova.

Si non erudiat unum pœnæ genus homines, hoc jam ſatis & ſuper tenentur convicti coram Deo. Sed ubi pluribus modis ipſos ſollicitat, & poſtquam expertus eſt ſe fruſtra eos caſtigaſſe uno modo, dum tentat alium modum, & ſemper nihil proficit, hinc melius apparet prorſus inſanabiles eſſe qui ſemper torpent, imo manent ſtupidi, quacunque ratione Deus ipſos adducere tentet ad pœnitentiam. Huc ſpectat quod nunc addit Propheta. Dicit igitur *percuſſos fuiſſe Orientali vento* Oſtendit non ſemper victus penuriam ab una cauſa profectam eſſe: quia obdureſcunt homines ubi tantum ſentiunt unum incommodum. quemadmodum ſiqua regio laboret ſiccitate, putabit hoc eſſe quaſi ſuum fatum. Sed ubi Deus variis modis homines caſtigat, certe tunc decebat eos moveri, & ſerio tangi. Ubi autem prætereunt omnes pœnas clauſis oculis, certum eſt prorſus eſſe obſtinatos, & quaſi faſcinatos à diabolo, ut nihil ſentiant, nihil diſcernant. Hæc ratio eſt cur Propheta commemoret diverſas pœnas, quæ jam populo fuerant inflictæ. Nunc ergo dicit *percuſſam fuiſſe terram vento Orientali, & rubigine.* Scimus quale vitium ſit rubiginis in ſegetibus: quum ſcilicet poſt frigidam pluviam exoritur Sol, exurit ipſam ſubſtantiam, ita ut ſpicæ flaveſcant. & ſequitur inde putredo. Dicit ergo Deus *corruptas fuiſſe populi ſegetes hoc vitio*, quum jam prius ſiccitas graſſata fuiſſet; neque in tota terra æquali modo, ſed ita ut Deus plueret in regione una, & vicina regio areſceret propter pluviæ penuriam. Quum ergo hoc dixit Propheta, nunc addit etiam rubiginem. Item dicit *exeſas fuiſſe ficulneas, vites & hortos fuiſſe conſumptos, & oliveta fuiſſe corrupta à bruchis*, vel erucis. Quum ergo tot modis admoniti fuerint Iſraëlitæ, nonne fuit mira & prodigioſa cæcitas, quod attoniti ſuſtinuerint iſtas Dei caſtigationes, nec fuerint commoti, ut redirent tandem in viam? Si profectu caruit prima caſtigatio, ſi ſecunda etiam fuit inutilis, ſaltem ſero reſipuiſſent. Sed ubi pergunt ſuo more, & manent ſui ſimiles in illa contumacia de qua diximus, quid amplius reſtat, niſi ut in totum aboleantur qui ita ludunt cum Deo? Nunc ergo tenemus quid velit Propheta. Cæterum, hic locus docet, quemadmodum ſimiles alii, neque fortuito variare tempora, ut nunc vigeat ſiccitas, nunc continuæ pluviæ corrumpant terræ fruges, naſcantur bruchi; deinde cœlum laboret diverſis vitiis: oſtendit hic locus nihil horum contingere fortuito, ſed totidem nobis proponi ante oculos iræ Dei ſigna. Neque enim gubernat Deus mundum, quemadmodum fingunt profani homines, quaſi laxaret habenas cœlo & terræ: ſed nunc pluviam continet, nunc effundit, nunc exurit æſtu ſegetes, nunc temperat aerem, nunc oſtendit ſe benevolum hominibus, nunc vero oſtendit ſe infeſtum. Diſcamus ergo totum naturæ ordinem referre ad ſpecialem Dei providentiam. Loquor de ſpeciali providentia, ne ſomniemus tantum univerſalem motum, ut faciunt profani homines: ſed ſciamus Deum velle conſpici in quotidianis operibus, ita ut nos ſigna amoris ejus exhilarent, rurſum ſigna iræ ejus nos humilient, quo reſipiſcamus. Huc ergo diſcendum eſt ex præſenti loco Prophetæ. Deinde ſimul etiam docet Amos, ventum, & pluviam, & grandinem, & ſiccitatem, & æſtum, & frigus eſſe arma, quibus Deus ſeipſum ulciſcitur de peccatis noſtris. Quoties igitur Deus vult de nobis pœnas exigere, arma ſua induit, hoc eſt, emittit vel pluviam, vel ventum, vel ſiccitatem, vel æſtum, vel grandinem. Quum ita ſit, ne putemus vel fortuito pluere, vel ſiccas eſſe alias æſtates, hoc ſimpliciter pendere ex ſitu aſtrorum, quemadmodum etiam imaginantur homines profani. Sciamus ergo totam naturam ſic parere Dei imperio, ut pluvia ſi opportune cadat, ſignum ſit amoris ejus erga nos: ſi autem ſit adverſa, teſtetur nobis ejus iram. Idem ſentire convenit de æſtu, de frigore, & de aliis omnibus. Nunc pergamus in verbis Prophetæ.

10. Miſi in vos peſtem ſecundum rationem Ægypti: percuſſi gladio robuſtos veſtros, cum captivitate equorum veſtrorum: aſcendere feci fœtorem caſtrorum veſtrorum & ad nares veſtras: (*vel, uſque ad nares veſtras, ut copula ſupervacua ſit*) & non reverſi eſtis uſque ad me, dicit Jehova.

Nunc expoſtulat Deus, quod aliis etiam pœnis non domuerit populi pervicaciam, ſed fruſtra eum ad pœnitentiam hortatus ſit ac ſtimulaverit. Dicit *percuſſos fuiſſe peſte.* Hactenus loquutus eſt Propheta tantum de ſterilitate terræ, vel dixit conſumptas fuiſſe fruges aliis vitiis: ſolam tamen penuriam hactenus recenſuit cum ſuis cauſis. Sed ille erat unicus effectus. Nunc autem addit populum fuiſſe peſte afflictum, fuiſſe item bello: & adhuc perſtitiſſe in ſua malitia. Quibuſcunque ergo modis tentaverit Deus corrigere vitia populi, Propheta nunc conqueritur ac deplorat hoc fruſtra fuiſſe factum. Sed totidem ſunt exprobrationes, ut oſtendat Deus nihil amplius veniæ ſperandum eſſe, quoniam ſic perſtiterint indomiti & pervicaces. Dicit ergo *ſe miſiſſe peſtem ſecundum rationem Ægypti.* דרך ſignificat Viam: ſed accipitur pro Modo & ratione quemadmodum Jeſaiæ 10. cap. Percutiam eum ſecundum rationem Ægypti. Loquitur Deus de Sennacherib: acſi diceret, Scitis qualiter olim compeſcuerim Pharaonis rabiem. Ego nunc iiſdem inſtructus ſum armis, ut poſſim hoſtem veſtrum Sennacherib procul à vobis depellere. Sed nunc Propheta dicit Deum exercuiſſe erga Iſraëlitas rigorem illum extremum, quo uſus fuerat contra Ægyptios. Quaſi diceret, Ego coactus ſum veſtra obſtinatione convertere meam potentiam in vos: ſcitis qualiter olim Ægyptus fuerit à me percuſſa in favorem patrum veſtrorum: ego tunc oſtendi quam mihi chara eſſet veſtra ſalus, quum exerui virtutem meam ad perdendos Ægyptios. Qui fit, ut nunc convertam arma illa in veſtram perniciem? Ego enim paratus eſſem me ſemper opponere veſtris hoſtibus, & vos liberaliter fovere paterno more in ſinu meo. Quum ergo vos mihi ſitis pro Ægyptiis, unde hoc fit, vel unde iſta converſio, niſi quia me cogitis deſperata veſtra malitia? Nunc ergo tenemus cur Propheta hic de Ægyptiis diſerte loquatur: quaſi diceret Deum non poſſe proſequi gratiam ſuam erga Iſraëlitas, quæ tamen perpetua fuiſſet, niſi clauſiſſent ipſi viam. Acſi diceret, Ego vos ſelegeram ab aliis gentibus: nunc autem non tantum vos caſtigo promiſcue ſicuti gentes incircumciſas, ſed ex profeſſo bellum contra vos gero, acſi eſſetis Ægyptii. Videmus ergo quantum hoc ad amplificationem valeat, quum Amos confert Ægyptiis Iſraëlitas: quaſi diceret ipſos ſua obſtinata malitia extinguere omnem Dei gratiam, ut memoria adoptionis gratuitæ apud

ipſos amplius non valeat. *Miſi ergo in vos peſtem ſecundum rationem Ægypti: deinde occidi gladio robuſtos veſtros.* Hoc eſt diverſum pœnæ genus, quod occiſi fuerint omnes robuſti, quod equi in captivitatem abducti fuerint, quod tandem aſcenderit fœtor cadaverum, qui ipſos ſuffocaret. Hæc certe ſunt inſolita iræ Dei ſigna. Quum populus hoc etiam modo non reſipuerit, hinc jam rurſus apparet non fuiſſe ſanabiles ejus morbos, quum tot remediis Deus nihil profecerit. Ergo diligenter expendi debent diverſæ pœnarum ſpecies, quia totidem Dominus argumenta collegit ad probandam populi contumaciam. Quum dicit *fœtorem caſtrorum aſcendiſſe uſque ad eorum nares*, perinde eſt acſi diceret, Non opus fuit vi externa: etiamſi nullus hoſtis vobis eſſet infeſtus, tamen ſuffocati fuiſtis quaſi proprio fœtore. nam ex caſtris veſtris aſcendit fœtor in nares veſtras, qui vitam vobis eriperet. Quum ergo Deus putredinem illam inteſtinam excitaverit, nonne oportuit vos ſerio tandem affici, & redire ad ſanam mentem? Quum inde nullus profectus ſequutus ſit, quis non videat jam fruſtra vos caſtigari, & tantum ſupereſſe ultimum interitum. Quia fruſtra pœnis Deus hactenus vos hortatus eſt, etſi pergat, etiam ludet operam. Quum ergo Deus fruſtra conſumpſerit hactenus ſuas virgas, non eſt quod vos moderatius caſtiget. Neceſſe eſt igitur jam vos in totum perire. Hæc eſt ſumma: ideo etiam addit,

11. Subverti vos ſecundum ſubverſionem Dei contra (*vel in*) Sodomam & Gomorrham, & fuiſtis quaſi torris ereptus ab incendio, & non reverſi eſtis ad me, dicit Jehova.

Ultra progreditur Amos, Deum ſcilicet uſum fuiſſe fere ſimili ſeveritate erga populum electum, quam olim explicuit contra Sodomam & Gomorrham. Scimus fuiſſe illud memorabile documentum iræ Dei, quod horrorem debuit incutere omnibus ſeculis, ſicuti etiam adhuc hodie debet. Et Scriptura quum vult nobis graphice pingere iram Dei, proponit Sodomam & Gomorrham ante oculos. Fuit enim illud formidabile Dei judicium, quod urbes illas percuſſerit cœleſti igne: deinde quod abſumptæ etiam fuerint, quod terra hiatu abſorpſerit quinque illas urbes. Dicit igitur eaſdem fere clades graſſatas fuiſſe in populo Iſraëlitico, niſi quod pauci erepti ſunt, quemadmodum ſiquis titionem rapiat ex incendio. Neque enim dubium eſt ſecundam partem verſus ſic debere accipi per ſpeciem correctionis. Nam ſi præciſe dixiſſet Amos, fuiſſe everſos quaſi Sodomam & Gomorrham, hoc fuiſſet immodicum. Corrigit ergo vel temperat ſermonem ſuum Propheta, quum dicit paucos fuiſſe reſiduos, quemadmodum ſi quis titionem eripiat ex incendio. Sed interea debebant ſaltem ad tam graves & atroces pœnas moveri, quum Deus non aliter ſe illis offenſum oſtenderet, quam olim Sodomæ & Gomorrhæ. Videtur tamen pugnare hiſtoria cum hac narratione Amos:. quia vaticinatus eſt ſub Jarobeam ſecundo
2 Reg. 14. verſ. 25. filio Joas. Tunc autem res populi melius habebant, quemadmodum refert ſacra hiſtoria. Quomodo igitur conveniet, fuiſſe Iſraëlitas conſumptos inſtar Sodomæ & Gomorrhæ? Solutio facilis eſt, ſi expendimus quod etiam narrat ſacra hiſtoria, Deum ſcilicet miſertum fuiſſe Iſraëlitarum, quod omnes jam ante fuerant conſumpti à libero uſque ad captivum. Quum ergo tam triſtis vaſtitas eſſet in populo, Deus voluit aliquid relaxationis ad tempus dare. Ergo benedixit regem Jarobeam, ut recuperaret multas urbes: & tunc iterum floruit populus: ſed illa fuit exigua proſperitas. Interim hic revocat Amos in memoriam quid paſſi eſſent, & quot modis Deus ſtimulaſſet eos ad reſipiſcentiam, niſi prorſus fuiſſent indomabiles. Ergo non male hæc duo conveniunt, conſumptos fuiſſe Iſraëlitas antequam Deus illis parceret ſub Jarobeam, & interea ad tempus fuiſſe levatos cladibus illis, quæ clauſum & liberum ſimul abſumpſerant: quemadmodum illic diſerte exprimitur. Interea notandum eſt fuiſſe aliquid reſiduum in hoc populo, quia Deus dare locum voluit miſericordiæ ſuæ ob memoriam fœderis. Dignus ergo erat populus, qui prorſus interiret: ſed Deus voluit ſuperſtites eſſe aliquas reliquias, ne quis putaret oblitum eſſe fœderis ſui. Videmus ergo cur Deus aliquid ſervaverit, nempe ut pugnaret cum populi malitia, & oſtenderet fœdus ſuum non eſſe penitus irritum. Sic ergo mediam viam tenuit Dominus, ne hypocritis parceret, & interea ne aboleret fœdus ſuum, quemadmodum perpetuum ſtare oportuit quamlibet impii eſſent Iſraëlitæ ac fœdifragi. Deum ergo in hac exceptione oſtendit Propheta fidelem fuiſſe, & conſtanter ſervaſſe fœdus ſuum, quamvis omnes Iſraëlitæ ab eo defecerint. Tandem concludit:

12. Propterea ſic faciam tibi Iſraël: & quia hoc faciam tibi, præpara te in occurſum Dei tui Iſraël.

13. Quia ecce formans montes, creans ſpiritum, (*aut ventum*) annuncians homini quæ ſit cogitatio ejus, faciens auroram, tenebras, (*& tenebras: ſubaudienda eſt copula*) ambulans ſuper excelſa loca terræ, Jehova Deus exercituum nomen ejus.

Hic jam pronunciat Amos ſub Dei perſona populum fruſtra veniam ſperare, vel modum, vel temperamentum, vel finem ſuis pœnis, quia ſcilicet ſic tentaverit Deum, & oppoſuerit deſperatam ſuperbiam tot flagellis & caſtigationibus: *Propterea*, inquit, *ſic faciam tibi*. Quid ſibi vult particula כה? Exponunt quidam Deum hic Iſraëlitis denunciare eaſdem pœnas, quas prius fuerant experti. Sed non dubito quin gravius aliquid Propheta intelligat. Tollit nunc exceptionem illam, cujus nuper meminit: acſi diceret Deum ſumpturum ultimam pœnam de hoc reprobo populo, idque abſque ulla mitigatione. *Sic faciam tibi, Iſraël.* Tu ſenſiſti antehac quot modis armatus ſim ad ſumendam vindictam de contemptoribus Legis meæ: ego nunc durius tecum agam, quia cogit me tua obſtinatio. Quum ergo hactenus nihil erga vos profecerim, jam adhibebo ultimum ſupplicium. Neque enim remediis nunc agendum eſt apud deploratos homines. Tenemus quid velit Propheta. *Sic ergo faciam tibi*, inquit, *Iſraël: & quia ſic tibi facturus ſum.* עקב ſignificat ſæpe mercedem vel finem. Poſſet igitur verti hic locus, Tandem certe hoc faciam tibi. Sed ſenſus ille videtur aptior, *Quia hoc faciam tibi, para te in occurſum Dei tui.* Poteſt bifariam exponi hic locus, ut ſit ironica ſententia, vel ut ſit ſimplex & genuina exhortatio ad pœnitentiam. Si accipimus ironice, ſenſus erit, Venite nunc, occurrite mihi cum obſtinatione veſtra: ſcilicet aliquid vobis proderit; en poteritis effugere vindictam meam, ubi erexeritis contra me cornua, ſicuti hactenus feciſtis? Et certe quum denunciet Propheta ultimum interitum populo, videtur

hic

hic velle data opera ipſum pungere mordaciter, quum dicit, *Occurre nunc Deo tuo, & para te:* hoc eſt, collige omnes vires tuas, & copias, & ſubſidia: experire quidnam hoc totum valebit. Sed quia proximo capite hortabitur rurſus Propheta ad pœnitentiam Iſraelitas, & ſpem illis proponet gratiæ, poteſt etiam hic locus ſine figura accipi; quaſi diceret, quum videas te conſtringi reatu; deinde quum videas te fruſtra captare omnia ſubterfugia, quia nunquam poteris elabi è manu Judicis tui: vide nunc ſero, *ut occurras Deo tuo*, hoc eſt, ut prævenias ultimum hunc interitum, qui tibi impendet. Scimus enim Prophetas etiam quum minati ſunt exitium electo populo, ſemper tamen moderari aſperitatem ſuæ doctrinæ: quia erat aliquod ſemen adhuc reſiduum, quamvis lateret. Et ſimiles locos vidimus tam in Joële quam in Hoſea. Non erit igitur incommodum ita exponere verba Amos, quod populum licet deſperatum, hortetur tamen adhuc ad præveniendam iram Dei. *Para te igitur in occurſum Deo tuo*: acſi diceret, quamvis dignus ſis exitio, quamvis etiam Dominus viſus ſit januam præcludere, & undique occurrat deſperatio, adhuc tamen poteris mitigare iram Dei, modo *pares te in occurſum*. Sed iſta præparatio ſub ſe complectitur veram renovationem cordis, ubi ſcilicet homines ſibi diſplicent, ubi mutato animo Deo ſe ſubjiciunt, ſuppliciter precantur veniam. Ergo pondus multum ſubeſt in verbo hoc, quum dicit Propheta, *Para te*. Quantum ad occurſum pertinet, ſcimus quid Paulus doceat, prioris ad Cor. cap. 11. Si nosipſos judicaremus, non judicaremur à Domino. Qui fit ergo ut Deus aſperius nos tractet, niſi quia ipſi nobis parcimus? Indulgentia igitur hæc, qua nobis blandimur, provocat iram Dei contra nos. Ergo non poſſumus aliter Deo occurrere, niſi dum ſumus judices noſtri, damnamus noſtra peccata, idque ſerio dolore. Nunc videmus quid Propheta intelligat, ſi non placeat figurate accipere hunc locum. Jam ut magis percellat ſocordes animos, magnifice hic extollit Dei potentiam, & multis elogiis eum ornat, ut plus reverentiæ obtineat atque timoris apud homines, præſertim apud duros & præfractos. Quoniam ergo difficile fuit flectere illa capita, ideo Propheta multos titulos hic accumulat, quibus commoveat populum ad reverentiam Dei. Dicit, *Deum formaſſe montes, creaſſe ſpiritum:* deinde, *eſſe cognitorem cordium, homines ipſos non intelligere quid ſentiant, niſi quatenus Deus proponit illis ſuas cogitationes: Deum facere auroram & tenebras;* deinde, *ambulare ſuper loca excelſa terræ: nomen etiam illi eſſe Jehovam, Deum exercituum.* Quorſum hæc titulorum congeries, niſi ut tangantur corda hominum, quæ prius ſenſu carebant, & quæ demerſa erant in cæco ſtupore? Nunc ergo tenemus Prophetæ conſilium. Sed ſi quid reſtabit dicendum de verbis, hoc fiet proxima lectione.

Da omnipotens Deus, quum verbo tuo placide nos ad te invites, ne obturemus tibi aures, ſed præveniamus virgas tuas & flagella: deinde etiam quum ob noſtram duritiem & ſocordiam qua inebriati ſumus, adjunges etiam pœnas, quibus nos aſperius ſollicitas ad reſipiſcentiam: da, inquam, ne prorſus maneamus indomabiles, ſed flectamus tandem corda in obſequium tuum, & ſubjiciamus nos jugo verbi tui: & ſic erudiamur pœnis, quas nobis jam inflixiſti, ac etiam nunc infligis, ut vere & ex animo ad te redeamus, noſque tibi offeramus in ſacrificium, ut gubernes nos tuo arbitrio, & Spiritu tuo omnes affectus noſtros ita regas, ut tota vita noſtra ſtudeamus glorificare nomen tuum in Chriſto Jeſu Filio tuo Domino noſtro, Amen.

PRÆLECTIO NONA

IN

AMOS PROPHETAM.

CAP. IV.

EXpoſuimus verſum ultimum quarti capitis, niſi quod aliquid reſtabat dicendum de epithetis, quibus ornatur Deus à Propheta. Primo dicit *ipſum formaſſe montes*, deinde *creaſſe ſpiritum*, poſtea *annunciare homini quæ ſit ejus cogitatio*, *facere auroram & tenebras*, *ambulare ſupra excelſa terræ*. Poſſet videri ſupervacua verborum congeries, niſi principium illud apud nos valeret, nempe hominum mentes quæ nimium torpebant, oportuiſſe commoveri, ut agnoſcerent ſerio ſibi denunciari quod prius vidimus. Voluit igitur Propheta excutere ſocordiam Iſraëlitis, quum produxit Deum in medium cum iſtis epithetis. Nam ubi profertur ſolum nomen Dei, negligitur à magna parte hominum. Neceſſe eſt igitur aliquid adjungi, ut expergefiant qui nimis ſopiti ſunt, & intelligant quanta ſit & quam tremenda virtus Dei. Huc pertinent hæc omnia quæ hic legimus. Nomen רוח bifariam interpretantur: nam quidam ad Ventum; quidam ad hominis Animam referunt. Si pro vento accipere libeat, conveniet cum montium creatione: quia inde emergunt venti propter cavitatem. Si intelligas de hominis anima, cohærebit cum ſequenti membro. Mihi quidem probatur de hominum ſpiritu loqui Prophetam. Niſi forte ambo connectere quis malit, ut alluſio ſit ad ventum, & tamen Amos verba facturus de cogitatione, ſpiritum prius nominet. Jam quod Propheta dicit, *Deum annunciare hominibus quæ ſit eorum cogitatio*, hoc fit pluribus modis. Scimus enim hunc eſſe prophetiæ uſum, ut homines reatum ſuum agnoſcant, qui prius blandiebantur ſibi. Scimus etiam ſermonem *Hebr. 4.*
Dei eſſe inſtar gladii ancipitis, qui penetrat uſque *verſ. 12.*
ad oſſa & medullas, diſcernit inter cogitationes & affectus. Deus ergo hoc modo extrahit homines ex latebris in lucem: deinde coarguit etiam illos ſine verbo. ſcimus enim quid valeant arcani ſpiritus inſtinctus. Sed Propheta ſimpliciter hoc voluit, negotium Iſraëlitis eſſe cum Deo, qui ſcrutator eſt cordium, & quem nihil latet, quantumvis ſit abſconditum. Quiſque ſibi optimus eſt teſtis ſuorum ſenſuum: Propheta autem tribuit Deo gradum ſuperiorem, quod ſcilicet melius intelligat quid quiſque concipiat in animo ſuo, quam ille qui videtur habere omnes ſuos ſenſus optime compertos. Quum ergo aſtute occultent ſe homines, hic Propheta adeo nihil proficere admonet, ut Deus ipſe melius intelligat quid intus concipiant, quam ipſi. Nunc ergo tenemus quid in ſumma velit. Quidam exponunt, *Deum facere auroram tenebras*, quaſi dixiſſet Amos, convertere lucem in tenebras: ſed ſubaudienda eſt potius copula. Nam hic prædicat Dei potentiam: quia non modo ſemel creavit mundum, ſed quia hunc naturæ ordinem gubernat, & diſtincte etiam vices temporum inter ſe diſtribuit. Nunc veniamus ad caput quintum.

CAPUT V.

AUdite verbum hoc quod ego tollo ſuper vos, lamentum domus Iſraël.

ALii vertunt, Audite verbum hoc; quia ſuper vos, vel pro vobis lamentum tollo: ſed poſtea de utroque fuſius dicemus. Videndum eſt de ſumma rei. Propheta hic pœnam denunciat Iſraëlitis, quam meriti erant, & tamen non putabant ſibi inſtare. Nec vero dubium eſt, quin ferociter contempſerint iſtam denunciationem, quia nondum facta fuerat mutatio, quæ talem interitum oſtenderet. Ergo contemptus fuit Propheta cum ſuis minis. Sed tamen hic ſevere minatur Dei judicium, quod non metuebant. & hæc ratio eſt, cur dicat *Audite*. Neque enim abs re ita præfatur, ſed ſubindicat eos nimis ſibi indulgere, imo aures illorum clauſas eſſe ad ſana conſilia: alioqui ſupervacanea fuiſſet iſta admonitio. Oblique igitur Propheta hic objurgat ſupinam illam ſecuritatem, in qua ſibi placebant Iſraëlitæ. Cæterum quod ad verba ſpectat, quidam, ſicuti attigi, lamentum hoc referunt ad perſonam Amos: acſi diceret ſe lugere vicem populi, quoniam videt ipſos eſſe ſtupidos, & non ſentire quam formidabilis ſit ira Dei. Quoniam ergo ita ſibi blandiebantur in peccatis, putant illi interpretes Prophetam hic ſuſcipere perſonam lugentis pro deſperato illo populo: *Audite*, inquit, *verbum hoc*, nempe quia lamentor ſuper vos. Quo enim magis erant præfracti, non dubium eſt quin Propheta majori fuerit dolore tactus. Videbat enim quam horribile Dei judicium illis inſtaret propter illam contumaciam. Non mirum eſt igitur ſi Propheta hic dicat ſe ſuſcipere vel tollere lamentum pro populo: & hæc loquutio ſatis trita eſt in Scripturis. Ego tamen melius puto congruere præſenti loco alterum ſenſum, ut ſubaudiamus particulam exegeticam. *Audite* ergo *verbum hoc quod ego tollo ſuper vos*, nempe *lamentum* &c. משא, quod vertunt Onus, deducitur à verbo נשא, quod ſignificat Tollere. Et concinna eſt alluſio ad materiam, quæ hic tractatur. Propheta enim non ſimpliciter docet populum, neque etiam ſolatur, neque tantum admonet: ſed hic denunciat ultimam pœnam. Videmus ergo quo tendat loquutio iſta, *Tollere verbum*: quaſi diceret, Ego impono vobis hanc prophetiam. Nam imponitur onus humeris hominum, ubi denunciatur ira Dei. Poſtea ſequitur, *nempe lamentum domus Iſraël*: hoc eſt, Ego tollo ſuper vos ſermonem, qui vos ad luctum & lamentum coget: etiamſi nunc tam ſitis præfracti contra Deum, & reſpuatis omnes admonitiones, rejiciatis omnes minas: ſermo tamen hic tandem erit vobis lugubris. Videtur hic genuinus eſſe ſenſus Prophetæ. Primo itaque loco perſtringit ſtuporem populi Iſraël, quum ſibi audientiam fieri poſtulat: deinde perſtringit contemptum Dei, quod ſpernerent omnes minas: & oſtendit tandem hanc prophetiam fore illis lugubrem, ubi diu luſerint cum Deo. Lamentum igitur erit domus Iſrael ſermo hic, quem nunc ſuper vos attollo. Sequitur,

2. Cecidit, nec adjiciet ut reſurgat virgo Iſraël: relicta eſt ſuper terram ſuam, non eſt qui attollat.

Hæc ſumma eſt vindictæ, quæ tunc inſtabat Iſraëlitis, quanquam ſecuri quieſcerent, imo ludibrio haberent omnes Dei minas. Dicit, *Virginem Iſraël cecidiſſe*. Nimis argute exponunt interpretes nomen Virginis: putant enim ideo vocari populum Iſraël hoc nomine, quia Deus ſibi illum deſponderat: & quum deberent ſpiritualem caſtitatem colere cum Deo, tamen ſe proſtituerent ad omnia inquinamenta. Sed ſcimus Virginem ut plurimum vocari à Prophetis hunc vel illum populum propter delicias. Neque enim Babylon minus vocatur Virgo, quam Samaria, vel populus Iſraël. Certe ſubtilis illa interpretatio locum non haberet in Babylone, in Ægypto, in Tyro & in aliis. Ego itaque non dubito quin hic exagitet Propheta Iſraëlitas, quod freti ſuis opibus ſibi blandiebantur. Erant quieti in ſua umbra, & quum afflueret omne genus bonorum, laute & opipare vivebant. Quum ergo talibus deliciis eſſent imbuti, vocat eos Virginem. *Virgo Iſraël* ergo *cecidit, neque adjiciet ut reſurgat*. Poteſt hic incluſa eſſe conditio. Nam ſtatim ſequetur exhortatio ad pœnitentiam. Poſſemus ergo commode ſubaudire, Niſi mature reſipiſcant Iſraëlitæ, cadent ſine ſpe reſtitutionis. Sed poſſumus etiam hoc referre ad ipſum populi corpus. Cecidit ergo virgo Iſraël, non quod deleti fuerint omnes uſque ad unum, ſicuti poſtea videbimus. Dicet enim Propheta, partem decimam fore ſuperſtitem: ſed hoc proprie dicitur de ſtatu univerſo populi. Scimus autem ſic collapſum fuiſſe regnum illud, ut poſtea non ſurrexerit. Reverſæ enim ſunt reliquiæ Tribus Jehudah Jeroſolymam. Sed Iſraëlitæ etiam hodie diſperſi ſunt per varias mundi plagas: imo abditi vel in montibus Armeniæ, vel in aliis Orientis partibus. Quum ergo vere impletum ſit in toto regno quod hic denunciat Propheta, poſſumus ſine aliqua ſubauditione accipere hunc locum, quod ceciderit virgo Iſraël. Quanquam enim Deus locum miſericordiæ ſuæ dedit in clade illa totius populi, ſiquid tamen fuit reſiduum, non pugnat hoc cum prophetia, quod corpus ipſum populi ceciderit. Cecidit ergo virgo Iſraël, neque adjiciet, nempe ut reſurgat, quaſi poſtliminio regnum illud inſtaurandum ſit: & hoc ſcimus nunquam fuiſſe factum. *Relicta eſt ſuper terram ſuam*, inquit, *& non eſt qui extollat*. hoc eſt, jacebit: etiamſi maneat in ſuo loco, non poterit tamen recuperare quod perdidit. Tenemus nunc ſenſum Prophetæ: & ſimul etiam tenemus populum illum ſic excidiſſe, ut nunquam reſurrexerit quantum attinet ad ſtatum regni, ut dictum fuit. Nunc pergamus.

3. Quia ſic dicit Dominus Jehova, Urbs è qua egrediebantur mille, manebunt in ea centum: & è qua egrediebantur centum, manebunt (*ad verbum, reſtabunt*) decem domui Iſraël.

Nunc clarius exprimit Propheta quod prius dixerat, nempe regnum ipſum periturum, ſic tamen ut Dominus conſervet aliquas reliquias. Ergo quantum attinet ad corpus populi, cecidit Iſraël: quantum vero ad reliquias ſpectat, fuit ſalvus; ſed in hoc exiguo numero, cujus meminit Propheta. Videmus ergo ſpem aliquam miſericordiæ fieri Dei electis; ſed interea denunciari interitum toti populo. Nam prius vidimus fuiſſe deploratæ malitiæ. Oportuit igitur proferri ſententiam ultimi interitus; ſed ita, ne abjicerent animos pauci fideles, qui latebant in illa multitudine. *Urbs ergo è qua mille egrediebantur, habebit tamen reſiduos centum: & urbs è qua egrediebantur centum, habebit decem.* Solebant olim decimari exer-

citus,

citus, ſiqua fuiſſet illic facta ſeditio. Sed Deus longe gravius judicium hic minatur Iſraëlitis, quod ſcilicet tantum decima pars ſalva erit à clade. Nunc ergo tenemus Prophetæ conſilium. Jam hoc non potuit levare dolorem populi: ſed hypocritæ magis fuerunt exulcerati, quum audirent paucos fore ſalvos, & ſpem omnem ſalutis interea ſibi præcidi. Quum ergo viderent Deum tam ſecure acturum, æmulatio auxit dolorem & magis exacerbavit eorum animos: idque voluit Propheta. Neque enim utile fuit adhiberi ullum ſolatium Dei contemptoribus: ſed quia Deus adhuc ſciebat aliquod eſſe ſemen in populo illo, voluit conſulere miſeris, qui alioqui centies fuiſſent abſorpti dolore, niſi oblata fuiſſet hæc mitigatio. Ad paucos igitur ſermonem hic dirigit Propheta, quum dicit, In urbe ex qua mille egrediebantur, centum; & ex qua centum egrediebantur, decem fore ſuperſtites. Jam ſequitur,

4. Quia ſic dicit Jehova domui Iſraël, Quærite me, & vivetis.

5. Et ne quæratis Bethel, & in Gilgal ne eatis, & ne tranſeatis in Berſeba: quia Gilgal migrando migrabit, & Bethel erit in nihilum. (*vel in moleſtiam.*)

6. Quærite Jehovam, & vivetis: ne tranſeat (*vel ſcindat*) quaſi ignis domum Joſeph, & abſorbeat, & non ſit extinguens in Bethel.

Hic rurſus hortatur Amos Iſraëlitas ad pœnitentiam: & communis eſt doctrina omnibus: quanquam major pars, ut diximus, erat penitus deplorata. Sed oportuit, quamdiu ſtabat populus ille, vocari ad pœnitentiam: quia nondum abdicatus fuerat. Deinde ſcimus Prophetas concionari, ut alios ad Deum invitent; alios reddant inexcuſabiles. Quantum ad finem & effectum externæ doctrinæ pertinet, communiter omnes vocantur: ſed aliud propoſitum eſt Deo, quia arcano ſuo conſilio vult trahere electos, & vult excuſationem tollere reprobis, ut magis ac magis appareat eorum obſtinatio. Cæterum hoc tenendum eſt, quamdiu ſtetit populus Iſraël, ſemper illic viguiſſe doctrinam & pœnitentiæ & fidei: & ratio eſt quam attigi, quod ſcilicet adhuc manebant in Dei grege. Non mirum eſt igitur ſi Propheta iterum ſpem veniæ faciat Iſraëlitis, modo reſipiſcant. *Sic dicit Jehova domui Iſraël, Quærite me, & vivetis.* Duo ſunt membra hujus ſententiæ: nam per verbum Quærendi Propheta hortatur Iſraëlitas, ut redeant ad ſanam mentem. Poſtea offert Dei miſericordiam, ſi modo ex animo ſtudeant ſe ei reconciliare. Diximus autem alibi, non poſſe homines ad pœnitentiam adduci, niſi ſperent Deum ſibi fore propitium: quia ſemper fugient illum, atque horrebunt ad ejus mentionem quicunque putabunt ſibi fore implacabilem. Ergo ſiquis tota vita reſonet nomen pœnitentiæ, nihil proficiet niſi adjungat ſimul doctrinam fidei: hoc eſt, oſtendat Deum paratum eſſe ad dandam veniam, ſi modo ex animo reſipiſcant homines. Has ergo duas partes, ut ſeparari nequeunt, hic prudenter & optima ratione conjungit Propheta, quum dicit, *Quærite me, & vivetis:* ac ſi diceret adhuc apertam eſſe januam, modo ne Iſraëlitæ maneant obſtinati. Sed interea exprobrat quod ſua culpa ultro pereant. Oſtendit enim per ipſos tantum ſtare quominus ſalvi ſint: quia Deus non tantum illos in gratiam recipere paratus eſt, ſed prævenit etiam atque hortatur, & ſponte reconciliationem quærit. Qui fit ergo ut Iſraëlitæ ſalutem ſibi oblatam aſpernentur? Hanc igitur amentiam nunc illis objicit, quod interitum ſaluti præferant: quia non redeant ad Deum, ubi tam comiter ipſos invitat. *Quærite* ergo *me, & vivetis:* quem-
Eze. 18. verſ. 32. admodum etiam dicitur alibi, Deum non quærere mortem peccatoris. Cæterum jam diximus Prophetas communiter ſic fuiſſe loquutos cum populo, ſed doctrinam non fuiſſe in omnibus efficacem: quia Dominus intus traxit electos ſuos: alii autem redditi ſunt inexcuſabiles. Sed interea verum illud fuit, reſidere totam culpam in populo Iſraël quod perirent: quia recuſabant ſalutem ſibi oblatam. Quæ enim cauſa fuit interitus, niſi obſtinatio? Radix autem mali nonne fuit in eorum animis? Ergo nemo ex illis potuit tergiverſari, quum objiceret Propheta ipſos ſibi auctores eſſe exitii: quia quiſque ſibi conſcius erat propriæ contumaciæ. Sed poſtea definit rationem veræ pœnitentiæ Amos, quum dicit, *Ne quæratis Bethel, ne eatis in Gilgal, ne tranſeatis in Berſeba.* Quidam exiſtimant hic Prophetam repudiare omnes fucos, qui ſolebant obtendi ab hypocritis. Scimus enim quum Deus ad ſe revocat homines, quæri obliquos & flexuoſos circuitus: quia nemo ſincere ad Deum libenter redit. Vident quidem homines, ſe merito coargui, ubi à Deo receſſerunt: ſed quum revocantur, circumeunt, ut dixi, & non tenent rectum iter. Ita quamvis fingant ſe Deum quærere, captant tamen effugia, ne ſe illi offerant. hoc verum eſt: ſed Propheta longius progreditur. Hic enim oſtendit non modo ludere operam Iſraëlitas quum proficiſcuntur in Bethel, ſed gravius Deum offendere: quia ſuperſtitio illa per ſe erat damnabilis. Si concionatus eſſet Amos Hieroſolymæ, dixiſſet, Ne eatis in Templum: fruſtra enim mihi offertis ſacrificia: quemadmodum etiam poſtea dicet, Ne veniatis cum pecore veſtro. Illic enim oſtendit non placari Deum ceremoniis: imo hoc eodem capite rejiciet dies feſtos cum ſacrificiis. ſed hoc loco altius conſcendit, quod ſcilicet res ſint prorſus contrariæ, Quærere Deum, & quærere Bethel: quaſi diceret, Si ex animo ad me reditis, exuite omnes ſuperſtitiones, quibus hactenus fuiſtis addicti. Hæc enim eſt regula veræ converſionis, ubi diſplicet ſibi peccator in ſuis vitiis, & odit quæ prius placebant, & mutato animo totum ſe Deo addicit. Hoc ergo nunc agit Propheta: quaſi diceret, Si vobis animus eſt ad Deum reverti, jam abjicite omnes veſtras ſuperſtitiones. neque enim hæc ſimul conjungi poſſunt, vera religio & idololatria. Quamdiu ergo manebitis defixi in perverſo iſto cultu, cui eſtis aſſueti, ſemper alieni eritis à Deo. Ergo reconciliatio hæc poſtulat, ut valedicatis veſtris corruptelis. Summa igitur hæc eſt, Iſraëlitas non poſſe Deo reconciliari, niſi à ſuis ſuperſtitionibus recedant. *Faceſſant*, inquit, *Bethel, & Gilgal, & Berſeba.* Scimus autem in Bethel fuiſſe erectos vitulos. Deinde non dubium eſt quin Gilgal etiam ob memoriam tranſitus fuerit locus celebris: quia illic ſecundo fuerant circumciſi filii Abrahæ, ut ſatis notum eſt. Quantum attinet ad Berſeba, ſcimus Abraham illic diu habitaſſe, & ſæpius obtuliſſe ſacrificium Deo. Jam κακοζηλία hæc ſemper in mundo graſſatur, ut ſine ratione & judicio arripiat aliquid ſpeciale quum Deum colere inſtituit: ſicuti fieri videmus in Papatu. Atqui Deus nobis præſcribit certam Legem qua colatur, ita ut non velit deinde miſceri noſtra figmenta. Quum ergo temere arriperent exemplum Abrahæ ejus poſteri, quum memoriale etiam illud circumciſionis extollerent, Deus repudiavit omnia ejuſmodi figmenta. volebat enim Jeroſolymæ coli, ut ſatis notum eſt. Deinde volebat unitatem & conſenſum foveri in illo populo, quum eſſet unum Tabernaculum & unum altare. Nunc ergo tenemus conſilium Amos, quod ſcilicet ficta ſit converſio populi, donec faceſſant omnes ſuperſtitiones & vitioſi cultus, quibus aſſueverant. *Ne* ergo

quæratis Bethel, ne veniatis in Gilgal, ne tranſeatis in Berſeba. quemadmodum hodie ſiquis miſcere velit fæces Papatus cum puro & integro Dei cultu: ut multi ſunt hodie mediatores, qui dum vident non poſſe improbari noſtram doctrinam, vellent aliquid medium fingere: hoc eſt, vellent conciliare Papatum cum doctrina Euangelii. Propheta autem oſtendit talem mixturam non poſſe ferri à Deo. Quare? neque enim conveniet lux cum tenebris. Ergo corruptelæ ſemper evertent verum Dei cultum, donec abolitæ fuerint. Nunc tenemus etiam doctrinæ uſum, quod ſcilicet non poſſit reſtitui integer Dei cultus, niſi corruptelis mundi valere juſſis, quæ alienæ ſunt ab ejus verbo. *Ne ergo veniatis in Gilgal, quoniam migrando migrabit.* Eſt alluſio in Prophetæ verbis, Gilgal volvendo volvetur. Nam Gilgal habet nomen à Volvendo: Gilgal gallando gallabitur, ſi poſſet fingi aliquod tale verbum: hóc eſt, vertetur volubili verſione. Significat Deus locum hunc, cujus præſidio putabant ſe eſſe tutos Iſraëlitæ, fore perdendum, ut jam deſtinatus erat ſuo excidio. *Gilgal* ergo *migrando migrabit*: non quod mutari potuerit locus, ſed quia ſuperficies tota fuit deleta, ut nihil illic reſtaret præter horrenda ſigna vindictæ Dei. Poſtea adjungit, *Quærite Jehovam, & vivetis.* Non eſt ſupervacua repetitio, ſed confirmat Propheta quod jam expoſui, nempe tantam eſſe repugnantiam veri & legitimi cultus cum idololatria & ſuperſtitione, ut populus Iſraël, quamdiu retinet ſuas corruptelas, oſtendat ſibi nihil eſſe cum Deo, quicquid ore prætexat vel ceremoniis. *Quærite,* inquit, *Deum, & vivetis.* Et hæc repetitio multum habet in ſe efficaciæ, ut hypocritæ intelligant ſe merito damnari, ubi non ſeſe totos Deo conſecrant. Vellent enim ſemper litigare cum Deo, ſi liceret ac permitteretur. Cur Deus tam præciſe nobiſcum agit? cur non concedit ſaltem nobis aliquid? neque enim illi omnia negamus: ſed ſi facimus quod putamus rectum eſſe, cur non ſaltem hac in parte nobis indulget? Jam ſi Deus nimium urgeat non tantum doctrina, ſed etiam pœnis hypocritas, illic fremunt, & obſtrepunt etiam. Ideo Propheta ſecundo inculcat, *Quærite Dominum, & vivetis:* acſi diceret, Nihil proficitis tergiverſando. Nam ſiquis vere & ex animo Deum quærat, Deus eum non fruſtrabitur, recipiet in gratiam, benedicet etiam. Ergo quod tabeſcitis in malis veſtris, hoc imputate veſtræ obſtinationi & contumaciæ: quia non vere quæritis Deum. Dum enim retinetis veſtras corruptelas, hoc non eſt ipſum quærere, quemadmodum prius dixi. Jam addit, *Ne forte tranſeat quaſi ignis.* צלח ſignificat Tranſire, ſignificat etiam Scindere, interdum Proſpere agere: ſed hoc loco non dubium eſt quin velit Propheta quod jam dixi. *Ne ergo tranſeat quaſi ignis in domum Joſeph, & devoret, neque ſit qui extinguat in Bethel.* Hic non exprimitur Dei vindicta, ſed facile ſubaudiri poteſt. In ſenſu ergo nulla eſt obſcuritas: quia denunciat, ſi Iſraëlitæ animos obſtinent contra Deum, incendium inſtare, quod ubi eos corripuerit, vorabit & conſumet. *Veniet* ergo vel tranſibit *ignis in domum Joſeph.* alii, Scindet, quod tantundem valet. Per Domum Joſeph, ſignificat Ephraim, quia ſcimus illum fuiſſe ſecundum filium Joſeph: & per ſynecdochen ſolent complecti Prophetæ decem Tribus quum loquuntur de Ephraim, ut ſatis notum eſt. Domus etiam Joſeph interdum vocatur regnum Iſraël. *Ne ergo aſcendat quaſi ignis in domum Joſeph, & abſorbeat, & non ſit qui extinguat.* Hoc ideo dicitur, quia Iſraelitæ nunquam putaſſent ſe ita conſumendos repentino incendio. *Vorabit* igitur *ignis domum Joſeph, & non erit qui extinguat.* Ego in proximo verſu unum omiſeram quod nunc animadverto. Nam illic dicebat Propheta, *Bethel erit in moleſtiam,* vel in nihilum. Scimus alibi vocari Bethel Bethaven, hoc eſt, domum iniquitatis: & Aven, nunc eſt iniquitas Hebræis, nunc dolor vel moleſtia, nunc labor vel difficultas, nunc etiam nihilum. Hoc loco non accipitur pro peccato, hoc certum eſt: ſed potius de pœna loquitur Amos, quæ manebat locum illum, quum eſſet Deo abominabilis. Sicuti ergo dixerat de Gilgal, locum illum volvendum eſſe; ita nunc dicit, Bethel fore in moleſtiam aut dolorem, vel in nihilum. Uterque ſenſus ſatis bene quadrat, quod ſcilicet Bethel, unde ſperabant remedium omnibus malis Iſraelitæ, erit illis in moleſtiam, hoc eſt, erit cauſa excidii, vel in nihilum: quaſi diceret, ſpes illorum fallaces eſſe & irritas, quod expectent aliquod ſolatium ex Bethel. Poſtea ſequitur,

7. Qui convertunt in abſinthium judicium, & juſtitiam in terra dimittunt.

Hic deſcendit Propheta ad ſecundam Legis tabulam, poſtquam invectus eſt in ſuperſtitiones. Solent interdum Prophetæ excutere blanditias hypocritis, quum obtendunt Deo externa integumenta: & dicunt ceremonias omnes eſſe inutiles niſi præcedat cordis integritas. Sed hoc loco Propheta diſerte utrumque damnat in Iſraelitis, quod ſcilicet corruperint verum Dei cultum, deſciverint à Legis doctrina, & ſeſe polluerint impiis ſuperſtitionibus. Deinde ſecundo etiam reprehendit quod ſcelerate & improbe ſe gerant erga homines, quod abjecto omni ſtudio recti & æqui ſeſe projiciant ad rapinas, ad crudelitatem, ad fraudes. Hoc ergo ſecundum membrum nunc tractat Propheta, quum dicit *eos convertere judicium in abſinthium, & juſtitiam dimittere in terra.* Sed reliqua differam in diem craſtinum.

Da omnipotens Deus, quando vides nos ita eſſe implicitos non modo pravis cupiditatibus, ſed etiam illecebris Satanæ, deinde etiam ignorantia & cæcitate: da, inquam, ut verbo tuo excitati, ſimul etiam diſcamus aperire oculos ad ſalubres tuas admonitiones quibus nos ad te revocas: & quoniam hoc non poſſumus niſi Spiritu tuo duce ac præeunte, fac ut illuſtret ipſe noſtros oculos, quo vere & ex animo ad te converſi, ſentiamus te propitium & exorabilem eſſe his omnibus qui te quærunt ſine fictione, ut tibi reconciliati per Chriſtum, ſentiamus etiam te nobis eſſe propitium patrem: & nos omni genere benedictionum proſequaris, donec tandem nos colligas in regnum illud tuum cœleſte, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA IN AMOS PROPHETAM.

CAPUT V.

Qui convertunt in abſinthium judicium, & juſtitiam relinquunt in terra. Diximus heri cur hanc ſententiam Propheta addiderit: voluit enim modis omnibus reos peragere Iſraëlitas. Poſtquam invectus eſt in ſuperſtitiones, jam addit, etiam cum hominibus ipſos perverſe & inique agere. Aggreditur autem proceres ipſos, qui præfecti erant relicto populo: non quod illi ſoli obſtricti eſſent culpæ, ſed quia trahebant ſecum totum vulgus. Nam ſcimus defluere morbos à capite in corpus reliquum. hæc igitur ratin eſt cur ſtylum præcipue dirigat Propheta in ipſos gubernatores. Dicit *eos convertere judicium in abſinthium.* Similitudo hæc ſatis frequenter occurrit. Scimus nihil dulcius eſſe æquitate, ubi quiſque jus ſuum obtinet. Nam hoc plurimum valet ad pacem retinendam. Nihil ergo nobis gratius eſſe debet, quam ubi viget rectitudo & æquabilitas. Hæc cauſa eſt cur Propheta amaritudinem vocet pravitatem hanc, ubi judicio non eſt locus, neque rectitudini. Dicit etiam *in terra dejici juſtitiam:* acſi diceret projici in terram. Debebant autem judices ipſi tueri rectitudinem in populo. Scimus enim hoc ipſis injunctum eſſe munus. Atqui Propheta eos accuſat, quod relinquant in terra juſtitiam, hoc eſt, quod ſinant eam jacere. Nunc tenemus Prophetæ conſilium. Sequitur,

8. Qui facit Pleiades & Orionem, qui convertit in lucem matutinam tenebras, & diem in noctem obtenebreſcere facit: qui vocat aquas maris, & effundit ſuper ſuperficiem terræ: Jehova nomen ejus.

Contexunt quidam interpretes hunc verſum cum ſuperiore. Putant enim hic exponi à Propheta quod prius dixerat. ſed longe falluntur, & corrumpunt etiam Prophetæ ſenſum. Diximus enim Prophetam illo verſu oſtendere Iſraëlitas non modo eſſe perfidos & fœdifragos adverſus Deum, quia deſciverant à genuino ejus cultu, ſed etiam homines inique & improbe vexare. Iſti autem putant metaphorice Deum vocari Juſtitiam, & religionem vocari Judicium. hoc nihil ad Prophetæ mentem: imo, ut jam dixi, prorſus alieoum eſt. Quid ergo ounc ſibi vult Propheta? Ego ſeorſum accipio hanc ſententiam: ſed tamen videndum eſt cur Propheta tam magnifice prædicet nobis potentiam Dei. Scimus quam ſecure ludant hypocritæ cum Deo, acſi negotium illis cum puero aliquo eſſet. Fingunt enim Deum pro ſuo ingenio: imo ipſum transfigurant quoties libitum eſt, & putant oblectari frivolis nugis. Hinc tam facilis apud illos placandi Dei ratio: quum multis modis provocarunt iram Dei, in promptu eſt hic aliquod piaculum, & putant ſatisfactum eſſe Deo. Quoniam igitur hypocritæ imaginantur Deum ſimilem mortuo idolo, hæc ratio eſt cur Propheta, ut faceſſant iſtæ blanditiæ, oſtendat longe aliam eſſe naturam Dei. Qualem putatis eſſe Deum? inquit: vos enim affertis expiationes veſtras nihili & frivolas: quaſi vero Deus contentus ſit iſtis nugis, quaſi puer ſit, vel aliqua muliercula. *Ipſe eſt* igitur *qui facit Pleiades & Orionem, qui convertit in mane tenebras, qui noctem die permutat, qui effundit ſuper terram aquas maris.* Ite nunc, & veſtros luſus producite: quaſi vero pateat vnbis acceſſus ad Deum, ubi veſtris ludicris illum ſtudueritis placare. Nunc tenemus Prophetæ conſilium. Videmus quomodo ſeparari hæc ſententia debeat; & tamen conjuncta ſit cum tota Prophetæ concione. Poſtquam enim invectus eſt in craſſa populi ſcelera, quoniam videt ſibi certamen eſſe cum duris capitibus, imo cum ſubſannatoribus Dei, excandeſcit, & aſperius exclamat, Qualem putatis vel fingitis eſſe Deum? Deſcribit ergo Propheta longe aliam naturam Dei, quam hypocritæ in cerebris ſuis fabricent. Quales ſunt veſtræ picturæ? inquit: Deus enim vobis eſt quaſi puer. Atqui *ipſe facit Pleiades* & Orionem. Alii כסיל vertunt Arcturum. Nec magnopere ſudandum eſt io iſtis nominibus: quia Judæi ut deſtituti fuerunt omnibus ſcientiis liberalibus, hodie non poſſunt certo ſtatuere quid ſibi velint nomina ſtellarum: ſicuti etiam in herbis oſtendunt prorſus ſuam inſcitiam. Satis quidem ſunt audaces: definiunt quid ſignificet unaquæque vox: ſed interim produnt ſuam ignorantiam, ut dixi. Et Propheta noſter erat homo pecuarius: non didicerat aſtrologiam in pueritia, neque etiam in ætate virili. loquitur ergo de ſtellis vulgari hominum more: ſed non dubium eſt quin deligat duas ſtellas inter ſe contrarias. Scimus *Pleiades* (quæ Vergiliæ etiam vocantur) eſſe mites. nam quum oriuntur aſperitatem frigoris remittunt: deinde afferunt ſecum vernam pluviam. *Orion* autem eſt ſtella vehementior: imo concitat ſemper graves & turbulentos motus tam in exortu ſuo quam in occaſu. Quum ita ſit, Propheta hic nominat pro more vulgi ſtellas notiſſimas. Dicit, quum Dominus permutet vices temporum, ut aſperitatem hyemis ſequatur veris temperies: deinde quum dies noctibus ſuccedant, & tenebræ luci: quum etiam Deus turbidum cœlum repente ex ſereno reddat, dum ſcilicet vapores extollit è venis terræ, vel ex mari: quum ergo mutationes iſtæ nobis reddant formidabilem Dei potentiam, qui fit ut tam ſecure ludant cum eo homines? Unde tantus hic ſtupor, niſi quod præteritis Dei operibus, nudum relinquunt ei nomen, & quod eſt ante oculos non aſpiciunt? Videmus ergo quam bene & concinne Propheta hic potentiam Dei nobis prædicet, & quam tempeſtive de ea concionetur. *Facit* igitur *Pleiades & Orionem*, deinde *mutat in mane tenebras, diem facit obtenebreſcere in noctem.* Hic producit in medium varias temporum vices. Neque enim fortuito nox mutatur in diem, & tenebræ terram occupant, poſtquam Sol illuxerat. Quum ergo hæc varietas etiam nolentes expergefaciat, ut cogat revereri Deum, quomodo majeſtas ejus poterit eſſe hominibus ludibrio, ut afferant ſuas placationes frivolas, & putent illum jam non amplius iraſci, ubi aliquid frivolum & puerile illi objectum eſt? quemadmodum ſi ſonitu æris nutrix puerum infantem oblectet. Iterum dico unde tantus hic ſtupor, niſi quia homines ſponte claudunt oculos ad hanc imaginem tam præclaram, in qua Deus ſeipſum nobis oſtendit, ita ut nos omnes ad reverentiam ſui cogat? Jam ergo videmus cur hic Propheta deſcribat varias temporum vices. Dicit etiam de aquis maris, *Vocans*, inquit, *aquas maris, & effundens ſuper terræ ſuperficiem.* Quidam hoc exponunt de fontibus, quia exiſtimant omnes aquas oriri è mari, & fontes nihil aliud eſſe quam maris oculos: ſed videtur hoc

potius referri debere ad pluvias. Neque enim tam conſpicua eſt Dei virtus in aquis ſubterraneis, quam ubi repente obſcurat totum cœlum vaporibus. Unde enim fit ut cœlum quod nuper lucidum erat, nunc ſit tenebroſum? Videmus ſurgere vapores: cujuſnam imperio? Philoſophi quidem afferent cauſas naturales: dicent attrahi à Solis calore vapores illos tam ex terra quam ex mari. Sed interim cur hodie potius quam heri? unde iſta diverſitas, niſi quoniam Deus oſtendit ſubeſſe ſuo imperio elementum aquæ? Deinde aërem ipſum, ſimiliter vapores, qui procreantur quaſi ex nihilo. Quid enim eſt vapor, niſi aër craſſus vel aër denſatus? & tamen proveniunt vapores è terra ex locis cavis, ſicuti etiam ex mari. Certe aqua ex ſe non produceret novum elementum: eſt ponderoſa. Vapores autem in altum tolluntur: qui fit ut aqua ipſa quaſi renunciet ſuæ naturæ? Nam vapores ſunt medii inter aërem & aquam, & tamen penetrant ſupra aërem, & conſurgunt ex terra ad cœlum uſque. Non abs re igitur Propheta dicit, vocari aquas maris, hoc eſt, vocari è mari ipſos vapores, & poſtea effundi ſuper terræ ſuperficiem. Hoc poteſt tam de nubibus intelligi quam de pluvia. Nam nubes ſeſe extendunt ſuper terram, & operiunt nos: pluvia etiam ipſa effunditur ſuper terram. hoc eſt certe admirabile Dei opus. Ideo concludit Propheta, *Jehova eſt nomen ejus*: non eſt veſtrum idolum quod fabricatis vobis. Nam veſtra piacula poſſent quidem pueris riſum elicere, ſed non poterunt ſatisfacere Dei judicio. Ergo cogitate vobis negotium eſſe cum Deo ipſo, & ne amplius vos decipiant iſtæ fallaces impoſturæ. Sequitur,

9. Qui fortificat vaſtatorem ſuper robuſtum, & vaſtator ſuper munitiones aſcendet.

Jam non diſſerit Propheta de ordinariis Dei operibus, ubi refulget tam majeſtas ejus plena reverentiæ, quam horribilis potentia: ſed propius urget ipſos Iſraëlitas, qui ita obduruerant in ſuis ſceleribus, ut nullo modo eſſent flexibiles. Hic ergo Propheta inſultat eorum contumaciæ, dicens, Quid putatis fore? vos eſtis robuſti: Deus autem excitabit vobis prædones, qui prævalebunt, & contundent ac frangent veſtram duritiem, quam nunc ipſi Deo opponitis. Poſtquam ergo injecit terrorem à deſcriptione ordinis naturæ, jam minatur ipſos ſenſuros Dei potentiam in ſeipſis: quia utcunque occalluerint, imo jam ferocia ſua audeant inſurgere contra Deum, hoc ipſis nihil profuturum denunciat: quoniam in manu Dei erit aliquis vaſtator, qui prævalebit contra ipſorum duritiem. *Et vaſtator*, inquit, *aſcendet ſuper ipſas munitiones*, vel munitiones intrabit. Deridet hic oblique Propheta inanem fiduciam, qua turgebant Iſraëlitæ quum viderent ſe eſſe clauſos munitis urbibus, haberent ſua præſidia & opes. Dicit hoc totum fore illis inutile, ubi Deus excitaverit robuſtos prædones, qui penetrent in portas optime munitas, & inſiliant ſuper muros, & urbes bene clauſas ingrediantur. Jam ergo videmus quorſum tendat in his verbis Propheta. Nunc facilis erit applicatio hujus doctrinæ in uſum noſtrum. Siquando non ſatis movebimur vel doctrina, vel admonitionibus, vel minis, ſuccurrat in memoriam noſtram quod Propheta hic docet, nempe cum Deo non eſſe ludendum: & hypocritas nihil proficere luſoriis ſuis ceremoniis quum illi ſacrificant, & quum objiciunt ſua piacula, quæ Deum minime oblectant. Quare? nam ex natura Dei hoc facile colligi poteſt. Ergo ne Deum transfiguremus, diſcamus attollere oculos in conſpectum ejus: deinde circumferamus eos huc & illuc, & tunc coget nos ad reverentiam & timorem potentiæ ſuæ. Sequitur,

10. Oderunt (*odio habent*) in porta corripientem, & loquentem rectum abominantur.

Probabile eſt hoc etiam verſu judices ipſos objurgari à Propheta: quanquam poteſt extendi etiam hæc doctrina ad totam plebem. Sed quoniam totus fere ſermo dirigitur contra judices, ego facile ſubſcribo huic ſententiæ, quod etiam nunc Propheta judices accuſet hoc nomine: quia ubi ſibi permiſerint multam licentiam, non ſuſtineant tamen reprehendi, imo abominentur omnes objurgatores. Quod ergo dicit odio haberi in porta objurgatorem, ſic exponi debet: quoniam judices in porta ſedebant, ubi perverterant jus & æquitatem, ſi quis vellet eos monere ſui officii, ipſos faſtuoſe repudiaſſe omnes admonitiones, imo abominatos eſſe. *In porta* ergo: hoc eſt, qui debebant aliis præire, & ſi quid eſſet vitioſum in populo debebant corrigere, illi non poſſunt ferre ullum objurgatorem, quum tamen eorum vitia acribus indigeant remediis. Atque utinam hodie morbus hic bene ſanatus eſſet. Videmus autem ut Reges, & quicunque in mundo poteſtate aliqua præditi ſunt, velint eſſe ſacroſancti, neque admittant ullam reprehenſionem. Statim læditur in eorum perſona Dei majeſtas: ut queruntur & clamitant ipſi, quum Doctores & ſervi Dei audent detegere ipſorum flagitia. Non eſt igitur hoc vitium unius temporis quod damnat Propheta: ſed hodie etiam quicunque tribunalia occupant, vellent immunes eſſe ab omni reprehenſione, vellent ſibi permitti licentiam peccandi, quia non putant ſe eſſe ex vulgari hominum ordine, ſed putant ſe exemptos omni judicio: volunt denique ſine ulla æquitate dominari, quia imperium ipſis nihil aliud eſt quam effrenis licentia. Nunc ergo tenemus quid Propheta velit. Jam ſequitur,

11. Quia calcaſtis pauperem, (*vel onus impoſuiſtis*) & onus frumenti abſtuliſtis ab eo: domos exciſionis (*hoc eſt, ex lapide quadrato*) ædificabitis, & non habitabitis in illis: vineas deſiderabiles plantabitis, & non bibetis vinum earum.

Hic denunciat Propheta, quum ex rapinis ditati fuerint judices, tamen Deum non paſſurum ut potiantur tali præda, ſed ipſos ſpoliatum iri, ubi accumulaverint magnas opes. Hæc ſumma eſt. Videmus ergo Prophetam hic non litigare cum hominum vulgo, ſed ipſos principes ex profeſſo aggredi, quoniam ab ipſis oriebatur quicquid mali erat. Hoc primum eſt, quod *onus impoſuerint pauperibus*, quod *abſtulerint ab ipſis frumentum*. Primum dicit, onus impoſuiſtis, vel calcaſtis. Nam utroque modo poteſt accipi hoc verbum: ſed ad ſummam rei parum intereſt. Non ſæpe quidem legitur verbum quadratum: ſed exponunt interpretes pro calcare vel onus imponere. Non dubito quin Propheta hic judices accuſet, quod non pepercerint miſeris hominibus, ſed illos tributis & exactionibus gravarint: hoc eſt igitur onerare pauperes. Deinde addit, *abſtuliſtis onus frumenti*. Non dubium eſt quin Propheta hic delegerit ſpeciem ſævitiæ in rapinis, quæ maxime erat deteſtabilis. Si pecuniam auferant judices, ſi munus aliud, hoc non erit tam odioſum, quam ubi ſuis humeris coguntur afferre triticum pauperes. Perinde enim eſt

acſi vitam ſuam dederent iſtis prædonibus. Ubi ergo cogunt judices ſibi afferri onus frumenti, perinde eſt ach pauperes ipſos jugularent, vel extraherent ſanguinem ab eorum venis: quia fraudant eos ſua alimonia & victu. Nunc tenemus quid velit Propheta: *Vos*, inquit, *oneraſtis pauperes, & abſtuliſtis ab illis onus frumenti.* בר quidam vertunt Electum, ſed male. *Ideo vos ædificabitis.* Hic denunciat non fore ſpei ſuæ compotes, quia ideò undique rapiunt, ut ædificent magna palatia: deinde ut acquirant amplas poſſeſſiones, ut denique & ſe & ſuos heredes locupletent. Decipiet vos, inquit, veſtra opinio: fraudate, expilate, rapite: ſed Dominus tandem ſpoliabit vos iſtis rapinis. Ubi enim fueritis venales, & proſtitueritis non modo animos veſtros, ſed pudorem pro lucro, ubi multum operæ & laboris ſumpſeritis ædificando, *non* tamen *habitabitis in palatiis veſtris*: ubi plantatæ fuerint magno ſumptu & magna cura vineæ, *non bibetis* tamen *vinum earum*: quemadmodum etiam
Jeſ. 33.1. dicit Jeſaias, O prædator, tu etiam eris prædæ expoſitus. Et experientia communis hoc docet. Videmus enim qualiter Dominus transferat hujus mundi poſſeſſiones. Qui viſus eſt heredes ſuos in perpetuum ditaſſe ubi moritur, tamen tota vita videbimus eum privari ſuis facultatibus: erit enim jejunus in magna abundantia & quaſi famelicus. hoc frequentiſſimum eſt. Jam ubi iſta copia ad heredes pervenerit, incidet in heredes prodigos, qui ſtatim omnia dilapidabunt. Etiam interdum noo permittit Dominus ut tantis opibus ſint heredes, ſed ſparguntur huc & illuc: nomen ipſum extinguitur, quod maximè erat curæ iſtis magnificis & opulentis hominibus, qui vellent eminere in mundo etiam centum ſeculis poſt mortem ſuam. Tenendus eſt igitur hic locus Prophetæ, ubi dicit hanc mercedem repoſitam eſſe prædonibus & injuſtis raptoribus, ut poſtquam congeſſerint magnas opes, Dominus ipſos ſpoliet, nec patiatur frui illa abundantia, quam adeo ſollicite ex omnibus partibus rapuerant. Nunc pergamus.

12. Quia cognoſco magnas iniquitates veſtras, (*vel multas*, רבים) & robuſta ſcelera veſtra: afflictores juſti, ſublatores redemptionis, & pauperes in porta declinare faciunt. (*hoc eſt, cauſa cadere faciunt*)

Hic Propheta Deum loquentem inducit, quo plus auctoritatis habeat comminatio. Scimus enim, ut jam dictum eſt, Prophetas contemni à ſuperbis hominibus: ſed ubi Deus ipſe in medium progreditur, niſi terrorem afferat, hoc mirum eſt: interea ſaltem excuſatio tollitur hominum ſuperbiæ, niſi Dei mentio ipſorum corda tangat, atque etiam humiliet. *Ego*, inquit, *novi veſtras iniquitates*: quaſi diceret, Non putatis vos eſſe obnoxios reddendæ rationi apud homines: ut forte noo erit vobis reddenda ratio: ſed quomodo putatis vos poſſe effugere meum tribunal? ego enim ſum judex veſter, & meum eſt imperium: utcunque nunc vel ferociter calcitretis, vel tergiverſemini contra me, tamen neceſſe eſt ſcelera veſtra à me judicari. *Ego* igitur *novi veſtra ſcelera*, inquit Dominus. Et quoniam ſuo ſplendore colorant quodvis flagitium divites, & præſertim magiſtratus qui ornati ſunt publica perſona, Deus dicit turpitudinem illorum ſibi eſſe cognitam: acſi diceret, Litigate quantum libuerit, ſed veſtræ iniquitates ſunt mihi ſatis compertæ: nihil proficitis cavillis iſtis. Deinde non levia tantum delicta in ipſis reprehendit, ſed dicit jam prorſus eſſe intolerabiles. In ſumma potentia ſiquid peccatur, ſolet venia dari; quia nihil magis difficile eſt, quam ut quis retineat tantam integritatem, ubi ſuſtinet tam magnum & grave onus, ut nihil culpæ admittat. Sed Dominus hic oſtendit non leviter eſſe culpabiles: ſed ſcelera ipſorum eſſe gravia, & atrocia, ut jam nequeant ferri. Nunc ergo tenemus quale ſit iſtud Prophetæ conſilium. Ergo ſi perſtringit oculos ſuperbis hominibus ſua magnitudo, ſciamus tamen eos non abrogare Deo jus ſuum: quia etſi hodie non judicet, tamen brevi conſcendes ſuum tribunal. Et admonet, pompas iſtas, quibus hodie teguntur multa ſcelera, eſſe umbras duntaxat, & diffluere. hoc eſt quod intelligit Propheta. Vocat deinde *Oppreſſores juſti.* Hic ſpecies aliquas enumerat, in quibus potuit quaſi palpari ſcelerata & craſſa improbitas judicum, quos nunc alloquitur: *Vos*, inquit, *juſtum opprimitis.* hæc una eſt ſpecies. Deinde ſequitur altera, quod tollant כופר, expiationem, vel pretium redemptionis. Non dubito quin hic diverſum aliquid notare velit Propheta à ſuperiore ſcelere. Quanquam interpretes confunduot hæc duo, ego tamen exiſtimo longe eſſe diverſa: nempe quod judices iſti mercenarii paciſcuntur cum improbis, ſimulatque vel homicidium aliquod perpetratum eſt, vel alia violentia. denique ſimulac quiſpiam gravi peccato ſe implicuit, vident prædam eſſe captam, & cupide inhiant: cuperent cædes multas quotidie patrari, ut ſcilicet inde captent lucrum. Quoniam ergo ita ſunt intenti prædæ judices iſti, ideo Propheta eos arguit quod *ſublatores ſint redemptionis*: debebant punire ſcelera, hoc non faciunt: impune dimittant improbos, parcunt homicidis, & adulteris, & furibus, & veneficis, non autem ſine mercede, dum illi afferunt ſuam redemptionem, & recedunt quaſi inooxii. Nunc tenemus quid velit hic Propheta. & utinam hoc vitium non eſſet adeo vulgare: ſed hodie in hoc tantum apparet ſeveritas multorum judicum, quod lucrum venentur ex ſceleribus, & videtur eſſe quaſi aliqua redemptio. Hoc enim proprie ſignificat nomen כופר. Quum ergo hodie etiam graſſetur hoc malum, oon mirum eſt ſi Propheta, dum vult reprehendere corruptelas ſui temporis, dicat judices captare redemptionem. Deinde addit, *Pauperes faciunt cadere* judicio *in porta.* Hæc tertia eſt ſpecies, ubi Propheta conqueritur ſpoliari ſuo jure miſeros homines: quoniam ſcilicet non poſſunt tantum pretii afferre quantum divites afferunt, deinde freti bona cauſa putant ſibi eſſe certam victoriam. Conqueritur Propheta illos ſua ſpe dejici, & *in porta* perverti jus ipſorum, hoc eſt, in ipſo judicio. Scimus enim fuiſſe antiquum hunc morem, ut in portis ſederent, & illic exercerent judicia: & ideo portæ hic bis meminit Amos. Hoc autem magis indignum eſt, quum tribunal ſit quaſi ſacrum aſylum, quo refugiant miſeri homines, ut liberentur ab injuriis: ſi illud eſt ſpoliarium latrooum, quid amplius reſtat? Nunc ergo videmus Prophetam non agere cum hominibus gregariis, ſed præcipue ſtylum ſuum dirigere contra gubernatores. Pergamus.

13. Propterea prudens in tempore hoc ſilebit, quia tempus hoc malum eſt.

Quidam interpretes putant hic denunciari pœnam populo Iſraël, quod Dominus privabit eos Prophetis & Doctoribus. Scimus autem nihil magis eſſe metuendum, quam ut Dominus lucem ſanæ doctrinæ extinguat, & ſinat nos errare in tenebris, imo impingere & ruere, quemadmodum faciunt qui deſtituuntur ſanis conſiliis. ſed prorſus exiſtimo alium eſſe Prophetæ ſenſum. Poſſet etiam probabilis eſſe altera expoſitio, quod ſcilicet non audebat prudens loqui propter iſtam tyrannidem: quia ſcili-

ſcilicet prius dixerat Amos, Judices qui tunc dominabantur, non ferre objurgatorem. Ergo coguntur *ſilere prudentes hoc tempore*, *quia tempus hoc malum eſt*, & tollitur omnis libertas docendi. Latius etiam patet ſententia, quod taciti perferent injurias quicunque læſi fuerint, & vorabunt intus ſuos gemitus, quia non audebunt conqueri: imo ipſi Doctores non ſeſe opponent, dum videbunt importune inſurgere iſtos homines ſuperbos & violentos. Sed poſſet etiam commode aptari hæc ſententia ad Dei judicium, quod ſcilicet *prudens ſilebit*, nempe expavefactus. Silentium enim conjungitur ut plurimum cum pavore. Quoniam ergo terribilis eſt iſta vindicta Dei, qui prudens eſt occludet os ſuum, vel opponet manum ori ſuo, ut alibi dicitur. Quantum attinet ad primam expoſitionem, ego eam repudiavi, & certe nihil habet coloris. Secunda autem poterit aptari ad Prophetæ contextum, quod ſcilicet *prudens tacebit hoc tempore*, quia ſublata erit omnis libertas. Quanquam nollem ita reſtringere, ut alii faciunt. neque enim hoc eſſet hominis cordati, prætereire ſilentio tam gravia ſcelera: etiamſi tyranni minitentur mortem centies, quibus tamen incumbit docendi neceſſitas, illi non debent obmuteſcere. Sed Propheta hic non loquitur de prudentibus quidnam facturi ſint, vel omiſſuri: potius ſignificat, quoties loqui incipient, tantam fore ſuperbiam Judicum, ut repellant omnes objurgationes. *Prudens* ergo *tacebit*, non ſponte, quia illud eſſet indignum, quemadmodum dixi, viris cordatis. Et Propheta hic honorifice *prudentes* appellat, qui recte diſcernunt, qui non rapiuntur poſt corruptelas, ſed manent integri: etiamſi vident totum ordinem collapſum, ſi vident etiam quaſi cœlum terræ miſceri, retinent tamen ſanum judicium. Quum de his loquatur Propheta, certe non intelligit ſponte tacituros: quia turpis ignaviæ eſſet ita prodere veritatem, vel bonas cauſas. Quid igitur? nempe tantam fore improbitatem, ut ne ſinant quidem tyranni verbum unum proferri à prudentibus. Siquis ergo prodierit in medium, & velit vitia reprehendere, non feretur. Quum igitur *tempus* dicit *eſſe malum*, intelligit tantam audaciam graſſari, ut ſublata ſit prorſus omnis libertas cordatis viris. Coguntur ergo tacere, quia nihil proficiunt loquendo. imo non eſt illis liberum loqui: & quanquam præſtare officium conantur, tamen ſtatim compeſcit eos tyrannica violentia. Quemadmodum quod dicitur Loth gemuiſſe & *Gen. 19.* excruciaſſe cor ſuum: non dubito quin coactus ſit ſilere tunc, quum jam ſæpius liberis objurgationibus uſus foret: imo etiam quin ſuſtinuerit multa pericula, quum tentaſſet reprehendere Sodomitas. Sic etiam nunc mihi videtur intelligere Propheta prudentes tacituros: quia ſcilicet tyranni iſti ad ſilentium omnes cogent, & compeſcent Doctores, & nunc conjicient in carceres, nunc vero in exilia extrudent, nunc etiam denunciabunt mortem, nunc mulctabunt aliqua pœna, vel convitiis repudiabunt, & habebunt ludibrio, ut ſint contemptibiles. Tenemus nunc Prophetæ conſilium. Cæterum notemus tunc homines progredi ad extremum malorum, ubi non amplius datur locus vel doctrinæ, vel ſanis conſiliis, & data opera extinguitur omnis libertas, ne audeant cordati reprehendere vitia, quæ tamen paſſim graſſantur, & quæ pueri ipſi vident, & quæ etiam cæci palpant. Ubi ergo eo ventum eſt licentiæ, certum eſt omnia eſſe perdita, & jam nullam eſſe ſpem vel pœnitentiæ, vel melioris ſtatus. Et hoc fuit etiam Prophetæ conſilium.

Da omnipotens Deus, quando non poſſumus immenſam & incomprehenſibilem illam gloriam, quæ nobis abſcondita eſt, oculis cernere, ut ſaltem ex operibus tuis diſcamus quænam ſit tua virtus & potentia, ut humiliemur ſub manu tua forti, neque ludibriis noſtris ſic tecum agamus quemadmodum ſolent hypocritæ; ſed veram cordis integritatem afferamus, deinde etiam manuum puritatem, ut teſtemur tota vita vigere in animis noſtris ſincerum timorem nominis tui: & ubi nos totos ita tibi conſecraverimus in obſequium, fac etiam ut militemus fortiter & invictis animis contra omnes corruptelas, quibus undique ſumus obſepti, donec defuncti noſtra militia tandem perveniamus ad cœleſtem quietem, quæ nobis repoſita eſt per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO UNDECIMA
IN
AMOS PROPHETAM.

CAP. V.

14. Quærite bonum, & non malum, ut vivatis, & erit hoc modo Jehova Deus exercituum vobiſcum, quemadmodum dixiſtis.

ITerum repetit Propheta tantum per Iſraëlitas ſtare quominus proſpere illis ſit: quia paratus eſſet Deus benedictione ſua eos proſequi, niſi vellent ex profeſſo accerſere ſibi maledictionem. Quoniam ergo ſolent hypocritæ culpam omnium malorum à ſe rejicere, & conqueri de ſuis miſeriis, quaſi Dominus injuſte illos affligat: ideo Propheta oſtendit nihil mali Iſraëlitis accidere quod non conciliaverint ſuis ſceleribus. Interea tamen hortatur eos ad reſipiſcentiam, & ſpem veniæ facit, modo ne obdurent animos uſque ad extremum. Jubet igitur *quærere bonum*. Sed quum addit, *Ne malum quæratis*, hæc loquutio emphatica eſt: acſi diceret ipſos ſic affixos eſſe ſuæ malitiæ, ut inde avelli nequeant. Summa igitur huc tendit, non poſſe Iſraëlitas conqueri acſi nimis duriter tractaret eos Deus, quoniam non patiantur ſibi bene fieri. Jam rationem aſſignat Propheta, quod non modo alieni ſint à bonitate, ſed etiam avide & ſummo ſtudio ſectentur malitiam: interea ad pœnitentiam eos hortatur, & promiſſionem addit, quæ ipſos magis animet. *Quærite* ergo *bonum, ut vivatis*, inquit: deinde, *atque hoc modo ſit Deus vobiſcum*, *quemadmodum dixiſtis*. Hic coarguitur improbitas populi, qui volebat ſibi Deum obſtringere, quemadmodum hypocritæ ſolent abuti promiſſionibus, quum tamen Deum ipſum audacter rejiciant: interea vellent ipſum ſibi eſſe obnoxium. Sic gloriabantur filii Abrahæ ſe eſſe electum populum: circumciſio erat illis inſtar diadematis regii: volebant excellere ſupra omnes gentes, atque ita abutebantur ſcilicet nomine Dei: quanquam proterve ſuperbiebant contra Dei verbum & Prophetas. Quum ergo ſubinde jactarent Deum in medio ſui habitare, dicit Propheta, *Tunc & hoc modo erit Deus vobiſcum*, ſi quæſieritis bonitatem, hoc eſt, beneficentiam. Nam quærere bonum nihil aliud eſt quam dare operam beneficentiæ: acſi diceret, Mutate ingenium & mores veſtros. Hactenus enim

graſſata eſt apud vos iniquitas, fuiſtis violenti & raptores, & fraudulenti: nunc incipite benefacere, tunc Deus vobiſcum erit. Ergo magnum pondus ſubeſt in particula כן, *ſic erit vobiſcum Deus*. Propheta enim revocat in memoriam quod tam ſæpe occurrit in Lege, Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum, qui habito in medio veſtri. *Lev. 11. verſ. 44.* Deus verbis illis oſtendit non poſſe fieri ut habitet cum Iſraelitis, niſi ſeipſos ſanctificent, ut ſit mutuus conſenſus. Illi autem poſthabita cura ſanctitatis, volebant Deum ſibi eſſe obligatum. Deridet hanc perverſam confidentiam Propheta, & dicit modum certum ſtatui in Lege, quo Deus vult habitare in medio ipſorum. *Sic ergo Deus erit in medio veſtri*, nempe ubi viderit vos rectitudini & beneficentiæ dare operam. Jam expoſuimus quid ſibi velit iſtud, *quemadmodum dixiſtis*. Nam refellit ſtolidam jactantiam, quæ audiebatur apud Iſraëlitas, Nonne Dominus nos elegit & adoptavit in populum? nonne arca fœderis certum eſt pignus ipſius præſentiæ? Quomodo igitur à nobis diſcederet? Abnegaret ſeipſum Deus, niſi ſervaret fidem datam: pepigit enim cum patribus noſtris, hos fore gregem ſuum, idque uſque in finem mundi. Quum ergo tam ſtulte ſuperbirent, interea eſſent fœdifragi, dicit Propheta, jactatis quidem ore Deum eſſe in medio veſtri, ſed videte quid ille viciſſim à vobis ſtipuletur atque exigat. Si ergo reſponderitis vocationi ejus, certe ille non fallet datam fidem: ſed quoniam ultro diſceditis ab ipſo, neceſſe eſt eum à vobis eſſe alienum. Tenemus ergo ſenſum Prophetæ in his verbis. Sequitur,

15. Odio habete malum, & diligite bonum: & ſtatuite in porta judicium, ſi forte miſereatur Jehova Deus exercituum reliquiarum Joſeph.

Inculcat eandem ſententiam Propheta, ſed conſulto hoc facit: quia videbat nihil magis eſſe difficile, quam ut populus hic primo natura præfractus, deinde longa etiam conſuetudine obduratus in ſuis vitiis, reſipiſceret. Nam paulatim Satan occupat regnum in hominum cordibus, donec prorſus obſtupefecerit ipſos, ut non diſcernant inter rectum & iniquum. Talis ergo excæcatio invaluerat in populo Iſraël. Ideo neceſſe fuit ſæpius ipſos ſtimulari, quemadmodum hic facit Amos. Jubet igitur *odio habere malum, & diligere bonum*. Atqui hic ordo tenendus eſt, ſi vere ad Deum converti, & reſipiſcere cupimus. Nam hic alloquitur Amos perverſos homines, & qui ſic imbuti erant ſua malitia, ut non diſtinguerent amplius inter lucem & tenebras. Non abs re igitur incipit ab hoc membro, *Ut oderint malum*: acſi diceret hactenus fuiſſe illis hoſtile diſſidium cum Deo; itaque mutatione eſſe opus, ut ad ipſum redeant. Nam ſiquis jam ſe ad Dei obſequium formare appetat, ſupervacanea erit hæc exhortatio, ut odio habeat malum. Sed qui adhuc demerſus eſt in ſuis vitiis, opus habet tali ſtimulo. Ideo hic objurgat eos Propheta: & quamvis ſibi adulentur, oſtendit nimium addictos eſſe ſuis vitiis. Poſtea addit, *Diligite bonum*. Significat hoc novum fore, ſi beneficentiam colant, & applicent ſtudium ad rectitudinem. Summa hæc eſt, Iſraëlitis non fore pacem ullam cum Deo, donec prorſus fuerint mutati in novos homines: quia ſcilicet nunc abhorreant à beneficentia, & malitiæ ac pravitati ſint dediti. Partem vero pœnitentiæ hic ponit Amos: quia non dubium eſt quin טוב Beneficentiam ſignificet, ſicuti רע vocatur proprie Iniquitas. Non loquitur hic nec de fide, nec de invocatione Dei: ſed à fructibus deſcribit pœnitentiam, quemadmodum etiam aliis locis dictum fuit probari hoc modo fidem noſtram, ubi ſinceritas & integritas mutua inter nos viget, ubi ultro & citro nos diligimus, & præſtamus charitatis officia. Sic ergo per ſynecdochen hic pœnitentia deſcribitur: hoc eſt, totum à parte oſtenditur, quemadmodum vulgo dicunt. Sed jam addit Propheta, *Ut ſtatuant in porta judicium*. Hic publicum ſtatum perſtringit, ſicuti heſterna lectione fuſius diximus. Nam ita diluvium iniquitatis exundaverat, ut in foro ipſo, & in judiciis nulla amplius eſſet æquitas, nulla rectitudo. Quum ergo corruptela occuparet portas ipſas, ideo Propheta hortatur, ut *conſtituant in portis judicium: ſi forte*, inquit, *miſereatur Deus reliquiarum Joſeph*. Hic oſtendit Propheta jam vix fieri poſſe ut populus ſalvus maneat: imo hoc eſſe prorſus deſperatum. Sed quoniam communis perverſitas abripit bonos quaſi violenta tempeſtas, ideo Propheta hic admonet fideles, etiamſi numero pauci ſunt, ne tamen deſpondeant animos, ſed colligant ſe ad Deum, ſinant alios diffluere, & ruere præcipites in ſuam perniciem: ipſi autem conſulant ſaluti ſuæ, quaſi fugerent ex incendio. Tenemus ergo nunc Prophetæ conſilium: quia ſcilicet ubi tota multitudo velut exitio ſuo devota omnem ſalutis curam depoſuit, pauci qui reſtant ſimul etiam patiuntur ſe ferri, acſi tempeſtas eos abriperet, ut dictum fuit. Ideo Propheta hic ſolatur bonos, ſiqui adhuc ſuperſint: & oſtendit, etiamſi populus peſſum eat, non tamen eſſe cur deſperent: quia Dominus adhuc ſe promittat illis fore propitium. Ergo huc tendit ſumma doctrinæ, ut decem non reſpiciant quid faciant mille, ſed potius audiant loquentem Deum, quam ſeſe projiciant cum turba: ubi vident homines cæco impetu ruere in ſuum interitum, ne illos ſequantur, ſed auſcultent potius Deo, & non reſpuant oblatam ſalutem: quamvis paucitas illos poſſit exanimare, ne tamen propterea ſinant ſibi eripi vel excuti promiſſiones Dei, ſed eas amplexentur. Quod autem dicit, *ſi forte*, non eſt vox dubitantis, ut alibi dictum fuit: ſed potius voluit Propheta vehementius pungere fideles, ut ſcilicet creſceret ipſis alacritas, ſicuti opus erat. *Joël. 2.* Quoties ergo ponitur vel פן, vel אולי, ſciamus non relinqui ſuſpenſas hominum mentes, vel perplexas, ut diffidant, ut cum dubitatione accedant ad Deum: ſed tantum difficultatem proponi, ut ſeipſos magis excitent, & creſcat ardor ſtudii. Et hoc neceſſe eſt in rebus confuſis, quia videmus quanta ſit carnis noſtræ ſegnities. Etiam qui cupiunt ad Deum ipſum redire, tamen non properant quo decebat ardore, ſed lente repunt, & vix ſeſe trahunt: deinde ubi occurrunt multa obſtacula, fere ad ſingulos gradus deſperant, qui alioqui tamen non male eſſent animati. Ideo neceſſe eſt punctiones iſtas adhiberi, Videte: nam ſi quis undique obſeptus ſit incendio, non diu morabitur, neque ſecum expendet quomodo exeat ſine ulla læſione, & ſine ullo incommodo: ſed potius adibit mediocre periculum, quam ut mora ſibi & tarditate exitum præcludat. Sic etiam videtis iniquitatem undique vobis inſtare. Quid ergo agendum, niſi ut celeriter quiſque aufugiat? Nunc ergo tenemus Prophetæ conſilium, ubi dicit, *Si forte miſereatur*. Hæc ſumma eſt, opus eſſe mira converſione, ut fiant prorſus novi homines, qui hactenus malitiæ dediti fuerunt; deinde non eſſe expectandum paucis, dum tota multitudo ſimul accurrat: quia ſi vult peſſum ire populos, tamen audiendum eſſe Deum, qui revocat paucos numero ad ſe, & vult quaſi ex incendio eripere. Tertiò, ſimul etiam proponitur difficultas, ne tarde ad Deum accedant qui adhuc ſanabiles ſunt, ut luctentur contra obſtacula, & ſtrenue accurrant, ubi vident ſine magna vehementia ſe non poſſe explicari: ut ergo non ſenſim accedant ad Deum, ſed potius advolent ſuperatis omnibus difficultatibus. Sequitur nunc,

16. Qua-

16. Quapropter dicit Jehova Deus exercituum Dominus, in omnibus compitis lamentum, & in omnibus viis dicent, Væ, væ: & vocabunt agricolam ad luctum, & lamentum erit ſuper omnes peritos luctus.

Illativa particula quæ hic ponitur confirmat quod prius dictum fuit, nempe Iſraëlitas fruſtra ſibi blandiri, quum tamen deterrimi ſint. Et quia ſciebat Propheta nullum fore illis tergiverſandi finem, ut erant perverſi hypocritæ, ideo præcidit omnia ſubterfugia, dicens Deum tamen jam pronunciare de ipſis: utcunque hoc vel illud objiciant, tamen non poſſe extrahi Dei judicium longiore mora, quia ſatis & ſuper convicta ſit iniquitas ipſorum. *Quapropter*, inquit, *ſic dicit Jehova Deus exercituum Dominus.* Et iterum repetit Dei epitheta, ut aſſerat ei ſupremum imperium: quaſi diceret, Iſraëlitas nihil proficere dum ſic cavillantur cum Deo: ipſum enim eſſe ſupremum Judicem, à quo nulla ſit provocatio, & cujus ſententia revocari nequeat. Videmus itaque hic compeſci proterviam illam, quæ fallebat Iſraëlitas, quum Deo obſtrepere non deſinerent. *Sic ergo dicit Dominus*, nempe ut intelligant ſe pravo eſſe ingenio, corruptis moribus, prorſus deditos eſſe malitiæ, & nullam eſſe in ipſis bonitatis guttam. *Dicit* ergo *Deus, in omnibus compitis lamentum, & in omnibus viis dicent, Væ, væ.* Hic jam non diſceptat Propheta cum ipſis, neque in medium profert eorum ſcelera, ſed tantum de pœna loquitur: acſi diceret litem hanc eſſe deciſam, neque opus eſſe accuſatore: quia nihil aliud reſtat niſi ut Deus exequatur vindictam ſuam contra eos, quia ſcilicet plus ſatis cum ipſis litigaverit. Et hæc ratio docendi frequenter occurrit in Prophetis: quæ etiam notanda eſt, ne ſcilicet putemus quicquam cavillis noſtris nos proficere, ubi Dominus nos tenet ſcelerum convictos. Metuamus igitur pœnam, quæ omnibus indomitis & obſtinatis parata eſt. Dicent ergo in omnibus viis, Væ, væ, inquit. Nunc garriunt, & putant ſua loquacitate ſe fore ſuperiores: ubi obmurmurant contra Deum, putant hoc modo remoram injectam eſſe, ne audeat pœnam exequi: ſed Deus nihilominus perget in ſuo judicio. Clamabunt igitur, Væ, væ: hoc eſt, jam non erit tergiverſandi tempus, ſed occupati prorſus erunt in ſuo luctu. *Vocabunt*, inquit, *agricolam ad luctum.* Quidam אכר putant deductum eſſe à נכר, quod eſt, Agnoſcere, vel ſe alienum facere: & moventur ſolum hac ratione, quia continuo poſt addit Propheta, *peritos luctus.* Sed quia omnes Hebræi conſentiunt de ſignificatione hujus vocis, ego nollem ſine auctoritate quicquam mutare. Et optime etiam convenit quod dicit Propheta. Quanquam errant Hebræi interpretes, qui putant inverſum eſſe ordinem, acſi ita poni debuerit, Vocabunt periti lamentationis agricolas ad luctum. Atqui non dubito quin Propheta omnes ſimul ad luctum trahendos intelligat. Etſi enim diverſa fuit ratio, primo tamen loco luctum indicit agricolis: deinde communem fore docet omnibus, qui lugere ſolent. Sumamus ergo quod dicit Propheta, *lamentum ſuper omnes peritos luctus.* Scimus gentes Orientales exercuiſſe in dolore hiſtrionicam, ut etiam hodie faciunt: videmus enim plenos eſſe geſticulatione. Apud nos ſaltem major erit moderatio, quamvis graviſſimus ſit dolor. Et iſta deinde conſuetudo olim uſque in Europam pervenit. Scimus enim fuiſſe Præficas Romæ: & ſcimus fuiſſe ubique lamentatas. Locabant igitur ſuam operam mercede ad lugendum. Hunc vitioſum morem notat Propheta. Hic non eſt diſputandum, fueritne id recte an perperam factum. Nam Propheta hic duntaxat communem morem recitat. Dicit, Lamentum erit ſuper omnes peritos luctus, hoc eſt, quicunque ſolent conducere operam ſuam ad lugendum, illi omnes nunc occupati erunt. hoc eſt primum, quamvis ſit poſtremum ordine, vel ſaltem medium inter duo membra. Jam ſequuntur alia duo, quod ſcilicet trahentur ipſi agricolæ; deinde in omnibus viis erit lamentatio. Cur enim dicit Propheta occupandos eſſe in lamentatione quicunque luctus ſunt periti? quod ſcilicet communis calamitas ita coget. Jam addit non fore ſimulatum hunc dolorem: ſed quoniam clades graſſabitur per urbes & agros, ideo neminem fore immunem. Quamvis agricolæ non aſſueti ſint talibus ceremoniis, tamen lugebunt ipſi quoque, & diſcent novam artem, inquit Propheta. Nunc ergo videmus quid hæc verba ſibi velint: ideo conjungi debet proximus verſus.

17. Et in omnibus vineis lamentum, quia tranſibo in medio tui, inquit Jehova.

Jam additur ratio cur tota regio occupanda ſit luctu & mœrore: quia ſcilicet *Dominus tranſibit per totam terram.* Atqui nihil magis erat optabile, quam ut Deus terram ſuam viſitaret. Sed hic denunciat irruptionem hoſtilem fore. Quemadmodum ergo ſi hoſtis terram prætervolet, & trahat vaſtitatem ſecum quocunque venit: ſic etiam talem fore tranſitum minatur Propheta. Deus ergo quem jactatis habitare in medio veſtri, prorumpet, & vaſtabit ac diſſipabit totam terram, quemadmodum ſi hoſtis cladem longe & late inferat. Videtur autem alludere Propheta ad Dei tranſitum, qui deſcribitur à Moſe Exodi 12. Dominus tranſiit tunc per mediam Ægyptum, hoc eſt, ira ejus pervaſit totam terram: nullus angulus tunc tutus vel quietus fuit, quia penetravit Dei ultio huc & illuc. Sic etiam nunc Propheta ſignificat terram Iſraël fore inſtar Ægypti: quia Dominus, qui tunc teſtatus eſt amorem ſuum erga filios Abrahæ, nunc vice verſa hoſtem ſe illis oſtendet, ut tranſeat per medium ipſorum. Et oblique rurſus Propheta eludit vanam illam confidentiam, qua excæcati erant Iſraëlitæ, quum prætexerent Dei nomen, ſicuti ex contextu melius apparet: dicit enim,

18. Væ deſiderantibus diem Jehovæ: ad quid hoc vobis? Dies Jehovæ ipſe tenebræ, & non lux.

Hic clarius exprimit Propheta quod breviter & obſcure attigerat de tranſitu Dei. Oſtendit enim Iſraëlitas perperam facere dum clypei inſtar objiciunt Dei nomen, acſi eſſent ſub ejus præſidio: & dum premuntur multis ærumnis, tamen adhuc ſperare, quia Deus promiſerit illos ſibi curæ fore, dicit hoc eſſe nimis frivolum. Quanquam vehementius objurgat illorum ſuperbiam quum dicit, *Væ deſiderantibus diem Jehovæ.* Videtur hoc nimis aſperum eſſe primo intuitu. Sed ne miremur Prophetam ita ſevere excandeſcere contra hypocritas, quibus vix poteſt excuti ſecuritas illa, qua adverſus Deum ferociunt. Et videmus Spiritum ſanctum ubique multo aſperius tractare hypocritas, quam qui ſunt palam impii & ſcelerati: quia Dei contemptores quantumvis ſint ſtupidi, tamen non excuſant ſua ſcelera. Sed hypocritæ vellent ſemper trahere Deum in litem, & habent ſua integumenta ad velandam ſuam turpitudinem; ideo neceſſe eſt ipſos durius & ſeverius tractari, quemadmodum hic Propheta facit. Væ inquit,

quit, deſiderantibus diem Jehovæ. Quidam exponunt hic diem Domini pro morte: & corrumpunt Prophetæ ſenſum, quia exiſtimant Prophetam hic agere cum hominibus deſperatis, qui appetunt ſuſpendium, vel mortem ſibi conſciſcunt violentam. Væ ergo deſiderantibus diem Jehovæ, hoc eſt, qui confugiunt ad ſuſpendium, vel ad venenum, quia nihil remedii illis apparet. Sed Propheta, quemadmodum jam admonui, potius hic exagitat hypocritas. Alii putant hic coargui præfractum illum contemptum, quem prius notavit Amos: & hoc ex parte verum eſt. ſed non ſatis illi aſſequuntur Prophetæ conſilium, quia quod ſpeciale eſt in hoc loco non obſervant, nempe hypocritas ſibi blandiri, quia ſumunt principium illud falſo, ſe eſſe populum Dei, & Deum ſibi eſſe obſtrictum. Quum ergo Iſraelitæ eſſent Deo centies perfidi, tamen non deſinebant circumciſionem ſuam magnifice obtendere: deinde Lex & ſacrificia, & ceremoniæ omnes erant inſtar vexilli. O! nos ſumus gens ſancta, & Dei hereditas, nos ſumus filii Abrahæ, & redempti à Domino, nos ſumus regnum ſacerdotale. Hæc igitur quum volitarent in ore omnium, ideo dicit Propheta, Væ deſiderantibus diem Jehovæ. Imo quum Dominus cœpiſſet pœnas ſumere de ipſorum peccatis, adhuc tamen dicebant, Dominus forte voluit experiri noſtram conſtantiam. Sed quomodo nos perderet? ipſe enim eſſet mendax: non poteſt eſſe irritum ejus fœdus. Ergo certum eſt nos fore ſalvos, & brevi nobis reconciliabitur. Non ſperabant quidem Deum fore ſibi propitium; ſed, ut erant obruti ſuis malis, volebant mulcere ſuos dolores tali pharmaco. Quum ergo videret Propheta tam contumaciter Iſraëlitas ſibi placere, & tam ſtulte & improbe prætexere nomen Dei, *Væ*, inquit, *deſiderantibus diem Jehovæ: quorſum hoc vobis?* inquit. *Dies Jehovæ tenebræ, & non lux.* Acſi diceret, Deus eſt vobis hoſtis, & quo propius ad vos accedet, eo gravius neceſſe eſt vos affligi: nihil vobis afferet præter vaſtitatem, quia veniet armatus in perniciem veſtram: non eſt cur jactetis vos eſſe electum populum, vos eſſe regnum ſacerdotale. nam excidiſtis à Dei gratia: & hoc culpæ veſtræ imputandum eſt. Deus ergo armatus eſt in veſtrum exitium; & quoties apparuerit, ſimul etiam inſtabit vobis crudelis vel violentus, & in veſtram perniciem armatus: ita vobis Deus eſt venturus. Nam quoties advenerit Dominus, ſimul etiam neceſſe erit renovari mala veſtra. *Dies ergo Domini tenebræ, & non lux.* Poſtea confirmat hanc ſententiam.

19. Quemadmodum ſiquis fugiat coram leone, & occurrat ei urſus: & veniat domum ſuam, & nitatur manu ſua ſuper parietem, & eum mordeat coluber.
20. Annon tenebræ dies Jehovæ, & non lux? & caligo, & non ſplendor ei?

Hic jam clarius exprimitur quod prius dixit Propheta, nempe non ſperandum eſſe hypocritis, etiamſi contingant variæ mutationes, ut tamen aliquid levationis afferant. Hypocritæ enim dum vagantur per ſuos circuitus, hinc ſibi promittunt melius fore, ſi mutetur conditio temporum: &, quemadmodum Satan ſe transfigurat in Angelum lucis, ita æmulantur hypocritæ ſinceros Dei ſervos. Sed illa eſt perverſa imitatio: quoniam ſunt tantum evanidi flores, nullus fructus ſequitur: deinde non prodeunt ex viva radice. Filii Dei ſiquando premantur rebus adverſis, tamen ſolatio hoc ſuſtinent fidem ſuam, & patienter fovent, quod nebulæ cito tranſeant: ita etiam ubi Dominus temporalibus pœnis illos caſtigaverit, poſtea redibit cum ipſis in gratiam. Hypocritæ præferunt eandem ſpeciem, ſed longe differunt à fidelibus. Nam fideles quum proſperum exitum ſibi promittunt, ſimul etiam tanguntur malorum ſuorum ſenſu, ſtudent ſe reconciliare Deo: ſed hypocritæ manent ſemper demerſi in ſuis vitiis, & Deum fortiter contemnunt. Interea confugiunt huc & illuc: & ſi contigerit aliqua mutatio, putant ſe jam defunctos eſſe omnibus malis. Quoniam ergo vano ſolatio ſe decipiunt, nunc dicit Propheta, Non eſt cur putetis vobis fore commodius, ubi tranſierit una calamitas. Perinde enim vobis accidet, *acſi quis effugerit leonem, & incidat in urſum: ſi quis elapſus ſit ab urſo, & domum ſuam ſe recipiat, illic autem reperiat eum coluber*: ubi innixus fuerit ſua manu parieti, ſi mordeat eum ſerpens: ita Dominus varios & multos modos in promptu habet, quibus vos puniat. Ergo ſi bellum unum ſuſtinueritis, ſi hoſtis unus diſcedat, ſtatim renovabitur bellum, & ab alio hoſte: ſi vis externa non graſſetur in regno Iſrael, Dominus inteſtinis malis vos conficiet, vel fame & media, vel peſte. Videmus ergo quam bene fluat Prophetæ contextus. Non eſt, inquit, vobis ſperandum quicquam lucis ex die Domini. Quare? Nam non veniet Dominus ad vos niſi armatus: ſicuti enim hoſtiliter vos geſſiſtis contra ipſum, ita neceſſe eſt ut ſe ulciſcatur. Nihil ergo afferet ſecum lucis, niſi forte ut fulminet contra vos. Sed aſpectus ejus erit formidabilis, tenebræ & caligo: deinde ubi deſierit vos proſequi uno modo, aggredietur vos alia via: etſi vobis parcant exteri hoſtes, Deus tamen reperiet quomodo intus ſine manu hominum vos perdat. Nam hactenus experti eſtis quid ſit ſterilitas terræ, quid ſit peſtis. Dominus ergo habet in manu ſua iſtas vindictas. Ne igitur putetis quicquam fore levationis, etiamſi centies volvatur mundus, & ſi mutetur temporum conditio. Cæterum, hic Propheta noluit promiſcue conjicere in deſperationem, qui gravibus offenſis rei tenentur; ſed voluit excutere hypocritis blanditias, ut talibus documentis intelligant Deum fore ſemper ſui ſimilem. Ergo ſi velint cum ipſo redire in gratiam, oſtendit opus eſſe mutatione: ubi exuerint perverſos ſuos mores, Deus ſtatim erit propenſus ad dandam veniam: ſed ſi pergant in ſuis vitiis & obſtinata malitia, & ſemper opponant ſuam duritiem, qua hactenus uſi ſunt, dicit diem Domini ſemper illis fore caliginoſum & obſcurum: etiamſi Dominus non ſemper utatur uno genere flagelli, tamen innumeros illi eſſe modos, quibus perdat gentem obſtinatam, quemadmodum tunc erant Iſraëlitæ.

Da omnipotens Deus, quando ita ſopiti ſumus, imo faſcinati etiam in vitiis noſtris, ut nihil magis difficile ſit quam exuere noſtrum ingenium, & abnegare malitiam cui nos aſſuevimus: da, inquam, ut vere expergefacti iſtis ſtimulis ſerio ad te redeamus, & mutato prorſus ingenio, & depoſita etiam omni malitia, vere & ex animo nos tibi ſubjiciamus, & ita tollamus oculos in adventum Filii tui, ut læti & alacres eum expectemus, ſemper meditando renovationem vitæ, quæ nos ſpoliet carne noſtra & omnibus corruptelis, donec tandem renovati in tuam imaginem, participes ſimus ejus gloriæ, quæ nobis parta eſt ejuſdem Filii tui unigeniti ſanguine, Amen.

PRÆLECTIO DUODECIMA
IN
AMOS PROPHETAM.

CAP. V.

21. Odi, reprobavi dies feſtos veſtros, & non olfaciam in ſolennitatibus veſtris. *(alii legunt, ſacrificia veſtra, & non olfaciam in congregationibus veſtris. ſed de vocibus poſtea dicam ſuo loco.)*

22. Certe ſi obtuleritis mihi holocauſta, & munera veſtra, grata non habebo: & pacifica pinguium veſtrorum non reſpiciam.

23. Tolle à me multitudinem canticorum tuorum, & concentum lyrarum tuarum non audiam.

HIc Propheta per anticipationem oſtendit Iſraëlitas falli, quia Deum ſuis ſacrificiis placari confidant. Dicit hoc totum eſſe inutile: nec tantum, meo judicio, quia ipſi impuri erant, ſed quia omnia ſacrificia ipſorum erant meræ corruptelæ. Diximus alibi ſæpe reprehendi ſacrificia à Prophetis, dum nulla ſubeſt pietas & religio. quorſum enim juſſit Deus ſibi afferri ſacrificia ſub Lege, niſi ut eſſent pietatis exercitia? Oportuit igitur pœnitentiam & fidem afferre. Jam hypocritæ putabant ſe eſſe defunctos, quemadmodum vidimus. Ergo illa erat profanatio divini cultus. Quamvis ergo Judæi quoad externam ſpeciem non diſcederent à præſcripto Legis, vitioſa tamen erant eorum ſacrificia, ac repudiabantur à Deo: Non poſſum ferre, mihi tædio ſunt, ego repudio, ego nauſeo, loquutiones illæ paſſim occurrunt apud Jeſaiam. Et tamen hypocritæ exiſtimabant cultum ſuum eſſe conformem Legi. ſed quia impuritas cordis vitiabat omnia opera, hæc ratio eſt cur Deus rejiciat quicquid putabant Judæi valere ad ſanctimoniam. Sed aliud fuit conſilium Prophetæ noſtri, quemadmodum exiſtimo. Neque enim tantum hac de cauſa culpavit Iſraëlitas, quod ipſi falſo prætexerent Dei nomen in ſacrificiis, ſed quia erant apoſtatæ. Defecerant enim à Legis doctrina, et exerant ſibi templum adulterinum. Interea verum quidem eſt deceptos fuiſſe prava illa opinione, quod putabant expiari peccata ſua ſacrificiis: ſed Deus non modo propter craſſum illum errorem, quo etiam infecti erant Judæi, reprehendit Iſraëlitas, ſed quia abjecerant verum cultum & legitimum. Ergo externa etiam ſpecies merito damnari potuit: quoniam non erat fas alibi victimas offerre, quam in monte Sion. Ipſi autem ſine arca fœderis alibi novum cultum commenti erant: imo adorabant illic vitulos. Nunc tenemus conſilium Prophetæ. Et hoc diligenter notandum eſt, quia interpretes non putant hic alio ſpectare Prophetam, quam ut damnet perverſam fiduciam in Iſraëlitis: quod volebant Deo ſatisfacere per externa ſacrificia, quum tamen eſſent obſtinati in ſuis vitiis. Sed alterum illud adjungi debet, quod ſcilicet corruperant verum Dei cultum, etiam in ipſa ſpecie externa. Nunc poſtquam tenemus conſilium Prophetæ noſtri, deſcendo ad verba, *Odi, reprobavi.* חגג ſignificat Saltare & tripudiare. inde חג ſignificat tam ſacrificium quodlibet, quam diem feſtum. Quidam igitur hic vertunt, Reprobavit ſacrificia veſtra: ſicuti poſtea quum addit, non olfaciam in veſtris ſolennitatibus. Alii vertunt, Cœtus. עצר ſignificat Prohibere, & ſignificat Colligere interdum: ideo עצרה ſignificat Cœtum vel congregationem. Sed עצרת ſignificat Diem feſtum: quia prohibebatur tunc populus ab omni opere, ſicuti notum eſt; deinde quia retinebatur in Sanctuario. Cæterum, quantum ad ſummam rei, parum intereſt, ſive legamus cœtum, ſive diem ſolennem: videmus quid velit Propheta, Deum ſcilicet reſpuere omnes ceremonias, quibus putabant Iſraëlitæ ipſum placari, quaſi eſſent optima piacula. Nec ſimpliciter pronunciat nihili eſſe coram Deo, ſed loquitur aſperius, quod ſcilicet Deus ipſa vel ſpernat, vel abominetur. *Ego habeo,* inquit, *odio dies veſtros feſtos.* Addit de holocauſtis, Si obtuleritis mihi holocauſta, & munus veſtrum. מנחה proprie ſignificat Munus farinaceum: erat acceſſio victimæ. Sed generaliter ſæpe ſumitur pro qualibet oblatione. Certum quidem eſt hoc Prophetam velle, utcunque Iſraëlitæ accumulent multos ritus, hoc nihil proficere ad placandum Deum: quoniam ſcilicet non ſervent Legem ſibi mandatam; deinde quia convertant in alium finem ſacrificia. Neque enim in pietate & ſpirituali Dei cultu ſe exercent, ſed potius integumenta iſta objiciunt oculis Dei, ut lateant omnia vitia, poſtquam obtruſerint hanc fictitiam ſpeciem cultus, quia putant ſe coram Deo abſconditos eſſe. Hæc ratio eſt cur dicat Propheta hoc non fore Deo gratum. לא אריח, inquit. Nec dubium eſt quin Propheta hic ad promiſſiones alludat, quæ paſſim occurrunt in Lege, ſicuti proximo verſu dicebat, לא אריח. ריח ſignificat Olfacere: & ſæpe utitur Moſes hoc verbo, quod Deus odore ſacrificii delectabitur, vel odore ſuffitus. Cæterum, quum Dominus pronunciat gratum ſibi fore odorem, intelligit, modo rite ſacrificet populus, hoc eſt, non afferat falſum integumentum tegendis ſuis peccatis; ſed vere & ſincere teſtetur fidem ſuam ac pœnitentiam: Deus tunc promittit ſacrificia ſibi fore boni odoris. Jam ex oppoſito negat ſuffitum hunc gratum ſibi fore, & ſacrificia etiam ipſa placitora. Nam ſacrificia non modo grata erant Deo, ſed etiam ipſum placabant. Quum ergo Dominus toties ſe propitium fore ſuo populo dixiſſet, ubi oblata eſſent ſacrificia, oportuit directe hanc fiduciam præcidi Iſraëlitis. neque enim fideliter agebant ipſi cum Deo. Nunquam fruſtratus eſt cultores ſuos Deus, quin ipſos reciperet in gratiam, modo ſincere ad ipſum accederent. Sed quoniam hypocritæ iſti fallaciter cum ipſo agebant, ideo fruſtrari oportuit eos ſpe ſua, quemadmodum nunc Propheta declarat. *Pacifica pinguium veſtrorum non reſpiciam,* inquit. Promittit etiam Deus in Lege ſe reſpecturum ſacrificia, modo ſcilicet legitima eſſent. Sed quoniam Iſraëlitæ duobus modis defecerant à puro ejus cultu, merito hic dicit Deus, *Non reſpiciam ad ſacrificia veſtra, nec pacifica pinguium veſtrorum.* Vocat Pacifica pinguium: hoc eſt, etiamſi electiſſimæ ſint pecudes, tamen mihi non erunt gratæ. Dominus enim non moratur pinguedinem, quia non indiget cibo & potu. Ergo in ſumma pinguedinem hanc opponit Propheta veræ pietati, & obedientiæ ſimul. In utroque, quemadmodum vidimus, erat defectus apud Iſraëlitas: quia neque parebant mandato Legis, quoad externam ſpeciem: & cor eorum impurum

porum erat ac perverſum. Ideo neceſſe fuit inquinari, & corrumpi omnia eorum ſacrificia. Sequitur, *Tolle à me multitudinem canticorum tuorum.* Quum de multitudine loquitur, taxat hypocritas, qui valde laborioſi ſunt in ſuis figmentis, quemadmodum hodie in Papatu videmus nullum eſſe modum & finem. Accumulant enim innumeros cultus, & multum ſe fatigant mane, veſperi: denique conſumunt dies & noctes in ſuis ceremoniis, & quiſque aliquid novum excogitat, & illa omnia congerunt. Quoniam ergo ubi cœperunt homines deflectere à puro Dei verbo, ſubinde comminiſcuntur varias nugas, Propheta hanc ſtultam ſedulitatem oblique taxat quum dicit, *Aufer à me multitudinem canticorum tuorum.* Poterat ſimpliciter dicere, Cantica tua mihi non placent: ſed de multitudine loquitur, propterea quod hypocritæ, ut dixi, nullum modum ſibi ſtatuunt in externis ceremoniis: præſertim vero ubi ſemel ſumpſerint ſibi licentiam excogitandi hunc vel illum cultum, ſequitur illa immenſa congeries. Deus ergo hic teſtatur, fruſtra ſibi impendi hanc operam, quia reſpuat quicquid non præcepit, & quicquid etiam perperam offertur. *Et concentum lyrarum*, vel muſicorum inſtrumentorum. Nam נבל eſt inſtrumentum, cujus ſpecies nobis eſt hodie incognita. *Concentum* ergo *aufer à me.* Poteſt [illegible] repeti. Sed alii conjungunt cum verbo לא אשמע, Non audiam concentum. In re parum eſt diſcriminis: probabilis tamen eſt eorum ſententia, qui conjungunt hæc duo membra, Aufer à me multitudinem canticorum tuorum, & concentum quo putas me delectari. poſtea לא אשמע, Non audiam, accipiunt ſeorſum. Sed ego non contendo de rebus iſtis minutis, ſatis eſt tenere Prophetæ conſilium. Jam ſequitur,

24. Et decurret quaſi aquæ judicium, & juſtitia quaſi torrens violentus.

Varie exponunt hunc verſum interpretes. Quibuſdam videtur eſſe exhortatio: quaſi diceret Propheta, Vos mihi obtruditis pecudum victimas, & alios ritus: ego autem hæc omnia non moror. Mihi enim tantum placet interior illa cordis puritas. Ergo tollite hæc quæ nullius ſunt apud me momenti, & afferte quod maxime requiro & exigo, nempe cor purum ac ſincerum. Interea nonnulli putant deſcribi vitæ novitatem à fructibus, vel à ſignis. Neque enim hic Propheta nominat munditiem, non loquitur etiam de fide vel pœnitentia, ſed per fructus deſignat renovationem, quam Deus præcipue ſemper ſpectat, & cujus cauſa etiam ſacrificia in Lege præceperat. Hic eſt unus ſenſus, hypocritas hic revocari ad verum cultum, quia fruſtra & perperam ſe maceraverint in rebus fictis. Requiri ergo ab ipſis juſtitiam & judicium, ſignificat vitam ſanctam & puram, ac rectitudinem in ſumma. Alii putant Prophetam hic delabi ad celebrandam Chriſti gratiam, quæ manifeſtanda erat in Euangelio. Et verbum יגל multi interpretantur Revelabitur. Sed rectius alii deducunt à radice גלל, quod eſt Volvere. Ergo juſtitia quaſi volvetur. Redeo tamen ad illam ſecundam expoſitionem. Putant plerique hic eſſe vaticinium de juſtitia, quam Deus patefacturus erat Chriſti adventu. Et quidam etiam retinent proprietatem verbi גלל. Dicunt igitur hic conferri impetuoſo flumini, & torrenti violento Euangelium, quia Dominus efficaciter perrumpet & penetrabit, etiamſi Satan conetur multa obſtacula ingerere. Sed hic ſenſus non videtur congruere Prophetæ verbis. eſt nimium argutus, meo judicio. Alii potius comminationem eſſe exiſtimant, quod ſcilicet Deus hic occurrat Iſraëlitis, acſi diceret, quoniam ipſi nugantur, vel ineptiunt cum eo, ſe tandem oſtenſurum quid ſit vera juſtitia, & quid ſit verum judicium. Hypocritæ enim putant nihil ſibi deeſſe ad perfectum ſtatum, ubi velati ſunt ſuis ceremoniis. Confugiunt enim ad illa latibula, ubi omnia ſua flagitia tegant. Ergo non putant amplius ſe eſſe reos, ſed quaſi ſub Ajacis clypeo, occultant ſua ſcelera ſub ſuis ceremoniis. Quoniam ergo ita cum Deo ludunt, exiſtimant quidam interpretes hic Deum ſevere pronunciare, longe ipſos falli, quia tandem patebit quænam ſit vera juſtitia. Decurret igitur juſtitia, aut volvetur. Jam impetum deſignat hoc verbo, ſed clarius deinde exprimit per איתן, Violentus erit torrens judicium. Nam hypocritæ, quemadmodum puellæ in ſuis puppis ineptiunt. Quoniam ergo nihil agunt ſerio, & interea tamen vellent Deum quaſi crepundiis placare, ideo hic Propheta excutit tales blanditias: acſi diceret, Putatisne Deum eſſe puero ſimilem? cur illi objicitis has nugas? Putatisne rem eſſe fictam juſtitiam? judicium eſſe aliquod figmentum inane? certe Dominus oſtendet vobis quam pretioſa res ſit juſtitia. *Decurret* igitur *tanquam violentæ aquæ, tanquam impetuoſus torrens.* Judicium, inquit, contra vos ruet, ut vos obruat. Hic eſt tertius ſenſus. Sed poſſet etiam aliter exponi hic verſus, quaſi Deus occurreret objectioni: ſicuti ſcimus hypocritas ſemper obſtrepere, & non facere finem litigandi: Quid? ergo nos perdidimus operam, quum tamen conati ſimus Deum colere? fuit igitur iſtud pro nihilo? Deinde non tantum obtulimus ſacrificia, ſed voluimus etiam teſtari Dei gloriam nobis eſſe curæ. Quum ergo fuerit ſtudium pietatis, cur nunc Deus reſpueret? Propheta hic reſpondet uno verbo, ſi modo afferant veram juſtitiam, fore liberum curſum: quaſi diceret, Deus non ſupprimet veſtram juſtitiam & rectitudinem. Hoc autem referri debet ad fructum vel ad remunerationem: quaſi diceret Propheta, Tantum ſerio Deum colite, & non fruſtrabitur vos. Repoſita enim erit vobis merces: juſtitia veſtra decurret inſtar fluminis: quemadmodum etiam alibi dicitur, Juſtitia veſtra fulgebit inſtar auroræ. Ita etiam hoc loco, Juſtitia veſtra decurret quaſi aquæ violentæ. Non eſt igitur cur expoſtulent hypocritæ ſibi fieri à Deo injuriam, vel maligne æſtimari ſua officia, quoniam Deus liberaliter teſtatur juſtitiæ ſe daturum locum, ita ut libere decurrat, quemadmodum fluvius violentus. Et videtur hæc genuina fuiſſe mens Prophetæ. Quanquam alias expoſitiones non prorſus rejicio, neque inſector: ſed tamen oſtendo quid mihi magis placeat. Poſtquam ergo Propheta juſſit faceſſere omnes cultus fictitios, & adulterinos, jam non hortatur ſimpliciter Iſraëlitas, quemadmodum putant alii, ut afferant juſtitiam & rectitudinem: ſed dicit per modum promiſſionis, Decurret veſtra juſtitia ſicut aquæ violentæ, modo vera ſit, & non ſit inanis titulus. Modo ergo Deus agnoſcat in vobis ſinceram rectitudinem, certe ampla erit vobis repoſita merces. Sequitur,

25. An victimas & munus (*eſt* מנחה) obtuliſtis mihi in deſerto quadraginta annis domus Iſraël?

26. Et ſuſtuliſtis Sicuth Regem veſtrum, & Chion imagines veſtras, ſtellam deorum veſtrorum, (*vel deos veſtros*) quæ feciſtis vobis.

Hoc loco clarios demonſtrat Propheta ſe non modo reprehendere in Iſraëlitis hypocriſin, quod tantum obtruderent externas pompas Deo ſine vera pietate cordis: ſed ſimul etiam damnat quod defecerant à Legis præſcripto. Oſtendit autem hunc morbum non eſſe novum in populo Iſraëlitico, quia ſtatim ab initio permiſcuerint tale fermentum patres ipſorum, quo Dei cultum vitiarent. Oſtendit igitur ſemper Iſraëlitas deditos fuiſſe ſuperſtitionibus, neque potuiſſe ullo modo retineri in vero & nativo Dei cultu. *An ergo ſacrificia, victimas*, aut oblationem accedere ad me feciſtis in deſerto quadraginta annis? Alloquitur ipſos acſi jam in deſerto pervertiſſent Dei cultum: tamen multis poſt ſeculis nati ſunt. quid ſibi hoc vult? Nempe hic Propheta complectitur totum corpus populi à prima origine: acſi diceret, Licebit vos involvere una cum patribus in eundem faſciculum: nam eadem eſt ratio & natura veſtra quæ patrum fuit. Videmus ergo hic trahi Iſraëlitas in reatum, quod non tantum una ætate cultum Dei vitiaverint ſuis ſuperſtitionibus, ſed ab initio. Quærit autem an ſibi obtulerint victimas. Certum eſt tale fuiſſe conſilium, neque enim unquam auſi fuiſſent abnegare Deum, à quo fuerant nuper redempti. Et ſcimus, quamvis multa fabricati ſint quæ damnata erant Lege Dei, ſemper ſtetiſſe in hoc principio, Colendus eſt nobis Deus, qui nos redemit: imo ſuperbe ſemper gloriatos fuiſſe in illo patre ſuo Abraham. Nunquam ergo ſponte ſe alienaſſent à Deo, qui elegerat & patrem Abraham, & ipſos in ſacrum populum. Imo paulo ante dixit Propheta, Aufer à me: deinde, Si obtuleritis mihi ſacrificia, & munus farinaceum, non habebo grata. Videntur hæc inter ſe pugnare, quod Deus neget ſibi oblatas fuiſſe victimas: & tamen dicat ſibi offerri à populo Iſraëlitico, qui perperam erexerat profanum altare & adulterinum, quemadmodum diximus. Solutio facilis eſt: nempe ſemper populum Deo obtuliſſe ſua ſacrificia, ſi reſpicimus quid ipſi voluerint. Nam bona intentio, ut vulgo loquuntur, excæcat ſuperſtitioſos, ut magna confidentia cum Deo ludant: ipſorum igitur reſpectu dicemus Deo ſacrificaſſe. Atqui quantum ad Deum ſpectat, merito negat ſibi offerri quicquid non pure offertur. Videmus ergo quomodo nunc dicat Deus non fuiſſe ſibi oblatas victimas in deſerto, quia ſcilicet populus fermentum idololatriæ permiſcuerat: Deus abominatus eſt illam corruptelam. Hæc eſt ſumma. Sed rurſus objicitur alia quæſtio. Nam neque defectio illa diu graſſata eſt, neque etiam totus populus conſenſit in idololatriam. Imo ſcimus quid dicat impoſtor ille Bileam, non eſſe ſcilicet idolum in Jacob: & tamen loquitur ſpiritu prophetico. Numerorum vigeſimo capite teſtatur regnare verum & unicum Deum in Jacob, neque eſſe illic fictitios deos. Quomodo igitur dicit Propheta illic graſſatam fuiſſe idololatriam? Reſponſio etiam facilis eſt. Nam quod major multitudo abrepta fuerat, ideo totus populus merito damnatur: & quanquam correctum fuit vitium illud, tamen ſubinde relapſi ſunt ad ſuas ſuperſtitiones, ut ſatis notum eſt: imo in ſcortorum gratiam coluerunt alienos deos. Quum ita ſit, non mirum eſt coargui à Propheta quod Deo non obtulerint victimas: quoniam ſcilicet contaminati erant pravis ſuperſtitionibus, ideo fieri non potuit, ut impenſum aliquid Deo ferrent. Sed interim tanti fuit Deo cultus, quem Lege ſua mandaverat, ut diceret ſe coli in Jacob: quemadmodum etiam
Joan. 4. Chriſtus dicit, Nos ſcimus quid adoremus. Et ta-
verſ. 22. men vix centeſimus quiſque erat inter Judæos, qui ſpem vitæ æternæ foveret in animo ſuo. Erant Epicurei omnes, vel profani: imo Sadducæi palam regnabant: tota religio conciderat, vel ſaltem ſic collapſa erat, ut nihil eſſet amplius ſanctum nec integrum: & tamen dicit Chriſtus, Scimus quid adoremus. hoc verum eſt, reſpectu Legis. Nunc ergo videmus Prophetas varie de Iſraële loqui: dum reſpiciunt populum, dicunt eſſe perfidos & apoſtatas, qui ſtatim ab initio deſciverint à vero & legitimo Dei cultu. Ubi autem commendant Dei gratiam, dicunt illic lucere verum Dei cultum: nempe etiamſi tota multitudo perverſa ſit, Dominus tamen probat quod ipſe mandavit. Sicuti Baptiſmus ſemper erit ſacrum & inviolabile teſtimonium gratiæ Dei, etiamſi adminiſtretur à diabolo, etiamſi ſint omnes impii qui communicant, & contaminati, quantum ad ſuas perſonas attinet. Baptiſmus ſemper retinet ſuam naturam, neque polluitur hominum vitiis. Ita etiam de ſacrificiis dicendum eſt. Nunc igitur redeo ad contextum Prophetæ. *An obtuliſtis mihi victimas annis quadraginta in deſerto?* Exaggerat crimen circumſtantia temporis, quod incluſi illic in cuſtodia tam arcta & ſevera, tamen defluxerint poſt ſuas ſuperſtitiones. Et certe hoc fuit horribile portentum. Deus quotidie paſcebat eos Manna, ideo oportuit ſingulis momentis in cœlum reſpicere, etiamſi nollent: Deus enim trahebat invitos non vulgari gratia: tunc ſciebant aquam ſibi fluere ex rupe mirabiliter. Quum ergo cogeret Deus ipſos in ſe reſpicere, qui fieri potuit ut tamen evanuerint in ſuis mendaciis? Hæc, quemadmodum dixi, prodigioſa fuit cæcitas: ideo Propheta de quadraginta illis annis, & de deſerto etiam loquitur, ut melius appareat criminis atrocitas, quod Dominus tot vinculis retinere non potuerit populum illum à furore. Jam ſequitur, *Et ſuſtuliſtis Sicuth regem veſtrum.* Scimus locum hunc à Stephano adduci, Actorum ſeptimo capite. Sed ſequutus eſt Græcam verſionem: interpres autem Græcus, quiſquis fuerit, deceptus eſt in nomine Sicuth: & legit Sucoth, & putavit eſſe nomen appellativum pluralis numeri, & putavit eſſe deductum à סך, quod eſt tabernaculum. Vertit enim σκηνήν, quaſi dixiſſet, Suſtuliſtis tabernaculum regis veſtri loco Arcæ. Sed manifeſtus eſt error: quia probabile eſt Sicuth fuiſſe proprium nomen idoli. *Suſtuliſtis* ergo *Sicuth regem veſtrum.* Regem eorum appellat odioſe, quia violaverant regnum illud ſacerdotale, quod apud eos Deus inſtituerat, quoniam inſtar Regis apud ipſos dominabatur. Quum ergo vellet Deus cenſeri rex Iſraël, ut ſibi acquiſierat hoc nomen: deinde pollicitus eſſet regnum ipſis, ſicuti ſuo tempore præſtitit, fuit hæc nimis fœda ingratitudo, quod aſciverint ſibi idolum pro rege. Fuit igitur hæc minime tolerabilis Dei abnegatio, quod non paſſi fuerint ſe à Deo regi. Videmus ergo acerbe exprobrari ipſis, quod Deo abdicaverint regnum ſuum, & creaverint ſibi fictitiom regem Sicuth. Jam ſequitur, *Et Chion imagines veſtras.* Quidam putant כיון eſſe placentam, & כון eſt parare: unde etiam putant deductum eſſe hoc nomen. Sed rectius alii retinent nomen proprium: neque enim dubito quin Propheta hic alterum commentitium Deum nominaverit poſt Sicuth. *Chion* ergo *imagines veſtras*, ego lego appoſitive: alii dicunt Placentam imaginum veſtrarum: alii literam probe reddunt, Chion imagines veſtras. Sed interea non ſatis attendunt Prophetæ conſilium: quia videtur hic Propheta ſubſannare amentiam populi, eo quod in ſtatuis & talibus larvis deitatem aliquam incluſam ſomnient. Vos, inquit, ſuſtuliſtis & Sicuth & Chion imagines veſtras. Ego jam abſtineo ab hoc honore, quia non potuiſtis ferre, ut vos gubernarem. Fruamini ergo rege veſtro Sicuth: ſed interea videamus qualis ſit potentia vel Sicuth, vel Chion: nempe ſunt imagines. Quum ergo illic nihil ſit firmum, vel etiam vivum, cujus dementiæ eſt colere hæc figmenta? Cæterum, putant Chion eſſe imaginem Saturni. Quod autem Hebræi dicunt hanc idololatriam ſumptam fuiſſe à Perſis, nugatorium eſt. Scimus enim Perſas uſos non fuiſſe imaginibus

& ſta-

& ſtatuis: tantum enim adorabant ignem & ſacrum. Quum ergo Perſis uſi non fuerint imaginibus, fabulati ſunt ſuo more Judæi, quum dixerunt Chion fuiſſe imaginem Saturni. Sed tamen non dubito quin imaginati ſint Judæi omnes ſtellas eſſe deos, ut fabricarent illis imagines. Nam ſtatim ſequitur, Stellam, vel ſtellam deos veſtros: Hi ſunt dii veſtri, inquit, nempe ſtellæ & imagines. Hic enim eſt [illegible], quum Propheta deridet ſtultitiam in populo Iſraëlitico, qui non contentus Opifice cœli & terræ, ſibi aſciverit deos mortuos, vel potius vana figmenta. Sunt igitur dii veſtri imagines & ſtellæ, inquit. Cæterum, notandum eſt quod vocat imagines: non vocat idola, quemadmodum alibi. Et dico notandum eſſe, quia hinc refellitur ſtulta & puerilis argutia Papiſtarum, qui hodie excuſant omnes ſuas ſuperſtitiones, quod careant idolis: negant enim eſſe idola ſua figmenta. Quid igitur? ſunt imagines: ita occultant ſuam turpitudinem ſub nomine imaginum. Atqui Propheta non dicit eſſe idola, & non utitur odioſo illo vocabulo, quod deductum eſt à dolore vel moleſtia: ſed dicit, Sunt imagines. Nomen igitur per ſe nihil turpitudinis vel ſiniſtræ notæ habet. Sed tamen quia Dominus non voluit ſe repræſentari ulla viſibili figura, hic ſimpliciter & præciſe Propheta damnat Siccuth & Chion. Græcus interpres poſuit typos, quod ſequutus eſt Stephanus, hoc eſt, imagines. Nunc ſiquis dicat Papiſta, typos ipſorum, vel imagines eſſe res vitioſas coram Deo, fortiter negabunt: ſed tamen videmus quid valeant ipſorum cavillum. Poſtremo addit, quæ vobis feciſtis. Malo in genere neutro transferre relativum אשר, ut ſic dicat comprehendat deos omnes iſtos fictitios, & ſimul picturas. Quæ igitur vobis feciſtis. Iſtud facere ſemper vitioſum eſt in rebus ſacris: quia nihil debemus afferre proprium, ubi colendus eſt Deus, ſed debemus pendere ſemper ab ejus ore, & obſequi ſimulac aliquid mandavit. Omnes igitur actiones noſtræ in cultu Dei paſſive, ut ita loquar, eſſe debent: quia referendæ ſunt ad ejus mandatum, nequid tentemus niſi quod ipſe probat. Ubi ergo audent homines hoc vel illud aggredi ſine Dei mandato, mera eſt abominatio coram eo. Et ἐθελοθρησκείας vocant Græci ſuperſtitiones: ſignificat autem illud nomen voluntarios cultus, & qui ſponte ſuſcepti ſunt ab hominibus. Nunc tenemus totum Prophetæ conſilium. Jam ſequitur,

27. Et migrare faciam vos ultra Damaſcum, dicit Jehova, Deus exercituum nomen ejus.

Hic tandem Propheta exilium Iſraëlitis denunciat: quaſi diceret Deum non paſſurum amplius, ut contaminent terram illam ſanctam, quæ hac lege data illis in hereditatem fuerat, ut agnoſcerent verum & unicum Deum. Deus ergo jam longo tempore toleraverat Iſraëlitas, quum tamen terram non deſinerent ſuis ſuperſtitionibus polluere. Nunc ad purgationem deſcendit: *Ego*, inquit, *migrare vos faciam ultra Damaſcum*, quia putabant, hoſtes illo propugnaculo arceri à tota regione, quaſi illic deliteſcerent in tranquillo nido: alioqui abſurda eſſet loquutio. & hoc non animadvertunt interpretes. Dicunt, migrare vos faciam ultra Damaſcum, hoc eſt, in regionem longinquam. Sed quorſum Damaſci meminit Propheta? hæc ratio eſt notanda, quod putarent Iſraëlitæ prohiberi omnes hoſtiles impetus, oppoſita urbe Damaſco, quæ erat ſecundum ipſos inexpugnabilis: ita enim fingebant. Non impediet, inquit Dominus, illa munitio, quin vos abripiam, & devolvam ad Aſſyrios uſque. Nunc ergo videmus quid Propheta intelligat, & cur addiderit etiam expreſſe nomen Damaſci. Sequitur, *Deus exercituum eſt nomen ejus*. Hic Propheta confirmat ſuam comminationem, ne hypocritæ ſuo more putent hoc non ſerio eſſe dictum: quemadmodum ſcimus jocoſe eos ſibi blandiri: & ubi Dominus fulminat, ipſi tamen ſecuri manent. Propheta ergo, ut incutiat terrorem, dicit *Dominum exercituum eſſe eum* qui loquitur: acſi diceret, non eſt cur ſperetis vos poſſe effugere hanc vindictam, quam vobis nunc denunciat Deus. Eſt enim immenſa ejus poteſtas: Dominus eſt exercituum. videtis ergo inſtructum eſſe ad vos perdendos niſi mature reſipiſcitis. Hæc ſumma eſt. Ego non progredior nunc ulterius.

Da omnipotens Deus, quando vides nos adeo propenſos eſſe ad pravas ſuperſtitiones, & tam ægre retineri verbo tuo: da, inquam, ut confirmati tuo Spiritu, nunquam ad dextram neque ad ſiniſtram deflectamus, ſed intenti ſemper ſimus ad te unum, neque te colamus perperam, deinde etiam ne contaminemus tuum cultum noſtris externis pompis, ſed puro corde te invocemus, & in te recumbentes confugiamus ad te in omni neceſſitate noſtra, neque abutamur ſacro illo nomine, quod voluiſti nobis eſſe inſculptum, ſed configuremur imagini Filii tui, ut ſis nobis vere Pater, & nos ſimus tibi filii, ejuſdem Chriſti nomine, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA TERTIA
IN
AMOS PROPHETAM.

CAPUT VI.

VÆ ſecuris in Sion, & confidentibus in monte Samariæ, qui celebres fuerunt principio gentium, & ingreſſi ſunt ad illos domus Iſraël.

Propheta ſermonem nunc dirigit non ad ſolos Iſraëlitas, quibus proprie datus fuerat magiſter ac doctor, ſed complectitur Judæos etiam ſimul: neque omnes promiſcue compellat, ſed tantum proceres, qui deliciis ſuis vacabant, acſi immunes eſſent à communibus miſeriis. Neque enim, quemadmodum multi exiſtimant, hic luxum vel ſuperbiam ſimpliciter reprehendit. Sed notanda eſt temporis circumſtantia, quod non expergeſiebant ad judicia Domini, quum tam ſevere Deus puniret ſcelera in populo illo; proceres tamen manebant ſemper quieti in ſuis fæcibus. hæc ſecuritas damnatur nunc à Propheta noſtro. Eſt autem hoc nimis vulgare malum, quemadmodum licet etiam nunc cernere. Nam ſi Dominus regionem aliquam bello affligat vel fame, divites uberem inde quæſtum faciunt. Abutuntur enim Dei flagellis, ut videmus mercatores diteſcere inter media bella, quia undique corradunt prædam. Nam qui militant coguntur ſe obærare, ruſtici etiam & opifices, ut tributa ſolvant,

vant, deinde ut victitent, coguntur ſubire iniquas conditiones. interea divites luxuriantur. Deinde qui pollent auctoritate & gratia in aula Principum, illi etiam plus lucri faciunt in bellis, in fame, in reliquis cladibus, quam ſi res pacatæ eſſent. Nam ubi pax viget, tunc eſt ſtatus magis æquabilis: ubi autem gravantur pauperes, tunc pingueſcunt reliqui. Ex hoc vitium notatur nunc à Propheta. Hic ergo maledicit ſecuris & quietis: non quod res mala ſit, vel per ſe diſpliceat Deo, ſi quis placide ſuo otio fruatur: ſed ubi Dominus palam oſtendit ſe iratum & offenſum, ubi reſonant ejus flagella, ſi non movemur, ſed demergimus nos in majores delicias, hoc eſt quaſi data opera ipſum provocare. Securos ergo & confidentes hic Propheta damnat, quoniam decebat ipſos humiliari quum viderent Deum ſibi eſſe infenſum: neque enim juſtiores erant hominibus gregariis. Quum vulgus ipſum tam duriter tractaret Deus, annon debebant proceres in ſe deſcendere, & examinare ſuam vitam? Quia hoc non faciunt, ſed inebriant ſe ſuis deliciis, & procul repellunt omnem metum, & putant nihil ad ſe pertinere Dei ferulas, hic contemptus merito damnatur à Propheta: quemadmodum videmus Deum ſevere iraſci apud Jeſaiam, *Jeſa. 22. verſ. 12.* quod quum vocaret ad diem luctus, canebant cithara, deinde epulabantur opipare, & laute ſuo more. Quum ergo ita pergerent in ſuis blanditiis, Dominus excandeſcit: quoniam hoc eſt velut ex profeſſo illum contemnere, & ludibrio habere omnes ejus minas. Nunc ergo habemus conſilium Prophetæ, quod non ſatis obſervatum fuit ab interpretibus. Nam ſemper ſtatuere decet ante oculos noſtros flagella illa Dei, quibus cœperat viſitare populi ſcelera. Deus autem nullo modo ferre poteſt, ut dixi, contumaciam illam, dum homines pergunt ſibi blandiri in peccatis, utque reſpicerent ad judicem ſuum, neque ſentirent ullum metum: ideo Propheta dicit, *Væ qui ſecuri eſtis in Sion, qui confiditis*, hoc eſt, qui eſtis extra omnem metum, *in monte Samariæ*. Nominat hic montem Sion, & montem Samariæ: quia illic erant primariæ urbes duorum regnorum, quemadmodum ſatis ſcimus. Tota regio vaſtata fuerat variis cladibus: cives Jeroſolymæ & Samariæ interea opulenti erant: deinde confiſi ſuis munitionibus ſpernebant Deum ipſum, & ejus judicia. Hæc ergo ſecuritas, quæ plena erat contumaciæ, damnatur à Propheta. Jam addit etiam ingratitudinem: dicit montes illos fuiſſe celebres à principio gentium, & illuc ingreſſos fuiſſe Iſraëlitas. Exprobrat hic Deus tam Judæis quam Iſraëlitis, quod in alienam poſſeſſionem venerint. Adepti enim fuerant urbes illas non proprio Marte, ſed quia Dominus expulerat coram facie ipſorum veteres incolas. Quum ergo non ſentirent ſibi datum illic eſſe hoſpitium à Domino, ut illum pure colerent, ut ſe ſubjicerent ejus imperio, hæc ingratitudo non fuit excuſabilis. Ergo poſtquam invectus eſt Propheta in craſſam illam & ſupinam ſecuritatem, qua inebriati erant proceres regni utriuſque, nunc etiam adjungit ingratitudinem: Vos non eſtis indigenæ, ſed ingreſſi eſtis, quia præibat Deus, quia voluit vobis dare terram hanc poſſidendam. Cur ergo nunc inflati eſtis ſuperbia adverſus ipſum? Nam ante vos certe duæ iſtæ urbes ſatis notæ erant ac famoſæ, & tamen hoc nihil profuit ipſis indigenis. Cur ergo nunc non metuitis judicium Domini, & non reſipiſcitis, dum vobis minatur, imo flagella ſua vobis oſtentat? Nunc tenemus ſenſum Prophetæ, quantum ad hunc verſum. Jam ſequitur,

2. Tranſite Chalneh, & aſpicite: ite illinc in Chamath magnam, & deſcendite in Gath Philiſtinorum: an meliores ſint regnis iſtis? an terminus illorum major termino veſtro?

Hic ſub figura oſtendit Amos non eſſe cur indurmiant ſuis peccatis vel Judæi vel Iſraëlitæ, quum velut in ſpeculo poſſint cernere judicia Dei contra profanas gentes. Hæc ſingularis gratia eſt, quum Deus alieno diſpendio edocet. Nam poſſet ſimulatque deliquimus, pœnam juſte ſumere: hoc autem non facit, ſed potius parcit nobis. interea vero alios proponit nobis in exemplum. Hoc eſt, quemadmodum diximus, ſingularis indulgentiæ. Hanc rationem docendi nunc tenet Propheta noſter. Dicit Chalneh, & Chamath, & Gath, eſſe præclara documenta iræ Dei, ex quibus diſcant Iſraëlitæ non eſſe cur ſuis opibus acquieſcant, cur etiam freti munitionibus ſuis putent ſe exemptos eſſe ab omni periculo: quia ſicuti urbes illas, quæ viſæ fuerant inexpugnabiles, Deus perdidit, ita etiam poterit & Jeroſolymam & Samariam excidere, ſimulac voluerit. Hic eſt genuinus Prophetæ ſenſus. Quidam negative legunt, Annon meliora ſint loca illa regnis veſtris? Sed hoc pugnat cum verbis Prophetæ. Alii non attendunt ad Prophetæ conſilium. putant enim hic conferri Dei beneficia inter ſe: acſi diceret, Deus liberalius vobiſcum egit, quam cum Chaldæis, cum Aſſyriis, & cum vicinis gentibus. Nam Chalneh ſita fuit in planitie illa Babylonica, quemadmodum ſatis notum eſt ex decimo capite Geneſis. Et quantum attinet ad Chamath, etiam urbs fuit celeberrima, cujus fit mentio illo capite, & pluribus aliis locis. Gath etiam Philiſtinorum urbs famoſa fuit. In hanc igitur ſententiam fere deſcendunt interpretes, hic proponi in medium Judæis & Iſraëlitis Dei liberalitatem, quod ſcilicet illos donaſſet opima & fœcunda regione, quod prætuliſſet aliis gentibus. Sed non videtur mihi hoc quadrare: ſi enim fiat ſimplex comparatio inter Chalneh & Jeroſolymam, certe Babylonia fuit fertilior & amœnior etiam regio, quemadmodum ex omnibus hiſtoriis notum eſt. Propheta igitur hic non concionatur de veteri ſtatu locorum illorum, ſed potius oſtendit, quod jam dixi, nempe nihil profuiſſe iſtis urbibus, quod opulentæ fuiſſent, deinde munitæ omnibus præſidiis, quia tandem ſumpſit Deus de illis vindictam. Idem ergo Propheta denunciat inſtare tam Judæis quam Iſraëlitis: Quid impediet, inquit, manum Dei, quominus etiam vos tradat exitio? Nam ſi homines poſſent iram Dei avertere ullis munitionibus, Chalneh certe, & Chamath & Gath poterant opponere aliquas opes: ſed Dominus exequutus eſt nihilominus ſuam vindictam contra illas urbes tam munitas. Fiducia igitur veſtra mera eſt ebrietas, quæ vos fallit: quemadmodum etiam dicit Jeremias, Ite in Silo. *Jer. 7. 12.* Certe non objicit Judæis, quod Dominus ipſos ſplendidius ornaverit, quam Silo: ſed in alium finem reſpicit. Excelluerat enim Silo, quia diu præbuerat hoſpitium Arcæ fœderis: illic fuerat Sanctuarium Dei. Eo autem tempore locus erat deſertus. illam triſtem vaſtitatem ponit ante oculos populo ſuo Jeremias, ut intelligant ſibi idem metuendum eſſe, niſi reſipiſcant: quia ſi obdurent cervices ſuas, nihil impediet manum Dei, quominus agat cum ipſis, ſicuti antea egerat cum incolis Silo. Nunc ergo tenemus ſenſum Prophetæ, quum dicit, *Ite & tranſite Chalneh, & aſpicite*. Quum jubet aſpicere, non dubium eſt quin horrendam illam mutationem deſignet, quæ contigerat. Fuit enim olim Chalneh urbs munitiſſima, & obtinuit ſummum imperium: deinde vicina regio non minus amœna erat, quam fertilis. Nunc eſt locus ſolitarius: nam Babylon abſorpſerat Chalneh, quemadmodum ſatis notum eſt. Quum ergo locus præberet tale ſpectaculum, merito dicit Propheta,

tranſite

tranſite Chalneh, *& aſpicite*, hoc eſt, conſiderate quaſi in ſpeculo, quid proficiant homines ſua ſuperbia & faſtu, quum ſe obdurant contra Deum. Hæc enim cauſa fuit excidii tam famoſæ urbis. *Illinc*, inquit, *pergite in Chamath* רבה, *magnam*, (quæ erat urbs Aſſyriæ ſatis nota) *aſpicite illinc*: unde factum eſt, ut funditus everſa fuerit urbs tam præclara, niſi quod Dominus non potuit ferre tantam contumaciam? quum illi abuſi fuiſſent ejus patientia, tandem exequutus eſt ſuam vindictam: idem etiam contigit vicinis veſtris. Neque enim procul aberant Judæi & Iſraelitæ à Gath. Nunc ergo quum tot documenta iræ Dei eſſent ante eorum oculos, merito Propheta hic invehitur contra eorum ſocordiam, quod ſcilicet ſibi non metuant ab horribili Dei judicio, quod tamen jam inſtabat eorum cervicibus. *An ergo meliores ſunt*, hoc eſt, an melior eſt conditio illarum urbium, quam utriuſque regni, nempe Juda & Iſraël? deinde *an terminus ipſorum major ſit termino veſtro?* fuerant enim redacti in tales anguſtias, ut domi quoque penderent tributum: quum amplum ſpatium prius occupaſſent, & quaſi extentis alis longe & late fuiſſent dominati, jam abſtulerat Dominus illos terminos. Erant enim omnes illæ urbes tributariæ. Videte, inquit, an terminus illorum ſit major termino veſtro. Nunc ſequitur,

3. Qui procul rejicitis diem malum, & appropinquatis ſolium violentiæ.

Hic objurgat Judæos & Iſraëlitas Propheta ob aliud crimen, quod ſcilicet provocarent ſubinde iram Dei, nec deſinerent peccando accerſere novas vindictas: interea ſuo faſtu & contumacia rejicerent minas omnes, quaſi eſſent luſoriæ, neque eos attingerent. Semper notandum eſt quod paulo ante dixi, Prophetam hic non agere cum toto populo, ſed cum ipſis proceribus; quia hoc non potuit conferri in vulgus ipſum, quod ſcilicet *appropinquarent ſolium iniquitatis*. Hæc igitur concio proprie dirigitur ad judices & conſiliarios, & qui tunc auctoritate pollebant in utroque regno tam Juda quam Iſrael. Eſt autem inſignis hæc ſententia: dicit *illos procul repellere diem malum*, quum tamen *appropinquent ſolium iniquitatis*, vel violentiæ. Perinde eſt acſi diceret, Vos accerſitis veſtra intemperie febrem, & tamen procul eam repellitis. quemadmodum ſolent homines ebrioſi, vinum ingurgitant ſine ullo modo: interea ſi adſit medicus, vel quiſpiam moderatior, qui admoneat non ita eſſe indulgendum crapulæ, ſubſannant tales minas: Quid? febris me corripiet? ego ſum immunis à febre. ego enim ſum aſſuefactus ad bibendum vinum. Tales ſunt profani homines dum provocant iram Dei velut conſulto: interea autem ludibrio habent omnes minas, acſi tuti eſſent ſingulari aliquo privilegio. Videmus ergo quorſum ſpectet Propheta, quum dicit *eos procul repellere diem malum*, & tamen appropinquare ſolium iniquitatis. Intelligit appropinquare ſolium iniquitatis, dum judices ipſi confirmant ſe in tyrannide, & quum ſibi licentiam permittunt furandi, prædandi, rapiendi, vexandi. Ubi ergo ita ſe obdurant in omni licentia, tunc appropinquant ſolium iniquitatis. Depellunt autem diem malum, quia non tanguntur ullo ſenſu: ſed ſi Prophetæ vindictam Dei denuncient, putant hoc eſſe fabuloſum. In ſumma, hic duo crimina accuſat Amos in proceribus utriuſque regni, nempe quod non deſinant iram Dei ſubinde provocare, dum ſcilicet evertunt ac peſſundant omnem æquitatem, & tyrannice ac ſuperbe dominantur in populo: interea autem ſecuri ſpernunt omnes minas, & extrahunt tempus, & ſibi inducias promittunt: etiam quum Deus ipſos graviter & ſevere urget, putant tamen hoc non eſſe tam propinquum, quemadmodum paſſim occurrunt apud Prophetas ejuſmodi ſententiæ, quibus excandeſcunt contra ſocordiam illam, dum ſcilicet hypocritæ ubi exuerint omnem ſenſum doloris, & ſeipſos quaſi faſcinarint, deridebant omnes Prophetas, quia putant manum Dei procul eſſe remotam. ſicuti etiam apud Jeſaiam dicunt, Epulemur & bibamus, ſi moriendum nobis eſt: nam interea putabant Prophetas non ſerio minari, ſed hæc eſſe vana terriculamenta, quum mentio fierit propinqui exitii. Nunc ergo tenemus quid velit Propheta. Sequitur, *Jeſa.22. verſ.13.*

4. Qui decumbunt (*vel dormiunt*) in lectis eburneis, & ſe extendunt ſuper ſtrata ſua: (*alii vertunt, & ſuperflua: alii, induti ſunt tiaris. ſed utrumque mihi videtur coactum*) qui comedunt agnos è grege, (*hoc eſt, ſelectos*) & vitulos è medio ſaginarii. (*vel opimi paſcui. nam* מרבק *quidam ita vertunt.*)

Nunc proſequitur Amos illam objurgationem quam vidimus initio capitis, quod ſcilicet proceres illi de quibus loquitur, procul à ſe rejicerent omnes curas & moleſtias, & vacarent ſuis deliciis, quum tamen miſere oppreſſa eſſet tota regio. Semper tenendum eſt memoria quod admonui, non reprehendi ſimpliciter à Propheta luxum, quemadmodum falſo quidam putant, & rapiunt has ſententias nimis inconſiderate. Propheta enim hoc non agit: ſed exprobrat Iſraelitis, quod ferream cervicem opponant judiciis Dei, imo impudenter ludant cum Deo, quum tamen ipſos paulatim ad reſipiſcentiam adducere velit. Propheta conqueritur hoc nihil illis prodeſſe. Dicit igitur primum *ipſos dormire in lectis eburneis*. Si lectis eburneis uſi fuiſſent, hoc per ſe non fuerat vitioſum, niſi quod ſemper luxuries damnanda eſt. Nam ubi deditii ſumus pompæ & deliciis, certe hoc non caret vitio. Omnis enim cupiditas quæ modum excedit, ſemper merito reprehenditur. Atqui dum nimis cupide appetunt homines ſplendorem & lautitias, vel ambitioſi ſunt ac ſuperbi, vel nimium delicati. Hæc igitur vitia ſemper coram Deo damnantur. Sed poſſet fieri, ut quis utatur lecto eburneo, interea tamen paratus ſit humi jacere. Nam ſcimus copiam majorem eboris illic fuiſſe, & illud etiam fuiſſe uſitatum in Aſia. Italia olim neſciebat quid eſſet uti lectis eburneis, ante victoriam ſcilicet Lucii Scipionis: ſed poſt devictum regem Antiochum, tunc Italia liberius etiam uſa fuit lectis eburneis & lautitiis, & hæc corruptela etiam fregit eorum animos, & effœminavit. Nunc venio ad Prophetam noſtrum. Poteſt fieri, ut tunc ebur non adeo fuerit pretioſum in Judæa: potuerunt ergo uti lectis illis abſque vitio. ſed ſemper Amos ſpectat miſerias illorum temporum. Debebant igitur omnibus lautitiis ſe abdicare divites, & confugere ad ſaccum & cinerem, quum viderent Deum ſibi infenſum eſſe, quum viderent accenſum eſſe ignem vindictæ ejus. Nunc ergo tenemus cur Amos tantopere excandeſcat contra eos qui dormiunt in lectis eburneis. Addit, *& qui ſe extendunt ſuper lectos ſuos.* Nam סרח propria eſt ſe extendere, ſignificat etiam interdum fœtere: ſignificat denique eſſe ſuperfluum: ideo quidam vertunt, ſuper lectos eburneos & ſuperfluitates. Hoc durum eſt, neque conſtaret quod poſtea ſequitur, *ſuper ſtrata ſua*. Ego igitur non dubito, quin Propheta hic deſignet geſtum eorum, qui tam ſecure delicabantur: Vos, inquit, extenditis & crura veſtra & bra-

brachia in ſtratis veſtris, ut ſolent homines ignavi & aſſueti ſuis deliciis. Atqui Dominus vos expergefaciet novo modo, quia debuerant vos ejus flagella excitare: manetis ſopiti. Quum ergo Deus non extorqueat à vobis ullum metum ſuis virgis, quid amplius reſtat, niſi ut trahat invitos ad ſupplicium? Hæc ratio eſt cur Propheta dicat ipſos extendi in ſuis ſtratis. *Comeditis etiam agnos è grege, & vitulos è medio opimi paſcui*, vel ſaginarii. Potius מרבק accipio pro ipſis caulis. Quum ergo deligerent ſibi opimas carnes, Propheta hanc luxuriem reprehendit: nempe reſpicit calamitoſum tempus, ut jam dictum eſt. Si enim epulati fuiſſent divites ſuo more, & etiam uſi fuiſſent carne pingui, hoc non erat dignum tam atroci vindicta. Sed quum Dominus ipſos ad luctum vocaret, & quum inducerent paſſim horrorem ſigna iræ ejus, fuit non ferendus hic torpor, quod lautitias ſuas nihilominus perſequuti ſint, quum deberent potius illis renunciare. Nam omnino convenit hic locus cum illo Jeſaiæ, quem jam attigi. Nunc ſequitur.

5. Concinentes ſuper ore cithara, ſicut David excogitarunt ſibi inſtrumenta cantici. (*פרט ſignificat Dividere, ut quidam exponunt: & deductum eſt verbum à granis, quæ reſtant poſt vindemias. Quia ergo non ſunt denſæ uvæ, ſed granum unum apparet, poſtea aliud, & intereſt magna diſtantia, ideo putant metaphorice hic ſumi participium* הפרטים *pro Diſtinguere, quemadmodum Muſica habet ſuas diſtinctiones. Niſi enim articulate canatur, ſonus ille confuſus nihil habet gratiæ. Qui ergo canunt cithara, & excogitarunt ſibi quaſi exemplo Davidis inſtrumenta muſica, inquit.*)

Semper concionem ſuam Propheta continuat: quod ſcilicet lauti iſti homines, quaſi exempti eſſent à communi ordine, velut invito Deo ſeſe oblectabant, non tantum in communi & mediocri victu, ſed etiam accerſebant novas delicias, quemadmodum ſi fuiſſent aſſidue in nuptiis, vel celebraſſent dies ſuos natales. Quaſi ergo non eſſet lugendi tempus, ita proſequebantur ſuas lautitias. hoc reprehendit etiam nunc Propheta. Ergo ſiquis putet his verbis damnari Muſicam, longe fallitur, quemadmodum ex circumſtantia apparet. Neque enim tam rigide Propheta agit cum populo illo: ſed ſemper principium illud tenet, nimis eſſe torpidos, imo quaſi alienatos à communi ſenſu, qui non ſentiant Deum ſibi eſſe iratum, ut confugiant ſtatim ad ſigna reſipiſcentiæ, & iram Dei ſuppliciter deprecentur cum luctu, quemadmodum fieri decebat. Ergo ſemper opponere convenit iram Dei, quæ humiliare debuerat Judæos & Iſraëlitas, quum tamen præfracte ſemper opponerent Deo ſuam ſocordiam. Quod dicit, *exemplo Davidis ſibi excogitaſſe muſica inſtrumenta*, non dubium eſt quin hac comparatione crimen eorum magis aggravet. Neque enim credibile eſt, ipſos abuſos fuiſſe hoc prætextu, quemadmodum ſemper hypocritæ jactare ſolent ſanctorum exempla, quum volunt fucum facere ſuis vitiis. Quid? annon David uſus eſt muſicis inſtrumentis? dicent aliqui. Alii, annon Salomon magnum habuit ſplendorem in ſuis palatiis? Deinde, annon Abraham habuit magnum famulitium domi? Ergo quiſque arripit quod putat valere ad excuſationem: & ita volitant ſanctorum exempla perperam in multorum ore. Sed non videtur probabile, hoc fuiſſe adductum ab iſtis, quos nunc alloquitur Amos. Videtur ergo potius mordaciter ipſos impetere, quod ſua oblectatione provocent iram Dei, & ſuam obſtinationem prodant, quum tamen David applicuerit inſtrumenta muſica ad pietatis exercitium, ut mentem ſuam ad Deum attolleret. David certe quum eſſet quietus, poſtquam defunctus erat omnibus periculis, potuit etiam ſe oblectare. Atqui in alium uſum tranſtulit muſica inſtrumenta, ut ſcilicet reſonarent laudes Dei in Templo, ut inde una cum aliis piis ſeſe erigeret ad pietatis ſtudium. Quum ergo David etiam tranquillis ſuis rebus & proſperis, noluerit tamen animum ſuum demergere in ſuperfluis lautitiis: iſti quum Deus apparet iratus, quum formidinem incutit tot ſignis ſuæ vindictæ, audent adhuc contumaciter proſequi morem ſuum, ita ut nihil prorſus remittant ex ſolita pompa, ex ſolitis etiam voluptatibus. Nunc videmus quorſum ſpectet comparatio, quam ponit Propheta. Neque enim dubito quin aggravet ipſorum crimen, quod non reſpiciant Davidis exemplum, ſed transferant muſica inſtrumenta ad craſſas & belluinas voluptates, & id faciant etiam quaſi repugnante Deo, qui terrorem illis objicere cœperat ſuæ vindictæ. Pergamus.

6. Qui bibunt in phialis vinum, & primitiis oleorum ſeſe ungunt, & non condoleſcunt ſuper contritionem Joſeph.

7. Propterea nunc transferentur (*volventur*) in capite migrantium, & veniet luctus extenſorum. (*Eſt deductum ab eodem verbo* סרח*: diximus plura ſignificare. ſed accipio pro Extendere. Et aliquid rurſus dicendum erit in fine.*)

Exprobrat nunc Amos proceribus utriuſque regni, quod bibant vinum in phialis, hoc eſt, in vaſis vel concinne fabrefactis vel pretioſis. Quidam putant ſubaudiendum eſſe, in vaſis argenteis. Sed nihil opus eſt quicquam ſubaudire ad Prophetæ verba. Summa eſt, homines iſtos ſatis convinci bruti ſtuporis, qui non poſſint diſcedere à ſuis deliciis, etiam quum Dominus terribiles oſtentat vindictas. Quum ergo Dominus ita eos humiliat, hinc ſatis perſpicitur eorum furor & cæcitas, quod ſibi nihilominus indulgeant, quod bibant vinum ſolito more, quum tamen deberent ad jejunium, ad luctum, ad planctum, & ad ſaccum & cinerem confugere, quemadmodum diximus. *Bibunt* igitur *vinum in phialis*. Deinde,

Luc 7. verſ.38. Mat.26. verſ.7. *primitiis oleorum ſeſe ungunt*. Scimus Chriſtum unguentis ſaltem bis uſum fuiſſe: & hoc non reprehenditur in Davide, nec in ſancto rege Ezechia, nec etiam in aliis. Quum ergo unctio per ſe nunquam damnata fuerit, videmus aliquid ſpeciale notari à Propheta. Sed quum Dominus ſigna oſtendit iræ ſuæ, tunc nihil ſupereſt, niſi ut qui ſibi male conſcii ſunt, ſuppliciter reorum inſtar abſtineant ab omnibus lautitiis, ut jejunio & fletu provocent miſericordiam Dei. Quum hoc non facerent Iſraëlitæ, Propheta cum illis expoſtulat. Et non opus eſt aliunde petere interpretationem hujus loci. Statim enim ſubjicit, *ipſos non condoleſcere ſuper contritione Joſeph.* Hæc conjunctim legenda ſunt: & hoc membrum debet accommodari ad totam concionem. Non ergo præciſe accuſat Propheta Judæos & Iſraëlitas, quia vinum biberent in phialis, quia ſe ungerent optimo unguento & pretioſo, quia decumberent in lectis eburneis, quia ſeſe extenderent in ſtratis ſuis, quia veſcerentur opima carne: ſed quia vacarent ſecuri

talibus deliciis, & non condoleſcerent ſuper contritione fratrum ſuorum. Nam Deus totum regnum miſere afflixerat in eorum oculis. Et quid meritæ erant quatuor Tribus? deinde, quid totus ager, & ruſtici homines? An debuit Deus magis parcere ipſis proceribus? Atqui certum eſt, præcipue fuiſſe culpabiles, qui tamen adhuc immunes fuerant ab illis cladibus. Quum ergo non agnoſcant iram Dei, quæ tamen ante eorum oculos conſpicua eſt, hic torpor eſt plane furioſus: & oſtendit nimis dementes eſſe, qui ita adhuc ſibi indulgent. Nunc ergo tenemus plenum Prophetæ ſenſum. Et ideo dicit, *Migrabunt in capite migrantium:* hoc eſt, jam ubi migrandum erit, illi primi erunt in ordine. hactenus ego vobis peperci mea indulgentia: ſed quia video vos abuti iſta mea tolerantia, certe vos eritis aliorum duces. Primi enim ibitis in captivitatem. Nam incipiet à vobis rigor meus, quia hactenus video me luſiſſe operam, quum volui ſuaviter & paterna humanitate vos ad pœnitentiam vocare. *Nunc ergo migrabitis in capite migrantium. Et veniet luctus* מרזח: hoc eſt, Vos quidem quieſcitis, ut prius dixit, extenti eſtis ſuper ſtrata veſtra: ſed luctus ad vos accedet. Putatis vos poſſe effugere pœnam, ubi decumbitis placide in lectis veſtris: ergo, etiamſi clauſa ſint veſtra cubicula, etiamſi non moveatis digitum, luctus tamen ad vos veniet. Nunc videmus qualis ſit alluſio inter verbum accedendi & quieſcendi in otio & deliciis. Quanquam סור ſignificat proprie Recumbere. Et ideo quidam vertunt, Luctus recumbet. Sed receptior eſt ille ſenſus, *Veniet luctus ad vos extenſos.* Quamvis ergò ita ſeſe extendant ſuper lectos ſuos, ut placide & molliter recumbant & quieſcant, tamen luctus ad ipſos veniet, hoc eſt, penetrabit in ipſorum cubilia.

Da omnipotens Deus, quando hodie tot modis oſtendis te merito nobis eſſe inſenſum, & conſcientiæ etiam noſtræ nos coarguunt, ubique etiam horribiles apparent notæ, ex quibus colligere promptum eſt, quantopere & quot modis iram tuam in nos provocaverimus: da, inquam, ut vere tangamur ſenſu malorum noſtrorum, & afflicti manibus noſtris ſic humiliemur, ut ſine ulla afflictione externa nos totos tibi ſubjiciamus caſtigandos: & interim tamen confugiamus ad illam miſericordiam, quæ nobis repoſita eſt, & quam quotidie nobis offers in Chriſto Jeſu Domino noſtro, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA QUARTA IN AMOS PROPHETAM.

CAP. VI.

8. Juravit Dominus Jehova per animam ſuam, dicit Jehova Deus exercituum, Deteſtor ego excellentiam Jacob, palatia ejus odio habeo, & tradam urbem, & plenitudinem ejus.

HIc pronunciat Deus ſe non morari quod hactenus multis beneficiis ornaverat populum ſuum, quia jam conſilium mutavit, ut nolit proſequi gratias illas. Et hoc conſulto additum eſt à Propheta, quia ſcimus hypocritas obdureſcere, dum ſecum expendunt quid dignitatis in ipſos contulerit. putant enim ſe eſſe in poſſeſſione firma & perpetua: itaque ſuperbiunt contra Deum. Quum ergo ita deſipiant hypocritæ, merito Propheta hic dicit nihil ipſis profore, quod hactenus excelluerint multis dotibus, quia Deus non curet amplius illam excellentiam. גאון Hebræis ſignificat ſuperbiam & excellentiam. Sed hic in bonam partem accipitur, quemadmodum etiam multis aliis locis: quia Jeſaiæ 2. non poteſt aliter accipi, quam pro gloria. illic enim ad Deum refertur. Sic etiam Pſalmo 46. Gloriam Jacob quem dilexi. Poſuerat hereditatem Dei. Dona autem Dei ſemper laudem merentur. Ergo hoc etiam loco Propheta non invehitur in ſuperbiam; ſed potius oſtendit falli Iſraelitas, quia præſtantiam ſuam & nobilitatem opponant Deo, quaſi immunes ſint futuri hoc modo ab omni pœna. Deus ergo dicit ſe jam rejicere excellentiam illam: quæ tamen erat ipſius donum. Sed quia perperam abuſi fuerant Iſraelitæ ipſius donis, ideo non oportuit venire in rationem. Summa igitur hæc eſt, non eſſe προσωποληψίαν coram Deo: hoc eſt, jam nullius momenti eſſe dignitatem illam, qua præditus erat populus Iſraël: quia mera larva erat. indigni erant adoptione, indigni ſacerdotio & regno. Perinde eſt igitur acſi diceret Propheta, Et ego vos judicabo quaſi gregarios homines & profanos. Neque enim locum jam apud me obtinet ulla veſtra dignitas, qua eſtis ſpoliati. nam defecerant pridem à Deo. Erant igitur indigni quos Deus agnoſceret pro ſua hereditate. *Deteſtor* igitur *excellentiam Jacob, & palatia ejus*, hoc eſt, omnes divitias quibus ornatus hactenus fuit. Sed interim non accipit Propheta vel palatia, vel excellentiam in malam partem; ſed potius oſtendit benedictiones Dei non fore præſidio reprobis, quominus ſubeant judicium quale meriti ſunt. Poſtea adjungit, *Tradam urbem & plenitudinem ejus:* hoc eſt, etiamſi nunc bene ſitis referti multis opibus, ego exinaniam quicquid eſt in vobis abundantiæ. *Tradam* igitur *urbem cum ſua plenitudine*, hoc eſt, opulentia. Cæterum, ne hæc comminatio ſpernatur, Propheta jurejurando interpoſito eam confirmat. Dicit igitur Deum juraſſe. Jam quia ſcimus Deo pretioſum eſſe nomen ſuum, certum eſt non fruſtra hic adhiberi, ſed propter duritiem & contumaciam eorum qui ſolebant vilipendere omnes prophetas. Præſertim vero ſolebant minas pro nihilo ducere. Hæc ratio eſt cur Propheta ſancire voluerit iſtam ſententiam, ut intelligant hypocritæ ſe non poſſe effugere vindictam, quæ denunciatur. Forma juriſjurandi poſſet in ſpeciem videri impropria, ut eſt: ſed Deus induit perſonam hominis hoc loco, quemadmodum & alibi ſæpius. Jurat per animam ſuam, quaſi unus eſſet ex numero hominum, hoc eſt, per vitam ſuam. Sed debemus aſſueſcere ad iſtas formas, quibus Deus familiariter ſe ad modulum noſtrum accommodat. Nam quod Hilarius philòſophatur de anima, quaſi Deus Pater juret per ſapientiam ſuam, frivolum eſt. Certe ille bonus vir nihil aliud quam ludibrio proſtituit ſanam doctrinam, quum vellet refellere Arrianos. Deus Pater, inquit, jurat per ſuam ſapientiam. Atqui non juraret per inferiorem qui per ſeipſum jurare ſolet. Sapientia autem, Filius eſt unigenitus Dei. Unde ſequitur, Filium eſſe Patri æqualem. Videntur hæc plauſibilia primo intuitu: ſed ſunt nugæ pueriles. Ergo notandum eſt, Deum mutuari ab hominibus jurandi formam: acſi diceret, Si creditur hominibus dum per vitam ſuam jurant, quæ tamen eſt evanidus fumus: quanti ponderis debet eſſe jusjurandum, quo ego oppignero vitam meam? Quum ergo Deus ita loquitur, certe tremefacere debet totum orbem. Nunc ergo tenemus Prophetæ conſilium. Pergamus.

9. Et

9. Et erit, ſi reſtabunt decem homines in domo una, morientur.

Hic amplificat Propheta cladem, quæ inſtabat populo: quaſi diceret, jam Deum non mediocres ſumpturum pœnas de populo iſto reprobo, quia nihil proficeret agendo moderate: inſtare igitur graviſſimam vindictam, quæ totum populum in nihilum redigat. Huc tendunt Prophetæ verba, quum dicit *morituros decem, ſi ſuperſtites fuerint in domo una.* Nam quum nominat decem ſuperſtites, ſubiodicat jam aliquam cladem præceſſiſſe, quæ ſuſtulerit vel dimidium numerum, vel ſaltem aliquos ex familia. Si ergo ſuperfuerint decem. Nam numerus iſte oſtendit quam ſevera & horribilis Dei ultio maneat populum bunc, quod ſcilicet *decem ſimul tollentur*. Hoc autem, etiam quum graſſatur ſæva peſtis, raro accidere ſolet, ut domus tam numeroſa prorſus intereat. Si tollantur ex quatuor tres, vel ex octo ſex vel quinque, illa dimioutio ſolet valde terrere homines. Quum autem decem ſimul tolluntur, & ne unus quidem remanet, hoc eſt ſignum horribilis Dei vindictæ. Videmus ergo Prophetam hic denunciare populo ultimum interitum, quia caſtigari non potuerit mitioribus pœnis: quum Deus tentaſſet eum revocare ad ſanam meotem, nihil profecerat. Ergo deſperatis morbis nullum potuit eſſe remedium: oeceſſe igitur fuit tolli ex medio qui ſic erant incurabiles. *Peribunt* igitur *decem qui reſtabunt in domo una*. Sequitur,

10. Et tollet eum patruus ejus, & avunculus ejus (*vel, comburet eum*) ad tollendum oſſa è domo: & dicet ad eum qui erit in lateribus domus, An adhuc quiſpiam tecum? & dicet, Finis eſt: (*ad verbum, nihil*) & dicet, Tace, quia non licet recordari nominis Jehovæ.

Initio verſus Propheta clarius exprimit quod nuper dixerat, nempe peſtem fore adeo ſævam, ut abſumat totas domos. Nam quum loquitur de patruo, qui ad ſepeliendos mortuos veniet, oſtendit, niſi proximi hoc officio fungantur, cadavera illic manſura eſſe abſque ſepulchri honore. non ſolet autem boc fieri, niſi in maxima vaſtitate. Quamvis enim quotidie peſtis multos io una urbe abſumat, ſunt tamen aliqui ſemper qui ſepeliant mortuos. Ubi igitur neceſſe eſt patruos defungi hoc officio, apparet quanta clades futura ſit. Hoc voluit exprimere Propheta his verbis, *Tollet eum patruus ejus:* boc eſt, unumquemque ex mortuis tollet patruus ſuus. Solet autem, quemadmodum dixi, hoc officium, ut eſt ſervile, mandari mercenariis hominibus. Ubi autem cogitur pater vel patruus ſuſcipere partes iſtas, omnia ſunt confuſa. *Veniet* ergo *patruus, & tollet eum.* שרף per ש ſignificat Comburere: hic ſcribitur per ס. Sed ſatis nota eſt permutatio literæ ש cum ס. Multi igitur accipiunt, *Et comburet eum ad tollendum oſſa ejus.* Atque hæc ioterpretatio videtur melius quadrare. *Comburet* igitur *eum, ut oſſa domo exportet.* Solebant efferri funera, & comburi in publico, quemadmodum ſatis notum eſt. Jam, quia non ſufficeret homo unus ad portanda cadavera, præſertim homo ſenex, ut nominat Amos patruum; dicit aliam rationem fore neceſſariam, ut ſcilicet patruus ille comburat ſuos nepotes domi, ut tantum oſſa exportet, quia non poſſet trahere cadavera. Videtur mihi bic genuinus eſſe ſenſus Prophetæ. Nam qui de avunculo exponunt, nullam habent rationem. Satis fuit in tanta hominum paucitate nnum duntaxat poni. Nam ſi addatur avunculus patruo, videbitur adhuc ſupereſſe aliqua hominum copia. Si autem ſoliui patrui fiat mentio, optime conveniet quod dixi. *Veniet patruus, tollet eum.* Deinde, *comburet ut oſſa exportet.*. Poterant autem facilius efferri oſſa poſt cadaver exuſtum: quia noo erat tam grave onus. Nunc ergo tenemus verborum ſenſum. Sequitur, *Et dicet ad eum qui erit in lateribus domus.* Per latera domus intellige viciniam. Inquiret poſtea, *Eſtne adhuc aliquis tecum?* hoc eſt, ſupereſtne aliquis ex tuis vicinis? Nam latera domus non poſſumus interpretari de angulis interioribus, niſi forte quiſpiam de extraneis vel inquilinis accipiat: quaſi diceret Propheta, Siquis erit inquilinus, quæret ſeceſſum in aliquo angulo domus. Patruus ergo, ubi exceſſerit tota domus, ſi io hoſpitem ullum forte incidat, dicet, Eſtne aliquis adhuc tecum? Ille autem dicet, Fiois eſt, vel defectus. Quanquam eſt aliqua ambiguitas in verbis, videmus tamen quid velit Propheta, & quorſum tendat. Confirmat enim quam protulerat ſententiam in perſona Dei, etiamſi decem ſint in domo una ſuperſtites, tamen ſimul omnes morituros, quia ne unus quidem reſiduus erit. Diligenter enim patruus inquiret de ſuis nepotibus, an aliquis maneat: audiet, finem eſſe, hoc eſt, omoes ſimul eſſe conſumptos. His autem verbis voluit incutere plus terroris: quia ſcimus quanta ſit hominum ſtupiditas, dum adhuc illis parcit Deus. Nam quum ſentiunt ejus manum, expaveſcunt quidem, ſed non moventur ullis minis. Hæc igitur ratio eſt cur Propheta hic pluribus verbis denunciet hortendam illam ultionem, quam metuere non poterant Iſraelitæ, quum adhuc nimium eſſent ſecuri, ut prius viſum eſt. Sequitur, *Et dicet, Tace, quia non licet recordari nominis Jehovæ.* Locus hic varie exponitur. Quidam putant hic notari deſperatam malitiam, quod ne inter ultimos quidem ſpiritus recordati fuerint Dei, qui perierunt. Sic ergo exponunt verba, Tace, ut ſit vox indignantis, vel reſpuentis. *Tace* ergo: neque enim recordati ſunt nomiois Dei: hoc eſt, iſti, etiam quum eos humiliaſſet Deus, non tameo reſipuerunt à ſua contumacia. ne mors quidem ipſa potuit eos reducere in viam. Alii exponunt, *Tace, quia non licet recordari nominis Dei:* hoc eſt, Quid nobis affers nomen Dei? nos enim deteſtamur quaſi ſiniſtrum omen & infauſtum. Deus enim nihil nobis læti affert: quemadmodum reprobi homines horreſcunt ad Dei nomen, & cuperent prorſus eſſe abolitum. Sed videtur mihi aliud eſſe conſilium Prophetæ, quod non ſatis expendunt interpretes. Prius vidimus hypocritas, quos objurgat, gloriatos fuiſſe Dei nomine: nam jactabant diem Domini in rebus adverſis, quaſi ſperanda eſſet mutatio in melius. Nunc dicit Propheta venturum tempus, quo iſta jactantia procul faceſſat, quia ſentient Deum ſibi infeſtum eſſe, & deſinent falſo obtrudere ejus nomen, quemadmodum antehac ſoliti erant. Subeſt igitur antitheſis inter bunc locum & ſuperiorem. Nam prius invectus fuerat Propheta in illam perverſam jactantiam, quum Dei nomen obtenderent ſine ullo pudore. O! nos ſumus populus Dei, nos ſumus ſancta gens, nos ſumus Dei hereditas. Quum ergo ita inſoleſcerent, & interim procul à ſe repellerent Deum ipſum, nunc dicit Propheta, Tunc blanditiæ iſtæ ceſſabunt, quibus vos nunc decipitis, non ſinet vos Deus perperam aboti ſuo nomine, quemadmodum hactenus ſemper ſoliti eſtis, & adhuc pergitis in illa pravitate. Tunc tacebitis, inquit, ad Dei nomen, imo erit vobis horrori. Jam tenemus Prophetæ conſilium. Significat tantam fore atrocitatem ultimæ hujus cladis, ut ſero Iſraelitæ ſenſuri ſint Deum eſſe ſibi infeſtum hoſtem, ita ut abjiciant falſam gloriationem, qua turgebant. Imo horreant ad nomen ipſum Dei, quia intelligent nihil ſibi eſſe melius, quam abſcondi ab

ejus

ejus facie: quemadmodum de reprobis dicitur, Dicent montibus, Operite nos; & collibus, Obruite nos. Sic etiam hoc loco, ubi perculſi fuerint, & ſerio conſternati Dei judiciis hypocritæ, dicit Propheta non amplius locum fore falſis illorum gloriationibus, quia ſcilicet ſentient quamdiu propinqui ſunt Deo, ſe exitio propinquos eſſe. *Tace* ergo, *quia non eſt quod recordemur nominis Jehovæ*. Sequitur,

Apoc. 6. verſ. 16.

11. Quia ecce Jehova præcipiens, & percutiet domum magnam mixtionibus, (*vel contritionibus*) & domum parvam rimis (*vel rupturis aut ſciſſionibus, ut vertunt, vel ſciſſuris.*)

Hic verſus additus eſt tantum ad confirmationem proximæ ſententiæ. Significat enim Propheta tam proceres quam vulgus ipſum fruſtra confidere ſuæ quieti, quia Dominus omnes ſimul perdet à ſummo uſque ad infimum. *Ecce*, inquit, *Jehova præcipiens*. Quum Præcipiendi verbo utitur, ſignificat Deo multas eſſe rationes in promptu, quibus eos omnes tollat è medio, & deleat. Sed ultra etiam progreditur, nempe interitum ipſorum eſſe in ſolo Dei nutu: acſi diceret, quamvis Dominus non accerſat miniſtros vindictæ ſuæ, quamvis non paret multas copias, tantum ubi verbum protulerit, vos omnes extinguet. Tenemus ergo nunc quid ſignificet Propheta per verbum Præcipiendi. Poſtea adjungit, *Percutiet domum magnam mixtionibus:* alii vertunt, Contritiones. רסס ſignificat proprie Miſcere. Ego igitur non dubito, quin hic graves ruinas intelligat Propheta, quales ſolent accidere magnis & ſplendidis palatiis. Siquod tugurium evertitur, non trahit ſuo pondere tam gravem ruinam: imo ut plurimum rimæ initio apparent, fruſta paulatim concidunt. Ita totum opus ſine impetu labitur. Hoc, inquam, accidit exiguis & plebeiis domibus. Sed ſiqua moles ſit ædificii, trahet ſecum magnam ruinam. Mixtionem igitur libenter verto: & ita optimum erit diſcrimen inter domos parvas, & magnas. *Domus* ergò *magnæ percutientur mixtionibus*: domus autem parvæ percutientur ſciſſuris vel rimis. Sed interea, quemadmodum jam admonui, Propheta intelligit communem fore interitum proceribus & gregariis, ita ut à minimo uſque ad maximum omnes pereant. Hinc colligimus quanta fuerit corruptio in populo illo, quia Deus pœnam non ſumpſiſſet niſi de ſceleratis. Sequitur ergo æquitatem fuiſſe ubique everſam, & omnes ordines tunc fuiſſe vitiatos & corruptos. Sequitur,

12. An current in rupe equi? an arabitur bobus? (*eſt, an arabit quiſpiam in bobus? ſed quia eſt verbum indefinitum, ideo verto imperſonaliter: an ergo aratio fiet bobus, nempe in rupe?*) quia vertiſtis in fel judicium, & fructum juſtitiæ in abſinthium.

Hunc etiam verſum torquent interpretes: quia aliqui exiſtimant his figuris Prophetam intelligere populum eſſe prorſus inutilem ad omne bonum: quemadmodum dicit ille, Optat ephippia bos piger, optat arare caballus. Putant igitur hunc ſenſum eſſe verborum, Non magis idonei eſtis ad recte vivendum, quam equus ad currendum in rupe, vel bos etiam ad arandum in rupe. Alii putant conqueri Prophetam de toto ordine naturæ labefactato: acſi diceret, Vos perinde turbaſtis omnem æquitatem, modeſtiam, jus & fas denique evertiſtis, acſi quis currere celeriter vellet in rupe excelſa, ſiquis etiam vellet arare: hoc eſt præter naturam. Sic ergo vos eſtis monſtra. Alii intelligunt hic Prophetam conqueri, quod ludat operam, quia ſurdis fabulam canat, ut dicitur vulgari proverbio. Quid ego proficio apud iſtam gentem ferream? Perinde eſt acſi quis velit equitare in rupe, hoc eſt, celeri equo aſcendere ad rupem: ſiquis etiam velit illic arare. hoc eſt impoſſibile. Sic etiam nunc dum compello ſtupidos iſtos homines, nullus eſt fructus laboris mei, vel nullum eſt operæ pretium. Sed videndum eſt, annon poſſet elici aptior & commodior ſenſus. Jam antehac vidimus quam ſecuri fuerint Iſraelitæ. Putabant enim Deum ſibi eſſe quodammodo obſtrictum, quia fidem dederat ſe illis in patrem fore. Adoptio igitur illa Dei inflabat eorum animos. Jam Propheta refellit perverſam illam ſecuritatem. & appoſite: An poterit, inquit, currere equus in rupe? an poterit etiam bos arare in loco ſaxoſo? Sic nullus eſt curſus beneficiorum Dei apud vos. Debuiſtis enim eſſe vinea & ager Domini: debuit apud vos regnare juſtitia & judicium. Vos autem *vertiſtis judicium in fel*, vel in venenum. ראש enim varie accipitur. Sed quo ad ſenſum parum intereſt. *Vertiſtis* igitur *judicium in fel, & juſtitiam in abſinthium*. Quum ergo tam ſitis perverſi, certe occluſa eſt via Dei benedictionibus: fieri non poteſt, ut Dominus pergat ſui ſimilis eſſe erga vos, quia neceſſe eſt eum præfractum eſſe erga præfractos, ſicuti manſuetus eſt erga manſuetos. Pſal. 18. verſ. 27.
Videtur mihi Propheta hoc velle. Et ſiquis ſine contentione expendat totum verſum, facile reperiet quod dico, Prophetam ſcilicet hic refutare ſupinum illum faſtum populi Iſraelitici, qui Deum ſibi obnoxium eſſe putabat, quum tamen quaſi data opera iram ejus in ſe provocarent. Vos, inquit, putatis Deum ſemper vobis fore propitium: unde hæc fiducia? quia ſcilicet vos adoptavit, quia fœdus pepigit cum patribus veſtris. eſto: ſed interim quale eſt illud? quid viciſſim à vobis ſtipulatur? nonne ut integri ſitis in ejus conſpectu? *Vos autem mutaſtis judicium in fel, & juſtitiam in abſinthium*. Quum ergo ita ſitis fœdifragi, quid jam faciet Deus? vultisne ipſum pergere in curſu ſuarum benedictionum? non datis illis viam. Eſtis enim velut rupes quædam aſperæ. Deus quomodo curret? hoc eſt, quomodo poterit erga vos beneficia ſua proſequi? non magis certe quam equus in rupe, etiamſi valde ſit agilis, poterit celeriter currere: non magis quam bos poterit arare in rupe etiam. Nunc ergo tenemus quid velit hoc loco Propheta. Jam ſequitur confirmatio illius ſententiæ, & ex contextu adhuc clarius patebit veriſſimum eſſe quod dixi.

13. Gaudetis in non re (*hoc eſt, in nihilo*) dicitis, Annon in fortitudine noſtra ſuſtulimus nobis cornua?

Optime cohæret hic verſus cum proximo, ſi tenemus ſenſum illum quem attuli. Nam Propheta iterum invehitur contra ſecurum illum contemptum, quo turgebant Iſraelitæ. *Gaudetis*, inquit, *in re nihili*. Vocat rem nihili fallacias omnes, quibus fucum facere ſolebant, non tantum aliis, ſed etiam ſibi. Nam hypocritæ non tantum objectant falſo nomen Dei, ſed etiam ſeſe illecebris decipiunt, dum arripiunt nomen Eccleſiæ, & inanem titulum adoptionis, & reliqua omnia. Sicuti hodie videmus Papiſtas de nihilo inflatos eſſe: non tantum ſacrilega audacia torquent verbum Dei contra nos, ut videantur eſſe legitima Eccleſia, ſed ſeipſos obdurant. Et quamvis peſſime ſibi ſint conſcii, tamen indor-

miunt

miunt iſtis blanditiis, Non paſſus fuiſſet Deus Eccleſiam ſuam errare. Atqui nos Apoſtolis ſucceſſimus. Ergo quamvis multa ſint apud nos vitia & corruptelæ, tamen Deus manet nobiſcum. Et quicuoque non ſentiunt nobiſcum, ſunt ſchiſmatici. Imo ut nullis rationibus nitamur, eorum tamen defectio non eſt ferenda. Maneamus igitur in noſtro ordine, quia Dominus probat iſtam hierarchiam. Sic ergo Papiſtæ non tantum nugantur ad fallendos imperitos, ſed etiam ſeipſos obdurant contra Deum. Talis fuit excæcatio populi Iſraëlitici. Ideo Propheta hic eos objurgat, quod de nihilo lætentur: In non verbo, inquit. ſic enim eſt: ſed ſignificat ipſos de nihilo gaudere, quia ſcilicet ſe involvant meris fallaciis, atque ita opponant inutiles ſuas blanditias & Deo & ejus judicus. *Qui dicitis, annon in fortitudine noſtra ſuſtulimus nobis cornua?* Scimus cornua Hebræis accipi pro excellentia, pro robore, pro altitudine, & quolibet præſidio. Perinde igitur valet loquutio hæc acſi dixiſſent, annon ſatis & ſuper muniti ſumus noſtra fortitudine? Certum quidem eſt non ita loquutos eſſe palam: ſed Propheta quoniam exercet judicium Spiritus ſancti, penetrat in corda ipſorum, & excutit quod intus latet. Scimus enim hanc eſſe verbi efficaciam, quemadmodum docet Apoſtolus quarto ad Hebræos capite. Verbum enim reſipit naturam ipſius Dei, à quo profectum eſt. Et quemadmodum Deus eſt ſcrutator cordium, ita etiam verbum penetrat uſque ad medullas, uſque ad intimos hominum ſenſus, diſcernit inter affectus & cogitationes. Notanda eſt igitur hæc ſpiritualis jurisdictio, quum Prophetæ objectant tam craſſas blaſphemias impiis: quia certum eſt non pronunciaſſe hæc verba, quibus Propheta utitur. Sed tamen huc tendebat ipſorum ſuperbia, *Quod ſcilicet cornua ſumpſiſſent ſibi in ſua fortitudine.* Separati enim erant à Domino: interim volebant manere ſalvi in ſua fortitudine. Quid hoc ſibi vult? ſe à Deo alienarunt: volunt tamen eſſe incolumes, & putant ſe eſſe extra omnem aleam. Unde hoc privilegium? nam certe debebant latere ſub umbra Dei, ſi volebatu ſalvi manere. Quum autem Deum procul à ſe abjecerint, & contempſerint omnem ipſius doctrinam, imo ſint manafeſti ejus hoſtes, unde iſta ſalus quam ſibi promittunt, niſi quia volunt à ſeipſis habere ſuam fortitudinem? nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ. Objurgat Iſraelitas quod falſo & inani titulo contenti Deum ſecure ſpernerent, & tantum obtenderent ſpeciem pietatis pro re ipſa: hoc tam craſſum vitium in ipſis damnat. Et ſimul oſtendit eos ſibi cornua induere, quibus Deum impetant, quia quum ſint ab ipſo ſeparati, promittunt tamen ſibi ſecurum & felicem ſtatum. Tandem ſequitur,

14. Certe, ecce tollo contra vos, domus Iſraël, dicit Jehova Deus exercituum, gentem, & coarctabunt vos ab introitu Hemath uſque ad torrentem campeſtrem.

Tandem ſequitur denunciatio: & hæc eſt capitis clauſula. Poſtquam ergo Deus ſerio detexit flagitia, quæ tunc regnabant in populo Iſraëlitico, iterum inculcat illam vindictam, cujus paulo ante meminit: ſed diſcrimen tantum eſt, quod Deus nunc deſignat genus pœnæ, quod ſumpturus erat de Iſraëlitis. Ecce Deus præcipiens, dixerat prius: deiode loquutus fuerat de clade, ſed non expreſſerat unde ventura eſſet clades illa. Nunc ergo eam deſignat ſpeciali modo. *Ecce*, inquit, *ego tollo ſuper vos gentem domus Iſraël, quæ vos arctabit ab introitu Hemath uſque ad fluvium*, &c. Non dubium eſt quin loquatur hic Propheta de Aſſyriis: & hyperbolice hic exprimit Propheta quam horribile futurum ſit bellum illud, quod ab Aſſyriis inſtabat: quia etiamſi larga eſſet planities & regio, (atque ut ampla & ſpatioſa erat, habebat multos exitus) tamen Propbeta oſtendit fore ubique anguſtias, poſtquam Dominus gentem illam extulerit in altum. *Suſcito* ergo *contra vos gentem.* Et rurſus vocat Deum exercituum eadem ratione qua prius, nempe ut intelligant in arbitrio Dei eſſe omnes iſtos Aſſyrios, qui bellum moturi ſunt ſimulatque ſignum illis dederit. *Dominus ergo tollet gentem, quæ coarctabit vos.* In quo loco? Non hic agitur de anguſtis locis, ſed de ſpatioſa regione, quæ, ſicuti jam dictum eſt, habebat multos exitus. Poſtquam vero Dominus armaverit Aſſyrios contra vos, loca omnia ſpatioſa vertentur vobis in anguſtias: eritis ubique conſtricti, ita ut non pateat effugium mortis.

Da omnipotens Deus, quando nimium obſurduimus ad tot ſanctas admonitiones, quibus non deſinis nos ad te revocare, imo etiam occalluimus ad minas, quibus nos terres, ut frangas, vel ſaltem corrigas noſtram duritiem: da, inquam, ut ſero tandem, ſed tamen in tempore, hoc eſt, antequam veniat ultima ultio, attenti ſimus ad verbum tuum, & nos ſubjiciamus tibi, & ea docilitate prædit ſubeamus jugum tuum, ut recipias nos in gratiam, & paterno favore digneris: ac tandem reconciliatus nobis, etiam digneris benedictiones tuas erga nos proſequi, quas pollicitus es omnibus filiis tuis, qui membra ſunt unigeniti Filii tui Domini noſtri, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA QUINTA
IN
AMOS PROPHETAM.

CAPUT VII.

SIc oſtendit mihi Dominus Jehova, & ecce formans locuſtas principio aſcenſionis herbæ, (*hoc eſt, quum incipit herba aſcendere: ſed* לקש *propriè ſignificat ſecundam herbam, quam vocamus Regiam*) & ecce herba poſt ſectiones (*vel tonſuras, ut alii vertunt*) Regis.

2. Et factum eſt dum perficeret ad comedendum, (*hoc eſt, quum jam fere in totum abſumpſiſſet herbam terræ*) tunc dixi, Adonai Jehova, parce obſecro: quis ſtabit (*vel quis reſtituet*) Jacob, quia parvus eſt.

3. Pœnituit Jehovam ſuper hoc, Non erit, dixit Jehova.

Hoc capite oſtendit Amos jam ſæpius Deum pœnas diſtuliſſe, quas tamen decreverat inferre populo: & ita admonet Iſraëlitas ſuæ obſtinationis, quod abuſi fuerint hac Dei tolerantia, neque reſipuerint longo temporis ſucceſſu. Nam in hunc finem ſuſpenderat Deus ſua judicia, ut ſponte redirent in viam, quemadmodum ſolet allicere homines humanitate, ſi eſſent ipſi dociles. Quum ergo caruiſſet profectu illa patientia Dei, objurgat Amos Iſraëlitas. Quanquam aliud etiam fuit ejus conſilium. ſcimus enim profanos homines, ſiquando illis parcat Deus, neque ſtatim infligat pœnas quas meriti ſunt, ridere, & ſeſe obſtupefacere in futurum tempus, ut nihil amplius metuant: præſertim ſi Dominus minatus illis fuerit, deinde non ſtatim exequatur ſuam vindictam, putant minas omnes eſſe mera terriculamenta. hinc ergo animos ſuos confirmant ad ſecuritatem, & putant ſe impune Deo illudere. Quum ergo talis obſtinatio eſſet inter Iſraëlitas, Propheta hic pluribus modis oſtendit fruſtra eos gloriari, & ita ſecure contemnere Dei judicium, quia ſi Dominus ad tempus illis pepercerit, non tamen procul abſit ultima ultio. Hæc ſumma eſt. Sed ſingula ſuo ordine tractanda erunt. Dicit *ſibi oſtenſam fuiſſe viſionem à Domino*. Hæc autem viſio fuit, quod *Deus ipſe formabat locuſtas*. quanquam יצר alii putant eſſe nomen ſubſtantivum: vertunt בריית, id eſt, creationem. Alii exponunt Examen, vel turmam. Sed illæ interpretationes ſunt violentæ. Ego igitur non dubito, quin Dominus formaverit ante oculos Prophetæ locuſtas, quæ vorarent omnes herbas. *Quum* ergo *inciperet herba aſcendere*, inquit, nempe *poſt ſectiones Regis*. Hic etiam variant interpretes. putant vocari tonſuras Regis, quum Rex oves ſuas tonderet. Alii hoc referunt ad fœniſecium, & dicunt optimas herbas fuiſſe tunc ſectas in uſum Regis, hoc eſt, ut inde paſceret equos ſuos & jumenta. ſed conjecturæ iſtæ nihil habent ſolidi. Ego igitur non dubito, quin Regiam ſectionem hic Propheta vocet, poſtquam publico edicto cœperant ſecare ſua prata. Eſt enim credibile tunc fuiſſe aliquam rationem: quemadmodum apud nos non ſponte quilibet vindemias incipit, ſed oportet eſſe certam aliquam legem, ita vocantur *ſectiones Regiæ*, quæ publicæ erant: ſicuti etiam via Regia vocatur publica. Sed interim exiſtimo Prophetam ſub hac figura perſtringere priores calamitates, quibus jam attenuatus fuerat populus. Supereſt ut referamus hoc vaticinium, vel hanc viſionem ad proprium tempus. Non dubito, & videor etiam mihi colligere certis rationibus, Prophetam hic conferre tempus quod præceſſerat regnum Jarobeam filii Joas, cum ea proſperitate, quæ deinde ſequuta fuerat. Nam antequam regnaret Jarobeam ſecundus, partim regnum vaſtatum fuerat incurſu hoſtili, partim vero vel ſiccitate & æſtu, vel frigoribus, vel peſtilentia. Quum ergo miſerrima tunc eſſet conditio populi, ſicuti ſacra hiſtoria recitat: ideo Propheta dicit oſtenſas ſibi fuiſſe locuſtas, quæ vorabant quicquid erat herbarum, vel ſegetis. Neque enim tantum locuſtas dicit creatas fuiſſe, ſed ſimul voraſſe herbam ipſam, ut fere nihil eſſet reſidui: *Quum abſolverent comedere herbam terræ*, inquit, *tunc dixi, Domine Jehova*, &c. Hoc igitur modo Propheta oſtendit jam tunc apparuiſſe certa ſigna iræ Dei, & populum aliqua ex parte fuiſſe duriter afflictum, ſed tamen Deum poſtea dediſſe tempus pœnitentiæ. Hæc igitur ſumma eſt primæ viſionis. Jam per locuſtas intelligo mediocre pœnæ
Joel. 1. genus. Vidimus alibi regionem fuiſſe tunc fere conſumptam à locuſtis & bruchis & corruptelis ſimilibus. Sed hoc loco metaphorice deſignat Propheta hoſtiles incurſus, qui non ſtatim vaſtarunt totam terram, ſed nocuerunt aliqua ex parte. Hoc quidem manifeſtum erat omnibus, ſed pauci reputabant

Dei judicium: ſicuti etiam conqueritur Dominus, obſtinatos non reſpicere ad manum percutientis. Jeſa. 10.
Quanquam ergo videbant Iſraëlitæ terram ſuam conſumi, non putabant Deum ſibi eſſe infeſtum, ſicuti profani homines non libenter ſeipſos examinant, nec oculos attollunt in cœlum, ubi Dominus eos caſtigat. Malunt enim quaſi obſtupeſcere in ſuis malis quam ſibi proponere Dei judicium, ut ſerio trahantur ad pœnitentiam. hoc refugiunt naturaliter fere omnes: ideo Propheta dicit hoc ſibi ſpecialiter fuiſſe oſtenſum. Ipſa igitur calamitas omnibus nota erat, & patebat ante vulgi oculos: ſed ſolus Propheta per viſionem intelligit Deum hoc modo pœnas exigere de peccatis populi. Quanquam viſio præcipue huc ſpectabat, ut intelligerent Iſraëlitæ retractam fuiſſe manum Dei quaſi è medio curſu. Viderant hoſtes venientes, ſenſerant multa incommoda: ſed putabant vel fortuna, vel alia ratione hoſtes reverſos eſſe alio. Non ergo reputabant Deum ſibi pepercisſe: quod præcipuum erat. Hoc igitur Prophetæ in viſione oſtenditur, quod Deus ignoſcat populo ſuo, quum tamen ſtatuiſſet abſumere totam terram. Et diſerte exprimit Propheta placatum fuiſſe Deum ſua interceſſione & precibus. Unde clarius apparet quod nuper attigi, hic ſcilicet Prophetam exprobrare incredulis, quod perverſe ludant cum Deo. putabant enim fuiſſe luſorias minas, quas audierant ex ore Amos & aliorum. Unde hoc? quia ſcilicet Deus illis pepercerat. Oſtendit Propheta unde hoc acciderit: Primum, inquit, Dominus ſtatuerat vos perdere, ſed adhuc expectat vos: & ideo ſuſpendit ultimam vindictam, ut ipſa dulcedine vos ad ſe alliciat; & hoc etiam factum eſt meis precibus. Quanquam enim putatis me vobis eſſe adverſum, ſicuti cogor quotidie vobis minari, & quaſi præco eſſe cœleſtis ad bellum denunciandum: interea tamen vobis compatior, & cuperem vos eſſe ſalvos. Non eſt igitur quod putetis me odio impelli, vel crudelitate, dum aſperius vos compello: facio hoc neceſſitate officii mei. ſed interea moveor tamen veſtra ſalute, & ſum de ea ſollicitus; & Dominus mihi teſtis eſt, & hæc viſio quam nunc produco in medium. Jam videmus ſervos Dei ita partitos fuiſſe & temperaſſe ſuos affectus, ut miſericordia non obſtaret illis quominus ſeveri eſſent quoties ita poſtulabat eorum vocatio: deinde ut ipſa etiam ſeveritas non deleret humanitatis affectum ex eorum animis. Amos, quemadmodum jam vidimus, aſpere invehebatur in populum, acriter reprehendebat vitia, & quotidie etiam citabat perditos illos homines ad Dei tribunal. Quum tam vehementer excandeſceret contra vitia, quum etiam tam rigide minitaretur, videri poſſet oblitus fuiſſe omnis humanitatis. Atqui locus hic oſtendit non exuiſſe tamen miſericordiam, quamvis officio ſuo ſtrenue ſatisfaceret: ideoque non flecteretur quum videret ſibi negotium eſſe cum hominibus improbis & contumacibus. Rigidus ergo fuit, quia ſic jubebat Deus, hæc erat etiam ejus vocatio: ſed interim miſertus eſt populi. Diſcant ergo omnes Eccleſiæ doctores induere iſtos duos affectus, ita ut vehementer excandeſcant quoties vident violari Dei cultum, quum vident peſſum ire rectum ordinem, ut zelo Dei ardeant, & proferant iſtam ſeveritatem, quæ apparet in omnibus Prophetis. Interea tamen condoleſcant miſeris hominibus, quos vident ita ruere in ſuum exitium, & gemant pro eorum inſania, & ſeſe opponant Deo quantum in ipſis eſt: ſic tamen ut iſta humanitas non reddat eos ignavos vel diſſolutos eo uſque ut indulgeant hominum peccatis. Temperamentum enim illud tenendum eſt quod dixi, ut coram Deo ſupplices prodeant in medium, & petant veniam miſeris ac perditis hominibus. Dum autem ad populum ipſum accedunt, ut induant novam perſo-

nam, ut ſint ſeveri ac rigidi: meminerint à quo ſint miſſi, & cum quibus mandatis: ſciant ſe eſſe miniſtros Dei, qui mundi judex eſt; & ideo non parcant populo. hoc ergo nobis obſervandum eſt. Jam quod ad pœnitentiæ verbum ſpectat, ſciamus, quemadmodum etiam alibi dictum fuit, Deum non mutare conſilium, ut quod ſemel ſtatuit retractet. Sciebat enim quid eſſet facturus antequam oſtenderet hanc viſionem Amos Prophetæ ſuo. Sed accommodat ſe ad modulum humani ingenii, dum mutationes iſtas proponit. Hoc ergo fuit æternum Dei conſilium, minitari populo, oſtendere vindictæ ſuæ ſigna, & tamen vindictam in aliud tempus ſuſpendere, quo magis inexcuſabilis eſſet populi obſtinatio. Sed interim quia hoc caruiſſet profectu, proponit aliam rationem, quod ſcilicet jam armatus ſit ad exequendam ſuam vindictam. Tunc autem non refert Deus quid apud ſe decreverit, ſed quid meriti fuerint Iſraëlitæ, & quæ illis pœna vel merces debeatur. Quum ergo Deus incipit pœnas exigere de peccatoribus, perinde eſt acſi vellet uſque ad finem exequi ſuam vindictam: judicium tamen apud ſe ſtatuit, ſed illud abſconditum eſt à nobis. Simul ergo atque ſuſtulit digitum, debemus nobiſcum reputare fieri ejus clementia, ſi non in nihilum ſtatim redigimur, acſi conſilium mutaret, vel acſi manum ſuam retraheret. Hæc igitur ratio tenenda eſt quum Propheta dicit Deum creaſſe locuſtas, ut vorarent totam herbam, ſe vero ſuppliciter interceſſiſſe, ut Deus modum ſtatueret huic calamitati. Deinde adjungit, ductum fuiſſe ipſum Deum pœnitentia, non quod fuerit aliqua mutatio affectus in Deo, ſed quia repente & præter ſpem Deus vindictam illam ſuſpendit, quæ tamen inſtabat. *Non erit* ergo. Quantum attinet ad membrum iſtud, *Propitius ſis obſecro: quis conſurget Jacob*, vel quis eriget ipſum Jacob? Quia Propheta non aliud remedium videt, niſi ut Dominus pro immenſa ſua bonitate populo ignoſcat, ideo petit veniam. Sed interim oſtendit ſe deprecari pro Eccleſia. Domine, inquit, jam manus tua non perſequitur extraneos homines, ſed populum electum qui tibi peculiaris eſt. Nam ſub nomine *Jacob* Propheta fœdus commendat quod Deus pepigerat cum Abraham & Patriarchis: acſi diceret, Deus, eriſne inexorabilis adverſus populum quem elegiſti & adoptaſti, cujus tu es pater? Memineris non eſſe vel Babylonios, vel Ægyptios, vel Aſſyrios, ſed eſſe regale ſacerdotium, eſſe populum tuum ſanctum ac peculiarem. Et nihil eſt quod Deum magis flectat ad miſericordiam quam memoria gratuiti fœderis, quemadmodum alibi vidimus. Deinde dicit, *Jacob eſſe parvum.* Non ergo profert in medium dignitatem Jacob, vel aliquam notam excellentiæ: ſed dicit eſſe parvum. quaſi diceret, Domine, tu hic depromis potentiam tuam contra miſeros homunciones, qui jam plus ſatis debilitati ſunt. *Parvum* enim vocat, quia jam attritus eſſet multis cladibus. Et ideo dixi referri hoc ad tempus illud miſerum, de quo loquitur ſacra hiſtoria, quum dicit tam liberos quam captivos fuiſſe redactos ad extrema, antequam inciperet regnare Jarobeam ſecundus. Tunc enim Deus reſtituit populum ſuum: ſed brevis fuit illa benedictio: ſtatim poſt mortem regis Jarobeam mota eſt ſeditio, quæ labefactavit totum regnum: occiſus eſt filius 2 Reg. 15.
ejus Zacarias à Selum, ut ſatis notum eſt. *Quis* ergo verſ. 10.
conſurget Jacob? Verbum יקום tranſitive quidam accipiunt, Quis eriget? Alii autem putant neutrum eſſe verbum, Quis conſurget Jacob? hoc eſt, quomodo conſurget Jacob? ut מי tantundem valeat ac Qualis vel Quomodo. Qualis ergo Jacob conſurget? Sed hoc ad ſummam rei parum intereſt. Tantum ergo notare ſufficiat, hic Prophetam loqui de populi infirmitate, ut ejus reſpectu Deus facilius ignoſcat. Nunc ſequitur,

4. Sic oſtendit mihi Dominus Jehova: & ecce vocans ad diſceptandum in igne Dominus Jehova, & conſumpſit (*aut voravit*) abyſſum magnam, & conſumpta fuit poſſeſſio. (*alii* חלק *vertunt partem agri: ſed malo accipere de tota poſſeſſione.*)

5. Et dixi, Adonai Jehova, ceſſa obſecro: quis (*hoc eſt, quomodo*) conſurget Jacob? (*vel, quis attollet? ut prius dictum eſt*) quia parvus eſt.

6. Pœnituit Jehovam ſuper hoc, Etiam hoc non erit, dicit Dominus Jehova.

Hic oſtendit Propheta non ſemel Deum peperciſſe populo ſuo, ſed quum iterum inſtructus eſſet ad vindictam, ultro adhuc diſtuliſſe, ut ſi fieri poſſet, populus ſponte ſeſe colligeret. Sed quia omnes erant inſanabiles, hæc etiam Dei tolerantia caruit ſuo profectu. Jam quod ad verba Prophetæ ſpectat, vidimus graviorem pœnam notari ſub ignis metaphora, quam prius quum ſermo habitus eſt de locuſtis. Diximus per locuſtas tranſlatitie intelligi mediocrem pœnam, hoc eſt, quæ non adeo eſſet formidabilis primo intuitu. Etſi enim graviſſimum malum eſt inedia & fames quam afferunt locuſtæ, dum abſumunt quicquid eſt fructuum, tamen interdum ignis plus horroris multo incutit. Ergo Propheta per ignem oſtendit excanduiſſe Deum, quia videbat populum obduruiſſe, nec jam poſſe corrigi vulgaribus remediis & ſolitis: & ita ſolet Dominus agere, quemadmodum paſſim denunciat in Scripturis. Initio tentat an poſſint homines ſanari, & adhibet non graviſſimas pœnas, ſed tolerabiles. Ubi autem cernit duritiem & contumaciam in ipſis peccatoribus, duplicat & triplicat pœnas: imo in ſeptuplum
Deut. 28. (quemadmodum loquitur apud Moſen) auget vindictas ſuas. Talis igitur fuit ratio, cujus nunc meminit Amos: quia initio creavit Deus locuſtas, deinde ignem accendit, qui conſumpſit abyſſum magnam, & voravit poſſeſſionem. Participium Cholem ſatis oſtendit eos errare qui יצר, de quo ante diximus, vertunt Creationem. Nam reſpondet hoc Cholem cum יוצר. Utroque ergo loco Dominus ſe auctorem pœnarum eſſe demonſtrat, quæ ſolent transferri in fortunam. Imaginantur enim homines aliunde proficiſci mala quam à Deo. Oportuit igitur hoc diſerte notari: quemadmodum Propheta etiam facit, quum dicit locuſtas à Deo fuiſſe creatas, & ignem ab eodem eſſe accenſum. *Vocans* igitur *in igne ad diſceptandum*. Non fruſtra hoc verbo רב uſus eſt Propheta, quod tamen non expendunt interpretes. Oblique enim taxat illam populi duritiem, quod Dominus non ſimpliciter jam caſtigaret delicta populi, ſed cum hominibus pravis & pervicacibus contenderet, quemadmodum ubi non poteſt obtineri ulla æquitas, tunc litigandum eſt: ſic etiam Propheta nunc dicit, Deum venire inſtructum igne, ut diſceptet cum tali pervicacia populi. Dicit abyſſum magnam fuiſſe conſumptam ab hoc igne. Hinc clarius patet quod attigi, nempe hic deſcribi pœnam atrociorem quam in viſione prima. Locuſtæ vorabant herbas duntaxat: ſed ignis penetrat uſque ad ultimas abyſſos: non conſumit neque deformat tantum ſuperficiem terræ, ſed radices etiam ipſas exurit: imo uſque ad centrum terræ deſcendit, & conſumit totam terram. Qui חלק partem vertunt, non ſatis attendunt ad Prophetæ conſilium. Hinc enim colligit ſuperficiem terræ fuiſſe vaſtatam, quia ne voragines quidem ſalvæ fuerant ab

incen-

incendio illo. Quum autem ignis pertingat uſque ad terræ viſcera, quomodo ſtaret incolumis ipſa poſſeſſio, quæ etiam obnoxia eſt caloribus Solis? Videmus ut terra æſtu exuratur quum Sol eſt calidus media æſtate. Jam tenemus Prophetæ conſilium. Addit Deum ſecundo fuiſſe placatum. Semper nobis ſcopus ille ſpectandus eſt, quod ſcilicet profani homines exiſtimant Prophetas mentitos, ubi non ſtatim exercet Deus vindictam quam denunciarunt. Amos autem hic ex oppoſito admonet, ſi Deus differat pœnas, non tamen ideo fruſtra minari, ſed homines expectare dum reſipiſcant: interea ſi pergant ejus patientia abuti, ad extremum ſenſuros quam horribilis ultio maneat eos omnes qui ita pervertunt Dei bonitatem, hoc eſt, qui Deum non audiunt tam humaniter ad ſe vocantem. Hæc eſt ſumma. Sequitur,

7. Sic oſtendit mihi: & ecce Dominus ſtabat (*ſtans*) ſuper murum perpendiculi, & in manu ejus perpendiculum.

8. Et dixit Jehova mihi, Quid tu vides Amos? & dixi, Perpendiculum. Tunc dixit Dominus, Ecce ego pono perpendiculum in medio populi mei Iſraël: non adjiciam amplius ut tranſeam ipſum.

9. Et deſtruentur excelſa Iſaac, & evertentur (*excidentur*) ſanctuaria Iſraël, & ſurgam ſuper domum Jarobeam in gladio.

Hæc tertia viſio melius nobis aperiet quid hactenus voluerit Propheta, & quorſum direxerit ſuam doctrinam, nempe ut ſciat populus ſua contumacia hoc modo ſe eſſe adeptum, ut Deus ſit implacabilis, & deſinat parcere, quemadmodum hactenus fecit. Hæc ſumma eſt, ſi hactenus vos Deus ſuſtinuit pro ſua indulgentia, ne vobis promittite eundem ſemper fore erga vos. Exaſperatus eſt enim veſtra contumacia & pervicacia: quum videat vos eſſe obſtinatos abſque ullo modo, neceſſe eſt ut jam ſumat de vobis ultimam vindictam. Nulla igitur jam vobis parata eſt remiſſio: ſed quemadmodum eſtis incurabiles, ita Dominus à ſua parte ſtabit conſtanter in rigore ſui Judicii, neque unquam flectetur ad miſericordiam. Varie tractant viſionem hanc interpretes. Subtiliter enim philoſophantur in voce *perpendiculi*: & tamen frigidæ ſunt fere omnes argutiæ. Si vellem tractare plauſibiliter hunc locum, dicerem perpendiculum eſſe Legem Dei, quia conſtituerat ordinem in ſuo populo, qui inſtar perpendiculi eſſet. Omnia enim ad optimam regulam directa erant. Ita loquerer: ſed tamen ego nolo hic fruſtra argutari: neque enim dubito quin hoc ſimpliciter voluerit Deus, hanc ultimam eſſe dimenſionem: quia pœnam ſumpturus ſit de populo ſuo, & abſque ulla remiſſione, vel abſque ulla mora. Nunc tenemus Prophetæ ſenſum. Sed ex contextu clarius hoc totum patebit. *Sic oſtendit mihi: & ecce Dominus ſtabat ſuper murum perpendiculi.* Vocat *murum perpendiculi*, qui erat compoſitus ad regulam, acſi diceret murum perpendicularem. Stabat ergo Deus ſuper murum perpendiculatum. *Et perpendiculum*, inquit, *erat in manu ejus.* Falſum igitur eſt quod quidam interpretes docent, abjectum fuiſſe perpendiculum à Deo, quia noluerit amplius præſtare officium latomi in populo regendo: hoc nugatorium eſt, quia Propheta hic aperte teſtatur perpendiculum fuiſſe in manu Dei. Jam pondere non caret quod ſequitur. Interrogat enim Deus Prophetam ſuum, *Quid tu vides Amos?* Veriſimile eſt Prophetam fuiſſe attonitum ut in re obſcura. Quum crearentur locuſtæ, & ex diſceptatione ignis facilius poterat colligere quid vellet Deus. Viſiones enim illæ non admodum erant ambiguæ: ſed quum Deus ſtat ſuper murum cum perpendiculo, hoc eſt aliquanto obſcurius. Et probabile eſt obſtupefactum fuiſſe Prophetam, ut attentius audiret populus hanc viſionem, quemadmodum ad res magis reconditas attendimus ſtudia noſtra. Frigide enim audimus quæ putamus eſſe facilia cognitu. Sed ipſa obſcuritas vel difficultas acuit noſtra ſtudia & ſenſus. Ego itaque non dubito quin Deus mentem Prophetæ ad tempus obſtupefecerit, quo major eſſet attentio populi. *Quid igitur tu vides Amos? Perpendiculum*, inquit. Sed interea non judicat quænam ſit ratio hujus perpendiculi, vel quis finis. Reſpondet ergo Deus, *Ecce ponam perpendiculum in medio populi mei*, hoc eſt, ego ſtatuam hanc ultimam regulam, vel ultimam menſuram, *& non adjiciam amplius ut tranſeam ipſum.* Quia Deus tranſilierat bis metas ſui judicii parcendo, nunc dicit finem ultimum adeſſe: Ego, inquit, non ulterius progrediar ad ignoſcendum: quemadmodum ſi murus componitur ad perpendiculum, ne minimo quidem digito pars una alteram excedet, ſed erit æquabilitas ad ultimam metam; ſic etiam hæc erit ultima regula, hæc erit vera dimenſio & æquabilis: ego non tranſibam, inquit, amplius ipſum. Ego non dubito quin hic genuinus ſit ſenſus Prophetæ. Nunc etiam tenemus quorſum ſpectaverint aliæ duæ viſiones: ne ſe fallerent pravis blanditiis Iſraëlitæ, quia Deus facilis & propitius illis fuerat, oſtendit non hoc ideo factum eſſe quod juſti eſſent: Deus enim cœperat jam exequi ſua judicia contra ipſos, & pœnæ quibus affecti fuerant, erant optimæ teſtes ſcelerum. Deus enim non fruſtra iraſcitur hominibus, præſertim electo populo. Quum ergo jam ſemel atque iterum percuſſi fuiſſent, oſtendit Propheta eos gravioribus pœnis dignos fuiſſe: quod autem pœnæ fuerant mites & remiſſæ, dicit factum fuiſſe Dei indulgentia, quod vellet ignoſcere populo ſuo: ſed jam adeſſe tempus quo amplius non vellet progredi ad ignoſcendum, quia videbat ſibi negotium eſſe cum deſperata pervicacia. Illa ſumma eſt. Jam ſequitur, *Et deſtruentur excelſa Iſaac, & evertentur ſanctuaria* (alii palatia vertunt) *Iſraël, & aſſurgam ſuper domum Jarobeam in gladio.* Hic Propheta diſerte pronunciat fruſtra populum confidere ſuis templis & ſuperſtitionibus, quia his modis potius accendat in ſe iram Dei: neque enim diſerte minatur excelſis & templis, niſi quia, ſicuti jam dixi, provocaverant Dei vindictam contra ſe Iſraëlitæ hoc modo. corruperant enim verum & legitimum Dei cultum. *Deſtruentur* ergo *excelſa Iſaac.* Quæritur cur potius hic nomen Iſaac poſuerit, quod tamen rarum eſt Prophetis. Mutatio enim eſt in una litera duntaxat: nam ubique nomen Iſaac ſcribitur per צ: hic autem ſcribitur per ש. Sed mutantur inter ſe ש & צ, ut ſatis notum eſt. Hoc quidem eſt extra controverſiam, Prophetam hic loqui de ſancto viro Iſaac: ſed ratio mihi videtur eſſe expoſita in promptu, quod ſcilicet præpoſteri eſſent æmulatores patris ſui Iſraëlitæ in ſuperſtitionibus. Scimus enim erecta fuiſſe templa ubi Iſaac Deum coluerat, ſicuti etiam Abraham pater ejus & Jacob. Quum ergo gloriarentur exemplis S. patrum Iſraëlitæ, ideo Propheta hic refellit inanem illam & fallacem jactantiam. nam qui per nomen Iſaac intelligunt Prophetam minari tam Idumæis promiſcue quam Iſraëlitis, carent omni colore. Sed illa ratio quam nunc attuli ſatis firma eſt. Scimus enim fuiſſe Iſraëlitis ſemper in ore exempla patrum: ſicuti etiam Samaritana mulier dicebat Chriſto, Patres noſtri adoraverunt in monte hoc. *Joan. 4. verſ. 20.* Sic etiam olim obtendere ſoliti fue-

fuerant Iſraëlitæ, S. Patriarchas coluiſſe Deum in illis locis: & in Bethel viſum fuiſſe Deum S. Jacob: deinde in aliis locis etiam fuiſſe erecta altaria. Quum armati eſſent exemplis Patrum, putabant eſſe inſtar clypei: quemadmodum hodie etiam Papiſtæ ſiquid audiunt fuiſſe factum à Patribus, arripiunt ſtatim. ſed ſunt inanes prætextus. Tales etiam erant Iſraëlitæ. Ideo dicit Propheta, Ecce nihil proficitis iſto fallaci prætextu: *deſtruentur* enim *excelſa Iſaac*: hoc eſt, quæ nunc teguntur honorifico titulo. interea templa vel palatia Iſraël excidentur: & ſurgam contra domum Jarobeam in gladio. Colligimus ex hoc poſtremo membro, tunc res fuiſſe proſperas in Iſrael, quemadmodum alibi diximus. nam Deus variis modis attriverat regnum illud ante Jarobeam: ſed fuerant ſemper obſtinati. Poſtea adhuc reſtituerat illos in aliquem ordinem: floruerunt enim res illius populi ſub Jarobeam: recuperavit multas urbes, ampliavit limites regni ſui, & tunc cœpit populus luxuriari contra Deum in illa opulentia. Quoniam ergo ſic videbat Propheta abuti eos Dei bonitate, ideo denunciat exitium ipſi Jarobeam. *Super domum ergo Jarobeam inſurgam in gladio*, inquit: hoc eſt, ego incipiam exequi judicium etiam contra ſobolem ipſius Regis. etſi parcam ejus perſonæ, poſteri tamen ejus non effugient manum meam.

Da omnipotens Deus, quando ſic ſuſpendis manum tuam in nobis caſtigandis, ut niſi prorſus cæci vel ſtupidi eſſemus, debeamus agnoſcere nobis ideo parci, ut ſponte ad te redeamus, & hac dulcedine tuæ patientiæ allecti, ſubjiciamus nos tibi in voluntarium obſequium, ne obſtinemus animos, ne etiam quum differs ultimas pœnas ſic tardi ſimus ac pigri, imo ſocordes ad reſipiſcentiam: ſed ſtudeamus prævenire ultimas vindictas, & nos totos ita tibi ſubjicere, ut locus ſit veniæ dum tempus eſt, & ſic maturemus ut afferamus tibi integros & ſinceros animos: etiam dum urgemur ultima neceſſitate, ſic reſipiſcamus, ut jam non maneat interior hypocriſis in cordibus noſtris; ſed ita excutiamus omnes animi noſtri partes, ut idoneus ſis nobis ac verus teſtis illius integritatis quam flagitas ab omnibus qui ad te redeunt, ut obtineant veniam per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA SEXTA IN AMOS PROPHETAM.

CAP. VII.

10. Et miſit Amazias ſacerdos Bethel ad Jarobeam regem Iſraël, dicendo, Conſpiravit contra te Amos in medio domus Iſraël: non poterit terra ſuſtinere omnes ejus ſermones.

11. Quia ſic dicit Amos, Gladio morietur Jarobeam: & Iſraël migrando migrabit è terra ſua.

12. Et dixit Amazias ad Amos, Videns, vade, fuge (*tibi, eſt ſupervacuum*) in terram Jehudah: & comede illic panem, & illic propheta.

13. Et in Bethel ne adjicias amplius prophetare, quia ſanctuarium Regis eſt: & domus regni eſt.

HIc refert Propheta qua machina tentaverit Satan labefactare ejus animum, ne pergeret in officio prophetandi. Dicit Amaziam ab una parte miſiſſe ad Regem, qui eum impelleret ad aliquam ſævitiam, quia ſcilicet fingebat Regis negotium agi, quum Amos ſpargeret ſermones plenos ſeditione & voces turbulentas, niſi Rex mature obviam iret: deinde rurſus idem ille Amazias dicebat Prophetæ nihil eſſe melius, quam ut fugeret in terram Jehudah, ut illic tuto viveret, quoniam ſibi accerſiverat magnum diſcrimen quum auſus fuiſſet adverſus Regem prophetare. Apparet igitur Amaziam hunc fuiſſe hominem perfidum & aſtutum; ſed non ita ſanguinarium, ut palam auderet tentare aliquid gravius contra Prophetæ vitam. Niſi forte putarit hoc non poſſe fieri: & non tam manſuetudine, quam quia res erat impoſſibilis, omiſit conſilium illud. Et hoc ſecundum probabile eſt ex contextu. Priore enim loco dicit Propheta, *Amaziam miſiſſe ad Regem*. Ergo expertus eſt an poſſet acuere animum Regis ad perſequendum Amos. Forte non ſucceſſit conſilium illud: ideo aggreſſus eſt quod ſecundo loco refertur, hoc eſt, vocavit ad ſe Prophetam, & conatus eſt illum terrere & ejicere metu ex terra Iſraël, ne ſcilicet amplius moleſtus eſſet illic. Sed primo loco notandum eſt quo affectu impulſus fuerit ipſe Amazias, ut tantopere ſtuduerit expellere quacunque ratione poſſet Prophetam è regno Iſraël. Certe non eſt credibile fuiſſe inductum quemadmodum præ ſe tulit apud Regem, quia eſſet aliquod periculum ſeditionis: ſed fuit hic honeſtus prætextus. Curavit igitur Amazias proprium commodum; ſicuti hodie videmus Cardinales & cornutos Epiſcopos, qui Principum aulas occupant, non proferre ingenue id quod habent in animo: vident enim non poſſe ſtare ſuam tyrannidem niſi aboleatur Euangelium: vident doctrinam noſtram minari frigus vel potius glaciem ſuis culinis, deinde vident ſe fore nullos in mundo, niſi nos oppreſſerint. Quid autem interea obtendunt? nempe doctrinam noſtram non poſſe recipi, quin totus orbis miſceatur, quin pereat totus politicus ordo, quin Reges ſpolientur ſua potentia & dignitate. conciliant igitur ſibi favorem his obliquis artibus. Tale fuit ingenium Amaziæ, & tale eſt artificium in oppugnando Propheta Amos. dicit Regi, *Ecce conſpiravit in te.* קשר ſignificat Ligare, & per metaphoram accipitur pro Conſpirare. *Conſpiravit* igitur *contra te Amos*. Quis autem loquitur? Amazias. Sed interea non negligit Propheta titulum Amaziæ. dicit igitur, *Sacerdos erat Bethel*. Potuit ſimpliciter dicere, Miſit Amazias ad Jarobeam regem: ſed in nomine Sacerdotii Propheta oſtendit non pugnare Amaziam pro pace publica, quemadmodum fingebat: fuiſſe igitur iſtum prætextum fallacem, quia pugnabat pro ſua Helena: hoc eſt, pugnabat pro ſua culina, pro vita denique. quia ſacerdotio fuiſſet cum ignominia privatus, deinde redactus fuiſſet ad inopiam & mendicitatem, niſi expuliſſet Prophetam Amos. Quoniam ergo videbat ſibi inſtare tale & tantum infortunium, niſi Amos ejiceretur; hoc conſilio uſus eſt, & præ ſe tulit aliam cauſam, ac miſit ad Regem, dicendo, *Conſpiravit Amos*. Exaggerat etiam crimen, *in medio domus Iſraël*. Hoc non fit, inquit, in aliquo angulo vel obſcuro loco: ſed palam jam perſonat hæc doctrina in omnibus compitis: urbes totæ ea implentur, denique in ſinu ipſo regni & in gremio jam ignis ardet, & ſtatim ſenties flagrare domum tuam, niſi mature remedium

adhi-

adhibeas, imo niſi aboleas. Videmus ergo nunc quomodo ſe gerat hic Amazias, & qua etiam ratione tam ſedulo procuret apud Regem, ne detur amplius libertas Prophetæ Amos. Quantum attinet ad ſequentia, dicit *terram non poſſe amplius ferre ejus ſermones.* Hoc membrum recipit duos ſenſus probabiles: vel quod populus offenſus turbulenta iſta doctrina jam ſponte oderit & deteſtetur Prophetam Amos, quaſi hominem ſeditioſum: quemadmodum etiam animantur iſtis conſiliis Reges hodie, Cur ceſſatis? nam ſubditi veſtri nihil magis cupiunt quam extinguere iſtam peſtem: & quiſque certatim vos adjuvabit: vos eſtis ignavi interim, & populus conqueritur de iſta tarditate. Putant indignos eſſe Principes qui potiantur imperio, quum ita ſinant peſſum ire veteres ritus & ſtatuta S. matris Eccleſiæ. Sic ergo loquuntur illi Ita etiam poſſemus accipere verba Amaziæ, quod Regem ſtimulaverit hoc artificio, quia populus paratus eſſet ad obſequium præſtandum. Vel, *non poterit terra ferre ejus ſermones:* id eſt, ſi pergat hic libere tumultuari, quemadmodum cœpit, jam imminet interitus toti regno, quia multi eum ſequentur: & ubi exorta fuerit manifeſta factio, non poterit cohiberi ſine magna difficultate. Feſtinandum ergo eſt ne prævaleat Amos, quia jam ultimum inſtat diſcrimen: quemadmodum etiam conſultabant Phariſæi, Ne forte veniant Romani, & tollant locum

Joan. 11. *verſ.* 48.

noſtrum & gentem noſtram: ſic etiam potuit Amazias Regem impellere hoc terrore injecto, quod terra, hoc eſt, regio ipſa & incolæ commoti eſſent ſermonibus Amos, ideoque mature eſſe reſiſtendum. hæc fuit legatio Amaziæ ad Regem. Jam ſubticet Propheta noſter quale fuerit reſponſum Regis. itaque credibile eſt vel Regem non fuiſſe tantopere commotum, vel non auſum fuiſſe palam aggredi vitam Amos, quia jam obtinuerat forte aliquid auctoritatis apud populum: quamvis etiam eſſet exoſus, tamen reverebantur nomen ipſum & munus Prophetæ: vel rem ex compoſito inter duos ſanæ doctrinæ hoſtes fuiſſe actam, ſicuti gratificantur ſæpe Regibus adulatores, dum ſe ſubſtituunt in eorum locum, & omnem invidiam ſuſtinent. Quicquid ſit, certe probabilis eſt iſta conjectura, Regem quieviſſe, quia non fuerit perſuaſus à ſacerdote Amazia, vel quia timuit ſibi à populo, vel quia religio animum ejus compeſcuit, ſicuti etiam interdum ſolent impii ad tempus continere ſe in aliqua moderatione: non quod tangantur ſerio Dei timore, vel quod cupiant verum ejus cultum amplecti: vellent Deum è cœlo detractum eſſe, vellent omnem pietatis notitiam abolitam: ſed interea non audent effundere ſuam rabiem. Talis igitur metus potuit concutere animum Jarobeam, ne tyrannice contra Prophetam Amos ſæviret. Nam ſi reputamus quorſum tendant verba Amaziæ, certe voluit ſtatim trahi ad capitale ſupplicium Prophetam Amos. Conſpiratio enim crimen eſt per ſe morte dignum: deinde metus potuit Regem percellere, ut ſtatim extingueret S Prophetam. Speravit igitur Amazias plus quam adeptus eſt. Et hinc vulpina iſta vafrities, quod Prophetam accerſat: conſilium enim dat ut ſe recipiat in terram Jehudah. ergo quemadmodum initio dixi, veriſimile eſt Regem Jarobeam non fuiſſe commotum ſicut ſperaverat ſacerdos iſte impius Bethel. Initio fuit truculenta beſtia, ſed poſtquam non potuit palam graſſari ad perdendum Amos, jam novam perſonam induit, incipit eſſe vulpes, quia nihil proficit ſua leonina rabie. Sequitur ergo hoc ſecundum, *Et dixit Amazias ad Amos.* Ego præterii membrum unum ex proximo verſu. *Dicit Amos, Gladio morietur Jarobeam, & Iſraël migrando migrabit è terra ſua.* Duo ſunt capita accuſationis in ſumma. Quidam interpretes putant Amaziam perverſe calumniatum fuiſſe verba Prophetæ Amos, quia non denunciabat mortem Regi Jarobeam, ſed tantum ejus populo & poſteris. Ego autem in hoc non inſiſto. Fieri ergo poteſt ut non perverteret verba Amos ipſe Amazias data opera, ſed tantum vellet illi conflare invidiam apud Regem. Morietur ergo Jarobeam gladio, vel ejus poſteri: deinde Iſraël migrando migrabit è terra ſua. Hinc colligimus Amaziam non fuiſſe impulſum poſtrema duntaxat concione Prophetæ Amos; ſed quod diu coxerat odium tunc patefeciſſe. Non dubium igitur eſt, quin Amazias fuerit quaſi in excubiis, & audierit quicquid docebat quotidie Amos, & tandem quum putaret rem eſſe maturam, miſiſſe ad Regem. Hac via tentata, quia nihil profecerat, jam veniſſe ad hoc ſecundum conſilium de quo nunc nobis tractandum eſt. Dixit ergo Amazias ad Amos, nempe poſtquam prior ratio eum fruſtrata eſt, quia non obtinuerat apud regem Jarobeam quod ſperavit: dixit ergo Amazias ad Amos, *Videns, vade, fuge in terram Jehudah.* Quum dicit Vade, ſignificat liberum illi eſſe egreſſum, quaſi diceret, Cur ſponte vis apud nos perire? Quanquam conjungi debent duo membra: dicit primo, Vade; poſtea, Fuge. Quum dicit Vade, ſicuti jam notavi, admonet ſi velit poſſe exire, quia nemo præcludat exitum. Vade igitur, quia patet tibi iter. Sed quum addit, Fuge, ſignificat non poſſe diu manere incolumem: niſi conſulas vitæ tuæ, actum eſt. Ergo cito fuge à nobis, vel tu es perditus. Videmus ergo quam aſtute adoriatur Amazias iſte Prophetam Dei. Proponit enim liberam rationem vitæ ſervandæ: interea urget eum metu periculi, & oſtendit non poſſe ſalvum manere, niſi ſtatim aufugiat. Duæ igitur rationes iſtæ erant quaſi robuſtæ machinæ ad labefactandum cor ſancti Prophetæ. Poſtea adjungit, *Et comede illic panem.* hoc tertium eſt argumentum, quod liceat in patria vivere, & illic ſuppetant alimenta. Erat enim Amos, quemadmodum diximus, ex paſtoribus Tecua. Ergo oriundus erat ex Tribu Jehudah, & domicilium habebat in illo regno, & cognatos ſuos. deinde Azarias etiam non erat impius: quamvis non eſſet ex perfectiſſimis, colebat tamen ſervos Dei, & reverebatur. Quum ergo dicit Amazias, Comede illic panem tuum, ſignificat tutam eſſe ſtationem Prophetis in regno Jehudah, & illos haberi in pretio tam apud Regem quam apud populum, & illic poſſe vivere. hoc tertium eſt argumentum. Jam ſequitur quartum, Si mihi objicias te eſſe Prophetam, & tibi non licere, neque fas eſſe tacere, *Tu illic propheta:* tu ſcis audiri Prophetas in regno Jehudah: fungaris igitur illic officio tuo, & vivas libere & ſine metu. Tenemus ergo quatuor rationes, quibus conatus eſt perſuadere Amazias Prophetæ Amos, ut relicto populo Iſraël concederet ad ſuos gentiles. Jam ſequitur quinta ratio, *In Bethel vero ne adjicias amplius prophetare, quia ſanctuarium Regis eſt & regia.* Hic conturbat Prophetam Amazias alio prætextu, vel ſaltem tentat concutere ejus animum, quod ſcilicet odioſum ſit movere turbas in regno Iſraël: deinde quod etiam in hoc Deum offendat, quia ſcilicet Jarobeam ſit Rex divinitus creatus, & idem præditus ſit ſumma auctoritate. Quum ergo Rex potuerit inſtituere jure ſuo novos cultus, Amazias hic diſputat non eſſe in arbitrio cujuſquam convellere ritus illos, qui paſſim recepti erant, deinde comprobati etiam regio edicto: ſed debere recipi ſine controverſia. Tenemus ergo totam ſummam. Jam notandum eſt hoc loco, cavendum nobis eſſe non tantum à vi aperta & crudelitate hoſtium, ſed etiam ab inſidiis. Nam ſicuti Satan eſt homicida, & fuit ab initio, ita etiam *Joan.* 8. *verſ.* 44.
eſt pater mendacii. Quiſquis ergo volet ſtrenue & conſtanter impendere operam ſuam Deo & Eccleſiæ, 1 *Joan.* 3 *verſ.* 1.
comparet ſe ad utrumque certamen, ut ſcilicet reſiſtat contra omnes metus & contra occultas inſidias. Videmus quoſdam non adeo eſſe timidos, etiamſi mors centies denunciata fuerit: ſed interea non ſatis ſunt cauti, ubi aſtute hoſtes ſeipſos inſinuant. Ergo

non fruſtra dixi, ſervos Dei opus habere utroque munimento, ut ſcilicet inſtructi ſint contra metum mortis, & maneant intrepidi, etiamſi moriendum ſit, & debeant jugulum præbere, ut pergant in officio, & obſignent etiam doctrinam ſuam proprio ſanguine, quoties opus fuerit. Ab altera autem parte, ut ſint prudentes. Nam ſæpe blanditiis eos aggrediuntur veritatis inimici. Et experientia noſtrorum temporum hoc ſatis docet. Ego ſcio plus periculi fuiſſe ſemper in hac parte, quum hoſtes terrere volebant, & objiciebant, Quid vultis vobis? Ecce neceſſe erit tandem conſici totum orbem multis cladibus. Quid aliud quæritis, niſi ut religio ubique vigeat? ut in pretio ſint bonæ literæ? ut pax ubique floreat? Atqui videmus inſtare bellum atrociſſimum: ſi ſemel exortum fuerit, omnia erunt plena cladibus, ſequetur immanis barbaries & crudelitas, peribit etiam religio. hoc proficitis veſtra pertinacia. Nobis hoc ſæpe dictum eſt. Ergo quum legimus hunc locum, debemus attendere quibus artibus ſtuduerit Satan labefactare conatus piorum, & conſtantiam ſervorum Dei. Quantum ad primum argumentum ſpectat, non opus eſt diutius inſiſtere: quiſque enim per ſe jam intelligere poteſt, quorſum omnes iſtæ inſidiæ tendant. Dicit primo, *Videns, vade.* Hic honorifice Amazias appellat Amos: non vocat probroſe aut exulem, aut ſeditioſum, aut indoctum hominem, aut bubulcum, ut indignum ſuo munere. Non igitur quicquam tale profert, ſed appellat Videntem: concedit honorificum titulum Prophetæ. hoc enim ſignificat חזה. Fateor te eſſe Prophetam Dei; poteſt fieri, ut ſis Propheta: ſed non es noſter. *Videns* ergo, *vade.* Videmus igitur, ut intactum relinquat honorem Prophetæ, quo ſcilicet facilius ſe inſinuet, ne ſtatim oriatur inter eos controverſia, & ferveat certamen. Omittit igitur omnes contentiones. Jam tamen poteſt quæri ex ipſo, cur eſſet cæcus? Nam officium Sacerdotis erat vigilare: & Prophetæ ſic erant conjuncti Sacerdotibus, ut Deus tacite illis objiceret ſuam ignaviam & ſocordiam, quum ſubſtitueret Prophetas in eorum locum. Quorſum enim Sacerdotes inſtituti ſunt? Nempe ut eſſent Angeli Domini exercituum:
Malac. 2. quemadmodum dicitur apud Malachiam, Populus
verſ. 7. requiret ab ore Sacerdotis Legem meam, quia Angelus eſt Domini exercituum. Debuit ergo Amazias ſpecialiter ipſe etiam fungi Prophetæ officio, quia Sacerdos erat. Fuit quidem ſacerdos adulterinus, fateor: ſed quum obtenderet titulum illum honorificum, debuit ſaltem præſtare ſuas partes. hoc non fecit, & concedit illum titulum Prophetæ: quemadmodum nunc cornuti Epiſcopi in concedendis titulis ſunt ſatis liberales: Domine doctor, vos quidem poteſtis multa videre, intelligere: ſed tamen interea debetis conſulere paci publicæ. Vocabunt Dominos doctores qui nullo publico munere ſunt præditi: ſed coguntur tamen ſubire alienas partes, quia vident iſtos cornutos Epiſcopos eſſe canes mutos. Sic etiam egit Amazias cum Propheta Amos. Nam contentus erat ſuo ſplendore & magna pompa, deinde ſuis opibus: ipſe laute vivebat, fruebatur opima præda, & ſuperſtitiones bene calefaciebant ejus culinam. Facile ergo relinquebat titulum Prophetæ aliis. Interea ſibi blandiebatur in ſuo Sacerdotio. Jam quantum ad ſecundum attinet, in eo acrior fuit punctio: *Fuge*, inquit. Quum diceret Vade, quemadmodum dixi, tentabat animum Prophetæ, quod poſſet conſulere vitæ ſuæ, abſque ullo periculo, quia liber erat illi exitus: nunc autem urget eum, & extimulat propoſito diſcrimine, Vide, ſi diu hic ſubſiſtas apud nos, non poteris ſalvus manere. *Fuge* igitur. Per fugam ſignificat, etiamſi velit Propheta manere, hoc tamen illi eſſe neceſſarium. Ergo hoc ſecundum argumentum ductum eſt à neceſſitate, quia non licitum eſſet ferre amplius Prophetam, ſi pergeret in libero curſu ſui officii. *Fuge ergo in terram Jehudah, & illic comede panem.* Quantum ad hanc tertiam rationem ſpectat, oſtendit Prophetam Amos fore nimis pertinacem, & addictum ſuæ ſententiæ, niſi malit degere tutus & quietus in patria, quam periclitari in alieno ſolo. Vade ergo. Quo eum ablegat? In patriam. Quid? tu es hic homo exterus, & tu vides te eſſe odioſum. Cur ergo non potius reverteris in patriam tuam, ubi colitur tua religio? Neque enim tunc alloquutus eſt Amazias Prophetam Amos, quemadmodum hodie faciunt multi profani homines, non tam Epicurei, quam porci & impuri canes, quum nobis objiciunt, Redeas in patriam tuam: cur ad nos veniſti? Ablegant nos, quum ſciant tamen non illic eſſe nobis tutum locum. Sed tunc vigebat pura religio in terra Jehudah. Dicit ergo Amazias, Cur non agis cum tuis conterraneis? nam multi illic eſſent, qui tibi ſuppeditarent alimenta: Rex ipſe tibi amicus erit, & totus populus etiam libenter te juvabit. Quantum attinet ad quartum argumentum, videmus quam callidus ſit ſophiſta diabolus, *Illic propheta.* Quis loquitur? Amazias, qui peſſime oderat Templum Jeroſolymitanum: libenter ſuis manibus ſuppoſuiſſet ignem, libenter jugulaſſet omnes pios Sacerdotes: & tamen permittit liberum jus prophetandi ſancto Amos. quia ſcilicet non poteſt palam ſtatim abrumpere curſum, quem tenuerat ſanctus Propheta: ideo eum procul ablegat. Videmus ergo Satanam variis modis & artibus tentare ſervos Dei, & habere miras ambages & flexuoſas, & interdum ſe transfigurare in Angelum lucis, quemadmodum dicit Paulus. Et *2 Cor. 11.*
hoc loco habemus inſigne hujus rei exemplum. Non- *verſ. 14.*
ne Amazias iſte eſt Angelus lucis, quum dat conſilium Prophetæ Amos, ut in patria libere ſerviat Deo, & illic prophetet, habeat os apertum, aſſerat cultum Dei & puram religionem? modo ne in terra Iſraël. Ergo in hoc capite notanda eſt, quemadmodum jam dixi, Satanæ vafrities. Nunc quod attinet ad quintum argumentum, in eo præcipue inſiſtere convenit. *In Bethel*, inquit, *ne adjicias amplius prophetare, quia ſanctuarium Regis eſt, & domus regni eſt.* Hic tantum oſtendit Amazias quid cupiat, nempe retinere poſſeſſionem ſui ſacerdotii: quod fieri non poterat, niſi Propheta expulſo. Neque enim certare poterat rationibus. Jam ergo per abſentiam Prophetæ ſuis commodis conſulit. Ergo utcunque proximo verſu induerit varias perſonas, & ſeipſum multis integumentis occultaverit: nunc tamen ſimia apparet ſimia, ut loquuntur. Oſtendit igitur Amazias quorſum ſpectaverit, nempe ut quietus maneret in ſua tyrannide, & Amos non eſſet amplius moleſtus, vel receptas ſuperſtitiones convelleret. Quum enim eſſet Sacerdos Amazias, non poterat Amos officio ſuo perfungi, quin quotidie clamaret contra templum Bethel. Erat enim lupanar: quia illic ſpoliabatur Deus ſuo honore: deinde ſcimus ubique ſuperſtitiones conferri ſcortationibus. Nunc ergo prodit Amazias perverſum ſuum animum, *In Bethel ne prophetes*: tantum retinet ſibi quietum ſuum ſtatum, & non vult illic verbum Dei reſonare. Optaſſet quidem, quemadmodum jam dixi, ubique extinguere lucem doctrinæ cœleſtis: ſed quia non poterat, vult ſaltem manere in ſede ſua abſque ulla controverſia: quemadmodum etiam vidimus noſtro tempore Papam agere & cornutos Epiſcopos. Inſaniebant quum audirent multas urbes & quoſdam Principes tumultuari in Germania, & diſcedere ab obſequio: ſed quia non poterant vi ſuperare, Sinamus illos barbaros: quid? Antehac plus inde mali provenit quam commodi: fuit ſterilis & arida regio: modo Hiſpania, Gallia & Italia ſalvæ maneant, ſatis eſt nobis. Nam plus forte perdidimus in Germania, quam reportavimus lucri. Ergo fruantur ſua libertate, vel potius licentia:

ali-

aliquando ſub dominium noſtrum redibunt. Interea ne ſimus tantopere anxii. Sed ne penetret hæc contagio in Galliam, quia unum brachium nobis abſciſſum eſſet: neque tangatur Hiſpania, nec Italia; hoc eſſet petere jugulum. Talis ergo fuit Amazias iſte, quemadmodum ſatis apparet. Ne igitur prophetes in Bethel. Et aſtute loquitur quum dicit, *Ne amplius adjicias prophetare*: perinde enim eſt acſi veniam daret: Ecce, ſi hactenus Regem offenderis, & publicum ſtatum populi, tamen ego non agam tecum ſummo jure: omnia tibi condono: ſepultum maneat quicquid peccaſti, modo *ne adjicias in poſterum*. Videmus ergo pondus eſſe in hoc verbo, quum dicit, Ne pergas, vel ne adjicias. quaſi diceret in præteritum ſe non inquirere, nec velle trahere in cauſam Amos, quia jam fuiſſet ſeditioſus: modo abſtineat in poſterum, contentus eſt Amazias, quemadmodum ex verbis colligimus. *Ne ergo amplius prophetes*. Quare? Quia *ſanctuarium eſt Regis*. Hoc eſt unum. Hic Regis auctoritate vult probare Amazias cultus receptos in Bethel eſſe legitimos. Quare? Rex ita ſtatuit. Ne cui ergo liceat verbum contra facere: Rex hoc jure poteſt. eſt enim ſacroſancta ejus majeſtas. Videmus quorſum hoc ſpectabat. Et hodie quam multi ſunt in Papatu, qui Regibus accumulant quicquid poſſunt juris & poteſtatis, ita ut ne qua fiat diſceptatio de religione: ſed poteſtas hæc ſit penes Regem unum, ut ſtatuat pro ſuo arbitrio quicquid voluerit, & ſine controverſia hoc fixum maneat. Qui initio tantopere extulerunt Henricum Regem Angliæ, certe fuerunt inconſiderati homines; dederunt illi ſummam rerum omnium poteſtatem: & hoc me ſemper graviter vulneravit. Erant enim blaſphemi quum vocarent ipſum ſummum caput Eccleſiæ ſub Chriſto. Hoc certe fuit nimium. Sed tamen ſepultum hoc maneat, quia peccarunt inconſiderato zelo. Sed ubi impoſtor ille qui poſtea fuit Cancellarius hujus Proſerpinæ, quæ hodie illic ſuperat omnes diabolos: ille quum eſſet Ratiſponæ, non pugnabat rationibus, (loquor de hoc poſtremo Cancellario, qui Epiſcopus fuit Vintonienſis) ſed quemadmodum jam cœpi dicere, non multum curabat Scripturæ teſtimonia: ſed dicebat fuiſſe in arbitrio Regis ſtatuta abrogare, & ritus novos inſtituere. Si de jejunio agitur, illic Regem poſſe populo indicere, & jubere ut hoc vel illo die veſcatur populus carnibus, licere etiam Regi prohibere ſacerdotes à conjugio, licere etiam Regi interdicere populo uſum calicis in Cœna: licere Regi ſtatuere hoc vel illud in regno ſuo. Quare? Poteſtas enim ſumma eſt penes Regem. Tale fuit commentum hujus Amaziæ de quo nunc Propheta loquitur, Sanctuarium eſt Regis. Nam addit poſtea ſecundum nomen, *eſt domus regni*. Ponderanda ſunt hæc verba Amaziæ. Dicit primo *eſſe ſanctuarium Regis*, deinde *eſſe domum regni*. Tribuit ergo Regi duplex officium, quod ſcilicet in ejus arbitrio ſit flectere quocunque volet religionem: deinde quod Amos perturbet publicam pacem, & ita injuriam faciat Regi, quia ejus imperio derogat. Quantum attinet ad prius membrum, certum quidem eſt Reges, ſi fungantur ſuo officio, eſſe & patronos religionis,
Jeſa 49. verſ. 23. & nutricios Eccleſiæ, quemadmodum Jeſaias ipſos vocat. Hoc ergo ſummopere requiritur à Regibus, ut gladio, quo præditi ſunt, utantur ad cultum Dei aſſerendum. Sed interea ſunt homines inconſiderati, qui faciunt illos nimis ſpirituales. Et hoc vitium paſſim regnat in Germania. In his etiam regionibus nimium graſſatur. Et nunc ſentimus quales fructus naſcantur ex illa radice, quod ſcilicet Principes, & quicunque potiuntur imperio, putant ſe ita ſpirituales eſſe, ut nullum ſit amplius Eccleſiaſticum regimen. Et hoc ſacrilegium apud nos graſſatur, quia non poſſunt metiri ſuum officium certis & legitimis finibus: ſed non putant ſe poſſe regnare, niſi aboleant omnem Eccleſiæ auctoritatem, & ſint ſummi judices tam in doctrina quam in toto ſpirituali regimine. Diabolus ergo ſuggeſſit hoc conſilium Amaziæ tunc, quod ſcilicet Rex templum illic inſtituerat. Quoniam ergo hoc eſt *ſanctuarium Regis*, non licet privato homini, non licet etiam cuiquam intercedere quominus valeat religio, quæ ſemel probata eſt & placuit Regi. Principes autem ipſi audiunt dulcem cantilenam, ubi impoſtores ipſis abutuntur, & nihil magis cupiunt quam ſibi tribui omnia ſine ullo diſcrimine & delectu. Libenter ergo ſe miſcent: & initio præ ſe ferunt aliquem zelum: ſed mera ambitio ipſos impellit, ut tam ſollicite ad ſe rapiant omnia. Tenendum eſt igitur temperamentum, quia hic morbus ſemper in Principibus regnavit, ut vellent inflectere religionem pro ſuo arbitrio ac libidine, & interea etiam pro ſuis commodis. Spectant enim quid ſibi ſit utile, quia non aguntur Spiritu Dei ut plurimum, ſed impellit eos ſua ambitio. Quum ergo videmus jam tunc clandeſtinis iſtis artibus Satanam certaſſe contra Dei Prophetas, hodie dolendæ ſunt nobis noſtræ vices & deplorandæ. Sed quiſquis volet ſe gerere ut decet, caveat ab hoc vitio. Jam ſequitur, *Et domus regni eſt*. Hic non pugnat amplius Amazias pro jure regio, quantum attinet ad ſpiritualem poteſtatem: Bene; etiamſi Rex non debuerit inſtituere novos cultus, tamen tu peccas contra publicam pacem. Hodie major pars Principum nihil aliud ſatagit, niſi ut potiantur ſua quiete. Semper præfantur ſatis animoſe ſe uſque ad mortem fore vindices primæ confeſſionis: ſed interea quoſnam accerſunt ſibi doctores? qui ſcilicet crucem fugiunt: atque ut gratificentur Papiſtis, vel ſaltem eos habeant paulo mitiores, ſeſe flectunt ad eorum vota. Sicuti videmus hodie his flabellis accendi quorundam Principum animos, ut Sacramentariis non parcant: nec ſuſtineant in diſceptationem vocari quod craſſe non minus quam ſtulte & perverſe aſſerunt de corporis Chriſti præſentia, vel incluſione ſub pane. Si oſtendamus nos pugnare contra illos, & nobis eſſe divortium cum ipſis, imo nos fore ipſis capitales inimicos, jam hoc conveniet nobis cum Papiſtis, jam erit aliquis acceſſus ad illos, ſaltem deſinet tantus furor, miteſcent Papiſtæ, non erunt amplius nobis tam infeſti: poſtea obtinebimus mediam aliquam rationem. Sic hodie res aguntur in mundo, & nihil utilius eſt quam conferre ſtatum noſtri temporis cum hoc exemplo Prophetæ, ut ſcilicet iiſdem armis, quibus ille pugnavit, nos etiam pergamus in officio: & non moveamur iſtis diabolicis artibus, quia nullos habemus hoſtes magis infeſtos & profeſſos, quam domeſticos iſtos proditores. Ergo *domus Regis eſt*. Jam agit de brachio ſeculari, quemadmodum dicunt, & oſtendit etiamſi religio centies debeat perire, tamen habendum eſſe reſpectum ne convellat Amos regnum Jarobeam & ſtatum ipſius populi. Jam ſequitur,

14. Et reſpondit Amos, & dixit ad Amaziam, Non ſum Propheta ego, neque ego ſum filius Prophetæ, quia pecuarius ſum ego, & colligens (*vel quærens*) ſycomoros:
15. Et ſuſtulit me Jehova à tergo ovium: (*quum ſequerer oves meas: de poſt oves, ad verbum*) & dixit mihi Jehova, Vade, propheta ad populum meum Iſraël.

Initio excuſat Propheta Amos ſibi non eſſe integrum obedire conſilio Amaziæ: quia non liceret abjicere vocationem ſibi injunctam. Quum ergo miſſus eſſet à Deo, oſtendit ſe obſtringi hac neceſſitate, ut prophetet etiam in terra Iſraël. Ac primo quidem dicit modeſte *ſe non eſſe Prophetam, nec filium*

Prophetæ. Quorſum hoc? An ut ſe contemptibilem reddat? Minime: & tamen hoc verba in ſpeciem præ ſe ferunt. Sed plus ſibi conciliat auctoritatis à vocatione extraordinaria, quam ſi à puero fuiſſet edocatus in ſcholis propheticis. Oſtendit ergo ſe miraculo eſſe Prophetam, & non humano vel ſolito more iojuoctum ſibi fuiſſe hoc munus, ſed quaſi violenter adductum fuiſſe, ut jam non poſſit abjicere officium docendi, niſi velit palam excutere jugum à Deo ſibi impoſitum. Notandus eſt ergo hic fiois Amos, *Ego non ſum Propheta, nec filius Prophetæ.* Si ſimpliciter diceret ſe non eſſe Prophetam, poſſet argui temeritatis: Quid? nemo ſibi uſurpat hooorem in Eccleſia
Gal. 1: 8. Dei: requiritur vocatio: etiamſi Angelus è cœlo deſcendat, tamen non debet pervertere ordinem publicum, quia debent omnia geri decenter & cum ordine legitimo in Eccleſia, quemadmodum Paulus admonet. Deus enim pacis nobis præſidet. Ergo ſi præciſe negaſſet Amos ſe eſſe Prophetam, poterat hoc modo ab officio docendi depelli, quia caruiſſet vocatione. Sed intelligit ſe noo fuiſſe Prophetam qui à puero inſtitutus fuerit in Lege Dei, ut poſſet Scripturæ eſſe interpres. Eodem etiam modo dicit ſe non eſſe filium Prophetæ: ſcimus enim tunc fuiſſe Prophetarum collegia: & hoc ſatis notum eſt ea ſacris hiſtoriis. Quum ergo collegia illa in hunc finem inſtituta eſſent, ut ſeminarium aliquod ſemper maneret io Eccleſia Dei, ne deſtitueretur bonis & probis doctoribus, Amos dicit ſe non eſſe ex illorum ordine. Fatetur ergo ingeoue ſe eſſe hominem illiteratum: ſed hoc, quemadmodum jam dixi, plus illi auctoritatis conciliat, quod Domious quaſi violenta manu arreptum voluerit illum præficere populo docendo: Ecce tu eris mihi Propheta, & quanquam non ſis edoctus à puero ad hoc munus, ego tamen repente formabo te Prophetam. Quemadmodum majus fuit miraculum, quod Chriſtus elegit Apoſtolos rudes homines & idiotas, quam ſi ab initio ſibi Paulum ſumpſiſſet, atque alios ſimiles, qui erant Legis periti. Si ergo tales initio creaſſet diſcipulos Chriſtus, minus fuiſſet io illis auctoritatis. Sed quum formaverit ſuo Spiritu, qoi prius erant indocti, inde apparuit fuiſſe divinitus excitatos. Et huc etiam pertinet verbum, quo utitur Propheta, quum dicit, *Suſtulit me.* Significat enim extraordinatiam fuiſſe ſuam vocationem, quemadmodum diximus. Reliqua differemus in craſtinum.

Da omnipotens Deus, quando permittis tam laxas habenas Satanæ, ut modis omnibus ſervos tuos labefactare tentet, ut qui abs te miſſi ſunt & excitati, ſimul etiam inſtructi invicta fortitudine Spiritus tui, ad extremum uſque conſtaoter pergant io ſuo officio: & ſive inſidiis eos adoriantur adverſarii, ſive aperta vi oppugnent, tamen non deſiſtant à ſuo curſu, ſed ſe totos tibi impendant, idque tam prudenter quam intrepide: ut ſic perſtent in continua obedientia: deinde etiam diſcutias omnes fumos, & omnes aſtutias, quas obtendit Satan ad imperitos fallendos: donec tandem emergat veritas illa, quæ victria eſt & Diaboli & totius mundi: & Filius etiam tuus, qui eſt Sol juſtitiæ, appareat tandem ad colligendum orbem, ut in quieto ejus regno fruamur victoria, quæ nobis quotidie parienda eſt continuis certaminibus contra hoſtes ejuſdem Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA SEPTIMA

IN

AMOS PROPHETAM.

CAP. VII.

16. Et nunc audi verbum Jehovæ tu, qui dicis, Ne prophetes ſuper Iſraël, & ne ſtilles (*vel loquaris*) ſuper domus Iſaac.

17. Propterea ſic dicit Jehova, Uxor tua in urbe proſtituetur, & filii tui & filiæ tuæ gladio cadent, & terra tua funiculo dividetur, & tu in terra polluta morieris: & Iſraël migrando migrabit è terra ſua. (*ad verbum eſt, de ſuper terram ſuam.*)

POſtquam oſtendit Amos obediendum eſſe Deo, qui injunxerat munus docendi, jam convertit ſermooem ad Amaziam, & oſtendit quid proficiat ſua cootumacia quum auderet prohibere ne Propheta, qui legatus eſt Dei cœleſtis, proferat quod habet in mandatis. Quoniam ergo eo temeritatis, vel potius veſaniæ progreſſus erat Amazias, jam aggreditur ipſum Amos, ac dicit, *Tu nunc audi verbum Domini.* Opponit hic dictum vel decretum ipſius Dei prohibitioni Amaziæ. Vetuerat enim ille impius ſacerdos, ne amplius ſervus Dei verba faceret in terra Iſraël: Quiſnam es? Tu quidem ſic loqueris, ſed Deus interea habebit ſuas vices. Interim oſtendit diſcrimen inter ſermonem Amaziæ, & verbum Dei. Conatus quidem fuerat impoſtor iſte incutere terrorem ſancto viro, ut ab officio ſuo deſiſteret: ſed hoc fuit irritum. Amos autem oſtendit ſermonem Dei non carere ſua exequutione: Sive taceam, inquit, ſive loquar, tameo hæc viodicta tibi impendet. Sed interim conjungit vindictam Dei cum ſua doctrina. Nam hoc etiam neceſſe fuit, ut ſciret impius ſacerdos ſe nihil aliud adeptum eſſe omnia tentando, quam quod duplicaverat vindictam Dei. Pondus ergo ſubeſt io his verbis, quum dicit, *Nunc audi ſermonem Jehovæ tu, qui dicis, Ne prophetes.* Dignus quidem erat Amazias, quem Deus centies perderet cum tota ſua ſobole: ſed ſignificat Amos magis accenſam fuiſſe iram Dei iſto furore, quod ſcilicet Amazias auſus fuerát injicere frenum Deo, & cohibere Spiritum ejus, oe libere coargueret peccata totius populi. Quoniam ergo eo uſque proruperat, oſtendit Amos jam merito daturum pœnas ſuæ temeritatis, imo furioſæ & ſacrilegæ illius audaciæ, quod ſcilicet ſe Deo opponeret ac vellet etiam auferre illi ſummum imperium: quia nihil magis Deo proprium eſt, quam mundum judicare. Id autem facit per ſermonem ſuum, & Prophetas. Quum ergo conatus eſſet Amazias ſpoliare Deum jure ſuo & imperio, jam oſteodit Propheta hinc auctam eſſe vindictam. *Tu ergo, qui dicis, Ne prophetes ſuper Iſraël, & ne loquaris, audi ſermonem Domini.* Inſignis eſt hic locus, ex quo colligimus nihil ſatius nobis eſſe, quoties Deus oos objurgat, quam deſcendere in noſtras conſcientias, & ſubire ſententiam quam ipſe profert ore ſuo, & ſuppliciter deprecari veniam, ſimulac nos damnavit. Nam ſi erimus refractarii, Deus noo deſinet loqui, etiamſi centies vetuerimus. Nobis ergo iovitis perget ipſe. Cæterum, oos poterimus vomere multas blaſphemias: ſed quid obſtreperæ noſtræ voces efficieot?

Domi-

ſparget minas in aërem, ſed complebit re ipſa quicquid ore ſuo protulerit: quemadmodum etiam hac
Epheſ. 6. verſ. 17. ratione Paulus comparat doctrinam cœleſtem gladio, quia parata ſit vindicta contemptoribus. Hoc ergo notandum eſt in verbis Prophetæ, ubi profani homines conati fuerint repellere à ſe omnem doctrinam, & omnes minas, tamen nihil conſequi ſua pervicacia: quoniam Dominus utetur jure ſuo. deinde adjunget verbo ſuo paratam exequutionem, ut loquuntur. Tu ergo qui dicis, Ne prophetes, audi verbum Domini: hoc eſt, etiamſi crepare debeas, Deus tamen non impedietur iſtis tuis edictis: ſed ſemper manebit integer in ſuo imperio. Et uſus eſt verbo Loquendi, quemadmodum jam attigimus, ut oſtenderet doctrinam hanc, cum qua certant impii, conjunctam eſſe cum Dei virtute. Poſſet quidem Deus perdere omnes incredulos ſilentio, hoc eſt, etiamſi nullam vocem proferret: ſed vult hunc honorem tribuere verbo ſuo, ut intelligant impii ſe fruſtra contendere dum rabiem ſuam evomunt contra ejus ſermonem, quia experientur tandem in illo ſermone incluſum eſſe ſuum exitium. Jam quum dicit, *Ne prophetes contra Iſraël, & ne loquaris contra domum Iſaac*; ex his verbis iterum colligere licet nomen Iſaac hic per conceſſionem à Propheta exprimi, quia ſcilicet tunc populus Iſraël obtendere ſolebat exemplum ſancti Patriarchæ: ſicuti ſuperſtitioſi homines, poſthabita Lege Dei, & communi regula, ſemper ad exempla ſanctorum declinant, & hoc faciunt abſque judicio: imo ut ſunt præpoſteri, ſiquid vitioſe factum eſt à Patribus, ſtatim arripiunt. Deinde ſiquid eſt ſingulare, quod Deus in Patribus probaverit, nolit autem trahi in conſequentiam, ut vulgo dicunt, ſuperſtitioſi homines putant ſibi optimam eſſe cauſam, ubi talem clypeum objiciunt Deo. Quoniam ergo tunc Iſraëlitæ in ore habebant nomen patris Iſaac, quum perperam Deum colerent in Bethel, & aliis locis, contra Legis præſcriptum: ideo Propheta Amos conſulto hic repetit nomen Iſaac, μιμητικῶς forte exprimens quod dictum fuerat ab ipſo Amazia. Jam ſequitur denunciatio, *Propterea ſic dicit Jehova*. Iſtud לכן oſtendit Amaziam non ideo tantum pœnas dediſſe, quia corruperat cultum Dei, quia deceperat populum ſuis impoſturis, quia etiam quæſtum fecerat pietatis obtentu: ſed quia tandem pervicaciter auſus eſt opponere ſe Dei imperio, & Prophetam vel clandeſtinis inſidiis, vel aperta vi dejicere ex officio ſuo. Quoniam ergo hoc tentavit, ideo nunc Amos denunciat illum daturum pœnas. Videmus ergo duplicari exitium ubi duram & ferream cervicem opponimus Deo, qui vult nos eſſe flexibiles, & dum nos objurgat, ſaltem exigit à nobis hanc modeſtiam, ut fateamur nos peccaſſe. Si autem volumus tergiverſari, vel etiamſi ultra progredimur, tandem ſequetur hic exitus, nempe ut Deus ſumat duplicem vindictam de noſtra obſtinatione. Propterea ergo dicit Jehova. Atque utinam hoc penitus inſculptum eſſet hominum cordibus! neque enim tanta hodie in mundo rebellio regnaret. Sed videmus quid audeant homines. Simul enim atque Dominus aſperius illos caſtigat, obſtrepunt: deinde, ſi polleant aliqua auctoritate, contendunt omnes nervos, ut auferant Deo ſuam juriſdictionem, & libertatem ejus ſervis. Interea quum videmus ita excæcatos eſſe impios, ut non ſentiant vindictam ſibi inſtare, qualem hic Propheta denunciat, quid hic denunciet Propheta: nempe, quemadmodum jam ſæpius dixi, præfractos homines hoc tantum conſequi ſua obſtinatione, ut magis ac magis accendant Dei furorem. Quod ad ſpeciem pœnæ ſpectat, dicit, *Uxor tua in urbe ſcortabitur*, ad verbum: ſed non loquitur hic Propheta de voluntaria ſcortatione. Significat igitur Amaziam non poſſe effugere vindictam hanc, quin uxor ejus fiat proſtibulum, ubi ſcilicet hoſtes occupaverint terram Iſraël. Scimus enim hoc fuiſſe vulgare, ut victores abuterentur mulieribus: quemadmodum utinam hodie mos ille abolitus eſſet. Cæterum, illud fuit licitum eo ſeculo, ut quiſquis erat victor, raperet ſibi tam alienam uxorem, quam filiam. Hæc ratio eſt igitur cur dicat Propheta, *Uxor tua proſtibulum erit*. Sed dicit, In urbe, quod longe fuit acerbius quam ſi Amaziæ uxor procul abducta eſſet, deinde paſſa iſtud opprobrium in regione ignota: hoc minus vulneraſſet animum Amaziæ, ſi potiti fuiſſent hoſtes uxore ejus, & incognitum fuiſſet hoc dedecus propter locorum diſtantiam. Ubi autem in publico, in oculis omnium uxor trahitur ad hoc flagitium & turpitudinem, hoc multo durius eſt, & plus etiam affert doloris. Videmus ergo hac circumſtantia loci augeri pœnæ gravitatem, quum dicit Propheta, Uxor tua in urbe tua proſtituetur. Jam, *Filii tui & filiæ tuæ gladio cadent*. Hæc eſt ſecunda pœna, quum denunciat tam filios quam filias impii ſacerdotis jugulatum iri ab hoſtibus. Potuit quidem fieri, ut alii etiam ex plebeiis ſubierint eadem incommoda: ſed non dubium eſt, quin Deus ultus fuerit contumaciam, & furorem Amaziæ, qui auſus fuerat ſe opponere tam ſanctis monitionibus quam minis. Jam addit etiam, *Terra tua dividetur funiculo*. Hac particula ſignificat nullos fore qui ſuccedant in locum Amaziæ, ſed hoſtibus fore prædam quicquid agrorum poſſederat. Terra igitur tua dividetur funiculo. Quanquam fieri poteſt, ut loquatur hic generaliter Amos de terra Iſraël: & hoc mihi eſt probabilius. Fateor quidem neque ab ipſo Amazia, neque ab aliis ſacerdotibus Legem Dei fuiſſe ſervatam: ſed ſcimus tamen fuiſſe aliquid affine inter legitimum ſacerdotium, & iſtud adulterinum, quod introduxerat prior Jerobeam. Ego igitur conjicio Amaziam caruiſſe poſſeſſionibus, niſi quod licebat hortos habere, & prata etiam paſcendis pecoribus: ſed agros non colebant. Libenter ergo extendo ad totum populum quod dicitur de terra unius hominis. Et hanc ſententiam confirmat quod continuo poſt ſequitur, *Tu vero morieris ſuper terram pollutam*. Terram Amaziæ vocavit in qua habitavit ipſe cum reliquo populo: terram vero pollutam vocat, in quam ejiciendus eſt una cum reliquis omnibus. Siquis excipiat hanc vindictam non competere in unum hominem, ſolutio eſt facilis, quod Deus velit notam ſpecialem inſculptam eſſe communi vindictæ, ut agnoſceret Amazias ſe quaſi acceleraſſe Dei judicium, quod tamen in animo erat repellere, quum ablegaret Prophetam Amos in terram Jehudah, ſicuti viſum fuit. Tandem ſequitur, *Iſraël migrando migrabit è terra ſua*. Hic videmus Prophetam non minari privatim vel perſonæ Amaziæ, vel uxori, vel filiis ejus, ſed ſermonem extendere ad totum populum. Interea tamen manet firma illa ratio, quod Dominus ulciſci velit pervicaciam impii hominis, dum ita vindictam ſuam exequitur contra totum populum. Hæc ſumma eſt. Nunc ſequitur,

CAPUT VIII.

SIc oſtendit mihi Dominus Jehova: & ecce corbis fructus æſtivi. (*vel caniſtrum.*)
2. Et dixit, Quid tu vides Amos? Et dixi, Corbem (*vel caniſtrum*) fructus æſtivi: & dixit Jehova mihi, Venit finis ſuper populum meum Iſraël, non adjiciam amplius tranſire in eo.

His

HIs verbis, vel hac viſione confirmat Propheta quod jam prius vidimus, nempe caſtigationes paternas non habituras amplius locum in populo Iſrael. Deus enim, quemadmodum ſatis notum eſt, ſic populum illum tractaverat, ut ſemper etiam in maximis calamitatibus parceret. Suſpenſa igitur manu ſemper Deus percuſſit populum ſuum, niſi dum multis experimentis tandem apparuit eſſe ita præfractum, ut non daret locum remediis. Hanc ergo ſententiam nunc proſequitur Amos: ſed oſtenſa fuit viſio, quæ judicium Dei certius confirmaret, vel ſaltem magis afficeret animos populi. *Caniſtrum* oſtendit illi Deus plenum fructibus æſtivis. Non dubito quin per *fructus æſtivos* intelligat maturitatem pœnæ, quaſi diceret jam ſcelera populi maturuiſſe, ut non poſſet ulterius differri vindicta. Nam ſequitur ſtatim expoſitio viſionis, quum dicit *veniſſe finem populo:* quemadmodum in tertia viſione jam expoſuimus. Sed paronomaſia eſt in vocibus Hebraicis, quæ non poteſt reddi vel Græce, vel Latine: קיץ ſignificat Fructus æſtivos, קץ vero ſignificat Finem: eſt tantum interpoſita litera י in una voce. Deus oſtendit fructum æſtivum in caniſtro. Poſtea addit veniſſe קץ, hoc eſt, finem. Sed quoad ſummam rei pertinet, videmus non eſſe quidquam ambiguum. Jam redeo ad principium. *Sic oſtendit mihi Deus.* Non opus eſt repetere quæ antehac diſſerui. Propheta hic præfatur ſe nihil temere afferre, ſed tantum bona fide recitare quod divinitus mandatum erat. Et hoc diligenter notandum eſt, quia Deus ſemper ita uſus eſt ſuis Prophetis, ut tamen ſibi integrum jus docendi ſervaret, neque transferret munus ſuum in homines, quoad poteſtatem dico. *Oſtendit* ergo, inquit, *mihi Dominus Jehova: & ecce caniſtrum fructus æſtivi.* Poſſemus intelligere per fructus æſtivos ceraſa, & quæ non habent ſolidum vigorem, ut diu permaneant. Sed illud eſt nimis argutum. Simpliciter igitur interpretor jam veniſſe maturitatem pœnæ: quia populus non reſipuerat quum toties eſſet admonitus. hæc ergo erat quaſi æſtas. Oſtendit igitur mihi caniſtrum fructus æſtivi. Quod autem Deus interrogat Prophetam ſuum quid videat, ſupra expoſuimus non fruſtra hoc factum eſſe. Oportuit enim Prophetam quaſi obſtupeſcere initio, ut populus attentior eſſet: quemadmodum quum audimus colloquium iſtud inter Deum & Prophetam, expergefiunt mentes noſtræ. Nam ſtatim hoc nobis occurrere neceſſe eſt, aliquid hic eſſe memoratu dignum. Deus ergo excitat mentes ſuorum hoc modo. Ita videmus nihil eſſe ſupervacuum in hac recitatione. Jam ſequitur expoſitio viſionis: *Dixit mihi Jehova, Venit finis ſuper populum meum Iſraël.* Tenemus ergo conſilium Prophetæ, nempe hactenus fuiſſe mediocribus pœnis populum admonitum: ſed quia obduruerat, jam inſtare ultimam vindictam, in qua Deus non amplius fungetur patris vel medici officio, ſed perdet in totum quos diu ſuſtinuerat. Scimus quidem fuiſſe inflictas populo Iſrael, etiam ante illud tempus, graviſſimas clades: ſed quum ſemper locum daret Deus ſuæ indulgentiæ, nunquam eos adduxit ad veram reſipiſcentiam. Ne igitur poſthac ſibi tale aliquid promittant, quaſi poſſent ſuis blanditiis tempus extrahere, ſicut hypocritæ ſolent: ideo Propheta hic præciſe oſtendit veniſſe finem: acſi diceret, Maturuit veſtra iniquitas. Jam ergo fructum colligite: quia non poteſtis tranſire vel diem unum. Fructus enim ultro cadet. *Finis* ergo *venit, & non adjiciam amplius tranſire ſuper ipſum.* Iſtud *tranſire*, quemadmodum ante expoſuimus, refertur ad pœnas. Quorſum enim Deus populum hunc caſtigat, niſi quia ſollicitus erat de ejus ſalute? Ergo finem ſe facturum dicit, ut poſthac non impendat operam corrigendo populo: quia videbat ſe nihil proficere. *Non tranſibo* igitur *per ipſum*: hoc eſt, ego exequar ultimam vindictam: *Il n'y faudra plus retourner*, ut vulgo etiam loquimur. Sequitur,

3. Et ululabunt cantica templi die illo, dicit Dominus Jehova: multum cadaver (*hoc eſt, multa cadavera*) in omni loco proſternentur cum ſilentio.
4. Audite hoc qui abſorbetis pauperem & exterminatis inopes terræ.

Hic oblique perſtringit Amos Iſraëlitas, quod in ſuis ſuperſtitionibus tantopere ſibi placerent, ut canerent in rebus proſperis, acſi Deum haberent propitium: ſicuti increduli metiri ſolent Dei odium vel favorem præſenti intuitu. Turcæ quum fruuntur rebus proſperis, jactant Deum eſſe ſuum. Ita videmus facere Papiſtæ. Hoc eſt ergo ingenium hominum, ut non tam reſpiciant ſeipſos, quam res externas. Si ergo Deus ad tempus illis indulget, etiamſi ſint pluſquam ſcelerati, non tamen dubitant ſibi fa-
Geneſ. 19. vere Deum. Ita Sodomitæ donec abſumpti ſunt ſubito excidio, putabant ſe habere in cœlo pacem. Et
Jeſa. 28. hæc ratio eſt etiam cur dicat Jeſaias impios quaſi paciſci cum inferno & morte. Et ſcimus etiam quid
Mat. 24. Chriſtus de ætate Noë pronunciet, illos ſcilicet ſecure tunc fuiſſe epulatos, ædificaſſe domos ſumptuoſas. talis ſecuritas graſſata eſt fere omnibus ſeculis. Sed hic ſpeciale vitium notatur à Propheta, quod ſcilicet populus Iſraël cantica ſua reſonabat in templis, quaſi data opera vellet Deo illudere. Nam quotidie reſonabant Prophetarum voces. erant autem graves & terrificæ minæ. Interea populus canebat in ſuis templis. Quemadmodum Papiſtæ hodie dum reboant, vel cantillant, putant Deum eſſe bis & ter placatum: deinde etiam applaudunt ſibi in templis, dum proſpere habent. Hanc ergo pravitatem hic Propheta notat, quum dicit, *Ululabunt cantica templi.* Pro melodia hic ponit ululatum: quaſi diceret, Deus convertet in lamentationes veſtra cantica, quæ nunc plena ſunt lætitiæ. Poſtea adjungit, *Quia multum cadaver in omni loco proſternet:* ſed malo reddere in paſſiva conjugatione. Proſternentur ergo ubique cum ſilentio multa cadavera. His verbis ſignificat fore cladem tantam, quæ etiam impediat ne ſepeliantur cadavera. Diximus alibi, etiam inter hoſtes jus ſepulchri manere ſæpe ſalvum: quia hoc eſt pluſquam hoſtile, ſævire contra mortuos. & quicunque nolunt videri prorſus barbari, vel ſepeliunt mortuos hoſtes, vel permittunt ſepeliri. & fiunt etiam hac de cauſa inter hoſtes induciæ: & hoc fuit uſitatum omnibus ſeculis, & jus ſepulchri fuit apud omnes gentes ſanctum. Ubi autem cum ſilentio proſternuntur cadavera, ſignum eſt graviſſimæ cladis. Videmus ergo cur Propheta hic diſerte exprimat proſternendum eſſe multum cadaver, idque in omni loco & cum ſilentio, ut ſcilicet careant ſepultura mortui. Sed quoniam videmus homines, ubi centies convicti fuerint, tamen rixari contra Deum ſi exerceat graviorem vindictam, ideo Propheta jam litigat cum ipſis Iſraelitis: & iterum repetit quod prius vidimus, nempe Deum non eſſe crudelem: etiamſi populum totum abſumat & aboleat, hoc tamen facere juſtis de cauſis, quia ſcilicet uſque ad extremum ſcelerum pervenerant. Et nominatim aggreditur ipſos principes populi: *Audite hoc qui calcatis*, inquit, vel abſorbetis, *pauperem.* Diximus non abs re Prophetas ſermonem dirigere ad ipſos proceres, quamvis totum vulgus eſſet fere in eadem noxa. Certum eſt adeo tunc corruptum fuiſſe ſtatum populi Iſraëlitici, ut à ſummo uſque ad minimum omnes perverſi eſſent, & nemo eſſet immunis à culpa. Sed quoniam in ipſis ducibus ſemper plus reſidet culpæ, hæc ratio eſt cur Prophetæ in ipſos durius inſurgant ac ſeverius. nam in plebe multi vel ſocor-

dia vel errore labuntur, vel trahuntur etiam poſt alios: ſed qui præſunt, pervertunt jus & fas, deinde ſunt auctores omnis licentiæ. Non mirum igitur ſi Dominus per ſuos Prophetas tam aſpere in eos invehitur. Et hoc conſilium eſt nunc Prophetæ, ubi dicit, *Audite hoc*. nam emphaticum eſt hoc verbum, ubi audire eos jubet: quod ſcilicet non ſatis attenderent ad ſua vitia, prorſuſque eſſent ſurdi; vel quod fruſtra litigarent cum Deo: quemadmodum tergiverſando putant hypocritæ ſe poſſe effugere judicium. *Audite*, inquit, *qui voratis miſerum, & deletis pauperes terræ.* Videmus hic certum diſcrimen notari, & Prophetam non generaliter neque promiſcue citare ad Dei tribunal plebeios & proceres, ſed tantum convertere ſermonem ad Principes ipſos. Jam ſequitur,

5. Dicendo, Quando tranſibit menſis, ut vendamus frumentum? & Sabbathum, ut aperiamus (*hoc eſt, depromamus*) triticum? & attenuemus Ephah, (*hoc eſt, menſuram minuamus: ſcimus enim Ephah fuiſſe communem menſuram. quando ergo minuemus menſuram*) & augeamus שקל, (*ſiculum*) & pervertamus ſtateras doloſas?

Hic Propheta proſequitur eundem ſermonem: neque enim hoc ad totum populum potuit ſpectare, ſed tantum ad prædones qui poterant opprimere miſeros & tenues homines è vulgo, quum ſcilicet multa illis eſſet tritici copia. ſicuti hodie videmus paucos homines in penuria annonæ habere clauſa horrea: perinde eſt acſi jugularent miſeros homines, quum ita redigunt ad famem. Quoniam ergo pauci divites tunc tenebant totum populum quaſi famelicum, ideo Propheta nunc dicit, Putatiſne Deum nimis rigide vel crudeliter vobiſcum agere, quando hactenus jugulaſtis miſeros homines & famelicos? Si quis objiciat, cladem, quam nuper minatus eſt Propheta, fuiſſe communem toti populo; ergo hoc intempeſtive dici, quod ſcilicet à paucis hominibus injuriæ illatæ fuerint populo: reſpondeo fuiſſe alia ſcelera in vulgo quæ poſſent reprehendi, quemadmodum antehac vidimus, & iterum videbimus ſuis locis: ſed oportuit initium fieri ab iſtis ſuperbis hominibus, qui freti ſua auctoritate putant ſe exemptos eſſe communi lege & ſolutos. oportuit ergo os ipſis obſtrui: deinde Propheta etiam non pepercit aliis ſuo ordine. Sed videmus quo veſaniæ ruant ſuperbi homines & quicunque opibus vel potentia pollent in mundo, niſi Dominus eos ſeverius cohibeat & compeſcat. Hæc ratio eſt igitur cur nunc Propheta ſpecialiter hic agat cum ipſis. Dicitis ergo, *Quando tranſibit menſis, ut vendamus frumentum?* Menſem חדש accipiunt quidam pro Novilunio: & interdum etiam ſic accipitur. & probabilis eſt interpretatio iſta, quoniam paulo poſt ſequitur nomen Sabbathi. *Quando* ergo *tranſibit menſis, & quando tranſibit Sabbathum, ut poſſimus triticum noſtrum vendere?* Quia non licebat vel Sabbatho vel in Noviluniis negotiari, quoties ceſſabant diem unum, putabant ſibi tantundem temporis perire: quemadmodum videmus avaros ſatagere, ut cupiditas ipſorum ſemper eos exagitat. nam eſt inſtar fornacis. Et dum ita ardent, ſi pereat hora una, putant annum unum ſibi elapſum eſſe: ſupputant temporis articulos: Quid? aiunt, nullus mercator venit: ego jam ceſſavi diem unum, non licuit mihi vel aſſem unum lucrari. Quoniam ergo tanta eſt ſedulitas in avaris, ideo probabile eſt notari à Propheta morbum hunc: acſi diceret, Nulla eſt vobis quies vel ceſſatio. Deus mandavit ut quieſcat populus ſingulis noviluniis: voluit etiam vos feriari ſeptimo quoque die ab omni opere: putatis hoc tempus eſſe perditum, quia non trahitis aliquid lucri. Sed poſſet æque probabilis eſſe altera expoſitio, quod ſcilicet in ſingulos menſes putarent carius fore triticum: quemadmodum inhiant hodie prædones iſti, qui undique coacervant triticum, & redigunt nos ad inopiam. Expectant igitur in ſingulos menſes, & putant aliquid poſſe infortunii accidere, quod augeat tritici pretium: accidet aliquod gelu vel aliqua pluvia, erit aliqua incommoditas: vel ſi vernum tempus tranſierit, veniet grando, veniet rubigo: denique ſunt quaſi ſemper in inſidiis. Non male igitur quadraret hic ſenſus, quanquam rectius hoc ad menſem intercalarem referunt, qui inſtar acceſſionis erat prorogando tempori, ut annus pene eſſet longior. Et apte reſpondet quod ſequitur de Sabbatho. nam aliter quam de ſeptimo die accipiendum erit hoc nomen: quia ſeptimo quoque anno ſcimus nullam fuiſſe arationem & cultum terræ apud Judæos: & tunc carius erat triticum, ubi nullus fuerat proventus. Hæc igitur erat quaſi parata præda avaris & prædonibus. *Quando* ergo *tranſibit Sabbathum, ut aperiamus horrea noſtra?* Claudebant igitur horrea ſua donec tranſiret integer annus ſine cultura, vel ſine proventu vel meſſe, quoniam tunc aperiebant horrea ſua, vel ſaltem tunc magna ex parte erat tempus aperiendi. Quum ergo ita crudeliter tractarent populum, merito Propheta eos coarguit, & oſtendit Deum non nimis rigide cum ipſis agere, ſed ipſos referre mercedem qualem erant meriti. Alia differemus in proximam lectionem.

Da omnipotens Deus, quando non deſinis nos quotidie commonefacere ut mature reſipiſcamus & præveniamus tuum judicium, ne adeo tardi ſimus & lenti, ut expectemus ultimam maturitatem ſcelerum noſtrorum, ne ſcilicet ullum amplius remedium ſuperſit: ſed potius domiti tuis minis & ſubacti, confugiamus ad tuam miſericordiam, & ſic procul expendamus tua judicia, ne provocemus iram tuam noſtra obſtinatione, ſed te potius flectamus ad veniam, ubi te in nomine Chriſti Filii tui reconciliare nobis ſtuduerimus, idque fecerimus non tantum ore & lingua, neque etiam aliis externis ſignis, ſed vero cordis affectu, & reſpondeat etiam tota vita, ut præſtemus nos filios tuos rectitudine & æquitate, ut viciſſim etiam te patrem nobis exhibeas in eodem Chriſto Filio tuo Domino noſtro, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA OCTAVA IN AMOS PROPHETAM.

CAP. VIII.

PRoxima lectione coactus ſum abrumpere ſententiam, & ideo jungendus erit verſus ſextus cum duobus reliquis. Dicit autem Propheta,

6. Ut

6. Ut emamus argento pauperes, & inopem pro calceamentis, & quiſquilias frumenti vendamus.

Hic enim adhuc loquitur de avaritia divitum, qui in annonæ caritate tenebant pauperes ſibi obnoxios, & ſibi addicebant in mancipia. Dixerat prius de Sabbathis, dixerat etiam de ſtateris doloſis, jam adjungit aliud fraudis genus, nempe quod quiſquilias tritici vendendo, poterant ſibi addicere pauperes. Scimus enim quid valeat inopia & ultima neceſſitas, ubi homines fame urgentur: centies potius vitam ſuam venderent, quam non ſe redimant etiam inæſtimabili pretio. Nam quid aliud eſt victus quam ſubſidium vitæ? Pluris ergo ſemper æſtimabunt homines vitam ſuam quam alia omnia. ergo Propheta iniquitatem hanc condemnat, quod ſcilicet inhiarent divites occaſioni. Videbant triticum eſſe in magno pretio: nunc tempus eſt dum venient pauperes in manus noſtras: tenemus enim eos quaſi illaqueatos. ſic ergo pro calceamentis poterimus eos emere. Sed auget alia circumſtantia hanc iniquitatem, quod ſcilicet vendebant quiſquilias tritici: & quum ſibi addicerent pauperes, non tamen alebant eos: miſcebant ſordes & purgamenta tritico, quemadmodum fieri ſolet. Scimus enim quid iſti prædones facere ſoleant quum urget plebem inopia: vendunt hordeum loco tritici, loco hordei vendunt paleas & quiſquilias. Hoc genus injuriæ non eſt novum neque inuſitatum, quemadmodum apparet ex hoc loco. Nunc ſequitur denunciatio pœnæ.

7. Juravit Jehova per excellentiam Jacob, Si obliviſcar unquam omnia opera eorum.

Poſtquam in medium protulit Deus ſcelera divitum, jam oſtendit ſe fore judicem & ultorem: quia ſi coarguantur duntaxat, non magnopere curant. quemadmodum dicit ille fœnerator apud Horatium, Populus me exſibilat: at mihi plaudo. Sic ergo ſolent iſti prædones, quum ſaturi ſunt, etiamſi totus mundus clamitet contra eos, etiamſi Deus tonet è cœlo, derident: quia prorſus carent fronte & pudore: deinde ſunt obdurati, & cupiditas inexplebilis eos ita excæcat & dementat, ut abjiciant omnem curam recti & honeſti. Quum ita ſit, Deus nunc oſtendit non poſſe ipſos pœnam effugere. Et quo efficacius penetret in eorum animos iſta comminatio, jusjurandum adhibet Propheta in nomine Dei: *Juravit*, inquit, *Jehova per excellentiam Jacob.* Vetus interpres reddidit, Juravit in ſuperbiam Jacob: ſed non ſatis animadvertit quid vellet Propheta. Neque enim hic de vitio loquitur, ſed de illa dignitate quam Dominus contulerat in poſteros Abrahæ: quemadmodum prius vidimus, Deteſtor ego excellentiam Jacob. Alii vertunt, Deteſtor ſuperbiam, quaſi Deus illic differeret de faſtu perverſo. Sed potius intelligit decipi Iſraëlitas, quia putent ſe fore ſalvos & incolumes, eo quod evecti ſint ſingulari privilegio in magnum favorem: hoc nihil proderit, inquit Dominus. Ego hactenus fui beneficus & liberalis erga filios Abrahæ: ſed nunc deteſtor totam hanc dignitatem. Sic etiam hoc loco nunc dicit, *Juravit Jehova per excellentiam Jacob.* Superbiebant ſua dignitate, quæ tamen erat gratuitum Dei donum. Deus ergo jurisjurandi formam interponit, quæ aptiſſima eſt ad refellendam eorum confidentiam. Quanquam alii vertunt, Per meipſum, (vel ſaltem ita reſolvunt) Juravi per meipſum: quia ſcilicet Deus erat gloria Jacob. Alii putant hac voce גאון deſignari Sanctuarium. erat enim hæc præſtantia Jacob, quod Deus domicilium ſibi elegerat in medio electi populi. Unde etiam ſæpe dicitur habitare inter Cherubim: non quod incluſus eſſet in Sanctuario, ſed quia populus ſentiebat ejus præſentiam, gratiam, & virtutem. Sed ego per nomen Excellentiæ hic potius intelligo adoptionem qua populum illum ſibi Deus ſegregaverat à reliquo mundo. *Juravit* ergo *Jehova.* Quomodo? *Per excellentiam Jacob.* Et ita acerbe perſtringit ingratitudinem populi, quod non agnoſcat ſe modis omnibus obſtrictum eſſe Deo, quia peculiariter electus fuerit, quum tamen reliquæ gentes aliis dotibus præcellerent. Quod ignobilis ille populus electus fuit in peculium & hereditatem, hoc certe fuit inæſtimabile beneficium. Merito igitur Propheta nunc Deum inducit iratum: & forma jurisjurandi debet aptari ad populi ingratitudinem. Quid? Jam inſurgitis contra me, & erigitis cornua: quo titulo? quo prætextu? quinam eſtis? Ego vos elegi: hanc ſcilicet mercedem mihi rependitis. quum mihi omnia debeatis, nunc vultis me fraudare jure meo. Ego igitur juro per excellentiam Jacob, hoc eſt, juro per beneficia mea, quæcunque in vos contuli, me non paſſurum ut cum ignominia profanetur quod jure apud me pretioſum eſt. Quicquid ergo in vos hactenus contuli, ego nunc regeram in caput veſtrum, ut male pereatis quemadmodum digni eſtis. Hæc ſumma eſt. Videmus ergo hoc jusjurandum quo utitur Propheta, debere accommodari ad præſentem cauſam. Dicit, *Si unquam obliviſcar omnia opera veſtra*, hoc eſt, ſi ullum ex operibus veſtris impunitum me prætereat. Nam hypocritæ etiamſi interdum ſollicitet eos conſcientia, tamen putant multa poſſe occultari: & ſi centeſima pars, vel ſaltem decima veniat in rationem, putant hoc ſatis eſſe. Quid? Deus forte animadvertet hoc vel illud, ſed multa delicta ipſum effugient. Quoniam ergo ſecure ita hypocritæ ſeipſos fallunt, dicit Propheta, Nihil omnino latebit conſpectum meum: imo quia jam cognoſco omnia opera eorum, oſtendam quicquid peccarunt eſſe repoſitum in libris meis, hoc eſt, in memoria, ut ſcilicet omnia tandem vocentur ad calculum. Jam ſequitur,

8. Annon ſuper hoc tumultuabitur terra, & lugebit quicunque habitat in ea? & aſcendet quaſi flumen tota, (*vel elevabitur*) & profligabitur & ſubmergetur quaſi à fluvio Ægypti.

Confirmat proximam ſententiam aliis verbis: & interrogatio emphatica eſt, quia bis affirmat. Scimus enim interrogationem ſolere poni, ubi in re nihil amplius eſt difficultatis. Deus ergo hic quærit quaſi de re certa, quomodo fieri poſſet ut manerent integri: qui ita pervertunt omne jus & fas, qui violant omnem æquitatem, qui nulla amplius tanguntur humanitate, quomodo poſſent manere ſalvi? hoc eſt impoſſibile. Videmus ergo cur Propheta hic interrogationem adhibeat, nempe ut magis emphatice confirmet doctrinam quam nunc audimus. *Non tumultuabitur terra?* inquit: quum iſti perturbent omnem ordinem, quum miſceant quaſi cœlum terræ, ſicuti proverbio dicitur, terra poſſetne manere quieta in iſta tam violenta perturbatione? ubi confunditur omnis ratio & æquitas, quomodo terra non tumultuaretur? inquit. Et quanquam Propheta hic non attribuit vel clamorem vel ſermonem terræ, eſt tamen obliqua proſopopœia quum dicit terram neceſſe eſſe tumultuari, dum ſuſtinet tales incolas.

nam

jam inter eos nihil eſt compoſitum. Quum ergo ratio vivendi ſit inter ipſos magis quam turbulenta, certe moveri terram ipſam neceſſe eſt. Poſtea addit, *Et lugebit quiſquis habitat in ea.* Jam oſtendit incolas terræ ſenſuros motum illum de quo vaticinatus eſt. Terra enim partes ſuas implere deſinens, ſuos colonos ad luctum & mœrorem cogit. Deinde alia figura motum terræ exprimit, nempe quod aſcendet quaſi fluvius, ut ſcilicet homines diluvio abſorbeat. Vertunt poſtea multi, Expelletur & operietur quaſi fluvius Ægypti. Sed poſtquam de exundatione ipſius terræ loquutus eſt Propheta, transfert ſermonem ad ipſos homines, quos inundatio ſubmerget ac deglutiet. Itaque genuinus hic ſenſus eſt, ipſam habitationem, quaſi profundo gurgite perituram: ſicuti Nilus totam regionem occupans, videtur mare facere ex regione habitabili. Et miror quum Prophetæ verba quaſi manu nos ducant, quomodo potuerint linguæ Hebraicæ periti ita miſcere res tam diverſas. Sic enim exponunt, Terra elevabitur quaſi flumen. deinde profligabitur & expelletur: hoc etiam transferunt ad terram. deinde ſubmergetur: hoc iterum de terra, niſi quod alii vertunt, Evomet ſicuti fluvius Ægypti. Ego autem aliter tranſtuli, Elevabitur quaſi flumen tota, & profligabitur & mergetur quaſi à fluvio Ægypti. *Elevabitur*, inquit, *terra*, oempe *quaſi flumen*, id eſt, jam non erit habitatio incolis: ego terram hanc dedi populo meo, in qua viveret. terra autem ipſa elevabitur quaſi flumeo, hoc eſt, erit inundatio totius terræ. Deinde quum dicit, *Profligabitur & mergetur*, hoc debet referri non ad ipſam terram, ſed ad incolas vel ad populum. Dixerat prius, כאור: id eſt, quaſi flumen: nunc vero dicit, כיאור. ſic ergo interpretor, כיאור, hoc eſt, quaſi à flumine Ægypti. Scimus quotannis Nilum exundare, & ſubmergere totam planitiem Ægypti. Propheta igitur ſimilitudinem mutuatur à Nilo, & dicit talem fore Dei vindictam ut terra ſit inſtar fluminis, & ipſa habitatio ſit demerſa & expulſa, hoc eſt, redacta in oihilum. Nam ubi nulla eſt amplius terræ ſuperficies, videtur eſſe profligata. Sic ergo nunc dicit, *Profligabitur, mergetur.* hæc eſt ſimplex expoſitio, & ſubaudiendum eſt ע. nam שקע per ע in fine ſignificat Mergere, vel operire. Hic tantum ponitur ה, ſed ſubaudiendum eſt ע: & duplex etiam lectio notatur. Nunc ergo tenemus Prophetæ ſenſum. Jam ſequitur,

9. Et accidet die illa, inquit Dominus Jehova, ut occumbere faciam (*vel deſcendere faciam*) ſolem in meridie, & obtenebreſcere faciam terram in die lucido.

Hic metaphorice loquitur Propheta de pœnis quæ jam tunc populo inſtabant. Quia autem fallebat Iſraelitas ſua proſperitas & ſecunda fortuna, ideo tranſlatione hac Propheta utitur, Quaſi non poſſet Deus convertere lucem in tenebras, vos plauditis vobis in veſtra opulentia & aliis deliciis: quoniam ergo Deus vobis parcit, putatis idem ſemper futurum. atqui *convertet*, inquit, *lucem in tenebras.* Deprehendet igitur vos nox obſcura etiam io ipſa meridie. Nunc tenemus cur Propheta hanc figuram adhibuerit, nempe quod Deus obſcurabit ſolem, vel deſcendere faciet, & die lucido immittet tenebras quæ terram obſcurent. Certum eſt non fuiſſe Solis eclipſin tunc; neque etiam hoc voluit Propheta: ſed notandæ ſunt iſtæ figuræ primum, deinde videndum eſt quo pertineant. Siquis velit arripere literam, & mordicus tenere, certe erit nimium craſſus & inſipidus non tantum in Prophetis, ſed etiam in omni ſermonis genere: nulla enim eſt lingua quæ non utatur ſuis figuris. Ergo hoc loco eſt concinna tranſlatio, quod ſcilicet deſcendere faciet Deus ſolem in meridie, id eſt, faciet occumbere. Sed præcipue notandum eſt Prophetæ conſilium, quia ſcilicet Iſraëlitæ confiſi rebus proſperis putabant ſe eſſe extra omne periculum: inde ſecuritas, inde etiam torpor, & tandem obſtinatio & contemptus Dei. Quum ergo videret Propheta eos abuti Dei beneficiis, Quid? Dominus quidem attollit ſolem ſuum: ſed annon poterit facere ut occumbat etiam io ipſa meridie? Exultatis nunc in luce: Deus autem repente & præter ſpem immittet vobis tenebras, quæ obruant capita veſtra. Non eſt ergo cur ſibi placeant hypocritæ, ubi Deus illis arridet & tractat eos indulgenter: quia hoc modo ad pœnitentiam iovitat dulcedine ſuæ bonitatis, quemadmodum dicit Paulus ſecundo ad Romanos capite. Sed ubi videt eos proterve luxuriari, tunc convertit ſua beneficia io pœnas. Hoc ergo intelligit Propheta: Deus, inquit, faciet occumbere ſolem in meridie, & diem lucidum faciet obtenebreſcere. Pergamus.

10. Et convertam dies feſtos veſtros in luctum, & omnia cantica veſtra in lamentum: & aſcendere faciam ſuper omnia dorſa (*vel ſuper omnes lumbos*) ſaccum, & ſuper omne caput calvitium: & ponam eam quaſi luctum (*vel potius, quaſi in luctu*) unigeniti, & poſteritatem ejus quaſi in die amaritudinis.

Proſequitur eandem ſententiam Propheta: ſed jam tranſlationem illam qua uſus fuerat omittit. Apertius ergo vindictam denunciat, quod ſcilicet Deus convertet dies eorum feſtos in luctum, & cantica in lamentum. Hoc conſulto poſitum eſt, quia ſcimus Iſraelitas ſibi blanditos fuiſſe prætextu ſuarum ceremoniarum, quibus tamen magis ac magis provocabant iram Dei. Nam cultus Dei, quem prætexere ſolebant, mera fuit ſuperſtitio: ergo profanatio veræ pietatis. Quum ergo ita ſibi accerſerent judicium Dei pravis ſuis ceremoniis, tamen putabant ſe bene occultari: quemadmodum ceremoniæ hypocritis

Jerem. 7. ſunt cavernæ latronum, ſicuti dicit Jeremias. Ideo Propheta hic de feſtis diebus, & de canticis diſerte loquitur: Putatis me placari diebus veſtris feſtis, ubi offertis mihi ſacrificia, vel potius idolis ſub nomine meo: putatis etiam me oblectari veſtris canticis: adeo me hæu non movent, ut potius magis accendant iram meam. *Ego igitur dies veſtros feſtos convertam in luctum, & cantica in lamentum.* Interea generaliter minatur Propheta quod ante vidimus, nempe luctum fore in toto populo, quia nimis diu abuſi fuerant Dei tolerantia. *Convertam* igitur *lætitiam veſtram in luctum.* hæc ſumma eſt. Sed oſtendimus cur dies feſtos & cantica nominet, quia ſcilicet putabant eſſe piacula ad repellendam Dei vindictam, quum tamen flabella eſſent, quibus accendebant magis ac magis ignem vindictæ ejus. Poſtea addit, *Faciam aſcendere ſuper omnia dorſa ſaccum, & ſuper omne caput calvitium.* Sunt aliæ loquendi rationes, quæ tendunt io eundem finem. Solebant enim ſe ioduere ſacco: ſolebant etiam capita radere in mœrore & luctu. Significat igitur Propheta fore extremum in populo illo mœrorem, ut abjectis omnibus deliciis cogantur ſe totos addicere ad fletum, lamentum, dolorem. Faciam igitur aſcendere ſuper omnes lumbos ſaccum: id eſt, ego faciam ut ſinguli exuant pretioſas & lautas veſtes, & ſeſe induant ſacco. deinde ut radant etiam capita ſua, vel etiam evellant crines ſuos: quemadmodum ſolebant facere. Scimus enim populos Orientales pro-

penſos fuiſſe ad externa ſigna magis quam nos ſimus. Levitas enim ejus regionis facit ut ſint quaſi hiſtriones in luctu: & ex illa lugendi conſuetudine ſumpſit formam loquendi Propheta noſter. Poſtea adjungit, *Ponam eam* (de Iſraelitis loquitur ſub terræ nomine) *quaſi luctum unigeniti.* Hæc ſimilitudo etiam alibi occurrit: Plangent quaſi ſuper unigenitum, inquit Zacharias capite duodecimo: ſic etiam aliis locis. Et non opus eſt longa expoſitione. Siquis enim habeat complures liberos, unus moriatur, feret mortem patienter: ſiquis orbatus ſit unigenito, nullus erit finis lugendi nec modus: quia nihil reſiduum eſt ſolatii. Hæc ratio eſt cur dicat Propheta futurum talem illum mœrorem qualis eſt in luctu unigeniti. Et oſtendit calamitates non fore exigui tantum temporis: *Poſteritas ejus erit quaſi in die amaritudinis*, inquit. Nam hoc quoque modo repellunt, vel ſaltem mitigant metum pœnarum hypocritæ, quum imaginantur non fore niſi ad breve tempus tam ſeverum ac rigidum Deum. O! poterit quidem fieri ut Deus peccata noſtra puniat, ſed erit quaſi nebula quæ cito tranſibit. ita deliciantur hypocritæ. Ergo Propheta non abs re hic adjungit ſecundum membrum, quod ſcilicet poſteritas erit quaſi in die amaritudinis. Ubi ergo putabunt ſe defunctos eſſe omnibus malis, tunc nova ſuccedent, ut poſteri dupliciter etiam lugeant: ſentient enim ipſi plus amaritudinis quam patres. Nunc ſequitur,

11. Ecce dies veniunt, dicit Jehova, quibus mittam famem in terram, non famem panis, neque ſitim aquarum, ſed audiendi verba Jehovæ.

12. Et errabunt à mari uſque ad mare, & à Septentrione uſque ad Orientem diſcurrent ad quærendum verbum Jehovæ, & non invenient.

Hic jam fulminat Propheta, quia non denunciat pœnas temporales, ſed extremum exitium & ſignum reprobationis, quum ſcilicet Deus privabit Iſraelitas omni luce doctrinæ, ut tanquam cæci in tenebris errent. Certum quidem eſt, ante illud tempus jam fuiſſe orbatos ſana doctrina. Dominabantur enim mendacia & ſuperſtitiones apud eos. Et vidimus tyrannice actum fuiſſe cum veris & fidelibus Dei ſervis in terra Iſrael. Sed tamen Deus retrahebat eos quaſi invitos, quum eſſent fugitivi: & quum ſe ſubducerent ab ejus imperio, pungebat tamen illos, & quaſi violenter tentabat ipſos reducere in viam ſalutis. Sic Deus certavit cum malitia illius populi per multos annos, uſque ad tempus Prophetæ noſtri: imo uſque dum abductæ ſunt decem Tribus: quia ſcimus tres fuiſſe abductas initio, & tandem regnum Iſraël fuit abolitum. ſed tamen non deſtitit illis manum porrigere Dominus. Nunc, ubi videt laborem ſervorum ſuorum irritum & inutilem eſſe, ubi videt nullum fructum prodire ex verbo ſuo, videt nomen ſuum profanari, & gratiam ſuam calcari pedibus, denunciat ultimam vindictam: quaſi diceret, Jam ego tædio fractus ſum, hactenus ſuſtinui veſtram pravitatem, & quanquam multis pœnis ſtudui vos reducere, tamen ſtatueram modum, ne ſcilicet deeſſet vobis medicina. Per me igitur non ſtetit quominus curarem morbos veſtros, quia ſubinde Prophetas vobis miſi, qui ad reſipiſcentiam vos adducerent: ſed nullus eſt profectus. Nunc ergo auferam vobis verbum meum. Sed quia cœleſtis doctrina ſpiritualis eſt animæ cibus, merito hanc metaphoram Propheta uſurpat, quod Dominus famem mittet. Hæc igitur figura ſumpta eſt ex vi & natura verbi Dei. Quorſum enim Deus Prophetas & doctores nobis mittit, niſi ut nos ſpirituali cibo paſcat: ſicuti ſuſtentat corpora noſtra pane & aqua, aut vino & aliis alimentis, ita etiam animas noſtras vegetat, & tuetur vitam ſpiritualem verbo ſuo. Quum ergo cœleſtis doctrina ſit nobis ſpirituale alimentum, Propheta appoſite dicit famem venturam. *Mittam* igitur *famem*, inquit, *non panis*, *vel aquæ*, *ſed audiendi verbum Dei.* Hæc antitheſis amplificat vel exaggerat pœnæ atrocitatem: quaſi diceret hoc fore tolerabile, ſi errarent famelici, & quærerent in montibus radices, quærerent etiam aquas in fluviis procul. ſed fames corporalis, inquit, non erit illis moleſta. Quid igitur? Erunt famelici, *ut quærant verbum Dei, neque reperiant uſquam.* Ut autem melius intelligamus ſententiam Prophetæ, notandum eſt quod dicit

Tit. 1. 3. Paulus, nos ſcilicet paſci à Domino, tanquam à patrefamilias, ubi verbum nobis offertur. Neque enim ſponte prodibunt doctores niſi divinitus fuerint excitati. Quemadmodum ergo paterfamilias cibum & alimenta procurat ſuis liberis & ſervis, ita etiam Dominus quotidie nobis ſpiritualem cibum ſuppeditat per probos & fidos doctores, quia ſunt quaſi ejus manus. Quoties ergo offertur nobis pura doctrina, ſciamus doctores qui loquuntur & qui nos inſtituunt ſuo miniſterio, eſſe quaſi manus Dei, acſi nobis ſuggereret ipſe cibum, quemadmodum ſolet pater ſuis filiis. hoc unum eſt. Et certe ſi Dominus corporum noſtrorum habet curam, ſciamus etiam animas ab eo non negligi: deinde quum terra non ſponte producat triticum & alias fruges, ſed benedictio Dei ſit fons omnis fœcunditatis & copiæ, nonne verbum multo pretioſior eſt cibus? dicemus ergo nobis fortuito provenire? Itaque non mirum eſt ſi Propheta hic inter judicia Dei ponat privationem ſanæ doctrinæ: quaſi diceret, Quoties fideliter homines docentur, hoc eſt ſingulare Dei beneficium, & teſtimonium paternæ ejus curæ. Ergo ſicuti Deus hactenus functus eſt officio optimi patrisfamilias erga vos, ita nunc orbabit cibo & potu, nempe ſpirituali. Jam ſecundo loco notandum eſt, ubi abutimur Dei beneficentia, ingratitudinem noſtram hac mercede dignam eſſe, ut ſcilicet inopia nos doceat non debuiſſe ita Deum contemni in ſuis beneficiis. Hoc generaliter verum eſt. nam ſi intemperanter luxuriamur quum Deus præbet nobis copiam panis & vini, digni ſumus quorum intemperiem & luxuriem fame & inedia curet. Atqui res ſunt viles & caducæ panis & vinum. Ubi ergo corrumpimus doctrinam cœleſtem, quæ longe omnibus terrenis bonis pretioſior eſt, iſta pravitas quam pœnam meretur? Non mirum igitur eſt ſi Deus auferat verbum ſuum ab omnibus ingratis & profanis hominibus, quum videt vel ludibrio, vel faſtidio illud eſſe. Et hæc doctrina hodie à nobis diligenter expendi debet: videmus enim quam parum reverenter major pars hominum excipiat cœleſtem doctrinam, quæ tam liberaliter hodie nobis offertur. Deus enim aperuit noſtra ætate mirabiles theſauros paternæ ſuæ liberalitatis, quum reſtituit nobis doctrinæ lucem. Nunc quis metus? quæ religio? Alii ſubſannant, alii faſtidiunt, alii profitentur quidem ſe excipere quod dicitur, ſed interea neglectim prætereunt, quia occupantur curis & negotiis hujus mundi: alii etiam furioſe repugnant, ſicuti faciunt Papiſtæ. Quum ergo tanta ſit mundi pervicacia, vel pravitas, vel ſocordia, quid aliud expectandum eſt nobis, niſi ut Dominus immittat longe craſſiores tenebras, quam in quibus antehac fuimus demerſi, & ſinat nos errare & vagari famelicos? Si ergo metuimus Deum, hæc pœna debet nobis ſemper verſari ante oculos, vel ſaltem hæc pœnæ denunciatio. Et antitheſis etiam hæc, ſicuti magnum habet pondus, diligenter notanda eſt, quum Propheta comparative exaggerat pœnam iſtam. dicit enim, *Non erit penuria cibi vel potus*, quis hæc ultio Dei magis eſſet tolerabilis: ſed erit fames ſpiritualis. Quoniam ergo nimium

ſumus

ſumus implicati carne noſtra, ideo debent hæc verba nos expergefacere, ut magis ſimus attenti ad horribilem iſtam pœnam, & diſcamus metuere famem vel inediam animæ magis quam corporum. Si ſterilitas terræ famem nobis minatur, omnes ſunt valde anxii: & nullus dies præterit, quo non recurrat iſta cura decies, Quid fiet? jam nos laboramus fame & penuria, & diſtamus tamen adhuc à meſſe tres vel quatuor menſes. omnes ſunt anxii, & interea non tangimur hac ſollicitudine ubi Dominus minatur ſpiritualem inediam. Quum ergo tam ſimus propenſi ad vitæ caducæ curam, eo magis notanda eſt nobis hæc comparatio quæ à Propheta noſtro ponitur. Sed poſſet hic quæri quomodo dicat fore famelicos, ut *diſcurrant & vagentur à mari uſque ad mare, à Septentrione uſque ad Orientem*, quum tamen hoc reputandum ſit inter Dei beneficia. Quid enim gravius accidere nobis poteſt, quam ubi Dominus nos reddit ſtupidos vel inſipidos? ubi autem tangimur aliquo deſiderio ſanæ doctrinæ, ſatis apparet vigere in nobis pietatem: non deſtituemur Spiritu Dei, etiamſi deſtituamur externo
Matth. 7. medio: & tunc reſtabit quod dicit Chriſtus, Pulſate,
verſ. 7. & aperietur vobis: quærite, & invenietis. Non videtur ergo tam ſevera & horribilis eſſe hæc Prophetæ denunciatio. Sed notandum eſt Prophetam hic loqui improprie de fame: acſi diceret, tunc ſenſuros Iſraëlitas quid ſit carere verbo Dei; non quod vere expetant, non quod etiam ſincero affectu quærant, ſed quia ex ipſa pœna ſentiant nihil eſſe magis metuendum quam privari ſpirituali animæ cibo. Et
Geneſ. 27. exemplum in Eſau ſatis conſpicuum eſt. Ille quum
verſ. 34. videt ſe dejectum eſſe primogenitura, clamat & ululat: non facit hoc vel recto affectu, vel quod ad ſanam mentem redierit, ſed tantum deſperatione ſua urgetur: & ita lamenta & ululatus evomit, quemadmodum fera beſtia. Talem ergo anxietatem Propheta hoc loco deſcribit. Hinc colligimus, reprobos, ubi ſe ſpoliatos vident Dei beneficiis, non vere affici ut reſipiſcant, ſed tantum ſentire cæcos cruciatus, ut ſeipſos torqueant ſine aliquo profectu, neque interea ſe ad Deum convertant. Quid eſt igitur iſtud *quærere*? Notandum eſt quod prius dixit, *Vagabuntur à mari uſque ad mare*: poſtea, *diſcurrent*. Fideles ubi ſentiunt aliquod ſignum iræ Dei, ſtatim ſe colligunt, & vident non aliud eſſe remedium, niſi ut rectà ſe conferant ad Deum. Impii autem quid faciunt? Conturbant ſeipſos, & tumultuantur. Eſt igitur hoc vagum & erroneum deſiderium, de quo loquitur Propheta. Nunc ergo ſoluta eſt illa quæſtio. Sed interim notandum nobis eſt quænam ſit optima ratio recuperandæ Dei gratiæ, ſiquando privati erimus: nempe ut expendamus cauſam, & poſtquam tacti fuerimus judicio Dei ut oportet, redeamus ad ipſum, & ſtudeamus nos ei reconciliare. Sic ergo reſtituet quod abſtulerat. Cæterum, ſi talis ſit noſtra obſtinatio, qualis fuit in Iſraëlitis, Deus ſpoliabit nos ſuis beneficiis, non ſolum præſentibus, quæ ſcilicet pertinent ad tuendam hanc vitam: ſed ſpirituali animæ cibo. tunc fruſtra volabunt in aëre noſtri ululatus, quia ſcilicet non dabit nobis Spiritum rectitudinis, ut redeamus ad ipſum: ſed fruſtra mordebimus frenum, fruſtra nos torquebimus, quia non patietur nos venire quo debemus, hoc eſt, non deducet nos ad veram reſipiſcentiam, neque ad invocandum eum, ſed cogemur tabeſcere in malis noſtris, & quidem ſine aliquo remedio.

Da omnipotens Deus, quando non deſinis nos ad te revocare, & dum vides diſſipatos, porrigis nobis manum, & ſubinde nos hortaris & exſtimulas ſanctis admonitionibus, imo etiam pœnis deterres, ne ita ruamus in perniciem noſtram: da, inquam, ne ſimus ſurdi ad tam ſanctas & pias admonitiones, neque etiam obdureſcamus ad tuas minas, ſed ſimus ſtatim flexibiles: deinde ut in viam redeamus, ut conſtanter in ea pergamus, & tota vita ſequamur vocationem tuam, ſicuti eam proſequeris aſſidue erga nos, donec perveniamus tandem ad metam illam, quæ nobis propoſita eſt, nempe ut colligamur in Regnum tuum cœleſte, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA NONA

IN

AMOS PROPHETAM.

CAP. VIII.

13. In die illa deficient virgines decoræ, & adoleſcentes præ ſiti.
14 Jurantes in peccato Samariæ, & qui dicunt, Vivit Deus tuus Dans, & vivit via Berſaba, & cadent, & non reſurgent amplius.

POſtquam minatus eſt Propheta famem ſpiritualis cibi, jam adjungit modis omnibus ſterilem fore populum, & egenum omni bono. Nam ſitim hic aliter accipio quam paulo ante, quod ſcilicet areſcent præ inopia rerum omnium. Eſt enim deterrima egeſtas, ubi homines areſcunt ſiti: eam tamen hoc loco minatur Propheta. Poterit fieri, ut regio aliqua laboret caritate annonæ: ſuppetet tamen aqua ad bibendum. Ubi autem ne hoc quidem reſiduum eſt, apparet gravior, & fere ultima Dei maledictio. Nunc ergo tenemus quid velit Propheta, nempe ubi abſtulerit Deus verbum ſuum, quo animæ vegetantur in ſpem vitæ æternæ, tunc etiam inopes bonorum omnium fore Iſraëlitas, ut non tantum pane careant, ſed etiam aqua. Et circumſtantiam exprimit, quæ magis aggravet. *Deficient*, inquit, *decoræ virgines, & adoleſcentes in ipſo robore.* Videtur hoc eſſe præter naturam ut qui vegeti ſunt, deinde poſſunt diſcurrere ut ſubveniant ſuis neceſſitatibus, ut illi etiam deficiant. Sed Propheta, quemadmodum dixi, oſtendere voluit nullum fore effugium, quin Deus etiam robuſtiſſimos quoſque affligat, ubi inediam talem, imo egeſtatem etiam potus immiſerit. Poſtea ſubjungitur ratio, cur Dominus tam ſeveras pœnas de populo hoc ſumpturus ſit, quia ſcilicet ſeſe proſtituerant ad impias ſuperſtitiones. *Jurant*, inquit, *per peccatum Samariæ: dicunt, Vivit Deus tuus Dan, vivit via Berſaba.* Quidam peccatum intelligunt metaphorice (ſicut etiam aliis compluribus locis accipitur) ipſas hoſtias, quæ vocantur אשמת Hebræis, ſicuti Latinis piacula. Sed expoſitio illa nimis arguta eſt. Simpliciter ergo Propheta de idolis Iſraëlitarum loquitur, & vocat *ſcelus*, aut peccatum, quia ſcimus homines ſuperſtitioſos ſibi placere in ſuis figmentis. Per deteſtationem ergo vocat *peccatum*, quod illi honorifice Deum vocabant. Dicit *eos jurare in peccato Samariæ*, id eſt, per peccatum. Peccatum Samariæ vocat, quoniam inde ortæ fuerant corruptelæ omnes: erat enim ſedes Regia, & caput totius ditionis. Quum ergo inde fluxiſſet ſuperſtitio, non abs re dicit Propheta quicquid idololatriæ erat in tota terra, hoc eſſe peccatum Samariæ: reſpicit enim unde impietas traxerit ſuam originem. Et poſtea ſeipſum explicat, dicens, *Vivit*

Deus tuus Dan, *& vivit via Berſaba*, Scimus enim illic erecta fuiſſe templa in Dan & Berſaba. Subjungit ergo duas ſpecies, ſed tantum hoc fine, ut oſtendat quale fuerit illud Samariæ peccatum, cujus meminit. *Jurant* ergo *per deos Samariæ*, qui vere ſunt deteſtabiles: quia nullum eſt majus flagitium coram Deo idololatria. Sed poſtea adjungit eſſe deos illos, qui coluntur in Dan & Berſaba. Quod דרך quidam accipiunt pro peregrinatione, aut pro via quæ tendebat illuc, frivolum eſt ac puerile. Neque enim dubium eſt quin Propheta translatione ſatis vulgari uſus fuerit. Vocat igitur viam Berſaba, ritum, qui tunc communi conſenſu receptus erat, ac probatus. *Qui ergo jurant per cultus illos fictitios, areſcent*, inquit, & tabeſcent ſiti. Poſtea adjungit, *Cadent & non reſurgent amplius*, hoc eſt, incurabilis erit ipſorum plaga. quia ſcilicet Deus hactenus uſus fuerat mediocribus pœnis, quæ poſſent eos ſanare niſi prorſus fuiſſent obdurati in ſuis malis. Propheta igitur denunciat jam non eſſe amplius locum medicinæ apud ipſos, ideoque fore hoc mortale vulnus, quod Deus infliget, & quidem ſine ſpe remedii. Hæc ſumma eſt. Nunc pergamus.

CAPUT IX.

VIdi Dominum ſtantem ſuper altare: & dixit, Percute ſuperliminare, & commovebuntur poſtes, & affliget (*vel afflige, in modo imperativo*) in capite omnes, & noviſſimum ipſorum (*vel poſteritatem*) gladio occidam: non effugiet ex ipſis fugiens, neque evadet ex ipſis, qui evadit.

COnfirmat Propheta illam comminationem, quam nunc expoſuimus. Dicit enim populum ſtatim è medio tollendum eſſe, quia jam reſipiſcentiæ nulla ſpes ſit. Sed primo notandum eſt, hic eum loqui non de templis illis profanis, quæ Jarobeam prior in Dan & Bethel erexerat: ſed de vero & legitimo Templo. Neque enim hoc quadraret, viſionem hanc fuiſſe oblatam Prophetæ in illis ſacrilegiis, à quibus ſcimus Deum fuiſſe remotiſſimum. Si apparuiſſet Deus in Dan, vel Bethel, hæc erat quædam obliqua approbatio ſuperſtitionis. Falluntur ergo qui putant viſionem hanc fuiſſe oblatam Prophetæ alibi quam in monte Sion, ſicuti aliis locis oſtendimus. Neque enim Prophetæ dicunt loquutum eſſe Deum vel in Dan, vel Bethel: nunquam illic editum fuit oraculum, quia modis omnibus voluit Deus oſtendere ſibi nihil prorſus eſſe negotii cum illis ſacrilegiis & abominationibus. Certum igitur eſt, Deum apparuiſſe Prophetæ ſuo in monte Sion, & ſuper altare legitimum. Jam nunc videndum eſt quorſum tendat viſio. Major pars interpretum exiſtimat hic prædici interitum & Regni & Sacerdotii; quum ſcilicet Zedechias captus fuit, deinde tractus ignominioſe in exilium, jugulatis ejus filiis: quum poſtea Templum exciſum fuit, & urbs diruta. Sed non dubito quin latius extendi hoc vaticinium debeat, nempe ad diverſas clades, quæ ſtatim ſequutæ ſunt, ſic ut tandem interierit totus populus. Ego igitur non reſtringo, quod hic dicitur, ad excidium urbis, & Templi: ſed perinde eſt acſi diceret Propheta, tam Judæos, quam Iſraëlitas fruſtra gloriari & genere ſuo, & aliis privilegiis, quibus ornati fuerant, quia Dominus inſtituit eos perdere, adeoque Templum ipſum, quod erat illis inſtar operculi ad tegendas omnes iniquitates. Nunc ergo tenemus Prophetæ mentem. Sed interea notandum eſt, ſi Dominus Templo ſuo non pepercit, quod tamen juſſerat ſibi extrui, & in quo ſibi domicilium elegerat, non poſſe effugere exitium templa illa profana, quæ ſemper aſpernatus fuerat. Nunc videmus quo ſpectet vaticinium hoc, quod poſtremum eſt, excepta promiſſione, de qua videbimus ſuo loco. Dicit ergo *ſe vidiſſe Deum ſtantem ſuper altare*. Potuit audire Propheta ſententiam, quæ paulo poſt ſequetur, abſque viſione: ſed ſcimus tunc Deum vaticinia ſancire fuiſſe ſolitum per viſiones, quemadmodum habetur Numerorum duodecimo capite. Deus ergo non tantum Prophetæ ſuo mandare voluit quod proferret, ſed addere auctoritatem doctrinæ. Viſio autem fuit quaſi ſigillum, ut tam Judæi quam Iſraëlitæ intelligerent, profectum eſſe è cœlo quod recitabat ore ſuo Propheta. Jam ſequitur, *Percute ſuperliminare*. כפתור vocari puto Teſtudinem, quæ ſuper poſtes Templi eminet. nam כפתורים Hebræi vocant Mala. Quoniam ergo pingebant illic malogranata & flores, putant Hebræi doctores vocari כפתור illam partem, quæ complectebatur ſub ſe duos poſtes Templi. Sed poteſt etiam pars illa portæ nomen ſumpſiſſe à rotunda forma. Utcunque ſit, vocarunt כפתור ſupremam partem portæ Templi. Jam, poſtes ſuſtinebant illud ſuperliminare, quod vulgo dicunt. Dicit ergo Deus, *Percute ſuperliminare, & moveantur poſtes*, vel, contremiſcant, tota janua Templi contremiſcat. Nunc addit, Et percute ac contere *in capite omnes*, vel *omnium*. Jam dixi verbum hoc varie legi ab interpretibus. Proprie ſecundum rationem Grammaticæ debet legi in tertia perſona, *& affliget*: ſed quidam tamen exponunt Afflige, vel contere, quia prius dixerat Percute. Quantum ad ſummam rei, non multum intereſt, quia ſtatim ſequitur expoſitio. Jam quod dicit, *In capite*, & ſequitur ואחריתם: quidam per Caput intelligunt Sacerdotes ipſos & proceres populi, quod ego libenter amplector. Sed quum exponunt אחרית Poſteritatem vel filios, hoc videtur non quadrare: potius enim referri debet, meo judicio, ad commune vulgus. Quia ergo de capite loquutus erat Propheta, jam addit promiſcuam plebem: & אחרית vocant Hebræi Quicquid ſequitur. Hoc quidem nomine intelligunt Poſteros, ſed latius patet hoc nomen. Accipitur enim pro fine, accipitur pro veſtigio, denique ſignificat quicquid ſequitur. Jam promptum eſt colligere ſenſum Prophetæ: exhibita fuit viſio, quæ oſtenderet nihil fore ſalvum, quia decretum erat ipſi Deo percutere & capita, & totam plebem. Quum autem Deus à Templo ſuo incipiat, quomodo ſperabunt veniam profani homines, qui jam deſeruerant verum & purum cultum? erant omnes apoſtatæ. Quomodo ergo ſperaſſent placabilem ſibi fore Deum, qui Templum ſuum concutiebat? Nunc adjungit, *Ego occidam gladio*. Videmus ergo viſionem referri ad plagam quæ paulo poſt infligenda erat. Occidam igitur gladio quicquid ſequitur, id eſt, ipſum vulgus. Poſtea, *Non effugiet ex ipſis fugiens, & non evadet evadens*: hoc eſt, etiamſi patere ſibi effugium exiſtiment, fallet eos ſua opinio, quia deprehendam ipſos. Si dixiſſet Propheta nullum fore illis effugium, non tam ſevere loquutus eſſet: quum jam dicit, ubi aufugerint, tamen deprehenſum iri; ubi putabunt ſe jam eſſe elapſos, tamen nullam fore ſalutem, hoc eſt longe gravius. Denique, abſcindit omnes ſpes Iſraëlitis, ut intelligant ſibi pereundum eſſe, quia Deus fruſtra hactenus tentavit eos reducere in viam. Quoniam ergo fuerant prorſus incurabiles, jam audiunt ſibi nihil reſtare ſpei. Quum autem tale & tam horribile exitium denunciet Propheta electo populo, quum etiam viſio hæc in Templo exhibita fuerit, non eſt cur nunc confiſi externa profeſſione ſecure expectemus Dei judicia, quemadmodum videmus hodie multos ſtupidos eſſe, quia putant ſibi nihil poſſe accidere mali, quod præ ſe ferant Dei nomen. Propheta

pheta autem hic oſtendit Deum ſedere in Templo ſuo, non modo ut eos tueatur quos ſibi adoptavit in populum & peculium, ſed ut vindicet honorem ſuum, quia Iſraëlitæ cultum ejus corruperant, Judæi etiam defecerant à vera pietate. Quoniam ergo ubique graſſata fuerat impietas, jam oſtendit Deum ſic illic ſedere ſcelerum ultorem, ut ſciat populus non ideo tolerare mala, quæ ad tempus non punit, quoniam oblitus fuerit ſui officii, vel quod velit gratiam ſuam integumentum eſſe iniquitatis: ſed quia velit paulatim ad pœnitentiam adducere, qui ſunt ſanabiles, & ſimul excuſationem tollere reprobis. Pergamus.

2. Si foderint ad ſepulchrum, (*vel ad infernum*) inde manus mea educet eos: & ſi aſcenderint in cœlos, inde detraham eos.

3. Et ſi occultaverint ſe in faſtigio (*vel culmine*) Carmeli, inde ſcrutabor & extraham eos: & ſi abſconditi fuerint ab oculis meis (*ad verbum, è regione oculorum meorum*) in profundo (*vel pavimento, in fundo ipſo*) maris, inde mandabo ſerpenti ut mordeat eos.

4. Et ſi profecti fuerint in captivitatem coram inimicis ſuis; inde mandabo gladio ut occidat eos, & ponam oculum meum ſuper eos in malum, & non in bonum.

Horribiles hic pœnas denunciat Propheta: ſed non abs re, quoniam mirus fuit in populo illo torpor, quemadmodum ſolet eſſe in omnibus hypocritis, ubi datur illis aliquis prætextus. Tunc unus ex toto orbe electus erat ille populus. Quum ergo putarent ſe excellere, & donatos eſſe ſingulari prærogativa præ omnibus aliis gentibus, inebriabat eos hæc gloria, ut putarent quodammodo Deum ſibi eſſe obſtrictum, quemadmodum aliis locis vidimus. Hæc igitur ratio eſt cur Propheta tot modis exaggeret judicium contra hypocritas, ut ſcilicet terreantur vehementia & atrocitate verborum. Dicit igitur, *Si effoderint ſibi cavernas uſque ad infernum*, id eſt, uſque ad centrum terræ, (שאול enim hic pro centro ponitur) *inde manus mea educet eos*: deinde, *Si aſcenderint in cœlum, inde detraham eos*, inquit Dominus: *Si occultaverint ſe in deſertis, ſi confugerint uſque ad culmen Carmeli, ego ſcrutabor eos*: denique nullum angulum reperient vel in cœlo, vel in terra, vel in mari, ubi lateant à conſpectu meo. Nihil opus eſt hic per cœlum intelligere altas arces, quemadmodum Chaldæus Paraphraſtes exponit: eſt illa paraphraſis nimis frigida: ſed Propheta hyperbolice loquitur de centro terræ, de cœlis, & de profundo maris. Perinde eſt igitur acſi diceret, Etiamſi elementa omnia aperiant ſe ad latebras, Iſraelitæ fruſtra tentabunt effugere, quia demerſos in profundo mari ego perſequar, extraham eos è cœlo ipſo: denique nulla illis erit latebra vel ſurſum vel deorſum. Nunc tenemus ſenſum Prophetæ. Et hinc etiam colligenda eſt utilis admonitio, ubi Deus nobis minatur, fruſtra nos quærere ſubterfugia, quoniam manus ejus ſeſe extendit tam in cœlum, quam ad ipſos inferos:

Pſal. 139. verſ. 8. quemadmodum dicitur in Pſalmo, Quo fugiam à facie tua, Domine? Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in ſepulchrum, tu ades: ſi ſumpſero pennas auroræ, vel luciferi, & habitavero in extremitatibus maris, illuc etiam manus tua deducet me. Non loquitur illic Propheta, ſicuti quidam nimis perperam philoſophantur, de immenſa Dei eſſentia, ſed potius oſtendit nos ſemper eſſe in ejus conſpectu. Sic ergo ſtatuendum eſt, non poſſe nos elabi, ſimulac Deus volet examen ſumere de peccatis noſtris, & citare nos ad ſuum tribunal. Sed interea meminerimus Prophetam non fuiſſe uſum ſupervacua verborum congerie: nulla eſt hic ſyllaba, quæ non habeat ſuum pondus; etſi primo intuitu aliter videri poſſet. Cæterum, quemadmodum jam admonui, Spiritus ſanctus, qui novit ſocordiam noſtram, hic excutit omnes delicias. Ergo ſciamus hunc torporem ingenitum eſſe nobis naturaliter, ut ſpernamus omnes minas, vel ſaltem non moveamur quantum neceſſe eſt. Quoniam Dominus videt nos tam pigros eſſe, ideo ſollicitat ſuis ſtimulis. Quoties ergo Scriptura pœnam denunciat nobis, ſimul diſcamus conjungere quæ hic Propheta commemorat: Eſt tibi negotium cum Deo, nunc quid tergiverſando proficies? etiamſi in cœlos conſcendas, Dominus poterit te detrahere: etiamſi deſcendas uſque ad abyſſos, inde manus Dei te educet: ſi quæras in ipſis abyſſis latebram, illinc etiam producet te in medium: ſi etiam demerſus lateas in profundo mari, te illic perquiret: denique quocunque te conferas, tu non potes te ſubducere à conſpectu & manu Dei tui. Videmus ergo quorſum referri debeant omnes iſtæ loquutiones, ne ſcilicet Deum æſtimemus noſtro more, ſed ſciamus potentiam ejus penetrare ad omnes latebras. Sed hæc meditatione opus habent, quoniam ſatis eſt, paucis verbis comprehendere quid velit Propheta. Sed quoniam ſumus adeo implicati vanis noſtris confidentiis, ideo dixi non fruſtra hoc verborum circuitu uſum fuiſſe Prophetam, ut ſerio expergefaceret Iſraëlitas & Judæos, qui nimium erant ſecuri. Jam quod dicit, *Mandabo ſerpenti, ut mordeat eos*: Quidam per נחש intelligunt non terrenum ſerpentem, ſed cetum, vel marinas alias beſtias, ſicuti Leviathan celebratur in Scriptura. Et colligere etiam licet ex aliis Scripturæ locis נחש non tantum notare ſerpentem, ſed etiam cetos, & alias beſtias marinas. Denique ſignificat Deus ubique ſe fore armatum, quoties volet ulciſci ſuos inimicos: & in omnibus elementis parata ſibi eſſe media, quibus perdat reprobos, qui volunt manum ejus effugere. Jam quum addit, *ſi profecti fuerint in captivitatem coram inimicis ſuis, ego inde mandabo gladio, ut occidat eos*: reſtringunt hanc partem nonnulli interpretes ad præpoſteram illam fugam, qua numerus aliquis populi voluit ſibi conſulere dum tranſiret in Ægyptum. Johanan perſequutus eſt eos, & pauci elapſi ſunt: ſicuti etiam prædixerat Jeremias, *Jer. 43. verſ. 2.* Subjicite cervices veſtras Regi Babyloniæ, & Dominus benedicet vobis: quiſquis fugerit in Ægyptum, peribit. Hoc experti ſunt re ipſa, quum ſemper fidem abrogaſſent vaticinio. Jeremias illuc tractus eſt præter animi ſui ſententiam: & tamen maledixerat omnibus qui putabant hoc ſibi fore aſylum. Sed ideo Dominus permiſit eum illuc trahi, ut coram ſemper uſque ad ultimos ſpiritus pronunciaret illud Væ, quod prius audierant ex ore ejus. Ego hanc ſententiam Prophetæ vix tam reſtricte accipere audeo: ego igitur generaliter interpretor, Exilium, quod tamen dicitur vulgo eſſe mors civilis, non fore finem malorum Iſraëlitis & Judæis: quia etiam ubi ſponte ſe dediderint hoſtibus, & paſſi fuerint ſe rapi & trahi quocunque hoſtibus libitum fuerit, tamen ne hoc quidem modo poſſe vitam ſervare, quia Dominus mandabit gladio ut perſequatur etiam exules. Hæc genuina eſt mens Prophetæ, meo judicio. Tandem ſubjicit, *Ponam oculos meos ſuper eos in malum, & non in bonum.* Subeſt antitheſis in hac ſententia, quia Dominus pollicitus fuerat ſe fore cuſtodem populi; ſicuti dicitur, Ecce qui cuſtodit Iſraël, non dormiet, neque dormitabit. *Pſal. 121. verſ. 4.* Ut hypocritæ ſemper arripiunt ſine pœnitentia & fide, ſine ullo pietatis affectu Dei promiſſiones, & poſtea illis abutuntur ad vanam jactantiam, ideo Propheta hic dicit, Oculum Dei fore ſuper eos: non autem ut ſuo more, quemadmodum ab initio fecerat, illos tueatur, ſed potius ut accumulet pœnas pœnis. Perinde eſt igitur acſi diceret, Sicuti hactenus excubias egi in hujus populi ſalutem, quem mihi elegi,

ita

ita poſthac acerrime vigilabo, nequod pœnæ genus omittam, donec prorſus interierit. Et hæc notatu digna eſt ſententia, quoniam monemur, etſi Dominus ne incredulis quidem parcat, tamen acrius nos obſervare, ut durius puniat, ſi ad extremum perſpexerit nos eſſe obſtinatos, & incurabiles. Quare? Nam quo propius ad eum acceſſimus, quaſi ſub oculis ſuis poſitos familiarius nos reſpicit: non quod quicquam ei ſit occultum, vel abſconditum, ſed Scriptura loquitur humano more. Ergo quum Deus dignatur ſuos propiore aſpectu, ſimul etiam non poteſt ferre hypocritas, quoniam acerrime obſervat eorum vitia, ut etiam ſeverius puniat. Hæc igitur ſumma eſt. Sequitur,

5. Et Dominus Jehova exercituum percutiet terram, & contremiſcet: & lugebunt omnes habitantes in ea, & aſcendet ſicut fluvius tota, & ſubmergetur ſicut à fluvio Ægypti.

Eadem nunc fere verba repetit Propheta, quæ heri expoſuimus. Nam uſus fuit ſimilitudine diluvii, quam hic rurſum ponit. Cæterum, quia prius membrum duobus modis exponi poteſt, ego referam quid alii ſentiant, deinde quid ego rectius putem. Sic exponi ſolet hic locus, terram contremiſcere quum percutitur à Deo: ut ſit generalis ſententia. Et Prophetæ etiam ſæpe Dei potentiam commendant nobis, ut incutiant metum: & hoc videbimus proximo verſu. Porro non dubito quin hæc ſit ſpecialis comminatio. Dicit ergo, *Adonai Jehova percutiet terram, & contremiſcet.* Poſtea ſequitur ſimilitudo illa, de qua heri dictum fuit, *lugebunt omnes habitantes in ea.* deinde *ipſa tota aſcendet quaſi fluvius.* Hic ſignificat tale fore diluvium, ut nulla ſuperficies terræ maneat. Aſcendet ergo terra quaſi fluvius. Aſcenſus terræ nihil aliud eſt quam inundatio, quæ obtegit omnem terræ faciem. Poſtea conjungit, *& ſubmergetur*, nempe ipſa habitandi commoditas: non ſimpliciter, quemadmodum dixi, hoc de terra intelligit, ſed potius ad homines refert, vel ad uſum terræ, quem homines percipiunt. *Submergetur* ergo *quaſi à fluvio Ægypti.* Diximus Ægyptum quotannis perdere ſuam faciem, ubi Nilus exundat. Sed quum illa fluminis exundatio Ægyptiis læta ſit propter terræ fœcunditatem, & uberiorem proventum, Propheta hic ſignificat terram fore inſtar maris, ut ſcilicet nulla amplius maneat habitatio. Nunc ſequitur,

6. Ædificans in cœlis aſcenſiones ſuas, & coagmentationem ſuam ſuper terram fundans, (*qui fundat*) qui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ, Jehova nomen ejus.

Nunc Propheta generaliter deſcribit nobis Dei potentiam, nempe ut magis afficiat auditores ſuos, & ne ſecure rejiciant quod prius minatus eſt de propinquo interitu. Dixerat enim, Ecce Deus percutiet terram, & contremiſcet. hoc fuit ſpeciale. Nunc quoniam homines ſurdis auribus excipiunt iſtas minas, & putant Deum quodammodo ludere, ideo adjungit Propheta confirmationem ſumptam ab elogiis potentiæ Dei: quaſi diceret, Auditis quid Deus denunciet: nunc quia mihi impoſuit hanc perſonam, & mihi mandavit, ut vos terrerem propoſitis pœnis, ſcitote vobis eſſe negotium cum Deo ipſo, cujus majeſtas vos totos, & ſenſus omnes veſtros contremeſcere debet. Quiſnam enim eſt Deus, ut contemptui ſit vobis ejus verbum? *Deus ergo eſt qui ædificat ſibi cœnacula in cœlis, qui fundat ſuas coagmentationes* (alii vertunt, faſciculum) *in terra, qui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ*: denique, *eſt Jehova*, hoc eſt, in ſolo ipſo eſt eſſe. Vos autem ſubſiſtitis duntaxat virtute ejus; & quoties viſum fuerit, ſubducet Spiritum ſuum, ut evaneſcat totus hic mundus, cujus eſtis minima particula. Quum ergo ſolus Deus ſit, in vobis autem momentaneus tantum vigor, quum vobis perſpicua ſit talis Dei potentia, cujus documenta in toto ordine naturæ præbet, qui fit ut tam ſecuri ſitis? Nunc ergo tenemus cur Propheta hic celebret potentiam Dei tot elogiis. Primum quum dicit *Deum ſibi extruere in cœlis ſuas aſcenſiones*, non dubium eſt quin ad ipſam cœlorum ſtructuram alludat. Scimus enim elementum aëris elevari, quia minus ponderoſum eſt: deinde elementum ignis etiam propius ad cœlum accedere: jam ſequuntur ſpheræ. Quum ergo ſupra terram totus mundus ſit multo agilior, hæc ratio eſt cur Propheta dicat Deum habere ſuas aſcenſiones in cœlis. Neque enim Deus vel cœlis ipſis ad habitandum indiget, vel aëre, quia loco non capitur, eſt incomprehenſibilis: ſed reſpectu hominum hoc dicitur, quod ſcilicet Deus ſuperat ſua altitudine omnes cœlos. Ergo locatur in illa ſublimi ſede. Jam dicit fundare ſibi coagmentationes ſuas in terra, quoniam hæc pars mundi ſolidior eſt. nam elementum terræ eſt craſſum & firmum, idéoque ſtabile. Ita etiam aquæ tametſi leviores ſint terra ipſa, proxime tamen accedunt. *Ædificat* igitur *Deus in cœlis.* Hæc machina per ſe admirabilis eſt: ſiquis attollat in cœlum oculos ſuos, deinde terram conſideret, nonne cogetur obſtupeſcere? Ergo Propheta hic nobis proponit ante oculos potentiam Dei incomparabilem, ut tangamur ejus verbis, & ſciamus cum quo nobis ſit negotium, ubi pœnam denunciat. Jam dicit, *Qui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ.* Hæc mutatio per ſe eſt formidabilis, quod Deus brevi temporis ſpatio totum cœlum obtegit: erit clara ſerenitas, momento ſupervenient nebulæ quæ cœlum obtenebrent, & denſitas aquarum capitibus noſtris imminebit. Quis diceret tam repente poſſe mutari totum orbem? Deus ſolo ſuo imperio & nutu hoc facit. *Vocat* igitur *aquas maris, & effundit eas.* Quanquam ſcimus pluvias procreari ex vaporibus terræ ut plurimum, tamen ſcimus etiam ipſos vapores originem habere à mari, & ut plurimum mare etiam ſuggerit denſam copiam humorum. Per ſynecdochen ergo Propheta hic complectitur omnes vapores, ex quibus procreantur pluviæ. *Vocat* igitur *aquas maris*: hoc eſt, ſolo ſuo imperio facit Deus, ut pluviæ procreentur, nempe vapores ex aquis extollens: deinde ut operiant totam faciem terræ. Quum ergo Dominus quotidie tam mirabiliter operetur in toto naturæ ordine, quid putamus futurum ubi immenſam manus ſuæ potentiam exeret ad homines perdendos, quum volet exequi ultimum judicium quod decrevit?

Da omnipotens Deus, quum tam inſignibus documentis nobis oſtendas ſubeſſe omnia tuo imperio, & nos qui in mundo gratia tua degimus, tamen nihil eſſe: quia poſſes ſingulis momentis nos redigere in nihilum: da, inquam, ut tacti hac potentia tua, revereamur manum tuam, & gloriæ tuæ ſimus prorſus addicti: deinde quum familiariter te nobis offeras in Patrem, ut hac indulgentia allecti, dedamus nos tibi totos in voluntarium obſequium, neque aliud ſtudeamus tota vita, quam nomen tuum glorificare, ſicuti nos acquiſiiſti in unigenito Filio tuo, ita etiam ut per eundem fruamur æterna illa hereditate, quæ nobis in cœlo repoſita eſt, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA IN AMOS PROPHETAM.

CAP. IX.

7. **Annon ſicut filii Æthiopum vos mihi, filii Iſraël, dicit Jehova? Annon Iſraëlem aſcendere feci è terra Ægypti? & Philiſtim ex Cappadocia? & Syrios è Kir?**

Hic Propheta oſtendit Iſraëlitis non fore præſidio ſuam dignitatem, quemadmodum ſperabant. Vidimus enim jam multis locis quam ſtulta fuerit jactantia illius populi. Quum obſtricti eſſent Deo præ cunctis gentibus, tamen ſecure gloriabantur ſe eſſe gentem ſanctam. Quaſi vero aliquid eſſet ipſis proprium, quemadmodum Paulus exprobrat quod nihil ſint: rametſi Deus contulerat in eos præclara beneficia, tamen erant ornati alienis plumis. Erat igitur hæc ſtulta & præpoſtera gloriatio, quum putarent ſe pluris eſſe Deo, quam alias gentes. Sed quoniam excæcaverat eos hæc ſtulta opinio, nunc dicit Propheta, Quoſnam putatis vos eſſe? *Eſtis mihi tanquam filii Æthiopum.* Ego enim vos ſemel liberavi, non ut eſſem vobis obſtrictus, ſed potius ut vos devinctos mihi tenerem: quia acquiſiti eratis meo beneficio. Quod nonnulli exiſtimant conferri Æthiopibus Iſraëlitas, quia pellem non mutarent, id eſt, ingenium, ego tanquam coactum repudio. Simplicius enim hic loquitur Propheta, quod ſcilicet conditio illorum nihil differret à communi hominum ſorte: Vos excellitis, ſed non habetis quicquam à me ſeparatum: ſi ego auferam à vobis quod meum eſt, quid vobis reſiduum manebit? Et pondus eſt in dictione *Mihi, Vos eſtis mihi.* Nam certe inter homines excellebant: ſed coram Deo quid poterant afferre, quum nihil haberent ſuum? Imo quo ſplendidius ornaverat eos Deus, debebant ſeſe modeſte & humiliter gerere, quum eſſent tot ejus gratiis devincti. Sed quia obliti ſuæ conditionis, Prophetas omnes ſpernebant, & ſibi etiam plaudebant in ſuis ſceleribus, Annon vos eſtis mihi quaſi filii Æthiopum, inquit: hoc eſt, quaſi gentes exteræ & alieniſſimæ? quid enim reperiam in vobis dignum laude? Ergo ſi reſpicio vos, quales eſtis? Certe ego non præferam vel obſcuriſſimis gentibus. Poſtea adjungit, *Annon feci aſcendere*, vel eduxi, *Iſraëlem è terra Ægypti?* Hic revocat Propheta eos ad ſuam originem. Etſi enim progeniti erant ex Abraham, qui ante redemptionem quadringentis annis jam electus à Domino fuerat: tamen ſi reputamus quam miſere tractati fuerint in Ægypto, erat certe ſervitus illa tyrannica inſtar ſepulchri. Cœperunt igitur eſſe populus, & conſequi aliquod nomen, quum Dominus eos ex Ægypto liberavit. Perinde eſt igitur acſi diceret Propheta, Reſpicite unde vos extulerit Deus: eratis enim quaſi mortuum cadaver, ſine ulla gloria, ſine ulla exiſtimatione. Ægyptii enim abuſi ſunt patribus veſtris tanquam viliſſimis mancipiis: Deus inde vos eduxit. ergo nulla fuit veſtra nobilitas, vel præſtantia: ſed origo veſtræ dignitatis profecta eſt ex gratuito beneficio Dei. Jam vero putatis vos ideo excellere, quia ſoli eſtis redempti: Deus etiam redemit Philiſtinos, quum eſſent ſervi Cappadocum. Deinde redemit etiam Syrios, quum eſſent aliis gentibus ſervi. Nam קיר multi exiſtimant eſſe Cyrenem. Sed quia hoc incertum eſt, ego prætereo quaſi dubium. Quicquid ſit, de re ipſa non eſt quicquam controverſiæ: quia certum eſt, hic conferri Iſraëlitas tam Syriis quam Philiſtinis, eo quod omnes ſimiliter fuerint redempti à Domino, & hæc communis fuerit omnium de quibus loquitur gratia. Quum ergo Deus miſertus olim fuerit aliarum gentium, hoc certe non competit in ſolum genus Abrahæ, quod divinitus liberati fuerint, & inſignibus miraculis: idem etiam dicent Philiſtini, & dicent etiam Syri. atqui tamen dicitis eſſe profanas gentes. Quum ita ſit, jam exuti eſtis omni excellentia, hoc eſt, nihil reſidet in vobis proprium, cur debeatis vos præferre aliis gentibus. Hæc ſumma eſt. Nunc ſequitur,

8. **Ecce oculi Domini Jehovæ ad regnum ſceleratum, & delebo illud à ſuperficie terræ, præterquam quod non delendo delebo domum Jacob, dicit Jehova.**

9. **Quia ecce ego præcipiam, & agitabo inter cunctas gentes domum Iſraël, quemadmodum agitatur (*ſubaudiendum eſt nomen tritici: agitatur triticum*) in cribro, & non cadet lapis (*id eſt, granum*) in terram.**

Hic concludit Propheta Deum ſumpturum vindictam de Iſraëlitis non ſecus ac de reliquis gentibus promiſcue, quod ſcilicet non poſſent quidquam opponere ad impediendum ejus judicium. Fuit autem mira hæc cæcitas, quod Iſraëlitæ, qui ſua ingratitudine bis rei erant, tamen objiciebant inſtar clypei beneficia, quibus ornati fuerant. Quum ergo ab illis impie & turpiter profanatum eſſet nomen Dei, putabant tamen ſe tutos eſſe, quia ſemel adoptati fuerant. Hanc arrogantiam nunc retundit Amos, *Ecce oculi Domini Jehovæ ſuper omnes ſceleratos*, inquit. Reſtringunt quidam ad regnum Iſraël: ſed meo judicio, hoc pugnat cum mente Prophetæ. Indefinite loquitur de regnis omnibus: quaſi diceret Deum fore judicem totius mundi, ut nullis regnis vel regionibus parcat. Ubique ergo Deus oſtendet ſe ſcelerum ultorem, & vocabit omnia regna ad tribunal ſuum. *Delendo delebo è ſuperficie terræ omnes impios & ſceleratos.* Nunc ſecundum membrum aliter accipio, quam ſoleat exponi. Putant enim mitigari pœnam, quemadmodum Prophetæ ſolent miſcere promiſſiones gratiæ minis: & paulo poſt idem faciet Propheta noſter. Sed nondum videtur mihi quidquam promittere Iſraëlitis: imo potius ironica eſt loquutio, niſi valde fallor: quia hic oblique perſtringit Amos ebriam illam confidentiam, de qua diximus, quia ſcilicet Iſraëlitæ putabant ſe quodam privilegio ſalvos eſſe, & immunes ab omni pœna. Ego, inquit, non parcam incredulis, qui tamen excuſabiles ſunt, ſi vobis comparentur. Egone veſtra ſcelera tolerabo, nec audebo vos attingere, quum ſitis bis ſcelerati? Notandum enim eſt quid differant aliæ gentes ab Iſraëlitis. Nam quo magis in ſublime evecti fuerant filii Abrahæ, eo magis augebant ſuum reatum, quum Deum ſpernerent tot bonorum auctorem, quum improbe quaſi excuſſo jugo laſcivirent. Quum ergo tam indigne polluerent Dei beneficia, Deus potuit parcere reliquis gentibus: neceſſe autem fuit illos trahi ad

pœnam, quia erant prorſus inexcuſabiles. Quum ergo ſuperarent omnes gentes impietate, merito hic à majori ad minus ratiocinatur Propheta: Ego, inquit, obſervo quicquid peccatur in toto orbe, nec ullæ gentes manum meam effugient: quomodo igitur evadent Iſraëlitæ? Nam aliæ gentes poſſent ignorantiam aliquam prætexere. neque enim edoctæ unquam fuerunt: & ſi errant in tenebris, hoc non eſt mirum. Vos autem quibus ego præluceo, & quos quotidie per Prophetas meos ſollicito ad reſipiſcentiam, impune feretis? Quomodo hoc fieret? ego non eſſem judex mundi. Nunc ergo tenemus genuinum Prophetæ ſenſum. Ecce, inquit, oculi Jehovæ ſunt ſuper omne regnum ſceleratum: delebo omnes gentes è ſuperficie terræ, quæ peccaverint, etiamſi obtentus ignorantiæ excuſet crimen: nunc ſcilicet ego non delebo domum Iſraël? Hic ergo ironice loquitur Propheta, *niſi quod non delebo delendo domum Iſraël*: hoc eſt, Jam vultis me eſſe obnoxium vobis, quaſi ligatæ eſſent mihi manus, ne ſumam de vobis vindictam? Quo jure id facitis? & quid me impediet, quominus ulciſcar tantam & tam fœdam ingratitudinem? Poſtea adjungit, *Quia ecce ego præcipiam*, &c. Hic confirmat Propheta ſuperiorem ſententiam. Unde etiam colligimus ſecundam partem ſuperioris verſus fuiſſe ironicam, quia ſi pollicitus fuiſſet veniam Iſraelitis, pergeret in propoſito: ſed potius in contrariam partem tendit, quod ſcilicet Deus merito ſumpturus ſit de Iſraëlitis pœnam, quia tandem res ipſa patefaciet, inter ipſos ne granum quidem eſſe quod maneat, ſed omnes eſſe quiſquiliis ſimiles, vel purgamentis. *Ecce*, inquit, *ego agitabo inter Gentes Iſraëlitas, ſicut triticum agitatur in cribro*; *granum*, inquit, *non cadet in terram*: quaſi diceret, quum ego diſpergam Iſraëlitas per diverſa loca, ut ſint disjecti, tamen illa exilia ſemper ſimilia erunt cribro. nunc contendant mecum, ſi granum ullum ceciderit. Res igitur ipſa oſtendet nihil eſſe in ipſis niſi quiſquilias & ſordes, quia cribrando ego purgabo totam aream meam, & nihil penitus reſtabit. Si quis objiciat, fuiſſe aliquos in gente illa pios, quanquam eſſent exiguo numero; fateor id verum eſſe: ſed Propheta, quemadmodum pluribus aliis locis, hic de tota gente loquitur, non reſpicit ſingulos. Reſpectu ergo corporis hoc fuit verum, nempe in populo Iſraël ne unum quidem fuiſſe, qui poſſet conferri grano: quia omnes evanuerant in ſuis iniquitatibus. Unde etiam oportuit evaneſcere in cribro, quemadmodum ſolent paleæ & quiſquiliæ. Notandum autem eſt, Deum hic præcidere anſam tergiverſationi, quia ſemper hypocritæ cum ipſo litigant: & quamvis non poſſint ſe in totum abſolvere, tamen extenuant ſua peccata, ut inſimulent Deum nimiū rigoris. Ergo Propheta antevertit iſtas objectiones. Ego, inquit, præcipiam & agitabo domum Iſraël, ſicuti triticum agitatur. hoc erat valde durum quum populus ita tractus eſt in diverſas partes. Illa igitur laceratio fuit horribilis. Poterant hic conqueri Iſraëlitæ nimis ſevere agi ſecum. Deus autem ſimilitudine refellit hanc calumniam, quod ſcilicet diſſipati per exilia, tamen maneant in cribro. *Ego*, inquit, *agitabo eos inter Gentes*, ſed *non ſecus ac triticum agitatur in cribro*. Hoc autem receptum eſt omnium conſenſu, triticum debere purgari. Etſi major pars evaneſcit, quum triticum excuſſum in area, poſtea ponitur in ventilabro: tamen nemo eſt, qui non videat hoc eſſe utile & rationi conſentaneum: nemo conqueritur paleas ita perire. Quare? ſunt enim inutiles. Deus ergo hic oſtendit ſe non eſſe crudelem, nec modum excedere, quamvis populum ſuum diſpergat per remotas mundi plagas, quia ſemper continet eum in cribro. Poſtea addit, *Et non cadet granum in terram.* צרור vertunt Lapidem: ſed צרור eſt *Ligare*, unde etiam nomen hoc ſignificat ſummam, vel colligationem: ſicuti quum filii Jacob pecuniam haberent ligatam in ſuis ſaccis, dicebant, Ecce mea colligatio. Sic etiam nunc pro grano ſolido accipitur. Significat ergo Deus ſe non fore tam rigidum, quin temperet ſibi in pœnis, & ita ut innoxiis parcat. Jam dixi, quamvis adhuc reliquiæ manerent in populo illo, tamen veram eſſe Prophetæ ſententiam, quoad totum corpus: nihil enim illic vel ſanum erat, vel integrum. Sed poſſet objici illa quæſtio: Certum eſt multos probos Dei cultores abſtractos fuiſſe in exilium cum improbis: ceciderunt ergo illi in terram, quaſi inutiles paleæ vel quiſquiliæ: Deus hoc factum negat. Reſpondeo, quamvis Dominus involvat ſervos ſuos impiis quum pœnas temporales exigit, tamen ſemper eſſe illis propitium. Et certe quamvis duriter tractentur illi, non tamen expoſtulant: gemunt quidem, ſed interea agnoſcunt ſecum clementer agi à Domino. Et aliud etiam tenendum eſt, utcunque Dominus non tam ſevere acturus fuerit cum populo, ſi omnes fuiſſent ſimiles paucis illis bonis, tamen ne unum quidem fuiſſe extra culpam. Jeremias, Daniel, Eſra, Nehemias, Sidrach, Miſach & Abednego erant certe quaſi Angeli inter homines. Deinde hoc fuit inſtar miraculi, quod inter tot impietates tamen ſteterint integri. abducti ſunt nihilominus in captivitatem. Si prodeant coram Deo, non poterunt objicere ſe plecti præter meritum. Dignus enim erat Jeremias majoribus pœnis: dignus etiam Daniel, quamvis ſpeculum fuiſſet ſummæ integritatis, & quaſi Angelicæ. Ergo Deus poterat illos projicere quaſi quiſquilias: tamen certum eſt fuiſſe triticum, & Dominus exagitavit eos in cribro tanquam paleas, ſic tamen ut ſemper collectos tenuerit ſub ſua tutela, ſed occulte: quemadmodum, exempli gratia, in area triticum una cum palea percutitur: hoc eſt commune, nec poterit notari diſcrimen inter triticum & paleam in ipſa excuſſione. verum eſt. Sic eadem valet ratio in cribratione. Quum ergo colligitur triticum, ſimul cum paleis adhuc promiſcue agitatur ventilabro: ſed triticum manet. Sic etiam accidit piis Dei cultoribus, quod ſcilicet Dominus illos collectos tenuerit in ſuo cribro: ſed ut tamen hic non loquatur niſi de populo in genere. Dicit autem totum populum ſimilem eſſe quiſquiliis & ſordibus: & quod ita evaneſcit, hoc fieri quia nulla eſt in illis ſoliditas, nullus etiam eorum eſt uſus, ut quiſquam maneat in cribro. Quod ergo Deus retinuit ſervos ſuos, hoc factum eſt mirabiliter. Sed denunciatio pœnæ, quæ hic tractatur, pertinet ad externam ſpeciem. Quum ergo populus tanqoam quiſquiliæ vel paleæ excuſſus eſt, ac projectus in diverſa loca, hoc accidit merito, quia ſcilicet nihil repertum illic fuerit ſolidum. Nunc ſequitur,

10. Gladio morientur omnes ſcelerati populi mei, qui dicunt, Non accedet, & non antevertet propter nos malum.

Proſequitur eandem ſententiam Amos, quod ſcilicet Deus ſine aliqua crudelitatis nota ſumpturus ſit ultimam vindictam de populo reprobo. *Morientur*, inquit, *gladio omnes impii populi mei.* Quum impios populi nominat, minime dubium eſt, quin complecti velit totum populum: quanquam ſiquis putet tacite excipi electos, qui permixti erant impiis, non repugno: hoc eſt probabile: ſed interea generaliter hic concionatur Propheta contra populum. Dicit perituros gladio ſceleratos populi. Neque enim vitium, quod hic perſtringit Amos, fuit in paucis duntaxat, ſed graſſatum eſt in tota gente. Ergo omnes ſcelerati populi mei gladio morientur. Deſignat quales fuerint illi, vel ſaltem adſcribit præcipuam

notam,

notam, unde potuit perſpici eorum impietas, quod ſcilicet obſtinate contemnerent omnia Dei judicia: *dicunt, Non accedet, neque occupabit propter nos malum.* Securitas ergo, quæ contemptum Dei ex ſe generat, hic ponitur tanquam præcipua impietatis nota. Et certe tunc uſque ad deſperationem veniunt hominum ſcelera, ubi neque metu, neque pudore tanguntur, ſed expectant ſine aliqua cura & ſollicitudine judicium Dei. Quum ergo ita procul à ſe repellunt omnes minas, quia tamen ſunt ſibi male conſcii, & quia ſeſe quaſi in cavernis ſuis ſepeliunt, & captant perverſam quietem ſuis conſcientiis, in torpore, vel ſtupore potius, illi ſunt deſperati. Ergo non mirum eſt, ſi Propheta hic apponat notam ſecuritatis quum oſtendit nihil eſſe amplius reſiduum ſanitatis in hoc populo. Morientur ergo ſcelerati omnes gladio, nempe qui dicunt, Non accedet, neque antevertet propter nos malum. nam verbum hoc תקדים non poſſumus aliter exponere, quam referendo ad minas. Prophetæ enim, ut ſcimus, denunciant inſtare diem Domini, jam manum ejus armatam eſſe, jam ipſum tenere gladium. Quum ergo Prophetæ, ut metum incutiant contemptoribus, ſoleant minari propinquam pœnam, ideo hic Propheta, quum vult damnare impium ſtuporem in populo, dicit, Putatis non fore tantam feſtinationem quanta à Prophetis vobis prædicitur: ſed hæc vestra obſtinatio cauſa erit interitus. Quod dicit, Propter nos non veniet, notatu dignum eſt: quia etſi in genere fatentur hypocritæ, non poſſe nos effugere Dei manum, tamen ſeſe interea ſubducunt è communi numero, acſi quodam privilegio muniti eſſent. Opponunt igitur ſemper aliquid Deo, ut ne miſceantur cum reliquis hominibus: ſtultitiam hanc Propheta nunc oblique taxat, quum dicit hypocritas quietos eſſe & tranquillos, quia putent malum ſibi non fore commune cum reliquis: ſicuti etiam apud Jeſaiam dicunt, Flagel- *Jeſa. 28*
lum ſi tranſierit, tamen non attinget nos. Nunc ergo *verſ. 15.*
videmus quid hactenus voluerit Propheta, & quorſum referri debeant quatuor iſti verſus quos expoſuimus. Jam ſequitur promiſſio

11. In die illa erigam tabernaculum David, quod cecidit, & ſepiam rupturas ejus, & ſubverſiones ejus erigam, & ædificabo illud, ſicuti diebus antiquis. (*ſeculi, ad verbum.*)

Hic jam incipit Propheta proponere in medium conſolationem, quæ ſola poterat fulcire pias mentes in tam duris afflictionibus. Solæ minæ poterant in deſperationem conjicere etiam firmiſſimos: res autem ipſa poterat obruere quicquid fuiſſet ſpei. Ergo nunc Propheta ſolatium adhibet, quum dicit Deum ita fore ultorem ſcelerum in populo Iſraëlitico, ut tamen memor ſit futurus ſuæ promiſſionis. Scimus quoties Prophetæ volunt ſpei aliquid facere afflicto populo, proponere Meſſiam: quia in ipſo erant
2 Cor. 1. omnes promiſſiones Dei Etiam & Amen, ut dicit
verſ. 20. Paulus. Et non fuit aliud diſſipationis remedium, quam ut Deus colligeret diſperſa membra ſub unum caput. Ergo ſublato capite, nullum erat Eccleſiæ corpus: præſertim ubi disjecta eſt, & lacerata, quemadmodum contigit poſt tempus Amos. Non mirum eſt igitur ſi Prophetæ, poſtquam vaticinati ſunt de populi clade, qualis contigit poſt abolitum utrumque regnum, revocent fideles ad Meſſiam: quia niſi Eccleſiam colligat Deus ſub capite illo, nulla eſt ſpes. Hunc ergo ordinem nunc tenet Amos: *In die illa*, inquit, *erigam tabernaculum David.* quaſi diceret unam ſpem fore reliquam, ubi prodibit in lucem Redemptor, qui promiſſus eſt. Hæc eſt ſumma. Poſtquam ergo oſtendit in populo ipſo nihil eſſe ſpei, quia omnia media expertus erat Deus, & fruſtra: denunciato ultimo interitu, jam ſubjicit, Et tamen Dominus miſerebitur populi ſui, quia memor erit ſui fœderis. Quomodo hoc? nempe quia veniet Redemptor. Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ, & contextum. Sed quum loquitur de tabernaculo David, non dubito quin ad res collapſas alludat. neque enim reſpondet tabernaculum Regiæ dignitati. Perinde eſt igitur acſi dixiſſet Amos, quamvis careat domus David omni præſtantia, & ſit inſtar ignobilis tugurii, tamen Dominum facturum quod pollicitus eſt, nempe ut regnum rurſus erigat, recuperatis viribus amiſſis. Ad medium ergo illud ſpatium reſpexit Propheta, quum domus David careret omni ſplendore, & prorſus dejecta foret. Excitabo igitur tabernaculum David. Poterat dicere tabernaculum Iſai: ſed videtur conſulto poſuiſſe nomen Davidis, ut in illa tam horribili deſolatione magis erigeret animos piorum, ut ſcilicet alacriter ad promiſſionem confugerent. Nam nomen Iſai fuiſſet magis remotum. Quum autem celebre eſſet nomen Davidis,
Pſal. 132. quum vulgo tritum eſſet illud oraculum, De fructu
verſ. 11. ventris tui ponam ſuper ſedem tuam, Propheta hic domum Davidis adducit, ut ſcilicet recordentur fideles Deum non fruſtra pepigiſſe cum Davide. *Tabernaculum ergo Davidis tunc erigam, & ſepiam ejus rupturas, & ſubverſiones ejus erigam, & ædificabo illud, ſicut diebus antiquis.* Hoc modo ſignificat Propheta non tantum ſolium Davidis everſum iri, ſed etiam in tugurio ignobili nihil fore integrum, quia ruinis diffluet, quia omnia erunt ſubverſa. Denique ſignificat fore triſtes ruinas in tota familia Davidis. Loquitur metaphorice de tabernaculo, ut ſatis notum eſt: ſed tamen clarus ſenſus eſt, quod Deus reſtituet dignitatem Regiam in ſede Davidis, ſicuti prius. Hoc eſt inſigne vaticinium, & ideo meretur diligentius à nobis expendi. Certum eſt Prophetam hic concionari de Chriſti adventu, neque de hac re diſputandum eſt: quia etiam fere conſentiunt Judæi, ſaltem qui ſunt in ipſis moderatiores. Sunt enim quidam canes perfrictæ frontis, qui pervertunt omnem Scripturam ſine aliquo delectu: illi nobis omittendi ſunt cum ſuo latratu. Sed tamen ſatis convenit non poſſe hunc Prophetæ locum exponi aliter, quam de Meſſia. Neque enim ſperanda fuit reſtitutio familiæ Davidis ante illud tempus. Et hoc etiam facile colligitur ex aliis teſtimoniis Prophetarum. Quum ergo Propheta hic denunciet venturum Redemptorem, qui inſtauret totum ſtatum regni, videmus fidem Patrum ſemper defixam fuiſſe in Chriſto: quia ſicuti unus ille eſt in mundo, qui nos reconciliavit Deo; ſic etiam non potuit aliter Eccleſia collapſa reſtitui, quam ſub ſuo capite, ut jam aliquoties diximus. Hodie igitur ſi cupimus erigere animos ad Deum, ſtatim occurrat nobis in medium Chriſtus, quia eo ſublato, ſemper obruet nos deſperatio, neque poterimus quidquam certæ ſpei concipere. Poterimus quidem efferri aliquo vento, ſed paulo poſt concidet inanis fiducia, niſi in Chriſto ſolo fundata ſit. Hoc eſt unum. Deinde notandum eſt, illam interruptionem non fuiſſe contrariam vaticinio Jacob, & reliquis ſimilibus, quum regnum Deus peſſundari voluit. Regnum Juda dico. Dixerat quidem Jacob, *Gen. 49.*
Non auferetur ſceptrum è Juda, neque legulator è *verſ. 10.*
gremio ejus, vel ex pedibus ejus, donec veniat Silo.
Poſtea ſequuta fuit memorabilis illa promiſſio, Sede- *Pſal. 89.*
bit è progenie tua ſuper ſedem tuam, qui vocabit me *verſ. 30.*
Patrem ſuum, & viciſſim vocabo eum Filium meum, & ſolium ejus perpetuo manebit. Promittitur illic regni æternitas: & tamen videmus regnum ſub Roboam fuiſſe imminutum, videmus multis cladibus afflictum fuiſſe toto ſuo progreſſu: tandem miſere periit, & fere extinctum eſt, imo nullum fere fuit nomen regni, nullus ſplendor, nullum ſolium, nulla dignitas, nullum ſceptrum, nullum diadema. Sequi-

tur

tur ergo videri aliquid contrarium inter eventus ipſos, & inter Dei promiſſiones. Sed facile conciliant Prophetæ hanc repugnantiæ ſpeciem, quum dicunt, ad tempus nullum fore regnum, vel ſaltem fore multis ruinis deforme, ut nulla ſpecies appareat, nullus ſplendor. Quum hoc dicant, & ſimul addunt venturam inſtaurationem, quia Deus ſtabiliet regnum illud in manu Chriſti ſui: quum hoc dicunt Prophetæ, oſtendunt perpetuitatem regni vere apparuiſſe & exhibitam fuiſſe in Chriſto. Quod autem regnum intercidit aliquo tempore, hoc non pugnat cum aliis vaticiniis. Hæc igitur ſumma eſt. Nam Chriſtus tandem apparuit, in cujus capite reſidet verum diadema vel cidaris, & qui erat electus à Deo, & Rex legitimus, & qui ubi ſurrexit à mortuis regnat, & hodie ſedet ad Patris dexteram, neque ſolium ejus labaſcet uſque ad finem mundi. imo mundus renovabitur, & hoc Chriſti regnum manebit, licet alio modo poſt reſurrectionem, quemadmodum Paulus oſtendit. Sed tamen Chriſtus Rex eſt vere æternus. Et quum dicit Propheta, *ſicuti diebus antiquis*, confirmat doctrinam illam, quod ſcilicet non fluet æquabili curſu regni dignitas; ſed tamen talem fore inſtaurationem, ut facile conſtet, Deum non fruſtra pollicitum fuiſſe Davidi regnum æternum. Florebit igitur regnum Davidis in perpetuum. Atqui hoc non factum eſt. nam quum populus reverſus eſt ab exilio, Zorobabel quidem, & alii multi obtinuerunt imperium Sed quale fuit, niſi precarium? deinde erant tributarii Perſarum & Medorum Regibus. Sequitur ergo nunquam floruiſſe regnum in Iſraël, neque etiam in populo extitiſſe principatum aliquem mediocrem, niſi quum Chriſtus in medium prodiit. Videmus ergo non poſſe aliter accipi, quam de Chriſto, verba Prophetæ. Sequitur,

12. Ut poſſideant reliquias Edom, & omnes gentes, ſuper quas (*alii vertunt, ſuper quos*) invocatum eſt nomen meum, dicit Jehova hoc faciens.

His verbis oſtendit Propheta, regnum ſub Chriſto fore nobilius & amplius quam fuerit olim ſub Davide. Quum ergo ſumma eſſet regni & dignitas, & opulentia, & potentia ætate Davidis, Propheta hic dicit terminos eſſe ampliandos: quia tunc, inquit, *potientur Iſraëlitæ reliquiis Edom*. Loquitur hic communiter de Iſraëlitis & Judæis, quemadmodum utriſque paulo ante minatus eſt, ab initio ultimi capitis. Sed jam tenemus quid velit, quia ſcilicet veniet etiam Edom ſub jugum. Et ſatis conſtat cur hic præcipue exprimat Idumæos, quia ſcilicet infeſtiſſimi fuerant hoſtes, & vicinitas ipſa major erat occaſio nocendi. Quum ergo inſtarent miſeris Judæis Idumæi, & quum nullam illis relaxationem darent, hæc ratio eſt cur Propheta dicat venturos ſub poteſtatem electi populi. Poſtea tamen addit, Omnes gentes ſimul venturas ad Judæos. De Idumæis primum loquitur, ſed tamen adjungit etiam cunctas alias gentes. Non poſſem hodie abſolvere.

Da omnipotens Deus, quando jam videmus ubique conſpicua ſigna iræ tuæ, & impendent etiam graviora, ſiquidem reputamus quam graviter nos iram tuam provocaverimus, & quam impie etiam totus mundus hodie contra te inſaniat, imo etiam quam indigne profanet ſacrum nomen tuum, & ſimul etiam abutatur tot tuis & tam præclaris beneficiis: da, inquam, ut ſemper confugiamus ad memoriam æterni tui fœderis, & ſpem æternam concipiamus in Filio tuo unigenito, ut ſi velis nos cribrare, ſemper tamen retineas nos collectos, donec pervenerimus non in horreum aliquod terrenum, ſed in Regnum tuum cœleſte, ubi participes ſimus ejus gloriæ, quam nobis peperit idem Filius tuus, qui nos ſemel ideo redemit, ut ſemper maneamus ſub ſua tutela & cuſtodia, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA PRIMA
IN
AMOS PROPHETAM.

CAP. IX.

POſtrema lectione non potuimus verſum illum abſolvere, ubi dicebat Amos venturos Idumæos in poteſtatem populi Dei: deinde etiam reliquas gentes. Quantum ad prius hoc membrum ſpectat, nulla eſt ambiguitas: ſed poſterius membrum duplicem ſenſum admittit. Quidam igitur ſic accipiunt, Reliquæ gentes, ſuper quas invocatum eſt nomen meum. Alii autem referunt hoc ad filios Abrahæ: *ut poſſideant reliquias Edom, & cunctas gentes, ſuper quos*, hoc eſt, ut hi ſuper quos invocatum eſt nomen meum, nempe poſteri Abrahæ, poſſideant tam Idumæos, quam reliquas gentes. Si ad electum populum referre placeat, videtur contextus aliquantum refragari: tamen ſenſus optime conveniet. Ut poſſideant ergo fideles, ſuper quos nomen meum invocatum eſt, hoſtes ſuos. Nam videtur hic exprimi ratio à Propheta, cur promittat amplitudinem regni Iſraëlitis, quia ſcilicet cenſentur Dei nomine, hoc eſt, Dominus eos agnoſcit pro ſuo populo, ſicuti elegit eos, atque adoptavit in perſona patris Abrahæ. Si altera ſententia magis arridet, particula אשר non tam erit relativum pronomen, meo judicio, quam nota cauſalis. Poſſideant ergo reliquias Edom, & cunctas gentes, quia invocatum erit vel invocabitur nomen meum ſuper ipſas. Cujus enim juris aut tituli hæc poſſeſſio eſt, niſi quia tranſituri erant in familiam Abrahæ, qui prius fuerant extranei? Dicitur enim Iſraël poſſidere quicquid aliunde advenit & inſeritur in Eccleſiæ corpus. Sed de hac re non adeo contendo, quia conſtat nobis hoc præcipuum caput, nempe promitti hic regni propagationem ſub Chriſto: acſi diceret, Judæos anguſtis finibus fuiſſe incluſos etiam quum maxime floreret regnum Davidis, quia ſub Chriſto dilatabit Deus eorum fines, ut longe lateque dominentur. Quid ſit invocare nomen Domini ſuper aliquem populum, alibi diximus. Nunc pergamus in contextu.

13. Ecce dies veniunt, dicit Jehova, & occurret arator meſſori, & calcator uvarum efferenti ſemen: & ſtillabunt montes dulcem liquorem, & omnes colles liqueſient. (*nempe ut lacte diffluant.*)

Hic Propheta felicitatem, quæ futura erat ſub regno Chriſti, deſcribit. Scimus autem quoties Prophetæ volunt promittere beatum & proſperum ſtatum populo Dei, ſumere has figuras, quod ſcilicet affluet bonorum omnium copia, quod uberrimus erit frugum proventus, quod annona largiter ſuppetet.

petet. Accommodarunt enim ſtylum veteri populo: itaque non mirum eſt, ſi interdum balbutiant veluti cum pueris. Interea ſub iſtis figuris Spiritus pronunciat, modis omnibus regnum Chriſti felix & beatum fore: vel, ubi regnare Chriſtus cœperit, beatam fore Eccleſiam Dei, quod idem valet. Dicit igitur, *Veniunt dies, dicit Jehova, & arator appropinquabit meſſori*, vel occurret. Non dubium eſt quin Propheta reſpexerit ad benedictionem, quæ traditur à Moſe Levitici 26. Prophetæ enim libenter formulas inde mutuantur, ut ſit major fides & auctoritas doctrinæ. Moſes autem ſimilibus fere verbis utitur, quod ſcilicet vindemia occurret meſſi, deinde quod ſatio occurret arationi. Hoc autem fieri ſolet, quum Deus copiam & tritici & vini ſuppeditat: deinde, quum tempus etiam optabile eſt, ac commodum. Videmus ergo quid velit Propheta, Deum ſcilicet ita benedicturum populo ſuo, ut nihil patiatur deeſſe ad plenam bonorum copiam. *Appropinquabit* ergo *tam arator meſſori, quam calcans uvas efferenti ſemen.* Ubi igitur ceſſabunt à meſſe, ſtatim arandum erit, quia erit tempus commodiſſimum: deinde ubi abſolverint ſuas vindemias, ſeminabunt. Sic ergo notatur omnium frugum ubertas, quemadmodum dixi. Jam hyperbolice loquitur Propheta, dicens, *Stillabunt montes dulcedinem, & omnes colles liquefient*, nempe ut inde lac defluat. Scimus enim hoc nunquam contigiſſe. Sed modus hic loquendi ſatis tritus eſt, ac frequenter occurrit in Scriptura. Summa autem eſt, non fore vulgarem & uſitatam copiam bonorum, ſed quæ fidem ſuperet, imo etiam naturæ ordinem, quaſi montes ipſi diffluerent. Jam ſequitur,

14. Et reducam captivitatem populi mei Iſraël: & ædificabunt urbes dirutas, & habitabunt illic: plantabunt vites, & bibent vinum earum: facient hortos, & comedent fructus ipſorum.

Quia vaticinium, quod vidimus, creditu erat difficile, præſertim ubi abductus fuit populus in exilium, ideo occurrit Propheta diffidentiæ, & oſtendit non fore hoc obſtaculo, quominus in hanc felicitatem, de qua loquutus eſt, populum ſuum Deus evehat. Hæc enim videntur eſſe nimis contraria, populum omni dignitate ſpoliatum trahi in longinquam regionem, vivere in miſero exilio: deinde etiam lacerari in varias partes, opprimi contumelioſa tyrannide: & interea promitti florentiſſimum ſtatum, promitti regni propagationem, qualis nunquam viſa fuerat. Ergo ne præſentes calamitates motu occupent animos, & conſtringant etiam deſperatione, dicit redituros ab exilio Iſraëlitas: non quidem omnes, ſed quemadmodum jam vidimus, promiſſio hæc ad ſolos electos dirigitur. quanquam hic ſimpliciter loquitur de populo. Sed hæc prophetia pendet ex aliis: ideoque non debet extendi niſi ad reſiduum illud ſemen, de quo antehac vidimus. *Reducam* igitur *captivitatem populi mei Iſraël:* deinde, *ædificabunt urbes dirutas, & habitabunt illic:* acſi diceret, Non impedient tam exilium quam aliæ clades & totius terræ vaſtitas, quominus populum meum reſtituam, ſicuti decrevi. Ergo ſi vos terreat triſte illud ſpectaculum, quum videbitis terram nudatam eſſe incolis, videbitis urbes everſas vel combuſtas, videbitis omnia eſſe confuſa: tamen ego potero in priſtinum ordinem omnia reſtituere. & hoc facturus ſum. *Ædificabunt* ergo *urbes dirutas, & habitabunt illic: plantabunt vites, & vinum earum bibent: facient hortos, & comedent fructus ipſorum.* Hic revocat populum ad benedictiones Legis: debuerant enim agnoſcere manum Domini ſibi infeſtam in exilio. Ergo nunc Propheta oſtendit, ſimulac propitius eſſe Dominus iterum cœperit, fore novam rerum faciem: quia ubi Deus ſerenam ſuam faciem oſtendit, ſequitur proſperitas, & felix rerum omnium ſucceſſus. Hoc ergo nunc intelligit Propheta, ne ſcilicet deſperatione concidant miſeri exules, ubi Dominus ipſos caſtigaverit. Tandem ſequitur,

15. Et plantabo eos ſuper terram ſuam, (*in terra ſua*) & non evellentur amplius è terra ſua, quam dedi illis, inquit Jehova Deus tuus.

Hic adjungit Propheta tranquillam ſtationem: quia non ſatis erat populum ab exilio reduci in patriam, niſi illic tuto degeret, ac quietus. Poterat enim ſtatim poſtea rurſum abſtrahi. Fuiſſet igitur ſatius tabeſcere in exilio, quam interea quaſi ludibrii cauſa reduci, & paulo poſt iterum devinci ab hoſtibus, & trahi in aliam regionem. Itaque Propheta dicit tranquillum fore populum, ubi reductus fuerit. Sed utitur metaphora valde apta, quum dicit, *Plantabo eos ſuper terram ſuam, neque evellentur amplius.* Unde enim firma nobis ſtatio ad habitandum, niſi quum Dominus nos alicubi locat? ſumus enim quaſi volatici ſuper terram, & ſingulis momentis poſſemus quaſi quiſquiliæ huc & illuc raptari. Ergo nulla eſt nobis ſtabilitas, niſi quatenus plantati ſumus manu Dei, hoc eſt, quatenus aſſignat nobis Deus certam habitationem, & vult quietos manere. Hoc nunc intelligit Propheta, dicens, *Plantabo eos in terra ſua, neque amplius evellentur.* Quare? *quia dedi illis terram*, inquit. Dederat quidem prius, ſed paſſus eſt inde evelli, quum terram illam polluerent. Nunc autem Deus pronunciat pluris ſibi fore gratiam ſuam, quam populi peccata: quaſi diceret, Etiamſi indignus ſit populus qui in terra hac habitet, tamen prævalebit mea donatio. Neque enim reſpiciam quid ipſi de me ſint promeriti: ſed quia dedi illis hanc terram, eam obtinebunt. Nunc tenemus Prophetæ ſenſum. Jam ſi reſpicimus quid deinde acciderit, nunquam vaticinium hoc fuit completum. Reverſi quidem ſunt Judæi in patriam, ſed exiguo numero: deinde tantum abeſt ut dominati fuerint vicinis gentibus, ut fuerint ipſi potius tributarii. Adhæc anguſti ſemper fuerunt dominationis fines, etiam quum licuit ipſis jugum excutere. Quomodo ergo pollicitus fuerat Deus quod jam expoſuimus? nempe ſi veniamus ad regnum Chriſti, tunc palam erit nihil fruſtra fuiſſe prædictum: quia etſi non dominati fuerint Judæi in ſpeciem, regnum tamen Dei tunc fuit propagatum per omnes Gentes ab ortu uſque ad occaſum Solis: & tunc regnarunt Judæi, quemadmodum aliis locis diximus. Cæterum quod hic dicitur de tritici & vini abundantia, debet exponi pro natura regni Chriſti. Ergo quia ſpirituale eſt Chriſti regnum, ſufficiat nobis etiam affluere ſpiritualibus bonis. Et Judæi, quos Dominus ſibi reſiduos ſervavit, contenti fuerunt illa ſpirituali abundantia. Siquis objiciat Prophetam hic non allegorice loqui, reſponſio facilis eſt: nempe hunc morem paſſim receptum eſſe in Scriptura, ut felicitas ſub commodis præſentis vitæ, & terrenis benedictionibus, quaſi pingatur ante oculos noſtros: præſertim hoc obſervare in Prophetis licet, quia ſtylum accommodabant ad captum rudis & infirmi populi, ſicuti jam diximus. Sed quoniam hoc alibi fuſius tractatum fuit, nunc quaſi in tranſcurſu & leviter tantum attingo. Sequitur prophetia Obadiah, quem vulgo appellant Abdiam.

JOANNIS CALVINI

PRÆLECTIONES

IN

OBADIAM PROPHETAM.

PRÆLECTIO PRIMA.

PRÆFATIO.

PRophetia hæc non eſt contexta ex multis oraculis, neque etiam ex multis
concionibus, ſicuti aliæ: ſed tantum denunciat Idumæis propinquum
exitium: deinde promittit electo Dei populo reſtitutionem. Quod au-
tem minatur Idumæis, hoc facit in ſolatium electi populi. nam hæc gravis erat
ac dura tentatio, quum filii Jacob eſſent electus populus, videre tamen poſte-
ros Eſau, qui divinitus rejecti erant, florere & opibus & potentia. Quum ergo
filii Iſraël miſeri eſſent præ ſuis conſanguineis, potuit videri ridicula Dei ado-
ptio: & fuit multa occaſio cur Iſraëlitæ præferrent ſortem aliorum ſuæ, atque
ita invidia & prava æmulatio inficeret eorum animos, quemadmodum ſolet ut
plurimum contingere. Nam res adverſæ pariunt mœrorem & tædium: jam ſi
occurrat nobis aliorum proſperitas, ita accreſcit mœror noſter, ita etiam tædium
augetur. Quum ergo viderent Iſraëlitæ Idumæos degere in otio, & eſſe extra
omne diſcrimen: deinde quum viderent eos uti ſua abundantia: ipſi autem ex-
poſiti eſſent hoſtibus in prædam, & ſingulis momentis expectarent novas cla-
des: fieri non potuit, quin vel deficerent prorſus à fide, vel ſaltem debilitaren-
tur. Ergo Propheta hic oſtendit, etiamſi Idumæi nunc agant feliciter, tamen
brevi perituros, quia Deo inviſi ſint: & oſtendit hoc fieri in gratiam electi po-
puli, quemadmodum in contextu videbimus. Tenemus ergo nunc conſilium
Prophetæ: quia poterant res adverſæ debilitare Iſraëlitas, vel etiam penitus
frangere, hic Propheta adhibet ſolatium, & fulcit etiam collapſos eorum ani-
mos, quia Dominus brevi eos reſpiciet, & juſtam vindictam ſumet de eorum
hoſtibus. Cur autem vaticinium ſuum dirigat contra ſolos Idumæos, hæc ratio
eſt, quod ſcimus præ aliis crudeliter ſæviiſſe contra Iſraëlitas. Nec enim fruſtra
Pſal.137. verſ.7. dicitur in Pſalmo, Memento filiorum Edom in die Jeruſalem, qui dicebant, Nu-
date; nudate uſque ad fundamenta. Erant certe etiam alii parum amici Iſraëli-
tis, qui conſpiraverant cum eorum hoſtibus. Sed Proplıcta illic oſtendit fuiſſe
furioſum odium in Idumæis, quia ſcilicet erant quaſi flabella ad incitandam ſæ-
vitiam hoſtium. Jam, quo tempore prophetaverit Obadias, non ſatis conſtat, niſi
quia probabile eſt tunc editum fuiſſe hoc vaticinium, ubi Idumæi inſurrexerant
contra Iſraëlitas, & jam multis eos moleſtiis vexaverant. Videntur enim falli qui
putant Obadiam fuiſſe ante tempus Jeſaiæ. Conſtat Jeremiam cap.49. & hunc
Prophetam iiſdem ſententiis, & iiſdem prope verbis fuiſſe uſos, quemadmodum
videbimus poſtea. Certe Spiritus Sanctus poterat diverſis loquendi formis ean-
dem rem exprimere: ſed voluit conjungere hæc duo teſtimonia, ut certior adhi-
beretur fides. Neſcio an fuerint æquales Obadias & Jeremias, & in hac re etiam
non adeo laborandum eſt. Sufficiat nobis, ideo adjunctum fuiſſe hoc vaticinium
aliis, ut certo ſtatuerent Iſraëlitæ, quamvis Idumæi corumſconſanguinci ad tempus
proſpere agerent, tamen non poſſe effugere manum Domini, ſed brevi trahendos
eſſe ad reddendam rationem ſuæ ſævitiæ, quia ſcilicet tantopere ſine cauſa exar-
ſerint contra miſerum & afflictum populum Dei. Jam Propheta noſter in fine
oſtendit Deum fore ultorem hujus crudelitatis, quam exercuerant Idumæi: quia
etiamſi populum ſuum caſtiget, non tamen oblitus ſit gratuiti fœderis. Veniamus
nunc ad verba.

CAPUT

Viſio Obadiæ. Sic dicit Dominus Jehova contra Edom, Rumorem audivimus à Jehova, & legatus ad Gentes miſſus eſt: ſurgite, & ſurgemus contra eam ad prælium.

PRæfatur Obadias ſe nihil humanum afferre: ſed tantum exprimere viſionem ſibi divinitus oblatam. Scimus enim ſolum Deum ſemper fuiſſe audiendum in Eccleſia, ut etiam nunc ipſe audiri poſtulat. Sed interea miſit Prophetas ſuos, ſicuti poſtea Apoſtolos: imo ſicuti miſit unigenitum Filium, quem magiſtrum nobis præfecit, atque unicum & ſummum doctorem. Quum ergo dicit Obadias hanc eſſe viſionem, perinde eſt acſi aſſereret ſe non temere proferre ſua ſomnia, vel quod ipſe ex conjecturis, vel humanis rationibus habeat, ſed tantum afferre oraculum cœleſte: quia חזון, quemadmodum aliis locis vidimus, eſt Viſio, qua olim ſe Deus Prophetis ſuis patefecit. Nunc addit, *Sic dicit Jehova*. Hæc major eſt expreſſio ejuſdem ſententiæ. Videmus enim Prophetam ne ſuſpecta ſit doctrina quam profert, ſtatuere Deum auctorem: quia quid fidei haberi poteſt hominibus, quos ſcimus vanos eſſe & mendaces, niſi quatenus reguntur Dei Spiritu, & ab eo miſſi ſunt? Quum ergo tam diligenter inculcat Propheta ſibi à Deo fuiſſe traditum quicquid profert, hinc colligere licet quod nuper attigi, hac lege olim Prophetas loquutos eſſe, ut tamen ſolus Deus audiri vellet in populo ſuo. Dicit poſtea, *Famam audivimus*. Alii vertunt, Sermonem vel doctrinam. שמועה proprie eſt Auditus, & à verbo deducitur quod poſtea ſubjungit Propheta. *Auditum* ergo *audivimus*, ſi quis ad verbum transferre velit. Jam, quidam putant notari doctrinam, quaſi diceret, Dominus mihi hoc, & aliis Prophetis revelavit: quemadmodum quum dicit Jeſaias cap. 53. Quis credidit auditui noſtro? idem eſt nomen. loquitur autem de ſermone vel doctrina. Sed probabile eſt hic potius notari rumores tumultuoſos, qui ſolent præcedere bella & clades. *Audivimus ergo rumorem*. Non eſt apud Jeremiam verbum pluralis numeri שמענו, ſed שמועה שמעתי. Audivi ergo auditum, inquit Jeremias. Propheta autem noſter plurali numero utitur, Audivimus auditum. Idem tamen ſenſus eſt, quia Jeremias dicit ſe perculſum eſſe rumoribus. Propheta autem hic conſtituit ſe in aliorum numero: acſi diceret, Rumor hic ſparſus eſt, ſed à Domino. Certum eſt fuiſſe rumorem hunc etiam auditum à profanis & Dei contemptoribus: ſed Propheta oſtendit non temere moveri bella, ſed arcano Dei inſtinctu: quaſi diceret, quum orietur tumultus, ne putemus initium eſſe à terra, ſed Deus ipſe auctor eſt. Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ: quanquam loquitur de rumore bellorum, oſtendit tamen non dominari fortunam vel caſum inter iſtos motus, ſed arcanum eſſe aliquem inſtinctum Dei. *Audivimus* ergo *à Jehova*, inquit, *& nuncius*, vel legatus, *ad Gentes miſſus eſt: ſurgite, & ſurgemus contra eam ad prælium*. Apud Jeremiam habetur, Congregamini, venite, & ſurgite contra eam in prælium. Non dubito quin hic Propheta oſtendat unde rumor, cujus nuper meminit: quia ſcilicet jam alii alios incitent ad perdendam terram illam. Si quis humano ſenſu voluiſſet judicium facere, dixiſſet Aſſyriis fuiſſe cauſam, cur bellum inferrent Idumæis, quia ſcilicet vel leves, vel etiam perfidos experti fuerant: vel quia prætenderant occaſionem, quum tamen nulla eſſet juſta ratio bellandi. Sed Propheta hic mentem ſuam ſurſum attollit, & agnoſcit Deum eſſe hujus belli auctorem, quia velit ſumere vindictam de ſævitia illius populi, quam exercuerat contra ſuos conſanguineos Iſraelitas: & ſimul etiam alios hortatur, ut intelligant hoc totum gubernari arcano Dei conſilio, quod Aſſyrii ex amicis repente facti ſint hoſtes, quod bellum contra Idumæos exarſerit, quum tamen ante fuiſſent tranquilli & extra omnem metum & omne diſcrimen. Sequitur, Jer. 49. verſ. 14.

2. Ecce, parvum poſui te inter Gentes, contemptus tu valde.

3. Superbia cordis tui decepit te, quæ habitas in ſciſſuris petræ: (*vel rupis*) excelſa habitatio ejus, dicens in corde ſuo, Quis detrahet me in terram?

4. Si exaltaveris quaſi aquila, & ſi inter nubes poſueris nidum tuum, inde ego detraham te, dicit Jehova.

Iiſdem fere verbis utitur etiam Jeremias. Sed ambiguus eſt ſenſus verborum, quum dicit, Ecce, parvulum poſui te. Mihi probabile eſt hic Prophetam exprobrare Idumæis, quod tanquam invito & repugnante Deo inſoleſcerent, quum tamen redacti eſſent in anguſtias montium: ſicuti alibi dicitur,
Malach. 1. verſ. 2. Eſau & Jacob nonne fratres erant? Ego autem dedi vobis hereditatem patri Abrahæ promiſſam: Idumæos ego relegavi in montem Seir. Hoc autem minus tolerabile eſt, quum quis effertur ſuperbia, ubi tamen non adeo ſplendida eſt ejus conditio. Itaque judico hic exprobrari Idumæis quod ita exultent, & plus juſto ſibi arrogent, quum tamen eſſent contemptibiles, quum eorum conditio eſſet ignobilis & obſcura, quia ſcilicet habitabant in monte Seir. Alii autem putant hic denunciari pœnam quæ inſtabat. *Ecce, parvum dedi te in Gentibus*. Dicit Jeremias, Et contemptibilem in hominibus: omittit duas iſtas voces, Tu valde: dicit tantum, & contemptibilem inter homines. ſed quoad ſummam rei, fere eodem redit. Si ergo intelligimus gentem illam ſine cauſa ſuperbiiſſe, facilis erit ſenſus, quod ſcilicet quaſi gigantum more contra Deum bellaverint, quod ſcilicet ſeſe extulerint, quum tamen eſſent redacti in anguſtias montium. Quanquam autem liberum judicium aliis relinquo, magis tamen inclino in priorem ſententiam: utcunque omnium fere conſenſu poſterior recepta ſit, quod ſcilicet violenter in ordinem cogere deſtinet Deus feroces iſtos homines, qui nulla de cauſa, imo natura fere repugnante inſoleſcebant. Quod ſi magis arridet diverſa interpretatio, incipit à comminatione Propheta: deinde rationem ſubjicit cur Deus attenuare ipſos, imo atterere decreverit. Etſi enim habitabant in montibus, erat tamen ſatis fertilis regio: deinde collegerant ſibi longo temporis tractu multas opes, quum eſſent ſecuri, quum nullus hoſtis illis moleſtus eſſet. Hæc igitur ratio eſt, *Ecce dedi te parvum & contemptibilem in montibus*. Quare? *Superbia enim cordis tui decepit te*. Addit etiam Jeremias Terrorem: quanquam alii vertunt תפלצתך Simulachrum. Sed hoc non videtur congruere. Non dubito igitur quin Jeremias priore loco Terrorem ponat: nam hoc ſemper fere contigit, ut ſuperbi aliis metum incutiant. tales ergo erant Idumæi. Jam ſi ſequamur priorem ſenſum quem expoſui, conjunctim hi duo verſus legendi erunt. *Ecce ego dedi te contemptum in Gentibus, & parvum*: atqui *cordis tui ſuperbia te decepit*. Quidam vertunt, Extulit, à נשא: ſed ש legunt craſſum in ſiniſtro cornu. נשא, ſi punctum

ſit in dextro cornu, eſt Decipere; ſi autem in ſiniſtro, eſt Attollere. Vertunt igitur, Superbia cordis tui te extulit. Sed facile colligimus ex Jeremia, eſſe legendum, ut etiam conveniunt fere omnes interpretes, *Superbia cordis tui te decepit.* Neque enim dicit השיאך, ſed השיא אותך, hoc eſt, fuit tibi cauſa erroris & dementiæ. de ſenſu ergo hujus verbi non eſt dubitandum. Nunc deridet Propheta Idumæos, quod ſcilicet freti ſuis munitionibus exiſtiment ſe eſſe extra jactum telorum, quemadmodum vulgo loquuntur: ideoque inſultent petulanter Iſraëlitis, & Deum ipſum contemnant. Dicit ergo Propheta Idumæos ſibi fruſtra has blanditias facere, quia oſtendet meras eſſe præſtigias quicquid ipſi promittunt ſibi. Summa igitur eſt, Unde iſta vobis ſecuritas quod putatis nihil vobis poſſe hoſtes nocere? imo tam Deum quam homines ſpernitis: unde faſtus iſte? unde etiam tanta confidentia qua turgetis? nempe eſt mera impoſtura, *ſuperbia cordis veſtri decepit vos.* Et tamen non deerat occaſio cur Idumæi ita inſoleſcerent, quemadmodum etiam Propheta adjungit. Sed tandem adhuc oſtendit quomodo ſeipſos fefellerint, quia ſcilicet munitiones iſtas Deus non curet, imo pro nihilo ducat: *Tu habitas*, inquit, (hoc per conceſſionem legendum eſt) *in ſciſſuris petræ.* alii legunt, Inter circuitus rupis: quanquam alii putant סלע eſſe nomen urbis proprium. Sed utcunque fatear Prophetam alludere ad nomen urbis, tamen non video poſſe ſtare quod ipſi docent. non enim quadrant ſciſſuræ urbi quæ in planitie ſita erat, quamvis in montium circuitu. Ego igitur non dubito hic סלע vocari montem Seir. Quum ergo in rupibus haberent ſuas munitiones Idumæi, putabant facile poſſe excludi omnes hoſtes. Et ideo ſequitur, *Celſitudo habitatio ejus*, hoc eſt, habitat in locis excelſis: ideoque *dicit in corde ſuo, Quis me detrahet in terram?* Poſtea adjungit quod jam dixi, nempe etiamſi valde munita eſſet illa regio, tamen Idumæos longe falli, & ſibi etiam accerſere vanas impoſturas: *Si exaltaveris*, inquit, *ſedem tuam quaſi aquila:* ſi extuleris, ad verbum, quaſi aquila: *& ſi inter nubes poſueris nidum tuum, ego illinc te detraham, inquit Dominus.* Jam videmus Prophetam non fruſtra confidentiam riſiſſe, qua inflati erant Idumæi, quia ſcilicet opponerent Deo ſuas munitiones. Atqui hæc ſumma inſania eſt, ubi homines confiſi ſuis opibus audent ſpernere Deum ipſum. Quaſi vero non poſſit facile diſcutere uno flatu quicquid eſt in nobis vel præſidii, vel potentiæ. Sed hæc nobis fuſius tractanda erunt die craſtino.

Da omnipotens Deus, quando vides nos hodie tot hoſtibus undique obſideri, & qui etiam perniciem nobis aſſidue machinantur, nos vero tam infirmos & debiles: da, inquam, ut in te reſpicere diſcamus, & ſic in te recumbat noſtra fiducia, ut quamvis ſimus expoſiti omnibus periculis quo ad ſenſum carnis, tamen non dubitemus te ſemper inſtructum eſſe valida potentia ad hoſtes noſtros terrendos, ut quieti etiam inter omnia diſcrimina vivamus, nec deſinamus unquam nomen tuum invocare, ſicuti pollicitus es te fore certum & fidum ſalutis noſtræ præſidem in Chriſto Jeſu Domino noſtro, Amen.

PRÆLECTIO SECUNDA IN OBADIAM PROPHETAM,

CAP. I.

HEſterna lectione vidimus nihil proficere omnes impios, dum opponunt munitiones ſuas Dei judicio, acſi poſſent ſalvi effugere ex ejus manu. Deus enim quum terram & cœlum ſub imperio ſuo contineat, poterit, quoties ita fuerit viſum, ad ſe pertrahere quicunque potentiam ejus nunc ſpernunt, & ideo derident ejus Prophetas, vel ſaltem minas eorum pro nihilo ducunt. Hæc igitur ſententia diligenter notanda eſt, quum pronunciat Deus in ſuo arbitrio eſſe ex ipſis nubibus detrahere, qui ſe ita extulerint ut putent ſe ſuperiores eſſe omnibus periculis. Nunc ſequitur apud Prophetam,

5. An fures venerunt ad te? an prædones nocturni? quomodo in ſilentium redactus es? *(vel, quomodo conſumptus es?)* annon furati eſſent ſufficientiam ſuam? an vindemiatores ad te venerunt? annon reliquiſſent racemos?

Hoc verſu oſtendit Propheta non levem fore cladem, qua ſtatuit Deus affligere Idumæos, quia nihil manebit ſalvum in ipſis. Amplificat autem quod dicit comparatione. Si quis ſpoliatus fuerit fortunis ſuis à furibus, plorabit quicquid tota vita magnis laboribus acquiſierat, ſibi fuiſſe ablatum uno momento. Si quis etiam ſumptum & laborem impenderit colendæ vineæ, & alius fructum auferat, queretur ſe eſſe miſerrimum, quod ſubſtantiam ſuam & laborem conſumpſerit in vineæ cultura, alius autem fructum voret. Atqui Propheta ſignificat Deum non fore contentum tali pœnæ genere contra Idumæos. Dicit igitur, *An fures nocturni ad te venerunt, vel prædones?* certe furati eſſent, quemadmodum auferunt quod putant ſibi ſufficere: ſed nihil tibi manebit reſiduum. Breviter ſignificat Propheta Aſſyrios non fore ſimiles vel furibus, vel prædonibus nocturnis, qui raptim & clam auferunt ſi quid occurrit ad manum: ſed ſignificat ſpoliandos eſſe Idumæos, ita ut domus ipſorum prorſus vacuæ maneant, idque Aſſyrios facturos pronunciat, quemadmodum graſſari ſolent nocturni fures vel prædones effreni licentia; quia nullus eſt qui obſtare audeat, imo etiam contrà verbum facere. Non erit igitur hæc ſpoliatio vulgaris, inquit Propheta, ſed prorſus te exinanient hoſtes. Eodem etiam ſpectat quod dicit, *An ad te venerunt vindemiatores?* certe ſolent relinquere aliquos racemos, Aſſyrii autem ne uvam quidem relinquent. Diſcedent igitur onuſti præda, ſic ut tu maneas vacuus. Hoc autem admonuimus dici ad levandum vel mitigandum dolorem fidelium, qui tunc poterant ſibi videri pluſquam miſeri, quum ſcilicet ſoli ſpoliarentur ab hoſtibus: videbant enim ſuos vicinos in tuto habitare, imo etiam prædæ eſſe conſortes & ſocios. Itaque conditio eorum valde triſtis & indigna erat. Ergo ut hanc acerbitatem temperet Propheta, dicit ſpoliandos eſſe Idumæos non vulgari modo: quia ne pilus quidem ipſis manebit. Hæc ſumma eſt. Cæterum verbum נדמיתה quidam accipiunt pro Redactus es in ſilentium. Nam verbum דום, vel דמה, ſignificat Silere: & exponunt, Quomodo non ſaltem conatus es occurrere hoſtibus tuis? Silere hic enim accipiunt pro Quieſcere, ut ſæpe hoc דמה accipitur in Scripturis. *Quomodo ergo tacuiſſent?* Loquitur autem de re futura in tempore præterito,

terito, ac ſi jam Deus pœnam ſumpſiſſet de Idumæis, quo certior ſit fides vaticinio. Quomodo igitur redactus es in ſilentium? hoc eſt, Quomodo potuiſti quietus manere, quum videres hoſtes tuos tam violenter prædari? quomodo igitur redactus es in ſilentium? Alii, Quomodo conſumptus es? quoniam ſignificat דמה ſæpe Excidere: ſed in ea re parum eſt momenti. Intelligit enim Propheta non poſſe adſcribi hoc fortunæ, quod hoſtes diripient totam terram Edom: quia ſcilicet hæc violentia minime vulgaris erit. Deinde quia putabant Idumæi undique præcluſos eſſe aditus hoſtibus ſuis quum incolerent cacumina montium, quemadmodum dixi, & ſe tutiſſimos eſſe in latebris illis vel præaltis rupibus, Propheta hic per admirationem oſtendit manifeſtum fore Dei judicium contra ipſos. Pergamus.

6. Quomodo quæſita ſunt Eſau, perveſtigata abſcondita ejus?

Confirmat ſuperiorem ſententiam, quod ſcilicet Idumæi fruſtra confidant divitias ſuas fore ſalvas, quoniam haberent abſconditos & profundos receſſus. Etiam quum hoſtiliter diripitur aliqua regio, tamen non audent victores accedere ad loca periculoſa: ſi ſunt anguſtiæ, refugiunt; putant enim ſubeſſe aliquid fraudis. Quoniam ergo victores quoque, dum ab inſidiis ſibi metuunt, prædantur tantum quæ ſunt obvia, & ſemper conſiderant an tutus ſit acceſſus; Idumæa vero, quemadmodum diximus, habebat receſſus abſconditos: erant enim rupes fere inacceſſæ, erant & multæ commoditates latendi illic, & occultandi ſuas divitias. Ideo Propheta oſtendit hoc totum fore vanum. Et quo efficacius moveat, per admirationem loquitur quaſi de re incredibili: *Quomodo quæſita ſunt Eſau, & perveſtigata abſcondita ejus?* quis hoc putaſſet? nam poterant defodere ſuos theſauros ſub rupibus & cavernis, atque illinc prohibere hoſtes ſuos. Jam fruſtra omnia tentarunt: quomodo hoc fieri potuit? Hic ergo expergefacit hominum animos, ut agnoſcant judicium Dei: & ſimul deridet vanam confidentiam, qua ſemper turgebant Idumæi. Adhæc erigit animos piorum, ut non dubitent facturum eſſe Deum quod pronunciat: quia ſcilicet penetret etiam uſque ad imas abyſſos. Breviter ſignificat Propheta perperam facturos fideles ſi metiantur Dei vindictam, quæ impendet Idumæis, ſuo ſenſu, vel more uſitato: quia Dominus inquiret ac perveſtigabit, ut nullæ latebræ ejus conſpectum effugiant, deinde ut expoſiti ſint in prædam hoſtibus omnes theſauri. Hinc colligimus, ſicuti fruſtra homines latebras ſibi quæritant ut tuti ſint à periculis, ita fruſtra abſcondere ſuas divitias: quia manus Dei penetrabit ultra mare, terram, cœlum & abyſſos. Nihil ergo ſupereſt, niſi ut nos & noſtra omnia ſemper offeramus Deo. Si proteget nos ſuis alis, erimus ſecuri etiam inter innumera diſcrimina. Si autem putamus ſubterfugiis nos quidquam poſſe proficere, decipimur. Nunc addit etiam Propheta,

7. Uſque ad terminum expulerunt te omnes viri fœderis tui, deceperunt te, prævaluerunt tibi viri pacifici tui, (*viri pacis tuæ*) viri panis tui poſuerunt vulnus ſub te: nulla eſt intelligentia in eo.

8. Annon in die illa, dicit Jehova, perdam ſapientes ex Edom? & intelligentiam è monte Eſau? (*hoc eſt, è monte Seir.*)

Hic modum quoque exprimit Propheta, quo Deus pœnam ſumet de Idumæis. confiſi enim ſuis fœderibus, ſpernebant Deum, quemadmodum vidimus. Jam Propheta oſtendit in arbitrio Dei eſſe mutare hominum animos, ut qui tunc amici erant, ſtatim accenſi in rabiem, prodeant ad perdendos Idumæos. Quum ergo putarent non modo inſtar clypei ſibi fore Aſſyrios, ſed inſtar propugnaculi contra Dei manum: Propheta hic denunciat, quum volet Deus pœnam de ipſis ſumere, non opus fore ut procul accerſat vel vindictæ ſuæ miniſtros, vel alia media. Armabit enim Aſſyrios ipſos, & Chaldæos: quia flectit quocunque vult corda hominum. Nunc tenemus conſilium Prophetæ. Hic enim eripit, vel excutit vanam confidentiam Idumæis, ne ideo obdureſcant quia muniti ſint fœderibus, & habeant amicos validiſſimos: quia Dominus ex amicis reddet illos hoſtes. Dicit autem, *Uſque ad terminum expulerunt te.* שלח ſignificat propie Emittere, & Projicere. Vertunt quidam Perſequuti ſunt: quaſi Propheta ſermonem hic haberet de vicinis gentibus. Dicit ergo ſecundum illos, Vicini tui utcunque te ament, nihil tamen præſtabunt officii, niſi quod te proſequentur fictis lachrymis, dum hoſtes abſtrahent te captivum. Sed illa expoſitio coacta eſt, neque etiam reſpondet contextui. Ego itaque non dubito quin Propheta hic deſcribat mutationem qualis futura erat, ut ſciant Idumæi ſe fruſtra confidere ſuis opibus & præſidiis. *Viri ergo fœderis tui*, inquit, *expulerunt te.* Perinde eſt ac ſi diceret, Vide quid proficias: tu ambis ſollicite amicitiam eorum, qui tamen erunt tibi hoſtes: ſi quietus maneres in tuis cavernis, hoc tibi multo eſſet melius. Nunc autem quum curſites in Aſſyriam & Chaldæam, hæc tibi erit cauſa exitii. *Viri ergo fœderis tui te expellent uſque ad terminum:* quod ſi nihil tibi fuiſſet cum ipſis amicitiæ & commercii, poteras commode in tuis latebris degere: nemo te expuliſſet & juſta fuit hæc merces tuæ ambitionis, quod ita profugiſti ad Aſſyrios & Caldæos. Nam eandem ſententiam continuat deinde Propheta: *Deceperunt te*, inquit, *viri pacis tuæ*, amici & fœderati. Nam viros pacis nominant Hebræi, qui conjuncti ſunt aliqua neceſſitudine. *Viri ergo pacis tuæ*: hoc eſt, quibus putaſti fidendum eſſe, & in quibus etiam acquieſcebas, illi te deceperunt, illi etiam prævaluerunt tibi, hoc eſt, oppreſſerunt aſtu & inſidiis. *Viri panis tui poſuerunt ſub te vulnus.* Viros panis etiam vocant convivas vel familiares. Vertunt alii, Qui comedunt panem tuum. & illa interpretatio eſt tolerabilis: quia non dubium eſt Chaldæos & Aſſyrios, ut erant inexplebiles, captaſſe prædam ex Idumæis. Quiſquis enim tunc venatus eſt eorum amicitiam, neceſſe fuit ut afferret aliquid pretii. Quum ergo venderent ita ſuam amicitiam, merito Propheta vocat eos Viros panis reſpectu eorum, quorum vorabant ſubſtantiam & opes. *Viri ergo panis tui* ſi ita accipiamus, ſenſus erit probabilis. Sed poſſumus aliter interpretari, quaſi diceret Familiares & convivas. *Illi ergo poſuerunt vulnus ſub te*: hoc eſt, fuerunt tibi exitio, ſed per fraudem, & occultis artibus. Si quis aperto alterum impetat, ſaltem is qui impetitur, poterit declinare ictum. Sed Propheta dicit Aſſyrios & Chaldæos fore Idumæis perfidos, ut eos opprimant per inſidias. *Ponent* igitur *ſub te vulnus*: quemadmodum ſiquis pugionem occultaret inter culcitram & linteum, ubi dormire quis ſtatuit. Sic etiam dicit ſubtus poni vulnus, quum ſcilicet occultat ſe fictus amicus, ut minore negotio lædat, quem adoritur fraude & aſtu. Tandem concludit, *Non eſt intelligentia in eo.* Hic non dubium eſt quin Propheta oblique derideat ſtultam confidentiam, qua etiam excæcati

erant Idumæi, quod putarent ſe eſſe admodum providos, ut nihil metuendum ipſis eſſet, quum procul conſpicerent, & res ſuas componerent optima prudentia. Quum ergo putarent ſe excellere ingenio, & non poſſe intercipi aliquo aſtu, hic dicit Propheta nihil fore in ipſis intelligentiæ. Sed rationem mox adjungit, *Annon in die illa*, *inquit Jehova*, *perdam vel extinguam ſapientes ex Edom?* Erat hoc incredibile, quum Idumæi proſpere egiſſent, propterea quod bene ſibi conſuluerant, uno momento poſſe ita opprimi. Sed dicit Propheta hoc quoque eſſe in Dei manu & arbitrio. *Annon potero*, inquit, *extinguere quicquid eſt ſapientiæ in Idumæis?* Annon potero abolere omnes ejus prudentes? hoc facturus ſum. Nunc ergo tenemus verborum ſummam. Cæterum locus hic notatu dignus eſt, ubi Propheta Idumæis exprobrat viros fœderatos & amicos fore ipſis in exitium: quia ſcilicet præter jus & fas inter ſe conſpiraverant. Dum ita ſe mutuo conjungunt homines, nemo eſt qui non utilitatem ſuam cupide appetat: interea utrimque falluntur. diſſipat enim Deus eorum conſilia, & maledicit ipſum eventum: quia non ſpectant in rectum finem. Et ſemper reprobi dum conciliant ſuas amicitias, miſcent aliquid perverſum: vel ſtudebunt nocere innoxiis, vel captabunt aliquam obliquam utilitatem. Omnia igitur pacta quæ inter ſe contrahunt impii & Dei contemptores, ſemper habent aliquid vitii implicitum. Ideo non mirum eſt ſi Dominus fraudet eos ſpe ſua, & maledicat ipſorum conſiliis. Hæc ratio eſt igitur cur nunc Propheta denunciet Idumæis, quos putarunt ſibi eſſe optimos & fideliſſimos amicos, fore tamen exitio. Sed hic poſſet objici, idem etiam contingere Dei filiis. David enim quum optima fide & ſumma ſinceritate ageret cum omnibus, conqueritur tamen, virum pacis ſuæ & amicum ſibi machina-
Pſal. 41. tum fuiſſe multas fraudes: Suſtulit, inquit, calca-
verſ. 10. neum ſuum contra me vir pacis meæ: ſimul edebam
cum eo panem, & ille mecum. Et hoc etiam in Chriſto ipſo impleri oportuit. Jam ſi neceſſe eſt configurari omnes Dei filios Chriſti imagini, nihil hic dicit Propheta, quod non competat in totam Eccleſiam & ſingula ejus membra. Hoc poſſet videri abſurdum primo intuitu: ſed ſolutio facilis eſt, quia dum ſtudemus pacem cum omnibus habere, etiamſi homines perfidi nos ex inſidiis opprimunt, Dominus tamen ipſe ſuccurrit: & interea quamvis durum ſit iſtud examen, ſcimus tamen patientiam noſtram probari à Deo, ut tandem nos eripiat, ut poſſimus intrepide ad eum confugere, teſtari de integritate noſtra. Impii autem dum ſeſe mutuo fraudant, dum malis & obliquis artibus alius alium opprimit & circumvenit, dum evomunt ſuum virus occultum, dum pacem in bellum convertunt, ſentiunt ſe referre juſtam & ſibi debitam mercedem. non poſſunt ad Deum confugere, quia conſcientia tenet ipſos conſtrictos: intelligunt enim ſe eſſe meritos quod Dominus juſte ipſis rependit. Non mirum eſt igitur ſi maledicta fuerit conſpiratio, in qua ſperabant Idumæi quum amicos haberent Chaldæos: quia ſcilicet Dominus convertet in exitium quicquid putant nunc ſibi eſſe utile. Hæc igitur ſumma ſit, Niſi velimus ultro decipi, nihil eſſe tentandum niſi ſincero corde. Si ergo non excedimus vocationis noſtræ fines, pacem colamus cum omnibus, ſtudeamus omnibus prodeſſe, ut Dominus nobis benedicat. Si autem velit probare noſtram patientiam, aderit tamen quum nos fallaces amici inſidiis tentabunt, quum eorum malitia trahemur in diſcrimen, & videbimur jam calcandi eſſe ſub eorum pedibus. Cæterum ſi mala fide agimus, & putamus nobis fore fauſtas amicitias, quæ partæ erunt malis & ſceleratis artibus, Dominus convertet in exitium noſtrum quicquid putamus eſſe in ſalutem. Jam notandum eſt quod dicit Propheta, *Annon die illa abolebo*, vel perdam, *ſapientes ex Edom?* Nam quamvis multis modis cæci ſunt homines, quos Deus non gubernat Spiritu ſuo, & quibus non prælucet verbo ſuo, tamen hæc eſt peſſima cæcitas, dum homines ſeſe inebriant falſa opinione prudentiæ. Dum ergo quis exiſtimat ſe præditum eſſe ingenio, ut perſpiciat quicquid opus eſt, neque etiam circumveniri poſſit; hæc eſt furioſa ſapientia, & ſuprema etiam dementia: præſtaret enim nos fatuos eſſe & prorſus inſipidos, quam ita inebriari. Quum ergo phrenetici ſint hujus mundi prudentes, Dominus pronunciat illis nihil fore prudentiæ, ubi ad rem ventum fuerit. Permittit quidem impiis Deus longo tempore ſibi placere in acumine ſuo & conſiliis, quemadmodum paſſus fuerat proſpere agere Idumæos. Atque etiam hodie multi ob proſperos eventus ſibi applaudunt; imo ſuam vafritiem prope adorant. Quis enim Veneris perſuadeat alibi quam apud ipſos optimam eſſe prudentiam, qua ſcilicet fallendo alios omnes ſuperant? nec alia de cauſa inter multas agitationes retinent ſuum ſtatum, niſi quia ſuis commodis in longum proſpicere videntur. Imo in genere quod ſtant Reges, & inter tot concuſſiones tamen ſalvi manent, hoc totum adſcribunt prudentiæ ſuæ: Niſi bene proſpexiſſem rebus meis in hac parte, niſi ego obviam iviſſem huic periculo, niſi etiam hoc fuiſſem intuitus, erat actum de toto ſtatu meo. Sic apud ſe cogitant: ſed Dominus ipſos infatuat tandem, ut appareat non fruſtra ſemel hoc dictum fuiſſe Idumæis, *Annon ego in illa die*, *inquit Dominus*. Hoc eſt emphatice additum, *In illa die*: ſignificat enim Propheta non mirum eſſe ſi hactenus providi fuerint Idumæi, & optimo conſilio uſi fuerint. Dominus enim noluit eos deſtituere prudentia. ſed quum opportunum vindictæ tempus advenerit, tunc momento auferet quicquid in ipſis fuit prudentiæ: quia ſcilicet in manu Dei eſt tollere quicquid vel ingenii, vel acuminis eſt in hominibus. Monemur autem his verbis, ſi pollemus ingenio, non eſſe abutendum hac ſingulari Dei gratia: quemadmodum videmus impios torquere ad vafritiem quicquid Dominus prudentiæ in ipſos contulit. Vix centeſimus quiſque reperietur, qui non appetat callidus eſſe & malitioſus, ſi ingenio pollet: hoc eſt miſerrimum. Quantus theſaurus eſt prudentia? & tamen videmus ut totus mundus pervertat hoc tam præclarum Dei donum: quo magis danda nobis opera eſt, ut condita ſit noſtra prudentia vera ſimplicitate. Hoc eſt unum. Deinde cavendum etiam eſt ne confiſi noſtro ingenio deſpiciamus hoſtes noſtros, putemus nos poſſe præcavere quicquid incommodi impendet: ſed petamus ſemper à Domino in ſingulas horas donari Spiritu prudentiæ, ut nos uſque ad vitæ finem gubernet: quia ſingulis momentis poterit auferre quicquid dedit, & ita nos exponere ignominiæ & ludibrio. Quum dicit, *E monte Eſau*, ſignificat montem Seir, quemadmodum jam admonui. Sed notare voluit totam regionem ipſorum: quia circumdati fere erant montibus, & incolebant Arabiam, quæ vocatur Petræa, ut ſatis notum eſt. Sequitur,

9. Et deficient (*vel frangentur*) fortes tui, Theman, ut excidatur vir è monte Eſau præ occiſione. (*vel, quia excidetur*: מקטל *enim poteſt duobus modis exponi.*)

Poſtquam loquutus eſt Propheta de una ſpecie vindictæ Dei, adjungit ſimul alteram, quod ſcilicet franget quicquid eſt roboris in Idumæa. Atque ita oſtendit non minus in manu Dei eſſe fortitudinem & vires hominum, quam ingenia. Sicuti ergo diſſipat & abolet Deus, quoties viſum eſt, quicquid fuit prudentiæ

dentiæ in hominibus: ita etiam enervat ac frangit corda ipſorum. denique ſpoliat eos omni virtute, ut deficiant & ſponte concidant. Si hoc recte expenderent qui ſuperbiunt ſuis viribus & conſiliis, aliquando diſcerent cum vera humilitate ſe ſubjicere Deo. Sed hæc doctrina non poteſt mundo perſuaderi: tamen hic nobis quaſi in tabula oſtendit Deus, homines, quantumvis floreant ad tempus, tamen fore ſtatim evanidos, niſi quatenus ipſos fovebit, & alet ſua dona in ipſis, & integra ſervabit: præſertim fumum eſſe quicquid videtur eſſe ingenii & virium in hominibus: quia Dominus facile utrumque diſcutiet, ſimulac viſum fuerit. Hoc ergo diligenter notandum eſt, quum dicit, *Frangentur fortes tui, Theman.* Alii putant notari regionem. Theman enim eſt meridies, idque reſpectu Judeæ. Sed quia ſcimus Theman Gen. 37. vers. 11. fuiſſe unum ex nepotibus Eſau, & partem Arabiæ vocatam fuiſſe ejus nomine, illa interpretatio magis eſt probabilis, quod ſcilicet Propheta hic convertat ſermonem ad Idumæam. Eſt autem ſynecdoche in voce *Theman:* quia pars accipitur pro toto. *Quia*, inquit, *excidetur vir.* Quum dicit, *Excidetur vir*, intelligit omnes ad unum perituros. Quomodo? *Præcisione.* Nam קטל ſignificat ſtragem ex qua nihil eſt reſiduum. Videmus ergo quid velit Propheta, ſic animis fractos fore omnes Idumæos, ut omnes concidant: quia ſcilicet nihil erit vel cordis vel virium ad reſiſtendum. Sequitur nunc,

10. Propter oppreſſionem fratris tui Jacob operiet te opprobrium, & excideris in perpetuum.

11. Die quo ſtabas ex oppoſito, die quo alieni auferebant ſubſtantiam ejus, & extranei ingreſſi ſunt portas ejus, & ſuper Jeruſalem miſerunt ſortem: etiam tu quaſi unus ex illis.

Hic Propheta rationem demonſtrat cur Deus tam graviter & ſevere acturus ſit contra Idumæos. Si enim ſimpliciter vaticinatus fuiſſet de ipſorum exitio, hoc erat quidem aliquid: nam ſciviſſent Judæi clades illas non eſſe fortuitas, ſed eſſe Dei flagella: ſciviſſent ſe una cum aliis caſtigari à Deo: ac fuiſſet jam utilis doctrina. Sed præcipuum hoc ſolatium illis attulit, quum audirent ſe ita charos eſſe Deo, ut ſuſciperet eorum injurias, & eas vellet ulciſci: quod ſcilicet haberet eorum ſalutem ſibi commendatam. Quum ergo audirent Deum ſumpturum pœnas de Idumæis, propterea quod ipſos diligeret, certe hoc fuit inæſtimabile ſolatium in malis. Huc ergo nunc deſcendit Propheta, *propter injuſtam oppreſſionem fratris tui Jacob.* Hic paſſive accipitur חמס, Violentia: quaſi diceret, Vide qualiter te geſſeris cum fratre tuo Jacob. Et Fratrem hic nominat non honoris cauſa, ſed potius ut crudelitatem exaggeret in Idumæis, quia ſcilicet ipſa conſanguinitas nullius fuerit apud ipſos momenti, quominus ita ſævirent in ſuos fratres, quaſi in ſua viſcera. Fuit igitur hæc immanis barbaries, quod Idumæi obliti communis naturæ, ita accenſi fuerint odio contra proprios fratres. Deſcenderant enim, quemadmodum ſatis notum eſt, ex eodem patre communi Abraham, & Iſaac poſtea: & geſtabant ſymbolum Circumciſionis. Idumæi enim profitebantur ſe eſſe progenitos ex Abraham, & eſſe peculiarem Dei populum. Quum ergo Deus pepigiſſet fœdus ſuum cum Iſaac communi ipſorum patre, & communiter ipſi geſtarent Circumciſionem, quæ erat teſſera illius ſacri fœderis: qui fieri potuit ut Idumæi ita crudeliter ſe geſſerint contra fratres ſuos? Videmus ergo hic ad augendum crimen poni nomen Fratris, quum dicit, *Propter oppreſſionem fratris tui Jacob.* Quia ergo potuiſti tam violentus eſſe contra fratrem tuum, *jam*, inquit, *operiet te opprobrium, & in æternum excideris.* Significat non fore temporalem cladem, qualis fuit in Iſraële; ſed Dominum tales ſumpturum pœnas, ut oſtendat Idumæos eſſe ſibi extraneos: quia Deus dum Eccleſiam ſuam caſtigat, ſemper adhibet modum. quia nunquam obliviſcitur ſui fœderis. Oſtendit autem Idumæos non eſſe ſuos, utcunque falſo jactent ſe eſſe filios Abrahæ, & Circumciſionis ſignum obtendant: quia erant profeſſi hoſtes, & prorſus deſciverant ab omni pietate, ideo non mirum eſt ſi pro nihilo ducatur ipſorum Circumciſio, quam profanaverant impie. Sed poſtea fuſius, & pluribus verbis idem explicat: *Die*, inquit, *quo ſtabas ex oppoſito.* Nam poterant excipere Idumæi, Quid nos accuſas, quod violenter oppreſſerimus fratrem noſtrum? neque enim fuimus in cauſa cur perirent: negotium illis fuit cum Aſſyriis, ſtuduimus rebus noſtris proſpicere inter iſtas turbas: quæſivimus pacem cum Aſſyriis: Interea ſi neceſſitas ita cogebat, non debet nobis adſcribi vitio vel culpæ. poterant igitur ita excipere Idumæi. Sed Propheta diluit omnes prætextus, quum dicit, *Die quo ſtabas ex oppoſito, die, quo extranei auferebant ſubſtantiam ejus, & alieni ingreſſi ſunt portas ejus, miſerunt etiam ſortem ſuper Jeruſalem:* nonne tu fuiſti tunc? *tu etiam quaſi unus ex illis.* Jam hoc emphatice interponitur, *tu etiam.* nam Propheta proponit hoc quaſi deteſtabile portentum. Non mirum eſt ſi Aſſyrii & Chaldæi effuderint ſanguinem fratrum tuorum, non mirum eſt ſi expilaverint eorum fortunas, totam terram vaſtaverint, diruerint urbes: nam erant hoſtes, erant extranei, erant valde remoti. Sed tu qui con ſanguineus eras: tu quem vinculum pietatis debebat retinere: deinde, tu etiam ipſo jure vicinitatis debebas vel opitulari, vel ſaltem condoleſcere fratribus tuis: quod ita ſævieris, quod *fueris quaſi unus ex* hoſtibus, hoc certe non poteſt ullo modo tolerari. Nunc tenemus quid velit Propheta, quum dicit, *Die quo ſtabas ex oppoſito.* Eſt igitur hæc quaſi expoſitio ſuperioris ſententiæ, ne obtenderent Idumæi falſo ſibi objici, quod violenti fuerint contra fratres ſuos. Hæc enim fuit deterrima oppreſſio, quum ex oppoſito ſtarent: quamvis non eſſent armati, ſed tamen captarent voluptatem ex illo ſpectaculo tam lugubri: deinde, quod non modo otioſi ſpectarent cladem fratrum, ſed etiam eſſent quaſi pars hoſtium. Tu ergo nonne fuiſti quaſi unus ex iſtis? Ego ultra non progrediar.

Da omnipotens Deus, quando nos ſemel recepiſti in fidem tuam, & pollicitus es ſalutem noſtram ita tibi curæ fore, ut quicquid machinetur Satan & totus mundus, tamen ſalvos & incolumes ſervare nos velis: da, inquam, ut conſtantia præditi, maneamus intra fines noſtros, neque vel aſtu, vel perverſis conſiliis huc & illuc evagemur: ſed contineas nos in vera integritate, ut protecti auxilio tuo, experiamur verum eſſe quod verbo tuo pronuncias, qui ſcilicet te invocant in veritate, ſemper ſenſuros te illis eſſe propitium: & quum jam nobis aditum patefeceris in perſona unigeniti Filii tui, da, ut freti illo Paſtore, ſimus oves, & placide maneamus ſub ejus cuſtodia, donec tandem colligamur ab omnibus periculis in æternam illam quietem, quæ nobis parta eſt ejuſdem Chriſti Filii tui ſanguine, Amen.

PRÆLECTIO TERTIA IN OBADIAM PROPHETAM.

CAP. I.

12. Et non aſpicias in die fratris tui, in die alienationis ejus, & ne gaudeas ſuper filiis Jehudah die exitii eorum, & ne magnifices os tuum in die afflictionis. (*hoc eſt, ne magnifice loquaris.*)

13. Ne intres in portam populi mei die exitii eorum, ne aſpicias etiam tu in afflictione ejus (*in malo ejus*) in die exitii ejus, & ne extendas (*manum, ſubaudiendum eſt*) in ſubſtantiam ejus in die exitii ejus.

14. Et ne ſtes ſuper exitum, (*vel lacerationem, confractionem*) ad perdendum eos qui evaſerint, & ne tradas (*vel concludas*) reſiduos ejus in die afflictionis.

HIc Propheta enumerat ſpecies crudelitatis, quam exercuerant Idumæi contra Dei Eccleſiam, nempe filios Abrahæ conſanguineos ſuos. Sed loquitur per modum prohibitionis. Eſt igitur proſopopœia, in qua Propheta inducit loquentem Deum, acſi de humanitatis officiis eos doceret ac moneret. Nam debebant hæc omnia inſculpta eſſe illorum cordibus, quibus nunc exprobrat, quod ab omni æquitate naturæ diſceſſerint; obliti ſcilicet humanitatis. Deus quidem non incepit tunc præcipere Idumæis, vel docere quænam eſſent ipſorum partes: ſed Propheta in memoriam revocat quæ debebant illis nota eſſe, & quæ erant extra omnem controverſiam. Dicit ergo, *Ne aſpicias in die fratris tui, in die alienationis ejus.* Diem Jehudah hic vocat, quo Deus illum viſitat. Sic dies Jeroſolymæ dicitur dies cladis. *Ne aſpicias* ergo. Scimus quo ſenſu accipere ſoleat Scriptura hoc Videre, ubi intelligit homines inſidiari, & nimis cupide aliquid appetere, vel lætari aliquo ſpectaculo. Non dubito quin Propheta hic metaphorice accipiat, pro Capere voluptatem ex clade electi populi. nam paulo poſt repetit idem verbum. *Ne aſpicias* ergo *in die fratris tui*, nempe *die alienationis ejus*. Quidam accipiunt aliter: ſed mihi placet eorum ſententia, qui alienationem vocant exilium. Quanquam non reddunt illi metaphoræ rationem, quod ſcilicet facta fuit tunc converſio populi, ut indueret novam faciem. Hæc fuit igitur alienatio, quum Deus gloriam regni Jehudah prorſus delevit, & quum abſtulit omnes ſuas gratias, ut deformis eſſet facies ipſius populi. *In die* ergo *alienationis*, hoc eſt, quum Dominus illum ſpoliavit priſtina dignitate. *Et ne læteris*, inquit, *ſuper filiis Jehudah in die perditionis*, hoc eſt, exitii, *ipſorum: ne os tuum magnifices in die afflictionis.* Nunc tenemus quid velit Propheta. Quanquam enim videtur hic oſtendere Idumæis ſuum officium, exprobrat tamen quod neglexerint omnes leges humanitatis, & abrepti fuerint ſua ſuperbia & crudelitate. Unde ſequitur dignos eſſe graviſſima illa vindicta, cujus antehac meminit. Ergo ſi querantur Idumæi nimis duriter ſe tractari à Deo, hic Propheta recenſet quod multis modis tale exitium ſibi accerſiverint. Quid? Nonne oblectatus es clade fratris tui? nonne riſiſti quum afflictus eſt Jehudah? nonne etiam tunc magnifice loquutus es per ludibrium? An iſta immanitas tolerabilis fuit? Ao Dominus poſſet nunc tibi parcere, quum tam ſævus fueris contra fratres tuos? Et iterum repetit nomen fratris, quia atrocius fuit crimen, eo quod ne reſpectus quidem ſanguinis quidquam apud eos valuit, ut jam prius dictum eſt. Sed ſæpius commemorat Propheta vel afflictionem, vel exitium, vel cladem, vel mala, aut res adverſas: quia ſcilicet ſenſus hic naturaliter nobis ingenitus eſt, ut quum quis afflictus jacet, tangamur aliqua miſericordia: etiam quum videmus hoſtes noſtros proſtratos, tunc extinguitur, vel ſaltem reſidet odium & iracundia. Et quicunque vident hoſtes ſuos male tractari, jam fiunt quaſi novi homines, hoc eſt, exuunt iracundiam qua prius ardebant. Quum ergo hoc ſit commune fere omnibus, apparet bis & ter fuiſſe barbaros Idumæos, qui gaviſi ſunt clade fratrum ſuorum, & voluptatem ceperunt ex illo tam triſti & lugubri ſpectaculo: imo etiam tunc loquuti ſunt ſuperbius, hoc eſt, inſultaverunt miſeris Judæis. eſt enim illud, *Os magnificare*, quemadmodum diximus. Sequitur, *Ne ingrediaris portas populi mei die exitii eorum, ne aſpicias etiam tu in malo eorum.* Credibile eſt Idumæos irruptionem feciſſe una cum Aſſyriis & Chaldæis, quum deberent prorſus manere domi, & illic lugere cladem fratrum ſuorum. Nam ſi non poſſum eripere amicum meum à morte, vel à clade aliqua, tamen ego me ſubducam, quia non potero ferre conſpectum ejus. Jam ſi cogar etiam aſpicere amicum, & non potero ſuccurrere ejus neceſſitati, potius ego claudam oculos: quia ſcimus ſenſum eſſe teneriimum in oculis. Quum ergo ſponte prodierint Idumæi, ingreſſi etiam ſint Jeroſolymam cum hoſtibus, hinc apparet fuiſſe quaſi feras beſtias. *Non* igitur *ingrediaris portas populi mei die internecionis ejus: ne tu quoque aſpicias*, inquit. repetit גם אתה, Tu etiam. Si alii vicini hoc faciunt, tamen abſtineas tu, quia es conſanguineus: ſi non poſſis opem ferre, ſaltem oſtende ſignum aliquod doloris, & *συμπάθειαν*. Quum autem tu & alacriter & cupide aſpicias ipſorum calamitates, hinc apparet nullam eſſe in te guttam æquitatis. Poſtea repetit, *Ne mittas manum tuam in ſubſtantiam ejus.* Hic accuſat Idumæos, quod involaverint in prædam cum reliquis hoſtibus: quaſi diceret, Non tantum paſſi eſtis expilari fratres veſtros, ſed fuiſtis ipſi prædones. Hoc jam debebat vos triſtitia afficere, quum illi afflicti ſunt ab hoſtibus exteris: quod autem rapuiſtis una, & ditati fuiſtis parte prædæ, hoc certe minime tolerabile eſt. Sequitur, *Et ne ſtes ſuper exitum.* פרק ſignificat rumpere, diſſipare, lacerare: unde פרק, Perek, Hebræis eſt laceratio, & ruptura. Ideo quidam metaphorice accipiunt pro bivio, quum una via ſcinditur in duas. Ubi ergo duo ſunt exitus, illic eſt bivium. Ergo פרק accipitur pro bivio. Sed poſſumus etiam ſimpliciter accipere pro laceratione ipſius populi. quanquam certe mihi placet prior expoſitio, non tamen reſtringo ad bivium: ſed magis probo nomen exitus. *Steteris* ergo *ſuper exitum.* ut totus contextus melius cohæreat. Quid? *Ad perdendum eos qui evaſerint, & ut concludas*, vel tradas, *captivos reſiduos ejus in die afflictionis* In ſumma, intelligit Propheta Idumæos occupaſſe omnes vias, ut interciperent miſeros exules, quibus una ratio ſalutis erat in fuga. Quum ergo miſeri Judæi per obli-

quos

quos exitus ſtuderent ſaluti ſuæ conſulere, dicit Propheta ab Idumæis fuiſſe interceptos, ne quis eorum ſalvus evaderet, & fuiſſe concluſos, ut poſtea jugularentur ab hoſtibus. Quia Aſſyrii & Chaldæi procul remoti erant à Judæa, credibile eſt non fuiſſe illis vias adeo cognitas, & timuiſſe etiam ab inſidiis: Idumæi autem qui familiariter noverant omnia itinera, poterant ſtare ad omnes exitus. Quidam exponunt, ſed nimis frigide, Ne ſtes ad lacerationem fratrum tuorum, hoc eſt, ne quieſcas, ſed ſtudeas manum porrigere laborantibus. Hoc, inquam, eſt nimis frigidum, & coactum, *Ne ſtes igitur ad exitum viarum, ut perdas.* Videmus nunc mentem Prophetæ: *ut perdas*, inquit: deinde, quoſnam? nempe *qui jam evaſerint.* Diſerte ergo notatur crudelitas illa quam dixi, quod Idumæi non contenti fuerint excidio urbis, & ingenti illa ſtrage quæ fuit edita: ſed ſiqui furtim elapſi eſſent, occupabant etiam viarum exitus, ne poſſent evadere. Et eodem ſenſu ſtatim addit, proditos fuiſſe, vel concluſos quicunque reſidui erant in die afflictionis. Jam tenemus conſilium Prophetæ, quod ſcilicet conqueri non poſſent Idumæi, Deum nimis ſeverum eſſe, quum eos in nihilum redigit, quia extrema quæque ſævitiæ exempla ediderunt in fratres ſuos: idque quum eorum clades deberet delere omnia odia & inimicitias veteres, quemadmodum fieri ſolet etiam in hominibus alieniſſimis. Pergamus,

15. Quia propinquus dies Jehovæ ſuper omnes Gentes: ſicut feciſti fiet tibi, merces tua revertetur in caput tuum.

Quum dicit *diem Jehovæ inſtare ſuper omnes Gentes*, poſſemus ita accipere quaſi ratiocinetur à majori ad minus. Si Deus non parcet reliquis Gentibus, quomodo tu effugeres ejus manum? quemadmodum etiam loquitur Jeremias cap. 49. compellat ipſos Idumæos his verbis, Ecce bibent ex calice qui judicio damnati non erant ad bibendum: tu autem non guſtabis? bibendo ebibes uſque ad fæcem. Oſtendit ergo Idumæos mereri duplicem vindictam, quia ſcilicet ſi comparentur cum Aſſyriis & Chaldæis, levis erit aliorum culpa, quod Chaldæi poterant obtendere aliquas belli cauſas: erant alieni, erant denique profeſſi hoſtes. Idumæi autem erant vicini & conſanguinei. Idem etiam de aliis Gentibus dici poterat. Sed licebit etiam ſimplicius exponere hæc verba, quod ſcilicet Deus non tantum de una vel altera gente ſumpturus ſit vindictam, ſed de omnibus ſimul. Ecce, inquit, continget mutatio non in angulo uno duntaxat, ſed in toto orbe. Dominus hoc modo oſtendet ſe eſſe totius mundi judicem. Hinc ſequitur, venturos quoque Idumæos in rationem, quia ſcilicet Deus ſtatuit judicium facere inter omnes Gentes, nulla omnino præterita. *Ecce ergo propinquus eſt dies Jehovæ.* Diximus tempus quo vaticinatus eſt Obadias, eſſe nobis incognitum. Sed non mirum eſt, ſi denunciat *propinquum eſſe diem Jehovæ*, quia Dominus non feſtinat more humano: ſed interea tamen novit ſuas opportunitates: & ſemper impletur illud, Quum impii putant ſe fore tranquillos, tunc inſtare illis ſubitum exitium. Colligit, *Sicut feciſti, ita fiet tibi.* Videtur tamen hic tacita eſſe antitheſis inter caſtigationem electi populi & pœnas quæ ſumendæ erant de aliis Gentibus. Idumæi quum viderent regnum Iſraël & Jehudah peſſundari, putabant ideo puniri filios Abrahæ, quod Prophetas ſuos contemptam ſpretant, quod fuerant immorigeri & contumaces uſque ad extremum. Hoc modo eximebant ſe & reliquos à pœna. Jam denunciat Propheta Deum fuiſſe judicem populi ſui, ſed eſſe etiam totius mundi judicem: & hoc ſtatim palam fore. Quum ergo dicit *propinquum eſſe diem Jehovæ ſuper omnes Gentes*, non dubito quin reſpiciat ad caſtigationem Eccleſiæ, quemadmodum jam dixi: acſi diceret, Sicuti Deus oſtendit ſe eſſe juſtum ſcelerum ultorem in Iſraële & Juda: ſic etiam tandem conſcendet tribunal ſuum contra omnes Gentes. ergo nullus effugiet pœnam. Singuli igitur ſuo ordine cogentur rationem reddere factorum ſuorum, quia nullis parcet Dominus: & ubi inceperit ab Eccleſia & domo ſua, tamen poſtea ad ſumendas pœnas adveniet opportunum tempus, quo extendet manum ſuam ad Gentes profanas. Videtur mihi hic genuinus eſſe ſenſus. Merito concludit, Ergo *ſicuti feciſti, fiet tibi*: ne putes impune te graſſatum eſſe contra fratres tuos. Deus voluit exemplum ſuæ ſeveritatis in alios edere quum tibi parceret; tu autem abuſus es indulgentia ejus. poteras enim quietus domi manere. Ergo Dominus rependet tibi: quemadmodum etiam ſubjicit, *Merces tua recidet in caput tuum*, vel revertetur. Oſtendit hoc loco Propheta, quod etiam Chriſtus dicit, Qua *Matt. 7.*
quiſque menſura menſus fuerit, etiam illi remenſum *verſ. 2.*
iri. Hæc ſententia notatu digna eſt. Dum enim permittit Deus innoxios impiorum libidini, putant ſibi impune quidvis licere, quaſi eſſent Dei vel lictores vel carnifices. Quum ergo ita inſoleſcant ubi Dominus illis parcit, notemus quod hic dicit Propheta, paratam ſcilicet eſſe cuique mercedem, & quicquid crudelitatis exercuerint improbi, hoc rediturum in capita ipſorum. Sequitur,

16. Quia ſicuti bibiſtis ſuper montem ſanctum meum, bibent omnes Gentes jugiter: bibent (*inquam*) & ſorbebunt, & erunt quaſi non ſint.

Hic longius progreditur Obadias, quod ſcilicet Deus ulciſci velit injurias Eccleſiæ ſuæ illatas. Generalis erat ſententia proximi verſus, Ecce ſuper omnes Gentes dies Jehovæ propinquus. Sicuti ergo feciſti, Deus tibi rependet. Sed nunc oſtendit hoc futurum eſſe, quia Deus velit tutari clientes ſuos: & quum crudeliter violati ſint, velit eſſe ipſorum vindex. *Sicuti ergo bibiſtis ſuper montem ſanctum meum.* Non dubito quin per ſynecdochen hoc *bibere* Prophetæ tantundem valeat, atque triumphos agere, vel tripudia. Sicuti ergo lætati eſtis ſuper montem ſanctum meum, ita etiam *bibent* omnes Gentes, & continuabunt ſuam crapulam, *ſorbebunt*, ita ut toti pereatis. Cæterum, non dubito quin Propheta ſimul conjungat notam avaritiæ. Paulo ante perſtrinxit Idumæos, quod ſimul cum exteris gentibus rapuerant prædæ partem, quum ſpoliarentur miſeri Judæi. Ita etiam nunc dicit, *Bibiſtis* in ſignum triumphi & tripudii. *Bibiſtis* ergo vinum *ſuper montem ſanctum meum. Jam bibent omnes Gentes.* Hoc bibere ſecundo loco aliter accipitur quam priore. Quid ergo? *Bibent & ſorbebunt*: id eſt, exhaurient omnem veſtram ſubſtantiam. Poſtea addit, *Et bibent jugiter, & erunt quaſi non ſint*: hoc eſt, donec conſumpſerint quicquid in vobis eſt, non deſinent edere & bibere. Significat ergo Idumæos, qui ditati fuerant ſpoliis fratrum ſuorum, & qui etiam convivia agitaverant in ſignum lætitiæ ſuper montem ſanctum Dei, fore poſthac aliorum cibum, quia *Gentes omnes bibent & ſorbebunt eos.* Idem eſt igitur hoc bibere, atque conſumere. Sequitur, (nam ego conabor hodie abſolvere hunc Prophetam: & feret tempus ut ſpero.)

17. Et in monte Sion erit evaſio, & erit ſanctitas, (*nempe mons ipſe*) & poſſidebit domus Jacob poſſeſſiones ſuas. (*alii vertunt, eos à quibus poſſidebantur.*)

Hic Propheta promittit Judæis liberationem, quia aliæ conſolationes non multum habuiſſent momenti, niſi ſperaſſent qui tunc perierant, ſe aliquando fore ſalvos. Poterant enim objicere Judæi, Quid ad nos, etiamſi Dominus vindicet noſtras injurias? Si pereant Idumæi in gratiam noſtram, quid hoc nobis proderit? Interea tamen nos jam ſumus perditi, & nulla eſt ſpes ſalutis. Propheta hic occurrit, Ecce, inquit, *in monte Sion erit evaſio*. Quamvis ergo conati eſſent intercipere omnes exitus Idumæi, quemadmodum prius dictum eſt, tamen hic Deus promittit fore aliquam evaſionem in monte Sion. Non dicit ex monte Sion, ſed in ipſo monte. Quid hoc ſibi vult? nempe quod Deus reſtituet qui tunc poterant videri perditi. Clare ergo promittit Obadias futuram Eccleſiæ reſtitutionem. Sed docemur hoc loco, ſemper temporales eſſe pœnas, quibus Dominus caſtigat populi ſui delicta. Ergo quoties Deus plagas infligit Eccleſiæ, ſimul parata eſt medicina: quia Deus non vult, neque etiam patietur in totum perire ſuos. Hoc colligere licet ex Prophetæ verbis, quum dicit fore evaſionem in monte Sion. Fuit autem hoc non vulgare ſolatium, quum intelligerent Judæi, etiam in extremo ſuo interitu reſtare tamen aliquid ſalutis, & populum, qui ad tempus videri poterat extinctus, fore tamen ſalvum & ſuperſtitem, quaſi à mortuis reſurgeret. Dicit montem Sion *fore ſanctitatem*, vel *ſanctum*: quibus verbis ſignificat Deum memorem fore fœderis ſui. Quia ergo elegerat montem Sion, in quo volebat coli, Propheta dicit non fuiſſe Dei nomen illic temere, vel de nihilo invocatum. Quia Deus hunc montem ſibi delegit, *Sanctus erit*: ſicuti dicitur Deus Profanare terram & Templum, quum deſerit, quum tradit in manum hoſtium. Sic etiam nunc quum dicit Propheta montem Sion *fore ſanctum*, tantundem hoc valet, atque Deum curam habiturum hujus montis, quia eum ſibi ſemel conſecravit, quia voluit ſibi eſſe proprium domicilium. Cauſa igitur hic adjungitur effectui ſuo. Dixerat Judæos fore ſuperſtites, utcunque ad tempus eſſent ſimiles perditis & mortuis. Quare? hæc eſt cauſæ redditio, Nam mons Sion erit ſanctus. Fuit illa horrenda profanatio montis Sion, quum Templum exciſum eſt, quum ablata fuerunt vaſa à Babyloniis, quum denique illic hoſtes omni genere petulantiæ uſi ſunt. Sed quum Dominus reſtituit populum ſuum, quum rurſus erectum eſt altare, & oblata ſacrificia, tunc mons Sion recuperavit ſuam ſanctitatem, hoc eſt, Deus oſtendit non abolitam fuiſſe electionis ſuæ gratiam: quia ſcilicet montem Sion ſanctificaverat, ideo etiam voluit ſalvum eſſe. *Erit ergo mons Sion ſanctus.* Siquis vellet ſubtilius accipere Prophetæ verba, hic certe modus ſalutis noſtræ eſt, quum Deus nos ſanctificat, hoc eſt, gubernat Spiritu ſuo. Sed non dubito, quin Propheta ſimpliciter ad electionem Dei reſpexerit. *Et domus Jacob iterum poſſidebit ſuas poſſeſſiones*: hoc eſt, quicquid Deus attribuit filiis Abrahæ in hereditatem, hoc ipſis reſtituet ubi reverſi fuerint ab exilio. Siquis active accipere malit, non repugno. Sed tamen ego arbitror hunc genuinum eſſe Prophetæ ſenſum, quod ſcilicet ubi filii Iſraël ab exilio reverſi erunt, ſimul Deus reddet illis veterem patriam, ita ut occupent quicquid promiſſum fuerat patri ipſorum Abrahæ. Intelligit ergo poſſeſſiones eorum, totam illam terram quæ forte debuit venire in poteſtatem electi populi, ſicuti Abrahæ promiſſa fuerat. Sequitur,

18. Et erit domus Jacob ignis, & domus Joſeph in flammam, (*flamma, ut reſpondeat*) & domus Eſau erit palea: & ardebunt in ipſis, & conſument (*vorabunt*) eos, & non erit quidquam reſiduum domui Eſau, quia Jehova loquutus eſt.

Hic rurſus occurrit Propheta dubitationi, quæ poterat cuique venire in mentem. Nam florebant Idumæi, & integra erat ipſorum conditio, quum abducti ſunt tam Iſraëlitæ quam Judæi in exilium, & Jeruſalem etiam cum Templo exciſa fuit: tunc deſperare poterant. Sed Propheta oſtendit, etiamſi ad tempus domus Jacob ſit mortua, tamen ignem eſſe excitandum, qui conſumat Idumæos, quamvis tunc ſuperbirent & potentia, & opibus, & etiam proſpero eventu victoriæ, quod ſcilicet ditati fuerant una cum Aſſyriis clade fratrum ſuorum. Simili genere Jeſ.29.6. loquendi etiam utitur Jeſaias, quanquam ſermonem dirigit non ad Idumæos, ſed ad alios: interim tamen ratio loquendi eadem eſt, quod ſcilicet Deus qui lux eſt Iſraël, ignis & flammæ vice erit, ut conſumat impios. Hoc autem impletum fuit, quum Dominus ultus eſt ſævitiam Edom, quamvis adhuc in exilio eſſent Judæi, nec poſſent digitum movere, quum eſſent illi inermes, imo quum eſſent miſerrima mancipia: tunc Idumæi conſumpti ſunt. Quonam igne? Unde incendium exarſit? *Nempe tunc domus Jacob & domus Joſeph fuerat inſtar ignis & flammæ.* Et hæc cauſa exitii Idumæis non apparuit ſubito. verum eſt: ſed ſpectandum eſt hic conſilium Dei. Cur Deus tam ſevere perdidit Idumæos? Quia ſcilicet voluit hoc teſtimonio oſtendere, quam charam haberet ſuam Eccleſiam. Quoniam ergo crudelitas fuit cauſa exitii Idumæis, merito dicit Propheta domum Joſeph, & domum Jacob fuiſſe inſtar ignis & flammæ, ut conſumeret ipſos Idumæos. Hoc autem fuit non leve ſolatium miſeris exulibus, quum intelligerent ſe adhuc reſpici à Deo in illa tam contempta fortuna. Quum ergo ignominiæ & ludibrio omnium eſſent expoſiti, Deus teſtatus eſt ſibi ipſos eſſe curæ, & in ipſorum gratiam perdere integras gentes, & quæ tunc gloriabantur ſuis opibus. Nunc ergo tenemus cur Propheta hanc figuram uſurpaverit. Domum Joſeph accipit pro ipſo regno Iſraël per ſynecdochen, quemadmodum alibi diximus. Sequitur,

19. Et poſſidebunt meridiem montis Eſau, & planitiem Philiſtim: & poſſidebunt agros Ephraim, & agros Samariæ: & Benjamin poſſidebit Gilead.

20. Et migratio exercitus hujus filiorum Iſraël, quod Chananæorum fuit uſque ad Zerphath, (*vel qui ſunt in Chananæis*) & migratio Jeruſalem, quod in Sepharad, poſſidebunt (*inquam*) urbes Auſtrales. (*vel meridionales.*)

Proſequitur eandem ſententiam Propheta, quod ſcilicet Deus non tantum colliget reliquias populi ſui ab exilio Babylonico, ſed iterum reſtituet exules, ut longe & late dominentur, ut melior ſit etiam eorum conditio, quam prius fuerat. Revocat enim meo judicio Propheta ad primam illam Dei benedictionem, quæ depoſita fuerat in manu Abrahæ. Promiſerat ergo Deus Abrahæ poſteris totam terram ab Euphrate uſque ad mare. Jam terra nunquam poſſeſſa fuit à filiis Abrahæ. Hoc factum eſt ignavia & ingratitudine ipſorum, ſicuti ſatis notum eſt. David fines ampliavit ſuo tempore;

pore : ſed tamen tantum reddidit ſibi tributarios, quos Deus juſſerat interfici. ita nunquam fuit impleta illa benedictio, quia obſtaculum poſuit ipſe populus. Nunc Propheta quum de reſtitutione Eccleſiæ verba facit, ſimul docet populum, qui reverſus fuerit ab exilio, occupaturum totam illam regionem, quæ promiſſa fuerat patribus: quaſi diceret, jam aderit vobis plena & ſolida hereditas. Nunc, certum eſt hoc nunquam fuiſſe completum: videmus exiguam terræ partem fuiſſe poſſeſſam à Judæis. Quid ergo ſibi vult hoc vaticinium? Certe ſatis conſtat Prophetam hic concionari de Chriſti regno: & ſcimus tunc vere reſtitutam fuiſſe Eccleſiam: nec Judæos modo recuperaſſe priorem ſtatum, à quo exciderant, ſed regnum fuiſſe auctum. Qualis enim ſplendor fuit & Regni & Templi ſub Chriſto? hoc nunc intelligit Propheta, quum Judæis promittit hereditatem quam perdiderant: imo dilatavit tunc Deus terminos Judææ, ideo oſtendit non modo reſtituendos eſſe in priorem fortunam, ſed augendum eſſe ſplendore & opulentia regnum, quum ſcilicet advenerit Chriſtus. Nunc percurram verba. *Poſſidebunt* ergo *meridiem montis Eſau*. Non dubium eſt quin fuerit longa diſtantia: etiam quum David regnaret, non poſſidebant tunc Judæi partem illam vel plagam meridionalem montis Seir. Ergo, quemadmodum jam dixi, Propheta oſtendit ampliores fore regni terminos quam fuiſſent. *Et planitiem*, inquit, *Philiſtim*. Ab illa etiam parte Dominus efficiet, ut longius extendant ſuum imperium Judæi. *Et poſſidebunt agros Ephraim*. Ego hic non anxie laboro in deſcriptione terræ: ſed ſatis nobis eſt etiam tenere Prophetæ conſilium, quod ſcilicet longe ſplendidior erit populi conditio poſt exilium, quam ante fuiſſet, etiam ſub regno Davidis. Quid per *Gilead* ſignificet, non ſatis certum eſt. Nam credibile eſt hic non deſignari montem Gilead, qui procul erat remotus à Tribu Benjamin; ſed potius notari vel oppidum vel locum diverſum ab illa regione, quamvis non comprehenſum in ipſorum ſorte. Poſtea addit, *Et migratio exercitus hujus filiorum Iſraël*. Hic eſt aliqua obſcuritas in verbis: Hebræi per Chanaan intelligunt tam Illyricos, quam Germanos, quam etiam Gallos. Dicunt enim, migratio quæ diſperſa erit per Galliam, & per Germaniam, & per illas longinquas regiones, poſſidebit urbes Meridionales. Jam, per Zerphath intelligunt Hiſpaniam. Sed ſcimus, & alibi etiam dixi, quam ſint audaces Judæi in ſuis commentis. Nihil enim ipſos pudet: quum nugantur & comminiſcuntur res frivolas, tamen hoc perinde aſſerunt, acſi eſſet compertum ex hiſtoriis, acſi tenerent manu. ita garriunt de rebus etiam ſibi incognitis, & hoc faciunt ſine ulla ratione & delectu. Ego itaque non dubito, quin Propheta hic ſignificet omnes terminos qui promiſſi olim fuerant filiis Abrahæ, venturos ſub eorum poteſtatem, quum Dominus Chriſtum ſuum mittet, qui non modo res collapſas reſtituat, ſed etiam qui reddat ſtatum populi omni ex parte felicem. Summa igitur eſt, non modo recuperabunt Judæi res perditas, ſed quod hactenus non datum fuit illis poſſidere, hoc Dominus illis in manum tradet, ubi advenerit Chriſtus. Sequitur,

21. Et aſcendent ſervatores in montem Sion, ad judicandum montem Eſau: & erit Jehovæ Regnum.

Hic Propheta dicit eſſe Deo in manu miniſtros, quorum opera utitur ad populum ſuum ſervandum. Neque dubito quin ad hiſtoriam Judicum alludat. Scimus enim ſæpius ita afflictum fuiſſe populum Iſraël, ut incredibilis eſſet liberatio: & tamen ſæpius etiam ita liberatum eſſe, ut facile conſtaret è cœlo manum Dei apparuiſſe. Quum ergo hoc ſatis notum eſſet Judæis, jam Propheta admonet adhuc eſſe Deo aliquos redemptores in manu, quum volet populum ſuum colligere. *Deus*, inquit, *mittet ſervatores*, nempe ſicuti olim miſit patribus veſtris. reipſa enim experti fuerunt, neque ſemel duntaxat, ſed plus decies, quod hic dicit Propheta. Ergo hoc plurimum valere debuit ad confirmandum vaticinium. *Aſcendent* igitur qui judicent montem Eſau, hoc eſt, qui inſtructi Dei virtute & auctoritate pœnas ſumant de monte Seir, & de gente tota, & vindicent crudelitatem quam exercuit Edom adverſus filios Abrahæ. Cæterum, hic locus oſtendit Chriſtum non fuiſſe miniſtrum liberationis & ſalutis noſtræ, ſed fuiſſe ſpeciali ratione Servatorem noſtrum, ita ut unicus ſit in illo gradu. Et hoc argumentum eſt efficaciſſimum etiam contra ipſos Judæos. Fatentur Meſſiam fore populi redemptorem: ſed tantum generale illi miniſterium tribuunt, quemadmodum & Davidi, & aliis Regibus. Atqui certo patet ex hoc loco Meſſiam non eſſe ex communi ordine, quia ſervatores ei ſubordinantur tanquam miniſtri. Hoc Judæi, etiamſi crepare debeant, non auderent negare: quia abſurdum eſſet, unum eſſe ex aliorum numero. Quum ergo miſſus ſit alio modo Redemptor & Servator, quam alii: ſequitur non eſſe hominem duntaxat, ſed eſſe auctorem ſalutis. Excipere enim promptum erat, Quid de multis redemptoribus nobis loqueris? nonne ſperandus eſt unus ſervator? Si pluribus mandabit Deus has partes æquali modo, quorſum tam magnificæ promiſſiones de Meſſia? cur ſemper ad illum unicum revocamur? cur ipſe unus nobis proponitur quaſi ſalutis fundamentum? Certe hinc colligitur, Chriſtum ab aliis omnibus diſtingui, & alios ſub manu ejus eſſe ſervatores: quales fuerunt Apoſtoli, & ſunt omnes hodie, quorum opera & miniſterio Deus Eccleſiam ſuam tuetur & ſuſtentat. Jam addit, *Jehovæ fore Regnum*. Quum autem certum ſit, Deum non aliter voluiſſe dominari in populo ſuo poſtquam eum reſtituit, niſi per Chriſti manum: Regnum Chriſti dicens penes Jehovam eſſe, vere divinum eſſe ſignificat, & quidem illuſtrius quam ſi hominum opera uteretur. Sed duo hic notanda nobis ſunt: nempe quod vere dominetur in perſona Chriſti Deus ipſe: deinde quod hic ſit legitimus ordo regendæ Eccleſiæ, ut Deus ſolus præſideat, & imperium ſolus obtineat. Ergo ubi Deus non eminet ut ſolus ſit Rex, ſequitur omnia eſſe turbata, nihil eſſe ordinis. Rex autem non vocatur Deus inani titulo: ſed tunc Rex vere cenſetur, ubi omnes ſe illi ſubjiciunt, ubi verbo ſuo eos regit, denique ubi ſilent coram facie ejus omnes creaturæ. Deo igitur Regnum erit. Ergo videmus nullam eſſe Eccleſiæ formam, ubi verbum Dei auctoritate ſua non pollet, ut compeſcat quicquid eſt altitudinis in hominibus, & redigat ſub jugum: ut ſcilicet omnes pendeant à ſolo Deo, & omnes eum ſuſpiciant, ipſe autem habeat omnes ſibi ſubjectos.

Da omnipotens Deus, quando in hoc mundo ſic diſperſi peregrinamur, ut etiam horribile hoc ſpectaculum expoſitum ſit oculis noſtris, dum videmus miſere laceratam eſſe tuam Eccleſiam: da, inquam, ut vera virtute Spiritus tui inſtructi, & in unum collecti, ſic colamus fraternam benevolentiam inter nos, ut quiſque alios juvare ſtudeat: & interea etiam oculos teneamus conjectos in Chriſtum tuum: & quanquam dura certamina nos maneant, tamen ſimus ſub ejus præſidio & fide, & ita exerceamur ad patientiam, ut militia noſtra perfuncti, tandem potiamur beata illa quiete, quam nobis pollicitus es, & quæ nobis repoſita eſt in cœlo, ſicuti etiam nobis peperit ſanguine ſuo idem Chriſtus Filius tuus Dominus noſter, Amen.

JOAN.

JOANNIS CALVINI
PRÆLECTIONES
IN
JONAM PROPHETAM.

PRÆLECTIO PRIMA.

PRÆFATIO.

QUo tempore autem Jonas officio Doctoris fuerit functus, colligi poteſt aliquatenus ex 14. cap. 2. libri Regum. nam certum eſt eundem eſſe quem illic nominat ſacra hiſtoria: quia diſerte vocatur filius Amittai. Jam, dicitur illic Jarobeam filium Joas ampliaſſe fines regni ab introitu Hemath uſque ad mare deſerti, ſecundum ſermonem Jonæ ſervi Dei, filii Amittai, qui erat oriundus è Geth. Tunc ergo, vel paulo ante Jonas prophetavit. Et certum eſt, non modo fuiſſe miſſum ad Ninevitas, ſed in populo Iſraël ſuſtinuiſſe perſonam Doctoris. Atque etiam videtur innuere principium libri quod dico, nempe fuiſſe ordinarium Prophetam in populo Iſraël, quia incipit à copula, Et factum eſt verbum Domini ad Jonam. Sic interdum etiam loquitur Spiritus ſanctus: ſed non dubito quin Jonas ſignificet ſe à munere conſueto fuiſſe revocatum, & injunctam novam prophetiam, ut ſcilicet Ninevitis denunciaret propinquum exitium, quemadmodum videbimus. Jam ergo tenendum eſt, Jonam docuiſſe in populo Iſraël, ſed fuiſſe hoc illi mandatum, ut deſcenderet ad Ninevitas. Porro de mandato poſthac ſuo ordine videbimus: ſatis eſt hoc tenere, non fuiſſe tunc demum creatum Prophetam quum datus eſt Doctor Ninevitis; ſed quum diu impendiſſet ſuam operam Deo & Eccleſiæ ejus, miſſum fuiſſe ad Ninevitas. Liber autem hic partim eſt hiſtoricus, partim didaſcalicus. Refert enim Jonas quid ſibi contigerit poſtquam voluit ſubterfugere Dei vocationem: deinde etiam qualis fuerit exitus prophetiæ. hoc eſt unum. Sed interea etiam refert quale doctrinæ genus juſſus fuerit perferre: deinde ſcribit Canticum gratiarum actionis. hæc igitur poſterior pars continet doctrinam, non eſt ſimplex narratio. Nunc venio ad verba.

CAPUT PRIMUM.

ET fuit ſermo Jehovæ ad Jonam filium Amittai, dicendo, Surge, vade Nineveh ad urbem magnam, & clama contra eam, quia aſcendit malitia eorum coram facie mea.

SIcuti jam attigi, videtur Jonas oblique hic notare ſe prius fuiſſe vocatum ad docendi munus, quia perinde loquitur acſi contexeret hanc hiſtoriam cum ordinaria ſua functione. Sermo igitur Dei non cœpit tunc demum fieri ad Jonam quum Nineven miſſus eſt: ſed, quum eſſet ordinarius Propheta, voluit etiam Deus transferre ejus operam ad alias gentes. Quod autem Nineven miſſus eſt: fieri potuit ut Dominus pertæſus obſtinationem populi ſui, voluerit edere exemplum piæ docilitatis in gente profana & incircumciſa, quo magis redderet inexcuſabiles Iſraëlitas. Dederant nomen veræ pietati: jactabant ſe eſſe ſacrum populum: Circumciſio etiam erat illis ſymbolum & pignus fœderis Dei: tamen ſpernebant omnes Prophetas, ut eſſet inutilis apud eos doctrina. Probabile igitur eſt, abreptum fuiſſe illis Prophetam, ut Ninevitæ ſuo exemplo augerent crimen Iſraelis, quia triduo converſi ſunt ad Deum, poſtquam Jonas illic concionatus eſt: apud Iſraëlitas autem & gentiles ſuos nihil longo tempore profecerat, quum tamen ſatis ſancita fuiſſet ejus auctoritas, adeoque in ipſorum bonum, quemadmodum nuper diximus. Nam Jonas prædixerat adhuc ſtaturum regnum Iſraël: quamvis digni erant qui perirent, Dominus implevit quod pollicitus fuerat per os ſervi ſui. Debebant ergo amplecti ejus doctrinam, non modo quia divina erat, ſed quod Dominus etiam voluerat eſſe ipſis amabilem. Ego certe non dubito, quin populi ingratitudo hoc modo traducta fuerit quum Ninevitæ reſipuerint ad vocem Jonæ, & quidem brevi temporis ſpatio: populus autem Iſraël ſemper obduruerit in ſua pervicacia. Et ideo quidam locum illum Matthæi 12. ſubtilius exponunt, Generatio hæc perverſa ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ

Pro-

Prophetæ: quod ſcilicet transferendum eſſet Evangelium ad Gentes, ſicuti Jonas abductus fuerat à gente ſua, & datus exteris & profanis doctor. Voluot igitur illic ſubeſſe vaticinium de futura Gentium vocatione, acſi diceret Chriſtus ſe poſtea venturum eſſe ad Gentes, ubi expertus eſſet deſperatam malitiam electi populi. Sed quia Chriſtus diſerte applicat ſimilitudinem, non eſt noſtrum verba illius huc vel illuc trahere. Atqui reſtringit figuram ad hoc unum caput, quod ſcilicet ſicuti Jonas fuerat triduo in ventre ceti, ita etiam futurus ſit in viſceribus terræ triduo: quaſi diceret ſe in hoc fore Jonæ ſimilem, quia redivivus Propheta futurus eſſet. Hoc autem conſulto dicebat Chriſtus, quia videbat ſe contemni apud Judæos, & ſuam operam eſſe inutilem. Quando nunc me non auditis, neque quicquam apud vos obtineo pretii, poſthac ero novus Propheta, nempe poſt reſurrectionem: ita tandem incipiam efficacius loqui, tam apud Judæos, quam apud Gentes, ſicuti Jonas Niniven convertit, poſtquam reverſus eſt iterum in vitam. Hic ergo ſimplex eſt ſenſus illius loci. Ideo non fuit Jonas Chriſti figura, quod ablegatus fuerit ad Gentes; ſed quia poſt triduum eſſet reverſus in vitam, quum fuiſſet ſimilis mortuo. Quicquid ſit, videmus Jonam dari Ninevitis doctorem, poſtquam aliquandiu exercuerat munus Prophetæ in populo Iſraël. Qui dicunt tunc aditum fuiſſe ſpecimen futuræ Gentium vocationis, afferunt quidem aliquid plauſibile: ſed non videntur ſolida ratione niti. fuit enim hoc extraordinarium. Ergo nondum palam oſtendit Deus quid facturus eſſet Chriſti adven-
2 Reg. 5. verſ. 15. tu: ſicuti quum Naaman Syrius converſus ad fidem fuit, & alii pauci, Deus tunc nihil mutavit in ordine conſueto. Semper enim fuit ſpecialis vocatio generis Abrahæ, & ſemper religio incluſa fuit inter an-
Pſal. 147. verſ. 20. tiquos fines: & ſemper illud fuit verum, Deum non feciſſe ita aliis Gentibus ut Judæis, quia judicia ſua non patefecit illis. Deus ergo uſque ad Chriſti adventum voluit manere firmam adoptionem generis Abrahæ, ita ut excellerent Judæi præ aliis omnibus populis, & illa gratuita prærogativa differrent, quod eſſent ſanctus & electus populus. Dicunt iſti diverſæ ſententiæ auctores, Ninevitas converſos fuiſſe ad Dominum ſine Circumciſione. illud verum eſt: ſed neſcio an vera fuerit ac legitima illa converſio, cujus poſtea mentio fiet: & tunc de ea re fuſius diſſeram, Domino volente. Sed id potius videtur probabile, fuiſſe tactos & objurgationibus & minis Prophetæ, ut ſupplices deprecarentur præſentem iram Dei. Deus ergo ſemel illis ignovit: quid poſtea factum ſit, non ſatis conſtat. Certe non eſt veriſimile, totam urbem illam fuiſſe ad Dominum converſam. Nam continuo poſt urbs illa valde infeſta fuit tam Iſraëlitis quam Judæis, & continuis cladibus afflicta fuit Dei Eccleſia per Ninevitas. Quum ita ſit, certe omni colore caret, vere reſipuiſſe & ex animo. Sed ego plenam hujus rei diſceptationem in alium locum rejicio. Pergamus nunc in contextu. *Surge, vade Nineven in urbem magnam.* Vocatur Nineveh urbs magna, neque immerito, quæ ſcilicet, ſicuti tradunt profani ſcriptores, amplexa fuit ſuo circuitu 400 ſtadia. Et videbimus Jonam toto triduo ambulaſſe per urbis plateas & vicos. Unde ſequitur, fuiſſe urbem ſpatioſiſſimam: atque ita convenit inter omnes. Vocant profani ſcriptores Ninum; & dicunt nomen hoc ab auctore fuiſſe inditum, quia filius Beli Ninus eam condiderit. Sed rectius ſentiunt qui putant Hebraicum eſſe nomen נינוה. Deinde quæ tradunt Herodotus, & Diodorus, & reliqui ſimiles, certe fabuloſa ſunt, tam de origine urbis, quam de toto progreſſu regni. Et fabulæ illæ nullo negotio refelli poſſunt teſtimoniis ſacræ Scripturæ: tamen hoc omnium conſenſu proditum fuit, Nineve fuiſſe urbem valde amplam, & munitam. Poſtea Babylon à Semiramide fuit condita, quæ uxor fuerat Beli: poſt mortem mariti voluit oſtendere etiam ſe præſtare animo & induſtria, nec ſe eſſe ingenio muliebri. Sed quantum attinet ad conditorem Nineveh, certum eſt, urbem illam fuiſſe primum conditam ab Aſſur: neſcio an aucta fuerit à Nino. hoc igitur in medio relinquo: quia nolo de re ambigua litigare. Sed certum eſt ex Moſe, primum auctorem *Geneſ. 10. verſ. 11.*
hujus urbis fuiſſe Aſſur. Quantum attinet ad magnitudinem urbis, etiamſi profani ſcriptores verbum nunquam feciſſent, ſufficere tamen nobis debet hoc teſtimonium Jonæ. Quum autem jubetur aſcendere & proficiſci Nineven, Dominus jam dat ſpem aliquam profectus, quemadmodum etiam efficaciter operatus eſt per manum ſervi ſui. Nahum quum domi maneret vaticinatus eſt contra Nineven: ſed alio conſilio, & alio fine. Quia enim populus miſere tunc afflictus erat, & videbat florere imperium vel monarchiam in Aſſyria, potuit deſperare niſi adhibitum fuiſſet ſolatium. Nahum igitur oſtendit Deum fore judicem contra Ninevitas: etiamſi ad tempus eos foveat, & indulgeat ipſis, tamen inſtare illis horribilem vindictam de qua concionatur. Non ergo datus fuit Nahum doctor Ninevitis, ſed mutum præco, ut Judæi hoc ſolatio fulcirent fidem ſuam, quum intelligerent ſe non prorſus rejectos à Domino, ut qui vellet ſemel ulciſci eorum injurias. Alia fuit ratio Jonæ. Miſſus enim fuit in urbem ipſam, ut ad reſipiſcentiam adduceret Ninevitas. Jam quod Dominus de magnitudine urbis diſerte loquutus eſt, hoc modo voluit inſtruere ſervum ſuum conſtantia, ne terrorem conciperet ex ſplendore, opulentia, & potentia urbis illius. Scimus enim quam difficile ſit ſuſcipere graves & arduas provincias, ubi præſertim videmus nos viribus deſtitui. Si nobis negotium eſt cum multis & potentibus adverſariis, non tantum debilitamur, ſed evaneſcunt nobis animi. Ergo ne magnitudo Ninevæ terrorem incuteret Jonæ, ideo mature hic paratur ad conſtantiam, & armatur. *Vade* igitur *Nineven*, neque te impediat robur illius Monarchiæ, quominus impleas quod tibi mando, ut ſcilicet oſtendas Ninevitis ſua ſcelera, &, niſi reſipiſcant, denuncies interitum. Nunc ergo tenemus quorſum vocata fuerit *Nineveh urbs magna*: neque enim alioqui oportuit hoc dici Jonæ. Non dubito, quin tunc Iſraëlitæ intelligerent urbem eſſe ſpatioſam: deinde præditam & viribus & magno hominum numero: Sed Dominus voluit proponere in medium ſervo ſuo quod poterat illum in officio morari. *Vade* igitur *in urbem magnam*. In ſumma, voluit hoc modo Deus tentare animum Jonæ, an præferret mandatum ſuum omnibus impedimentis hujus mundi. Et hæc vera eſt obedientiæ noſtræ probatio, ubi ſcilicet ſimpliciter Deo obſequimur, utcunque occurrant nobis ac ſe ingerant varia obſtacula, & nullus exitus appareat: ſed tamen quaſi clauſis oculis ſequimur quo nos Deus mittit, & non diffidimus quin addat nobis vires, deinde quin porrigat manum quoties opus erit ad difficultates omnes ſuperandas. Voluit ergo Dominus ita agere cum Jona: quaſi diceret, Reputa quiſnam ſim, & contentus eſto auctoritate mea. Nam mihi prompta erunt remedia in manu, ſiquid te impediat: tantum recumbe in meam potentiam, & exequere quod tibi præcipio. Hæc ſumma eſt. Ergo quoties Deus aliquid exigit à nobis, & interea videmus vel difficile eſſe, vel impoſſibile quod exigit officii noſtri ratio, veniat hoc nobis in mentem, nihil in mundo eſſe quod non debeat cedere Dei mandato: fiet tunc ut colligamus animos & fiduciam, nec quicquam nos revocet ab officio & curſu recto, etiamſi totus mundus repugnet Deo. Jam ſequitur, *Clama contra eam, quia aſcendit malitia eorum coram conſpectu meo.* Clama, inquit, contra eam. Fuit hæc odioſa provincia, ſtatim ab initio vociferari. Scimus enim

ut

ut ſuperbiant homines in ſua potentia. Quum autem unica tunc eſſet Monarchia in mundo, cujus ſedes erat Nineve, vix potuit æquis auribus admitti quiſpiam doctor, etiamſi polleret aliqua gratia, deinde ſi adeptus eſſet aliquod nomen, & perferret legationem jucundam. Jonas autem eſt homo extraneus, eſt ignobilis, abſque auctoritate: deinde ſtatim exitium denunciat Ninevitis: clamitat, objurgat, vociferatur, minitatur. Quid hoc eſt? Videmus ergo quam durum fuerit hoc mandatum, quod Deus jubet Prophetam ſuum clamare contra Ninevitas. Nunc additur, *Quia malitia eorum aſcendit ad me.* Confirmat Deus hac particula ſervum ſuum Jonam: quaſi diceret, Non eſt quod litiges cum illis tanquam mortalis homo: ſed ego te conſtituo præconem meum, ut eos ad tribunal meum cites. Hoc autem plurimum valere debuit ad Jonam animandum, quod ſcilicet non egit cum Ninevitis ut homo, ſed ut nuncius Dei. Et potuit hoc etiam flectere ipſorum animos, ut intelligerent etiamſi nullus mortalium poſſet exigere pœnas de eorum ſceleribus, non poſſe tamen effugere vindictam Dei. Hæc igitur ratio eſt, cur Dominus hic pronunciet ſe eſſe judicem Ninevæ. Et interea etiam admonet, quamvis Ninevitæ ſibi applaudant, & etiam ferant plauſus totius mundi propter ſuam potentiam, hoc tamen nullius momenti eſſe, quia interim malitia ipſorum & improbitas in cœlum aſcendit. Ergo ubi coarguimur, non eſt cur huc vel illuc vertamus oculos ad homines: ſed ſtatim debemus nos offerre examinandos Deo: imo ipſi voluntarium ſuſcipere examen, quod Deus à nobis requirit. Sic fiet, ut non alamus vitia noſtra pravis blanditiis, quemadmodum hypocritæ ſemper circumſpiciunt in dextram & ſiniſtram partem, & nunquam attollunt ſenſus ſuos in cœlum. Pergamus.

3. Et ſurrexit Jonas ad fugiendum (*ut fugeret*) Tarſis à facie Jehovæ, & deſcendit Japho, & invenit navem quæ tranſibat Tarſis, & dedit mercedem, (*hoc eſt, naulum, pretium vecturæ*) & deſcendit in eam, ut iret cum ipſis (*nempe cum mercatoribus vel nautis*) in Tarſis à conſpectu Jehovæ.

Jam narrat Jonas ſe quæſiiſſe latebras, ut ſe ſubduceret ab obſequio Dei: non quod tam craſſo delirio ſe falleret, quaſi non amplius eſſet obnoxius Deo poſt trajectum mare: ſed voluit quaſi fugere lucem vitæ præſentis, quum profectus eſt in alienam regionem. Nec dubium eſt, quin fuerit non modo turbato animo, ſed plane attonitus, quum ſuſcepit tale conſilium. Quæritur cur Jonas ita ſubterfugerit mandatum Dei. Judæi, ut frigide nugantur de rebus divinis, dicunt timuiſſe, ne, ſi veniret Nineven, deſtitueretur ſpiritu Prophetico: quaſi vero non idem fuerit periculum ſi mare trajiceret. hoc eſt nimis frivolum & puerile. Deinde comminiſcuntur rem nullius ponderis, quum jam aliæ rationes ſatis graves ſponte nobis occurrant. Fuit enim hoc novum & inſolitum, Prophetas abſtrahi à populo electo, & mitti ad Gentes profanas. Quum Petrus ad
Actor. 10. *verſ.* 17. Cornelium miſſus eſt, tametſi admonitus jam fuerat de futura Gentium vocatione, tamen hæret, ſubſiſtit, donec viſione quaſi violentia impellitur. Quid ergo potuit tunc venire Jonæ in animum? Si tantum ob unum hominem perculſus fuit animus Petri, ut putaret eſſe phantaſma, quum miſſus eſt Cornelio doctor: Jonas quum miſſus eſt Nineven ad urbem tam populoſam, quid ſecum expendere potuit? Ergo novitas haud dubie potuit graviter concutere animum ſancti Prophetæ, & facere ut inops conſilii ſe alio proriperet. Jam, potuit etiam diffidentia hoc facere. Quomodo enim ſperaſſet populum illum poſſe converti, qui ſcilicet exultaverat in ſua licentia. Expertus enim fuerat prius duritiem populi electi: fideliter verſatus fuerat in officio: nihil prætermiſerat, quo poſſet cultum Dei & veram pietatem in populo Iſraelitico ſtabilire: parum vero profecerat: & tamen Judæi ab utero vocati fuerant. Quid ergo ſperare potuit, quum Dominus raperet eum ad Ninevitas? erat enim illic effrenis laſcivia: deinde erat maxima cæcitas: nullum unquam guſtum habuerant divini cultus: denique demerſi erant in profundis tenebris, & diabolus illic modis omnibus regnabat. Diffidentia igitur hæc potuit frangere animum Jonæ, ut Dei mandato non pareret. Potuit etiam imbecillitas carnis obſtare, quominus ſequeretur juſtam vocationem: Quid ergo? ſcilicet veniam in illam primariam ſedem ejus Monarchiæ, quæ hodie totam terram ſub pedibus ſuis calcat: ego veniam homo obſcurus & contemptus: deinde perferam legationem plenam odii, quæ ſtatim accendet hominum animos in furorem: quid dicam Ninevitis? Vos eſtis ſcelerati homines: Deus non poteſt amplius ferre veſtram impietatem: ergo inſtat vobis horribilis vindicta. Quomodo excipiar? Potuit igitur Jonas, ut adhuc circumdatus erat infirmitatibus carnis, concipere formidinem, quæ excuteret illi affectum obedientiæ. Et non dubito, quantum ad me ſpectat, quin iſta omnia ſecum agitaverit Jonas. neque enim fuit trunco ſimilis. Et certe non eſt hoc ſupervacuum, quemadmodum dixi, quod retulit urbem illam fuiſſe magnam. Voluerat quidem Deus offendiculum tollere: ſed ex oppoſito ratiocinatur Jonas, Video mihi fore acre prælium, imo ingruere molem, quæ me centies obrueret: quando non fruſtra Dominus prædixit magnitudinem urbis. Et quanquam poterat ſpem concipere, ſi caſtigati eſſent, daturos legitimum honorem Deo, tamen fatetur ſibi obſtaculum hoc veniſſe in mentem, ne pergeret in curſu vocationis ſuæ. Ergo tam diffidentia quam metus carnis Jonam tardarunt: & ipſa etiam novitas potuit, quemadmodum jam dixi, eum percellere, ut mallet quaſi ingredi ſepulchrum, quam ſubire hoc munus, quod in ſpeciem carebat omni ratione. Quorſum enim mittuntur Prophetæ, niſi ut aliquid ſuo labore proficiant, & fructum afferant? Jonas hoc non ſperabat. Deinde Prophetis datur aliqua auctoritas, datur ſaltem aliqua libertas docendi. Jonas autem putabat omnes ingreſſus ſibi eſſe clauſos. Deinde Jonas putavit hoc pugnare cum fœdere Domini. Elegerat enim ſibi unicum populum: & jam putabat ſe quaſi affixum eſſe glebæ, quum ordinarius eſſet doctor in patria ſua. Non potuit ergo alio rapi, quin ſentiret in ſe magnam repugnantiam. Ego igitur ſentio Jonam non paruiſſe præcepto Dei, quia partim debilitas carnis obſtitit, partim vero rei novitas: & tertio, quia deſperavit de fructu vel de ſucceſſu ſuæ doctrinæ. Jam, non dubium eſt quin graviter deliquerit. Nam regula prima omnium noſtrarum actionum eſt, ſequi Deum vocantem. Etiamſi quis polleat heroicis virtutibus, tamen fumi erunt omnes ejus virtutes, quæ refulgent coram oculis hominum, niſi propoſitum ſit, Deo obedire. Ergo vocatio Dei, quemadmodum dixi, primas tenet in conſtituenda hominum vita: & niſi fundamentum illud jacimus, perinde facimus acſi quis vellet domum extruere in aëre. Confuſa igitur erit tota vitæ noſtræ ratio, niſi præſit Deus, & nos gubernet & quaſi auſpicia ſua tollat. Quum ergo Jonas everterit primum & certum recte vivendi fundamentum, quid potuit reſtare? Non eſt igitur cur extenuemus ejus culpam, quia non potuit gravius peccare, quam quum deſeruit ipſum Deum, quia ſcilicet non ſubjecerit

jecerit ſe ejus vocationi: hoc eſt quaſi jugum excuſſere.* & hoc etiam ipſe fatetur. Ideo nimis pueriliter ineptiunt, qui volunt eſſe ejus patroni, quum ipſe his ſe accuſet, *Jonas ut fugeret à facie Domini, ut iret Tarſis à conſpectu Jehovæ.* Cur ſecundo repetit *ut fugeret à facie Jehovæ?* Non dubium eſt quin velit hic clarius exprimere ſuam culpam: & quin repetitio etiam emphatica ſit. Deinde ipſa loquutio palam demonſtrat non fuiſſe leve delictum, quod Jonas alio ſe proripuit quum miſſus eſſet Nineven. Neque enim potuit recedere à Domino: nam Deus cœlum & terram implet: & quemadmodum jam dixi, non fuit faſcinatus tam craſſo errore, ut putaret ſe eſſe extra manum Dei, quum eſſet fugitivus. Quid eſt igitur fugere à facie Jehovæ, niſi quod hic fatetur ſe fugiſſe præſentiam Dei, acſi cuperet, quemadmodum fugitivi ſervi ſolent, rejicere imperium Dei ipſius? Quum ergo Jonas impetu illo abreptus fuerit, non eſt cur nunc vano aliquo & frivolo prætextu conemur excuſare ejus crimen. hoc eſt unum. Quantum attinet ad nomen *Tarſis* vel *Tarſiſa*, non dubito quin hic pro Cilicia ſumatur. Sunt qui putant notari urbem Tarſum: ſed falluntur. notatur igitur tota regio. Qui Mare vertunt, falluntur etiam, quia Jonas non tantum mare voluit conſcendere, ſed tranſire in Ciliciam, quæ oppoſita eſt mari Syriaco. Vocarunt autem Judæi mare illud Tarſis, quemadmodum ex pluribus locis conſtat, quod ſcilicet frequentior erat illic navigatio. Quum ergo regio illa tranſmarina notior illis eſſet, quam aliæ: deinde etiam exportarent illuc ſuas merces, & viciſſim etiam uterentur eorum commerciis: ideo vocarunt mare Tarſis, ſed propter vicinium, ut ſatis notum eſt. Voluit igitur Jonas in Ciliciam fugere quum Dominus eum mitteret Nineven. Quod dicit *ſurrexiſſe ut fugeret*, deinde *deſcendiſſe Japho, reperiſſe illic navem* quæ tranſibat Tarſis, dediſſe vecturæ pretium, deſcendiſſe in navem, *ut iret cum illis in Ciliciam:* quum hæc ſingula perſequitur Jonas, ſignificat ſe fuiſſe defixum in illo propoſito, & oportuiſſe violenta manu retrahi, quia pœnitentia in itinere tactus non eſt. Poſſunt enim, quum Dei vocatio nobis videtur nimis oneroſa, multa venire in mentem. Nemo eſt noſtrûm ubi præſtandum eſt Deo obſequium, qui non volutet in animo ſuo hoc vel illud: Quis erit exitus? quomodo pervenies quo ſperas? vide quæ te pericula maneant. Satan enim ſemper in medium prodit ſimulac ſtudemus parere Deo: ſed luctamur illic, deinde repellimus quæ videmus eſſe contraria vocationi noſtræ. Jonas autem oſtendit ſe fuiſſe obſtinatum in fugæ conſilio. Neque enim tantum voluit deſcendere in Tarſis, ſed reipſa venit in urbem Japho, quæ ſcilicet propinqua eſt Judææ: & ideo quidam exiſtimant Tarſis eſſe Africam. ſed illud eſt nimis coactum. Alii etiam divinant eſſe Tunetum, vel Carthaginem: quaſi vero tunc jam conditæ fuerint urbes illæ. ſunt homines iſti ad ſomniandum nimis audaces. Sed quid opus eſt contra receptiſſimum uſum Scripturæ dare novam ſignificationem huic voci, quum ſatis conſtet Tarſis eſſe Ciliciam? Nunc vero quum Jonas deſcendit Japho, perinde eſt acſi ſtatim vellet migrare ex terra Judæ, & mari ſe committere: tamen quum dicit *ſe naulum ſolviſſe, deſcendiſſe in navem, ut iret:* quum ita gradatim procedit, quemadmodum dixi, accuſat clarius ſuam obſtinationem, quod ſcilicet non modo admiſerit perverſam illam cogitationem, ut reſpueret vocationem Dei; ſed ſeipſum confirmaverit: & quum multa quæ obeunda erant, ſubſiſtere eum ſubinde cogerent, tamen ſemper ſequutus ſit quo perverſus ille & cæcus impetus ferebat. Non dubium eſt igitur, quin Jonas claris verbis exprimat ſe non modo fuiſſe ſemel fugitivum, ſed pluribus modis. Jam quod attinet ad fugam, diligenter tenendum eſt quod prius dixi, nempe fugere à conſpectu Dei, quicunque non libenter obtemperant ejus mandatis: non quod poſſint longius ab eo diſcedere, ſed quantum in ſe eſt vellent Deum includere in aliquas anguſtias, & ſe eximere ab ejus poteſtate & manu. Nemo quidem hoc palam fatetur: ſed res ipſa tamen oſtendit neminem ſubducere ſe à mandatis Dei, quin velit minuere & quaſi abrogare illi imperium, ne amplius dominetur. Quicunque ergo non ſe libenter Deo ſubjiciunt, perinde eſt acſi obverterent illi tergum, & reſpuerent ejus imperium, ne ſint amplius ſub ejus manu & dominatione. Hoc notandum eſt, quia ſicuti Jonas hic ſe reum ſtatuit coram toto orbe, ita ſuo exemplo oſtendere voluit quam grave ſit, ac deteſtabile etiam crimen, non ſuſcipere Dei mandata, & obire quicquid ipſe jubet: imo ſubterfugere ejus imperium. Ut ergo exaggeret atrocitatem hujus criminis, ſuo exemplo oſtendit nos non poſſe rebelles eſſe Deo, quin aliquo prætextu velimus ipſum detrahere è ſolio ſuo, & ſimul includere in aliquas anguſtias, ne imperio ſuo contineat cœlum & terram.

Da omnipotens Deus, quando non Jonam aliquem nobis miſiſti, qui eramus alieni ab omni ſpe ſalutis, ſed Filium tuum dediſti nobis Doctorem, qui palam oſtenderet viam ſalutis, nec tantum minis & terroribus nos vocaret ad reſipiſcentiam, ſed blande nos alliceret ad ſpem vitæ æternæ, & pignus eſſet paterni tui amoris: da, inquam, ne repudiemus tam inſignem gratiam nobis oblatam, ſed libenter tibi pareamus, & ex animo: neque etiam ſi dura videatur conditio quam nobis in Euangelio tuo proponis, & ſi crucis tolerantia carni noſtræ acerba ſit, ne tamen unquam ſubterfugiamus quin pareamus tibi, ſed offeramus nos in ſacrificium, & ſuperatis omnibus obſtaculis hujus mundi ſic pergamus in curſu vocationis tuæ ſanctæ, donec tandem colligamur in cœleſte regnum illud tuum, eodem duce Chriſto Filio tuo Domino noſtro, Amen.

PRÆLECTIO SECUNDA IN JONAM PROPHETAM.

CAP. I.

4 Et Jehova emiſit ventum magnum ſuper mare, & facta eſt tempeſtas magna in mari, & navis cogitabat frangi.

Hic narrat Jonas qualiter retractus fuerit violenter à Domino, quum ſe ab ejus facie ſubducere conatus eſſet. Dicit igitur *ortam fuiſſe tempeſtatem in mari*: ſed ſimul etiam exprimit tempeſtatem non caſu fuiſſe commotam, ſicuti profani homines ſolent fortunæ tribuere quicquid accidit: *Deus*, inquit, *emiſit ventum magnum ſuper mare.* Alii vertunt, Excitavit Deus, à נטל. Sed rectius alii deducunt à radice טול: & videbimus paulo poſt, nempe 5. verſu, idem verbum. Jam quod ad ſummam rei ſpectat, dicit tempeſtatem fuiſſe magnam, ita ut navis parum abfuerit à fractura:

loquutio enim hæc reſpondet noſtro idiomati, quum dicit, Navis cogitabat frangi, *la navire cuidoit perir.* Nam quod alii accipiunt navem pro ipſis vectoribus vel nautis, illud eſt coactum: & ſcimus in multis formulis linguam noſtram vulgarem congruere cum Hebraica. Jam ergo intelligit Jonas tempeſtatem fuiſſe exortam non fortuito, ſed certo conſilio Dei, nempe ut ipſe deprehenſus in mari agnoſceret ſe fuiſſe deceptum, quum putaret ſe poſſe effugere conſpectum Dei poſt trajectum mare. Quanquam autem hic tantum de una tempeſtate loquitur Propheta, hinc tamen generaliter colligere licet neque procellas, neque alias mutationes aëris, quæ vel pluviam generant, vel excitant in mari tempeſtates, non accidere caſu; ſed cœlum & terram ſic regi divinitus, ut nihil contingat niſi inde prævifum ac decretum. Cæterum, ſiquis excipiat, non fuiſſe conſentaneum rationi, ob unius hominis culpam tot homines naufragium facere, vel agitari violenta illa procella: facilis reſponſio eſt, quanquam Deus Jonam proprie reſpexerit, tamen fuiſſe occultas cauſas, cur etiam jure potuerit alios involvere eodem periculo. Probabile eſt, multos tunc navigaſſe: non fuit una duntaxat navis in illo mari, quum tot eſſent portus, tot etiam inſulæ. Sed quanquam Dominus involvit eadem pœna multos homines, ubi duntaxat vult unum hominem perſequi: nunquam tamen deſtituitur ratione, cur unumquemque noſtrûm, etiam qui videbitur maxime innoxius, poſſit in judicium ſuum vocare. Et Dominus mirabiliter operatur in regendis hominibus. Ideo perverſum eſſet metiri ejus opera noſtro captu, quia poterit Deus ita punire unum hominem, ut interim alios humiliet, alios autem propter diverſa peccata caſtiget, deinde probet aliorum patientiam. Sic igitur obſtruitur os profanis hominibus, ne poſſint Deo obſtrepere quoties ita exequitur ſua judicia, ut non reſpondeant judicio carnis noſtræ. Sed de hac re fuſius ſtatim diſſeram, quia paſſim etiam occurrunt in Scripturis exempla, ubi Deus pœnam exigit de toto populo, quum tamen homo unus ſolum peccaverit. Sed ſi alii obmurmurent, & excipiant ſe eſſe inſontes, ſemper reperietur cauſa, cur Deus non ſit in illos crudelis: imo ſi libeat, poſſit merito longe aſperius ipſos tractare. denique ubi videtur abſque cauſa Deus ſeverus eſſe erga homines, tamen illis parcit, vel agit cum ipſis indulgenter. Nunc pergamus.

5. Et timuerunt nautæ, & vociferati ſunt quiſque ad deum ſuum: & projecerunt vaſa, quæ erant in navi, in mare, ut levaretur ab illis. Jonas autem deſcenderat in latera navis, & jacebat, & dormiebat.

Non eſt ſupervacua narratio dum Jonas hic perſequitur ordine tot circumſtantias, quia ſicuti ſtatim videbimus, voluit ſuam ſocordiam in medium producere, & quaſi depictam omnibus ponere ante oculos: hæc autem comparatio, quæ ſubeſt in circumſtantiis, multum illuſtrat ſupinam illam, imo fere brutam ſecuritatem Jonæ. Primo dicit *timuiſſe nautas*, deinde *ſingulos clamaſſe*, nempe *unumquemque ad deum ſuum: projeciſſe etiam in mare onera navis.* Quum ergo tam eſſent omnes ſolliciti, nonne hoc fuit ſimile portento, Jonam, ob quem mare turbatum erat, ita dormire? Satagunt alii, curſitant per navem, etiam ſe exſpoliant omnibus fortunis, ut ſalvi perveniant in portum: malunt enim ſeipſos nudare bonis omnibus, quam perire: clamant etiam ad ſuos deos. Quod Jonas nihil curat, imo ſopitus jacet, unde iſta tanta ſecuritas, niſi quod non ſolum obtorpuit, ſed etiam videtur privatus eſſe omni ratione & ſenſu? Non dubium igitur eſt, quin Jonas hoc reſpectu tot circumſtantias hic enumeret. Dicit *nautas timuiſſe.* Scimus autem non ſolere exiguis & vulgaribus procellis terreri nautas: ſunt enim durum hominum genus; & quia quotidie vident diverſos motus in aëre, minus extimeſcunt. Quum ergo dicit *timuiſſe nautas*, hinc colligimus non fuiſſe mediocrem illam tempeſtatem, quæ homines longo uſu & experientia aſſuetos ad omnes procellas ſic tremefecit. Qui ergo prius occalluerant, perculſi ſunt timore. Poſtea addit *clamaſſe unumquemque ad deum ſuum.* Jonas certe debuit non tam altum ſomnum dormire, quin ſeipſum ſingulis fere momentis expergefaceret. Geſtabat enim ſuum carnificem in corde, quum ſciret ſe eſſe fugitivum. Diximus enim antehac non leve fuiſſe delictum illud, quod Jonas ſubduxit ſe à facie Dei, contempſit ejus vocationem, & quantum in ſe fuit, abjecit jugum, ita ut Deo non pareret. Quum ergo Jonas ſibi tam male eſſet conſcius, annon debuit etiam dormiens trepidare? Atqui dum alii clamant ad falſos deos, ipſe verum Deum, cui ſciebat ſe immorigerum & rebellem fuiſſe, vel contemnit, vel ſaltem negligit. Huc ſpectat comparatio vel antitheſis. Sed interea videmus quomodo in periculis homines cogantur ad Deum invocandum. Nam etſi ingenitus eſt quidam divinitatis ſenſus cordibus noſtris, ita ut quiſque, velit nolit, ſentiat eſſe aliquod numen: tamen ſuffocamus malitia noſtra lumen illud, quod debebat in nobis fulgere. Nam libenter rejicimus omnes curas & anxietates: cupimus enim nobis bene eſſe. Atqui tranquillitas eſt ſummum bonum hominibus: hinc ergo fit, ut ſinguli cupiant ſine metu & cura degere. Omnes ergo naturaliter ſecuri eſſe volunt. Jam ſecuritas parit contemptum: hinc fit ergo, ut nulla fere religio in mundo appareat, ubi Deus nos relinquit in otio. Timor cogit nolentes ad Deum accedere. Perverſe quidem ille dicit, timorem eſſe religionis cauſam, & fuiſſe hoc initium cur homines putarent eſſe deos: illud eſt etiam prorſus remotum à communi ſenſu & experientia. Sed religio, quæ vel fere extincta, vel ſaltem obruta erat in cordibus hominum, excitatur periculis. Hujus rei inſigne exemplum profert Jonas, quum dicit *nautas clamaſſe ad ſuos deos.* Scimus quam barbarum ſit illud hominum genus. Ergo libenter depellerent à ſe omnem pietatis ſenſum: & re ipſa excutiunt metum omnem: derident ipſum Deum quamdiu licet. Quod ergo clamant ad deos, certe neceſſitas hoc illis extorquet. Et hinc colligimus quam utile ſit nobis inquietari metu: quia ſi eſſemus in tuto, ſtatim obreperet nobis torpor, quemadmodum plus ſatis notum eſt. Quum ergo nemo fere ſponte ad Deum accedat, opus eſt nobis ſtimulis. Deus autem acriter pungit nos, quum objicit aliquod diſcrimen, unde cogimur extimeſcere. Sed hoc modo, quemadmodum jam dixi, nos ſollicitat, quia videmus ſingulos vagari, & evaneſcere etiam in ſua ſocordia: ideo ad ſe nolentes retrahit. Sed non ſimpliciter dicit Jonas quemque clamaſſe ad deum, ſed addit etiam *ad deum ſuum.* Sicuti ergo locus hic docet neceſſitate cogi homines, ut Deum quærant; ita etiam ex oppoſito oſtendit, homines ipſos, niſi regantur doctrina cœleſti, deinde etiam Dei Spiritu, errare Deum quærendo. Erit igitur aliquod ſtudium in hominibus, ſed erroneum, quia nemo viam tenebit, niſi Dominus ipſos & verbo ſuo & Spiritu dirigat, quemadmodum dictum eſt. Utrumque colligimus ex verbis Prophetæ. *Timuerunt nautæ*, homines aſperi & propemodum ferrei, qui inſtar Cyclopum, Deum contemnunt. *Timuerunt illi*, inquit, *& clamarunt ad deum:* ſed non clamarunt fide directrice. hinc factum eſt ut quiſque clamaret ad deum ſuum. Quum hoc legimus, primo veniat nobis in mentem, non eſſe expectandum donec cogat nos Deus violenter, ſed ultimam

neceſſi-

neceſſitatem præveniendam nobis eſſe, ut ipſum ſponte quæramus. Nam quid profuit nautis iſtis vel aliis vectoribus, quod ſemel ad Deum clamaverint? credibile enim eſt paulo poſt ad profanam ſuam ſegnitiem relapſos eſſe: ubi diſcrimine illo defuncti ſunt, poſtea riſerunt Deum, & contemptui etiam illis fuit omnis religio. Et ita ſolet contingere profanis hominibus, qui nunquam ſe Deo ſubjiciunt, niſi coacti. Ergo quiſque noſtrûm ſponte ſe Deo offerat, etiam dum ſumus extra periculum, & fruimur ſumma quiete. Nam ſi putamus prætextum aliquem incogitantiæ vel erroris vel inſcitiæ poſſe objici, longe fallimur: quia nulla excuſatio poterit admitti, quum experientia doceat naturaliter inſitam eſſe omnibus Dei notitiam, deinde inſculptum eſſe hoc principium, quod vitam noſtram Deus gubernet, quod ſolus ipſe poſſit eripere nos à morte, quod proprium ejus munus ſit, nobis opitulari & nos juvare. Qui enim factum eſt, ut nautæ iſti clamaverint? an acceſſit novus aliquis magiſter, qui concionem haberet de pietate, & qui ordine oſtenderet Deum eſſe humani generis liberatorem? Minime: ſed hoc jam, quemadmodum dixi, natura impreſſum erat ipſorum cordibus. Mari tranquillo nemo ipſorum Deum invocaverat: jam diſcrimen ipſum diſcutit illis ſomnolentiam. Sed ſatis hinc apparet, quicquid excuſationis captent qui Deo gloriam ſuam non tribuunt, hoc fore frivolum, quia non opus eſt lege aliqua, non opus eſt Scripturis, non opus eſt denique ulla doctrina, ut homines ſentiant vitam ſuam eſſe in manu Dei, ſalutem ab ipſo ſolo petendam eſſe, nec quicquam aliunde expectandum, ſicuti diximus. Nam invocatio teſtatur homines ita eſſe perſuaſos de ipſo Deo. Invocatio autem non aliunde venit, quam ab arcano quodam inſtinctu, & quidem duce ac magiſtra natura. hoc unum eſt. Sed interea etiam diſcamus ex hoc loco, quoties quærendus eſt nobis Deus, minime fidendum eſſe proprio ingenio, quia ſtatim aberrabimus. Rogandus ergo Deus eſt, ut ipſe nos verbo ſuo regat, alioqui ſinguli diffluent ad ſuas ſuperſtitiones, quemadmodum videmus hic unumquemque clamaſſe ad proprium deum. Et ſimul etiam admonet Propheta multitudinem deorum non eſſe nuper natam. nam ſemper propenſi fuerunt homines ad mendacium & vanitatem poſt lapſum Adæ: ſcimus quanta corruptela mentes noſtras occupet, ut quiſque ſibi horrenda portenta fingat. Quum ita ſit, non mirum eſt ſemper in mundo graſſatas fuiſſe ſuperſtitiones, quia ingenium hominis officina eſt omnium errorum. Ex hinc iterum colligere licet quod nuper attigi, nihil magis eſſe perverſum, quam ſequi carnis noſtræ motus, quia unuſquiſque ſeipſum in errorem projiciet etiam ſine alieno impulſu: & interea etiam alii alios trahent, quemadmodum fieri ſolet. Jam addit *fuiſſe vaſa projecta*, hoc eſt, onera navis: quemadmodum ſcimus hoc ultimum eſſe remedium in naufragiis, ut ſcilicet homines ſervandæ vitæ cauſa ſe ultro ſpolient omnibus fortunis. Et hinc etiam videmus quam pretioſa ſit homini vita, qui non dubitat ſeipſum bonis omnibus nudare ne pereat. Fugimus quidem inopiam; & multi ſibi mortem acceſſunt, quia intolerabilis eſt illis egeſtas: cæterum, ubi in aliquod ſummum diſcrimen ventum eſt, ſemper homines præferunt vitam ſuam omnibus fortunis. quid enim ſunt omnia hujus mundi bona niſi acceſſio quædam ad vitam noſtram? Sed Jonas alio conſilio narrat fuiſſe navem exoneratam, nempe ut ſciamus non vulgarem fuiſſe hujus tempeſtatis motum: ſed nautas, quum à morte non procul abeſſent, uſos fuiſſe hoc ultimo remedio. Sequitur illud alterum membrum, *Quod ſcilicet Jonas ipſe deſcenderat in latera* vel latus *navis, & jacens dormiebat*. Non dubium eſt quin Jonas quæſierit receſſum antequam tempeſtas orta eſſet. Quum ergo ſolviſſent à portu, Jonas conceſſit in angulum remotum, ut illic dormiret. Atqui non fuit excuſabilis hæc ſecuritas in ipſo, quum ſciret ſe eſſe fugitivum à facie Domini: debuit ergo agitari continuis terroribus; imo debuit etiam ſibi ipſe eſſe exactor ſollicitudinis. Sed ita ſæpe contingit ubi quis captavit latebras, ut tandem fere brutum ſtuporem ſibi inducat, nihil cogitet, nihil curet, nulla de re ſit anxius. Talis ergo ſocordia invaſerat animum Jonæ, quum potuit deſcendere in aliquem receſſum navis, ut illic ſomno indulgeret. Quum hoc contigerit ſancto Prophetæ, quis noſtrûm non ſibi metuat? Ergo diſcamus nos ſubinde revocare ad tribunal: & ubi mentes noſtræ torpore occupantur, diſcamus nos ſtimulare, & exigere à nobis, ne ſcilicet obruat nos dormientes judicium Domini. Quid enim obſtitit, quominus ruina hæc Jonam penitus demergeret, niſi quod Dominus miſertus eſt ſervi ſui; & vigilavit, ut conſuleret ſaluti dormientis? Niſi ergo Dominus geſſiſſet talem curam Jonæ, actum de ipſo erat. Videmus ergo ut Dominus ſuos ſæpe reſpiciat dum ab ipſis non curatur; & excubias agat, dum ipſi dormiunt. Sed non debet hoc valere ad fovendam noſtram indulgentiam: quiſque enim noſtrûm plus ſatis jam ſibi blanditur. Quin potius dum videmus Jonam tam propinquum fuiſſe ultimo exitio, hoc exemplum nos acuat, & ſollicitet, ne ſi quando quiſpiam noſtrûm à ſua vocatione aberraverit, ſecurus illic jaceat, ſed potius ſtatim recurrat ad Deum: quod ſi niſi violento modo Deus ad ſe nos retrahere non poteſt, ſaltem ſequamur hac in parte Jonam, quemadmodum ſuo loco videbimus. Sequitur,

6. Et acceſſit ad eum magiſter funis, & dixit ei, Quid tibi ſopite? ſurge, clama ad Deum tuum, ſi forte ſerenum ſe exhibeat Deus nobis, (*alii vertunt, cogitet de nobis, vel gratificetur nobis*) & non pereamus.

Hic narrat Jonas ſe fuiſſe caſtigatum à nauclero, vel magiſtro navis, quod ſolus dormiret, quum alii omnes eſſent anxii & trepidi, *Quid tibi ſopite?* neque enim dubium eſt, quin probroſe objiciat nauclerus Jonæ ſomnolentiam. Objurgat autem quod fere careat omni ſenſu & memoria: *Quid tibi ſopite?* inquit; quum videas alios omnes horrore percelli, quomodo potes dormire? nonne hoc eſt præter naturam? *Surge ergo, & invoca Deum tuum.* Videmus ubi nulla eſt certa fidei regula, permitti vulgo licentiam, ut quiſque huc vel illuc declinet. Unde fit, ut nauclerus dicat Jonæ, *Invoca Deum tuum*; non cogat ipſum ad certam regulam? nempe quia hoc fuit uſitatum omnibus ſeculis, ut contenti eſſent homines generali aliqua apprehenſione: quiſque autem deinde pro ſuo arbitrio proprium deum fingeret. neque enim, ſicuti dixi, aliter poteſt fieri, ubi non retinentur homines aliquo ſancto vinculo. Conſentiunt omnes in hoc principium, eſſe aliquem Deum: deinde non eſſe fingendum idolum aliquod mortuum, ſed mundum regi Dei providentia & virtute: ſalutem etiam ab ipſo eſſe petendam. hoc receptum eſt communi omnium conſenſu. ſed ubi ventum eſt ad ſpecies ipſas, tunc quiſque evaneſcit. quomodo quærendus ſit Deus neſciunt. Ergo quiſque hic arripit licentiam: Ego Dei placandi cauſa hoc tentabo: hæc erit mihi ratio captandi favoris. Dominus hoc obſequium gratum habebit: ita expiabitur omnis mea iniquitas, ut apud Deum gratiam conſequar. Sic ergo ſinguli vias flexuoſas ſibi confingunt, ut ad Deum perveniant: deinde quiſque ſibi peculiarem deum fabricat. Ergo nulla erit firmitas vel conſtantia in hominibus, niſi

inter ſe cohærcant aliquo vinculo, nempe ut certa ſit regula pietatis, ita ut non vacillent homines, neque diſputent quid bonum ſit factu, ſed ſtatuant ac certo perſuaſi ſint unum eſſe Deum, agnoſcant etiam quiſnam ſit ille Deus: deinde teneant rationem quomodo quærendus ſit. Colligimus ergo ex hoc loco in fictitiis religionibus eſſe horribilem licentiam, & quicunque proprio ſenſu feruntur demergi in labyrinthum, ita ut nihil quam ſe fruſtra fatigent ac macerent homines, ubi Deum quærunt, nec viam tenent. Curſitant enim ſtrenue, ſed magis ac magis à Deo recedunt. Quod autem etiam tunc concipiant animis ſuis aliquem Deum, & conſentiant in aliquod principium, ſatis patet ex ſecundo membro verſus, ubi dicit, *Si forte Deus nobis propitius ſit.* Hic nauclerus non reſtringit ſermonem ſuum ad Deum Jonæ, ſed loquitur ſimpliciter de uno Deo: utcunque enim diſſidiis ſuis mundus laceret Deum, ut tunc Jonas diverſum ab aliis Deum colebat, erat denique prope innumera turba deorum inter vectores; tamen dicit nauclerus, *Si Dominus forte.* Jam ergo agnoſcit ſummum aliquem Deum, utcunque ſinguli habeant proprios deos. Proinde videmus veriſſimum eſſe quod dixi, ſemper fuiſſe aliquod generale principium receptum omnium conſenſu, quod ſcilicet Dei providentia regatur mundus, deinde quod vita & ſalus hominum ſit in ejus manu: ſed quia nimis à Deo remoti ſunt, deinde non modo tarde reptant, ſed magis proni tendunt ad terram, quam ad cœlum aſpirent, lubrici etiam ſunt, ſemperque vacillant, ideo quærunt deos ſibi propinquos. ubi non inveniunt, etiam fabricare audent. Quum dicit, *Si forte*, jam alibi vidimus hac loquutione uti Spiritum ſanctum, quamvis nulla ſit dubitatio, ſed notatur ſola difficultas: hic tamen probabile eſt nauclerum fuiſſe, ut ſolent profani homines, perplexum & dubium, & nihil certo potuiſſe ſtatuere de auxilio Dei. quum ergo ita animi penderet, jam dicit tentanda eſſe quælibet remedia. Et hic quaſi in ſpeculo cernere licet quam miſera ſit eorum omnium conditio, qui Deum certa fide non invocant: clamant quidem ad Deum, quia naturæ ſenſus huc illos impellit; ſed neſciunt an quidquam proficiant ſuis clamoribus. Iterant ſua vota, ſed neſciunt an effluant in aëre, an vero ad Deum perveniant. Nauclerus ita ambiguum ſibi fuiſſe animum declarat: *Si forte Deus ſit nobis propitius, tu etiam invoca Deum tuum.* Si certo fuiſſet perſuaſus ſe clamare ad verum Deum, certe non expertus fuiſſet hoc dubium remedium: ne quid tamen intactum maneat, hortatur Jonam, ut ſiquem habeat Deum, etiam ipſum invocet. Videmus ergo miros eſſe circuitus, ubi non tenemus rectam viam. Centies potius homines diſcurrent per terram & cœlum, quam ad Deum accedant, niſi ubi verbum prælucet. Quare? nam ubi viam tentarunt, jam abſtrahit eos phreneticus impetus in diverſam partem, feruntur huc & illuc, Forte hoc mihi erit utile: quia hac non ſucceſſit, alia aggrediar via. Deus ergo ita ulciſcitur omnes incredulos, qui non obtemperant verbo ejus, quia viam rectam non tenent. Oſtendit vero quanta veſania ſit, ubi homines frenum laxant ſuis mentibus, & non poſſunt ſe ſubjicere doctrinæ cœleſti. Quantum ad verbum attinet, dixi interpretes aliter vertere hunc locum. Nam alii dicunt, Si forte Deus cogitet de nobis: alii, ſi forte nobis gratificetur. עשת proprie eſt Splendere. Jam quum hic ponatur in conjugatione Hithpaël, eſt ſeipſum ſerenum reddere. Eſt autem hæc ſatis vulgata metaphora in Scripturis, quod obnubila ſit vel obſcura Dei facies, ubi non eſt nobis propitius. Rurſum ergo Deus faciem ſuam illuſtrat, & nobis ſerenus apparet, ubi reipſa oſtendit ſe eſſe benevolum. Quum igitur optime conveniat hæc loquutio, miror cur alienas interpretationes alii quærant. Poſtea addit, *Ne pereamus.* Hic nauclerus ſatis declarat ſe ſentire vitam hominis poſitam eſſe in Dei arbitrio, quia ſtatuit pereundum eſſe niſi Dominus ſuccurrat. Ergo hæc conceptio vel πρόληψιν, hoc eſt, anticipatio, impreſſa eſt omnium mentibus, Deo irato vel adverſo nos eſſe miſeros, & propinquum interitum nobis inſtare. Altera etiam πρόληψις obtinet in cordibus hominum, quod ſcilicet ſimulac Dominus nos reſpexerit, ſtatim ejus favor & benevolentia ſalutem nobis affert. Hic Spiritus S. non loquitur, ſed homo profanus, deinde ſcimus qualis ſit nautarum impietas: impulſu tamen naturæ hoc pronunciat, & nulla eſt hic fictio. Deus enim, quemadmodum jam dixi, extorquet in neceſſitate aliquam confeſſionem incredulis, à qua libenter ſubterfugerent. Nunc quæ excuſatio nobis ſperanda eſt, ſi putamus ſalutem noſtram in manu noſtra eſſe? ſi non pendemus toti à Deo? ſi ipſum etiam negligimus in rebus proſperis, acſi poſſemus citra ejus opem ſalvi eſſe? Ergo expendi hæc verba debent quum dicit nauta, *Si forte ſerena appareat Dei facies nobis, & non pereamus.* Sequitur nunc,

7. Et dixit vir (*hoc eſt, quiſque*) ad ſocium ſuum, Venite & jaciamus ſortes, ut ſciamus ob quam cauſam malum hoc nobis: & jecerunt ſortes, & cecidit ſors ſuper Jonam.

Hoc etiam non temere inſerit Jonas, quod ſcilicet conſultaverint inter ſe vectores de jacienda ſorte: nam hinc colligimus non fuiſſe vulgarem tempeſtatem. Apparuit igitur aliquod ſignum iræ Dei. Nam ſi ventus aliquis exurgat, hoc quia ſæpe contingit, non videbitur adeo mirum: ſi ſequatur tempeſtas, eſt etiam res ſatis uſitata. Oportuit igitur eſſe aliquid gravius quod incuteret formidinem mentibus hominum, ut ſcirent Deum adeſſe vindicem: quemadmodum ſcimus etiam hoc fuiſſe vulgare inter homines profanos, ut non apprehenderent ultionem Dei, niſi in rebus extremis: ſed quum Deus inſolitis modis pœnas de ſceleribus exigit, tunc homines incipiunt agnoſcere illam Dei vindictam. Hoc idem nunc teſtatur Jonas. *Dixerunt* ergo *quiſque ad ſocium ſuum, Venite, jaciamus ſortes.* An fuit hoc quotidianum, ut ſortes jacerent quoties acciderat aliqua tempeſtas? Minime. Non dubium eſt quin confugerint ad hoc remedium, quia ſciebant Deum non abſque maxima & graviſſima cauſa excitaſſe tempeſtatem illam. hoc unum eſt. Ego non poſſum reliqua nunc perſequi: differam igitur in diem craſtinum.

Da omnipotens Deus, quando hic agitamur inter tam multas jactationes, ut tamen tranquillis animis recumbere diſcamus in gratiam tuam & promiſſionem, qua teſtatus es te nobis ſemper fore propinquum, neque expectemus donec violenta manu nos ad te trahas, ſed potius ſemper attenti ſimus ad tuam providentiam: ſciamus vitam noſtram non modo ex filo pendere, ſed inſtar fumi eſſe evanidam, niſi quatenus ipſe eam tueris, ut ita recumbamus toti in virtutem tuam: etiam in rebus lætis ac tranquillis ſic te invocemus, ut freti tua protectione ſecuri degamus, & ſimul interea ſollicti etiam ſimus, ne obrepat nobis torpor, qui abſtrahat mentes noſtras & affectus à meditatione cœleſtis vitæ, ſed potius ſollicire, mane & veſperi, & ſingulis momentis ſic te quæramus, ut tota vita progrediamur ad metam, quam nobis proponis, donec tandem perveniamus in regnum illud cœleſte, quod nobis Chriſtus Filius tuus ſanguine ſuo peperit, Amen.

PRÆLECTIO TERTIA IN JONAM PROPHETAM.

CAP. I.

Diximus heſterna lectione, fuiſſe hoc ſignum extremi metus, quod nautæ & reliqui ſortes jecerunt, quia hoc fieri non ſolet, niſi ubi homines vident ſe ratione & conſilio deſtitui. Sed hoc ſimul notandum eſt, quod ſortes jaciunt, proficiſci ab errore: quia non agnoſcunt, ſi Dominus velit de ſingulis pœnam ſumere, ſe etiam graviore pœna eſſe dignos. neque enim conferrent culpam in unum hominem, ſi quiſque probe reputaret quid ſit promeritus coram Deo. Si nunc contingat aliqua calamitas, officium cujuſque eſt, ſe ac vitam ſuam examinare coram Deo: ita fiet, ut à primo ad ultimum fateantur omnes ſe ſuſtinere juſtum judicium. Sed dum omnes ſimul inquirunt quiſnam ſit reus coram Deo, ita ſe exonerant quaſi eſſent innoxii. Atque hic morbus etiam hodie graſſatur in mundo, quod ſcilicet libenter quiſque in alios culpam rejicit, & volunt omnes videri inſontes coram Deo: non quod poſſint abolere omnem reatum, ſed quia extenuant ſinguli peccata ſua, acſi jure non poſſet Deus tam rigide ipſos perſequi. Exempli gratia, Siquis ſentiat multis modis ſe fuiſſe lapſum, fatebitur quidem uno verbo ſe eſſe peccatorem: ſed ſiquis enumeret ac producat in medium ſingula ejus peccata, dicet, Hoc eſt leve delictum, hoc eſt veniale, & Dominus non ita ſummo jure agit nobiſcum, ut velit nos ſtatim ad ultimum ſupplicium trahere. Si leviter deliquimus, hoc ſtatim cuique venit in buccam. Sic egerunt nautæ, de quibus nunc loquitur Jonas: ſiquis rogaſſet an eſſent prorſus extra culpam, confeſſus fuiſſet quiſque ſe coram Deo eſſe peccatorem: ſed interea jaciunt ſortes, acſi unus tantum obnoxius eſſet judicio Dei. Quare? neque enim exiſtimant peccata ſua mereri tam grave ſupplicium. Utcunque ergo deliquerint, & hoc vere ſentiant ac convicti ſint, tamen non tanti faciunt ſua peccata, ut exiſtiment ſe tale quicquam eſſe promeritos. Hæc ratio eſt igitur cur deſcendant ad ſortem, quia quiſque videtur ſibi fore immunis, ubi ad examen illud ventum fuerit. Hic ergo locus oſtendit, quod etiam communi experientia plus ſatis notum eſt, homines quamvis intelligant ſe reos eſſe coram Deo, tamen extenuare peccata ſua, & promittere ſibi veniam, quaſi poſſent cum Deo paciſci, ut ille non ageret cum ipſis ſummo jure, ſed indulgenter eos tractaret. Hinc ergo ſpes impunitatis, quod ex graviſſimis peccatis facimus levia delicta. Sic videmus in Papatu excogitatos fuiſſe varios modos, quibus ſeſe abſolverent coram Deo, & abſtergerent ſuas maculas: Aſperſio aquæ benedictæ delet omnia fere peccata: niſi quis vel adulter ſit, aut homicida, aut veneficus, aut decies perjurus, non putat ſe reum eſſe ullius criminis. Ergo piacula quibus utuntur, valere putant ad obliterandas omnes iniquitates. Unde hic error? nempe quia æſtimant Deum ex proprio ſuo ingenio, & ſua peccata non putant Deo tantopere eſſe abominationi. Sed hoc non eſt novum. Videmus enim quid jam contigerit Jonæ tempore: & ex profanis etiam hiſtoriis colligere licet, hunc errorem paſſim tunc occupaſſe omnium animos: habebant quotidiana piacula, quemadmodum Papiſtæ habent ſuas Miſſas, habent ſuas peregrinationes, habent ſuas aſperſiones aquæ benedictæ, & ſimiles nugas. Sed quemadmodum in Papatu ſunt caſus reſervati, ita etiam ſiquis vel patrem vel matrem occiderat, ſiquis perpetraverat inceſtum, ille opus habebat extraordinario piaculo: & ſiquis erat famoſæ virtutis in terra, illum adibant ut quærerent novum piaculi genus. Hujus erroris exemplum hic proponitur nobis, quum dicunt, *Jaciamus ſortes.* Niſi enim putarent unum eſſe reum, non plures, quiſque conferret ſua peccata in medium, & poſtea agnoſceret tantam eſſe congeriem, quæ repleret cœlum & terram: ſed hoc non faciunt. Oportet unum hominem hic eſſe ſceleratum: nemo autem vult prodire in medium cum hoc elogio: ergo ſortes jaciunt. Nunc quæritur an fuerit hæc legitima ratio veritatis inquirendæ, quum neſcirent cujus culpa exorta eſſet tempeſtas, an fas fuerit ad ſortes confugere. Quidam nimis fuerunt ſuperſtitioſi in damnandis ſortibus, quia præciſe dixerunt omnes ſortes eſſe nefarias: hinc nomen inditum fuit ſortilegis: & ſortilegos putarunt nihil à Magis & incantatoribus differre. Hoc ex errore natum eſt, quia ſcimus permiſſum aliquando fuiſſe jacere ſortem. Et Solomon certe tanquam de politico ordine loquitur, quum dicit in ſinum conjici *Prov. 16. verſ. 33.* ſortes, exitus autem eſſe à Jehova. Solomon non loquitur illic de artibus magicis, ſed dicit quum ſortes mittuntur, non exire fortuito, ſed Dei providentia. Quum etiam Matthias ſubrogatus eſt in locum *Act. 1. verſ. 26.* Judæ, ſorte hoc factum eſt. An Apoſtoli temere uſi ſunt ratione illa? Atqui præfuit Spiritus ſanctus electioni. Non dubium igitur eſt, quin ſortem illam Deus approbaverit. Sicuti etiam quum Joſue ſortitus *Joſ. 7. verſ. 14.* eſt, quia incognita erat cauſa iræ Dei: & tamen ſatis conſtabat Deum infenſum eſſe populo ſuo. Joſue perplexus in re obſcura ſortitur: & ita Acham producitur in medium cum ſuo ſacrilegio. Sortem illam nemo damnare audebit. Ergo ſatis liquet quod dixi, ſuperſtitioſos fuiſſe qui ſine exceptione aliqua damnarunt ſortes quaslibet: ſed tenendum ſimul eſt, non utendum eſſe promiſcue ſortibus. Eſt pars ordinis politici: ſi aliqua hereditas ſit communis, ubi fit partitio, licebit illic ſortes jacere: quia non eſt vel hujus vel illius eligere. quiſque ergo ſumet partem quæ ſorte contigerit. Sic etiam ſortiri licet de provinciis, ubi homines mittuntur aliquo: & ſi partiuntur inter ſe operas, ne qua ſit æmulatio, ubi quiſque volet ad ſe partem aliquam trahere, illic ſors dirimet omnes lites. Tale ſortiendi genus eſt tam verbo Dei, quam legibus permiſſum. Sed ſiquis ſortiri velit ſine ratione aliqua, ille jam erit ſuperſtitioſus, & non multum differet vel à mago, vel incantatore. Exempli gratia, Siquis velit iter ſuſcipere, vel quidpiam aliud aggredi, ſi projiciat in pileum duas ſortes, albam & nigram, Ego videbo an hodie proſpera ſit hæc profectio, illud eſt diabolicum: quemadmodum Satan talibus præſtigiis deludit miſeros homines. Ergo ſiquis ſine ratione velit ſortiri, hoc, quemadmodum jam dixi, excuſatione omni caret. Sed quantum attinet ad alias ſortes, qualis fuit iſta, de qua nunc agimus, non debet trahi in exemplum quod alicubi refertur. Nam ſi Joſue ſortitus eſt, ut in lucem proferret qua de cauſa iratus eſſet Deus populo ſuo, non licebit hoc factum imitari: quia non dubium eſt, quin Joſue peculiari aliquo inſtinctu admonitus fuerit, ut ſortem jaceret. Sic etiam quum Saul ſortitus *1 Sam. 14. verſ. 40.* eſt, & deprehenſus tunc fuit filius Jonathan, quia mel guſtaverat: hoc fuit particulare exemplum. Idem etiam de hac ſorte dicendum erit: nam quia trepidant nautæ, nec reperiunt qua de cauſa contigerit tempe-

ſtas, impendet autem metus naufragii, confugiunt ad ſortem. Si velimus hoc quotidie imitari, certe tanta licentia non placebit Deo, neque etiam conveniet verbo ejus. Itaque tenendum eſt, fuiſſe peculiares quoſdam inſtinctus, ubi ſervi Dei uſi fuerunt ſorte in rebus dubiis & extremis. Hoc ergo breviter ſit reſponſum ad illam quæſtionem, an liceret nautis ſortiri, ut deprehenderent ob cujus crimen ita periclitabantur. Jam venio ad reliqua.

8. Et dixerunt ei, Narra nunc nobis quare malum hoc nobis contigerit, quodnam opus tuum, & unde venias, quæ ſit patria tua, & ex quo populo ſis.

9. Et dixit ad eos; Hebræus ego ſum, & Jehovam Deum cœlorum ego timeo, qui fecit mare & aridam.

10. Et timuerunt viri timore magno, & dixerunt ei, Quare hoc feciſti? quia noverant viri quod à facie Jehovæ ipſe fugeret: nam ipſis narraverat.

Poſtquam ſors cecidit ſuper Jonam, non dubitant quin ille obnoxius ſit, quaſi centies convictus eſſet. Quorſum enim ſortes projicerent, niſi hoc illis eſſet perſuaſum, poſſe dirimi hoc modo quicquid eſt dubitationis, & quicquid latet poſſe in lucem proferri? Quia ergo principium hoc infixum eſt eorum animis, poſſe elici veritatem, & quodammodo erui ex tenebris jacta ſorte, ideo jam inquirunt ex Jona quid fecerit. Nam hoc ſumunt pro confeſſo, quod ſuſtineant tempeſtatem omnes ejus culpa: deinde quod promeritus ſit deteſtabili aliquo ſcelere talem vindictam Dei. Videmus ergo ſortes jeciſſe, quia hoc apud ſe ſtatuebant, non poſſe aliter deprehendi crimen cujus cauſa patiebantur: deinde gubernari ſortes occulto Dei judicio. Nam quomodo poſſet ex ſorte judicium certum fieri, niſi Deus dirigeret ſuo conſilio, & moderaretur quod videtur maxime eſſe fortuitum? Hæc igitur principia quodammodo certa erant apud homines profanos, quod Deus eruat veritatem & proferat in medium: deinde quod præſideat etiam ſortibus, utcunque putentur fortuitæ. Hæc ratio eſt, cur nunc interrogent *quid fecerit Jonas. Narra* igitur *nobis quare malum hoc nobis contigerit, quodnam ſit opus tuum.* Hic per Opus non intelligo crimen, ſed potius genus vitæ, vel ſtatum vivendi, ut loquuntur. Quærunt igitur quibus in rebus hactenus verſatus ſit Jonas, & quam ſequutus ſit vitæ rationem. Nam poſtea ſequitur, *Dic etiam nobis unde venias, quæ ſit patria tua*, ex quo ſis populo. Non dubium eſt, quin ſciſcitati fuerint ordine de ſingulis: ſed Jonas hic breviter commemorat rerum capita. Jam venio ad reſponſum ejus. *Dixit* ergo *ad eos, Hebræus ſum, & Jehovam Deum cœlorum timeo, qui mare & aridam creavit.* Videtur hic Jonas adhuc tergiverſari, imo crimen à ſe depellere: nam profitetur ſe eſſe cultorem veri Dei. Quis non diceret hic velle elabi ſubterfugio, dum opponit pietatem ſuam, qua obtegat crimen illud, de quo prius dictum fuit? Sed hic non omnia referuntur primo verſu, quia paulo poſt ſequitur nautas ſciviſſe de fuga Jonæ: & quod non fuerat obſequutus Dei vocationi & mandato, ſciverant illo narrante. Non dubium eſt igitur, quin Jonas ingenue confeſſus ſit ſuam culpam, tametſi hoc non referat. Sed ſcimus hanc loquendi formam ſatis tritam eſſe Hebræis, ut poſterius adjungant quod prius dicendum fuerat: & Grammatici etiam illud vocant *ὕστερον πρότερον*, ubi aliquid tacetur ſuo loco, deinde ſubjicitur explicationis cauſa. Quum ergo dicit Jonas *ſe Hebræum eſſe, & cultorem veri Dei*, hoc potius ad culpam vel crimen aggravandum ſpectat, quam ad prætextum excuſationis. Si enim dixiſſet ſimpliciter ſe male ſibi eſſe conſcium, quia non obediverat Deo, non fuiſſet tam atrox crimen. Sed ubi præfatur verum Deum cœli & terræ opificem ſibi fuiſſe cognitum, Deum Iſraëlis, qui ſe patefecit data Lege, & promulgata: quum ergo ita præfatur Jonas, hic tollit ſibi omnes colores ignorantiæ vel erroris. Educatus in Lege fuerat, & à puero didicerat quiſnam ſit verus Deus. Non potuit igitur errore labi: deinde non colebat fictitios deos, ut reliqui homines; erat Iſraëlita. Quum ergo imbutus eſſet vera pietate, fuit atrocius crimen, ubi à Deo ipſo defecit, ubi ſprevit ejus mandatum, & quaſi jugum excuſſit, & fuit fugitivus. Nunc ergo tenemus qua de cauſa Jonas hic ſe Hebræum vocet, ac teſtetur ſe eſſe cultorem veri Dei. Primo quum dicit ſe Hebræum, diſcernit à Gentium idolis Deum Abrahæ. Nam in illis omnibus locis ſatis nota erat religio electi populi, quamvis omnium conſenſu reprobaretur: ſciebant tamen & Cilices, & omnes Aſiatici homines, & Græci etiam, deinde ab altera parte Syri, quid Iſraëlitæ jactarent, nempe Deum verum apparuiſſe patri ſuo Abrahæ, deinde pepigiſſe cum eo fœdus gratuitum, deinde Legem dediſſe per manum Moſis: hoc ſatis fama vulgatum erat. Ideo nunc Jonas dicit ſe eſſe Hebræum: acſi diceret ſibi negotium eſſe non cum aliquo fictitio deo, ſed cum Deo Abrahæ, qui olim jam apparuerat ſanctis Patribus: deinde qui reddiderat æternum teſtimonium ſuæ voluntatis per Moſen. Videmus ergo emphatice hoc poni, quod *ſit Hebræus.* Deinde adjungit, *Ego Jehovam timeo Deum cœlorum.* Per verbum Timendi intelligitur cultus. Neque enim hic accipitur quemadmodum ſæpe alias, imo in ſignificatione propria: ſed transfertur timor ad cultum. Ego, inquit, non ſum deditus ſuperſtitionibus variis, ſed edoctus fui in veram pietate: Deus ſe mihi patefecit à prima pueritia. Ego igitur non colo aliquod idolum, ſicuti omnes fere populi fabricant ſibi deos, ſed ego colo Deum creatorem cœli & terræ. Vocat *Deum cœlorum*, hoc eſt, qui ſolus in cœlis habitat. Quum alii exiſtiment cœlum refertum eſſe magna deorum turba, hic Jonas opponit unicum Deum: acſi diceret, Fingite pro veſtro arbitrio innumeros deos, unus tamen eſt, qui imperium ſummum obtinet in cœlis: ille etiam eſt, *qui fecit mare & aridam.* Jam ergo tenemus quid ſibi velit Jonas his verbis: nempe hic oſtendit, non eſſe mirum, ſi tam graviter ipſum perſequatur Deus, quia non leve aliquod delictum perpetraverit, ſed exitiale crimen. Nunc videmus quantum profecerit Jonas, ubi Dominus rigide ipſum tractare cœpit. Nam ut erat ſopitus, imo ſtupidus in ſuo peccato, nunquam reſipuiſſet niſi tam violento hoc remedio. Cæterum, ubi Dominus ſua ſeveritate eum expergefecit, jam non modo fatetur ſe reum eſſe, vel defunctorie culpam agnoſcit, ſed videmus ut libenter etiam apud profanos homines teſtetur ſe hominem eſſe ſceleratum, qui ſcilicet defecerit à vero Deo, in cujus cultu fuerat tam probe inſtitutus. Hic eſt fructus veræ pœnitentiæ: & hic etiam eſt fructus caſtigationis, quam Deus illi inflixerat. Ergo ſi velimus noſtram pœnitentiam Deo probare, ne tergiverſemur, quemadmodum ut plurimum fieri ſolet: neque etiam extenuemus peccata noſtra, ſed libera confeſſione teſtemur coram toto mundo quid ſimus promeriti. Poſtea ſequitur, *viros illos timuiſſe timore magno, & dixiſſe, Quare hoc feciſti? ſciebant enim quod fugeret à facie Jehovæ, quia ipſe narraverat.* Hoc etiam pondere non caret, *nautas timuiſſe timore magno.* Nam ſignificat Jonas fuiſſe ſermone ſuo non modo commotos, ſed etiam perterritos,

territos, tum ut gloriam tribuerent vero Deo. Scimus enim ut ſuperſtitioſi homines fere ludant cum ſuis idolis. Concipiunt quidem ſæpe miros terrores, ſed poſtea faciunt ſibi blanditias, & deliniunt quodammodo animos ſuos, ita ut poſſint placide & ſuaviter ridere in ſuis deliciis. Quod ergo hic dicit Jonas *illos timuiſſe timore magno*, ſignificat fuiſſe ita vulneratos, ut ſerio intelligerent Deum Iſraelis eſſe juſtum judicem: deinde non eſſe qualem fingebant reliquæ gentes, ſed eſſe armatum horrendis exemplis quoties vellet ſumere vindictam. Videmus ergo quid intelligat Jonas, quum de timore magno loquitur. Quanquam utrumque notandum eſt, quod timuerint, nempe quia colligere promptum fuit ex Prophetæ verbis, Deum Iſraëlis unicum eſſe cœli & terræ opificem: deinde quod de timore magno ſequitur, hoc referri debet, quemadmodum jam dixi, ad ſeriam formidinem, quum omnis metus ſtatim evaneſcat incredulis. Quod autem objurgant nautæ & reliqui vectores Jonam, hic Dominus mercedem, quam meritus eſt, ei rependit. Fugerat à facie Dei: hoc modo, quemadmodum diximus, abrogaverat Deo ſummum imperium. Nam qualis eſt Dei auctoritas, ſi quiſque noſtrûm ejus mandata reſpuat, & fugiat ab ejus conſpectu? Quum ergo Jonas vellet Deum ſubterfugere, hic ſubjicitur hominibus: adſunt profani homines, imo barbari, qui caſtigant ejus peccatum, qui ſunt cenſores ac judices ipſius. Idem etiam videmus ſæpe contingere. Nam qui ſponte non obtemperant Deo & verbo ejus, poſtea ſeſe projiciunt in multa flagitia, & turpitudo eorum conſpicitur vulgo. Quia ergo non poſſunt ferre Deum magiſtrum ac doctorem, coguntur ferre innumeros cenſores: notantur enim vulgi probris, monſtrantur ubique digito; tandem trahuntur ad patibulum, & carnifex eſt ſummus eorum magiſter. Idem videmus in Jona: ſicuti quum nauclerus etiam prius caſtigavit ejus torporem, quum dicebat, Tu ſaltem invoca Deum tuum: quid tibi vis, ſopite? tu hic jaces ſimilis trunco: & interea vides nos eſſe perplexos in ultimo diſcrimine. Quum ergo nauclerus tam duriter invectus eſt prius in Jonam, & rurſus omnes uno ore eum caſtigant, certe videmus eum ſubjici omnium judiciis, quia voluit Deo imperium ſuum detrahere. Siquando igitur idem nobis contingat, ut ſubjiciat nos Deus opprobriis hominum ubi volumus ejus judicium ſubterfugere, ne miremur. Sed quemadmodum Jonas hic placide reſpondet, neque obſtrepit, neque recalcitrat, ita etiam tandem vero ſpiritu manſuetudinis agnoſcat quiſque noſtrûm ſua peccata, ubi coarguuntur: etiamſi pueri ſint noſtri judices, vel contemptiſſimus quiſque ex plebe in nos inſurgat, feramus hoc patienter, & ſciamus hoc cenſorum genus nobis contingere Dei providentia. Jam ſequitur,

11. Et dixerunt ad eum, Quid faciemus tibi, ut reſideat mare à nobis? quia mare ibat, (*id eſt, commovebatur*) & erat tempeſtuoſum.

12. Et dixit illis, Tollite me, & projicite me in mare, & reſidebit mare à vobis, quia novi ego quod propter me tempeſtas magna hæc contigerit ſuper vos. (*hoc eſt, ſit ſuper vos.*)

Quòd conſilium capiunt nautæ ex Jona, hinc apparet fuiſſe aliqua reverentia tactos, ut non audeant ipſum attingere. Videmus ergo quantum fere unico momento profecerint, quum parcunt homini Iſraëlitæ, quia in illo populo agnoſcunt verum Deum coli cœli & terræ ſummum Regem. Nam proculdubio obſtitit hic timor, ne ſtatim Jonam in mare projicerent. Quum enim certum eſſet, ejus culpa Deum omnibus iraſci, cur non illo piaculo ſe liberarent? Quod ergo morantur in tanto diſcrimine, & non audent ſtatim arripere Jonam, hinc certe apparet, fuiſſe retentos illa, quam dixi, Dei reverentia. Ergo ſciſcitantur quid ſit factu opus. *Quid* igitur *facturi ſumus tibi, ut reſideat mare à nobis? nam mare ibat*, inquit. Per verbum Eundi intelligit Jonas mare fuiſſe inquietum. Dicitur enim quum mare compoſitum eſt: quieſcere: ubi autem eſt turbulentum, tunc habet varios motus & jactationes. *Mare* igitur *ibat*: deinde, *erat tempeſtuoſum*. Videmus ergo Deum non fuiſſe contentum ignominia Jonæ, ſed ulterius voluiſſe perſequi ejus crimen. Oportuit igitur Jonam ad ſupplicium trahi, quod meritus erat, tametſi poſtea mirabiliter liberatus fuit à morte, ut videbimus ſuo loco. Reſpondet igitur Jonas, *Tollite me, & projicite in mare, & reſidebit à vobis*. Quæritur an Jonas ſponte ſe offerre debuerit ad mortem: videtur enim hoc ſignum eſſe deſperationis. Potuit quidem ſe permittere eorum arbitrio: ſed hic quaſi eos exſtimulat. *Projicite me in mare*, inquit: neque enim aliter Deum placabitis, quam mea pœna. Videtur ſimilis homini deſperato, quum ultro ad mortem impergit: ſed haud dubie agnovit Jonas ſe ad pœnam poſtulari divinitus. Incertum eſt an ſpem ſalutis tunc conceperit, hoc eſt, an præſenti fiducia recubuerit in gratiam Dei: ſed quicquid ſit, tamen colligere licet, ipſum prodire ad mortem, quia intelligat, ac certo perſuaſus ſit, ſe quodammodo aperta voce Dei citari. Et ita non dubium eſt, quin patienter ſubeat judicium, quod Dominus contra eum tulit. *Tollite* igitur *me*, *& projicite in mare*. Poſtea, *mare à vobis reſidebit*. Hic Jonas non tantum pronunciat Deum poſſe placari morte ſua, quoniam ſors ſuper eum ceciderit, ſed aliunde agnoſcit mortem ſuam ſufficere poſſe loco piaculi, ut tempeſtas reſideat. Et ideo etiam ſequitur ratio: *Novi*, inquit, *quod propter me magna hæc tempeſtas ſit ſuper vos*. Quum ſe noviſſe dicit, non poteſt hoc referri ad ſortem: erat enim communis hæc omnium notitia. Sed Jonas hic tanquam Prophetico ſpiritu loquitur. Et non dubium eſt, quin confirmet quod prius jam attigi, nempe Deum Iſraëlis eſſe ſummum & unicum Regem cœli & terræ. Hæc igitur certitudo notitiæ, de qua Jonas loquitur, debet referri ad ejus conſcientiam, deinde ad doctrinam pietatis, qua imbutus erat. Jam vero poſſumus colligere ex his verbis utiliſſimam doctrinam, quod ſcilicet Jonas hic cum Deo non expoſtulat, neque contumaciter fremit, quod Deus tam ſevere ipſum puniat. Nam ſuſtinet libenter & reatum & pœnam, quemadmodum prius, quum dicebat, Ego cultor ſum veri Dei. Quomodo fatetur verum Deum, cujus ſummum rigorem tunc experiebatur? Sed videmus Jonam fuiſſe ita ſubactum, ut non deſineret tamen juſtum honorem tribuere Deo: quamvis interitus eſſet ante ejus oculos, quamvis ira Dei arderet, videmus tamen ut Deo, quemadmodum diximus, tribuat honorem ſuum. Ita idem repetitur hoc loco, *Ecce*, inquit, *novi quod propter me tempeſtas hæc magna contigerit*. Deo certe non obmurmurat, qui in ſe recipit totam culpam. Hæc igitur vera eſt pœnitentiæ confeſſio, ubi Deum agnoſcimus, & teſtamur etiam libenter apud homines juſtum eſſe, etiamſi atrociter pro carnis noſtræ ſenſu in nos ſæviat. Ubi tamen tribuimus ei laudem juſtitiæ, tunc vere oſtendimus noſtram pœnitentiam. Niſi enim ad hanc humilitatem cogat nos ira Dei, ſemper pleni erimus amaritudine: & utcunque obmuteſcamus ad tempus, cor tamen noſtrum erit contumax & rebelle. Ergo hæc humilitas ſemper pœnitentiam ſequitur, dum ſcilicet peccator ſe proſternit coram Deo, & ſuſtinet libenter ſuum peccatum, neque ſubterfugiis elabi conatur. Et non mirum eſt, ſi Jonas eo uſque ſe demiſerit.

miſerit. Videmus enim idem etiam nautas feciſſe: quum dicunt jaciendam eſſe ſortem, addunt etiam ſimul, Venite & jaciamus ſortes, ut ſciamus cur malum hoc contigerit nobis. Non trahunt Deum in ſortem, ſed ſtatuunt eum judicem: & hoc modo agnoſcunt ſe juſtam pœnam dare. Et tamen quiſque putat ſe eſſe innoxium: nam utcunque eos morderet conſcientia, tamen nemo putabat ſe reum eſſe tanti ſceleris ut ſubiret vindictam Dei. Quum ergo nautæ putarent ſe immunes eſſe à ſcelere, tamen non ideo litigarunt cum Deo, ſed paſſi ſunt eſſe judicem ſupra omnes. Quum ergo inter hos modeſtiæ fines ſe continuerint homines tam barbari, non mirum eſt ſi Jonas, præſertim ubi expergefactus fuit, & cœpit ſentire ſuam culpam, & ſerio etiam retentus fuit Dei manu, non mirum eſt ſi tunc confeſſus eſt ſe obnoxium eſſe Deo, & jure dare tam gravem & atrocem pœnam. Hoc igitur notandum eſt, quum dicit ſe ſcire, quod ſua cauſa contigerit hæc tempeſtas illis, vel quod mare ita tempeſtuoſum ſit adverſus omnes. Reliqua differemus in diem craſtinum.

Da omnipotens Deus, quando quotidie nos ſollicitas ad pœnitentiam, & quiſque etiam noſtrûm pungitur conſcientia ſuorum ſcelerum: da, inquam, ne obtorpeſcamus in malis noſtris, vel inanibus blanditiis nos ludamus, ſed potius quiſque noſtrûm ſedulo vitam ſuam examinet: deinde ut uno ore & corde fateamur nos omnes eſſe reos non levis culpæ duntaxat, ſed æternæ mortis: nec aliud remedium nobis reſtare, quam immenſam tuam miſericordiam, & ita etiam quæramus, ut amplectamur gratiam illam, quæ ſemel omnibus oblata eſt à Filio tuo, & quotidie per ejus Evangelium offertur, ut freti illo mediatore non deſinamus bene ſperare etiam inter mille mortes, donec colligamur in beatam illam vitam, quæ nobis parta eſt ejuſdem Filii tui ſanguine, Amen.

PRÆLECTIO QUARTA
IN
JONAM PROPHETAM.

CAP. I.

13. Et quærebant (*vel moliebantur: proprie eſt, fodiebant*) viri, ut reducerent navem, & non poterant: quia mare ibat, & turbulentum erat ſuper eos.

14. Et clamarunt ad Jehovam, & dixerunt, Obſecro, Jehova, ne quæſo pereamus propter animam viri hujus, & ne des ſuper nos (*hoc eſt, ne ponas*) ſanguinem innocentem: quia tu, Jehova, ſicut placitum tibi eſt, feciſti.

Hic verſus oſtendit nautas & reliquos tunc magis ad miſericordiam flexos fuiſſe, quum viderent ſanctum Dei Prophetam libenter ſubire pœnam quam meritus fuerat. Ergo dum ſe obnoxium eſſe fatetur, neque ſupplicium recuſat, hinc fit ut cupiant parcere vitæ ejus, qui tamen erant profani homines, deinde maxima ex parte barbari. Et quum quiſque præſenti periculo poſſet eſſe quaſi attonitus, hoc magis amplificat miraculum, quod tamen reſpectum habeant vitæ ejus, qui ſolus erat in culpa, & qui jam hoc libere confeſſus fuerat. Sed Dominus ita flexit eorum animos, ut nunc clarius nobis pateat quam grave ſit crimen, refugere vocationem Dei, & non ſimpliciter morem gerere ejus mandato, quemadmodum antehac diximus. Putant multi hoc leve delictum eſſe, & ſibi facile indulgent: ſed non eſt in arbitrio hominum appendere peccata: hæc eſt trutina fallax, quum homines æſtimant ex proprio ſenſu ſua peccata. Ergo diſcamus tribuere Deo honorem ſuum, ut ſolus ſit judex, & emineat ſuper nos, & ſtatuat quam grave aut leve ſit unumquodque peccatum. Cæterum niſi homines ſponte ſeipſos ineptis blanditiis fallerent, certe ſenſus communis hoc dictat, non leve delictum eſſe ubi refugimus Dei imperium: nam ſicuti diximus, hoc modo abrogant Deo homines imperium. Quid autem reſtat Deo, ubi non gubernat homines, quos condidit, & quos ſuſtinet virtute ſua? Voluit igitur Dominus hic oſtendere, non poſſe placari aliter iram ſuam, quam ſi Jonas in mari demerſus eſſet: quanquam altius reſpexit, ut poſtea videbimus. Sed hoc interea notatu dignum eſt, quod Dominus voluit in perſona Jonæ ſtatuere exemplum, unde nunc omnes agnoſcant non eſſe ludendum cum ipſo: ſed ſimulatque aliquid præcepit, obtemperandum eſſe. Verbum quo utitur Propheta, interpretes varie exponunt. חתרו proprie eſt Fodere: ideo quidam putant metaphoricam eſſe loquutionem, quia remiges videntur mare fodere: & non male quadraret hic ſenſus. Alii longius trahunt metaphoram, quod ſcilicet ſcrutati ſunt vel quæſierunt rationes nautæ, quibus poſſent navem appellere in terram: ſed altera metaphora, ſicuti minus remota eſt, magis placet. Latini hoc vocant Moliri, quum ſcilicet non leviter tantum remiges ſcalmos ſuos impingunt, ſed quum utuntur majore conatu. Moliebantur ergo nautæ *ut navem reducerent*. Sed quo conſilio? nempe ut parcerent vitæ hominis, qui jam confeſſus fuerat ſe reum eſſe coram Deo, & ſua culpa commotam fuiſſe illam procellam quæ minitabatur omnibus naufragium. Dicit autem *non potuiſſe, quia mare turbulentum erat*, ſicuti jam heſterna lectione vidimus. Nunc venio ad ſequentem verſum. *Clamarunt*, inquit, *ad Jehovam, & dixerunt, Obſecro, Jehova, ne quæſo pereamus propter animam viri hujus, & ne des*, hoc eſt, ne rejicias, *ſuper nos ſanguinem innoxium*. Nunc plenius exprimit Propheta cur tantopere conati ſint nautæ redire in portum, vel appellere ad littus aliquod: quia ſcilicet jam perſuaſi erant Jonam eſſe cultorem veri Dei: neque id modo, ſed Prophetam: poſtquam narraverat, quemadmodum vidimus, ſe fugere à conſpectu Dei, quia formidaverat exequi mandatum illud, de quo vidimus. Reverentia igitur continuit nautas, quum ſcirent Jonam eſſe ſervum veri Dei. Videbant interea Jonam ob crimen unum jam ſtare ad tribunal Dei, & poſtulari ad ſupplicium: hoc videbant: ſed interea optaſſent ſervare ipſum incolumem. Docet autem hic locus, natura hoc eſſe omnibus ingenitum, ut abhorreant à crudelitate. Nam utcunque multi ſint homines feri & ſanguinarii, non poſſunt tamen exuere hunc ſenſum, quin effuſio ſanguinis humani ſit deteſtabilis. Multi interea ſe obdurant, ſed cauterio uruntur, neque poſſunt excutere horrorem illum, quin ſentiant ſe abominabiles eſſe & Deo & hominibus, dum ita effundunt ſanguinem innoxium. Hinc fit, ut nautæ, qui alioqui vix guttam humanitatis retinent, ſupplices tamen confugiant ad Deum, ubi agitur de morte unius

homi-

hominis, & hic dicunt אתה יהוה Repetit ad confirmationem particulam, quæ oſtendit nautas ſuppliciter deprecatos eſſe, ne Deus imputaret illis hoc crimen. Videmus ergo, etiamſi homines iſti nunquam guſtaſſent doctrinam Legis, tamen naturaliter ita fuiſſe edoctos, ut ſcirent ſanguinem humanum Deo charum & pretioſum eſſe. Jam quantum ad nos ſpectat, non modo debemus imitari hos nautas, ſed longe ſuperare. Neque enim tantum vigere apud nos debet naturæ regula: ſed audimus quid Deus
Gen. 9: 6. jam olim pronunciaverit ore ſuo, Quiſquis fuderit ſanguinem humanum, fundetur ſanguis ejus. Et ſcimus etiam qua ratione Deus ſuſcipiat vitam hominum tuendam, nempe quia creati ſunt ad ejus imaginem. Ergo quiſquis violenter inſurgit contra homines, ille, quantum in ſe eſt, violat imaginem æterni Dei. Quum ita ſit, nonne omnis violentia & crudelitas debet nobis duplici horrori eſſe? Interea etiam aliud colligere oportet ex hac doctrina. Oſtendit enim Deus ſingulari teſtimonio, quam paterno affectu nos proſequatur, dum vitam noſtram vult in fide ſua eſſe & præſidio, & oſtendit reipſa ſibi nos curæ eſſe, quia pœnam ac vindictam ſumpturus eſt ſi quis nos injuſte lædat. Videmus ergo ut hæc doctrina ab una parte contineat nos ſub freno, ne quid tentemus contra fratres noſtros: deinde ut nos etiam certiores faciat de paterno Dei amore, ut hac dulcedine illecti diſcamus nos totos tradere in ejus cuſtodiam. Jam venio ad poſtremum membrum verſus, ubi dicunt nautæ, *quia tu Jehova, quemadmodum placitum eſt tibi, feciſti.* Hic nautæ ſatis oſtendunt ſe non ſponte fundere ſanguinem innoxium. Quomodo hæc igitur inter ſe conveniunt, ut ſanguis ſit innoxius, ipſi autem ſint extra culpam? Utuntur hac excuſatione, quod obediant judicio Dei, nihil temere, vel pro ſua libidine hic agant, ſed ſequantur quod Dominus præſcripſit. Etſi enim Deus non loquutus fuerat, reipſa tamen patebat quid mandaret. Nam quaſi Deus exigeret piaculum aliquod in morte Jonæ, ita voluit durare tempeſtatem, donec ille ſubmerſus foret: hæc jam nautæ objiciunt. Sed potemus non rejicere culpam in Deum, quemadmodum faciunt blaſphemi homines, qui dum volunt ſe eximere à reatu, trahunt Deum in crimen, vel ſaltem eum ſuo loco ſubrogant: Quid ergo, inquiunt, ſedet judex ad nos damnandos qui ipſe primus eſt auctor, quum ita decreverit? Hodie multi phrenetici ita loquuntur, ut ſcilicet tollant omne diſcrimen boni & mali, acſi libido hominum illis pro lege eſſet. Obrendunt interea Dei providentiam. Noluit Jonas hoc intelligi de nautis: ſed quia ſatis intelligunt Deum gubernare juſto judicio mundum, etiamſi arcana ſint ejus conſilia, & non poſſint captu noſtro comprehendi. Quia igitur hoc ſtatuunt, ideo ſeſe confirmant: & interea tamen utcunque tribuant laudem juſtitiæ Deo, trepidant ne rei ſint innoxii ſanguinis. Nunc ergo videmus quam reverenter loquuti ſint iſti homines de Deo: atque etiam quanta religio ipſos tenuerit, ut non fraudarent Deum laude ſua. *Tu*, inquit, *Domine, feciſti ſicut tibi libitum eſt.* An hic Deum inſimulant tyrannidis, quaſi omnia conturbet ſine ratione & modo? Minime: ſumunt illud principium, voluntatem Dei eſſe rectam & juſtam: imo quicquid Deus apud ſe decrevit, hoc ſine controverſia eſſe juſtum. Ubi ergo hoc illis perſuaſum eſt, jam voluntatem Dei ſumunt pro regula bene agendi. *Quia ergo tu, Domine, ſicut tibi placuit feciſti*, ideo nos innoxii erimus. Cæterum, ſimul etiam addere convenit, nautas hic non garrire de arcana Dei providentia, ut imputent illi homicidium, quemadmodum faciunt impii quidem & impuri canes hodie: ſed quia Dominus patefecit illis conſilium ſuum, oſtendunt non poſſe aliter componi, & ſedari maris procellam & tempeſtatem, niſi Jona ſubmerſo, ideo hanc notitiam conſilii Dei accipiunt pro certa lege. Quanquam, ut dixi, ſemper confugiunt ſupplices ad Dei miſericordiam, ne in re adeo perplexa & confuſa ipſos ſimul involvat eodem ſupplicio, quia coguntur fundere ſanguinem innoxium. Nunc ergo tenemus ſenſum hujus loci. Jam ſequitur,

15. Et ſuſtulerunt Jonam, & projecerunt in mare, & ſtetit mare à fervore ſuo.

Hic jam oſtendit Jonas tempeſtatem illam ſua culpa commotam fuiſſe: quia eventus hoc certo comprobavit. Neque enim nautæ ſolum jecerunt ſortem, ſed poſtquam Jonas projectus eſt in mare, quia ſedata fuit procella, & mare quievit, illa repentina mutatio ſatis oſtendit Jonam ſolum fuiſſe in cauſa cur ita propinqui eſſent naufragio. Nam ſi paulo poſt, ſed aliquo tempore interpoſito, mare fuiſſet ſedatum, poterat adhuc hoc adſcribi fortunæ. Sed dum eodem momento mare quieſcit, non poteſt aliud dici, quam Jonam Dei judicio fuiſſe damnatum. Projectus quidem fuit hominum manu in mare, ſed Deus ita præſidebat, ut nihil hominibus poſſit adſcribi, niſi quod exequuntur judicium, quod Dominus aperte mandat & exigit ab ipſis. Huc ergo pertinet hic verſus. Jam adjungit,

16. Et timuerunt viri timore magno Jehovam, & ſacrificarunt ſacrificium Jehovæ, & voverunt vota.

Jam declarat Jonas quiſnam ſequutus ſit fructus: ac principio dicit nautas timuiſſe verum Deum. Utitur enim hic nomine proprio Dei, quia jam ante vidimus fuiſſe addictos ſuis ſuperſtitionibus, quum ſinguli clamarent ad deos ſuos: ſed fuit illud erroneum ſtudium. Vagati enim ſunt poſt ſuas ſuperſtitiones. Nunc diſcrimen Propheta notat, quod ſcilicet inceperint verum Deum timere. Quanquam autem fieri poteſt, ut poſtea relapſi ſint ad ſuos errores, hoc tamen non debuit præteriri, quod Deus coëgit illos ad talem metum. Hebræi, ut ante dictum fuit, aliquando Timere Deum accipiunt generaliter pro Colere: ſecundi Regum 17. dicitur de novis incolis terræ Chanaan, qui ex Perſide tranſlati fuerant, Timuerunt illi homines Deum, hoc eſt, imitati ſunt legalem ritum in ſacrificiis, ut Deum colerent. Sed hoc loco adjectum oſtendit loquendi formam magis reſtrictam eſſe: additur enim, *timor magnus.* Ergo ſignificat Jonas, nautas & alios vectores non modo tactos fuiſſe aliquo timore Dei, ſed ſenſiſſe Deum Iſraelis eſſe Regem ſummum cœli & terræ, omnia tenere ſub manu & imperio ſuo. Nec dubium eſt, quin timor hic ita adduxerit eos ad veram notitiam, ut ſcirent ſe prius deluſos fuiſſe, & quicquid unquam finxit mundus eſſe merum ludibrium, & deos hominum arbitrio fabricatos nihil aliud eſſe quam mera idola. Tenemus ergo nunc quid Jonas ſignificet. Cæterum hic paulo fuſius dicendum eſt de timore Dei. Scriptura quum de timore Dei loquitur, nunc cultum externum deſignat, nunc veram pietatem. Ubi de externo cultu agitur, hoc leve eſt: nam hypocritæ ſolent defungi ſuis ceremoniis, & teſtantur ſe verum Deum colere; interea tamen quia ſincero affectu ſe non ſubjiciunt Deo, neque fidem afferunt neque pœnitentiam, ideo nihil aliud quam ludunt. Sed timor Dei ſæpe accipitur pro ipſa pietate: & tunc vocatur principium vel caput ſapientiæ, vel etiam ipſa ſapientia,

Job. 28. verſ. 28. tia, quemadmodum in libro Job. Timor ergo Dei; hoc eſt, reverentia qua ſponte ſe illi ſubjiciunt fideles, eſt caput ſapientiæ. Sed ſæpe etiam contingit ſervili metu tangi homines, ut cupiant Deo ſatisfacere: interea tamen cuperent potius ipſum detractum ex ſolio ſuo. Servilis ille timor plenus eſt contumaciæ, quia interea frenum arrodunt, qui non poſſunt ſe eximere ejus poteſtate & imperio. Talis fuit hic metus de quo nunc diſſerit Jonas: neque enim omnes quorum nunc meminit, ita repente mutati ſunt, ut ſe addicerent vero Deo. Neque enim eo uſque profecerant: & non fuit tam vera & ſeria converſio animorum, ut mutati fuerint in novos homines. Quomodo igitur timuerunt? nempe quum Dominus illis extorſit ad tempus aliquam confeſſionem. Poteſt fieri, ut aliquis numerus deinde profecerit magis ac magis: ſed loquor nunc de omnibus in genere. Quod ergo timuerunt Deum, hinc non poſſumus colligere in ſolidum reſipuiſſe, ut poſtea addicti fuerint Deo Iſraelis. Sed tamen coacti ſunt ſentire, & fateri Deum Iſraëlis eſſe unicum & verum Deum. Quare? nam horribile illud judicium illis incuſſerat terrorem, ita ut ſentirent hunc ſolum eſſe Deum, qui cœlum & terram ſub ſe continet. Nunc ergo videmus, in quo gradu locandus ſit hic timor, de quo agit Jonas. Si poſtea non ſequuti ſunt meliores progreſſus, hoc tantum ad condemnationem valuit, quod quum nautæ iſti certo documento agnoſcerent unicum eſſe Deum, tamen permiſcuerint cum ejus cultu pravas & impias ſuperſtitiones, ſicuti etiam in multis hodie contingit. Papiſtæ habent commune principium nobiſcum, quod unicus ſit Deus cœli & terræ opifex: imo etiam propius accedunt, quod unigenitus Dei Filius redemptor noſter ſit. Sed interea videmus ut contaminent totum cultum Dei, & convertant veritatem ejus in mendacium. Miſcent igitur Deum cum idolis, ita ut nihil apud eos ſit ſincerum. Sed principium tamen illud multum valet, ſi Dominus manum porrigat miſeris hominibus. Nam ſi in Papatu hoc non eſſet perſuaſum, verbo Dei habendam eſſe fidem, & Chriſtum Filium Dei eſſe regem & caput Eccleſiæ, utendum eſſet longo circuitu apud eos: Nunc autem familiaris eſt acceſſus: quum objicimus & Legem, & Prophetas, & Euangelium, tenentur etiam aliqua reverentia, neque audent reſpuere auctoritatem ſummi Dei. Videmus ergo ut timor ille per ſe frivolus ſit, ſi maneant defixi homines in ſuo luto: ſed ſi Dominus ulterius velit eos vocare, timor hic aperit illis januam ad veram pietatem. Ita, quemadmodum etiam dixi, fieri potuit ut aliquis ex nautis & aliis vectoribus deinde magis profecerit. Sed timor ille per ſe nihil aliud potuit quam ipſos convincere, ne qua excuſatio illis prodeſſet coram judicio Dei: quia ſpecimen editum fuerat, unde agnoſcerent non alium eſſe Deum, quam qui tunc invocabatur in populo electo. Poſtea addit *ſacrificaſſe ſacrificium Jehovæ*. Solebant prius ſacrificia offerre ſuis idolis, tunc autem teſtati ſunt Deum Iſraëlis ſe colere: quia huc pertinent ſacrificia. Sed ſimul notandum eſt, expreſſam illis fuiſſe hanc confeſſionem, ut Deus ſanciret fidem verbi ſui. Quum ergo intelligerent hoc totum negotium fuiſſe gubernatum Dei arbitrio, coacti ſunt teſtari illum eſſe verum Deum: hic fuit finis ſacrificii & ſcopus. Quæri tamen poteſt, an ſacrificium illud Deo placuerit. Certum eſt, ſimulatque homines commenta ſua afferunt, mixtura illa corrumpi & vitiari quicquid poſſet alias in ipſis laude eſſe dignum. Deus enim non admittit ſocium, quemadmodum ſatis notum eſt. Et ſemper tenendum eſt illud Ezechielis, Ite, immolate diabolo, & non mihi. Deus illic repudiat omnia ſacrificia quæ ſolebant illi offerri in populo Iſraëlitico, quoniam ſcilicet admixtæ erant ſuperſtitiones. Oſtendit igitur Deus adeo ſibi non probari talem mixturam, ut malit homines ſuperſtitioſos prorſus deditos eſſe diabolo, quam nomen ſuum ſacrum ita profanari. Ergo per ſe hoc ſacrificium neque legitimum fuit, neque potuit Deo placere: ſed per accidens & extrinſecus, ut ita loquar, ſacrificium hoc Deo placuit: quia voluit hoc modo gloriam ſuam illuceſcere. Quamvis ergo nautas ipſos abjiceret, tamen vult opus hoc eſſe aliquod gloriæ ſuæ teſtimonium: quemadmodum exempli gratia ſæpe opus reſpectu hominis erit vitioſum, & tamen accidentali modo ſpectabit ad gloriam Dei. Et hoc diligenter tenendum eſt. Hodie diſputatio eſt, imo acre certamen de bonis operibus: & Sophiſtæ ſemper in hoc [illegible] ſe decipiunt, quia arbitrantur opera moraliter bona vel eſſe præparatoria ad gratiam conſequendam, vel eſſe meritoria ſalutis æternæ. Quum dicunt opera moraliter bona, tantum reſpiciunt externas larvas: non reſpiciunt neque fontem, neque etiam ſcopum. Si cor hominis impurum eſt, certe opus quod inde manat, ſemper erit impurum & fœtebit coram Deo. Si etiam finis eſt perverſus, hoc eſt, ſi non ſit propoſitum hominibus Deum colere, idque ſincero corde, etiam opus quod erit maxime ſplendidum, ſordebit coram Deo. Ergo longe falluntur & nimis pueriliter Sophiſtæ, quum dicunt opera moraliter bona placere Deo, vel præparatoria eſſe ad gratiam, vel meritoria ſalutis. Sed quomodo fieri poteſt, ut opus aliquod Deo non placeat, & tamen valeat ad ejus gloriam? Reſpondeo hoc optime quadrare, & nihil hic eſſe repugnantiæ, quod non facile conciliari queat. Nam Deus per accidens, quemadmodum dixi, in gloriam ſuam applicat, quæ per ſe vitioſa ſunt. Per ſe dico, hoc eſt, hominum reſpectu. Sic etiam in Papatu nomen Chriſtianum gloriæ Dei ſervit: nam manet ſemper aliquid reſiduum. Et unde factum eſt, ut hoc tempore emerſerit lux Evangelii, & in paucis locis ſaltem reſtituta fuerit vera pietas? nempe quia Dominus nunquam paſſus eſt extingui veram religionem, etiamſi illic corrupta fuerit. Ergo Baptiſmus in Papato, nomen ipſum tam Chriſti quam Eccleſiæ, deinde aliqua forma pietatis: hæc omnia fuerunt inutilia prorſus, ſed per accidens valuerunt, quemadmodum jam dixi. Cæterum, ſi reſpicimus tam ſacrificos quam vulgus, nihil aliud quam pervertunt Dei cultum, ubi temere & promiſcue adjungunt ſuas ſuperſtitiones & commenta verbo Dei, nihil ſincerum illic ſervatur. Quum ergo ita confundunt cœlum & terram, nihil aliud quam iram Dei in ſe provocant. Nunc igitur tenemus cur dicat Jonas nautas illos & vectores ſacrificia obtuliſſe Deo. Interea ſimul tenendum eſt quod nuper dixi, ſacrificium hoc fuiſſe quaſi ſymbolum divini cultus. Nam ab initio ſemper hæc ſententia obtinuit in cordibus omnium, non eſſe offerenda ſacrificia niſi Deo. Et profani homines ſeculis omnibus non aliter ſenſerunt de ſacrificiis, niſi quod profitebantur ſuam pietatem erga deos hoc modo. Quum ergo ſacrificia ab initio uni Deo oblata ſint, ſequitur hodie minime excuſabiles eſſe, qui adjungunt Deo ſocios, & offerunt mortalibus vel Angelis ſua ſacrificia. Hoc quomodo in Chriſtianis ferri poterit, quum Gentiles ſemper confeſſi fuerint ſe cenſere deos, quibus ſacrificia ſua ſolebant offerre? Jam vero, quum Deus pronunciet ſummum ſacrificium ſibi eſſe Invocationem, quemadmodum legimus Pſal. 50. in Papatu tota religio pervertitur, ubi non modo ſolum Deum invocant, ſed etiam creaturas: neque enim dubitant perinde ad Petrum vel Paulum, imo ad ſuos ſanctos & factitios & fictitios confugere, quam ad unum Deum. Quum ergo ſpoliant Deum ſummo illo ſuo jure, videmus ut totam pietatem ſacrilegio illo peſſundent. Ergo ſi profani homines teſtati ſunt ſe colere Jehovam & Deum Iſraelis ſuo ſacrificio

externo,

externo, hodie diſcamus non transferre legitimum Dei honorem ad creaturas, ſed maneat in ſolidum ipſi & integer hic honor, ut ſolus invocetur: quia hoc, quemadmodum dixi, ſummum eſt, & maxime pretioſum ſacrificium, quod exigit & probat. Jam addit etiam Jonas *nautas vota Deo voviſſe*. Hoc ad gratiarum actionem pertinet: ſcimus enim hoc in votis ſemper fuiſſe propoſitum non modo ſanctis Patribus, ſed etiam ſuperſtitioſis, ut Deo ſe obſtringerent, deinde ut gratias agerent, & palam facerent, ſe illi debere & vitam ſuam, & quicquid beneficii contigerat. Hæc igitur fuit perpetua vovendi ratio omnibus ſeculis. Ergo nunc quum nautæ vovent votum Deo, jam renunciant ſuis idolis. Clamarunt prius ad ſuos deos, ſed jam intelligunt ſe fruſtra vociferatos eſſe & ſine profectu, quia ſparſerant temere voces ſuas in aere. Nunc ergo dirigunt ad unicum Deum ſua vota, quia intelligunt vitam ſuam in ejus eſſe manu. Ex hinc colligere promptum eſt, quam ſtulte hodie Sophiſtæ coacervent omnes Scripturæ locos ubi de votis agitur. Nam putant nos obrui ſola illa voce, dum perverſa eorum vota damnamus. Atqui nemo noſtrûm unquam negavit, neque etiam negat, quin liceat vovere, modo hoc fiat ex præſcripto Legis & Euangelii: hoc eſt, ne temere Deo obtrudant homines quicquid in buccam venit, ſed voveant quod illi gratum eſt: deinde etiam ut habeant juſtum & rectum vovendi finem, nempe ut gratitudinem ſuam coram Deo teſtentur.

In votis autem vulgaribus craſſiſſima ſunt vitia, ſicuti etiam in toto Papali cultu, quia hoc vel illud vovent Deo promiſcue, non reſpiciunt quid Dominus requirat vel probet: ſed hic certis diebus abſtinet ab eſu carnium: alius autem non pectit caput: ille curſitat in aliquam peregrinationem. Scimus hæc omnia repudiari à Deo. Deinde etiamſi nihil voveant niſi quod Deo probatur, tamen fit præpoſtere, quia volunt hoc modo Deum ſibi obſtringere, & ſemper illa diabolica meriti opinio occupat ipſorum animos. Poſtremo etiam non reſpiciunt quid poſſint, ſed vovent perpetuum cælibatum, quum tamen intemperantia ipſos urat: & ita videmus ut pugnent inſtar Gigantum cum ipſo Deo, & ſimul permittant ſibi effrenem licentiam quidlibet vovendi. Sciamus ergo quoties Scriptura de votis loquitur, ſemper hæc duo principia ſumere: quod ſcilicet vota, quoniam pertinent ad cultum Dei, non debeant ſuſcipi abſque delectu pro hominum libidine, ſed debeant referri & exigi ad ſuam regulam, nempe nequid homines afferant Deo, niſi quod ſciunt ex ejus verbo illi probari: deinde, ut rectum finem teneant, nempe ut declarent hoc ſymbolo ſuam gratitudinem erga Deum, teſtentur ſe eſſe ſalvos ejus beneficio. quemadmodum nunc quum vovent nautæ, certe nihil aliud cogitant quam Deum eſſe ſuum liberatorem: atque ita teſtantur, ubi in portum ſalvi pervenerint, ſe palam hoc facturos, quod Deus Iſraelis eorum miſertus ſit. Sequitur,

17. Et paravit Jehova piſcem magnum ad vorandum Jonam: & fuit Jonas in viſceribus piſcis tribus diebus, & tribus noctibus.

Quæ hic breviter refert Propheta, noſtrum eſt diligentius expendere. Hoc quidem facile præteritur, quum paucis verbis legimus Jonam abſorptum fuiſſe ab uno piſce, & illic fuiſſe per tres dies, & tres noctes: ſed interea quamvis Jonas neque Rhetorico more amplificet atque illuſtret quæ negliguntur à nobis, neque etiam utatur aliquo verborum ſplendore, ſed quaſi de re vulgata verba faciat, tamen videmus quid contineat res ipſa. Jonas in mare projicitur: fuerat antehac non modo veri Dei cultor, ſed Propheta, & fideliter haud dubie defunctus officio ſuo fuerat. Neque enim Deus Nineven mittere ſtatuerat, niſi quia contulerat in ipſum eximia dona: ſciebat etiam ipſum ſufficere ad tantum & tam grave onus ſubeundum. Quum ergo Jonas fideliter ſtuduerit Deum colere, & operam ſuam tota vita illi impendere: nunc quod projicitur in mare quaſi indignus luce communi, quod exterminatur à ſocietate hominum, quod etiam videtur indignus qui vulgare & uſitatum ſupplicium ſubeat: ſed quaſi ejicitur è mundo, ut careat communibus elementis, quemadmodum etiam pœna hæc olim parricidis, ſicuti notum eſt, deſtinata fuit: quum ergo Jonas ita videt ſe tractari, qualis poteſt eſſe ejus animus? Jam quod narrat ſe toto triduo fuiſſe in ventre piſcis; certe tunc ita Dominus eum expergefecit, ut continua inquietudine laboraret: non tunc ſopitus erat quum abſorptus fuit à piſce, ſed quaſi eum Dominus violenter traxiſſet ad ſuum tribunal, ita paſſus eſt aſſiduam carnificinam. Singulis etiam momentis debuit cogitare, Quid nunc tecum agitur? Deus enim non ſemel te interficit, ſed vult te objicere etiam ad innumeras mortes. Videmus quid dicat Job: ſe, ubi mortuus fuerit, quietum fore, & ab omnibus malis immunem. *Job. 14. verſ. 6.* Jonas proculdubio ſemper æſtuabat illo dolore, quod ſciebat Deum ſibi eſſe adverſum & infeſtum: dicebat, Eſt tibi negotium non cum hominibus, ſed cum Deo ipſo qui te nunc perſequitur: quia fugitivus fuerat ab ejus facie. Quum ergo Jonas neceſſe haberet, ita ſecum reputare iram Dei, hoc illi durius fuit centum mortibus: quemadmodum Job, & alii etiam multi pro ſummo voto poſtulant, ut mori liceat. Jam quia non interficitur, ſed languet in continuis tormentis, certe nemo noſtrûm poſſet hæc animo comprehendere, tantum abeſt ut verbis conſequi poſſit quæ continuo illo triduo Jonæ in mentem venire potuerunt. Sed non poſſem nunc reliqua expedire: differam igitur in ſequentem lectionem.

Da omnipotens Deus, quando ſanctum tuum Prophetam nobis hodie proponis, ut formidabile ſit exemplum iræ tuæ contra omnes tibi rebelles & immorigeros: da, inquam, ut diſcamus ſenſus omnes noſtros, & affectus ita ſubjicere verbo tuo, nequid recuſemus quod tibi placeat, ſed ita diſcamus tibi & vivere & mori, ut pendeamus ſemper à tuo nutu, & nihil unquam ſuſcipiamus niſi quod teſtatus fueris tibi probari, ut ita militemus ſub tuis auſpiciis, & verbo tuo tota vita pareamus: donec tandem perveniamus ad beatam illam quietem, quæ nobis parta eſt ſanguine unigeniti Filii tui, & repoſita in cœlo per ſpem Euangelii ejuſdem, Amen.

PRÆLECTIO QUINTA
IN
JONAM PROPHETAM.

CAP. I.

Poſtrema lectione cœpimus exponere verſum ultimum primi capitis, ubi dicebat Jonas *paratum fuiſſe piſcem à Domino*. Diximus non potuiſſe aliter fieri, quin Jonas, quum eſſet in ventre illius piſcis, ſenſerit graviſſima tormenta, acſi jam addictus eſſet æternæ morti: quantiſper ſcilicet gra-

tiæ

tiæ Dei guſtu privatus fuit. Et hoc iterum clarius explicabitur in ejus Cantico. Sed nunc expedienda nobis quæſtio eſt, an Deus piſcem creaverit, qui Jonam reciperet. Videtur enim hoc ſonare verbum, *quod Deus paraverit piſcem*. Nam ſi piſcis jam nataſſet in mari, poterat alio verbo uti Propheta, Fecit Dominus ut piſcis occurreret, vel, emiſit Deus piſcem: ſic enim Scriptura loqui ſolet: dicitur autem hic piſcis fuiſſe paratus. Sed poteſt ſolvi hæc dubitatio, quod tametſi Deus piſcem non creaverit, tamen diſpoſuerit ad hunc uſum: quia ſcimus non factum hoc fuiſſe naturaliter, ut piſcis voraret Jonam: deinde ut integrum tribus diebus & tribus noctibus ſervaret in ventre ſuo. Ego igitur refero ad conſervationem Jonæ quod hic dicitur, *piſcem fuiſſe paratum*. Nam certum eſt tales eſſe quoſdam piſces, qui poſſint homines integros vorare. Et Gulielmus Rondeletus, qui librum ſcripſit de piſcibus marinis, probabili ratione colligit fuiſſe lamiam. Vidit ipſe piſcem illum: quem dicit eſſe ventre admodum capaci, & ore patulo, ut facile deglutiat hominem unum: & dicit etiam in ventre lamiæ aliquando fuiſſe repertum loricatum hominem. Ergo, quemadmodum dixi, poſſet vel cetus, vel lamia, vel piſcis nobis incognitus hominem integrum vorare: ſed non vivet in ventre piſcis, qui ita fuerit abſorptus. Ergo Jonas ut notaret miraculum, dicit piſcem hunc fuiſſe diſpoſitum à Domino, quia receptus eſt in ventrem piſcis, perinde ac in hoſpitium: illic tametſi non quieverit animo, corpore tamen fuit ſalvus acſi ambulaſſet in terra. Quum igitur præter naturæ ordinem Dominus Prophetam ſuum illic conſervaverit, non mirum eſt ſi dicat piſcem illum *à Domino fuiſſe paratum*. Jam venio ad ſecundum caput.

CAPUT II.

ET oravit Jonas ad Jehovam Deum ſuum è ventre piſcis.

2. Et dixit, Clamavi in anguſtia mea ad Jehovam, & exaudivit me: (*vel reſpondit mihi*) è ventre ſepulchri vociferatus ſum, audiviſti vocem meam.

QUum Jonas *ſe oraſſe dicit è viſceribus piſcis*, primo oſtendit quanta animi fortitudine fuerit præditus. Tunc igitur induit novum animum: quia quum liber eſſet, putabat ſe poſſe quodammodo Deum eludere: erat fugitivus à Domino. Nunc autem dum incluſus eſt extremis anguſtiis, orare incipit, & ſponte ſiſtit ſe in Dei conſpectum. Hæc eſt notatu digna mutatio. Et hinc colligimus quantopere nobis expediat, ſæpe veluti catenis nos retrahi, aut compedibus teneri incluſos, quia ubi ſoluti ſumus, ſimul etiam vagamur ſine aliquo modo. Jonas quum liber eſſet, laſciviebat, quemadmodum vidimus: nunc autem ubi ſentit ſe conſtringi violenta Dei manu, recipit novam mentem & orat ex viſceribus piſcis. Jam hæc circumſtantia etiam obſervanda nobis eſt, quia perinde ſonant verba acſi diceret ſe oraſſe ex ipſis inferis. Nam quî fieri potuit, ut vota ſua dirigeret tunc ad Deum, cujus manu videbat ſe tam ſevere urgeri? Deus enim rigidiſſime illum tractabat. Jonas quodammodo erat addictus æterno exitio. Venter quidem piſcis, quemadmodum poſtea videbimus, erat quaſi venter inferni, vel ſepulchri. In hac igitur deſperatione animum etiam colligit Jonas, & poteſt ſeſe recta ad Deum conferre: hoc eſt admirabile & fere incredibile exemplum fidei. Ergo diſcamus expendere quod hic dicitur: quia quum Dominus duriter nos affligit, hoc eſt legitimum & opportunum orandi tempus. Scimus autem, ut major pars animos deſpondeat, nec ſoleat libere preces ſuas offerre Deo, niſi quietis animis: Deus autem ipſe tunc maxime nos ad ſe invitat, quum redacti ſumus ad extrema. Veniat igitur nobis in memoriam quod de ſeipſo narrat Jonas, clamaſſe ſcilicet ad Deum ex ipſis inferis. Et ſimul etiam confirmat hanc orationem fuiſſe profectam ex vera fide. Non enim ſimpliciter dicit ſe oraſſe *ad Jehovam*, ſed addit *Deum ſuum*. Loquitur autem ex ſerio & bene meditato ſenſu. Ergo Jonas quamvis non ſolum eſſet ſimilis mortuo, ſed fere damnatus, perſuaſit tamen ſibi adhuc Deum fore miſericordem ſi ad eum confugeret. Videmus ergo Jonam non precatum fuiſſe fortuito, ut hypocritæ ſolent Dei nomen in ore habere, ubi premuntur: ſed oravit ſerio, quia perſuaſus fuit Deum ſibi fore propitium. Jam tenendum eſt, non fuiſſe precationem his verbis conceptam, quæ hic referuntur: ſed Jonas dum eſſet in ventre ceti, agitavit ſecum iſtas cogitationes. Refert igitur in hoc Cantico qualiter affectus fuerit: & videbimus tunc fuiſſe diſtractum: quemadmodum neceſſe eſt animos noſtros impelli huc & illuc tentationibus. Neque enim ſervi Dei potiuntur victoria abſque magno negotio. Militandum eſt, & quidem ſtrenue, ut vincamus. Jonas igitur in hoc Cantico oſtendit ſe magna inquietudine, & diris etiam tormentis fuiſſe agitatum: ſed tamen hoc principium fuiſſe firmum in ejus corde, quærendum eſſe Deum, & non fruſtra quæri, quoniam ſemper paratus ſit ſuis opem ferre, quoties ad ipſum clamant. Dicit igitur, *Clamavi quum mihi eſſet tribulatio ad Jehovam, & reſpondit mihi*. Non dubium eſt, quin jam referat Jonas poſtquam egreſſus fuerat è ventre ceti, quid ſibi contigerit, & gratias agat Domino. Primus ergo hic verſus continet duas partes, quod ſcilicet Jonas in ſua anxietate ad Deum confugerit. poſterior pars continet gratiarum actionem, eo quod mirabiliter ac præter ſenſum carnis fuiſſet liberatus. Clamavi, inquit, in tribulatione mea ad Jehovam, vociferatus ſum è ventre inferi, exaudiſti vocem meam. Sicuti poſtea videbimus, Jonas non ſine certamine ſuas preces direxit ad Deum: luctatus eſt cum magnis difficultatibus: ſed utcunque ſe ingererent multa impedimenta, perrexit tamen, neque deſtitit precari. Jam refert ſe non fruſtra fuiſſe precatum: ut autem gratiam Dei amplificet, dicit, È ventre ſepulchri. Poſuerat anguſtiam priore membro, ſed hic clarius exprimit quam inſigne & memorabile fuerit Dei beneficium, quod ſalvus evaſit è ventre ceti: quia ſcilicet erat quaſi venter ſepulchri. שאול, à corruptione, ſepulchrum Hebræi vocant. Et Latinus interpres fere ubique tranſtulit Infernum: & accipitur interdum etiam שאול pro ipſo inferno, hoc eſt, conditione reproborum, ex quo ſe coram Deo damnatos ſentiunt. ſæpius tamen ſumitur pro ſepulchro: & libenter retineo hunc ſenſum, quod piſcis fuerit inſtar ſepulchri. Sed ſignificat ſe abditum ita fuiſſe in ſepulchro, ut nuſquam pateret exitus. Quid eſt venter ſepulchri? nempe intimum vel penetrale ipſius ſepulchri. In hoc igitur ſtatu quum eſſet Jonas, dicit ſe fuiſſe exauditum à Domino. Iterum repetere convenit quod nuper attigi, Jonam non ita fuiſſe oppreſſum quamvis tentatione graviſſima, quin vota ipſius ad Deum emergerent. Oravit igitur tanquam ex inferis, & non ſimpliciter oravit. Simul enim explicat vehementiam vel ardorem, quum dicit ſe clamaſſe & vociferatum fuiſſe. Nec dubium eſt, quin

ipſa

ipſa neceſſitas extorſerit Jonæ graves querimonias. Quicquid ſit, non ululavit quemadmodum ſolent increduli, qui ſentiunt ſua mala, & ſatis queruntur, interea tamen profundunt inanes ejulatus. Jonas hic ſe ab illis diſcernit, narrans ſe clamaſſe & vociferatum fuiſſe ad Deum. Jam ſequitur,

3. Atqui projeceras me in profundum, in cor marium, & fluvius circumdedit me: omnes conflictus tui, (*ſed hac voce intelligit undas, quæ inter ſe confligunt. Scimus enim eſſe varias colliſiones: ideo vertunt aliqui, Contritiones tuæ. Nam* שבר *ſignificat proprie Confligere, & Frangere. Perinde eſt igitur acſi diceret, Omnes fracturæ tuæ, & colliſiones, ſuper me tranſierunt. Et explicat quid velit, quum dicit*) fluctus tui ſuper me tranſierunt.

Ego hunc verſum lego oppoſitive, hoc eſt, ut hic amplificandi cauſa Jonas ſuum ſtatum referat. Hoc fuit magnum, è ventre piſcis ad Deum clamare: ſed longe difficilius fuit, attollere animum ad preces, quum tamen ſentiret vel reputaret Deum ſibi eſſe infenſum. Nam ſi conjectus fuiſſet in extrema mala, potuit tamen Deum invocare. Sed quum in mentem hoc veniret, quicquid patiebatur mali, ſibi inflictum eſſe divinitus, quia conatus fuerat ſubterfugere Dei vocationem; quomodo potuit penetrare uſque ad cœlos, quum tale obſtaculum interpoſitum eſſet? Videmus ergo quorſum tendant verba, quum dicit, *Atqui tu projeceras me in gurgitem uſque ad cor maris, fluvius circumdedit me, omnes undæ tuæ & fluctus ſuper me tranſierunt.* In ſumma, hic oſtendit Jonas quam graves tentationes oblatæ fuerint dum voluit preces ſuas concipere: quia hoc primo in mentem venit, Deum eſſe infeſtiſſimum hoſtem. Neque enim Jonas tunc ſecum reputavit ſe fuiſſe dejectum in mare à nautis, & reliquis: ſed defixus fuit ejus animus in Deo. Hæc ratio eſt cur dicat, *Tu, Domine, projeceras me in profundum, uſque in cor maris: deinde fluctus tui, undæ tuæ.* Hic non reſpicit naturam maris: ſed, quemadmodum jam dixi, ſenſus omnes ſuos in ſolum Deum confert, & agnoſcit ſibi negotium eſſe cum eo. quaſi diceret, Tu, Domine, me perſequendo fugas, & tamen ego ad te accedo: tu horrendis modis oſtendis te mihi eſſe offenſum, ego tamen te quæro: tantum abeſt ut iſti terrores me procul abs te retrahant, ut jam quaſi ſtimulis adductus veniam ultro ad te, quia alibi non eſt mihi ſpes ſalutis. Nunc ergo videmus quid valeat iſta antitheſis, ubi Jonas opponit terrificam illam pœnam, quam ſuſtinebat, ſuæ precationi. Nunc pergamus.

4. Tunc ego dixi, (*nam copula reſolvi debet in adverbium temporis*) Expulſus ſum à conſpectu oculorum tuorum: verum adjiciam aſpicere ad Templum ſanctitatis tuæ.

Priore membro verſus iterum confirmat Jonas quod dixi, nempe quum orare vellet, non modo clauſam ſibi fuiſſe januam, ſed quaſi oppoſitos montes, ne poſſet etiam aſpirare votis ſuis ad Deum. Neque enim tantum reſpexit in quo ſtatu eſſet, imo præcipue expendit cauſam, quod ſcilicet iram Dei in ſe provocaſſet. Dicit igitur, *Ego dixi, Rejectus ſum à conſpectu oculorum tuorum.* Quidam frigide exponunt, quod tantum expulſus fuerit à patria, ne unquam Templum aſpiceret. Ego autem non dubito, quin Jonas hic referat ſe paſſum fuiſſe ultimos cruciatus, acſi præciſa eſſet omnis ſpes veniæ: Quid? adhucne ſperabo Deum mihi fore propitium? non ſperandum eſt. Hæc igitur eſt rejectio de qua loquitur. Nam dicitur nos expellere Deus à facie ſua, ubi nos prohibet ab omni acceſſu. Jonas igitur cogitavit ſe prorſus alienatum eſſe à Deo. Si quis objiciat, tunc igitur extinctam fuiſſe ejus fidem: ſolutio in promptu eſt, in lucta fidei eſſe conflictus inteſtinos, quum ſcilicet una cogitatio ſeſe ingerit, deinde altera occurrit ex oppoſito: alioqui nulla eſſet probatio fidei noſtræ, niſi in iſto inteſtino conflictu. Nam ſi pacatis animis ſtatuere poſſemus Deum nobis eſſe propitium, qualis eſſet fidei experientia? Sed ubi caro nobis dictat Deum eſſe adverſum, & nullam eſſe amplius ſpem veniæ, fides tandem opponit ſuum clypeum, & repellit illum inſultum tentationis, & concipit ſpem gratiæ, utcunque ad tempus appareat Dominus implacabilis: tunc vere examinatur fides. Talis igitur fuit conditio Jonæ: nam pro ſenſu carnis reputavit ſe à Deo prorſus abjectum, ita ut fruſtra ad eum accederet. Jonas ergo qui non exuerat carnem & ſanguinem, non potuit ſtatim concipere gratiam Dei, quin iſtæ difficultates contra inſurgerent. Poſterius membrum varie exponunt interpretes. Quidam negative vertunt, Non adjiciam videre ad Templum ſanctitatis tuæ. Sed non admittunt verba hanc interpretationem. אך ſignificat Hebræis Verum, veruntamen: ſignificat etiam Certe: aliquando ſumitur pro Forſan dubitative. Major pars interpretum vertit, Sed videbo Templum ſanctitatis tuæ, quaſi Jonas hic coargueret ſuam illam diffidentiam, cujus meminit nuper: quemadmodum fideles ſtatim frenum injiciunt ſibi, dum rapiuntur in aliquam dubitationem, Quid? tu igitur ſpem abjicies, quum tamen Deus tibi futurus ſit placabilis, ſi ad eum venias? Putant igitur interpretes eſſe quaſi ἐπανόρθωσιν, quia Jonas hic mutet ſententiam, ac retractet quod prius ſumpſerat falſum principium ex ſenſu carnis. Dixerat igitur ſe rejectum à facie Domini: nunc repellit tentationem illam ſecundum illos interpretes, Atqui videbo Templum ſanctum tuum: etiamſi nunc videar abs te rejectus, tu me tandem recipies in gratiam. Poſſemus tamen uno tenore ſic exponere hunc verſum, *Saltem, vel atqui adjiciam videre:* ut ſit votum. Optandi igitur modo poteſt ſumi futurum hoc tempus, quemadmodum ſcimus Hebræos ſolere uti futuro tempore vel dum precantur, vel dum optant. Optime igitur conveniet hic ſenſus, Jonam dubitanter adhuc orare, *Atqui, vel ſaltem adjiciam, Domine, videre Templum ſanctitatis tuæ.* Sed quoniam prior illa interpretatio, quam retuli, probabilis eſt, ideo non contendo. Quicquid ſit, videmus Jonam non prorſus deſperaſſe, etiamſi carnis ſenſus eum ad deſperationem impelleret, quia mox convertit verba ſua ad Deum. Nam qui Deo obmurmurant, potius loquuntur in tertia perſona, quaſi ſe ab eo avertentes. Sed Jonas hic Deum ſibi ante oculos proponit, *Ego abjectus ſum*, inquit, *à conſpectu oculorum tuorum.* Non expoſtulat hic cum Deo, ſed oſtendit ſe adhuc Deum quærere, utcunque exiſtimet ſe procul rejici. Deinde addit, *Saltem adjiciam adhuc videre Templum ſanctitatis tuæ.* Quod autem de Templo loquitur, non dubium eſt quin ſibi Templum propoſuerit quaſi fidei materiam. Quum ergo abjectus eſſet, collegit quæcunque ad ſpem ejus erigendam ac ſtabiliendam valere poterant. Fuerat enim circumciſus, fuerat cultor

Dei à pueritia, fuerat educatus in Lege, exercitatus fuerat in ſacrificiis: ſub Templi nomine hæc omnia breviter complectitur. Videmus ergo ut ſeſe animet ad bene ſperandum in illa extrema neceſſuate. Et utilis eſt iſta admonitio: quia dum videntur nobis clauſi omnes aditus ad Deum, nihil utilius eſt, quam revocare in memoriam, quod tamen à prima infantia nos adoptaverit, quod deinde teſtatus ſit gratiam ſuam variis ſignis, præſertim quod vocaverit nos per Euangelium in ſocietatem Filii ſui unigeniti, qui eſt vita & ſalus: deinde quod hanc gratiam confirmaverit & Baptiſmo, & Cœna. Quum ergo hæc nobis in memoriam venient, poterimus fide noſtra per omnia impedimenta perrumpere. Pergamus.

5. Obſederunt me aquæ uſque ad animam, abyſſus undique circumdedit me, juncus alligatus fuit capiti meo.

6. Ad radices (*propriè Exciſuras: nam* קצב *ſignificat Excidere. alii vertunt, Ad fines extremos. Ad radices igitur*) montium deſcendi: terra cum vectibus ſuis circum me in ſeculum: & aſcendere feciſti vitam meam è ſepulchro (*eſt aliud nomen quam* שאול, *nempe* שחת. *alii vertunt, à corruptione, vel interitu*) Jehova Deus mi.

Hic pluribus verbis proſequitur Jonas quam multa potuerint occurrere, quæ animum ejus terrore obruerent, & procul retraherent à Deo, & tollerent omne ſtudium orandi. Semper autem memoria tenendum eſt quod jam diximus, fuiſſe ei cum Deo negotium. Et hoc ponderandum nobis eſt, quemadmodum quum Pſalmo 39. dicit David, Tu feciſti tamen. Nam poſtquam conqueſtus eſt de hoſtibus ſuis, deinde animum reflectit ad Deum, Quid ego ago? quid proficio iſtis querimoniis? neque enim homines me ſoli infeſtant: tu Deus hoc feciſti, inquit. Ita Jonas ſemper ſibi propoſuit iram Dei, quia ſciebat nonniſi ob ſua peccata ſibi accidiſſe tale exitium. Dicit ergo *Aquis ſe fuiſſe obſeſſum*: deinde *circumdatum fuiſſe abyſſo*. Sed tandem addit, *quod Deus aſcendere fecerit vitam ſuam*. Ergo huc ſpectant omnes iſtæ circumſtantiæ, quod Jonas non potuerit niſi inſigni miraculo ad Deum ſurgere, quum modis omnibus vita ejus fuiſſet oppreſſa. Quum dicit *ſe fuiſſe obſeſſum aquis uſque ad animam*, intelligo lethaliter, quia aliæ expoſitiones frigidæ ſunt vel coactæ. Dicunt autem Hebræi uſque ad animam ſe urgeri, quum ſcilicet periclitantur de vita ipſa: quemadmodum Latini dicunt cor, vel penetralia, vel viſcera ipſa vulnerari. Sic etiam hoc loco, Aquæ me obſident uſque ad animam: deinde abyſſus circumdat me. סוף quidam vertunt Carectum, alii algam, alii juncum: ſed eodem redit ſenſus. Certum eſt ſpeciem eſſe carecti סוף: & quidam etiam mare Rubrum inde vocatum eſſe exiſtimant, quod refertum ſit multis carectis vel juncis. Et putant ita vocari juncos, quia ſtatim putreſcunt. Quid autem velit Jonas certum eſt, nempe alligatam fuiſſe algam capiti ſuo, hoc eſt, algam creviſſe ſuper caput ſuum. Nam quod alii referunt ad caput piſcis, durum eſt: ſed metaphorice loquitur Jonas, quod implicitus fuerit carectis: quandoquidem nulla eſt ſpes, ubi quis involvitur carectis in profundo maris. Quomodo enim evadet ex naufragio qui illic tenetur quaſi ligatus? Metaphorice igitur intelligit Jonas ſe ita fuiſſe ſubmerſum, ut non poſſet enatare niſi virtute incredibili Dei. Eodem etiam ſenſu dicit, *Deſcendi uſque ad radices montium*. Loquitur autem de promontoriis, quæ mari adjacent: quaſi diceret ſe non fuiſſe dejectum in medium mare; ſed ita obrutum, ut defixus eſſet quaſi in ipſo fundo ſub radicibus montium. Hæc omnia tendunt in eum finem, quod nullus potuerit exitus ſperari, niſi Deus manum è cœlo porrigeret, ac novo quidem exemplo, & incredibili. Dicit *terram fuiſſe cum vectibus*. Hac loquutione intelligit ſe fuiſſe ita concluſum, acſi tota terra fuiſſet inſtar portæ. Scimus quales ſint vectes terræ, ſi tribuimus illi vectes. Nam quum janua aliqua vectibus clauditur, ſcimus quantula ſit terræ portio. Si autem imaginamur terram eſſe inſtar januæ, quales erunt vectes? Perinde eſt igitur acſi diceret Jonas ſe fuiſſe prohibitum ab omni vitali luce, quemadmodum ſi terra eſſet oppoſita, ne emergeret ad conſpectum Solis. *Terra igitur fuit mihi oppoſita, & quidem in ſeculum*. Poſtea deſcendit ad gratiarum actionem, *Tu autem, Jehova Deus mi, aſcendere feciſti è ſepulchro vitam meam*. Poſtquam longa deſcriptione uſus eſt Jonas, ut oſtenderet ſe non ſemel fuiſſe mortuum, ſed oppreſſum multis & variis mortibus, hic jam ſubjicit gratiarum actionem, quod liberatus fuerit à Domino: *Tu*, inquit, *aſcendere feciſti vitam meam, Jehova Deus mi*. rurſum confirmat quod ſemel dixit, nempe ſe non fudiſſe frivolas preces, ſed ſerio fidei affectu fuiſſe precatum. Neque enim vocaret Deum ſuum, niſi ita perſuaſus eſſet de paterno Dei amore, ut poſſet certam ſalutem ſperare ab ipſo. Tu ergo Jehova Deus mi, inquit: non dicit, Liberaſti me, ſed eduxiſti vitam meam è ſepulchro. Ergo hic Jonas redivivus teſtatur ſe non modo auxilio Dei ereptum fuiſſe à ſummo diſcrimine, ſed quadam reſurrectionis ſpecie fuiſſe excitatum à mortuis. Huc ergo pertinet iſta loquutio, quum dicit vitam ſuam è ſepulchro vel ab ipſa corruptione fuiſſe eductam. Sequitur,

7. Quum deficeret in me anima mea (*vel dum ſe convolveret ſupra me anima mea*) Jehovæ recordatus ſum, & ingreſſa eſt oratio mea ad Templum ſanctitatis tuæ.

Hic comprehendit Jonas uno verſu quæ prius dixerat, nempe ſe fuiſſe graviſſimis tormentis cruciatum, ſed tamen non fuiſſe ita dejectum animo, quin ſemper guſtum aliquem conciperet gratiæ Dei, ut poſſet hoc modo animari ad precandum. Primo enim fatetur animam ſuam paſſam fuiſſe genus aliquod deliquii, vel fuiſſe implicitam anxiis & perplexis cogitationibus, ita ut non poſſet naturaliter ſe explicare. Quantum ad verbum ipſum ſpectat, עטף ſignificat Hebræis Operire & tegere: ſignificat etiam in Niphal & Hithpael (in qua conjugatione hic accipitur) Deficere: ſed poterit tamen commode retineri prior ſignificatio quod ſcilicet anima ſe involvat, quemadmodum Pſalmo 102. Oratio afflicti dum in anguſtia ſeſe involvit. Qui exponunt Multiplicare preces, carent prorſus ratione. Ego igitur non dubito quin Jonas hic intelligat, vel ſe quodam animi deliquio fuiſſe adobrutum, vel fuiſſe ita perplexum, ut non poſſet niſi violento certamine ad Deum aſſurgere. Quicquid ſit, voluit hoc verbo exprimere anxietatem animi ſui. Ergo dum nobiſcum verſamus varia conſilia, & in rebus deſpe-

deſperatis manemus quaſi conſtricti, tunc dicitur anima noſtra ſe volvere in nobis, vel implicare. Quum ergo anima ſeſe convolvit, recidunt omnes cogitationes hominis perplexi in ipſum. Cupimus quidem nos exonerare dum agitamus varia conſilia, ſed quicquid alio avertere nitimur, in caput noſtrum mox redundat: ſic anima noſtra ſeſe ſuper nos torquet. Nunc tenemus quid velit Jonas priore membro: *Dum anima mea ſeſe involvit*, vel deficit in me, *ego recordatus ſum Jehovæ*, inquit. Hinc colligimus Jonam non fuiſſe victorem ſine maximis difficultatibus, uſque ad animi defectum, quemadmodum diximus. hoc unum eſt. Interea colligimus etiam rurſum, nunquam im fuiſſa oppreſſum tentationibus, quin Deum ſaltem votis quæreret. Principium ergo hoc retinuit Jonas, quærendum eſſe Deum, quamvis ad tempus tam duriter & ſevere eum tractaret. Nam recordatio, de qua loquitur, manat ex fide. Recordantur Jehovæ etiam impii: ſed exhorrent, quia apprehendunt ſimul judicem: & quoties ſit Dei mentio, nihil aliud concipiunt quam interitum. Jonas autem memoriam Dei in alium finem applicuit, nempe ut ſolatio aliquo levaret ſuas curas & anxietates. Nam ſtatim ſequitur, *quod penetraverit*, vel ingreſſa fuerit, *ejus oratio ad Deum.* Videmus ergo ſic recordatum fuiſſe Jonam Dei ſui, ut fide agnoſceret ſibi fore propitium: hinc enim affectus precandi. Jam, quod dicit orationem ſuam fuiſſe ingreſſam ad Templum, non dubium eſt quin alludat ad ritum legalem: ſolebant enim Judæi convertere ſe ad Templum quoties orabant. Neque hæc ceremonia ſuperſtitioſa erat, quoniam ſcimus propoſitam fuiſſe illis doctrinam, quæ eos invitaret ad Sanctuarium & Arcam fœderis. Quum ergo hæc ratio eſſet ſub Lege, dicit Jonas orationem ſuam ingreſſam fuiſſe ad Templum Dei, quia viſibile erat hoc ſymbolum, unde concipere poſſent Judæi Deum ſibi propinquum eſſe: non quod prava imaginatione Deum affigerent externis ſignis, ſed quia ſciebant hæc adminicula ſibi non fruſtra data eſſe. Hoc igitur modo Jonas non ſolum Dei ſui meminit, ſed etiam revocavit in memoriam ſigna, in quibus fidem ſuam toto vitæ curſu exercuerat, quemadmodum nuper diximus. nam qui de cœlo accipiunt, prorſus diſcedunt à Prophetæ mente. Scio quidem Templum aliquando vocari Cœlum: ſed non quadrat hic ſenſus præſenti loco. Intelligit ergo Jonas, etiamſi eſſet remotiſſimus à Templo, Deum tamen ſibi fuiſſe propinquum, quia non deſtitit precari Deum illum, qui ſe patefecerat Lege data, & qui volebat coli Jeroſolymæ, & qui Arcam fœderis volebat eſſe ſymbolum præſentiæ ſuæ, ut certa fide ipſum invocarent Judæi, nec dubitarent eum in medio ſui habitare, quum haberet illic viſibile domicilium.

Da omnipotens Deus, quando tale ſemel ſpecimen tuæ immenſæ potentiæ edidiſti in ſervo tuo Jona, ut quum demerſus eſſet fere ad inferos, tamen eum ad te erexeris, & ita ſuſtinueris firma conſtantia, ut non deſierit precari, & ad te clamare: da, inquam, ut in tentationibus, quibus quotidie nos exerceri neceſſe eſt, erigamus ſurſum ad te animos, deinde non deſinamus cogitare te eſſe nobis propinquum, etiam ubi apparent ſigna iræ tuæ, ubi etiam peccata noſtra ante oculos ſeſe ingerunt, quæ in deſperationem nos conjiciant, ut tamen luctemur conſtanter, nec unquam deſiſtamus à ſpe miſericordiæ tuæ, donec defuncti omnibus certaminibus, tandem poſſimus libere & pleno ore gratias tibi agere, & celebrare immenſam tuam bonitatem, qualem quotidie experimur, donec per continua experimenta deducti, veniamus tandem in beatam illam quietem, quæ nobis repoſita eſt in cœlo per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

PRÆLECTIO SEXTA IN JONAM PROPHETAM.

CAP. II.

8. Qui obſervant vanitates mendaces, miſericordiam ſuam (*vel clementiam*) derelinquent. (*hoc eſt, derelinquunt.*)

9. Ego autem in voce laudis ſacrificabo tibi, quæ vovi reddam: ſalus eſt Jehovæ.

Hic primum dicit Jonas, miſere errare homines quum ad ſuas ſuperſtitiones declinant, quia ſeſe privant ſummo bono. Vocat enim clementiam hominum, quicquid opis vel auxilii optandum eſt ad ſalutem. Senſus igitur eſt, ſimulac homines à vero Deo recedunt, alienari etiam à vita & ſalute, nec quicquam illis eſſe reſiduum, quia ſponte abjiciunt quicquid ſperari vel optari boni poteſt. Quidam contrarium ſenſum eliciunt, quod homines ſuperſtitioſi, dum redeunt ad ſanam mentem, relinquant opprobrium ſuum. nam חסד aliquando accipitur pro opprobrio. Putant igitur hic deſcribi modum veræ pœnitentiæ, quod ſcilicet ubi Deus homines revocat ab errore in viam ſalutis, ſimul etiam dat illis ſanam mentem, ut ſeſe expediant omnibus ſuis vitiis. hoc quidem verum eſt, ſed ſenſus ille nimis eſt contortus. Alii reſtringunt ad nautas, qui Deo voverant ſacrificium: acſi diceret Jonas, ſtatim relapſuros eſſe ad priſtina deliria, & valedicturos Deo, qui ſua clementia eripuerat eos à naufragio: ita Clementiam ipſorum interpretantur Deum. ſed hoc quoque nimis reſtrictum eſt. Ego itaque non dubito, quin Jonas hic pietatem ſuam opponat pravis hominum commentis, quia paulo poſt ſequitur, *Ego autem in voce laudis ſacrificabo tibi.* Antequam ergo Jonas profiteatur ſe fore gratum Deo, inſultat omnibus figmentis, quæ ſibi perperam homines excogitant, & quibus abſtrahuntur à vero Deo, & ſincero ejus cultu. Vocat enim Vanitates mendacii omnia commenta, quibus ſeſe homines decipiunt, quia certum eſt meras eſſe fallacias, quæ ſibi homines fabricant extra verbum Dei: quia unica eſt & ſimplex veritas, quam Deus nobis patefecit per verbum ſuum. Quiſquis ergo vel tantillum inde huc & illuc deflectit, ille quaſi data opera ſibi accerſit aliquam impoſturam, qua ſeipſum perdat. *Qui ergo ſequuntur tales vanitates*, inquit Jonas, *illi derelinquunt ſuam clementiam*, id eſt, ſeſe abdicant omni felicitate. Nihil enim aliunde quam ab unico Deo ſperandum eſt vel auxilii, vel opis. Hic autem locus diligenter notandus eſt, quia hinc colligimus quo loco habendæ ſint omnes ſuperſtitiones, hoc eſt, omnes hominum ſententiæ, ubi volunt ipſi religionem inſtituere ſuo arbitrio. Jonas enim appellat vanitates mendaces, vel fallaces. Unica igitur religio vera eſt quam Dominus verbo ſuo nobis tradidit. Deinde hoc notandum eſt, fruſtra homines ſatagere, dum ſequuntur ſua figmenta. nam quo

magis ſtrenue currunt, eo longius recedunt à via, quemadmodum dicit Auguſtinus. Sed Jonas hic ſumit altius principium, quod ſcilicet ſolus Deus in ſe contineat omnem plenitudinem bonorum. Quiſquis ergo Deum pie quærit & ſincero cultu, ille in eo inveniet quicquid optandum eſt ad ſalutem. Deus autem non quæritur niſi obedientia & fide. Ergo quicunque audent ſibi laxare frena, ut hoc vel illud ſequantur extra verbum Dei, illi quia à Deo recedunt, ſimul etiam ſeſe privant bonis omnibus. Superſtitioſi quidem putant ſe multum proficere dum laborant in ſuis figmentis; ſed videmus quid Spiritus ſanctus per os Jonæ pronunciet: quemadmodum etiam Dominus ipſe loquitur per Jeremiam, Dereliquerunt me fontem aquæ vivæ, & ciſternas ſibi foderunt, &c. conqueritur illic Deus de electo populo, qui ad pravas ſuperſtitiones defecerat. Ubi ergo homines vagantur extra verbum Dei, Deum ipſum quodammodo à ſe repellunt, vel dicunt illi vale: ita fit, ut priventur bonis omnibus, quia extra Deum nihil ſalutis reperietur vel auxilii. Merito igitur Jonas ſtatim ſubjungit, *Ego autem in voce laudis ſacrificabo tibi*: quaſi diceret, quando homines ſeſe projiciunt in exitium, ubi addicunt ſe erroribus, ideo tibi uni, Domine, ſacrificabo. Et hoc nobis tenendum eſt, quin ut ingenia noſtra propenſa ſunt ad mendacium & vanitatem, facile prima quæque ſuperſtitio nos abripiet, niſi retineamur hoc vinculo, dum nobis erit certo perſuaſum, in ſolo Deo reſidere ſolidam ſalutem, & quicquid nobis ſperandum eſt auxilii vel opis. Ubi autem hoc probe & penitus infixum erit cordibus noſtris, tunc non facile effluet nobis vera religio: etiamſi Satan undique nobis proponat illecebras, manebimus tamen in vero & recto Dei cultu. Et eo diligentius expendere convenit hunc locum, quia non dubium eſt, quin Jonas ſe confirmare voluerit in recto curſu pietatis. Sentiebat enim, ut ſunt omnes mortales, ſe eſſe proclivem ad mendacium, niſi ſe animaret ad conſtantiam. hoc autem facit, quum pronunciat quicquid ſuperſtitionis excogitant homines, privationem eſſe à ſummo bono & à vita & ſalute. Hinc igitur fiet, ut quicquid eſt errorum abominemur, ſi nobis perſuaſum ſit, relinqui verum Deum, ubi non obedimus verbo ejus: & una cum Deo ſimul etiam abjici ſalutem & quicquid boni optandum eſt. *Sacrificabo* igitur *tibi cum voce laudis*, inquit Jonas. Hic notandum eſt rurſus, verum Dei cultum præcipue conſiſtere in laudibus, quemadmodum dicitur Pſal. 50. Nam illic Deus oſtendit ſe pro nihilo ducere omnia ſacrificia, niſi tendant in hunc ſcopum, ut ſcilicet nomen ejus celebretur. Voluit quidem ſub Lege offerri ſibi ſacrificia, ſed in alium finem. Neque enim unquam moratus eſt Deus vitulos & boves & capras & agnos, ſed voluit agnoſci auctor bonorum omnium: ideo illic dicit, Sacrifica mihi ſacrificium laudis. Sic etiam nunc Jonas quum ſimplicius dicere poſſet, Ego, Domine, referam tibi vitam meam acceptam, dicit, Offeram tibi laudis ſacrificium. Quod ſi illud valuit ſub umbris Legalibus, hoc multo magis nobis obſervandum eſt, ut ſcilicet non craſſo modo tentemus Deum colere, ſed ſpiritualiter: dum ſcilicet teſtamur vitam noſtram ab ipſo manare, eſſe in ejus manu, nos debere illi omnia, denique ipſum eſſe fontem & auctorem ſalutis; neque ſalutis modo, ſed ſapientiæ, juſtitiæ, virtutis. Et poſtea adjungit etiam vota: *Ego*, inquit, *vota ſolvam*. Diximus alibi qualiter accipere conveniat hoc nomen Votorum: neque enim ſancti Patres pepigerunt cum Deo, ſicuti ſolent hodie Papiſtæ, qui Deum placare volunt ſuis nugis, quum unus certis diebus ab eſu carnium abſtinet, alius veſtit cilicium, alius ſuſcipit peregrinationem, alius autem novum aliquod commentum Deo obtrudit. nihil ſimile fuit in ſanctorum Patrum votis: ſed mera fuit gratiarum actio, vel gratitudinis teſtimonium. & ideo Jonas hic conjungit vota ſua cum ſacrificio laudis. Unde colligimus non eſſe res diverſas, nam idem bis repetit. Ergo Jonas non alio conſilio votum ſuum Deo nuncupaverat, niſi ut teſtatam faceret gratitudinem ſuam: & ideo adjungit, *Jehovæ eſt ſalus*, hoc eſt, unius Dei proprium eſt ſervare. nam hic *Jehovæ* ponitur in caſu dativo: inſeritur enim litera ל. Eſt igitur Jehovæ ſalus: hoc eſt, non ad alium quempiam pertinet ſervandi munus, quam ad ſummum Deum. Quum ita ſit, videmus quam perperam infamant homines, ubi transferunt laudes alio, quemadmodum quiſque ſibi fabricat ſuum idolum. Quoniam igitur unus eſt Deus qui ſervat, etiam in ipſum unum referre convenit noſtras laudes, ut ne eum fraudemus jure ſuo. Hæc eſt ſumma. Sequitur,

Jerem 2. verſ. 13.

10\. Et dixit Jehova piſci, (*hoc eſt, præcepit*) & evomuit Jonam ſuper aridam.

Hic deſcribitur nobis Jonæ liberatio paucis verbis, ſed quam attente expendere neceſſe eſt. Fuit hoc incredibile miraculum, Jonam vivum & incolumem jacere in viſceribus piſcis per triduum. Quomodo enim non ſuffocatus eſt millies, vel abſorptus aquis? quemadmodum ſcimus piſces aſſidue aquas haurire. Non potuit certe illic reſpirare Jonas: atqui vita hominis ſine ſpiritu vix poteſt ad momentum durare. Ergo præter naturam illic ſervatus eſt Jonas. Deinde qui fieri potuit ut piſcis Jonam evomeret ad littus, niſi Deus incredibili virtute piſcem illuc traxiſſet, deinde præter naturam & viſcera ejus & os aperuiſſet? Fuit ergo hic exitus plenus miraculo, imo multis miraculis. Sed Jonas, quo magis extollat immenſam Dei potentiam, utitur verbo Dicendi: unde colligimus, Deo non eſſe quicquam laborioſum, quia ſolo nutu potuit rem tantam perficere, quæ ſuperat omnes noſtros ſenſus. Si dixiſſet Jonas ſe Dei beneficio & gratia fuiſſe liberatum, hoc erat minus emphaticum quàm dum uſurpat verbum præcipiendi, Loquutus eſt Deus. Cæterum, quum hæc Jonæ liberatio ſit imago reſurrectionis noſtræ, locus hic inſignis eſt ac notatu apprime dignus, quia Spiritus ſanctus mentes noſtras evehit ad illud imperium quo mundus conditus eſt, & adhuc hodie mirabiliter ſervatur. Ut igitur ſine mora & difficultate apud nos vigeat reſtitutio quam Deus nobis promittit, meminerimus de nihilo creatum eſſe mundum verbo ejus & nutu, & hodie ſuſtineri. Sed ſi generalis illa doctrina non ſufficiat, hæc etiam hiſtoria Jonæ nobis occurrat, quod Deus præcepit piſci ut evomeret Jonam. Unde igitur factum eſt ut Jonas incolumis & ſalvus evaſerit? nempe quia ita placuit Domino, quia Dominus mandavit. Verbum autem illud hodie retinet eandem efficaciam: ergo ſecundum virtutem illam qua operatur omnia, aliquando excitabimur nos quoque à morte. Nunc ſequitur,

CAPUT III.

ET factum fuit verbum Jehovæ ad Jonam ſecundo, dicendo,

2\. Surge, proficiſcere Nineven in urbem magnam, & prædica ad eam prædicationem quam ego mando tibi.

HIc inſigne documentum nobis proponitur gratiæ Dei, quod dignatus eſt Jonam recipere in priſtinum gradum & honorem. erat enim indignus communi hac luce. Deus autem non modo vitam illi reddidit, ſed iterum ornavit officio & elogio Prophetæ. Hoc, quemadmodum dixi, non adeptus eſt Jonas niſi rara & ſingulari gratia Dei. Quum prius fugiſſet, atque immorigerum ſe præbendo, quodammodo ſe privaſſet omni gratia Dei, quod recuperat munus Propheticum, certe id non contigit ejus merito. Hoc primo loco notandum eſt, quum dicitur *factum fuiſſe verbum Dei ſecundo* Jam loquutio hæc obſervanda eſt, quia diverſis modis dirigitur ad homines verbum Dei. Deus enim unumquemque noſtrûm alloquitur: ſed ſpeciali modo ſuos Prophetas, quos vult eſſe teſtes ſuæ voluntatis & præcones. Ergo quoties Deus hominem conſtituit in peculiari aliquo officio, dicitur verbum ſuum ei dirigere: quemadmodum verbum Dei dirigitur ad Magiſtratus, quia ſcilicet jubentur exercere poteſtatem ſibi commiſſam. Sic etiam verbum Dei ſemper factum eſt ad Prophetas, quia fas illis non fuit ſeſe ingerere, niſi vocati eſſent. Jam ſequitur mandatum: *Surge, proficiſcere Nineven in urbem magnam, & prædica illic prædicationem quam tibi mando* Iterum repetit Deus quod initio vidimus, Nineven eſſe urbem magnam, ut ſcilicet comparet ſe Jonas ad invictam animi magnitudinem, ac illuc veniat bene meditatus. nam hinc ſæpe fit ut multi audacter obeant munus ſuum, ſed ſtatim deficiant, quia non ſatis prævîſa illis fuit difficultas. Ergo ubi plus reperiunt negotii homines quam putaverant initio, liqueſcunt fere, vel ſaltem deſpondent animos. Ergo hic Dominus conſulto prædixit Jonæ, quam difficile futurum eſſet munus: quaſi diceret, Ego te hominem incognitum & ignobilem & extraneum mitto, ut denuncies exitium non paucis hominibus, ſed ingenti multitudini, & certamen habeas cum urbe nobiliſſima, & ita populoſa ut videri poſſit quædam regio. Nunc ergo tenemus quorſum additum fuerit hoc encomium urbis, nempe ut Jonas ſe accingeret ad obeundam militiam, nè poſtea in medio curſu deficeret. Cæterum hic terror ipſum obſtupefecit principio, ut refugeret vocationem Dei: nunc autem nihil movetur illa magnitudine urbis, ſed conſtanter ſequitur quo Dominus vocat. Videmus ergo ut fides dum ſemel palmam obtinuit in cordibus noſtris, tranſcendat omnia obſtacula, & contemnat totam magnitudinem hujus mundi. Nam ſtatim additur,

3. Et ſurrexit Jonah, & profectus eſt Nineven ſecundum mandatum Jehovæ: Nineveh autem erat urbs magna Dei, (*Deo, ad verbum*) itinere trium dierum.

Quum Jonas refert ſe profectum eſſe ut Nineven veniret juxta mandatum Dei, hic primo oſtendit, quemadmodum dicebam, quanta ſit virtus fidei & efficacia. Nam Jonas etiamſi reputet ſecum magnitudinem & ſuperbiam urbis Ninevæ, tamen obliviſcitur ſe eſſe unum hominem obſcurum & inermem: ſed arripit arma quæ poſſint conficere omnem potentiam mundi, quia agnoſcit ſe miſſum eſſe divinitus. Statuit Deum à parte ſua, quem ſcit eſſe auctorem vocationis ſuæ: hinc ergo fit ut alto & intrepido animo deſpiciat totum ſplendorem urbis Ninevæ. ideo Joannes non fruſtra dicit, victoriam noſtram in fide conſiſtere, qua vincamus totum mundum. Et ſimul etiam demonſtrat Jonas quantopere profecerit ſub ferulis Dei. Fuerat duriter caſtigatus: ſed ſcimus multos incredulos obdureſcere ad flagella, & evomere etiam rabiem ſuam contra Deum. Jonas autem hic oſtendit caſtigationem ſibi fuiſſe utilem: quia domitus fuerit ad Dei obſequium. *Profectus eſt ergo ſecundum mandatum Jehovæ*. hoc eſt, nihil aliud ſpectavit quam ut Deo morem gereret, ac ſe totum illi permitteret regendum. Et hinc etiam colligimus quam bene nobis Deus conſulat, & ſaluti noſtræ, dum contumaciam noſtram corrigit: etiamſi aſperæ ſint ejus caſtigationes, quia tamen ſequitur hic profectus, ſcimus nobis nihil melius eſſe, quemadmodum etiam David loquitur Pſalmo 119., quam humiliari ſub Dei manu. Hæc igitur mutatio nobis ſpeculum illuſtre eſt profectus: quem ſemper Dominus reſpicit quoties aſperius ſuos tractat, quia ſcilicet non poteſt aliter domari carnis vel faſtus, vel rebellio, vel tarditas & ignavia. Nunc etiam tenendum eſt quomodo Jonas tantum robur collegerit, nempe quia expertus fuerat in ventre piſcis, etiam inter mille mortes ſatis eſſe præſidii in Deo ad ſalutem recuperandam. Quia igitur cognoverat mortis exitus eſſe in arbitrio & manu Dei, ſi inſurgat totus mundus, non tangitur formidine, ut propterea refugiat mandatum Dei. Ergo quo quiſque magis ſenſerit Deum beneficum, eo etiam animoſius progredi debet in officio ſuo, & vitam ſuam ac ſalutem ſecure Deo committere, & ſuperare conſtanter omnia diſcrimina hujus mundi. Dicit poſtea, *Nineven fuiſſe urbem magnam*, nempe *itinere trium dierum*. Quidam multum laborant in nodo ſolvendo, qui tamen nullus eſt: quia videtur hoc eſſe abſurdum, urbem unam ſuo circuitu complexam fuiſſe 30 leucas noſtrates, vel circiter. Quum ergo concipiant ſpeciem abſurditatis, ideo excogitant effugia, quod ſcilicet non poterit quiſpiam ſpeculari totam urbem, ut ſcilicet luſtret omnes vicos, omnes plateas & ſingula publica loca, niſi per triduum: imo etiam addunt, hoc intelligi debere non ut quis curſitet per urbem, vel celeriter pergat, ſed ut otioſus contempletur, inſiſtat in viis. Sed hæc ſunt puerilia: & ſi credimus profanis ſcriptoribus, Nineve certe fuit ejus magnitudinis, quæ hic celebratur à Jona. Nam dicunt aream ejus patuiſſe uſque ad quadringenta ſtadia. Nunc ſcimus quantum ſpatium contineant quadringenta ſtadia. Stadium continet centum & viginti quinque paſſus: ergo octo ſtadia faciunt milliare. Jam ſi quis ſupputet, reperiet in centum ſtadiis duodecim milliaria: erunt igitur in quadringentis ſtadiis, quadraginta octo milliaria. Optime conveniet hoc cum teſtimonio Jonæ. Deinde dicunt etiam Diodorus & Herodotus fuiſſe in ambitu urbis mille & quingentas turres. Quum hoc ita fuerit, certe non potuit minor eſſe civitas quam hic prædicatur à Jona. Si videntur hæc communem fidem ſuperare, tamen Scriptores hoc de nihilo non tradiderunt. Nam utcunque multa falſa reperiantur in Diodoro & Herodoto; quantum attinet ad urbes illas, certe non auſi fuiſſent mentiri. ſtabat enim adhuc Babylon in omnium conſpectu: ſtabant etiam ruinæ Ninevæ, tametſi pridem fuerat diruta. Jam videbimus etiam circiter finem libri, tantam fuiſſe urbem, & adeo populoſam, ut fuerint illic centum & viginti millia puerorum. Siquis non recipiat teſtimonium Jonæ, paſcat ſe diaboli mendaciis. Quum autem illic fuerint tot pueri, jam quid reſtat niſi ut dicamus maximum fuiſſe urbis circuitum? Sed videtur pugnare quod paulo poſt ſequitur: dicet enim Jonas, quum ingreſſus fuiſſet urbem, ſe uno die curſum civitatis peregiſſe, & fuiſſe concionatum. Facilis reſponſio eſt, quod ſimulac urbem ingreſſus eſt & cœpit publicare mandatum Dei, ſtatim ſequuta fuerit aliqua converſio: ideo non ſignificat Jonas ſe luſtraſſe uno die totam urbem. Ergo primo die jam ad ſe convertit partem urbis, deinde non deſtitit hortari ſingulos ad pœnitentiam: ita ſequuta eſt totius urbis converſio, ſed non altero neque tertio die, quemadmodum ſatis colligere licet. Nunc pergamus ad reliqua.

1 Joan. 5. verſ. 4.

4. Et cœpit Jonah ingredi in urbem itinere dici unius, & clamavit, & dixit, Adhuc quadraginta dies, & Nineveh ſubverſa.

Hic proſequitur Jonas quod uno verbo dixerat, ſe veniſſe Nineven juxta mandatum Dei. Oſtendit igitur quomodo fideliter exequutus ſit partes ſibi injunctas, & ita paruerit verbo Dei. Venit ergo Jonas, & cœpit ingredi in urbem, & primo die concionari. Hæc celeritas oſtendit melius quam docilis fuerit Jonas, & quantopere ſtuduerit præſtare Deo ſuum officium. Nam ſiqua adhuc timiditas fuiſſet in ejus animo, poterat urbem inſpicere ſicuti faciunt homines anxii & dubii: inquirunt quænam ſit conditio loci, qualis ſint hominum ingenia, & quis ſit facilis acceſſus, & quæ ratio commodiſſima, ubi minimum periculi. Jonas ergo ſi adhuc impeditus fuiſſet carnis cogitationibus, poterat ſubſiſtere ad tres vel quatuor dies, deinde incipere munus Prophetæ exequi. Hoc non facit, ſed ingreditur urbem, & clamat. Jam ergo videmus quam promptus fuerit ad obſequium: qui ante volebat mare trajicere, nunc ne momentum quidem ad reſpirandum ſibi ſumit; ſed à porta incipit teſtari ſe ideo veniſſe, ut Deo obediret. Videmus ergo quam emphatice legenda ſint hæc verba. Eſt quidem ruſtica narratio: Jonas hic non adhibet rhetoricos colores, neque magnifico ſplendore orationis ornat ſuum ingreſſum. *Jonas*, inquit, *ingreſſus eſt urbem*. Diceret qui non ſatis eſſet exercitatus in Scripturis, hoc eſſe frigidum. Sed dum expendimus iſtas circumſtantias, videmus ſimplicem hunc ſermonem plus in ſe habere vehementiæ quam omnes Rhetorum pompas. Ingreſſus eſt igitur urbem *itinere dici unius, & clamavit, & dixit*. Quum dicit ſe clamando loquutum eſſe, iterum deſcribit fiduciam animi ſui, quod ſcilicet non obrepſerit, quemadmodum ſolent homines in rebus periculoſis pedetentim prodire. Dicit ſe clamaſſe. Hæc igitur libertas oſtendit Jonam fuiſſe exutum omni metu, & præditum fuiſſe tali ſpiritu fortitudinis, qui ipſum erigeret ſupra omnia impedimenta mundi. Et interea memoria repetendum eſt quam odioſa fuerit hæc legatio: neque enim allicit Ninevitas blande ad Deum, ſed exitium illis minatur, & videtur nullam facere ſpem veniæ. Potuit ſecum reputare Jonas hanc eſſe vocem quæ reditura eſſet per jugulum, ut ille dicit: Egone populoſæ urbi potero denunciare excidium, ut non ſtatim opprimar? annon primus qui occurrerit me lapidabit? Potuit ita ſecum Jonas hoc reputare: ſed tamen nulla formido obſtare potuit quin præſtaret officium fidelis ſervi, quia plane confirmatus fuerat à Domino. Sed rectius erit conjungere proximum verſum.

5. Et crediderunt viri Ninevæ Deo, & indixerunt jejunium, & induerunt ſaccos à magno eorum uſque ad parvum eorum.

Unum mihi exciderat in tertio verſo. Dicebat Jonas urbem Nineven fuiſſe *magnam Deo*. Hæc loquendi forma ſatis trita eſt in Scripturis. vocant enim Hebræi Divinum, quicquid excellit; ita Cedri Dei vocantur, & montes Dei, & agri Dei, ſi vel proceritate vel alia aliqua dote excellant. Civitas ergo hæc dicitur fuiſſe Divina, eo quod præ aliis celeberrima erat. Hoc ideo breviter volui attingere, quia argute quidam, ſed pueriliter fere, vocant Civitatem Dei, quæ erat curæ Deo, & in qua volebat edere tale exemplum converſionis: eſt enim hoc potius ſumptum, ut dixi, ex vulgari loquendi more. Jam redeo ad contextum. Dicit Jonas *cives Ninevæ credidiſſe Deo*. Hinc colligimus non fuiſſe tam conciſam Jonæ prædicationem, quin præfatus fuerit ſe eſſe verum Dei Prophetam, nec ſe temere proferre hæc mandata: deinde iterum colligimus Jonam ſic denunciaſſe exitium, ut ſimul oſtenderet Deum ultorem ſcelerum, argueret Ninevitas & quaſi ad tribunal Dei citaret, oſtendens illis ſuum reatum. Nam ſi loquutus fuiſſet de pœna ſimpliciter, hoc certe valere non poterat, niſi ut Ninevitæ furioſe contra Deum inſurgerent: ſed dum illis proponitur ſuus reatus, ita agnoſcunt ſe merito pœnas dare; & hæc eſt præparatio ad humilitatem & pœnitentiam. Utrumque horum facile colligitur ex hoc verbo, quum dicit Jonas Ninevitas credidiſſe Deo: niſi enim perſuaſum illis fuiſſet, mandatum hoc eſſe profectum è cœlo, qualis fuiſſet fides ipſorum? Sciamus ergo Jonam ita præfatum fuiſſe de vocatione ſua, ut Ninevitæ certo ſtatuerent præconem cœleſtem eſſe: hinc igitur eorum fides. deinde Ninevitæ nunquam Deo credidiſſent ut induerent ſaccum, niſi de peccatis ſuis fuiſſent admoniti. Ergo non dubium quin Jonas dum vociferatus eſt contra Nineven, ſimul propoſuerit in medium quam ſcelerate vixiſſent illi homines, & quam graves eſſent ipſorum offenſæ adverſus Deum. Hinc ergo fit ut ſaccos induant, ac ſupplices confugiant ad Dei miſericordiam, quia intelligunt ſe merito vocari in judicium, ob vitam ſuam impie actam. Sed quæri poteſt quomodo Deo crediderint Ninevitæ, quibus nulla data erat ſpes ſalutis: fides enim nulla eſſe poteſt ſine guſtu paternæ Dei benevolentiæ. Quiſquis concipit Deum iratum, neceſſe eſt ut prorſus deſperet. Quum ergo Jonas nullum guſtum daret bonitatis Dei, potuit centies potius terrere Ninevitas, quam vocare ad fidem. Sed poteſt ſynecdochica eſſe loquutio. neque enim integra eſt fides ubi homines ad pœnitentiam vocati ſeſe coram Deo ſuppliciter humiliant, ſed tamen pars eſt fidei: quemadmodum dicit Apoſtolus 11. ad Hebræos cap. Noah fide timuiſſe; deducens ex fide timorem quem concepit Noah accepto oraculo, partem fidei eſſe docet, indeque manare. Interea tamen oportuit excitari ſancti Patriarchæ animum aliunde quam ex minis, ut ſibi Arcam in ſalutis aſylum extrueret. Sic etiam per ſynecdochen poterit exponi hic locus, quod crediderint Ninevitæ Domino: quia ſcilicet dum intelligunt Deum meritas pœnas expoſcere, ſubjiciant ſe ei, & interea confugiant ad petendam veniam. Sed non dubium eſt quin plus conceperint Ninevitæ ex verbis Jonæ quam nudum terrorem: quia ſi tantum apprehendiſſent partem illam, nempe ſe obnoxios eſſe coram Deo, & merito ad pœnam vel ſupplicium vocari, fuiſſent confuſi & obſtupefacti terrore, nuſquam aſpiraſſent ad petendam veniam. Quum ergo ſupplices coram Deo ſe proſternunt, certe concipiunt aliquam ſpem gratiæ. Non fuerunt igitur pœnitentia vel timore Dei tacti, quin permixtus eſſet aliquis guſtus gratiæ: ita crediderunt Deo, quia etiamſi intelligerent ſe morte eſſe digniſſimos, non tamen deſperarunt, ſed confugerunt ad preces. Dum ergo videmus Ninevitas quæſiiſſe remedium illud, certo ſtatuendum eſt plus profeciſſe ex Jonæ prædicatione, quam ut tantum intelligerent ſe coram Deo reos eſſe. hoc certo tenendum eſt. Sed plura dicemus proxima lectione.

Da omnipotens Deus, ut quum tantum in nobis ſit timiditatis, ut nemo noſtrûm ſit idoneus ad ſequendum quo vocas, exemplo ſervi tui Jonæ inſtructi paremus nos ad ſolidam obedientiam: & quicquid Satan & mundus terrorum nobis objiciat, tamen confirmati fiducia tuæ virtutis & præſidii, quod nobis pollicitus es, pergamus in curſu vocationis noſtræ, neque unquam deflectamus, ſed ita militemus contra omnia obſtacula hujus mundi, do-

nec

nec perveniamos ad cœleſte illud regnum, ubi fruamur & te & Chriſto unigenito Filio tuo, qui eſt fortitudo noſtra & ſalus: ac Spiritus tuus nos vegetet, & confirmet omnes noſtros ſenſus ad tuum obſequium, ut tandem etiam glorificetur nomen tuum in nobis, & nos aliquando ſimus participes ejus gloriæ, ad quam nos invitas per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO SEPTIMA
IN
JONAM PROPHETAM.

CAP. III.

6. Et pervenit verbum (*ſermo, vel res*) ad Regem Nineveh: & ſurrexit è ſolio ſuo, & abjecit ſplendidam ſuam veſtem à ſeipſo, & induit ſaccum, & ſedit ſuper pulverem.

7. Et promulgavit ac edixit per Nineven ex conſilio Regis & magnatum ejus, dicendo, Homo & jumentum, (*vel beſtia*) bos & ovis ne guſtent quidpiam, ne paſcantur, & ne aquas bibant

8. Et induantur ſaccis homo & beſtia, & clament ad Deum in fortitudine, & revertamur quiſque à via ſua mala, & à rapacitate quæ eſt in manibus eorum.

INcertum eſt an Jonas per aliquot dies in urbe concionatus ſit antequam hoc Regi innoteſceret: hæc quidem eſt receptior ſententia. nam interpretes ita exponunt hunc verſum, ubi dicitur ſermo allatus eſſe ad Regem, quaſi Rex ipſe intellexerit totam urbem fuiſſe commotam prædicatione Jonæ: ſed verba etiam diverſum ſenſum admittunt, quod ſcilicet ſermo Jonæ ſtatim ad Regem pervenerit. Et ego potius huc inclino: videtur enim Jonas exegetice narrare quomodo ſaccum induerint Ninevitæ. Hoc breviter dixerat, jam explicat rem ipſam fuſius: & ſcimus hunc morem Hebræis tritum eſſe, ut ſummas rerum paucis verbis attingant, deinde addant explicationem. Quia ergo proximo verſu dixerat Jonas Ninevitas indutos fuiſſe ſacco, & prædicaſſe jejunium, nunc videtur clarius exprimere quomodo hoc factum ſit, nempe Regio edicto. Et certe credibile eſt non fuiſſe edictum jejunium in urbe Regia tantum conſenſu vulgi, quum tamen Rex ipſe illic eſſet cum ſuis conſiliariis. Quoniam ergo magis conſentaneum eſt, profectum de jejunio edictum à Rege fuiſſe, ideo libenter ſic contexo duos iſtos verſus, ut prior breviter ſignificet fructum qui ſequutus eſt Jonæ prædicationem: poſterior vero exegetice additus ſit, quia rem ipſam plenius enarrat. Nunc ergo dicit Jonas jejunium fuiſſe indictum à Ninevitis, quia Rex ita ſtatuerit cum ſuo conſilio: & ita verbum hoc ויגע interpretor per præteritum pluſquam perfectum, *Pervenerat ſermo ad Regem.* nam rationem & modum ſubjicit nunc Jonas, quomodo Ninevitæ jejunium prædicaverint: quia ſcilicet Rex admonitus fuit de concionibus Jonæ, & ſtatim advocavit ſuos conſiliarios. Hoc ergo fuit publicum edictum, non autem aliquis vulgi motus temere excitatus, quemadmodum interdum fieri ſolet. Dicit edictum fuiſſe promulgatum ex auctoritate Regis & conſilii vel magnatum ejus. Quanquam טעם quidam accipiunt pro Ratione vel pro approbatione. טעם ſignificat Guſtare, ut eodem verbo poſtea utitur Jonas: ſed accipitur pro Conſilio metaphorice; & ego puto melius hunc ſenſum præſenti loco quadrare. Venio ad rem ipſam. Quod Rex urbis tam ſplendidæ, imo ſummus tunc Monarcha ita ſe morigerum præbuerit ad Jonæ exhortationem, notatu dignum eſt. Videmus enim ut ſuperbiant Reges, quandoquidem putant ſe exemptos eſſe communi ſorte hominum: ita ſeſe efferunt ſupra leges. Hinc fit ut velint ſibi omnia licere; & dum frenum laxant ſuæ libidini, indigne ferant ſe moneri, etiam ab æqualibus. Jonas autem homo extraneus erat & ignobilis. Quod ergo ita affecit Regis animum, hinc apparet arcana virtus Dei, quam exerit in verbo ſuo quoties ita viſum eſt. Deus quidem per verbi ſui prædicationem non operatur æqualiter, hoc eſt, non ſemper eundem tenorem ſervat; ſed ubi viſum eſt, ſic efficaciter tangit corda hominum, ut ſucceſſus verbi ſuperet omnem opinionem: quemadmodum hic memorabile ejus rei exemplum nobis proponitur. Quis dixiſſet profanum Regem, qui ſemper ſuo arbitrio vixerat, apud quem non vigebat religio vera & ſincera, uno momento potuiſſe domari? Atqui abjectis regni inſignibus proſternit ſe in pulvere, induit ſaccum. Videmus ergo ut Deus non modo loquutus ſit per os Jonæ, ſed efficaciam addiderit verbo ſuo. Cæterum tenendum etiam eſt memoria quod dicit Chriſtus, Viri Nine- *Mat. 12.*
vitæ ſurgent in judicio. nam reſipuerunt ad Jonæ *verſ. 41.*
prædicationem: & ecce plus quam Jonas hic. Quotidie Chriſtus vocem Evangelii ſui profert: quanquam enim non verſatur hic inter nos viſibili forma, ipſe tamen eſt qui per miniſtros ſuos loquitur. Si contemnimus hanc doctrinam, quomodo excuſabilis erit noſtra pervicacia & durities; quum Ninevitæ, qui nunquam veram pietatis doctrinam guſtaverant, qui nullis rudimentis fuerant imbuti, tam cito converſi fuerint ad Jonæ prædicationem? Quod autem ſeria fuerit pœnitentia, hinc colligimus, quia aſpera erat Jonæ prædicatio: denunciabat enim exitium potentiſſimæ urbi. Hoc potuit ſtatim ad inſaniam & furorem adigere Regis animum: quod ita placide humiliatur, certe non vulgaris mutatio eſt. Habemus ergo illuſtre ſignum pœnitentiæ, quod Rex ita potuit ſeipſum & dignitatem ſuam oblivisci, ut abjecta veſte ſplendida ſaccum indueret, & ſe projiceret in cinerem. Jam quod attinet ad jejunium & ſaccos, verum eſt pœnitentiam in his externis rebus non conſiſtere, quemadmodum etiam vidimus apud Joëlem. Nam Deus non moratur ceremonias: & quicquid refulget in oculis hominum, hoc frivolum eſt coram ipſo. requirit enim cordis ſinceritatem. Ergo quod hic narrat Jonas de jejunio & ſimilibus exercitiis, referri debet ad legitimum finem, quod ſcilicet hoc modo Ninevitæ teſtari voluerint ſe merito reos ad tribunal Dei vocari: deinde ſuppliciter deprecati fuerint iram judicis. Jejunium ergo & ſaccus tantum externa ſunt profeſſio pœnitentiæ. Siquis tota vita jejunet atque induat ſaccum, & ſe pulvere aſpergat, interea non adjungat ſincerum cordis affectum, ludet coram Deo. Ergo per ſe iſta externa exercitia levis aut nullius momenti eſſent, niſi præcedat interior affectus cordis, atque adeo impellat homines ad tale teſtimonium redden-

dum. Proinde quoties Scriptura de jejunio & cinere & ſacco verba facit, tenendum eſt hæc nobis proponi tanquam externa pœnitentiæ ſigna: quæ ſi falſa ſint, nihil aliud quam provocant iram Dei: ſi autem vera, Deo probantur propter ſuum finem, non quod per ſe valeant ad placandam ejus iram, vel ad expianda peccata. Nunc ſi quis quærat an pœnitentia ſemper ſecum trahat jejunium & cinerem & ſaccos, facilis reſponſio eſt, fideles tota vita debere meditari pœnitentiam. Ergo niſi ſe exerceat quiſque noſtrûm in hoc continuo ſtudio, ut ſcilicet ſibi renunciet ac priori vitæ, ille nondum quid ſit Deo ſervire didicit, quia militandum ſemper nobis eſt cum carne. Quum autem aſſidua ſit pœnitentiæ meditatio, non tamen exigitur ſemper à nobis jejunium. Sequitur ergo jejunium eſſe publicum & ſolenne teſtimonium pœnitentiæ, ubi apparet aliquod extraordinarium ſignum vindictæ Dei. Sic etiam vidimus apud Joëlem vocatos fuiſſe Judæos ad cinerem & ſaccum: quia Deus quaſi armatus prodibat in medium, & Prophetæ omnes clamabant interitum populo inſtare: tunc oportuit Judæos ſuppliciter confugere ad Dei miſericordiam cum talibus teſtimoniis. Sic etiam Ninevitæ quum perculſi eſſent terribili illo edicto, induerunt ſaccos, jejunium indixerunt, quia ſcilicet hoc fieri debebat in rebus extremis. Nunc ergo tenemus cur Rex poſtquam ipſe ſaccum induit, ſimul etiam indixerit toti populo & jejunium & alia pœnitentiæ teſtimonia. Sed videtur hoc abſurdum eſſe, imo ridiculum, quod Rex jubet etiam animalia pœnitentiam profiteri cum hominibus. nam pœnitentia eſt mutatio hominis, dum ſeſe Deo reſtituit, quum ab eo fuerit ante alienatus: hoc non poteſt competere in bruta animalia. Temere ergo & præter omnem rationem permiſcet Rex Ninevæ animalia cum hominibus, ubi de pœnitentia agitur. Sed tenendum eſt quod prius diximus, exitium fuiſſe denunciatum non hominibus ſolis, ſed etiam toti urbi, ipſis etiam ædificiis: nam ut totum mundum Deus creavit hominum cauſa, ſic etiam ira ejus ubi accenſa eſt contra homines, ſimul jumenta & arbores & quicquid eſt in cœlo & in terra involvit. Sed nondum ſoluta eſt quæſtio: utcunque enim Deus pœnam de animalibus exigat propter hominum ſcelera, tamen bos vel ovis non poſſet iram Dei placare. Reſpondeo hoc factum fuiſſe hominum cauſa. Fuiſſet enim ludicrum ſpectaculum, ſi Rex à pabulo & potu prohibuiſſet animalia, niſi reſpectum habuiſſet ad homines ipſos. Sed voluit quaſi in ſpeculo aut pictura Ninevitis proponere quid meriti eſſent: quemadmodum ſub Lege, quoties victimas cædebant, admonebantur de ſuis peccatis. Debebat enim hoc illis venire in mentem, mactari pecudem innoxiam, aut aliud animal, & qua de cauſa qui peccaverat ſtabat ad altare. Videbat igitur vivam imaginem ſuæ damnationis in bove vel agno vel hirco. Sic etiam Ninevitæ quum adigerent & boves & aſinos & reliqua animalia ad jejunium, admonebantur quam gravi & ſevera pœna digni eſſent, quod ſcilicet etiam innoxia animalia luerent una cum ipſis pœnam. Videmus ergo non fuiſſe quæſitum aliquod piaculum à Rege, dum indixit jejunium & inediam brutis animalibus: ſed potius fuiſſe talibus ſtimulis excitatos homines, ut ſerio agnoſcerent iram Dei, & plus terroris conciperent, quo verius humiliarentur coram ipſo, ſibique diſplicerent, atque ita magis propenſi eſſent ad petendam veniam, & melius etiam parati & formati. Nunc ergo videmus debere iſtud referri ad tangendas metu conſcientias, ut qui ſibi nimis diu blanditi fuerant, tali remedio corrigerent ſuum torporem. Huc etiam ſpectabant in Lege omnia lavacra purificandis veſtibus & reliquis vaſis, ut agnoſceret populus ſuis ſordibus inquinari quicquid tangebat. Et hoc diligenter notandum eſt: quia Papiſtæ, ut ſunt dediti ceremoniis, arripiunt quicquid paſſim legitur in Scriptura de jejunio, de cinere & ſacco, & putant totam pietatem incluſam eſſe in iſtis ritibus externis. Atqui corporalis exercitatio non multum prodeſt, inquit Paulus. *1 Tim 4. verſ. 8.* Ergo ſemper hæc regula valere apud nos debet, jejunium & ſimilia per ſe nullius eſſe ponderis: ſed tantum debere cenſeri à fine ſuo. Sic igitur quum ad eſuriem coacta ſunt animalia apud Ninevitas, homines ipſi commonefacti de ſuo reatu didicerunt quid eſſet metuere iram Dei: & hac de cauſa placuit Deo jejunium illud. Nunc ſiquis objiciat nihil tentandum eſſe in Dei cultu præter verbum ejus, facilis etiam reſponſio eſt, Regem Ninevæ non finxiſſe aliquod placationis genus, neque etiam voluiſſe hoc modo Deum colere, ſed reſpexiſſe ad finem quem dixi. Finis autem ille optime reſpondet verbo Dei & ejus præſcripto. Ergo Rex Ninevæ nihil hic alienum à Dei verbo tentat, quum ſcilicet omnia ad ſcopum illum refert, ut ſcilicet ipſe cum populo ſuppliciter prodiret ad tribunal Dei, & cum ſerio pœnitentiæ affectu veniam deprecaretur. Hæc igitur ſolutio ſatis clara eſt. Quum ergo poſtea ſubjicit Jonas, Regem juſſiſſe & populum & animalia induere ſaccos, ſciamus, ſiquis nunc nudum illud exemplum arripiat, nihil aliud fore quam hiſtrionem: quia ſemper illa ratio tenenda eſt, Regem adminicula quæſiiſſe, quibus ſe & ſuos ad veram pœnitentiam impelleret. nam proclive eſt hominis ingenium ad πιθηκίζειν. Sumus enim omnes fere ſimiæ: atqui videndum eſt ſemper quo ſpiritu acti fuerint quos volumus imitari, ne ſcilicet contenti externis larvis negligamus quod præcipuum eſt. Poſtea addit Jonas, *Et clament in fortitudine ad Deum.* Hoc reſtringi ad homines debet: neque enim quadraret brutis animalibus. Homines igitur cum jumentis abſtineant à cibo & potu: deinde clament ad Deum. Clamor hic non potuit naſci niſi ex Dei timore & pietatis ſenſu: ergo, quemadmodum dixi, non debet promiſcue trahi tam ad animalia bruta quam ad homines. Quod autem jubet Rex Ninevæ populum in fortitudine clamare ad Deum, notatu dignum eſt: quia hinc colligimus vere fuiſſe perterritum. Non enim hic agitur de vulgari clamore, ſed addit fortitudinem: quemadmodum ſiquis diceret, Pleno gutture. & nos etiam Gallice dicimus, *A force*, vel *fort & ferme*. Exprimit ergo Jonas aliquid rarum & ſingulare, quum recitat hoc fuiſſe comprehenſum in edicto Regis, ut homines clamarent fortiter ad Deum: perinde enim eſt acſi diceret, Expergeſiant nunc omnes homines ad excutiendum ſuum torporem, nimis enim hactenus quiſque noſtrûm ſibi indulſit in ſuis vitiis: jam tempus eſt ut terror animos noſtros occupet, atque etiam compellat ad deprecandam iram Dei. Et hoc quoque notatu dignum eſt, quod Rex non aliud remedium excogitat, niſi ut populus confugiat ad preces. Poteſt quidem fieri ut Jonas hortatus fuerit ad hoc pietatis officium Ninevitas: ſed colligere promptum eſt, hunc ſenſum nobis ingenitum eſſe à natura, ut dum urgemur rebus adverſis imploremus Dei gratiam. Hoc ergo unicum remedium eſt in rebus miſeris & afflictis, Deum orare. Quod ſi nos in Lege & Evangelio edocti, quoties Deus nos admonet atque hortatur ad pœnitentiam, non utimur hoc remedio: qualis nobis erit excuſationis prætextus, quum homines profani & qui ſyllabam nullam tenebant veræ pietatis, Deum tamen deprecati ſint, & Rex ipſe hoc edixerit ex ſententia ſuorum magnatum? Ergo plus nobis verecundiæ incutere hoc Regis edictum debet, quam ſi quis proferat ex Dei verbo ſimpliciter eandem doctrinam. Nam utcunque non eadem fuerit Regis illius auctoritas, quæ Dei eſt: tamen quum miſer ille & cæcus

Prin-

Princeps agnoverit natura dictante, Deum precibus eſſe placandum, quid jam excuſationis, quemadmodum dixi, nobis reſtat? Sed poſtea melius oſtendit Jonas non fuiſſe fucatam pœnitentiam, quum Ninevitæ ſaccos induerent, & ſibi interdicerent à cibo & potu. Sequitur enim adhuc in Regis edicto, *Et convertatur quiſque à via ſua mala, & à rapacitate quæ eſt in manibus eorum* Hic Rex profanus oſtendit quorſum & quo conſilio de jejunio & ſimilibus exercitiis præceperit, nempe ut hoc modo ſeſe melius ſtimularent Ninevitæ ad Dei timorem. Nam hic hortatur ut ſeſe convertant à via ſua mala. Per *viam* Scriptura intelligere ſolet totum vitæ curſum vel rationem. Perinde eſt igitur acſi diceret, Quiſque veſtrûm ingenium ſuum & mores ſuos mutet: ſimus nos omnes novæ creaturæ. Hæc autem vera eſt pœnitentia, converſio hominis ad Deum. hoc ergo Rex iſte profanus intellexit. Quo turpior eſt eorum ſocordia, qui placare Deum volunt frivolis illis figmentis: quemadmodum Papiſtæ dum obtrudunt Deo neſcio quas nugas, putant eſſe totidem piacula, & contumaciter pro illis contendunt. Non alio igitur judice opus habent quam hoc Rege profano, qui oſtendit aliam eſſe veræ pœnitentiæ rationem, nempe ut mutentur homines mente & animo, & convertant in melius totam vitæ ſuæ formam. *Quiſque ergo à via ſua mala convertatur*, inquit, *& à rapacitate quæ eſt in manibus eorum.* Hic ſubjungitur ſpecies per ſynecdochen: neque enim oportuit tantum rapinas in Ninevitis corrigi. Nam probabile eſt etiam aliis vitiis & corruptelis fuiſſe infectos: in urbe tam populoſa regnavit etiam ebrietas, luxus, & ſuperbia, & ambitio, deinde libidines. Non dubium igitur eſt quin Nineve referta fuerit innumeris morbis: ſed Rex per ſynecdochen hic præcipuum vitium deſignat. *Convertat* ergo *ſe quiſque à via ſua mala, & à rapacitate ſua.* perinde eſt acſi oſtenderet præcipuam virtutem eſſe in æquitate & juſtitia, ubi ſcilicet mutuo inter ſe abſque ulla noxa aut injuria verſantur homines. Atque utinam hodie doctrina eadem vigeret inter omnes qui Chriſtianum nomen falſo uſurpant. Nam Papiſtæ dum accumulant illa piacula, prætereunt charitatem, & in tota vitæ perfectione fere æquitas nullum locum habet. Diſcant ergo ex ore profani Regis quid Deus præcipue requirat ab hominibus & probet in eorum vita: nempe ut abſtineant à rapinis & ab omni maleficio. Nunc ergo tenemus cur hoc additum fuerit de *rapacitate.* Jam tenendum eſt Regem adhuc novitium, & vix leviter tinctum rudimentis pietatis, poſt auditam Jonæ prædicationem, pro fidei & intelligentiæ ſuæ modulo ſuis præcipere. Quod ſi tam exiguo temporis ſpatio uſque adeo profecerit ille; nos ubi aures noſtræ continuis ſermonibus per annos viginti & triginta obtuſæ fuerunt, quam excuſationem obtendere poterimus, ſi ſubſidimus adhuc infra tirocinium iſtius Regis? Ergo iſtæ circumſtantiæ diligenter nobis notandæ ſunt. Nunc pergamus.

9. Quis novit an convertatur, & pœnitentia ducatur Deus, & revertatur à furore iræ ſuæ, ut non pereamus?

Hic etiam clarius exprimitur animus Regis & conſilium, quod ſcilicet hoc modo ſtuduerit reconciliare & ſe & populum ſuum Deo. Alii paulò diverſo modo vertunt, Qui novit convertetur, & pœnitentia ducetur: non legunt interrogative. ſed non poteſt ſtare illa lectio. In mente igitur Prophetæ nihil eſt ambiguum, quod Regem hic quaſi dubitantem inducat, *Quis ſcit an Deus nobis placabitur?* Videmus ergo Regem non obrutum eſſe deſperatione, quin adhuc de remedio cogitet: nam in hunc finem tendit hic verſus. Cæterum poſſet videri hoc contrarium fidei naturæ. deinde ſi repugnat fidei, ſimul etiam alienum erit à pœnitentia, nam res conjunctæ ſunt pœnitentia & fides, quemadmodum aliis locis vidimus. Neque enim quiſquam poterit ſponte ſe Deo ſubjicere, niſi guſtaverit prius ejus bonitatem, & ſpem ſalutis conceperit. Qui enim terrore duntaxat afficitur, fugiet Dei conſpectum & præſentiam: ſic ubicunque regnat deſperatio, ſequitur etiam contumacia. Nunc, qui fieri poteſt ut Rex Nineves ſerio & abſque fictione reſipuerit, interea tamen dubitanter loquutus ſit de gratia Dei? Reſpondeo, ſpeciem eſſe dubitationis, quæ poteſt cum fide conjungi: nempe, quæ directe non rejicit Dei promiſſionem, ſed alia habet objecta. Exempli gratia, Si quiſpiam terrore dejectus, poſtea recipiat animum propoſita ſpe veniæ & ſalutis, non tamen liber erit ſtatim ab omni metu: quia quamdiu reſpiciet peccata ſua, & implicabitur etiam aliis cogitationibus, vacillabit, fluctuabitur. Non dubium igitur eſt quin Rex Nineves conceperit ſpem ſalutis; ſed interea adhuc perplexus fuerit animo, tam propter concionem Jonæ, quam propter conſcientiam ſcelerum ſuorum. Duo igitur fuerunt obſtacula, quæ poſſent revocare animum Regis à certitudine, vel ſaltem morari ne ſubito apprehenderet Dei miſericordiam, & placato animo ſentiret Deum ſibi eſſe propitium. Prius obſtaculum fuit illa formidabilis concio, Nineve poſt quadraginta dies peribit. Nam quamvis Jonas potuerit aliquid addere, quemadmodum diximus, tamen præciſa erat illa comminatio, quæ poſſet dejicere omnium animos. Oportuit igitur Regem luctari, ut poſſet tale obſtaculum ſuperare, & repellere illud Jonæ præconium, quatenus ſcilicet carebat omni conſolatione. Deinde Rex haud dubie quum expenderet ſua peccata, potuit vacillare aliquantiſper. Sed tamen videmus ut emergere conetur, etiamſi hæc duo obſtacula ante oculos habeat: quia ubi dicit, *Quis ſcit an Deus ſe convertet à furore iræ ſuæ, & pœnitentia ducetur?* quum ergo ita loquitur Rex, videmus eum eſſe in ſtrenua lucta: quia utcunque viſus fuerit januam præcludere Jonas, & prohibere Regem à ſpe ſalutis, utcunque etiam propria illum conſcientia devinctum & oppreſſum teneret, ipſe tamen pergit, & ſeipſum extimulat, denique aſpirat ad ſpem veniæ. Deinde etiam notandum eſt formam hanc loquendi potius notare difficultatem, quam diffidentiam. Rex ergo hic quaſi dubitanter quærit, Quis ſcit an Deus ſeſe convertet? quia res erat difficilis, ut Deus poſt longam tolerantiam urbi ſceleratæ parceret. Exprimit ergo Rex difficultatem; non autem hoc diffidentiæ ſignum eſt, dum ita interrogat: quemadmodum quum apud Joelem dicitur, Quis ſcit? eſt ſimilis prorſus loquutio: tunc plura diximus quum exponeremus locum illum. Sed ſufficiat hoc breviter tenere, Regem hic non prodere ſuam diffidentiam, ſed potius exprimere difficultatem. Et hoc humilitatis ſignum eſt, quod intelligit ſe quaſi fuiſſe demerſum in profundis inferis cum populo, & tamen non deſinit bene ſperare: nam hoc ſpei ſignum eſt, etiamſi hoc pugnet cum tota natura, etiamſi abhorreat ab humana ratione, tamen bene ſperandum eſſe. Videmus ergo quis ſit verborum ſenſus. De pœnitentia Dei alibi dicendum erit, hoc eſt, die craſtino vel perendie. *Ne pereamus*, inquit. Videmus quomodo Rex profanus ab interitu ſe redimere cogitet, nempe Deo placato. Ergo ſimulac periculi aliquid nobis impendet, veniat nobis hoc in mentem, non poſſe inveniri exitum, niſi Dominus nos in gratiam reci-

recipiat: quemadmodum etiam ex oppoſito ratiocinatur rex Ninevæ, ſimulac propitius fuerit Deus, omnia bene habitura. Videmus ergo quantum profecerit hic novus & rudis tiro, dum intelligit non poſſe homines effugere ex miſeriis, donec placatus illis fuerit Deus: ubi autem cum illo redierint homines in gratiam, etiamſi centies prius illis pereundum fuerit, tamen fore ſalvos & incolumes, quia ſcilicet gratia & favor Dei fons ſit ſalutis & vitæ & omnium bonorum. Poſtea ſequitur,

10. Et vidit Deus opera eorum, quod converſi eſſent à via ſua mala, & pœnituit Deum ſuper malo, quod pronunciaverat ſe facturum illis, & non fecit.

Nunc dicit Jonas Ninevitas adeptos fuiſſe veniam ſua pœnitentia. Hoc etiam exemplum notatu dignum eſt: quia hinc colligimus quorſum nos Deus quotidie ad pœnitentiam ſollicitet, nempe quia vult nobis reconciliari, & nos ſibi. Hæc igitur ratio eſt cur tot objurgationes & minæ perſonent in auribus noſtris quoties accedimus ad audiendum verbum Dei: nempe, quia vult Deus nos ab exitio revocare, duriter nobiſcum loquitur. Denique quicquid continet Scriptura de pœnitentia & judicio Dei, hoc totum debet in hunc uſum aptari, ut ſcilicet redeamus cum ipſo in gratiam, quia placabilis ſit, & paratus ſemper amplecti eos qui ſine fictione ad ipſum ſe convertent. Ergo in hoc exemplo intelligimus non alio Deum ſpectare quoties aſperius nos compellat, niſi ut placabilis ſit nobis, ſi modo ſumus ipſi noſtri judices, atque ita prævenimus ejus iram voluntario cordis affectu: ubi ſcilicet reatum & culpam deprecamur, & diſplicemus nobis, atque etiam fatemur nos dignos eſſe interitu. Cæterum, videtur tamen Jonas ſtatuere cauſam ſalutis in pœnitentia & operibus: dicit enim Ninevitas adeptos fuiſſe veniam, quia Deus reſpexerit opera ipſorum. Primo videndum eſt, quænam opera intelligat, nequis temere arripiat vocem unam, quemadmodum ſolent hypocritæ: & hoc nimis vulgare eſt in Papatu, ſicuti diximus. *Reſpexit Deus opera ipſorum.* Quænam? non ſaccum, non cinerem, non jejunium: nam hæc nunc non commemorat Jonas: ſed reſpexit opera illorum, quod à via ſua mala converſi eſſent. Videmus ergo Deum non fuiſſe placatum ceremoniis duntaxat; hoc eſt, externa illa profeſſione pœnitentiæ; ſed potius ſpectaſſe veram & ſeriam mutationem in Ninevitis, quod ſcilicet renovati eſſent. hæc igitur fuerunt opera ipſorum, nempe fructus pœnitentiæ. Non potuit autem talis vitæ mutatio accidere, niſi vere tacti fuiſſent ſenſu iræ Dei Ninevitæ. Ergo timor Dei præceſſit. Timor hic non potuit eſſe abſque fide. Videmus ergo primum hic non agi de externis operibus, ſed de renovatione hominum. Jam vero ſi quis objiciat, tamen hoc non efficere quominus nos bona opera reconcilient Deo, atque ita ſalutem nobis impetrent: reſpondeo non hic diſputari de cauſa veniæ. Certum eſt, Deum gratis placatum fuiſſe Ninevitis, quemadmodum gratis quotidie nobis reſtituit favorem ſuum. Jonas ergo non intelligit ſatisfactiones iſtas valuiſſe coram Deo, quaſi compenſaverint Ninevitæ priora delicta. nihil tale verba ſonant: ſed tantum à conſequenti oſtendit Deum fuiſſe placatum, quia Ninevitæ eſſent converſi. Interea ex aliis Scripturæ locis colligere oportet, quomodo redeat nobiſcum Deus in gratiam, & quomodo veniam conſequamur apud ipſum: hocne fiat noſtris meritis & pœnitentia, an vero gratis ipſe Deus nobis occurrat. Quum Scriptura tota teſtetur gratuito veniam nobis dari, neque etiam alio modo poſſe nobis propitiari Deum, quam ubi peccata imputare deſinit; quantum ad præſentem locum attinet, non anxie laborandum eſt cur dicatur Deus vidiſſe opera Ninevitarum, ne ipſos perderet: nam hoc à conſequenti dicitur. Jonas ergo non deſignat hic cauſam, ſed tantum oſtendit Deum fuiſſe Ninevitis placatum ſimulac reſipuerunt. Sed de hac re adhuc nobis dicendum erit.

Da omnipotens Deus, quum tot vitiis referti ſimus, & etiam quotidie tot peccata, imo ſcelera ex nobis erumpant: da, inquam, ne obdureſcamus ad tot exhortationes, quibus nos ad te invitas: ſed fracti animis, quoties denuntias nobis iram tuam, vere humiliemur, & nos ita ſiſtamus ad tribunal tuum, ut præveniamus confeſſione vera & ſincero pietatis timore judicium, quod alioqui nobis paratum eſſet: interea freti Mediatore Chriſto concipiamus eam ſpem veniæ, quæ nos totos ad te rapiat, nec dubitemus quin paratus ſis ad nos amplexandos, ubi tacti fuerimus vero illo & integro pietatis & pœnitentiæ affectu, quum hoc etiam indicium ſit gratiæ tuæ, quod dignatus ſis nos prævenire, & Spiritu tuo teſtatus ſis te nobis eſſe in patrem: denique ita dejiciamur in nobis, ut erigamus ſpem noſtram uſque ad cœlos, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO OCTAVA IN JONAM PROPHETAM.

CAP. III.

Diximus heri quomodo pœnam remiſerit Deus Ninevitis, quam minatus fuerat per os Jonæ: & tamen gratuita fuerit tam pœnæ quam culpæ remiſſio. Quoties enim veniam proponit Deus peccatoribus, ſimul additur hæc conditio ut reſipiſcant: tamen non ſequitur pœnitentiam eſſe cauſam impetrandæ veniæ. gratis enim ſe Dominus offert, neque aliunde inducitur quam mera ſua liberalitate. Sed quia non vult homines abuti ſua indulgentia & facilitate, ideo legem illam apponit, ut ſcilicet pœniteat ipſos vitæ prioris, ut in melius mutentur. Sic ergo reſpicit eorum opera, qui teſtantur ſe odio habere peccatum, & vero ac ſincero deſiderio confugiunt ad miſericordiam: alioqui nemo etiam ex animo cupiet Deum ſibi eſſe propitium, niſi qui ſibi diſplicebit in peccato. Hæc ratio eſt cur dicat etiam Jeſaias miſericor- *Jeſa. 4.*
dem fore Deum reliquiis populi ſui, nempe quiſ- *verſ. 3.*
quis converſus fuerit ab iniquitate ſua. Deus certe his verbis non intelligit, pœnitentiam, ut dixi, eſſe cauſam ſalutis noſtræ: ſed ideo exigit mutationem in melius, quia nemo ſerio aſpirat ad gratiam, niſi qui ſibi diſplicet in peccatis. Jam quod addit Jonas, *Deum pœnitentia tactum fuiſſe*, hæc loquendi ratio ſatis nota eſſe nobis debet. Proprie loquendo non cadit pœnitentia in Deum: ſed hoc etiam non refertur ad interius & arcanum ejus conſilium. Deus ergo in ſe ſemper manet idem, & ſibi conſtat: ſed dicitur pœnitentia duci, reſpectu habito ad ſenſum hominum. nam ſicuti concipimus iratum Deum, quoties

nos ad tribunal ſuum citat, & demonſtrat nobis noſtra ſcelera: ſic etiam concipimus placatum, ubi offert ſpem veniæ. Eſt autem pro ratione ſenſus noſtri aliqua mutatio, quum Deus iræ obliviſcitur, acſi indueret novum affectum. Quia ergo non poſſumus aliter terreri, ut humiliemur coram Deo, & reſipiſcamus, niſi ipſe nobis proponat iram ſuam, Scriptura accommodat ſe ad hanc craſſitiem ſenſus noſtri. Jam ex adverſo non poſſumus Deum aliter invocare, niſi ſtatuimus illum nobis eſſe placabilem. Videmus ergo ut ſpecies aliqua mutationis occurrat nobis, quoties vel minatur Deus, vel facit ſpem veniæ & reconciliationis. Huc ergo referri debet hæc loquutio, quum dicat Jonas Deum fuiſſe pœnitentia tactum. Videmus ergo dupliciter nobis deſcribi Deum: nempe in verbo ſuo, deinde in arcano conſilio. Quantum attinet ad conſilium arcanum, jam dixi Deum perpetuo ſimilem eſſe ſui, neque admittere ullos noſtros affectus. Quantum vero ad doctrinam verbi ſpectat, quæ accommodatur ad ſenſus noſtros, Deus nunc iraſcitur nobis, nunc autem quaſi placatus veniam offert, nobiſque eſt propitius. hæc eſt Dei pœnitentia. Meminerimus ergo hoc pendere à verbo, quod dicitur Deus pœnitentia fuiſſe ductus: quia ſcilicet non poterant concipere aliud Ninevitæ, quam hoc decretum eſſe Deo, ut perirent. Quare? hic enim teſtatus fuerat verbo ſuo. Jam vero quum aſſurgunt ad fiduciam ſalutis, tunc ſentiunt aliquam mutationem, nempe pro fidei ſuæ intelligentia. Et uterque ſenſus tam metus quam gaudii naſcitur ex verbo: quia ubi Deus iram ſuam denunciat, neceſſe eſt miſeros homines terreri. Ubi autem ad ſalutem invitat propoſita reconciliatione, jam ſicuti induunt novum ſenſum, ita etiam tribuunt novum affectum Deo. Hæc ſumma eſt. Jam pergamus.

CAPUT IV.

ET diſplicuit Jonæ dolore magno, & ſuccenſuit apud ſe.

Rom. 9. 3. DOlorem hunc Jonæ Hieronymus laudat, & comparat ſancto Pauli zelo, qui optabat fieri anathema pro fratribus. Negat enim doluiſſe quod Deus tam præclaræ urbis miſertus foret: ſed quia converſio Gentium quoddam eſſet præſagium interitus electi populi. Quia igitur Jonas quaſi in ſpeculo cernebat propinquum Iſraëlis exitium, ideo doluit, ſi credimus Hieronymo: ſed illud eſt nimis frivolum. paulo poſt objurgat Deus Jonam. Quid igitur levabit Prophetam ineptum & puerile patrocinium Hieronymi, quum Deus pronunciet ipſum præpoſtere facere, quod doleat? imo coarguitur ſocordia Hieronymi: ſic enim loquor de homine, qui tametſi doctus & laborioſus fuit, ſe tamen privavit ea laude, quam alioqui merito conſequi poterat. Nam perverſum ejus ingenium ubique ſe prodit, ſicuti etiam palam coarguitur ſtatim in ipſo contextu, ubi Jonas aperte oſtendit aliam ſibi fuiſſe doloris cauſam, quod ſcilicet nollet videri inanis vates, aut mendax. hinc igitur tantus dolor & amarulentia. Hoc autem, etiamſi Deus ſententiam non tuliſſet, videmus fuiſſe iniquum & alienum ab omni ratione. Statuamus igitur Jonam præpoſtero zelo fuiſſe abreptum, ubi non potuit æquo animo ferre liberari urbem Nineven ab exitio: & ipſe etiam amplificat magnitudinem ſui vitii. Poterat dicere uno verbo, Hoc Jonæ diſplicuit: ſed non contentus hac ſimplici forma, addit diſplicentiam magnam, vel dolorem: poſtea dicit ſe excanduiſſe penitus. Etiamſi principium non fuiſſet malum, exceſſus tamen ipſe vitioſus eſt. Atqui exceſſum & intemperiem fatetur in ſuo dolore: quum ſeipſum claris verbis accuſet, quid nunc attinet fallaciis & cavillis obtegere quod palam videmus non poſſe excuſari? Sed ut melius pateat cur Jonæ diſplicuerit ſalus urbis Ninevæ, pergamus in contextu.

2. Et oravit ad Jehovam, & dixit, Obſecro Jehova, annon hic ſermo meus, quum adhuc eſſem in terra mea? Propterea feſtinavi fugere in Tarſis, quia noveram quod tu ſis Deus propitius (*vel plenus gratiæ*) & miſericors, tardus ad iram, multus clementia, & qui pœnitentia duceris ſuper malo.

Quod Jonas hic refert ſe oraſſe, videtur minime eſſe conſentaneum: quia oratio debet eſſe compoſita. atqui confeſſus eſt ſe fuiſſe tumultuatum in animo ſuo. Quum ergo ita ferveret iracundia in animo Prophetæ, quomodo prodire potuit coram Deo, & concipere juſtas preces? Deinde quiſnam eſt finis precandi, niſi ut profiteamur quicquid boni optandum eſt reſidere apud Deum, & ſuppliciter ab eo petendum eſſe? Jonas autem hic potius expoſtulat, & obſtrepit Deo. nam videtur hic quodammodo litigare, quod juſtam habuerit cauſam fugæ: deinde quod Deus non debuerit ignoſcere Ninevitis. Deum igitur accuſat, ut ſe liberet omni culpa. hoc vero prorſus ab orandi regula alienum eſt ac remotum. Quomodo ergo intelligere oportet locum hunc, ubi dicit ſe oraſſe? Reſpondeo, ſæpe fideles etiam turbulento animo accedere ad Deum orandi affectu, & tamen preces eorum non prorſus repudiari, quamvis non probentur, neque placeant per omnia. Et hinc etiam clarius apparet quomodo Deo accepta ſint piorum opera, tametſi aſperſa ſint multis maculis. Papiſtæ quoties legunt placuiſſe Deo aliquod opus, fingunt ſummam perfectionem & munditiem: atqui nullum eſt opus quod non infectum ſit aliqua labe, niſi purificetur gratuita venia. Hoc dico nobis perſpicuum eſſe in hac precatione, quæ non ita rejecta fuit à Deo, quin retineat nomen precationis. Et tamen certum eſt Jonam minime fuiſſe animatum ut decebat, quum tumultuoſe oravit, quaſi Deum objurgans, & adhuc retinens aliquam partem ſuæ contumaciæ: quia placet ſibi in fuga. Diximus autem hoc fuiſſe ſignum manifeſtæ rebellionis: quum excuſſo jugo contempſit vocationem Dei. Neceſſe eſt igitur in hac Jonæ precatione agnoſcere aliquid pietatis, & ſimul multa vitia. Fuit hoc pietatis, quod adhuc direxit ſuas querimonias ad Deum. Nam hypocritæ etiamſi Deum compellant, ſunt tamen prorſus ab ipſo averſi, & libenter evomerent ſuam bilem adverſus Deum. Jonas autem dum hic conqueritur, etiamſi non ſervet modum, ſed feratur cæco vel vitioſo impetu, tamen paratus eſt ſe Deo ſubjicere, quemadmodum tandem videbimus. hæc ratio eſt cur dicat ſe oraſſe. Neque enim eum puduiſſet fateri aliquod gravius peccatum, ſi fuiſſet ſibi conſcius. Noluit ergo extenuare culpam Orandi verbo, quemadmodum hypocritæ ſemper aliquos colores aut vela obtendunt, dum volunt turpitudinem ſuam obtegere. non fuit tale Jonæ conſilium: ergo quum ſe oraſſe dicit, in genere teſtatur non ſe ita fuiſſe Deo obſtreperum, quin tamen retinuerit aliquod pietatis & obedientiæ ſemen in animo ſuo. *Oravit* ergo *Jonas*. Hinc ſequitur, quemadmodum ante dixi, multas ſanctorum preces vitioſas eſſe, quæ ſi exigantur ad legitimam normam, merito repudiandæ erunt. Sed Dominus pro ſua indulgentia ignoſcit vitiis, ſic ut iſtæ incompoſitæ

poſitæ preces, ac turbulentæ, retinent tamen ſuum titulum & pretium. Jam dicit, *Obſecro Jehova, annon hic ſermo meus?* Hic Jonas aperte declarat cur indigne tulerit Niniven liberari ab interitu ſuo: quia ſcilicet hoc modo deprehenſus fuit vanus & mendax. Sed poſſet hoc videri abſurdum, quod Propheta majorem habuerit rationem famæ ſuæ, quam gloriæ Dei. Nam in hoc maxime refulget Dei gloria, quod placabilis eſt ſimulac redeunt homines in viam: quod etiam ipſe offert ſe illis in patrem. An igitur Jonas exiſtimationem ſuam præferre debuit Dei gloriæ? Reſpondeo Prophetam non ita fuiſſe ſibi addictum, quin ſemper præcipuum gradum teneret in ejus animo ſtudium gloriæ Dei: hoc certum eſt. Sed conjunxit miniſterium ſuum cum Dei gloria; & merito: quia pendebat ex illius auctoritate. Jonas quum ingreſſus eſt Niniven, non clamavit tanquam privatus homo, ſed profeſſus eſt ſe divinitus miſſum eſſe. Nunc ſi præconium Jonæ falſum deprehenditur, redundabit contumelia in auctorem ipſum vocationis, nempe in Deum. Non dubium igitur eſt quin Jonas indigne tulerit nomen Dei expoſitum eſſe opprobriis Gentium, quaſi de nihilo terreret: deinde quaſi ſimulate loquendo nunc aperiret inferos, nunc cœlum. Nihil autem magis adverſum eſt gloriæ Dei, quam talis ſimulatio. Videmus ergo cur tanto dolore abreptus fuerit Jonas: non reſpexit ſeipſum, ſed quia videbat dari materiam impiis blaſphemiis, ſi Deus mutaret conſilium, vel ſi non conſtaret ſibi in verbo ſuo, hinc tantus ille dolor. Sed quamvis ſpecioſa ſit hæc ratio, tamen colligimus quid valeant bonæ noſtræ intentiones apud Deum. Siqua poteſt fingi bona intentio, certe hæc laudem aliquam meretur, quod Jonas centies mori maluit quam audire indignas illas blaſphemias, quod merum ludibrium eſſet verbum Dei, quod fabuloſæ eſſent minæ, quod Deus hoc vel illud fingeret, ac ſe transfiguraret in varias formas. Hæc optima fuit intentio, ſi ſenſu noſtro æſtimetur: atqui ſtatim videbimus damnatam fuiſſe ore Dei. Diſcamus ergo non arrogare nobis judicium in rebus quæ captum noſtrum ſuperant, ſed ſubjicere mentem noſtram Deo, & petere ab ipſo ſpiritum diſcretionis. Unde enim factum eſt, ut Jonas ſic fremeret contra Deum, niſi quod ardebat ſtudio gloriæ ejus? Sed zelus inconſideratus fuit, quia volebat ipſe judex eſſe atque arbiter: debuit autem potius ſubjicere ſe totum Deo. Et eadem etiam regula nobis tenenda eſt. Siquando videmus multa accidere divinitus, hoc eſt, arcana Dei providentia, quæ proſtituant ejus nomen impiorum blaſphemiis, dolendum hoc quidem eſt: ſed interea petamus à Domino, ut tandem convertat hæc indigna opprobria in ſuam gloriam, nos vero minime tumultuemur, quemadmodum faciunt multi, qui ſtatim intentant jurgium Deo, quum aliter res moderatur, quam ipſi vellent aut putant eſſe utile. Diſcamus Jonæ exemplo non metiri proprio ſenſu Dei judicia, ſed expectemus dum ipſe convertat tenebras in lucem. Interea etiam diſcamus parere ejus mandatis, ſequi ejus vocationem abſque controverſia: quamvis cœlum & terra ſeſe opponant, quamvis multa occurrant, quæ poſſint nos avertere à recto curſu, tamen maneamus in hoc propoſito, nobis ſcilicet nihil melius eſſe, quam ut Deo morigeri pergamus in via quam nobis proponit. Cæterum, quod dicit *ſe feſtinaſſe ut veniret in Tarſis*, non prorſus excuſat fugam ſuam, ſed jam clarius exponit ſe non fugiſſe quicquam moleſtiæ vel laboris, non fugiſſe etiam ullum certamen vel periculum: ſed tantum quia ſtudebat gloriæ Dei, ſe fuiſſe abductum à vocatione. Huc ergo ſpectant Jonæ verba, quaſi Deum hic teſtem & judicem ſtatueret, quod non metu periculi, non ignavia, non rebellione, non alio etiam impio reſpectu ſeſe à Dei obſequio ſubduxerit: ſed quia tantum nollet violari ſacrum ejus nomen, noluet ſponte eſſe miniſter prædicationis, quæ his impiis & profanis hominibus aperiret ad Deum ipſum ridendum. Quum ergo non alium profectum ſperarem meæ prædicationis, inquit, quam ut Deum riderent Gentes, imo proſcinderent ſacrum ejus nomen, quaſi eſſet fallax & vanus: ideo malui fugere in Tarſis. Ergo hic Jonas non prorſus ſe abſolvit: quia alioqui male excidiſſet illa caſtigatio, qua oportuit eſſe penitus domitum. Revocatus nuper ex inferis fuerat: dicemusne jam ſic cornua attollere contra Deum, ut velit prorſus immunis videri ab omni culpa? Hoc certe nimis abſurdum eſt: ſed quemadmodum jam dixi, objicit Deo non alia de cauſa ſe ab initio fugiſſe, niſi quia non ſperabat optabilem aliquem prædicationis ſuæ fructum. quin potius metuebat quod jam videbat inſtare, ut ſcilicet ludibrio eſſet nomen Dei. Statim enim adjungit, *Quia noveram quod tu ſis Deus gratiæ plenus & miſericors, tardus ad iram*, &c. Mirum eſt Jonam fuiſſe revocatum à vocatione legitima, quia ſciebat Deum eſſe miſericordem; quum tamen nullus acrior ſtimulus nos pungere debeat, ubi Deus vult opera noſtra uti. Nam ſcimus non poſſe quempiam alacriter obſequium ſuum præſtare Deo, niſi qui allicitur paterna ejus bonitate. Sic ergo nemo erit voluntarius Propheta aut doctor, niſi qui perſuaſus eſt Deum eſſe miſericordem. Videtur ergo Jonas hic nimis perperam ratiocinari, quum ideo ſe ab officio abſtractum fuiſſe dicit, quia ſciebat Deum eſſe miſericordem. deinde, unde ſciebat hoc Jonas? nempe ex Lege Dei. Nam locus hic ſumptus eſt ex 34. capite Exodi, ubi deſcribitur nobis illuſtris illa & memorabilis viſio, in qua ſe Deus ſpectandum propoſuit Moſi: illic exhibita fuit quaſi viva effigies Dei ſancto Prophetæ. Et nullus eſt in Lege locus, qui melius ad vivum exprimat Dei naturam. Deus enim illic familiariter voluit ſeſe patefacere ſervo ſuo. Quum imbutus igitur eſſet Jonas hac doctrina Legis, quomodo potuit apud gentiles ſuos fungi officio Prophetæ? Cur non etiam hæc cogitatio fregit ejus animum, quum vocatus eſt ad munus doctoris? Certum igitur eſt, hoc deberi reſtringi ad prædicationem, qualis ante nobis fuit expoſita. Jonas non exhorruiſſet mandatum Dei, ſi miſſus fuiſſet ad Ninevitas, quemadmodum prius juſſus fuerat docere electum populum. Si ergo tale munus injunctum fuiſſet Jonæ, ut proponeret Deum & clementem & miſericordem Ninevitis, non dubitaſſet ſtatim offerre ſuum obſequium. Sed quia injungitur illi præciſa illa comminatio, Nineve peribit: ideo diſtrahitur, & tandem cupit potius ſubterfugere, quam exequi tale mandatum. Quare? Sic enim apud ſe ratiocinatur, Ego denuncio propinquum exitium Ninevitis: quorſum Deus mihi hoc mandat, niſi ut invitet miſeros iſtos homines ad pœnitentiam? Jam ſi reſipuerint, nonne ſtatim paratus erit Deus ad ignoſcendum? alioqui abnegaret ſuam naturam. Deus non poteſt eſſe ſui diſſimilis, non poteſt exuere affectum illum de quo teſtatus eſt ſemel apud Moſen. Quum ergo Deus ſit placabilis, ſi redierint Ninevitæ in viam, & confugerint ad ipſum, ſtatim illos amplexabitur: ita ero vanus in meo præconio. Nunc ergo tenemus quomodo intelligi debeat hic locus Jonæ, quum dicit ſe fugiſſe trans mare, ſaltem hoc ſibi fuiſſe propoſitum, quia ſciebat Deum eſſe clementem: neque enim fraudaſſet Deum ſuo obſequio, niſi hæc repugnantia perturbaſſet ac perculiſſet ejus mentem, Quid? ego accedam illuc tanquam Dei legatus: paulo poſt ego deprehendar mendax: nonne contumelia hæc redundabit in nomen ipſius Dei? præſtat igitur me tacere, quam Deum haberi ludibrio, qui auctor eſt meæ vocationis. Videmus ut Jonas reſpiciat præciſe ad illam prædicationis formam, de qua prius vidimus. Atque hinc apparet Jonam plus dediſſe Ninevitis, quam haberet. putavit enim ſe mitti à Deo

tan-

tantum ut intelligerent Ninevitæ ſe perituros: attulit autem illis ſalutem. Hoc quidem apud ſe aliqua ex parte prius vel ſuſpicatus eſt, vel cognovit. Nam retinebat principium illud, Deum non poſſe exuere miſericordiam ſuam, quia manet ſemper idem. Cæterum, quum in medium prodiit, ut exequeretur partes ſibi injunctas, certe nihil aliud habuit ante oculos, niſi cladem ultimam urbis Ninevæ. Interea Deus uſus eſt opera & miniſterio ejus in meliorem finem & ſucceſſum. Nec vero dubium eſt, quin ipſe hortatus fuerit ad poenitentiam Ninevitas: ſed cor ejus erat quaſi occluſum, ut non admitteret Dei miſericordiam. Videmus ergo anguſtiis præoccupatum fuiſſe Jonam, ita ut non poſſet offerre ſalutem Ninevitis: & tamen oblata divinitus fuit per ejus manum. Nunc ergo intelligimus quomodo ſæpe Deus operetur per ſervos ſuos: deducit enim manu ſua velut cæcos, quo minime putabant. Sic ubi quempiam noſtrûm excitat, erimus interdum [illegible], putabimus vel inutilem fore noſtram operam & abſque ullo fructu, vel ſaltem exigui ſucceſſus: Dominus autem oſtendet quod non potuimus ſperare. Tale ergo Jonæ fuit exemplum, quia quum veniret Nineven, nihil aliud propoſitum habuit, niſi teſtari de interitu urbis: ſed Dominus voluit illum eſſe ſalutis miniſtrum. Ergo Deus ornavit iſto præclaro ſucceſſu doctrinam Jonæ, quum tamen indignus eſſet honore tanto, quia quodammodo præcluſiſſet aditum benedictioni Dei, quemadmodum jam diximus. Nunc ergo tenemus ſenſum hujus loci, ubi dicit Jonas ſe ideo fugiſſe Dei vocationem, quia cognoverat ipſum eſſe Deum ad gratiam propenſum, deinde miſericordem, &c. Jam venio ad hæc elogia Dei. חנון proprie ſignificat propenſum ad favorem, quaſi diceret Deum gratuito benevolum eſſe: vocamus lingua noſtra, *benin, gratieux, debonnaire*. Deus ergo hoc elogium ſibi adſcribit. Deinde addit *miſericordem*, ut ſciamus eum ſemper expoſitum nobis fore, ſi quidem ad eum accedimus tanquam ad fontem & bonitatis & miſericordiæ. Sed quæ ſequuntur melius exprimunt hanc miſericordiam, vel definiunt quomodo Deus ſit miſericors, nempe quia multus eſt clementia, deinde quia tardus eſt ad iram. Deus ergo ad humanitatem propenſus eſt: deinde etiamſi indigni ſint homines quos reſpiciat, eſt tamen miſericors: & hoc exprimit per vocem רחום. Interea neceſſe etiam eſt hæc duo addere, quod *multus ſit clementia, & tardus ad iram*. Quare? quærimus enim ſemper in nobiſipſis cauſam gratiæ Dei: dum cupimus Deum nobis favere, inquirimus apud nos cur favere debeat. Jam ubi nihil reperimus, evaneſcit omnis fides, quam prius concepimus de gratia Dei. Hic ergo Dominus ipſe nos ad ſe revocat, & teſtatur ſe ideo nobis humanum eſſe ac miſericordem, quia multus eſt clementia: quaſi diceret, Ego apud meipſum ſatis habeo cauſæ cur vobis ſim exorabilis, cur etiam favore meo & complectar & proſequar. Sola igitur Dei bonitas nobis ſpectanda eſt, ubi cupimus illum habere miſericordem, & ubi etiam opus habemus venia: acſi diceret ſe non induci ullo dignitatis noſtræ reſpectu, neque merita quærere, cur proclivis ſit ad miſericordiam, ubi peccavimus: cur etiam nos in gratiam ſuam recipiat. ſed hoc totum ideo facere, quia immenſa eſt atque inexhauſta ejus bonitas. Jam additur etiam, Tardus ad iram. Hæc ad iram tarditas oſtendit Deum conſulere ſaluti generis humani, etiam ubi peccatis laceſſitur. Quamvis ergo quotidie iram Dei in ſe provocent miſeri homines, tamen non deſinit eorum ſaluti proſpicere: ideo tardus eſt ad iram. hoc eſt, Dominus non ſtatim poenas exigit quales merentur qui ita ipſum provocant. Nunc ergo videmus, quænam ſit verborum ſumma. Jam redeamus ad illud, Jonam ſcilicet fuiſſe dejectum ab officio, quia ſciebat Deum eſſe tardum ad iram, & miſericordem, & gratia plenum: nempe ſubduxit hanc rationem, Vel Deus mutabit naturam ſuam, vel parcet Ninevitis ſi reſipuerint. Poterit autem fieri, ut reſipiſcant: ergo vana erit mea prædicatio. Deus enim ſeipſum non abnegabit, ſed edet ſpecimen bonitatis, & miſericordiæ, quum ignoſcet huic populo. Iterum notemus perverſe nos facere, quum ſine judicio ſequimur zelum noſtrum: eſt enim cæcus fervor, qui tunc nos abripit. Itaque etiamſi mille abſurda nobis occurrant, quum Deus aliquid mandat, claudendi ſunt oculi, & ſemper proſequi oportet curſum vocationis noſtræ: quia ipſe omnes eventus ſic moderabitur, ut omnia in gloriam ſuam cedant. Non noſtrum eſt hic nimium ſapere: ſed hic eſt optimus modus, ut Deo permittamus eventum rerum. Noſtrum quidem eſt metuere & eſſe ſollicitos, ſed ſimul etiam noſtra ſollicitudo debet ſe Deo ſubjicere, ut ſufficiat nobis precari. Hæc ſumma eſt. Jam quod iterum dicit, *Deum pœnitentia ductum fuiſſe ſuper malo*, expoſuimus paulo ante, nempe etiamſi Deus jam manum erectam habeat, retrahere tamen ſimulac reſipiſcentiam aliquam agnoſcit in hominibus. nam Malum hic accipitur pro poenis. Dominus ergo etiamſi merito infligere poſſet ultimas poenas hominibus, ſuſpendit judicium ſuum: & ſi occurrant cum vera poenitentia, ſtatim placatur. Hæc eſt Dei poenitentia, ut ſcilicet quicquid meriti ſunt homines poenæ & mali, ultro remittat, dum ſibiipſis diſplicant. Jam ſequitur,

3. Et tu Jehova, tolle quæſo animam meam à me, quia melius mori meum quam vivere.

Hic videmus quantopere efferbuerit Jonas in zelo ſuo. Nam certe hoc votum non poteſt tribui fidei: quemadmodum quidam exiſtimant Jonam quaſi in coelum evolaſſe animo, quum ita precatus eſt, acſi mortem non horreret, ſed exutus omni metu, liber ac ſolutus, ſe offerret Deo. Ego non puto tam heroicum fuiſſe affectum Jonæ. Non dubium quidem eſt, quemadmodum jam dixi, adhuc retinuiſſe ſemen aliquod pietatis: & dixi hoc nobis ſatis probari Orandi verbo. Nam ſi Jonas prorumperet in vocem hominis deſperati, non eſſet hæc precatio. Quum igitur oraverit ſic loquendo, ſequitur non eſſe hanc vocem deſperationis, ſed nimiæ indignationis, in qua ſibi Jonas non temperat. Denique votum hoc manavit à pio & ſancto zelo: ſed Jonas in modo ipſo, vel in progreſſu peccat. elapſus enim eſt quodammodo ſibi, quum mortem vitæ prætulit. *Tu*, inquit, *Jehova, tolle me*. Primò vitio non caret quod ita præcipitanter fertur ad mortem optandam: neque enim noſtrum eſt migrare ex hoc mundo, ſed quantiſper nos Deus in hac ſtatione, in qua locati ſumus, retinet, tranquillis animis manendum eſt. Quiſquis ergo tanto ardore ad mortem feſtinat, non dubium eſt quin offendat Deum. Paulus videbat ſibi mortem eſſe optandam: ſed quum rurſus intelligeret operam ſuam eſſe utilem Eccleſiæ, contentus fuit ſorte ſua, Deique beneplacitum voto ſuo præfecit: ſic & vivere & mori Deo paratus fuit. *Phil. 1. verſ. 22.* Aliter Jonas, Nunc, inquit, tolle animam meam. hoc unum eſt vitium. Alterum vero, quod mori appetit, quia Deus parcat Ninevitis. Etiamſi dolore aliquo tactus fuiſſet, non oportuit tamen huc uſque progredi, vel potius prorumpere, ut tædio vitæ mortem optaret. Sed hinc diſcamus, ubi ſemel habenas laxant homines inconſiderato zelo, quorſum ferantur. Jonas ſanctus Propheta, qui nuper domitus & ſubactus fuerat tam dura caſtigatione, adhuc tamen ad mortem fertur vel rapitur. Quare? quia putat hoc male ceſſiſſe, quod Ninevitis denunciaverit exitium, nunc autem urbs ſalva maneat. Hoc exemplum nos cohibere debet, ne nimium audacter ſententiam feramus de judiciis Dei, ſed potius

teñeamus ſenſus noſtros captivos, ne qua ejuſmodi temeritas nobis erumpat: quia jam nemo ooſtrûm eſt, qui Jonam non damnet, ſicuti etiam ſeipſum damnat. neque enim retulit hic ſuas laudes, ſed voluit oſtendere quod ſtulte judicaſſet de opere illo Dei. Stultitiam ergo ſuam fatetur Jonas: ideoque ſit nobis ejus experientia documento, nihil magis eſſe præpoſterum, quam pro ſenſu noſtro hoc vel illud ſtatuere: quia hæc vera ſapientia demum eſt, ſubjicere nos totos arbitrio Dei. Jam ſiquis hic quæſtionem moveat, liceatne optare mortem: breviter reſpondeo, mortem noo poſſe optari vitæ tædio. hoc unum eſt. Vitæ autem tædium intelligo, ubi vel paupertas, vel fames, vel ignominia, vel aliquid tale vitam nobis exoſam reddit. Sed ſiquis vitiorum ſuorum tædio ac diſplicentia gravetur in terra morari, quemadmodum Paulus dicit, Miſer ego, *Rom. 7. verſ. 24.* quis me liberabit ex corpore mortis hujus? ille concipiet pium & ſanctum votum, modo accedat illa obedientia, quam dixi, ne ſcilicet prorumpat affectus quaſi invito Deo, ſed qui ſic affectus eſt, ſinat tamen ſe retineri ejus manu, quantiſper voluerit. Deinde ſiquis mortem optat, quia ſibi in futurum tempus metuit, vel aliquid ſubire exhorret, ille etiam cum Deo luctatur. Et tale fuit crimen Jonæ: dicit mortem ſibi potiorem eſſe vita. Quare? quia Dominus pepercerit Ninevitis. Videmus ergo ut cæcutiat, imo feratur inſano impetu ad mortem optandam. Diſcamus igitur vitam hanc ſic amare, ut parati ſimus eam deponere quoties Domino viſum fuerit. Diſcamus etiam mortem optare, ſed ita ut vivamus Domino, & pergamus in curſu noſtri ſtadii, donec ipſe nos ad metam adducat. Jam ſequitur ipſa Dei objurgatio.

4. Et dixit Jehova, An bene facis excandeſcendo apud te?

Non dubium eſt, quin Deus Jonam ita objurgans, damnet vitioſum ejus zelum. Quum autem Deus ſolus idoneus ſit judex humanæ vitæ, non eſt cur jactemus nos bona intentione ferri, quia nihil fallacius eſt noſtra trutina. Quum ergo expendimus facta, dicta, & cogitationes noſtras ad judicium noſtrum, decipimus noſipſos. Si quis rhetorice vellet defendere factum Jonæ, certe præſto eſſent multi colores ſpecioſi. Si quis ergo vellet animi gratia proferre excuſationes Jonæ, poſſet videri nobis prorſus innocens Sed etiamſi totus mundus eum abſolveret, quid eum juvabit, ubi damnatur ore ipſius Dei, qui unicus eſt judex, quemadmodum dixi? Statuamus igitur Jonam præpoſtere feciſſe, etiamſi non appareat nobis ulla ratio, quia ſatis & ſuper ſufficere nobis debet auctoritas ſummi Judicis. Jam diſerte iram ejus reprehendit Deus. Si Jonas modeſte expoſtulaſſet, & exonoraſſet tantum ſuos dolores in ſinum Dei, hoc erat excuſabile: etiamſi non caruiſſet hic zelus vitio, tamen fuiſſet tolerabilis. Nunc autem ubi iraſcitur, hoc minime ferendum eſt: quoniam ira per ſe furor brevis eſt, ut ille dicit; deinde excæcat ſenſus hominum, perturbat omnes animæ partes. Deus ergo non uno modo hic accuſat Jonam, ſed oſtendit quam graviter ceciderit, quod ſcilicet ſibi permiſerit hoc modo iraſci. Interea tenendum eſt, Jonam non ideo tantum peccaſſe, quod excanduerit: peccaſſet etiam abſque iracundia, quemadmodum diximus: ſed Deus exaggerat hac circumſtantia crimen Jonæ, quod ita tumultuetur. Et certe hoc eſt nimis indignum exemplum, dum homuncio contra Deum inſurgit, & animo turbulento cum eo litigat: hoc eſt portentum. Jonas autem huc uſque provectus eſt. Videmus ergo cur mentio expreſſa hic fiat iracundiæ: nempe Deus hoc modo Jonam vult tenere convictum, ne amplius tergiverſetur. Si ſimpliciter dixiſſet, Quid? cur non permittis mihi ſummum judicium? Si mihi ita placet, cur non placide agnoſcis recte fieri quicquid facio? Tuumne eſt ita ſapere, ut mihi leges dicas, vel ut corrigas mea judicia? Si hoc modo loquutus fuiſſet Dominus, adhuc reſtabat aliquid coloris: Domine, ego non poſſum à dolore mihi temperare, quum video nomen tuum jam laceratum iri indignis opprobriis, egone hoc tranquillo animo ſpectem? Poterat igitur Jonas adhuc aliqua integumenta quærere: ſed quum Dominus profert ejus iracundiam in medium, neceſſe eſt illum obmuteſcere. Quid enim reperietur quod excuſet Jonam, ubi ita contumaciter inſurgit contra Deum judicem ſuum, & opificem, quemadmodum dixi? Nunc ergo tenemus cur diſerte exprimat Dominus male facere Jonam, quod ita excandeſcat. Miror autem quid Hieronymo venerit in mentem, ut diceret hic Jonam non reprehendi à Domino, ſed poni aliquid medium. Et vir ille natura fuit cavillator: deinde luſit proterve in corrumpenda Scriptura. Nulla fuit ei religio huc & illuc torquere Scripturæ locos: quemadmodum quum de conjugio diſputat, dicit non male facere qui matrimonium contrahunt, ſed tamen non bene facere. Quale illud cavillum, & quam putidum! Sic etiam hoc loco, Deus, inquit, non accuſat Jonam, nec etiam voluit arguere ejus peccatum. Potius enim hic Jonas nobis refert Chriſti perſonam, qui mortem appetit, ut totus mundus ſalvus fiat: quia vivus non potuit lucrifacere gentem ſuam, non potuit retinere gentiles ſuos; ideo maluit ſe & vitam ſuam impendere in redemptionem mundi. Hæc ſunt nugatoria, adeoque depravant totum ſenſum hujus loci, quemadmodum videmus: quin potius interrogatio magis emphatica eſt, quam ſi Deus ſimpliciter dixiſſet, Tu peccaſti ita iraſcendo. Oratio igitur affirmativa non tantum haberet vehementiæ, quam iſta interrogatio. Deus enim non modo pro judicis poteſtate Jonam male facere pronunciat; ſed extorquet illi propriam confeſſionem: acſi diceret, etiamſi tu ſis judex in propria cauſa, non poteris tamen colorem inducere tuæ intemperantiæ. Iraſceris enim ſine modo. Nam quum dicit לך, Apud te, revocat Jonam ad examen animi ſui: acſi diceret, Inſpice teipſum: quaſi in ſpeculo videbis quam turbulentum ſit mare animus tuus, ubi abripieris tam inſano furore. Nunc ergo tenemus non modo ſimplicem ſenſum, ſed etiam emphaſin quæ ſubeſt in iſta interrogatione, quum prorſus in contrarium tendat Hieronymus. Ego noo pergam ulterius*: quia quod reſtat ſufficiet ad craſtinam lectionem. ** Putavit ceſſante horologio ſe ante tempus finire.*

Da omnipotens Deus, quando vides nos tot erroribus eſſe implicitos, ut incogitantia ſæpe labamur: deinde vides etiam immodicos carnis noſtræ impetus prorſus excæcare quicquid eſt in nobis rationis & judicii: da, inquam, ut diſcamus nos totos tibi tradere in obſequium, & hoc honoris deferre tuæ ſapientiæ, ut ne litigemus unquam, etiamſi omnia adverſa votis noſtris contingant, ſed patienter exſpectemus qualem voles dare exitum: deinde ſic pergamus in curſu officii noſtri, ut ſemper bene ſperemus de felici exitu: neque unquam etiam turbemur obſtaculis, quæcunque objiciet Satan, quin ſemper tendamus ad ſcopum, quem nobis proponis, neque unquam ab eo deflectamus, donec defuncti omnibus periculis, & impedimentis ſuperatis, tandem perveniamus ad beatam illam quietem, quæ nobis parta eſt ſanguine Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO NONA
IN
JONAM PROPHETAM.

CAP. IV.

5. Et egreſſus eſt Jonás ex urbe, & ſedit ab Oriente contra urbem, & fecit ſibi illic tabernaculum, & ſedit ſub eo in umbra, quouſque videret quid fieret in urbe.

Hic dubitari poteſt an Jonas expectaverit donec elapſi eſſent 40 dies, an vero prævenerit tempus illud: quia ſi dicamus ante quadrageſimum diem fuiſſe egreſſum ex urbe, naſcetur alia quæſtio, quomodo potuerit intelligere quid futurum eſſet. Neque enim hactenus vidimus oraculo fuiſſe edoctum: imo verba quæ vidimus aliud ſonant, nempe eventu ipſo tunc fuiſſe patefactum, quod Deus urbem liberaſſet ab exitio. Dicebat enim proxima lectione pœnitentia ductum fuiſſe Deum ſuper verbo quod pronunciaverat, & non feciſſe. Apparet igitur Jonam non fuiſſe egreſſum ab urbe donec jam tranſiiſſent dies 40. Sed exoritur etiam diverſa quæſtio, quid opus fuerit ſedere prope urbem, quia ſatis conſtabat vel conſilium Dei mutatum eſſe, vel ſaltem ſententiam quam protulerat Jonas fuiſſe mutatam. Non oportuit igitur ipſum adhuc, quaſi ambigeret, ſedere prope urbem. Sed ego hanc conjecturam libenter amplector, quod Jonas poſt diem quadrageſimum exierit: videntur enim verba huc nos adducere. Quantum attinet ad quæſtionem illam, cur adhuc dubitaverit de eventu, quum tamen videret fluxiſſe tempus, reſponſio facilis eſt. Etſi enim præterierant 40 dies, Jonas tamen quaſi conſtrictus ſtetit, quia nondum poterat ſtatuere quod prius ex mandato Dei protulerat carere ſuo effectu. Ego itaque non dubito, quin tenuerit Jonam perplexum hæc cogitatio, Tu nihil temere pronunciaſti. Jam qui fieri poteſt, ut quod Deus publicari voluit ſuo juſſu & nomine, nunc ſit irritum, neque eventus reſpondeat? quum ergo Jonas reſpiceret mandatum Dei, non potuit ſe extricare ſtatim. Hæc igitur cauſa fuit cur adhuc ſederet, quia putabat etiamſi ſuſpenſa fuerat vindicta Dei, tamen prædicationem ſuam non fuiſſe vanam, ideoque inſtare urbi interitum. Hæc igitur ratio eſt, cur poſt tempus præfixum adhuc expectaverit, quaſi res adhuc in dubio eſſet. Jam ut hoc melius pateat, tenendum eſt, Dei conſilium magis fuiſſe reconditum, quam ut Jonas intelligeret omnes partes ſuæ vocationis. Deus ergo quum minatus eſt Ninevitis exitium, loqui voluit conditionaliter. Nam quis eſſet fructus verbi, niſi conditio illa adjuncta foret, Si reſipiſcerent Ninevitæ fore ſalvos? Nihil enim opus fuit Propheta: ſed Dominus potuit exequi judicium, quod meriti erant Ninevitæ, niſi vellet conſulere eorum ſaluti. Siquis excipiat miſſum illis fuiſſe præconem, ut eſſent inexcuſabiles, hoc eſſet frigidum. Deus enim alias omnes vindictas exercuit abſque ulla denunciatione: intelligo contra profanas Gentes. Nam peculiare fuit hoc Eccleſiæ donum, quod Prophetæ ſemper pœnas, quæ inſtabant, denunciarunt. Sed quantum attinet ad reliquos populos, Deus reipſa oſtendit ſe eſſe eorum judicem: Prophetas autem non miſit qui eos monerent. Ergo incluſa fuit conditio, quantum ad conſilium Dei ſpectat, quum juſſit terreri tam præciſa illa prædicatione Ninevitas. Jonas autem fuit nimis literalis doctor, ut ita loquar: quia non complexus eſt quod debebat, nempe adhuc locum eſſe reſipiſcentiæ, & ſalvam fore urbem, ſi Ninevitæ reſipiſcerent à ſua malitia. Quum ergo Jonas arripuerit dimidiam duntaxat partem, non mirum eſt ſi nunc adhuc pendeat dubius animi, & nondum audeat ſtatuere quid futurum ſit: quia nihil habebat præter eventum; Deus non patefecerat illi quid facturus eſſet. Nunc pergamus.

6. Et paravit Jehova Deus cucurbitam, (*vel hederam*) & aſcendere fecit ad Jonam, ut eſſet umbra ſuper caput ejus, atque liberaret eum à moleſtia ſua: & gaviſus eſt Jonas ſuper hedera (*vel cucurbita*) gaudio magno.

7. Et paravit Deus vermem quum aſcenderet aurora poſtridie, qui percuſſit hederam, & exaruit.

8. Et accidit quum exoriretur Sol, ut pararet Deus ventum impetuoſum, (*qui obſurdeſcere facit homines: חרש ſignificat Obſurdeſcere. Alii vertunt, ventum arationis, quia verbum illud etiam ſignificat arare: & intelligunt ventum ſiccum & frigidum, qualis graſſari ſolet arationis tempore*) & percuſſit Sol ſuper caput Jonæ, & defecit: & optavit pro anima ſua, ut moreretur: & dixit, Melior mors mea quam vita.

Ego antequam ad res ipſas tractandas deſcendam, paucis dicam quod dicendum eſt de voce קיקיון. Nam fuit olim nonnihil controverſiæ de voce hac: legebant cucurbitam, alii maluerunt cucumerem: ut liberæ ſunt divinationes in rebus obſcuris & incognitis. Sed tamen recepta erat illa verſio prior. Et Auguſtinus dicit exortum fuiſſe tumultum in quodam templo, quum Epiſcopus legeret novam interpretationem Hieronymi, ubi poſuerat hederam. Certum eſt fuiſſe homines illos inconſideratos & ſtolidos, qui ob rem leviculam adeo ſunt offenſi: debebant enim diligentius inquirere utra verſio eſſet melior & verior. Auguſtinus etiam non adeo prudenter ſe geſſit hac in re: nam tenebat eum ſuperſtitio, quod nollet mutari receptam verſionem veteris Teſtamenti. Libenter quidem ferebat, quod Hieronymus novum Teſtamentum interpretatus eſſet ex fonte Græco, ſed nolebat vetus Teſtamentum attingi: quia hærebat ſuſpicio de Judæis, quod ſcilicet ut erant infeſtiſſimi hoſtes fidei, conati eſſent totam Legem & Prophetas corrumpere. Quum ergo ſubeſſet aliqua falſitatis ſuſpicio, maluit Auguſtinus retinere communem tranſlationem. Refert etiam Hieronymus ſe fuiſſe Romæ traductum, quod hederam vertiſſet pro cucurbita. Sed nimis acerbe reſpondet Auguſtino, & fere hoſtiliter. Stomachoſe etiam invehitur contra neſcio quem Cornelium, & alium Aſinium Polionem, qui Romæ quaſi ſacrilegii eum accuſaverant, quod locum hunc mutaſſet. Ego non excuſo, ſi illi moroſe repudiarunt quod probabile erat. Sed quod ad rem ipſam ſpectat, ego mallem vel cucurbitam vel cucumerem relinquere in hoc loco, quam movere quicquam turbarum ob rem nihili. Fatetur Hieronymus non eſſe

hede-

hederam. dicit eſſe ſpeciem fruticis: & dicit naſci paſſim io Syria. Dicit fruticem illum fulciri ſuo trunco: boc non poteſt quadrare in bederam. Hedera enim niſi parieti vel arbori adhæreat, reptat tantum humi. Non potuit igitur eſſe hedera. Ipſe ergo non debuit hederam transferre. Excuſat quod ſi poſuiſſet nomen Hebraicum, multi ſomniaſſent vel eſſe beſtiam, vel ſerpentem. Voluit igitur ponere nomen aliquod cognitum. Sed potuit etiam injicere ſcrupulos multos, Quid? Hedera dicitur aſcendiſſe ſuper caput Jonæ, & præbuiſſe illi umbram: quomodo hoc potuit fieri? Jam miror cur Hieronymus uno in loco dicat fruticem illum vocatum fuiſſe ſua ætate Cicijon lingua Syriaca: in alio autem loco dicat vocari eadem lingua Elkeroa, nempe in commentariis ſuis. Videmus autem prorſus eſſe diverſum à voce קִיקָיוֹן. Jam quum reſpondet Auguſtino, non dubito quin fucum faciat. Nam ſciebat hominem non tenere linguam Hebraicam. Ergo illudit tanquam puero propter imperitiem. Videtur ex tempore pro ſuo commodo neſcio quid novi eſſe commentus: neque dubito quin vocem illam repente confinxerit, ut eſſet aliquid affinitatis inter vocem קִיקָיוֹן, & Cicijon. Utcunque res habeat, ſive fuerit cucurbita, ſive frutex etiam, non magnopere contendere convenit, quomodo potuerit tam cito excreſcere in tantam magnitudinem. Dicit Hieronymus fruticem illum eſſe amplis foliis, & ad magnitudinem pampini creſcere: ſit ita, ſed frutex ille non naſciter uno die, neque biduo, neque etiam triduo. Ergo neceſſe eſt fuiſſe aliquid extraordinarium. Neque igitur hedera, neque cucurbita, neque ullus frutex, vel alia arbor potuit tam cito excreſcere, ut obtegeret caput Jonæ. Neque vero ſola hæc herba præbuit umbraculum Jonæ capiti: ſed potius credibile eſt additam fuiſſe tugurio, quod ipſe ſibi fecerat. Jonas igitur non ſub frutice tantum latuit, ſed quum ab æſtu Solis non poſſet ſe ſatis defendere, habuit hoc adminiculum. Deus ergo ad umbram tugurii adjecit etiam hunc fruticem: atque hoc modo potuit refrigerari. Scimus enim io illis regionibus ſolem eſſe torridum: deinde etiam fuit extraordinarius calor, ut videbimus. Hoc volui dicere de voce hederæ: & prolixior fui quam putabam: ſed quia olim litigarunt de voce illa, ego volui percurrere quod poſſit ſatisfacere etiam curioſis lectoribus. Nunc venio ad res ipſas. Narrat Jonas cucurbitam ſive cucumerem, ſive hederam paratam fuiſſe à Domino. Non dubium eſt quin præter uſitatum morem repente herba hæc creverit, ut poſſet tegere tugurium Jonæ. Sic enim interpretor. Cæterum ſcimus Deum quoties agit præter ordinem naturæ, tamen accedere ad ipſam naturam. Hoc quidem non eſt perpetuum: ſed reperiemus plerumque ſic operatum fuiſſe Deum, ut naturæ curſum excedat, & tamen
Num. 11. non diſcedat prorſus à natura. Quemadmodum ubi
verſ. 31. in deſerto voluit congerere coturnices in acervum, & dare populo ſuo carnes, excitavit ventum Orientalem. Quoties flaverunt venti, qui tamen nunquam adduxerunt tantam avium copiam? Fuit igitur hoc miraculum: ſed interim noluit Deus rejicere prorſus naturæ adjumenta. Uſus eſt ergo tunc vento: & tamen ventus ille noo potuit naturaliter aves illas ſecum advehere. Sic etiam boc loco, non dubito quin Deus herbam delegerit, quæ cito conſcenderet uſque ad tale culmen: & tamen ſuperaverit ſolitum naturæ curſum. Hoc igitur ſenſu dicitur Deus paraſſe קִיקָיוֹן, & feciſſe ut aſcenderet ſuper caput Jonæ, quo eſſet in umbram capiti ejus, & liberaret eum à moleſtia. Quod autem poſtea dicitur *paratus fuiſſe vermis*, hic videmus etiam quæ videntur fortuito contingere, gubernari tamen arcana Dei providentia. Si quis dicat narrari hic non quid communiter ſoleat fieri, ſed quid ſemel factum ſit: reſpondeo, etiamſi tunc voluerit Deus notabile & memoratu dignum exemplum edere, tamen hoc perpetuo eſſe verum, morſus etiam vermium gubernari Dei conſilio, ut neque herba, neque arbor ſine ejus conſilio areſcat, quemadmodum dicit Chriſtus paſſeres Mat. 10.
non cadere in terram ſine Patris decreto. Hoc igitur verſ. 29.
quantum ad vermem ſpectat. Jam quod tandem additur, *quum ſol exortus eſſet poſtridie, paratum etiam fuiſſe ventum*, hinc idem colligimus, ventos ſcilicet non ſponte vel fortuito exurgere, ſed excitari divinitus. Reperientur quidem cauſæ in natura, cur nunc aër tranquillus ſit, nunc autem turbetur ventis: ſed has omnes medias cauſas gubernat Dei conſilium; ut ſemper illud verum ſit, naturam non eſſe motum aliquem cæcum, ſed legem eſſe præfixam arbitrio Dei. Deus ergo ſemper moderatur conſilio ſuo & manu quicquid contingit. Hoc tantum eſt diſcrimen, quod opera ejus quæ fluunt æquali curſu, habent nomen naturæ: miracula autem, ubi Deus mutat ſolitum curſum, non retinent nomen naturæ, ſed tamen proficiſcuntur ab eodem Deo auctore. Itaque quod ad ventum hunc ſpectat, ſic tenendum eſt, fuiſſe non uſitatum, aut vulgarem: ſed tamen non minus quotidie excitari ventos Dei providentia, quam flavit tunc hic ventus, de quo loquitur Jonas. Sed Deus tunc operatus eſt præter ſolitum naturæ curſum, ut loquuntur: quotidie autem ſervat continuum tenorem in ipſa naturæ ratione. Jam videndum eſt cur hæc tota narratio ſit poſita. Jonas fatetur *ſe fuiſſe gavisum gaudio magno*, quum obtectus eſſet à nimio Solis fervore: jam quum herba eſſet emortua, ſe tanto dolore fuiſſe confectum, ut mori cuperet. Nihil hic ſupervacuum eſt, quia Jonas tum in gaudio, tum in dolore oſtendit quam tener & proclivis fuerit in utramque partem. Fatetur hic mollitiem ſuam Jonas, quum dicit ſe vehementer fuiſſe lætatum: deinde quum dicit ſe tantum doloris cepiſſe ob fruticem emortuum, ut ſtatim vitæ faſtidio mortem optaret. Subeſt igitur hic ingenua confeſſio infirmitatis: quia poterat ſimplicius Jonas tam lætitiam notare quam dolorem. Sed vehementiam in utroque affectu diſerte expreſſit, ut ſciremus ipſum fuiſſe abreptum ſuis paſſionibus, ut in rebus minimis vel ferveret iracundia, vel gaudio elatus nullum modum teneret. Hoc igitur tam de gaudio, quam de dolore. Jam non dicit ſe oraſſe quemadmodum prius: tantum utitur verbo שׁאל, quod ſignificat Optare. *Optavit*, inquit, *pro anima ſua, ut moreretur*. Credibile eſt igitur Jonam ita fuiſſe mœrore obrutum, ut animum amplius ad Deum non attolleret: & tamen videmus non negligi à Deo. Nam ſtatim ſequitur,

9. Et dixit Deus ad Jonam, An bene facis excandeſcendo apud te ſuper cucurbitam? & dixit, Bene facio iraſcendo apud me uſque ad mortem.

Hic videmus ut Deus ſe ita occultaverit ad tempus, nec tamen deſerat ſervum ſuum: quemadmodum ſæpe reſpicit nos à tergo, hoc eſt, dum putamus ipſum eſſe oblitum noſtri, obſervat tamen quid nobiſcum agatur, ut ſubveniat in tempore: ideoque ſæpe labentes retrahit, & erigit antequam poſſimus animadvertere ipſum eſſe nobis propinquum. Talis fuit ratio quum Jonam cœpit alloqui. Nam ſicuti diximus, mœror ita ſuffocaverat mentem ſancti Prophetæ, ut amplius non poſſet ad Deum attolli. Secum ergo mori cupit: & tamen Deus non deſerit ipſum. Hoc non vulgare ſpecimen fuit inæſtimabilis Dei miſericordiæ, qua ſuos dignatur, etiam dum ſe præcipitant: quemadmodum Jonas hic ruebat in deſperationem, nec ſollicitus erat de remedio. Deus ergo non expectat dum quæratur, ſed

præit

prævit miſerum illum Jonam, & qui ſibi jam accerſere cœperat interitum: dicens, *An bene facis quod ita iraſceris ſuper cucurbitam?* quaſi diceret ipſum nimis impetuoſe turbari ob rem leviculam. Et ſemper notandum eſt verbum hoc, de quo heri fuſius diſſeruimus: quia non ſimpliciter objurgat Deus ſervum ſuum, quod indigne ferat cucurbitam eſſe arefactam. Quid igitur? quod excandeſcat. nam in iracundia ſemper eſt exceſſus. Quum ergo ſine modo & temperie Jonas ſic tumultuaretur, merito hoc vitium Deus caſtigat. Jam non repeto quæ heri dixi, exaggerari ſcilicet vitium, quod Jonas non modo obmurmuret propter interitum fruticis, ſed ſeipſum projiciat, & ebulliat abſque ullo modo. Et reſponſio Jonæ hoc confirmat, *Bene facio*, inquit, *excandeſcendo uſque ad mortem.* Hic videmus ut præfracte ſanctus Propheta repellat illam admonitionem Dei, qua tamen debebat revocari ad ſanam mentem. Non ignorat Deum loqui. Cur ergo non ſtatim percellitur? cur non movetur auctoritate loquentis, ut ſtatim deponat illam ferociam animi? Sed ita fieri ſolet, quum ſemel excæcatæ ſunt hominum mentes aliquo præpoſtero affectu: etiamſi Dominus tonet vel fulminet è cœlo, non exaudiunt: ſaltem non deſinunt adhuc violenter occurrere, quemadmodum hic facit Jonas. Quum talis contumaciæ exemplum cernimus in ſancto viro, quanto magis quiſque noſtrûm metuere debet? Ergo diſcamus mature compeſcere noſtros affectus, & ſtatim ab initio frenum injicere, ne ſi longius prorumpere contigerit, ſimul etiam ad extremum uſque ſimus præfracti. Bene facio, inquit, apud me excandeſcendo uſque ad mortem. Deus duntaxat Jonæ ſervo ſuo objecerat vitium iracundiæ: nunc Jonas indulget ſibi in ſua inſania, ut dicat deſperationem quoque carere vitio: Ego, inquit, non pecco, etiamſi deſperem. etiamſi quaſi inſano furore me projiciam ad mortem uſque, tamen ego non pecco. Quis diceret hoc potuiſſe cadere in ſanctum Prophetam? ſed monemur, quemadmodum jam dixi, tam notabili exemplo, quam furioſæ belluæ ſint carnis noſtræ affectus. Nihil ergo melius eſt, quam eos cohibere, antequam plus roboris colligant quam oportet: ſemper enim ubi aluerit quiſpiam vitia ſua, contumacia hæc & durities ſequetur. Cæterum, iraſci vel excandeſcere uſque ad mortem, eſt tale vitæ faſtidium concipere, ut ſponte nos morti tradamus. Non fuit quidem Jonæ propoſitum manus ſibi afferre: ſed quamvis abſtinuerit à violentia, ipſe tamen animi propoſito conſcivit ſibi mortem, quia non ſubjecit ſe Deo, ſed cæco impetu abreptus fuit, ut vitam abjicere vellet. Nunc ſequitur,

10. Et dixit Jehova, Tu pepercisti cucurbitæ, in qua non laboraſti, & quam non extuliſti: filia noctis fuit, & filia noctis tranſiit. (*hoc eſt, nata fuit vel exorta una nocte, & nocte etiam una emarcuit*)

11. Et ego non parcerem Nineveh urbi magnæ, in qua ſunt duodecies decem millia hominum, quorum quiſque non novit inter dexteram ſuam, & ſiniſtram ſuam, & animalia etiam multa?

Hic exponit Deus quo conſilio cucurbitam repente excitaverit, deinde voluerit perire vel marceſcere morſu vermis, nempe ut diſceret Jonas ſe nimis inhumaniter egiſſe contra Ninevitas. Etſi autem videmus prolapſum fuiſſe ſanctum Prophetam ad horribiles motus, tamen quodammodo per luſum Deus admonuit eum ſuæ ſtultitiæ: nam ſub figura cucurbitæ oſtendit quam inclementer appeteret interitum urbis tam populoſæ, ut Nineve fuit. Videtur tamen non ſatis congruere ſimilitudo. Jonas non condoluit cucurbitæ, ſed habuit tantum rationem ſui. Indigne igitur tulit ereptum ſibi fuiſſe ſolatium, quo oblectatus fuerat. Ergo quum incommoditas ita Jonam compulerit ad iracundiam, non videtur bene aptari ſimilitudo, ubi Deus ita ratiocinatur, *Tu vis parce cucurbitæ, ego urbi magnæ non parcerem?* Imo non fuit de cucurbita anxius. Si omnes mundi cucurbitæ tunc exaruiſſent, non fuiſſet tactus ullo dolore: ſed quia ſentit ultimum diſcrimen, exuritur nimio Solis æſtu, ideo excandeſcit. Reſpondeo, quamvis Jonas privatim ſibi conſuluerit, tamen optime quadrare hanc ſimilitudinem. Deus enim homines ſervat in quem ipſos deſtinavit uſum. Jonas doluit de cucurbitæ interitu, quia ſcilicet nudatus erat ſuo umbraculo. Deus vero non fruſtra creat homines: ergo non mirum eſt ſi velit ipſos eſſe ſalvos. Videmus igitur non improprie edoctum fuiſſe Jonam hac figura, quam inhumaniter ſe geſſiſſet contra Ninevitas. Erat certe homo unus duntaxat. Quum ergo ſui & cucurbitæ tantum rationem haberi vellet, quomodo abjecit omnem curam tantæ & tam populoſæ urbis? nonne debuit hoc illi venire in mentem, ſi tot millia hominum curæ ſint Deo opifici & patri, non eſſe mirum? Quanquam enim alieni eſſent à Deo Ninevitæ, quatenus tamen erant homines, Deus ut eſt totius humani generis pater, illos agnovit pro ſuis, ſaltem ut fruerentur communi luce, & aliis vitæ terrenæ commodis. Nunc ergo tenemus rationem hujus figuræ: Tu, inquit, vis parcere cucurbitæ, & ego non parcerem urbi magnæ? Hinc apparet, quam frivolum ſit illud commentum Hieronymi, quod ſcilicet Jonas non excandeſcat propter liberationem urbis, ſed quia videbat gentem ſuam hoc modo perire. Nam iterum repetit Deus alium fuiſſe affectum Jonæ, quod ſcilicet indigne ferret urbem illam liberari ab interitu. Et minus etiam tolerabile eſt, quod idem Hieronymus excuſat Jonam, quia magnifice & animoſe reſpondet Deo ſe non peccare quod *excandeſcat apud ſe uſque ad mortem.* Audet vir ille ſine aliquo pudore & delectu adhuc fucum facere, ut excuſet tam pudendam contumaciam. Sed ſufficiat nobis tenere genuinum Prophetæ ſenſum. Hic ergo ſub perſona Dei oſtendit ſuam crudelitatem merito damnari, quod tam cupide appeteret exitium populoſæ urbis. Notandæ autem ſunt partes ſimilitudinis: quum dicit, Tu pepercisti, eſt in pronomine אתה emphaſis. Comparat enim ſe Deus cum Jona: Quiſnam es? certe mortalis homo non tam propenſus erit ad clementiam, quam ego ſum. Tu ergo permittis tibi hoc jus, ut velis cucurbitæ parcere: tu qui fictus es ex luto. Jam cucurbita hæc, inquit, non eſt opus tuum, *tu non laboraſti in ea*, hoc eſt, non prodiit ex cultura tua vel labore: deinde *tu non extuliſti eam*: tertio *fuit filia noctis, & nocte una periit*: fuit frutex emarcidus vel herba. Si ergo reſpicis naturam cucurbitæ, ſi reſpicis te ipſum, & alias omnes circumſtantias ſimul adjungis, non eſt cauſa excandeſcentiæ. Ego autem qui Deus ſum, in cujus manu ſunt omnia, ego non parcerem, inquit? Ego, cui proprium eſt & perpetuum clementer tolerare homines, etiamſi digni ſint exitio, ego non parcerem? deinde urbi magnæ? Non agitur hic de plantula, ſed agitur de ingenti populo. Poſtremo *in qua ſunt*, inquit, *centum viginti millia hominum, qui nondum inter dexteram ſuam & ſiniſtram ſuam diſcernere noverunt.* Nunc ergo videmus quam emphaticæ ſint hujus comparationis ſingulæ partes. Cæterum quamvis Dei conſilium fuerit reprehendere ſtultum & perverſum dolorem Jonæ, colligere tamen hic licet generalem doctrinam, ſi ita ratiocinemur, Condoleſcimus alii aliis, & huc natura nos inclinat; & tamen

mali ſumus & crudeles. Si ergo arcano quodam inſtinctu ita propenſi ſunt homines ad miſericordiam, quid non ſperandum eſt de incomprehenſibili Dei bonitate, qui & opifex eſt totius mundi, & pater noſter? & qui fons eſt bonitatis & miſericordiæ, ille non parceret nobis? Nunc quantum attinet ad numerum, hic ponit Jonas duodecies decem millia hominum: ſunt autem centum & viginti millia, quemadmodum diximus. Hic oſtendit Deus quam paterne curet genus humanum. Quiſque noſtrûm ab eo fovetur ſingulari cura: ſed tamen hic proponit ingentem illum numerum, ut melius pateat ipſum habere tantam rationem humani generis, ut non temere fulminet contra populum unum. Et quod addit, non poſſe diſcernere inter dexteram & ſiniſtram, non dubito ad ætatem referri: quemadmodum etiam hæc ſententia fere omnium conſenſu recepta eſt. Quidam tamen veritus eſt urbem nimis magnam facere, ſi tanta fuiſſet illic hominum copia: promiſcue ergo ille complectitur tam ſenes, quam viros mediæ ætatis, & infantes. Dicit illos non potuiſſe diſcernere inter dexteram & ſiniſtram ſuam, quia non edocti eſſent in ſchola Dei, nec tenerent diſcrimen juſti & injuſti: quia ſcimus incredulos vagari in ſuis erroribus. Sed illud eſt nimis coactum. Deinde nulla eſt ratio hujus commenti: quia ſcimus urbem illam non modo ſimilem fuiſſe magnis urbibus, quales hodie multæ ſunt in Europa, ſed ſuperaſſe etiam quæcunque hodie præcipuum nomen obtinent. Scimus Lutetiæ eſſe pluſquam quadringenta millia capitum. idem eſt de aliis urbibus. Ergo commentum illud repudio, quod Jonas hic loquatur de omnibus Ninevitis. Quia potius voluit Deus oſtendere, etiamſi juſtiſſima eſſet ratio cur funditus perderet urbem illam, eſſe tamen alias rationes, quæ tam horribilem vindictam poſſent mitigare: quia multi eſſent adhuc illic infantes, qui nondum propriis delictis fuerant tale exitium promeriti. Deus ergo hic oſtendit Jonæ quam crudeliter abreptus fuerit ſuo zelo: tametſi zelus ille, quemadmodum dictum fuit, oriebatur ex bono principio, fuit tamen nimis impetuoſo motu abreptus Jonas. Hoc Deus oſtendit, quum tot etiam infantibus adhuc innoxiis pepercerit. Et infantibus addit bruta animalia: boves certe præſtabant fruticibus. Si merito doluit Jonas ob fruticem unum areſactum: perire tot innoxia animalia, hoc verò longe durius erat & atrocius. Ergo videmus quam apposite omnia conveniant ad ſimilitudinem, ut pigeat ac pudeat Jonam ſuæ ſtultitiæ, quod ita velit præire arcano Dei conſilio, & quodammodo ipſum ſuo arbitrio regere, ne parcat Ninevitis, quum tamen conati fuiſſent vera pœnitentia prævenire ejus judicium.

Da omnipotens Deus, quum tot modis teſtatus fueris, & quotidie etiam confirmes quam tibi charum ſit ac pretioſum humanum genus, & quotidie tot & tam inſignibus documentis tuæ & bonitatis & indulgentiæ fruamur: da, inquam, ut diſcamus etiam toti recumbere in eam bonitatem, cujus tot exempla nobis profers, & quam vis aſſidue nobis eſſe penitus cognitam, ut non modo tranſeamus per ſtadium hoc terrenum, ſed etiam aſpiremus intrepide ad ſpem illam beatæ & cœleſtis vitæ, quæ nobis repoſita eſt in cœlo, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

JOAN-

JOANNIS CALVINI PRÆLECTIONES IN MICHÆAM PROPHETAM.

PRÆLECTIO PRIMA.

PRÆFATIO.

SEquitur inter minores Prophetas ſuo ordine Michah, quem vulgo appellant Michæam. Fuit autem ſecundus hujus nominis, ut loquuntur: quia alter etiam Michæas conflictatus eſt cum impio rege Achab, & tunc exercuit munus Propheticum. Hic autem fuit æqualis Jeſaiæ, paulo tamen junior: ſaltem jam aliquot annos progreſſus fuerat Jeſaias in officio ſuo, antequam vocatus fuerit Michæas. Apparet igitur conjunctum fuiſſe Jeſaiæ, ut doctrinam ejus adjuvaret: quia ſcilicet negotium erat ſancto viro cum impiis hominibus & duræ cervicis, imo prorſus deſperatæ malitiæ. Quo igitur certior eſſet doctrinæ fides, voluit Deus Jeſaiam & Michæam loqui ſimul, quaſi uno ore, & talem conſenſum profiteri, quo poſſent convinci omnes rebelles. Sed venio jam ad verba ipſius: quia contextus nobis ſuggeret quod utile eſt cognitu.

CAPUT PRIMUM.

SErmo Jehovæ, qui factus eſt (*vel directus*) ad Michah Moraſthitem, diebus Jotham, Achaz, Jehizkijæ regum Juda, quem vidit ſuper Samariam & Jeruſalem.

PRimo hæc inſcriptio oſtendit quo tempore vixerit Michæas, & Deus ejus opera uſus fuerit. Et hoc notatu dignum eſt, quia hodie vel inutiles eſſent ejus conciones, vel ſaltem frigidæ, niſi temporis ratio nobis conſtaret, unde poſſemus conferre quid ſimile nobiſcum habuerint illius ætatis homines, vel quid diverſum: quia ubi intelligimus Michæam reprehendiſſe hoc & illud vitium, quemadmodum etiam colligere promptum eſt tum ex aliis Prophetis, tum ex ſacra hiſtoria, jam poſſumus ad uſum noſtrum facilius accommodare quicquid tunc dixit, quia ſcil. quaſi in ſpeculo contemplamur vitam noſtram. Hæc ratio eſt cur ſoleant Prophetæ exprimere tempus quo munus ſuum exequuti ſunt. Quamdiu autem proſequutus ſit vocationis ſuæ curſum Michæas, non poſſumus certo ſtatuere: credibile tamen eſt, uſque ad annum triceſimum ſemper functum fuiſſe Prophetæ officio. Poteſt fieri, ut tranſgreſſus fuerit annos 40. nam hic tres Reges nominat, quorum primus regnavit annis ſedecim, nempe Jotham: ſequutus eſt Achaz, qui etiam totidem regnavit annis. Si ergo ab initio primi regni vocatus fuit Michæas, jam tempus duorum Regum efficiet annos 32. Sequitur etiam regnum Ezechiæ, quod duravit uſque ad annum vigeſimum nonum. Poteſt etiam fieri ut uſque ad mortem Ezechiæ, & ultra, Propheta ſervierit Deo. Videmus ergo non poſſe certo definiri annorum numerum: quanquam hoc ſatis conſtat, non paucis tantum annis docuiſſe, ſed ita functum eſſe ſuo officio, ut anni 30 eum non fatigaverint quominus conſtanter in exequendo Dei mandata pergeret. Dixi æqualem fuiſſe Jeſaiæ: ſed quia Jeſaias munus ſuum auſpicatus eſt ſub Uzia, hinc colligimus fuiſſe priorem. Quorſum igitur adjunctus fuit Michæas? nempe ut hoc modo frangeret Dominus pervicaciam illius populi. Satis quidem erat, miſſum fuiſſe hominem unum à Deo, qui teſtatam faceret vocationem ſuam: ſed voluit Deus eatare teſtimonium in ore duorum, & voluit ſanctum Jeſaiam hoc ſocio adjuvari, & quaſi collega. Et poſtea videbimus uſos fuiſſe prorſus iiſdem verbis. neque enim ulla inter eos æmulatio locum habuit, ut alter exprobraret alteri furtum, quum repeteret quæ dicta erant: nihil potuit accidere gratius utrique, quum is haberet teſtimonium à collega ſuo, & quod divinitus mandatum erat profiterentur non tantum una mente & uno ſenſu, ſed etiam iiſdem verbis & quaſi eodem ore. Quod dicit, *verbum ſibi fuiſſe directum*, monuimus alibi hoc non debere intelligi tantum de privata doctrina, ſicuti ſermo Dei dirigitur ad unumquemque: ſed datus eſt ſermo Michææ, ut eſſet apud nos Dei legatus. Significat ergo ſe venire mandatis inſtructum, ut ſuſtineat perſonam ipſius Dei: quia ſcilicet nihil affert proprium, ſed quod Dominus proferre juſſit. Cæterum, quia hac de re plura alibi diximus, ego nunc leviter tantum perſtringo. Dicit hanc viſionem ſibi fuiſſe datam contra duas urbes, *Samariam* ſcilicet *ac Jeruſalem*. Certum eſt Prophetam hunc proprie fuiſſe miſſum ad Judæos: & Mareſah etiam fuit in Tribu Juda, ex qua oriundus fuit, quemadmodum ex titulo apparet. Eſt enim nomen gentilitium à loco illo Mareſah, quum vocatur Moraſthites. Jam quæritur cur dicat ſibi viſiones fuiſſe datas contra Samariam. Diximus alibi, etiamſi Hoſeas proprie & peculiari modo deſtinatus erat regno Iſraël, tamen obiter interdum per-

permiſcuiſſe quæ ſpectabant ad Tribum vel regnum Juda. Talis etiam fuit ratio viciſſim Prophetæ noſtri. Spectavit præcipue gentiles ſuos, quia ſciebat ſe illis eſſe ordinatum: interea tamen noo neglexit prorſus reliquam partem populi, quia regnum Iſraël ſic erat diviſum à Tribu Juda, ut maneret aliqua conjunctio. Deus enim noluit prorſus aboleri fœdus ſuum illa defectione, quæ facta eſt à regno Davidis. Videmus ergo qualiter operam ſuam impenderit Michæas Judæis, & tamen non omiſerit, neque prætererit in totum Iſraëlitas. Cæterum titulus hic reſtringi debet ad unam partem libri, quia de minis tantum hic ſermo habetur. Videbimus autem ſimul inſeri promiſſiones plenas lætitiæ. Ergo inſcriptio noo complectitur omnes partes libri: ſed quia volebat à minis incipere, & terrere Judæos propoſitis pœnis quæ inſtabant, ideo hæc inſcriptio data opera fuit poſita. Quanquam non dubium eſt, quin male exceptus fuerit Propheta à Judæis, quia nihil putabant magis indignum, & minus tolerabile, quam in unum faſciculum ligari cum Iſraelitis. Samaria enim erat deteſtabilis regno Judæ: & tamen Propheta hic nullum diſcrimen ponit Samariæ & Jeruſalem. Fuit igitur hæc aſpera concio, ſed videmus quam animoſe Propheta obierit munus ſibi injunctum, quia non reſpexit quid gratum eſſet hominibus, neque blanditiis eos allicere conatus eſt: ſed quamvis odioſa eſſet legatio, pertulit tamen ipſam, quoniam ſic juſſus erat, neque poterat excutere jugum ſuæ vocationis. Nunc pergamus.

2 Audite populi omnes, auſculta terra, & plenitudo ejus: & ſit Dominus Jehova vobis (*vel inter vos, vel contra vos potius*) in teſtem, Dominus è palatio (*vel Templo*) ſanctitatis ſuæ.

Hic Propheta alto ſtylo inſurgit, non cootentus ſimplici & ſedata docendi ratione. Unde colligimus, antequam tentaſſet animos populi, jam cognitam illi fuiſſe pervicaciam omnium fere ordinum. Niſi enim ita perſuaſus fuiſſet, populum illum rebellem & præfractum fore, certe uſus fuiſſet manſuetudine aliqua, & potius conatus fuiſſet eos adducere ſponte, quam pertrahere ita violenter. Ergo non dubium eſt, quin jam Prophetæ ſatis cognita fuerit pervicacia populi & pravitas, antequam inciperet verbum unum facere: ſed hæc difficultas eum non retinuit, quominus pareret Dei mandato. Interim neceſſe habuit hanc vehementiam addere ſuæ doctrinæ, quia ſcilicet videbat ſibi fore ſermonem ad ſurdos, imo ad ſtupidos homines, qui deſtituti jam eſſent omni pietatis ſenſu, & qui obduruerant adverſus Deum, nec ſola incogitantia lapſi fuerant, ſed etiam ſeſe demerſerant io ſuis peccatis cum impia & deteſtabili obſtinatione. Quooiam ergo hoc videt Propheta, ideo tam ſevere hic incipit: & non compellat duntaxat gentiles ſuos, quibus ordinatus erat doctor, ſed advocat totum mundum. In quem finem? Dicit, *Audite omnes populi*. Certe non eſt ei propoſitum, doctrinam Dei in eundem uſum proferre apud omnes promiſcue: ſed hic citat omnes populos quaſi teſtes vel judices, ut ſcilicet intelligant Judæi ſuam impietatem fore omnibus palam, niſi reſipiſcant; nec eſſe cur ſperent ſe poſſe occultare turpitudinem ſuam, quia velit Deus occulta eorum flagitia omnibus quaſi in theatro illuſtri proponere. Videmus ergo quam ſit hoc emphaticum, ubi Propheta accerſit omnes populos, & vult eos eſſe teſtes judicii, quod ferre inſtituit Deus de populo ſuo. Poſtea addit, *Terra etiam auſculta, & plenitudo ejus*. Poſſemus μετωνυμικῶς accipere Terræ nomen pro ipſis incolis: ſed quia ſimul additur, Plenitudo ejus, non dubito quin Propheta hic ipſum elementum terræ velit alloqui: tametſi enim ſenſu careat, ſignificat tam formidabile fore Dei judicium, ut concutere debeat etiam ipſas creaturas quæ ſenſu careot: & ita exprobrat gravius Judæis ſuum ſtuporem, quod verbum Dei ſecure negligant, quod tamen omnia elementa ſua virtute debuit percellere. Statim convertit ſermonem ad Judæos. Poſtquam ergo erexit Dei tribunal, poſtquam advocavit omnes populos, ut quaſi in circuitu faciant illic ſolennem coronam, nunc dicit, *Erit mihi Dominus Jehova contra vos in teſtem, Dominus è Templo ſanctitatis ſuæ*. Quum dicit Deum ſibi fore in teſtem, non ſimpliciter affirmat divinitus ſe eſſe miſſum, ſed quaſi zelo accenſus provocat hic ad Deum, & cupit ipſum intercedere, ne impunita maneat pravitas & obſtinatio illius populi: acſi diceret, Deus, cujus ego ſum miniſter, adſit mihi, & vindicet iſtam impietatem, oſtendat ſe eſſe auctorem hujus doctrinæ, quam ego profero ex ore ejus & mandato, nec ſinat vos impune effugere, ſi non reſipueritis. Nunc ergo tenemus Prophetæ ſenſum, ubi dicit Deum ſibi fore in teſtem. Quaſi diceret, Non eſt hic ludendum: quia ſi cogitent Judæi ſubterfugere Dei judicium, longe ſeipſos fallunt: quoniam ubi ſervis ſuis mandata dedit agendi cum populo ſuo, ſimul etiam adeſt vindex, neque patitur rejici verbum ſuum, quin ſtatim cauſam ſuam ſuſcipiat. Neque ſupervacua eſt illa additio, Dominus è Templo ſanctitatis ſuæ. Scimus enim quam ſecure jactare ſoliti fuerint Judæi Deum in medio ſui habitare. Et ſuperbia illa eos ita excæcaverat, ut contemnerent omnes Prophetas, quia non putabaot ſas eſſe quidquam contumelioſe contra ſe dici, quod eſſet ſacer Dei populus, quod ſancta ejus hereditas & gens electa. Quum ergo Dominus eos adoptaſſet, gloriabuntur falſo ejus gratiis. Quum igitur Propheta ſciret populum hunc inſolenter jactare privilegia, quibus ornatus à Deo fuerat, nuoc exprimit Deum fore ultorem impietatis è Templo ſuo: acſi diceret, Jactatis Deum vobis affixum eſſe: quaſi vero fidem ſuam ita vobis obſtrinxerit, ut velit ſuum nomeo ludibrio vobis eſſe. Habitat quidem in Templo ſuo, ſed illinc ſeſe patefaciet ultorem, ubi viderit vos obſtinatos eſſe in veſtra malitia. Videmus ergo ut retundat Propheta ſtultam arrogantiam, qua inflati erant Judæi: imo etiam ut retorqueat in caput ipſorum quod ſolebant jactanter proferre. Nunc poſtquam ita præfatus eſt, hoc eſt, qua potuit vehementia expergefecit ſopitos animos, ſubjicit,

3 Quia ecce Jehova egredietur è loco ſuo, & deſcendet, & calcabit ſuper excelſa terræ.

4 Et liquefient montes ſub eo, & ſolventur (*vel dehiſcent*) valles ſicut cera à conſpectu ignis, ſicut aquæ in locum inferiorem actæ.

Proſequitur eandem ſententiam Propheta: præcipue vero in illa particula inſiſtit, quod Deus futurus ſit in teſtem contra populum è Sanctuario ſuo. Confirmat igitur partem illam ubi dicit *venturum eſſe Deum è loco ſuo*. Quanquam ſecus accipiunt quidam interpretes, nempe Templum fore poſthac vacuum Dei præſentia, ideoque profanum: ſicuti Ezechiel idem pronunciat. Quoniam enim Judæi fingebant Deum ſibi conjunctum eſſe, quamdiu Templum ſtaret, & illa falſa imaginatio erat illis quaſi illecebra

pec-

peccandi, quod ſcilicet majorem licentiam ſibi ſumebant: hæc ratio eſt cur Propheta Ezechiel denunciet jam Deum non eſſe amplius in Templo. & per viſionem Dominus oſtenderat ſe Templum ſuum deſerere, ne illic amplius habitaret. Quidam, ſicuti dixi, locum hunc ita exponunt: ſed non videtur quadrare Prophetæ contextui hic ſenſus. Secus itaque accipio, quod Deus prodibit palam ex loco ſuo: ſed adhuc dubium eſt quem locum deſignet hic Propheta. Multi enim ad cœlum referunt: & videtur hoc eſſe probabile, quia paulo poſt adjungit, *Deſcendet Deus, & calcabit ſuper excelſa terræ.* Deſcenſus enim videtur notare locum ſuperiorem: ſed quia Templum, ut ſcimus, ſitum erat in loco excelſo & ſublimi, hoc eſt, in monte Sion, nihil abſurdi erit, ſi dicamus Deum è Templo ſuo deſcendere, ut totam Judæam caſtiget, ſicuti digna erat. Ergo egreſſus Dei minime ambiguus eſt, quia intelligit Deum tandem proditurum quaſi viſibili ſpecie. Jam quod attinet ad nomen loci, ego libenter ad Templum refero: neque enim dubito hanc ſententiam fluere ex proximo verſu. Cur autem egreſſum hic Deo tribuit? nempe quia abuſi fuerant Judæi patientia Dei, quum illum inanibus ceremoniis colerent in Templo, & interea putarent ſe elapſos eſſe ex ejus manu: quantiſper igitur Deus illis pepercit, putabant illum ſibi eſſe quaſi obnoxium, quod inter ipſos habitaret. Cæterum, quia legalis cultus & umbratilis ſemper apud eos vigebat, putabant Deum in Templo ſuo quieſcere. Nunc autem dicit Propheta, Prodibit: voluiſtis hactenus Deum includere in Tabernaculo, & voluiſtis etiam placare frivolis nugis: ſentietis autem longius extendi ejus manum & potentiam. Veniet igitur, & oſtendet qualis ſit illa majeſtas, quæ hactenus habita fuit à vobis deriſui. Hypocritæ enim quum venditant Deo ſuas ceremonias, nonne aperte ludunt, acſi puer eſſet; atque ita ſpoliant & potentia & imperio? Talis fuit ſocordia illius populi. Ergo Propheta non abs re dicit Deum tandem proditurum, ut ſcilicet oſtendat Judæos ſuis figmentis deluſos fuiſſe, quum ita eripuerunt Deo ſuam naturam, & redegerunt ipſum in angulum Judææ, & finxerunt etiam illic inſtar mortui idoli quieſcere vel reſidere. Et particula, Ecce, emphatica eſt: hic enim voluit Propheta torporem excutere Judæis, quia nihil magis difficile perſuaſu erat, quam credere tam propinquas fore pœnas, quum tamen putarent Deum ſibi eſſe propitium. Ergo ne amplius foveant iſtam ſocordiam, dicit, *Ecce veniet Dominus, egredietur è loco ſuo.* * ſed diverſus erat ſenſus: quia Jeſaias voluit illic minari Eccleſiæ hoſtibus, & gentibus profanis: hic autem bellum denunciat Michæas populo electo, & oſtendit Deum ita in Templo ſuo habitare, ut manum ejus ſentiant ſibi infeſtam Judæi, qui tam indigne illum ſpreverant, & falſis ſuis imaginationibus quaſi in nihilum redegerant ejus potentiam. *Calcabit*, inquit, *ſuper excelſa terræ.* Ego excelſa terræ hic interpretor non de ſuperſtitioſis locis, ſed de locis magis munitis. Scimus arces tunc fuiſſe in locis ſublimibus ut plurimum ſitas. Propheta igitur ſignificat nullum fore locum ad quem non penetret vindicta Dei, quantumvis ſit munitus. Ergo nulla clauſtra, inquit, impedient Deum, quominus penetret uſque ad intimas veſtras munitiones. Calcabit igitur ſuper excelſa terræ. Neque tamen dubito, quin per ſpeciem metaphoræ alludat ad ipſos proceres, qui putabant ſe eximi communi lege, quia ſcilicet opibus & divitiis & auctoritate ſic pollebant, ut non deberent cenſeri in ipſo vulgo. Propheta ergo per loca excelſa ſignificat eos, qui excellentiæ ſuæ prætextu ſuperbiebant, non fore tamen immunes à pœnis. Et poſtea adjungit quam formidabilis futurus ſit hic Dei egreſſus: *Liqueſcent*, inquit, *montes ſub eo.* Hinc apparet Prophetam proximo verſu non loquutum fuiſſe de abitu ipſius Dei, quaſi Templum ſuum deſerere vellet: ſed potius deſcripſiſſe exitum ejus è Templo, ut ſcilicet conſcenderet tribunal ſuum, & pœnas exigeret de toto populo, adeoque reipſa oſtenderet ſe eſſe judicem, quia nimis ſecure contemptus fuerat. Dicit ergo, *Liqueſcent montes ſub eo, valles ſcindentur*, vel dehiſcent, *ſicuti cera à conſpectu ignis, ſicuti aquæ dum volvuntur in locum inferiorem.* Non ſemper deſcribunt tam formidabilem Deum Prophetæ, ſed hoc referri ad loci hujus circumſtantiam debet: proponit enim Deum judicem populo. Ergo neceſſe eſt ipſum inſtrui quoque & armari potentia, ut vindictam exerceat qualem meriti fuerant Judæi. Et ſimiles alios locos videbimus, quemadmodum aliquoties idem notavimus apud Hoſeam. Deus ergo dicitur montes liquefacere, dicitur etiam vallibus incutere tantum terroris, ut dehiſcant ſub ipſo: dicitur denique omnia elementa ſic percellere, ut montes ipſi, utcunque lapidoſi ſint, tamen inſtar ceræ liqueſcant, vel inſtar aquæ defluant: quia non potuit aliter ſerio afficere populum illum tam contumacem, & qui ſibi etiam in vitiis ſuis blandiebatur, quemadmodum dictum eſt. Porro nunc facile eſt colligere quis hodie ſit ejus doctrinæ uſus. Videmus Papiſtas ſuperbire Eccleſiæ titulo, & ſibi quodammodo inani confidentia Deum obſtringere, quia Baptiſmum habent, quamvis eum adulteraverint ſuis ſuperſtitionibus: deinde putant ſe habere Chriſtum, quia ſibi ſemper retinent titulum Eccleſiæ. Si Dominus pollicitus fuiſſet ſibi Romæ fore domicilium, adhuc videmus quam ſtulta & frivola ſit hæc gloriatio: quia tametſi Jeroſolymæ erat Templum, Dominus tamen illinc egreſſus eſt ad punienda populi ſui ſcelera, & populi quidem electi. Cæterum, ſcimus ſtulte affigi Deum uni loco, quia jam voluit nomen ſuum celebrari promiſcue in toto orbe. Ubicunque ergo ſonat vox Euangelii, oſtendit Deus ſe illic præſentem eſſe. Ergo quod hodie Papiſtæ fallaci illo prætextu ſuperbiunt, & jactant Chriſtum ſibi eſſe conjunctum, hoc recidet in eorum condemnationem. Quare? Dominus enim oſtendet ſe eſſe vindicem tam impiæ profanationis & indignæ, ubi nomen ſuum non modo temere arripiunt, ſed etiam lacerant, atque etiam contaminant ſuis ſacrilegiis. Jam quum dicitur Deus liquefacere montes ſolo aſpectu, diſcamus hinc expergefacere ſenſus noſtros, quoties prodit Deus in medium: non ut fugiamus procul, ſed ut reverenter excipiamus ejus verbum, quo poſtea nobis appareat manſuetus & placidus Pater. Ubi enim humiliati ſumus, & domuit tantum faſtum & altitudinem carnis, ſtatim excipit nos quaſi blando ſinu, & facilem acceſſum præbet: invitat etiam ad ſe quanta poteſt manſuetudine. Ergo ut Dominus tam humaniter nos excipiat, diſcamus terreri ſimulac vocem ſuam profert. Cæterum, hic terror non reddat nos fugitivos, ſed tantum humiliet, quo præſtemus verum obſequium verbo Domini. Sequitur,

* In concione ad populum expoſitus fuit Jeſaiæ 26. locus huic ſimilis.

5. Propter ſcelus Jacob totum hoc, & propter tranſgreſſiones domus Iſraël. Quod ſcelus Jacob? Annon Samaria? Et quæ excelſa Jehudah? Annon Jeruſalem?

Hoc verſu Propheta docet non iratum eſſe Deum ex nihilo: quemadmodum ubi rigidus apparet, homines expoſtulant cum ipſo, & obſtrepunt quaſi nimium crudelis eſſet. Ut ergo homines agnoſcant Deum eſſe juſtum judicem, neque unquam modum in pœnis excedere, ideo Propheta hic diſerte adjungit juſtam eſſe cauſam, cur Deus tam formidabile judicium electo populo denunciet; nempe quia non modo pars populi, ſed totum corpus impie defecerit. Nam per domum Jacob, & domum Iſraël, intelli-

telligit ſic paſſim graſſatam fuiſſe impietatem, ut nulla pars intacta eſſet. Summa igitur eſt, quia contagio ſcelerum vagatur per totum Iſraelem, nulla regio pura eſt à transgreſſione, nullus angulus poteſt afferre excuſationem defectionis, ideo Dominus judicem ſe oſtendet omnium, & nec parvis nec magnis parcet. Nunc ergo tenemus Prophetæ conſilium in hoc verſu: ſicuti prius docuit quam horribilis futura ſit Dei vindicta contra omnes impios, ita nunc in medium profert ipſorum flagitia, ne querantur ſecum injuſte agi, vel Deum uti nimio rigore. Teſtatur igitur Propheta juſtas fore pœnas, quæ populo tunc inſtabant. Jam adjungit, *Quodnam ſcelus Jacob?* Non dubium eſt quin Propheta hic oblique perſtringat hypocriſin, quæ regnabat in populo illo. Nam interrogat non ex proprio ſenſu, vel ex ſua perſona: ſed potius μιμητικῶς refert quod ſciebat illis eſſe in ore. O! quodnam eſt hoc ſcelus? quid? tu hic ſumis principium falſum, quod ſcilicet ſumus ſcelerati homines, impii & perfidi: tu facis nobis gravem injuriam. Quoniam ergo hypocritæ putant quaſi ore abſterſo ſe eſſe puros, quoties ſuis cavillis eludunt objurgationes, ideo Propheta quaſi ex eorum ore interrogat, Quodnam eſt hoc ſcelus? quænam eſt iſta transgreſſio? Quaſi diceret, Scio quid ſoliti ſitis facere ubi quiſpiam Propheta vos durius objurgat, ſtatim contenditis pervicaciter cum ipſo, & paratæ ſunt vobis exceptiones: ſed quid proficitis? Si velitis intelligere quodnam ſit ſcelus veſtrum, eſt Samaria: & ubinam ſint excelſa veſtra, nempe Jeruſalem. quaſi diceret, Ego hic non contendo cum plebeiis hominibus, ſed aggredior ipſa capita. Mihi ergo certamen eſt cum ipſis primoribus, qui dignitate excellunt, ideoque nolunt ſe attingi. Nam interdum continget gregarios homines prolabi: reſidua tamen erit aliqua integritas in ipſis proceribus. Sed Propheta oſtendit morbos in populo illo fuiſſe capitales; ideo nominat duas primas urbes, Jeruſalem & Samariam, ſicuti primo verſu præfatus eſt ſe proferre vaticinia contra illas. Et tamen certum eſt, pœnas toti populo communes fuiſſe. Sed quia putabant Jeruſalem & Samaria ſe fore tutas, etiamſi tota regio periret, ideo nominatim illis minatus eſt Propheta. Nam fretæ primum ſuis opibus, putabant ſe eſſe inexpugnabiles: deinde ſcimus inani ſplendore, potentia, & dignitate perſtringi omnium fere oculos: ſaltem impii obliviſcuntur ſe eſſe homines, ſe quidquam debere Deo, ubi in mundo excellunt. Ergo talis arrogantia non poteſt domari, niſi verbis aſperis & duris, quemadmodum hic videmus agere Prophetam. Dicit ergo *ſcelus Iſraël eſſe Samariam*: hoc eſt, fontem omnium ſcelerum eſſe urbem illam regiam, quum tamen deberet regere & ſapientia & æquitate totam terram. nam quid amplius ſupereſt, ubi Reges, & eorum conſiliarii calcant omnem reſpectum æqui & honeſti, & omni pudore abjecto contra Deum & contra homines inſurgunt? Quum ergo Reges ita exciduot è ſuo gradu, neceſſe eſt ſequi valde deformem ruinam. Hæc ratio eſt cur Propheta dicat peccatum Iſraelis eſſe Samariam, id eſt, inde oriri omnia ſcelera. Sed tenendum ſimul eſt, Prophetam hic non agere de craſſis ſceleribus, ſed potius ſtylum ſuum ſtringere contra cultus impios, & perverſos: quod melius liquet ex ſecundo membro, ubi Excelſa ponit pro transgreſſionibus. Videmus ergo hic non in genere reprehendi omnia peccata, ſed vitioſos cultus, quibus religio fuerat polluta tam apud Iſraëlitas quam apud Judæos. Hoc autem potuit videri pluſquam iniquum, quod Propheta ſceleris damnaret illos cultus, in quibus tamen anxie ſe exercebant Judæi, ut Deum ſibi placarent. Sed videmus quam nihili faciat Deus quicquid commiſciſcuntur homines ex ſuo capite: quemadmodum hodie nobis hoc præcipuum certamen eſt cum Papiſtis: vocamus perverſos & adulterinos ipſorum cultus, abominationes: putant quaſi cœlum terræ miſceri: Nos tamen diligenter, inquiunt, in hoc ſatagimus, ut Deus colatur. verum eſt: ſed interea profanatis totum ejus cultum veſtris figmentis. Hæc igitur eſt abominatio. Nunc ergo videmus quam ſtultæ ſint & frivolæ blanditiæ, ubi homines proprium ingenium ſequuntur in Deo colendo: quia hic Propheta Dei nomine quaſi è cœlo fulminat contra omnes ſuperſtitiones, & oſtendit nullum eſſe ſcelus magis deteſtabile, quam ſtudium illud perverſum quo flagrant idololatræ, dum ſcilicet cultus obſervant, quos ipſi fabricarunt. Jam quantum pertinet ad excelſa, notandum eſt, fuiſſe magnum diſcrimen inter Judæos & Iſraelitas illo tempore quoad idololatriam. Prolapſi enim ſic fuerant Iſraëlitæ, ut eſſent prorſus degeneres, nihil affine apud eos potuit tunc ſpectari vero & legitimo cultui Dei. Judæi autem retinebant aliquam ſpeciem pietatis, non ita ſeſe projecerant: ſed jam permixtæ erant apud eos aliquæ ſuperſtitiones: quemadmodum ſiquis conferat hodie craſſum Papatum cum media ratione, quam excogitant homines, qui ſibi videntur acuti, dum ſcilicet metuunt mundi offenſas, & inde neſcio quam mixturam nobis fingunt ex ſuperſtitionibus Papatus, & ex reformatione, quam vocant. Talis igitur tunc fuit ratio Jeroſolymæ. Videmus tamen ut Propheta eandem ſententiam pronunciet contra Judæos & Iſraëlitas, nempe quia Deus nullo modo patitur quidquam adjungi ad verbum ſuum, quod procedat ex hominum figmentis. Quoniam ergo Deus nullas tales admittit mixturas, ideo Propheta hic dicit non minus eſſe ſceleris in excelſis Judææ, quam ſit in fœdis illis abominationibus, quæ tunc regnabant in populo Iſraëlitico. Sed reliqua differemus in diem craſtinum.

Da omnipotens Deus, quando olim perverſum illum, & modis omnibus rebellem populum, tamen proſequutus es tanta gratia, ut non deſtiteris eum hortari ad pœnitentiam, & porrigere illi manum per tuos Prophetas, ut etiam hodie idem verbum inſonet auribus noſtris, & ſi non ſtatim profecerimus in tua doctrina, non tamen ideo nos abjicias, ſed Spiritu tuo ita ſubigas omnes ſenſus noſtros, & affectus, ut vere humiliati demus gloriam majeſtati tuæ, quam ipſa meretur, nempe ut allecti favore tuo paterno ſubjiciamus nos tibi, & ſic interea amplectamur illam bonitatem, quam nobis in Chriſtu offers & proponis, ut non dubitemus te nobis fore in patrem, donec tandem fruamur æterna illa hereditate, quæ nobis parta eſt ſanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO SECUNDA IN MICHÆAM PROPHETAM.

CAP. I.

6. Et ponam Samariam (*hoc eſt, Ideo*: ו *enim hic ſumitur pro illativa particula. Ponam igitur Samariam*) in acervum agri, in plantationes vineæ, & devolvam in vallem lapides ejus, & fundamenta ejus retegam.

Quanquam Michæas proprie voluit impendere operam Judæis, quemadmodum heri diximus, tamen hic priore loco ſtatuit Samariam, quia volebat deinde magis inſiſtere contra Jeruſalem, & totam Judæam. Et tenenda eſt hæc ratio ordinis: neque enim ideo Propheta incipit ab Iſraelitis, quia proprie dirigat illuc ſermonem ſuum, ſed quia vult leviter ipſos perſtringere, & poſtea quaſi ex profeſſo agere cum ſuis popularibus, quia ſic ferebat ejus vocatio. Quum autem cladem minatur Samariæ & toti regno Iſraël propter vitioſos cultus, hinc colligimus quantopere diſpliceat Deo ſuperſtitio, ſicuti etiam nihil pluris æſtimat quam verum nominis ſui cultum. Neque eſt quod hic homines obſtrepant, ſe non peccare data opera, quia Deus oſtendit qualiter velit à nobis coli. Si ergo deflectimus à regula quam præſcripſit, jam in ea re prodit ſe noſtra rebellio & contumacia. Itaque ſuperſtitioſi ſemper inſaniunt contra Deum, quia non poſſunt ſe ſubjicere ejus verbo, ut inde duntaxat ſapiant. Dicit autem, *Ponam Samariam in acervum agri*, hoc eſt, tales erunt ruinæ, ut nihil differant ab acervis agrorum. Nam ſcimus agricolas ſi reperiant lapides in agris ſuis, projicere in aliquem angulum, ne ſcilicet obſint aratro. Quales ergo tumuli in agris cernuntur, talem fore Samariam pronunciat Deus: deinde ſignificat vacuum fore locum ut poſſint illic *plantari vineæ*. Tertio dicit *lapides ejus diſſipandos per vallem*: hoc eſt, quemadmodum ſiquis lapides projiciat, ubi eſt lata planities, longe diſcurrunt & volvuntur; ſic etiam talis futura eſt Samariæ diſſipatio, inquit Propheta, ut lapides procul ſint diſperſi tanquam in agro plano. Tandem adjungit, *Retegam fundamenta ejus*, hoc eſt, diruam funditus, ut ne lapis maneat ſuper lapidem, quemadmodum etiam loquitur Chriſtus. Nunc ergo tenemus ſummam ver- *Mat. 24.*
borum: tenemus etiam cur tam atrocem pœnam de- *verſ. 2.*
nunciet Propheta Samariæ, quia ſcilicet corruperat legitimum Dei cultum ſuis figmentis. Excogitaverat enim, quemadmodum ſatis ſcimus, multa idola: ſic abolita fuerat apud Iſraelitas tota veritas Legis. Nunc ſequitur,

7. Et omnia ſculptilia ejus diruentur, & omnes mercedes ejus exurentur igne, (*alii transferunt, donaria*) & omnia idola ejus ponam in vaſtitatem: quia è mercede meretricis congregavit, & ad mercedem meretricis revertentur.

Proſequitur eandem ſententiam Propheta. Dicit igitur inſtare ultimam cladem Samariæ, ut ejus idola conterantur: deinde opes, quas collegerat perverſis artibus, & quas putabat mercedem eſſe ſuæ idololatriæ. Deus autem hic diſerte loquitur de idolis per os Prophetæ, ut confirmet quod heri vidimus, nempe hanc fuiſſe cauſam vindictæ, quod Samaria ſe proſtituerat ad impios cultus, & deſciverat à Lege. Ergo ut Iſraëlitæ intelligant qua de cauſa tam duriter puniat ipſos Deus, Propheta hic in medium proponit eorum ſculptilia, & idola: neque enim iraſcitur Deus lapidibus vel lignis, ſed reſpicit abuſum & corruptelas, quia ſcilicet contaminant ſe homines perverſo cultu. Hæc ratio eſt, cur Deus hic dicat conterenda eſſe ſculptilia Samariæ, & idola fore in vaſtitatem. Quantum attinet ad mercedes, non dubito quin Propheta per ignominiam voluerit notare omnes opes Samariæ. אתנן proprie eſt Donum vel munus: ſed quia ſtatim bis repetit *eſſe mercedem meretricis* quicquid poſſidebat Samaria, deinde *rediturum ad mercedem meretricis*; non dubito etiam quin primo loco hic exprobret Iſraëlitis, quod tanquam ſcorta vel meretrices coacervarint ſibi magnas divitias. Et ratio eſt, quod Jarobeam, ut regnum ejus ſtaret incolume, erexit peculiarem cultum: Iſraëlitæ florere tunc cœperunt: deinde ſcimus quam opulentum fuerit regnum illud, & quantopere ſuperbierint propter ſuas copias. Quum igitur Iſraëlitæ deſpicerent regnum Juda, & putarent ſe modis omnibus felices eſſe, & hoc referrent acceptum ſuis ſuperſtitionibus, quemadmodum vidimus apud Hoſeam: hic loquitur Michæas ex eorum ſenſu, quum dicit, Quia vobis quæſtuoſa fuit idololatria, ſplendor hic perſtringit veſtros oculos: ſed veſtras mercedes ego jam dicavi incendio. Exurentur ergo, & ita peribunt. Nam Hoſeas, ut vidimus, uſus eſt hac comparatione, quod filii Iſraël ſibi placerent in ſua impietate, quemadmodum meretrix quum undique contrahit multa dona, quum ejus formam appetant multi amatores, tunc non agnoſcit turpitudinem ſuam, vel flagitium: tales ergo fuerunt Iſraëlitæ. Ideo non abs re dicit Propheta, *Ecce veſtræ mercedes incendio peribunt*, vel conſumentur igne. Quare? quia collegiſtis, inquit, ex mercede meretricis, & hoc totum ad mercedem meretricis revertetur. Reſtringi debet hoc poſtremum membrum ad dona vel opes Samariæ: quia non poſſet proprie aptari idolis vel ſculptilibus. Summa eſt igitur Deum fore vindicem idololatriæ contra urbem Samariam & totum regnum Iſraël: deinde quoniam gloriabantur Iſraëlitæ ſibi feliciter & proſpere ceſſiſſe impios coltus, pronunciat Deus hoc totum fore evanidum: quemadmodum ubi meretrix contraxit ſibi magnas opes, hæ poſtea diffluunt. & videmus hoc communiter accidere. Quidam ita accipiunt, Dona quibus ornaverant Iſraëlitæ templa ſua, redibunt ad mercedem meretricis, hoc eſt, transferentur in Chaldæam, & Babylonii etiam ornabunt viciſſim ſua idola: ſed hoc non convenit, quia non dicit Propheta, quicquid collegit Samaria fore hoc hoſtibus in prædam vel ſpolium, ſed peribit igne. Ergo proverbialiter loquitur in his verbis, quicquid profectum à mercede meretricis fuerat, hoc rediturum ad mercedem ſcorti, hoc eſt, in nihilum: quia Dominus maledicit talibus divitiis, quas ſibi comparant ſcorta ex flagitio, dum ſeſe proſtituunt. Quoniam ergo hoc totum obnoxium eſt maledictioni Dei, in fumum abire ſtatim neceſſe eſt. Atque hic germanus eſt ſenſus Prophetæ, meo judicio. Jam ſequitur,

8. Super hoc plangam, & ululabo: incedam ſpoliatus, & nudus: faciam planctum tanquam draconum, & luctum tanquam filiarum ſtruthionis.

9. Quia acerbæ ſunt plagæ ejus, (*eſt mutatio numeri*) quia venit uſque ad Jehudam, acceſſit ad portam populi mei, ad Jeruſalem.

Hic Propheta ſuſcipit perſonam lugentis, ut ſerio afficiat Iſraelitas: quia vidimus ipſos fuiſſe prope ſtupidos in ſuo torpore. Oportuit igitur eos quaſi in rem præſentem adduci: ut ſuum exitium ante oculos cernentes, tangerentur & dolore & metu. Hujus formæ lamentationes paſſim occurrunt in Prophetis, & diligenter notandæ ſunt, quia hinc colligimus quantus ſit hominum torpor, dum neceſſe eſt ipſos talibus loquendi formis expergefieri, ut ſentiant cum Deo ſibi eſſe negotium: alioqui non deſinont ſibi blanditias facere. Et quanqum hic Iſraelitas alloquitur Propheta, tamen debemus hoc ad nos referre, quia non multum ſumus abſimiles veteri populo. Utcunque enim Deus nos terreat minis atrocibus, manemus tamen quieti in noſtris fæcibus: ergo neceſſe eſt durius nos tractari, quia fere caremus ſenſu. Cæterum, Prophetæ aliquando luctum aſſimulant, aliquando autem tanguntur vero dolore. Nam dum loquuntur de exteris atque etiam hoſtibus Eccleſiæ, inſerunt tamen iſtas lamentationes. Si fiat Babylonis vel Ægypti mentio, interdum dicunt, Ecce ego lugebo, & viſcera mea erunt quaſi tympanum. Tunc non vere lugent Prophetæ: ſed quemadmodum jam dixi, transferunt ad ſe alienos dolores: idque ſemper hoc conſilio, ut perſuadeant non irritas eſſe Dei minas, neque Deum ludere quum oſtendit ſe iratum eſſe hominibus. Ubi autem ſermo habetur de Eccleſia & fidelibus, tunc Prophetæ non ſimulant luctum. Ergo hæc hypotypoſis ſic debet accipi, ut tamen ſciamus Prophetam fuiſſe in vero luctu, quum videret inſtare horribile hoc excidium toti regno Iſraël. Etſi enim perfide à Lege deſciverant, tamen erant pars ſancti generis, erant filii Abrahæ, quos Deus complexus fuerat in gratiam ſuam. Non potuit igitur Propheta ſibi temperare quin luctum ſuſciperet ſine ulla fictione. Atque ita duo hic facit Propheta: nempe exprimit fraternum amorem, quo proſequebatur filios Iſraël, quia conſanguinei erant & pars electi populi; deinde fungitur ſuo munere. Nam hæc lamentatio eſt quaſi ſpeculum, in quo proponit vindictam Dei hominibus nimium torpidis. Adducit igitur eos in rem præſentem, ut ſentiant Deum minime ludere, quum ita pœnas denunciat ſceleratis & defectoribus. Porro non loquitur de vulgari luctu, ſed dicit, *Plangam & ululabo*: deinde *incedam ſpoliatus*. שולל quidam accipiunt pro Demente vel inſano: quaſi diceret, Ego jam non ero compos mentis meæ. Sed quia aſperior eſt illa metaphora, malo accipere pro homine ſpoliato. Erat enim lugentium ritus veſtes ſuas lacerare vel abjicere, quemadmodum ſatis notum eſt. *Incedam* ergo *ſpoliatus*, *& nudus*, inquit: deinde, *faciam planctum*, non humanum, ſed *ſimilem planctui draconum*: ego lugebo, inquit, quemadmodum ſolent ſtruthiones. Denique his loquendi formis ſignificat Propheta fore cladem hactenus minime conſuetam: quia ſi humano more ſe gerat, non poterit exprimere atrocitatem vindictæ Dei, qualis inſtabat. Poſtea ſubjungit fore acerbas plagas: ſed loquitur tanquam de re præſenti. *Acerbæ ſunt*, inquit, *plagæ*: proprie ſignificat Dolore plenas. Alii vertunt vel deſperatas, vel incurabiles: ſed hoc non convenit huic loco. nam אנושה ſignificat quod Gallice dicimus *douloureuſe*. *Plagæ* ergo *ſunt plenæ doloris: nam venit* (ſubaudiendum eſt aliquid: poteſt hoc non incommode referri ad hoſtem, vel cladem, quod magis placet. *Venit* igitur, nempe clades) *uſque ad Jehudam, acceſſit ad portam populi mei, uſque ad ipſam Jeruſalem*. Primum dicit, *uſque ad Jehudam*, loquitur de terra ipſa: deinde reſtringit ad urbes: quia ubi clauſæ ſunt portæ hoſtibus, coguntur ſubſiſtere. Dicit autem Propheta non fore urbes ipſas obſtaculo, quominus penetrent hoſtes uſque ad portas urbium, & caput ipſius regni Jehudah, nempe Jeruſalem. & ſcimus hoc fuiſſe impletum. Perinde eſt igitur acſi diceret ſic vaſtandum eſſe regnum Iſraël, ut hoſtes non contenti ſint illa victoria, quin ulterius perrumpant, ut etiam obſideant urbem ſanctam. & hoc fecit Sennacherib. Everſo enim regno Iſraël, quia non ſatis erat decem Tribus abduxiſſe in exilium, voluit etiam potiri regno Jehudah, & Jeroſolyma tantum reſidua fuit inſtar tugurii, quemadmodum dicit Jeſaias. Videmus ergo non fruſtra minatum fuiſſe Prophetam Michæam. Jam ſequitur,

10. In Gath ne annuncietis, flendo ne fleatis: propter domum Aphrah pulvere te involve. (*vel voluta te in pulvere.*)

Hic videtur Propheta quodammodo ſecum pugnare. Prius enim deſcripſit nobis cladem quæ conſpicua eſſet omnibus: jam vero indicit ſilentium, ne fama ad hoſtes uſque perveniat. Sed in hoc nihil eſt repugnantiæ: quia non potuit latere malum illud: quum vaſtatum eſſet totum regnum Iſraël, urbes dirutæ vel exuſtæ, tota regio ſpoliata & deformis, deinde hoſtis ingreſſus eſſet fines Judææ: quum propemodum etiam capta fuiſſet Jeruſalem, an potuit hoc eſſe occultum? minime. Non mirum eſt igitur ſi Propheta hic de ſolenni luctu tractaverit: ſed jam loquitur ex ſenſu eorum qui libenter tegerent infamiam ſuam, præſertim apud ſuos hoſtes vel alienos. Nam hæc indignitas non parum nos excruciat, ubi hoſtes nos ſubſannant, & exagitant in malis noſtris: ubi nulla ſpes reſidua eſt, ſaltem vellemus in latebris perire, ne accederet ignominia & dedecus ad mortem: ipſa contumelia enim ſæpe nobis durior eſt, & gravius nos vulnerat quam quicquid eſt malorum. Ergo Propheta intelligit non modo miſeros fore Iſraëlitas, ſed fore obnoxios probris & ludibriis hoſtium ſuorum. Scimus enim Philiſtæos fuiſſe infeſtiſſimos hoſtes populi Dei: ſcimus etiam ſemper captaſſe aliquam occaſionem ridendi ex eorum malis & cladibus. Hic ergo ſenſus eſt Prophetæ. *In Gath ne annuncietis*, inquit, *flendo ne fleatis*: quaſi diceret, Etiamſi vos extrema mala urgent, tamen adhuc cupietis perire cum ſilentio, quia videbitis inhiare hoſtes veſtros ad iſtam opportunitatem, ut ſuis ſannis vos proſcindant, quum viderint ita miſeros. *In Gath* ergo vetat annunciare populi calamitates, quia Philiſtini nihil cupidius appetere ſolebant, quam ut poſſent populum Dei ludibriis ſuis vexare. Jam ſequitur, *Super domum Aphrah pulvere te conſtringe*. Eſt paronomaſia, quæ non poteſt Latine reddi. Nam עפרה ſignificat Pulverulentum, עפר ſignificat Pulverem. Urbs illa nomen adepta eſt à ſitu regionis, quia erat Pulverulenta: quemadmodum ſi urbs aliqua vocetur Lutoſa, ſicuti etiam multi putant Lutetiam inde ſumpſiſſe nomen. Dicit autem, *Involve te pulvere ſuper domum pulverulentam*: quaſi diceret, nomen optime nunc conveniet, quia clades urbis hujus coget omnes vicinos ad luctum, ut ſeſe projiciant in pulvere: tanta ſcilicet erit malorum atrocitas. Cæterum ſemper tenendum eſt conſilium Prophetæ: hic enim pungit quaſi acribus

ſtimu-

ſtimulis Iſraelitas, qui non poterant concipere gravitatem vindictæ Dei: imo erant quaſi ſurdi ad omnes minas. Oſtendit igitur Propheta paratam fore exequutionem hujus vindictæ, quam denunciat. Jam vero ipſe non luget, ſed alios vocat ad luctum: & loquitur de tota regione, quemadmodum ſuo ordine videbimus. Ego hoc totum caput celeriter percurram: quia non opus etiam habet longa expoſitione, ut videbitis.

11. Tranſi pariter (*ad verbum, tranſi vobis*) habitatrix Saphir, nuda probroſe: non egredietur habitatrix Zaanan in luctu Beth-Aëzel, ſumet à vobis ſtationem ſuam. (*alii vertunt, ſubſtantiam: ſed male, meo judicio.*)

Hic Propheta alloquitur urbes, quæ ſpectabant verſus regnum Iſrael, & qua hoſtis iter facturus erat, quum ingreſſus eſt regnum Jehudah. Jubet ergo tranſire incolas urbis Saphir: & dicit urbem illam probroſum vel pudendum in modum fore nudam. שפר tantundem valet ac Speciosa. Dicit igitur, Tu nunc pulchra es, ſed Dominus reteget opprobrium tuum, ita ut nuditas tua omnibus pudori futura ſit, & tibi etiam magno dedecori. Eſt alluſio in nominibus, ſed tamen non eſt paronomaſia. Dicit igitur Propheta, quum Speciosa urbs illa dicta eſſet, ipſam fore deformem, ita ut nemo dignetur eam aſpicere, ſaltem abſque pudore. Eadem etiam eſt alluſio in nomine Zaanan. Nam צען ſignificat Transferre, ſicuti צען Migrare. Dicit igitur Propheta, *Non egredietur habitatrix Zaanan propter luctum Beth-Aezel*: nempe manebit quieta domi: hoc faciet præter naturam. Unde enim nomen urbis? nempe à transferendo, quod ſcilicet eſſent illic varii commeatus: ſed *ſedebit*, inquit, *domi ſuæ*: etiamſi videat vicinos ſuos in exilium trahi, tamen non audebit ſe movere loco. Jam addit, *Sumet hoſtis à vobis ſuam ſtationem.* עמד ſignificat Stare: nec dubium eſt quin quum dicit Propheta, Accipiet à vobis ſuum ſtare, de ſtatione hoſtis loquatur: ſed tamen variant hic interpretes. Quidam enim intelligunt, ubi hoſtis diu ſubſtiterit in terra illa, non ante diſceſſurum quam ejus imperio potitus fuerit. Perinde eſt acſi diceret, Vos putabitis hoſtem veſtrum poſſe fatigari moræ tædio, ubi non poterit ſtatim urbes veſtras expugnare: non faciet, inquit, ſed pertinaciter illic hærebit; & non fruſtrabitur eum ſua opimo, recipiet enim mercedem ſuæ ſtationis, id eſt, moræ. Alii autem dicunt, *Accipiet ſtationem ſuam à vobis.* Verbum לקח exponunt metaphorice, Diſcendo accipere de manu in manum: quaſi dixiſſet Propheta, Alii, hoc eſt, vicini, diſcent à vobis ſtationem ſuam. Quid hoc ſibi vult? *Zaanan non exibit propter luctum vicinæ urbis Aëzel*: alii poſtea ſequentur idem exemplum. Quare? nam Zaanan erit quaſi magiſtra aliis urbibus: ſicuti non audebit ſignum aliquod doloris oſtendere propter ſuos vicinos, tantum aberit ut illis ſuccurrat; ita etiam quum ipſa trahetur viciſſim in exilium, hoc eſt, cives ejus & accolæ, vicini quoque manebunt quieti, quaſi conditio illius urbis miſeræ nihil ad ipſos ſpectaret. Diſcent ergo à vobis ſtationem ſuam: hoc eſt, quemadmodum coletis otium & quietem, ubi vicini veſtri peribunt, idem etiam vobis continget poſtea. Sed quia hoc ad ſummam rei parum facit, maneat libera electio. Sequitur poſtea,

12. Quia doluit propter bonum (*alii, expectavit ad bonum: alii, infirmata eſt*) habitatrix Maroth: quia deſcendit malum à Jehova ad portam Jeruſalem.

Hic alias etiam urbes adjungit Propheta, nempe Maroth: deinde alias quæ ſequentur ſuo ordine. Sed hoc verſu tantum dicit urbi Maroth fore dolorem propter bonum amiſſum. Nam חול ſignificat Dolere: ideo receptus eſt hic ſenſus, quod bonis ſuis & priſtina fortuna exuti Marothitæ, hoc eſt, incolæ illius urbis dolebunt. Sed quia idem verbum etiam Expectare ſignificat, magis placet diverſa expoſitio nonnullis: quod ſcilicet fruſtra pendebunt ab inani ſpe & fallaci incolæ urbis Maroth: quia ſcilicet devoti prorſus erunt exitio. Expectabit igitur fruſtra habitatrix Maroth, inquit: *nam malum deſcendit à Jehova uſque ad portam Urbis*. Hæc ratio optime convetut, quod ſcilicet ſpes ſua urbem Maroth fruſtrabitur, quum ne ipſa quidem urbs Jeruſalem futura ſit immunis. Etſi enim Deus tunc mirabiliter eripuit præcipuam urbem, & liberata fuit ſoluta obſidione per manum Angeli, quum inflicta eſt illa horribilis clades, cujus fit mentio in ſacra hiſtoria, tamen non potuit tunc vindictam effugere urbs Maroth. Nunc ergo videmus cur addita fuerit iſta ratio. Alii durius exponunt, nempe quod debilitati fingi cives urbis Maroth, & fuerint quaſi dementati. Quoniam metaphora illa nimis coacta eſt, magis amplector, quod *doluerint cives Maroth propter bonum*, vel quod fruſtra expectaverint, quum jam addicti eſſent extremæ cladi, neque ulla ſpes eſſet liberationis. Notandum autem eſt quod dicit *Malum inſtare à Jehova*: nam admonet, etiamſi vaſtetur tota regio ab Aſſyriis, tamen Deum eſſe præcipuum ducem, quandoquidem utitur opera eorum omnium qui moleſti ſunt populo Iſrael. Ergo ut ſciant tam Judæi quam Iſraelitæ ſibi non eſſe negotium cum ſolis hominibus, ſed cum Deo cœleſti judice, diſerte exprimit Propheta hoc totum proficiſci à Jehova. Poſtea addit,

13. Alliga currum ad camelum (*vel dromedarium: alii vertunt, equos celeres*) habitatrix Lachis: principium ſceleris ipſa eſt filiæ Sion, quia in te inventæ ſunt transgreſſiones Iſraël.

Quum jubet cives Lachis ligare currus ſuos ad dromedarios, intelligit jam non fore illis tutum manere in urbe ſua, neque quicquam eſſe melius quam ut alio fugiant, & transferant etiam ſuam ſubſtantiam. Cogitate, inquit, de fuga, & de fuga celerrima. Nam nomen רכש, quod nuper verti Dromedarium, vel Camelum, quid proprie ſignificet non conſtat etiam inter Hebræos; ergo, ut in re obſcura, putant animal eſſe miræ celeritatis. Alii vertunt, Equos celeres: ſed intelligimus Prophetæ mentem. Significat igitur non fore ſatis temporis ad fugam, niſi diligenter maturent: quia ſcilicet mox inſtabunt hoſtes. Et poſtea adjungit fuiſſe urbem illam principium ſceleris Judæis. Quanquam enim filiam Sion hic nominat, complectitur tamen omnes Judæos per ſynecdochen. Cur autem dicat Lachis fuiſſe principium ſceleris civibus Jeroſolymæ, colligitur ex proximo membro: *In te*, inquit, *inventæ ſunt tranſgreſſiones Iſrael.* Non dubium igitur eſt quin cives Lachis primi receperint corruptelas Jarobeam, atque ita defecerint à puro Dei cultu. Quum ergo contagio ingreſſa eſſet hanc urbem, paulatim etiam deinde ſerpere potuit ad vicinas gentes, ut tandem corruptum fuerit totum regnum Jehudah, ſicuti videmus, & ite-

rum repetet etiam Propheta fuſius aliis locis. Itaque non abs re hic vaſtationem denunciat civibus Lachis: quia auctores fuerant ſceleris ſuis gentilibus. Nam quamvis alienatæ eſſent decem Tribus à pura fide & ſincero cultu, regnum tamen Jehudah manebat integrum: jam Lachis aperuit januam ſuperſtitionibus impiis, & ſuperſtitiones ejus deinde per totam Judæam ſparſæ ſunt. Ergo dedit quas merita erat pœnas, quum abducta fuit in longinquum exilium, vel ſaltem non potuit ſe aliter eripere à periculo, niſi fugeret in longinquas regiones, idque celerrime. *Principium*, inquit, *ſceleris ipſa eſt filiæ Sion*. Quare? *Nam in te*, (hoc magis emphaticum eſt, ubi Propheta convertit ſermonem ad ipſam Lachis) *in te*, inquit, *inventæ ſunt transgreſſiones Iſraël*. Sequitur,

14. Propterea mittes dona ſuper Moreſeth (*vel propter Moreſeth*) Gath filiis Achzib in mendacium regibus Iſraël.

Hic Propheta etiam aliam ſpeciem attingit, quod ſtudebunt placare hoſtes muneribus, & volent ſe ac ſuos vicinos redimere. Sed hoc diſerte exprimit Propheta, ut eventus doceat nihil temere contigiſſe: quia hoc debuit magis convincere homines cæcos & obſtinatos, quum viderent longo ante tempore fuiſſe prædictum quicquid reipſa experiebantur. Hæc igitur eſt ratio cur hic ſpecies multas enumeret Propheta, ut magis dilucida ſit & perſpicua Dei manus, ubi cœperit ſpecialiter hæc omnia implere, quæ nunc verbis prædicit. *Tu*, inquit, *mittes munera ad Moreſeth Gath*: hoc eſt, propter vicinam urbem. Et vocat *Moreſeth Gath*, ut diſtinguat eam ab alia urbe ejuſdem nominis. *Mittes* ergo *munera ſuper Moreſeth Gath filiis Achzib in mendacium*. אכזיב nomen eſt deductum à mendacio. Eſt igitur concinna paronomaſia, quum dicit, Mittes dona filiis אכזיב לאכזב, hoc eſt, Mittes munera filiis mendacii in mendacium. Nomen urbs illa à fallaciis vel dolis nacta fuerat. Dicit autem *in mendacium fore regibus Iſraël*: quia filios Iſraël nihil juvit placaſſe illos muneribus, vel ſtuduiſſe pertrahere in ſuas partes, quemadmodum alii aliorum conducunt operas. Sic ergo dicit fore in mendacium regibus Iſraël, quia nihil profecerunt, etiamſi haberent multos auxiliarios. Alii active ſumunt, quod ſcilicet reges Iſraël prius fefellerant cives Achzib. Sed illud minus eſt probabile. Ego igitur inclino potius in diverſam ſententiam, quod etiamſi magna pecunia ſibi concilient cives Lachis ſuos vicinos, præſertim populum Achzib, hoc tamen fore inutile, quia erit *in mendacium populo Iſraël*: vel forte alius eſt Prophetæ ſenſus, quod ſcilicet jam voluerant auxilium ferre regibus Iſraël cives Achzib, & fruſtra. Nam Lachis erat non ex primis urbibus quas expugnarunt Aſſyrii: ſed erat in ipſo regno Jehudah, vel in ingreſſu. Credibile igitur eſt reges Iſraël uſos fuiſſe auxilio populi illius, & tamen non fuiſſe adjutos. Jam, quia tentabant etiam cives Lachis ſe eximere è manu hoſtium tali ſubſidio, Propheta deridet talem ſtultitiam: quia ſcilicet non ſapiant experientia. viderant enim ſuis oculis ſubſidium illud fuiſſe inutile regibus Iſraël, & fallax. Debebant ergo potius aliam inire rationem, quam ſe conjicere in eaſdem fallacias. Ego non poſſum hodie abſolvere.

Da omnipotens Deus, ut tot exemplis iræ tuæ moniti, quorum voluiſti extare memoriam uſque ad finem mundi, inde diſcamus quam formidabilis ſis judex contra obſtinatos: da, inquam, ne obdureſcamus hodie ad hanc doctrinam, quæ nobis recitatur per os Prophetæ tui, ſed ſtudeamus te ita nobis placare, ut præteritis omnibus hominibus recta nos offeramus tibi, ita ut freti ſola tua miſericordia, quam nobis pollicitus es in Chriſto, non dubitemus te nobis fore propitium, & ſic tangamur ſpiritu veræ reſipiſcentiæ, ut ſi fuimus alii aliis in malum exemplum & ſcandalum, ſimus potius duces ad rectam viam ſalutis, & ita quiſque ſtudeat proximos ſuos juvare vita recte compoſita, ut ſimul perveniamus ad beatam illam & cœleſtem vitam, quam nobis peperit ſanguine ſuo unigenitus Filius tuus, Amen.

PRÆLECTIO TERTIA IN MICHÆAM PROPHETAM.

CAP. I.

15. Adhuc poſſeſſorem mittam tibi habitatrix Mareſah, uſque ad Adullam veniet gloria Iſraël.

Hic Propheta minatur patriæ ſuæ, quemadmodum aliis urbibus. Diximus enim oriundum fuiſſe ex urbe Mareſah. Jam non parcit etiam ſuis gentilibus: quia ſicuti coram Deo non eſt acceptio perſonarum, ſic etiam ſervos Dei oportet clauſis oculis libere agere, ita ut neque favore, neque odio huc vel illuc flectantur, ſed ſequantur æquabili tenore quicquid Dominus præcipit. Hoc ſpiritu videmus Michæam fuiſſe præditum, ubi nunc objurgat gentiles ſuos, ſicuti aliis hactenus fecit. Eſt autem alluſio ad nomen Mareſah, quia à ירש deductum eſt, & proprie tantundem valet ac Poſſeſſio. Jam dicit Propheta, *Mittam tibi* הירש: nomen ab eadem radice deducitur. Cæterum ſignificat etiam Moraſthitas venturos in poteſtatem hoſtis non minus quam vicinos, de quibus antehac loquutus eſt. Dicit, *Uſque ad Adullam*. Fuit etiam hæc civitas in tribu Jehudah, ut ſatis notum eſt. Quidam vero ſubaudiunt nomen hoſtis, & כבוד ponunt in genitivo caſu: Veniet hoſtis gloriæ Iſraël uſque ad Adullam. ſed illud coactum eſt. Alii ſecus exponunt, quod ſcilicet gloria Iſraël ventura ſit in ignominiam: quia ſcimus Adullam fuiſſe ſpecum. Quoniam igitur erat locus obſcurus, ut illi exiſtimant, Propheta hic denunciat totam gloriam Iſraëlis opertam fore ignominia, quia ſcilicet dignitas & opulentia, qua gloriabantur, perdet ſtatum priſtinum, ita ut nihil differat ab ignobili ſpelunca. Si cui probatur hic ſenſus, ego non contendo. Alii tamen putant ironice Prophetam loqui, & appellative ita vocari Aſſyrium, quod ſcilicet tota gloria & dignitas Iſraël per ipſum auferenda eſſet. Sed nihil opus eſt reſtringere ad hoſtes. Accipio igitur ſimplicius, ſed tamen ironice; quod gloria, id eſt, deformitas aut vaſtitas Iſraël perveniet uſque ad Adullam. Sed quid ſi appoſitive legamus, Perveniet uſque ad Adullam gloriam Iſraël? Neque enim, ut ſomniant illi interpretes quos dixi, Adullam fuit obſcura, ſed nominatur etiam inter urbes notiſſimas poſt reditum & reſtitutionem populi. Quum ergo tota regio vaſtata eſſet, ſuperſtes

fuit

fuit urbs illa cum paucis, ſicuti legimus Nehemiæ undecimo capite. Poteſt igitur fieri, ut Propheta vocaverit Adullam gloriam Iſraël: quia ſita erat in loco tuto, ut putarent incolæ ſe munitos valido præſidio, & ita non eſſe expoſitos violentiæ hoſtium. hic ſenſus etiam eſſet probabilis. Sed tamen quoniam gloria Iſraël poteſt accipi ironice pro calamitate vel opprobrio: ſiquis magis probet illam interpretationem, ſequatur. Ego tamen magis inclino in illam partem, quod dicat Propheta venturum hoſtem uſque ad Adullam, quæ erat gloria Iſraël, quod ſcilicet urbs illa eſſet quaſi in penetrali Judææ, ut difficilis eſſet acceſſus hoſtibus: niſi forte quis malit hic renovari memoriam veteris hiſtoriæ, quia David illic latuerat in ſpelunca, & habuerat ſuum præſidium. Nec dubium eſt quin locus ab eo tempore obtinuerit famam aliquam. Poteſt igitur notari celebritas illa, quam dixi, quum Adullam vocatur gloria Iſraël. Sequitur,

16. Decalvare, & tondeas te ſuper filiis deliciarum tuarum, dilata calvitium tuum ſicut aquila, quoniam migrarunt abs te.

Concludit tandem Propheta, populo nihil reſtare præter luctum: quia Dominus totam regionem vaſtare & perdere inſtituit. Solebant autem, quemadmodum aliis locis vidimus, vel radere capillos, vel etiam evellere in luctu. Et verbum קרחי quidam exiſtimant tantundem valere acſi diceret Propheta, Crines tuos diſcerpe, lacera, evelle: poſtea quum addit וגזי, hoc referunt ad tonſuram, quæ fit novacula. Quicquid ſit, hic Propheta intelligit tam calamitoſum fore ſtatum populi, ut ubique nihil cernatur præter lamentationes. *Decalvare*, inquit, *ſuper filiis deliciarum tuarum.* Hic tacite exprobrat Propheta tolerantiam Dei perverſis hominibus, qui non reſipuerent ad tot admonitiones. Unde enim deliciæ iſtæ niſi ex nimia Dei indulgentia, quod Iſraëlitis, quantumvis immorigeri eſſent, pepercerat longo tempore? Hic ergo Propheta oſtendit nimis diu abuſos fuiſſe patientia Dei, quum ita in ſuis deliciis fuerint demerſi. Nunc, inquit, *dilata calvitium tuum ſicut aquila.* Solent aquilæ exuere plumas: ideo hic comparat aquilis calvos homines, quaſi dicat Expilatos. Ergo ut implumes ſunt certo tempore aquilæ, donec pennas recuperent; ſic etiam vos eritis expilati, nempe propter luctum. Dicit, *Quia migrarunt abs te.* Significat ergo Iſraëlitas fore exules, ut terra ipſa deſerta maneat. Jam ſequitur,

CAPUT II.

VÆ cogitantibus iniquitatem, & fabricantibus malitiam ſuper cubilibus ſuis, quum illuxerit mane exequentur eam, quia eſt ad potentiam manus ipſorum.

HIc Propheta non tantum contra Iſraëlitas agit, quemadmodum multi perperam reſtringunt hanc partem doctrinæ ad decem Tribus: ſed potius exequitur munus ſuum etiam apud Judæos. Hic autem non tractat, quemadmodum proximo capite, de idololatria: ſed potius invehitur in peccata, quæ ſpectabant ad ſecundam Tabulam. Quoniam ergo non modo cultum Dei polluerant Judæi, ſed etiam frena laxaverant multis injuriis, ita ut ſcelerate cum proximis agerent, nullum eſſet apud eos ſtudium æquitatis vel juſtitiæ: ideo hic Propheta invehitur contra avaritiam, rapinas, crudelitatem, quemadmodum videbimus. Eſt autem concio plena vehementiæ: quia minime dubium eſt tunc graſſatam fuiſſe licentiam in populo, ut tam ſevere & acriter coargui neceſſe fuerit. Interea promptum eſt colligere, ſermonem præcipue dirigi ad ipſos proceres, qui auctoritate pollebant, & ea etiam abutebantur ad nocendum: *Væ*, inquit, *cogitantibus iniquitatem, & fabricantibus malum ſuper cubili ſuo, ut quum mane illuxerit exequantur eam.* Hic graphice depingit Propheta ingenium & mores eorum qui dediti ſunt lucro, & tantum ſeſe augere ſtudent. Dicit enim eos *ſuper cubili ſuo cogitare iniquitatem, & fabricare malitiam.* Certe tempus nocturnum non modo datum eſt hominibus ad quietem, ſed debent etiam uti iſto Dei beneficio in hunc finem, ut ſeſe contineant ab omni pravitate. Nam qui vires quiete nocturna reficit, debet etiam apud ſe expendere hoc eſſe indignum, & quaſi prodigioſum, ſi interea machinetur fraudes & dolos & injurias. Quorſum enim Dominus vult nos quieſcere, niſi ut ceſſent apud nos omnia maleficia? Propheta igitur hic oblique oſtendit eos qui intenti ſunt fabricandis dolis dum quieſcendum erat, quaſi pervertere ordinem naturæ: quia ſcilicet non reſpiciunt ad quietem illam, quæ ideo data eſt hominibus, ut ne alii aliis moleſti ſint, vel eos fatigent. Poſtea declarat quantus fuerit nocendi ardor: ut *quum mane illuxerit exequantur eam*, inquit. Poterat ſimpliciter dicere, Ut interdiu efficiant quæ noctu agitarant ſecum: ſed dicit, Mane: quaſi diceret ipſos fervere avaritia, ut ne momentum quidem ceſſent: ſimulac illuxit, ſtatim parati ſunt ad patrandas fraudes, quæ noctu illis in mentem venerant. Tenemus ergo nunc in ſumma Prophetæ mentem. Jam adjungit, *Quia eſt ad potentiam manus ipſorum.* Quia לאל Deum ſignificat, ideo vetus interpres reddidit, Contra Deum eſt manus ipſorum: ſed non convenit illa interpretatio. Alii ſecus exponunt, Quod fortitudo ſit in ipſorum manu: & omnes fere linguæ Hebraicæ periti in hoc conſentiunt. Quibus ergo facultas ſuppetit, illos putant hic notari à Propheta, quod ſcilicet ſicuti pollent viribus, ita etiam audeant quidvis perpetrare: ſed loquutio Hebraica ab ipſis non redditur, quod valde miror, & in re tam clara mirum eſt ita eos hallucinari. neque enim habetur, Fortitudo eſt in ipſorum manu, ſed manus ipſorum eſt ad fortitudinem. Eadem loquutio habetur tertio Proverbiorum capite, & illic etiam falluntur multi interpretes. Vetat enim illic Solomon nos ſubtrahere proximo jus ſuum. Quum manus tua, inquit, ad potentiam erit: dicunt, quum erit facultas ad juvandum miſeros. Sed nihil tale intelligit Solomon: hoc enim magis vult, Quum prompta erit manus tua ad exequendum aliquod maleficium, abſtine tamen. Sic etiam Deuteronomii vigeſimo octavo dicit Dominus, Quum abripiet hoſtis ſpolia tua, non erit manus tua ad potentiam, id eſt, non audebis digitum movere, ut compeſcas hoſtes tuos: ubi te diripient, ubi ſubſtantiam tuam expilabunt, tamen tu ſtabis attonitus, quia manus tua erit quaſi mortua. Nunc venio ad præſentem locum: *Manus eorum eſt ad potentiam.* Intelligit Propheta eos audere experiri quid valeant, & ideo ſemper manum ipſorum promptam eſſe: quoties ſpes eſt lucri vel quæſtus, ſtatim manus eſt parata. Quare? neque enim retinentur vel timore Dei, vel aliquo reſpectu juſtitiæ: ſed manus eorum eſt ad potentiam, hoc eſt, quantum poſſunt tantum audent. Videmus ergo nunc quis ſit ſenſus Prophetæ, quantum ego judico. Poſtea adjungit,

2. Et concupiverunt agros & rapiunt, & domos, & auferunt: & vexant virum & domum ejus, virum & hereditatem ejus.

Hic confirmat Michæas ſuperiorem ſententiam. Exprimit enim quam alacriter ferantur ad rapiendum avari: imo quam effrenis ſit ipſorum cupiditas ad nocendum. Simul, inquit, atque aliquid concupiverunt, rapiunt. Et hinc colligimus, proximo verſu Prophetam conjunxiſſe perverſa conſilia cum impetu agendi, quaſi dixiſſet eos ſedulo quidem fabricare ſuas fraudes, ſed ut ſolertes ſunt in ſuis conſiliis, ita etiam non minus audaces eſſe & temerarios ad exequendum. Eandem ſententiam nunc aliis verbis repetit, ut melius confirmet. *Simulac concupiverunt agros, rapiunt: ſimulac concupiverunt domos, auferunt*: ſimul virum & domum ejus vexant, hoc eſt, nihil ipſis elabitur, quia quanta eſt ipſorum malitia ad fraudes, tam furioſa eſt etiam eorum libido ad quidvis tentandum. Atque utinam hodie non tam crudelis eſſet avaritia, ut paſſim extaret quaſi in ſpeculo exemplum hujus doctrinæ. Sed noſtrum eſt diligenter expendere, quantopere diſplicea nt Deo fraudes & rapinæ, ut quiſque noſtrûm ab omni injuria ſibi temperet, ſed ita regamur ſtudio æquitatis, ut quiſque bona fide cum proximis ſuis agat, nihil appetat injuſte, & frenet etiam ſuas cupiditates: ſiquando titillet Satan animos, ut ſtatim hæc doctrina ſit nobis inſtar freni ad nos cohibendos. Sequitur,

3. Propterea ſic dicit Jehova, Ecce ego cogitans ſuper familiam hanc malum, quod non ſubmovebitis ab illo (*ſic eſt ad verbum: à quo non ſubmovebitis*) colla veſtra, & non ambulabitis in altitudine, quia tempus malum hoc.

Jam oſtendit Propheta, fruſtra avaros ita deditos eſſe & fraudibus & rapacitati, quia eventus ſpem ipſorum fruſtrabitur. Deus enim in cœlo ipſos expectat. Ubi autem ſollicite multas opes coacervarint, Deus merito eas prorſus diſſipat. Huc igitur ſpectat iſta denunciatio: *Ecce*, inquit, *ſic dicit Jehova, Ego cogitans malum ſuper familiam hanc*. Eſt concinna antitheſis inter Deum & Judæos, inter cogitationes illorum malas, & inter cogitationem Dei non malam per ſe, ſed tamen quæ malum ipſis adducet. Deus, inquit, ſic loquitur, Ecce ego cogito: quaſi diceret, Dum vos in cubilibus veſtris ita ſatagitis, dum volvitis multa conſilia, dum fabricatis multas aſtutias, putatis me dormire, putatis me nihil cogitare interea: imo ſunt etiam mihi cogitationes diverſæ. Ergo ſi ita vigilatis in malitia, ego etiam vigilo in judicio meo. Nunc ergo tenemus quid ſibi velint hæc verba, ubi pronunciat Deus ſe cogitare malum: non ſicuti loquutus eſt Propheta de avaris & rapacibus: ſed malum hoc ad pœnam refertur, quod ſcilicet proprium ſit Dei munus, rependere ſingulis quod meriti ſunt, deinde reddere etiam eadem menſura quicquid aliis mali intulerint. *Non ſubmovebitis*, inquit, *colla veſtra inde*. Quoniam hypocritæ ſemper impunitatem ſibi promittunt, & captant etiam ſubterfugia, ubi Dominus illis minatur, Propheta hic affirmat, etiamſi omnes exitus captent, tamen conſtrictos jam teneri Dei manu, ita ut non poſſint deſtinatum ſibi onus excutere. Et hæc juſtiſſima eſt eorum merces, qui ſubducunt colla ſua, ubi Deus eos ad obſequium vocat. Qui ergo recuſant Deo parere, ubi voluntarium obſequium ab illis exigit, tandem violenter trahentur non ad jugum, ſed ad onus, quod prorſus eos obruet. Quiſquis ergo ſponte collum Dei jugo non ſubmiſerit, ille ſentiet tandem quantum & quam horribile onus paratum ſit indomitis cervicibus. *Non poteritis ergo colla veſtra ſubducere, & non ambulabitis in altitudine*. Clarius adhuc exprimit quod attigi, nempe eos ita faſtu fuiſſe elatos, ut deſpicerent omnes minas & omnem doctrinam. Et ſuperbia hæc cauſa eſt pervicaciæ, quia niſi ſecuritas homines falleret, ſtatim flecterentur, ubi Deus illis minatur. Hæc igitur ratio eſt, cur Propheta adjungat, *Non ambulabitis amplius in altitudine*, hoc eſt, ſuperbia veſtra tunc neceſſario ſuccumbet. *Quia tempus malum erit*. Significat, quemadmodum jam dixi, eos, qui manent rigido collo & inflexibili coram Deo, ubi jugum ſuum imponere vult, tandem ceſſuros vi, utcunque ſint rebelles. Quare? Frangentur enim, quia corrigi non potuerunt. Poſtea ſequitur apud Prophetam,

4. In die illo tollent ſuper vos parabolam, & lugebunt (*ſunt quidem verba ſingularis numeri*, נשא & נהה, *cæterum indefinita eſt loquutio. Nam qui ſubaudiunt conductitios homines, quibus ſolebat injungi hæc provincia, ut lugubres cantus conciperent ad cladem aliquam, neſcio an aſſequuti ſint mentem Prophetæ: tamen hoc relinquo in medio, quia alibi vidimus fuiſſe tunc cantores in luctu, quemadmodum etiam alibi, erant Præficæ, hoc eſt, mulieres lamentatrices. Cæterum malo indefinite accipere. Tollent igitur ſuper vos parabolam, & lugebunt*) luctu lamentabili, (*vel lamento lamenti*) dicendo, Vaſtando vaſtati ſumus: partem populi mei mutavit: quomodo tollent à nobis ad reſtituendum? agrôs noſtros dividet.

Eſt abruptus ſermo, ideoque variant interpretes. Sed hic videtur mihi eſſe ſimplex ſenſus Prophetæ: *In die illa tollent ſuper vos parabolam*: hoc eſt, non erit hæc vulgaris calamitas, ſed paſſim volitabit rumor, ita ut futuri ſint in commune proverbium omnibus Judæi. hoc unum eſt. Quantum attinet ad nomen משל, ſcimus accipi pro ſententiis gravibus, quemadmodum vocant Latini Sententias, vel dicta, & Græci etiam ἀποφθέγματα. Cæterum, ideo graves ſententiæ apud Hebræos ſic vocantur, quia ut plurimum, ubi quis ſtylum attollit, figuras multas permiſcet, ut illuſtrior ac ſplendidior ſit oratio. Et ideo multi vertunt, αἰνίγματα. De ſenſu Prophetæ ſatis convenit, quod ſcilicet proverbia paſſim volitabunt contra Judæos, nempe quemadmodum calamitas aliqua ſolet deſcribi lugubri carmine. *Lugebunt* ergo *lamento lamentabili ſuper vos*. Sed hoc totum debet referri in eum finem, quod ſcilicet clades iſta futura ſit celebris ubique. Videtur tamen poſtea tribuere hunc ſermonem Judæis ipſis: & hoc non male convenit. Cæterum indefinita eſt loquutio: quoniam non de uno vel altero homine loquitur Propheta, ſed de toto populo. Ergo lugebunt omnes in hunc modum, *Vaſtando vaſtati ſumus: partem populi mei mutabit*. (Eſt futurum tempus loco præteriti. *Mutavit ergo partem populi mei*.) Hoc tam ad Deum quam ad Aſſyrium referri poteſt. Deus enim præcipuus fuit auctor hujus cladis: ille eſt qui mutavit partem populi. Quemadmodum enim ſua benedictione populum illum diu proſpere foverat,

ſic

ſic etiam poſtea mutavit illius ſortem. Sed quoniam Aſſyrii fuerunt miniſtri vindictæ Dei, non incommode etiam hoc transferri poterit ad eorum perſonam. *Abſtulit* ergo *partem populi mei*. Deinde, *Quomodo recedere fecit*, vel abſtulit, vel removit *à me* (mihi, proprie) *ad reſtituendum?* שובב, quanquam poteſt eſſe à radice שוב, quod idem valet. *Quomodo* ergo *abſtulit à nobis ad reſtituendum agros noſtros, divisit*, id eſt, quos diviſit? Subaudiendum enim eſt relativum אשר, deinde mutatio eſt temporis. Nunc, quia ſermo conciſus eſt, ideo dixi varias interpretationes afferri. Ego tamen ſimpliciter exiſtimo hoc Prophetam velle, *Quomodo ad reſtituendum abſtulit agros noſtros, quos diviſit?* Hoc eſt, quam procul abſumus à reſtitutione? quia procul remota eſt omnis ſpes, ubi Dominus ipſe diviſit inter extraneos terram noſtram & poſſeſſionem: vel hoſtes inter ſe partiti ſunt, ut ſolet fieri poſt victoriam, quiſque enim partem ſuam rapit. Sive ergo de Aſſyriis hoc intelligere placeat, ſive potius ad ipſum Deum referre, tamen non obſcura videtur mens Prophetæ, quod ſcilicet non tantum expulſi ſunt Judæi à patria, ſed etiam ablata ſpes reditus, quandoquidem hoſtes inter ſe partiti ſunt eorum hereditatem, ut jam fruſtra de reſtitutione cogitent qui expulſi ſunt. Ego autem loquor quaſi de re præſenti, quia etiam Propheta hic inducit Judæos cum iſta lamentatione: Actum igitur eſt de nobis, & nullum eſt malo huic remedium, quia non modo exuti ſumus omnibus fortunis, & ejecti à patria, ſed etiam non poterunt nobis reſtitui quæ ablata ſunt ab hoſtibus, quia jam inter ſe partiti ſunt poſſeſſionem noſtram, & quiſque partem ſuam & locum occupavit, ſicuti ſuam hereditatem. Itaque non modo nobis erit negotium cum Aſſyriis in genere, ſed cum ſingulis: quia quiſque quod nunc occupat & poſſidet, volet tueri, quaſi ſibi debitum & quaſi hereditarium. Quidam ex hoc verſu conjiciunt potius ſpectare ſermonem ad Iſraelitas, qui fuerunt ſine ſpe reditus ejecti. Sed nulla neceſſitas cogit hoc de Iſraelitis exponere. Neque enim Propheta hic denunciat quid facturus ſit Deus, ſed qualis futura ſit illa clades, ſi in ſe æſtimetur. Diximus autem jam pluribus locis, Prophetas, dum minantur, tantum ſonare clades, exitia, mortes, interitus: poſtea autem adjungere promiſſiones in ſolatium. Sed diſtincta eſt ratio docendi. Quoniam ſcilicet Prophetæ, quum terrere volunt hypocritas, & obſtinatos homines, proponunt duntaxat iram Dei, & nihil ſpei reſiduum faciunt: poſtea autem ubi in bonam ſpem erigunt qui ita ſunt humiliati, aliunde petunt ipſi ſolatium, nempe à Dei bonitate. Ergo poterit hoc apte & vere de Judæis ipſis exponi. Sequitur,

5. Itaque non erit tibi projiciens funiculum ad ſortem in cœtu Jehovæ.

Hic concludit Propheta ſermonem illum, quod ſcilicet Deus ſic purgabit Judæam perverſis & ſceleratis incolis, ut non futura ſit amplius certa unius populi hereditas. Scimus enim hac lege datam fuiſſe terram illam poſteris Abrahæ, ut eſſet illis hereditaria. Scimus etiam jactos fuiſſe funiculos quoties redibat annus Jubilæi, ut quiſque rediret in poſſeſſionem paternam. Jam Propheta teſtatur ablatum hoc beneficium eſſe Judæis, ne poſthac hereditario jure poſſideant terram: quia ſcilicet Deus, qui dederat, nunc abſtulit. *Non erit* ergo *projiciens funiculum ad ſortem in cœtu Jehovæ*. Et videtur hic pungere Judæos, quum vocat eos cœtum Jehovæ. Adoptaverat quidem eos, erant populus Dei: ſed ſignificat jam eſſe abdicatos, quoniam ſe indignos reddiderint illa gratia. Negat igitur, ironice vocando *cœtum Jehovæ*, retinere nomen illud jure ſuo, quoniam ſcilicet ſeipſos abdicaverint illa dignitate. Nunc ſequitur,

6. Ne ſtilletis: ſtillabunt: non ſtillabunt illis, *(hoc eſt, ſuper eos)* non apprehendet ignominias. *(ſic eſt ad verbum.)*

Hic etiam brevitas ſermonis cogit interpretes inter ſe variare. Quidam ita accipiunt, *Ne ſtilletis, ſtillabunt*, hoc eſt, loquuntur Judæi adverſus Prophetas, & minaciter quaſi pro imperio vetant ipſos verbum facere. Stillandi verbum Hebræis tantundem valet ac Loqui: ſed tamen ſolet magis aptari ad graves ſermones, quam ad vulgares & quotidianos. Siquis intelligat, *ſtillabunt*, id eſt, loquentur Judæi, notat Propheta eorum arrogantiam, quod certare audeant cum Dei Prophetis, ut eos compeſcant, vel cogant in ordinem. Et videmus impios homines ſeſe ita efferre, quum volunt Prophetis Dei auferre docendi libertatem: inſurgunt enim acſi ipſi bis & ter Prophetæ eſſent. Sic etiam hoc loco, *Ne ſtilletis*, hoc eſt, loquuntur Judæi, Ne prophetent ſervi Dei. Alii autem ſubaudiunt relativum, *Ne ſtilletis* his qui ſtillant: quaſi diceret, Prophetas Dei non ferunt impii homines, atque ita prohibent & arcent ipſos à loquendo, quantum in ipſis eſt. Alii autem ſic diſcernunt, *Ne ſtilletis, non ſtillabunt*, quaſi ab una parte hic loquantur Judæi, ab altera autem Deus ſeſe opponat Judæis. *Ne ſtillent*, hæc eſt vox impii & rebellis populi, qui libenter à ſe abjiceret & excuteret omnem doctrinam. Deus autem occurrit ex adverſo, *Imo ſtillabunt*: vetatis, ſed tamen non eſt veſtrum: ego illos miſi: volo etiamſi centies furere & crepare debeatis, ut tamen pergant in ſuo curſu. Videmus ergo quam variæ ſint expoſitiones. Jam etiam in reliqua parte verſus non magis inter ſe conſentiunt interpretes. *Non ſtillabunt*; de hac particula ſatis convenit, quod Deus ſignificet jam fore finem omnibus prophetiis. Quare? quoniam ſcilicet nolit ridiculos eſſe ſervos ſuos, neque eos ignominiæ ſubjicere. hic eſt verus ſenſus. Alii tamen in diverſam partem trahunt, quaſi adhuc continuet Propheta ſermonem ſuum, *Non ſtillabunt*, ne apprehendat ignominias. Putant enim impii, ſi occluſerint os Prophetis, jam ſibi omnia licere, & ſua flagitia fore occulta, denique ſua vitia non ventura in rationem: quaſi vero ſcelera per ſe non ſatis probroſa eſſent, etiamſi Deus nullos Prophetas mittat, etiamſi nulla ſit objurgatio. Sed tamen ita ſtupidi ſunt profani homines, ut putent ſe immunes fore ab omni probro, ſi modo taceat Deus, hoc eſt, ubi à ſe repulerint omnem doctrinam. Putant ergo quidam ſic debere intelligi hunc Prophetæ locum. Sed ego exiſtimo ſimpliciter ita velle, quia paulo ante dixerat, *Ne ſtilletis ſtillantes*: hoc eſt, Vos Prophetæ ne amplius ſitis nobis moleſti: cur obtunditis nobis aures? non poſſumus amplius ferre hanc veſtram audaciam: tacete igitur. ita præciſe Judæos pro imperio loquentes induxit, acſi eſſet in eorum arbitrio Prophetis ponere obſtaculum, ne munere ſuo fungantur. Jam ſequitur reſponſio ipſius Dei, meo judicio: Non ſtillabunt, ne apprehendat ignominias: quando video doctrinam meam vobis eſſe intolerabilem, video tale & tam indignum faſtidium: ego igitur auferam vobis Prophetas meos. Quieſcam ergo & tacebo poſthac. Quare? Ego enim nihil proficio, imo ego ſubjicio ignominiæ Prophetas meos: ludunt enim operam loquendo, fundunt verba inania ſine ullo fructu. Nam eſtis

prorſus deſperati. Imo quum à vobis contumelioſe vexentur, & deterior ſit eorum conditio, quam ſi omni ſcelerum dedecore operti forent. Quum ergo ſubjiciam ignominiæ Prophetas meos, ego nolo eos ſubire veſtra ludibria. Ceſſabunt igitur omnes, nec amplius prophetabunt. Sed nihil deterius nec magis horrendum potuit minari Dominus Judæis, quam hanc libertatem, ne ſcilicet amplius quidquam audirent quod eos gravaret: hæc enim eſt ultima perditio, ubi Deus laxat nobis habenas, & ubi patitur effreni licentia nos ruere quaſi præcipites, acſi prorſus Satanæ nos traderet in mancipium. Quum ita ſit, ſciamus hanc eſſe horrendam comminationem, ubi dicit, *Non ſtillabunt*, ne ſint poſthac ignominioſi.

Da omnipotens Deus, quando mutua inter nos æquitate, & charitatis ac benevolentiæ officiis probare vis noſtram patientiam, ne ſimus alii aliis lupi, ſed ita vere oſtendamus nos eſſe filios tuos, ut colamus quæcunque præcipis inter nos rectitudinis & beneficentiæ officia, & ita proſequamur toto vitæ noſtræ curſu hanc æquitatem, ut tandem fruamur illa beatitudine, quæ nobis repoſita eſt in cœlo per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO QUARTA
IN
MICHÆAM PROPHETAM.

CAP. II.

7. Qui diceris domus Jacob, an redactus eſt in anguſtias Spiritus Jehovæ? *(alii vertunt, An imminutus eſt Spiritus Jehovæ?* קצר, *ſignificat Coarctare, ſignificat etiam imminuere apud Hebræos. Sed melius quadrat ſenſus ille quem reddidi)* an hæc ſunt opera ejus? annon verba mea bona ſunt cum eo, *(hoc eſt, apud eum)* qui rectus ambulat?

JAm ſeverius objurgat Propheta Iſraëlitas, quod vellent imponere legem Deo & ejus Prophetis, nec poſſent ferre liberum doctrinæ curſum. Proximo enim verſu oſtendit Iſraëlitas tanta ſuperbia fuiſſe inflatos, ut vellent cum Deo paciſci: Ne ſtilletis, dicebant. quaſi vero ſit in arbitrio hominis Deum regere. Et ideo nunc Propheta iterum repetit, *An eſt coarctatus Spiritus Jehovæ?* inquit. Acſi diceret, Videte quorſum tendat, & quouſque graſſetur hæc veſtra ſuperbia. Vultis enim ſubjicere vobis & veſtræ libidini Spiritum Dei: neque enim Prophetas à ſeipſis loqui certum eſt, ſed Dei juſſu & mandato. Quum ergo Prophetæ ſint Spiritus ſancti organa, quiſquis tentat eos compeſcere, imperium ſibi uſurpat ſupra Deum, & quodammodo vult captivum reddere Spiritum ejus. Qualis enim erit Spiritus poteſtas, niſi coarguat libere hominum vitia, & quicquid Dei juſtitiæ adverſatur damnet? Ubi hoc tollitur, jam nihil relinquitur juris Spiritui ſancto. Videmus ergo quid ſibi velit hoc loco Propheta. Oſtendit quam veſana ſit iſta temeritas, quod Iſraëlitæ volunt Prophetis injungere ſilentium: quaſi vero ipſis liceat dominari ſupra Spiritum Dei, & eum in ordinem cogere: *An eſt coarctatus Spiritus Domini?* Et notanda eſt iſta loquutio, quæ non vulgarem emphaſin continet: quia revocat Propheta obſtinatos iſtos homines hac objurgatione ad auctorem ipſum doctrinæ: quaſi diceret non fieri hominibus injuriam, nec bellum cum ipſis ſuſcipi, ubi doctrina prohibetur, ſed ſpoliari Deum ipſum jure ſuo, & auferri ſuam libertatem, ne judicium ſuum in mundo exerceat Spiritus ſui virtute. Cæterum, hic Propheta ironice mordet Iſraëlitas, quum dicit, *Quæ diceris domus Jacob, an redactus eſt in anguſtias Spiritus Jehovæ?* Nam ſi profani homines, qui nunquam guſtaverant pietatis doctrinam, & quibus etiam nihil patefactum fuerat de cœleſtibus myſteriis, dixiſſent nihil ſibi eſſe negotii cum Prophetis, hoc fuiſſet magis tolerabile. Quid enim mirum ſi homines ſtupidi repudient omnem doctrinam? Sed hoc fuit prodigioſum, quod Iſraëlitæ, qui gloriabantur nomine Dei, tam contumaciter inſurgere audebant contra Prophetas. Semper habebant genus ſuum in ore, quaſi excellerent ſupra reliquum mundum, & eſſent ſeparati ab aliis, ſanctaque progenies. Dicit igitur Propheta, Vultis nominari domus Jacob: quænam eſt veſtra præſtantia & dignitas, niſi quod electi eſtis à Deo in peculium? Si ergo aſſueti eſtis Dei doctrinæ, quænam iſta rabies eſt ac furor, quod non poteſtis ferre ejus Prophetas, ſed vultis illis os occludere? Tenemus ergo vim hujus ironiæ, quum dicit Propheta *vocari domum Jacob.* Interea videtur etiam oblique notare ipſos, quaſi ſint adulterinum genus: quemadmodum ab aliis Prophetis vocantur Amorrhæi, vocantur Sodomitæ. Ita etiam hoc loco Propheta dicit, Vos quidem eſtis domus Jacob, ſed titulo tenus. Erant enim ita degeneres, ut falſo obtenderent nomen ſancti Patriarchæ: imo falſo & mendaciter jactarent ſe originem ducere à ſanctis viris, quum eſſent quaſi putrida membra. Quoniam ergo ſic deſciverant à pietate Abrahæ & aliorum Patrum, ideo dicit Propheta, *Tu diceris* quidem, ſed non es. Poſtea adjungit, *An hæc ſunt opera ejus?* Hic vocat Iſraëlitas ad examen, quaſi diceret, Quî fit, ut tam moleſti ſint ac graves Prophetæ, niſi quia vos acriter objurgant, denunciant judicium Dei? Sed Deus quodammodo ita ſevere & rigide vobiſcum agere cogitur, niſi velit naturam mutare. Jactatis vos eſſe ejus populum: quomodo autem vivitis? *An hæc ſunt ejus opera?* hoc eſt, an vitam veſtram exigitis, & formatis mores veſtros ad Legem vobis ab eo poſitam? Quum ergo vita veſtra minime reſpondeat Dei vocationi, non mirum eſt ſi Prophetæ aſperius vos tractent. Deus enim ſemper manet ſui ſimilis: vos autem eſtis perfidi, & prorſus repudiaſtis fœdus, quod vobiſcum pepigerat. Ergo non debet vobis iniqua videri hæc aſperitas de qua conqueri ſoletis. Poſtea adjungit, *Annon verba mea bona ſunt cum eo, qui recte ambulat?* Hic expreſſius oſtendit Propheta, cur nuper ſciſcitatus ſit, an hæc eſſent opera Domini: comparat enim vitam ipſorum cum doctrina, quæ propter ſuam auſteritatem illis non placebat. dicebant ſermonem Propheticum eſſe nimis rigidum. Reſpondet hic Deus, ſermonem ſuum mitem, placidum eſſe, adeoque ſuavem, ſed piis ac bonis. Ergo culpam reſidere in ipſis, quod non ageret cum illis tam humaniter ut optaſſent. Hæc igitur ſumma eſt, ſermonem Dei, quia vitam & ſalutem affert hominibus, ſua natura mereri gratiam, nec poſſe etiam vel acerbum eſſe, vel durum, vel moleſtum piis & bonis: quia ſcilicet Deus illic explicet divitias ſuæ bonitatis. Videmus ergo, ut Deus hic rejiciat impiam calumniam à verbo ſuo: acſi diceret perverſas eſſe querimonias, quæ volitabant in populo illo, quia ſcilicet transferrent culpam ſcelerum ſuorum in ſermonem Dei. Dicebant Deum ſibi eſſe nimis rigidum. Atqui Deus hic pronunciat ſe mitem eſſe & huma-

humanum, & hanc eſſe etiam naturam verbi ſui, modo tractabiles ſint homines, neque ſua pervicacia extorqueant aliud, quam ipſe ſponte velit. Et hoc etiam idem intelligit David Pſal. 18. quum dicit Deum eſſe perverſum cum perverſis. Illo enim loco ſignificat ſe expertum fuiſſe ſummam in Deo bonitatem, quia ſcilicet docilem ſe & morigerum ei præbuerat. Ex oppoſito dicit, Deum eſſe perverſum cum perverſis, hoc eſt, ubi videt homines contumaciter reſiſtere, & obdurare colla ſua, tunc etiam ipſum induere quodammodo novum ingenium, & perverſe cum ipſis agere, hoc eſt, duriter, quemadmodum meretur ipſorum pervicacia: ut duro nodo (quemadmodum veteri proverbio dictum eſt) reſpondeat etiam durus cuneus. Jam ergo tenemus ſenſum hujus loci, quod ſcilicet *Dei verba bona ſint erga eos qui recte ambulant*, hoc eſt, ſpirent ſuaviſſimum odorem, nec aliud quam materiam veræ & ſolidæ lætitiæ afferant: quia ubi plena eſt felicitas, niſi dum nos Deus amplectitur in ſuum amorem? Hujus autem amoris teſtimonium nobis profertur in verbo. Culpa igitur in nobis eſt, ac nobis debet imputari, ſi verbum Dei non ſapiat. Alii ſecus exponunt hunc totum locum, acſi Propheta referret hic quæ ſolebant tunc jactari apud Iſraelitas. Volunt igitur narrationem eſſe mimiticam, quaſi induceret Propheta impios & rebelles ſeſe mutuo animantes ad contemptum verbi Dei: *Quæ diceris domus Jacob, an coarctatus eſt Spiritus Domini?* Scimus hypocritas ita excæcatos eſſe, vel ebrios prava confidentia, ut ſecure non dubitent abuti omnibus Dei beneficiis. Quia ergo contulerat magnam excellentiam Deus huic populo, poterant ita ſeſe acuere ultro & citro, Nonne ſumus filii vel poſteri Abrahæ? quid proderit nobis cenſeri ſacrum & electum genus, & peculiarem Dei populum, & ſacerdotium Legale, ſi ita ſerviliter tractamur? Videmus ut Prophetæ iſti contumelioſe nos proſcindant: ubi erit noſtra nobilitas, niſi oſtendimus nobis plus eſſe juris quam aliis gentibus? Putant igitur illi interpretes hunc eſſe ſenſum, obtendere omnes ſuas prærogativas, quo majore licentia reſpuant omnem doctrinam, & excutiant jugum. Quod autem dicit, *An Spiritus Dei diminutus eſt?* putant illi interpretes huc ſpectare, quaſi contenti illa ſolenni Dei promiſſione, quod ſcilicet eſſent ſanctum genus, nunc faſtuoſe contemnant alios Prophetas: An Spiritus ille Dei mortuus eſt, qui olim fuit interpres æterni fœderis, quod Deus pepigit nobiſcum? nonne teſtatus eſt nos ſibi fore in ſacrum & electum populum? Quid ergo nunc tentatis in nihilum redigere ſacrum illud oraculum Spiritus ſancti, quod inviolabile eſt? Poſtea, *An hæc ſunt opera ejus?* Vos nihil crepatis præter minas, interitus: denunciatis nobis multas clades. Atqui Deus eſt beneficus & liberalis natura ſua, patiens & miſericors: vos autem illum fingitis nobis tyrannum, hoc eſt, prorſus alienum à natura Dei. Tandem putant illi interpretes Deum ſubjicere exceptionem: Vera quidem eſſent hæc omnia, ſi apud vos ſtaret fides & auctoritas verbi mei. *Verba enim mea bona ſunt*: ſed non promiſcue quibuslibet, ſitis integri & ſinceri, ſentietis me humaniter, benigne & placide & ſuaviter agere vobiſcum: tunc ergo ceſſabit rigor iſte, qui vos tantopere offendit & exaſperat in verbo meo. Senſus ille poſſet aliquo modo eſſe tolerabilis: ſed quia perplexus eſt, ideo retineamus priorem illum, qui melius fluit. Nihil enim illic coactum eſt: quod Propheta derideat ſtultam arrogantiam populi, qui putabat ſe munitum eſſe privilegio, quia erat ſacrum Abrahæ genus. Reſpondet Propheta, titularem iſtam præſtantiam non obſtare, quominus libere jus ſuum Deus retineat, & exerceat poteſtatem ſuam virtute Spiritus. *Domus ergo Jacob, quæ diceris*, hoc eſt, titulo tenus: Spiritus Dei non eſt redactus in anguſtias. Quod ſi jactas te eſſe peculiarem populum Dei, hæcne ſunt opera Dei? hoc eſt, an vita tua vocationi reſpondet? Non mirum igitur, ſi Deus aſpere vos caſtiget verbo ſuo, quia nulla eſt in vobis docilitas, quæ locum præbeat ejus manſuetudini. Cæterum, quanquam hic exprobret Propheta ingratitudinem veteri populo, doctrina tamen hæc nobis apprime eſt utilis, ubi Deus pronunciat verbum ſuum bonum eſſe & ſuave piis omnibus. Diſcamus ergo nos offerre Deo morigeros: & tunc meram ſuavitatem & meras delicias nobis ſpirabit in verbo ſuo, hoc eſt, experiemur nihil eſſe magis optabile, quam paſci ſpirituali hoc cibo: & hoc erit nobis ſolidum gaudium, quoties Dominus aperiet os ſuum ad nos docendos. Cæterum ſiquando nos pungit ac vulnerat, atque adeo exaſperat verbum Domini, ſciamus hoc fieri noſtra culpa. Sequitur,

8. Et qui antehac populus meus, quaſi in hoſtem ſurrexit ex adverſo, veſtem decoris (*alii vertunt, pallium & tunicam: ſed quia nulla eſt copula, & אדר ſignificat Decorem, ideo poſſumus vertere, veſtem decoris*) prædati eſtis à tranſeuntibus cum fiducia, perinde acſi reverterentur à prælio.

Quia conciſus eſt ſermo Prophetæ, nonnulla etiam ſubeſt obſcuritas. Itaque diſſentiunt interpretes. Primo quantum attinet ad vocem אתמול, quidam putant unicam eſſe. Alii autem componunt ab את, & מול, quod ſignificat E regione, vel ex oppoſito: & putant tantundem valere ac ממול, quod mox ſequitur. Sed quia repetitio eſſet frigida, ideo non dubito quin Propheta hic voluerit proprie accipere. Significat autem Heri. Sed tempus illud non tam reſtricte capitur apud Hebræos. Heri enim accipiunt pro tempore præterito, etiamſi jam complures anni elapſi ſint. Ideo verti *antehac*: & optime convenit. Jam, eſt etiam alia varietas in contextu: putant enim conjungi hoc אתמול cum verbo יקומם. Sed potius cohæret cum nomine עמי: *Populus meus antehac*. Tertia diverſitas eſt in nomine אויב nam aliqui ad Deum referunt: aliqui ad ipſum populum, quod ſcilicet alii in alios ſurrexerint, vel ſteterint. Nam verbum hoc etiam duobus modis exponitur. Alii putant eſſe verbum neutrum, Stant coram hoſte: alii, Inſurgunt in hoſtem. & hoc ſecundum mihi probatur, & melius etiam reſpondet contextui. Nunc inſiſtam in genuino ſenſu, ſaltem quem genuinum eſſe arbitror. Propheta primo loco dicit populum hunc fuiſſe antehac ſub manu & imperio Dei: ſed nunc eſſe ab eo prorſus alienatum. *Qui ergo antehac populus meus erat*: quaſi Deus renunciet omnem amicitiam huic populo. Vos ego hactenus agnovi pro meo populo: ſed poſthac nihil mihi vobiſcum, quia ſcilicet omnis verbi mei auctoritas apud vos eſt abolita: rupiſtis fidem. denique quando violaſtis fœdus meum, jam deſiiſtis eſſe populus meus. Siquid enim gratiæ in vos contuleram, ſpoliati eſtis ob veſtram malitiam; & ſi antehac vos adoptavi, eadem malitia nunc vos abdicat. Hoc unum eſt. Poſtea ſequitur, *Surrexit quaſi contra hoſtem*. Ego ſubaudio notam ſimilitudinis. Simpliciter dicit Propheta, *In hoſtem ſurrexit*: ſed malo ita accipere, quod ſcilicet ſurrexerit quaſi in hoſtem, hoc eſt, ex optimo patre Deum ſibi hoſtem reddiderint, quia ſcilicet provocaverint ſuis ſceleribus ejus iram. Jam hoc confirmat, quia ſcilicet exerceant inter ſe mera latrocinia. Scimus enim hypocritas ſemper latere ſub ceremoniis, & objicere hunc clypeum, quoties objurgantur. Dicit igitur Propheta eos non ideo cenſeri Dei populum, quoniam ſacrificiis operam impendant: quia

interim ſint latrones. ſpoliant enim bomines innoxios. *Veſtem decoris*, inquit, ſive veſtem & pallium, (ego enim de his vocibus non laboro) *prædantur à tranſeuntibus ſecure*, hoc eſt, ab hominibus pacatis. Nam ſi qua ſit belli ſuſpicio, vel ſi viator audeat aliquid noxæ inferre, merito plectitur. Sed Propbeta hic dicit ſpoliari qui ſecure tranſeunt, ſicuti per regionem tutam. Quum ergo nihil ſibi metuant viatores, vos tamen eos exuitis ſuis veſtibus, quaſi reverterentur à prælio: quemadmodum ſolent peracto bello, rapiunt hinc inde ſpolia, & nemo quidquam proprium retinet: ſic etiam in media pace vos ſoletis vobis ſumere licentiam, acſi eſſent omnia prædæ expoſita, acſi eſſent in agro boſtili, adeoque mox à reditu prælii. Nunc ergo tenemus ſenſum Prophetæ. Primo loco ſignificat populum hunc jam rejici à Deo, quia ſeſe perditiſſima vita indignum reddiderit omnibus ejus beneficiis. Et ſimul ingratitudinem perſtringit, quum fuerint populus Dei, quod tamen maluerint bellum ei inferre, quam colere fœdus illud quod pepigerat in eorum ſalutem. Hæc enim fuit valde deteſtabilis pravitas, quod quum electi eſſent ex toto mundo in peculiarem populum, maluerint Deum provocare ad bellum, quam ſub tutela ejus placide degere. Quod autem inſurrexerint adverſus Deum, probat, quia dediti fuerunt latrociniis, prædati ſunt, idque in media pace: quæ circumſtantia ſcelus amplificat. Nunc ſequitur,

9. Mulieres populi mei expuliſtis è domo delectationum ipſarum, (*eſt quidem mutatio numeri, ſed hoc nihil ad rem*) à parvulis earum abſtuliſtis decus (*vel ornamentum*) meum perpetuo.

Pergit in eadem ſententia, quod ſcilicet nullis injuriis abſtinuerint. Nam boc ſignum fuit extremæ ſævitiæ, non parcere mulieribus, & pueris ipſis: eſt enim genus imbelle. Sexus eximit mulieres à violentia, ætas vero pueros: imo in ipſis bellis mulieres tamen ſalvæ evadunt, & pueri etiam. Videmus ergo Prophetam per ſynecdochen hic oſteodere populum hunc fuiſſe addictum barbaræ crudelitati, quia ne à mulieribus quidem & pueris ſibi temperaverint. Quum ita ſit, ſequitur inanem & fallacem eſſe jactantiam quum ſe vocant electum populum. *Domum delectationum* tribuit mulieribus, quæ ut ſunt imbelles, domi ſe libentius continent, ac in umbra, quam longe ſpatientur. Quo magis decebat ſuas latebras illis tutas manere. Jam, ſubſtantiam quæ pueris eripitur, Deus *ornatum ſuum* vocat, quia benedictio ejus in pueros effuſa, ſpeculum eſt gloriæ ejus. Itaque in rapinis ſacrilegium quoque condemnat. Vox לשלם contiouationem ſcelerum deſignat: quaſi dixiſſet, abſque ulla pœnitentia fuiſſe crudeles. Nunc ſequitur,

10. Surgite, abite, quia non eſt hæc requies: quoniam polluta eſt, diſſipabit diſſipatione violenta. (*Interponitur copula, & diſſipatione: ideo poterimus commode vertere, Diſſipabit, & quidem diſſipatione violenta, vel roborata: id enim ſignificat verbum* נמרץ.)

Hic rurſus Propheta ſtultam confidentiam populi refellit. Scimus terram Chanaan inſigni illo elogio ornatam fuiſſe divinitus, quod eſſet requies: imo Deus non modo vocabat requiem populi, ſed ſuam: *Pſal. 95. verſ. 12.* Juravi in ira mea, non introibuot in requiem meam. Erat igitur terra Chanaan quaſi nidus quidam ſub alis Dei abſconditus: quia Dominus banc bereditatem aſſignaverat populo electo. Quum ergo Deus babitaret in terra illa, deinde etiam dediſſet hac lege filiis Abrahæ, ut tuto illic quieſcerent, ſicuti etiam inter benedictiones Legis hoc refertur: ideo hypocritæ, ut ſolent falſo & mendaciter ad ſe trahere omnia Dei beneficia, dicebant ſe non poſſe illinc unquam expelli, & Prophetas eſſe falſarios, qui auderent quidquam mutare ex Dei fœdere. Hæc ratio eſt cur nunc dicat Propheta, *Surgite, abite, non eſt hæc requies:* vos, inquit, decipit illa perverſa arrogantia, quoniam putatis vos affixos eſſe huic nido. Deus quidem ita promiſit, ſed conditione appoſita, nempe ſi ſteteritis ejus fœderi. Vos autem eſtis fœdifragi: putatis illum eſſe vobis obſtrictum: ſoluta ſunt omnia vincula. nam quum perfide deſciveritis à Lege Dei, non eſt quod nunc puteris quidquam vobis deberi ab ipſo. Non eſt igitur quod jactetis vos eſſe ſacrum populum. Fuit quidem nomen, ſed jam deſiit eſſe: ideo *ſurgite, abite*. Nam quod deſidetis hic in ſecuro veſtro faſtu, hoc nihil vobis proderit. Deus enim vos procul expellet, & jam denuncio vobis ſurgendum eſſe, & abeundum: quia non poteritis invito Deo quieſcere in hac terra. Deus autem vos ab ea exturbat. Nunc tenemus verum Prophetæ ſenſum. Poſtea adjungit, *Quia polluta eſt, diſſipabit diſſipatione vehementi.* Iterum hic vindicat Deum à calumnia & improbis murmuribus. Scimus enim quam difficile fuerit populum hunc ſubigere, quum tanta contumacia eſſet præditus. Et videmus non parum fuiſſe Prophetis omnibus negotii cum bypocritis, quia ſemper hoc promptum in ore erat multitudini, Quid? an nullius erunt momenti tot & tam præclaræ promiſſiones, quibus Deus nos dignatus eſt? An adoptio ejus erit merum ludibrium? An fruſtra oobis hanc terram jure bereditario dedit? Quum ergo ſic objicerent bypocritæ Deo ſua beneficia, & interim abuterentur vocatione ejus, oportuit ipſos coargui, quemadmodum hic facir Propheta. Vocatis, inquir, terram hanc requiem, ſed quomodo in ea quieſcitis? Deus enim juſſerat vos celebrare Sabbathum. habitabat enim in medio veſtri, ut vos ſanctificaret: atqui tumultuarie in ea degitis, & bellum geritis cum Deo ipſo: pollutiones veſtræ nonne deleruut illam quietem ſacram, quæ vobis præcepta erat divinitus? Ergo videtis mutationem hanc accidiſſe veſtra culpa, quod Deus, ſicuti antehac ſolebat, quietem veſtram & ſuam vocare deſierit. *Non eſt igitur hæc requies, ideo diſſipabit diſſipatione violenta*, vel roborata: hoc eſt, fruſtra vobis promittitis quietem in ea terra ubi bellum intuliſtis Deo, nec ceſſatis ſubinde in ea iram ejus in vos provocare. Sequitur,

11. Si vir ambulans in ſpiritu, & fallaciter mentiens, ſtillem tibi pro vino, & pro ſicera, tunc erit ſtillans populi hujus. (*hoc eſt, hic demum erit Propheta populi hujus: ſicuti etiam priore membro proprie vertendum eſt, ſi prophetem.*

Hic Propheta notat aliud vitium, quo laborabat populus, nempe quoniam volebat ſe blanditiis mulceri: quemadmodum impii omnes putant ſe quodammodo elapſos eſſe ex Dei maou, ſi oullam objurgationem audiant: imo ſi nacti ſint adulatores, qui indulgeant eorum vitiis, putant ſe beatos eſſe. Hunc igitur morbum nunc Propheta in populo detegit. Hierooymus alienum prorſus ſenſum quæſivit, ſicuti in

in ſuperioribus. ſed ego non immoror in refutatione: ſatis mihi eſt, ſi reddam verum Prophetæ ſenſum. Sed quemadmodum pro Mulieribus antea vertit Principes, denique pervertit totum ſenſum, ita modò hic dicit, Utinam ſim vanus Propheta, hoc eſt, ambulans in vanitate, & mendax: quaſi diceret Michæas, Ego cuperem me vanum quum denuncio vobis clades, de quibus loquor. Mallem enim vobis aliquid lætum & proſperum nunciare: ſed non poſſum aliter, quia Dominus aliud mandat. Ceterum, nihil tale eſt in verbis Prophetæ. Redeamus igitur in viam. *Si vir ambulans ſpiritu, & fallaciter mentiens.* Omnes fere interpretes in hoc conſentiunt, quod Ambulare in ſpiritu, ſit faſtuoſe vel temere aliquid proferre: & Spiritum accipiunt pro vento, aut fallaciis. Sed non dubito quin fuerit hæc loquutio tunc vulgata, Ambulare in Spiritu, pro exercere munus Propheticum. Si quis ergo ſit Propheta, hoc eſt, qui fungatur hoc munere, vel ſuſtineat perſonam doctoris, profiteatur ſe eſſe divinitus miſſum. Prophetæ enim olim vocati ſunt Viri Spiritus, quia ſcilicet nihil ex ſeipſis vel ex ſuo cerebro proferrent, ſed tantum bona fide de manu in manum traderent quod acceperant à Deo. Ambulare ergo Spiritu, meo judicio, tantundem valet atque profiteri munus doctoris. Si quis igitur munus doctoris profiteatur, quid faciet? Si ego, inquit Michæas, præditus Spiritus dono, & vocatus ad docendum, velim inire gratiam à vobis, ego prædicarem fore uberem proventum vini & ſiceræ: omnes mihi applauderent. nam ſi quis hæc promittat, *hic eſt Propheta hujus populi.* In ſumma ſignificat Michæas Iſraelitas rejicere omnem doctrinam, quia meras blanditias appetunt, & volunt ſe foveri in ſuis vitiis, imo prava adulatione corrumpi cupiunt in ſuum exitium. Hinc igitur apparet non eſſe ipſos quales cenſeri volunt, nempe populum Dei. Hæc enim prima conditio fuit in Dei fœdere, ut dominaretur in populo illo. Jam ubi homines non ſuſtinent divinitus gubernari, & volunt habere plenam & effrenem licentiam, perinde eſt acſi Deum longe à ſe expellerent. Ergo hoc ſigno convincit eos Propheta, quod prorſus à Deo defecerint, & nihil habeant cum ipſo commune. Si quis ergo ſit vir ambulans in Spiritu, abſtineat à veritate, inquit, quoniam non feretur in hoc populo. Quare? quia nolunt doctores probos & fidos. Quid ergo reſtat? Veniant adulatores, qui populo promittant largam copiam vini & ſiceræ, illi erunt optimi doctores, & magno plauſu excipientur: denique erunt proprii doctores hujus populi impii. hoc eſt, populus iſte non poteſt amplius ferre veros Dei Prophetas: ſed adulatores habere cupit, qui indulgeant omnibus eorum corruptelis.

Da omnipotens Deus, quando non aliter poſſumus vere in verbo tuo proficere, niſi ſenſus omnes noſtros & affectus ſubjiciamus tibi, & offeramus in ſacrificium: da, inquam, ut patiamur gladio verbi tui te ita penetrare quicquid in nobis eſt, ut nobis mortui, tibi vivamus, neque ſinamus nobis fieri delicias in perniciem noſtram, ſed feramus potius quantumvis acerbas objurgationes, modo cedant nobis in medicinam, quâ purgentur interiora noſtra vitia, donec tandem penitus repurgati, & regeniti in novas creaturas vere illuſtremus pia & ſancta vita nomen tuum, ut recipiamur in cœleſtem gloriam, quæ nobis parta eſt ſanguine unigeniti Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti, Amen.

PRÆLECTIO QUINTA
IN
MICHÆAM PROPHETAM.

CAP. II.

12. Congregans congregabo te totum Jacob, colligens colligam reſiduum Iſraël, ſimul ponam eum tanquam oves Boſra, tanquam gregem in medio ovilis ſui, tumultuabuntur præ hominibus. (*id eſt, propter hominum multitudinem*)

13. Aſcendet effractor coram ipſis, frangent & tranſibunt portam, & egredientur per ipſam, & tranſibit Rex ipſorum coram ipſis: & Jehova in capite ipſorum.

DUplex eſt loci hujus expoſitio. Major pars interpretum huc inclinat, quod Deus hic promittat levationem aliquam Iſraëlitis, poſtquam duriter eos objurgaverat, & minatus etiam fuerat extrema. Referunt igitur hunc locum ad regnum Chriſti, quaſi Deus ſpem faciat futuræ reſtitutionis. Sed dum omnia propius expendo, cogor potius interpretari etiam duos iſtos verſus comminatorie, quod ſcilicet Propheta hic denunciet futuram Dei vindictam populo. Quia tamen prior opinio fere recepta eſt, ego obiter percurram quod illi afferunt: deinde redibo ad ſenſum alterum, qui mihi magis probatur. Hoc competit in regnum Chriſti, populum, qui diſperſus fuerat, colligi in unum corpus. Scimus enim quam miſera ſit extra ipſum, mundi diſſipatio, & quoties de renovatione Eccleſiæ Prophetæ verba faciunt, fere utuntur hac loquendi forma, quod Dominus colliget diſperſos, ut coaleſcant rurſus in corpus unum. Bene igitur hoc quadrat, ſi placet referre ad Chriſti regnum, quod Deus *colligendo colliget totum Jacob.* Sed poſtea additur reſtrictio, ne quis hanc reſtitutionem ad totum genus Abrahæ extendat, & omnes eos qui ſecundum carnem progeniti ſunt à patre Abraham: ideo ponitur nomen שארית. Totus ergo Jacob non eſt multitudo illa, quæ ſecundum carnem genus ducebat à ſanctis patribus, ſed reſiduum duntaxat. Poſtea ſequitur, *Simul ponam eum ſicuti oves Boſra,* hoc eſt, faciam ut augeſcant in magnum numerum, imo ingentem: quia tumultuabuntur, hoc eſt, magnus ſtrepitus fiet inter ipſos, quemadmodum ubi locus non capit magnam turbam. Exponunt etiam proximum verſum, *quod effractor tranſibit coram ipſis,* hoc eſt, erunt qui violenta manu & armata viam patefaciant, quemadmodum etiam dicit Mat. 11. verſ. 12.
Chriſtus regnum cœlorum vim pati. Intelligunt ergo animoſos fore duces populi, quos nihil impediet, quominus perrumpant, & ſimul etiam deducant ſecum totum populum. Exibunt ergo per portam, & Rex eorum tranſibit. Hoc etiam optime quadrat regno Chriſti: & quoties Deus ſe propitium Eccleſiæ fore affirmat, ſimul adjungit ſe daturum Regem, quia ſalus populi poſita erat in regno illo, quod erectum fuerat auſpiciis & mandato ipſius Dei. Hoc igitur tritum eſt, ac paſſim occurrit in Prophetis, Deum populo ſuo daturum Regem ex ſemine Davidis, quum volet plena felicitate ipſum donare. Sic intelligunt quod Rex tranſibit ante ipſos, quod

eſt

eſt proprium ducis, ut demonſtret viam. *Et Jehova erit in capite ipſorum*: hoc eſt, Deus ipſe oſteodet ſe præcipuum eſſe hujus populi Regem, & velle ſemper tueri ope ſua & gratia, quos in populum ſibi aſſumpſit. Sed jam dixi mihi diverſam expoſitionem magis placere. Neque enim video quomodo tam ſubito tranſeat Propheta ad contrarias ſententias. Dixerat proximo verſu populum hunc nullas admonitiones jam ferre, quia tantum appeteret delicias & adulationem. Nunc adjungit quod jam attigi de propinquo Dei judicio, & pergit in eadem doctrina uſque ad finem tertii capitis, ut videbimus. Scimus autem non fuiſſe ab ipſis Prophetis diſtincta capita. Ergo ſit nobis continua hæc concio Prophetæ uſque ad finem 3. cap. non quod uno die hæc omnia dixerit, ſed voluit congerere quæcunque concionatus fuerat de vitiis populi: idque melius patebit ex progreſſu. Jam venio ad verba. *Congregando congregabo te totum Jacob, colligendo colligam reſiduum Iſraëlis.* Duplex eſt congregandi modus Deo: aliquando enim populum ſuum colligit à diſſipatione, quod eſt ſingularis gratiæ & amoris ſignum. Sed dicitur etiam colligere, quum ſimul concervat, ut devoveat & addicat exitio, quemadmodum dicimus Gallice *trouſſer*: & verbum hoc eodem etiam ſenſu alibi accipitur: imo jam exemplum vidimus apud Hoſeam. Ita in præſenti loco denunciat Deus futuram collectionem populi. Quorſum? Non ut inter ſe concordes potiantur Dei beneficiis, ſed ut ſimul intereant. Quemadmodum ergo conſpiraverat hic populus in omne genus ſcelerum, ita etiam Deus colligendum eſſe pronunciat, ut unus & idem ſit omnium interitus. Et addit, *reſiduum Iſraël:* acſi diceret, Quicquid ſalvum manebit à cladibus bellorum, & ab aliis etiam omnibus calamitatibus, ut fame, & peſtilentia; hoc colligam, ut prorſus aboleatur. Reſiduum ergo populi exprimit, quia paulatim variis malis attriti fuerant Iſraëlitæ, antequam Dominus manum ultimam appoſuerit ad eos perdendos. Poſtea adjungit, *Ponam eos ſimul quaſi oves Boſra*, hoc eſt, conjiciam in unum acervum. Boſra tam urbs, quam regio fuit Idumææ: & locus ille valde fuit fertilis, & habuit pinguiſſima paſcua. Ideo Jeſaias 34. cap. quum Idumæis vindictam denunciat, ſimul etiam alludit ad paſcua illa: dicit, Deus ſeliget ſibi agnos pingues, & quicquid bene ſaginatum erit, & colliget etiam pinguedinem, quia victima eſt Domino in Boſra. Ita etiam hoc loco Judæos, ubi in unum quaſi faſciculum collecti fuerint, dicit Propheta *ſimiles fore ovibus Boſra*. Et ſimul addit, *ſicuti oves in medio caularum*. quanquam alii malunt Ductionem: דבר ſignificat interdum Ducere: ſed non video cur tam longe trahatur hoc nomen. Ego igitur ſimpliciter accipio pro Ovili, quia oves illic coguntur in ordinem. Quidam interpretes hoc de obſidione accipiunt, quod ſcilicet Deus coarctabit totum populum per urbes, ne pateant injuriis hoſtium. Sed ego latius extendo, quod ſcilicet Deus populum hunc colliget, ut tandem diſpergat. Colligam ergo vos, quemadmodum jam dixi, *je vous trouſſeray, tanquam oves Boſra in medio ovilis, & erit ſtrepitus præ multitudine*, hoc eſt, etiamſi nunc glorimini veſtro numero, hoc nihil vobis proderit, quia potero vos omnes in arctum redigere, ut pereatis quemadmodum eſtis meriti. Sequitur, *Aſcendet effractor coram ipſis*: hoc eſt, ducentur tumultuarie, & frangenda etiam erit porta, ut ſimul exeant: quia non eſſet ſatis amplus tranſitus ille, ſi vellent ordine egredi, quemadmodum fieri ſolet: ſed portæ urbium frangentur, ut turmatim tranſeant magno numero. His verbis ſignificat Propheta celeriter omnes abripiendos eſſe in exilium. *Et egredientur*, inquit, *per portam, & Rex ipſorum tranſibit coram ipſis*. Significat hoc loco Propheta Regem captivum fore: quod fuit triſtiſſimum ſpectaculum. Nam ſpes aliqua reſtabat, ſi tantum abducta fuiſſet fæx populi in Chaldæam: ſed ubi Rex ipſe vinctus trahitur, & conjicitur in carcerem, oculis effoſſis, & jugulatis filiis, hoc eſt miſerrimum. Solebant autem ſuperbire Rege ſuo, quia putabant fieri non poſſe, quin regnum illud perpetuum maneret, quandoquidem Deus ſic pollicitus fuerat. Sed potuit Deus ad tempus regnum illud evertere, ut poſtea de integro erigeret, quemadmodum contigit in perſona Chriſti, & quemadmodum etiam prædictum fuit à Prophetis: Tranſverſa ſit cidaris, tranſverſa, donec veniat legitimus ejus poſſeſſor. Videmus ergo hoc fuiſſe additum amplificandi cauſa, quod exprimit Propheta de Rege ipſorum. Poſtea addit, *Jehova erit in capite eorum*, id eſt, inſtabit eorum cervicibus, ut eos opprimat & obruat penitus. Quidam ſubaudiunt aliquid, Quod olim Jehova ſolitus fuiſſet ipſos regere, nunc autem deſierit. Sed illud eſt nimis coactum: Senſus autem, quem retuli, bene fluit, quod ſcilicet Deus ipſe erit exactor, quum trahentur in exilium, & tyrannis atque eorum ſatellitibus addet animum, incumbens maledicto populo, ut ejus calamitates magis ac magis urgeat & aggravet, ſicque oſtendat iſtam cladem accidere juſto ſuo judicio. Nunc ergo tenemus verum Prophetæ ſenſum. Sequitur,

CAPUT III.

ET dixi, Audite quæſo Principes Jacob, & Gubernatores domus Iſraël: annon veſtrum eſt (*vel ad vos ſpectat*) ſcire judicium?

2. Atqui oderunt bonum, & diligunt malum, rapiunt pellem ab ipſis, & carnem ab oſſibus eorum.

3. Et tunc vorant carnem populi mei, & pellem ipſorum ab ipſis excoriant, & oſſa eorum frangunt, & comminuunt ſicuti ad ollam, (*vel acſi deſtinata eſſent ollæ*) & carnem eorum in medio aheni.

HOc capite Propheta tam proceres quam doctores aggreditur, & ſevere objurgat, quod uterque ordo, avaritiæ & crudelitati, rapinis, denique aliis etiam ſceleribus deditus foret. Incipit autem ab ipſis judicibus, penes quos erant gubernacula in populo, & breviter recitat quibus verbis invectus fuerit in ipſos. Diximus alibi, non recitari quicquid dixerunt Prophetæ, ſed tantum perſtringi breviter capita, vel ſummas rerum, ut ſciamus quid egerit Michæas per annos vel 40, vel plures, quibus peregit curſum ſuum. Certe potuit dimidia hora referre quicquid extat ſcriptum: ſed ex hoc libello, quamlibet exiguus ſit, colligimus qualis fuerit ratio docendi Prophetæ noſtro, & quibus potiſſimum rebus incubuerit. Redeo nunc ad verba. Dicit reprehenſos fuiſſe à ſe regni proceres. Probabile enim eſt conciones iſtas habitas fuiſſe potius in Judæos, quia tametſi initio Iſraëlitas complexus eſt, ſcimus tamen fuiſſe datum Judæis doctorem, non autem regno Iſraël. Fuit illud quaſi accidentale, quod decem Tribus interdum aliis permiſcuerit. Hoc igitur exiſtimo dictum fuiſſe tam Regi quam ejus conſiliariis & aliis judicibus, qui tunc præerant populo Juda. *Audite hoc, obſecro*, inquit. Hæc præfatio arguit ſocordiam in judicibus. Cur enim ab ipſis audiri poſtulat, niſi quod ita obtorpuerant in ſuis vitiis,

ut

ut nihil amplius ſentirent? Quum ergo ita brutus ſtupor in ipſis invaluiſſet, ideo dicit, *Audite nunc vos*, inquit, *duces* vel capita *Jacob*, *& gubernatores domus Iſraël*. Cur autem de domo Iſrael adhuc loquitur? Nempe quia nomen illud præcipue erat cognitum & illuſtre, quoties de poſteris Abrahæ erat mentio. Et cæteri Prophetæ quamvis loquantur de regno Jehudah, hoc tamen nomen ſæpe uſurpant, Qui vocamini nomine Iſrael: propter dignitatem ſcilicet ſancti Patriarchæ, & quod etymologia nominis non vulgare erat præſtantiæ elogium in toto genere. Et hoc frequenter apud Jeſaiam obſervare licet. Ergo nunc nomen Iſtael non ponitur diſtinctionis cauſa, ut alibi: ſed hic Propheta crimen amplificat, eo quod tam corrupti eſſent duces electi populi, quos Deus tanto honore dignatus fuerat, ut eos præficeret Eccleſiæ ſuæ, & electo pupulo. Hoc ergo fuit ingratitudinis non ferendæ, ita abuti illa poteſtate eximia & ſacra, qua donati fuerant divinitus. *Annon*, inquit, *ad vos ſpectat ſcire judicium?* Hic non dicit rectitudinem debere apud Principes locum habere, ſicuti apud promiſcuum vulgus: quia eos excellere convenit notitia juſti & æqui. Utcunque enim inſculptum ſit diſcrimen boni & mali omnium cordibus, qui tamen primatum tenent in populo, & imperio pollent, ſunt quaſi oculi: ſicuti oculis regitur totum corpus, ita etiam qui in aliquo gradu honoris locati ſunt, ſic eminent, ut debeant monſtrare aliis omnibus viam Ergo per verbum *ſciendi* intelligit Propheta illos perperam corrumpere totum naturæ ordinem, quia cæci ſunt, quum debeant eſſe luminaria totius populi. *Annon*, inquit, *ad vos ſpectat ſcire judicium* & æquitatem? Cur hoc proprie dicitur proceribus? Nempe quia etiamſi omnes conſcii ſint ſibi, eo quod habent legem intus inſculptam, tamen præcipua intelligentia debet eſſe in ipſis ducibus, ut ſcilicet aliis præluceant. Veſtrum ergo eſt ſcire judicium. Hinc colligimus non ſufficere ſi Principes ac Magiſtratus bene ſint ac probe affecti: ſed requiri etiam ex ipſis judicium & prudentiam, [ut ſupra vulgus diſcernant. Quod ſi dono rationis & prudentiæ non ita ſunt prædìti, poſtulent à Domino. Nam ſcimus etiam ſine Dei Spiritu acutiſſimos homines fore prorſus ineptos ad regendum. Neque enim vocatur fruſtra Spiritus Dei liberalis, qui principatum obtinet in mundo: nam ita monemur, etiam qui videntur præcipuis dotibus eſſe prædìti, tamen inutiles fore ad gubernandum, niſi adſit Dei Spiritus. Hic autem locus demonſtrat non ſufficere rectum animum in proceribus, niſi etiam polleant ſapientia, ut ſint tanquam oculi in corpore, quemadmodum diximus. hoc ſenſu nunc refert Michæas ſpectare ad populi duces, ſcire judicium & æquitatem. Poſtea adjungit, *Atqui oderunt bonum, diligunt malum, & diripiunt pellem à populo meo, carnem ab oſſibus*, inquit: hoc eſt, nihil relinquunt ſalvum. tam furioſa eſt ipſorum rapacitas. Generaliter primum eos objurgat Propheta, quod non modo pervertant æquitatem, ſed quod prorſus deditì ſint malitiæ, & odio habeant bonum. Intelligit ergo quaſi ex profeſſo eſſe impios & ſceleratos: deinde data opera etiam bellum gerere contra omnem rectitudinem. Hinc colligimus quanta fuerit & quam deteſtabilis corruptio in populo illo, qui tamen erat tunc peculium & hereditas Dei: quum eo prolapſus fuerit ſtatus veteris populi, diſcamus in ſollicitudine & metu ambulare, quamdiu nos Dominus gubernat per pios magiſtratus & fidos paſtores. Nam idem poſſet ſtatim nobis contingere quod Judæis, ut ſcilicet inter nos dominentur lupi, quemadmodum etiam experientia plus ſatis in hac urbe monſtravit. Poſtea adjungit Propheta ſpecies crudelitatis, in quibus tametſi hyperbolice loquatur, tamen non dubium eſt quin rem ipſam, qualis erat, voluerit oculis ſubjicere. Comparat autem judices illos vel lupis, vel leonibus, vel aliis truculentis beſtiis. Non dicit illos petere ſubſtantiam populi, vel expilare domos: ſed dicit carnem ipſius vorare uſque ad oſſa, dicit pellem eorum diſſipare. Et hoc etiam confirmat proximo verſu: *Vorant*, inquit, *carnem populi mei, & pellem ipſorum ab ipſis excoriant, & oſſa etiam eorum confringunt & comminuunt, ſicuti quod debet in ollam conjici, & quod in medio aheni eſt.* Nam ſi quis conjicere velit carnes in ollam coquendas, non ſumet integrum bovem, ſed lacerabit; & poſtquam conciderit in fruſta, tunc replebit ollam ſuam vel ahenum. Ergo exaggerat Propheta illam crudelitatem procerum, quod ſcilicet non fuerint contenti uno genere ſupplicii, ſed exercuerint multas ſpecies ſævitiæ adverſus populum, & ſimiles fuerint per omnia vel urſis, vel lupis, vel leonibus, vel aliis feris beſtiis: deinde etiam ganeonibus. Nunc ergo tenemus Prophetæ ſeoſum. Hic autem locus docet quid præcipue Deus exigat à proceribus, nempe ut abſtineant ab omni injuria. Nam quia armati ſunt poteſtate, ideo debent ſibi eſſe pro lege. Uſurpant in alios imperium: incipiant ergo à ſeipſis, & ſibi temperent ab omni maleficio: quia ſi quis privatus homo ſeſe ad nocendum projiciat, metu legum ſaltem continebitur & non omnia audebit pro libidine. Principum autem major poteſt eſſe audacia, ideoque plus ad nocendum valent: & hæc ratio eſt cur modeſtius ſeſe debeant gerere ac humanius. Clementia igitur & paterna humanitas maxime decet Principes, & quicunque ſunt in magiſtratu. Nam Propheta hic exprobrat proceribus ætatis ſuæ quod ſumma reprehenſione dignum erat in ipſis. Eſt autem hoc ſummum crimen, ſævitia & inhumanitas, quia ſubditis ſuis non parcant. Jam videmus Prophetam minime blanditum fuiſſe proceribus, qui tamen ſibi magnopere placebant in ſua dignitate. Sed quoniam videt ipſos ſcelerate & turpiter abuti imperio ſibi commiſſo, inſurgit intrepide contra ipſos, & utitur plena Spiritus fiducia. Non vocat igitur tantum prædones, vel ſpoliatores populi, ſed dicit eſſe truculentas beſtias, dicit carnem ejus & vorare, & laniare, & diſcerpere, & nihil aliud quam comminuere: ut ſcilicet comprehendat omnia ſævitiæ genera. Jam ſequitur comminatio.

4. Tunc clamabunt ad Jehovam, & non reſpondebit illis, ſed abſcondet faciem ſuam ab ipſis tempore illo, quemadmodum perverſe egerunt in factis ſuis.

Nunc denunciat Michæas judicium proceribus, quale meriti erant: dicit, *Clamabunt tunc ad Dominum.* Adverbium אז ſæpe indefinite ponitur apud Hebræos: ſed habet vim demonſtrativam: ſumitur δεικτικῶς, Tunc: quaſi digito monſtrarent Prophetæ res ipſas videndas oculis, quanquam adhuc longe aberant ab hominum conſpectu. Sed hoc loco potius continuat Propheta quod dixi. Antehac enim retulerat Deum fore ultorem populi ſui. Pendet igitur hoc adverbium temporis ab aliis comminationibus, quæ prius fuerunt expoſitæ. Siquis tamen magis eligat diverſum ſenſum, quod ſcilicet hic ſuſpenſos tenere eos velit Propheta, quaſi prope inſtet vindicta Dei, non repugno: nam ſenſus ille non male conveniet. Quicquid ſit, Propheta hic teſtatur non inulta fore ſcelera procerum, qui tamen non putabant ſe vel legibus vel pœnis ſubjici. Quum ergo ita quaſi imaginario privilegio ſe eximerent ab omni ordine Principes & Magiſtratus, ideo diſerte hic affirmat Propheta inſtare illis afflictionem, quæ clamorem exprimat. Nam per verbum Clamandi ſignificat miſerias quæ illis inſtabant. *Clamabunt* ergo *in neceſſi-*

neceſſitate ſua. Expoſui Prophetæ conſilium. Videmus enim ut hodie etiam turgeant arrogantia, quicunque excellunt. Nam quia abundant opibus, quia etiam honor eſt quaſi ſublimis gradus, ut omnium humeris ſuffulti emineant; deinde metuuntur etiam à reliquo populo: hinc fit, ut non exiſtiment ſibi quicquam poſſe accidere adverſum. Propheta autem dicit talem fore eorum neceſſitatem, quæ clamorem extorqueat. *Clamabunt* igitur, *& Dominus non exaudiet:* hoc eſt, erunt miſeri, & quidem ſine ullo remedio. *Jehova* ergo *non reſpondebit illis, ſed abſcondet ab ipſis faciem ſuam, ſicuti perverſe egerunt:* hoc eſt, Deus non exaudiet eorum querimonias, quia rependet in ipſorum capita omnes injurias, quibus populum ſuum nunc videt affici. Atque ita Deus oſtendet ſe non dormiviſſe, quamdiu tanta petulantia graſſati ſunt per omne genus maleficii. Poſſet tamen hic quæri, quomodo Deus repudiet eorum preces & vota, qui ad ipſum clamant? Sed primo loco notandum eſt, reprobos etiamſi clamoribus ſuis verberent aërem, non tamen dirigere ad Deum preces ſuas. Quod ſi Deum ipſum compellant, hoc faciunt tumultuoſe: nam expoſtulant cum ipſo, & litigant, imo evomunt ſuas blaſphemias, vel ſaltem obſtrepunt, querentes de ſuis malis. Clamant ergo impii, ſed non ad Dominum: vel ſi dirigunt ad Deum ipſum ſuos clamores, ſunt pleni tumultus, quemadmodum dictum eſt. Ergo niſi quis Dei Spiritu regatur, non poterit precari ex animo. Et ſcimus hoc peculiare eſſe Spiritus donum, ut corda noſtra attollat in cœlum. Nam fruſtra precamur niſi afferimus fidem & pœnitentiam. Quis autem utriuſque eſt auctor niſi Spiritus ſanctus? Conſtat ergo impios ſic clamare, ut tantum impetuoſe cum Deo litigent. Hæc autem non eſt vera precandi ratio. Itaque non mirum eſt, ſi Deus repudiet clamores illos. Fundunt quidem interdum etiam impii preces, & ore exprimunt Dei nomen: ſed interea pleni erunt contumacia, ut diximus, neque unquam ſeſe vere humiliabunt coram Deo. Quoniam ergo evomunt preces ſuas ex amarulento corde, & etiam turgido, hæc ratio eſt cur nunc Propheta dicat, Dominus tunc non exaudiet, *ſed abſcondet faciem ſuam ab ipſis tempore illo, ſicuti perverſe egerunt.* Oſtendit hic Deum fore implacabilem hominibus deſperatis, qui ſcilicet nullo modo poſſunt revocari in viam. Nam ſi quis lapſus fuerit, ſemper Deum propitium inveniet, ſimulatque ad eum clamabit: ubi autem obſtinatis animis pergimus, & non damus locum ullum pœnitentiæ, præcludimus nobis januam. Ita neceſſe erit impleri quod hic minatur Propheta, ut Dominus abſcondat faciem ſuam in die neceſſitatis. Et audimus etiam quid Scriptura dicat, judicium fore *Jacob. 2.*
ſine miſericordia omnibus qui miſericordes non fuerint. *verſ. 13.* Ergo ſiquis ſit fratribus ſuis inexorabilis, (quemadmodum hodie videmus multos tyrannos, videmus etiam ex media plebe multos eſſe tyrannico ingenio, & prorſus ſanguinario) ſentiet ille, quiſquis eſt, tandem judicium, quod hic pronunciat Michæas. Ergo non eſt generalis ſententia, quaſi Dominus implacabilem fore diceret omnibus ſceleratis: ſed ſpecialiter deſignat illos deſperatos homines, qui prorſus obduruerant, ita ut eſſent collo inflexibili quemadmodum etiam antehac vidimus. Nunc deſcendit Propheta ad ſecundam objurgationem.

5. Sic dicit Jehova ſuper (*vel ad*) Prophetas, qui decipiunt populum meum, & mordent dentibus ſuis, & clamant, Pax: & ſi quis non dederit in os ipſorum, edicunt contra eum prælium:

Michæas hic in Prophetis avaritiam, & turpis lucri cupiditatem primo loco accuſat. Præfatur autem ſe loqui Dei mandato, & quaſi ex ejus ore, quo plus habeat ponderis & vehementiæ comminatio. *Sic ergo dicit Jehova contra Prophetas.* Vocat autem illos impoſtores populi: ſed ſimul oſtendit fontem ipſum mali, cur ſcilicet, vel quo affectu impulſi ſint ad fallendum, nempe quia lucri cupiditas eos prorſus occupaverat, ita ut non diſcernerent inter verum & falſum, ſed tantum ſtuderent placere quæſtus ſui cauſa. Et ex adverſo etiam oſtendit tam fuiſſe lucri cupidos, ut *edicerent prælium*, ſiquis ipſos non paſceret. Iterum autem repetit Deus populi ſui nomen. Hoc mihi exciderat nuper quum dicebat Michæas, Principes vorare carnem populi Dei. Nam indignitas etiam augetur quum hæc injuria fit Dei populo. Si ſpoliati fuiſſent à ſuis proceribus Aſſyrii, vel Æthiopes, vel Ægyptii, hoc fuiſſet magis tolerabile: ſed quum populus ipſe Dei ita crudeliter voratur, hoc eſt, quemadmodum dixi, minus ferendum. Sic ubi decipitur populus Dei, & convertitur veritas in mendacium, hoc ſacrilegium eſt magis deteſtabile. Hæc igitur ratio eſt cur nunc dicat, *Qui decipiunt populum meum.* Hic populus eſt mihi ſacer: ego enim eum mihi elegi. quum ergo corrumpitur fraudibus & dolis, nonne violatur quodammodo majeſtas mea? nonne minuitur imperium? Nunc ergo tenemus cur ſic loquatur Propheta, *Decipiunt populum meum.* Certum quidem eſt Judæos fuiſſe dignos talibus fal-
Deut. 13. laciis, quemadmodum etiam alibi pronunciat Deus ſe periculum facere, quoties licentiam permittit pſeudoprophetis, qualis ſit populus. Fuit igitur hæc juſta merces, quod tunc licentia data ſuit Satanæ, ut perverteret ſanam doctrinam in populo. Et nemo unquam fallitur niſi ſponte. Etiamſi multos videtur ſua ſimplicitas trahere in exitium, tamen ſubeſt aliqua hypocriſis ſemper. Cæterum, hoc non extenuat culpam in falſis doctoribus, ſi populus meretur talem pœnam: ideo nihilominus pergit in ſua objurgatione Propheta, & dicit hunc populum eſſe Dei. Quomodo? nempe adoptione. Quamvis ergo indignos ſe præſtarent Judæi tanto honore, Deus tamen recenſet ipſos in populo ſuo, ut puniat in falſis doctoribus ſcelus, quod in ipſis nunc accuſat. Jam ſequitur, *Mordere dentibus.* Sed non poſſum abſolvere.

Da omnipotens Deus, quando lucere vis imaginem tuæ juſtitiæ in Principibus, quos etiam inſtruis gladio, ut nomine tuo dominentur & vere ſint tui miniſtri: da, inquam, ut hæc benedictio tua inter nos palam appareat, atque hoc ſigno teſteris te non modo nobis eſſe propitium, ſed etiam habere curam ſalutis noſtræ, & excubare etiam in commodum noſtrum & ſalutem, & verbo tuo ita præluceas, ne ulla prava cupiditate unquam obſcuretur vel obtenebretur inter nos, ſed retineat ſemper liquidam ſuam puritatem, ut pergamus in recta via ſalutis, quam nobis proponis & præſcribis, donec tandem collecti in regnum tuum cœleſte, fruamur æterna illa hereditate, quæ nobis parta eſt ſanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO SEXTA IN MICHÆAM PROPHETAM.

CAP. III.

PErgendum eſt nobis in explicanda ſententia Prophetæ, ubi cauſam demonſtrat, cur doctores populum feſellerint, & converterint Dei veritatem in mendacium, nempe quia quæſtum captabant, & dediti erant avaritiæ. Videmus ergo, quemadmodum etiam dicit Paulus, avaritiam dare cauſam omnibus malis; & quocunque pervenerit illa contagio, fieri non poſſe quin omnia peſſum eant: præſertim vero adulteratur ſemper doctrina Dei, ubi avaritia regnum occupat in hominum cordibus. Duo autem teſtimonia avaritiæ profert Michæas, quod ſcilicet *clament pacem*, dum bene & pinguiter ſaginantur; ſanctificent vero prælium, ſi eſuriant. Ab una igitur parte dicit, הַנֹּשְׁכִים בְּשִׁנֵּיהֶם וְקָרְאוּ שָׁלוֹם, hoc eſt, Mordentes dentibus ſuis, & clamantes pacem. Sed ita reſolvi debet oratio, Ubi bene momorderint, tunc pacem annunciant plena fiducia. Mordendi autem verbo intelligit Propheta ingluviem illorum, quia non ſunt contenti modico victu qui ita prætextu nominis Dei quærunt duntaxat ſua commoda: ſed ſunt veluti canes famelici. Vorant igitur, & ſeipſos ingurgitant abſque fine & modo. Hæc ratio eſt cur dicat eos mordere. Comparat enim illos vel leonibus, vel urſis: nam ſcimus beſtias non ſatiari exiguo cibo, ſed niſi ſaginentur ſemper quaſi dentibus ſuis frendere. Ita etiam dicit Michæas falſos doctores ſui temporis fuiſſe homines voraces, & qui appeterent largam copiam ciborum. Quemadmodum hodie videmus monachos in Papatu, præſertim qui ſub titulo mendicitatis vorant omnium ſubſtantiam: illi niſi ſaturati fuerint ſemper murmurant: imo non contenti murmuribus, ſanctificant prælium, ut hic dicit Propheta. Interim vero videmus quam inexplebiles ſint. ubi enim accedunt ad lautas menſas, nemo diceret eſſe homines, ſed potius beſtias: ita conſumunt omnia. Nunc ergo tenemus ſenſum Prophetæ. ſed non reprehenditur ſola voracitas. dicit eos vendere ſuas benedictiones, ubi bene ſunt ſaginati, & ventrem ſuum bene refertum habent. Quemadmodum etiam monachi ſolent pacem annunciare quum bene paſcuntur. O! bene facitis, qui curatis fratres. Nam ſolliciti ſunt pro vobis: dum dormitis in lecto, illi vigilant, & preces eorum vos locupletabunt: quomodo enim poſſet ſtare mundus, niſi fratres ſuis precibus eum redimerent? Ergo quia tam bene devoti eſtis cœnobio noſtro, ideo omnia vobis bene cedent & feliciter, & Deus etiam benedicet. Hæc igitur ratio eſt eorum qui mercede vendunt ſuas benedictiones: clamant pacem, hoc eſt, ſecure pronunciant omnia bene habitura, Deum faciunt propitium, modo ſemper maneat talis devotio erga ordinem. Sed ex oppoſito etiam dicit, *Si quis non dederit in os ipſorum, ſtatim ſanctificant contra eum prælium*. Ego quidem aliter verti ut ſenſus exigebat, nempe quod *edicunt prælium*: ſed proprie tamen eſt, *ſanctificant*. Cæterum, vidimus apud Joëlem cap 2. hoc verbum accipi, ubi de ſolenni aliqua indictione agitur: Sanctificate jejunium, hoc eſt, edicite jejunium: ſic etiam hoc loco, Sanctificant prælium, hoc eſt, denunciant bellum ſi quis eos non paſcat, & non repleat ipſorum ingluviem. neque enim penuriam ferre poſſunt. Denique, oſtendit Propheta ſic fuiſſe avaritia excæcatos falſos doctores, ut nullum haberent diſcrimen juſti & iniqui, ſed tantum applauderent ſuis nutriciis: contra vero ubi videbant ſe & ventrem ſuum non bene curari & ſaginari, tunc maledicerent, fulminarent, & creparent mera anathemata, quemadmodum hodie adhuc videmus fieri à monachis in Papatu, ut dixi. Jam ſequitur apud Prophetam,

1 Tim. 6. verſ. 10.

6. Propterea nox vobis erit à viſione, (*vel, pro viſione, vel propter viſionem: dicemus poſtea de ſenſu*) & tenebræ vobis à divinatione, (*vel propter divinationem*) & occumbet ſol ſuper Prophetas, & obtenebrabitur ſuper eos dies.

7. Et pudefient videntes, (*hoc eſt, Prophetæ*) & erubeſcent divini, & velabunt (*hoc eſt, velum opponent*) ſuper labium ſuum omnes: quia non erit reſponſum Dei.

Hic Deus falſis doctoribus per os Michææ denunciat ſe ſumpturum de ipſis pœnam, ita ut ſint probro omnium expoſiti. Hæc igitur eſt ſpecies pœnæ, de qua loquitur Propheta, ſpoliatum iri falſos doctores omni dignitate, ita ut fruſtra tentent poſthac fucum facere, & obtendere honorificum illum titulum, quo diu abuſi fuerant. Scimus enim ubi impii homines & profani veſtiti ſunt ornatu illo, quod ſcilicet cenſentur duces Eccleſiæ, vel epiſcopi, vel præſules, quam audacter pervertant omnia, & impune etiam. Non igitur aliud remedium eſt, niſi ut Deus larvam illis detrahat, & palam faciat omnibus eorum turpitudinem. De hac pœna nunc Michæas diſſerit. *Erit* igitur *vobis nox à viſione* ſic eſt proprie ad verbum: ſed particula מ ſæpe tantundem valet ac Pro, vel propter. Et facile colligere licet Prophetam vocare noctem mercedem viſionis, & tenebras mercedem divinationis. Quia ergo populus meus veſtris fallaciis deceptus fuit, quia viſiones veſtræ & divinationes fuerunt mera mendacia vel præſtigiæ, ideo rependam vobis pretium quod eſtis meriti. Nam pro illa viſione erit vobis nox, & pro divinatione erit caligo. Certum quidem eſt, etiam dum in magna reputatione, ut loquuntur, ſunt falſi doctores, hoc eſt, dum retinent adhuc famam & titulum dignitatis, tamen eſſe & cæcos, & prorſus omnis lucis expertes. Sed Propheta hic denunciat, quia vulgo non apparet ipſorum fœditas, Deum facturum, ut tandem nuda appareat. Exempli gratia: hodie epiſcopis Papatus nihil eſt magis bardum, aut brutum. Nam ſi quis verbum aliquod de pietate ab illis exprimat, ſtatim prodent non modo inſcitiam ſuam, ſed pudendam omnino ſtupiditatem. Quantum attinet ad monachos, etiamſi ſit audaciſſimum animalium genus, ſcimus tamen quam ſint indocti & barbari. Ergo hodie nondum nox illa miſſa eſt & caligo, de qua hic ſermo fit apud Michæam. Nunc tenemus conſilium Spiritus ſancti, quod ſcilicet Deus tandem exuet falſos iſtos doctores illa imaginaria dignitate, qua fit ut nemo audeat hiſcere, ut recipiatur pro oraculo quicquid eructant. *Nox* ergo *erit vobis pro viſione*, id eſt, totus mundus intelliget vos non eſſe quod jactatis. Oſtendam igitur ne guttam quidem Prophetici ſpiritus eſſe in vobis, ſed eſſe homines tenebricoſos & nocturnos; caligo etiam erit pro divinatione: jactatis magnum acumen & magnam perſpicaciam ſpiritus; ego autem detegam veſtrum opprobrium, ita ut pueri ipſi agnoſcant vos nullo ſpiritu eſſe præditos. Eodem etiam ſenſu adjungit, *Et occumbet ſol ſuper eos, & obtenebrabitur ſuper eos dies*: hoc eſt, talis erit iſta excæcatio, ut etiam in meridie nihil cernant: lucebit ſol omnibus, ipſi autem palpabunt quaſi in tenebris: quia ſcilicet hæc vindicta Dei manifeſta erit, ut poſſit notari à minimo uſque ad maximum. Confirmat eandem ſententiam proximo verſu, *Et pudefient videntes, & erubeſcent divini, & velabunt labium ſuum*, id eſt, ponent vela ſuper os ſuum. Denique ſignificat fore probroſos

 omni-

omnibus, ita ut eos pudeat ſui, neque amplius auſuri ſint tanta confidentia jactare nomen & munus Propheticum. Quantum attinet ad formam hanc loquendi, ועטו על שפם, quidam putant notari habitum lugentium: ſed illa interpretatio eſt frigida. Non dubium igitur mihi eſt quin Michæas ſignificet clauſum fore os falſis doctoribus. Eadem fere eſt denunciatio
Zach. 13. verſ. 5. apud Zachariam. Nam quum de reſtitutione Eccleſiæ differit, Qui hactenus volitarunt, inquit, magna cum jactantia, & gloriati ſunt nomine Prophetico, illi abjicient pallium, & non audebunt amplius ſeſe oſtendere: imo quum prodibunt in medium, erunt quaſi bubulci vel idiotæ, & dicent, Non ſum Propheta neque filius Prophetæ: ego ſum caſtigatus apud patrem meum: hoc eſt, profitebantur ſe eſſe indignos qui Prophetæ vocentur: imo ſe eſſe diſcipulos ſub ferula. Sic etiam hoc loco, Decipiunt hodie populum meum, inquit Dominus: ego eos munerabo ut digni ſunt, nam replebo dedecore & ignominia. Non audebunt igitur poſthac ſeſe efferre quemadmodum ſoliti ſunt: non audebunt plenis buccis profiteri ſe eſſe columnas Eccleſiæ, ut ſubjiciant ſibi totum orbem: non audebunt etiam tyrannica violentia opprimere plebeios homines & imperitos. *Velabunt* igitur *os ſuum*: id eſt, ego illis os claudam, ita ut ne poſthac quidem hiſcere audeant. Sequitur, *quia non eſt reſponſum Dei*. Quidam ita exponunt hunc locum, quaſi objiceret illis Propheta veteres impoſturas quas jactabant pro verbo Dei. Quia ergo non fideles fuerunt Deo, ſed mentiti ſunt hominibus miſeris, quum dicerent ſe divinitus eſſe miſſos, perferre è cœlo mandata, & tamen tantum evomerent ſua commenta vel fabulas: ideo cogentur os ſuum velare. Sed alius eſt Prophetæ ſenſus, quod ſcilicet deſtituentur omni reſponſo, ut facile perſpici queat etiam à rudiſſimis quibuſque eorum inſcitia. Nam falſi doctores etiamſi nihil certi teneant, fuco tamen decipiunt ſimplices, & detonant ſuas ineptias, ut poſſint videri Dei interpretes. Huc accedit confidentia: deinde ſtupor etiam populi concedit illis tale regnum: quemadmodum dicitur apud Jeremiam cap. 5. quod dum Sacerdotes munera accipiunt, & propter munera etiam divinant Prophetæ, populus diligat tales corruptelas. Sed hic denunciat Michæas non fore amplius locum talibus fumis, quia ipſos Deus diſcutiet. Palam igitur fiet *nullum vobis eſſe reſponſum Dei*: hoc eſt, omnes animadvertent vos eſſe inanes & vacuos omnis cœleſtis doctrinæ; & fuiſſe hactenus craſſas præſtigias, quum venditaſtis vos pro Dei ſervis, ubi tamen nullus erat color. Nunc tenemus quid velit Propheta. Cæterum pœna hæc cedere tunc potuit in populi ſalutem: quia ſicuti hæc exitii cauſa eſt mundo, ubi nullum eſt diſcrimen inter lucem & tenebras; ſic ubi retegitur eorum turpitudo, qui abuſi ſunt Dei nomine, & qui adulterarunt ſanam ejus doctrinam, tunc aperta eſt ad reſipiſcentiam janua. Proprie ergo dirigitur hæc comminatio ad pſeudoprophetas. Nunc ſequitur,

8. Atqui vere ego repletus ſum virtute à Spiritu Jehovæ, & judicio, & fortitudine, ad annunciandum Jacob ſcelus ſuum, & Iſraëli peccatum ſuum.

Hic ſolus Michæas heroico ſpiritu inſurgit contra omnes falſos doctores, quum tamen videret eos eſſe in magna turba, & hoc etiam clypeo ſolere uti. Dicit ergo, *Repletus ſum virtute à Spiritu Dei*. Hæc confidentia decet omnes Dei ſervos, ne ſcilicet ſuccumbant inanibus & ventoſis eorum jactantiis, qui pervertunt totum Eccleſiæ ordinem. Siquando igitur permittat Deus corrumpi ſanam doctrinam à falſis doctoribus, & illos tam gradu honoris quam turba prævalere, proponitur hic nobis memorabile exemplum, ne frangamur animis propterea, vel ne molleſcat conſtantia & invicta Spiritus ſancti virtus in cordibus noſtris, ſed pergamus in curſu vocationis noſtræ, & diſcamus opponere Dei nomen omnibus hominum fallaciis, ſiquidem ſumus conſcii probari ei noſtrum obſequium, ut eſt fidele. Quum ergo dicit Michæas *ſe repletum eſſe virtute*, non dubium eſt quin ſe ſiſtat quaſi ante oculos totius populi, & caſtra ſua unus homo dirigat contra magnam turbam: quia tunc paſſim curſitabant illi falſi doctores: ſicuti diabolus ſemper habet ſatis ſeminis, ubi Deus laxat ei habenas. Quum ergo non exigua eſſet eorum multitudo, Michæas tamen non dubitat prodire in medium: *Ego*, inquit. nam emphaticum eſt pronomen hoc, אנכי Si contemnitis me unum hominem, vel paucos; fingatis me eſſe unum qui ſervio Domino: ſed ego unus pro mille, imo pro innumeris ſufficiam, quia Deus à parte mea ſtat, & meum miniſterium probat, ſicuti ab ipſo eſt, neque aliud vobis perfero quam quod ipſe mandavit. *Ego* igitur. Poſtea fidem majorem exprimit per vocem, אולם: *Vere*, inquit, *repletus ſum virtute*. Iſtud Vere opponitur illis magnificis jactantiis quibus pſeudoprophetæ ſemper ſoliti ſunt acquirere nomen & gradum apud vulgus. Nam ſignificat Michæas tantum evanidos eſſe flatus quicquid iſti eructant: Vos, inquit, eſtis admirabiles Prophetæ: imo eſtis ſuperiores Angelis, ſi vobis creditur. Sed oſtendite re ipſa: adſit aliquod ſignum quo poſſit ſanciri veſtra vocatio: nullum eſt. Sequitur ergo vos tantum ventoſos eſſe homines, non autem vere ſpirituales: atqui ſolidum apud me eſt quod vos ore jactatis. & dicit *ſe repletum*, ne ſcilicet putetur eſſe quiſpiam è vulgo: & non dubium eſt quin Michæas hic pro temporis neceſſitate oſtendat ſe fuiſſe inſtructum non vulgari neque ſolita virtute: ſicuti Deus prout utitur opera ſervorum ſuorum, ita etiam illis adeſt, & eos munit majore præſidio. Siquis abſque magna contentione exerceatur in munere docendi, ſufficiet etiam vulgaris Spiritus menſura ad obeundas illas partes: ſiquis autem trahatur in arduum & difficile certamen, armatur ſimul à Domino. Et videmus quotidie exempla hujus rei: nam multi idiotæ qui nunquam guſtaverunt literas, tamen præditi fuerunt cœleſti Spiritu ubi ventum eſt ad certamen, ut os occluderent illis magnificis doctoribus, qui videntur tenere omnia oracula. Talibus ergo documentis hodie palam teſtatur Deus ſe eundem eſſe qui ſervum ſuum Michæam olim inſtruxit tam rara & incredibili virtute. hæc igitur ratio eſt cur dicat *ſe eſſe repletum virtute*. Poſtea addit, *A Spiritu Jehovæ*. Hic Propheta avertit omnem ſiniſtram notam arrogantiæ: ne quid ſibi proprium aſſerere videatur, dicit hoc divinitus ſibi collatum eſſe. Jam notanda eſt diligenter circumſtantia. Michæas enim quamvis jure & merito ſibi vendicet nomen doctoris, nihil tamen habuit coram mundo ab aliis ſeparatum: nam omnes ejus adverſarii functi fuerunt eodem officio, & adepti erant honorem illum. hoc igitur commune erat utrique parti. Michæas vel erat ſolus, vel cum Jeſaia & paucis aliis. Quum ergo hic audet ſe opponere, videmus non debere ſpectari ſolam vocationem: quia ſcimus quanta ſit petulantia Satanæ ad oppugnandum Chriſti regnum: deinde quam ſuperbi ſint ac furioſi etiam falſi doctores. Quum ergo diaboli furor ſatis notus ſit, & ſimul ſuperbia falſorum doctorum; non eſt cur inſiſtant fideles in ſolis & nudis titulis. & qui illo tempore vixerunt, ſi jactaſſent quod hodie faciunt Papiſtæ, penes ſe non eſſe diſcrimen vel judicium utri cenſeri debeant vel impoſtores vel Dei miniſtri, quia Michæas ſit ſolus, & alii in magno numero: deinde quod alii etiam ſint Prophetæ, ſaltem obtineant titulum & exiſtimationem: quid factum eſſet? Ideo dixi notatu dignam eſſe hanc circumſtantiam, quod ſcilicet quamvis communis eſſet vocatio, quia perfide ſe geſſerant alii, Michæas autem ſolus vel cum paucis fideliter exequutus eſſet quod mandatum erat à Domino, ſolus cenſetur Propheta ac doctor: denique non eſt cur velum nobis opponant pſeudoprophetæ, niſi re ipſa oſtendant ſe præditos eſſe Dei Spiritu. Quiſquis igitur cenſeri vult ſervus Dei & Eccleſiæ doctor, habeat hoc ſigillum quod hic profert Michæas: ſit inſtructus Spiritu Dei, tunc honor Deo habendus

bendus erit. Cæterum, ſiquis nihil præter titulum afferat, videmus quam frivolum illud ſit coram Deo. Poſtea adjungit, *Judicio & fortitudine.* Per Judicium non dubito quin omnem rectitudinem intelligat, ſicuti etiam hæc vulgata eſt ſignificatio nominis. Poſtea addit Fortitudinem: quia duo hæc præcipue neceſſaria ſunt omnibus verbi miniſtris, nempe ut polleant prudentia, teneant quid verum ſit ac rectum: deinde ſint inſtructi inflexibili conſtantia, qua ſuperent & Satanam & totum mundum; neque deſinant à curſu ſuo, etiamſi diabolus omnia moliatur contra ipſos. Videmus ergo quid duæ iſtæ voces contineant. Prius poſuerat כח, virtutem: nunc autem ponit גבורה, fortitudinem vel magnitudinem animi. Per nomen Virtutis generaliter prius intellexit dotes omnes quibus oportet ornatos eſſe quicunque ad docendi munus accedunt. Facultas ergo primum requiritur, & illa eſt generalis. Diſtribuit autem virtutem Prophetarum Michæas in duas iſtas ſpecies, nempe in prudentiam vel judicium, deinde in fortitudinem, ut intelligant quidnam velit Deus, polleant doctrina: deinde ut ſint confirmati, ne cedant ad auras quaslibet, & vincantur minis ac terroribus, ne flectantur huc vel illuc mundi gratia: ne denique corruptelis ullis ſuccumbant: ideo fortitudinem accedere oportet ad judicium. Poſtea adjungit, *Ad annunciandum Jacob ſcelus ſuum, & Iſraëli peccatum ſuum.* Hic videmus Prophetam non venari gratiam populi. Si captandus fuiſſet favor, oportuit blanditiis mulceri, qui adulatores quærebant, & jam erant odio & maligno affectu corrupti, ut Michæam rejicerent. Oportuiſſet igitur leniter ipſum loqui, ut illis placeret: atqui non facit. Ab una parte dicit, Iſti vendunt vobis ſuas benedictiones, & ſpe pacis vos decipiunt: contra denunciant prælium, niſi ſatisfiat eorum voracitati. & ita fit ut vobis blandiantur: quia ita vultis, & quæritis tales doctores, qui vobis promittant vinum & ſiceram. Ego autem miſſus ſum alia de cauſa ad vos. neque enim Dominus apud me depoſuit blanditias, quæ vobis ſint dulces cantilenæ: ſed depoſuit objurgationes & minas. Ego igitur retegam veſtra flagitia, & non dubitabo vos coram toto mundo damnare, quia eſtis ita meriti. Tenemus ergo nunc cur Propheta dicat ſe inſtructum eſſe virtute *ad annunciandum ſcelus ipſi Jacob.* Sed hinc colligimus quam nobis neceſſe ſit fulciri cœleſti conſtantia, ubi negotium nobis eſt cum hominibus improbis & ſceleratis. Atqui hæc fere communis eſt ac perpetua conditio omnium ſervorum Dei: nam quicunque mittuntur ad docendum mundum, mittuntur ad certamen. Non ſufficiet igitur docere fideliter quod Deus mandat, niſi etiam certemus: & quamvis inſurgant violenter improbi, tamen ſimus fronte ærea, quemadmodum dicitur apud Ezechielem: neque cedamus eorum furori, ſed præſtemus invictam conſtantiam. *Ezech 3. verſ. 8.9.* Ergo quum nobis certamen ſit cum diabolo, cum mundo & omnibus improbis, ſi velimus fideliter exequi munus noſtrum, neceſſe eſt etiam inſtrui hac fortitudine, de qua loquitur Michæas. Jam ſicuti oſtendi ſervos Dei hac conſtantia debere perrumpere, quibuſcunque obſtaculis Satan conetur ipſos vel morari vel retro cogere: ita etiam debet transferri eadem doctrina ad omnes pios, ut prudenter diſcernant inter fideles ſervos Dei, & impoſtores, qui falſo nomen ejus obtendunt. Ita fiet, ut nemo qui vere & ex animo cupiet Deo obedire, fallatur: quia ſemper Dominus dabit ſpiritum judicii & diſcretionis. Hæc autem ratio eſt cur hodie turmatim miſeræ animæ trahantur in perpetuum interitum: quia ſcilicet vel claudunt oculos, vel ſponte connivent, vel libenter ſeſe involvunt in his latebris: Ego non poſſum judicium ferre: video hinc inde vel doctos homines vel ſplendidos, ſaltem qui ſunt in aliqua exiſtimatione & pretio: illi vocant me ad dextram, alii ad ſiniſtram, quorſum me conferrem? ego igitur malo & os & aures claudere. Sic multi ignaviæ ſuæ prætextum quærentes, ſubinde ſuam inſcitiam proferunt: quia videmus aperiendos eſſe oculos ubi Dominus exercet & examinat fidem noſtram. & ideo patitur oriri diſſidia & contentiones in medio Eccleſiæ, ut unum alii, aliud alii proferant. Quum ergo Deus frena Satanæ laxat, ut ejuſmodi certamina & turbæ in medio Eccleſiæ ſinu excitentur, tamen nulla excuſatio juſta eſt, quin ſequamur quod Dominus præſcribit: quia ipſe ſemper diriget nos ſuo Spiritu, modo ne ſocordiam noſtram foveamus ipſi. Sequitur,

9. Audite hoc quæſo Principes domus Jacob, & Gubernatores domus Iſraël, qui abominantur (*eſt mutatio perſonæ*) judicium, & rectitudinem omnem pervertunt.

10. Qui ædificat (*nunc eſt mutatio numeri*) Sionem in ſanguinibus, & Jeruſalem in iniquitate.

Incipit re ipſa monſtrare Propheta quod nuper dixit, nempe ſe repletum eſſe virtute Spiritus ſancti. Eſt autem hæc realis probatio, ut loquuntur, dum Propheta non formidat ullam potentiam mundi, ſed intrepide laceſſit ipſos Principes, & provocat eorum rabiem in ſe: *Audite*, inquit, *vos capita, vos gubernatores domus Jacob*, vos homines crudeles, ſanguinarii, iniqui. Videmus ergo Prophetam non jactaſſe niſi quod reipſa ſtatim confirmavit. Cæterum præfatus eſt ſe repletum eſſe Spiritu Dei, ut liberius ipſos offenderet: deinde ut compeſceret etiam ipſorum inſolentiam. Scimus quidem impios ita præcipites agi à Satana, ut contra Deum ruere non dubitent: ſed interea nomen Dei ſæpe illis eſt inſtar arcanæ catenæ. Ergo quantumvis improbi inſaniant, tamen minus ferociunt oppoſito Dei nomine. Hæc ratio eſt cur Propheta nuper oppoſuerit Spiritum Dei, quo ſcilicet liberior eſſet doctrinæ ſuæ curſus. Jam quum dicit, *Capita domus Jacob, gubernatores domus Iſraël*, ſpecies eſt conceſſionis: quaſi diceret ſplendidos quidem eſſe iſtos titulos, neque ſe tam eſſe fatuum quin agnoſcat quid illis datum ſit à Deo, nempe ut emineant, & quidem in genere electo, hoc eſt, inter filios Abrahæ. Propheta ergo concedit Principibus quod ſuum eſt: quaſi diceret ſe non eſſe hominem tumultuoſum, cui nulla ſit cura vel gratia politici ordinis. Et hæc excuſatio valde neceſſaria fuit: quia nihil magis vulgare eſt improbis, quam ſeditionis nomen objicere ſervis Dei, quoties feruntur libero ſpiritu ut decet. Quicunque ergo tenent gubernacula, ſi audiant ſuas corruptelas reprehendi, vel avaritiam, vel ſævitiam, vel alia flagitia: ſtatim, Quid? ſi hoc perpetimur, jam omnia peſſum ibunt. Ubi enim conciderit omnis reverentia, quid ſequetur præter belluinum impetum? nam quiſque plebeius volet inſurgere contra ſuum Magiſtratum & ſuos Judices. Sic ergo ſemper jactant improbi ſeditioſos eſſe ſervos Dei, ubi intrepide eos objurgant. Hæc ratio eſt cur Propheta concedat Principibus ac Judicibus populi ſuum honorem. Sed ſtatim ſequitur exceptio: Vos quidem eſtis capita, vos eſtis gubernatores; ſed interea *abominantur iſti judicium.* non dignatur amplius eos alloqui. Juſſerat quidem ipſos audire quaſi pro imperio; ſed ubi juſſit audire, jam retegit ipſorum flagitia omnibus: *Illi*, inquit, *abominantur judicium, & rectitudinem omnem pervertunt*: quiſque eorum *ædificat Sionem ſanguinibus, & Jeruſalem iniquitate*: hoc eſt, rapinas ſuas convertunt in ædificia. hic ſcilicet eſt ſplendor urbis meæ ſanctæ, & Sionis etiam: ubi volui locari arcam fœderis, quaſi in unico meo domicilio, ædificia illic cernuntur ex ſanguine & ex rapinis extructa: Ecce, inquit, quam bene ſe gerant iſti Principes prætextu ſuæ dignitatis. Jam videmus verbum Dei

non eſſe alligatum, quin ſuam virtutem exerat adverſus ſummos & infimos, quia Spiritus officium eſt Joan. 16. verſ. 8. judicare mundum, non partem duntaxat. Spiritus quum venerit, arguet mundum, inquit Chriſtus: non loquitur illic de hominibus gregariis, ſed de toto mundo, ubi eminent Principes & Magiſtratus. Sciamus ergo, quamvis reverenter ſentire nos oporteat de Judicibus, (ſicuti Dominus honorifico titulo Pſal. 82. verſ. 6. illos dignatus eſt, quum vocat ſuos vicarios, & deos) tamen hoc non poſſe claudere os Prophetis, quin ſine ulla diſtinctione corripiant quicquid reprehenſione dignum eſt, neque parcant ipſis proceribus. hoc ergo primo loco notandum eſt. Jam quod dicit *Sionem ædificari in ſanguine, & Jeruſalem in iniquitate*, tantundem valet acſi diceret Propheta, quicquid impendunt proceres in ſua palatia, hoc partum eſſe & quaſi corraſum ex ſanguine & rapinis. Neque enim fieri poteſt ut hinc inde prædam rapiant Judices, quin ſint ſanguinarii, hoc eſt, quin crudeliter divexent pauperes: nam ut plurimum corrumpi ſolent Judices à divitibus & opulentis, poſtea iſti miſeros & innoxios jugulant. Qui ergo corrumpitur pecunia, ille ſimul erit latro: & non rapiet pecuniam, ſed ſanguinem potius. ideo non mirum eſt ſi dicat Michæas, *Sionem extructam eſſe ex ſanguine.* Poſtea latius extendit, vocans *Iniquitatem*, quaſi vellet præcidere anſam excuſationis hypocritis. Nomen enim hoc erat paulo aſperius, quum diceret *ædificari Sionem in ſanguinibus*. Poterant excipere ſe non eſſe tam crudeles, utcunque non poſſent ſe in totum purgare ab avaritia. Quum loquor de ſanguinibus, inquit Propheta, non eſt quod de nomine litigemus. nam omnis iniquitas eſt ſanguis coram Deo: hoc eſt, ſi ex rapinis ædificatæ ſint veſtræ domus, hinc ſatis convicta eſt veſtra crudelitas, acſi jugulati eſſent veſtra manu miſeri & innoxii homines. Nomen *Sionis & Jeruſalem* aggravat crimen ipſorum, quod ſcilicet polluerent ſanctam urbem & montem ubi Templum juſſu & mandato Dei extructum fuerat.

Da omnipotens Deus, quando voluiſti nos regi verbi tui prædicatione, ut qui hoc munere funguntur, ſimul etiam vere ſint inſtructi virtute tua cœleſti, ne quid à ſeipſis tentare audeant, ſed toto ſtudio impendant tibi & nobis ſuam operam, ut per eos ſic ædificemur, quo ſemper in nobis habites, & ita ſimus domicilium majeſtatis tuæ tota vita noſtra, ut aliquando etiam perveniamus ad cœleſte illud ſanctuarium quo nos quotidie invitas, ſicuti ſemel patefacta eſt nobis janua ſanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO SEPTIMA

IN

MICHÆAM PROPHETAM.

CAP. III.

11. Principes ejus pro munere judicant, & Sacerdotes ejus mercede docent, & Prophetæ ejus pecunia divinant: & ſuper Jehova nituntur, dicendo, Annon Jehova in medio noſtri? non veniet ſuper nos malum.

12. Itaque propter vos Sion ut ager arabitur, & Jeruſalem acervus erit, & mons domus in excelſa ſylvæ.

PRimum oſtendit hic Propheta quam craſſa & ſupina fuerit hypocriſis tam in Principibus quam in Sacerdotibus & Prophetis: deinde pronunciat eos longe decipi, dum ita vanis blanditiis ſe demulcent: quia Dominus ſumpturus ſit pœnam de eorum ſceleribus, ubi ſuſtinuerit eos ſua patientia, & viderit non reſipiſcere. Non agit autem hic cum plebeiis vel gregariis hominibus, ſed aggreditur ipſa capita, quemadmodum paulo ante dixit ſe inſtructum eſſe ſpiritu fortitudinis. Oportuit enim invicta conſtantia armatum eſſe Prophetam, ut tam libere & intrepide pronunciaret judicium Dei: præſertim quia negotium erat cum magnis & potentibus, qui, ut ſatis notum eſt, non facile neque æquis animis ſuſtinent ſua ſcelera proferri in medium. volunt enim eximi à communi numero. Atqui Propheta non modo illis non parcit, ſed etiam eos ſolos accuſat, acſi penes eos reſideret culpa omnium malorum: ſicuti etiam contagio ab ipſis profecta erat. Quamvis enim tunc omnes ordines eſſent corrupti, non potuit tamen malorum omnium cauſa & initium adſcribi niſi ipſis Principibus. Dicit autem *Principes pro munere judicare, Sacerdotes docere mercede, Prophetas divinare pro pecunia*: acſi diceret tam Eccleſiaſticum quam Politicum regimen eſſe expoſitum omnibus corruptelis, quia omnia illic eſſent venalia. Scimus hoc ſemper verum eſſe, quod Spi- Exod. 20. verſ. 31. ritus ſanctus alibi pronunciat, nempe excæcari donis vel muneribus oculos ſapientum, & perverti juſtorum corda. Simul enim atque muneribus aditum patefaciunt Judices, non poſſunt integritatem colere, etiamſi maxime vellent. Eadem etiam ratio valet in Sacerdotibus. Nam ſiquis avaritiæ deditus ſit, adulterabit ſanam doctrinam: nec fieri poterit ut vigeat integra libertas in docendo, niſi ubi Paſtor immunis eſt ab omni cupiditate lucri. Quare non abs re hic conqueritur Michæas, mercenarios fuiſſe ſuo tempore tam Principes quam Sacerdotes. nam hoc modo intelligit apud ipſos nihil fuiſſe integritatis reſiduum: quia alterum, quemadmodum dixi, ex altero conſequitur. Non dicit Principes fuiſſe vel crudeles vel perfidos: quanquam hæc crimina jam ante notavit, hoc tamen loco vocat ſimpliciter Mercenarios. Sed, quemadmodum jam dixi, non poteſt vitium unum ſeparari ab altero, quia quiſquis conductitius eſt, pervertet omne judicium, ſive ſit doctor, ſive judex. nihil ergo ſincerum manebit ubi dominatur avaritia. Itaque Prophetæ ſatis eſt damnare xvaritiam in Judicibus & Prophetis & Sacerdotibus: quia inde colligere promptum eſt, venum expoſitam eſſe doctrinam: deinde etiam judicia redimi, ut qui plus affert, ille in cauſa facile victoriam obtineat. *Principes* ergo *judicant pro munere*: deinde, *Sacerdotes docent mercede*. Poſſumus elicere ex hoc loco qualis fuerit diſtinctio inter Prophetas & Sacerdotes. nam hic tribuit Michæas officium vel partes docendi Sacerdotibus: Prophetis vero relinquit ſolam divinationem. Diximus alibi factum fuiſſe Sacerdotum ignavia, ut Prophetæ illis adjuncti fuerint: penes enim ipſos vaticinia erant, donec contenti altari, reliquerunt docendi munus. Quemadmodum etiam videmus factum fuiſſe in Papatu. nam quum ſatis conſtet qua de cauſa creati fuerint Paſtores qui Eccleſiam regerent: tamen videmus in Papatu omnes eſſe canes mutos, qui ſuperbiunt titulis Paſtorum. Unde hoc? quia ſcilicet putarunt ſe defunctos eſſe, modo eſſent ſeduli in ſuis ceremoniis. Et habent illi plus ſatis ubi ſe occupent;

nam

nam munus ſacerdotale in Papatu eſt ſatis negotioſum, quantum attinet ad nugas & ritus hiſtrionicos. interea vero negligunt quod præcipuum eſt, ut paſcant gregem Domini doctrina ſalutis. Sic degeneres erant Sacerdotes ſub Lege. Debuit hoc eſſe perpetuum, quemadmodum dicitur apud Malachiam, (Mal. 2:7.) ut Lex eſſet in ore Sacerdotis, ut ipſe eſſet nuncius & interpres Dei exercituum. Atqui abjecerant Sacerdotes officium illud: ergo oportuit quaſi extra ordinem Prophetas excitari. interea tamen aliqua forma reſidua fuit. Nam Sacerdotes docebant frigide: Prophetæ autem divinabant, hoc eſt, profitebantur ſibi revelata eſſe oracula de rebus futuris. Hoc diſcrimen notatur nunc à Propheta, quum dicit *Sacerdotes docuiſſe mercede*, hoc eſt, fuiſſe mercenarios & conductitios in ſuo officio: *Prophetas* autem *divinaſſe pro pecunia.* Jam ſequitur, *innixos* tamen *fuiſſe ſuper Jehovam, dicendo, Annon Jehova in medio noſtri? non veniet igitur malum ſuper nos.* Hic oſtendit Propheta, quemadmodum initio attigi, luſiſſe profanos iſtos homines cum Deo: nam etſi erant ſibi peſſime conſcii, imo palam nota omnibus erant eorum flagitia, non tamen pudebat ipſos prætendere Dei nomen. & ſcimus hoc fuiſſe commune vitium fere omnibus ſeculis, quod hodie adhuc nimis graſſatur, nempe ut ſatis ſit hominibus tantum præ ſe ferre externas notas, ut poſſint cenſeri in Dei populo. Dei quidem mandato tunc arectum erat altare: ſacrificia fiebant ex Legis præſcripto: deinde extabant præclaræ & eximiæ promiſſiones de regno. Quum ergo quotidie frequentarent ſacrificia, deinde quum eſſet externa aliqua regni ſpecies, putabant Deum ſibi eſſe obſtrictum: ſicuti hodie major pars temere & perperam gloriatur tantum externis pietatis inſignibus. Nam Papiſtæ habent Eccleſiæ nomen, quo valde inflati ſunt: deinde magna eſt oſtentatio & pompa in eorum ceremoniis. Apud nos etiam hypocritæ jactant Baptiſmum & ſacram Cœnam, & nomen Reformationis: interea hæc mera ſunt ludibria, quibus profanatur Dei nomen & tota religio, ubi non viget in cordibus ſincera pietas. Hæc ratio eſt cur nunc expoſtulet Michæas cum Prophetis & Sacerdotibus & Conſiliariis Regis, quod falſo prætendant ſe eſſe Dei populum. Cæterum, quod dicit *inniti ſuper Jehovam*, hoc verbo non damnatur fiducia quæ vere in Deum recumbit: neque enim poſſumus hac in parte modum excedere: quemadmodum immenſa eſt Dei bonitas, ita etiam non poſſumus nimium fidere ejus verbo, ſi quidem vera fide illud amplectimur. Sed Propheta hypocritas dicit inniti ſuper Jehovam, quia ſibiipſis fucum faciunt titulo illo & inani titulo, quod Deus illos ſibi adoptaverit in populum. Hic ergo verbum *innendi* vel recumbendi non refertur ad fiduciam cordis, ſed ad ſocordiam potius, ubi ſcilicet homines obtendunt velum ex nomine Dei, & ſibi indulgent ita ut excutiant omnem non modo timorem Dei, ſed etiam ſenſum. Ubi ergo talis & jam ſupina ſecuritas animos occupat, ſequitur mox ſtupor. & tamen non abs re Michæas hoc verbo uſus eſt, quia hypocritis perſuaſum eſt omnia bene fore, quod Deum habeant ſibi propitium. Quoniam ergo nulla eos ſollicitudo tangit dum putant ſibi optime convenire cum Deo, hac de cauſa Propheta ironice dicit eos *inniti ſuper Jehovam*: quaſi diceret eos fulturam ſibi facere ex Dei nomine. ſed tamen κατὰ χρηστικῶς loquitur Propheta: quia certum eſt neminem inniti ſuper Jehovam, niſi qui in ſeipſo humiliatus eſt. Pœnitentia enim nos adducit ad Deum: quia ubi in nobis dejecti ſumus, incipimus in eum recumbere. qui autem inflatus eſt perverſa confidentia, ille volitat in aëre, & nihil habet in ſe ſolidum. Propheta autem noſter, quemadmodum dixi, voluit oblique perſtringere pravam illam ſecuritatem, cui indormiunt hypocritæ, dum putant ſibi ſatis eſſe quod Dominus ſemel teſtatus fuerit illos ſibi fore in populum: ſed conditio ab ipſis non ſpectatur. Jam recitat etiam ipſorum verba, *Annon Jehova in medio noſtri? non veniet malum ſuper nos.* Hæc interrogatio faſtuoſæ confidentiæ ſignum eſt. Quærunt enim quaſi de re indubia: & emphatica magis eſt iſta loquutio, quam ſi dixiſſet, Jehova eſt in medio noſtri. Qui ſimpliciter affirmat, ille non tantum oſtendit ſuperbiæ quantum faciunt hypocritæ, dum opponunt iſtam interrogationem, Quis negabit Jehovam habitare in medio noſtri? Quia Deus domicilium ſibi elegerat apud ipſos, ſed certa lege interpoſita, iſti volunt eum eſſe alligatum Templo: & interea non expendunt quid viciſſim ab ipſis exigat Deus. Pronunciant ergo Jehovam eſſe in medio ſui, imo inſultant, ſiquis audeat verbum contra facere. nec dubium eſt quin iſtos flatus evomerent contra Prophetas. Quoties enim minitabatur quiſpiam, quod ſtatim Propheta noſter ſubjiciet, erat iſta reſponſio in primis eorum labiis, Quid? nos igitur Deus deſeret, ſeipſum abnegando? An fruſtra Templum ſibi inter nos erigi mandavit? An mendaciter promiſit nos ſibi fore ſacerdotale regnum? An tu Deum fœdifragum facies, ut ſermonis tui terroribus reſpondeat? atqui non poteſt ſeipſum abnegare. Videmus ergo cur ita loquutus fuerit Propheta, nempe ut oſtenderet hypocritas crepare faſtuoſas illas præſumptiones, ut ita loquar, quod putarent non poſſe Deum à ſeipſis avelli. Docet autem hic locus, quam præpoſterum ſit abuti Dei nomine. Hæc quidem ratio eſt cur Dominus nos ad ſe vocet, quia extra ipſum ſumus miſeri: deinde promittit ſe nobis fore propitium, etiamſi multis modis ſumus obnoxii coram ipſo. tamen interea nos ſimul ad pœnitentiam vocat. Quiſquis ergo ſibi indulget, ac manet demerſus in ſuis vitiis, longe fallitur ſi ad ſe trahat Dei promiſſiones: quia alterum non poteſt ſeparari ab altero, ut dictum eſt. Porro ſi Deus foret illis propitius, recte inferrent omnia apud ſe bene habitura, quia plenæ felicitatis fontem ſcimus eſſe paternum favorem Dei. Sed in eo vitioſa fuit ratiocinatio, quod Dei gratiam ſibi ex prava imaginatione carnis magis quam ex ejus verbo promitterent: ita videmus in hypocriſi ſemper aliquam eſſe æmulationem pietatis. Sed paralogiſmus eſt vel in ipſo principio, vel in hypotheſi. Jam ſequitur comminatio, *Itaque propter vos Sion ut ager arabitur, & Jeruſalem acervus erit, & mons domus in excelſa ſylvæ.* Hic videmus quam intolerabiles ſint Deo hypocritæ: neque enim vulgare ſignum horribilis vindictæ fuit, quod Dominus probro expoſuerit ſanctam urbem & montem Sion & Templum ſuum. Hæc igitur tam dura ultio oſtendit nihil minus fuiſſe Deo tolerabile quam perverſum illum faſtum quo turgebant hypocritæ: nam redundabat etiam in contumeliam ipſius Dei. neque enim jactare poterant ſe eſſe Dei populum, quin aſpergerent eum multis maculis. Quorſum enim hoc tendebat, Deus eſt in medio noſtri, niſi ut dicerent ſe eſſe Dei vicarios, quia regnum illud ſacrum erat, deinde ſacerdotium etiam? Quum igitur utrimque jactarent ſe non temere vel ſacerdotio vel poteſtate regia fungi, ſed quia divinitus creati eſſent: ideo videmus fuiſſe turpiſſimam profanationem nominis Dei. Itaque nihil mirum ſi Deus tam ſevere excanduerit contra eos. Et ideo dicit Propheta, *Propter vos Sion ut ager arabitur:* acſi diceret, Hoc eſt quaſi prodigioſum, Templum Dei everti, montem ſacrum & totam urbem funditus dirui, & nihil illic reſtare præter horrendam vaſtitatem: quis hoc crederet? Fiet tamen, & fiet propter vos: hoc eſt, ſuſtinebitis culpam hujus tam prodigioſæ mutationis. Nam perinde hoc fuit acſi Deus miſcuiſſet cœlum terræ. ipſe enim erat fundator Templi: & ſcimus quam præclaris elogiis ornatus fuerit locus ille. Quum ergo ſtaret

 Tem-

Templum quaſi in manu Dei, qui fieri potuit ut eo diruto locus ille vaſtus & deformis eſſet documentum memorabilis vindictæ? Non dubium igitur eſt quin notare voluerit Michæas atrocitatem criminis, ubi dicit, *Propter vos Sion ut ager arabitur, Jeruſalem erit acervus lapidum*: hoc eſt, deformabitur ita, ut nullum illic veſtigium reſtet urbis bene compoſitæ & digeſtæ. *Et mons domus.* Iterum repetit de Sione, neque immerito. Putabant enim Judæi ſe protegi urbe Jeruſalem: tota regio quieſcebat ſub illa umbra, Quod tamen urbs ſancta eſſet habitatio Dei. Cæterum, urbs ipſa Templo ſubnixa, putabat ſe hoc præſidio tutam eſſe, quod vix poſſet dirui niſi ſubverſo Dei ſolio. Quia enim Deus ſedebat inter Cherubim, inexpugnabilis erat munitio populi opinione. Quum ergo ſanctitas montis eos deciperet, ideo oportuit bis repeti quod erat fere incredibile, ſaltem perſuaſu difficile. Poſtea adjungit, *Mons domus in excelſa ſylvæ.*, hoc eſt, illic creſcent arbores. Cur rem ſatis perſpicue dictam rurſus inculcat? nempe quia hoc non modo erat difficile creditu, ſed prorſus alienum à ratione, ſiquis reputet quod dixerat Dominus, & omittat partem illam, quæ ſemper negligitur ab hypocritis. Deus enim paciſcitur cum ſuo populo: ſed hypocritæ vellent Deum habere ſibi obſtrictum & interea manere liberi, imo permittere ſibi omnem licentiam ſcelerate vivendi. Quum ergo Judæi defixi eſſent in illa prava opinione, Deum non poſſe disjungi à populo ſuo, ideo Propheta confirmat ſententiam illam, quod mons domus erit in excelſa ſylvæ. Et per conceſſionem vocat Montem domus, vel Templi: quaſi diceret, etiamſi Deus elegerit ſibi domicilium, in quo habitaret, non tamen impediet hæc gratia quin Templum maneat deſertum & vacuum, quia ſcilicet jam profanatum eſt veſtris ſceleribus. Nunc videndum eſt quo tempore hoc vaticinium ediderit Michæas. Id autem patet ex vigeſimo ſexto capite Jeremiæ. Nam quum prophetaſſet Jeremias contra Templum, ſtatim abreptus eſt, conjectus in carcerem, & conſultatio tumultuarie habita: & parum abfuit quin ſtatim ad mortem fuerit tractus. nam omnes Principes eum damnaverant: & quum jam nulla ſpes eſſet ſalutis, voluit non tam cauſam ſuam agere, quam illis minari, ut intelligerent ſe nihil proficere damnando innoxium hominem. Michæas, inquit, Moraſthites prophetavit diebus regis Ezechiæ, & ita loquutus eſt, Sion ut ager arabitur, Jeruſalem erit acervus, & mons domus erit in excelſa ſylvæ. An Rex & populus, inquit, ſtatim agitarunt de illo occidendo? quin potius Rex converſus eſt, & ita pœnituit Deum, hoc eſt, Dominus vindictam illam diſtulit, quia rex Ezechias ſuppliciter deprecatus eſt talem pœnam. Nunc ergo tempus certo tenemus. Sed hoc mirum eſt, ſub Rege illo ſancto tales & tam indignas corruptelas fuiſſe graſſatas: neque enim dubium eſt, quin ſtuduerit pro virili populum regere, & quin ſuo exemplo docuerit conſiliarios quam fideliter & integre verſari deberent in ſuo officio. Non potuit tamen ſuo ſtudio efficere, quin & Sacerdotes & Prophetæ & Judices eſſent mercenarii. Hinc ergo colligimus quam ſedulo incumbere oporteat pios Magiſtratus, ne ſtatus Eccleſiæ degeneret: quia ut maxime advigilent, vix tamen poterunt etiam ſumma diligentia efficere, quin (ut genus humanum refertum eſt multis vitiis) res ſtatim labantur in deterius. hoc unum eſt. Jam ob alterum quoque finem notanda eſt circumſtantia temporis, quod Michæas non dubitaverit, etiamſi videret Regem eſſe eximiis virtutibus præditum, tam duriter tamen minitari contra Templum & urbem. Potuit apud ſe ita reputare, Rex Ezechias ſtrenue laborat in exequendis ſuis partibus: nunc ſi tam dura & aſpera objurgatio perveniat ad aures ejus, vel frangetur animo, vel putabit me hominem eſſe nimis rigidum: vel etiam forte exaſperabitur contra ſanam doctrinam. Potuit ergo hæc apud ſe expendere Propheta: nihilominus tamen perrexit in libero curſu doctrinæ. Et non dubium eſt, quin placuerit Regi hæc ſeveritas. Scimus enim ipſum multis curis & anxietatibus conſtrictum fuiſſe, quia non poterat multum luctando retinere tamen ſuos Conſiliarios & Sacerdotes & Prophetas: ergo optavit ſibi omnes Dei ſervos eſſe adjutores. Et ſemper hoc cupient pii Magiſtratus, nempe ut leventur moleſtiæ aliqua parte per verbi miniſtros. Nam ſi verbi miniſtri frigide tantum docent, neque intenti ſunt ad coarguenda vitia, Magiſtratus auſteritas odioſa erit populo: Quid? ecce Miniſtri ceſſant: & hinc colligi poteſt eos non animadvertere tanta mala: jam autem Magiſtratus exerto gladio quotidie novas pœnas ſumunt. Si ergo ita quieſcant doctores, non dubium eſt quin major invidia redundet in Magiſtratus: ideo dixi hoc illis eſſe optabile ut ad pœnas legum & judicia accedat etiam libera objurgatio à doctoribus. Cæterum videmus etiam quam placido ingenio fuerit ac manſueto ſanctus ille Rex, quod potuit ferre tantum rigorem in Propheta: *Ecce*, inquit, *propter vos*; Saltem debebas me excipere. nam Rex ipſe ſibi non erat male conſcius. Cur ergo hic permiſcet eum cum aliis? Sed quia totum corpus illa contagione infectum erat, ideo generaliter loquitur: & optimus Rex non recalcitrat, neque etiam obſtrepit: ſed, quemadmodum recitavimus ex Jeremia, ſuppliciter tunc deprecatus eſt iram Dei, acſi pars culpæ in ipſo hæreret. Sequitur,

CAPUT IV.

ACcidet ultimis diebus, ut ſit mons domus Jehovæ diſpoſitus in capite montium, & extolletur ipſe præ ſublimitatibus: & venient ad eum populi.
2. Et proficiſcentur gentes multæ, & dicent, Venite, & aſcendemus ad montem Jehovæ, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos de viis ſuis, & ambulabimus in ſemitis ejus: quia ex Sion prodibit Lex, & verbum Jehovæ ex Jeruſalem.

HIc incipit Michæas ſermonem dirigere ad fideles, qui reſidui erant in populo illo. Quamvis enim contagio occupaſſet totum fere corpus, tamen ſemper ſcimus fuiſſe paucos qui ſincere Deum colerent. Ne ergo exanimares Michæas filios Dei nimio terrore, opportune adjunxit quod nunc audimus, nempe etiamſi ad tempus vaſtum & deforme eſſet Templum, tamen hoc fore temporale, quia Dominus ſemper futurus eſſet memor ſui fœderis. Quum ergo hactenus Propheta concionatus eſt de horribili vindicta Dei, ſparſit ſermonem illum ad totum vulgus & proceres. Jam vero peculiariter & quaſi ſeorſim pios & integros Dei ſervos alloquitur: quaſi diceret, Eſt nunc quod agam cum paucis. Ego hactenus diſſerui de propinquo Dei judicio apud Regis Conſiliarios, apud Sacerdotes & Prophetas, denique apud plebem ipſam, quia omnes ſunt ſcelerati & impii: contemptus Dei & deſperata etiam obſtinatio pervaſit totum corpus. Habeant igitur illi quod meriti ſunt. Sed jam ſeorſum colligo filios Dei. Habeo enim quod illis dicam in aurem. Quanquam enim Propheta publice hanc promiſſionem

nem vulgavit, tamen non dubium eſt quin reſpexerit Dei filios, quia alii hujus conſolationis non erant capaces: imo paulo ante damnavit nimiam ſecuritatem in hypocritis, quod recumberent in Deum, hoc eſt, quieſcerent in fallaci illo prætextu pietatis, dum putabant ſe quaſi legitimo pretio redemptos eſſe, poſtquam obtulerant ſacrificia. Et ſcimus hoc paſſim occurrere apud Prophetas, & hunc ordinem eſſe illis ſatu tritum, nempe ut ſubjiciant conſolationes minis, non in gratiam totius populi, ſed tantum ut ſuſtineant in bona ſpe fideles, qui poſſent concidere, niſi manum illis porrigerent. Scimus enim fideles trepidare ſimulatq; Deus ſignum aliquod iræ ſuæ oſtendit: quo enim quiſque magis ſerio afficitur timore Dei, ita etiam exhorret ejus judicium, & ita expaveſcit ad omnes minas. Videmus ergo quam neceſſarium ſit temperari minas & terrores, ſi velint Prophetæ & doctores conſulere Dei filiis, qui alioqui ſatis timidi ſunt, quemadmodum dixi. Sciamus itaque Michæam hactenus ſermonem ſuum direxiſſe ad ſceleſtos Dei contemptores, qui tamen abutebantur aliquo prætextu pietatis. Jam vero convertit doctrinam ſuam ad veros & pios Dei cultores. Cæterum ſic alloquutus eſt fideles ſuæ ætatis, ut hæc doctrina maxime nunc ad nos pertineat. Unde enim factum eſt, ut Regnum Dei propagatum fuerit per omnes terræ plagas? Unde etiam factum, ut ad nos Euangelii doctrina pervenerit, ut ſimus ejuſdem adoptionis participes cum vetere populo, niſi quia hoc vaticinium impletum fuit? Ergo Gentium vocatio, & per conſequens ſalus noſtra in hoc vaticinio incluſa eſt. Dicit autem Propheta, *Erit in extremitate dierum mons domus Jehovæ diſpoſitus ſuper caput montium.* Extremitatem dierum Propheta haud dubie nominat Chriſti adventum, quia tunc oportuit de integro Eccleſiam Dei erigi. Denique quum Chriſtus attulerit renovationem orbis, merito ejus adventus vocatur novum ſeculum: & ideo etiam nunc dicitur Extremitas dierum. Et hæc loquutio ſatis frequenter occurrit in Scriptura: præſertim vero ſcimus vocari tempus prædicati Euangelii, dies noviſſimos, & tempus
1 Joan. 2. verſ. 18. extremum, tum à Joanne quam ab auctore epiſtolæ
Heb. 1: 2. ad Hebræos, & à Paulo etiam. quam loquendi for-
2 Tim 3. verſ. 1. mam mutuati ſunt à Prophetis. Qua de re aliquid etiam in ſecundum caput Joëlis dictum fuit. Et Paulus ipſe aſſignat rationem cap. 10. prioris ad Corinthios: Quia in nos, inquit, fines ſeculorum inciderunt. Ergo quia Chriſtus complementum rerum ſuo adventu attulit, merito Propheta dicit, hos fore extremos dies, quum Deus reſtituet Eccleſiam ſuam per manum Redemptoris. Interea tamen non dubium eſt, quin notare voluerit Michæas non fore breve tempus iræ Dei, ſed minari voluerit diuturnum fore ejus curſum. *Accidet* ergo *in noviſſimo dierum*, hoc eſt, ubi Dominus vindictam ſuam exequutus fuerit diruto Templo, urbe exciſa, & hoc ſancto loco redacto in ſolitudinem, manebit illa horribilis vaſtitas: non uno anno, vel duobus, non denique vel per 40, vel per 50 tantum annos durabit; ſed Dominus laxabit frena iræ ſuæ, ut diu langueant animi, nulla autem reſtitutio appareat. Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ quantum attinet ad dies ultimos. Vocat *montem domus Jehovæ* alio ſenſu quam prius. nam erat ſpecies conceſſionis, ſicuti diximus: nunc autem cauſam exprimit, cur Deus montem illum non prorſus velit abjicere, quia ſcilicet illic præcepit ſibi Templum erigi. Perinde eſt igitur acſi diceret, hoc non debere aſcribi ſanctitati montis, quaſi dignitate excelleret ſupra alios montes: ſed quia illic fundatum erat Templum non hominum arbitrio, ſed oraculo cœleſti, quemadmodum ſatis notum eſt. *Mons* ergo *domus Jehovæ diſpoſitus erit in capite montium*, hoc eſt, ſuperabit altitudine omnes montes: *& tolletur*, inquit, *ſupra vertices: & convenient illuc omnes populi.* Certum eſt his Prophetæ verbis non notari viſibilem loci eminentiam. Neque enim Chriſti adventu mons ille auctus eſt: & qui vixerunt tempore Prophetæ nihil tam craſſum etiam imaginati ſunt. Sed loquitur hic de eminentia dignitatis, quod ſcilicet Deus monti Sion daturus eſſet eximiam præſtantiam, ita ut reliqui montes cederent. Quomodo autem hoc factum eſt? Proximo verſu ſequitur explicatio. Ergo ne quis putaret fore aliquam ocularem mutationem, ut mons Sion creſceret terræ mole vel lapidum, ideo Propheta mentem ſuam continuo poſt expoſuit: ac dicit circa finem verſus, Venient ad Deum populi. Jam facile eſt videre qualis illa altitudo futura fuerit, nempe quia Deus montem illum vellet habere inſtar Regiæ ſedis: quemadmodum ſub Monarchia Regis Perſarum ſcimus totum Orientem fuiſſe ſubjectum uni turri Perſidis: ſic etiam quum ſedes eſſet ſummi imperii mons Sion, ubi Deus volebat regnare, & unde etiam volebat ſibi ſubjicere totum orbem terrarum, hæc ratio eſt cur Propheta dixerit illum fore ſuperiorem omnibus aliis montibus ergo in hoc uno verbo ſatis liquet ejus conſilium. Tamen ſequitur fuſior explicatio, quum dicit *gentes multas venturas.* Dixerat ſimpliciter venturos populos: ſed quia David jam ſuo ſeculo gentes aliquas fecerat ſibi tributarias, Propheta hic exprimit aliquid amplius, quod ſcilicet *venturæ ſint gentes multæ*: quaſi diceret, Etiamſi David ſibi ſubjugavit quoſdam populos, fuerunt tamen anguſti & exigui fines regni ipſius, præut eſt futura amplitudo regni, quod Dominus adventu Meſſiæ ſui eriget. Non enim paucæ tantum gentes convenient ad præſtandum obſequium, ſed multæ. *Et dicent.* Jam oſtendit Propheta ſpirituale hoc fore regnum. David quum ſibi ſubjecit Moabitas & Ammonitas, & reliquis impoſuit certum tributum quod quotannis penderent, non potuit tamen apud ipſos erigere purum & legitimum Dei cultum, neque potuit eos colligere in unitatem fidei. Ergo Moabitæ & reliqui populi, quamvis tributum Davidi penderent, non tamen unquam coluerunt Deum, ſed fuerunt ſemper alieni ab Eccleſia. Propheta autem noſter oſtendit ſpirituale fore imperium, quod ſibi Deus conſtituet adventu Meſſiæ. *Dicent* enim, *Venite, & aſcendemus ad montem Jehovæ, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos de viis ſuis, & ambulabimus in ſemitis ejus: quia prodibit Lex ex Sion, & verbum Jehovæ ex Jeruſalem.* Hoc toto contextu docet Propheta non armata manu, neque vi gladii ſubigendos eſſe populos, ut pareant Davidis poſteris; ſed vere eſſe & penitus reformandos, ut ſe Deo ſubjiciant, ut coaleſcant in corpus Eccleſiæ, & fiant unus populus cum filiis Abrahæ, quia ſubibunt voluntarium obſequium, & amplexi doctrinam Legis, renunciabunt ſuis ſuperſtitionibus Hoc igitur eſt Prophetæ conſilium. Sed reliqua in craſtinum diem differemus.

Da omnipotens Deus, quando dignatus es erigere ſolium Filii tui inter nos, ut freti hujus Regis præſidio diſcamus nos totos tibi committere: neque unquam huc vel illuc deflectamus, ſed vera obedientia ſic nos ſubjiciamus Regi abs te creato, ut ipſe etiam vere nos agnoſcat pro legitimo populo, & ſic glorietur tuo nomine, ne interim profanemus illud impia & ſcelerata vita noſtra, ſed teſtemur operibus nos vere tibi ita eſſe ſubjectos, & plenum imperium in nobis obtineas, quo ſcilicet ſanctificetur nomen tuum, & Spiritus tuus nos vere gubernet, donec tandem Filius tuus, qui nos collegit ex horrenda diſſipatione, iterum nos colligat in cœleſte illud regnum, quod nobis acquiſivit ſanguine ſuo, Amen.

PRÆLECTIO OCTAVA IN MICHÆAM PROPHETAM.

CAP. IV.

COEpimus heri exponere vaticinium, ubi Michæas promittit reſtitutionem Eccleſiæ. Diximus non poſſe hanc promiſſionem intelligi niſi de Chriſti Regno, quia exprimit dies noviſſimos. Jam hoc etiam fuit additum, dignitatem vel præſtantiam montis Sion, de qua diſſerit, non poſſe etiam aliter intelligi quam de ſpirituali Regno Dei. Sequitur enim explicatio, quum dicit Gentes multas venturas ut doceantur in viis Domini. Videmus ergo hic non prædicari terreſtum aliquod imperium, ſed quod in verbo & doctrina cœleſti conſiſtit. Sed ſingula ordine excutienda nobis ſunt. Heri expoſuimus, quum expreſſa ſit mentio multarum Gentium, ſubeſſe antitheſin: quia ad illum uſque diem cognitus fuerat Deus in uno populo duntaxat. Quoniam ergo elegerat Deus ſolum genus Abrahæ, notatur hic futura mutatio, dum Eccleſiam ſuam colliget ex variis Gentibus, ita ut non ſit futurum diſcrimen inter Gentiles & Judæos. Jam ſequitur, *Dicent, Venite, & aſcendemus ad montem Jehovæ*. Propheta his verbis oſtendit, non tantum ſingulos Deo morigeros fore, ubi vocati fuerint, ſed mutuo etiam ſe cohortaturos omnes. Et hoc ſtudium merito exigitur à fidelibus, ut ſcilicet alii alios animent atque exſtimulent: neque enim ſufficiet, ſi quiſque noſtrûm Deo obſequatur, ſed neceſſe eſt etiam hunc zelum accedere, ut alii alios lucrifacere ſtudeant. Hæc igitur cura nunc Prophetæ verbis exprimitur, quum dicit, Venite ut aſcendamus ad montem Domini. Poterat dicere venturos populos, & illic finire orationem: ſed hic voluit conjungere duo membra, nempe undique venturos, qui prius contempſerant Deum Iſraëlis: deinde alios etiam aliis fore hortatores. Venite ergo ut aſcendamus. Sed modus hortandi etiam dignus eſt notatu, nempe quum quiſque offert ſe comitem itineris. Videmus enim multos ſatis intentos eſſe, dum alii incitandi ſunt ad officium, ſed interea ipſi jacent: totus eorum fervor conſumitur in aliis mittendis, ipſi autem ne digitum quidem movent: tantum abeſt ut alacriter currant cum aliis. Propheta hic oſtendit fideles ita ſollicitos fore de ſalute fratrum ſuorum, ut etiam ipſi ſtrenue currant, & nihil aliis præſcripturos, niſi quod præſtabunt ipſi. Venite ergo ut aſcendamus: non dicunt, Ite, aſcendite in montem Jehovæ, ſed Eamus ſimul. Hæc igitur vera eſt ratio hortandi, ubi oſtendimus reipſa non aliud nos petere à fratribus, niſi quod cupimus ipſi præſtare. Jam notanda eſt circumſtantia temporis: quia potuit hoc videri fabuloſum, quod diceret Propheta, venturas Gentes in montem Sion, qui tamen jam redactus eſſet in ſolitudinem. Quid enim paulo ante prædixit? Sion ut ager arabitur & illic creſcent arbores, erit ſylva deſerta. Qui ergo fieri potuit, ut Gentes multæ confluerent tanquam ad celeberrimum locum, qui tamen deformis erat horrenda vaſtitate? Sed Propheta hic extollit admirabilem Dei potentiam, quod ex loco inculto & deſerto, tandem ubi Deus miſertus fuerit populi ſui, fiet nobile & celebre Templum. Promittit ergo fore illum montem Jehovæ, qui ad tempus derelinquendus erat; & rurſus nobile, ſicuti antea, illic fore Templum, ubi fuerint ruinæ. Poſtea ſequitur, *Docebit nos de viis ſuis*. Hic Propheta paucis verbis definit legitimum Dei cultum: neque enim ſufficeret Gentes ad locum unum confluere, ut profiterentur ſe eſſe unius Dei, niſi etiam accederet vera obedientia, quæ pendet ex fide, ſicuti fides ex verbo. Hoc igitur etiam notatu apprime dignum eſt, quod Propheta hic hoc verbum Dei ſtatuit nobis in medio, ut oſtendat in obedientia fidei pietatem fundatam eſſe, neque aliter vere poſſe coli Deum, niſi ubi ipſe populum ſuum docet, ac præſcribit quid factu opus ſit. Ergo ubi patefacta eſt nobis Dei voluntas, jam poſſumus vere eum adorare. Rurſus ſublato verbo, ſtabit quidem aliqua cultus Dei forma, ſed nulla erit ſolida religio, quæ Deo placeat. Et hinc etiam colligimus non aliam rationem eſſe erigendæ Eccleſiæ Dei, niſi ubi verbum eminet, & Deus voce ſua oſtendit quæ ſit via ſalutis. Donec ergo præluceat doctrina, non poſſunt in unum colligi homines, ut conſtituant verum Eccleſiæ corpus. Quum ita ſit, ſequitur, ubi vel corrupta eſt doctrina, vel contemnitur, nullam eſſe pietatem, ſaltem quæ probetur Deo: poterunt quidem nomen ipſum jactare homines in ore, ſed coram Deo nulla eſt religio, niſi quæ exigitur ad regulam verbi. Deinde ſequitur nullam eſſe Eccleſiam, quæ non ſubjicitur verbo Dei & regitur: quia hic Propheta definit quænam ſit vera pietas, deinde quomodo Deus Eccleſiam ſibi colligat. *Docebit* ergo *nos de viis ſuis*. Accedit & tertium, ſpoliari Deum jure ſuo & honore ubi mortales ſibi uſurpant docendi poteſtatem: nam hoc proprie uni Deo tribuitur, quod docere velit populum ſuum. Fuerunt tunc Sacerdotes & Prophetæ: tamen Michæas hic cogit in ordinem utroſque, & oſtendit jus & officium docendi penes unum Deum fore. Videmus ergo ut Deus ſibi vendicet iſtas partes, ne ſcilicet fluctuemur, & trahamur à variis magiſtris, ſed maneamus in ſimplici obedientia verbi ipſius, ut ipſe ſolus emineat: denique Deus non eſt Deus & caput Eccleſiæ, niſi ſit ſummus & unicus doctor. Jam quod dicit, Docebit nos de viis ſuis, reſolvi ita debet, docebit nos quales ſint viæ ſuæ: quaſi diceret Propheta hanc eſſe perfectam ſapientiam populi, ut intelligat quidnam placeat Deo, & quænam ſit ejus voluntas: neque enim quicquam ultra diſcendum eſſe. Sequitur, *Ambulabimus in viis ejus*. Hac particula monemur, doctrinam Dei non eſſe ſpeculativam, ut loquuntur, ſed plenam efficacia. Deus ergo non modo in hunc finem loquitur, ut quiſque agnoſcat verum eſſe quicquid ab ipſo profectum eſt, ſed ſimul requirit obedientiam. Vere ergo diſcipuli Dei erimus, ſi ambulamus in viis ejus: nam ſi tantum annuimus auribus, ut ſolent aſini, & ſubſcribimus Deo ore & labiis, hoc eſt nimis frivolum. Tunc ergo vere proficiunt homines in ſchola Dei, ubi vitam ſuam formant ad doctrinam ejus, & pedes paratos habent ad ambulandum, ut ſequantur quocunque ipſe vocat. *Ambulabimus* ergo *in ſemitis ejus*. Hactenus retulit Michæas, quid facturi ſint fideles. Jam confirmat ipſe in ſua perſona ſententiam illam: *Quia ex Sion prodibit Lex, & verbum Jehovæ ex Jeruſalem*. Eſt cauſæ redditio, cur ſcilicet venturæ ſint Gentes multæ ad Templum Domini, quia ſcilicet promulgabitur doctrina illa, quæ prius tantum in uno loco audita fuerat. Scimus enim Judæos veniſſe ad Templum, non modo ut adorarent, ſed etiam ut inſtituerentur in Lege Dei. Lex ergo tunc reſidebat in Sion: illic erat Sacrarium cœleſtis ſapientiæ. Quid autem Propheta noſter? Lex ex Sion prodibit, hoc eſt, longe lateque perſonabit: non tantum Dominus in uno angulo oſtendet quænam vera ſit religio & quomodo ipſe coli velit, ſed vocem ſuam procul emittet uſque

ad

ad extremos terræ fines. *Exibit* ergo *Lex ex Sion:* ſicuti dicitur Pſalm. 110. Sceptrum potentiæ tuæ emittet Dominus è Sion. Illic metaphorice vocatur doctrina Chriſti Sceptrum, vel confertur Regio ſceptro: quia non aliter dominatur Chriſtus inter nos, niſi per Euangelii ſui doctrinam. Illic autem pronunciat David ſceptrum illud procul emittendum eſſe à Deo Patre, ut ſcilicet Chriſtus ſub ſe contineat omnes populos, qui prius alieni erant. Ita hoc loco *Lex ex Sion prodibit.* Jam ſequitur, *verbum Jehovæ è Jeruſalem.* Eſt repetitio ejuſdem ſententiæ, quæ paſſim occurrit. Ergo per תורה nihil aliud intellexit Propheta, quam doctrinam. Sed alia voce idem confirmat, quod ſcilicet Deus non tantum audietur Jeroſolymæ & in Judæa, ſed verbum ſuum ubique perſonare faciet. Jam ſequitur,

3. Et judicabit inter populos multos, & arguet (*vel, corripiet*) Gentes robuſtas uſque in longinquum, & concident gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: non tollent gens contra gentem gladium, & non aſſueſcent ultra prælio.

Hic Propheta deſcribit fructum doctrinæ, quod ſcilicet Deus ad manſuetudinem revocabit omnes populos, ita ut ſtudeant inter ſe pacem fraternam colere, & quiſque aliis operam ſuam impendat, depoſito omni ſtudio nocendi. Sicuti ergo nuper oſtendit, neque aliter poſſe conſtitui Eccleſiam Dei quam per verbum, neque etiam legitimum Dei cultum aliter poſſe vel erigi, vel ſtare, niſi ubi fidei obedientia colitur Deus: ita nunc demonſtrat, doctrinam hanc tendere in eum finem, ut qui prius hoſtiliter vivebant inter ſe, & ardebant libidine nocendi, pleni erant crudelitate & avaritia, ut illi quaſi mutato ingenio ſeſe totos impendant ad beneficentiæ ſtudium. ſed antequam illuc deſcendat Propheta, rurſus dicit, *Judicabit inter populos multos, & corripiet Gentes robuſtas.* Verbum Judicandi apud Hebræos tantundem valet ac Gubernare. Certum eſt hic fieri mentionem Dei: perinde eſt igitur acſi diceret Propheta, quum antehac non paruerint Deo Gentes, agnoſcent ipſum Regem, & deferent illi imperium. Deus quidem occulta ſua providentia ſemper mundum gubernavit, ſicuti etiam adhuc gubernat. Quantumvis enim ferociat diabolus & omnes impii, eam quantumvis ebulliant cum effreni ſuo furore, non dubium tamen eſt, quin Deus contineat ipſorum rabiem occulto freno, & compeſcat. Sed bifariam loquitur Scriptura de Regno Dei. Deus enim gubernat diabolum & omnes impios, ſed non verbo ſuo, neque Spiritus ſanctificatione: ita fit, ut pareant Deo nolentes & inviti. Sed peculiare Dei imperium pertinet ad ſolam Eccleſiam, ubi ſcilicet Deus & verbo & Spiritu ſuo corda flectit in obſequium, ut ſponte & libenter eum ſequantur qui intus & foris edocti ſunt: intus, Spiritus inſtinctu; foris, verbi prædicatione. Ideo dicitur eodem Pſalm. 110. Populus tuus ſpontaneus tunc conveniet. Talis gubernatio Dei nobis hic deſcribitur à Propheta. *Deus* igitur *judicabit*, non ſicuti judicat univerſum orbem, ſed quia peculiari modo ſubjiciet ſibi fideles, ita ut nihil magis expetant quam ſe illi totos tradere. Cæterum, quia prius ſubigendi ſunt homines quam præſtent Deo tale obſequium, diſerte adjunxit Propheta, *Corripiet* vel arguet *populos multos.* Et hæc particula diligenter notanda eſt, quia hinc colligimus talem nobis ingenitam eſſe ſuperbiam, ut nemo noſtrûm idoneus futurus ſit diſcipulus Dei, niſi qui violenter domitus fuerit. Doctrina igitur frigeret per ſe in tanta corruptione ingenii noſtri, niſi Dominus nos argueret, hoc eſt, niſi pararet nos prius quaſi violento modo. Nunc ergo tenemus Prophetæ conſilium, cur conjungat imperio Dei correctionem: nam verbum הוכיח ſignificat interdum Expoſtulare, arguere: ſignificat etiam corripere. Denique hic notatur malitia & perverſitas carnis noſtræ, quia nunquam ſe afferrent Deo etiam optimi quique, niſi prius ſubacti: & qualiter? nempe violenta correctione Dei. Hæc igitur ſunt exordia Regni Chriſti. Jam quod dicit populos robuſtos, hoc etiam elogio extollit & illuſtrat idem Regnum de quo diſſerit. Et hinc etiam colligitur potentia doctrinæ, quod homines robuſti ſeſe abſque ulla repugnantia offerent Deo regendos, ubi ita correcti fuerint. Neceſſaria quidem eſt correctio, ſed Deus non utitur vi aliqua externa, neque armata manu, quum vult ſibi Eccleſiam ſubjicere: & tamen colligit robuſtas Gentes. Hinc ergo perſpicitur efficacia doctrinæ. Nam ubi eſt robur, illic etiam eſt confidentia & faſtus, deinde etiam rebellio. Quum ergo verbum abſque aliis adjumentis ita corrigat in hominibus contumaciam, videmus quam incredibili modo operetur Deus ubi Eccleſiam ſuam colligit. Cæterum minime dubium eſt quin hoc ad Chriſti perſonam debeat referri. Loquitur Michæas de ipſo Deo non expreſſa mentione Chriſti: quia nondum erat manifeſtatus in carne. ſed tantum ſcimus hoc fuiſſe impletum in perſona ejus, quod Deus gubernavit orbem, & ſibi populos totius mundi ſubegit. Statuimus ergo Chriſtum eſſe verum Deum, quia non tantum miniſter fuit Patris, ſicuti Moſes, vel alius ex Prophetis quiſpiam: ſed fuit ipſe ſummus Rex Eccleſiæ ſuæ. Antequam venio ad fructum, notanda erit particula quæ interjicitur, עד רחוק. tam diuturnitas temporis, quam locorum diſtantia poteſt notari hac voce. Jonathan refert ad longum tempus, quod ſcilicet uſque in ſeculum Deus arguet populos. Sed non dubito, quin Propheta hic voluerit complecti regiones longe diſſitas: acſi diceret Deum tunc non unius tantum populi Regem fore, neque unius tantum Judææ, ſed Regnum ejus propagatum iri uſque ad ultimos terræ fines. *Arguet* ergo *populos uſque in longinquum.* Poſtea addit de fructu, quod ſcilicet *concident gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces.* Jam breviter expoſui conſilium Prophetæ: ſignificat enim talem fore mutationem, ubi Gentes edoctæ fuerint in verbo Dei, ut quiſque ſtudeat operam ſuam & charitatis officia impendere proximis. Sed quum de gladiis & lanceis loquitur, ſimul etiam breviter oſtendit homines, donec manſuefacti ſint verbo Domini, ſemper ad injuſtam violentiam propenſos eſſe: neque enim aliter fieri poteſt dum quiſque naturam ſuam ſequitur. Nemo eſt qui non ſtudeat privatis commodis: tam inexplebilis eſt hominum cupiditas. Dum ergo ita intenti ſunt omnes lucro, ubi quiſque excæcatus eſt proprio amore ſui, ſtatim erumpit ex illo perverſo affectu crudelitas. Hinc fit ergo, ut homines nequeant inter ſe pacem colere, quia quiſque ſummus eſſe appetit, & omnia ad ſe trahit: nemo libenter cedit. hinc ergo emergunt diſſenſiones, ex diſſenſionibus prælia: hoc Propheta intelligit. Deinde adjungit tamen talem fore doctrinæ Chriſti fructum, ut miteſcant qui prius erant quaſi truculentæ beſtiæ. *Conflabunt ergo gladios ſuos in vomeres, & lanceas in falces: non tollent,* inquit, *gens contra gentem gladium, & non aſſueſcent ultra prælio.* Hic clarius explicat quod prius dixi, nempe Euangelium Chriſti fore Gentibus quaſi vexillum ad colendam pacem: ſicuti ubi tollitur vexillum, milites ad prælium coëunt, & accenditur eorum fervor: ita contrarium munus tribuit Michæas Euangelio Chriſti, quod ſcilicet revocabit ad ſtudium pacis & concordiæ, qui prius erant deditι maleficiis. Nam quum dicit, Non tollent gladium gens contra gentem, ſignificat, quemadmodum prius dixi, ubicunque non regnat Chriſtus, homines eſſe hominibus lupos: quiſque enim

libenter alios omnes voraret. Quum ergo tam cæco impetu ferantur homines naturaliter, dicit Propheta non aliter poſſe corrigi hanc rabiem, ut ceſſent à bellis, à maleficiis abſtineant homines, niſi dum Chriſtus illorum factus eſt doctor. nam per verbum למד ſignificat hanc conſuetudinem ſemper graſſari inter mortales, ut alii in alios involent, ut ſemper parati ſint ad noxas inferendas, niſi ubi exuunt ingenium. Talis autem manſuetudo unde naſcitur? nempe ex Euangelii doctrina. Hic locus memorabilis eſt, quia hinc diſcimus nullum eſſe verum profectum Euangelii inter nos, niſi vigeat mutua charitas & benevolentia, & ſtudium etiam exercendæ beneficentiæ. Atqui etiamſi hodie pure apud nos prædicatur Euangelium, ſi tamen reſpicimus quam parum quiſque noſtrûm profecerit in fraterna charitate, merito pudebit nos ſocordiæ noſtræ. Quotidie clamat Deus ſe nobis reconciliatum eſſe in Filio ſuo: Chriſtus teſtatur ſe hac Lege eſſe pacem apud Deum, ut ſcilicet ipſum nobis propitiet, quo ſimus ultro & citro inter nos fratres. Cupimus quidem cenſeri filii Dei, & cupimus frui reconciliatione nobis parta per Chriſti ſanguinem: interim vero alii alios laceramus, acuimus dentes, animi ſunt prorſus truculenti. Ergo ſi volumus reipſa probare nos eſſe Chriſti diſcipulos, incumbere neceſſe eſt in hanc doctrinæ partem, ut ſcilicet quiſque proximis ſuis prodeſſe ſtudeat. Jam hoc fieri non poteſt ſine repugnantia carnis: propenſi enim ſumus ad nos amandos, deinde ad privatas utilitates nimis expetendas. Ergo exuere oportet immodicos iſtos & pravos affectus, ut in eorum locum ſuccedat fraterna benevolentia. Monemur etiam non ſufficere ſiquis ſeipſum cohibeat à nocendo, niſi utilis ſit fratribus ſuis. Poterat enim ſimpliciter dicere Propheta, Frangent gladios ſuos & lanceas, ut ſe poſtea abſtineant ab omni noxa: non dicit hoc ſimpliciter; ſed, Conflabunt, vel concîdent gladios ſuos in vomeres, & lanceas in falces, hoc eſt, ubi abſtinuerint ab omni maleficio, etiam ſeſe cupient
Epheſ. 4. verſ. 28. exercere in officiis charitatis: ſicuti etiam Paulus hortatur eos qui furati ſunt ne poſthac furentur, ſed ut operentur manibus ſuis, quo alios ſublevent. Ergo niſi cupimus ſublevare fratrum noſtrorum inopiam, & officia noſtra illis offerre, non erit niſi dimidia pars veræ converſionis in nobis: quemadmodum multi non ſunt crudeles, neque rapiunt hinc inde, neque præbent aliquam occaſionem querendi; ſed interea vivunt ſibi, & fruuntur inutili otio. hanc ignaviam hic oblique damnat Propheta, ubi de vomeribus & falcibus loquitur. Cæterum, poſſet hic moveri quæſtio, an hoc impletum fuerit adventu Chriſti: neque enim hic temporalem Eccleſiæ ſtatum deſcribit Propheta, ſed oſtendit quale futurum ſit Regnum Chriſti uſque ad finem. Videmus autem inter ipſa Euangelii exordia totum mundum magis in bella efferbuiſſe quam unquam; & nunc etiamſi in multis partibus Euangelium clare prædicatur, tamen non ceſſent diſſidia & contentiones: videmus etiam ut rapacitas, ut ambitio, ut avaritia inexplebilis graſſetur. hinc etiam naſcuntur & contentiones & cruenta bella. Et tamen abſurdum eſſet, Prophetam ita loquutum fuiſſe de Regno Chriſti, niſi Deus reipſa præſtare voluiſſet quod prædixerat. Reſpondeo, ſicuti Regnum Chriſti duntaxat inchoatum ſint in mundo, quum Deus voluit Euangelium ubique promulgari, & hodie etiam adhuc eſt in ſuo curſu, nec dum completum eſt; ita etiam non extare adhuc quod hic dicit Propheta. Sed quia exiguus eſt fidelium numerus, & major multitudo Euangelium contemnit ac reſpuit, ita fit ut non deſinant in mundo rapinæ & maleficia. Quare? Loquitur enim Propheta de Chriſti diſcipulis: oſtendit fructum doctrinæ; nempe ubicunque egerit vivam radicem, proferet fructum ſuum. ſed vix in centeſimo quoque doctrina Euangelii radices agit. Deinde ſpectanda eſt etiam menſura profectus: nam quatenus quiſqoe Euangelii doctrinam amplexus eſt, ita etiam manſueſcit & ſtudet proximis benefacere. Sed quum adhuc circumferamus reliquias peccati in carne noſtra, & nondum conſtet nobis perfecta cognitio Euangelii; non mirum eſt, ſi nondum quiſque penitus depoſuerit pravos & vitioſos carnis ſuæ affectus. Et hinc etiam colligere promptum eſt, quam ſtulta fuerit imaginatio eorum, qui volebant uſum gladii tollere è mundo, Euangelii prætextu. Scimus Anabaptiſtas fuiſſe tumultuatos, quaſi totus ordo politicus repugnaret Chriſti Regno, quia Regnum Chriſti continetur ſola doctrina: deinde nulla futura ſit vis. Hoc quidem verum eſſet, ſi eſſemus in hoc mundo Angeli: ſed quemadmodum jam dixi, exiguus eſt piorum numerus: ideo neceſſe eſt reliquam turbam cohiberi violento freno: quia permixti ſunt filii Dei vel ſævis belluis, vel vulpibus & fraudulentis hominibus. Alii enim ſunt palam rebelles, alii hypocritæ: ideo uſus gladii ſemper durabit uſque ad mundi finem. Jam tenendum eſt, quo tempore ita concionatus eſt Propheta noſter, Jeſaiam iiſdem etiam verbis fuiſſe *Jeſa. 2: 4.*
uſum. Et probabile eſt Michæam fuiſſe diſcipulum Jeſaiæ. Nam utcunque eodem tempore ſimul exercuerint munus Propheticum, Jeſaias tamen ætate ſuperior fuit. Cæterum, non erubuit Michæas ſequi Jeſaiam, & mutuari ab ipſo verba. Neque enim oſtentationi fuit deditus, quaſi à ſeipſo omnia proferret: ſed data opera ſequutus eſt Jeſaiam, & retulit ad verbum quicquid dixerat, ut oſtenderet conſenſum inter ſe & illum præclarum Dei miniſtrum, quo ſcilicet major eſſet doctrinæ auctoritas. Videmus ergo quanta fuerit ſimplicitas Prophetæ noſtri, quod non ſpectavit quid poſſent objicere malevoli homines & ſiniſtri; Quid? hic tantum recitat alterius verba. Hanc calumniam nihil moratus eſt: ſed ſatis fuit, ſi oſtenderet ſe fideliter afferre quæ Deus mandaverat. Quanquam apud Jeſaiam non habetur particula עד רחוק: ſed hoc perinde eſt, in aliis omnibus conveniunt. Jam ſequitur,

4. Et ſedebunt (*hoc eſt, quieſcent, vel quieti habitabunt*) quiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua: & nemo erit qui exterreat, quia os Jehovæ exercituum loquutum eſt.

Hic proſequitur Michæas eandem ſententiam, quod ſcilicet ubi ita ad benevolentiam compoſiti fuerint omnium animi, quiſque fruetur Dei benedictione abſque moleſtia. Quanquam duo videtur hic complecti, nempe quod ceſſabunt maleficia, deinde quod ſumma felicitas non poteſt inter homines conſtare, niſi regnante Chriſto per Euangelii doctrinam. Et idem etiam alibi docent Prophetæ, quod ſcilicet quiſque abſque terrore deget, ut oſtendant ſemper in miſera trepidatione eſſe homines, niſi dum ſub cuſtodia Dei latent. Perinde eſt igitur acſi diceret Propheta miſerrimam eſſe hominum vitam, ubi non obtinet locum Euangelii doctrina: quoniam ſcilicet inquietudine aſſidua turbentur, quiſque ſibi metuit, quiſque patitur aſſiduos terrores. Nihil autem eſt miſerius: quia pax eſt ſummum bonum. Jam ergo tenemus conſilium Prophetæ, quod ſcilicet regnante Chriſto potientur fideles vera & plena felicitate, quoniam exempti erunt à trepidatione & metu: ideo nominat ficum & vitem. Poterat dicere, Quiſque ſecurus aget domi ſuæ: ſed dicit, *Quiſque quieſcet ſub ficu & vite ſua*, hoc eſt, etiamſi expoſitus ſit latronibus, tamen nullam vim, nullum maleficium metuet. Qui enim prius latrones erant, illi colent æquitatem: qui prius erant ſanguinarii, ſtudebunt prodeſſe. Ergo ut nemo claudat fores domus ſuæ, imo

exeat in agros ſuos & dormiat ſub cœlo, omnes tamen tuti & ſecuri erunt. Nunc ergo videmus cur ficum & vitem potius, quam cujuſquam domicilium hic Propheta nominet. *Et nemo erit qui exterreat*. Hic clarius exprimitur quod voluit dicere Propheta, nempe nihil fore periculi, ideoque non opus fore vel latebris, vel aliis præſidiis. Quare? nam agri ipſi immunes erunt ab omni noxa, inquit: nemo enim erit exterrens. Et videtur Prophetæ alludere ad benedictionem illam Legis: quia Moſes iiſdem fere verbis utitur. Et ſcimus Prophetas inde hauſiſſe quicquid dicunt: nam illis propoſitum fuit retinere populum in Legis doctrina, & reddere quam maxime illam familiarem.
Levit.26. Quoniam ergo inter reliqua promittit Moſes iſtam ſecuritatem, Dormietis & non erit qui exterreat: ideo etiam Propheta quum hic loquitur de Regno Chriſti, oſtendit plenam benedictionem tunc conſpicuam fore. Jam tandem ſubjicit *Os Domini loquutum eſſe*, ut rem incredibilem perſuadeat. Fuit enim, quemadmodum jam dixi, hoc valde abſonum, quia paulo ante prædixerat vaſtitatem montis Sion & ruinam Templi, quod Gentes venturæ eſſent illuc ad colendum Deum: ſed pronunciat os Dei loquutum eſſe, ut ſcilicet ſuperent fideles omnia obſtacula, & luctentur contra deſperationem: ubi viderint Templum exciſum, montem Sion deformem, ubi viderint horrendam vaſtitatem, quod belluæ ſucceſſerint in locum hominum, tamen non deſinant bene ſperare. Quare? Dominus enim hoc pollicitus eſt, & præſtabit, quia ubi fit oris Dei mentio, ſimul debet conjungi ejus omnipotentia, ut exequatur quicquid promiſerit.

Da omnipotens Deus, quando Chriſti Filii tui adventu vere præſtitiſti quod tanto ante prædixerant ſervi tui Prophetæ, & adhuc quotidie nos ad fidei unitatem invitas, ut conjunctis ſtudiis te vere colamus: da, inquam, ne maneamus diſſipati, & quiſque ſequatur perverſa ſua ſtudia, dum ita nos ad te colligit Chriſtus: neque tantum profiteamur ore & verbis nos eſſe ſub poteſtate tua, ſed vera pietate hoc idem ſentiamus. Deinde ad verum & legitimum cultum nominis tui accedat etiam mutua inter nos fraternitas, ut conjunctis ſtudiis nos alii aliis impendamus, atque in hoc comprobetur noſtra adoptio, magiſque ac magis rata ſit, quo poſſimus plena fiducia perpetuo te invocare Patrem, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO NONA
IN
MICHÆAM PROPHETAM.

CAP. IV.

5. **Quia omnes populi ambulabunt, quiſque in nomine Dei ſui: nos autem ambulabimus in nomine Jehovæ Dei noſtri in ſeculum & uſque.**

Poſtquam de reſtitutione Eccleſiæ loquutus eſt Michæas, jam confirmat eam doctrinam: & oſtendit ſatis cauſæ dari fidelibus cur adhæreant conſtanter Deo ſuo, contemptis etiam ſuperſtitionibus totius mundi; & quamvis poſſint huc & illuc diſtrahi contrariis opinionibus, perſtent tamen in vera pietate. Ergo ſententia hæc pendet à Regno Chriſti, quia donec collecti ſimus, ut Chriſtus inter nos emineat & nos gubernet verbo ſuo, nihil erit in nobis conſtantiæ vel firmitudinis. Sed ubi Chriſti auſpiciis coaluimus in unum corpus Eccleſiæ, talis deinde eſt fidei noſtræ conſtantia, ut nihil nos dimoveat à recto propoſito: etiamſi ſubinde ſurgant novæ procellæ, quibus totus mundus agitetur, etſi contingat etiam totum orbem, vel concuti, vel labaſcere. Nunc tenemus Prophetæ conſilium. Dicit igitur, *Omnes populi ambulabunt quiſque in nomine Dei ſui*. Sic reſolvi debet oratio, Quamvis ſcindantur populi in varias ſectas, ut ſinguli ſuis ſuperſtitionibus addicti ſint, tamen manebimus firmi in puro Dei cultu, & fidei unitate. Sed hic occurrit quæſtio, quomodo dicat Propheta tales fore diſſenſiones in mundo, quum tamen paulo ante vaticinatus ſit de colligenda Eccleſia, ſic ut omnes in unum coëant. Dixerat enim, Venient omnes populi, & quiſque dicet, Venite ut aſcendamus in montem Domini. Videtur hic aliqua eſſe ſpecies repugnantiæ, quod ſcilicet venturæ ſint omnes Gentes in montem Sion, & tamen quiſque populus habeat proprios deos. Sed ſolutio facilis eſt, hac ſententia Prophetæ confirmatos fuiſſe fideles, donec patefieret Chriſtus mundo. Nec certe dubium eſt, quin Propheta voluerit fulcire animos piorum, qui alioqui centies deſperatione obrui poterant: quum in exilium tracti eſſent filii Iſrael, quum illis ablata eſſet ſua hereditas, quum Templum eſſet exciſum, nulla denique tunc viſibilis religio extaret, poterant, quemadmodum dixi, animis concidere, niſi hæc promiſſio veniſſet illis in memoriam, quod ſcilicet Deus vellet reſtituere montem Sion, & colligere Eccleſiam ex toto mundo. Sed opus etiam fuit aliqua confirmatione, quæ nunc ſubjicitur à Propheta. Dicit ergo, Quum Dominus vobis ſpem faciat tam præclaræ reſtitutionis, oportet vos bono animo ſtare, & hac promiſſione fretos pergere in vero ejus cultu, utcunque Gentes ſerviant ſuis idolis & glorientur ſe habere verum Deum. Utcunque ergo ſingulæ Gentes ſuperbiant in ſuis ſuperſtitionibus, non tamen decet vos fluctuari, neque etiam huc vel illuc inflecti, quemadmodum agitantur arundines, prout ventus alternat: ſed manebitis firmi in veſtro propoſito: quia ſcitis non fallacem eſſe Deum, qui vos ſemel adoptavit, & promittit ſibi curæ fore ſalutem veſtram, quum tamen mundus putabit vos eſſe peſſundatos & perditos. Videmus ergo quorſum reſpexerit Propheta, nempe ut erigeret in bonam ſpem pias mentes in rebus illis non modo turbatis, ſed etiam prorſus confuſis. Omnes ergo populi ambulabunt: hoc eſt, ubi Templum dirutum fuerit cum urbe, & populus abductus in longinquum exilium, interea triumphos ſuos agent omnes impii, quiſque celebrabit ſuos deos. Utcunque ergo Deus noſter non appareat, non eſt tamen cur exanimemur, ſed recumbere nos oportet in ejus verbo. *Ambulabimus* igitur *in nomine Dei noſtri*: idque *in perpetuum & uſque*. hoc eſt, etiamſi centies contingat mundum volvi & revolvi, tamen nulla ſit in animis noſtris mutatio: quia ſicuti perpetua eſt Dei veritas, ſic etiam fidem noſtram oportet firmam eſſe, nec variari. Jam ſoluta eſt illa difficultas, quomodo conveniant hæc duo, venturas omnes Gentes, ut ſimul uno conſenſu Deum adorent, & tamen ſingulis fore ſuos deos. nam hic ſpectanda eſt diverſitas temporis. Utcunque ergo omnes Gentes ambulent quiſque in nomine Dei ſui. Quum dicit, איש בשם אלוהיו. perſtringit oblique illam varietatem, quæ erat inter homines. Etſi enim pertinaciter ſinguli ſequantur ac defendant ſuas ſuperſtitio-

nes,

nes, tamen quiſque fabricat ſibi aliquem Deum: ita ſit, ut nihil certum ſit, quia ſequuntur tantum ſua figmenta. Sed hoc tantum obiter voluit Propheta attingere. Præcipuus finis eſt, quem dixi, etiamſi Eccleſia Dei exigua ſit, & videat ingentem multitudinem ſibi eſſe contrariam, ne tamen ſuccumbat. Scimus quam violenta ſit res conſenſus publicus: nam ubi inter ſe conſpirat major multitudo, ſi pauci aliqui habeant propriam ſententiam, ſtatim quaſi abſorbentur. Ergo non abs re Propheta hic hortatur fideles ad invictam animi magnitudinem, ut inſultent cunctis Gentibus. Quamvis ergo pauci ſine numero fideles, vult tamen Propheta eos quaſi ex ſublimi loco deſpicere, non tantum aliquem numerum, ſed cunctos mortales. Quamvis ergo omnes populi ambulent. Neque enim ſupervacuum eſt nomen כל *Omnes populi*, inquit, *ambulabunt*. Erat tunc unum genus Abrahæ, in quo vigebat pura religio: deinde fuit illa horribilis diſſipatio, quum Deus paſſus eſt exſcindi & urbem Regiam, & Templum, & lacerari totum populi corpus, abſtrahi huc & illuc, ita ut nullum maneret regnum, & nulla ſpecies politici ordinis. Propheta igitur hic ſignificat, etiamſi fideles videant & numero & dignitate ſe longe ſuperari ab hoſtibus, ne tamen propterea deſpondeant animum. Utcunque ergo ambulent ſimul omnes populi, quiſque in nomine Dei ſui: hoc eſt, etiamſi quiſque populus vobis opponat ſuas ſuperſtitiones, & inde omnes ſimul contra vos conſpiraverint: ſtate nihilominus, & pergite in curſu veſtro: neque id ad breve tempus, ſed in ſeculum & uſque. Docet autem hic locus fidem non pendere ab hominum ſuffragiis, neque ſpectandum eſſe quid quiſque ſentiat, vel qualis ſit omnium conſpiratio, quia debet nobis ſufficere unica Dei veritas. Utcunque igitur totus mundus Deo reſiſtat, non tamen debet fides noſtra eſſe flexibilis, ſed manere in hoc firmo fundamento, quod Deus, qui fallere non poteſt, loquutus eſt. Hoc eſt unum. Jam ſecundo addendum eſt, hanc magnitudinem debere eſſe perpetuam. Quamvis ergo quotidie Satan excitet nobis novas turbas, ſi hactenus ſtetimus in fide verbi Dei, uſque ad finem æquabili tenore pergendum nobis eſt. Et conſulto hanc particulam addidit Propheta, quia videbat populum variis & longis etiam tentationibus fore obnoxium. Diuturna fuit captivitas: languor igitur ille potuit quaſi exinanire totam fiduciam quæ erat tunc in populo. Deinde poſtquam ab exilio reverſi ſunt, ſcimus quoties & quam graviter perculſa fuerit eorum fides, quum hoſtiliter eos impeterent omnes vicini: deinde quum dura etiam tyrannide oppreſſi eſſent. Hæc ratio eſt cur Propheta etiam dixerit, *In ſeculum & uſque ambulandum eſſe filiis Dei in ejus nomine*. Jam quamvis tribuat nomen deorum Gentium idolis, oſtendit tamen magnum eſſe & notabile diſcrimen, quia Gentes colant ſuos deos, ſed fictitios. Unde enim illis vel majeſtas vel potentia niſi ex falſa imaginatione? Dicit autem Propheta, *Nos ambulabimus in nomine Jehovæ Dei noſtri*. Oſtendit ergo verbi Dei potentiam & numen non eſſe fundatum in aliquo inani figmento, quia ipſe per ſe eſt, etiamſi abnegetur à toto mundo. Et hoc etiam confirmat quod nuper dixi, fideles ſcilicet ſic debere amplecti Dei verbum, ut ſciant non eſſe ſibi negotium cum hominibus, ut dubia ſit eorum fides, vel inſtabilis: ſed illum eſſe verum Deum, qui mentiri non poteſt, & cujus immutabilis eſt veritas. Pergamus.

6. In die illa, inquit Jehova, colligam claudam, & ejectam congregabo, & quam malis afflixi.

7. Et ponam claudam in reliquias, & ultra ejectam in gentem robuſtam: regnabit Jehova ſuper eos in monte Sion ex nunc uſque in ſeculum.

Proſequitur eandem doctrinam Propheta. Semper autem memoria tenendum eſt quod prius admonui, tam graves & violentas fuiſſe tentationes, ut opus fuerit non levibus neque vulgaribus remediis, quia centies poterant quaſi in profundas abyſſos demergi fideles, niſi variis modis ſuffulti eſſent. Hæc igitur ratio eſt cur Propheta doctrinam quam vidimus de reſtitutione Eccleſiæ, pluribus verbis confirmet. *In die illa*, inquit, *colligam claudicantem*. Hæc metaphora non hic tantum ponitur, ſed David ſuas clades dicit ſimiles fuiſſe claudicationis. צלעה ſignificat Coſtam: inde metaphorice vocant claudos, qui tantum ambulant ab uno latere. Perinde eſt igitur ac ſi diceret Mutilos vel debiles. Poſtea addit, *Congregabo ejectam, quam afflixi*: & proximo verſu idem repetit, *Ponam*, inquit, *claudicantem in reliquias*: hoc eſt, faciam ut quæ nunc clauda eſt, maneat tamen ſuperſtes; & quæ procul ejecta eſt, ſit in gentem robuſtam. Alii ſubtilius exponunt, הנהלאה, Quæ progreditur ante: quaſi diceret Propheta, Deus ſuſtinebit claudos, & qui alacres ſunt addet illis robur. Sed illa expoſitio nimis coacta eſt. Videmus etiam contextum repugnare, quia Propheta hic ſtatuit nobis Eccleſiam in medio, quaſi afflictam Dei manu, & quæ proxima ſit ultimo exitio. Deinde ab altera parte ſignificat, in manu Dei eſſe reſtitutionem, ut colligat novum robur, & rurſus floreat ſicuti antea. Vocat igitur Eccleſiam procul ejectam, ſicuti etiam prius. Nam alter verſus ſatis oſtendit, non aliud fuiſſe Prophetæ conſilium, niſi ut notaret duplicem illum Eccleſiæ ſtatum. Jam hoc primo loco notandum eſt, Prophetam occurrere præſenti tentationi, quæ alioqui debilitaſſet omnes piorum animos. Videbant ſe quodammodo ſmctos eſſe: deinde miſera illa diſperſio erat quaſi ſignum ultimi interitus. Si ergo fideles ſubſtitiſſent in illo ſpectaculo, poterant centies deſperare: ergo hic tempeſtive occurrit Propheta, & admonet, etiamſi nunc claudicent, tamen in manu Dei eſſe novum vigorem; etiamſi ſint diſperſi, eſſe tamen in Dei arbitrio colligere qui procul ejecti erant. Summa eſt, quamvis Eccleſia ad tempus nihil fere differat ab homine mortuo, vel ſaltem mutilato, non eſſe deſperandum: quia Dominus ſubinde ſuos erigit, ac ſi excitaret mortuos è ſepulchro. Et hoc diligenter notandum eſt, quia ſimulatque non reſplendet Eccleſia Dei, putamus illam eſſe prorſus extinctam & abolitam. Atqui Eccleſia ſic in mundo ſervatur, ut ſubinde reſurgat à morte: denique Eccleſiæ conſervatio ſingulis fere diebus ſecum fert multa miracula. Sed hoc tenendum eſt, Eccleſiæ vitam non eſſe abſque reſurrectione, imo abſque multis reſurrectionibus, ut ita loquar. hoc ergo colligimus ex verbis Prophetæ, quum dicit, *Tunc colligam claudicantem, & congregabo ejectam*. Poſtea adjungit, *Quam malis afflixi*. Hoc etiam emphatice dictum eſt, ut intelligant fideles Deum educere poſſe ex ſepulchro quos morti tradidit. Nam ſi pro hoſtium libidine occiſi fuiſſent Judæi, non poterant ſperare tam certum remedium à Deo. Ubi autem agnoſcunt nihil ſibi accidiſſe, niſi juſto Dei judicio, concipiunt ſpem ſuæ reſtitutionis. Quare? Proprium enim Dei eſt educere ex ſepulchro, quemadmodum jam diximus, mortuos, quia ejus eſt etiam occidere. Videmus ergo confirmari illa particula, quod pollicitus fuerat Propheta de nova Eccleſiæ reſtitutione. Ego ſum qui afflixi, inquit Deus: annon potero iterum vos reducere ad vitam? Sicuti enim mors veſtra fuit in manu mea, ſic etiam erit ſalus. Si me invito Aſſyrii vel Chaldæi potiti fuiſſent victoria, mihi aliquid

eſſet

aſſet negotii & difficultatis, ſi vellem vos colligere: ſed quia nihil accidit niſi meo juſſu, & probavi ſalutem veſtram atque interitum in meo arbitrio eſſe, non eſt cur difficile mihi eſſe putetis vos colligere, qui eſtis meo judicio diſperſi. Poſtea adjungit, *Ponam claudam in reliquias.* Per Reliquias intelligit ſuperſtitem ſtatum Eccleſiæ. Ergo metaphora claudicationis extenditur uſque ad interitum: quaſi diceret, quamvis ad tempus nihil differant Judæi ab hominibus mortuis, faciam tamen ut reſurgant, deinde ut ſuboleſcat novus populus. Hoc tempore exilii fuit difficile creditu. Non mirum igitur, ſi Propheta hic promittat naſcituros poſteros ex illo populo mortuo. Quamvis enim Babylon inſtar ſepulchri eſſet, potuit tamen Deus efficere, ut inde naſcerentur novi homines, quemadmodum accidit. Poſtea addit, *Et procul ejectam in gentem robuſtam.* Quum diſperſi eſſent Judæi huc & illuc, quomodo fieri potuit, ut Deus ex illa miſera laceratione rurſus conflaret ſibi novum populum, & quidem robuſtum? Sed ideo Propheta hæc contraria membra inter ſe opponit, ne obſtupefacti Judæi in ſuis malis, & attoniti, repellerent omnem conſolationem. Ergo ut profligavit, rurſus in unum colliget: neque id modo faciet, ſed ſtatuet in gentem robuſtam. Adjungit deinde, *Regnabit Jehova ſuper eos in monte Sion ex nunc & uſque in ſeculum.* Non dubium eſt quin Propheta hic pollicitus fuerit novam inſtaurationem ejus regni, quod Deus ipſe erexit: nam in eo etiam fundata erat ſalus populi, ſi regnarent poſteri Davidis, quemadmodum poſtea videbimus. Et hoc etiam ſatis commume eſt & vulgare omnibus Prophetis, ut proponant regnum Davidis quoties diſſerunt de ſalute Eccleſiæ. Oportuit igitur regnum Davidis iterum ſtabiliri, ut vigeret incolumis Eccleſiæ ſtatus. Atqui Michæas hic non poſteros Davidis, ſed Jehovam ipſum nominat: non ut excludat regnum illud Davidis, ſed ut oſtendat Deum palam facturum ſe auctorem illius regni eſſe, imo ſeipſum tenere totam potentiam. nam quamvis per manum Davidis gubernaverit Deus veterem populum, per manum Joſiæ & Ezechiæ, tamen fuit quaſi interpoſita umbra, ut Deus obſcure tunc regnaret. Propheta ergo hic exprimit aliquod diſcrimen inter umbratile illud regnum, & poſterius novum, quod adventu Meſſiæ Deus palam facturus erat. *Jehova* ergo *ipſe regnabit ſuper eos:* acſi diceret, Hactenus quidem, ubi imperium tenuerunt poſteri Davidis, quia Deus ipſe creaverat & Davidem & ejus filios, & uncti fuerant ejus nomine & mandato, potuit cenſeri hoc ejus regnum, quamvis mediate gubernaret ſuos hominum miniſterio & opera: ſed nunc Deus ipſe conſpicua forma conſcendet ſolium, ita ut nemo dubitet ipſum eſſe Regem populi ſui. Et hoc vere ac ſolide impletum fuit in Chriſti perſona. Tametſi enim Chriſtus fuit verum ſemen Davidis, tamen ſimul etiam fuit Jehova, nempe Deus manifeſtatus in carne. Ergo videmus ut hic Propheta magnifico elogio extollat gloriam regni Chriſti, acſi diceret, non fore umbratile ſicuti ſub Lege fuerat. *Jehova* ergo *regnabit ſuper eos.* Deinde adjungit, *in monte Sion.* Scimus non fuiſſe diuturnam poſſeſſionem regni Chriſti in monte Sion: ſed debet conjungi hic verſus cum initio hujus capitis. Prius dixit Propheta, Ex Sion prodibit Lex, & verbum Jehovæ ex Jeruſalem. Si ergo quæritur hujus loci interpretatio, quomodo Jehova ſe Regem populi ſui oſtenderit, & erexerit ſolium ſuum in monte Sion, hæc ratio eſt, quia Lex inde prodiit, hoc eſt, ex illo fonte fluxit ſalutis doctrina, ut totum mundum repleret. Quia ergo Euangelium, quod Deus promulgavit per totum orbem, initium habuit ex monte Sion, ideo Propheta illic Regem dicit Deum fore. Sed ſimul notandum eſt, defectione & perfidia illius populi factum eſſe, ut nunc mons Sion non tantum angulum aliquem terræ occupet, ſed emineat in toto mundo, ſicuti etiam urbs Jeruſalem, quemadmodum prædictum fuit à Zacharia. Alius ergo eſt mons Sion quam olim fuerit, quia ubicunque prædicatur Euangelii doctrina, illic Deus vere colitur, illic offeruntur ſacrificia, denique illic agnoſcitur ſpirituale Templum. Sed tamen exordia Euangelii ſpectanda ſunt, ſi velimus tenere genuinum Prophetæ ſenſum, quod ſcilicet Chriſtus, vel Deus in Chriſti perſona cœperit regnare in monte Sion, quum inde Euangelii doctrina profluxerit uſque ad ultimos fines mundi. Nunc ſequitur,

8. Et tu turris gregis, arx filiæ Sion, ad te veniet, perveniet principatus primus, regnum filiæ Jeruſalem.

Adhuc pergit Michæas in eodem ſermone, quod ſcilicet non impediet miſera populi calamitas, imo ille interitus, quin Deus rurſus Eccleſiam ſuam inſtauret. *Tu*, inquit, *turris gregis*, *arx filiæ Sion*, ne dubita quin Deus iterum daturus ſit tibi priſtinum regnum & dignitatem, à qua nunc videris prorſus excidiſſe. Cæterum, Turrem gregis varie accipiunt interpretes. Quidam exiſtimant notari vaſtationem urbis Jeroſolymæ, quia ſit inſtar tugurii, quemadmodum dicitur Jeſa. 5. cap.: & עפל etiam exponunt Obſcuram, quia radix verbi eſt Tegere. Sed ſimplicior altera expoſitio eſt, quod ſcilicet urbs ſancta vocetur Turris gregis, quia Deus urbem illam ſibi elegerat, quæ quodammodo populum in ſe colligeret: ſcimus enim habitos illic fuiſſa ſacros conventus. *Tu* ergo *turris gregis*, deinde *arx filiæ Sion*, *ad te veniet prius regnum.* Quanquam ſi cui magis arrideat prior ſenſus, non contendo: quod ſcilicet Jeroſolyma hic vocetur Turris gregis propter deformitatem, quia redacta fuerat quaſi in tugurium. Quantum tamen attinet ad præcipuam ſententiam, nulla eſt ambiguitas, quin Propheta hic confirmet piorum animos, ut reſpiciant in longum tempus, neque occupentur præſenti clade, quin ſtatuant in manu Dei eſſe quod promiſerat, nempe, ut quaſi mortuos excitaret, ſic etiam inſtauraret regnum Davidis, quod perierat. Tu ergo, inquit, bene ſpera. Quare? *Veniet* enim, *perveniet ad te prius regnum.* Hic notatur interruptio quum Propheta de priſtino regno vel dignitate loquitur. Nec vero dubium eſt, quin ludibrio habitus fuerit Dei populus, & hypocritæ etiam ac profani homines putarint fuiſſe meram impoſturam quicquid teſtatus fuerat David de perpetuitate regni ſui: Ecce, dixit, regnum ſuum ſtabile fore cum Sole & Luna: [*Pſal.* 72.] atqui ſtatim poſt mortem Solomonis exigua portio ejus filiis reſidua fuit: tandem nulla eſt ſpecies regni, nullus decor. Hæc igitur ratio eſt cur Propheta dicat venturum prius regnum: *Veniet*, inquit, *ad te filia Sion*, *perveniet regnum prius.* Dubium vero non eſt, quin per regnum primum intelligat florentiſſimam illam dignitatem, quæ celebratur in Scriptura ſub Davide & Solomone. Poſtquam enim abſciſſæ ſunt decem Tribus, fuit obſcurum illud & tenue regnum: hic ergo promittit Propheta regnum illud quod floruerat ſub Davide & Solomone. *Regnum* ergo *filiæ Jeruſalem veniet*, inquit. Diſerte exprimit *filiam Jeruſalem*, quia regnum Iſraël obſcuraverat gloriam veri regni. Ergo hic teſtatur Propheta Deum non eſſe immemorem ſuæ promiſſionis, atque ita facturum, ut Jeroſolyma recuperet dignitatem quam perdiderat, & totus populus iterum in unum corpus coaleſcat, ne ſint duo membra diviſa, ſed unus Rex ſub ſe contineat ac ſuo imperio totum genus

Abrahæ. Atqui certum eſt hoc non fuiſſe impletum Chriſti adventu, in oculis hominum. Neceſſe eſt igitur repetere memoria quod paulo ante docuit Michæas, regnum hoc ſpirituale eſſe. nam Chriſto non dabat ſceptrum aureum, ſed doctrinam: Venite & aſcendamus in montem Domini, docebit nos de viis ſuis: deinde, ex Sion prodibit Lex, & verbum Domini ex Jeruſalem. Semper igitur ratio illa tenenda eſt, quod Deus non reddidit Jeroſolymam in oculis hominum ſpecioſam, ut prius fuerat, neque opibus & divitiis & terrena potentia eam locupletavit: ſed tamen reſtituit ſummum imperium. neque enim tantum ſubjecit illi decem Tribus, quæ prius deſciverant, ſed totum orbem. Pergamus.

9. Nunc quare vociferaris vociferatione? Rex nullus in te? An conſiliarius tuus periit? quia te occupavit dolor quaſi parturientem.

10. Dole & ingemiſce filia Sion quaſi parturiens: quia exibis è civitate, & habitabis in agro: & venies Babylonem uſque, illic liberaberis, illic redimet te Jehova è manu hoſtium tuorum.

Hic Propheta res inter ſe natura contrarias permiſcet, quod ſcilicet excidendi eſſent ad tempus Judæi, poſtea tamen recuperaturi priorem ſtatum. *Cur vociferaris*, inquit, *vociferatione?* Notandum eſt Prophetæ conſilium. Neque enim voluit ſubvertere quod prius dixerat. Sed quia poterant labaſcere piorum animi inter varias mutationes, Propheta hic futuras ſupponit, ut permaneant tamen in fide: & ideo dicit, *Quare vociferaris vociferatione?* hoc eſt, Video exorituras graves turbas, quæ poſſent concutere etiam fortiſſimos animos. Erit igitur tempus varium, ita ut ſæpius poſſint turbari fideles & dejici etiam ex gradu ſuo. Sed quamvis varii tumultus ſurgant, & tempeſtatibus omnia ſint confuſa: tamen Deus redimet populum ſuum. Videmus ergo quid ſibi hic velit Propheta, Cur nunc, inquit, vociferaris? Quare tumultuaris? nam proprie hoc verbum ſignificat non tantum vociferari, ſed etiam buccinare: quaſi diceret, Cur tantopere ſe affligtant Judæi? Eſt certe magna ratio, inquit: & dicit, *An Rex in te non eſt?* Hæc certe erat ratio cur ſeipſos turbarent Judæi, quia Deus ſpoliaverat eos & regno

Thren. 4. & conſilio. Scimus autem quid dicat Jeremias:

vers. 20. Chriſtus, hoc eſt, unctus Domini, in cujus anima ſpiramus, occiſus eſt. Quoniam ergo tota Eccleſia quaſi animam trahebat à Regis ſalute, ideo poſt regnum deletum & abolitum non potuit aliter fieri quin attoniti eſſent fideles. Ablata enim erat ſpes ſalutis. *Rex* igitur *non eſt in te? Et conſiliarii tui perierunt?* Exiſtimant quidam oblique perſtringi populi infidelitatem, quia putaret ſe deſtitui Dei & Chriſti auxilio: quaſi diceret, Oblitine eſtis quid vobis promiſerit Deus, ſe fore perpetuum vobis Regem, & miſſurum Meſſiam ſuum, ſub cujus manu vos regat? imo nonne vobis promiſit æternum fore Davidis regnum? Unde igitur iſta trepidatio, acſi neque amplius in medio veſtri regnaret Deus, & ſolium Davidis ſine ſpe everſum eſſet? Adducunt illi interpretes in ſententiæ ſuæ confirmationem, eodem elogio Chriſtum hic inſigniri, quo apud Jeſ. 9. cap. Vocatur enim illic יועץ, Conſiliarius. Sed quia hoc verſu Prophetæ conſilium eſt terrere magis & exprobrare quam ſolatio lenire malorum gravitatem, probabilius eſt oſtendi populo ſuam nuditatem: quaſi diceret Michæas, Quæ trepidationis cauſa vobis erat? An quia Rex vobis cum omnibus conſiliariis erit ablatus? Quod autem mox ſequitur, confirmat juſta de cauſa oriturum hunc dolorem, quia mediis omnibus nudati erunt, quæ ad id uſque tempus teſtimonia fuerant gratiæ Dei. Cur ergo *dolor te apprehendit quaſi parturientem? Dole*, inquit, *& ingemiſce*, hoc eſt, non impedio quominus doleas & ingemiſcas: quaſi diceret, Certe non poterunt etiam firmiſſimi quique deſpicere illas tam horrendas calamitates, quin patiantur graviſſimos dolores. Cæterum, utcunque Deus maximis tormentis ad tempus ſubjiciat filios ſuos & exponat graviſſimis malis, tandem reſtituet tamen ab exilio: *Tu exibis*, inquit, *è civitate, & habitabis in agro: venies etiam Babylonem; ſed illic liberaberis, illic te redimet Jehova è manu hoſtium tuorum.* Summa hæc eſt, quamvis Deus habiturus ſit curam populi ſui, quemadmodum pollicitus eſt, tamen non eſſe cur fideles faciant ſibi delicias, acſi exempti eſſent ab omni moleſtia: quin potius hortatur Propheta, ut ſeſe comparent ad ſubeundas iſtas calamitates, ut non modo ejecti à patria errent in agris, tanquam homines vagi, ſed etiam ut trahantur Babylonem uſque, quaſi in ſepulchrum. Ubi autem animos fidelium confirmavit ad tolerantiam crucis, adjungit ſpem ſalutis, *quod Deus illic liberabit eos, & illic redimet è manu hoſtium.* Bis repetit adverbium שם, neque ſine cauſa. Poterant enim fideles præcludere ſibi omnem ſpem ſalutis, acſi præcluſa eſſet janua potentiæ Dei. Et hæc ratio eſt, cur Propheta bis repetat, *illic, illic*, etiam in ſepulchro te liberabit & redimet: hoc eſt, Extendite ſpes veſtras non tantum ad mediocrem aliquam gratiam, quaſi poſſit Deus vos liberare ex mediocri aliqua deſperatione; ſed uſque ad ipſam mortem. Ergo etiamſi vos jam quaſi in ſepulchris jaceatis, ne tamen dubitetis quin illic manum vobis porrigat Deus, quia futurus eſt liberator veſter. Deus igitur, in cujus manu eſt victoria, ſuperat multas & innumeras mortes.

Da omnipotens Deus, quando auſpiciis Filii tui coadunati ſumus in corpus illud Eccleſiæ tuæ quod toties & diſperſum & laceratum fuit, ut maneamus in hac fidei unitate, & conſtanter militemus contra omnes tentationes hujus mundi, neque unquam deflectamus à recto propoſito, utcunque contingat novas turbas quotidie oriri: & quoniam expoſiti ſumus tot mortibus, ne occupemur metu, qui ſpem omnem in animis noſtris extinguat, ſed potius diſcamus & oculos & mentes & ſenſus omnes noſtros attollere ad illam potentiam tuam, qua vivificas mortuos & excitas ex nihilo quæ non erant, ut ita ſemper aſpirent animi noſtri ad æternam ſalutem, etiamſi quotidie nobis pereundum ſit, donec tandem oſtenderis reipſa te eſſe fontem vitæ, ubi ſcilicet potiemur etiam illa æterna beatitudine, quæ nobis parta eſt ſanguine unigeniti Filii tui Domini noſtri, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO DECIMA IN MICHÆAM PROPHETAM.

CAP. IV.

11. Et nunc congregatæ ſunt contra te gentes multæ, (*vel robuſtæ*) dicentes, Damnata erit: & aſpiciet in Sion oculus noſter.

12. Ipſi vero non noverunt cogitationes Jehovæ, & non intellexerunt conſilium ejus: quia congregabis eos quaſi manipulum in aream.

13. Surge, & tritura filia Sion: quia cornu tuum ponam ferrum, & ungulas tuas ponam chalybem: & conteres populos robuſtos: & dicabis Jehovæ opes ipſorum, & ſubſtantiam eorum Dominatori univerſæ terræ.

Hic Prophetæ conſilium eſt aliquid levationis dare fidelibus, ne ſub malis ſuccumbant: quia, ſicuti jam diximus, inſtabant graviſſimæ clades, quæ poterant obruere omnes piorum animos. Propheta igitur hic optima conſolatione erigit, qui alioqui poterant deficere in illis cladibus. Hæc autem ſumma eſt, quod non deceat fideles turbari ubi videbunt impios ſuperbe inſultare, quemadmodum ſolent, ubi videntur ſibi compotes eſſe votorum. Quoniam ergo abſque modo ſeſe petulanter efferunt reprobi, Propheta hortatur fideles, ut ſe in Dei promiſſionibus interea ſuſtineant, neque morentur illam inſolentiam. Deinde adjungit promiſſionem, quod ſcilicet copias omnes hoſtium Deus collegerit, quemadmodum ſiquis multas ſpicas colligat in faſciculum, ut tandem trituretur in area. Nunc venio ad verba Prophetæ. *Congregati ſunt*, inquit, *contra te multi populi*, vel robuſti: nam quum dicit, גוים רבים, utroque modo poteſt exponi, vel quod ſint gentes validæ ac robuſtæ, vel quod ſint copioſæ numero. Ad ſummam rei hoc parum facit. Nam huc ſpectat Propheta, quamvis Eccleſia Dei magna hoſtium multitudine prematur, non tamen debere ideo frangi animis: quia impii dum ferociter inſultant, non intelligunt conſilium Dei. *Congregatæ ſunt* ergo *contra te gentes multæ*. Proponit rem in conſpectu, ut medeatur terrori: quia quum ſumus extra jactum telorum, ut plurimum nimium ſecure contemnimus omnia pericula: ubi vero ad ſerium certamen ventum eſt, vel trepidamus, vel etiam concidimus & evaneſcimus. Hæc ratio eſt cur Propheta in re præſenti ſtatuat Judæos, & oſtendat jam adeſſe tempus quo ferenda ſit obſidio: quoniam undique hoſtes ipſos urgebunt. *Congregati ſunt* igitur *populi*. Deinde *populi robuſti*, vel multi. Hic oſtendit non eſſe cur Judæi, etiamſi longe polleant hoſtes & majori numero & opibus & copiis & fortitudine, non eſſe tamen cauſam cur deſpondeant animos, quia ſatis erit in Deo præſidii. *Dicentes, Jam damnata erit Sion.* חנף ſignificat Male facere & perverſe. Ad verbum igitur ſic transferri poſſet, Scelerata erit Sion: & in ea aſpiciet oculus noſter. Cæterum metaphorice hoc verbum ſæpe accipitur pro damnatione ipſa. Senſus igitur eſt, jam Sion damnata eſt. Nec vero dubium eſt quin hic Propheta exprimere velit, perinde hoſtes inſultaturos, ac ſi jam Sion non eſſet ſub tutela Dei: quemadmodum ubi quiſpiam ſuis ſceleribus ſe exoſum reddidit, etiam à ſuis patronis relinquitur ac deſeritur. Sic ergo Propheta hic armat fideles contra hoſtium ſuorum petulantiam, ne ideo deſperent quum videbunt omnium hominum ſuffragiis ſe damnari, deinde etiam hanc eſſe communem ſententiam omnium, quod relicti ſint à Deo. Sequitur materia conſolationis, *Ipſi vero non cognoſcunt cogitationes Jehovæ, & non intelligunt*: nam verba præteriti temporis tantundem valent acſi poſita eſſent in tempore præſenti: *non intelligunt conſilium ejus*. Hic Propheta revocat piorum animos ad optimam conſiderationem. Nam ubi tam proterve contra nos ſurgunt impii, putamus omnia illis permiſſa eſſe: deinde ſtatim eorum probra & contumeliæ animos noſtros & ſenſus occupant, ut metiamur quodammodo judicium Dei ex illorum vocibus. Ubi ergo impii ſubſannant fidem noſtram, jactant nos à Deo relictos eſſe, quaſi attoniti ſuccumbimus: & nihil proclivius eſt quam nobis excuti fidem & memoriam promiſſionum Dei, quoties ita impii inſoleſcunt. Non abs re igitur Propheta hic remedium adhibet: quod diligenter nobis eſt obſervandum. *Et dicunt illi, Damnata eſt Sion.* atqui cæci judicant de coloribus, *quia non intelligunt conſilium Jehovæ, neque ejus cogitationes agnoſcunt.* Videmus ergo nunc quorſum tendat Propheta, nempe ſtulte & præpoſtere facturos fideles, ſi æſtiment judicium Dei ex impiorum jactantia: quoniam Satan eos abripit furioſo impetu: & ſi Dominus licentiam illis male agendi permittit, putant ſe victores fore uſque ad extremum. Quoniam ergo ita impii inebriati ſtulta confidentia, non modo homines, ſed Deum etiam ipſum contemnant, Propheta hic retinet & cohibet animos piorum, ut conſcendant altius: atque ita intelligant aliud eſſe conſilium Dei quam exiſtiment improbi, qui ad Deum neque pertingunt neque accedunt. Hæc doctrina cognitu apprime eſt utilis. Primo intuitu putaret quiſpiam hoc eſſe frigidum: O! quid ſibi vult Propheta? dicit non eſſe conſilium Jehovæ quod iſti proferunt: hoc etiam nos ſcimus. Sed ſi quiſque ſeipſum examinet, omnes uno ore fatebuntur nihil fuiſſe opportunius hac conſolatione. nam vulneramur contumelia, & ingenuis naturis hoc nimis eſt uſitatum. deinde ſimulac impii evomunt ſuas blaſphemias, putamus Deum in cœlo quieſcere: & una vox illorum quaſi inſtar nubis obſcurat judicium Dei, ſimulac quiſpiam ex reprobis nos deridet ac ſimplicitatem noſtram, minatur ferociter & terrores ſuos objicit: illa eſt, quemadmodum dixi, quaſi nubes interpoſita inter nos & Deum. Hæc ratio eſt cur Propheta hic dicat alias eſſe cogitationes Jehovæ, & aliud conſilium. Denique huc tendit conſilium Prophetæ, quoties impii adeo ſuperbe nos deſpiciunt, deinde etiam contumelioſe minantur nobis, & nos territant, debere nos mentes in cœlum attollere. Quare? eſt enim aliud conſilium Dei. Jactantiæ igitur iſtæ evaneſcent, quia ex nihilo oriuntur, ita etiam recident in nihilum: conſilium vero Dei ſtabit. Sed nunc videndum eſt quorſum Propheta de conſilio Dei & cogitationibus hic loquatur: nam ſi tantum hæc duo nomina proponerentur nobis in medium, certe parum ſolida eſſet conſolatio, & nihil fere haberet efficaciæ. Aliud ergo principium tenendum eſt, nempe cogitationes Dei nobis non eſſe incognitas, qui ſumus edocti in ejus ſchola.

Conſilium ergo Dei non eſt obſcurum, quia patefactum eſt nobis ejus verbo. Pendet igitur conſolatio ex doctrina altiore & magis recondita, quod ſcilicet fideles in ſuis miſeriis debeant quaſi in ſpeculo contemplari Dei conſilium. Quale autem illud eſt? nempe quod ubi nos afflixerit, habeat remedium in manu: ubi etiam conjecerit in ſepulchrum, poſſit nos reſtituere in vitam, & ſalutem. Quoniam ergo tenemus conſilium illud Dei, quod temporalibus malis Eccleſiam ſuam caſtiget, & ſemper utiliſſimus futurus ſit exitus: ubi ergo hoc nobis eſt cognitum, jam non eſt cur animos noſtros dejiciant impiorum blaſphemiæ. ac ubi evomuerint omnia ſua convitia, tamen debemus ſtare in boc conſilio Dei. Quod autem impii ita ſuperbiunt, non mirum eſt: nam ſi cornua erigunt adverſus Deum, cur non etiam nos ſpernerent, qui ſumus & pauci numero, & potentiæ fere nullius, vel ſaltem imparis? Eccleſia enim eſt contemptibilis coram mundo. Ergo non mirum eſt ſi ita nos ſubſannent, & ſuis ludibriis obruant hoſtes noſtri, qui audent etiam contra Deum ita proterve agere. Sed ſufficiat nobis quod non tenent Dei conſilium. Nunc ergo videmus quid velit Propheta. Et ſequitur etiam explicatio: *Quoniam*, inquit, *congregabit eos quaſi manipulum in aream.* Propheta hanc particulam adjecit expoſitionis loco, ut ſciamus quale ſit illud conſilium Dei, cujus paulo ante meminit, nempe quod Deus hoſtes congregabit tanquam manipulum unum. Quid eſt manipulus? eſt exigua copia tritici: ſunt vel trecentæ ſpicæ vel mille, ſi ita libet: ſunt tamen ſpicæ tritici, & geſtantur manu unius hominis. deinde, quis finis manipuli? nempe ut trituretur in area. Hoc quidem difficile creditu eſt, hoſtes dum ita undique coacervantur, eſſe inſtar manipuli. Si conveniat exercitus contra nos, non modo decem aut viginti millium, ſed etiam longe major; quis ſecundum ſenſum carnis putaret eſſe inſtar manipuli? Erunt totidem mortes & ſepulchra: nempe pluris nobis eſſe debet cogitatio Dei, quam formidabilis hominum potentia. Quoties ergo & potentia & numero hominum prævalebunt hoſtes noſtri, diſcamus aſſurgere ad arcanum iſtud Dei conſilium, de quo nunc concionatur Propheta noſter: & tunc facile erit ſtatuere ingentem multitudinem eſſe inſtar manipuli. Dicit autem congregandos eſſe in aream hoſtes noſtros, ut illic triturentur. Congregant ſe in alium finem: putant enim ſtatim nos fore ſub ſua poteſtate, ut nos abſorbeant: ſed ubi ita collegerint & ſeipſos & vires ſuas, Dominus fruſtrabitur eorum conſilia, & permittet eos nobis triturandos. Sequitur, *Surge & tritura filia Sion, quia poſui cornu tuum ferrum, & ungulas tuas chalybem.* Hic Propheta ſuperiorem doctrinam confirmat. Hortatur vero filiam Sion ad ſurgendum: quia oportuit dejici ut humi jaceret proſtrata. neque enim ſtatim reſtituit Deus Eccleſiam ſuam, ſed ad tempus ſic afflixit, ut nihil differret ab homine mortuo. Quemadmodum ergo cadaver ſine ſenſu jacet, ſic etiam Eccleſia Dei proſtrata fuit. Hæc ratio eſt cur Propheta nunc dicat, *Surge filia Sion*: acſi Deus voce ſua excitaret mortuos. Videmus ergo emphaticum eſſe verbum hoc קומי, quia admonet Propheta, non eſſe cur fideles deſperent in totum, ubi viderint ſe ita dejectos, quia ipſorum reſtitutio eſt in manu & arbitrio Dei: nam proprium Dei munus eſt, excitare mortuos. & eadem etiam doctrina applicari debet in uſum, quoties videmur ita dejecti, ut nullæ vires ſuppetant, nullus vigor. Unde igitur fiet ut tandem reſurgamus? nempe quia efficacia hæc penes Deum eſt, ut ſola voce reſtituat nobis vitam quæ videtur prorſus extincta. Poſtea adjungit, *Tritura, quia poſui cornu tuum ferrum, & ungulas tuas chalybem.* Scimus triturandi morem fuiſſe apud Judæos in uſu, ſicuti etiam in Italia, & hodie in Provincia Gallica. His flagellis excutimus triticum: ſed illic eſt uſus triturandi. Propheta ergo ex conſueto more hic loquitur. Nam comparat bobus Eccleſiam Dei: quaſi diceret, Judæi erunt veluti boves prædití cornibus ferreis, & ungulis chalybeis; ut proterant ſub ſe totum robur Gentium. Quantumvis ergo nunc Gentes excellant, tamen ego ſubjiciam eas pedibus populi mei, quemadmodum ſi manipulus triturandus eſſet. Poſtea adjungit, *Et ſegregabis* (vel conſecrabis) *opes eorum Jehovæ, & ſubſtantiam eorum Dominatori terræ.* Finem hic Propheta deſignat cur Deus decreverit ſubjicere electo populo profanas Gentes, nempe ut ipſe glorificetur. Hæc ſumma eſt. Cæterum nimis arguti fuerunt in allegoriis, qui putarunt reſtringi debere hoc vaticinium ad tempus Chriſti: neque enim dubium eſt quin Propheta voluerit conſolationem ſuam extendere ad totum Chriſti regnum, ab initio uſque ad finem. Alii nihilo rectius hoc ſpectare pronunciant ad exilium Babylonicum, quia tunc & Daniel & alii trituraverint populos, ubi eorum doctrina adducti ſunt profani Reges ut Templum reſtituerent, deinde ut præſtarent aliquem cultum Deo Iſraël. Sed in eo falluntur utrique, quod Triturandi verbum aliter accipiunt quam Propheta. Generaliter enim ſignificat ſubjiciendas eſſe profanas Gentes Eccleſiæ Dei. hoc autem fit quoties Deus porrigit manum fidelibus, & non patitur impios ſuam crudelitatem ita exequi ut cuperent: imo etiam facit ut cogantur ſuppliciter deprecari fideles. Hoc ſæpe contingit in mundo, quemadmodum de Chriſto ſcriptum eſt, Inimici tui terram lingent. *Pſal. 72. verſ. 9.* Sed non implebitur hoc vaticinium ante ultimum adventum Chriſti. Incipimus quidem triturare hoſtes noſtros, quoties Deus ſua potentia illos conterit, vel ſaltem facit ut dejecti trepident, quemadmodum videmus expaveſcere quoties contingit aliqua mutatio: & blande tunc profitentur ſe velle Deum colere. Sicuti hodie contingit adhuc vel in Gallia vel in Italia: quam multi hypocritæ terrenæ utilitatis cauſa ſe Deo ſubjicerent? & quam multos tales Anglia aluit, ubi Euangelium illic florebat? Aulici omnes, & alii etiam qui nolebant ſubire odium Regis, profitebantur ſe eſſe optimos pietatis cultores: ſed tamen ſemper impletur illud, Alieni tibi mentiti ſunt. *Pſal. 18. verſ. 46.* Videmus ergo quid ſibi velit Propheta, quum de trituratione loquitur: ſignificat Dominum ſæpe facturum ut hoſtes Eccleſiæ conterantur, etiamſi nullus eos premat. ſed quemadmodum jam dixi, neceſſe eſt reſpicere in ultimum diem, ſi volumus cernere plenum hujus Prophetiæ complementum. Poſtea adjungit, *Conſecrabis opes eorum Jehovæ, & ſubſtantiam ipſorum Dominatori terræ.* Hic Propheta oſtendit non ſperandam eſſe filiis Dei dominationem, ut affluant deliciis in mundo, & omnia ad ſe rapiant: deinde abutantur ſua potentia, quemadmodum ſolent profani homines: ſed debere hoc totum referri in Dei cultum & gloriam. Quorſum ergo vult Deus Eccleſiam ſuam excellere? nempe ut ipſe ſolus emineat, & fideles placide utantur ſua dignitate, neque propterea ſuperbiant. Nihil itaque magis alienum eſt ab imperio Eccleſiæ, quam ſuperbia, vel crudelitas, vel etiam avaritia: ideo notandus diligenter eſt hic finis, ubi dicitur, *Opes eorum conſecrabis Jehovæ.* Prius de dominatione loquutus erat, Conteres populos robuſtos, triturabis, calcabis etiam eos pedibus: ſed ne fideles traherent hoc alio quam Dominus volebat, ſtatim additur optima correctio, nempe quod hæc dominatio non erit penes ipſos homines, ſed penes unum Deum. *Tu ergo conſecrabis.* Et utitur verbo חרם, quod ſignificat Anathema facere: quaſi diceret, Deus Eccleſiam ſuam extollet, ut poſſit hoſtibus ſuis dominari: ſed interea videant fideles ne tyrannice domi-

dominentur, quia Deus vult ſemper ſolus regnare. Tota igitur excellentia, tota dignitas, tota potentia Eccleſiæ debet huc referri, ut omnia ſubjaceant Deo, & quicquid erit in Gentibus hoc totum ſit ſacrum, ut ſcilicet cultus Dei tam apud victores quam apud victos vigeat. Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ, cur adjecerit de conſecrandis Gentium opibus. Sequitur,

CAPUT V.

NUnc colligas te (*vel obſidione cingeris, ut alii vertunt*) filia congregationis, (*hoc eſt, turmæ*) obſidionem poſuit contra nos: in virga percutient ad maxillam judicem Iſraël.

2. Et tu Bethlehem Ephrata, parva ad eſſendum (*ut ita loquar*) inter millia Jehudah: ex te mihi egredietur ad eſſendum dominatorem (*ſic transfero durius, ut ſit dominator*) in Iſraël: & egreſſus ejus ab initio, à diebus ſeculi.

ITerum Propheta, ut fideles hortetur ad patientiam, admonet inſtare durum & aſperum tempus: quia oportuit eos ſæpius commonefieri de propinqua clade, ne terror eos prorſus exanimaret. Quoniam ergo periculum erat à deſperatione, ideo Propheta ſæpius repetit quod jam antea dixit de vindicta Dei, quæ tunc inſtabat populo Iſraël. Et hæc ratio docendi ac ſeries obſervatu digna eſt: dum nobis Prophetæ minantur, aut denunciant quas meriti ſumus pœnas, vel obſtupeſcimus, vel excandeſcimus contra Deum ac fremimus: ſi autem proponunt aliquid conſolationis, tunc indulgemus nobis, & nimium ſumus ſecuri. Ergo neceſſe eſt conjungere minas promiſſionibus, ita ut ſemper parati ſimus ad ferendas temporales pœnas: & interea animi noſtri ſuffulti bona ſpe à Domino pendeant, & in ipſum recumbant. Hoc conſilio Propheta iterum inculcat quod jam aliquoties dixit, nempe obſidione cingendos eſſe Judæos. Quomodo hæc conveniunt, hoſtes, qui fuerint congregati, ſimiles fore manipulo qui ſtatim rapitur in aream pedibus animalium calcandos; & tamen obſidendos eſſe Judæos? Reſpondeo hæc omnia congruere, quoniam ſcilicet temporales pœnæ quas Deus Eccleſiæ ſuæ infligit, non impedient quominus ſtatim eam reſtituat, ubi viſum fuerit: ergo ne obreperet ſecuritas animis piorum, Propheta voluit ſæpius illis reducere in memoriam, inſtare horribilem cladem, quæ poſſet eos penitus obruere, niſi ſubeſſet aliqua fultura, hoc eſt, niſi Deus ipſe verbo ſuo ipſos ſuſtineret. *Nunc ergo congregabis te*, inquit, *filia turmæ*. Verbum תתגודדי & nomen גדוד conveniunt inter ſe: quaſi diceret, Tu collecta eris filia collectionis. Alloquitur Propheta Jeroſolymam: ſed videndum eſt cur vocet *Filiam collectionis*. Putant nonnulli notari hac voce ſplendidum & opulentum ſtatum Jeroſolymæ: quaſi dixiſſet Propheta, Hactenus civitas hæc populoſa fuit, ſed nunc redigetur in tales anguſtias, ut non audeat extra portas ſuas egredi, quoniam undique coarctabuntur. Sed Propheta Jeroſolymam vocat Filiam turmæ alio ſenſu, nempe quod ſoliti eſſent multas moleſtias inferre, quemadmodum latrones inter ſe conſpirant & turmatim conveniunt, ut prædentur: ita etiam Propheta vocat Jeroſolymam Filiam turmæ, quoniam ſoliti eſſent cives illius ultro inferre multas moleſtias, & violenter ſe gerere, quemadmodum ſolent prædones. *Tu ergo nunc*, inquit, *collecta eris*: hoc eſt, non emittes tuas turmas, ſed hoſtes cogent te dura obſidione, acſi inſtar faſciculi teipſam contraheres. Sunt igitur duo membra hujus ſententiæ, nempe quamvis Dominus ſtatuerit Eccleſiæ ſuæ opitulari, tamen velle eam ad tempus coarctari: deinde Propheta cauſam oſtendit, ne querantur ſe nimium rigide tractari, Vos, inquit, hactenus ſine cauſa fuiſtis aliis moleſti, tempus ergo adeſt quo Dominus vicem vobis rependat: quemadmodum etiam
Jeſa. 33. verſ. 1. dicit Jeſaias, Heus tu prædator, nonne etiam tu prædæ expoſitus eris? ita etiam hoc loco, Vos fuiſtis turmatim collecti, nempe ut expilaretis homines innoxios: ergo aliæ turmæ nunc vos cingent, imo eritis ipſi terrore veſtro obſeſſi. Eſt enim verbum Hithpaël. Non dicit, Tu filia turmæ jam cincta eris: ſed teipſam, inquit, conſtringes. Poſtea adjungit, *Obſidionem poſuit contra nos*. Poſſet hoc referri ad Deum: ſed ſimpliciter de hoſtibus intelligi poteſt: continuo enim poſt addit Propheta, *Percutient virga*, plurali numero. *Percutient ergo virga maxillam judicis Iſraël*, ſignificat Judæos ita ſubigendos eſſe à ſuis hoſtibus, ut etiam judices ipſorum ac gubernatores expoſiti ſint omne genus probris & ignominiis. nam Percutere ad maxillam, tantundem valet ac inferre quodvis dedecus: eſt enim extrema illa contumelia, ſicuti Demoſthenes loquitur, & citatur etiam a Jureconſulto. Nunc tenemus conſilium Prophetæ, quod fruſtra ſuperbiant Judæi in regno & in ordine ſuo politico, quia Dominus ultimis probris ſubjiciet gubernatores ipſius regni. *Percutient* igitur hoſtes *judices ipſos etiam ad maxillam*. Sed ſtatim ſequitur conſolatio. & videmus ut Propheta nunc humiliet filios Dei, & præparet ad tolerantiam crucis: nunc vero mitiget omnem triſtitiam, imo exhilaret ipſos in ſuis malis. In hunc igitur finem nunc adjungit, *Tu Bethlehem Ephrata, parva es, ut ſis in millibus Jehudah*. Quoniam Matthæus aliter hunc locum citat, putant quidam interrogative debere legi, Et tu Bethlehem Ephrata, minima es in præfecturis Jehudah? quoniam Matthæus dicit, Nequaquam minima es, ex- *Matth. 2.*
cellis. Sed quid opus eſt torquere Prophetæ verba, *verſ. 6.*
quum Evangeliſtæ non fuerit propoſitum referre quod apud Prophetam legitur, ſed notare locum duntaxat. quantum ad verba ſpectat, reſpexit Matthæus conditionem oppidi Bethlehem qualis erat poſt Chriſti adventum. Tunc ergo vere cœpit excellere: ſed Propheta hic conſiderat quam ignobilis & contemptus ſit locus Bethlehem. *Tu*, inquit, *minima es in millibus Jehudah*. Quidam parum ſcite exponunt hunc locum, *Minima es in millibus Jehudah*: hoc eſt, etiamſi mille eſſent urbes in tribu Jehudah, vix tamen haberes locum in tanto numero. Sed ignorantia conſuetudinis hoc dicunt: quia ſcimus Judæos ſolitos fuiſſe diſtribuere ſuas præfecturas in millenaria, in chiliadas. Sicuti ergo ſunt in exercitu centuriones, ſic etiam in deſcriptione cujuslibet generis ſunt centuriæ: ita ſunt in exercitu Tribuni, qui præſunt mille hominibus. Sic Propheta vocat Millenarios, hoc eſt, Tribunos: nam tales erant præfecturæ, ut quæ urbs poterat educere cum ſuis pagis tria millia hominum, haberet etiam tres præfecturas, haberet tres Tribunos, vel quatuor vel quinque. Propheta ergo ut oſtendat exiguum eſſe oppidum & nullius fere potentiæ, dicit, Tu Bethlehem, vix potes ſufficere ad unam præfecturam. Fuit autem hoc ſignum tenuitatis, quod ex Bethlehem & pagis vicinis vix poſſent confici mille homines. Scimus enim non fuiſſe multas urbes in tribu Jehudah: & tamen poterant illinc educi magni exercitus. Si ergo tanta fuit exiguitas urbis Bethlehem, ut vix poſſet tenere gradum

præfecturæ unius, certe hinc patet fuiſſe ignobile oppidum. Nunc tenemus conſilium Prophetæ: *Tu*, inquit, *Bethlehem, minima es in urbibus Jehudah*: jam *orietur* tamen, vel egredietur *mihi ex te qui ſit dominator in Iſraël.* Bethlehem vocat Ephrata, quia dicunt alteram fuiſſe in tribu Zebulon: & ſcimus congruere nomen Ephrata cum nomine Bethlehem, quia utrumque frugum ac victus abundantiam notat: & inde etiam natus fuit David. Jam venio ad ſecundum membrum, *Ex te egredietur mihi qui ſit dominator.* Hic inducit Propheta loquentem Deum: *Egredietur*, inquit, *mihi.* Hac voce pronunciat Deus ſibi non ita decretum eſſe perdere populum quin velit iterum reſtituere poſt aliquod tempus. Revocat igitur fideles ad ſe & conſilium ſuum æternum: acſi diceret, Ego ſic ad tempus vos abjeci, ut tamen aliqua veſtri cura me tangat. *Mihi* ergo *egredietur qui ſit dominator in Iſraël.* Jam non dubium eſt quin Propheta ſimul etiam fideles revocet ad promiſſionem quæ Davidi fuerat data. Unde enim ſpes ſalutis electo populo, niſi ex regni perpetuitate? Jam dicit Propheta, Eſt quidem aliqua ratio ſecundum carnis ſenſum, cur fideles animos deſpondeant. Nam unde illis fiducia, niſi ex regno Davidis? Unde autem oriundus David? nempe ex Bethlehem. Vocata enim fuit Bethlehem Urbs Davidis: atqui obſcurum eſt & tenue oppidulum, & vix poteſt efficere vulgarem præfecturam. Quum ita ſit, poſſent fidelium animi concidere: ſed parvitas iſta non obſtabit quominus illinc educat Dominus novum Regem. Ante Davidem etiam Bethlehem fuerat tenue oppidum, & ex vulgaribus contemptiſque præfecturis. Quis ſperaſſet ex illo oppidulo Regem eſſe eligendum? deinde ex tugurio venturum? Quia David erat in domo paſtoritia: pater ejus erat homo pecuarius: erat etiam minimus inter fratres ſuos. Quis ergo putaſſet lumen oriturum eſſe ex illo terræ angulo? deinde ex tugurio ignobili? hoc factum fuit præter hominum opinionem. Ergo Propheta hic proponit fidelibus eandem conſolationem: quaſi diceret, Nonne Deus ſemel conſtituit perfectiſſimum ſtatum, ita ut populus omni ex parte felix & beatus eſſet quum Rex creatus fuit David? Unde autem David? ex Bethlehem. Ergo non eſt cur nunc vos præſentes miſeriæ nimium conturbent. Deus enim iterum poterit vobis Regem ex eodem loco educere: & faciet. *Tu ergo Bethlehem, parva es.* Non dubium eſt quin Propheta hic velit reputari à fidelibus quale fuerit initium perfectiſſimi ſtatus, nempe quum David electus eſt Rex. David erat paſtor, homo abjectus, nullius famæ, nullius potentiæ, etiam inter fratres ſuos contemptibilis. Quum ergo Deus ex tenebris eduxerit lucem, non eſt cur nunc deſperent fideles, quia eadem futura ſit reſtitutio, quale fuit exordium beati & optimi ſtatus. Nunc tenemus conſilium Prophetæ. Sed reliqua non poſſum hodie abſolvere: differam igitur in diem craſtinum.

Da omnipotens Deus, quando non deſinimus in nos iram tuam provocare, deinde etiam expedit nobis ſubinde manu tua caſtigari, ut humiliemur, & diſcamus nos tibi ſubjicere in verum & voluntarium obſequium: da, inquam, ne deficiamus ſub tuis ferulis, ſed ſemper animos erigamus ad ſpem exitus, quam nobis facis propoſito Mediatore, quem ipſe nobis ſemel in hunc mundum miſiſti, ut per eum nos tibi reconciliares, & per quem etiam opem feras, quoties nobis opus eſt: & ſimul diſcamus ſperare in Filium tuum unigenitum, ut fortibus animis tranſeamus per omnes hujus mundi miſerias, neque unquam fatigemur, donec tandem potiti victoria, perveniamus in beatam illam quietem, & fruamur fructu victoriæ noſtræ, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO UNDECIMA

IN

MICHÆAM PROPHETAM.

CAP. V.

HEri cœpimus exponere promiſſionem qua voluit Propheta noſter fulcire piorum animos, ne in graviſſima tentatione deficerent. Revocat autem eos, ſicuti dictum fuit, ad ipſa regni exordia: quoniam David fuerat quaſi de nihilo excitatus, & Deus ſpecimen admirabilis ſuæ gratiæ in eo oſtenderat, ideo Propheta admonet pios, idem nunc quoque eſſe ſperandum, ut Deus regnum illud collapſum rurſus erigat. *Prodibit* ergo *ex Bethlehem*, inquit, (quod eſt ignobile oppidum) *qui ſit dominator in Iſraël.* Vocat Dominatorem in Iſrael, quia prius denunciaverat horribilem illam pœnam, quod hoſtis colaphis cæſurus eſſet faciem Judicis. Hoc autem perinde valebat acſi dixiſſet Propheta, nullam amplius fore dignitatem in populo illo, quia caput ipſum verberandum eſſet. Jam ergo promittit novum dominatorem: hoc eſt, promittit rurſus politicum aliquem ordinem fore conſpicuum in illo populo. neque enim potuit percuti gubernator in maxilla, quin concideret omne imperium & omnis dignitas. Videmus ergo quid per nomen Dominatoris intelligat Propheta, quod ſcilicet Deus rurſus efficiet ut emergat novus Princeps, qui gubernet populum illum. Eſt igitur hoc remedium diſſipationis. Cæterum adjungit Propheta, *egreſſus ejus eſſe ab initio*, vel à longa vetuſtate, *& à diebus ſeculi*, hoc eſt, diebus æternis. Hic ſignificat non fore hoc repentinum, quod ſurget Princeps qui populum gubernet: quia jam olim hoc divinitus fuit decretum. hic eſt ſimplex ſenſus. Scio quoſdam inſiſtere pertinacius, quod hic loquatur Propheta de æterna eſſentia Chriſti, & quantum ad me ſpectat libenter agnoſco hic probari nobis Chriſti divinitatem: ſed quia hoc nunquam extorquebitur à Judæis, malo ſimpliciter accipere quod ſonant Prophetæ verba, Chriſtum non ita repente proditurum ex Bethlehem, quaſi de eo nihil Deus olim ſtatuiſſet. *Egreſſus ergo ejus ſunt ab initio*, inquit. Alii etiam afferunt novam argutiam, quod plurali numero Propheta Egreſſus vocet propter duplicem Chriſti naturam: ſed ſubeſt abſurditas, quia neque proprie neque ſcite conferret Propheta naturam humanam Chriſti cum divina, quantum attinet ad æternitatem. Scimus Sermonem Dei fuiſſe æternum: ſcimus deinde ubi tempus plenitudinis venit, quemadmodum loquitur Paulus, Chriſtum induiſſe *Gal. 4: 4.* carnem. Origo igitur Chriſti ſecundum carnem, non fuit tam vetuſta, ſi de eſſentia ſermo habetur: ergo abſurda prorſus eſſet comparatio. & Hebræis ſatis tritum eſt pluralem numerum confundere cum ſingulari. Dicit ergo egreſſum Chriſti eſſe æternum, quia non prodibit momento ex Bethlehem, ſicuti temere quiſpiam ad opem ferendam exurgit, ubi omnia ſunt deſperata: ſed tamen ita ſurgit, ut nihil fuerit antea proviſum. Propheta autem alium fore Chriſti egreſſum denunciat, quod ſcilicet Deus

ab initio ſtatuerit dare perpetuum Regem populo ſuo. Interea repudiandum nobis eſt commentum illud in quo ſibi placent Rabbini: nam dicunt ante mundi creationem creatum fuiſſe Meſſiam, ſicuti etiam Solium æternitatis, & Legem, & alia. ſunt inſulſæ fabulæ. Sed Propheta ſimpliciter oſtendit, etiam ante conditum mundum Chriſtum fuiſſe caput, ſicuti etiam vocatur Primogenitus omnis creaturæ, quia per ipſum creata ſunt omnia. *Col. 1:15.* Idem vero Sermo Dei, per quem creatus eſt mundus, debuit eſſe caput Eccleſiæ, & per eum oportuit inſtaurari quæ perdita erant. Nunc ergo tenemus quid ſibi velit Propheta, quum dicit *egreſſus Chriſti eſſe æternos.* Cæterum Judæis non concederem tantum perpetua Dei ordinatione egreſſus Chriſti fuiſſe ab initio, vel ab omnibus ſeculis. Sed duo notanda nobis ſunt, Chriſtum ſcilicet, qui manifeſtatus fuit in carne ut Eccleſiam Dei redimeret, fuiſſe æternum Sermonem, per quem creatus eſt mundus: deinde fuiſſe deſtinatum æterno Dei conſilio ut eſſet primogenitus omnis creaturæ: præſertim vero ut eſſet Eccleſiæ caput, & inſtauraret gratia & virtute ſua mundum collapſum. Nunc ergo videmus qua ratione hæc duo Propheta ſimul conjungat, ubi dicit proditurum ex Bethlehem qui dominetur in Iſraël: & tamen egreſſus ejus eſſe æternos. Nam ſi tantum hoc dixiſſet quod heri expoſuimus, facilis erat exceptio, & poterat cuilibet venire in mentem, Cur dicis venturum ex Bethlehem qui gubernet electum populum? quaſi vero Deus excogitet novum remedium, ubi videbit actum eſſe de ſalute Eccleſiæ ſuæ. Hic Propheta antevertit, & admonet egreſſus ejus eſſe æternos: hoc eſt, ita fuiſſe jam olim decretum, & quidem ab initio: quia ſcilicet Deo nihil ſit novum, ut opus habeat aliqua ſubita conſultatione: quemadmodum ubi nobis aliquid contigit quod minime timuimus, tunc fabricamus nobis novas rationes. Propheta oſtendit nihil tale fore in Deo: ſed hoc totum occulta & incomprehenſibili ejus providentia gubernari, quod populus peſſum ibit, deinde reſtituetur per manum Chriſti: nempe quia *egreſſus ejus ſunt ab initio & à diebus æternis.* Pergamus.

3. Propterea dabit eos (*hoc eſt, ponet eos; vel relinquet*) uſque ad tempus quo parturiens pariet: & revertentur ad filios Iſraël reſiduum fratrum ejus.

Hic rurſus Propheta ſermonem ſuum ſic temperat, ut Judæi intelligant ſibi multa ferenda eſſe antequam ſuccurrat Deus eorum miſeriis. Vult ergo hic formare piorum animos ad tolerantiam, ne diffidant in rebus turbatis, ne etiam occupet eos nimius terror. Statuit igitur iſta duo ſimul, nempe populum, ſicuti dignus erat, graviter affligendum eſſe: deinde Deum fore in illis tam atrocibus pœnis memorem fœderis ſui, ut tandem colligat aliquas reliquias, neque ſinat populum illum penitus aboleri. ergo aliquid medium promittit inter ſtatum integrum, & interitum. Non manebit ſtatus populi integer, inquit Propheta. Quare? Deus enim exſcindet regnum & urbem: imo faciet ut nulla appareat vel dignitas vel potentia populi, ut nullus denique reſiduus ſit ordo. interea tamen ſubveniet miſeris: ubi putabunt ſe eſſe jam addictos ultimo exitio, porriget illis manum. hæc ſumma eſt. Dicit igitur tradendos eſſe, hoc eſt, derelinquendos à Deo *uſque dum parturiens pariat.* Sunt qui hoc trahant ad beatam Virginem: quaſi diceret Michæas, tempus illud eſſe expectandum Judæis, dum Virgo pariet illis Chriſtum: ſed facile omnes agnoſcunt coactam eſſe illam interpretationem. Ego igitur non dubito quin Propheta hic per ſimilitudinem corpus populi comparet mulieri gravidæ. Similitudo mulieris parturientis varie accommodatur. nam improbi, ubi impunitatem ſibi promittunt, repente corripiuntur, & uno impetu: ita interitus eorum ſimilis eſt partui mulieris gravidæ. Sed alia eſt ratio præſentis loci. Propheta enim dicit fore ſimiles Judæos mulieribus gravidis, quia etiamſi perferant maximos dolores, ſequetur tamen lætus & optabilis exitus. Et Chriſtus etiam in hunc finem exemplo hoc utitur, Mulier, *Joan. 16. verſ. 21.* inquit, triſtitiam habet quum parit, ſed ſtatim lætatur ubi videt hominem in mundo natum. Ergo hoc loco Michæas dicit proſperum fore exitum electi populi in miſeriis: quia ſcilicet parient. Erunt quidem graviſſimi dolores, ſed quorum exitus lætitiæ cauſa erit, ubi ſcilicet agnoſcent ſe & ſuam ſalutem ſemper curæ fuiſſe Deo, ubi intelligent utiles ſibi fuiſſe ejus caſtigationes. *Donec* igitur *pariens pariat,* inquit, *Deus relinquet eos.* Duo igitur ſunt membra hujus ſententiæ: quod ad tempus relinquendi ſint Judæi, acſi non eſſent amplius in Dei manu ac tutela. hoc unum eſt. Alterum vero, ſemper Deum fore illorum cuſtodem, quia partus ſequetur eorum dolores. Contraria eſt illa ſententia Jeſaiæ, Doluimus, parturivimus, & peperimus ventum. *Jeſa. 26. verſ. 18.* Illic queruntur fideles ſe fuiſſe maximis doloribus oppreſſos, & veniſſe uſque ad partum: cæterum non peperiſſe niſi ventum, hoc eſt, ſe fuiſſe deceptos vana expectatione, quia non reſpondit exitus qualem ſperabant. Sed Dominus per Michæam hic aliquid melius promittit, quod ſcilicet finis omnium malorum erit felix populi reſtitutio: quemadmodum ſi mulier compenſationem accipiat doloris ſui, ubi videt ſibi natam eſſe ſobolem. Et confirmat hanc ſententiam altero membro, ubi dicit, *Ad filios Iſraël redibunt* vel convertentur *reſiduum fratrum ejus.* Significat ergo Propheta fieri non poſſe quin Deus populum ſuum non modo diſſipet, ſed etiam peſſundet, ita ut calamitas illa minetur certum exitium. Hoc unum eſt. Interea vero promittit aliquid fore ſalvum: ſed vocat *reliquias,* ſicuti alibi vidimus, ne hypocritæ exiſtiment ſe impune laturos quod Deo illuſerint. Oſtendit igitur Propheta venturam eſſe cladem, quæ populum fere extinguat: ſed reliquias fore ſalvas miſericordia Dei, idque præter communem ſenſum. Nunc tenemus quid velit Propheta. Jam ſequitur,

4. Et ſtabit, & paſcet in virtute Jehovæ, in magnificentia nominis Jehovæ Dei ſui: & habitabunt, quia nunc magnificabitur uſque ad fines terræ.

Non dubium eſt quin Propheta hic continuet ſermonem ſuum de Chriſto; & quantumvis Judæi impudenter pervertant totam Scripturam, non poſſunt tamen effugere quin hic revocet Michæas pios omnes ad Chriſti adventum, ſi quam ſalutem vel ſperant vel cupiunt conſequi: hoc certum eſt. Jam videndum eſt quid Propheta Chriſto tribuat: *Stabit,* inquit, *& paſcet in virtute Jehovæ.* Standi verbum ad perſeverantiam debet referri: quaſi diceret non fore hoc momentaneum, quod Deus populi reliquias colliget per manum Chriſti: ſicuti ſæpe affulget aliquid lætitiæ quod ſtatim evaneſcit. Propheta hic oſtendit, Regnum Chriſti fore ſtabile & diuturnum. *Stabit* ergo: hoc eſt, non tantum ad paucos dies Chriſtus reget Eccleſiam Dei, ſed Regnum ejus ſtabile manebit per continuam ſeriem annorum & ætatum. Nunc ergo videmus conſilium Prophetæ. Secundo addit, *Paſcet in fortitudine Jehovæ, in magnificentia nominis Jehovæ Dei ſui:* quibus verbis intelligit ſatis fore potentiæ in manu Chriſti ad

Eccleſiam tuendam. Scimus Eccleſiam in hoc mundo obnoxiam eſſe variis turbis, quia nunquam hoſtibus caret: Satan enim ſemper reperit quos impellat, & quorum furore utatur ad vexandos Dei filios. Quoniam ergo Eccleſia Dei agitatur inter multas procellas, ideo opus habet robuſto & iovicto defenſore. Hoc igitur elogium ounc confert Propheta noſter in Chriſtum, quod *paſcet in fortitudine Jehovæ, & magnificentia Dei ſui*. Quantum ad verbum Paſcendi attinet, non dubium eſt quin hic exprimat qualis Chriſtus ſit erga ſuos, hoc eſt, erga gregem ſibi commiſſum & fidei ſuæ. Non dominatur ergo Chriſtus in Eccleſia tanquam formidabilis tyrannus, qui ſuos metu opprimat; ſed Paſtor eſt, & tractat oves ſuas qua optandum eſt manſuetudine. Erga fideles ergo nihil humanius & mitius Chriſto, quia fungitur officio Paſtoris: & mavult hoc elogio ornari quam vocari & cenſeri Rex, & ſibi ſumere aliquod imperium. Sed potentiam Chriſti ex altera parte oſtendit Propheta fore impiis & reprobis horribilem. *Paſcet*, ioquit. Si ad oves reſpicimus, Chriſtus induit perſonam plenam manſuetudinis. Nihil enim blandius eſt, quemadmodum dixi, hoc Paſtoris nomine. Sed quoniam cingimur undique hoſtibus, addit Propheta, *Paſcet in virtute Jehovæ, & magnificentia nominis Jehovæ*: hoc eſt, quantum eſt potentiæ in Deo, tantum erit præſidii in Chriſto, ubi neceſſe erit Eccleſiam defendere & tueri contra hoſtes. Diſcamus ergo non minus ſperaodum eſſe ſalutis à Chriſto, quam eſt in Deo virtutis. Nunc ſi virtus Dei immenſa eſt, quemadmodum fatemur, etſi omnipotentia ejus omnes ſenſus noſtros longe ſuperat & abſorbet, diſcamus etiam extendere & in altum & profundum omnes ſpes noſtras. Quare? nam habemus ſatis robuſtum Regem qui nos tuendos ſuſcepit, & cujus fidei Pater nos commiſit. Quum ergo traditi ſimus Chriſto in cuſtodiam, noo eſt quod dubitemus nos fore ſalvos & incolumes. Eſt quidem Paſtor, & noſtra cauſa huc ſeſe demittit, ut non refugiat etiam ſordidum hoc nomen: neque enim eſt in paſtore pompa vel majeſtas. Tametſi ergo Chriſtus noſtra cauſa induit perſonam paſtoris, oeque munus detrectat, interim præditus eſt immenſa virtute. Quare? neque enim humano more gubernat Eccleſiam, ſed *in magnificentia nominis Dei ſui*. Jam, quod Chriſtum nunc Deo ſubjicit, pertinet ad humanam naturam. Et Chriſtus quamvis ſit Deus manifeſtatus in carne, tamen dum nobis Mediator deſcribitur, & Eccleſiæ caput in natura humana, ſubjicitur Deo Patri. Eſt enim medius inter Deum & nos. Hæc igitur cauſa eſt cur ounc Propheta dicat Chriſtum habere quaſi precario virtutem: non quod Chriſtus duntaxat ſit homo, ſed quia apparuit nobis in hominis perſona, ideo dicitur accipere virtutem à Patre ſuo: & hoc naturæ humanæ reſpectu, ut dictum eſt. Eſt tameo alia ratio cur Propheta hoc expreſſe addiderit, nempe ut ſciamus Chriſtum quatenus eſt Eccleſiæ protector, non poſſe à Patre ſuo divelli. Sicuti ergo Deus eſt Deus, ita Chriſtus eſt ejus miniſter ad ſervandam Eccleſiam. In ſumma, non vult Propheta conſiderari Deum à fidelibus, niſi interpoſito Mediatore: & non vult conſiderari Mediatorem, niſi qui obtineat ſummum imperium à Deo ipſo: imo qui inſtructus ſit omnipotentia ad ſuos ſervandos. Addit poſtea, *Habitabunt, quia nunc magnificabitur uſque ad fines terræ.* Promittit ſecuram habitationem fidelibus, quia Chriſtus extollecur uſque ad ultimas mundi plagas. Hic videmus ſalutem etiam Gentibus exteris promitti: quia ſatis fuiſſet Chriſtum intra fines Judææ pollere immenſo imperio, ſi tantum illi tradita fuiſſet gens una io cuſtodiam. Sed quoniam voluit Deus Pater ipſum eſſe auctorem ſalutis cunctis Gentibus, hinc etiam colligimus oportuiſſe extolli uſque ad ultimos terræ fines. Cæterum, quod ad verbum Habitandi ſpectat, fuſius exponitur proximo verſu, ubi dicit Propheta,

5. Et erit hic pax: Aſſur quum venerit in terram noſtram, & quum calcaverit in palatiis noſtris, tunc conſtituemus ſuper eum ſeptem Paſtores, & octo Principes hominum.

Confirmat, ut dixi, Michæas proximam doctrinam. Habitandi verbo non dubium eſt quin voluerit ſtationem & quietam & tranquillam notare: acſi diceret ſecuros fore filios Dei ſub Chriſti manu. Jam addit, *Erit enim pax noſtra.* Poterat quæri, Unde ſecura iſta habitatio? nam terra ooſtra ſæpius vaſtata fuit: tandem abductus eſt populus in exilium. Quomodo ounc audebimus ſperare quod promittis, nos fore tranquillos & ſecuros? Quia, ioquit, *erit pax noſtra*: hoc eſt, contenti ſimus præſidio Regis, quem Deus Pater nobis dedit. Sufficiat igitur nobis umbra ipſius, & ſatis erimus tuti ab omni moleſtia. Nunc videmus quo ſenſu Propheta appellet Chriſtum, Pacem populi vel Eccleſiæ: nempe quia procul arcebit omnes noxas, & inſtructus erit fortitudine & invicto imperio, ut omnes impios compeſcat, ne audeant bellom gerere cum filiis Dei: vel ſi quid moveant turbarum, prohibeat ipſos tamen. Cæterum, ſcimus alio modo Chriſtum eſſe nobis pacem, quia ſcilicet reconciliavit nos Patri. Et quid nobis prodeſſet tutos eſſe à terrenis noxis, niſi hoc certum eſſet, Deum nobis eſſe propitium? Niſi ergo mentes noſtræ acquieſcerent in paterna Dei benevolentia, neceſſe eſſet nos trepidare perpetuo: etiamſi nemo quicquam moleſtiæ inferret, imo omnes amici eſſent, & applauderent, miſera eſſet tamen noſtra conditio, & æſtuaremus inquietudine, niſi conſcientiæ noſtræ illa certa fiducia pacatæ eſſent, Deum ſcilicet nobis eſſe patrem. Ergo noo poſſet Chriſtus eſſe aliter pax noſtra, niſi quatenus Deum nobis pacificat. Sed interim generaliter loquitur Propheta, quod ſub umbra Chriſti tuto latebimus, neque eſſe metuendum quicquam mali: etiamſi Satan furioſe in nos ruat, ſi inſania: etiam totus mundus, nihil nobis eſſe metuendum, ſi Chriſtus contineat nos ſub ſuis alis, & foveat. Hæc ſumma eſt igitur, quum dicit Chriſtum eſſe pacem. Poſtea adjungit, *Quum Aſſur venerit in terram noſtram, & quum calcaverit in palatiis noſtris, tunc ſtatuemus contra eum*, vel ſuper eum, *ſeptem Paſtores, & octo Principes populi.* Significat Propheta Eccleſiam Dei non fore immunem à multis turbis, etiam ante Chriſti adventum. Ego enim libeoter hoc refero ad medium tempus: quamvis interpretes alio trahant Prophetæ verba. Sed hic ſenſus longe melius convenit, dum Chriſtus adhuc ſperatur, & tamen ſuſpenſum eſt auxilium illud, quod Deus per manum ejus pollicitus eſt: venturos Aſſyrios, qui longe & late graſſentur per terram Iſrael. Dicit ergo, Etiamſi Aſſur in terram ooſtram veniat, & perrumpat violento impetu, ut non poſſimus eum arcere, ſtatuemus tameo nobis Paſtores & Principes contra eum. Quanquam notandum eſt non debere vaticinium hoc reſtringi ad tempus illud tam breve. Generaliter enim loquitur Propheta de Eccleſiæ conſervatione tam ante Chriſti adventum, quam poſtea: quaſi diceret, Dixi Regem qui naſcetur nobis, & prodibit ex Bethlehem, fore pacem nobis: ſed antequam manifeſtetur mundo, Deus tamen adhuc Eccleſiam ſuam colliget, & emergent ex corpore mortuo tam Duces quam Paſtores, qui repellant injuſtam violentiam: imo ſubjiciant ſibi Aſſyrios. Videmus nunc quorſum ſpectet Propheta: poſtquam ornavit inſigni illo elogio Chriſtum, quod unus nobis ad tranquillam vitam ſufficiat, poſtea adjungit

Deum

Deum fore conſervatorem Eccleſiæ ſuæ, ut eam liberet ab hoſtibus. Cæterum, notanda eſt circumſtantia quæ hic exprimitur. Dicit Michæas, Quum *Aſſyrii graſſati fuerint per terram, & calcaverint omnia palatia*, tunc Deum fore liberatorem populi ſui. Poterat excipi, Cur non citius? annon præſtabat antevertere? Quid? nunc Deus quaſi otioſus ſpectat vim hoſtium; & laxat illis habenas, ut totam terram diripiant, ut perrumpant uſque ad meditullium. Cur ergo Deus non occurrit maturius? ſed videmus quam rationem tenere velit Deus in Eccleſiæ ſalute. Quia enim caſtigatione aliqua ſubinde indigent fideles, Deus ipſos humiliat ubi ita expedit, ſed poſtea liberat. Hæc ratio eſt cur Deus permiſerit tantam licentiam Aſſyriis, antequam opponeret ſuum auxilium. Et videmus etiam ſic temperari ſermonem à Propheta, ut ab una parte oſtendat non fore ſemper immunem Eccleſiam à malis. Venient ergo Aſſyrii, calcabunt palatia noſtra. Hoc omnino ferendum erat filiis Dei, & oportuit in tempore parare animos ad tolerantiam. Sed poſtea ſequitur conſolatio. Ubi ergo Aſſyrii ita penetraverint in terram noſtram, & nihil illis clauſum vel abſconditum fuerit: tandem Dominus faciet ut ſurgant novi Paſtores. Significat Propheta aliquo tempore mutilum fore corpus populi, & quaſi truncum: ſicuti etiam impletum fuit, uſque dum reverſi ſunt ab exilio. Nam fruſtra hoc diceret, *Conſtituemus nobis*, ſi fuiſſet continua ſeries regiminis: non diceret, poſtquam Aſſur venerit in terram noſtram, conſtituemus Principes; ſed erunt quum veniet Aſſur adhuc Principes. Verbum igitur *conſtituendi* denotat quod jam dixi, nempe Eccleſiam fore ad tempus ſine capite viſibili. Chriſtus quidem ſemper fuit caput Eccleſiæ: ſed quia voluit tunc ſpectari in familia Davidis tanquam in imagine vel pictura; ideo Propheta hic oſtendit, etiamſi videatur fidelibus caput eſſe abſciſſum, & mortuam eſſe Eccleſiam, quemadmodum ſi cadaver abjectum ſit, ubi à capite ſuo avulſum eſt: ſic etiam dicit talem fore Eccleſiæ formam ad tempus, vel tam deformem fore vaſtitatem. interim promittit novam reſurrectionem. *Statuemus* ergo, hoc eſt, deligemus nobis Paſtores. Si quis objiciat, Dei officium fuiſſe creare Paſtores populo ſuo; hoc quidem verum eſſe fateor: ſed dico non inſcite hoc poſitum fuiſſe à Propheta. Nam commendat hic Dei beneficium, quod iterum conſtabit populo ſua libertas. Hic enim maxime eſt optabilis ſtatus populi, creare communibus ſuffragiis Paſtores: nam ubi violenter quis imperium uſurpat, hoc eſt tyrannicum. Ubi etiam Reges naſcuntur hereditario jure, hoc non videtur conſentaneum eſſe libertati. *Conſtituemus* ergo *nobis Principes*, inquit Propheta: hoc eſt, Dominus non tantum dabit ut reſpiret Eccleſia, ſed etiam ut ſtatuat certum & bene ordinatum regimen, idque ſiat communibus omnium ſuffragiis. Per ſeptem & octo, non dubium eſt quin Propheta deſignet magnum numerum; ſicuti ubi de Eccleſiæ clade ſermo habetur, Non reperientur qui velint gubernare, vel, pueri dominabuntur vobis. Hic autem Propheta dicit ſatis multos fore duces, qui ſuſcipiant curam regendi & tuendi populi. Erunt ergo gubernatores populi ſeptem Paſtores, & octo Principes: hoc eſt, Dominus Spiritu ſuo multos replebit, ut ſiant repente cordati homines: etiamſi prius illi nullo in pretio habiti fuerint, etiamſi nihil præ ſe tulerint dignum magnis viris, Dominus tamen ipſos ditabit Spiritu fortitudinis, ut idonei ſint ad regendum. Jam adjungit Propheta,

6. Et paſcent terram Aſſur (*hoc eſt, vaſtabunt: nam metaphorice hic Paſcere accipitur pro Perdere, quemadmodum dicuntur pecora paſcere agrum: hoc eſt, quum denudant herba ſua. atque ita Paſtorum ingluviem notat in vorando populo: & alludit ad nomen illud quo uſus fuerat. Dixerat enim* רעים*, ſeptem Paſtores: nunc dicit* ורעו *Videmus ergo Prophetam alludere ad nomen illud quod poſuerat. Paſcent ergo terram Aſſur*) gladio, & terram Nimrod in gladiis ſuis: & liberabit ab Aſſur, ubi venerit in terram noſtram, & ubi calcaverit in finibus noſtris.

Hoc verſu dicit Propheta duplex fore officium Paſtorum quos ſibi creabit Eccleſia, poſtquam miſere oppreſſa fuerit tyrannide hoſtium ſuorum. Paſcent ergo uno modo, quia humaniter fovebunt Eccleſiam Dei: ſed ſimul *paſcent*, hoc eſt, diripient *terram Aſſur*, ut nihil illic integrum vel ſalvum maneat. Inſtruet ergo Deus fortitudine bellica Paſtores iſtos: quia neceſſe etiam erit fortiter ipſos & cordate pugnare contra hoſtes. Dicit, *Paſcent terram Nimrod in gladiis ſuis*. Scimus Nimrod dominatum fuiſſe in Chaldæa: ſcimus item decem Tribus fuiſſe abductas à Salmanazar, & ita exciſum fuiſſe regnum Iſrael: quum potiti eſſent Monarchia Chaldæi, regnum etiam Jehudah ab illis vaſtatum fuit. Nunc ſumma verborum eſt, Paſtores iſtos ſatis robuſtos fore, ut ſe opponant cunctis Eccleſiæ hoſtibus, ſive Babylonii ſint, ſive Aſſyrii. Nominat autem Aſſyrios & Babylonios, quibus tunc certamen fuit cum populo Dei: & hoc duravit uſque ad Chriſti adventum. Quanquam certum etiam eſt plus moleſtiæ illos pertuliſſe ab Antiocho quam ab aliis. Sed quia ille erat unus ex ſucceſſoribus Alexandri, Propheta hic per Aſſyrios & Chaldæos ſynecdochice intelligit quoslibet Eccleſiæ hoſtes. *Vaſtabunt*, inquit, *Paſtores iſti terram Aſſur gladio, & terram Nimrod*, idque *gladiis ſuis*: ſed hoc non fiet donec Chaldæi & Aſſyrii *penetraverint in terram noſtram, & fines noſtros calcaverint*. Rurſus admonet Propheta patientia opus eſſe, ut ſentiant fideles Deum non fruſtra hoc fuiſſe pollicitum. Summa eſt, non eſſe ſperandam liberationem è manu Dei, donec fideles ſubjecerint colla ſuo jugo, & patienter ſuſtinuerint afflictiones quæ tunc inſtabant. Statuit igitur medium tempus Propheta inter ſtatum illum in quo ſuperbiebant Judæi, & inter liberationem. Quare? quia paulo poſt eſſent percutiendi graviter manu Dei: ſed hoc non putabant fore, quemadmodum vidimus. Dicit igitur, Quandoquidem vobis nondum perſuaſum eſt inſtare vobis juſtas pœnas, experientia vos docebit. Interea comparent ſe fideles ad fortitudinem, & manſueto animo ſe patienter Deo juſto judici ſubjiciant: ſed ſimul certam liberationem expectent, ubi defuncti fuerint omnibus malis; hoc eſt, ubi maturum advenerit tempus, Dominus reſpiciet Eccleſiam ſuam: ſed neceſſe eſt eam prius affligi.

Da omnipotens Deus, quando Eccleſiam tuam ab initio ita tutatus es, ut nunquam prorſus eam deſerueris: & quanquam ſuis defectionibus fere ſe abdicaſſet, tamen voluiſti ſtare fœderi tuo, & gratiam tuam proſequi in omnes ætates, uſque dum tandem apparuit Redemptor æternus totius mundi: da, inquam, ut idem etiam hodie nos experiamur, & quamvis multis modis provocaverimus in nos iram tuam, & digni ſimus quos abjicias in totum, ſic tamen nos humilies, ut ſuſtineas verbo tuo: & ſic recumbamus in eas promiſſiones quæ nobis occurrunt in Scriptura, ut tandem patientia noſtra vincamus hoſtes noſtros, & animas noſtras poſſideamus, donec attollas manum tuam, & invictam illam fortitudinem, quam unigenito Filio tuo tradidiſti, ut diabolum & omnes impios compeſcat, & nos præſtet ſalvos & incolumes contra omnes noxas, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO DUODECIMA

IN

MICHÆAM PROPHETAM.

CAP. V.

7. Et erit reſiduum Jacob in Gentibus, in medio populorum multorum, (*vel magnorum*) ſicut ros à Jehova, ſicut ſtillæ ſuper herbam, quæ non expectat hominem, neque ſperat in filiis hominum.

8. Et erit reſiduum Jacob in Gentibus, in medio populorum multorum, (*vel magnorum, ut diximus*) ſicut leo inter animalia ſylvæ, ſicuti leunculus inter greges ovium, qui ſi tranſierit, & diſcerpſerit, & rapuerit, nemo eripiet.

Hic duo promittit Michæas de futuro ſtatu Eccleſiæ, nempe quod Deus eum tuebitur ſine opera & adminiculo hominum: deinde quod etiam vires ſuppeditabit, ut ſuperior futurus ſit cunctis hoſtibus. Priore loco ut oſtendat conſervationem Eccleſiæ pendere à mera Dei gratia, neque opus habere terrenis ſubſidiis, utitur aptiſſima ſimilitudine: dicit enim populum Dei ſimilem fore prato roſcido. Improprie loquitur Propheta: nam quod dicit de pluvia & rore, transferri debet ad herbam ipſam, vel pratum. *Erit*, inquit, *reſiduum Jacob ſicut ros à Jehova, & ſtillæ ſuper herbam*. Hoc non poſſet aptari ad Prophetæ mentem, niſi, quemadmodum jam dixi, rorem ipſum accipias pro prato roſcido, vel pro ipſa herba, quæ ſuccum & vigorem à pluvia trahit. Senſus quidem minime ambiguus eſt, quod Deus creſcere faciet populum ſuum quemadmodum augeſcit herba, quæ tantum vegetatur cœleſti rore, etiamſi nulla cultura, & nullus hominum labor accedat. Et hoc etiam diſerte exprimit Propheta: dicit enim herbam, de qua loquitur, non ſperare in hominibus, neque creſcere hominum induſtria, ſed creſcere rore cœleſti. Cæterum quo melius intelligamus Prophetæ mentem, verba ipſa breviter perſequar. *Erit*, inquit, *reſiduum Jacob*. hic non pronunciat totum populum fore incolumem: quia de clade prius diſſeruit. Videmus ergo reſtringi hanc doctrinam ad ſemen, quod Deus mirabiliter ſervavit in illo calamitoſo Eccleſiæ ſtatu, imo fere in exitio. Pertinet igitur hæc promiſſio non ad corpus univerſum populi, ſed ad exiguum numerum: & ideo utitur voce שארית, quemadmodum prius. *Erit* igitur *reſiduum Jacob*: hoc eſt, utcunque populum neceſſe ſit fere in totum perire, erit tamen aliquid reſiduum. Poſtea adjungit, *Inter populos magnos*, vel multos. Subeſt antitheſis inter reliquias, & magnos populos. Neque etiam abs re Propheta addit particulam בקרב, In medio. Itaque hic tria notare convenit, quod ſcilicet Deus non promittat toti populo ſalutem, ſed ſolis reliquiis: deinde quod ſalutem hanc promittat inter populos validos aut multos: quaſi diceret, Etiamſi Eccleſia Dei non prævaleat multitudine, imo tanta ſit hoſtium multitudo, ſub qua poſſit videri obruta, Deus tamen faciet ut augeſcat & propagetur. Non impedient denique hoſtes, etiamſi & numero multi ſint, & copiis atque potentia validi, quin Dominus Eccleſiam ſuam magis ac magis multiplicet. Addit, *In medio*, quod ſcilicet populus Dei obſidebitur undique. Si hoſtes nobis tantum ab una parte inſtarent, non adeo eſſet moleſtum: ſed quum à fronte, à tergo, & à lateribus nos cingunt, videtur miſera eſſe noſtra conditio. Vix enim permittunt nobis trahere anhelitum, dum nos omni ex parte urgent. Sed Propheta affirmat, etiamſi undique Eccleſia cingatur à ſuis hoſtibus, fore tamen incolumem. Jam addit, כטל מאת יהוה, *Sicuti ros à Jehova*: hoc eſt, quemadmodum dixi, erit ſicuti herba, quæ alitur, & incrementum accipit à cœleſti rore, id eſt, ſicuti herba quæ non provenit ex cultura vel labore hominum, ſed quam Deus ipſe vegetat. Poterat ſimpliciter dicere, *ſicuti ros*; ſed ponit, *à Jehova*, ut diſcernat hic inter Deum & hominem, ac oſtendat ſolam Dei virtutem ſufficere ad fovendum Eccleſiæ ſtatum, etiamſi nihil adjumenti homines afferant. Quod etiam clarius exprimitur proximo membro, ubi dicit, *Sicuti ſtillæ ſuper herbam, quæ non expectat hominem aut virum, neque ſperat in filiis hominum*. Nunc ergo videmus revocari fideles ad ſolum Deum, ut intelligant ſe fore ſalvos ejus gratia. Quod ſi omnia adminicula in terris deficiant, non eſſe tamen metuendum, quoniam ſola Dei virtute ſatis efficaciter poſſunt ſuſtineri fideles. Deus enim vegetat herbas in montibus & pratis ſine hominum manu & labore. Sic etiam poterit Eccleſiam ſuam tueri non alieno ſubſidio, ſed virtute ſua occulta & intrinſeca, ut loquuntur. Sequitur deinde illa promiſſio, quod Deus inſtruet populum ſuum virtute invicta & inexpugnabili, ut ſuperior ſit cunctis hoſtibus. Dicit ergo *reſiduum Iſrael ſimilem fore leonibus inter ſylvæ animalia, & leunculis inter gregem ovium*. Sicuti ergo leo robuſtus prævalet animalibus reliquis, & leunculus ferociter audet greges ovium invadere: ita dicit fore ſimilem populum Iſrael leonibus, ut ſcilicet terrorem incutiant hoſtibus ſuis, imo rapiant & diſſipent, ſic ut nemo audeat ſe opponere. Quum ita loquitur Propheta, non intelligit populum Dei fore crudelem & ſanguinarium. Scimus enim quum Prophetæ uſurpant hujuſmodi ſimilitudines, improprium aliquid notare: nam ſtulte quiſpiam excuteret quæcunque leoni conveniunt, ut aptaret Eccleſiæ Dei. Eſt igitur ratio ſimilitudinis notanda, quod ſcilicet pollebunt fideles victrice potentia adverſus hoſtes ſuos, ita ut ſint illis terrori. Non ſequitur propterea fore truculentos: nam interea videndum eſt quid Dominus Eccleſiæ ſuæ permittat. Quoniam Deus ergo filiis ſuis commendat ſpiritum manſuetudinis, ideo fideles utcunque poſſint formidinem hoſtibus ſuis incutere, debent tamen colere æquitatem inter omnes, & ſibiipſis ſponte moderari. Et interea dicit Michæas fore tanta potentia præditos, ut procul hoſtes ſuos abigant: imo poſſint & rapere & diſcerpere, ut nemo reſiſtat. Hæc autem duo neceſſaria ſunt ad conſervationem Eccleſiæ, nempe ut Deus eam vegetet: quia niſi propagetur mirabiliter, nunquam poſſit creſcere: deinde opus etiam habeat defenſione valida & robuſta contra hoſtes ſuos: quia ſcimus ſemper eſſe improbos qui Eccleſiam oppugnent, imo incumbant totis viribus ad eam perdendam: ideo neceſſe eſt ſuppeditari invictum robur à Domino, quemadmodum hic dicit Propheta noſter. Pergamus.

9. **Exaltabitur manus tua ſuper hoſtes tuos, & cuncti adverſarii tui excidentur.**

Confirmat proximam ſententiam, & declarat etiam aliis verbis quid voluerit: nempe quod jam expoſuimus, Eccleſiam Dei, licet ſuſtineat multos hoſtes, & robuſtos, & violentos, non ceſſuram tamen, quia Dominus ſuggeret virtutem è cœlo. *Exaltabitur*, inquit, *manus tua, ut hoſtes tui cuncti excidantur.* Non promittit tranquillam fore Eccleſiam, ſed victricem: & exprimit etiam hoſtes nunquam defore. Ideo hæc promiſſio armare nos debet ad patientiam, quia non vincemus niſi militando. Quoniam ergo ſemper erunt hoſtes qui inſultent Eccleſiæ Dei, & immineant ad ejus interitum: ideo hic Propheta dicit, *Exaltabitur manus tua ſuper hoſtes tuos.* Quæritur autem quando hæc promiſſio impleta fuerit: nam ſcimus ex quo abductus fuit populus in exilium Babylonicum, ſemper vel tributarium fuiſſe, vel detentum etiam ſub crudeli tyrannide, vel ſaltem fuiſſe hoſtibus ſuis imparem. Sed hæc regula ſemper tenenda eſt, debere contentos eſſe fideles victoria: quamvis durius premantur, & quamvis ſubeunda ſint aſſidue certamina quæ ipſos fatigent, hoc tamen unum debere illis ſufficere, quod non intereant prorſus. Atqui ſatis conſtat populum ſemper fuiſſe ſervatum invicta Dei manu, utcunque innumeri hoſtes illum oppugnaverint. Deinde repetendum etiam memoria, quod nuper audivimus, non promitti hoc toti populo, ſed reliquiis duntaxat. Hoc autem ſuperavit ſpem totius mundi, quod potuit exiguus ille numerus tot clades ſuperare, quibus poterat centies abſorberi. Nunc ergo videmus non abs re hoc fuiſſe promiſſum fidelibus, quod ſcilicet victores futuri eſſent contra omnes inimicos. Nam vere illud impletum fuit, ſed ſub militia crucis. Sequitur nunc,

10. Et accidet in die illo, dicit Jehova, excidam equos tuos è medio tui, & perdam
quadrigas tuas.
11. Et excidam urbes terræ tuæ, & evertam cunctas munitiones tuas.
12. Et excidam augures (*vel divinos*) è manu tua, & præſtigiatores non erunt tibi.
(*hæc legenda ſunt uno contextu*)
13. Et excidam ſculptilia tua, & ſtatuas tuas è medio tui, & non adorabis amplius
opus manuum tuarum.
14. Et delebo lucos tuos è medio tui, & detraham hoſtes tuos. (*vel urbes tuas: utro-
que enim modo verti poteſt.*)
15. Et faciam in ira & furore vindictam in Gentibus, quæ non audierunt. (*vel quam
non audierunt: dicam de utroque.*)

Hic utiliſſima admonitio interponitur, ut ſciant fideles quomodo ſervandi ſint manu & gratia Dei: nempe ubi ſpoliati fuerint omnibus ſuis adjumentis: imo etiam ubi Deus abſtulerit omnia impedimenta, quæ viam præcludere alioqui poterant ejus gratiæ. Hæc igitur ſumma eſt, non aliter ſalvam fore Eccleſiam Dei beneficio, niſi fuerit omnibus ſuis opibus & præſidiis nudata: deinde niſi Deus obſtacula omnia abſtulerit, quæ prohibebant quodammodo manum ejus, ne ad populum ſervandum accederet. Ponit enim hic Propheta urbes, deinde loca munita, ponit equos & quadrigas: hæc per ſe ſcimus non damnari: ſed intelligit quoniam populus ſtulte fiduciam ſuam locabat in terrenis opibus, non poſſe aliter pervenire ſalutem Dei ad ipſum, niſi fuerit exutus omni vana & perverſa fiducia. hoc unum eſt. Ex altera parte ponit lucos, ponit ſculptilia, ſtatuas, ponit augures & divinos: erant corruptelæ quæ claudebant januam gratiæ Dei. Populus enim deditus idololatriæ non poterat Deum invocare, vel ſperare auctorem ſalutis ſuæ. Nunc ergo tenemus Prophetæ conſilium. Jam ſupereſt ut verba etiam percurram. Dicit primum, *Erit in die illa, dicit Jehova, excidam equos tuos.* Hic Propheta enumerat quæ per ſe non poterant vitio aſcribi. Deus enim ſicuti equos creavit in uſum hominum, ita etiam facile patitur nobis ſervire. Quorſum igitur Propheta dicit, non poſſe Eccleſiam liberari, niſi equi ablati fuerint? nempe hoc eſt accidentale vitium, quod ubi homines abundant copiis, ſtatim ſpem ſuam illic defigunt. Quoniam ergo talis abuſus donorum Dei graſſatus fuerat in populo Iſrael, ideo oportuit equos auferri. Deus quidem poterat humiliare ipſorum animos, vel abſtrahere ab equis & quadrigis eorum fiduciam: ſed hinc apparet quam profundæ ſint radices ſuperbiæ in hominum cordibus, quæ non poſſunt aliter evelli, niſi etiam ipſa materia exciſa. Habere equos & quadrigas, eſt Dei beneficium. unde enim nobis & quadrigæ & equi & reliqua omnia, niſi ex Dei liberalitate? jam tamen Deus non poterit locum invenire ut nobis benefacere pergat, niſi ablatis prioribus beneficiis. Hic ergo multo gravius pungit animos populi Michæas, quum dicit non poſſe provenire ſalutem à Domino, niſi equi perierint: quaſi diceret, Videtis quanta ſit veſtra pravitas: Deus hactenus vobiſcum egit liberaliter, quum vos locupletavit, deinde quum dedit copiam equorum. Jam quia videt vos abuti donis illis, conqueritur omnes vias ſibi præcloſas eſſe, quia non admittitis ejus gratiam: quantiſper equi & quadrigæ vobis verſantur ante oculos, repellitis quodammodo procul Deum à vobis. Ergo ut poſſit ad vos accedere, viam ſibi patefaciet, omnia obſtacula tollendo. Hinc ergo colligimus, quamvis omnia Dei beneficia debeant nos in cœlum attollere, acſi vehicola quædam eſſent, tamen trahi vitio noſtro in contrarium finem, ut ſcilicet ſint quaſi media obſtacula inter nos & Deum. Hinc ergo convincitur noſtra ingratitudo: hinc fit etiam ut Deus quum vult conſpicuam reddere ſalutem ſuam erga nos, quodammodo tollere vel eripere nobis ſua beneficia cogatur. Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ quantum ad equos & quadrigas. Neque enim hic minatur, quemadmodum quidam putant, populum ſimpliciter omnibus Dei donis privatum iri, ut in ſua nuditate & inopia tantum ſigna maledictionis conſpiciat: minime: ſed potius hæc promiſſio eſt, quod ſcilicet Deus avertet illa impedimenta, quibus prohibitus fuerat ad tempus, ne populo ſuo opem ferret. Interea tamen hæc doctrina valere debuit ad ſolatium non vulgare. Durum eſt atque acerbum carni, imminui. Potuit igitur populus Iſraël initio ferre parum æquis animis, quum videret ſe exui omnibus Dei beneficiis. Sed Propheta hic compenſationem ante oculos illis ſtatuit, quæ omnem triſtitiam merito ſedare poſſet: Hoc, inquit, cedet vobis in ſummum bonum, quod Deus equis & quadrigis vos deſtituet. Via enim plana erit, quam nunc occupant equi & quadrigæ. Dum enim referti eſtis multis opibus, procul Deum arcetis à vobis, nec ulla patet illi via. Sternet igitur ipſe ſibi

viam,

viam, ubi terra veſtra nudata erit, hoc eſt, ubi nihil medium occurret quominus ad vos uſque perveniat. Poſtea adjungit, *Excidam urbes terræ tuæ, & perdam cunctas munitiones tuas.* Eodem referri debet hic verſus. Nam populum habitare in urbibus munitis, deinde habere etiam arces & loca munita, per ſe non diſplicuit Deo. Sed quoniam ita aſſueverat populus perverſæ fiduciæ, & quaſi in ea obduruerat, ut non poſſet hoc vitium ſanari, niſi ablata materia: ideo dicit, *Excidam urbes terræ veſtræ:* deinde, excîdam arces veſtras & loca munita. An ut expilentur ab hoſtibus impune? Minime: ſed ut illuſtrior ſit Dei gratia in liberatione ipſorum. Neque enim poterant acceptum ferre ſuis urbibus quod hoſtes repulerint, ſed coguntur agnoſcere manum Dei, & fateri illum fuiſſe unicum liberatorem: quia erant expoſiti hoſtibus, & nullum erat in terra ſubſidium. Deus ergo hoc modo magis conſpicuam reddet gratiam ſuam, quum excîſæ fuerint urbes & loca munita. Hinc colligimus non eſſe hodie cauſam cur obſtrepant fideles, ſi neque magnis divitiis, neque etiam equorum multitudine, neque hominum numero, neque robore ſunt formidabiles. Quare? Dominus enim vult nos ſimiles eſſe ovibus, ut pendeamus toti ab ejus virtute, & ſciamus non aliter nos eſſe ſalvos, quam ſub ejus cuſtodia. Hæc ratio igitur nos debet conſolari, ne moleſtum ſit nobis, quod videmus nos eſſe in medio luporum, & interea non pollere æquis viribus: quia vix etiam hæc neceſſitas nobis veram confeſſionem extorquet, quod ſcilicet ſalus noſtra ſit in manu Dei. Superbimus ſemper: quid fieret ſi hodie floreret Eccleſia, & hoſtes omnes eſſent ſubacti, ſi nullum eſſet periculum, nullus metus? certe terra ipſa & cœlum non ferrent ſtultam hominum confidentiam. Ergo non mirum eſt, ſi Deus hoc modo nos contineat, nempe ſi foveat nos ſua gratia, interim vero ſpoliet omnibus terrenis opibus & ſubſidiis, ut diſcamus ipſum eſſe unicum auctorem ſalutis noſtræ. Hæc doctrina nobis aſſidue meditanda eſt, quoties videmus Eccleſiam Dei quamvis non magna fortitudine ſit prædita, diminui tamen quotidie, imo eſſe quaſi terram nudam, ut ita loquar, ſine ulla munitione, quo ſola Dei protectio nobis ſufficiat, & penitus ab animis noſtris revellat omnem faſtum & ſuperbiam, abſtergat etiam omnes inanes fiducias, quibus non tantum obſcuramus Dei gloriam, ſed quantum in nobis eſt, obruimus. Denique ſi nihil magis optabile nobis eſt quam ſervari Dei manu, feramus patienter, tolli omnia impedimenta quæ Deo viam præcludunt, & quodammodo arcent à nobis ejus manum, dum eam vult extendere ad nos ſervandos. nam ſi animi noſtri inflati ſunt illa ſtulta fiducia, negligimus Deum: ita interpoſitus eſt murus, ne nos adjuvet. Quis non optaret, ſi videret ſe eſſe in extremo diſcrimine, & non procul abeſſe auxilium ſuum, ſi interea murus ſit medius, hunc ſtatim concidere? Sic etiam Deus nobis adeſt, quemadmodum pollicitus eſt: ſed multi ſunt muri, & multa obſtacula, quorum à ruina ſi cupimus ſalvi eſſe, nobis appetendum eſt ut Deus ipſe planam viam & expeditam inveniat, quo poſſit nobis opitulari. Jam deſcendit Propheta ad ſecundam ſpeciem impedimentorum: diximus enim quædam impedimenta eſſe per accidens, nempe dum noſtro vitio & abuſu trahimus in contrarium finem Dei beneficia. Si ergo ſuppetant nobis equi & quadrigæ, hoc per ſe non eſſet malum: ſed ſit noſtra cæcitate: quia excæcati terrenis opibus, putamus nos eſſe in tuto, & ita negligitur Deus. Sed ſunt alia impedimenta, quæ naturaliter & per ſe vitioſa ſunt. Ad hanc igitur ſpeciem nunc Propheta nos deducit. *Excîdam*, inquit, מעוננים. Quidam vertunt, præſtigiatores: alii, augures, vel divinos. Non poſſumus certo ſcire qualis fuerit iſta ſuperſtitio, ſicuti etiam & altera quæ proxime ſequitur: nam hic ponit Propheta duas voces, quæ fere idem ſignificant. Non dubium eſt, quin illa ætate vocati ſint alii vel augures vel divini, alii autem præſtigiatores vel aſtrologi, quos nunc vocant Mathematicos. Sed quantum ad rem ipſam, non eſt quod quiſpiam laboret: Propheta enim ſimpliciter hic oſtendit non poſſe divinitus ſervari populum, niſi purgatus fuerit ab iſtis inquinamentis. Scimus has ſuperſtitiones Lege Dei fuiſſe damnatas & vetitas; ſed Lex non potuit cohibere populi illius malitiam, quin ad iſtas corruptelas ſubinde deflecteret. Deus ergo hic demonſtrat, donec purgaverit Eccleſiam ſuam, non poſſe ſalvam manere. Jam his verbis utiliter admonuit Propheta Judæos, vel etiam Iſraëlitas, fieri & factum fuiſſe eorum culpa, ut ſub continuis miſeriis laboraverint, neque fuerint adjuti manu Dei. Quare? Deus enim hic oſtendit non fuiſſe locum gratiæ ſuæ, quum pleni eſſent auguriis & divinationibus, & aliis artibus diabolicis. Quæ mihi, inquit, potuit eſſe ratio vos juvandi, quum nullus ſit conſenſus cum Satana? vos autem dediti eſtis perverſis ſuperſtitionibus. Ergo repudiata fuit à vobis mea gratia. Hoc unum eſt: quod Propheta ſcilicet voluerit humiliare populum, ut quiſque ſentiret factum eſſe ſuo vitio, quominus citius, ſicuti optabant, Deus opem illis tuliſſet. Cæterum, promittit tamen Deus purgationem, quæ locum patefaciat gratiæ ſuæ: *Auferam*, inquit, *omnes divinos.* Ita ſciendum eſt, in maximi beneficii loco cenſeri hoc debere, ubi Deus ſuperſtitiones & reliqua vitia à nobis tollit. Nam ſi diminutio, quamlibet primo dura & moleſta, nobis eſt utilis, quemadmodum videmus, ubi data opera & aperte repellimus à nobis Deum: nonne hæc ſingularis eſt gratia Dei, ubi non patitur ſe ita à nobis ſeparari, ſed viam ſibi ſternit, ut nobis conjunctus ſit, & ſemper manum ſuam extenſam habeat ad ferendam nobis opem? Hoc igitur quantum attinet ad duas illas ſpecies. Jam addit, *Excîdam ſculptilia tua, & ſtatuas tuas è medio tui, & non te poſthac inflectes coram opere manuum tuarum.* Hic verſus clarus eſt, nec quicquam novum continet. Docet enim Propheta non poſſe Deum propitium Eccleſiæ ſuæ reddi, ut eam cuſtodiat & præſtet incolumem, donec purgaverit ab iſtis ſordibus, nempe ab idololatria, & aliis ſimilibus vitiis, quibus vel corruptus, vel etiam in totum everſus erat cultus Dei. Excîdam igitur ſculptilia tua, & ſtatuas è medio tui. Videmus ut Deus gratuita bonitate nos præveniat, non tantum ignoſcendo, ſed dum in viam revocat diſperſos. Si ergo à via deflexerimus, atque ita Deus manum ſuam retraxerit ut poſſit videri nos abjeciſſe, certe non tantum rogandus eſt ut noſtri miſereatur, & ita manum porrigat: ſed tribuenda etiam eſt gratia ſuperior, nempe quod impedimenta ipſa tollet, quæ procul ab ipſo nos ſeparant, & non ſinunt etiam ipſum ad nos propius accedere. Videmus ergo, ut non tantum Deus propenſus ſit ad veniam, dum homines reſipiſcunt, ſed proprium ejus munus ſit tollere ipſa obſtacula. Hoc diligenter notandum eſt, ut ſciamus ſalutem noſtram à primo initio manare à mera gratia Dei: & diſcamus mera eſſe figmenta quæcunque garriunt Papiſtæ de noſtris præparationibus. Nunc adjungit, *Non te inflectes poſthac coram opere manuum tuarum.* Hic cauſam exprimit cur Deus abominetur tantopere idola, nempe quoniam ad illa videt transferri honorem ſuum. hoc unum eſt. Deinde etiam Judæos hic quaſi reos peragit dum palam facit ipſorum defectionem: nam certe nihil fuit turpius, quam eripere Deo ſuam gloriam & cultum, & transferre ad res mortuas. Et probroſe etiam hic dicit, Sunt opus manuum tuarum. Quid magis furioſum, quam homines divinitatem tribuere ſuis figmentis; & eſſe in hominum arbitrio facere Deum ex ligno vel lapide? hoc certe valde prodigioſum eſt. Ergo Propheta aggravat hac forma loquendi crimen

in

in populo Iſraël, ubi dicit fuiſſe incurvatum coram opere manuum ſuarum. Poſtea adjungit, *Auferam lucos tuos*. Scimus & hanc fuiſſe idololatriæ partem: ideo hic ponitur quaſi appendix à Propheta. Neque enim ſimpliciter de arboribus loquitur, ſed reſpicit perverſum illum morem populi: quia ubicunque erant altæ arbores & proceræ, putabant ſub illa umbra latere aliquid divinum. hinc ſuperſtitio. Ergo quum Propheta lucos nominat, hoc referri debet ad vitioſos & adulterinos cultus: quia putabant loca illa ſanctitatem acquirere ex arboribus: ſicuti etiam putabant ſe propiores eſſe Deo quum erant in aliquo colle. Videmus ergo hoc conjungi cum proxima ſententia: quaſi diceret Propheta, non poſſe Eccleſiam ſalvam præſtari, & recuperare priſtinum vigorem, niſi bene purgata fuerit ab omnibus idololatriæ ſordibus. Nam ſcimus etiam quoſdam pios Reges, quum auferrent idola, non ſecuiſſe arbores: & hæc exceptio additur in eorum laudibus, quod coluerint Deum, ſed excelſa tamen ſteterint. Videmus Spiritum ſanctum non laudare pleno ore pios illos Reges, à quibus luci non ſunt everſi. Quare? nam erat ſemper corruptelæ materia: deinde ſi vere pœnitentia tacti fuiſſent Judæi, debebant exterminare lucos ipſos, quibus abuſi fuerant tam turpiter, & quibus profanaverant Dei cultum. Summa eſt igitur, ubi Deus Eccleſiam ſuam bene purgaverit, & abſterſerit inde omnes maculas, tunc eum fore certum ſalutis auctorem. Poſtea adjungit, *Et delebo*. עריך, poteſt verti Hoſtes, & ita multi reddunt. Alii autem transferunt Urbes; & melius quadraret nomen urbium, niſi quod Propheta jam ſemel de urbibus meminit. Non video igitur opportunum fore ſenſum, ſi vertamus Urbes. Ideo non dubito, עריך, vertendum eſſe Hoſtes tuos. Nunc videnda eſt ratio cur Propheta dicat hoſtes vel inimicos Eccleſiæ perdendos eſſe. Sic debet reſolvi oratio, (relinquo ſuperiora, tantum ſumo hoc poſtremum) *Et delebo lucos tuos e medio tui, ut deſtruam hoſtes tuos*. Copula igitur reſolvi debet in finalem particulam; & optime quadrat hic ſenſus. quaſi diceret Propheta, quemadmodum jam aliquoties retuli, Deo clauſam eſſe januam ne auxilium Eccleſiæ ſuæ ferat, & eam liberet ab hoſtibus, quamdiu occupatur vel perverſa fiducia, vel etiam idololatriæ ſordibus, quod deterius eſt. Ergo ut deleam hoſtes tuos, prius neceſſe eſt tolli & everti, quicquid eſt in te quod gratiam meam vel prohibeat, vel moretur. Tandem addit, *Et faciam ultionem in ira & furore*. Proſequitur quod nuper dixi de hoſtibus: *Tunc*, inquit, *faciam ultionem in ira & furore in Gentibus*. Hic Deus iræ & furoris meminit, ut confidentius ſtatuant fideles, etiamſi nunc hoſtes eorum graves minas deſpument, tamen hoc non poſſe Deum morari, quominus ſuis ſubveniat. Quare? nam ſi conferimus iram & furorem Dei cum omnibus humanis terroribus, certe humani terrores meri fumi erunt. Nunc tenemus Prophetæ conſilium in illis nominibus. Quod autem poſtremo dicit, *faciam vindictam in Gentibus, quæ non audierunt*, omnes interpretes relativum אשר conjungunt cum proximo nomine גוים. Ulciſcar ergo Gentes quæ non audierunt, hoc eſt, quæ rebelles fuerunt Deo: & Non audire, exponunt contumaciter ſpernere Dei potentiam, & non moveri ejus promiſſionibus vel minis. Sed forte poſſet aptior eſſe ſenſus, ſi particulam אשר referimus ad vindictam. Faciam ergo vindictam in Gentibus, quam non audierunt: hoc eſt, modo inaudito & incredibili ulciſcar omnes Gentes. nam per nomen Gentium promiſcue intelligit omnes Eccleſiæ hoſtes, quemadmodum alibi vidimus.

Da omnipotens Deus, quando tam benigne nos ad te invitas, & promittis auxilium tuum nunquam nobis defore, modo ne viam præcludamus: da, inquam, etiamſi ſuppetant nobis multa in terris tua beneficia, ne tamen illis confiſi abs te diſcedamus, ſed potius recumbamus in meram tuam gratiam: deinde ſi contingat nos omnibus auxiliis ſpoliari, ut hoc modo expergefiant mentes noſtræ, & ita diſcamus properare, nequid impediat curſum noſtrum quominus ſumma feſtinatione & ardore deſiderii cupiamus nos totos tibi tradere & addicere, quo ſalvi perſtemus ſub fide & cuſtodia Filii tui unigeniti, quem nobis conſtituiſti præſidem ſalutis noſtræ, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA TERTIA IN MICHÆAM PROPHETAM.

CAPUT VI.

AUdite nunc (*vel quæſo*) quod dicit Jehova: Surge, litiga coram montibus, & colles audiant vocem tuam.

2. Audite montes diſceptationem Jehovæ, & fortia fundamenta terræ: quia diſceptatio Jehovæ cum populo ſuo, & cum Iſraele contendet.

HIc pro confeſſo Propheta ſumit, ſatis convictum eſſe populum, niſi quod quadam improbiſſima duritie ſeſe opponit, & abſque pudore, abſque judicio reſpuit omnes admonitiones. Ideo jubetur etiam convertere ſermonem ad montes & colles: quia jam labor ejus nimis diu fuerat inutilis apud homines. Hæc igitur ſumma eſt, quum Propheta multum laboris ſumpſiſſet in populo ſuo, & nihil proficeret, quod tandem jubetur montes & colles vocare, ut teſtimonium Deo reddant: atque ita coram omnibus elementis nota ſit & magis convicta populi impietas & obſtinatio. Cæterum, antequam referat quid ſibi mandatum ſit, utitur præfatione, qua ſibi attentionem conciliat: *Audite quid dicat Dominus*. Solent Prophetæ in rebus maxime ſeriis ita præfari, quemadmodum nunc facit Michæas: & certe ſatis patebit ex contextu, eum hic non uti ordinaria docendi ratione, ſed potius coarguere prodigioſum ſtuporem populi, quod ſcilicet apud ſurdos verba faceret ſine profectu. Quoniam ergo Propheta non erat dicturus aliquid vulgare, ſed teſtis futurus novi judicii, hæc ratio eſt cur jubeat præter morem eſſe attentos: Audite, inquit, quid dicat Jehova. Quodnam eſt illud? debuerat ſubjicere, Jehova jam ſæpius vobiſcum egit, omnes rationes expertus eſt, quibus poſſet vos reducere in viam: quia vos eſtis deſperati, nunc ſupereſt ſola vindicta: non perdet poſthac operam apud vos, quia nihil reperit vel pudoris, vel modeſtiæ, vel docilitatis. debuerat ſic loqui Propheta, ſed dicit, aliud ſibi injunctum eſſe à Domino, ut ſcilicet contendat vel litiget coram montibus. Et iſta exprobratio debuit acerrime pungere animos populi: quia ſubeſt tacita comparatio inter montes & Judæos. quaſi diceret Propheta, etiamſi montes careant intelligentia & ſenſu, tamen Dominus mavult ipſos habere teſtes cauſæ ſuæ quam vos, qui ſcilicet ſtupore omnes montes & rupes ſuperatis. Nunc ergo tenemus conſilium Dei. Quidam

per montes & colles metaphorice intelligunt proceres, qui tunc dominabantur. Et hæc loquendi forma ſatis frequenter occurrit in Scripturis. Sed quantum ad præſentem locum ſpectat, non dubito quin Propheta montes & colles abſque figura nominet, quia ſicuti jam dixi, opponit duritiem populi rupibus: & ſignificat plus fore attentionis vel docilitatis in ipſis montibus, quam hactenus expertus ſit in populo electo. Et particula את ſæpe accipitur hoc ſenſu, ſignificat ſæpe cum montibus. Sed hoc loco ego accipio pro ל, Coram, vel apud: ſicuti poſſent citari multæ exempla. Hunc vero eſſe Prophetæ ſenſum, promptum eſt colligere ex proximo verſu, ubi dicit, *Audite montes diſceptationem Jehovæ:* quomodo? *& fortia fundamenta terræ*, inquit. Hic non loquitur amplius de collibus, ſed advocat totum mundum: quaſi diceret, Nullum ex elementis erit, quod non teſtetur de contumacia hujus populi, quia vox Dei penetrabit uſque ad ultimas radices terræ, uſque ad ipſas abyſſos perveniet: interea manebunt iſti homines ſurdi. Et non dicit, Dominus vobis minatur, vel denunciat judicium: ſed, Contentio eſt Jehovæ cum populo ſuo. Nunc ergo videmus nullam eſſe metaphoram in his verbis, ſed Prophetam ſimpliciter oſtendere quam horribilis ſit populi ſtupor, qui nihil proficit in cœleſti doctrinæ, ut montes ipſi, & totum cœli & terræ opificium plus habeant intelligentiæ, quam ipſi homines, qui tamen naturaliter ratione ſunt præditi. Et ſcimus hunc morem non rarum eſſe Prophetis, ut ſermonem convertant ad muta elementa, ubi nulla ſpes profectus illis reſtat apud homines. Sed Propheta noſter non compellat ex abrupto mon-
tes & colles, ſicuti facit Jeſaias: ſicuti etiam fecerat Jeſ. 1: 2.
Moſes, Audite cœli quæ loquar, audiat terra verba Deut. 32.
oris mei: ſed præloquitur hoc ſpecialiter ſibi fuiſſe verſ. 1.
præceptum, ut montes & colles ad judicium Dei accerſat. Quod ergo dicit, Audire quid dicat Jehovæ, quemadmodum dixi, ad præparationem valet, ut intelligant Judæi afferri aliquid non vulgare, ſed prorſus inſolitum, quod ſcilicet Dominus quo magis convictos teneat ultimæ impietatis, velit coram montibus cauſam ſuam agere. *Surge ergo, & diſcepta apud montes, audiant colles vocem tuam.* Qualiſnam eſt illa vox? Qui putant figurate notari Judices, nullo negotio refelli poſſunt, quia proximo verſu recitat Michæas ſummam diſceptationis, nempe quod Dominus cum populo ſuo expoſtulet. Videmus ergo non fuiſſe Deo negotium cum montibus; ſed montes potius citari, ut judicium Dei intelligant, non contra ſe, ſed contra populum. Audite ergo montes litem Jehovæ, & fortia fundamenta terræ, hoc eſt, ipſæ rupes: nihil ſit tam durum in mundo, quod non auſcultet, inquit: quia judicium hoc debet uſque ad ultimas abyſſos pervenire. *Lis eſt ergo Jehovæ cum populo ſuo, & jurgabitur vel contendet cum Iſrael.* Sequitur,

3. Popule mi, quid feci tibi? & in quo exhibui tibi moleſtiam? Teſtificare contra me.

Hic primo loco Deus ſe ad reddendam cauſam offert, ſi qua de re accuſetur. Videtur quidem hoc indignum eſſe perſona Dei, ut paratus ſit tanquam reus ſeſe purgare. Sed hoc per conceſſionem dicitur, quia ſcilicet non aliter poterat exprimere Propheta, nihil poſſe reperiri in Deo in quo culpandus eſſet. Eſt igitur proſopopœia, ubi aliena perſona Deo affingitur. Ergo non debet hoc videri abſurdum, quod Dominus hic ſe ſiſtit, & paratus eſt audire ſi quid criminis habeat populus, ut ipſe reſpondeat. *Popule mi* ergo, *quid feci tibi?* Quod blando hoc nomine utitur, Popule mi, culpam duplicat: nam hic Deus deſcendit ex ſua altitudine, & non tantum paterno more alloquitur populum ſuum, ſed ſtat quaſi ex adverſo, & paratus eſt ſi quid habeat populus, excipere ad omnia, ut ultro citroque inter ſe diſceptent, quemadmodum fieri ſolet inter amicos. Jam quo humanius & majore indulgentia Dominus cum populo illo agit, in eo, quemadmodum dixi, duplicatur crimen. Dicit primo, *Quid feci tibi?* hoc eſt, quidnam habes in quo me accuſes? Addit, *In quo tibi exhibui moleſtiam*, vel fui tibi moleſtus? *Teſtificare*, inquit, *contra me.* Iſtud Teſtificari referri debet ad montes & colles: acſi diceret, Ego coram cœlo & terra, denique coram omnibus meis creaturis paratus ſum cauſam meam agere. Alii vertunt, Reſponde mihi. Et ענה eſt etiam Reſpondere. Sed contextus priorem illum ſenſum poſtulat, quod ſcilicet Deus tantum licentiæ concedat Judæis, ut poſſint objicere quicquid erit criminis adverſus eum. *Teſtificare*, inquit, *contra me*: hoc eſt, Adſunt teſtes: jam tu profer in medium tuam cauſam per ſingula capita: ego paratus ſum ad defenſionem. Videmus ergo quod nuper dixi, attribui alienam perſonam Deo: ſed hoc fieri per modum conceſſionis. Poſtea adjungit,

4. Certe (*vel quia, vel nempe quod*) aſcendere te feci è terra Ægypti, & ex domo ſervorum redemi te, & miſi coram te Moſen, Aaron, & Mariam.

Poſtquam teſtatus eſt Deus ſe nulla in re fuiſſe populo moleſtum, jam adjungit quantis & quam multis beneficiis populum ſibi devinxerit. Niſi forte exegetice accipere magis placeat, nec ſine ironia, quod in moleſtiæ vicem beneficia ſua commemorat. Quanquam, meo judicio, præſtabit ſeorſum hæc duo legere. *Ego*, inquit, *te eduxi è terra Ægypti*, ex illa miſera ſervitute: poſtea, *redemi te.* Clarius exprimit atque illuſtrat ſuum beneficium verbo Redimendi. Poſtea, *præfeci tibi duces Moſen, & Aaron, & Mariam* utriuſque ſororem. Scimus ſæpe ita penſari beneficia injuriis, ut qui bene meritus fuerat de aliquo, perdat totam gratiam, ſi quidem vertat beneficium ſuum in contumeliam, ſicuti ſæpe accidit. Fiet ergo non raro, ut qui beneficus erga aliquem fuerat, inferat tam gravem injuriam, ut nulla extare debeat memoria beneficii. Deus ergo hic utrumque ponit, nempe quod contulerit immenſa beneficia in populum, & tamen nulla in re moleſtus fuerit: quaſi diceret, Multa ſunt quæ ego proferam, ſi libuerit, à parte mea, in quibus palam fiat te mihi eſſe plus centies obnoxium: jam tu viciſſim nihil proferes contra me: non dices penſata fuiſſe mea beneficia injuriis, vel te fuiſſe etiam contemptum, quia jam eſſes obligatus, quemadmodum homines ſuperbe interdum inſultant, ubi putant alios ſibi eſſe devinctos. Ego igitur nolui penſare ulla moleſtia tot meas gratias. Nunc tenemus cur hæc duo diſtincte poſuerit Propheta, nempe quod Deus nulla in re gravis fuerit populo ſuo: & tamen eduxerit eum ex terra Ægypti. Illa redemptio tanti erat, ut non deberet conqueri populus, etiamſi Deus graviſſima quæque onera imponere voluiſſet ejus humeris. nam hæc exceptio ſemper erat in promptu, Vos eſtis à me liberati: debetis mihi vitam & ſalutem veſtram. Non eſt igitur cur vobis quidquam nunc grave ſit, quia ſervitus Ægyptiaca debuit centum mortibus eſſe acerbior: ego ab illa vos redemi. Cæterum, ubi Dominus redemptum populum tam amice & humaniter, imo tanta indulgentia tractavit, quanta eſt & quam intolerabilis ingratitudo populi, ubi non reſpondet ingenti huic beneficio? Nunc melius tenemus quid voluerit his verbis Propheta. Ego, inquit, aſcendere te feci ex Ægypto, deinde redemi: gradatim progreditur, quemadmodum diximus. Poſtea addit, Miſi coram facie tua Moſen, Aaron, & Mariam. Hac parte ſignificat Deus non fuiſſe momentaneum aliquod beneficium, quia proſequutus eſt ſuam gratiam erga Judæos, ubi præfecit

fecit illis Moſen, & Aaron, & Mariam: quod ſignum fuit perpetuæ cuſtodiæ, donec opus ſuum abſolveret in illis ſervandis. Nam Moſes in politico ordine tuendo miniſter ſalutis fuit: Aaron vero in ſacerdotio, & ſpirituali regimine. Quod ad Mariam ſpectat, ſuſtinuit etiam ſuas partes apud muliebrem ſexum: ſicuti Exodi capite decimo quinto carmen gratulatorium dictavit poſt tranſitum maris Rubri. Atque hinc nata fuit prava æmulatio contra Moſen, quod in ſublime evecta, putabat ſe dignitate eſſe parem. Quanquam notare convenit hoc fuiſſe extraordinarium, quod Deus fœminæ imperium mandavit: quale etiam fuit exemplum Deboræ: ne quis ſingulare hoc factum ad communem legem trahat. Jam ſequitur,

5. Popule mi, recordare nunc *(vel obſecro: eſt eadem particula)* quid cogitaverit Balak rex Moab, & quid reſponderit ei Balaam (*Bileam*) filius Beor: à Sittim uſque ad Gilgal, ut cognoſceres (*vel cognoſcas*) juſtitias Jehovæ.

Hic breviter etiam commemorat Deus quid in deſerto acciderit, ut opus fuerit extraordinario auxilio præter tot illa beneficia, quæ jam in populum contulerat. Nam quamvis ſecure ageret populus in deſerto, quantum attinet ad Ægyptios, quamvis paſceretur manna, & proflueret etiam aqua ex rupe, quamvis nubes interdiu ipſum à calore Solis protegeret, deinde noctu columna ignis luceret: tamen potuit curſus miſericordiæ Dei videri abruptus,
Num. 22. quum proceſſit Balaam in medium, qui & Propheta erat, & tunc quaſi cœleſtibus armis inſtructus pugnabat contra ſalutem populi. Jam ſi paſſus fuiſſet Deus Balaam maledicere populo, quid futurum erat, niſi ut deſtitueretur omnibus beneficiis? Hæc ratio eſt cur Propheta peculiariter perſtringat hiſtoriam illam, quod ſcilicet maledictio Balaam mirabiliter converſa fuerit in benedictionem, nempe arcano Dei conſilio. Poterat quidem Michæas omnes hic ſpecies referre, in quibus tenebat Deus convictum populum ingratitudinis; ſed ſatis habuit perſtringere ſummam redemptionis, deinde etiam hoc extraordinarium Dei beneficium obiter notare. *Recordare*, inquit, *quid cogitaverit Balak*: hoc eſt, quam aſtutum fuerit conſilium Balak. Nam verbum iſtud יעץ ſæpe accipitur in malam vel in ſiniſtram partem: & hic emphatice ponitur, quaſi diceret Propheta plus fuiſſe periculi in hac fraude quam in omni hoſtium violentia. neque enim uſque adeo nocere potuit Balak etiamſi armaſſet ingentem exercitum contra Iſraelitas, ſicuti quum mercede conduxit Prophetam, ut malediceret populum. Certum enim eſt, etiamſi Balaam fuerit impoſtor, & plenus multis fallaciis, ſicuti probabile eſt fuiſſe hominem implicitum profanis ſuperſtitionibus: tamen pollebat dono prophetiæ. Hoc debet eſſe extra controverſiam: & ſcimus Deum ſæpe ſic diſtribuiſſe Spiritus ſui dona, ut Prophetico munere ornaret etiam impios & incredulos. Fuit enim hoc ſpeciale donum, quod poteſt ſeparari à gratia regenerationis. Bileam ergo fuit Propheta. Jam quum Balak videt ſe imparem eſſe viribus contra populum, hoc remedium excogitat, ut ſcilicet Propheta quiſpiam interpoſitus provocet iram Dei contra populum. Hæc ratio eſt cur dicat, Recordare quid conſultaverit contra te Balak: hoc eſt, tu fuiſti tunc in ultimo diſcrimine, ubi ſcilicet Propheta mercede conductus venit, qui Dei ipſius nomine tibi malediceret. Jam quæritur, an potuerit Balaam efficaciter maledicere populum Iſrael: reſponſio eſt in promptu, hic non eſſe diſputandum qualis potuerit eſſe efficacia vocis, niſi Dei permiſſu. ſed Michæas hic reſpicit quo munere ornatus & præditus fuerit Balaam. Quum ergo eſſet Propheta Dei, potuit maledicere populo, niſi Deus illum cohibuiſſet. Et proculdubio acute hoc conſideravit Balak, non poſſe repelli Iſraëliticum populum humanis viribus: nihil igitur eſſe reſiduum, niſi ut Deus ſeſe interponeret: quia non poterat Deum è cœlo elicere, ideo acceſſit ad Prophetam. Deus enim virtutem ſuam exerit in verbo ſuo. Quum verbum Dei reſideret in Bileam, atque eſſet ille quaſi depoſitarius, non mirum eſt ſi Balak putaret ſe victorem fore populi Iſraël, modo ore Bileam malediceretur populus: quia hoc erat quaſi præconium iræ Dei. Jam ſubjicit, *& quid reſponderit ei Bileam filius Beor*. Ab una parte hic oſtenditur periculum, quod ſcilicet callidior fuerit Balak, quam alii omnes populi inimici: nam illo artificio potuit plus aſſequi, quam ſi totum mundum armaſſet. Hic ergo apparet diſcrimen. Jam ab altera parte, ſcimus quid reſponderit. Certum eſt reſponſum Bileam non fuiſſe profectum ab ipſo, ſed potius à Spiritu Dei. Quoniam Balaam arcano Spiritus inſtinctu loquutus eſt præter animi ſui ſententiam, ideo oſtendit Deus ſe adfuiſſe in ipſo articulo, quum ſcilicet periclitaretur populi ſalus. Cogita igitur, vel recordare, quid Bileam reſponderit: quaſi diceret, nihil fere abfuit, quin Balaam tibi malediceret. nam os ejus erat apertum. Vendiderat enim operam ſuam impio Regi: & nihil magis optaſſet, quam profundere multa anathemata, & multas maledictiones. Atqui coactus eſt benedicere Patribus veſtris: quid hoc ſibi volebat? Nonne illic refulſit admirabilis Dei gratia? Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ, & quanta ſit amplificatio in his verbis. Poſtea generaliter addit, *à Sittim uſque ad Gilgal*. Hoc non cohæret cum proximo membro: neque enim Bileam à Sittim uſque ad Gilgal comitatus eſt populum: ſed ſubaudiendum eſt verbum. quaſi diceret, Scis quæ contigerint tibi à Sittim uſque ad Gilgal, hoc eſt, ab initio uſque ad finem: ex quo ingreſſus es deſertum, cœpiſti inde tunc provocare iram Dei. Scimus enim jam in Sittim prolapſos fuiſſe Judæos ad idololatriam. Illa igitur defectio quodammodo alienaverat ipſos à Deo. Ergo hic oſtendit Deus ſe bonitate & miſericordia certaſſe cum impiis populi moribus uſque ad Gilgal: hoc eſt, Tu non ceſſaſti. Scimus enim quoties iram Dei ſibi accerſiverit populus ille, & quam multæ fuerint & variæ defectiones. Summatim igitur oſtendit Propheta Deum tam clementer egiſſe cum populo ſuo, ut uſque ad miraculum vicerit ejus malitiam bonitate ſua. Tandem ſubjicit, *ut cognoſcas juſtitias Jehovæ*. Per Juſtitias intelligit beneficia, quemadmodum multis aliis locis. Nam juſtitia Dei ſæpe accipitur non pro reſtitutione, ſed pro fide & veritate, quam ſervat erga ſuos: ita eſt relatio inter Deum & Eccleſiam quoties ponitur hoc ſenſu nomen Juſtitiæ. Ut ergo cognoſcas juſtitias Jehovæ, hoc eſt, ut ipſa experientia tibi demonſtret quam verax, quam beneficus, quam miſericors ſemper fuerit Deus erga genus veſtrum. Quum ergo conſpicua eſſet juſtitia Dei, populus vero obmuteſceret, nec quicquam eſſet quo jure expoſtularet cum ipſo Deo: quid supereſt, niſi ut extrema impietas coram cœlo & terra & omnibus elementis ſatis & ſuper detecta judicio ſubjaceat? Jam ſequitur,

6. In quo occurram Jehovæ? incurvabo me coram Deo excelſo? occuramne ei in holocauſtis? in vitulis anniculis?

7. An complacitum erit Jehovæ in millibus arietum? in decem millibus vallium olei? (*vel pinguedinis*) An dabo primogenitum peccatum meum? (*hoc eſt, piaculum peccati mei*) fructum ventris mei, piaculum ſceleris animæ meæ?

8. Indicavit tibi, homo, quid bonum: & quid Jehova quærit abs te, niſi facere judicium, & diligere clementiam, (*vel bonitatem*) & humiliari, ut ambules cum Deo tuo?

Jam Propheta quaſi in perſona populi ſciſcitatur quidnam igitur factu opus ſit. Sumit autem hæc duo principia pro confeſſis, nempe quod populus careat omni excuſatione, & cogatur fateri culpam: deinde quod Deus hactenus diſceptaverit non alium in finem, neque alio conſilio, niſi ut populus ipſe in viam rediret. Nam ſi fuiſſet hoc tantum propoſitum, damnare populi ſcelera, non opus fuit iſta interrogatione: ſed Propheta oſtendit quod ſæpius alibi dictum fuit, quoties Deus objurgat populum ſuum, januam aperiri ad ſpem ſalutis, ſi modo reſipiſcant qui peccarunt. Ergo quoniam debebat hoc ſatis tritum eſſe omnibus Judæis, Propheta hic ex eorum ore interrogat quidnam agendum ſit. Inducit enim ipſos loquentes, *In quo occurram Jehovæ, & incurvabo etiam Deo excelſo? occurramne cum vitulis anniculis?* ſed interea non dubium eſt, quin oblique perſtringat ſtultam opinionem, qua ſeſe ut plurimum decipiunt homines. Nam ubi tenentur convicti, ſciunt quidem non aliud eſſe remedium, niſi ut ſe reconcilient Deo: interea per flexuoſos circuitus fingunt ſe ad Deum accedere, quum tamen ſemper cupiant eſſe remoti. Hæc hypocriſis ſemper graſſata fuit, ſicuti etiam nunc graſſatur in mundo: vident quos Deus coarguit, & propria etiam conſcientia damnat, ſe non poſſe in tuto quieſcere. Ergo volunt defungi, quia neceſſe eſt, erga Deum. ſed interim quærunt fictas reconciliationes: quaſi ſufficeret blandiri Deo, & quaſi poſſet inſtar pueri mulceri neſcio quibus frivolis nugis. Propheta ergo vitium hoc, quod ſemper nimis commune fuit inter homines, detegit: quaſi diceret, Video quid ſitis dicturi: nam non opus eſt diutius litigare. Nihil enim poteſtis objicere Deo, & ipſe habet innumera quæ vobis exprobret. Eſtis ergo pluſquam damnati: ſed tamen hoc quod vobis ſolenne eſt, & fuit ſemper hypocritis, jam forte dicetis, Cupimus reconciliari Deo, fatemur ac deprecamur culpam: interea Deus ſaltem ſe placabilem nobis exhibeat, ubi obtulerimus ſacrificia. Ergo non dubium eſt quin Propheta derideat ſtultitiam illam, quæ tamen ſemper invaluit in cordibus hominum, ut ſcilicet putent placari Deum poſſe ceremoniis & rebus frivolis. Poſtea adjungit, *Indicavit tibi quid bonum ſit.* Propheta refellit hypocriſin illam, qua ſe fallebant ultro Judæi: quaſi diceret, Vos quidem fingitis ſtudium aliquod pietatis ubi acceditis ad Deum ſupplices: ſed nulla eſt veſtra religio, hoc nihil aliud eſt quam mentiri impudenter. neque enim peccatis ignorantia vel errore, ſed illuditis Deo. Quare? Lex enim ſatis docet quid Deus exigat à vobis: nonne ſatis præcipit quænam ſit vera reconciliatio? vos autem clauditis oculos ad Legis doctrinam, & interea ignorantiam prætenditis: hoc eſt nimis puerile. Deus ergo jam indicavit quidnam bonum ſit, nempe *facere judicium, diligere humanitatem, & humiliter ambulare cum Deo ipſo.* Nunc tenemus conſilium Prophetæ. Ergo quum hic dicit, In quo occurram Deo? tenendum eſt, ſimulac in judicium deſcendit Deus cum hominibus, cauſam eſſe peractam, quia non eſt dubia aliqua controverſia. Si quando inter ſe litigant homines, nulla erit tam bona cauſa, quam non obſcuret ſuis cavillationibus adverſa pars. Sed Propheta oſtendit homines ludere operam ubi tergiverſantur, ſi Deus ipſe vocat eos in judicium. Hoc unum eſt. Interea etiam oſtendit quam profundas radices habeat hypocriſis in omnium cordibus, nempe ut ſemper fucum ſibi faciant, & cupiant etiam facere ipſi Deo. Unde fit, ubi homines convicti ſunt, ut non ſtatim conferant ſe ad Deum & recto itinere? quærant ſemper ambages? Unde hoc? nempe, non quia dubitent quid rectum ſit, modo ne ſponte fallerent ſeipſos: ſed quia connivent, & libenter quærerent ſubterfugia erroris. Sponte igitur conſbit errare homines, quoties non reſipiſcunt ut decebat, & non afferunt ad Deum veram integritatem cordis. Et hinc etiam apparet, inexcuſabilem eſſe totum mundum in ſuis ſuperſtitionibus. Nam ſi excutimus omnes ſenſus humanos, tandem huc veniendum erit, homines non tam ſollicite atque anxie acerſere diverſas ſuperſtitiones, niſi quia nolunt prodire in conſpectum Dei, & ſe illi addicere ſine aliquo fuco & hypocriſi. Quum ita ſit, certum eſt non poſſe nullo prætextu effugere, quicunque cupiunt placare Deum ſuis ceremoniis, & aliis nugis. Quanquam hoc proprie dirigitur ad Judæos, qui inſtituti erant in doctrina Legis. Quemadmodum hodie Papiſtæ, etiamſi obtendant ſpecioſos colores, quibus excuſent ſuam ignorantiam: tamen uno hoc verbo poterunt refelli, quod ſcilicet Deus præſcripſerit ſatis clare & diſerte quidnam requirat, ipſi autem cupiunt hoc neſcire. ergo ſemper error eſt ſpontaneus. Hoc notandum eſt in Prophetæ verbis. Sed non poſſem ulterius proſequi.

Da omnipotens Deus, quando & Legem tuam nobis promulgaſti, & deinde addidiſti Euangelium, ubi & ad obſequium tuum nos vocas, & invitas etiam qua poſſumus optare humanitate ad gratiam tuam: da, inquam, ne ſurdi ſimus tam ad imperium tuum, quam ad promiſſiones miſericordiæ, ſed dociles nos tibi ubique præbeamus: & ſic diſcamus addicere tibi omnes noſtros ſenſus, ut profiteamur reipſa traditam nobis eſſe ſancte ac pie vivendi regulam in Lege tua: deinde etiam ita promiſſionibus ſimus affixi, ne ullis mundi illecebris, ne ullis blanditiis vel præſtigiis Satanæ abduci ab ea ſuavitate animos noſtros patiaris, quam nobis ſemel exhibuiſti in Filio tuo unigenito, & in qua nos quotidie per Euangelii doctrinam confirmas, donec tandem fruamur illo amore, ubi pervenerimus in cœleſtem hereditatem, quæ nobis parta eſt ſanguine ejuſdem Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA QUARTA IN MICHÆAM PROPHETAM.

CAP. VI.

Vidimus proxima lectione hypocritas ſciſcitari quomodo placandus ſit Deus, acſi valde ſolliciti eſſent de præſtando officio: interea tamen meros eſſe fucos, quia per flexuoſas ambages huc & illuc declinant, neque volunt recta ad Deum accedere. Via illis eſſet facilis cognitu, ſed claudunt oculos: interea tamen fingunt ſibi eſſe aliquod pietatis ſtudium. Et hoc etiam noſtro ſeculo plus ſatis notum eſt: & communis experientia, ſi quis aperiat oculos, clare hoc oſtendit, nempe impios, qui ſincere non agunt cum Deo, præ ſe ferre magnam curam, acſi toti intenti eſſent ad colendum Deum; ſed interea deflectere huc & illuc, & quærere multa diverticula, ne cogantur coram Deo ſe ſiſtere. Jam vidimus refelli talem fallaciam, quoniam Deus ſatis ſuperque demonſtraverit in Lege ſua quid pro-

bet

bet quidve exigat ab hominibus. Cur ergo hypocritæ tanquam adhuc incerti interrogant? nempe quia ſponte cæcutiunt in ipſa meridie. Nam Legis doctrina debuerat illis eſſe inſtar lucernæ ad dirigendos eorum greſſus: ipſi autem ſuffocant totum illud lumen, imo conantur quantum in ſe eſt prorſus extinguere: quaſi perplexi quærunt, Quomodo potero Deum placare? Sed hoc etiam notandum eſt, quum Propheta dicit, *An dabo primogenitum meum, & fructum ventris mei piaculum animæ meæ?* hypocritas nihil detrectare, modo ne ipſi ſe Deo addicant. Quemadmodum videmus hodie in Papatu neque ſumptibus parci, neque ingentibus moleſtiis: modo ſemper liberum ſit impiis peccare, reliqua omnia facile Deo concedent. Nam ita paciſcuntur cum Deo falſa imaginatione: ſi multum ſe macerent ac torqueant in ceremoniis, ſi deinde profundant aliquam partem ſuæ pecuniæ, ſi fraudent aliquando genium, ſi jejuniis & aliis rebus ſeſe affligant, putant his rationibus ſe eſſe defunctos. Sunt autem frivolæ nugæ, quia ſe ſe eximunt interim ab obſequio Dei: nolunt igitur longe ſeparati eſſe à Deo, interea obtrudunt multa, quæ prohibeant judicium ejus, ne ſcilicet cogantur præſtare quod præcipue, imo unice requirit, ut ſcilicet afferant cor integrum. Sic ergo partiri volunt hypocritæ cum Deo, ut intus maneant quales ſunt: cæterum obtendant extra multas nugas ad ipſum placandum. Hæc ratio eſt etiam cur nunc dicat Propheta, *An dabo primogenitum?* Hypocritæ enim volunt videri ardere maximo zelo: Ego potius quam Deus mihi infenſus maneat, non parcam primogeniti mei vitæ: ego potius ero carnifex filii mei: nihil denique tam pretioſum mihi erit, quod non paratus ſim impendere, modo propitius mihi ſit Deus. Hoc quidem ore jactant, ſed interea non poſſunt offerre cor in ſacrificium: atqui ubi dupliciter agunt cum Deo, videmus meras eſſe fallacias. Siquis objiciat, reliquas ceremonias, de quibus hic loquitur Propheta, præceptas fuiſſe Lege Dei, facilis ſolutio eſt. Nunc tantum breviter attingam quod alibi fuſius tractavi. Negat Propheta quidquam valere ſacrificia ad Deum propitiandum. Videtur hoc pugnare cum doctrina Legis: ſed optime conſentit. Deus enim volebat ſibi offerri ſacrificia: deinde addita ſemper fuit hæc promiſſio, Expiabitur iniquitas. Sed notandus eſt finis. Deus enim non mandavit ſacrificia, quaſi per ſe ſint ullius momenti: ſed voluit adducere veterem populum talibus exercitiis ad pœnitentiam & fidem. Voluit igitur monere Judæos, nihil ipſos proficere, niſi ipſi ſacrificia fierent: deinde voluit etiam ipſos ſpectare ad unicum ſacrificium, quo expiata ſunt omnia peccata. Sed hypocritæ tanquam falſarii abuſi ſunt Dei mandato, & adulterarunt ipſa ſacrificia. Fuit igitur nefandum ſacrilegium, quod putarunt Deum ſibi fore propitium, ſi multos boves & vitulos & agnos offerrent. Perinde eſt acſi quis interroget de via; ubi autem ſciverit, velit quieſcere, & non dignetur movere pedem. Deus oſtenderat viam, qua pervenirent Judæi ad pœnitentiam & fidem: debebant ambulare. Atqui luſerunt impie cum Deo, quia putarunt ſatisfactum eſſe judicio ejus, ſi modo defuncti eſſent externis ceremoniis. Quoties ergo Prophetæ in perſona Dei repudiant ſacrificia, ſemper notandus eſt abuſus quo Lex Dei corrupta fuit, quum ſcilicet Judæi nudas ceremonias obtruderent, & non ſpectarent finem, neque ſe exercerent in fide & pœnitentia: hac ratione etiam Propheta noſter docet, ſacrificia omnia nullius eſſe ponderis coram Deo, ſed res eſſe frivolas, nempe ſi a ſuo fine ſeparentur. Jam quod dicit, *Deum monſtraſſe Lege ſua quid bonum ſit:* deinde addit, *facere judicium, diligere clementiam* vel humanitatem, *& humiliare coram Deo:* ſatis patet duo prima capita referri ad ſecundam Legis tabulam, nempe *facere judicium, & diligere æquitatem.* Nec mirum eſt ſi incipiat Propheta ab officiis charitatis: quia etſi ordine cultus Dei præcedit, ac merito præferri debet, tamen juſtitia quæ inter homines colitur, vera eſt pietatis approbatio. Propheta igitur judicium & miſericordiam hic nominat, non quod Deus ita abjiciat quod præcipuum eſt, nempe cultum nominis ſui: ſed à ſignis, vel ab effectis oſtendit quænam ſit vera pietas. Hypocritæ totam ſanctimoniam locant in externis ceremoniis. Deus autem longe aliud requirit. Cultus enim ejus ſpiritualis eſt. Sed quia etiam hypocritæ poſſent ſimulare magnum zelum & magnam ſollicitudinem in externa Dei invocatione, ideo examinant Prophetæ hominum vitam alio modo, nempe an juſte & humaniter inter ſe verſentur, ſi puri ſint ab omni fraude & violentia, ſi æquitatem & miſericordiam colant. Hunc morem nunc ſequitur Propheta noſter, quum dicit præſcribere *Legem Dei quid bonum ſit*, nempe *facere judicium*, id eſt, colere rectitudinem inter homines: deinde exercere ſe in officiis miſericordiæ. Poſtea addit quod ordine excellentius eſt, nempe *humiliare ſe ad ambulandum cum Deo:* ſic eſt ad verbum, Et humiliari ambulando cum Deo tuo. Non dubium eſt, quin ſicuti pretioſius eſt Dei nomen toto mundo, ita etiam pluris æſtimari debeat ejus cultus, quam omnia officia quibus probamus charitatem noſtram inter homines. Sed Propheta, quemadmodum jam dixi, non adeo curioſus fuit in tenendo ordine, tantum ab effectis oſtendit quomodo homines probare queant ſerio ſe timere Deum, & ſervare ejus Legem: deinde loquutus eſt de ejus cultu. Sed hæc loquendi forma notatu digna eſt, quum dicit humiliari debere homines, ut ambulent cum Deo ſuo. Damnatur ergo hic omnis ſuperbia: deinde omnis confidentia carnis. Nam quiſquis vel minimum ſibi arrogat, jam quodammodo congreditur cum Deo quaſi cum parte adverſa. Hæc igitur vera eſt ratio ambulandi cum Deo, ſi nos totos ſubigimus, imo redigimus in nihilum, quia hoc eſt etiam initium colendi & glorificandi Dei, ubi homines humiliter & modeſte de ſe ſentiunt. Nunc pergamus.

9. Vox Jehovæ ad civitatem *(vel ad expergefaciendum)* clamat, *(ad verbum, clamabit)* & vir intelligentiæ videbit nomen tuum: audite virgam, & quis teſtificetur eam.

Hic conqueritur Propheta ſe & alios doctores parum proficere, etiamſi clamor eorum perſonet, & poſſit exaudiri à tota multitudine. Dicit ergo *vocem Dei clamare:* acſi diceret, nullum eſſe ignorantiæ prætextum, quia promiſcue Deus omnes ad pœnitentiam hortetur. Quum autem communis ſit omnibus doctrina, Propheta pervicaciam deplorat, quod pauciſſimi attenti ſint, ſed ſurdis (quemadmodum dicitur in proverbio) canatur fabula. Notandum igitur eſt verbum Clamandi, quum dicit, *Vox Dei clamat:* hoc eſt, Deus non ſuſurrat in aurem unius vel alterius; ſed vult audiri ab omnibus à minimo uſque ad maximum vocem ſuam. Satis ergo clamoſi ſunt Prophetæ, ſed nullæ ſunt aures quæ audiant. Duobus modis accipere poſſumus vocem לעיר עיר ſignificat Urbem. Sed alii deducunt ab עור, & vertunt acſi eſſet ſcriptum להעיר. Si media ſit litera ה, vertendum erit, Ad excitandum: & in puncto chamets etiam poſſet latere litera illa. Et melius quadraret hic ſenſus, *Vox Dei ad expergefaciendum*, hoc eſt, Etiamſi populus torpeat, & quaſi oppreſſus ſit ſomno, quia ſibi indulget in peccatis, tamen vox Dei ſufficere ad omnes excitandos debet: quantumvis ſint ſomnolenti, eſt tamen ſatis vehementiæ in doctrina Legis, quam quotidie in medium Prophetæ afferunt. Sed tamen vox iſta, qua decebat totum vul-

gus expergeſieri, non auditur. *Vir intelligentiæ*, inquit, *videbit nomen tuum* תושיה proprie Intelligentiam ſignificat, ut conſtat ex pluribus aliis locis; ſed Propheta intelligit paucíſſimos eſſe qui dociles ſe præbeant. Vocat autem illos Viros intelligentiæ. Atque ita oblique perſtringit populi veſaniam, quum omnes gloriarentur ſe ſapere, quum etiam jactarent ſe eſſe Legis diſcipulos: Propheta hic tacite oſtendit intelligentiam raram eſſe in populo illo, quia pauci Dei vocem audiunt. Et ita videmus quorſum tendat: nempe vult pungere Judæos, ut agnoſcant ſe fuiſſe mente & intelligentia privatos, quia obduruerant contra Deum, ut vox ejus non perveniret uſque ad ipſorum animos. Oſtendit ergo omnes deſipere, quia ſi eſſent præditi recto ſenſu, audirent loquentem Deum, eſſent ejus diſcipuli. Quid enim magis perverſum, imo quid magis brutum, quam homines reſpuere ſalutis ſuæ doctrinam, & avertere auditum ab ipſo Deo? Coarguitur itaque populi amentia, quod vox Dei etiamſi perſonet in omnium auribus, non tamen auditur. Si quis malit legere, *In civitate*, non dubito quin Propheta intelligat vocem Dei promulgari per omnes urbes. Nam quod reſtringunt interpretes ad Jeruſalem vel Samariam, eſt frigidum. Eſt igitur mutatio numeri, & nomen urbis capitur pro qualibet populi frequentia: acſi diceret nullam eſſe urbem, ubi non clamitet Deus, & tamen nuſquam eſſe aures. Poſtea ſequitur, *Videbit nomen tuum*. Verterunt alii, Timebit, quaſi eſſet à ירא; ſed eſt à ראה potius, neque aliter legi patitur Grammatica: & loquutus eſt concinne Propheta, quod *vir intelligens nomen Dei videat*. Unde enim contemptus iſte in hominibus profanis, quod reſpuunt vocem Dei, niſi quia majeſtas ejus eos non afficit, hoc eſt, non agnoſcunt ſibi eſſe cum Deo negotium? Nam ſi vere apprehenderent quod dico, hoc eſt, Deum ipſum loqui, ſtatim ejus majeſtas occurreret in medium, percelleret omnes eorum ſenſus. Deus ergo cogeret homines etiam valde ſocordes ad reverentiam, niſi quia imaginantur vocem eſſe hominis, quæ verberat ipſorum aures. Significanter ergo dicit Propheta hoc eſſe prudentiæ ſingularis, videre nomen Dei, hoc eſt, conſiderare à quo proficiſcatur doctrina. Simul enim atque attenti ſumus ad Deum, majeſtas ejus, quemadmodum dixi, ſenſus omnes noſtros debet ita penetrare, ut humiliemur ſaltem coram ipſo ad præſtandum obſequium. Hinc ergo ſpiritualis doctrinæ contemptus, hinc etiam contumacia in hominibus profanis, quia non vident, hoc eſt, non conſiderant Dei nomen. Poſtea adjungit, *Audite virgam, & quis vobis eam indicat*. Per Virgam intelligit minas: quaſi diceret, Non impune tamen vobis cedet iſta arrogantia, quod Deo illuditis, acſi vox ejus eſſet ſonitus quiſpiam inanis. Non eſt igitur quod vos fallat ſpes impunitatis. Deus enim ulciſcetur contemptum verbi ſui. Conſilium autem Prophetæ eſt, denunciare propinquam vindictam quoties non accedunt ſponte homines ad Deum, & vera docilitate verbum ejus recipiunt. Quoties ergo vocem Dei ſpernunt, acſi profecta tantum eſſet ab homine mortali, Michæas denunciat inſtare vindictam, quia res eſt intolerabilis Deo, verbi ſui contemptus. Hæc ratio eſt cur ſtatim adjungat, poſtquam conqueſtus eſt de contemptu verbi, jam non procul vindictam abeſſe. *Audite* ergo *virgam, & quis denunciat*, vel teſtificetur *de ipſa*. Hæc etiam particula diligenter notanda eſt, quia ideo non terrentur improbi quum Deus ſeſe ultorem fore pronunciat, quod ſcilicet non putant ſibi reddendam eſſe rationem vitæ: vel ſaltem defixi ſunt in homine mortali: He! Quiſnam loquitur? quaſi vero ille ſit Deus noſter! quaſi vero armatus ſit cœleſti poteſtate! nonne videmus eſſe hominem mortalem, & ſimilem nobis? Quotidie videmus hoc modo repellere impios omnem metum, & ſponte obdureſcere contra Dei judicia. Non igitur abs re Propheta jubet diligenter expendere Judæos *quis teſtificetur de virga*: quaſi diceret, Ego quidem fateor me eſſe hominem mortalem, ſed reputate apud vos quiſnam miſerit me. Ego enim non prodeo tanquam homo privatus, neque etiam temere me ingero, ſed inſtructus ſum mandato Dei: imo Deus per os meum loquitur. Si ergo me contemnitis, Dominus præſto aderit, qui vindicet ſua mandata. neque enim ſuſtinet contemni in ſervis ſuis: etiamſi contemptibiles ſint ſecundum carnem, vult tamen deferri verbo ſuo reverentiam quam meretur. Nunc tenemus totum Prophetæ ſenſum. Jam ſequitur,

10. Adhuc an ſunt in domo impii theſauri impietatis? & modius macilentus deteſtabilis? (*vel provocans iram?*)

11. An juſtificabo ſtateras impietatis, & ſacculum ponderum doli?

In voce האש variant interpretes. Putant enim quidam legendum eſſe, האיש, ut ה ſit ajediah: & legunt, Adhuc vir? ſed contextus eſſet abruptus. Alii transferunt, Adhuc ignis? quaſi eſſet אש: & putant ſic vocari divitias male & injuſte partas, quia ſeipſas conſumunt. Sed quia repugnat Grammatica, ideo magis amplector eorum ſententiam, qui האש putant accipi pro היש, ut א ſit loco י: & recte ſentiunt interrogative legendo hanc ſententiam, *Adhuc an ſunt theſauri impietatis in domo impii?* Si placeat hæc ſententia, Propheta quaſi de re prodigioſa interrogat, Quî fieri poteſt, ut adhuc maneant theſauri collecti ex rapinis & ſceleribus, quum toties admoniti ſitis, & Deus quotidie etiam vos ad reſipiſcentiam ſollicitet? qualis iſta durities eſt, quod ſaltem terror aliquis Dei non occupat mentes veſtras? Vel poſſet etiam non male congruere ſenſus, ſi Deus hic inſtar judicis examinet quaſi de re incognita, *An ſint adhuc theſauri impietatis in domo impii?* hoc eſt, videbo an adhuc impii & ſcelerati homines occultent ſuos theſauros. Deus enim ſæpe ſe terrenis judicibus aſſimilat, non quod aliquid fugiat ejus notitiam, ſed ut ſciamus eum non eſſe præcipitem in ferenda ſententia. Hoc igitur non male conveniet, quod hic Deus ſuſtineat terreni judicis perſonam, & ſic loquatur, Videbo an adhuc lateant theſauri apud impios: ego excutiam domos ipſorum: ſciam an nondum pœnitentiam ſuorum ſcelerum egerint. Hoc modo ſic texendus erit ſermo Prophetæ, *Adhuc an ſint theſauri impietatis in domo impii?* quod Deus, quemadmodum jam dixi, oſtendat ſe velle cognoſcere de rapinis, & de qualibet crudelitatis ſpecie, quam exercuerant illi urbani prædones. Deinde addat, An ſit *modius macilentus*, hoc eſt, modius minor juſta menſura, *qui eſt deteſtabilis*? Poſtea, *An juſtificabo?* ut hic verſus cohæreat cum proximo, tanquam exegetice additus. Poſtquam enim Deus prodiit in perſona judicis, jam oſtendit qualis ſit judex, nempe qui non flectatur gratis, qui non mutet ſententiam ſuam, apud quem nihil valeat perſonæ reſpectus. Nam etiam plerumque in eo falluntur homines, quod Deum transfigurant pro ſuo arbitrio, & ſibi promittunt fore propitium, ſi modo blanditi fuerint fallaciter. Deus ergo hic pronunciat ſe longe diſtare à terrenis judicibus, qui nunc in partem unam, nunc in alteram inclinant, qui varii ſunt, deflectunt ſæpe à rectitudine: contra autem hic dicit, *An ego juſtificabo ſtateras impias? an ego juſtificabo pondera fraudis*, vel doloſa? hoc eſt, Excutite omnes iſtas blanditias, quibus vos decipere ſoletis. Ego enim non muto neque naturam, neque conſilium, ſed quemadmodum certa eſt Legis meæ doctrina, ſic ego ſine perſonæ acceptione pœnas exigam

gam de omnibus impiis: ubicunque deprehendetur ſcelus & iniquitas, parata ſimul erit pœna. Nunc ergo tenemus quomodo hi duo verſus inter ſe conveniant, quod ſcilicet Deus oſtendat ſe fore judicem: deinde ſeſe ab hominibus diſcernat, qui ſæpe variant in ferendis ſententiis, quemadmodum dictum eſt. Proferam alium ſenſum, qui forte aliis erit præferendus. Poteſt enim more Hebraico interrogatio ſumi aſſeverandi cauſa: quaſi dixiſſet, Adhuc pauxillum temporis (nam עוד breve tempus interdum ſignificat) & jam non reperientur theſauri impietatis, quia direpti erunt. Sequetur confirmatio, quod judicium Dei effugere nequeant fraudes & rapinæ in falſis ſtateris & ponderibus. Summa autem eſſet, quia neceſſe eſt Deum pro ratione officii ſui ſupplicium ſumere de furtis, fieri non poſſe, ut homines doloſis ponderibus fallentes ſemper manere inultos ſinat. Jam ſequitur,

12. Quia (*ſic enim verto: nam qui putant eſſe relativum, frigide exponunt, Cujus divites ejus impleverunt rapinis. Potius eſt Quia: nam* אשר *ſæpe loco cauſalis particulæ accipitur. Quia ergo*) divites ejus impleverunt, (*vel ſeipſos, vel domos ſuas: ſubaudiendum eſt* חמס*, rapina vel violentia*) & incolæ ejus loquuti ſunt fallaciam, & lingua eorum fallax (*vel fraudulenta*) in ore ipſorum.

Propheta ſignificat populum ita deditum eſſe avaritiæ & rapinis, ut quicquid coacerverunt opum, hoc totum conflatum ſit ex injuſta præda, hoc eſt, ex lucro ſcelerato. Nunc alloquitur cives Jeruſalem: quia etſi iniquitas tunc pervaſerat totam Judæam, non tamen ſine cauſa præcipue accuſat Jeroſolymitas, quia debebant aliis præire ſuo exemplo: deinde quod etiam ſuperabant reliquum populum ſceleribus. Erant coim ſaltem obſtinatiores, quum quotidie Prophetas Dei audirent. Dicit ergo, *Divites ejus non colligunt opes ſuas* niſi ex violentia. Certum quidem eſt, non ſolos divites fuiſſe tunc reos coram Deo; ſed hoc plus ſatis uſitatum eſt, ut quiſque eo plus licentiæ uſurpet, quo plus valet ad nocendum. Quibus enim non eſt facultas, illi ſeſe continent, non quia ſunt innoxii, ſed quia ſunt quaſi conſtricti: nam ſæpe inopia frenum eſt hominibus. Quum igitur divites poſſint laqueos ſuos tendere, qoum facultas illis ſuppetat ad opprimendos pauperes, ideo eos compellat Propheta: non quod reliqui eſſent extra noxam vel reatum, ſed quia magis conſpitua erat iniquitas in ipſis divitibus, eo quod facultas, quemadmodum jam dixi, dabat illis plus licentiæ. Poſtea etiam extendit doctrinam ad omoes incolas. *Omnes*, inquit, *loquuntur fallaciam*, hoc eſt, nulla eſt ſinceritas, nulla rectitudo, dediti ſunt prorſus fraudibus & dolis. *Et lingua eorum fallax in ore ipſorum.* Loquutio hæc in ſpeciem videri poteſt abſurda. Ubi enim eſſe poterit lingua, niſi in ore? Videtur ergo eſſe pleonaſmus, quum dicit linguam eſſe in ore ipſorum doloſam. Sed emphatica eſt loquutio apud Hebræos, qui iotelligunt in promptu eſſe fallacias hominibus ſimulatque os apertum eſt. Petinde eſt igitur acſi dixiſſet Propheta, non poſſe elici verbum ullum purum & abſque dolo: quia ſimulatque os aperiunt, ſtatim produnt fallacias: lingua eorum eſt fraudulenta, id eſt, non eſt quod quiſquam expectet ab iſtis hominibus veritatem vel fidem. Quare? Nam ſimulac loqui inceperint, ſtatim texent aliquid doli, ſtatim in promptu illis erit fallacia qua circumveniunt ſimplices. Nunc videmus non citari ad Dei tribunal paucos homines, ſed omnes ſine exceptione damnari: quaſi diceret Propheta nihil eſſe amplius integritatis in urbe ipſa: ideo ubique graſſari corruptelas, quia alii ad alios decipiendos intenti ſint. Sequitur,

13. Et ego etiam affligam te percutiendo, & te diſperdam ſuper peccatis tuis. (*ſecundum ſcelera tua.*)

14. Tu comedes, & non ſatiaberis: & dejectio tua in medio tui: & apprehendes, & non ſervabis: & quod ſervaveris, gladio tradam.

Poſtquam profeſſus eſt Deus ſe fore judicem populi, jam de pœna ipſa clarius loquutur. Dicit ergo ſe armatum eſſe vindicta: quia ſæpe continget, ut judex, etiam qui ſcelera deteſtatur, non poſſit tamen pœnas ſumere, quia metuit ſibi à petulantia eorum, quibus coercendis non putat ſe parem fore. Deus ergo hic ſignificat ſibi non defore potentiam ad pœnas de populo ſumendas. Dicit, *Affligam te percutiendo*, vulnerando te. Sic enim alii vertunt. Summa eſt, nihil fore obſtaculo, quominus Deus pœnam de populo exigat, quia ſcilicet non poteſt eum prohibere impotentia. Non eſt igitur, quod ſibi homines promittant effugium, ubi Deus conſcenderit ſuum tribunal: quia etiamſi muniti ſint omnibus remediis, non tamen poterunt manum Dei arcere. Et ſpeciem ipſam pœnæ deſignat, imo duas commemorat ſpecies hoc verſu. Primo dicit, *Comedes, & non ſatiaberis.* Scimus unam eſſe ex plagis Dei famem. Itaque denunciat hic Propheta populum fore famelicum, ſed non agrorum ſterilitate. Deus enim famem duobus modis infligit: nunc terra nullum reddit proventum: areſcunt ſegetes, vel grandine percuſſæ nihil proferunt. Deus ergo ſæpe agrorum ſterilitate redigit homines ad inediam & famem. Sed alia eſt etiam ratio, qua poſſit conficere homines inedia, quum ſcilicet frangit baculum panis, hoc eſt, tollit virtutem à pane, ut jam non ſuſtentet homines, quantumvis magna copia ſe ingurgitent. Et hoc etiam experientia docet, ſi modo eſſent oculi ad conſideranda Dei judicia. Videmus quis ſenſus ſit hujus partis, quum dicit, *Comedes, & non ſatiaberis:* quaſi diceret, Ego quidem, ſi ita mihi placeat, potero vos privare omni victu: terra ipſa ſterileſcet meo mandato: ſed ut intelligatis melius vitam veſtram eſſe in manu mea, proveniet ſatis bona ubertas frugum, ſed nulla erit inde ſaturitas. Sentietis ergo panem non ſufficere ad vos alendos, quia comedendo non poteritis tamen quicquam fulturæ ſentire in pane ipſo. Jam addit, *Et dejectio tua in medio tui*, hoc eſt, etiamſi nulli tibi aliunde moleſti ſint vel infeſti hoſtes, tamen tu tabeſces inteſtinis malis. Hic genuinus eſt ſenſus: & interpretes non ſatis conſiderant quid velit Propheta, quia nimis ſecuri ſunt. Sed notandus eſt hic contextus. Poſtquam enim minatus eſt Propheta famem non ex inedia, ſed ex maledictione arcana Dei: jam addit, *dejectio tua in medio tui*, id eſt, etiamſi non excitem tibi hoſtes, etiamſi non procul appareant ſigna iræ meæ, denique etiamſi nemo tibi negotium faceſſat, tamen dejectio tua, hoc eſt, calamitas erit in medio tui, id eſt, quaſi in viſceribus tuis hærebit. Tu ergo tabeſces malo arcano, ubi maledixerit tibi Deus. Jam ſubjicit ſecundam ſpeciem, *Apprehendes, & non ſervabis: & quod ſervaveris, gladio tradam.* Legunt alii, Apprehendet mulier, id eſt, concipiet ſemen, & non ſervabit, quia effluet: deinde etiamſi fœtum produxerit ſuo tempore, ego deſtinabo quicquid natum fuerit gladio. Sed ſenſus ille nimis coactus eſt. Alii referunt hoc ad patres, Tu pater epprehendes, hoc eſt, tu conaberis ſervare filios tuos, & non ſervabis. Cæterum, miror cur ita ſe

ſe in re facili & plana interpretes torqueant. Alloquitur enim hic terram ipſam, vel alloquitur urbem: quaſi diceret, Urbs apprehendet, id eſt, quemadmodum qui cupit aliquid ſervare, complectitur. quod enim volumus eſſe ſalvum apprehendimus, & complectimur, & tenemus quaſi in ulnis noſtris. *Et quod ſervaveris, gladio tradam*, id eſt, Tu tentabis omnia media, quibus ſervare poſſis te & populum tuum: atqui nihil proficies. Tu igitur ludes operam: ſed etiamſi ſervaveris, non tameo effugient ſervati ſtragem. Si quis malit ad mulieres referre, quod concipient, ut ſit tertia perſona fœminini generis: fruatur ſuo judicio. Nam ſenſus etiam ille utcunque erit tolerabilis, quod ſcil. Dominus ſteriles reddet mulieres, vel etiamſi quid pariant, ſuo tempore trahetur tamen ad cædem, quia Dominus tandem hoſtili gladio conficiet tam patres ipſos quam filios ipſorum.

Da omnipotens Deus, quando in nobis poſſes ſatis materiæ reperire cur exerceas non unum vindictæ genus, ſed innumera, donec tandem modis omnibus nos perdas: da, inquam, ut ſponte præveniamus tuum judicium, & etiam vera humilitate ſic nobis diſpliceamus, ut verus ardor in nobis accendatur quærendæ juſtitiæ, atque ita ſtudeamus nos totos tibi addicere, ut te experiamur nobis propitium. Et quando tot modis te offendimus, fac ut vera & ſincera fide dirigamus ſenſus omnes noſtros & affectus ad Filium tuum unigenitum, qui eſt propitiatio noſtra, ut te placato, ipſum apprehendamus, & maneamus ſacro vinculo cum eo conjuncti, donec tandem colliges nos omnes in Regnum illud cœleſte, quod nobis ſanguine ſuo acquiſivit, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA QUINTA
IN
MICHÆAM PROPHETAM.
CAP. VI.

15. Tu ſeres & non metes: tu calcabis (*vel premes*) oleum, & non unges te oleo; & muſtum, & non bibes vinum.

ADjungit Propheta aliam ſpeciem pœnæ, quæ tamen pendet ex bellica illa ſtrage quam minatus fuerat proximo verſu: dixerat enim etiamſi qui evadent, tandem gladio perituros; nunc dicit totam terram fore prædæ hoſtibus. Sumpſit autem verba ex Moſe, ſicuti ſolenne eſt Prophetis, quum volunt plus auctoritatis ſibi acquirere, proferre ad verbum maledictiones quæ continentur in Lege, ſicuti Deut. 28. & Levit. 26. Jam ſatis notum eſt, Deum hanc pœnam inter alias denunciare populo ſuo, quod ubi ſeminaverit agros ſuos, alius metet: ubi excoluerit magno labore vites ſuas, alios fore vindemiatores dicit. Summa eſt igitur, quicquid fructuum pariet terra, venturum inter hoſtium manus, quia omnia erunt expoſita direptioni. Eſt autem hoc magis indignum, ubi videmus non modo proventus noſtros conſumi ab hoſtibus, ſed etiam laborem à nobis ſumptum, perinde acſi ſanguinem noſtrum biberent. Sæpe enim confertur hominis labor ſanguini, quia labor elicit ſudorem. Jam ſequitur,

16. Et obſervata ſunt edicta Amri, & omne opus domus Achab: & ambulabitis in conſiliis eorum, ut tradam te in excidium, (*vel vaſtitatem*) & incolas ejus in ſibilum: & opprobrium populi mei portabitis.

Alii legunt in futuro tempore, Et obſervabuntur ſtatuta Amri: & ſenſum diverſum colligunt, nempe quod Propheta jam in Spiritu prævideat populum ſic fore obſtinatum in ſuis ſceleribus, ut nullis pœnis poſſe caſtigari ſperet. Ergo talis eſſet ſenſus, Dominus quidem ſevere & duriter ulciſci ſtatuit populi ſcelera, ſed non reſipiſcent: manebunt nihilominus ſtupidi in ſua contumacia, & pergent in ſuis ſuperſtitionibus, quas didicerunt à Regibus Iſraël. Seoſus tamen prior mihi magis probatur, & receptus eſt etiam majore conſenſu, nempe quod Judæi relicto Deo, & contempta ejus Lege, deſciverint ad ſuperſtitiones regni Iſrael. Dicit ergo *obſervata fuiſſe decreta Amri, & omne opus domus Achab.* Amri fuit pater Achab, qui Rex creatus fuit ſuffragiis militum, quum Zimri repudiatus eſſet, qui Regem occiderat. Amri quum emiſſet Samariam, illic urbem extruxit: deinde ut acquireret urbi dignitatem, addidit etiam templum. hinc crevit idololatria. Poſtea filius ejus Achab ſeſe ad omne ſuperſtitionum genus projecit. Ita res ſemper in deterius prolapſæ ſunt. Quum ergo hic Propheta nominat regem Amri & ejus poſteros, (qui omnes intelliguntur ſub domo Achab) ſignificat Judæos, qui pure coluerant Deum, tandem degeneraſſe, & nunc prorſus ſimiles eſſe Iſraëlitis, quia ſcilicet amplexi ſunt omnes illas corruptelas, quas fabricaverant Amri, & Achab ejus filius. Religio in tribu Jehudah adhuc vigebat, quum regnum Iſraël corruptum eſſet, atque illic regnarent fœdæ ſuperſtitiones. Temporis ſucceſſu etiam implicita fuerunt Judæi ſimilibus idololatriis. Hoc igitur crimen nunc accuſat Propheta, quod ſeſe adjunxerint ſocios Iſraëlitis. *Obſervantur* ergo *edicta Amri, & totum opus domus Achab: ambulatur*, inquit, (nam futurum tempus hic ſignificat continuam actionem, ut ſæpe alibi. *Ambulatur* ergo) *in conſiliis ipſorum.* Notandum eſt, hic Prophetam uti honeſtis nominibus, quum dicit ſervari חקות, hoc eſt, ſtatuta vel decreta: deinde etiam quum adjungit conſilia Regum Iſrael. Sed interim hoc ad excuſationem nullius eſt momenti: quia etiamſi homines ſibi non modo placeant, ſed etiam plaudant in ſuis commentis, Dominus tamen ea omnia abominatur. Nec dubium eſt, quin Propheta conſulto poſuerit has voces, ut oſtenderet frivolos eſſe & nihili prætextus, quos ſolent objicere ſuperſtitioſi homines, ut ſua figmenta vel commendent, vel excuſent. Nam proferunt in medium auctoritatem publicam, Hoc receptum eſt omnium conſenſu, hoc fuit decretum: non eſt error unius vel alterius, ſed tota Eccleſia ſic ſtatuit: deinde quia ita præcipiunt Reges, nefas eſſet morem illis non gerere. Ergo ut oſtendat Propheta pueriles eſſe iſtas excuſationes, dicit, Fateor quidem honorifice à vobis ornari veſtras ſuperſtitiones, quia Regum edictis probatæ ſunt, quia etiam receptæ ſunt multorum ſuffragiis: quia videntur etiam non temere nec perperam fuiſſe excogitatæ, ſed prudenter à magnis viris, & qui longo uſu periti ſunt: utcunque tamen in medium proferant & conſilia & ſtatuta, hoc eſt, utcunque ad fucandas idololatrias objici ſoleant

& pru-

& prudentia & poteſtas, tamen pro nihilo hæc coram Deo ducuntur. Nam per Conſilia haud dubie Propheta intelligit falſam ſpeciem prudentiæ, quæ ſemper refulget in traditionibus humanis: deinde per Statuta intelligit Regiam poteſtatem. Videmus ergo fruſtra fucum facere idololatras, dum ab una parte objectant poteſtatem, ab altera vero prudentiam. Quare? Deus enim non patitur ſibi præjudicium fieri iſtis nugis, ſed vult coli ex verbi ſui præſcripto. Et ideo ſequitur etiam denunciatio pœnæ: *Ut tradam*, inquit, *te in vaſtitatem, & incolas ejus*. Mutatio eſt perſonæ: alloquitur tamen ſemper Propheta ipſam terram, vel ſub terræ nomine populum compellat. *Ego* igitur *tradam te in exterminium*, vel vaſtitatem: deinde, *incolas tuos in ſibilum*. Eſt etiam hoc ſumptum ex Moſe. Per *ſibilum* intelligit contumelias, & ludibria, quibus expoſiti ſunt miſeri homines. Tandem adjungit, *Portabitis opprobrium populi mei*. Quidam nomen Populi accipiunt in bonam partem, quaſi hic Propheta diceret Deum ſumpturum vindictam de injuriis, quas divites intulerint miſeræ plebeculæ. Sed hoc eſſet nimis reſtrictum, meo judicio. Alii opprobrium populi Dei intelligunt, quod ſcilicet nihil Judæis magis probroſum erit, quam quod olim fuerint populus Dei. Nam hoc acceſſit ad eorum dedecus & infamiam, nempe quum ornati fuiſſent tam ſplendido tituloposteа fuiſſe tot miſeriis addictos. Sed poſſet aliter exponi hic locus, vel ut per populum Dei intelligamus ipſos Iſraëlitas: quaſi diceret Propheta, Nonne perſpicitis qualiter tractati fuerint Iſraelitæ? Annon illi pars erant populi mei? Deſcenderant enim ex genere Abrahæ, ſicuti vos: neque poteſtis jactare majorem præſtantiam. Erat igitur par omnium conditio. Et tamen hoc, judicio meo, non obſtitit, quominus pro merito eos tractaverim. Non male quadraret illa ſententia: ſed ego exiſtimo ſubeſſe ironiam in nomine Populi Dei. quaſi diceret, Hæc vos fiducia indurat, quod hactenus habiti eſtis populus meus: ſed falſa iſta & ſcelerata gloriatio pœnam veſtram augebit. Ego enim non ſumam vulgares pœnas, ſicuti ſoleo de hominibus profanis & alienis, ſed perſequar veſtram impietatem multo ſeverius, quia ſcilicet neceſſe eſt ut pœna veſtra gratiæ meæ reſpondeat, quæ improbe & ſcelerate à vobis contempta fuit. Ergo per opprobrium populi Dei intelligo graviores pœnas, quæ merito paratæ ſunt omnibus impiis, quos Deus ſpeciali honore dignatus fuerat, ut eos in popolo ſuo cenſeret. Servus enim qui novit voluntatem domini *Luc. 12,*
ſui, & non obſervat, multo gravius vapulabit. *verſ. 17.*
Nunc pergamus.

CAPUT VII.

VÆ mihi, (*Alii deducunt à* ילל, *Ululare meum: ſed eſt particula dolentis apud Hebræos. Væ mihi ergo*) quia fui ſicut collectiones æſtatis, (*ſic eſt ad verbum*) & ſicuti racemi vindemiæ, nullus botrus ad comedendum: maturos fructus (*vel primitias frugum*) deſideravit anima mea.

2. Periit humanus (*vel manſuetus*) è terra, & rectus in hominibus nemo eſt: & omnes ſanguinibus inſidiantur, quiſque fratrem ſuum venatur reti. (*alii, ad perniciem: &* חרם *etiam Hebræis interdum eſt Occiſio.*)

SEnſus primi verſus nonnihil ambiguus eſt, quia alii ad pœnam referunt quod dicit Propheta, alii autem ad malitiam populi. Quidam ergo exiſtimant lugeri calamitatem, qua Dominus ultus fuerat populi ſcelera, acſi Propheta cerneret deformem totius terræ ſtatum. Sed ex ſecundo verſu facile colligi poteſt, Prophetam hic potius de pravitate ipſius populi verba facere, quam de pœna jam inflicta: ideo contexui inter ſe duos iſtos verſus, ut conſtet nobis plena ſententia. *Væ ergo mihi*. Quare? *Factus ſum tanquam collectiones*. Nimis libera eſt, vel potius licentioſa illa verſio, Factus ſum ſicut qui vult colligere fructus æſtivos, & nihil reperit, ita ut ſpe ſua fruſtratus ardeat deſiderio. Non videtur hoc poſſe aptari ad Prophetæ verba. Eſt quidem aliqua perplexitas in verbis, tamen huc ſumma tendit, terram, cujus perſonam hic Propheta ſuſcipit atque induit, eſſe ſimilem aut agro inani, aut horto, aut vineæ. Dicit igitur terram eſſe nudatam omni fructu, quemadmodum poſt meſſem & vindemias. Ita per *collectiones* intelligere oportet fructus collectos. Alii intelligunt reliquias quæ manent, quemadmodum ſi per incuriam quis in vindemiis relinquat paucos racemos: ita etiam dicunt paucos eſſe juſtos ſuperſtites in terra. Sed videtur melius quadrare prior ſimilitudo, quod ſcilicet terra ſit jam orbata omni fructu, ſicuti poſt meſſem & vindemias. *Factus ſum* ergo *ſicuti collectiones æſtatis*, hoc eſt, ſicuti æſtate, ubi fructus jam ſunt collecti: ſicuti *racemi vindemiæ*, hoc eſt, ſicuti poſt peractas vindemias. *Nullus*, inquit, *botrus eſt ad comedendum*. Bonorum ergo raritatem hic ſignificat Propheta: imo dicit nullos amplius extare juſtos. Quamvis enim Deus ſemper retinuerit occultum aliquod ſemen, potuit tamen hoc jure prædicari de toto populo, quod ſcilicet ſimilis eſſet agro poſt collectos fructus, aut vineæ poſt vindemias. Manet enim in agro aliquid reſiduum poſt meſſem, ſed nulla eſt ſpica interea: in vinea etiam manent botri, ſed inanes; nihil reſtat præter folia. Eſt autem hæc proſopopœia multo vehementior quum Propheta in medium prodit acſi terram ipſam repræſentaret. Loquitur enim ejus nomine & perſona: *Væ*, inquit, *mihi*, *quia ſimilis ſum collectionibus æſtivis*. Perinde igitur eſt acſi terra ipſa deploret ſuam nuditatem & inopiam, quod ſcilicet nulli ſuperſint recti & innoxii homines. Et ſecundo verſu clarius mentem ſuam exprimit, *Periit juſtus è terra*, inquit, *& rectus in hominibus nemo eſt*. Hic jam non ſuſtinet terræ perſonam. Satis enim fuit ad vehementiam vel emphaſin conqueri initio, quaſi terra pudore ſuæ inopiæ hic gemat. Sed nunc Propheta agit officium doctoris, *Periit*, inquit, *juſtus è terra, nemo eſt rectus inter homines; omnes inſidiantur ſanguinibus, quiſque fratrem ſuum venatur*, inquit, *quaſi reti*. Hoc verſu breviter oſtendit Propheta, omnia eſſe plena & crudelitatis & perfidiæ, nullam amplius curam eſſe æquitatis: quaſi diceret, Fruſtra quærentur in hoc populo probi homines, nam omnes ſunt ſanguinarii, omnes fraudulenti. Quum dicit *omnes tendere ſanguini inſidias*, non dubium eſt quin ſævitiam deſignet: quaſi diceret eos ſanguinis eſſe cupidos. Ubi autem adjungit ſingulos fratribus ſuis inſidias tendere, hoc referri debet ad fraudes, vel ad perfidiam. Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ. Et magis emphatica eſt iſta oratio, quam ſi Deus ipſe ſententiam proferret: quia dum homines in ſua ſocordia defixi ſunt, & quaſi demerſi, Propheta hic terram loquentem inducit, quæ accuſat omnes ſuos filios, & fatetur ſuum reatum: imo prævenit judicium Dei, & agnoſcit ſe eſſe contaminatam à ſuis incolis, ita ut nihil puri reſiduum in ea maneat. Sequitur,

3. Super malitia manuum ſuarum ad benefaciendum: Princeps poſtulat, & Judex in mercede: (*ego transfero ad verbum*) & magnus loquitur pravitatem animæ ſuæ ipſe: & complicant.

plicant. (*vel, ut alii vertunt, confirmant. Sed proprie eſt complicare: & metaphora apte convenit contextui, ut ſtatim videbimus.*)

Hic verſus proprie dirigitur io Judices & Gubernatores populi: deinde io divites, qui opprimebant miſeram plebeculam, quia non poterant ſe mercede redimere. Conqueritur ergo Propheta in judiciis tantum valere corruptiones, ut Judices facile abſolvant ſceleratiſſimos quoſque, modo mercedem afferant. Summa igitur eſt, impune quidvis licere, quooiam venales ſunt Judices. Huc tendit Prophetæ conſilium. Sed quoniam variant interpretes, aliquid etiam de ipſis vocibus dicendum erit. על הרע כפים, *Super malo manuum ſuarum ad benefaciendum.* Quidam ita exponunt, Etiamſi palam ſint ſcelerati, tamen obtendunt colores, quibus obtegant ſua ſcelera: & talis eſſet ſenſus, Etiamſi omne ſtudium recti abjecerint, tamen ſic obduruiſſe ad impietatem, ut velint tamen cenſeri probi & ſancti homines, quemadmodum in rebus confuſis ſemper improbi frontem ferream oſtentant, & volunt taceri de ſuis flagitiis. Putaot ergo quidam interpretes Prophetam hic conqueri, quod jam nullum ſit honeſti & turpis, recti & perverſi diſcrimen, quia ſcilicet fucare audent ſcelerati homines ſua flagitia, ut non appareant, vel ut nemo contra etiam fremere audeat. Expendite tamen annon aptius contexi poſſint inter ſe quæ dicit Propheta, hoc modo: *Ut benefaciant ſuper malitia manuum ſuarum*, id eſt, ut ſe excuſent ſuper malitia operum ſuorum, paciſcuntur inter ſe: *quia Princeps poſtulat, Judex paratus eſt recipere mercedem.* Divites hoc modo vident partam ſibi eſſe licentiam, quia illis in manu eſt pretium redemptionis: ſciuot autem nullo negotio poſſe placari & Judices & Principes, ſimulac pretium corruptionis attulerint. Et hic ſenſus mihi placet, quoniam ſic fluit optime contextus Prophetæ. Quanquam alii verbum להיטיב aliter exponunt, quod ſcilicet ſtrenue agant in malitia ſua. Sed frigida eſt illa expoſitio. Ego igitur amplector mediam, quam nuper attuli, quod ſcilicet valeaot ita in judiciis corruptelæ, ut parata ſiot tegumenta ſceleribus: quia Gubernatores & Judices ſunt nummarii, & ſemper parati ſunt abſolvere nocentiſſimos quoſque, modo ne hoc faciant gratuito. *Super malitia* ergo *operum ſuorum ut benefaciant*, hoc eſt, ut obtineant abſolutionem, *tantum Princeps poſtulat*, hoc eſt, non inquirit de cauſa, ſed reſpicit manus duntaxat: deinde *Judex pro mercede*, inquit, *judicat*, hoc eſt, Judices ſunt mercenarii. Noo ſedent igitur ut pronuncient ex recto & æquo, ſed ſimulac ſaturati fuerint mercede, facile ignoſcuot ſceleribus: ita vertunt vitia in virtutes, quia nullum eſt diſcrimen albi & nigri apud eos niſi ex pretio. Et cohæret etiam quod mox ſubjicit Propheta: *Magnus*, inquit, *loquitur pravitatem animæ ſuæ ipſe.* Per Magnos non intelligit proceres, quemadmodum falſo alii exiſtimant: ſed intelligit divites, quibus ſuppetit pecunia ad conciliandos ſibi Judices. Qui ergo pretium affert ſuæ redemptionis, audet palam jactare pravitatem. Sic enim verto nomen הוה: quia hic non poſſet quadrare corruptio. *Loquitur* ergo *pravitatem animæ ſuæ magnus*, hoc eſt, jam nihil eſt vel metus vel pudoris quod retineat divites ab inferenda injuria. Quare? ſciunt enim ſibi negotium eſſe cum mercenariis Judicibus, facile eos corrumpent. *Audent* ergo *loqui pravitatem animæ ſuæ*, hoc eſt, non diſſimulant ſua ſcelera, quemadmodum ubi viget aliquis legum metus, ubi exercentur judicia. Sed quoniam nullum amplius diſcrimen eſt boni vel mali, ideo nocentiſſimus quiſque aperte jactat ſua ſcelera. Deinde emphaticum eſt pronomen הוא, Ipſe. Et hoc non fuit animadverſum ab interpretibus. *Ipſe* ergo *loquitur pravitatem animæ ſuæ*: non expectat dum alii exprobrent ſi quid deliquit, ſed impudenter audet gloriari io ſuis ſceleribus, quia ſcilicet certa eſt impunitas quum poſſit occludere os Judicibus. Affert enim pretium. *Loquitur* ergo *pravitatem animæ ſuæ ipſe.* Deinde *complicant* ipſam pravitatem: hoc eſt, hinc fit ut graſſetur furioſa crudelitas, quoniam conſpiraot inter ſe & gubernatores & qui volunt ſibi acquirere peccandi licentiam: quaſi contexerent inter ſe funes, confirmant hoc modo pravitatem. Nam magnus quiſque, hoc eſt, qui dives eſt & pecunioſus conſpirat cum Judice, Judex etiam cum ipſo: ita inter ſe colludunt. Sic fit ergo ut pravitas quaſi tyrannidem occupet, quia nullum ſit remedium. Nunc tenemus genuinum conſilium Prophetæ, ſaltem quantum ego judicare poſſum. Sequitur nunc,

4. Bonus inter eos quaſi paliurus, rectus præ ſpineto: (*aliquid ſubaudiendum eſt, aſperior eſt ſpineto*) dies ſpeculatorum tuorum, viſitatio tua venit: tunc erit confuſio ipſorum. (*vel perplexitas, ut alii vertunt.*)

Confirmat quod prius dixerat Propheta, nempe adeo refertam eſſe terram quovis ſcelerum genere, ut qui optimi reputantur, ſint tamen ſpinæ & vepres, hoc eſt, pleni amarulentia, vel acerrimi ad pungendum: quaſi diceret, Optimus inter eos eſt latro, rectiſſimus inter eos eſt prædo. Videmus ergo his verbis notari cumulum ſcelerum: acſi diceret, Non poſſet deterior eſſe conditio populi. nam uſque ad extremum graſſatur improbitas. Siquis enim inter alios quærat probum vel rectum hominem, reperiet duntaxat ſpinas vel vepres, hoc eſt, illic etiam pungetur. Quod ſi optimus quiſque tunc fuit quaſi ſpina, quid dici potuit de reliquo vulgo? Nam antehac vidimus fuiſſe Judices perverſos, ut proſtituerent ſe abſq; verecundia ad omnem turpitudinem. Quid ergo de illis dici potuit, quum rectos & juſtos comparet hic ſpinis Propheta, imo dicat ſpinetis eſſe aſperiores. Cæterum [illegible] eſt loquutio, quum dicit, bonum inter eos & rectum eſſe ſimilem ſpineto. Abutitur enim his vocibus: quia certum eſt non fuiſſe bonos & rectos, qui ſic crudeliter pungebant. Sed conſilium Prophetæ minime obſcurum eſt, tantam fuiſſe tunc licentiam ſcelerum, ut qui retinebant famam aliquam probitatis, eſſent tamen vepres & ſpinæ. Eſt igitur conceſſio in his vocibus. Tandem adjungit, *Dies ſpeculatorum tuorum, viſitatio tua venit.* Hic denunciat propinquam Dei vindictam, & generaliter toti populo, & præcipue gubernatoribus. Incipit autem à primario ordine, quum dicit, *Dies ſpeculatorum tuorum*: quaſi diceret, Jam impendet excidium tuis gubernatoribus, quod ipſi minime expectant. *Speculatores* vocat tam Prophetas, qui ſuis blanditiis deceperant populum, quam alios gubernatores. Locat autem Propheta ipſos in priore gradu, quia cauſa erant publici interitus. Non tamen ideo eximit totum corpus populi à pœna: imo conjungit hæc duo ſimul, viſitationem totius populi, & diem ſpeculatorum. Merito autem dirigit ſermonem ad ipſos ſpeculatores, quia dum cæcutiunt, etiam excæcant reliquos omnes, dum perverſi ſunt depravant totum populum. Hæc ratio eſt cur ſpecialiter illis minetur Propheta. Sed quemadmodum jam dixi, populus non ideo excuſatur. Videtur quidem hic prætextus honeſtus eſſe ad extenuandam culpam, dum objiciunt gregarii homines ſe non fuiſſe admonitos, ut optandum erat, imo ſe fuiſſe perditos inanibus fallaciis. Et videmus ut hodie etiam multi colorem hunc obtendant. Sed apud Deum hæc defenſio frivola eſt: quia etſi excæcantur plebeii homines, tamen ſponte errant, dum libenter

ter autem præbent impoſtoribus. Atque etiam hæc ratio eſt, cur Deus frenum laxet tam Satanæ, quam
2 Theſ. 2. verſ. 11. ejus miniſtris. imo, quemadmodum dicit Paulus, det efficaciam erroris: quia major pars mundi ſemper decipi appetit. Tenenda eſt igitur hæc denunciatio Prophetæ, quod ſi male officium ſuum exercuerint Judices & Prophetæ, trahentur ad pœnam quam meriti ſunt, quia ſcilicet aliis fuerunt cauſa exitii, ut alibi viſum fuit: interea non eſt excuſabilis populus. Involvit igitur vindicta Dei omnes à minimo uſque ad maximum ſine exceptione. *Viſitatio ergo tua venit.* Deinde in tertia perſona loquitur, *Tunc erit confuſio ipſorum*, vel perplexitas, vel pudefient. Oblique hic perſtringit Propheta populi duritiem, quia etiamſi quotidie minitabantur Prophetæ, ſecuri tamen manebant omnes: imo ſcimus ludibria illis fuiſſe omnia Dei judicia. Quum ergo non poſſent fidi doctores incutere vel metum, vel pudorem ſceleratis hominibus; Propheta dicit, *Tunc venturam illis confuſionem*: quaſi diceret, Obdureſcite nunc quantum voletis, ut video vos eſſe ſtupidos, imo ſocordes, & non attendere ad verbum Domini: cæterum, veniet tempus viſitationis, & tunc Dominus coget vos ad pudorem, quia ſcilicet reipſa oſtendet quales ſitis: & tum non litigabit vobiſcum verbis, ut nunc facit, ſed pœna propoſita excutiet vobis omnes falſos colores: deinde etiam dejiciet veſtram iſtam proterviam, quæ vos nunc obdurat contra ſanam doctrinam & omnes admonitiones.

Da omnipotens Deus, quando nati ſumus hoc corruptiſſimo ſeculo, quo invaluit tanta ſcelerum licentia, ut jam vix ſcintilla ulla probitatis affulgeat, ut tamen maneamus integri inter ſpinas, & ita ſollicite nos cuſtodias ſub verbo tuo, ut colamus & ſinceram pietatem, & æquitatem etiam cum proximis noſtris: & quia non eſt in noſtra poteſtate ita nos ſervare integros, da ut Filius tuus virtute Spiritus ſancti ita nos protegat, ut perveniamus uſque ad metam curſus noſtri, donec tandem colligamur in Regnum illud cœleſte, quod nobis ſanguine ſuo peperit, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA SEXTA IN MICHÆAM PROPHETAM.

CAP. VII.

5. Ne fidatis amico, ne ſperetis in conſiliario: (*vel duce*) ab ea quæ dormit in ſinu tuo cuſtodi aperturas oris tui.

6. Quia filius contumelia afficit patrem, filia ſurgit contra matrem ſuam, nurus contra ſocrum ſuam: inimici, viri domeſtici ejus. (*homines domus ejus, ad verbum.*)

PRopheta ſententiam quam heri attigimus, proſequitur, quod ſcilicet licentia ſcelerum uſque ad ſummum cumulum pervenerit, quia nulla ſuperſit in hominibus fides: imo nulla ſit amplius humanitas: quia filius officium erga patrem non præſtet, nurus erga ſocrum, denique nulla ſit conjunctionis ratio. Neque enim hic diſſerit de perverſa fiducia, qua multi ſeipſos fallunt, dum recumbunt in homines mortales, & transferunt ad ipſos Dei gloriam. Ergo importune hic quidam philoſophantur, non eſſe in hominibus ſperandum: quia non fuit hoc conſilium Prophetæ. Sed quæ Ovidius tradit de ferreo ſeculo, Propheta noſter de ſua ætate conqueritur. Dicit ille,

—— non hoſpes ab hoſpite tutus,
Nec ſocer à genero: fratrum quoque gratia rara eſt.
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti.
Lurida terribiles miſcent aconita novercæ.
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Sic etiam Propheta noſter dicit nullum eſſe reſpectum humanitatis inter homines, quia uxor parata ſit ad prodendum maritum, filius contumelioſus ſit in patrem: denique obliti ſint omnes humanitatis. Nunc ergo tenemus quid ſibi velit Propheta quum dicit, *Ne fidatis amico*: hoc eſt, ſiquis ſperet aliquid ab amico, falletur: quia ſcilicet non reperietur in hominibus niſi perfidia. *Ne adhibeatis fidem conſiliario.* Sic enim interpretor vocem אלוף. Alii vertunt fratrem majorem natu. Sed nulla neceſſitas cogit diſcedere à propria & genuina ſignificatione hujus vocis. Quemadmodum itaque loquutus eſt Propheta de ſocio vel amico, ſic etiam adjungit conſiliarium. Et clauſula oſtendit quorſum ſpectet, quum dicit *nullos eſſe deteriores hoſtes quam domeſticos.* Videmus ergo Prophetam ſimpliciter hoc velle, homines ſui ſeculi non modo avare & crudeliter alios aliis nocere, ſed abſque ullo reſpectu humanitatis filium inſurgere contra patrem, atque ita perverti totum ordinem naturæ, ut jam nulli ſint affectus, qui tamen non videntur poſſe in hominibus extingui. Nunc pergamus.

7. Ego autem ad Jehovam reſpiciam, expectabo ad Deum ſalutis meæ, exaudiet me Deus meus.

Hic unicum remedium eſſe docet Propheta, ne fideles rapiantur pravis exemplis, ſi defigant oculos ſuos in Deum, & eum liberatorem ſibi fore ſperent. Nihil difficilius eſt, quam nobis temperare ab omni injuria, dum impii nos laceſſunt, quia videntur nobis dare juſtam cauſam retaliandi: etiamſi nemo inferat nobis injuriam, tamen conſuetudo fere habetur inſtar legis. ita fit, ut putemus eſſe licitum quod receptum eſt moribus & conſuetudine. Jam vero ſi proſpere ſuccedat impiis, hic eſt acerrimus ſtimulus. Ita fit, ut vix & cum ſumma difficultate ſe contineant fideles, dum vident paſſim graſſari ſcelera, idque impune: imo quum vident auctores ſcelerum creſcere & gratia & opibus, ſtatim obrepit quædam perverſa libido æmulationis. Cæterum, ſi provocantur fideles ipſi maleficiis, tunc videtur eſſe juſta cauſa peccandi, quia nemini moleſtiam ſponte inferunt, ſed tantum repellunt vim ſibi illatam, vel retaliant fraudem fraude: hoc putant eſſe licitum. Propheta ut huic tentationi occurrat, jubet fideles reſpicere ad Deum: quemadmodum ſæpe hæc ſententia repetitur Pſal. 119. quod ſcilicet fideles non rapiantur pravis exemplis, ſed maneant ſemper defixi in Dei verbo, etiamſi ſuſtineant magnos & violentos impulſus. Nunc videamus Prophetæ verba. *Ego*, inquit, *ad Jehovam reſpiciam.* nam verbum צפה quo utitur, proprie ſignificat Speculari: interdum accipitur pro expectare. Sed libenter retineo pro-

priam

priam ſignificationem: *Ego*, inquit, *ſpeculabor ad Deum*, hoc eſt, perinde agam acſi unus mihi Deus eſſet præ oculis. Unde enim fit, ut ſibi indulgeant etiam boni, dum verſantur inter malos & ſceleratos, niſi quia occupantur in præſenti intuitu? Ergo ſi volumus integritatem colere, ubi mundus nobis proponit duntaxat peccandi exempla, diſcamus quaſi clauſis oculis præterire omnes offenſiones. Hoc fiet, ſi oculos in ſolum Deum dirigamus. *Ego*, inquit, *reſpiciam ad Jehovam:* deinde, *expectabo ad Deum ſalutis meæ.* Nihil hic novum dicit Propheta, ſed clarius tamen explicat proximum membrum. Nam definit modum ſpeculationis, de quo loquutus eſt: acſi diceret, Patienter feram, dum mihi ſuccurrat Deus: quia ubi nobis hinc inde moleſti ſunt improbi, ſtatim facile erit avertere oculos à Deo, niſi inſtructi ſimus patientia. Unde autem patientia, niſi quum certo perſuaſi ſumus Deum fore nobis liberatorem, quum ſcilicet advenerit opportunum tempus? Nunc tenemus conſilium Prophetæ. Oſtendit enim non poſſe aliter pios conſtanter perſtare in ſua integritate, niſi convertant oculos ad unum Deum. Jam adjungit, non poſſe etiam in illa cogitatione retineri, niſi Deum patienter expectent, hoc eſt, auxilium ejus. Et vocat *Deum ſalutis ſuæ:* quo ſignificat ſe fretum ejus verbo, ita perſeverare in tolerandis injuriis. Neque enim fieri poteſt, ut ſubjiciat ſe quiſpiam Deo, & ſe tuendum ei tradat, niſi primo hoc in ejus animo fixum ſit, nempe Deum nunquam deſerere ſuos. Hæc igitur ratio eſt cur *Deum* vocet *ſalutis ſuæ.* Nam debet referri hoc elogium ad præſentem circumſtantiam: acſi diceret, Etiamſi non appareat manus Dei ad me juvandum, vel ad ferendas ſuppetias, ego tamen certus ſum de ejus gratia, & ſcio in ea mihi repoſitam eſſe ſalutem. Poſtea adjungit, *Exaudiet me Deus meus.* Hic confirmat quod jam diximus, nempe ſe promiſſionibus Dei fultum ita ad patientiam animum ſuum componere, quia patientia ſubinde evaneſcet vel excutietur ipſis tentationibus, niſi certo ſimus perſuaſi Deum habere ſalutis noſtræ curam, & non fruſtra nos in ipſo ſperare. Neque etiam ſupervacuum eſt quod dicit *Deum eſſe ſuum.* Erat tamen unus è populo: & videtur hoc fuiſſe commune ac promiſcuum omnibus Judæis. Neque tamen dubium eſt, quin Propheta hic ſibi privatim Deum conjungat, nempe quia vulgus hominum ad impietatem defecerat. Gloriabantur quidem omnes Dei nomine, ſed perperam & falſo. Oſtendit igitur Propheta ſe alio modo eſſe ſub tutela Dei, quam reliquos. Nam ubi ſibi quis licentiam nocendi permittit, renunciat ſimul Deo, & ejus tutelæ. Non dubium igitur eſt, quin Propheta hic oblique perſtringat impietatem vulgi: quia quum paſſim volitaret inanis jactantia in ore omnium, quod adoptati eſſent à Deo, eſſent ſanctum Abrahæ genus, vix tamen centeſimus quiſque in Deum reſpiceret. Cæterum, hoc quoque notare operæ pretium eſt, Prophetam, ubi dicit, *Exaudiet me Deus*, ſimul etiam teſtari de fide ſua, quod ſcilicet ſemper ad opem Dei ſe conferet, ac precibus ſe exercebit, quoties urgebit neceſſitas: neque enim exaudit Deus niſi dum invocatur. Ergo hic Propheta ſuo exemplo ſtudium precandi nobis commendat. Jam in genere docet hic verſus, non excuſari nos, ſi abripimur malis exemplis, quemadmodum quotidie fieri ſolet. Tunc enim reſpicere in Deum maxime convenit, ubi graſſatur ſcelerum licentia in mundo, ubi libidines hominum ſunt pro regula & lege: tunc debemus nos quodammodo abdicare à conſortio hominum, ne ſua pravitate nos implicent. Ergo qui obtendunt aliorum exempla, frivola excuſatione utuntur: quemadmodum videmus hodie pleroſque opponere clypeum conſuetudinis: etiamſi aperte coarguantur verbo Domini, putant tamen juſtam ſibi eſſe defenſionem, quia alios ſequuntur. Atqui videmus quam frivola ſit iſta ſecuritas: quia dubium non eſt, quin Propheta hic legem præſcribat omnibus filiis Dei, quid agere debeant, ubi eos ſollicitat pravis exemplis & multis ſcandalis diabolus ad peccandum. Pergamus.

8. Ne gaudeas de me inimica mea, quia ceciderim, ſurgam: (*vel quamvis ceciderim, ſurgam*) quum ſedebo in tenebris, Jehova erit lux mihi.

Hic Eccleſiæ perſonam induit Propheta, & repellit tentationem, quæ nos valde acriter pungit in rebus adverſis. Neque enim tantum eſt acerbitatis in ipſo malo, quantum in ludibriis improborum, ubi nobis petulanter inſultant, derident fidem noſtram. Et ingenuis naturis ſemper durior eſt contumelia, quam ipſa mors. Et tamen diabolus ſemper fere utitur hoc artificio: quia ubi videt nos ſtare firmos in tentationibus, ſubornat improbos, & acuit eorum linguas, ut nobis maledicant, & probris ſuis nos vulnerent. Hæc ratio eſt cur nunc Propheta dirigat ſermonem ad inimicos Eccleſiæ. Cæterum, quia Deus Eccleſiam vocat ſponſam ſuam, & nobis deſcribitur ſub perſona mulieris, ideo etiam ſancti populi inimicos hic comparat mulieri protervæ. Quemadmodum ergo, ſi ſit æmulatio inter duas mulieres, quæ videbit ſuam inimicam incommodis vel rebus adverſis premi, ſtatim ſeſe eriget & inſultabit: ſic etiam Propheta dicit hoſtes Eccleſiæ acuere linguas ſuas, & evomere tunc ſuam virulentiam, ubi vident filios Dei vel laborare, vel fere obrui rebus adverſis. Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ: nempe vult nos, quemadmodum dixi, armare contra ludibria impiorum; ne prævaleant, ubi Deus rebus adverſis nos premit, ſed ſtemus fortes, atque etiam animis compoſitis & tranquillis devoremus hanc indignitatem. *Ne læteris ergo de me inimica mea*, inquit. Quare? additur conſolatio. Neque enim ſufficeret ſi cum aliquo faſtidio quis repelleret ludibria hoſtis ſui: ſed dicit hic Propheta, *Ne læteris quia ceciderim, ſurgam:* vel quamvis ceciderim, ſurgam. Et videtur contextus hic melius quadrare, *Ne læteris de me*, ut ſit illic diſtinctio: deinde, *quamvis ceciderim, ſurgam: quamvis ſedeam in tenebris, Jehova lux mihi.* Significat Propheta non eſſe exitialem caſum Eccleſiæ: alioqui ſuppeteret ſatis ampla materia hoſtibus noſtris ad nos ridendos, niſi quia non poteſt nos fallere illa promiſſio, Septies in die cadit juſtus, & reſurgit. Cur? nempe quia Deus ſupponit manum ſuam. Tenemus ergo rationem contextus. Nam ſi deſtitueret nos Deus omni ſpe, merito illuderent nobis hoſtes, & neceſſe nobis eſſet obmuteſcere. Cæterum, ubi certo perſuaſi ſumus Deum præſto ſtatim fore, ut nos reſtituat in integrum, jam poſſumus intrepide excipere contra hoſtes noſtros, ubi nos ſuis ſubſannationibus exagitant. *Quamvis ceciderim, ſurgam:* non eſt quod nunc mihi contumelioſe inſultes quamvis ceciderim; Deus enim voluit me labi, ſed hac lege, ut ſtatim reſurgam: deinde etiamſi nunc jaceam in tenebris, Dominus tamen erit mea lux. Videmus itaque ſpem noſtram victricem eſſe contra omnes tentationes. Et hic locus optime docet quam verum ſit illud Joannis, fidem noſtram eſſe nobis victoriam contra totum mundum. Nam ſi dolor & mœſtitia occupet ſenſus noſtros, non tamen cedemus, ubi nobis hoc occurret, Deum fore auxiliatorem tempore opportuno. Jam ſi etiam homines virus ſuum contra nos evomant, erimus iiſdem armis inſtructi: ita fiet, ut nunquam animi noſtri ſuccumbant, ſed fortiter repellant omnes Satanæ & improborum inſultus. Hoc diſcimus ex præſenti loco. Jam quod Propheta dicit, *Quamvis ceciderim, reſurgam*, videmus quid velit nos Deus expectare, nempe miſeriis noſtris

Prov. 24. verſ. 16.

1 Joan. 5. verſ. 4.

noſtris ſemper fore optabilem & lætum exitum: quemadmodum paulo poſt rurſus de ea re copioſius diſſeram. Quod attinet ad poſtremum membrum, *Si ſedeam in tenebris, Deus lux mihi*, videtur eſſe confirmatio proximæ particulæ, ubi dixerat Propheta caſum Eccleſiæ nunquam eſſe exitialem. Sed tamen quidam putant aliquid majus exprimi, quod ſcilicet in ipſis tenebris ſemper affulgeat aliqua lucis ſcintilla. Sic ergo membrum hoc à ſuperiore diſtinguunt, quod fideles poſtquam ceciderint, reſurgent: quantiſper vero jacuerint quaſi demerſi in tenebris, etiam tunc non carebunt ſolatio, quia Dei gratia ſemper illis affulget. Et videtur hoc melius quadrare: imo fieri non poteſt, ut quiſquam ſibi promittat liberationem, de qua loquutus eſt Propheta, niſi in denſiſſimis tenebris ſemper cernat aliquid lucis, & ſuſtentet ſe aliqua dulcedine bonitatis Dei. Guſtus autem gratiæ Dei in afflictionibus proprie confertur luci: quemadmodum ſiquis projectus in altam foveam, procul tamen lucem Solis aſpiciat, erigens oculos ſurſum: ſic etiam non debet nobis obſtare quantumvis obſcura & denſa caligo in tribulationibus, quin ſemper ſcintillæ lucis nobis affulgeant, hoc eſt, quin ſemper fides erigat oculos noſtros ſurſum, ut fruamur aliquo guſtu bonitatis Dei. Pergamus.

9. Iram Jehovæ feram, quia peccavi ei, donec diſceptet cauſam meam, & faciat judicium meum: *(vel afferat jus meum)* educet me in lucem, cernam juſtitiam ejus.

Hic Eccleſia Dei ſe animat & hortatur ad patientiam, idque præcipue facit duobus argumentis. Primo enim ſibi proponit ſua peccata, atque ita ſe humiliat coram Deo, quem agnoſcit juſtum judicem: deinde amplectitur ſpem remiſſionis peccatorum, ex qua naſcitur ſalutis fiducia. His duabus fulturis ſeſe Eccleſia ſuſtentat, ne ſuccumbat ſuis miſeriis: & quemadmodum jam dixi, colligit animos ad patientiam. Primo itaque dicit, *Iram Jehovæ feram, quia peccavi ei*. Hic locus docet, ubi quis ſerio afficitur ſenſu judicii Dei, ſimul etiam formari ad patientiam: quia fieri non poteſt, quin peccator, ubi ſibi male conſcius eſt, & ſentit juſtas pœnas ſe dare, cum vera humilitate ac ſuppliciter ſubjiciat ſe Dei arbitrio. Ergo ubi contumaciter fremunt homines contra Deum, vel obmurmurant, certum eſt eos nondum ſentire ſua peccata. Fateor quidem multos ſibi eſſe male conſcios, qui tamen contra Deum luctantur, & ferociter repellunt, quantum in ſe eſt, ejus manum, & etiam blaſphemant ejus nomen, ubi eos caſtigat: ſed illi nondum tanguntur vero ſenſu pœnitentiæ, ut
Mat. 27. verſ. 3. ſibi diſpliceant. Judas agnoſcit quidem ſe peccaſſe, &
hoc libere fatetur. Cain libenter tegeret ſcelus ſuum:
Gen. 4. verſ. 13. ſed Dominus illi confeſſionem violenter extorquet.
Interea tamen non reſipiſcunt: imo non deſinunt obſtrepere Deo. conqueritur enim Cain pœnam eſſe graviorem, quam ferre poſſit: Judas deſperat. Idem etiam contingit omnibus reprobis. Videntur ergo illi ſatis convicti eſſe, ut reatum ſuum agnoſcant, & quaſi ſubſcribant Dei judicio: ſed non vere ſentiunt peccata ſua, ut ſibi in illis diſpliceant, quemadmodum dixi. Nam pœnitentia ſemper conjuncta eſt cum hoc obſequio, de quo nunc Propheta loquitur. Quiſquis ergo vere afficitur ſuis peccatis, ille ſimul ſe præbet Deo morigerum, & ſe totum ſubmittit ejus arbitrio. Sic pœnitentia ſemper ex ſe tolerantiam crucis parit, ut qui ſiſtit ſe ad Dei tribunal, ſimul etiam permittat ſe caſtigandum, & pœnas ipſas æquo animo ſuſtineat: quemadmodum bos ſubactus ſemper recipit jugum, neque obluctatur; ſic etiam qui vere tangitur ſenſu peccati ſui, paratus eſt ad tolerandas pœnas qualeſcunque Deo viſum fuerit infligere. Hoc igitur primo loco diſcendum eſt ubi ſic loquitur Propheta, *Iram Jehovæ feram, quia peccavi ei*. Hinc etiam colligimus litigare cum Deo, quicunque non ferunt patienter ejus flagella: quia etiamſi aperte non objiciant Deo ſe eſſe juſtos, tamen non tribuunt ei juſtam gloriam, ut fateantur ipſum eſſe juſtum judicem. Quare? Hæc enim inter ſe cohærent, & conjuncta ſunt individuo nexu, ſentire ſua peccata, & patienter ſe ſubjicere arbitrio judicis, ut pœnas ſumat. Jam ſequitur alterum argumentum. *Donec diſceptet cauſam meam, & afferat jus meum: educet me in lucem, videbo juſtitiam ejus.* Hic Eccleſia innititur ſecundæ fulturæ: quia etiamſi Dominus graviſſime eam affligat, non tamen abjicit fiduciam ſalutis, quia ſcit ſe caſtigari in ſuum bonum, quemadmodum paulo ante vidimus. Et certe non poſſet vel ad momentum quiſpiam durare in miſeriis, niſi conciperet liberationis fiduciam, & promitteret ſibi felicem exitum. Non debent igitur nec poſſunt hæc duo ſeparari, nempe ſcelerum noſtrorum agnitio, quæ nos coram Deo humiliet: deinde guſtus bonitatis ejus, & firma ſalutis noſtræ certitudo: quia Deus teſtatus eſt ſe nobis fore ſemper propitium, utcunque pœnas de peccatis noſtris ſumat; & ſe memorem fore miſericordiæ, etiam in media ira, quemadmodum dicit Hab. 3.
Habacuc. Non ſufficeret igitur ſentire ſua mala, verſ. 2.
niſi accederet conſolatio ex promiſſionibus gratiæ. Cæterum, oſtendit Propheta Eccleſiam fuiſſe innoxiam, reſpectu hoſtium ſuorum, quamvis merito pœnas det. Atque hoc diligenter notandum eſt: quia quoties nobis negotium eſt cum improbis, putamus nihil eſſe in nobis vitii. Atqui duo hæc conſideranda erant, nempe improbos nobis ſine cauſa inferre moleſtiam; & ideo juſtam eſſe cauſam noſtram ipſorum reſpectu: deinde nos tamen juſte affligi divinitus; quia ſemper reperiemus multas cauſas cur Dominus nos caſtiget. Hæc igitur duo ſimul conſideranda nobis ſunt, quemadmodum hic admonet Propheta. Nam dixit initio verſus, Iram Dei feram, quia peccavi ei: nunc autem addit, Aſſeret tamen Dominus jus meum, litigabit litem meam (ad verbum) hoc eſt, diſceptabit cauſam meam. Si Eccleſia rea eſt coram Deo, imo non expectat judicis ſententiam, ſed eam prævenit, ac libere fatetur ſe dignam eſſe talibus pœnis; quid hoc ſibi vult, quod Dominus diſceptabit ejus litem, quod ſuſcipiet ejus cauſam? videntur hæc duo inter ſe pugnare: ſed optime conveniunt ſecundum diverſos reſpectus. Nam confeſſa fuit Eccleſia ſe peccaſſe Deo: nunc convertit oculos ad hanc ſecuritatem: ſcit autem ſe immerito ab hoſtibus vexari: ſcit illos impelli mera crudelitate ad maleficium. Hæc igitur ratio eſt, cur Eccleſia confidat, & expectet Deum fore vindicem ſuæ innocentiæ, nempe contra improbos: & tamen ſuppliciter agnoſcat ſe peccaſſe coram Deo. Quoties ergo nobis injurias inferent hoſtes noſtri, teneamus hoc principium, Deum fore vindicem: quia ſemper patronus erit juſtitiæ & æquitatis. Fieri ergo non poteſt, ut Deus ita proſtituat nos impiorum violentiæ. Tandem ergo *litigabit litem noſtram*, hoc eſt, diſceptabit cauſam noſtram, & erit ejus cognitor. Sed interea ſemper peccata noſtra nobis occurrant, ut vere humiliati coram Deo, non ſperemus ſalutem quam nobis promittit, niſi ex gratuita venia. Quare ergo jubentur fideles bono eſſe animo in ſuis afflictionibus? Quia Deus pollicitus eſt ſe fore eorum patrem: recepit illos in ſuam fidem: teſtatus eſt ſuum auxilium illis non defore. Sed unde fiducia? An quia digni ſint? An quia tale aliquid ſint promeriti? Minime: ſed agnoſcunt ſe reos eſſe, ubi coram Deo humiliati ſeſe proſternunt, & ubi ſponte ad ejus tribunal ſeſe damnant, ut præveniant ejus judicium. Videmus nunc quemadmodum optime contexat Propheta duas iſtas ſententias, quæ alio-

qui videri poſſent in ſpeciem pugnare. Sequitur, *Educet me in lucem, cernam juſtitiam ejus.* Adhuc ſe confirmat Eccleſia in ſpe liberationis. Et hinc etiam patet quomodo Deus ſit fidelibus lux in obſcura caligine, quia ſcilicet vident exitum paratum eſſe malis ſuis; ſed procul vident, quia ſpem ſuam extendunt ultra metam hujus vitæ. Sicuti ergo veritas Dei ſeſe diffundit per cœlum & terram, ita fideles ſpem ſuam longe & late extendunt: ſic fit ut procul aſpiciant lucem, quæ videtur ab illis eſſe remotiſſima. Et hac fiducia etiam dicit Propheta, *Educet me Dominus in lucem.* Interea, quemadmodum jam dixi, habent aliquam lucem, hoc eſt, fruuntur guſtu bonitatis Dei etiam in mediis malis. Sed Propheta nunc lucem intelligit ipſum exitum, quem ſperare nos oportet etiam in rebus deſperatis. Sequitur, *Videbo juſtitiam ejus.* Per Dei Juſtitiam intelligitur, ut alibi dictum fuit, gratia erga fideles: non quod rependat Deus operibus ipſorum ſalutem quam confert, ſicuti ſtulte imaginantur profani homines. Arripiunt enim nomen illud Juſtitiæ, & putant meritis noſtris deberi quicquid beneficiorum gratis in nos Deus confert. Quare? nam Deus hoc modo oſtendit ſuam juſtitiam. Atqui longe eſt alia ratio hujus loquutionis. Deus enim ut oſtendat quam ſibi chara & pretioſa ſit noſtra ſalus, dicit ſpecimen ſuæ juſtitiæ ſe præbere velle in nobis liberandis. Cæterum, in hac voce *Juſtitia* eſt relatio. Quia enim Deus pollicitus eſt ſalutem noſtram ſibi curæ fore, ideo juſtus apparet quoties nos eripit ex noſtris miſeriis. Juſtitia ergo Dei non refertur ad merita operum, ſed potius ad promiſſionem, qua ſe nobis obſtrinxit. Et ideo ſæpe etiam eodem ſenſu vocatur Deus fidelis. Denique idem ſignificat Dei juſtitia & fidelitas. Nunc quum dicit Propheta in perſona Eccleſiæ, *Videbo juſtitiam ejus*, intelligit etiamſi Deus occultet favorem ſuum ad tempus, & manum ſuam ſubducat, ut nulla ſpes ſuperſit auxilii, tamen quia juſtus eſt, fieri non poſſe, quin nobis ſuccurrat. *Videbo* igitur *juſtitiam ejus*, hoc eſt, Deus reipſa tandem oſtendet ſe eſſe juſtum. Sequitur,

10. Et videbit inimica mea, & operiet eam pudor, quæ dixit mihi, *(vel de me)* Ubi Jehova Deus tuus? oculi mei videbunt, & nunc erit in conculcationem ſicuti lutum platearum.

Sed ego non poſſem nunc abſolvere. Precemur Dominum.

Da omnipotens Deus, quando hodie tot miſeriis ſumus circumdati, imo quocunque flectamus oculos, ubique nobis occurrunt innumera mala, quæ totidem teſtimonia ſunt iræ tuæ: da, inquam, ut vere humiliati coram te, ſimul etiam attollere diſcamus oculos in promiſſiones gratuitæ bonitatis tuæ, & paterni favoris, quem nobis pollicitus es in Filio tuo, ut non dubitemus te nobis fore propitium, quia nos in populum adoptaſti; & quoniam ita inſtructi contra nos hoſtes noſtri ſæviunt, & furioſe etiam quotidie inſurgunt, ut non dubitemus te nobis fore præſidio, quoniam ſcis nos injuſte ab illis infeſtari: & ita pergamus in fiducia tuæ bonitatis, ut ſemper gemamus ſub onere vitiorum noſtrorum, & aſſidue fateamur nos reos eſſe mille mortium coram te, niſi quia pro immenſa tua miſericordia dignaris nos ſemper recipere & colligere, per eundem Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA SEPTIMA

IN

MICHÆAM PROPHETAM.

CAP. VII.

PRoxima lectione recitavi verſum 10. ultimi capitis, ubi Propheta adjungit ad cumulum gaudii, quod hoſtes Eccleſiæ videbunt cum magna indignatione admirabilem illam gratiam de qua nuper loquutus fuerat. Sed hoſtes ipſos deſcribit ſub perſona mulieris æmulæ: ſicuti etiam Eccleſia Dei mulieri confertur. Et hoc genus loquendi ſatis tritum eſt in Scripturis. Vocat igitur Jeroſolyma, vel Babylonem ſuam æmulam, vel alias omnes urbes hoſtium. Dicit autem, *Operietur pudore:* quia ſcimus impios inſoleſcere ſimulac illis arridet fortuna. In rebus ergo proſperis nullum tenent modum, quia putant Deum quaſi ſub pedibus ſuis eſſe. Si hoc plerumque facit proſperitas apud pios, ut Dei, & ſui etiam obliviſcantur, non mirum eſt ſi increduli magis ac magis obdureſcant, ubi Deus ipſis indulget. Reſpectu igitur talis ſuperbiæ nunc dicit Propheta, *Ubi inimica mea viderit, pudor operiet eam*, hoc eſt, deſinet ſuo more ſeſe efferre in ſuis jactantiis: imo cogetur præ verecundia ſeſe occultare: quia ſcilicet videbit ſe longe fuiſſe deceptam, quod putabat in totum me periiſſe. Poſtea adjungit, *Dicebat mihi, Ubi Jehova Deus tuus?* Hic Eccleſia Dei inſultat viciſſim incredulis, ubi videt ſe divinitus eſſe liberatam: neque id facit ſua cauſa, ſed quia impii ſacrum Dei nomen arripuerant ad contumeliam, quod etiam nimia vulgare eſt. Nam quoties Deus affligit ſuos, ſtatim criſtas erigunt increduli, & blaſphemias ſuas evomunt contra Deum, quum tamen potius deberent ſeſe humiliare ſub ejus manu. Nam ſi Deus exerceat ſua judicia contra fideles, quid ſperandum eſt impiis ejus contemptoribus? Si horrendis modis graſſatur Dei vindicta in lignum viride, quid fiet ubi pervenerit uſque ad lignum aridum? Atqui impii ſimiles ſunt ligno arido. Sed quia cæcutiunt ad Dei judicia, ideo petulanter ſubſannant ejus nomen, quoties vident Eccleſiam affligi: quaſi res adverſæ non eſſent teſtimonia iræ Dei. Caſtigat enim ſuos filios, ut ſe oſtendat mundi judicem. Sed quemadmodum jam dixi, impii ita obdureſcunt in ſuo ſtupore, ut nihil prorſus conſiderent. Ergo hic fideles poſtquam experti ſunt Deum liberatorem, ut gratitudinis teſtimonium reddant, ſuſcipiunt ejus cauſam: non reſpiciunt ſeipſos, neque ſuas perſonas; ſed potius hic patrocinantur juſtitiæ Dei. Talis eſt iſta inſultatio. *Dicebat, Ubi nunc Jehova Deus tuus?* Ego poſſum reipſa me oſtendere colere verum Deum, qui ſuos in extrema neceſſitate non deſerit. Poſtquam ergo mihi opitulatus eſt, jam quærat latebras inimica mea, quæ ita auſa eſt inſurgere contra Deum. *Nunc*, inquit, *erit in conculcationem ſicuti lutum platearum, & oculi mei videbunt eam.* Quod dicit Propheta ſub nomine Eccleſiæ, fore incredulos inſtar luti, pendet ex promiſſione quam antea vidimus. Nam Deus ita Eccleſiæ ſuæ apparet redemptor, ut non relinquat hoſtes ſuos inultos. Trahit igitur ad pœnam Deus impios, dum ſuis ſuccurrit.

Ergo Eccleſia ubi amplectitur redemptionem ſibi oblatam, ſimul conſpicit propinquum exitium, quod impendet omnibus Dei contemptoribus. Quod etiam inſeritur, *Videbunt oculi mei*, non debet ita accipi, quaſi fideles lætitia carnis exultent quum vident impios dare pœnas quas meriti ſunt. Nam *videre* hic metaphorice accipitur pro frui læto vel jucundo ſpectaculo, quemadmodum pluribus aliis locis: quia hæc loquutio frequenter occurrit, ideo debet ſatis notus eſſe ſenſus. *Videbunt* igitur *oculi mei*, hoc eſt, fruar ſpectaculo cladis, quæ jam omnibus impiis impendet. Sed quemadmodum jam dixi, hic non exprimitur carnis lætitia, quæ intemperanter exultet: ſed exprimitur verum gaudium, quod concipiunt fideles ex intuitu gratiæ Dei, & judicii etiam. Hoc autem gaudium non poterit penetrare in corda noſtra, donec purgata ſint immodicis paſſionibus: quia ſemper tam in metu & triſtitia, quam in ſpe & gaudio ſumus nimii, donec frenum nobis injecerit Dominus. Erimus ergo hujus ſpiritualis gaudii capaces, de quo loquitur Propheta, poſtquam exuerimus omnes affectus inordinatos, & Deus nos ſubegerit ſuo ſpiritu, ut poſſimus modum tenere in noſtra lætitia. Jam ſequitur apud Prophetam,

11. Dies ad ædificandum parietes tuos: dies iſte procul abiget edictum.
12. Die iſto etiam ad te veniet ab Aſſur, & urbibus munitionis, & à munitione etiam ad fluvium, & ad mare à mari, & à monte ad montem.

Proſequitur Michæas doctrinam, quam prius attigerat, nempe etiamſi Eccleſia miſere perditam ſe exiſtimet ad tempus, tamen Deum fore ejus liberatorem. Primo dicit, *Diem inſtare, quo maceriæ ædificentur.* Nam גדר proprie vocant vel Sepem, vel parietem: ita diſcernitur hoc nomen à muris in quibus major eſt munitio. Significat igitur tempus venturum, quo Deus colligat Eccleſiam ſuam, & conſervet, quaſi tecta eſſet parietibus undique. Nam ſcimus diſſipationem Eccleſiæ conferri quaſi parietibus dirutis: quemadmodum ſiquis evellat ſepes ex agro aut vinea, ſiquis etiam clauſuras omnes perfringat: ſic ubi Eccleſia expoſita eſt in prædam omnibus, dicitur eſſe apertus ager, vel vinea quæ caret omnibus clauſuris. Ex oppoſito nunc dicit Propheta, tempus venturum, quo rurſus fideles ædificent ſibi parietes, quibus protegantur ab inſultu hoſtium, & direptione. *Dies* ergo *ad ædificandum macerias tuas.* Poſtea adjungit, *Hic dies procul expellet edictum.* Alii vertunt, Tributum. Sed nomen hoc proprie ſignificat edictum: & optime convenit præſenti loco, quia ſignificat Propheta populum non fore amplius obnoxium tyrannidi Babylonicæ, ſicuti antea. Nam poſt everſam Jeroſolymam, non dubium eſt quin Babylonii ſeſe extulerint valde crudeliter adverſus miſerum populum: quin volitaverint etiam formidabiles minæ. Propheta ergo ſub nomine *edicti* complectitur crudele & tyrannicum illud imperium, quod Babylonii ad tempus exercuerunt. Scimus quid Deus Judæis denunciet per
Eze. 20. Ezechielem, Noluiſtis ſervare leges meas bonas:
verſ. 25. dabo igitur vobis leges non bonas, inquit, quas cogemini ſervare: & tamen non vivetis in illis. Leges illæ non bonæ fuerunt edicta de quibus nunc Propheta differit. *Dies* igitur *ille procul abiget edictum*, ne ſcilicet ita ſibi metuant Judæi à legibus hoſtium ſuorum. Neque enim dubium eſt, quin ſub graviſſimis pœnis vetuerint Babylonii, ne quis rurſus erigeret vel domum unam in illo loco, ubi fuerat prius Jeroſolyma. Volebant enim locum illum ita manere vaſtum, ut populus ſciret nullam ſpem eſſe reſtitutionis. *Dies* ergo *elongabit*, vel procul abiget, *edictum*: quia ſcilicet dabitur libera facultas Judæis urbis ſuæ inſtaurandæ: deinde non ita trepide exſpectabunt in ſingulas horas, donec prodeant nova edicta, quæ denuncient graves pœnas, ſiquis audeat fratres ſuos hortari ad ædificandum Dei Templum. Quidam trahunt hæc Prophetæ verba in diverſum ſenſum: primo exiſtimant Prophetam ſimpliciter loqui de ſpirituali Chriſti regno: deinde verbum רחק accipiunt pro Extendere vel propagare; & hoc volunt eſſe Euangelium, quod juſſu Patris Chriſtus promulgavit per totum orbem. Verum quidem eſt Davidem uti hac voce Pſal. 2., ubi de publicatione Euangelii loquitur: verum etiam eſt Pſal. 110. promitti edicti illius promulgationem, Virgam virtutis tuæ emittet Jehova è Sion. Sed locus hic non patitur ſe ita violenter torqueri. Non dubium igitur eſt quin Propheta intelligat liberos fore Judæos ab omni metu tyrannidis, ubi Deus eos aſſeruerit in libertatem. Et רחק etiam non ſignificat extendere ac propagare, ſed procul expellere. *Dies* igitur *iſte expellet decretum*, ne ſcilicet amplius ſint obnoxii fideles tyrannicis imperiis. Jam tenemus genuinum Prophetæ ſenſum. Nec dubium eſt, quin fideles talibus vaticiniis freti in rebus deſperatis precati fuerint: quemadmodum videmus exemplum Pſal. 102., Dies jam adeſt quo miſerearis Sion, & ædifices muros ejus: nam & ſervi tui miſerebuntur lapidum ejus. Neque enim fideles temere ita precati ſunt, ſed quaſi dictaſſet illis Deus precandi formam ore ſuo, ſumpta fiducia veluti ex compacto cum Deo egerunt: Domine, tu pollicitus es novam urbis ædificationem: deinde tempus præfixum eſt per Jeremiam, & per alios Prophetas. Ergo quum nunc tempus hoc impletum fuerit, jam da ut rurſus inſtauretur & Templum tuum, & urbs ſancta. Alii vertunt, Die quo ædificabis (vel ædificabit Deus) macerias tuas, die illo elongabitur decretum. Sed non dubito quin ſeorſum Propheta hic & urbis inſtaurationem, & liberum ſtatum promittat fidelibus. Bimembris igitur eſt oratio, quia primo ſignificat Propheta jam inſtare tempus, quo fideles ædificent ſuas macerias, ne ſcilicet pateant hoſtium libidini: deinde adjungit liberos fore à metu tyrannidis; quia Deus, quemadmodum dicitur apud Jeſaiam, fran- Jeſ. 9.
get jugum oneris, & ſceptrum exactoris. Eſt enim verſ. 4.
prorſus eadem ſententia. Poſtea addit, *Et die illo veniet etiam uſque ad te ab Aſſur.* Eſt aliqua in verbis obſcuritas, ideo multa ſubaudiunt interpretes. Sed mihi tamen non videtur dubius eſſe ſenſus Prophetæ. Dicit, *Die illo etiam uſque ad te veniet ab Aſſur, & urbibus munitionis, & à munitione etiam ad fluvium, & ad mare à mari, & à monte ad montem.* Quanquam alii הר putant nomen eſſe proprium montis: ideo vertunt, & Har montem. Scimus in monte Hor fuiſſe ſepultum Aaron. Sed non dubium eſt quin Propheta hic deſignet aliam regionem: & coacta eſt illa verſio de monte Har. Non dubito igitur quin Propheta utroque loco appellative nomen montis repetat: quaſi diceret, A montibus uſque ad montes. Jam videndum eſt quid velit Propheta. Quod ad verba ſpectat, nulla eſt, ut dixi, ambiguitas, modo teneamus ſummam rei: huc autem ſpectat conſilium Prophetæ, Jeroſolymam, ubi reſtituta fuerit divinitus, tanto fore in honore apud omnes gentes, ut undique fiat concurſus ad eam. Significat igitur ſplendidiſſimum fore ſtatum urbis, ut undique confluant omnes populi. Et ideo ו copula bis hic accipitur pro Etiam, ad amplificationem ſcilicet: *Die illa etiam ad te*; poſtea, *Etiam ad fluvium.* Neque enim credibile erat ullam fore amplius dignitatem Jeroſolymæ, poſtquam funditus fuerat exciſa cum Templo. Non mirum eſt igitur, ſi Prophetæ hic confirmet diligentius quod minime conſentaneum erat, ſaltem pro com-

muni hominum ſenſu, ut ſcilicet Jeroſolyma attraheret ad ſe eunctas gentes, & procul remotas. *Venient* ergo: nam verbum יבוא debet reſolvi in numerum pluralem. accipitur enim indefinite. *Venient* ergo *ab Aſſur uſque ad te.* Atqui prius Aſſyrii diſſipaverant totam terram, funditus everterant regnum Iſraël, & fere nomen deleverant: vaſtatum etiam ab illis fuerat regnum Jebudah, reſtabat tantum exigua portio. Poſtea ſcimus veniſſe cum Chaldæis, poſtquam translata fuerat Babylonem ſedes imperii, & Nineve diruta fuerat. Quum ergo nominat Aſſyrios, non dubium eſt quin per ſynecdochen etiam comprehendat Babylonios. *Venient* igitur *ab Aſſur*: deinde *à civitatibus munitionis, & à munitione*, hoc eſt, à qualibet munitione. Nam qui צור accipiunt pro Tyro, falluntur: ponitur enim bis מצור, quod ſignificat arces & propugnacula. Deinde *ad fluvium*, hoc eſt, uſque ad ultimos fines Euphratis. Nam κατ' ἐξοχὴν multi fluvii nomen exponunt de Euphrate: ſicuti pluribus Scripturæ locis ſumitur. Quanquam non minus commode licebit interpretari de quibuslibet fluviis: acſi diceret Propheta, nihil fore obſtaculo, quominus iter conficiant qui properabunt Jeroſolymam. *Ad fluvium* ergo, *& à mari ad mare*, id eſt, à longinquis finibus certatim omnes convenient, adducti celebritate ſanctæ urbis: quia ubi rurſus ædificata fuerit mandato Dei, acquiret ſibi novum & inſolitum ſplendorem, ut undique illuc conveniant omnes populi. Poſtea, *A monte uſque ad montem*, hoc eſt, à regionibus procul diſſitis. Hæc ſumma eſt. Promittit igitur Propheta quod omnes putaſſent eſſe fabuloſum; nempe tantam fore dignitatem urbis Jeroſolymæ, poſtquam reverſi fuerint Judæi ab exilio, ut futura ſit quaſi ſupremum caput orbis. Unum addendum eſt. Qui locum hunc ad Chriſtum reſtringunt, videntur quidem non carere prætextu; quia ſtatim ſequitur nova comminatio de terræ vaſtitate. Videtur autem eſſe aliqua repugnantia, niſi Propheta bic Eccleſiam ex Gentibus collectam comparet cum veteri populo. Sed optime conveniunt hæc ioter ſe, quod Propbeta denunciet vindictam Dei incredulis, qui tunc vivebant: & tamen pronunciet Deum fore miſericordem erga electos ſuos. Cæterum, reſtrictio quam ipſi urgent, nimis eſt violenta, quia ſcimus hunc morem receptum fuiſſe Prophetis, ut extenderent gratiam Dei à reditu veteris populi uſque ad Chriſti adventum. Quoties ergo prædicant Dei gratiam Prophetæ in liberatione populi, tranſitum ſimul faciunt ad Chriſtum: ſed continuant totum medium tempus. Et hanc rationem ounc ſequitur Propbeta: & nobis etiam tenenda eſt. Pergamus.

13. Et erit terra in deſolationem propter incolas ſuos à fructu operum ipſorum.

Videtur, quemadmodum jam dixi, pugnare ſecum Propheta, quoniam ex abrupto, poſtquam loquutus eſt de renovatione terræ, dicit jam fore deſertam, quia Deus ſcilicet oimium provocatus fuerat ſceleribus populi. Sed alibi diximus hoc eſſe fere ordinarium Propbetis, ut ab una parte denuncient vindictam Dei Judæis omnibus: deinde ſtatim convertant ſe ad fideles, qui exigui erant numero, & erigant eorum animos propoſita ſpe ſalutis. Scimus enim fuiſſe Propbetis negotium cum perditis Dei contemptoribus. Oportuit igitur ipſos fulminare quum reſpicereot ipſum corpus populi. nam pervaſerat contagio ad omnes ordioes, ut eſſent omnes apoſtatæ à primo uſque ad ultimum: exceptis tantum paucis, qui latebaot in magna turba, ſicuti pauca grana ſub ingenti palearum congerie. Ergo Prophetæ non ſine cauſa permiſcent conſolatiooes minis: quia dirigunt minas ad totum populi corpus: deinde quaſi ſuſurrant in aurem electis Dei & parvis reliquiis conſolatioois materiam: Dominus tamen veſtri miſerebitur: etiamſi ſtatuerit populum ſuum extinguere, tamen manebitis ſalvi; ſed boc fiet occulto modo. Propheta igitur noſter ab una parte bic vindictam Dei proponit deſperato populo, & ioterea concionatur de Eccleſiæ redemptione, ut hac fultura ſe ſuſtentent fideles in rebus adverſis. Dicit igitur nunc, *Erit terra in deſolationem.* Sed cur tam abrupte loquitur? nempe ut depellat hypocritas à vana confidentia, qua nimium turgeot: etiamſi Deus ne verbum quidem faciat, præſertim vero ubi Deus aliquid promittit, ut ſe obtegunt Eccleſiæ titulo, ita etiam arripiunt quod dictum erat fidelibus, quaſi ad ſe ſpectaret: Noone Deus pollicitus eſt ſe fore redemptorem populi ſui? quaſi vero eſſet eorum redemptor, qui ſe ab ipſo alienaverant ſua perfidia: ſed tamen hoc illis nimis tritum eſt. Ideo Propbeta quum videret bypocritas ſtatim cupide accurrere, & arrepta hac anſa fore audaciores, dicit, *Terra erit in deſolationem*, hoc eſt, Diſcedite. Neque enim quum Deus teſtatur ſe fore Eccleſiæ ſuæ redemptorem, vos alloquitur: nam eſtis putrida membra, *Et terra in vaſtitatem redigetur*, priuſquam [illegible]lgeat bæc Dei gratia, de qua nunc loquor. Tenemus igitur contextus rationem, cur Propheta quaſi ex abtupto permiſceat promiſſionibus minas: ad terrorem incutiendum bypocritis ſcilicet. Dicit, *propter habitatores ſuos à fructu* (vel propter fructum) *operum ipſorum.* Hic januam claudit Dei contemptoribus Propbeta, ne perrumpant ſuo more, quaſi teneant Deum ſibi obſtrictum: Videte, inquit, quales ſitis, nam contaminaſtis terram veſtris ſceleribus. ergo neceſſe eſt ipſam redigi in ſolitudinem. Quum autem terra, quæ per ſe innoxia eſt, trahatur in judicium; quid futurum eſt de ipſis contemptoribus, quorum ſcelera ſuſtinet? Videmus ergo quam emphatica ſit iſta loquutio. Nam Propheta vocat bic omnes incredulos ad examen vitæ ſuæ: deinde proponit illis terram, quæ pœnas datura erat, etiamſi nihil peccaſſet: & quo nomine? quod polluta eſſet, quemadmodum dixi, eorum ſceleribus. Quum ita ſit, videmus opportune depulſos fuiſſe hypocritas à falſa confidentia, qua inflati erant, quum tamen Deum & verbum ejus ſuperbe deſpicerent. Nunc ſequitur,

14. Paſce populum tuum in virga tua, *(vel pedo tuo)* gregem hereditatis tuæ, habitantes in ſolitudine *(vel ſeorſum)* in ſylva, in medio Carmeli: paſcentur in Baſan, & Gilead, ſecundum dies antiquos.

Hic Propheta ad vota & preces ſe convertit, in quo plus eſt vehementiæ, quam ſi confirmaſſet quod prius dixerat de reſtitutione Eccleſiæ. Oſtendit enim quam borribile futurum ſit judicium illud, quum Deus terram rediget in ſolitudinem. Non dubium eſt, quin iſta precatio vaticinium ſimul contineat. Verum Propheta non ſimpliciter redemptionem promittit fidelibus, ſed ſimul etiam duplicat terrorem illum, quo voluerat terrere bypocritas: quaſi diceret, Certe niſi mirabiliter ſervet Deus ſuos, actum eſt de nomine Eccleſiæ. Nullum eſt igitur remediom, niſi in virtute Dei incredibili. Denique, oſtendit Propheta ſe contremiſcere ad illam viodictam, de qua nuper vaticinatus eſt, oe ſcilicet illudant bypocritæ, ſicuti ſolebant. Nunc videmus cur Propheta hoc ſolatii genere utatur, boc eſt, ſic temperet ſuum ſermonem, ut non ſtatim ſpem præbeat fidelibus, ſed Deum ipſum compellet. *Paſce*

igitur

igitur *populum tuum*: quaſi diceret, Certe clades iſta exitialis futura eſt, niſi tu, Domine, memor ſis fœderis tui, ut rurſus colligas aliquid reſiduum ex hoc populo, quem eligere dignatus es. *Paſce populum tuum.* Hæc ratio eſt, cur nominet populum Dei, quia digni omnes erant interitu, niſi quia oportuit impleri quod Deus pollicitus erat Abrahæ, Gen. 12. verſ. 3. In ſemine tuo benedicentur omnes Gentes. Sola igitur adoptio Dei obſtitit, quominus in totum perirent Judæi. Ergo emphatice dicit, Domine, tamen hic eſt populus tuus: quaſi diceret, Unde tibi nunc creabis Eccleſiam? tametſi enim poterat Deus ex Gentibus adducere, & ex alienis facere domeſticos, tamen oportuit manere radicem adoptionis in genere Abrahæ, donec prodiret Chriſtus in medium. Neque enim diſputandum tunc fuit de potentia Dei, quemadmodum faciunt fanatici homines, Annon hoc poteſt Deus? Sed ſtandum fuit oraculo, unde certo colligebant quid Deo ſemel fuiſſet decretum, & quid facturus eſſet. Quoniam ergo ſacroſancta illa & inviolabilis promiſſio erat, Ex ſemine tuo benedicentur omnes Gentes, oportuit manere ſemper gratiam Dei in reliquiis. Certum quidem eſt, hypocritas promiſcue abuſos fuiſſe promiſſionibus Dei, ut jam dictum eſt: ſed tenenda eſt ſemper iſta ratio, quod Deus pœnas ſumpſit de impiis, quamvis ſua multitudine freti putarent ſe ſemper fore ſuperſtites. Deus ergo illos perdidit, ut digni erant: & tamen ſemper voluit aliquid eſſe reſiduum in populo illo. Cæterum, notandum eſt non extendi nomen hoc ad omnes Abrahæ filios, qui ſecundum carnem traxerant ab eo originem; ſed tantum aptari fidelibus, hoc eſt, reliquiis, quæ ſervatæ ſunt ſecundum adoptionem gratuitam Dei. *Paſce* igitur *populum tuum pedo tuo.* Comparat Deum paſtori, quemadmodum hæc metaphora frequenter occurrit. Tametſi enim שבט Sceptrum ſignificet ubi ſit mentio Regum, tamen ſumitus etiam pro Pedo paſtorali, quemadmodum Pſal. 23. & aliis pluribus locis. Quoniam ergo hic induit Deo perſonam paſtoris, ita etiam aſſignat illi pedum: quaſi diceret, Domine, fungaris officio paſtoris in populo tuo regendo. Quare? confirmat continuo poſt quod nuper dixi, nempe non eſſe remedium ſperandum, niſi in ſola Dei miſericordia, addendo *gregem hereditatis tuæ.* Nam quum vocat Gregem hereditatis, non conſiderat quid promeritus fuerit populus, ſed defigit oculos in adoptionem gratuitam. Quum ergo Deo placuiſſet populum illum eligere, Propheta hac ratione etiam audet prodire in conſpectum Dei, & objicere electionem gratuitam: Domine, ego non obtrudam tibi vel nobilitatem generis noſtri, vel quidquam dignitatis, vel pietatem noſtram, vel ulla merita: quid igitur? Nos ſumus populus tuus, quia tu ita teſtatus es nos eſſe Regale ſacerdotium. Sumus igitur tua hereditas. Quare? nam voluiſti unum populum tibi factum eſſe & peculiarem. Videmus nunc clarius, ut Propheta in ſolam Dei gratiam recumbat, & objiciat memoriam fœderis tentationibus, quæ poterant alioqui ſpem omnem labefactare. Poſtea, *habitantes ſeorſum*, vel ſolitarios. Hic non dubium eſt, quin deſignet populi diſſipationem, quum dicit eos habitare ſeorſum. Etſi enim diſperſi fuerant Judæi per regiones amœnas, & fertiles, ac populoſas, tamen ubique erant in ſolitudine ac deſerto, quoniam laceratum erat corpus. Fuit igitur fidelibus vere deſertum tota Chaldæa & Aſſyria. Nam illic non habitabant quaſi unus populus, ſed tanquam membra lacera. Notatur ergo Prophetæ verbis talis diſperſio. Et addit etiam *habitare in ſylva.* Neque enim illis erat vera habitatio, niſi in patria, quoniam illic degebant ſub tutela Dei. Et dixi jam alias omnes regiones fuiſſe illis deſerti inſtar. Addit, *In medio Carmeli.* Subaudienda eſt nota ſimilitudinis, כ, Tanquam in medio Carmeli. *Paſcentur in Baſan & Gilead, ſecundum dies antiquos*: hoc eſt, quamvis nunc ſolitariæ ſint oves tuæ, tamen colligas rurſus eas, ut paſcantur *quaſi in Carmelo:* (quem ſcimus fuiſſe montem pinguiſſimum) deinde, *ſicuti in Baſan & Gilead.* Scimus opima in illis locis fuiſſe paſcua. Quum ergo hic Propheta fideles comparet ovibus, ideo ponit nomen Baſan, nomen Carmeli & Gilead: acſi diceret, Domine, reſtitue populum tuum, ut habitet in hereditate ſibi abs te ſemel conceſſa. Quod autem ſolitarios vocat, jam rationem oſtendi: & ſimilis etiam locus eſt Pſalm. 102. quanquam aliud eſt nomen ערער. Sed tamen idem eſt ſenſus, nempe vocantur illic ſolitarii fideles, quia non erant collecti in unum corpus: & hæc fuit vera populi illius felicitas, ut ſcilicet colerent uno conſenſu Deum, eſſent ſub uno capite, deinde eſſet illis altare unum inſtar ſacri vinculi ad fovendam fidei unitatem. Quum igitur diſperſi eſſent huc & illuc fideles, merito fuerunt quaſi ſolitarii ubicunque eſſent. Poſtea addit, *Secundum dies antiquos.* Hic proponit Deo ſua beneficia, quibus olim proſequutus fuerat populum ſuum, ut uſque in finem ſimilis ſui eſſe pergat, hoc eſt, ut ſuam beneficentiam extendat uſque in finem erga electum populum. Et hoc non parum ad confirmationem fidei valuit, quum fideles memoria repeterent quam benigne & liberaliter egiſſet Deus ab initio cum poſteru Abrahæ, ut ſtatuerent eum non minus fore beneficum erga ſuos electos, etiamſi eſſet triſtis quædam abruptio, ut ita loquar. Nam quod Deus in exilium expulerat Judæos, fuit illud quoddam genus abdicationis, quaſi devoti eſſent ultimo exitio. Jam tamen quum ſibi proponunt ſe eſſe oriundos à ſanctis Patribus, deinde ſibi promiſſum eſſe redemptorem, merito ſpem gratiæ concipiunt in futurum ex præteritis Dei beneficiis, quod ſcilicet tam benigne olim populum ſuum tractaſſet.

Da omnipotens Deus, quando ita peccatis noſtris provocavimus iram tuam, ut ubique appareat horrenda vaſtitas, & ſolitudo: da, inquam, ut aliquando etiam affulgeat nobis experimentum ejus gratiæ, cujus tam memorabile ſpecimen ediditi erga veterem populum tuum, ut ſcilicet rurſus erigatur Eccleſia tua, in qua & floreat vera religio, & nomen tuum glorificetur: & nos etiam quotidianis precibus intenti ſimus ad te ſollicitandum: nec dubitemus quin ſub imperio Chriſti tui rurſus colligere poſſis totum orbem, quamvis miſere diſſipatus ſit, ut pergamus in hac militia ad extremum uſque, donec tandem reipſa diſcamus nos non fruſtra in te ſperaſſe, neque irritas fuiſſe noſtras preces, dum ſcilicet potentiam ſibi datam exeruerit Chriſtus in ſalutem noſtram & totius mundi, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA OCTAVA IN MICHÆAM PROPHETAM.

CAP. VII.

15. Secundum dies egreſſus tui è terra Ægypti oſtendam ei mirabilia.

Hic Propheta inducit loquentem Deum, & ita loquentem, ut reſpondeat ejus precationi. Promittit ergo Deus ſe fore admirabilem in ſuis operibus, quemadmodum præbuerat documenta ſuæ potentiæ, quum educeret populum ſuum è terra Ægypti. Nunc videmus plus fuiſſe efficaciæ in hoc contextu, quam ſi ab initio Propheta dixiſſet Deum fore liberatorem populi ſui. nam interpoſuit votum & preces. Jam vero Deus oſtendit ſe miſericordem fore erga populum ſuum. Et ſimul monentur fideles, ſi cupiant divinitus ſervari, inſtandum eſſe precibus. Dicit autem Deus *ſe oſtenſurum mirabilia*, ſicuti quum egreſſus olim fuerat populus ex Ægypto. Scimus redemptionem illam perpetuum fuiſſe documentum potentiæ Dei in ſervanda Eccleſia: ideo quoties vult ſpem aliquam dare ſalutis, revocat in memoriam miracula illa, ut fideles ſtatuant nihil fore obſtaculo, quominus ſalvi maneant, modo illos juvare velit Deus, cujus virtus non eſt imminuta. Et hoc notatu dignum eſt, quia etſi fatemur omnes Dei omnipotentiam, ubi tamen cum tentationibus luctandum eſt, trepidamus, acſi Deo clauſi eſſent omnes aditus ad nos ſervandos. Simul ergo ac impedimentum aliquod nobis objicitur, putamus jam nihil eſſe ſperandum. Unde hoc? quia ſcilicet pro nihilo ducimus illam virtutem Dei, quam tamen fatemur eſſe ſuperiorem toto mundo. Hæc ratio eſt, cur Deus hic commemoret miracula, quæ ediderat in egreſſu populi: quia debebat colligere Deum ſemper manere ſimilem ſui: deinde eandem illi potentiam eſſe integram, quæ olim fuerat. In eo autem ſatis erat fulturæ ad ſperandum auxilium. Nunc tenemus conſilium Prophetæ. Mutat quidem perſonas, quia alloquitur initio populum, quum dicit, *Secundum dies egreſſus tui*: poſtea adjungit, אראנו, Faciam eum videre: ſed ſenſum hæc mutatio non obſcurat, quia tantum intelligit Deus potentiam ſuam ſatis olim fuiſſe cognitam populo, & in redemptione illa fuiſſe memorabile experimentum, ut populus ambigere non deberet de ſalute ſua, ſi non eſſet ingratus Deo redemptori, & non ſepeliret tam memorabile illud beneficium, quod ſemel in Patres Deus contulerat. Sequitur,

16. Videbunt Gentes, & pudeſient ab omni fortitudine ſua: ponent manum ſuper os, aures eorum ſurdeſcent.

17. Lingent pulverem quaſi ſerpens, quaſi reptilia terræ frement (*vel movebunt ſe*) à latibulis ſuis: ad Jehovam Deum noſtrum pavebunt, & metuent ſibi abs te.

Hic rurſus docet Propheta, quamvis Eccleſia undique oppugnetur, & cingatur etiam hoſtibus innumeris, non tamen eſſe dubitandum de auxilio Dei promiſſo: quia in ejus arbitrio ſit pudefacere omnes Gentes, hoc eſt, dejicere totam ſuperbiam mundi, ita ut agnoſcant tandem increduli ſe vana confidentia fuiſſe elatos. *Dicit* ergo *Gentes viſuras*: quaſi diceret, Scio quid vos teneat anxios, quia intenti ſunt multi hoſtes in veſtram perniciem: & ſiquid auxilii appareat, ſtatim acriter parati ſunt ad reſiſtendum: ſed non impedient ſtudia eorum & conatus, quin Deus vos liberet. *Videbunt* igitur, *& pudeſient à tota fortitudine ſua*. Significat his verbis Propheta, quantumvis ſe inſtructos putent eſſe increduli ad perdendam Eccleſiam, deinde ſibi in manu eſſe multa obſtacula, ne ad ipſam Dei virtus perveniat: tamen hoc totum fore inane, quia oſtendet re ipſa Deus hominum robur merum eſſe fumum. Adjungit, *Ponent manum ad os*, id eſt, non audebunt gloriari in poſterum, ſicuti ſoliti ſunt hactenus. nam loquutio hæc tantundem valet Hebræis, atque Obmuteſcere. Quum ergo hoſtes Eccleſiæ efflarent magnas jactantias, & aperto ore gloriarentur Dei populum eſſe perditum; dicit Propheta, ubi Deus apparuerit populi ſui redemptor, fore omnes quaſi mutos. Adjungit, *Surdeſcent aures ipſorum*, hoc eſt, attoniti ſtabunt: imo vix audebunt aures ſuas aperire, ne rumor qui allatus fuerit, novam trepidationem ipſis afferat. Scimus ſuperbos homines, ubi res illis ex voto ſuccedunt, non modo plenis buccis jactare ſuam fortunam, ſed etiam cupide haurire omnes rumores, quia totidem ſint nuncii victoriarum ut ipſi exiſtimant: Quid hinc? vel quid inde? nempe expectant dum totus orbis veniat ſub eorum obſequium. Ex adverſo dicit Propheta, *Ponent manum ſuper os, & aures eorum ſurdæ erunt*, hoc eſt, trepide fugient omnes rumores, quia ſubinde metuent ſibi à novis cladibus, ubi viderint Deum Iſraëlis, contra quem hactenus pugnarunt, præditum eſſe tanta potentia. Quidam hoc ad prædicationem Euangelii referunt, quod facile patior: modo ſemper initium fiat à liberatione veteris populi. Nam ſi quis præciſe hoc velit intelligi de Chriſto, non conveniet tam coacta & remota expoſitio. Cæterum ſiquis continuet Dei gratiam à reditu populi uſque ad renovationem quæ exhibita fuit in Chriſto, ille tenebit genuinum Prophetæ conſilium. Vere ergo impletur quod hic dicit Propheta, quum Deus ſpargit Euangelii ſui doctrinam per totum mundum: quia homines, qui ante jactabant ſua figmenta, claudere os ſuum incipiunt, ut ſcilicet cum tali ſilentio præbeant ſe diſcipulos. Deinde aures etiam claudunt, hoc eſt, jam non addicti ſunt ſtultis & frivolis fabulis, ſicuti antea: ſed conſecrant totum ſuum auditum uni Deo, ut pendeant toti ab ejus veritate, neque amplius vacillent in diverſas partes. Hoc fateor impleri in Euangelii prædicatione: ſed non dubium eſt, quin Propheta contexuerit totum illud tempus, ex quo populus reverſus eſt ab exilio Babylonico, uſque ad Chriſti exhibitionem. Poſtea adjungit, *Lingent pulverem quaſi ſerpens*. Significat, utcunque hoſtes Eccleſiæ magno faſtu ſeſe prius extulerint, fore tamen dejectos, quemadmodum ſi in terra decumberent. nam Lingere pulverem nihil aliud eſt quam jacere in terra proſtratos. Erunt igitur ſupplices & abjecti, quemadmodum ſerpentes: deinde, *movebunt ſe tanquam vermes & reptilia terræ*. רגז (ut alibi dictum fuit) ſignificat Fremere & tumultuari, ſignificat etiam ſeſe movere. Et optime conveniet poſterior hæc interpretatio,

quod exibunt, vel ſe movebunt à clauſuris ſuis. Nam verbum סגר ſignificat Claudere. Quum ergo dicit *A clauſuris ſuis*, intelligit latibula. Quanquam Pſal. 18. in cantico Davidis ponitur hoc nomen pro Arcibus & aliis locis bene munitis: Trepidarunt hoſtes, inquit, à ſuis munitionibus, hoc eſt, etiamſi occupaſſent arces bene munitas, fuerunt tamen illic trepidi, quod ſola fama Davidis frangebat ipſorum audaciam. Sed quia hic de vermibus loquitur Propheta, ego malui vertere, A latibulis ſuis: quaſi diceret, etiamſi hactenus putaverint ſe eſſe tutus in ſuis clauſuris, tamen ſeſe movebunt, & diffugient quemadmodum vermes & reptilia. nam quum terra foditur, ſtatim proſiliunt vermes: putant enim ſe eſſe captos. Sic etiam ſiquis terram moveat, ſtatim reptilia erumpunt, & trepide huc & illuc diffugiunt. Sic etiam Propheta dicit omnes hoſtes Eccleſiæ tanta formidine fore perculſos, ubi Dominus ad opem Eccleſiæ ſuæ ferendam ſurrexerit, ut diffluant paſſim. Eſt autem diligenter notanda hæc ſimilitudo, quum Propheta Gentes robuſtas, & exercitatas in bellis, deinde quæ ardebant etiam furore, & quæ turgebant magna ſuperbia, comparat vermibus, & reptilibus terræ: deinde ſerpentibus: ut oſtendat nihil fore negotii Deo, quominus proſternat totam altitudinem mundi, ſimulac Eccleſiæ ſuæ opitulari voluerit. Et ideo ſequitur apud Prophetam, *Ad Jehovam Deum noſtrum pavebunt, & metuent ſibi abs te.* Hic oſtendit Propheta non eſſe cur ſuæ infirmitati fideles diffidant, quia potius debent ſibi proponere immenſam Dei virtutem. Incipere quidem convenit à diffidentia, ut ſentiant filii Dei ſe nihil eſſe & nullas eſſe prorſus ſuas vires: cæterum, non debent ſubſiſtere in ſua infirmitate, ſed potius aſſurgere ad Dei virtutem, ut non dubitent quum illa apparuerit, hoſtes ſtatim diſſipatum iri. Hæc ratio eſt cur Propheta hic exprimat nomen Dei: deinde ſermonem etiam convertat ad ipſum Deum. *Trepidabunt* igitur *ad Jehovam Deum noſtrum*, id eſt, reſpectu Jehovæ Dei noſtri. Poſtea *metuent ſibi abs te.* Jam ſequitur,

18. Quis Deus ſicut tu, tollens iniquitatem, & tranſiens ſuper ſcelus, erga reliquias hereditatis ſuæ? Non retinebit in perpetuum iram ſuam, (*alii vertunt, Non roborabit: nam* חזק *hoc interdum ſignificat: ſed potius hic vertendum eſt, Non retinebit*) quia placet ei clementia. (*vel diligit miſericordiam.*)

Exclamat hic Propheta Deum præcipue hac in re merito eſſe glorificandum, quod erga populum ſuum ſit miſericors. Quum dicit, *Quis Deus ſicut tu?* non intelligit alios eſſe deos: hæc enim eſt impropria comparatio: ſed oſtendit hac nota poſſe verum & unicum Deum ab omnibus idolis diſcerni, quia clementer ignoſcat peccatis ſuorum, & infirmitates eorum toleret. Certum quidem eſt Gentes omnes fuiſſe hac opinione imbutas, quod propenſi eſſent ipſorum dii ad veniam: inde ſacrificia, inde etiam tot piaculorum ſpecies. Neque enim ulla gens fuit tam barbara, quæ non agnoſceret ſe eſſe obſtrictam aliquo reatu coram Deo. Solebant igitur Gentes omnes confugere ad deorum ſuorum miſericordiam. Sed interim nulla potuit eſſe illis ſolida perſuaſio. Nam utcunque arriperent illud principium, Deos fore propitios peccatoribus, ſi modo ſuppliciter veniam peterent: tamen dubitanter ſcimus oraſſe, quia nulla illis conſtabat certa promiſſio. Videmus ergo quidnam velit Propheta, nempe hinc poſſe ſtatui Deum Iſraëlis eſſe verum Deum, quia ſicuti ſemel complexus fuerat filios Abrahæ favore ſuo, ita eundem favorem continuet ac proſequatur, & fœdus ſuum inviolabile ſervet: quanquam poterant millies peccata obſtare. Quod ergo Deus bonitate ſua ſuperavit malitiam populi illius & ſtetit firmus in fœdere ſuo, quod toties violatum fuerat populi ſceleribus, inde ſtatui poteſt ipſum eſſe verum Deum. Quid enim ſimile potuit reperiri in omnibus idolis? Fingamus in illis fuiſſe aliquid divinum, fuiſſe deos, & præditos aliqua poteſtate: tamen inter omnes Gentium deos non potuit hoc cognoſci, quod quiſpiam eſſet propitius populo ſuo. Quum ergo hoc competat in ſolum Deum Iſraëlis, ſequitur hic conſpicuam fulgere ejus Deitatem, & ejus Nomen inde ſatis probari. Unde etiam colligitur ſecundo, omnes Gentium deos vanos eſſe: imo in religione Gentium nihil eſſe præter mera ludibria, quia ſcilicet nulla gens poſſit certa fiducia confugere ad Deum ſuum, ut veniam impetret dum peccavit. Hæc eſt ſumma. Sed nunc venio ad verba Prophetæ. *Quis Deus ſicut tu, tollens iniquitatem, & tranſiens ſuper ſcelus?* Duabus formis loquendi exprimit hoc ſingulare Dei beneficium, quod ſcilicet gratis ſe reconciliat peccatoribus. Tollere peccata nihil aliud eſt quam abolere. Nam ſæpe verbum נשא accipitur pro Erigere in ſublime: ſed hic ſignificat quod vulgo etiam dicimus Tollere pro auferre. Tranſire ſuper ſcelus eſt Connivere, quaſi diceret, Deus præterit ſcelera ſuorum acſi conſpectum ejus fugerent. Nam ſi Deus rationem vitæ à nobis exigat, peccata noſtra ſtatim occurrent, & ſeſe objicient coram oculis ejus. Ubi autem Deus peccata noſtra non vocat in judicium, ſed præterit: tunc dicitur ſuper ea tranſire. Docet hic locus, quemadmodum jam admonui, maxime in eo fulgere Dei gloriam, quod placabilis ſit & peccatis noſtris ignoſcat. Deus quidem aſſerit gloriam ſuam & virtute ſua & ſapientia & omnibus judiciis, quæ quotidie exequitur: præcipue tamen refulget ejus gloria in hac parte, quod propitius eſt peccatoribus, & patitur ſe placari: imo non tantum admittit ad reconciliationem miſeros peccatores, ſed ſponte invitat ac prævenit. Hinc igitur conſtat verum eſſe Deum. Ergo ut agat religio firmas radices in cordibus noſtris, hoc ſit fidei noſtræ principium, Deum fore nobis ſemper placabilem. Niſi enim ſimus certo perſuaſi de ejus miſericordia, nulla vigebit in nobis pietas, utcunque eam ſimulemus: quemadmodum dicitur Pſal. 130. Apud te eſt propitiatio, ut timearis. Reverentia igitur Dei & cultus ejus pendent à ſenſu bonitatis & gratiæ: quia non poterimus ex animo colere Deum, & quemadmodum jam dixi, nulla erit in nobis ſincera religio, donec iſta perſuaſio probe & penitus cordibus noſtris inſideat, ipſum ſemper paratum eſſe ad veniam quoties ad eum confugimus. Unde etiam apparet qualis ſit Papatus religio. Illic enim ſemper hæſitant perplexi ac dubii, neque audent ſtatuere Deum ſibi fore propitium: quia etſi neſcio quid concipiunt de ejus gratia, tamen illis eſt vana præſumptio & temeritas, ſi quis ſit perſuaſus de miſericordia Dei. Suſpendunt igitur conſcientias, imo relinquunt dubias & trepidas: quum nulla ſit certitudo gratiæ Dei, ſequitur totum ejus cultum illic eſſe fictitium. Denique funditus everſa eſt vera religio, ubi ſublata eſt firma & indubitabilis fiducia de ejus bonitate, ut homines abſque dubitatione ad eum accedant: & quoties peccarunt, ubi confeſſi fuerint ſuum reatum & culpam, ſimul etiam amplectantur miſericordiam oblatam ſibi. Cæterum, hæc fiducia non ſponte orietur in nobis, imo etiamſi concipimus Deum miſericordem, hoc erit duntaxat mera fallacia. Non poſſumus ergo perſuaſi eſſe de gratia Dei, niſi ipſe nos præveniat verbo ſuo, & teſtetur ſe fore nobis propitium quoties ad ipſum confugimus. Ideo dixi principio, Prophetam hic diſcer-

nere Deum Iſraëlis ab idolis Gentium, quia pollicitus fuerat populo ſuo ſe fore propitium. Non fruſtra offerebaotur ſacrificia in electo populo: addita enim erat promiſſio, quæ fallere noo poterat. Gentes autem in ſuis ſacrificiis ſemper manebant dubiæ: etiamſi defunctæ eſſent omnibus piaculis, nulla tamen poterat eſſe certitudo. ſed alia fuit ratio electi populi. Pendet igitur quod hic dicit Propheta de remiſſione peccatorum à teſtimonio quod Deus ipſe de ſe reddit. Jam notanda eſt particula quæ ſequitur continuo poſt, *Erga reliquias hereditatis ſuæ*. Hic enim depellit rurſus hypocritas ab inani confidentia, quia dicit Deum fore miſericordem erga reliquias duntaxat populi ſui: & ſimul tollit offendiculum, quod graviter turbare poterat infirmos, quia videbant iram Dei graſſari in totum populum, Deum ipſum neque plebeiis, neque ipſis proceribus parcere. Quum ergo flagraret quaſi incendium vindictæ Dei in ſummis & infimis, potuit hæc objectio valde turbare infirmas mentes, Quid? Deus quidem pronunciat ſe eſſe propitium peccatoribus: ſed interim in nobis graſſatur ſummus rigor: quid hoc ſibi vult? Propheta ergo occurrit, dicens Deum eſſe propitium reliquiis hereditatis ſuæ, hoc eſt, quamvis Deus horribilem vindictam exerceat contra majorem numerum, tamen ſemper aliquod ſemen manet, & illic refulget ejus miſericordia. Vocat autem reliquias hereditatis, quemadmodum heri dictum fuit, quia non alia fuit ratio cur Deus paucis ignoſceret, niſi quia elegerat genus Abrahæ. Addit etiam, *Non retinebit iram in perpetuum*. Hoc ſecundo ſolatio voluit levare fideles, quia etiamſi ipſos Deus ad tempus caſtigat, non tamen obliviſcitur ſuæ miſericordiæ. Notemus itaque hic Prophetam ponere duas exceptiones. Loquutus eſt de miſericordia Dei: ſed quoniam hæc miſericordia non eſt promiſcua, vel communis omnibus, ideo Propheta reſtringit doctrinam illam ad reliquias. Jam ſequitur altera exceptio, quod utcunque in ſpeciem ſæviat ira Dei contra ipſos electos, tamen eſſe aliquem modum ut ſalvi maneant, neque plagæ ſint ipſis mortiferæ. Dicit ergo, *Deum non retinere iram ſuam*, quia etſi ad momentum iraſcitur erga ſuos, ſtatim quaſi pœnitentia ductus ad eos placide accedit, & teſtatur ſe jam eſſe reconciliatum: non quod mutetur Deus ipſe, ſed quia ad breve tempus apprehendunt fideles iram ejus: poſtea exhilarat eos guſtus miſericordiæ: & ita ſentiunt in animis ſuis Deum quodammodo eſſe mutatum. Ubi enim formido occupat eorum animos, imaginantur Deum eſſe terribilem: ubi autem promiſſiones gratiæ amplexi ipſum invocant, & incipiunt bene ſperare de venia, tunc apparet illis Deus humanus, comis & exorabilis, imo propenſus omnino ad miſericordiam. Hæc ratio eſt cur dicat Propheta *Deum non retinere iram ſuam*. Sequitur cauſa: *Quia*, inquit, *miſericordiam ipſe diligit*. Hic clarius docet Propheta remiſſionem peccatorum eſſe gratuitam, oeque alibi fundatam eſſe quam in ipſa Dei natura. Non eſt igitur, dum Scriptura prædicat Deum eſſe placabilem, cur quiſque in ſeipſo cauſam quærat, vel medium etiam quo ſibi eum reconciliet. Nam Deus ipſe ſibi cauſa eſt. Quia ergo Deus naturaliter diligit clementiam, ideo tam facilis eſt ad ignoſcendum peccatoribus. Quiſquis igitur fingit Deum propitiandum eſſe piaculis vel ulla ſatisfactione, evertit hanc Prophetæ doctrinam: perinde enim eſt acſi quis ædificet abſque fundamento. Nam hæc ſola fultura debet nos erigere ad Deum, quoties cupimus ei reconciliari, quod ſcilicet natura diligit bonitatem vel clementiam. Et hæc ratio eſt cur Deus tantopere commendet ſuam miſericordiam, cur dicat ſe eſſe miſericordem in mille generationes, tardum ad iram, & facilem ad placandum. Quia quamvis increduli obdureſcant contra Deum, tamen ubi ſentiunt ejus iram, nihil difficilius ipſis eſt, quam ſtatuere Deum poſſe placari. Ergo notanda eſt hæc ratio, quæ non fruſtra additur à Propheta. Jam videndum quibus dicat Deum eſſe miſericordem. Nam quia Satan non potuit delere ex hominum cordibus ſenſum miſericordiæ Dei, tamen reſtrinxit miſericordiam ad incredulos, acſi Deus ſemel duntaxat ignoſceret peccatoribus, quum eos in Eccleſiam admittit. Sic Pelagiani olim putarunt Deum non eſſe placabilem, niſi alienis. Quiſquis enim ſemel in Eccleſiam receptus eſſet, illum putarunt non poſſe aliter ſtare coram Deo, niſi eſſet perfectus. Tale etiam commentum impulit Novatum & ejus diſcipulos ad turbandam Eccleſiam. Et hodie ſunt non modo perverſi homines, ſed diaboli, qui hoc eodem commento, vel delirio potius, & ſe & alios faſcinant, quod debeat vigere ſumma perfectio in fidelibus: & etiam calumniantur doctrinam noſtram, acſi homines detineremus in Alphabeto, vel in primis elementis, quia quotidie prædicamus remiſſionem peccatorum gratuitam. Atqui Propheta diſerte exprimit Deum non modo incredulis ignoſcere, quum peccarunt, ſed *hereditati ſuæ* & electis ſuis. Sciamus ergo, quamdiu verſamur in mundo, paratam nobis eſſe veniam: ſicuti etiam in ſingula momenta excideremus à ſpe ſalutis, niſi in promptu eſſet hoc remedium. Nam oportet pluſquam furioſos eſſe oebulones iſtos, qui ſibi arrogant perfectionem, vel putant ſe ad eum gradum conſcendere, ut ſatisfaciant Deo ſuis operibus. Jam ſequitur,

19. Revertetur, miſerebitur noſtri, calcabit iniquitates noſtras, & projiciet in profunditates maris cuncta ſcelera eorum.

Hic jam Propheta præſcribit formam gloriandi fidelibus, ut ſecure prædicent Deum ſibi fore placabilem. Quoniam ergo Deus clementiam diligit, *revertetur, miſerebitur noſtri*. Hic contextus nobis obſervandus eſt, quia parum prodeſſet apprehendere neſcio quid de clementia Dei, & in genere etiam gratuitam peccatorum remiſſionem prædicare, niſi accederet iſta applicatio, nempe ut ſtatuat unuſquiſque fidelium pro ſe Deum fore miſericordem, ſimulac fuerit invocatus. Iſta igitur conſequentia tenenda eſt, Deus ignoſcit reliquiis hereditatis ſuæ, quia naturaliter propenſus eſt ad miſericordiam: ergo miſerebitur noſtri, quia ſumus ex ejus populo. niſi conſequentiam hanc teneamus, Ergo miſerebitur noſtri, evaneſcet quicquid audierimus vel didicerimus de bonitate Dei. Hæc igitur vera eſt dialectica pietatis, quum perſuaſi ſumus Deum eſſe placabilem & facile exorari, quod ad miſericordiam natura ſit propenſus: deinde dum hanc doctrinam ad nos accommodamus vel ad uſum noſtrum peculiarem. Quia ergo Deus miſericors eſt natura, ego talem ipſum ſentiam & experiar. Donec ergo eo uſque ſimus progreſſi, ſciamus parum nos profeciſſe in ſchola Dei. Et ideo clarius apparet ex hoc loco Papatum eſſe horrendam abyſſum, quia nemo poteſt illic pedem figere, ut perſuaſus ſit Deum ſibi fore miſericordem, nam tantum illic valent conjecturæ. Atqui videmus longe aliter ratiocinari Prophetam, Deus clementiam diligit, miſerebitur ergo noſtri. Deinde adjungit, *Revertetur*, ne ſcilicet nos conturbet temporalis ira Dei vel ſeveritas. Quamvis ergo Deus non ſtatim affulgeat nobis cum ſuo favore, ſed potius aſpere & duriter nos tractet, Propheta docet bene ſperandum eſſe. Quare? *Revertetur*; quemadmodum etiam paulo ante dixit, Non retinebit in perpetuum iram ſuam,

ſuam, quia ad momentum iraſcitur ſuæ Eccleſiæ: ſed ſtatim miſericordiæ ſuæ reminiſcitur. Jam ſubjungit Propheta qualis futura ſit miſericordia Dei erga fideles, nempe *quia calcabit iniquitates noſtras*, ſicuti dixerat tranſire ſuper ſcelus electi populi. Ergo *calcabit iniquitates noſtras, & projiciet in profundum maris omnia ſcelera eorum*, hoc eſt, non venient in memoriam peccata noſtra coram ipſo. Hinc ergo colligimus quod prius dixi, non poſſe ſincere & ex animo coli Deum, donec inſederit & radicitus etiam infixa fuerit cordibus noſtris iſta perſuaſio, Deum eſſe miſericordem: neque ſolum in genere, ſed erga nos, quia ſcilicet ſumus ab ipſo ſemel adoptati, & ſumus ejus hereditas. Jam vero ſi major pars dilabitur, non debemus excidere à fide. Deus enim mirabiliter ſervat reliquias ſuas. Poſtremo ſciamus, quoties ad Dei miſericordiam confugimus, paratam nobis eſſe veniam: non ut quiſque ſibi indulgeat, vel plus licentiæ ſumat ad peccandum, ſed ut fateamur culpam, & occurrat reatus ante oculos noſtros: ſciamus apertam eſſe nobis januam: quia Deus ultro ſe offert nobis placabilem. Jam quod dicit, *Projiciet iniquitates noſtras in profundum maris*, hinc colligimus plenam eſſe peccatorum remiſſionem, non dimidiam, ut fingunt Papiſtæ: dicunt enim Deum remittere culpam retenta pœna. Hoc quam nugatorium ſit, facile res ipſa clamat. Sed tamen huc etiam pertinet loquutio Prophetæ, quum dicit tunc remitti nobis peccata, ubi memoria eorum deletur coram Deo. Sequitur, (ego percurram hunc verſum, ut abſolvam hodie hunc Prophetam.)

20. Dabis veritatem Jacob, miſericordiam Abrahæ, quas juraſti patribus noſtris à diebus antiquis.

Confirmant fideles ſuperiorem doctrinam: quia Deus apud ipſos depoſuit fœdus ſuum, quod irritum eſſe non poteſt. Ex hinc etiam clarius elucet quod ante dixi, fideles non colligere ex proprio ſenſu qualis ſit Deus, ſed amplecti miſericordiam quam ipſe offert verbo ſuo. Niſi ergo Deus loquatur, poterimus quidem aliquid concipere in animis noſtris de ejus gratia, ſed hoc erit debile & evanidum. Ubi autem pronunciat ſe nobis fore miſericordem, jam ſublata eſt omnis dubitatio. Hunc ordinem nunc tenet Propheta: dicit enim, *Dabis veritatem Jacob, miſericordiam Abrahæ, quas juraſti patribus noſtris*: quaſi diceret, Non temere quicquam fingimus ex proprio ſenſu, ſed recipimus quod ſemel nobis teſtatus es. Voluntas enim tua nobis patefacta eſt in verbo: freti ergo tuo favore perſuaſi ſumus de gratuita venia, etiamſi tibi ſumus multis modis obnoxii. Jam tenemus conſilium Prophetæ. Quod ad verba ſpectat, non neceſſe erit in illis morari: quia alibi tractavimus hanc loquendi formam. Duæ hic ponuntur voces, quibus tamen Propheta deſignat fœdus Dei: ponitur veritas, ponitur miſericordia. Ordine quidem præcedit miſericordia Dei, quia non aliunde inducitur ad nos adoptandos, niſi mera ſua bonitate: ſed ſicuti Deus ultro tanta humanitate nos excipit, ita verax eſt in ſuo fœdere. Ergo ſi velimus cognoſcere naturam fœderis Dei, quo & Judæos olim elegit, & nos hodie adoptat in populum, hæc duo tenenda ſunt: quod ſcilicet gratis Deus ſe nobis offerat: deinde, quod firmus ſit ac verax, hoc eſt, non ducatur ulla pœnitentia (ſicuti dicit Paulus) in ſuo fœdere:
Rom. 11. Dona & vocatio Dei, inquit, ſunt ſine pœnitentia.
verſ. 29. Reſpicit autem ad fœdus, quo Deus adoptavit ſibi filios Abrahæ. Dicit nunc, *Dabis*, hoc eſt, re ipſa oſtendes: nam iſtud Dare eſt quaſi repræſentare vero effectu, & re ipſa. *Dabis* ergo, id eſt, palam oſtendes te non fruſtra fuiſſe tam humanum erga nos & patres noſtros, ut eos amplexus fueris tuo favore. Quare? nam effectus tuæ bonitatis & veritatis nobis conſtat. *Juraſti* ergo *patribus noſtris à diebus antiquis*. Fideles autem ſumunt pro confeſſo, Deum ſic fuiſſe pollicitum Patribus ſalutem, ut fœdus illud eſſet perpetuum. Neque enim dixit ſimpliciter Abrahæ, Ero Deus tuus; ſed ſimul etiam adjunxit, & ſeminis tui uſque in perpetuum. Quum ergo fideles ſcirent æternum eſſe & inviolabile fœdus Dei, deinde ſcirent continuari à patribus ad filios, & hac lege etiam fuiſſe ſemel promulgatum, ut patres filiis traderent per manus, ideo non dubitant ipſum fore perpetuum. Quare? *Juraſti* enim *patribus noſtris*: hoc eſt, ſciunt Deum non tantum fuiſſe pollicitum, ſed interpoſito jurejurando, quo voluit Deus ſancire fœdus illud, quod magnopere referebat ſine dubitatione recipi ab electo populo. Quum ergo fideles agnoſcant Deum ſibi quodammodo eſſe obſtrictum, ideo ſecure eum appellant, ut re ipſa talem ſe exhibeat, qualem aſſeruit ſe fore erga omnes ſuos electos.

Da omnipotens Deus, quando tot vitiis in nobis ſcatemus, quibus quotidie provocamus iram tuam, & ſi conſcientias noſtras interrogemus, ſumus obnoxii æternæ mortis judicio, imo meriti ſumus centum & mille mortes: da, inquam, ut luctemur contra omnes diffidentias carnis noſtræ, & immenſam tuam miſericordiam ſic amplectamur, ne dubitemus te nobis fore propitium: neque tamen abutamur hac facilitate ad licentiam peccandi, ſed ita cum timore, & vera humilitate, & ſollicitudine ambulemus in verbo tuo, ut tamen quotidie non dubitemus ad tuam miſericordiam confugere, quæ nos ſuſtineat & ſervet incolumes: donec tandem exuti omnibus vitiis, & omni reatu liberati, perveniamus in regnum illud cœleſte, ubi fruamur fructu fidei noſtræ, hoc eſt, æterna illa hereditate, quæ nobis parta eſt ſanguine unigeniti Filii tui, Amen.

JOANNIS CALVINI PRÆLECTIONES IN NAHUM PROPHETAM.

PRÆLECTIO PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

Onus Nineveh, liber viſionis Nahum Helkoſi.

QUo tempore prophetaverit Nahum, non poteſt certo aſſeri. Hebræi, ut ſunt audaces in fingendn, dicunt functum fuiſſe officio docendi ſub Manaſſe: & ideo nomen impii Regis fuiſſe ſuppreſſum, quia indignus erat hoc bonore, vel quia infelix erat memoria regni ejus, quod fuiſſet abductus in captivitatem. Siquis rationem à Judæis poſtulet, tantum dicent ita ſibi videri. Quum igitur nulla ſit ratio bujus conjecturæ, veniendum eſt ad probabiles rationes. Qui putant ſub Jotham prophetaſſe, falluntur proculdubio, & nullo negotio refelli poſſunt: quia hic minatur excidium urbi Nineve, eo quod Aſſyrii crudeliter vexaverant regnum Iſraël. Ergo propter iſtas injurias denunciat vindictam. Atqui ſub Jotham regnum Iſraël nondum prorſus vaſtatum erat. Scimus enim Aſſyrios fuiſſe ſubornatos à Rege Achaz, quum non eſſet par ad reſiſtendum, ubi duo Reges vicini, Syriæ & Iſraël, ipſum aggreſſi fuerant. bioc factum eſt ot Aſſyrii penetraverint in terram Iſraël, atque ſnoceſſu temporis deleverint totum illud regnum. Medio tempore prophetavit Nahum, quia voluit oſtendere, Deo curæ eſſe regnum illud, idque reſpectu adoptionis vel fœderis, quia Iſraëlitæ jam defecerant à populo Dei ſua perfidia; ſed manebat tamen adhuc firmum fœdus coram Deo. Voluit igitur oſtendere ſe eſſe patrem & præſidem regni illius. Quum tale fuerit conſilium Prophetæ noſtri, certum eſt docuiſſe vel poſt mortem Achaz ſub Ezechia, vel circiter illud tempus. Sequutus eſt autem Jonam longo tempore, ut facile colligi poteſt. Jonas, ut ante vidimus, minatus fuerat urbi Nineve: ſed remiſſa fuerat pœna Ninevitis, quod ſeſe humiliaſſent, ac ſuppliciter deprecati eſſent pœnam. Poſtea redierant ad ingenium, ut fieri ſolet: binc factum eſt, ut Deus minus fuerit ergo eos exorabilis. Quanquam enim erant extranei, Deus tamen dignatus fuerat ipſos hac gratia, quod edocti fuerant miniſterio & opera Jonæ: & reſipiſcentia eorum non prorſus ficta fuit. Quum ergo jam imbuti fuiſſent aliqua ootitia veri Dei, minus excuſabilis fuit eorum crudelitas quum vellent opprimere regnum Iſraël. Sciebant enim gentem illam eſſe Deo ſacram: boc erat quodammodo violare Deum ipſum. Nunc ergo tenemus quo tempore veriſimile ſit Nahnm functum fuiſſe docendi officio: quanquam, ut initio præfatus ſum, nihil certn nobis conſtat. Ideo damnavi temeritatis Rabbinos, quia quidvis audent inſtar nraculi proferre, quanquam nulla illis conſtat certitudo. Jam attigi aliqua ex parte Prophetæ conſilium. Summa hæc eſt, quum Aſſyrii pridem moleſti fuiſſent regnn Iſraël, Prophetam ſurgere & hortari ad patientiam Iſraelitas, ſiquis illic erant reſidui Dei cultores: quoniam Deus non prorſus abjecerit curam ipſorum, ſed velit ſuſcipere eorum cauſam, quia erant ſub ejus patrocinio. Hæc ſumma eſt. Quantum attinet ad Nineven, diximus fuiſſe caput primæ Monarchiæ, quamdiu Aſſyrii aliis omnibus dominati ſunt. Nam Babylon erat quaſi una ex præfecturis: boc eſt, Chaldæa, cujas metropolis erat Babylon, erat una ex præfecturis illius Monarchiæ. Poſtea tranſlatum fuit imperium à Merocbaladam. Alii putant Nabuchodonoſorem fuiſſe primum Monarcham Chaldææ. Sed egn in ea re non multum laboro, quia fieri poteſt, ut Merocbaladam fuerit binomius: & hoc fuit ſatis vulgare: quemadmodum ſcimus Reges Ægypti vocatos fuiſſe Pharaones; ita etiam Aſſyrii & Chaldæi, quamvis eſſent prius aliter vocati, ſumpſerunt commune illud nomen quaſi regium. Nineve autem tanta celebritate excellebat, ut noo potuerit aliter ſtabiliri regnum apud Babylonios, niſi illa urbe diruta. Scimus enim quanta fuerit ejus amplitudo. Diximus de ea re aliquid quum expoſuimus Jonam. Sed tamen complexa fuit fere iter tridui ſuo ambitu, ut etiam tradunt profani ſcriptores. Deinde muri alti erant uſque ad centum pedes; lati autem, ut poſſent quadrigæ ſine occurſu tranſire: erant mille & quingentæ turres. Videmus itaque oon abs re olim fuiſſe celebratam tot præconiis illam urbem. Dicunt Ninum fuiſſe ejus auctorem, ſed error ille refellitur teſtimonin Moſis, Gen. decimo capite: quemadmodum fingunt etiam Semiramidem fuiſſe primam Reginam Babylnnis, & urbem extructam ab ea. Hoc fabulnſum eſt. Fieri poteſt ut urbem amplificaverit: ſed tamen erat Babylon multis ſeculis antequam naſceretur. Sicuti etiam Ninus potuit urbem illam augere, & ornare: ſed urbs ante ipſum natum erat condita. Quod profani ſcriptores vocant Ninum, non Nineven, probabile eſt corruptum fuiſſe ab illis Hebraicum nomen, ut fieri ſæpe ſolet. Quicquid ſit, quum vellet Merocbaladam, vel filius, qui fuit ejus ſucceſſor: quum ergo vellet ſtabilire ſedem imperii in Babylnne, coactus eſt evertere Nineven, ut ceſſaret æmulatio. Ita factum eſt, ut urbs prorſus diruta fuerit. De hoc excidio vaticinatur Nahum, ut ſuo loco videbimus. Quanquam autem pars doctrinæ ſpectabat ad Iſraëlitas & Judæos, denominat tamen à majori parte librum ſuum: vocat *Onus Nineve*. Jam de voce משא alibi diximus. Sic Prophetæ nominant triſtia vaticinia, quoties denunciant gravem aliquam & formidabilem vindictam Dei. Et quia ſæpe minitabantur Judæis, hinc etiam factum eſt, ut per ludibrium oomine illo משא vocarent nmnes prophetias. Sed tamen propria eſt notatio bujus vocis. Perinde igitur eſt acſi Nahum diceret ſe mitti fecialem divinitus, qui bellum indicat Ninevitis in gratiam electi populi. Hinc

pote-

poterant colligere Iſraëlitæ quam verax & firmus eſſet in fœdere ſuo Deus, quod adhuc ipſorum curam gereret, quum tamen alienati eſſent ſuis ſceleribus ab eo. Poſtea adjungit, ספר חזון, *Liber viſionis*. Hac particula ſignificat ſe non fruſtra denunciare Ninevitis exitium, quia fideliter tradat quæ à Deo accepit. Si enim ſimpliciter præfatus eſſet ſe minitari cladem Aſſyriis, poterat de eventu ipſo quæſtio moveri. Sed hic conciliat ſibi auctoritatem à nomine Dei, quia palam affirmat ſe nihil afferre proprium, ſed onus iſtud ſibi fuiſſe patefactum oraculo cœleſti. Nam חזה eſt proprie Videre: unde etiam חזון Hebræi nominant Viſionem. Prophetæ autem quum loquuntur de viſione, non intelligunt ſpectrum aliquod, vel imaginationem, ſed ſpeciem illam revelationis, de qua fit mentio Numer. 14. capite, ubi Deus loqui ſe Prophetis dicit vel per viſionem, vel per ſomnium. Videmus ergo in quem finem hoc additum fuerit, nempe Onus Ninevæ eſſe Viſionem, ut ſcirent Iſraëlitæ afferri quidem ab homine mortali teſtimonium hoc vindictæ Dei contra hoſtes ſuos; ſed interim nihil eſſe dubium, quia Deus ipſe auctor eſſet hujus prophetiæ. Vocat ſe Nahum Helkoſæum. Quidam putant eſſe nomen familiæ. Judæi ſuo more dicunt, hoc eſſe nomen patris: deinde addunt illud ſuum vulgare commentum, quod fuerit etiam hic Helkos Propheta: quia ubi exprimitur nomen patris apud Prophetas, ſtatuunt illum, cujus ponitur nomen, fuiſſe etiam Prophetam. ſed ſunt meræ nugæ. Et jam aliquoties vidimus quanta ſit eorum protervia in fabulis comminiſcendis. Deinde terminatio vocis nos huc adducit, fuiſſe Gentile nomen loci potius. Et Hieronymus etiam tradit ſuo tempore fuiſſe vicum ignobilem in tribu Simeon hoc nomine. Tenendum igitur eſt fuiſſe Nahum oriundum ex oppido illo, & ideo vel hoc ſeoſu vocari Helkoſæum. Jam pergamus.

2. Deus æmulator (*ſic vertunt*) & ulciſcens Jehova, ulciſcens Jehova & Dominus iræ, (*vel poſſidens iram*) ulciſcens Jehova hoſtes ſuos, & ſervans (*vel reponens*) idem (*vel ipſe*) inimicis ſuis.

Præfatur Nahum de natura Dei, ut quod poſtea ſubjiciet de excidio Ninevæ plus habeat ponderis, & magis afficiat auditores. Eſt hæc generalis præfatio, ſed poſtea eam accommodabit Propheta in uſum ſpecialem. Si tantum concionatus eſſet de natura Dei, hoc fuiſſet frigidum, vel ſaltem minus efficax: ſed ubi utrumque ſimul conjungit, tunc doctrina ipſa habet ſuam vehementiam. Tenemus conſilium Prophetæ. Poterat enim diſſerere de excidio urbis Ninevæ. Sed quia ſi loquutus eſſet ex abrupto, poterant profani homines ludibrio ipſum habere: Iſraelitæ etiam forte minus tacti fuiſſent: hæc ratio eſt cur generaliter oſtendat qualis ſit Deus. Sumit autem hæc verba à Moſe, ut Prophetæ ſolent inde mutuari ſuam doctrinam. Et illa omnium maxime memorabilis fuit viſio, quum Deus Moſi apparuit poſt fractas Tabulas. Ego itaque non dubito, quin Nahum ſumpſerit ex 34. cap. Exodi, quod hic legimus. Non refert quidem ad verbum quæ illic habentur: ſed ſatis apparet quaſi ad vivum pingere imaginem Dei, ex qua perſpici poſſit ejus natura. Primo dicit *Deum eſſe æmulum*. Nam verbum קנא ſignificat Irritare, ſignificat etiam Æmulari, ſignificat Invidere. Quum Deus vocatur קנוא, vertunt Græci ζηλωτὴν, Latini æmulatorem. Sed proprie ſignificat, non poſſe Deum ferre injurias. Deus ergo etiamſi ad tempus conniveat ad ſcelera hominum, tamen vindex erit ſuæ gloriæ. Poſtea vocat ipſum ultorem, & tertio hoc repetit: *Jehova ulciſcens, Jehova ulciſcens & poſſidens iram, ulciſcetur*, inquit, *hoſtes ſuos, & ſervabit inimicis ſuis*. Quum dicit Deum ſervare, intelligit vindictam eſſe repoſitam incredulis, & ejus contemptoribus. Eſt etiam nobis eadem loquutio in uſu, *Je luy garde, & il la garde à ſes ennemis*. Oſtendit igitur phraſis noſtræ linguæ quid hic velit Propheta, Deum ſervare inimicis ſuis. Quod autem deſcribit Deum terribilem, hoc debet accommodari ad ſtatum præſentis cauſæ. Dicit ſe indicere bellum Ninevitis, quia injuſte afflixerant Eccleſiam Dei: hac ratione dicit Deum eſſe æmulum, Deum eſſe ultorem. & tertio hoc confirmat, nempe ut ſtatuant Iſraëlitæ ſerio denunciari hanc cladem: quia niſi propoſita illis fuiſſet hæc imago, poterant ita apud ſe ratiocinari, Nos quidem crudeliter vexamur ab hoſtibus noſtris: ſed quis putaret Deo curæ eſſe noſtras miſerias, quum tamdiu inultas ſinat? Oportuit igitur Prophetam occurrere his cogitationibus, quemadmodum facit. Nunc melius tenemus cur tam vehementi principio utatur, quum vocat Deum & æmulum & ultorem. Poſtea addit, *Deum poſſidere iram*. Ego חמה non ſimpliciter accipio pro ira, ſed pro effectu iræ. Non debemus quidem imaginari, ut ſæpius alibi dictum eſt, cadere in Deum noſtros affectus. Ipſe enim manet perpetuo ſui ſimilis: ſed tamen Deus dicitur nobis iraſci ad tempus, in perpetuum vero omnibus reprobis, quia & noſter & illorum eſt Judex. Hic igitur quum Propheta dicit *Deum eſſe Dominum iræ*, vel poſſidere iram, ſignificat eum armatum eſſe vindicta: & quamvis diſſimulet ad hominum peccata, non tamen ipſum torpere, neque etiam cunctari, quia deſtituatur potentia, vel quia ſit ignavus & ſocors, ſed ipſum tenere iram: quemadmodum poſtea iterum repetet, *Ipſe ſervat inimicis ſuis*. Denique his loquendi formis ſignificat Propheta perperam æſtimari Deum ex ceſſatione, quum non ſtatim exequitur ſua judicia. Differt enim in tempus opportunum. Sed interea non eſt cur putemus ipſum oblitum eſſe officii ſui, ubi pœnas ſuſpendit, vel parcit ad tempus impiis. Si ergo non ita cito feſtinat Deus, tamen non eſt cur putemus illum otioſum ſedere. Differt enim potius iram ſuam, vel retinet: quemadmodum jam dixi prius. Idem eſt enim retinere, vel dominum eſſe iræ, & poſſidere iram. Sequitur,

3. Jehova tardus iris, (*ad verbum: ſed tardus ad iram*) & magnus robore: & purgando non purgabit: Jehova in turbine & tempeſtate via ejus, & nubes pulvis pedum ejus.

Proſequitur eandem ſententiam Propheta: & ſatis erit longum procemium de natura Dei (quod tamen, ut dixi, aptandum eſt ad ſpecialem cauſam, quam tractabit ſuo ordine. Dicit hic *Deum tardum ad iram*. Quanquam hoc elogium etiam ex Moſe ſumptum eſt, tamen hic per modum occupationis loquitur Propheta. Occurrit enim impiorum audaciæ, qui ſecure Deum ſubſannant quum denunciatur illis aliquid adverſum: Ubi eſſet miſericordia Dei? an Deus exueret affectum clementiæ? non poteſt abnegare ſeipſum. Ita igitur profani homines prætextu honoris, Deum atrociſſima contumelia afficiunt, quia exuunt eum ſua virtute & officio: nec dubium eſt, quin jam ſeculo Prophetæ noſtri hoc uſitatum fuerit multis impiis. Ergo hic anticipat Propheta, & concedit Deum eſſe tardum ad iram. Eſt igitur in hac parte conceſſio. Sed, inquit, *magnus eſt robore*: hoc eſt, Ne ſibi blandiantur impii, quum audiunt

diunt

diunt ornari Deum his titulis, quod ſit patiens, tardus ad iram, miſericors, plenus clementiæ: ſimul, inquit, concipiant magnitudinem potentiæ Dei, ne putent ſibi negotium eſſe cum puero. Nunc ergo videmus conſilium Prophetæ: neque quadraret præſenti argumento hic titulus, quod Deus non proſiliat cito ad iram, ſed patienter differat & ſuſpendat pœnas, quas meriti ſunt impii; hoc ad rem nihil faceret, niſi per ſpeciem conceſſionis interpoſitum eſſet à Propheta: quaſi diceret, Video ut paſſim Deo mundus illudat, & impii etiam talibus dicteriis ſibi delicias faciant & repellant omnes minas. Ego quidem fateor Deum propenſum eſſe ad veniam, & non deſcendere ad iram, niſi extrema neceſſitate cogatur: hoc quidem verum eſt, ſed interim ſcitote Deum inſtructum eſſe ſua virtute. non effugient igitur quicunque ita ſibi permittunt abuti ejus patientia, imo proterviunt adverſus ipſum. Jam adjungit, *Mundando non mundabit*. Alii vertunt, Innocentem non reddet innocentem: ſed hic eſt genuinus ſenſus loci, quemadmodum etiam 34. illo Exod. cap. Moſes intelligit Deum eſſe implacabilem reprobis. Alius fuit ſenſus apud Joëlem in fine tertii cap. ubi dicebat, Mundabo ſanguines, non mundabo. Illic variant interpretes, quia non reputant tempus verbi mutandum eſſe. Significat enim Deus ſe purgaturum ſordes & inquinamenta Eccleſiæ ſuæ, quæ ante illud tempus non purgaverat: ſed Moſes intelligit Deum rigide agere cum peccatoribus, ita ut nihil pœnæ remittat. Mundando igitur non mundabo: hoc eſt, Deus exiget ad regulam omnia hominum facta: & quemadmodum nihil eum latet, ita etiam neceſſe erit quicquid peccaverint homines, prodire in medium, ubi Deus conſcendet Tribunal: non mundabit mundando, ſed rigide exequetur ſuum judicium. Videtur aliqua eſſe repugnantiæ ſpecies, quod Deus placabilis ſit, & facilis ad ignoſcendum, & tamen mundando non mundet. Sed diverſi ſunt reſpectus. Dicimus enim quorſum tendat Propheta: quia ſemper impii ſibi promittunt impunitatem, & hac fiducia petulanter Deum ipſum derident, occurrit Propheta, & aſſerit non eſſe cur Dei indulgentia ſic abutantur, quia mundando non mundabit, nempe reprobos: quia ſalus noſtra poſita eſt in gratuita remiſſione peccatorum. Et unde nobis juſtitia, niſi quatenus imputatur à Deo? deinde quatenus ſepelit peccata noſtra? imo tota noſtra mundities pendet ex indulgentia Dei. Sed Deus etiam tunc exercet ſuum judicium, & mundando mundat, quum fidelibus remittit ſua peccata. Nam fideles ipſi pœnitentia judicium ejus præveniunt: & examinat ita eorum conſcientias, ut velit purgare. Quid enim aliud eſt pœnitentia niſi damnatio, quæ tamen nobis tandem eſt ſalutaris? Quoniam ergo Deus neminem abſolvit niſi prius damnatum, hic vere affirmat Propheta noſter, quod *mundando non mundet*, hoc eſt, non remittat eorum peccata, quin ſemper examinet eos, & fungatur Judicis officio. denique nullum peccatum à Deo remittitur quod prius non damnet. Quantum vero attinet ad reprobos, qui prorſus obſtinati ſunt in ſua malitia, merito hoc illis Propheta denunciat, non eſſe ſperandam veniam, quemadmodum torpent in ſuis figmentis, dum putant ſe poſſe impune effugere Dei manum: Propheta falli eos docet, quia ſcilicet nihil Deum præterit, & non delebit unum peccatum quin omnia veniant in memoriam. Poſtea adjungit, *viam Dei eſſe in turbine & tempeſtate*, hoc eſt, Deum ſimulac ſe oſtendit, turbare totum aërem, & movere procellas ac tempeſtates. Hoc etiam ad præſentem cauſam debet aptari, quia alibi deſcribitur nobis & amabilis & blanda Dei facies: imo quid aliud exhilarat fideles quam Dei conſpectus? Simulatque averterit Deus faciem ſuam, neceſſe eſt nos demerſos eſſe in horrendis tenebris, & circumcirca obrui horrendis terroribus. Cur ergo hic Propheta dicit *viam Dei eſſe in turbine & procellis*? Nempe quia ſermo ad impios dirigitur, vel Dei ipſius contemptores: ſicuti Pſal. 18. videmus terribilem deſcribi, quod ſcilicet nubes & caligo ſunt in circuitu ejus, commoveat totum orbem: deinde fulmina jaculetur huc & illuc: quod exhalet fumum naribus, quod flamma & ardore totum mundum corripiat. Quorſum illa omnia? nempe quia propoſitum erat Davidi celebrare Dei judicia, quæ exequutus fuerat contra impios. Sic etiam hoc loco, quia Nahum differit de futura ultione quæ tunc inſtabat Aſſyriis, ideo dicit *viam Dei eſſe in turbine & procella*, hoc eſt, ubi Deus progreditur, excitari ad ejus præſentiam turbines & procellas, & totum orbem turbari. Adjungit, *Nubem eſſe pulverem pedum ejus*. Siquis tantum pedibus moveret pulverem ad aliquod exiguum ſpatium, tamen gigneret aliquid pavoris: ſed Deus non tantum pulverem uno in loco movet: quid igitur? obſcurat, adeoque obruit totum aërem. *Nubes ergo ſunt pulvis pedum ejus*. Nunc tenemus totum Prophetæ conſilium, & quorſum ſpectet iſta deſcriptio. Sequitur in eundem ſenſum,

4. Increpat mare, & areſaciet illud, (*hoc eſt, ſimulac mare increpuerit, areſaciet*) & omnia flumina exſiccat: infirmatur (*vel aboletur*) Baſan & Carmelus, & germen Libani aboletur. (*vel infirmatur: eſt idem verbum*)

Continuat Nahum eundem ſermonem, quod ſcilicet Deus ſigno iracundiæ dato, mare conturbet vel areſaciat. Poteſt eſſe alluſio ad hiſtoriam, quæ de-
Exod 14. ſcribitur à Moſe: quemadmodum Prophetæ, ubi
verſ. 22. promittunt populo Dei auxilium, ſimul revocant in memoriam quam mirabiliter Deus Patres eduxerit ex Ægypto. Quoniam ergo celeberrimus erat apud Judæos tranſitus maris Rubri, poteſt fieri ut Propheta alluſerit ad illam hiſtoriam. Sed mihi magis probatur diverſa ſententia. Scimus enim quam impetuoſum ſit elementum maris: & ideo etiam Jeremiæ 5. quum Deus vult potentiam ſuam extollere, dicit eſſe in ſuo arbitrio compeſcere furorem maris, quo ſcilicet nihil eſt impetuoſius, vel magis violentum. Sic etiam majeſtas Dei nobis deſcribitur in libro Job, viceſimo octavo capite. Eundem eſſe ſenſum hujus loci arbitror, quod ſcilicet *Deus ſua increpatione mare areſaciat*, deinde *quod flumina ſiccare poſſit*. Quando Propheta mari fluvios conjungit, hinc confirmatur quod dixi, nempe non notari hiſtoriam tranſitus maris Rubri, ſed potius in genere oſtendi quanta ſit Dei potentia in regendo toto mundo. Eodem etiam pertinet quod addit, *Baſan ipſe infirmabitur, & Carmelus, & germen Libani infirmabitur*, vel abolebitur. His verbis ſignificat nihil eſſe tam ſpecioſum in mondo, quod Deus non mutet, ſigno aliquo dato iræ ſuæ: quemadmodum Pſalmo 104. dicitur, Emitte ſpiritum tuum, & renovabuntur: rurſum, Tolle ſpiritum tuum, vel averte, & omnia revertentur in pulverem, imo in nihilum. Sic etiam hoc loco dicit Nahum, Simulac Deus oſtenderit iram ſuam, flumina areſaciet, mare ipſum ſiccabit: deinde, decident flores & germina: hoc eſt, utcunque terra induta ſit admirabili quadam ſpecie & ornatu, tamen omnia redigentur in ſolitudinem & vaſtitatem, nempe Deo irato. Poſtea etiam adjungit,

5. Montes concutientur ab eo, (*vel contremiſcent : quanquam notat continuum actum : ſenſus eſt igitur, montes contremiſcere ad nutum ejus*) & colles diſſolvent ſe: (*hoc eſt, ſolvuntur, vel liqueſiunt*) & ardet terra à facie ejus, & orbis & omnes qui habitant in eo.

Adhuc perſtat Nahum in eodem ſermone, quod ſcilicet Deus ubi conſcendit tribunal & apparet mundi Judex, omnia elementa non tantum concutiat, ſed etiam cogat mutare naturam ſuam. Quid enim minus conſentaneum quam montes contremiſcere? deinde colles diſſolvi & liqueſieri? Hoc magis prodigioſum eſt quam ut cadat ſub ſenſus noſtros. Atqui Propheta dicit montes non ſtare in ſua firmitate, niſi quatenus ſuffulti ſunt gratia Dei. Simul ergo atque excanduerit Deus, montes liqueſient inſtar nivis vel aquæ, ut diffluant. Et in hanc ſummam referri debent omnia, vel in hunc ſcopum tendunt, ne reprobi ſecure contemnant minas Dei, neve putent ejus indulgentia ſe poſſe pœnas, quas meriti ſunt, effugere: quia judex ipſorum erit, utcunque ſuis parcat: utcunque paratus ſit ad veniam, quoties homines ſibi diſpliceant in ſuis peccatis & ſerio reſipiſcunt, tamen erit Deus inexorabilis contra omnes reprobos & obſtinatos. *Montes* ergo *ab eo contremiſcunt*: deinde, *colles liquefaciunt ſe*, vel liqueſcunt. Ex his verbis colligitur utilis doctrina, non poſſe orbem ſtare ad momentum, niſi quatenus ſuſtinetur gratia & bonitate Dei: nam videmus quid futurum ſit, ſtatim atque Deus ſigna judicii ſui profert, quum ipſa montium ſtabilitas futura ſit inſtar nivis vel ceræ, quid miſeris homuncionibus fiet, qui ſimiles ſunt umbræ vel ſpectro? Evaneſcent igitur ſtatim ac Deus explicuerit iram ſuam contra ipſos, ſicut dicitur in Pſal. 39. homines in imagine tranſire. Ergo hæc comparatio ſemper tenenda eſt, quoties obrepit nobis oblivio Dei, ne ſcilicet foveamus intus ejus iram noſtris blanditiis, quo nihil pernicioſius eſt. *Flagrabit* igitur *terra & orbis & quicunque habitant in eo.*

Da omnipotens Deus, quando hic nobis quaſi in ſpeculo proponis quam formidabilis ſit ira tua, ut ita humiliemur coram te, & ſponte nosipſos ſic dejiciamus, ne proſternamur formidabili tua potentia: da, inquam, ut hac doctrina vere præparemur ad pœnitentiam, & ita ſupplices deprecemur quas quotidie acceſſimus nobis pœnas noſtris ſceleribus, ut interea etiam transformemur in imaginem Filii tui, & exuamus pravas noſtras cupiditates, & purgemur noſtris vitiis, donec tandem ſecure appareamus in conſpectum tuum, & colligamur etiam inter filios tuos, ut fruamur æterna hereditate regni tui cœleſtis, quæ nobis parta eſt ſanguine Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO SECUNDA
IN
NAHUM PROPHETAM.

CAP. I.

6. Coram indignatione ejus quis ſtabit? & quis conſiſtet in furore iræ ejus? Furor ejus effunditur tanquam ignis, & rupes ſolvuntur ab eo.

Oſtendit hic Propheta quorſum proxima lectione deſcripſerit Deum formidabilem, nempe ut homines agnoſcant, ubi ventum fuerit ad ejus tribunal, non eſſe qui illic conſiſtat, niſi ſuffultus ejus gratia. De conſilio Prophetæ fuſius diſſeruimus, neque opus eſt nunc repetere eadem. Sufficit tenere hanc ſummam, quia hoſtes Eccleſiæ freti ſua potentia, audacter & ſine ullo modo inſaniunt, hic proponi illis Dei judicium, ut intelligant ſibi reddendam eſſe rationem coram eo, cujus conſpectum ferre non poterunt. Sed interrogatio plus habet vehementiæ, quam ſi ſimpliciter dixiſſet Propheta non poſſe conſiſtere coram Deo totum mundum: nam hic ſuſcipit perſonam adjurantis. Poſtquam enim oſtendit quam terribilis ſit Dei majeſtas, exclamat, *Quis* ergo *conſiſtet coram indignatione ejus? & quis ferre poterit iram ejus?* nam *indignatio ejus*, inquit, *effunditur quaſi ignis.* Interpretes Hebræi fruſtra hic laborant: quia verbum נתך ſignificat Fundere, videtur illis abſurda eſſe loquutio, quod ira Dei fundatur tanquam ignis. hoc enim metallo potius quadraret quam igni. Sed hoc effundi nihil aliud eſt quam diſpergi longe & late. *Effunditur* ergo *ira ejus tanquam ignis*, hoc eſt, graſſatur momento, acſi ignis corriperet totam ſylvam: quemadmodum ubi invaluit, ſcimus quanta ſit ejus violentia & quam ſubito huc & illuc perrumpat. Cæterum, ſi cui tamen placeat diverſus ſenſus, non valde repugno: ira ejus, quæ ſimilis eſt igni, effunditur. Alii putant Prophetam alludere ad fulgetra, quæ veluti liqueſcunt per aërem, ſaltem quoad noſtrum aſpectum. Sed quia de ſenſu Prophetæ ſatis convenit, non opus eſt hic anxie diſputare quomodo ignis fundatur: quia jam expoſui Prophetam nihil aliud velle quam iram Dei ſeſe ſpargere, ut ſtatim non modo urbem unam, ſed ampliſſimas regiones & totum orbem occupet: & ideo igni ſimilem eſſe, quia huc & illuc pervadit, idque repente. Poſtea adjungit, *Rupes* etiam *frangi* vel diſſolvi *coram ipſo.* Scimus quanta ſit in nobis fragilitas. Quum nulla ſit durities, quæ non liqueſiat coram Deo, quomodo homines, qui diffluunt ſponte inſtar aquarum, poſſent ſeſe illi opponere cum ſua audacia. Videmus ergo hic perſtringi veſaniam hominum, qui confiſi propriis viribus, nihil non tentare audent etiam adverſus Deum, quia non venit illis in mentem ſua fragilitas. Hæc ſumma eſt. Nunc ſequitur,

7. Bonus Jehova ad fortitudinem in die anguſtiæ, & cognoſcens ſperantes in ſe.

Hic melius exprimit Propheta quod ultima lectione attigimus, Deum ſcilicet eſſe durum & aſperum contra homines præfractos; eſſe miſericordem & manſuetum erga dociles & morigeros: non quod Deus ipſe naturam mutet, vel inſtar Protei induat varias figuras; ſed quia tractat homines pro cujuſque ingenio. Quemadmodum ergo hactenus Propheta docuit non poſſe iram Dei ſuſtineri à mortalibus: ita ne quis de nimio rigore queratur, ex oppoſito demonſtrat Deum propenſum eſſe ad æquitatem, eſſe facilem & moderatum erga manſuetos: adeoque paratum eſſe ad ferendam opem fidelibus, neque deſtituere vel fraudare ſuo auxilio quicunque in eum ſperant. Primo quum *Deum* pronunciat *bonum eſſe*,

avertit quæcunque poterant objici de ſeveritate nimia: nihil enim magis proprium eſt Deo, quam bonitas. Jam ſi adeo ſeverus eſt, ut ſola ejus mentio perterreat totum mundum, videtur à ſeipſo quodammodo alienus eſſe. Nunc igitur Propheta oſtendit quicquid hactenus concionatus ſit de horribili Dei judicio, tamen hoc non pugnare cum bonitate ejus. Deus ergo etiamſi ita armatus ſit vindicta contra hoſtes ſuos, non tamen deſinit eſſe ſui ſimilis, neque obliviſcitur bonitatis ſuæ. Cæterum, Propheta hic melius confirmat Iſraëlitas & Judæos, quod ſcilicet Deus non tantum ſit terribilis contra impios, ſed etiam ſicuti pollicitus eſt ſe fore Eccleſiæ ſuæ cuſtodem, ita velit ſuccurrere fidelibus, & in tempore levare eorum miſerias. *Bonus* ergo *Dominus* eſt. Poſtea, *ad auxilium*. Hinc clarius Prophetæ conſilium poteſt intelligi, quum dicit eſſe in fortitudinem in die anguſtiæ: quaſi diceret, Paratus eſt ſemper Deus ad opem ſuis ferendam. Adjungit, *In die anguſtiæ*, ne putent fideles ſe ideo eſſe rejectos, ſiquando Deus eorum patientiam rebus adverſis examinet. Utcunque ergo Deus ſubjiciat ſuos cruci & multis ærumnis, tamen in ipſa anguſtia ſuccurret. Poſtremo adjungit, *Cognoſcit ſperantes in ſe*. Hoc Cognoſcere nihil aliud eſt quam non negligere. Deus ergo cognoſcere dicitur eos qui in ipſo ſperant: quia ſemper pro ipſis excubat, & ſollicitus eſt de eorum ſalute. denique Cognitio nihil aliud eſt quam cura Dei, vel providentia in ſervandis fidelibus. Interim tamen diſcernit hic Propheta pios & ſinceros Dei cultores ab hypocritis: dum multos deſtituit Deus, qui profitentur ſe in ipſum credere, merito ſuam gratiam ab illis ſubducit, quia ipſum ex animo non invocant nec requirunt. Nunc ergo tenemus Prophetæ conſilium: ab una parte oſtendit Deum inſtructum eſſe potentia ad hoſtes ſuos ulciſcendos: jam rurſum oſtendit Deum eſſe fidum cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, ſicuti promiſit. Quare? proponit naturam Dei, quod bonus ſit: deinde adjungit, quod paratus ſit ad opem ferendam. Sed non fruſtra notam apponit, quod ſcilicet curam gerat fidelium, qui vere & ex animo in eum ſperant: ut ſcilicet intelligant ſe non negligi à Deo: & interim hypocritæ agnoſcant ſe ideo non juvari, quia mera ſit ſimulatio quicquid profitentur. neque enim vere in Deo ſperant, utcunque falſo obtendant ejus nomen. Nunc ſequitur,

8. Et cum inundatione (*vel, per inundationem*) tranſiens conſumptionem faciet loco ejus: & inimicos ejus perſequentur tenebræ. (*vel, perſequi faciet inimicos ſuos à tenebris.*)

Proſequitur eandem ſententiam Propheta, quod ſcilicet facile ſervabit ſuos Deus, quia inſtructus ſit potentia ad ſuperandum totum mundum: ſed nunc utrumque membrum Propheta complectitur. Poſtquam concionatus eſt in genere de furore Dei, & de ejus bonitate erga fideles, nunc accommodat ſuam doctrinam ad conſolationem electi populi. Specialis igitur eſt applicatio hæc doctrinæ, quum dicit, *Per inundationem tranſiens faciet conſumptionem loco ejus.* Duplex eſt interpretatio hujus verſus. Quidam ſic diſtinguunt, quod Deus velut in tranſcurſu conſumet terram Iſrael & Juda: ſed perpetuæ tenebræ incumbent ejus hoſtibus. Putant ergo diſtingui afflictionem electi populi à clade regni Aſſur, quia Deus ad tempus duntaxat de ſuis pœnas ſumat, profanos autem & reprobos homines addicat æterno exitio. Ergo per *tranſitum*, ſecundum illos interpretes, intelligi debet temporalis afflictio vel pœna: per *tenebras* autem æternum exitium, vel clades irreparabiles, ut ita loquar. ſed non dubito quin Propheta uno contextu hic denunciet ultimam cladem Aſſyriis. *Per inundationem* ergo *in tranſitu faciet conſumptionem loco ejus*, hoc eſt, Deus repente obruet Aſſyrios, quemadmodum ſi diluvium ſurgat quod abſorbeat totam terram. Significat Deum non ſumpturum de Aſſyriis pœnas paulatim, ſed repente: quemadmodum aliquando homines pedetentim ad ſeſe ulciſcendos procedunt. Deus, inquit, ſubito fulminabit contra Aſſyrios, quemadmodum ſi diluvium terram aliquam abſorbeat. Ergo hic tranſitus Dei opponitur longis vel lentis progreſſibus: quaſi diceret, Simulatque irruerit ira Dei, vel incubuerit contra Aſſyrios, actum eſt, quia conſumptio protinus ſequetur. Ergo per inundationem tranſiens faciet conſumptionem loco ejus. Per Locum intelligit ſolum: quaſi diceret, non tantum evertet Deus ſuperficiem terræ, ſed ſolum ipſum perdet, atque in nihilum rediget. Hic additur pronomen fœmininum, quia loquitur de regno, vel gente, ſicuti Hebræi ſolent. Sed hoc præcipue notandum eſt, minari Prophetam Aſſyriis, quod Deus funditus ipſos evertet: non tantum diruet ſuperficiem, quemadmodum ſi ignis vel diluvium abſumat ædes aliquas: ſed Dominus, inquit, in nihilum rediget terram ipſam, imo fundum ipſum. Addit, *Et inimicos ejus perſequentur tenebræ.* Deſignaverat Aſſyrios tantum pronomine, quemadmodum ſolent Hebræi. Ponunt enim relativum, vel demonſtrativum pronomen, & tamen incertum eſt de quibus loquantur: ſed poſtea ſeſe explicant. Sic etiam Propheta hoc loco, quia ſermonem dirigit ad Iſraëlitas & Judæos, & initio præfatus eſt ſe proferre vindictam Dei contra Nineven & illam monarchiam, ideo nunc quaſi de re ſatis cognita loquitur: ſed adjungit, *Perſequentur tenebræ inimicos Dei.* Hoc ſecundo membro ſignificat interitum regni illius fore æternum. Sicuti ergo dixit repentinam fore cladem, quia Deus momento totam terram perdet, ita etiam nunc ſpem illis abſcindit, ne putent ſe paulo poſt vires poſſe colligere & iterum reſurgere: quemadmodum reprobi ſemper luctantur contra Deum. Propheta ergo oſtendit incurabile fore malum quod illis inferet Deus. Quidam verbum ירדף tranſitive accipiunt, quod perſequi faciet inimicos ſuos à tenebris: ſed quia ad ſenſum Prophetæ parum vel nihil intereſt, ideo relinquo hoc in medio. nam in re ipſa nulla eſt ambiguitas, quod ſcilicet Deus ſubito diluvio perdet hoſtes ſuos: deinde perdet abſque ulla ſpe reſtitutionis, quia ſcilicet diluvium illud ſubitum ſequentur æternæ tenebræ. Poſtea adjungit,

9. Quid cogitatis contra Jehovam? conſumptionem ipſe facit: non conſurget iterum afflictio.

Hunc etiam verſum quidam interpretes ita accipiunt, quaſi diceret Propheta non fore cladem electi populi ſimilem exitio, quia ſcilicet Deus modum & finem imponet. Scimus incredulos, quum rebus adverſis premuntur Dei filii, ſtatim gloriari ferociter quaſi actum eſſet de Eccleſia. Ergo ſecundum illos interpretes, hic Propheta occurrit & compeſcit talem protervians, Quid cogitatis contra Deum? Ipſe quidem affliget Eccleſiam ſuam, ſed non iterabit plagas: contentus enim erit una afflictione. & putant conferri hic regnum Jehudah cum regno Iſraël. Bis enim afflictum fuerat regnum Iſraël, quia initio abductæ fuerant quatuor Tribus, poſtea totum regnum fuerat everſum. Quoniam ergo clades una inflicta fuerat à Salmanazar, altera autem à Tiglad-Pelezer, ideo putant hic tacitam fieri compa-

rationem: quaſi diceret Propheta, Deus parcet regno Jehudah, neque iterum repetet ſuam vindictam, ſicuti contigit regno Iſraël. Sed ſenſus ille coactus eſt, ac nimis longe petitus. Non dubito itaque quin Propheta hic ſermonem ſuum continuet, ac denunciet hoſtibus Eccleſiæ æternum interitum. Initio dicit, *Quid cogitatis contra Jehovam?* Inſultat Aſſyriis, quia putabant negotium ſibi eſſe duntaxat cum mortalibus, deinde cum exiguo populo & jam multis incommodis attrito. Scimus enim regnum Jehudah fuiſſe debilitatum multis bellis, antequam illuc irrumperent Aſſyrii: nam paſſi fuerant duros & graves inſultus à ſuis vicinis, nempe à rege Iſraël, & à rege Syriæ. tuoc enim fœderati erant illi Aſſyriis. Quum ergo Aſſyrii venirent contra Judæam, putabant ſibi nihil fore negotii in obtinenda victoria: quoniam bellabant cum populo exiguo & attrito, quemadmodum jam diximus. Hic autem Propheta oſtendit bellum illud eſſe cum Deo vivo, & non cum hominibus, quemadmodum falſo putabant. *Quid* ergo *cogitatis contra Jehovam?* quaſi diceret, Neſcitis populum hunc eſſe ſub tutela Dei & præſidio? ergo non poteſtis violare regnum Jehudah, quin ſeſe Deus opponat. Quum ergo certum ſit populum hunc defendi cœleſti patrocinio, non eſt quod putetis vos fore victores. Quanquam non video cur debeat reſtringi ſermo Prophetæ ad tribum Jehudah, quando propoſitum ei fuit conſolari tam Iſraëlitas quam Judæos. Hæc autem valde utilis eſt doctrina, quia in genere Propheta docet impios quoties moleſti ſunt Eccleſiæ, non tantum inferre hominibus injuriam, ſed aggredi ipſum Deum. Hac enim lege ſe nobis conjungit, ut quicunque nos lædunt, tangant pupillam oculi ejus, quemadmodum ipſe alibi pronunciat. Zach 2. verſ. 8. Jam ergo colligimus inæſtimabile ſolatium ex his verbis: quia poſſumus libere & intrepide opponere hunc clypeum hoſtibus noſtris, ipſos ſcilicet conſilia ſua agitare contra Deum, & conatus etiam atque impetus in eum convertere, quia ſcilicet ſuſcepit nos in ſuam cuſtodiam hac lege, ut quoties violamur, ipſe medius intercedat. Hoc unum eſt. Jam ſecundo membro adjungit, *Conſumptionem ipſe faciet, nec altera vice conſurget afflictio*: hoc eſt, Deus poterit vos redigere in nihilum, ita ut non opus ſit ſecundo vos aggredi. Scimus locum hunc tractum fuiſſe in diverſam ſententiam, quod ſcilicet Deus non puniat bis homines, neque excedat modum in ira ſua. ſed illud prorſus à mente Prophetæ alienum eſt. Jam dixi etiam mihi non probari, quod alii hunc locum ad Eccleſiam accommodant, præſertim vero ad regnum Jehudah. Sic enim ſimpliciter interpretor Prophetæ verba, quod Deus primo impetu, quum ita viſum fuerit, poterit conſumere hoſtes ſuos, ut non opus ſit iterum congredi cum ipſis: *Il n'y faudra plus retourner*, quemadmodum dicimus lingua noſtra. Deus igitur conſumptionem faciet, hoc eſt, poterit uno momento hoſtes ſuos delere & clades erit perfecta, hoc eſt, conſumptio erit in ſolidum: *non iterum, vel ſecunda afflictio*, quia actum erit de hoſtibus Dei: non quod Deus æqualem ſemper tenorem ſervet in hoſtibus ſuis ulciſcendis: neque etiam hic normam præſcribit Nahum, ſed ſimpliciter ſignificat, ubi placuerit Deo, ſtatim hoſtes ejus perituros. Poſtea adjungit,

10. Quia ad ſpinas perplexas & tanquam potatione ſua ebrios *(vel, & ebrios ubi inebriati fuerint: poteſt enim eſſe duplex ſenſus. Poſtea)* **devorabuntur tanquam ſtipulæ ariditatis plenæ.** *(vel quaſi ſtipula ariditatis in plenitudine, vel arida in plenitudine.)*

Proſequitur eandem ſententiam, quod ſcilicet Deus, ubi voluerit potentiam ſuam exerere, nulla difficultate conſumet hoſtes ſuos. Similitudo enim quæ hic adjungitur, huc ſpectat, nihil fore tutum à vindicta Dei: nam per Spinas perplexas intelligit res difficiles tractatu. Ubi ſpinæ perplexæ ſunt, vix ſummis digitis audemus attingere partes extremas: quia quocunque manus noſtræ inciderint, occurrent ſpinæ, quæ nos pungent. Quoniam ergo timentur punctiones à ſpinis perplexis, ideo nemo audet ad eas accedere. Dicit ergo Propheta, *Ad ſpinas perplexas*: hoc eſt, Quamvis ſitis ſpinoſi, pleni veneno, pleni rabie, pleni malitia, pleni fraudibus, pleni crudelitate, tamen Dominus vos poterit uno incendio corripere, & conſumere ſine ullo negotio. *Ad ſpinas* igitur *perplexas*. Deinde, *tanquam potatione ſua ebrios*. Si ita legimus, ſenſus erit, Deus vel ira Dei penetrabit ad vos tanquam ad homines ebrios, qui etiamſi exultent in ſua intemperie, tamen ſunt enerves: neque enim apti ſunt ad pugnam, quia fractæ ſunt eorum vires nimia potatione. Videtur quidem ſatis eſſe roboris in homine ebrio, quia ſeſe intemperanter projicit, & deſpumat multum furorem: ſed interea digito poteſt dejici, & puer hominis ebrii facile erit victor. Eſt igitur valde apta hæc ſimilitudo, quod Deus conficiet Aſſyrios ſicuti ſolent ebrii confici, quia quo plus eſt audaciæ in hominibus ebriis, in nihilum facilius rediguntur: quia ſcilicet non ſentiunt ullum periculum, vel ſaltem ſunt quaſi attoniti: ideo impetu ſuo ruunt: ſic etiam nimis ſaturitas, inquit, erit vobis cauſa exitii, dum vos aggrediar. Vos quidem eſtis valde impetuoſi, ſed totus iſte veſter furor eſt plenus ebrietatis. *Perveniet*, inquit, *ad vos vindicta Dei, tanquam ad ebrios ſua potatione*. Alii vertunt, Ad ebrios ſecundum inebriare ipſos: & ſenſus ille etiam eſt tolerabilis. ſed quoniam ſemper manebit idem Prophetæ conſilium, ego in verbis non inſiſto. Alii quidem trahunt Prophetæ verba in diverſum ſenſum: ſed non dubito quin hic derideat faſtum illum, quo turgebant Aſſyrii, ebrietati ipſum comparans: quaſi diceret, Vos quidem eſtis ſatis ſuperque inflati, & ideo omnes trepidant ad robur veſtrum; ſed iſta veſtra ſaturitas vos potius debilitat, & enervat vires veſtras. Deus ergo quum vos conſumere aggredietur tanquam ebrios, nihil proderit vobis veſtra petulantia: quin potius erit cauſa veſtri exitii, quia ſponte vos offeretis, & Dominus facile vos præcipitabit: quemadmodum ſiquis ebrium digito impellat, ipſum ſtatim dejiciet. Et notandæ nobis ſunt diligenter iſtæ ſimilitudines, quia ſi nullus videtur acceſſus patere ad perdendos hoſtes noſtros, Deus ſcintilla una facile ipſos vorabit. Quare? quia, ſicuti ſpinas inter ſe perplexas, quas nemo audet tractare, ignis conſumit; ita etiam Deus uno incendio corripiet omnes reprobos, utcunque inter ſe ſint conglomerati. Et altera etiam ſimilitudo non exiguam conſolationem nobis affert, quia dum proterviunt hoſtes noſtri, & projiciunt ſuas ampullas, etiam videntur tremefacere & concutere totum orbem ſuis minis, ſaturitas tamen ipſorum ſimilis eſt ebrietati: nullæ ſunt intus vires, quia ſunt phrenetici, ſed robuſti non ſunt: quemadmodum hoc facile apparet in omnibus ebriis. Dicit autem, *Vorabuntur tanquam ſtipulæ ariditatis plenæ*: מלא ſignificat non modo Plenum, ſed etiam perfectum. Alii vertunt, Quaſi ſtipulæ plenæ ariditate: ſed eodem ſemper redibit ſenſus Prophetæ. Significat igitur nihil fore obſtaculo, quominus ſtatim devoret Deus hoſtes Eccleſiæ ſuæ, quia ſcilicet exſiccabit totum ipſorum vigorem, ut nihil à ſtipulis differant, & quidem prorſus aridis, quæ ſcilicet ita maturæ ſunt ut facile ignem recipiant. Sequitur,

11. Ex te egreſſus eſt cogitans (*vel conſultans*) contra Jehovam malum, conſultor Belijaal. (*hoc eſt, impius, vel perverſus: alii vertunt, Nihili.*)

Nunc oſtendit Propheta cur Deus tam vehementer excanduerit contra Aſſyrios, quia ſcilicet ſicuti patronus eſt Eccleſiæ ſuæ, ita velit tueri miſeros, qui injuſte premuntur. Propheta ergo voluit hic ſpem bonam dare Judæis, ut agnoſcerent Deo curæ eſſe ſuam ſalutem. nam ſi tantum minatus fuiſſet Aſſyriis, & non fuiſſet hæc ratio expreſſa, quid hoc ad Judæos? Gratum quidem ac dulce eſt quum videmus hoſtes noſtros perire: ſed illud frigidum eſt & jejunum ſolatium, niſi perſuaſi ſumus hoc fieri juſto Dei judicio, quia nos diligat, quia complexus amore paterno velit nos tueri. ubi autem hoc ſentimus, jam triumphamus etiam in extremis malis. Sumus enim certi de ſalute noſtra, quum Deus teſtatur & reipſa etiam demonſtrat ſe non modo nobis eſſe propitium, ſed ſibi ſalutem noſtram eſſe curæ. Hoc eſt Prophetæ conſilium, quum Nineven compellat hoc modo, *Ex te egreſſus eſt cogitans malum contra Jehovam, conſultor impius.* Magis autem emphatica eſt loquutio, quum dicit Aſſyrios conſultare contra Deum, quam ſi dixiſſet conſultare contra Judæos, vel conſultare contra populum electum Dei. Sed ſicuti hoc dictum eſt de Judæis, meminerimus ad nos ſpectare. Confirmat Propheta doctrinam illam quam nuper attigi, quoties impii nobis faceſſunt moleſtiam, bellum gerere cum Deo ipſo; quoties machinaotur aliquid contra nos, ruere adverſus eum. Deus enim opponit ſe inſtar clypei, & declarat ſe velle protegere ſub umbra alarum ſuarum, quicunque ſe ejus fidei commendaot. Ergo ſi lateamus ſub Dei præſidio, & ad ipſum confugimus in rebus noſtris adverſis, & patienter injurias tolerando imploramus ejus fidem & auxilium, quiſquis in nos inſurget, habebit Deum ſibi hoſtem. Quare? conſultat enim contra ipſum. & hæc ratio oſtendit quicquid hactenus Propheta vaticinatus eſt contra Aſſyrios, promiſcue debere extendi ad omnes Eccleſiæ hoſtes. Cur enim Deus minatus eſt Aſſyriis ſubitum diluvium & perpetuas tenebras? Ratio nunc ſubjicitur, quod conſultaverant contra eum & Eccleſiam ejus. Idem ergo etiam hoſtibus noſtris continget, ſi quidem manemus quieti ſub Dei tutela, quemadmodum dictum eſt. Quum autem dicit *egreſſum eſſe ab urbe illa, qui cogitat malum contra Jehovam*, hoc non debet reſtringi ad perſonam Sennacherib, ſed potius commune eſt omnibus Aſſyriis: quaſi diceret, Tu producis fructus quos tu comedes. nam ex te orietur cauſa interitus tui. Non eſt quod expoſtules cum Deo, quaſi contra te crudeliter ſæviat. nam *ex te egreſſus eſt qui cogitat malum contra Jehovam:* id eſt, tu nunc referes mercedem tuo partu dignam. ubi enim inita ſunt conſilia contra Eccleſiam Dei, niſi in tuo ſinu & tuis viſceribus? Malum ergo quod ex te egreſſum eſt revertetur in caput tuum. Poſtea adjungit, *Conſultor*, vel Conſiliarius, יעץ בליעל. De hac voce etiam diſſentiunt ipſi Hebræi. Putant, qui probabiliter ſentiunt, eſſe nomen compoſitum בל-יעל, Non ſurget: & putant notari hac voce tam res quam homines nihili. Qui vertunt, Abſque jugo, ſicuti Hieronymus, ratione prorſus carent. Proprie ergo dicitur Res Belijaal, res vana & quæ nihil habet ſolidi: ita etiam homo Beljiaal, in quo nulla eſt integritas. Transfertur interea ad omnes ſceleratos vel ad eorum ſcelera. Dicitur ergo Res vel negotium Belijaal, nefarium ſcelus, vel crimen deteſtabile: homo dicitur Belijaal, qui perverſe ac ſcelerate agit. Et Belijaal etiam ſimpliciter Paulus accipit pro ipſa pravitate Satanæ & omnium improborum. opponit enim Belijaal Chriſto. Nunc tenemus Prophetæ conſiliuos, quod ſcilicet Deus bellum denanciet Aſſyriis, eo quod intulerint bellum injuſtum populo ſuo, & conſultaverint non modo contra ipſos Judæos, ſed contra Deum ipſum, qui receperat eos in ſuam fidem & cuſtodiam, ſicuti dictum eſt. Sequitur,

2 Cor. 6. verſ. 15.

12. Sic dicit Jehova, Si tranquilli fuerint, utcunque fuerint multi, (*vel potentes*) ſic etiam tollentur, & tranſibit: & ſi afflixerim te, non affligam te amplius.

Hic Propheta continuat eandem ſententiam: ſed clarius exprimit quod poterat adhuc eſſe dubium, nempe quicquid virium ſit in ipſis Aſſyriis, non poſſe obſtare quominus penetret vindicta Dei. *Sic* enim *dicit Jehova, Si fuerint tranquilli, & robuſti etiam.* Noo poſſem abſolvere: ſed tantum hoc dicam: Propheta enim ſignificat, etiamſi Nineve promittat ſibi tranquillum ſtatum, eo quod bene munita ſit & habeat latam ditionem & amplam, tamen, inquit, pax tua iſta, hoc eſt, fiducia & ſecuritas, non impediet, quominus ad te perveniat Dei manus: etiamſi multi fuerint & robuſti. רבים enim poſſumus vertere tam Multos quam robuſtos. ſed uterque ſenſus non male conveniet præſenti loco: quia tenemus Prophetæ conſilium, quod ſcilicet ſuccidentur omnes adverſarii Dei, etiamſi ſecuri ſint valde, nempe freti ſuis viribus & præſidiis. Cras reliqua.

Da omnipotens Deus, quando hodie vides hoſtes tuos impotenter, imo etiam diabolica rabie furere contra Eccleſiam tuam, ut ſentiamus te eundem eſſe quem olim experti ſunt fideles omnibus ſeculis, nempe tibi curæ eſſe eorum ſalutem, qui vere & ſincero animo te invocant & requirunt in extrema neceſſitate: ut hodie quoque extendas manum tuam, & ſic compeſcas furorem hunc quem vides accenſum contra omnes ſervos tuos & filios, ut reipſa ſentiant tandem reprobi, idque in ſuum exitium, ſibi non fuiſſe bellum cum miſeris mortalibus & fractis & omni præſidio nudatis, ſed cum tua inæſtimabili virtute: ut confuſi, etiamſi non pudefiant, & quantumvis fremant contra te & manum tuam invictam, tamen exemplo ſint ac claro documento, te non modo fidelem eſſe in tuis promiſſis, ſed etiam inſtructum ea virtute, qua poſſis exequi quicquid pollicitus es in conſervationem Eccleſiæ tuæ, donec tandem colligas nos in beatam illam quietem, quæ parta eſt nobis ſanguine Filii tui, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO TERTIA IN NAHUM PROPHETAM.

CAP. I.

Diximus heri quid ſibi velit Propheta his verbis, *Etiamſi tranquilli ſint Aſſyrii & multi, tamen exciſum iri protinus à Domino.* Significat enim nunquam ita munitos eſſe impios ſuis viribus, vel opibus etiam alienis, quin Dominus abſque negotio poſſit eos perdere. Quantum ad verba ſpectat, quidam conjungunt particulam כן cum eo quod dixerat, Si fuerint tranquilli: & ita vertunt, Si fuerint tranquilli atque ſimiliter multi: hoc eſt, etiamſi ſecuri ſint, quia ſcilicet putant ſe eſſe tutos ab omni diſcrimine, & pariter etiam ſua multitudine confidant, tamen tollentur. Sed repetitio particulæ כן ſatis trita eſt Hebræis: ideo ſic debet reſolvi oratio, Quamvis tranquilli ſint, utcunque multi, tamen hoc modo tollentur. וכן. וכן, hoc eſt, ut erunt multi, ita etiam multi peribuntur. Quantum ad verbum נגזו, (nam alii non videntur mihi recte deducere à גזז) ego accipio pro Tollere è medio: proprie ſignificat Hebræis Removere procul. Vertunt omnes fere interpretes, Tondentur, quanquam deberent potius, Tondebuntur: & utrumque verbum, tam גזז quam גזה, ſignificat Tondere. ſed quia melius Prophetæ contextui, meo judicio, alterum illud quadrat, non dubito ita transferre, quod ſcilicet tollentur è medio. Jam quod adjungit Propheta, ועבר, *Et tranſibit*, quidam referunt ad Angelum, à quo profligatus fuit exercitus Sennacherib. Alii putant notari temporalem plagam, quaſi diceret fore hoc tantum in tranſitu: ſed videtur alludere Propheta ad ſuperiorem ſententiam, ubi dicebat Deum repente perditurum Aſſyrios tanquam ſubito diluvio & inopinato. Hic ergo ſenſus optime conveniet, Aſſyrios utcunque & multitudine hominum & viribus polleant, tamen ſublatum iri protinus è medio, quia ſcilicet Dominus tranſibit, hoc eſt, Dominus uno impetu eos in nihilum rediget. Sequitur deinde, *Etſi*, ad verbum, *& afflixi te, & non affligam amplius.* Sed ita debet reſolvi oratio, Quamvis te afflixerim, non affligam te amplius. Occurrit dubitationi Propheta, quæ poterat tenere perplexos fidelium animos. videbant enim Deum ſibi hactenus fuiſſe infenſum: ergo poterant quaſi ſuccumbere mœrori, niſi hoc fuiſſet additum, nempe afflictos quidem fuiſſe ad tempus, ſed Deum jam velle finem imponere ſuo rigori, quia nolit ulterius eos perſequi. Certum quidem eſt, ſæpius deinde fuiſſe afflictos: ſed hoc reſtringi debet ad Aſſyrios. nam ſcimus Prophetam noſtrum proprie vaticinari contra monarchiam illam. Succeſſit deinde monarchia Babylonis: ſed oportuit prius everti Nineven, & transferri ejus imperium ad Chaldæos, ut intelligerent tam Iſraelitæ quam Judæi ideo monarchiam illam everſam fuiſſe, quia inſurrexerat contra Deum ipſum, eo quod moleſtiam exhibuerat electo populo. Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ: poſtquam minatus eſt Aſſyriis, jam adjungit, ſermonem convertens ad Iſraëlitas, *Quamvis te afflixerim, non affligam amplius*: hoc eſt, non eſt quod dejiciant animos fideles, quia ſevere antehac tractati ſunt à Deo: cogitent potius temporales eſſe illas ferulas, & Deum ita iraſci electo populo & Eccleſiæ, ut modum ſtatuat, quia ſemper oportet impleri illud, In momento
indignationis meæ percuſſi te: ſed proſequar te miſerationibus æternis. hæc promiſſio ſemel data eſt Eccleſiæ, ſed viget ac vigebit uſque in finem mundi. Sic videmus Prophetam obviam ire dubitationi, ne exiſtiment fideles prorſus ſibi eſſe deſperandum, quia experti ſint Deum tam ſeverum erga ſe: dicit enim Deum contentum eſſe pœnis quas ſumpſit, nec velle ultra perſequi populum ſuum. Sequitur,

Jeſa. 54. verſ. 8.

13. Et nunc conteram (*vel confringam*) jugum ejus abs te, & vincula tua diſrumpam.

Confirmat proximum membrum, quod ſcilicet Deus jam ſuperſedeat à rigore. Dicit enim propinquam eſſe liberationem electi populi, quia Deus franget ac rediget in nihilum tyrannidem illius monarchiæ. Hic verſus ſatis oſtendit, non tam reſtricte exponi debere ſententiam proximi verſus, uti faciunt interpretes. nam intelligunt hoc eſſe dictum de ſtrage exercitus Sennacherib. Atqui Propheta hic communiter tam Iſraëlitas quam Judæos alloquitur, quemadmodum ſatis patet ex contextu. Deinde hic verſus ſatis confirmat non de ſolis Judæis Prophetam loqui: neque enim illi ita ſubacti fuerunt ab Aſſyriis, quemadmodum Iſraelitæ. Fateor quidem fuiſſe tributarios. Nam quum fœdus pepigiſſent, Aſſyrius ubi potitus eſt regno Iſraël & regno Syriæ, tandem etiam extendit arma ſua uſque ad Judæam. Certum igitur eſt fuiſſe aliqua ex parte ſub jugo: ſed non fuit tam dura illa ſervitus, ut poſſint de ea intelligi Prophetæ verba. Ego igitur generaliter hoc accipio, quod Deus liberabit à tyrannide Ninevæ populum ſuum, tam Iſraëlitas quam Judæos. Siquis excipiat, Iſraëlitas nunquam fuiſſe liberatos, hoc etiam verum eſt: ſed reſpectu Ninevæ fuerunt tamen liberati, ubi imperium tranſlatum fuit ad Chaldæos, & Babylon ſedes facta eſt imperii. & jam vidimus hoc tantum eſſe Prophetæ noſtri conſilium, quamvis per Aſſyrios Deus populum ſuum caſtigaſſet, non tamen oblitum fuiſſe fœderis ſui, quia Aſſyrii daturi pœnas erant. Satis eſt igitur quod tam Judæi quam Iſraëlitæ non amplius fuerint ſub jugo Ninevæ, quantumvis paſſi fuerint deinde alios tyrannos. Et interea hoc etiam aliqua ex parte ad Judæos ſpectat, quod jugum hoſtium frangendum vel conterendum dicitur; quia ſi hoc extendimus ad utroſque, nempe tam ad Iſraëlitas quam ad Judæos, non male conveniet, quod utrique fuerint ſub jugo & conſtricti vinculis. Etſi enim durior erat Iſraëlis ſervitus, tamen ſpoliati fuerant etiam Judæi ipſi libertate ſua. Conveniet igitur hoc, ſi generaliter accipitur de toto populo, quod dicit, *Et nunc conteram jugum ejus abs te, & vincula diſrumpam.* Docet autem hic verſus, non ita ſubjectum fuiſſe populum hoſtium tyrannidi, quin ſemper in manu & arbitrio Dei eſſet ejus liberatio. Unde enim factum eſt ut Aſſyrii prævaluerint contra Iſraëlitas, & deinde ſubjugaverint Judæos, niſi quia erant quaſi baculus in manu Dei, ſicuti docet Jeſaias capite decimo? & quamvis armati eſſent ipſi, tamen erant quoque quaſi Dei arma & tela, quia ſeſe movere non poterant, niſi Dominus impetum eorum vertiſſet quocunque volebat, quemadmodum ſiquis jaculum vel telum vibret manu ſua. Sequitur,

 14. Et

14. Et mandavit ſuper te Jehova, Ne ſeminetur ex nomine tuo poſthac: è domo (*hoc eſt, è templo*) deorum tuorum excidam ſculptile & conflatile: ponam ſepulchrum tuum, quia execrabilis es. (*aut, vilis factus es.*)

Clarius & ſine figura explicat Nahum quod prius dixerat de tenebris, nempe regnum Ninevæ ita ſubverſum iri, ut nunquam vires colligat, vel emergat rurſus in priſtinum ſtatum. Alloquitur quidem ipſum Regem, ſed ſub ejus perſona complectitur haud dubie ſtatum regni. *Præcepit ergo Deus ſuper te*, inquit, *ne ſeminetur ex nomine tuo*: hoc eſt, Deus ita decrevit, ne ſuperſtes ſit memoria nominis tui. nam Seminare ex nomine alicujus, eſt propagare ejus famam. Quum ergo Deus ſobolem aliquam prorſus exterminat è mundo, vel etiam quum gentem aliquam delet, dicitur prohibuiſſe ne amplius ex nomine ſeminetur: hoc eſt, ne qua fiat propagatio nominis. Denique Propheta noſter Aſſyriis denunciat talem interitum, ex quo nunquam reſurgant. Quum autem tribuit Deo tale mandatum, ſignificat ſolo Dei nutu & gentes & regna propagari: ita etiam deleri & perire. nam debet extendi ad totas gentes quod de ſingulis hominibus dicitur. Semen vel fru-
Pſal. 127. vers. 3. ctus ventris, ut habetur in Pſalmo, eſt peculiare donum Dei. Unde enim fit ut multi liberis careant, alii autem gignant magnam ſobolem & quaſi populoſam, niſi quia benedicit Dominus aliis, alios autem reddit ſteriles? Idem etiam de gentibus ſentiendum eſt: propagat eas Dominus, & conſervat earum memoriam: ubi autem ita viſum eſt, prorſus in nihilum redigit, ut nullum maneat reſiduum ſemen. Et quum teſtatur Propheta hoc eſſe mandatum Jehovæ, confirmat Iſraëlitas & Judæos, ne dubitent quin perituri ſint Aſſyrii abſque ſpe reſtitutionis: quia ſcilicet hoc decretum eſt cœlitus. Poſtea adjungit, *E domo* (vel è templo) *deorum tuorum excidam ſculptilia*. Probabile eſt, quod etiam communi ſententia eſt receptum, hic Prophetam reſpicere ad Sennacherib, qui in templo idoli ſui occiſus eſt à filiis ſuis, paulo poſt quam reverſus fuerat à Judæa, quum ſoluta eſſet mirabiliter obſidio ſanctæ urbis manu Angeli. Quoniam ergo occiſus illic fuerat, & templum ejus cæde profanatum, libenter amplector quod omnes fere docent, locum hunc ad ejus perſonam referri. ſed non dubium interea, quin Propheta ſub perſona unius Regis deſcribat cladem & exitium totius regni. Tunc enim Deus palam fecit quid ſtatuiſſet de imperio Ninevæ & de Aſſyriis omnibus. Nam inde etiam ſequuta eſt illa mutatio, quod Nabuchodonoſor tranſtulit Babylonem imperium, quod deteſtabilis erat tota illa progenies, & quiſque ad ſe potentiam trahebat. Quum igitur inteſtino diſſidio fracti eſſent prius Aſſyrii, facile fuit Chaldæis illos ſubigere. Ideo Propheta non hic vaticinatur contra Regem unum duntaxat; ſed quia cædes illius quaſi præludium fuit communis exitii, ideo illam hiſtoriam memoratu dignam recenſet Propheta, quod ſcilicet profanabitur templum cæde Sennacherib, deinde ſtatim transferetur Monarchia ad Chaldæos. Quum dicit, *Ponam ſepulchrum tuum*, cohæret hoc membrum cum ſuperiori. Unde enim factum eſt ut exciſa fuerint idola è templo illo, niſi quia facinus illud tragicum, locum deteſtabilem reddidit? nemo enim non exhorruit tam fœdum crimen, quod filii patrem occiderant propria manu. Scimus quum Romæ illa ſuperba mulier juſſiſſet trahi carpentum ſuper cadaver patris ſui, viam illam fuiſſe nefandam: ſic etiam non dubium eſt quin templum illud pollutum fuerit regia cæde. Conjunctim ergo hæc duo ſimul legi debent, quod Deus excidet idola & ſculptilia è templo, deinde quod illic erit ſepulchrum Sennacherib. Adjungit, *Quia execrabilis es*. קלות ego reddidi Abominandum. Poteſt quidem hoc etiam referri ad hiſtoriam illam: ſed ego ſeorſum accipio, quod Sennacherib ſit abominabilis: neque ſolus ipſe, ſed totum nomen regium, ſicuti & monarchia illa Ninevæ. Neque enim quadraret, quemadmodum jam diximus, hæc omnia referre ad perſonam unius Sennacherib: quia Propheta concionatur de interitu urbis & gentis, idque in genere: quanquam hoc non obſtat quominus etiam attingat quaſi in tranſcurſu perſonam Sennacherib. Jam ſimul notandum eſt, hic oblique perſtringi inanem fiduciam, quam locabant reges Aſſyrii in ſuis idolis, vel ſculptilibus, ſicuti ſcimus idololatras non tantum ſuis viribus confidere, ſed etiam partem ſpei ſuæ repoſitam habere in ſuis ſuperſtitionibus. Oſtendit ergo Propheta templum eſſe profanandum à Deo, ita ut nihil ſubſidii Aſſyriis ſuperſit, tam Regibus ipſis quam toti populo. Pergamus.

15. Ecce ſuper montes pedes annunciantis, promulgantis pacem: Celebra Jehudah ſolennitates tuas, redde vota tua, quia non adjiciet poſthac ad tranſeundum in te impius, (*Belijaal*) in totum exciſus eſt.

Rurſus docet Propheta, quicquid vaticinatus eſt de excidio urbis Ninevæ ſpectare in hunc finem, ut Deus inſigni iſto documento teſtetur ſe curam habere populi ſui, neque immemorem eſſe fœderis quod pepigerat cum filiis Abrahæ. Alioqui vaticinium hoc caruiſſet ſua efficacia apud Iſraëlitas: putaſſent hoc vel accidere fortuito, vel fatali quadam revolutione, vel alia de cauſa, quod Nineve diruta fuiſſet. Ergo Propheta oſtendit interitum urbis & monarchiæ Ninevæ ſpecimen fore paterni Dei amoris erga electum populum, & in gratiam unius populi talem mutationem factam eſſe: quia ſcilicet Deus quamvis ad tempus pœnas ſumpſiſſet de Iſraëlitis, volebat tamen reſiduum illic manere aliquod ſemen, quia abſurdum fuiſſet aboleri penitus ejus fœdus, quod erat inviolabile. Nunc ergo tenemus Prophetæ conſilium, & quomodo verſus hic conjungi debeat cum reliquo contextu: *Ecce*, inquit, *ſuper montes pedes annunciantis pacem*. Quidam putant Prophetam alludere ad ſitum Jeruſolymæ. Scimus quidem montes fuiſſe in circuitu: ſed generalius loquitur Propheta, quod ſcilicet præcones pacis conſcendent in cacumina montium, ut longe vox ipſorum exaudiri queat: *Ecce*, inquit, *ſuper montes pedes annunciantis pacem*. nam prius vix ipſæ omnes occluſæ fuerant, & vix quiſquam hiſcere audebat. Siquis de pace vel de bello inquireret, ſtatim erat periculum ne veniret in ſuſpicionem. Quum ergo tyrannice dominando Aſſyrii privaſſent libero ſermone Iſraelitas, jam dicit Propheta pedes annunciantium pacem fore ſuper montes: hoc eſt, Jam liberum erit & integrum pacem promulgare etiam in locis editiſſimis. Quum dicit *pedes*, ſignificat adventum, quemadmodum expoſuimus: ſicuti etiam lo-
quitur Jeſaias, Quam pulchri ſunt pedes annuncian- Jeſa. 52.
tium pacem, annunciantium bona! Ergo conſur- vers. 7.
gent, inquit, ubique præcones pacis. Et videtur etiam repetitio hoc melius exprimere. nam dicit, *Annunciantis & audire facientis*. Poterat ſimpliciter dicere מבשר, ſed adjungit משמיע: non tantum, inquit, annunciabit, ſed etiam clara & ſonora voce, ita ut ex locis remotiſſimis præconium iſtud audiri queat.

queat. Nunc tenemus quorſum ſpectet Propheta, & quid verba etiam valeant. Jam adjungit, *Celebra Jehudah dies tuos feſtos*. Eſt quidem repetitio, quemadmodum ſi poſſet Latine dici, Feſtiva feſtivitates: ſed ad ſenſum hoc nihil refert. Libenter eorum ſententiæ ſubſcribo, qui putant hic notari interruptionem dierum feſtorum. Nam ſic diſſipata erant omnia tam Jeroſolymæ quam in vicinis locis, ut ceſſarent ſacrificia, & dies feſti etiam intermiſſi forent: quemadmodum ſacra hiſtoria docet Paſcha fuiſſe de integro celebratum ſub Ezechia, deinde ſub Joſia: hoc proculdubio contigit, quemadmodum fieri ſolet in regionibus bello vaſtatis. Significat igitur Propheta nunc tranquillum fore ſtatum electi populi, ut libere & ſine metu hoſtium poſſint omnes aſcendere Jeroſolymam, & celebrare dies feſtos, & gratias agere Domino, & lætari in ejus conſpectu: quemadmodum etiam Moſes illa loquendi forma ſæpe utitur. Interim tamen non dubium eſt quin Propheta admoneat Judæos in quem finem Dominus fregerit jugum hoſtile, & eos exemerit à ſervili illo metu, nempe ut poſthac impendant operam ſacrificiis, & colant Deum in otio ſuo. Quod autem compellat Jehudah, non fit abſque ratione: tametſi enim nondum Iſraël ſic rejectus fuerat, quin adhuc cenſeret regnum illud Deus in populo ſuo, tamen nulla erant illic legitima ſacrificia, nulli dies feſti quos Deus probaret. Scimus enim cultum qui illic vigebat fuiſſe corruptum & degenerem. Ergo quoniam repudiabat Deus ſacrificia quæ ſolebant offerri in Iſraël, ideo ſermonem hic ad ſolam tribum Jehudah dirigit Nahum: ſed interim ſignificat Deum ita beneficum fuiſſe erga Iſraëlitas, ut memores ſuæ redemptionis, gratias agerent. Sciamus ergo, quum Dominus nobis otium concedit, & tuetur nos in tranquillo ſtatu, ſemper hunc finem eſſe ſpectandum, quod ſcilicet vult ſincere à nobis coli. Quod ſi abutimur noſtro otio, & deliciæ nobis inducunt Dei oblivionem, hæc ingratitudo minime ferenda eſt. Nam in extremis neceſſitatibus tamen Deo ſacrificandum eſt: quia tunc maxime confugere nos oportet ad ejus miſericordiam. ſed quia turbulentis animis non ita compoſite ipſum colimus, ideo permittit nobis otium. Jam ſi abutimur otio noſtro ad ignaviam, imo etiam tam ſumus ſocordes ut Deum negligamus, hoc, quemadmodum jam dixi, intolerabile eſt. Ergo notemus Prophetæ verba, ubi conſilium Dei exprimit, quod ſcilicet liberaverit populum ſuum ab Aſſyriis, ut illic celebrarentur dies feſti. Adjungit, *Redde vota tua*. Hic non tantum loquitur de ordinariis ſacrificiis & de præſcripto cultu, ſed exigit ſpeciale teſtimonium gratitudinis, quod tunc Dei manu redempti fuerant. Scimus enim quid ſignificet votorum redditio apud Hebræos. Solebant offerre Pacifica, ſi victores reverſi eſſent è bello, ſi etiam erepti eſſent ab aliquo diſcrimine, vel aliqua clade levati. Ideo Propheta nunc oſtendit merito ſolvenda eſſe vota Deo, quum tam liberaliter cum populo ſuo egerit: ſicuti habetur Pſalm. 116., Quid rependam Domino pro omnibus beneficiis, quæ in me contulit? calicem ſalutis accipiam, & nomen Domini invocabo. Vidimus etiam apud Hoſeam, *Hoſ. 14.*
Vitulos labiorum mihi perſolves. Nunc tenemus *verſ. 3.*
quid in ſumma velit Nahum, nempe ubi pax reddita fuerit populo, non debere ſepeliri tantum & tam inſigne Dei beneficium, quin reddantur vota, hoc eſt, quin teſtetur populus Deum eſſe auctorem ſuæ ſalutis, & redemptionem quam adeptus eſt, proprium eſſe Dei opus. Sequitur, *Non adjiciet amplius ad tranſeundum in te Belijaal, quia in totum ſucciſus eſt.* Non debet generaliter exponi hic locus, quia ſcimus graviores deinde fuiſſe Chaldæos Judæis, quam fuerant prius Aſſyrii: ſed Propheta hic Ninevitas deſignat, hoc eſt, Aſſyrios, quorum tunc metropolis erat Nineve, ut dictum eſt. *Iſte ergo impius non adjiciet poſthac ut tranſeat in te.* Quare? *Eſt enim ſucciſus in totum.* Hæc cauſæ redditio ſatis oſtendit Prophetam non loqui de quibuslibet impiis, ſed notare tantum Aſſyrios. Sequitur,

CAPUT II.

AScendit deſtructor coram facie tua, cuſtodi munitionem, reſpice viam, robora lumbos, fortifica vires valde.

2. Quia abſtulit (*alii vertunt, recidere fecit: alii, quieſcere fecit*) Jehova fortitudinem (*alii ſuperbiam*) Jacob, ſicuti fortitudinem (*vel ſuperbiam: eſt idem nomen*) Iſraël: quia evacuarunt evacuantes, & palmites eorum ſucciderunt.

QUum Propheta loquitur hic de Vaſtatore, quidam referunt ad Sennacherib, quidam ad Nabuchodonoſorem: & verbum etiam עלה diverſis modis exponitur. Metaphorice ſæpe ſumitur apud Hebræos pro Evaneſcere: ſicuti etiam Gallice dicimus, *Il s'en va en fumée*: quia fumus ſurſum aſcendit. hæc eſt ratio metaphoræ. Eliciunt igitur hunc ſenſum, quod deſtructor aſcendit coram facie electi populi, id eſt, palam, ſic ut conſpicuum fuerit Dei opus, evanuiſſe Aſſyrios, qui tamen venerant ad totam terram vaſtandam. Evanuit ergo deſtructor: poſtea, *coram facie tua*, id eſt, manifeſte & ſub oculis tuis. נצור מצורה, Cuſtodi munitionem: hoc eſt, quique redeant in urbem ſuam, & agant ſuas cuſtodias ut ſoliti ſunt, quia regio erit hominibus vacua. Deinde, *reſpice viam*: hoc eſt, reſpice qua parte venerit Sennacherib ad oppugnandam ſanctam urbem: via illa jam erit libera ab hoſtibus. Poſtea, *retine* vel fortifica *lumbos*: nam חזק ſignificat etiam Retinere interdum. Retine igitur vel fortifica lumbos: id eſt, ne diffluas quemadmodum prius, ſed ſtes fortiter: quia nemo eſt qui te exterreat. Deinde, *fortifica vires valde*: id eſt, ne dubita quin poſthac ſatis firmus ſis ad retinendum ſtatum tuum, quia exciſa erit Monarchia illa, quæ tibi infeſta fuit. Sed alii ſecus exponunt, quod aſcenderit deſtructor, id eſt, venerit Sennacherib: & quod deinde ſequitur putant ad incutiendum terrorem valere: quaſi diceret Propheta, nunc dum obſeſſi eſtis, agite excubias, & ſitis intenti ad ſervandas veſtras munitiones, & roborate vias omnibus præſidiis: hoc totum nihil proderit. Quare? Deus enim ſuſtulit ſuperbiam Jacob, ſicuti ſuperbiam Iſrael. hæc eſt ſecunda expoſitio. Alii putant Prophetam hic alloqui Aſſyrios, & vocari ab eo Vaſtatorem Nabuchodonoſor, à quo tranſlatum fuit imperium, diruta Nineve, quemadmodum jam ſæpius dictum eſt. Secundum iſtos interpretes hic Propheta cladem denunciat Aſſyriis hoc modo, Aſcendit jam deſtructor coram facie tua. Aſſyrii enim poterant ludibrio habere tales minas, quum cincti eſſent multis provinciis, & urbes haberent valde munitas: Non ſuccedet, inquit, pro veſtra opinione: veniet nihilominus in conſpectum tuum Vaſtator, & nunc utcunque cuſtodias tuas munitiones, circumſpicias viam, hoc eſt, diſpicias ſedulo qua parte occludere poſſis tranſitum hoſtibus, tamen nihil proficies: fortifica lumbos ut libuerit, & adauge vires tuas, tamen hoc totum erit irritum & inane. Et ſi placeat hic ſenſus, erit confirmatio ſuperioris doctrinæ, quod ſcilicet Deus jam decreverit perdere urbem Niniven & imperium illud quod erat tunc apud Aſſyrios. Non

igitur male hoc conveniet: ſed ſi recipimus hunc ſenſum, poſtea ſequetur quædam quaſi correctio, quod ſcilicet Deus jam perdere velit Nineven & ejus monarchiam, quia humiliavit ſatis ſuperque populum ſuum, tam regnum Jehudah quam decem Tribus. Non poſſem ultra proſequi.

Da omnipotens Deus, quando quotidie ferulis tuis verberamur, ut ſentiamus te juſte de nobis pœnas ſumere, atque ita examinemus totam vitam noſtram, ut cum vera & ingenua confeſſione ſupplices confugiamus ad tuam miſericordiam, quæ nobis per Euangelium tuum offertur in Chriſto Domino noſtro: deinde etiam quum ſimul tot beneficiis nos proſequaris, ne ſimus ingrati, & nequando nobis obrepat oblivio gratiæ tuæ, ſed nos præcipue tota vita exerceamus in cultu nominis tui & gratiarum actione, & ſic tibi offeramus linguis laudis ſacrificia, ut tota vita noſtra reſpondeat: & ſic glorificemus nomen tuum in terra, ut tandem colligamur io regnum tuum cœleſte, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO QUARTA IN NAHUM PROPHETAM.

CAP. II.

Diximus heri quoſdam interpretes verſum hunc, ubi dicit Propheta, *Aſcendit deſtructor coram facie tua, cuſtodi munitionem*, referre ad Sennacherib, quod ſcilicet Deus illum abſtulerit atque evaneſcere fecerit inſtar fumi. Diximus etiam alios elicere diverſum ſenſum, quod Sennacherib aſcenderit in Judæam, & terrore impleverit totam regionem, imo etiam tandem vaſtaverit. ſed potius inclino in eorum ſententiam, qui dictum hoc putant de Nabuchodonoſore, qui deſtructor aſcendit contra Nineven. Fuit igitur Nabuchodonoſor vaſtator Ninevæ, quia divinitus excitatus fuerat ut everteret tyrannidem illius urbis. Ideo Propheta ridet conatus omnes & apparatus quos opponent Ninevitæ, quemadmodum fieri ſolet ubi invaditur regio aliqua. Dicit igitur, *Cuſtodi munitionem, reſpice viam, & fortifica lumbos, & robora fortitudinem tuam valde.* Sunt autem ironicæ loquutiones: quaſi diceret, quicquid machinentur Ninevitæ, ut ſe defendant contra hoſtium impetum, tamen hoc totum irritum fore. Jam quod ſubjicitur, per occupationem additum fuiſſe interpretor, quod ſcilicet *Deus abſtulerit ſuperbiam Jacob, ſicuti ſuperbiam Iſrael.* Alii vertunt, Redire fecit Deus, vel quieſcere: & גאון accipiunt io bonam partem pro fortitudine vel gloria. Secundum illos ſenſus eſſet, quod Deus profligato exercitu Sennacherib, vel Aſſyriis deletis, redire faciet priſtinam gloriam populi ſui: quia utrumque regnum collapſum erat. Intelligunt igitur hoc dictum eſſe de reſtitutione totius populi. & qui vertunt, Quieſcere fecit, putant promitti diuturnam pacem tam Iſraëlitis quam Judæis. Mihi autem potius videtur Propheta oſtendere maturum eſſe tempus exitio urbis Ninevæ: quia ſcilicet Deus humiliaverit populum ſuum. *Abſtulit* ergo *ſuperbiam Jacob, ſicuti ſuperbiam Iſraël*: id eſt, poſtquam Deus correxit ſuperbiam Iſraelis, adhibuit etiam ſimile remedium regno Jehudah: ſic totus populus humiliatus eſt, atque oblitus illius nimiæ ſuæ altitudinis. nam גאון ut plurimum accipitur in malam partem pro faſtu vel ſuperbia. Hæc igitur ratio eſt cur nunc Deus pronunciet propinquum eſſe interitum Ninevitis, quia jam ſatis & ſuper ſubacti ſunt Judæi & Iſraëlitæ atque. hic ſenſus optime fluit. Deinde etiam ſecundum membrum eodem ſpectat, quod *evacuantes evacuarint*, id eſt, prædones ipſos exinanierint, & nihil fecerint illis reſiduum. Reſpondet hic locus ſententiæ Jeſaiæ, Ubi compleverit Dominus opus ſuum totum in monte Sion & Jeruſalem, tunc etiam convertet vindictam ſuam contra Aſſyrios. *Jeſai. 10. verſ. 12.* Cur enim citius non fuerunt deleti? nempe quia volebat eorum opera uti Dominus ad caſtigandos Judæos. Donec ergo impletum fuit totum opus Dei, hoc eſt, donec ita correxit populi ſui ſuperbiam ut penitus dejectus eſſet, noluit perdere Ninevitas: ſed tandem etiam tracti ſunt illi in ſuum exitium. Hoc idem nunc docet Propheta noſter, nempe Nabuchodonoſorem venturum eſſe ad Nineven diruendam, ubi Dominus abſtulerit faſtum populi ſui. Quod ſequitur, *Et perdiderunt propagines* vel palmites *eorum*, metaphorice accipio, quod radicitus evulſi fuerint Iſraëlitæ, quoad externam ſpeciem. Oportuit enim ipſos coram oculis hoſtium in nihilum redigi, & radices etiam ipſas revelli, ut ſentirent ſe nihil eſſe. Dominus quidem ſemper ſervavit occultas reliquias: ſed hoc factum fuit præter hominum ſenſum. Hoc autem ad ſuperficiem refert Propheta quod metaphorice dicit de perditis palmitibus. Sequitur,

3. Clypeus fortium ejus rubefactus eſt, viri potentiæ ejus vermiculati, (*hoc eſt, rubro etiam colore*) in igne lampadum (*vel tædarum*) currus in die expeditionis ejus, & abietes tremefactæ ſunt.

Deſcribit Propheta quam formidabiles futuri ſint Chaldæi, ubi ſeſe accingent adverſus Aſſyrios. Dicit, *Clypeus fortium ejus rubefactus eſt.* Quidam exiſtimant tunc depictos fuiſſe rubro colore clypeos, ne ſanguis nimis eſſet conſpicuus: indutos etiam fuiſſe milites veſtibus coccineis, ut ſi eſſent vulnerati, hoc non incuteret illis terrorem. Et de Lacedæmoniis hoc teſtantur hiſtoriæ. Cæterum, quia nobis gentium illarum mores non adeo ſunt cogniti, ſufficiat hoc tenere, deſcribi apparatum bellicum: quaſi diceret, venturos Chaldæos contra Nineven cum violento impetu & terribili. Dicit ergo *viros roboris ejus fore coccineos.* Non dubium eſt quin ad colorem veſtium reſpiciat. Alii qui hoc exponunt de Aſſyriis, dicunt notari pudorem. ſed illud eſt nimis coactum. Non dubito igitur quin Propheta hic depingat Chaldæos, & oſtendat ſic fore inſtructos, ut ſolo aſpectu hoſtes ſuos profligent, nempe Aſſyrios. Eadem ratione continuo poſt addit, *In igne tædarum*, vel lampadum, *currus in die expeditionis ejus*, hoc eſt, in die quo ſe parabunt. Nomen hoc פלדות non alibi occurrit: ideo Judæi putant inverſas eſſe literas, & פלדות poſitum eſſe pro לפידות, quemadmodum ſtatim hoc nomen ponetur à Propheta, & eodem ſenſu. Certe ex contextu colligere promptum eſt, hic vel tædas vel lampades intelligi à Propheta. *Currus* ergo *ejus in igne lampadum*, id eſt, currus tam præcipiti impetu ferentur, ut quaſi flammæ igneæ appareant quum rotæ tam celeriter volventur. *Et abietes*, inquit, *tremefactæ ſunt.* Alii vertunt,

Inebriatæ

Inebriatæ ſunt, vel ſopitæ: & hoc referunt ad Aſſyrios, quod ſcilicet magnates ipſorum (quos putabant hic conferri abietibus, vel metaphorice per abietes notari) fuerint obſtupefacti. Obſtupefient igitur qui præcipui ſunt apud Aſſyrios, quia ſolus conſpectus eos quaſi exanimes reddet. nam רעל quidam accipiunt pro Veneno inficere, vel obſtupefacere. Sed rectius ſentiunt qui per Abietes putant notari lanceas: quanquam non ſatis exprimunt ſenſum Prophetæ: neque enim dubito, quin hoc ſimpliciter velit, talem concuſſionem fore in lanceis, acſi abietes in ſylvis tremefierent. Nam ſcimus lanceas confici ex abietibus, quia lignum illud leve eſt, & magis agile: quemadmodum ſi lingua noſtra quis diceret, *les lances branſlent*. Tremefient igitur lanceæ; id eſt, concutientur, acſi tremerent abietes inter manus militum. Ita videmus continua ferie hic Prophetam deſcribere terribilem apparatum in Chaldæis. Pergamus.

4. In compitis inſanient, per currus (*eſt hic nomen ſingulare, currus: ideo quidam ſubaudiunt viros currus. Sed poſſumus aliter intelligere, quod inſanient in ſuis curribus: deinde*) properabunt in plateis: (*alii vertunt, congregabuntur: poteſt deduci tam à* שקק*, quam à* שוק*. ſed hic ſignificat properare*) aſpectus eorum quaſi lampades, (*hoc eſt, lampadum*) quaſi fulgura diſcurrent.

Proſequitur adhuc eandem ſententiam, quod ſcilicet inſanient per compita, hoc eſt, tumultuabuntur, acſi alienati eſſent mente, quemadmodum ſolent furioſi homines, qui impetu ſuo abſque ratione aut modo feruntur: ita etiam inſanient in ſuo tumultu. Deinde, *properabunt*, inquit. Deductum eſt verbum à coxis. nam qui feſtinat, ille vibrat coxas, vel agitat repentino impetu: ſic etiam, coxabunt, ſi liceat verbum fingere, *Ils remueront les hanches*. Hoc voluit Propheta. Deinde, *Aſpectus eorum quaſi lampades*. Refertur hoc ad quadrigas. Erunt igitur ſimiles lampadibus, hoc eſt, perſtringent oculos ſpectantium ſuo fulgore. Omnia hæc pertinent ad exprimendum terrorem. Deinde, *Quaſi fulgura*, inquit, *diſcurrent* huc & illuc. Denique ſignificat tam violentum fore impetum in Chaldæis, ut ſuperent conſuetudinem hominum: quia potius erit quædam inſania & rabies divinitus immiſſa. Sic ergo ſimiles erunt & fulguri & flammis, ut excedant omnem humanum morem. Cæterum loquutiones iſtæ etſi ſunt hyperbolicæ, non tamen ratione carent: quia facile nobis eſt conjicere quanta fuerit tunc ſecuritas urbis Nineve: deinde quam fuerit clades iſta incredibilis. Tunc enim eminebat Monarchia illa in toto mundo, & nemo putaſſet poſſe unquam attingi. Quum ergo difficile eſſet perſuadere Judæis, inſtare tale Aſſyriis exitium, oportuit Prophetam hic congerere varias loquendi formas, quibus exprimeret Dei potentiam in perdendis Aſſyriis. Poſtea ſequitur,

5. Recordabitur fortium ſuorum, impingent in itinere ſuo, (*vel itineribus ſuis, ſi legamus plurali numero*) feſtinabunt ad murum ejus, parabitur integumentum.

Hoc etiam quidam interpretes exponunt de Chaldæis. Rex ergo Babylonis recordabitur fortium ſuorum, id eſt, recenſebit vires ſuas, & quicquid erit roboris in ſua ditione, hoc totum colliget, ut oppugnet Nineven & Aſſyrios. Alii putant eſſe hypallagen, quæ tamen eſſet nimis coacta, Fortes recordabuntur: quaſi eſſet heteroſis numeri, ſi ita placeat. Ego autem ſimpliciter accipio verba Prophetæ ut ſonant, quod recordabitur fortium. ſed hoc pertinet, meo judicio, ad Aſſyrios. Recordabitur ergo vel Rex Ninevæ, vel populus ipſe recordabitur fortium ſuorum, id eſt, contrahet undique ſua præſidia, nihil omittet quod valere ad defenſionem queat: ſicuti fieri ſolet in magno diſcrimine, & rebus extremis. nam notantur viri bellicoſi tunc: & quiſquis pollet aliqua peritia, deinde quiſquis eſt præditus fortitudine, quiſquis eſt exercitatus in armis, illi trahuntur, ut ferant ſuppetias. Sic ergo Propheta etiam dicit talem fore pavorem in terra Aſſur, ut contrahant quicquid erit virium, quo ſe defendant contra hoſtes. *Rex* ergo *fortium ſuorum recordabitur*, id eſt, opponet quæcunque illic erunt ſubſidia. Deinde, *impingent in itinere ſuo*, hoc eſt, fortes illi, ubi collecti fuerint, trepidabunt, & cæcorum more impingent. Hoc enim faciet metus, ut quaſi attoniti huc & illuc vacillent, neque habeant certos gradus. Duo igitur hic Propheta ſignificat, nempe Aſſyrios fore ſatis ſedulos ad contrahendas ſuas vires, quas opponant hoſtibus ſuis ad repellendum impetum: ſed tamen nihil profecturos: quia ſcilicet trepidatio ita omnium animos occupabit, ut fortes impingant in ſuis itineribus. *Impingent* igitur. Deinde, *feſtinabunt ad murum ejus*, hoc eſt, conſcendent murum: poſtea, *parabitur integumentum*, ſicuti fieri ſolet in oppugnatione urbium. Hoc alii ad Chaldæos referunt: parabitur integumentum, quum ad murum accedent. Solebant enim vel turriculis, vel craticulis ſe munire quum accederent ad muros, ſicuti ſatis notum eſt ex hiſtoriis. Sed non dubito, quin Propheta hic ſignificet Aſſyrios, cum magna trepidatione venturos in occurſum hoſtium, ſed ſine profectu. Ubi ergo ita ſe volent defendere, prævalebunt nihilominus hoſtes. Ideo ſubjicit,

6. Portæ fluviorum apertæ ſunt, & palatium ſolutum eſt.

Hic per Portas fluviorum intelligit Propheta partem illam urbis, quæ videri poterat munitior propter Tigrim. Urbs enim illa alluebatur Tigri, vel Tigride. Quum ergo Tigris eſſet inſtar optimi munimenti, (ſicuti ſcimus rapidiſſimum fuiſſe fluvium) Propheta deridet confidentiam Ninevæ, quod exiſtimet poſſe hoſtes ab acceſſu prohiberi parte illa, qua fluebat Tigris. *Portæ* ergo *fluviorum apertæ ſunt*, hoc eſt, fluvius veſter non impediet, quominus hoſtes veſtri perrumpant, & penetrent in urbem veſtram. Videmus itaque Prophetam hic tollere omnia impedimenta, quæ videri poterant valere ad hoſtes arcendos: idque facit non tam reſpectu Ninevæ, quam electi populi, ut agnoſcant Iſraelitæ & Judæi urbem illam non minus eſſe in Dei manu, quam alias: quia Deus penetret non minus facile per fluvios, quam ingrediatur per planitiem, ubi nullum eſt obſtaculum. Videmus nunc cur dicat Propheta portas fluviorum apertas eſſe. Deinde, *Palatium eſt ſolutum*, id eſt, nullum erit obſtaculum, quod hoſtibus acceſſum præcludat. Solventur enim omnes munitiones, hoc eſt, ſponte diffluent quaſi eſſent muri papyracei, vel quaſi lapides fluerent inſtar aquæ. Poſtea adjungit,

7. Et

7. Et quæ ſtabat ſolida (*vel firma*) ejecta eſt in exilium, (*vel quæ ſtabat occulta patefacta eſt, juſſa eſt aſcendere*) & ancillæ ejus ducentes tanquam in voce columbarum, plangentes ſuper pectora ſua.

Eſt aliqua in verbis ambiguitas, ideo multi interpretes putant הוצב eſſe nomen Reginæ. Regina ergo nomine הוצב, inquiunt, in exilium tracta eſt, juſſa eſt aſcendere, ut migraret in terram hoſtilem. Sed hoc nimis coactum eſt: neque etiam fuit ulla ratio cur putarent nomen eſſe proprium, niſi quia volebant aliquid dicere, & non erat conjectura magis probabilis. ſed rectius, meo judicio, ſentiunt, qui referunt hoc ad ſtatum regni: nec dubito quin hic ſit proſopopœia, ſi tamen ſequimur ſenſum illum. Si quis malit de Regina accipere, tamen præſtabit הוצב accipere in proprio & genuino ſenſu, quod ſcilicet Regina, quæ prius latebat in ſuo palatio, & quæ vix præ deliciis poterat movere gradum, quod illa producta fuerit in lucem: nam גלה ſignificat Retegere & ſignificat ejicere. Si vertimus, Patefacta eſt, alludet Propheta ad latebras, quod ſcilicet Regina non prodierit ad ſolem, ſicuti mulieres delicatæ continent ſe in ſuis cubiculis: ſi autem vertamus, *Tracta eſt in exilium*, conveniet etiam optime, quæ prius erat fixa in ſua ſede: à יצב, quod ſignificat Stare. hic autem הוצב eſt in conjugatione Hophel. Significat igitur, Quæ prius erat ſtabilis & firma, nempe in ſuo cubiculo, illa, inquit, tracta eſt in exilium. Si ergo hoc ad perſonam Reginæ referre quis velit, conveniet optime ſenſus, quod Regina, quæ prius in deliciis ſuis ſedebat, trahetur uno impetu in exilium & transferetur alio. Et ideo probabile eſt Prophetam de Regina loqui, quoniam continuo poſt ſequitur, *Ancillæ ejus, ducentes tanquam in voce columbarum, & plangentes etiam*: hoc eſt, ancillæ quæ prius blandiebantur, plangent, & cum gemitu, cum lachrymis, & cum clamore deducent dominam ſuam captivam. Fluet hoc modo contextus: ſed, quemadmodum jam dixi, recte ſentiunt, qui ſub perſona mulieris exiſtimant deſcribi hic ſtatum regni. Quæ ergo prius ſtabat, illa trahetur in captivitatem: vel quæ prius ſedebat in otio, illa patefiet, hoc eſt, non amplius deliteſcet in ſuo umbraculo, ſicuti hactenus fecit, ſed cogetur prodire in medium. Denique *aſcendet*, hoc eſt, evaneſcet: nam hic metaphorice accipitur hoc verbum. *Evaneſcet* igitur, id eſt, in nihilum redigetur. Et quoniam Propheta hic depingit nobis formam mulieris, non male etiam quadrat quod ſequitur, Ancillæ ejus plangent, & columbas imitabuntur in ſuo gemitu: quod ſcilicet totus populus deflebit ſortem regni, ubi res ita fuerint converſæ, quaſi ancillæ deducerent ſuam dominam, quæ prius fuiſſet nutrita in ſummis deliciis. Hæc autem verborum congeries minime ſupervacua eſt: quia oportuit multis verbis confirmari Iſraëlitas & Judæos de propinquo interitu urbis Ninevæ, qui alioqui prorſus fuiſſet incredibilis. Et hoc poterimus facile æſtimare ex noſtra experientia. Si quis hodie loquatur de magnis Regibus, quorum ſplendor obſtupefacit totum mundum: ſi quis prædicat cladem unius regni, hoc videbitur eſſe fabuloſum. Hæc ratio eſt igitur cur Propheta rem unam, quæ poterat ſimpliciter exprimi, tot figuris illuſtret, & confirmet tam multis loquutionibus, atque etiam hyperbolicis. Tandem ſubjicit,

8. Atqui Nineveh quaſi piſcina aquarum à diebus (*hoc eſt, à longo tempore*) fuit: ipſi autem fugiunt: State, ſtate, & nemo reſpicit.

Hic Propheta etiam dubitationem anticipat, quæ fidem abrogaſſet ejus dictis. Nam Nineve non modo florebat potentia, ſed etiam vires ſuas ſtabilierat longo temporis ſucceſſu. Antiquitas autem non modo robur acquirit regnis, ſed conciliat auctoritatem. Quoniam ergo tam vetuſtum erat imperium urbis Ninevæ, potuit etiam videri æternum: Quid? Nineve ſemper dominata eſt, & obtinuit ſummum imperium in toto Oriente; an nunc poterit concuti, imo repente everti ejus firmitas? Ubi enim non eſt initium, etiam neque finis fore creditur. Initium autem non erat, quoad vulgi opinionem. nam ſcimus ut fabulati ſint Ægyptii de ſua antiquitate. Finxerunt ſe jam regno fuiſſe potitos quinque millibus annorum ante creatum mundum. Nam quum numerant ſua ſecula, ſuperant creationem mundi fere quinque annorum millibus. Non dubium eſt igitur, quin etiam Ninevitæ gloriati fuerint ſe eſſe æternos. Quum ergo fundati eſſent in illa opinione vetuſtatis, nemo putaſſet illos unquam poſſe labefactari. Hæc ratio eſt cur Propheta diſerte exprimat *Nineven eſſe quaſi piſcinam aquarum à diebus*: hoc eſt, Nineve fuit quaſi ſeparata à reliquo mundo: quemadmodum ſi qua ſit piſcina, videtur ſuis ripis bene munita eſſe: nemo illuc accedet: ſi quis ambulet ſuper terram, non tamen ingredietur aquas. Sic ergo fuit Nineve tranquilla; & non exiguo tantum tempore, ſed à multis ſeculis: hoc tamen non impediet, quominus Deus nunc tyrannidem ejus evertat. Utcunque ergo Nineve ſuperbiat prætextu ſuæ vetuſtatis, Deus tamen vult eam delere. Poſtea, *Ipſi*, inquit, *fugiunt*: quum dicit fugere, intelligit etiamſi non cædantur ab hoſtibus, tamen vincendos eſſe proprio metu. Significat ergo non modo ſtrage perituram Nineven, ſed quia ſponte diffugient omnes Aſſyrii, & deſperatio illos tradet ſuis hoſtibus. Ergo non tantum fortitudine & gladio victores erunt Chaldæi, ſed quoniam Aſſyrii diffiſi ſuis viribus fugient. Poſtea ſequitur, *State, ſtate: & nemo reſpicit*, inquit. Hic Propheta quaſi ante oculos ponit illam formidinem, de qua loquutus eſt. Poterat narrare ſimplicius, Etiamſi quis eos revocet, non audebunt tamen reſpicere poſt tergum: ſed quia non putabunt alibi ſalutem ſibi eſſe poſitam quam in fuga, pergent in continuo curſu. Poterat hoc modo narrationem ſuam texere Propheta: ſed hic ſuſcipit perſonam revocantis, quaſi jam eſſet qui eos fugitare cernens, retrahere tentaret: Nemo, inquit, aſpicit. Jam videmus quid Propheta voluerit. Sed ex hoc loco diſcendum eſt, neque multitudine hominum, neque etiam urbium præſidiis & munitionibus, neque vetuſtate fidendum eſſe: quia ſi viribus polleant homines, Deus ſumet hinc materiam ad illos perdendos, quod ſcilicet ſemper fere conjuncta eſt ſuperbia cum viribus. Vix fieri poteſt, quin homines ſibi plus nimio arrogent, quum putent ſe aliquid valere: ita fit, ut ſuis viribus ruant: non quod Deus ſeſe oblectet, quemadmodum fingunt profani homines, quum faciem terræ invertit: ſed quia homines non poſſunt ferre ſuam fortunam. neque enim ſeſe continent in modeſtia, ſed furioſe inſultant contra Deum: ideo ut plurimum vires humanæ recidunt in eorum capita, penes quos erant. Idem etiam de vetuſtate dicendum eſt: quia qui jactant ſuam antiquitatem, non agnoſcunt quamdiu jam cœperint provocare iram Dei. neque enim fieri aliter poteſt, quin opulentia pariat ex ſe licentiam peccandi: ſaltem quin trahat luxuriem. Deinde etiam qui plus pollent, ſunt audaciores ad violandos alios. Quo igitur plus eſt vetuſtatis in mundo, eo plus eſt putredinis: quia ſimi-

ſimiles ſunt homines mortuis, quando non reguntur timore Dei. Cadaver autem magis ac magis fœtet dum computruit: ſic etiam dum pridem cœperunt homines peccare, nec deſinunt, augetur fœtor ſcelerum, & provocatur magis ac magis ira Dei. Non eſt igitur cur vetuſtas nos decipiat: & ſiquando putamus vel propriis viribus homines ſatis eſſe munitos, vel copiis omnibus, vel etiam ſua vetuſtate eſſe quaſi ſacroſanctos, veniat nobis in mentem quod hic dicitur, Nineven fuiſſe quaſi piſcinam aquarum à diebus antiquis: ſed tamen ubi jam addicti ſunt exitio, ſponte fugere: etiamſi ipſos adeo non urgeant hoſtes, tamen ſeſe proprio metu damnare; nec poſſe conſiſtere, etiamſi quis ipſos revocet.

Da omnipotens Deus, quando & verbo tuo aſſidue nos mones, & tot etiam exemplis docuiſti nihil eſſe in mundo ſtabile, ſed quæ videntur eſſe firmiſſima tendere in ruinam, & ſtatim etiam concidere, & ſponte evaneſcere ubi flatu tuo diſcutis fortitudinem, qua homines confidunt: da, inquam, ut vere dejecti & humiliati non recumbamus in rebus terrenis, ſed tollamus animos & ſenſus noſtros in cœlum, & illic figamus anchoram ſpei noſtræ, & illic reſideant omnes noſtri ſenſus, donec tandem, ubi nos traduxeris per terram, colligamur in regnum illud cœleſte, quod nobis partum eſt ſanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO QUINTA
IN
NAHUM PROPHETAM.

CAP. II.

9. Diripite argentum, diripite aurum, & non finis (*quia Non eſt, copula debet reſolvi in cauſalem particulam: quia nullus finis*) præparationis ejus, (*ſic vertunt: ſed proprie* תכונה *ſignificat Locum*) gloria ex omni vaſe deſiderabili.

Hic Propheta quaſi ex Dei mandato & auctoritate permittit Nineven hoſtium libidini, ut eam diripiant ac prædentur. Alii exiſtimant ſermonem hunc proponi ſub perſona ducis, qui milites hortetur: ſed ſcimus Prophetas ſuſcipere Dei perſonam quum ita pro imperio aliquid mandant. Et hoc valde emphaticum eſt, ut ſciamus Prophetas non fundere inanem ſonitum ubi loquuntur, ſed efficaciter teſtari quod Deus ipſe decrevit, & ſuo tempore exequetur. Quoniam ergo ſcimus hanc loquendi formam ſatis tritam eſſe Prophetis, non eſt cur transferamus hoc ad perſonam Nabuchodonoſoris, vel alterius cujuſpiam. Deus ergo hic oſtendit Nineven addictam eſſe exitio: & ideo tradit ipſam in manum hoſtium. Certum quidem eſt, Babylonios, quum tunc prædati ſunt, non paruiſſe Dei mandato: ſed interea verum quoque eſt arcano Dei impulſu pœnam ſumpſiſſe de Aſſyriis, quia tunc voluit ulciſci Deus crudelitatem & avaritiam, qua Ninevitæ diu præditi fuerant: præſertim quia exercuerant maximam ſævitiam contra Judæos. Hæc ratio eſt cur Dominus nunc eos adjudicet Babyloniis, & exponat in prædam. Sed quia de arcanis Dei judiciis alibi fuſius diſſerui, tantum nunc breviter hoc attingo, quod Deus non præcipiat Babylnniis & Chaldæis, acſi excuſabiles ipſi eſſent: ſed oſtendit per Prophetam ſuum, quod Nineve diripitur ab hoſtibus, hoc non fieri fortuito, ſed quia Deus velit ulciſci injurias populo ſuo illatas. Interim memoria tenendum eſt quod alibi diximus, Prophetas ſcilicet ita loqui, ut èxequutio parata ſit, quia Deus non fruſtra neque abs re terret homines, ſed poſtea declarat ipſo effectu, quemadmodum mundum creavit ex nihilo per verbum, ita etiam eodem verbo exerere ac proferre in medium ſua judicia. Non ergo mirum eſt quod hic Propheta, quaſi ſuo arbitrio regeret Chaldæos, ſic ipſos alloquitur, *Diripite, diripite*. Sed hoc referri debet ad fideles: quia Babylonii quum diriperent urbem Nineven, non putabant ſe Deo obſequi, neque etiam tribuebant Deo laudem ſuæ victoriæ: ſed fideles tunc fuerunt admoniti, hoc totum fieri arcana Dei providentia, & interim clarum hoc eſſe & quaſi viſibile teſtimonium paterni Dei amoris erga Eccleſiam ſuam, quod ita dignatus eſſet ſuſcipere cauſam afflicti populi. Quod poſtea ſequitur, *non eſt finis præparationis*, תכונה alii vertunt Theſaurum, vel opes reconditas: & deducunt à verbo קון, quod eſt Parare. ſed תכונה fere ſemper accipitur pro Loco: תוכנית, à תכן, ſignificat Summam. nam תכן eſt Munerare: & melius hoc quadraret. Cæterum, non eſt cur de hac voce multum laboremus, quia ſi ſimpliciter accipimus pro Loco, ſenſus erit, non poſſe inveniri fundum in illa urbe, quæ fuerat quaſi inexplebilis gurges: nam aſſumpſerat omnes gentium copias. & hic ſenſus non male congruet argumento Prophetæ, quod ſcilicet milites poſſint ad ſaturitatem uſque prædari, quia locus ille ſit quaſi profundus gurges. Poſtea adjungit, *gloria ex omni vaſe deſiderabili*. Qui מ putant eſſe particulam comparationis, longe falluntur, & corrumpunt ſenſum Prophetæ: vertunt, Præ omni vaſe deſiderabili; ſed hoc, ut ſatis omnes vident, nimis eſt frigidum. Ego itaque non dubito quin Propheta dicat opulentiam Ninevæ eſſe ex omni vaſe deſiderabili: quia ſcilicet congeſſerant longo tempore multas divitias, & quidem omnis generis. nam rem Deſiderii Hebræi nominant pretioſam: & vaſa etiam illis ſunt quæ comprehendimus ſub nomine ſupellectilis. Tenemus ergo nunc quid velit Propheta. Alii כבוד accipiunt quaſi participium. Vertunt enim, Onuſtus eſt omni vaſe deſiderabili, vel ornatus: ſignificat enim utrumque. ſed ſimplicior illa eſt loquendi ratio, quod gloria ſit ex omni vaſe deſiderabili, quemadmodum jam expoſuimus. Hic vero Propheta perſtringit quid profecerint Aſſyrii tam multas opes undique congerendo. nam rapuerant ſine ullo diſcrimine, & contraxerant ad ſe omnes gentium copias. Expilaverant enim omnes vicinos, imo prorſus excoriaverant. Jam Propheta per ludibrium oſtendit opulentos fore alios prædones, quos Dominus excitabit: quemadmodum dicitur apud Jeſaiam, O tu prædator, nonne etiam prædæ viciſſim expoſitus eris? Ita & hoc loco oſten- *Jeſai. 33. verſ. 1.*
dit Propheta ſtulte homines tantopere ardere avaritia, & tam anxie undique congerere multas divitias, quia Deus reperiet qui viciſſim prædentur eos qui prædati ſunt. Sequitur,

10. Exi-

10. Exinanita, & exinanita eſt, & nudata: & cor liquefactum, & colliſio genuum, & terror in omnibus lumbis: & facies omnium contraxerunt nigredinem. (*vel ſplendorem, ut alii vertunt.*)

Hic Propheta confirmat proximam ſententiam. Oſtendit enim quorſum vocaverit Chaldæos ad rapiendam prædam, quia ſcilicet ita futurum erat. Neque enim, ſicuti jam dixi, præcipit Chaldæis, acſi hoc poſſet aſcribi laudi, quod paruerint Deo: ſed hic Propheta de arcano Dei conſilio tantum tractat. Quamvis ergo Chaldæi neſcirent hoc fuiſſe à Deo ſtatutum, hic Propheta admonet fideles, Ninevitas, quum ita nudati fuerint, pœnas daturos ſuæ ſævitiæ, præſertim quoniam ita hoſtiliter ſe geſſerant contra Judæos: & ideo pronunciat *exinanitam, exinanitam eſſe, & nudatam Nineven.* Quum repetit idem participium, ſignificat certitudinem rei: Exinanita eſt, exinanita, inquit: quemadmodum ſi quis diceret lingua noſtra, *vuidée & revuidée.* Videmus ergo hac repetitione certius exprimi quid Propheta voluerit, ne fideles ambigerent de eventu. Et poſtea adjungit, nudatam eſſe, eodem ſenſu. Nunc ergo tenemus Prophetæ conſilium: ſicuti proximo verſu oſtendit ſibi datam eſſe divinitus poteſtatem, qua exercitus mittat contra Nineven, deinde illis urbem tradat, permittat eam in prædam & direptionem; ita nunc oſtendit ſe non ita præcipere Chaldæis, acſi eſſent legitimi Dei ſervi, & poſſent objicere ſe obſequium præſtitiſſe Deo. Demonſtrat igitur in quem finem præceperit Chaldæis ut Nineven diriperent, quia ſcilicet hoc ſtatuerat Deus: & ideo præceperat, quia nolebat pati inultas injurias populi ſui, quem ſub fide ſua tuebatur. Quoniam ergo Nineve ita crudeliter tractaverat electum Dei populum, oportuit etiam mercedem rependi, qua digna erat. Cæterum, repetitio illa, de qua dixi, notanda eſt, ut ſciamus conjunctam eſſe Dei virtutem cum verbo ejus, ita ut nihil temere vel fruſtra prædicat. Jam quum dicit *genua inter ſe confligere, & omne cor diſſolvi* vel liquefieri, deinde *lumbos omnes terreri*, hinc colligimus nihil eſſe in hominibus fortitudinis, niſi quatenus ſuppeditat illis Deus vigorem. Simul ergo ac ſpiritum ſuum Deus ſubduxit, qui ante erant robuſtiſſimi, diffluunt: qui etiam ſpirabant magnam ferociam, illi redduntur molles & effœminati. nam per nomen Cordis intelligitur interior audacia vel magnanimitas: per Genua & lumbos, intelligitur robur corporis. Non dubium autem eſt quin Aſſyrii quum dominabantur, valde animoſi fuerint: ſicuti ſemper audaciam parit potentia: deinde probabile eſt fuiſſe bellicoſum populum, quum ſub ejus poteſtatem veniſſent omnes vicini. Atqui oſtendit Propheta nihil vigoris fore in omnium cordibus, nihil etiam virium in lumbis, vel in toto corpore. *Cor* ergo *liquefactum* eſt, inquit. Atque hinc colligimus quam ſtulte ſuperbiant homines animoſi, dum ſimiles ſunt leonibus: quia momento poterit Deus eorum corda ſic liquefacere, ut nihil habeant prorſus ſolidi. Jam quod ad externum vigorem pertinet, videmus ipſum quoque eſſe in manu Dei: *Erit*, inquit, *confractio*, vel genua ſeſe mutuo collident, quemadmodum fieri ſolet in trepidatione. Tandem dicit, *Et tremor erit in omnibus lumbis.* Poſtremo adjungit, *Et facies omnium contrahent nigredinem.* Nomen פארור quidam deducunt à פאר: & ita ſenſus erit, omnes facies contrabere vel retrahere ſuam pulchritudinem, ſicuti etiam ita exponunt Joëlis cap. 2. nam eadem ſententia illic habetur. Sed qui ſenſum illum improbant, dicunt verbum קבץ non poſſe aliter accipi quam pro Retrahere, vel ſubducere. ſic ergo vertunt, nigredinem. Sed hæc expoſitio coacta eſt. פארור non ſignificat colorem nigrum: ſed ollam. Si ergo lebes vel cacabus nigredinem contraxerit ex fuligine, tunc vocatur פארור. ſed hoc loco coguntur interpretes metaphorice accipere pro colore ipſo: quod, ſicuti jam dixi, coactum eſt, ac remotum. Ego igitur libenter ſubſcribo eorum ſententiæ, qui dicunt omnium facies contrabere ſuam pulchritudinem, vel ſuum ſplendorem: ſed quia ad ſummam rei vel nihil vel parum refert, ideo ſit libera cuique electio. Quantum ad Prophetæ mentem pertinet, ſignificat vultus omnium fore triſtes, quia ſcilicet Dominus eorum animos & ſenſus replebit terrore. Contractio igitur pulchritudinis ſignificat externum ſignum triſtitiæ, vel pallorem, vel quæ alioqui apparent in hominis vultu, quum dejectus eſt aliquo mœrore. In ſumma, intelligit Propheta etiamſi criſtas hactenus erexerint Aſſyrii, deinde ſpiraverint magnas jactantias, atque etiam inſolenter ſe geſſerint, fore tamen dejectos, quia Dominus proſternet animos ipſorum, & vires liquefaciet: deinde coget etiam ad pudorem, ubi proſtraverit altos illos ſpiritus. Hæc ſumma eſt. Nunc ſequitur,

11. Ubi domicilium leonum, & locus paſcui leonibus? quo veniebant leo, leo catulus leonis, & nemo exterrens?

12. Leo rapiebat quantum ſufficeret catulis ſuis, & ſtrangulabat leænis ſuis, & replebat rapina ſpeluncas ſuas, & luſtra ſua præda.

Hic inſultat Propheta Aſſyriis, quia putarent urbem Nineven eſſe remotam ab omni periculo, ſicuti leones dum ſunt in ſuis latebris nihil metuunt, nam correptam prædam illuc vel trahunt ſuis unguibus vel ore: ſic etiam Aſſyrii quum putarent ſe in tuto eſſe dum florebat Nineve, eo majore licentia undique rapiebant prædas. Nam Nineve non modo ſpoliarium erat latronum, ſed erat quaſi leonum ſpelunca. Plus autem ſævitiæ Propheta exprimit dum Aſſyrios leonibus comparat, quam ſi vocaſſet ſimpliciter latrones. Nunc ergo videmus quid ſibi velit: *Ubi locus leonum?* inquit. Et conſulto ita ſeſe effert contra Aſſyrios, quia nemo unquam putaſſet poſſe eos attingi vel minima noxa, quia omnibus incuſſus erat terror, ut ſponte ſe ſubjicerent Aſſyriis. Quia igitur nemo audebat ſeſe opponere, ideo dicit Propheta, Ubi? quaſi diceret, etiamſi omnes exiſtiment hoc incredibile, quod Nineve poſſit ſubverti: ſic tamen eveniet. ſed ſuſcipit ipſe admirantis perſonam, ut ſignificet quum Dominus exequutus fuerit tale judicium, fore opus admirabile, quod reddet fere omnes attonitos. Hæc igitur interrogatio oſtendit perperam eos facere, qui æſtimabunt vindictam, de qua loquutus eſt Propheta, ex præſenti ſtatu: quia ruina Ninevæ, & illius Monarchiæ, erit incomprehenſibile opus Dei, & quod ſenſus omnes rapiet in admirationem. Primo dicit, *Ubi locus leonum?* eſt quidem hic fœmininum genus: ſed conſentiunt omnes Prophetam loqui de leonibus maſculis. Jam adjungit, *locus paſcui leonibus.* כפירים vocant minores leones, quemadmodum poſtea videbimus: & אריות interea nominant majores leones. Poſtea adjungit, *Quo veniebant* אריה, leo: deinde לביא vertunt leænam, & לביא ſignificat proprie leonem majorem: ſtatim haud dubie in fœminino genere accipiet Propheta pro leænis. Ego itaque non contendo, quin hic quoque commode transferre liceat, *Leo, leæna*: poſtea, *& catulus leonum, & nemo exterrens.* Poſtea adjungit, *Rapiebat leo* (eſt idem nomen אריה) *catulis ſuis ad ſatietatem*, ad ſufficientiam: & ſtrangulabat

leænæ,

leænæ, ללבאתיו, hoc eſt, ſuis leænis. hic dubium non eſt quin Propheta leænas intelligat: alioqui non quadraret. Poſtea, *Et replebat rapina ſpeluncas ſuas, & latibula ſua præda:* eſt idem nomen, niſi quod eſt diverſa terminatio טרף, & טרפה Jam quod toties hic Propheta repetit, leones, leunculos, leænas, non eſt ſupervacuum. Vult enim hac verborum congerie exprimere, quam immanis fuerit feritas in Aſſyriis, quum dominabantur. nec dubium eſt, quin Reges ipſos leonibus comparet cum ſuis conſiliariis, & proceribus: poſtea leænas vocet ipſorum uxores: leunculos autem, vel catulos leonum vocet liberos. Summa eſt, Nineven ita degeneraſſe in ſua opulentia, ut illic quicunque rerum potiebantur ſimiles eſſent truculentis beſtiis, vacui omni humano affectu. Et utinam hoc tantum de una urbe, vel una monarchia dictum fuiſſet! verùm quaſi in ſpeculo hic nobis repræſentat Propheta quod etiam hodie cernimus, & quod ſemper atque omnibus ſeculis animadverſum fuit in maximis imperiis. Ubi enim eſt ſumma poteſtas, illic etiam ſumma licentia: & quum ſemel aſſuefacti ſunt Regia & eorum conſiliarii ad prædandum, nullus eſt finis: imo quædam rabies accenditur in eorum cordibus, ut jam nihil aliud appetant quam vorare, & diſcerpere, & laniare, & ſtrangulare. Propheta quidem hic ſolari voluit tam Iſraëlitas quam Judæos, ut ſcirent tandem non impunitam fore hoſtium ſuorum injuſtitiam: ſed interim voluit etiam uſque ad finem mundi oſtendere qualis & quanta ſit eorum omnium crudelitas, qui tyrannice dominantur. Et quemadmodum jam dixi, experientia docet nimis multos ſimiles eſſe Ninevitis. Hoc quidem extra controverſiam eſt, non abs re toties Prophetam hic loqui de leonibus & leænis. Dicit ergo, Veniebant illuc leo, deinde leæna, catulus leonis. Significat quum jus petendum eſſet ex illa urbe regia, fuiſſe ſpeluncam ferarum crudelium, quia Rex exuerat omnem humanitatem una cum ſuis conſiliariis: uxores etiam eorum erant quaſi leænæ: filii autem & domeſtici velut leunculi, vel catuli leonum. Et ſerpit hoc modo crudelitas, quia ſi Rex quiſpiam ſibi nimiam licentiam permittat, partem illius ad ſe trahent conſiliarii: denique quiſque ſequitur commune exemplum: acſi quod uſu receptum eſt, liceret. Hanc ergo imaginem depingit nobis Propheta ſuis verbis: nos autem oculis noſtris cernimus. Jam adjungit, Leo rapiebat quod ſufficeret ſuis catulis, ſtrangulabat etiam leænis ſuis: replebat prædæ ſuas ſpeluncas, & latibula ſua rapina. Proſequitur eandem ſententiam, quod ſcilicet ſibi Aſſyrii concervaverant injuſtis rapinis magnas divitias, quoniam nulla erat æqui apud ipſos ratio. Leo igitur rapiebat catulis ſuis, inquit: quemadmodum leones aſſuefaciunt catulos ſuos ad prædandum, & ubi nondum ita adoleverunt, ut audacter impetant innoxia animalia, ipſi comparant prædam, deinde adferunt etiam ad ſuas leænas; ſic etiam docet Propheta formari omnium mores ad truculentiam ſimulac nacti ſunt duces ac magiſtros. Quum dicit, בדי, ad ſufficientiam, non intelligit expletos fuiſſe Ninevitas ulla præda, (erant enim inſatiabiles) ſed potius ad copias ipſorum reſpicit. Jam quod dicit, Strangulabat leænis ſuis, utinam hodie non eſſent leænæ, quæ per ſe vorarent: ſed videmus eſſe quaſdam quæ ſuperent audacia & crudelitate omnes viros. Cæterum hic Propheta dicit quod naturale eſt, ut ſcilicet leo maſculus ſtrangulet prædam, & eam tradat poſtea ſuis leænis. Deinde adjungit, non fuiſſe contentos Ninevitas quotidiana rapina, quemadmodum multi prædones vivunt in diem: ſed dicit fuiſſe prædas repoſitas. Implebant ergo luſtra ſua, & ſpeluncas rapinis & prædis. Porro quamvis nondum tam aperte loquitur Propheta, ut ſtatim videbimus, certum tamen eſt hic notari cauſas, cur Deus tam atrocem vindictam ſumpturus ſit de Ninevitis, quia ſcilicet jam deſierant eſſe hominibus ſimiles, & degeneraverant in ſævas beſtias. Sequitur,

13. Ecce ego ad te, dicit Jehova exercituum, & comburam in fumo currum ejus, & leunculos tuos comedet gladius, & excidam è terra prædam tuam, & non audietur amplius vox nunciorum tuorum. (*aut dentium molarium.*)

Hic quo plus efficaciæ obtineat ſermo, Propheta inducit Deum ipſum loquentem: *Ecce ego ad te,* inquit. Hactenus loquutus eſt ut præco Dei: & ideo quaſi pro imperio mandabat Chaldæis, ut Nineven diriperent. Sed ubi Deus ipſe prodit in medium, & interim non utitur ore hominis, ſed profert ipſe ſua decreta, hoc magis eſt emphaticum. Hæc igitur ratio eſt cur nunc palam loquatur Deus: *Ecce ego,* inquit, *ad te.* Scimus quid valeat demonſtrativa particula *Ecce.* Deus enim quaſi expergefactus à ſomno, oſtendit ſibi tandem curæ fore ſuas partes, ut ſuſcipiat cauſam populi ſui, deinde ut pœnam ſumat de mundi ſceleribus: *Ecce ego ad te,* inquit. Alibi vidimus ſimiles loquutiones: ideo non opus eſt longius inſiſtere. *Exuram,* inquit, *in fumo currus ejus.* Hic per Fumum, intelligunt fumoſum ignem. Sed puto aliud velle Prophetam, quod ſcilicet primo impetu Deus conſumet currus omnes Ninevæ: quaſi diceret, ſimulac erumpet flamma, actum erit de omnibus copiis Ninevæ. Per Currus enim haud dubie intelligit quemlibet apparatum belli. Scimus tunc pugnaſſe ex curribus: quemadmodum hodie ſunt equites cataphracti, ſic etiam erat uſus curruum in bellis. Ergo per ſynecdochen Propheta hic deſignat copias omnes bellicas. *Exuram* igitur *currus.* Quomodo? nempe ſolo fumo: id eſt, ſimulac prima flamma inceperit emergere. (tunc enim ſurgit fumus, antequam ignis appareat, vel vires collegerit.) Denique oſtendit Propheta momento uno iri nihilum redactum iri Nineven, ſimulac Deus voluerit ulciſci ejus ſcelera. Poſtea in tertia perſona adjungit, *Et leunculos tuos comedet gladius.* Hic mutat quidem perſonam: ſed magis emphaticus eſt ſermo, ubi Deus iracundiam demonſtrat in abrupta oratione. Dixerat, Ecce ego ad te. Poſtea, Exuram currus ejus: jam vix dignatur ſermonem dirigere ad Nineven. Poſtea iterum ad ipſam redit, Et leunculos tuos gladius vorabit. Quum ergo ita abrupte loquitur Deus, magis exprimit quam horribilis futura ſit vindicta, quam ſumere ſtatuerat de Ninevitis. Tandem addit, *Exterminabo etiam è terra prædam tuam:* hoc eſt, jam non licebit tibi graſſari pro more: quia compeſcam hanc tuam truculentiam. ſi libeat Prædam accipere pro ipſo actu. Poſſet tamen commode exponi de gentium ſpoliis; quia undique tyrannica ſua venatione cibum Ninevitæ rapuerant: atque ita referetur ad direptionem urbis. *Exterminabo* igitur *è terra,* id eſt, ex tua regione opes illas, quæ fuerunt hactenus concervatæ, quemadmodum ſi leo undique raperet. *Neque audietur amplius vox nunciorum tuorum.* Qui מלאכים hic nuncios intelligunt, referunt hunc ſermonem ad feciales, per quos denunciare ſolebant Aſſyrii bella vicinis gentibus. Quoniam ergo mittebant huc & illuc ſuos præcones aut feciales, qui bellum indicerent, & ſonitus ille terribilis ubique perſonabat; exponunt Prophetæ verba, quod Deus imponet tandem ſilentium, ne poſthac ita conturbent omnes vicinas regiones tumultu bellico. Sed quoniam illa expoſitio coacta eſt, libenter recipio quod alii tradunt, hic potius notari dentes molares. Nomen non eſt ſcriptum ut ferebat Grammatica: diceret מלאככה: neque ה debebat eſſe in fine dictionis, & debebat interponi in penultima ſyllaba, nota pluralis numeri: & ſi hoc ad perſonam Regis

pertineat, debebat ſcribi מלכבא. Fatentur igitur amnes non eſſe boc nomen ſcriptum ſecundum Grammatices rationem: & quoniam מלאכבה vocant Perſæ Molas, ideo aptime conveniet ſi vertamus, Non audietur amplius vox dentium molarium. Nam quum leones arripiunt dentibus prædam, ſimul etiam coofringunt oſſa, & ita edunt fragorem quum animal aliquod vel hominem dentibus ſuis atterunt. Conveniet igitur optime hic ſeoſus, *Non audietur amplius vox dentium*, id eſt, non audietur fragor ille inter duos dentes: quia dum nuoc atteris tuas prædas, ſtridorem emittunt dentes tui. Non audietur ergo ex fragore illo clamor, vel fremitus, vel ſtridor dentium. ſed quantum ad ſummam rei, hoc parum refert. Propheta ſimpliciter hic docet fieri noo poſſe quio tandem Deus tyrannos compeſcat: quia etiamſi diſſimulet ad tempus, non tamen obliviſcitur gemitus eorum, quos videt injuſte affligi. Præſertim vero ubi tyranni negotium faceſſunt Eccleſiæ, Propheta hic demonſtrat tandem Deum fore cognitorem: & ideo probe expendere convenit hæc verba, *Ecce ego ad te*. Quamvis enim Deus bunc ſermonem dirigat tantum ad Aſſyrios, quia tamen ſimul cauſas notat cur tam ſevere contra ipſos exurgat, haud dubie extenditur ſermo ad omoes tyrannos, & quicunque crudelitatem exercent contra miſeros bomines & innoxios. Sed hoc clarius exprimitur ſequenti verſu.

CAPUT III.

O Urbs ſanguinaria, tota mendacio (*vertunt*) rapina plena eſt: non recedit præda. (*vel non recedet præda.*)

Quemadmodum jam dixi, Propheta hic rationem clarius exprimit cur tam ſevera futura eſſet Dei ultio contra Ninevitas, quod ſcilicet fuerant dediti ſævitiæ: ideo vocat urbem ſanguinum, ab effectu. *Urbs*, inquit, *ſanguinaria!* Exclamatio emphatica eſt: quanquam vox הוי interdum ſignificet Væ. Sed bic perinde eſt acſi Propheta violenter attraheret Nineven ad ſubeundas poenas. *O urbs ſanguinaria!* Poſtea, *tota plena* כחש. deducitur hoc nomen à macilentia: nec dubium eſt quin Propheta hic conjungat duas voces, quæ videntur inter ſe longe differre, & tamen idem ſignificant. nam פרק ſignificat Reponere. Verum quidem eſt כחש ſumi pro Mendacio vel vanitate, ubi nihil eſt in ſermone ſolidi: & non dubito quin hic utroque verbo intelligat Propheta rapinas urbis Ninevæ. Impleta eſt igitur macilentia, quia alias omnes conſumpſit: deinde plena eſt prædis, ſe enim replevit. Sed conſilium Prophetæ minime ambiguum eſt: tandem enim adjungit, *Non diſcedet præda*, hoc eſt, non ſubtrahetur è manu victorum, ſicuti quidam intelligunt. Sed rectius alii, qui notari exiſtimant continuam prædandi licentiam, quod aſſidue occupati fuerint Aſſyrii in ſuis rapinis, nec ullum fecerint modum prædandi. Videmus ergo nunc Prophetam oſtendere cur Deus dicat ſe adverſarium fore Ninevitis: quia ſcilicet non poteſt ferre injuſtam crudelitatem. Ad tempus quidem tolerat, quia non ſtatim profert ſuum judicium: ſed ounquam tamen obliviſcitur ſui. Ergo quum ſemel denunciaverit per os Prophetæ Deus, ſe ultorem fore ſævitiæ quam exercuerant Aſſyrii, ſciamus retinere adhuc ſuam naturam: & utcunque nunc licentiam ad tempus concedat tyrannis & feris iſtis beſtiis, tameo manere ſemper juſtum ultorem. Noſtrum eſt placide ferre iojurias, & gemere ad ipſum: & quia promittit ſe tandem nobis affore, etiam partes noſtræ ſunt confugere ad ipſum, & petere ut tandem nobis ſuccurrat, poſtquam ſcilicet viderit oppreſſam eſſe ſuam Eccleſiam, & viderit tyrannos ſic licentioſe graſſari, ot tempus ſit quo oporteat ipſos cobiberi. Si ergo ita quieti ſemper nos contioebimus ſub Dei præſidio, non dubium eſt quin hodie etiam paratus ſit ad exequendum idem judicium, quod ſenſit urbs Nineve cum toto populo.

Da omnipotens Deus, quando hic audivimus denunciari tam formidabiles poenas tyrannis omnibus & latronibus, ut hæc admonitio nos contineat io æquitate, ne quis noſtrûm abutatur ſua potentia ad opprimendos innoxios: ſed potius ſtudeamus alii aliis prodeſſe, & nos totos componamus ad regulam æquitatis: deinde etiam ſolatium binc percipiamus quoties nobis moleſti ſunt atque infeſti improbi, ut tamen non dubitemus nos ſub tutela tua eſſe, & te inſtructum ea virtute, quæ ſufficiat ad nos tuendos, ut patienter feramus injurias, donec tandem opportunum adveniat tempus quo oobis opituleris, & potentiam tuam exeras ad nos ſervandos: neque tamen deſiſtamus patieoter ferre quamdiu voles nos exercere in bac militia, donec defuncti omnibus noſtris ærumnis perveoiamus ad beatam illam quietem, quæ nobis repoſita eſt in cœlo per Chriſtum D. N. Amen.

PRÆLECTIO SEXTA IN NAHUM PROPHETAM.

CAP. III.

2. Sonitus flagelli, & ſonitus commotionis rotæ, & equus concutiens, & quadriga exultans.

3. Eques aſcendere faciens, & flamma gladii, & fulgur lanceæ, & multitudo occiſi, (*eſt mutatio numeri, occiſorum*) & pondus cadaverum, (*hoc eſt etiam multitudo*) & nullus finis cadaveribus ejus: impingent in cadavera ejus.

Hic Propheta quaſi in viva imagine repræſentat quod inſtabat Aſſyriis. Nam proponit Chaldæos illorum boſtes cum ſuo apparatu & ſtrenua celeritate: *Vox flagelli*, inquit. Nam ſonabunt flagella ad incitandos equos: *vox commotionis rotæ*, boc eſt, magna erit feſtinatio & celeritas, ubi ita flagellis adacti fuerint equi: *equus* etiam *concutiens* terram, & *quadriga exultans: eques ipſe faciens aſcendere*: deinde *flamma gladii, & fulgur lanceæ*. Poſtea adjungit tantam fore ſtragem, ut tota regio plena ſit cadaveribus. Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ: quia enim Nineve tunc poterat videri inexpugnabilis, ideo Propheta pluribus verbis confirmat quod dixit de propinqua ejus ruina: & ideo ponit Iſraëlitis ante oculos quod tunc fuit incredibile. Quantum ad verba ſpectat, ubi vertimus, *Eques aſcendere faciens*, contexunt quidam interpretes quæ ſequuntur, nempe aſcendere faciens flammam gladii & fulgur lanceæ. Sed quia interponitur copula, videtur potius defectiva eſſe oratio, quod *eques faciat aſcendere*, id eſt, ipſe quoque equos ſuos inſtiget. Quantum attinet ad nomen להב, non du-

bito quin hic poſitum fuerit pro Flamma. Scio metaphorice hac voce notari etiam ſplendorem in gladiis, qui videntur flammare. Sed Propheta paulo poſt adjungit *fulgur*. Quoniam ergo dicit fulgurare lanceas, non dubito etiam quin eadem ratione dicere velit flammare gladios. Hæc omnia eo ſpectant, ut certo perſuaſum ſit Iſraëlitis, Nineven, quamlibet magnis opibus ſit inſtructa, propinquam tamen eſſe cladi, quia prævalebunt hoſtes: & ideo ſubjicit vias omnes plenas fore cadaveribus, ut non poſſint hoſtes ingredi, niſi cadavera ubique calcando. Sequitur,

4. Ob multitudinem ſcortationum meretricis pollentis gratia, magiſtræ veneficiorum, vendentis gentes in ſcortationibus ſuis, & nationes in ſuis veneficiis.

Cauſam rurſus aſſignat Propheta cur tam atrocem vindictam ſumpturus ſit Deus de illa urbe, quæ tamen ſuo ſplendore conciliaverat ſibi apud omnes populos magnam gloriam & reverentiam: videtur autem quodammodo parum reſpicere mundi ordinem Deus, ubi ita evertit magnas urbes. Nam quum ſit totius mundi opifex, videtur proprium eſſe ejus officium tueri ſingulas etiam partes: maxime quæ pulchritudine excellunt, plus commendationis videntur mereri. Si qua igitur urbs ſpecioſa diruitur, tunc occurrunt illæ cogitationes, Deum vel oblectari mundi ruina, vel dormire in cœlo: & ita fortuito & temere omnia volvi. Propheta igitur oſtendit juſtas eſſe cauſas Deo, cur decreverit Nineven perdere. atque ut iſtam pulchritudinem deformet, ne poſthac fallat oculos, comparat Nineven meretrici. Quæ ſimilitudo videtur parum congruere. Sed tamen ſi omnia propius expendimus, non potuit aptius nec magis concinne Propheta oſtendere qualis eſſet conditio urbis illius. Prius diſſeruit de ſævitia: & ideo dixit eſſe ſpeluncam leonum, & illic habitaſſe ſævas & ſanguinarias beſtias. Jam incipit concionari de fraudibus & perverſis artificiis, quibus & opes & potentiam ſibi acquirunt Reges hujus mundi. Urbem igitur Nineven ideo ſcorto ſimilem facit Propheta, quoniam non modo minis & terroribus, atque etiam ſua crudelitate redegerat vicinos populos in ſuam poteſtatem: ſed quia obliquis artibus & fraudulentis rationibus, quia captionibus variis, quia illecebris illaqueaverat multos. hæc ratio eſt cur nunc vocetur à Propheta *Meretrix*. Videntur quidem Prophetæ Dei parum reverenter loqui de magnis urbibus & imperiis: ſed ſcimus hoc proprie competere in Spiritum Dei, ut dum exercet juriſdictionem ſuam, retegat totius mundi flagitia, quæ alioqui abſcondita ſunt, imo ſub ſpecie virtutum falluot oculos & ſenſus ſimplicium. Et quoniam ſibi tantopere placent homines, & inebriati ſunt ſuis deliciis, ideo neceſſe eſt aſperius tractari qui nimium lauti ac delicati ſunt. Quoniam ergo Reges ſemper opponunt ſuum ſplendorem, ut perſtringant oculos ſimplicium, & videntur ſub magnitudine ſua habere pulchrum integumentum: ideo Spiritus Dei larvas iſtas diſcutit. Hæc igitur ratio eſt cur Propheta hic minus honorifice loquatur de ſumma illa Monarchia, quæ tunc traxerat in admirationem ſui omnes populos. Nam ſi mediocri & vulgato ſtylo utatur Dei Spiritus, homines, ut cæcutiunt in ſuis vitiis, non agnoſcent ſuam turpitudinem, imo audebunt etiam contra objicere quæ occultant eorum dedecora: ſed Spiritus Dei perrumpit, & hic excutit omnes blanditias in quibus ſibi homines imponunt. Hæc ratio eſt ſimilitudinis. *Propter multitudinem ſcortationum*, inquit, *meretricis pollentis gratia*. Per conceſſionem hoc dicitur, quod gratioſa fuerit Nineve, hoc eſt, ſua pulchritudine pellexerit ad ſe multas gentes: quemadmodum ſi meretrix conciliet ſibi multos amatores: & ita etiam fatetur Propheta Nineven fuiſſe ſpecioſam: ſed adjungit fuiſſe *magiſtram veneficiorum*. כשף ſignificat Veneficium, ſignificat etiam Præſtigias. ergo hic כשפים poſſumus vertere Præſtigias. Sed videtur Propheta alludere ad philtra vel potiones amatorias, quibus ſcorta dementant adoleſcentes. Quoniam ergo meretrices non modo favorem ſibi acquirunt ſua forma & blando aſpectu, & aliis uſitatis rationibus, ſed etiam quodammodo faſcinant miſeros adoleſcentes, & utuntur variis artibus quaſi præſtigiis: ideo ſub hac voce comprehendit Propheta omnes fraudes, quæ cernuntur in meretricibus. acſi diceret, Fuit hæc meretrix non modo pulchra, ſed etiam incantatrix, quæ ſuis illecebris ita decepit miſeras gentes, acſi ſcortum dementet miſeros adoleſcentes, qui ſibi non cavent. Poſtea adjungit, *Vendentis gentes in ſuis ſcortationibus, & nationes in ſuis veneficiis*. Tametſi adhuc metaphoram proſequatur Nahum, clarius tamen oſtendit quid per Scortationes & veneficia intelligat: nempe artificia Principum, quibus attrahunt ſuos vicinos, & tandem conjiciunt in ſervitutem. Ergo omnia conſilia Regum (quæ ipſi vocant Practicas) hic à Spiritu Dei vocantur Veneficia, vel Præſtigiæ, item Meretriciæ artes. Hoc, quemadmodum jam dixi, putarent multi eſſe nimis durum: quia tanta majeſtas tunc refulſit in Aſſyriis, ut deberent ſaltem paulo humanius tractari. Sed oportuit Spiritum Dei ita vehementer agere: quoniam nemo eſt qui non laudet iſtas aſtutias. Siquis ſepoſita mentione Principum interroget, an rectum ſit fallere: deinde mendaciis, fraudibus, perjuriis, captionibus, & aliis artibus fucum facere: in promptu erit reſponſio, hæc omnia eſſe procul remota à virtute: quoniam nihil magis hominem deceat, quam ingenua ſinceritas. Cæterum ubi in medium veniunt Principes, & prætexunt orbem regendum eſſe magna prudentia: niſi agitentur occulta conſilia, ſtatim ruituras omnes monarchias: hoc velum obtegit omnia eorum flagitia, ut liceat ipſis etiam cum laude hunc fallere, illum circumvenire, tertium opprimere fraudibus. Quoniam ergo Principes laudantur in ſua vafritie, hæc ratio eſt cur Propheta hic quaſi violenter auferat larvam illam, ſub qua abſcondunt ſua flagitia: Sunt, inquit, meretriciæ artes, ſunt etiam veneficia, vel præſtigiæ. De urbe quidem una hic habetur ſermo: ſed non dubium eſt quin Propheta ſub hac viva imagine nobis depingat quomodo creſcant imperia, & quibus artibus: primum latrociniis ſcilicet: deinde captionibus, quæ ne ingenuos quidem homines ex media plebe decerent. Sed Principes nunquam prævalerent, niſi præditi eſſent iſtis artificiis. Atqui videmus quo elogio hic ornentur à Spiritu Dei, quod ſcilicet ſint meretrices, præditæ & præſtigiis, & aliis fœdis & fœtidis etiam artibus, quas vocat Scortationes. Dixi autem poſſe certius elici Prophetæ ſenſum ex ſecundo membro verſus, ubi dicit Ninevitas mercatum exercuiſſe de gentibus. Videmus enim ut hodie quoque pro ſua libidine commoveant totum orbem Principes: quia produnt alii aliis innoxios populos, & exercent fœdam nundinationem, dum quiſque commodum ſuum venatur, & ſine ullo pudore, tantum ut augeat ſuam potentiam, alios tradit in manum inimici. Quoniam ergo ejuſmodi artes hodie nimium ſunt in uſu, non eſt quod longo ſermone hic explicare ſtudeam Prophetæ mentem. Utinam procul quærenda eſſent exempla! Pergamus.

5. Ecce ego ad te, inquit Jehova exercituum, & retegam fimbrias tuas ſuper faciem tuam, & oſtendam gentibus nuditatem tuam, & regnis fœditatem tuam.

6. Et projiciam ſuper te ſordes, (*vel inquinamenta*) & ignominia afficiam te, & ponam te quaſi ſtercus. (*alii vertunt: alii autem, quaſi exemplum. dicam poſtea de ipſa voce.*)

Hic confirmat Propheta quod prius dixit de excidio Ninevæ: ſed inducit, quemadmodum heri dictum fuit, loquentem Deum, quo efficacior ſit ſermo. Deus ergo hic teſtatur, Aſſyriis non cum aliquo homine mortali fore negotium vel certamen, ſed cum ſuo judicio: quaſi diceret, non eſt quod conferas vires tuas cum Chaldaicis; ſed cogita me eſſe ultorem tuorum ſcelerum. Venient quidem Chaldæi: ſonabunt quadrigæ, & exilient equs, etiam concutient terram equites: gladios ſuos exerent, qui flammabunt: deinde lanceæ erunt inſtar fulgurum: ſed non eſt quod putes Chaldæos ſponte ſua irrumpere. Ego enim eos dirigo occulta mea providentia, quia mihi decretum eſt te perdere: & jam maturum eſt tempus, quo exerceam judicium meum contra te: *Ego*, inquit, *ſum Jehova exercituum.* Et epitheton צבאות ad circumſtantiam loci referri debet: quia hic potentiam ſuam prædicat Deus, ne exiſtiment Aſſyrii ſe ullo modo elabi poſſe. Poſtea adjungit, *Retegam fimbrias tuas ſuper faciem tuam.* Alludit ad ſimilitudinem quam nuper vidimus. meretrices enim totæ refulgent, & affectant in ſuo veſtitu nitorem & elegantiam: nec ſolum veſtiunt ſe pretioſe, ſed etiam fucos adjungunt. Quoniam ergo ornatus ille occultat turpitudinem in ſcortis: ſi quis autem veſtem ſcorti accipiat, & projiciat ſuper caput, ut appareant pudenda, jam ceſſat decor ille, & tunc omnes abhorrent ab intuitu: (eſt enim turpe & fœdum ſpectaculum, videre ita partes pudendas retectas) ideo pronunciat Deus ſe Nineven ſpoliaturum magnifico illo ornatu, ut deteſtabilis ſit ejus intuitus, qui tantum proferet dedecora. Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ: quaſi diceret, Nineve non cogitat ſe perituram. Quare? excæcat enim eam ſuus ſplendor: & ipſa etiam ſponte ſeſe decipit, quemadmodum & iiſdem fallaciis perſtringit oculos omnium gentium. Quoniam ergo ſplendor iſte videtur tueri ſtatum urbis Ninevæ, *Ego*, inquit Dominus, *retegam pudenda*, id eſt, excutiam Aſſyriis totum illum ſplendorem, quo nunc gloriantur, & ſunt etiam in pretio & admiratione apud alios. Et hic locus diligenter notandus eſt, quia, ut jam dixi, in ſummis Principibus non quæritur vera dignitas: nam Principes debebant reverentiam ſibi acquirere juſtitia, integritate, clementia, magnanimitate: ſed pollent tantum ſervilibus artificiis: deinde ſine pudore fallunt, mentiuntur, pejerant: deinde blandiuntur etiam ſerviliter quoties res ita tulit: inſinuant ſe variis captionibus, largiſque promiſſionibus attrahunt ſimplices. Quoniam ergo vulgo non reſpicitur quænam ſit vera Principum dignitas, ideo notandus eſt hic locus, ut ſciamus coram Deo fœtere iſtam altitudinem quæ rapit hominum ſenſus ad ſe: quia non judicant, ſed cæcutiunt perſtricti inani ſplendore. *Retegam* igitur *pudenda tua*, inquit. Primum dicit, *Retegam fimbrias tuas ſuper faciem tuam*: poſtea, *& oſtendam gentibus nuditatem tuam.* Tunc autem oſtenditur gentibus nuditas magnorum Regum, ubi exercet Dominus vindictam ſuam: quia quiſque etiam ex infimo grege ſordidiſſimus audet ferre judicium: Dignus erat ille qui turpiter interiret. nam exercuit tyrannidem contra ſuos: deinde non pepercit etiam vicinis ſuis: & nunquam fuit ingenuus Princeps: imo tantum uſus eſt fallaciis & perjuriis. Quum ergo dejecti ſunt Principes, tunc quiſque ex theatro conſurgit judex, & quaſi conſcendit tribunal, ut oneret atque obruat illos ignominia. Ideo dicit Propheta in perſona Dei, *Retegam fimbrias tuas ſuper faciem tuam, & oſtendam gentibus nuditatem tuam, & regnis fœditatem tuam.* Poſtea adjungit, *Aſpergam te ſordibus*, vel inquinamentis. Semper alludit Propheta ad illam ſimilitudinem, Si meretrix bene ornata ſit & ſumptuoſe, talibus illecebris rapit omnium oculos: ſed ſi quis ſordes & inquinamenta arripiat ex media via, & illam conſpergat, tunc nemo eſt qui non avertat faciem à fœdo illo ſpectaculo. Sed jam expoſuimus quorſum hoc pertineat. Dicitur enim Deus inquinamentis conſpergere regna, ubi ea dejicit. tunc enim incipiunt omnes libere ferre ſententiam: & qui prius ſimulabant ſe teneri magna admiratione, tunc proterve conſurgunt, & quiſque evomit multa convitia. Tunc ergo dicitur Dominus conſpergere ſordibus & inquinamentis magna imperia. Tandem addit, *Afficiam te ignominia.* נבל ſignificat Cadere: deinde transfertur ad cadavera: ſed ſignificat etiam Ignominia afficere, ſicuti hic accipitur. *Ponam te quaſi ſtercus.* ראי putant vocari vel ſtercus, vel rem fœtidam: ſed quia deſcendit à verbo ראה, quod eſt Videre, & in pluribus Scripturæ locis accipitur pro Viſione vel aſpectu; recte verterunt quidam meo judicio, *Ponam te in exemplum*, ſicuti Hieronymus: quaſi diceret, Tu eris ſpectaculo cunctis gentibus. Dicitur autem Nineve ſtatui in exemplum, quia ruina ejus memorabilis fuit præ aliis omnibus quæ ante acciderant. *Tu* igitur *eris ſpectaculo*: id eſt, clades iſta quam nunc tibi denuncio, convertet ad ſe omnium oculos. Poſtea ſequitur,

7. Et accidet ut quiſquis te viderit, procul recedat abs te, & dicat, Vaſtata eſt Niniveh: quis condolebit ei? unde quæram conſolatores tibi?

Quum dicit כל־ראיך, inde iterum colligimus ראי in fine proximi verſus potius ſumi pro Exemplo vel ſpectaculo. Continuat enim eandem ſententiam Propheta: *Ponam te*, inquit, *in exemplum*, vel in ſpectaculum. Quomodo? nempe *ut quiſquis te viderit, procul recedat abs te.* Hoc autem eſt horroris ſignum. Quanquam exiſtimant alii hanc fuiſſe mercedem crudelitatis, quod nemo acceſſit ad Nineven, ſed derelicta fuit ab omnibus amicis in ſua vaſtitate. Et huc etiam referunt quod ſequitur, *Quis condolebit ei? & unde quæram conſolatores ei?* Putant enim hic Ninevitis exprobrari ſuam ſævitiam, quod ita infeſtos ſe omnibus præbuerint, ut indigni ſint miſericordia: nam qui nemini parcunt, ſed permittunt ſibi nocendi licentiam, illi accerſunt ſibi totius mundi odia. Putant igitur quidam hic notari merito exoſos eſſe omnibus Ninevitas, ita ut nemo ipſis condoleat in tanta clade, quoniam erga omnes fuerint injurii. *Accidet ergo ut quiſquis te viderit, procul abs te recedat, & dicat, Vaſtata eſt Nineveh: quis condolebit ei? unde vocabo conſolatores ei?* Sed neſcio an illa argutia venerit Prophetæ in mentem. Licebit ſimplicius exponere hæc verba, quod in ſignum horroris omnes procul fugient: deinde tantam fore cladem, ut nullus luctus reſpondeat. Quis condolebit ei? hoc eſt, ſi magnitudo hujus cladis expenditur, quamvis omnes ſeſe ad fletum projiciant, & conferant ſuas querimonias, non tamen ſufficient: omnes lamentationes longe impares erunt tam horrendæ cladi. Videtur potius hoc Propheta velle. *Quis ergo condolebit ei? & unde quæram conſolatores?* quaſi diceret non vulgarem fore ruinam urbis tam ſplendidæ, ſed quæ nullis lamentationibus æquari poſſit. Poſtea ſequitur,

8. An melior es quam No (*id eſt, Alexandria*) Amon, (*vertunt quidam populoſam: alii putant eſſe nomen Regis. An igitur melior es quam Alexandria populoſa?*) quæ habitabat in fluviis? mare in circuitu ejus, cujus foſſa erat mare, & à mari murus ejus.

9. Æthiopia fortitudo ejus, & Ægyptus: & nullus finis: Africa, & Libye fuerunt in auxilium ejus.

10. Etiam ipſa in transmigrationem abiit ad captivitatem: etiam parvuli ejus alliſi ſunt in capite omnium platearum: & ſuper proceres ejus (*vel honorabiles, ad verbum*) jecerunt ſortem, & magnates ejus vincti ſunt compedibus.

Hic Propheta ut fidem faciat ſuo vaticinio, producit exemplum Alexandriæ. Certum enim eſt ex multis Scripturæ teſtimoniis No vocari Alexandriam, quæ urbs fuit vetuſtiſſima, ſita ad fines Africæ, tamen in Ægypto. Quanquam fieri poteſt ut olim Alexandrini fuerint ſui juris, vel ſaltem habuerint proprium Regem: & hoc credibile eſt: quia hic Propheta tam Ægyptum & Æthiopiam, quam Africam & Libycas gentes dicit fuiſſe fœderatas huic urbi. Hinc ergo colligi poteſt Alexandriam non fuiſſe tunc partem Ægypti, ſed potitam ſuo imperio, & fœderatam Ægyptiis, ſicuti & aliis gentibus. Cæterum quoniam partim ab Aſſyriis Ægyptus poſt mortem Prophetæ noſtri everſa fuit, partim vero à Chaldæis, quidam interpretes exiſtimant Prophetam tractare de ruina illa, quæ nondum acciderat. Sed non quadraret hoc propoſito: quia potius quaſi in ſpeculo oſtendit Propheta ſumma quæque imperia pro Dei arbitrio ruere, & urbes inſtructiſſimas & munitiſſimas etiam concidere, quoties ita Deo viſum eſt. Niſi ergo paſſim nota & celebris fuiſſet clades Alexandriæ, Propheta parum appoſite uſus fuiſſet hoc exemplo. Ego itaque non dubito quin Alexandria jam tunc fuerit diruta. Nec mirum eſt poſtea rediiſſe in priorem ſtatum, imo fuiſſe locupletatam: quia commodiſſimus erat ſitus urbis, non tam propter terræ fœcunditatem, quam propter mercimonia, quoniam illuc fere appellunt naves ex mari Mediterraneo. Habet ab una parte paludem Mareotin, & videtur parum ſalubri eſſe aëre: deinde mare ſtagnat: & Pharos eſt vicina inſula. Cæterum tamen habitata fuit urbs illa, & ornata etiam ſplendidiſſimis ædificiis, quia commoditas navigationis attrahebat undique multos incolas. Poſtea etiam rurſus extructa fuit ab Alexandro Macedone: ſed ſatis apparet fuiſſe urbem jam tunc opulentam. Non ergo novam urbem condidit Alexander, ſed ampliavit. Veniamus nunc ad Prophetæ verba. *An melius tibi erit quam Alexandriæ?* אמון vertunt Populoſam: & ego libenter amplector hunc ſenſum, qui etiam receptus eſt fere omnium conſenſu. Alii divinant eſſe nomen Regis: ſed quia deficit eos probatio, relinquo eis ſuam conjecturam. *An ergo tibi melius erit, quam Alexandriæ?* Nam *habitabat illa*, inquit, *inter fluvios.* Alexandria habet Nilum quaſi ſub ſuo arbitrio: nam dividitur illic in multas partes, ut urbem variis locis interfluat. Sic ergo dicit Alexandriam habitaſſe in fluminibus, eo quod Nilum in rivos deduceret, prout ferebat commoditas. Poſtea adjungit, *Mare in circuitu ejus.* Nam cingitur ab una parte ſtagno maris, & obtegitur inſula Pharo, quæ etiam turrim habet non modo munitionis cauſa, ſed etiam ut naves quæ veniunt ex mari Mediterraneo, habeant ſignum quo ſeſe dirigant, ut recta appellant ad portum. *Mare* ergo *eſt in circuitu.* Nam mare cingit plus dimidia parte urbis: deinde palus illa Mareotis eſt à Meridie oppoſita. Poſtea adjungit, *& murus* vel foſſa *ejus erat mare.* חיל hic ſcribitur cum י: ſed ſignificat tamen Murum, vel foſſam: quanquam vertunt Latini Antemurale. Solebant enim urbes ſuas munire duplici muro olim, quemadmodum vetuſta ædificia adhuc oſtendunt. חיל erat murus interior, ſicuti judicant interpretes: & ideo vertunt Antemurale: & inde murus exterior erat etiam à mari. Sed poſſumus חיל accipere pro foſſa, & colligere etiam promptum eſt ex quibuſdam locis potius eſſe foſſam quam antemurale: quemadmodum corpus Jeſabel laceratum fuit à canibus in ipſa foſſa: & illic ponitur dictio חיל. Quantum attinet ad ſenſum Prophetæ, intelligit Alexandriam fuiſſe tantopere munitam, ut non debeat ſeſe præferre Nineve: quia murus ejus erat à mari uſque, & ab Æthiopia propter illas munitiones, quas dixit. Poſtea, *Africa erat & Ægyptus, & Libycæ gentes:* denique *nullus finis*, inquit: hoc eſt, undique potuit accerſere multos ſocios & fœderatos, & multi parati erant ad ferendam opem: etiam Africa, Æthiopia & Libycæ gentes erant paratæ ad auxilium ejus. Atqui, inquit, *ipſa tamen in transmigrationem abiit captiva:* hoc eſt, incolæ Alexandriæ expulſi ſunt, & fuit quaſi urbs captiva, quoniam tracti ſunt huc & illuc ejus incolæ. *Sunt*, inquit, *alliſi parvuli eorum in capite omnium platearum.* Significat Propheta non fuiſſe obſtaculo tantam potentiam Alexandriæ, quin extremam ſævitiam exercuerint contra eam victores: quia hoc eſt truculentum facinus, allidere ad lapides parvulos, quibus propter teneram ætatem parcitur. Nulla enim eſt contra eos ſæviendi cauſa, quia non poſſunt cenſeri in hoſtium numero. Sed tamen dicit Propheta ſic tractatam fuiſſe Alexandriam, ne poſthac Nineve ſuis opibus confiſa tam proterve contemnat judicium Dei, quod nunc denunciat. *Etiam*, inquit, *jecerunt ſortem ſuper ejus Principes, & vincti ſunt magnates ejus compedibus.* Quum dicit jactam fuiſſe ſortem, alludit ad morem vetuſtum. nam ſi qua erat controverſia de homine captivo, ſors jaciebatur: exempli gratia, Si duo unum hominem ceperant, ne inter ſe litigarent, ſorte jacta cedebat in dominium unius. Sic ergo dicit jactam fuiſſe ſortem ſuper Principes ejus. Solebat hoc contingere gregariis hominibus & viliſſimis mancipiis. Propheta autem dicit victores ne principibus quidem viris pepercisse. Fuerunt igitur habiti quaſi ex vulgo, & ſummi quique Principes ad captivitatem tracti & vincti compedibus, ac ſi fuiſſent ex contemptiſſima plebe, vel gregariis hominibus: hoc eſt, non fuerunt tractati pro ſuo ordine, ſed nullum habitum fuit diſcrimen inter proceres, & inter contemptum & ignobile vulgus: quia etiam ſummi quique Principes fuerunt dejecti, ut ſors eorum nihil differret à ſorte miſeri hominis: quia ſicuti tractari ſolent homines plebeii & nullius pretii, ita Alexandriæ proceres tractati ſunt à ſuis hoſtibus.

Da omnipotens Deus, quando pro tuo incomprehenſibili judicio fulminas contra ſuperbiam hujus mundi, ut regamur ſpiritu manſuetudinis, atque ita ſponte humiliemur ſub manu tua, ne experiamur hanc tuam formidabilem potentiam in exitium noſtrum: ſed potius ſuffulti tua virtute, contineamus nos in gradu noſtro & in vera ſimplicitate: interea etiam confiſi tuo præſidio, non dubitemus quin prævaleat contra omnes quantumvis violentos impetus hoſtium noſtrorum: & ſic pergamus ſub militia crucis ad quam nos deſtinaſti, donec tandem colligamur in regnum illud cœleſte, ubi ſic triumphum agemus cum Filio tuo, ut ſplendor ejus in nobis refulgeat, dejectis omnibus reprobis, Amen.

PRÆLECTIO SEPTIMA IN NAHUM PROPHETAM.

CAP. III.

11. Etiam tu inebriaberis, tu eris abſcondita: etiam tu quæres robur (*vel ſuppetias*) ab hoſte. (*vel propter hoſtem.*)

POſtquam exemplum Alexandriæ propoſuit Nahum, jam oſtendit nihil poſſe Deo obſtare, quominus Nineven eodem modo tractet: atque id facturum pronunciat, *Tu quoque*, inquit, *inebriaberis*. Nota eſt iſta metaphora, ut ſatis frequenter occurrit in Scripturis: nam ſolent Prophetæ ut plurimum vocare pœnam cujuſque Calicem quem Deus propinat. Cæterum ubi Deus gravius judicium exercet, dicitur inebriare calice ſuo reprobos. Nunc dicit Propheta talem fore caſtigationem Ninevæ, ut inſtar ebrii hominis (qui vino obrutus eſt) quaſi attonita jaceat. Ergo hac metaphora voluit exprimere atrociſſimam pœnam. *Tu ergo etiam inebriaberis*. Jam particula גם emphatice hic ponitur, ut ſciant Ninevitæ ſe non poſſe effugere quam meriti ſunt pœnam: quia Deus manet ſemper ſui ſimilis. *Tu igitur etiam inebriaberis*. hoc non quadraret, niſi Deus eſſet judex mundi uſque in finem. Eſt igitur communis ratio: ideo neceſſario conſequitur, quum Deus pœnam ſumpſerit de Alexandrinis, Aſſyrios non poſſe manum ejus effugere, neque elabi ex ſimili pœna. Adjungit, *Eris tu abſcondita*. Quidam hoc referunt ad pudorem, acſi dixiſſet Propheta, Tu nunc quidem ſuperbe te oſtentas, ſed calamitas coget te latebras quærere, in quibus te occultes. Sed magis inclino in diverſum ſenſum, quod evaneſcet Nineve acſi nunquam fuiſſet: nam Abſcondi accipiunt ſæpe Hebræi pro In nihilum redigi. Poſtea addit, *Tu quoque quæres robur* (vel ſuppetias) *ab hoſte*, מאויב מעוז. Duplex poteſt eſſe ſenſus, vel quod ſupplex deprecabitur hoſtes ſuos, vel quod propter inimicos confugiet ad ſubſidium alienum: nam particula מ poteſt utroque modo accipi. Si prior ſenſus placeat, puto Prophetam loqui non de Babyloniis, ſed de aliis gentibus quæ prius fuerant bello vexatæ ab Aſſyriis. Tu ergo nunc ſuppliciter precaberis eos, qui hactenus tibi fuerunt hoſtes: non quod te laceſſiverint, ſed quod tu hoſtiliter eos tractaſti. Hæc autem extrema eſt miſeria, dum cogimur ad eorum auxilium confugere quibus ſumus exoſi, propterea quod injuriis noſtris eos provocaverimus. Sed alter ſenſus magis placet, quia minus coactus eſt: *Tu etiam quæres ſuppetias propter inimicum*: id eſt, quia vires ad reſiſtendum non ſuppetent, hinc inde petes auxilium à vicinis tuis. Sequitur,

12. Omnes munitiones tuæ ficus cum maturis (*fructibus*): ſi moveantur, cadunt ſuper os comedentis.

Hic denunciat Propheta, nihil profore Aſſyriis munitiones ſuas, ſive confidant multitudine hominum, ſive muris ſuis, ſive aliis præſidiis, quia omnia, inquit, hæc ſponte cadent, etiam ſine magno impetu. Et utitur ſimilitudine valde appoſita: munitiones tuæ, inquit, quas putas valde firmas eſſe, erunt ſimiles ficubus: quia ubi maturi ſunt fructus, ſi quis ad arborem accedat, ſimulatque eam tetigerit, aut ramum aliquem, ficus ſponte cadent. Scimus enim non multum eſſe firmitudinis in illo fructu: ubi maturuit, ſtatim cadit in terram; vel ſi pendet in ſuis ramis, ſine magna violentia ſtatim decidit. Nunc tenemus conſilium Prophetæ. Et hinc colligi poteſt utilis doctrina, quicquid roboris hinc inde ſibi accerſunt homines, hoc totum evanidum fore: quia neque propugnacula, neque turres, neque foſſæ, neque copiæ hominum, neque ullæ machinæ quidquam valebunt, quin ſponte, etiamſi nemo contra ſurgat, tamen cadant. Poſtea ſequitur,

13. Ecce populus tuus mulieres in medio tui: inimicis tuis aperiendo aperientur portæ terræ tuæ: vorabit ignis vectes tuos.

Hic Propheta denunciat molles & effœminatos fore omnium animos, ubi Deus volet perdere Nineven. Diximus autem paulo ante, corda hominum ita eſſe in manu Dei, ut liquefaciat quicquid eſt in illis fortitudinis, quoties viſum eſt. Et Deus hoc modo præparat homines ad interitum, ubi corda ipſorum debilitat, ut ne conſpectum quidem hoſtium ferant. Poſſet quidem Deus hominibus relinquere ſuam pertinaciam, ut ſemper furioſe ruerent, & poſſent repellere invicto animo hoſtium ſuorum inſultus: ſed ſæpe tamen corda ipſorum emollit, & ſpoliat ſua virtute, quo magis reluceat judicium ipſius: non tamen ſemper æquabiliter operatur: quia varietas in judiciis Dei nobis prodeſt, dum per eam ſenſus noſtri melius expergeſiunt. Si æqualis eſſet tenor, non poſſemus ita animadvertere manum Dei, ſicuti quum nunc uno modo, nunc diverſo agit. Sed quemadmodum jam dixi, hæc ſatis trita eſt ratio, quod Deus homines enervat, & corda ipſorum privat omni virtute, ubi eos addixit exitio. Sic nunc loquitur Propheta de Ninevitis: *Ecce*, inquit, *populus tuus mulieres*. Et demonſtrativa particula emphatice accipitur: quia Aſſyrii proculdubio riſiſſent veluti fabulam hoc vaticinium Prophetæ: & difficilis etiam erat res creditu apud Iſraëlitas. Hæc ratio eſt cur Propheta quaſi digito demonſtret quod ſuperabat hominum ſenſus. Quum dicit, *in medio tui*, ſignificat etiamſi diviſi ſint à ſuis hoſtibus, & habitent in urbe munita, fore tamen plenos trepidatione. Hæc amplificatio ſatis notanda eſt: quia nihil mirum ſi exterreant nos congreſſus, ubi hoſtes manum cominus conſerunt, ubi etiam multa ſeſe ingerunt oculis noſtris quæ poſſint nobis dejicere animos. Sed ubi expaveſcimus ſola hoſtium fama, & quamvis muri interſint, tamen ſumus quaſi exanimes, hinc apparet nos percuſſos eſſe manu Dei: quia ſi cernimus muros lapideos, & interim corda nobis ſint vitrea, nonne apparet intus quaſi arcano inſtinctu nos perterritos eſſe à Domino potius quam mediis & naturalibus cauſis? Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ, quum dicit *populum fore muliebrem*, vel effœminatum, *in medio ipſius urbis*, in ipſis viſceribus: quaſi diceret, etiamſi habitent in tuto loco, tamen non deſinent trepidare. *Aperiendo aperientur portæ tuæ*, inquit, *inimicis tuis*. Significat rurſus, quantumvis muniti ſint Aſſyrii, tamen apertos fore omnes acceſſus hoſtibus, acſi nulla eſſent propugnacula. Quia dicit, *Portas terræ*, probabile eſt non loqui de urbe ipſa duntaxat, ſed de omni-

bus

bus propugnaculis. Nec dubium eſt quin Aſſyrii plures urbes munierint, quibus poſſent longe arcere hoſtem, & ut primaria ſedes regni eſſet extra diſcrimen & metum. Ego igitur intelligo de multis urbibus, quod hic dicit Propheta, *Aperiendo aperientur portæ terræ tuæ hoſtibus tuis, & ignis vorabit vectes tuos.* Significat, etiamſi ſedulo prius munierint totam terram in circuitu, ita ut putarent ſe fore ſecuros ab omni incurſu hoſtili, tamen hoc fore inutile: quia ignis comedet vectes ipſorum. Per Ignem metaphorice intelligit Propheta Judicium Dei. Nam ſicuti videmus tantam eſſe ignis vehementiam, ut ferrum quoque & chalybem conſumat: ita Propheta intelligit nullum fore robur quod defendat Nineven & ejus imperium contra manum Dei. Sequitur,

14. Aquas obſidionis hauri tibi, robora munitiones tuas, ingredere in lutum, calca cæmentum, fortifica fornacem. (*vel laterem. Alii vertunt, Tene, vel apprehende.*)

15. Illic vorabit te ignis, exterminabit te gladius, comedet te quaſi bruchus, (*alii vertunt, quaſi bruchum*) multiplicari (*ad verbum: vel multiplicando. eſt* כילק) quaſi bruchus, multiplicare quaſi locuſta.

Proſequitur eandem doctrinam Propheta, nempe Ninevitas operam eſſe perdituros, quum ſtrenue & magno conatu ſeſe defendere ſtudebunt contra hoſtes. Senſus igitur eſt, Quamvis nihil diligentiæ reliquum facias, tamen tu operam ludes: quia non poteris repellere Dei vindictam: & falleris ſi putas conſuetis rationibus poſſe te juvari: quia Deus eſt qui te aggreditur per Babylonios. Utcunque igitur omnia accumules, quæ ſolent fieri ad urbes muniendas, hoc erit tibi inutile. *Hauri tibi*, inquit, *aquas obſidionis*: id eſt, proſpicias tibi de annona, ut fieri ſolet, & aquam etiam repoſitam habeas in ciſternis: etiamſi robores munitiones tuas, id eſt, ſi inſtaures: ſi ingrediaris lutum calcandi cæmenti cauſa: ſi lateres tuos fortifices, id eſt, coagmentes vel compingas: (nam quod alii חזק putant hic accipi pro Tenere vel apprehendere, prorſus alienum eſt a Prophetæ ſenſu.) Fortificare igitur fornacem, hoc eſt, lateres qui prodeunt ex fornace, nihil aliud eſt quam compingere vel coagmentare inter ſe, ut ſolidum ſit ædificium. Nam ſcimus ideo ſæpe collabi ædificia, vel everti, quia minus bene compacta ſint: & reſpicit ad modum ædificandi, quem hiſtorici traduot fuiſſe Aſſyriis in uſu. Nam quia regio illa deſtituitur copia lapidum, lateribus ſupplet defectum illum. Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ. Sed addit, *Illic te ignis comedet.* In adverbio loci multum eſt ponderis, quum dicit, *Illic quoque te ignis comedet*: nam plus aliquid exprimit quam nuper, quod ſcilicet non modo fruſtra ſeſe fatigabunt Aſſyrii in urbe ſua munienda & toto imperio, ſed etiam quod Deus convertet in ipſorum exitium quæ confidunt ſibi fore præſidio. *Illic ergo te ignis comedet.* Nunc videmus quid intelligat Propheta. Et interim notandum eſt hic poni Aquarum nomen: acſi diceret, Etiamſi parce & frugaliter vivant milites tui, contenti ſint potu aquæ: (quemadmodum neceſſe eſt, ubi volumus conſtanter hoſtibus reſiſtere, oblviſci omnes lautitias, & ferre etiam inediam ſi opus ſit, ſaltem penuriam delicati cibi & potus) etiamſi milites tui contenti ſint ſola aqua, & quidem non petant aquam recentem ex fonte vel fluvio, ſed tantum bibant ex ciſternis: etiamſi munitiones tuæ refectæ ſint: etſi diligenter muri tui ſint coagmentati ſolida ſtructura, quia inter ſe tenaciter conjuncti & bene compacti erunt lateres: tamen *illic te vorabit ignis*: id eſt, tua frugalitas, tua ſtrenuitas & diligentia non modo nihil tibi proderit, ſed etiam tibi cedet in perniciem: quia maledicit Dominus hominum arrogantiæ, ubi præſidiis ſuis confidunt. Poſtea addit, *Exterminabit te gladius*: id eſt, Dominus inveniet varios modos, quibus te abſumat. Igne igitur & gladio te conficiet ac vorabit. Poſtea addit, *Comedet te quaſi bruchus.* Poſſemus tam in nominativo caſu quam in accuſativo legere, Comedet te quaſi bruchus. Si placet iſta lectio, ſenſus erit, Quemadmodum bruchi exiguo tempore vel pratum vel ſegetem aliquam deformant, ſic te repente conficient hoſtes quaſi uno morſu. Scimus enim animalia illa adeo eſſe noxia, ut totas fruges ſtatim corrumpant & conſumant: multa eſt enim voracitas in illis animalculis. Sed quia poſtea confert Propheta Aſſyrios bruchis & locuſtis, ideo conveniet etiam alter ſenſus: quod ſcilicet judicium Dei abſumet Aſſyrios, quemadmodum bruchos abſumit vel pluvia, vel tempeſtas aliqua, vel mutatio temporis. quemadmodum enim valde noxia ſunt ea animalia, ſic etiam Dominus illa exterminat, quum ita viſum eſt. Poſtea adjungit, *multiplicari*: eſt, quemadmodum jam dixi, modus infinitivus verbi. Sed ſententia Prophetæ eſt, *multiplicando quaſi bruchus, multiplicare quaſi locuſta.* Cur autem hoc dicat, melius intelligi poterit ex contextu. Ergo contexi debent duo ſequentes verſus.

16. Multiplicaſti negotiatores tuos quaſi ſtellas cœlorum: bruchus prædatus eſt, & avolat.

17. Principes tui (*vel Coronati: deducitur enim à* נזר, *quod ſignificat Coronam. Sed malo vertere, Egregios, vel præſtantiſſimos quoſque. Principes ergo tui, vel Eximii tui*) quaſi locuſta, & duces tui quaſi locuſta locuſtarum, (*eſt quidem aliud nomen, ſed non poſſumus certo diſtinguere inter illas ſpecies, quemadmodum dictum eſt Joelis* 1. *capite*) quæ caſtrametantur (*id eſt, conſidunt*) in maceriis (*id eſt, clauſuris*) in die frigoris: ſol exortus eſt, & migrarunt, & non cognoſcitur locus earum ubi.

Ex his verbis colligere licet quid prius voluerit Propheta, ubi dicebat Aſſyrios ſimiles eſſe locuſtis vel bruchis: quaſi diceret, Scio vos confidere veſtra multitudine: eſtis enim quaſi examen bruchorum vel locuſtarum, hoc eſt, prævaletis numero. Nam congregaſti mercatores vel negotiatores tuos quaſi ſtellas cœli. Hic oſtendit ingentem eſſe numerum. Sed ubi addit, *Bruchus prædatus eſt, & avolat*, ſecundam rationem ſimilitudinis deſignat. Neque enim ſatis eſſet tenere unum membrum, ſed conjungi debent hæc duo, quod Aſſyrii quum eſſent fere innumeri, gloriati ſint ſua multitudine: deinde quod illa multitudo fuerit etiam evanida. Ergo per conceſſionem hic dicit, Multiplicando negotiatores tuos, multiplicaſti: ſed quum dicit, Quaſi bruchos, & quaſi locuſtas, oſtendit hanc multiplicationem non fore firmam: quia Dominus diſperget eos huc & illuc. Quoniam ergo propinqua eſt diſſipatio, ideo Propheta dicit eos eſſe bruchos & locuſtas. Nunc tenemus Prophetæ conſilium: ſubſannat principio ſtultam confidentiam qua turgebant Aſſyrii, propterea quod dominabantur multis populis: poterant conficere magnos exercitus, & eos opponere ad omnes partes, ſi quis illos aggreſſus

greſſus eſſet. Propheta hoc illis concedit, valere ſcilicet magno numero: *multiplicando multiplicare*: ſed quid tandem proficies? erunt locuſtæ, & erunt bruchi. Quomodo? jam ſequitur explicatio plenior, *Multiplicaſti negotiatores tuos, quaſi ſtellas cœlorum*: ſed hoc momentaneum erit, quia ſtatim videbis eos dilabi, quemadmodum bruchi momento temporis huc & illuc diſperſi relinquunt nudum agrum vel pratum. Cæterum per Negotiatores quidam intelligunt fœderatos: & comparatio iſta etiam frequenter occurrit apud Prophetas, quemadmodum ante vidimus. Et hodie etiam Principes nihil differunt à mercatoribus, quia licitantur hinc inde, & pollent ſimilibus aſtutiis, quemadmodum alibi vidimus, quibus ultro & citro ſe decipiant. Poſſet igitur hæc ſimilitudo congruere, *Multiplicaſti negotiatores tuos*: *Tes practiciens*. Sed poteſt latius patere ſenſus Prophetæ, ut ſcilicet referamus ad cives Ninevæ: quia non dubium eſt quin exercuerint præcipui quique mercaturam: quemadmodum hodie Veneti omnes ſunt mercatores, ita erant & Tyrii & Ninevitæ, & Babylonii etiam. Non mirum eſt igitur, ſi Propheta hic per ſynecdochen ſub una ſpecie complexus fuerit ditiſſimos quoſque. *Multiplicaſti* ergo *mercatores tuos*. Hactenus concedit illis magnum numerum: ſed poſtea adjungit, *Bruchus prædatus eſt, & avolat*. Nam hoc verbum ſignificat aliquando Spoliare, ſignificat Graſſari. Bruchus ergo graſſatus eſt, & avolat: id eſt, Principes tui, ut poſtea dicet, vel præcipui quique graſſati quidem ſunt, hoc eſt, vaſtarunt multas regiones ſuis rapinis, ſpoliarunt undique, quemadmodum bruchi perdunt & ſegetes & fruges quaſcunque. Fuiſti igitur quaſi examen bruchorum. Nam perinde acſi bruchi cum magna turba invaderent agrum aliquem, ſic etiam Nineve emittere ſolebat undique ſuos mercatores, qui ſpoliarent ac nudarent totam terram. Bene, inquit: *bruchus prædatus eſt, ſed avolat*, id eſt, diſpergitur. ſic continget, inquit Propheta, tuis civibus, ô Nineve. Et ideo poſtea adjungit, *Et Principes tui quaſi locuſta*. Hoc refertur ad maleficia, quibus totam fere terram vexaverant. Quemadmodum igitur locuſtæ & bruchi quocunque veniant, corrumpunt quicquid eſt alimentorum, deformant omnes agros, nihil reſidui faciunt, & arida manet tota terra: ſic etiam *Principes tui fuerunt quaſi locuſta, & duces tui quaſi locuſta locuſtarum*, hoc eſt, magnæ locuſtæ. Scimus enim hac loquendi forma notari ſuperlativum gradum apud Hæbræos. Fuerunt igitur quaſi locuſtæ voraciores duces tui: nam areſacta fuit tota terra ab ipſis: nihil enim fuit quod expleret eorum avaritiam & voracitatem. Quod autem adjungit Propheta, Sunt locuſtæ quæ *habitant in maceriis tempore frigoris: ubi autem exortus eſt ſol, non agnoſcitur amplius locus earum*: jam oſtendit non fore hoc perpetuum quod Ninevitæ ita devorent totam terram, & omnes regiones expoſitæ ſint atque obnoxiæ eorum voracitati. Sicuti enim locuſtæ, inquit, ſeſe abdunt in cavernis, poſtea avolant, ita continget tuis Priocipibus. Sed poſſet alio modo hic locus accipi, quod ſcilicet Ninevitæ fuerint abſconditi in ſuis cavernis hyemis tempore: deinde, ubi erat opportunum tempus prædandi, quod huc & illuc ſeſe contulerint, & occupaverint varias regiones, ut referrent prædas domum ex remotiſſimis partibus. Poſſet hic ſenſus elici ex verbis Prophetæ: & apte hoc modo inter ſe cohærebunt membra, quod ſicut ex ſuis nidis evolaverant Ninevitæ ad prædandum, ſic etiam diſperſi huc illuc migrabunt. Interim priorem ſenſum non improbo. *Sicuti* ergo *conſidunt locuſtæ in maceriis frigoris tempore, ubi autem ſol exortus eſt*, id eſt, ubi temperies ipſas invitat, (neque enim loquitur de ſolibus hybernis, ſed ubi jam viget calor Solis, & aërem temperat) *tunc exeunt*, inquit, *locuſtæ, & avolant, neque amplius cognoſcitur locus earum*. Significat in ſumma, quod prædati ſunt Ninevitæ, hoc feciſſe quemadmodum locuſtæ ſolent: ſed ſimilem etiam eventum illis inſtare, qui cernitur in locuſtis: quia Dominus ſcilicet faciet illos dilabi, imo diffluere momento, ut jam nullum veſtigium reperiatur. Sequitur,

18. Dormitaverunt paſtores tui rex Àſſur, jacuerunt fortes tui, diſperſus eſt populus tuus ſuper montes, & nemo congregans.

Confirmat eandem ſententiam, ac dicit nihil fore coofilii vel ſolertiæ in ducibus. *Paſtores* enim *Regis Aſſur* vocat Conſiliarios, quorum prudentiæ fidebat, ut ſcimus Reges ſolere in ſuos Conſiliarios recumbere. putant enim in illis ſatis eſſe conſilii: & ita mandant totius populi cuſtodiam. Deridet autem fiduciam regis Aſſur Propheta, quod non erit tantum vigilantiæ in ipſis Paſtoribus, ut caveant & ſibi & populo & toti regno. Loquitur in præterito tempore vel ad certitudinem vaticinii, vel quia temporum mutatio familiaris eſt Hebræis. *Jacebunt*, inquit, *fortes tui*: hoc eſt, reſides manebunt, non poterunt excurrere contra hoſtes, ut prohibeant impetum. *Jacebunt* igitur. Poſtea, *Diſperſi ſunt populus tuus*, hoc eſt, populus tuus diſperſus eſt. פוש non eſt Diſpergere: & ideo non dubito quin hic ſit literæ mutatio, & ש poſitum ſit pro צ: & miror cur deducant à שוש, quum potius ſit à פוץ: & mutatio illa literarum ſatis etiam uſitata eſt Hebræis. *Populus* ergo *tuus diſperſus eſt ſuper montes, & nemo qui congreget*. His verbis intelligit Propheta tantam fore diſſipationem totius imperii, ut jam nulla ſit ſpes reſtitutionis. *Non erit* ergo *qui congreget*. Dixerat prius duces aut fortes fore quietos. Atqui opus erat illos obviam ire, ut hoſtes reprimerent. *Jacebunt*, inquit, *illi*. hoc pertinet ad ignaviam ipſorum notandam. Populus autem qui debebat domi quieſcere, ut eſt imbellis, *erit diſperſus ſuper montes*: *nemo* autem *erit qui colligat*. Sequitur,

19. Non eſt contractio (*vel cicatrix*) fracturæ tuæ, dolore eſt plena plaga tua: omnes qui audierint famam tuam, (*id eſt, de te*) percutient manum ſuper te: quia ſuper quem non tranſiit malitia tua jugiter?

Hic clarius oſtendit Propheta, ubi diſſipatum fuerit imperium Ninevæ, fore hoc incurabile malum, ut ſcilicet tollat ſpem omnem remedii. Nam improbi etiamſi cladem effugere nequeant, concipiunt tamen fallaces fiducias, & exiſtimant ſe poſſe novas vires paulo poſt colligere. Ut ergo ſpem hanc illis auferat Propheta, dicit *non eſſe contractionem fracturæ*. Eſt etiam hæc concinna ſimilitudo: nam ruinam urbis Ninevæ comparat vulneri, quod non poteſt cicatricem obducere. *Non eſt* igitur *contractio*. alii vertunt Rugam: ſed improprie. *Non eſt* ergo *contractio*. Deinde, *plaga tua dolore plena eſt*: hoc eſt, non poterit ſedari dolor plagæ tuæ. hoc unum eſt, nempe excidium urbis Ninevæ fore irreparabile. Jam adjungit, *Quicunque audierint hanc famam, percutient manum ſuper te*. Vertunt multi, Plaudent manum ſuper te, vel manibus: & putant eſſe heteroſin numeri. Sed quia manum percutere apud Hebræos ſignum eſt conſenſus, ideo non male quadrabit ſi dicamus hoc Prophetam velle, ubicunque audita fuerit fama hujus cladis,

dis, omnes approbaturos: Ecce, Deus tandem oſtendit ſe eſſe juſtum ultorem tot ſcelerum: ſicuti dicunt Percutere manum dum paciſcuntur, vel dum quis pro altero fidejubet. Sicuti ergo in fidejuſſione & aliis omnibus pactis dicunt manum percutere, ita etiam ubi ſubſcribent omnes Dei judicio: O quam recte hoc factum eſt! ô quam juſte Deus pœnam ſumpſit de tyrannis iſtis vel latronibus! *Percutient ergo manum ſuper te*, hoc eſt, approbabitur hæc tua clades: quaſi diceret, Non tantum coram Deo maledicta eris, Nineve; ſed etiam omnium gentium conſenſu. Et ita ſignificat perituram Nineven cum ſumma ignominia & dedecore. Interdum continget aliquam Monarchiam ruere, & tamen omnes gement: Deus autem hic pronunciat ſe non fore contentum ſimplici interitu urbis Ninevæ, niſi adjungat ſimul publicam infamiam, ut omnes agnoſcant hoc juſto judicio accidiſſe. Poſtea addit, *Nam ſuper quem non tranſiit malitia tua jugiter?* Confirmatio eſt proximi membri: & conveniet hæc ratio utrique expoſitioni. Si Percutere manum accipimus pro Applaudere, conveniet hæc ratio. Quare? Gaudebunt enim tuo exitio omnes gentes: quia nulla eſt cui non multas injurias intuleris. Sic enim in ſignum lætitiæ omnes ſibi gratulabuntur, acſi eſſent liberati: vel plaudent, id eſt, agnoſcent te juſto Dei judicio fuiſſe perditam: quia ſcilicet expertæ ſunt omnes quam inique & tyrannice dominata fueris. Quoniam ergo malitia tua fuit inſtar diluvii, & fere abſorpſit omnes terras, ideo omnes vel plaudent, vel concutient in tuum interitum. Et dicit, *jugiter*, ut oſtendat diuturnam fuiſſe Dei tolerantiam. Unde etiam apparet magis inexcuſabiles eſſe Aſſyrios, quod quum Deus indulgenter ipſis pepercerit, non tamen reſipuerint, ſed proſequuti ſint eadem ſcelera longa temporum ſerie. Quum ergo ad licentiam peccandi accedit talis pertinacia, tollitur omnis excuſatio. Et interim admonet Propheta Iſraelitas non eſſe cur deficiant animis, quamvis Deus non ſtatim ad pœnam ſumendam proſiliat: quia per hoc adverbium תמיד ſignificat Deum ideo ad tempus ſuſpendere judicium ſuum contra Nineven, ut hæc patientia vel mora ſit teſtimonium bonitatis & clementiæ ejus. Ergo videmus hic Prophetam occurrere fervori hominum, quia ſtatim excandeſcunt vel fremunt, ſi Deus non ſumat vindictam de hoſtibus ipſorum. Oſtendit juſtam eſſe cauſam Deo cur non ſtatim exequatur pœnas contra reprobos: ſed tamen venturum tempus, ubi apparuerit ipſos prorſus eſſe deſperatos: venturum dico tempus, quo Dominus tandem exeret manum ſuam.

Da omnipotens Deus, quando juſtitia & æquitate poſſumus nobis parere firmum ſtatum, da ut tuo Spiritu gubernati contineamus nos ab omni noxa, & ſic abſtineamus à maleficiis, ut ſtudeamus etiam omnibus prodeſſe, quo experiamur protegi omnes tuo præſidio, qui ſeſe ad regulam Legis tuæ ita conformant, ut non immineant ſimplicibus ad eos perdendos aut vexandos, ſed contenti ſua parvitate, nihil melius agnoſcant eſſe, quam ſe totos ſubjicere tibi & tuo præſidio: & ſic continenter & juſte vivamus cum proximis noſtris, ut interea pendeamus tamen à miſericordia tua, qua ſimul defendimur, & ſalvi poſſumus manere contra tot Satanæ & improborum inſultus: donec tandem confecto militiæ noſtræ curſu, perveniamus ad beatam illam quietem, quæ nobis repoſita eſt in cœlo, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

JOAN.

JOANNIS CALVINI PRÆLECTIONES IN HABACUC PROPHETAM.

PRÆLECTIO PRIMA.

PRÆFATIO.

SEquitur ſuo ordine Propheta Habacuc. Quo autem tempore functus ſit docendi officio, non ſatis conſtat. Hebræi ſuo more audacter aſſerunt ſub rege Manaſſe prophetaſſe: ſed illa eſt non ſatis firma divinatio. Conjicere tamen licet prophetiam hanc fuiſſe editam, quum jam deſperata eſſet populi contumacia. Probabile enim eſt ex querimonia quam ſtatim videbimus, populum dediſſe prius multa experimenta perditæ malitiæ. Mihi igitur non dubium eſt quin Propheta miſſus fuerit, quum jam fruſtra alii operam ſumpſiſſent in corrigenda malitia populi. Cæterum, quia denunciat judicium quod inſtabat à Chaldæis; vel ſub Manaſſe, vel ſub aliis Regibus, hoc eſt, ante tempus Zedechiæ, prophetavit: ſed non poſſumus certum tempus præfigere. Summa autem eſt, quod initio conqueritur de impia obſtinatione populi, & deplorat corruptelas, quas tunc videbat graſſari: deinde ſtatim exurgit tanquam Dei præco, & Judæos admonet de propinqua clade. Paulo poſt tamen adhibet conſolationem: quia Deus viciſſim pœnam ſumet de Chaldæis, ubi intolerabilis fuerit eorum ſuperbia. Secundo capite hortatur pios omnes ſuo exemplo ad patientiam: & fuſius concionatur de propinqua ruina Babylonis. Tertio capite, ut videbimus, convertit ſe ad vota & preces. Nunc venio ad verba.

CAPUT PRIMUM.

ONus quod vidit Chabakuk Propheta.

ONus. Hoc major pars interpretum refert ad Chaldæos, & monarchiam Babylonis: quod mihi non probatur. & certa ratio cogit me ab eorum conſenſu diſcedere. Nam quia Propheta Judæos alloquitur, & ſine adjectione prophetiam ſuam Onus vocat, non dubium eſt quin eorum reſpectu ſic loquatur. Deinde commentum illud nimis durum eſt, quod Propheta exhorruerit futuram vaſtationem terræ, & ita conqueſtus fuerit apud Deum, quod paſſurus eſſet tam crudeliter tractari electum ſuum & peculiarem populum. Rectius ſentiunt alii hoc onus denunciari Judæis. Quid intelligant Prophetæ per vocem משא, alibi dictum fuit. Hic ergo gentiles ſuos aggreditur Habacuc: & oſtendit, fruſtra eos protervire contra omnes Dei Prophetas: quia tandem ſentient minas non eſſe ſupervacuas. Hoc igitur onus vidit Habacuc Propheta, nempe Deum ubi longa tolerantia uſus eſſet contra Judæos, tandem fore ultorem tot ſcelerum. Nunc ſequitur,

2. Quouſque Jehova clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te ob violentiam, & non ſervabis?

3. Quare oſtendis mihi iniquitatem, & moleſtiam aſpicere facis? & direptio, & violentia in conſpectu meo? & eſt qui litem & contentionem excitet?

Quemadmodum jam admonui, interpretes hic divinant Prophetam vaticinari de rebus futuris, acſi in conſpectu eſſet calamitas, de qua poſtea verba faciet. ſed illud eſt nimis coactum. Ego igitur non dubito quin hic Propheta cum Deo expoſtulet, quod tam patienter indulgeat reprobo populo. Quanquam enim certum eſt Prophetas ſemper curaſſe fideliter populi ſalutem, tamen etiam non dubium eſt quin exarſerint zelo gloriæ Dei, & quum viderent ſibi certamen eſſe cum hominibus præfractis, tunc excanduerint ſancta iracundia, & ſuſceperint cauſam Dei, & imploraverint ejus auxilium, ut remedium afferret rebus perditis. Ego igitur interpretor Prophetam hic ita cum Deo agere, ut proferat in medium tot ſcelera, in quibus populus obduruerat. Et hinc colligimus prius exercuiſſe munus docendi: quia abſurdum fuiſſet initium facere ab iſta querimonia & expoſtulatione. Expertus igitur fuerat magnam

contumaciam in populo illo. Quum videret nullam ſpem eſſe correctionis, & res in deterius quotidie prolabi; quia ardebat Dei zelo, affectum hunc ſuum protulit. Antequam ergo futuram Dei vindictam populo minetur, quaſi ſeſe ſubducit à turba hominum, & privatim Deum ipſum compellat. Hoc primo tenendum eſt, Prophetam hic referre ſecretum colloquium quod habuit cum Deo: nec vero aſcribi debet crudelitati, quod his verbis acceleret Dei vindictam contra ſuos gentiles. Oportuit enim Prophetam non tantum ſollicitum eſſe de populi ſalute, ſed ſuſcipere curam gloriæ Dei, imo ardere hoc zelo. Quoniam ergo fruſtra diu laboraverat, non dubito quin veluti remotus ab omnibus teſtibus hic interroget Deum, quouſque tandem ita tolerare velit populi malitiam. Nunc tenemus conſilium Prophetæ, & ſummam verborum. Dicit autem initio, *Quouſque Jehova clamo, & non audis? quouſque vociferor ad te violentia*, hoc eſt, propter violentiam, *& non ſervabis?* Hinc colligimus Prophetam ſæpius fuiſſe precatum, ut Deus corrigeret malitiam populi, vel rationem aliquam inveniret ne tanta eſſet peccandi licentia. Probabile quidem eſt Prophetam fuiſſe deprecatum quoatiſper ſpes aliqua fuit: ſed ubi videbat res deploratas, tunc vehementius precatus eſt, ut Deus partes vindicis ſuſciperet in caſtigando populo. Quanquam enim vere condoluit Propheta pereuntibus, & quemadmodum jam dixi, ſeria publicæ ſalutis cura tactus fuit, prætulit tamen gloriam Dei: ideo non potuit ferre tam effrenem proterviam, quum videret audaciam impunitate creſcere, & quodammodo Judæos illudere Deo, quum viderent ſe impune peccare. Adde quod non modo ex proprio ſenſu ita loqui potuit Propheta, ſed ex communi voto piorum omnium, quaſi hic ſuſcipiat publicas partes, & communem omnibus electis querimoniam proponat: ſicuti veriſimile eſt pios omnes in rebus tam confuſis ſimul gemuiſſe. *Quouſque* itaque *clamo, & non audis? vociferor*, inquit, *ob violentiam?* id eſt, quum omnia ſint perverſa, jam nulla ſit æquitatis aut judicii ratio, ſed homines quaſi laxis habenis ſeſe projecerint ad omne genus flagitii, quouſque Domine diſſimulas? Cæterum his verbis non tantum exprimit affectum ſuum Propheta, ſed etiam præfatur hoc modo, ut melius intelligant Judæi maturum eſſe vindictæ tempus: quia non tantum Deo, ſed etiam ejus ſervis prorſus ſint intolerabiles. Deus enim judicium ſuum ſuſpenderat, etiamſi ſæpius rogatus eſſet à Propheta. Hinc apparet eorum malitiam tantos feciſſe progreſſus, ut non mirum ſit durius nunc caſtigari à Domino, quum ita ſuis ſceleribus non ipſum modo, ſed etiam pios omnes & integros homines contra ſe provocaverint. Poſtea adjungit, *Quouſque oſtendes mihi iniquitatem? & moleſtiam aſpicere me facies?* Hic cauſam iracundiæ ſuæ Propheta breviter refert, quod ſcilicet non potuerit ſine magno dolore, imo cruciatu, aſpicere tam fœdas corruptelas in electo Dei populo. Nam qui hoc ad Chaldæos referunt, faciunt quaſi coacti, ubi tamen nulla eſt neceſſitas. ſed non obſervarunt rationem illam quam expoſui, quod ſcilicet nondum Propheta Judæos ipſos doceat, ſed præparet ad ſubeundum judicium, quoniam videant merito ſe damnatos eſſe, quum ſcilicet clamore piorum omnium & querimoniis rei peracti ſint. Jam docet hic locus, quicunque ſerio Deum colunt & amant, debere etiam exemplo Prophetæ ſancta iracundia accendi quoties vident ſcelera tam licentiuſe graſſari inter homines, præſertim vero in Eccleſia Dei. Nihil enim eſt quod plus mœroris afferre nobis debeat, quam ubi videmus homines furere cum profano Dei contemptu, & nullam eſſe reverentiam Legis & cœleſtis doctrinæ, ſed peſſundari omnem ordinem. Quum ergo tanta nobis perturbatio occurrit, ſi in nobis viget ſcintilla una pietatis, neceſſe eſt nos effereſcere. Si quis objiciat Prophetam excedere modum, reſponſio facilis eſt, etiamſi liberius effundat affectus ſuos, tamen vel hoc non eſſe vitioſum coram Deo, vel ſaltem vitium hoc non imputari. Quorſum enim precamur, niſi ut familiariter quiſque noſtrûm exoneret ſuas curas, dolores & anxietates in ſinum Dei? Quum ergo Deus nobis permittat tam familiariter ſecum agere, non debet hoc aſcribi vitio in precibus, quum ita libere profundimus affectus noſtros, modo ſemper nos cohibeat frenum obedientiæ, quemadmodum certum eſt Prophetam fuiſſe retentum vera manſuetudine. Jeremias quidem peccavit immodico fer- *Jer. 15.*
vore: ſed alia eſt ac diverſa ratio Prophetæ noſtri, *verſ. 10.*
quia hic non proſilit ad intemperiem, quemadmodum facit Jeremias, ubi maledicit diei ſuo natali, ubi etiam cum Deo expoſtulat, quod ſit factus vir contentionis. Sed Propheta noſter hic patrocinium ſuſcipit juſtitiæ, quia ferre non poteſt ita ludibrio haberi Dei Legem, & homines ita ſibi permittere omnem peccandi licentiam. Nunc ergo videmus merito poſſe excuſari Prophetam, quamvis hic cum Deo expoſtulet: quia Deus non damnat in precibus noſtris hanc libertatem: quin potius hic finis precandi eſt, ut quiſque noſtrûm effundat cor ſuum coram Deo, quemadmodum in Pſalmo habetur. Quoniam ergo rejicimus curas noſtras & dolores in Deum, non mirum eſt ſi Propheta hic pro humani ingenii captu dicat, *Quare oſtendis mihi iniquitatem? & aſpicere me facis moleſtiam?* Moleſtia hic active accipitur, ſicuti verbum תביט tranſitive. Alii vertunt, Quare aſpicis? quaſi Propheta indigne ferret conniventiam Dei. Sed contextus neceſſario poſtulat, ut tranſitive hoc verbum ſumatur: quia dicit initio verſus, Quare oſtendis mihi iniquitatem? deinde, Facis me aſpicere violentiam? poſtea, *in conſpectu meo eſt violentia*, tertio adjungit. Dixi autem active ſumi vocem Moleſtiæ, quia non intelligit Propheta ſe tædio fuiſſe confectum, ſed improbos homines fuiſſe moleſtos bonis & ſimplicibus, quemadmodum accidere ſolet, ubi invaluit ſcelerum licentia. *Quare etiam violentia*, inquit, *& direptio ſunt in conſpectu meo? & eſt qui excitet?* Verbum נשא hic non ſignificat Suſcipere, quemadmodum alii vertunt, ſed potius Attollere. Alii vertunt, Qui ſuſtentet. ſed hoc etiam frigidum eſt. Ideo illa interpretatio quam attuli melius convenit, *Et eſt qui excitet litem & contentionem?* Cæterum, Propheta hic tantum accuſat peccata contra ſecundam tabulam Legis. Non loquitur de ſuperſtitionibus populi, & corrupto Dei cultu: ſed in ſumma dicit nullum amplius eſſe ſtudium juſti & æqui; ſed ut quiſque fortior eſt, ita plus audere contra miſeros & innoxios homines. Huc igitur pertinent iniquitas, moleſtia, direptio, violentia, contentio, jurgium. Denique Propheta hic deplorat in populo ſuo jam nihil eſſe vel æquitatis, vel fraternæ benevolentiæ, ſed graſſari mera latrocinia, rapinas, & injuſtam violentiam. Sequitur,

4. Propterea diſſolvitur (*vel debilitatur*) Lex, & non egredietur perpetuo judicium: (*vel non egreditur*) quia impius circumdat juſtum, propterea egredietur judicium perverſum.

Hic confirmat Propheta quod prius dixi, & excuſat zelum ſuum: oſtendit non abs re ſe progredi ad tantum fervorem, quia videat totam Legem Dei quaſi calcari pedibus, videat obdureſcere homines ad omne peccatum, ut jam parum abſit, quin extincta ſit omnis religio & Dei timor. Ideo jam dixi Prophetam

phetam hic non impelli carnis impetu, quemadmodum ſæpe nobis contingit, ubi proſequimur noſtras injurias. Nam ſiquis læſus eſt, ſtatim ebullit: cæterum, patimur interea nomen Dei haberi ludibrio, contemni totam ejus doctrinam, violari totam æquitatem: tantum ſumus delicati privato noſtro reſpectu: interea facile ignoſcimus ſi læſus fuerit Deus, & contempta ejus doctrina. Hic autem Propheta demonſtrat non privato affectu ſe excandeſcere, ſed quia ferre nequeat profanationem cultus Dei, & violationem ſacræ ejus Legis. Dicit ergo Legem diſſolvi, vel debilitari: quaſi diceret nullam eſſe amplius auctoritatem aut reverentiam Legis Dei. Diſcamus ergo noſipſos accendere, quia nimium frigemus ubi impii palam Deum contemnunt, imo ſubſannant. Quia ergo nimium hac in parte ignavi ſumus, diſcamus nos ſtimulare Prophetæ exemplo. nam & Paulus etiam oblique oſtendit hanc eſſe juſtam materiam exercendæ noſtræ iracundiæ. Iraſcimini, inquit, & ne peccetis, [Ephes. 4. verſ. 26.] nempe ut quiſque vitia ſua reputet, ac ſibi ſit inimicus: deinde ut indignetur quoties videt Deum offendi. Hanc regulam nunc ſequitur Propheta: *Debilitatur*, inquit, *Lex.* Scimus autem ubi prava conſuetudo obtinuit, jam parum eſſe auctoritatis in doctrina, (neque enim tantum humanæ leges contemptui habeotur, ubi audacia hominum perfregit omnia repagula) ſed etiam ipſam Legem Dei pro nihilo duci: nam putant ſibi licere vulgo quicquid receptum eſt omnium conſenſu. Nunc ergo videmus Prophetam ſeipſum excruciare, [Geneſ. 19.] quemadmodum dicitur etiam de ſancto Lotb, ubi videt cultum Dei prope eſſe extinctum in terra, adeoque in electo populo, quem Deus ſibi præ aliis conſecraverat. Poſtea adjungit, *Non egreditur perpetuo judicium.* Perperam multi hoc accipiunt in perſona ſtultorum, qui putant nullam eſſe Dei providentiam, ubi res ſunt confuſæ in mundo: ſed Propheta ſimpliciter dicit opprimi omnem juſtitiam, ſicuti talis fere querimonia legitur apud Jeſaiam cap. 59. Dicit ergo non egredi perpetuo judicium, quia putant impii nullam ſibi reddendam eſſe rationem. Si quis ergo verbum contra ipſos facere audeat, ſtatim ebulliunt, & atrociter etiam ipſum impetunt quaſi ſævæ beſtiæ. Silent igitur omnes, & fere obmuteſcunt, ubi ita prævalent impii, & acquirunt audaciam ex diuturna conſuetudine & licentia. Non egreditur igitur perpetuo judicium, hoc eſt, Domine, jam actum eſt, neque apparet exitus malorum, niſi tu ſtatim occurras, & remedium adhibeas præter ſenſum carnis noſtræ. *Quia circumdat*, inquit, *impius juſtum*: hoc eſt, ſi quis adhuc retineat ſtudium aliquod pietatis & juſtitiæ, ſtatim undique coosurgunt impii contra ipſum, & circumdant à fronte & tergo: ſic fit, ut nemo ſeſe opponere audeat, quamvis & fraudes, & rapinæ, & truculentia, & crudelitas, & cædes etiam ipſæ paſſim graſſentur: ſi qui tamen adhuc reſidui ſunt juſti, non audent prodire in medium, quia ipſos impii circum & circa obvallant. Poſtea addit, *Propterea egreditur judicium perverſum.* Hic altius conſcendit Propheta, quod ſcilicet etiam ipſi gubernatores augeant malorum furorem, & quaſi ſuppeditent materiam ipſorum libidini, quum omoe diſcrimen recti & perverſi confundunt. Neque enim hic tantum de privatis injuriis loquitur Propheta quas quiſque perpetrat, ſed loquitur de ipſis gubernatoribus: quaſi diceret, Unum erat remedium, ut ſaltem judices ipſi compeſcerent tantam audaciam: ſed porrigunt etiam illi manus impiis, & eos adjuvant. Tribunalia igitur, quæ ſacra eſſe debebant, ſunt quaſi ſpeluncæ latronum. nam proprie משפט accipitur in bonam partem. Judicium ergo nonne eſt optabile? ſed eſt perverſum, inquit Propheta. Ergo per conceſſionem ponitur nomeu Judicii: quia poſtea additur epitheton, quo declarat Propheta leges ipſas eſſe mortuas: quia ſcilicet ſiquis ad opem legum oppreſſus confugiat, illic ſecundo ſpoliabitur. Denique intelligit Propheta publice & privatim omnia eſſe corrupta in populo. Nunc ſequitur,

5. Videte in Gentibus, & aſpicite, & admiramini, admiramini: quia opus operans in diebus veſtris, non credetis quum narratum fuerit.

Jam ſermonem Propheta convertit ad Judæos, poſtquàm retulit privatum colloquium in quo expoſtulaverat cum Deo, quod tam patienter ferret obſtinatam gentis malitiam: nunc quaſi inſtructus mandato Dei (ut revera erat) fungitur præconis officio, & indicit propinquam cladem. Utitur autem præfatione, quæ debuit expergefacere lentos & ſocordes animos. Dicit enim, *Aſpicite, videte, admiramini, admiramini*: nam repetiones iſtæ non parum amplificant, quum bis jubet eos aſpicere, & bis etiam hortatur ad ſtuporem vel admiratiooem. Poſtea breviter denunciat judicium Dei, quod deinde fuſius proſequetur. Nunc ergo tenemus & conſilium Prophetæ, & ordinem etiam docendi. Jubet autem ipſos aſpicere in Gentibus, quaſi diceret jam eſſe indignos qui diſcant in ſchola Dei: ideo alios illis magiſtros deſtinat, nempe Chaldæos, quemadmodum paulo poſt videbimus. Poterat dicere, Aſpicite ad Deum: ſed quia tam diu in hac doctrina operam fruſtra conſumpſerat Propheta, & ſine profectu, proponit illis Chaldæos doctores. Aſpicite, inquit, doctores in Gentibus. Eſt enim tacita antitheſis, quaſi diceret, Hactenus ſæpius vos revocare ad ſe voluit Deus, & ſeipſum vobis obtulit: ſed recuſaſtis in ipſum aſpicere. Nunc ergo, quia tædet ipſum nimis longæ patientiæ, vobis conſtituit alios magiſtros: diſcite nunc ex Gentibus quod hactenus recuſaſtis diſcere ex ſacro ore ipſius Dei. Non dubium eſt quin Græci legerint בוגדים, quia vertunt, Videte contemptores. ſed in verbis Hebraicis nulla eſt ambiguitas. Poſtea adjungit, *Et admiramini, admiramini.* His verbis admonet Propheta horribile fore Dei judicium, quo attoniti reddentur ipſi Judæi. Poterant, niſi fuiſſent nimis præfracti, placide diſcere dum per ſuos Prophetas Deus cum ipſis agebat ut ſolet cum filiis ſuis. Poterant igitur compoſitis mentibus audire loquentem Deum: nunc tempus eſt, ut obſtupeſiant. Videmus ergo Prophetam hoc in ſumma velle, novam fore docendi rationem, quæ invitos in admirationem rapiet: quia ſcilicet non ſuſtinuerint regi manſueto modo, quum Dominus nihil aliud ab ipſis peteret, quam ut ſe præberent dociles. Poſtquam ergo dixit horribile fore Dei judicium, adjungit hoc judicium jam inſtare: *Opus*, inquit, *operabitur in diebus veſtris.* Jam ſæpius admoniti fuerant de vindicta iſta; ſed quum rejicerent in longum tempus, ſemper demerſi manebant in ſuis blanditiis: ut ſolent homines tempus extrahere, & ſemper venari novam indulgentiæ materiam hinc & illinc. Sic ergo quum populus obduruiſſet ad omnes minas, putabat ſemper Deum fore tam patientem: ideo Propheta diſerte exprimit quam propinqua ſit exequutio, quæ illis erat inſtar fabulæ: *Operabitur*, inquit, *hoc opus diebus veſtris.* Tandem ſubjicit, *Non credetis quum narrabitur*, hoc eſt, Deus pœnam de vobis exiget, cujus incredibile erit exemplum, & ſuperabit omnem fidem. Non dubium eſt quin Propheta hic ad populi incredulitatem alludat, & obliqué eam perſtringat; quaſi diceret, Hactenus fidem abrogaſtis verbo Dei, ſed tandem ſentietis non eſſe mentitum: ſentietis verò cum ſtupore. nam quemadmodum verbum ejus fuit vobis incredibile, ita etiam judi-

Judicium ejus incredibile vobis erit. Denique ſignificat Propheta, ſi Prophetæ ideo deriſi fuerint à Judæis, quia viſi ſunt fabulari, ſenſuros tandem illos contemptores, nihil fuiſſe dictum cui non reſpondeat ipſe effectus. Hæc igitur merces rependitur omnibus incredulis, quod Deus horrendis modis ulciſcitur eorum impietatem, ita ut ipſi obſtupeſcant, & aliis etiam ſint in ſtuporem. Nunc ergo tenemus quid velit Propheta, quum dicit fidem non habituros Judæos, quum narrabitur opus Dei: hæc eſt vindicta de qua ſtatim concionabitur. Citatur
Actor. 13. vers. 41. hoc Prophetæ dictum à Paulo: ſed deflectitur ad pœnam quæ tunc quoque inſtabat Judæis. Poſtquam enim Paulus Chriſtum illis propoſuit, quia videbat multos non affici, imo pro ludibrio habere Euangelii prædicationem, adjungit, Videte, inquit, & obſtupeſcite, quia Deus operabitur opus in diebus veſtris, quod non credetis. ſed interea Paulus fideliter accommodat in uſum ſuum Prophetæ verba, quia ſicuti ſemel minatus fuerat Deus per Prophetam ſuum Habacuc, ita etiam ſemper fuit ſui ſimilis. Quum autem tam ſevere vindicaverit Legis ſuæ contemptum in veteri populo, non potuit certe impietatem illius populi ferre, quum videret tam maligne & indigne, atque etiam proterve & contumaciter reſpui gratiam ſuam: quia hoc ultimum erat remedium Judæis. Non mirum igitur ſi Paulus etiam proponat horribilem hanc vindictam, ſi Judæi ſuæ ætatis repudiato Chriſto perſtiterint in ſua incredulitate. Jam ſequitur expoſitio:

6. Quia ecce ego excito Chaldæos, gentem aſperam & præcipitem, quæ incedet per latitudines terræ, ad poſſidenda tabernacula non ſua.

Exegetice hic verſus additus fuit à Propheta, quia non ſatis fuiſſet in genere loqui de opere Dei, niſi admoniti fuiſſent inſtare ſibi cladem hanc à Chaldæis. Quanquam non tantum hoc verſu explicat Propheta quale ſit illud opus, cujus meminerat proximo verſu; ſed craſtina die eandem ſententiam contexet. Jam, in hoc differunt Prophetæ à Moſe, quia quaſi digito oſtendunt quod ille in genere minatur, & proponunt ſpecialia Dei judicia, ſicuti etiam apparet ex adverbio demonſtrativo Ecce. Quam vero neceſſarium hoc fuerit, colligimus ex pervicacia illius populi. Nam utcunque Prophetæ illis diſtincte oſtenderent Dei judicia, quæ aſpiciebant oculis: tamen tanta fuit vecordia, ut contemnerent tam apertas denunciationes. Quid igitur factum eſſet, ſi tantum in genere dixiſſent Prophetæ, Deus vobis non parcet? Hæc igitur ratio eſt cur Propheta, ubi præfatus eſt de horribili vindicta Dei, nunc etiam ſpecialiter pronunciet jam armari ab ipſo Chaldæos, ut exequantur vindictam illam. ſed cras reliqua.

Da omnipotens Deus, quando ſcelera noſtra aſſidue in cœlum uſque clamant, ut quiſque noſtrûm ſeipſum ad reſipiſcentiam ſollicitet, & nosipſos ſponte damnando præveniamus tuum judicium, & ita nos ſtimulemus ad pœnitentiam, ut in gratiam recepti, experiamur te eſſe patrem quem provocavimus contra nos ultorem: atque ita in hoc mundo ſuſtineamur abs te, ut tandem omnibus vitiis exuti perveniamus ad illam perfectionem puritatis, ad quam nos invitas: & ſic magis ac magis Spiritu tuo nos ad te adducas, & colligas ex corruptelis hujus mundi, ut teipſum glorificemus coram hominibus, ac tandem participes etiam ſimus cœleſtis illius gloriæ, quæ nobis parta eſt ſanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO SECUNDA
IN
HABACUC PROPHETAM.

CAP. I.

Heſterna lectione cœpit oſtendere Propheta unde Judæis expectanda eſſet vindicta Dei, nempe quia Chaldæi venturi eſſent non proprio ſuo inſtinctu, ſed arcano impulſu Dei. Teſtatur enim Deus ipſe auctorem ſe fore hujus belli, & Chaldæos quaſi ſub auſpiciis ſuis militaturos: *Ego ſum*, inquit, *excitans*. Quod deinde vocat Chaldæos *gentem amaram & præcipitem*, huc ſpectat, ut ſerio tandem incipiant timere Judæi, qui nimis ſecure contempſerant omnes minas. Hæc quidem non fuerunt laudanda in Chaldæis, nempe amarulentia & impetuoſus fervor: ſed Dominus potuit hæc vitia convertere in optimum finem, quemadmodum elicit lucem ex tenebris. Quum ergo legimus Chaldæos fuiſſe amarulentos, deinde præcipites, hoc modo ſignificat Deus ſe poſſe uti vitiis hominum ad exequenda ſua judicia, ut tamen nihil maculæ inde contrahat neque enim poſſumus ipſum inficere noſtris ſordibus, quas ipſe procul ſemper diſcutit fulgore ſuæ juſtitiæ & æquitatis. Poſtea adjungit, *Ambulabunt per latitudines terræ ad poſſidenda habitacula non ſua*. Significat nihil fore obſtaculo Chaldæis, quominus ſeſe effundant per totam terram, & occupent regiones procul remotas. nam qui ſibi metuunt, non audent ita ſeſe diſpergere, ſed potius coacto agmine caute incedunt: qui vero jam potiti ſunt victoria, graſſantur ad populandam terram. Hoc Propheta facturos Chaldæos eſſe dicit. Senſus eſt, venturos, non ut incerto eventu bellum gerant, ſed ut potiantur victoria: quia effuſo curſu terram ipſam implebunt, ut occupent tabernacula vel habitacula non ſua. Hoc etiam reprehenſione dignum fuit in Chaldæis, quod ita incurſus fecerint contra ſuos vicinos: ſed, quemadmodum jam dixi, Deus voluit tantum incutere Judæis terrorem, quia videbat ſperni omnes minas. Voluit igitur exprimere quam formidabiles futuri eſſent ipſi Chaldæi, quemadmodum etiam idem confirmat proximo verſu.

7. Terribilis & metuenda ipſa, ab ipſa judicium ejus (*pro Jure ponitur hoc nomen*) & exultatio (*vel dignitas*) ejus egredietur.

Quum pronunciat Chaldæos fore metuendos & terribiles, non laudat virtutes ipſorum, ſed quemadmodum jam admonui, oſtendit ſibi præſto fore illos ad obſequium, ut vindictam ſuam exequantur: ipſe autem ſic temperet judicium ſuum, ut crudelitate ipſorum utatur in bonum finem. Sic videmus in manu Dei eſſe peſſimos quoſque, ſicuti eſt Satan ipſorum caput: interea non miſceri Deum cum eorum malitia: quemadmodum multi phrenetici homines objiciunt, Si Deus mundum gubernet ſua providentia, fieri hoc modo auctorem peccati, & aſcribi ei peccata hominum. Sed longe aliter docet Scriptura,

nempe impios arcano Dei impulſu huc & illuc ferri: interea tamen reſidere in ipſis culpam, ſi quid agant vel doloſe, vel crudeliter: Deum autem ſemper manere juſtum, utcunque in ſuum uſum accommodet peſſima quæque inſtrumenta. Sed quum addit Propheta, *Judicium ejus fore ab ipſa gente*, intelligit Chaldæos pro libidine ſua acturos. Nam ſi quis legibus pareat, & ultro ſe ſubjiciat, libenter admittet vel judices vel arbitros ſi quid ſit controverſiæ; qui autem vult pro ſuo arbitrio omnia fieri, repudiat omnes judices. Intelligit ergo Propheta Chaldæos fore ſummos judices, ita ut fruſtra querantur ab illis ſibi injuriam fieri Judæi, vel alii: ipſi, inquit, & judices erunt, & exequentur judicium, quia non recipient alios arbitros. Nomen Judicii, quod accipitur in bonam partem, ponitur hic pro Jure: quaſi diceret, Quicquid ſibi arrogabunt Chaldæi, hoc ipſorum erit, quia nemo audebit ſeſe interponere, neque etiam ſeſe ſubjicient alieno arbitrio: ſed poteſtas illis erit pro lege, gladius autem pro tribunali. Nunc tenemus conſilium Prophetæ: & ſemper tenendum eſt memoria quod jam dixi, Deo nihil eſſe commune cum iſtis vitiis: quia oportuit contumaciam populi deſperati corrigi hoc modo, vel ſaltem frangi. Interea Dominus potuit uti talibus inſtrumentis, ut tamen modum in ſuis judiciis ſervaret. Sequitur,

8. Et velociores pardis equi ejus, & acutiores lupis veſpertinis: & multiplicati ſunt equites ejus, & equites ejus è longinquo venient, volabunt quaſi aquila feſtinans ad comedendum. (*vel ad cibum.*)

Eodem pertinent omnes iſtæ figuræ. Loquutus eſt Propheta de truculentia hoſtium, quos ſpernebant Judæi: nunc adjungit tam ſtrenuos fore, ut ſuperent velocitate & pardos & aquilas, vel ſaltem pares ſint. Dicit igitur primo fore celeriores pardis equos ipſorum. nam poterant Judæi vel minas iſtas eludere, vel ſaltem vana fiducia fovere ſuam ſocordiam: ſicuti videmus hoc vitium nimis tritum eſſe in mundo. Poterant igitur ſecum reputare, Chaldæos procul abeſſe, nec tam brevi inſtare periculum, de quo agebat Propheta. Ergo equos ipſorum pronunciat celeriores fore pardis. Poſtea adjungit, *acutiores etiam fore lupis veſpertinis.* Quum lupus animal ſit rapax, tamen ſi toto die obambulet prædam quæritans, circa veſperum fames accendet ejus rabiem. nihil ergo magis formidabile lupis famelicis. Cæterum, ut jam dixi, niſi reperiant aliquam prædam circa veſperum, tunc magis exardent. & eadem ſimilitudo poſtea nobis occurret 3. cap. Sophoniæ. Nunc ergo videmus quorſum ſpectent Prophetæ verba. Addit *equites ipſorum fore multiplices.* Jam potentiam prædicat, ne Judæi ſibi accerſant vana ſolatia, quod poſſint vel ab Ægyptiis, vel ab aliis vicinis gentibus aliquid ſubſidii conſequi: Propheta omnes iſtas ſpes oſtendit vaniſſimas fore, quia etiamſi colligant hinc inde auxilia, ſuperabunt tamen & potentia & multitudine Chaldæi. Poſtea dicit *equites ejus è longinquo venturos:* hoc eſt, etiamſi longum iter conficere oporteat, laſſitudo tamen ipſos neque impediet, neque tardabit: hoc eſt è longinquo venire. Non igitur debilitabit ipſos itineris moleſtia, quin perveniant uſque in Judæam. Quare? quia *volabit*, inquit, (loquitur ſemper de ipſa gente) *quaſi aquila feſtinans ad comedendum.* Eſt etiam hæc ſimilitudo aptiſſima ad rem præſentem: quia ſignificat, ubi oculos adjecerint ad prædam Chaldæi, ſtatim adfore, quemadmodum ubi aquila è ſublimi cernit cadaver; eſt longiſſima diſtantia: ſimulatque aſpexit prædam, uno volatu ſeſe præcipitat, & ſtatim incumbit acſi cœlum rueret. nam mira eſt pernicitas in aquilis, quemadmodum ſatis notum eſt. Videmus nunc poſſe ex verbis Prophetæ colligi hanc ſummam, Judicium Dei metuendum eſſe, quia utetur Chaldæis miniſtris, quorum horribilis erit ſævitia & inhumanitas: deinde oſtendit ſuperiores ſemper fore potentia Chaldæos & multitudine: tertio etiam docet miram fore in illis pernicitatem. Quod ſi videtur obſtare longitudo itineris, fore aquilis ſimiles, quæ ſe quaſi præcipitent è cœlo in terram ubi præda ipſis apparet. Non autem ſola celeritas eſt in aquilis, ſed etiam acumen: quia ſcimus celebrari oculos aquilarum. Et dicuntur etiam pullos ſuos dejicere ſi non poſſint rectos oculos defigere in ſolem, quia abdicant quaſi adulterinos. Sic ergo Propheta intelligit Chaldæos procul olfacere prædam: quemadmodum aquilæ, ut ſunt incredibili perſpicacia præditæ, è medio aëre cernunt cadaver in terra proſtratum; ſic etiam acute olfacient Chaldæi prædam, ut ſtatim in ipſam incumbant. Pergamus.

9. Tota (*ſemper de ipſa gente loquitur: hoc eſt, totus ipſe populus*) ad prædam veniet: occurſus vultus ipſorum (*jam in plurali numero loquitur*) ventus Orientalis, & colliget quaſi arenam captivitatem.

Quum dicit venturos ad prædam, ſignificat nihil illis fore negotii vel laboris, quia victores erunt antequam manus conſerant, vel antequam bellandum ſit cum hoſtibus. Senſus igitur eſt, non venturos Chaldæos, ut conſumant multum temporis in gerendo bello, quemadmodum ubi ſunt vires ad reſiſtendum: ſed venturos ad prædam duntaxat, quia perterriti erunt Judæi, & ſeſe ſtatim ſubjicient. His autem verbis intelligit Propheta nihil fore aut fortitudinis, aut animi in illo tam præfracto populo. nam ita debilitat Deus corda eorum, qui ſeſe ferociter opponunt ejus verbo. Quoties ergo nimis robuſti ſunt homines adverſus Deum, liquefacit ipſorum corda, ut mortalibus non reſiſtant, atque ita ludibrio habet eorum confidentiam vel potius veſaniam. Ergo ne adhuc Judæi aliquid ſpei concipiant ex dubio belli eventu, Propheta dicit Chaldæos ad prædam duntaxat venturos eſſe: quia ſcilicet omnes erunt illis obnoxii. Poſtea adjungit, *Occurſum vultus ipſorum fore ſimilem vento Orientali.* ſignificat מגמת Ex oppoſito: nomen inde deductum tantundem valet atque Occurſus. Scimus autem ventum Orientalem fuiſſe Judæis valde noxium, quod fruges areſaceret, imo quaſi conſumeret totam ſubſtantiam terræ. Deinde fuit etiam magna violentia illius venti. Ideo Prophetæ quoties exprimere volunt magnum impetum, addunt ſimilitudinem venti Orientalis. Perinde eſt acſi diceret Judæos fruſtra ſibi nunc blandiri, quia ubi ſenſerint flatum venti Orientalis, aufugient, quia ſcient ſe longe eſſe impares ad reſiſtendum. Hinc ſequitur quod adjungit Propheta, *Colliget captivitatem quaſi arenam*, hoc eſt, nullo negotio ſubiget ſibi rex Babylonius omnes populos, ut inſtar arenæ maris colligat innumeros captivos. nam per Arenam maris intelligunt immenſam multitudinem hominum. Denique oſtendit Propheta jam quaſi devictos eſſe Judæos, quia negotium ipſis fit ac certamen cum Deo, quem toties & tam obſtinate provocarunt: deinde quia Deus etiam tales miniſtros ſibi deſtinaverit, nempe qoi & celeritate, & potentia, & crudelitate etiam excellant. Hæc ſumma eſt. Poſtea adjongit,

10. Et

10. Et ipſe Reges ridebit, & Principes ſubſannatio ei: ipſe omnem munitionem ſubſannabit, congregabit pulverem & capiet eam.

Concludit Propheta ſermonem illum, quem hactenus proſequutus eſt. Dicit Chaldæos non venturos ut certent quaſi dubii, ſed ut tantum inſultent devictis gentibus. Scimus enim Judæos, etiamſi neque magna copia hominum, neque divitiis pollerent, tamen ita fuiſſe ſuperbos, ut quaſi è ſublimi deſpicerent alias gentes. Deinde ſcimus etiam fruſtra confiſos fuiſſe vanis auxiliis: quum Ægyptiis fœderati eſſent, putabant ſe eſſe extra omne diſcrimen. Ergo dicit Propheta Chaldæis fore ludibrio omnes Reges & Principes: deinde ſubſannationi quoque fore omnem munitionem. Quare? nam *colliget pulverem*, inquit: hoc eſt, conficiet aggerem ex pulvere: & ita penetrabit in omnes urbes munitas. Denique voluit Propheta præſcindere omnem ſpem Judæis, ut ſe humilient coram Deo: vel adimere voluit omnem excuſationem, ſi non reſipiſcerent, quemadmodum contigit. Scimus enim non reſipuiſſe ad iſtas admonitiones, donec tandem impleta fuit hæc vindicta. Poſtea adjungit,

11. Tunc mutabit ſpiritum, & tranſgredietur, & impie aget: hæc virtus ejus deo ipſius.

Jam incipit Propheta fidelibus dare aliquid ſolatii, ne ſuccumbant tam gravibus malis. Hactenus direxit verba ad populum illum deſperatum: ſed nunc ſeſe convertit ad reliquias. Erant enim ſemper aliqui fideles, licet rari in populo illo, quos Deus nunquam neglexit: imo in eorum gratiam ſubinde miſit ſuos Prophetas: quia etiamſi multitudo nihil proficeret, fideles tamen ſenſerunt Deum non fruſtra minari: ita retenti ſunt in ejus timore. Hæc ratio eſt, cur ſoleant Prophetæ ubi generaliter loquuti ſunt, deſcendere ad fideles, & quaſi ſeorſum & privatim illos ſolari. Et hæc diſtinctio notanda eſt, quemadmodum alibi diximus. nam dum Prophetæ iram Dei denunciant, ſermo hic promiſcue dirigitur ad totum corpus populi: ubi autem adjungunt promiſſiones, tunc perinde eſt acſi ad ſecretum colloquium vocarent fideles, & illis in aurem referrent quod mandatum eſt à Domino. Potuit hæc doctrina eſſe utilis omnibus, ſi rediiſſent ad ſanam mentem: ſed quia totus fere populus obtorpuerat in ſuis ſceleribus, & Satan obſtupefecerat etiam mentes & ſenſus fere omnium, ideo oportuit Prophetam ſpecialiter reſpicere electos Dei. Nunc tenemus ejus conſilium. Dicit autem, *Tunc mutabit ſpiritum*, inquit. Hac ratione jubet fideles bene ſperare, quia ubi Chaldæi evomuerint totum ſuum furorem, Dominus puniet ipſorum arrogantiam, quia erit intolerabilis. Eſſet quidem hoc frigidum apud homines profanos: nam quid mirum eſt, ſi Chaldæi tot victorias adepti, fuerint proterviores, & exultaverint tandem, quemadmodum fieri ſolet? ſed ubi hoc principium apud nos fixum eſt, Deo intolerabilem eſſe hominum ſuperbiam, ubi nimium inſultant, nec tenent ullum modum, hoc argumentum valde eſt efficax, nempe quod quiſquis ita cornua eriget, ſtatim proſternetur à Domino. Et Scriptura etiam ſemper hoc nobis proponit, Deum retundere ſuperba ſupercilia, ut ſciamus propinquam fore ruinam omnibus impiis, quum ita violenter inſaniunt, & jam non agnoſcunt ſe eſſe mortales. Hanc igitur rationem nunc Propheta adducit in medium, ut ſperent fideles aliquem fore tandem modum hoſtium ſuorum violentiæ, quia Deus compeſcet ipſorum ſuperbiam, ubi tranſgreſſi fuerint. Dicit autem, *Tunc mutabit ſpiritum*: non quod fuerit prius ulla modeſtia in Chaldæis, ſed quia felicitas ipſos inebriavit, imo abſtulit omnem rationem. Hoc etiam uſitatum eſt, ut qui fortunam habet quaſi ſub manu, obliviſcatur ſui, neque amplius ſe reputet unum eſſe ex mortalibus. Fatentur quidem etiam ſummi Reges ſe homines eſſe: ſed interea videmus quo furor ipſos abripiat. nam, quemadmodum jam dixi, proſpera fortuna deluſi nihil aliud cogitant, quam ſe eſſe deos. Hoc nunc intelligit Propheta de rege Babylonio, & toto ejus populo: Mutabit, inquit, ſpiritum, hoc eſt, felicitas auferet quicquid fuit in ipſo rationis & modeſtiæ. Jam ſi ſuperbi homines ſeſe produnt, ac ſuum ingenium, ubi arridet illis fortuna, diſcamus judicium facere de hominibus, ubi hæc experimenta poſſunt nos confirmare: nempe ſi certo judicandum eſt de homine aliquo, videndum eſt quomodo ferat utramque fortunam. poterit enim accidere, ut qui patienter & æquo ac placido animo toleravit res adverſas, evaneſcat in ſecunda fortuna, & ſeipſum ita efferat, ut jam alius prorſus ſit. Non igitur immerito Propheta loquitur de mutatione ſpiritus, quia etiamſi Chaldæi jam ante fuerant ſuperbi, tamen non ita deprehenſi fuerant veſani, ſicuti ubi prorupit eorum temulentia ſine modo: quod contigit poſt tot victorias. Mutabit igitur ſpiritum: non quod alii fuerint Chaldæi, ſed quia Dominus hoc modo detexit ipſorum inſaniam, quæ prius latebat. Fuerat enim in illis aliqua modeſtiæ ſpecies, donec perverſa & quaſi temulenta confidentia ipſos abriperet. Poſtea adjungit, *Tranſgredietur*. Nam voluit exprimere Propheta ubi Dominus paſſus eſſet Chaldæos longe & late dominari, hoc modo patefieri aditum ejus judiciis: quod eſt longe alienum à carnis ſenſu. Nam quo plus virium acquirunt homines, eo etiam plus audaciæ ſibi promittunt. Hoc totum videtur facere ad ſtabiliendam eorum potentiam, quod ſcilicet fortuna ſua uti noverint: ſed Dominus occulte præparat ſibi viam, quemadmodum jam dixi, ad ipſos proſternendos, quum ita proterviunt, & modum tranſgrediuntur. Non igitur ſimpliciter Propheta hic damnat ſuperbiam & faſtum in Chaldæis: ſed oſtendit jam quaſi apertam eſſe viam judicio Dei, ut ipſos perdat, quia hoc modo ſeſe reddent intolerabiles. Poſtea addit, *Et ſcelerate aget*. Hoc verbum אשם refero ad finem verſus, quia aſcribet hanc potentiam deo ſuo. Et videtur hoc exegetice addere Propheta, ut ſciant Judæi quale futurum eſſet ſcelus illud Regis Babyloniæ. Accuſat igitur in eo ſacrilegium, quod putabit beneficio idoli ſui ſe fuiſſe victorem Judææ, ita ut in nihilum redegerit veri Dei & virtutem & gloriam. Quia ergo transferet Dei gloriam Babylonius ad ſuum idolum, hoc modo matureſcet ruina ejus: quia Dominus ſuſcipiet cauſam ſuam, & pœnam exiget de tali ſacrilegio. neque enim dubium eſt, quin hic loquatur ex perſona Babylonii, vel ex ſenſu, quum dicit, *Hæc virtus eſt deo ipſius*. Nam ſi quis hoc velit exponere de vero Deo, ut faciunt nonnulli interpretes, relatio erit dura & coacta, quia Babylonii non colebant verum Deum, ſed addicti erant ſuis ſuperſtitionibus, ut ſatis notum eſt. Non dubium igitur eſt, quin Propheta proponat hic in medium fidelibus ſuperbiam, qua ſeſe efferent Babylonii, ut provocent iram Dei contra ſe: deinde ſacrilegam illam jactantiam, qua gloriabuntur ſibi datas eſſe victorias à ſuis idolis, quod non poterat fieri ſine atroci veri Dei contumelia. Jam ſequitur,

12. Annon tu ab initio (*vel jampridem*) Jehova Deus meus? ſanctus meus? non moriemur: Jehova ad judicium poſuiſti eum, & fortis ad caſtigationem fundaſti eum.

Jam Propheta quaſi exultans ex communi piorum omnium ſenſu oſtendit fructum illius doctrinæ, quam nuper adduxit. Sicuti enim profani homines contra Deum proterve inſurgunt, & dum eos Satan dementat, projiciunt ſueſampullas, quaſi loquendo turbare poſſent coelum & terram: ita etiam fideles concipiunt ſanctam fiduciam ex Dei verbo, & contra ſeſe opponunt, & ſuperant illam ferociam magnitudine & conſtantia animi ſui, ut audeant intrepide gloriari ſe eſſe felices & beatos, etiam in maximis miſeriis. Hoc igitur voluit Propheta quum ſubjecit, *Tu es Deus noſter.* Et interrogatio magis emphatica eſt, quam ſi ſimpliciter aſſereret Deum verum coli in Judæa, & ideo fore protectorem illius gentis. ſed quum interrogat Propheta, ſignificat ex communi uſu linguæ Hebraicæ nihil eſſe dubitationis: Quid? Annon tu es Deus noſter? Videmus ergo hic antitheſin inter pravas & impias jactantias quibus turgent impii, & ſanctam gloriationem qua fideles & filii Dei exultant. Cæterum, quod ſermonem dirigunt potius ad Deum quam ad impios, hoc etiam ratione non caret, quia inutile fuiſſet contendere cum impiis. Eſt quidem interdum hoc neceſſarium: ubi ita aperto ore contumelioſi ſunt reprobi contra Deum, non poſſumus nobis temperare, neque etiam fas eſt, quin ſaltem teſtemur nos pro nihilo ducere tales blaſphemias. ſed non poſſumus tam fortiter nos opponere ipſorum audaciæ, niſi prius cum Deo ſit nobis illud conſtitutum quod nunc dicit Propheta, Tu es Deus noſter. Ergo quiſquis volet fortiter certare cum impiis, prius tranſigat cum ipſo Deo, & quaſi confirmet ac ſanciat pactum iſtud, quod Deus nobis propoſuit, nempe nos eſſe populum ejus, & ipſum viciſſim nobis fore ſemper in Deum. quia ergo hoc modo nobiſcum paciſcitur Deus, neceſſe eſt fidem noſtram probe ſtabiliri, ut deinde prodeamus in certamen contra omnes impios. Hunc ordinem nunc tenet Propheta, & oſtendit nobis ſervandum eſſe. *Annon* ergo *tu es Deus noſter?* Poſtea adjungit, *jam pridem*, מקדם: qua voce Propheta fideles ad memoriam fœderis revocat, quod non pridie vel nudiuſtertius pepigerat Deus cum populo ſuo, ſed ante multa ſecula, nempe quadringentis annis antequam Patres ipſorum redimeret ex Ægypto. Quum ergo jam vetuſtate ſancita eſſet gratia Dei apud Judæos, non abs re Propheta hic dicit, *Tu es Deus noſter ab initio:* hoc eſt, Tradita fuit nobis per manus religio hæc, quam ſumus amplexi: & tamen ſcimus te eſſe ejus auctorem, quia fides noſtra non recumbit in opinionem hominum, ſed innixa eſt verbo tuo. Ergo quum toties, & tam variis modis, & per longam annorum ſeriem experti ſimus te nobis eſſe Deum, jam nullus eſt dubitationi locus. Poſtea adjungit, *Non moriemur.* Quod Judæi locum hunc dicunt fuiſſe correctum à Scribis, mihi non poteſt eſſe veriſimile: nam ratio illa fuiſſet nimis frivola. Putant ſcriptum fuiſſe לא תמות, Non morieris: & repoſitam fuiſſe literam נ, Non moriemur, quod aſperitas offenderet Scribas illos, quaſi Propheta Deum conferret hominibus, & daret illi precariam immortalitatem. ſed fuiſſent nimis ſtulti cenſores. Exiſtimo igitur ſcriptum fuiſſe à Propheta quod hic legimus, *Tu Deus noſter es, non moriemur.* Alii reſolvunt hanc loquutionem in formulam precandi, Ne moriamur: & futurum tempus ita ſæpe accipitur apud Hebræos. ſed expoſitio illa non poteſt quadrare præſenti loco. Propheta enim, quemadmodum jam dixi, hic exurgit quaſi victor, & diſcutit inſtar fumi ſtultas illas jactantias, de quibus loquutus eſt: quaſi diceret, Non moriemur, quia ſumus ſub tutela Dei. Jam expoſui cur ſermonem ad Deum convertat: ſed tamen hæc eſt concluſio argumenti, quia Deus populum illum adoptaverat, & receperat in ſuam fidem, & teſtatus fuerat ſe fore ejus patronum, ideo Propheta audacter colligit non poſſe perire hunc populum, quia divinitus ſervatur. nam nullæ opes mundi, nulla præſidia poſſunt nobis hanc ſecuritatem afferre. Utcunque enim conferant cuncti mortales ſuas copias ad nos vel protegendos, vel juvandos, ipſi etiam nobiſcum peribunt. Una igitur eſt Dei tutela, quæ nos eximit à mortis periculo. Nunc tenemus quorſum conjungat Propheta duo hæc, Tu Deus noſter, non moriemur: nec enim poteſt alterum ab altero ſeparari: quia ſcilicet ſumus ſub Dei manu, neceſſe eſt nos manere incolumes & ſalvos uſque in perpetuum: non quod immunes ſimus ab omni incommodo, ſed quia Dominus eripiet nos ex mille mortibus, & trajiciet nos ſemper ad perfectam vitam, ubi tantum nobis guſtum præbuerit æternæ ſalutis, ſemper vigebit in cordibus noſtris aliqua ſcintilla vitæ, donec tandem redemptis ab innumeris mortibus, quemadmodum jam dixi, perfectionem oſtendat illius beatæ vitæ, quæ nunc nobis promiſſa eſt, ſed adhuc expectatur, & ideo abſcondita eſt ſub cuſtodia ſpei.

Da omnipotens Deus, quando undique nobis objicis tot terrores, ut expergiſci diſcamus, & ita corrigamus ignaviam & tarditatem carnis noſtræ, ut interea contraria fiducia nos munias: & ſic recumbamus in auxilium tuum, ut intrepide inſultemus hoſtibus noſtris, nec dubitemus quin tandem daturus ſis nobis victoriam contra omnes inſultus Satanæ, & impiorum: & ſic in te reſpiciamus, ut ſemper recumbat fides noſtra in fœdus illud æternum & inviolabile, quod nobis ſancitum eſt ſanguine Filii tui, donec tandem uniamur cum capite illo noſtro, ubi defuncti erimus omnibus præſentis vitæ miſeriis, & collecti in æternam illam hereditatem, quam nobis idem Filius tuus acquiſivit ſanguine ſuo, Amen.

PRÆLECTIO TERTIA
IN
HABACUC PROPHETAM.

CAP. I.

COEpimus heri exponere ſententiam Prophetæ, ubi & ſe & reliquos fideles erigit ac ſuſtentat in rebus fere deploratis. Convertit enim ſe ad Deum, ubi videt impios non modo ſuperbe erigere criſtas in rebus proſperis, ſed etiam blaſphemias ſuas evomere contra Deum vivum. Dicit ergo Propheta non perituros quicunque ſunt ſub præſidio Dei: hoc ſtatuit apud ſe: quia ſicuti diximus longe efficacior eſt oratio, dum Propheta toties omnes ſuos ſenſus ad Deum unum colligit, quam ſi publice, & clara voce prædicaret hoc idem, quod velut in ſecreto colloquio teſtatur. Cæterum, hoc non eſt ſupervacuum quod dicit, *Tu Deus meus, ſanctus meus:* quaſi diceret ideo ſe confidere, quia ſit unus ex electo populo. Neque tamen hic privato ſuo nomine loquitur, ſed complectitur totam Eccleſiam: & hoc etiam competit in omnes filios Abrahæ, quia erant ſegregati gratuita Dei adoptione. Erant enim Regale ſacerdotium. Hæc ratio eſt cur dicat Propheta, *Tu Deus meus, ſanctus meus.* nam ab effectu ita ſolebant vocare Deum Judæi, quod delecti eſſent ex toto orbe. Illa enim ſanctifica-

ſtificatio fuit, quod dignatus eſſet ipſos Deus recipere in populum ſuum, rejectis aliis: quum tamen nullum eſſet diſcrimen ex natura. Jam multum pondus in ſe continent quæ ſequuntur, *Jehova in judicium poſuiſti illum.* Nam ſemper obrepet nobis tentatio hæc, quoties conabimur in Deum recumbere: Quid tamen hoc ſibi vult? Quia Deus interea nos deſerit: deinde exponit libidini improborum; illi petulanter omnia ſibi permittunt: Deus autem diſſimulat. Unde igitur poterimus fovere ſpem noſtram in illis perturbationibus? Nunc Propheta opponit clypeum huic tentationi: *Tu*, inquit, *poſuiſti illum in judicium.* nam aſcribit providentiæ Dei quod Aſſyrii tanta licentia vaſtaverant terram; vel quum veniſſent, vaſtaturi eſſent. Loquitur enim de rebus adhuc futuris: *Tu*, inquit, *poſuiſti illum in judicium.* Hæc doctrina valde neceſſaria eſt: quia Satan quaſi nebulis obſcurat gratiam Dei, quoties aliquid adverſi nobis contingit, & Deus ipſe hoc modo etiam fidem noſtram probat. Sed res adverſæ ſunt quaſi nebulæ, quæ excludunt nos à conſpectu gratiæ Dei, quemadmodum ubi aër obnubilatur non apparet nobis Solis lumen. Jam ſi tanta eſt & tam denſa malorum congeries, ut ſenſus noſtri obruantur, non ſunt nebulæ, ſed denſa noctis caligo. Videmus ergo non poſſe fidem noſtram ſtare firmam, niſi ſemper occurrat nobis providentia Dei, quod ſcilicet in rebus confuſis ſciat cur tantum permittat licentiæ reprobis: deinde quorſum evaſuri ſint eorum conatus, & quis tandem futurus ſit exitus. Niſi ergo hoc nobis perſuaſum ſit, Deum arcana providentia moderari res turbatas, centies quotidie, imo ſingulis momentis Satan excuteret nobis fiduciam, quæ debet quieſcere in Deo. Nunc tenemus quam opportune adjiciat Propheta hoc membrum. Dixerat, *Annon tu Deus noſter? non moriemur.* Nunc adjungit quaſi per anticipationem, Quod autem Aſſyrii ita quaſi effreni petulantia terram tuam vaſtant, populum tuum diripiunt, impune etiam occidunt innoxios, Domine, hoc non fit niſi tuo permiſſu. Tu igitur gubernas iſtas perturbationes, neque hoc facis ſine cauſa. *Tu ergo Jehova ad judicium poſuiſti eum.* Judicium hic pro Caſtigatione accipitur. Nam repetitio eſt ejuſdem rei quum addit Propheta, *Et fortis ad caſtigationem fundaſti eum.* צור quidam vertunt in accuſativo caſu: & bifariam exponunt. Quidam enim referunt hoc ad ipſos Judæos, qui ſubigendi erant duris ferulis, quum eſſent præfracti. Putant ergo vocari Judæos fortes, quia lapidei erant. Alii, *Et poſuiſti eum fortem ad caſtigandum*, id eſt, tu dediſti ei fortitudinem qua nos caſtiget. Sed quia hoc unum eſt ex epithetis Dei, non dubito quin inter ſe hæc membra reſpondeant. Hoc epitheto nunc Deum inſignit, *Tu igitur Jehova ad judicium poſuiſti eum:* poſuerat nomen Dei æterni. Deinde, *Tu fortis*: ponitur hic צור loco Jehovæ. poſtea, *Ad caſtigandum*, ubi dixerat למשפט, Ad judicium. Videmus ergo ut bene fluat totus contextus, & ſingula verba inter ſe cohæreant. *Tu igitur fortis fundaſti eum ad caſtigandum.* Et cur vocat Propheta fortem? Quanquam, ut nuper dixi, plerumque hoc elogium tribuitur Deo, non dubium tamen eſt quin Propheta reſpexerit præſentem cauſam. Difficile enim eſt retinere principium illud, mundum regi arcano Dei conſilio, ubi res volvuntur ſurſum ac deorſum. Nam profani homines tunc obſtrepunt Deo, & accuſant illum ſocordiæ: alii autem clamant fortuito res ita converti temere, & ideo cæcam fortunam nominant. Ergo difficile eſt retinere principium illud, quemadmodum jam dixi. Propheta autem ut ſuam infirmitatem ſuſtentet, proponit ſibi hoc elogium Dei. *Tu igitur Deus fortis*, vel rupes. Nam צור proprie ſignificat Rupem: ſed accipitur pro Deo robuſto. Quid? ecce, videmus quidem revolutiones, quæ non tantum labefactarent fidem noſtram, ſed omnes noſtros ſenſus quaſi diſſiparent: cæterum, utcunque totus mundus volvatur ſurſum ac deorſum, Deus tamen eſt rupes, hoc eſt, Dei conſilium non labaſcit, neque nutat, ſed firmum manet in ſuo ſtatu. Videmus ergo cur Propheta hic Deum vocet fortem. *Tu ergo fortis fundaſti eum*, inquit. Plus exprimit quam priore membro per Fundandi verbum. Inſtruit enim ſe conſtantia adverſus diuturnum curſum, ſi forte (quemadmodum ſatis conjicere poterat) non ſtatim levet populum ſuum Deus, ſed addat clades cladibus. Si ergo ita mala alia aliis adjungat Deus, Propheta ad perſeverantiam ſeſe comparat. *Tu*, inquit, *fortis fundaſti eum*, hoc eſt, Etiamſi Aſſyrius non tantum inſtar turbinis, & violenti impetus in nos irruat, ſed incumbat, acſi eſſet quædam peſtis infixa terræ, acſi eſſet mons aliquis, tamen tu Domine fundaſti eum. Quomodo? *Ad caſtigandum.* Cæterum, non potuit hoc dicere Propheta, quin agnoſceret Deum juſte caſtigare populum ſuum. Nec tantum ſua unius cauſa loquutus eſt, ſed voluit etiam fideles omnes ſuo exemplo adducere ad hanc piam & ſanctam confeſſionem. Duo igitur ſunt membra hujus ſententiæ, quod Aſſyrius etiamſi ſæviat effreni licentia inſtar truculentæ beſtiæ, tamen cohibeatur arcano freno Dei, cujus proprium eſt moderari res confuſas occulta ſua providentia. Hoc eſt unum. Deinde Propheta adjungit potentiæ Dei æquitatem, & ita fatetur ſuum & totius populi reatum, quod Dominus juſte utatur tam duro flagello, quia indigeat populus tali caſtigatione. Nunc pergamus.

13. Mundus es oculis ne videas malum, & aſpicere ad moleſtiam non potes: (*non poteris, ad verbum*) quare aſpicis tranſgreſſores? diſſimulas quum impius devorat juſtiorem ſe?

Hic expoſtulat cum Deo Propheta, non ſicuti initio capitis. neque enim hic ſuſcipit puro & tranquillo affectu patrocinium gloriæ Dei: ſed conqueritur de injuriis, quaſi homines oppreſſi accurrant ad judicem, & implorent fidem ejus. Diſtingui ergo debet hæc querimonia à ſuperiori: quia initio capitis non agebat Propheta ſuam vel communem populi cauſam, ſed zelus gloriæ Dei illum accendebat, ut quodammodo accerſeret vindictam Dei contra tantam obſtinationem in ſceleribus: nunc autem deſcendit ad humanos affectus, & loquitur ex eorum ſenſu & dolore qui pertulerant multas injurias ſub tyrannide hoſtium. Dicit autem, Deus, *tu mundus es oculis ne aſpicias malum.* Quidam טהור vertunt in modo imperativo, Munda oculos: ſed falluntur. Continet enim hic verſus duas partes fere contrarias in ſpeciem: quia Propheta ratiocinatur à natura Dei, deinde tamen objicit quod pugnat cum illo principio. Dicit, *Tu Deus mundus es oculis*: non poteris igitur malum aſpicere, id eſt, hoc tuæ naturæ conſentaneum non eſt, ut diſſimules ad ſcelera hominum. Nam odio tibi eſt omnis iniquitas. Proponit igitur ſibi Propheta naturam Dei. Jam adjungit, Atqui experientia repugnat. Nam impii exultant, & dum miſere opprimuntur innoxii homines, nemo ſuccurrit. Unde hoc, niſi quia Deus in cœlo dormit, vel negligit res humanas? Tenemus ergo nunc quid ſibi velit Propheta hoc verſu. Ergo quum dicit *Deum eſſe mundum oculis*, ſumit quod debet certum eſſe & indubium apud omnes pios. Cæterum, quia non ſemper apparet nobis Dei juſtitia, hic Propheta luctatur, & tamen oſtendit ſe quodammodo vacillare, quia non perſpicit in communi rerum uſu quod tamen pietas nobis dictat, Deum ſcilicet juſtum &

 rectum

rectum eſſe. Verum quidem eſt, ſecundam partem verſus eſſe affinem blaſphemiæ: quia etſi Propheta ſemper booorifice & reverenter ſenſit de Deo: tamen hic obmurmurat, & oblique inſimulat Deum nimiæ tarditatis, quod conniveat dum videt juſtos indigne opprimi ab improbis. Sed notanda eſt ſeries, quam tenet Propheta. Quum enim præfatur *Deum eſſe mundum oculis*, non dubium eſt, quin ſibi frenum injiciat: quoniam periculum erat, ne tentatio longius ipſum abriperet, occurrit mature, quodammodo ſe includit iſtis cancellis, retinendam eſſe certam perſuaſionem de juſtitia Dei. Eundem ordinem tenet Jere-
Jer. 1; 1. mias, quum dicit, Scio Domine quod juſtus ſis: ſed qui ſit tamen, ut impii ſic pervertant omnem æquitatem? & tu vel negligas, vel non adhibeas remedium? libenter ergo tecum litigarem. Propheta non ſtatim erumpit in vocem illam, Domine tecum judicio experiar: ſed antequam litigandi mentionem faciat, quia videbat hunc affectum eſſe turbulentum, ideo præfatur, & quodammodo ſe temperat, ut præveniat nimium fervorem, qui poterat alioqui illum abripere. *Tu ergo, Domine, juſtus es*, inquit. Ita nunc Propheta noſter, *Tu mundus es oculis ne videas malum, & non poteris aſpicere ad moleſtiam*, inquit. Quum dicit, *Non poteris aſpicere ſuper moleſtiam*, videmus ut ſeſe confirmet in illo pietatis principio, quod ſcilicet juſtitia Dei non poſſit ſeparari ab ejus eſſentia. Quum enim dicit, לאתוכל, Noņpoteris, tantundem valet acſi diceret, Tu Domine juſtus es, quia Deus; & Deus, quia juſtus. Hæc enim duo non poſſunt divelli, quia & æternitas, & eſſentia Dei non poteſt ſtare ſine juſtitia ejus. Nunc ergo videmus quam ſtrenue luctetur Propheta contra iuam intemperiem, ne ſibi nimium indulgeat in querimonia, quæ paulo poſt ſequitur. Poſtea tamen adjungit ex communi ſenſu carnis, *Cur ergo aſpicis quum impius devorat juſtiorem ſe?* Hic Propheta noo exuit Deum ſua potentia, ſed dubitanter loquitur; & non tantum diſceptat cum Deo, ſed potius ſecum. Dixiſſet profanus homo, Nullus eſt igitur Deus, nulla eſt ejus providentia, non curat mundum, deliciatur in cœlo. Sed Propheta, Tu tamen aſpicis Domine. Ergo Deo vendicat quod eſt proprium ipſius, mundum ſcilicet, quem creavit, noo negligere. Interea hic in utramque partem inclinat, & quaſi alternat. *Cur* ergo *aſpicis quum impius devorat juſtiorem ſe?* Non dicit mundum fortuito volvi, nec Deum etiam delicias ſuas & quietem colere in cœlo, quemadmodum faciuot Epicurei: ſed fatetur mundum aſpici à Deo, curari res humanas. Quia autem non poteſt ſeſe expedire rebus tam confuſis, diſceptat potius ſecum quam cum ipſo Deo. Nunc tenemus ſummam hujus ſententiæ. Pergit tamen adhuc Propheta.

14. Facis hominem quaſi piſces maris, quaſi reptile quod caret duce. (*ad verbum, non eſt dux in illo.*)

15. Totum hamo ſuo attrahet, colliget in ſagenam ſuam, & congregabit in rete ſuum: propterea gaudebit, & exultabit. (*hoc eſt, gaudet & exultat.*)

Pergit adhuc in ſua querimonia, ut dictum eſt: & ſimilitudine oſtendit non poſſe aliud judicium ferri, quam Deum quaſi tergum obvertere hominibus, ut non compeſcat violentiam malorum, neque objiciat manum ſuam eorum libidini, ne plus audeant quam liceat. Quum ergo, ut quiſque ſuperat viribus, ita etiam alios opprimit, & majore ioſolentia inſurgit contra miſeros & pauperculos homines, ideo Propheta comparat homines piſcibus maris: Quid hoc eſt? inquit. Nam homines creati ſunt ad imaginem Dei. Cur ergo inter ipſos non relucet aliqua æquitas? ubi alii alios devorant, & unus etiam opprimit fere totum orbem, quid hoc ſibi vult? videtur Deus ludere in rebus humaois. Nam ſi homines reſpicit quaſi filios, cur non ſua cuſtodia illos munit? Videmus autem unum hominem ita ſævire (quia loquitur de rege Aſſyrio) acſi reliquus orbis eſſet ioſtar piſcium maris, vel reptilium. *Tu igitur facis homines quaſi reptilia vel piſces maris*, inquit. Poſtea adjungit, *Attrahet totum hamo ſuo, colligit in ſagenam ſuam, congregat in rete ſuum: exultat.* Videmus nunc ſenſum Prophetæ, quod ſcilicet Deus quaſi oculos claudat ubi intemperanter Aſſyrii devorant totum orbem: præſertim quum illa ſævitia veniſſet uſque ad terram ſanctam, quid aliud poterant ſentire fideles, quam ſe relictos eſſe à Deo? Et quemadmodum jam dixi, nihil magis abſurdum eſt, quam ioter homines ita dominari injuſtam tyrannidem: quia à minimo uſque ad maximum omnes conditi ſunt ad imaginem Dei. Debuerat igitur Deus peculiarem curam agere in conſervando genere humano, debuerat fulgere paternus ejus amor & ſollicitudo in hac parte. Ubi autem ita impune violantur homines, & unus reliquos fere opprimit, videtur certe nulla eſſe Dei providentia. Quomodo eoim curabit vel paſſerculos, vel boves, vel aſinos, vel arbores, vel plantas, cùm ita deſerat homines, nec quicquam afferat auxilii rebus adeo turbatis? Nunc tenemus conſilium Prophetæ. Sed tamen, ſicuti jam dixi, non ſpoliat Deum ſua potentia: neque hic deblaterat contra fortunam, ut faciunt multi canes: dicit, *Facis homines*. ergo aſcribit Deo quod non poteſt tolli, quod ſcilicet gubernet mundum. Sed quantum attinet ad juſtitiam Dei, vacillat, & convertit ſe potius ad Deum: quanquam videtur Propheta hic ruere inſtar hominis phrenetici, tamen ſi omnia conſideremus, videbimus ſtrenue luctatum eſſe cum tentationibus, & in iſtis etiam verbis fulgebunt ſaltem aliquæ ſcintillæ fidei, quæ poterunt nobis oſtendere quanta fuerit Prophetæ conſtantia. Nam hoc maxime notatu dignum eſt, quod Propheta ſe ad Deum convertit. Ut plurimum Epicurei quum obſtrepunt Deo, quaſi data opera affectant multitudinem, ut Deo maledicant, & procul ſe ab ipſo ſubducant: quia non putant eum curam gerere mundi. Sed Propheta Deum ſemper alloquitur. Scit igitur Deum eſſe mundi gubernatorem: deinde cupit ſe extricare ab iſtis cogitationibus tam perplexis & ſpinoſis. unde autem quærit remedium? A Deo ipſo. Quum profani homines petulanter ſubſannant Deum, indulgent ſibi, & nihil magis appetunt quam obdureſcere in ſuis impiis commentis. Propheta autem ad Deum ipſum accedit. Qui ſit ergo Domine? quaſi diceret, Hic vides me diſtrahi & conſtringi ſimul: diſtrahi in multas abſurdas imaginationes, ut fere evaneſcam: conſtringi autem ſummis anguſtiis; quia non poſſum me expedire. To igitur, Domine, explica mihi iſtos oodos, & collige ſenſus meos, ut intelligam quod verum eſt, & quod ſum perſuaſus: tamen etiam explica iſtam dubitationem, ne conturbet fidem meam: tu Domine fac, ut tandem ſciam & intelligam diſtincte quomodo juſtus ſis, & ſumma æquitate moderaris quæ videntur ſic confuſa eſſe. Continget etiam interdum, ut impii quaſi ſpuant in faciem Dei: ſed furor diabolicus illos tunc impellit. Propheta autem longe alio ſpectat: quia videt ſeſe obrui, & mentem ſuam non ſufficere ad ſuſtinendas tam graves tentationes, ideo petit ſublevari, & ideo, quemadmodum diximus, Deum ipſum alloquitur. Quum dicit, *Propterea gaudet & exultat*, auget indignitatem: quia etiamſi Dominus ad tempus permittat impiis opprimere innoxios, tameo ubi videt eos gloriari in ſuis ſceleribus, & triumphum agere, hæc taota protervia debet magis accendere judicium ejus. Quod ergo tunc quoque Dominus diſſimulat, hoc videtur eſſe nimis abſurdum. Jam ſequitur apud Prophetam,

16. Pro-

16. Propterea ſacrificabit ſagenæ ſuæ, & ſuffitum offeret reti ſuo, quia in illis pinguis portio ejus, & cibus ejus lautus.

Propheta confirmat clauſulam proximi verſus. Clarius enim explicat qualis ſit illa lætitia, de qua loquutus eſt, nempe qua impii Deum quaſi ex profeſſo contra ſe provocant. Hoc quidem jam per ſe abominabile eſt, dum improbi ſibi placent in ſuis ſceleribus: ſed quum inſultant ipſi Deo, hoc longe eſt atrocius. Additur ergo nunc talis definitio à Propheta: quaſi diceret, non tantum ſibi applaudunt impii dum illis parcis, vel ad tempus eos toleras: ſed jam contra te inſurgunt, & derident omnem Deitatem, & palam in cœlum ipſum blaſphemant, quia ſacrificant reti ſuo, & ſagenæ ſuæ ſuffitum offerunt. Metaphorice autem ſignificat Propheta impios non modo obdureſcere ubi proſpere illis ſucceſſit in ſuis ſceleribus, ſed etiam ſibi tribuere juſtitiæ laudem, quia conſtituunt recte factum eſſe quicquid bene ſucceſſit. Ita detrahunt Deum è ſolio ſuo, & ſe conſtituunt in ejus locum. Nunc tenemus conſilium Prophetæ. Sed hic etiam locus detegit occultam impietatem eorum omnium, qui pure & ſincero animo Deum non colunt. Eſt quidem inſita aliqua perſuaſio Deitatis in cordibus hominum: quia nemo eſt tam barbarus quin tangatur aliquo pietatis ſenſu: & hoc modo etiam redduntur omnes inexcuſabiles, quia geſtant in cordibus ſuis legem, quæ illis ſufficiat ad mille reatus. Cæterum, ſimul etiam ſepeliunt notitiam illam impii, & qui non ſunt illuminati fide, quia ſeſe implicant: & quum illis obrepit aliqua Dei memoria, initio tanguntur, & tribuunt aliquem honorem Deo: ſed illud eſt evanidum, quia ſtatim ſuffocant, quantum in ſe eſt, imo etiam conantur extinguere, etiamſi nequeant, illam notitiam & quicquid eſt lucis è cœlo. Hoc graphice nobis depingit Propheta in perſona regis Aſſyrii. Dixerat prius, Hæc virtus eſt deo ipſius. Conqueſtus fuerat Aſſyrios daturos ſuis idolis, quod proprium erat omnis Dei; atque ipſum hoc modo ſpoliari jure ſuo: nunc autem dicit illos *ſacrificare ſagenæ ſuæ, & ſuffitum offerre reti ſuo*. Hoc longe eſt diverſum. Nam quomodo ſacrificarent idolis ſuis, ſi acceptum ferrent ſagenæ ſuæ quicquid adepti erant victoriarum? Nam figurate per nomen Sagenæ & retis Propheta intelligit induſtriam, vires, copias, opes, conſilia, practicas, ut vocant, & alia quæ profani homines ſibi arrogant. Quid eſt igitur ſacrificare reti ſuo? Nempe quia Aſſyrius putabat ſe ſuperaſſe aſtutia reliquos omnes, quia putabat ſe fuiſſe magnanimum, ut non dubitaret bellum inferre cunctis gentibus: putabat ſe bene fuiſſe inſtructum copiis, deinde bellum fuiſſe rite geſtum: quia & ipſe felix fuit, & nihil etiam omiſit quod faceret ad victoriam obtinendam. Sic quemadmodum jam dixi, Aſſyrius pro nihilo ducit ſua idola: quia ſubſtituit ſe in locum omnium deorum. Nam ſi quæritur unde felicitas, debebat eam tribuere Aſſyrius uni Deo. Atqui putat ſe quaſi proprio jure eſſe felicem. Si de conſilio agitur, certe Deus eſt qui gubernat conſilia hominum & mentes: Aſſyrius autem putat ſe quidvis adeptum eſſe propria ſolertia. Si de viribus, unde etiam vires? unde fortitudo cordis? ſed Aſſyrius ad ſe hæc omnia rapit. Ergo quis eſt apud ipſum Deus? Videmus ut jam ſuis quoque idolis eripiat omnem honorem, & ſibi arroget. Sed quemadmodum jam dixi, hoc vitium commune eſt omnibus impiis: quia ubi non regnat Spiritus Dei, nulla erit modeſtia, & ſemper homines crepabunt occulta ſuperbia, donec ipſos penitus Deus purgaverit. Neceſſe eſt igitur ut Deus ſpeciali gratia nos exinaniat, ne turgeamus faſtu illo diabolico, qui nobis ingenitus eſt, & qui nos poteſt ulla ratione à nobis diſcuti, donec Dominus non regeneret Spiritu ſuo. Præſertim hoc conſpicere licet in omnibus Regibus mundi. Fatentur quidem etiam ſummi Reges ſe regnare Dei gratia: deinde quum adepti ſunt aliquam victoriam, fiunt ſupplicationes, redduntur vota. Sed ſiquis diceret iſtis victoribus, Deus eſt miſertus veſtri: Quid? Ergo meus apparatus nihil profuit? quid? annon provideram multo ante? annon mihi conciliaveram multorum amicitias? annon contraxeram fœdera? annon proſpexeram talibus incommodis? annon etiam hoc remedium appoſite curavi? denique Deo in ſpeciem ſacrificant: ſed poſtea ad rete, ad ſagenam recurrunt, hoc eſt, putant Deum nihil eſſe. Utinam hæc non eſſent tam manifeſta. Sed quum Spiritus Dei nobis proponat vivam iſtam imaginem, diſcamus quid ſit vera humilitas, nempe ubi ſentimus nos nihil eſſe, & nihil poſſe: unum eſſe Deum, qui non modo nos vegetat, ac ſuſtinet in hac vita, ſed etiam gubernat Spiritu ſuo: & deinde ſuſtentat corda noſtra: dat fortitudinem: deinde benedicit nobis, ut proſperi ſint eventus quum aliquid aggredimur. Diſcamus ergo non aliter poſſe Deum vere glorificari, quam ubi homines ſe prorſus exinaniunt. Poſtea adjungit, *Quia in illis pinguis portio ejus, & cibus ejus lautus*: quanquam בריאה alii vertunt Cibum electum. ſed alii vertunt, cibum pinguem: & mihi magis placet accipi pro lauto vel opimo. Cibus igitur ejus lautus eſt, vel opimus. Hic Propheta ſignificat proſperitate excæcari homines, ita ut ſibi ſacrificent. Et hinc magis convincitur ingratitudo: nam quo liberalius nos Deus tractat, eo certe plus nobis ſuppetit materiæ ad ipſum glorificandum. Ubi autem homines ſaturi & bene referti ita turgent ſuperbia, & ſibiipſi ſacrificant, nonne hinc magis detegitur eorum impietas? & tamen Propheta non tantum Aſſyrios conqueritur abuti beneficentia Dei, ſed ſub eorum perſona oſtendit quale ſit ingenium totius mundi. Ubi ergo homines ſibi opes multas accumulant, & ex aliena ſubſtantia contrahunt acervum, tunc magis ac magis excæcantur. Hinc videmus merito debere nobis ſuſpectam eſſe proſperam fortunam, ne pinguedo ita creſcat, ut nihil cernamus: quemadmodum obſtupeſcunt oculi nimia pinguedine. Hoc ergo nobis tenendum ſemper eſt. Deinde concludit Propheta quod dixit. Quia enim tantum reſtat unus verſus primi capitis, eum breviter perſtringam.

17. An propterea extendet ſagenam ſuam, & aſſiduus erit ad occidendas gentes, ut non parcat? (*alii vertunt, annon, negative. atqui debuiſſet eſſe* הלא על כן)

Eſt autem interrogatio hæc affirmativa, An propterea, quæ tamen poſtulat negationem in reſponſo. Falluntur ergo omnes interpretes, quum putant Prophetam hic conqueri, quod ſubinde extendat rete ſuum poſt capturam: potius enim hoc vult, An ſemper extendet rete ſuum? hoc eſt, quouſque Domine permittes Aſſyrio, ut proſiliat ad novas prædas? Quemadmodum enim venator ſi cepit vel aprum vel cervum, acuitur, & ſtatim recurrit ad novam venationem: ita etiam quemadmodum piſcator ſi reportat plenam ſuam naviculam, cupidior eſt piſcandi: An, inquit, tu patieris Domine, aſſiduos eſſe Aſſyrios in ſuis capturis? & oſtendit quam indigni ſint hac tolerantia Dei: nempe quia occidunt gentes. Non agitur, inquit, hic vel de piſce, vel de alio animali, non agitur etiam de uno vel altero homine: ſed agitur de multis populis. Quum ergo ita graſſentur cædes per totum mundum, quouſque Domine impune ferent? neque enim ceſſabunt. Videmus ergo quorſum pertineat hæc querimonia Prophetæ. Sed proxima lectione videbimus ut ſeipſum colligat.

Da omnipotens Deus, quando fieri non poteſt,

quin pro infirmitate carnis noſtræ inter tot turbulentos hujus mundi motus vacillemus ſæpe & turbemur: da, inquam, ut fultura hac ſuſtineatur fides noſtra, te eſſe gubernatorem mundi, neque homines ſemel duntaxat abs te eſſe creatos, ſed etiam conſervari ſub manu tua, & te etiam eundem eſſe juſtum judicem, ut nobis ipſi quoque frenum injiciamus. Et quamquam ſubinde ſuſtinendi nobis erunt multi inſultus, ne unquam deficiamus, donec erumpat victrix fides noſtra ſupra omnes tentationes: & tandem per continuam ſeriem militiæ noſtræ perveniamus ad cœleſtem quietem, quam nobis acquiſivit Chriſtus Filius tuus, Amen.

PRÆLECTIO QUARTA
IN
HABACUC PROPHETAM.

CAPUT II.

Super ſpeculam meam ſtabo, & ſtatuam me ſuper arcem, & ſpeculabor ad videndum quid loquatur mecum, & quid reſpondeam ad increpationem meam.

Vidimus primo capite quid Propheta in perſona piorum omnium diceret. Erat enim illud durum certamen, quum omnia eſſent permixta, & nullus ſe oſtenderet exitus. Poterant conjicere fideles omnia fortuito volvi, nullam eſſe Dei providentiam, quemadmodum Propheta libere etiam erupit in iſtas querimonias. Nunc incipit ſe colligere ab his perturbationibus: & ſemper loquitur ex perſona omnium piorum, vel totius Eccleſiæ. Nam quod reſtringunt ad munus propheticum nonnulli interpretes hanc ſententiam, mihi non probatur: & ex contextu etiam promptum erit colligere Prophetam non ex privato ſenſu loqui, ſed repræſentare affectus omnium piorum. Sic ergo hanc ſententiam contexere oportet cum querimoniis, quas paulo ante vidimus, quod Propheta ubi videt ſe poſſe demergi & obrui quaſi profundiſſima abyſſo, ſeſe attollit ſupra ſenſum & rationem hominum, & propius ad Deum accedit, ut deſpiciat ex alto quæ in terra geruntur, & non judicet ex ſenſu carnis ſuæ, ſed ex luce Spiritus ſancti. Specula enim, de qua loquitur, eſt patientia quæ naſcitur ex ſpe. Si enim volumus conſtanter luctari ad extremum uſque, & tandem potiri victoria contra omnes tentationes & conflictus, neceſſe eſt ſupra mundum aſſurgere. Quidam per nomen Speculæ & Arcis intelligunt verbum Dei: & hoc eſſet aliquo modo tolerabile, ſed non convenit tamen per omnia. Siquis ergo propius expendat rationem metaphoræ, facile intelliget ſpeculam eſſe receſſum mentis, ubi ſubducimus nos à mundo: quia videmus quam proclive ſit nobis omnibus ingenium ad diffidentiam. Quum ergo ſequimur propriam inclinationem, ſtatim occupant nos variæ tentationes, neque poſſumus vel ad momentum unum ſperare in Deo: & multa etiam ſeſe ingerunt, quæ eripiant & excutiant nobis omnem fiduciam: involvimur etiam variis cogitationibus: quia dum Satan videt ut homines vagi ſint in ſuis conſultationibus, & multa permiſceant, ita implicat eos, ut non poſſint ad Deum ullo modo accedere. Ergo ſi volumus fovere fidem in cordibus noſtris, neceſſe eſt emergere ſupra iſtas difficultates & impedimenta. Et Propheta per nomen Speculæ hoc intelligit, quod ſcilicet ſeſe expediat à cogitationibus carnis, quia nullus eſſet finis vel modus, ſi vellet judicium ferre ex proprio ſenſu: *Ego*, inquit, *ſtabo ſuper ſpeculam meam*, deinde *conſtituam me ſuper arcem*. Denique hæc ſententia tantundem valet, acſi Propheta renunciaret judicio hominis, & abrumperet omnes laqueos, quibus Satan nos implicat ne poſſimus longius ſupra terram aſſurgere. Poſtea adjungit, *Speculabor ad videndum quid loquatur mecum*, hoc eſt, illic ero intentus. Speculandi enim verbo intelligit cuſtodiam, vel excubias: quaſi diceret, niſi ſtatim apparuerit aliquid ſpei, tamen non frangar animo, neque deſeram ſtationem meam, ſed manebo quaſi fixo pede in illa ſpecula, in quam ego nunc volo conſcendere. *Speculabor* igitur *ad videndum quid mecum loquatur*. Hoc referri ad Deum debet: neque enim probabilis eſt eorum opinio, qui iſtud loqui ad Satanæ miniſtros referunt. Nam priore loco dicit Propheta, *Videbo quid mecum Deus loquatur*: poſtea adjungit, *Et quid reſpondeam ad increpationem*. Qui ſic Videbo exponunt, quid loquatur, hoc eſt, quid impii objiciant mihi ad fidem meam labefactandam, primo non attendunt ad verba Prophetæ. nam hic in ſingulari numero dicit, quid loquatur mecum: quia nullum nomen exprimitur, non dubium eſt quin Propheta hic ſubaudiat nomen Dei. Jam etiamſi verba non coarguerent illam interpretationem, contextus tamen ipſe ſatis oſtendit, non poſſe aliter exponi hunc locum, quam nuper attigi. Quomodo enim reſpondebunt fideles ad calumnias ubi agitatur fides ipſorum; ubi improbi homines probroſe illudunt & ſubſannant eorum fidem, quomodo poterunt libere coarguere tales blaſphemias, niſi audierint prius Deum loquentem? neque enim poſſumus refellere & diabolum & omnes ejus miniſtros, niſi inſtructi Dei verbo. Videmus ergo hic teneri optimum ordinem à Propheta, quum priore loco dicit, *Videbo quid mecum loquatur*: deinde, tunc ero ſatis inſtructus, ut reſpondeam ad increpationem, hoc eſt, ſi ludibrio habeant fidem meam reprobi, potero intrepide eos coarguere, quia ſcilicet Dominus mihi ſuggeret materiam liberæ reſponſionis. Nunc tenemus ſimplicem & genuinum ſenſum hujus verſus. Supereſt, ut diſcamus accommodare in uſum noſtrum hanc doctrinam. Et primo notandum eſt, non aliud eſſe remedium, ubi occurrunt tam duræ tentationes, quales retulit Propheta primo capite, niſi diſcamus evehere mentes noſtras ſupra mundum. Nam ſi volumus diſceptare cum Satana ex proprio noſtro ſenſu, centies nos obruet, neque unquam pares erimus ad reſiſtendum. Sciamus ergo hic nobis oſtendi rationem pugnandi, ubi agitantur animæ noſtræ diffidentia, ubi dubitationes nobis obrepunt de providentia Dei, ubi res in hoc mundo confuſæ quaſi involvunt nos tenebris, ut nihil lucis amplius appareat: nempe, ut valedicamus rationi noſtræ: quia evaneſcent omnes ſenſus noſtri, ſi velimus judicium ferre ex ratione noſtra. Donec ergo conſcenderint fideles in ſpeculam, & ſteterint in arce, de qua hic Propheta loquitur, tentationes eos huc & illuc abripient, & demergent quaſi in profundo gurgite maris. Atque ut hoc melius intelligatur, ſciamus hic ſubeſſe tacitam antitheſin inter ſpeculam & arcem, quarum fit mentio à Propheta, & inter ſtationem terrenam. Quamdiu igitur

judi-

judicamus ex ſenſu noſtro, ambulamus in terra. Atqui tunc ſurgent multæ nebulæ, & Satan ſparget cinerem ante oculos noſtros: ita facile obtenebrabit judicium noſtrum: ſic fiet, ut confuſi jaceamus. Neceſſe igitur eſt, quemadmodum prius diximus, calcare ſub pedibus rationem noſtram, & accedere propius ad Deum. Diximus Speculam eſſe receſſum mentis. Quomodo autem poterimus illuc aſcendere? nempe ſi ſequamur verbum Domini. Reptamus enim in terra: imo videmus ut caro noſtra deorſum ſemper nos trahat. Niſi igitur cœleſtis doctrina ſit nobis inſtar alarum vel ſcalarum vel vehiculi, non poterimus vel pedem unum tollere, ſed potius quæremus latebras ſub terra, quam aſcendamus in cœlum. ſed verbum Dei nobis erit pro ſcalis, pro vehiculo, vel etiam pro alis: quia utcunque nullus ſit acceſſus, poterimus tamen evolare, modo verbum Dei obtineat ſuam auctoritatem apud nos. Hinc colligimus improprie interpretes illos loqui, qui putant ſpeculam & arcem eſſe Dei verbum. Nam verbo Dei, quemadmodum jam dixi, in arcem illam attollimur, nempe in cuſtodiam ſpei, ut firmi & conſtantes maneamus, ubi deſpicimus è ſublimi quæ nos conturbant, & obtenebrant omnes ſenſus noſtros quamdiu jacemus in terra. Hoc unum eſt. Deinde repetitio non eſt ſupervacua, quum Propheta dicit, *Super ſpeculam meam ſtabo, ſuper arcem conſtituam me*. Non repetit hanc ſententiam, quaſi per ſe ſit obſcura: ſed admonet fideles, etiamſi propenſi ſint ad pigritiam, tamen luctandum eſſe, ut ſeſe expediant. Et facile experimur quam ignavi ſimus niſi unuſquiſque noſtrûm ſe ſollicitet. Dum enim occupat mentes noſtras aliqua perturbatio, ſtatim ſuccumbimus deſperationi. Hæc igitur ratio eſt cur Propheta, poſtquam de ſpecula loquutus eſt, iterum nominet arcem. Quod autem dicit, *ſpeculabor ad videndum*, ad perſeverantiam reſpicit: quia non ſatis eſſet oculos ſemel aperire, & uno intuitu comprehendere quicquid nobis occurrit; ſed neceſſe eſt manere in perpetua attentione. Hanc igitur conſtantiam Propheta Speculandi verbo exprimit: quia non ſumus tam perſpicaces, ut ſtatim comprehendamus quod utile eſt cognitu. Deinde etiamſi ſemel contigerit videre quod neceſſe eſt, poterit tamen nova tentatio illum aſpectum delere. Sic fiet, ut evanidi ſint omnes noſtri aſpectus, niſi maneamus in ſpeculatione, hoc eſt, niſi perſtemus in ſtudio illo, & conſtantia, ut ſcilicet ſubinde redeamus ad Deum quoties diabolus novas procellas excitat, quoties etiam nebulis cœlum obducit, ut tollat nobis omnem conſpectum Dei. Videmus ergo quam emphaticum ſit quod Propheta hic dicit, *ſpeculabor ad videndum*. Nec dubium eſt quin fideles hic comparet excubitoribus, qui etiamſi nihil audiant, tamen non ſtatim obdormiunt: & ſi ſemel, vel bis aliquem audiant ſtrepitum, non ſtatim tumultuantur, ſed expectant, conſiderant ſecum. Quemadmodum igitur qui agunt excubias debent manere quieti, quia & alios omnes turbarent, & non poſſent fungi ſuo officio: ſic etiam eadem tranquillitas requiritur à fidelibus, ut patienter Deum expectent in rebus turbatis & confuſis. Jam videndum eſt qualis ſit iſta ſpeculatio: *Speculabor ad videndum quid mecum loquatur*, inquit. Videtur membrum hoc non congruere, quia proprie non videmus quæ dicuntur. Sed Propheta hic duplicem metaphoram contexit. Proprie dicendum fuerat, manebo attentus ad audiendum quid loquatur: dicit, *ſpeculabor ad videndum quid loquatur*. Simplex metaphora eſt Pſalmo 85., Audiam quid loquatur Deus: loquetur enim pacem erga populum ſuum. Illic etiam eſt metaphora, quia non de corporali auditu loquitur Propheta, Audiam quid loquatur Deus. quorſum pertinet iſtud audire? Nempe placide expectabo, inquit, donec oſtendat Deus favorem ſuum, qui nunc eſt abſconditus. Loquetur enim pacem ad populum ſuum, hoc eſt, Dominus nunquam obliviſcetur Eccleſiæ ſuæ. Sed quemadmodum jam dixi, hic duas ſimul metaphoras Propheta conjungit. Nam iſtud Loqui, nihil aliud ſignificat, quam Deum teſtari cordibus noſtris, etiamſi non ſtatim affulgeat nobis ratio conſilii ejus, eum tamen ſapienter omnia moderari: nec quicquam eſſe melius, quam nos permittere ejus arbitrio. Quod autem dicit, *Videbo & ſpeculabor quid loquatur*, hæc metaphora durior eſt: tamen non caret ratione. Voluit enim Propheta nos monere huc applicandos eſſe ſenſus noſtros omnes, ut pendeamus toti à verbo Dei. Jam etiamſi quis ſtatuat Deum audire, videmus quam multæ tentationes nos ſtatim abſtrahant. Non ſatis igitur erit præbere nos dociles, & aures arrigere ad audiendam ejus vocem, niſi etiam oculi ſimul conjuncti ſint: & ita nos totos retineamus. Videmus ergo nunc conſilium Prophetæ: voluit ſcilicet exprimere ſummam attentionem: quaſi diceret fideles ſemper fore vagos, niſi ſedulo & oculos & aures & omnes ſenſus ſuos colligant ad Deum, & ſe quaſi cohibeant illo freno, ne erroneæ ſpeculationes vel imaginationes huc & illuc eos diſtrahant. Cæterum, docet etiam Propheta tantum reverentiæ deberi verbo Dei, ut nobis ſufficiat audire ejus vocem. Hæc igitur ſit noſtra perſpicacia, obtemperare loquenti Deo, & amplecti reverenter verbum ejus, ita ut liberet nos ab omnibus moleſtiis, deinde contineat in pace & tranquillo ſtatu mentes noſtras. Opponitur ergo hoc Loqui omnibus obſtreperis Satanæ vocibus, quas non deſinit in aures noſtras ſuſurrare. Nam ſimulatque tentationis aliquid occurrit, Satan à dextra & ſiniſtra parte nobis multa ſuggerit: Quid facies? quid capies conſilii? vide an Dominus tibi ſit propitius, unde expectas auxilium: qui confidere audes Deum tibi affore? quomodo te expedies? quis erit exitus? Quoniam igitur Satan tot modis nos conturbat, ideo Propheta oſtendit nobis debere unum Dei verbum ſufficere. Ergo quicunque laxant frenum ſuis conſiliis, digni ſunt quos Deus permittat Satanæ huc & illuc ſurſum & deorſum raptandos: quia hæc unica eſt ſtatio firma & ſecura fidelibus, acquieſcere in verbo Dei. Jam hoc etiam clarius exprimitur in fine verſus, ubi addit Propheta, *Et quid reſpondeam ad objurgationem meam*. Oſtendit enim ſe fore inſtructum optimis armis ad ſuſtinendos omnes impetus & repellendos, ſi patienter audierit Deum loquentem, & placide amplexus fuerit verbum ipſius: tunc, inquit, erit quod reſpondeam ad omnes objurgationes, ubi loquutus fuerit mihi Dominus. Increpationes vocat non modo blaſphemias, quibus improbi concutiunt fidem noſtram, ſed omnes etiam turbulentos affectus, quibus Satan occulte machinatur fidem noſtram ſubvertere. Neque enim tantum ſubſannant nos improbi, & exagitant noſtram ſimplicitatem, quaſi temere & ſtulte fidamus Deo, & ita nimium ſimus creduli: ſed ipſi etiam nos intus increpamus, hoc eſt, quiſque ſeipſum conturbat variis diſceptationibus. Quicquid enim venit nobis in mentem contra verbum Dei, hoc eſt proprie objurgatio vel increpatio: perinde enim eſt acſi quis ſeipſum accuſet, quaſi non experiatur Deum eſſe veracem. Nunc ergo videmus latius patere nomen Increpationis, quam ad externas blaſphemias, quibus aggredi ſolent increduli Dei filios: quia, ſicuti jam diximus, etiamſi nemo ſeſe ingerat ad fidem noſtram tentandam, quiſque ſibi eſt tentator. Diabolus enim non deſinit mentes noſtras agitare. Ergo quum Propheta dicit, *quid reſpondeam ad increpationem*, intelligit ſe fore ſatis munitum contra omnes Satanæ inſultus & arcanos & externos, ubi audierit quid loquatur Deus. Colligimus etiam ex hoc toto verſu non poſſe ferri judicium de providentia Dei, niſi præluceat cœleſtis doctrina. Ideo non mirum eſt, ſi multi deficiant in tentationi-

tionibus, imo totus fere mundus: quia pauci ſunt qui aſſurgant in arcem de qua loquitur Propheta, & qui ſuſtineant audire loquentem Deum. Temeritas ergo & arrogantia excæcat mentes hominum, ut ſtatim vel maledicant Deo loquenti, vel accuſent fortunam, vel ſtatuant nihil eſſe certi, quia ſcil. ſecum tumultuantur, & arrogant ſibi pluſquam oportet, neque poſſunt ſeſe verbo Dei ſubjicere. Pergamus.

2. Et reſpondit mihi Jehova, & dixit, Scribe viſionem, & explana ſuper tabulas, ut currat legens in ea.

3. Quia adhuc viſio ad tempus ſtatutum, & loquetur ad finem, & non mentietur: ſi moram fecerit, expecta eam, quia veniendo veniet, & non tardabit.

Nunc Propheta ſuo exemplo oſtendit non eſſe metuendum, quin Deus in tempore ſuccurrat, ſi modo componimus mentes noſtras ad ſpiritualem quietem, & in ipſum conſtanter reſpicimus. Hic ergo eventus, quem recitat Propheta, oſtendit non eſſe periculum, ne Deus fruſtretur ſpem & patientiam eorum qui ſeſe in cœlum attollunt, & manent firmi in illa ſtatione. *Reſpondit mihi Jehova*, inquit, *& dixit.* Non dubium eſt, quin Propheta hic ſuum exemplum accommodet ad communem doctrinam totius Eccleſiæ. Quum ergo teſtatur ſibi datum fuiſſe reſponſum à Deo, ſignificat alacriter ſperandum nobis eſſe, quia ſi Dominus reperiat nos locatos in noſtra ſpecula, tempeſtive nobis ſuggeret conſolationem, qua videbit eſſe opus. Cæterum, poſtea ad Propheticum munus deſcendit, quod ſcilicet juſſus fuerit ſcribere ſuper tabulas, & ſcribere craſſis literis, ut poſſet legi illud edictum: etiamſi quis celeriter tranſiret, poſſet tamen uno intuitu videre quid ſcriptum foret. Et hac ſecunda parte clarius exprimit ſe tractare communem doctrinam, quæ ad totum corpus Eccleſiæ pertinet. Neque enim privata ſua cauſa juſſus fuit ſcribere, ſed in omnium ædificationem. *Scribe* ergo *viſionem.* Deinde, *Explana.* nam באר proprie ſignificat Explicate differere. *Explica* igitur *ſuper tabulas*, inquit, *ut currat quiſquis leget*, hoc eſt, ne moretur lectores ſuos hæc ſcriptura: ſcribe eam magnis characteribus, ut in celeri tranſitu quiſque videat quod ſcriptum eſt. Poſtea adjungit, *Quia viſio erit*, inquit, *ad tempus conſtitutum.* Inſignis eſt hæc ſententia, qua docemur non agendum eſſe cum Deo præciſe, ſed dandum eſſe locum ſpei, quia Dominus non ſtatim exequitur quod pronunciat ore ſuo: ſed vult probare noſtram patientiam, & fidei noſtræ obſequium. Dicit ergo *viſionem eſſe ad tempus*, & tempus ſtatutum. מעד enim ſignificat tempus quod præfixum eſt ex condicto. Cæterum, quia penes Deum eſt tempus præfigere, ideo tempus ſtatutum, de quo loquitur Propheta, pendet ab ejus arbitrio & poteſtate. *Viſio* ergo *erit ad tempus.* Hic coarguit fervorem immodicum, qui nos abripit, ubi cupimus Deum ſtatim reipſa palam facere quicquid promittit. Oſtendit igitur Propheta Deum ita loqui, ut tamen liberum ſit ei differre exequutionem donec viſum fuerit. Poſtea, *Uſque in finem*, inquit, *differet.* Denique ſignificat Propheta hunc honorem deferendum eſſe verbo Dei, ut certo perſuaſi ſimus veraciter loqui Deum ipſum, & contenti ſimus ejus promiſſionibus, perinde acſi res ipſa eſſet in manu noſtra. *Uſque in finem* ergo *loquetur*, *ſed non mentietur.* Hic Propheta ſignificat paratam fore exequutionem, ut tandem experientia doceat Deum non fruſtra loquutum eſſe, nec fallendi cauſa, ſed tamen patientia opus eſſe: quia ſicuti dictum eſt, Deus non vult ita morem gerere fervidis & importunis noſtris deſideriis, ut ſtatim rem ipſam demonſtret: ſed vult nos tenere ſuſpenſos. Et hoc eſt verum ſacrificium laudis, ubi nos retinemus & manemus firmi in hac perſuaſione, Deum fallere non poſſe, nec mentiri, etiamſi videtur nos ludere ad tempus. *Non mentietur* ergo. Poſtea adjungit, *Si moram fecerit, expecta eam.* Iterum clarius exprimit hanc eſſe veram fidei naturam, non ſtatim erumpere ad querimonias, ſi Deus multa diſſimulat, ſi nos etiam patitur opprimi ab impiis, ſi non ſtatim ſuccurrit, denique ſi non implet re ipſa quod pollicitus eſt verbo ſuo. *Si moram* igitur *fecerit, expecta eam.* Poſtea iterum repetit, *Veniens veniet:* hoc eſt, quicquid ſit, Deus qui eſt non modo verax, ſed veritas ipſa, dabit complementum ſuis promiſſis. Ipſe ergo effectus promiſſionum aderit in tempore. Sed notanda eſt iſta oppoſitio, *Si moram fecerit, veniet, nec moram faciet.* Videntur hæc duo membra in ſpeciem pugnare. Sed mora, cujus fit mentio priore loco, refertur ad feſtinationem noſtram. Vulgare eſt illud proverbium, Etiam celeritas in deſiderio mora eſt. Nos autem ita properamus in omnibus noſtris deſideriis, ut Dominus ſimulac præterit momentum unum, videatur nimis ceſſare. Ita etiam facile veniret nobis in mentem expoſtulare cum ipſo, quod nimium piger ſit. Deus ergo ſecundum hanc rationem dicitur moram facere in ſuis promiſſis: & promiſſiones etiam quoad effectum dicuntur moram facere. Cæterum, ſi reſpicimus ad Dei conſilium, nunquam moram facit. Novit enim omnes temporum articulos, & in ipſa tarditate ſemper accelerat, utcunque non apprehendat hoc caro. Nunc ergo tenemus in ſumma quid Propheta velit. Jam quod jubetur *ſcribere viſionem, & explicare etiam ſuper tabulas*, multi reſtringunt ad Chriſti adventum. Ego autem exiſtimo Prophetam potius nomen Viſionis tribuere doctrinæ, vel admonitioni, quam paulo poſt ſubjicit. Hoc quidem verum eſt, fideles ſub Lege non potuiſſe fovere ſpem ſuam in Deo, niſi oculos & mentes dirigerent in Chriſtum: ſed aliud eſt reſtricte aliquid accipere de ipſo Chriſto, aliud autem complecti promiſſiones, quæ ſpectabant ad conſervationem Eccleſiæ. Quatenus ergo promiſſiones Dei in Chriſto ſunt Etiam & Amen, 2 Cor. 1.
nulla potuit dari viſio Patribus, quæ erigeret ipſorum animos ac fulciret in ſpe ſalutis, niſi Chriſtus verſ. 20.
medius illis occurreret. Cæterum, Propheta hic generaliter ſignificat ſibi mandatum fuiſſe datum, ut ſubjiceret hanc fulturam piorum cordibus, Deum expectandum eſſe, quemadmodum clarius poſtea videbimus. Viſio igitur nihil aliud eſt, quam admonitio, quæ proximo verſu, & toto contextu ſequenti legitur. Quod *ſcribendi & explicandi* verbo utitur, quidam male diſcerpunt potius quam diſtinguunt. Quia enim Prophetæ ſcribere ſolebant, & ſimul etiam proponere ſummas vel capita ſuarum concionum, ideo putant quidam præceptum fuiſſe, ut Habacuc ſcriberet, hoc eſt, ut teſtatum relinqueret poſteris quid dixiſſet: deinde, ut proponeret inſtar edicti eandem doctrinam, quæ poſſet non tantum ad diem unum vel paucos inſpici à populo tranſeunte. Ego non puto ita ſubtiliter loquutum eſſe Prophetam. Pro eodem igitur accipio ſcribere, & explicare ſuper tabulas. Quod autem additur, *Ut currat legens in ea*, debet intelligi quemadmodum jam expoſui: quia voluit Deus quaſi memorabilem ſententiam, & præ aliis notatu dignam proponere. Hoc igitur non fuit in communi uſu Prophetis, ſcribere longis & magnis characteribus: ſed Propheta hic peculiare aliquid notat, quod ſcilicet ſententia hæc digna fuerit obſervatu: quemadmodum etiam Jeſ. 8. capite dicitur, Scribe ſuper tabulam ſtylo hominis. Vocat ſtylum hominis vulgarem etiam, qui facile comprehenditur à rudiſſimis quibuſque & idiotis. Eodem refertur quod hic Deus ſervo ſuo Habacuc præcipit:

Scribe,

Scribe, inquit. Quomodo? non ut ſcribi ſolent prophetiæ. verum enim eſt Prophetas ſemper capita ſuarum concionum propoſuiſſe populo: ſed dicit, *Scribe*, ita ut etiam curſim legatur, ſi quis feſtinet: etiamſi non attentus ſit, videat tamen hoc ſcriptum eſſe: quia tabula ipſa explicate oſtendet quid contineat. Jam videmus Prophetam hic ſingulari elogio commendare, quod ſtatim ſubjiciet. Et ideo hic locus debet expergefacere omnes ſenſus noſtros, ubi Deus ipſe teſtatur ſe aliquid memoratu dignum afferre. Neque enim loquitur de quotidiana doctrina, ſed voluit oſtendere aliquid eſſe majus & præſtantius, jubens, quemadmodum jam dixi, hoc ſcribi magnis characteribus, ut etiam curreotes legant. Quod autem dicit, *viſionem adhuc eſſe ad tempus*, breviter expoſui hic nobis oſtendi quantum reverentiæ mereatur cœleſtis doctrina. Nam ſi volumus Deum exigere ad regulam noſtram, hoc eſt nimis præpoſterum ac perverſum. Atqui nullus erit fidei locus, ſi petimus ut ſtatim Deus compleat quicquid pronunciat ore ſuo. Hæc igitur fidei noſtræ probatio eſt, acquieſcere in verbo Dei, etiamſi effectus non protinus appareat. Quum ergo Propheta *viſionem ad tempus adhuc eſſe* docet, admonet nullam eſſe nobis fidem, niſi ſolo Dei verbo contenti ſuſpendimus noſtra deſideria uſque ad tempus opportunum, quod ſcilicet ipſe Deus ſtatuit. *Viſio* ergo *adhuc*. Nam vellemus quaſi in nihilum redigere virtutem Dei, niſi compleat quicquid dixit: Adhuc, adhuc, inquit Propheta, ſit viſio, hoc eſt, etiamſi Deus manum ſuam non exerat, ſufficiat vobis quod loquutus eſt. Viſio ergo ipſa ſit vobis ſatis efficax, ſit apud vos αὐτόπιστος, ut per ſe habeat fidem verbum Dei, neque examinetur vulgari more, ut ſcilicet eum mendacii inſimulent homines, niſi protinus obtemperet eorum deſideriis. Viſio igitur ipſa ſit ſatis ſolida & firma, donec tempus opportunum advenerit. Et notandum eſt nomen מועד, quia non ſimpliciter de tempore loquitur Propheta, ſed quemadmodum jam dixi, denotat certum & præfixum tempus. Homines quum inter ſe paciſcuntur, condicunt ultro & citro diem. Atqui nimiæ arrogantiæ eſſet, nobis tantum ſumere ut Deus ſtatuat nobis diem pro noſtro arbitrio. Penes igitur ipſum eſt ordinare tempora, & ſic omnia moderari, ut probemus quicquid agit. Poſtea dicit, *Et differet uſque ad finem, & non mentietur*. Eodem etiam pertinet hæc particula, *differet ad finem*: hoc eſt, nimis perverſi ſunt homines ſi velint os Deo claudere, & velint abrogare fidem ejus verbo, niſi protinus oſtendat effectum ubi loquutus eſt. *Loquetur ergo*: hoc eſt, maneat Deo hæc libertas ut loquatur. Et ſubeſt ſemper tacita antitheſis inter vocem Dei, & effectum. Ubi enim nos acquieſcimus in verbo Dei, etiamſi manum ſuam occultet, hoc eſt, etiamſi non proferat ullum documentum ſuæ virtutis, tamen Propheta jubet hunc honorem deferri ejus verbo. *Viſio* ergo *loquetur uſque ad finem*. Nunc clarius exprimit quod ante dixerat de tempore præfixo: & ita occurrit objectionibus, quæ nobis ſuggeri ſolent à Satana: Quouſque tardabit iſtud tempus? Tu quidem nominas tempus præfixum, ſed quando aderit dies ille? *Dominus loquetur ad finem*, inquit: hoc eſt, etiamſi Deus extrahat tempus, & de die in diem videatur vos lactare vanis promiſſionibus, loquatur tamen Deus, id eſt, obtineat hunc honorem apud vos, ut perſuaſi ſitis, quia verax eſt, non poſſe vos fruſtrari: & interea expectate virtutem ejus, & ita expectate, ut tamen maneatis quieti ſub ejus verbo, & toti veſtri ſenſus incluſi ſint in illa cuſtodia, quod ſufficiat Deum loquutum eſſe. Reliqua differemus in diem craſtinum.

Da omnipotens Deus, quando vides tanta nos imbecillitate laborare, imo ita cæcutire mentes noſtras ut ad minimas quaſque perturbationes fides noſtra labaſcat, imo propemodum concidat: da, inquam, ut virtute Spiritus tui efferamur ſupra hunc mundum, & magis ac magis diſcamus renunciare conſiliis noſtris, & ad te ita accedere, ut ſtemus fixi in noſtra ſpecula, ſperantes ſemper ex tua virtute quicquid nobis pollicitus es, etiamſi non ſtatim declares reipſa te veraciter loquutum eſſe: & ita probemus fidem ac patientiam noſtram, ut pergamus in curſu militiæ noſtræ, donec tandem ſupra omnes ſpeculas conſcendamus in beatam illam quietem, ubi non amplius ſpeculabimur cum attentione mentis, ſed videbimus facie ad faciem in imagine tua, quicquid optabile eſt, & quicquid ad plenam noſtram felicitatem pertinet, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO QUINTA
IN
HABACUC PROPHETAM.

CAP. II.

HEri docuit Propheta hoc juris permittendum eſſe Deo, ut nobiſcum loquatur, & ſuſtineat nos verbo ſuo, donec maturum tempus advenerit, ut re ipſa exhibeat quod nobis promiſit. Hinc ſequitur exhortatio, quæ additur in fine verſus, nempe opus eſſe patientia: quemadmodum etiam Apoſtolus, 10. ad Hebr. cap. hunc locum exponens, utitur hac loquutione. Tametſi enim citat quod videbimus proximo verſu, Juſtus ex fide ſua vivet: reſpicit tamen totum contextum, & ſimul admonet quorſum Propheta hic celebret auctoritatem verbi Dei. Hæc igitur exhortationis ſumma eſt, Quamvis Deus nos teneat ſuſpenſos, non tamen abjiciendam eſſe ſpem; quia novit quando expediat nobis manum porrigere: & quemadmodum heri attigimus duo membra, quæ videntur primo intuitu pugnare, Propheta hic ſcite connectit, & oſtendit optime inter ſe quadrare; quia Deus etiamſi videtur cunctari, non tamen tardior eſt quam oportet, & quam expedit. Statuendum igitur eſt, in Deo ſatis eſſe prudentiæ & conſilii, ut nos juvet ſimulatque opus fuerit. Jam admonet Propheta, non eſſe mirum ſi Deus ipſe videtur nobis eſſe tardior, quia præcipites ſumus in votis noſtris. Cohibendus igitur eſt fervor ille, ut ſubjiciamus affectus noſtros providentiæ & conſilio Dei. Nunc pergamus.

4. **Ecce exaltatio, (*vel, qui ſe munit, ut alii vertunt*) non recta eſt anima ejus in ipſo: juſtus autem in fide ſua vivet.**

Cohæret hæc ſententia cum proximo verſu, quia vult Propheta oſtendere nihil eſſe melius, quam inniti verbo Dei, utcunque variæ tentationes animos noſtros impetant. Videmus ergo nihil hic dici novum, ſed confirmari ſuperiorem doctrinam, quod ſcilicet tuta nobis & certa ſalus in ſola Dei promiſſione ſita ſit: ideo non alium quærendum eſſe portum, ubi ſecure ſuſtineamus omnes Satanæ & mundi impetus. Sed hæc duo membra inter ſe opponit, quod quiſquis ſe munire volet, ſemper per varios anfractus feretur, nec quieto erit animo. Unde colligitur alterum membrum, Non alibi poſſe quieſcere

ſcere

ſcere homines, qoam in fide. Cæterum, prius membrum varie exponunt interpretes. Quidam enim vocem עפלה putant eſſe ſubſtantivum nomen, & accipiunt pro Elevatione: quæ ſententia non male convenit. Certe eam ut magis genuinam amplecti non dubito. Quod enim עפל vocant Hebræi Arcem, recte judicant deductum eſſe à verbo עפל, quod eſt Aſcendere. Nam quod alii pro Roborare accipiunt, ratione caret. Alii autem ſecus exponunt, quod ſcilicet quærant ſibi arcem increduli, ubi ſeſe muniant. In eo parum eſt diſcriminis quoad ſummam rei. Sed variant ac diſſident interpretes in re ipſa: quia nonnulli prædicatum accipiunt loco ſubjecti, & ſubjectum loco prædicati. Quidam ergo eliciunt hunc ſenſum ex verbis Prophetæ, Quiſquis non eſt bene compoſito animo, quærit ſibi arcem in qua tuto quieſcat, vel ſeſe roboret. Alii, Qui ſuperbus eſt, vel qui ſeſe putat probe munitum, ille anima erit ſemper inquieta. Et hic poſterior ſenſus mihi magis arridet, niſi quod ſemper retineo ſignificationem illam nominis עפלה: quaſi diceret, Ubi erit animi elatio, nulla erit tranquillitas. quanquam priore loco videndum eſt quid velint qui ſecus exponont hunc locum. Dicunt igitur incredulos, qui ſunt obliquo animo & perverſo, ſemper quærere ubinam tuto degant, quia omnia illis ſunt ſuſpecta: deinde non reſpiciunt in Deum, & hac ratione volunt quærere ſibi remedia in mundo, quibus reſiſtant omnibus incommodis & periculis. ſic ſentiunt illi. Sed quemadmodum jam dixi, Propheta hic potius denunciat pœnam omnibus incredulis: quaſi diceret, rependi illis mercedem, qua digni ſunt, ubi ſeſe ipſos torquent. Ita melius conſtabit antitheſis: & uberior etiam poterit elici doctrina, ſi dicamus Deum pœnam exigere de incredulis, ubi inquietudine illos diſtrahi in omnes partes ſinit: imo etiam vexat occultis tormentis eorum animos. Quum ergo dicit Propheta non eſſe quietam animam in omnibus qui putant ſe bene munitos, intelligit ipſos ſibi eſſe carnifices, quia accerſunt ſibi multas moleſtias, multos dolores, multas anxietates, & agitant etiam ac permiſcent diverſa conſilia: nunc excogitant unam rem, nunc ad aliam declinant. Rectificari enim animam dicunt Hebræi, ubi acquieſcimus una aliqua in re, & ſtamus tranquilli: ubi autem turbulentæ cogitationes nos in varias partes impellunt, tunc dicunt animam non eſſe rectam in nobis. Tenemus ſimplicem Prophetæ ſenſum. *Ecce*, inquit. Demonſtrativa particula exprimit poſſe perſpici quod docet, ſi ad quotidiana experimenta ſimus attenti. Senſus igitur eſt, in communi hominum vita clare extare hujus rei documentum, quod quiſquis ſeſe munit, deinde effertur confidentia, nuſquam reperiat tranquillum portum. Semper enim aliqua nova ſuſpicio, vel aliquis metus mentem conturbat: hinc fit, ut anima ipſa ſeſe implicet variis curis & anxietatibus. Hanc mercedem dixi rependi juſto Dei judicio omnibus incredulis, quia Deus, ſicuti apud Jeſaiam teſtatur, offert nobis quietem: qui vero repudiant bonum illud ineſtimabile, quod ultro oblatum illis fuerat à Deo, digni ſunt non uno genere cruciatus, ſed qui lacerentur cæcis agitationibus: imo etiam qui ſeipſos torqueant ac diſcrucient. Verum quidem eſt, ſi quis munitus ſit, poſſe tamen acquieſcere in verbo Dei: ſed vox עפלה refertur ad ipſum affectum animi. Quiſquis igitur turget inani fiducia, ubi videt ſibi multa eſſe auxilia ſecundum carnem, ille ſemper agitabitur, hoc eſt, tandem ſentiet nuſquam eſſe quietem, ubi mens non recumbit in ſolam Dei gratiam. Tenemus nunc ſententiam hujus partis. Sequitur, *Juſtus autem vivet in fide ſua.* Hic non dubium mihi eſt, quin Propheta fidem opponat omnibus præſidiis, quibus excæcantur homines, ut Deum ipſum negligant, neque petant ab eo auxilium. Quia igitur ſubſidunt homines in terra, freti fallacibus ſuis fiduciis, ideo Propheta hic vitam in fide locat. Fides autem (ſicuti notum eſt, & ſtatim fuſius dicemus) pendet à ſolo Deo. Ergo ut fide vivamus ſignificat Propheta ſponte cedendum eſſe omnibus munitionibus, quæ fallere nos ſolent. Qui ergo ſentiet ſe nudatum eſſe omnibus præſidiis, ille vivet fide ſua ſi in uno Deo quærat quod ſibi deeſt, ac relicto mundo mentem ſuam defigat in cœlos. Quoniam אמונה Hebræis eſt Veritas, ideo quidam hic accipiunt pro Integritate: quaſi dixiſſet Propheta, plus eſſe præſidii juſto in ſua probitate & pura conſcientia, quam ſit filiis hujus ſeculi in cunctis munitionibus, quibus ſuperbiunt. Sed ideo frigide extenuant Prophetæ ſententiam, quia non intelligunt quid valeat gratuita juſtitia fidei, unde nobis naſcitur ſalus. Certum igitur eſt Prophetam ſub voce אמונה hic intelligere fidem, quæ nos ſpoliat omni arrogantia, nudoſque & inopes ad Deum adducit, ut petamus ab ipſo uno ſalutem, quæ alioqui procul à nobis remota eſt. Jam quod multi reſtringunt prius membrum ad Nabuchodonoſorem, non convenit. Propheta uſque ad finem capitis deinde concionabitur de Babylone & ejus ruina. Sed hic potius diſtinguit inter filios Dei, qui omnes ſuas curas in ipſum exonerant, & inter incredulos, qui non poſſunt egredi extra mundum, ubi volunt ſecuri eſſe: ſed colligunt ſibi hinc inde præſidia, in quibus confidant. Et hoc etiam notatu dignum eſt, quia multum valet ad intelligendam Prophetæ mentem. Si hoc referat quiſpiam ad Nabuchodonoſorem, Ecce ſuperbus, non erit recta ejus anima in ipſo, alterum membrum minus erit efficax. Si autem hic quaſi in duabus tabulis oſtendat Propheta quid ſit ſuperbire in noſtris viribus, aut terrenis auxiliis: quid ſit reponere vitam in uno Deo: multo clarior erit ſenſus, & doctrina hæc multo efficacius penetrabit in animos noſtros. Scimus enim quantopere illuſtrent iſtæ comparationes quod alioqui per ſe eſſet obſcurum, vel minus apertum. Nam ſi tantum pronunciaſſet Habacuc fidem noſtram eſſe cauſam vitæ & ſalutis, poſſet quidem hoc recipi: ſed ut propenſi ſumus ad ſpes terrenas, illa prior doctrina non ſufficeret ad corrigendum illud vitium, & animos noſtros bene purgandos omni vanitate. Cæterum, ubi denunciat falli omnes incredulos dum ſeſe muniunt vel efferunt, quia Deus ipſos ſemper agitabit; & etiamſi nemo exhibeat extrinſecus moleſtiam, intus tamen ipſos ſibi fore carnifices, quia nihil erit recti, nihil certi apud ipſos: ubi ergo hoc nobis dicitur, perinde eſt acſi Deus nos ad ſe violenter retraheret, ubi videt deludi illecebris Satanæ, & videt nimium proclives ad captandas fallacias, quæ nobis tandem cederent in perniciem. Nunc etiam tenemus cur hæc duo inter ſe oppoſuerit Habacuc, nempe munitiones hujus mundi non modo eſſe evanidas, ſed ſemper afferre ſecum multa tormenta: deinde, juſtum fide ſua vivere. Et hinc etiam confirmatur, ſicuti nuper attigi, fidem non accipi pro integritate hominis, ſed potius pro fide, quæ hominem exinanitum bonis omnibus coram Deo ſiſtit, ut à gratuita ejus bonitate petat quæ ipſum deficiunt. nam omnes increduli volunt ſeſe munire, & ita ſe roborant, ubi putant aliquid ſibi ſuppetere in quo confidant. Quid autem juſtus? nihil coram Deo affert præter fidem. ergo nihil affert proprium, quia fides quaſi precario mutuatur quod non eſt penes hominem. Qui ergo vivit fide, non habet apud ſe vitam: ſed quia ea indiget, ad Deum unum confugit. Utitur etiam verbo futuri temporis Propheta, ut oſtendat vitæ perpetuitatem: quia gloriantur etiam umbratili vita increduli: ſed Dominus tandem detegit ipſorum ſtultitiam, & ipſi ſero intelligunt ſe fuiſſe deceptos. Quia autem Deus nunquam fruſtratur ſpem ſuorum, ideo Propheta hic perpetuam vitam fidelibus promittit. Jam veniendum eſt ad Paulum, qui teſtimonio Pro-

phetæ noſtri utitur, ut doceat ſalutem non eſſe ex operibus, ſed ex ſola Dei miſericordia, ideoque ex fide. Videtur Paulus torquere Prophetæ verba in ſuum commodum, idque præter rationem: quia hic Propheta de ſtatu vitæ præſentis diſſerit. Neque enim antehac ſermonem habuit de vita cœleſti: ſed, quemadmodum vidimus, hortatus eſt fideles ad patientiam, & ſimul teſtatus eſt Deum fore illis liberatorem. Jam adjungit, *Juſtum fide ſua victurum*, etiamſi deſtituitur omni auxilio, etſi videtur expoſitus eſſe ad omnes fortunæ, & impiorum, & diaboli etiam injurias. Quid hoc ad æternam ſalutem animæ, dicet quiſpiam? Videtur ergo nimis argute Paulus trahere ad diſputationem de gratuita fidei juſtitia hoc teſtimonium. Sed tenendum eſt principium illud, Quicquid beneficiorum confert Dominus fidelibus in hac vita, tendere in eum ſcopum, ut certo ſeſe confirment in ſpe æternæ hereditatis: nam utcunque Deus liberaliter ſe erga nos effundat, miſera tameo erit noſtra conditio, ſi ſpes noſtra ad terrenam vitam reſtringitur. Quoniam ergo Deus animos noſtros vult erigere ad ſpem æternæ ſalutis, quoties nobis auxiliatur in hoc mundo, & ſe declarat nobis patrem, ideo quum Propheta dicit victuros fideles, certe non terminat vitam hanc tam anguſtis finibus, ut duntaxat eos tueatur Deus ad triduum, id eſt, ad paucos annos: ſed longius progreditur, nempe vere & in ſolidum beatos fore: quia etiamſi totus hic mundus vel pereat, vel obnoxius ſit variis mutationibus, fideles tameo perſiſtant in firma & ſolida ſalute. Quum ergo vitam promittit Habacuc fidelibus in tempus futurum, oon dubium eſt quin ſuperet metas hujus mundi, & meliorem vitam proponat fidelibus, quam quæ agitur in hoc mundo, quum referta ſit multis ærumnis: deinde ſua etiam brevitate oſtendat oon debere magnopere expeti. Nunc tenemus Paulum ſcite & proprie accommodare Prophetæ verba ad probationem ſuæ doctrinæ, quod ſcilicet juſtus vivat ſola fide, quia extra Dei miſericordiam oulla ſit animæ ſalus. Primo ad Rom. cap. citans hunc locum dicit, revelari Dei juſtitiam in Euangelio ex fide in fidem: poſtea adjungit, ſicuti ſcriptum eſt, Juſtus ex fide vivet. Hæc optime inter ſe contexit Paulus, juſtitiam manifeſtari in Euangelio, & nobis obtingere ſola fide. Nam illic contendit, Lege, vel operibus Legis non poſſe homines conſequi juſtitiam: ſequitur in Euangelio ſolo ipſam patefieri. Unde hoc probat? teſtimonio Habacuc Prophetæ: Si fide vivit juſtus, ergo juſtus eſt fide: ſi juſtus eſt fide, ergo non operibus Legis. Paulus autem ſumit illud principium, quod paulo ante attigi, nempe homines exinaniri omnibus meritis, quum fidem ſuam coram Deo producunt. quantiſper enim proprium aliquid poſſidet homo, non placebit Deo ſola fide, ſed dignitate etiam ſua. Si ergo fides ſola conciliat gratiam, faceſſat Lex neceſſe eſt. Quemadmodum etiam 3. ad Gal. cap. idem clarius explicat: Quod juſtitia, inquit, non ſit ex operibus Legis, patet: ſcriptum enim eſt, Juſtus ex fide ſua vivet. Atqui Lex non eſt ex fide. Sumit Paulus illa tanquam contraria, nempe fidem, & Legem: contraria quoad effectum juſtificandi. Lex enim optime conſentit cum Euangelio: imo continet in ſe Euangelium. Et Paulus ſolvit quæſtionem illam 1. ad Rom. cap., quum dicit Legem nihil nos juvare ad conſequendam juſtitiam, ſed eam nobis offerri in Euangelio, & tamen habere à Lege & Prophetis teſtimonium. Quamvis ergo optime conveniat inter Legem & Euangelium, ſicuti Deus, qui ſecum non pugnat, utriuſque eſt auctor, tamen quoad juſtificandi effectum, pugnat Lex cum Euangelio, non aliter quam lux cum tenebris. nam Lex promittit juſtitiam cultoribus Dei: hæc eſt conditionalis promiſſio, quæ pendet à meritis operum. Euangelium autem promittit quidem ſub conditione juſtitiam: ſed non reſpicit ad operum merita. Quid igitur? tantum ut amplectantur qui damnati ſunt ac perditi gratiam ſibi oblatam in Chriſto. Nunc ergo videmus quomodo vere ex Propheta noſtro Paulus confirmet ſuam doctrinam, nempe æternam ſalutem nobis in ſola fide poſitam eſſe: quia ſcilicet deſtituimur omnibus operum meritis,& cogimur coram Deo nos ſiſtere nudos & inopes, tunc Dominus nos gratis juſtificat. Sed ut hoc melius pateat, primo videndum eſt cur homines neceſſe ſit venire prorſus nudos in Dei conſpectum. nam ſiquid eſſet in ipſis dignitatis, certe Dominus nollet ipſos fraudare proprio honore. Quorſum nos Dominus gratis juſtificat, niſi ut inde appareat juſtus? Non indiget autem hac gloria, quaſi velit cum hominum damno ipſe glorificari: ſed ideo juſtitiam ſola fide conſequimur, quoniam Deus in nobis nihil deprehendit quod probet, aut quod valeat ad conſequendam juſtitiam. Quod autem ita ſit, primum videmus quid de natura hominum pronunciet ubique Spiritus ſanctus. Superbiunt quidem homines ſtulta opinione ſuæ juſtitiæ: ſed omnes philoſophicæ virtutes (quas vocant, hoc eſt, quas putant homines ſibi eſſe ex libero ſuo arbitrio) ſunt meri fumi, imo ſunt diaboli præſtigiæ, quibus faſcinat mentes hominum, ut ad Deum non accedant, ſed potius ſeſe præcipitent in profundiſſimos inferos, ubi volunt ſe ultra modum efferre. Quicquid ſit, ſtatuendum eſt, in natura hominis ne guttam quidem eſſe vel rectitudinis, vel juſtitiæ: ſed quicquid à ſeipſis tentant homines, hoc eſſe abominabile coram Deo. Hoc eſt unum. Jam ubi Deus porrexit manum ſuis electis, adhuc tamen neceſſe eſt ipſos fateri ſuam inopiam & nuditatem, quoad laudem juſtitiæ: quia utcunque regeniti ſint Dei Spiritu, tamen in multis labuntur: & ita innumeris modis obſtricti ſunt reatu æternæ mortis coram Deo. ſic fit ut nulla ſit ipſis juſtitia. Papiſtæ à nobis primum diſſident, dum imaginantur quaſdam præparationes, quia non poteſt evelli ex eorum cordibus perverſum illud commentum de libero Arbitrio. Quoniam igitur hominem volunt præditum eſſe libero Arbitrio, etiam ſemper adjungunt aliquid virtutis, quaſi proprio motu ſibi concilier gratiam. Fateotur quidem hominem per ſe nihil poſſe, niſi adjutrice Dei gratia: ſed interea permiſceot ſuas fictas illas præparationes, quemadmodum dixi. Alii fatentur, donec præveniat nos Deus ſua gratia, nihil prorſus eſſe momenti in libero Arbitrio: ſed poſtea tameo fingunt liberum Arbitrium concurrere cum Dei gratia, quoniam per ſe non eſſet efficax, niſi reciperetur conſenſu noſtro. Sic ergo ſemper aliquid dignitatis relinquunt hominibus. Sed majus eſt diſſidium in 2. cap. quia ubi regeniti ſumus per Dei gratiam, tunc fingunt Papiſtæ nos juſtificari operum meritis. Fatentur donec præveniat nos Deus ſua gratia, nos eſſe damnatos, nec poſſe recuperare ſalutem, niſi adjutrice gratia Dei: ſed ſimulatque Deus operatus eſt in nobis, tunc dicunt nos poſſe conſequi juſtitiam propriis operibus. Ubi autem objicimus, etiam fideles dum regeniti ſunt Spiritu Dei, non implere Legem, dicunt hoc quidem eſſe verum, ſed poſſe tamen ſi velint, quia Deus nihil mandavit, quod ſit ſupra hominum facultatem. Etiam hic unus eſt pernicioſiſſimus error. Interea coguntur fateri quod experientia ipſa docet, neminem prorſus eſſe purum ab omni vitio. Manet igitur ſemper aliquis reatus. Sed dicunt etiam ſi dimidia tantum ex parte ſervamus Legem Dei, dimidiam nos conſequi juſtitiam. Siquis ergo ſcortando Deum offendat, atque ita accerſat ſibi æternæ mortis reatum: abſtineat autem à furto, dicunt juſtum eſſe, quia fur non eſt. Atqui eſt ſcortator: verum eſt: ſed tamen juſtus ex dimidia parte, quia ſervat partem Legis: & vocant hanc partialem juſtitiam. Atqui Deus non promiſit ſalutem hominibus, niſi omni ex parte & in ſolidum impleant quicquid

præcepit Lege ſua. Neque enim dictum eſt, qui partem Legis impleverit, ille vivet: ſed, Qui fecerit *Lev. 18. verſ. 5.* hæc, vivet in ipſis. Moſes illic non deſignat vel duo, vel tria præcepta, ſed complectitur totam Legem. Unde etiam illud Jacobi, Qui vetuit mœchari, ve- *Jac. 2. v. 8, 11.* tuit etiam & furari. Quiſquis ergo tranſgreſſus ſit Legem in uno articulo, ille tranſgreſſor eſt totius Legis: ergo excluditur ab omni ſpe juſtitiæ. Videmus igitur Papiſtas nimis craſſe hallucinari ubi imaginantur aliqua ex parte juſtos eſſe homines quoties Legem obſervant. Utcunque enim reperiatur quiſpiam, qui Legem Dei exacte obſervet, tamen non meretur juſtus cenſeri, niſi virtute promiſſionis. Et in hoc etiam principio impingunt Papiſtæ: & tamen ſecum ipſi pugnant: quia fatentur merita non acquirere juſtitiam hominibus intrinſeca dignitate, ſed tantum ex pacto Legis. ſimulatque hoc dixerunt, ſtatim memoria lapſi tanquam abreptitii homines contrarium afferunt. Si ergo Papiſtæ hæc duo conjungerent, juſtitiam non eſſe niſi ex pacto Legis, & aliquam eſſe partialem juſtitiam, viderent pugnare inter ſe. Ubi enim eſt hæc partialis juſtitia? Si non ſumus juſti niſi ex pacto Legis: ergo non ſumus juſti niſi ex plena & perfecta Legis obſervatione. hoc certum eſt. Deinde errant longe gravius in remiſſione peccatorum: quia, ſicuti notum eſt, obtrudunt ſuas ſatisfactiones: & ita volunt expiari hominum peccata propriis meritis, acſi non ſufficeret Chriſti ſacrificium. Hinc fit ut non concedant, gratuito nos juſtificari fide, quia non poſſunt adduci ut agnoſcant gratis remitti peccata. Niſi autem gratuita ſit peccatorum remiſſio, fatendum eſt juſtitiam non eſſe ex ſola fide, ſed etiam ex meritis. Atqui tota Scriptura oſtendit non alibi quærendam eſſe expiationem, quam in unico Chriſti ſacrificio. Ergo error ille etiam nimis craſſus ac perverſus eſt in Papiſtis. Deinde errant etiam quum de operum meritis diſputant: quia vellent jactare ſuas inventiones, quemadmodum vocant ſatisfactiones opera ſupererogationis. Et opera meritoria in Papatu ſunt erroneæ illæ & nihili ſuperſtitiones, in quibus laborant ac ſeſe macerant, imo prorſus conficiunt. Si demurmurent multas precules, ſi curſitent per altaria, & per diverſa templa, ſi emant Miſſas, denique ſi cumulent fictitios omnes illos cultus, putant ſe juſtitiam promereri coram Deo. Atqui hoc modo obliviſcuntur ſui dicti, Juſtitiam eſſe ex pacto. Nam ſi ex pacto eſt, Deus certe nihil promittit operibus fictitiis, quæ homines ex proprio ingenio comminiſcuntur & excogitant. Sequitur ergo nihil ad juſtitiam conferre quicquid ex proprio cerebro homines ad Deum afferunt. Alius etiam error notandus eſt, quia in bonis operibus non animadvertunt maculas, quæ merito diſplicent Deo, ita ut jure damnentur coram ipſo opera noſtra, ſi examinentur pro ſummo jure. Vere dicunt Papiſtæ, nos non juſtificari intrinſeca dignitate operum: ſed poſtea non expendunt quam vitioſa ſint opera noſtra, quia nullum opus procedet ab homine mortali, quod vere reſpondeat Dei pacto. Quare? nullum enim opus naſcitur ex perfecto Dei amore. Ubi autem non eſt perfectus Dei amor, illic eſt corruptela, illic vitium. Unde ſequitur, omnia noſtra opera contaminata eſſe coram Deo, quia non fluunt niſi ex impuro fonte cordis. Siquis excipiat, purgari corda hominum per regenerationem Spiritus, hoc fatendum eſt: ſed interea ſemper in ipſis cordibus reſident multæ fæces. Et hoc ſufficere nobis debet, nihil eſſe purum & ſincerum coram Deo, ubi non eſt perfectus ejus amor. Quia ergo cæcutiunt Papiſtæ ad hæc omnia, non mirum eſt ſi tam hoſtiliter nobiſcum pugnent de juſtitia, neque ullo modo admittere ſuſtineant gratuitam fidei juſtitiam. Nam ab initio recurrit illis figmentum illud Liberi arbitrii, Quod ſi proprio motu homines ad Deum accedunt, non juſtificantur ergo gratis. Poſtea, quemadmodum dixi, imaginantur partialem juſtitiam: fingunt defectum ſuppleri ſatisfactionibus: deinde habent ſuas devotiones, ut loquuntur, id eſt, multa figmenta. ſic fit ut ſemper ſtatuant juſtitiam hominis, ſaltem aliqua ex parte, in ipſo eſſe poſitam, & operibus. Recipiunt quidem nos juſtificari fide: ſed ubi additur, Sola fide, tunc furere incipiunt. Atqui non conſiderant, juſtitiam, ſi eam fide conſequimur, non poſſe eſſe ex operibus: quia à contrariis Paulus ratiocinatur, quemadmodum ſupra docui, ubi dicit juſtitiam ſi eſt ex operibus *Rom. 4. verſ. 13.* Legis, non eſſe ex fide. Fides enim, ut dictum eſt, ſpoliat hominem, ut apud Deum quærat quod ſibi deeſt. Papiſtæ autem imaginantur hominem non ſufficere ſibi, ſed non agnoſcunt ita inopem eſſe & miſerum, ut quærenda ſit juſtitia in ſolo Deo. Sed tamen ſatis clara eſt Pauli doctrina. nam etiamſi nunquam loquutus eſſet Paulus, ratio tamen hæc facile convincit non poſſe aliter juſtificari fide homines, donec abjiciant omnem fiduciam operum ſuorum. nam ſi juſtitia ex fide eſt, ergo ex mera gratia: ſi ex mera gratia, ergo non ex operibus. Et nugatorium eſt quod Papiſtæ exiſtimant, eſſe quidem ex gratia partim, & partim ex meritis operum: quia ſicuti ſalus non poteſt dividi, ita nec juſtitia per quam ad ſalutem ipſam pervenitur. Ergo quemadmodum fides acquirit nobis gratiam coram Deo, & hæc gratia facit ut cenſeamur juſti; ita neceſſe eſt cadere omnia opera, ubi juſtitia fidei tribuitur.

Da omnipotens Deus, quando corruptela carnis noſtræ ſemper nos ad ſuperbiam & vanas confidentias inclinat, ut illuminati verbo tuo ſentiamus quanta & quam miſera ſit noſtra inopia, ut ita diſcamus nos ipſos penitus abnegare, & nudi nos tibi ſic offeramus, ut non aliunde ſperemus vel juſtitiam vel ſalutem, quam ab unica tua miſericordia, neque alibi etiam quieſcamus, niſi in ſolo Chriſto: & ita tibi adhæreamus ſacro & inviolabili vinculo fidei, ut poſſimus intrepide contemnere omnes illas inanes jactantias, quibus impii contra nos ſuperbiunt: atque ita vera humilitate ſic nos dejicere, ut per eam tamen ſupra cœlos omnes evehamur, ut participes ſimus illius æternæ vitæ quam nobis peperit ſanguine ſuo unigenitus Filius tuus, Amen.

PRÆLECTIO SEXTA IN HABACUC PROPHETAM.

CAP. II.

HEri contulimus locum Habacuc cum Pauli interpretatione, qui colligit nos juſtificari fide abſque operibus Legis, quia Propheta docet nos fide victuros. Eadem enim ratio eſt vitæ & juſtitiæ: quia non aliunde petenda eſt nobis vita quam ex paterno favore Dei. hoc igitur noſtrum eſt vivere, Deo eſſe conjunctos. Atqui nulla ſperari poteſt conjunctio cum Deo ubi peccata nobis imputat. quia enim juſtus eſt, nec poteſt ſibi renunciare, ſemper odio eſt illi iniquitas. Ergo quantiſper nos reputat pro peccatoribus, neceſſe eſt ut nos habeat ſibi exoſos. Ubi odium Dei, illic mors & interi-

interitus. ſequitur ergo nullam nobis ſpem vitæ relinqui, donec reconciliati ſimus Deo. Atqui non alia ratio eſt qua Deus nobiſcum in gratiam redeat, niſi dum reputat & cenſet juſtos. Sequitur ergo Paulum optime ratiocinari, ubi à vita nos ad juſtitiam deducit: quia ſunt res conjunctæ & inſeparabiles. Unde etiam detegitur Papiſtarum error, qui juſtificari nihil aliud eſſe putant quam renovari ad juſtitiam, ita ut pie ſancteque vivamus. Ergo illis juſtitia eſt qualitas. Sed longe aliud ſentit Paulus, qui ſalutem noſtram & juſtitiam ideo conjungit, quia non poteſt nobis propitius eſſe Deus, niſi ſibi nos reconciliet. Quomodo autem hoc fit? nempe quia non imputat peccata. Ideo proprie loquuntur, & fideliter exprimunt quod Spiritus ſanctus ubique docet, qui vocant Juſtitiam imputativam: nam hoc modo oſtendunt non eſſe qualitatem, ſed potius eſſe in prædicamento relationis juſtitiam. & ideo heri diximus, quiſquis vivit ex fide, aliunde mutuari vitam: & quiſquis juſtus eſt fide, extra ſe eſſe juſtum, nempe gratuita Dei miſericordia. Nunc ergo videmus quam apte conjungat Paulus juſtitiam cum vita, & teſtimonio Prophetæ utatur ad probandam gratuitam juſtitiam, quia affirmat nos fide victuros. Sed non mirum eſt Papiſtas tot modis hic hallucinari, quia etiam diſſentiunt à nobis in ipſa Fidei voce. Unde fit ut tam obſtinate negent ſola fide nos juſtificari? Coguntur, ut heri attigimus, admittere fidei juſtitiam: ſed excluſiva particula illis non eſt tolerabilis: quia imaginantur fidem formatam quæ nos juſtificet. Illa autem fides formata illis eſt pietas vel timor Dei. Et dum fidem informem nominant, intelligunt nos poſſe amplecti Dei promiſſiones abſque Spiritu regenerationis: quod eſt pluſquam abſurdum. quaſi vero fides non ſit ſingulare donum Spiritus, & pignus adoptionis noſtræ. Sed hæc principia omnino Papiſtæ ignorant: quia conjecti ſunt in reprobum ſenſum, ut impingant in ipſis elementis. Cæterum hoc tenere ſufficiat quoad intelligentiam præſentis loci, nos fide victuros, quia vita noſtra umbra eſt vel fumus, ideoque unicum remedium ſupereſſe, ut petamus vitam ab uno Deo. Quomodo autem Deus nobis vitam communicat? Nempe gratuitis promiſſionibus: eas nos fide amplectimur: ergo ex fide ſalus eſt. Jam non poteſt adſcribi fidei ſalus & operibus ſimul: quia fides laudem vitæ & ſalutis acceptam refert uni Deo: opera autem oſtenderent aliquid homini deberi. Ergo fides quoad juſtificandi effectum prorſus excludit omnia opera, ne veniant in rationem coram Deo. & ideo dixi in fide ſtatui nobis ſalutem: quia gratuita peccatorum remiſſione accepti ſumus Deo. Conjunctio autem Dei nobiſcum, vera eſt & ſolida ſalus. ſed fieri non poteſt ut quis Deo ſit conjunctus niſi per juſtitiam. Atqui in nobis non reperietur juſtitia: ideoque ipſam nobis Deus ipſe gratis imputat: & quemadmodum juſtificamur gratis, ſic etiam ſalus noſtra gratuita vocatur. Jam quæ poſſent dici de juſtificatione fidei, non referam, quia ſatius eſt proſequi contextum Prophetæ: niſi quod duo capita cum ſuperioribus contexere neceſſe eſt. Nam quum Propheta ætatis ſuæ hominibus ſalutem nonniſi in fide poſitam eſſe teſtatus ſit, ſequitur eos in Chriſtum reſpexiſſe: quia niſi Mediatore freti Deo fidere non poterant. nam ſicuti juſtitia noſtra dicitur peccatorum remiſſio, ſic ſacrificium medium occurrere neceſſe eſt, quo placatur Deus ut peccata non imputet. Erant quidem illis ſuæ victimæ legales, ſed quæ eorum mentes dirigerent ad Chriſtum: tantum abeſt, ut Deo fuerint accepti, niſi eadem Mediatoris gratia, in qua hodie fides noſtra fundata eſt. Accedit etiam alterum, quod Propheta diſerte exprimens juſtum fide vivere, clare demonſtrat toto vitæ noſtræ curſu non aliter poſſe juſtos cenſeri quam gratuita imputatione. Non dicit filios Adæ, ut rei æternæ mortis naſcuntur, vitam fide recuperare: ſed juſtos ipſos, qui jam vero Dei timore præditi ſunt, fide vivere. quo refellitur commentum de initiali juſtitia. Nunc ergo pergamus.

5. Quanto magis (*vel, etiam certe*) vino tranſgrediens vir ſuperbus, & non habitabit qui dilatat quaſi ſepulchrum animam ſuam, & eſt ſimilis morti, (*& ipſe quaſi mors, ad verbum*) & non ſatiabitur, (*non ſatiatur: ſignificat actum continuum*) & colliget ad ſe omnes gentes, & coacervabit ad ſe omnes populos.

Poſtquam docuit Propheta non aliter tranquillum poſſe nobis eſſe ſtatum mentis, niſi dum recumbimus in unam Dei gratiam: & ſibi accerſere multas moleſtias & inquietudines quicunque ſeſe efferunt & volitant in aëre, & ſeſe paſcunt vento: jam deſcendit ad regem Babylonis & regnum ipſum. Neque enim meo judicio loquitur de Regis ipſius perſona duntaxat, ſed complectitur tyrannicum illud imperium cum ſua gente: ſicuti etiam erat illic magna caterva latronum. Dicit igitur in ſumma, etiamſi Babylonii tanquam homines temulenti ferantur huc & illuc ſine aliqua temperie, inſtare tamen illis vindictam Dei, qua in nihilum redigentur. Itaque quicquid ſubjiciet Propheta uſque ad finem capitis, faciet ad confirmationem ejus doctrinæ quam nuper expoſuimus, quod ſcilicet juſtus vivet fide ſua. neque enim hoc nobis perſuaſum eſſet, niſi ſimul fixum eſſet illud principium, nos Deo curæ eſſe, & totum mundum gubernari ejus providentia: ita fieri non poſſe quin tandem compeſcat improbos, & vindictam ſumat de ipſorum ſceleribus; liberet etiam innoxios, qui ipſum invocant. Niſi hoc nobis conſtaret, quiſnam eſſet fructus fidei noſtræ? Poſſemus enim centies deludi, ſicuti experientia docet vanas & noxias eſſe ſpes hominum, quamdiu in terra ſubſiſtunt, quia ſunt meræ imaginationes duntaxat. Ergo niſi Deus mundum gubernet ſua juſtitia, nulla erit ſalus fidelibus: quia Deus lactaret eos vanis promiſſis: vel ipſi ſibi fingerent ſutilem vitam, hoc eſt, ſperarent quod non eſt. Oſtendit igitur Propheta quomodo victuri ſint fide ſua juſti: quia ſcilicet Dominus tuetur omnes qui ipſum invocant: & quia juſtus eſt mundi judex, tandem pœnam exiget de omnibus reprobis; etiamſi ad tempus laſciviant, & putent ſe hoc impune facere, quia Deus non exercet ſtatim ſuum judicium in eos. Tenemus nunc conſilium Prophetæ. Quantum ad verba pertinet, duæ iſtæ particulæ אף כי, dum ſimul junguntur, amplificant: ideo reddunt, Quanto magis. Alii putant ſimplicem eſſe affirmativam: ideo vertunt, Certe. Mihi non diſplicet media interpretatio, Etiam certe: & ita accipitur meo judicio apud Moſen, 3. cap. Geneſis. nam Satan hoc modo interrogat mulierem, Etiamne certe? *Eſt-ce pour vray?* nam illa interrogatio eſt dubitantis, & tamen de re quaſi certa: Qui fieri poteſt ut Deus vobis interdixerit eſu fructus? Etiamne certe? Fierine poteſt? ſic etiam hoc loco, *Et etiam certe*, inquit Propheta. Quod autem amplificet, poteſt colligi ex contextu. Dixerat prius, Quicunque ſeſe elevant, aut videntur ſibi muniti, eſſe tamen trepido animo, & agitari ſurſum & deorſum. Nunc ponit alterum gradum, nempe quum homines feruntur effreni laſcivia, & ſibi omnia permittunt, quaſi nullus eſſet Deus: ſuperant enim temulentos, ita eos abripit cæca cupiditas. Quum ergo homines ita ſe projiciunt, an poſſent effugere judicium Dei? nam minus tolerabilis eſt talis veſania, quam ſimplex illa arrogantia, de qua nuper loquutus

eſt proximo verſu. Sic ergo cohærent inter ſe hæ duæ ſententiæ: Etiam certe qui ſua ſuperbia eſt ſimilis ebrio, & ſeſe non continet: imo etiam ſimilis eſt vel ſævis beſtiis, vel ſepulchro, quoniam devorat quicquid occurrit: ille certe non erit tandem tolerabilis Deo. Inſtat ergo vindicta ſuperbis omnibus, qui crudeliter ſæviunt abſque ullo modo & timore. Sed in toto contextu etiam variant interpretes. Quidam בוגד vertunt Decipere. & בגד ſignificat hoc in quibuſdam locis. Sic ergo reddunt hanc ſententiam, Vinum decipit hominem ſuperbum, & non habitabit. Hoc quidem verum eſt, ſed coactior eſt ille ſenſus: ideo ſequi malo alteram interpretationem magis receptam; quod ſcilicet vir ſuperbus ſit quaſi tranſgrediens in vino. quanquam de re ipſa etiam mihi non convenit cum aliis omnibus. Quidam vertunt, Vir addictus vino, id eſt, ebrietati, tranſgreditur: & deinde addunt, Vir etiam ſuperbus non habitabit. ſed corrumpunt ſententiam, & lacerant etiam Prophetæ verba. Sic enim dicit, *Vino tranſgrediens vir ſuperbus*. Hic non dicit hominem vino addictum tranſgredi: ſed comparat ſuperbos temulentis hominibus, qui obliti omnis rationis & verecundiæ, ſeſe proſtituunt ad omne flagitium. Ebrius enim nihil amplius diſcernit, & ſimilis eſt bruto animali: ita nullum dedecus refugit. hæc ratio eſt cur Propheta comparet homines ſuperbos ebriis, qui tranſgrediuntur in vino, hoc eſt, qui nullum teneant modum bibendi, ſed intemperanter ſeſe ingurgitant. Tenemus ergo genuinam Prophetæ mentem, quam multi aſſequuti non ſunt. Quod pertinet ad verbum Habitandi, metaphorice etiam accipio pro Quieſcere vel ſtare uno in loco. Temulenti feruntur quodam fervore: ita ſeſe non continent, quia neque pedes neque manus ſunt in eorum poteſtate: ſed ſicuti vinum ebullit, ita etiam huc & illuc tranſiliunt, quemadmodum phrenetici. Quoniam ergo talis intemperies rapit & verſat homines temulentos, ideo apte Propheta dicit hominem ſuperbum non quieſcere. Et ſequitur ratio, ſi tamen placeat ille ſenſus: *Quia dilatat quaſi ſepulchrum animam ſuam, ipſe eſt ſimilis morti.* Hæc eſt igitur illa intemperies cujus meminit, quod inexplebiles ſunt ſuperbi, & ideo cœlum & mare & terram occupant ſuis cupiditatibus. Quum ergo ita curſitent huc & illuc, non mirum eſt ſi Propheta neget ipſos quieſcere. *Dilatat* igitur *quaſi ſepulchrum animam ſuam.* Poſtea adjungit, *Cumulat*, vel congregat, vel colligit *ad ſe omnes gentes*, inquit, *& coacervat ad ſe omnes populos*: id eſt, nullum tenet modum homo ſuperbus: quia etiamſi poſſet in cumulum redigere omnes gentes, putaret tamen adhuc nondum ſibi eſſe ſatis: quemadmodum flebat Alexander, quia nondum potitus erat imperio totius mundi: & etiamſi potitus eſſet, non tamen exaruiſſent illæ lacrymæ. Audiebat enim ex Democriti opinione multos eſſe mundos: Quid hoc ſibi vult? ego etiamſi potitus ſim imperio totius mundi, ero tamen pauper: quia ſi plures eſſent mundi, ego vellem omnes vorare. ſic ſuperbi homines ſuperant omnem ebrietatem. Nunc tenemus etiam ſenſum verborum. Etſi autem generalis eſt ſententia, non dubium tamen quin Propheta eam accommodet ad regem Babylonis & omnes Chaldæos: quia, ſicuti dictum eſt, comprehendit totam gentem. Hic ergo oſtendit Chaldæos multo pejores eſſe & minus excuſabiles quam qui ſeſe efferunt immani ferocia: quia longius abripit ipſos furor, quod ſcilicet vellent totum mundum deglutire. ſed ut hoc melius exprimat, dicit ſimiles eſſe ebriis. Nec dubium eſt quin oblique hic derideat conſilia Principum, qui putant ſe eſſe ſapientiſſimos, ubi vel fraudibus opprimunt vicinos ſuos, vel aliis etiam artibus ad ſe rapiunt alienas terras, vel alia induſtria, vel etiam potentia armorum: quia ſibi mire placent in ſuis iniquitatibus Principes, Propheta ex oppoſito dicit eſſe ſimiles ebriis, *qui tranſgreſſi ſunt in vino*, hoc eſt, qui prorſus obruti ſunt nimia potatione. & tamen ſimul oſtendit cauſam hujus ebrietatis, quum dicit גבר יהיר. Quia ergo ſuperbi ſunt, ideo omnes eorum aſtutiæ ſunt temulenti impetus, hoc eſt, furioſi: quemadmodum ubi quis vino excæcatus eſt. Poſtquam ita loquutus eſt de Babyloniis, ſtatim ſubjicit,

6. Annon ipſi omnes ſuper eum parabolam *(vel apophthegma)* tollent? & dicterium ænigmaticum *(vel ænigmatum. Alii* מליצה *vertunt Interpretationem: ſed dicemus poſtea de vocibus)* ei? *(vel ſuper eum)* & dicet, Væ qui multiplicat non ſua: *(vel ex non ſuis, qui ſeſe locupletat ex alieno)* quouſque? & qui accumulat, *(vel aggravat)* ſuper ſe denſum lutum.

Nunc demum Propheta pœnam denunciat regi Babylonio & Chaldæis: quia Dominus proſtituet eos ludibrio apud omnes. Putant alii etiam in ſuperiore verſu pœnam exprimi, quæ manet violentos iſtos prædones qui totum mundum devorant. Sed potius exiſtimo Prophetam de ſuperba crudelitate loquutum eſſe, & ſimpliciter monſtraſſe quam exitialis ſit morbus illa inexplebilis cupiditas. Nunc autem, ſicuti attigi, ad pœnam deſcendit: & initio dicit populos omnes, qui ita in acervum collecti erunt, ſumpturos parabolam vel dicterium, ut derideant regem Babylonis. Ubi ergo potiti fuerint Chaldæi totius fere mundi imperio, hoc eſt, ubi ſub obſequium ſuum coëgerint omnes vicinos populos, tandem omnes ſument parabolas & dicteria: ſic paſſim dicetur, *Væ qui ſeſe auget ac locupletat ex non ſuis. Quouſque* hoc fiet? hoc eſt, an hoc poterit eſſe perpetuum? Quicunque ergo ita ſeſe multiplicant, *coacervant ſuper ſe denſum lutum*, quo tandem obruentur. Quod ad verba ſpectat, משל eſt Apophthegma ac gravis ſententia & digna memoratu, ſicuti alibi vidimus: vertunt Parabolam. Quantum attinet ad nomen מליצה, proprie ſignificat Ludibrium vel dicterium quo quis perſtringitur: nam deſcendit à verbo לוץ, quod ſignificat Ridere, & ſubſannare. Verum quidem eſt, מליץ vocari Hebræi Rhetorem vel interpretem etiam: unde quidam vertunt מליצה, Interpretationem. ſed non videtur quadrare huic loco, quia Propheta hic loquitur de ſalſis dicteriis quæ jacientur contra regem Babylonis: ſicuti enim habuit os opertum ad omnes deglutiendos, ſic etiam omnes certatim illum configent ſuis aculeis, & probroſe illudent. Quod poſtea adjungit חידות, non dubito quin nomen hoc legendum ſit in caſu genitivo. Itaque mihi non probatur quod multi interjiciunt copulam, & vertunt Proverbium & ænigma. Deſcendit hoc nomen à verbo חוד, quod eſt Ænigmatice loqui: unde etiam חידות ſunt Ænigmata, vel figuræ, vel ſententiæ obliquæ. Scimus autem ubi volumus perſtringere aliquem, plus eſſe amarulentiæ in obſcuro dicto, ubi ſubeſt figura vel ambiguitas, vel aliquid tale. Ideo non abs re Propheta vocat ludibria חידות, ænigmata, hoc eſt, obſcura dicta, quæ acrius mordent, vel configunt homines quaſi obliquis aculeis. ideo in omnibus jocis ſemper figurata eſſe debet oratio: niſi ſit vel aliqua amphibologia, vel aliqua paronomaſia, denique tales figuræ, quas hic referre ſupervacuum eſſet, nulla eſt gratia nec dexteritas. Quoniam ergo dum ſale volunt condire ſua dicteria homines, obſcurant quod per ſe poterat aperte dici, obliqua aliqua figura: hæc ratio eſt cur Propheta hic dicat ludibrium ænigmaticum, quod ſalſius eſt. *Et dicet*, mutatio eſt numeri in verbo, quæ tamen ſententiam non evertit. Particula הוי

poteſt

poteſt accipi pro Væ: aut erit exclamantis, quemadmodum ubi quiſpiam quaſi in ſpectaculum attractus, *ça, ça, or ſus.* & ſic ſæpe accipiunt Hebræi: & contextus videtur hoc exigere, quia frigidum eſſet illud Væ. Ubi Prophetæ maledicunt reprobis, certe terribilis eſt illa comminatio. ſed hic agitur de ludibrio dum totus mundus ſubſannat magnificos illos tyrannos, qui putabant ſe colendos eſſe inſtar deorum: Heus! inquiunt, ubi eſt *qui multiplicat ſe ex alieno?* poſtea, *Quouſque* hoc erit? nempe *tales aggravant ſuper ſe denſum lutum*: hoc eſt, ſeſe demergunt in profundas cavernas, & montes ſuper ſe accumulant, quibus magis conterantur. Nunc tenemus quid valeant Prophetæ verba. Quod autem videtur hic canere triumphum ante victoriam, non mirum eſt: quia fides noſtra, quemadmodum ſatis notum eſt, non innititur judicio carnis, neque etiam reſpicit quæ palam apparent; ſed eſt viſio rerum abſconditarum, ut etiam vocatur 11. ad Hebr. & ſubſiſtentia rerum abſentium. Quoniam ergo nihil decedit ex fidei ſtabilitate, etiamſi res ipſa adhuc procul abſit: deinde fides non deſinit videre quæ ſunt abſcondita, quoniam in ſpeculo verbi Dei tranſcendit & cœlum & terram, & penetrat uſque ad regnum ſpirituale Dei: quoniam ergo fides habet tam remotum aſpectum, non mirum eſt quod hic Propheta ſecure inſultet Babyloniis, & jam dictet carmen deriſorium cunctis gentibus, ut ludibrio ſint illi ſuperbi, qui tam ferociter prius ſeſe extulerant. Siquis autem interroget an liceat dicteriis & ſalibus inceſſere etiam ſceleratos homines, hoc eſt importunum: quia Propheta hic non reſpicit quid liceat fidelibus, ſed loquitur ex vulgari hominum conſuetudine. Scimus autem hoc eſſe hominibus fere ingenitum, ut ſi quos timuerunt, quia non audent obſtrepere illis quamdiu dominantur, ſi videant ipſos everſos, ut erumpant non modo in liberas querimonias & accuſationes, ſed etiam in proterviam. Quoniam ergo ita fieri ſolet ut dejectis tyrannis omnes inſultent & projiciant ſua dicteria, & omnes velint etiam videri mordaces in hac parte, Propheta ſequitur illum ordinem. Jam tamen non dubium eſt quin hoc carmen compoſuerit quaſi ex ipſo naturæ ſenſu, ubi dicit, *Homines qui multiplicant ex non ſuis*, vel qui congerunt opes alienas. Verum quidem eſt multas voces vulgo jactari, in quibus nulla eſt vel ratio vel æquitas: ſed quia manent aliqua principia æquitatis & juſtitiæ in cordibus hominum, ideo conſenſus gentium omnium eſt quædam vox ipſius naturæ, vel teſtimonium ejus æquitatis quæ inſculpta eſt hominum cordibus, & quam non poſſunt unquam delere. Talis eſt ratio hujus dicti. nam quod Habacuc inducit loquentes populos, perinde eſt acſi proponerat communem naturæ legem, in quam omnes conſentiunt, quod ſcilicet quiſquis ſeſe locupletat ex alieno, tandem concidet: ubi multas opes cumulaverit, fore opes illas inſtar cumuli, quo tegatur & obruatur. Et ſi quiſque noſtrûm mentem ſuam conſulat, reperiet hoc eſſe quaſi à natura nobis inſculptum. Quî fit igitur ut interea ſinguli ad ſe attrahere conentur opes alienas, & nihil aliud agitent tota vita quam alios ſpoliare ut ipſi diteſcant? Hinc apparet excæcari hominum mentes temulentia, quoties ita ſeſe addicunt injuſto lucro, vel quum ſibi laxant frenum ad fraudes, ad rapinas & prædas. & ita intelligimus non abs re Prophetam vocaſſe nuper ſuperbos omnes & crudeles, Temulentos. Jam ſequitur, עַד מָתַי, *Quouſque.* Etiam hoc dictatur nobis à natura, fore aliquando finem injuſtis rapinis, quamvis non ſtatim Deus compeſcat prædones & ſceleratos homines, qui per vim, & cædes, & fraudes, & maleficia graſſantur. Interea etiam Propheta ſignificat non poſſe tyrannos & eorum ſævitiam ferri abſque magno dolore & tædio: nam indignitas ſcelerum omnes accendit, ut tædio afficiantur, ubi vident non ſtatim cohiberi homines ſceleratos. ergo totus mundus fere ſtrepit his vocibus, Quouſque, quouſque? ubi vel quis conturbat totum orbem ſua ambitione & avaritia, vel rapit undecunque, vel opprimit miſeras gentes, ubi vim facit innoxiis, omnes clamant, Quouſque? & clamor ille, quia naſcitur ex naturæ ſenſu & regula æquitatis, ideo exauditur tandem à Domino. Unde enim fit ut tædio affecti omnes clament, Quouſque? niſi quia agnoſcunt non eſſe tolerabilem hanc perturbationem ordinis & juſtitiæ? Senſus autem ille nonne inditus eſt nobis à Domino? Perinde eſt igitur acſi Deus ſeipſum audiret, quum ita exaudit clamores & gemitus eorum, qui ferre nequeunt injuſtitiam. Cæterum, interea videmus ut nemo ſibi hoc idem dicat quod in alios profert. Nam ſiquis avarus ita graſſatur per fas & nefas, ut loquuntur: ſiquis ambitioſus impotenter ſeſe effert: ſtatim clamamus, Quouſque? Siquis etiam tyrannus violenter opprimat miſeros homines, ſemper Quouſque? ſic unuſquiſque hoc aliis dicit, ſed nemo ſibi. Videndum igitur eſt ut dum in aliis reprehendimus injuſtitiam, ſtatim ingrediamur in noſipſos, & ſimus æqui judices: quia amor noſtri ſic nos excæcat, ut idem vitium quod in aliis libere damnamus, velimus in nobis abſolvere. nam generaliter ſemper recte ſapiunt homines: hoc eſt, ubi de re aliqua agitur, ſi modo ipſi non eſſent admixti: ſed ſtatim ubi ventum eſt ad ipſorum perſonas, tunc cæcutiunt, & evaneſcit illis omnis rectitudo, & perit omne judicium. Sciamus ergo proponi hic carmen à Propheta, quaſi depromptum ex communi naturæ ſenſu, ut quiſque noſtrûm ſibi frenum injiciat, ubi judicis officio functus eſt ad damnandos alios, ut ſeipſum damnet ſimul, & coërceat ſuas cupiditates, dum valet eas ultra modum progredi. Notandum eſt etiam quod ſubjicit, avaros *aggravare ſuper ſe denſum lutum.* Hoc primo videri poſſet incredibile: ſed tamen res ipſa palam oſtendit quod hic docet Propheta, modo non ita cæcutirent mentes noſtræ in rebus claris. Nemo enim fere avarus reperietur qui non ſibi ſit oneri, & cui non ſint moleſtæ ſuæ divitiæ. Quiſquis multa cumulavit, ubi pervenerit ad ſenium adeo non audet frui rebus ſuis partis, ut ſemper ſollicitus ſit ne quid depereat: deinde ut nihil putet ſibi ſufficere. & quo quiſque plus poſſidet, eo etiam tenacior eſt: & vocatur frugalitas illa tam ſordida & ſervilis coactio, ut ita loquar, ubi ſeſe reſtringunt ditiſſimi. Denique ſiquis judicet de omnibus avaris totius mundi, & ſit ipſe expeditus ab omni avaritia, ſit libera & ſoluta mente, facile deprehendet quod hic dicit Propheta, omnes mundi divitias nihil aliud eſſe quam congeriem luti, quemadmodum ſiquis ſponte ſubjiceret ſe magno cumulo quem coacervaſſet. Quidam hoc referunt ad muros Babylonis, qui fabricati erant ex lapide coctili, ſicuti ſatis notum eſt: ſed illud eſt nimis longe remotum. Alii putant Prophetam loqui de omnium exitu: quia qui poſſident maximas divitias, tandem conjecti in ſepulchrum obruentur terra. ſed illud etiam non convenit: quemadmodum quod referunt ad Nabuchodonoſorem illam temulentiam qua ſeſe inebriavit fere tota vita: alii autem ad Balthaſarem ejus nepotem, quia quum biberet in ſacris vaſis Templi, etiam evomuit ſuas contumelias & blaſphemias adverſus Deum. Sed illa omnia non quadrant: quia Propheta hic non aggreditur ſolam perſonam Regis, ut dictum eſt; ſed potius ad judicium vocat totam illam gentem, quæ dedita fuerat rapinis & fraudibus & aliis maleficiis. Ergo generalis doctrina elicitur ex hoc verbo, quod avari omnes, quo plura coacervant, eo ſeſe magis aggravant, quaſi ſeipſos obruerent ſub aliquo ingenti cumulo. Unde hoc? quia ſcilicet opes fraudibus & rapinis quæſitæ nihil aliud ſunt quam grave & moleſtum terræ pondus:

quoniam Deus retorquet in eorum capita, qui ſic diteſcere cupiunt, quicquid rapuerunt: ita ut ſi mediocritate aliqua contenti fuiſſent, potuerint libere & hilariter vivere: quemadmodum videmus pios omnes etiam quum nihil poſſident, tamen eſſe alacres, quia vivunt cum bona ſpe, & ſciunt ſua alimenta eſſe in manu Dei, & expectant omnia à benedictione ejus. Inde igitur illa alacritas, quod ſibi non tam anxie metuunt. Qui autem inebriant ſe ſuis divitiis, ſentiunt ſe ferre inutile pondus, ſub quo jaceant quaſi demerſi & obruti.

Da omnipotens Deus, quando dignaris eo uſque deſcendere ut curam vitæ hujus ſuſtineas, & ſuggeras nobis quicquid neceſſe eſt ad tranſitum: da, inquam, ut diſcamus etiam in te recumbere, & ita confidere benedictioni tuæ, ut abſtineamus non modo ab omni rapina & aliis maleficiis, ſed etiam ab omni injuſta cupiditate, & contineamus nos ſub timore tuo, & ſic etiam diſcamus ferre pauperiem in terra, ut contenti divitiis illis ſpiritualibus, quas nobis offers per Euangelium, & quarum jam nos participes facis, ſemper alacriter tendamus ad illam plenitudinem bonorum omnium, qua fruemur ubi tandem pervenerimus in regnum illud cœleſte, & conjuncti tibi perfecte erimus per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO SEPTIMA

IN

HABACUC PROPHETAM.

CAP. II.

7. Annon repente conſurgent qui te mordeant, & evigilabunt qui te exagitent, & eris in conculcationes ipſis?

Pergit in eodem argumento Propheta, quod jam cœpimus tractare. Hic enim vulgares cantilenas inducit contra regem Babylonis, & totum illud tyrannicum imperium, quo multæ gentes duriter oppreſſæ fuerant. Dicit ergo *repente & ex inopinato ſurrecturos eſſe hoſtes qui ipſum mordeant.* Hoc quidam interpretes de vermibus exponunt: ſed nimis coacte. Deus enim non tantum mortuo Regi pœnam hanc inflixit, ſed voluit etiam in terra extare certum & illuſtre documentum vindictæ ſuæ contra Babylonios, ex quo palam omnibus teſtatum fieret, ſævitiam non poſſe ab eo impune ferri. Jam quod dicit, *Annon repente conſurgent?* emphaticum eſt tam in ipſa interrogatione quam in voce פתע. Scimus enim etiamſi Hebræis interrogativæ loquutiones magis ſint in uſu quam apud Græcos vel Latinos, tamen ſubeſſe plus vehementiæ. Loquitur igitur Propheta noſter quaſi de re indubia. Adjungit, *repente:* quia Babylonii ſua potentia freti non putaſſent quicquam ſibi mali inſtare: quod ſi quis auderet contra ipſos inſurgere, non poſſe tamen fieri hoc tam ſubito, quin mature occurrerent, & procul diſpellerent omnes noxas. Longe enim & late dominabantur: & ſcimus impios ita obdormiſcere, quum vident ſe omni ex parte munitos. Sed Propheta hic denunciat cladem illis inſtare, quæ ſtatim ipſos opprimet. Jam ſequitur,

8. Quia tu ſpoliaſti gentes multas, ſpoliabunt te omnes reliquiæ populorum propter ſanguines hominis, & violentiam terræ, urbis & omnium habitantium in ea.

Hic clarius exprimit Propheta cur Babylonii tam ſevere tractandi ſint à Deo. Oſtendit igitur juſtam fore hanc mercedem, ut viciſſim ſpolientur qui prius dediti fuerant & rapinis & violentiæ & crudelitati. Quum ergo exercuiſſent tantum ſævitiæ in omnes populos, Propheta hinc demonſtrat non fore crudelem Deum, quum tam rigidas pœnas de ipſis exiget: deinde confirmat etiam ſuperiorem doctrinam, & revocat fideles ad judicium Dei, quod eſt optimum principium. Nam ubi res in mundo ſunt confuſæ, dejicimus animos, & ſpes omnis evaneſcit, niſi veniat nobis hoc in mentem, Quia Deus judex eſt mundi, fieri aliter non poſſe quin tandem compareant ad ejus tribunal omnes impii, & illic rationem omnium factorum reddant. & Scriptura etiam ſolet nobis proponere Deum judicem, quoties vult mederi noſtris perturbationibus. Eundem nunc ordinem tenet Propheta. Dicit igitur inſtare Babyloniis prædones, qui eos ſpolient: quia Deus, qui judex eſt mundi, ferre tandem non poterit tot rapinas impunitas. Atqui hoc erat ubique notum, Babylonios ſine modo & ratione ulla fuiſſe deditos rapinis, ut nullis gentibus pepercerint. *Quia ergo ſpoliaſti gentes multas.* Hoc etiam amplificat, quia Babylonii non tantum injuriam paucis hominibus intulerint, vel etiam uni populo, ſed graſſati ſint per diverſas regiones. Quoniam ergo tantum ſibi licentiæ ſumpſerant, hinc colligit Propheta non poſſe effugere manum Dei, quin experiantur ipſi viciſſim Deum ſedere in cœlo, qui rependet mercedem eorum ſceleribus. Dicit autem, *Spoliabunt te reliquiæ omnium populorum.* Poteſt hoc bifariam intelligi: vel quod ſe ulciſci ſtudebunt populi qui direpti fuerant à Chaldæis. Vocat autem Reliquias, eo quod non eſſent integri: ſed tamen oſtendit ſufficere ad ſumendam vindictam de Babyloniis. Hic tolerabilis eſſet ſenſus: poteſt tamen extendi quod dicit Propheta ad alias gentes, quæ intactæ fuerant: acſi diceret, Tu quidem ſpoliaſti gentes multas, ſed ſunt etiam aliæ in mundo, ad quas non potuit penetrare crudelitas tua. Quicunque ergo reſidui ſunt in mundo populi, certatim te aggredientur: poterisne ſufficere ad tantam potentiam repellendam? Uterque ſenſus non male convenit, quod ſcilicet in regionibus vaſtatis & direptis maneant tamen aliquæ reliquiæ, à quibus proveniet vindicta: vel quod mundus contineat alios populos, qui etiamſi data opera non ſuſcipiant hanc cauſam, tamen vindictam ſument de Babyloniis: quia ſcilicet Deus arcano impulſu exequetur per eorum manum vindictam ſuam. Poſtea adjungit, *Propter ſanguines hominis:* hoc eſt, quia fudiſti innoxium ſanguinem: deinde quia exercuiſti multas rapinas: neque ſolum paucis hominibus nocuiſti, ſed pervaſit tua audacia & crudelitas uſque ad multas gentes. nominat enim *terram*, deinde *urbem.* Quidam reſtringunt ad Jeroſolymam, ſed male. Propheta enim hic generaliter loquitur de terra. Adjungit deinde urbes & earum incolas. Cæterum verſus hic continet perpetuam doctrinam. Diſcamus ergo, dum tam licentioſe graſſantur tyranni, mentes noſtras attollere ad cœleſte tribunal, & alere patientiam noſtram hac fiducia, quod Dominus, qui judex eſt mundi, mercedem rependet ſævis & ſanguinariis iſtis latronibus: & quo plus ſibi arripiunt licentiæ,

eo gravius illis inſtare judicium: quia Dominus quotquot ſunt homines in mundo, totidem etiam excitabit atque expergefaciet vindices, qui de ſanguine effuſo pœnas ſumant, etiamſi hoc non agant ex profeſſo. Deus enim mirabiliter & ſecretis modis (quemadmodum ſæpius alibi dictum fuit) exercet ſua judicia. Hinc etiam diſcamus frenare noſtras cupiditates, quia nemo impune evadet qui ſibi permiſerit violare fratres ſuos: etiamſi videtur hoc impune facere ad tempus; tamen Deus, qui ſemper manet ſimilis ſui, tandem retorquebit in capita ipſorum quicquid in alios machinati ſunt, ſicuti ſtatim rurſus videbimus. Jam adjungit,

9. Væ concupiſcenti concupiſcentiam malam domui ſuæ, ut ponat in excelſo nidum ſuum, quo ſe eripiat è manu (*id eſt, è poteſtate*) infortunii. (*mali, ad verbum.*)

Pergit adhuc Habacuc laceſſere regem Babylonium dicteriis: quæ tamen non ſunt facetiæ ſcurriles, ſed continent etiam ſerias minas: quia, ſicuti jam ante dictum fuit, Propheta hic inducit quidem vulgus hominum, ſed in illa turba debemus agnoſcere innumeros præcones vindictæ Dei: & ideo dicit, *Væ concupiſcenti*: vel *heus*, ſi ita libeat. nam eſt particula etiam exclamantis: quemadmodum dictum fuit. Heus, tu concupiſcis, inquit, concupiſcentiam malam domui tuæ, tu ponis in alto nidum tuum: ſed quid eveniet? Poſtea ſequitur pœna proximo verſu. Quod dicit, *Væ concupiſcenti concupiſcentiam malam domui ſuæ*, poteſt ſeorſum hoc legi, quod cupiditas noxia ſit futura domui: acſi dixiſſet, tu quidem proſpicere vis domui tuæ, accumulando magnas opes, ſed domus tua ſentiet hoc ſibi malum eſſe & damnoſum. ita epitheton רעה ſeorſum eſſet additum reſpectu domus. Sed uno complexu optime cohæret oratio: quia non dubito quin Propheta aliud velit, quod ſcilicet Babylonii non modo ſibi proſpiciant dum cupide hinc inde rapiunt multas opes & congerunt; ſed velint etiam in poſterum conſulere ſuis filiis & nepotibus. & videmus etiam huc tendere avaritiam: quia qui tam ardenter inhiant cumulandis opibus, non reſpiciunt quid ſibi opus ſit ad tolerandam vitam, ſed volunt relinquere heredes ditiſſimos. Quoniam ergo avari vellent domos ſuas locupletare in perpetuum, ideo Propheta hanc inſaniam deridens, *Væ*, inquit, *concupiſcenti concupiſcentiam malam domui ſuæ*, hoc eſt, non tantum ut abundet ipſe ac ſaturetur, ſed etiam ut omnes ſuos poſteros repleat. Addit alterum vitium, quod ſemper fere conjunctum eſt: *ut ponat*, inquit, *nidum ſuum in excelſo*. nam & in hunc finem reſpiciunt avari, ut ſeſe muniant: quia ut ſemper mala conſcientia trepida eſt, occurrunt illis multa pericula: Poſſet hoc mihi accidere: deinde, Opes meæ conflabunt mihi odium & invidiam apud multos: ſi igitur aliquod diſcrimen immineat, ego potero vitam meam decies redimere: & deinde, Si mediocri ſorte contentus eſſem, multi eſſent æmuli: ſed ubi theſauri mei ſuperabunt modum, tunc ero quaſi extrà ſortem hominum; & quum alii aliis invidebunt, mihi parcent. Hoc ergo ſemper reputant ſecum avari quum ita ardenter feruntur ad opes cumulandas, & congeriem excelſam conficiunt inſtar nidi: quia putant ſe non amplius verſari in mundo, ſed potius ſe exemptos eſſe à communi ſorte hominum, ubi circumdati ſunt ſuis opibus. Videmus ergo nunc quid velit Propheta: *Væ*, inquit, *male & intemperanter concupiſcenti*: & quorſum? nempe ut poſteros locupletet: deinde, *concupiſcenti, ut in alto ponat nidum ſuum*, id eſt, ut ſeſe opibus muniat, quo poſſit omne diſcrimen abigere, & ita eſſe immunis ab omni incommodo & moleſtia. Et addit, *ut ſe eripiat ex poteſtate mali*, clarius exprimens quod dixi, nempe divites inebriari ſtulta fiducia, quum omnes alios ſuperant: quia non putant ſe eſſe ex numero mortalium, ſed fingunt ſibi aliam vitam, quaſi eſſet illis ſeorſum mundus liber ab omni periculo. Quum ergo avari ita ſeſe efferant ſuperba fiducia, Propheta hanc quoque amentiam deridet. Poſtea adjungit pœnam:

10. Conſultaſti in ignominiam domui tuæ, (*vel conflaſti tuo conſilio probrum & dedecus domui tuæ*) excidendo populos multos: & peccaſti in animam tuam.

Confirmat iterum Propheta, beatos iſtos, qui ſe imaginantur eſſe quaſi Deo ſimiles, fruſtra ſatagere: quoniam Deus convertet in ignominiam quicquid putant ſibi acquiri gloriæ ex ſuis divitiis. Quoniam autem, ſicuti viſum eſt proximo verſu, avari volunt parare ſplendorem ſuis poſteris, & ex magnis divitiis putant poſſe illuceſcere genus ſuum: (hæc enim eſt eorum nobilitas: ut quiſque ditiſſimus eſt, ita putat ſe pollere dignitate, & merito haberi in pretio apud omnes) quoniam ergo hoc fere omnibus avaris ſtudium eſt, Propheta hic admonet longe ipſos falli, quia Dominus non tantum fruſtrabitur ſpes eorum, ſed convertet gloriam ipſorum in dedecus. Dicit ergo *eos conſultare ignominiam ſuæ familiæ*. Conſultandi verbo complectitur quicquid eſt induſtriæ, ſedulitatis, ſolertiæ, ſtudii, laboris in avaris hominibus. Videmus enim ut ſint ſagaciſſimi. nam ſi quid eſt procul lucri odorantur, ut ad ſe trahant: noctes & dies agitant nova conſilia quomodo hunc circumveniant, rapiant ab illo, & in unum acervum accumulent quicquid eſt in mundo pecuniæ: deinde ut etiam agros conjungant agris, ædificent magna palatia, multos reditus conficiant. Hæc ratio eſt cur Propheta hic dicat ipſos *conſultare ignominiam*. Quorſum tendunt omnia eorum conſilia? ſunt enim, quemadmodum diximus, ſatis acuti & perſpicaces: deinde ſunt etiam ioduſtrii, & ſeſe continuo labore noctes & dies macerant: quorſum omnia hæc? nempe ut celebrentur eorum poſteri, ut nobilitas ipſorum ſit in ore omnium, & volitet procul. Propheta autem oſtendit eos fruſtra laborare, quoniam Deus convertet in dedecus familiæ ipſorum quicquid putant ſe deliberare valde prudenter. Quo igitur magis providi avari, eo ſunt ſtultiores: quia nihil aliud quam dedecus poſteris ſuis conſultant. Adjungit, *licet multos populos exciderit*: & videtur hoc expreſſum fuiſſe per anticipationem. Poterat enim videri hoc incredibile, Babylonios capere conſilia ignominioſa ſuis poſteris, quum tamen celebraretur fama ipſorum: & Babylon ipſa eſſet inſtar idoli: Rex paſſim nominaretur cum magna reverentia, atque etiam metu. Quum ergo progreſſi huc uſque eſſent Babylonii, quis putaſſet poſſe accidere quod Propheta hic denunciat? ſed quemadmodum jam dixi, occurrit objectionibus, & dicit, etiamſi Babylonii profligaverint hoſtes multos, & conſecerint populos validos, tamen hoc fore ipſis inutile: imo ceſſurum in dedecus, quod ſibi putabant eſſe glorioſum. Et in eundem ſenſum addit, *Peccaſti in animam tuam*. Alii vertunt, Peccaſti libidinoſe, vel intemperanter: alii, Peccavit anima tua. ſed illi corrumpunt Prophetæ ſenſum: quia nihil ſibi aliud voluit quam mala omnia quæ aliis inferre ſtudent avari & crudeles, reditura in caput ipſorum. Quum ergo Babylonii toti mundo machinati eſſent ruinam, Propbeta longe diverſum finem quam putaverant fore prædicit: *peccaſti*, inquit, *in animam tuam*, id eſt, malum quod parabas aliis inferre, retor-

quebitur à Deo in caput tuum. Et hæc loquutio diligenter notanda eſt, impios ſcilicet, dum omnibus moleſti ſunt, omnes vexant, hunc lacerant, illum diripiunt, alium opprimunt, peccare tamen ſemper in animam ſuam, hoc eſt, non tantum damni vel moleſtiæ inferre aliis, quantum ſibi: quia Dominus efficiet, ut ſentiant malum, quod volebant alio intendere, reſidere in ipſis. non loquitur autem hic de culpa, ſed de pœna, quum dicit, Peccaſti in animam tuam, hoc eſt, tu recipies mercedem omnium ſcelerum tuorum. Jam ergo videmus quid velit Propheta. Nunc ſequitur,

11. Quia lapis ex muro clamabit, & lignum ex tabulato (*ad verbum eſt, ex ligno*) reſpondebit ei.

12. Væ ædificanti urbem in ſanguinibus, & paranti civitatem in iniquitate.

13. Annon ecce à Jehova exercituum? ideo laborabunt populi in igne, & gentes in vanitate (*hoc eſt, fruſtra*) fatigabuntur.

Jam novum genus proſopopœiæ hic inducitur à Propheta. Prius compoſuit vulgare carmen, quod reſonaret in ore omnium: jam tribuit ſermonem ipſis lapidibus & tignis, ex quibus conſtat ædificium: *Lapis*, inquit, *clamabit è muro, & tignum clamabit ex tabulato*, hoc eſt, nulla erit ædificii pars, quæ non clamitet ædificium ipſum fuiſſe extructum ex rapinis, ex crudelitate, denique ex ſceleribus. Neque ſimpliciter Propheta ſermonem lignis & lapidibus attribuit, ſed ponit etiam ἀντιφωνίας, quales ſunt in Choris: ſunt voces, quas vocant ἀντιφώνους, in Lyricis præſertim carminibus. *Lapis*, inquit, *clamabit ex muro, tignum autem reſpondebit ex tabulato*: quaſi diceret, Erit concinna melodia in ſingulis partibus ædificii, quia incipiet murus & proferet ſuum canticum, Ecce, ego ſum extructus è ſanguine & iniquitate: lignum autem dicet idem, & clamabit Væ: ſed ordine ſuo, hoc eſt, non erit confuſus ſtrepitus, ſed quemadmodum Muſica habet diſtinctos tonos, ita etiam accinent lapides lignis & ligna lapidibus, ut ſint voces (quod aiunt) correſpondentes inter ſe. *Lapis* ergo *ex muro clamabit, lignum autem reſpondebit.* Quomodo? *Væ qui ædificas urbem in ſanguinibus, & qui urbem ſuam ornas iniquitate*, inquit. Per ſanguines & iniquitatem idem intelligit, quia etiamſi avari non jugulent homines innoxios, ſugunt tamen ipſorum ſanguinem: & hoc quid aliud eſt, quam paulatim eos occidere & lentis tormentis? nam levius eſt ſemel defungi morte una, quam tabeſcere in longa inopia, ſicuti contingit miſeris hominibus, qui ſpoliati ſunt & exuti omnibus fortunis. ergo ubicunque eſt rapiendi licentia, illic etiam eſt homicidium coram Deo: quia, ſicuti jam dictum eſt, qui non parcit miſeris, ſed eorum exſugit ſanguinem, certe non minus peccat quam ſi ſemel ipſos jugularet. Cæterum, ſi cui videtur hæc proſopopœia durior, conſideret quam ſit incredibile quod hic docet Propheta, & quam difficile ſit ad perſuadendum. Fatemur quidem Deum eſſe mundi judicem, imo nemo eſt qui non præveniat judicium ejus, avaritiam & crudelitatem damnando: nomen ipſum avaritiæ erit infame, & exoſum omnibus: idem & de crudelitate dici poteſt. ſed interea ubi videmus eſſe in ſplendore & pretio avaros, obſtupeſcimus: & nemo eſt, qui poſſit fide perſpicere quod hic denunciat Propheta. Quum ergo tanta ſit noſtra hebetudo, aut vecordia potius, non mirum eſt ſi Propheta hic lapides & ligna nobis proponat: quaſi diceret, quando frigent omnes prophetiæ, omnes admonitiones, & Deus etiam ipſe parum fidei obtinet, ubi palam denunciat quid facturus ſit, ubi etiam fruſtra operam conſumunt ejus ſervi ſuadendo, & clamando, jam prodeant in medium lapides, ſint magiſtri eorum qui non poſſunt aures ſuas arrigere ad ipſius Dei vocem: ligna etiam clamitent ſuo ordine. hæc igitur ratio eſt cur Propheta hic mutas creaturas inducat loquentes, nempe ut torporem noſtrum expergefaciat. Jam adjungit, *Annon ecce à Jehova exercituum?* Male vertunt quidam interpretes, Annon iſta, quaſi הנה poſitum eſſet vice pronominis demonſtrativi. ſed extenuant & obſcurant gratiam verborum: imo corrumpunt ipſam ſententiam Prophetæ. Quum enim dicit, הנה, non refert quod prius dixit, nec certum aliquid deſignat, & tamen quaſi digito oſtendit quod expectare jubet Dei judicium: acſi diceret, Nonne Deus tandem habebit vices ſuas, ubi avari & crudeles triumphos ſuos egerint in mundo, & obtenebraverint omnium mentes & ſenſus, quaſi nunquam illis reddenda eſſet ratio ad tribunal Dei? Annon Deus etiam aliquando oſtendet ſibi eſſe ſuas vices? Quum ergo dicit, *Nonne ecce à Jehova?* indefinita eſt loquutio. non dicit, hoc vel illud erit à Deo exercituum: ſed, *Annon ecce à Jehova exercituum?* hoc eſt, Deus nunc ceſſat quidem, & eo etiam ſibi audacius indulgent homines: ſed non ſemper manebit otioſus. Annon ergo Deus prodibit qui nunc videtur jacere? Erit ergo aliquid tandem à Deo exercituum. Et demonſtrativa particula hoc idem confirmat: Ecce, inquit: quaſi in pictura oſtenderet fidelium oculis Dei tribunal, quod non poteſt niſi fide jam à nobis conſpici. Dicit, *Ecce tamen, nonne erit aliquid à Deo exercituum?* hoc eſt, Deus nonne tandem exeret manum ſuam, ut oſtendat ſe non eſſe ignavum, quin curet res humanas? Denique hac loquutione notatur viciſſitudo, quæ ſperanda nobis eſt: quia non poteſt tam cito reipſa cognoſci. Hinc concludit, *Populi ergo laborant in igne, & gentes fruſtra ſeſe fatigant.* In igne laborare tantundem valet ac ſumere evanidam operam, cujus fructus ſtatim conſumitur. Quidam exponunt populos laborare in igne, quia ædificata fuerat Babylon ab ingenti hominum multitudine, & tandem incendio periit. ſed illud videtur longe remotum. Simplicius interpretor, quod *laborant populi in igne*, quemadmodum ſiquis texat telam vel pannum, & ignis ſit ſuppoſitus, qui conſumat: vel ſiquis etiam magno labore poliat opus ſuum, & paratus ſit ignis, qui illud deleat in manibus ipſius artificis. Certum enim eſt, Prophetam idem repetere alia loquendi forma, quum dicit בדי־ריק Nunc ergo tenemus ejus conſilium. Hinc colligere licet utilem doctrinam, non modo perire fructum laboris omnibus, qui mala conſcientia volunt diteſcere, ſed etiamſi totum mundum habeant ſibi propitium & obſequentem, tamen hoc totum ipſis fore inutile: quemadmodum rex Babylonius habuit multos populos præſto ad obſequium. ſed Propheta deridet magnos iſtos apparatus, quia ſcilicet præſto etiam eſt ignis Deo, ut conſumat quicquid tam ſtrenue machinati erant qui volebant operam ſuam unius hominis arbitrio impendere. Tandem adjungit,

14. Quia replebitur terra cognitione gloriæ Jehovæ, ſicuti aquæ operiunt mare.

Hic Propheta breviter docet tam illuſtre fore Dei judicium contra Babylonios, ut celebretur nomen ejus per totum orbem. Subeſt autem tacita antitheſis in hoc verſu, quia Deus non apparuit in ſua gloria quum Judæi abducti fuerunt in exilium, Templo diruto & tota urbe exciſa; quum etiam ita præ-

dis

dis & rapinis tota illa regio Orientalis fuit expoſita. Quum ergo Babylonii poſt Aſſyrios ita ingurgitarent omnes ſuos vicinos, tunc non poterat fulgere neque conſpicua eſſe gloria Dei in mundo. Obmutuerant enim Judæi ipſi. nam miſeriæ quaſi eos obſtupefecerant: ſaltem erat illis os occluſum, ut non poſſent Deo benedicere ex animo, quum tam duriter ipſos affligeret. Deinde, in illa multiplici rerum omnium confuſione, putabant profani homines omnia hic volvi fortuito, nullam eſſe Dei providentiam. Latebat igitur tunc Deus: ideo dicit Propheta *repletum iri terram cognitione gloriæ Dei*, hoc eſt, Deus iterum innoteſcet: ubi ſcilicet exerta manu exercebit vindictam contra Babylonios, tunc agnoſcent tam Judæi quam aliæ omnes gentes gubernari mundum Dei providentia, ſicuti ſemel creatus fuit. Nunc tenemus conſilium Prophetæ, & cur dicat terram fore plenam cognitione gloriæ Dei. nam prius gloria Dei exulabat è mundo, quoad ſenſum hominum: ſed iterum refulſit, quum everſa Babylone Deus ipſe erexit ſuum tribunal, ut oſtenderet nullam eſſe tantam potentiam inter homines, quam non poſſet cogere in ordinem. Eadem ſententia habetur Jeſaiæ cap. 11. Concionatur quidem illic Propheta de regno Chriſti: & ubi Chriſtus palam innotuit mundo, ſimul etiam cognitio gloriæ Dei replevit totam terram: quia Deus tunc apparuit in viva ſua imagine. Sed proprie tamen loquitur Propheta noſter, quum dicit *terram tunc quoque plenam fore notitia gloriæ Dei*, ubi vindictam ſumpſerit de Babyloniis. Ideo male quidam hoc detorquent ad prædicationem Evangelii, quaſi Habacuc tranſitum faceret ab excidio Babylonis ad univerſale judicium. illud eſt nimis coactum. Eſt autem illa ſatis nota ratio, & frequenter etiam occurrit, præſertim in Pſalmis, Quod celebrabitur Dei virtus & gratia & veritas per totum orbem, ubi ſuos liberaverit, ubi compeſcuerit improbos. Eodem modo nunc loquitur Propheta: & comparat hanc plenitudinem notitiæ aquis maris, quia ſicuti ſcimus, mare tam profundum eſt, ut nulla ſit aquarum menſura. Ita ſignificat Habacuc tam illuſtrem fore gloriam Dei, ut terram ipſam non modo impleat, ſed quodammodo etiam obruat: quemadmodum aquæ maris ingenti multitudine operiunt abyſſos, ita etiam gloria Dei cœlum & terram replebit, ut nullus ſit finis. Quanquam ſi ad Chriſti uſque adventum extendere ſententiam hanc libeat, non reclamo. Scimus enim gratiam redemptionis perpetuo tenore fluxiſſe, donec Chriſtus apparuit mundo. Sed mihi dubium non eſt quin Propheta magnitudinem potentiæ Dei commendet in Babylonis interitu.

Da omnipotens Deus, quando ita propenſi ſumus ad injurias, ut quiſque naturaliter nimium ſuæ utilitati privatæ addictus eſt: da, inquam, ut cohibeamur hoc freno, quod nobis per Prophetam tuum imponis, ne ſcilicet proſiliant noſtræ concupiſcentiæ ad ullam injuriam vel iniquitatem: ſed ſeipſum quiſque contineat in vera æquitate, & abſtineat ab alieno: deinde, ut diſcamus etiam nos ſolari in omnibus noſtris afflictionibus: & ſi contingat nos injuſte premi ab improbis, ut tamen innixi providentiæ tuæ & juſto judicio, patienter expectemus donec nos liberes, & oſtendas quicquid machinantur impii in noſtram perniciem, hoc reſidere in ipſis, ut tandem redeat & vertatur in ipſorum capita: & ſic militemus ſub vexillo crucis, ut poſſideamus animas noſtras in patientia, donec tandem perveniamus ad beatam illam vitam, quæ nobis repoſita eſt in cœlo, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Amen.

PRÆLECTIO OCTAVA
IN
HABACUC PROPHETAM.

CAP. II.

15. Væ qui potat ſocium ſuum, (*vel amicum*) conjungis (*conjungens*) calorem tuum (*vel utrem tuum. Alii vertunt, adhibes venenum tuum, vel iram tuam: alii, intendens iram*) atque etiam inebrias, ut aſpicias ſuper nuditates eorum. (*id eſt, verenda.*)

16. Saturatus es ignominia ex gloria, (*vel pro gloria*) bibe etiam tu & diſcooperire: (*vel ſopiaris*) fundetur ſuper te calix dexteræ Jehovæ, & vomitus ignominiæ ſuper gloriam tuam.

SEntentiam hanc, ubi Propheta exprobrat regi Babylonio quod inebriare ſolitus ſit amicos ſuos, major pars interpretum frigide exponit. Sæpius jam dictum eſt quam ſint audaces Judæi in fabulis fingendis, ubi nihil certum illis occurrit: divinant hoc & illud, & ſine delectu vel pudore. Dicunt igitur Nabuchodonoſorem fuiſſe deditum crapulæ, & traxiſſe quoſcunque potuit in ſocietatem ſui flagitii. Socios etiam intelligunt Reges captivos, acſi per ludibrium eos juſſerit adduci ad menſam ſuam, & propinando coegerit ad ebrietatem, ut deinde eos rideret, quum eſſent expoſiti ignominiæ. Sed illud eſt nugatorium: imo ſi hac de re extaret certa hiſtoria, tamen promptum eſt videre aliud nunc tractari à Propheta noſtro. neque enim loquitur de Rege uno duntaxat, ſed potius ſermonem ſuum dirigit ad totam illam monarchiam. Ego itaque non dubito, quin tota hæc oratio, vel metaphorica ſit, vel allegorica, quum regi Babylonio exprobrat, quod inebriavit ſocios vel amicos. Cæterum, antequam longius progrediar in re ipſa tractanda, dicam etiam de ipſis vocibus: nam hinc melius patebit conſilium Prophetæ. *Væ*, inquit, *potanti amicum ſuum*. Poſtea, מספח חמתך. חמת Hebræis ſignificat Utrem. Scimus autem, & ſatis notum eſt ex Scriptura, Judæis utres fuiſſe in uſu, quemadmodum apud nos ſunt cadi, hoc eſt, majora vaſa. Quum ergo utribus vinum includerent, ſæpe utres ſolent accipere pro ipſis poculis: quemadmodum ſi lingua noſtra quis diceret, *Des flacons, des bouteilles.* Ergo quidam ita exponunt, quod in medium protulerit lagenas ſuas rex Babylonius, ut cogeret nimio potu ad ebrietatem, qui non poterant neque audebant etiam obſiſtere ejus libidini. Alii autem חמה vertunt iracundiam, & ſubaudiunt præpoſitionem: alii ut nihil ſubaudiant, vertunt participium מספח Intendens furorem tuum. ſed quoniam חמה ſignificat Calere, ideo proprie vertemus, Conjungens calorem tuum: hoc eſt, tibi non ſufficit inebriari, niſi etiam alios tecum implices. Nunc ergo tenemus ſenſum hujus loquutionis. Adjungit, *etiam inebrians*. Hinc colligere licet, quod prius dixit Propheta non alio ſpectare, niſi quod rex Babylonius quærebat ſibi multos intemperantiæ vel crapulæ ſocios. Quanquam, ut jam dixi, crapulam metaphorice accipit: & ſtatim fuſius exponam quid hoc totum ſibi velit. ſed nunc agimus tantum de verbis. *Atque etiam inebrians*, inquit. Particula אף ponitur amplificandi cauſa, ut

ſatis

ſatis notum eſt. Quum jam ergo dixiſſet, *Tu conjungis tuum calorem*, hoc eſt, tu exhalas tuam intemperiem, ita ut alii etiam contrahant eundem fervorem tecum: ſtatim adjungit, tu inebrias ipſos. Sequitur, *Ut palam fiant eorum nuditates*, hoc eſt, ut ſe diſcooperiant cum ignominia. Verſum ſequentem differam uſque dum clarius viderimus quorſum ſpectet Propheta. Quemadmodum nuper attigi, accuſat regem Babylonium, quod implicuerit ſuis cupiditatibus vicinos Reges, & quodammodo eos ſecum inebriaverit. Comparat autem crapulæ inſatiabilem avaritiam illius Regis: quia ſicuti ebriis hominibus propoſitum eſt non ad ſatietatem bibere, ſed ingurgitare ſe vino; ita etiam ubi avaritia dominatur in cordibus hominum, eſt quædam furoris ſpecies: quemadmodum ſiquis vinum ſine modo ullo appeteret. Hæc eſt metaphoræ ratio, quod rex Babylonius quum ſitiret humanum ſanguinem, opes etiam & imperia, ſecum traxerit in ejuſdem amentiæ ſocietatem multos Reges: quia non poterat, niſi alliceret ad ſe multorum gratiam, & deciperet inanibus fiduciis. Quemadmodum ubi quis ſeſe proſtituit ad potandum, cupit ſimiles ſibi eſſe convivas: ita exprobrat Habacuc regi Babylonio, quod quum ipſe addictus eſſet intemperantiæ, propter inexplebilem avaritiam, alios etiam ſibi ſocios accerſiverit, quaſi eſſent convivæ, & propinaverit illis vinum, hoc eſt, irritaverit ipſorum cupiditatem, ut libenter cum ipſo bellum gererent: quia ſinguli ſperabant partem aliquam prædæ ex victoria. Quum ergo ita excæcaverit multos Reges, ideo dicuntur ab ipſo eſſe inebriati. Scimus enim ut dementent tales illecebræ animos & corda hominum: neque enim ulla eſt ebrietas quæ magis obſtupefaciat homines quam cæcus appetitus, quo devorant & terras & maria. Nunc tenemus quid Propheta velit, quod ſcilicet non tantum exarſerit rex Babylonius in ſua avaritia, ſed quaſi facem ſubdiderit aliis omnibus: quemadmodum ebrii alii alios invitant. Quod ergo ita inflammaverit omnes vicinos Reges, ut ruerent ſine ulla ratione, vel ulla verecundia, quemadmodum ubi quiſpiam nimio potu ſuffocatus eſt atque obrutus: hæc fuit propinatio quam deſignat Propheta. Et hæc metaphora diligenter notanda eſt: quia hodie quoque velut in ſpeculo idem cernimus quod hic Propheta docet. Summi enim quique Principes quum bella ſua fabricant, mittunt huc & illuc legatos, & cupiunt ſecum involvere & urbes & alios Principes. Quia autem nemo gratis libenter periclitatur, ideo proponunt multas fallaces illecebras. Et ſi qua civitas ſibi metuit à vicino Principe, cupiet ſeſe munire novo præſidio: ita fœdus erit quaſi inſtar laquei. Deinde ſiquis minor Princeps cupit dilatare fines ſuos, vel ſeſe vult ulciſci, libenter arma induit, imo cupide, ut poſſit ope majoris exequi quod propoſuit, quum non ſufficerent vires. ſicuti videmus quotidie inebriari & Duces & Comites, ut vocant, & urbes liberas: quia ſummi Reges qui abundant vino, hoc eſt, qui pleni ſunt multis vanis promiſſionibus, propinant quaſi plenas lagenas, jubent proferri vinum quaſi bene inſtructa menſa: Ego faciam ut inimicus tibi cedat: & tu coges eum pro tuo arbitrio: & ubi potitus ero victoria, pars fructus ad te redibit: ego nihil appeto præter gloriam. Quantum ad urbes liberas attinet, Ecce vos trepidatis aſſidue. Jam ſi lateatis ſub umbra mea, erit vobis optima ſecuritas. Talis propinatio hodie in tota fere Europa cernitur. Ergo non abs re Propheta hoc vitium commemorat in rege Babylonio, quod ſocios ſuos, quos ſcilicet illigabat perfidis fœderibus, potaverit: quia, ſicuti dictum eſt, nulla eſt tam periculoſa ebrietas quam iſta amentia, ubi quiſque ſibi promittit hoc vel illud, & imaginatur quod non eſt. Ideo non tantum dicit regem Babylonium potare ſocios, ſed etiam *conjungere utres*: quaſi diceret eſſe nimis liberalem, imo prodigum, ubi quærit ſibi ſocios ſuæ intemperantiæ: quia ſi non ſufficiat una conditio, altera etiam additur, Ecce, Rex meus paratus eſt. Quod ſi non ſufficiat, etiam illud addetur. Conjungunt igitur calorem ſuum hoc modo. Si exponimus חמת pro Utre, hoc erit Conjungere utres, dum cumulant multa promiſſa, donec inebrient quos volunt decipere. Vel ſi magis placeat altera interpretatio, quam ego libentius ſequor, *conjungunt calorem ſuum*, hoc eſt, alios ſecum implicant: ſicuti fervent ipſi inexplebili libidine, ita etiam ardorem illum ſpargunt huc & illuc, ut ſint conjuncta multorum ſtudia. Poſtea adjungit, *Ut aſpicias nuditates ipſorum*. Hoc quidem non erat propoſitum regi Babylonio, probrum eorum omnium diſcooperire, quos ſecum trahebat in ſocietatem bellorum: ſed ſcimus ut ſoleant negligere magni Reges ſuos ſocios, quibus tamen nihil non promittunt initio. Siquis Rex velit ad ſe pellicere urbem liberam, vel Principem mediocrem, dicet, Ecce nihil aliud quæro quam tibi eſſe amicus: imo videmus ut fœdiſſime pejerent. neque ſatis eſt illis in ſuis aulis evomere illa perjuria: ſed non multi anni fluxerunt, ex quo magni Reges publicarunt deteſtanda perjuria: & ſtatim poſtea apparuit illos abſque aliquo pudore ita voluiſſe illudere & Deo & cunctis mortalibus: quum teſtati ſunt ſe nihil quærere, præterquam ut defenderent ſuo patrocinio jus & æquum, & obſiſterent aliorum vel tyrannidi vel ſuperbiæ. Poſteà ſi quid adverſi contingat, ſtatim ſeſe retrahunt: & urbs, quæ omnia ſperaverat à tam liberali Rege, cogitur poſtea ſubire jugum & paciſci cum ſuis hoſtibus, & tranſigere quovis modo. *ſic diſcooperitur nuditas*. Ita etiam ſpoliantur minores Principes ſua ditione. Et cui hoc imputabitur, niſi præcipuo auctori? Ergo ut quiſque pro ſua ambitione vel avaritia alios impellit in fraudem vel periculum, ita proprie & ſcite dicitur diſcooperire eorum verenda. Nunc tenemus genuinum Prophetæ ſenſum, quem interpretes non ſunt aſſequuti. Venio jam ad proximum verſum. Dicit *Satiatum eſſe ignominia pro gloria*. Vertunt multi, Satiatus es ignominia pluſquam gloria. ſed hoc quoque non poteſt quadrare: quia non intelligit Propheta regem Babylonium ſatiatum eſſe probro ſuo, ſed potius alieno. Deinde particula מ non ponitur hic comparative; ſed potius ita reſolvi debet oratio, A gloria tua, vel propter gloriam tuam ſatiatus es ignominia. Tertio hoc etiam notandum eſt, bis verbis non deſcribi pœnam à Propheta. Statim enim ſequitur, שתה גם אתה, *Tu quoque bibe*: illic deſcendit ad pœnam. Quum ergo dicit regem Babylonis ſatiatum eſſe ignominia pro gloria, perinde eſt acſi dixiſſet, dum intentus eſt augendæ ſuæ gloriæ, alios omnes projicere ad ignominiam. hic enim eſt vulgaris luſus magnis Regibus, quemadmodum dictum eſt, aliorum diſcrimine vel jactura amplificare ſuas opes. Vellent quidem, ſi fieri poſſet, ſocios etiam ſuos eſſe ſalvos: ſed ſi quis peſſum eat in eorum gratiam, hoc negligunt. Videmus ut hodie magni Reges quum armant exercitus profundant ſanguinem innoxium: ſi qua clades accepta eſt in prælio, dolebit ipſis; ſed tantum reſpectu privatæ ſuæ gloriæ, vel ſui commodi. Profitebuntur verbo ſe condoleſcere miſeris hominibus, qui fideliter conati ſunt vitam ſuam pro illis impendere; ſed non curant. Quoniam igitur hauriunt humanum ſanguinem magni Reges, & ſuſque deque faciunt ubi multi perierunt in ipſorum gratiam: merito dicit Propheta ſatiatum fuiſſe regem Babylonis ignominia pro gloria, hoc eſt, dum ipſe venatur ſuam gloriam ſatiatum fuiſſe multorum probris, quia ſcilicet multi pro ipſo occubuerunt, multi ſpoliati fuerunt ſuis ditionibus, vel poſtea erant ſpoliandi. Propheta enim hic non refert quid geſtum ſit, ſed concionatur de rebus futuris. Præteritum autem tempus in verbis per-

pertinet ad notandam certitudinem: quemadmodum ſcimus communem eſſe Prophetis uſum loquendi. Jam adjungit, *Tu etiam bibe.* Hinc videmus regem Babylonis ſecurum fuiſſe, etiamſi ejus ſocietas & amicitia multis damnoſa fuiſſet, quamdiu manebat intactus. Quantiſper ergo floruit imperium illud, rex Babylonis non magnopere curabat aliena damna. Ideo Propheta dicit, Tu etiam bibes: putas alios tantum dare pœnas, quaſi tu etiam non ſis obnoxius judicio Dei: ſed venies ipſe ordine tuo & bibes. Quomodo? hic allegorice loquitur de vindicta, quæ inſtabat regi Babylonio: *Bibas tu quoque*, inquit, & ſias probroſus, vel diſcooperiaris. ערל ſignificat Præputium Hebræis: Præputiatos autem homines vocant profanos & fœdos, vel contaminatos: ideo multi vertunt, Tu etiam ſias probroſus. ſed alii clarius reddunt Prophetæ ſenſum, Tu diſcooperiaris. Quanquam non male ſentiunt, qui putant eſſe metatheſin in literis, & הערל poſitum eſſe pro הרעל. nam רעל ſignificat Sopire. Hoc autem optime convenit homini ebrio, ut ſcilicet obſtupeſiat. Sed quia de nuditate loquutus fuerat Propheta, retineo priorem ſenſum, ut reſpondeant inter ſe oppoſita membra. *Tu igitur bibas, & diſcooperiaris.* Jam ſequitur explicatio, quod ſcilicet *fundetur ſuper ipſum calix dextræ Jehovæ*: hoc eſt, Dominus erit jam tuus pincerna viciſſim: ſicuti inebriaſti multas gentes, & prætextu amicitiæ fraudaſti eos, qui implicati tuis fœderibus ſeſe perdiderunt: jam Dominus rependet tibi quam meritus es mercedem: tu fuiſti aliis pincerna, ita Dominus etiam erit tuus pincerna & te inebriabit, ſed alio modo. Scimus enim quid Scriptura paſſim per Calicem manus Dei ſignificet, nempe omne genus vindictæ: ubi Deus alios percutit vertigine, & omni humanitate privatos in furorem præcipitat: alios autem dementat ſtupore, alios ut nihil prorſus ſentiant, privat omni intelligentia: aliis etiam excitat hoſtes, qui crudeliter in eos graſſentur. Dicitur ergo Dominus calicem ſuum porrigere omnibus reprobis, quocunque modo ſumat de ipſis vindictam. Et ideo adjungit, *Vomitus ignominiæ erit ſuper gloriam tuam.* קיקלון eſt nomen compoſitum. jam ante vidimus קלון eſſe Ignominiam: nunc loquitur de vomitu probroſo. Poteſt hoc autem ad regem Babylonium referri, quod vomet ipſe cum magno dedecore, quod ante intemperanter hauſerat: ut maneat Propheta in ſua ſimilitudine. Vel poteſt etiam commode hoc exponi de hoſtibus, quod ſcilicet voment in faciem regis Babylonii. Et exitus hic de quo vaticinatur Habacuc, manet omnes tyrannos, qui conturbant totum orbem ſua cupiditate. Sic enim eos dementat ambitio, ut neque ſanguini humano parcant, neque etiam dubitent proximos quoſque & amiciſſimos conjicere in diſcrimen. Quoniam ergo inexplebilis appetitus gloriæ ipſos ita accendit, merito denunciat hanc mercedem Propheta, quod ſcilicet recipient vomitum fœdum & probroſum pro illa gloria, cujus expetendæ nullus fuit illis modus. Nunc pergamus.

17. Quia violentia Libani operiet te, & prædatio animalium, quæ terruit ea: (*vel quæ contrivit*) propter ſanguines hominis & violentiam terræ, urbis & omnium habitantium in ea.

Hinc facile colligere licet, Prophetam non loquutum fuiſſe de ebrietate, ſed potius metaphoricam fuiſſe illam ſententiam, ſicuti expoſuimus. Sequitur enim hic cauſæ redditio, cur denunciaverit talem pœnam regi Babylonis: quia ſcilicet exercuerat violentiam non modo contra omnes gentes promiſcue, ſed contra electum Dei populum. Heri tantum in genere propoſuerat ſævitiam, qua violaverat multas gentes rex Babylonis: nunc autem diſtincte loquitur de Judæis, ut oſtendat Deum peculiari modo vindicem fore ejus crudelitatis, quam Chaldæi exercuerant contra Judæos: quia Dominus populum illum receperat in ſuam defenſionem. Quoniam ergo aggreſſus fuerat rex Babylonis filios Dei, qui adoptati ab ipſo fuerant & quorum erat protector, ideo hic ſpecialem pœnam denunciat. Ita videmus dirigi hunc ſermonem proprie ad Judæos, quia voluit aliquid ſolatii afferre in graviſſimis malis, ut foverent ſuam patientiam: quia videbant injurias ſibi illatas venire coram Deo in rationem. Ergo per Libanum hic intelligitur vel Judæa, vel Templum ipſum, quia Libanus propinquus erat Templo, ut ſatis notum eſt: & alibi etiam ponitur hoc eodem ſenſu. Siquis autem extendat ad totam Judæam, eodem redibit ſenſus, in re vel parum vel nihil eſt momenti. *Quia* ergo *violentia Libani te obruet*, deinde *prædatio animalium*. Putant interpretes בהמות vocari Chaldæos & Aſſyrios, quia fuerint quaſi ſævæ & immanes beſtiæ ad vaſtandam Judæam: ſed potius intelligo *animalia Libani*, hoc eſt, quæ ſylvam illam incolebant. Exaggerat ergo Propheta ſævitiam regis Babylonis, quod etiam hoſtis fuerit brutis animalibus. Et ſubaudio relativum pronomen אשר in verbo יחיתן. Poteſt accipi vel pro Conterere; vel pro Terrere. Alii exponunt, Prædatio beſtiarum conteret eas: quaſi diceret Babylonios eſſe quidem ſimiles belluis truculentis, ſed contentum iri ſuis rapinis. Alter vero ſenſus longe melius fluit, quod ſcilicet prædatio animalium, quæ terruit illa, cooperiet (repetendum eſt enim verbum illud כסך, Cooperiet) vel obruet regem Babylonium. Tandem addit ſententiam illam, quæ heri fuit expoſita. Nunc tenemus conſilium Prophetæ, quod ſcilicet rex Babylonis merito perdendus ſit, quia violaverat terram ſanctam & aggreſſus injuſte fuerat electum Dei populum, deinde graſſatus etiam cum ſuis latrociniis fuerat per totum fere Orientem. Nunc ſequitur,

18. Quid prodeſt ſculptile? quia ſculpſit illud fictor ejus conflatile, & doctorem mendacii: quia confidit fictor figmento ſuo, ut faciat idola muta.

Jam Propheta ulterius progreditur, & oſtendit quicquid hactenus vaticinatus eſt de futuro excidio Babylonis & illius monarchiæ, proficiſci à vero Deo, hoc eſt, à Deo Iſraëlis. Neque enim ſatis fuiſſet tenere, eſſe aliquod numen in cœlo, quod gubernat res humanas: ita fieri non poſſe quin tyranni aliunde pœnas luant ſuæ crudelitatis. Scimus enim hæc proverbia volitaſſe paſſim inter profanas gentes, quod Jovi aſſideat Juſtitia: deinde quod ſit Nemeſis, quod ſit divina aliqua Ultio. Quum ergo talis perſuaſio infixa ſemper fuerit hominum cordibus, frigida fuiſſet ac fere inanis Prophetæ doctrina, niſi propoſitus fuiſſet in medium Deus Iſraël. Hæc ratio eſt cur nunc derideat omnia idola & vindicet uni Deo imperium totius mundi, & oſtendat præclare agi cum Judæis; quia non colant imaginarios deos, ſicuti profanæ gentes: ſed certo intelligant eundem eſſe opificem cœli & terræ, qui ſeſe Abrahæ patefecit, qui Legem ſuam dedit per manum Moſis. Nunc tenemus conſilium Prophetæ. Quoniam ergo rex Babylonis colebat etiam ipſe deos ſuos, Propheta excutit vanam fiduciam, qua poterat decipi & alios etiam decipere. Dicit igitur, *Quid prodeſt ſictile?* Contemptim hic loquitur de idolis, quæ fabricata ſunt

homi-

hominum manu. Et addit rationem: *Quia ſculpſit illud fictor*, inquit. Interpretes ſatis jejune accipiunt, quaſi diceret Propheta, Quid prodeſt fictile ubi ſculptum eſt vel conflatum ab opifice ſuo? nam Propheta hic cauſam oſtendit, cur inutilis ſit idolorum cultus: quia ſcilicet dii iſti conſtant ex mortua materia. deinde, fictor quid potuit afferre deitatis? Videmus ergo eſſe redditionem cauſæ in his verbis: ideo poſſemus clarius vertere, Quid prodeſt ſculptile, quum fictor illud ſculpſerit? hoc eſt, quandoquidem originem habet ſculptile ex manu & artificio hominis, quid prodeſt? Jam adjungit, *Finxit*, inquit, *conflatile*: hoc eſt, etiamſi artifex formam dederit vel metallo, vel ligno, vel lapidi, tamen non potuit naturam mutare. Dedit quidem externam aliquam ſpeciem: ſed ſiquis interroget, Quid eſt illud? certe eſt conflatile. Quum ergo non mutetur natura artificio hominum, hinc apparet quam ſtolidi & amentes ſint quicunque fiduciam ſuam locant in ſculptilibus. Adjungit, *& doctorem mendacii*. Ideo addita fuit hæc particula, quoniam homines ſeſe ipſos præoccupant perverſis commentis, ita ut non audeant judicium ferre ex re ipſa. Qui fit enim, ut paſſim truncus ligni, vel lapis vocetur Deus? Siquis interrogaſſet ſapientiſſimos illos qui putarunt gentes omnes eſſe barbaras, vel Romæ, vel Athenis, vel in aliis urbibus, Quid eſt illud? ſiquis vidiſſet Jovem argenteum, vel ligneum, vel lapideum: Eſt Jupiter, eſt Deus. Unde hoc? Eſt tamen lapis, eſt fruſtum ligni, vel argenti: nihilominus Deum eſſe aſſeruiſſent. Unde iſta dementia? nempe quia homines ſunt faſcinati, ut videndo nihil videant, hoc eſt, ſponte claudant oculos & cæcutiant quaſi data opera, quia nolunt intelligere. Hæc ratio eſt cur Propheta per anticipationem dicat, *Fictor finxit*. Quid finxit? *conflatile & doctorem mendacii*: manet materia ſemper, ſed interim falſa opinio prævalet, quia homines exiſtimant deos eſſe illa idola. Unde exiſtimant? Certe eſt doctrina mendacii, hoc eſt, eſt mera illuſio. Confirmat eandem ſententiam: *Confidit*, inquit, *fictor*, vel opifex, *ſuo opificio*, vel figmento. Quid? nonne ſenſu & ratione privatos eſſe oportet, qui fiduciam ſuam conjiciunt in res mortuas? Faber, quemadmodum dicit Jeſaias, accipiet ſua inſtrumenta, formabit idolum, poſtea genu flectet & Deum ſuum vocabit: eſt tamen opus manuum tuarum: quid? es ne tu ipſe Deus? Tu conſcius tibi es tuæ fragilitatis: interea autem tu creas novos deos? Hac etiam ratione confirmat Propheta quod prius dixit, nimis deſipere homines, imo hunc eſſe prodigioſum ſtuporem, ubi tribuunt aliquam deitatem vel ligno, vel lapidi, vel metallo. Quare? Sunt enim ipſorum figmenta, inquit. Et adjungit, *ut faciat idola muta*. Iterum repetit quod dixerat, non mutari naturam artificio hominum, ubi deos ſibi fabricant vel ex ligno, vel ex lapide. Quare? neque enim incipiunt loqui. Et eodem etiam pertinet quod ſtatim ſequitur. Conjungi enim debet proximus verſus. Poſtea iterum plura nobis dicenda erunt de re ipſa.

Jeſai. 40. verſ. 19.

19. Væ qui dicit ligno, Expergiſcere; Excitare, lapidi muto: (*mortuo*) ipſe docebit, Ecce, ipſe (*vel ipſum lignum, ſi referamus ad lignum. Ipſe ergo*) opertus eſt auro & argento, & nullus ſpiritus in medio ejus.

Proſequitur, ut dixi, eandem ſententiam, & acriter invehitur in hominum ſocordiam, quod inclament ligna & lapides, quaſi in illis eſſet aliqua occulta virtus. *Dicunt* ergo *ligno, Expergiſcere*. nam implorant opem ab idolis ſuis. An *ipſe docebit?* vertunt alii interrogative. Ego autem ſimpliciter accipio, Docebit ipſe: hoc eſt, mirum eſt vos ita ſponte deſipere; quia etiamſi nullum Prophetam Deus vobis mittat, etiamſi nemo vos admoneat, lignum tamen & lapis erunt optimi doctores: interrogate veſtra idola: hoc eſt, recte perſpicite quidnam ſit in idolis. Certe deus ligneus vel lapideus tacendo ſatis clamat ſe non eſſe Deum. Nullus enim eſt motus in ligno, vel lapide. Ubi nihil eſt vigoris aut vitæ, nonne ſtatuere decebat, nullam eſſe deitatem? nam multæ ſunt creaturæ præditæ aliquo ſenſu & motu. Deus autem qui inſpirat virtutem & motum & ſenſum toti mundo & ſingulis ejus partibus, annon ipſe excellet quodam ſingulari motu ſupra omnes creaturas? Ergo quum lignum & lapis tacent, ſunt vobis ſatis idonei doctores, ſi eſſetis boni diſcipuli. Videmus ergo ut hac ratione amplificet ſocordiam hominum Propheta, quia quod manifeſtum eſt non perſpiciunt. Et eodem etiam pertinet quod dicit, *Ecce, ipſe opertus eſt auro & argento*, hoc eſt, erit quidem aliquis ſplendor, quia putant idololatræ deos ſuos eſſe meliores quum ornati ſunt auro & argento: ſed interea *nullus eſt ſpiritus in medio ipſorum*: Intus, intus, inquit, inſpicite, & videbitis res eſſe mortuas. Cætera craſtino die proſequemur.

Da omnipotens Deus, quando in nobis tam parum eſt recti judicii, imo etiam in ipſa meridie cæcutiunt mentes noſtræ: da, inquam, ut ſemper nobis præluceat Spiritus tuus: deinde etiam intenti ſimus ad lumen verbi tui, ut teneamus rectam viam in continuo vitæ noſtræ curſu: atque ita ſubjiciamus tibi & nos & omnes vitæ noſtræ actiones, ne ullis illecebris implicemur in eandem perniciem cum impiis, qui nos captant & venantur & tendunt undique inſidias: ſed conſilio Spiritus tui gubernati, caveamus ab omnibus inſidiis: præſertim vero quoad ſpiritualem vitam ita ſimus tibi uni addicti, ut procul nos ſubducere ſemper diſcamus ab omnibus inquinamentis omnium gentium, & ita maneamus in puro numinis tui cultu, ne unquam protrahant nos impii in eaſdem ſecum illecebras, quibus eos Satan tam miſere decipit: ſed ſequamur eum ducem, cujus vis nos regi imperio, nempe Chriſtum Filium tuum, donec tandem nos omnes colligat in regnum illud cœleſte, quod nobis ſanguine ſuo peperit, Amen.

PRÆLECTIO NONA

IN

HABACUC PROPHETAM.

CAP. II.

HEri diximus Prophetam de idolis nunc loqui, ut vana fiducia ſpoliet regem Babylonis. Quanquam enim profani homines ſibi omnia arrogant & propriis viribus: tamen dementat eos etiam aliqua ex parte ſua ſuperſtitio. Propheta igitur oſtendit tyrannum illum fruſtra confidere ſuis idolis, quandoquidem ſunt res nihili. Sed notandæ ſunt rationes quibus idololatriam refellit: quod ſcilicet artifices, qui deos fabricant, non poſſint tamen mutare naturam materiæ. nam lignum

ſem-

ſemper manet lignum, lapis etiam lapis: & fundendo nihil aliud proficiunt etiam fabri & aurifices, niſi quod efficiunt conflatile. Manet igitur ſemper eadem materia. Quod ad formam ſpectat, Propheta dicit merum eſſe mendacium & impoſturam: imo deos ligneos, vel argenteos, vel cujuſcunque ſunt materiæ, dicit eſſe magiſtros vel doctores mendacii, quia ſcilicet attrahant ad ſe animos ſimplicium: & Satan quaſi laqueos tendit hominibus, ubi proponit eorum oculis viſibiles iſtas figuras & perſuadet aliquid deitatis illic eſſe incluſum. Ergo diligenter notanda eſt iſta ratio, dum Propheta admonet, ex mortua & corruptibili materia conſtare fictitios deos: & quantum ad formam ſpectat, eſſe duntaxat præſtigias Satanæ. Vulgare eſt illud dictum Gregorii apud Papiſtas, Imagines eſſe libros idiotarum. ſic enim reſcripſit Sereno Epiſcopo Maſſilienſi, qui everterat idola ex omnibus templis. Dicit ſe probare ejus conſilium, quod voluerit corrigere ſuperſtitionem, quæ inveluerat io populo: ſed tamen male feciſſe quod abſtulerit prorſus imagines, quæ ſunt libri idiotarum. ſed videndum eſt, utri major fides ſit adhibenda, Gregorio homini jam multis erroribus imbuto, (ut ſeculum illud valde corruptum fuit) an Prophetæ Habacuc, atque etiam Jeremiæ, qui in eandem fere ſententiam loquitur. Ergo quamvis aliqua ſit ſpecies in idolis, tamen Propheta hic admonet nihil eſſe præter Satanæ impoſturam: quia docent mendacium. Ratio etiam illa notatu digna eſt, quod opifices ſpem ſuam conſtituant io propriis figmentis. Hoc autem valde eſt præpoſterum, ut mortalis homo Deum manu ſua fingat, deinde putet aliquid deitatis eſſe illic incluſum propter formam. neque enim deitas eſt in ipſa materia. Atqui materia contemnitur quum eſt informis: imo quum retinet pulcherrimam formam. Arbor enim quum viret, quum producit & flores & fructum, tamen cenſetur mortua creatura, ut eſt. Ubi autem truncus formatus eſt in figuram hominis, jam creditur Deus eſſe. Hoc vero nimis eſt abſurdum, ut manus artificis conciliet deitatem mortuæ materiæ. Truncus enim jam eſt emortuus, & nihil illic perſpicitur præter formam, quæ provenit ab homine. Quum ergo artifex confidit figmento ſuo, illud eſt præter naturam. Hinc ſatis apparet, homines prorſus dementari à diabolo, quum opificium ſuum adorant. Jam vero ut propius urgeat idololatras Propheta, objurgat eos, quod clament ligno & lapidi, Expergiſcere. Certum eſt, quum genua flecterent idololatræ coram ſuis figmentis, finxiſſe tamen cœleſtes deos: ſed quum ad figuram ligneam vel lapideam invocarent Deum, hoc perinde erat acſi ſalutem expectarent à ligno & lapide. neque enim hic quæritur quid idololatræ imaginati ſint: ſed res ipſa ſpectanda eſt, quam libere & pleno ore hic Propheta damnat. Quoniam ergo ſolebant preces ſuas convertere ſuperſtitioſi ad lignum & lapidem, dicit fingere ſibi deos, quibus ſacrificent. Merito autem Propheta ſpeciem hanc diſerte attingit, quia præcipuum eſt ſacrificium quod Deus ſibi offerri jubet atque exigit à nobis, nempe ut invocetur. nam teſtamur hoc modo vitam & omnes ſalutis noſtræ partes in eo eſſe poſitas. Quum igitur majeſtas Dei conſtet præcipue hoc teſtimonio, quod ſit fons vitæ & omnium honorum, quiſquis coram lapide vel ligno ſe poſternit atque implorat opem viſibilis Dei, proculdubio transfert gloriam æterni Dei ad truncum mortuum, vel ad lapidem. Ergo ſi cupimus puri eſſe ab omni ſuperſtitione, tenendum eſt hoc principium, nempe nobis tunc unicum Deum fore, ſi dirigimus ad eum ſolum preces noſtras & vota: ſi denique ipſum ſolum invocamus. Jam ſi confugimus ad mortua idola, ſpoliabitur Deus jure ſuo. Poterimus centies nominare Deum: ſed titulus ille inanis erit & nullius momenti, niſi Deus ſolus invocetur. Poſtremo ſubſannat Propheta homioum dementiam quum dicit idola ipſa docere. oeque enim, ut heri dictum fuit, interrogative legi debet hæc particula, ſicuti faciunt alii: ſed hic ut acrius pungat hominum ſocordiam Propheta, dicit, Certe etiam figuræ iſtæ viſibiles vos docere poterant, niſi prorſus eſſetis ſtupidi. Paulo ante dixerat eſſe magiſtros mendacii & vanitatis: verum eſt: ſed nunc de alio genere docendi loquitur, nempe ſi prudenter homines attenderent ad rem ipſam, poſſent ſtatim colligere ex ſolo conſpectu ſuorum deorum, nimis craſſos eſſe dolos Satanæ. ſiquis ergo puro oculo idola reſpiciat, videbit rem eſſe mortuam, videbit gravem injuriam fieri Deo ſi transfiguratur in ſimilitudinem rei mortuæ. Nunc ergo tenemus Prophetæ conſilium, ubi dicit idola ipſa ſatis ſuperque docere, ſi homines ipſi dociles & attentos ſe præberent. non intelligit docere quemadmodum heri dictum fuit, fallaciter in hominum perniciem mentiri idola, dum illis tribuitur aliqua deitas: ſed dicit docere, ſiquis ab errore purus & vacuus accedat ad conſpectum idoli, & judicium faciat ex re ipſa. Quoniam autem occupat hominum mentes ſuperſtitio, hinc fit ut omnes ſint diſcipuli Satanæ, & nemo animum adjiciat ad iſtam doctrinam, cujus nunc fit mentio. Denique idola docent naturaliter: docent etiam ex artificio & fraude Satanæ. Docent naturaliter: tacendo enim clamant ſe non eſſe deos: quia nihil eſt in ipſis vigoris. Docent autem ex artificio diaboli, quia prætendunt aliquam ſpeciem deitatis & ita perſtringunt ſenſus hominum, qui jam corrupti ſunt ſuis erroribus. Ad priorem hanc doctrinam, de qua loquitur nunc Propheta, nulli animum adjiciunt. Renunciant enim omnes fere naturæ: tantum arripitur illud, Idola eſſe deos, quia figurant Deum æternum & cœleſtem, à quo nos procul abſumus, & qui aliter ad nos non deſcendit niſi per figuras viſibiles. Confirmat ſententiam illam Propheta, quum dicit, etiamſi obducti ſint dii iſti auro vel argento, *nihil tamen eſſe ſpiritus* vel anhelitus *in medio*. Denique intelligit eſſe larvas, quia deitas non poteſt eſſe abſque ſenſu. Quum autem idola ſint res mortuæ, ſequitur nimis craſſam eſſe diaboli impoſturam, qua faſcinat mentes hominum ubi ita ſe addicunt rebus mortuis. Cæterum, quicquid hic dicitur contra idola, certum eſt competere in ſuperſtitiones Papiſticas. Negant ſe tribuere divinos honores ſuis idolis, ſed videndum eſt quid dicat Propheta. Sacrificant enim auro & argento & lapidibus: deinde flectunt genua coram ſuis ſimulachris: & non putant propinquum ſibi eſſe Deum, niſi in figuris illis. Oſtendant igitur Prophetam hic ſtulte ratiocinari: vel convicti tenentur quaſi Spiritus ſancti ſententia, dum ita preces ſuas ad mortua idola convertunt. Jam ſequitur,

lib. 9. epiſtolarum, epiſtola 9.

20. Jehova autem in Templo ſanctitatis ſuæ, (*id eſt, in Templo ſancto ſuo*) ſileat à facie ejus omnis terra.

Poſtquam docuit Habacuc falli Babylonios dum quicquam opis expectant à ſuis idolis, & deludi à Satana, revocat nunc fideles ad verum & unicum Deum. neque enim ſatis fuiſſet eripere Babyloniis perverſam fiduciam, quam locabant in ſuis idolis, niſi ex oppoſito Iſraëlitæ confiſi veri Dei gratia, certo perſuaſi fuiſſent, à ſe Deum ipſum ſtare, quia ipſos ſuſceperat in tutelam ſuam. Et diligenter etiam notandus eſt hic ordo: quia videmus ut multi ſecure derideant omnes ſuperſtitiones quæ in mundo graſſantur: interea etiam fortiter & cyclopico furore contemnant verum Deum. Quam multi ſunt hodie vel Epicurei, vel Lucianici homines, qui jocoſe & per ludibrium garriunt contra ſuperſtitiones Papatus?

tus? ſed interim nullo tanguntur Dei timore. Atqui ſi ex duobus malis alterum eligere oporteat, magis tolerabilis eſſet ſuperſtitio, quam craſſa impietas quæ abolet omnem deitatis ſenſum. Verum quidem eſt, incredulos quo magis laborant in ſuis erroribus provocare contra ſe iram Dei, quia transferunt ejus gloriam ad res mortuas: ſed tamen retinent illud principium, deberi honorem & cultum Deo: profani autem homines, quibus nulla eſt religio penitus, non modo transfigurant Deum, ſed ſtudent quantum in ſe eſt, in nihilum redigere. Ideo dixi ordinem hunc, quem nobis oſtendit Propheta, eſſe tenendum. Poſtquam enim evertit fallaces illecebras diaboli, quibus deludit incredulos, quum ſpectra illis loco veri Dei proponit, jam conſtituit verum cultum unius Dei. Hactenus ergo Propheta dedit operam evertendis ſuperſtitionibus: nunc autem ædificat: quia niſi everſis idolis Deus conſcendat ſuum tribunal, & illic emineat ſicuti dignus eſt, præſtaret, vel ſaltem eſſet tolerabilius, quemadmodum dixi, relinqui integras ſuperſtitiones. Dicit autem *Deum eſſe in Templo ſuo*, vel palatio. nomen hoc ſæpe accipitur pro cœlo: ſed transfertur etiam ad Sanctuarium. Multi ad cœlum referunt, quaſi diceret Propheta verum Deum, qui opifex eſt ac creator cœli & terræ, non includi viſibili forma, neque delitescere ſub auro vel argento, vel ligno & lapide, ſed regnare in cœlo, imo implere cœlum immenſa ſua gloria. & hoc non male quadraret. Cæterum, quia ſpecialiter hic alloquitur Judæos, mihi non minus probabile eſt loqui de Templo, ubi tunc Deus volebat coli & ſibi offerri ſacrificia. neque enim ſatis fuiſſet, opponere Deum creatorem cœli & terræ gentium omnium ſuperſtitionibus: ſed ſimul neceſſe fuit addere iſtam antitheſin inter Deum Iſraelis & deos omnes, qui tunc nomen & famam in mundo obtinebant, quia erant fabricati hominum arbitrio. Deus autem Iſraëlis erat quidem creator cœli & terræ: ſed innotuit per Legem ſuam, patefecit ſe hominibus, ut majeſtas ejus non eſſet occulta. nam ubi ſermo fit de ipſo Deo, niſi ad nos accedat & quodammodo ſe exhibeat nobis familiarem, evaneſcimus: neque enim tanta eſt ingenii noſtri facultas, ut penetret ſuper omnes cœlos. Majeſtas ergo Dei per ſe nobis eſt incomprehenſibilis: ſed per opera ſua, & per verbum ſeſe declarat. Quia autem Iſraëlitæ colebant, ac certo etiam ſciebant ſe colere verum Deum, merito Propheta hic eos confirmat in ſpe quam conceperant ex doctrina Legis, Deum ſcilicet ſibi eſſe patrem, ſicuti eos adoptaverat. Siquis malit de cœlo accipere, non reclamo: & conveniet, ſicuti dixi, ſenſus ille. Cæterum, quia videtur mihi Propheta peculiariter reſpicere populum ſuum, cui ordinatus erat doctor, hic probabile etiam eſt nomen Templi vel palatii ſumi pro ipſo Sanctuario. Siquis objiciat, nullum igitur eſſe diſcrimen inter Deum Iſraelis & deos gentium, quia ipſe quoque in terreno domicilio habitet: reſponſio eſt facilis, Deum tametſi dicat ſe habitare inter Cherubim, tamen non fuiſſe transfiguratum, quaſi aliquid ſimile haberet cum ligno, vel lapide, vel etiam haberet aliquam ſimilitudinem cum humanis corporibus. Errores illi omnes procul exulabant à Templo Dei: quia jubebat cultores ſuos ſuſpicere in cœlum. deinde erat oppoſitum velum, ut intelligeret populus ſe non poſſe aliter ad Deum pervenire quam per exemplar illud cœleſte, cujus ſpectabant duntaxat ἀντίτυπον in altari thymiamatis, in altari altero ubi ſacrificabant, in menſa ubi erant panes propoſiti, denique in aliis omnibus. Et notanda eſt etiam altera ratio differentiæ: quia tametſi eſſet aureum altare, tametſi eſſet arca fœderis, & altare etiam ubi victimæ immolabantur; tamen inſculptum erat omnibus iſtis figuris verbum Dei, quo ſolo diſcernitur vera religio à falſis figmentis. Quamcunque enim ſpeciem rationis præ ſe ferant fictitii cultus, non tanta eſt in hominibus auctoritas, ut cenſeri debeant pro legitimis: ſed unicum Dei verbum tantum reverentiæ meretur, ut ſuperet omnes rationes. Jam vero, ſicuti nuper attigi, verbum illud non retinebat Judæos in craſſis erroribus, ſed evehebat in cœlum. Nunc ergo videmus fuiſſe latum diſcrimen inter Templum, quod erat Jeroſolymæ, & inter templa, quæ ſibi increduli in toto mundo tunc erexerant: quia Judæis præibat Deus, ita ut errare non poſſent. Et hodie ubi etiam prælucet nobis verbum Dei, poſſumus tuto ſequi. Deinde ſpiritualiter trahebat Deus ad ſe ſuos cultores, utcunque pro eorum ruditate uteretur quibuſdam elementis. Merito itaque dicit Propheta, Deum eſſe in palatio ſuo, vel Templo: quia Iſraëlitæ certo intelligant ſe non colere Deum fictitium, quando Lege ſua ſe illis patefecit, & elegit Sanctuarium, ubi volebat ſub figuris coli, ſed tamen ſpiritualiter. Jam ſubjungit, *Sileat à facie ejus omnis terra.* Non dubito quin potentiam Dei commendet Habacuc, ut alacriter pergant Iſraëlitæ in curſu pietatis, dum ſciunt ſatis ſibi eſſe præſidii in uno Deo, neque appetant ſuperſtitiones gentium, neque ferantur huc & illuc vanis deſideriis, quemadmodum ſæpe contingit. Sileat igitur omnis terra, inquit. Oſtendit quamvis Iſraëlitæ longe ſubſidant infra Babylonios & alias etiam gentes, longe impares ſint viribus, arte militari, copiis, omnibus denique ſubſidiis, tamen ſub Dei tutela fore ſemper incolumes: quia Dominus poterit cogere in ordinem quicquid eſt potentiæ in mundo. Videmus nunc quo ſpectet Propheta. neque enim hic hortatur ſimpliciter populos omnes ad cultum Dei, ſed oſtendit etiamſi homines inſaniant contra ipſum, tamen poſſe ejus manu facile ſubjugari: quia poſtquam tumultuati fuerunt Reges cum omnibus ſuis populis, Dominus flatu uno diſcutiet omnes ipſorum conatus, quamlibet ſint furioſi. Hoc igitur eſt ſilentium, de quo nunc loquitur Propheta. Alia autem eſt ſpecies ſilentii ubi ſponte nos Deo ſubjicimus: ſilentium nihil aliud eſt quam ſubjectio hoc loco. Subjicimus autem nos Deo, ubi non afferimus noſtra commenta, neque imaginationes, ſed patimur nos doceri ejus verbo: deinde ſubjicimus nos, ubi non obſtrepimus ejus potentiæ, vel judiciis: ſi humiliamur ſub formidabili ejus manu: neque etiam ferociter calcitramus contra eum, ſicuti qui indulgent ſuis cupiditatibus. hæc autem voluntaria eſt ſubjectio, quemadmodum dixi. Sed Propheta hic oſtendit Deo eſſe potentiam, qua proſternat totum mundum & conterat ſub pedibus ſuis ubi ita viſum fuerit: ut nihil timendum ſit fidelibus, quia ſciunt ſalutem ſuam eſſe in tuto, quandoquidem totus mundus, etiamſi omnia machinetur, non poteſt Deo reſiſtere. Sequitur precatio.

CAPUT III.

PRecatio Chabakuk Prophetæ ſuper ignorantiis. (*vel ſuper canticis, aut inſtrumentis muſicis.*)

NOn dubium eſt quin hanc precandi formam dictaverit Propheta populo ſuo antequam traheretur in exilium, ut illic ſeſe exerceret ſemper in ſtudio pietatis. Scimus autem non poſſe Deum vel rite, vel ex animo coli abſque fide. Ut ergo frenum injiceret Propheta diſperſis Iſraëlitis, ne diffluerent à vera pietate, hic proponit fidei materiam, & ſtimulat etiam ad precandum.

Scimus

Scimus autem non poſſe melius fidem noſtram foveri quam precandi exercitio. Sciamus ergo hic præſcribi miſeris Iſraelitis rationem pietatis fovendæ, dum erunt in exilio diſperſi, nempe ſi quotidie ad Deum ſuſpirent & ſeſe confirment in fide: quia non poterant aliter manere ſub obſequio Dei: imo delapſi fuiſſent ad ſuperſtitiones gentium protinus, niſi ſtetiſſet firma in cordibus ipſorum memoria fœderis, quod Dominus pepigerat. & videbimus paulo poſt in hanc partem incumbere Prophetam. Vocat precationem ſuam, non quod privatim ſolus ipſe precatus ſit, vel compoſuerit in uſum ſuum hoc carmen: ſed quo plus haberet auctoritatis iſta precatio apud totum populum. Sciebat enim non ſecus Prophetæ ore ſibi dictatam fuiſſe hanc precandi regulam, quam ſi è cœlo Spiritus ipſe illis monſtraſſet quomodo orandus eſſet Deus. Aſcribitur itaque nomen Habacuc, non quia ſeorſum ita precatus ſit, ſed ut populus magis animaretur ad precandum, quum ſciret Spiritum ſanctum ſibi eſſe ducem ac magiſtrum opera ipſius Prophetæ. Alia etiam difficultas eſt in voce שגינות. שגה & שגג etiam Hebræis ſignificat Inconſiderate agere. A ſecundo, nempe à שגה, deducitur שגיון: multi vertunt Ignorantiam, alii oblectationem: alii putant fuiſſe initium cantici: alii putant fuiſſe communem melodiam, alii inſtrumentum muſicum. ſic variant inter ſe interpretes. Pſal. 7. mihi non dubium eſt quin David שגיון nominet vel canticum, vel muſicum inſtrumentum aliquod. Tamen alii putant Davidem illic teſtari de ſua innocentia: & quia non eſſet ſibi male conſcius, ideo titulum illum nihil aliud notare quam ejus innocentiam. ſed illud eſt nimis coactum. Hoc loco receptum eſt fere communi uſu, accipi pro Ignorantiis. Scimus autem ignorantias vocari Hebræis, vel errores, vel lapſus non adeo graves, & omnia quæ per incogitantiam accidunt. & hoc verbo non extenuant ſua delicta, ſed fatentur ſe fuiſſe inconſideratos, dum lapſi ſunt. Ergo nomen שגיון non erit ignorantia, quæ excuſet, quemadmodum inde prætextum captant homines: ſed erit error ſtultitiæ & temeritatis: quia ſcilicet homines non ſatis attenti ſint ad verbum Dei. Sed forte שגינות poterit hic accipi plurali numero pro inſtrumentis muſicis. ſed quia non libenter diſcedo à recepta ſententia, non eſt etiam ulla neceſſitas, quæ nos cogat hoc loco diſcedere, ſequamur quod jam dictum eſt: Prophetam hic dictare populo ſuo formam precandi pro ignorantiis, quia ſcilicet non poſſet aliter ſperare veniam à Deo, niſi rediiſſet in gratiam. Quomodo autem reconciliamur Deo, niſi quum deſinit imputare peccata? Cæterum, Propheta rogando pro ignorantiis, non omittit graviora peccata: ſed oſtendit, etiamſi homines ſua conſcientia non coarguat, tamen non ideo eſſe innoxios & extra reatum: quia etiam ſæpe inconſiderate labantur, & non excuſari delicta propter errorem. Perinde igitur eſt acſi Propheta gentiles ſuos moneret, non aliud eſſe remedium in rebus adverſis, niſi ut confugiant ad Deum, & confugiant ſupplices, petantque veniam: neque tantum agnoſcant graviora ſcelera, ſed fateantur ſe eſſe reos multis aliis modis: quia potuerant millies labi per errorem, ſicuti inconſiderati ſumus fere in tota vita. Nunc ergo tenemus quid ſibi velit nomen iſtud, & cur Propheta de ignorantiis potius loquutus ſit quam de aliis ſceleribus. Sed nunc ulterius non pergam, quia eſt aliquod negotium.

Da omnipotens Deus, quando dignatus es te nobis patefacere per verbum tuum, & pro ruditate ſenſus noſtri nos ad te attollis, ne defixi maneamus in noſtra craſſitie, ſed exuti omnibus ſuperſtitionibus, imo etiam abdicando nos ſenſu carnis noſtræ, te recta via quæramus, & ſic patiamur nos regi verbo tuo, ut pure & ex animo te invocemus, & ita recumbamus in virtutem tuam immenſam, ut non dubitemus deſpicere totum mundum & quicquid nobis in terra adverſum eſt, donec defuncti noſtra militia tandem colligamur in beatam illam quietem, quam nobis peperit ſanguine ſuo unigenitus Filius tuus, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA
IN
HABACUC PROPHETAM.

CAP. III.

2. Jehova audivi vocem tuam, (*auditum tuum, ad verbum:* שמעך) timui: Jehova opus tuum in medio annorum vivifica illud, (*ſed relativum pronomen abundat*) in medio annorum notum fac: in ira miſericordiæ recorderis.

Hic Propheta in perſona totius populi dicit ſe fuiſſe voce Dei territum. Sic enim accipio hoc nomen: tametſi multis in locis Famam ſignificet, quemadmodum etiam quidam hoc loco exponunt. ſed quia Jeſaiæ 53. cap. vocatur etiam שמעה Evangelii prædicatio, mihi videtur hoc ad contextum præſentem eſſe aptius, ut vertamus vocem Dei. Nam frigeret illa generalis ſententia, quod fideles ad famam Dei conterriti fuerint. Potius hoc debet accommodari ad prophetias, quæ antehac expoſitæ fuerunt. Et certe hic noluit Habacuc tractare in genere duntaxat de potentia Dei: ſed quemadmodum vidimus proxima lectione, hic ſuppliciter fatetur peccata populi, deinde veniam precatur. non dubium igitur eſt, quin dicat ſe fuiſſe territum Dei voce, quum ſcilicet audiret ipſum minari tam graves pœnas. Poſtea adjungit, *Vivifica tamen opus tuum in medio annorum & notum fac.* Poſtremo adjungit per occupationem, *Ut Deus recordetur miſericordiæ ſuæ*, etiamſi merito offenſus fuerit peccatis populi. Quod autem dicit ſe timuiſſe ad vocem Dei, confeſſio eſt vel teſtimonium pœnitentiæ: quia non poſſumus ex animo petere veniam, niſi prius humiliati. Ubi enim non diſplicet ſibi peccator, neque reatum ſuum agnoſcit, indignus eſt miſericordia. Videmus ergo cur Propheta hic loquatur de timore, nempe ut hoc modo ſibi & reliquis favorem apud Deum conciliet: nam ſimulac damnat ſe ultro peccator, neque hoc facit defunctorie, ſed ſerio animi affectu, jam reconciliatus eſt Deo. ſic enim jubet Deus prævenıri judicium ſuum. Hoc unum eſt. Nunc quæritur unde audierit Propheta hanc Dei vocem. Solutio facilis eſt: quia non eſt hæc privata unius tantum hominis, ſed communis totius Eccleſiæ precatio, præſcribere hic rationem fidelibus, qua obtineant gratiam à Deo & ipſum ad miſericordiam flectant, nempe ſi expaveſcant ad ejus minas & ſciant inſtare quicquid Deus minatur per Prophetas ſuos. Nunc ſequitur alterum membrum, *Jehova in medio annorum vivifica opus tuum.* Opus Dei nominat ſtatum populi vel Eccleſiæ. Tametſi enim Deus cœli & terræ creator eſt, vult tamen Eccleſiam ſuam agnoſci quaſi ſingulare opificium, & ſpecimen præcipuum ſuæ virtutis, ſapientiæ, juſtitiæ, bonitatis.

Ergo κατ' ἐξοχὴν, per excellentiam, hic vocatur ſtatus electi populi, Dei opus: quia non erat tantum pars humani generis ſemen illud Abrahæ, ſed ſacrum Dei peculium. Quoniam ergo Iſraëlitæ ſegregati fuerant à Domino, merito vocantur opus ejus: ſicuti
Pſal. 138. verſ. 8. etiam alibi, Opus manuum tuarum non deſpicies. Deinde ſæpius ita loquitur Deus, Hæc eſt plantatio mea: Hoc eſt opus manuum mearum, quoties de Eccleſia loquitur. Per medium annorum, intelligit quaſi medium curſum vitæ populi. Nam ex quo Deus elegit genus Abrahæ, uſque ad Chriſti adventum, fuit quaſi curriculum vitæ unius, ſi comparemus populum illum homini. nam complementum ætatis erat in Chriſti adventu. Ergo ſi populus ille deletus fuiſſet, hoc perinde erat acſi in medio flore ætatis mors abriperet quempiam. Rogat igitur Propheta, ne Deus abripiat vitam populi ſui in dimidia parte: quia Chriſto nondum exhibito, populus ille nondum maturuerat, nondum pervenerat ad juſtam & virilem ætatem. *In medio* igitur *annorum opus tuum vivifica*: hoc eſt, etiamſi videmur deſtinati eſſe morti, tamen nos reſtitue: *notum fac*, inquit, *in medio annorum*, hoc eſt, oſtende re ipſa hoc eſſe tuum opus. Nunc tenemus genuinum Prophetæ ſenſum: poſtquam confeſſus eſt merito ad vocem Dei timuiſſe Iſraëlitas, quod viderent ſe conſtringi reatu æternæ mortis; poſtea tamen ad miſericordiam Dei provocat, & petit ut Deus vivificet opus ſuum. Hic non adducit in medium quicquam niſi gratiam adoptionis: ita fatetur nihil eſſe cur Deus ignoſcat populo ſuo, niſi quia dignatus eſt ipſum gratis adoptare, & eligere in populum peculiarem. ſic enim Deus ad extremum uſque proſequi ſolet ſuas gratias in nobis. Quoniam ergo hic populus fuerat ſemel à Deo electus, Propheta adoptionem commemorat, ut Deus continuet atque impleat uſque ad finem quod incepit. Quantum attinet ad dimidium vitæ curſum, notanda eſt illa ſimilitudo: quia videmus non fuiſſe electum genus Abrahæ ad breve aliquod tempus, ſed uſque dum Chriſtus manifeſtatus eſſet redemptor. Jam hoc nobis cum veteri populo commune eſt, quod Deus nos adoptat ut perducat tandem ad hereditatem vitæ æternæ. Uſque dum ergo completum ſit opus ſalutis noſtræ, ſumus quaſi in ſtadio: ideo poſſumus ſequi hanc precandi formam, quæ nobis à Spiritu ſancto præſcribitur, ne ſcil. Deus in medio curriculo deſerat opus ſuum. Jam quod adjungit, *In ira recorderis miſericordiæ*, eſt ſpecies occupationis: poterat enim obrepere hæc cogitatio fidelibus, non eſſe cur ſperarent à Deo veniam, quem tam graviter provocaverant: deinde non eſſe cur objicerent amplius fœdus quod violaverant ſua perfidia. Propheta huic tentationi occurrit: & confugit tamen ad gratiam Dei, utcunque ſentiat populum juſtas dare pœnas ſcelerum, quales erat meritus. Fatetur ergo Deum juſte iratum eſſe populo ſuo: ſed tamen non ideo præcluſam eſſe ſpem ſalutis: quia Dominus pollicitus fuerit ſe placabilem. Quoniam ergo non eſt inexorabilis Deus erga ſuos, imo dum eos caſtigat non deſinit eſſe pater: hæc ratio eſt cur hic Propheta conjungat miſericordiam cum ira Dei. Alibi diximus nomen Iræ improprie accipi, ubi agitur de electis & fidelibus: quia Deus non ideo eos caſtigat quod oderit: imo potius declarat ſollicitudinem quam gerit de ipſorum ſalute. Ergo ferulæ quibus caſtigat Deus filios ſuos, ſunt amoris teſtimonia. ſed Scriptura judicium Dei quod exercet in ſuos fideles, vocat Iram: non ob perſonas, ſed ob peccata. Quanquam ergo Deus amore proſequitur electos ſuos, tamen teſtatur quum ſumit de peccatis ipſorum pœnam, ſibi iniquitatem eſſe odio. Quoniam ergo Deus prodit in medium quaſi judex, & demonſtrat ſibi peccata diſplicere, ideo iraſci dicitur fidelibus. deinde eſt relatio ad ſenſum hominum: quia non poſſumus, ubi Deus nos caſtigat, effugere, quin conſcientia noſtra nos coram ipſo accuſet. Hinc vero odium illud: quia ubi intus nos damnat conſcientia, neceſſe eſt agnoſcere Deum nobis iratum, nempe quoad nos. Quoniam ergo provocamus peccatis noſtris iram Dei, ſentimus ipſum nobis eſſe iratum. atqui interea Propheta res quæ videntur eſſe prorſus contrariæ conjungit: nempe quod Deus *recordetur miſericordiæ in ira*, hoc eſt, ſic oſtendat ſibi diſplicere, ut interim tamen guſtum aliquem præbeat ſui favoris & miſericordiæ fidelibus, dum ſentiunt ipſum eſſe placabilem. Nunc ergo videmus cur poſtremum hoc membrum Propheta cum aliis conjunxerit. Ergo quoties nos ad deſperationem ſollicitat carnis ſenſus, ſemper diſcamus objicere hanc ſententiam, Deum ſic iraſci, ut tamen nunquam obliviſcatur ſuæ miſericordiæ, nempe ubi negotium ei eſt cum ſuis electis. Sequitur,

3. Deus de Theman veniet, & Sanctus è monte Paran, Selah. Operuit cœlos decor (*vel gloria*) ejus: laude ejus plena eſt terra.

Hunc verſum interpretes duobus modis exponunt. Quidam verbum futuri temporis in præteritum reſolvunt, Deus prodiit è Theman, & Sanctus è monte Paran: quia ſequitur etiam aliud verbum præteriti temporis. Alii vero reſolvunt in modum optativum, Deus veniat vel prodeat è Theman, & Sanctus è monte Paran: quaſi optaret Propheta Deum adeſſe populi ſui vindicem è monte Sinai, ubi Lex promulgata fuerat, & ſancitum fœdus quod olim pepigerat Deus cum Abraham & ejus poſteris. Ego potius eorum ſententiæ ſubſcribo, qui putant recitari à Propheta manifeſtationem illam Dei, qua teſtatus fuerat ſe cuſtodem eſſe illius populi. Quoniam ergo Deus in monte Sinai gloriam ſuam ita explicuerat, ut facile conſtaret gentem illam eſſe ſub tutela ejus: ideo Propheta ut ſe & reliquos fideles confirmet, reducit in memoriam id quod ſatis erat celebre & notum in toto populo, Legem ſcilicet fuiſſe datam in monte Sinai, quæ teſtimonium eſſet ſingularis gratiæ: quia tunc Deus rurſus novo pignore teſtatus fuerat fœdus ſuum olim percuſſum cum Abraham, ratum & ſtabile eſſe. Quod Habacuc non montem Sinai nominat, ſed Theman & Paran, ideo videtur hoc facere, quod duo iſti montes erant propiores terræ ſanctæ. Quanquam illud quoque vereor ne ſit nimis argutum. Ideo ſimpliciter accipio quod loco montis Sinai periphraſtice poſuerit montem Paran, deinde deſertum Theman. Alii putant duos eſſe montes. ſed neſcio an Theman reſtringi debeat ſolum ad montem unum. Videtur potius eſſe aliquis tractus longior regionis. Judæis etiam tritum eſt, nomen hoc ponere, quum loquuntur de Auſtro vel Meridie, quemadmodum ſolent multæ gentes indere ventis nomina à locis vicinis: ſic etiam quum Judæi volebant nominare Africum, dicebant Theman, Eſt ventus Theman: ita quum ſermo erat de Meridie, dicebant Theman. Quicquid ſit, certum eſt deſertum Theman vicinum fuiſſe monti Sinai: deinde montem Paran fuiſſe etiam conjunctum deſerto. Quoniam ergo ſpectabant hæc loca ad Meridiem, & propinqua erant monti Sinai ubi Lex lata fuerat; hic commemorat Propheta ad confirmationem totius populi, quod Deus non fruſtra prodierit ſemel ex Theman, & illic apparuerit cum cœleſti ſua potentia. Tunc enim Deus palam oſtenderat ſe in fidem ſuam ſuſcipere filios Abrahæ, & fœdus quod olim percuſſerat, non eſſe vanum vel nullius efficaciæ. Quum ergo Deus hoc tam illuſtri documento & memorabili teſtatus eſſet, ideo Propheta hic proponit in medium hiſtoriam illam, quæ plurimum ad piorum omnium confirmationem valere debebat: *Deus prodiit ſemel è Theman, & Sanctus è*

monte

monte Paran. neque enim Deus volebat evaneſcere memoriam illius manifeſtationis: ſed ſemel apparuerat cum tam magnifica gloria, ut populus certo perſuaſus eſſet ſe fore ſemper ſalvum, quia protegebatur manu Dei, & quidem plena potentiæ, ſicuti ſemel Patres cognoverant ſignis illis manifeſtis & viſibilibus. Ideoque egreſſum Dei ex monte Paran Propheta ſtatuit quaſi in continuo actu, acſi quotidie ſe conſpiciendum præberet ex eo loco. Neque hoc debet videri novum: quia plurimis aliis locis videmus illam quaſi vivam picturam ſtatui ante oculos piorum, ut ſeſe confirment in rebus adverſis, nec dubitent ſe ſalvos fore Dei præſentia. neque enim quotidie Dominus fulminabat è cœlo: non erant etiam conſpicua indicia præſentiæ ejus, ſicuti in monte Sinai. Sed populus debebat ſtatuere eundem ipſum Deum, qui Patribus exhibuerat tam clarum teſtimonium ſuæ potentiæ: hodie etiam & uſque ad finem mundi præditum eſſe eadem potentia, licet non eſſet viſibilis. Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ. *Deus* ergo *venit è Theman, & Sanctus è monte Paran.* Jam hoc etiam notandum eſt, revocari piorum mentes ad ſpectaculum illud montis Sinai, quum abducti eſſent in exilium, vel quum eſſent obnoxii hoſtibus ſuis. Tunc enim poterant conjicere, ſe prorſus eſſe derelictos. ergo abolita fuiſſet memoria illius hiſtoriæ, niſi remedium hoc fuiſſet interpoſitum. Perinde igitur eſt acſi diceret Propheta, Quamvis nunc occultet Deus virtutem ſuam, & nullum ſignum oſtendat gratiæ ſuæ, tamen reputate non fruſtra olim cum tanta potentia apparuiſſe patribus veſtris, quum Lex promulgata fuit in monte Sinai. Sequitur,

4. Et ſplendor quaſi lux fuit: cornua è manu ejus ei, & ibi abſconſio fortitudinis ejus.

Confirmat ſententiam quam expoſui, nempe Deum ubi voluit præſentiam ſuam teſtari populo, ſimul dediſſe ſigna admirabilis potentiæ, quæ poſſent expergefacere omnium animos. Dicit ergo fulgorem fuiſſe inſtar lucis. Per nomen הוד non dubium quin lucem, quæ diffuſa eſt per totum mundum & quæ à ſole manat, Propheta ſignificet. dicit ergo fulgorem illum qui apparuit in monte Sinai, parem fuiſſe luci Solis, ut poſſet replere totum orbem. Adjungit *cornua fuiſſe illi è manu.* Alii vertunt Splendorem. Sed קרן proprie ſignificat Cornu, & קרנים hic nomen eſt dualis numeri: ergo magis probabile eſt, hic Prophetam tribuere Deo cornua, quæ geſtet utraque manu. & optime reſpondet quod ſtatim ſequitur, ibi eſſe abſconſionem fortitudinis ejus, vel ibi eſſe abſconditam virtutem ejus. Qui vertunt Splendores ſecundo loco, putant repeti quod dictum fuerat, nempe ſplendorem fuiſſe inſtar lucis. ſed falluntur, quia colligimus ex contextu res diverſas notari à Propheta. Loquitur ergo de ſpecie Dei viſibili: poſtea adjungit Potentiam, & metaphorice eam deſignat per Cornua. quod etiam Scripturis familiare eſt. Frequenter enim occurrit hæc loquutio. Dicit igitur Deum veniſſe inſtructum potentia, quum voluit Legem dare populo ſuo: quia geſtavit cornua in manibus, ubi abſcondita erat ejus fortitudo. Quantum ad nomen Abſconſionis, quidam etiam ſubtiliter exponunt, quod tunc Deus virtutem ſuam exeruit, quæ prius fuerat occulta. ſed illud nimis eſt coactum. Mihi non dubium eſt quin priore loco Propheta dicat fuiſſe conſpicuam Dei gloriam, quæ poſſet totum orbem irradiare quemadmodum lumen Solis: deinde adjungat ſplendorem hunc conjunctum fuiſſe cum potentia, quoniam Deus cornua ambabus manibus geſtabat, ubi abſcondita erat ejus fortitudo. Dicit autem Abſconditam, quia nolebat Deus promiſcue per totum orbem virtutem ſuam palam facere, ſed peculiariter in ſuo populo: quemadmodum etiam in Pſalmo dicitur, *Pſal. 31. verſ. 20.* magnitudinem bonitatis ejus abſconditam eſſe ſolis fidelibus, qui eum timent & reverentur. Quemadmodum ergo dicitur abſcondita Dei bonitas fidelibus, quia ipſa fruuntur tanquam filii & domeſtici: ſic etiam abſcondita dicitur fuiſſe virtus Dei, quoniam teſtatus eſt ſe præditum eſſe robore ad tutandam Eccleſiam, ut ſalvos præſtaret filios Abrahæ, quos in fidem ſuam ſuſceperat. Poſtea ſequitur,

5. Coram facie ejus ambulavit peſtis, & egredietur carbo ignitus (*vel uſtio*) ad pedes ejus.

Hic recitat Propheta Deum veniſſe armatum ad defenſionem populi ſui, quum prodiit è Theman, quia hic conjungit liberationem populi. neque enim tantum loquitur de promulgatione Legis, ſed hortatur ad fiduciam pios omnes: quia Deus, qui ſemel redemerat patres ipſorum ex Ægypto, ſemper maneat ſimilis ſui, & eadem ſit præditus virtute. Dicit autem *ambulaſſe coram facie Dei peſtem*: hoc referunt ad Ægyptios: *& carbonem ignitum fuiſſe egreſſum ex pedibus ejus.* רשף alii vertunt Exterminium: ſed quum etymologia poſtulet quod dixi, nempe accipi pro Uſtione vel carbone ignito, non opus eſt trahere vocem hanc in alienos ſenſus. Summa eſt, Deum profligaſſe omnes populi hoſtes: quemadmodum ſcimus percuſſos fuiſſe variis plagis Ægyptios, & exercitum Pharaonis fuiſſe demerſum in mari Rubro: hac ratione dicit Propheta Deum ſic apparuiſſe ex Theman, ut peſtis coram ipſo incederet, deinde carbo ignitus. denique peſtis & carbo ignitus fuerunt quaſi Dei apparitores, qui præſto ſint ad exequenda ejus imperia: quemadmodum ſi Rex aut Judex quiſpiam habeat ſuos apparitores, mandabit ut hunc trahant in carcerem, illum caſtigent alio modo: ſic etiam Propheta hic imaginem Dei nobis depingens, dicit præſto eſſe ad ejus mandata varias ſpecies malorum, quibus hoſtes ſuos & noſtros perdere poſſit nullo negotio. Ergo non vult hic fideles terrere, quum peſtem & carbonem ignitum nominat: ſed potius vult illis ponere ante oculos potentiam Dei, qua eripiet ipſos è manu hoſtium, quemadmodum olim redempti fuerant ipſorum patres ex Ægypto. Ideo pedes Dei accipit pro ingreſſu vel præſentia. neque enim probo quod alii exponunt, ſequutos fuiſſe carbones ignitos, quum peſtis præcederet: eadem enim eſt utriuſque ratio. Sequitur,

6. Stetit & menſus eſt terram: aſpexit & diſſolvit gentes: & afflicti ſunt montes æterni, incurvati ſunt colles ſeculi, itinera ſeculi ei.

Dicit Deum fuiſſe præditum ſummo imperio, ut terram ſibi ſubjiceret, atque poſſet pro ſuo arbitrio illam diſtribuere, imo ut liquefaceret tam montes quam gentes. Quidam ex Judæis hoc intelligunt de Arca, quæ ſtetit ad tempus in Gilead. Putant igitur Prophetam hoc velle in ſumma, quum Deus elegit ſtationem arcæ fœderis in Gilgal, tunc ſtatuiſſe quid facturus eſſet, & tunc diſtribuiſſe in arcano ſuo conſilio terram, ut cuique ſorte obtingeret ſua portio. Hoc quidem impletum fuit longo poſt tempore. nam Joſue ſortitus eſt, quemadmodum ſcimus, inter Tribus. Sed quod Judæi afferunt de Arca, videtur mihi

& con-

& coactum eſſe & frigidum. Potius intelligit Habacuc per verbum Standi, Deum palam fuiſſe conſpicuum: ſicuti qui ſeſe erigit, ut procul poſſit videri. Hoc modo refert Deum ſtetiſſe. Jam terræ dimenſio non debet reſtringi ad Judæam: ſed potius extenditur ad totum orbem. Dicit ergo Deum *menſum eſſe terram.* hoc autem proprium eſt ſummi Regis, terram metiri, ut ſcilicet aſſignet cuique ſuam partem. Niſi ergo ſummum terræ & totius orbis imperium penes Deum eſſet, non tribueret ei Habacuc has partes. & ex contextu facile hoc colligitur, quia ſubjicit continuo poſt, *gentes fuiſſe quaſi liquefactas, montes fuiſſe afflictos, colles fuiſſe incurvatos.* Videmus ergo hic per nomen Terræ non ſolum Judæam debere intelligi, ſed totum orbem: quaſi diceret, ubi apparuit Deus in monte Sinai, tunc palam feciſſe terram eſſe ſub manu ſua & jure, ut poſſet ſtatuere quicquid viſum eſſet, ut poſſet limites ſingulis gentibus attribuere. neque enim hic tradit Deo quaſi mathematico vel agrorum menſori decempedam vel aliud genus menſuræ: ſed dicit eum menſum eſſe terram, quia potuit tunc mutare fines totius orbis: imo oſtendit ſe eum eſſe qui ab initio terram creaverat & aſſignaverat hominibus. Verum quidem eſt, gentes non fuiſſe tunc liquefactas, neque montes fuiſſe afflictos & colles incurvatos: ſed Propheta ſimpliciter intelligit apparuiſſe Dei potentiam, quæ par eſſet ad concutiendum totum orbem. Vocat autem *Montes æternitatis & colles ſeculi*, qui ab initio fixi in ſuis radicibus fuerant. Nam ſi contingat terræ motus in planitie, hoc minus videbitur mirum. Deinde ſiqui etiam montes dehiſcant, qui alioqui non adeo ſunt firmi, hoc fiet propter cavernas: nam ſi venti repleant cavernas, cogentur poſtea erumpere, & ſcindent vel montes vel terram. Sed Propheta rem inſolitam narrat, & quæ aliena prorſus eſt à communi naturæ ordine, quod montes æternitatis, hoc eſt, qui ab initio fuerunt, & qui carent omni mutatione, ita fuerunt afflicti vel incurvati. Denique omnibus modis voluit hic Propheta erigere animos piorum ad fiduciam, ut perſuaſi eſſent eandem fore Dei potentiam ad ipſos liberandos, quam olim experti fuerant eorum patres: quia non alia fultura erat in rebus miſeris, imo perditis, quam ut agnoſcerent ſe tamen eſſe ſub præſidio Dei, qui ipſos adoptaverat. Hæc ratio eſt cur Propheta hic amplificet tam præclaris elogiis Dei potentiam: & ideo adjungit, *itinera ſeculi* eſſe Deo. Alii vertunt, Itinera mundi, עלם tamen proprie Seculum vel diuturnum tempus ſignificat: nec dubito quin Propheta per Itinera æternitatis intelligat mirificas rationes, quibus Deus operari ſolet in ſalutem Eccleſiæ ſuæ. Solemus enim ſemper exigere ad captum noſtrum opera Dei. Ipſe autem vult cum admiratione opus ſalutis noſtræ perficere. ergo hic Propheta jubet fideles attollere ſurſum mentes ſuas, & majus aliquid concipere de potentia Dei, quam capiant naturaliter. Si placeat hoc modo intelligere Itinera æternitatis, opponet ea viis notis, & uſitatis rationibus. Itinera quotidiana ſunt ubi oritur ſol, deinde occumbit: ubi hyemi ſuccedit verna temperies: ubi terra producit fruges: tametſi hæc totidem ſint miracula, tamen ſunt communes viæ. atqui Deus *habet vias æternitatis:* hoc eſt, habet rationes nobis incognitas, quibus nos poſſit à morte eruere, ubi ita viſum eſt. Siquis tamen Itinera æternitatis accipere malit pro continua Dei virtute quæ ab initio ſemper apparuit, commoda nec minus utilis interpretatio erit. nam hoc etiam plurimum ad confirmationem fidei noſtræ facit, ubi reputamus ex quo creavit Deus cœlum & terram, ſemper eundem fuiſſe: hoc eſt, nunquam imminutam fuiſſe ejus virtutem, neque mutaſſe ingenium. Quum ergo Deus continua ſerie demonſtraverit omnibus ſeculis ſuam potentiam, hinc etiam colligere licet non eſſe nobis cauſam deſperationis, ſi ad tempus abſcondat manum ſuam: neque enim propterea ſpoliatus eſt jure ſuo: ſemper retinet mundi imperium. ergo debemus attenti eſſe ad vias ſeculi, hoc eſt, ad iſtam demonſtrationem potentiæ quæ patefacta fuit in creatione mundi, & huc uſque continuat ſuum curſum. Sequitur,

7. Pro iniquitate (*vel pro nihilo, alii vertunt*) vidi tentoria Chuſan, (*vel Æthiopiæ*) contremiſcent cortinæ (*vel pelles*) terræ Madian.

Non dubium eſt quin recenſeat Propheta quæcunque poterant afferre miſeris Judæis aliquid ſolatii, quum putarent ſe rejectos eſſe, & quodammodo alienatos à Deo. Hic ergo Propheta alias etiam liberationes adjungit, quæ luculenta erant teſtimonia continuæ gratiæ Dei erga populum electum. Loquutus eſt hactenus de redemptione, & ſtatim redibit ad eundem ſermonem: permiſcet tamen hic alias hiſtorias: quaſi diceret non uno tantum die teſtatum fuiſſe Deum quantopere diligeret Abrahæ genus: deinde quam ſanctum eſſet fœdus quod pepigerat: ſed variis temporibus eadem etiam teſtimonia dediſſe. nam quod adverſus alios etiam hoſtes tutatus eſt populum ſuum, hinc colligere promptum fuit manum Dei ita palam fieri, ut agnoſcerent filii Abrahæ ſe non fuiſſe deceptos, quum eſſent ab eo adoptati. Ergo in tentoriis Chuſan ponit Habacuc aliud ſpecimen potentiæ Dei in populo ſervando: item *in pellibus Madian*, quia ſcimus quam mirificum fuerit illud opus quod per manum Gedeonis erepti ſunt Judæi. ſic etiam ſentiendum eſt de rege Chuſan. Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ: nam quia ſciebat inſtare tempus quo Judæi poſſent deſperationi ſuccumbere in rebus afflictiſſimis, revocat illis in memoriam teſtimonia gratiæ & virtutis Dei, quæ patefacta olim fuerat ipſorum patribus, ut ſpem etiam in futurum tempus concipiant, & perſuaſi ſint Deum etiam fore ſuum liberatorem, ſicuti ſe talem oſtenderat olim ipſorum patribus.

Da omnipotens Deus, quando nobis continuum eſt certamen cum tam robuſtis hoſtibus, ut ſentiamus nos defendi manu tua, imo teipſum pugnare nobis quieſcentibus: ut ita conſtanter militemus ſub auſpiciis tuis, neque unquam frangamur vel cedamus Satanæ & omnibus impiis, neque etiam tentationibus ullis, ſed conſtanter pergamus in curſu militiæ noſtræ: & utcunque etiam nos ſæpe humilies, ut cogamur contremiſcere ſub formidabili tuo judicio, ne deſinamus tamen bene ſperare, quoniam ſemel nobis pollicitus es te æternum nobis fore patrem in Filio tuo æterno & unigenito, ſed confirmati invicta fidei conſtantia, ſic tibi nos ſubjiciamus ut feramus omnes noſtras afflictiones patienter, donec tandem colligas nos in beatam illam quietem quæ nobis parta eſt ſanguine ejuſdem Filii tui. Amen.

PRÆLECTIO UNDECIMA
IN
HABACUC PROPHETAM.

CAP. III.

Diximus heri Prophetam loqui de rege Chuſan & Madianitis, ut confirmet animos piorum, & proponat illis auxilium Dei perpetuum ante oculos, ut certo ſtatuere audeant, non alium fore erga Eccleſiam ſuam uſque ad finem mundi, quam fuerit ab initio. De ſenſu ergo ſatis convenit. Quantum ad voces ſpectat, און quidam hic accipiuos pro Nihilo aut vanitate: quaſi diceret Propheta, tentoria Chuſan fuiſſe redacta in nihilum. ſed alter ſeoſus probabilior eſt. *Vidi tentoria pro iniquitate*: hoc eſt, merces quam Deus rependit iniquitati regis Chuſan fuit manifeſta. ſe enim vidiſſe dicit Propheta quod omnibus fuit expoſitum & notum. Nuoc tenemus quid velit, Deum ſcilicet fuiſſe juſtum judicem contra exercitum regis Chuſan: quia ſicuti injuſte aggreſſi fuerant Iſraëlitas, ita reddita illis fuit merces. Hiſtoria autem legitur 3. cap. Judic. nam rex Meſopotamiæ Chuſan propemodum afflixerat Iſraëlitas, quum Dominus illum cum ſuis copiis profligavit. Alii vertunt, Tentoria Æthiopiæ: acſi ſcriptum eſſet Chus. Sed illud eſt coactum, & præter rationem Grammatices: deinde poſterius membrum confirmat quod dixi. nam adjungit Propheta cladem qua Deus afflixit Madianitas, qui etiam miſerum populum fere oppreſſerant. Dicit *contremuiſſe ipſorum pelles*, vel habitacula, quoniam ſcilicet Deus abſque manu vel gladio homioum ipſos impulerat in rabiem, ut ſeſe mutuo conficerent, quemadmodum teſtatur ſacra hiſtoria, Judic. 6. cap. & 7. Sequitur nunc,

8. An contra fluvios iratus es Jehova? an contra fluvios indignatio tua? an contra mare furor tuus? (*vel ira tua?*) quia equitaſti ſuper equos tuos: quadrigæ tuæ ſalus.

Hic Propheta quas hactenus retulit hiſtorias accommodat ad ſpem fidelium, ut ſciant totidem eſſe documenta & pignora paterni Dei favoris erga ipſos, atque ita alacriter expectent ejus auxilium, neque ſuccumbant tentationi in rebus adverſis. Quum interrogat an Deus iratus fuerit fluvus & mari, non dubito quin hac ratione expergefaciat fidelium mentes, ut conſiderent finem in illis Dei operibus quæ hactenus recenſuit. nam cæca eſſet impetus ira Dei contra fluvios & mare. Quorſum Deus excandeſceret adverſus mortua elementa? Propheta igitur oſtendit alium fuiſſe finem Deo propoſitum, quum mare ſiccavit, quum prohibuit curſum Jordanis, quum etiam alia ſigna edidit ſuæ potentiæ. Certe Deus non reſpexit mare & fluvios duntaxat. fuiſſet enim illud quaſi temerarium. Sequitur itaque mutationes iſtas fuiſſe teſtimonia gratiæ Dei erga Eccleſiam: & ideo Propheta ſubjungit Deum *equitaſſe ſuper equos ſuos, & quadrigas ejus fuiſſe populo in ſalutem.* Nunc tenemus Prophetæ conſilium, quod interpretes vel non ſunt aſſequuti, vel ſaltem non reddunt. Jam ergo videmus cur Propheta ioterroget. nam plus vehementiæ habet interrogatio, quum veluti de re minime ambigua quæritur, Quid? an poſſet Deus iraſci contra fluvios? Quis imaginabitur Deum ita eſſe cæcum, ut commoveat mare, mutet rerum naturam, quum ſtabilitus fuerit certus ordo ejus voce? Quorſum nunc mare ſiccaſſet & fluvios, niſi ſpectaſſet in alium finem, ut ſcilicet conſuleret ſaluti Eccleſiæ ſuæ? eriperet ab extremo periculo populum ſuum, ut manum porrigeret Iſraëlitis, quum putabant jam ſe eſſe perditos? Negat igitur quum mare Rubrum exaruit, quum etiam curſus Jordanis fuit prohibitus, Deum exeruiſſe potentiam ſuam vel contra mare vel contra illud flumen, quaſi converteret illuc iram ſuam: fuit aliud objectum Dei, inquit Propheta, nempe quod Deus *equitaverit ſuper equos ſuos*, hoc eſt, voluerit oſtendere ſubeſſe imperio ſuo omnia elementa, idque in ſalutem populi ſui. ergo ut Deus eſſet redemptor Eccleſiæ ſuæ, coëgit Jordanem retro curſum flectere, coëgit etiam mare dare tranſitum miſeris illis captivis, qui alioqui erant velut expoſiti ad carnificinam. Nulla enim erat ſpes ſervandi Iſraelis, niſi tranſitus ſubito patuiſſet illis per mare Rubrum. ergo omnia illa miracula non alio ſpectarunt, niſi ut Deus redemptor eſſet Eccleſiæ ſuæ, ac virtutem ſuam exereret in eorum ſalutem quos io ſuum patrocinium receperat. Hinc vero promptum fuit colligere idem auxilium ſperandum eſſe à Deo poſteris: quia Deus noo fuit correptus ſubito aliquo motu, ut motaret rerum naturam, ſed ſpecimen exhibuit gratiæ ſuæ. Atqui gratia ejus perpetua eſt, & fluit æquabili curſu: non reſpectu hominum. patitur enim quaſdam interruptiones: quia Deus exercet ſuos fideles ſub cruce: tamen bonitas ejus nunquam ceſſat. Sequitur ergo bene ſperandum eſſe fidelibus, quia Deus ubi viſum fuerit, & ubi etiam expediet, re ipſa monſtrabit eandem potentiam, quæ tunc Patribus fuit oſtenſa. Nunc ſequitur,

9. Nudando nudatus fuit (*vel manifeſtatione manifeſtatus fuit*) arcus tuus: juramenta Tribuum ſermo: ſelah: fluviis ſcindes terram.

Hoc verſu clarius idem explicat Propheta, nempe teſtatam tunc fuiſſe virtutem Dei, non alia de cauſa, niſi ut ab eo perpetuam ſalutem ſperare diſcant filii Abrahæ. Dicit ergo *Arcum Dei fuiſſe nudatum.* Per nomen Arcus intelligit etiam gladium & alia tela: quaſi diceret Deum tunc fuiſſe armatum, quemadmodum paulo ante vidimus. Deus ergo tunc inſtructus ſuis armis proceſſit ad bellandum, & ſuſcepit electi populi cauſam, ut eum defenderet contra reprobos. Quum ita ſit, videmus ergo miracula illa non fuiſſe duntaxat unius temporis, ſed valere perpetuo ad fideles animandos, ut ſemper expectent auxilium Dei vel in media morte: quia exitus reperiet, etiamſi non apparent. Jam videmus rationem contextus. Sed emphatice adjungit *eſſe juramenta Tribuum.* Hic enim melius confirmat, Deum non fuiſſe tunc opitulatum filiis Abrahæ, ut curam ipſorum deinde abjiceret: ſed reipſa teſtatum eſſe quam verax eſſet in ſuis promiſſis. nam per Juramenta Tribuum intelligit fœdus, quod Deus pepigerat non tantum cum Abraham, ſed cum ejus poſteris io ſeculum. Juramenta ponit numero plurali, quia Deus non ſemel duntaxat pollicitus fuerat ſe fore Abrahæ & ſemini ejus in Deum, ſed repetiverat ſæpius eandem promiſſionem, quo ſcilicet conſtaret certior fides: quemadmodum opus habemus ooo uno confirmatio-

matio-

mationis genere. Videmus enim ut ſemper noſtra imbecillitas vacillet, niſi multas fulturas addat Deus. ergo quia ſæpius ſervum ſuum Abraham Deus confirmaverat, ideo Propheta de juramentis ejus loquitur. Sed tamen quoad ſubſtantiam, unum fuit jusjurandum Dei, nempe quod recepit genus Abrahæ in fidem ſuam, & promiſit ſibi fore in peculium: &, quod præcipuum erat, collegit populum illum ſub uno capite. Niſi enim Chriſtus intercederet medius, fœdus illud Dei non eſſet ratum nec firmum. Quoniam ergo Deus ſemel complexus fuerat omnia, quum diceret Abrahæ, Ego ſum Deus Saddai, & ero tibi in Deum & filiis tuis, certum eſt nihil fuiſſe additum quum poſtea voluit confirmare Dominus fidem Abrahæ. ſed non abs re tamen Propheta utitur plurali numero, ut recumbant fideles minore metu in Dei promiſſionem, quæ toties illis ſancita fuerat, & pluribus verbis. Deinde vocat *Juramenta Tribuum.* Quamvis enim Deus loquutus eſſet Abrahæ, deinde Moſi: tamen promiſſio illa depoſita fuit in manibus Abrahæ & Patriarcharum, deinde Moſis, ut populus tamen ſciret ſibi eſſe communem: quia frigidum illud fuiſſet, promittere duntaxat paucis hominibus quod legimus. Sed Abraham fuit quaſi depoſitarius: & fuit quædam ſolennis ſtipulatio nomine totius generis. Ergo videmus cur hic Propheta Tribus nominet potius quam vel unum Abraham, vel Patriarchas ſolos, vel unum Moſen. Reſpexit autem potiſſimum æquales ſuos, ut ne dubitarent ad ſe quoque extendere illam Dei potentiam. Quare? Deus enim mirabiliter tunc operatus eſt in ſalutem populi ſui. Cur? nempe ut probaret ſe veracem eſſe. Qua in re? quia dixerat ſe fore protectorem illius populi. neque enim adoptaverat paucos tantum homines, ſed totum Abrahæ genus. Quum ita ſit, cur non ſperarent poſteri idem quod ſciebant fuiſſe teſtatum ſuis patribus? Veritas enim Dei non poteſt intercidere. ergo quamvis prætériiſſent multa ſecula, debuit tamen certa manere fides populi, quod Deus vellet eundem ſe probare qualis olim cognitus fuerat à Patribus. Poſtea addit אומר. ſimpliciter ſignificat Sermonem: ſed hic capitur pro ſermone fixo & irrevocabili. אומר, inquit: hoc eſt, dictum & factum, quemadmodum loquuntur. nam ſæpe quum dicimus Dari verba, intelligimus eos qui liberaliter promittunt, vanos eſſe homines, & tantum nugari ac fruſtrari, quum illis habetur fides. Sed aliquando nomen Sermonis capitur in bonam partem: Hoc dictum eſt, quemadmodum ſæpe loquimur: Hoc ſit dictum: ubi volumus omnem dubitationem tollere. Nunc ergo tenemus quid velit Propheta adjiciens vocem אומר. Domine, tu verba non dediſti populo tuo, ſed quod ex ore tuo profectum erat, hoc apparuit verum ac firmum. talis igitur eſt conſtantia in tuis promiſſis, ut minime dubitandum ſit de ipſo eventu: ſimulatque aliquid ſpei nobis dederis, perinde ſtatuendum eſt de ipſo complemento, acſi non eſſet ſermo, ſed potius exhibitio rei. Denique hoc elogio commendat Propheta fidem Dei, ne ambiguæ ſint nobis ejus promiſſiones. Poſtea dicit, *fluminibus ſciſſam eſſe terram.* Non dubito quin attingat hiſtoriam quæ legitur Numer. 14. cap. Dominus enim quum ſiti propemodum areſceret populus, eduxit aquam ex rupe: deinde protraxit flumen illud quocunque iter facturus erat populus. Quum ergo ſciderit terram ut fluvio daret perpetuum curſum, atque ita ſuppeteret copia aquæ populo in locis aridis, ideo Propheta dicit *terram fuiſſe ſciſſam fluminibus*, tametſi fluvius unus fuerit: ſed amplificat memorabile illud opus Dei, ſicuti etiam meretur. Poſtea adjungit,

10. Viderunt te, timuerunt montes: inundatio (*vel gurges*) aquarum tranſivit: dedit abyſſus vocem ſuam, in altum manus ſuas ſuſtulit. (*vel altitudo:* רום *poteſt tam in caſu nominandi legi quam in accuſativo.*)

Proſequitur Habacuc hiſtoriam redemptionis. Diximus quo conſilio id faciat, nempe ut populus in rebus deploratis concipiat tamen ſpem gratiæ Dei: quia non fuit redemptor generis Abrahæ ad unum diem, ſed ut uſque ad finem continuaret eandem gratiam erga ipſos. Dicit *montes vidiſſe & doluiſſe.* Allegorice quidam exponunt Montes pro Regibus: dicunt doluiſſe quod ureret ipſos invidia. ſed illud eſt nimis coactum. Non dubito igitur quin Propheta ſimpliciter intelligat montes obſequutos fuiſſe Deo, ut populo ejus iter patefacerent. Quanquam verbum חול ſignificat non tantum Dolere, ſed etiam Parturire, deinde Cadere, & manere in uno loco. Poſſemus igitur non minus commode legere, *Viderunt te montes, & quieti fuerunt vel ceciderunt*, hoc eſt, fuerunt demiſſi ad tuum imperium, ne ſcilicet intercluderent viam populo tuo. Ego exiſtimo hanc eſſe genuinam Prophetæ mentem, quòd ſcilicet in omnibus elementis olim Deus notas paterni ſui favoris inſculpſerit, ut poſteri Abrahæ ſemper liberatorem ſuum fore confiderent in rebus afflictis. & contextus etiam hoc poſtulat. Subjicit enim, *de gurgite vel de inundatione aquarum.* atqui hæc ſecunda pars non poteſt allegorice exponi. Videmus ergo hanc eſſe verborum ſummam, quod Deus omnia obſtacula ſuſtulerit, ne vel montes, vel aquæ, vel mare, vel fluvii populi tranſitum morari poſſent. Nunc dicit inundationem aquarum vel gurgitem tranſiiſſe. Hoc tam ad Jordanem, quam ad mare Rubrum pertinet, quia Deus abrupit mare Rubrum, ut ſtarent aquæ præter naturam: ſic etiam contigit Jordani, quia fluxus aquæ fuit cohibitus, & ita iter patefactum eſt populo, ut ſiccis pedibus trajicerent in terram Chanaan. ſic ergo impletum fuit quod dicitur à Propheta, *gurgitem aquarum tranſiiſſe.* Scimus enim tantam eſſe aquarum copiam in mari, deinde in fluviis, ut non poſſint ſiccari: ubi ergo evaneſcunt aquæ, hoc fit præter naturæ ordinem. Miraculum igitur hoc celebrat Propheta, ut intelligant fideles etiam toto mundo repugnante ſalutem ſuam eſſe certam: quia Dominus poterit ſuperare quicquid eſt impedimenti. Jam tribuit ſenſum aquis mortuis: dicit enim *abyſſum dediſſe vocem ſuam*, deinde *altitudinem ſuſtuliſſe manus ſuas*, vel abyſſum ipſam ſublatis manibus præſto fuiſſe ad obſequium Dei. Eſt concinna proſopopœia, quia tametſi abyſſus intelligentia careat, neque etiam loquatur, dicit tamen Propheta & voce & ſublatis manibus abyſſum fuiſſe teſtatam ſuum obſequium, ubi Deus voluit populum ſuum trajicere in terram promiſſam. Volentes obedientiam noſtram teſtari, facimus hoc aut voce, aut geſtu: ſiquis vult probare ſe libenter facturum quod præcipitur, dicit, Adſum, vel, hoc polliceor. quemadmodum ergo famuli ad mandata reſpondent, ſic etiam Propheta dicit editam fuiſſe vocem ab abyſſo. Abyſſus quidem nullam vocem edidit: ſed res ipſa ſuperavit omnes voces. Jam ſi adſit totus populus, attollet manum, quia non poſſet intelligi conſenſus, niſi manuum porrectione: unde etiam χειροτονία. hanc ſimilitudinem nunc uſurpat Propheta, quod abyſſus ſuſtulerit manus, id eſt, geſtu oſtenderit: quemadmodum ſi homines ſigno declarent ſe facturos quod jubentur. Ita etiam abyſſus ſuſtulit manus ſuas. Si legamus, Altitudo manus ſuſtulit, idem ſemper manebit ſenſus. Pergamus.

11. Sol,

11. Sol, luna ſtetit in habitaculo, ad lucem ſagittarum tuarum ambulabunt, ad ſplendorem fulguris haſtæ tuæ.

Hic attingit Propheta aliam hiſtoriam. Scimus
Joſ. 10. verſ. 12. enim quum Joſue pugnaret, nec ſufficeret dies ad ſtragem hoſtium, tunc diem prorogatum fuiſſe ad ejus preces. Videtur quidem pro imperio hoc jubere, ut ſol ſiſtat curſum ſuum: ſed non dubium eſt, quin compos voti ſui factus, quum id optaſſet, impulſu arcano Spiritus ſancti præcipiat Soli, quemadmodum facit. nec ſcimus non potuiſſe ſolem tardare curſum ſuum, quin etiam eadem eſſet lunæ ſtatio. Oportuit enim eſſe conſenſum inter duos illos planetas. Ergo dicit Habacuc *ſolem & lunam ſtetiſſe in habitaculo*, hoc eſt, tunc fuiſſe quietum ſolem, quaſi in domicilio ſuo: quum tamen ſit in continua feſtinatione, tunc quievit, nempe in ſalutem populi. *Sol* ergo *& luna ſteterunt*. Quomodo? *Ad lucem ſagittarum tuarum ambulabunt*, inquit. Quidam hoc referunt ad columnam ignis: quaſi diceret Propheta ambulaſſe Iſraëlitas ad lucem illam, qua voluit ipſos dirigere Deus. ſed non dubito quin hoc etiam de ſole dicatur. Cohæret igitur hæc tota ſententia, quod ſol & luna ambularunt, non ſicuti ab initio mundi, ſed ad lucem ſagittarum Dei: hoc eſt, quum imperium Dei, quod ab initio recepit ſol, ſit vice directionis, tunc ſol habuit ſagittas Dei, quæ ipſum dirigerent, quæ tardarent ejus curſum, & cohiberent celeritatem, quæ ante fuerat. Eſt igitur tacita antitheſis inter Solis progreſſus, quales fuerant naturaliter uſque ad illum diem, & novam iſtam directionem, quod ſcilicet ſol retentus fuit, ut daret locum ſagittis Dei & gladiis, & haſtæ. nam per Sagittas & haſtam nihil aliud intelligit, quam arma populi electi. Scimus enim quia populus ille ſub auſpiciis Dei militabat, fuiſſe etiam divinitus armatum. Ergo ſicuti dicitur de Gedeone, Gladius Dei & Gedeonis: ita etiam hoc loco Sagittas Dei & haſtam nominat Propheta quicquid fuit armorum in populo Iſraëlitico: quia ſcilicet populus ille ne digitum quidem moveret, niſi mandato Dei. Quum ergo ſol ante ſoleret reſpicere ad mandatum illud ordinarium, de quo legimus apud Moſen, tunc fuit directus alia ratione. Reſpexit *Geneſ. 11. verſ. 6.*
enim in terra volitantes haſtas Dei, quemadmodum fulgur: reſpexit etiam ſagittas: ita quaſi attonitus ſubſtitit, neque auſus eſt progredi. Quare? oportuit enim ipſum cedere Deo bellanti. Nunc ergo tenemus quantam gratiam contineant in ſe hæc verba. Quod autem ante aliquoties attigimus memoria tenendum eſt, non eſſe frigidam narrationem in hoc loco, ſed proponi in medium fidelibus quæ ad confirmandam ipſorum ſpem valerent, ut certo perſuaſi ſint Dei virtutem ſufficere ad ipſos liberandos, quia tot olim miracula ediderit in hunc finem. Sequitur,

12. In ira calcaſti terram, (*vel ambulaſti ſuper terram: צעד enim ſignificat Ambulare*) in ira (*eſt tamen aliud nomen: ergo vertamus uno loco Indignationem, vel furorem. In furore*) trituraſti gentes. (*vel triturabis.*)

Hic ingreſſum populi in terram Chanaan Propheta recitat, ut agnoſcant fideles non fuiſſe patres ſuos tot victoriis potitos, niſi quia Deus illic quoque ſuæ manus virtutem & robur exeruit. Dicit ergo Deum ipſum *calcaſſe terram in ira.* Quomodo enim auſi fuiſſent aggredi tot gentes Iſraëlitæ, qui nuper egreſſi erant ex tam miſera ſervitute? fuerant quidem in deſerto per annos quadraginta: ſed ſemper trepidi & anxii. deinde ſcimus fuiſſe imbelles. Unde igitur factum eſt, ut proſtraverint Reges potentiſſimos? debellaverint gentes bello aſſuetas? Certe Deus ipſe *calcavit terram in ira ſua*, deinde *trituravit gen-*
Pſal. 44. verſ. 4. *tes.* neque enim, ut dicitur in Pſal., gladio ſuo adepti ſunt terram Chanaan, aut virtus ipſorum vel manus ſervavit eos: ſed Dominus proſequutus eſt eos ſua gratia, & fuit eorum liberator. Merito igitur hoc aſcribit Deo Propheta, quod ipſe ambulavit ſuper terram, quia alioqui nunquam auſi fuiſſent pedem movere Iſraëlitæ, certe in terra illa non fixiſſent, niſi præeunte Deo. Ergo quum Deus calcavit in ira ſua terram, nunc etiam illic fuit quieta habitatio filiis Abrahæ: quum gentes bellicoſæ facile & nullo negotio devictæ fuerunt ab Iſraëlitis, quantumvis prius fuiſſent imbelles. Nunc ergo videmus Prophetam hic proponere ante oculos populi ingreſſum illum, ut ſciat Deum non fruſtra ſemel tot gentes profligaſſe, ſed ut terra Chanaan perpetua eſſet populi electi hereditas. Quod autem ſubinde tempora verborum Propheta mutat, notandum eſt ultra communem uſum linguæ Hebraicæ, veteres illas hiſtorias ſic referri quaſi Deus eſſet in continuo actu, & quaſi eadem ejus præſentia ſperanda eſſet in rebus afflictis, quam olim monſtraverat Patribus. Ergo temporum mutatio adeo ſenſum non obſcurat, ut potius nobis oſtendat conſilium Prophetæ, & nos adjuvet in ſumma ipſius rei. Tandem ſequitur,

13. Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo: transfodiſti caput è domo impii, nudando fundamentum uſque ad collum. Selah.

Iterum accommodat Propheta in uſum præſentem populi, quæ antehac recenſuit, quod ſcilicet *Deus egreſſus fuerit cum Chriſto ſuo in populi ſalutem.* Quidam ſubaudiunt notam ſimilitudinis, & repetunt verbum diverſo tempore, Sicuti egreſſus es tunc in populi tui ſalutem, ita nunc egrediaris in ſalutem populi tui cum Chriſto tuo. ſed illa repetitio coacta eſt. Simpliciter igitur accipio verba Prophetæ, quod Deus egreſſus ſit in ſalutem populi ſui. Jam ubi agitur de populo Dei, ſemper in mentem venire nobis debet gratuita adoptio. Qui factum eſt, ut filii Abrahæ peculiaris eſſet Dei populus? an hoc profectum eſt ab aliqua dignitate? an hoc etiam naturaliter contigit? neutrum poteſt dici. Ergo quum nihil differrent à reliquis gentibus, Deus tamen dignatus eſt ipſos eligere ſibi in populum. Proinde per nomen Populi Dei notatur hic gratuita adoptio. Jam adoptio illa non fuit temporalis vel momentanea, ſed debuit uſque in finem vigere. Hinc colligere promptum fuit fidelibus idem ſperandum eſſe auxilium à Deo, quod olim Patribus oſtenderat. *Egreſſus es* igitur *in ſalutem, in ſalutem populi tui*, inquit. Bis repetit nomen Salutis non abs re, quia voluit inſiſtere in hac parte, quemadmodum ante dictum fuit, Deum non fruſtra tot miraculis jam teſtatum eſſe ſuam potentiam, quaſi iratus eſſet mari & fluminibus, ſed reſpectum habuiſſe & curam populi ſui. Quum ergo ſalus Eccleſiæ ſemper Deo fuerit propoſita in miraculis, cur nunc dejicerent animos fideles, ubi ad tempus premuntur rebus adverſis? Deus enim idem ſemper manet: præſertim quum liberatio illa vetus, imo tot liberationes de quibus hactenus diſſeruit, totidem ſint documenta fœderis æterni. conjungi enim debent cum verbo Dei, hoc eſt, cum promiſſione illa, qua complexus eſt in ſuum favorem filios Abrahæ, ut eos uſque in finem protegeret. In ſalutem, in ſalutem, inquit Propheta: & quidem electi populi. Addit, *Cum Chriſto tuo.* Hæc particula melius adhuc confirmat quod voluit

dicere

dicere Habacuc, nempe Deum fuiſſe ab initio liberatorem populi ſui in Mediatoris perſona. Quod ergo populum ſuum eripuit Deus è manu Pharaonis, quod trajecit per mare Rubrum, quod mirabiliter ipſum redemit, quod proſtravit potentiſſimas gentes coram ipſo, quod mutavit naturæ ordinem in ejus gratiam: hoc factum eſt per manum Mediatoris. Deus enim non potuit eſſe propitius vel ipſi Abrahæ, vel ejus poſteris, niſi interpoſito Mediatore. Quum ergo ſemper Mediatoris partes fuerint Eccleſiam Dei ſalvam præſtare, nunc Propheta ſumit pro confeſſo Chriſtum illum jam fuiſſe manifeſtatum multo luculentius quam olim. nam David erat viva imago cum ſucceſſoribus. Tunc ergo Deus familiarius expreſſit vivam picturam Chriſti ſui dum erexit regnum in Davidis perſona, quod promiſit æternum fore quamdiu ſol & luna in cœlo fulgebunt. Quum ergo jam tempore Habacuc extarent clariores prophetiæ de æternitate regni, nonne debuit colligere animos populus, ut certo ſciret Deum ſibi fore liberatorem quum propinquus eſſet Chriſtus? Nunc ergo tenemus Prophetæ conſilium. ſed nunc non poſſum ulterius progredi: differam igitur in craſtinum.

Da omnipotens Deus, quando toties & tam variis modis olim teſtatus es quantam curam & ſollicitudinem geras ſalutis eorum omnium, qui in te recumbunt & te invocant, ut hodie etiam idem experiamur erga nos: & quamvis merito abſcondita ſit facies tua à nobis, tamen non dubitemus ſemper ad te confugere, quando fœdus pepigiſti in Filii tui manu, quod fundatum eſt in tua immenſa miſericordia. Da ergo, ut vero ſenſu pœnitentiæ humiliati, ſic nos tradamus Filio tuo, ut dirigamur ad te, & ſentiamus etiam non minus patrem, quam ubique nobis teſtaris verbo tuo te fuiſſe olim fidelibus: donec tandem exempti omnibus moleſtiis & periculis, perveniamus ad beatam illam quietem quam nobis peperit idem Filius tuus ſanguine ſuo, Amen.

PRÆLECTIO DUODECIMA

IN

HABACUC PROPHETAM.

CAP. III.

HEri expoſuimus cur dicat Propheta *Deum egreſſum fuiſſe in ſalutem electi populi cum Chriſto ſuo.* Voluit enim magis confirmare fideles in ſpe ſuæ liberationis, quia non ſolum Deus ſemper maneat ſimilis ſui, neque mutet conſilium, ſed quia idem Mediator fungatur ſuo officio, per cujus manum olim ſervatus fuerat populus. Imo notandum eſt illud diſcrimen, quod heri attigimus. nam quia tunc clarius Deus manifeſtaverat Chriſtum, eo etiam oportuit fideles alacrius pergere, quia haberent tam præclarum gratiæ Dei pignus: dum ſcilicet promiſerat Deus æternum fore regnum Davidis. Addit *confixum fuiſſe caput ex domo impii*, hoc eſt, nullam fuiſſe potentiam, quæ non fuerit divinitus proſtrata in favorem populi: ut ſcimus ſummos quoſque Reges fuiſſe olim profligatos, quo locus daretur populo Dei. Altera ſimilitudo videtur diverſa eſſe: tamen in eundem finem ſpectat, quod ſcilicet *nudaverat Deus fundamentum uſque ad collum*, hoc eſt, quod radicitus perdiderit hoſtes ſuos. nam metaphorice per nomen Fundamenti intelligit, quicquid erat ſtabilitatis in ipſis hoſtibus, hoc fuiſſe evulſum & everſum uſque ad collum, hoc eſt, uſque ad ſummitatem: nam ſcimus tegi corpus hominis à collo uſque ad pedes. Dicit autem nudatas fuiſſe domos, id eſt, familias, uſque ad collum, quia Dominus omnes ab imo uſque ad ſummum perdiderit. Nunc tenemus quid velit Propheta. Quantum ad vocem סלה pertinet, hactenus nihil dixi: ſed nunc breviter referam quid ſentiant Hebræi interpretes. Quidam exponunt לעלם, In perpetuum: עד ועד, Adhuc & adhuc: quaſi ubi inſeritur hæc particula, Spiritus ſanctus pronunciaret perpetuum fore quod dictum eſt. Alii reddunt per vocem אמן, acſi Deus teſtetur hoc eſſe firmum & indubium quod dixit. Sed quia nuſquam occurrit niſi in canticis & Pſal. deinde non ſemper quadraret quod illi volunt, nempe vel certitudinem notari, vel perpetuitatem: ideo potius eorum ſententiam amplector, qui putant hanc vocem potius melodiæ convenire, quam rebus ipſis. Et probabile eſt etiam quod addunt, ſi reſpicimus etymologiam, nempe ſignificari hac voce aſcenſum, hoc eſt, moneri cantores, ut vocem attollant. Cæterum, quia in ea re non multum eſt ponderis, mihi ſufficit breviter retuliſſe quod alii ſentiunt. Nunc pergamus.

14. Perforaſti baculis ejus caput villarum ejus: proſilierunt inſtar turbinis ad diſpellendum me: exultatio eorum ſicut ad vorandum pauperem in abſcondito.

Initio verſus continuat eandem ſententiam Propheta, quod ſcilicet Deus vulneraverit omnes populi ſui hoſtes. Dicit autem caput villarum aut oppidorum fuiſſe perforatum. Quanquam alii פרזו potius exiſtimant vocari ipſos oppidanos. nam פרזות vocant Hebræi urbes non munitas, hoc eſt, oppida, & villas, & pagos: & ut plurimum nomen hoc ponitur in genere fœminino. hic autem quia maſculinum eſt nomen, putant potius notari ipſos incolas. ſed ad rem hoc parum refert. Propheta enim ſimpliciter intelligit, non modo Reges ipſos fuiſſe everſos Dei manu, ſed ſingulas eorum præfecturas, quæ ſubjacebant illorum imperio: quaſi diceret graſſatam fuiſſe vindictam Dei, quum voluit populum ſuum defendere, per omnes pagos, vel per totam regionem, ita ut nullus angulus tutus fuerit. Sed notanda eſt etiam particula quæ additur, *In baculis ejus*. Significat enim Propheta impios fuiſſe percuſſos ſuo gladio. quanquam nomen baculi hic ponitur: ſed pro quolibet apparatu, viribus & telis: perinde acſi dictum fuiſſet, propriis manibus vulneratos. Nunc tenemus ſummam hujus ſententiæ, quod ſcilicet non modo exeruit Deus virtutem ſuam, quum voluit ſe hoſtibus populi ſui opponere, ſed quod etiam percuſſerit vertigine & furore ipſos, ut ſeſe propriis manibus conficerent. Et ſive hoc factum ſit, quemadmodum legimus de Madianitis, quod converterint ſuos gladios quiſque in proximum ſuum, ita ut occubuerint mutuis vulneribus: (*Jud.7:22.*) ſive quod ſinguli ſeipſos perdiderint: quemadmodum ſæpe legimus de impiis quod ſeipſos illaqueant, cadunt in foveas quas fecerunt, denique pereunt ſuis artibus. ita etiam hic dicit Propheta factum fuiſſe ſingulari Dei beneficio, ut occubuerint omnes Eccleſiæ hoſtes, etiamſi nemo contra ipſos ſurgeret: quia proprio baculo ſeipſos transfixerint vel perforaverint. Alii legunt, Maledixiſti ſceptris ejus & capiti villarum ejus. ſed illa interpretatio quam retuli, longe aptior eſt. Adjungit *veniſſe inſtar turbinis*. Eſt quidem verbum temporis futuri: ſed ita reſolvi debet oratio, Quum exilirent

inſtar

inſtar turbinis ad me diſjiciendum, quum exultatio ipſorum eſſet ad vorandos pauperes in ſuis latebris. Eſt quidem ſimplex verbum: ſed quia deſcendit à סער, quod ſignificat Turbinem, ideo non poſſumus reddere niſi periphraſtice. Exiluerunt ergo inſtar turbinis, inquit. Hic amplificat Propheta Dei potentiam: quia compeſcuit hoſtes populi ſui, quum tam violento impetu ruerent. nam ſi lente fuiſſent progreſſi, poterat Deus abſque miraculo diſcutere ipſorum conatus. Sed quum præcipites ipſos ageret ſua veſania, & quum ſimiles eſſent turbini; inde clarius Dei virtus innotuit, quod potuit talem violentiam frangere. Nunc tenemus quorſum ſpectet iſta circumſtantia. neque enim hic conqueritur Propheta hoſtes violenter & impetuoſe ſævire, ſed commendat Dei potentiam, quod ita contriverit violentos impetus hoſtium, quos videbat contra populum ſuum furere. Adjungit, *Quum etiam exultatio eorum eſſet ad vorandos pauperes.* Significat nihil fuiſſe in mundo quod obſtaret impiis, niſi mirabiliter opem tuliſſet Deus è cœlis. nam quum venirent ad vorandos pauperes, non veniebant ad bellum gerendum, ſed duntaxat ad prædam vorandam, ſicuti feræ beſtiæ. Deinde dicit, *Ad vorandum pauperem in abſcondito.* ergo ſignificat nullas fuiſſe vires ad reſiſtendum populo Dei, niſi auxilium è cœlo præter ſpem veniſſet. Summa eſt igitur, quum miſeri Iſraëlitæ carerent omni præſidio, & obnoxii eſſent hoſtium ſævitiæ & furori, fuiſſe mirabiliter adjutos, quia Dominus hoſtes ipſorum confecit propriis gladiis: & quum veniſſent tanquam potiti victoria ad prædam rapiendam, tamen fuiſſe manu Dei proſtratos: unde clarius enituit ejus potentia. Sequitur,

15. Viam feciſti in mari equis tuis per acervum aquarum magnarum.

Alii legunt, Calcaſti equos tuos in mari: ſed ſolœciſmus ille nimis craſſus eſt. Alii, Calcaſti in mari per equos tuos. ſed quid opus eſt, quum verbum דרך ſignificet Incedere, quærere coactas iſtas expoſitiones? Minime ambiguus eſt Prophetæ ſenſus, quod Deus ſibi viam fecerit in mari, ac ſuis equis. Quomodo? nempe quum *aquæ multæ vel magnæ collectæ eſſent in acervum.* Iterum revertitur Propheta ad hiſtoriam tranſitus maris Rubri. Fuit enim illud Dei opus præ aliis memorabile, ut dictum eſt. Ideo nihil mirum, ſi tantopere inſiſtat Propheta in celebrandis iſtis Dei miraculis. *Tu ergo viam feciſti equis tuis.* Ubi? in mari: quod eſt præter naturam. Deinde adjungit, Acervum aquarum. Quod aquæ ita quaſi coadunatæ fuerint, & quod viſa ſit moles ſtabilis & denſa, hoc etiam præter naturam fuit: quia ſcimus aquas eſſe fluidas. Vix aquæ gutta ſtare poteſt, quin ſtatim defluat. Quomodo igitur fieri potuit ut Jordanis curſum ſuum cohibuerit? ut etiam mare Rubrum ſciſſum fuerit? Hæc ergo teſtimonia incredibilis Dei potentiæ merito debebant animum addere fidelibus, ut ſcirent nihil eſſe ſaluti ſuæ contrarium, quod Deus non facile ſuperaret, quoties ita viſum eſſet. Sequitur,

16. Audivi, & contremuit (*vel tumultuatus eſt*) venter meus, ad vocem trepidarunt labia mea: ingreſſa eſt putredo in oſſa mea: & apud me tumultuatus ſum, (*ad verbum, tumultuabitur: ſed diximus heri de temporibus verborum*) ut requieſcam in die afflictionis, ad aſcendendum ad populum, excidet eum. (*vel colliget ſe. Ego nunc transfero ad verbum: ſed ſenſus Prophetæ talis eſt, Quum aſcendet adverſus populum, ut eum excidat.*)

Falluntur, meo judicio, interpretes, qui verbum hoc Audivi, contexunt cum proximo verſu, acſi Propheta diceret ſibi injectam eſſe formidinem ex illis potentiæ Dei documentis. Neque enim Propheta quum reputaret Deum eſſe armatum inopinata virtute in ſalutem populi ſui, debuit contremiſcere: nulla erat ratio. non cohærent igitur hæc inter ſe: ſed iterum redit ad illam formidinem, quam conceperat ex voce Dei, hoc eſt, ex terrificis illis minis, quas ante vidimus. Semper enim tenendum eſt memoria conſilium Prophetæ, quod voluerit fideles humiliare, ut ſuppliciter coram Deo agnoſcerent peccata ſua, & veniam deprecarentur. Voluit etiam bona ſpe ipſos animare, ut liberationem nihilominus expectarent. Jam dixerat principio, Domine, audivi vocem tuam, timui: nunc repetit eandem ſententiam, quia ſi tantum de voce illa terrifica loquutus eſſet, poterant fideles obrui deſperatione. Ergo voluit mature occurrere huic malo: & interpoſuit ſolatium. Recitavit igitur præclaras illas hiſtorias, ubi teſtatus fuerat Deus ſe inſtructum invicta potentia in ſalutem Eccleſiæ ſuæ. Poſtquam hoc fecit, ut iterum accommodet generalem doctrinam ad præſentem uſum, dicit, Audivi. Quid audiverat? nempe judicia illa, quibus ſtatuerat Deus ulciſci populi contumaciam. Quum ergo minatus eſſet Dominus horrendam cladem populo ſuo, jam dicit Propheta ſe audiviſſe, & contremuiſſe, vel fuiſſe tumultuatum. quod autem loquitur in ſingulari numero, diximus hoc ideo fieri, quia ſuſtinet totius populi perſonam: quemadmodum paulo ante (quod mihi exciderat) ubi dicebat hoſtes veniſſe inſtar turbinis ad ipſum diſjiciendum, certe non agebat de ſeipſo, ſed de populo veteri. Quia autem Propheta hic ſuſcipit cauſam totius Eccleſiæ, loquitur acſi eſſet corpus populi collectum. Sic etiam dicit ſe audiviſſe. ſed uno ore hic loquuntur fideles, *quod audierint, & contremuerit venter ipſorum.* Alii, Ego ſum conſternatus, vel timui, & tumultuatus eſt venter meus ad vocem. Jam קול non accipit pro Fama, ſed potius pro Minis, quemadmodum dictum eſt. Fideles igitur hic referunt ſe fuiſſe expavefactos ad ſolam Dei vocem, antequam exequutus eſſet ſua judicia, vel antequam pœnas, quas minatus fuerat, infligeret. Dicit, *Trepidarunt labia mea.* צלל ſignificat aliquando Tinnire: & ideo hic vertunt quidam, Tinniverunt labia mea. ſed non quadraret verbum illud: tolerabilius eſt quod alii reddunt, palpitaſſe labia. Et Hebræi etiam ipſi dicunt notari motum in labiis, quem extorquet metus, vel trepidatio: ideo verti, Trepidarunt labia mea: quemadmodum ſi quis diceret lingua noſtra, *mes levres ont barboté.* ubi ſcilicet tremore concutitur totum corpus, non modo fremitus fit in conflictu dentium, ſed agitatio etiam in labiis. *Ingreſſa eſt*, inquit, *putredo in oſſa mea, & apud me tumultuatus ſum* (eſt iterum verbum רגז) vel contremui. Certe hic formidinem deſcribit Propheta, quæ non potuit concipi niſi ex horribili Dei vindicta. Sequitur ergo hic non de miraculis agi, quæ potius dediſſent materiam hilaritatis & Prophetæ, & toti electo populo; ſed deſcribi vindictam Dei, qualis prædicta fuerat. Jam adjungit, *ut quieſcam in die afflictionis.* Videntur hæc pugnare, quod uſque ad putredinem dolore contabuerit Propheta, deinde quod uſque ad membrorum omnium agitationem præ metu in ſe tumultuatus fuerit: rurſum vero quod hoc valuerit ad quietem. ſed omnino quærenda eſt nobis quies per iſtas trepidationes & formidines & tumultus. Scimus enim quo magis obdureſcunt impii adverſus Deum, ſibi conflare ſemper gravius exitium. Non eſt igitur alia ratio quieſcendi, niſi in tempore apud nos tumultuemur, hoc eſt, niſi judicium Dei nos expavefaciat: imo redigat fere in nihilum. Quiſquis ergo ſecure torpet, ille in die afflictionis

ctionis tumultuabitur: qui autem mature prævenit iram Dei, & tangitur metu ſimulac audit Deum ſibi inſtare judicem, ille præparat ſibi optimam quietem in die afflictionis. Videmus ergo hic nobis deſcribi à Propheta ordinem quærendæ quietis, quum dicit *ſe fuiſſe tumultuatum, & putredinem ingreſſam fuiſſe in oſſa ſua*: nihil ſibi fuiſſe ſolatii, quin contabeſceret quaſi emortuus. Voluit autem, quemadmodum jam dixi, Propheta hortari fideles ad pœnitentiam. Jam, non poſſumus vere & ex animo reſipiſcere, donec nobis peccata noſtra diſpliceant. Odium autem peccati naſcitur ex Dei timore, & triſtitia illa, quam
2 Cor. 7. verſ. 10. Paulus conſtituit quaſi matrem pœnitentiæ. Hæc etiam exhortatio hodie pluſquam neceſſaria nobis eſt. Videmus quam propenſi ſimus natura ad torporem: & quum Deus producit in medium peccata noſtra, deinde ex oppoſito proponit nobis iram ſuam, non movemur, vel ſaltem ſi quem metum concipimus, ſtatim evaneſcit. Ergo diſcamus non aliter poſſe nobis quietem obtingere in die afflictionis, niſi in nobis tumultuati ſimus, niſi trepidatio occupet omnes ſenſus noſtros, niſi etiam anima noſtra fere
Pſal. 4: 5. putreſcat. Et ideo dicitur in Pſalmo, Contremiſcite, & non peccabitis. Et Paulus etiam oſtendit hanc
Epheſ. 4. verſ. 26. eſſe veram & utilem rationem iraſcendi, ubi quiſque excandeſcit contra ſua peccata, & tumultuamur in nobis. ſic etiam Propheta hic depingit nobis exordia pœnitentiæ, quum dicit fideles tumultuatos eſſe in ſuis viſceribus, & intus concuſſos fuiſſe, ut etiam labia ipſa trepidaverint: ut denique ſenſus omnes fuerint expavefacti. Nam illa eſt ſumma: dicit, Quum aſcendet. loquitur de Chaldæis proculdubio. Quum ergo *hoſtis aſcendet contra populum, ut eum excidat*. nam גדד vel גוד ſignificat Excidere, & ſignificat Congregare. Vertunt quidam, Ut ſe congreget. ſed alter ſenſus verior eſt. Quum ergo aſcendet hoſtis contra populum, ut eum excidat. Si quis nomen Dei ſubaudire malit, non repugno: quia non aliter de Chaldæis agit Propheta, quam de miniſtris & exequutoribus iræ Dei. Denique ſignificat eos, qui commoti fuerint, & ſerio conterriti ad Dei vindictam, fore quietos, ubi Deus exequi volet ſua judicia. Quare? placide enim ſeſe ſubjicient ferulæ, & expectabunt exitum felicem ſuis malis: quia jam in tempore compoſiti eorum animi erunt ad tolerantiam: deinde Dominus etiam ſolabitur ipſos, ſicuti dicitur in Pſal. eum nunquam deſpicere animas con- Pſal. 51.
tritas. Quum ergo humiliati ſunt mature fideles, & verſ. 19.
præveniunt hoc modo judicium Dei, tunc reperiunt paratam ſibi quietem in ejus gremio. Sequitur,

17. Quia ficus non florebit, & nullus erit fructus in vineis, fraudabit opus olivæ, & agri non producent cibum: (*ad verbum, non faciet cibum: eſt mutatio numeri. ſed eſſet aſperior illa translatio. Agri igitur non producent cibum. Porro hac voce comprehendi triticum, legumina, & quæ ad victum pertinent, ſatis liquet*) exciſum eſt ab ovili pecus, & nullus bos in ſtabulis.

18. Ego autem in Jehova exultabo, lætabor in Deo ſalutis meæ.

Jam pluribus verbis declarat Propheta qualis ſit illa quies, de qua nuper loquutus eſt: nempe quod non deſinet lætari in Deo, etiam in rebus afflictiſſimis. Prævidet igitur hic quam atroces pœnæ impendeant: & admonet etiam atque expergefacit fideles, ut ſentiant propinquum judicium Dei. Dicit, *Non florebit ficus, & nulli erunt fructus in vineis, fraudabit oliva*. Initio, non florebit ficus: deinde, agri nihil proferent: poſtremo, deficient etiam & pecora & oves. Etſi autem abſque flore fructus ſuos emittunt ficus: non tamen abſurda eſt catachreſis ubi verbum פרח accipitur pro Gemmare. Significat inſtare terræ vaſtitatem: deinde populum redactum iri ad extremam penuriam. Fuit autem hoc raræ virtutis, poſſe lætari in Domino, quum undique occurreret materia triſtitiæ. Jam ergo docet Propheta, quam utile ſit fidelibus mature ſeſe ſubjicere Deo, & concipere ſerium timorem, ubi illis minatur, & ubi eos ad judicium vocat: nempe ut centies pereundum ſit, non tamen perituros: quia ſemper Dominus ſuggeret illis materiam gaudii: & gaudium hoc interius fovebit ipſos, ut poſſint emergere ex omnibus rebus adverſis. Quamvis ergo minetur illis terra famem, quamvis nullus victus ſuppetat: tamen poterunt ſemper lætari in Deo ſalutis ſuæ: quia agnoſcent eum patrem etiamſi duriter eos ad tempus caſtiget. Hæc eſt igitur definitio quietis, cujus paulo ante facta fuit mentio. Summa eſt, quamvis neque ficus, neque vites, neque olivæ producant fructus ſuos: quamvis etiam ager ſit ſterilis: quamvis nullus cibus ſuppetat: tamen *ego lætabor in Deo meo*: hoc eſt, non pendebit gaudium meum ex proſperitate externa, quia etiamſi Dominus ad extremum uſque nos affligat, erit tamen ſemper aliquid ſolatii quod fulciet animos noſtros, ne ſuccumbant tam gravibus malis: nempe quia certo perſuaſi erimus ſalutem noſtram eſſe poſitam in manu Dei, & illum eſſe fidum ejus cuſtodem. Ergo quieſcemus, etiamſi cœlum & terra ſimul volvantur, & omnia ſint plena ſtrepitu: imo etiamſi fulminet è cœlo Deus, tamen erimus tranquillis animis propter illam expectationem ſalutis gratuitæ. Nunc clare perſpicimus nobis commendari triſtitiam, quæ concipitur ex ſenſu reatus noſtri, ab utilitate: quia nihil miſerius eſt, quam provocare iram Dei, ut nos in nihilum redigat: nihil autem melius, quam antevertere, ut Dominus ipſe nos ſoletur. Non effugiemus ſemper, quin nobiſcum aſperius agat in ſpeciem: ſed quamvis non ſimus immunes à pœnis, interea dum nos humiliare volet, dabit unde lætemur. Rigorem deinde mitigabit ſuo tempore, & ab effectis ſe propitium nobis oſtendet: medio tamen tempore quo ferenda erit vel inopia & fames, vel alia quælibet afflictio, hoc uno ſolatio alacres nos reddet, quia promiſſione ejus freti ſperabimus Deum eſſe ſalutis noſtræ. Ergo ab una parte hic terræ vaſtitatem in medium ponit Habacuc: ab altera vero parte interius gaudium, quo frui non deſinunt fideles, quia fundati ſunt in perpetua gratia Dei. Et hoc modo, ſicuti dixi, admonet filios Dei, ut parati ſint ad ferendam penuriam & famem, ac ſe placide ſubjiciant Dei ferulis: quia poterant centies deficere, niſi hortatus fuiſſet ad tolerantiam, quemadmodum facit. Hinc vero colligimus utiliſſimam doctrinam, quoties extra nobis occurrunt ſigna iræ Dei, ſupereſſe nobis hoc remedium, ut intus reputemus qualis ſit Deus. Interius ergo illud gaudium, quod fides nobis ſuggerit, poterit vincere omnes metus, terrores, triſtitias & anxietates. Jam notandum eſt quod dicit, *In Deo ſalutis meæ*, quia triſtitia ſtatim abſorberet omnes ſenſus, niſi Deus adſit ſervator. Quomodo autem apparet talis fidelibus? nempe quia non æſtimant ejus amorem ex rebus externis: ſed amplexi promiſſionem miſericordiæ ſeſe confirmant, neque dubitant ſibi fore exorabilem, quia fieri non poteſt, quin recordetur miſericordiæ, etiam dum iraſcitur. Sequitur,

19. Jehova Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quaſi cervarum: & ſuper excelſa mea ambulare me faciet: præfecto in Neginothai. (*in pulſationibus meis, vel muſicis inſtrumentis*.

Con-

Confirmat eandem ſententiam, quod ſcilicet non alibi quærat fortitudinem, quam in ſolo Deo. Subeſt autem antitheſis inter Deum, & inter fulturas, quibus inniti ſolent homines: nam nemo eſt qui non ſit alacri animo, ubi ſuppetunt omnia neceſſaria, ubi nihil impendet periculi vel metus. ſumus ergo fortes quum omnia nobis arrident. Atqui Propheta Deum fortitudinem ſuam vocans opponit eum aliis omnibus fulturis: quia volebat hortari fideles ad ſpei perſeverantiam, utcunque Deus ipſos graviſſime affligeret. Summa igitur eſt, etiam ubi impetuoſe ſæviunt mala contra nos, ubi vacillamus & ad ſingula momenta parati ſumus cadere, Deum nobis debere eſſe fortitudinem, quia ſufficiat ejus auxilium quod pollicitus eſt ad nos ſuſtinendos. Videmus ergo Prophetam bene ſperare, & ſuo exemplo etiam animare reliquos fideles, modo habeant Deum propitium, quamvis alia omnia deficiant. Dicit, *Ponet pedes meos inſtar cervarum.* Libenter hoc refero ad reditum in patriam. Quanquam alii exponunt, quod dabit Deus ſervis ſuis pedes celerrimos, quibus tranſiliant omnia obſtacula ad perdendos hoſtes. ſed quia populus in exilio poterat conjicere ſibi præcluſum eſſe reditum, ideo Propheta hic aptiſſimam ſimilitudinem proponit, quod Deus *filiis ſuis dabit pedes quaſi cervinos*, ut ſcilicet per montium prærupta aſcendant, neque formident ullam difficultatem. *Dabit* igitur *mihi pedes cervarum*, inquit: *& calcare me faciet ſuper excelſa mea.* Putant hoc de Judæa eſſe dictum, quæ erat montoſa regio, ut ſatis notum eſt. Ego autem ſimplicius accipio, quod Deus incedere faciet fideles ſuos libere, & abſque metu, etiam in locis excelſis. Qui enim timent, ſeſe abſcondunt, neque audent caput erigere, neque palam etiam incedere audent per vias publicas: dicit autem Propheta, Deus faciet me calcare ſuper excelſa mea. Tandem adjungit, *Præfecto in pulſationibus meis.* nomen hoc ſolent vertere alii Victorem. Inſcriptio hæc frequenter in Pſalmis occurrit, Præfecto, למנצח. Alii vertunt, Victori: ſed non dubito, quin notetur præfectus cantorum. Hic interpretes Deum putant inſigniri hoc titulo, quia præſit omnibus canticis piorum: & tamen non incommode poterit etiam de præfecto cantorum exponi: quaſi diceret Propheta, Deus erit mihi inſtar fortitudinis: etiamſi debilis ſim in me, ego tamen in ipſo fortis ero: & faciet ut ſuperior ſim omnibus obſtaculis, & libere incedam, qui nunc jaceo quaſi ſemimortuus: & ita erit materia cantici: hoc eſt, exercebit ſe præfectus cantorum in celebrandis laudibus Dei, ubi ſcilicet populum ſuum tam mirabiliter eripuerit ex morte. Videmus ergo non male hoc contexi, quum dicit ſibi in Deo fore robur, & quidem quouſque perveniat gratiarum actio ad præfectum, vel præcipuum cantorem, hoc eſt, ut celebretur auxilium illud Dei non tantum privatim, ſed etiam ſolennibus ſacrificiis, quemadmodum fieri ſolebat ſub Lege. Qui exponunt initium eſſe cantilenæ, nimis ſunt frigidi & jejuni. Ego igitur omitto illud. Addit, In pulſationibus meis: diximus de voce בנגינות in Pſalmis. Quidam putant notari melodiam, & vertunt Pulſationes, vel modos. Alii putant notari inſtrumenta muſica. Ego in re dubia nihil affirmo: & ſufficit etiam tenere quod diximus, Prophetam hic promittere Deo ſolennem gratiarum actionem, ubi redempti fuerint fideles: quia non modo ſinguli agnoſcent ſe fuiſſe manu Dei ſervatos, ſed in commune omnes convenient in Templum, & illic teſtimonium reddent ſuæ gratitudinis: & non modo voce ſua profitebuntur Deum fuiſſe ſibi liberatorem, ſed interpoſitis etiam muſicis inſtrumentis: quemadmodum ſcimus ritum illum fuiſſe vulgarem ſub Lege.

Da omnipotens Deus, quando non deſinimus quotidie iram tuam provocare contra nos, & tanta eſt etiam durities ac contumacia carnis noſtræ, ut neceſſe ſit nos variis modis affligi: da, inquam, ut patienter feramus tuas caſtigationes, & ſerio dolore tacti confugiamus ad tuam miſericordiam: interea vero perſtemus in ſpe ejus miſericordiæ, quam nobis pollicitus es, & quæ nobis ſemel exhibita fuit in Chriſto tuo, ut non pendeamus à terrenis hujus vitæ caducæ bonis, ſed innixi verbo tuo pergamus in curſu vocationis noſtræ, donec tandem colligamur in beatam illam quietem, quæ nobis repoſita eſt in cœlo per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

JOANNIS CALVINI
PRÆLECTIONES
IN
SOPHONIAM PROPHETAM.

PRÆLECTIO PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

SErmo Jehovæ, qui fuit ad Zephaniam filium Chuſi, filii Gdoliæ, filii Amariæ, filii Chizkiæ, in diebus Joſiæ filii Amon Regis Jehudah.

SOphoniam ultimum ordine ſtatuunt inter Prophetas minores, qui functi ſunt ſuo munere ante exilium Babylonicum. Et inſcriptio oſtendit triginta fere annis antequam populus exciſa urbe, & Templo everſo, in exilium abiret, exercuiſſe docendi munus ſimul cum Jeremia. Jeremias autem curſum ſuum proſequutus eſt etiam poſt mortem Joſiæ, quemadmodum initio libri ſui teſtatur: quum Sophonias prophetaverit tantum ſub Rege Joſia. Summa porro libri eſt, quod initio denunciat ultimam cladem populo jam adeo contumaci, ut nulla ſpes eſſet reſipiſcentiæ. Deinde temperat minas illas quum denunciat etiam hoſtibus tam Aſſyriis quam reliquis Dei judicium, quod crudeliter tractaſſent Eccleſiam Dei. Fuit autem hæc non levis conſolatio, quum audirent Judæi Deo ſe charos eſſe ut cauſam ipſorum ſuſciperet, atque vellet ulciſci injurias. Poſtea iterum objurgationes repetit, &

 com-

commemorat breviter ſcelera quæ tunc regnabant in electo populo Dei: ſed interim convertit ſermonem ad fideles, & eos ad patientiam hortatur, proponens ſpem gratiæ, modo ſemper reſpiciant in Dominum, & innixi gratuito fœderi quod cum Abraham pepigerat, non dubitent ipſum ſibi fore in patrem, & expectent etiam tranquillis animis redemptionem ſibi promiſſam. Hæc igitur ſumma eſt: initio notatur tempus quo prophetavit Sophonias, nempe ſub rege Joſia. Cur autem adſcriptum ſit nomen patris Amon, mihi ratio non conſtat. nam Propheta noluit honoris cauſa proferre in medium genus illud, quod erat plenum probri & infamiæ. Amon filius erat Manaſſe impii & ſcelerati Regis, & nihilo patre ſuo melior. Videmus ergo non recenſeri ejus nomen honoris cauſa, ſed potius contumeliæ. & forte voluit Propheta notare quod tunc ſatis compertum omnibus erat, populum ſcilicet ita obduruiſſe in ſuis ſuperſtitionibus, ut non facile eſſet ipſum revocari ad ſanam mentem. Cæterum, nihil poſſumus afferre præter conjecturam: ideo relinquo hoc in medio. Quantum attinet ad genus ipſius Prophetæ, diximus alibi quid Judæi affirment. quoties enim Prophetæ apponunt nomen patrum, putant fuiſſe genitos etiam ex Prophetis. Atqui Sophonias non patrem modo & avum, ſed proavum & abavum etiam nominat. Vix autem credibile eſſet fuiſſe omnes Prophetas, & nullum prorſus extare verbum in Scriptura. Ego, ſicuti alibi teſtatus ſum, non puto hic ſtatuendam eſſe legem. atque ita ſuo more temere nugantur Judæi: quia in rebus ignotis ſemper aſſerere audent quicquid illis venit in mentem, etiamſi nihil ſit coloris. Poteſt fieri, ut pater, avus, proavus & abavus Prophetæ, pietate excelluerint: ſed hoc quoque incertum eſt. Præcipue vero operæpretium eſt notare quod præfatur ſe nihil afferre proprium, ſed fideliter & quaſi per manus tradere quod à Deo accepit. Quantum igitur ad ejus progeniem ſpectat, in ea parum eſt momenti: ſed magni refert intelligere Deum eſſe hujus doctrinæ auctorem, & Sophoniam fidelem fuiſſe ejus miniſtrum, qui ſua commenta non attulerit, ſed tantum interpres fuerit cœleſtis doctrinæ. Nunc veniamus ad res ipſas.

2. Perdendo perdam (*vel colligendo colligam*) omnia ex ſuperficie terræ, dicit Jehova.

3. Perdam (*vel colligam*) hominem & beſtiam: perdam avem cœlorum, & piſces maris: & offendicula erunt impiis: & excidam hominem è ſuperficie terræ, dicit Jehova.

Poſſet videri primo intuitu nimis durum quod Propheta tantum fulminat contra ſuos gentiles: quia initium potius facere debuerat à doctrina. hic enim videtur eſſe ordo legitimus. Jam Propheta cladem denunciat, & interim non oſtendit cur tam graviter offenſus ſit Deus populo: ſed tenendum ſimul eſt, Prophetam, quum eſſet conjunctus Jeremiæ, reſpexiſſe ad contumaciam populi, quæ jam ſatis ſuperque convicta erat. Ergo proſilit quaſi ex abrupto, & pronunciat jam detectam eſſe malitiam populi, ut non ſit amplius litigandum, quia maturuerit iniquitas. Et certe Prophetis hoc ſemper fuit propoſitum, conjungere ſuas operas, ut alter alterum viciſſim juvaret: atque hæc conſenſio vigere etiam debet inter omnes Dei ſervos, ut nullus ſeorſum quicquam agat, ſed ut conjunctis ſtudiis eundem teneant ſcopum: & ſimul etiam conentur ultro citroque confirmare communem doctrinam. ſic ergo nunc agit noſter Propheta. Videbat Deum variis rationibus uſum fuiſſe, niſi deſperata fuiſſet pravitas populi: quoniam videt alios omnes hactenus luſiſſe operam, aggreditur impios homines, qui velut ex profeſſo rejecerant omnem Dei metum, & excuſſerant etiam pudorem. Quum ergo palam conſtaret ipſos deſtinata malitia Deo reſiſtere, non mirum eſt quod Propheta tam duro exordio utitur. ſed hic naſcitur nobis altera difficultas. Dixit primo verſu ſe ita loquutum eſſe ſub Joſia. Scimus autem tunc purgatam fuiſſe terram ſuperſtitionibus. Nam ex quo adolevit pius ille Rex, ſcimus quam ſtrenue incubuerit ad reſtituendum Dei cultum: quia omnia referta erant impiis ſuperſtitionibus, non modo tribum Jehudah coëgit pure Deum colere, ſed etiam ſtimulavit ſuos vicinos, qui reſidui erant & diſperſi per terram Iſrael. Quum ergo tam ſedulo & animoſe pius Rex ſtudium ſuum impenderit pietati, mirum eſt cur tantopere excandeſcat Deus. Sed notandum eſt, etiamſi ex animo Joſias Deum coleret, tamen populum non fuiſſe vere converſum: quemadmodum ſæpe contingit ut Deus excitet optimos duces & anteſignanos, ſed pauci aut fere nulli eos ſequantur, quin potius detrectent omnes obſequium. Sic haud dubie expertus eſt Joſias, ita alienatos fuiſſe populi animos à Deo & vera pietate, ut mallent putreſcere in ſuis ſordibus, quam redire ad genuinum Dei cultum: & hoc facile etiam apparuit ipſo eventu. Non diu regnavit Joſias poſtquam terram purgaverat illis inquinamentis. Succeſſit Joachas: ſtatim populus relapſus eſt ad ſuam idololatriam: & quanquam tribus menſibus tantum regnavit ſucceſſor ejus, abolita fuit exiguo illo tempore religio. Hinc facile colligitur, ſemper populum illum fuiſſe deditum impietati, & occultas fuiſſe radices in cordibus: quanquam fingebant in ſpeciem ſe libenter Deum colere, & in gratiam Regis amplexi fuerant cultum divinitus præſcriptum in Lege, tamen eventus docuit fuiſſe meram ſimulationem, imo perfidiam. Jam poſt Joachas ſequutus eſt Jehojakim: nihilo etiam melior ſtatus fuit uſque ad Sedechiam. denique nullum potuit remedium adhiberi incurabili morbo. Unde facile apparet, quamvis Joſias nihil prætermitteret quominus cultus Dei purus & integer vigeret in Judæa, tamen non fuiſſe voti ſui compotem. Cæterum, hinc etiam colligere promptum eſt, quam duras tentationes ſuſtinuerit, quum videret ſe nihil proficere, etiamſi cum ſummo regni diſcrimine renovaret cultum Dei: quum tamen videret ſe operam quodammodo perdere, non dubium eſt quin difficiles luctas ſuſtinuerit. quod nos etiam ipſi diſcimus propria experientia. Si ſpes ſucceſſus nobis affulgeat, jam facile ſuperamus omnes moleſtias in negotio quamlibet arduo. Sed ubi fruſtra videmus nos eniti, dejicimus animos: deinde ſi tantum videmus ad paucos annos laborem noſtrum profuturum, etiam animi nobis flacceſcunt. Joſias utrumque certamen ſuperavit: quia pervicacia populi ſatis manifeſta erat. deinde admonebatur à duobus Prophetis, Jeremia ſcilicet, deinde Sophonia, populum adhuc fovere impiam contumaciam. Quum ergo palam cerneret laborem ſuum fere eſſe irritum, potuit deficere in medio curſu, vel etiam in ipſis carceribus, ut loquuntur. Jam quum tam exiguus profectus eſſet ipſo regnante, quid ſperare poſt mortem ſuam potuit? Hoc exemplum diligenter hodie notandum nobis eſt, quia etiamſi nunc Deus pleno fulgore apparuerit mundo, tamen pauciſſimi ſunt qui ſeſe ejus verbo ſubjiciant: deinde ex tantillo hoc numero pauciores adhuc ſunt qui ſincere & abſque ulla ſimulatione amplectantur ſanam doctrinam. Jam videmus quanta ſit inconſtantia & levitas. Qui enim præ ſe ferunt ad tempus aliquod mirum zelum, paulo poſt evaneſcunt ac diffluunt. Quum ergo tanta ſit mundi perverſitas, quæ dejicere centies poſſet animos ſervorum Dei, diſcamus reſpicere ad Joſiam, qui ſuo tempore nihil omiſit, quod faceret ad ſtabiliendum Dei cultum: & tamen quum vide-

ret ſe parum vel fere nihil proficere, non deſtitit, ſed conſtanter & invicta animi magnitudine perrexit in ſtadio ſuo. Deinde colligenda etiam eſt admonitio non minus utilis, ne ſcilicet putemus ſeculum noſtrum eſſe aureum, ubi aliqua pars ſe Deum pure colere profitetur: quemadmodum multi alioqui non mali homines putant cunctos fere mortales eſſe ſimiles Angelis, ſtatim atque uno verbo teſtati ſunt ſe accedere ad Euangelium. & nomen hoc ſacrum Reformationis hodie profanatur: ubi quiſpiam ſolo nutu oſtendit ſe non prorſus eſſe hoſtem Euangelii, ſtatim laudatur pro homine excellentiſſimæ pietatis. Quamvis ergo multi ſtudium aliquod pietatis oſtendant, ſciamus in magna multitudine eſſe multos hypocritas, & eſſe multum paleæ admixtum tritico: & ne fallat nos ſenſus noſter, quaſi in ſpeculo hic licet cernere quam difficile ſit mundum revocare ad obſequium Dei, & prorſus evellere omnes corruptelas, quamvis idola tollantur, quamvis aboleantur ſuperſtitiones. Proculdubio Joſias omnia ſpectavit quæ ad repurgandam Eccleſiam facerent: & uſus eſt tam Jeremiæ quam Sophoniæ conſilio. videmus tamen non eſſe adeptum quod optabat: quia jam gravius iraſcitur Deus populo ſuo, quam ſub Manaſſe vel ſub Amon. Impii illi Reges conati fuerant extinguere omnem pietatem, crudeliter ſævierant contra omnes Dei ſervos, ut propemodum madida eſſet Jeruſalem ſanguine innoxio: & tamen hic ſub Joſia Deus videtur vehementius excandeſcere, quam in illa truculentia, deinde inter tot impietates. Sed quemadmodum jam dixi, non eſt tamen ratio cur deſpondeamus animos: utcunque mundus ſua ingratitudine nobis viam præcludat, & Satan etiam hoc artificio conetur nos dejicere, pergendum eſt conſtanter ut feret cujuſque vocatio. Sed quæri nunc poteſt cur Deus vindictam ſuam *beſtiis terræ, avibus cœli, & piſcibus maris denunciet.* nam utcunque eum provocaſſent ſuis ſceleribus Judæi, de-
Ezech. 18. buit tamen parcere innoxiis animalibus. Si filius
verſ. 20. non plectitur ob culpam patris, ſed anima quæ peccavit moritur; cur Deus iram ſuam convertit contra piſces & reliqua animalia? videtur hoc cæci eſſe ac temerarii impetus. Sed primo tenenda eſt regula, perperam æſtimari judicia Dei ex ſenſu noſtro: quemadmodum hodie faciunt protervi & ſuperbi homines. vellent enim judicium ferre de operibus Dei ea licentia, ut ſiquid non arridet, protinus damnare liceat. Verum modeſte & ſobrie ſapere nos oportet, ut ſcilicet fateamur judicia Dei eſſe profundam abyſſum: & ubi ratio nobis non patet, reverenter & qua decet humilitate expectemus diem plenæ revelationis. hoc unum eſt. Deinde ſimul etiam tenere convenit, animalia ſicuti creata ſunt in uſum hominis, ita ſubire communem ſortem cum ipſo:
Pſal. 8. Deus enim mancipavit homini & aves cœli, & piſces
verſ. 7. maris, & omnia terræ animalia. Non mirum igitur eſt ſi condemnatio ipſius qui imperium obtinet ſuper totam terram, ad animalia etiam perveniat: & ſciamus mundum obnoxium eſſe corruptioni non ſponte, hoc eſt, non naturaliter; ſed quia contagio ex lapſu Adæ ſeſe diffudit per cœlum & terram. Ergo ſol & luna, omnes ſtellæ, deinde omnia animalia, terra ipſa, & totus mundus geſtant notas iræ Dei: non quod eam provocaverint ſuo delicto, ſed quia totus mundus implicitus eſt cum homine ſub maledictione Dei. Ratio jam adducta eſt, quia in gratiam hominis cuncta creata ſunt. Ergo non eſt cur putemus Deum ferri nimis violento impetu, dum vindictam ſuam exequitur contra innoxia animalia: poteſt enim jure ſuo cum homine involvere in eandem ruinam quæcunque in uſum ejus creavit. Sed ratio etiam non obſcura eſt cur Propheta hic de animalibus terræ, & piſcibus maris, & avibus cœli loquatur. Videmus enim ut torpeant homines vel ſtupeant potius in ſua ſocordia, niſi violenter expergiſcantur. Ideo Prophetæ neceſſe fuit, quum videret ita obduruiſſe populum in ſua malitia, & ſibi negotium eſſe cum hominibus deſperatis, ſimul etiam proponere hæc Dei judicia: quaſi diceret, Vos jacetis ſecuri, & facitis vobis delicias quum Deus armatus prodit ad vindictam. Atqui ira ejus non modo contra vos omnes graſſabitur, ſed arripiet etiam innoxia animalia: videbitis enim horribile judicium contra boves & aſinos, contra paſſeres, contra piſces. Quid vobis futurum eſt ſi ira Dei ita accenſa erit contra miſeras creaturas, quæ tamen nihil peccarunt? vos ſcilicet effugietis impune? Nunc tenemus cur Propheta hic non de ſolis hominibus diſſerat, ſed ſimul conjungat etiam & beſtias terræ, & piſces maris, & aves cœli. Initio autem dicit, *Tollendo tollam omnia ex ſuperficie terræ.* Poſtea ſpecies ipſas enumerat. ſed continuo poſt ſatis oſtendit Deum non ruere præcipitem in ſua vindicta, quia tantum pœnam exigere velit de ſceleratis, *Erunt*, inquit, *impiis offendicula:* perinde acſi diceret, Dum ego ad tribunal Dei cito & piſces maris, & aves cœli, ne puteris Deo litem eſſe cum illis animalibus quæ ratione carent, ſed venient ut ſuſtineant partem vindictæ Dei, quam vos meriti eſtis propriis ſceleribus. Ergo hic breviter demonſtrat Propheta, quod paulo ante minatus eſt brutis animalibus, id fieri hominum reſpectu: quia ſcilicet vellet exerere Deus ſuam vindictam contra impios; & quia videbat eos nimis torpere, ſimul expergefacere ipſos manifeſtis ſignis, quaſi in viva pictura cernerent Deum vindicem. Et ſimul etiam adjungit, *Tollam hominem ex ſuperficie terræ.* Jam non loquitur de piſcibus, vel reliquis animalibus, ſed homines tantum compellat. Hinc ergo clarius patet quod dixi, extortam fuiſſe Prophetæ hanc neceſſitatem nimia populi ſocordia. Jam adjungit,

4. Et extendam manum meam ſuper Jehudah, & ſuper omnes incolas Jeruſalem: & excidam ex loco hoc reliquias Baal, & nomen cultorum cum Sacerdotibus.

Clarius iterum explicat Propheta cur ſtylum proximo verſu direxerit contra animalia terræ, & aves cœli: nempe ut ſentirent Judæi Deum ſibi eſſe infeſtum. *Extendam*, inquit, *manum meam ſuper Jehudah, & ſuper Jeruſalem.* Deus ergo quum vindictam ſuam exercuit contra animalia, voluit quaſi in imagine proponere Judæis quam formidabilis eſſet ira ipſius, quam tamen ſpernebant ac fere ducebant pro nihilo. Extenſio manus Dei quid ſignificet alibi diximus, nempe ubi Deus inſolitis modis agit, & præter communem rationem. Scimus quidem Deo non eſſe manus: ſcimus etiam ſolo imperio omnia perficere: ſed ſicuti quicquid cernitur in mundo vocatur opus manuum ipſius, ita dicitur manum extendere quum aliquod opus inſigne & dignum memoria deſignat. quemadmodum ſi velim aliquid leve facere, tantum admovebo manum: ſi autem me accingam ad difficile aliquod opus, ego majore ſtudio me parabo, extendam etiam brachia. Hæc igitur ſimilitudo non in alium finem ſpectat, niſi ut magis attenti ſint homines ad opera Dei, in quibus dicitur manum ſuam velle extendere. Dicit autem, *Super Jehudah & ſuper incolas Jeruſalem.* Jam regnum Iſraël fuerat deletum; & decem Tribus in exilium abductæ: pauci tantum miſeri & ignobiles reſtabant. Putabant Judæi, ſe fore perpetuo ſalvos, quia erepti fuerant ex illo incendio. Hæc igitur ratio eſt cur Propheta exprimat Dei judicium inſtare non modo contra regnum Jehudah, ſed contra ſanctam urbem, quæ putabat ſe immunem fore

ab omni incommodo, quod illic fierent ſacrificia, quod illic eſſet regia ſedes, quod denique teſtatus fuiſſet Deus illic eſſe æternum ſuum domicilium. Quum ergo vana illa confidentia ſe & alios deciperent incolæ Jeruſalem, ideo ſpecialiter ſtylum in ipſos convertit Sophonias. Quia autem loquutus fuerat de ſceleratis, non dubium eſt quin hic voluerit acriter pungere Judæos, quaſi per anticipationem diceret, Non eſt cur quæratis quinam ſint illi ſcelerati, vos enim ipſi eſtis: vos ſacer Dei populus, & electa Dei hereditas, vos genus Abrahæ, qui vobis tantopere placetis in veſtra excellentia, vos eſtis illi ſcelerati, qui hactenus non ceſſatis provocare Dei vindictam. Sed ſimul etiam digito oſtendit quædam ſcelera: quanquam alia deinde proferet ſuo ordine. Sed nunc loquitur de ſuperſtitionibus. Dicit ergo, *Delebo reliquias Baal, & nomen Chamarim.* Poſſet rurſus videri hæc nimia aſperitas Prophetæ, quod ita ſuccenſeat contra ſuperſtitiones, quæ tamen fuerant maximo Regis ſtudio & ſingulari diligentia abolitæ. ſed non tam Regem ipſum, quam populum reſpicit, quemadmodum attigimus. Etſi enim palam non audebant adulterare cultum Dei, quiſque tamen domi ſuæ alebat corruptelas, quibus pridem aſſueverant: quemadmodum fieri hodie videmus. Nam ubi non licet idola colere, tamen multi preces ſuas occulte demurmurant, invocant ſua idola: denique retinentur duntaxat hominum metu, ne prodant ſuam impietatem: ſed interea coram Deo eaſdem retinent abominationes. Sic tempore Joſiæ populum fuiſſe addictum ſuis corruptelis, colligere promptum eſt ex verbis Sophoniæ. Nam reliquiæ Baal non conſpiciebantur neque in Templo, neque in compitis, neque in ſacellis, neque etiam in excelſis: ſed clandeſtina impietas hic detegitur à Spiritu Dei. & certe eo atrocius fuit crimen, & minus excuſabile, quod pium illum ducem ſequi populus recuſavit. Fuit enim hæc pluſquam fœda ingratitudo, quod quum viderent Legalem cultum ſibi eſſe redditum, malebant tamen in ſordibus ſuis manere defixi, quam redire ad Deum, quamvis data illis eſſet libertas, deinde pius ille Rex manum porrigeret. Quantum attinet ad nomen כמרים, ſic vocati ſunt vel cultores Baal, vel certum aliquod hominum genus, quales hodie ſunt Monachi. Nam כמרים putant vocatos fuiſſe quidam à nigredine, quod induti eſſent pullis veſtibus. Alii autem ab ardore, quia inſaniebant poſt ſuas ſuperſtitiones: vel quia etiam notati erant ſtigmatibus in fronte: vel quia venditabant zeli ſui ardorem ſimplicibus, quemadmodum fieri ſolet. Ponitur etiam hoc nomen 2. Reg. cap. 23. in hiſtoria Joſiæ. dicit enim illic quiſquis fuerit auctor libri, ſublatos fuiſſe כמרים una cum aliis ſordibus ſuperſtitionum. Et quia Sophonias conjungit illis Sacerdotes, probabile eſt fuiſſe quoſdam ſimiles Monachis, qui ſcilicet non offerrent ipſi ſacrificia, ſed qui eſſent tanquam æditui, & qui ſuſciperent vota & preces totius populi nomine. Nam quod alii putant ſic vocatos, quia adolerent incenſum, mihi non probatur: fuiſſent enim tunc Sacerdotes. ſed Propheta hic diſtinguit eos à Sacerdotibus. Ergo fuerunt ſecundi poſt ſacrificos, & medii inter illos & populum: quemadmodum hodie Monachi & Eremitæ ſuam ſanctimoniam venditant ſtultis hominibus. tales igitur erant illi Chamarim. Quum autem Joſias hoc conſequi non potuerit, ut ſtatim purgaret terram illis inquinamentis: ne miremur ſi hodie non ſtatim poſſimus tollere ſuperſtitiones è mundo. ſed interim pergamus ſemper in noſtro curſu. Qui præditi ſunt auctoritate, & geſtant gladium, hoc eſt, omnes Magiſtratus, eo diligentius incumbant in ſuas partes, ubi vident tam difficile & longum certamen eſſe cum idololatriæ monſtris. Miniſtri etiam ferventer clamitent contra idololatriam & contra omnes impios ritus, & non deſiſtant: utcunque non promoveant quantum eſſet optandum, tamen ſequantur exemplum Joſiæ. Quod ſi Deus interim è cœlo fulminet, tamen non frangantur, ſed potius agnoſcant illi probari ſuam operam, & interea non dubitent ſe fore ſalvos: etiamſi pereundum ſit omnibus, tamen pietatem ipſorum non fore irritam, neque poſſe fruſtrari ſua mercede coram Deo. Sic ergo animare ſe debent omnes Dei ſervi quiſque pro modo & ratione ſuæ vocationis, ubi certandum eſt cum ſuperſtitionibus & cum aliis omnibus corruptelis, quæ vitiant & adulterant purum Dei cultum.

Da omnipotens Deus, quando tam propenſi ſumus ad corruptelas, deinde ſtadium ingreſſi tam facile deflectimus à curſu, & recte inſtituti tam facile etiam degeneramus: da, inquam, ut inſtructi conſtantia Spiritus tui perſeveremus uſque in finem in recta via quam nobis verbo tuo demonſtras: deinde etiamſi multi ſeſe projiciant in varios errores, ſtudeamus ipſos revocare: & ſi nihil proficimus, non tamen abducamur poſt ipſos, ſed maneamus conſtantes in obedientia fidei, donec tandem defuncti omnibus iſtis pugnis, colligamur in beatam illam quietem, quæ nobis repoſita eſt in cœlo per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO SECUNDA IN SOPHONIAM PROPHETAM.

CAP. I.

5\. Et ſuper eos qui adorant ſuper tecta militiam cœlorum, & eos qui adorant, & jurant per Jehovam, & jurant per Regem ſuum.

PRoſequitur Sophonias ſententiam proximi verſus, quem heri expoſuimus. Quia enim magna pars populi adhuc hærebat in ſuis ſuperſtitionibus, quum tamen purus Legis cultus quaſi poſtliminio revocatus eſſet à Joſia, ideo minatur Propheta Deum vindicem fore hujus ingratitudinis. Ergo quemadmodum proximo verſu loquutus eſt de cultoribus Baal & ſacrificiis, ita etiam nunc longius progreditur, quod ſcilicet Dominus vindictam exiget de toto populo, qui ſupplicat *militiæ cœli*, vel ſeſe inclinat coram militia cœli. Satis notum eſt paſſim ita vocari in Scripturis Stellas omnes, quibus gentes olim putarunt propter eximiam præſtantiam aliquid ſubeſſe deitatis. Hinc factum eſt ut Solem pro Deo colerent, Lunam vocarent Reginam cœli, & ſeſe etiam addicerent reliquis aſtris. Non ergo tantum in cultu Baal peccabat populus, ſed magna erat ſuperſtitionum congeries: ſicuti etiam accidere videmus quoties homines degenerant à ſincera pietatis doctrina, ſibi accerſere hinc inde varia figmenta, ut nullus ſit finis vel modus. Dicit autem *ipſos coluiſſe ſtellas ſuper tecta.* Probabile eſt, quemadmodum interpretes admonent, locum ſubliniorem electum fuiſſe: quia putarent ſe magis con-

conſpici à ſtellis, quo eſſent propiores. Nam ut craſſi ſunt homines, nunquam putant Deum ſibi eſſe propitium, niſi aliquod ſignum exhibeat carnalis præſentiæ. Denique ſemper Deum quærunt pro affectu ſuo terreno. Ergo quum Judæi putarent totidem eſſe deos quot erant in cœlo ſtellæ, non mirum eſt ſi aſcenderint ſuper tecta, ut eſſent quaſi in conſpectu deorum ſuorum, atque ita non luderent operam: quia ſuperſtitioſi homines nunquam putant ſuum ſtudium curæ eſſe Deo, niſi habeant præ oculis aliquod ſignum carnalis præſentiæ, ut nuper diximus. Nunc ergo videmus quomodo hic verſus cum proximo cohæreat. Pronunciat Deus ſe pœnam ſumpturum de omnibus idololatris. Quia autem colebant Judæi Baal, præpoſteram illam religionem damnavit initio Propheta. Jam adjungit etiam alia figmenta quibus ſeſe perverſe addixerant Judæi. colebant enim etiam omnes ſtellas: quod illis affingerent aliquam divinitatem. Sequitur poſtea, *Omnes qui adorant, & jurant in Rege ſuo, & jurant Jehovæ.* His verbis ſignificat Propheta Judæos non ita repudiaſſe Legem Dei, quin jactarent ſe adhuc colere Deum illum qui ipſos adoptaverat: deinde à quo redempti fuerant: qui Templum juſſerat ſibi erigi, & altare in monte Sion. Non ergo palam rejiciebant cultum veri Dei, ſed finxerant ſibi talem mixturam, ut adjungerent vero Deo ſua idola, quemadmodum hodie videmus fieri in Papatu. Videtur hæc ſtultis hominibus juſta eſſe excuſatio, quia retinent nomen Dei, & pleno ore jactant ſibi eſſe unum Deum. ſed interea videmus ut commiſceant multas Satanæ fallacias: nam in Papatu nullus eſt finis. Quiſque enim ſibi fabricat peculiarem cultum: deinde omnes ſimul conjungunt, & inde ſibi conflant neſcio quam mixturam, quæ ex uno Deo in multas partes diſcerpto pariat ingentem turbam deorum. Sicut ergo hodie Papiſtæ Deum & ſua idola ſimul adorant, ita etiam idem vitium reprehendit Sophonias in Judæis. Hinc colligimus non prorſus abolitum fuiſſe tunc nomen Dei, quemadmodum ſi palam deficeret mundus à Deo: & tamen Jovem, Mercurium, Apollinem, & fictitios deos coleret: imo dicebant ſe colere verum & æternum Deum opificem cœli & terræ. Quid ergo reprehendit Propheta? nempe quod non contenti ſimplici & genuino Legis præſcripto, confingerent ſibi varios & alienos ritus. Ubi autem homines tantum licentiæ ſibi uſurpant, jam non adorant verum Deum, utcunque hoc ſimulent: quia Deus repudiat omnes cultus adulterinos, quemadmodum præſertim teſtatur Ezech. 20. cap. Ite, inquit, colite idola veſtra. Oſtendit ſibi abominabiles eſſe omnes cultus, ubi vel pauxillum declinant homines à puro ipſius verbo. Nam tenendum erat illud principium, Obedientiam pluris eſſe Deo quam omnes victimas. Ubi autem homines tranſvolant ad ſua figmenta, jam deſciſcunt à vero Deo: quia denegant quod præcipue exigit, nempe obedientiam. Cæterum Propheta noſter loquitur ex communi hominum ſenſu: quia ſimulant ſe eſſe veros Dei cultores, & tamen non poſſunt abſtrahi à ſuis figmentis. Non colunt quidem, proprie loquendo, verum Deum: ſed quia hoc putant ſe facere, & ore etiam profitentur, per conceſſionem dicit Sophonias, Deus non ſinet ita cultum ſuum profanari: vultis illum miſcere cum veſtris idolis: hoc non feret: colitis verum Deum, & colitis veſtra idola: ipſe autem volebat ſolus coli, & hoc meretur. Atqui partitio quam vos facitis, nihil aliud eſt quam laceratio legitimi cultus: Deus autem non vult ex parte coli. Nunc tenemus quid velit hoc loco Propheta: quia enim hoc prætextu Judæi ſuas abominationes tegebant, quod propoſitum ipſis fuerit colere Deum Abrahæ, Propheta non ſimpliciter negat id fieri ab ipſis, ſed oſtendit cultum hunc inutilem eſſe, neque probari Deo: imo longius procedit, cultum hunc mixtum ex variis figmentis, eſſe abominabilem corruptelam, cujus Deus ultorem ſe fore pronunciat: quia nullo modo ferre poteſt ſocietatem illam, ubi ſubrogantur in locum ejus idola, & transfertur pars gloriæ ipſius ad figmenta hominum. hic ergo verus eſt ſenſus. Hinc colligimus longe falli Papiſtas, dum exiſtimant ſufficere modo non prorſus deficiant à cultu unius Dei: quia Deus nullum cultum admittit vel probat, niſi ubi attenti ſumus ad ejus vocem, & non deflectimus vel ad dextram vel ad ſiniſtram, ſed acquieſcimus duntaxat in ejus præcepto. Quod autem jusjurandum cum adoratione hic ponitur, non mirum eſt: quia ſpecies eſt cultus Dei. Ideo Scriptura per ſynecdochen jusjurandum ſæpe pro ipſo Dei cultu accipit. ſed hoc loco generaliter maledicit Propheta omnibus ſuperſtitioſis, qui fictitios deos adorant: deinde adjungit ſpeciem cultus, nempe jusjurandum. Hic de jurejurando non diſſeram fuſius, neque etiam opus eſt. Scimus legitimum uſum jurandi eſſe, quum juſta de cauſa Deus ſtatuitur teſtis ac judex. nam nomen Dei interponitur ubi res indiget probatione: deinde etiam ubi ejus eſt momenti, ut nomen Dei non temere trahatur in medium. Ergo duo præcipue in juramento ſpectanda ſunt, nempe ut reverenter ſe ſiſtant ad ejus tribunal quicunque jurant per Nomen ipſius, & agnoſcant ipſum fore vindicem, ſi falſo vel perperam arripiunt ejus Nomen. hoc unum eſt. Deinde conſideranda etiam eſt res ipſa ob quam juratur: nam ſi in nugis & negotiis frivolis ſubinde jurare ſibi permittant homines per Dei nomen, eſt etiam nimis indigna profanatio, & minime tolerabilis. Nam hæc ſingularis Dei indulgentia eſt, quod nobis concedit Nomen ſuum accipere, ubi aliquid eſt controverſiæ inter nos, vel ubi opus eſt confirmatione aliqua. Quod ergo ita precario accipimus nomen Dei, certe hæc eſt magna indulgentia. Quanta enim eſt hujus Nominis ſanctitas, ut ſerviat etiam terrenis negotiis? Deus tamen huc uſque ſe nobis accommodat, ut liceat nobis jurare per ejus Nomen. Ergo major etiam ſobrietas ſervanda eſt in juramentis, ne ſcilicet quiſquam audeat jusjurandum interponere, niſi ubi ita neceſſitas exigit. deinde præcipue cavendum eſt, ne Deus vocetur teſtis mendacii. Quantum enim ſacrilegium eſt tegere ejus nomine mendacium, quum ipſe ſit æterna & immutabilis veritas? Transfigurant ergo, quantum in ſe eſt, Deum, quicunque pejerant per ejus nomen. Nunc ſatis intelligimus quomodo jusjurandum ſit ſpecies divini cultus, nempe quia defertur Deo ſuus honor. Statuitur enim quaſi in medio ejus majeſtas: & quia ejus proprium eſt, res occultas cognoſcere & detegere, deinde afferere veritatem; ideo tribuitur ei hoc officium. Nunc ſiquis per hominem mortalem juret, vel per Solem, vel per Lunam, vel per creaturas, inde ſpoliat Deum honoris ſui parte. Videmus ergo in ſuperſtitioſis juramentis eſſe apertum ſignum idololatriæ: hæc ratio eſt cur Propheta hic damnet eos *qui jurant per Jehovam, & per Malkkom*, hoc eſt, qui conjungunt ſua idola cum vero & æterno Deo ubi jurandum eſt. Nam clarum eſt in Lege Dei præceptum, Deuteronomii quinto, Per nomen Dei tui jurabis. Et quum Prophetæ de renovatione Eccleſiæ loquuntur, utuntur etiam hac formula, Jurabitis per nomen Dei: Mihi flectetur omne genu: Omnis lingua mihi jurabit. Quid hoc ſibi vult? nempe totus mundus me agnoſcet eſſe verum Deum: & quemadmodum omne genu mihi flectetur, ita etiam ſubjiciet ſe meo judicio. Hinc certo colligere licet fraudari Deum ſuo jure, quoties vel per Solem & Lunam, vel per mortuos, vel per ullas creaturas juramus. Et hoc ſeculis omnibus commune fuit vitium: quemadmodum adhuc hodie graſſatur in Papatu. Jurant per Virginem, per Angelos, per mortuos.

Non putant hoc modo ſe quicquam derogare unius Dei imperio. Sed videmus quid de ipſis pronunciet. Itaque ſtulte ſe excuſant Papiſtæ, dum jurant per Sanctos ſuos. Neque enim poſſunt eluere ſacrilegium, quod notavit perpetua infamia Spiritus ſanctus, quum dixit omnes eſſe abominabiles Deo, qui jurant per aliud nomen quam ipſius. Et ratio etiam in promptu eſt, quia ornantur Sol, & Luna, & ſtellæ, deinde mortui & vivi homines, Dei titulo, dum ſtatuuntur judices. Nam qui jurant per Solem, perinde faciunt acſi dicerent, Sol ſit mihi teſtis ac judex, hoc eſt, Sol ſio mihi Deus. Qui jurant per nomen ullius Regis, quemadmodum jurabant olim profani homines per genium Regis ſui, illi etiam trahunt ad hominem mortalem quod proprium erat unius Dei. Siquis vero per cœlum juret aut Templum, neque imaginetur ullam divinitatem eſſe in cœlis vel Templo, perinde facit acſi per Deum ipſum juraret: quemadmodum Matthæi 5. capite, dum Chriſtus vetat jurare per cœlum vel terram, non damnat ejuſmodi jurandi formas, quaſi alienæ eſſent à verbo ipſius; ſed ſupervacua tantum juramenta. Interim oſtendit profanari Dei nomen in iſtis vocibus: qui jurant per cœlum, jurant etiam per ipſum qui cœlum inhabitat: qui jurant per Templum, jurant etiam per eum qui in Templo colitur, & cui offeruntur in altari ſacrificia. Siquis per caput ſuum jurat, vel per vitam ſuam, eſt obteſtatio: quaſi diceret, Sicuti chara eſt mihi vita. Sed qui jurant per Sanctos vel vivos vel mortuos, illi ſubrogant mortales homines in Dei locum. Qui jurant per Solem, mortuam creaturam locant in ſolio ipſius Dei. Quantum attinet ad nomen מלכם, proprie ſic verti debet, *Jurant per Regem ſuum.* Nam מלך, quemadmodum ſatis notum eſt, Regem ſignificat: hic autem ponitur in conſtructione מלכם, Jurant per Malkkom, hoc eſt, per ſuum Regem. Neque tamen dubito quin Propheta alludat ad nomen מלך, quod etiam deductum eſt à Regnando. Nam utcunque vulgo nomen illud in ore omnium eſſet, quaſi proprium: tamen certum eſt vocatum fuiſſe falſum illum Deum, quaſi eſſet Rex. Et Propheta indignitatem auget, quum dicit, *Jurant per Malkkom.* Poterat dicere ſimpliciter, Jurant per Moloch: ſed dicit, Jurant per Malkkom, hoc eſt, obliviſcuntur me eſſe ſuum Regem, & imperium meum transferunt ad mortuum & inane figmentum. Deus ergo hic tacita antitheſi exaggerat crimen in Judæis, quod alium ſibi Regem accerſerant, quum ſcirent ſub ejus tutela ſibi ſemper fuiſſe certam & ſolidam ſalutem. Pergamus nunc.

6. Et qui retro aguntur, ne ſequantur Jehovam, *(ad verbum eſt, de poſt Jehovam)* & qui non quærunt Jehovam, neque inveſtigant eum.

Hic Propheta videtur quaſi uno faſciculo complecti tam ſuperbos Dei contemptores quam idnlolatras, de quibus hactenus loquutus eſt. Tametſi fieri poteſt ut aliis elogiis eoſdem deſignet, ac ſignificet ideo addictos eſſe ſuis ſuperſtitionibus, quia nolint ſincere & ex animo Deum colere, imo refugiant verum pietatis ſtudium. Et hoc poſterius mihi magis arridet: neque enim ſatis firmum eſt quod alii divinant, notari hic craſſum Dei contemptum. Ego igitur potius exiſtimo hic premi idololatras, ne tergiverſando putent elui crimen ſuum: quemadmodum ſolent objicere clypeum ignorantiæ, ubi victi ſunt, & ipſorum impietas prorſus eſt convicta: Non putavi, ſed potius mihi animus erat Deum colere. Quum ergo ita ſub integumento ignorantiæ ſe abſcondere ſoleant ſuperſtitioſi homines, Propheta hic definit idololatriam populi, & breviter pronunciat conjunctam eſſe cum pravitate & malitia: *quoniam non quæſierint Deum*: ſed potius ultro ſe averterint, & voluerint quaſi data opera extinguere veram pietatem. Neque mirum eſt tam gravem & duram ſententiam pronunciari: quia edocti erant Judæi ex Lege qualiter colendus eſſet Deus. Unde igitur factum eſt ut obrepſerint tam craſſi errores? Certe Deus accenderat lumen cœleſtis doctrinæ, quo monſtraverat veram pietatis rationem. Sed ut homines cupiunt ſemper defungi frivolis nugis, Iſraelitæ & Judæi quum palam & aperte ipſos puderet rejicere verum Deum, ſimul voluerunt conjungere multos cultus, ut ita occulta eſſet ipſorum impietas. Hæc ratio eſt cur dicat Propheta ipſos retro actos fuiſſe: hoc eſt, non poſſe excuſari ignorantiæ prætextu, ſed eſſe perfidos & apoſtatas, qui prætulerint idola ſua vero Deo: quum ſcirent eum non poſſe rite coli, niſi ſecundum regulam in Lege ſibi præſcriptam, qua poſthabita multas coacervarunt ſuperſtitiones. Et certe reperiemus hunc eſſe fontem omnium falſorum cultuum, quod homines Deum recuſant vere & ex animo colere, interea tamen volunt obtendere aliquam ſpeciem pietatis. Nam in Lege nihil omiſſum eſt, quod ad perfectum Dei cultum faciat. Sed quia Deus exigit in Lege ſpiritualem cultum, hinc fit ut homines latibula captent, & confingant ſibi multas ceremonias, ut ſcilicet recedant à Deo, & tamen ſimulent ſe ad ipſum accedere: dum ſedulo in ſuis ceremoniis laborant, ſemper volitat cultus Dei & religio in ipſorum ore: hoc verum eſt: ſed quemadmodum jam dixi, ſubeſt hypocriſis & fallacia: quia ceremonias cumulant, ut ſit aliquod obſtaculum inter Deum & ipſos. Itaque non abs re Propheta Judæos hic accuſat, *quod retro acti fuerint à Domino, neque ipſum quæſierint.* Quare? Nam non fuit opus longa, vel difficili, vel perplexa inquiſitione. Dominus enim ultro ſe ipſis obtulerat. Unde ergo factum eſt, ut cæcutirent in tam clara luce, niſi quod ſcientes & volentes ſequuti ſunt ſua figmenta? Idem etiam hodie competit in Papiſtas: quia ut centies obſtrepant ſe velle Deum colere, tamen ſatis conſtat, eos non-niſi malitia errare, quia delectant eos ſua figmenta, ne pure & ex animo ſe totos Deo addicant & conſecrent. Nunc ergo videmus verſum hunc exegetice additum eſſe à Propheta, ut falſum ignorantiæ prætextum excuteret Judæis, & oſtenderet eos ex propoſito peccare: quia ſatis ſuperque ex Lege edocti fuerant, niſi libuiſſet ſibiipſis figmenta ingerere, quæ perſtringerent ipſorum oculos & omnes ſenſus. Sequitur,

7. Tace à facie Domini Jehovæ, quia propinquus eſt dies Jehovæ, quia paravit Jehova ſacrificium, *(vel ordinavit)* ſanctificavit invitatos ſuos.

8. Erit, in die ſacrificii Jehovæ, tunc viſitabo ſuper Principes, & ſuper filios Regis, & ſuper omnes qui induti ſunt veſtitu extraneo.

9. Et viſitabo ſuper omnem qui tripudiat ſuper limen in die illo, qui replent domum dominorum ſuorum violentia & fraude.

Hic ſuperiorem doctrinam confirmat Propheta, quum jubet *omnes ſilere coram Deo.* Tantundem enim valet hæc loquendi forma, acſi diceret ſe non fruſtra terrere Judæos, ſed ſerio proponere judicium Dei, quod ſentient ipſo experimento eſſe pluſquam terribile. Deinde etiam commemorat peccata quædam,

dam, ut intelligant Judæi non nominari ipſum de nihilo, ſed eſſe juſtas cauſas cur Deus ſe ultorem fore denunciet. Hæc eſt ſumma: initio videmus quid intelligat Propheta per verbum Silendi: & de eo jam aliquid dictum fuit 2. cap. Habacuc. Diximus tunc Silentio notari ſubjectionem: & quo res clarius patet, diximus notandam eſſe antitheſin inter ſilentium quo ſeſe placide ſubmittunt homines, & contumaciam quæ ſemper tumultuoſa eſt. Ubi enim homines ſapere appetunt ex proprio ſenſu, neque acquieſcunt in Dei verbo, tunc dicuntur non ſilere, quia audientiam recuſant dare verbo ipſius: ubi etiam laxant homines frena ſuæ libidini, nulla eſt moderatio. Ergo donec imperium obtineat Deus in mundo, omnia ſunt plena ſtrepitu, & tota hominum vita confuſa eſt, quia curſitant per ſuos errores: deinde nihil eſt temperantiæ ubi Deus non auditur. Eadem nunc ratione Propheta ſilentium exigit. ſed loquutio hæc nunc accommodatur ad cauſam quam tractat Propheta. Silere à facie Dei, eſt ſe ſubjicere Dei imperio. verum eſt, ſed circumſtantia nunc tenenda eſt: quia tunc videbat Sophonias ſperni judicium Dei, aut duci pro nihilo; hic ſignificat Deum ita loqui, ut exequutio ſit in ejus manu. *Sile* ergo, inquit: hoc eſt, Sciatis me non territandi cauſa ſic loqui; ſed quia Deus armatus eſt ad vindictam exercendam, de qua nunc vos admonet, ut ſi qua ſit ſpes reſipiſcentiæ, mature ſtudeatis redire cum ipſo in gratiam: ſin minus, ut ſitis inexcuſabiles. Nunc ergo tenemus cur jubeat Propheta *ſilere à conſpectu Domini Jehovæ.* & contextus etiam hoc idem confirmat. Additur enim ratio, *Quia dies Jehovæ ſit propinquus.* Sibi enim profani homines ſemper aliquas inducias promittunt, & tempus extrahendo putant ſe multum lucri facere: jam ex oppoſito deridet Propheta hanc ſecuritatem: & dicit *diem Jehovæ inſtare.* Ergo perinde eſt acſi diceret celeriter præveniendum eſſe ejus judicium, & quidem cum metu & ſollicitudine. Poſtea ſimilitudine ornat doctrinam illam, quod ſcilicet *paret Deus ſacrificium*: imo *jam ordinaverit, & ſanctificaverit ſuos convivas.* Sacrificii nomine admonet Propheta, ultionem de qua nuper diſſeruit fore juſtam, ut in ea refulgeat Dei gloria. Scimus enim quam proclivis ſit mundus ad querimonias: ubi urgetur Dei manu, expoſtulat de nimio rigore: & multi etiam pleno ore evomunt ſuas blaſphemias. Quoniam ergo non agnoſcunt Dei juſtitiam in pœnis, Propheta vocat eas Sacrificia. Scimus autem ſacrificia teſtimonia eſſe divini cultus: & quiſquis Deo immolat, agnoſcit illum eſſe juſtum. Sic etiam hoc genere loquendi ſignificat Sophonias non fore Deum crudelem dum urbem Jeroſolymam & ejus incolas exſcindet: quia hoc erit ſacrificium, quemadmodum ſæpius loquuntur Prophetæ, præſertim Jeſaias ubi loquitur de Boſra, Sacrificium paratum eſt in Boſra. *Jeſai. 34. verſ. 6.* Deinde etiam de ipſa Jeroſolyma alibi dicit 29. capite, O Ariel Ariel: ubi vocat ipſam Jeroſolymam altare: & dicit, Per omnes vicos, per compita, ubique erunt mihi altaria: quia magnos acervos congeram hominum, quos mihi in ſacrificium mactabo. Nam quicunque non ſunt voluntarii ad præſtandum Deo cultum, & quicunque ſe non libenter offerunt quaſi ſpirituales victimas, trahuntur ad carnificinam: & interim vocantur Sacrificia. Ita patibula ſunt ſacrificia Domini, ubi plectuntur ſcelerati: quia Dominus armat Magiſtratus gladio, qui coërceant ſcelera, ne eo prorumpant licentiæ improbi, ut jam nulla ſit in mundo æquitas. deinde etiam urbes, quæ captæ violento impetu ſtragem aliquam patiuntur: agri etiam ubi cæduntur exercitus, ſunt altaria: Deus enim trahit rebelles ad ſacrificium, quia ſponte ſeſe non obtulerint. Sic etiam hoc loco dicit Propheta, *Ordinavit Deus ſibi ſacrificium.* Ubi? Jeroſolymæ, in tota urbe: quemadmodum citavimus ex Jeſaia. Nam quia perperam immolaverant Deo in monte Sion, totuſque cultus vitiatus erat; Deus ipſe pronunciat ſe fore verum Sacerdotem, qui pro arbitrio ſuo mactabit beſtias illas, quæ pervicaciter jugum ejus repulerant. *Et ſanctificavit ſuos convivas.* Sed non poſſem hodie abſolvere.

Da omnipotens Deus, quando tot modis non deſinimus iram tuam in nos provocare, ut patienter feramus pœnas, quibus corrigere voles noſtra delicta: deinde, ut præveniamus etiam tuum judicium. Et quando dignaris nos mature ad te revocare, ne ſurdis auribus prætereamus monitiones iſtas: ſed ita morem tibi geramus, & nos ſubjiciamus, ut capaces ſimus ejus miſericordiæ, quam etiam nobis proponis, ſi modo ſtudeamus tibi reconciliari: & ita pergamus in tuo obſequio ut ſub imperio Chriſti Filii tui, quem nobis conſtituiſti ſummum & unicum Regem, ita ſtudeamus nos totos tibi addicere, ut glorificeris in tota vita noſtra: donec tandem participes ſimus cœleſtis ejus gloriæ, quæ nobis parta eſt ſanguine ejuſdem Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO TERTIA
IN
SOPHONIAM PROPHETAM.

CAP. I.

Diximus heri cur Deus cædem impiorum comparet ſacrificio: quia ſcilicet dum pœnas exigit de ſceleratis, oſtendit ſe eſſe mundi judicem. Atque hæc mactatio ſacrificium eſt boni odoris, quia illuſtrat gloriam ipſius. Continuo autem poſt adjungit *ſe præparaſſe convivas.* Utitur quidem verbo קדש, quod ſignificat Sanctificare: ſed ſæpe etiam transfertur ad alios uſus. Itaque poſſet hoc verbum generaliter exponi, quod Deus aptaverit ſuos convivas. Sed quia ſit expreſſa mentio ſacrificii, non dubito quin eandem metaphoram proſequatur Sophonias. Summa igitur eſt, Chaldæos qui miniſtri fuerunt vindictæ Dei, jam non modo electos eſſe ad exequendum illud judicium, ſed quaſi conſecratos divinitus. Et odioſe hoc dictum fuit à Propheta, quo acrius pungeret animos gentis ſuæ. Oportuit enim Judæos agnoſcere judicium Dei etiam in profanis hominibus, quod fieri non poterat niſi intelligerent illos in ſua crudelitate eſſe veluti ſacerdotes Dei: quia ſacerdotium regale Jeroſolymæ profanatum fuerat. Nunc ergo videmus cur dicat Propheta ſanctificatos eſſe à Domino qui vocati erant, ut veſcerentur carne electi populi: quemadmodum ſolebant ex reliquiis ſacrificii inter ſe epulari quoties ſolennis erat & feſtus dies. Nunc pergamus. Heri recitavi hunc verſum, *Et erit, in die ſacrificii Jehovæ, tunc viſitabo ſuper Principes, & ſuper filios Regis, & ſuper eos qui induti ſunt veſtitu extraneo.* Propheta ſignificat ſe non minari tantum plebeis hominibus, ſed primariis ducibus, ut ne filiis quidem Regis parcat. Hic ergo aggreditur præcipuos quoſque ex populo: quia merito ad pœnam trahendi erant primo ordine, qui aliis præbuerant errandi cauſam. Scimus enim omnes eos qui excellunt

dignitate plus multo parere offendiculi, quum ad licentiam peccandi abutuntur ſua potentia. Hinc fit ut Deus ſæpe ad eos ſolos videatur mittere Prophetas. Quanquam enim qui minimi ſunt & contemptibiles in vulgo, non ſunt immunes à pœna, tamen ratio poſtulat ut gravius animadvertat Deus in ipſos duces. Ideo nunc dicit Propheta *Deum viſitaturum Principes ipſos, & filios Regis*. Noluit quidem hic blandiri obſcuris hominibus, acſi Deus illos vellet omittere: ſed quia gravius peccaverant & Rex & ejus Conſiliarii, Deus etiam ſeverius illis iraſcitur. Deinde ſcimus non facile moneri & Reges & alios qui præfecturam exercent in mundo, quoniam excæcat eos ſplendor ſuæ fortunæ: putant etiam quodammodo ſe exemptos eſſe legibus, quia eminent in gradu altiore. Nunc ergo videmus cur ſpecialiter de Principibus & de filiis Regis agat Propheta. Adjungit etiam, *Et ſuper eos qui induti ſunt veſtitu extraneo*. Quidam referunt hoc ad cultores Baal, vel ſacrificos: ſed contextus non patitur de aliis intelligere quam de aulicis hominibus, quorum deliciæ magna ex parte erant in veſtitu. Nam quod dicit Chriſtus, experientia omnium temporum nimis verum eſſe docuit, qui mollibus veſtiuntur, in aulis Regum eſſe. Et probabile eſt aulicos ſtulta affectatione ſubinde mutaſſe veſtes: ſicuti ubi homines ſumptuoſi videri appetunt, excogitant quotidie varios modos perdendæ pecuniæ. etiamſi pluſquam oportet ſplendide veſtiti fuerint, putant tamen fere hoc eſſe ſordidum geſtare integro menſe eandem veſtem. Et quo magis appareat ipſorum prodigalitas, etiam mutant formas veſtium. hæc affectatio hodie plus ſatis in mundo graſſatur. Sed jam ſeculo Prophetæ, quantum conjicere licet, etiam homines aulici, & qui in populo dominabantur, veſtes ita mutabant, ut magis venditarent ſuas lautitias, & eſſent in admiratione apud ſimplices & miſeros homines. Hæc autem ambitio non eſt ſimplex, ſed ſimul trahit ſecum aliorum contemptum. Exprobrant enim hoc modo pauperibus divites ſe ſolos eſſe dignos hac varietate & copia. Non ſufficit quod & pro ſuo commodo veſtiti ſint, deinde accedat ad uſum ornatus & ſplendor: ſed libenter alios omnes nudarent. & quia pudet hoc eos facere, tamen quantum in ſe eſt, ſupervacua copia jactant ſe ſolos dignos eſſe ornatu. Non mirum igitur eſt, ſi Dominus tam aſpere illis minetur. Jam quum vitium hoc ſucceſſu temporis nimis auctum fuerit, notabilis eſt hic locus Prophetæ. Et quo magis luxuriant homines, & ſeſe profundunt ad iſtam varietatem, quæ teſtis eſt ſuperbiæ ipſorum, diſcamus reſtringere affectus carnis noſtræ, ne ad immodicas lautitias tranſiliant: & qui opibus abundant, contenti ſint tamen mediocritate: præſertim vero abſtineant ab iſta præpoſtera affectatione, quam haud dubie objurgat Propheta. Poteſt tamen fieri ut tunc Judæi aſciverint novas & inſolitas veſtium formas ex remotis locis: quemadmodum hodie Turcico habitu ſeſe oblectant Galli, quia illis nimis eſt commercii cum Turca. ſic etiam tunc occupaverat animos illius populi perverſa cupiditas, ut vellent Chaldæos demereri, & quodammodo ſibi familiares reddere ſimilitudine ornatus. Et hoc poteſt colligi ex loco Ezechielis, ubi eos comparat vel ſcortis, vel ſtultis amatoribus. Quemadmodum enim ſcorta depingunt ſibi amatores in parietibus, & idem etiam faciunt ſcortatores & adulteri: ſic exprobrat Ezechiel Judæis, quod ita exarſerint perverſo ſtudio ineundi fœderis cum gente Chaldaica, ut in cubiculis haberent depictas imagines. non dubium eſt quin etiam veſtitum imitati fuerint, ut oſtenderent ſe in maximis bonis deputare, ſi poſſent eſſe eorum amici & fœderati. Jam ſequitur, quod etiam heri recitavi, *Viſitabo ſuper omnem qui tripudium agit ſuper limen*. Quidam hoc exponunt de cultoribus Baal. ſed frigide: imo quemadmodum nuper dixi, contextus non patitur aliter intelligere quam de miniſtris Principum, qui vexabant crudeliter plebem, & ſpoliabant miſeros homines ſuis fortunis, qui pares non erant ad reſiſtendum. Poſtquam ergo loquutus eſt Propheta de primariis regni ducibus, & de filiis Regum, deſcendit ad eorum miniſtros, qui erant quaſi venatici canes ad rapiendam undique prædam. Qui intelligunt de ſacrificiis Baal, adducunt locum ex ſacra hiſtoria, quod quum imago Dagon reperta eſſet in foribus templi, non auſi fuerint calcare limen illud, ſed ſaltaverint. atqui illud eſt nimis remotum. Alii etiam afferunt diverſas expoſitiones. Ego vero non dubito quin Propheta hic ſignificet prædandi licentiam, quum dicit eos ſaltare ſuper limen, tanquam victores ſcilicet. Nam poſtea adjungit *eos replere rapina & fraude domos Principum*. Ergo Saltare ſuper limen nihil aliud eſt quam occupare alienas domos, & illic petulanter inſultare, quemadmodum victores ſolent. Nam qui potitur alieno, non illic tantum veluti in ſua poſſeſſione quieſcit, ſed ſeſe effundit atque jactat. Sic etiam hic ad vivum depingit Propheta proterviam illam, quam exercebant Principum miniſtri, quum domos alienas invaderent. Dicit ergo *eos tripudium agere*, Hæc mea eſt domus: & quis audebit contra verbum facere? Quum ergo tantum ſibi licentiæ ſumerent miniſtri Principum, hic denunciat Propheta vindictam Dei. Poſtea adjungit *replere ædes dominorum violentia & fraude*. Per Violentiam & fraudem, intelligit prædas collectas partim ex vi armata, partim etiam ex captionibus & dolis: ſicuti aulici habent ſuas plagas quibus inſidiantur miſeris hominibus. Quod ſi fraudibus conſequi nequeant quæ ſperaverant, proſiliunt ad vim armatam: quicquid ſit, diteſcunt tamen partim ex rapinis, partim ex fraudibus. Ideoque utramque ſpeciem hic poſuit Propheta. Sequitur,

Mat. 11. verſ. 8.

Eze. 23. verſ. 2.

10. Et erit in die illa, dicit Jehova, vox clamoris à porta piſcium, & ululatus à ſecunda, (*ad verbum: ſed multi intelligunt Scholam*) & contritio magna à collibus.

Hic confirmat eandem ſententiam, & amplificat etiam atque illuſtrat figuris. ſcimus enim quantum valeant hypotypoſes ad tangendos animos, ubi non tantum narratur res ipſa, ſed quaſi ſubjicitur oculis. Sic Propheta non contentus ſimplicibus verbis, quaſi theatrum erigit, ut clarius appareat futura clades Jeroſolymæ. Sed quoniam de hac ratione loquendi alibi tractavimus, ego nunc leviter prætereo. Dicit ergo *fore vocem clamoris à porta piſcium*. Nominat hic tria loca Jeroſolymæ: deinde adjunget quartum. Sed quia non tenemus ſitum urbis, ſufficiat nobis probabilis conjectura, quod ſcilicet deſignet regiones inter ſe oppoſitas: quaſi diceret nullum angulum urbis fore quietum ubi Dominus bellum excitaverit. Statuamus igitur triangulum, & ſit porta piſcium ab una parte: ſit autem ſecunda porta, vel ſchola ab altera parte: occupet tertium locum regio quæ vicina erat collibus. Nam quod nonnulli per Colles intelligunt Palatia, mihi non probatur, neque etiam quadrat contextui. ſed potius tenendum eſt quod jam breviter attigi, Prophetam hic denunciare cladem ſingulis urbis partibus, ita ut fruſtra ſibi quærant Judæi refugia: quia ubi huc & illuc curſitaverint, deprehendent tamen omnia plena & clamore & ululatu. *Vox ergo clamoris erit à porta piſcium*. Cur vocet Portam piſcium non poſſumus pro certo aſſerere, niſi quod probabilis eſt illa conjectura, vel piſcinam aliquam fuiſſe vicinam, vel forum piſcatorium fuiſſe prope illam portam. Quantum attinet ad vocem משנה, major pars interpretum

exiſti-

exiſtimat notari locum ubi interpretabantur Legem & in ejus ſtudio Sacerdotes ſe exercebant: & locum adducunt ex vigeſimo ſecundo cap. 2. Regum, ubi videtur, quoniam ſit Sacerdotum mentio, nomen hoc ita accipi. Sed quia hic de portis agitur, & ſæpe משנה vocant Hebræi quicquid ordine ſecundum eſt, ſicuti in ædibus pars ſecunda vocatur משנה, ita etiam in urbibus & aliis locis: hoc ſenſu nunc accipere licebit pro ea porta, quæ dignitatis gradu & fama poſt primam excellebat. Sed quia ad rei ſummam parum intereſt, ego non laboro. Dicit tandem *fore contritionem magnam in collibus*. non dubito quin loquatur de parte urbis quæ fere montibus contigua erat. Quicquid ſit, Prophetæ conſilium eſt complecti hic totam urbem, ut excutiat omnem confidentiam Judæis, & oſtendat nullum illis fore effugium, ubi Dominus manum ſuam extulerit ad ulciſcenda eorum ſcelera. Jam ſequitur,

11. Ululare habitatores loci concavi: quia exterminatus eſt populus mercatorum, exciſi ſunt omnes onuſti pecunia.

Hic Propheta alloquitur mercatores, qui erant in medio ſinu urbis, & ideo putabant ſe longiores eſſe ab omni periculo & moleſtia. Quum ergo eſſent quaſi in ſuis latebris abſconditi, putabant ſibi non inſtare tam propinquum diſcrimen: atque ita ſecuritas magis eos excæcabat. Poſtquam de Regis palatio, & de Principibus, eorumque miniſtris loquutus eſt Sophonias, nunc ſermonem tempeſtive convertit ad mercatores. Vocat autem habitatores מכתש. כתש ſignificat Cavare: unde etiam locum quemlibet cavum vocant מכתש Hæbræi. ſicuti Solomon vocat murium מכתש propter cavitatem: ſic ex aliis Scripturæ locis colligimus מכתש nihil aliud ſignificare quam vel cavernam, vel locum demiſſiorem. Scimus autem ut plurimum vicos mercatorios eſſe in planitie. idque fert commoditas: quoniam tranſportandæ ſunt merces. Ergo Jeroſolymæ potuit magna eſſe frequentia mercatorum in parte urbis, quæ erat in loco magis cavo. nam qui putant proprium eſſe nomen, nihil afferunt vel rationis vel coloris. Deinde ſatis ex contextu liquet hic ſermonem haberi de mercatoribus: *quia exterminatus eſt*, inquit, *populus Cnaan*. כנען ſignificat Mercatorem. Alii putant Judæos hoc loco, ſicuti ſæpe alibi, vocari Cnaan, quod degeneres eſſent, & magis ſimiles Cananæis quam ſanctis Patribus, à quibus originem trahebant. Sed Propheta haud dubie hic de mercatoribus diſſerit: quia ſequitur ſtatim expoſitio, *Super omnem onuſtum pecunia*, inquit. Onuſtos autem pecunia dicit mercatores, quia non poſſunt ultro citroque inter ſe agere, quin multæ fiant ſolutiones, numerentur hinc inde pecuniæ: & quia etiam ut plurimum mercatores ad ſe quæſtuoſis artibus trahunt magnam partem opulentiæ mundi. Jam ergo tenemus quid velit Propheta: indicit ululatum mercatoribus, qui erant abſconditi in ſuis cavernis: quia tenebant partem illam urbis, quemadmodum jam dixi, quæ ſubjecta erat collibus. Et poſtea nomen ipſum כנען exprimit. Tandem loquitur de eorum opulentia, ut veriſimile eſt tunc fuiſſe locupletatos fraudibus & peſſimis artibus: deinde ut ſciant ſibi inutilem fore pecuniam: quia nihil præſidii reperient in ea, ubi Dominus manum ſuam ad vindictam exeret. Jam ſequitur,

12. Et erit in tempore illo, ſcrutabor Jeruſalem in lucernis, & viſitabo ſuper homines, qui congelati ſunt in fæcibus ſuis: & dicunt in cordibus ſuis, Neque benefaciet Jehova, neque malefaciet.

Hic in genere compellat Propheta Dei contemptores, qui in malitia ſua obduruerant. Sed priuſquam eos aperte nominet, dicit in genere viſitationem hanc talem fore ut Deus excutiat omnes forulos, ne quid ſcilicet maneat intactum. Nam viſitare in lucernis, vel ſcrutari in lucernis, eſt ita abſconditiſſimas quaſque partes vel latibula ſcrutari, ut nihil prorſus effugiat. Siquis velit urbem aliquam diripere, primo intrabit domos, & inde auferet quicquid obvium fuerit. Si autem exiſtimet opes fuiſſe reconditas, deſcendet in cellas abſconditas: deinde ſi nihil ſit lucis, accendet lucernam, & diligenter oculos ſuos huc & illuc circumferet, ut nequid prætereat. Hac ergo ſimilitudine intelligit Deus Jeroſolymam ſic eſſe ſpoliandam, ut nihil maneat prorſus reſiduum. *Scrutabor* ergo *in lucernis*. Deum quidem nihil latere ſcimus: ſed quemadmodum ſatis notum eſt, ſimilitudines mutuari cogitur à communi hominum uſu, quia non poſſet aliter ſatis exprimere quod cognitu nobis utile eſt. Perinde enim cum Deo agit mundus, atque homines ipſi alii cum aliis. nam putant ſua aſtutia poſſe illum falli: ideo ex oppoſito ſtultitiam hanc deridens, dicit ſibi fore lucernas quibus ſcrutetur quicquid eſt abſconditum. Jam quia occupaverat impietas totius fere populi animos, dicit, *Viſitabo ſuper homines, qui in fæcibus ſuis congelati ſunt*. Poſſet quidem hoc ſimpliciter intelligi de divitibus, qui dum ſibi blandiuntur in proſpera fortuna nihil metuunt: & ideo congelati ſunt in ſuis fæcibus: ſed paulo poſt oſtendit Sophonias ſe aliquid atrocius notare, quod ſcilicet *dicant, neque bona neque mala proficiſci à Deo*. Sed poſſunt hæc dum commode inter ſe conjungi, quod ſcilicet hic perſtringat ſecuritatem quæ ex opulentia naſcitur, & tamen ſimul Judæis nimium ſecuris exprobret craſſum contemptum Dei, de quo ſtatim videbimus. Et libenter hunc ordinem ſequor, quod ſcilicet Judæi inebriati rebus proſperis obduruerint: quemadmodum callum ſæpe contrahunt homines ex labore, ita etiam fæces contrahunt ex nimia quiete, ex abundantia rerum, ut prorſus ſtupidi ſint, neque tangantur ulla doctrina. Primo igitur dicit Propheta Deum fore ultorem hujus tam ſupinæ ſecuritatis, ubi homines non tantum indormiunt rebus proſperis, ſed etiam coagulati ſunt in ſtupore ſuo, ut careant fere omni ſenſu & intelligentia. Siquis denſam maſſam alloquatur, nihil proficiet: ſic etiam comparat Propheta ſecuros homines denſæ maſſæ & congelatæ: quia ſtupor ita compreſſit omnes eorum ſenſus, ut jam neque poſſint allici Dei bonitate, neque ullum etiam terrorem concipiant ex minis. Iden Congelatin nihil aliud eſt quam durities, vel contumacia, quæ contrahitur ex lautitiis, præſertim ubi mentes hominum fere obſtupeſcunt. Per *fæces* autem intelligit lautitias, quæ ita dementant omnes ſenſus hominum, ut jam nihil liquidum ſit vel ſincerum. Poſtea adjungit *eos dicere in cordibus ſuis*. Hic exprimit quid ſecum afferat ſecuritas quam damnavit, nempe quod ſine metu profani homines illudunt Deo. Quid ſit In corde loqui, ex pluribus Scripturæ locis patet, nempe ſecum intus ita ſtatuere. Nam impii etiamſi palam non promulgent quod habent in animo, tamen ſecum ratiocinantur, & conſtituunt vel non eſſe Deum, vel otioſum
in cœlo quieſcere: Dixit impius in corde ſuo, Non *Pſal.* 14.
eſt Deus. Quid eſt in corde dicere? quamvis ſci- *verſ.* 1.
licet pudor vel metus abſterreat homines, ne palam impietatem ſuam detegant: interea fovent iſtas cogitationes in corde, & præbent aſſenſum. Jam hic deſcribitur impietatis cumulus à Propheta,

quum

quum dicit homines deliciis ebrios ſpoliare Deum judicis officio, ut neque bene faciat, neque male. Eſt autem probabile tunc multos fuiſſe Jeroſolymæ, & in tota Judæa, qui ita contumaciter ſpernebant Dei judicium. ſed præcipue ſtylum Sophonias adverſus optimates ſtringit: quia tales præ aliis gigantum inſtar Deum ſubſannant, & quaſi deſpiciunt è ſublimi judicia ipſius. Eſt quidem in ipſo vulgo multum ſocordiæ: ſed plus amentiæ eſt in ſuperbia procerum, qui confiſi ſua potentia non putant ſe obnoxios eſſe Dei imperio. Cæterum, quod nuper dixi memoria tenendum eſt, deſcribi à Propheta quaſi inſanabile vitium, ubi Judæos accuſat quod non exiſtiment Deum vel boni vel mali eſſe auctorem. Deus enim hoc modo è ſuo gradu dejicitur: quia niſi agnoſcitur Judex mundi, qualis erit ejus divinitas? Neque enim majeſtas Dei, vel imperium, vel gloria conſiſtit in aliquo imaginario fulgore: ſed in officiis, quæ ſic in ipſum proprie competunt, ut non poſſint ab ejus eſſentia avelli. Proprium Dei eſt mundum regere, proprium ejus eſt curam gerere humani generis, deinde diſcernere inter bonum & malum, miſeris opem ferre, ulciſci omnia ſcelera, compeſcere injuſtam violentiam. Hæc ſiquis à Deo auferre velit, relinquet duntaxat idolum. Quoniam ergo gloria Dei in juſtitia, ſapientia, judicio, potentia & aliis virtutibus conſiſtit, quicunque negant Deum eſſe mundi Judicem, extinguunt prorſus ejus gloriam, quantum in ſe eſt. Ita etiam profani ſcriptores Epicuro exprobrant, quod quum negare prorſus non auderet eſſe aliquem Deum, ſicuti Diagoras & ſimiles, confeſſus fuerit deos eſſe: ſed incluſerit ipſos in cœlo, ut illic fruantur otio & deliciis. hoc vero eſt imaginari Deum, qui Deus non eſt. Itaque mirum non eſt quod Propheta tam ſevere damnet ſocordiam hanc in Judæis, quod non putent bona vel mala proficiſci à Deo. Sed fuit etiam major ratio cur Deus tantopere excandeſceret contra hunc ſtuporem. Unde enim opinio hæc, vel delirium hominibus, ut negent Deum bene vel male facere, niſi quia conantur procul arcere Deum, ne ſint obnoxii ejus judicio? Qui ergo volunt extinguere ſenſum & diſcrimen boni & mali in ſuis conſcientiis, illi ſibi fabricant iſta deliria, Deum non curare res humanas, contentum eſſe ſua felicitate cœleſti, neque deſcendere uſque ad nos, & fortuito tam res adverſas quam proſperas contingere hominibus. Videmus ergo ut homines ſponte vel de induſtria ſibi acceerſant hanc imaginationem, bona & mala non provenire à Deo, ut obſtupefaciant ſuas conſcientias, atque ita majore licentia ſeſe præcipitent ad peccandum, acſi impune quidvis liceret, quaſi nullus eſſet judex coram quo reddenda ſit ratio. Atque ideo dixi hunc eſſe ſummum impietatis cumulum, ubi ſcilicet ſeſe confirmant homines in hoc errore, Deum quieſcere in cœlo: quicquid autem miſeriarum in hoc mundo ſuſtinent, hoc contingere à fortuna: quicquid etiam boni adipiſci poſſunt, hoc vel ſuæ induſtriæ vel fortunæ aſcribendum eſſe. Et ideo Propheta hoc loco breviter demonſtrat prorſus deſperatos eſſe Judæos, ne quis miretur Deum tam durum fore ultorem contra eos, qui tamen domeſtici erant, & quos adoptaverat ex toto orbe. Segregaverat enim Abrahæ genus quaſi electum & ſacrum, quemadmodum ſatis notum eſt. Poterat videri Dei vindicta adverſus Abrahæ filios vel crudelis, vel nimis rigida, niſi hoc fuiſſet diſerte expreſſum, nempe eo progreſſos eſſe impietatis, ut vellent excludere Deum à regimine mundi, & illum arcere à proprio officio, ut pœnas de ſceleribus non exigeret, ut non tueretur ſuos, eriperet ab omnibus incommodis, ſublevaret eorum miſerias. Quum ergo ita Deum cœlo includerent, & darent imperium fortunæ in terra, hic fuit intolerabilis ſtupor, imo plane diabolicus. Ita non mirum eſt ſi Deus tam ſevere contra eos excanduerit, & ultimam manum appoſuerit ad ulciſcenda eorum ſcelera, quum jam inſanabilis eſſet morbus.

Da omnipotens Deus, quando hodie totus fere mundus prorupit eo luxuriæ, ut nullus modus, nulla ratio: ut tamen diſcamus nos continere non tantum in ea mediocritate, quam nobis commendas & præcipis, ſed etiam in noſtra tenuitate nobis placere & gloriari: quoniam & opes mundi & honores & deliciæ ita faſcinant omnium animos & ſenſus, ut ſeſe attollant in cœlum, & bellum quaſi ex profeſſo tecum gerant. Deinde, da etiam nobis ut in hac noſtra tenuitate ita humiliemur ſub potenti manu tua, ne dubitemus te fore noſtrum liberatorem etiam in maximis miſeriis: & tibi tribuentes arbitrium & vitæ & mortis, certo perſuaſi ſimus quicquid afflictionum nobis contingit hoc provenire ex juſto tuo judicio: ut ita erudiamur ad pœnitentiam, & quotidie nos in ejus meditatione exerceamus, donec tandem perveniamus ad beatam illam quietem, quæ nobis repoſita eſt in cœlo per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO QUARTA

IN

SOPHONIAM PROPHETAM.

CAP. I.

13. Et erit ſubſtantia eorum in direptionem, & domus eorum in vaſtitatem: & ædificabunt domos, neque habitabunt: & plantabunt vineas, neque bibent vinum earum.

PRoſequitur eandem ſententiam Sophonias, quod ſcilicet Deus poſt longam tolerantiam pœnas ſumpturus ſit de populo rebelli & obſtinato. Dicit igitur jam eſſe traditos in manum hoſtium, idque divinitus. Sciebant enim ſibi multos eſſe infeſtos: ſed non conſiderabant Dei judicium.
Jeſai. 9. verſ. 13. quemadmodum etiam Deus ipſe alibi conqueritur, quod non reſpicerent manum percutientis. Propheta igitur noſter jam devotos eſſe exitio pronunciat, & hoſtibus nihil fore negotii vel difficultatis ubi terram invaſerint: quia ſcilicet patebunt omnia in direptionem. Et recitat etiam quod habetur in Lege, 26. cap. Levitici: ſicuti Prophetæ ſunt Legis interpretes: & inter Moſen & eos hoc tantum intereſt, quod generalem doctrinam accommodant ſuo tempori. Eandem rationem nunc tenet Propheta: quaſi diceret Deum non fruſtra vel de nihilo hoc minatum eſſe in Lege: quia ſentient atque experientur Judæi ſibi hoc eſſe efficaciter & ſerio dictum de agrorum fructu, & domorum habitationibus, omnibuſque vitæ commodis alio transferendis. Jam ſequitur.

14. Propinquus dies Jehovæ magnus, propinquus & feſtinans valde: vox diei Jehovæ amara (*ut alii vertunt*) vociferabitur illic fortis. (*vel amarum aut amare illic vociferabitur fortis. Alii ſecus diſtinguunt, Vox diei Jehovæ amara vociferabitur, aut amare: poſtea, illic fortis.*)

Hoc verſu clarius exprimit Propheta quod paulo ante dixi, nempe Deum fore auctorem omnium cladium, quæ Judæis accident: quia dum obſtupeſcunt homines in ſuis malis, magis ac magis in ſe provocant iram Dei. Hæc igitur non vulgaris prudentia eſt, conſiderare Dei manum, ubi nos percutit vel caſtigat. Hæc ratio eſt cur Propheta hic revocet Judæos ad Deum, ne ſcilicet defigant ſenſus ſuos in homines, quemadmodum fieri ſolet. Quanquam ſimul etiam torporem illis excutit quum pronunciat diem hunc fore terribilem, deinde jam eſſe propinquum. Scimus enim hypocritas Deo illudere, niſi ſentiant gravitatem iræ ejus, & interea extrahere tempus, & ſibi promittere tam longas inducias, ut nunquam expergeſiant ad pœnitentiam. Ideo Propheta primo loco oſtendit, quicquid malorum tunc impendebat Judæis, non eſſe ab hominibus duntaxat, ſed præcipue à Deo. Hoc unum eſt. Deinde, ut penitus afficiat ſtupidos animos, dicit hunc *diem fore terribilem*. Poſtremo, ne ſe blanditiis fallant, quaſi adhuc procul abeſſet vindicta, ſimul aſſerit *diem hunc jam inſtare*. Hæc tria nobis notanda ſunt, ut teneamus Prophetæ conſilium. ſed initio verſus dicit diem Jehovæ magnum inſtare. His tribus verbis tria illa quæ nuper attigi, complectitur. Diem Jehovæ nominando ſignificat debere adſcribi judicio ejus quicquid Judæi patientur malorum. Quum autem diem magnum vocat, terrorem vult incutere. Tertio dicit eſſe propinquum. ergo videmus comprehendi tres ſententias in iſtis tribus verbis. Sed Propheta deinde plenius explicat quod poterat obſcurum eſſe propter brevitatem ſermonis. *Propinquus*, inquit, *eſt dies hic, & valde feſtinans*. Scimus ut ſoleant homines tempus extrahendo fovere ſua peccata. nam etſi non poſſunt effugere omnem ſenſum pietatis, vel excutere: tamen fingunt longam eſſe diſtantiam inter ſe & Deum, & hac imaginatione ſeſe demulcent. ideo Propheta *diem hunc propinquum eſſe* affirmat: & quia vix credibile erat inſtare cladem, de qua loquitur, adjungit *diem hunc properare celeriter*: quaſi diceret non debere æſtimari ex præſenti rerum ſtatu quid facturus ſit Deus, quia momento pertranſit ejus ira ab Oriente uſque ad Occaſum ſicut fulgur. Homines indigent longa præparatione, ubi ſeſe volunt ulciſci: ſed Deus non opus habet multo apparatu, quia ſufficit illi ſua virtus ad omnes reprobos perdendos. Nunc ergo videmus cur hoc additum fuerit à Propheta, Diem hunc celeriter feſtinare. Jam repetit *hunc diem eſſe Jehovæ, & vocem ejus amare vociferari*. Recitavi tres ſententias interpretum. Quidam enim ſic vertunt, Dies Domini amara illic vociferabitur fortis. Senſus ille tolerabilis eſt, & poteſt etiam ex eo elici utilis doctrina: quaſi dixiſſet Propheta nullam fortitudinem poſſe hominibus opem ferre, vel eſſe ſubſidio, contra vindictam Dei. Alii vertunt diem illam amare eſſe vociferaturam, quia illic erit fortis, hoc eſt, robur hoſtium franget quicquid fuerat animoſitatis in Judæis. Senſus ille ſecundus videtur coactus eſſe. Ego libentius amplector tertium, quod ſcilicet vox diei Jehovæ amare vociferabitur. Vocem autem intelligit eorum qui ſero agnoſcent Deum judicem, quem prius contempſerant: quia tunc Deus virtutem ſuam exeret, quæ prius fuerat contemptui, donec experimento eam Judæi ſentirent. Quantum ad Prophetæ conſilium ſpectat, nulla eſt ambiguitas. Vult enim hic excitare à ſua ſocordia Judæos, qui ſeſe obſtinaverant contra omnes minas, ita ut nulla eſſet auctoritas Prophetis ad ipſos coarguendos. Quum ergo ita obduruiſſent adverſus omnem doctrinam, & ſanctas admonitiones, Propheta hic dicit aliam fore vocem diei Dei. nam vox Dei perſonabat in ore Prophetarum: ſed apud ſurdos nullus erat profectus. Jam hic indicitur horribilis mutatio, quia ſcilicet tunc vociferabuntur Judæi, vel rugitus vocis divinæ eos percellet, quum reipſa oſtendet ſe vindicem eſſe ſcelerum. Ubi ergo tribunal conſcenderit, tunc vos clamabitis. Nunc fruſtra apud vos clamant ejus nuncii: nam aures veſtras obturatis. clamabitis viciſſim, ſed fruſtra. Cæterum ſi quis malit uno contextu legere, Vox diei Jehovæ illic fortis amare clamabit, perinde eſt quantum ad rei ſummam ſpectat: ideo de verborum contextu nolim contendere, modo teneamus quod jam dixi, Sophoniam hic opponere clamorem afflicti populi vocibus Prophetarum, quæ ſpernebantur, imo quæ ut plurimum habebantur ludibrio, quemadmodum ſatis notum eſt ex aliis locis. Quicquid ſit, oblique perſtringit eorum confidentiam, quum de fortibus loquitur: quaſi diceret in ſuum exitium robuſtos eſſe, dum ita ſe Deo & ejus ſervis opponunt, quia fortitudo illa concidet tandem, imo ſeipſam propria mole franget, ubi Deus ad judicium ſurrexerit. Sequitur,

15. Dies excandeſcentiæ, dies ille, dies anguſtiæ & afflictionis, dies tumultus & vaſtationis, dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & nebulæ.

16. Dies tubæ & clangoris ſuper urbes munitas, & ſuper arces excelſas.

Hic oſtendit Propheta quam ſtulti ſint qui extenuant vindictam Dei, quemadmodum ſolent hypocritæ, vel profani homines. Accuſat igitur Judæos amentiæ, quod putent ſibi facilem fore reconciliationis viam, ubi ſua obſtinatione ſic Deum provocaverint, ut deſcendat contra eos quaſi armatus hoſtis. nam impii etiamſi nihil ſibi promittunt de gratia Dei, tamen concipiunt vanas imaginationes acſi poſſet nullo negotio placari: non putant ſibi fore exorabilem, & interea derident tamen ejus vindictam. Contra ejuſmodi ſocordiam nunc Propheta noſter invehitur. Diximus autem aliis locis, has omnes loquendi figuras non ſpectare in alium finem, niſi ut cogantur homines concipere aliquid timoris, quia ſponte ſe deludunt. Negotium autem Prophetis fuit partim cum profanis Dei contemptoribus, partim cum larvatis ejus cultoribus, quibus hypocriſis erat ſanctitas. Hæc igitur ratio eſt, cur dicat *diem hunc diem fore excandeſcentiæ*, deinde *anguſtiæ & afflictionis, tumultus & vaſtationis, tenebrarum & caliginis, nubis & nebulæ*. In ſumma, vult Judæis auferre fiduciam qua ſibi blandiebantur: fiduciam dico quam conceperant ex contemptu Dei. Caro enim ſecura eſt, dum latebras captat, ut procul ſe abducat à conſpectu Dei. non poteſt vera fiducia modum excedere, nempe, quæ fundata eſt in Dei verbo. hoc enim modo ad ipſum accedunt homines: ſed caro non aliam quietem optat, niſi in oblivione Dei. Et vidimus jam apud Prophetam Amos, cur pingatur *Amos 5. verſ. 18.*
dies Domini tam horrificus. nempe, ut jam dixi, certamen erat cum hypocritis, qui abutebantur Dei nomine, & interea torpebant in craſſo ſtupore:

ideo

ideo dicebat Amos, Dies ille non lucis, ſed tenebrarum; dies ille non lætitiæ, ſed mœroris. Ut quid ergo cupida expectatis diem Domini? Judæi enim quia jactabant ſe electos eſſe à Deo, confiſi nudo illo & fallaci titulo adoptionis, putabant ſibi quidvis licere, quaſi Deus imperio ſuo renunciaſſet. Et ita ſemper blandiuntur ſibi hypocritæ, acſi Deum obſtrictum tenerent. Non exprimit illa antitheta Propheta noſter, quæ vidimus apud Amos: tamen idem eſt verborum ſenſus, quod ſcilicet ubi Deus tribunal conſcenderit, jam nulla futura ſit ſpes veniæ. Simul etiam præcidit illis omnes inanes fiducias: quoniam hypocritæ etiamſi eos Deus conſtringat, tamen circumſpiciunt huc & illuc, ante & retro, ad dextram & ſiniſtram. Propheta igitur ſignificat ubique fore tenebras & caliginem, nubes & nebulas, afflictionem & anguſtiam. Quare? quia ſcilicet erit dies excandeſcentiæ, hoc eſt, tunc Deus poſtquam diuturna patientia uſus fuerit erga Judæos, & eos pertinaciter abuti viderit, tandem exeret ſuam potentiam. Jam ne opponant Deo ſua ſubſidia, dicit bellum *indicti urbibus munitis, & arcibus excelſis.* Videmus ergo ut ſpoliet Judæos omni auxilio, quo intelligant ſibi pereundum eſſe, niſi reſipiſcant, atque ita redeant cum Deo ipſo in gratiam. *Dies ergo hic erit tubæ & clangoris.* Quomodo? *ſupra omnes urbes munitas*, inquit: nam Judæi, ut fieri ſolet, comparabant vires hoſtium cum ſuis. non erat illis propoſitum egredi extra ſuos fines: ſed putabant ſe fore pares ad reſiſtendum, & ſatis munitos, ſiquis extraneus hoſtis ipſos invaderet. Propheta hanc imaginationem deridet, quia ſcilicet Deus bellum indixerit urbibus munitis. Sequitur,

17. Et coarctabo hominem, (*vel homines*) & ambulabunt tanquam cæci, quia contra Jehovam impie egerunt: & fundetur ſanguis eorum quaſi pulvis: & caro eorum erit tanquam ſtercora.

Confirmat quod prius dixi, nempe etiamſi Judæos alii hoſtes aggrediantur, vel Aſſyrii, vel Chaldæi, Deum tamen fore præcipuum belli ducem. Deus ergo hic ſibi vindicat quod Judæi transferebant in hoſtes terrenos: & ideo jam ſæpius Propheta vocavit Diem Jehovæ, quia Deus tunc patefacturus erat ſuam virtutem, quæ habita fuerat ludibrio. Pronunciat igitur etiam hoc loco, *ſe redacturum in anguſtias hominem, ita ut tota gens ambulet inſtar cæcorum*; hoc eſt, ut deſtituti conſilio, impingant & labantur, nullam viam teneant. Dicuntur enim errare quaſi cæci, quibus non apparet exitus malorum, qui nihil conſilii reperiunt ad effugiendas clades, ſed tenentur quaſi conſtricti. & ſemper tenendum memoria eſt quod nuper dixi, Judæos fuiſſe inflatos tali ſuperbia, ut contemnerent ſecure omnes Prophetas. Quum ergo ita ſibi ſaperent, Deus cæcitatem illis denunciat. Rationem adjungit, *quod impie ſe geſſerint contra Jehovam.* His verbis confirmat quod prius expoſui, nempe non conſiderandas eſſe medias cauſas, dum Chaldæi vindictam ſument de Judæis: quia altius principium eſt, & cauſa alia hujus mali, nempe Dei & cœleſtis doctrinæ contemptus. Quoniam ergo impie egerunt contra Deum. Et his verbis admonet Propheta nullam Judæis levationem ſperandam eſſe: quoniam non homines tantum ſibi infeſtos habeant, ſed Deum ipſum, quem nimis provocarunt. Ideo ſubjicit, *fundetur ſanguis eorum quaſi pulvis*, hoc eſt, digni ſunt quos Deus tradat in extremam ignominiam, quia fuit ab illis contemptus. *Caro eorum erit quaſi ſtercora*, inquit. Scimus autem quantopere gloriati fuerint Judæi ſua excellentia. Et Deus certe materiam illis præbuerat gloriandi, ſi moderate & legitime uſi fuiſſent ejus beneficiis: ſed quia eum contempſerant, oportuit viciſſim exponi in omnem ignominiam & dedecus. Ergo Propheta hic proſternit falſas omnes jactantias, quibus inflati erant Judæi: quia volebant eſſe honorabiles, quum Deus fuiſſet apud illos contemptibilis. Tandem adjungit,

18. Etiam argentum eorum, etiam aurum eorum nihil proficiet ad liberandos ipſos in die excandeſcentiæ Jehovæ: & in igne indignationis ejus devorabitur eis terra: quia conſumptionem, & quidem definitam, (*vel horribilem, vel celerem*) faciet cum omnibus incolis terræ.

Repetit quod jam dixerat, nempe vana fore omnia ſubſidia, quæ Judæi ſperabant ſibi fore in promptu ad prohibendam Dei vindictam. Quamvis enim non audeant palam homines Deum repellere, tamen per flexuoſos circuitus ſemper ſperant fore ſibi aliquam rationem, qua declinent judicium ejus. Ergo quoniam Judæi ſua opulentia confiſi, ſicuti urbibus munitis, ſuperbiebant contra Deum, Propheta hic negat *aurum vel argentum fore illis ſubſidio.* Accumulent, inquit, ſuas opes: etiamſi ex congerie auri & argenti conficiant ſibi altos montes, non poterunt tamen arcere manum Dei, neque poterunt ſe liberare. Quare? iterum etiam repetit *diem hunc fore excandeſcentiæ Dei.* ſcimus enim hoſtes ſæviſſimos interdum placari pretio: quia avaritia mitigat eorum crudelitatem. Sed Propheta hic prædicit, quoniam Deus in bello illo dominabitur, non fore locum redemptioni: ac ideo inutile fore argentum: quia Deus non poterit his modis reduci in gratiam, donec ipſi reſipuerint, & humiliati fuerint coram ipſo. Ideo ſubjungit *terram abſumendam eſſe igne æmulationis Dei*, vel indignationis. Comparat autem iram Dei incendio: quia illic non eſt locus pactionibus, ubi graſſatur ignis: ſed quo plus eſt materiæ, eo etiam plura ſunt fomenta ad ignem inflammandum. Sic ergo Propheta excludit ab omni ſpe ſalutis Judæos, niſi ſe reconcilient Deo per veram & ſinceram pœnitentiam. *Quia*, inquit, *conſumptionem faciet cum omnibus incolis terræ, & quidem celerrimam*, vel expeditam. Denique ſignificat, quoniam obduruerant Judæi ad omnem doctrinam, ſenſuros talem Dei vindictam, quæ ipſos prorſus abſumat, quia noluerint eam prævenire, ſed potius ſua ſuperbia, deinde ſtupore, vel extenuaverint ipſam, vel etiam deriſerint. Jam ſequitur,

CAPUT II.

COlligite vos, & colligite, gens non amabilis.

2. Antequam pariat decretum, ſicut ſtipula tranſibit die, antequam veniat ſuper vos furor iræ Jehovæ, antequam veniat ſuper vos dies iræ Jehovæ.

POſtquam concionatus eſt Propheta de ira Dei & oſtendit quam terribilis futura ſit, deinde adjunxit eam prope inſtare, nunc Judæos hortatur ad pœnitentiam, & ita mitigat ſuperioris doctrinæ acerbitatem, ſi modo flexibiles reperiat animos. Et hinc colligimus Deum contra homines verbo fulminare, ut manus ſuas ab illis abſtineat. Quo igitur aſperior eſt Deus, dum objurgat

nos

nos & producit in medium peccata noſtra, & iram ſuam nobis proponit, eo clarius teſtatur quantopere pretioſa ſit ei & chara ſalus noſtra. nam dum videt nos tuere quaſi præcipites ad interitum, revocat minis & objurgationibus. Ergo quoties vehementius nos verbo ſuo Deus accuſat, ſciamus fore exorabilem, ſi vera reſipiſcentia tacti confugiamus ad ejus miſericordiam. nam hic etiam omnium reprehenſionum & minarum eſt finis. Sequitur ergo tempeſtiva exhortatio, poſtquam diſſeruit Propheta de gravitate vindictæ Dei: *Colligite vos, colligite*, inquit, *gens non amabilis*. Alii vertunt, Diſquirite intra vos, diſquirite: & variant interpretes in radice verbi: quia alii à קשש, alii à קש deducunt: niſi quod potius alii derivant verbum ea nomine קש, quod ſignificat Paleam. ſed quicquid ſit, ego exiſtimo hunc eſſe genuinum Prophetæ ſenſum, Colligite vos, colligite: primum ratio Grammaticæ hoc poſtulat: & qui vertunt, Diſquirite vos, non video cur declinent à ſignificatione communi & recepta, niſi quia putarunt non quadrare contextui Congregandi verbum: atqui optime quadrat. Alii etiam ſubtilius vertunt, Colligite paleas, colligite paleas, quaſi rideret Propheta ventoſam confidentiam ſui populi. ſed quemadmodum jam attigi, non dubito quin hic remedium oſtendat, quo antevertat judicium Dei, quod nuper illis minatus eſt. Comparat autem eos paleis, quemadmodum ſequitur proximo verſu. ſed oſtendit adhuc illis tempus dari pœnitentiæ, ut ſeipſos colligant ne diſſipeotur: quaſi diceret, Inſtat dies veſtræ diſſipationis: tunc evaneſcetis veluti quiſquiliæ. neque enim ſtabitis ad flatum iræ Dei. Jam vero dum adhuc retinet ſeipſum Deus, vel non exerit manum ſuam ad vos perdendos, colligite vos, ne ſitis ſimiles paleis. Duæ igitur ſunt partes hujus ſententiæ: prior eſt, ſi pergant Judæi abuti ſuo more Dei tolerantia, fore ſimiles paleis, quia momento eos diſperget vindicta Dei. ſed interea admonet Propheta adhuc illis dari opportunum reſipiſcendi tempus: quia ſi ſeipſos ultro colligant, Deus illis parcet. *Antequam* ergo *veniat dies iræ Domini, colligite vos ipſos*, inquit. Ratio autem collectionis eſt, ubi non evaneſcunt homines in ſuis ſtultis confidentiis, vel non luxuriant in ſuis cupiditatibus. quantiſper enim homines vel laxant ſibi frenum ad licentiam peccandi, & ita vagantur in pravis ſuis cupiditatibus, vel hinc inde accerſunt ſibi vanas fiducias, ſeipſos exponunt diſſipationi. Hortatur ergo eos Propheta, ut in ſeipſos deſcendant, ut ſe colligant, & quaſi contrahant, ne ſimiles ſint paleis. Colligite ergo vos, & colligite, gens non amabilis. Alii active accipiunt participium נכסף, quaſi diceret Propheta Judæos carere omni affectu, & quaſi obduruiſſe ad immanem ſocordiam. ſed neſcio an hoc ferat Grammatica. Sequor igitur quod magis receptum eſt. Gens non amabilis vocatur, quæ indigna erat miſericordia. & Deus hoc modo amplificat atque illuſtrat gratiam ſuam, quod adhuc ſollicitus ſit de eorum ſalute, qui ſe ultro perdiderant, & abdicaverant ab ejus gratia. Tametſi ergo Judæi ſua pravitate ita ſe alienaverant à Deo, ut nulla eſſet ratio cur ſalvos retinere vellet: tamen non deſiit eos ad ſe revocare. Hoc igitur inſigne documentum eſt gratiæ Dei quaſi infatigabilis, ubi gentem merito exoſam dilectione ſua proſequitur, dum ſcilicet curat ejus ſalutem. Jam adjungit, *priuſquam pariat decretum*. Hic Propheta auctoritatem ſibi & aliis Dei ſervis aſſerit, quia putabant Judæi minas omnes eſſe evanidas: quemadmodum hodie magna pars hominum ſubſannat quicquid eſt doctrinæ, perinde ac ſi eſſet inanis ſonitus. Ideo Propheta hic attribuit partum doctrinæ. verum quidem eſt, latius patere nomen Decreti: ſed Propheta non loquitur de occulto Dei conſilio. Decretum igitur vocat, quod jam promulgaverat Deus per ſuos ſervos. ac ſumma eſt, non verberari aërem ubi Deus vindictam peccatoribus denunciat per ſuos Prophetas, ſed ſtabile eſſe ac firmum ejus decretum, quod tandem effectu ſuo non carebit. Eſt autem valde appoſita ſimilitudo partus, quia ſicuti fœtus in utero latet, deinde ſuo tempore emergit in lucem menſe decimo: ita quamvis ad tempus occultet Deus ſuam vindictam, proferet tamen eam tempore opportuno, ubi ſcilicet viderit jam deſperatam eſſe hominum malitiam. Nunc tenemus cur Propheta dicat inſtare tempus, quo decretum pariet. Tunc, inquit, *tranſibit ſtipula dies*. Alii vertunt, Antequam veniat dies, quo tranſibit ſtipula vel quiſquiliæ. ſed יום accipio aliter, quod ſcilicet cito peribunt Judæi quaſi quiſquiliæ: quemadmodum etiam ſimilis loquutio annotata fuit, nempe apud Hoſeam. Dicit ergo *perituros die Judæos*, hoc eſt, exiguo tempore & quaſi momento: qui tamen putabant ſe non poſſe niſi longo tempore expugnari. *Tranſibit*, inquit, *quaſi ſtipula*. Ergo *antequam veniat dies ille, dies iræ Jehovæ*, jam colligite vos ipſos priore loco dicit antequam veniat ſuper vos furor iræ, deinde dies iræ. Idem bis repetit, ſed verbis nonnihil mutatis: quia ſecundo membro pro furore iræ ponit diem iræ: quaſi diceret eos longe falli, ſi exiſtiment ſe elapſos eſſe, quoniam Dominus vindictam ſuam differt. Quare? neque enim dies ille qui inſtat, adhuc apparuit, ſed veniet tandem: quemadmodum ſiquis tenebris noctis confiſus, exiſtimet ſe tutum eſſe, quia non poterit deprehendi, falletur. Subito enim exorietur ſol, qui deteget ac proferet ipſum ex ſuis latebris. Ita etiam Propheta ſignificat, quamvis quieſcat nunc Deus, tamen nihil inde lucri accedere Judæis, quia ſuas opportunitates novit. Quamvis ergo ad tempus cohibeat iram ſuam, proferet tamen eam ſubito, ubi ſcilicet dies advenerit, & maturuerit hominum iniquitas.

Da omnipotens Deus, quando non deſinimus tot modis aſſidue iram tuam provocare, ut tandem expergefiamus clangore ejus tubæ, quæ auribus noſtris inſonat, ubi denuncias te fore mundi judicem, & hoc etiam nobis tam manifeſte teſtatus es in Euangelio: ut ergo tandem erectis ad te mentibus diſcamus renunciare pravis mundi cupiditatibus, & excuſſo torpore, ſic properemus ad pœnitentiam, ut præveniamus tuum judicium, & ſic ſentiamus te nobis reconciliatum eſſe, ut fruamur bonitate tua ac ſemper contineamur ejus guſtu, quo poſſimus omnibus illecebris ac deliciis hujus mundi renunciare, donec tandem perveniamus ad beatam illam quietem, ubi ſatiabimur inæſtimabili lætitia, quam nobis pollicitus es, & quam expectamus in Chriſto Domino noſtro, Amen.

PRÆLECTIO QUINTA
IN
SOPHONIAM PROPHETAM.

CAP. II.

3. Quærite Jehovam omnes manſueti terræ, qui judicium ejus fecerunt: (*pro feciſtis*) quærite juſtitiam, quærite manſuetudinem, ſi forte abſcondamini in die iræ Jehovæ.

HIc ſermonem Propheta ad exiguum numerum convertit, quia videbat ſe nihil proficere apud vulgus promiſcuum. Quamvis enim toti populo communis eſſet doctrina, pauci erant qui attenderent. ideo potuit animum dejicere, niſi ſtatuiſſet aliquod tamen ſemen manere in populo, & non fruſtra ſibi injunctas fuiſſe docendi & exhortandi partes à Deo. Cæterum, ſimul oſtendit majorem numerum prorſus devotum eſſe exitio. Nunc videmus cur Propheta ſpecialiter compellet *manſuetos terræ*: quia pauci ſubierant jugum, etiamſi multis jam calamitatibus fracti eſſent. Et hinc apparet non eſſe æqualem profectum correctionis apud omnes, quia bonos & malos Deus caſtigaverat, hoc eſt, totum populum: à minimo denique uſque ad maximum omnes multis cladibus fuerunt proſtrati: manebat tamen eadem ſemper ferocia: quemadmodum Deus 5. Jeſaiæ cap. conqueritur ſe operam perdere, dum pœnas exigit de præfracta illa gente. Cæterum hinc docemur, etiamſi putent verbi miniſtri ſe fruſtra operam conſumere, quia ſurdis canunt fabulam, ut dicitur in proverbio, non debere tamen deficere à curſu ſuæ vocationis: quoniam ſemper aliqui ſunt, qui reipſa poſt longum tempus oſtendunt ſe fuiſſe divinitus & mirabiliter ſervatos, ne cum aliis perirent. ſed hoc præcipue ſpectat Propheta, non debere fideles reſpicere quid agat multitudo, vel quomodo ſe gerat: ſed ubi Deus ad reſipiſcentiam ipſos invitat, & ſpem veniæ proponit, celeriter debere ad ipſum accurrere, ne cum aliis pereant. Et hoc notatu dignum eſt, quia ubi vocem ſuam attollit Deus, alii alios obdurant, & ita ultro citroque ſeſe homines impellunt ad exitium: ſic fit ut careat ſucceſſu omnis doctrina. Propheta igitur remedium adhibet, oſtendens perperam fieri, ubi alii alios mutuo reſpiciunt: quia hoc modo ſeſe accendunt ad majorem rebellionem: ſed ſi qui ſint manſueti, eos debere eſſe flexibiles, ubi Dominus manum illis porrigit, & oſtendit ſe propitium fore ſi modo in viam redeant. Vocat Manſuetos terræ, qui profecerant in ferulis Dei. nam ענוים vocant Hebræi Afflictos, ab ענה, quod eſt Affligere & humiliare. Sed quoniam ut plurimum non domantur homines niſi virgis, ideo ענוים metaphorice vocant Manſuetos, qui ſcilicet ſubacti ſunt: quoniam luxuriant homines in ſuis deliciis: & opulentia fere gignit ferociam. Rebus autem adverſis diſcunt manſueſcere. Manſuetos igitur terræ vocat Propheta noſter, qui erant morigeri Deo, poſtquam eos caſtigaverat. Scimus enim, quamvis percutiat Deus reprobos, manere tamen cervice obſtipa, & collo ferreo, & fronte ænea. ſed fideles cicurantur, quemadmodum Jeremias etiam fatetur de ſe ipſo: dicit enim ſe fuiſſe quaſi vitulum indomitum priuſquam caſtigatus eſſet Dei virgis. Sic Propheta ſermonem dirigit ad paucos homines, qui ſenſerant adverſam Dei manum, & ita humiliati fuerant. Jubet *eos Deum quærere*: & tamen dicit *ipſos feciſſe judicium ejus*. Videntur hæc duo membra inter ſe contraria. nam ſi prius alienati fuiſſent à Deo, merito juberet Propheta ipſos redire in viam: ſed quia addicti fuerant pietati, & vitam ſuam ad ſinceram integritatem compoſuerant, videtur parum tempeſtive Propheta eos hortari ut quærant Deum. ſed ſententia hæc notatu digna eſt, quia hinc colligimus, etiam optimos quoſque ferulis Dei ſollicitari ad colendam pietatem majore ſtudii ardore, quam prius fecerant. Quamvis ergo nobis propoſitum ſit Deum colere, & ſequi ejus verbum: tamen ubi ſurgunt calamitates, quia apparet Deus judex, ſimul etiam nos exſtimulat ad majorem curam & ſollicitudinem. neque enim unquam eveniet, ut quiſpiam ſatisfaciat ſuo officio. Meminerimus ergo nos divinitus excitari quoties res adverſæ impendent, & ubi Deus ipſe iratum ſe manifeſtis ſignis oſtendit. Hæc ratio eſt cur Propheta jubeat pios juſtitiæ cultores Deum quærere, utcunque prius dediti fuiſſent rectitudini. Fuit etiam alia ratio: ſcimus graviter labefactari fidem, ubi promiſcue & ſine delectu boni ſimul & mali affliguntur Dei manu. nam pii tunc reputant ſibi nihil prodeſſe, quod Deum ſtuduerint ex animo colere: putant hoc fuiſſe inane & frivolum, quia trahuntur in eaſdem miſerias. Ergo quoniam *Pſal. 73.*
hæc tentatio poſſet concutere etiam firmiſſimos quoſque, Propheta hic ad perſeverantiam hortatur fideles, acſi diceret in primo tumultu non poſſe notari diſcrimen inter bonos & malos, quantum attinet ad fortunam: quia utroſque Dominus ſimiliter affligit: ſed finem fore diverſum: ideo non eſſe cur animos deſpondeant, vel putent ſe nihil proficere quærendo Deum: quia tandem oſtendet re ipſa ſibi placuiſſe eorum integritatem. quaſi diceret, Deus vos non remuneratur primo momento, ſed patientia veſtra tandem oſtendet ipſum eſſe juſtum judicem, qui ſuos in ultima neceſſitate reſpicit ac liberat. Facere judicium Dei hoc loco nihil aliud eſt quam vitam formare ad Legis rectitudinem. Nomen משפט varie accipitur in Scripturis: aliquando & ſæpe ad pœnas transfertur, quas Deus exigit de reprobis. ſed ſæpe pro æquitate ponitur, vel legitima vivendi regula. Ergo Facere judicium nihil aliud eſt quam dare operam juſtitiæ & rectitudini: interea abſtinere ab omni maleficio. ſed Judicium Dei nominat Propheta, quod ipſe præſcripſit verbo ſuo, & quod probat. Scimus enim homines ſibi varias rationes comminiſci, quibus ſe juſtos & rectos oſtendant: ſed falluntur, niſi in primis forment vitam ſuam ad Dei obſequium. Nunc tenemus quid velit Propheta. ſed paulo poſt definit quid ſit Deum quærere. Poſterior enim pars verſus expoſitive addita eſt, ut intelligant fideles quomodo quærendus ſit Deus. nam hypocritæ ſimulac Deus ipſos invitat, accumulant multas ceremonias, & multum ſe fatigant in rebus nihili: denique putant ſe Deum ſatis quæſiiſſe, ubi perfuncti ſunt multis ceremoniis. Atqui ſatagendo ſicuti fucum Deo faciunt, ita etiam decipiunt ſeipſos: quemadmodum videmus nomen pœnitentiæ fuiſſe profanatum. Garriunt ſatis in Papatu de pœnitentia: ſed quum ab illis quæritur definitio, incipiunt à contritione: & tamen neque diſplicentia peccati ab illis proponitur, neque verus amor juſtitiæ: ſed fabulantur de attritione, & contritione: ſtatim ad confeſſionem proſiliunt: & illa eſt præcipua pars

pœnitentiæ : poſtea deſcendunt ad ſatisfactiones. Sic pœnitentia nihil aliud eſt apud Papiſtas, quam perverſa quædam ſollicitudo, qua homines laborant in placando Deo, etiamſi ad ipſum non accedant: imo ſatisfactiones Papatus nihil aliud ſunt, quam obſtacula inter Deum & homines. Hoc vitium commune fuit omnibus ſeculis: ideo non abs re Propheta definit quænam ſit vera & legitima ratio quærendi Dei, nempe ubi *quæritur juſtitia*, ubi *quæritur humilitas*. Per Juſtitiam idem intelligit quod per Judicium, quaſi diceret, Pergite ſancte & recte vivendo, neque enim Deus obliviſcetur obſequii veſtri, ſi modo animi veſtri non flacceſcant, ſed perſeveretis uſque in finem. Videmus ergo Deum quæri, non ubi obtrudimus externas pompas, & neſcio quæ figmenta, quaſi inſtar pueri demulceri à nobis poſſet: verum ubi ſincere vitam noſtram conſecramus in ejus obſequium. Juſtitiæ vero adjungit humilitatem, quia difficile eſt, etiam optimis quibuſque, non obſtrepere Deo, ubi aſperius eos caſtigat. Videmus enim quantopere homines ſua mollities exacerbet, ubi Deus apparet aliquanto durior. Ergo Propheta ut compeſcat omnes ſtrepitus, hortatur hic fideles ad humilitatem, ut ſcilicet patienter ferant rigorem illum quo Deus ipſos exercet, ac ſinant gubernari ſe ejus manu: quemadmodum etiam eodem reſpicit Petrus in his verbis, Humiliamini ſub

1 *Pet.* 5. *verſ.* 6. potenti manu Dei. Nunc ergo videmus cur Propheta non modo juſtitiam requirat à fidelibus, ſed manſuetudinem, ut compoſitis animis expectent liberationem quam promittit Deus: interea non obmurmurent, neque ebulliant in ſuis perverſis affectibus, quamvis Deus ipſos parum humaniter in ſpeciem tractet. Hinc colligere licet utilem doctrinam, quia Propheta hic non alloquitur homines vel diſſolutos, vel qui prius eſſent obliti rectitudinis: ſed ſermonem ſuum dirigit ad optimos quoſque, integerrimos & ſanctiſſimos. & tamen oſtendit non aliud illis eſſe remedium, niſi ut modeſte & patienter ferant caſtigationem Dei. Sequitur ergo non poſſe reperiri perfectionem inter homines, quæ Dei judicio reſpondeat. nam ſi quis objiciat ſe operam dediſſe rectitudini: tamen adhuc juſta ratio eſt, cur ſeipſum humiliet, quandoquidem obſtricti ſumus omnes Deo, & nemo poteſt reatum effugere: quia ſiquis interroget proprium conſcientiam, ſentiet ſe non carere culpa. Ergo utcunque nobis bene conſcii ſimus, & Deus ipſe nobis judex ſit, ac Spiritus ſanctus teſtis veræ & ſinceræ integritatis: ubi tamen nos Dominus ad ſuum tribunal citat, diſcamus omnes fateri à minimo uſque ad maximum nos eſſe obſtrictos ejus judicio & obnoxios. Poſtea adjungit, *Si forte* (vel, forte) *abſcondamini in die iræ Jehovæ*. Non loquitur dubitanter Propheta, acſi fideles incerti eſſent de gratia Dei. alibi enim diximus, non poſſe homines vere animari ad pœnitentiam, niſi perſuaſi ſint de venia. Sed Propheta alio reſpexit, nempe, quamvis nihil reſtaret ſpei ſecundum communem ſenſum, fideles tamen non perdituros operam, ſi Deum quærant: quia in rebus deſperatis ſentient ipſum ſibi propitium, & paratam ſalutem in gratia ejus. Videmus ergo Prophetam in his verbis notare difficultatem in re ipſa, non autem in amore Dei. quamvis propenſus ſit Dominus ad veniam, imo ultro ſuos præveniat, & eos blande ad ſe invitet: tamen neceſſe eſt ſimul conſiderari quam admirabilis ſit ejus virtus in ſervandis electis, ubi omnia videntur eſſe perdita. *Si forte* ergo: ut intelligerent Judæi omnia tendere ad ultimam deſperationem. & hoc dixit Propheta, partim ut reprobi & obſtinati agnoſcerent ſibi eſſe pereundum: deinde, ut fideles pluris facerent Dei gratiam quum viderent ſe miraculo eripi ex morte, & ſpeciem eſſe reſurrectionis, quod Deus ipſorum futurus eſſet liberator. Ergo Propheta, ut commendet filiis Dei ſalutem quam illis offert, atque illuſtret melius Dei gratiam, utitur hac voce אולי, Forte. Interea, quemadmodum jam dixi, fulminat contra reprobos, ut intelligant de ſe prorſus actum eſſe. Sequitur,

4. Quia Aza derelicta erit, & Askalon in vaſtationem: Aſdod in meridie expellent, & Ekron diſſipabitur.

5. Heus habitatores funiculi maris, (*vel regionis*) gens Cretim: ſermo Jehovæ contra vos Cnaan, terra Philiſtim, & exterminabo te, ne ſit habitator.

Hic Propheta incipit conſolari electos: quia ubi pertranſierit vindicta Dei, quæ temporalis futura erat contra ipſos, viciſſim proximi & extranei ſentient Deum juſtum judicem ad ulciſcendas populi ſui injurias. Quanquam alii potius exiſtimant hic denunciari vindictam Dei Judæis, utcunque Propheta nominet potius alios populos vicinos. ſed prior ille ſenſus videtur mihi melius quadrare: quod ſcilicet Propheta admoneat fideles de futura mutatione, quia non perpetuo urgebit Deus electum populum, ſed transferet vindictam ſuam ad gentes alienas. Senſus ergo eſt, Deum, qui antehac minatus eſt Judæis, fore tamen propitium: non quibuslibet ex populo illo, quoniam magna ex parte deſtinati erant exitio: ſed reſiduis quos Dominus ſibi delegerat in ſemen, ut ſcilicet maneret aliqua Eccleſia ſuperſtes. Scimus enim Deum ita ſemper temperaſſe pœnas, quas ſumpſit de populo illo, ut nollet extinguere fœdus ſuum, neque abolere memoriam gentis Abrahæ: quia etiam illinc proditurus erat Redemptor. Quum ergo hic vaticinatur Propheta contra Aza & Aſcalon, & Aſdod, & Ekron, & Philiſtim, & Cretim & ſimiles, non dubium eſt quin animum addere velit fidelibus, ne deſperent de miſericordia Dei, etiamſi videant ſe graviſſime premi: quia finem tandem impoſiturus ſit iracundiæ ſuæ, poſtquam Eccleſiam purgaverit à ſuis ſordibus. Et hac etiam admonitione indigent fideles, ne invideant reprobis & Dei contemptoribus, quaſi melior vel magis optabilis eſſet eorum conditio. Ubi enim Dominus parcit reprobis & nos caſtigat, putamus nihil melius eſſe, quam excutere omne jugum. Ergo ne hæc tentatio percelleret fideles, Propheta admonuit in tempore, non eſſe cur ſibi placeant vel gratulentur profani homines ubi Deus non ſtatim ipſos ulciſcitur, quia paratæ ſunt illis ſuæ vices. Gazan primo loco ponit, cujus frequenter occurrit in Scripturis mentio. Aza vocant Hebræi: ſed quia ע occupat initium nominis, verterunt Græci Gazan: & putarunt etiam profani ſcriptores nomen eſſe Perſicum, & lingua illa Theſaurum vocari. ſed ſunt meræ nugæ: quia proculdubio etymologia eſt Hebraica. Poſtea adjungit Aſkalon, quæ urbs erat vicina Gazæ. tertio loco ponit Aſdod, quam verterunt Græci Azotoo: & Latini etiam Græcos ſequuti ſunt. Poſtremo Ekron ponit. erant omnes illæ urbes vicinæ Judæis, & non procul aliæ ab aliis diſtabant verſus Moabitas & Idumæos. Addit poſtea, *Heus*, vel veh, הוי, *habitatores funiculi maris*. Regionem maris nominat Galilæam: & ſimul adjungit Cretim, & Philiſtim. Putant aliqui Prophetam alludere ad turmas, quæ militabant ſub Davide: quia milites præſidiarios confecerat ex gente illa, hoc eſt, ex Galilæa: & vocaverat Cretim, deinde Philiſtim. ſed neſcio an tam argute loquutus ſit Propheta. Potius exiſtimo hic perſtringi gentes profanas, quæ Judæis infeſtæ fuerant, quum tamen vicinia deberet eſſe vinculum aliquod benevolentiæ. ideo comprehendit omnes ſub nomine Cnaan. Neque enim recipio quod alii appellative vertunt Mercatores, quia po-

tius intelligit Propheta, quocunque nomine vocentur, cenſeri tamen omnes Cananæos, qui pridem internecioni devoti fuerant. quoniam ergo regiones illæ hoſtiliter oppugnaverant Judæos, Propheta ſignificat Deum fore vindicem electi populi. *Sermo Jehovæ contra vos*: hoc eſt, Deus qui hactenus minatus eſt populo ſuo, jam vos ad judicium citat: ne putetis vobis impune ceſſurum quod moleſtiam exhibuiſtis Eccleſiæ ipſius. quamvis enim Deus probare vellet populi ſui patientiam, non tamen excuſabiles fuerunt vel Moabitæ, vel reliqui, quum cæco impetu ruerent contra Judæos, imo in eorum perſona putarent ſe bellum gerere cum Deo ipſo opifice cœli & terræ. Poſtea adjungit, *nullum fore habitatorem*, quia Deus regiones illas omnes perdet. Nunc videmus non alio ſpectare Prophetæ conſilium, niſi ut doloris ſui acerbitatem hoc ſolatio mitigent fideles, quod temporales ſint ipſorum miſeriæ: Deus autem paulo poſt vindex futurus ſit hoſtium ſuorum. Sequitur,

6. Et erit funiculus maris (*id eſt, regio: ſed metaphorice Hebræi vocant regionem Funiculum, propter diſtributionem*) habitaculum caulis paſtorum, & ſepta ovium.

7. Et erit regio reliquiis domus Jehudah, apud eos paſcentur: in domibus Aſcalon veſperi accubabunt: quia viſitabit Jehova Deus ipſorum ipſos, & reducet captivitatem eorum.

Propheta confirmat quod prius dixit de futura Dei vindicta, quæ jam inſtabat contra Moabitas & alias vicinas gentes quæ non deſierant perſequi miſeros Judæos. Dicit ergo totam illam regionem fore hoſpitium ovibus. Hæc ſimilitudo ſatis nota eſt, quod ubi regio aliqua vacua eſt habitatoribus, illam occupant paſtores: quia illic neque ſeritur neque metitur: creſcunt illic herbæ. ergo ubi nulla eſt cultura, ubi nulla eſt frequentia hominum, illic reperiunt paſtores locum ſuis gregibus, ibi ædificant caulas. Perinde igitur eſt ac ſi diceret Propheta regionem fore vaſtam, ſicuti vidimus proximo verſu. Poſtea adjungit paulo diverſa ratione, *fore tractum maris habitaculum domus Jehudah*. Eſt autem concinna inflexio à gregibus paſtorum ad tribum Jehudah; quæ erat quaſi grex electus Dei. Poſtquam ergo dixit Propheta regionem illam fore vaſtam & deſertam, tandem adjungit hoc fore in commodum electi populi: quoniam Dominus illic dabit Judæis ubi tuto & ſecure quieſcant. Cæterum reſtringit hoc Propheta ad reliquias, quia major pars, ut jam vidimus, ita erat deſperata, ut oportuerit præcludi omnem januam miſericordiæ. ſed Propheta reliquias nominans, oſtendit ſemper fore aliquod ſemen unde excitabit Deus novam Eccleſiam: & ſimul animat fideles ad bonam ſpem, ne ſcilicet terreret ipſos ſua paucitas: quemadmodum ubi ſeſe reſpiciunt, & vident ſe obrui ingenti turba, putant ſe reputari pro nihilo. Ergo ne deficiant animis, Propheta dicit reliquias iſtas curæ eſſe Deo: quoniam ubi viſitaverit totum maris tractum & alias regiones, erit illic tutum domicilium vel refugium Judæis. *Erit ergo funiculus ille*, inquit, *reſiduo domus Jehudah, paſcentur apud Aſcalon, & accubabunt illic veſperi*: hoc eſt, reperient ſuo exilio aliquem locum, ut ſcimus Judæos non omnes fuiſſe abſtractos in longinquas terras: & qui potuerunt latere in locis vicinis, facilius deinde fuerunt collecti, ubi permiſſa fuit redeundi libertas. Hoc ſignificat nunc Propheta, quum dicit fore etiam nocturnum hoſpitium Judæis apud Moabitas & reliquos vicinos. Ratio ſequitur quæ confirmat ſententiam quam attuli: *Quia Jehova Deus ipſorum*, inquit, *viſitabit eos*. Videmus ergo Prophetam hic mitigare triſtitiam exilii, & graviſſimæ illius cladis quæ Judæis inſtabat, dum illis promittit novam Dei viſitationem: quaſi diceret, Etiamſi Dominus nunc videtur ſævire contra vos, & videtur oblitus eſſe ſui fœderis, tamen iterum miſericordiæ ſuæ recordabitur, ubi maturum tempus advenerit. & addit, *Reducet captivitatem eorum*, ut oſtendat gratiam hanc fore victricem contra omnia obſtacula. Poterant enim objicere Judæi, Cur non ſtatim nobis occurrit Dominus; ſed potius nos permittit hoſtibus, ut rapiamur in exilium? Propheta hic ad tolerantiam eos revocat: & tamen promittit, ubi in exilium tracti fuerint, redituros in patriam: quia Dominus non patietur exilium illud eſſe perpetuum. Jam ſequitur,

8. Audivi opprobrium Moab, & contumelias filiorum Ammon, quibus exprobrarunt populo meo, & ſe extulerunt contra terminum ipſorum.

Confirmat Propheta quod paulo ante dixerat de vindicta Dei contra hoſtes extraneos. Quanquam certatim vicinæ omnes gentes moleſtæ erant Judæis, ſcimus tamen plus fuiſſe odii, imo furoris, in iſtis duabus gentibus, nempe in Moabitis & Ammonitis: quæ tamen ſanguine conjunctæ erant: quia trahebant originem à Loth, qui fuerat nepos Abrahæ. Quum ergo illa cognatio deberet flectere Moabitas & Ammonitas ad aliquam miſericordiam, ſcimus majore inſania & quaſi belluino impetu ſemper fuiſſe infeſtos Judæis. Hæc ratio eſt cur Propheta peculiariter nunc de ipſis loquatur. Quanquam autem nonnulli accipiunt hanc ſententiam in perſona fidelium, contextus tamen flagitat referri ad Deum: & haud dubie ſe ex alto deſpicere admonet quas Moab faſtus nebulas in aerem ſpargebat, quaſi pronunciet ſibi non eſſe obſcurum vel incognitum quam immaniter ſævierint Moabitæ & Ammonitæ contra Judæos, quam fuerint ſuperbi & crudeles. Et hæc fuit valde tempeſtiva conſolatio. Poterant enim Judæi abſorberi deſperatione, niſi illis oblata fuiſſet hæc promiſſio. Videbant Moabitas & Ammonitas ardere veſania, quum tamen nunquam fuiſſent læſi aut laceſſiti: videbant deinde ipſos facere quæſtum & lucrum ex cladibus miſeri populi. Quid poterant ſecum reputare fideles? Ecce non tantum impune nos vexarunt impii iſti, ſed fuit illis lucroſa ſua crudelitas & perfidia contra nos: ubi nunc Deus? Si reſpiceret Eccleſiam ſuam, annon ſe interponeret? Ne ergo ejuſmodi tentatio animos piorum everteret, Propheta hic Deum loquentem inducit, *Audivi opprobrium Moab*, inquit: *audivi contumelias Ammon*: nihil me fugit. quanquam non ſtatim oſtendo hæc venire in rationem coram me, tamen ſcio & obſervo quam indigne vos perſequuti fuerint Moabitæ & Ammonitæ: illi tandem ſentient me eſſe cuſtodem veſtræ ſalutis, & vos eſſe ſub meo præſidio. Nunc tenemus conſilium Prophetæ. Iiſdem fere verbis utuntur tam Jeſaias cap. 16. quam Jeremias cap. 48. ſed duo illi longius proſequuntur hunc ſermonem, quem breviter attingit Propheta noſter: quia videmus etiam hic ſermones ejus comprehendi brevi ſumma. Quod autem opprobrium Moab & contumelias filiorum Ammon dicit veniſſe in memoriam coram Deo, ſpectat in eum finem, ut Judæi certo ſtatuant ac perſuaſi ſint ſe non eſſe rejectos & derelictos, quamvis ad tempus contumelioſe tractentur ab impiis. Active autem ſumit Propheta Opprobrium & contumelias. Poſtea adjungit, *Quibus exprobrarunt populo meo*. Hic ſignificat Deus nihil decedere electis, ubi reprobi

quaſi conſpuunt in ipſorum faciem. Nihil enim eſt quod ingenuos animos gravius vulneret, quam contumelia: non tantum eſt acerbitatis in centum mortibus quantum in uno probro: præſertim ubi improbi licentioſe inſultant, & faciunt hoc toto mundo plaudente. tunc enim obruitur omne diſcrimen boni & mali: conſcientia bona quaſi ſepelitur. Sed Propheta hic ſignificat populum Dei nihil jacturæ facere dum ita indigne vexatur à reprobis, & expoſitus eſt eorum contumeliæ. Tandem ſubjicit quod *dilataverunt ſuper terminum ipſorum*. Quidam interpretes ſubaudiunt Os: Magnificaverunt os ſuum: & ſæpe verbum hoc ſine adjectione capitur hoc ſenſu. verum eſt: ſed hoc loco plenior eſt ſyntaxis, quia ſequitur על גבולם, Super terminum ipſorum: qua voce ſignificat Propheta provocatam fuiſſe iram Dei petulantia utriuſque gentis, quia voluerunt terminos divinitus fixos quaſi revellere. Scimus terram Chanaan datam fuiſſe Judæis jure hereditario. Quum
Deut. 32. *verſ.* 8. divideret Altiſſimus gentes, inquit Moſes, poſuit funiculum in Jacub. Hoc quidem verum eſt, gentibus ſuas poſſeſſiones arcano Dei decreto eſſe attributas: ſed ſpecialis fuit ratio electi populi: quia Dominus
Geneſ. 17. *verſ.* 8. conſtituerat Abraham dominum illius terræ, idque in perpetuum. Jam Moabitæ erant quaſi relegati: Dominus aſſignaverat illis ſuam poſſeſſionem. Quum ergo vellent ultra perrumpere, & invaderent Judæos, oportuit iram Dei magis accendi contra ipſos: quia non gerebant hoc modo bellum cum mortalibus, ſed cum ipſo Deo: quia terminos ab ipſo præfixos revellendo, volebant evertere æternum ejus decretum. Nunc ergo intelligimus cur Propheta dicat filios Moab & Ammon magnificaſſe ſuper terminum eorum qui Dei manu locati erant in terra Chanaan: quia ſcilicet non tantum voluerunt ejicere ſuos vicinos, ſed voluerunt & tentarunt eripere ex manu Dei hereditatem illam quam Dominus Abrahæ dederat, idque in perpetuum, ut diximus.

Da omnipotens Deus, quando dignatus es nos in peculiarem populum tibi conſecrare, ut memores tam inæſtimabilis gratiæ, nos viciſſim totos tibi addicamus: & ita ſtudeamus colere veram ſinceritatem, ut notas geramus populi tui & Eccleſiæ tuæ ſanctæ. Quoniam autem ita polluti ſumus tot inquinamentis carnis noſtræ & hujus mundi, ut quotidie magis ac magis nos repurges Spiritu tuo, donec tandem nos colligas in illam perfectionem ad quam nos invitas per vocem Euangelii tui, ut fruamur etiam beata illa gloria quæ nobis parta eſt ſanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO SEXTA

IN

SOPHONIAM PROPHETAM.

CAP. II.

9. Propterea vivo ego, dicit Jehova exercituum, Deus Iſraël, quod Moab ſicuti Sodoma erit, & filii Ammon ſicuti Gomorrha, productio urticæ & fodina ſalis, & vaſtitas in perpetuum: reliquiæ populi mei diripient eos, & reſiduum gentis meæ poſſidebit eos.

10. Hoc illis pro ſuperbia ſua, qua exprobrarunt & inſultarunt ſuper populum Jehovæ exercituum.

HEri Deus, ut aliquo ſolatio levaret miſeros Judæos, dicebat ſibi cognitam eſſe proterviam Moab: nunc adjungit ſe vindictam ſumpturum de probris illis, quorum prius facta fuit mentio. Parum enim prodeſſet conſpici à Deo quicquid patimur injuriarum, niſi parata eſſet ultio. Ergo Propheta admonet, Deum non eſſe otioſum ſpeculatorem, qui tantum obſervet quæ in mundo geruntur: ſed mercedem repoſitam eſſe omnibus impiis. Hæc autem conjunctim legenda ſunt, ut agnoſcant fideles ſuas injurias non eſſe Deo incognitas: deinde ipſum fore vindicem. Cæterum quo certius confidant Judæi Deum liberatorem ſuum fore, jusjurandum interponitur. Sed interea oſtendit Deus ſerio ſe affici dum populum ſuum videt crudeliter & tali intemperantia vexari, ut putent impii ſibi permitti effrenem licentiam. Deus ergo hic oſtendit non modo curæ ſibi eſſe populi ſalutem, ſed ſe cauſam ejus ſuſcipere, perinde acſi accenſus eſſet iracundia: non quod in ipſum cadant paſſiones; ſed talibus loquendi formulis exprimitur quod alioqui nunquam fideles conciperent, nempe inæſtimabilem erga ipſos Dei amorem & curam eſſe. Dicit ergo *ſe vivere*, quemadmodum ſi juraret per ſuam vitam. ſicuti alibi vidimus per animam jurare: ita nunc loquitur, Vivo ego: hoc eſt, Sicuti ego ſum Deus, ita ulciſcar iſtas injurias quibus nunc opprimitur populus meus. Et hac ratione etiam vocat ſe Jehovam exercituum & Deum Iſraël. Priore membro potentiam ſuam commendat, ut ſciant Judæi præditum eſſe ipſum virtute: deinde bonitatem ſuam conjungit, eo quod populum illum adoptaſſet. Senſus ergo eſt, Deum per vitam ſuam jurare: & ne fruſtra hoc fieri putent Judæi, proponit in medium potentiam ejus, deinde gratiam adjungit. *Moab*, inquit, *erit inſtar Sodomæ*, *& filii Ammon inſtar Gomorrhæ*: nempe *in productionem urticæ & fodinam ſalis*: hoc eſt, redigentur terræ illæ in ſolitudinem, vel prorſus erunt ſteriles, ut nihil illic oriatur præter urticas, ſicuti accidere ſolet locis deſertis. Quantum ad fodinam ſalis ſpectat, loquutio hæc ſatis frequenter occurrit in Scriptura. ergo ſalſugo ſterilitatem denotat Hebræis. Et addit Propheta hoc non fore ad tempus exiguum duntaxat: *Erit*, inquit, *perpetua vaſtitas*. Adjungit hoc fore in utilitatem Eccleſiæ: *Reliquiæ* enim *populi mei diripient eos*, inquit: *& reſiduum gentis meæ poſſidebit eos*. Loquitur ſemper de reliquiis, quia ſicuti heri dictum fuit, neceſſe erat ſordibus purgari populum illum, ita ut maneret tantum exigua portio. & ſcimus ab exilio non multos fuiſſe reverſos. Summa eſt, quamvis Deus ſtatuerit Eccleſiam ſuam imminuere, ut pauci tantum ſuperſint: tamen paucos illos fore heredes totius terræ, & potituros imperio, ubi Deus vindictam ſumpſerit de omnibus eorum inimicis. Ideo ſequitur apud Prophetam, *Hoc illis pro ſuperbia ipſorum*, inquit. Videmus ut Prophetæ conſilium ſit, tollere quicquid erat acerbitatis, quum Judæi viderent tam petulanter ſe traduci à ſuis hoſtibus. Quum ergo promptum eſſet animos dejicere, ut heri dictum fuit nihil eſſe moleſtius quam ferre contumelias: ideo hic diſerte pronunciat Deus, quod ſuperbe inſultant vicini Judæis, hoc ipſis exitiale fore: ſicuti ruinam præcedit ſuperbia, dicit *Prov.* 16.
Solomon. & iterum confirmat quod nuper attigerat, *verſ.* 18.
nempe non poſſe Judæos impune lædi, quoniam Deus ſuſceperat eos in fidem ſuam, eratque ipſorum

protector. *Quoniam ergo exprobrarunt & inſultarunt ſuper populum Jehovæ exercituum.* Poterat dicere, Super populum meum, quemadmodum proximo verſu: ſed amplificatio ſubeſt in bis verbis: quaſi diceret Propheta, non eſſe illis bellum cum mortalibus, ſed cum Deo ipſo, cujus majeſtas læſa fuerat, quum tam injuſte oppreſſi fuiſſent Judæi. Sequitur,

11. Terribilis Jehovæ ſuper eos, quia conſumpſit omnes deos terræ: & adorabit eum quiſque ex loco ſuo, omnes inſulæ gentium.

Proſequitur eandem ſeotentiam, quod ſcilicet Deus virtutem ſuam proferet in auxilium populi ſui. Nominat vero *Deum terribilem*, qui patienter ad tempus tulerat hoſtium proterviam: atque ita cœperat ab illis ſperni: quia ſcimus impios nunquam cedere Deo, niſi quum urgentur ejus manu: ac tunc etiam non flectuntur, ut ſponte ejus imperio ſe ſubjiciant: ſed coacti tamen ſilent. Hoc intelligit Propheta bis verbis: quaſi diceret nunc impios illudere Deo, quia pro nihilo ducant ejus potentiam: ſed ſenſuros quam terribilis ſit vindex populi ſui, ita ut expaveſcant. Deinde opponit etiam ſuperſtitiones geotium veræ pietati: quaſi diceret hoc pretium fore Judæis pietatis ſuæ, quia coluerint verum & unicum Deum: omnia vero idola nihil poſſe contra auxilium veri Dei. Et neceſſaria fuit hæc admonitio, quoniam ad tempus impii triumphum agebant noo ſolum de populo devicto, ſed etiam de ipſo Deo: & ita gloriabantur in ſuis ſuperſtitionibus & figmentis. Ideo Propheta confirmat debiles animos: quia tandem *conſumet Deus omnes deos gentium.* רזה proprie eſt Macie afficere: ſed hic metaphorice ponitur pro Conſumere. Exteouabit ergo Deus omnia figmenta gentium. & alludit ad famam illam quam obtinuerant idola in toto mundo: perinde acſi diceret, brevi emerſuram Dei gloriam, quæ extenuet quicquid falſi dii gloriæ adepti ſunt apud homines, perinde acſi diffiueret pinguedo. Tandem adjungit, remotiſſimos quoſque populos Deo fore ſupplices. nam quum dicit, *Adorabit eum quiſque ex loco ſuo*, non dubium eſt quin ſignificet, etiamſi longa ſit regionum diſtantia, hoc tamen non fore obſtaculo quominus ubique celebretur nomen Dei, ubi ſcilicet virtus ejus innotuerit geotibus longinquis. Et hac ratione adjungit *Inſulas gentium*, hoc eſt, tranſmarinas terras. Inſulas enim, ut alibi dictum fuit, Hebræi vocant regiones procul diſſitas, & quæ mari diviſæ ſunt. Denique docet Propheta admirabilem fore redemptionem populi, ut fama ejus perveniat uſque ad ultimos orbis fioes: atque ita cogat extraneos populos dare vero Deo gloriam: & diſcutiat omnes ſuperſtitionum fumos, ut ludibrio expoſita ſint idola. Sequitur,

12. Etiam vos Æthiopes, interfecti gladio meo ipſi. (*alii vertunt, cum ipſis.*)

Longius extendit Propheta comminationem vindictæ, quod Deus etiam rependet Æthiopibus quam meriti ſunt mercedem: quia illi etiam infeſtaverant electum populum. Quod ſi Deus vindictam ſumpturus erat de gente illa, an ſperare potuit populus Ammon vel Moab ſe fore ſalvum? Quomodo enim parceret Deus tantæ crudelitati, quum remotiſſimos populos tracturus ſit ad ſupplicium? nam diximus minus excuſabile fuiſſe odium in Moabitis & Ammonitis, quod cognati eſſent filiis Abrahæ. debuerat ergo miteſcere hoc reſpectu eorum ferocia: deinde vicinia etiam debuit impetrare aliquid humanitatis. Quum ſuperaſſent ſævitia alios omnes hoſtes, oportuit etiam gravius puniri. Hæc igitur comparatio ſpectat in eum finem, ut ſciant Judæi non fore exorabilem Deum Moabitis, à quibus injuſte vexati fuerant: quum Æthiopes etiam ipſi daturi ſint pœnas, qui tamen utcunque erant excuſabiles propter locorum diſtantiam. Quantum ad verba ſpectat, המה pronomen demonſtrativum quidam referunt ad Babylonios, alii ad Moabitas: & mallem de Moabitis intelligere, ſi legendum eſſet Sicuti ipſi, vel cum ipſis: quod illi interpretes volunt. Subaudiunt enim particulam את, aut particulam כ, quæ eſt nota ſimilitudinis: Vos Æthiopes eritis interfecti gladio meo ſicuti illi, vel cum illis. hoc certe ad Moabitas ſpectaret: ſed potius mihi videtur eſſe abrupta oratio, *Etiam vos Æthiopes*; deinde, *ipſi interfecti gladio meo.* In ſecunda perſona initio verſus Propheta Æthiopes compellat ut compareant ad tribunal Dei: poſtea in tertia perſona adjungit, *Erunt interfecti gladio meo.* Gladium autem ſuum vocat Deus quicquid inſtabat malorum Æthiopibus. Etſi enim cæſi fuerunt à Chaldæis, factum tamen hoc fuit Deo ipſo ſummo duce, ſub cujus auſpiciis militabant Chaldæi, quemadmodum ante uſus fuerat Aſſyriis ad exercendas ſuas vindictas. Sequitur,

13. Et extendet manum ſuam ad Aquilonem, & perdet Aſſyriam, & ponet Nineven in vaſtitatem, deſolationem inſtar deſerti.

Hic progreditur ad Aſſyrios Propheta, quos ſcimus præcipuos fuiſſe hoſtes Eccleſiæ Dei. nam Moabitæ & Ammonitæ erant quaſi flabella, ut alibi vidimus: ſed non poterant propriis opibus multum nocere: ideo incitabant Aſſyrios, incitabant Æthiopes & remotas gentes. Summa igitur eſt, neminem coram Deo impune laturum ex cunctis Eccleſiæ hoſtibus, quia quiſque mercedem recipiet ſuæ crudelitatis. Loquitur jam de ipſo Deo in tertia perſona. nam proximo verſu Deus ipſe dicebat Æthiopes cædendos eſſe ſuo gladio: nunc addit Propheta, *Extendet manum ſuam ad Aquilonem:* hoc eſt, Deus non faciet finem ſuis judiciis in Æthiopibus: ſed longius perget, nempe uſque ad Nineven & omnes Aſſyrios. Scimus Nineven fuiſſe metropolin monarchiæ, antequam domiti eſſent Aſſyrii à Babyloniis: ita Babylon tunc recuperavit imperium quod perdiderat; & Nineve, etiamſi non fuit prorſus everſa, tamen ubi ſpoliata fuit imperio, ſimul & nomen & opes amiſit, donec redacta fuit in ſolitudinem. nam ædificatio Cteſiphootis fuit illius ruina, ut alibi vidimus. Non dubium autem eſt quin Propheta Judæos hic conſolari pergat, ut ne deſpondeant animos quantiſper quieſcet Dominus. & huc pertinet manus extenſio: quaſi diceret, Domino ſuas opportunitates eſſe notas, ut virtutem ſuam exerat ubi opus fuerit. Aſſyria autem reſpectu Judææ Septentrionalis erat: ideo dicit, *Ad Aquilonem Dominus manum extendet, & perdet Aſſyriam: ponet Nineven in vaſtationem, ut ſit inſtar deſerti.* Sequitur,

14. Et cubabunt in medio ejus greges, omnes beſtiæ gentium: etiam onocrotalus, etiam noctua (*alii vertunt pro onocrotalo, ibin, alii cuculum: alii pro noctua, Ericium*) in poſtibus ejus pernoctabunt: vox cantabit in feneſtra, in poſte vaſtitas, (*alii vertunt Corvum: ſed nomen Vaſtitatis, quod poſtulat ratio Grammaticæ, retinendum nobis eſt*) quia nudavit cedrum. (*vel contignationem.*)

Hic

Hic deſcribit Propheta formam urbis & regionis vaſtatæ. dicit fore cubile gregibus in medio urbis Ninevæ. Scimus fuiſſe urbem populoſam. atqui in frequentia hominum non eſſet locus gregibus, præſertim in medio urbis ſitu & loco celeberrimo. Ergo mutatio non vulgaris hic deſcribitur quum dicit Propheta *greges accubituros in medio Ninevæ*. Adjungit *omnes beſtias*. nam animalia quæ ſolitudinem captant & fugiunt hominum conſpectum, ſolent perrumpere, ubi vident regiones vacuas & deſertas: ac liberius tunc graſſantur, quemadmodum fieri ſolet poſt clades bellicas: & ſi qua regio nudata ſit ſuis incolis, lupi & leones & feræ beſtiæ vagantur ſumma licentia. Sic etiam Propheta ex alienis & remotiſſimis terris venturas dicit feras, quæ reperient locum ubi prius fuerat Nineve. Adjungit vel onocrotalos, vel ibides, vel cuculos & ejuſmodi aves ſylveſtres. neque enim laboro de unaquaque ſpecie: quia mihi ſufficit tenere Prophetæ conſilium. Deinde Judæi etiam, quamvis audacter affirment vel eſſe onocrotalum, vel ibin: tamen nihil afferunt certi. Denique huc pertinet deſcriptio, fore locum illum, quem ante colebat magna hominum frequentia, ſic deſertum, ut tantum ſylveſtres beſtiæ & nocturnæ aves futuræ ſint incolæ. Tenendum autem memoria eſt quod dixi, hæc omnia proponi Judæis, ut miſerias ſuas patienter ferant, quarum intelligunt Deum fore vindicem: quia hæc ſola etiam nobis fultura reſtat in graviſſimis malis, ſicuti Paulus admonet primo capite ſecundæ ad Theſſalonicenſes, venturum ſcilicet tempus quo Dominus relaxationem nobis dabit & refrigerium, pœnam vero ſumet de adverſariis noſtris. Et Nineven præcipue nominat Propheta, ut agnoſcant Judæi nihil tam pretioſum eſſe vel ſplendidum in mundo, quod Deus non poſthabeat Eccleſiæ ſuæ ſaluti, quemadmodum dicitur apud Jeſaiam, Dabo pretium redemptionis veſtræ Jeſ.43: 3.
Ægyptum: ſic etiam Deus minatur urbi opulentiſſimæ, ut teſtetur quantopere diligat electum populum. Hoc autem non poterant Judæi aſcribere propriæ dignitati: ſed pendebat cauſa tanti amoris à gratuita adoptione. Poſtea ſequitur,

15. Hæc urbs exultabunda, quæ ſedebat confidenter, quæ dicebat in corde ſuo, Ego, & non præter me amplius: quomodo facta eſt in vaſtationem, cubile animalibus? Quiſquis tranſierit (*vel, omnis viator*) ſuper eam ſibilabit, agitabit manum ſuam..

Videtur hoc per occupationem fuiſſe additum, ne magnificus ſplendor urbis Ninevæ terreret Judæos, acſi immunis eſſet ab omni diſcrimine. Propheta igitur hic admonet, quamvis ſic ſuperbiat Nineve ſuis opibus, tamen non poſſe Dei manum effugere: imo oſtendit magnitudinem illam qua ſeſe extulerat Nineve fore ruinæ cauſam: quia ſeipſam præcipitabit ſua ſuperbia. quemadmodum murus ad ruinam inclinat ſi inflatus ſit: ita etiam homines dum intus turgent & glorias ſuas efflant, crepant ipſi, etiamſi nullus eos impellat, & ſponte ruunt. Tale exitium denunciat Propheta Ninevitis & Aſſyriis: *Hæc eſt urbs*, inquit, *exultabunda, quæ ſedet confidenter*. Iiſdem fere verbis exagitat Jeſaias ſuperbiam Babylonis: ſed quod Jeſaias dixit de Babylone, merito, etiam hic noſter ad Nineven transfert. ſed non dubium eſt quin Propheta reſpiciat Judæos, ac illis veluti in theatro conſtituat Nineven, ne urbis illius potentia perſtringat eorum oculos: ſicuti rapimur admiratione, ubi aliquid nobis apparet ſplendidum & excellens. Hic ergo Sophonias ſtatuit in theatro Nineven, & traducit apud Judæos: Ecce, inquit, videtis urbem hanc plenam exultatione: videtis etiam ſedere quaſi tutam. neque enim tangitur aliquo metu: putat ſe exemptam communi hominum ſorte, acſi fundata eſſet in nubibus. Hæc eſt, inquit, urbs præ omnibus aliis famoſa: ſed ne terreat vos caducus iſte & evanidus ſplendor: quia Deus proculdubio ipſam ſuo tempore evertet, ac rediget in nihilum. Interea etiam notandum eſt quod nuper attigi, cauſam deſcribi interitus Ninevæ, quod ſcilicet ſibi promiſerat perpetuum ſtatum in mundo. Sed meminerimus ſub una urbe proponi nobis exemplum quod ad cunctas gentes communiter pertinet, Deum ſcilicet non poſſe ferre hominum ſecuritatem, dum ſua magnitudine & potentia inflati non reputant ſe eſſe homines, neque ſubjiciunt ſe ut decebat conditioni humanæ: ſed obliviſcuntur ſeipſos, acſi ſupra cœlos poſſent ſe extollere. nam verba hæc expendere convenit, quod *Nineve dixerit in corde ſuo, Ego, & præter me non amplius*: his enim verbis intelligit Propheta, Nineven ita fuiſſe excæcatam ſuo ſplendore, ut jam ſperneret omnem fortunæ mutationem. Quod Babylon ita loquuta eſt, nihil mirum: ad ſe enim rapuerat imperium Ninevæ. Sed videmus ut eadem ſuperbia dementet etiam mediocres tam Reges quam populos. quiſque enim putat ſe eſſe ſolum: & dum alios ſibi comparat, longe deſpicit, acſi eſſent poſiti infra ejus pedes. Sic ergo Propheta paucis verbis oſtendit quæ fuerit cauſa interitus Ninevæ: quia ſcilicet putabat ſibi fixum eſſe & perpetuum ſtatum in terra. Ergo ſi cupimus nos protegi Dei manu, meminerimus qualis ſit noſtra conditio: & quotidie, imo ſingulis momentis paremus nos ad mutationem, niſi quatenus nos Deus ſuſtinet. hæc erit noſtra ſtabilitas, ſi pendeamus tantum ab auxilio Dei, & conſcii infirmitatis noſtræ trepidemus in nobis: ne ſcilicet obrepat oblivio ſortis noſtræ. Poſtea adjungit, *Quomodo fuit in vaſtationem?* Accommodat Propheta ſermonem ſuum ad communem captum. videri enim poterat incredibilis ruina Ninevæ. Ergo Propheta hac interrogatione excitat ſenſus fidelium, ut non dubitent certo fore quod Deus pronunciat, quia ſcilicet mirabiliter operabitur. ergo iſtud *quomodo*, ſignificat non debere Judæos diffidere, dum putant undique munitam eſſe Nineven, nequid unquam adverſi patiatur: quia Deus mirabiliter & præter communem modum ipſam evertet. *Quomodo* ergo *fuit in vaſtitatem? in cubile*, inquit, *animalium*? Poſtea adjungit, *Quiſquis tranſierit, ſibilabit, & agitabit manum ſuam.* Videtur Propheta notare futurum opprobrium Ninevæ: & ſimul alia loquendi forma confirmare quod prius dixit, nempe ruinam urbis fore ſtupendam. nam *agitatio manus & ſibilum* ſigna ſunt opprobrii. Ecce, Nineve tantopere ſibi placebat: nunc videmus duntaxat triſtes ruinas. Non dubito igitur quin Propheta hic per Sibilum & manus agitationem intelligat Nineven fore ignominioſum ſpectaculum cunctis populis. & eadem ratio loquendi ſæpe occurrit apud Prophetas, Sibilabunt ſuper te omnes: hoc eſt, ego te ſtatuam in probrum & dedecus. Deinde adhuc Propheta, quemadmodum jam dixi, continuat ſuam ſententiam, quod ſcilicet inſtar miraculi erit ruina Ninevæ, quoniam obſtupeſcent omnes tranſeuntes: quaſi diceret, Ecce ſibilabunt: quid hoc eſt? deinde agitabunt manum: quid eſt ſtabile in hoc mundo? Videmus ſedem præcipuam monarchiæ eſſe dirutam, & nihil differre à deſerto. Nunc tenemus Prophetæ conſilium. Jam ut hæc doctrina etiam nobis hodie utilis ſit, notandæ ſunt iſtæ circumſtantiæ quas obſervavimus. Si ergo hodie triumphant hoſtes noſtri, & intolerabilis eſt ipſorum faſtus, ſciamus eos accerſere ſibi propiorem Dei vindictam: ſi torpent in ſua opulentia & ſecuri ſunt, & contemnunt omnia diſcrimina, hoc modo provocant etiam iram Dei: præſertim ſi ad faſtum illum & ſecuritatem accedit ſævitia, ut Eccleſiam Dei indigne perſequantur, ut ſpolient, rapiant,

occîdant, quemadmodum videmus eos facere. Quum ergo hoſtes noſtri ita laſciviunt, quaſi in ſpeculo contemplari nos decet propinquam eorum ruinam, qualis prædicta fuit à Propheta. neque enim duntaxat ætatis ſuæ reſpectu ita loquutus eſt, ſed ſpiritu Prophetico docere voluit quam chara ſit Deo ſalus Eccleſiæ ſuæ: & ita non dubium eſt quin talis futura ſit impiorum conditio uſque ad finem mundi, qualis hic deſcribitur Nineve, quod ſcilicet, etiamſi turgeant ad tempus, ſi omnia ſibi contra innoxios permittant, Deus dejiciet ipſorum inſolentiam, & compeſcet crudelitatem: nempe ubi tempus advenerit. Non incipiam hodie tertium caput, quia eſt novum argumentum.

Da omnipotens Deus, quando nos exerces ſub militia crucis, & excitas hoſtes potentiſſimos, quorum truculentia merito terrere adeoqoe exanimare nos poſſet, niſi innixi eſſemus tuo auxilio: da, inquam, ut revocemus in memoriam quam mirifice olim liberaveris electos tuos, & opportune illis opem tuleris, quum jam eſſent oppreſſi & penitus obruti, ut hodie quoque ad te confugere diſcamus, nec dubitemus, ubi propitius nobis fueris, tibi ſatis eſſe virtutis ad nos ſervandos, & proſternendos hoſtes noſtros; utcunque nunc exultent & putent ſe triumphare ſupra cœlos, ut intelligant tandem experimento ſe eſſe homines terrenos & caducos, quorum vita & conditio inſtar fumi ſtatim evaneſcit: nos vero diſcamus ſemper ad illam beatam æternitatem aſpirare, quæ nobis repoſita eſt in cœlo per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO SEPTIMA

IN

SOPHONIAM PROPHETAM.

CAP. III.

VÆ pollutæ & inquinatæ, urbi direptrici. (*vel fraudatrici.*)

2. Non audivit ad vocem, non ſuſcepit diſciplinam: (*vel correctionem*) in Jehova non eſt confiſa, ad Deum ſuum non appropinquavit.

HIc rurſus concionatur Propheta adverſus Jeroſolymam: quia priore loco ſemper oportuit Judæos ſevere objurgari, quum dediti eſſent multis ſceleribus. deinde quia ſemper erat illic reſiduum aliquod ſemen, oportuit adjungi conſolationes. Atque hunc ordinem hactenus vidimus in omnibus Prophetis. Cæterum memoria etiam tenendum eſt, libros qui nunc exſtant, confectos eſſe ex ſermonibus propheticis, ut poſſimus intelligere quænam fuerit ejus doctrinæ ſumma. Objurgat autem hic Propheta Judæos, quod *polluti eſſent & fœdati*: & Jeroſolymam alloquitur, in qua erat Sanctuarium: ideoque videri poterat excellere præ aliis urbibus: quoniam non fruſtra Deus illic locum ſibi elegerat, ubi invocaretur. Sed Propheta oſtendit quam inanis & fallax ſit illa gloriatio: quia urbs quam Deus ſibi conſecraverat, ſe inquinaverat multis ſordibus. Videtur enim alludere Propheta ad veteres Legis ritus, quos ſcimus multiplices fuiſſe præſcriptos à Deo, ut populus ille coleret munditiem. nam ceremoniæ per ſe non poterant abluere ſordes: ſed ſignis illis externis admonebatur populus pure & ſancte colendum eſſe Deum. Quum ergo ſeſe aqua ſubinde abluerent, quum etiam ſedulo ſervarent alios ſanctificationis ritus, Propheta deridet hypocriſin, quia non ſpectent verum finem ceremoniarum. Dicit igitur pollutos eſſe, etiamſi in ſpeciem poterant cenſeri puriſſimi: quia ſcilicet tota vita ſeſe profanabant. Adjungit *eſſe urbem* היונה. Vertunt alii, Urbem columbæ, vel columbam. nam יונה ſignificat Columbam. Accipiunt autem metaphorice pro urbe ſtulta & inconſiderata: quemadmodum vidimus ſexto capite Hoſeæ, Ephraim fuiſſe columbam, quod ſcilicet careret ratione & conſilio, & ſponte ſe projiceret in laqueos & decipulas. Putant igitur quidam interpretes eundem eſſe ſenſum hujus loci, quod Jeruſalem, quæ non tantum ſibi debuerat ſapere, ſed etiam aliis; ſit tamen prorſus fatua & inſipida. Sed facile ex contextu colligere licet, Prophetam aliud velle, quod ſcilicet Jeruſalem dedita fuerit rapinis & fraudibus. nam ינה ſignificat Fraudare & rapere alienum: ſignificat etiam Circumvenire ſicut prædari. Intelligit itaque proculdubio Jeruſalem fuiſſe urbem refertam omni genere ſcelerum: quemadmodum prius pollutam vocavit. Et poſtea adjungit expoſitionem. Videtur enim Propheta reſpicere hoc primo verſu ad duas Legis tabulas. Scimus Deum illic exigere munditiem à populo ſuo: deinde tradere regulam juſte & innoxie vivendi. Quum ergo Jeruſalem Propheta vocavit pollutam, voluit breviter oſtendere illic corruptum eſſe totum Dei cultum, nec ullum amplius vigere ſtudium pietatis: quia Judæi putabant ſe perfunctos eſſe erga Deum, ubi aqua ſordes ſuas abluerant. quod nimis ſtulte putabant: ſcimus enim & ſcire ipſi debuerant cultum Dei ſpiritualem eſſe. Poſtea adjungit, *urbem direptricem*: qua voce per ſynedochen comprehendit omnem injuſtitiam. Sequitur, *Non audivit vocem, non ſuſcepit correctionem.* Jam explicat Propheta, ac definit qualis illa fuerit pollutio, de qua loquutus eſt. Vera enim pietas incipit à docilitate: ubi ſubjicimus nos Deo & verbo ejus, hic eſt verus ingreſſus ad legitimum ejus cultum. Ubi autem contemnitur cœleſtis doctrina, etiamſi multum ſe fatigent homines in ceremoniis, tamen impietas eorum ſeſe detegit contumacia illa, quod ſcilicet non ſuſtinent regi Dei imperio. Ergo Propheta ut oſtendat quicquid putabant Judæi puritatis eſſe Jeroſolymæ cenſeri coram Deo meras ſordes & inquinamenta, dicit eos eſſe indociles, quia ſcilicet non audiant Prophetas ſibi divinitus miſſos. Hoc diligenter notandum eſt, nam ſine illo principio multum ſe torquent homines in colendo Deo, nec proficiunt quicquam: quia obedientia melior quam victimæ. Ergo ſi volumus probari Deo noſtrum ſtudium, incipere neceſſe eſt à fide: ita niſi apud nos auctoritatem obtineat verbum Dei, mera ſunt figmenta quæcunque poterimus ei objicere. Additur ſecundo loco, quod non ſuſceperit correctionem. non eſt hæc additio ſupervacua. Ubi enim videt nos Deus parum eſſe morigeros, nec ſponte venire, dum nos vocat, doctrinam confirmat reprehenſionibus. Initio allicit nos ad ſe, utitur blanda invitatione atque humana: ubi autem videt nos cunctari, vel etiam retrocedere, incipit durius & aſperius agere nobiſcum. Frigeret enim doctrina ſine reprehenſionum ſtimulis. Ubi autem Deus & docendo & objurgando ludit operam, hinc apparet nos eſſe pravo & perverſo ingenio. Ita voluit hic Propheta exaggerare malitiam populi ſui, quum dixit *non audire vocem*,

neque

neque etiam ſuſcipere correctionem: quaſi diceret malitiam populi ſui inſanabilem eſſe, quia non modo reſpuat ſalutis doctrinam, ubi offertur, ſed pervicaciter etiam rejiciat omnes admonitiones, neque ſuſtineat corrigi. Tenendum autem memoria eſt, Prophetæ negotium fuiſſe cum ſancto illo populo quem Deus ſibi elegerat in peculium. ergo non eſt quod ſe hodie eximant ab hac ſententia, qui obtendunt nomen fidelium. neque enim melior eſt noſtra conditio quam populi illius: præſertim Jeroſolyma, ut jam diximus, erat quaſi terreſtre Sanctuarium Dei. & tamen videmus quam duriter exagitet Propheta & Jeroſolymam & omnes ejus incolas. non eſt ergo cur hodie nobis blandiamur, niſi nos placide ſubjicimus Deo & patimur nos verbo ipſius gubernari, niſi etiam patienter ferimus nos corrigi, ubi doctrina ejus non ſatis eſt efficax, ſed opus habet acribus ſtimulis ad nos pungendos. Poſtea adjungit, *non eſſe confiſam in Domino, neque appropinquaſſe ad Deum ſuum.* Hic fontem impietatis clarius detegit Propheta, quod Jeroſolyma *non poſuerit ſpem ſalutis ſuæ in uno Deo.* Hinc enim omnis ſcelerum colluvies manat: quia ſi quærimus unde ardeant avaritia homines, cur ſint inſatiabiles, cur deinde tam licentioſe rapiant & fraudent alii alios, reperiemus hanc eſſe cauſam, quod nemo Deo innititur. Merito itaque Propheta hic inter alias pollutiones Jeroſolymæ hanc quaſi præcipuam commemorat, quod non poſuerit fiduciam ſuam in Deo. Jam eadem etiam eſt cauſa & origo omnium ſuperſtitionum: quia ſi certo ſtatuerent homines ſibi Deum ſufficere, non ita eos abſtraherent ſua figmenta ſurſum & deorſum. Videmus ergo incredulitatem non modo ſcelerum eſſe matrem, quibus homines ſeſe ultro & citro violant & lædunt: ſed omnium quoque ſuperſtitionum eſſe cauſam. Poſtremo dicit, non appropinquaſſe ad Deum. Perſtringit haud dubie Propheta Judæos, quod à Deo, quum propinquus eſſet, ultro defecerint, imo ſeſe alienaverint modis omnibus, quum tamen cuperet ipſos quaſi fovere in ſuo ſinu. Hoc quidem commune eſt omnium crimen qui Deum non quærunt: ſed Jeroſolyma longe atrocius peccavit, quod non potuit ſeſe Deo adjungere, à quo videbat ſe quæri. Quorſum enim Lex, quorſum adoptio, quorſum denique omnia pietatis exercitia, niſi ut Judæi conjuncti eſſent Deo? & nunc, Iſraël, quid abs te petit Dominus Deus tuus, dicebat Moſes, niſi *Deut. 10. verſ. 21.* ut ipſi adhæreas? Voluit igitur Deus Legem ſuam quaſi ſacrum eſſe conjunctionis vinculum inter ſe & Judæos. nunc quum ſeſe proripuerint huc & illuc, ne Deo eſſent conjuncti, fuit ille diabolicus furor. Ergo Propheta hic non ſimpliciter accuſat Judæos, quod non quæſierint Deum, ſed quod ſe ſubduxerint: atque ita fuerint indomabiles: quia volebat Dominus ipſos cicurare: fuerint autem ſimiles feris beſtiis. Nunc ſequitur,

3. Principes ejus in medio ejus, leones rugientes: Judices ejus lupi veſpertini, non lacerant ad mane. (*Alii, non differunt, nempe oſſa comminuere. ſed* גרם *proprie ſignificat Conterere, vel Frangere. Ergo de oſſibus loquitur Propheta, quod ſcilicet non expectarent uſque ad mane, ut oſſa contererent dentibus: ſed præ fame, vel potius rabie, prædam ſtatim lacerarent: imo etiam contererent oſſa dentibus.*)

Jam exponit Propheta quod prius diximus de rapinis vel fraudibus. Confirmat, ſe non abs re vocaſſe Jeroſolymam היונה, hoc eſt, direptricem, vel urbem fraudibus deditam: nempe *quia Principes fuerunt ſimiles leonibus, & judices lupis.* Quum autem judices compellat, non parcit interea promiſcuo vulgo: ſed oſtendit omnes ordines tunc fuiſſe corruptos: quia etiamſi in plebe nulla juſtitia vel æquitas colatur, manebit tamen aliquis pudor in ipſis judicibus, ut ſaltem contineant populum in officio, ne exultet nimia peccandi licentia. ſed ubi latrocinium in ipſo foro exercetur, quid jam de tota urbe dicendum erit? Videmus ergo Prophetam his verbis notare extremam confuſionem, quum dicit *Principes Jeroſolymæ eſſe leones.* & alibi vidimus ſimiles ſententias, ubi ſcilicet Prophetæ, quum propoſitum illis eſſet damnare omnes à minimo uſque ad maximum, tamen ſermonem ſuum præcipue ſtringebant in ipſos judices. & hoc notatu dignum eſt: quia tunc nulla fuit Dei Eccleſia in mundo, niſi Jeroſolymæ. Propheta nibilominus & Judices & Prophetas & Sacerdotes dicit fuiſſe omnes apoſtatas. Quid tunc potuit eſſe animi fidelibus? Atqui videmus non excidiſſe prorſus timorem Dei in electis, & certaſſe ipſos conſtanter & invicto animo contra ejuſmodi ſcandala & tentationes. ergo diſcamus etiam nos hodie munira ſimili fortitudine animi: ne deficiamus, quamvis ubique graſſetur impietas, & videri poſſit extincta omnis religio inter mortales. Cæterum hinc etiam colligimus quam ſtulte ſuperbiant hodie Papiſtæ inanibus titulis: quia putant ſibi obſtrictum eſſe Deum, ubi vocantur Epiſcopi & Paſtores. ſed Propheta oſtendit etiam qui ordinario munere regiminis funguntur, poſſe tamen eſſe impios & perfidos Dei contemptores. Simul oſtendit non eſſe parcendum vel Prophetis, vel Sacerdotibus: quia Deus dum præfecit illos Eccleſiæ ſuæ, non tradidit tyrannicum Imperium, ut impune quidvis audeant, neque coarguantur. Quanquam enim ſacrum erat Sacerdotium legale, videmus tamen ut fuerit obnoxium reprehenſioni. Ita bodie nemo ſibi arroget immunitatem quaſi exemptus ſit ab omni doctrina vel correctione, dum excellit in populo Dei. Quod autem principes diſtinguit à judicibus hæc ratio eſt, quia tunc regnum adhuc ſtabat. Ita aulici qui pollebant gratia & auctoritate apud Regem, trahebant ad ſe partem prædæ: judices autem etiam altera ex parte vorabant. Quanquam ſæpe Scriptura hæc duo nomina confundat. ſed non dubito quin per שרים intelligat aulicos proceres: שפטים autem vocet qui exercebant judicia. Dicit autem judices eſſe lupos veſpertinos, id eſt, famelicos. nam accenditur rabies in lupis, quum curſitarunt toto die, & nulla occurrit præda. Quoniam ergo inedia acuit lupos ad majorem ſævitiam, ideo Propheta dicit judices famelicos eſſe ſimiles lupis veſpertinis, quorum ſcilicet rabioſa eſt fames. & hoc etiam eodem ſenſu adjungit, *non conterere oſſa uſque ad mane*, id eſt, non differre in craſtinum diem, ut oſſa conterant: quia ubi vorarunt carnem, ſimul etiam exercent dentes ſuos in oſſibus frangendis: tanta ſcilicet eſt voracitas. Nunc tenemus Prophetæ conſilium. Poſtea ſequitur,

4. Prophetæ ejus leves, (*vel futiles*) viri tranſgreſſionum: Sacerdotes ejus polluerunt Sanctum, (*vel Sanctuarium*) ſuſtulerunt Legem.

Iterum Propheta revertitur ad inquinamenta & ſordes, de quibus loquutus eſt primo verſu. Oſtendit ſe non immerito clamaſſe contra urbem pollutam, quia etiamſi Judæi ſuas ablutiones tenebant, non poterant tamen ſe hoc modo purgare coram Deo, quum tota pietas apud ipſos corrupta eſſet. Dicit *Prophetas fuiſſe homines leves.* Hic unus loquitur, & plures ſimul damnat. Videmus ergo non eſſe cur impii ſuam multitudinem objiciant, ubi Deus verbo ſuo eos accuſat. Quemadmodum hodie Papiſtæ negant,

gant,

gant, uni, vel duobus, vel paucis hominibus fas eſſe in eorum impietatem invehi, etiamſi omnia peſſum eant, niſi accedat conſenſus totius orbis. quaſi vero Propheta non unus fuerit, & non habuerit certamen cum multis. Verum quidem eſt, eodem tempore docuiſſe, quo etiam munus Propheticum exercuit Jeſaias, quemadmodum alibi vidimus: ſed tamen vix duo aut tres tunc fideliter defuncti ſunt officio docendi. Ex hoc autem loco & aliis multis colligimus, pſeudoprophetas fretos ſua turba fuiſſe audaciores. Atqui non ideo deſtitit Sophonias contra ipſos clamare. ergo utcunque turmatim irruerent pſeudoprophetæ, & terrorem incuterent prætextu ſuæ multitudinis: hic unus nihilominus retinuit ſuam libertatem in ipſis damnandis. Sic etiamſi totus mundus hodie conſpiret ad impietatem, non eſt tamen cur pauci animo frangantur, dum vident ita perverti Dei cultum: ſed potius ſeſe animent hoc exemplo, & ſtrenue ſeſe ingerant adverſus multa hominum millia, ſi opus ſit: quia nulla conſpiratio poteſt minuere Dei auctoritatem. Jam ſequitur, *fuiſſe viros transgreſſionum*. Ubi vertimus leves, alii vertunt vacuos. Sed פוחזים ſignificat proprie homines nihili, atque etiam temerarios, & qui tam conſilio quam moderatione omni carent. Denique perinde eſt, acſi Propheta ipſos ſtupidos & cæcos eſſe diceret: poſtea diceret fraudulentos. nihil autem magis Prophetico officio contrarium eſt. Sed Sophonias oſtendit tunc ita profanatum fuiſſe totum ordinem in populo, ut denſiſſimæ tenebræ eſſent in ipſis ducibus, quorum partes erant lucem doctrinæ cœleſtis præferre. & conceſſio eſt in hac voce, quum vocat eos Prophetas. Quemadmodum hodie dum loquimur de Epiſcopis Papalibus, certum quidem eſt indignos eſſe tam honorifico elogio. ſunt enim talpis cæciores: tantum abeſt ut ſpeculentur. deinde ſcimus etiam ſimiles brutis pecudibus eſſe: quia demerſi ſunt in ſuis libidinibus: denique indigni ſunt etiam qui vocentur homines. Sed concedimus illis hunc titulum, quo magis appareat ipſorum turpitudo: quemadmodum Propheta quum diceret Judæos non appropinquaſſe ad Deum ſuum, non conceſſit illis proprie loquendo quod jactabant: nam volebant ſemper ſacer & peculiaris Dei populus cenſeri: ſed hinc magis apparuit ipſorum ingratitudo, quod quum Deus ipſos amplecti paratus eſſet, retroceſſerunt & converterunt ſe alio, quaſi dara opera vellent teſtari ſibi nihil commune cum ipſo eſſe. ergo eadem eſt nunc loquendi ratio, quum Sophonias dicit Prophetas fuiſſe *homines leves & viros transgreſſionum*. Jam addit, *Sacerdotes polluerunt Sanctum*. Scimus electam fuiſſe tribum Levi à Deo, ut qui inde orti erant, eſſent aliis magiſtri & doctores: ideo etiam hoc conſilio juſſit Dominus in Lege diſpergi Levitas per totam regionem. Poterat enim illis etiam dare locum, quemadmodum aliis familiis: ſed voluit eſſe diſperſos in toto populo; ne qua ſcilicet terræ pars careret bonis & fidelibus magiſtris. nunc eos accuſat Propheta, quod Sanctum polluerint. Per nomen קודש intelligit Propheta quicquid erat Sanctitatis: ſed tamen loquitur de Sanctuario. Cæterum, quoniam Sanctuarium erat quaſi domicilium ipſius Dei, quum Prophetæ de ejus cultu & pietate loquuntur, comprehendunt ſub Templi voce omnia: quemadmodum hoc loco. Dicit ergo *pollutam fuiſſe Sanctitatem à Sacerdotibus*. Deinde, *Saſtulerunt* vel everterunt *Legem*, inquit. Hic videmus quam libere Propheta contra Sacerdotes inſurgat. Itaque non eſt cur ſibi uſurpent licentiam quidvis audendi qui præfecti ſunt divinitus Eccleſiæ: quia jactare hanc prærogativam poterant Sacerdotes, ut quidvis ipſis liceret abſque controverſia. Videmus autem ut Deus non tantum ipſos cogat in ordinem per Prophetas ſuos, ſed etiam traducat præ aliis: quod ſcilicet minus erant excuſabiles. Jam quod Papiſtæ jactant non poſſe errare Clerum illum, hoc eſt, fæcem illam collectam ex fœtidiſſimis ſordibus, pluſquam ridiculum eſt. neque enim meliores ſunt ſucceſſoribus Aaron. Videmus autem quid nuoc illis objiciat Propheta, quod ſcilicet *everterunt Legem*. non tantum hic damnat vitam ipſorum, ſed dicit fuiſſe perfidos Deo, quia perperam corruperant totam pietatis doctrinam. Fatentur Papiſtæ poſſe quidem ſe peccare: ſed vitia reſidere duntaxat in moribus. Volunt interea ſe eximere ab omni errandi periculo. Quaſi vero non fuiſſent electi Levitici Sacerdotes ipſa Dei voce. & tamen videmus ut apoſtatæ fuerint. Confirmat autem pios Deus, ne ſe projiciant ad impietatem: quamvis duces quoque ipſos errare videant, vel ruere præcipites. nam oportuit fideles muniri hac conſtantia, quum Sacerdotes tunc non tantum ſuis flagitiis populum abſtraherent ab omni timore Dei & pietatis ſtudio, ſed etiam pervérterent omnem doctrinam: oportuit, inquam, fideles tunc invictos manere. Ergo etiamſi hodie qui primum gradum tenent in Eccleſia, poſthabito Deo, imo ſpreta omni doctrina cœleſti, ruant per fas & nefas: etiamſi conentur vertere Dei veritatem in mendacium: maneat tamen fides noſtra ſtabilis: quia non temere Joannes pronunciat debere eſſe victri- 1 Joan. 5. verſ. 4.
cem contra totum mundum. Sequitur,

5. Jehova juſtus in medio ejus, non faciet iniquitatem: mane mane judicium ſuum proferet in lucem, non deficiet: neque tamen cognoſcet iniquus pudorem.

Hic retorquet Propheta adverſus hypocritas quod ſolebant obtendere quum vellent improbe reſpuere omnem doctrinam & omnes admonitiones. Dicebant enim Deum reſidere in medio ſui: quemadmodum hodie Papiſtæ hunc clypeum nobis objectant, columnam veritatis eſſe Eccleſiam. Putant igitur obtegi ſua omnia ſcelera hoc umbraculo. Sic tunc Judæi in ore ſemper habebant jactantiam illam, Nos tamen ſumus ſacer Dei populus, & habitat in medio noſtri, quia colitur in Templo, quod non arbitrio hominum, ſed juſſu ejus erectum eſt. neque enim iſta
Pſal 132. verſ. 14. vox è terra nata eſt, ſed è cœlo profecta, Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hic habitabo. Quum ergo inflati eſſent Judæi tali ſuperbia, Propheta concedit quod petebant, Deum ſcilicet inter ipſos reſidere: ſed longe in alium finem, ut ſcilicet ſentiant propiorem eſſe ejus manum ad ulciſcenda ſcelera. hoc unum eſt, quum dicit *Jehovam eſſe in medio eorum*: Bene, inquit, ego concedo habitare in hac urbe, quia voluit Templum in monte Sion ſibi erigi, voluit altare hoc eſſe ſibi ſacrum. ſed quorſum Deus inter vos habitat & hoſpitium hoc aliis omnibus prætulit? nempe, inquit, *non faciet iniquitatem*. Reputate nunc apud vos quænam ſit Dei natura: nam quum voluit habitare inter vos; certe non abnegavit ſeipſum propterea, neque à ſeipſo deſcivit. non eſt igitur fingenda vobis hæc conditio, quaſi Deus in gratiam eorum, quibus ſeſe devinxit, velit abjicere ſuam juſtitiam, velit ſeſe polluere hominum inquinamentis: ſtulte hæc Judæos comminiſci admonet. *Deus* ergo *qui habitat in medio veſtri, non faciet iniquitatem*, hoc eſt, non ſubſcribet veſtris ſceleribus: neq; etiamſi ad tempus diſſimulet, tamen in finem uſque vos tolerabit. nolite igitur vobis ſtulte blandiri, quaſi Deus eſſet approbator ſcelerum veſtrorum. Quidam hoc referunt ad populum, Non debuerat facere iniquitatem. ſed dura eſt expoſitio & prorſus aliena à contextu. Alii omnes interpretes exponunt Deum eſſe juſtum, neque iniquitatem facere, quia legitimas haberet cauſas exercendæ vindictæ contra tam ſceleratum populum. Putant igitur Prophetam antevertere, ne Judæi obmurmurent quaſi crudelis vel

nimium

nimium rigidus eſſet Dominus. Non faciet iniquitatem, hoc eſt, Dominus etiamſi graviſſimas pœnas de vobis exigat, non poteſt tamen in judicium à vobis trahi, & fruſtra litem ei obtenditis, quia ſemper reperietur juſtus Judex. ſed illud etiam nimis frigidum eſt. Teneamus quod jam dixi, Prophetam hic per ſpeciem ironiæ concedere Judæis Deum habitare inter ipſos: ſed poſtea rejicere in eos quod putabant ſibi eſſe præſidio: Deus habitat in medio veſtri: fateor, inquit: ſed Deus ipſe nonne juſtus eſt? nolite igitur ſomniare ſimilem eſſe vobis, qui ſcelera veſtra foveat. Deinde non faciet Deus iniquitatem, hoc eſt, non poteritis hoc impetrare, ut ſibi ipſe renunciet, vel mutet naturam cauſa veſtra. Quorſum ergo habitat Deus in medio veſtri? *Mane mane judicium ſuum proferet in lucem*, inquit: hoc eſt, quotidie Dominus proferet ſuum judicium. Quomodo autem hoc intelligi debeat, cras fuſius differemus.

Da omnipotens Deus, quando tam inæſtimabili honore nos dignatus es, ut adoptaveris in ſacrum populum, & ſegregaveris à reliquo mundo: da, inquam, ut ne claudamus oculos ad lucem doctrinæ tuæ, qua viam ſalutis nobis monſtras, ſed vera docilitate quo vocas ſequamur: neque unquam abjiciamus timorem nominis tui, neque etiam ludamus tecum frivolis ceremoniis, ſed ſtudeamus ſincere nos totos tibi addicere, & purgare ab omnibus non tantum carnis, ſed etiam ſpiritus inquinamentis, ut ita veram ſanctitatem colendo, aſpiremus & aſſidue enitamur ad perfectionem illam cœleſtem, à qua adhuc tam longe abſumus: interea autem freti patrocinio unigeniti Filii tui, innitamur miſericordiæ tuæ, & in ea fundati ſemper magis ac magis aſſurgamus ad illam veram & perfectam conjunctionem, quæ nobis repoſita eſt in cœlo, quum ſcilicet participes erimus gloriæ tuæ, per eundem Chriſtum D. N., Amen.

PRÆLECTIO OCTAVA

IN

SOPHONIAM PROPHETAM.

CAP. III.

COEpimus heri exponere hanc ſententiam, ubi Propheta dicit Deum habitare Jeroſolymæ, ſed interea eſſe juſtum, nec fieri poſſe ut ſe adjungat ſocium improbis & ſceleratis: quia non mutabit naturam ſuam in hominum favorem. Jam ſequitur, *Mane mane proferet judicium ſuum in lucem:* quibus verbis intelligit, vel Deum fore vindicem ſcelerum, quæ videntur quaſi fugere ejus oculos, quum tardius pœnam exigit; vel aſſiduum eſſe in revocando populo, ſi qua attentio eſſet ad doctrinam. Si prior expoſitio placeat, ſenſus erit, Stulte deliciari hypocritas quantiſper Deus ipſis indulget: quia repente tribunal conſcendet ad ſumendam de ipſis pœnam. Alii tamen referre malunt ad pœnas Gentibus inflictas, quibus non ſemel & iterum, ſed ſubinde admoniti fuerant Judæi mature reſipiſcendum eſſe. ſed minime dubium eſt, quin domeſticum judicium hic notet Propheta. Nunc videndum, verbale hoc an actuale fuiſſe dicat. Non male conveniet de vindicta intelligere, quod ſcilicet properabit Deus ad ſumendas pœnas, quia digni ſont Judæi in quos ſeverius animadvertat, quia & nomen ejus falſo obtendunt, & dum ſtolide jactant in medio ſui habitare, longiſſime ab eo ſe ſubducunt. Non minus tamen commode ad doctrinam hoc referetur, ut crimen populi exaggeret Propheta: quia ſcilicet obſurduerat ad tot tamque ſedulas admonitiones, quæ aſſidue perſonabant in omnium auribus: quemadmodum alibi conqueritur Deus, quum mane ſurrexerit, & quidem quotidie, caruiſſe profectu hanc ſollicitudinem. Atque ita verbum futuri temporis continuum actum notabit: quia Deus non deſierat hortari ad pœnitentiam miſeros illos, quibus aures fuerant ſurdæ. & concinne reſpondet quod ſequitur, Ipſum non deficere. Signum enim infatigabilis miſericordiæ fuit tanta illa perſeverantia, ubi Deus Prophetas alios aliis ſubmittere non deſtitit. Jam adjungit, *Iniquus neſcit pudorem.* Significat quod jam prius attigit, populum illum ita obduruiſſe in ſua malitia, ut neque doctrina, neque minis, neque etiam flagellis Dei poſſit corrigi. Si judicium referamus ad doctrinam, quod mihi probatur, ſenſus erit, Quamvis Deus quotidie Legem ſuam producens in medium, quaſi lucernam accendat, quæ retegat quicquid eſt malorum, impii tamen non erubeſcunt. Si autem intelligamus de actualibus, ut loquuntur, judiciis, eodem recadet ſenſus, quod ſcilicet non reſipiſcant impii, etiamſi palam appareat Dei manus: & ſi conſurgat ad judicium, tamen neſciunt erubeſcere, inquit. In ſumma rei nulla eſt ambiguitas. Propheta enim ſimpliciter intelligit deſperatum eſſe hunc populum, quia etiamſi Deus ſe judicem manifeſtis ſignis vel potius Lege ſua oſtendat, non tamen tangantur ullo pudore, ſed pergant in ſuis ſceleribus. nam Judicium numero ſingulari pro certa pie juſteque vivendi regula, quæ pudorem hominibus extorquet, poſitum eſſe videtur. Nunc ſequitur,

6. Excîdi gentes, vaſtatæ ſunt arces earum, perdidi vicos earum, ut nemo tranſeat: vaſtatæ ſunt urbes earum, ut non ſit vir, non ſit qui habitet.

7. Dixi, Certe timebis me, ſuſcipies diſciplinam: & non excidetur habitatio ejus, quicquid viſitavi ſuper eam: certe properarunt, corruperunt omnia ſtudia ſua.

Hic oſtendit alia ratione Propheta nihil ſperandum eſſe de populo, qui ne aliena quidem jactura edoctus fuerit, ut ſtuderet redire cum Deo in gratiam. Conqueritur enim hic Deus ſe ſumpſiſſe multas pœnas de vicinis gentibus, quæ totidem erant exempla ad revocandos Judæos. nam ſi ſanæ fuiſſent mentis, poterant ex quiete ſua, quum Deus illis parceret, conſiderare quid ipſi eſſent meriti: Si hoc fit in viridi, quid tandem fiet in arido? Poterant ergo apud ſe reputare jam inſtare graviſſimam cladem, niſi prævenirent iram Dei, quæ apud ipſos maturuerat. & Deus etiam teſtatur ſe voluiſſe talibus exemplis antevertere judicium, quod merito jam exercere poterat contra ipſos, quia tunc quoque properarunt: hinc apparet fuiſſe deploratam eorum malitiam. Hæc ſumma eſt. Dicit initio, *Excîdi gentes:* quibus verbis oſtendit ſe non uno tantum exemplo Judæos admonuiſſe, ut reſipiſcerent, ſed pluribus. neque enim una tantum ſpecies iræ Dei apparuerat, ſed undique Deus oſtenderat ſe judicem, quum alii poſt alios traherentur ad pœnam. Quum ergo toties eſſent admoniti, hinc colligimus fuiſſe prorſus excæcatos ſua malitia. Jam exaggerat pœnarum atrocitatem, quum dicit *Arces fuiſſe dirutas & vicos exciſos,*

ciſos, ut nemo tranſiret: deinde *in ſolitudinem redactas fuiſſe urbes, ut nullus eſſet illic habitator.* nam ſi vulgares ſunt pœnæ, ut plurimum ſolent contemni: ſed ubi tam inſignibus documentis Deus palam oſtenderat ſe animadvertere contra gentes, hoc eſt, contra cæcos, qui præ Judæis erant innoxii; an potuit hoc contemni à Judæis, quos hoc modo ad ſe Deus revocabat, niſi prorſus fuiſſent perdito & inſanabili ingenio? Nunc ergo videmus quorſum Propheta amplificet pœnas illas, quæ in Gentibus ſpectari debuerant à Judæis. Jam adjungit etiam conſilium Dei: *Dixi, Certe timebis me.* Hic Deus induit perſonam hominis, quemadmodum ſæpe alibi ſolet: neque enim expectat quaſi dubius quid futurum ſit, ſed ſcimus omnia eſſe ſub ejus oculis. non ergo deceptus fuit Deus, quaſi aliquid præter ejus expectationem acciderit, ſed quemadmodum jam dixi, hic ſuſcipit hominis perſonam: quia aliter non poterat ſatis exprimere quam inexcuſabiles eſſent Judæi, qui ſpreverant tot admonitiones. Quid enim fuit Deo propoſitum, ubi gentes profanas ſigillatim ultus eſt, niſi ut Judæi expergefierent alienis malis, neque in ſe provocarent iram ejus? quemadmodum Paulus etiam
Rom. 1. utitur hac ratione: Propter hæc, inquit, ſolet ve-
verſ. 17. nire ira Dei ſuper omnes incredulos. Quoniam ut plurimum ſeſe blanditiis fallunt homines & fovent ſuam malitiam nimia indulgentia, Paulus dicit venire iram Dei ſuper incredulos. & hoc etiam ſingulare teſtimonium eſt amoris Dei, quod non ſtatim nos aggreditur, ſed proponit nobis exempla. Quemadmodum ſiquis ſervum ſuum arripiat coram filio & plectat eum duriter, filius tali ſpectaculo moveri debet, niſi prorſus ſit exitio devotus: tamen in hoc ſe prodit paternus amor, quod retrahit manum à filio & pœna ſervum afficit, hocque in utilitatem filii ſui, ut alieno malo ſapiat. Idem etiam Deus ſe feciſſe hoc loco refert. Conqueritur autem hoc fuiſſe inutile, quia Judæi conſilium ejus fruſtrati fuerint. nunc quæritur an Deum homines fruſtrentur quaſi aliud expectet quam quod accidit. Jam dixi Deum loqui humano more & improprie: ideoque hic non debemus ingredi vel penetrare uſque ad arcanum Dei conſilium, ſed contenti eſſe communi hac ratione, quod ſi nihil proficimus ubi Deus vel ſermone ſuo, vel etiam ferulis nos admonet, tunc perinde reos eſſe, acſi eſſet à nobis deluſus. & hinc etiam convincitur eorum veſania, qui nolunt quicquam tribui Deo, niſi quod in iſtis vulgaribus loquendi for-
1 Tim. 2. mis continetur: Deus dicit ſe velle omnium ſalutem.
verſ. 4. Ergo nulla eſt ejus electio, quæ diſcernat inter hunc vel illum: ſed Dominus reliquit totum genus humanum libero Arbitrio, ut quiſque ſibi conſulat, prout libuerit. alioqui duplex eſſet Dei voluntas. Sic garriunt homines indocti, & qui non modo ſuam in religione inſcitiam oſtendunt, ſed qui carent prorſus omni ſenſu. Quid enim ſtultius eſt quam colligere duplicem eſſe Dei voluntatem, ſi aliter loquitur nobiſcum quam ferat incomprehenſibilis ejus majeſtas? Una ergo & ſimplex eſt Dei voluntas, ſed multiplex eſt quoad ſenſum hominum: quia non poſſumus capere arcanum illud conſilium, quod Angeli adorant cum reverentia & humilitate. Ideo Dominus ſeſe accommodat ad modulum ingenii noſtri, quemadmodum locus hic ſatis aperte docet. nam ſi recipimus quod fanatici illi volunt, certe Deus inſtar hominis bene ſperabit & poſtridie ſentiet ſe fuiſſe deceptum. Quid autem magis alienum ab ejus gloria? Videmus ergo ut phrenetici iſti non modo obſcurent Dei gloriam, ſed quantum in ſe eſt ſtudeant totam ejus eſſentiam redigere in nihilum. ſed hæc loquendi forma ſatis familiaris eſſe nobis debet, quod ſcilicet Deus merito queritur ſe fuiſſe à nobis fraudatum, ubi non reſipiſcimus, quum tamen nos ad ſe invitat; imo exſtimulat: *Dixi, Certe timebis me.* Hoc igitur Dicere, non debet referri ad arcanum Dei conſilium, ſed ad rem ipſam: hoc eſt, jam tempus erat reſipiſcendi. Quis non ſperaſſet vos in viam redituros? quum paries proximus ardebat, an potuiſtis tunc dormire, niſi eſſetis pluſquam ſtupidi? Ubi autem tot exempla ſine profectu edita ſunt ante oculos veſtros, hinc apparet nullam eſſe amplius ſpem reſipiſcentiæ. Tu ergo timebis me: hoc eſt, Deus debuit ſperare aliquam correctionem, etiamſi vos nondum attigerat vel minimo digito, quia potuiſtis quieti ſpectare quam ſevere ultus fuerit contemptum juſtitiæ ſuæ in profanis gentibus: quemadmodum ubi
dicit apud Jeſaiam, Vinea mea quid ego tibi feci? Jeſ. 5: 4.
aut quid ultra facere debui quod non præſtiterim? Expectavi ut proferres fructum: ecce autem tu produxiſti mihi labruſcas. Deus illic perinde expoſtulat cum Judæis acſi ſua perfidia ipſum fefelliſſent. Atqui ſcimus ante mundi creationem fuiſſe ei cognitum quicquid poſtea accidit. ſed quemadmodum jam dixi, res ipſa nobis ſpectanda eſt, non autem occultum illud Dei judicium. Poſtea addit, *ſuſcipies diſciplinam*, hoc eſt, tu poſthac docilior eris. nam prodigioſus eſt noſter ſtupor, ubi non metuimus nobis à Dei vindicta, quum tamen ante oculos noſtros apparet, quemadmodum jam dixi nos moneri omnibus exemplis pœnarum, quæ quotidie eduntur, ut reſipiſcamus. Si autem pergimus in noſtra malitia, quid hoc aliud eſt quam calcitrare adverſus ſtimulum? ut eſt in proverbio. Denique videmus hic deſcribi extremam malitiam & obſtinationem, quæ nullum remedium admittat. Unde etiam iterum adjungit Propheta, *Et non excidetur habitaculum ejus quicquid viſitaverim ſuper eam:* hoc eſt, etiamſi jam me provocaverant Judæi, ita ut inſtaret illis pœna, quam promeriti erant; tamen paratus eram manum meam retrahere & illis ignoſcere, ſi reſipuiſſent: non quod Deus à propoſito ſuo unquam deflectat (nulla enim obumbratio in ipſum cadit) ſed hic rem ipſam qualis erat proponit. neque enim, ut dixi, hic diſputandum eſt de occulto Dei conſilio: ſed debemus ſubſiſtere in ratione, quam erga nos tenet, dum conſulit ſaluti noſtræ. Minatus fuerat Deus jam ante multos annos Judæis: diſtulerat tamen exequutionem. Interea ira ejus volitaverat per omnem viciniam: gentes profanæ ſuſtinuerant graviſſimas pœnas. Deus hic pronunciat ſe ideo fuiſſe tam lentum, ut daret ſpatium reſipiſcendi populo ſuo: & conqueritur tamen fruſtra ſe cunctatum fuiſſe, quoniam perrexerint illi in ſua malitia, & quaſi deluſerint ejus patientiam. Ergo quum dicit, *Non excidetur habitatio ejus quicquid viſitaverim ſuper eam*, vel quicquid viſitavi: adhuc proſequitur eandem loquendi formam, nempe quod paratus fuerit ignoſcere Judæis, tametſi prius deſtinaverat eos exitio: non quod ſententiam retractet, quantum ad ipſum ſpectat; ſed quia adhuc placabilis erat futurus, ſi Judæi tacti fuiſſent aliquo pœnitentiæ ſenſu. Tandem adjungit, *Certe* (alii vertunt, ſed) *certe properarunt*. שכם proprie ſignificat Mane ſurgere: ſed metaphorice capitur pro Celeriter pergere: quaſi diceret, Præcipites currunt ad vias ſuas corrumpendas. Dixerat Deus hac de cauſa ſe fuiſſe tam lentum, ut paulatim ipſos ad pœnitentiam adduceret: contra autem conqueritur ipſos cucurriſſe, hoc eſt, Quum viderent me ſuſpendere judicia mea, quaſi propoſitum eſſet data opera iram meam accelerare, ita feſtinarunt, ut corrumperent vias ſuas. Summa igitur eſt, populum hunc non modo fuiſſe perditæ obſtinationis, ſed etiam veſanum & præcipitem, quaſi vellet urgere pœnam, quam Dominus volebat differre ad tempus. Sequitur nunc,

8. Propterea expectate me, dicit Jehova, uſque ad diem quo ſurgam ad prædam: quia judicium meum (*hoc eſt, decretum eſt mihi*) ut colligam gentes, ut congregem regna, ut effundam ſuper ipſa (*regna, vel ſuper ipſas gentes*) indignationem meam, totum furorem iræ meæ: quia igne zeli (*vel indignationis meæ*) vorabitur tota terra.

Hic jam pronunciat Deus finem ultimum adeſſe, quoniam expertus fuerit ſe nihil profeciſſe longa tolerantia: imo cognoverit deteriores reddi Judæos, quia tam clementer ipſos tractaverit. Quidam putant ſermonem hunc dirigi ad fideles, ut ſeſe ad crucem ferendam parent. ſed illud eſt omnino alienum à contextu Prophetæ: & tamen ſententia illa recepta eſt fere omnium conſenſu. Ego autem non dubito, quin Propheta, ſicuti nunc attigi, abrumpat querimonias, & dicat jam Deum verbis non acturum cum tam deſperato populo. *Expectate me*, inquit: hoc eſt, jamjam ego adero armatus: hactenus ſtudui vos flectere, niſi obduruiſſent animi veſtri ad pravitatem: ſed quia operam perdidi docendo, monendo, hortando, imo etiam quum vobis ſpectacula hinc inde proponerem in profanis gentibus, quæ vos ſtimularent ad pœnitentiam: quia hoc quoque modo nihil profeci, jam agedum, *expectate me*: hoc eſt, non eſt quod amplius vobiſcum litigem, & non eſt etiam quod amplius ſperetis me miſſurum ad vos Prophetas. *Expectate igitur me dum ego ſurgam.* Quomodo? *Ad prædam.* לעד, quidam vertunt quaſi eſſet לעד, In perpetuum. ſed ſignificat Propheta Deum ſic offenſum eſſe contumacia populi, ut jam appetat prædari, rapere, vorare, obliviſcatur manſuetudinis illius, quæ illis hactenus fuerat ludibrio: Adero quaſi ſæva bellua: quemadmodum leones rapiunt, lacerant, diſcerpunt, devorant; ſic etiam facturus ſum vobiſcum, quia hactenus nimis humaniter & paterne vobis peperci. Videmus ergo hæc exempla non debere referri ad ſpem vel tolerantiam piorum: ſed Deum hic potius ultimum exitium denunciare reprobis: quaſi diceret, Ego jubeo vos valere: faceſſite, & agite res veſtras. ego enim non contendam poſthac: ſed brevi adero, & alius quam hactenus ſitis me experti. Nunc videmus Deum quaſi renunciare Judæis, & minari ſe venturum exerto gladio contra ipſos. quanquam potius ſe comparat ſævæ & truculentæ beſtiæ. Poſtea adjungit, *Nam judicium meum eſt*, hoc eſt, mihi decretum eſt, *colligere gentes omnes.* Diximus alibi de hoc verbo אסף. idem valet Hebræis quod Gallice dicimus *tranſfer*. *Mihi* ergo *decretum eſt colligere*, hoc eſt, concervare in unum cumulum *gentes omnes, congregare regna*, ſic ut nullus angulus terræ manum meam evadat. Loquitur autem de omnibus gentibus & regnis, ut intelligant Judæi poſthac non poſſe ſuum judicium differri: quia, ſi fieret comparatio inter ipſos & profanas gentes, quemadmodum ſcribitur, judicium 1 *Pet.* 4.
ſolet incipere à domo Dei: deinde minus erant ex- *verſ.* 17.
cuſabiles quam increduli, quos mirum non erat errare in tenebris, quia carebant omni luce doctrinæ. Deus ergo minatur gentibus & regnis, ut ſciant Judæi graviſſimam pœnam inſtare ſuis capitibus, qui alios omnes vincerent malitia & ſceleribus. Poſtea adjungit,

9. Certe tunc convertam ad populos labium purum, ut invocent omnes nomen Jehovæ, ut ſerviant ei humero uno.

Jam Propheta mitigat doctrinæ illius aſperitatem, quæ poterat ſupra modum terrere pios, imo prorſus exanimes reddere, niſi adhibitum fuiſſet aliquod ſolatium. Deus ergo hic temperat quod prius minatus eſt. nam ſi hoc tantum dixiſſet per Prophetam, Mihi decretum eſt colligere gentes omnes, & ita vorabitur omnis terra igne indignationis: quid colligere poterant fideles, niſi ſe quoque perituros cum orbe reliquo? neceſſe igitur fuit doctrinam ſpei adjungi, qualem hic legimus. Interea notandum eſt quod alibi admonui, Prophetas nunc ſermonem ſuum dirigere ad ſolos fideles, qui pauci tunc erant numero: nunc vero alloqui promiſcuum vulgus: & ita dum noſter minatur, reſpicere ad totum corpus populi: ubi autem gratiam Dei in medium profert, perinde eſt acſi oculos reflecteret ad ſolos fideles, & colligeret eos in aliquam partem. Exempli gratia: ſi in populo uno pauci recte ſapiant, tota autem multitudo conſpiret in ſuam perniciem; qui concionem habere volet, diſcernet inter illam ingentem turbam & inter paucos. Objurgabit ergo ſevere qui ita deſipiunt & vivunt in malum ſuum. poſtea aliter formabit ſermonem ſuum apud eos quibuſcum non tantum eſt negotii. Sic etiam Dominus ſermonem ſuum mutat: quia nunc compellat impios, deinde poſtea ſeſe confert ad electos, qui adhuc reſidui erant. Sic hactenus concionatus eſt Propheta objurgando & minando: quia ſermo ad totum populi corpus erat: nunc autem reliquias, quemadmodum dixi, colligit quaſi ſeorſum, & proponit illis ſpem veniæ & ſalutis. Dicit igitur, *Tunc tamen*) nam כי adverſative accipio, *& tamen tunc* (*vertam ad populos labium purum.* Significat Deus gratiam ſuam latius propagatum iri, ubi ita terram purgaverit: quia non tantum coletur in Judæa, ſed apud extraneos, imo apud gentes remotiſſimas. Poterat enim objici, Ergone vult Deus extinguere nomen ſuum in mundo? Quid enim futurum eſt deleta Judæa, & reliquis gentibus perditis, niſi ut nomen Dei expoſitum ſit contumeliæ? Nuſquam invocabitur: & omnes etiam certatim evoment ſuas blaſphemias contra ipſum. Propheta occurrit, dicens in manu Dei eſſe rationem, qua gloriam ſuam vindicet, quoniam non modo tuebitur Eccleſiam ſuam in Judæa, ſed longe lateque populos colliget, ita ut celebretur ubique nomen ſuum. Sed loquitur primum de labio puro: *Convertam*, inquit, *ad populos labium purum.* Hoc verbo ſignificat invocationem nominis Dei peculiare eſſe ipſius opus. neque enim homines proprio carnis motu ſeſe ingerent ad orandum: ſed ubi Deus eos traxerit. Verum quidem eſt, ſemper invocatum fuiſſe Deum ab omnibus populis: ſed non fuit legitima illa orandi ratio, quum temere inanem vota ſua projicerent. deinde ſcimus Deum non fuiſſe invocatum à gentibus, quia nemo tunc in mundo fuit qui non fingeret ſibi aliquod idolum. Quum ergo innumeris idolis referta eſſet terra, Deus non niſi in ſola Judæa invocatus fuit. Cæterum etiamſi animus fuiſſet incredulis precari Deum, tamen non poterant hoc rite facere, quoniam oratio ex fide manat. Non abs re igitur promittit Deus ſe verſurum ad gentes labia pura: hoc eſt, ſe facturum ut gentes puris labiis poſſint invocare ipſius nomen. ergo hinc colligimus quod dixi, non poſſe Deum rite à nobis invocari, donec ad ſe nos trahat. nam profani ſumus & impuris labiis. denique initium precandi eſt ab iſta purgatione arcana Spiritus, de qua nunc agit Propheta. Quod ſi hoc ſingulare eſt Dei beneficium, vertere labium purum ad gentes, ſequitur & fidem etiam ab ipſo nobis conferri, quia ſunt res conjunctæ. Sicuti autem purificat fide Deus corda hominum, ita etiam labia repurgat, ut nomen ſuum rite poſſit invocari, quod alioqui profanatur ab incredulis. Quoties obtendunt Dei nomen, certum eſt hoc non fieri ſine ſacrilegio. Quod dicit Omnes, referri debet ad populos, non ad ſingula capita. neque enim unquam fa-

ctum fuit ut quiſque Deum invocaret: ſed ex omnibus populis fuerunt aliqui, ſicuti etiam Paulus loquitur primo cap. prioris ad Corinthios. nam ubi ſalutat fideles, adjungit, Qui invocant nomen Do-
1 Tim. 2. verſ. 8. mini in omni loco, non tantum in Judæa. & alibi, Volo viros extendere manus ad cœlum in omni loco. Poſtea adjungit, *Ut ſerviant ei humero uno*: hoc eſt, ut ſtudiis conjunctis ſeſe Deo ſubjiciant ad obſequium præſtandum. nam Humero ſervire eſt Conſentire, ita ut alii alios juvent. Et metaphora videtur deducta eſſe ab iis qui onus aliquod geſtant. niſi enim alter alteri reſpondeat, unus ſuccumbet: deinde onus ipſum cadet in terram. Dicimur ergo Deum colere humero uno, dum mutuo conſenſu ſtudemus alii alios juvare. & hoc diligenter notandum eſt, ut ſciamus non poſſe Deo probari ſtudium noſtrum, niſi dum ita in eundem finem tendimus: & etiam alii aliis cupimus animum addere, & conferimus inter nos officia noſtra. Niſi ergo ita inter ſe reſpondeant fideles, Deus non poteſt probare ipſorum obſequium. Jam videmus quam ſtulte deſipiant, qui liberum Arbitrium & quicquid inde pendet tantopere extollunt: quia Dominus exigat tam fidem quam reliquas partes pietatis: deinde etiam charitatem & totam Legis obſervantiam requirat ab omnibus. nam hic teſtatur non poſſe invocari nomen ſuum, quoniam omnibus polluta ſunt labia, donec conſecraverit, repurgans per Spiritum ſuum quod pollutum fuerat. deinde oſtendit non aliter homines jugum ſubituros, niſi conjungat ipſos, ut ſeſe voluntarios præſtent. Non poſſem ulterius progredi.

Da omnipotens Deus, quando præcipua pars noſtræ felicitatis eſt, ut dum abs te peregrinamur in hoc mundo, pateat tamen familiaris ad te aditus per fidem: da, inquam, ut puro corde poſſimus in conſpectum tuum prodire: & quando pollutis ſumus labiis, purifica nos per Spiritum tuum, ita ut non tantum ore te precemur, ſed etiam teſtemur nos hoc facere ſerio, abſque ulla fictione, nempe ut totam vitam ſtudeamus impendere ad glorificandum nomen tuum, donec tandem collecti in regnum tuum cœleſte, vere & in ſolidum uniamur tibi, & conſortes ſimus ejus gloriæ, quæ nobis parta eſt ſanguine ejuſdem Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO NONA IN SOPHONIAM PROPHETAM.

CAP. III.

10. Trans fluvios Æthiopiæ ſupplicantes mihi, (*vel ſupplices mei*) filia diſperſorum meorum offerent munus meum. (*hoc eſt, mihi: nam* י *affixum accipitur loco pronominis* אלי.)

NOn conſentiunt interpretes in hoc verſu: quia Hebræi quidam eum contexunt cum ſuperiore, acſi adhuc diſſereret Propheta de vocatione gentium. Alii autem (quibus ego libentius ſubſcribo) referunt ad Judæos diſperſos, ut hic ſpem faciat Propheta reſtitutionis, de qua etiam ante loquutus eſt. Qui de gentibus intelligunt, putant Atharai & Phouſai eſſe propria nomina vel gentilia. Sed primum nuſquam reperietur locus, unde colligant gentes aliquas ſic fuiſſe vocatas: deinde, ſi recipimus quod docent, non erunt gentes ſeparatæ, ſed pars Æthiopum. Neque enim Propheta hic ſeorſum dicit Phouſai & Atharai futuros Dei cultores: ſed poſtquam loquutus eſt de Æthiopia, adjungit duas iſtas voces: unde colligitur Prophetam hoc velle, ab ultima regione Æthiopum redituros in Judæam, qui ſacrificia Deo offerant. Quoniam autem ponit Filiam diſperſorum, neceſſe eſt hoc intelligere de Judæis, quia non quadraret Æthiopibus. atqui optime contexitur hæc promiſſio cum ſuperiore. Loquutus enim eſt heri Propheta de futura vocatione gentium: nunc adjungit, etiam cum gentibus venturos Judæos, ut ſimul coaleſcant uno fidei conſenſu in verum & purum unius Dei cultum. Dixerat ampliandum eſſe regnum Dei, quia Eccleſia colligenda erat ex variis populis: nunc adjungit reſtitutionem electi populi, poſtquam in exilium abductus eſſet. Ergo, inquit, *trans flumina Æthiopiæ erunt mihi ſupplices.* nam עתר ſignificat Supplicare: ſed ſignificat etiam interdum Pacari vel eſſe propitium, unde etiam quidam עתרים putant vocari paſſive, Qui reconciliati erunt Deo: quaſi diceret, Placabilis erit tandem Deus miſeris exulibus, etiamſi projecti fuerint trans flumina Æthiopiæ. Erunt ergo illi iterum populus Dei, quia exorabilem ſe præbebit: quemadmodum David vocat Deum miſericor- Pſal. 59. verſ. 18.
diæ ſuæ, quia expertus fuerat eum clementem & facilem. Sic etiam hoc loco intelligunt Judæos eſſe עתרי Jehovæ, quoniam ipſis ſit placatus. Sed expoſitio illa nimis coacta eſt. Retineo igitur quod jam dixi, fore ex ultima Æthiopia aliquos ſupplices Deo: non Æthiopes quidem ipſos, ſed Judæos qui illuc uſque fuerant dejecti. Eodem etiam pertinet quod addit, *Filia diſperſorum meorum.* nam פוץ ſignificat Diſpergere vel diſſipare. Filiam ergo ex diſperſis intelligit cœtum collectum ex miſeris illis exulibus, qui ad tempus crediti fuerant perdidiſſe nomen, ita ut non poſſent amplius cenſeri in populo Iſraël. *Illi ergo iterum offerent mihi munus*: hoc eſt, reſtituentur in patriam, ut illic me colant pro more. Etſi autem extenditur hoc vaticinium ad tempus Euangelii, non tamen mirum eſt Prophetam cultum Dei deſcribere qualiter fere ſolent reliqui, nempe ſub legalibus ceremoniis. Nunc ergo tenemus quid ſibi velit Sophonias hoc verſu, non modo gentes acceſſuras ad Eccleſiam Dei, ſed Judæos ipſos in patriam redituros, ut ſimul efficiant unum corpus. Sequitur,

11. In die illo non erubeſces ob omnia facta tua, quibus prævaricata es contra me: quia tunc auferam è medio tui qui exultant ſuperbia tua: & non adjicies ad ſuperbiendum poſthac (*hoc eſt, non adjicies ſuperbire*) in monte ſanctitatis meæ.

Hic Propheta docet aliam fore Eccleſiam, ubi Deus ſordes abſtulerit, & collegerit ſibi mundum populum & electum. hoc autem ideo facit Propheta, ne indigne ferant fideles Eccleſiam Dei ſic imminui, ut vix decima pars ſuperſit. Eſt enim illud triſte & acerbum ex ingenti numero tantum pauculos reſtare. Non potuit autem fieri quin fratrum interitus Judæos mœrore afficeret, etiamſi cognoſcerent ipſos eſſe reprobos. Videmus enim ut Paulus condoleſcat, Rom. 9: 1.
ubi videt gentem ſuam alienari à Deo. Sic neceſſe fuit adhiberi aliquod ſolatium fidelibus, ut patienter ferrent imminutionem Eccleſiæ, quæ paulo ante

prædicta fuit. Propheta autem ut temperet ipſorum dolorem, dicit hoc ceſſurum ipſis in bonum: quia hoc modo ablata erunt probra, quibus nomen Judaicum fœdatum erat & quaſi abominabile. *Non erubeſces*, inquit, *ob ſcelera quibus offenſus fui.* Quare? nam purgata eris, ubi ſcilicet Deus paucos ſuperſtites eſſe volet, à quibus pure colatur. Quidam putant non agi hic de remiſſione peccatorum, ſed potius de pura & ſancta vita, quæ regenerationem ſequitur: quaſi diceret, non erit amplius cur te pudeat vitæ tuæ. nam ubi ego vos caſtigavero, incipietis me timere, & correctio vobis erit utilis ad vitæ novitatem. Quia ergo non erit eadem vita quæ prius, & gloria mea in vobis fulgebit, nulla erit ratio cur erubeſcatis. Sed illud eſſet durum, neque poſſet etiam aptari verbis Prophetæ. dicit enim, *Non erubeſces amplius à ſceleribus quibus transgreſſa es in me.* Videmus ergo hoc non poſſe alio trahi quam ad remiſſionem peccatorum. Sed poſterius membrum fefellit illos interpretes, quia addit Propheta, *Ego enim auferam è medio tui exultantes.* Cæterum, conſilium Prophetæ aliud fuit quam ipſi putarunt, quemadmodum jam attigi, Oſtendit enim non eſſe cur lugeant aut deplorent Judæi imminutionem Eccleſiæ, quia optima compenſatio illis offertur, quod ſcilicet ſaltem in ſua paucitate pure Deum colent. nam quum adhuc integrum eſſet populi corpus, ſcimus fuiſſe quaſi diluvium iniquitatis. Jam, potuitne Iſrael tunc gloriari ſua multitudine, quum omnes inſtar Gigantum bellarent cum Deo? Nunc ubi paucos tantum Deus colligit aliis abdicatis, ſaltem pauci illi agnoſcunt ſe mirabiliter ſervatos ut non extingueretur religio in terra & Dei cultus. Nunc tenemus Prophetæ conſilium. ſed conabor hoc iterum ſimilitudine clarius reddere: Si in urbe aliqua ſic graſſetur licentia omnium ſcelerum, ut videri poſſit deſperatus populus; ubi contigerit urbem ipſam vel ſuis opibus & priſtino ſtatu excidere, vel alio modo purgari non ſine aliqua jactura, & ita induere novos mores, compenſatio hæc poterit bonis & piis dare animum, & lenire eorum dolorem, ut patienter ferant ſi non luxuriet civitas in eadem abondantia, in iiſdem opibus & deliciis. Quare? Saltem qui reſtabunt efficient corpus aliquod populi ſine probro & dedecore. Quum ex corpore humano tollitur corruptio, neceſſe eſt corpus ipſum debilitari: interdum etiam neceſſe eſt abſcindere membrum unum, ut totum corpus ſalvum maneat. hæc quidem imminutio gravis eſt: ſed quia non eſt alia ratio ſervandi corporis, remedium illud patienter ferendum eſt. Sic nunc loquitur Propheta de urbe Jeruſalem: *Non erubeſces*, inquit, *ob ſcelera quibus in me transgreſſa es.* Quomodo? nempe quia ſeparati erant à profanis illis & craſſis Dei contemptoribus. Quamdiu enim permixti erant boni & mali, erat commune omnium dedecus: tunc Jeruſalem erat caverna latronum, erat quaſi imago quædam terreſtris inferni, & omnes ſimiliter contaminati erant iſta infamia, quoniam non poterat diſtingui pars ſincera, quum ubique regnaret illa colluvies. Nunc dicit Propheta, *Non pudebit te prioris infamiæ.* Quare? Deus enim ſegregabit paleam à tritico, & colliget triticum: eritis quaſi in borreo Dei: manebit ſolus flos electus; erit tanta hæc puritas, ut in vobis reſplendeat gloria Domini. ergo non pudebit vos dedecorum, quibus nunc fœdati eſtis. Tenemus jam ſenſum verborum. Sed videri abſurdum poſſet, quod Propheta oblivione dicit tecta fore ſcelera, quæ tamen ſubinde & fere ſingulis momentis debuerant Judæi ſecum reputare: quemadmodum dicit etiam Ezechiel, *Ezech. 16. verſ. 61.* Tunc recordaberis viarum tuarum, & erubeſces: nempe ubi placatus fuerit Deus. Ezechiel fructum pœnitentiæ fore dicit, ut fideles pudore ſuffuſi ſeipſos damnent. Quare? nam reprobi quaſi clauſis oculis pergunt in ſuis ſceleribus: & quemadmodum paulo ante dictum fuit, neſciunt pudorem: etiamſi Deus illis exprobret quæ peccarunt, perfricta fronte contemnunt & reſpuunt omnem doctrinam: imo recalcitrant adverſus ſtimulos. Quum ita ſit, merito dicit Ezechiel pudorem eſſe verum pœnitentiæ fructum: quemadmodum etiam loquitur Paulus ſexto ad Romanos capite, In quibus nunc erubeſcitis: ſignificat quum demerſi eſſent in ſua incredulitate, fuiſſe ita deditos ſuis flagitiis, ut nullum fœtorem ſentirent. Cœperunt igitur erubeſcere poſtquam illuminati ſunt. Nunc videtur Propheta reſcindere fructum illum à pœnitentia. ſed aliter intelligi debet quod dicit, nempe tunc puram fore Eccleſiam ab ignominia: quoniam ſegregati erunt reprobi, hoc eſt, ablatæ erunt omnes ſordes ubi Deus collegerit ſibi tantum reliquias: quoniam hoc modo, ſicuti dictum fuit, ſeparabitur triticum à palea. *Non erubeſces ergo in die illa à ſceleribus: quia tollam è medio tui qui exultant.* Oſtendit quam neceſſaria ſit iſta imminutio: quoniam pereundum eſſet omnibus, niſi Deus abſcinderet putrida membra. Remedium ergo quamvis aſperum ſit & dolore plenum, tamen tolerabile videri debet: quoniam non poſſet aliter Eccleſia ſervari, hoc eſt, corpus ipſum. Sed videtur hic rurſus poſſe objici, non ideo Eccleſiam abſtergi ab omni macula, quoniam tollantur reprobi. Dicit enim, *Non erubeſces à ſceleribus, quæ in me peccaſti*, ad verbum: hoc eſt, quibus transgreſſa es contra me. Alloquitur hic Deus fideles ipſos: ergo non agitur de eorum ſceleribus, quos Dominus abdicavit. Sed facilis ſolutio eſt. Quum enim dicit Eccleſiam peccaſſe, reſpicit ad illam permixtionem, quæ facit ut nullum ſit diſcrimen inter triticum & paleam. Dicemus urbem eſſe impiam & ſceleratam, ubi major pars obruit bonos ſic ut non appareant. Si ergo inter decem millia hominum ſunt vel trecenti vel pauciores, qui cupiant omnia melius haberi: tamen in genere totus numerus ſceleratus cenſebitur à majori parte, quum alii latent quaſi obruti & ſepulti. Merito itaque & proprie Sophonias pronunciat transgreſſos fuiſſe Judæos contra Deum, quia in promiſcua multitudine non poterant diſcerni electi à reprobis. Sed jam promittit fore diſcrimen, ubi ſcilicet Deus abſtulerit ſuperbos, qui exultabant in fallaci jactantia. Dicit enim, *Auferam è medio tui exultantes ſuperbia tua.* Quidam vertunt, in abſtracto, Exultationes ſuperbiæ tuæ; ſed עליזי, quod hic ponitur, in ſyntaxi nunquam accipitur pro exultationibus. Non dubium igitur eſt, quin viros ipſos intelligat. Iterum vocat Superbiam populi: & tamen dirigit ſermonem ad electos, qui iterum colligendi erant. Quid hoc ſibi vult? nempe ſicuti diximus, antequam purgata eſſet inquinamentis & ſordibus Eccleſia, communis erat omnium exultatio & petulantia contra Deum. nam ubique perſonabant illæ voces, Sumus ſacer populus Dei: ſumus genus electum: ſumus ſacerdotium regale: ſumus ſacra hereditas. *Exod. 19. verſ. 6.* Quum ergo paſſim volitarent in ore omnium jactantiæ iſtæ, Propheta dicit hanc eſſe ſuperbiam totius populi. *Auferam* ergo, inquit, *è medio tui eos qui exultant ſuperbia tua.* Poſtea adjungit, *Et non adjicies amplius ad ſuperbiendum in monte ſancto meo.* Hic præcipuum fontem mali oſtendit Propheta, quod ſcilicet Judæi ſeſe obſtupefecerant perverſa confidentia, quum putarent ſibi omnia licere, eo quod electi eſſent in peculiarem Dei populum. Ideo etiam Jeremias Verba mendacii appellat, quum obtenderent Templum *Jer. 7: 4.* Dei. Sic ſuperbiam hanc damnat Propheta, quod occultaverint ſcelera ſua ſub umbra Templi, & putaverint hoc ſufficere ad excuſationem, quod Deus habitaret in monte Sion. Ergo Propheta ut oſtenderet inſanabilem eſſe populum illum, niſi purgata eſſet ſuperbia, dicit, *Auferam eos qui exultant.* Quomodo? *In ſuperbia tua.* Quæ autem illa fuit ſuperbia? nempe quod incolerent montem ſacrum Dei, extra quem nullum aliud eſſet in terra Dei Sacrarium.

Quum ergo putarent Deum hoc modo ſibi addictum eſſe, hinc petulanter cœperunt contemnere omnes admonitiones, quaſi ſoluti eſſent omni lege & regula. *Non ergo adjicies amplius ſuperbire in monte ſancto meo.* Nunc videmus quantopere cavendum ſit, ne mentes noſtras obtenebrent gratiæ Dei, quæ potius fulgore ſuo debent nos in cœlum uſque dirigere. Sed quoniam ad arrogantiam & faſtum nimis ſumus proclives, ideo danda eſt opera ut modeſte nos geramus & humiliter, quum ornati ſumus ſingularibus Dei beneficiis: quia ſi incipimus falſo gloriari in Dei nomine, & obtendere neſcio quam inanem larvam quæ ſcelera noſtra occultet, actum eſt de nobis: quoniam ad pravitatem, ad contemptum Dei, ad omnes alias cupiditates accedet etiam contumacia, quod manebimus cervice quaſi ferrea & inflexibili. ſic enim contingit omnibus hypocritis qui falſo Dei prætextu ſeſe efferunt. Nunc ſequitur,

12. Et reſiduum faciam in medio tui populum afflictum & pauperem: & ſperabunt in nomine Jehovæ.

13. Reſiduum Iſraël non perpetrabunt iniquitatem, (*hoc eſt, reliquiæ: ad verbum eſt, reſiduum: ſed quia nomen eſt collectivum, ideo mutatur numerus*) & non loquentur mendacium, & non invenietur in ore ipſorum lingua doloſa, (*vel lingua fraudis*) quoniam ipſi paſcentur & accubabunt: & nemo erit exterrens.

Hic proſequitur eandem ſententiam Propheta, nempe Deum proſpicere Eccleſiæ ſuæ ſaluti, quum majorem populi numerum profligat, ut pauci duntaxat reſidui ſint: quia vult ſibi colligere puram & ſanctam Eccleſiam, quum ante urbs fuiſſet referta omni immunditie. Hæc igitur compenſatio debuit ſiquid erat doloris lenire: quoniam videbant pii ſibi propitium fuiſſe Deum, etiamſi durius ipſos tractaverat. & memoria tenendum eſt quod prius dixi: non potuiſſe aliter ſervari Eccleſiam, niſi correcta vel ſubacta illa petulantia, quæ oriebatur ex falſo Dei prætextu. Jam ſumit hoc etiam Sophonias pro confeſſo, non poſſe aliter revelli ex animis vitium illud ſuperbiæ, niſi prorſus dejecti, adeoque contriti fuerint. Docet igitur ſi integri maneant, ſemper fore ſuperbos, ideoque opus eſſe violento remedio, ut diſcant humilitatem & modeſtiam: quod ſignificat his verbis ubi dicit, *reſiduum populum humilem fore & afflictum.* Nam ſi ſponte ſe præbuiſſent dociles, non opus fuiſſet tam dura correctione. In ſumma, ſi gemant fideles quod Eccleſiam Deus ita fere exinanierit; ne tamen obſtrepant, oſtendit fuiſſe hoc remedium neceſſarium. Quare? niſi enim afflicti fuiſſent, ſemper ſe geſſiſſent pervicaciter adverſus Deum. Oportuit igitur quodammodo frangi, quia flecti non poterant. *Reſiduum* igitur *faciam,* inquit, *populum afflictum & pauperem.* עני ſignificat ſæpe Humilem. ſed quoniam addit דל, non dubium eſt quin oſtendat non poſſe aliter corrigi Judæos, niſi exuti ſint omni materia gloriæ. Erant enim nimis aſſueti ſuis jactantiis: imo obduruerant ad Dei contemptum. Tunc ergo, inquit, ſequetur hic profectus ſaltem, quod *ſperabitis in Domino:* nempe ubi vos proſtraverit. Hic verſus continet utiliſſimam doctrinam. Primo enim docemur ideo cruce domari Eccleſiam, ut ſuperbiam dediſcat, quæ ſic ingenita eſt & infixa hominum cordibus, ut non poſſit abſtergi, niſi violenter eam Dominus eradicet, ut ita loquar. Non eſt ergo cur miremur fideles ita humiliari à Domino, & ſortem Eccleſiæ tam eſſe contemptibilem: quaſi ſi plus eſſet vigoris, ſtatim erumperet ferocia, quemadmodum fieri ſolet. Ergo ut Dominus contineat ſub freno ſuos electos, ideo inopia eos ſubigit & domat: denique exercet ſub cruce. hoc eſt unum. Jam notandum eſt etiam poſterius membrum, ubi dicit, *Sperabunt in nomine Domini,* qui ita ad inopiam vel egeſtatem redacti fuerint: quia videmus quo nos Deus vocet, ubi ſpoliat omni terrena fiducia, & adimit omnem gloriandi materiam: nempe vult nos recumbere duntaxat in ſua gratia. Hoc quidem non debuerat à nobis extorqueri: nam quid magis optabile quam ſperare in Deo? Porro quia ſemper plus ſibi arrogant homines quam liceat, & ſeſe ſubrogant hoc modo in Dei locum, non poſſunt vere & ſincere in ipſum ſperare. Putant quidem ſe ſpem locare in Deo, ubi tribuunt illi partem ſuæ ſalutis: ſed ſpes non poteſt locari in Deo, niſi in ſolidum: ideo neceſſe eſt in nihilum redigi qui ſibi vel tantillum falſo tribuunt: & hoc intelligit Propheta. Cæterum ſciamus non aliter proficere homines ſub Dei ferulis, donec ſeipſos prorſus abnegaverint, & obliti ſuæ virtutis quam falſo imaginantur, in ipſo ſolo recumbant. Loquitur autem Propheta de ſolis electis: quia videmus multos duriter affligi, & tamen non ideo miteſcere, neque exuere priſtinam ferociam. Sed Dominus ita ſuos caſtigat, ut etiam ſpiritu manſuetudinis corrigat in ipſis omnem faſtum & altitudinem. Jam quum dicit, *Sperabunt in nomine Jehovæ,* opponit ſpem iſtam ſuperbiæ quam prius damnavit. Volebant enim videri ſperare in Dei nomine, quum objicerent montem Sion, & magnifice proponerent in medium adoptionem, qua ſegregati erant à profanis gentibus. Sed mendax illa fuit jactantia quæ nihil habuit ſpei. Sperare igitur in nomine Jehovæ, nihil aliud eſt quam ſincere amplecti quam offert gratiam verbo ſuo, neque obtendere vanos prætextus: ſed invocare ipſum puro corde, & ſerio fidei & pœnitentiæ ſenſu. In eundem finem adjungit, *Reliquiæ Iſraël non amplius patrabunt iniquitatem, neque loquentur mendacium, neque invenietur lingua doloſa in ipſorum ore.* Continuat eandem ſententiam Propheta, quod ſcilicet Eccleſia non minoris æſtimanda ſit, ſi tantum conſtet ex paucis hominibus: quoniam in magno numero ſunt multæ ſordes, quæ fœtore ſuo non modo conſpurcant terram, ſed cœlum ipſum inficiunt. Quum ergo iniquitatibus referta eſſet Jeroſolyma quoтiſper ſteterit integer populus, Propheta hoc ſolatium adducit, non eſſe nimis dolendum ſi tantum ex immenſa arena maris & ingenti multitudine ſtellarum Deus colligat exiguam manum: nempe quia ſaltem purgata erit Eccleſia. Magni autem intereſt, ſordes abſtergi à Dei Sanctuario. Quid enim magis indignum quam ex loco ſacro fieri quaſi haram porcorum, & profanari quod Deus voluit ſibi peculiariter dicatum? Quum ergo Jeroſolyma ſacrarium eſſet Dei, nonne oportuit illic coli pietatem? Quum autem fœdata eſſet omni ſordium genere, Propheta oſtendit non debere videri hoc grave, quod Dominus auferet ingentem illam turbam quæ falſo gloriabatur ſub prætextu nominis ejus. *Non ergo facient iniquitatem.* Jam ſub una ſpecie complectitur regulam juſte vivendi, quum dicit, *Non loquentur mendaciter, neque reperietur lingua doloſa.* Non ſufficeret hoc quidem ad pietatis cultum, vel integritatem vitæ, linguam ſervare puram à fraudibus & mendaciis: ſed quoniam fieri non poteſt ut quis abſtineat ab omni fraude & mendacio, quin pure & ex animo Deum timeat, per ſynecdochen Propheta ſub lingua veraci complectitur perfectam vitæ ſanctitatem. Jam quæritur an hoc unquam impletum fuerit. Certum enim eſt, quamvis pauci reverſi ſint in patriam, tamen fuiſſe in exiguo illo numero

numero

mero multos hypocritas. nam ſimulac terram attigit populus, videmus ut quiſque addictus fuerit propriis ſuis commodis, ut ſe polluerint conjugiis profanis, ut contempſerint Templi ædificium, fraudaverint etiam Sacerdotes decimis, ut frigidi fuerint in colendo Deo. Hæc omnia illis exprobrat Haggæus & Zacharias & Malachias. Quum hæc ita ſint, quid ſibi vult hæc promiſſio, nullam fore iniquitatem, ubi Deus Eccleſiam purgaverit? Comparative loquitur Propheta: quod ſcilicet Dominus ſic abſterget maculas à populo ſuo, ut purior illic deinde appareat ſanctitas. Quamvis ergo adhuc permixti fuerint multi hypocritæ probis & genuinis Dei filiis: verum tamen hoc fuit, non ita graſſatam fuiſſe iniquitatem, non ita regnaſſe fraudes & mendacia in populo, ſicuti prius. & poſtea adjungit, *Quoniam ipſi paſcentur & accubabunt, & nemo erit qui exterreat.* Adjungit aliud Dei beneficium, quod ſcilicet proteget populum illum ab omnibus injuriis: nempe ubi ita reſipuerit. Tenendum ſemper eſt quod dixi, Prophetam hic velle mederi triſtitiæ piorum, quæ alioqui poterat prorſus dejicere ipſorum animos. Ergo ut levaret aliqua parte moleſtiæ filios Dei, propoſuit hæc in medium: Etiamſi pauci eſtis ſuperſtites, bene tamen eſt quod Dominus purgabit ſordes ſanctæ urbis, ita ut vere cenſeri debeat domicilium Dei, ubi antehac fuerat latronum caverna. deinde vobis hoc damnoſum non eſt, paucos habitare in ſancta terra, quia Deus fidus eſt cuſtos ſalutis veſtræ. Quorſum multitudine opus eſt, niſi ut ſitis tuti contra hoſtes? contra feras beſtias? Quid ſi Deus hac lege vos recepit in ſuam tutelam, ut ſecuri degatis, etiamſi non ſitis pares ad reſiſtendum hoſtibus? Etiamſi alter alterum defendere nequeat, modo tamen Deus ſit protector veſter, & poſſitis tranquille agere ſub hac cuſtodia quam vobis promittit, non eſt quod dicatis vos feciſſe magnam jacturam, ubi ablata eſt major turba. Sufficiat igitur vobis agere ſub tutela Dei, quia etiamſi totus mundus contra vos conſpiret, in vobis autem nihil ſit virium aut præſidii, tamen Dominus vos ſervabit: *nemo erit qui exterreat.* Sumptum autem hoc eſt ex Lege, quia inter alias benedictiones hæc ponitur, quod Deus ſecuram vitam præſtabit populo: quod eſt bonum ineſtimabile, & ſine quo ſcimus miſeram eſſe hominum vitam, quia nihil miſerius eſt quam aſſidue trepidare: nihil autem felicius, quam quiete vivere: ac ideo vacuum & ſolutum eſſe omni metu. quod Dominus tanquam præcipuum bonum populo ſuo promittit.

Da omnipotens Deus, quando tanta eſt ingenii noſtri pravitas, ut proſperam fortunam non feramus quin ſtatim exultet in nobis aliqua carnis laſcivia, imo etiam petulanter contra te feramur: da, inquam, ut proficiamus ſub exercitiis crucis: & dum nos humilias etiam dejectis animis ſimus, & obliti omnis ferociæ ſubjiciamus nos tibi, neque tantum feramus jugum tuum placide, ſed pergamus in hac obedientia per totam vitam, & ſic militemus contra omnes tentationes, ut nunquam in nobis gloriemur: in te vero ſtatuamus omnem nobis veram gloriam & ſolidam eſſe poſitam, donec ea fruamur in regno tuo cœleſti, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA
IN
SOPHONIAM PROPHETAM.

CAP. III.

14. Exulta filia Sion, (*vel jubila*) exulta Iſraël, gaude & exulta toto corde filia Jeruſalem.

15. Abſtulit Jehova judicia tua, purgando avertit inimicos tuos: rex Iſraël Jehova in medio tui, non videbis malum amplius.

Confirmat Propheta ſuperiorem doctrinam exhortans fideles ad gaudium, quaſi jam præ oculis extaret quod ante pollicitus eſt. Sic enim Prophetæ, quo magis animent fideles ad bene ſperandum, provocant eos ad teſtandam ſuam gratitudinem, acſi jam gratia Dei illis eſſet in manibus. Certum eſt, doctrinam hanc fuiſſe eo conſilio propoſitam Judæis, ut in ipſo exilio & extrema deſperatione nihilominus ſeſe accingerent ad gratias Deo agendas: quaſi votorum ſuorum jam damnati eſſent, ut loquuntur. ſed tenendum eſt conſilium Prophetæ noſtri: & communis etiam illa ratio quam ſequuntur omnes Prophetæ. Perinde enim fideles hortantur ad Deum laudandum, acſi jam fruerentur bonis, quæ tamen procul adhuc ſunt remota & videntur etiam eſſe abſcondita ab ipſorum ſenſu. nunc ergo tenemus in quem finem hic Propheta hortetur Judæos ad Deum laudandum. Gratulatur enim ipſis acſi jam fruerentur ea felicitate, à qua procul aberant. ſed quia non ſimplex eſt gratulatio, ſimul etiam tenendum eſt, Deum tam liberaliter agere erga Eccleſiam ſuam, ut fideles ad gratitudinem incitet: nam polluimus omnia ejus beneficia, niſi ſaltem referimus ſacrificium laudis, ut alibi dictum fuit. & ad eandem confirmationem ſpectat repetitio, quæ alioqui videri poſſet ſupervacua, *Exulta filia Sion, jubila, gaude, lætare toto corde filia Jeruſalem.* Sed non abs re hanc vehementiam Propheta adhibuit: quia videbat quam difficile eſſet erigere animos afflictos, quum præſertim nihil ſpei Deus oſtenderet ſecundum rationem carnis. ſed voluit hac verborum congerie ipſos armare, ut poſſent alacrius luctari cum tot & tam duris & arduis tentationibus. Poſtea adjungit, *Deum abſtuliſſe judicia Sionis.* Judicia intelligit pœnas, quæ fuiſſent infligendæ ſi Domino propoſitum fuiſſet jure agere cum Judæis: quemadmodum ſiquis lingua noſtra diceret, *J'ay bruſlé tous tes procés.* Significat igitur Deum nolle amplius inquirere de peccatis populi ſui. Scimus variis modis accipi nomen משפט apud Hebræos: ſed hoc loco, quemadmodum dixi, ſignificat quod dicimus Gallice, *tous tes procedures.* Denique ita pronunciat Deus ſepulta eſſe peccata populi ſui, ut quodammodo exuat perſonam judicis & remittat jus ſuum, ita ut nolit amplius vel litigare, vel admittere Judæos in reatum, ut loquuntur. *Jehova ergo abſtulit judicia tua.* Et ſequitur explicatio, quod *purgando rejecerit omnes inimicos.* nam inter Dei judicia ſcimus eſſe bellum. Quum ergo Deus pœnas ſumpſiſſet de Judæis per Aſſyrios, per Ægyptios, per Chaldæos, per alias profanas gentes, jam dicit omnes hoſtes eſſe rejectos. Unde ſequitur non proprio motu vel Aſſyrios, vel Chaldæos irrupiſſe, ſed fuiſſe quaſi gladios Dei, quemadmodum alibi dictum fuit. Sequitur poſtea, *Rex Iſraël Jehova eſt in medio tui.* Hic breviter Propheta oſtendit ſummam veræ & ſolidæ felicitatis in eo eſſe poſitam, ſi Deus declaret re ipſa ſe curam gerere populi ſui. Dicitur enim Deus in

medio noſtri eſſe, quum teſtatur nos degere ſub fide ſua & præſidio, nunquam deſerit ſuos proprie loquendo: ſed ſcimus iſtas loquutiones ſæpe referri ad ſenſum carnis, quum dicitur Dominus vel procul abeſſe, vel habitare in medio noſtri. hoc ergo refertur ad ſenſum noſtrum: quia tuoc putamus Deum abeſſe, ubi licentiam permittit hoſtibus noſtris, ita ut videamur eſſe expoſiti in prædam. Dicitur autem Deus habitare in medio noſtri, dum nos protegit ſua virtute, & ſuſtinet omnes inſultus. Sic ergo dicit nunc Propheta ooſter Deum fore in medio Eccleſiæ ſuæ, quia reipſa & experimento monſtrabit ſe eſſe præſidem populi electi. Abſuerat vero ad tempus, quum nudatus eſſet populus ille omni auxilio: quem-
Exod. 32. verſ. 25. admodum etiam hac loquendi forma uititur Moſes, quod populus ſeſe nudaverit, quia Deum abnegaverat, cujus manu tuto fuerat protectus & erat etiam protegendus uſque in finem. Tandem addit, *Non videbis malum*. Alii leguot, Noo timebis, interpoſita litera י. ſed idem eſt ſenſus. Scimus enim videndi verbum apud Hebræos ſæpe poni pro experiri vel ſentire. *Non videbis* ergo *malum*, hoc eſt, Deus faciet ut degas tranquillus extra omnem moleſtiam. Si magis placeat diverſa lectio, Non timebis malum, hoc referendum erit ad Legis benedictionem: quia nihil magis optabile quam pax & ſerena tranquillitas. Quum igitur hoc præcipuum ſit inter bona humana, non abs re Propheta dicit Eccleſiam immunem fore ab omni metu & ſollicitudine, ubi Deus in medio ejus habitabit, quemadmodum etiam dicit Pſal. 46. Sequitur nunc,

16. In die illa dicetur Jeroſolymæ, Ne timeas Sion, ne pigreſcant (*vel ſolvantur: nam* רפה *ſignificat Lentum eſſe, vel remiſſum, vel diſſolutum. ne ergo pigreſcant*) manus tuæ.

17. Jehova Deus tuus in medio tui fortis ſervabit, exultabit (*gaudebit*) ſuper te in lætitia: quieſcet (*ſilebit, ad verbum: vel quietus erit*) in amore ſuo, exultabit ſuper te cum jubilatione.

Pergit adhuc Propheta in confirmatione ejuſdem doctrinæ: ſed alia loquendi forma utitur, quod ſcilicet *tunc undique Sioni dicetur, Ne timeas, ne remiſſæ ſint manus tuæ*, &c. nam verba hæc non mious commode exprimi poſſunt de communi omnium fama, vel acclamatione, quam de Prophetica doctrina, ut hoc Dicere nihil aliud ſit quam communis omoium gratulatio, quam certatim omnes afferent. Hoc ideo admonui, ut cuique eligere liberum ſit quod magis probabitur. neque enim de promiſſionibus intelligi hoc diſplicet. Summa eſt, ita tranquillam fore Jeroſolymam, ut vel Prophetæ, vel promiſcue omnes uno conſenſu dicturi ſint, Fruere tua quiete. Deus enim re ipſa oſtendit ſe gerere curam tui. non eſt igitur quod poſthac tibi metuas. Nam hic exprimitur realis, ut ita loquar, mutatio. Quum prius in metu diuturno fuiſſent Judæi, ſignificat Propheta ſic tutos fore ab omni periculo, ut etiam toto mundo plandente futuri ſint compotes quietis diu optatæ. Ergo dicetur. A quibus? ſive de Prophetis, ſive de communi rumore iotelligatur, non multum intereſt: nempe futuros tunc doctores, qui læta omnia & proſpera nuncient: vel cunctos mortales ſuffragio ſuo comprobaturos gratiam Dei, quum repulerit longe à populo ſuo bella omnia, moleſtias, timores, ita ut quietus degat. *Dicetur ergo Jeroſolymæ, Ne timeas Sion, ne manus tuæ ſolvantur.* Quum dicit, Ne timeas & ne ſolvantur manus tuæ, oſtendit metu ita concidere omnem vigorem, ut nullum membrum fungatur ſuo officio. ſed per ſynecdochen ſub voce manuum intelligit reliquas partes, quoniam datæ ſunt homini ad res agendas. Ideo per Manus ſæpe intelligit Scriptura opera hominum. Senſus igitur eſt, tunc Eccleſiam Dei quietam fore, ita ut poſſit fungi ſuo officio, & res ſuas placide & compoſite agere. & hoc etiam experimur, nempe ubi prævaluit metus in cordibus noſtris, nos eſſe quaſi exanimes, ut ne digitum quidem poſſimus attollere ad aliquid agendum. Ubi autem ſpes nos animat, ſimul vegetamur toto corpore, ut ubique appareat alacritas. Nec dubium eſt, quin Propheta hic ſignificet non ideo ſuccurrere Deum electis ſuis, ut marceſcant deliciis, quemadmodum fieri ſolet: ſed potius ut ſtrenue ſeſe impendant ad peragenda ſua officia. Notanda igitur eſt hæc conjunctio inter animum tranquillum & inter manus agiles: quia, ſicuti jam dixi, oon ideo oos liberat Deus omni moleſtia & metu, ut torpeamus in noſtris deliciis, ſed potius ut ſimus ad officium noſtrum alacres. *Sion ergo, ne torpeant manus tuæ amplius.* Quare? *Jehova in medio tui fortis*, inquit, *ſalvabit*. Repetit quod dixerat: ſed plenius exprimit quod poterat obſcurum eſſe propter brevitatem. Fructum igitur præſentiæ Dei hic oſtendit pluribus verbis, quod ſcilicet Deus non ſedebit in medio Eccleſiæ ſuæ otioſus, ſed cum ſua potentia. In quem finem? *Ut ſervet.* Videmus ergo emphaticum eſſe epitheton גבור, quod Deo tribuitur: quaſi diceret non fore Deum ignavum, ubi reſidebit in medio Eccleſiæ ſuæ, ſed fortitudinem ejus fore conſpicuam. Finis etiam notandus eſt, nempe quod Deus nolit fortis eſſe ad terrendos electos, ſed tantum ut ſit eorum ſervator. Poſtea adjungit, *Gaudebit ſuper te lætitia.* Hoc referri debet ad gratuitum Dei amorem, quo Eccleſiam ſuam complexus perinde eam fovebit atque maritus uxorem ſuam, quam teneriſſime diligit. Scimus non cadere in Deum tales affectus, ſed hæc ratio loquendi, quæ ſubinde occurrit in Scripturis, nobis tenenda eſt: quia Deus non poteſt aliter oſtendere ſuam erga nos indulgentiam & amoris magnitudinem, comparat ſe marito, nos autem uxori. Significat in ſumma, Deum ſummopere oblectari, ubi poteſt ſeſe beneficum oſtendere erga Eccleſiam ſuam. Idem etiam iterum clarius exprimit, ac confirmat. *Quietus*, ioquit, *erit*, vel ſilebit, *in amore ſuo.* Nam חרש proprie eſt Silere: ſed ſignificat etiam eſſe quietum. Summa eſt, contentus erit Deus: quemadmodum vulgo dicimus, *Il prendra tout ſon contentement*: quaſi diceret, Deum nihil malle quam ut poſſit Eccleſiam ſuam ſuaviter & placide fovere. Improprie quidem, ut jam dictum fuit, tribuitur Deo hic affectus. Scimus eoim eum ſtatim implere quicquid viſum eſt. ſed induit perſonam hominis mortalis: quia niſi hoc modo balbutiat, non poteſt ſatis oſtendere quantopere nos diligat. Deus ergo tuus quietus erit in amore ſuo, hoc eſt, eruot hæ ſummæ deliciæ, hæc erit præcipua Dei tui voluptas, ubi te fovebit: quemadmodum ſiquis uxorem ſibi dilectiſſimam foveat: ita etiam Deus tunc quieſcet in amore ſuo. tandem dicit, etiam exultabit ſuper te in lætitia. Videntur quidem hyperbolæ iſtæ aliquid præferre abſurditatis. Quid enim magis alienum à gloria Dei quam exultare inſtar hominis, qui rapitur gaudio amatorio? Videtur argo reſpuere has loquendi formas Dei natura. & videtur etiam Propheta quaſi è cœleſti ſolio Deum in terram detrahere. Dicit profanus ille Poëta,

Non bene conveniunt, nec in una ſede morantur
Majeſtas & amor.

Deus autem hic vult eſſe maritus, qui ardeat ſummo amore erga uxorem ſuam. non videtur hoc eſſe affine ejus gloriæ, quemadmodum diximus. Sed quicquid tendit in hunc finem, ut certo perſuaſi de ineſtimabili

bili Dei erga nos amore, quieſcamus in ipſo, & quaſi abſtracti à mundo tantum hoc unum expetamus, ut nos dignetur ſua gratia: certe illuſtrat Dei gloriam, neq; derogat quicquam ejus naturæ. Videmus interea ut ſe Deus ipſe ad nos demittat. nam ſi diſputamus an hæc conveniant naturæ Dei, uno verbo dicendum erit, oibil magis eſſe remotum. Minime igitur conſentaneum eſſet, Deum inſtar mariti oobis depingi qui totus ardeat amore uxoris ſuæ. Sed hinc, quemadmodum jam dixi, melius colligimus quanta ſit erga nos Dei indulgentia, qui ſeipſum cauſa noſtra ſic demittit, & transformat ſe quodammodo, dum induit alienas perſonas. Interea etiam deſcendat quiſque noſtrûm in ſe, & agnoſcat quam profunda ſit radix infidelitatis, quia Deus non poteſt aliter nobis conſulere & corrigere vitium iſtud, cui ſumus omnes obnoxii, niſi quodammodo à ſe diſcedat, ut propius accedat ad nos. Et quoties incidimus in has loquendi formas, hoc primo tenendum eſt, non abs re Deum tantopere inſiſtere, ut nos perſuadeat de amore ſuo: quia ſcilicet non modo propenſi ſumus natura ad incredulitatem, ſed prorſus addicti ſumus mendaciis Satanæ. Deinde quia leves ſumus & facile abſtrahimur ab ejus verbo, ideo ipſum ſuſcipere perſonam hominis. Interea notandum eſt quod prius dixi, quicquid ad teſtandum Dei amorem pertinet, nihil derogare ejus gloriæ: quia præcipua ejus gloria eſt, illa immenſa & ineſtimabilis bonitas, qua nos ſemel complexus eſt & proſequetur uſque in finem. Quod autem dicit Propheta, *in die illo*, extenditur ad totum Chriſti regnum. Loquutus quidem eſt de liberatione populi: ſed ſemper memoria tenendum eſt quod admonui, non præfigi vel unum annum, vel paucos, ubi Prophetæ de redemptione futura diſſerunt; ſed ex quo populus ab exilio Babylonico in patriam reductus eſt incipit tempus illud, cujus nunc fit mentio: continuum vero habet curſum & tenorem uſque ad ultimum Chriſti adventum. Et hinc etiam colligimus, non eſſe abſurdas hyperbolas, quum dicunt Prophetæ, Poſthac non timebis, vel oon videbis malum: quia ſi reſpicimus ad illam diſſipationem populi, certe nulla poterit nobis contingere tam gravis tentatio, quæ non ſit moderata, ſi conferamus ſortem noſtram cum ſtatu veteris populi. nam terra Chanaan erat tunc unicum pignus gratiæ & amoris Dei. Quum ergo ejecti eſſent Judæi ab illa ſua hereditate, erat, quemadmodum alibi diximus, quædam abdicatio: perinde acſi pater ejiciat domo filium ſuum & abdicet. Chriſtus nondum erat muodo exhibitus. Teſtimonium habebant miſeri Judæi in figuris & umbris futuræ gratiæ, quæ poſtea nobis per Euangelium manifeſtata fuit. Quum ergo teouem guſtum amoris ſui illis daret Deus, quî fieri potuit, ut non defecerint quum eſſent ita procul ejecti? nunc etiamſi Eccleſia diſperſa ſit ac lacerata, ſi etiam parum ab interitu differat: tamen ſemper Deus nobis adeſt per unigenitum Filium. Deinde habemus apertam januam Regni cœleſtis. Suppetit ergo nobis ſemper uberior gaudii materia quam olim veteri populo: præſertim quum ita poſſet videri à Deo reprobatus. Hæc ratio eſt, cur non abs re dicat Propheta immunem fore Eccleſiam à malo, ubi Deus ipſam rurſus collegerit. Nam redemptio illa populi Iſraelitici hodie vigere debet in cordibus noſtris: quia eſt memorabile opus Dei, quo voluit io perpetuum teſtari ſe eſſe eorum liberatorem quicunque in ipſum ſperant. Sequitur,

18. Afflictos à tempore (*vel pro tempore, vel ad tempus, ut alii vertunt*) congregabo qui ex te erunt: onus (*vertunt quidam: ſed active videtur accipere Propheta potius, qui ſuſtinuerunt ergo*) ſuper eam opprobrium.

Hic proſequitur eandem ſententiam, ſed aliis verbis: quia niſi interpoſita fuiſſet hæc conſolatio, poterat frigere quod hactenus Propheta dixit. Propoſuit enim materiam lætitiæ: hortatus eſt electos Dei ad ſacrificium laudis & ad gratulationem. Interea erant miſerrimi. Neceſſe igitur fuit adjungi hanc ſententiam de congregandis exulibus. Dicit autem, *ad tempus*. Quidam vertunt, Præ tempore: ſed illud eſſet obſcurum & coactum. Alii vertunt, Ad tempus: ſed proprie eſt, A tempore. מ ſignificat aliquando Præ, ubi comparative accipitur. ſed non videntur mihi interpretes recte expendere Prophetæ ſenſum. Ego igitur non dubito, quin hic ſtatutum liberationis tempus deſignet: quaſi diceret, Ego rurſus colligam afflictos tuos, & qui ſuſtinuerunt opprobrium tuum. Quomodo? ממועד, hoc eſt, poſt finitum tempus vel præfixum. nam מועד, non ſimpliciter pro Tempore ſumitur apud Hebræos, ſed pro tempore aliquo condicto: quemadmodum lingua noſtra dicimus, *Un terme prefix.* Ego igitur *congregabo afflictos tuos*, ſed non tam cito. Propheta igitur noſter hic quodammodo ſuſpendit animos fidelium, ut maneant in ſpecula ſua, & expectent patienter auxilium Dei; quia ſcimus quanta ſit feſtinatio noſtra, & ut ruamus etiam præcipites ubi aliquid optamus. nam celeritas ipſa etiam nobis mora eſt, quemadmodum dictum fuit veteri proverbio. Quoniam ergo fervore quodam, vel nimio impetu feruntur homines ſemper ad captandos eventus, ideo Propheta hic freoum injicit, & oſtendit Deum tenere ſuas opportunitates, ut impleat quod promiſit, non tam cito, neque pro arbitrio hominum, ſed ubi tempus opportunum advenerit. Tempus autem illud eſt, quod ſtatuit ipſe, non quod ipſi cupimus. Jam addit, *qui ſuſtinuerunt ſuper eam opprobrium.* Non dubium eſt quin hoc ſecundo membro idem repetat Propheta: ſed interim ſpeciem iſtam non abs re deſignat, quod ſcilicet Judæi probris & contumeliis affecti fuerint exilii ſui tempore, idque propter Eccleſiam, hoc eſt, quia profitebantur ſe Deum peculiarem colere. nam hoc etiam nomine erant exoſi omnibus populis Judæi, quia erat illis religio ſeparata ab omnium gentium ſuperſtitionibus. Quare fieri non potuit, quin eos vexarent multis opprobriis increduli, poſtquam tracti fuerant io exilium, & diſperſi huc & illuc. Dixerat prius, Colligam afflictos: ſed jam adjungit, ergo colligam eos qui ſuſtinuerunt opprobrium. Dixi alios vertere, Onus ſuper eam opprobrium. ſed non poſſet ex verbis illis elici ullus ſenſus. Non dubium igitur eſt, hic Prophetam occurrere tentationibus, quæ manebant filios Dei, qui viſuri erant in exilio quod graviſſimum eſſet toleratu, nempe ut eſſent expoſiti ſannis & ludibriis omnium gentium. Ergo hic opportune medetur eorum dolori, dicens, etiamſi ad tempus ita rideantur ab impiis, tamen redituros in patriam: quia Dominus ſtatuit ipſos colligere. ſed tenendum ſemper eſt quod dixi, hoc Deum facturum eſſe tempore ſuo, hoc eſt, ubi ipſe opportunum eſſe cognoverit. Sequitur,

19. Ecce ego conficiens omnes oppreſſores tuos (*qui te humiliant, ad verbum*) in tempore illo: & ſervabo claudicantem, & reducam expulſam, ad faciendum eos in laudem & nomen in terra opprobrii ipſorum.

Hic confirmat quod proximo verſu jam attigi, quod ſcilicet Deus ſuperabit omnia obſtacula, ubi volet populum ſuum reducere. In hoc enim diximus inſiſtere Prophetam, ut Judæi in ſuo exilio ſeſe ſuſtineant fiducia liberationis. Quia ergo non poterant ſtatim concipere quod erat tam incredibile ſecundum carnis ſenſum, ideo teſtatur in Deo ſatis eſſe virtutis ad hoſtes omnes vincendos. *In tempore illo*, inquit. Repetit quod prius dictum eſt, nempe expectandum eſſe quoad placuerit Deo exercere populum ſuum ſub cruce. nam ſi data fuiſſet optio Judæis, libenter fuiſſent quieti: & ſcimus ut ſoleant homines ſeſe eximere ab omni incommodo, metu, triſtitia. Quum ergo homines naturaliter appetant quietem & immunitatem ab omni malo, Propheta hic hortatur fideles ad patientiam: & oſtendit non poſſe aliter fieri, ut Deus ſe præſtet redemptorem ſicuti promiſit, niſi ſe ipſi viciſſim ſubjiciant ejus caſtigationi. In tempore ergo illo. Hoc ſemper notandum eſt, quod Propheta corrigit nimiam illam celeritatem, quæ ſolet homines abripere, ubi Deus ipſos caſtigat. Ergo utcunque lente & pedetentim Deus ad ſuos liberandos procedat, hic Propheta oſtendit non eſſe cur deſperent, vel cur interea animis frangantur. Tandem adjungit *ſe velle ſervare claudicantem & expulſam.* Quibus verbis ſignificat, etiamſi Eccleſia mutila ſit & fracta, non poſſe tamen hoc obſtare Deo, quominus eam reſtituat. nam per expulſam & claudicantem nihil aliud intelligit quam omni virtute ita exutam, ut deficiat in ſe. Comparat igitur Eccleſiam Dei homini propter membra luxata quaſi mortuo. Ubi ergo inutiles ſumus ad omne opus, vita noſtra quid aliud eſt quam languor ſimilis morti? Atqui Propheta hic affirmat opportunum hoc fore tempus, quo Deus ſubveniat ſuis, ubi videbit ita proſtratos & jacentes, ubi erunt diſperſi huc & illuc, quemadmodum *ſi* corpus hominis laceratum ſit, & projectum brachium huc, illuc vero crus, ita ut nihil cohæreat: pronunciat tamen non poſſe hoc obſtare Deo, quominus colligat Eccleſiam ſuam & inſtauret ut adhuc recipiat plenum ſuum vigorem. Denique ſignificat reſtitutionem Eccleſiæ fore quandam formam reſurrectionis, quia Dominus humiliabit populum ſuum, donec fere ſit exanimis, ut jam reſpirare nequeat. ſed tandem colliget, & ſic colliget ut non modo reſpiret, ſed recuperato novo vigore perinde floreat quaſi nunquam jacturæ quicquam paſſus eſſet. Ego non poſſem hodie abſolvere.

Da omnipotens Deus, quando hodie propter peccata noſtra ſic diſperſi ſumus, imo etiam qui videntur collecti ſub nomine tuo & auſpiciis, tamen mutuis diſſidiis laborant, ita ut pendeat ſalus Eccleſiæ tuæ quaſi à filo: interea imminent etiam crudeliſſima ſævitia hoſtes tui ad omnes tuos perdendos, ad memoriam Euangelii tui abolendam: da, inquam, ut ſic quieti & tranquilli degamus ſub ſpe tuarum promiſſionum, ne dubitemus te in tempore opportuno fore noſtrum liberatorem: & ſic patiamur nos abs te affligi & prorſus dejici, ut tamen ſemper erigamus in cœlum noſtros gemitus, & exaudiantur per nomen Filii tui, donec tandem liberati ab omni certamine fruamur beata illa quiete, quæ repoſita eſt nobis in cœlo, & quam nobis acquiſivit unigenitus Filius tuus, Amen.

PRÆLECTIO UNDECIMA

IN

SOPHONIAM PROPHETAM.

CAP. III.

Reſtabat heri ex penultimo verſu Prophetæ Sophoniæ poſterius membrum, ubi promittit Deus fore nobiles Judæos, qui prius non modo fuerant obſcuri, ſed etiam expoſiti omnibus probris. nam Dare in nomen & laudem nihil aliud eſt quam celebres ipſos reddere, ut volitent per ora hominum, quemadmodum loquuntur. Dicit autem, *In terra pudoris* vel opprobrii *ipſorum*: quia ubique deriſi fuerant, quum increduli putarent ipſos fuiſſe vana ſpe deluſos: nempe quia Deum, ſub cujus fide agebant, cuſtodem ſibi fore perpetuum jactantes, nihilominus abſtracti fuerant in exilium. hinc igitur ridendi & ſubſannandi materia. Sed promittitur hic mutatio in melius: quia in Aſſyria & Chaldæa videbunt omnes populum hunc fuiſſe divinitus electum, ut eſſet ſingulari teſtimonio inter omnes gentes, Quicunque in Deum recumbunt, eos minime falli: quia reperient eum fidelem in ſuis promiſſis. Sequitur poſtremus verſus.

20. In tempore illo reducam vos, in tempore colligam vos: quia ponam vos in nomen & laudem per cunctos populos terræ, (*inter cunctos populos terræ*) quum reducam captivitates veſtras in oculis veſtris, dicit Jehova.

Eandem ſententiam verbis paulum mutatis repetit, neque id ſine cauſa: quoniam nemo tunc putaſſet Judæos, qui velut in ſepulchrum projecti fuerant, poſſe unquam illinc emergere: præſertim vero poſſe attolli in tantam dignitatem & tam ſublimem honoris gradum. Quia ergo hoc non erat veriſimile, vaticinium ſuum confirmat Propheta, *Ego reducam vos*, inquit Deus, *colligam vos*, *nempe quia dedi vos*, hoc eſt, quia mihi ſtatutum eſt ac fixum vos reddere celebres. nam iterum hic ponitur eadem illa loquutio, de qua nuper diximus. Poſtea adjungit, *Ubi reducam captivitates veſtras.* Notandus eſt pluralis numerus. & parum dextre & prudenter faciunt multi interpretes, qui in ſingulari numero vertunt. Propheta enim conſulto poſuit captivitates, quia non modo in exilium abducti fuerant Judæi, ſed diſtracti per diverſa loca: ut non modo eſſet populus unus captivus, ſed eſſent multæ turmæ. Ergo voluit occurrere dubitationi, quia non ſatis fuiſſet reduci captivitatem unam, niſi in unum corpus fuiſſent collecti & quidem mirifica Dei virtute, qui ſic diſſipati fuerant. Et ideo addit, *in oculis veſtris*: ut ſcilicet certo ſtatuant Judæi ſe fore oculatos teſtes miraculi hujus, quod tamen concipere vix animis poterant, niſi extuliſſent mentes ſuas ſupra mundum. Sequitur Propheta Haggæus.

JOANNIS CALVINI
PRÆLECTIONES
IN
HAGGÆUM PROPHETAM.

PRÆLECTIO PRIMA.

PRÆFATIO.

SCimus à reditu populi tres præcipuè fuiſſe datos Prophetas, qui collapſos animos erigerent & clauſulam imponerent omnibus vaticiniis, donec tandem ſuo tempore veniret Redemptor. Tempore exilii Babylonici officio docendi functus eſt Ezechiel inter captivos: ſimul etiam Daniel. Erant alii minus celebres: quia videmus tunc quoſdam Pſalmos fuiſſe compoſitos, vel à Levitis, vel aliis doctoribus. ſed duo illi, nempe Ezechiel & Daniel, floruerunt præ aliis. Deinde ſequuti ſunt Eſdras & Nehemias, quorum etiam auctoritas non parva fuit in populo. ſed non legimus fuiſſe præditos vaticinandi dono. De ſolis ergo tribus certo conſtat fuiſſe divinitus impulſos, ut futurum populi ſtatum prædicerent. Daniel ante ipſos complexus fuerat quicquid poſtea accidit uſque ad Chriſti adventum. & inſigne ſpeculum eſt providentiæ Dei liber ille: quia velut in tabula depingit quæ poſt ejus mortem impleta, ſunt & de quibus nemo poterat quicquam conjicere. Numeravit etiam annos à reditu populi uſque ad Templi ædificium: deinde uſque ad mortem ipſam Chriſti. ſed oportuit accedere etiam alios teſtes, qui plus fidei adderent vaticiniis Danielis. Dominus ergo tres iſtos excitavit, Haggæum & Zachariam & Malachiam. Primus caſtigat ignaviam populi, quia omnes tunc nimium intenti privatis commodis negligerent Templi ædificationem: & oſtendit merito ſuæ ingratitudinis dare pœnas: quia Deum liberatorem vel contemnant vel non ſaltem quo decebat honore proſequantur, ſed fraudent potius legitimo cultu: deinde animat ipſos ad ſpem plenæ reſtitutionis, & oſtendit non eſſe cur frangantur ulla difficultate: quamvis undique cingantur hoſtibus & ſuſtineant multas moleſtias, terreantur etiam minacibus edictis, bene tamen ſperandum eſſe: quia Dominus perficiet opus ſuum quod inchoavit, nempe ut populus recuperet priſtinam dignitatem: imo adveniat tandem Chriſtus, qui ſecum afferat perfectam felicitatem & gloriam Eccleſiæ. Hæc ſumma eſt. Jam venio ad verba.

CAPUT PRIMUM.

ANno ſecundo Darii Regis, menſe ſexto, die primo menſis, datus fuit ſermo Jehovæ in manum Chaggai Prophetæ ad Zerubbabel filium Sealtiel ducem Jehudah, & ad Jehoſuah filium Jehoſadak Sacerdotem magnum, dicendo,

HIc deſignat Propheta & annum & menſem & diem, quo cœpit pigritiem vel ignaviam populi mandato Dei coarguere: quia ſcilicet quiſque ſtudebat domeſticis ſuis rationibus, interea nulla erat Templi ædificandi ratio. Dicit igitur hoc factum eſſe *anno ſecundo Darii regis*. Variant interpretes in tempore: quia inter ipſos non ſatis convenit à quo die vel anno captivitas Babylonica inceperit: quia volunt quidam exordium 70 annorum ſumi à clade, quæ ſub Jechonia contigit ante urbis vaſtationem & ruinam Templi. tamen probabile eſt, fluxiſſe multum temporis antequam cœperit munus Propheticum aggredi Haggæus: quia Babylon capta fuit viginti annis, aut paulo plus ante mortem regis Cyri: ſucceſſit filius Cambyſes, qui regnavit octo annis. Tertius fuit Darius filius Hyſtaſpis, quem Judæi volunt eſſe filium Aſſueri ex Heſter: ſed commentis eorum nulla eſt adhibenda fides, quia tantum impudentia valent ubi agitur de rebus incognitis. volunt enim aſſerere quicquid venit illis vel in cerebrum vel in buccam: & ita fabulantur ſine aliquo colore ut plurimum. Sufficiat nobis tenere, hunc eſſe Darium filium Hyſtaſpis, qui ſucceſſit Cambyſi (nam ſeptem menſes Magorum omitto, quia ſicuti fallacia obrepſerant, ita paulo poſt deleti ſunt:) ac probabile eſt Cambyſem, qui primogenitus fuit Cyri filius, caruiſſe maſculo herede. Unde factum eſt, ut occiſo ejus fratre procerum conſenſu regnum ad hunc Darium pervenerit. Fuiſſe igitur hunc tertium Perſarum Regem colligere licet ex hiſtoriis. Daniel quinto capite dicit urbem Babel captam fuiſſe à Cyro;

Cyro: ſed regnaſſe illic Darium Medum. Atque inter ſcriptores de hac re non convenit: quoniam omnes tradunt Cyrum regnaſſe, niſi quod Xenophon dicit Cyaxarem fuiſſe ſemper primum, ita ut Cyrus quaſi perſonam legati duntaxat ſuſtinuerit. Sed Xenophon, ut ſatis cognoſcunt homines præditi judicio & exercitati in hiſtoriis, non ſcripſit hiſtoriam, ſed mentitus eſt pro ſuo arbitrio liberrime: quia fingit Cyrum fuiſſe educatum apud avum maternum Aſtyagem. atqui ſatis conſtat Aſtyagem fuiſſe bello devictum à Cyro. Deinde dicit Cyrum duxiſſe uxorem ſatis longo ſpatio temporis ex quo capta fuerat Babylon: & oblatam quidem fuiſſe ab avunculo Cyaxare: ſed non auſum fuiſſe illam ducere donec in Perſidem rediiſſet, & pater ejus Cambyſes probaret tale matrimonium. Nugatur illic Xenophon, & facit hoc judicio: neque enim propoſitum illi fuit hiſtoriam ſcribere. Eſt graviſſimus ſcriptor, verum eſt: ſed in hoc falluntur imperiti qui volunt colligere omnes mundi hiſtorias. Xenophon eſt graviſſimus philoſophus, ſed non eſt graviſſimus hiſtoricus: quia voluit data opera pro re geſta ficte narrare quod ſibi commodum videbat. Fingit Cyrum mortuum fuiſſe in lecto ſuo: & dictat longum teſtamentum, & loquitur tanquam philoſophus in umbra ſua: ſcimus autem Cyrum mortuum fuiſſe in bello Scythico, & occiſum à Regina Tomyride, quæ ulta eſt mortem filii. & hoc ſatis notum eſt etiam pueris ipſis. Xenophon tamen, quia vult pingere imaginem perfecti Principis, dicit Cyrum in lecto ſuo mortuum fuiſſe. Ergo non poſſumus ex Cyri Pædia, quam ſcripſit Xenophon, colligere quid verum ſit. ſed tamen ſi conferimus inter ſe hiſtoricos, reperiemus hoc fuiſſe proditum fere omnium conſenſu, Cyro filium fuiſſe Cambyſem. deinde quum hic fratrem minorem ſuſpectum haberet, de eo interficiendo dediſſe mandata: & utrumque mortuum fuiſſe ſine maſculis liberis: tandem fraude Magorum detecta, filium Hyſtaſpis fuiſſe tertium regem Perſarum. Daniel Darium qui regnavit Babylone, vocat Medum. eſt autem ille Cyaxares. Ego hoc facile admitto: ſed regnavit precario, quia libenter Cyrus hunc honorem detulit. Et Cyrus etiam quamvis eſſet nepos Aſtyagis ex filia ejus Mandane, tamen natus eſt patre non admodum nobili. nam Aſtyages quum ſomniaſſet totam Aſiam urina filiæ ſuæ coopertam eſſe, facile inductus fuit ut eam locaret homini alienigenæ. Quum igitur dedit eam Cambyſi, voluit quaſi in longinquam regionem abjicere, ut ne quis unquam heres ex ea naſceretur, qui perveniret ad tantum imperium, ut Magi interpretati fuerant. Cyrus ergo haud dubie tantum ſtrenuitate ſua adeptus eſt nomen & famam, neque auſus fuit initio ſibi ſumere nomen regis, ſed paſſus eſt avunculum ſuum & eundem ſocerum pariter ſecum regnare. interea fuit ejus collega ad biennium duntaxat: nam Cyaxares poſt captam Babylonem diutius non vixit. Jam ergo venio ad Prophetam noſtrum. Dicit, *Anno ſecundo Darii ſibi hoc fuiſſe præceptum à Domino, ut coargueret ignaviam populi.* Colligere promptum eſt fluxiſſe ultra viginti annos ex quo cœperat redire populus in patriam. Alii ponunt 30, vel 40 annos: alii etiam hunc numerum excedunt. ſed non videtur hoc mihi probabile. Quod autem dicunt quidam reverſos fuiſſe Judæos in patriam anno 58. ex quo abducti fuerant, hoc falſum eſt, ac facile refellitur tam Danielis verbis, quam hiſtoria Eſræ. Daniel enim 9. capite dicit ſe divinitus fuiſſe admonitum de reditu populi, quum inſtaret tempus præſcriptum à Jeremia. Quoniam autem hoc factum eſt non anno primo Darii, qui fuit filius Hyſtaſpis, ſed ſub finem regni Balſaſar antequam capta eſſet Babylon: ſequitur ergo jam tunc impletum fuiſſe exilii tempus. Deinde initio hiſtoriæ hoc habetur, quum impleti eſſent ſeptuaginta anni, Deus excitavit ſpiritum Cyri regis. Videmus ergo ut Cyrus non permiſerat liberum reditum populo, niſi quia jam tranſactum fuerat tempus quod prædixerat Jeremias. ſicuti prius docuerat Jeſaias, Cyrum antequam naſceretur delectum fuiſſe ad hoc opus: & tunc Deus cœpit palam facere quam veraciter loquutus eſſet antequam populus ipſe traheretur in exilium. Quod ſi demus anno 58. rediiſſe populum, non conſtabit fides vaticinio. Proinde nimis inconſiderate loquuntur, qui putant reverſos fuiſſe in patriam Judæos ante 70. annum: quia hoc modo pervertunt, ſicuti dixi, totam gratiæ Dei notitiam. Ergo quum 70 anni elapſi eſſent, ubi capta fuit Babylon, & Cyrus publico edicto permiſit Judæis in patriam redire, Deus tunc manum porrexit miſeris exulibus. ſed poſtea undique moleſtia illis exhibita fuit à vicinis. Quidam prætextu amicitiæ volebant ſeſe illis conjungere, ut ſcilicet nullum eſſet nomen populi Iſraëlitici: ſed conficerent neſcio quam colluviem ex multis gentibus. deinde alii palam ipſos bello aggreſſi ſunt: & quum Cyrus militaret in Scythia, præfecti ejus tunc fuerunt infeſti Judæis: ſic injecta illis fuit mora. Deinde ſequutus eſt Cambyſes, acerrimus hoſtis Eccleſiæ Dei. Uſque igitur ad Darium hunc Hyſtaſpis filium non potuit progredi Templi ædificatio. Darius autem Hyſtaſpis filius quum Judæis faveret, vel ſaltem placatus eſſet erga ipſos, cohibuit omnes vicinas gentes, ne amplius moram injicerent Templi ædificationi. Juſſit ergo præfectos ſuos ita tueri populum Iſraëliticum, ut degeret in patria, & Templum abſolveret, quod duntaxat inchoatum fuerat. Et hinc colligere licet Templum fuiſſe ædificatum annis quadraginta ſex, quemadmodum dicitur Joannis ſecundo: quia jacta ſunt fundamenta ſtatim à reditu populi: ſed opus vel neglectum fuit, vel impeditum ab hoſtibus. Quum autem data fuit Judæis libertas ædificandi Templi, colligimus ex Propheta noſtro fuiſſe Deo ingratos, quia unumquemque rapiebat privata utilitas, et cultus Dei nulla fere apud eos eſſet ratio. Ideo nunc invehitur Propheta in iſtam pigritiem, quæ conjuncta erat cum impietate. Quid enim magis indignum, quam ut fruerentur patria ſua, & illa hereditate, quam Deus olim Abrahæ promiſerat; Deum vero pro nihilo ducerent, & præcipuam illam gratiam, quod volebat ſcilicet habitare inter ipſos? Scimus electum fuiſſe domicilium in monte Sion à Deo, ut inde prodiret redemptor mundi. quum ergo, hac cura poſtbabita, extruerent ſinguli domus ſuas, merito hic Propheta vehementer ipſos objurgat Dei nomine & mandato. Hoc quantum ad tempus ſpectat. Dicit autem, Anno ſecundo Darii: quia jam annus fuerat elapſus, ex quo data fuerat libertas ædificandi Templi. ſed non erat Judæis otium, quoniam nimium addicti erant privatis ſuis commodis. Ac dicit, *datum ſermonem hunc fuiſſe in manu ſua ad Zerubbabel filium Sealtiel, & ad Jehoſuah filium Jehoſadak.* Poſtea videbimus doctrinam promiſcue ſpectare ad totum vulgus: & quantum aſſequi licet probabili conjectura, neque Zerubbabel, neque Jehoſua in culpa erant quod Templum manebat deſertum: imo ex Zacharia etiam certo colligimus fuiſſe vere cordatum principem Zerubbabel, Jehoſuam etiam fideliter ſuo Sacerdotio eſſe functum. Quum ergo uterque ſuam operam Deo impenderet, qui fit ut Propheta ſermonem ad ipſos dirigat? deinde quum in toto populo reſideret culpa, cur non alloquitur omnes? cur non convocat totam multitudinem? Non dubium eſt, quin Dominus voluerit & Zerubbabel, & Jehoſuam adjungere ſervo ſuo ſocios, ut prodirent tres ipſi ad populum, & quaſi uno ore proferrent quod Deus mandaverat ſervo ſuo Haggæo. Hæc igitur ratio eſt cur Propheta dicat ſe miſſum fuiſſe ad Zerubbabel & ad Jehoſuam. Interim diſcamus, Principes, & quibus Deus partes injunxit guber-

bernandæ Eccleſiæ ſuæ, nunquam ita probe fungi officio ſuo, nec tam viriliter & ſtrenue implere ſuas partes, quin excitandi ſint & quaſi pungendi multis ſtimulis. Dixi jam aliis locis laudari Zerubbabel & Jehoſuam: Dominus tamen ipſos aggreditur, & expoſtulat ſevere, quod negligant Templi ædificationem: non facit hoc, niſi ut confirment ſua auctoritate quod dicturus erat Propheta. ſed interim etiam oſtendit ipſos non vacare prorſus omni culpa, dum ita torpet populus, & non proſequitur Templi ædificationem. Quod autem vocatur Zerubbabel filius Sealtiel, putant multi filium poſitum eſſe nepotis loco, & præteritum eſſe patris nomen. ſed illud non videtur mihi probabile. Citant ex Chronicis fuiſſe aliter vocatum patrem: nempe Pheadiah: ſed ſcimus hoc fuiſſe frequentiſſimum in populo illo, ut unus idem eſſet binomius. Ego igitur ſimpliciter exiſtimo Zerubbabel filium fuiſſe Sealtiel. Vocatur dux Jehudah, quia oportuit manere in illa tribu aliquod imperium: quamvis ablatum eſſet regium nomen, & extincta etiam omnis majeſtas & potentia, tamen voluit Deus manere aliquod veſtigium regni, ſicuti prædictum fuerat à Patriarcha Jacob, Non tol- Geneſ. 49.
letur ſceptrum è Jehudah, nec dux ex femore ejus, do- verſ. 10.
nec veniat, &c. Regium quidem ſceptrum ablatum fuit, diadema etiam everſum, ut dicit Ezechiel, Tol- Eze. 21.
lite cidarim, ſubvertite, ſubvertite, ſubvertite ipſam, verſ. 26.
inquit: quia illi regni interruptio ſatis diuturna fuit. ſed interim Dominus ſervavit aliquas reliquias, unde agnoſcerent Judæi non prorſus abolitam fuiſſe memoriam illius promiſſionis. Hæc igitur ratio eſt cur vocetur Sealtiel præfectus Jehudah. Nunc ſequitur,

2. Sic dicit Jehova exercituum, dicendo, Populus iſte dicunt, (*hoc eſt, dicit*) Non venit tempus domui Jehovæ ad ædificandum.

3. Et datus fuit ſermo Jehovæ in manu Chaggai Prophetæ, dicendo,

4. An tempus vobis, ut habitetis vos in domibus veſtris tabulatis, & domus hæc deſerta?

Qui putant ſeptuaginta annos non fuiſſe tranſactos, niſi regnante Dario, poſſunt etiam hinc facile refutari: quia ſi nondum impleti fuiſſent anni ſeptuaginta, in promptu erat excuſatio Judæis, quod diſtulerant Templi ædificationem. ſed certum eſt tempus tunc fuiſſe elapſum, & ſolo ipſorum torpore factum eſſe, ne Templum exurgeret: quia quicquid erat materiæ, quiſque rapiebat in privatum ſuum uſum. Dum ergo ita ſibi addicti erant & commodis ſuis peculiaribus, neglecta fuit Templi ædificatio. quod à reditu uſque ad imperium Darii non fuerat Templum ædificatum, diximus hoc aliunde contigiſſe: quia ſcilicet præfecti Cyri regis multum moleſtiæ Judæis exhibuerant. Cambyſes autem fuit illis infeſtiſſimus. ſed quum jam recuperata eſſet ab ipſis libertas, & Darius tam humaniter illis permitteret Templum extruere, nullus fuit cunctandi prætextus. Et tamen probabile eſt, tunc quoque fuiſſe agitatos ſermones de tempore. nam fieri poteſt, ut qui captabant aliquid coloris ad tegendam ſuam ignaviam, objicerent difficultates multas fuiſſe interpoſitas, quia nimis feſtinaverant: & ita fuiſſe pœnam celeritatis, quod temere aggreſſi fuerant ſtructuram Templi: ut ſolent homines ingenioſi ſemper eſſe in ſuis delictis tegendis. Sed poſſumus etiam aliter accipere, quod dicebant nondum veniſſe tempus. nam etiam facilis erat hæc objectio, Verum quidem eſt cultum Dei merito præferendum eſſe aliis rebus: ſed Dominus hoc nobis concedet, ut ſinguli domos ſuas extruant: dabimus interea operam ſacrificiis. nonne vixerunt patres noſtri ſine Templo per multa ſecula? tunc Deus Sanctuario contentus fuit. Jam erectum eſt Altare, & illic offeruntur Sacrificia. Dominus ergo nobis ignoſcet ſi differimus Templi ædificationem in tempus opportunum. Interea vero quiſque domum ſuam ædificabit, ut ſcilicet per otium poſtea Templum magis ſumptuoſe extruatur. Quicquid ſit, videmus quod jam aliquoties dixi, Judæos ita fuiſſe addictos ſuis domeſticis commodis, ſuæ quieti, ſuis etiam deliciis, ut cultum Dei fere pro nihilo ducerent. Hæc cauſa eſt cur tam ſevere illis ſuccenſeat Propheta. Dicit igitur ſe ita fuiſſe loquutum, *Populus hic dicit nondum veniſſe tempus quo ædificetur domus Jehovæ.* Hic recitat quod ſolebant adducere Judæi ad fucandam ſuam pigritiem, quum jam per longum tempus cunctati eſſent, & non poſſent niſi ſumma impudentia defendere vitium ſuum. Tamen videmus ut ſibi adhuc veniam promittere non dubitarent. ſed ita fere ſibi indulgent homines in ſuis peccatis, quaſi poſſent cum Deo paciſci, & nugis quibuſdam eum placare, ſicuti videmus tunc fuiſſe factum. Sed ſimul etiam in hoc ſpeculo perſpicimus quanta ſit hominum ingratitudo. Fuit illud beneficium Dei in primis memorabile, & cujus etiam gloria vigere debet uſque ad finem ſeculi: fuerant reducti ab exilio qui hoc minime ſperaverant. Quid fuit illis agendum, niſi ut ſe totos addicerent ad colendum ſuum liberatorem? atqui extruunt neſcio quod tugurium Deo, & quaſi ſub pluvia ſacrificant: & ita volunt os Deo oblinere. Interea autem ſumptuoſe habitare volunt in domibus optime diſpoſitis. Hodie autem quid? videmus factum eſſe inſigni Dei miraculo, ut illuxerit noſtro tempore Euangelium: nos etiam emerſerimus quaſi ex inferis. Nunc quis accendit gratis Dei altare? nam omnes reſpiciunt quid ſibi expediat; & dum occupantur ſinguli in utilitate propria, interim abjicitur Dei cultus, nulla cura, nullus zelus, nullum ſtudium: imo quod longe deterius eſt, multi lucrum captant ex Euangelio, perinde acſi eſſet ars quæſtuoſa. Non mirum eſt igitur ſi tam indigne contempſerit populus ille ſuam liberationem, & ejus memoriam fere deleverit, quia non minus turpe exemplum hodie inter nos apparet. ſed hinc etiam videmus quam bene conſuluerit Dominus Eccleſiæ ſuæ, dum voluit extare hanc objurgationem, ut hodie nos ſollicitet, & metum vel pudorem incutiat. Porro ita frigemus in promovendo cultu Dei, ubi ſcilicet rapimur ad noſtra commoda. Huc etiam accedit, quod quum ſpiritualis ſit templum Dei, crimen noſtrum eo atrocius eſt, ubi ita pigreſcimus, dum ſcilicet non jubet Deus colligere vel lignum, vel lapides, vel cæmentum, ſed extruere templum cœleſte, in quo vere colatur. Ubi ergo ita torpemus omnes, certe ſi populus ille tunc duriter caſtigatus fuit, noſtra ignavia magis deteſtabilis eſt. Nunc videmus Prophetam non modo ætatis ſuæ hominibus loquutum eſſe, ſed deſtinatum fuiſſe admirabili Dei conſilio, ut perſonet ejus doctrina hodie in auribus noſtris, & caſtiget noſtrum torporem & frigus plenum ingratitudine: quia ſcilicet differtur ædificium ſpiritualis templi, ubi quiſque ſibi addictus eſt, & reſpicit quod ſibi privatim eſt utile. Cras proſequemur reliqua.

Da omnipotens Deus, quando nobis militandum eſt in hoc mundo, & vis nos exercere multis certaminibus, ne unquam deficiamus tamen, etiamſi extrema quæque nobis perferenda ſint. Et quia tanto honore nos dignaris, ut ſimus architecti & opifices ſpiritualis templi tui, ut quiſque noſtrûm ſe tibi totum offerat & conſecret: deinde ut quicquid facultatis quiſque noſtrûm accepit, id ſtudeat conferre in templi hujus ſtructuram, quo ita perpetuo inter nos colaris: præſertim vero ut quiſque ſe totum tibi offerat in ſpiritualem victimam, donec tandem renovemur ad imaginem tuam, & recipiamur in ſocietatem illam perfectam ejus gloriæ, quæ nobis acquiſita eſt ſanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO SECUNDA IN HAGGÆUM PROPHETAM.

CAP. I.

QUum interrogat Propheta an advenerit tempus quo Judæi habitent in ædibus ſplendidis & bene ornatis, nondum autem advenerit tempus ædificandi Templi: oſtendit, nimis craſſe ipſos ludere cum Deo. Nam eadem prorſus ratio erat Templi & urbis. Quomodo enim reducti fuerant in patriam, niſi quia præſtiterat Deus quod per os Jeremiæ teſtatus fuerat? Ergo reditus ipſorum pendebat à redemptione illa promiſſa: unde colligere promptum erat jam veniſſe tempus ædificandi Templi, quia alterum ab altero non poterat neque debebat ſeparari, ut dictum fuit. Exprobrat igitur illis ſuam ingratitudinem, quod frui velint Dei beneficio, & interea ſpernant ejus memoriam. Emphaticæ etiam ſunt loqutiones, quum dicit, *An tempus vobis, ut vos habitetis?* nam ſubeſt comparatio inter Deum, cujus Templum pro nihilo ducebant, & inter ipſos, qui volebant non modo commode, ſed etiam ſumptuoſe habitare. Quærit igitur Propheta an hoc ſit conſentaneum, ut homines mortales, qui nihil differunt à vermiculis, poſſideant domos magnificas: Deus autem Templum ſuum non habeat. Et eodem etiam pertinet quod dicit, *domos tabulatas*. nam ספונים vocant Hebræi quod dicimus *lambriſſées*. Ergo quum illis non ſufficeret commoditas, niſi etiam accederet ſplendor & lautitiæ, hoc erat nimis indignum, interea fraudare Deum ſuo Templo, ubi colendus erat. Jam ſequitur,

5. Et nunc ſic dicit Jehova exercituum, Adjicite cor veſtrum ad vias veſtras.

6. Seminaſtis multum, & intuliſtis parum, comedere & non ad ſatietatem, bibere & non ad ebrietatem, veſtiri & non ad calorem cuique, & qui colligit mercedem, colligit mercedem in ſacculum perforatum.

Hic agit Propheta cum præfracto illo populo ſicuti ferebat ipſorum ingenium. nam qui dociles ſunt & morigeri, ſatis habent uno verbo, & ſtatim admoniti reſipiſcunt: qui autem pervicaciter addicti ſunt ſuis peccatis, durius ſunt urgendi, quemadmodum hic facit Propheta. Proponit enim Judæis pœnas in medium, quibus jam caſtigati fuerant. Vulgo dicitur, experientiam eſſe magiſtram ſtultorum: & Propheta huc tendit in his verbis. *Adjicite*, inquit, *corda veſtra ad vias veſtras*: hoc eſt, ſi nullius apud vos momenti eſt aut Dei auctoritas, aut ratio, ſaltem reputate quomodo vos Deus tractet. Unde fit ut eſuriatis? ut & cœlum & terra vobis victum denegent? deinde etiamſi multum abſumitis ciborum, tamen nulla ſit ſatietas? Denique ut omnia in manibus veſtris diffluant & evaneſcant? Unde hoc? non poteſtis aliud ſtatuere, quam Deum vobis eſſe infeſtum. Ergo ſi non obtemperatis ſponte verbo Dei, ſaltem pœnæ ipſæ vos adducant ad aliquam reſipiſcentiam. Hoc enim eſt cor adjicere ſuper vias ſuas, ſi agnoſcant non fortuito ſe ita eſſe famelicos, ſed quia ipſos urget, vel ipſorum capitibus incumbit maledictio Dei. Jubet ergo ipſos capere conſilium ex rebus ipſis vel experimentis. & his verbis acrius pungit eos Propheta: quaſi diceret ſe nihil proficere docendo vel monendo: hoc reſtare ultimum, ut ſaltem violenter trahantur ubi Dominus ipſos caſtigat. Dicit eos *multum ſeminaſſe & exiguum fuiſſe proventum*. Qui ſententiam hanc accipiunt in futuro tempore, corrumpunt Prophetæ ſenſum. Quorſum enim dixiſſet, Adjicite cor veſtrum ad vias veſtras, ſi tantum denunciaret pœnas in futurum tempus? ſed quemadmodum jam dixi, oſtendit eos nimis inconſiderate arrodere frenum, quia non ſentiunt mala omnia ſibi infligi Dei manu: & non ſimul reputant juſtum eſſe ejus judicium. Ergo dicit eos multum ſeminaſſe & fuiſſe exiguam meſſem: deinde ipſos *comedere & non ſatiari, bibere & non inebriari, veſtiri neque tamen calefieri*. utcunque ad manum habeant quæ videntur requiri ſubſidia ad uſum vitæ: tamen nihil ipſis prodeſſe. Scimus autem Deum utroque modo pœnam ſumere de hominibus: vel ubi ſubducit ſuam benedictionem, dum arida eſt terra & cœlum ſiccum; vel dum in ipſa frugum copia tamen nulla eſt ſatietas, imo nullus uſus. Sæpe continget, homines colligere quantum ſufficeret ad victum, interea tamen ſemper eſurire: hæc ſpecies maledictionis clarius apparet quum Deus aufert virtutem ſuam à pane & vino, ut vires non ſuppeditent cibis & potui. Ubi ergo nihil conferunt fruges ipſæ, & quicquid terra profert in alimenta hominum, Deus quaſi aperto brachio oſtendit ſe eſſe ultorem. Altera autem maledictio frequentior eſt, ubi ſcilicet Deus terram ariditate percucit, ut nihil proferat: utramque vero ſpeciem attingit Propheta noſter: Ecce, inquit, *ſeminaſtis multum & parum collegitis*: deinde, etiamſi ſuppetat proventus & vini & tritici, comedendo & bibendo non poteſtis tamen vos ſaturare: imo veſtes ipſæ vos non calefaciunt. Jam debuerant certo ſperare uberrimam frugum copiam quum reverſi eſſent, niſi abruptus fuiſſet curſus gratiæ Dei ipſorum peccatis. Ergo niſi bis fuiſſent cæci, hæc experientia debebat eos expergefacere, quemadmodum etiam vidimus apud Joelem cap. 1. Dicit in fine verſus, *qui mercedem contrahit, contrahit eam in ſacculum perforatum*: quibus verbis admonet non tantum poſſe conſpici Dei vindictam in ſterilitate terræ, & in ipſa eſurie hominum qui comedendo non ſaturantur: ſed in ipſorum operis, ubi ſcilicet multum ſe fatigant, & ſine profectu: quia pecunia etiam ubi in crumenam conjecta eſt, evaneſcat. Ergo operæ etiam veſtræ ſunt inanes, inquit. Eſt autem hoc ſatis manifeſtum iræ Dei ſignum, ubi pecunia etiamſi recondita fuerit, tamen diffluit. Jam videmus quid ſibi velit Propheta: quia frigebat doctrina apud Judæos, & admonitiones ſpernebant, tractat eos pro ingenii pervicacia. Oſtendit igitur etiamſi contemnant Deum & ejus Prophetas, ipſos tamen pœnis ſatis doceri: & tamen adhuc manere ſtupidos. Ergo exſtimulat quemadmodum aſinos, ut tandem agnoſcant Deum non immerito ſibi iraſci: iram vero ejus conſpicuam eſſe tam in ſterilitate terræ, quam in tota ipſorum vita: quia ſive comedant, ſive abſtineant à cibo, ſunt tamen famelici: deinde ſi ſtrenue laborent, & ſi colligant mercedem, ipſam tamen diffluere, acſi congeſta eſſet in crumenam perforatam. Sequitur,

7. Sic dicit Jehova exercituum, Ponite cor veſtrum ſuper vias veſtras.
8. Aſcendite in montem, & afferte lignum, & ædificate domum, (*vel hanc domum*) & propitius ero in ea, (*vel mihi placebit in ea*) & glorificabor, dicit Jehova.

Nunc addit Propheta, Ubi edocti malis fuerint Judæi, jam nihil aliud reſtare, niſi ut ſe accingant celeriter ad ædificandum Templum: quia non eſt cunctandi tempus ubi intelligunt Deum manu armata prodire ad jus ſuum exigendum. ſterilitas enim de qua loquutus eſt, & inopia, deinde alia ſigna maledictionis, erant quaſi exertus gladius in manu Dei: quo palam erat ipſum velle ulciſci negligentiam populi. Quum ergo ita fraudatus eſſet Deus ſuo jure, non modo populum hortatus eſt per ſuos Prophetas, ſed vindictam etiam exercuit contra illum contemptum. Hæc ratio eſt cur Propheta nunc dicat, *Adjicite cor veſtrum: & tunc conſcendite in montem, afferte lignum.* Hic autem locus optime exprimit cur Deus pœnas exigat de hominum peccatis: non tantum ſcilicet ut ſentiant ſe peccaſſe, ſed ut ſtudeant corrigere quicquid Deo diſplicet. Secundo hinc etiam colligimus quomodo ad pœnitentiam progredi nos oporteat. Initium eſt, ut peccata noſtra diſpliceant nobis: ſed ſiquis non ultra promoveat, erit duntaxat motus aliquis invalidus. Neceſſe igitur eſt ad ſecundum gradum progredi, nempe ut ſequatur correctio in melius. Utrumque hic exprimit Propheta. Prius dicit, *Ponite cor veſtrum ſuper vias veſtras*: hoc eſt, Conſiderate unde vobis hæc inopia: deinde ut multum laborando, tamen ludatis operam: niſi quia iratus eſt vobis Deus. Hæc jam erat aliqua pars prudentiæ: ſed iterum repetit, Ponite ergo corda veſtra ſuper vias veſtras, non tantum ut peccatum vobis diſpliceat, ſed ut ſegnities iſta quæ hactenus Deum offendit, & provocavit iram ejus, mutetur in ſtrenuam diligentiam. Ergo, *Aſcendite in montem, & tollite lignum*, inquit, *& ædificetur hæc domus.* Siquis dubitet cur tantopere inſiſtat Propheta in ædificio Templi, reſponſio facilis eſt, quod Deus voluit hoc modo exerceri veterem populum in pietatis officiis. Quanquam ergo Templum per ſe non magni erat ponderis coram Deo, finis tamen ſpectandus fuit: quia retinebatur populus viſibili illo Templo in ſpe venturi Chriſti. Deinde cœleſte exemplar ſemper debebat illis venire in mentem, ut ſcilicet ſpiritualiter Deum colerent ſub illis externis figuris. Non abs re igitur offenſus fuit Deus Templi ſui neglectu: quia inde facile conſtabat nullam eſſe pietatis curam nec ſtudium apud Judæos. ſæpe contigit, ut plus ſatis eſſent ſeduli in externo cultu: & Deus illam aſſiduitatem deridet, ubi non eſt conjunctus interior affectus: ſed hic reprehenditur à Propheta craſſior ille contemptus Dei, quum etiam externum ædificium ſpernerent. Poſtea adjungit, *& propitius ero in ea*, vel placebit mihi in ea. Qui vertunt, Placebit mihi, non diſcedunt à genuina verbi ſignificatione. nam רצה eſt aliquid habere gratum. ſed rectius meo judicio ſentiunt, qui putant Prophetam alludere ad promiſſionem Dei: quia dicebat ſe hac lege habitaturum eſſe inter Judæos, ut eorum vota exaudiret, ac illis reconciliaretur. Quum ergo venirent in Templum Judæi, ut peccata ſua expiarent, ut redirent cum Deo in gratiam, non abs re hic pronunciat Deus ſe fore propitium in illa domo. Siquis peccaverit, dicebat Solomon, & ingreſſus domum hanc, ſupplex deprecatus fuerit, tu etiam exaudies ex habitaculo tuo cœleſti. 1 Reg. 8. verſ. 31. Deinde ſcimus operculum Arcæ ideo vocatum fuiſſe Propitiatorium, quod Deus illinc recipiebat in gratiam ſupplices. Videtur ergo hic ſenſus melius congruere quum dicit Propheta, ſi Templum fuerit ædificatum, illic Deum propitium fore. Fuit autem hoc ſignum nimis craſſæ impietatis, quum putarent ſe Deo quoque adverſo poſſe proſpere agere. Unde enim ſperanda illis fuit felicitas, niſi ex unico bonorum omnium fonte, nempe ſi Deus ipſis faveret atque eſſet propitius? Quomodo autem quærenda fuit ejus gratia, niſi ut in Sanctuarium venirent, ac inde ſurſum conſcenderent animis & fide in cœlum? Quum ergo nulla eſſet Templi cura, hinc colligere promptum fuit negligi ab ipſis Deum ipſum, & fere ludibrio haberi. Videmus ergo quam emphatice hoc additum ſit, *Ego illic vobis ero propitius*, hoc eſt, in Templo: quaſi diceret, debuit vos infirmitas veſtra monere opus vobis eſſe adminiculo iſto, nempe ut me in Sanctuario colatis. Jam quum dederim vobis quaſi viſibile ſpeculum meæ præſentiæ inter vos, ubi volui Templum mihi ædificari in monte Sion: ſi Templum contemnitis, nonne hoc perinde eſt acſi à vobis rejiceret? Poſtea addit, *Et glorificabor, inquit Jehova.* Videtur cauſam exprimere cur propitius futurus ſit: quia ſcilicet videbit gloriam ſuam curæ eſſe Judæis. Quanquam poſſet etiam ſeorſum accipi hæc ratio. & hoc poſterius mihi magis placet. Duos igitur ſtimulos admovet Propheta, quibus expergefiant Judæi, nempe quia ubi extructum fuerit Templum, Deus ipſos benedicet. poterunt enim ipſum placare: & quoties ſentient ſibi iratum, ſupplices poterunt accedere ad petendam veniam. Hæc una ratio eſt cur ſtrenue ipſos incumbere deceat ad ſtructuram Templi. Secunda ratio eſt, quod Deus glorificabitur. Quid autem magis abſurdum, quam Deum liberatorem ſperni, præſertim tam recenti memoria? Quomodo autem glorificatus fuerit Deus in Templo illo, jam breviter expoſui, non quia quicquam Deo acceſſerit, niſi quatenus exercitia illa pietatis tunc neceſſaria erant, nempe quum adhuc pueris ſimiles eſſent Judæi. Nunc ſequitur,

9. Reſpexiſtis ad multum, & ecce parum, & intuliſtis in domum, & ſufflavi in illud. Cur hoc? dicit Jehova exercituum. Propter domum meam quæ eſt deſerta, & vos curritis (*vel addicti eſtis quiſque domi ſuæ*) quiſque in domum ſuam.

Iterum hic commemorat Propheta Judæos privari alimentis, & quodammodo tabeſcere in ſua inopia, quoniam fraudaverint Deum debito cultu. Primum rem ipſam recitat, *Reſpexiſtis ad multum*, inquit, *& ecce parum.* Poterit fieri ut quis contentus ſit vel tenuiſſimo victu, quia non plus appetat. Quibus ſufficit ſua egeſtas, illi non admodum anxii ſunt, etiamſi ſuppetat exigua victus portio: etiamſi veſci cogantur glandibus, tamen non multum appetent frumentum qui obduruerunt ad mala ferenda. ſed qui ardent cupiditate, magis tanguntur, & vulnerantur etiam ſua egeſtate. Hæc ratio eſt cur dicat Propheta, Reſpexiſtis ad multum, & ecce erat parum: hoc eſt, non eſtis ſimiles hominibus ruſticis, qui, modo ventrem farciant qualicunque victu, non admodum tanguntur ſua egeſtate: ſed cupiditas vos inflammat ad copiam appetendam. Quæritis ergo, & avide ſtudetis hinc inde rapere: ſed ecce parum, inquit. Deinde, *Intuliſtis in domum.* Rurſus proponit alteram ſpeciem mali, quod etiam dum contrahunt & vinum, & triticum, & pecuniam, hæc ſtatim omnia evaneſcant. *Intuliſtis* ergo *in domum veſtram, & ego ſufflavi in illud.* Quum dicit eos intuliſſe domum, ſignificat repoſitum fuiſſe quod ſibi acquiſierant,

ſierant, ut eſſet quaſi in tuta cuſtodia. nam qui horreum ſuum, & cellam vinariam, & crumenam impleverunt, putant jam ſibi nihil eſſe cum Deo negotii. Hinc fit ut tam ſecure luxurientur profani homines, quia exiſtimant ſe eſſe extra periculum, ubi domus ipſorum bene ſunt refertæ. Atqui oſtendit Deus exinanitas fuiſſe domos, quum tamen plenæ eſſent & theſauris & annona. ſed expreſſius etiamnum loquitur, *quod ſufflaverit*, hoc eſt, quod flatu diſcuſſerit: neque enim ſatis habuit Propheta hiſtorice narrare quod experti erant Judæi, ſed voluit etiam digito monſtrare cauſam. Docet igitur noo temere evaneſcere quicquid domi ſuæ repoſuerant: ſed hoc fieri Dei flatu, quia ſcilicet maledicat ipſorum benedictioni, quemadmodum poſtea videbimus ſuo loco apud Malachiam. Tandem adjungit, *Quare hoc? dicit Jehova exercituum.* Hic Deus interrogat, non quod dubitet ipſe, ſed ut hac punctione excitet Judæos à ſua ſocordia: hoc eſt, Reputate cauſam, & agnoſcite manum meam non ferri cæco impetu, dum vos percutit. conſideranda igitur eſt vobis ratio cur omnia ſic vobis diffluant & pereant. Iterum hic mordaciter coarguitur ſtupor populi, quia ad malorum cauſam non attendat: debebant enim ultro ſibi eſſe monitores. ſed Deus occurrit, quia videt eos quaſi attonitos jacere. *Propter domum meam*, inquit, *quia deſerta eſt.* Hic cauſam aſſignat Deus, hoc eſt, oſtendit etiamſi nemo ipſorum cogitet cur ſic exareſcant, tamen ſatis clarum eſſe judicium ſuæ maledictionis, quod ſcilicet Templum maneret deſertum. *Et vos*, ioquit, *curritis quiſque in domum ſuam.* Alii vertunt, Vobis placetis quiſque in domo ſua. nam idem eſt verbum quod nuper vidimus רצה: ſed ſignificat vel Capere voluptatem in re aliqua, vel etiam interdum Currere. Quiſque ergo currit in domum ſuam, vel quiſque ſibi placet in domo ſua. ſed videtur melios quadrare contextui, Currit quiſque io domum ſuam. Hic enim admonet Propheta Judæos tam lentos & pigros eſſe in ædificando Templo, quia properent ad privatas domos. Hic ergo perſtringit eorum fervorem, quia ſic intenti erant ad extruendas domos ſuas, ut nihil eſſet otii ad Templum ædificandum. hæc igitur eſt feſtinatio, quam Propheta accuſat & condemnat in Judæis. Hinc rurſus colligimus, diu ipſos ceſſaſſe quum jam tempus impletum eſſet ædificandi Sanctuarii. nam quemadmodum heri attigimus, qui putant anno 58. reverſos eſſe Judæos, & tunc nondum defunctos fuiſſe illa pœna, quam minatus erat Jeremias, nimis turpiter falluntur: quia hoc modo obſcurant gratiam Dei, imo evertunt omnem promiſſionum fidem quaſi temere reverſi eſſent Cyri permiſſu, quum tamen Jeſaias dicat Cyrum miniſtrum *Jeſa 45. verſ. 1.* fore redemptionis promiſſæ: atqui Cyrus mortuus fuiſſet antequam tempus eſſet impletum. Ergo Deus non fuiſſet redemptor ſui populi. proinde nimis ſtulte Euſebius & ſimiles ita pervertunt temporum ordinem. Jam ſequitur,

10. Propterea prohibiti ſuper vos ſunt cœli à rore, & terra à proventu ſuo prohibita eſt.

11. Et vocavi ſiccitatem ſuper terram, & ſuper montes, & ſuper triticum, & ſuper muſtum, (*aut vinum*) & ſuper oleum, & ſuper omne quod profert terra, & ſuper hominem, & ſuper animal, & ſuper omnem laborem manuum.

Confirmat proximam ſententiam, quod ſcilicet Deus palam fecerit, ſe ideo infeſtum eſſe populo ſuo, quia frigeret illic pietatis ſtudium: imo quia ſinguli præpoſtere attenti eſſent utilitati privatæ: interea vero nulla erat cura ædificandi Templi. Dicit igitur *propterea clauſos fuiſſe cælos & prohibitos à rore*, hoc eſt, ne rorem ſtillarent io terram. deinde terram fuiſſe clauſam à ſuo proventu: nempe ut nihil redderet, ſed fraudaret ſuos cultores. In particula על כן tenendum memoria eſt quod dixi, Deum non reſpicere externum Templum ac viſibile, ſed finem potius: quia tunc volebat ſub ceremoniis legalibus coli. Si ergo offerrent tunc Judæi mutilas hoſtias, claudas & vitioſas, prodebant ſuam impietatem & contemptum Dei. Atqui hoc perinde erat Deo, verum eſt: neque vero præceperat etiam offerri ſibi ſacrificia in ſuum uſum, ſed ut talibus officiis pietatem ſuam foverent. Nunc ergo quum dicit ſe pœnam ſumere de neglectu Templi, ſemper debemus referre mentes noſtras ad exemplar illud cœleſte, ut ſciamus reprehendi in Judæis frigus & torporem: quia inde ſatis conſtabat nullam eſſe curam colendi Dei apud ipſos. Jam quod ad prohibitionem roris & victus pertinet, ſcimus Prophetas ſumere ex Lege quæ faciunt ad docendum populum, & tantum accommodare ad uſum præſentem. Maledictiones in Lege ſuot generales. Perinde igitur eſt acſi diceret Propheta impleri re ipſa quod Deus
Deut. 11. verſ. 17. per Moſen minatus fuerat. Noo debebat illis hoc eſſe novum, quoties cœlum negabat rorem & pluviam, extare aliquod ſignum iræ Dei. Sed ſicuti hodie io bellis, in fame, in peſte non reſpiciunt homines ad generalem doctrinam, ideo hæc eſt neceſſaria accommodatio. Et prudenter debent huc attendere pii Doctores, ut ſcilicet pro re nata & præſenti occaſione, admoneant Deum clare oſtendere experimento quod verbo ſuo teſtatus eſt. Sic ergo nunc Propheta noſter, *Prohibiti ſunt cæli à rore, & terra etiam à proventu ſuo.* Denique ſignificat Deus, neque in cœlo ipſo eſſe ullam ſollicitudinem, ut nobis provideat, & ſtillet rorem ſuum, ut terra nobis fructum proferat: neque etiam terram ipſam, utcunque vocetur hominum mater, ſponte aperire ſua viſcera, ſed tam cœlum quam terram eſſe certa teſtimonia paterni ſui amoris, & ſimul ſollicitudinis quam de oobis gerit. Deus ergo & per cœlum & terram oſtendit ſeſe nobis proſpicere: ſicuti dum cœlum & terra nobis beneficia Dei miniſtrant & ſuppeditant, hoc modo declarant ejus amorem erga nos. Sic etiam ubi cœlum ipſum eſt ferreum, ubi terra clauſis viſceribus oos victu fraudat, ſciamus armari ad exercendam vindictam Dei contra nos: quia non modo organa ſunt ejus beneficentiæ, ſed etiam ubi opus eſt, Deus illis utitur ad pœnas de nobis exigendas. Hoc ſummatim tenendum eſt.

Da omnipotens Deus, quando tam comiter & blande nos ad te invitas, ne expectemus dum nos confodias ſtimulis, ſed correcta omni pigritie celeriter ad te curramus. Et quando ita retinet nos torpor noſter, ut neceſſariæ ſint nobis pœnæ, tamen ne permittas ut ad eas obdureſcamus, ſed ut ſerio taodem admoniti redeamus in viam, & ſtudeamus ita omnia noſtra officia tibi probare ut januam aperiamus gratiæ tuæ & favori: & participes earum benedictionum, in quibus guſtum præbes ejus bonitatis qua fruemur in cœlo, ſemper illuc aſpiremus, & ſic ſaturemur ea bonorum copia quam quotidie, imo aſſidue ex manu tua recipimus, ut tamen non retineamur in mundo, ſed erectis ſemper in cœlum mentibus, tendamus & enitamur ad perfectam illam beatitudinem, quæ illic nobis repoſita eſt per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO TERTIA IN HAGGÆUM PROPHETAM.

CAP. I.

12. Et audivit Zerubbabel filius Sealtiel, & Jehoſua filius Jehoſadak Sacerdos magnus, & omnes reliquiæ populi vocem Jehovæ Dei ſui, & ad verba Chaggai Prophetæ, quemadmodum miſerat ipſum Jehova Deus eorum: & timuerunt populus à conſpectu Jehovæ.

Hic narrat Propheta legationem ſuam non caruiſſe fructu: quia paulo poſt totus populus ſe ad opus accinxit. Nominat autem tam Zerubbabel quam Jehoſua: quia oportuit ipſos exemplo præire, & quaſi porrigere manum aliis. Niſi enim fuiſſent populi duces, nemo ex vulgo monſtraſſet reliquis viam. Scimus quid contingere ſoleat ubi promiſcue ſermo dirigitur ad totam plebem, alii reſpiciunt alios: ita nemo progreditur. ſed quum Jehoſua & Zerubbabel attenti fuerunt ad Prophetæ mandata, ſequuti etiam ſunt alii: quia pollebant non modo imperio, ſed etiam auctoritate, ut ſponte populum ad officium adducerent. Alter quidem dux erat populi, alter ſummus Sacerdos: ſed utriuſque nota erat probitas & fides, ut vulgus obedienter ſe formaret ad exemplum. Et docet hic locus, etiamſi Deus omnes ad obſequium invitet, tamen ut quiſque vel gradu honoris, vel aliis donis excellit, ita etiam debere animoſius ſuſcipere quod profertur in medium ipſius Dei nomine. Nam haud dubie Propheta noſter notare legitimum ordinem voluit, quum dicit ſe fuiſſe auditum primo à Zerubbabel & à Jehoſua, deinde à tota multitudine. Quoniam autem non omnes ab exilio reverſi erant, ſed exigua tantum portio præ numero illo ingenti, quem ſcimus non uſum fuiſſe beneficio permiſſo: hæc ratio eſt cur Propheta non ſimpliciter populum nominet, ſed שארית העם, *reliquias populi*. Cæterum quia jam longo tempore rarius fuerat donum prophetandi, & pauci etiam floruerant in populo, qui haberent inſigne aliquod teſtimonium vocationis, ut ante habuerat Samuel, & Jeſaias, & David & reliqui: ideo Propheta hic magis ſollicite commendat ſuum munus & exornat: quia dicit attentum fuiſſe populum ad verba Jehovæ. Quomodo? nempe, inquit, *ad verba Chaggai Prophetæ, ſicuti miſerat ipſum Jehova Deus eorum*. Poterat brevius dicere, operam ſuam non caruiſſe profectu. ſed hoc circuitu ſermonis utitur, ut confirmet magis ſuam vocationem: idque facit non abſque conſilio, quoniam longo tempore deſtiterat populus audire Dei Prophetas, quum ſcilicet nulli tunc extarent. Interea tamen nihil de ſe prædicat Haggæus, quod non pertineat communiter ad omnes Eccleſiæ doctores. Scimus enim non ideo excitari divinitus homines qui loquantur, ut Deus ipſe taceat. Quum ergo miniſtri doctrinæ nihil Dei auctoritati derogent, ſequitur nonniſi unum Deum audiendum eſſe. Ergo non eſt ſingulare elogium, quod ad unum hominem reſtringi debeat, quum dicitur per os Haggæi loquutus eſſe Deus: ſed hoc modo declarat ipſe Haggæus ſe verum & legitimum Dei Prophetam. Colligere igitur licet ex his verbis, non ideo regi externa verbi prædicatione Eccleſiam, quaſi Deus homines ſubſtituat in ſuum locum, atque ita ſe ſpoliet proprio officio: ſed ut tantum per os ipſorum loquatur. Huc etiam pertinet iſta loquutio, *Audivit populus vocem Jehovæ Dei ſui, & verba Chaggai Prophetæ*. Neque enim hic ſermo Dei à Prophetæ verbis diſcernitur, quaſi addiderit Propheta quicquam de ſuo. Verba igitur hæc quæ ſibi tribuit Haggæus non commentus eſt ex proprio capite, ut ita corrumperet puram doctrinam, quæ à Deo tradita fuerat: ſed tantum diſtinguit inter Deum auctorem doctrinæ, & miniſtrum: quemadmodum quum dicitur, Gladius Dei & Gedeonis: *Judic. 7. verſ. 20.* item, Credidit populus Deo & Moſi ſervo ejus: *Exod. 14. verſ. 31.* hic neque Moſi neque Gedeoni quicquam ſeorſum à Deo tribuitur; ſed Deus ipſe locatur in ſummo gradu, deinde adjungitur Moſes, adjungitur etiam Gedeon. Et eodem ſenſu ſcribunt Apoſtoli, viſum Spiritui ſancto eſſe, & ſibi. *Actor. 15. verſ. 18.* Unde etiam clare apparet quam fatui & ridiculi ſint Papiſtæ, quum inde colligunt licere hominibus addere ſua commenta verbo Dei. Nam Apoſtoli, inquiunt, non modo prætexunt auctoritatem Spiritus ſancti, ſed dicunt ita ſibi etiam eſſe viſum. Deus ergo non ita ſibi vendicat omnia, quin relinquat aliquas partes ſuæ Eccleſiæ: quaſi vero Apoſtoli aliud voluerint quam quod hic Propheta noſter, nempe ſe fideliter & per manus tradere quod à Spiritu Dei acceperant. Hæc igitur ratio loquendi diligenter notanda eſt, quum audimus vocem Dei fuiſſe reverenter exceptam à populo & verba Haggæi. Quomodo? *ſicuti miſerat eum Deus*, inquit: quaſi diceret Deum auditum eſſe, quum per os hominis loquutus eſt. Et hoc etiam notatu dignum: quia multi fanatici homines jactant ſe reverentiam deferre verbo Domini, ſed nolle fidem ſuam ſubjicere hominibus, quia etiam hoc eſſet præpoſterum: & obtendunt hoc modo transferri ad creaturas quod proprium eſt Dei unius. Sed Spiritus ſanctus optime hæc duo inter ſe conciliat, nempe quod auditur vox Dei, ubi populus amplectitur quod audit ex ore Prophetæ. Quare? ſic enim placet Deo probare fidei noſtræ obedientiam, dum partes iſtas injungit hominibus. Nam ſi Domino placeret per ſe loqui, tunc merito relinquendi eſſent homines: quia vero hanc rationem elegit, ideo quiſquis repudiat Prophetas Dei, palam oſtendit ſeſe Deum ipſum contemnere. Neque enim hic diſputatione opus eſt, cur potius obediendum ſit verbo prædicato, vel externæ hominum voci quam revelationibus: ſufficiat nobis Deo ita placere. Quum ergo mittit ad nos Prophetas, ſine controverſia excipere neceſſe eſt quod afferunt. & nominatim etiam dicit Haggæus *ſe miſſum fuiſſe à Deo Iſraëlis*: quaſi diceret populum hoc modo teſtatum fuiſſe veram pietatem, quum agnovit Dei Prophetam in ipſa legitima vocatione. Nam qui obmurmurat ſe neſcire an placeat Deo intermedios homines prodire, qui verbum ipſius annuncient, ille oſtendit ſe alieniſſimum eſſe à Deo. Nam ſatis hoc nobis teſtatum eſſe debet, quia unum eſt ex primis elementis. Poſtea addit, *Et timuit populus à facie Jehovæ*. Hic confirmat eandem doctrinam Haggæi, quod ſcilicet populus non ſecus amplexus ſit quod audierat ex ore hominis mortalis, quam ſi palam apparuiſſet Dei majeſtas. Neque enim oculare aliquod fuit ſpectaculum Dei, ſed tantundem efficaciæ obtinuit Prophetæ legatio, acſi Deus è cœlo deſcendens dediſſet manifeſta ſigna præſentiæ ſuæ. Ergo colligere ex his verbis oportet, ſic fulgere Dei gloriam in ejus verbo, ut perinde affici nos deceat quoties loquitur per ſervos ſuos, acſi facie ad faciem, ut *Exod. 33. verſ. 11.* alibi loquitur Scriptura, nobis eſſet propinquus. Jam ſequitur,

13. Et dixit Chaggai legatus Jehovæ in legatione Jehovæ, dicendo (*dicens*) populo, Ego vobiſcum ſum, dicit Jehova.

14. Et excitavit Jehova ſpiritum Zerubbabel filii Sealtiel ducis Jehudah, & ſpiritum Jehoſuæ filii Jehoſadak Sacerdotis magni, & ſpiritum omnium reliquiarum (*hoc eſt, totius reſiduæ multitudinis*) populi: & venerunt, & fecerunt opus in Templo (*in domo, ad verbum*) Jehovæ exercituum Dei ſui.

Hic narrat Propheta ſecundo ſe animaſſe tam duces ipſos, quam totam plebem: quia niſi ſubinde repetat Deus continuas exhortationes, frigeſcit noſtra alacritas. Quanquam ergo attenti fuerant omnes ad mandatum Dei, oportuit tamen confirmari ipſos nova promiſſione. Neque enim ulla melior ratio eſt animandis hominibus, & torpori eorum corrigendo, quam ubi auxilium ſuum Deus offert ac promittit. Hæc igitur ratio fuit confirmandi, *Ego ſum vobiſcum.* Et ſatis etiam docet experientia, nunquam ſerio nos, vel ex animo obtemperare, niſi ubi freti ejus promiſſionibus ſperamus felicem ſucceſſum. Si enim tantum Deus nos ad opus vocaret, interea ſpes noſtra penderet dubia, certe concideret omne ſtudium. Non poſſumus ergo operam noſtram Deo impendere, niſi nos promiſſionibus fulciat & inſtruat. Deinde videmus non ſatis eſſe ubi ſemel loquutus eſt Deus, & nos amplexi ſumus ejus verbum, niſi iterum atque iterum nos ſolliciret: quia maximus etiam quiſque ardor frigeſcit, ubi non adduntur novi ſtimuli. Iterum autem Propheta ſuam vocationem hic illuſtrat. dicit enim *ſe fuiſſe loquutum in legatione Jehovæ: quia legatus erat ipſius.* Nam מלאך Nuncium ſignificat Hebræis. Quia autem Angeli vocantur מלאכים, ideo putarunt quidam ſtulti homines Haggæum fuiſſe unum ex cœleſtibus Angelis, indutum hominis figura. ſed illa fuit nimis frivola imaginatio. Scimus enim Sacerdotes hoc titulo ornari apud Malachiam ſecundo cap & in aliis etiam pleriſque locis Deus Prophetas ſuos vocat Nuncios vel Legatos. Non dubium igitur eſt quin teſtari ſimpliciter voluerit Haggæus ſe nihil temere protuliſſe in medium, ſed fuiſſe fidum diſpenſatorem: quia ſciebat ſe à Deo miſſum eſſe: & poterat etiam jure teſtari, ut reverentiam ſibi acquireret, profectum è cœlo eſſe ſuum ſermonem. Dicit ergo, *Loquutus eſt Haggæus nuncius Jehovæ in legatione Dei*, hoc eſt, loquutus eſt pro jure ſuæ vocationis, non ut privatus homo, ſed qui velut è ſublimi præciperet, poſſetque cogere in ordinem totum populum, quia neque ſummo Sacerdoti, neque duci populi Zerubbabel cedebat. Nam in hac parte erat illis ſuperior, quum legationem obiret à Deo ſibi injunctam. Nunc ergo tenemus Prophetæ conſilium. Et hinc etiam colligimus, nihil eſſe dignitatis quod nos eximat à communi ſubjectione, ubi ſermo Dei ad nos dirigitur. Certe Jehoſuah ſummus Sacerdos erat ſuperior aliis omnibus, quoad doctrinam: erat etiam præcipuus angelus vel legatus Dei exercituum: & tamen non recuſat ſe ſubjicere Prophetæ Dei, quia intelligit ſpecialiter hoc munere inſtructum eſſe divinitus. Idem etiam ſequitur Zerubbabel, qui tamen dux erat populi. Ergo ſciamus hac lege prædicari Dei verbum, ut nulla vel præſtantia honoris, vel dignitas nos ab ejus exceptione quaſi aliquo privilegio eximat. Tandem adjungit Propheta, ideo populum alacriter properaſſe ad opus, quia Deus animos omnibus illis dedit. Nuper loquutus eſt de profectu ſuæ doctrinæ: ſed nunc exprimit non ita penetraſſe vocem ſuam in omnium animos quaſi per ſe fuerit efficax; ſed conjunctum fuiſſe arcanum Spiritus inſtinctum. Et hic locus inſignis eſt: quia utrumque membrum complectitur Propheta, quod ſcilicet Deus non patitur verbum ſuum eſſe inutile & infructuoſum: interea tamen hoc non provenire ex hominum induſtria, ſed ex arcana Spiritus virtute. Propheta igitur non luſit operam, quia non fuit irritus ejus labor, ſed fructum ſuum protulit. Interea ut verum maneat illud, Et qui plantat, & qui rigat nihil eſſe; (1 Cor. 3. verſ. 7.) dicit fuiſſe alacres Iſraëlitas, quia Dominus ipſos impulit. *Excitavit ergo Deus ſpiritum Zerubbabel, ſpiritum Jehoſuah, & totius populi*, inquit. Neque vero reſtringere convenit inſtinctum hunc Spiritus ad unam partem duntaxat, quemadmodum faciunt nonnulli, qui exiſtimant confirmatos fuiſſe Iſraëlitas in bono animi propoſito (ut loquuntur) quum tamen prius ſponte paruiſſent Dei verbo: perperam illi ſeparant quæ conjunctim legenda ſunt apud Prophetam. Nam quod Deus excitavit ſpiritum Zerubbabel & totius populi, inde factum eſt ut legationem Prophetæ ſuſceperint, & attenti fuerint ad ejus verba. Stulte ergo imaginantur illi libero ſuo Arbitrio fuiſſe adductus Iſraëlitas, ut verbo Dei parerent, deinde ſubſidium aliquod Spiritus ſancti ſequutum eſſe, ut conſtanter in illo ſuo curſu perſeverarent. Nam Propheta priore loco expoſuit legationem ſuam reverenter fuiſſe exceptam à populo: nunc modum exprimit, quia ſcilicet Deus corda totius populi tetigit. Et loquutio notanda eſt, quum dicitur *excitatus fuiſſe ſpiritus Zerubbabel & totius populi.* Scimus enim fuiſſe multam pigritiem in multitudine præſertim. Nam quod ad Zerubbabel & Jehoſuah ſpectat, diximus ſatis fuiſſe voluntarios, ſed tamen nimis cunctatos fuiſſe, donec correctum fuit illud frigus, quo adhuc laborabant. Sed Propheta hic ſimpliciter ſignificat, impulſu arcano Dei fuiſſe ita morigeros: deinde fuiſſe conſtantes in propoſito. Deus non format in nobis novas animas, ubi in obſequium ſuum trahit, ſed mutat quod erat vitioſum: quia nunquam eſſemus attenti ad verbum ejus, niſi aperiret nobis aures: deinde nulla eſſet ad parendum inclinatio, niſi flecteret corda noſtra: denique ſtatim deficeret in nobis & voluntas & conatus, niſi etiam donum perſeverantiæ adderet. Sciamus ergo fructuoſum fuiſſe laborem Haggæi, quia Dominus efficaciter corda populi tetigit: quemadmodum ſcimus hoc ſingulare eſſe ejus donum, quod electi fiunt ejus diſcipuli: ſecundum illud, Nemo venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum. (Joan 6. verſ. 44.) Dicuntur igitur *veniſſe & feciſſe opus in domo Jehovæ Dei ſui.* Hinc colligimus etiam neminem idoneum eſſe ad ſacrificia Deo offerenda, vel ad quemlibet cultum, niſi qui formatus fuerit illo arcano Spiritus motu. Sponte quidem & nos & noſtra omnia offerimus Deo, & ædificamus ejus templum; ſed unde affectus iſte voluntarius, niſi quia Dominus nos ſibi ſubjicit, atque ita reddit dociles & morigeros? Poſtea additur,

CAPUT II.

IN die viceſimo quarto menſis ſexti, anno ſecundo Darii regis.

TEmpus etiam deſignat Propheta, quo aggreſſi ſunt Templi ædificium. Fuerunt autem tres & viginti dies interpoſiti inter primam legationem, & initium operis. Nam hinc apparet quam indoctus fuerit qui ſecuit capita: quia fecit exordium ſecundi capitis ab hac ſententia, ubi tamen Propheta quaſi digito oſtendit quanta fuerit diſtantia inter diem qua cœpit hortari populum, & profectum de quo loquutus eſt. Simpliciter ergo hic narrat quando inceperit Templum Dei extrui, nempe *anno ſecundo Darii regis, ſed viceſimo quarto menſis ſexti.* Dixerat autem prius mandatum ſibi fuiſſe datum anno ſecundo Darii regis, & menſe ſexto, die autem primo. Ergo à primo die ceſſavit populus, non quod contempſerit Prophetæ mandatum, ſed quia non tam facile fuit omnes ſimul animari, ut uno conſenſu ſeſe ad opus accingerent. Quanquam ergo promptitudo hæc laudatur in populo, notandum tamen eſt, aliquid fuiſſe admixtum infirmitatis, quia fructus doctrinæ non apparuit ante viceſimum tertium diem. Poſtea ſequitur,

2. In ſeptimo & viceſimo uno menſis, (*hoc eſt, ſeptimo menſe, viceſima prima die
menſis*) fuit ſermo Jehovæ in manu Chaggai Prophetæ, dicendo,
3. Dic nunc ad Zerubbabel filium Sealtiel ducem Jehudah, & ad Jehoſuah filium Jehoſadak Sacerdotem magnum, & ad reliquias populi, dicendo,
4. Quis in vobis ſuperſtes, (*vel reſiduus, ad verbum*) qui viderit domum hanc in gloria ſua priore? & quam vos videtis hanc nunc, annon præ illa ſicut nihilum in oculis veſtris?
5. Et nunc (*nunc tamen*) fortis ſis Zerubbabel, dicit Jehova, & fortis ſis Jehoſuah fili Jehoſadak, Sacerdos magne, & fortis ſis omnis populus terræ, dicit Jehova, & operamini: quia ego vobiſcum, dicit Jehova exercituum,
6. Secundum verbum quod pepigi vobiſcum dum egreſſi eſtis ex Ægypto: & Spiritus meus ſtabit, (*vel perſeverabit*) in medio veſtri, ne timeatis.

Jam narrat Propheta alia de cauſa ſe fuiſſe miſſum à Deo: ut ſcilicet occurreret tentationi, quæ poterat opus inceptum abrumpere. Vidimus omnes cœleſti Spiritu fuiſſe impulſos, ut Templi ædificationem ſuſciperent. Sed ſicuti Satan multis artibus conatur reflectere piorum curſum, ita rationem excogitaverat, qua poſſet frangi illa populi voluntas: nempe quia ſenes qui viderant antiquum ſplendorem Templi, putabant ſecundum illud Templum inſtar tugurii eſſe, ideo ceſſabat omne ſtudium: quia ſine promiſſione, quemadmodum diximus, nullus erat in hominibus fervor, nulla etiam conſtantia. Jam ſcimus quid prædictum eſſet ab Ezechiele, quid etiam alii omnes Prophetæ teſtati eſſent: præſertim Jeſaias magnifice concionatur de Eccleſiæ excellentia, & oſtendit ſuperiorem fore antiquo ſtatu. Deinde Ezechiel imaginem Templi depingit, & enumerat etiam illius dimenſiones. Quum ergo vaticiniis edocti eſſent fideles, Templum novum fore ſplendidius antiquo, poterant non modo refrigeſcere, ſed prorſus exanimari, quum cernerent Templum novum minime accedere ad veteris excellentiam & dignitatem. Et hæc ſcribuntur fuſius à Joſepho. Cæterum ex Prophetæ verbis colligere promptum eſt, fuiſſe tunc periculum ne opus inchoatum abjicerent, niſi fuiſſent nova iſta exhortatione confirmati. Dicit autem hoc factum fuiſſe menſe ſeptimo, & primo die menſis. Hic exoritur quæſtio, qui fieri potuerit ut tam ſubito contulerint novam ſtructuram cum antiqua. Viginti ſeptem aut viginti octo dies præterierant ab initio operis: certe nihil tunc potuit confici quod præberet aliquam ſpeciem videtur ergo hoc eſſe abſurdum, quod tam repente miſſus fuerit Propheta. Solutio facilis erit, ſi memoria tenemus quod principio primi capitis dixi, nempe prius jacta fuiſſe Templi fundamenta, ſed fuiſſe interruptionem longam, quia defluxerat populus ad privata negotia, & quiſque ſic addictus fuerat ſuis commodis, ut interea negligerent Templi ædificium. Nam omnino delirium illud eſt, populum reverſum fuiſſe ab exilio ante legitimum tempus, & ſatis refutatum fuit claris teſtimoniis, quia Scriptura diſerte exprimit, tam Cyrum quam Darium fuiſſe divinitus impulſos, ut permitterent reditum populo. Quum ergo reverſi in patriam eſſent Judæi, jam cœperunt Templum ædificare: ſed poſtea, ut dixi, eos abripuerat vel avaritia, vel nimia ſollicitudo privatæ utilitatis. Quum ergo neglectum ad tempus fuiſſet Templi ædificium, rurſus fuerunt animandi: quod factum eſſe nuper Propheta docuit. Jam vix manus applicuerant operi, quum obrepſit illo artificio Satan, Quid proficitis miſeri? Vultis extruere Templum Deo veſtro: quale autem erit illud Templum? certe non illud quod celebrarunt omnes Prophetæ. Quid enim legimus apud Jeſaiam, Jeremiam & Ezechielem? Nonne illi omnes teſtati ſunt longe ſplendidius fore illud Templum, quod renovaretur poſtquam eſſemus reverſi ab exilio Babylonico? nunc autem extruimus tugurium. certe hoc fit temere. Non ergo hic militamus ſub Dei auſpiciis: & ſatius eſt relinquere hoc opus: quia Deo non probabitur cultus noſter, niſi fundatus ſit in ejus verbo. Videmus autem quam longe diſtet hoc Templum à promiſſione Dei. Nos vero hinc colligimus non abs re factum fuiſſe quod viceſimo octavo die vel circiter miſſus fuit Haggæus, ut revocaret populum à torpore. Unde iterum colligere licet, quam neceſſarium ſit nos aſſidue ſtimulari: quia mille impedimenta facile reperiet Satan, quibus nos avertat à recto curſu, niſi Deus ſubinde repetat novas exhortationes, quæ animos noſtros expergefaciant. Elapſi enim fuerant tantum 28 dies: interea ceſſaſſet populus ab opere, niſi miſſus fuiſſet iterum hortator Haggæus. Jam notanda eſt cauſa hujus ceſſationis, cui voluit Propheta occurrere ac mederi. Nam prius ceſſaverat populus, quia ſinguli plus æquo dediti fuerant ſuis commodis. Erat autem hoc ſignum fœdæ ingratitudinis, atque etiam profanæ impietatis. Nam ingratiſſimi erant Deo, quibus nulla erat cura extruendi Templi: deinde intolerabilis fuit impietas, quod vellent habitare in domibus ſuis tabulatis: non contenti mediocritate, niſi domos ſuas ornarent: Templum autem quaſi deſertum jaceret. Sed alia fuit ratio quum ſecundo miſſus eſt Haggæus: quia torpor ille oriebatur ex bono principio, & ſincero pietatis affectu. Atque etiam

hinc videmus quantus artifex ſit Satan, qui oon modo palam nos abſtrahit ab obſequio Dei, ſed ſeſe inſinuat clandeſtinis modis, ut ſub zeli prætextu deflectamus à curſu vocationis noſtræ. Qui factum eſt ut populus pigreſceret, poſtquam opus inceperat? nempe quia dolebat ſenibus longe imparem eſſe gloriam ſecundi Templi. Nam etſi clangore tubarum plebs ſeſe animaret, ſenes tamen ipſi ſuo ejulatu ſuperabant tubas. Unde hoc? nempe quemadmodum dixi, quia videbant non reſpondere Templum illud veteri: & ideo putabant Deum ſibi nondum eſſe propitium. Si dixiſſeot non debere fieri tam multos ſumptus in ſtructura, Deum non requirere magnas opes, palam detecta fuiſſet ipſorum impietas. Sed quum maxime cuperent talem eſſe ſplendorem Templi, ot poſſent certo ſtatuere adeſſe Eccleſiæ reſtitutionem, qualis promiſſa fuerat ab omnibus Prophetis: certe videmus fuiſſe pium ipſorum affectum. Sed ita monemur cavendas nobis ſemper eſſa Satanæ inſidias etiam in ſpecie veritatis. Quamvis ergo ad pietatem propenſi ſiot animi noſtri, ſemper metuendus eſt Satan, oe clanculum nobis ſuggerat quod nos avertat à noſtra vocatione: ſicuti videmus quoſdam deficere ab Eccleſia, quoniam exigunt ſummam perfectionem. excandeſcunt ad vitia quæ toleranda ſuot nobis, quia corrigi nequeunt: ita prætextu zeli ſeſe ſeparant, & libenter fabricarent ſibi novum mundum, in quo eſſet perfecta Eccleſia, & arripiunt etiam teſtimonia illa, ubi commendat Spiritus ſanctus Eccleſiæ puritatem: ſicuti
Epheſ. 5. vers. 27. quum Paulus dicit acquiſitam fuiſſe à Chriſto, ut eſſet ſine ruga & macula. Sicuti ergo illi rigido ſuo zelo exaſperantur, ut diſcedant à Deo ipſo, & abrumpant Eccleſiæ unitatem: ita etiam multi ſuperbi homines contemnunt Eccleſiam Dei, quia non refulget magna pompa inter nos: & putant Deum non habitare in medio noſtri, quia ſumus homines obſcuri, & oon magni pretii: quia etiam paucitas noſtra illis contemptui eſt. In his omoibus eſt aliqua pietatis ſpecies. Quare? nam vellent Deum admirabilem eſſe, ita ut terreret ſuæ majeſtatis metu totum mundum: vel coacervari omnes opes, ut ſumptuoſæ oblationes fierent. Sed quemadmodum jam dixi, ita captioſe inſinuat ſe Satan: & ideo metuamus ejus inſidias, etiamſi quid afferat coloris, quod nobis perſtringat oculos. Hæc autem optima cavendi erit ratio, ſi reſpicimus quid Deus jubeat: deinde ſi ita recumbimus in ejus promiſſiones, ut pergamus celeriter in curſu noſtro: etiamſi effectus promiſſionum non ſtatim reſpondeat votis ooſtris. Deus enim data opera tenet nos ſuſpenſos, ut fidem noſtram examinet. Ergo quamvis nondum impleverit quod promiſit, ſufficiat nobis nos oihil temere tentare, dum obſequimur ejus mandato. Hæc igitur ſumma erit prudentia, qua effugiemus omnes Satanæ aſtutias, ſi ſimpliciter pareamus verbo Domini, & ſic exerceamus ſpem ooſtram ut patienter expectemus opportunum tempus, dum impleat quod nunc promittit.

Da omnipotens Deus, quando non modo prorſus ſumus alieno abs te animo, ſed etiam ubi ſemel nos excitaſti, ſubinde relabimur vel ad contumaciam, vel ad vanitatem noſtram, vel abducimur variis modis, ut nihil difficilius ſit quam proſequi curſum noſtrum donec perveniamus ad metam ſtadii noſtri: da, inquam, ne confiſi viribus noſtris plus arrogemus nobis quam par ſit: ſed ſemper erectis ſurſum animis pendeamus abs te uno, & aſſidue te invocemus, ut novas vires nobis ſuppedites, atque ita nos confirmes, ut perſeveremus uſque in finem in officio noſtro, donec tandem perveniamus ad veram illam & perfectam effigiem illius templi, quod nobis ædificare præcipis, ubi reluceat perfecta tua gloria, in quam etiam transformemur per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO QUARTA IN HAGGÆUM PROPHETAM.

CAP. II.

POſtquam expoſuit Propheta cur novos ſtimolos addere oporteat populo, jam hortatur tam Zerubbabel & Jehoſuah, quam omne vulgus, ut forti ſint aoimo & ita pergant in opere. Iterum vero repetit quod dixerat, *Dominum ipſis adeſſe: Ego vobiſcum*, inquit. Nam hoc unum ſufficere nobis debet, ubi proounciat Deus ſe nobis adeſſe: quia ſcimus auxilium ejus fore ſoperius toto muodo, etiamſi undique Satan conetur obſiſtere. Simul adjungit *Spiritum ſuum fore in medio ipſorum*: tandem concludit *non eſſe cur timeant*. Per Spiritum ſuom intelligit Deus virtutem qua ſtabiliet ipſorum animos, ne ſuccumbant tentatiooibus, vel ne trepidatio ipſos moretur. Et ſpecies ſubjungitur generi, quia Deus multis modis adeſt ſuis: ſed præcipue oſtendit ſuam præſentiam, quum Spiritu ſuo confirmat debiles animos. Jubet igitur omnes eſſe animo forti. hoc eſt unum. Sed interea oſtendit unde illis fortitudo: quia ſcilicet Spiritu ſuo fulciet ipſos ſi vel labaſcant, vel etiam non poſſiot ſufficere ad terrores repellendos. quibus verbis Propheta admonet petendam eſſe fortitudinem à Deo. Hinc colligimus, oon ideo requiri à nobis quæ vocationis noſtræ ſunt atque officii, quaſi pares ſimus ad omnia præſtanda: ſed obi Dominus jure ſuo imperavit, offert auxilium Spiritus ſui. & ita conjungere neceſſe eſt promiſſionem gratiæ cum præceptis: quod non obſervant ſtulti homines, qui æſtimant liberum Arbitrium ex præceptis, quia ſic ratiocinantur, Fruſtra requiri à nobis quod eſt ſupra facultatem noſtram: Deum autem præcipere ut formemus vitam noſtram ad ſummam perfectionem. ergo eſſe in arbitrio noſtro præſtare ſummam juſtitiam. Sed Propheta primo hic hortatur & Jehoſuah, & Zerubbabel, & totum populum ut viriliter ſe gerant: continuo autem poſt adjungit *Spiritum Dei fore in medio ipſorum*: quaſi diceret, Etiamſi non reperiant apud ſe tantum robur, non eſſe tamen cur deſpondeant animos, quia fortitudo petenda eſt à Spiritu Dei, qui habitabit in medio ipſorum. Denique docet Propheta ſic eſſe certandum, ut noo arrogent quicquam ſibi fideles, ſed offerant ſe Domino regendos, ut ſuppeditet tam arma, quam vires: atque ita in ipſis vincat: quia etſi victoria nobis tribuitur, certum tamen eſt Deum in nobis vincere. Poſtea adjungit, *Secundum verbum*. Nam ita reſolvo particulam את: & procul diſcedunt à Prophetæ mente qui putant hic moneri Judæos, ut Deo obtemperent, & ipſum pure colant, & obſervent ſincere ejus Legem, ſicuti etiam mandavit quum ipſos educeret è terra Ægypti. nam contexit Propheta eundem ſermonem. Quanquam in hoc poſteriore membro confirmat quod nuper dixit, *Spiritum Dei fore in medio ipſorum*. Quare? oſtendit ſe nihil novum promittere, ſed quod jam olim Deus pepigerat cum patribus ipſorum. Siquis particulam את malit explicative accipere,

pere, non repugno: & eodem etiam redibit ſenſus, nempe hoc eſſe verbum quod pepigerat. Prophetæ conſilium minime ambiguum eſt, quia docere vult fidelem & conſtantem eſſe Deum in ſuis promiſſis: & hoc ſenſuros Iſraelitas, quia præſtabit quod olim pollicitus fuerat patribus ipſorum. *Verbum*, inquit, *quod pepigi vobiſcum ubi vos eduxi ex Ægypto.* Nam ſolent etiam Prophetæ revocare fideles ad memoriam perpetui fœderis, ut plus auctoritatis concilient ſuis particularibus vaticiniis. Scimus enim quicquid unquam promiſit Deus Judæis, fuiſſe fundatum in adoptione illa prima. Quum ergo Prophetæ in medium proponunt antiquum fœdus, perinde eſt acſi ad fontem ipſum revocarent Judæos: quia promiſſiones quæ ſubinde occurrunt, ſimiles ſunt rivis qui fluunt à prima illa origine, nempe à fœdere gratuito. Nunc ergo videmus cur diſerte mentio fiat veteris pacti, quod Deus percuſſerat cum electo populo in ipſo exitu Ægypti. Interea etiam notandum eſt, hac lege fuiſſe Deum tunc redemptorem populi ſui ut æternus eſſet pater, & ita perpetuus cuſtos ſalutis ipſorum. Huc ergo tendit Prophetæ ſermo, non redemptos olim fuiſſe patres, ut eorum filios abjiceret Deus, ſed ut gratiam ſuam ad finem uſque continuaret in populo illo. finis autem in ipſo Chriſto reperitur, hoc eſt, perfectio: neque enim deſiit tunc Deus populum electum proſequi ſuis beneficiis; ſed plenius & uberius multo præſtitit quod ante adumbraverat. Quicquid enim contulit in veterem Eccleſiam, quaſi præludium fuit immenſæ ejus bonitatis, quæ tandem patefacta fuit Chriſti adventu. Jam clare tenemus quid Propheta voluerit: nam exprobrat Judæis ſuam ſocordiam, quod non reputent ideo patres olim fuiſſe redemptos ex Ægypto, ut Deus ipſos tueretur ad finem uſque. Jubet ergo expendere quænam ſit vis & natura fœderis quod Deus pepigit ſemel in exitu Ægypti, nempe ut tandem prodiret Redemptor, & ſecum afferret omnium bonorum plenitudinem. Quum ita ſit, inquit, jam tempus adeſt quo Deus præſtet quod tunc pepigit cum patribus veſtris: atque ita quicquid hactenus experti eſtis fidei in Deo, debetis referre ad hunc finem, nempe ut ſtatuatis vos jam hac lege reverſos eſſe in patriam, ut Eccleſiam ſuam in ſolidum reſtituat, non autem maneatis in hac tenuitate, quæ nunc vobis debilitat animos. Quia ergo ſperanda eſt vobis perfectio ejus felicitatis quam Deus olim pollicitus eſt: aut irritum erit fœdus ejus, & ipſe fallax erit, aut debetis bono & alacri animo pergere nunc in opere. Sequitur,

7. Quia ſic dicit Jehova exercituum, Adhuc unum modicum hoc, & ego commovebo cœlos, & terram, & mare, & aridam.

8. Et commovebo omnes gentes, & venient: deſiderium omnium gentium, & implebo domum hanc gloria, dicit Jehova exercituum.

9. Meum argentum, & meum aurum, dicit Jehova exercituum.

10. Major erit gloria domus hujus ſecundæ (*poſterioris, ad verbum*) quam prioris, dicit Jehova exercituum: & in loco hoc dabo pacem, dicit Jehova exercituum.

Hic clarius explicat Propheta, & magis confirmat quod dixi, nempe Deum in tempore laturum ſuppetias miſeris Judæis, quia nolit fidem Patribus datam fallere. Pendet igitur hæc ſententia à fœdere, cujus paulo ante meminit: & ideo exprimitur particula cauſalis. *Sic ergo dicit Jehova exercituum, Adhuc unum modicum hoc*, vel breve: *ego implebo domum hanc gloria.* Quod nominat unum exiguum, interpretes magna ex parte ad tempus referunt. Quanquam ſunt qui malint rem ipſam notari. Hæc magis recepta eſt opinio, *Adhuc unum hoc modicum*, id eſt, paulisper durate, & ad breve tempus, quia cito Deus res in melius mutabit. Quanquam ergo nunc nondum apparet effectus promiſſionum, quibus hactenus aluiſtis fidem & ſpem veſtram, tamen ubi præterierit breve tempus, oſtendet reipſa Deus ſe nihil fallaciter loquutum eſſe. Quidam tamen, ut dixi, volunt rem ipſam hic notari à Propheta, quia ſcilicet Templum non admodum ſplendebat in hominum oculis: *Unum hoc eſt modicum*, id eſt, non videtis quidem ædificium quale fuit antequam Aſſyrii & Chaldæi potiti eſſent urbe: ſed ne defixi maneant oculi veſtri in hujus Templi intuitu: *Adhuc igitur hoc unum tranſeat*: ſed paulo poſt *implebitur domus hæc gloria.* Quantum ad ſummam rei pertinet, Propheta voluit erigere piorum animos, ne putarent virtutem Dei eſſe exinanitam ſi nondum præſtaret quod ipſi ſperaverant. denique ne æſtiment ex præſenti intuitu quod prius dictum fuerat de redemptione. Nam heri diximus ideo fuiſſe graviter afflictos piorum animos, quia magnifice concionati fuerant Prophetæ tam de Templo quam de regno. nullum erat tunc regnum: Templum vero ignobilis tugurii ſimile erat potius, quam ut æquaret gloriam prioris Templi. Oportuit igitur hic Prophetam occurrere: hæc ratio eſt cur jubeat aſpectum transferre ad gloriam adhuc abſconditam. *Adhuc unum hoc exiguum*, inquit; hoc eſt, non eſt cur deſperetis, etiamſi nondum apparet tanta majeſtas Templi, quantam vos concepiſtis: ſed potius animi veſtri tranſiliant ad reſtitutionem, quæ adhuc procul abeſt. *Adhuc igitur unum modicum, & commovebo cælum & terram.* Denique hic jubet Deus locum dari patientiæ, donec exerat incredibilem manus ſuæ potentiam in ſolida Eccleſiæ inſtauratione. Et hoc ſignificat cœli & terræ concuſſio. Eſt autem locus inſignis: quanquam Judæi, ut ſunt præpoſteri, quoties agitur de regno Chriſti, corrumpunt quicquid hic dicitur à Propheta, imo fere redigunt in nihilum. Sed Apoſtolus 12. ad Hebræos cap. admonet quid hic Deus voluerit. Nam continet hic locus tacitam antitheſin inter Legem & Evangelium, inter redemptionem cujus nuper facta fuit mentio, & quæ adhuc ſperanda erat, fuitque tandem exhibita Chriſti adventu. Deus ergo quum populum ſuum redimeret tam ex Ægypto, quam ex Babylone, commovit terram. Sed Propheta hic majus aliquid denunciat, quod ſcilicet Deus cœlum & terram concutiet. Sed ſingula ordine tractanda ſunt, ut melius nobis conſtet Prophetæ ſenſus. Dicit primo, *unum hoc eſſe breve.* Libenter ad tempus refero, ne diſcedam à communi ſententia. Sed non eſt hac de re nobis litigandum, quia vel parum vel nihil refert quoad rem ipſam. Diximus enim huc ſpectare Prophetæ conſilium, ne Judæi & oculos ſuos & animos defigant in præſentem intuitum Templi: Sinite, inquit, & date ſpei locum, quia ſtatus hic non diu manebit. Dominus enim concutiet cœlum & terram, hoc eſt, potius reputate vobiſcum quanta ſit Dei potentia. Nonne ſuo imperio regit terram & cœlum? Potius vero concutiet ſurſum & deorſum omnia, quam non reſtituat Eccleſiam ſuam: hoc eſt, potius mutabitur totius orbis facies, quam non perveniat redemptio ad plenum effectum. Nolite igitur ſubſiſtere in iſtis præludiis, ſed agnoſcite quod valeat Dei potentia: quia etiamſi neceſſe ſit cœlum & terram miſceri, potius hoc fiet, quam ut impediant hoſtes veſtri plenam illam reſtitutionem, de qua toties concionati ſunt Prophetæ. Sed merito Apoſtolus Evangelium hic dicit Legi opponi, quia Deus exeruit mirificam virtu-

virtutem, quum Lex promulgata fuit in monte Sinai: plenior tamen virtus refulſit in Chriſti adventu, quia tunc ſimul cum terra cœlum concuſſum eſt. Ideo non abs re colligit Apoſtolus Deum nunc è cœlo nobiſcum loqui, quia majeſtas ejus ſplendidior appa-ret in Euangelio, quam olim io Lege: ideoque minus ſumus excuſabiles ſi cootemnimus ounc loquentem in perſona unigenini Filii ſui, & ita loquentem ut oſtendat ſibi totum orbem ſubjectum eſſe. Poſtea adjungit, *Commovebo gentes omnes, & venient.* Poſtquam cœli & terræ meminit, jam oſtendit ſe animos omnium mortalium tenere, ita ut eos flectat pro ſuo arbitrio quocunque volet: *Venient*, inquit, *omnes gentes.* Quare? Nam eas concutiam. Hic rurſum docet Propbeta oon accedere homines ad Chriſtum, niſi mirabili Dei impulſu. Poterat ſimplicius loqui, Adducam gentes omnes, quemadmodum alibi: ſed voluit plus aliquid exprimere, nempe hunc motum, quo Deus impellit electos ſuos, ut ſeſe in ovile Chriſti conferant, eſſe ſupernaturalem. Concuſſio videtur violenta. Ergo ne homines obſcurent virtutem Dei, qua excitantur ut obediant Chriſto & ſeſe ſubjiciant imperio ejus, bic notatur à Propheta hoc elogio, ut ſentiant non uſitato neque vulgari modo Dominum agere, ubi ita mutantur. Sed interea notandum eſt, ſic violenter & extraordinario vel ſupernaturali modo impelli homines, ut tamen ſponte ſequantur. Duplex igitur eſt opus Dei. nam primo neceſſe eſt concuti homines, ut dediſcant totum ſuum ingenium, hoc eſt, ut obliti prioris naturæ, libenter recipiant jugum Chriſti. Scimus enim qualis ſit noſtra contumacia, & quam ſimus indomiti, donec Spiritu ſuo nos Deus ſubigat. Hic neceſſe eſt fieri violentam concuſſionem: ſed interea non cogimur, ut pareamus Chriſto, quemadmodum leones, & feræ beſtiæ, quæ cedunt quidem, ſed intus retinent ſuam ferociam, & fremunt dum trahuntur catenis, & ſubiguntur vel flagellis, vel baculis. Non ergo ſic concutimur, ut maneat interior quædam in nobis rebellio; ſed concutimur ut mutemus animos, & ſponte recipiamus jugum Chriſti. Hæc ratio eſt cur dicat Propheta, *Concutiam omnes gentes, & venient*: hoc eſt, erit quidem hæc admirabilis converſio, quum gentes quæ prius Deum ſpernebant, quibus etiam ſummo odio erat vera religio & pietas, ſeſe aſſuefacient ad imperium Dei. Venient autem, quia ſic trahentur arcano impulſu, ut tamen voluntarium ſit obſequium quod præſtabunt. Nunc tenemus conſilium Prophetæ. Poſtea adjungit, *Deſiderium omnium gentium.* Poteſt hoc duobus modis exponi, vel quod gentes accedent, & ſimul afferent quicquid pretioſum eſt, ut conſecrent ad cultum Dei. Nam Hebræi Deſiderium vocant quicquid habetur in pretio: ita hoc nomine comprehendunt omnes divitias, honores, & delicias, & quicquid tale eſt. Ideo quidam ſic contexunt, Concutiam omnes gentes, & veniet deſiderium: ut ſit mutatio numeri. alii ſubaudiunt particulam ב, vel מ, hoc eſt, venient cum deſiderio, vel, venient in deſiderio, id eſt, non venient gentes vacuæ, ſed colligent omnes ſuos theſauros, ut ſacra ſit Deo oblatio. Sed poſſumus etiam intelligere de Chriſto quod dicit, *deſiderium omnium gentium, & implebo domum hanc gloria.* Scimus enim Chriſtum fuiſſe expectationem totius mundi: ſicuti etiam apud Jeſaiam dicitur. Et optime quadrabit hæc loquutio, Ubi deſiderium gentium advenerit, hoc eſt, ubi patefiet Chriſtus, ad quem reſpicere debent omnium vota, tunc illuſtrem fore ſecundi Templi gloriam: ſed quia ſtatim ſubjungitur, *Meum argentum, & meum aurum*, ideo ſimplicior erit ſenſus ille quem jam retuli, nempe venturas gentes, & quidem inſtructas omnibus divitiis, ut ſe & ſua omnia offerant Deo in ſacrificium. Optime enim convenit quod ſequitur ſi expoſitive legamus, *Meum argentum, meum aurum, dicit Jehova*: hoc eſt, Ego non inopia hactenus diſtuli plenam Templi ædificationem. Quid enim impediet, quominus undique coacervem aurum & argentum? Si ita mihi libeat, momento uno Templum erigam ex omnibus mundi divitiis. Deinque annon penes me eſt creare montes aureos & argenteos, ut inde mihi Templum fabricem? Ergo videtis me non deſtitui opibus, quominus Templum ædificem ſicuti promiſi: ſed quia nondum tempus impletum eſt. Ergo ſuſpenſos ſtare oportet & tamen erectos, qui fidem habent prioribus vaticiniis, donec opportunum tempus advenerit. Hæc eſt ſumma. Tandem concludit *fore gloriam ſecundi Templi majorem quam prioris, & fore pacem huic loco.* Quantum ad verba attinet, nihil obſcurum eſt: ſed præcipue attendere convenit ad rem ipſam. Ac primo quidem notandum eſt, quicquid hic dicitur de futura Templi gloria, referri debere ad ſpiritualium donorum præſtantiam, quæ apparuit Chriſto exhibito, & tamen adhuc nobis conſpicua eſſe debet, ſed per fidem: quia cæcutiunt profani homines ad ejus conſpectum. Et hoc tenendum eſt, ne fabulemur cum craſſis interpretibus, qui putant hoc aliqua ex parte fuiſſe præſtitum ubi de integro Herodes novum Templum conſtruxit. Nam etſi fuit ſumptuoſa illa ſtructura, tamen non dubium eſt, quin diabolus conatus ſit, potius larvam objicere Judæis, ut deſinerent ſperare in Chriſtum. Forte etiam talis fuit Herodis aſtutia. Scimus enim fuiſſe duntaxat ſemi-Judæum: profitebatur ſe unum eſſe ex filiis Abrahæ, ſed ſcimus tantum pro ſuo commodo mores ſuos accommodaſſe Judæis. Ergo ne attenti eſſent ad Chriſtum, potuit illis objicere fallax & inane ſpectaculum illud, ut fere obbruteſcerent. Cæterum, etiamſi hoc non venerit Herodi in mentem, certe diabolus data opera voluit hanc fallacem umbram obtrudere Judæis, ut deſinerent erigere mentes ſuas ad ſperandum Chriſti adventum, ſicuti tempus tunc propinquum erat. Deus enim poterat ſtatim ab initio Templum magnificum extruere: quemadmodum reditum permiſit populo ſuo, ita ſimul potuit & animos dare, & ſuggerere materiam, ut Templum poſterius vel æquaret vel etiam ſuperaret Templum Solomonis. Atqui edicto prohibuit Cyrus, ne in tantam altitudinem aſſurgeret Templum: deinde aliquid etiam diminuit ex longitudine: cur hoc factum eſt? deinde, cur Darius, qui tamen liberaliter adjuvit Judæos, & qui ſumptibus non pepercit ut Templum extruerent: cur uterque Rex, quum tamen impulſus eſſet Spiritu Dei, non permiſit ædificari Templum eodem ſplendore, quo prius erectum fuerat? Sed hoc non contigit ſine admirabili Dei conſilio. Scimus enim quam craſſi fuerint Judæi. Et eodem etiam vitio Apoſtolos videmus fuiſſe implicitos, quia non aliud quam terrenum Chriſti regnum ſperabant. Si ergo æque opulentum fuiſſet Templum, & ſi regni etiam ſpecies fuiſſet qualis ante fuerat, Judæi acquieviſſent in illis externis pompis: ita contemptus fuiſſet Chriſtus, imo pro nihilo habita fuiſſet ſpiritualis Dei gratia. Quum ergo adeo propenſi eſſent ad terrenam felicitatem, oportuit ipſos expergefieri, & Dominus adjuvit eorum infirmitatem quum paſſus non eſt erigi tale Templum. Per Herodem vero, quum jam inſtaret Chriſti manifeſtatio, quod paſſus eſt Templum illud adulterinum conſtrui, indicium magis vindictæ fuit ad puniendam ingratitudinem, quam teſtimonium favoris: adulterinum dico, quia ſplendor ille nunquam probatus eſt Deo. Fuit enim profanatio veri Templi potius quam ornatus, quod Herodes conſumpſit magnos theſauros in illa ſtructura. Stulte igitur commemorant etiam aliqui quicquid erogavit Helena Adiabenorum regina, putant hoc modo aliqua ex parte fidem vaticinio fuiſſe factam. Sed Satan potius luſit talibus impoſturis ac præſtigiis, ut abduceret

ceret piorum animos à ſpiritualis Templi ornatu. Sed cur ergo Propheta hic aurum & argentum nominat? nempe facit hoc communi & recepto more. Quoties enim de regno Chriſti loquuntur, delineant vel adumbrant ejus ſplendorem figuris quæ ſeculo ſuo conveniunt. Jeſaias dum vaticinatur de Eccleſiæ reſtitutione, prædicat Eccleſiam fore totam argenteam, vel auream, vel quæ fulgeat lapidibus pretioſis: & præcipue cap. 60. celebrat magnificentiam illius Templi, quaſi undique gentes adducturæ eſſent in ſacrificium quicquid ubique pretioſum erat. Sed figurate loquutus eſt Jeſaias, quemadmodum alii Prophetæ. Sic ergo quod nunc legimus de auro & argento debet exponi, ut anagoge fiat ad regni Chriſti naturam: quemadmodum quum prius vidi-
Mala. 1. verſ. 11. mus, Offerent mihi ab ortu Solis uſque ad occaſum pura ſacrificia, inquit Dominus: quænam illa ſacrificia ſunt? An vituli adhuc ſunt mactandi, vel agni, vel alia animalia? minime: ſed ſpectanda eſt natura ſacerdotii ſpiritualis: ſicuti etiam aurum de quo nunc loquitur Propheta, & argentum, debet accipi ſpiritualiter, quia ex quo apparuit mundo Chriſtus, jam Deus non vult coli in vaſis aureis vel argenteis, ſicuti etiam nullum eſt Altare, in quo victimæ immolentur: nullum etiam Candelabrum: denique ceſſarunt omnes illæ figuræ legales. Sequitur ergo hic Prophetam agere de ſpirituali Templi ornatu. atque ita nunc tenemus quomodo gloria ſecundi Templi major futura fuerit quam prioris. Jam ſequitur, *Deum daturum pacem huic loco*: quaſi diceret proſpere ceſſurum Judæis, ſi modo patienter expectent plenum redemptionis effectum. Sed notandum eſt, pacem hanc non fuiſſe illis ita conſpicuam, ut pro ſenſu carnis ea fruerentur: ſed fuit hæc ſpecies pacis de qua loquitur Paulus, quam dicit ſupe- *Phil. 4: 7.*
rare omnem ſenſum. Denique non potuit populus amplecti quod hic docet Propheta de futuro Templi ſplendore, niſi tranſiliret ſupra omnia obſtacula, quæ tunc videbantur abrumpere plenum curſum redemptionis: & ideo ſemper redire oportet ad principium illud, *Adhuc modicum hoc*: quaſi diceret ferendum patienter eſſe, dum exercet Deus ſuorum fidem, ſed jam adfore tempus, & quidem brevi, quo Dominus implebit domum illam gloria, ubi ſcilicet Chriſtus afferet ſecum plenitudinem gloriæ: quia etiamſi mille mundi in unum coacerventur cum ſuis theſauris, erit tamen corruptibilis hæc gloria: ſed quum Deus Pater in perſona Filii ſui apparuit, jam tunc vere glorificavit Templum ſuum, & ita etiam refulſit ejus majeſtas, ut nihil ad ſolidam perfectionem tunc defuerit.

Da omnipotens Deus, quando natura nimium ad ſuperſtitionem propenſi ſumus, ut meditemur aſſidue quænam ſit ratio veri & legitimi cultus, quem exigis & probas, nempe ut ſpiritualiter nos tibi offeramus, & nullum aliud quæramus Altare quam Chriſtum, nullo etiam alio Sacerdote freti ſperemus tibi nos fore & gratos & ſacros, ut Spiritu qui in eum plene effuſus eſt, ita nos imbuat, ut ex animo nos tibi addicamus, & ſic pergamus in patientiæ noſtræ curſu, ut erectis ſurſum animis ſemper tendamus ad illam gloriam, quæ adhuc ſub ſpe nobis abſcondita eſt, donec tandem manifeſtetur ſuo tempore, ubi unigenitus ille Filius tuus in ultimam illam redemptionem apparuerit cum electis Angelis, Amen.

PRÆLECTIO QUINTA
IN
HAGGÆUM PROPHETAM

CAP. II.

11. Viceſimo quarto noni, (*menſis ſubaudiendum*) anno ſecundo Darii, fuit ſermo Jehovæ ad Chaggai Prophetam, dicendo,

12. Sic dicit Jehova exercituum, Interroga Sacerdotes de Lege, dicendo,

13. Si ſuſtulerit vir (*quiſpiam*) carnem ſanctam in ala veſtis ſuæ, & tetigerit ala ſua panem, & coctionem, & vinum, & oleum, & quodvis edulium, an ſanctificabitur? Et reſponderunt Sacerdotes, & dixerunt, Non.

14. Et dixit Chaggai, Si tetigerit pollutus in anima omne hoc, an polluetur? Reſponderunt Sacerdotes, & dixerunt, Polluetur.

15. Et reſpondit Chaggai, & dixit, Sic populus iſte, & ſic gens iſta in conſpectu meo, dicit Jehova: & ſic omne opus manuum ipſorum, & quod obtulerint illi pollutum erit.

QUanquam interpretes ad Prophetæ ſenſum accedunt, nemo tamen vere & liquide exprimit quid intelligat, & docere etiam velit: imo nihil afferunt, niſi frigidum & jejunum: quia referunt omnia ad hanc ſummam, diſplicuiſſe Deo ſacrificia antequam cœpiſſet populus Templum extruere: ab eo autem tempore Deum fuiſſe placatum, quia populus quum ſacrificia offerret in loco deſerto, oſtendit tali negligentia ſe contemnere Dei imperium: ubi autem manus adhibitæ fuerunt operi, tunc litatum fuit Deo, atque ita cœpit delectari ſacrificiis, quæ ante repudiaverat. hoc quidem eſt aliquid, ſed non totum. Videtur ergo mihi prorſus aliud fuiſſe Prophetæ conſilium. Hactenus populum hortatus eſt ad ædificandum Templum: nunc hortatur, ut pure ædificet, nec putet ſe defunctum eſſe, ubi Templi ſuperficies fulgebit in oculis hominum: quia Deus aliud quærat. Non dubium ergo mihi eſt quin Propheta hic populum ad ſpiritualem Dei cultum velit attollere. Oportuit quidem ſedulo Templum ædificari, ſed ſpectandus etiam fuit finis: quia Deus nunquam moratus eſt externas ceremonias, neque etiam illo ædificio oblectatus fuit, quemadmodum homines libenter habitant in ſplendidis ædificiis. Quum perperam Deo affingerent craſſos iſtos affectus Judæi, Propheta hic oſtendit quorſum tam ſevere hactenus præceperit de Templo ædificando, nempe ut Deus pure & ſancte illic coleretur. Iterum repetam quod dixi, ut familiarior ſit explicatio: quum populus negligeret Templi ſtructuram, hinc detecta fuit impietas, & contemptus divini cultus. Quænam enim cauſa moræ & tarditatis fuit, niſi quod quiſque plus æquo ſtudebat privatis commodis? Jam quum ſtrenue omnes operam impenderent Templo ædificando, fuit quidem induſtria illa laudabilis: erat enim pietatis ſignum: ſed ſi populus Deum putaſſet nihil amplius requirere, quam externum Templi ſplendorem, fuiſſet illa perverſa ſuperſtitio. Scimus enim corrumpi Dei cultum, ſi affigitur rebus externis:

quia

quia hoc modo transfiguratur Deus in alienam naturam: ſicuti ſpiritus eſt, ita vult ſpiritualiter coli à nobis. Quicunque ergo obtrudit tantum externas pompas ad ipſum placandum, ludit pueriliter cum ipſo. Hanc ſecundam partem, meo judicio, nunc tractandam aggreditur Propheta. A ſeptimo menſe uſque ad nonum incubuerant ad opus ſibi injunctum à Domino: ſed ut ſcimus homines ſatagere in rebus externis, & omittere ſpiritualem cultum, ideo neceſſe fuit adjungi hanc doctrinam, ut intelligeret populus non ſatisfactum eſſe Deo, quamvis neque ſumptibus, neque labori parcerent in ædificatione Templi: ſed majus aliquid requiri ab ipſis, nempe ut pure & ſancte Deum illic colerent. Hæc ſumma eſt. Sed prius expendere convenit Prophetæ verba, quia inde facilius erit colligere totam doctrinæ ſummam. Dicit ergo *ſibi præceptum fuiſſe à Deo viceſima quarta die noni menſis*, eodem ſcilicet anno, hoc eſt, *ſecundo Darii, ut Sacerdotes interrogaret de Lege. Interroga* ergo *Sacerdotes Legem.* Non jubetur Haggæus inquirere de tota Lege, ſed tantum ut ad hanc quæſtionem reſpondeant Sacerdotes, idque ex Dei verbo, vel Legis doctrina: quemadmodum vulgo dicunt, Quæritur quid juris. neque enim Sacerdotibus permiſſum fuit quidvis proferre ſine diſcrimine, ſed erant duntaxat Legis interpretes. Hæc ratio eſt cur jubeat Deus Prophetam ſuum inquirere quid Lex Moſis definiat de hac ceremonia. Finis autem eſt, ut populus ex legalibus ceremoniis convictus non litiget, neque obſtrepat, ſed agnoſcat damnari omnia opera tanquam vitioſa, quæ non manant ex puro & ſincero cordis affectu. Primo quærit Haggæus, *ſi quis ſumat carnem ſanctam*, hoc eſt, fruſtum aliquod ſacrificii: ſi quis ſumat, & geſtet vel in manica, vel in ala, hoc eſt, in ora veſtimenti ſui: deinde attingat vel panem, vel oleum, vel quodvis edulium, an ſanctificabitur ſolo tactu quicquid conjunctum fuerit cum carne illa ſancta. *Reſpondent Sacerdotes, Non.* Hic etiam craſſe hallucinantur interpretes, quia ſanctificari accipiunt pro inquinari, omnino perverſe: quia duplex hic quæſtio proponitur in medium, an caro ſancta ſanctificet quicquid attigerit, deinde an homo impurus & pollutus contaminet quicquid attigerit. De priore membro ſcite & vere reſpondent Sacerdotes, non ſubeſſe tantam vim ſacrificiis, ut ſanctificent quicquid attigerint: & hoc verum eſt. Secunda etiam definitio optime convenit, pollui ſcilicet ab homine immundo quicquid attingit, quemadmodum ubique Lex pronunciat. Jam Propheta accommodat doctrinam illam ad præſentem uſum: *Sic eſt*, inquit, *populus iſte, & gens iſta, & opus manuum ipſorum.* Nam quantiſper polluti erunt, etiamſi multos ſumptus faciant in ſacrificiis, & ſe multum fatigent in colendo Deo, non modo inanis eſt eorum labor, ſed quicquid offerunt pollutum eſt, ac mera abominatio. Nunc tenemus Prophetæ verba. Atque ita tranſire ad rem ipſam operæpretium eſt: primo, antequam generaliter de cauſa præſenti diſſeram, notatu dignum eſt quod hic dicit Propheta *ſe inquirere de Lege*: quia non fuit in arbitrio Sacerdotum quidvis proferre: quemadmodum eo licentiæ progreſſos eſſe ſcimus, ut tyrannice mandarent quod Deus nuſquam præceperat: deinde ut etiam prohiberent populum à rebus licitis, & quarum uſus permiſſus fuerat Lege Dei. Atqui hic non concedit tantum licentiæ Sacerdotibus Haggæus, ut quærat quid ipſi cenſeant, ſed quid contineat Lex Domini. Et hoc notatu dignum eſſe dixi: quia exitiale malum eſt, tyrannicum imperium in conſcientias. Et tamen diabolus hoc prætextu ſemper corrupit Dei cultum & omnem pietatis doctrinam, dum extulit abſque modo auctoritatem Eccleſiæ. Verum quidem eſt, fuiſſe ſacerdotale officium plenum dignitatis, & dignum reverentia: ſed videndum ſemper eſt, ne quod ſibi arripiunt homines, vel quod illis temere conceditur, decedat ipſi Deo, ſicuti videmus fieri in Papatu. Quum Papa oſtendere vult ſine controverſia parendum eſſe omnibus ſuis præceptis, adducit quod legitur in Deuteronomio, Si quæſtio inciderit de Lege, ſummus Sacerdos judicabit inter ſacrum & profanum: *Deut. 17. verſ. 8.* hoc quidem verum eſt; ſed interea an ſummo Sacerdoti permiſſum fuit, poſthabita Dei Lege, futiliter hoc vel illud proferre ſine delectu? imo Sacerdos fuit Legis interpres. Ergo utcunque Deus audiri jubeat quos Eccleſiæ ſuæ paſtores præfecit, vult tamen audiri per os ipſorum, ſicuti prius dictum fuit. Denique ad hanc regulam exigere oportet quicquid auctoritatis eſt in Eccleſia, nempe ut Lex Dei retineat ſuum gradum, nec quicquam ex ſeipſis homines comminiſcantur, ſed tantum definiant ex verbo Domini quid rectum ſit. hoc autem in tranſcurſu. Venio nunc ad præcipuum caput: *Sacerdotes reſpondent*, Non ſanctificari vel carnem, vel oleum, vel vinum, etiamſi attigerint partem aut fruſtum ſacrificii. Quare? Sacrificium enim quæ profana ſunt non ſanctificat, niſi quoad expiationem. nam ſcimus hunc finem fuiſſe in ſacrificiis, ut homines qui polluti erant ſeſe Deo reconciliarent. Sed tamen bene hoc à Sacerdotibus reſponſum fuit, non ſanctificari profanam carnem, vel profanum oleum, tactu carnis ſanctæ. Quare? neque enim caro illa in eum uſum dicata fuerat Deo, ut ſolo tactu purificaret quæ profana erant. Sed ex oppoſito hoc etiam veriſſimum eſt, ſi homo ſit immundus, ſolo tactu polluere quicquid attingit. Immundum animа intelligunt, qui polluerat ſe tactu cadaveris: quod mihi non probatur. nomen Animæ ſubinde in Lege occurrit pro homine ipſo: Anima quæ comederit morticinum, polluetur: anima quæ contigerit cadaver, polluta eſt. *Levit. 17. verſ. 15.* Ergo hic dicitur pollutus anima, qui intus geſtat ſuam immunditiem: quemadmodum nos Gallice loquimur, *Pollú en ſa perſonne.* Quiſquis ergo immundus eſt, ſolo tactu contaminat omnia quæ per ſe alioqui pura erant: & clauſula ſatis demonſtrat non alium fuiſſe doctrinæ finem. Dixi quod ſatis erat de conſilio Prophetæ. Sed res ipſa nunc fuſius explicanda eſt. Scimus quam defunctorie agere ſoleant homines cum Deo: ludunt enim tanquam pueri cum ſuis puppis. Et hæc audacia reprehenſa fuit à profanis hominibus, quemadmodum ſatis notum eſt. Vix Propheta quiſpiam poſſet aſperius invehi contra craſſam iſtam ſuperſtitionem, quam Perſius, ubi etiam puppis comparat ſacrificia, quæ tamen erant in ſummo pretio apud omnes: oſtendit requiri aliud à Deo, nempe

> *Compoſitum jus faſque animi, ſanctoſque receſſus*
> *Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto.*

Vult ergo imbutos eſſe homines vera ſanctitate, idque intus, ut nihil ſit fictum, vel fucatum. Dicit qui tales ſunt, hoc eſt, quicunque imbiberunt verum Dei timorem, eos rite litare, etiamſi duntaxat afferant micam thuris: alios vero tantum profanare cultum Dei, etiamſi multos boves adducant: quia ſcilicet polluitur novis & iteratis ipſorum ſordibus quicquid putant valere ad tegendas ſuas ſordes. Et hoc ſatis vulgare fuit inter profanos ſcriptores: alius etiam Poëta,

> *Non bene cæleſtes impia dextra colit.*

Sic loquuti ſunt illi ex communi naturæ ſenſu. Quantum ad Philoſophos ſpectat, tenent ſemper illud principium, non rite ſacrificari Deo, niſi animis bene & penitus purgatis. Sed interea tam Philoſophi quam Poëtæ delapſi ſunt ad illud commentum, quo Satan faſcinavit omnes à minimo uſque ad maximum, nempe placari Deum ceremoniis: inde tot piacula, quibus confiſi ſtulti homines putarunt Deum ſibi fore propitium, etiamſi obſtinate non deſinerent quotidie accerſere ſibi novas pœnas, &

quaſi

quaſi ex profeſſo bellum gerere cum Deo ipſo. Hodie in Papatu principium quidem illud admittent, nempe requiri verum Dei timorem, quia hypocriſis contaminat omnia hominum opera. neque enim audebunt laudare qui ficte & quaſi per ludibrium Deo ſatisfacere volunt, quum tamen intus turgeant & ſuperbia, & contemptu, & impietate. Sed interea nunquam recipient quod hic Propheta dicit, nempe homines non modo perdere operam, ſed contrahere novam pollutionem, dum placare Deum volunt ſuis ſacrificiis, niſi interior puritas præcedat. Nam unde primum partialis juſtitia quam imaginantur Papiſtæ? Dicunt enim, etiamſi quis Legem non obſervet, tamen partem unam obſequii probari Deo, & nihil magis tritum eſt apud eos quam nomen partialis juſtitiæ. Siquis ergo adulter abſtineat à furto, & eroget etiam ex ſuis facultatibus aliquid, eleemoſynas illas volunt ipſi & pronunciant ſacras eſſe. Atqui prodeunt ab homine immundo. Sed integumentum illud profertur, quod ſufficit hoc vel illo modo Deum placare. Sic Papiſtæ promiſcue volunt obſtringere Deum ſuis operibus, etiamſi referti ſint immunditia. Ergo videmus non hodie primum, vel heri natum eſſe hunc errorem, ſed quaſi infixum eſſe in oſſibus & medullis hominum, ut ſcilicet exiſtiment Deo placere ſuos cultus quamvis ſint ipſi immundi. Ideo tenenda eſt hæc definitio, Opera quantumvis ſplendeant in oculis noſtris, nullius tamen eſſe pretii vel momenti apud Deum, niſi fluant ex puro corde. Et prudenter etiam hoc Auguſtinus explicat libro contra Julianum quarto. Dicit enim apud fideles perperam fieri judicium de operibus ex ipſo aſpectu: ſed debere æſtimari à fonte ſuo: deinde à fine. Non tam diſtincte loquitur Auguſtinus, ſed tamen ita ſentit: & hoc poteſt colligi ex ejus verbis. Nunc fontem operum dico integritatem cordis: finem vero, ſi hominibus propoſitum ſit Deo ſe ſubjicere, & conſecrare illi vitam ſuam. hinc ergo diſcernimus inter bona & mala opera, inter vitia & virtutes, nempe ex recto & ſimplici affectu: deinde ex fine. Hoc voluit Propheta priore membro: & extorſit reſponſum à Sacerdotibus, quod optime cum Lege ipſa conſentit, nempe nullum opus, utcunque magna laude vel magno plauſu excipiatur coram mundo, apud tribunal Dei quicquam mereri, quia manat ex corde impuro. Jam quod ad ſecundam partem ſpectat, non minus difficile eſt perſuadere hominibus, contaminari quicquid attingunt, ſi polluti ſint, & tamen hoc Deus palam oſtenderat Judæis: & Sacerdotes non hæſitant, neque ambigunt, ſed ſtatim reſpondent quaſi de re nota & comperta, quod ſcilicet homo immundus contaminet quicquid attingit. Sed ubi ventum eſt ad rem ipſam, tunc refugiunt homines quod tamen palam edocti fuerant: imo quod fateri coguntur, donec videant ſe urgeri: & tunc incipiunt Deo objicere nimium rigorem, Quid hoc eſt, pollui quicquid attingimus, ſiquid ſit inquinamenti in nobis? Annon tamen aliquid laudis merentur noſtra opera, quum bona ſunt? Et hinc etiam illud vulgare dictum, Opera quæ ſunt de genere bonorum, ſemper aliquid mereri: etiam extra fidem valere tamen ad promerendum fidei donum, quia hominem præparent ut capax ſit gratiæ Spiritus ſancti. Vocant autem Opera de genere bonorum, quæ per ſe laudabilia ſunt, ut eſt caſtitas, ut eſt liberalitas, ut eſt ſobrietas & temperantia, ut eſt beneficentia, ut ſunt omnes eleemoſynæ. Sed pronunciat Deus pollui virtutes iſtas, etiamſi homines rapiant in admirationem ſui, & meras eſſe ac fœtidas ſordes, niſi cor bene purgatum fuerit. Quare? Nam ex fonte impuro & polluto nihil manare poteſt niſi impurum & pollutum. Nunc facile eſt intelligere, quam apte adduxerit Propheta Sacerdotes & totum populum ad verum hoc diſcrimen. Nam ſi ex abrupto ſic loquutus fuiſſet, Deo nullum placere opus, niſi auctor ipſe bene purgatus fuerit ab omni inquinamento, ſtatim exortæ fuiſſent multæ diſceptationes: Cur Deus repudiabit quæ per ſe laude digna ſunt? Siquis ſtudeat pudicitiæ, ſi alius liberaliter eroget partem bonorum, ſi alius ſe totum addicat publicis commodis: ſi in alio reſulgeat magnanimitas & conſtantia: ſi alius profitetur honeſtas artes: annon virtutes iſtæ merentur aliquid laudis? Fuiſſet igitur magnus ſtrepitus in populo, niſi jam ita præfatus fuiſſet Haggæus, Ex Legis definitione non ſanctificari quod profanum eſt tactu ſanctæ carnis: deinde pollui quicquid attingitur ab homine immundo. Legalis igitur figura compeſcuit omnes obſtreperas voces, quæ ſtatim fuiſſent auditæ in populo. Cæterum, quamvis hodie ceremoniæ ceſſaverint, neque ſint amplius in uſu, tamen quod ſemel teſtatus eſt Deus, hodie etiam vigorem ſuum retinet: pollui ſcilicet à nobis quicquid attingimus, niſi vera puritas cordis prælucеat, quæ opera noſtra ſanctificet. Nunc videndum eſt quomodo placeant Deo opera noſtra. Nemo enim deprehendetur unquam purus vel integer. nam perfectiſſimi quique tamen vitiis laborant: ita fiet, ut opera ipſorum ſemper aſperſa ſint maculis, & contrahant aliquam immunditiem ex occultis ſordibus cordium. Reſpondeo primum, omnia opera ideo vitioſa eſſe coram Deo, & fœtere etiam inſtar abominationis, quia cor vitioſum eſt naturaliter: ſed ubi Deus corda fide purificat, tunc incipiunt opera noſtra probari, & laudem ſuam obtinent coram ipſo: quia ſcilicet cor purgatum eſt fide: & puritas illa diffunditur ad opera, ut incipiant Deo placere. Hac ratione dicit Moſes Abel placuiſſe Deo cum ſuis ſacrificiis: Reſpexit Gen. 4: 4.
Dominus ad Abel, & ad munera ejus. Moſes ſi tantum dixiſſet probata fuiſſe ſacrificia Abelis Deo, præpoſtere fuiſſet loquutus, vel ſaltem obſcure: quia ſubticuiſſet quod erat præcipuum. Sed incipit à perſona, quaſi diceret placuiſſe Abel Deo, quia ſcilicet integro & ſincero animo eum colebat. Poſtea adjungit, ſimul etiam probata fuiſſe ejus ſacrificia, quoniam manabant ex vero timore Dei, & ſincera pietate. Sic Paulus quum de vera Legis obſervatione differit, Finis Legis eſt, inquit, charitas ex corde 1 Tim. 1.
puro, & ex fide non ficta. Oſtendit ergo nullum eſſe verſ. 5.
vel cenſeri legitimum opus coram Deo, niſi quod proficiſcitur ab illo fonte, nempe à fide non ficta, quæ ſemper conjuncta eſt cum recto & ſimplici cordis affectu atque integro. Hoc unum eſt. Deinde ſimul etiam tenendum eſt, quomodo Deus purificet corda noſtra fide. Eſt autem duplex purgatio: quia primum reformat nos ad imaginem ſuam, & inſculpit nobis verum & ſerium timorem, ſtudiumque obedientiæ. Hæc igitur puritas cordis ſeſe ad opera noſtra diffundit: quia ubi imbuti ſumus vera pietate, nihil aliud nobis propoſitum eſt, quam nos & noſtra omnia offerre Deo. Ab hoc autem affectu longe diſtant, imo prorſus alieni ſunt hypocritæ, & profani homines liberaliter quidem ſua Deo offerunt, ſed volunt ipſi manere ſui juris: quia hypocrita nunquam ſe Deo addicet in ſpiritualem victimam. Videmus ergo ut fides dum corda noſtra purificat, ſimul etiam purificet opera: quia regeniti Spiritu Dei nosipſos primum, deinde noſtra offerimus. Sed quia purgatio hæc nunquam reperietur plena in hominibus, ideo ſubſidium accedere neceſſe eſt ex gratuita acceptatione. Purificantur ergo corda noſtra fide, quia Deus non imputat nobis immunditiem quæ reſidua eſt & quæ poſſet inficere opera noſtra. Sicuti ergo Deus gratam habet puritatem quæ nondum perfecta eſt, ita facit ne contagio ad opera ipſa perveniat. Abel quum Deo ſacrificia offerret, erat quidem integer, quatenus nihil erat in ipſo fictum vel duplex: ſed ſcimus fuiſſe hominem circumdatum infirmitate. Oportuit ergo quod erat pollutionis in ipſo reſiduum deleri Chriſti gratia. hinc factum

ctum eſt, ut ſacrificia ejus placerent: quia ſicuti acceptus fuit, ita Deus amplexus eſt quicquid ab ipſo profectum erat. Nunc ergo videmus quomodo naturaliter diſpliceant homines Deo cum ſuis operibus, & nihil poſſint afferre niſi vitioſum, fœtidum & abominabile. Videmus rurſus quomodo filii Dei, poſtquam eos Spiritu ſuo regenuit, puri ad eum accedant, & ſimul offerant pura ſacrificia. Puri accedunt, quia illis propoſitum eſt ſeipſos abſque fictione addicere Deo. Sed quoniam affectus ille nunquam perfectus eſt, ideo ſupplet Deus defectum illum gratuita imputatione, quia perinde amplectitur ſervos ſuos, acſi in ſolidum formati eſſent ad omnem juſtitiam. Ex eadem etiam ratione probat ipſorum opera quoniam abſterſæ ſunt omnes maculæ, quæ merito gratiam omnem detrahere poterant niſi ſepulta eſſet omnis immundities ſanguine Chriſti, & id per fidem. Hinc colligimus non eſſe cur ſe quiſpiam fallat vanis blanditiis, ubi ſtuduerit magna pompa Deum placare: quia exordium hoc ſemper requiritur, de quo hic agit Propheta, nempe ut homo ipſe purus ſit in anima, hoc eſt, ut interior puritas præcedat quicquid eſt operum. Et quamvis hæc doctrina paſſim occurrat apud omnes Prophetas, quia tamen perſtringit nobis oculos, & omnes ſenſus excæcat hypocriſis, ideo probe nobis meditanda eſt: & non tantum notandus eſt hic locus, ſed etiam alii ſimiles, ubi rident Prophetæ populi diligentiam, quia ſatageret in ſacrificiis & externis figuris: negligeret autem præcipuum caput, hoc eſt, veram cordis puritatem. Et ſimul etiam in ultimo verſu notandum eſt quod dicit Propheta *ſic eſſe omne opus manuum ipſorum, & quicquid offerebant*. Videtur hoc in ſpeciem nimis eſſe durum, damnari ipſa ſacrificia quaſi polluta. Sed non mirum eſt repudiari à Deo tales cultus fictitios, quibus ipſum magno probro afficiunt homines profani, quia vellent eum transfigurare pro ſuo arbitrio, quaſi poſſet mulceri vel crepundiis, vel aliis nugis. Hoc ergo nimis indignum eſt ludibrium, quo Deum afficiunt homines dum ita obtrudunt externas ceremonias, & non reſpiciunt ejus naturam: quia etiamſi nullius apud eos pretii ſit ſpiritualis cultus, putant tamen ſe ſatisfacere. Ergo in ſumma notandum eſt, hic docere Prophetam, non ſufficere ſi Deo exhibeant homines ſuum obſequium, ſi ſacrificia offerant, ſi impendant laborem ſuum ad ædificationem Templi, niſi rite hoc totum faciant. quid eſt rite? nempe ſincero affectu cordis, ut nihil ſit vel hypocriticum vel duplex.

Da omnipotens Deus, quando ex utero matrum prodimus prorſus impuri & fœtidi, deinde etiam contrahimus aſſidue tot novas maculas, ut confugiamus ad fontem veræ purgationis. Et quando non alia eſt ratio, qua purgemur ab omnibus inquinamentis carnis, niſi ut ſanguine Filii tui unigeniti aſperſi, idque per arcanam Spiritus tui virtutem, renunciemus omnibus noſtris vitiis: da, inquam, ut ita ſtudeamus nos tibi vere & ſincere addicere, ut quotidie magis ac magis renunciantes omnibus pravis affectibus noſtris, nihil aliud habeamus propoſitum, quam ut mentes noſtras, & affectus omnes cum vera abnegatione noſtri tibi ſubjiciamus, ac ita exerceamus nos in ſtudio & meditatione hac quantiſper verſamur in mundo, donec tandem perveniamus ad veram illam & ſolidam puritatem, quæ nobis repoſita eſt in Filio tuo unigenito, quum plene illi adhærebimus, transfigurati in eam gloriam, in quam ipſe receptus eſt, Amen.

PRÆLECTIO SEXTA IN HAGGÆUM PROPHETAM.

CAP. II.

16. Et nunc ponite quæſo (*vel agedum*) ſuper cor veſtrum à die hac & ſupra, antequam poneretur lapis ſuper lapidem in Templo Jehovæ.

17. Ante hæc quum veniret quis ad acervum viginti, fuit decem: quum veniret ad torcular ut hauriret quinquaginta è torculari, fuit ſumma viginti.

18. Percuſſi vos Orientali vento, (*vel urente*) & rubigine, & grandine in omni opere manuum veſtrarum, (*alii vertunt, Et omne opus, ſed male: Et potius hic debet reſolvi quemadmodum dictum eſt. In omni ergo opere*) & vos non ad me, dicit Jehova.

19. Ponite quæſo ſuper cor veſtrum à die hac & ſupra, à die viceſimo quarto noni menſis, à die quo fundatum fuit Templum Jehovæ, ponite ſuper cor veſtrum.

20. An adhuc ſemen in horreo? & adhuc vitis, & ficus, & malus granata, & arbor olivæ non protulit: à die hac benedicam vobis.

COactus ſum hos omnes verſus ſimul conjungere, quia rem unam hic tractat Propheta. Summa autem huc tendit, palam tunc Dominum ſumpſiſſe pœnas de tarditate populi, ut quiſque facile agnoſceret fuiſſe præpoſtere factum ab omnibus, quod ita operam dediſſent privatis commodis, neglecto Templo. Craſſe enim hic agit Propheta cum hominibus terrenis, & qui addicti erant ventri ſuo. Si vere adoleviſſent, vel feciſſent majores progreſſus in vera pietate, poterat alio modo cum ipſis agere: & certe ſequutus eſſet illum ordi-
1 Cor. 2. verſ. 6. nem, quemadmodum dicit Paulus, Sapientiam loquimur inter perfectos. Sed quoniam defixi erant in potu & cibo, & intenti privatis ſuis commodis, Propheta illis in medium proponit pro ipſorum captu, Deum ipſis fuiſſe iratum, & perſpicua fuiſſe ſigna maledictionis, quum terra fruges non produceret, ſed ipſi eſſent famelici. Nunc tenemus conſilium Prophetæ. Sed iterum percurram verba, quo res melius pateat. *Ponite*, inquit, *ſuper cor*. Hic Propheta oblique perſtringit eorum ſocordiam, quod in rebus manifeſtis cæcutirent: nam hic non attollit eorum mentes in cœlum, non profert alta myſteria, ſed tantum concionatur de victu & alimentis. Quum ergo Deus imprimit certas iræ ſuæ notas in ipſa communi vita, non eſt tolerabilis ſtupor noſter, ſi hoc totum negligimus. Et ſæpius hoc ideo repetit Propheta, ut pudorem incutiat Judæis, ubi viderint ſibi toties exprobrari ſuam tarditatem. *Ponite ergo ſuper cor*, hoc eſt, conſiderate id quod dicturus ſum, *à die hac & ſupra*, inquit, *antequam poneretur lapis ſuper lapidem*, hoc eſt, ab eo die quo cœpi vos hortari ad ædificandum

dum

dum Templum, conſiderate quid uſque ad hunc diem contigerit. Poſtea adjungit, Antequam, inquit, cœperitis Templum extruere, nonne dum quiſque veoit ad acervum viginti, tantum reperit decem modios? hoc eſt, nonne quum ſperareot agricolæ ſibi eſſe in borreo vel area modios viginti, decepti ſuot ſua opioione? quoniam ſcilicet Deus arefecerat ſpicas, ut oon reddereot quod ſolebant. Agricolæ enim longo uſu edocti poſſunt facile conjicere quid ſperare debeant ubi vident meſſem ſuam: ſed aſpectus ipſe fruſtratus eſt agricolas. Deus ergo maledictionis ſuæ ſigna illic oſtendit. Deinde quum veniret quiſque ad torcular, & ſperaret ſibi fore largas vindemias, nonne etiam deceptus eſt? Nam pro cadis 50. tantum reperit 20. Poſtea adjungit, *Ego percuſſi vos vento Orientali.* Nam בשדפון accipitur pro vento urente. Ventus autem Orientalis infeſtat Judæam ſiccitate ſua: ſicuti etiam vocant בירקון vel rubiginem, vel humidum ventum ex quo naſcitur rubigo. Scimus enim ſi humefactæ ſunt ſegetes, contrahere rubiginem, ubi ſol calorem ſuum emittit. Quod ad ſenſum Prophetæ, nulla eſt ambiguitas, quia docere voluit diverſis modis fuiſſe percuſſos, ut facile ſecum reputare debuerint Deum iratum eſſe. Addit etiam, *grandine.* Nam ſi fames tantum vel ex frigore, vel ex æſtu contingat, hoc tribuitur fortunæ, vel aſtris: ſed ubi Deus exerit varia flagella, tunc cogimur agnoſcere iram ejus, quaſi nos expergefaceret. Hæc ratio eſt cur varias ſpecies hic commemoret Propheta. Dicit autem, *in omni opere manuum veſtrarum.* quod alii vertunt, Et omne opus: ſed perperam. Neque enim percuſſi fuerant in ſuis corporibus, ſed in terræ cultura. Tandem adjungit, *Et vos non ad me*, hoc eſt, toto illo tempore nihil profeci, quum toties & variis modis vos caſtigarem. Et interea quid vobis profuit contumacia cordis veſtri? non eſtis reverſi ad me. *Ponite*, inquit, *cor veſtrum à die hac & ſupra.* Repetit quod dixerat, nempe à die 24. noni menſis. Vidimus autem paulo ante, Prophetam fuiſſe miſſum die illo, ut coargueret populi peccata. *Ponite* ergo *cor veſtrum*, inquit, *à die hac.* Videmus quam emphatica ſit iſta repetitio, quod in rebus manifeſtis adeo tamen torpebant Judæi, ut non tangeret eos ſua penuria & eſuries. Scimus autem nullum eſſe acriorem ſtimulum ad homines pungendos, quam dum fame laborant. Quum ergo Dominus victum illis raperet ex ore, noo fuiſſe attentos ad tale judicium, hoc certe fuit nimii ſtuporis. qua ratione hic Propheta ſæpius inculcat, Judæos fuiſſe nimis ſegnes, qui animum ad tam manifeſta Dei judicia non adjecerint. Jam ſubjicit, *An adhuc ſemen in borreo?* Hieronymus vertit, In germine: & probabilis fuit ratio cur ita verteret, quia videbat non congruere inter ſe membra, niſi nomen מגורה acciperet pro germine. ſed tamen deceptus fuit, meo judicio. Hebræi etiam mihi non placent, quia quidam affirmative legunt, Quod ſemen ſit in horreo, quia ſcilicet non auſi fuerant triticum ſuum terræ mandare io illa inopia. Alii autem interrogative legunt, quaſi diceret tempus meſſis procul abeſſe, & tameo exiguum illud quod reſtabat ſatis fore ad eos alendos. ſed, meo judicio, non quadraret nomen ſeminis frumeoto jam collecto, niſi ſationis reſpectu. Itaque non dubito quin benedictionem Dei commendet in meſſe poſt quinque menſes ventura, ſicuti paulo poſt repetam. Quod enim quidam ad præteritum tempus torquent, quaſi diceret Propheta jam expertos fuiſſe Judæos quid valeret Dei maledictio, prorſus coactum eſt. ſed hic genuinus eſt Prophetæ ſenſus, *An ſemen adhuc in borreo?* hoc eſt, an ſemen quod adhuc in terra latet collectum eſt? Poſtea addit affirmative, *Neque vitis, neque ficus, neque malus granata, neque oliva adhuc quidquam protulerunt.* erat enim nonus menſis anni. Scimus autem initium tunc fuiſſe à menſe Martio. Quum ergo eſſent fere io media hyeme, pendebant incerti quid futurum eſſet. Menſe Novembri oon poteſt fieri judicium, etiam à peritiſſimis, qualis vel quantus proventus ſperari debeat. Quum ergo ſuſpenſi adhuc hærerent, dicit Propheta paratam illis fore benedictionem Dei. huc autem ſpectat, ſe proferre certum Dei oraculum, quia non loquatur de vindemiis, quarum ſpes aliqua jam apparuerit, neque de meſſe, ubi ſpicæ jam ſurrexerint. Quum ergo adhuc periculum eſſet à grandioe, à vento urente, deinde à pluviis, & aliis corruptelis ac vitiis frugum, dicit uberrimam fore meſſem, largas vindemias, denique ampliſſimum proventum & olei & ficuum. Jam potuit certo agnoſci fides prophetiæ, quum Deus impleret id quod loquutus erat per os ſervi ſui. Nunc redeo ad ipſam ſummam. Sicuti nuper attigi, Propheta hic Judæos tractat pro craſſo ingenio. Nam poterat ſubtilius docere pios, qui non ita implicini vel deditì fuiſſent terrenis commodis. Oportuit igitur eum loqui ut ferebat captus geatis: quemadmodum aliter docebit peritus doctor vel pueros, vel grandes natu. Oſtendit autem à ſignis Judæos fuiſſe ingratos Deo, quum negligerent ſtructuram Templi, & quiſque ſeduIò & magno fervore intentus eſſet ad extruendam domum propriam. docet hoc à ſignis. Quare? Unde factum eſt, inquit, ut ounc corruptæ fuerint fruges veſtræ rubigine, nunc æſtu perieriot, nunc fuerint grandine percuſſæ, niſi quia Dominus voluit hoc modo corrigere ſegnitiem veſtram? Sequitur ergo, pœnis iſtis vos eſſe convictos ingratitudinis, quod poſthabito Dei cultu, tantum ſequuti fueritis privata commoda. hoc uoum eſt. Jam poſterius membrum continet promiſſionem: & inde melius potuit confirmari hæc doctrina, quum populus videret ſubito & præter ſpem res in melios converſas eſſe. Laboraverant frugum inopia multis annis: ubi autem ſequitur repentina ubertas, hæc mutatio nonne aliquid oſtendit conſideratioon dignum? præſertim ubi prædicitur hoc antequam evenerit, & antequam humaois conjecturis poſſit quicquam ſtatui? Videmus ergo duabus rationibus inſiſtere Prophetam, ut Judæi damnent ſuam ſegnitiem, & fateantur ſe impios fuiſſe & malignos erga Deum, quia contempſerint ædificationem Templi: deinde ut eos animet, & alacriores reddat ad opus inceptum, proponit illis, ut jam dixi, quod contigerat. Deus autem ſatis ſuperque teſtatus fuerat multiplici pœnarum genere ſe illis eſſe offenſum. Jam quum promittit ſe alium fore, hinc etiam ſequitur nova & major confirmatio. Sed hic poſſet quiſpiam excipere, non eſſe hæc certa argumenta vel perpetua, quoniam ſæpe continget, ubi fideliter operam ſuam impendet populus Deo colendo, ut tameo rebus adverſis prematur: imo Deus conſulto ſæpius examinat ſuorum fidem, dum ita occultat benedictionem ſuam ad tempus. ſed ſolutio facilis eſt. Fateor igitur non raro accidere, ut qui ſincere & ex animo Deum colent, tamen fraudentur terrenis commodis: quia ſcilicet vult Deus eos attollere ad ſpem remunerationis æternæ. Dara igitur opera ſæpe Deus benedictionem ſuam ſubducit à fidelibus, ut eſuriant in mundo, quaſi ipſum colendo luderent operam. ſed Propheta etiam noluit proponere hic argumentum perpetuum: quando ſatis habuit Judæos convincere ab ipſa experientia, quoniam nihil obſtabat quominus agnoſcerent ſuam avaritiam diſplicuiſſe Deo, niſi quod erant nimium bruti. Ergo Propheta hic objurgat ſocordiam illam, quod dum valde ſatagerent ad ſeſe locupletandos, non tamen obſervaveriot laborem ſuum eſſe irritum, quod Deus è cœlo ipſis malediceret. Hoc ergo poterat facile ab ipſis cognoſci, niſi quod ſeſe obſtupefecerant in ſuis vitiis. Quod autem Propheta hic teſtatur uberem fore proventum & vini, & tritici, & olei, & aliarum frugum, hoc efficacius fuit, quemadmodum

dixi, ad confirmationem. Jam ſiquis rurſus objiciat, non fuiſſe hoc operæpretium, quia Deo non placet cultus ſervilis & mercenarius: reſpondeo, talibus ſæpe rudimentis Deum ſtimulare homines, quum nimis tardos & pigros eſſe videt: poſtea autem eos adducere aliis rationibus, ut vere & ex animo ipſum colant. Siquis ergo tantum ut ventrem ſuum ſaturet obſequitur Deo, perinde eſt acſi quis operam locaret in ſingulos dies, & referret mercedem, deinde negligeret eum à quo conductus eſt. Certum eſt tale obſequium pro nihilo duci coram Deo. vult enim 2 Cor. 6. verſ. 7. ingenue à nobis coli: & diligit hilarem datorem, quemadmodum dicit Paulus. Cæterum, quia plerumque homines pro ſua ruditate non poſſunt primo die vel momento perduci ad illam ingenuitatem, ut gratis ſeſe addicant Deo, neceſſe eſt initium fieri ab aliis rudimentis, quemadmodum hic Propheta terrenum & quotidianum victum promittit Judæis: quia ſcilicet videbat non poſſe ipſos primo ſtatim gradu in coelum uſque conſcendere: ſed noluit tamen finem facere, donec eos altius attolleret. Sciamus ergo hoc fuiſſe duntaxat exordium, ut diſcerent Deum timere, & ſperare ab ipſius benedictione quicquid optandum erat: deinde ut excuterent ſuam ſocordiam, qua fuerant nimis obſtupefacti ante illud tempus. denique aliter Deus rudes & elementarios tractat, qui nulla adhuc pietatis doctrina imbuti ſunt, vel qui ſimiles ſunt brutis pecudibus: aliter autem tractat diſcipulos ſuos, qui aſſuefacti ſunt ad ſolidam doctrinam. Quum dico ſic Prophetam egiſſe cum Judæis, non loquor de tota gente, ſed expendo quod vidimus ab initio libri, Judæos ſcilicet tunc nihil aliud curaſſe, niſi ut domos ſuas extruerent: & ita nullum fuiſſe pietatis ſtudium apud ipſos. Quum ergo fere ſepulta eſſet Dei memoria, quum Templum eſſet deſertum, & fervor ſuus unumquemque impelleret ad ſtructuram propriæ domus, hinc colligimus quam fuerint craſſo ingenio. Non mirum eſt igitur, quod Propheta hunc tenet ordinem erga ipſos. Pergamus.

21. Et fuit (*poſtea fuit*) ſermo Jehovæ ſecundo ad Chaggai, viceſimo quarto menſis, dicendo,

22. Die ad Zerubbabel Ducem Jehuda, dicendo, Ego concutio cœlos & terram.

23. Et evertam ſolium regnorum, & perdam robur regnorum gentium: & evertam quadrigam & ſeſſores ejus: & deſcendent equi & ſeſſores eorum, quiſque in gladio fratris ſui.

24 In die illa, dicit Jehova exercituum, ſumam te Zerubbabel fili Scaltiel ſerve mi, dicit Jehova: & ponam te quaſi annulum, quia elegi te, dicit Jehova exercituum.

Jam longiùs progreditur Propheta noſter. Eſt enim hæc vere gratuita & ſpiritualis promiſſio, qua Deus affirmat ſibi curam fore populi ſui uſque in finem. Jam non agit de vino & tritico, ut paſcat famelicos; ſed oſtendit ſe fore æternum patrem illius populi, quia neque poſſit neque velit obliviſci fœderis, quod pepigit cum ipſorum patribus. Nec dubium eſt, quin deſignet Chriſtum in perſona Zerubbabel, quemadmodum videbimus. Sic ergo diſtinguere convenit hoc vaticinium à proximo: quod nuper oſtendit Deus ſibi placere cultum quem ad tempus contempſerant Judæi, quia merces in promptu ſit: deinde ſe offendi negligentia illa quam ante reprehendit, quia pœnas manifeſtas ſumpſerat: neque ſemel, neque brevi tempore, ſed pluribus annis, & per varia exempla. Quid nunc? hoc ſecundo vaticinio compellat Zerubbabel, & promittit ſe fore ſervatorem populi ſub mano ipſius. Quantum ad verba ſpectat, quidam exiſtimant notari continuum actum, ubi dicitur, Ego concutio coelos & terram: & ita reſolvunt, Quamvis meum ſit concutere cœlum & terram, & ſoleam evertere regna, tamen ſtabiliam ſacrum hoc regnum, quod ego erexi in populo meo. ſed ſenſus ille nimium eſt frigidus. Et vidimus jam hoc capite quorſum tendat concuſſio Hebr. 12. verſ. 26. terræ & cœli, cujus fit mentio. Apoſtolus etiam fidelis eſt interpres hujus ſententiæ, qui docet vaticinium hoc proprie quadrare regno Chriſti. Non dubium igitur eſt quin ſpeciale aliquid deſignet hic Propheta, quum dicit, Ecce ego concutio cœlos & terram. Non loquitur ergo Deus de ordinaria ſua providentia, neque ſibi vendicat ſimpliciter cœli & terræ imperium, neque docet ſe in ſublime erigere quæ abjecta erant, deinde evertere quæ erant valde excelſa: ſed ſignificat memorabile aliquod opus ſibi jam eſſe in manu, quod ubi editum fuerit, terrore concutiet homines, & tremefaciet cœlum & terram. Ergo non dubium eſt quin Propheta hic adducere voluerit Judæos ad ſpem redemptionis, cujus præludium aliquod Deus tunc dederat: ſed finis adhuc nondum poterat cerni: imo abſconditus erat humanis judiciis. Quis enim ſperaſſet talem mundi renovationem, qualis exhibita fuit Chriſti adventu? Judæi quum viderent ſe obnoxios eſſe omnium injuriis, quum reverſus etiam eſſet tam exiguus numerus, nullum eſſet regnum, nulla potentia, putabant ſe quaſi deluſos eſſe. Ergo Propheta hic affirmat inſtare admirabile opus Dei, quod cœlum & terram concutiet. Id ergo neceſſario ad Chriſtum debet referri, quia fuit quaſi nova mundi creatio, ubi collegit Chriſtus quæ diſſipata erant in coelo & terra, quemadmodum Apoſtolus dicit 1. Coloſ. cap. dum homines Deo & Angelis reconciliavit, dum victo diabolo reſtituit mortuis vitam, dum illuxit cum ſua juſtitia, tunc vere concuſſit Deus cœlum & terram: & adhuc hodie concutit, dum prædicatur Evangelium, quia filios Adæ ad imaginem ſuam reformat. Hæc igitur regeneratio ſpiritualis tale eſt documentum potentiæ & gratiæ Dei, quod merito tremefaciat coelum & terram. Summa eſt, Judæos plus debuiſſe animis concipere, quam oculis cernerent: quia redemptio nondum erat completa. Ideo ſubjicit, *Evertam ſolium regnorum, perdam robur regnorum gentium: & evertam quadrigam & ſeſſorem ejus: deſcendent equi & ſeſſores eorum: quiſque cadet gladio fratris ſui.* Hic confirmat ſuperiorem ſententiam, nihil ſcilicet fore obſtaculo quominus Deus Eccleſiam ſuam inſtauret. Merito autem quaſi per modum anticipationis hoc fuit additum, quia undique cincti erant Judæi infeſtiſſimis hoſtibus: quotquot vicini erant, totidem erant hoſtes: deinde erant exoſi toti mundo. Quomodo ergo poterant emergere in illam dignitatem quæ illis tunc promiſſa fuit, niſi Deus reliquum mundum deleret? ſed hic occurrit Propheta, & breviter docet potius facturum Deum ut pereant omnes gentes, quam ut Eccleſia maneat in illo ignobili ſtatu. Videmus ergo hic Prophetam nihil aliud velle, quam Deum ſuperaturum eſſe omnia impedimenta, quæ objiciet Satan & totus mundus, quum Eccleſiam ſuam reſtituere volet. Nunc tenemus Prophetæ conſilium, & tenemus etiam uſum hujus doctrinæ. Nam quoties occurrunt nobis impedimenta & difficultates, quæ nos ad deſperationem ſollicitant, ubi de reſtitutione Eccleſiæ agitur, debet etiam ex oppoſito venire nobis in memoriam hæc prophetia, nempe in manu Dei eſſe, evertere potius omnia regna terræ, frangere & conterere quadrigas, dejicere & proſternere omnes

ſeſſo-

ſeſſores, quam ut impediant Eccleſiæ inſtaurationem. Nam ultimo verſu oſtendit Propheta cur hoc facturus ſit Deus, nempe ut floreat Zerubbabel cum toto populo. Dicit igitur, *In die illa, dicit Jehova, ſumam te Zerubbabel, & ponam te quaſi annulum, quia elegi te.* Quemadmodum paulo ante diximus, hic compellat Deus Zerubbabel, ut in ejus perſona teſtetur ſe benedicturum eſſe populo, quem voluit collectum eſſe ſub ſacro illo capite: tametſi enim neque regno potiebatur Zerubbabel, neque diadema geſtabat aut cidarim: tamen erat ex Tribu Jehudah; & volebat Deus ſcintillam aliquam extare regni ejus, quod erexerat in familia Davidis. Quum ergo Zerubbabel tunc figura eſſet Chriſti, hic pronunciat Deus ſibi annuli inſtar fore, hoc eſt, ſibi fore pretioſam ejus dignitatem. nam ſimilitudo annuli etiam aliis locis ponitur. Et ex oppoſito dicit Jer. 22. cap. Etiamſi Chonias iſte eſſet annulus in dextra mea, inde evellam ipſum, inquit: hic autem dicit Deus, Zerubbabel fore ſibi quaſi annulum, hoc eſt, tu eris mihi in ſummo pretio. Nam annulus ſignatorius ſolet diligenter ſervari, quia Reges volunt hac in parte ſibi ſervari ſummam auctoritatem, ut ſigillo eorum credatur potius quam proceribus etiam ſummis. Ratio igitur ſimilitudinis eſt, quod Zerubbabel, qui mundo erat contemptibilis, erit tamen Deo pretioſus. Atqui hoc nunquam impletum fuiſſe in perſona Zerubbabel, conſtat. Sequitur ergo hoc debere ad Chriſtum aptari. Deus in ſumma placere ſibi oſtendit populum illum collectum ſub uno capite: quia tandem oriturus erat Chriſtus ex ſemine Zerubbabel, quemadmodum etiam ſatis patet. Et hæc ratio notanda eſt, *Quia elegi te.* Neque enim hic Deus aſcribit virtutibus aut meritis Zerubbabel, quod ipſum habiturus ſit in ſummo pretio: ſed hoc electioni ſuæ vendicat. Si ergo quæritur ratio cur Deus tantopere extulerit Zerubbabel, & proſequutus fuerit tam præclaris beneficiis, non alibi quærenda eſt, quam in ſola Dei ipſius bonitate: quoniam pepigerat fœdus cum Davide, & pollicitus fuerat æternum fore ejus regnum, ideo elegit Zerubbabel, poſtquam reverſus eſt populus ab exilio: & illa electio fuit in cauſa, ut Deus extulerit Zerubbabel, cujus tamen principatus pro nihilo tunc erat. Scimus enim expoſitum fuiſſe omnium gentium ludibriis, ſed Deus hic fideles ad electionem ſuam revocat, ut plus expectent, quam poſſit ſenſus carnis concipere vel apprehendere: quia ſcilicet non poteſt irritum eſſe quod decrevit. Ipſe autem in perſona Zerubbabel ſtatuit populum electum ſervare, quia ſcilicet inde venturus erat Chriſtus, ut dictum eſt.

Da omnipotens Deus, quando adhuc tenemur terrenis noſtris curis, nec poſſumus tam alacriter & expedite in cœlum conſcendere ut decebat: ſaltem quum tam liberaliter nobis quotidie porrigis alimenta, quæ nos in hac vita ſuſtineant, ut inde diſcamus te nobis eſſe patrem, neque tamen maneamus in illis rudimentis, ſed altius diſcamus mentes noſtras efferre, & in ſpirituali cultu tuo ſic proficiamus magis ac magis, dum tandem perveniamus ad veram & ſolidam fruitionem illius beatæ & cœleſtis vitæ, quam nobis pollicitus es, & peperiſti etiam ſanguine unigeniti Filii tui, Amen.

JOANNIS CALVINI
PRÆLECTIONES
IN
ZACHARIAM PROPHETAM.

PRÆLECTIO PRIMA.

PRÆFATIO.

SEquuntur prophetiæ Zachariæ, qui adjutor & collega fuit tam Haggæi quam Malachiæ, ut paulo poſt ſatis liquebit. Tres igitur illos eodem fere tempore miſit Deus, ut quiſque aliis ſubſcriberet, atque ita uno conſenſu & ore confirmarent quod Deus illis mandaverat. Fuit autem operæpretium plures ſimul loqui, ut major eſſet auctoritas vaticiniis, quia luctandum erat populo cum variis & graviſſimis tentationibus. Jam Satan illis multa certamina excitaverat: ſed majora adhuc inſtabant. Ergo oportuit pluribus teſtimoniis eos animari, ne deficerent. Porro quod ad Prophetam noſtrum ſpectat, partim Judæis reducit in memoriam cur Deus tam ſevere egiſſet cum ipſorum patribus: partim eos ad bonam ſpem hortatur, modo ex animo reſipiſcant, & animos erigant ad ſpem veræ & ſolidæ liberationis. Interea illos duriter caſtigat, quia opus erat tali purgatione quum adhuc reſiderent in ſuis ſordibus. Etſi enim memoria exilii debebat illis frenum injicere, ut ſollicite & cum timore ſe Deo ſubjicerent: tamen jam alibi viſum eſt, & patebit etiam melius ex progreſſu, quaſi nullam ſcelerum ſuorum pœnam ſenſiſſent, ita fuiſſe ſecuros, ut nullus vigeret apud ipſos timor Dei, & nulla fere eſſet religio. Oportuit igitur miſceri duras & rigidas objurgationes promiſſionibus gratiæ, ut hoc modo parati eſſent ad recipiendum Chriſtum. Hæc igitur ſumma eſt. Nunc venio ad verba.

CAPUT PRIMUM.

MEnſe octavo, anno ſecundo Darii, fuit ſermo Jehovæ ad Zachariam filium Barachiæ filii Addo (*Iddo, ad verbum*) Prophetæ, (*vel Prophetam*) dicendo,
2. Iratus eſt Jehova erga patres veſtros ira.
3. Dices igitur ad eos, Sic dicit Jehova exercituum, Revertimini ad me, dicit Jehova exercituum, & revertar ad vos, dicit Jehova exercituum.

HInc colligimus quod nuper attigi, Haggæum & Zachariam fuiſſe conjunctos divinitus, ut alter alterius doctrinam adjuvaret, quia negotium erat cum præfracta gente: deinde urgebant etiam duræ & arduæ tentationes, ut non vulgari confirmatione opus fuerit. Munus ergo ſuum exorſus eſt Haggæus menſe ſexto: ſequutus eſt Zacharias noſter paulo poſt, nempe menſe 8. ejuſdem anni. Quiſnam fuerit Darius hic, cujus ſit mentio, ante viſum fuit. Quanquam diſſentiunt interpretes, tamen certis & firmis rationibus colligitur fuiſſe hunc filium Hyſtaſpis. Sed iterum de hoc Dario dicendum erit paulo poſt: & tunc dabitur melior occaſio: tantum in tranſcurſu volui verbum illud dicere. *Sermo* igitur *Jehovæ tunc datus fuit*, vel factus *ad Zachariam*. Diximus etiam antehac ſermonem Dei bifariam dirigi ad homines, quia ſingulos compellat Deus à minimo uſque ad maximum. Sed interea ſermonem priore loco ſpecialiter dirigit ad Prophetas ſuos, ubi munus docendi injungit. Fit ergo ſermo Domini ad homines privatos, fit etiam ad doctores, qui ſuſtinent publicam perſonam, ut ſint poſtea Dei interpretes, vel internuncii. Hoc modo dicit Zacharias ſermonem Dei ſibi fuiſſe datum, non ut ſeorſum audiret quod Deus tunc loquutus eſt, ſed ut eſſet fidelis diſpenſator hujus doctrinæ. Quod ad Zachariam ipſum ſpectat, falluntur, meo judicio, qui putant filium eſſe Jojadæ, cujus etiam fit mentio à Chriſto Matth. 23. cap. Vocatur quidem illic Zacharias qui occiſus fuit inter Templum & Altare: vocatur Barachiæ filius: ſed ſupputatio annorum facile coarguit errorem eorum qui volunt hunc eundem eſſe Zachariam: quia ſuperior ille, quem
2 Par. 24. ſacra hiſtoria vocat Jojadæ Sacerdotis filium, occi-
vers. 29. ſus fuit ſub regno Joas. Nunc videndum quam multi Reges ſucceſſerint: deinde, quantum temporis interea fluxerit. Fuiſſet hic Zacharias fere bis centenarius ante exilium Babylonicum ſi vixiſſet, etiamſi tunc fuiſſet puer quum fuit lapidatus. Jam hic Zacharias de quo nunc agitur, functus eſt Prophetæ officio poſt reditum populi. Ergo non modo fuiſſet major centum & quinquaginta annis, ſed ſuperaſſet fere annos ducentos poſt mortem ſuam. Hoc quum prorſus ex Judaico delirio naſcatur de hominum renaſcentia, memoratu non minus quam refutatione indignum eſt. Atqui vocatur filius Barachiæ. Sed probabilis conjectura eſt Jojadam Sacerdotem fuiſſe binominem: nec veriſimile eſt fuiſſe Prophetam. Quicquid ſit, Zacharias ille qui obrutus fuit juſſu Regis lapidibus in Templo, fuit filius ſummi Sacerdotis, & mortuus eſt pluſquam centum annis ante exilium Babylonicum. Hic vero, etiamſi fuiſſet ſexagenarius antequam ſuſciperet munus docendi, tamen nondum fuiſſet natus, quum tractus fuerat populus in exilium. Diximus enim hunc Darium non fuiſſe Medum, qui regnavit cum Cyro; ſed filium Hyſtaſpis, qui longo poſt tempore, hoc eſt, poſt Cambyſem & Magos regnavit. Nam facile etiam refellitur eorum inſcitia, qui putant Prophetas hos fuiſſe miſſos à Deo antequam completum eſſet tempus præſcriptum à Jeremia. Quoniam ergo jam elapſi fuerant ſeptuaginta anni, non dubium eſt quin hic Propheta natus fuerit ex quo urbe diruta, & Templo exciſo, populus tractus fuerat Babylonem captivus. Jam venio ad ipſam doctrinam. *Iratus eſt Jehova ira contra patres veſtros*. Hic Propheta atrocitatem pœnæ commemorat, qua Judæi fuerant affecti, ut poſteri ſecum reputent non eſſe provocandum Deum, qui tam rigide puniat contemptores verbi ſui & doctrinæ. Nam quum dicit *Deum iratum ira*, intelligit non vulgari modo Deum fuiſſe offenſum Judæis, ſed ipſam pœnæ gravitatem, ſatis clarum eſſe documentum quantopere excanduerit Deus. Conſilium autem Prophetæ eſt, expergefacere Judæos, ut Deum ſerio timere incipiant, quia vident tam formidabilem eſſe ejus iram. Generaliter dicit Apoſtolus horrendum eſſe incidere in manus Hebr. 10.
Dei vivi: ſic etiam paſſim loquitur Scriptura: ſed vers. 30.
hic ponit Zacharias genti ſuæ ante oculos inſigne teſtimonium iræ Dei, quæ merito incutere terrorem omnibus debuerat. Non ergo hic concionatur de re obſcura, ſed tantum admonet ut ſecum reputent quam terribilis ſit vindicta Dei, eo quod patres ipſorum privati fuerint æterna hereditate, quod paſſi fuerint tot ludibria: deinde crudeliter vexati fuerint atque oppreſſi à tyrannis: denique fere ſubverſi fuerint ultimis abyſſis. Quum ergo tam duriter egiſſet Deus cum ipſorum patribus, jubet Propheta eos agnoſcere Deum eſſe metuendum, ne laſciviant ſuo more, vel ſibi indulgeant: ſed reſipiſcant ex animo, neque data opera provocent in ſe iram Dei, quam patres eorum nimis duram experti fuerant. Jam ſequitur, *Dices ad eos, Revertimini ad me, & revertar ad vos*. Nunc clarius exprimit Propheta in quem finem loquutus fuerit de vindicta Dei, qua afflixerat electum populum, nempe ut poſteri ſibi caveant, quia ſaltem locum habere debet vulgare illud proverbium, Stultos accepto malo ſapere. Nam ubi eſt vera docilitas, ſtatim ad nutum Dei attenti ſunt homines: quod ſi ſegnes ſint ac ignavi; ſaltem dum feriuntur, mirum eſt niſi ictus quos ſentiunt illis torporis partem excutiant. Ergo Propheta poſtquam de pœnis quas Deus inflixerat loquutus eſt, hortatur ad pœnitentiam Judæos. Quanquam notandum eſt, non ſimpliciter Prophetam noſtrum diſſerere de pœnitentia, ſed ſimul etiam oſtendere quænam vera ſit natura ejus, ne ſcilicet Judæi ſtudeant defunctorie placare Deum, ut fieri ſolet, ſed ſincere reſipiſcant: quia dicit, *Revertimini ad me, & ego revertar ad vos*. Non eſt autem hoc ſupervacuum, ſi reputamus quales ſibi blanditias fecerint Judæi ſtatim poſt reditum. Vidimus eos fuiſſe implicitos privatis ſuis negotiis, ut Templum Dei maneret deſertum: ſcimus etiam quid referat ſacra hiſtoria, nempe duxiſſe uxores alieni- Eſd. 9: 2.
genas: deinde graſſata fuiſſe multa inquinamenta, ut fere ſepulta eſſet apud ipſos religio. Retinebant quidem Dei nomen, ſed impietas eorum claris ſignis ſeſe prodebat. Ergo nihil mirum ſi Propheta hic acriter eos ad pœnitentiam ſtimulet. Interea notandum eſt non poſſe nos frui Dei beneficiis, etiam dum ſeſe humaniter reconciliat, niſi ex animo reſipiſcimus. Utcunque ergo blande ad ſe nos Deus invitet, paratus ſit remittere peccata, non tamen poſſumus amplecti oblatam ejus gratiam, niſi peccata nobis diſpliceant: quia non deſinet Deus eſſe judex noſter, niſi præveniamus ipſi, & quiſque ſeipſum damnet, ac pœnam exigat de peccatis ſuis. Hæc igitur ratio eſt placandi Dei, ubi vulnerat nos ſerius dolor, & ita vere & ſine fictione vel mendacio ad Deum convertimur. Huc autem debet nos adducere experientia iræ Dei: quia nimium ſtupidi ſunt qui

Deum

Deum experti judicem ſecure iram ejus contemnunt, quæ tamen corda ipſorum metu replere debuerat. *Epheſ. 5. verſ. 6.* Ne quis fallat vos inanibus verbis, inquit Paulus: nam propter hæc venit ira Dei in filios diffidentiæ, vel in omnes incredulos. Paulus jubet nos expendere quæcunque profert Deus iræ ſuæ documenta in mundo, ut nos erudiant ad pietatem: quanto igitur magis afficere nos debent domeſtica exempla? Non loquitur autem hic Propheta de extraneis gentibus: ſed dicit, *Iratus eſt Deus contra patres veſtros ira.* Quum igitur ſatis conſtaret ne electo quidem populo Deum pepercisse, niſi fuiſſent nimium præfracti, debebant ſollicite ſeſe continere ſub Legis obedientia. Ergo Propheta hic objurgat eorum tarditatem, quod tam male profecerint ſub Dei ferulis. Ita videmus nihil excuſationis poſſe afferri coram Deo, niſi aptamus in uſum noſtrum pœnas omnes, quibus nos revocat à peccatis. Nam citavimus generalem illam ſententiam ex Paulo, metuendum eſſe Dei judicium quod exercet contra incredulos. Sequitur ergo nimis ſtupidum eſſe noſtrum torporem, niſi penitus afficimur quum Deus propria experientia nos docet, vel ſaltem domeſtica exempla nobis proponit, quemadmodum ſi pœnam exigat de patribus noſtris, & aliis qui nobis conjuncti ſunt: quia hæc docendi ratio longe familiarior eſt. Quum autem dicit Propheta, *Revertimini ad me, & revertar ad vos*, intelligit, quemadmodum nuper docui, etiamſi Deus occurrat peccatoribus, & quaſi extenſis brachiis eos amplecti paratus ſit, tamen non poſſe gratiam ejus pervenire ad eos quibus offertur, niſi adducat ipſos viciſſim verus pœnitentiæ ſenſus ad Deum. Denique ſignificat Propheta, quamvis ab exilio reverſi ſint, tamen non eſſe ſperandum diuturnum ſtatum niſi converſi fuerint ex animo: quia ſi patres ſuos imitentur, Deus in promptu habet longe graviora flagella quibus eos caſtiget: deinde poſſint ſtatim rurſum ejici in exilium. Ergo in ſumma admonet, ſi velint frui incomparabili illo beneficio quo dignatus fuerat ipſos Deus, ut ſerio ad ipſum ſe convertant. Quamvis ergo ad ipſos jam ex parte reverſus eſſet Deus, hoc eſt, re ipſa teſtatus eſſet ſe placatum eſſe ac propitium: tamen multis etiam ſignis oſtendere cœperat ſe rurſus fuiſſe offenſum ipſis: quoniam vel æſtu exaruerant fruges, vel grandine fuerant percuſſæ, ut alibi vidimus, ita ut jam *Hagg. 2. verſ. 20.* multis annis & penuria & aliis incommodis laborarent. Deus ergo non ita illis benedicebat, ut poſſent omnibus numeris apprehendere paternum ejus favorem. Hæc ratio eſt cur dicat Propheta, *Ego revertar ad vos*, ubi reverſi ad me fueritis. Nunc tenemus Prophetæ conſilium, nempe etiamſi Deus populum ſuum liberaſſet, metuendum tamen eſſe ne ſtatim excandeſceret contra ingratos & impios. Deinde in media gratia debebant ſentire Deum adhuc ſibi eſſe offenſum. Ideo brevibus docet Propheta, non mirum eſſe ſi minus humaniter ipſos tractet Dominus, quia non dant locum ejus gratiæ, ſed provocant iram ejus quemadmodum patres: quia ſcilicet non reſipiſcunt ex animo. Quod autem Papiſtæ hunc locum pro defenſione liberi Arbitrii arripiunt, nimis puerile cavillum eſt. Nam illis converſio Dei idem valet ac converſio hominum, quaſi Deus promitteret gratiam Spiritus ſui adjutricem, ſi homines præveniant. Fingunt igitur liberum Arbitrium præire: deinde ſubſequi auxilium Spiritus ſancti. ſed illud nimis craſſum eſt atque abſurdum. Propheta enim Deum ad Judæos rediturum intelligit: quia omni ex parte oſtendet ſe illis eſſe patrem, ubi viciſſim oſtenderint ſe morigeros & obſequentes filios. Tenendum igitur eſt, Deum hic non promittere auxilium Spiritus, quod adjuvet liberum Arbitrium, & concurrat cum voluntate hominis, quemadmodum fingunt ſtulti iſti & inſulſi doctores: ſed promittit ſe rediturum ad Judæos, quia ipſos benedicet. Reditus ergo hic Dei nihil aliud eſt, quam proſper & optabilis ſucceſſus omnium rerum: quaſi diceret, Timete me ex animo, & ita non laborabitis inedia & eſurie. Ego enim vos ſaturabo, quia neque agri, neque vineæ ſpem veſtram poſthac fraudabunt. Experiemini igitur me ſatis liberalem eſſe, ubi agetis mecum non fallaciter. hæc ſumma eſt. Cæterum tenendum eſt ex communi Scripturæ uſu, quoties nos hortatur Deus ad pœnitentiam, non reſpicere qualis ſit noſtra facultas, ſed exigere merito quod ſuum eſt: ideo perperam faciunt Papiſtæ, dum æſtimant vires liberi Arbitrii à pœnitentiæ doctrina: Deus hoc non juberet, niſi eſſet in arbitrio noſtro. Stultum & pluſquam puerile illud principium eſt. Nam ſi in manu noſtra poſitum eſſet quicquid requirit Deus, ſupervacua eſſet Spiritus ſancti gratia: non jam eſſet pediſſequa, ut loquuntur, ſed prorſus excluderetur. Quod ſi indigent homines Spiritus auxilio, ſequitur non poſſe præſtare quod Deus ab ipſis exigit. Sed videtur hoc eſſe abſurdum, ut Deus plus injungat hominibus, quam ſint præſtando. Videtur quidem, ſi fiat judicium ex communi carnis ſenſu, fateor: ſed ſi tenemus principia illa, quod Lex iram operatur, quod auget peccatum, quod data eſt ut tranſgreſſio magis ac magis pateſiat, jam ceſſabunt commenta illa, Deum non præcipere niſi quod præſtare homines poſſunt. Sed ſufficiat hoc nobis, Deum ubi nos ad pœnitentiam hortatur, nihil requirere quod natura non dictet ipſi deberi à nobis. Quum ita ſit, jam utcunque non ſimus præſtando, non tamen licebit Deum arguere nimii rigoris, quia nos urgeat ſupra noſtram facultatem. Quod autem toties repetit Propheta nomen Dei, emphaticum eſt, ut ſcilicet doctrina acrius pungat animos populi. Si enim dixiſſet ſimpliciter ſibi hoc divinitus fuiſſe mandatum, ut populum commonefaceret de pœnis, quas patres ſuſtinuerant: deinde ut eos ad pœnitentiam vocaret: non ita penitus hæc doctrina penetraſſet in eorum animos, ſicuti quum toties proponitur Dei nomen. *Dices, Sic dicit Jehova exercituum, Revertimini ad me, dicit Jehova exercituum, & revertar ad vos, dicit Jehova exercituum.* Nam oportuit Judæos quum tertio occurreret Dei nomen ſaltem expergefieri, & reputare quocum ſibi eſſet negotium. Quid enim magis pudendum, vel quid indignius, ubi Deus prævenit homines, & cupit eos ſibi eſſe conjunctos, niſi reſpondeant, & ſeſe addicant in obſequium? Quanquam non dubium eſt quin linguam formaverit Propheta ad uſum loquendi tunc receptum. Scimus autem à Babylonico exilio protractum fuiſſe apud Judæos ſermonem: non fuit ille nitor & pura illa elegantia loquendi qualis ante fuerat. & facile hoc apparet ex ſtylo eorum, qui poſt exilium ſcripſerunt. Fateor etiam aliis temporibus non fuiſſe parem eloquentiam in Prophetis. Longe enim alius eſt Jeſaias quam Jeremias vel Amos: tamen ex omnium ſcriptis facile hoc elicitur, ſermonem fuiſſe quaſi lutulentum, poſtquam reverſus eſt ab exilio populus. Nunc pergamus.

4. Ne ſitis ſicut patres veſtri, quia clamarunt ad eos Prophetæ ſuperiores, dicendo, Sic dicit Jehova exercituum, Revertimini quæſo à viis veſtris malis, & ab operibus veſtris malis: & non audierunt, neque attenderunt ad me, dicit Jehova.

Hic ut corrigat vel inflectat populi contumaciam, exprobrat quod geniti ſint ex patribus improbis & perverſis. Scimus Judæos nimium ſibi placuiſſe: & præſertim ſcimus fuiſſe inflatos ſtulta confidentia,

quoniam genus ducebant à ſanctis Patribus. Hinc factuoi eſt ut ſuperbe gloriati fuerint de ſua origine: interea non reputaverint quanta fuiſſet pervicacia in multis eorum patribus. ſed aliud etiam ſpectavit Propheta. Scimus enim ubi conſuetudine aliquid receptum eſt, omnes fere obdureſcere & ſibi blandiri in vitiis: quia mali mores fere reputantur inſtar legis, & videtur licitum quod publico conſenſu receptum eſt. Quoniam ergo jam à multis annis non deſierant provocare iram Dei, oportuit hanc objurgationem accedere, *Ne ſitis ſicut patres veſtri.* Nam haud dubie putabant probari Deo ſuam vitam, quia non erant deteriores patribus. Deus autem oſtendit patres ipſorum jam nimis fuiſſe pravo & contumaci ingenio. Cæterum, diſcendum eſt ex hoc loco, adeo nullius momenti eſſe coram Deo exempla quæ objici ſolent inſtar clypei, ut culpam magis exaggerent. Et tamen videmus ut hæc ſtultitia multos dementet: quia hodie Papiſtis ſua religio videtur ſancta eſſe & irreprehenſibilis, quoniam per manus tradita fuit à patribus. Quoties igitur obtenduot patres Deo, putant ſibi eſſe legitimam defenſionem omnium errorum. Nihil autem frequentius occurrit apud Prophetas, quam exempla magis accendere iram Dei, ubi ita alii aliis peccandi ſunt auctores, & poſteri exiſtimant ſibi licere quicquid à patribus ad ipſos manavit. Sed tenendum interea conſilium Prophetæ. neque enim ſimpliciter docere voluit, fruſtra Judæos prætendere vetuſta exempla: ſed quemadmodum jam dixi, voluit etiam excutere illis blanditias quibus obdormiverant: & præſertim voluit revellere pravas corruptelas, quæ longo uſu jam invaluerant. Hæc igitur ratio eſt cur dicat, *Ne ſitis ſimiles patribus veſtris*: quemadmodum etiam aliis pluribus locis eandem ſententiam uſurpat Spiritus, præſertim Pſalmo nonageſimo quinto, & aliis ſimilibus. Dicit autem *Clamaſſe ad patres eorum Prophetas, qui miſſi fuerant à Deo: & tamen non fuiſſe attentos.* Quoniam ergo jam multis ſeculis graſſatus fuerat contemptus doctrinæ apud Judæos: & impietas illa non erat tam abominabilis ut decebat, quum putarent ſe eſſe quaſi in perpetua poſſeſſione: hæc ratio eſt cur diſerte exprobret Propheta ſpretum jam olim fuiſſe verbum Dei in illa gente. *Clamarunt* igitur *Prophetæ ſuperiores.* Deinde rurſus culpam & crimen eorum exaggerat, quod Deus ſæpe ipſos ad ſe revocaverit, & ſine profectu. Si tacuiſſent Prophetæ, ac Deus nullum remedium adhibuiſſet eorum defectioni, non erat quidem excuſabilis eorum ingratitudo: ſed quum ſubinde venirent Prophetæ, & alii aliis ſuccederent, & quiſque ſtuderet revocare ad ſalutem perditos illos homines, multo atrocius fuit crimen, non attendere ad ſanctas illas & pias admonitiones, quibus palam erat Deo curæ eſſe ipſorum ſalutem. Et hinc colligimus, ubi videmus propenſam eſſe aliquam gentem ad hoc vel illud vitium, ioſiſtendum eſſe majore ſtudio: quia Satan hoc artificio ſemper fere utitur, dum videt nos ad hoc vel illud vitium propenſos eſſe, ut illuc etiam intendat omnes ſuos conatus ad nos præcipitandos. Quoniam ergo jam longo tempore contempti fuerant Prophetæ apud Judæos, hæc ratio eſt cur data opera hic producat Zacharias in medium contumaciam illam, quæ oimis diu cognita fuerat. *Clamarunt ergo ſuperiores Prophetæ, dicendo, Sic dicit Jehova exercituum, Revertimini quæſo à viis veſtris malis, & ab operibus veſtris malis: non autem audierunt, neque attenderunt.* Hic poſtquam loquutus eſt de humana illa Dei invitatione, quæ ſingulare erat pignus amoris ejus, quum hoc modo oſtenderet ſe ſollicitum eſſe de ipſorum ſalute: ex oppoſito oſtendit quam indigne ſe geſſerint Judæi, quia ſcilicet pervicaciter repudiarunt illam Dei gratiam. Coovicti quidem erant ſatis & ſuper ſuorum ſcelerum. Nam quum dicit, *Revertimini quæſo à viis veſtris malis, & operibus veſtris malis*, ſumit pro confeſſo juſtas fuiſſe objurgationes; cæterum, docet tameo non audiviſſe. Ergo minus tolerabilis fuit eorum pervicacia, quod jam à ſeipſis damnati non tameo reſipuerint, neque dignati fuerint aurem præbere Deo. Et ideo ſubjicit verbum illud, *quod non attenderunt*: quia melius hac repetitione exprimitur non modo ſocordia, ſed veſanus quidam furor, quod ita rejecerant Deum, & quaſi januam clauſerant ejus gratiæ, quaſi data opera vellent procul ipſum abigere, ne ad ipſos accederet.

Da omnipotens Deus, quando non ſemel amplexus es nos in ſinum tuum paternum, ubi dignatus es nobis proponere ſalutem partam morte unigeniti Filii tui, ſed quotidie non deſinis ad te invitare, & in viam etiam revocare errantes, ne maneamus ſemper ſurdi & obdurati contra admonitiones tuas: ſed vere flexibiles tibi animos afferamus, & ſtudeamus ita nos tibi addicere, ut inde pateat non fruſtra à nobis receptam fuiſſe tuam gratiam: deinde ut maneamus in perpetua ejus fruitione, donec tandem in ſolidum perveniamus ad beatam illam gloriam, quæ ut nobis parta eſt, etiam quotidie nobis per Euangelii doctrinam proponitur, ut in ea confirmemur. Ergo ſic proficiamus magis ac magis toto vitæ noſtræ curſu, ut tandem exuti omnibus carnis noſtræ corruptelis, vere tibi conjungamur in ea perfectione puritatis, ad quam nos invitas, & quam etiam ſperamus per gratiam ejuſdem Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO SECUNDA IN ZACHARIAM PROPHETAM.

CAP. I.

5. Patres veſtri ubi ſunt? & Prophetæ an in perpetuum vivent?

6. Atqui verba mea & ſtatuta mea quæ mandavi ſervis meis Prophetis, annon apprehenderunt patres veſtros? & reverſi ſunt, & dixerunt, Sicuti cogitaverat Jehova exercituum facere nobis ſecundum vias noſtras & opera noſtra, ita fecit nobiſcum.

HEri propoſuit Zacharias Judæis patrum exemplum, ut deſinerent continuis ſceleribus in ſe accerſere novas pœnas. Multi interpretes putant nunc confirmari ſententiam illam, ubi dicitur initio quarti verſus, *Patres veſtri ubi ſunt?* Videtur enim illis hæc eſſe inſultatio Dei contra Judæos, Nunc reputate quid patribus veſtris contigerit: annon extincti ſunt omnes ac deleti? deinde exiſtimant Judæos excipere, & poſterius membrum accipiunt in eorum perſona, Prophetæ etiam ipſi nonne perierunt? Quid nobis patres adducis? quia nullum eſt inter ipſos & Prophetas diſcrimen. non eſt igitur hæc idonea probatio. Deinde tertio, volunt Deum refutare quod objectum fuerat à Judæis: atqui verba mea, & ſtatuta mea quæ mandaveram Prophetis, non caruerunt ſuo effectu. Hæc opinio multorum conſenſu recepta eſt, & antiquiſſimi quoque interpretes eam amplexi ſunt: deinde

pro-

proclive fuit poſteris ſubſcribere. Sed ad veriſimilitudinem magis accedit Hieronymi ſententie, quæ intelligit poſterius membrum de pſeudoprophetis, *Patres veſtri & Prophetæ ubi ſunt?* hoc eſt, Ite nunc, quaſi Deus ita coargueret Judæos, nonne & patres veſtri miſere perierunt? & Prophetæ à quibus ipſi fuerunt decepti? Ergo uno contextu Hieronymus putat hic excuti blanditias Judæis, ne vel ipſi ſe obdurent ad Dei judicia, vel adulatoribus aurem præbeant. Hæc interpretatio propius accedit ad Prophetæ mentem. quanquam mihi videtur aliud Propheta velle. Ego igitur uno contextu duos verſus ita conjungo, ſicuti reipſa cohærent, & quidem aptiſſime, *Patres veſtri, & Prophetæ mei ſimul extincti ſunt:* ſed poſt eorum mortem debet tamen vigere memoria ejus doctrinæ, quæ non modo promulgata fuit per ſervos meos, ſed habuit certum teſtimonium, ita ut jam merito vos terrere debeat: quia ſtultum eſt reſpicere an Prophetæ adhuc ſint ſuperſtites nec ne: funguntur ipſi ſuo officio uſque ad vitæ metam: ſed doctrina quam perferunt immortalis eſt. Utcunque ergo moriantur Prophetæ, non tamen ſecum auferunt doctrinæ memoriam, quæ nunquam interit, neque ullo ſeculo extinguitur. Deinde moriuntur quidem impii, ſed ipſorum interitus non debet obliterare Dei judicia, quin poſt mortem eorum celebrentur inter homines, & valeant ad doctrinam, ut poſteri agnoſcant non eſſe ita provocandum Deum temere. Videtur hic genuinus eſſe Prophetæ ſenſus. Quod ergo dicit initio, *Patres veſtri ubi ſunt? & Prophetæ an in perpetuum vivent?* per conceſſionem poſitum eſt: quaſi diceret, Fateor & patres veſtros, & Prophetas meos jam mortuos eſſe: ſed verba mea an mortua ſunt? Diſtinguit in ſumma Deus naturam verbi ſui ab hominum conditione: quaſi diceret hominum vitam caducam eſſe, & finiri paucis annis: ſed doctrinam ſuam nunquam intermori. Merito autem tam impios quam Prophetas in medium producit. Scimus enim quoties Deus pœnas exigit de contemptoribus verbi ſui, edere perpetua documenta, quæ ſeculis omnibus contineant homines in officio. ergo quamvis jam multa ſecula effluxerint, ex quo Deus Sodomam & Gomorrham evertit, documentum tamen illud adhuc hodie manet & retinet uſum ſuum: quia ſpeculum eſt ruina Sodomæ, in quo hodie perſpicere licet Deum eſſe æternum mundi judicem. Quum ergo intereunt impii, pœnæ quas Deus ſumpſit de illorum ſceleribus, non debent una ſepeliri cum ipſis, ſed manere in memoria hominum. Hæc ratio eſt cur dicat, *Patres quidem veſtri mortui ſunt*, verum eſt: ſed quum fuerint tam ſevere caſtigati, annon debetis hodie etiam proficere ſub talibus exemplis? Deinde, *Prophetæ etiam mei ſunt mortui:* ſed hac lege volui eſſe præcones doctrinæ meæ, ut ipſis etiam mortuis, poſteritas agnoſceret me ſemel fuiſſe loquutum: quemadmodum
2 Pet. 1. etiam Petrus ſecunda Epiſtola dicit ſe dare operam
verſ. 15. ut doctrinæ memoria vigeat, ubi ipſe migraverit è ſuo tabernaculo. Quamvis ergo tempus meæ reſolutionis inſtet, inquit: tamen quantum in me eſt, ſtudeo, ut memores ſitis poſt tranſitum meum hujus doctrinæ. Nunc ergo tenemus quorſum tendat Propheta. Ideo adjungit continuo poſt, *Atqui verba mea & ſtatuta mea quæ mandavi ſervis meis Prophetis, annon apprehenderunt patres veſtros?* Videmus fuiſſe modum conceſſionis in proximo verſu: nunc autem Deum aperte exprimere quod dixi, Quamvis evaneſcant homines, vel tollantur poſt exiguum tempus è medio, tamen cœleſtem doctrinam ſemper eſſe ſtabilem, & retinere ſuum effectum. Aliis tamen verbis utitur Propheta, *Verba mea quæ mandavi*, inquit, *ſervis meis Prophetis, annon apprehenderunt patres veſtros?* hoc eſt, Debuitne vobis excidere memoria pœnarum, quibus volui & vos, & filios, & nepotes docere, ne iram meam provocaretis ſicuti patres veſtri? Quum ergo effectum doctrinæ meæ ſenſeritis in veſtris patribus, cur non ſtatuitis apud vos, quum idem ſemper ſim, non poſſe fieri ut hodie verba mea fruſtra diffluant, & careant omni effectu? Nunc ergo videmus ut clare diſcernat Propheta verbum Dei à natura hominum: quia ſcilicet Deus non projicit vanas ampullas, neque efflat ſermonem aliquem ſine effectu, ſed exequitur quicquid mandavit ſuis Prophetis. Deinde addit, *Reverſi ſunt, & dixerunt, Sicuti cogitaverat Jehova exercituum facere nobis propter vias noſtras & opera noſtra, ita fecit.* Additur hic confeſſio, quæ debebat perpetuo ſtimulare Judæos, quum viderent domitam fuiſſe patrum ſuorum pervicaciam Dei flagellis. Verum quidem eſt plurimos quamvis duriter caſtigati eſſent, non ſerio reſipuiſſe: Deus tamen extorſit illis has voces, quod merito plecterentur. Quum ergo coacti fuerint impii homines dare gloriam Deo, & fateri ſe merito peragi reos, dum filii ſtatim obliviſcuntur, an ſocordia iſta excuſabilis eſt? Interea oblique poſteros admonet, ne patrum imitentur ſegnitiem, qui non niſi ſero multis flagellis percuſſi reſipuerunt: ſed potius ut mature præveniant judicium Dei. Videmus quorſum Propheta commemoret Judæos, qui tam ſevere tractati fuerant, ingenue confeſſos eſſe hæc ſibi contingere ex manu Dei. Expendere autem ſingula verba convenit. Dicit, *Patres ſuiſſe reverſos.* Etſi autem non fuit ſincera pœnitentia, tamen ſignificat Deus tales fuiſſe pœnas, quæ exprimerent hanc confeſſionem quæ refertur. Quid ergo ſibi volunt poſteri? aut quomodo tam audacter inſaniunt contra Deum, ubi vident patres ſuos cum ſua contumacia quaſi fractos fuiſſe, dum ita graviter eos Deus percuſſit? Poſtea adjungit, *Dixerunt, Sicuti cogitaverat Jehova facere.* Hic teſtantur non fortuito ſe premi rebus adverſis, ſed impleri Dei conſilium, quod prius contempſerant, & fere deriſerant. Tertio fatentur pœnas iſtas ſe merito perferre, dum loquuntur de ſuis operibus & tota ratione vitæ. Quum ergo hanc confeſſionem ediderint patres, qui tamen in ſceleribus ſuis diu obduruerant, poſteri omni prorſus excuſatione carent dum pergunt nihilominus in ſuam perniciem, & admoniti tam memorandis exemplis non reſipiſcunt. Hæc eſt ſumma. Nunc ſequitur,

7. Die viceſima quarta undecimi menſis, hic eſt menſis Sebath, anno ſecundo Darii, fuit ſermo Jehovæ ad Zachariam filium Berechiæ, filii Addo (*vel Iddo*) Prophetæ, (*vel Prophetam: ſed melius quadrat accuſativus*) dicendo,

8. Vidi nocte, & ecce vir equitans ſuper equum rufum, (*vel rubicundum*) & ipſe ſtabat inter myrtos quæ erant in profundo: poſt eum equi rufi, (*vel rubicundi: eſt idem nomen*) varii, (*vel medii coloris*) & albi.

9. Et dixi, Qui iſti, Domine mi? Et dixit mihi Angelus qui loquebatur mecum, Ego oſtendam tibi quinam iſti ſint.

10. Et reſpondit vir qui ſtabat inter myrtos, & dixit, Hi ſunt quos miſit Jehova ad perambulandum in terra.

11. Et reſponderunt Angelo Jehovæ qui ſtabat inter myrtos, & dixerunt, Perambulavimus in terra, & ecce tota terra quieſcit, & tranquilla eſt.

Hic refertur ſecunda prophetia, quæ tamen conjuncta eſt cum viſione. Initio tantum loquutus eſt Deus, & Prophetæ ſuo dedit mandatum objurgandi: nunc vaticinium de urbis inſtauratione confirmat, quia ad ſermonem accedit etiam viſio, quæ veluti ſigillum eſt, quemadmodum alibi vidimus. Quia autem obſcura eſt viſio, torquetur in multas partes. Sed ſtudebo eam ſine argutiis aptare in uſum noſtrum, ita ut nulla maneat ambiguitas, modo ſobrie & modeſte ſapere libeat, hoc eſt, modo ne plus appetamus, quam ædificatio poſtulat. Dicit Propheta *oblatam ſibi viſionem*, quia ſtabat inter myrtos eques unus ſedens in equo rufo: deinde ſtabant equi & rufi & varii & albi: haud dubie cum ſuis ſeſſoribus. ſic enim intelligo: & nimis craſſum eſt illud commentum fuiſſe loquutos equos. Erant igitur equites velut in turma: ſed Propheta dicit unum apparuiſſe veluti præcipuum ducem, cujus reliqui erant comites. Interea ſtabat Angelus ad latus Prophetæ, qui eum regeret, & qui oſtenderet ſibi curam eſſe urbis ſanctæ & populi electi. Poſtea adjungit, equites illos redire à ſua expeditione: quia miſſi fuerant ut luſtrarent totum orbem & ſingulas ejus partes. Dicit ergo reverſos eſſe ab itinere illo: deinde totam terram quieſcere, ubique homines frui pace & otio: tandem ſubjicit Angelum Dei exclamaſſe, *Jehova, quouſque non miſereberis Jeruſalem?* Angelus enim mœrore tactus, quum audiret profanos omnes quiete frui, expoſtulat cum Deo: quia hoc videri poterat valde indignum & abſurdum, ut ſoli fideles premerentur rebus adverſis, quum alii in pace degerent & fruerentur ſuis deliciis. Sequitur tandem reſponſum Dei, ut poſtea videbimus. Sed nunc quærendum eſt nobis Prophetæ conſilium. Ego hunc ſcopum mihi propono, Prophetæ oblatos fuiſſe equites, ut ſciret Deum non manere in cœlo incluſum, & negligere res humanas: ſed habere quaſi celeres equos, ut undique ſciat quidnam rerum agatur. Quemadmodum ergo Reges, equis diſpoſitis, mittunt curſores ſuos huc & illuc: deinde jubent cito ad ſe reverti, ut conſilium capiant: ita Deo hic attribuit Propheta perſonam ſummi Regis, qui diſquirat de omnibus rebus humanis. Certum quidem eſt non commonefieri Deum ab Angelis, quem nihil latet: imo ſub cujus oculis omnia fuerunt conſpicua, antequam crearet Angelos. Deus ergo non indiget talibus adminiculis, ut ſciat quid agatur ab ortu Solis uſque ad occaſum: ſed frequenter hæc loquendi ratio occurrit in Scripturis, & ubique trita eſt, quod ſcilicet Deus ſuſcipiat perſonam hominis, quo familiarius nos doceat. Hoc igitur primo tenendum eſt, curſores iſtos qui viſi fuerint Prophetæ, fuiſſe Angelos, qui præſto ſunt ſemper ad obſequium Dei. Huc autem & illuc mittuntur, non ut Deo quidpiam nuncient incognitum, ſed ut certo ſimus perſuaſi Deum curare res humanas: & quamvis Angeli nobis non appareant, tamen ſemper eſſe in curſu, & luſtrare mundum, ut nihil agatur niſi Deo ſciente & volente. hoc unum eſt. Quod autem dicit Propheta, *viſionem hanc noctu ſibi fuiſſe oblatam*, non dubito referre ad ipſum eventum: deinde ad modum docendi: quia etſi non carebat fructu hæc viſio, tamen Deus voluit illam eſſe perplexam, ut paulatim guſtum daret bonæ ſpei Judæis. Quoniam ergo noluit Deus plena luce proferre quod poſtea opportune docuit, noctu apparuit hæc viſio. Huc etiam pertinet quod dicit Angelos *fuiſſe in loco obſcuro*, vel profundo, & latuiſſe in myrtetis. nam allegorice excutere quicquid hic dicitur, frivolum eſt, meo judicio. Ego igitur hic ſubtilius non diſputo de natura myrtorum. ſed quia ſcimus nigredinem eſſe in illa arbore & reddere umbram opacam, non dubito quin ipſo conſpectu voluerit Deus involvere Prophetæ mentem, ut ſciret hanc prophetiam adhuc eſſe perplexam, neque impletum eſſe tempus ſolidæ & claræ revelationis. Erant igitur equites iſti inter myrtos? hoc eſt, ſub nigris & obſcuris arboribus: deinde in loco profundo, & in denſa umbra: & videmus quam apte hæc analogia fluat. Alii in coloribus mixtum ex triſtitia & gaudio populi ſtatum deſignari putant: quia etſi aliqua ex parte jam reddita erat populo ſerenitas, reſtabat tamen adhuc multa caligo, & multa fuit illorum temporum varietas: quod ut probabile eſt, ita non rejicio, modo teneamus quod dixi, notari quoque prophetiæ obſcuritatem per cavam vallem & myrtos. Quod autem unus præficitur reliquis, hoc novum non eſt, quia ubi Deus turmatim Angelos ſuos emittit, dat tamen quibuſdam principatum. hæc igitur ratio eſt cur unus hic ſtatuatur qui eminet ſupra alios omnes. Si recipimus hunc Angelum fuiſſe Chriſtum, communis Scripturæ uſus non repugnat. ſcimus enim Chriſtum, ut eſt Angelorum caput, ita ſemper eos regere, ut nihil agant quum obſequuntur Deo, niſi ſub ejus auſpiciis. Poteſt igitur fieri ut hic unus Angelus primatum geſſerit inter alios, ut Prophetæ in mentem veniret Redemptor, qui & Angelis & toti Eccleſiæ dominatur. Quantum attinet ad diverſos colores, non dubito quin Propheta agnoverit ita diſtribui officia inter Angelos, ut alii ſecum afferant Dei beneficia, alii autem veniant armati flagellis & gladiis. Quorſum enim iſta viſio, dum apparent alii ſeſſores in equis albis, alii in rufis, alii autem in ſpadicibus, (ut quidam: vel in colore medio, quod probabilius eſt) niſi quia voluit Deus oſtendere non in hunc tantum finem ſe mittere Angelos ut ſint ſpeculatores, ſed etiam ut veniant vel ad homines caſtigandos, vel ſint beneficentiæ ſuæ miniſtri? Cæterum voluit Deus, quemadmodum jam attigi, palam hoc facere, nihil geri in terra, niſi quod ab Angelis cognoſcitur, qui ſunt ejus emiſſarii & curſores. Dicunt *totam terram tunc fuiſſe quietam*: hoc eſt, regiones Judææ vicinas, aut plagam Orientalem. Unde potuit major fiducia concipi à Judæis: quia ſubjicitur etiam precatio Angeli conjuncta querimoniæ, *Deus exercituum, quid hoc ſibi vult*, quod alios omnes vis frui otio & pace, & interea hoſtes aſſidue populo tuo infeſti ſunt ac moleſti? An hoc conſentaneum eſt, ut Eccleſia tua miſere ſemper affligatur; profani autem homines quibus nulla cura pietatis, tam liberaliter abs te foveantur? Nonne præſtaret extingui memoriam Nominis tui, & cultum omnem intercidere, quam tam injuſtam mercedem referri ſervis tuis? Nunc videmus quo tendat viſio, nempe ut certo ſtatuant Judæi affiictiones quas ſuſtinent non fore perpetuas. Quare? Deus enim non dormit in cœlo, ſed habet ſuos curſores: deinde quum velit tranquillas eſſe omnes gentes, certe reſpiciet tandem populum ſuum, ut à moleſtiis eripiat. Quamvis ergo obſcura ſit viſio, tamen finis ejus non eſt ambiguus. Deinde ſi contenti ſimus mediocritate, nihil hic erit adeo perplexum, quin ſaltem facile ſit ſummam totius vaticinii colligere. ſed multum nocuit curioſitas interpretum, qui dum excutiunt ſingulas ſyllabas, pueriliter ludunt in multis. Ergo nihil melius eſt quam attendere ad conſilium Prophetæ: deinde reſpicere circumſtantias temporis: tertio analogiam ſequi inter ſigna & res ſignatas. Dixi autem ideo hic proponi in medium Angelos, quia difficile nobis eſſet conſcendere ad ſummam Dei gloriam. Scimus Deum non cogi neceſſitate, ut Angelis utatur miniſtris, & per eos exequatur ſua judicia, pœnas infligat hominibus, beneficentiam quoque ſuam exerceat. Deus enim ſibi ad hæc omnia unus ſufficit. Quare ergo adhibet ſibi Angelos, & eorum opera utitur, ſi ſupervacua eſt? Reſponſio facilis eſt, quia ut propenſi ſumus ad diffidentiam, trepidamus ſemper in periculis, niſi ſciamus Deum inſtructum eſſe multis copiis ad nos juvandos quoties opus erit. Quum dicitur Pſalmo 34., Angeli caſtra locant in circuitu timentium

tium

tium Deum: nonne hoc efficacius eſt, quam ſi ſimpliciter dictum eſſet Deum nobis eſſe pro arce? dicitur hoc quidem pluribus locis, Deus arx mea inexpugnabilis: ſed quia non deſinunt multi vacillare adhuc, ubi audiunt ſibi ſatis eſſe præſidii in Deo: hic Deus indulgens ruditati eorum, adjungit, Etiam venio cum ingenti exercitu: non ſolus ſum vobis auxiliator, ſed præſto ſont ad nutum meum multæ copiæ. Quum ergo ita mihi viſum fuerit, ſtatim concurrent turmatim Angeli, imo multæ myriades. Quum ergo Deus ita loquitur, hæc ratio docendi aptior eſt ad captum hominum. Ita nunc quum Zacharias videt multos curſores, qui divinitus juſſi ſunt perambulare terram & luſtrare, hinc certius colligere potuit, nihil temere aut fortuito geri in terra, ſed omnia venire in Dei conſpectum, & rationem omnium exponi ab Angelis. quemadmodum etiam primo capite Job talis ratio deſcribitur, quod ſcil, veniant ad tribunal Dei omnes filii ejus, id eſt, Angeli: imo etiam inter ipſos Satan: quia etſi non ſponte obſequitur Deo, tamen quum luſtrat orbem, ſimul judicia Dei exercet quamvis invitus. Nunc ergo tenemus cauſam cur Deus non apparuerit ipſe, ac Prophetæ teſtatus fuerit ſibi notum eſſe quicquid geritur ubique gentium: ſed oſtendit curſores ſuos tam celeriter totam terram obequitare, ut redeant poſtea ad cœleſte tribunal, & oſtendant ſe diligenter perfunctos fuiſſe officio ſuo. Dicit autem Propheta, *Undecimo menſe, qui vocatus fuit Sebath, & vigeſima quarta menſis ſe hoc vidiſſe*, nempe tertio menſe poſt primum vaticinium. Objurgaverat ſevere Judæos menſe octavo: nunc conſolatio adjungitur, ne animos deſpondeant, ſed intelligant ſe adhuc curæ eſſe Deo. Et fieri poteſt, ut objurgatio de qua dictum fuit, fuerit efficax: imo probabilis eſt iſta conjectura, quod ſcilicet Propheta non perdiderit operam quum hortatus eſſet Judæos ad veram & ſinceram pœnitentiam. Quum ergo dediſſent aliquod ſignum pietatis, videmus ut Deus poſtea blandius cum ipſis agat, & proponat ſpem futuræ liberationis. Jam quod ad nocturnum tempus ſpectat, operæpretium eſt notare, etiamſi Deus non ſemper clare & dilucide proponat ſua vaticinia, tamen non ideo profectu carere, modo attenti ſimus: deinde, modo etiam in tenebris ſinamus nos regi à Spiritu intelligentiæ. Utcunque ergo diverſis modis doceat fideles ſuos Deus, tamen ſemper utiliter eos docet, modo ne obmurmurent ſi quid eſt ad tempus obſcurum: ſed expectent diem plenæ revelationis. Et
Phil. 3. verſ. 15. huc ſpectat Pauli admonitio, Si aliter ſentitis, hoc quoque Deus vobis manifeſtabit. Sciamus ergo non ſemper æqualem eſſe docendi modum, ſed tamen ſemper fructuoſam eſſe doctrinam, modo ſeſe contineant fideles qua decet modeſtia & ſobrietate, & ſinant ſe pedetentim à Deo regi. Hoc extenditur ad totum verſum ubi dicit ſtetiſſe equos & equites ſub myrtis, & quidem in loco profundo. Deinde quantum attinet ad varios colores equorum, non debet mirum videri, ſi Deus ita varie officia partitur inter Angelos, quia non ſemper ſumit pœnas de nobis per miniſterium Satanæ. Habet igitur Angelos cœleſtes exequotores vindictæ ſuæ ubi ita viſum eſt, & interdum diabolos ad hunc uſum accommodat. Quicquid ſit, eſt tamen hoc poſitum in ejus arbitrio, vel Angelos deligere beneficentiæ ſuæ miniſtros, vel mandare illis ſuam vindictam, ut ſub rufo colore, vel alio appareant. In ſumma etiam hoc tenendum eſt, Angelos ita ſtare ad tribunal Dei, ut per terram aſſidue curſitent: non more hominum. eſſet enim illud craſſum & puerile, imaginari Angelos in equis ſedentes: ſunt enim Spiritus qui certo loco non continentur. ſed quia non poſſumus ſenſu noſtro apprehendere cœleſtia Dei myſteria, neceſſe eſt tales picturas nobis ante oculos poni. Quicquid ſit, hoc tamen fixum manere debet, Angelos ſemper eſſe in officio, quia terram luſtrant, ne quid temere fiat vel geratur: deinde quia etiam mittuntur cum poteſtate & imperio, ut ſint quaſi Dei manus: & nunc quidem exerceant ejus judicia, pœnas infligant, ut dictum eſt; nunc autem veniant cum Dei beneficiis. Hæc igitur ſumma eſt quantum ad equites ſpectat. Non poſſem ulterius proſequi. Reliqua differam.

Da omnipotens Deus, quando hic verſamur quaſi in denſa caligine: deinde tantis etiam ignorantiæ tenebris ſumus circumdati, ut ſæpe dubitemus de providentia tua, exiſtimemus etiam nos abs te derelictos eſſe quoties nobis non ſtatim ſuccurris: da, inquam, ut erectis ſurſum mentibus ſpeculemur quæ ſemel patefeciſti ſervo tuo Zachariæ, nec dubitemus quin & nobis proſpicias, & Angelis etiam tuis mandes, ut curam noſtri gerant, & tollant nos manibus ſuis, & dirigant per omnes vias noſtras, imo per omnes obliquos circuitus, ut ita diſcamus nos totos tibi committere regendos: & ſic patiamur nos huc & illuc trahi & verſari in mundo, ut tamen ſequamur viam quam nobis demonſtraſti, & tendamus recta ad ſcopum, quem nobis præfigere dignatus es, donec colligamur tandem in æternam illam quietem, quæ nobis parta eſt ſanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO TERTIA
IN
ZACHARIAM PROPHETAM.

CAP. I.

12. Et reſpondit Angelus Jehovæ, & dixit: Jehova exercituum, quouſque tu non miſereberis Jeruſalem, & urbium Jehudah, quas ſpreviſti (*vel deteſtatus es. Alii vertunt, quibus iratus fuiſti.* זעם *utrumque ſignificat: ſed videtur melius quadrare prior ille ſenſus. quas ergo ſpreviſti*) hic ſeptuaginta annis?

JAm Propheta oſtendit, Angelum, quo uſus fuit duce & magiſtro, fuiſſe etiam deprecatorem coram Deo pro Eccleſiæ ſalute: unde probabile judicium fieri poteſt, hunc Angelum fuiſſe Chriſtum mediatorem. Nam qui Spiritum ſanctum eſſe docent, quia in cordibus noſtris format preces, illi videntur nimis procul diſcedere à Prophetæ ſenſu. atqui novum non eſt Chriſtum gerere Eccleſiæ ſuæ curam. Cæterum, ſi cui hoc non placeat, ſimpliciter ſumamus de quolibet Angelo. Certum eſt, omnibus ipſis injunctum eſſe hoc munus, ut curent ſalutem fidelium, quemadmodum dicit Apoſtolus ad Hebræos primo capite: imo tota Scriptura referta eſt teſtimoniis, quæ oſtendunt Angelos eſſe cuſtodes piorum, & excubias agere pro ipſis: quia Dominus, quum præſto ſint ad ejus obſequium, ita eos exercet, atque in eo etiam perſpicimus ſingularem Dei amorem erga nos, quia in hunc præcipue finem utitur ſuis Angelis, ut declaret ſalutem noſtram ſibi pretioſam eſſe. Ergo in eo nihil erit incommodi ſi dicamus quemlibet ex Angelis precatum fuiſſe pro Eccleſia. Sed perperam & nimis ſtulte etiam Papiſtæ inde

colli-

colligunt, Sanctos mortuos coram Deo eſſe patronos vel deprecatores pro nobis. neque enim legimus mandatas fuiſſe has partes mortuis, ut pro nobis intercedant: imo officia charitatis ſcimus reſtringi ad curſum præſentis vitæ. Ubi ergo migrant fideles ex hoc mundo, peracto curſu tranſeunt ad beatam vitam. Quum igitur diverſa ſit ratio, ſtulte tranſiliunt Papiſtæ ab Angelis ad mortuos: quia ſicuti dictum eſt, Angelis commiſſa fuit cura fidelium, & vigilant ſemper pro toto corpore, & pro ſingulis membris. Ergo non mirum, ſi etiam preces concipiant pro fidelibus. ſed inde etiam non ſequitur, Angelos eſſe à nobis invocandos. Quorſum teſtatur Scriptura, Angelos coram Deo ſuppliciter pro nobis deprecari? An ut quiſque noſtrûm ad ipſos confugiat? minime: ſed ut perſuaſi de paterno Dei amore, plus concipiamus fiduciæ & ſpei: imo animoſe certemus jam de victoria certiores facti, ubi cœleſtes exercitus pro nobis depugnant: quemadmodum ap-
2 Reg. 6. paret ex multis exemplis. nam ſi Eliſei miniſter non
verſ. 17. vidiſſet currus in aëre volitantes, jam fere exanimis conciderat: ſed deſperatio ſtatim corrigitur, ubi videt tot Angelos præſto eſſe ad auxilium. Ita quoties Deus pronunciat Angelos eſſe miniſtros ſalutis noſtræ, vult nos animare ad fidem: interea autem non ablegat nos ad Angelos: ſed hoc unum ſufficit, ubi Deus nobis propitius eſt, Angelos omnes ſimul curam gerere noſtræ ſalutis. Interea etiam notandum
Joan. 1. eſt quod dicitur à Chriſto, Poſthac videbitis Ange-
verſ. 52. los aſcendentes & deſcendentes: nempe quia ubi conjuncti ſumus capiti, inde etiam procedit ſacra conjunctio inter nos & Angelos. Scimus enim Chriſtum omnibus pariter dominari. ergo ubi inſiti ſumus in Chriſti corpus, certum eſt Angelos nobis eſſe conjunctos, ſed per Chriſtum. Ergo tota hæc gratia pendet ab unico Mediatore: tantum abeſt, ut Scriptura Angelos nobis ſtatuat patronos hac lege ut ipſos invocemus. Hæc igitur ſumma eſt, quum dicit Zacharias Angelum precatum eſſe, *Domine exercituum, quouſque non miſereberis Jeruſalem & urbium Jehudah?* Videtur hoc loco Angelus oblique perſtringere Deum, quia nimium cunctetur ad ferendam opem Eccleſiæ ſuæ. ſed ſcimus frequenter hanc loquendi formam occurrere in precibus ſanctorum, ut Deum cunctationis quodammodo inſimulent, nempe pro carnis ſuæ ſenſu: ſed hoc non pugnat cum fidei obedientia, ubi tandem ſeſe ſubjiciunt Dei conſilio fideles. Ergo utcunque familiariter expoſtulent ſæpe cum Deo, ubi nimis videtur cunctari, & ſuſpendere ſuum auxilium; tamen frenum ſibi injiciunt, & ſtatuunt tandem optimum eſſe quicquid Deus decrevit: ſed profundunt hoc modo curas ſuas & dolores in ſinum Dei, ut ſeipſos exonerent. Hanc formam nunc tenet Angelus, quum dicit, Quouſque non miſereberis? Interea hæc querimonia non eſt præpoſteri fervoris, quemadmodum impii dum precantur ſimul Deum accuſant, fremunt contra ipſum, vel obſtrepunt ejus judiciis. Angelus ergo non fuit commotus turbulento hoc affectu: neque etiam ſancti quoties hac precandi forma uſi ſunt: ſed, quod Deus omnibus nobis permittit, exonerarunt ſuas curas & dolores. quanquam notanda eſt ſpecialis ratio in particula hac עד־מתי, Quouſque? Angelus enim paulo poſt ſeipſum exponit, quum diſerte exprimit tempus ſeptuaginta annorum. ergo non temere, neque pro intemperie affectus turbulenti hic Angelus dicit, Quouſque: ſed reſpicit vaticinium illud memorabile, & quod tunc volitabat in ore omnium piorum. Deus enim præſcripſerat ſeptuaginta annos exilio populi ſui. Quum populus ſciret tempus illud præfixum eſſe à Deo, non hic pro ſuo arbitrio Deum compellat, ſed tantum proponit in medium ipſam promiſſionem. atqui receptum hoc eſt communi uſu, ut ſancti objiciant Deo quod ipſis promiſit. Quid enim melius ſpem noſtram fulcire poteſt, quid etiam plus poteſt dare animi ad precandum, quam ubi agimus cum Deo ſecundum ejus promiſſiones? Deus enim vult vota noſtra fundata eſſe primum in bonitate ſua gratuita, deinde in conſtantia fidei & veritatis ſuæ. Quum ergo ſic Deum alloquuntur, Domine, tu verax es: atqui tu hoc nobis es pollicitus: freti verbo tuo nunc audemus hoc petere, quod alioqui non licebat: certe non excedunt modum quaſi legem præſcriberent, ſed avide recipere appetunt quod ultro oblatum fuit. Videmus ergo Angelum hic non conqueri de mora, niſi quia fundatus eſt in vaticinio illo tam celebri, quo Deus præfixerat tempus ſeptuaginta annorum populo ſuo. Qui autem hunc locum arripiunt, ut oſtendant populum reverſum fuiſſe ante tempus, nimis frivola argutia nituntur. neque enim Angelus dicit, eo ipſo die, quo ſuſcepit hanc precationem, finitum fuiſſe tempus exilii: ſed quia jam elapſum erat, imo præterierant complures anni, ex quo cœperat reverti populus: & tamen nondum conſpicua erat illa gratia, quam ſperaverant fideles: ideo Angelus conqueritur ſeptuaginta annos elapſos eſſe, & tamen reſtitutionem qualis fuerat promiſſa, nondum conſpici. Quod autem populus nunquam reverſus fuerit niſi finito exilii tempore, oſtendimus multis & firmis rationibus. Et perverſe faciunt qui obſcurant gratiam Dei in populi reditu: quia non fuerit illa redemptio de qua toties concionati fuerant Prophetæ. Eripiunt igitur Deo ſummum hunc honorem. deinde Scriptura multis locis teſtatur Darium & Cyrum fuiſſe inſtinctu Dei, & arcana Spiritus directione huc impulſos. Sequitur ergo opus fuiſſe Dei redemptionem illam. Deus autem novit moderari ſingulos temporum articulos, ut ſatis notum eſt piis omnibus. Imo hinc colligimus, quam ſtulti & inſipidi ſint interpretes, qui abuſi ſint hoc dicto Angeli: quia querimonia injuſta eſſet, niſi tempus fuiſſet prius elapſum. Quia ergo diſtulerat gratiam ſuam Deus, ſaltem non manifeſtaverat ut optandum fuiſſet, ideo Angelus in medium proponit ſeptuaginta annos. Dixi melius quadrare, urbes Jehudah fuiſſe contemptas à Deo. Siquis tamen ſequi malit diverſam interpretationem, non contendo: ſed quiſquis propius expendet Prophetæ mentem, facile ſubſcribet opinor, contemptas fuiſſe vel rejectas à Deo urbes Jehudah; quia nullum ſignum miſericordiæ daret. Nunc ſequitur,

13. Et reſpondit Jehova Angelo mecum loquenti verba bona, (*vel dulcia*) verba conſolatoria.

Hic Propheta oſtendit, Deum, etiamſi non primo ſtatim die manum porrigeret miſeris Judæis, eſſe tamen illis propitium. ſed notemus tantum loqui Deum, & nondum virtutem ſuam proferre. Hic ſpectandum eſt Prophetæ conſilium. Primo enim admonet fideles, non eſſe cur deſperent, vel etiam dejiciant animos mœrore: quia Angeli cœleſtes coram Deo deprecatores ſint & patroni pro ſalute ipſorum. hoc unum eſt. Sed major & uberior confirmatio adjungitur, quod Deus teſtetur ſe propenſum eſſe ad Judæos liberandos, utcunque non hoc declaret primo ſtatim momento. Hic autem notandum eſt, debere nobis ad ſpem & patientiam ſufficere, ubi Deus teſtatur & affirmat ſe favere nobis, & charam ſibi eſſe ſalutem noſtram, utcunque miſera ſit in ſpeciem noſtra conditio. Poterat enim Deus ſtatim reipſa oſtendere Judæis veniſſe tempus quo vellet ipſos reſtituere in plenam felicitatem: hoc non facit, ſed tantum loquitur. Hoc autem eſt dare verba. ſed hoc modo probare voluit ſerio examine populi

ſui

ſui patientiam & obſequium, ubi promiſit ſe non oblitum eſſe fœderis ſui, unde pendebant omnes promiſſinnes prius factæ. Videtur autem Propheta alludere ad illud Jeſaiæ vaticinium cap. 40. Conſolamini, conſolamini populum meum, dicet Deus veſter. Obmutuerant enim jam Prophetæ ad longum tempus, quia etiam conſentaneum erat Judæos manere in continuo luctu, qui tam multis annis obduruerant contra omnes minas: imo ludibrio habuerant omnia judicia Dei: quemadmodum dici-
Jeſa. 22. tur apud Jeſaiam, Epulemur & bibamus, cras mo-
verſ. 11. riemur. Quum ergo tanta fuiſſet populi contumacia, oportuit ſine conſolatione diu lugere: ſed Jeſaias dicit venturum tempus, quo Deus præcipiet ſervis ſuis, ut iterum conſolentur, ſicut olim, populum ſuum. Jam dicit Zacharias *Deum loquutum eſſe verba conſolatoria*. Ergo rurſum hinc colligimus, exaudita fuiſſe vota piorum & precationem Angeli, quia jam matura erat redemptio: quemadmodum etiam Pſalmo 102. dicitur, Tempus eſt Deus, ut miſerearis Sion, quia venit tempus ejus, hoc eſt, quia jam impleti ſunt ſeptuaginta anni, quos tibi placuit præfigere exilio noſtro. Nunc ſequitur,

14. Et dixit mihi Angelus qui loquebatur mecum, Clama, dicendo, Sic dicit Jehova exercituum, Zelatus ſum Jeruſalem & Sion zelo magno.

Nunc refert Zacharias quænam fuerit ſumma illius conſolationis, cujus nuper meminit. neque enim ſatis fuiſſet in genere & ſine explicatione hoc attingere paucis verbis, Deum humaniter reſpondiſſe Angelo. Scimus enim quam duræ fuerint tentatinnes illæ, quibuſcum tunc luctati ſunt fideles. Oportuit igitur non levibus armis inſtrui ad tam arduum certamen nbeundum. Hæc ratio eſt cur clarius exprimat Zacharias noſter quibus verbis Deus fidem populi ſui tunc erexerit. Dicit autem Angelum ſic loquutum eſſe: quibus verbis ſignificat conſolationem non fuiſſe privatim datam Angelo vel ſeorſum, ut eam teneret occultam in ſinu: ſed in uſum totius populi. Non fuit igitur hæc arcana conſolatin, ſed quam Dominus voluit promulgari per ſuos Prophetas, quemadmodum nuper oſteodimus ex loco illo Jeſaiæ, Cnnſolamini, conſolamini populum meum, dicet Deus veſter. Quod autem Deus hic dicit *ſe zalo magno affectum eſſi erga Jeruſalem & Sion*, ex recepto Scripturæ uſu poſitum eſt. Deus enim quia non poteſt ſatis exprimere inæſtimabilem gratiam qua electos ſuos dignatur, libenter uſurpat hanc ſimilitudinem, quod ſuſcipiat ſalutem ſuorum tuendam, quemadmodum maritus pugnat ſummo ardore pro uxnre ſua. Hæc igitur eſt ratio cur dicat ſe zelare pro Jeruſalem. & hæc loquendi ratio diligenter notanda eſt, ne putemus Deum frigere, dum cunctatur & differt ſuum auxilium: quia ut ſumus præcipites in votis noſtris, ita vellemus Deum ruere ſimili impetu: & imputamus hoc frigori, niſi feſtinet pro votis noſtris. Has dubitationes Deus compeſcit quum teſtatur ſe zelo affici. ſignificat enim tarditatem ſuam non procedere ex ſegnitie, vel quia nos contemnat, aut pro nihiln ducat: ſed aliam eſſe rationem cur nos teneat ſuſpenſos. Certn igitur perſuaſi ſimus, etiam ubi Deus auxilium ſuum ſubducit, non aliter affectum eſſe erga nos, quam optimus quiſque pater erga filios ſuos eſſe ſolet: cæterum, non conſpici hujus amoris ſigna, quia non ſemper etiam nobis expedit tam cito nos liberari à moleſtiis. Sit igitur hic clypeus noſter contra omnes impetuoſos affectus, ne ſcilicet indulgeamus nimio noſtro fervori, aut putemus negligi ſalutem noſtram à Deo, ſiquandn ad tempus diſſimulat, neque ſtatim profert manum ſuam ad nos juvandos. Sequitur,

15. Et irâ magna ego iraſcor contra Gentes has quietas: quia ego iratus fui parum, & adjuverunt in malum.

Hic Deus occurrit dubitationi quæ facile obrepere poterat omnium piorum animis, Cur ergo permitteret libidini gentium ita miſeros Judæos: interim vero ſineret profanas gentes quieſcere, & frui ſuis deliciis. Hoc enim primo intuitu valde abſurdum erat: ſi talis erat zelus Dei erga Jeruſalem, cur ſaltem non dabat ſignum aliquod ſui favoris? Reſpondet igitur, etiamſi conditio Gentium nunc melior ſit, tamen non eſſe cur Judæi ſibi diſpliceant in moleſtiis ſuis: quia expectandus ſit finis qui impendet. Intérea rurſus notandum eſt, Deum hic tantum loqui, & nondum prodire armatum ad exequendam vindictam. Et hæc vera eſt ac legitima fidei probatio, ubi Deus nos ab ore ſuo pendere jubet. & loquendi ratio notatu digna eſt, *quod Deus iratus ſit quietis Gentibus*. Nnn ſupervacua eſt repetitio quum dicit Gentes eſſe quietas. alii vertunt, opulentas: ſed nnn tam proprie: & diximus antea conqueſtum fuiſſe Angelum, quod toto orbe pacato Deus ſolam Eccleſiam affligeret duriter. Hic ergo anticipat Deus tentationem, quæ turbare, imn labefactare alioqui poterat pias mentes, quum dicit, Verum quidem eſt, Gentes eſſe quietas in circuitu, & nihil eſſe illis moleſtiæ, nullum eſſe hoſtem, nullis incommodis eſſe obnoxias: hoc quidem verum eſt; ſed quia ego iraſcor, me adverſo & infenſo, maledicta eſt ipſorum felicitas. Deus ergo hic attollit piorum ſenſus, ut agnoſcant felicitatem eſſe in ſola ejus gratia: quoties autem iratus eſt vel infenſus, utcunque exiſtiment homines ſe beatos eſſe, ac ſibi placeant in ſorte ſua & glorientur, tamen eſſe miſerrimos. nam omnis felicitas exitialis eſt, ubi non manat ex fonte gratuiti amoris Dei: denique ubi Deus non eſt pater, quo magis affluimus omni genere bonorum, eo profundius demerſi ſumus in omnes miſerias. Hic ergo ſenſus eſt, quum dicit Deum iratum eſſe Gentibus quietis. Quis ergo uſus eſt hujus doctrinæ? oportuit tunc Judæos, etiamſi conditio ipſorum valde pro ſenſu communi aſpera eſſet, tamen acquieſcere in amore Dei, quia ſcirent ipſum eſſe ſibi patrem: deinde quamvis hoſtes ſuos cernerent beatos, non tamen aliter ſentire, quam totam eorum felicitatem eſſe maledictam. Sic etiam præcipit Pſalmus 37. ne fideles invideant incredulis, dum vident eos florere opibus, & in ſuis deliciis volutari: quia ſcilicet reſpicere ad exitum oportet. Ergo diſcamus attollere ſenſus noſtros ad arcanum Dei amorem, ubi aſperius nos tractat: & contenti ſimus ejus verbo, quia illic indubium habemus teſtimonium gratiæ ipſius: deinde ne æmulemur hoſtes noſtros & nmnes reprobos, utcunque totus mundus illis applaudat, & ipſi etiam luxurientur in ſuis bonis, quia ſcimus Deum illis eſſe adverſum. Sequitur etiam ratin, *quod Deus iratus fuerit parum, & illi adjuverint in malum*, hoc eſt, modum exceſſerint. Summa eſt, repoſitam eſſe mercedem crudelitatis omnibus hoſtibus Eccleſiæ, quia ſine modo exercuerint ſævitiem, quum tamen Deus leniter ac paterno more caſtigare vellet filios ſuos. Sed primo hic quæritur, quomodn Deus pronunciet ſe parum iratum fuiſſe populn ſun, quum tamen inexorabile fuerit ejus judicium, ſicuti pronunciat per ſervos ſuos: Quiſquis evaſerit à fame, cadet in gladium: quiſquis effugerit à gladio, occurret vel incidet in beſtias ſylveſtres. Et multis locis

idem

idem inculcat, nempe oullam ſore ſpem veniæ populo, donec totus intereat, hoc eſt, corpus ipſum:
Ezech. 14. *verſ.* 14. etiamſi Noë, Daniel & Job, inquit, eſſent in hac urbe, liberabunt quidem animas ſuas, ſed non exaudiam preces eorum pro hoc deſperato populo. ſed particula מעט referri debet ad electos. Etſi enim Deus horribili illa vindicta conſumpſerit totum fere populum, reliquiæ tamen ſervatæ ſunt, ut ſcimus. Hæc ratio eſt cur dicat Deus ſe mediocriter iratum fuiſſe populo ſuo. neque enim loquitur de reprobis & de illa impura fæce, qua voluit purgare domum ſuam: ſed reſpicit ad fœdus ſuum. Nunc tenemus quo conſilio dicat Zacharias Deum modice iratum fuiſſe populo ſuo: ſed occurrit etiam alia dubitatio, quo ſenſu dicat Gentes adjuviſſe in malum. nam hinc ſequetur non frenatas fuiſſe profanas Gentes, quominus ſævierint abſque modo, & pro ſua libidine. Et hunc etiam locum arripuit oebulo ille qui ſcripſit nuper contra Dei providentiam, quaſi impii laſciviant & non cohibeantur manu & potentia Dei. Sed hoc nimis ioſulſum eſt, quia non reſpicit hic Propheta quid potuerint Gentes, vel quid effecerint: ſed loquitur potius de truculentia eorum, quod ſcilicet putaverint nullum debere finem fieri, donec abolita eſſet populi illius memoria. Et hæc ratio eſt cur dicat apud Jeſaiam, Tu non ſpectaſti finem illius. Exprobrat ergo incredulis, quod non reputarent ſecum finem Eccleſiæ: quia increduli furioſe conati ſunt perdere Eccleſiam, quaſi irrita eſſet illa promiſſio, Miſericordiam meam non auferam. Quoniam ergo finem non ſpectaruot increduli, quod Dominus vellet ſemper habere aliquas reliquias in electo populo incolumes, hæc ratio eſt cur dicat Propheta *ipſos adjuviſſe in malum*. Nunc ergo tenemus Prophetæ mentem: & videmus nihil aliud agi, niſi ut ſe bona fiducia ſuſtentent fideles, donec reipſa appareat quod ounc audiunt proferri ex ore Dei. Pergamus.

16. Propterea ſic dicit Jehova, Reverſus ſum ad Jeruſalem in miſerationibus: domus mea ædificabitur in ea, dicit Jehova exercituum: & linea extendetur ſuper Jeruſalem.

Confirmatio eſt proximi vaticinii, quod ſcilicet Deus jam finem impooere velit caſtigationi ſuæ:
Jeſa. 40. *verſ.* 2. ſicuti dicitur apud Jeſaiam, Recepit de manu Jehovæ duplicia pro omnibus peccatis ſuis. His enim verbis admonet Deus ſe contentum eſſe pœnis, quas inflixerat populo ſuo: quemadmodum pater exiſtimat ſe plus ſatis fuiſſe ſeverum ac rigidum, ubi filium ſuum percuſſit. Ita nunc, *Sic dicit Jehova, Reverſus ſum ad Jeruſalem in miſerationibus*. neceſſe enim fuit ſpem dari veniæ, & reconciliationis populo, ut bene ſperaret. Hypocritæ facile attolluot criſtas, ſimulac verbum aliquod blandum ipſis objicitur: ſed fideles qui ſibi male conſcii ſunt, & quibus ſua peccata ante oculos verſantur, non tam facile erigunt animos, donec perſuaſi ſint ſepulta eſſe ipſorum peccata, & ipſos eſſe exemptos à reatu. Ergo Propheta dicit *Deum converſum eſſe ad Jeruſalem*, ut Judæi ſciant temporales illas fuiſſe pœnas, quibus Deus eos afflixerat. Interea autem hortatur eos ad humilitatem: neque enim tunc potuit populus ex hoc vaticinio quidquam concipere bonæ ſpei, niſi expenderent ſe merito dediſſe pœnas, quia iram Dei provocaverant. Admonet igitur Propheta quicquid hactenus perpeſſi ſunt fideles, hoc debere imputari eorum vitiis: ſed tamen Deum paterno more erga ipſos velle agere, quemadmodum, ut ante citavi, promiſit miſericordiam ſuam fore perpetuam erga electos & fideles. Dicit ergo *ſe reverſum eſſe in miſerationibus ad Jeruſalem*. Poſtea adjungit, *Domus mea ædificabitur in ea, & ſuper Jeruſalem extendetur perpendiculum*. קוה accipitur pro linea perpendiculari, ut Jeſaiæ 29 & aliis locis. Quanquam hic ponitur epentheſis, additur litera ה, quia tuoc ſermo fuit corruptior, ut dictum fuit alibi. Summa eſt, Templi ædificatiooem ſperandam eſſe & urbis, quia Deus in gratiam cum populo ſuo redierit. Duo igitur notanda ſunt: jam Deum placatum eſſe erga Judæos: deiode, hunc fructum reconciliationis fore, quod Templum extruetur, hoc eſt, iterum ſtabilietur cultus Dei ut antehac, & ipſa etiam regni dignitas. Interea docet Propheta non aliunde ſperandam eſſe Templi ædificationem quam ex gratuito favore Dei, ut Judæi intelligant præciſam ſibi fuiſſe omnem ſpem ſuis ſceleribus, niſi quia Deo placuit abolere ipſorum reatum: ſicuti etiam hæc doctrina extendi debet ad perpetuum Eccleſiæ ſtatum. Unde enim fit ut Eccleſia iocolumis maneat in mundo, imo ut ſubinde ſe colligat, niſi quia Dominus pro immenſa ſua bonitate indulget nobis? Quotidie enim ipſum provocare non deſinimus, & digni ſumus quos prorſus è mundo exterminet. Ergo nulla eſſet Eccleſia, niſi Deus ipſam mirabiliter pro ſua bonitate & ſuis miſerationibus ſervaret, atque etiam reſtitueret dum videtur collapſa. Addit tandem,

17. Adhuc clama, dicendo, Sic dicit Jehova exercituum, Adhuc conterentur (*alii vertunt, Diſpergentur, vel ſe diffundent, vel ſegregabuntur: ſed dicemus de proprio ſenſu. Conterentur ergo*) urbes præ bono: & conſolabitur Jehova adhuc Sion, & eliget adhuc Jeruſalem.

Non poſſem hodie abſolvere. Precemur Dominum.

Da omnipotens Deus, quando aſſidue variis tentationibus agitamur huc & illuc, & non deſinit etiam Satan fidem noſtram concutere, ut tamen ſtemus in hac promiſſione quam ſemel dediſti, & quam etiam voluiſti ſancitam eſſe in manu unigeniti Filii tui, nempe te ſemper nobis fore propitium & exorabilem, ut etiam in graviſſimis noſtris miſeriis non tamen deſpondeamus animos: ſed freti tua bonitate ad te gemamus donec advenerit maturum tempus liberationis noſtræ: oeque interea invideamus evanidæ felicitati hoſtium tuorum, ſed patienter exſpectemus dum oſtendas nihil aliud eſſe nobis optandum, quam ut fruamur te propitio: deinde maledictum eſſe quicquid bonorum percipiunt impii dum te provocant & iratum habent: donec tandem nobis patefaciat Chriſtus quænam ſit vera beatitudo & gloria Eccleſiæ tuæ, dum ſcilicet apparebit ultimo die in ſalutem noſtram, Amen.

PRÆLECTIO QUARTA
IN
ZACHARIAM PROPHETAM.

CAP. I.

NOn potui poſtrema lectione abſolvere hunc verſum, ubi Propheta dicit ſibi fuiſſe mandatum ab Angelo, ut adhuc clamaret Deum reverſum eſſe ad Jeruſalem in miſerationibus. Huc autem ſpectant verba, etiamſi Jeroſolymæ reſtitutio creditu ſit difficilis, tamen indubie ſperandam eſſe: quia Dominus ita ſtatuerit. ſed amplificat quod ante dixi. Extendit enim Dei benedictionem ad urbes Judææ, quum tamen unius Jeroſolymæ facta fuiſſet mentio: *Adhuc urbes conterentur*, inquit, *præ abundantia bonorum*. ſic enim dixi me accipere verbum תפוצנה: nam פוץ ſignificat Diſpergere, ſignificat etiam Conterere & frangere. Quidam coactum ſenſum eliciunt, quod ſeſe diffundent urbes: alii, quod ſegregabuntur, id eſt, tanta erit ſecuritas, ut etiamſi procul inter ſe diſtent urbes, nihil tamen erit periculi, vel metus. ſed ſenſus Prophetæ clarus eſt, niſi data opera velimus nos torquere in re manifeſta & facili: adbuc, inquit, urbes conterentur præ abundantia bonorum, hoc eſt, *elles ſeront entaſſées*, ut dicimus. Nam ubi magna eſt congeries, illic eſt oppreſſio. Dicit igitur tantam ac tam uberem fore copiam bonorum omnium, ut ſe frumentum collidat: ita etiam ut dolia vix poſſint capere ſuas vindemias. Nunc tenemus quid velit Propheta, nempe Jeroſolymam fore adhuc integram: imo alias etiam urbes fore refertas bonis omnibus, quia Dei gratia ſeſe extendet ad totum populum. Jam adjungit, *Conſolabitur adhuc Sion Jehova, & eliget adhuc Jeruſalem*. Repetitur ſæpius particula עוד, Adhuc: quia interruptio de qua ante diximus, poterat quodammodo retinere animos fidelium, ne poſſent conſcendere uſque ad iſtam promiſſionem. Quoniam ergo ad tempus abſcondita fuerat gratia Dei, Angelus pronunciat talem fore mutationem, ut rurſus de integro ſicuti olim, refulgeat Dei bonitas, & amor erga electum populum. Quantum attinet ad verbum Eligendi, notandum eſt, hic improprie transferri ad effectum aut teſtimonium electionis. Deus enim ſemel elegit ante creatum mundum quos voluit eſſe ſuos: ſed dicitur eligere quos recipit in gratiam, quoniam in oculis hominum obliteratur adoptio ſemel facta, ubi nullum paterni favoris ſignum apparet. Exempli gratia, Toties legimus Deum repudiaſſe populum ſuum: certe vocatio Dei ſine pœnitentia eſt, inquit Paulus. nec tantum hoc *Rom. 11. verſ. 29.* pronunciat de arcana cujuſque electione, ſed de adoptione illa generali, qua Deus ſegregavit genus Abrahæ à reliquis gentibus. Quanquam inter filios Abrahæ multi erant reprobi: ſicuti producit exempla Eſau & aliorum: tamen electio Dei in ſe firma erat. & hinc factum eſt etiam, ut adhuc maneat ſpes aliqua in populo illo, quia tandem colliget Deus ſibi Eccleſiam tam ex Judæis, quam ex Gentibus, ut rurſus coaleſcant qui nunc ita diſtracti ſunt. Quum ergo vocatio Dei ſit ἀμεταμέλητος, unde fit ut dicatur Dominus ſæpius eligere? dicatur etiam rejicere electos ſuos? nempe hoc refertur ad externam ſpeciem. Deus ergo tuetur ſuam electionem ad finem uſque. ſed quia non poſſumus aliter ſtatuere, quam nos rejici à Deo ubi avertit à nobis faciem ſuam, hæc ratio eſt cur dicatur rurſus eligere quos repudiavit: quia ſcilicet reipſa, & claro experimento declarat ſe non oblitum fuiſſe primæ adoptionis, ſed manere conſtantem in ſuo propoſito. Nunc ergo tenemus quid velit Propheta. Ego pluribus in hac re non inſiſto. quia ſatis eſt tenere principium illud, pendere ex æterna electione Dei quicquid beneficiorum confert in ſuos: hunc fontem perpetuum eſſe: interea electionem transferri καταχρηστικῶς ad ſigna vel effectus, quemadmodum etiam & rejectio eodem ſenſu accipitur pro externis pœnis, quæ videntur primo intuitu eſſe rejectionis ſigna, utcunque tamen non ſint. Nunc pergamus.

18. Et ſuſtuli oculos meos, & vidi: & ecce quatuor cornua.

19. Et dixi ad Angelum qui loquebatur mecum, Qui iſti? (*hoc eſt, qui ſunt iſti?*) & dixit ad me, Hæc ſunt cornua quæ ventilarunt Jehudah, Iſraël, & Jeruſalem. (*Ego conjungam etiam proximos verſus.*)

20. Et oſtendit mihi Jehova quatuor fabros.

21. Et dixi, Cur iſti? quid iſti veniunt ad faciendum? (*ad verbum: hoc eſt, quorſum iſti veniunt, ut faciant?*) & dixit, dicendo, Hæc ſunt cornua quæ ventilarunt Jehudah, ita ut nemo tolleret caput ſuum: & veniunt iſti (*fabri ſcilicet*) ad terrendum, (*addo, cornua, quoniam relativum* אשר *obſcurum per ſe eſſet*) ut projiciant cornua Gentium, quæ ſuſtulerunt cornu contra terram Jehudah, ut ventilarent eam.

Jam ſequitur alia viſio, qua rurſus confirmat Deus quod ante teſtatus fuerat Prophetæ ſuo. Dicit igitur, quamvis undique conſurgant hoſtes contra Eccleſiam, ut multas moleſtias exhibeant, tamen in manu Dei eſſe remedium, quia conteret omnia cornua ſuis malleis. Comparat Gentes, quæ infeſtæ fuerant Judæis, cornibus: poſtea comparat fabris alios hoſtes, quorum manu & opera utetur Deus ad frangendos conatus eorum omnium, qui moleſti erunt Eccleſiæ. Hæc igitur ſumma eſt, quamvis Eccleſia non ſit immunis vel libera à multis moleſtiis, tamen Deum etiam in manu habere remedia, quibus coërceat omnes inſultus improborum, quamvis impetuoſe & violenter ferantur contra miſeram Eccleſiam. Sed primo loco videndum eſt cur nominet Propheta *cornua quatuor*. Judæi referunt hoc ad Aſſyrios & Babylonios, & deinde ad Perſas, tertio ad Græcos, tandem ad Romanos: quia aliis locis videbimus, & Daniel etiam *Dan. 2. verſ. 31.* ſatis luculente docet fuiſſe quatuor illas præcipuas Monarchias, in quibus protulit Deus ſua judicia claris & memoratu dignis exemplis. ſed non dubito quin Propheta hic tam de Moabitis & Syris & aliis gentibus loquatur, quam de Aſſyriis vel Chaldæis. Falluntur ergo mea opinione qui putant hic notari quatuor illas monarchias: ſed potius quatuor cornua fuiſſe dicit Zacharias, quæ ex ſingulis mundi plagis exorta ſunt. Scimus autem non ab una tantum parte fuiſſe Judæos vexatos, ſed ab Oriente & Occaſu, à Septentrione & Meridie. Quum igitur undique hoſtes inter ſe vires & ſtudia conjungerent contra Judæos, ita ut à quatuor mundi plagis, hoc eſt, à toto circuitu eſſet illis cauſa trepidandi, hæc ratio eſt cur

Propbeta dicat *quatuor cornibus ventilatos fuiſſe.* Videtur tamen boc eſſe adhuc frigidum, quia non opus fuit Propbetæ nſtendi quod omnibus plus ſatis notum erat. Sed teſtari voluit Deus gentes quæ inimicæ & infeſtæ fuerant Judæis, non egiſſe quicquam niſi ex arcano ſuo inſtinctu, ut intelligant Judæi totidem fuiſſe ferulas, quibus vellet eos caſtigare. Cæterum conjungi debet poſterior pars, quod ſcilicet Deus etiam oſtenderit Prophetæ quatuor fabros. nam cohærent inter ſe duæ iſtæ viſiones. Si quis ergo arripiat unam partem, perperam faciet: neque enim conſtabit ratin vaticinii. ergo ſi nolumus mutilare quæ conjuncta ſunt, ne ſeparemus quod additur de quatuor fabris. Quoniam ergo undique oppreſſi fuerant Judæi, oſtendit etiam Deus ſatis multa ſibi eſſe remedia, & quidem ex diverſis locis. Propheta quatuor cornua viderat: videt quatuor fabros: hoc eſt, agnoſcit Deum poſſe ſtatim modum invenire, quo compeſcat omnes turbas & tumultus, quia contundet quaſi ſub incude cornua illa, & conteret quæ prius diſſipaverant Judæos. Eadem igitur eſt ratio ſemper io voce Quatuor. nam ſicuti Chaldæi inſanierant contra Judæos, ita nſtendit Dominus ſibi eſſe in manu paratos hoſtes, quemadmodum aliqua ex parte jam manifeſtaverat. Unde enim Perſæ & Medi tam repente occupaverant Babylonem, niſi quia fabri erant, quorum operam locaverat Deus, ot contunderet cornu illud Babylonicum? unde etiam factum eſt ut Syri ſuccubuerint, Ægyptii & aliæ omnes nationes? nempe erant totidem cornua: ſed Dominus fregit ferociam tot gentium per multos fabros, quia eos conductitios habuit & præſto ad ſuum obſequium. Nunc tenemus verum Prophetæ conſilium. Etſi autem voluit Propheta hoc vaticinin hortari & animare ſuos gentiles ad patientiam, ut Spiritus Dei has partes injunxerat: tamen quaſi in ſpeculn bic hodie quoque nobis proponit Dominus qualis Eccleſiæ ſit conditio. Ne ergo miremur ſi tumultuetur omni ex parte mundus contra Eccleſiam Dei, & ſi inſurgant procellæ & tempeſtates tam ab Oriente quam ab Occaſu: neque enim hoc novum eſt, ut multi hoſtes ex variis plagis inter ſe conſpirent, & ita Eccleſia Dei ſuſtineat multos inſultus. boc unum eſt. Interea accedat hæc cnnſolatio, Deo ſcilicet eſſe multos fabros ad manum & appoſita eſt metaphnra Prnphetæ. nam durities cornuum erat formidabilis Judæis: ſed Propheta dicit eſſe duritiem in malleis, quæ confringat omnia cornua. Deus ergo, etiamſi feriamur ab hoſtibus noſtris, reperiet fabros quorum opera ipſos frangat. & certe hoc jam ſæpius experti ſumus. Unde fit ut tam exiguus eorum numerus, qui nunc pure iovocant Deum, perſiſtat in tanta rabie boſtium? deinde in tot conſiliis & macbinationibus? Quid enim magis vel cupidius appetunt omnes Mnnarchæ, quam ut memoriam Euangelii extinguant? ergn ſi reputamus quænam ſit bodie ratio totius mundi, reperiemus vix eſſe urbem aut populum unum, vel unum Monarcham, vel etiam unum ex minimis proceribus, cujus rabies contra Eccleſiam non feratur. Jam qui fit ut tamen non exerant vires ſuas, & dejiciant miſeram Eccleſiam, quæ ſolo flatu poſſet centies concidere? unde hoc fit, niſi quod malleis ſuis Deus conterit cornua & per operam fabrorum? Quinam ſunt illi fabri? nempe ſunt etiam cornua. nam vellent omnes, quantum in ſe eſt, contra Eccleſiam ruere, ſed Deus hoc non permittit: quin potius excitat inter ipſos bella, ut ſeſe mutuo conficiant. Quum igitur ſint omnes cornua ad Eccleſiam impetendam: imo ſi clarius libeat exponere ſimilitudinem, quum ſint omnes velut tauri furinſi & cornupetæ, & ad Eccleſiæ diſſipationem certatim proſiliant quantum in ſe eſt: Deus tamen dat duobus vel tribus malleos, & jubet ut ferociam ſociorum ſuorum compeſcant. Dum igitur omnes huc intenti ſunt ut Eccleſiam feriant & diſpergant ſuis cornibus, Dominus vocat eos ad diverſum opificium, & quemadmodum jam dixi, jubet fabros eſſe qui arrepto malleo feriant cornua illa & conterant: nempe ſuos ſocios, quibuſcum diabolica prius erat conſpiratio. & certe mirabilis eſt hæc Dei providentia, quod inter tam confuſos & turbulentos motus Eccleſia quamvis ſub cruce tamen reſpirat: quia niſi mallei iſti frangerent cornua, nos centies jam, imo millies fuiſſemus confoſſi & in fruſta diſperſi: ſed Deus avertit ictus & inſultus per ſuos malleos: & quemadmodum jam dixi, utitur boſtibus ſuis ad has partes obeundas. Videmus ergo hoc vaticinium non modo ætati Zachariæ fuiſſe utile, ſed omnibus etiam ſeculis: neque debere reſtringi ad veterem populum, ſed ad totum Eccleſiæ corpus ſpectare. Cæterum, quod Propheta dicit ſe interrogaſſe Angelum, nobis proponitur in his verbis exemplum veræ docilitatis. Quamvis ergo non ſtatim explicet nobis Dominus ſua vaticinia, tamen non eſt cur faſtidio occupati reſpuamus quod nobis eſt nbſcurum: quemadmodum videmus hodie multos, ſi qnid dubitent, ſtatim rejicere & conqueri etiam quod nimis difficile ſit verbum Dei: & paſſim hodie volitant blaſphemiæ iſtæ in nre multorum. atqui Propheta, etiamſi perplexus hæreret, non tamen moroſe rejecit quod oſtenderat Deus: ſed interrogat Angelum. Etſi autem non ſemper tam propinqui ſunt oobis Angeli, vel ſaltem non apparent viſibili forma: Deus tamen aliis modis poterit expedire, ſi quid perplexum eſt in verbo ſuo: promittit ſe nobis daturum & intelligentiæ & diſcretionis ſpiritum, quoties opus fuerit. deinde ſcimus & prædicationem verbi & Sacramenta adminicula eſſe quibus nos ad ſe deducit. Si ergo non negligimus hæc adjumenta quæ nobis Deus porrigit ad manum, & ſi præſertim ab ipſn petimus ut nos Spiritu ſuo dirigat, certe nihil erit tam obſcurum vel implicitum in omnibus prophetiis, quod nobis non manifeſtet, nempe quoad expediet. neque enim æquali menſura Spiritum omnibus largitur: ſed ita ſtatuendum eſt, quamvis obſcuræ ſint prophetiæ, tamen ſi quiſque noſtrûm ſe docilem & morigerum nfferat Deo, fructum fore nobis certum, quemadmodum videmus non fuiſſe fraudatum Zachariam voto ſuo. Angelus enim mox reſpondet. Notandum eſt etiam quod uno in loco nominat Jehovam, & in alio Angelum, & quidem promiſcue de uno & eodem loquens: unde ſequitur, inter Angelos Deum quoque apparuiſſe. Sed tenendum memoria eſt quod prius dixi, hunc primarium Angelum fuiſſe mediatorem & caput Eccleſiæ. Eſt autem idem Jehova: quia ſcimus Chriſtum eſſe Deum manifeſtatum in carne. Nnn mirum igitur eſt, ſi promiſcue Propheta Angelum nunc vncet, & ounc Deum æternum, qui & mediator eſt Eccleſiæ, & idem Deus: Deus, quia unius cum Patre eſſentiæ: Mediator autem, quia etſi nondum carnem noſtram induerat ut nobis propinquus eſſet ac frater, jam tamen hoc munus cœpit tunc obire: quia non potuit ſtare Eccleſia ſine aliquo capite, neque aliter potuit Deo ſuo conjungi. Videmus nunc ut Chriſtus reſpectu æternæ ſuæ eſſentiæ ſit & vocetur Deus: reſpectu autem officii vocetur Angelus, quatenus ſcilicet eſt mediator, ſed diverſn reſpectu. Concluſin nunc clara eſt, quum reſpondet Deus hæc quidem eſſe cornua quæ ventilant vel diſpergunt tam Jehudah quam Jeruſalem, & regnum Iſraël: ſed ſibi totidem eſſe fabros, quorum manu & malleis conteret omnia cornua: etiamſi ad tempus multum moleſtiæ exhibeant Eccleſiæ. Notandum vero eſt, Cornu varie accipi mutato numero. nam in plurali gentes vocantur Cornua, ob duritiem vel robur: poſtea in ſingulari dicuntur ſuſtuliſſe cornu, nempe quia ferociter vires ſuas projecerant ad proſternendum vel diſſipandum populum Dei. Sequitur,

CAPUT II.

CAPUT II.

ET ſuſtuli oculos meos, & vidi: & ecce vir in cujus manu funiculus menſuræ.
2. Et dixi, Quo tu vadis? & dixit mihi, Ad metiendum Jeruſalem, ut videam quanta latitudo ejus, & quanta longitudo ejus.
3. Et ecce Angelus qui loquebatur mecum egreſſus eſt, & alter Angelus egreſſus eſt in occurſum ejus.
4. Et dixit ad eum, Curre, dic puero huic, dicendo, In villis (*vel pagis*) habitabitur Jeruſalem præ multitudine hominis & pecoris (*id eſt, hominum & pecorum*) in medio ejus.

NUnc additur alia viſio in eundem finem, non quod difficilis jam eſſet ſuperior, ſed quia confirmatione opus fuit in rebus adeo turbatis. Etſi enim reditus populi non vulgare ſpecimen erat bonitatis & gratiæ Dei: quia tamen non florebat Jeroſolyma ut olim, Templum erat ſimile tugurio, nulla tunc erat ſpecies regni, nullus decor, difficile creditu erat quod ante vidimus. hæc ratio eſt cur Deus pluribus ſignis confirmet rem unam: quia ſcimus quam difficilis ſit nobis lucta in iſta carnis infirmitate, quum nos urgent graves & duræ tentationes. Dicit ergo Zacharias *ſe vidiſſe in manu viri funiculum menſuræ*. Virum nunc vocat qui ſub forma viri apparuit. & hoc etiam ſatis receptum eſt ac tritum communi uſu, ut Angeli vocentur homines: etſi enim ad tempus duntaxat præditi fuerunt forma humana, quia tamen voluit illos Dominus in hac ſpecie conſpici, hæc ratio eſt cur Viri nominentur improprie. Si quæramus an vere induerint humanam naturam Angeli, reſponſio in promptu eſt, nunquam fuiſſe vere homines, proprie loquendo: ſed ſcimus ut Deus nobiſcum balbutiat: & eadem eſt ratio in ſermone, quæ in re ipſa. Unde factum eſt ut Angeli apparuerint ſub humana forma? nempe ut familiarior eſſet acceſſus ad homines: ideo etiam nominat Deus eoſdem Viros, quemadmodum hoc loco. dicit ergo Zacharias ſibi Angelum apparuiſſe ſub forma hominis, *cum funiculo menſuræ*. Poſtea addit ſe rogaſſe quonam iret: adjungit reſponſum, *Ad metiendum Jeruſalem, ut videat quanta ſit latitudo & quanta longitudo*. Finis autem vaticinii eſt, *Ecce habitabitur Jeruſalem per omnes villas*, quia non poſſet capere circuitus murorum tantam hominum copiam. Deus ergo ſic augebit populum ſuum, ut non poſſit comprehendi muris: ſed erunt ſpatioſi Eccleſiæ fines. *Habitabitur ergo Jeruſalem per omnes villas*, id eſt, per totam regionem. hæc eſt ſumma. Videmus nunc conſilium Spiritus ſancti: quia tantum exigua portio ab exilio redierat, poterant fideles frigere, quum ſcilicet longiſſime abeſſent ab illa tam ſplendida Eccleſiæ reſtitutione, quæ toties prædicta fuerat, vel promiſſa. Oportuit igitur altius ipſos erigi, ut patienter expectarent dum paulatim & per certos gradus perficeret Deus quod teſtatus fuerat. Ergo ne reſtringerent Dei gratiam ad tempus exiguum, vel ad paucos dies, ideo Propheta hic dicit coram Deo aliam eſſe menſuram Jeroſolymæ, & aliam in oculis hominum. Quod ad Funiculum menſuræ ſpectat, hoc dicitur ex more antiquo. Scimus enim tunc non uſos fuiſſe vel decempeda vel aliis menſuris, ſed funiculo. Jam quum dicit Propheta *ſe ſuſtuliſſe oculos & vidiſſe hunc virum*, admonet non conſiderandam eſſe Jeroſolymam, niſi in ſpiritu: quia vix tunc poterant adduci ut conſtruerent urbem inſtar mediocris & obſcuri oppidi. Videmus ergo hic notari diſcrimen inter externum aſpectum Jeroſolymæ, qualis tunc erat, & inter ſtatum futurum, qui erat ſperandus: quanquam tunc non erat viſibilis. hæc igitur ratio eſt prophetiæ, quod ubi Zacharias ſuſtulit oculos, viderit menſuram vel perpendiculum in manu viri. Jam rurſus admonet ſe fuiſſe attentum ad viſiones iſtas: nam dum interrogat, oſtendit ſe non eſſe ſomniculoſum vel ſocordem, ſicuti multi ſuffocant omnem lucem ſua ignavia. & utinam hodie talis in nobis torpor non dominaretur! quia merito pœnas damus contemptus noſtri, quoties ſecure & negligenter audimus quod Deus nobis proponit. ergo diſcenda eſt nobis attentio & major ſedulitas ab exemplo Prophetæ. Quærit quonam abeat: poſtea adjungit, *Ut metiatur*: tandem oſtendit qualis ſit menſura Jeroſolymæ; nempe quia poſthac nullus erit circuitus murorum, qui capiat immenſam populi multitudinem. Deus ergo, inquit, longe lateque diffundet ſanctam urbem: non erit amplius clauſa ſuis mœnibus ut antea, ſed habitabitur per omnes pagos. Non dubium igitur eſt quin hic Deus teſtari voluerit de Eccleſiæ propagatione, quæ multo poſt tempore ſequuta eſt, nempe Chriſti adventu. etſi enim opulenta fuit Jeroſolyma, deinde habuit maximum circuitum, imo fuit urbs triplex, ut ſatis notum eſt: & profani etiam ſcriptores tradunt fuiſſe præcipuam inter urbes Orientis, ubi tamen erat tunc Babylon: ſi tamen conferatur cum ſtatu Jeroſolymæ hoc vaticinium, non habitata ſine muris, nec diffuſa fuit per totam Judæam. Colligimus ergo deſcribi hic nobis ſpiritualem Jeroſolymam, quæ differt ab omnibus terrenis urbibus. Quod autem ſequitur, *veniſſe Angelum in medium*, & deinde *fuiſſe obvium alteri Angelo*, hinc etiam apparet, quemadmodum ex toto Prophetæ contextu, quam diligenter curet Deus ſalutem Eccleſiæ ſuæ: quia ſemper Angelos quaſi emiſſarios habet, qui properent ad ejus nutum, & proſpiciant Eccleſiæ neceſſitatibus. Quum ergo ita Angeli conſentiant ad tuendam Eccleſiæ ſalutem, hinc perſpicimus quam Deo chari ſint fideles, in quorum gratiam ita exercet omnes ſuos Angelos. deinde videmus etiam, ut Dominus voluerit hoc vaticinium clarum & manifeſtum eſſe piis omnibus: *Vade, curre ad puerum hunc*, inquit, *& dic*. Petierat quidem Zacharias ſibi exponi quid vellet menſura in manu hominis: quod autem Angelus alter occurrit, hinc apparet, quemadmodum jam dixi, non negligere Deum preces ſuorum & vota, ſi modo diſcere cupiant, quin fungatur officio probi & fidelis magiſtri erga ipſos. imo Currendi verbum etiam notandum eſt. *Vade*, inquit, & quidem *propera, ne puer hic diutius hæreat*: expone quorſum tendat hoc vaticinium. Pueri nomen tribuitur Prophetæ, quia permixtus tunc erat Angelis. Noluit igitur ſe vocare hominem juſtæ vel adultæ ætatis, quia prius de Angelo verba faciens dixerat eſſe virum. Inter Angelos quem gradum tenere potuit Propheta, niſi ut eſſet ſimilis puero? Notanda eſt igitur iſta circumſtantia, cur de ſe contemptim vel ſubmiſſe loquatur Zacharias. Jam quantum attinet ad ſummam vaticinii, diximus hic deſcribi nobis cœleſtem Jeroſolymam, quæ non cingitur muris, ſed quæ patet per totum orbem: deinde non confidit etiam ſuis præſidiis, ſed ſecure habitat, etiamſi undique expoſita ſit hoſtibus: quia non abs re dicit Propheta, *Per villas habitabitur Jeroſolyma*: hoc eſt, habitabitur paſſim, ſic ut non opus habeat ulla defenſione, qua repellat vel prohibeat ab acceſſu hoſtes ſuos: quia tuta quies dabitur, in qua ſtationem ſuam quiſque colat. Sequitur,

5. Et ego ero illi, dicit Jehova, murus ignis (*vel igneus*) in circuitu, & in gloriam ero in medio ejus.

Confirmat hoc verſu quod nuper attigi, Jeroſolymam ſcilicet fore tutam, quamvis non habeat ſuas munitiones: quia Deus unus ſufficiet pro muris, pro arcibus, pro foſſis, quemadmodum etiam dicitur Jeſ. 26. verſ. 1. apud alios Prophetas, Erit tibi Deus murus & antemurale: deinde, Erit tibi pro omnibus propugnaculis. Cohæret igitur hæc ſententia cum reliquo vaticinio, quum teſtatur Jehova ſe fore *murum igneum*. Scimus autem, etiamſi alti ac denſi ſint muri, poſſe ſuperari ab hoſtibus. Sed quis audeat ſe projicere in ignem? Perinde eſt igitur acſi Deus ita loquutus eſſet, Quamvis nulli ſint excubitores qui defendant Jeruſalem, nulli ſint milites præſidiarii, nulli denique cuſtodes, ego tamen unus ſufficiam, quia non modo ero murus ad hoſtes arcendos, ſed ero ignis ad incutiendum terrorem. Poſtea adjungit, *Ero in gloriam in medio ejus:* quaſi diceret, Intus & foris ſolida Jeroſolymæ felicitas erit in me uno & in gratia mea. Intus ergo in medio ejus ero in gloriam: hoc eſt, ego decorabo eam omni laude. Jam ſi metuunt ſibi ab hoſtium incurſu, ego ero murus igneus. Quamvis enim propugnaculis & turribus non excellat, careatque mœnibus & foſſis, & ita ſit expoſita multis injuriis: tamen potero terrorem incutere hoſtibus, ut procul diſpellantur, atque ita incolumis ſervetur Eccleſia, etiam nudata omnibus humanis præſidiis, carens omni defenſione. Nunc ergo tenemus Prophetæ conſilium, quamvis Judæi videant ſe paucos eſſe numero, infirmos viribus, deinde miſeros homines & contemptos, eſſe tamen bene ſperandi materiam: quia quamvis pauci reverſi eſſent ab exilio, poſſe tamen Deum Eccleſiam augere & propagare uſque ad immenſam multitudinem: idque jam certum eſſe ac decretum, quia viſione oſtenſum ſit, quamvis impares eſſent hoſtibus ſuis, Deum tamen ſatis eſſe fortem & robuſtum ad ipſos tuendos: deinde quamvis inopes eſſent omnium bonorum, Deum tamen ſatis eſſe divitem ad ipſos locupletandos, modo pendeant ab ipſius benedictione quam promiſit, nempe ut intus ipſos reddat felices ac beatos, deinde foris ab incurſu hoſtium incolumes præſtet.

Da omnipotens Deus, quando undique tot hoſtibus obſidemur, & Satan etiam non deſinit in furorem multos accendere, non modo ut nobis infeſti ſint, ſed etiam ut nos perdant & abſumant: da, inquam, ut diſcamus attollere oculos in cœlum, & confiſi tuo præſidio fortiter militemus in patientia, donec tandem appareat quod ſemel teſtatus es celebri iſto vaticinio, in tua manu eſſe multos fabros & multos etiam malleos, quibus conteras cornua iſta quæ ad nos diſpergendos inſurgunt, donec tandem ſuperatis omnibus Satanæ machinationibus, perveniamus ad beatam illam quietem quæ nobis parta eſt ſanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO QUINTA

IN

ZACHARIAM PROPHETAM.

CAP. II.

6. Heus! heus! & fugite è terra Aquilonis, dicit Jehova: quia in quatuor ventos cœlorum diſperſi vos, dicit Jehova.

Quo melius pateat nobis Prophetæ conſilium, tenenda in primis hiſtoria eſt. nam quum edicto Cyri & Darii liceret Judæis in patriam redire, multis ſuſpecta fuit liberalitas illa, quaſi duo illi Reges vellent eos repente opprimere, ubi cognita fuiſſet eorum voluntas in reditu. Alii quum apud Chaldæos & in aliis locis commode habitarent, malebant frui ſua illa quiete, quam multis cum moleſtiis reverti in patriam, ubi nullæ eſſent paratæ ſedes, & ubi tantum eſſent triſtes ruinæ. Quum ergo ita contemneret major pars populi ſingularem illam Dei gratiam, de qua toties Prophetæ concionati fuerant, neceſſe fuit corrigi illam pigritiem, quæ conjuncta etiam erat cum ſceleſta impietate. Si qua enim religio tetigiſſet eorum animos, decebat Jeroſolymam præferre toti mundo, & cultum Dei omnibus terrenis commodis ac deliciis. Mollis igitur indulgentia in qua torpebant Judæi, digna fuit gravi & ſevera objurgatione. hæc ratio eſt cur Propheta hic aſperius cum ipſis agat: quia aliter expergefieri non poterant. *Heus, heus*, inquit: quaſi diceret, Quid ſibi vult iſta cunctatio, quod ubi Deus vobis aperuit januam, tamen quieſcitis? acſi Judæa non eſſet veſtra hereditas, acſi nullum eſſet diſcrimen inter vos & profanas gentes. Nunc tenemus Prophetæ conſilium. Particula autem הוי eſt hortantis, qua Propheta ſegnitiem illam caſtigat, quæ ſignum erat fœdæ ingratitudinis, quemadmodum dixi: quia hoc modo prodebant Judæi contemptum ejus gratiæ, quæ tamen longe omnibus mundi opibus & deliciis præferenda fuerat. Cæterum videtur vel remota eſſe vel etiam minime quadrare ratio quæ additur, *Quoniam in quatuor ventos cœlorum diſperſi vos:* neque enim potuit hic ſtimulus valere ad pungendos Judæos, ut relicta Babylone properarent in terram Sanctam ac ſibi divinitus promiſſam. ſed hoc valde efficax fuit ad excitandos eorum animos, quia Dominus his verbis docet in ſuo arbitrio eſſe, illos reducere incolumes: quoniam non fuerint diſperſi huc & illuc, niſi juſta ejus vindicta. Si prævaluiſſent hoſtes contra eos, vel ſi temere expulſi fuiſſent à patria, poterat obrepere dubitatio, an promiſſioni fidendum eſſet. Verum, ubi conſtat exilium fuiſſe pœnam divinitus inflictam, hinc colligi etiam tuto poteſt Deum fore reſtitutionis auctorem, quia idem ſanare poterit quam inflixit plagam. Nunc ergo videmus quorſum ſpectent hæc Prophetæ verba: oſtendit Judæos hactenus pœnas dediſſe Deo, quia non paruerint verbo ejus, ſed ſua obſtinatione provocaverint extremam ejus vindictam: nunc igitur bene ſperandum eſſe, quia Deus placatus ſit, & velit ipſis ignoſcere. Quum igitur exilium eſſet à Deo, Propheta oſtendit non fore difficilem reditum, poſtquam Deus reconciliatus fuerit: quia non erat Judæis negotium niſi cum cœleſti ipſo judice. denique Propheta oſtendit perperam facere Judæos, dum in exilio quieſcunt, ubi permiſſa eſt libertas redeundi: & ideo hortatur ipſos ut mature accelerent, ne prætereat tempus beneplaciti Dei, atque ita rurſus janua ipſis claudatur. Jam ne ſecum diſputent an hoc fieri poſſit, oſtendit eſſe in Dei poteſtate, quia ipſe expulerit eos è patria: non fore igitur difficile ſimulac reducere eos volet, patefacere viam. Jam adjungit,

7. Heus Sion, ſervare, quæ habitas apud filiam Babylonis.

Idem repetit Propheta, ſed brevius & aliis verbis. quanquam autem perſtringit breviter quod vult dicere: confirmatio tamen eſt, & quidem non parum efficax ſuperioris verſus. Oſtendit hoc nimis indignum eſſe, ut Babylon ſit quaſi ſepulchrum Sionis. Deus enim elegerat montem illum ubi coleretur. Scimus Babylonem fuiſſe fœtidam cavernam & maledictam à Deo. hoc igitur fuit quaſi totum naturæ ordinem pervertere, quod ſepeliebant Judæi ſacrum Dei montem in ipſo inferno, ut ita loquar. Eſt autem prima ſpecie loquutio aſperior, ſed tamen quæ optime convenit. nam Sionis nomine deſignat Propheta exules Judæos, qui adhuc in Chaldæa diſperſi erant. Neque enim templum ſuo loco motum fuerat, niſi quod incenſum fuit ac dirutum à Chaldæis: ſed tamen non fuit aliud templum extructum apud Babylonios. Quid ergo ſibi vult Propheta quum dicit, *Sion, quæ habitas apud filiam Babel*, redeas in tuum locum? nempe admonet Judæos devinctos fuiſſe Templo, quia ſacrum erat & inſolubile vinculum conjunctionis mutuæ inter Deum & ipſos. Deus enim quum templum voluit ſibi erigi in monte Sion,
1 Reg. 6. verſ. 13. ſimul addidit, Habitabo in medio veſtri: hæc re-
Pſal. 132. verſ. 14. quies mea. Quum igitur conjuncti eſſent Judæi Deo ſuo, Templum fuit interpoſitum quaſi pignus illius ſacræ conjunctionis. ita merito & apte Propheta ſub nomine Sionis cenſet Judæos, qui erant velut affixi Templo, quemadmodum dictum eſt, niſi vellent Deum abnegare: ideo dicit, Eſtne hoc conſentaneum ut habitetis inter Chaldæos? eſtis enim quaſi lapides templi Dei. Non alibi igitur vobis eſt fixum & ſtabile domicilium quam in monte Sion, quaſi eſſetis vos ipſi mons ille. Ergo, *Sion*, inquit, *accelera & redi in tuum locum*, quia male & præpoſtere habitas apud filiam Babylonis. In ſumma, oſtendit Propheta noſter non eſſe repudiandam Dei gratiam, ubi manum porrexit populo ſuo, & ſignum dedit liberi reditus. Quia ergo hoc modo Deus redemptor populi ſui apparuit, non eſſe Judæis exulibus ceſſandum, quin confeſtim aſcendant Jeroſolymam, ut rurſus colant Deum. Cur autem hoc facit Propheta? nempe ut ſciant Judæi nihil eſſe ſibi metuendum, quamvis inſtarent multa pericula, quamvis Satan multa diſcrimina, multas difficultates, multas moleſtias objiceret, tamen gratiam Dei non fore mutilam, vel evanidam, vel fallacem: quia complebit opus ſuum, neque fruſtrabitur eos, quibus ſemel teſtatus eſt fore rurſus quietam habitationem in terra Jehudah. Nunc ſequitur,

8. Quia ſic dicit Jehova exercituum, Poſt gloriam miſit me ad gentes quæ ſpoliant vos: quia qui tangit vos, tangit pupillam oculi ſui. (*vel ejus.*)

Proſequitur eandem ſententiam Propheta. oſtendit enim non patuiſſe viam Judæis, ut paulo poſt ipſos pœniteat ſui reditus: ſed Dominum illis adfore, quia redemptio hæc ſit inſigne ejus beneficium, & quod vult complere ſicuti cœpit. Dicit igitur edicto Dei prohibendas eſſe gentes, ne quid tentare audeant contra Judæos. quaſi diceret, Jam permiſſa vobis libertas fuit à Cyro & Dario: multi inſurgunt ut impediant reditum; ſed quicquid moliantur, nihil efficient. Deus enim cohibebit omnes ipſorum impetus, & conatus franget. Sed hic præco Dei publice teſtatur ſibi mandatum fuiſſe ut gentes arceat ab omni injuria, ac denunciet populum hunc qui reductus eſt in Judæam, ſacrum eſſe Deo, & ideo fas non eſſe à quoquam violari. hæc ſumma eſt. Sed hic occurrit difficilis quæſtio: videtur enim non congruere hic contextus, quod ſic dicat Jehova, *Jehova miſit me*. neque enim hic præconis munus ſuſcipit Propheta, ſed videtur ipſi Deo aſcribere, quod abſurdum eſt. Cujus enim præco erit Deus? & cujus edicto vel imperio promulgabit quod hic recitat Propheta? non videtur ergo hoc competere in Dei perſonam. & tamen ſic verba ſonant, *Sic dicit Jehova, Poſt gloriam miſit me ad gentes.* Quis eſt ille miſſor? hoc eſt, quis ille eſt qui Deo imperat, vel edicit? Hinc colligimus, introduci Chriſtum, qui verus eſt Jehova: & tamen ſimul eſt angelus ac legatus Patris. Tametſi igitur unica & ſimplex eſt eſſentia Dei, quæ exprimitur nomine Jehovæ, hoc tamen non male nunc ad Patris, nunc ad Filii perſonam trahitur. Deus igitur unus æternus eſt: ſed in perſona Patris Deus ille mandat Filio, qui etiam ſimul Jehova eſt, ut per gentes compeſcat omnem injuſtam violentiam, ne Judæis noceant. Hebræi ita reſolvunt, quod Propheta dicat ſe eſſe præconem Dei, interea tamen recitet ejus verba: quod coactum eſt ac durum. Ego quidem de hac re nollem rixari cum ipſis, quia, ut ſunt contentioſi, putarent nos inſiſtere in teſtimoniis non adeo firmis. Atqui ſunt alii Scripturæ loci clariores ad probandam Chriſti deitatem & æternam eſſentiam, deinde etiam diſtinctionem inter tres Perſonas. Sed ſi quis expendat Prophetæ verba, reperiet locum hunc violenter torqueri, niſi de Chriſto intelligitur. Apparet igitur hic Chriſtus tanquam præco Dei Patris, & dicit ſe miſſum fuiſſe ad gentes. Quod addit, *Poſt gloriam*, à quibuſdam exponitur, Ubi ceſſaverit gloria qua hactenus ſuperbierunt Judæi, tunc convertet ſe legatio Chriſti ad gentes. Hæc igitur ſumma eſt ſecundum illos, quod paulo poſt gloria electi populi intercidet: atque ita Patris mandato Chriſtus tranſibit ad gentes, ut eas in Eccleſiam colligat. Poſſet etiam hoc referri ad gentes ipſas, quæ crudeliter prius vexaverant Eccleſiam Dei: quaſi diceret, etiamſi ad tempus triumphos ſuos egerint hoſtes veſtri, tamen gloria illa everſa Deus mittet ſuum legatum, ut qui vos ſpoliarunt ſint vobis in prædam. ſed mihi probabilius videtur, Prophetam loqui de gloria cujus paulo ante facta fuerat mentio. Dicit igitur, ubi Deus ſemel exerere cœpit virtutem ſuam, & magnifice populum ſuum reduxit ab exilio, nullum fore finem donec ſtabilierit Eccleſiam ſuam, ita ut floreat rurſus & ſacerdotium & regnum. hæc ſumma eſt, meo judicio. Ergo *poſt gloriam* tantundem valet acſi diceret, Videtis hæc exordia gratiæ Dei, in quibus refulget ejus virtus. nam certe ſpecimen non vulgare gloriæ ſuæ Dominus ediderat in reditu populi ſui: & ita hortatur Propheta Judæos ad fiduciam, quoniam jam aliqua ex parte Deusglorioſe cum ipſis agat. Ergo ratiocinatur à principiis, ut ſuſtineant animos ſuos Judæi uſque ad finem, & fortiter expectent complementum ſuæ redemptionis: quemadmodum alibi dicitur, Opus manuum ſuarum Dominus non deſeret. ſic etiam nunc Propheta, Pſal. 138. verſ. 8.
Poſt gloriam: hoc eſt, quandoquidem ſemel Deus non vulgari modo vobis affulſit, annon bene ſperandum, quia nolit vos fruſtrari patefacto reditu in patriam; ſed complere quod promiſit per Prophetas ſuos? Quia enim conjunctim loquutus fuerat Deus tam de reſtitutione Eccleſiæ ſuæ quam de perpetuo ſtatu, ideo Propheta hic oblique perſtringit ingratitudinem eorum qui non ſtatuunt Deum veracem fore uſque dum perfecerit quod jam vident inchoatum. Sicuti enim complexus fuerat utrumque Deus, nempe reditum populi & æternam conſervationem; ſic etiam complecti debuerat populus utramque gratiam: Dominus, qui jam cœpit reducere populum ſuum, tuebitur uſque ad finem quos collegit, donec ſcilicet plena & ſolida redemptio nobis conſtet. Quo-

niam ergo Judæi non ſpectabant ad finem, quum tamen Deus quaſi manu ipſos duceret ad bene ſperandum, hæc ratio eſt cur Propheta dicat, *Poſt gloriam.* Cæterum notemus gloriam, cujus fit mentio, non fuiſſe tunc adhuc plane conſpicuam: cœperat micare, ut ita loquar; ſed nondum erat plenus fulgor uſque ad Chriſti adventum. perinde eſt igitur acſi diceret Propheta, Deus jam produxit ſciotillas quaſdam gloriæ ſuæ: augebitur donec ad ſolidum fulgorem perveniat: interea Dominus efficiet non modo ut gentes ſeſe cootineant ab omni injuria, ſed ut etiam ſint vobis in prædam. Sequitur forma edicti, *Quiſquis tangit vos, tangit pupillam oculi ſui*, vel ejus. nam relativum tam de profanis & cæteris gentibus poteſt accipi, quam de ipſo Deo: & major pars interpretum referre mavult ad gentes. *Quiſquis ergo tangit vos, tangit pupillam oculi ſui, Ils ſe donnent en l'œil*, ut dicimus Gallice: hoc eſt, quiſquis meos invadet, ille feriet ſuos ipſius oculos: quia quicquid machinati vobis fuerint hoſtes, in ipſorum caput recidet: perinde acſi quis proprio gladio transfigeret cor ſuum. Quum ergo putabunt gentes vos fore obnoxios ſuis injuriis, efficiet Dominus ut ſibi vel configant oculos, vel transfodiant pectus ſuum. nam eadem erit loquendi ratio. *Quiſquis ergo tangit vos, ille tangit pupillam oculi ſui*: non eſt quod metuatis vobis, quia etiamſi potentiſſimi ſint hoſtes veſtri, furor tamen ipſorum non poterit contra vos graſſari, quia efficiet Deus ut ſe jugulent proprio gladio, vel ſibi oculos terebrent propriis digitis. hæc ſumma eſt, ſi de hoſtibus Eccleſiæ locum hunc intelligimus. Sed poterit etiam commode ad Deum referri, *Quiſquis tangit vos, tangit pupillam oculi ejus.* & certe in hanc ſententiam potius inclino: quia hæc loquutio non ſemel occurrit in Scripturis, Proteget nos ut *Pſal. 17.* pupillam oculi ſui. Quoniam ergo alibi utitur hac *verſ. 8.* ſimilitudine Spiritus, ita libenter hoc loco interpretor, adeo tenerum eſſe erga fideles Dei amorem, ut perinde excandeſcat ubi læduntur, acſi quis vellet ejus oculos configere. Deus enim aliter exprimere non poteſt quantopere & quam ardenter nos diligat, & quam ſit de ſalute noſtra ſollicitus, niſi dum nos comparat pupillæ oculi ſui. Scimus nihil eſſe mollius vel magis tenerum in corpore hominis. nam ſiquis digitum meum mordeat, ſiquis pungat brachium & crura, ſiquis etiam duriter vulneret, tamen non tantum infliget doloris, acſi digito penetret uſque ad oculum meum, vel pupillam oculi mei. Deus ergo hoc ſolenni edicto pronunciat Eccleſiam ſibi eſſe inſtar pupillæ oculi ſui, ut ſcilicet nullo modo eam lædi vel attingi ſuſtineat. Poſtea ſequitur,

9. Quia ecce ego agitans (*vel agito*) manum meam ſuper eos, & erunt præda ſervis ſuis: & ſcietis quod Jehova exercituum miſerit me.

Iterum refert mandata Patris Chriſtus. nam loquitur in ejus perſona quum dicit, *Ecce ego agito manum meam ſuper eos*: loquitur de hoſtibus: *& erunt præda ſervis ſuis*, inquit. Significat, quamlibet multi & robuſti hoſtes proſiliant ad nocendum Judæis, tamen fore incolumes, quia protegentur manu Dei: neque id ſolum, ſed quicquid tentent hoſtes fore irritum: quia Dominus ignominioſe eos in prædam exponet ipſis Judæis. nam per Servos intelligit haud dubie Judæos, qui ad tempus gravati fuerant tyrannide hoſtium ſuorum. Certum eſt, hoc vaticinium minime fuiſſe completum quo tempore putarunt Judæi ſe florere & uti proſpera fortuna. nam tunc miſerrima fuit & pudenda eorum conditio. Unde enim illis Reges? Certe non ex Tribu Jehudah. deinde ſcimus quam tyrannice dominati fuerint: adhæc fuiſſe regnum illud plenum multis probris & tragicis ſceleribus. Fuerunt enim fere omnes parricidæ: & quiſquis leget hiſtorias illas, reperiet nunc fratres à fratribus, nunc parentes ipſos fuiſſe crudeliter oppreſſos & nefarie. Denique ut de cæteris taceam, Herodis domo nihil deteſtabilius fingi poteſt. non poſſumus ergo aptare hoc vaticinium ad totum intermedium tempus, quod præceſſit Chriſti adventum ab exilio Babylonico. Ergo ſub regno Chriſti hoc demum præſtitit Deus, quod ſpirituali populo ceſſerunt hoſtes in prædam, ubi ſcilicet ſubacti ſunt, ut ſubirent jugum Chriſti. nam quemadmodum alibi diximus principatus Eccleſiæ eſt in capite ipſo. Ubi ergo eminet Chriſtus, tunc etiam dicitur Eccleſia, quæ corpus ejus eſt, regnum obtinere. Chriſtus enim nihil vult ſeparatum habere à ſuis membris. Nunc videmus quorſum tendat Propheta, nempe excutere vult metum omnem Judæis, ne dubitent redire in patriam: quia non modo patebit illis via, ſed ſtabilis erit ac firma felicitas ſub Dei auſpiciis: ut qui non fruſtra incepit tam præclarum opus, ſed vult ad extremum uſque effectum perducere. Dicit autem, *Ecce ego agito manum meam.* Agitatio manus oſtendit non opus eſſe Deo magnis copiis ad hoſtes ſuos profligandos, neque etiam longa expeditione: quia ſimulac manum extulerit, omnes ipſos proſternet. denique admonet Propheta longas eſſe Deo manus, quia ſola agitatione poterit profligare omnes hoſtes, etiamſi longiſſime diſtent. Atque ita videmus notari facilitatem, ut certo perſuadeant ſibi Judæi, ſimulac Deo placuerit vires ſuas exerere, nihil illi fore negotii vel difficultatis: quia ſcilicet ſolo motu digiti poterit conficere omnes hoſtes, qui contra inſurrexerint. Poſtea ſubjungit, *Et ſcietis quod Jehova exercituum miſerit me.* Si ad fideles dirigitur hic ſermo, videtur hoc non eſſe conſentaneum, quia fides conjuncta eſt cum ſcientia, ſicuti Joannes docet. Scimus nos eſſe filios Dei, quamvis nondum appa- *1 Joan. 3.* ruerit. nam certitudo quæ innititur verbo Dei, ſupe- *verſ. 2.* rat omnem ſcientiam. Quorſum ergo dicit Propheta, Tunc ſcietis quod Dominus miſerit me? nam oportuit fideles ante ipſum eventum certos eſſe de legatione Chriſti: alioqui præcluſa erat janua Deo. nam ſcimus fide patefieri aditum ad nos gratiæ illius. Oportuit igitur ſtatim ab initio Judæos certos eſſe de legatione Chriſti. ſed notandum eſt, duplex eſſe genus ſcientiæ: eſt ſcientia fidei, & eſt ſcientia experimentalis, ut loquuntur. Scientia fidei eſt qua pii certo ſtatuunt, quoniam Deus verax eſt, quicquid promiſit eſſe indubium: ſed interim ſcientia hæc penetrat ſupra mundum, tranſcendit etiam cœlos ipſos, ut cognoſcat res abſconditas. Salus enim noſtra occulta eſt: quæ videntur, non ſperantur, inquit *Rom. 8.* Apoſtolus. non igitur mirum eſt, quod Propheta *verſ. 24.* dicit, tunc ſcituros fideles Chriſtum eſſe miſſum à Patre, nempe ipſo effectu, vel ipſa experientia. *Scietis* ergo *quod Dominus miſerit me.* Poſtea adjungit,

10. Exulta & lætare filia Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, dicit Jehova.

Continuat eandem doctrinam. Summa eſt, Deum nihil cœpiſſe quod non habeat in animo etiam perducere uſque ad ſuum finem. Quum ergo cœperit jam colligere populum ſuum ut in terra Sancta habitet, hoc opus quod adhuc eſt in curſu, tandem complendum eſſe: quia Dominus nolit eſſe dimidius redem-

dem-

demptor. huc ergo tendunt quæcunque dicit Propheta. Sed nunc hortatur Sion ad lætitiam, quaſi felicitas de qua vaticinatur jam eſſet ante oculos. hæc loquendi ratio, ut alibi vidimus, trita eſt Prophetis. Dum ergo volunt animare Dei cultores ad majorem fiduciam, adducunt eos quaſi in rem præſentem & dictant canticum gratitudinis. non ſolemus nobis gratulari ante tempus. Quura ergo Prophetæ Eccleſiam cantare Deo jubent & gratias agere, hoc modo ſanciunt promiſſiones io animis. Quaſi diceret Propheta adhuc quidem latere ſplendorem & gloriam Dei magna ex parte: ſed fideles eſſe extra periculum: ideoque poſſe intrepide jam concipere canticum, quo gratias agant Deo, quaſi jam fruerentur plena redemptione: quoniam ſcilicet Dominus perficiet quod incepit. *Gaude* ergo *& exulta filia Sion.* Quare? *Ego enim venio.* Jam advenerat Deus: ſed hic progreſſum gratiæ ſuæ exprimit, ſeſe venturum pronuncians: quaſi diceret, jam quidem dedi vobis non obſcura ſigna meæ præſentiæ, ſed ſentietis alium adventum qui longe efficacior erit ad fidei veſtræ confirmationem. Quamvis ergo jam apparuiſſet Deus Judæis, tamen ſeſe venturum dicit, quum ſci-
Col. 1:19. licet prodibit in medium Chriſtus, in quo habitat plenitudo divinitatis corporaliter, & io quo refulſit perfecta Dei gloria & majeſtas. Et hinc etiam melius patet quod nuper dixi, ſermonem hunc non poſſe torqueri ad Prophetam, nec poſſe competere in perſonam Dei Patris. Sequitur ergo Chriſtum hic loqui. Atqui non loquitur ut homo, vel Angelus: loquitur ut Deus ipſe Redemptor. Videmus ergo nomen Jehovæ aptari Chriſto: & nullum eſſe diſcrimen Patris & Filii, quoad eſſentiam, ſed tantum in ipſis perſonis debere diſtingui. Quoties ergo Chriſtus ſuam divinitatem aſſerit, uſurpat nomen Jehovæ. ſed poſtea oſtendit ſibi aliquid eſſe proprium & diſtinctum, nempe quod eſt legatus Patris. Hac autem ratione & hoc reſpectu inferior eſt Patre, quia mittitur legatus & exequitur quod ſibi mandatum eſt. hæc inter ſe non pugnant, ſicuti multi indocti & tumultuoſi homines ſeſe implicant multis imaginationibus, vel deliriis potius: Quomodo fieri poteſt, ut ſit unus Deus æternus, & tamen Chriſtus qui alius eſt à Patre & qui vocatur Patris Angelus, ſit ille unicus Deus? Ita fingunt principium aliquod deitatis in Deo Patre, quaſi unus Deus gigneret & ita produceret ex ſe alios deos, tanquam ex traduce: hæc ſunt diabolica commenta, quibus laceratur unitas eſſentiæ Dei. Tenendum eſt igitur quod hic aperte & ſatis familiariter docet Propheta, nempe Chriſtum eſſe Jehovam & unicum Deum: & tamen mitti à Deo io perſona Mediatoris. *Ecce ego venio*, inquit, *& habitabo in medio tui.* Habitabat etiam tunc Deus apud Judæos, quia Templum cœperat extrui, & jam oblatæ fuerant victimæ: ſed habitatio illa erat umbratilis duntaxat. Sequitur ergo novum genus præſentiæ hic notari, ubi ſcilicet non tantum ſub figuris & ſymbolis legalibus Deus ſe patefacturus erat populo ſuo: quin potius, ubi advenit plenitudo temporis & ſubſtantialiter habitavit inter ipſos, nempe quia Chriſtus Templum eſt Deitatis, & perfecte nos ita conjungit Deo Patri, ut unum cum ipſo ſimus. & hoc etiam diligenter tenendum eſt, quia hic ſimiliter diſtinguit Propheta inter veteres Legis figuras & inter ſubſtantiam, quæ tandem exhibita fuit in Chriſto: quia nunc umbris non opus eſt, ubi potimur re ipſa & tenemus eorum omnium complementum, quæ Deus tantum adumbrare ſub Lege voluit.

Da omnipotens Deus, quando vides nos aſſidue trepidare inter pericula, & infirmitate carnis noſtræ ſubinde concidere vel diffluere: da, inquam, ut ita recumbere diſcamus in illam virtutem & auxilium quod nobis promittis, ut non dubitemus tranſire per omne genus pericula, & fortiter ac conſtanter militare ſub tuo vexillo: & ita nos magis ac magis colligere io Eccleſiæ tuæ unitatem, donec defuncti omnibus moleſtiis & certaminibus, tandem perveniamus in beatam illam & cœleſtem quietem, quæ nobis parta eſt ſanguine Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO SEXTA IN ZACHARIAM PROPHETAM.

CAP. II.

11. Et adjungent ſe gentes multæ (*vel magnæ*) ad Jehovam in die illa, & erunt illi in populum: & habitabo in medio tui, & ſcies quod Jehova exercituum miſerit me ad te.

HIc deſcribitur à Propheta voluntaria deditio gentium, quæ ſe adjungent Eccleſiæ Dei, ut jam careant proprio nomine, & cenſeantur inter Judæos. hoc etiam ſumpſit Propheta noſter ex aliis qui idem prædixerant: ſed confirmat aliorum teſtimonia, ut ſciant Judæi non fruſtra Eccleſiæ propagationem fuiſſe ſibi promiſſam à tot teſtibus. Quod autem hic ſermonem habeat de vocatione gentium, quæ ſponte ceſſuræ erant Deo, ſatis conſtat. Dicit enim *fore Deo in populum*: hoc autem fieri non potuit, quin gentes perderent proprium nomen, ut efficerent unum corpus cum Judæis. Poſtea repetit quod dixerat Deum habitaturum in medio Judææ. De habitatione illa heri aliquid dictum fuit. nam quum jam cœpiſſent offerre ſacrificia in Templo, ſequitur jam tunc Deum apud ipſos habitaſſe. Ergo neceſſe eſt venire ad aliud habitationis genus: nempe quod Deus, qui prius multis documentis teſtatus fuerat ſe Judæis propinquum eſſe, in Chriſto demum hoc complevit: quia Chriſtus verus eſt Immanuel, & in ipſo Deus nobis adeſt cum plenitudine & virtutis & juſtitiæ & bonitatis & gloriæ. Tandem ſubjicit, *Scies quod Jehova exercituum miſerit me ad te.* Aliquid etiam dictum fuit de hac ſcientia: intelligit Propheta palam fore ipſo effectu, non fruſtra hæc fuiſſe prædicta: quoniam comprobabitur vaticinium coram omnium oculis. Scies igitur non certitudine fidei, quæ fundata eſt in verbo, ſed ipſa experientia. Cæterum, plus exprimit quam nuper. dicit enim, Scies quod Jehova miſerit me ad te. Particula אליך non ſupervacua eſt, quia paulo ante dicebat ſe mittendum eſſe ad gentes: nunc quia dicit ſe fore præſidem electo populo, exprimit etiam legationem ſuam illuc dirigi: & nominat Jehovam exercituum, ut ſibi perſuadeant Judæi nullam fore tantam difficultatem, quæ impediat vel moretur hoc Dei opus, quia inſtructus eſt ſummo imperio, ut facile poſſit exequi quicquid decrevit. non repeto quæ heri dixi de Chriſto: ſed tenendum tamen eſt illud memoria, nominari ſæpius Jehovam, qui tamen pronunciat ſe miſſum eſſe. Unde apparet in pluribus perſonis unam & eandem eſſe æternam eſſentiam Dei. Pergamus.

12. Et hereditario accipiet Jehova Jehudah partem ſuam in terra ſancta: & eliget adhuc Jeruſalem.

Confirmat Propheta ſuperiorem doctrinam: ſed tollit offendicula, quæ poterant Judæis obeſſe, quominus fidem adhiberent huic vaticinio. nam ad tempus fuerant rejecti: & nullum erat inter ipſos & alias gentes diſcrimen. Data illis fuerat terra Canaan in pignus hereditatis. Atqui expulſi inde fuerant: deinde nullum erat templum, nullus cultus, nullum regnum. Modis ergo omnibus colligere poterant Judæi ſe à Deo fuiſſe rejectos. Quamobrem Propheta hic promittit de integro reſtituendos eſſe in priſtinam ſortem, vel locum ſuum. *Deus*, inquit, *hereditario accipiet in partem ſuam Jehudah*, hoc eſt, re ipſa oſtendet Deus non eſſe abolitam memoriam electionis, qua ſegregavit ſibi Judæos. Voluit enim illos ſibi cedere in populum peculiarem. nunc permixti ſunt gentibus: diſſipatio videtur abdicationis ſignum eſſe: ſed tamen patebit, Deum memorem eſſe illius adoptionis, qua ſemel Judæos voluit ſibi colligere, ut ſeparata eſſet eorum conditio à reliquis gentibus. Quum ergo dicit Jehudah fore Deo in hereditatem, vel partem hereditariam, nihil novum affert: ſed tantum admonet non eſſe irritum fœdus illud, quo ſibi Deus elegit Jehudah in populum, quia hoc patebit ſuo tempore. Et eodem etiam pertinet poſterius membrum, ubi dicit, *Eliget adhuc Jehova Jeruſalem*. neque enim tunc primum cœpit Jeruſalem eſſe Dei civitas, quum ſtabilita fuit redemptio: ſed electio quæ pridem viguerat, quodammodo renovata fuit in hominum conſpectu. Perinde igitur eſt acſi diceret Propheta, quamvis abruptus fuerit curſus gratiæ Dei, tamen iterum oſtendet vos non-fruſtra ſemel fuiſſe electos in ſacrum populum, & Jeruſalem non etiam de nihilo fuiſſe electam quæ eſſet Sanctuarium ipſius Dei. Renovationem igitur Eccleſiæ his verbis intelligit Propheta. Interim notandum eſt quod alibi diximus, verbum Eligendi improprie vel ἀκυρολογικῶς hic ſumi: quoniam Deus non ſæpius eligit quos vult cenſeri in Eccleſia ſua. Una eſt igitur & ſimplex Dei electio, quia eſt æterna & immutabilis. ſed quoniam in ſpeciem tunc Jeruſalem erat rejecta, huc trahitur verbum eligendi, quod ſcilicet Deus palam faciet primam electionem ſemper fuiſſe firmam, utcunque abſcondita fuerit in oculis hominum. Poſtea adjungit,

13. Sile (*vel ſileat*) omnis caro à facie Jehovæ: quia excitatus eſt ex habitaculo ſanctitatis ſuæ. (*hoc eſt, ex loco ſuo ſancto.*)

Eſt obſignatio totius vaticinii quum Propheta hic magnifice extollit Dei potentiam, ne ſcilicet adhuc Judæi vel dubitent, vel trepident, quaſi rebus incertis. Dicit ergo quicquid hactenus aſſeruit eſſe indubium: quia exerere velit Deus virtutem ſuam, ut Eccleſiæ ſuccurrat & repellat quicquid erit obſtaculi. Alibi vidimus ſimiles ſententias, nempe ſecundo cap. Habacuc & primo Sophoniæ: & fere eodem tendebant Prophetæ illi, quia quum Habacuc diſſerit de reſtitutione populi, ita concludit ſermonem, Deum prodire ut ſilentium imperet cunctis mortalibus, ne quis ſcilicet obſtrepere audeat quum volet redimere ſuam Eccleſiam: ita & Sophonias ſtragem hoſtium Dei deſcribens, acſi juberet ex toto mundo Deus ſacrificia ſibi mactari, eadem loquutione utitur: acſi diceret, nihil eſſe quod Dei imperio obſiſtat. Proinde hoc quoque loco, *Sile omnis caro coram Jehova*, inquit. denique eſt epiphonema, quo inſultat Zacharias omnibus Eccleſiæ inimicis, & oſtendit fruſtra eos furere, quia nihil proficient utcunque tumultuentur. Silendi verbo ſubjectio intelligitur, ut tunc dictum fuit. non ſilent impii coram Deo ut placide obtemperent verbo ejus, vel ut reverenter amplectantur quicquid mandat vel jubet, vel ſe humilient ſub potenti ejus manu: hoc faciunt ſoli fideles. Eſt igitur ſpecialis ratio ſilendi electis & fidelibus, quoniam os ſponte occludunt ut audiant Deum loquentem. Sed dicuntur etiam ſilere impii, ubi Deus ipſorum veſaniam coarguit: & utcunque intus obmurmurent ac fremant, tamen non poſſunt coram reſiſtere, quin opus ſuum compleat, vel ampullis quas evomunt in fumum abeuntibus pudefiunt tandem. hoc modo nunc dicit Propheta, Sile omnis caro. Denique his verbis ſignificat, Deum ubi prodibit ad redimendam Eccleſiam, fore terribilem, ita ut cogantur expaveſcere quicunque antea furioſe oppugnaverant electum ejus populum. Quantum attinet ad locum ſanctitatis, potius interpretor de Templo quam de cœlo. Fateor quidem cœlum ita ſæpius vocari in Scriptura: dicitur ergo vel Palatium, vel Templum Dei, quia non poſſumus aliter ſentire ut oportet de immenſa Dei gloria, niſi ubi evehimur ſupra mundum. hæc ratio eſt cur Deus dicat ſe habitare in cœlo. ſed quoniam hic agitur de Eccleſia, non dubito quin Zacharias potius Templum deſignet. Certum quidem eſt, tunc nullum fuiſſe templum ubi cœpit Deus ſurgere quaſi à ſomno excitatus, ut populum ſuum reduceret. ſed quemadmodum dicuntur Pſ. 102. fideles miſereri pulveris Sion, quia locus ille ſacer manebat etiam in ſua deformitate & ruinis; ita etiam hoc loco dicit Zacharias Deum expergefactum eſſe. Unde? *Ex Sione*, inquit, hoc eſt, ex loco illo contemptibili & qui expoſitus fuit impiorum ludibriis: illic tamen Deus non deſtitit habitare, nempe ut erigeret rurſus Templum, in quo nomen ejus invocaretur uſque ad Chriſti adventum. nunc videmus melius quadrare Templo vel Sioni Sanctuarii nomen quam cœlo, ſi expendimus omnes circumſtantias. Sequitur,

CAPUT III.

ET oſtendit mihi Jehoſuah Sacerdotem magnum ſtantem in conſpectu Angeli Jehovæ: & Satan ſtantem ad dexteram ejus, ut adverſaretur illi.

2. Et dixit Jehova ad Satan, Increpet te Jehova, Satan, & increpet (*hoc eſt, iterum increpet*) te Jehova, qui elegit Jeruſalem: annon hic torris erutus ex igne?

DIximus initio Zachariam miſſum fuiſſe in hunc finem, ut debiles animos erigeret: quoniam difficile erat bene ſperare in rebus tam confuſis. Redierat aliqua, ſed exigua tantum portio gentis ex tribu Jehudah: deinde ſtatim ſurrexerant multi hoſtes, à quibus impediebatur ædificatio urbis & Templi: & quum ſingula reputarent fideles, non poterat concipi ulla fiducia redemptionis qualis promiſſa fuerat. Zacharias ergo in hoc totus incumbit, ut plus expectent fideles quam conjicere liceat ex præſenti aſpectu: ſed potius oculos & ſenſus ſuos extendant ad virtutem Dei, quæ nondum patebat: imo quam Deus data opera volebat ſupprimere, ut probaret populi ſui patientiam. hoc nunc argumentum proſequitur quum dicit oſtenſum ſibi fuiſſe *Jehoſuah Sacerdotem, & Satan ab ejus latere dextro, qui adverſaretur*: Deum tamen fuiſſe intermedium. Quod ergo Zacharias dicit ſibi fuiſſe oſten-

oſtenſum Sacerdotem Jehnſuam, non tantum hoc factum eſt in viſione, ſed res omnibus erat nota, Jehoſuam ſcilicet carere Sacerdotali gloria qualis fuerat ante exilium: nam tunc longe fulgebat alia dignitas quam poſt reditum populi. hoc igitur erat omnibus notum: ſed viſio ob has cauſas oblata fuit Prophetæ, ut iotelligerent fideles ſibi certamen eſſe cum Satana potius hoſte ſpirituali, quam cum vicinis gentibus: deinde ut etiam ſcirent remedium eſſe in promptu, quia Deus ſtaret à parte Sacerdotii, quod ipſe inſtituerat. Priore igitur loco monere voluit Deus fideles, noo eſſe ipſis bellum cum carne & ſanguine, ſed cum diabolo ipſo. hoc eſt unum. deinde voluit eos ad ſe revocare, ut confiderent ſibi fore liberatorem optimum ex omnibus periculis. Quoniam tenemus finem hujus vaticinii, nuoc venio ad Prophetæ verba. Dicit ſibi oſtenſum fuiſſe Jehoſuah. Factum eſt hoc proculdubio in viſiooe prophetica, ſed interim nihil vidit Zacharias in ſpiritu, quod non eſſet pueris etiam ipſis vulgare. ſed quemadmodum jam dixi, notandum eſt quorſum ſpectet viſio, nempe ut intelligant fideles ideo vicinos moleſtos eſſe, quoniam Satao omnem lapidem moveat & omnia experiatur ad abolendam Dei gratiam. hoc autem valde tunc utile fuit Judæis, ſicuti etiam hodie nobis eſt. Miramur cur tam multi hoſtes quotidie contra nos ebulliant, & cur totus mundus ita ardeat implacabili odio contra nos: deinde cur tot inſidiæ exoriantur, tot etiam impetus moveant, qui tamen oon provocati ſunt à nobis: nempe quia non tenemus principium illud, bellandum nobis eſſe cum diabolo capite & principe totius mundi. nam ſi hoc eſſet nobis penitus infixum, ſcimus à diabolo impelli omnes impios: non eſſet igitur oobis hoc novum ita contra nos omnes certatim furere. Quare? Uno enim ſpiritu
Joan. 8. aguntur, & pater ipſorum eſt homicida, ut fuit ab
verſ. 44. initio. Videmus ergo edoctos fuiſſe fideles de re admodum neceſſaria, nempe ideo moleſtiam illis fieri à multis gentibus, quoniam Satan advigilet in eorum perniciem. Etſi autem viſio hæc Prophetæ oblata fuit in uſum ſuæ ætatis, non dubium tamen eſt quin ad nos quoque pertineat. nam Sacerdotium illud umbratile, imago fuit Sacerdotii Christi: & Jehoſuah, qui tuoc reverſus eſt ab exilio, etiam geſtavit Chriſti Filii Dei perſonam. Sciamus ergo Chriſtum nunquam Sacerdotio fungi, quin Satan ſtet ab ejus latere, hoc eſt, quin excogitet omnes modos quibus poſſit Chriſtum revocare & abſtrahere à ſuo officio. Hinc ſequitur, nimium eos falli qui putant ſe otioſe poſſe degere ſub Chriſto: quoniam propoſita eſt nobis militia, ut quiſque ſeipſum armet atque inſtruat. ergo hodie quum videmus tanta inſania rapi totum mundum, ut nos oppugnet, imo prorſus aboleat, non ſubſiſtant ſenſus noſtri in aſpectu carnis & ſanguinis: quia Satan præcipuus eſt bellator qui nos oppugnat, & utitur mundi inſania, ut nos undique labefactet, ſi poſſit. Satan ergo ſemper ſtabit ad dexteram Chriſti, nempe ut non ſinat ipſum tranquille fungi ſuo Sacerdotio. Jam ſequitur ſecunda ratio vaticinii, quod Deus intercedit & ſeſe opponit pro Eccleſia adverſus Satanam. Dicit igitur, *Increpet te Deus, Satan, increpet te Deus, qui elegit Jeruſalem.* Loquitur hic Deus, & tamen videtur eſſe potius Angelus Dei. ſed hoc non male quadrat: quemadmodum etiam proximo verſu ubi dicebat Zacharias Jehoſuam ſtare coram Angelo Jehovæ, non dubium eſt quin Chriſtum intelligat, qui tam eſt Angelus Jehovæ quam ipſe Jehova. Ita etiam hoc loco poteſt idem dici. Cæterum ne quis rixator dicat nos nimium argute accipere verba, ſumere etiam licet ſimpliciter quod Deus nomen
Geneſ. 19. ſuum hic proferat in tertia perſona. & hic modus
verſ. 24. loquendi non rarus eſt Scripturæ: Pluit Jehova à Deo. Quorſum ita loquitur Moſes? nempe quod Deus quum fulminaret contra Sodomam non uſus fuerit vulgari aliquo modo, ſed palam oſtenderit eſſe aliquod extraordinarium & ſingulare judicium. ita emphatica erit hæc loquutio, Increpet te Jehova, hoc eſt, Ego ipſe te increpabo. Tamen ſiquis totum contextum reputet, fatebitur proprie hoc dictum competere in perſonam Chriſti, qui Eccleſiæ ſuæ patronus eſt: ideoque ille fuit Angelus coram quo ſtabat Jehoſuah, & idem ipſe poſtea oſtendit Eccleſiam fore tutam ſuo patrocinio. *Jehova* igitur *increpet te Satan, & increpet.* Repetitio etiam melius confirmat quod voluit docere Zacharias, nempe fore ſatis præſidii io uno Deo ad Eccleſiam ſervandam, quamvis Satan omnes ſuas vires in ejus perniciem explicet: deinde quamvis non ſtatim ſuccurrat Deus & compeſcat Satanam, eſſe tamen bene ſperandum, quia tandem hoc fiet tempore opportuno. Summa eſt, Deum quamvis huc uſque laxet frena Satanæ, ut oppugnet Eccleſiam in ipſo Sacerdotio, tamen fore Deum Eccleſiæ ſuæ fidum cuſtodem, ut Satanam prohibeat ne exequatur quod propoſuit: deinde patienter ferēnda eſſe multa certamina, donec completum ſit tempus militiæ. nunc ergo videmus quid velit Propheta his verbis. Cæterum, increpatio Dei non debet tantum ad vocem referri & verba, ſed ad efficaciam imperii, quo Deus omnes Satanæ conatus evertit ac proſternit. Et ſimul adjungit quorſum ſpectet iſta increpatio, nempe ut ſalva & incolumis maneat Eccleſia. *Deus* ergo *qui elegit Jeruſalem, ille te compeſcat.* Hæc noo debent legi ſeorſum, ſed conjunctim: quaſi diceret, Deus in ſalutem electi populi attollat manum ſuam, ut te Satan cum omnibus tuis furiis profliget. Hæc ſumma eſt. ergo ſciamus Deum oon eſſe Satanæ hoſtem ſimpliciter, ſed quatenus ſuſcipit nos in fidem ſuam & tueri vult ſalvos uſque ad finem. Quatenus ergo Deus Redemptor eſt noſter & vult eſſe æternus cuſtos ſalutis noſtræ, armatus eſt contra Satanam, ut eum compeſcat. Nobis ergo difficile eſt ac moleſtum bellum: ſed victoria tamen minime dubia eſt, quoniam Deus à parte noſtra ſemper ſtabit. Cæterum, ſimul monemur non reſpiciendum eſſe quid ſimus meriti, ut bene ſperemus de auxilio Dei: quia hoc totum pendet à gratuita ejus adoptione. Etſi ergo indigni ſumus quorum in gratiam Deus pugnet, tamen electio ejus ſufficit, ut bellum denunciet Satanæ noſtra cauſa. Diſcamus igitur recumbere in gratuitam Dei adoptionem, ſi volumus intrepide gloriari contra Satanam & contra omnes ejus inſultus. Unde ſequitur, nebulones iſtos, qui hodie obſcurant, & vellent, ſi in ipſis eſſet, extinguere electionis doctrinam, eſſe hoſtes humani generis: quia nihil aliud ſtudent quam evertere omnem ſalutis fiduciam. Tandem adjungit, *Annon iſte eſt torris erutus ex igne?* Hic prædicat Deus gratiam ſuam, qua uſus fuerat erga Sacerdotem: ut ſtatuant fideles fore Jehoſuah ſuperiorem ſuis hoſtibus, quia Deus opus ſuum noo deſeret. ſemper enim primis ultima reſpondent quantum ad gratiam Dei: neque fatigatur in ipſo curſu beneficentiæ. Hæc ratio eſt cur nunc objiciat Satanæ, Quid? Deus mirabiliter eripuit hunc Sacerdotem quaſi torrem ex incendio. Quum ergo miraculum Dei appareat in reditu Sacerdotis, quid tibi vis Satan? Tu inſurgis contra Deum: tu putas fieri poſſe ut Sacerdotium hoc perdas, quod tamen Deus ſingulari gratia voluit hactenus ſtare. Vide unde exierit. quaſi diceret, Sacerdos quamdiu fuit in Chaldæa viſus eſt eſſe in ipſis inferis: tameo Deus inde ipſum eripuit. nunc vero quum in Templo ſedeat & officio ſuo fungatur, an poteris detrahere è cœlo, quem non potuiſti retinere in inferno? Nunc tenemus conſilium Prophetæ, quod ad iſtam ſimilitudinem ſpectat. Poſtea adjungit,

3. Et Jehoſuah erat indutus veſtibus ſordidis: & ſtabat in conſpectu Angeli.

4. Et reſpondit, & dixit his qui ſtabant coram ipſo, dicendo, Tollite veſtes ſordidas ab eo: (*de ſuper eo, ad verbum*) & dixit ad eum, Ecce tranſire feci (*hoc eſt, abſtuli*) abs te iniquitatem tuam, & veſtiam te mutatoriis.

Hic aliud adjungit Zacharias, Jehoſuam fuiſſe indutum ſordidis veſtibus: ſed veſtes novas fuiſſe datas mandato Angeli. quibus verbis ſignificat, etiamſi Sacerdotium ad tempus eſſet contemptibile, tamen recuperaturum quicquid perdiderat dignitatis. Semper vero ad hunc ſcopum dirigit fideles, ut ſperent quod nec tunc videbant, nec etiam conjicere licebat ex præſenti rerum aſpectu. Certum eſt, non fuiſſe tale pretium veſtibus Sacerdotalibus poſt reditum ab exilio, quale ante fuerat. neque enim erat illis tam ſumptuoſa textura ad manum, deinde non erant tot lapides pretioſi: & quamvis Cyrus ſatis benigne ſuppeditaſſet magnam auri & argenti copiam ad Dei cultum, tamen Sacerdos non ita fulgebat lapidibus pretioſis & opere Phrygionum, ut ante exilium, quemadmodum diximus. ergo quod Zachariæ oſtenſum fuit, omnes tunc cernebant: ſed ſpectandum eſt nobis poſterius membrum, nempe quod *Angelus juſſerit mutari Sacerdoti veſtes.* Jubet igitur Propheta eſſe bono animo fideles, quamvis ſpecies Sacerdotis tunc vilis eſſet ac ſordida, quoniam Deus non ignoret contemptum illum Sacerdotii, ſed nondum advenerit remedii tempus: quia tunc reddetur priſtina dignitas Sacerdoti, ita ut appareat in ſpecie oova. Quantum ad verba ſpectat, primo notandum eſt quod dicit *ſtetiſſe Jehoſuam in conſpectu Angeli, quum indutus eſſet veſtibus ſordidis*, vel laceris. Videtur repetitio eſſe ſupervacua. Dixerat enim paulo ante, Jehoſuam fuiſſe coram Angelo Dei: Quorſum nunc iterum inculcat ſtetiſſe coram Angelo? nempe ut fideles animos ſuos ſuſtineant, quia Deus conſulto velit Sacerdotem jacere in iſtis ſordibus. putamus enim Deum noſtri eſſe oblitum ubi non ſtatim ſuccurrit, vel ubi res ſuot incompoſitæ. Occurrit ergo dubitationi Zacharias quum dicit fuiſſe Jehoſuam in conſpectu Angeli. Iooterea etiam admonet, quamvis totus mundus deſpiceret illud Sacerdotium, tamen eſſe ſub Dei oculis. Conſpicui erant alii Sacerdotes in oculis hominum, & vertebant in ſe omnium oculos non ſine admiratione, quemadmodum ſatis notum eſt. ſed ſcimus non veniſſe in ratiooem coram Deo profana omnia ſacerdotia. Tametſi ergo fulgerent coram mondi oculis profana ſacerdotia, erant mera abominatio coram Deo: ſed ſacerdotium Jehoſuah quantumvis eſſet abjectum & putidum, tamen teſtatur Zacharias fuiſſe ſub oculis Dei. Jam videmus vocari Angelum qui ſæpius dictus eſt Jehova. non dubito igitur, quantum ad me ſpectat, quin nomen tam Angeli quam Jehovæ debeat referri ad Chriſti perſonam, qui verus & unicus eſt Deus: interea eſt mediator inter Patrem & fideles: & ideo pro imperio mandat aſtantibus, nempe Angelis. erat enim illic Chriſtus: ſed cum ſua caterva. Quum ergo aſtarent Angeli præſto ad obſequium, ideo dicitur mandaſſe ut exuerent Sacerdotem veſtibus illis abjectis. Poſtea convertit Angelus ſermonem ad ipſum Jehoſuam: *Vide, tranſire feci abs te iniquitatem tuam, & jam te induam novis veſtibus*, vel mutatoriis. Quum dicit Angelus *ſe abſtuliſſe iniquitatem*, admonet merito in ſqualore illo jacere tam Sacerdotem quam populum, quia ſcilicet ſeſe nudaveriot omni gloria propter ſuas iniquitates. Videmus ergo hic occludi ora Judæis, ne Deo obmurmurent, quoniam ſinat illos ita reſidere in ſordibus: digni enim ſunt qui ita jaceant. & Dominus vocat ſordes iſtas iniquitates hac ratione. Jam interea admonet, quamvis hoc promeriti ſint ſuis peccatis Judæi, ut in luctu & ſqualore & ſordibus putreſcant: tamen Dominum tandem non paſſurum indignitatem hanc quin ſubveniat. Hæc igitur ſumma eſt prophetiæ, quod utcunque offendat Judæos conſpectus ignominiæ in perſona Sacerdotis, bene tamen ſperandum eſſe, quia remedium eſt in manu Dei, qui tandem mutabit dedecus & probrum Sacerdotis in ſummam gloriam; ubi ſcilicet tempus gratuitæ remiſſionis vel beneplaciti advenerit.

Da omnipotens Deus, quando nos in Filio tuo feciſti Sacerdotium regale, qui tibi qnotidie offeramus ſpirituales hoſtias, ac tibi corpore & animo ſimus ſacri: da, inquam, ut inſtructi virtute tua, etiam fortiter militemus contra Satanam: nec dubitemus quin tandem daturus ſis victoriam, utcunque nobis ſubeundæ ſint multæ moleſtiæ & difficultates: & ne abſterreat nos, vel exanimet contemptus mundi, ſed feramus patienter noſtras omnes ignominias, dooec tandem porrigas nobis manum & attollas nos in eam gloriam, cujus perfectio jam in capite noſtro apparet & tandem etiam conſpicua erit in omnibus membris & toto ejus corpore, ubi ſcilicet occurret nobis, ut colligat nos in regnum ſuum cœleſte, quod peperit nobis ſanguine ſuo, Amen.

PRÆLECTIO SEPTIMA IN ZACHARIAM PROPHETAM.

CAP. III.

5. Et dixi, Ponant cidarim puram (*aut diadema purum*) ſuper caput ejus: & poſuerunt diadema purum ſuper caput ejus, & induerant (*id eſt, poſtquam induerant*) illum veſtibus: & Angelus Jehovæ ſtabat.

Dixerat Propheta Jehoſuam fuiſſe veſtitum ſplendide & ornate quum prius eſſet in ſordibus, idque factum eſſe mandato Angeli: nunc addit ſe optaſſe adhuc majorem præſtantiam, quia videbat aliquid ad perfectionem deeſſe. Cupit igitur ornari diademate Sacerdotem, ut omni ex parte reſpondeat habitus officii dignitati. Quod ergo hic ponitur, Prophetam loquutum eſſe, non debet intelligi de imperio: potius concepit votum, acſi dixiſſet lætum quidem & jucundum eſſe ſpectaculum illud, quod redditæ eſſent veſtes honeſtæ & decoræ Sacerdoti; ſed interea optandum eſſe, ut accederet corona vel cidaris, tanquam inſigne Sacerdotale, non autem regium. Quanquam ſiquis etiam regnum ootari velit, nihil erit incommodi. Scimus enim regnum fuiſſe coojunctum ſacerdotio in Chriſti perſona. ſed cidarim accipio pro tiara Sacerdotali. Scimus enim hunc fuiſſe præcipuum ornatum quoties Sacerdos ingrediebatur ad altare thymiamatis. ſed quantum ad ſummam rei ſpectat, tenemus conſilium Prophetæ, nempe Sacerdotem ita fuiſſe ornatum ſplendidis veſtibus, ut tamen nondum

dum omni ex parte conſtaret dignitas: ideo cupit Propheta adjungi etiam mundam cidarim vel tiaram. dicit hoc quoque fuiſſe factum, & quidem in conſpectu Angeli: quo ſignificat votum ſuum fuiſſe approbatum divinitus. Hic autem primo loco expendere convenit zelum Prophetæ & piam ſollicitudinem, quam gerebat pro Sacerdotii præſtantia & honore: etſi enim lætus ſpectabat ornatum Sacerdotis, non potuit tamen ſibi temperare, quin cuperet addi perfectionem. & hoc exemplum nobis ad imitationem proponitur, ut ſcilicet optemus augeſcere Dei gratias, quibus ſacerdotium Chriſti inſignitur, donec ad ſolidam perfectionem aſcendat. Videmus autem multos huic voto obſiſtere: quia hodie qui profitentur aliquod ſtudium ſinceræ pietatis, contenti eſſent umbra aliqua: vel ſaltem, modo viderent dimidia ex parte purgatam Eccleſiam, hoc illis abunde ſufficeret. & mundus refertus eſt iſtis hominibus, qui fatentur quidem Eccleſiam fœdatam eſſe multis corruptelis: ſed vellent exiguam aliquam reformationem. Atqui longe alio nos Propheta vocat. Videbat jam Sacerdotem decoratum eſſe novis veſtibus: ſed ubi conſiderat nondum omnibus numeris honorem ſacerdotii eſſe reſtitutum, cupit etiam adjungi cidarim. Quod autem dicit obſecundaſſe tali voto Angelos, debet nos animare, ut certo nobis perſuaſum ſit, modo cupiamus ex animo gloriam ſuam Chriſto tribui, Deum exauditurum vota noſtra: quia Propheta quum gemeret, non fruſtra rogavit Angelos, ut circumdarent etiam corona Sacerdotem. Particula etiam hæc non eſt ſupervacua ubi dicit *Angelum Dei ſtetiſſe.* non erat autem otioſus ſpectator: ſed ſignificat non ſemel tantum curæ fuiſſe Deo ſacerdotium, imo Angelum ſemper fuiſſe in excubiis, ut tueretur Jehoſuah: quia non ſatis eſſet à Deo ſemel ornatum eſſe, qui Eccleſiæ præſidet, niſi etiam accederet hæc perpetua cuſtodia. Nunc ergo tenemus ſummam verborum. Sequitur,

6. Et conteſtatus eſt Angelus Jehovæ Jehoſuam, dicendo,

7. Sic dicit Jehova exercituum, Si in viis meis ambulaveris, & cuſtodiam meam cuſtodieris, tu quoque judicabis domum meam, (*vel gubernabis: דין eſt Judicare; ſed verbum illud refertur ad quodlibet regimen, ut alibi viſum eſt. Gubernabis ergo domum meam, hoc eſt, præeris Templo meo*) atque etiam cuſtodies atria mea: & dabo tibi tranſitus inter iſtos qui adſtant.

Hic Propheta oſtendit in quem finem Deus reddiderit Jehoſuæ legitimum ornatum & ſplendorem: & docet hoc non eſſe factum ſimpliciter in gratiam hominis, ſed quia Deus tueri velit cultum ſuum. Hæc ratio eſt cur Angelus hortetur Jehoſuam, nempe quia ſemper reputare nos decet quem in finem tam liberaliter Dominus agat nobiſcum & dignetur nos ſingularibus donis. nam omnia hæc referenda ſunt ad gloriam ejus & cultum: alioqui profanatur quicquid in nos bonorum confert. præcipue vero hoc tenendum eſt ubi agitur de Eccleſia & ejus regimine. Scimus enim quam proclive ſit hominibus, trahere ad ſuam tyrannidem quicquid Deus Eccleſiæ ſuæ tribuit. Vult ergo Deus audiri ubi loquitur per ſervos ſuos & quos præfecit doctores. Jam videmus ut ab initio mundi hoc prætextu ambitioſi & ſuperbi homines dominati fuerint, & ita expulerint Deum ſuo imperio. Imo Satanæ mancipia arrogant ſibi plenam & effrenem dominationem in omnes fideles: quia Deus vult ſacerdotium eſſe honorabile, & commendat Eccleſiæ ſuæ regimen. Quoniam ergo omnibus ſeculis Satan abuſus eſt magnificis elogiis quibus Deus Eccleſiam ſuam ornat, ideo ſemper addenda eſt hæc exhortatio quæ nunc attingitur à Propheta, quod ſcilicet Deus noluerit homines extollere ut ipſe quaſi privatus quiſpiam loco ſuo & gradu cedat: ſed totam excellentiam Eccleſiæ huc ſpectare, ut Deus ipſe pure colatur, ut omnes ſeſe ſubjiciant ejus imperio, non modo gregarii homines, ſed ipſe etiam Sacerdos. Quicquid ergo excellentiæ eſt in Eccleſia, hoc totum Deus vult cogi in ordinem, ut ſolus ipſe emineat: & merito. nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ. Et quo plus ponderis habeat hæc doctrina, dicit, *Angelum conteſtatum eſſe.* nam verbum quo utitur eſt forenſe, vel legale. Dicitur ergo quiſpiam alium conteſtari, ubi ſolenni proteſtatione, ut ita loquar, utitur. Denique conteſtatio differt à communi ſermone, quia illic interponitur vel juſjurandum, vel legitima auctoritas, quaſi ſacra eſſent verba. Voluit ergo Spiritus ſanctus hoc verbo reddere nos magis attentos, ut ſciamus non agi nunc de re vulgari, ſed Deum interponere vel juſjurandum, vel aliquid tale, quo ſcilicet plus reverentiæ ſibi in hoc mandato vel edicto conciliet. *Conteſtatus eſt* ergo *Angelus Jehovæ Jehoſuam, dicendo, Sic dicit Jehova, Si ambulaveris in viis meis, & ſi cuſtodiam meam cuſtodieris.* Nunc breviter docet Angelus non excellere Sacerdotes, ut pro ſua libidine exultent, ſed lege hac interpoſita, ut fideliter exerceant munus ſuum & obtemperent vocanti Deo. Videmus ergo res eſſe conjunctas, dignitatem ſacerdotii & fidem quam præſtant Dei miniſtri, qui vocati ſunt ad munus illud. Qui ergo ſine freno dominari volunt, ſatis hoc uno demonſtrant ſe non eſſe legitimos Dei ſacerdotes: quia Jehoſuah Chriſti perſonam geſſit: videmus tamen ut Deus obſtringat eum certa lege, ne ſcilicet fretus honore & titulo plus ſibi uſurpet quam liceat ac fas ſit. Si Jehoſuah, qui fuit Chriſti imago cum ſuis ſucceſſoribus non debuit excellere, niſi ut Deo pareret, jam videmus quam ſtulta ſit & putida etiam arrogantia Papæ, qui nudo titulo contentus, vult ſibi totum mundum reddere obnoxium, quaſi Deus ceſſiſſet jure ſuo. Cæterum, ſimul videndum eſt quid intelligat per Vias, & per Cuſtodiam. Non dubium eſt quin reſtringi debeant hæc duo ad officium Sacerdotis. Generaliter mandat Deus nobis, ut ſequamur quo ipſe vocat: & quicquid præſcribit ad regulam pie & recte vivendi vocatur Cuſtodia: quia ſcilicet Dominus non patitur nos vagari, ſed occurrit erroribus & oſtendit quid ſequendum ſit. Eſt igitur generalis quædam cuſtodia quæ reſpicit omnes fideles. ſed cuſtodia ſacerdotalis, quemadmodum nuper attigi, reſtringitur ad ipſum officium. Scimus autem non extolli homines à Deo, ut ipſe reſignet imperium ſuum. Mandat quidem ſuas vices hominibus, & proprie ſunt Dei vicarii quicunque pure & fideliter docent ex ejus ore: ſed non minuitur tamen Dei imperium ubi utitur hominum opera & adhibet eos miniſtros. Videmus ergo in hoc poſitam eſſe cuſtodiam ſacerdotalem, ut Eccleſia regatur puro Dei verbo. Et ideo adjungit, *Tu quoque*, inquit, *gubernabis domum meam.* Eſt igitur ſemper notanda hæc conditio, ubi poſtulant Eccleſiæ præſides ſibi audientiam dari: nempe *ut cuſtodiant Dei cuſtodiam.* Verum quidem eſt præclaris elogiis ornari omnes verbi miniſtros: ſed quemadmodum dixi, eorum dignitas præpoſtera eſt ſi obſcuret Dei gloriam. Quoniam ergo ſic audiri vult Deus homines, ut nihil ſibi decedat, ſemper notanda eſt iſta conditio, *Gubernabis domum meam ſi ambules in viis meis.* Quæritur tamen ubi declinant Sacerdotes ab officio, an ſpoliandi ſint ſtatim ſuo jure. Reſpondeo purgandam eſſe Eccleſiam quoad licet: ſed utendum tamen eſſe legitimo ordine, ut Eccleſia abdicet omnes improbos, qui non reſpondent officio ſuo, neque præſtant quam decet integritatem, neque funguntur

guntur erga Deum partibus ſuis. Quicunque ergo vel deſciſcunt vel declinant à recto curſu, illi merito abdicari debent, ſed legitimo ordine. Ubi autem major pars cupit habere paſtores, qui verius lupi cenſeri debent, tolerandos eſſe illos etiamſi indigni ſiot honore: ſic tamen eſſe tolerandos, ut non opprimant ſua tyrannide Eccleſiam, neque ad ſe rapiant quod proprium eſt Dei unius, neqoe etiam illis adulterare liceat vel cultum Dei vel puram doctrinam. Quicqoid ſit, coram Deo non ſunt legitimi ſacerdotes, niſi qui exercent bona fide officium ſuum & vocationi Dei reſpondent: ſicuti videbimus iterum Malach. 2. cap. Ego eoim non libenter multa accumulo, ſed mihi ſufficit in medium afferre quæ flagitat loci expoſitio. denique paſtores ita Eccleſiæ præſunt ſicuti divinitus ſunt præfecti, ut tamen non exerceant proprium dominium, ſed gubernent Eccleſias ſecundum præſcriptum ipſius Dei, ut Deus ipſe ſemper gubernet per manum hominum. Quod adjungit de atriis, *Cuſtodies atria mea*, videtur non eſſe honorificum Sacerdoti. Eſt enim vile obſequium, ſedere in atriis templi. ſed per ſynecdochen Propheta complectitur totius templi cuſtodiam. Fuit autem hæc non vulgaris dignitas, ſacrum illud domicilium Dei ſervare. ergo non immerito hoc additur, *Jehoſuam fore templi cuſtodem, ſi ambulet in viis Domini.* Atqui hodie videmus ut larvati Eccleſiæ Præſules in Papatu non modo vilipendant templi cuſtodiam, ſed procul à ſe rejiciant, quia videtur hoc indignum eſſe ipſorum præſtantia. Voco templi cuſtodiam; non ut ſint æditui, ſed quicquid pertinet ad Dei cultum. nam illis & paſcere gregem, & defungi officio paſtorum, & Sacramenta etiam adminiſtrare, ſordidum eſt. Facile igitur feret Papa cum omnibus ſuis, ſe privari templi cuſtodia: ſed interim vellet profano & tyrannico more dominari, & quidem pro ſua libidine. Atqui hic videmus in ſacerdote præcipue commendari templi cuſtodiam, ut ſit iſte præcipuus honor. Deinde videmus etiam qua lege Deus promittat ſacerdotibus, ſtaturos in ſua dignitate, nempe ſi ambulent viciſſim ipſi in viis ejus. Poſtea addit, *Dabo tibi tranſitum inter iſtos qui aſtant*, hoc eſt, efficiam ut te admittant, & libenter recipiant pii omnes. Neque enim dubium eſt quin Angeli qui aſtabant, repræſentaverint corpus Eccleſiæ, ſicuti permixti ſunt fidelibus, quoties in Chriſti nomine conveniunt, ut Paulus docet 11. cap. prioris epiſtolæ ad Corinth. Aſtabant quidem tunc ſoli Angeli, ſed perinde eſt acſi diceret Deus, Te agnoſcent omnes fideles, ut liber tranſitus tibi inter ipſos pateat, modo ambules in viis meis. Tranſitus autem ponit in plurali, quia loquitur de continua reverentia. Summa eſt, Sacerdotem ſemper dignum eſſe obſervantia & honore in cœtu piorum, ubi fideliter exequitur ſuum munus & paret vocanti Deo. Ex oppoſito colligimus merito debere excludi omnes larvatos paſtores, qui non modo ſunt apoſtatæ & perfidi Deo, ſed cuperent Eccleſiam perdere, imo ſunt etiam lupi voraces & ſpirituales tyranni vel carnifices. Quicunque ergo tales ſunt, aperte pronunciat Angelus non modo tranſitu eſſe indignos, ſed debere excludi & exterminari ab Eccleſia. Nunc ergo videmus quod dixi, quicquid eſt excellentiæ in Eccleſiæ paſtoribus noo debere à cultu Dei ſeparari, quia Deus non reſignat imperium ſuum mortalibus, neque quicquam diminuit ex jure ſuo: ſed tantum cooſtituit homines miniſtros, ut ipſe per manum eotum gubernet ſolus ſuam Eccleſiam & ſolus ipſe emineat. unde ſequitur, indignos eſſe honore qui non funguntur ſincere officio ſuo: & ſi rapiunt ad ſe quod Dei eſt, ſpoliandi ſunt etiam titulo, qui tunc nihil aliud eſt quam larva Satanæ, qua decipere vult ſimplices. Poſtea adjungit,

8. Audi nunc Jehoſuah ſacerdos magne, tu, & ſocii tui qui ſtant (*vel habitant*) in conſpectu tuo, quia viri portenti ſunt iſti: quia ecce ego prodire facio ſervum meum germen. (*Ubi verti, Quoniam viri portenti ſunt, poteſt ita reſolvi oratio, Quamvis ſint viri portenti. ſed de ſenſu Prophetæ ſtatim dicam.*)

Hic docet Angelus quicquid hactenus oſtenſum fuit Zachariæ, eſſe umbratile, quia veritas ipſa nondum emerſit in medium, ſed ſuo tempore exorietur. Diximus hoc fuiſſe conſilium Dei, erigere piorum animos ad Chriſti expectationem, quia erant obſcura illa principia gratiæ. Oportuit igitur ipſos longe plus ſperare quam cernerent. & clarius id apparet ex præſenti verſu, quum Angelus dicit, *Audi nunc*. Præfatur enim ut ſibi attentionem conciliet: quaſi diceret ſe verba facere de re memorabili. Poſtea addit, *Tu, & ſocii tui qui ſunt in conſpectu tuo: mittam ſervum meum germen*: ſumamus iſtud, quia eſt præcipua pars ſententiæ. *Ecce ego mittam ſervum meum germen*, inquit. non dubium eſt quin ſignificet Deus exercituum Sacerdotem, qui excellet ſupra communem ſeoſum hominum. *Germen* enim ideo vocatur, quia prodibit quaſi ſurculus, ſicuti dicitur 11. capite Jeſaiæ & aliis locis. Perinde eſt igitur acſi diceret, Adhuc deſpicitur ſacerdotium hoc: tamen prodibit ſervus meus, hoc eſt, ſacerdos, quemadmodum ſolet germen oriri è terra, deinde creſcere. & צמח ſignificat etiam Surculum. Comparat ergo Chriſtum ſurculo, quia de nihilo, ut ita loquar, oriri viſus eſt, propterea quod principium ejus contemptibile fuit. Quid enim obtinuit excellentiæ Chriſtus in mundo quum natus eſt? deinde, quomodo auſpicatus eſt regnum ſuum? & quomodo initiatus eſt ſuo ſacerdotio? Certe ludibrio ſcimus fuiſſe habitum, quicquid Pater dederat honoris vel excellentiæ: non mirum eſt igitur ſi vocetur germen hac de cauſa. Nunc ſatis apparet ratio ſimilitudinis. etſi autem indefinite loquitur Angelus de ſacerdotibus, non dubium tamen eſt quin perſonam Chriſti interea deſignet. Quare? ab ipſo eveotu licet facere judicium. Quiſnam ſacerdos ſucceſſit Jehoſuæ, qui æquaverit honorem ipſius, vel etiam qui decima ex parte ad eum acceſſerit? Scimus pleroſque fere omnes fuiſſe homines profanos & impios: ſcimus ſacerdotium inter ipſos fuiſſe venale: ſcimus certaſſe crudeliſſimis odiis: imo ſcimus in ipſo templo jugulatum fuiſſe ſacerdotem, ita exarſerat ambitio, ut non poſſent niſi per ſanguinem innoxium perrumpere. Nihil ergo poſt mortem Jehoſuæ fœdius vel magis pudendum fuit Judaico ſacerdotio. Ubi ergo reperietur *ſervus ille Dei germen*? Deinde principium illud ſemper tenendum eſt, renovationem templi fuiſſe in Chriſti perſona. neceſſe igitur eſt ad ejus perſonam venire, ut habeamus ſervum hunc cujus fit mentio. Cur autem Servus vocetur, alibi dictum fuit: quia non modo ſe exinanivit, ut eſſet Patris miniſter, ſed etiam hominum. Quoniam ergo non gravatus eſt Chriſtus hominum miniſter eſſe, non mirum ſi vocetur Dei ſervus. Jam videndum eſt, cur jubeat Angelus Jehoſuam & ſocios ejus audire. non dubito quin oblique perſtringat vulgi incredulitatem. Pauciſſimi enim tunc erant qui animis conciperent futurum & ſpirituale ſacerdotium. Vulgus quidem in ore habebat promiſſiones, ſed omnes fere affixi erant terræ & mundo. Hæc ratio eſt cur Angelus ſermonem peculiariter dirigat ad Jehoſuam & ejus ſocios: quia videbat clauſas fere eſſe aliorum aures: videbat tantam eſſe in ipſo populo ſocordiam, ut nemo fere capax eſſet hujus doctrinæ. & hoc modo voluit occurrere ten-

tentationi, quæ debilitare poterat animum Jehoſuæ. Scimus enim quam proclive ſit deficere ubi totus mundus nos ad defectionem rapit: quia ut quiſque noſtrûm infirmus eſt, ita cupimus aliis inniti. Ubi autem nulla eſt fides, nulla religio, nulla pietas in hominibus, quiſque labaſcit. denique vix poſſumus Deo credere & manere fixi in ejus verbo ſine pluribus ſociis & ſine turba. Ubi autem incredulitas paſſim graſſatur, fides etiam noſtra vacillat. ideo nunc Angelus Jehoſuam ſeorſum colligit & ſocios ejus: quaſi diceret non eſſe cur pendeant ex multitudine, ſed potius reſpiciendum eſſe in Deum, ut verbo ejus inixi expectent patienter quod pollicitus eſt, etiamſi alii omnes gratiæ renuncient. Tu ergo & ſocii tui qui ſtant in conſpectu tuo. Addit, Quia viri ſunt portenti, vel quamvis ſint viri portenti. ſed eodem redibit ſenſus. Significat enim Deus, etiamſi totus fere populus reſpuat quod nunc prædicit de inſtauratione ſacerdotii, tamen hoc verum eſſe, & ſuo tempore fore ratum. Alii exponunt Viros prodigii, quia eſſent admirabiles: & putant inſigniri hoc titulo vel encomio ſocios Jehoſuæ, quoniam victrix eſſet ipſorum fides, & emergeret ſupra omnia impedimenta. ſed mihi videtur aliud prorſus velle Propheta, nec dubito quin conveniat hic locus cum ſimili Jeſaiæ, qui legitur capite octavo: vocat etiam illic fideles Viros prodigii, vel dicit fuiſſe in ſignum & prodigium: quoniam eſſent quaſi deteſtabiles, Quid ſibi volunt iſti? Quoniam ergo ad ſpectaculum illud quaſi novum & inſolitum omnes obſtupeſcebant, quum occurreret quiſpiam fidelium, dicit Propheta tunc pios Dei cultores fuiſſe in ſignum & prodigium. Ita etiam nunc, Viri ſunt portenti. Videmus ſatis clare disjungi à reliquo numero, vel communi turba ſocios Jehoſuæ. Cur? non tantum quia eſſent admirabiles: nam illud eſſet frigidum; ſed quia erant omnibus probroſi. Deinde vix erant tolerabiles populo, quum omnes fremerent, Quid ſibi volunt iſti? volunt ſapere ſupra Eccleſiam. Sicuti hodie videmus nos damnari à Papiſtis: O! ſcilicet iſti creabunt novum mundum, creabunt novam legem: non ſufficit illis majorum noſtrorum gubernatio: nos habemus Eccleſiam fundatam tot ſeculis: pugnat pro nobis antiquitas: denique convellunt iſti homines quicquid ab initio uſque fuit ſancitum. Similiter & ſub Jehoſua & ſub Jeſaia fuerunt prodigioſi quicunque ſimpliciter fidem habebant Deo. Populus enim jam proſilierat ad effrenem licentiam, ut eſſet quaſi portento ſimile propter novitatem, retinere purum Dei cultum. Nunc tenemus ſenſum verborum ubi Angelus jubet Jehoſuam & ſocios ejus attendere: deinde, ubi vocat eos Viros portenti, & tandem promittit exoriturum inſtar germinis Sacerdotem, quia faciet Deus emergere Chriſtum, quamvis lateat non modo ſub pedibus, ſed etiam ſub terra ipſa, quemadmodum ſurculus prodit ex radice poſt exciſam arborem. Sequitur,

9. Quia ecce lapis quem poſui coram Jehoſua, ſuper lapidem unum ſeptem oculi: Ecce ego ſculpo ſculpturam ejus, (*lapidis*) dicit Jehova exercituum: & aufero iniquitatem terræ hujus, die una.

Fuſius declarat quod jam vidimus proximo verſu: tamen adhuc loquitur ſub figuris. Dicit fore ſeptem oculos ſuper lapidem qui poſitus eſt coram Jehoſua: & facturum Deum, ut die uno tollatur iniquitas terræ, ut ſcilicet nihil jam obſtet quominus recuperet priſtinam ſuam gloriam. Hæc ſumma eſt. ſed hic variant interpretes, præcipue in Oculis. Conſentiunt fere omnes Chriſtiani in voce Lapidis. putant enim notari Chriſtum: & ſcimus eſſe multos ſimiles locos, ubi Chriſtus vocatur Lapis, quia in eo fundata eſt Eccleſia: Ecce pono in Sion lapidem pretioſum, illo capite viceſimo octavo Jeſaiæ: item Pſalmo centeſimo decimo octavo, & aliis pluribus locis. Exiſtimo tamen Prophetam alludere ad Templum illud, quod tum cœperat extrui. ſed interea ſumo hoc quaſi confeſſum, vocari Chriſtum metaphorice Lapidem, ſicuti paulo ante Germen dictus fuit. Sed tenenda eſt anagoge ab externa figura templi viſibilis ad ipſum Chriſtum: *Ecce*, inquit Deus, *lapis quem poſui coram Jehoſuah præditus erit ſeptem oculis*: deinde, *ego expoliam pretioſis ſculpturis*, ita ut admirabilis ſit coram toto mundo. nunc tenemus & rem ipſam & modum loquendi. Quod ad rem ipſam ſpectat, dicit Angelus Templum illud quod extruere cœperat Jehoſuah, eſſe ædificium cœleſte. nam Deus hic pronunciat ſe eſſe auctorem ejus. Lapis quem poſui, inquit: ut ſciat Jehoſuah ſe non fruſtra impendere operam Templo ædificando. nam ſi fuiſſet opus humanum, poterat collabi, poterat etiam centies dirui manu hoſtium: ſed Deus prædicat Templum hoc fundatum eſſe ſua manu. interea, ſicuti dixi, extollit piorum mentes ad Chriſtum, qui eſt ſubſtantia & veritas Templi. Dicit igitur, Ego pono lapidem coram Jehoſuah: hoc eſt, tametſi Jehoſuah ædificat, architecti etiam ſedulo cum ipſo laborant: tamen ego ſum præcipuus Templi opifex & architectus. Dicit poſtea, ſuper hunc lapidem fore ſeptem oculos. Quidam hoc referunt ad ſeptem gratias Spiritus. ſed diſtinctio illa puerilis fuit, quum dixerunt ſeptiformem eſſe Spiritus gratiam: neſciunt quid garriant vel balbutiant: quia longe plures Scriptura commemorat. Deinde falſo prætendunt illum locum undecimi capitis Jeſaiæ: quia errarunt illic in numero, & fefellit eos verſio Latina. Alii putant per ſeptem oculos notari totius mundi reſpectum: quaſi diceret Angelus, Omnes oculos ſuos dirigent ad hunc lapidem: ſicuti etiam ſcimus Chriſtum evectum fuiſſe in ſublime, ut ad ſe attraheret cunctos mortales. Septem igitur oculi, id eſt, aſpectus omnium hominum erit ad hunc lapidem. Jam alii hoc referunt ad plenitudinem gratiæ quæ data fuit Chriſto. ſed ſimpliciter exiſtimo notari excellentiam, quemadmodum continuo poſt adjungit, Sculpam ſculpturas ejus. nam argutia illa futilis eſt, quod Deus ſculpſit ſculpturas ubi perfoſſum fuit latus Chriſti, ubi transfixæ fuerunt ejus manus & pedes: hoc eſt ludere, non ſerio interpretari Scripturam. Sed Propheta per Sculpturam intelligit pretioſam & eximiam ſpeciem hujus lapidis: quaſi diceret, Erit lapis inſignis omni præſtantia. Deus enim expoliet mirabilibus ſculpturis hunc lapidem. deinde erit lapis oculatus: hoc eſt, non tantum convertet ad ſe aliorum oculos; ſed illuminabit, quaſi ſplendorem emitteret qui poſſit ſuo reflexu dirigere homines ad conſpectum ejus. Nunc ergo tenemus genuinum Prophetæ ſenſum. Alia non poſſem abſolvere.

Da omnipotens Deus, quando natura non libenter nos ſubjicimus probro & ignominiæ mundi: da, inquam, ut erectis in cœlum animis obdureſcamus ad omnia opprobria, neque fides noſtra aut ſuccumbat aut vacillet, tametſi rideant nos profani homines ubi ſub cruce tibi ſervimus: ſed expectemus patienter, donec tandem appareat Chriſtus cum ſplendore ſui ſacerdotis & regni: & interea fide contemplemur eam excellentiam, qua Eccleſiam tuam ornaſti, atque ita animemur, quo nos adjungamus & paucis & contemptis hominibus qui pure & ſincere verbum tuum ſequuntur: & deſpiciamus ſuperbiam totius mundi, nec dubitemus, quin tandem ſi fundati manebimus in pura Evangelii tui doctrina, nos in cœlum uſque, imo ſupra omnes cœlos attollas, ubi fruamur illa beatitudine quam nobis unigenitus Filius tuus peperit ſanguine ſuo, Amen.

PRÆLECTIO OCTAVA IN ZACHARIAM PROPHETAM.

CAP. III.

REſtabat hoc nobis ex penultimo verſu capitis tertii, quod promittit Deus *iniquitatem terræ die uno abolitum iri*. Quidam Diem unum ſubtiliter accipiunt pro unico ſacrificio quo Chriſtus expiavit ſemel in perpetuum peccata mundi. ſed Propheta ſimplicius, meo judicio, loquutus eſt. Diem enim unum poſuit pro Repente. Fateor quidem petendam eſſe expiationem ab unico ſacrificio Chriſti, ſed intelligit Propheta Deum fore propitium Judæis, ut liberet eos ab omnibus noxis & moleſtiis hoſtium. Aſſignat igitur cauſam cur velit tam liberaliter agere cum populo ſuo, nempe quia non imputabit peccata. Scimus autem hunc eſſe fontem beneficiorum omnium, quæ nobis à Deo manant, ubi nobis ignoſcit, & peccata noſtra delet. Nunc ergo tenemus ſenſum Prophetæ: Auferam iniquitatem terræ hujus die uno, hoc eſt, etiamſi hactenus pœnas variis modis ſumpſerim de populo hoc, tamen repente placatus ero, ita ut jam nulla iniquitas veniat in rationem coram me, vel impediat quominus ego faveam huic populo. Nunc ſequitur apud Prophetam,

10. In die illo, dicit Jehova exercituum, vocabitis quiſque proximum ſuum ſub vite & ſub ficu.

Videmus ex hoc verſu continuum tempus notari ſub die uno: vult enim Propheta hortari ad fiduciam Judæos, ne exiſtiment ſe perpetuo miſeros fore, quia hactenus experti fuerant Deum rigidum ac ſeverum. hic ergo oſtenditur illis ſubita converſio. Poſtea adjungit, *Die illo quiſque veſtrûm vocabit proximum ſuum ſub vite ſua & ſub ficu*, hoc eſt, habitabitis ſecuri extra omnem metum, extra omne diſcrimen. Nemo enim vobis infenſus erit. hæc loquutio ſignificat tutum & quietum ſtatum, ubi conveniunt vicini ſub vite vel ſub ficu. Qui enim metuunt, vel incluſi manent in urbibus, vel certe in ipſis agris quærunt munitum aliquem locum & acceſſu difficilem: vel obſerant fores ſuas, ne expoſiti ſint omnium injuriis: qui autem conveniunt hilariter ſub vite, vel ſub ficu, oſtendunt ſe eſſe extra omnem curam & timorem. Summa eſt igitur, ubi Deus palam fecerit ſe cuſtodem eſſe Eccleſiæ ſuæ, fideles omni metu vacuos & ſolutos hilares fore, ita ut epulari audeant ſub vite & ſub ficu, hoc eſt, ſub cœlo & in via publica: quoniam ſcilicet non erit qui ipſos exterreat. Quia vero extenditur hæc promiſſio ad totum Chriſti Regnum, referri hoc debet ad pacem ſpiritualem, qua fruimur, ubi certo perſuaſi ſumus Deum nobis eſſe pacatum: quia tunc etiam inter nos reconciliamur, ut alii aliis nocere amplius non ſtudeant, quemadmodum vidimus apud Michæam, *Mich. 4.*
& quemadmodum dicit Jeſaias capite ſecundo. *verſ. 4.*
Nunc pergamus.

CAPUT IV.

ET reverſus eſt Angelus qui loquebatur mecum, & excitavit me quaſi virum
qui excitatur (*vel evigilat*) à ſomno ſuo.
2. Et dixit ad me, Quid tu vides? & dixi, Video & ecce candelabrum ex
auro totum: (*hoc eſt, ex ſolido auro*) & pelvis ſuper caput ejus: & ſeptem lucernæ ſuper ipſum: ſeptem & ſeptem infuſoria lucernis, quæ ſunt ſuper caput ejus.
3. Et duæ oleæ ſuper ipſum, una à dextra pelvis, & una ad ſiniſtram ejus.
4. Et reſpondi, & dixi Angelo qui loquebatur mecum, dicendo, Quid iſta, Domine mi?
5. Et reſpondit Angelus qui loquebatur mecum, & dixit mihi, Annon cognoſcis quid ſint hæc? Et dixi, Non, Domine mi.
6. Et reſpondit, & dixit mihi, dicendo, Hic ſermo Jehovæ ad Zerubbabel, dicendo, Non in exercitu & non in fortitudine, ſed in ſpiritu meo, dicit Jehova exercituum.

HIc recitatur alia viſio, quod ſcilicet candelabrum Prophetæ oculis oblatum fuerit, cui impoſitæ erant ſeptem lucernæ. Candelabrum dicit *conflatum fuiſſe totum ex auro*. Dicit etiam *fuiſſe ſeptem lucernis totidem infuſoria*: vel quemadmodum alii exiſtimant, ſingulis lucernis infuſoria ſeptena. ſed prior ſenſus mihi magis probatur, quod ſcilicet lucerna quæque habuerit proprium infuſorium. Dicit præterea fuiſſe duas oleas, unam à dextris, alteram à ſiniſtris, ita ut nunquam oleum deficeret, quia oleæ erant plenæ fructu. Quum ergo multa ſuppeteret copia baccarum, non potuit etiam oleum deficere: ſic perpetuo ardebant lucernæ. hæc eſt viſio, cujus expoſitio mox additur: quia pronunciat Deus Spiritum ſuum ſufficere abſque ullis terrenis adminiculis ad conſervandam Eccleſiam, ut ſcilicet gratia ejus ſemper refulgeat, neque poſſit unquam extingui. Porro non dubium eſt, quin Deus figuram hanc & imaginem propoſuerit Zachariæ pro captu populi. Scimus fuiſſe candelabrum in templo ex auro compoſitum: ſcimus fuiſſe ſeptem lucernas impoſitas candelabro, erant enim ſex brachia: deinde erat ipſe truncus candelabri. Quum ergo in templo ſemper fulgerent ſeptem lucernæ ſuper aureum candelabrum, voluit hic Dominus oſtendere ſymbolum illud legale non fuiſſe ſupervacuum vel inane, quia reipſa vellet implere quod per candelabrum monſtrabat. & multis in locis talis analogia ſpectanda eſt. Dominus enim noluit ſimpliciter promittere quod cognitu utile erat, ſed voluit etiam ſimul adjungere confirmationem ex figuris legalibus, ut Judæi agnoſcerent ſe non ludere operam quum accenderent lucernas in templo: quia non eſſet inane vel luſorium illud ſpectaculum, ſed vera figura ejus gratiæ, quæ tandem exhibenda erat. Verùm melius colligere licebit quorſum ſpectet ſumma ipſa, ubi de verbis dictum fuerit, & ſingulæ partes ſuo ordine excuſſæ fuerint. Dicit Angelum fuiſſe reverſum: ex quo intelligimus, etiam ſine Prophetæ rogatu vel interpellatione,

Deum

Deum novo vaticinio ſanxiſſe quod prius vidimus. Propheta enim fatetur ſe fuiſſe quaſi attonitum, ut neceſſe fuerit ipſum expergeſieri, tanquam è ſomno. non potuit igitur Propheta quicquam à Deo petere quum obſtupefactus eſſet. Cæterum, Deus ſponte occurrit, & prævenit omnia ejus vota. Videmus ergo non uno tantum modo fideles tunc fuiſſe edoctos, ut confiderent reſtituendam eſſe Eccleſiam: ſed quia opus erat non vulgari confirmatione, etiam exhibitas fuiſſe multas viſiones. & ſimul etiam illud addendum eſt, quamvis nemo ſeſe interponat, Deum tamen ultro ſollicitum eſſe de ſua Eccleſia, nec quicquam omittere quod ad fulciendam ſuorum fidem neceſſarium ſit vel utile. Cæterum, ubi dicit Propheta ſe expergefactum fuiſſe ab Angelo, diſcamus niſi Spiritu ſuo nos Deus expergefaciat, ita dominari in nobis torporem, ut mentes ſurſum erigere non poſſimus. Quoniam ergo Deus videt nos ita affixos eſſe terræ, excitat nos quaſi è veterno. Nam ſi opus tali auxilio habuit Propheta; quid nobis fiet, qui procul abſumus ab ejus fide? imo qui ſumus duntaxat terra & cinis, ſi ille fuit terrenus? Etſi notandum eſt, non tam ſocordia obrutum fuiſſe Prophetam quam admiratione correptum, ut vix apud ſe eſſet: ſicuti accidere ſolet hominibus [illegible]. monetur etiam Propheta, ut attentus ſit ad viſionem, *Quid tu vides?* Jam oblatum fuerat ſpectaculum quod expoſui: ſed Propheta videndo nihil vidiſſet, niſi ab Angelo admonitus. Cæterum, notandum eſt hanc tarditatem Prophetæ nobis ideo eſſe utilem, quia inde certius colligimus non temere quicquam imaginatum eſſe: ſed quum veluti clauſis oculis præteriret quod Deus monſtrabat duce Angelo, fuiſſe adductum ut proficeret. Colligimus ergo nihil hic eſſe fortuitum: ſed vere divinitus gubernatum fuiſſe Prophetam, ut diſceret quod poſtea fideliter traderet aliis. Poſtea narratur viſio, nempe quod candelabrum ex auro oſtenſum fuerit. Materia candelabri pertinet ad myſterii commendationem. Verum quidem eſt, aurum eſſe metallum corruptibile: ſed quia non poſſumus aliter capere quæ ſuperant hunc mundum, ideo ſub auro & argento, ſub lapidibus pretioſis Dominus figurat quæ vere cœleſtia ſunt, & quæ dignitate excellunt ſupra terram & mundum. Hoc etiam conſilio voluit Deus candelabrum ſibi conflari ex auro: non quod indigeat ullis divitiis vel opibus terrenis, vel etiam oblectetur, quemadmodum ſcimus oculos hominum capi auri & argenti intuitu. Scimus quidem hæc omnia pro nihilo duci coram Deo: ſed hoc reſpexit in omnibus illis ſymbolis, ut ſcilicet expenderent aliquid ſublime & magnificum notari quoties inſpicerent candelabrum illud aureum. ergo ex pretio auri debuit colligere Propheta aliquid hic repræſentari non vile aut abjectum: ſed quod raræ eſſet ac maximæ dignitatis. Dicit poſtea *fuiſſe pelvim:* (alii transferunt Lenticulam: ſed erat vas rotundum) *& fuiſſe ſuper caput candelabri*, hoc eſt, in ipſa ſummitate. nam lucernæ ardebant in ipſo culmine candelabri. Jam *ſuberat pelvis.* Et hic aliquod diſcrimen eſt inter candelabrum Templi & hoc de quo nunc diſſerit Propheta. nam in candelabro Templi plures erant pelves aut lenticulæ. ſed hic Propheta dicit fuiſſe vas unum: deinde, fuiſſe ſeptem infuſoria vel ſeptem fuſiones. nam hac voce tam canales ipſos intelligere poſſumus quam ipſum actum fuſionis. Sed præſtat referre ad infuſoria, quæ ſtillabant perpetuo oleum, ut ellychnia ipſa nunquam areſcerent, ſed poſſent colligere ſemper novum vigorem. Dicit *ſeptem & ſeptem fuiſſe*, hoc eſt, ſeptena fuiſſe infuſoria lucernis in ipſa ſummitate: deinde, *fuiſſe duas oleas*, quæ ſuggererent novam copiam, ita ut oleum ſemper afflueret. Nunc ergo quærenda eſt ratio viſionis. Multi per Candelabrum intelligunt Eccleſiam: & hoc eſt tolerabile. Quanquam ſimpliciter exiſtimo hic Deum teſtatum fuiſſe Judæis, quod candelabrum erigi præceperat in medio Templo, non fuiſſe inutile vel luſorium, ſed fuiſſe ſymbolum efficax. Non dubium autem eſt, quin Deus gratias Spiritus ſui, hoc eſt, varia dona per Lucernas repræſentaverit. Interea commentum illud faceſſat de ſeptiformi gratia. Neque enim Deus reſtringere ad numerum illum voluit dona Spiritus ſancti, quorum multiplex eſt varietas imo fere immenſa. ergo numerus ſeptenarius perfectionem deſignat, pro communi & recepto Scripturæ more. Deus ergo in medio Templo candelabrum voluit locari, ut teſtatum faceret ſemper in Eccleſia lucere Spiritus ſui gratiam, nec unius tantum generis, ſed ita ut nihil ad perfectionem deeſſet. Alii exiſtimant per Lucernas doctores repræſentari. ſed jam dixi nihil eſſe melius quam ſumere ſimplicem aliquam ſummam, nec tam argute philoſophari. Non dubium quidem eſt, Deum infundere ſuas gratias ut Eccleſiam illuminet per miniſtros: hoc ſatis experimur: ſed ſufficiat nobis quod dixi, Deum nunquam Eccleſiam ſuam deſerere, quin Spiritus ſui donis eam illuſtret. Interea varietas etiam donorum exprimitur in ſeptem lucernis. hoc eſt unitus. Poſtea ſequitur, Prophetam *ſciſcitatum eſſe ex Angelo, quid hoc ſibi vellet.* Unde iterum colligimus, gradatim edoctum fuiſſe Prophetam, ut plus reverentiæ nunc apud nos obtineat hæc viſio. Nam ſi ſtatim aſſequutus eſſet Propheta quid hoc vellet, contemptim poſſet à nobis legi hæc narratio: ſaltem non eſſemus tam attenti. deinde putarent forte aliqui non fuiſſe certam viſionem. Sed quum Propheta ipſe attente conſiderat id quod ſibi oblatum eſt divinitus, & tamen deficit, neque poteſt intelligere quid Deus ſignificet, hinc monemur non eſſe hic torpendum: quia niſi ſedulo & ſerio etiam incumbimus ad hoc vaticinium intelligendum, certe non ſumus magis perſpicaces quam Propheta ipſe, qui opus habuit duce ac magiſtro. Interim proponitur nobis ejus exemplum ad imitationem, ne ſcilicet deſpondeamus animos, ſiquando nobis obſcuræ ſunt prophetiæ: quia dum interrogat Propheta, ſtatim Angelus ſuccurrit ejus ignorantiæ. Non dubium igitur eſt quin Dominus intelligentiam nobis quoque ſuppeditet, ſi fatemur ejus myſteria nobis recondita eſſe, & inſcitiæ noſtræ nobis conſcii ad ipſum confugimus, & petimus ut ne fruſtra nobiſcum loquatur, ſed fructum etiam doctrinæ nobis proferat. Quod Angelus quærit à Propheta, annon intelligat, non debet accipi tanquam objurgatio ſocordiæ, ſed tanquam admonitio quæ excitet omnium mentes ad hoc myſterium reputandum. Dicit ergo, *Tu ignoras quid hoc ſibi velit*, ut eliciat confeſſionem ignorantiæ à Propheta. Jam ſi Propheta, quum Spiritu Dei raptus eſſet ſupra mundum, non potuit ſtatim cognoſcere quorſum tenderet hæc viſio: quid nos reptantes in terra poterimus, niſi Dominus nobis intelligentiam ſuppeditet? denique iterum commendat nobis Zacharias excellentiam hujus vaticinii, quo attentius reputemus quid hic Deus ſignificet. Quod Angelum vocat Dominum ſuum, id fit more Hebraico. nam ita ſolebant vocare quoſcunque virtute aliqua vel præſtantia eximios. Non vocat Dominum, quaſi Dei gloriam ad ipſum transferat; ſed honoris tantum cauſa ſic eum appellat. & rurſus etiam monemur, ſi cupimus proficere in myſteriis Dei, nihil eſſe nobis arrogandum: quia hic Propheta ingenue fatetur ſuam inſcitiam. Ne etiam nos hodie pudeat nos proſternere ad pedes Dei, ut doceat tanquam parvulos. nam quiſquis cupit eſſe Dei diſcipulus, neceſſe eſt ut ſibi deſipiat, hoc eſt, ut vacuus omni perſuaſione ſui ingenii & prudentiæ accedat, ſeque docilem præbeat Deo. Nunc ſequitur expoſitio. Reſpondet enim Angelus, *Hic ſermo Jehovæ*, inquit, *ad Zerubbabel, dicendo, Non in exercitu*, &c. Hic teſtatur Angelus quod jam breviter attigi, ſufficere

ficere ſcilicet unius Dei virtutem ad conſervandam Eccleſiam, neque opus eſſe aliis adminiculis. Opponit enim hic Spiritum Dei omnibus terrenis opibus: atque ita oſtendit Deum nihil aliunde mutuari ad Eccleſiæ ſuæ conſervationem, quia abundat omni genere bonorum ad eam locupletandam. Cæterum per nomen Spiritus ſcimus intelligi potentiam ejus ac virtutem: quaſi diceret, Deus vult ſibi uni acceptam referri Eccleſiæ ſalutem: & quamvis Eccleſia multis rebus indigeat, non eſt tamen cur huc vel illuc flectat oculos, vel quærat ab hominibus hoc vel illud: quia penes Deum unum ſuppetit omnis abundantia bonorum. & per ſynecdochen Exercitus & Fortitudo hic accipiuntur pro omnibus adminiculis quæ ſunt extra unicam Dei gratiam. Certum quidem eſt, Deum non ſemper immediate & per ſe agere, quia utitur variis mediis, & adhibet in obſequium ſuum hominum miniſteria: ſed tantum docere voluit perperam nos facere, ſi huc & illuc circumſpicimus, ſi vacillemus, ſi denique nos ſollicitant variæ ſpes & varii metus, & variæ curæ: quia debemus in unum Deum ſic eſſe defixi, ut certo ſtatuamus ejus gratiam nobis ſufficere, quamvis nihil nobis appareat, imo undique nobis immineat inopia & egeſtas, ut tamen uno Deo confiſi bene ſperemus. hæc ſumma eſt. Sed ſimul etiam oſtendere voluit Deus Eccleſiam erigi & conſervari non humano nec vulgari modo, ſed mirabiliter & præter omnes ſpes ac ſenſus noſtros. Verum quidem eſt, ſicuti nuper dixi, Deum non reſpuere in totum hominum operam in ædificanda & tuenda Eccleſia: ſed interim videtur ludere dum agit per homines, quia mirifica ſua virtute ſuperat quicquid poteſt concipi humano ſenſu. hæc admonitio valde neceſſaria tunc fuit, quum Eccleſia Dei eſſet contemptibilis: imo quum increduli ſuperbe illuderent miſeris Judæis, quos videbant eſſe exiguo numero, & carere omnibus terrenis præſidiis. Quum ergo nihil eſſet ſplendidum vel admiratione dignum inter Judæos, oportuit illis teſtatum fieri quod nunc audimus, nempe ſufficere Deo arcanam ſuam virtutem, ut nihil aliunde ſubſidii occurrat. Et huc etiam ſpectant quæ vidimus de infuſoriis ſeptem, & de oleis. nam ſi Deus opus haberet terrenis auxiliis, oportuit miniſtros præſto eſſe, qui oleum infunderent. Sed erant ſeptem infuſoria quæ ſuggererent ſemper oleum. Unde? nempe ab ipſis olivis. Quum ergo eſſent arbores fructuoſæ, & inde exprimeret Deus arcana ſua virtute oleum, ne unquam lucernæ ſiccæ eſſent, hinc colligimus clare fuiſſe monſtratum quod nunc dicit Angelus, nempe ſine exercitu & ſine fortitudine Eccleſiam locupletatam fuiſſe Spiritus ſancti donis, & in illis ſatis fuiſſe præſidii ad ejus conſervationem, ut retineret integrum ſtatum, & vigeret incolumis ac floreret. Nunc ergo ubi videmus omnia eſſe deſperationis plena, ſemper in memoriam nobis veniat hæc viſio, Deum ſcilicet ſibi ſatis potentem eſſe propria virtute, ut non aliunde ſuppetat auxilium: quia Spiritus ejus pro lucernis, pro infuſoriis, pro oleis nobis erat, ut ſcilicet tandem experientia demonſtret mirabiliter nos fuiſſe ſervatos ejus manu. Tenemus ergo nunc Prophetæ ſenſum, & cur exhibita fuerit hæc viſio. nempe, ut certo perſuaſi eſſent fideles bene ſperandum eſſe de perfecto illo Eccleſiæ ſtatu qui promiſſus fuerat, quia non æſtimanda ſit ex mediis vel adminiculis terrenis: quoniam Deus inſtructus ſit ſua virtute, neque opus habeat quicquam aliunde mutuari. Porro dicit Zacharias *hunc eſſe ſermonem ad Zerubbabel*, nempe ut animum colligeret, atque ita alacrius pergeret in Templi & urbis ædificatione. Scimus enim Zerubbabel fuiſſe ducem populi, & ejus auſpiciis reverſos fuiſſe Judæos in patriam: deinde in ipſa urbe ædificanda fuiſſe ab omnibus reſpectum, quoniam propter regium genus pollebat magna dignitate. Interea tamen ſub ejus perſona Deus totum populum alloquitur. Perinde igitur eſt acſi dixiſſet Angelus, hunc ſermonem eſſe ad Eccleſiam. ſed caput συνεκδοχικῶς hic ponitur pro toto corpore. Jam quum Zerubbabel umbra duntaxat Chriſti fuerit, ſimul tenendum eſt, ſermonem hunc dirigi ad Chriſtum & ad omnia ejus membra. Sic meminerimus totam fiduciam noſtram unica Dei gratia niti debere, quoniam ſi pendeat ab humanis mediis, nihil erit certum vel firmum. Deus enim, quemadmodum dixi, ideo nobis ſubducit quæ animos addere poſſent ſecundum carnis ſenſum, ut ad ſe nos invitet, vel potius attrahat. Ergo utcunque nos deficiant terrena media, diſcamus in unum Deum recumbere, quoniam *non in exercitu neque in fortitudine* erigit Eccleſiam ſuam Deus, & erectam conſervat in ſuo ſtatu: ſed facit hoc ſuo Spiritu, hoc eſt, propria & intrinſeca & admirabili virtute, quam non permiſcet humanis mediis, ut ſcilicet nos abſtrahat à mundo & teneat quaſi ſibi prorſus affixos. hæc ratio eſt cur dicat hunc ſermonem ſpectare ad Zerubbabel. Cras proſequar reliqua.

Da omnipotens Deus, ſicuti nobis verbo tuo affulges & monſtras ſalutis viam, ut apertis oculis intueamur hanc lucem: & quoniam cæcutimus etiam in meridie, aperias nobis oculos: & lux interior Spiritus tui nos adducat ad verbi tui lucem, ut non dubitemus quin ſolus nobis ſufficias ad ſuppeditanda omnia quæ nobis neceſſaria ſunt ad fruitionem cœleſtis vitæ, ut ſtillando ſic nos ſubinde & aſſidue reficias, ne unquam extinguatur lumen fidei quod ſemel accenſum fuit in cordibus noſtris tua gratia, donec tandem perveniamus ad eam plenitudinem quæ nobis repoſita eſt in cœlo: & ſic nunc ex parte contenti ſimus menſura cognitionis qua nos donaſti, donec tandem facie ad faciem te intueamur, ſic ut transfigurati in imaginem tuam, fruamur etiam plenitudine ejus gloriæ in quam receptus eſt Chriſtus Dominus noſter, Amen.

PRÆLECTIO NONA
IN
ZACHARIAM PROPHETAM.

CAP. IV.

7. Quis tu mons magne coram Zerubbabel? in planitiem: & educet lapidem capitis ejus, clamores, Gratia, gratia ei.

Hic proſequitur Angelus idem argumentum quod jam cœpimus tractare, nempe quamvis obſcura ſint principia, & fere nullius pretii vel dignitatis, tamen Deum mirabiliter facturum, ut Templi ædificatio ſurgat. Cæterum, quoniam res non modo ardua erat & difficilis, ſed impediebatur variis modis, hæc ratio eſt cur dicat nunc Angelus nullum fore obſtaculum quod Deus non procul repellat vel cogat in ordinem. Comparat enim monti vel monarchiam Perſarum, vel omnes hoſtium copias, quæ ex multis partibus tunc repente emerſerant: ita ut putarent Judæi reditum

tum ſuum fuiſſe quaſi inutilem, & ſe deceptos, quia non reſpondebat eventus votis ipſorum & ſpei. Nunc ergo tenemus Spiritus ſancti conſilium: quoniam variis artibus moliebatur Satan abrumpere Templi ædificium, hic Angelus pronunciat nullum fore tam ſublime obſtaculum quod impediat curſum operis, quia Deus etiam altiſſimos quoſque montes poſſit ſubito redigere in planitiem. *Quis tu mons magne?* inquit. Hæc loquutio plus habet vehementiæ quam ſi dixiſſet ſimpliciter Angelus, non poſſe omnes hoſtium conatus quicquam proficere. nam inſultat ſuperbiæ & temeritati eorum qui tunc putabant ſe ſuperiores fore Judæis: Vos eſtis, inquit, inſtar montis magni: hoc eſt, moles veſtra eſt quidem terribilis, & poſſet primo intuitu non modo debilitare animos, ſed etiam frangere: atqui nihil eſtis cum tota veſtra altitudine. Poteſt autem duplex eſſe contextus: *Quis tu mons magne? in planitiem coram Zerubbabel*: vel, Quis tu mons magne coram Zerubbabel? & poſterior hic ſenſus magis placet, ſicuti etiam fere receptus eſt omnium conſenſu. Dicit autem montem eſſe coram Zerubbabel, vel in conſpectu: quia ſeſe opponat. Nunc aptanda eſt etiam hujus doctrinæ utilitas ad noſtram ætatem. videmus enim ut Satan excitet ingentes copias, videmus ut tota mundi potentia conſpiret contra Eccleſiam, ne creſcat vel juſtos faciat progreſſus regnum Chriſti. Quum reputamus quantæ ſint difficultates quæ nobis occurrunt, fere evaneſcimus vel concidimus exanimes. Veniat igitur nobis in mentem, non eſſe novum ſi hoſtes noſtri ſua altitudine magnos montes ſuperent: quia Dominus tandem rediget ipſos in planitiem. Hic ergo clypeus poterit dejicere ac proſternere quicquid magnitudinis diabolus ingeret ad nos terrendos: quia ſicuti montem magnum tunc redegit Dominus in planitiem, quum Zerubbabel nullis fere viribus polleret; ſic etiam hodie, utcunque audacter ſe opponant multi adverſarii, ne Chriſtus ſpirituale templum Deo Patri ædificet, tamen evanidos fore iſtos conatus. Poſtea adjungit, *Educet lapidem capitis ejus.* Relativum eſt fœminei generis, & ita intelligi debet de ipſo ædificio. Zerubbabel ergo lapidem educet, qui emineat in capite Templi. Per Lapidem capitis, intelligo ſummum, vel qui locandus erat in ipſo culmine. Jam fundamenta Templi jacta fuerant: erat mediocre ædificium & fere contemptibile: tamen non poterat progredi, quum multi hoſtes ad turbandum opus, vel ſaltem tardandum confluerent. Tamen promittit Angelus quod poſtea clarius exponet, Templum ad perfectionem ſuam venturum, quia Zerubbabel educet, hoc eſt, proferet in lucem vel in ſublime lapidem capitis, id eſt, qui immineat in ipſo faſtigio Templi. & poſtea ſubjungit, *Clamores, Gratia, gratia ei*: hoc eſt, proſperum ſucceſſum huic lapidi vel Templo Deus concedet. nam relativum Ei, iterum eſt fœminei generis. Non poteſt igitur quadrare perſonæ Zerubbabel, ſed vel Templo convenit vel lapidi. Probabilius tamen eſt Angelum loqui de ipſo Templo. Dicit autem fore clamores, quia oportuit fideles animari ad fiduciam, deinde ad preces, ut ſcilicet optarent aſſiduis votis proſperum & felicem ſucceſſum ædificio Templi. Jubet ergo Angelus pios omnes una voce bene precari Templo: ſed quoniam omnis proſper eventus pendet à Dei beneplacito, ideo nititur voce חן, quam bis repetit, ut fideles melius hortetur ad perſeverantiam, deinde accendat etiam deſiderium & ardorem. Nunc ergo videmus quid hic verſus in ſumma contineat: initio Angelus oſtendit, quantumvis impetuoſe ruant impii contra Templum, conatus tamen ipſorum fore irritos: & utcunque putent ſe æquare ſummos montes, tamen eſſe in manu & arbitrio Dei, redigere ipſos in planitiem, hoc eſt, ſubito proſternere ut jaceant. hoc unum eſt. Deinde adjungit ſecundo loco, Templi ædificio fore ſucceſſum felicem: quia educet Zerubbabel lapidem ſummum, hoc eſt, qui emineat. Tandem adjungit debere fideles uno ore precari, adeoque perſeveranter inſiſtere, & ſummo ardentique affectu in iſtam precationem, ut Deus benedicat Templo & perducat uſque ad ſummam perfectionem. Nunc ſequitur,

8. Et factus eſt ſermo Jehovæ ad me, dicendo,
9. Manus Zerubbabel fundarunt domum hanc, & manus ejus perficient eam: & co-
gnoſces quia Jehova exercituum miſerit me ad vos.

Confirmat hac ſententia quod nuper dixi, non eſſe cur fideles dubitent vel anxie laborent quod videant ignobile eſſe principium ædificii, & contemptum coram mundo: quia Dominus tandem oſtendet ſuis auſpiciis ſuoque juſſu fuiſſe extructum, atque ita felicius longe ſuccedet quam ferat omnium opinio. Dicit autem *ſermonem Jehovæ ſibi fuiſſe datum*, & tamen in fine proximi verſus oſtendit ſententiam hanc profectam fuiſſe ex ore Angeli. ſed ſatis nota eſt ac trita hæc loquendi ratio, ubi ſcilicet Deus ipſe loqui dicitur, quanquam adhibeat vel Angelos vel homines medios, quia nuncii perſona nihil minuit de reverentia ſermonis. Debet igitur conſtare verbo Dei majeſtas ſua inviolabilis, etiamſi per homines vel Angelos ad nos defertur. Certus autem erat Propheta nihil in medium afferri ab Angelo, ſed eum eſſe Dei miniſtrum. Summa eſt, Templum, quamvis interruptio aliqua contigerit, ſic inchoatum eſſe ut tandem perfectio ſperanda ſit: quoniam Deus uſus eſt opera Zerubbabel. itaque non deſeret opus manuum ſuarum. Quia ergo Deus præcipuus eſt auctor ædificii, fieri non poterit quin Templum tandem ad perfectionem ſuam ſurgat. huc tendit Angelus in his verbis, *Manus Zerubbabel fundarunt domum hanc.* De fundamentis quidem nulla erat dubitatio: ſed perſuaſi erant plerique ædificium illud fore ſemper mutilum, quia jam Satan per validiſſimos hoſtes impedierat ipſa exordia. Quoniam ergo fere omnium animos occupaverat deſperatio, ideo pronunciat Angelus, Zerubbabel fore compotem voti ſui, quia Templum abſolvet quod inchoavit. Et poſtea addit, *Scies quod Deus miſerit me ad vos.* De hac ſcientia alibi diximus. Summa eſt, eventum rei certum & idoneum fore teſtem, nihil fuiſſe temere ab hominibus tentatum, ſed Templum ædificatum fuiſſe juſſu Dei, quia conſpicua erit illius virtus in perfectione. Alloquitur autem Prophetam, qui tametſi indubie perſuaſus erat de eventu & complemento hujus vaticinii, experientia tamen ipſa didicit Angelum divinitus miſſum fuiſſe qui hoc promitteret. Diximus autem aliis locis, duas eſſe ſcientiæ ſpecies: una eſt fidei, quam concipimus ex verbo, etiamſi res nondum apparet: altera eſt experientiæ, ubi Deus effectum adjungit promiſſioni, & oſtendit ſe non fruſtra loquutum eſſe. hanc ergo ſpeciem deſignat nunc Angelus, quum dicit, *Scies me divinitus miſſum fuiſſe ad vos.* Jam ſi placet hoc referre ad Chriſti perſonam, dixi poſſe commode fieri. nam certum eſt ſic Angelos tunc fuiſſe miſſos, ut tamen Chriſtus præſideret. Quoniam ergo nihil tentatum fuerat in ædificio Templi, niſi Chriſto præeunte, merito hic dicit ſe à Patre eſſe miſſum. Poſtea ſequitur,

10. Quia

10. Quia quis contempſit diem parvitatum? *(parvarum: ſed hic accipitur pro parvitate)* gaudebunt & videbunt *(ad verbum)* lapidem ſtanneum in manu Zerubbabel: *(ſed ita reſolvi debet oratio, Certe gaudebunt ubi viderint lapidem in manu Zerubbabel)* ſeptem hi, oculi Jehovæ ſunt circumeuntes per totam terram. *(vel qui diſcurrunt.)*

Hic caſtigat Angelus ignaviam & timorem populi, quia major pars nimis puſillo erat animo, & objurgat etiam Judæos, quod æſtiment opus Dei ex primo intuitu: *Quis eſt qui contempſit diem parvitatum?* inquit. Non quærit quiſnam ſit, quaſi loquatur de uno duntaxat, vel quaſi illi eſſent pauci numero vel incogniti: ſed compellat totum populum, qui implicitus erat iſto vitioſo affectu. Omnes enim dejectis erant animis, quia putabant opus illud quod inceptum erat, fore ludibrio impiis, & nullius eſſe momenti: quemadmodum apud Nehe-

Neh. 3. verſ. 12. miam legimus, ſenes fleviſſe ita ut fere omnes projicerent ſua inſtrumenta, & diſcederent à Templi ædificatione. Videmus ergo non paucos ſpreviſſe parva illa initia, ſed debilitatos fuiſſe animos totius populi, quia putabant ſe operam ludere in Templo extruendo, quod non accederet ad gloriam & ſplendorem prioris Templi: Quid hic facimus? volumus Deo Templum erigere. Sed quale? quod reſpondeat Templo Solomonis? atqui ne decima quidem pars apparet: tamen Deus promiſit Templum hoc fore excellentiſſimum. Quum ergo ſecum hæc omnia volverent, putabant vel non adeſſe tempus, vel fruſtra ſe ſatagere, quoniam Deus nollet habitare in illo tugurio ignobili. hæc ratio eſt cur nunc dicat Propheta, *Quis eſt qui contemnit?* Deus ergo hic ſeſe opponit ingrato populo & maligno: & oſtendit eos omnes perperam facere, quia conjiciant oculos & defigant duntaxat in ipſa principia: quaſi Deus non ſuperet ſua virtute quicquid concipere poſſunt humani ſenſus. Quoniam ergo volebat Deus mirabiliter Templum extruere, ideo hic coarguit Angelus illas obſtreperas voces populi. Tandem addit, *Gaudebunt tamen ubi viderint lapidem ſtanneum in manu Zerubbabel.* Quamvis ſevera & acri objurgatione uſus fuerit, tamen hic mitigat aſperitatem ſermonis: & promittit Judæis, utcunque indigni eſſent tanto Dei beneficio, viſuros quod minime ſperabant, nempe Zerubbabel inſtructum & præditum omnibus neceſſariis ad Templi perfectionem. *Videbunt* ergo *Zerubbabel cum lapide ſtanneo*, id eſt, cum lapide perpendiculari: quemadmodum etiam hodie utuntur architecti lapide plumbeo. ſic lapidem ſtanneum vocat in manu Zerubbabel, ubi iterum ſeſe accinget ad Templi perfectionem. Pertinet etiam ad nos hujus doctrinæ uſus. Deus enim ut magis illuſtret virtutem ſuam, tenuiter initio operatur, ubi ædificat ſpirituale templum ſuum: nihil magnificum illic cernitur, quod rapiat hominum oculos & ſenſus ad ſe, ſed omnia fere ſunt contemptibilia. Poſſet quidem Deus exerere ſtatim virtutem ſuam, & ita expergeſacere cunctos mortales, & rapere ipſos in admirationem: poſſet quidem; ſed, quemadmodum jam dixi, vult miraculis augere potentiæ ſuæ fulgorem, ubi ex ignobili principio producit quod nemo unquam putaſſet: deinde vult etiam probare fidem ſuorum. Noſtrum enim eſt ſemper ſperare ſupra ſpem. Jam ſi principia magnum aliquid & ſublime promitterent, nulla eſſet probatio & nullum examen fidei. atqui ubi ſpe concipimus quæ non apparent, deferimus juſtum honorem Deo: quia pendemus duntaxat ab ejus virtute, & non à mediis pro-

Jeſa. 11. verſ. 1. pinquis. Sic videmus Chriſtum ipſum conferri ſurculo, qui exortus eſt ex trunco Iſai. Poterat facere Deus, ut naſceretur Chriſtus quum adhuc ſplenderet domus Davidis, & quum ſtaret adhuc regnum incolume: voluit tamen prodire ex trunco Iſai, ubi nomen ipſum regium fere abſciſſum erat. deinde potuit ſtatim Chriſtum producere quaſi proceram arborem: ſed naſcitur tanquam ignobilis ſurculus.

Sic etiam apud Danielem confertur lapidi rudi & *Dan. 2.*
impolito, qui exciditur ex monte: & idem etiam *verſ. 45.*
noſtro ſeculo impletum fuit, & hodie adhuc impletur. Si reputamus qualia ſint principia & fuerint naſcentis Evangelii, certe nihil fuit præclarum pro ſenſu carnis. & hac etiam de cauſa nos audacter contemnunt adverſarii: putant nos eſſe hominum quiſquilias, & ſperant futurum ut nos disjiciant & diſſipent ſolo flatu. Multi ſunt hodie qui contemnunt diem parvitatis, hoc eſt, qui flacceſcunt animis, vel etiam deridont noſtrum ſtudium, dum vident ſedulo nos incumbere ad promovendam doctrinam Evangelii, quaſi labor noſter ſit ridiculus. & nos etiam ipſi tangimur hoc affectu: nemo eſt qui non interdum refrigeſcat: ubi videt principia Eccleſiæ tam eſſe ſordida coram mundo, & nullius dignitatis. Hinc colligimus quam utilis hodie nobis ſit iſta admonitio, nempe nos tandem viſuros quod minime conjicere licet vel ſperare ex præſenti rerum intuitu: quia etſi Dominus tenuiter incipiat & quaſi ſub infirmitate, tandem videbitur lapis in manu architecti ad opus complendum. Nullus hodie eſt Zerubbabel in mundo, cui mandata ſit functio hæc extruendi Templi: ſed ſcimus Chriſtum principem eſſe architectum: deinde miniſtros ejus eſſe operarios qui ſub ipſo laborant. Utcunque ergo Satan excæcaverit ſuperbia & faſtu incredulos, ita ut deſpiciant & ſubſannent ædificium in quo ſatagimus, tamen Dominus ipſe oſtendet ſe præcipuum eſſe auctorem, & dabit virtutem Chriſto implendi operis. Poſtea addit, *Septem hæc*, vel ſeptem hi, *oculi Jehovæ circumeuntes per totam terram.* Revocat Angelus Zachariam ad id quod paulo ante vidimus. nam quum ſermo eſſet de lapide, dicebat Zacharias ſibi oblatos fuiſſe ſeptem oculos in lapide illo. Exponit Angelus quid ſibi velint iſti ſeptem oculi, nempe quia Dominus ſua providentia diriget opus uſque ad perfectionem. Diximus autem tribui Deo ſeptem oculos, ut certo ſtatuamus nihil ipſum latere: quia nemo inter homines vel Angelos tanta perſpicacia excellit, quin tamen aliqua ignoret. Scimus multa Dei myſteria abſcondita eſſe Angelis, niſi quatenus mittuntur. tunc enim accipiunt pro officii ſui modo quod ſatis eſt revelationis. Sed hic Angelus oſtendit, minime eſſe timendum ne quid accidat quod Deus non providerit. *Septem* enim *oculi*, inquit, *obambulant per totum orbem*: non quod Deus ſeptem oculis opus habeat, ſed ſcimus quid valeat numerus ſeptenarius in Scriptura, deſignat perfectionem. Summa eſt igitur, Deum ſatis providum fore, ut nihil accidere poſſit quod ipſum turbet, vel quod avertat ipſum aut moretur à curſu operis ſui. Quare? Sunt enim ſeptem oculi: hoc eſt, ſuperat ſua providentia quicquid eſt acuminis: & oculi ejus circumeunt totam terram: ita ut neque à tergo, neque à fronte, neque à dextra, neque à ſiniſtra, neque ſurſum, neque deorſum poſſit diabolus quicquam machinari quod non facile diſcutiat. Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ. Quantum ad verba ſpectat, אלה vertunt quidam in neutro genere, Illa ſeptem, ſunt iſti oculi Dei. ſed quod ad rem ipſam ſpectat, nulla eſt ambiguitas. Vult enim Angelus fideles recumbere in providentiam Dei, ita ut ſecuri ſint, & nullum diſcrimen timeant: quoniam ſcilicet Dominus diſcutiet quicquid erit contrarium ſuo conſilio. Jam ſequitur,

11. Et reſpondi, & dixi ad eum, Quid duæ oleæ iſtæ ad dextram candelabri, & ad ſiniſtram ejus?

12. Et reſpondi ſecundo, & dixi ad eum, Quid duo alvei (*vel curſus: vertunt alii, ſpicas*) olearum, quæ ſunt inter duas fiſtulas auri, fundentes à ſe aurum?

13. Et dixit mihi, dicendo, Annon cognoſcis quid hæc ſint? & dixi, Non, Domine mi.

14. Et dixit, Hi ſunt duo filii olei qui adſtant apud Dominatorem cunctæ terræ.

Refertur iterum eadem viſio, vel ſaltem non diſſimilis priori, quam nuper expoſuimus: tantum accedit major explicatio, quia dicit Propheta ſe ab Angelo fuiſſe ſciſcitatum quid ſibi vellent duæ oleæ quæ ſtabant ad dextram & ſiniſtram candelabri: poſteà quid ſibi vellent duo curſus vel alvei olearum inter fiſtulas vel canales. Jam dixi שבלים ab aliis verti aliter, nempe Spicas: putant conferri ſpicis ramos olearum, qui pleni erant & onuſti baccis. ſed metaphora illa videtur mihi eſſe aſperior. atqui vox iſta ambigua eſt apud Hebræos, & ſæpe accipitur pro alveo, vel pro curſu, vel defluxu. Optime autem convenit huic loco hic ſenſus; & miror omnes interpretes hoc non obſervaſſe: quia proculdubio neceſſitas eos coëgit ad metaphoram illam, quamvis dura eſſet, confugere. ſed ſcimus oblatum fuiſſe tale ſpectaculum Zachariæ, ut oleæ perpetuo ſuggererent copiam olei, ne ſcilicet elychnia exareſcerent, atque ita deficerent lucernæ. Quum ergo ab utraque parte eſſent infuſoria, vel canales, vel fiſtulæ, & tres canales exciperent oleum ab una oliva, quatuor autem exciperent ab altera, ut ita tota copia manaret ex duabus oleis, & interim eſſent ſeptem fiſtulæ, videmus quam bene hoc conveniat: nempe inter ipſas oleas, quæ erant à dextris & à ſiniſtris, deinde inter infuſoria & inter duos canales etiam fuiſſe ſimul iſtos alveos olei. Quum ergo decurreret oleum per infuſoria, & ſimul per duos canales tranſiret, ideo interrogat Angelum quid ſibi vellent alvei vel decurſus. Jam reſponſio eſt, *Eſſe duos filios olei, qui ſtant coram Dominatore terræ*: hoc eſt, eſſe quaſi duos fontes qui à Deo ipſo oleum ſuppeditent, ne lucernæ penuria deficiant. hæc ſumma eſt. Dixi aliquid diverſum eſſe in viſione, tametſi nihil hic novum fere referat Angelus, niſi de alveis & de canalibus. ſed quia nova explicatio accedit, dubium non eſt quin propius conſideraverit Zacharias quod levius inſpexerat paulo ante. Quo igitur attentior fuit Propheta ad viſionem, eo etiam magis confirmata fuit: quoniam Deus oſtendit quod ante non ſatis obſervaverat, nempe eſſe canales vel fiſtulas, per quas deflueret oleum in ſingula infuſoria: deinde eſſe decurſus, hoc eſt, eſſe continuum fluxum olei, quemadmodum ſi fluvius decurreret per ſuum alveum. Gradatim vero Prophetam ſuum voluit proficere Deus, ut diſcamus ſenſus noſtros hodie adjicere ad hujus doctrinæ intelligentiam, quemadmodum non vulgaris eſt ejus utilitas, ut nuper admonui. Eadem enim fere ratio eſt noſtri temporis, quæ fuit illius. nam inſtaurat nunc Chriſtus virtute Spiritus ſui ſpirituale templum quod dirutum fuerat & prorſus everſum. Multis enim ſeculis qualis fuit Eccleſiæ dignitas? certe nihil præter ruinas tunc conſpici potuit: nunc vero ubi cœpit Deus ſpem aliquam facere novæ ædificationis, Satan multos impetus hinc inde convertat, ut abrumpat curſum operis. nos autem teneri & molles ſumus, imo puſilli animis, ut vix centeſimus quiſque animoſe laboret ſicuti decebat. Hinc ergo colligimus quam neceſſaria ſit nobis hæc doctrina. ideo non eſt hoc ſupervacuum, quod Propheta non ſemel & uno momento apprehendit quicquid oblatum in viſione fuerat, ſed paulatim & per certos gradus progreſſus eſt. Diximus etiam antea, ſtudium proficiendi notandum eſſe in Zacharia. nam utcunque non ſtatim aſſequamur quicquid docet Deus, tamen obſcuritas ipſa non debet noſtrum ſtudium impedire, ſed potius imitandus eſt nobis Propheta, qui in rebus perplexis & ſibi incognitis Angelum interrogat. Hodie non mittuntur è cœlo Angeli, qui nobis reſpondeant ore ad os: ſed tamen quiſquis & modeſte & cupide interrogabit Deum, non carebit profectu. Deus enim vel per miniſtros ſuos ita elucidabit quæ videntur nobis eſſe obſcura & plena caligine, ut ſciamus in ſermone ejus nihil eſſe niſi dilucidum: vel ſpiritus & intelligentiæ & judicii ſuppeditabit quod nobis deerit in hominum miniſterio. Et hæc etiam ratio eſt cur Angelus excipiat, *Tu neſcis quid hæc ſibi velint?* neque enim hic exprobrat Zachariæ ſuam inſcitiam, ſed potius admonet cunctos fideles, ut ſeſe exacuant, & conferant totum ſuum ſtudium ad diſcendum, ne ſcilicet negligentia ipſis viam præcludat. Non dubium igitur eſt, quin iſta Angeli interrogatio ad nos omnes pertineat, Tu neſcis quid hæc ſibi velint? ut ſcilicet meminerimus ſenſum noſtrum longe excedere, quæ putamus eſſe vulgaria. Sæpe enim fiet, ut percurrat quiſpiam multos Scripturæ locos, & putet ſe nihil legere niſi clarum & ſatis ſibi familiariter cognitum: interea tamen experientia docet, ideo nos tanta confidentia inflatos eſſe, quia deſpicimus quaſi ex alto ipſam doctrinam, quæ potius adoranda reverenter erat. Ergo quiſque noſtrûm hac Angeli voce admonitus, agnoſcat ſe adhuc hærere in primis rudimentis, vel ſaltem nondum omnia tenere, quæ neceſſaria erant cognitu; ideoque ſemper eſſe proficiendum uſque ad ultimam vitæ metam: quia hæc ſapientia noſtra eſt, ut ſimus diſcipuli uſque ad finem. Nunc venio ad reſponſionem Angeli, *Hi ſunt duo filii olei.* Quidam per duos filios olei putant notari Regem & Sacerdotem. ſed illud nullo modo convenit. Non dubium igitur eſt quin duos filios olei vocet continuos fluxus: quaſi diceret, fieri non poſſe, ut unquam deficiat gratia Dei in conſervatione Eccleſiæ, quia ſcilicet Deus abundat plena copia, & jubet gratiam ipſam ſic profluere, ut nunquam minuatur abundantia. Ideo dicit, *adſtare apud Dominatorem*, vel à Dominatore, *terræ.* nam על aliquando ſignificat Apud, aliquando De: ſed ego eligere volui quod ſimplicius erat. *Adſtant* igitur *duo filii olei apud Dominatorem.* Alii transferunt, Juxta Dominatorem: ſed male. corrumpunt enim Prophetæ ſenſum: quia intelligit Angelus adſtare iſtos duos filios olei apud Deum: quaſi diceret penes Deum tantam eſſe plenitudinem gratiæ, ut nunquam poſſit exhauriri. Quamvis ergo defluat oleum, tamen ſufficiet ad implendas ſeptem lucernas, hoc eſt, ad perfectionem, ita ut Deus Eccleſiam ſuam erigat, tueatur incolumem, & ad ſummam perfectionem adducat. Deus ergo non ita pauper eſt, quin perpetuo ſuggerat quantum ſatis erit gratiæ ad Eccleſiam ſuam ſervandam. Quare? duo enim ſunt filii olei, hoc eſt, duo ſunt continui defluxus apud ipſum, ita ut reipſa ſentiant fideles, ubi locupletantur Dei donis, nunquam ſibi periculum eſſe ab aliqua penuria. hæc ſumma eſt.

Da omnipotens Deus, quando hodie nobis objicit Satan multos terrores, qui nos dejicere poſſent, ut ſumus nimium debiles: da, inquam, ut ſublatis surſum oculis conſideremus illam invictam virtutem, qua præditus es ad omnia hujus mundi obſtacula vincenda: deinde, etiamſi nihil in mundo niſi

contemptibile apparet, quod fidem noſtram confirmet ac fulciat; tamen ut penetremus fidei oculis in virtutem tuam occultam, atque ita non dubitemus quin tandem præſtiturus ſis quod hodie mundus putat impoſſibile eſſe, & ideo ſubſannat: atque ſic perſeveremus conſtanter in hac fiducia, ut tibi quiſque noſtrûm operam ſuam ad extremum uſque impendat, neque deficiamus in promovendo ædificio ſpirituali, donec tandem & nos ipſi colligamur, & etiam operâ noſtrâ colligantur alii, ut tibi offeramus non tantum ſpirituales hoſtias, quales hodie à nobis recipis, ſed etiam ut tibi una cum Angelis offeramus æternum illud ſacrificium laudis, ac cum jubilo tibi gratias agamus, ubi cernemus perfectum eſſe quicquid hodie tenuiter duntaxat inchoatum eſt, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA
IN
ZACHARIAM PROPHETAM.

CAPUT V.

ET reverſus ſum, & extuli oculos meos, & aſpexi: & ecce volumen volans.
2. Et dixit mihi, Quid tu vides? Et dixi, Ego video volumen volans, longitudo ejus viginti in cubito, (*hoc eſt, ad viginti cubitos*) & latitudo ejus decem in cubito. (*hoc eſt, ad decem cubitos.*)
3. Et dixit mihi, Hæc eſt maledictio, quæ egreditur ſuper faciem univerſæ terræ: quia quiſquis furatur, ex hac ſicut illa punietur: & quiſquis pejerat, ex hac ſicut illa punietur.
4. Emittam (*vel producam*) eam, dicit Jehova exercituum: & veniet ad domum furantis, & ad domum jurantis in nomine meo fallaciter: & reſidebit in medio domus ejus, & conſumet eam, & ligna ejus, & lapides ejus.

HOc capite docet Angelus quicquid malorum paſſi fuerant Judæi profectum fuiſſe à juſto Dei judicio: deinde adjungit conſolationem, quia Dominus tandem modum vel finem imponet malis, ubi ſcilicet iniquitas procul abigetur. Interpretes in hoc toto vaticinio neque cœlum neque terram attingunt, quia non reſpiciunt conſilium Spiritus ſancti. Quidam etiam putant volumen hoc intelligi de falſis & perverſis commentis, quibus vitiata fuerat doctrinæ puritas: ſed nullo modo poteſt hoc ſtare. Non dubium igitur eſt, quin Deus Zachariæ oſtendere voluerit Judæos merito pœnas dediſſe, quia tota terra vel furtis vel perjuriis referta erat. Quoniam ergo contempta fuerat religio, deinde omnis æquitas & juſtitia, ideo oſtendit oon eſſe mirum ſi maledictio graſſata fuerit per totam terram: quia ſcilicet Judæi ſua impietate & ſuis ſceleribus iram Dei ad extremum uſque provocaverant. Hæc eſt ſumma prioris membri. Deinde quoniam terribilis erat hæc viſio, additur correctio quædam, ubi apparet iniquitas in modio, & os modii occluditur: deinde transfertur modius occluſus in terram Sinear, hoc eſt, in Chaldæam, ne habitet in Judæa. Ita priore membro Judæos Propheta humiliat, & hortatur ad pœnitentiam, ut agnoſcant Deum juſte ſibi fuiſſe iratum: deinde erigit eorum animos ad bonam ſpem, ut certo expectent finem malorum, quia Dominus iniquitatem procul tollet, & transferet in Chaldæam, ut pura & immunis ſit Judæa ab omni ſcelere, vel à latrociniis & injuriis, quibus obnoxia prius fuerat. ſed ſingula ordine nobis tractanda ſunt, quo melius pateat Prophetæ ſenſus. Dicit *ſe fuiſſe reverſum*: qua voce diſtinguitur hæc viſio ab aliis. neque enim quæcunque hactenus legimus, ſimul & uno momento Prophetæ fuerunt exhibita: ſed nunc hoc, nunc illud vidit. Et hinc colligere licet fuiſſe aliquod tempus intermedium antequam Dominus offerret illi hanc viſionem, quæ narratur hoc capite. Dicit *ſe extuliſſe oculos & aſpexiſſe*: ut ſciamus fuiſſe illi oſtenſum ſpiritu Prophetico quod narrabit. Sæpius levavit oculos Zacharias, neque tamen Deus ſtatim apparuit: ſed oportuit ſervos Dei quoties ſeſe accingebant ad docendum, quaſi ſubduci ab hominum conſuetudine, & rapi extra mundum. Levatio igitur oculorum, cujus meminit Zacharias, ſpeciale aliquid notat: quaſi diceret ſe fuiſſe præparatum, quia Dominus eum iotus erexerat. Et non dubium eſt quin Prophetæ etiam hoc modo fuerint paulatim formati, ubi Dominus ſe illis patefecit. Fuit igitur hæc oculorum elevatio quaſi præparatio ad excipiendum cœleſte oraculum. Poſtea adjungit *ſe interrogatum fuiſſe ab Angelo, quidnam videret*. Potuit quidem dicere, occurrere ſibi volumen in aëre volans: ſed nondum tenebat quid hoc ſibi vellet. Ideo Angelus interpretis munere fungitur apud eum. ſed volumen dicit *fuiſſe longum ad viginti cubitos, & latum ad decem*. Hebræi putant hic repræſentari Atrii figuram. Nam longitudo Atrii patebat ad 20. cubitos, & latitudo ad 10. Putant igitur egreſſum fuiſſe volumen è Templo, ut conſtaret major auctoritas, nec dubium eſſet quin Deus emitteret hoc volumen. Et hæc alluſio etiamſi non ſatis ſit ſolida, probabilior tamen eſt quam allegoria illa puerilis Hieronymi, qui putat referri hoc debere ad Chriſtum, quia trigeſimo anno cœperit Euangelium promulgare. Vult igitur numerum hunc aptari ad Chriſti ætatem, dum exorſus eſt munus docendi. ſed illud eſt nugatorium prorſus. Et anxie non inquiro cur longitudo hæc ponatur vel latitudo, quia non videtur multum facere ad ſummam rei. Quod ſi libeat ſequi probabilem conjecturam, certe illud magis tolerabile eſt quod jam attigi, nempe volumini fuiſſe hanc longitudinem & latitudinem, ut certo tenerent Judæi nihil ſibi proponi quod Deus ipſe non ratum haberet, quaſi palam cernerent Templi figuram, vel Atrii. Jam dicit Angelus *eſſe maledictionem, quæ egreditur ſuper faciem totius terræ*. Tenendum memoria eſt quod nuper dixi, nempe hic Judæis proponi Dei judicium, ut ſecum expendant merito tam ſevere & patres ipſorum & ipſos fuiſſe caſtigatos divinitus: quia ſcilicet accerſiverant ſibi tales pœnas ſuis ſceleribus. Jam quod dicit Angelus *volumen egredi per totam terram*, hinc colligimus non paucos tantum fuiſſe reos, vel angulum aliquem terræ fuiſſe corruptum, ſed ubique graſſatam fuiſſe iram Dei, ſicuti nulla pars terræ munda vel pura erat à ſceleribus. Quoniam ergo Judæa corruptelis plena erat, ideo mirum eſſe non debuit, ſi Dominus iram ſuam effunderet, & quaſi diluvio obrueret omnes partes terræ. Poſtea ſequitur,

Quia omnis fur, vel quiſquis furatus fuerit, *ex hac ſicut illa punietur*, vel recipiet mercedem ſuam: *& quiſquis juraverit, punietur ex hac ſicut illa.* Quantum ad verba ſpectat, diſſentiunt interpretes in iſtis particulis מזה כמוה. Quidam vertunt, Ex hoc volumine, ſicuti ſcriptum eſt. Alii, Ex hac parte voluminis, ſicuti ex diverſa. Imaginantur enim à fronte & tergo fuiſſe volumen ſcriptum, & utrimque Deum pœnam denunciaſſe tam furibus quam perjuris. ſed ego potius ad terram ipſam refero: nec dubito quin genuinus ſit Prophetæ ſenſus. Quia ergo nulla eſt perſonarum acceptio apud Deum, Propheta poſtquam de tota terra loquutus eſt, dicit neminem poſſe impune effugere ubicunque peccaverit: quia ab una parte uſque ad aliam oppoſitam Deus in judicium omnes vocabit ſine exceptione. Jam quod Propheta dicit perjuros omnes ſicuti fures pœnam daturos, non mirum eſt: quia ſcilicet Deus qui vetuit furari, vetuit etiam pejerare. ultor ergo erit omnium transgreſſionum. Qui putant volumen hoc damnari quaſi contineret doctrinam adulteram & degenerem, adducunt hanc rationem, iniquum eſſe, ut fur tam graviter puniatur ſicuti perjurus. ſed illud eſt nimis frivolum. Et quemadmodum jam dixi, Deus hic oſtendit ſe fore vindicem Legis ſuæ quacunque in parte eam tranſgreſſi fuerint homines. Ideo tenendum eſt illud Jacobi, Qui vetuit mœchari, vetuit
Jacob. 2. vers. 11. etiam furari. Ergo quiſquis offenderit in uno, transgreſſor eſt totius Legis: quia non debemus ſimpliciter reſpicere quid Deus vel præcipiat vel prohibeat, ſed majeſtas ejus debet ſemper nobis verſari ante oculos, ut nihil ſit tam minutum in Lege quod non reverenter excipiant omnes: quia non Leges ipſæ tantum ſpectandæ ſunt, ſed ipſe Legiſlator. Quoniam ergo violatur Dei majeſtas ſiquis furatur, & quiſquis tranſgreditur in minima parte, ſatis oſtendit ſibi non magni eſſe ponderis Dei verbum: ideo æquum eſt fures & perjuros ſimiliter puniri. neque tamen Scriptura dum ita loquitur, docet paria eſſe peccata, ſicuti ſtulte & perverſe olim Stoici garriebant. ſed neque æqualitas pœnarum hic notatur: tantum ſignificat Angelus, neque furibus, neque perjuris impune ceſſurum, quod tranſgreſſi fuerint Legem Dei. Notandum etiam eſt, ſynecdochicas eſſe loquutiones: quia ſub furto comprehenditur quicquid pugnat cum officiis charitatis: ita hoc ad ſecundam Legis tabulam referri debet. Perjuros autem vocat Propheta quicunque violant Dei cultum: & ideo perjurium ſub ſe complectitur quæcunque adverſa ſunt primæ Legis tabulæ, & tendunt ad violandum cultum Dei. Summa eſt, quemadmodum jam dixi, ultorem fore Deum omnium ſcelerum, quia non fruſtra Legem tulerit: longe ergo decipi homines qui ſibi blanditias faciunt, acſi tergiverſando poſſent eludere Dei judicium, quia & fures & perjuri trahentur ad Dei Tribunal, ut nemo eorum evadat, hoc eſt, nullum ſcelus manebit impunitum, quia non fruſtra ſemel protulerit ore ſuo, Deut. 27.
maledictos eſſe omnes qui non impleverint quæcun- vers. 26.
que ſcripta ſunt, &c. Et hoc clarius exprimit Propheta ſequenti verſu, ubi Deus ipſe pronunciat ſe facturum *ut maledictio exeat ſuper totam terram*: quaſi diceret, Ego reipſa oſtendam non ideo me tuliſſe Legem ut contemptui habeat: nam efficaciter doctrina Legis meæ procedet, ut quicunque eam violaverit ſentiat ſibi fuiſſe non cum homine mortali, vel cum aliquo ſonitu vocis negotium, ſed cum Judice cœleſti. *Educam* igitur *maledictionem ſuper totam terram.* Dixi Prophetam fuiſſe edoctum hoc ſpectaculo, ut diſcerent omnes Judæi nihil eſſe mirum, ſi tam duriter afflicti fuiſſent: quia ſcilicet corruperant totam terram ſuis ſceleribus, ita ut nulla pars Legis ſancta illis eſſet. nam ab una parte corruperant cultum Dei, & deſciverant à vera pietate: deinde alii alios vexabant multis injuriis, vel fraudibus opprimebant. Quum ergo nulla vigeret æquitas in populo illo, deinde nulla etiam religio, oſtendit Deus ſe eſſe auctorem pœnarum: quia ſcilicet nemo tunc erat innoxius. Poſtea adjungit, *Veniet ad domum furis & ad domum jurantis in nomine meo fallaciter, & illic reſidebit, & conſumet domum ipſam, & ligna, & lapides.* Hic Propheta ad pœnitentiam magis exſtimulat Judæos, quum oſtendit maledictionem ita volare, ut penetret in omnes domos: quaſi diceret, fruſtra ſeſe munient vel occludent, qui digni pœna erunt. Maledictio enim quam ego emitto, perveniet ad ſingulos: deinde reſidebit illic. Scimus ita ſibi blandiri hypocritas quaſi poſſent defungi ad momentum, ubi Deus iratus & infenſus apparet. ſed Propheta hic oſtendit fruſtra hoc ſperari, quia incumbet maledictio omnibus impiis, donec ipſos penitus ſubverterit: imo conſumpſerit ipſorum domos, ligna etiam & lapides. denique intelligit nullum fore pœnarum finem, donec reconciliati fuerint homines Deo. Et his verbis admonet quam terribile ſit incidere in manus Dei, quia urgebit omnes impios & ſceleſtos, donec in nihilum ipſos redigat. Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ, & ſenſum verborum. Jam ſequitur,

5. Et egreſſus eſt Angelus qui loquebatur mecum, & dixit mihi, Tolle nunc oculos tuos, & aſpice quidnam ſit illud quod egreditur.

6. Et dixi, Quid hoc? & dixit, Hoc modius egrediens: *(id eſt, hoc quod egreditur eſt modius, ad verbum)* & dixit, Hoc oculus eorum in tota terra.

7. Et ecce maſſa plana plumbi ferebatur, *(vertunt alii Talentum: & ככר ſignificat talentum, & ſignificat planitiem etiam Hebræis. ideo non dubito, quin Propheta intelligat laminam plumbi, vel maſſam planam & contuſam malleo, ita ut faceret latum operculum: Une plaque, ut dicimus lingua noſtra)* & hoc mulier una habitans in medio modii.

8. Et dixit, Hæc eſt impietas: & projecit eam in medium modii, & projecit lapidem plumbi *(vel pondus, id eſt, maſſam illam extentam inſtar operculi: projecit ergo)* ſuper os ejus. *(id eſt, ſuper os modii.)*

Hic ſubſiſtam: volebam conjungere omnes verſus, ſed vix poſſem abſolvere hodie. ſatis erit ſi teneamus hanc eſſe partem ſecundam viſionis, ubi Propheta, ut ſublevet triſtitiam, vel mitiget aliqua ex parte, oſtendit Deum tamen non acturum extremo jure, ut pœnas exigat de Judæis quales meriti erant, ſed caſtiget eos paterna moderatione. Dicit igitur ſibi apparuiſſe modium, & in modio mulierem. Erat autem mulier illa impietas. deinde erat operculum plumbi, maſſa lata vel extenta in laminam: lamina plumbi ferebatur in ſublime, ut mulier eſſet conſpicua in ipſo modio. Dicit poſtea modium fuiſſe occluſum, & illic abſconditam fuiſſe impietatem, ita ut eſſet veluti captiva in ergaſtulo. Poſtea ſubjiciet abactam fuiſſe in terram Sinear, hoc eſt, longiſſime à Judæa: & ita impietatem converſam fuiſſe ad hoſtes electi populi. Videmus, ſicuti jam attigi, Deum hic ſignum dare favoris ſui ubi dicit occlu-

occluſam fuiſſe impietatem in modio. Ergo quanquam hactenus loquutus eſt ſevere, ut incuteret horrorem Judæis, voluit tamen ſtatim adhibere modum: quia ſatis erat eos ſcelerum ſuorum convinci, ut ſeſe humiliarent, ac ſuppliciter confugerent ad Dei miſericordiam: deinde ut ſerio etiam tangeret eos pœnitentia, ne obſtreperent quemadmodum ſcimus feciſſe; ſed ſubjicerent ſe Deo judici, & faterentur ſe juſtas dare pœnas. Quoniam ergo hactenus Angelus oſtendit merito graſſatam fuiſſe maledictionem in ſuperficie totius terræ, quia nullus angulus à ſcelere purus erat: nunc ſubjicit Angelum veniſſe qui oſtenderet hanc novam viſionem. *Tolle*, inquit, *nunc oculos tuos, & aſpice quidnam ſit hoc quod egreditur.* Non dubium eſt quin Propheta metu fuerit dejectus, ita ut vix auderet jam longius aſpicere. Quum ergo maledictio volaret, hoc eſt, libero curſu tranſiret huc & illuc, Propheta perculſus fuit horrore: & non abs re: quum ſcilicet videret iram Dei paſſim & ſine diſcrimine graſſari. Hæc ratio eſt cur Angelus eum animet, ac jubeat reſpicere quid ſit quod egreditur. Dicit autem ſe fuiſſe ſimul edoctum, quia videbat quidem modium. (איפה eſt menſura apud Hebræos: vertunt modium, alii vertunt amphoram. ſed in eo parum eſt diſcriminis.) Quum ergo videret modium Propheta, interrogat tamen Angelum quid ſit illud: quia frigida fuiſſet viſio, niſi edoctus fuiſſet quid eſſet modius ille, quid eſſet mulier in eo ſedens, quid etiam eſſet operculum plumbeum. quærit ergo quidnam eſt. Poſtea dicit Angelus, *Hic eſt modius qui egreditur, & hic eſt oculus eorum in tota terra.* Quum dicit modium eſſe oculum eorum, non dubium eſt quin ſignificet impios non ita poſſe efferri pro ſua libidine, quin Deus contineat ipſos ubi viſum fuerit: quia ſcilicet non poſſunt effugere conſpectum ejus. Nam oculos eorum intelligit paſſive aſpectum Dei, quo notat omnia ſcelera impiorum, ut ſcilicet compeſcat eos pro ſuo arbitrio, dum ita intemperanter feruntur. Cæterum, ut melius pateat ſenſus Prophetæ, primum videndum eſt quid ſibi velit Impietas, hoc eſt, an debeat accipi pro ſceleribus, quæ iram Dei provocaverant adverſus Judæos: an vero pro injuriis quas intulerant profani hoſtes. Hoc ſecundum mihi magis placet: quanquam ſi libeat accipere de impietate quæ regnaverat in Judæa, ſenſus etiam ille optime conveniet. Nam quia Deo abominabilis eſt impietas, non potuit aliter ceſſare ejus vindicta adverſus Judæos, quin purgaret etiam ipſos à ſceleribus, atque ita refingeret ſuo Spiritu. Cœperant enim bellum ita cum ipſo gerere, ut nulla eſſet ratio ejus placandi, niſi deſinerent peccare. Et Deus quoties vult ſe reconciliare hominibus, ſimul etiam reformat eos ſuo Spiritu: non tantum abolet peccata quoad reatum, ſed etiam regenerat qui prius dediti erant diabolo & peccato, ſic ut poſſit eos amice & paterne tractare. Quantum igitur ad ſummam rei, utrumque poterit quadrare, nempe quod Deus tollere velit iniquitatem à Judæa, quia ſcilicet Eccleſiam ſuam ab omnibus inquinamentis purgabit: quando non poterant Judæi aliter percipere ejus benedictionem, niſi procul abacta & expulſa fuiſſet iniquitas. Quum ergo vellet Deus propitius eſſe populo ſuo, merito dicit ſe facturum, ut evaneſcat impietas è medio ipſorum. Quanquam & alterum illud, ſicuti dixi, proprie etiam aptatur ad contextum Prophetæ, quod ſcilicet impietas non libere vagabitur ut antea; quoniam ſcimus frena laxata fuiſſe ſævitiæ hoſtium. Expoſiti enim erant Judæi omnium injuriis. Quum ergo ita intemperanter vexati fuiſſent, Deus promittit ſe facturum, ut omnes injuſtæ violentiæ procul abigantur, & diſcedant in terram Sinear, hoc eſt, ut Dominus viciſſim caſtiget Babylonios, & rependat illis quod meriti erant. Summa huc redit, Deum qui elegerat genus Abrahæ propitium fore Judæis, ut tandem finem imponat malis ipſorum. Primo autem intuitu dicit Propheta impietatem in medio aere fuiſſe, & quidem in modio: ſed interea vocat modium oculos impiorum, quia ſcilicet etiam dum in omnes partes ſeſe extendit impietas, Deus tamen occulta menſura eam cohibet: & hoc notat per Oculos, ubi videtur alludere ad ſuperius vaticinium, quod expoſuimus. Dicebat enim in lapide Sacerdotis eſſe ſeptem oculos, quia ſcilicet Deus ædificium Templi ſui gubernaret ſua providentia. Sic etiam dicit Oculos Dei eſſe ſuper omnes impios: quemadmodum in Pſalmo dicitur, Oculi Domini ſuper ſceleratos, ut diſperdat è terra omnem memoriam eorum. Et hæc doctrina ſatis frequenter occurrit in Scripturis. *Pſal. 34. verſ. 17.* Summa eſt igitur, dum ſcelera ſeſe diffundunt & extendunt per totam terram, tamen eſſe in modio; ſed modius non eſt ſemper occluſus. Quicquid ſit, Deus tamen novit temperare omnia, ut modum non tranſiliat impietas. Et hoc veriſſime dictum eſt, utrumvis ſenſum ſequi placeat. Nam dum hoſtes vexant Eccleſiam, quamvis in aëre feruntur, hoc eſt, quamvis Deus non ſtatim prohibeat ipſorum injurias, tamen ſedent in modio, & reguntur Dei oculis, ita ut digitum non moveant, niſi quatenus illis conceſſerit. denique etiam in rebus penitus confuſis ſciamus Deum vigilare, & intentos eſſe ejus oculos, ita ut finem injuriis imponat. Eadem etiam ratio eſt, ubi Deus in ſenſum reprobum conjicit eos qui digni ſunt tali pœna. nam utcunque eos ipſe projiciat, & deinde ipſos abripiat Satan, verum tamen ſemper hoc manet, eos habitare in modio. Non ſunt quidem incluſi, ſed quemadmodum diximus, non debemus imaginari Deum in cœlo torpere, vel ſcelera in mundo graſſari quaſi nihil videat. nam ejus conniventia non eſt cæcitas. Oculi ergo Dei notant & deſignant quicquid ſcelerum in mundo committitur. Jam addit Angelus, *projectam fuiſſe laminam plumbi ſuper os modii, & impietatem fuiſſe projectam ſub modio.* Quod dicit impietatem detruſam fuiſſe ſub modio, hoc bifariam exponi poteſt: vel quod Deus non permiſerit tantum licentiæ diabolo, ut impelleret Judæos ad peccandum ſicuti prius. Unde enim fit, ut ita ſeſe projiciant homines ad omne malum, niſi quia deſerit eos Deus, & ſimul etiam tradit Satanæ, ut tyrannidem ſuam in eos exerceat? vel quod frenum injectum ſit exteris hoſtibus, ne pro ſua intemperie opprimerent miſerum populum, & injuſtam violentiam profunderent. Deus ergo quum vult mederi ſceleribus vel compeſcere injurias, includit quaſi in modio impietatem: deinde adjungit operculum. Et dicitur hæc planities, vel hoc pondus fuiſſe plumbi, ob gravitatem: quaſi diceret Propheta, quoties ita viſum fuerit Deo, iniquitatem captivam fore, ita ut non poſſit ex ergaſtulo ſuo, vel ex carcere ſuo egredi. Poſtea ſequitur,

9. Et extuli oculos meos, & aſpexi: & ecce duæ mulieres egreſſæ, & Spiritus erat in alis ipſarum, & ipſis alæ erant quaſi alæ milvi, (*alii vertunt, ciconiam. & mihi magis placet: quanquam parum eſt momenti*) & extulerunt modium inter terram & inter cœlum.

10. Et dixi Angelo qui loquebatur mecum, Quonam iſtæ deferunt modium?

11. Et dixit mihi, Ad ædificandum ei domum in terra Sinear: & ſtatuetur & ſtabilietur illic ſuper baſim ſuam. (*Ego potero abſolvere paucis verbis hoc vaticinium.*)

Hic

Hic Propheta dicit fore talem permutationem rerum, ut Deus viciſſim affligat Chaldæos, qui tam crudeliter egerant cum populo electo. Et hæc ratio eſt cur mihi magis placeat Iniquitatem accipere pro injuſtis violentiis & latrociniis, quæ exercuerant profani hoſtes contra Judæos. Nam quum dicit *domum fore impietati in terra Sinear*, perinde eſt acſi diceret, Sicuti longo tempore Judæa ab hoſtibus direpta fuit, & eorum violentiæ expoſita: ſic etiam ſuo ordine Chaldæi non ſemel neque ad breve tempus, ſed perpetuo dabunt pœnas: quia Deus figet domicilium impietati in eorum terra. Videmus ergo quo ſpectet viſio, nempe ubi Deus Eccleſiæ ſuæ miſertus fuerit, hoſtes venturos ad rationem, ut ſcilicet non effugiant manum Dei, quamvis uſus fuerit ipſis tanquam flagellis ad ſuos caſtigandos. Dicit ergo impietatem ablatam eſſe, ut domus eſſet illi, hoc eſt, ut fixum & ſtabile eſſet illi domicilium in terra Sinear, id eſt, apud ipſos Chaldæos, qui fuerant infeſtiſſimi hoſtes Judæis: ſicuti etiam Babylon caput illius monarchiæ complectitur ſub ſe omnes impios, qui oppugnant filios Dei vel perſequuntur. Cur mulierum potius manu quam virorum transferri modium Deus voluerit, mihi non conſtat: niſi forte ut ſcirent Judæi non opus eſſe bellico apparatu, ſed per infirma & contemptibilia organa validiſſimos hoſtes proſterni divinitus poſſe: ſicuti virtutem ſuam illuſtrat ſub ſpecie externæ infirmitatis. Alatas mulieres vidit Propheta, quoniam ſubita converſio futura erat, ſicuti paulo ante vidimus die uno iniquitatem deletum iri. In alis ciconiæ vel celeritas vel robur notatur. Hæc ſumma eſt.

Da omnipotens Deus, quum tam ſevere nobis mineris pœnas, quæ nos retineant à peccandi licentia, ut revereamur tuum judicium, & ne abutamur tolerantia tua ſi nobis ad tempus parcis: deinde etiam quoties nos caſtigas, ut diligenter expendamus nos dignos eſſe maledictione, qui iram tuam tot modis provocavimus: neque tamen interea deſpondeamus animos, vel frangamur, ſed ita recumbere diſcamus in miſericordiam tuam, ut non dubitemus finem opportune malis noſtris adfore, neque ſolum te mitigaturum ex pœnarum rigore quantum ſatis erit ad nos ſolandos, ſed etiam te pœnas ſumpturum de hoſtibus noſtris, quæ oſtendant nihil eſſe nobis optabilius, quam caſtigari manu tua, non ut nos perdas, ſed ut revoces in viam ſalutis, donec tandem capaces ſimus percipiendæ ejus gratiæ, quæ nobis repoſita eſt in cœlo, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO UNDECIMA

IN

ZACHARIAM PROPHETAM.

CAPUT VI.

ET converſus ſum, & levavi oculos meos, & aſpexi: & ecce quatuor quadrigæ egreſſæ è medio duorum montium; & montes illi, montes ænei.
2. In quadriga prima equi ruſi, & in quadriga ſecunda equi nigri:
3. Et in quadriga tertia equi albi, & in quadriga quarta equi grandinei, (*vel varii*) אמצים robuſti. (*Sed potius ſubſcribo eorum ſententiæ qui vertunt ſubruſos.*)

HIc narratur nobis alia viſio: & Propheta etiam diſtinguit eam à prioribus, quum dicit *ſe fuiſſe converſum*: quaſi diceret fuiſſe aliquod intermedium tempus. Non fuerunt igitur continuæ viſiones, ſed tranſtulit ſe alio: deinde iterum levavit oculos: & Dominus patefecit quod nunc narrat. Cæterum quia hæc viſio obſcura eſt, trahunt eam interpretes in diverſos ſenſus. Qui per quatuor quadrigas exiſtimant notari 4. Evangelia, nimis frigidi ſunt. Et alibi monui, cavendum eſſe ab iſtis futilibus argutiis, quæ ſponte evaneſcunt. Scio multis placere allegorias: ſed in ſcriptis Propheticis reverenter & ſobrie verſari nos oportet, ut ſcilicet non volitemus per medias nubes, ſed figamus ſemper pedem in ſolido. Alii exiſtimant notari mutationes, quas ſcimus contigiſſe in Chaldæa & Aſſyria: quoniam ſubverſa fuerat Nineve, ut Babylon eſſet ſedes imperii: putant hoc notari ſub quadriga prima, ubi erant equi ruſi. Deinde exiſtimant regnum Perſicum deſignari per quadrigam ſecundam, quia multa dura & gravia perpeſſi fuerint Judæi initio. Poſtea per equos albos exiſtimant figurari regnum Macedonicum, quoniam Alexander manſuetum ſe & humanum præbuerit Judæis. Quarta quadriga illis eſt Romanum imperium: & putant equos in hac quadriga eſſe varios aut diverſi coloris, quoniam alii ex Cæſaribus crudeliter ſævierant contra Judæos & Eccleſiam Dei, alii autem mitius ſe geſſerint. ſed neſcio an hæc ſint ſatis firma. Deinde videmus quartam quadrigam alio fuiſſe raptam, nempe ad plagam Auſtralem, deinde vagatam fuiſſe per varias regiones, ita ut fere percurrerit totum orbem. Quoniam igitur non poteſt hoc referri ad Chaldæam, mihi ſimplicior videtur eſſe ſenſus, quod quatuor quadrigæ ſignificent varias mutationes, quæ non modo in Chaldæa & apud Babylonios, ſed in Judæa & aliis locis & gentibus contigerunt. Et hoc poterit ex ipſo progreſſu facile colligi. Cæterum, quia non poſſunt omnia ſimul dici, ordine tractabimus quæ hic narrat Propheta. Non repeto quæ alibi dixi, nempe valere ad auctoritatem prophetiæ aut vaticinii quod dicit *ſe levaſſe oculos*. Significat enim ſe non adferre in medium quæ temere imaginatus fuerit: deinde non proferre etiam ſua commenta quæ ſibi ipſe fabricaverit: quoniam attentus fuit ad revelationes: deinde quodammodo ſegregatus à communi vita, ut ſcilicet eſſet interpres Dei & hominum. Ergo auctoritas hic tribuitur vaticinio, quod Zacharias non prorumpat, ut diſſerat de rebus incertis, ſed prodeat quaſi è cœlo miſſus: quoniam ſcilicet nihil tradit quod non acceperit divinitus. Jam dicit *apparuiſſe quatuor quadrigas, quæ exibant è montibus: montes autem duos in quibus incluſæ erant quadrigæ fuiſſe æneos.* Non dubium eſt quin Propheta per montes duos intelligat providentiam Dei, vel arcanum conſilium, quo omnia decreta ſunt ante creationem mundi: & ideo montes illos dicit fuiſſe æneos, quia ſcilicet perfringi non potuerunt. Poetæ dicunt ineluctabile eſſe fatum: ſed quoniam nomen illud profanum eſt, ſufficiat hoc tenere de æterna Dei providentia, nempe eſſe immutabilem. Et hic aptiſſime nobis pingitur conſilium Dei, quoniam antequam res in actum erumpant, ſunt quaſi incluſæ inter montium anguſtias. Quod

enim

enim Deus decrevit non apparet, ſed eſt abſconditum quaſi lateret in altis montibus. Tunc ergo incipimus agnoſcere Dei conſilium, ubi ipſa experientia nos docet hoc vel alio modo fuiſſe decretum quod prius nos latebat. Sed non fruſtra addit Zacharias montes illos fuiſſe æneos, ut ſciamus conſilium Dei non eſſe mutabile: quemadmodum ſtulti homines fingunt Deum eſſe dubium, & quaſi ſuſpenſum, quia ſecundum eos, eventus rerum pendent ab hominum arbitrio. Putant Deum præſcire quæ ventura ſunt conditionaliter: quia ſcilicet hoc vel illud futurum non ſit, niſi quia ita placebit hominibus. Etſi autem non fatentur Deum eſſe varium, tamen colligitur ex eorum deliriis nihil certi vel firmi eſſe in Deo. Ergo Propheta hic dicit montes fuiſſe æneos, quoniam ſcilicet Deus ante omnia ſecula quid fieri velles ſtatuerit, & hoc immutabili conſilio, quod neque à Satana, neque à toto mundo perfringi queat. Videmus ergo quam bene conveniat hæc pictura, quum Propheta dicit quadrigas exire è montibus. Jam quod ad quadrigas ſpectat, vidimus alibi conferri equitibus Angelos, qui celeriter obequitant per totum mundum, ut quæ Deus mandavit illis exequantur. Ita etiam quæcunque contingunt mutationes, vocantur quadrigæ Dei, quoniam vel Angeli ſemper adſunt præſto, ut Deo pareant ad quidvis agendum: vel ipſi rerum effectus ſunt Dei quadrigæ, hoc eſt, ſunt quaſi celerrimi præcones, qui nobis annuncient quod prius erat incognitum. Sciamus ergo omnes fortuitos caſus, ut vulgo putantur ab incredulis, eſſe Dei quadrigas, hoc eſt, eſſe nuncios Dei, qui perferunt & promulgant quod prius erat nobis abſconditum. In hac etiam ſimilitudine vel figura nihil coactum eſt. Quod pertinet ad colorem equorum, hic anxie laborant interpretes, ſicuti nuper attigi. Etſi autem nihil audeo aſſerere pro certo, probabilis tamen hæc conjectura eſt, per equos nigros & albos deſignari tam Babylonicum imperium quam Perſicum: ſed alio fine quam putant interpretes. Referri enim hoc debet ad Judæos, quod equi nigri emiſſi fuerint Babylonem verſus, deinde equi albi. nam ſignificat Spiritus ſanctus datam fuiſſe licentiam Chaldæis, ut in Judæos ſævirent, atque ita omnia implerent tenebris. Obſcuritas ergo de qua loquitur Propheta, non alio tendit quam ad clades Judæis illatas: quoniam ſcilicet totum illud tempus tenebroſum, fuit plenum triſtitia & mœrore: quantiſper potiti ſunt Orientali imperio Chaldæi, & Babylon fuit ſuprema imperii vel monarchiæ ſedes. Poſtea ſucceſſit longe diverſum tempus, quum Babyloniis devictis Perſæ Orientali monarchia potiti ſunt. Ergo hic fuit albus color, quia tunc illuxit Judæis favor novus Dei: & ſtatim libertas redeundi in patriam fuit permiſſa. Videmus ergo ut non immerito Propheta ſubjiciat colorem album in equis: quoniam talis fuit ſucceſſio Perſarum, ut Sol lætitiæ exortus fuerit Judæis qui exhilaravit eorum animos. Cæterum omittit Propheta quadrigam primam: & hoc factum exiſtimant interpretes, quia tunc everſa eſſet monarchia Babylonis. Sed in eo fallantur, quemadmodum nuper attigi, quod non referunt colores iſtos ad ſtatum Eccleſiæ Dei. Non dubito igitur quin Propheta conſulto de prima quadriga taceat, quoniam Judæi experti fuerant judicium Dei obequitaſſe in terra ſua: nam duriter afflicti fuerant. Deus ergo, ſicuti ſolet judicium ſuum exercere contra domeſticos, atque ut ſcriptum eſt, Judicium incipere à domo ejus [1 Pet. 4. verſ. 17.]: ita etiam voluit hunc ordinem tenere, ut ſcilicet caſtigaret peccata electi populi antequam tranſiret ad Chaldæos & reliquas gentes. Quod ad ultimam quadrigam pertinet, dicit Propheta *fuiſſe abreptam verſus Auſtrum*: deinde alio perrexiſſe, nempe per totum orbem, quoniam ita Deus permiſerit. Jam in ſumma vaticinii nihil amplius obſcurum erit, ſi hæc principia tenemus, nempe notari per quadrigas eventus omnes, aut revolutiones quæ in mundo contingunt: quia ſcilicet non dominatur cæcus fortunæ impetus, ut fingunt ſtulti, ſed Deus tunc nobis palam declarat conſilium ſuum. Cur autem equi partim ruſi, partim nigri, partim albi vocentur, partim ſubruſi: reſponſio etiam in promptu eſt, quoniam Deus emiſerat quadrigas ſuas in Judæam, quæ plenæ eſſent ſanguinis. hoc igitur ſignificat ruſus color: ſed oſtendit fore etiam ſuas vices hoſtibus: imo jam aliqua ex parte hoc fuiſſe impletum, quod ſcilicet ſuis quadrigis eos Deus calcaſſet, rotas ſuas volvens ſuper eorum terram dum ſubverſa fuit Nineve. Etſi autem non reſpexit Spiritus ad Aſſyrios vel Chaldæos ſimpliciter, acſi per nigrum colorem notare veller quæ inter eos geſta ſunt bella, quin potius calamitates quæ inde illatæ ſunt Judæis: tamen in genere nigrum colorem interpretor triſtem illam perturbationem quæ in toto Oriente fuit, & unde nihil jucundum ſperare poterant Judæi: quia paulo poſt gravior moles incubuit eorum capitibus. Itaque tertio loco ſubjicit Propheta equos albos, ubi ſcilicet tempus impletum fuit quo volebat Deus Eccleſiam ſuam redimere. Jam dicit non modo quadrigas fuiſſe emiſſas Orientem verſus, vel ad Babylonios: ſed dicit curſitaſſe etiam per Auſtralem plagam: deinde luſtraſſe totum mundum. Et quo hoc certius nobis ſit, ſpectandum eſt conſilium Prophetæ. non dubium eſt quin hic velit aliquid ſolatii afferre Judæis, ut non ſuccumbant triſtitiæ quantumvis duriter eos caſtiget Deus. Duo autem hic proponit Zacharias: primum quod nulla pars terræ, vel nulla regio immunis ſit à judiciis Dei: quia ſcilicet quadrigæ ejus tranſitum reperient per omnes terras. Deinde ſignificat, quamvis ad tempus ſe verſaverint tam in Judæa quam in Septentrione quadrigæ Dei horribiles aſpectu, propter colorem nigrum & ruſum, tamen jam veniſſe tempus quo Deus, quia placatus eſt, mutet rerum ſtatum: & ideo proponit alium colorem tertio loco: quoniam ſcilicet quadriga Dei emiſſa fuerat per Judæam: deinde turbaverat vindicta Dei Nineven, poſtea Babylonem: hoc tantum ultimo loco reſtabat, quod jam aliqua ex parte erat impletum, nempe ut Deus caliginem omnem abſtergeret, & redderet quaſi ſerenitatem Judæis, idque à Chaldæa: nempe quoniam Perſæ, qui tunc potiebantur imperio, clementer inceperant tractare Juſtæos. Nunc ſequitur apud Prophetam,

4. Et reſpondi, & dixi ad Angelum qui loquebatur mecum, Quid hæc ſunt, Domine mi?

5. Et reſpondit Angelus, & dixit mihi, Hi quatuor ſpiritus ſunt cœlorum, egredientes è ſtatione apud dominatorem cunctæ terræ. (*Alii vertunt, Hi, vel hæ quadrigæ ad quatuor ventos cœlorum egrediuntur è loco, ubi ſtant apud dominatorem, &c.*)

Quod rurſus Angelum interrogat Propheta, docemur ejus exemplo excutere omnem torporem, & nos tam dociles quam attentos offerre Deo, ſi cupimus proficere in his vaticiniis. Nam ſi Zacharias, qui ſegregatus erat è mundo, & extulerat oculos & mentem ad cœlum, opus tamen habuit doctore & magiſtro Angelo qui præiret, magnæ ſtultitiæ & arrogantiæ erit tantum nobis confidere, ut donum interpretationis ſpernamus. Quoniam vero non mittuntur è cœlo Angeli qui nobis vaticinia explicent, utamur aliis adminiculis, quæ ſcimus à Deo nobis offerri. Interea tamen & docilitas, & reverentia, & atten-

attentio hic nobis perſcripitur. Meminerimus etiam, ſimulac ſubjecerint ſe homines Deo, paratum illis fore donum revelationis: quia non fruſtra ſæpius vocatur Deus Magiſter parvulorum. Quiſquis ergo compoſitus erit vera manſuetudine & modeſtia ad diſcendum, non fraudabitur voto ſuo: quemadmodum videmus Angelum hic partibus ſuis defungi in docendo Zacharia. Jam ad verba ipſa deſcendo. *Reſpondet Angelus hos eſſe ſpiritus quatuor.* Dıai alios ſecus vertere, nempe quadrigas tendere ad quatuor ventos, vel plagas cœli. ſed illud coactum eſt: & verba ſimpliciter ſonant hos eſſe quatuor ſpiritus. Non dubito quin fefellerit nomen Spiritus iſtos interpretes: quia putarunt frigidum eſſe vocari illos diverſos rerum eventus Ventos aut Climata. Sed accipio etiam hanc vocem diverſo ſenſu, quod ſcilicet ſint Impulſus Dei. Non intelligo igitur quatuor ventos, ſed intelligo impulſus arcanos Dei. Nam quamvis unus ſit Dei ſpiritus, omnes tamen actiones ab eo prodeunt: & quicquid agitur in mundo, poteſt non abſurde ſpiritui ejus adſcribi. Interea certum eſt Prophetam alludere ad quatuor mundi plagas: quaſi diceret nihil contingere in mundo, quod non in cœlo decretum fuerit: quia ſcilicet providentia Dei ſub ſe totum orbem complectitur. Quamvis ergo hic notetur orbis univerſitas, tamen per Spiritus intelligit Propheta motus illos arcanos qui prodeunt ab æterno conſilio Dei & providentia. Et hæc metaphora optime convenit, quia opponitur nomen Spiritus fortunæ. Diximus jam profanos homines imaginari cæcum fortunæ impetum. Atqui Propheta dicit omnes revolutiones quæ in mundo cernuntur, eſſe ex ſpiritu Dei, & eſſe quaſi ſpiritus vel nuncios. Nunc ergo tenemus genuinum Prophetæ ſenſum, ubi Angelus dicit *hos eſſe quatuor ſpiritus cælorum.* & epitheton hoc minime ſupervacuum eſt: quia videtur Propheta hic excludere alias omnes cauſas, ut maneat ſummum arbitrium penes Deum. Etſi enim ſæpe operatur Deus per inſtrumenta, vel per medias cauſas & propinquas, ut loquuntur: neceſſe tamen eſt locari in ſummo gradu arcanum ejus decretum. Hæc ratio eſt cur ſpiritus dicat cœleſtes eſſe, ne ſcilicet putemus Deum pendere ex hominum arbitrio, vel implicitum eſſe mediis cauſis: ſed libere ſtatuere quicquid apud ſe mero beneplacito decrevit. Qui autem dicunt, In quatuor plagas cœlorum, videmus eos non ſatis conſideraſſe Prophetæ mentem. Jam dicit, *Egreſſi è ſtatione apud Dominatorem cunctæ terræ.* Nunc ſtationem coram Deo vocat Propheta ſpatium illud quod dixit incluſum fuiſſe inter duos montes æneos. Sciamus ergo Deum non capere nova conſilia repente, (ut pro rebus natis vel occaſione nobis ſubito oblata, nunc hoc, nunc illud aggredimur) ſed longe diſſimilem eſſe naturam Dei, nec ſurſum & deorſum volvi res in cœlo: quoniam ſic illic fixa & quieta ſtatio quadrigis. Nam etſi volubiles ſunt quadrigæ, & pollent celeritate: neceſſe tamen eſt ipſas manere quietas, quaſi fixæ eſſent in uno loco, donec exitum Deus permittat. Hinc colligimus Deum etiam ubi ceſſare nobis videtur, non tamen otioſum in cœlo ſedere, ut impii homines blaterant: ſed illic ſtatuere quid tempore opportuno fieri velit. Deinde quum dicit *quadrigas ſtetiſſe coram Deo*, hinc colligimus, contingentiam quæ videtur communi ſenſu, eſſe tamen affixam conſilio Dei, ita ut ſimul ſit neceſſitas. Unde fit ut vulgo major pars hominum exiſtimet omnia contingere fortuito, niſi quia ſubſiſtunt in ipſo naturæ intuitu? voluntas hominis mutabilis eſt: ergo quicquid à voluntate hominis manat eſt etiam mutabile. Deinde arbor poteſt vel areſcere præ æſtu, vel emori præ frigore, vel fructum proferre. Ergo colligunt hoc totum eſſe contingens, quia apparet flexibilis varietas. Ubi ita æſtimant rerum eventus homines à ſola natura, non mirum eſt ſi putent contingentiam regnare in mundo. Atqui Propheta hic diſtinguit inter ipſam naturam rerum & inter ipſum conſilium Dei. Dicit enim *quadrigas ſtetiſſe, & fuiſſe egreſſas ubi Deus ita juſſit.* An nullus erat motus in rotis? Imo quadrigæ ab initio erant ſatis veloces, ut feſtinarent. unde ergo fit, ut quieſcant ad tempus? Nempe quia retinentur arcano Dei conſilio. Jam ubi eas emittit, oſtendunt ſuam feſtinationem, quæ illis naturaliter eſt indita. Hinc ergo facile colligimus, natura contingere quæ videntur poſſe fieri in utramque partem. & tamen conſilium Dei ſemper impleri, ut præſit immutabilis neceſſitas, quæ tamen nobis abſcondita eſt. Subjicit Propheta in quadriga prima fuiſſe equos rufos. Jam hoc totum expoſui: reſtat quod poſtea ſubjicit.

6. In qua ſunt equi nigri, exeunt ad terram Aquilonis, & albi exeunt poſt eos: & variegati (*aſperſi vario colore*) exeunt ad terram Auſtralem.

7. Et ſubrufi (*dicam iterum de voce*) exierunt, & poſtularunt ut perambularent in terra: & dixit, Ite, perambulate in terra: & perambularunt in terra.

Hic non explicat ſingulas partes vaticinii Zacharias: ſed oſtendit tamen duas quadrigas properaſſe verſus Chaldæam, ne ſcilicet moleſtum eſſet Judæis quod primo loco ſenſiſſent Dei judicium. Oſtendit ergo Deum emittere ſuos nuncios in omnes partes: ſed præcipue apud Babylonios inſignes & dignas memoratu mutationes vel fuiſſe, vel poſtea fore: unde palam fieret, Deo curam eſſe populi ſui, qui tractus fuerat illuc in exilium. Et jam cauſam reddidi cur non loquatur hic de equis rufis: quia falluntur qui putant quadrigam illam primam fuiſſe emiſſam ad Chaldæos. Ego enim potius exiſtimo ad Judæos hoc referri, à quibus judicium Dei inceperat. Dicit ergo exire duas quadrigas Babylonem verſus, quarum priorem trahebant equi nigri, alteram vero trahebant equi albi, nempe propter clementiam Perſarum, à quibus nova lux gaudii Judæis allata fuit. Quod ad terram Auſtralem ſpectat, non dubito quin alludat Propheta ad Ægyptios. Sed poſtea adjungit ultimam illam quadrigam fuiſſe alio delatam, nempe ut peragraret totum orbem. אמצים vertunt Robuſtos: & hæc etiam propria eſt ſignificatio vocis: quoniam אמץ proprie Fortificare ſignificat vel roborare. ſed quoniam hic fit colorum mentio, mihi magis probabile videtur quod quidam etiam Hebræi docent, notari potius equos ſubrufos. Nam prius alterum etiam nomen poſuit Propheta ברודים, quaſi diceret Grandineos. Conjungunt igitur quidam interpretes hæc duo, quod equi illi fuerint grandinei, hoc eſt, fuerint aſperſi grandine: deinde fuerint אמצים, hoc eſt, Subrufi. Hieronymus videtur ſibi ſatis refellere hanc ſententiam, quoniam alii equi prius vocati fuerant אדומים, hoc eſt, Rufi. ſed diverſi ſunt iſti colores. Et interea, quemadmodum dixi, vix poſſet hoc quadrare, ſolos vocari Fortes equos qui trahebant quadrigam unam. Scimus enim Deum ita mirabiliter exeruiſſe ſuam potentiam in Chaldæa, ut duæ quadrigæ quæ illuc profectæ ſunt, non debuerint trahi ab equis infirmis vel debilibus. Ego igitur exiſtimo hic etiam notari colorem: & Propheta nunc vocat Grandineos nunc vocat Subrufos. Dicit autem non fuiſſe contentos terra Auſtrali, *ſed petiiſſe à Deo*, ut liceret volitare per totum orbem. Etſi autem neque diaboli, neque impii reſpiciunt ad Dei nutum, ſed feruntur neſcientes & nolentes quo Dominus ipſos impellit: tamen Propheta dicit petiiſſe, quia ſcilicet non poterant tranſgredi fines ſibi præſcriptos. quemadmodum

dum ubi Satan primo capite Job poſtulat ſibi hoc vel illud permitti, non debemus tam anxie exquirere an Satan ſibi poſtulet dari licentiam à Deo quoties aliquid vult tentare: non dubium enim eſt quin præcipiti rabie feratur, & cupiat etiam modis omnibus pervertere Dei imperium. Sed ſimpliciter hoc ſufficiat, non poſſe vel digitum unum progredi tam Satanam quam impios, niſi quantum illis permittit Deus. Hæc igitur ſumma eſt, quum ad terram Auſtralem initio profecta eſſet ultima quadriga, tamen laxatum fuiſſe ſpatium, ut poſſet totum orbem peragrare. Jam ſubjicit,

8. Et vocavit me, & loquutus eſt mecum, dicendo, Vide, qui egrediuntur ad terram Aquilonis, quieſcere fecerunt ſpiritum meum in terra Aquilonis.

Colligimus ex hoc verſu præcipuum hunc fuiſſe viſionis finem, ut ſcirent Judæi non temere moveri in Chaldæa graves illos tumultus, qui ex parte contigerant, & adhuc inſtabant: ſed omnia gubernari arcano Dei conſilio: deinde Deum ita miſcere & turbare ſtatum illius imperii, ut tamen aliquis finis ſperandus eſſet. Non eſt ergo cur jam nimis ſollicite quiſquam laboret de ſingulis partibus vaticinii, quando ſumma nobis conſtat. Cur enim potius de terra Aquilonis diſerte hic loquitur Angelus, quam de terra Auſtrali, imo de toto orbe? nempe quoniam illuc conjecti erant omnium oculi: quia ſcimus Chaldæam fuiſſe quaſi ſepulchrum Eccleſiæ, unde emergere oportuit aliquas reliquias, ut ſuperſtes eſſet Deo aliquis populus à quo invocaretur. Hic ergo Angelus revocat Judæos ad providentiam Dei, ut ſciant quæcunq; illic acciderant mutationes ab arcano Dei conſilio eſſe profectas. Jam quod dicit, *Quieſcere illic fecerunt ſpiritum meum*, bifariam exponunt interpretes. Quidam enim exiſtimant hic notari Dei gratiam erga populum: quaſi diceret ſe jam placatum eſſe. ſed alii per vocem Spiritus intelligunt Dei vindictam, quod ſcilicet ad ſatietatem uſque indulſerit iracundiæ ſuæ adverſus Chaldæos. Et uterque ſenſus aptari poſſet ſatis commode ad contextum. Neque enim hoc vulgare ſolatium fuit Judæis, quod Deus effuderit iram ſuam contra Babylonios donec ſaturata eſſet, quemadmodum ubi quis non deſinit ſævire donec cupiditatem ſuam expleverit. & ſæpe hæc loquutio occurrit in Scriptura. Ego tamen potius amplector ſecundam illam ſententiam, quod ſcilicet Deus quietus eſſe inceperit poſtquam emiſſa fuit ſecunda illa quadriga. tunc enim oſtendit ſe reconciliatum eſſe electo populo: ſtatim redemptio ſequuta eſt. Ergo ut ſciant Judæi Deum ſibi fore exorabilem, ideo jubet placido & compoſito animo ſtare, donec peregerint curſum ſuum quadrigæ illæ per totam Chaldæam: quia implebitur quod nunc dicit Angelus, nempe quietum fore ſpiritum Dei, qui ante viſus fuit turbulentus, quum ſcilicet omnia tenebris involveret etiam in ipſa Judæa.

Da omnipotens Deus, quando hic obnoxii ſumus tot diverſis incommodis, quæ repente oriuntur quaſi ſubitæ procellæ: da, inquam, ut erectis in cœlum mentibus, quieſcamus tamen in arcana tua providentia, & ſic agitemur ſecundum carnis noſtræ ſenſum, ut tamen maneamus defixi in principio illo quod vis nobis eſſe perſuaſum, nempe omnia te moderari, & nihil moveri niſi tuo arbitrio, ut in rebus turbatiſſimis tamen clare ſemper conſpiciamus manum tuam, & conſilium illud plenum rectitudinis & ſummæ ac ſingularis ſapientiæ & juſtitiæ, ut ſcilicet te ſemper invocemus, & confugiamus ad portum hunc, nempe nos ſic huc & illuc volvi, ut tamen manu tua nos ſemper ſuſtineas, donec tandem recipiamur in beatam illam quietem, quæ nobis parta eſt unigeniti Filii tui ſanguine, Amen.

PRÆLECTIO DUODECIMA
IN
ZACHARIAM PROPHETAM.

CAP. VI.

9. Et fuit ſermo Jehovæ ad me, dicendo,

10. Sume ex transmigratione, nempe ab Heldai, & à Tobia, & à Jedaia: & vade tu die illo, vade, inquam, ad domum Joſiæ filii Zephaniæ, qui venerunt è Babylone.

11. Et ſume argentum & aurum, & fac coronas, & pone ſuper caput Jehoſuæ filii Jozedec Sácerdotis magni.

HÆc viſio data fuit Zachariæ, ut erigeret debiles animos in ſpem meliorem, quoniam ſcilicet videbant Judæi ſe duriter undique premi à vicinis: quia ſurgebant à fronte & à tergo hoſtes, ita ut nullus eſſet moleſtiarum finis. Putabant ergo ſe eſſe miſeros qui reverſi eſſent ab exilio, ſi talis conditio ſubeunda erat. Poterant enim tranquille agere apud Babylonios: & jam aſſueverant, ita ut illis non tam acerbum eſſet exilium. Sic ergo venerat in faſtidium Dei gratia, ut prope odioſa eſſet: quia ſatius putabant carere patria, quam novis quotidie certaminibus impeti. Deinde ipſa terræ habitatio non adeo per ſe erat optabilis, niſi reſpectu ſpei datæ: nempe quia pollicitus fuerat Deus per ſuos Prophetas regnum Davidis de integro fore glorioſum: deinde majorem fore Templi dignitatem & gloriam quam ante fuiſſet. Judæi quum viderent ſe aſſidue affligi à ſuis hoſtibus, putabant hoc totum eſſe frivolum. Ita non dubium eſt quin multæ querimoniæ paſſim volitarint & multi ſtrepitus. Ergo ut deſinerent ita obmurmurare Deo, Prophetæ hæc viſio oblata fuit, in qua jubetur *accipere aurum & argentum à quatuor viris: & inde conficere duas coronas, quas imponat capiti Jehoſuæ Sacerdotis magni*: nempe ut certo perſuaſi ſint Judæi fore ſtatum populi incolumem qualis olim fuerat, quum ſcilicet florerent regnum & ſacerdotium. Erant enim hæc ſumma decora, & quaſi duo oculi corporis, quum ſcilicet Sacerdos eſſet mediator Dei & hominum: Rex etiam Dei perſonam ſuſtineret in populo gubernando. Videmus ergo per duas coronas notari Eccleſiæ reſtitutionem. ſed ſimul notandum eſt, imponi utramque coronam capiti Jehoſuæ, quod novum fuit & inſolitum. Scimus tiaram fuiſſe datam Sacerdotibus: ſcimus etiam Reges diademate fuiſſe ornatos. ſed nemo unus debuit & regium diadema, & tiaram ſacerdotalem ferre. Hic ergo oſtenditur in unius hominis perſona conjunctio regni & ſacerdotii, quod ante non fuerat in uſu. Deus enim aperte in Lege ſua diſtinxerat illos duos ordines. Videmus

denius ergo portendi hoc vaticinio aliquid prius incognitum: nempe quod idem futurus ſit Rex & Sacerdos. Nam quod Hieronymus inter alia dicit fieri poſſe ut plures coronæ fuerint, hoc vanum eſt ac frivolum. deinde aperte pugnat cum verbis Prophetæ. Nam paulo poſt ſubjiciet fore conſilium pacis inter hæc duo, nempe inter Regnum & Sacerdotium. Quod etiam idem putat unam duntaxat coronam fuiſſe datam Sacerdoti, hoc quoque falſum eſt. denique evertit totam doctrinam Prophetæ quantum in ſe eſt. Sed relinquo nugas illas, quoniam nulla eſt in verbis Zachariæ ambiguitas, ubi Deus jubet aurum & argentum ſumere, unde conficiat duas coronas, quibus ornet caput ſummi Sacerdotis. Tenemus nunc conſilium Prophetæ, quod ad finem vaticinii: tenemus etiam ſummam verborum. Nunc videndum eſt cur Propheta aurum ſumere debuerit ab iſtis quatuor viris. Dicit enim, *Sume à transmigratione.* Nomen הגולה eſt collectivum, ut multis aliis locis. *Sume* igitur ab exulibus qui nunc redierunt in patriam è captivitate Babylonica. ſed poſtea ſubjicit *quatuor viros.* Eſt autem in contextu verborum aliqua abruptio: ſed quæ non obſcurat mentem Prophetæ. Dicit enim, *Sume ab Heldai & à Tobia & à Jedaia*: poſtea addit, *Vade in die illa, ingredere domum Joſiæ filii Zephaniæ.* Non dubium eſt quin Propheta juſſus fuerit venire ad illos quatuor, & ingredi cujoſque domum: & hoc ſatis colligitur ex fine decimi verſus, ubi dicit, *qui venerunt.* Loquutus fuerat tantum de uno Joſia filio Sophoniæ: poſtea addit illos ſimul veniſſe. Nunc venio ad ſolutionem. exiſtimant interpretes hos quatuor viros aurum & argentum ſuppeditaſſe, quoniam præcipui erant in populo, & pollebant ſanctitate præ aliis. Ergo honoris cauſa hic putant quatuor iſtos eligi qui aurum erogent & argentum ad conflandas coronas. ſed ex fine capitis potius conjicio notatam fuiſſe eorum mollitiem, quoniam ſcilicet puſilli eſſent animi, ac diffiderent promiſſionibus Dei, atque etiam frangerent aliorum animos ſuo exemplo. Certum quidem eſt fuiſſe viros raræ auctoritatis, ut præ aliis omnibus excellerent, atque in ipſos conjecti eſſent omnium oculi: hoc certum eſt: ſed interea hic coarguitur ipſorum infidelitas, quod non ſatis attenti eſſent ad Dei promiſſiones, & putarent ſe fraudatos eſſe ſpe ſua, quod relicta Babylone, ubi erat ſumma rerum omnium felicitas, in terram ſanctam redierant, quæ inculta & vaſta erat. Opus enim fuit magna tolerantia, quum deberent arare in ſpinetis & vepribus. Nam terra illa, ut jam dixi, non habuerat perpetuos cultores. Miſſi quidem fuerant ex Oriente qui paſſim in ea habitarent: ſed leones & ſævæ aliæ beſtiæ irruerant, ita ut terræ vaſtitas faceret multum negotii, quum Judæi illuc reverſi ſunt. Ego igitur non dubito quin hic perſtringat Spiritus ſanctus quatuor iſtos viros, qui debuerant aliis eſſe duces & anteſignani: interea frangebant vulgi animos. Et dico hoc poſſe colligi ex fine capitis, ubi jubebit Deus collocari duas coronas in Templo in memoriale ipſis, nempe ut cernerent illic damnationem incredulitatis ſuæ, ut ſuo loco dicemus. Jam quod jubetur Propheta *imponere capiti Sacerdotis duas coronas*, dixi hoc ſymbolo notari conjunctionem utriuſque dignitatis in Chriſti perſona. Oportuit uſque ad Chriſti adventum Sacerdotes eligi ex poſteris Aaron: dico ſummos Sacerdotes. Oportuit autem Reges eſſe ex ſemine Davidis. Ita non tantum in perſonis videmus diſtinctum eſſe regnum à ſacerdotio, ſed in familiis. Fuiſſet enim præpoſterum, Regem videre ex tribu Levitica: fuiſſet etiam præter ordinem Dei, videre Sacerdotem ex tribu Jehudah & ex familia Davidis. Quum ergo Rex diademate proprio eſſet ornatus, quum geſtaret Sacerdos propriam cidarim; quid hoc ſibi vult, quod idem homo ſuſtinet duas coronas? Certe videmus aliquid mutari in ordine præterito, & deſignari aliquid inſolitum. Jam vero novum non eſt, quod Redemptor qui promiſſus erat, Regno & Sacerdotio excelluerit. Hoc enim erat prædictum Pſalmo decimo & centeſimo, Dixit Jehova Domino meo, Sede à dextris meis: hoc pertinet ad jus Regium. Sequitur, Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Quanquam oportuit Reges tunc eligi ex familia Davidis & tribu Jehudah, ubi ſceptrum manebat: oportuit etiam Sacerdotes ſumi ex Levitica tribu: prædixit tamen Spiritus venturum Regem qui ſimul Sacerdos eſſet, quemadmodum prius fuerat Melchiſedech. hoc nunc confirmat Propheta. Quod autem jubetur Zacharias *imponere capiti Jehoſuæ illas coronas*, non debemus ita accipere, quaſi Jehoſuah ſtatim ſuſceperit regnum & ſacerdotium. Contentus enim fuit munere ſuo. ſed Propheta oſtendit in ipſa umbra quod ſperandum erat Meſſiæ adventu. Neque enim adhuc completum erat tempus, quo Chriſtus reciperet cidarim Regiam, quemadmodum dicitur apud Ezechielem, Tollite cidarim, transverſam, *Eze. 21.*
transverſam, transverſam ponite eam, donec veniat *verſ. 26.*
cujus eſt. Videmus ut Propheta illic deſignet longum tempus, quo cidaris Regia, hoc eſt, diadema quaſi pedibus calcandum erat. Non ergo ſatis diu jacuerat corona Regis: ſed tamen nihil temere fecit Propheta, quoniam non poterant aliter Judæi concipere animis quod hic promittitur, niſi in medium prodiret Sacerdos ille umbratilis, qui geſtaret utramque coronam: neque hoc fuiſſet tam appoſitum in perſona Zerubbabel. Etſi enim ille erat ex familia Davidis, & gerebat etiam typum Chriſti, tamen nullum erat nomen regium, & nulla imperii majeſtas: ideo fuiſſet hoc minus ſpectabile in perſona illius. Non mirum igitur eſt ſi Deus producat ſacerdotem Jehoſuam, qui figura erat & imago Chriſti: producit vero cum duplici corona, quoniam venturus eſſet qui conjungeret ſacerdotium regno, quemadmodum ſequitur.

12. Et dic ad eum, dicendo, (*loquere ad eum, dicendo: repetitur bis idem verbum*) Sic dicit Jehova exercituum, dicendo, Ecce vir, Germen nomen ejus: & è loco ſuo germinabit, & ædificabit templum Jehovæ.

13. Et ipſe ædificabit templum Jehovæ, & ipſe geſtabit decus, (*vel gloriam*) & ſedebit, & dominabitur ſuper ſolium ſuum: & erit Sacerdos ſuper ſolium ſuum, & conſilium pacis erit inter hos duos. (*vel inter utrumque.*)

Jam exponitur viſio: quia ſi abſque doctrina duabus coronis ornatus fuiſſet Sacerdos, poterant agitari multi ſermones in populo, Quid hoc ſibi vult? Deus hic pronunciat non competere in perſonam Jehoſuæ quod fieri juſſit, ſed alio reſpicere: *Tu dices ad eum, Ecce vir, Germen nomen ejus.* Perinde igitur eſt ac ſi diſerte teſtatus fuiſſet Propheta non coronari Jehoſuam, quoniam dignus eſſet tanto honore, vel quia unquam ſperanda ei eſſet Regia dignitas: ſed ideo geſtare hoc inſigne ad tempus, ut intelligant Judæi exoriturum qui Rex futurus ſit & Sacerdos. Dicit ergo *fore hominem, cujus nomen erit Germen.* De ratione hujus vocis alibi dictum eſt. omitto argutias quibus nonnulli ſibi placent: ſed quemadmodum alibi oſtendi, hæc ſimplex & ſolida eſt ratio, quod Chriſtus non fuerit ſimilis proceræ arbori, quæ innixa eſſet altis & profundis radicibus, ſed fuerit ſimilis plantulæ. Vocatur quidem alibi Surculus ex radice *Jeſa. 11.*
Iſai: ſed eodem redit ſumma: quoniam radix illa Iſai *verſ. 1.*
erat obſcura & ignobilis. deinde ſpecies ipſa ſurculi

nihil

nihil habuit præclarum. Videmus ergo Chriſtum vocari Germen, quia contemptibile fuerit ejus initium, ita ut nullius fere momenti eſſet apud homines profanos, imo etiam in ſua gente. ſed interea ſignificat Deus plantulam hanc quaſi ſua manu eſſe conſitam, ita ut vires accipiat. Quanquam ergo ignobile fuit Chriſti principium, Deus tamen affirmat ſe daturum vigorem ad continua incrementa, donec ad ſuam altitudinem pervenerit. hoc ſenſu Chriſtus vocatur Germen. Facile autem colligimus populi animos transferri ad Chriſtum venturum, ne ſubſiſtant in Jehoſuah, qui tunc erat umbratilis ſacerdos. *Dices ad Jehoſuam, Ecce vir cujus nomen eſt Germen.* Ubi eſt ille vir? non loquitur de Jehoſua, non dicit, Tu es ille vir: ſed dicit, *Ecce vir cujus nomen eſt Germen:* id eſt, aliunde adveniens. Hinc ergo colligimus coronas iſtas fuiſſe proprias Chriſti, ſed Jehoſuæ datas fuiſſe, ut poſſent Judæi conſpicere in hac figura, quod adhuc ſub ſpe abſconditum erat. Poſtea adjungit, *Orietur ex ſeipſo:* vel, *Germinabit è ſuo loco:* ad verbum, De ſub ſe. Etiam hic philoſophantur quidam nimis ſubtiliter, quod Chriſtus ex ſeipſo, quia æternus eſt Deus, orietur propria virtute. Potius exiſtimo duntaxat excludi humana media, quaſi Propheta diceret, Etiamſi Chriſtus ſit ſimilis plantulæ, tamen germinaturum, quaſi defixas alte radices haberet in terra. Non dubium quidem eſt Chriſtum germinaſſe cœleſti virtute ſua, & hoc etiam comprehendunt Prophetæ verba: ſed hoc voluit, non eſſe in Chriſto quærenda exordia quæ rapiant in admirationem & oculos & ſenſus omnes. Quamvis ergo Chriſtus tantum ſurculus ſit, tamen efficiet Deus *ut germinet è ſuo loco:* hoc eſt, etiamſi non adſint humana media, tamen hoc ſufficere quod Deus benedicet huic germini, ut ſcilicet in juſtam altitudinem excreſcat. Tandem adjungit, *Et ædificabit templum Jehovæ.* Hic eſt inſignis locus: unde apparet Templum quod tunc extruere cœperant Judæi, & quod poſtea ædificatum fuit ab Herode, non fuiſſe verum illud Templum de quo vaticinatus fuerat
Hag. 2. Haggæus, Gloria ſecundæ domus major erit quam
verſ. 9. prioris. Nam quamvis ſumptuoſum fuerit illud templum Herodis, tamen videmus quid pronunciet Spiritus hoc loco, nempe proprium hoc fore munus Chriſti. Nemo igitur, etiamſi concervaſſet totum aurum & argentum mundi, potuit extruere verum Templum, de quo jam citavimus vaticinium Haggæi, & de quo tam prolixe concionatur Ezechiel circa finem libri ſui. Unus ergo Chriſtus à Patre electus ſuit, qui Templum hoc ædificaret. Fuit quidem
Col. 2: 6. Chriſtus ipſe Templum quoad corpus, quia in eo habitavit plenitudo divinitatis: ſed ædificavit Templum Deo Patri, dum erexit ubique purum cultum, ſuperſtitionibus in nihilum redactis: & dum nos conſecravit etiam in regale ſacerdotium. Nunc ergo videmus quid oſtenſum fuerit Prophetæ, nempe quamvis tunc multis incommodis & probris & injuriis obnoxii eſſent Judæi, venturum tamen eſſe Chriſtum, qui reſtituet omnia in perfectum ordinem: illum fore non Regem modo, ſed Sacerdotem quoque: deinde principium illius obſcurum & contemptum fore reſpectu mundi; ſed ſine terrenis adminiculis venturum tamen ad ſuam altitudinem: poſtremo proprium fore ejus officium, ſpirituale templum Deo extruere. Repetit ſecundo quod dixerat, *Ipſe* (inquam) *ædificabit templum Jehovæ*, inquit. Hic videtur Propheta fruſtra iterare eadem verba, quum nihil accedat lucis. ſed mihi dubium non eſt quin rem creditu difficilem voluerit hoc modo ſancire & ratam facere. Quoniam ergo Templum quod tunc ædificari cœptum erat, nihil vel parum habebat in ſe ſplendoris & gloriæ, & vix ſperari poterat melius aliquod vel excellentius ædificium: ideo Propheta inculcat hanc promiſſionem, *Ille, ille ædificabit templum Jehovæ*, inquit: hoc eſt, ne maneant oculi veſtri defixi in hujus Templi intuitum, quoniam debilitat fidem veſtram, & vos fere exanimat: ſed ſperate aliud Templum quod nondum cernitis: quia veniet tandem Sacerdos & Rex, qui extruat Templum melius & præſtantius. Poſtea adjungit, *Geſtabit ille decus, & ſedebit, & dominabitur ſuper ſolium ſuum.* Confirmat pluribus verbis quod nuper attigimus, nempe hunc virum qui germinabit arcana Dei virtute, & non terrenis mediis, fore Regem ſimul & Sacerdotem. Quum dicit, *Portabit decus*, non dubium eſt quin tacita ſit oppoſitio inter Jehoſuah & Chriſtum verum Sacerdotem. Nam Jehoſuah, quamvis ſuo tempore functus ſit officio Sacerdotis, tamen erat contemptus: ſed Propheta jubet populum ſuum plus ſperare, quam ex præſenti intuitu concipere poſſit: quoniam veniet magnificus Sacerdos plenus regii etiam decoris. Et ideo addit, *Sedebit, & dominabitur ſuper ſolium ſuum.* Hoc proprie non convenit ſacerdotio, ſed affirmat Propheta virum hunc qui prodibit divinitus, ſimul etiam fore Regem, quamvis exerceat ſacerdotium. Erit ergo Sacerdos, ſed erit ſuper ſolium ſuum, ut dominetur. atqui non propria fuit dominatio Sacerdotis, ſed Regis. Tandem concludit totam ſummam rei, ubi dicit, *conſilium pacis fore inter duos.* Non puto hic perſtringi diſſidia quæ fuerant inter Reges & Sacerdotes. fateor quidem tales diſcordias ſæpe fuiſſe viſas in veteri populo: ſed longius reſpexit Propheta, nempe Sacerdotium conjunctum fore cum ipſo Regno. Non ſtatuit igitur diverſas perſonas, quæ inter ſe pacem colant, ſed potius de rebus ipſis diſſerit. *Erit ergo conſilium pacis inter duo*, nempe inter Regnum & Sacerdotium. Inde colligimus quod jam dixi, hic promitti quod non fuerat viſum ſub Lege, neque etiam expectari debuit: ſed renovatio quæ contigit adventu Chriſti, fuit complementum hujus Prophetiæ. Sequitur,

14. Et coronæ erunt ipſi Chelem, (*pro Chadai: probabilis conjectura eſt fuiſſe hunc binomium, ſicuti etiam Joſia filius Zephaniæ vocatur etiam Chen. erunt ergo ipſi Chelem*) & Tobiæ, & Jodaiæ, & Chen filio Zephaniæ in memoriale, in Templo Jehovæ.

Corrumpunt Prophetæ ſenſum qui putant depoſitas fuiſſe coronas apud quatuor iſtos viros. Potius enim locatæ fuerunt in Templo Dei: ſed ut eſſet memoriale iſtis hominibus. unde conficitur quod jam dixi, non fuiſſe ſumptum aurum ab illis, quia pietate & ſanctitate alios omnes antecellerent: ſed quoniam oportuit illis exprobrari ſuam mollitiem, quod ſcilicet putarent ſpem ſuam fruſtratam eſſe, quoniam non ſtatim complebat Deus quod pollicitus fuerat. Quum ergo inquieti eſſent, coarguitur hæc nimia feſtinatio. *Sunt ergo duæ coronæ*, inquit Spiritus, *in memoriale illis:* hoc eſt, quoties aſpicient coronas iſtas, ut ſeſe compeſcant & agnoſcant ſua deſideria fuiſſe nimis importuna, & ſe fuiſſe nimium præcipites, quum vellent uno die compleri omnia vaticinia: deinde etiam totus populus agnoſcat illos perperam murmuraſſe, quoniam erunt in memoriale & teſtimonium coronæ illæ ſuſpenſæ. Nunc ergo videmus clarius cur Propheta juſſus fuerit ſumere aurum & argentum ab illis quatuor, ut conficeret quas poſtea in Templo Dei coronas depoſuit. Tandem addit,

15. Et longinqui venient, & ædificabunt in Templo Jehovæ: & ſcietis quod Jehova exercituum miſerit me ad vos. Et erit, ſi audiendo audieritis vocem Jehovæ Dei veſtri.

Adjungit etiam Propheta venturos ex remotis terris, qui vel laborem ſuum, vel opes conferant ad Templi ædificationem. nam Ædificandi verbum poteſt ad utrumque referri. *Venient* igitur *longinqui.* Ante illud tempus fuerant dona oblata ab exteris gentibus: ſed Templum non fuerat ædificatum niſi à Solomone & populo. Deus ergo hic plus aliquid promittit, nempe adjutores fore ad Templi ædificium, qui tunc prorſus alieni erant à populo. Certum eſt, etiam ipſa ætate Zachariæ ſumptus fuiſſe datos à Cyro; ſed Propheta nihil tale commemorat: promittit aliquid majus. Sequitur ergo hoc vaticinium neceſſario referri ad Euangelii promulgationem: quia tunc cœperunt alienigenæ conferre ſuam operam, & ſuas divitias, ut Templum Deo extruerent. Quamvis ergo Cyrus erogaverit largam pecuniam ad extruendum Templum, non tamen hic de ejus liberalitate agitur. Poſt Cyrum vero nemo alienus tam liberalis fuit. nam Herodes qui magnam molem extruxit, & valde ſplendidam, non erat longinquus: imo volebat cenſeri unus ex populo. Videmus ergo non poſſe aliter accipi hoc vaticinium quam de ſpiritualis templi ſtructura, ut ſcilicet gentes quæ remotæ prius fuerant à populo Dei, ſimul ſe adjungerent ſocios, & ſtudia ſua conferrent ad ædificandum Templum, non ex lapidibus, vel ligno, vel alia corruptibili materia, ſed ex doctrina & donis Spiritus ſancti. Poſtea adjungit, *Scietis quod Dominus exercituum miſerit me ad vos.* De hoc genere ſcientiæ alibi diximus. Oportuit enim Judæos ab initio certo perſuaſos eſſe de fide hujus vaticinii. ſed ubi acceſſit effectus vel experientia ipſa, tunc cœperunt clarius cognoſcere. Perinde igitur eſt acſi diceret Propheta, Deus, qui per os meum loquitur, vos minime fruſtrabitur, quoniam tandem complebit quod nunc denuncio: & ipſa experientia teſtis erit me fuiſſe verum & legitimum ejus Prophetam. Et ideo vocat Deum exercituum, ut ſeſe confirment Judæi, dum audiunt hoc proficiſci ab eo cujus immenſa eſt potentia. ergo non eſſe cur dubitent de ipſo effectu: quia nihil eſt quod Deo obſiſtat, ubi viſum fuerit virtutem ſuam explicare. Sequitur, *Si audiendo audieritis vocem Jehovæ Dei veſtri.* Hic promittit Zacharias Judæis addita conditione, ſi Deo morigeri fuerint, & perſtiterint in obedientia verbi ejus ac doctrinæ: nempe quia incredulitas homines arcet ab omni participatione gratiæ Dei. Verum quidem eſt, etiamſi omnes tunc fuiſſent increduli, venturum tamen fuiſſe Chriſtum: quia Deus, ut verax eſt, non mutat conſilium, etiamſi totus mundus vanus ſit. Quoniam ergo ſtabilitas Dei non pendet ab hominibus, ideo non debemus accipere quod hic dicit Propheta, *Si audieritis vocem Dei*, quaſi potuerint redigere in nihilum vaticinii hujus effectum, ſi fuiſſent perfidi Deo. Defectio igitur illorum & totius gentis non potuit obſtare, quominus tandem ſuo tempore prodiret Chriſtus. Sed aliud voluit Propheta, nempe Judæos fore participes hujus boni, vel fruituros, ut ita loquar, hac gratia, ſi amplexi fuerint Dei promiſſionem, & ſe obedienter ſubjecerint Legi ejus. Nam utcunque Chriſtus jam advenerit mundi Redemptor, ſcimus tamen non pervenire hoc beneficium ad omnes: quare? multi enim increduli occludunt januam & Deo & Chriſti gratiæ. Ergo ſoli fideles ſentiunt reipſa Deum loquutum eſſe, & ſerio percipiunt ejus gratiam, quia ſcilicet *audiunt vocem ejus*: hoc eſt, primum fide recipiunt quod Deus offert: deinde etiam non deficiunt ab ejus doctrina: ſed in obedientia fidei permanent uſque in finem. Huc igitur ſpectat Propheta, ut oſtendat Judæis fruſtra hæc omnia dici, quoad ipſos, niſi animos Deo aperiant. Oſtendit vero rationem qua id fieri debeat, nempe *ſi audiendo audierint vocem Dei*: hoc eſt, ſi non ſint addicti ſuis cogitationibus, nec exiſtiment Deum eſſe fallacem, quia promittit quod eſt incredibile. Si ergo renuncient ſibi, & ſuis imaginationibus valere juſſis prorſus affixi ſint Dei verbo, & adhibeant loquenti Prophetæ fidem, oſtendit re ipſa ſenſuros, idque in ſalutem ſuam, quod docet, nempe Chriſtum fore Regem & Sacerdotem, qui ſuis perfectam felicitatem conciliet.

Da omnipotens Deus, quum nobis exhibitus fuerit Filius tuus, in cujus perſona etiam allata fuit nobis bonorum omnium & veræ ac ſolidæ gloriæ perfectio: da, inquam, ut maneamus in ipſo defixi, neque huc vel illuc propenſi ſimus, aut fluctuemur in varias partes, ſed ita contenti ſimus regno ejus & ſacerdotio, ut nos totos tradamus in ejus fidem ac cuſtodiam: deinde ne dubitemus ſic nos ejus gratia ſanctificatos eſſe, ut tibi grati hodie ſimus, & freti etiam iſto Mediatore, offeramus nos tibi vera cordis fiducia in ſacrificium: & ita ſtudeamus glorificare nomen tuum toto vitæ curſu, ut tandem ſiamus participes cœleſtis ejus gloriæ, quæ nobis parta eſt ejuſdem Filii tui ſanguine. Amen.

PRÆLECTIO DECIMA TERTIA IN ZACHARIAM PROPHETAM.

CAPUT VII.

ET factus eſt (*datus eſt*) anno quarto Darii regis ſermo Jehovæ ad Zachariam, quarta die menſis noni Chiſleu.
2. Nam miſerat in domum Dei (*hoc eſt, Templum*) Sareezer & Reguem-melech & viros ejus ad deprecandam faciem Jehovæ. (*aut, Miſerat in domum Dei Sareezer, & Reguem-melech, (in nominativo caſu) & viri ejus ad deprecandam faciem Jehovæ.*)
3. Ad dicendum Sacerdotibus qui erant in domo Jehovæ exercituum, & Prophetis, dicendo, An flebo menſe quinto? ſeparabo me, quemadmodum feci his annis? (*eſt turbata ſeries verborum: Quemadmodum ſolitus ſum facere his annis?*)

HIc non ponitur viſio, ſed reſponſum quod juſſus eſt dare Zacharias nunciis populi captivi. Dicit enim quoſdam è Chaldæa miſſos fuiſſe, qui offerrent Deo ſacrificia, & ſimul inquirerent, an ſervandum eſſet jejunium quod inſtituerant urbe capta & exciſa. Eſt autem aliqua ambiguitas in verbis Prophetæ: quoniam dubium eſt, an duo quos nominat, nempe Sareezer & Reguem-melech cum aliis miſerint nuncios, de quibus nunc ſit ſermo: an ipſi venerint & pertulerint mandata à captivis. ſed in ea re parum eſt momenti. Quantum ad me ſpectat, inclino in hanc ſententiam, veniſſe duos iſtos cum ſuis comitibus Jeroſolymam, & omnium nomine ſciſcitatos fuiſſe de jejunio, quemadmodum poſtea videbimus. Quod Judæi putant fuiſſe proceres aliquos Perſarum, omnino eſt puerile: ſed ita ad gloriam gentis ſuæ trahere ſolent abſq; delectu & judicio quicquid occurrit. quaſi vero hoc tantopere fuerit Judæis expetendum, ut duo ex Perſis in Templum aſcenderent. Sed non opus eſt longa diſ-

ceptatione: quia ſi Prophetæ conſilium ſpectamus, colligere promptum erit fuiſſe homines Judæos, qui miſſi fuerant ab exulibus, tam ut afferrent dona, quam ut inquirerent de jejunio, ſicuti narrat Propheta. Hæc igitur ſumma eſt, veniſſe tam Sarcezer quam Reguem-melech, & comites eorum ad Templum: deinde petiiſſe conſilium à Sacerdotibus & Prophetis, an adhuc ſervandum eſſet jejunium menſis quinti. Primo loco notandum eſt, etiamſi non fuerit tantum animi in omnibus, ut ſigno dato in patriam ſtatim redirent, non tamen fuiſſe craſſos Dei contemptores, & prorſus alienatos à vera pietate. Fuit quidem hoc non leve vitium, torpere apud Babylonios quum liber eſſet exitus: erat inæſtimabile Dei beneficium, porrigere manum miſeris illis exulibus, qui prorſus deſperaverant de reditu. Quum ergo Deus paratus eſſet illos domum reducere, non potuit negligi tanta illa gratia ſine magna ingratitudine. Sed Dominus tamen voluit in animis quorundam reſidere aliquas ſcintillas, utcunque non fervērent quo decebat zelo: ſicuti hodie videmus ignaviam in cauſa eſſe, ut multi in ſordibus Papatus deſideant: & tamen illic gemunt, & Dominus retinet eos, ita ut non excutiant ſtudium pietatis, neque prorſus deficiant. Non ſunt igitur omnes damnandi perfidiæ, qui nimis pigri ſunt ac lenti: ſed ſtimulandi ſunt interea: quoniam perperam faciunt qui indulgent eorum torpori. ſed tamen miſericordia digni ſunt ubi non adeſt ea quæ debebat & optanda erat alacritas, ut ſe totos Deo addicant. Videmus ergo tale exemplum in captivis, qui debuerant ſtatim ſe ad iter accingere, ubi permiſſa illis fuerat facultas edicto Cyri & Darii: manent tamen in exilio; ſed non prorſus rejiciunt cultum Dei. Mittunt enim adhuc ſacras oblationes, quibus fidem ſuam profitentur. Deinde interrogant etiam quid agendum ſit, & deferunt hanc reverentiam Sacerdotibus & Prophetis qui tunc erant Jeroſolymæ. Apparet igitur eos ſibi diſplicere, quamvis non ſtatim corrigant ſuum vitium. Multi ut ſeſe eximant ab omni culpa, vel potius ut abſtergant infamiam, contemnunt verbum Dei, nos etiam derident: imo excogitant quæ poſſint in nos conjicere crimina, ut ita verbum Domini apud ſimplices vileſcat. Sed Propheta oſtendit captivos de quibus loquitur, etiamſi non ita animati eſſent ut par erat, tamen fuiſſe adhuc probos Dei cultores: quia ſcilicet mitterent ſacrificia in Templum, deinde cuperent etiam illinc audire & diſcere quid factu opus eſſet. Primo dicit *miſſos fuiſſe nuncios ad deprecandam faciem Jehovæ*. Hic ſub Precationis voce Propheta intelligit etiam ſacrificia. Certum enim eſt Judæos etiam in exilio quotidie precatos eſſe: quia nulla potuit eſſe in illis religio, niſi ſe exercerent in precibus. Sed hic de ſolenni precatione fit mentio, cui adjuncta erant ſacrificia, dum ſcilicet profitebantur ſe eſſe ex populo Dei. Cæterum, hinc colligimus ſacrificia non magni per ſe fuiſſe ponderis: quoniam ſemper primum locum obtinuit oratio, vel invocatio Dei. Fuerunt igitur ſacrificia & aliæ oblationes quaſi acceſſoria, ut loquuntur: quia ſemper illud vigere debuit inter fide-
Pſal. 50. les, Offer mihi ſacrificium laudis. Secundo loco
verſ. 14. dicit etiam fuiſſe nuncios miſſos, ut ſcirent ex Sacerdotibus & Prophetis quod apud eos dubium erat. Hinc colligimus non fuiſſe craſſam ſimulationem qualis eſt in hypocritis, qui fingunt ſe orare Deum: ſed ſimul fuiſſe ſtudium obedientiæ. Et certe ubi contemnitur ſermo Dei & cœleſtis doctrina, jam neque precibus eſt locus, neque aliis exercitiis. infidelitas enim polluit & contaminat quicquid alioqui ſacrum eſt natura. Quiſquis ergo rite precari Deum volet, adjungat fidem, hoc eſt, accedat docilis ad Deum, & cupiat regi ejus verbo. Neque enim dubium eſt quin Propheta, ubi narrat quod factum eſt, ſimul etiam commemoret hanc rationem vel hunc ordinem quem tenent captivi. Hoc igitur totum laude dignum fuit, quod non tantum curarunt placare Deum precibus & ſacrificiis, ſed etiam ſciſcitati ſunt quidnam placeret Deo. Nec mirum eſt miſiſſe ipſos Jeroſolymam hac de cauſa, quoniam ſciebant locum illum divinitus electum eſſe, unde petere debebant rectam pietatis doctrinam. Quum ergo Jeruſalem eſſet Sanctuarium Dei, captivi illuc miſerant, præſertim quum ſcirent Sacerdotes eſſe nuncios Dei, & petendam eſſe Legis interpretationem ex illorum ore. Sciebant enim nondum veniſſe tempus quo doctrina ſalutis ſpargenda eſſet per totum orbem. Quod dicit Propheta captivos non tantum ex Sacerdotibus, ſed etiam ex Prophetis ſciſcitatos eſſe, hinc apparet fuiſſe rem vulgo notam, Deum excitaſſe Prophetas, quod longo tempore facere deſtiterat. Neque enim ſine cauſa dicit Jeſaias Deum Pro- *Jeſa. 40.*
phetis adhuc dicturum, ut incipiant rurſus populum *verſ. 1.*
conſolari. Fuerat igitur ſeptuaginta annis triſte ſilentium, quum nulli Prophetæ in medium prodirent: ſicuti etiam in Pſalmo dicitur, Signa noſtra non vi- *Pſal. 74.*
demus, neque eſt Propheta inter nos. Deus enim *verſ. 9.*
quaſi erecto vexillo ſolitus fuerat populum ducere quum habitaret in terra ſancta: & aſſidue Prophetæ alii aliis ſucceſſerant continuo ordine, ſicuti pollicitus fuerat ipſe Dominus per Moſen, Prophetam ex- *Deut. 18.*
citabo è medio tui, &c. Ex quo igitur tracti fuerant *verſ. 15.*
in exilium, illic alii alios quum reſpicerent, non poterant audire vocem ullam quæ illos in ſpem erigeret, donec rurſus præter ſpem novi Prophetæ excitati ſunt. Voluit autem Deus Prophetas illos ſedem & domicilium habere Jeroſolymæ, ut ſcilicet colligeret diſperſos Iſraelis: quoniam ſi Prophetæ fuiſſent in Chaldæa, poterant multi inde captare prætextum ſuæ inertiæ: Nonne etiam Deus habitat in medio noſtri? Quid opus eſt ſuſcipere difficile iter & moleſtum? nihil enim melius reperiemus Jeroſolymæ, quam in hoc exilio: Deus enim declarat ſe nobis præſentem per ſuos Prophetas. Fuiſſet igitur hoc damnoſum Judæis habere Prophetas in exilio. ſed quum audirent captivi donum Prophetiæ vigere adhuc in Templo, poterant reducere in memoriam quod prius audierant ipſorum patres tam ex ore Jeſaiæ, *Jeſ. 2: 3.*
quam ex ore Micheæ, De Sion exibit Lex, & ver- *Mich. 4.*
bum Domini è Jeruſalem. Nunc ergo tenemus cur *verſ. 2.*
Zacharias adjungat Sacerdotibus Prophetas. Tenendum autem eſt quod alibi diximus, fuiſſe Propheticum munus quaſi extraordinarium, ubi aliunde ſumebat Deus quam ex Sacerdotibus verbi ſui miniſtros. Erat enim hoc munus Sacerdotale: ſed voluit Deus probro exponere Sacerdotes, quum transferret docendi munus ad alios: dico ubi aſſumpti ſunt ex vulgo hominum Prophetæ, vel aliis familiis quam ex Levitica. Verum eſt non omnes Sacerdotes fuiſſe Prophetas: ſed non debuit tamen officium illud transferri in aliam tribum, niſi ut Deus pœnam exigeret de eorum ingratitudine, qui privatis negotiis potius dabant operam quam docendo populo. Quicquid ſit, fuit hoc illuſtre teſtimonium gratiæ Dei, quod eo tempore rurſus exiſtere cœperant Prophetæ. Ratio etiam illa addenda fuit, non habitaſſe alibi quam in Jeruſalem, ut hoc modo animarentur diſperſi ad reditum, & ſcirent locum illum non fruſtra à Deo prius electum fuiſſe. Hæc ratio eſt cur Propheta diſerte exprimat fuiſſe in domo vel in templo Domini exercituum tam Prophetas quam Sacerdotes. Tempus etiam notatur, nempe *quartus annus Darii, & nonus menſis, & quartus dies.* Scimus initium anni tunc ſumptum fuiſſe à menſe Martio. ergo menſis *Kislev* erat November, vel ſaltem medius inter Octobrem & Novembrem: ſicuti ſolebant conficere menſes ſuos in noviluniis. Jam de rege etiam Dario alibi diximus. neque enim fuit primus Darius ſocer Cyri, qui monarchiam tranſtulit ad Perſas, ſed fuit filius Hyſtaſpis. Præterierant

igitur

igitur ſeptuaginta anni, quia jam iſte erat Rex quartus, ut alibi dictum fuit. Nunc videnda eſt nobis quæſtio quam proponunt Sacerdotibus captivi. Quærunt an lugendum ſit ipſis menſe quinto: & an ſeſe conſecrare debeant ſicuti fecerant per annos ſeptuaginta & complures. Elapſi enim jam ſupra illum numerum fuerant aliquot anni, ſicuti vidimus. Hinc colligimus fuiſſe indictum ſolenne jejunium ex quo Templum incenſum, & urbs diruta fuerat. Loquitur hic tantum de quinto menſe: ſed paulo poſt mentio etiam fiet ſeptimi menſis. Certum eſt ex ſacra hiſtoria urbem fuiſſe deletam, & Templum everſum quinto menſe. Ergo probabile eſt ſolennem luctum tunc fuiſſe ſuſceptum à populo in memoriam triſtis illius ſpectaculi. Septimo menſe, quamvis non eodem anno, occiſus fuit Godolias, & quicquid reſiduum fuerat ex plebe ſimul tractum fuit in diverſas partes. Quum ergo tunc prorſus deſerta fuiſſet terra, etiam probabile eſt aliud jejunium fuiſſe ſuſceptum, ut ſcilicet quotannis ſeſe humiliarent coram Deo, & ſupplices veniam precarentur. Quum hæc fuerit cauſa utriuſque jejunii, ſatis conſtat non potuiſſe damnari à Sacerdotibus. Nec vero dubium eſt quin publico omnium conſenſu factum hoc fuerit, ut ſcilicet ſingulis annis luctum hunc ſuſciperent. Et videmus etiam quem finem jejunio Deus præſcribat, nempe ut tangantur homines vera pœnitentia dum ad ipſum accedunt, & ipſo externo habitu ſeſe admoneant de reatu ſuo. Quum ergo hanc regulam ſequuti fuerint Judæi in iſtis jejuniis, ſtatuendum eſt placuiſſe Deo: quoniam pia erant exercitia, quibus poterant erudiri ad pœnitentiam. Interrogant autem an debeant continuare ſuum luctum, quia jam Templum extrui cœperat cum urbe. Si fuerat hæc lugendi ratio, quod nullum amplius ſtabat templum ubi ſacrificia offerrent, urbs etiam ſancta diruta fuerat: certe tunc gratias Deo agere æquum fuit, & redire ad lætitiam, quum ſcilicet finis calamitati eſſet impoſitus. Non tamen audent captivi quicquam mutare, niſi accedat Sacerdotum auctoritas & conſenſus, ut ita omnes inter ſe conveniant: & hoc modo etiam teſtentur ſe eſſe vera membra Eccleſiæ: quoniam nihil ſeparatum habere vellent à reliquis. Non exprimitur nomen Jejunii, ſed quærunt, Lugebimusne? unde etiam ſatis apparet non fuiſſe tam craſſos, ut putarent in jejunio eſſe pietatis ſummam, ſicuti hypocritæ fingunt ciborum abſtinentia coli Deum: & ita ludunt cum eo ſuis nugis, quum Deus, qui Spiritus eſt, velit ſpiritualiter coli. Facile igitur videmus non fuiſſe imbutos craſſa illa & ſtolta opinione Judæos, quum jejunium illud annuum ſuſciperent. ponunt enim luctum loco jejunii. Quorſum autem luctus, niſi ut prodirent in Dei conſpectum rei & ſupplices, & teſtatum facerent externis ſignis ſe culpam agnoſcere, ut ita poſſent miſericordiam & veniam conſequi? Addunt etiam conſecrationem: quanquam varie exponitur hoc verbum נזר, quod ſignificat Separare. ſed hic reſtringunt multi interpretes ad ciborum abſtinentiam: quaſi dicerent, Separabimus nos à cibo? Hoc videtur mihi coactum: potius igitur ad ſanctificationem refero. ſcimus enim quum dies aliquis præſcriptus eſſet vel jejunio vel ſacrificiis, fuiſſe additam ſanctificationem. Etſi enim tota vita cavere oportuit Judæos ab omnibus inquinamentis: tamen quum indicerent jejunium aliquod vel ſacrificium, ſcimus quemadmodum jam dixi, magis ſedulos fuiſſe & ſollicitos ut abjicerent omnem pollutionem. Tenemus ergo quorſum tendant Judæi, & quid etiam velint iſtis verbis. Nunc ſequitur,

4. Et datus ſermo Jehovæ exercituum mihi fuit, dicendo,
5. Dic ad totum populum terræ, & ad Sacerdotes, dicendo, Quum jejunaſtis & planxiſtis in quinto & ſeptimo, (*menſe, ſubaudiendum eſt,*) & his ſeptuaginta annis, an jejunando jejunaſtis mihi, mihi?
6. Et quum comediſtis, & quum bibiſtis, annon vos comediſtis, & vos bibiſtis?
7. Annon ad ſermones quos clamavit Jehova in manu Prophetarum priorum, quum eſſet Jeruſalem quieta vel opulenta, (*vel quieta & tranquilla. Diximus enim alibi de hac voce* ישבת) & urbes ejus per circuitus ejus, & meridies, & campeſtris regio quieta?
8. Et factus eſt ſermo Jehovæ ad Zachariam, dicendo,
9. Sic dixerat Jehova exercituum, dicendo, Judicium veritatis (*hoc eſt, Verum, non fallax, ſincerum & integrum judicate*) & beneficentiam & miſericordias facite quiſque cum fratre ſuo.

Hic narrat Propheta ſe miſſum fuiſſe ad populum & Sacerdotes, non tam ut doceret nuncios illos qui venerant ex terra longinqua, quam ut corrigeret vitia gentis ſuæ: quia tunc ſuo more cœperant rurſus Judæi fucum facere Deo, & prolapſi fuerant ad multas corruptelas, quemadmodum alibi viſum fuit. Et ſatis apparet Deum non mandaſſe hoc rurſum Zachariæ, quod nuncii perferrent in Chaldæam: ſed hac occaſione Judæos fuiſſe admonitos ut ſibi proſpicerent. Fieri poteſt ut cœperint ipſi quoque Sacerdotes & omnes alii agitare hanc controverſiam, Quid? fratres noſtri inquirunt an adhuc ſervandum ſit jejunium: & ita variæ fuerint ſententiæ. Cæterum quia hoc dubium eſt, in medio relinquo. Quicquid ſit videmus Prophetam hic non ſcribere captivis, neque etiam alloqui eorum nuncios, ut referant in Chaldæam quod hic narratur: ſed potius ſermonem convertere ad Sacerdotes & populum. Summa eſt, quum dediſſent captivi non vulgare teſtimonium pietatis, Deum exprobraſſe Judæis qui reverſi in patriam fuerant, ingratitudinem, qua jam cœperant ſe polluere. Ideo objicit, *An mihi jejunaſtis? & an mihi comediſtis?* quaſi diceret Deum per ſe non morari jejunia, niſi proficiſcantur à ſincero affectu, & ſpectent etiam in verum & legitimum finem. Conſilium ergo Prophetæ fuit expergefacere Judæos, ne fingerent Deum placari aut jejunio aut aliis frigidis ceremoniis: ſed ſcirent majus aliquid requiri. Et videmus quam propenſa ſint hominum ingenia ad externos ritus, atque ut putent ſe perfecte erga Deum defungi ubi jejunaverint. Quum ergo hoc vitio laboret hominum natura, ideo hic Propheta mittitur, qui tales nugas diſcutiat: quod facit ubi pronunciat jejunium non placere vel acceptum eſſe Deo, quaſi res eſſet meritoria, vel etiam quaſi in eo ſita eſſet aliqua ſanctitas. Primo dicit, *ſibi datum fuiſſe ſermonem ut iret ad populum terræ & Sacerdotes.* Videmus quod jam dixi, reſponſum non dirigi ad captivos, ſed ad ipſos terræ incolas & cives Jeroſolymæ: quoniam ſcilicet putabant agi de primo & ſummo capite totius religionis, quum mota eſſet quæſtio de jejunio. Deus ergo ut hanc ſuperſtitionem illis extorqueat, dicit, *An quum jejunaſtis menſe quinto & menſe ſeptimo, deinde his ſeptuaginta annis, an mihi jejunaſtis? mihi?* inquam. Nam affixum poſuerat in verbo צמתני: & tamen poſtea addit אני: quaſi diceret, An mihi jejunaſtis? Ego? hoc eſt, an ego probabo tale jejunium? eſt emphatica repetitio: quaſi diceret, non eſſe cur Judæi glorientur ſe probe coluiſſe Deum: & ita officio ſuo eſſe defunctos, quia bis quotannis jejunarent: quoniam

niam ratio illis erat cum Deo, qui reſpuit tales nugas. Et hinc colligimus nihil eſſe magis præpoſterum, quam ubi judicant homines ex proprio ſenſu de cultu Dei, & ſibiipſis confidunt. Facile enim eſt nobis blandiri: quia ut terreni ſumus, ita putamus quicquid fulget coram oculis noſtris eſſe Deo gratiſſimum. Sed Propheta hic uno verbo admonet quam frivolæ ſint hujuſmodi blanditiæ, quoniam Deus ex oppoſito ſurgit, *An mihi jejunaſtis?* An vos ipſi eritis judices, & veſtro arbitrio licebit comminiſci diverſos cultus? Ego autem ſemper maneo mihi ſimilis. Nolite me transfigurare in mores veſtros. ego enim repudio quicquid vobis arridet. Quum dicit *illos ſibi ipſis comedisse & bibiſſe*, ſignificat hæc nihil facere ad cultum Dei, ſive bibant & comedant, ſive abſtineant à cibo & potu. Poſſet etiam elici alius ſenſus, nempe Judæos comediſſe ut ſolent profani homines. Et erit obliqua exprobratio, quod ſcilicet bis tantum quotannis placare Deum ſtuduerint: deinde in reliquum tempus fuerint ſecuri, & luxuriati fuerint in ſuis crapulis. Tenendum enim illud principium
1 Cor. 10. verſ. 31. Pauli, Sive comedamus, ſive bibamus, omnia eſſe agenda in Dei laudem. Et Lex etiam diſerte hoc præcepit Judæis, ut epularentur coram Domino: hoc eſt, ne cibum guſtarent niſi cum gratiarum actione quaſi præſente ipſo Deo. Quum ergo Judæi ſibi epulati fuerint, poſthabito Dei reſpectu, non mirum eſt jejunia ipſorum repudiari: quia non fuerit æqualis tenor ut decebat. Quamvis enim pii non ſemper jejunent, tamen etiam dum liberalius veſcuntur cibo & potu, non avertunt animos à Deo: ſed potius coram ipſo lætantur. Deo igitur comedunt & bibunt, ſicuti Deo abſtinent. Sed Propheta hic docet, *Judæos ſibi comediſſe*: ideo non poſſe ipſorum jejunium venire in rationem coram Deo. Senſus hic poſterior non male etiam convenit. ſed quantum ad ſummam rei ſpectat, ſufficere hoc nobis debet, Prophetam, quia negotium erat cum hypocritis, ridere ſuperſtitionem in jejuniis, quod ſcilicet exiſtiment eſſe piacula delendis peccatis: & ſi abſtineant uno vel altero die à cibo & potu, hoc modo placari Deum. Et conſilium ejus melius patet ex proximo verſu, ubi dicit, *Annon ad ſermones quos clamavit Jehova per ſuos Prophetas?* Hic Propheta confirmat doctrinam ſuam multis teſtimoniis, quod ſcilicet Deus jam olim continuis ſeculis non deſtiterit revocare Judæos ad veram pœnitentiam, & ſimulationem eorum damnare, ne putarent ſanctimoniam eſſe poſitam in jejunio, vel ſimilibus. Hoc autem facit Propheta non modo ut ſibi plus fidei conciliet vel acquirat: ſed ut duplicet crimen in Judæis: quaſi diceret eos in ſpeciem valde eſſe anxios, ne Deum offendant, interea merum eſſe mendacium: quia ſi ex animo cuperent Deo placere, jam pridem edocti fuerant jejunia per ſe nullius eſſe momenti, ſed exordium debere fieri à vera pietate & ſpirituali cultu. Dixi nuper quum mota fuiſſet quæſtio à captivis, potuiſſe etiam agitari multos ſermones in populo, ut fieri ſolet. Cæterum quia Judæi ſemper redibant ad ingenium, hoc eſt, cæcutiebant in frigidis ceremoniis, & putabant hoc modo Deum ſibi fore propitium: hæc ratio eſt cur Propheta derideat præpoſteram eorum diligentiam: Ecce, inquit, tantum nunc hoc quæritur, ſitne jejunandum, quaſi ſcilicet res iſta præcipua ſit coram Deo. interea negligitur pietas, negligitur vera invocatio Dei: denique totus ſpiritualis cultus ducitur apud vos pro nihilo: & vitæ etiam integritas nulla viget. Alii enim alios viciſſim mordent: alii ab aliis rapiunt: alii aliis inferunt injuriam, vel minantur: vos ſecure oculos clauditis ad tam craſſa ſcelera. Interim vero ſi omiſſum fuerit jejunium, putatis peſſundatam eſſe totam pietatem. nempe ſunt antiqui mores, & ita ſoliti ſunt facere patres veſtri: & ſatis conſtat vos ludere cum Deo, & plenos eſſe fallaciis: & ne micam quidem eſſe veræ pietatis. nam Deus inſonuit olim auribus veſtris, & fuerunt illi non obſcuri ſermones quum vos hortatus eſt per Prophetas ſuos. oſtendit quænam eſſet vera pœnitentia: ſed Deus nihil profecit. nonne ſatis conſtat vos nunc fallaciter agere, ubi tam ſedulo inquiritis de jejunio? Nunc ergo tenemus quanta ſit vehementia in his verbis, *Annon ad ſermones quos olim clamavit*, &c. Neque enim ſatis erat commonefieri Judæos de vera pœnitentia: ſed hæc etiam caſtigatio valde utilis fuit, quæ acrius ipſos pungeret. & omnino neceſſe fuit detegi ipſorum hypocriſin, ne ſibi nimium placerent in illis externis officiis. Ergo ne exciperent ſe facere recto ſtudio quod inquirerent de conſilio Dei, reſpondet Propheta, Ubi igitur ſunt verba illa quibus Deus teſtatus eſt quidnam ſibi placeret? Et hac etiam ratione utitur verbo קרא. Neque enim hic dicit Deum protuliſſe verba per ſuos Prophetas, ſed quaſi ſonore & pleno ore intonuiſſe: Ecce, inquit, vos inquiritis quaſi dubii: & via poteſt vobis explicari hic nodus: quaſi vero res ſit tanti momenti. Deus autem non tantum loquutus eſt, ſed clamavit in auribus patrum veſtrorum: interea calcatis illam doctrinam, vel clauſis oculis eam præteritis. Quid hoc ſibi vult? inquirere tam anxie de jejunio, & interea contemnere quod longe pluris erat? quemadmodum etiam hypocritis exprobrat Chriſtus quod non dubitent camelum Mat. 23. deglutire, quum ſoleant excolare culicem: quia ſci- verſ. 24. licet non audent in rebus minutis quicquam tentare: ubi autem craſſiſſimum ſcelus apparet, tranſiliunt quaſi bruta audacia. Huc igitur ſpectat hæc admonitio Prophetæ, quod non ſerio neque bona fide Judæi inquirant de voluntate Dei, ſed fingant ſe eſſe pietatis ſtudioſos, quum tamen aperte & craſſa ac ſupina audacia rejiciant doctrinam, quæ tamen minime ambigua erat, quum Deus per diverſos Prophetas ſatis ipſos, & patres etiam docuiſſet, quidnam exigeret ab ipſis.

Da omnipotens Deus, quando natura tam propenſi ſumus ad ſimulationem, ut excutere diſcamus noſipſos, & deſcendere in proprias conſcientias, ne quiſque noſtrûm ſibi indormiat falſis blanditiis, ſed ita diſpliceamus in occultis vitiis quiſque ſibi, ut interea tendamus, & toto ſtudio & conatu enitamur ad veram pietatem, & ita ſtudeamus nos totos tibi addicere, ut gemamus ſub onere peccatorum noſtrorum, & ſupplices ita confugiamus ad miſericordiam tuam, ut ſimul etiam tangamur vera pœnitentia, donec tandem exuti omnibus carnis noſtræ corruptelis, recipiamur in illam puritatem quæ nobis repoſita eſt in cœlo per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA QUARTA IN

ZACHARIAM PROPHETAM.

CAP. VII.

Sic dicit Jehova exercituum, dicendo, Judicium veritatis judicate, & clementiam & miſericordias facite quiſque cum fratre ſuo. Vidimus quid Propheta de jejonio diſſereret, quum miſſi fuiſſent nuncii ab exulibus ut inquirerent de jejunio. Hæc commoda fuit occaſio tractandæ bujus doctrinæ. Nam ſicuti tunc diximus, populus ſic addictus erat ſuis ceremoniis, ut putarent totam pietatem in jejunio & ſimilibus exercitiis poſitam eſſe. Et quoniam ad hoc vitium proclives ſumus natura, diligenter tenendum eſt quod hactenus Propheta docuit, jejunium ſcilicet non probari Deo ſimpliciter, & per ſe, ſed propter alium finem. Jam ubi oſtendit, falli Judæos, ſi putent Deum ceremoniis ſuis placari poſſe, admonet quid maxime requirat Deus in Lege ſua, nempe ut homines inter ſe juſtitiam ac rectitudinem colant. Verum quidem eſt, in Lege primas partes tenere Dei cultum: ſed hæc ratio loquendi ſatis trita eſt, ubi Deus ab officiis ſecundæ Tabulæ examinat hominum vitam, & oſtendit quid maxime Lex præcipiat. Deus ergo hoc loco, ſicuti pluribus aliis, non commendat juſtitiam inter homines, ita ut poſthabeat pietatem. Nam ſicuti longe præcellit totum mundum, ita ſcimus in regula bene vivendi ſemper initium debere fieri ab ejus cultu. ſed Propheta, quoniam negotium erat cum hypocritis, oſtendit eos tantum ludere cum Deo, dum inſiſtunt rebus externis, & interea negligunt rectitudinem & alia charitatis officia. Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ. dixerat proxima lectione ſe nihil afferre novum, ſed tantum reducere in memoriam quæ tradita fuerant ab aliis Prophetis. Hic vero proſequitur ſermonem illum, quod ſcilicet Deus pluris faciat juſtitiam & humanitatem, quam umbras illas legales, quæ per ſe nullius momenti erant. *Judicium*, inquit, *veritatis judicate*. Hoc non poteſt extendi promiſcue ad totum populum: ſed his verbis oblique accuſat Propheta judices, quoniam ſcilicet vel favore, vel odio rapiebantur, ita ut nihil æquum vel rectum decernerent. Colligimus ergo ex Prophetæ verbis tunc judicia fuiſſe corrupta, adeo ut vel in gratiam amici judex pronunciaret, vel pretio & mercede redemptus. Quoniam ergo nulla erat veritas in judiciis, ſed falſi prætextus & colores, ideo revocat hic eos Propheta ad *judicium veritatis*: hoc eſt, ſimplex: ubi ſcilicet perſonæ locum non habent, ubi neque odium, neque favor prævalent, ſed ſpectatur ſola æquitas. Poſtea deſcendit communiter ad totum populum: *Facite*, inquit, vel exercete *clementiam & miſericordias quiſque cum fratre ſuo*. Non jubet duntaxat eos abſtinere ab omni injuria, ſed hortatur ad beneficentiam: quia non ſufficeret neminem lædere, niſi etiam quiſque noſtrûm ſtuderet proximos ſuos juvare. nam humanitas hoc nobis dictat, opem ferendam eſſe miſeris, dum ipſa neceſſitas nos illuc ſollicitat. Cæterum, tenendum eſt duplicem eſſe ſynecdochen in his Prophetæ verbis. una enim eſt ſynecdoche, ubi Propheta tantum attingit ſecundam Legis tabulam, & tamen comprehendit regulam bene vivendi in genere: poſtea non enumerat quicquid traditur in ſecunda Legis tabula, ſed quaſdam duntaxat partes proponit exempli loco. Tamen certum eſt ejus conſilium, nempe longe decipi homines, ubi erga Deum ceremoniis & rebus externis defungi volunt: deinde hanc eſſe veram probationem & ſolidam pietatis, ſi quiſque juſtitiam & æquitatem colat cum proximo ſuo. Poſtea adjungit,

10. Et viduam, & pupillum, peregrinum, & pauperem ne diripiatis, & vir malum fratris ne cogitetis in corde veſtro. (*hoc eſt, ne ſinguli veſtrûm cogitent in corde ſuo vel machinentur malum fratribus ſuis.*

Commemorat etiam alias quaſdam ſpecies, ſed in eundem finem: nempe timorem Dei non probari ceremoniis, ſed ubi quiſque juſte & innoxie vivit cum fratribus ſuis, nec tantum abſtinet ab omni injuria, ſed propenſus eſt ad miſeros juvandos. Quoniam autem & viduæ, & pupilli, & peregrini videntur quaſi expoſiti in prædam, Moſes ſæpe in Lege eos commendat, & oſtendit curæ eſſe Deo, ipſumque fore vindicem, ſiquis ipſos lædat. Sic etiam Propheta hic diſerte loquitur de viduis, & pupillis, & peregrinis, ut Judæi intelligant non modo cavendum eſſe ne quis læſus queratur, vel ne retaliet injuriam ſibi illatam, ſed coram Deo integritatem colendam eſſe. nam metu ſæpe etiam improbi terrentur, ne maleficia ſua exerceant, quoniam ſcilicet cogitant aliquem fore ultorem. Hinc fit ut divites & opulenti tuti ſint ab omni moleſtia, quoniam cincti ſunt ac muniti validis præſidiis: ſed viduæ & pupilli non ita poſſunt repellere injurias. Hæc igitur ratio eſt cur Propheta hic viduas potius, & pupillos, & pauperes ac peregrinos nominet, quam promiſcue loquatur de omnibus. Nam ſumma eſt, quemadmodum admonui, timorem Dei non probari ſolide, niſi ubi quiſque addictus eſt juſtitiæ & æquitati, neque tantum metu vel pudore cohibetur, ſed officio ſuo fungitur quaſi coram Deo & Angelis, ita ut parcat pauperibus & miſeris, qui nudati ſunt omni auxilio. Sed quoniam aliis locis hanc doctrinam fuſius expoſuimus, nunc ſatis eſt eam breviter attingere. Pergamus.

11. Et renuerunt attendere, & poſuerunt humerum declinationis, & aures ſuas aggravarunt ne audirent:

12. Et cor ſuum poſuerunt adamantem, ne audirent verba quæ miſerat Jehova exercituum in Spiritu ſuo, in manu Prophetarum ſuperiorum: & fuit ira magna à Jehova exercituum.

Hic Propheta Judæos ætatis ſuæ, exemplo patrum acrius pungit, quia ſcilicet videbat nihil fere ab illis differre. Summa eſt, Judæos omnibus ſeculis mala fide & perverſe egiſſe cum Deo: quia utcunque jactarent ſibi eſſe pietatis curam & ſtudium, tamen volebant Deo ſatisfacere duntaxat inanibus nugis. Huc ergo nunc tendit Propheta. nam certum eſt ſemper fuiſſe aliquem prætextum pietatis in gente illa: ſed fuit mera ſimulatio, quoniam intenti erant ſuis ceremoniis. Ubi autem ſerio Deus urgebat eos,

illic

illic ſeſe prodebat eorum contumacia & perverſitas, quæ prius occulta fuerat. Dicit ergo *renuiſſe ipſos audire*. Jam non accuſat mortuos, niſi hoc conſilio, ut doceat ſuos æquales. Videbat enim ſollicitos eſſe de ſolenni jejunio; interea pro nihilo fere ducere quæ præcipua erant capita Legis, nempe miſericordiam & judicium & rectitudinem. Hæc enim tria ponit
Mat. 23. verſ. 23. Chriſtus. Dicit igitur hanc doctrinam non eſſe novam, & patres eorum ſatis probe fuiſſe admonitos: ſed ſponte, & quaſi data opera fuiſſe rebelles Deo. Denique hic excutit illis larvam ignorantiæ, quia ut plurimum volunt homines extenuare culpam, quaſi non fuerint vel ſatis clare, vel in tempore edocti. Propheta igitur negat quicquam eſſe excuſationis, quoniam fuerunt præfracti & indomiti: *renuerunt attendere*. Poſtea quo melius exprimat contumaciam hanc, dicit objectum fuiſſe ab illis *humerum declinationis*. Hebræi dicunt Servire homines humero, ubi ſunt morigeri & flexibiles, ac libenter ſubeunt quod injungitur onus, quemadmodum vidimus 3. cap. Sophoniæ. Nunc ex oppoſito Propheta humerum præfractum dicit fuiſſe in Judæis, quoniam non potuerint aſſueſcere ad ferendum jugum, ſed excuſſerint omnem timorem Dei. & ratio metaphoræ eſt, quod humero ferantur onera: ſic Dominus imponit Legem humeris noſtris, ne ſcilicet libere laſciviat caro, ſed ſub fræno ſe contineat. Dicit ergo illos poſuiſſe humerum rebellem. סוררת proprie vertitur Declinationis humerus. ſed alii vertunt perverſum, alii contumacem: & quoniam eodem redit ſenſus, non contendam de ipſa voce. Sufficiat igitur, hic damnari contumaciam in Judæis, quia fuerint prorſus indociles, & non potuerint ſe Deo & verbo ejus ſubjicere. Poſtea addit etiam de auribus, *Aggravarunt aures ne audirent*. Denique modis omnibus convincere voluit Propheta Judæos, ne quid objicerent ad culpam ſuam levandam, quoniam omni ex parte certa malitia recuſaverant parere Deo, quum ſatis clara & familiaris eſſet ejus doctrina. Poſtea etiam deſcendit ad cor: *Paſuerunt*, inquit, *cor ſuum adamantem*, vel lapidem duriſſimum. Alii vertunt Chalybem: alii ſilicem. Significat interdum ſpinam. ſed hoc loco, ſicuti 3. Ezechielis capite, & apud Jeremiam, accipitur pro Adamante vel pro lapide duriſſimo. Nunc videmus quorſum tendat Propheta, Judæos ſcilicet non fuiſſe excuſabiles quaſi errore & ignorantia lapſi eſſent, quoniam ſponte & perverſo animo ſemper reſpuerant ſanam doctrinam. Hypocriſin igitur ſolam Propheta obſtaculo fuiſſe docet, quominus tenerent ac ſequerentur quod rectum erat. Cæterum operæpretium eſt notare has loquendi formas, quibus contumaciam Propheta traducit, ubi dicit attentionem negatam fuiſſe Deo. nam hic antitheſis debet nobis occurrere inter verum timorem Dei & obedientiam, & ab adverſa parte, contemptum Legis & voluntariam rebellionem. Si ergo nolumus damnari coram Deo contumaciæ, primo loco attentio præſtanda eſt verbo ejus: poſtea ſubjiciendi ſunt humeri, ut ſcilicet placide feramus jugum nobis impoſitum: tertio etiam aures arrigere oportet, ut verbum Dei non effluat nobis dum prædicatur, ſed radicem in nobis agat: poſtremo flectenda ſunt corda ad obedientiam, & omnis durities corrigenda, vel emollienda eſt. Jam vero addit Zacharias Judæos fuiſſe vel lapideo corde vel ferreo ad repudiandam Legem Dei & omnes Prophetas. Priorem gradum tribuit Legi, quoniam inde oportuit petere totam pietatis doctrinam: & Prophetæ, ſicuti jam ſæpius dictum fuit, tantum Legis erant interpretes. Poſtea addit, *verba fuiſſe miſſa à Deo in Spiritu, & in manu Prophetarum*. Quum dicit loquutum fuiſſe Deum per Prophetas, occurrit objectioni qua hypocritæ ſe tegere ſolent, dum reſpuunt doctrinam. Excipiunt enim ſe libenter fore Deo morigeros, ſed non poſſe ferre hominum imperium. Quaſi vero verbum Dei mutaret naturam ſuam, ubi profertur ore hominis. ſed quoniam hypocritæ & profani homines minuere ſolent verbi auctoritatem hoc prætextu, Propheta hic oſtendit Deum velle audiri, etiamſi miniſtros adhibeat. Ergo per modum conceſſionis hoc poſitum eſt, Prophetas eſſe intermedios: ſed tamen Deum ita ipſorum ore loqui, ut contemptus in eum redundet, ſi non habetur legitimus honor doctrinæ. Jam ne ipſa hominum vilitas quicquam detrahat verbi reverentiæ, ponit etiam nomen Spiritus: quaſi diceret loquutum fuiſſe Deum per ſervos ſuos, nempe homines mortales; ſed interea *loquutum fuiſſe in Spiritu ſuo*. Non eſt igitur cur fallaciter excuſent hypocritæ ſe non eſſe Deo rebelles, ubi vilipendunt Prophetas: quoniam apparet ac refulget etiam virtus & majeſtas Spiritus ſancti in ipſa doctrina, ſic ut hominum conditio nihil illi auferat ex ſua dignitate. Jam hoc etiam addendum eſt, damnari Judæos, quod ſtatim ab initio fuerint mature admoniti: & per eos tantum ſtetiſſe quominus reſipiſcerent. Nam ſi Dominus paſſus fuiſſet eos diu errare, erat aliquis tergiverſandi color: ſed quum revocare in viam ipſos tentaſſet Deus, & Prophetæ alii aliis ſubinde & aſſidue fuiſſent ſubmiſſi, hinc melius detegitur ipſorum improbitas, imo ferrea contumacia, *quod ſcilicet pervicaciter recuſaverint parere Deo*. Hæc igitur ratio eſt cur hic Zacharias commemoret Prophetas ſuperiores. Tandem ſubjicit, *Iram magnam fuiſſe à Jehova exercituum*: qua particula admonet non eſſe quaſi de re ambigua diſputandum an patres improbi fuerint ac immorigeri Deo. Pœnis enim ſatis teſtatus eſt ipſe illorum mores ſe fuiſſe abominatum. nam hoc principium tenendum eſt, Deum non agere crudeliter ubi homines caſtigat, ſed ſcelerum gravitatem ſemper debere æſtimari ex pœnis quas infligit. Quum ergo tam duriter & ſevere caſtigaret Dominus veterem populum, hinc colligere promptum eſt intolerabilem fuiſſe eorum malitiam. Nunc ergo videmus cur Propheta dicat *iram magnam fuiſſe profectam à Deo*, ne ſcilicet putarent Judæi ipſum leviter fuiſſe offenſum, quia contentus etiam fuiſſet mediocri aliqua pœna. ſed ubi tam ſevere iraſcitur, & horrendum in modum ulciſcitur populi peccata, ſequitur in ipſis ſceleribus aliquid fuiſſe gravius quam homines exiſtiment. Cæterum, ſubeſt tacita comparatio, quia eo deterior fuit improbitas eorum qui tunc vivebant, quoniam potuerant ſaltem patrum jactura commonefieri, ut ſincerius agerent cum Deo. Sciebant patres ſuos fuiſſe ſedulo & multis modis admonitos: ſciebant exilium ſequutum fuiſſe, quod teſtimonium erat horribilis vindictæ Dei. Quum ergo non abſimiles eſſent patribus, neque perverſum illud ingenium exuerent, hinc convincitur major eorum & magis præfracta improbitas, quia ſcilicet debuerant percelli aliquo metu, quum viderent tam horribile eſſe Dei judicium contra homines obſtinatos. Poſtea ſequitur,

13. Et fuit, ſicuti clamavit & non audierunt, ſic clamaverunt & non audivi, dicit Jehova exercituum.

Propheta exaggerat pœnarum gravitatem, quod fruſtra ingemuerint & conqueſti ſint, quia Deus ſurdus fuerit ad ipſorum querimonias & clamores. Si Deus quodammodo fulminet, interea ſtatim præbeat ſe exorabilem, non videbitur tantopere fuiſſe infenſus: cæterum ubi nihil ſuis votis & precibus proficiunt miſeri quos affligit manu ſua, ſed fruſtra ululant, & nihil ſentiunt opis, tunc melius colligitur Deum non vulgari modo offenſum eſſe. Hoc ergo voluit Propheta hac circumſtantia, ubi dicit *non fuiſſe*

exau-

exauditos à Deo in ſuo clamore. ſed notanda eſt repetitio contumaciæ: dicit enim Deum clamaſſe, & non fuiſſe ab illis auditum. Hæc autem merces non poteſt cenſeri injuſta, ubi Deus pœnam exigit ſpreti verbi ſui. nam quantus eſt hic honor, quo dignatur miſeros homunciones, ubi ad ſe eos invitat, & quidem pleno ore? Ubi autem ita reſpuitur & ſpernitur clamor Dei, nonne merentur qui ita præfracti fuerunt quod hic dicit Propheta, nempe ut clamando ludant operam? quia Deus ſurdus erit ad omnes gemitus. Quantum ad verba ſpectat, hic perſonæ mutatio poſſet turbare ſimplices: ſed notanda eſt ratio loquendi, quæ ſatis communis eſt Prophetis. nam quia aſſumunt Dei perſonam, ut plus authoritatis concilient ſuæ doctrinæ, interdum loquuntur in tertia perſona, interdum in prima. In prima dum loquuntur, Deus loquitur ipſe: dum loquuntur in tertia, ſunt quaſi miniſtri qui recitant, & de manu in manum proferunt quod à Deo injunctum fuit. Ergo Propheta priore membro hic loquitur tanquam miniſter Dei: poſtea ſuſcipit ejus perſonam, acſi eſſet ipſe Deus: ſed hoc fit reſpectu verbi, quemadmodum dictum eſt. *Factum eſt ergo, ſicuti clamavit & non audierunt.* Quis clamavit? durum eſſet hoc referre ad Prophetas: quod faciunt nonnulli. Ergo non dubium eſt quin Propheta hic Judæos accuſet, quia obſurduerant ad Dei ſermonem: *Sic*, inquit, *clamabunt & non audiam.* Dicendum fuerat, Sic clamabunt, & non audiet Dominus ipſe. Videmus in ſenſu nihil eſſe vel obſcurum, vel ambiguum. Summa eſt igitur, Deum non fruſtra minatum fuiſſe per veteres Prophetas, ſed quemadmodum hanc vindictam denunciaverat per os Jeſaiæ, ita completam fuiſſe in Judæis, *Jeſ. 65. verſ. 12.* quod ſcilicet clamaverint ſine profectu, & experti fuerint Deum ſeverum judicem, cujus vocem etiam prius contempſerant. Scimus autem multis locis occurrere hanc ſententiam, non exaudiri impios à Deo: imo preces ipſorum eſſe abominabiles, quia nomen Dei impuro corde & ore profanent quoties ad eum confugiunt: quia ſcilicet perrumpunt ſine fide & pœnitentia. Ergo ex his verbis colligimus merito putreſcere in ſuis malis qui obſtinati ſunt in ſpernendo verbo Dei: quoniam minime æquum eſt vel conſentaneum, ut Dominus facilis ſit ad audiendos ipſorum clamores, ipſi autem ſurdis auribus prætereant vocem ejus. Sequitur,

14. Et exturbavi eos (*vertunt quidam*) ſuper omnes gentes (*alii melius, diſpellam illos ad omnes gentes*) quas non noverunt, (*alii vertunt, quæ non noverunt eos*) & terra deſolata erit poſt eos, ne ſit tranſiens, nec revertens: & poſuerunt terram deſiderabilem in vaſtitatem.

Hic concludit Propheta quod cœpit differere de vindicta Dei, qua ſatis aperte teſtatus fuerat gentis illius ſcelera veniſſe ad ſummum cumulum, ita ut jam locus non eſſet veniæ. Dicit ergo *diſperſos fuiſſe.* nam ego ita malo vertere: & videtur etiam hoc exigere contextus. Variant interpretes in hac voce: imo etiam ipſi Hebræi dicunt difficilem eſſe hunc locum, quia ſcil. ſecundum regulas Grammatices vix poteſt aptari hoc verbum contextui. ſed primum videndum eſt qua de re tractet Propheta: deinde ſecundo videndum eſt quum plures ſignificationes ſint hujus verbi, quænam maxime conveniat. Non dubium eſt quin Propheta hic commemoret vindictam Dei, quod diſperſi fuerint Judæi per varios populos, non tantum rapti in exilium, ſed etiam diſſipati per multas partes. Hoc verbum ſi tranſitive accipitur, nulla erit ambiguitas. nam סער ſignificat movere loco, vel diſpellere, & quidem violenter, quia deducitur à turbine. Quum ergo hic poſſit eſſe tranſitivum verbum, non video cur quæramus alios ſenſus perplexos, ubi ſatis conſtat de mente & conſilio Prophetæ. Dicit ergo *Judæos fuiſſe diſperſos.* quomodo? *ad cunctas gentes*, hoc eſt, per varias plagas mundi: deinde, ad gentes incognitas. Scimus autem quo longinquius eſt exilium, eo eſſe aſperius, quia vicini ſunt paulo humaniores ut plurimum. Si quis autem abripitur ad gentem aliquam barbaram, mallet centies mori in itinere, quam ita procul vivere à patria, & in moribus novis & inſolitis. Summa eſt, Judæos duriter afflictos fuiſſe à Deo, quia non modo diſceſſerint à vero ejus cultu & puro timore, ſed etiam pervicaces fuerint, reſpuerint omnem ſanam doctrinam, & ad omnes admonitiones fuerint ſurdi & præfracti. Dicit ergo hac ratione *fuiſſe diſperſos ad omnes gentes.* Poſtea adjungit, *terram poſt eos fuiſſe deſolatam*, ita ut nemo illac tranſiret. Hæc etiam circumſtantia potuit clarius oſtendere iram Dei, quum adjudicaſſet terram vaſtitati. Ubi enim Deus notas vindictæ ſuæ terræ & aliis elementis innoxiis imprimit, hinc apparet non leviter iratum eſſe hominibus. Dicit ergo Deum non fuiſſe contentum populi illius exilio & diſperſione: ſed voluiſſe etiam conſpicuas notas manere ſcelerum, quod terra ipſa eſſet ſterilis poſt eos & deformis. Scimus autem terram illam fuiſſe valde uberem, non tam natura quam benedictione Dei.
Exod. 3: 8. Promiſerat enim ſe daturum Iſraëlitis terram fluentem lacte & melle. Hæc fœcunditas quum verſa eſt in ſterilitatem, talis mutatio debuit expergefacere omnium animos, ut ſentirent illic horribile Dei judicium. Nunc ergo videmus cur Propheta dicat, *terram poſt ipſos*, hoc eſt, ex quo ab ea diſceſſerant, *fuiſſe vaſtam & deſertam.* Polluerant enim terram eo uſque, ut cogeretur ferre Dei judicium, licet per ſe eſſet innoxia. Et addit *terram deſiderabilem fuiſſe in vaſtitatem*, idque ipſorum culpa. Fuit quidem Deus auctor hujus vaſtitatis: ſed imputat Zacharias populo hoc malum, quia ſcilicet provocaverint in ſe iram Dei, & ſibi accerſiverint tantam calamitatem: imo etiam involverint quaſi ſimili reatu terram ipſam, quoniam à Deo maledicta fuit, quamvis jam inde alio tracti eſſent. Terra deſiderabilis ſæpe vocatur Judæa, non modo ob fœcunditatem & frugum copiam, ſed quia Deus ſibi eam elegerat: & quum multis dotibus excelleret terra illa, certum tamen eſt ſummam ejus præſtantiam in hac parte fuiſſe, quod eam peculiari honore dignatus eſſet Deus. Ergo exprobrat Zacharias, quod non modo Judæi ſua culpa extinxerint gratiam Dei quoad proventum frugum, ſed quod corruperint terram illam, quæ ſingulari gratia pollebat, nempe ut eſſet domicilium Dei. Hinc etiam melius colligitur quanta fuerit ſcelerum enormitas, quæ facere potuit, ut Deus terram à ſe electam addiceret vaſtitati. nam, quemadmodum diximus, hic non vulgaris fuerat honor, quod Deus voluerat eſſe inſtar Paradiſi terram illam, in qua voluerat coli ab electo & ſancto populo. Ubi autem tanta dignitas vertitur in ignominiam & æternum probrum, hinc clare apparet rarum ſignum iræ Dei: & hinc etiam convincitur gentis impietas, quæ ſicuti dictum eſt, non modo avertit gratiam Dei à terra ipſa, ne fruges ex more produceret, ſed ut eſſet quaſi deforme theatrum, & incuteret omnibus horrorem, quum viderent ſic deſertam terram ubi prius fuerat Templum & invocatum nomen Dei.

Da omnipotens Deus, quando nos hac lege adoptaſti in filios, ut fraternam inter nos benevolentiam mutuo colamus, & alii aliis ſe & officia ſua impendant: da, inquam, ut tota vita probemus non fruſtra nos abs te vocatos eſſe, ſed ita conjunctis animis vivamus, ut vigeat inter nos integritas & innocentia: & alii aliis prodeſſe ſtudeant, ut ita glorifice-

tur

tur inter nos nomen tuum, donec tandem hujus vitæ curſu perfecto, perveniamus ad metam illam, quam nobis proponis, ut tandem defuncti omnibus hujus vitæ incommodis perveniamus ad beatam illam quietem quæ nobis repoſita eſt in cœlo, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA QUINTA
IN
ZACHARIAM PROPHETAM.

CAPUT VIII.

ET fuit ſermo Jehovæ exercituum, dicendo,

2. Sic dicit Jehova exercituum, Zelatus ſum pro Sion zelo magno, *(vel æmulatione magna)* & indignatione magna æmulatus ſum pro ea. *(vel zelatus ſum.)*

QUidam exiſtimant initio hujus capitis populum coargui ſuæ perfidiæ, quia non egerit cum Deo ut debuerat, ſed violaverit ſacrum illud conjugium, quo eum dignatus fuerat Deus: quemadmodum hæc ratio loquendi ſatis trita eſt, ubi Deus maritis zelotypis ſe comparat, dum videt Eccleſiam ſuam impudice agere. ſed non poteſt quadrare ille ſenſus, quia verbum קנא, quoties additur hæc ſyntaxis, ſumitur pro ſtudio vel affectu amoris in bonam partem. nam ל valet tantundem ac Propter, vel pro: & in primo capite habuimus ſimilem ſententiam. multis etiam aliis locis ſatis patet non poſſe aliter ſumi quod hic dicitur, niſi Deum ira fuiſſe accenſum contra omnes Eccleſiæ ſuæ hoſtes: quia ſcilicet Eccleſiam ſuam ſingulariter diligat. Æmulatio igitur hic non ſignificat zelotypiam, ſed accipitur in diverſam partem, nempe quod Deus zelo fuerit accenſus pro defenſione Eccleſiæ ſuæ. Hoc igitur totum caput teſtatur Deum fore ultorem populi ſui: & tantam ei eſſe curam ſalutis piorum omnium, ut velit ſeſe opponere etiam contra totum orbem, ſi opus fuerit, pro illis tuendis. hæc ſumma eſt. Dicit ergo *datum ſibi fuiſſe ſermonem*: unde colligimus hoc vaticinium ab aliis diſtingui. Addit, *Zelatus ſum pro Sion*, (diximus enim literam ל ſic reſolvi debere) & quidem *zelo magno*. Fuit autem hæc incredibilis mutatio, quoniam ad tempus ſeſe Deus continuerat, quum pro ſua libidine impii Eccleſiam vexarent, ita ut putarent id ſe facere impune. Quum ergo Deus tunc quieſceret, difficile creditu erat quod hic docet Propheta, nempe Deum exarſurum ſubito zelo, ut ſuſciperet cauſam Eccleſiæ. Ergo indignatio quæ paulo poſt ſubjicitur, debet referri ad hoſtes: quaſi diceret jam ſenſuros eſſe omnes impios quod minime putaverant, Deum ſcilicet eſſe cuſtodem Jeroſolymæ. Nunc ſequitur,

3. Sic dicit Jehova exercituum, Reverſus ſum ad Sion, & habitabo in medio Jeruſalem: & vocabitur Jeruſalem urbs veritatis, & mons Jehovæ exercituum mons ſanctitatis.

Clarius nunc explicat Propheta quod propoſuit. Sed tenendus eſt hic ordo: quia oportuit violenter hoſtes dejici à ſua poſſeſſione: & Eccleſiam redimi, ut rurſus habitaret Deus in medio ejus. nam qui fieri poterat, ut reipſa probaret Deus Jeruſalem eſſe ſub tutela & fide ſua, niſi primo inferret manum hoſtibus? Non abs re igitur incepit Propheta ab illa promiſſione, nempe jam Deum accinctum eſſe ad pugnam: & ardere iracundia, ut eripiat Eccleſiam ſuam ex hoſtium manibus. Nunc ſequitur fructus victoriæ. neque enim ſatis fuiſſet, Deum perſequi injurias electo populo illatas, niſi deinde colligeret diſperſos, & reſtitueret priſtinum Eccleſiæ ordinem. Sæpe enim continget, ut qui male & crudeliter tractati ſunt, reperiant vindicem, ſed nullo ſuo aut frigido ſolatio: quia ſcilicet nihilo illis eſt melius. Atqui Dominus hic utrumque exprimit, ſe arma ſumpturum pro defenſione electi populi: deinde ſe fore cuſtodem & præſidem ſanctæ urbis, ſicuti fuerat. Quod ſingulis fere verſibus repetit hanc particulam, *Sic dicit Jehova exercituum*, non dubium eſt quin tunc plurimum valuerit ad fidem confirmandam, quia res erat fere incredibilis, ut nuper dixi. Oportuit igitur ſubinde nomen Dei proponi in medium, ut ſeſe fideles alacrius totos addicerent huic vaticinio, quod ſciebant à Deo profectum, & quidem à Deo exercituum, cujus potentia immenſa eſt, ita ut nihil ei ſit difficile, ſicuti iterum paulo poſt dicetur. Dicit autem *ſe reverſum eſſe*, non quod jam tunc conſpicuus eſſet effectus hujus vaticinii: ſed decretum ponitur pro re ipſa. Siluerat Deus longo tempore quaſi populum ſuum ludibrio hoſtium exponeret: tunc viſus etiam fuit procul abeſſe à Jeruſalem. erat enim locus deformis & vaſtus: imo erat quaſi theatrum horribilis vindictæ. Deus ergo toto illo tempore viſus fuit habere locum illum pro derelicto: ſicuti etiam Ezechiel dicit Deum migraſſe è Templo, & fuiſſe locum vacuum, & quaſi profanum. Secundum hanc rationem nunc dicit ſe reverſum eſſe, quia ſcilicet palam oſtendere vellet non fruſtra ſedem illic fuiſſe gloriæ ſuæ, ubi juſſerat invocari nomen ſuum. Verum quidem eſt, montem Sion nunquam deſertum fuiſſe à Deo: ſed non potuit aliud ferri judicium, quum nullum amplius eſſet Altare, nulla ſacrificia, imo nullus populus qui Deum illic coleret. dicitur enim hoc, reſpectu divini cultus. Et ſanctitas etiam montis per ſe nulla erat, niſi quatenus illum conſecraverat Deus ſibi. Ergo res erant conjunctæ, montis ſanctitas, & Dei præſentia. Unde ſequitur, Deum communi hominum ſenſu fuiſſe abſentem, quum nulla illic vigeret religio, & nulla ſacrificia Judæi illic offerrent. Dicit autem *ſe reverſum, ut habitaret in medio Jeruſalem*. Hoc etiam neceſſario addendum fuit, ut ſtatuerent Judæi reditum ſuum non fuiſſe inanem. quia multi jactabant ſtulte ipſos feſtinaſſe: & quamvis læta eſſent exordia, tamen in poſterum inſtare multas moleſtias, & ædificium illud eſſe quaſi tridui. quum multum impenderent operæ & laboris in extruenda urbe, hoc fore caducum: quia paulo poſt iterum venturi eſſent hoſtes, qui exſcinderent novam urbem. Quum ergo volitarent ejuſmodi ſermones, oportuit fulciri piorum animos, ut certo perſuaſi eſſent Deum hac lege reverſum eſſe cum populo ſuo, & fuiſſe itineris ducem exulibus, ut reſideret Jeroſolymæ ſicuti antea. Nunc ergo tenemus Prophetæ conſilium: quaſi diceret non fuiſſe temere hoc factum quod populus reverſus eſſet in patriam, ſed fuiſſe liberatum Dei auſpiciis, & perpetuam illis ac fixam habitationem fore Jeroſolymæ, quia eſſet adhuc domicilium Dei. Scimus autem ſtabilitatem Eccleſiæ non alibi eſſe fundatam, quam in Dei præſentia, ut dicitur Pſal. 46.,

Deus in medio ejus, non commovebitur. neque enim minus obnoxia eſſet Eccleſia Dei ſubitis & frequentibus ruinis, quam alia loca, niſi quia Deus ejus fultura eſt dum habitat apud ipſam. Et huc etiam nunc tendit Propheta noſter, quum dicit *Deum habitaturum illic*. Adjungit, *Et vocabitur Jeruſalem urbs veritatis, & mons Jehovæ mons ſanctitatis.* Hoc membro admonet Propheta cur Deus ad tempus deſeruiſſet Jeroſolymam, nempe quia urbs erat fallaciis, malis artibus & dolis, & perverſis conſilus dedita. Quoniam ergo prorſus degeneraverant Judæi ab omni pietate, ſignificat Propheta ideò urbem caruiſſe ſuo cuſtode & præſide, ipſo ſcilicet Deo. Eodem etiam ſpectat quod dicit, Vocabitur mons Sion mons ſanctitatis. Utcunque enim magnifice jactarent Judæi ſe colere Deum in ſacro loco: profanaverant tamen & Templum & Altare ſuis ſceleribus, ſicuti vidimus
Hagg. 2. verſ. 15. apud Prophetam Haggæum. Hic ergo oblique perſtringit Zacharias Judæos, quod ſcilicet corruperant omnem puritatem ſuis fraudibus: deinde quod polluerant inquinamentis ſcelerum ſuorum Sionem, & Templum Dei. Interea ſimul docet quòmodo reſideat Deus in Eccleſia ſua, nempe dum eam ſanctificat. Nunquam igitur otioſus eſt Deus, dum reſidet inter ſuos: quia abſtergit omnem immunditiem, omnes fallacias, ut ſemper locus in quo habitat, vere ſit Sanctuarium. Ergo Propheta hic non modo externam Dei gratiam promittit Judæis, ſed oſtendit longe aliquid præſtantius Deum ſecum afferre, nempe ut purget locum in quo reſidere vult, & in quo ſibi domicilium eligit: atque illinc expellat omnes ſordes. Quum autem hoc promittat Deus, videmus proprium eſſe ejus munus ac donum, ſordes omnes noſtras mundare, deinde diſcutere omnes fallacias. Summa eſt, Deum ubi ſibi populum reconciliat, non modo afferre externam benedictionem, quoad terrena commoda, ſed afferre aliquid melius & longe excellentius, nempe ut renovet corda & mentes, atque ubi omnia polluta erant & plena fœtoris, illic reſtituat veram & perfectam munditiem & integritatem. Cæterum ſimul memoria tenendum eſt quod prius dixi, nempe hic proponi Judæis ante oculos ſua flagitia, ut pudore tacti ad reſipiſcentiam aſpirent: quia vidimus eos fuiſſe nimis tardos & ſegnes hac in parte. Oportuit igitur ſtimulari ipſos ad reſipiſcentiam. nam tantundem valet hæc ſententia Prophetæ, acſi dixiſſet, Montem Sion fuiſſe profanum, quamvis eum Deus ſibi conſecraſſet: quia vitiatus fuerat illic Dei cultus, & nulla erat integritas: deinde urbem fidelem, ſaltem quæ talis eſſe debuerat, fuiſſe refertam mendaciis & perfidia. nam veritas non tantum debet reſtringi ad fidem quam ſibi homines ultro & citro præſtant, ſed etiam ad ſinceritatem illam, qua ſe continent fideles ſub puro & ſincero timore Dei. Hæc ſumma eſt. Nunc ſequitur,

4. Sic dicit Jehova exercituum, Adhuc habitabunt vetuli & vetulæ (*vel ſenes & anus: ſed eſt idem nomen*) in plateis Jeroſolymæ, & viro baculus ejus in manu ſua præ multitudine dierum.

Confirmat quod paulo ante dixi, Judæos ſcilicet ſub manu & præſidio Dei fore incolumes, quia vellet habitare inter ipſos. Cauſam tuti & tranquilli ſtatus poſuit Dei præſentiam. nam ut nobis ſit pax à toto mundo, alii tamen alios conficient, niſi Deus pacis nos contineat: quia ſi nobis parcant exteri hoſtes, non deſinemus tamen nos conficere mutuis & inteſtinis diſſidiis. Ergo primo loco neceſſe eſt Deum pacis & ſalutis habitare in medio noſtri. Cæterum, ubi potimur Dei præſentia, hinc exoritur plena ſecuritas. Apposite igitur nunc dicit Propheta *adhuc habitaturos ſenes & vetulas in medio Jeruſalem.* nam ex quo reverſi fuerant Judæi, ſcimus fuiſſe continuis bellis impetitos: & via ſperari poterat inter aſſiduas turbas victuros ætatem unam: quia in ſingulos dies inſtabant novi metus. Quum ergo ita ſine modo periclitarentur & ſine fine, occurrit Propheta, & promittit fore adhuc illis tranquillam habitationem, ita ut ad extremum ſenium uſque futuri ſint ſuperſtites tam viri quam fœminæ. Dicit ergo, *Adhuc habitabunt*. Poſtea adjungit, *Baculus erit viro in manu ſua præ ſenio*, vel multitudine dierum. Videtur quidem hoc parum opportune dici, quia longe præſtaret vigorem dari, ut ſenio non deficerent viri ipſi. Debilitas ergo, cujus hic mentio fit, videtur potius ſignum eſſe maledictionis Dei quam gratiæ: & ideo per Jeſaiam promittit Dominus ſenes fore ve- *Jeſa. 65. verſ. 20.*
getos & robuſtos, ita ut non ſentiant ætatis incommodum. ſed alia hic ratio fuit Zachariæ, ut jam admonuimus. Multi enim quotidie obſtreperis ſuis vocibus frangebant animos piorum, quum dicerent eos falli: nam Jeroſolymam non poſſe diu ſtare, quum tot undique hoſtes inſurgerent. Zacharias igitur oſtendit, adeo non fore diſcrimen Judæis, ut cadant manu hoſtium, ut victuri ſint ſecure & ſine aliqua moleſtia: externa dico. nam ſcimus non poſſe hoc accidere, ut multi ſenes aliquo in loco cernantur quaſi fere exanimes ætate, ita ut baculo ſeſe ſuſtineant, niſi undique pax & quies ſit ab hoſtibus. Nunc ergo tenemus Prophetæ conſilium, nempe Jeroſolymam fore tranquillam & pacatam: & hunc fore fructum præſentiæ Dei, quod potius annis quam externa vi & manu hoſtium intereant illius cives. Eodem etiam pertinet quod ſequitur,

5. Et plateæ urbis plenæ erunt pueris & puellis ludentibus in plateis ejus.

Alia figura idem repetit & confirmat, nempe quia ludent per compita & publicas vias pueri & puellæ: quod fieri non poteſt inter bellicos tumultus. nam ubi crepant arma, ubi etiam auditur ſonitus tubarum, ubi timentur hoſtiles inſultus, quiſque continet liberos ſuos domi, & in publico eſt triſtis deformitas, nemo illic fere reperitur: denique nulla eſt hilaritas etiam in pueris, ubi metus aliquis impendet. Unde colligimus hic promitti tranquillum ſtatum Jeroſolymæ, quia Deus procul abiget conatus hoſtium: non quod immunis unquam fuerit Jeroſolyma ab omnibus incommodis; ſed quia defenſio Dei eo uſque valuit, ut ſecuri eſſent inter multos & diverſos timores. neque hic ſubtiliter diſputandum eſt, an ludere in pace liceat: quia ſumpſit hanc loquendi formam Propheta à communi hominum more, deinde ab ingenio etiam. Scimus enim ubi nullus metus occupat animos hominum, tunc ſolvi in lætitiam: deinde permitti luſus & ludicra pueris. Hoc ergo tantum voluit Propheta, quamvis tunc Judæi multum negotii haberent cum diverſis hoſtibus, fore tamen tutos & quietos. Poſtea addit,

6. Sic dicit Jehova exercituum, Si mirabile eſt hoc in oculis reliquiarum populi hujus in diebus illis, etiam in oculis meis mirabile erit? dicit Jehova exercituum.

Aſperius hic caſtigat populi diffidentiam: quia ut homines metiri ſolent quicquid promittitur ſuo ſenſu, ita clauſus fere erat aditus his vaticiniis, quum viderent non poſſe ullo modo placari hoſtium ſuo-

rum rabiem. Tentaverant enim multis modis vel ipſos compeſcere, vel ſaltem conciliare ſibi. Et ſcimus multa edicta fuiſſe profecta à Regibus Perſarum, quibus conſulerent Judæis: ſed tantum erat illius gentis odium, ut ſubinde novi hoſtes emergerent. Hac ratione hic Propheta invehitur in illorum incredulitatem. Et fontem diffidentiæ quaſi digito monſtrat, quum dicit eos non habere fidem loquenti Deo, quoniam plus promittat quam ipſi concipiant. Et hoc notatu dignum eſt: quum cupimus radicitus evellere ex cordibus noſtris incredulitatem, neceſſe eſt hinc facere initium, nempe ut ſenſus noſtros erigamus ſupra mundum: imo ut judicio noſtro valere juſſo, ſimpliciter amplectamur quod Deus promittit: quia ſcilicet deberet nos abripere in ſublime potentia ejus, ut non dubitemus facturum quæ prorſus abſurda nobis videntur. Quod Mirabile dicit Propheta, tantundem valet atque Impoſſibile. homines enim mirantur ſæpe opera Dei, ne fidem adhibeant: imo falſo admirationis prætextu detrahunt potentiæ Dei. Siquid ergo Deus promittat, ſtatim obrepunt dubitationes, An hoc fieri poterit? ſi non apparet ratio, ſtatim, quoniam res ſuperat modulum noſtrum, ſtatuimus hoc falſum eſſe. Videmus ergo ut homines dum ſe mirari potentiam Dei ſimulant, prorſus exinaniant. Quum ergo nunc dicit Propheta, *Si hoc eſt mirabile in oculis veſtris, an etiam in meis?* perinde eſt acſi diceret, Si reſpuitis quod vobis polliceor, quia non eſt conſentaneum judicio veſtro, an æquum eſt, potentiam meam reſtringi ad ſenſus veſtros? Videmus ergo nihil magis eſſe præpoſterum, quam velle metiri Dei virtutem noſtro captu: ſed ſimulac loquitur, operæpretium eſt animos ſurſum attollere, & ſic in admirationem rapi, ut nihil nobis ſit poſtea mirabile, ubi ſcilicet reputamus immenſam eſſe Dei potentiam. Nunc tenemus quomodo mirari conveniat Dei opera, & tamen nihil in illis admirabile ducere. Nullum eſt tam minutum Dei opus, quod non in ſe contineat aliquid miraculi, ubi reputatur ſicuti decet: ſed interea quia fide erecti apprehendimus immenſam Dei potentiam, quod videtur eſſe incredibile ſecundum communem ſenſum carnis, quaſi deſpicimus ante pedes noſtros: quia ſcilicet fides noſtra ſuperior eſt mundo. Nunc videmus & verum fontem incredulitatis & fidei: fons incredulitatis eſt dum homines reſtringunt Dei virtutem ad captum mentis ſuæ: fons etiam fidei eſt, ubi deferunt laudem immenſæ potentiæ Deo; qui non reſpiciunt quid ſit facile, ſed ſolo verbo contenti certo ſibi perſuadent, quia Deus verax eſt, ſimul etiam certum eſſe quicquid pronunciat, quoniam ſcilicet implere poſſit: quemadmodum Paulus etiam docet Abrahæ fidem *Rom. 4.*
fundatam fuiſſe in hâc certitudine, quod non dubi- *verſ. 20.*
tavit eum qui loquutus erat poſſe re ipſa complere. Ergo ut penetrent Dei promiſſiones in animos noſtros, & illic radices agant, neceſſe eſt valedicere proprio judicio: quia dum ſapimus nimium apud nos & ſubſiſtimus in terrenis mediis, quodammodo evaneſcit nobis potentia Dei, & ſimul excidit etiam veritas. Denique ſpectandum eſt, non quid ſit probabile, non quid ferat natura, non quid ſit uſitatum, ſed quid Deus poſſit. atqui immenſa eſt ejus potentia. Ergo debemus emergere etiam ex anguſtiis carnis noſtræ, & fide noſtra ſuperare mundum, quemadmodum diximus. Dicit autem, *in reliquiis populi hujus:* qua particula videtur pungere ipſos Judæos, qui jam aliqua ex parte ſenſerant Dei virtutem in ſuo reditu. nam triginta annis antequam data fuiſſet libertas à Cyro & Dario, ducebant pro fabula quicquid Deus pollicitus fuerat: dicebant ſe eſſe in ſepulchro unde nullus exitus ſperandus eſſet, experti fuerant qualis eſſet & quam incredibilis potentia Dei: & tamen quaſi attoniti adhuc deſperabant de futura ſalute. Hanc ergo ingratitudinem nunc oblique perſtringit Zacharias, quum vocat Reliquias populi. Erant exigua manus, non ſuſtulerant vexillum ut invitis hoſtibus exirent, ſed præter omnium opinionem repente aperta illis fuerat via. Quum ergo experimento edocti, non agnoſcerent Deum plus poſſe quam ferrent eorum imaginationes, merito eos hic inſimulat Propheta, quod tam maligne æſtimarent potentiam illam Dei ſibi ſatis ſuperque uſu ipſo compertam. Poſtea ſubjicit,

7. Sic dicit Jehova exercituum, Ecce ego ſervans populum meum è terra Orientis, & è terra Occaſus Solis.

8. Et reducam eos, & habitabunt in medio Jeroſolymæ: & erunt mihi in populum, & ego ero illis in Deum, in veritate & juſtitia.

Proſequitur eandem doctrinam: ſed interpoſita illa præfatione, quæ valde tunc utilis fuit in rebus adeo confuſis, quum ſcilicet difficile eſſet erigere collapſos animos & revocare ad fiduciam, quoniam trepidatione ita erant turbati. Hæc ratio igitur eſt cur toties repetat Zacharias nihil ſe afferre niſi mera Dei mandata. *Ecce*, inquit, *ego ſervans populum meum*, vel liberans. Quoniam diſperſio ſpem tollebat, etiam hoc vitium corrigit Propheta, & dicit non fore difficile ex diverſis mundi plagis populum colligi, ubi Deus manum ſuam ſuſtulerit: & emphatica eſt iſta loquutio, *Ego ſum qui libero populum meum.* Deus ergo hic ſeſe attollit, ut diſcamus virtutem ejus magnifacere, non autem æſtimare ex ſenſu noſtro: *Ego*, inquit, *ſum qui libero tam ab Ortu Solis quam ab Occaſu populum meum.* Ergo pendet hæc ſententia à priore, ubi Propheta breviter oſtendit errare Judæos & perverſe facere, qui nihilo plus tribuerent Deo quam dictaret ipſis carnis ſenſus, vel quam eſſet veriſimile ex ordine naturæ. Quoniam ergo docuit fieri gravem injuriam Deo niſi ſeparetur ab hominibus, & emineat ſupra totum mundum; nunc adjungit Deum illum apud quem nihil eſt vel mirabile, vel difficile, velle populum ſuum colligi, ut ex ſua diſſipatione iterum Jeroſolymam redeat. ergo nihil hic novum adjungit Propheta, ſed applicat in verum uſum quod nuper dixit de immenſa & incomprehenſibili virtute Dei, quam perperam homines includunt in ſuo cerebro, vel affigunt terrenis mediis. Poſtea adjungit, *Reducam eos, & habitabunt*, inquit, *in medio Jeruſalem.* Confirmat rurſum quod jam dixi, reditum non fore irritum, quemadmodum vulgo multi jactabant perperam feciſſe Judæos, qui tam celeriter revolaſſent in patriam: damnabant illorum conſilium, quaſi nimio fervore repente fuiſſent evecti. Ergo Propheta ut oſtendat Deum bona fide egiſſe cum populo ſuo, hic promittit tutam & perpetuam habitationem Jeroſolymæ. *Habitabunt* ergo, hoc eſt, ſicuti videtis nunc vos fuiſſe collectos, ita ſperate Deum fore cuſtodem veſtrum, ut ſitis tuti ab omni diſcrimine, & rurſum habitetur Jeroſolyma, ſicuti quum maxime florebat. Poſtea addit, *Erunt mihi in populum, & ero illis in Deum.* His verbis obſignat Propheta quicquid hactenus docuit quum de renovatione fœderis loquitur. Pendebat enim tota ſpes populi ex hoc uno capite, Si Deus memor eſſet fœderis ſui, quod olim pepigerat. Fuerat autem abruptum fœdus illud, quemadmodum Scriptura loqui ſolet. nam populus in exilium abreptus, putabat ſe projectum & deſertum fuiſſe à Deo. Quum ergo ſepulta eſſet memoria fœderis quoad effectum, vel apparentiam, ut loquuntur, ideo ut confirmet Propheta quod hactenus dixit, ſimul etiam affirmat populum illum fore popu-

lum

lum Dei, & Deum fore populi illius Deum. nunc ergo tenemus cur hoc addiderit, *Ero illis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.* Poſtremo adjungit, *In veritate & juſtitia*, hoc eſt, ſtabilis erit & firma hæc felicitas. nam ubi Deus ſe oſtendit curam habere populi, ſequuntur etiam externæ benedictiones, quæ teſtimonia ſunt ejus favoris: addit Propheta hoc fore in juſtitia & veritate, quia ſcilicet Deus non modo ad momentum propitius erit populo ſuo & beneficus, ſed proſequetur ſuam gratiam uſque in finem. Quoniam ergo ſtabilire volebat Deus ſalutem urbis, ideo teſtatur ſe fore in Deum, *in juſtitia*, hoc eſt, rectitudine, bona fide, & ſine fuco: deinde ſine periculo aliquo mutationis. Quomodo autem hoc impletum fuerit, poſtea videbimus.

Da omnipotens Deus, quando quotidie peccatis noſtris abs te deficimus, ne tamen prorſus excidamus à fundamento, cui innixa eſt ſalus noſtra: ſed ipſe ita nos ſuſtineas, vel etiam collapſos erigas, ut maneamus ſemper in gradu noſtro: deinde redeamus etiam cum vera pœnitentia ad te, & quicquid accidat, ſic tamen diſcamus in te reſpicere, ne unquam deſperemus de bonitate tua, quam pollicitus es nobis fore firmam & perpetuam: præſertim quum nunc freti Filio tuo unigenito mediatore, poſſimus te invocare Patrem, donec tandem etiam perveniamus ad hereditatem illam æternam, quæ nobis parta eſt ejuſdem Filii tui ſanguine, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA SEXTA
IN
ZACHARIAM PROPHETAM.

CAP. VIII.

9. Sic dicit Jehova exercituum, Roborentur manus veſtræ, qui auditis in diebus his verba hæc ex ore Prophetarum, qui (*fuerunt*) in die quo fundata eſt domus Jehovæ exercituum, ut Templum extrueretur.

10. Quia ante dies iſtos merces hominis non fuit, & merces jumenti nulla, & egredienti & venienti nulla pax ab anguſtia: (*vel præ afflictione*) & emiſi cunctos homines, quemque in ſocium ſuum.

11. At nunc non, ſecundum dies ſuperiores ego (*agam*) cum reliquiis populi hujus, (*Agam non eſt in contextu, ſed ſupplendum eſt*) dicit Jehova exercituum.

Poſtquam docuit Propheta Deum jam reconciliatum eſſe populo ſuo, nunc tempeſtive hortatur Judæos ut ſeſe ad opus accingant & ſtrenue inſiſtant in extruendo Templo, atque etiam in ipſa urbe ædificanda. Diximus enim tunc multorum animos fuiſſe pigros, quoniam putabant ſe paulo poſt deletum iri ab hoſtibus: & quod maximo labore, multis moleſtiis, & plurimis etiam ſumptibus factum eſſet, ſtatim everſum iri. Hinc ergo multis obrepere cœpit ignavia, ut deſiſterent ab ædificatione & Templi & urbis. Alibi etiam vidimus nimis intentos fuiſſe privatis ædificiis, & interea Templum fuiſſe neglectum, quia ſcilicet ſinguli ſpectabant privata commoda: imo etiam delicias. (*Hagg. 1. verſ. 4.*) & Propheta etiam Haggæus acriter invectus eſt in illum torporem: oſtendit etiam Dominum juſtas ſumpſiſſe pœnas de illa ſegnitie quum præferrent ſuas domos Templo, & interea fiducia vacui trepidarent quaſi luſoria eſſet eorum reſtitutio. Quoniam ergo ſua ingratitudine populus jam fere deleverat redemptionis memoriam, ideo Propheta Haggæus ſevere in illos invectus eſt: & nunc eandem doctrinam attingit Zacharias. Dicit igitur antequam cœpiſſent operam impendere ædificando Templo, terram fuiſſe ſterilem & quaſi maledictam divinitus, ipſos ſpe ſua fraudatos eſſe, & quicquid tentarent fuiſſe irritum: poſtquam autem hortatu Prophetarum cœperant animos ad Templum extruendum adjicere, res fuiſſe mutatas in melius: & quidem ita aperte, ut colligere promptum eſſet, Deum prius illis fuiſſe infenſum; nunc vero propitium, quod ſcilicet tam proſpere omnia illis ſuccederent. Mutatio igitur hæc illuſtre ſignum erat & iræ Dei & gratiæ, quoniam merito populum caſtigaverat quantiſper ſua infidelitate fuerat implicitus, ne pergeret in Templo ædificando: deinde gratia etiam Dei fulgere cœperat, quod & uberem frugum proventum dederat illis Deus, & modis omnibus teſtatus fuerat ſe jam illis favere. Ergo hæc ſimul in medium proponit Zacharias, ut alacriter in opere pergant, & ne provocent iram Dei, quam magno ſuo damno prius experti fuerant: malint etiam benedictione ejus frui, quæ illis quodammodo patebat ante oculos. hæc eſt ſumma. Dicit autem, *Sic dicit Jehova exercituum, Roborentur manus veſtræ.* Hortatur eos ad perſeverantiam: ſed quoniam homines ipſi ſe debilitant, & occurrunt etiam multa quæ vel emolliant vel frangant eorum animos, ideo utitur Roborandi verbo: quia ſcilicet neceſſe eſt ſubinde colligere novas vires, & ſeſe confirmare in illo pio ſtudio. Nunc ergo diſcamus accommodare hanc doctrinam in uſum noſtrum, & hoc teneamus quod etiam experientia ſatis docet, nempe manus noſtras, quamvis initio bene paratæ ſint, tamen facile ſolvi & quaſi laxari, imo diffluere, niſi novum robur ſubinde colligant. hoc autem fit, ubi animati verbo Dei ſuperamus tentationes, quæ nos debilitant. & Zacharias etiam mox oſtendit unde petendum ſit robur, nempe à promiſſionibus quas jam audierant à Prophetis: nam fruſtra hortatus fuiſſet eos ad conſtantiam, niſi propoſita materia fiduciæ. Si enim taceat Deus, neceſſe eſt animos noſtros, etiamſi ante fuiſſent ſatis alacres & voluntarii, langueſcere, & tandem deficere. Videmus ergo non aliam fortitudinem poſſe eſſe in hominibus, niſi Deus ſermone ſuo eos vegetet, ita ut recuperent vires amiſſas, vel ſeipſos renovent ad ipſam alacritatem. Si ſimpliciter juſſiſſet Propheta eſſe bono aoimo & forti, poterant excipere nihil oculis ſuis objici quod poſſet addere animos. ſed ubi proponitur illis ſermo Dei, jam tollitur omnis excuſatin, niſi ſeſe accingant & fortiter diſcant pugnare, quandoquidem Dominus ipſis arma ſuppeditat. *Qui* ergo *auditis in his diebus verba hæc ex ore Prophetarum.* Quanquam Zacharias non adeo conciſo eſt ſermone, ſed verboſior eſt multis aliis: tameo totus hic verſus emphaticus eſt: quia ubi dixit eos oon deſtitui Dei promiſſionibus, adjungit, In diebus his: deinde, Verba hæc. Significat enim non tantum generali doctrina inſtrui, ut obſequium præſtent, ſed Deum ipſum ita præire, ut dirigat greſſus ipſorum & viam monſtret: denique nihil omittat, ut abſque difficultate pergant in opere jam incepto. ergo in demonſtrativis eſt emphaſis notanda, quum Propheta dicit Deum aſſidue cum ipſis loqui: deinde

proferre non modo generalem doctrinam, ſed familiares ſermones, ita ut pedes & manus eorum quodammodo gubernet ad ſingulas actiones. Dicit autem hæc verba audiri ex ore Prophetarum, quia volebat Deus ſervis ſuis haberi hunc honorem. & hæc eſt, ut ſæpius dictum fuit, vera fidei probatio, quum Deus non deſcendit ipſe è cœlo, aut viſibili forma nobis apparet, ſed adhibet homines miniſtros. Interea ſignificat breviter Zacharias Prophetas non eſſe auctores promiſſionum, quæ erigere & fulcire & ſtimulare animos debeant: quia ſcilicet Dominus tantum utitur eorum opera: hoc intelligit per nomen Oris. Jam addit, *Qui in die hoc quo fundata eſt domus Jehovæ ad Templum ædificandum.* Non multum temporis effluxerat, ex quo cœperant Templum rurſus extruère: fuerant etiam jacta fundamenta, ſed opus fuerat abruptum tam diffidentia omnium, quam privatis cujuſque cupiditatibus. Quum enim ſuſpenſi ac dubii eſſent, hinc oriebatur ſegnities & torpor. deinde avaritia etiam rapiebat eos, ut contemnerent Templum Dei. Dicit autem jam illo exiguo tempore Deum tamen ſæpius loquutum fuiſſe per ſuos Prophetas, ut corrigeret eorum moram & tarditatem. nam quaſi diem unum hic deſignat Propheta ad exprimendam brevitatem temporis. Minus ergo excuſabilis erat eorum ignavia, quum Deus quotidie verba faceret, & priores prophetias novis additis confirmaret. Sequitur, *Quoniam ante hos dies nulla fuit merces hominis, & nulla merces jumenti, nulla pax tranſeuntibus: quia emiſeram cunctos homines, quemque in ſocium ſuum.* Commemorat hic Propheta, ſicuti nuper attigi, ſigna maledictionis, unde colligere poterant Judæi diſplicuiſſe Deo ſuam ſegnitiem, quum ædificium Templi non curarent, ſed eo poſthabito, addicti eſſent rebus ſuis domeſticis. Revocat igitur illis in memoriam quæ poterant metum incutere, ne pergerent ſæpius laceſſere Deum: quia edocti fuerant magno ſuo malo, non ita provocandam eſſe iram ejus. nec dubium eſt, quin tam Zacharias quam Haggæus & Malachias etiam ſæpius uſi fuerint hoc ſermone apud populum: quia videmus quam propenſa ſint omnium ingenia ad oblivionem, ubi Deus nobis dat aliquid relaxationis. ſtatim ergo excutimus omnem metum ubi ſumus malis defuncti. Hæc ratio eſt cur expediat nos ſæpius commonefieri de judiciis Dei, quæ experti ſumus, quemadmodum facit hic Zacharias: *Ante hos dies*, inquit, *nulla fuit merces hominis, & nulla merces jumenti*, hoc eſt, laborem tam hominum quam animalium nullus ſequutus eſt profectus. Sumit enim pro confeſſo, homines non fuiſſe tardos in ſuis negotiis, jumenta etiam perfuncta fuiſſe ſuo officio: & tamen nullum fructum apparuiſſe. Unde autem inutilis eſt hominum labor & animalium, niſi à Dei maledictione, quemadmodum Lex teſtatur? nam Prophetæ dum concionantur de maledictione Dei, ſumunt ex Lege principia: tantum accommodant ad præſentem uſum quæ generaliter in Lege
Deut. 28. vers. 8. traduntur. Quoniam ergo Deus pronunciat in Lege ſua ſe benedicturum operi manuum: ideo ex oppoſito ratiocinatur Zacharias, Deum fuiſſe infenſum quum anxie ſudarent tam homines quam jumenta, interim nullum eſſet operæpretium. Poſtea adjungit *nullam fuiſſe pacem.* Ubi fruſtra laborant homines, neceſſe eſt ſequi eſuriem & inopiam rerum omnium. nam ſcimus etiamſi labor hominis per ſe nullius ſit momenti, tamen ubi à Deo benedicitur, eſſe mediam cauſam & propinquam fertilitatis, ut ſcilicet terra nobis alimenta ſuppeditet. Contra ubi ſterilis eſt hominum labor, etiam terra ipſa denegat omnem proventum. Fuit igitur hæc non levis calamitas, quum Deus populum inedia & fame premeret. ſed adjungitur etiam aliud malum non minus formidabile, imo fere gravius, quod ſcilicet terra ipſa fuerit hoſtiliter vexata, ut nullus eſſet tranſitus. Dicit ergo *nullam fuiſſe pacem tam egredienti quam venienti*, hoc eſt, non fuiſſe libera itinera vel pacata, ſed expoſita prædæ & direptionibus. In ſumma, hic docet Zacharias fuiſſe & intus & extra maledictos Judæos, quia ſcilicet terra fraudaret cultores ſuos, ita ut nullæ fruges provenirent: deinde quod etiam expoſita fuerit ad hoſtiles incurſus. Quantum attinet ad hanc particulam מן הצר, quidam vertunt, Præ afflictione: nullam fuiſſe pacem præ afflictione. Sed poſſumus retinere nativam ſignificationem particulæ מן, Ab anguſtia nullam fuiſſe pacem, hoc eſt, nullos fuiſſe ſecuros ab incommodo & moleſtia. Additur ratio, *quod* ſcilicet *Deus emiſerit cunctos homines, virum in proximum ſuum.* Conſulto hoc attexuit Propheta, quo diſcerent Judæi non poſſe adſcribi fortunæ illa incommoda, quaſi homines temere alii in alios inſurgant. Admonet igitur turbatam fuiſſe quietem juſto & occulto Dei judicio, quoniam flectat quocunque vult corda hominum, & nunc ad humanitatem vel ad clementiam inclinet, nunc vero in rabiem & ſævitiem convertat. ergo ut ſciant Judæi ſibi fuiſſe cum Deo negotium, hic exprimit Propheta emiſſos fuiſſe homines, ut ſævirent ultro & citro, & alius alium crudeliter impeteret. Qui ergo hic utuntur Permittendi verbo, non modo diminuunt ex Prophetæ ſenſu, ſed prorſus corrumpunt ipſam doctrinæ ſummam, & extinguunt totam lucem. Neque enim Deus hic dicit ſe fuiſſe quietum quum Judæi alii alios male mulctarent: ſed vult hoc tribui ſuo judicio. Nam quum totus fere mundus infeſtus eſſet paucis hominibus, & inter ſe cognatis, ſaltem tunc debuerant inter ſe conjungi: quia neceſſitas conciliat etiam alieniſſimos, imo placat eos qui prius fuerunt violentiſſimi hoſtes. Quum ergo ab exteris hoſtibus impeterentur Judæi, oportuit alios aliis reddi amicos, vel ſaltem mitigari aliqua ex parte, ut non agerent tam hoſtiliter. Quum ergo quiſque ſævierit in ſua viſcera, nemo ſociis ſuis pepercerit, Deus hac circumſtantia melius exprimit ſe fuiſſe auctorem harum perturbationum. Quomodo autem Deus hominum corda ad ſævitiem accendat, & tamen immunis ſit ab omni culpa, alibi viſum eſt. Deus enim exequitur juſta ſua judicia, quum ita alios aliis committit. Et ſi cauſam & finem quærimus, reperiemus juſte homines plecti hoc modo. Quum ergo in judiciis Dei ſemper refulgeat ſumma æquitas, non eſt cur eum involvere ſtudeant ſuæ damnationi homines, vel derivent in ipſum partem culpæ. Deus ergo juſte hominum corda rabie exagitat: interim ſuſtinent homines ipſi totam culpam, etiamſi invitos Deus trahat huc & illuc, & utatur eorum opera: quia ſcilicet non excuſat eos arcanum Dei conſilium, dum nihil minus illis propoſitum eſt quam ejus verbo parere: interea trahuntur occulto motu. Scimus autem nullum opus hominum placere Deo, niſi ubi accedit voluntarium obſequium, à quo longe abſunt omnes reprobi. Jam ſcimus omnia facta debere æſtimari à fine ſuo. Ergo ſpectandum eſt quænam cauſa ſit Deo, & quiſnam ſit finis ubi ita committit inter ſe homines. ſed hac de re alibi ſatis fuſe diſſeruimus. Tenendum ergo nunc eſt in ſumma, quod ita mutuo ſeſe laceraverint Judæi, & inter ſe conflixerint, hoc non fortuito eſſe factum, ſed quia Dominus, qui illis hoſtis erat, & cujus iram provocaverant, ipſos inter ſe commiſerit. Poſtea addit, *Nunc autem non ſecundum dies priſtinos ego cum reliquiis populi hujus, dicit Jehova exercituum.* Jam admonet Zacharias ſic res fuiſſe mutatas in melius, ut facile apparuerit Deum illis fuiſſe propitium. Quæ autem tantæ mutationis cauſa fuerit ſi quæritur, certe ædificatio Templi. Si nihil dictum fuiſſet à Prophetis, tantum poterant Judæi conjicere: ſed ſublata erat omnis dubitatio, quum Deus illis minatus fuiſſet pœnas quas poſtea inflixit: deinde quum hortatus eſſet ad pœnitentiam, & ſimul dixiſſet

dixiſſet ſe fore exorabilem: quum inter ſe hæc omnia colligerent Judæi, non agendum fuit conjecturis. Certo enim conſtabat Deum rediſſe cum ipſis in gratiam, & nunc fructus favoris eſſe ante oculos, ut ſcilicet inde melius animarentur ad Templum ædificandum. Sequitur nunc,

12. Quia ſemen pacis: vitis proferet fructum ſuum, & terra proferet fructum ſuum, (*eſt quidem aliud nomen, ſed idem ſignificat*) & cœli dabunt rorem ſuum: & poſſidere faciam reliquias populi hujus omnia hæc.

Hic promittit Zacharias continuum tenorem favoris Dei, quem jam cœperant Judæi guſtare. Deus ergo aliqua ex parte palam oſtenderat ſe Judæis eſſe patrem, jam liberaliter cum ipſis agens: ſed ut melius ad perſeverantiam eos confirmet Zacharias, dicit hoc fore continuum. Ac primo quidem dicit *fore ſemen pacis*. Quidam exponunt ſemen vocari pacis, quia dum timentur hoſtium incurſus, deſeritur cultura agrorum, nemo audet boves ſuos vel equos producere: imo ſi agricolæ ſeminant, tamen hoc fit non tam exacte, ut in rebus tranquillis & ſecuris. Quoniam ergo agri ut maligne coluntur in bello, ita non producunt plenam copiam: putant vocari ſemen pacis, ubi ſcilicet juſtum laborem impendere licet agricolis, dum ſcilicet vacui ſunt ab omni metu, & ſecure omnia ſua ſtudia conferunt ad culturam & ſationem ſuorum agrorum. Alii ſemen pacis exponunt, ubi neque procellæ, neque turbines, neque rubigo, neque etiam alia incommoda ſegetes & fruges corrumpunt. ſed quoniam שלום ſignificat ut plurimum Hebræis proſperitatem, poterimus etiam ſic accipere, fore *ſemen pacis*, hoc eſt, proſperum: & hæc interpretatio videtur mihi minus coacta. *Semen* ergo *erit pacis*, hoc eſt, feliciter ſuccedet labori veſtro, & quod ſeminatum fuerit, non carebit legitimo fructu. Poſtea additur expoſitio: *vitis enim dabit fructum ſuum, & terra etiam dabit fructum ſuum, & cœli dabunt rorem ſuum.* Hinc colligimus ſemen pacis vocari, ubi agricolæ potiuntur ſuo voto, dum ſcilicet terra cœleſti rore irrigata non ſterileſcit: deinde ubi proveniunt ubertim fruges, nempe triticum & vinum & alia. Hæc igitur eſt pax aut proſperitas in ſeminibus, ubi naſcuntur pro voto ſegetes, & ad maturitatem perveniunt: ubi etiam cœlum reſpondet terræ, & non denegat rorem ſuum, quemadmodum alibi vidimus. denique teſtatur Deus ſe facturum, ut reliquiæ populi copia bonorum omnium abundent, quia ſcilicet neque cœlum negabit illis pluviam, neque terra etiam claudet ſua viſcera. Sed ſemper Deus populum ad ſe revocat, ut ſcilicet pendeant à ſua benedictione: quia frigeret alioqui doctrina, niſi hoc perſuaſum eſſet, terram non aliter fœcundam eſſe, niſi quum Deus virtutem gignendi & pariendi inſpirat. ergo ſemper oculos conjicere convenit in Dei benedictionem, & ab eo petere, ut nobis victum ſuppeditet: quemadmodum etiam quotidie precamur ut nobis det panem quotidianum. ſed pauci hoc faciunt ex animo, & vix centeſimus quiſque ita ſenſus ſuos convertit ad manum Dei, ut certo ſtatuat ſe quotidie alimenta ab ipſo recipere. Nunc ergo tenemus quid his verbis Propheta velit. Jam ſequitur,

13. Et erit, quemadmodum fuiſtis maledictio inter gentes, domus Jehudah, & domus Iſraël; ſic ſervabo vos, & eritis benedictio: ne timeatis, roborentur manus veſtræ.

Proſequitur eandem ſententiam: & hoc verſu conjungit res illas tam diverſas, ex quibus melius perſpicuum erat quod hic docet, nempe irato Deo fuiſſe terram ſterilem, & omnia infeliciter ceſſiſſe Judæis: ubi autem exorari cœperat Deus, terram quodammodo mutata natura, uberem proventum tuliſſe, & fuiſſe modis omnibus beatos. Dicit igitur, *Quemadmodum fuiſtis maledictio*. Iterum hic proponit illis & reducit in memoriam quam miſere tractati fuerint, quum ſuæ privatæ utilitati nimium dediti forent, ut interea contempto Templo proderent ſuam impietatem & ingratitudinem. Quid enim potius agendum illis fuerat ſimulac reverſi ſunt in patriam, quam ut Templum extruerent & illic offerrent Deo ſacrificia? ut profiterentur eum eſſe auctorem redemptionis. Atqui jacebat Templi cura. Hinc ergo Propheta colligit nimis eſſe obliviosos, niſi reputent qualis fuerit ſua conditio quantiſper nulla fuit apud eos ratio Templi. Dicit autem fuiſſe *maledictionem inter gentes*, hoc eſt, fuiſſe in formulam execrationis: quemadmodum etiam Lex illis minata fuerat. nam hæc loquendi ratio frequenter occurrit in Scriptura, Populum eſſe in maledictionem, ubi concipitur vulgo execrationis formula, Maledicat tibi Dominus ſicuti Judæis. Dicit igitur Zacharias Judæos fuiſſe *in maledictionem*, hoc eſt, non ſimpliciter fuiſſe manu Dei percuſſos, ſed etiam eo fuiſſe projectos calamitatis, ut eſſent omnibus deteſtabiles, & geſtarent quodammodo impreſſa ſigna iræ Dei. Quiſquis ergo tunc ſpectabat hominem Judæum, poterat merito ſumere exemplar maledictionis. In ſumma, intelligit Zacharias non vulgari vel uſitato modo inflictas fuiſſe pœnas Judæis, ſed Deum exercuiſſe horrenda judicia, quæ poſſent omnibus palam facere, illum graviter fuiſſe offenſum ab illa gente. *Fuiſtis* ergo *maledictio inter cunctas gentes*. Jam addit, *ſic ſervabo vos, & eritis benedictio.* interponitur verbum ſervandi, ut clarius gratiam ſuam Deus commendet, ne ſcilicet Judæi putent factam eſſe aliquam converſionem ex caſu fortuito: quemadmodum ſcimus evaneſcere hominum mentes, & fingere ſibi has vel illas cauſas, ut obſcurent providentiam Dei. Deus ergo antequam promittat fore illos in benedictionem, dicit ſe illos ſervaturum. Jam, quid ſit eſſe in benedictionem, colligere facile licet ex oppoſito membro. dicuntur ergo eſſe in benedictionem qui præ ſe ferunt manifeſta judicia favoris & gratiæ Dei. Sic intelligit Propheta, quum ſibi volent bene precari gentes, deinde quum alii aliis volent etiam bene optare, hanc fore communem formulam in votis, Deus benedicat nobis ſicuti benedicit electo ſuo populo: ſicuti Judæi chari ſunt Deo, ita etiam nos amore eodem vel ſimili dignetur. Sic ergo videmus Judæos fuiſſe in maledictionem, quum expoſiti eſſent extremis probris; fuiſſe in benedictionem, quum proferret Deus erga illos ſigna gratiæ ſuæ, & re ipſa vel effectu oſtenderet ſe illis eſſe placatum. Tandem concludit, *Ne timeatis, roborentur manus veſtræ.* Hortatur eos ad bene ſperandum. timor enim fiduciæ opponitur. Timor autem qui naſcitur ex diffidentia, non poteſt aliter corrigi quam ubi occurrunt nobis Dei promiſſiones, quæ omnem dubitationem diſcutiant. Merito igitur Propheta docet non eſſe cur jam ſibi metuant Judæi, quoniam Deus affirmat ſe illis propitium eſſe. Scimus quidem nunquam poſſe excuti penitus omnem timorem ex cordibus hominum, quia neceſſe eſſet nos privari omni ſenſu niſi diſcrimina timorem nobis injicerent. Cæterum, quanquam timor natura eſt nobis ingenitus, & occaſio timendi ſemper nobis aliqua occurrit, diffidentiæ tamen timor poteſt corrigi fide: & ideo

ideo non mirum eſt, ſi ubique Deus condemnet timorem, ubi promittit ſalutem electis ſuis. ſed quemadmodum jam dixi, notanda eſt antitheſis inter hunc timorem vitioſum & inter fiduciam quæ innititur verbo Dei. Addendum etiam eſt nunquam ita perfecta fiducia pollere Dei filios, ut vacui ſint omni metu, etiam metu diffidentiæ: ſed tamen ſic luctari cum eo nos oportet, ut ne impediat nos in curſu vocationis noſtræ. & hoc etiam melius colligitur ex fine verſus, *Roborentur manus veſtræ*. Quorſum ergo timere vetat Judæos Propheta? nempe ut ſe expediant ad opus quod illis Dominus injunxerat: & timor non injiciat illis moram, quominus perſiſtant conſtanter. Nunc ergo tenemus quomodo fideles ſeſe ad obſequium Deo præſtandum parare & accingere debeant. Primum excutienda eſt ignavia: quomodo autem? nempe correcto timore. Quodnam remedium eſt ſanandi timoris? nempe ut recumbamus in promiſſiones Dei. quod ſi animo ita ſimus compoſito, ſimul etiam & manus & pedes & ſingulæ partes præſto erunt ad officium. Sequetur ergo alacritas & mentis & animi & omnium membrorum, ubi timor excuſſus fuerit, & ubi cœperint homines ita ſe addicere verbo Domini, ut ſciant ejus opem ſibi ſufficere contra omnia pericula, & nihil adverſum reformident, quia ſcilicet Dominus ſuperabit omnia obſtacula ſua virtute.

Da omnipotens Deus, quando vides non modo nos eſſe frigidos ubi decebat omnes actiones noſtras tibi dicari, & omnia etiam membra noſtra alacriter conferri in obedientiam verbi tui: da, inquam, ut quotidie fortiter luctemur cum torpore nobis ingenito, deinde certemus cum omnibus impedimentis, & repellamus etiam intrepide omnia obſtacula quæ Satan nobis objicit, ut etiamſi non eo quo decebat fervore, tamen ſincero ſtudio & ſerio affectu pergamus ſemper in ſtadio vocationis noſtræ, donec perveniamus uſque ad ipſam metam, & collecti in regnum tuum fruamur ea victoria quam nobis pollicitus es, & qua nos etiam quotidie donas: donec tandem plenitudo appareat dum erimus in regnum tuum cœleſte collecti per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA SEPTIMA IN

ZACHARIAM PROPHETAM.

CAP. VIII.

14. Quia ſic dicit Jehova exercituum, Quemadmodum cogitavi malum inferre vobis dum me inflammarunt (*aut provocarunt*) patres veſtri, dicit Jehova exercituum: & non pœnituit me:

15. Sic converſus ſum, cogitavi diebus iſtis benefacere Jeroſolymæ & domui Jehudah, ne timeatis.

CONfirmat Propheta ultimam ſententiam, ubi dixerat Judæis longe aliam fortunam poſthac fore, quia ubique benedicendi eſſent. Cauſam oſtendit mutationis, quia ſcilicet Deus incipiet illis favere, qui ante infeſtus fuerat. Scimus enim Spiritum ſanctum ubique revocare homines ad judicium Dei, ut ſciant nihil ſibi adverſi accidere, niſi ex ſuis peccatis. Sic etiam hoc loco admonet Zacharias Deum hactenus fuiſſe Judæis infeſtum, quoniam iram ejus provocaverant. ſed additur promiſſio, *Deum jam converſum eſſe*, non quod animum mutaverit, ſed quia velit oſtendere ſe eſſe placatum. Scimus autem judicium fieri de amore vel odio Dei erga nos à rebus externis: quia ſi Deus nos rigide tractat, apparent manifeſta ſigna iræ ejus. Si autem benigne nobiſcum agat, tunc apparet fructus reconciliationis. Secundum hanc rationem dicit nunc Deum longe alio eſſe animo quam prius fuerit erga Judæos, quoniam ſcilicet velit eos proſequi ſuis beneficiis, quum ante duriter & ſevere eos caſtigaſſet. Sed attentius expendere convenit ſingulas partes. Dicit, ſicuti Deus quodammodo obſtinaverat animum ad plectendos Judæos, ita nunc propenſum eſſe ad miſericordiam, & ita ſenſuros ipſum quaſi mutatum, & alium quam fuerit. Dixi hos verſus eſſe exegeticos, quoniam breviter Propheta promiſerat Judæos fore inſigne exemplar benedictionis, ſed nunc oſtendit cur tot incommodis & moleſtiis antehac exercuerit eos Deus, nempe quoniam provocaverant patres iram ejus. Quum autem dicit ſe nocuiſſe illis propter patrum delicta vel ſcelera, hoc debet referri ad corpus populi. Ideo ſupervacua eſt quæſtio, quam movent quidam interpretes, Cur Deus pœnam ſumpſerit de filiis ob pa-
Ezec. 18. trum delicta, quum tamen alibi pronunciet morituverſ. 20. ram animam quæ peccaverit. nam hoc loco Propheta non diſtinguit patres à filiis, ſed ſignificat Deum non fuiſſe propitium Judæis, quoniam multo ante provocaverant iram ejus. Interea dubium non eſt, quin quiſque juſtas pœnas dederit propriæ iniquitatis. Summa eſt, Judæos nihil proficere tergiverſando, quia Deus non temere ipſos perſequutus fuerit, ſed rependerit juſtam mercedem eorum peccatis. Hoc eſt unum. Quod autem adjungit *abſque pœnitentia Deum ita fuiſſe iratum*, tantundem valet acſi diceret Judæos hoc tantum adeptos eſſe ſua pervicacia, quod inflexibilis fuit rigor Dei. Admonet igitur Zacharias, ubi homines non deſinunt mala malis addere, ſed contumaciter ruunt quaſi vellent bellum gerere cum Deo: tunc eum quoque eſſe quaſi obſtinatum, quemadmodum dicitur Pſalmo decimo Pſal. 18. octavo, præfractum eſſe cum præfractis. Hæc igitur verſ. 26. ratio eſt cur Deus pronunciet ſe implacabilem fuiſſe populo ſuo, quia ſcilicet inſanabilis erat eorum malitia, quibus pepercerat, & quos diu toleraverat. Quum enim videret ita eſſe obdurato animo, ſeſe quoque ad vindictam armavit. Et hinc colligi debet generalis doctrina, non poſſe Deum à nobis exorari, niſi ubi incipimus reſipiſcere: non quod pœnitentia noſtra præveniat miſericordiam Dei: ſed hic non vertitur quæſtio, quid agat homo per ſe vel proprio motu: tantum Zachariæ propoſitum eſt docere, ubi Deus vult nobis ignoſcere, mutare corda noſtra & flectere ſuo Spiritu in obſequium: quia ubi relinquit nos in noſtra duritie, ſimul etiam neceſſe eſt aſſidue & abſque modo nos affligi ejus manu, donec tandem pereamus. Interea notandum eſt quod etiam attigi, Deum hic obſtruere ora Judæis, ne obſtrepant contra ejus rigorem, acſi crudeliter cum ipſis egiſſet. Oſtendit igitur has fuiſſe juſtas pœnas quas pertulerant Judæi: quoniam non uno tantum die, ſed continuo temporis ſucceſſu iram ejus accenderant patres ipſi. Hæc ratio eſt cur de patribus loquatur potius, quam de ipſis: quia ſcilicet longa ſerie annorum obduruerant ad malitiam, & quaſi hereditaria

erat

erat in ipſis corruptio. Jam dicit ſe eſſe converſum, non quod alio eſſet animo, quemadmodum diximus: ſed hoc refertur ad ſenſum populi, quia videtur Deus quodammodo alius eſſe ubi miteſcit erga nos, & favore ſuo nos proſequitur, quum antehac oſtenderet multa ſigna vindictæ. Jam in fine verſus admonet Propheta quis ſit uſus hujus doctrinæ, nempe ut animentur Judæi ad fortitudinem, & alacriter pergant in Templo ædificando. Diximus autem nos armari debere promiſſionibus Dei, ita ut infracto animo ſequamur quo nos vocat. nam quiſque ſtatim flacceſceret niſi ſentiret ſibi præſentem fore manum Dei. Quum ergo natura ſimus ignavi & molles, deinde obrepat ſubinde inconſtantia: hoc unum remedium eſt, ſi pergere cupimus in curſu vocationis noſtræ uſque ad metam, ut ſciamus Deum fore ſemper nobis auxilio. & hoc idem nunc docet Propheta. Applicat igitur quod antehac pollicitus eſt ad legitimum uſum, nempe ut Judæi depoſito metu vel correcto fortiter incumbant operi, & expectent quod nondum apparet, nempe plenam reſtitutionem. Sequitur,

16. Hæc verba quæ facietis, (*Hæc ſunt: nam nomen* דברים *eſt ſupervacuum. Hæc ſunt igitur quæ facietis*) Loquimini veritatem quiſque cum ſocio ſuo: veritatem & judicium pacis judicate in portis veſtris.

17. Et vir (*Et quiſque*) malum ſocio ſuo ne cogitetis in cordibus veſtris: & jusjurandum mendacii ne diligatis: quia omnia hæc ſunt quæ odio habeo, dicit Jehova.

Hic hortatur eos Zacharias ad veram pœnitentiam, ubi oſtendit plura eſſe ſperanda quam videant oculis ſuis: ſimul etiam demonſtrat non ſufficere ſi ſtrenue ædificent urbem & Templum: ſed requirit longe alia, nempe ut colant integritatem & juſtitiam inter ſe. Scimus enim Judæos ſuis ceremoniis ita fuiſſe addictos, ut putarent incluſam in illis eſſe ſanctitatem. & vitium hoc paulo ante perſtrinxit Zacharias: nunc eandem doctrinam inculcat: nempe ſi cupiant Deum habere propitium, & ſimul cupiant frui continua ejus bonitate, ſicuti eam guſtaverant, ut non tantum ſacrificiis & aliis ceremoniis eum ſtudeant promereri, ſed ut præcipue dent operam juſtitiæ & æquitati. Cæterum Propheta hic non enumerat omnes partes rectæ vitæ, ſed tantum ſpecies aliquas attingit: quæ ratio loquendi ſatis trita eſt, ut jam ſæpius vidimus. ergo ſynecdochicus eſt ſermo Prophetæ: ſed tamen generaliter complectitur ſecundæ Tabulæ officia, quum dicit hæc obſervanda eſſe, nempe ut *loquantur veritatem*, hoc eſt, ut veraciter inter ſe agant, abſtineant ab omni fallacia & dolo: imo ab omni perverſo aſtu: deinde ut *colant in portis ſuis* eandem *juſtitiam*. Quod autem hic Proximos nominat, perperam inde quiſpiam colligeret, poſſe fraudari alienos, & quibuſcum non tam propinqua nobis eſt neceſſitudo. Sed Propheta hac circumſtantia voluit crimen augere, quod ne ſociis quidem vel fratribus ſuis parcerent Judæi. ergo quamvis nefas ſit etiam alieniſſimum quemlibet decipere, tamen hoc crimen atrocius eſt quum quiſque inſidias tendit propinquo ſuo & fratri. Et ſcimus hanc loquendi rationem ubique occurrere in Lege, quia Deus ut magis nos revocet à maleficiis, proponit ſpecies quas natura dictante cogimur deteſtari. ſic loquitur de odio ſecreto ſub nomine Homicidii. Ergo hoc loco Propheta acrius voluit pungere Judæos, quod ſcilicet tanta inter ipſos graſſata fuerat barbaries, ut nemo propinquum ſuum agnoſceret, ſed ſævirent quaſi in propria viſcera. Quantum attinet ad *veritatem & judicium pacis*, ſignificat non modo ſingulos privatim deditos fuiſſe injuriis, ſed ipſum quoque forum fuiſſe plenum & refertum fraudibus & maleficiis, quum tamen debeat eſſe ſacrarium juſtitiæ. Etiamſi multi perverſi ſint in populo, tamen freno aliquo ſemper cohibetur audacia & improbitas ubi vigent leges, ubi judices incorrupti dominantur. Atqui Propheta oſtendit judices quaſi latronibus fuiſſe ſimiles, quoniam ſcilicet nulla erat in portis ſinceritas. Primo loco ponit Veritatem, quod ſcilicet aſtute ſuis calumniis judices corruperant omnem æquitatem, ut fieri ſolet. neque enim palam dicunt etiam peſſimi quique ſibi probari quod ſcelerate factum eſt: ſed reperiunt aliquos fucos quibus obtegant ſuam turpitudinem, & eorum qui peccarunt, & quibus etiam favent redempti pretio. Primum igitur locum teneat neceſſe eſt in judiciis veritas. Per *Judicium pacis* intelligitur ubi ſuum cuique redditur. Quidam exiſtimant ideo vocari Pacis judicia, quæ recta ſunt: quoniam ubi mercenarii judices damnant innoxios atque opprimunt, lucri autem cauſa malis cauſis patrocinantur, fieri non poteſt quin exoriantur ſubinde multæ turbæ, donec res tandem veniat ad bellum apertum. ſed quoniam nomen *pacis* late patet apud Hebræos, poterimus ſimpliciter accipere *Judicium pacis* pro placido & rite compoſito. Scimus autem Judæos exercuiſſe ſua judicia in portis. Poſtea adjungit, *Et ne cogitetis ſinguli malum ſocio ſuo*. Hic Propheta non modo damnat apertas injurias, ſed etiam occultas fraudes. unde colligimus Legem non ideo ſolum datam eſſe, ut contineat homines ſub freno, & normam tradat recte vivendi, quantum ad externa officia duntaxat ſpectat: ſed ut gubernet eorum animos coram Deo & Angelis. Lex enim vere ſpiritualis eſt. & nimis craſſi ſunt ac præpoſteri, qui putant ſatisfactum eſſe Legi Moſaicæ, ſiquis à cæde & furto & aliis noxis abſtineat. Videmus enim Prophetas ubique requirere ſincerum affectum animi, quemadmodum hoc loco Zacharias Judæos admonet ut nihil mali ſociis ſuis machinentur, idque *in cordibus*. Poterat particulam hanc omittere: ſed voluit damnare fraudes quæ ſolent obtegi multis & variis coloribus. Quamvis ergo non prodant malitiam ſuam homines, oſtendit Zacharias Deum tamen fore ultorem, ſiquid reſideat intus, etiamſi ſit abſconditum ab hominum oculis, & lateat in cordis profundo, venturum tamen coram Deo in rationem. Adjungit aliam ſpeciem, nempe perjurium: *Ne diligatis*, inquit, *jusjurandum falſitatis*. Poterat dicere, Ne juretis cum damno proximi: ſed notanda eſt antitheſis inter amorem perverſum hominum, & inter odium Dei. Quoniam ergo Deus falſum jusjurandum ut alias omnes fraudes & mendacia abominatur, ſic prohibet ne appetamus. nam ſi volumus placere Deo, videndum eſt quid à nobis poſtulet: quia data opera provocamus ejus iram, ubi appetimus quæ ipſe pronunciat ſe abominari. In ſumma, oſtendit Zacharias Deum fore propitium & beneficum Judæis, ſi vere & ex animo reſipuerint, & ſeſe addicant juſtitiæ, non ut Templum extruant duntaxat, vel offerant ſacrificia & alios ritus obſervent, ſed ut componant vitam ſuam ad integritatem, nec tantum externis officiis defungi ſtudeant erga proximos ſuos, ſed ut etiam purgent animos omni odio, omni fallacia, omni crudelitate & aliis pravis affectibus. Jam ſequitur,

18. Et fuit ſermo Jehovæ exercituum ad me, dicendo,
19. Sic dicit Jehoya exercituum, Jejunium quarti & jejunium quinti & jejunium ſe-
ptimi & jejunium decimi (*menſis*) erit domui Jehudah in gaudium & lætitiam & dies
feſtos bonos: ergo veritatem & pacem diligite.

Confirmat eandem ſententiam, nempe talem fore reſtitutionem Eccleſiæ, ut aboleatur omnis memoria dolorum. Diximus jejunia quædam ſuſcepta fuiſſe à Judæis poſt urbem dirutam. Prius duorum duntaxat facta fuit mentio: nunc quatuor Propheta commemorat. Quarto menſe urbs fuerat expugnata: quinto autem fuerat exciſum Templum & conſumptum incendio: ſeptimo menſe interfectus tandem fuit Godolias, qui ſteterat cum reſidua plebe quæ collecta fuerat ſub ejus manu. Jejunium autem decimi menſis putant fuiſſe inſtitutum poſt urbem obſeſſam. ergo jejunium menſis decimi tempore alia præceſſit: poſtea ſequutum eſt jejunium quarti menſis: tertio loco jejunium quinti menſis: poſtremo ob cædem Godoliæ jejunium ſeptimi. Hæc igitur erant quædam luctus inſignia uſque ad tempus liberationis. nam obſeſſa urbe Deus quaſi ſignum horrendæ vindictæ ſuſtulerat: ubi autem Nabuchodonoſor murum urbis perrupit, tunc urbs palam derelicta fuit à Deo: poſt incendium Templi nulla ſpes reſtabat, niſi quod adhuc ignobile illud vulgus ſub auſpiciis Godoliæ manebat in terra. Exciſa quidem erat radix populi; ſed erant illæ quaſi tenues fibræ: ubi autem illæ etiam evulſæ ſunt, ubi tracti ſunt in exilium quicunque fuerunt reperti, jam interciderat omnis gratia Dei, quoad externam ſpeciem. Oportuit igitur Judæos in luctu & ſqualore eſſe, ut veniam à Deo impetrarent. Ergo non dicemus hæc jejunia temere vel perperam fuiſſe ab illis ſuſcepta. liberum enim illis fuit teſtari ſuum dolorem: imo pium fuit ſuppliciter in ſuo reatu iram cœleſtis Judicis deprecari, quum ſentirent Deum ita ſibi infeſtum. ſed Deus promittit lætitiam quæ extinguat omnem mœrorem, quemadmodum exortus Solis diſcutit omnes noctis tenebras. Videtur autem alludere Propheta ad ſuperiorem doctrinam, ubi Judæos oblique deriſerat, quod tam anxii eſſent in colendis ſuis jejuniis, negligerent autem quæ erant præcipua. Cæterum, hæc ſimplex ſumma eſt, ſi Judæi reſipiſcant ſerio, & bona fide ſtudeant redire cum Deo in gratiam, finem inſtare omnibus eorum miſeriis, ita ut jam nulla futura ſit jejunii neceſſitas. Tenendus autem eſt finis ille jejunii, nempe ut ſe humilient coram Deo, qui peccarunt, & ſupplices prodeant ad ejus tribunal: fateantur ſuum reatum, & ſe ipſos condemnent. Jejunium igitur eſt quaſi reorum habitus, ubi cupiunt veniam conſequi à Deo: ſicuti etiam
Matth. 9. verſ. 15. Chriſtus dicit nullum eſſe jejunium in nuptiis & aliis diebus feſtis. Videmus ergo hic promitti reſtitutionem, quæ aboleat quicquid antè mœroris fuit in populo: non quod per ſe diſplicuerint Deo illa jejunia: diximus enim fuiſſe optimo conſilio inſtituta, ut ſcilicet populus hoc modo ſeſe exerceret ad pietatem, & ſimul etiam ſpem ſuam acueret ac fulciret uſque ad tempus redemptionis: ſed proſequitur Zacharias quod cœperat dicere, nempe Deum plane jam exoratum eſſe, ut faveat populo ſuo, & omni benedictione hoc teſtetur. Quantum ad *dies feſtos* pertinet, ſcimus inter alia hoc diſerte exprimi à Moſe, Lætaberis coram Deo tuo. *Deut. 12. verſ. 18.* Quum ergo celebres & feſtos ſuos conventus agerent Judæi, perinde hoc erat acſi ſe ſiſterent coram Deo, & ita certo perſuaſi eſſent ſe verſari ſub ejus oculis. Proinde quum Deus voluerit hoc modo exhilarare populum ſuum diebus feſtis, non abs re dicit Propheta jejunia, quæ mœroris ſigna fuerant, in lætitiam & dies feſtos deinde fore. Porro ſic loquitur Propheta, quia obſervatio Legis quæ populo incolumi viguerat, exilio fuerat interrupta: acſi diceret, Sicuti vos Deus in alienam terram expulit, atque extorres à patria coëgit ad luctum & mœrorem; ita nunc reduces fruemini lætitia, dieſque feſtos pure ſancteque coletis. Itaque oblique perſtringit Judæos, quod privati ad tempus fuerint diebus feſtis, quibus ad gaudium Lex eos invitabat: quia illos profanaverant. neque enim paſſus fuiſſet Deus ceſſare quod ipſe mandaverat, niſi quia corrupta erat religio: unde res in deterius converti oportuit, luctumque ſuccedere, quem hic per jejunia deſignat. Tandem concludit, *Diligite ergo veritatem & pacem.* Per nomen Veritatis notatur integritas, quemadmodum paulo ante dixi: & hac una voce complectitur omnes juſtitiæ partes Zacharias: quia ubi animi purgati ſunt omni fraude, ſimul etiam viget juſtitiæ & æquitatis regula. Ubi ergo ſincere agimus cum proximis noſtris, ultro fluent omnia charitatis officia ex hoc fonte. Quantum ad nomen Pacis ſpectat, poteſt bifariam exponi: vel quemadmodum paulo ante poſuit Judicium pacis, pro Judicio rite compoſito; ita etiam, *Diligite pacem*, hoc eſt, rectum ordinem: vel poteſt accipi pro benedictione Dei: quaſi diceret Propheta, Si cupitis vobis bene eſſe & proſpere, colite integritatem inter vos. Deus enim ſemper cum benedictione ſua aderit, modo ſitis inter vos integri & veraces: acceſſitis quodammodo vobis maledictionem, & quaſi ſiccatis fontem beneficiorum Dei veſtra malitia & veſtris fraudibus. Si ergo regnet inter vos veritas, ſimul etiam prodibit in medium omnis felicitas, quia Dominus benedicet vobis. Ego non ulterius pergam.

Da omnipotens Deus, quando tam comiter & benigne nos ad te invitas, ne ſimus tibi refractarii, ſed ſubacto omni pravo affectu offeramus nos tibi in obſequium: & quando nihil aliud à nobis poſtulas, niſi ut mutuo inter nos juſtitiam colamus, da, inquam, ut memores fraternitatis quam conſecravit unigenitus Filius tuus ſanguine ſuo, ſic te invocemus ore noſtro Patrem, ut veris officiis teſtemur nos eſſe filios tuos, atque ita quiſque ſeſe impendat aliis, ut conjuncti inter nos & animis & ipſo effectu, aſpiremus uno conſenſu ad beatam illam vitam, ubi fruemur ea hereditate quæ nobis parata eſt & parta ſanguine ejuſdem Filii tui, & repoſita in cœlo per eundem, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA OCTAVA
IN
ZACHARIAM PROPHETAM.

CAP. VIII.

20. Sic dicit Jehova exercituum, Adhuc quando venient populi & incolæ urbium magnarum. (*vel multarum.*)

21. Et venient incolæ unius ad alteram, dicendo, Eamus eundo ad deprecandam faciem Jehovæ, & quærendum Jehovam exercituum: ibo etiam ego.

22. Et venient populi magni & gentes robuſtæ ad quærendum Jehovam exercituum Jeroſolymam, & deprecandam faciem Jehovæ.

HIc Propheta longius extendit ſermonem ſuum. Promittit enim non modo integram reſtitutionem electi populi, ſed propagationem Eccleſiæ: quia Deus ex multis & remotis locis colliget ſibi Eccleſiam, & conjunget multos populos in unum corpus. hoc autem plurimum valere debuit ad Judæos animandos, ut ſcirent Templum extrui non modo ut coleretur illic Deus ab una gente, ſed ab omnibus populis. Cæterum, quia ante illud ſeculum jam venerant ex longinquis terris quidam ad colendum Deum, Propheta hic videri poſſet uſus adverbio temporis עוד. ſed non tantum pronunciat venturos quoſdam, ſicuti tempore Solomonis: ſed quemadmodum jam dixi, aliquid excellentius hic promittit, nempe Templum non fore tantum Judæis peculiare, ſed commune aliis etiam gentibus: quia nulla erit lingua, nulla etiam natio, quæ in verum Dei cultum non conſentiat. ſed videnda ſunt Prophetæ verba. Quod præfatur Deum eſſe *auctorem hujus vaticinii*, hoc ad fidem acquirendam valet. Diximus autem opus fuiſſe rara auctoritate, quoniam hic de re incredibili diſſerit. erat tantum exigua manus populi reverſa in patriam: & fere in dies ſingulos inſtabant multa pericula, ut multi jam tædio præſentis fortunæ appeterent potius exilium, ac proinde jam multorum animis obreperet pœnitentia, quia putabant ſe fuiſſe deluſos. Quum igitur talis eſſet populi conditio, oportuit non vulgari modo confirmari quod hic dicitur, nempe gloriam ſecundi Templi fore majorem & longe præſtantiorem quam fuiſſet Templi prioris: *Erit adhuc*, inquit. tametſi ſubeſt tacita comparatio, tamen non exprimitur æqualitas, quemadmodum jam attigi, quaſi tantum pauci quidam venturi eſſent: ſed quoniam nullum fuerat templum per annos ſeptuaginta: Templum autem quod tunc extrui cœperat, non erat in magno pretio, imo erat ignobile: ideo Propheta dicit adhuc venturum tempus, *quo populi & incolæ magnarum urbium aſcendant Jeroſolymam.* quanquam vel Multas urbes poſſumus vertere, vel Magnas: nam utrumque ſignificat nomen רבת, quo utitur. ſed puto Prophetam loqui de magnis urbibus: & ratio ſtatim nobis conſtabit. Sequitur, *Venient* ergo *incolæ unius ad unam*, hoc eſt, incolæ unius ad alteram, *dicendo*, *Eundo eamus.* His verbis intelligit mutuum fore conſenſum inter omnes populos, ut alii alios exſtimulent, atque ita conjungant ultro & citro ſua ſtudia. Videmus ergo huc tendere Prophetam, ut Judæos ad bene ſperandum hortetur, atque ita confirmet eos ad perſeverantiam, ne dubitent felicem operis ſui & laboris ſucceſſum inſtare, quia ſcilicet Dominus velit Jeroſolymæ coli non tantum ab ipſis, ſed etiam à cunctis gentibus. Sed quia non poterant confidere Judæi, gentes poſſe attrahi violenter, ideo docet voluntarium fore hunc concurſum. ultro igitur propenſos fore dicit qui prius valde præfracti fuerant, ita ut non opus ſit vi externa ad eos cogendos: quoniam ſponte confluent; imo alii aliis erunt auctores: & ita mutuis cohortationibus ſe impellent ut ſimul veniant Jeroſolymam ad colendum Deum. Ardor autem & vehementia zeli notatur, quum dicit Propheta ultro & citro venturos, ut alii alios incitent, quemadmodum vidimus capite ſecundo, Apprehendet quiſque manum fratris ſui: Eamus in montem Dei Jacob. ſed plus exprimitur hoc loco, quod ſcilicet non tantum quiſque hortator erit fratribus ſuis ubi occurrerint, atque ita oblata fuerit opportunitas: ſed dicit venturos huc & illuc. Videmus ergo quo tendat conſilium Prophetæ in his verbis. hinc autem colligimus tunc demum fidem proferre legitimos fructus, ubi zelus accedit, ut ſcilicet quiſque ſtudeat augere regnum Dei, & colligere errantes, ita ut amplietur Eccleſia: nam ubi quiſque ſibi privatim conſulit, & nullam aliorum gerit curam, primo ſatis prodit ſuam inhumanitatem. ubi autem nulla eſt charitas, illic non regnat Spiritus Dei. Jam pietas etiam neceſſario ſecum trahit ſtudium gloriæ Dei. Non mirum igitur quod Propheta, ubi veram & ſeriam converſionem notat, dicit unumquemque fore ſollicitum de fratribus ſuis, ut alii alios adducant: deinde zelo Dei ita accenſum iri omnium animos, ut diſcurrant ad illuſtrandam ejus gloriam. Jam quum dicit, *Eamus ad deprecandam faciem Jehovæ*, loquutio hæc ſatis trita eſt in Scripturis. quanquam notandum eſt, Prophetam, quum ſermo eſſet de cultu Dei, invocationem locare in primo gradu, quia hæc præcipua eſt ſpecies, imo etiam caput pietatis, Deum precari. Adjungit quidem continuo poſt, *ut quæramus Jehovam*: nempe ſpeciem explicans per genus. atque proximo verſu invertit ordinem, exordium faciens à genere: idem tamen manet ſenſus. nam Deum quærere nihil aliud eſt quam dociles nos offerre & morigeros, ut parati ſimus ſequi quo vocaverit: interea ſedulo de ejus voluntate ſciſcitari, ſicuti eo duce & magiſtro nobis opus eſt, ne per ambages perperam erremus: nam ſi ſufficeret temere iter arripere, ſupervacuum eſſet ſtudium quærendi Dei. Notandum igitur eſt, tunc Deum vere quæri, ubi homines cupiunt diſcere ex ejus verbo quomodo rite colendus ſit. ſed quemadmodum dixi, precationem hic adjungit Propheta, quoniam huc tendit tota ſalutis doctrina, ut ſciamus vitam noſtram pendere à Deo, & quicquid ad beatam vitam pertinet, ab eo expetendum eſſe ac ſperandum. Nunc ergo tenemus ſummam. ſed hic videndum etiam eſt cur dicat *gentes venturas ut Deum quærant Jeroſolymæ, & illic invocent.* Stulte Judæi imaginantur non poſſe aliter coli Deum, quam ſi offerantur adhuc in Templo ſacrificia. nam longe aliud Propheta voluit, exorituram ſcilicet doctrinæ lucem ex illa urbe, quæ longe lateque ſeſe diffunderet. & hoc vaticinium conjungi debet cum illo Jeſaiæ, Lex exibit è Jeſa. 2:3.
Sion, & verbum Domini è Jeruſalem. Quoniam

ergo

ergo ex urbe illa profluxit ſalutis doctrina, quæ replevit totum orbem, ideo Propheta dicit *venturas gentes Jeroſolymam*: non quod neceſſe fuerit illuc accurrere, ſed quoniam oportuit omnes petere illinc quod non poterat alibi reperiri. Quando igitur nemo potuit cenſeri inter Dei filios, niſi qui in ſchola illa proficeret, & agnoſceret unicam eſſe veram religionem, quæ Jeroſolymæ prius domicilium habuerat: videmus cur Propheta hic exprimat nomen *Jeroſolymæ*. Interea ſimul etiam tenendum eſt, Templum fuiſſe eo fine & conſilio tunc extructum, ut illic maneret ſalutis doctrina, & ſedem ſuam haberet uſque ad Chriſti adventum. tunc enim impletum fuit illud Pſalmi centeſimi decimi, Sceptrum potentiæ tuæ emittet Deus è Sion. illic docet Propheta, Chriſtum non fore tantum unius populi Regem, cujus potentia incluſa ſit anguſtis finibus, ſed dominaturum in toto orbe, quia ſcilicet ſceptrum ejus extendet Deus huc & illuc. Quoniam ergo oportuit finem hunc à Judæis ſpectari, ideo ut animet eos Propheta ne deficiant in medio curſu operis, dicit locum illum ita eſſe Deo ſacrum, ut inde petenda ſit ſalus à toto orbe, quoniam ſcilicet omnes erunt Eccleſiæ illius diſcipuli quicunque cenſeri cupient inter Dei filios. Cæterum quemadmodum jam attigi, diligenter obſervare convenit, in cultu Dei requiri hæc duo, nempe ut eum quæramus, deinde ut eum precemur. nam ſuperſtitioſi, etiamſi præ ſe ferant magnum ardorem quærendi Dei, meris tamen mendaciis ludunt, quoniam temere ſeſe projiciunt & fortuito, ita non quærunt Deum, ſed eo relicto tantum ſatagunt inconſiderate & ſine delectu. Quoniam ergo nulla eſt ſuperſtitioſis ratio, non dicentur proprie Deum quærere. ſed fideles ideo quærunt Deum, quoniam ſcilicet agnoſcunt non eſſe cujuſque arbitrio colendum, ſed certam eſſe rationem & regulam tenendam. Ergo hoc ſit nobis principium pietatis, non permittere nobis licentiam quidvis tentandi, ſed modeſte & ſobrie nos ſubjicere Dei verbo. nam ſiquis quærendi affectu tangatur, non deligat autem ſibi idoneum magiſtrum, non progredietur quo decebat. ſed Propheta oſtendit hunc eſſe ingreſſum piis omnibus, ubi cupiunt ſua officia probare Deo, ut ſe contineant ſub verbo ejus, & nihil aggrediantur proprio motu, ſed diſcernant ita, ut ne miſceant profanis ſacra, quemadmodum dicitur. Secundum autem caput eſt, Deum precari: & Propheta hoc modo admonet quorſum præcipue velit Deus à nobis quæri. neque enim quicquam ad ejus commodum vel utilitatem redit ex noſtro ſtudio, ſed quæri vult, ut ſcilicet expetamus omnes ſalutis noſtræ partes ab eo. nam hoc ſub Invocatione exprimitur. Nomen autem *faciei* ſupervacuum non eſt: quia etſi Deus eſt inviſibilis, tamen non debemus incerti vagari per aërem, ubi propoſitum eſt nobis ad eum confugere: ſed progredi cum certa fiducia. Niſi ergo nobis perſuaſum ſit quod Scriptura docet, Deum prope adeſſe omnibus qui eum vere invocant, clauſa erit precibus janua. nam profanabitur nomen Dei, etiamſi vota ſua quiſque concipiat. Quoniam ergo propinquitas Dei cordibus noſtris infixa eſſe debet, dum nos accingimus ad precandum: ideo Scriptura ſolet hanc formulam paſſim uſurpare, *Deprecari Dei faciem*. hoc ergo non ad ocularem conſpectum refertur, ſed potius ad cordis fiduciam. Nunc pergamus.

23. Sic dicit Jehova exercituum, In diebus iſtis fiet ut apprehendant decem homines ex cunctis linguis gentium, apprehendant alam viri Judæi, dicendo, Ambulabimus (*vel ambulemus*) vobiſcum, quia audivimus quod Deus ſit vobiſcum.

Proſequitur eandem doctrinam hoc verſu. Quemadmodum enim paulo ante dixit gentes ſponte venturas ad colendum Deum, & quemque etiam fore auctorem ſuis fratribus piæ hujus & ſanctæ expeditionis; ita nunc adjungit, decem homines apprehenſuros fimbriam hominis Judæi. *Decem igitur viri tunc alam veſtis Judæi apprehendent*, inquit. Hic clarius demonſtrat quod breviter attigeram, non fore ſcilicet opus vel armis, vel aliqua hoſtili coactione, ut trahantur gentes in Dei obſequium vel in ordinem cogantur, quoniam ſponte decem ſeſe dedent uni Judæo. hoc autem ſignum eſt valde propenſi affectus, ubi decem ſeſe tradunt uni regendos: nam unus Judæus non ſufficeret ad tot gentiles trahendos. ergo confirmat Propheta, ubique fore conſenſum fidei, ut cupiant qui prius alieniſſimi fuerant à Deo, ſe adjungere ſocios vel comites potius Judæis. Dicit, *ex omnibus linguis*: qua circumſtantia amplificat miraculum: quia non poteſt eſſe conſpiratio inter homines longe diſſitos, præſertim quibus diverſæ ſunt linguæ. nam quiſque aliis eſt barbarus. Ubi ergo dicit Propheta, *ex omnibus linguis venturos* qui ita facile animos ſuos conjungant, hinc melius apparet opus eſſe Dei: quia hic nihil poteſt tribui humanis conſiliis. Neceſſe igitur eſt occulto Spiritus inſtinctu conjungi animos eorum qui non poſſunt mentem ſuam teſtari, ac vix poſſunt alii aliis ſignum dare. Nunc tenemus Prophetæ conſilium etiam in hoc verſu. Utitur autem in fine alia loquendi forma quam nuper: *Eamus vobiſcum: quia audivimus Deum vobiſcum eſſe.* Dixerat, Eamus ad quærendum Deum, & deprecandam ejus faciem: jam dicit, *Eamus vobiſcum*. ſed tamen proſequitur ac confirmat eundem ſermonem: neque enim potuit quæri Deus à gentibus, niſi Judæos præeuntes ſequerentur. nam ſi quiſque ab aliis ſe disjungat, ſic fiet ut ſinguli paſcant ſe multis deliriis, quemadmodum videmus homines ſuperbos & moroſos ſibi fabricare mira portenta, quoniam ſcilicet non ſunt ſociales, & non videntur ſibi ſapere, niſi exuant omnem humanitatis ſenſum. Docilitas ergo fidei hoc etiam habet, ut cupiant electi, dum ſe ſubjiciunt Deo, habere multos ſocios in hac obedientia, & multos condiſcipulos in doctrina pietatis. Utrumque ergo notare voluit Propheta. Prius dixerat, *Eamus ad quærendum Deum*: nunc, *Ibimus vobiſcum*. Quid hoc aliud eſt quam Deum quærere? ſed plus nunc exprimit, quia ſcilicet declarant gentes ſe hac lege venire ad quærendum Deum, ut paratæ ſint diſcere ex aliis, quemadmodum rudes tirunculi etiam ſuos condiſcipulos magiſtros habent, ita ut quiſquis majores fecerit progreſſus, debeat etiam præeſſe aliis, & qui adhuc elementarii ſunt, & hærent in primis rudimentis, illi modeſte aliis ſe conjungunt: quia multos impedit pudor ne ita proficiant, & ideo manent ſemper demerſi in ſua inſcitia. Quanquam Propheta non modo hic modeſtiam commendat, ſed ſimul etiam hortatur omnes Dei filios ad colendam unitatem & concordiam. Quiſquis enim lacerat Eccleſiam Dei, ſeſe à Chriſto disjungit, qui eſt caput, & vult omnia membra ſua ſimul collecta eſſe. Nunc ergo tenemus quærendum eſſe Deum, ut vere & rite à nobis colatur: deinde ſic quærendum eſſe, ut cuique non ſit ſua peculiaris religio, ſed ut alii accedant ad alios, & ut quiſque videt fratres ſuos præcedere & pollere majoribus donis, paratus ſit illos ſequi & ſub illis proficere. Verum quidem eſt, poſthabito toto mundo unam Dei veritatem eſſe nobis amplexandam, quia centies potius renuncianda eſt cunctis mortalibus ſocietas & conjunctio, quam ut nos à Deo abſtrahant: ſed ubi Deus ſe ducem oſtendit, docet Propheta ultro citroque porrigendas eſſe manus, ut conjunctim eum ſequamur. In clauſula verſus iterum notandum

eſt quod paulo ante dixi, venturas ſcilicet gentes, non ubi fuerint armis aut violentia compulſæ, ſed quoniam trahentur ſolo auditu. *Audivimus* ergo. Hic per nomen Auditus intelligit Propheta doctrinam ſalutis ubique eſſe ſpargendam. neque enim colendi Dei ulla eſſet cura vel ratio, niſi edocti eſſemus: quia fides ex auditu, ſicuti ex fide invocatio, quemadmodum Paulus diſſerit. denique intelligit Propheta fore guſtum pietatis ex prædicatione doctrinæ, quæ incitet omnes gentes ad colendum Deum. Jam iterum confirmat quod etiam diximus, Judæos ſcilicet præferendos eſſe cunctis gentibus: quia conſtabit Deum inter ipſos eſſe. Videmus ergo non tribui Judæis primatum, ut ſint aliis omnibus duces, quoniam ſeorſum aliqua virtute vel propria auctoritate excellant, ſed quoniam Deus ipſis præſideat. ergo ſemper quæritur Deus, etiamſi utamur hominum opem, & ſequamur eos ubi rectam viam nobis demonſtrant. Semper etiam illud tenendum eſt, vere & ſerio eos hortari qui non tantum verbo & ſermone hoc præſtant, ſed qui re ipſa teſtantur ſuum affectum, quemadmodum dixit Propheta, *Ibo etiam ego:* ita etiam nunc, *Eamus*, vel ibimus vobiſcum. nam multi ſunt ſatis ſtrenui ad alios ſtimulandos: ſed apparet futilis eorum garrulitas ex eo quod ceſſant ipſi dum jubent alios currere, & dum acriter eos ſtimulant, ipſi autem cunctantur ac quieſcunt. Nunc ſequitur.

Rom. 10. verſ. 17.

CAPUT IX.

ONus ſermonis Jehovæ in terra Chadrak, & Damaſcus quies ejus: quia ad Jehovam oculus hominis, & omnium tribuum Iſrael.

MIhi unum exciderat, ubi ſcilicet repetit Propheta *venturos magnos populos & gentes robuſtas.* nam hinc colligimus potius legendum eſſe Magnas urbes quam Multas. Poſſet quidem etiam ſenſus ille tolerari, venturos ex variis urbibus Dei cultores: ſed quoniam nomen עצומים proprie capitur pro Robuſtis, & certum eſt idem duobus verbis repeti à Propheta, magis probabile eſt ipſum loqui de validis & fortibus populis, quoniam ſcilicet majore negotio illi ſubiguntur. Quo enim quiſque pollet majori virtute, ita etiam collum ejus rigidius eſt, ut non libenter jugum ſubeat. Quoniam ergo non facile ad obſequium Dei rediguntur qui validi ſunt & fortes, & qui excellunt in mundo, Propheta diſerte exprimit hos quoque fore dociles & voluntarios, ut eos non impediat ſuperbia, quemadmodum facere ſolet. Jam venio ad ſententiam banc, ubi Propheta decunciat grave onus, vel durum & formidabile vaticinium Syriæ, & aliis vicinis gentibus. Retineo potius nomen Oneris quam verto Prophetiam, ſicuti faciunt multi interpretes. nam etſi משא interdum capitur ſimpliciter pro Vaticinio, mihi tamen hic videtur certa notatio eſſe: quoniam Propheta judicium Dei tam Syriæ quam aliis vicinis regionibus denunciat. & non conveni' etiam nomen Prophetiæ, quia dicere Prophetiam ſermonis, eſſet abſurdum vel frigidum: ubi autem dicit, *Onus ſermonis Dei*, plena eſt ſententia, & optime fluit, quia admonet ſermonem ſuum non fore irritum, ſed plenum efficaciæ, quoniam incumbet onus tam Syriæ quam reliquis, quod non poterunt ab humeris ſuis excutere. *Onus* ergo *ſermonis Jehovæ*: hoc eſt, jam habeo vaticinium quod grave erit & aſperum profanis gentibus, quæ nunc Judæos & electum populum infeſtant. Pertinet autem hæc doctrina ad piorum conſolationem, ut ſciant ſe præſidio Dei fore incolumes, quoniam bellum gerit cum ipſorum hoſtibus, imo parata jam eſt ejus vindicta contra omnes qui Judæis moleſtiam intulerint. Sicuti ergo paulo ante promiſit incredibilem illam Dei gratiam, de qua vidimus: ita nunc denunciat præſidio Dei tutam fore Eccleſiam, quoniam parata eſt vindicta omnibus impiis. Sed Propheta hic tantum quaſdam urbes Judæis notas enumerat, quoniam ſatis erat proponi illis in exemplum, ut inde colligerent Judæi Deum ſemper cuſtodem fore Eccleſiæ ſuæ, ita ut nulli hoſtes impune evadant. Non dubium igitur eſt quin Propheta hic paucas urbes Judæis propoſuerit, ut certo ſtatuerent nihil eſſe tam violentum in mundo, quod non facile eſſet Deo ſubigere & proſternere. Nunc quia tenemus Prophetæ conſilium, venio ad verba. Quidam nomen חדרך putant complecti ſub ſe totam Syriam, quod mihi probabile eſt. Alii autem exiſtimant inſignem fuiſſe urbem, ſicuti ſtatim ſubjicitur Damaſcus. Sed quoniam res incerta eſt, & quantum ad ſenſum Prophetæ pertinet nulla eſt ambiguitas quin loquatur de regno Syriæ, ideo non contendo. Sit igitur vel urbis, vel regionis nomen, perinde eſt: quia intelligit Propheta incumbere vindictam Dei Syris, & im incumbere, ut ab illis non diſcedat, donec ſuccubuerint prorſus. Nam quum addit *quietem ejus fore Damaſcum*, ſignificat non fore inſtar procellæ hoc Dei judicium, ut ſtatim evaneſcat: ſed fore gravem & oneroſam molem, quæ non poſſit inde diſpelli: quemadmodum loquitur Jeſaias, Verbum factum eſt in Jacob, & cecidit ſuper Jeſa. 8: 9.
Iſrael, hoc eſt, quicquid pronunciat Deus contra Jacob, cadet in Iſraël. Mutat quidem nomen, ſed perinde eſt acſi diceret, quum Deus volet pœnam exigere de Jacob, an evadent Iſraëlitæ? Erant enim iidem. Cadet igitur hæc ſententia, hoc eſt, reperiet ſedem ſuam: fruſtra huc & illuc diſcurrent, ut ſeſe eximant. Nihil ergo proficient fuga ſua Judæi, quin deprehendat eos vindicta quam nunc pronunciat Dominus. Sic etiam hoc loco dicit, *Onus ſermonis Jehovæ in terra Chadrach, & Damaſcus*, hoc eſt, ipſa Regia ſedes, ipſa metropolis, *erit quies ejus* & domicilium. Figet enim illic vindicta Dei ſuam ſtationem, & non poterit alio diſpelli. Fruſtra igitur tentabunt Syri variis modis ſe ſubducere, quia neceſſe erit illos premi Dei manu, donec proſtrati jaceant. Nunc ergo intelligimus quo ſenſu dicat Propheta Damaſcum fore quietem, aut domicilium, vel ſtationem vindictæ Dei. Poſtea adjungit, *Quia ad Jehovam oculus hominis.* Ego particulam כי puto hic poſitam eſſe pro adverbio temporis, Quando. Eſt quidem etiam in ea re parum diſcriminis, niſi quod ſenſum Prophetæ valde obſcurat iſta communis verſio. Si autem ponatur adverbium temporis, melius fluet contextus, *Quando oculus hominis ad Jehovam, & omnium tribuum Iſraël*: id eſt, ubi cœperint Judæi ad Deum converti abſque ulla ſimulatione, ſed ſincero affectu; tunc, inquit, Deus modis omnibus ipſis benedicet, & attollet manum ſuam adverſus eorum hoſtes. Hortatus eſt antea Propheta Judæos ad pœnitentiam, quoniam nimis addicti erant ſacrificiis & jejuniis: nulla autem vigebat inter ipſos integritas. Sic etiam iterum oſtendit obſtaculo eſſe eorum hypocriſin, quominus gratiam ſuam Deus illuſtret inter ipſos: & ita admonet tunc apertam fore januam, & planam viam atque æquabilem benedictionibus & gratiæ Dei, ubi ſuſtulerint ad ipſum oculos, hoc eſt, ubi cœperint ſpes ſuas ad eum dirigere, ubi fuerint in eum defixi. Nam Oculos dirigere ad Deum, nihil aliud eſt quam in ipſum ſic reſpicere, ut ſenſus omnes noſtros contineat. Quod autem quidam per Hominem intelligunt cunctos mortales, mihi non probatur. neque enim dubito quin Propheta hic ſolos Judæos notet. Et certe non quadraret totus con-

contextus, niſi hoc referatur ad ſolos Judæos. Verum quidem eſt Prophetam hic verba facere de Gentium vocatione, ſed ita ut incipiat à Judæis. Sicuti enim erant primogeniti, ita oportuit gradu præcedere. Propheta igitur hic pronunciat Deum fore glorioſum in gente electa, ita ut proſternat omnes vicinos hoſtes. Ergo *oculus hominis* tantundem valet, atque oculus totius populi: quaſi diceret, poſtquam cœperint Judæi depoſita omni fictione ſeſe addicere Deo, & ſpes omnes ſuas in eum conjicere, tunc ſentient Deum ſatis potentem, eſſe ad ſternendos omnes eorum hoſtes. Sed poſtea adjungit explicationis cauſa nomen *tribuum Iſraël*. Alii vertunt, Quanto magis: quaſi hic vellet ratiocinari Propheta à minori ad majus. Sed, quemadmodum jam dixi, non poteſt hoc ſtare. Primum coacta eſt interpretatio quum dicunt, Oculus hominis, præſertim vero omnium tribuum Iſraël. Potius enim Judæi tenere debuerant primum gradum. Deinde particula ו non amplificat per ſe. potius denique aliqua particula notaſſet ordine Judæos præcedere. Neſcio ergo quid ſibi velint, qui volunt comprehendi omnes gentes ſub nomine Hominis: & deinde Prophetam deſcendere ad Tribus Iſraël. Quod autem dixi ſatis probabile eſt, quod ſcilicet tunc pauci erant veri Dei cultores: ideo Propheta hic hortatur totum populum ad conſenſum pietatis. Ergo ubi omnes Tribus Iſraël ita oculos ſuos ad Deum direxerint, tunc incumbet onus ſermonis ejus & Damaſco & Syris omnibus.

Da omnipotens Deus, quando tam comiter & blande nobis manum porrigis, non tantum ut nobis viam monſtres ſemel, ſed etiam ut nos gubernes tota vita, imo etiam ſuſtineas feſſos & erigas jacentes: da, inquam, ne ingrati ſimus huic tuæ tantæ bonitati, ſed nos tradamus tibi morigeros, neque experiamur vim horribilem judicii tui, quam denuncias omnibus hoſtibus tuis, nempe ut ſuſtineant vindictam, qua demerſi in profundum uſque interitus pereant: ſed patiamur ſic nos ſemper attolli manu tua, donec tandem perveniamus in beatam illam quietem ad quam nos & invitas & ducere paratus es, ubi fruemur plenitudine illa bonorum, quam nobis peperit unigenitus Filius tuus, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA NONA
IN
ZACHARIAM PROPHETAM.

CAP. IX.

2. Etiam Chemath terminabit in ea: Tyrus & Sidon, quia (*vel quamvis*) ſapiens ſit valde.

3. Et ædificavit Tyrus munitionem ſibi, & coacervavit argentum quaſi pulverem, & aurum quaſi lutum platearum.

4. Ecce Dominus expellet (*vel ad inopiam rediget*) eam, & percutiet in mari potentiam ejus, & ipſa igne devorabitur.

PRoſequitur eandem doctrinam Zacharias: dicit enim jam propinquam cladem inſtare omnibus populis qui moleſtiam intulerant populo Dei occaſione viciniæ. Nam heri breviter complexus ſum ejus conſilium, quod ſcilicet teſtari voluerit Deum ita fore præſidem Eccleſiæ ſuæ, ut vindictam exigeret de omnibus impiis, qui injuſte perſequuti eam fuerant: loquutus autem fuerat de regno Syriæ, quod erat Judææ contiguum. Nunc vero longius extendit ſermonem, quod ſcilicet ira Dei graſſabitur uſque ad partes Syriæ magis remotas. nam Chemath eſt Antiochia magna, quæ nomen impoſuit parti Syriæ. Damaſcus erat metropolis regni Syriæ. Sed diximus alibi, hoc nomen varie ſumi in Scriptura: quia generaliter accipitur pro tota regione, quæ à Judæa uſque ad Euphratem, imo longe ultra Euphratem procedit. Nunc ergo videmus cur Zacharias adjungat Syriæ Antiochiam, quaſi diceret jam Deum fore vindicem populi ſui, ut non modo mercedem rependat vicinis gentibus, ſed longius remotis. Tranſit poſtea ad Tyrum & Sidonem, quæ fuerunt urbes maritimæ, ſicuti ſatis notum eſt: erant etiam propinquæ Judæis. nam ſpatium non adeo longum erat à Galilæa uſque in Phœniciam. Sed heri jam diximus, denunciari interitum populis omnibus qui infeſti fuerant electo populo. Quum autem dicit Chemath vel Antiochiam *fore in termino ejus*, hoc fere uno conſenſu omnes referunt ad Judæam, vel Jeroſolymam. ſed falluntur: & pervertunt hoc totum caput interpretes & Judæi, & reliqui omnes. Pudet me certe quum ego video ita longe digreſſos fuiſſe à Prophetæ ſenſu: & mihi erit fere tædio rejicere eorum errores. Sed facile patebit neminem ex illis guſtaſſe quid vellet Propheta. Sic exponunt hunc locum, Antiochiam fore intra terminos Judææ, quia Deus conſecrabit ſibi terras illas, quum fuiſſent profanæ. Sed non dubium eſt quin Propheta dicat, ſicuti nuper docui, Antiochiam fore intra terminos Syriæ ubi Deus rependet ſceleribus omnium mercedem: quaſi diceret, Deus involvet eadem pœna partem illam Syriæ, quæ nomen habet ab Antiochia, quoniam conjunctis viribus oppugnarunt omnes Syri electum ejus populum. Quamvis ergo longius diſtent à Judæa, tamen in ſocietatem pœnæ trahentur, quia arma ſumpſerunt contra Eccleſiam. Erit ergo etiam *Chemath* vel Antiochia *in finibus Damaſci*, hoc eſt, non immunis erit ab ea pœna, quam Deus infliget vicino regno Syriæ. & hoc ex progreſſu clarius liquebit. Adjungit *Tyrum & Sidonem: quamvis ſapiens fuerit valde*. Ponitur particula כי, quæ proprie eſt cauſalis: ſed ex pluribus Scripturæ locis colligere licet pro adverſativa ſumi. Uterque tamen ſenſus non male conveniet, quod Deus ſumet vindictam de Sidoniis & Tyriis, quoniam fuerint nimis aſtuti: vel quamvis ſibi proſpexerint, & viſi fuerint ſolertes atque callidi in ſuis rebus, non tamen effugient Dei judicium. Si prior ſenſus magis arrideat, huc tendit Prophetæ conſilium, ubi homines nimis ſunt providi, & malis artibus ſeſe munire ſtudent, Deum illis eſſe adverſum, quia proprium ejus munus eſt deprehendere aſtutos in ſua aſtutia. Quoniam ergo diſplicet Deo nimia verſutia & calliditas, optime hoc conveniet, Tyrios & Sidonios jam citari ad Dei tribunal, quoniam nimis fuerint callidi, ut ſolent eſſe in urbibus opulentis & maritimis negotiatores. nam contrahunt multam vafritiem ex variis fraudibus, quibus fere coguntur uti. Quoniam ergo tales erant Sidonii & Tyrii, bene hoc quadrabit, denunciari illis vindictam. ſed alter etiam ſenſus æque aptus erit, non fore obſtaculo omnes aſtutias Tyri & Sidonis, & occultas artes, quominus Deus exerceat ſuum judicium.

Quan-

Quantum ad me ſpectat, exiſtimo hic cauſam reddi cur Deus minetur cladem Tyriis & Sidoniis, quia ſcilicet addicti fuerint perverſis artibus, & ita circumvenerint omnes ſuos vicinos. Utitur verò honeſto nomine per conceſſionem: quia quicunque animum ſuum ad fallendum applicant, obtegunt ſuam vafritiem titulo ſapientiæ, vel prudentiæ: volunt videri cauti, ubi tamen alios ſcelerate opprimunt ſuis inſidiis & fraudibus. Conceſſio igitur erit in voce Sapientiæ. Sed interea Propheta docet hoc genus prudentiæ exoſum eſſe Deo, ubi cum aliorum jactura rem noſtram augemus. Nam ſtatim ſequitur explicatio, *quod Tyrus ſibi extruxerit munitionem*. Declarat enim his verbis Propheta quomodo nimis cauti vel prudentes fuerint Tyrii, nempe quia multis præſidiis muniti putarent ſe eſſe extra omne diſcrimen. Jam addit, *Coacervavit etiam ſibi argentum inſtar pulveris*, hoc eſt, ſine ullo modo ſibi cumulavit opes: nam pulverem & lutum ponit pro immenſa congerie: quaſi diceret, fuerunt viles cumuli auri & argenti præ ingenti copia. Nec dubium eſt, quin argentum & aurum ponat ſub illa munitione cujus meminit. Neque enim ad turres duntaxat vel propugnacula reſtringo nomen munitionis: ſed potius generaliter, meo judicio, Propheta dicit Tyrum fuiſſe opibus, copiis, & omni genere præſidii ſic inſtructam ac munitam, ut putaret ſe eſſe inexpugnabilem. Alluſio eſt concinna inter צר & מצור. צר, inquit, extruxit ſibi מצור: ſed מצור eſt Munitio: interea notanda eſt paronomaſia, quæ non poteſt reddi Latinis vocibus. Jam denunciat vindicem fore Deum: Ecce, inquit, Dominus poſſidebit, vel poſſidere faciet, vertunt alii. Sed hallucinantur in ambigua ſignificatione verbi: ירש quidem ſignificat Poſſidere, & ſignificat Expellere vel depauperare: quia putant interpretes hic ſpem gratiæ & ſalutis fieri illis urbibus, dicunt jam delectas eſſe à Deo in poſſeſſionem. Sed illud penitus contrarium eſt Prophetæ menti, ſicuti etiam ex proprio membro melius conſtat. *Deus ergo expellet eam, & percutiet fortitudinem ejus.* Nec dubito quin alludat Propheta ad id quod paulo ante dixerat, Tyrum cumulaſſe ſibi aurum & argentum. Jam ex oppoſito pronunciat, Tyrum ipſam fore expoſitam diſſipationi, quia ſcilicet quum illa habeat repoſitam congeriem auri & argenti, diſſipabitur à Deo. *Diſſipabit* ergo: vel ſi quis malit accipere pro Redigere ad inopiam, etiam antitheſis hoc modo bene quadrabit. Deus ergo eam depauperabit, vel expellet. Poſtea, *In mari percutiet fortitudinem ejus.* Quoniam ſcimus Tyrum cinctam fuiſſe undique mari, hac circumſtantia Propheta illuſtrat Dei potentiam, ubi volet eam ulciſci: quia ſcilicet mare non arcebit vel impediet Deum ipſum, quum volet illuc penetrare. Putabant enim ſe tutos eſſe ab omni hoſtili incurſu Tyrii: quoniam mare ab omni parte erat illis inſtar triplicis muri, & triplicis foſſæ: nec Tyrus ſimilis erat Venetiis duntaxat. nam Venetiæ ſitæ ſunt in mari ſtagnante: ſitus autem Tyri erat in mari profundiſſimo: quemadmodum ſatis declarant hiſtorici, qui referunt expugnatam fuiſſe ab Alexandro Magno. Fuerat quidem jam aliquoties capta & direpta: ſed ille, quod nemo unquam putaſſet, opplevit partem illam maris, ita ut non fuerit amplius Tyrus inſula. Nunc ergo videmus quo tendat Zacharias, quum minatur excidium Tyro, quamvis fortitudo ejus in medio mari poſita ſit extra omnem aleam fortunæ, ut loquuntur. *Et illa etiam devorabitur igni.* Significat non modo expilandam fore Tyrum, ſed prorſus delendam: quia ſcimus igne conſumi etiam quæ alioqui robuſtiſſima ſunt. Sequitur,

5. Videbit Aſcalon, & timebit: & Aza, & dolebit valde: & Ekron, quia confuſus erit (*aut pudefactus*) aſpectus ejus: & peribit Rex ab Aza, (*hoc eſt, Gaza*) & Aſcalon non habitabitur.

Hoc etiam verſu deſcribitur vaſtatio earum urbium quas nominat Propheta: quaſi diceret regiones illas omnes, quæ inſurrexerant contra populum Dei, devotas eſſe ultimæ vindictæ. Nullam igitur partem à pœna immunem fore dicit Zacharias, quoniam vagabitur & diſcurret huc atque illuc manus Dei: ut poſſit facile colligi, hoc modo rependi mercedem ſævitiæ eorum omnium, qui injuſte afflixerant Eccleſiam. Hæc ſumma eſt. Dicit ergo *Aſcalonem viſuram, ut timeat.* Nam illo tempore Aſcalonitæ erant Judæis infenſi. Idem commemorat de Aza, quam Græci Gazam vocarunt: ſed una in re fuerunt decepti, quod putarunt nomen inditum fuiſſe à Cambyſe, quoniam lingua Perſica theſaurus Gaza vocatur: illud eſt puerile: certum potius eſt, mutatam fuiſſe pronunciationem unius literæ; quoniam ע eſt gutturalis apud Hebræos, & olim ſic diſtincte pronunciabatur, ut affinis eſſet G. ut quum dicebant Amorrah pro Gomorrah: ſic etiam Aza eſt Gaza. Diximus de hac re alibi. Jam ex Geographia patet has urbes vel eſſe maritimas, vel non procul à mari ſitas, ut potuerint ſibi magnas opes colligere ob commoditatem. Sed ut opulentia fere parit faſtum, & crudelitatem, fuerunt omnes iſti populi valde moleſti Judæis. Hæc ratio eſt cur dicat Propheta *dolorem uſque ad Gazam venturum*, deinde *uſque ad Ekron*, & alias omnes urbes. Addit, *quoniam pudefactus erit aſpectus ejus.* Neque enim dubium eſt, quin fiduciam ſuam locaverint in Tyro, quæ erat urbs inexpugnabilis. Nam quamvis hoſtes totam illam terram poſſent opprimere, manebat tamen illic ſecura ſtatio. Quum ergo omnes reſpicerent ad Tyrum, dicit Propheta ſpem fore confuſam, ubi everſa fuerit Tyrus ac conſumpta. Summa eſt, initium vindictæ fore à Tyro, quæ erat quaſi extra orbem poſita, ne obnoxia eſſet ullis injuriis. Dicit ergo initium calamitatis fore ab illa urbe, ad quam acceſſus non patebat ullis noxiis. Deinde adjungit, alias urbes, ubi viderint Tyrum afflictam eſſe clade, fore perterritas, quia ſcilicet fiducia earum ſic everſa erit. Poſtea addit, Etiam *peribit Rex ab Aza, & Aſcalon non habitabitur*, hoc eſt, continget talis mutatio, quæ propemodum faciem illarum urbium deleat. Sequitur,

6. Et habitabit extraneus in Aſdod, (*hoc eſt, Azoti: & Aſdod verterunt Græci Azotum*) & excîdam ſuperbiam Philiſtim.

Hoc verſu Propheta Azoto, & toti terræ Philiſtim, vel toti Palæſtinæ denunciat ſimilem cladem. Nam quod interpretes hic dicunt habitaturos Judæos Azoti tanquam extraneos, hoc eſt, quamvis prius habiti fuiſſent alieni; non attingunt nec cœlum, nec terram. Significat potius Propheta, urbibus illis exciſis, ſiqui manebunt incolæ, fore ſimiles hoſpitibus, quibus ſcilicet nulla eſt certa ſtatio. Effectus ergo iſtos ponit Propheta, ut doceat vaſtam & deformem fore regionem, ita ut nulla ſit fixa vel ſtabilis habitatio incolis. Alii vertunt Spurium, ſicut & aliis locis: & illi etiam intelligunt de Judæis, quod ſordidi prius habiti fuerint, quaſi eſſent ſimiles ſpuriis. Sed probabilis eſt eorum ſententia qui ממזר putant deductum eſſe à זר, quod eſt Peregrinari: & citant etiam exempla in aliis vocibus, ubi eſt duplex ממ, quod format nomen. Et multis Scripturæ teſtimoniis probare facile eſt ממזר accipi pro extraneo.

Et ſi quis prudenter conſideret Prophetæ contextum, videbit eſſe veriſſimum quod jam dico, nempe omnes incolas Azoti, & terræ Philiſtim fore inquilinis ſimiles, quoniam ſcilicet omnia ſtrage, & cædibus, & injuriis hoſtium erunt deformia. Quum ergo Aſdod, & Palæſtina prius frequentia populi fuiſſent celebres, dicit Propheta fore deſertas omnes urbes Palæſtinæ, & urbem Azotum, niſi quod pauci erunt illic diſperſi incolæ, ſed vagi tamen, ut qui in alieno ſolo peregrinantur. Sequitur,

7. Et auferam ſanguines ejus ex ore ejus, & abominationes ejus è medio dentium ejus: & qui reſiduus erit, etiam ipſe erit Deo noſtro, & erit quaſi dux in Jehudah, & Ekron quaſi Jebuſæus.

Interpretes etiam hunc totum verſum depravant: uſque ad ſequentem verſum, hoc eſt, proximum, non aliud agunt, niſi quod avertunt procul lectores à genuino ſenſu. Dicit igitur Deus *ſe ablaturum ſanguines ex ore hoſtium*: quaſi diceret, compeſcam eorum ſævitiam, ne ita abſorbeant innoxium ſanguinem populi mei. Neque enim hic notatur converſio quaſi mutandi ſiot mores, ut Tyrii, Sidonii, Philiſtini, & ſimiles, qui dediti fuerant rapinis, & ſævierant contra miſeros Judæos, ovium manſuetudinem ſumpturi ſint: hoc non intelligit Propheta: ſed inducit hic Deum potentia inſtructum, qua reprimat hoſtium ſuorum ſævitiem, & prohibeat ipſos, ne ita truculento impetu ruant adverſus Eccleſiam: *Auferam*, inquit, *ſanguines eorum ex ore eorum*. Dicit *auferam ex ore*, quoniam aſſueti erant crudelitati. Faciam igitur, ne ita ut hacteous ſoliti ſunt, ſanguine ſaturent ſuam cupiditatem: & *abominationes*, hoc eſt, prædas abominabiles, *auferam è medio dentium ejus*. Abominationes enim intelligit quicquid injuſta violentia ad ſe traxerant. Et comparat eos feris beſtiis, quæ non modo carnem devorant, ſed etiam hauriunt ſanguinem ipſum, & lacerant crudas carnes. Denique exprimit hic ſub imagine vel figura luporum, & leonum, & urſorum, quanta fuerit immanitas hoſtium Eccleſiæ, quoniam ſcilicet non ſecus voraverint miſeros Judæos, quam ſolent feræ & ſævæ beſtiæ repertam prædam. Poſtea ſequitur, *& qui reſiduus erit*: alii vertunt, Et relinquetur. exponuot etiam de Philiſtinis, & aliis gentibus quarum facta fuit mentio. ſed Propheta haud dubie Judæos intelligit. Quamvis enim tenues duntaxat reliquiæ ab exilio in patriam reverſæ eſſeot: dicit tamen exiguum hunc populum fore ſacrum Deo, & quicunque reſidui erunt, fore quaſi duces io Jehudah, quum tamen eſſent omnes fere contempti. Nulla enim erat excellentia etiam in præcipuis, niſi quod ſponte reverebantur Zerubbabel, qui erat ex ſanguine regio: deinde Jeboſuah, reſpectu Sacerdotii: ſed tamen omnes fere ignobiles ac ſordidi erant. Propheta autem dicit contemptiſſimos quoſque fore duces & proceres in Jehudah. Nunc tenemus ejus conſilium. Poſtquam enim prædixit propinquam eſſe cladem omnibus Eccleſiæ hoſtibus, nunc finem vaticinii & uſum demonſtrat, quia ſcilicet Deus conſulet miſeris Judæis, qui diu fuerant exules, & nunc in patriam reverſi non modo expoſiti erant omnium injuriis, ſed etiam ſpernebantur: imo erant obnoxii ludibriis hoſtium ſuorum. *Qui* ergo *reſiduus fuerit, etiam ille erit Deo noſtro*: quaſi diceret, quamvis ad tempus vos abdicaverit Dominus, ſicuti patres veſtros, quando ſcilicet expulſi eſtis huc & illuc, atque diſperſi: ounc tamen Deus hac lege vos collegit, ut cenſeat in populo ſuo. Eritis ergo populus peculiaris Dei, quamvis ſitis exigua hominum manus & contemptibilis: deinde, *erunt iſti reſidui quaſi duces in Jehudah*, hoc eſt, extollet eos Deus in ſummum honorem: quamvis nunc careant omni dignitate, efficiet Deus ut ſint fere omnes reguli. Poſtea addit, *Ekron* erit *quaſi Jebuſæus*. Quidam exponunt cives Ekron habitaturos Jeroſolymæ, quam prius tenuerant Jebuſæi. Alii etiam aliud afferunt: ſed nihil ad rem. Propheta eoim hic non diſſerit de gratia Dei erga cives Ekron, ſed potius oſtendit diſcrimen inter electum populum & profanas gentes, quæ gloriabantur ſua fortuna. Dicit ergo *ſimiles fore Jebuſæis*, quia tandem perferent ſimilem cladem. Scimus enim Jebuſæos fuiſſe expulſos ab illo oppido ubi deinde extructa fuit Jeroſolyma: id factum fuit ſero, nempe ſub Davide. Quum ergo diu tenuiſſent locum illum, tandem etiam fuerunt occiſi. Hæc ratio eſt cur Propheta dicat, etiamſi nunc cives Ekron videantur eſſe in meditullio ſacræ terræ: tamen ſimiles fore Jebuſæis, quia Dominus eos omnes ſimul delebit ac perdet. Poſtea adjungit,

8. Et caſtrametabor ad domum meam ab exercitu, à tranſeunte & redeunte: & non tranſibit ſuper eos amplius exactor: quia nunc vidi oculis meis.

Concludit ſuperiorem ſententiam, nempe Deum fore cuſtodem populi electi, ot repellat omni ex parte hoſtiles inſultus & violentias. Perinde igitur eſt acſi diceret, Eccleſiam quamvis non valde munita ſit, tamen fore inexpugnabilem, quoniam Dei cuſtodia pluris erit quam omnes humanæ vires, quam omnia auxilia. Deus ergo hic comparat ſe vallo & foſſæ, & aliis munitionibus: *Ero*, inquit, *inſtar caſtrorum domui meæ*. Domum hic poſuit potius quam urbem, ut Judæi confiderent, ſibi eſſe in uno Deo ſatis auxilii, etiamſi habitarent quaſi in privata domo, vel etiam in tugurio. Quamvis ergo Eccleſia mea ſit exigua domus, ego tamen cingam eam meis præſidiis, ut incolumem præſtem ab omni injuria: dicit, *ab exercitu*: deinde, *à tranſeunte & revertente*. Opponit exercitum domui: & ita hortatur Judæos, ne reſpiciant ipſi proprias vires; ſed ſciant pluris eſſe unicum Deum, quam omnes exercitus. Quamvis ergo totus muodus conſpiret, ac coëant hinc inde magnæ copiæ hoſtium: jubet tamen tranquillo animo bene ſperare, quoniam unus Deus ſufficiet ad profligandos omnes exercitus. Eodem etiam ſenſu ponit *tranſeuntem & revertentem*: quaſi diceret, etiamſi hoſtes vagentur per totam terram, & à parte una uſque ad oppoſitam partem omnia occupent: tamen ego efficiam, ut domus mea ſalva maneat. Addit *revertentem*, quo ſignificat, etiamſi ſecundo & tertio hoſtes novos exercitus conficiant, ſe tamen ſemper pollere viribus ad prohibendos ipſorum impetus. Denique his verbis notatur perpetuitas ſalutis; quia neque fatigabitur Deus, dum ſuos defendet, neque etiam minuentur ejus vires: quemadmodum ſæpe accidit, ut qui optimo animo ſuccurrunt ſuis vicinis, tamen paulatim liqueſcant, vel quia hyems cogit eos redire domum, vel quia aliæ incommoditates debilitant eorum conatus. Negat Propheta Deum fore hominibus ſimilem, quaſi ubi ſemel opem tulerit populo ſuo, & repulerit ejus hoſtes, deinde frangatur vel refrigeſcat: quoniam ſemper inquit, paratus erit ad opitulandum ſuis, etiamſi centies bellum renovent inimici. Ergo per nomen Exercitus, deſignat copias: per Tranſeuntem, deſignat obſtinatam crudelitatem hoſtium: per Redeuntem, deſignat nova bella, ubi quis ſemel ſpe ſua deceptus iterum colligit novum exercitum & vires reparat. Tandem addit, *Et non tranſibit amplius exactor ſuper eos*:

eat: qua particula exponit quod figurate dixerat, nempe etiamſi libidini hoſtium obnoxii fuerint Judæi, Deum tamen poſthac non paſſurum, ut ita injuſte lædantur, ut fortunæ eorum ita diripiantur, quemadmodum factum fuerat. Nam ſub nomine Exactoris comprehendit omnes prædones, & quicunque ſpoliaverant miſeros Judæos ſuis fortunis. Addit etiam, *Quæ vidi nunc oculis meis*. Frigidum eſſet, imo inſulſum hoc exponere de Propheta, ut nonnulli faciunt: quaſi diceret ſe referre quæ oſtenſa ſunt divinitus. Deus enim hic potius teſtatur ſe vidiſſe oculis ſuis, quam miſere & indigne tractati fuiſſent Judæi. Quidam etiam, licet accipiant hoc in Dei perſona, parum ſcite exponunt, quod Deus jam ante proſpexerit quid ſit facturus. Potius enim, quemadmodum attigi, cauſam Deus aſſignat cur velit eximere Judæos ab injuriis, & illos tranquillos in poſterum ſervare ac tueri: quia inceperit videre quam graves injurias perpeſſi eſſent. Loquitur autem Propheta ex communi Scripturæ uſu: quia etſi nihil lateat Dei oculos, dicitur tamen aſpicere quæ obſervat, & quæ oſtendit venire in rationem coram ſuo judicio. Quamvis ergo etiam ante mundi creationem vidiſſet Dominus quod poſtea omnibus ſeculis factum eſt, tamen proprie dicitur vidiſſe quod cœpit vocare in judicium. Nam putabant Judæi ſe ab ipſo negligi: quemadmodum Scriptura paſſim dicit clauſos eſſe Dei oculos, ipſum dormire, ipſum jacere, ipſum oblivisci, ipſum nihil curare, ubi ſcilicet diſſimulat, & non oſtendit ſe eſſe injuriarum ultorem. Ergo ex oppoſito hic pronunciat Dominus ſe vidiſſe oculis ſuis, quæ ſcilicet minime toleranda erant, quoniam omnem modum tranſgreſſi fuerant hoſtes, atque etiam eo progreſſi & graſſati licentiæ, ut jam intolerabilis eſſet eorum ſuperbia & crudelitas.

Da omnipotens Deus, quando hodie in fæcibus ſuis ita ſibi placent omnes impii, ut poſſit fidei noſtræ debilitas eorum faſtu & arrogantia nonnihil turbari: da, inquam, ut diſcamus oculos attollere ad judicia tua, & expectare patienter quæ adhuc abſcondita ſunt, donec exeras potentiam manus tuæ, & perdas eos omnes qui nunc tam crudeliter ſæviunt, & fundunt innoxium ſanguinem, & Eccleſiam tuam quibuſcunque poſſunt modis perſequuntur: & ita conjiciamus nos in curam tuam, ut non dubitemus te nobis ſufficere ad ſalutem, & tandem re ipſa patefacturum quod olim teſtatus es, nempe tantum eſſe præſidii in manu tua, ut poſſimus tuto gloriari nos eſſe ſalvos & beatos, quamdiu dignaris curam noſtri agere, donec tandem perveniamus in beatam illam quietem, quæ nobis in cœlo parata eſt per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA
IN
ZACHARIAM PROPHETAM.

CAP. IX.

9. Exulta valde filia Sion, jubila filia Jeruſalem: Ecce Rex tuus veniet tibi juſtus & ſervatus, ipſe (*vel idem*) pauper, & equitans ſuper aſinum, & ſuper pullum filium aſinarum.

Hic Propheta modum breviter oſtendit reſtituendæ Eccleſiæ: quia ſcilicet iterum emerget Rex ex tribu & familia Davidis, qui omnia in ordinem priſtinum adducat. Et hæc ratio paſſim occurrit apud Prophetas, quoniam ſpes veteris populi, ſicuti etiam noſtra, in Chriſto fundata fuit. Quoniam ergo adhuc res erant collapſæ inter Judæos, hic teſtatur Zacharias non fruſtra Deum olim toties loquutum eſſe per ſervos ſuos de adventu Redemptoris: ſed bene ſperandum eſſe, donec vaticinia illa ſuo tempore impleantur. Proinde ſicut hactenus diſſeruit Zacharias de felici & beato Eccleſiæ ſtatu, nunc adjungit confirmationem, quæ maxime neceſſaria fuit: quia, ut jam attigi, non poterant animum erigere in fiduciam ſalutis, niſi Mediatore propoſito. Quoniam autem neceſſe fuit fideles tunc graviſſimo mœrore affici, hic animat eos Zacharias ad conſtantiam. Quod enim *jubet lætari valde, & uſque ad jubilum*, haud dubie ſignificat, etiamſi animos eorum conſtrictos teneat dolor & triſtitia, luctandum tamen eſſe fortiter, ut dent locum gratiæ Dei: quia centies ſuccubuiſſent ſuis malis, niſi verſatus eſſet Chriſtus ante ipſorum oculos: non quidem carnali modo, ſed ſicuti in ſpeculo verbi conſpiciunt fideles quod procul diſtat, vel etiam eſt abſconditum. Nunc primum tenemus quo conſilio Propheta hic repente faciat mentionem Chriſti: deinde cur non ſimpliciter hortetur ad gaudium fideles, ſed velit eos quaſi optimo & beatiſſimo rerum ſtatu alacriter lætari. Jam per nomen Regis ſignificat Propheta, niſi exiſtiment Deum fallacem in ſuis promiſſis, bene ſperandum eſſe, donec iterum ſurgat regnum Davidis quod tunc conciderat in ſpeciem. erant enim res inter ſe conjunctæ, veritas Dei, adoptio populi, ſalus, & regnum Meſſiæ. Quum ergo vellet Deus ſe veracem agnoſci, & adoptionem ſuam cenſeri firmam & ratam in ipſo Meſſia, non mirum eſt ſi nunc Propheta breviter attingat nomen Regis. Nam modus hic loquendi tritus fuit communi uſu in populo. Et alibi etiam vidimus, quum Prophetæ loquuntur de Eccleſiæ ſalute, ſimul adjungere nomen Regis, quia ſcilicet Dominus voluit rurſus colligere diſperſionem Eccleſiæ ſuæ ſub Chriſto. Et certe ſemper manebit horribilis diſſipatio, niſi Chriſtus vinculum ſit unitatis. Dicit ergo *Regem venturum*. Sed non loquitur quaſi de re prius incognita: tantum admonet Deum firmum eſſe & veracem in ſuis promiſſis. Jam quum tota Lex & adoptio diffluat niſi adveniat Chriſtus, ſperandum eſſe patienter ejus adventum. Porro quo ſe melius confirment filii Dei, exprimit etiam *hunc Regem venturum populo*: quaſi diceret, Deum in gratiam totius Eccleſiæ regiam ſedem locaſſe in familia Davidis. Si enim venturus fuiſſet Rex, qui triumphos ſuos ageret, ac contentus eſſet ſuis pompis vel deliciis, fuiſſet tenuis atque etiam prorſus jejuna hæc conſolatio. Quum autem Deus conſuluerit totius Eccleſiæ ſaluti, dum ſtatuit mittere Meſſiam, atque hoc ſe facturum pollicitus eſt, hinc potuit populus colligere ſolidam fiduciam. Non eſt igitur hæc particula levis momenti, ubi Propheta docet *Regem hunc venturum Sioni & Jeroſolymæ*: quaſi diceret, Regem hunc non venturum ſua cauſa, ſicuti terreni Principes dominantur vel pro ſua libidine, vel pro ſuis commodis: ſed hoc regnum toti populo commune fore admonet: quia ſcilicet ſecum trahet beatum ſtatum. Poſtea adjungit qualis iſte Rex futurus ſit. Primo *juſtum* nominat: deinde *ſervatum*. Quantum attinet ad nomen Juſti, exiſtimo hic active ſumi, quemadmodum etiam quod ſequitur. *Juſtus ergo & ſervatus* dicitur Rex electi populi, quoniam ſuis & juſtitiam & ſalutem afferat. Pendet utrumque verbum ab illo

membro, venturum Regem Sioni. Si veniret ſibi privatim, eſſet etiam ſibi *juſtus & ſervatus*, hoc eſt, utilitas juſtitiæ & ſalutis reſideret penes ipſum ſolum, vel in ejus perſona. Sed quum aliorum reſpectu venerit, etiam in eorum gratiam & juſtitia & ſalute præditus eſt. Ergo juſtitia & ſalus quarum hic fit mentio, pertinent ad totum corpus Eccleſiæ, neque reſtringi debent ad perſonam Regis. Ita tollitur omnis contentio, in qua multi vel perperam, vel ſaltem non ſatis conſiderate ſe fatigant. Putant enim Judæos non aliter poſſe vinci, neque etiam aliter retundi eorum pervicaciam, niſi extorqueant vocem נושע accipi debere active. Adducunt etiam quoſdam ex Scriptura locos, ubi verbum Niphal ponitur in ſignificatione activa. Sed quid opus eſt lites iſtas ſuſcipere, quum de re ipſa ſatis conveniat? Hoc igitur concedam Judæis, Chriſtum eſſe ſervatum, & ita vocari à Zacharia. Sed nunc videndum eſt quorſum ſpectet iſta ſalus quæ Chriſto attribuitur. Atqui hoc colligitur ex contextu Prophetæ. Non eſt igitur hic certandum de vocibus, ſed in re ipſa inſiſtere oportet, *quod Rex veniat electus juſtus & ſervatus*. ſcimus autem Chriſtum non indiguiſſe privata ſalute. Quatenus ergo miſſus eſt à Patre, ut colligeret electum populum, ita etiam vocatur incolumis, quoniam inſtructus eſt potentia ad ſervandum. Videmus ergo controverſiam omnem tolli, ſi referantur duæ iſtæ voces ad regni ſtatum: & ſtultum eſſet eas reſtringere ad perſonam unius hominis, quum hic agatur de regia perſona, imo de publico ſtatu Eccleſiæ, & de ſalute totius corporis. Neque certe humanitus loquendo dicemus Regem eſſe ſalvum & integrum, ſi expulſus ſit à ſuo imperio: ſi deinde ab hoſtibus vexentur ſubditi, vel pereant in totum. Si ergo Rex orbatus omni dignitate videat ſuos ſubditos miſere premi, non dicetur eſſe incolumis. Atqui ſpecialis eſt Chriſti ratio, quemadmodum diximus, qui non exercet imperium ſua cauſa, ſed in ſalutem totius populi. Ergo quantum ad Grammaticam ſpectat, facile patiar Chriſtum vocari Juſtum & ſervatum paſſive: ſed quantum ad rem ipſam, juſtus eſt reſpectu ſuorum; ſervatus etiam, quia ſalutem ſecum affert perditis: ſicuti ſcimus tunc Judæos fuiſſe quaſi deſperatos. Simul tamen adjungit, Regem fore integrum, non quia inſtructus ſit armis & opibus, vel quod tueri velit populum ſuum humano more. dicit enim *fore pauperem* ergo neceſſe eſt aliter eſſe ſalvum, quam ſolent terreni Principes, qui terrorem incutiunt hoſtibus ſuis, qui fines ſuos bene muniunt, qui paratos habent exercitus, opponunt etiam quæcunque poſſunt præſidia ad arcendam violentiam. Zacharias docet Chriſtum aliter fore incolumem, quia ſcilicet virtute divina erit ſuperior hoſtibus ſuis. Quum enim ſit pauper, expoſitum eſſe oportet omnium injuriis: ſicuti videmus, ubi nulla eſt munitio in terra, ſtatim quaſi ad prædam convolare omnes improbos. Si ergo Chriſtus pauper eſt, non poteſt ſuos ſervare incolumes: neque etiam ipſe florere in regno ſuo. Unde ſequitur, inſtructum fore cœleſti potentia, ut integer ipſe maneat, & prohibeat etiam omnes injurias ab Eccleſia ſua. Et hoc iterum paulo poſt repetet, & clarius exprimet Zacharias. nunc ſatis eſt breviter notare ejus conſilium. Poſtea addit, *Equitans ſuper aſinum, & ſuper pullum filium aſinarum*. Quidam exiſtimant hic aſinum poni non ad notandam paupertatem, quia ſoliti tunc fuerint equitare in aſinis, etiam qui præſtabant virtute in populo. Sed mihi non dubium eſt, quin Propheta hoc membrum conjunctim addiderit ad nomen עני. quaſi diceret Regem de quo loquitur non fore magnifico & ſplendido apparatu inſignem, ut ſolent eſſe terreni Principes: ſed quaſi ſordido habitu, aut ſaltem vulgari, ut nihil differat à plebeio quopiam & ignobili. Jubet igitur fideles attollere in cœlum oculos, ut perveniant ad veram notitiam regni Chriſti, ac certo ſibi perſuadeant ſperandam eſſe inde juſtitiam & ſalutem. Quare? neque enim quidquam afferet ſecum, quo ſibi conciliet apud homines terrorem, ſed veniet obſcurus & ignobilis. Jam hoc etiam addere operæpretium eſt, juſtitiam & ſalutem debere referri ad regni Chriſti naturam. Sicuti ergo regnum Chriſti non eſt caducum vel temporale, ita colligere licet juſtitiam qua ornatus erit, eſſe perpetuam una cum ſalute. Cæterum, hic nolo argutius diſſerere de fidei juſtitia. potius enim exiſtimo hac voce notari rectum ordinem, quum omnia eſſent tunc confuſa in populo. Et hoc facile poteſt probari ex compluribus Scripturæ locis. Summa eſt, vaticinia quibus ſpem redemptionis fecerat Deus electo populo, non eſſe vana aut irrita, quoniam tandem ſuo tempore prodibit Chriſtus filius Davidis. Secundo, Regem hunc fore juſtum & ſalvum, quia ſcilicet reſtituet in ordinem quæ prius fœda & pudendo modo erant confuſa. Tertio adjungit, Regem hunc fore pauperem, quia *equitabit ſuper aſinum*, & non pollebit magna eminentia, neque erit conſpicuus vel armis, vel opibus, vel lautitiis, vel copia militum, vel etiam regiis inſignibus, quæ perſtringunt vulgi oculos. *Sedebit* ergo *ſuper aſinum*. Scimus hoc vaticinium fuiſſe completum in Chriſto. & quidam etiam ex Judæis fateri coguntur male torqueri Prophetæ verba, niſi de Chriſto exponantur. Interea non agnoſcunt pro Chriſto Dei, filium Mariæ: ſed tamen volunt Prophetam loquutum eſſe de imaginario ſuo Meſſia. Nos autem qui certo perſuaſi ſumus, & ſatis tenemus Chriſtum illum qui promiſſus fuerat apparuiſſe, & defunctum eſſe ſuo officio, videmus non fruſtra hoc fuiſſe dictum, quod ſcilicet *venturus eſſet pauper, & ſuper aſinum equitans*: Imo voluit viſibile ſymbolum hujus rei extare, quum aſcendit ſuper aſinum, ubi voluit Jeroſolymam ingredi paulo ante mortem. Verum quidem eſt, Prophetæ verba eſſe metaphorica: quum dicit, *Veniet Rex equitans ſuper aſinum*, figuratus eſt ſermo. Nam Propheta intelligit Chriſtum fore quaſi obſcurum hominem, qui ſeſe non extollet ſupra communem vulgi modum: hic eſt genuinus ſenſus: verum eſt: ſed tamen hoc non obſtat, quominus Chriſtus etiam ediderit hujus rei ſpecimen, ubi aſinum illum conſcendit. Proferam ſimile exemplum. Quum Pſalmo 22. dicitur, Miſerunt ſortem ſuper veſtes meas, certe etiam metaphora illic ſatis apparet, quod hoſtes Davidis partiti fuerint ejus ſpolia. conqueritur ergo prædones illos, à quibus injuſte dejectus fuerat, diripuiſſe ſuos honores, ſuas copias: & interim completum hoc fuit viſibili modo, nempe ut craſſiſſimi etiam quique agnoſcerent non fruſtra hoc totum fuiſſe prædictum. Nunc ergo intelligimus quam bene inter ſe hæc conveniant, metaphorice Prophetam loqui de contemptibili Chriſti ſpecie, & tamen viſibile ſymbolum optime quadrare: ut rudiſſimi quique agnoſcerent non alium ſperandum eſſe Chriſtum, quam eum qui apparuit tunc. Omitto nugas illas, quæ ad ſenſum Prophetæ nihil faciunt, imo corrumpunt prorſus ipſam ſententiam, & abrogant fidem vaticinio. nam putant Chriſtum equitaſſe ſuper aſinum, deinde ſuper novum pullum, quia ſcilicet gubernaverit Judæos, qui prius aſſueti fuerant ferendo jugo Legis: deinde ad obſequium aſſuefecerit Gentes, quæ erant indomitæ. hæc nimis frivola ſunt. Ergo ſufficiat tenere genuinam Prophetæ mentem. Sequitur poſtea,

10. Et excidam quadrigas (*vel currum*) ab Ephraim, & equum ab Jeruſalem, & excidetur arcus bellicus, (*arcus belli*) & loquetur pacem ad gentes: & imperium ejus à mari uſque ad mare, & à fluvio uſque ad terminos terræ.

Hic

Hic clarius explicat Propheta quod breviter attigerat ſub voce Pauperis, & ſub illa metaphora quam nunc expoſuimus. Dicit ergo nullum fore equum, nullas quadrigas vel nullos currus, nullos arcus, vel alia tela bellica, quoniam tranquillum erit regnum Chriſti. Summa eſt, Chriſtum una cum populo non fore tutum & ſalvum humanis præſidiis, quoniam plurimos ſub ſe habeat milites, deinde nulla adjumenta deficiant: ſed quia Deus cohibebit, imo componet ac ſedabit motus omnes bellicos, ita ut opus non ſit talibus adminiculis. Nunc tenemus conſilium Prophetæ. Sed notanda eſt loquendi ratio. Deus enim hic ſe pronunciat auctorem fore pacis, ut Meſſias ſtet incolumis in ſuo regno. *Excidam*, inquit. Poterat enim quiſpiam excipere, Si pauper erit, ubi nunc quieſcet ſalutis noſtræ fiducia? nempe quia Deo curæ erit, prohibere omnes hoſtium impetus. denique intelligit, ideo regnum Meſſiæ fore incolume, quoniam Deus è cœlo compeſcet omnes hoſtium furores, ita ut ſi maxime cupiant nocere, ſentiant tamen ſe arcano Dei freno captivos teneri, ne digitum moveant. Poſtquam autem dixit Judæos & Iſraëlitas incolumes fore, quamvis nudati ſint omnibus præſidiis, addit, *Loquetur pacem ad gentes*, hoc eſt, etiamſi neque minas, neque terrores adhibeat, neque oſtentet etiam magnos exercitus, tamen gentes obſequium præſtabunt, ut minime neceſſe ſit eas violenter cogi. Ergo loqui pacem ad gentes, tantundem valet atque placide audiri, quamvis neque terreat, neque minetur. Alii ſubtilius accipiunt, quod Chriſtus, qui propitiat nobis Patrem, promulgabit gratiam hanc reconciliationis Sed ſimplicius loquitur Propheta, meo judicio, quod ſcilicet Chriſtus verbo ſuo contentus erit, quoniam gentes ſeſe morigeras præſtabunt, ita ut abſque tumultu excipiant ejus imperium. Summa eſt, Chriſtum longe lateque ita dominaturum, ut qui longiſſime abſunt, tamen ſuſtineant æquo animo ſub ipſius auſpiciis agere, neque detrectent jugum ſibi impoſitum. Tandem adjungit, *Imperium ejus erit à mari ad mare*: hoc eſt, à mari Rubro uſque ad mare Syriacum, quod opponitur Ciliciæ: *& à flavio*, nempe Euphrate, *uſque ad ultimos terræ fines*. Per Terram non debet intelligi totus orbis, ſicuti interpretes illuc trahunt: ſed parum ſcite: quia minime dubium eſt, quin hic Propheta adduxerit quæ jam cognita fuerant Judæis. Scimus enim celebratum fuiſſe oraculum illud, Dominabi- Pſal. 72.
tur à mari uſque ad mare. etſi enim uni Davidi loqu- verſ. 8.
tus erat Deus, tamen vox illa perſonuit: neque reperietur aliud oraculum magis vulgatum olim apud Judæos. Propheta igitur qui nihil novum hic adducit, ſed tantum revocat in memoriam Judæis quod pridem audierant: quaſi de verbo ad verbum recitat quod omnibus erat familiare & tritum. Nam tenendum eſt quod initio dixi, hic Prophetam erigere piorum animos, quoniam nondum apparuerat Meſſias, in cujus tamen adventu fundata erat tam adoptio gratuita populi, quam ſpes ſalutis. Nunc ergo tenemus integrum ſenſum hujus ſententiæ. Poſtea addit,

11. Etiam tu, in ſanguine fœderis tui emiſi vinctos tuos è puteo in quo non erat aqua.

Hic accommodat proximam doctrinam ad verum uſum, nempe ut fideles emergant ex ſua triſtitia ad eam lætitiam ad quam nuper eos hortatus eſt. Compellat igitur Jeroſolymam: acſi diceret, Non eſt quod te perplexis & anxiis cogitationibus maceres, quia implebo quod promiſi, me certum fore liberatorem populi mei. Nam tunc poterat occurrere hæc dubitatio, Quid iſte nos ad ingentem lætitiam hortatur, quum tamen partim adhuc captiva ſit Eccleſia Dei, partim autem miſere & crudeliter ab hoſtibus ſuis vexentur qui reverſi ſunt in patriam? Huic objectioni reſpondet Zacharias in Dei perſona, quod ſcilicet Deus ad ſuos liberandos ſufficiet, etiamſi demerſi ſint in profundiſſimo gurgite. Videmus quomodo hæc ſententia cum aliis cohæreat. Prius diſſeruit de felici Eccleſiæ ſtatu ſub Chriſto Rege: jam quia tunc conditio populi valde dura erat & triſtis, adjungit ſperandam tamen eſſe liberationem à Deo. Notandum vero eſt, hic eſſe pronomen fœminei generis, *Etiam tu*. Nam & Latini & Græci fuerunt decepti ambigua loquendi forma, & putarunt hæc verba dirigi ad Chriſtum; quaſi eduxerit vinctos ſuos è puteo profundo. ſed Deus Eccleſiam ſuam alloquitur: quaſi diceret, Heus tu. Et particula גם emphatica eſt: quaſi diceret, Video non multum me proficere apud vos, quia eſtis quodammodo attoniti malis veſtris: deinde nulla ſpes vos recreat, quoniam putatis vos eſſe quaſi centum mortibus obrutos. Ergo utcunque hæc congeries malorum vos exanimet, vel ſaltem ita oppreſſos teneat ut efficacia ſua careat quod dico: quamvis denique ſitis omnium miſerrimi: tamen redimam vinctos veſtros. Sed ſub uxoris perſona Deus totam Eccleſiam compellat, ut diximus aliis locis. Dicit, *In ſanguine fœderis tui*. Non videtur hoc competere in Eccleſiam. Neque enim alius quærendus fuit auctor fœderis, quam Deus ipſe. Sed mutua eſt, ut ſcimus, relatio inter Deum & populum, ubi de fœdere agitur. Fœdus eſt Dei, quoniam ab ipſo manat: fœdus eſt Eccleſiæ, quoniam in gratiam Eccleſiæ percutitur, & quaſi deponitur in ejus ſinu. Videmus ergo quam congruenter loquatur Propheta, ubi dicit *ſanguinem fœderis Eccleſiæ non fore vanum*. Et hæc doctrina melius penetravit in animos piorum, quum audirent non modo divinum eſſe fœdus, ſed etiam eſſe ipſius populi. *Tu* ergo *in ſanguine fœderis tui*. Quidam ad Circumciſionem hoc torquent, ſed inſulſe: quia non dubium eſt Prophetam reſpicere ad ſacrificia. Perinde eſt igitur acſi diceret, Quorſum immolatis quotidie victimas in templo? Si putatis hoc modo coli Deum, certe nimis craſſa eſt vel delira ſuperſtitio. Ergo mentes revocate ad ipſum finem, vel ad cœleſte exemplar, quoniam Deus ſemel pollicitus eſt ſe vobis fore propitium, dum expiabit unico ſacrificio peccata veſtra. In hunc etiam finem offertis ſacrificia: & ſanguis ille ſecum trahit expiationem. Nunc, ſi ſacrificia veſtra neque fruſtra inſtituit Deus, neque etiam fruſtra vos ſervatis, certe effectus tandem in lucem prodibit, *quo educam vinctos tuos*. Neque enim ſe reconciliat Deus hominibus, ut vel eos perdat ac redigat in nihilum, vel ut ſinat eos tabeſcere in morte ipſa. Quorſum enim Deus ignoſceret hominibus, niſi ut eos redimat ab interitu? Nunc ergo tenemus cur ita ratiocinetur Propheta à ſanguine fœderis ad ſalutem totius populi. Vos ergo quotidie offertis victimas, inquit, & ſanguis funditur in altari: hoc Deus noluit fruſtra fieri. Jam quum ideo recipiat vos Deus in gratiam, ut ſalvi ſitis: liberabit ergo vinctos Eccleſiæ ſuæ. *Educam*, inquit, vel eduxi, *vinctos tuos*. Nam hic ſub præterito tempore deſignat quid facturus ſit in poſterum. *Educam* ergo *vinctos tuos è puteo in quo non aqua*. Intelligit profundum gurgitem, ubi etiam ſitis ipſa conficeret miſeros homines, niſi divinitus inde extraherentur. Denique primo ſignificat Judæos demerſos eſſe in profundo: deinde ſiti etiam areſcere, ita ut ſponte illis immineat mors, niſi liberentur mirabiliter à Deo. Sed admonet nihil fore obſtaculo, quominus Deus ipſos in lucem ex profundiſſimis tenebris attollat. Videmus ergo hoc fuiſſe additum, ut luctari diſcerent Judæi contra omnem diffidentiæ materiam, ac ſtatuerent ſe ſalvos fore, quia Dei proprium ſit excitare ipſos mortuos. Hæc ſumma eſt. Nunc addit,

12. Convertimini ad munitionem vincti ſpei: etiam hodie annuncio duplicia, rependam tibi. (*vel, duplicia rependam tibi: uterque ſenſus non male convenit.*)

Proſequitur eandem ſententiam Zacharias. Jubet enim Judæos ad munitionem ſuam ſubito accurrere. Non dubium autem eſt, quin terram Sanctam hoc nomine intelligat. Neque tamen repugno eorum ſententiæ qui volunt notari Templum. Nam ideo Jeroſolyma, & tota Judæa vocatur monitio, quoniam illic Deus Sanctuarium ſuum elegerat. Perinde igitur eſt acſi quis volens colligere diſperſos & palatos milites, diceret, Ad vexillum, ad vexillum: vel, ad turmam, ad turmam. Etſi enim tunc Judæa non adeo munita erat, imo neque etiam ipſa Jeroſolyma altos muros vel validas turres haberet: erat tamen Dei munitio, & quidem inexpugnabilis: quoniam promiſerat ſub umbra alarum ſuarum tutos fore Judæos, quamvis obnoxii eſſent omnium libidini. Neque hic alloquitur eos tantum qui reverſi fuerant, neque etiam reliquos exules, qui adhuc manebant diſperſi per totum Orientem: ſed hac voce excitat totam Eccleſiam, ut ſinguli certo ſibi perſuadeant, ſi collecti fuerint ſub Dei auſpiciis, ſe fore munitos acſi undique cincti eſſent validiſſimis arcibus, nec ullus acceſſus hoſtium injuriis pateret. *Revertimini* igitur *ad munitionem*. Hoc potuit videri ridiculum, quia ſcimus quum vellent urbem ædificare, ſubinde abruptum fuiſſe opus: deinde ſcimus Templum non fuiſſe tunc valde munitum. Sed Zacharias in illa rerum omnium penuria docet ſatis eſſe præſidii in uno Deo. quamvis ergo neque foſſis, neque muris, neque aggeribus tuti eſſent Judæi, admonet tamen Deum ſufficere ad ipſos tuendos, ita
Jeſ. 26. 1. ut murus ſit & antemurale, quemadmodum alibi dicitur. Sed non abs re dicit *captivos ſpei*, quoniam multi ſe alienaverant prorſus & defecerant à Deo, ut indigni eſſent ulla promiſſione. Diſcernit ergo hac nota captivos fideles ab aliis qui prorſus erant degeneres, & ſe abdicaverant à familia Dei, ut non poſſent amplius cenſeri in populo ejus. Et hoc diligenter notandum eſt, quod frigide prætereunt interpretes. vocari quidem docent Captivos ſpei qui ſperant ſe fore ſalvos: ſed interea non obſervant diſcrimen illud, quo Judæos incredulos perſtringere voluit Zacharias. Ergo non eſt hoc ſupervacuum, ubi peculiariter vocem hanc dirigit ad ſolos fideles, qui non modo captivi erant, ſed erant captivi cum ſpe. Non poſſem hodie abſolvere.

Da omnipotens Deus, quando hodie non expectamus redemptorem qui nos liberet à temporalibus miſeriis: ſed tantum militamus ſub cruce ejus donec appareat nobis è cœlo, & nos in beatam vitam colligat: ut patienter feramus omnia incommoda & omnes moleſtias. Et quia ſemel Chriſtus ſanguinem novi & æterni fœderis fudit, & ejus ſymbolum etiam nobis proponit in ſacra Cœna, ut confiſi hac tam ſacra obſignatione, non dubitemus quin ſemper nobis propitius futurus ſis, & fructum etiam hujus reconciliationis nobis fore manifeſtum, quum ſcilicet ſuffultos ad tempus ſub hoc onere miſeriarum quo nunc premimur, colliges etiam in beatam illam & plenam gloriam, quæ nobis & parta eſt ſanguine Chriſti Domini noſtri, & quotidie per Euangelium ejus nobis proponitur, & repoſita etiam nobis eſt in cœlo, donec tandem ea fruamur per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA PRIMA IN ZACHARIAM PROPHETAM.

CAP. IX.

Heſterna lectione hortatus eſt Propheta Judæos, ut ſe colligerent in arcem, cujus Deus futurus erat cuſtos. Diximus autem fuiſſe tunc piis Jeroſolymam invictum propugnaculum, licet magna ex parte nudata eſſet muris: quia locus ille ſicuti Deo ſacer erat, ſic etiam ſub ejus erat tutela & præſidio. Jam adjungit confirmationem illius ſententiæ, nempe duplo beatiores fore qui ſe Jeroſolymam contulerint, quam fuiſſent patres ante exilium. neque enim dubium eſt, hic conferri inter ſe duos populos. A regno Davidis uſque ad exilium Deus multis ſignis oſtenderat ſe curam populi illius gerere: poſtea quaſi novam Eccleſiam excitavit, ubi permiſſa fuit libertas reditus. Hic igitur ſenſus eſt, ſi patres antequam ejecti eſſent è patria experti fuerunt Deum benignum & liberalem, qui nunc reverſi fuerunt in patriam ſenſuros quanto liberalius agere vellet Deus cum nova Eccleſia. Nunc ergo tenemus quid per Duplicia intelligat, nempe duplicem felicitatem, quia Deus augebit ſua beneficia erga Judæos, quamvis tunc eorum conditio parum eſſet optabilis, imo valde dura ſecundum mundum. Dicit autem *ſe annunciare ab illo die*: ſignificans, quamvis non ſtatim appareat effectus hujus vaticinii, tamen ſe intrepide loqui, quoniam temporis progreſſu ſentient nihil fruſtra vel temere ſibi fuiſſe dictum. Ergo Propheta hic oſtendit quam ſecura fiducia loquatur, ut fidem acquirat promiſſioni, ne Judæi dubitent tandem hoc ſibi manifeſtum fore, quod tantum audire dabatur ex ore Zachariæ. Nunc pergamus.

13. Quia tetendi mihi Jehudam arcum, implevi Ephraim, & excitavi filios tuos Sion contra filios tuos Græcia, & poſui te quaſi gladium gigantis. (*vel robuſti.*)

Hic pronunciat Deus Judæos fore victores omnium gentium, quamvis tunc vulgo eſſent contemptui. Scimus gentem illam fuiſſe omnibus exoſam: & tamen infirmæ ac prope nullæ erant illius vires, ut poſſet repellere omnes injurias, quæ undique inſtabant. Quoniam ergo tentatio hæc poterat terrere debiles animos, dicit Propheta Judæos fore quaſi *arcum Dei, & pharetram*, ita ut configant ſuis ſagittis omnes populos: deinde fore inſtar gladii, qui vulneret ac proſternat etiam robuſtiſſimos quoſque. Nunc tenemus ſummam verborum: deinde etiam videmus cur hoc addiderit Propheta, quia ſcilicet poterant trepidare Judæi, quum viderent omni ex parte cingi ſe à violentis & robuſtis hoſtibus, quorum viribus longe erant impares. Cæterum ſimilitudines iſtas ſcimus alibi etiam occurrere in Scripturis. Sed earum ſumma huc redit, Judæos fore victores omnium gentium, non proprio Marte, ut loquuntur, ſed quia Dominus eos diriget, atque impellet manu ſua. Quid enim arcus per ſe poterit niſi tendatur? deinde, niſi excutiatur ſagitta, arcus ipſe jacebit. Docet igitur Propheta, etiamſi Judæi per ſe ſint inutiles, tamen ſatis eſſe fortitudinis in ſola Dei manu. *Tetendi ergo mihi Jehudam arcum*, inquit.

Hic revocat Dominus ad manum ſuam Judæos, ne æſtiment propriam ſuam facultatem, ſed agnoſcant aliunde, hoc eſt, è cœlo ſe fore validos, & robur ſibi datum iri proſternendis hoſtibus. ideo comparat Ephraim pharetræ. Sed heri jam vidimus Jehuda & Ephraim pro eodem ſumi. Quia enim diviſum erat corpus in duo membra, ſignificat hic Deus, ubi rurſus coaluerint Judæi, & conjuncti fuerint inter ſe, hoc eſt, ut fraternam benevolentiam colant decem Tribus cum regno Jehuda, tunc ſibi populum illum fore inſtar arcus bene inſtructi, quia etiam plena erit pharetra ſagittis. Poſtea addit, *Excitabo filios tuos Sion contra filios tuos Javan.* Magis emphatica eſt iſta apoſtrophe, quam ſi in tertia perſona hoc dixiſſet. Nam ubi ab una parte alloquitur Sionem, ab altera Græciam, oſtendit ſe pollere imperio ſuper omnes populos, ita ut hos attollat, illos vero dejiciat pro ſuo arbitrio. Quantum ad nomen יון ſpectat, alibi vidimus ſumi nunc pro Græcia, nunc pro omnibus tranſmarinis regionibus. Divinant tamen multi nomen Ioniæ fuiſſe deductum ab hac voce Hebraica, & corrupte pronunciari, quemadmodum fieri ſolet. Sed ex multis teſtimoniis colligere licet יון poni vel pro Græcia, vel pro terris longinquis: atque etiam in ſpecie pro Macedonia. Perinde igitur eſt acſi diceret, Judæos fore ſuperiores omnibus profanis gentibus, etſi inter ſe conſpirent atque adducant ingentes copias ex terris longinquis. Neque enim Græci moviſſent bellum in Judæa cum exigua manu: oportuit ſecum adducere magnos exercitus, ut pugnarent in regione aliena & ſibi incognita. Deinde non poterant Judæi aggredi Græcos, & alias remotas gentes, niſi fuiſſent præditi cœleſti auxilio. Hac ratione etiam adjungit *fore inſtar gladii*, quo poterit quiſpiam gigas conficere alios minores. Nunc pergamus.

14. Et Jehova ſuper eos conſpicuus erit, & egredietur quaſi fulgur ſagitta ejus: & Dominus Jehova tuba clanget, & procedet in turbinibus Theman. (*vel Auſtri.*)

Proſequitur eandem doctrinam: ſed explicat quod dixi, Judæis promitti victoriam, non quam poſſint acquirere virtute ſua, ſed quæ præter ſpem illis continget. Nam huc ſpectat quod dicit, *Deum fore conſpicuum ſuper illos.* Quamvis enim ſemper omnium pugnarum eventus à Deo ſint, tamen dicitur conſpici ubi victoria eſt admirabilis, & nullam habet rationem apud homines. Si pares exercitus inter ſe confligant, non mirum erit ſi alii alios vincant. Poterit etiam interdum contingere, ut minor numerus proſternat majorem: nempe vel quia animis, conſilio, peritia, vel aliis adminiculis prævalebit: vel quia in quo loco pugnabit major pars, vel ſuis viribus confiſa inconſiderate ruet. Sed ubi ſola conſternatio partem unam dejicit & aliam reddit victricem, hic clarius apparet virtus Dei. Et profani etiam homines putarunt obſtupefieri divinitus homines quum ita dejectis eſſent animis. quod veriſſimum eſt. Tenemus ergo cur dicat Propheta *Deum conſpicuum fore ſuper Judæos*, quia ſcilicet hoſtes ſuos proſternent non ſolitis mediis, neque terreno aliquo more, ſed mirabiliter: ut palam appareat eſſe hoc opus Dei. Poſtea adjungit, *Egredietur ſagitta ejus quaſi fulgur.* Iterum repetit ac confirmat quod jam vidimus, nempe nullum fore in Judæis motum, nullam celeritatem, ſed fore ſimiles gladio, qui jacebit in terra niſi tollatur hominis manu: ſimiles etiam fore ſagittis, quæ non poterunt nocere niſi quis eas jaculetur. Videmus ergo adſcribi victoriam cujus paulo ante meminit, uni Deo. Et eadem ratione addit paulo poſt, *Jehovam venturum cum clangore tubæ:* deinde, *cum turbinibus Auſtri.* Denique ſignificat manifeſtum fore Dei opus quum Judæi emergent ſupra hoſtes ſuos, à quibus jam oppreſſi fuerant, & adhuc erant opprimendi. Ergo ne conferant vires hoſtium cum ſuis, Propheta hic ſtatuit illis Deum, cujus auſpiciis, & ductu, & virtute bellum hoc geretur. Deinde ut potentiam Dei extollat, dicit *venturum cum clangore tubæ, & turbinibus Auſtri.* Simpliciter accipiunt interpretes turbines Auſtri pro violentis procellis. Scimus enim à Meridie ſurgere graviſſimos impetus turbinum. Sed quia Propheta clangorem tubæ conjungit cum turbinibus Auſtri, videtur mihi potius alludere ad miracula, quibus Deus potentiam ſuam cum ſummo terrore oſtendit Judæis in monte Sinai. nam deſertum Theman, & mons Paran erant in illa vicinia. Jam vidimus ſimilem locum 3. cap. Habacuc: Deus veniet è Theman, Sanctus è monte Paran, dicebat. Conſilium Prophetæ erat animare Judæos ad bene ſperandum: quia Deus, qui diu latuerat, & abſtinuerat ab illis juvandis, tandem proditurus eſſet in medium. Quomodo? illic admonet eos veteris hiſtoriæ: Deus enim illuſtraverat ſuam virtutem in monte Sinai, hoc eſt, in deſerto Theman. Erat autem illa Auſtralis regio, reſpectu Judææ. Nam tunc etiam ſcimus tubas ſonuiſſe in aëre: & hoc totum eſſe factum, ut Judæi reverenter Legem ſuſciperent: deinde, ut certi eſſent ſe fore ſemper ſalvos ſub manu Dei, quando omnia elementa ſic nutu ſuo concuteret, & repleret aërem fulgetris, & procellis, & turbinibus: deinde etiam tubis clangeret in aëre. Eadem eſt loci hujus ratio, quum Propheta dicit Deum fore illuſtrem, nempe ſicuti olim clangore tubarum perculerat populi animos: deinde qualiter etiam in turbinibus apparuerat in monte Sinai. Adjungit poſtea,

15. Jehova exercituum proteget eos: & comedent, & ſubjicient lapidibus fundæ, (*vel lapides, ut alii vertunt*) & bibent, & tumultuabuntur tanquam à vino, & replebuntur quaſi phiala, quaſi anguli Altaris.

Aliis verbis idem rurſus exprimit, nempe Deum fore inſtar umbraculi populo ſuo, ut eum manu extenta protegat ab hoſtibus. Quoniam diffidere merito viribus ſuis poterant Judæi, Propheta toties inculcat ſalutem eorum non eſſe poſitam in auxiliis terrenis, ſed Deum unum ſufficere, quia ſalvos & incolumes facile præſtabit. Adjungit etiam fore illis copiam panis & vini, ut ſaturentur. Videtur quidem hic promittere nimiam copiam, quia additur luxuria in ipſo abuſu. dicit enim *ſaturos fore*, & ſimiles ebriis: *bibent*, inquit, *& tumultuabuntur tanquam à vino.* Certe qui ſobrie utuntur vino, non edunt fremitum, ſed perinde ſunt compoſiti & quieti à cœna, ſicuti jejuni. Videtur ergo abſurde hic exceſſum in cibo & potu promittere Zacharias. Sed alibi vidimus, quoties Spiritus ſanctus abundantiam bonorum promittit, non ideo laxare frenum cupiditatibus; ſed tantum hoc velle, Deum ſic fore liberalem erga filios ſuos, ut nulla re prorſus indigeant, nulla inopia laborent. Imo affluentia bonorum probatio eſt frugalitatis. Ubi enim Deus quaſi profundit larga manu pluſquam opus eſt, tunc examinat cujuſque noſtrûm temperantiam. Nam ſi in multiplici copia nos ſponte frenamus, neque permittimus nobis immodicam licentiam, tunc vere apparet nos gratos eſſe Deo. Verum quidem eſt, hilaritatem nobis concedi in bonorum copia,
ſicuti in Lege ſæpe occurrit, Lætaberis coram Deo *Deut. 12.*
tuo: interea tamen tenendum eſt, ne polluantur Dei *verſ. 18.*
beneficia, requiri frugalem uſum. Ergo Propheta hic non incitat vel extimulat Judæos ad intemperiem, ut ſeſe ingurgitent nimio cibo, vel nimio

vino ſeſe inebrient: ſed tantum promittit nullam fore cibi & potus penuriam, ubi Deus ipſos ſicuti olim benedicet. Et hoc etiam in fine verſus videtur notare, dum nominat *cornua Altaris*. Prius dixerat plenos fore acſi eſſent phialæ: ſed ubi adjungit cornua Altaris, non dubium eſt quin eos temperantiæ admoneat, acſi coram Deo epularentur. Solebant quidem fundere vinum & oleum ſuper cornua Altaris: ſed interea quum profiterentur ſe ex copia vini & olei offerre Deo aliquas primitias, debebat illis venire in mentem, ſacrum eſſe vinum, ſacrum oleum, quoniam utrumque à Deo proficiſcebatur. Ergo Propheta ſic Judæos locupletes fore & ſaturos bonis omnibus pronunciat, ut tamen meminerint ſibi vivendum eſſe quaſi in Dei conſpectu, ne ſcilicet ſua luxuria contaminent quæ in legitimum uſum ipſe conſecravit. Tandem addit,

16. Et ſervabit eos Jehova Deus ipſorum in die illa, quaſi gregem populum ſuum: quia lapides coronæ elevati ſuper terram ejus.

Continuat eandem doctrinam: ſed utitur variis figuris, ut melius confirmet quod tunc erat fere incredibile. Modum vero admonet non fore humanum, aut vulgarem, quum Deus populum ſuum ſervabit. Comparat enim eos ovibus, ut ſciant quemadmodum jam dixi, ſalutem ſuam è cœlo venturam, quum ipſi imbelles eſſent, ac nullius auxilii aut virtutis. huc enim pertinet comparatio ovium. Oſtendit igitur Judæos non fore ſalvos quia Deus ipſis ſuppeditabit quicquid neceſſe eſt ad vincendos hoſtes: ſed quia ſubveniet mirabiliter eorum infirmitati, quemadmodum ſi paſtor oves ſuas eripiat è lupi faucibus. Neque enim ovis quæ adventu paſtoris mortem effugit, gloriabitur ſe fuiſſe victricem: ſed hæc tota laus paſtori tribui debet. Sic etiam Deus opus ſuum fore dicit, quod Judæi ſuperiores erunt hoſtibus. Dicendo *populum ſuum*, videtur reſtringere ad electos quod per ſe nimis late patebat. dixerat enim indefinite, *Servabit eos Deus*. Atqui certum eſt, populum qui tunc exiguus erat, fuiſſe adhuc acciſum, ut major pars interciderit. Sed tamen verum illud fuit, Deum fidum eſſe cuſtodem populi ſui, quia multi tunc erant Iſraëlitæ progeniti ſecundum carnem à communi patre Abraham, qui tamen titulo duntaxat Iſraëlitæ erant. Poſtea adjungit aliam ſimilitudinem, nempe ipſos in ſublime evectum iri, quemadmodum pretioſi lapides in corona ſuper caput Regis geſtantur: quaſi diceret ipſos regale fore ſacerdotium, ſicuti in
Exod. 19. vers. 6. Lege dictum illis fuerat. Dixerat paulo ante, *Subjicient lapides fundæ*, vel lapidibus. Qui in dativo caſu legunt ſententiam illam, videntur rectius ſentire, quod ſcilicet hoſtes ſuos profligaturi eſſent Judæi non gladiis, neque ſagittis, ſed tantum lapidibus, ſicuti occiſus fuerat Goliad à Davide. Quamvis ergo non eſſent dediti bellicis artibus, neque exercitati in armis, victores dicit fore Propheta, quoniam ſufficient illis fundæ ad hoſtes ſuos cædendos. Sed alii tamen malunt, conferri profanos homines & incredulos lapidibus fundæ, quoniam ſunt viles & nullius pretii: quod tametſi primo intuitu videtur argutum, tamen coactum eſt. Interea non diſplicet hic poni tacitam antitheſin inter lapides fundæ, & inter lapides coronæ: projicient Judæi lapides è fundis, ut hoſtes ſuos diſſipent: ipſi autem erunt lapides pretioſi. Terram Sanctam videtur hic ſtatuere Propheta quaſi totius orbis caput: *Elevati erunt*, inquit, *lapides coronæ ſuper terram Dei*. Si dixiſſet, in Ægypto, in Aſſyria, non fuiſſet tam apta membrorum connexio: ſed ubi Judæam nominat quaſi orbis caput: deinde Judæos, ubi proſpere & feliciter in ea agent, fore ſimiles lapidibus coronæ: omnia inter ſe conveniunt. Denique oſtendit ſolam Dei gratiam & benedictionem ſatis fore Judæis ad vitam beate agendam, quoniam & ſplendore honoris, & omni bonorum copia excellent, & pollebunt etiam invicta virtute contra omnes adverſarios. Jam videndum eſt quando hæc omnia impleta fuerint. Diximus Zachariam, ubi promittit ſaturitatem Judæis, non dare illis licentiam effrenem, ut ſeſe obruant & cibo & potu; ſed tantum hyperbolicis loquendi formis celebrare & extollere immenſam Dei beneficentiam erga ſuos. Hoc eſt unum. Sed interea obiter tractanda eſt altera quæſtio, ubi dicit *fore ſimiles ſagittis & gladiis*. Nam quum plus ſatis propenſi eſſent ad fundendum ſanguinem, videtur hic eos quodammodo acuere, ut liberius vindictam ſumant de hoſtibus ſuis: quod minime conſentaneum eſſet. Reſponſio facilis eſt, non debuiſſe Judæos oblviſci quid præſcriberet Deus Lege ſua: nempe quum Deus promittit largam copiam vini, & uberem proventum etiam annonæ, interea non retractat quod jam præcepit, nempe ut temperanter veſcamur cibo & potu. Sic etiam ubi victoriam promittit contra hoſtes, non pugnat ipſe ſecum, neque damnat quod ſemel probavit, neque etiam abrogat præceptum illud quo ſuos continet, ne quam ſævitiam exerceant etiam contra hoſtes: ſed potius ſibi temperent, & ſeſe revocent ad manſuetudinem & clementiam. Videmus ergo non debere ex his ſententiis fieri judicium, quid liceat nec ne, & quouſque progredi fas ſit in ulciſcendis hoſtibus: deinde quanta ſit libertas edendi & bibendi: nihil tale colligi poteſt ex hoc loco & ſimilibus. Sed tantum celebrat Propheta potentiam Dei, & liberalitatem erga populum ſuum. Nunc tamen adhuc quæritur, quando hoc præſtiterit Deus, ut Judæi longe lateque funderent hoſtes ſuos & occiderent. Chriſtiani omnes allegorice exponunt hunc locum, quod Deus jaculatus fuerit ſuas ſagittas quum emiſit Apoſtolos huc & illuc, qui configerent corda hominum: quod etiam gladio ſuo occiderit profanos homines, quos ſibi mactavit in victimas. hæc omnia vera ſunt: ſed ſimplicior tamen ſenſus eliciendus eſt, primo ex Prophetæ verbis, nempe quod Deus Eccleſiam ſuam victricem reddet contra totum mundum. Et hoc verum eſt. quamvis enim neque gladiis, neque aliis telis militaribus inſtructi ſint fideles, videmus tamen ut mirabiliter perſtent incolumes ſub umbra manus Dei. Quod ſi adverſarii ferantur immani crudelitate contra ipſos, videmus ut Deus retorqueat in illorum capita quicquid machinantur. Hoc modo vere impletur quod hic legimus, nempe ſimiles ſagittis & gladiis eſſe filios Dei: & interea ſervari quaſi gregem, quia imbelles ſunt, niſi Dominus arcanam virtutem ſuam opponeret, ubi videt eorum ſalutem tam violenter impeti ab impiis. Ergo non opus eſt torquere Prophetæ verba ad ſenſum allegoricum, quia per ſe hoc vere conſtat, nempe Eccleſiam Dei fuiſſe ſalvam, quoniam retuderit Deus omnia tela hoſtium, imo jaculatus ſit violenta manu ſagittas ſuas, & gladium ſuum vibraverit. nam ab eo tempore trajecit mare Alexander Magnus: & quum graſſatus eſſet per totum circuitum maris Mediterranei, quum omnes regiones ſanguine plenæ eſſent, tandem venit uſque in Judæam. Quî factum eſt, ut diſceſſerit abſque cæde; & abſque ulla ſævitia, niſi quod Deus ipſum cohibuit? Non pigebit referre quod legitur apud Joſephum, quod quidem verum eſſe non dubito. Ille enim narrat, quum veniſſet Alexander plenus iracundia, & minas ſpiraret contra Judæos, à quibus non fuerat adjutus: imo qui viſi fuerant ſpernere ejus imperium: quum ergo hanc truculentiam verbis evomeret, tandem ubi venit in conſpectum Jadi ſummi Pontificis, quia videbat ornatum infula, ipſe dejecit ſe, & ſupplex precatus eſt veniam: quum omnes amici obſtupeſcerent,

rent, reſpondit ſibi Deum apparuiſſe in forma illa, quum adhuc in Græcia eſſet, & animum dediſſe ut ſuſciperet illam expeditionem. Quum ergo cerneret effigiem aut figuram cœleſtis Dei in illo Sacerdotali ornatu, coactus eſt dare Deo gloriam. hactenus Joſephus, cujus teſtimonium hac in parte ſuſpectum mihi non eſt. Ergo non eſt quod multum ſe quis fatiget in quærendo Prophetæ ſenſu, quum per ſe hic liquido pateat, electos Dei fuiſſe victores, quia procul Deus jaculatus eſt ſuas ſagittas, & gladium ſuum vibravit. Interea etiam fuit alia ratio victoriæ, quod tandem ſubjugati ſint exteri & remoti populi Spiritus gladio, nempe Euangelii doctrina. ſed hæc eſt anagoge: hoc eſt, ubi tenemus literalem Prophetæ ſenſum, jam tranſitus facile nobis patet ad ſpirituale regnum Chriſti. Hæc ergo tam de ſaturitate, quam de victoria hoſtium. Jam ſequitur,

17. Nam quanta beneficentia ejus? & quanta pulchritudo ejus? frumentum adoleſcentes, & muſtum recreat (*vel corroborat*) puellas.

Exclamat hic Propheta incredibilem eſſe beneficentiam Dei, ut ſcilicet diſcant Judæi ſenſus ſuos attollere ſupra mundum, ubi ſperanda eſt felicitas cujus ante meminit. Videmus ergo hoc epiphonemate melius confirmari quod ſimpliciter dictum fuerat à Propheta: quaſi diceret, Non eſt quod quiſque æſtimet gratiam Dei de qua concionatus ſum, ex ſuo uſu, vel conſuetudine, vel experientia: ſed potius in admirationem vos rapiat incredibilis *beneficentia* Dei, & incredibilis etiam *pulchritudo*. Cæterum, ſecunda hac voce intelligit ſplendorem, qui apparet in omnibus Dei gratiis & donis. Tandem concludit tantam fore tritici & vini copiam, ut promiſcue & juvenes & puellæ edant ac bibant ad ſatietatem. Hic fruſtra quæret quiſpiam, an vini uſum permittat puellis Zacharias. neque enim hic diſſerit de benedictione Dei acſi irritamentum eſſet luxuriæ, ut jam diximus: ſed ſignificat tam multiplicem fore copiam victus, ut abunde ſufficiat non ſenibus modo, ſed etiam adoleſcentibus & puellis. Scimus, ſi ſuppetat mediocris proventus vini, deberi quaſi ſenibus jure ætatis. Ubi autem vinum ipſum ſic profluit, ut poſſint liberaliter bibere tam adoleſcentes quam virgines, tunc apparet quanta ſit ubertas. Hoc ergo ſimpliciter intelligit Propheta. Sed cras iterum eadem de re aliquid dicendum erit.

Da omnipotens Deus, quando non aliunde nobis ſperanda eſt aut temporalis, aut æterna felicitas, quam ab uno Chriſto, ſicuti etiam nobis eum proponis tanquam unicum bonorum omnium fontem: da, inquam, ut contenti gratia quæ nobis per ipſum offertur, diſcamus renunciare toti mundo, & ita luctari cum omni diffidentia, ut non dubitemus te nobis ſemper fore humanum & benignum patrem, qui large ſuppedites quæcunque neceſſaria erunt ad victum: interea tamen ſic ſobrie & temperanter veſcamur terrenis bonis, ne ſimus addicti, ſed potius erectis animis aſpiremus ad cœleſtem illam felicitatem ad quam nos invitas, & ad quam etiam nos dirigis talibus adminiculis, ut vere conjuncti capiti noſtro, perveniamus tandem ad illam æternam gloriam, quæ nobis parta eſt ejuſdem ſanguine, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA SECUNDA IN ZACHARIAM PROPHETAM.

CAP. X.

PEtite à Jehova pluviam tempore ſerotino, (*vertunt*) Jehova faciet nubes, & pluviam imbrem dabit illis, cuique herbam in agro.

POſtquam oſtendit Zacharias Deum ita fore beneficum erga Judæos, ut nihil illis deſit ad beatam & felicem vitam, nunc perſtringit eorum incredulitatem, quod non expectent à Domino quæ paratus eſſet large illis præſtare. Quoniam ergo per eos tantum ſtabat, quominus fruerentur omni copia bonorum, inſimulat hic eos ingratitudinis. Tametſi enim hortatur ad preces, ſubeſt tamen etiam objurgatio. Siquis tantum verba percurrat, dicet hic adjungi ſecundum caput doctrinæ, ut Judæi à Domino poſtulent quod antehac illis promiſit. Sed qui propius expendet totum contextum, facile reperiet quod dico, nempe hic Judæos damnari hoc nomine, quod clauderent januam gratiæ Dei, quia ſcilicet reſtricti erant, ut ſunt omnes increduli, qui non poſſunt amplecti Dei promiſſiones. neque enim dubium eſt quin multi querimonias ſpargerent, quia videbant ſe fraudari ſuis votis. Speraverant enim uberrimum proventum vini & tritici, deinde promiſerant ſibi omne genus benedictionis. atqui, ut vidimus apud Prophetam Haggæum, Dominus jam cœperat retrahere manum ſuam, ut laborarent inopia victus. Quum ergo urgeret eos fames & ſitis, putabant quodammodo ſe fuiſſe deceptos à Deo. atqui Propheta cum ipſis expoſtulat, quod repellerent ſua infidelitate gratiam, quæ parata fuiſſet. Nunc ergo tenemus Prophetæ conſilium. Jubet eos *petere à Jehova pluviam*. Hoc quidem debuerant ultro & ſine monitore facere. Etſi enim nondum formam precandi tradiderat Eccleſiæ ſuæ Chriſtus: hoc tamen debuit eſſe quaſi ingenitum à natura, ut peterent à Deo panem quotidianum. neque enim ſibi fruſtra vendicat nomen Patris. Hic ergo Propheta coarguit brutum ſtuporem in Judæis, quod ſaltem non peterent à Domino pluviam. Addit, *in tempore ſerotino*, hoc eſt, verno tempore. Duplex enim pluvia prodeſt frugibus, vel poſt ſationem ipſam, vel ante meſſem. Et Scriptura ubique, quum loquitur de fœcunditate, & largo proventu frugum, meminit utriuſque pluviæ. Jam Zacharias hoc loco tantum attingit vernum tempus, nempe ante meſſem: quoniam in regione illa calida oportuit terram ſugere novum humorem. *Petite*, inquit, *pluviam ineunte æſtate*, *Jehova dabit*, *faciet nubes*, vel procellas, ut alii vertunt, vel turbines. ſed ſatis apparet ex aliis locis, חזיזים vocari nubes, quæ ſunt veluti præparatoriæ ad dandam pluviam. Poſtea addit, *venturam imbrem cum pluvia*. nam גשם quidam accipiunt pro imbre, hoc eſt, pro violenta pluvia. ſed hic Propheta videtur ponere duas voces, quaſi diceret fore continuas pluvias, quæ terram ſaturent, & corrigant ſiccitatem. Alii vertunt, pluviam imbris: ſed hoc eſſet nimis coactum. Malo igitur ſimpliciter accipere, *dabit pluviam imbrem*, hoc eſt, dabit pluvias continuas, *cuique herbam in agro*, hoc eſt, ita ut ſatis ſit humoris vel ſucci in terra. Denique promittit plenam irrigationem, ne ſcilicet ariditas ipſa tollat ſpem annonæ & victus. Jam quod dixi melius liquebit ex proximo verſu. Subjungit enim,

2. Certe

2. Certe ſimulachra loquuta ſunt vanitatem, & divini viderunt mendacium, & ſomnia vanitatis loquuti ſunt, fruſtra conſolati ſunt: ideo tranſierunt (*vel migrarunt*) ſicuti ovis, (*aut grex*) humiliati ſunt, quia nullus fuit paſtor.

Hic, ſicut attigi, confirmat Propheta culpam merito Judæis adſcribi poſſe, quod Deus non agat cum ipſis liberalius. Oſtendit enim eos prolapſos fuiſſe ad ſuperſtitiones, atque hoc modo repuliſſe gratiam Dei, quæ jam illis certa erat & propinqua. nam Zacharias hic non damnat exteras gentes, quæ addictæ ſunt ſuis ſuperſtitionibus, ſed potius caſtigat Judæos ipſos, quia relicto vero Deo, ſeſe contulerint ad idola, ad augures & divinos, atque ita maluerint ſe paſcere ſuis fallaciis, quam aperire januam gratiæ Dei, quum tamen ultro illis promitteret ſe non paſſurum ut ulla re egerent. Quum ergo Dominus comiter Judæos ad ſe alliceret, quum oſtenderet ſe paratum eſſe ad beneficentiam; nonne hæc nimis fœda ingratitudo fuit transferre ſe ad idola, & magicis artibus operam dare? quia poterant tuto acquieſcere in verbo Dei. Non fuiſſent fraudati ſpe ſua, ſi certo perſuaſi fuiſſent Deum loqui veraciter. Quum ergo tam gravem facerent Deo injuriam, ut volitarent poſt idola, & alias aſtutias vel impoſturas Satanæ, merito hic pravitatem eorum Propheta exagitat. *Simulachra*, inquit, *loquuta ſunt vanitatem.* quaſi diceret, Quid hactenus adepti eſtis per veſtros circuitus? Debuerat Deus unus vobis ſufficere. atqui putaſtis opus eſſe aliis adminiculis: alii veſtrûm conſulunt idola, alii confugiunt ad augures & divinos: alii volunt habere ſuos Prophetas pro arbitrio. Quis profectus, inquit? *Simulachra loquuta ſunt vanitatem, & divini mendacium viderunt, & protulerunt ſomnia vanitatis.* Denique ſignificat, quaſcunque rationes tentent increduli, nihil tamen aliud conſequi, niſi ut tandem ſentiant ſe fuiſſe miſere deluſos à Satana patre mendacii: accerſent ſibi multa media, quemadmodum infidelitas ferventer ſatagit, O! ſi hoc non ſuccedat, ego experiar aliud. Sic ergo increduli vagantur, & accumulant ſibi multas & varias rationes. ſed in genere oſtendit Propheta, ubi declinant homines à Deo, jam fruſtra omnia ſuſcipere, quia extra Deum nulla eſt veritas. Poſtea addit, *tam ab idolis, quam à magis vel auguribus fruſtra fuiſſe conſolationem datam.* Et hoc etiam confirmat ipſo eventu, quum dicit *migraſſe tanquam oves, fuiſſe afflictos, quia nullus fuit paſtor.* Non dubium eſt quin hoc Propheta ad exilium referat, ut diſcant Judæi ſapere, ſaltem ipſo uſu, quoniam didicerant magno ſuo damno, extra Deum nihil eſſe veræ & ſolidæ conſolationis. nec abs re exprobrat ipſis pœnam, quam paſſi fuerant eorum patres, quia videbat eos incedere illorum veſtigiis. Quum ergo imitarentur Judæi pravam curioſitatem patrum ſuorum, jure accuſat eos Propheta, quod non agnoſcant ex ipſo eventu quod tamen omnibus notum erat: nam vulgare proverbium eſt, experientiam eſſe magiſtram ſtultorum. Quum ergo ne percuſſi quidem ſaperent, hinc magis convictus fuit eorum ſtupor. Nunc ergo tenemus quid velit Propheta. ſed primo notandum eſt, quum jubet eos petere pluviam à Domino, loqui ipſum de regno Chriſti, ut ſolent paſſim omnes Prophetæ. nam quum Redemptor Judæis promiſſus bonorum quoque omnium futurus eſſet auctor, ubi de adventu ejus concionantur Prophetæ, etiam promittunt & copiam tritici, & uberem proventum annonæ, & pacem, & quicquid optabile eſt ad commoda præſentis vitæ. Hunc etiam morem nunc ſequitur Zacharias, quum affirmat non ſtare per Deum, quominus benigne ſuppeditet Judæis quicquid optare poterant: ſed ipſos eſſe reſtrictos, & ſua infidelitate (ſicuti dictum eſt) claudere gratiæ ipſius januam. Interea ſemper tenendum eſt quod heri diximus, nempe debere æſtimari quicquid de felici vita Prophetæ diſſerunt ex natura regni Chriſti. Coacta eſt illa interpretatio, pluviam cœleſtem eſſe doctrinam. Sed non dico etiam allegorice Zachariam loqui: imo ſub communi illa figura deſcribit Chriſti regnum, quod ſcilicet Deus ſatiabit electos ſuos bonis omnibus, ita ut non eſuriant, neque laborent ulla neceſſitate. Sed ſimul tenenda eſt admonitio Chriſti, ubi nos hortatur, In primis quærite regnum Dei, alia, inquit, poſtea accedent. (*Matth. 7. verſ. 33.*) Ergo præpoſtere fecerit qui putabit Judæis tantum promiſſam fuiſſe abundantiam victus. Deus enim altius voluit eos deducere, ſed per certos gradus. Non dubium igitur eſt, quin Propheta hic ſub ſpecie una comprehendat omnes partes vel numeros felicis vitæ: quia Deus non vult fideles ſuos ſaturare in hoc mundo quaſi porcos in hara: ſed vult ſub terrenis alimentis guſtum illis præbere ſpiritualis vitæ. Ideo felicitas de qua nunc ſermo fit apud Zachariam vere ſpiritualis eſt. ſed quia pietas habet promiſſiones tam præſentis vitæ quam futuræ, (*1 Tim. 4. verſ. 8.*) ideo voluit Deus infirmitati veteris populi conſulere, & proponere ſpiritualis vitæ felicitatem ſub terrenis iſtis commodis. Cæterum, hoc quoque diligenter notandum eſt, rideri Judæos, quod poſt ſua commenta vagati ſint, quum tamen Deus non procul abeſſet, neque etiam ſineret eos diu languere. Quum ergo Deus oſtenderet ſe ad beneficentiam propenſum; duplex fuit eorum pravitas, quod maluerint volitare poſt idola, poſt artes magicas, & poſt alias Satanæ illuſiones, quam acquieſcere in verbo Dei. Et talis fere eſt exprobratio apud Jeremiam, ubi (*Jer. 2: 13.*) Deus conqueritur ſe derelictum fuiſſe, quum tamen ſit fons aquæ vivæ, populum vero ſibi fodere ciſternas aridas & perforare. Quoniam autem hoc vitium nimis commune eſt, ſciamus hic nos commonefieri, ſiſtendum eſſe pedem in Dei verbo, ubi promittit ſe noſtri curam habiturum, ut contenti ſimus ejus gratia, neque temere volitemus poſt noſtras imaginationes. nam utcunque arrideant nobis noſtra conſilia, & etiam ſæpe appareat aliquis proſper ſucceſſus, exitus tamen ſemper docebit veriſſimum eſſe quod hic docet Zacharias, nempe quicquid tentemus, fore inutile & noxium: quia Deus vindictam ſumet de noſtra ingratitudine. Jam ſimul etiam notandum eſt, quum proponit Zacharias exemplum vindictæ Dei, quo Judæi ſenſerant ſtulte ſe captaſſe vana ſolatia, cavendum eſſe ne effluat nobis memoria pœnarum, ſiquando nos Deus caſtigat, ut ad ſe revocet: meminerimus & quid nos ſimus experti, & quid acciderit patribus noſtris, etiam antequam nati eſſemus. Sic ergo applicare debent fideles ſtudium ſuum ad reputanda Dei judicia, ut proficiant ſub ejus ferulis. Poſtea adjungit,

3. Super paſtores iratus eſt furor meus, ſuper hircos viſitabo: quia viſitabit Jehova exercituum gregem ſuum, domum Jehudah: & poſuit eos (*vel ponet*) quaſi equum decoris ſui in prælio.

Dixerat Judæos fuiſſe tractos in exilium, & afflictos ab hoſtibus, quoniam carebant Paſtore: non ut culpam ipſorum levaret: ipſi enim minime erant excuſabiles, quum ultro renunciaſſent Deo, qui perpetuus alioqui fuiſſet eorum paſtor. ſed nunc convertit ſermonem ſuum ad falſos doctores, ad Pſeudoprophetas, ad Sacerdotes etiam impios. Quanquam ergo indigni venia erant omnes, Deus tamen jure hic ad tribunal ſuum citat primo loco Paſtores, qui aliis dederant cauſam errandi: quemadmodum

ſi cæcus

ſi cæcus cæcum ducat, trahet ſecum in foveam: ita impii paſtores auctores ſunt interitus aliis. Et alibi etiam vidimus ſimiles locos, ubi Deus minatus eſt Sacerdotibus & Prophetis, qui male functi erant officio, ſpecialem pœnam. Interea tamen non abſolvit vulgus ipſum: quia à minimo uſque ad maximum omnes rei erant. atque etiam certum eſt pœnam ſumi de hominum contumacia aut malitia, quoties Deus laxat frenum diabolo, ut fallat per impios doctores. Nunc ergo videmus ordinem Prophetæ: initio capitis docuit Judæos carere omni excuſatione, quoniam prolapſi ſint iterum ad ſuas ſuperſtitiones, quum tamen adeo graviter ultus fuiſſet Deus ſcelera patrum, & ita nihil profecerint. Oſtendit etiam perverſe ipſos facere, ſi Deo obſtrepant, quod tenuiter ipſos alat vel maligne, quoniam neque exſpectent ab ipſo, neque precibus flagitent quod ipſe dare ſponte paratus erat. Poſtquam ergo generaliter invectus eſt Propheta in malitiam totius populi, jam aggreditur impios Sacerdotes, ac dicit inſtare viſitationem tam paſtoribus quam hircis. tribuit nomen Paſtorum lupis, quod etiam ſatis vulgare eſt. Et hinc etiam produnt ſtultitiam ſuam Papiſtæ, dum arripiunt oudas voces, & arrogant ſibi omnem poteſtatem, quia vocentur Paſtores in Eccleſia. quaſi vero Antichriſtus non dominetur in templo Dei. An honorifice hic loquitur Zacharias de nebulonibus illis, qui Eccleſiam Dei perdebant? imo graviſſime eos accuſat, quod diſſipent ac peſſundent totum Dei regnum: interea tamen vocat Paſtores, nempe quia locum paſtorum tenebant, quamvis longiſſime abeſſent à fide, & etiam officium ſuum nulla in parte facerent. Per conceſſionem igitur Paſtores vocat, qui ad regendum populum vocati erant, & quibus divinitus partes illæ fuerant injunctæ: interea pronunciat Deus ſe viſitaturum ſuper illos, quia juſte ipſis ſuccenſeat. Idem adjungit de hircis: quo nomine metaphorice ſignificat, quicunque ex ordine gubernatorum erant, vel qui pollebant dignitate aliqua ſupra vulgus ipſum: ſicuti apud alios etiam, ac præ-
Eze. 34. ſertim apud Ezechielem Hirci vocantur qui inju-
verſ. 17. riam faciunt ovibus, & petulanter inſultant. Sic ergo adjungit Hircos Paſtoribus, quod tenues & plebeii homines abrepti fuiſſent in exitium eorum culpa. Hinc vero apparet, quam chara ſit Deo ſalus hominum, quoniam vindictam denunciat paſtoribus, qui tamen non exercuerant tyrannidem ſuam niſi erga homioes dignos tali pœna. Fuit enim hæc juſta merces ſcelerum, quod Dominus voluit graſſari lupos paſtorum loco. ſed quanquam tale ſupplicium meriti eſſent Judæi, Deus tamen iraſcitur paſtoribus, quoniam in genere ſemper ſollicitus eſt de ſua Eccleſia. Et ratio etiam additur: *quia viſitabit Deus ſuper gregem ſuum*, inquit, nempe *domum Jehudah*: quaſi diceret ſe non reſpicere quales ſint Judæi, ſed rationem habere ſuæ electionis. Deo enim ſemper adoptio ſua pretioſa eſt: quoniam dignatus fuerat populum illum eligere, fieri aliter non potuit, quin ruinam ejus indigne ferret. Quum ergo videret Eccleſiam ſuam ita eſſe perditam culpa paſtorum, ideo cauſam hanc adducit futuræ vindictæ, quia ferre nequeat gratiam ſuam in nihilum redigi. neque enim dubium eſt, quin hic commemoret domum Jehudah, quoniam extulerat populum illum, & ita dedicaverat ſibi, ut vellet ab ipſo coli. Ergo hic excutit falſis paſtoribus omnem prætextum excuſationis, dum opponit ſuam electionem: quaſi diceret, etiamſi populus iſte centies me provocaverit, & dignus ſit mille mortibus: ego tamen volui vos eſſe paſtores, quia domus Jehudah mihi ſacra fuit. Cæterum, alia eſt gregis viſitatio quam paſtorum, quia Deus armatus viſitat reprobos, & viſitat etiam ſuos, dum vult illis opitulari. Jam viſitatio gregis refertur ad totam domum Jehudah: ſed hoc fit, quemadmodum dixi, gratuitæ adoptionis reſpectu. Interea Dominus paſſus eſt multos ruere in exitium quia tantum electos ſuos redemit. ſed hæc etiam loquendi ratio paſſim occurrit apud Prophetas, quod Deus velit ſuccurrere filiis Abrahæ: ſed intelligit eos qui vere ſunt Iſraëlitæ, non degeneres. Adjungit fore quaſi *equum decoris in prælio*. Noo dubium eſt quin ſubaudienda ſit antitheſis inter equos decoris, vel aſinos, vel boves. Paſtores enim illi qui tyrannice oppreſſerant Dei populum, ſimiles dicuntur violentis ſeſſoribus, qui equitant ſuper aſinos, & eos contumelioſe tractant: vel ſimiles hominibus pecuariis, qui boves tractant aſperius. Deus ergo dicit ſe velle equitare ſuper populum ſuum, ſed alio modo, nempe quemadmodum eques inſidet equo ſuo magnifice, idque *in die prælii*. nam Reges ipſi, ſi in prælio conſcenderint equum aliquem, poſtea volunt optime curari, & magnam etiam ſollicitudinem gerunt, nec gravantur venire in ſtabulum, ut aſpectu ſuo, ſi fieri poteſt, equos ſuos lautius curent tractandos. Deus ergo hoc modo ſignificat ſe quidem exigere à populo ſuo obſequium, & ſe velle jus ſuum retinere, ut quaſi in populo illo equitet: ſed tamen ſe nolle populum opprimere: quin potius ſibi eſſe ſimilem equo magnifico. Nunc ergo tenemus cur Propheta ſpecialiter ſermonem hic ad falſos paſtores convertat: non ut extenuet culpam totius populi, quia nemo venia dignus erat. Sequitur,

4. Ab eo angulus, ab eo clavus, ab eo arcus belli, ab eo egredietur omnis exactor pariter.

Hic confirmat proximam ſententiam, ſed aliis figuris. Dicit enim Judæos fore optime munitos omnibus præſidiis, quæ ad ſtabilitatem faciunt. neque tamen ſecum ipſe pugnat. Proximo capite docuit, etiamſi expoſiti eſſent injuriis omnibus, fore tutos cœleſti auxilio: nunc quum promittit ex ipſis fore *angulum*, fore *clavum*, fore *arcum*, fore *exactorem*, videtur mutare ſententiam. ſed perinde eſt acſi promitteret, quamvis multis adminiculis indigeant, tamen fore ſatis inſtructos, quoniam Deus in promptu ſuccurret quoties opus fuerit. Per Angulum ſignificat firmitatem ædificii. *Ex Judæis* ergo *erit angulus*, hoc eſt, erunt ſemper in populo illo qui ſuſtineant publicam gubernationem: deinde, *ex ipſo clavus*. Scimus clavis connecti & aptari inter ſe trabes, & alias partes ædificii: ſcimus etiam ſuſpendi laquearia. Ergo ab ipſo fundamento progreditur Zacharias ad omnes fulturas, quæ retinent ædificium. Poſtea addit, Erit *arcus belli*, hoc eſt, ſufficient etiam ad hoſtes ſuos vincendos. Denique erit *exactor*, hoc eſt, potientur imperio contra vicinos, & exigent ab illis tributum aut vectigal: quemadmodum victores ſolent à ſubditis. Videmus quid Propheta velit, nempe ubi incipiet Deus curam agere populi ſui, & palam oſtendet ſuum favorem, munitos fore Judæos omnibus auxiliis, ita ut bene fundati ſint, deinde ut retineant publicum ſtatum, ut etiam ſatis virium habeant contra hoſtes: denique ot potiantur fructu victoriæ, & cogant omnes exteras gentes ſibi eſſe tributarias. Siquis iterum roget, quando hoc fuerit impletum, reſpondeo fuiſſe quædam præludia, quum Deus extulit Macchabæos, & fecit ut rurſus Judæi ſuis legibus, ac ſuo jure liberi viverent. ſed certum eſt, Prophetam complecti totum curſum redemptionis. Quoniam ergo tantum aliqua ex parte, & ea exigua, redemit Deus populum ſuum, donec apparuit tandem Chriſtus, ideo non mirum eſt, ſi Zacharias ubi diſſeruit de tota & plena redemptione, extendat verba ſua uſque ad Chriſti regnum. & hoc neceſſe eſt. Hinc colligimus Eccleſiam ſatis firmam ſtare: deinde aptari etiam omnibus ſuis partibus ſi maneat ſub Dei tutela, & ſatis etiam inſtructam fore virtute contra omnes hoſtes ſuos. Sequitur,

5. Et erunt quaſi fortes (*aut gigantes*) calcantes in luto platearum in prælio, & præliabuntur: quia Jehova cum ipſis: & pudefient aſcenſores equorum.

Confirmat quod paulo ante dixi, nempe Judæos fore gentium omnium victores: ſicuti etiam Eccleſia ſub cruce militans, triumphum tamen agit de omnibus impiis, partim in ſpe, partim ipſo effectu. Deus enim mirabiliter ipſam ſuſtinet, & facit ut ſinguli fideles poſſideant animas ſuas in patientia ſua: deinde etiam protegit eos ſua virtute, & inter magnos fremitus hoſtium, & in ipſa inexplebili rabie tamen præſtat ipſos ſalvos. Quum ergo Deus ita confirmet animos ſuorum, & foveat in illis ſpem ſalutis: deinde etiam quum tueatur ipſos contra veſanos inſultus, non mirum eſt quod Propheta Eccleſiam teſtatur fore victricem: quemadmodum ſi gigas aut robuſtus calcaret omnes hoſtes ſuos in luto. Adjungit rationem: *quia Jehova cum ipſis*, inquit: ut ſciant nihil ſibi hic fore proprium, ſed potius pendere diſcant ab uno Dei auxilio. Et hoc clarius explicat in fine verſus, ubi dicit, *pudefient aſcenſores equorum*, hoc eſt, hic nihil proderit virtus, & magnanimitas, & uſus, & peritia armorum, quia Dominus proſternet cum arrogantia & faſtu ſuo omnes profanos homines qui devorant fideles ſua crudelitate, qui putant ſibi ſatis ſuperque eſſe fortitudinis ad perdendam Eccleſiam: Dominus efficiet, ut omnia iſta in fumum abeant.

Da omnipotens Deus, quando hic nos aſſiduæ pugnæ manent, & tanta eſt noſtra infirmitas, ut ſingulis momentis cadendum nobis ſit, niſi tua virtute nos fulcias: da, inquam, ut recumbere diſcamus in auxilium, quod nobis pollicitus es, & quod nobis etiam obtuliſti ſemel, & quotidie offers per Euangelium in Filio tuo unigenito: atque ita diffiſi viribus noſtris, imo obruti deſperatione, non tamen ideo deſpondeamus animos; ſed potius nitâmur ſurſum, & ita invocemus auxilium Spiritus tui, ut non dubitemus nos fore pares hoſtibus noſtris, imo ſuperiores, donec tandem defuncti noſtra militia perveniamus in beatam illam quietem, quæ nobis parta eſt ejuſdem Filii tui ſanguine, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA TERTIA
IN
ZACHARIAM PROPHETAM.

CAP. X.

6. Et roborabo domum Jehudah, & domum Joſeph ſervabo, & redire (*& habitare*) eos faciam: quia miſertus ſum eorum, & erunt acſi non abominatus fuiſſem eos: quia ego Jehova Deus eorum, & exaudiam eos.

PRoſequitur Zacharias eandem doctrinam, nempe opus illud redemptionis, cujus principium cernebant Judæi, non fore mutilum, quia Dominus tandem implebit quod cœpit facere. neque enim poterant acquieſcere Judæi in illis principiis, quæ vix centeſima ex parte reſpondebant promiſſionibus Dei. Oportuit igitur attolli eorum animos in ſublime, ut plus ſperarent quam patebat ante eorum oculos. Et hæc doctrina valde nobis etiam utilis eſt: quia ſolemus reſtringere promiſſiones Dei ad exiguum tempus: & dum ita includimus eum noſtris anguſtiis, facimus ut non præſtet quod cupimus. Ergo ſemper occurrat nobis exemplum reditus populi Iſraëlitici, quia Dominus pollicitus fuerat per ſuos Prophetas ſplendidum fore, & modis omnibus opulentum & felicem ſtatum populi. Quum hoc non conſtaret poſtquam reverſi fuerant Judæi in patriam, multi putabant ſe fuiſſe deluſos, nempe quod vellent primo die opus Dei perfici. atqui oportuit eos ſpem ſuam & vota ſuſpendere uſque in Chriſti adventum. Ergo in eo nunc inſiſtit Propheta, ut Judæi patienter quieſcant, donec tempus maturum advenerit, quo Dominus oſtendat ſe non aliqua tantum ex parte, ſed in ſolidum populi ſui eſſe redemptorem. Dicit autem, *Roborabo domum Jehudah, & domum Joſeph.* Scimus paulatim collapſum fuiſſe regnum Iſrael: quia initio abductæ fuerunt in exilium quatuor Tribus: deinde totus populus quodammodo periit, ita ut putarent omnes extinctum eſſe nomen decem tribuum. Poſtea Dominus etiam horrenda clade afflixit regnum Jehudah. Notandum etiam eſt, quum duo illa imperia florerent, exercuiſſe graves inimicitias inter ſe. nam defectio quæ acciderat ſub Jarobeam, in cauſa fuit ut Judæi peſſime ſemper oderint fratres ſuos Iſraëlitas, quemadmodum digni erant: quia quodammodo abnegaverant Deum quum rejicerent filium Davidis. perinde enim erat acſi alienarent ſe à corpore Eccleſiæ. Jam ergo non aliquid vulgare promittit Zacharias cùm dicit utrumque populum conjunctum fore, ita ut rurſus coaleſcat, ſicuti ante defectionem. nam domus Joſeph tantundem valet ac domus Ephraim. Scimus autem per ſynecdochen ubique ſumi domum Ephraim pro toto regno Iſraëlis. Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ, nempe ſtatum populi fore beatiorem, quam fuerit ex quo diviſæ fuerant decem Tribus à regno Jehudah, vel à domo Davidis: quia ſcilicet Deus ex omnibus filiis Abrahæ colliget ſibi Eccleſiam. Poſtea adjungit, *Reducam eos, & habitare faciam.* Verbum hoc והושבותים putant compoſitum eſſe à ישב, & à שוב. nam falluntur qui putant diverſas eſſe ſententias, quod alii deducant ab una radice, alii ab altera: neque enim hoc poſſet ſtare. Qui autem ſubtilius expendunt Grammaticam, dicunt verbum eſſe compoſitum, quod Deus non tantum reducet decem Tribus, ſed etiam faciet habitare, hoc eſt, dabit illis fixam ſedem in patria. Jam adjungit, *quia miſertus ſum eorum.* Alii vertunt in futuro tempore. ſed retineo præteritum tempus, quia Dominus hic cauſam aſſignat futuræ collectionis, nempe quia clementer egit cum populo ſuo. Revocat igitur Judæos ad fontem miſericordiæ ſuæ: acſi diceret, etiamſi digni ſint perpetuo interitu, ſe tamen, quia propitius fuerit, exauditurum eorum gemitus. & quia obſtaculo erat calamitas, ne quicquam tale ſperarent Judæi, adjungit, *erunt acſi non repuliſſem eos:* quibus verbis admonet pœnam quæ inflicta fuerat populo, fore temporalem. Jubet igitur bono animo eſſe, quamvis ſint perditis vel mortuis ſimiles, quoniam finem imponet eorum miſeriis. Quod autem dicit hic Deus *ſe populum repuliſſe*, debet referri ad ſenſum hominum, ſicuti alibi vidimus. nam adoptio fuit ſtabilis: ſed externa ſpecies potuit aliud judicium dare, nempe quod populus ille rejectus eſſet à Deo. Senſus tamen Prophetæ clarus eſt, nempe quamvis ſevere Deus egiſſet cum populo illo, & ſumpſiſſet graviſſimas pœnas de ejus perfidia, vindictam non fore æternam,

quia

quia dabit locum miſericordiæ ſuæ. Iterum adjungit rationem: *Quia ego Jehova Deus ipſorum*, inquit. Hac particula ſignificat adoptionem non eſſe irritam, quamvis ad tempus abdicaverit Judæos. Deum enim ſe illorum vocans proponit in medium memoriam fœderis ſui, quaſi diceret ſe non fruſtra pepigiſſe cum Abraham, & fuiſſe pollicitum ſemen ejus fore benedictum. Quoniam ergo Deus fidem ſuam obſtrinxerat Abrahæ, hic dicit *ſe Deum eſſe populi*: non quod aliquid deberet, ſed quia gratuito tam Abraham quam ſemen ejus elegerat. Tandem adjungit, *& exaudiam eos*. Videtur hic hortari ad preces, ut freti hac promiſſione poſtulent à Deo quod promiſſum fuerat. Quanquam improprie ſæpe accipitur hoc verbum, quia Deus exaudire dicitur etiam qui ad eum non confugiunt. ſed hoc loco melius convenit quod dixi, nempe ſtimulari populum ad preces, ſicuti Deus in hunc finem liberaliter nos ad ſe invitat, ut vota noſtra conſentiant cum ejus promiſſionibus. Hæc igitur ſumma eſt. Jam ſequitur,

7. Et erunt quaſi gigas Ephraim, & lætabitur cor eorum ſicuti à vino: & filii eorum videbunt & gaudebunt, exultabit cor eorum in Jehova.

Idem declarat aliis verbis. Proximo verſu dixerat ſe roboraturum tam tribum Jehudah quam domum Joſeph, hoc eſt, decem Tribus: nunc loquitur de ſolo Ephraim. ſed complectitur tamen regnum Jehudah. Nominat autem Ephraim, non quia dignus eſſet honore, neque etiam præfert Judæis Iſraelitas, qui fuerant apoſtatæ: ſed quia reditus decem tribuum magis erat difficilis creditu, hæc ratio eſt cur diſerte Propheta Ephraim exprimat. nam uſque ad urbis & Templi excidium non deſierat Deus promittere Judæis reſtitutionem. Ergo ſpes Judæis certior ac propior erat. ſed quantum ad Iſraelitas ſpectat, erant quaſi putridum cadaver, quoniam tantum ſparſim audierant aliquid, vel exceperant de illis vaticiniis, quemadmodum ſi granum ſeminis extra agrum caderet. erant enim quaſi alieni tunc à Dei populo. Nunc ergo tenemus quid velit Propheta, nempe Iſraelitas fore gigantibus ſimiles, qui tamen dejecti fuerant ab hoſtibus: deinde cum magno dedecore & ignominia tracti in exilium: qui affecti fuerant omnibus contumeliis, qui pridem extrema ſervitute fuerant oppreſſi, Deus promittit illis robur gigantum. Nunc diximus ſynecdochen eſſe in his verbis, quia non dubium eſt quin hæc promiſſio maxime ad Judæos pertineat; ſed nulla fit eorum mentio, quoniam ordine priores erant, & poterant melius ſperare de ſuo reditu: ſicuti Dominus jam ſignum aliquod illis dederat. Dicit, *Lætabitur cor ipſorum, & videbunt filii eorum & gaudebunt, exultabit cor eorum in Jehova.* Certum eſt jam tunc fuiſſe oblatam illis gaudii cau-
Pſal. 126. verſ. 1. ſam: ſicuti dicitur in Pſalmo, Facti ſumus quaſi ſomniantes quum reduxit Dominus captivos ſuos. Sed Propheta hic loquitur de majore gaudio, ubi ſcil. videbunt collectas iterum omnes Tribus ex miſera illa & triſti diſſipatione. Et ideo dicitur in Pſalmo, Collige Domine captivitatem noſtram, ſicuti torrentem in Auſtro. deinde addit, Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent. Ergo ex parte tunc gemebant fideles, ex parte gaudebant. Initium redemptionis poterat illorum animos attollere in lætitiam: quum autem viderent fratres ſuos adhuc ſub tyranoide hoſtium degere, & nullam vel exiguam eſſe ſpem reditus, poterant etiam ſimul gemere. Propheta autem hic denunciat plenum fore gaudium ubi conſtabit plena reſtauratio. Et extendit hoc *ad filios*, quia oportuit corrigi illorum fervorem, quod ſc. ſic expeterent plenam gratiam, ut ſemper querimoniis ſuis præcluderent viam Deo, ſicuti ubi nimis frena laxamus noſtris deſideriis, quodammodo refugimus Deum. Ergo Propheta ut ad patientiam erudiat populi animos, dicit, Si hodie hoc non cernitis oculis veſtris, ſaltem videbunt filii veſtri. Videmus ergo ut hic ad tolerantiam eos hortetur, ne ſcil. præveniant nimia celeritate Dei promiſſiones. De ſimilitudine plura dicere nihil attinet. Comparat ebrioſis, vel qui hilares ſunt ex potu, eos qui lætantur in Domino, non quod ebrietatem probet, ſed quia volebat exprimere non vulgare gaudium, acſi extra ſe rapti eſſent. Quare ſupervacuum eſſet movere quæſtionem, an liceat ex liberaliore potu concipere lætitiam. Verum quidem eſt cenſeri in legitimo vini uſu hilaritatem, Pſalm. 104. ſed quia ad intemperantiam nimis proclives ſumus, ſemper potius danda opera frenandis cupiditatibus carnis, quam ut vitio noſtro quæratur defenſionis color. Cæterum, ut dixi, hæc diſputatio ad præſentem locum nihil pertinet. Sequitur,

8. Sibilabo illis, & congregabo eos, quia redemi eos: & multiplicabuntur ſicuti multiplicati ſunt.

Eodem etiam pertinet hic verſus. Sed per verbum Sibilandi intelligit Zacharias ut aliis locis, non fore opus hoc arduum Deo, ſicuti ſolemus metiri ejus opera ſenſu carnis noſtræ. Quum ergo Judæis objicere promptum eſſet, per varias terras & ſub diverſis gentibus fratres ſuos eſſe diſperſos, ita ut collectio minime eſſet credibilis, Propheta occurrit, dicens, Solo ſibilo, vel ſolo nutu Deum poſſe ipſos reducere in patriam. Aliquando dicitur Deus ſibilare reprobis: quum eos ad obſequium cogit etiam nolentes, ſicuti utitur eorum opera & manu, dum arcana ſua judicia exequitur: & dum exercitus magni quotidie conveniunt, certe hoc non fit ſine arcano Dei nutu. Dum igitur clangunt tubæ, dum tympana etiam reſonant, Dominus ſibilat è cœlo, ut dirigat reprobos huc & illuc, prout viſum eſt. Sed hoc loco ſimpliciter intelligit Propheta, quamvis Deus non multos habeat præcones, neque etiam habeat inſtructos exercitus, qui patefaciant viam populo ſuo, ſibilo contentum fore: quia ubi oſtenderit ſibi ita placere, liberum fore exitum captivis, utcunque totus mundus eorum reditum impediat. Conjungi ergo debent hæc duo verba, *Sibilabo illis, & congregabo eos*: quaſi dixiſſet Zacharias, ſufficere Deo ſolum nutum, ubi volet populum ſuum colligere.

Tandem addit, *Quia redemi eos*. Hic etiam retineo tempus præteritum, ſicuti verbum eſt præteriti temporis. Loquitur enim Deus de redemptione jam incepta: quaſi diceret, Ego pollicitus ſum exilium fore temporale: jam apparui redemptor ex parte quidem, ſed non deſinam opus meum proſequi donec abſolvero. Non dubium igitur eſt quin Deus hic confirmet quod dixi: quoniam cœperat aliqua ex parte redimere populum, ſolidam redemptionem ſperandam eſſe: hoc afflictis vix credibile erat. Atqui certo ſtatuendum erat, quemadmodum in Pſalmo *Pſal. 138.*
dicitur, Deum opus manuum ſuarum non deſerere *verſ. 1.*
in medio curſu. Ergo à principiis Judæos hic ad fiduciam animat, ut finem expectent æquis animis, nec dubitent totum populum fore ſalvum: quia Dominus jam re ipſa oſtenderat ſe ejus eſſe redemptorem. Verum quidem eſt non fuiſſe hoc impletum in omnibus Iſraelitis. Nam ſemper tenendum eſt, electionem gratuitam ſic in toto populo viguiſſe, ut Deus tamen haberet exiguum gregem, quemadmodum
Paulus docet. Interea ſignificat Propheta Chriſtum *Rom. 11.*
ſic fore caput Eccleſiæ, ut colligat ex omnibus terræ *verſ. 5.*
partibus Judæos qui prius diſperſi fuerant: atque ita extendatur reſtitutio promiſſa ad omnes Tribus. Poſtea ſequitur,

9. Et ſeminabo eos in populis, & in remotis partibus recordabuntur mei: & vivent cum filiis ſuis, & revertentur.

Continuat eandem doctrinam: ſed utitur hic aptiſſima figura, quod ſcilicet diſperſio populi felicius ſuccedet quam quiſquam poterat tunc concipere: nempe quia ſimilis erit ſationi. Diſpergendi vel Seminandi verbum ſæpe accipitur in malam partem. Nam quum populus quieſceret in patria, tunc ſentire debuit ſe agere ſub manu Dei, & protegi ejus auxilio. Diſperſio igitur fuit ſignum maledictionis: & ita ſæpe accipitur apud Moſen. Nunc Deus ponit quaſi antiphraſin: ac ſi diceret, in arbitrio ſuo eſſe convertere tenebras in lucem. Senſus igitur eſt, diſperſum fuiſſe populum irato Deo, ſed lætum fore hujus diſperſionis finem: quia ubicunque habitent Judæi, erunt tamen Dei ſemen, ita ut uberem fructum ex ſe producant. Videmus ergo nunc quo ſumma redeat, nempe Dei gratiam ſuperaturam eſſe populi ſcelera, quia fructum edent qui fuerant diſſipati, quum ſcilicet Deus nollet amplius gerere illorum curam, & illos tueri in terra promiſſa. Quum ergo toties minatus fuiſſet Deus per Moſen diſperſurum ſe Judæos, nunc alio ſenſu dicit *ſe illos ſeminaturum*, nempe ut fructum ubique producant. Et hæc admirabilis fuit Dei gratia, quod horribili judicio ſuo ſic eſt moderatus, ut diſſipatio populi ſimilis eſſet ſationis, quemadmodum dictum eſt: quoniam hinc contigit, ut ubique illuceret aliqua notitia cœleſtis doctrinæ: & tandem ubi promulgatum eſt Euangelium, fuit aditus facilior ad Gentes, quoniam per omnes terræ plagas Judæi erant diſperſi. Prima hoſpitia Euangelii fuerunt ſynagogæ. Videmus ut Apoſtoli quocunque venirent initium fecerint à Judæis: quum pauci eſſent converſi, jam aperta erat janua ut complures accederent. deinde Gentes etiam adjunctæ fuerunt Judæis. Pœna igitur exilii quæ inflicta fuerat illis, januam aperuit Euangelio: atque ita Deus ſemen ſuum diſperſit huc & illuc, ut poſtea fructus ſuo tempore prodiret præter ſpem omnium. & hoc non parum valuit ad corrigendum fervorem in populo. Propheta enim oſtendit hoc ſolum debere illis ſufficere, quod exilium ipſorum fructuoſum erit: quoniam ſcilicet Dominus inde ſibi colliget multos populos. Nam ſi Judæi ſemper fuiſſent incluſi intra ſuos fines, nuſquam alibi auditum fuiſſet nomen Dei Iſraëlis. Quum vero nulla eſſet pars Orientis, nulla pars minoris Aſiæ & Græciæ quæ non haberet aliquos Judæos, paſſim etiam incolerent multas urbes Italiæ: hinc factum eſt ut Apoſtoli, quemadmodum diximus, quocunque venirent, reperirent aliquos jam paratos ad amplexandum Euangelium. Poſtea addit, *Recordabuntur mei in locis remotis.* Modum oſtendit quia non abolebitur Dei memoria, etiamſi Judæi non ſacrificent in Templo, etiamſi non habitent in terra Sancta, colent tamen ſemper verum Deum. quemadmodum ſemen quum in terram projectum eſt, quamvis non appareat, imo videri poſſit perditum, quoniam putredine corrumpitur, tamen germinat ſuo tempore, & producit ſegetem; ſic etiam Deus memoriam nominis ſui docet fore in cauſa, ut populus fructificet ubi diſperſus fuerit. Cæterum quoniam hoc promittit Deus, hinc colligimus ſingulare ejus eſſe beneficium, ubi fovemus pietatem in cordibus noſtris, quamvis duriter nos & aſpere caſtiget. Ubi ergo non deſinimus Deum colere, certum eſt nos retineri ejus Spiritu: quia ſi hoc eſſet in poteſtate hominum, ſupervacua eſſet, imo abſurda hæc promiſſio. Poſtea adjungit, *Vivent cum filiis ſuis, & revertentur.* Iterum de filiis loquitur, ne Judæi nimium accelerent: quemadmodum ſcimus homines in ſuis votis intemperanter ruere. Ergo ut non præſcribant certum tempus Deo, admonet Propheta debere illis ſufficere, ſi Dominus quaſi in morte ipſos vivificet una cum filiis. Promittit tamen reditum, non quod reverſi fuerint in patriam, ſed quia conjuncti fuerint omnes per Euangelii fidem. Quamvis ergo locum non mutaverint, neque pedem extulerint extra terras in quibus peregrinabantur, tamen reditus in patriam vocatur illa collectio, quæ facta eſt per doctrinam Euangelii, quemadmodum ſatis ex communi omnium Prophetarum uſu notum eſt. Sequitur,

10. Et reducam eos è terra Ægypti, & ex Aſſur (*ex Aſſyria*) congregabo eos: & ad terram Gilead, & Libani adducam eos: & non invenietur illis.

Confirmat idem vaticinium, nempe quamvis ſimiles ſint Judæi laceris fruſtis, tamen bene ſperandum eſſe de reditu, & futura reſtitutione: quoniam Deus poterit ex locis remotiſſimis eos colligere ſimulac manum porrexerit. Ægyptum ergo & Aſſyriam nominat, ut ſciant Judæi communiter patere redemptionem quæ hic promittitur, ad eos omnes, qui tamen inter ſe longiſſime erant diviſi. Quamvis enim non tam procul diſtaret Ægyptus ab Aſſyria, tamen qui fugerant in Ægyptum, aliis erant deteſtabiles qui violenter in exilium tracti fuerant: Deus enim maledixerat fugæ eorum qui latibula captabant in Ægypto. Quum ergo eſſent alii aliis infeſti, & hoſtile eſſet inter eos diſſidium, dicit Propheta collectionem de qua nunc diſſerit, pertinere ad utroſque. Poſtea adjungit tantam fore copiam hominum, ut locus non ſufficiat. Sic enim intelligi debent verba, quum dicit, *Non invenietur illis:* hoc eſt, operient totam terram, quemadmodum alibi vidimus. Apud Jeſaiam dicitur, Secede à me: non quod ubi Deus auget Eccleſiam ſuam, fideles ſint alii aliis moleſti, aut cupiant fratres ſuos abigere: ſed hac loquendi forma intelligit Jeſaias Eccleſiam refertam fore tanta hominum multitudine, ut alii alios premant. Sic etiam nunc dicit Zacharias denſum fore numerum populi, ita ut locus vix futurus ſit capax tantæ multitudinis. Sequitur,

11. Et tranſibit in mari afflictio, & percutiet in mari fluctus: & areſcent omnes profunditates fluminis: & dejicietur ſuperbia Aſſur, & ſceptrum Ægypti recedet.

Confirmat Propheta quod dixit, propoſita in medium potentia Dei, quæ facile & nullo negotio poterit omnes mundi vires proſternere. Quoniam ergo obſtacula quæ cernebant Judæi, poterant ſpem eorum evertere: hic occurrit Propheta, & admonet potentiam Dei longe ſuperiorem fore omnibus mundi impedimentis. Sed figurate hoc exprimit, alludens ad hiſtoriam primæ redemptionis. *Tranſibit*, inquit, *in mari afflictio.* Sicuti Deus tranſitum
olim populo ſuo dederat per mare Rubrum, ita Pro- *Exod. 14.*
pheta nunc teſtatur eandem potentiam eſſe inte- *verſ. 21.*
gram, ut Deus facile populum reducat, quamvis ſiccandum ſit mare, & areſacienda flumina. Primo dicit, *Tranſibit afflictio in mari:* hoc eſt, graſſabitur: nam ſic accipitur verbum עבר hoc loco. *Tranſibit* ergo *afflictio in mari:* hoc eſt, Dominus terrebit mare, imo virtute ſua ſic concutiet, ut aquæ ipſæ pareant ejus imperio. Nam poſtea ſeipſum explicat

aliis

aliis verbis: *Percutiet*, inquit, *in mari fluctus*. Significat Dei imperium ſufficere ad mutandum naturæ ordinem, ita ut aquæ evaneſcant ſimulac juſſerit. Poſtea adjungit, *Omnes profunditates fluminis areſcent*. Alii vertunt Pudeſient, à בוש: ſed eſt à יבש. יבש quidem ſignificat interdum Erubeſcere vel pudefieri: ſed accipitur etiam pro Areſcere. alii tranſitivum eſſe putant, quod ſcilicet venti areſacient. Sed quantum ad Prophetæ mentem, nihil eſt momenti in verbi conjugatione. Non dubium tamen eſt, quin Propheta hic ſignificet tantam fore vim in ſolo Dei nutu, ut ſubito exareſcant fluvii: quemadmodum
Joſ. 3: 3. ſcilicet Jordanis percuſſus virga Moſis exaruerat, ut tranſitum daret populo. Aperte tandem loquitur, quod *dejicietur ſuperbia Aſſur, & ſceptrum Ægypti recedet*. Quemadmodum dixi, ſuperiore metaphora alluſit Zacharias ad primam redemptionem, ſicuti Prophetis omnibus ſolenne eſt populum commonefacere de illis miraculis, ut in futurum idem à Domino expectent quod experti fuerant eorum patres. Nunc tamen aperte pronunciat, Deum populi ſui fore redemptorem, quamvis ab una parte Aſſyrii, ab altera autem Ægyptii conentur abrumpere ejus opus: quia ſcilicet nihil proficient ſua contumacia, quoniam Deus poterit utroſque facile ſubigere. Tandem addit,

12. Et roborabo eos in Jehovah: & in nomine ejus ambulabunt, dicit Jehova.

Hic tandem concludit totam ſummam doctrinæ quam vidimus, nempe ſatis eſſe auxilii in Deo ut populum ſuum erigat & ſuſtentet, atque etiam victorem reddat contra hoſtes ſuos. Jam uſus eſt hoc argumento, quum diceret Deum olim ſatis teſtatum eſſe multis miraculis quanto ſuperior eſſet toto mundo. Sed nunc breviter concludit totum hoc argumentum, ſcilicet Judæos, ſi in Deum recumbant, & ſi ab eo expectent quod promiſit, ſatis robuſtos fore, quamvis tota potentia mundi contra eos ſurgat. Proponit deinde nomen Dei, *Ambulabunt*, inquit, *in nomine ejus*: hoc eſt, ſub ejus auſpiciis. Denique hic tacita eſt antitheſis inter Dei nomen, & inter opes ac copias hoſtium, quæ poterant formidine percellere, atque etiam dejicere fidelium animos. Jubet igitur Propheta Judæos dare Deo gloriam, ne dubitent ipſum fore victorem, quicquid contra opponat mundus. Et verbo Ambulandi ſignificat perpetuum curſum: quaſi diceret, reductum quidem eſſe populum ab exilio, nempe aliqua ex parte: ſed plus eſſe ſperandum, quia Dominus non tantum dux fuit itineris, ſed perpetuus etiam erit cuſtos, & tuebitur ad finem uſque opus ſuum.

Da omnipotens Deus, quando aſſidue gemere cogimur ſub onere vitiorum noſtrorum, & captivitas noſtra in qua adhuc tenemur, merito nos ad continuam trepidationem & luctum ſollicitat: da, inquam, ut liberatio quæ jam cœpta eſt, erigat nos in bonam ſpem, atque ita plus à te ſperemus quam liceat oculis noſtris cernere: & aſſidue te invocemus, donec impleas quod inchoaſti: atque ita profliges & Satanam & peccata, ut vera & plena libertate tibi addicti, participes ſimus ejus virtutis, quæ jam apparuit in capite noſtro, donec tandem defuncti certaminibus perveniamus ad beatam illam quietem, ubi percipiemus fructum victoriæ noſtræ in eodem Chriſto Domino noſtro, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA QUARTA IN ZACHARIAM PROPHETAM.

CAPUT XI.

APeri Libane portas tuas, & vorabit ignis cedros tuas.

2. Ulula abies, quia cecidit cedrus, quia fortes (*vel præſtantes*) vaſtati ſunt: ululate quercus Baſan, quia deſcendit (*hoc eſt, exciſa eſt vel proſtrata*) ſylva munita.

3. Vox ululatus paſtorum, quia vaſtata eſt præſtantia eorum: (*vel fortitudo*) vox rugitus leonum, quia vaſtata eſt ſuperbia Jordanis.

HOc caput continet ſeveras comminationes, quibus voluit Deus mature admonitos Judæos, ut ſi qua eſſet ſpes reſipiſcentiæ, metu revocarentur in viam, vel etiam alii perditi & reprobi omni excuſatione carerent: interea fideles ſeſe munirent contra graviſſimam tentationem, ne ſcilicet deficerent animis, quanquam viderent horrendam cladem inſtare genti ſuæ. Videtur quidem vaticinium hoc aliis ſuperioribus non eſſe conſentaneum. nam hactenus Propheta non modo bene ſperare populum juſſit, ſed prædixit etiam beatiſſimum fore illius ſtatum, ut nihil ad ſummam felicitatem deeſſet: nunc vero denunciat interitum, & incipit à reprobatione. Dicit enim Deum fuiſſe diu illius gentis paſtorem: nunc vero abjicere curam illam, quia tædio confectus non amplius ſuſtineat obſtinatam pravitatem, quam fuerat in omnibus expertus. Videntur hæc inter ſe pugnare, ſed oportuit priore loco Judæis proponi Dei beneficia, ut alacrius incumberent ad Templum ædificandum, & ſcirent non fruſtra ſe operam conſumere. Nunc etiam adjungi oportuit diverſam admonitionem, ne hypocritæ fallaci illarum promiſſionum fiducia obdureſcerent, quemadmodum fieri ſolet. Deinde ut fideles ſibi metuerent in tempore, atque ita ſolliciti incederent coram Deo: quia nihil magis exitiale eſt quam ſecuritas. ubi enim graſſatur peccandi licentia, impendet Dei judicium. Ergo videmus quam utilis & tempeſtiva fuerit hæc Prophetæ admonitio, ut intelligerent Judæi Deum non ita fore propitium populo ſuo, quin pœnas ſumeret de malitia & obſtinatione. Zacharias autem, quo plus efficaciæ habeat vaticinium, alloquitur Libanum: quaſi eſſet Dei fecialis, jubet portas aperire: quia ſcilicet tota ſylva jam devota ſit incendio. nam ſi loquutus eſſet abſque figura, non tantum vehementiæ habuiſſet hæc denunciatio, ſicuti dum Libano & aliis locis denunciat propinquum interitum. Exiſtimant fere omnes, ſub nomine Libani Templum intelligi: quia compoſitum erat ex arboribus illius montis. ſed mihi videtur illud frigidum, quanquam receptum ſit communi interpretum conſenſu. Cur enim potius allegorice putabimus Templum vocari Libanum quam Baſan? atqui nihil tale ſentiunt de monte Baſan, quum tamen prorſus ſimilis ſit ratio. Ego igitur ſimpliciter accipio montem Libani: &

interea relinquo in medio quod Joſephus etiam ipſe narrat, apertum fuiſſe Templum antequam urbs fuerit everſa à Tito. Sed quanquam potuit vera eſſe hiſtoria, & eſt mihi probabilis, non ſequitur tamen fuiſſe tunc impletum vaticinium: ſicuti dicunt Rabbi Jonathan tunc exclamaſſe, Eo vaticinium Zachariæ, quia prædixit Templum hoc eſſe exurendum, & prius aperiendas eſſe ejus portas. Hæc videntur plauſibilia: & primo intuitu etiam arrident. ego autem puto tenendum nobis eſſe quod eſt ſolidius, & minus argutum. Non dubito igitur quin Propheta hic denunciet monti Libano, & monti Baſan, & aliis locis ultimam cladem. Cur autem jubeat Libanon aperire ſuas portas, in promptu eſt ratio. Paulo poſt vocat Sylvam munitam, quæ tamen carebat mœnibus & portis. ſcimus Libanum fuiſſe propinquum Jeroſolymæ, ut procul eſſet ab omni hoſtili incurſu. Quoniam ergo locus ipſe natura ſatis tutus erat contra omnem violentiam, ideo perinde loquitur Propheta, acſi Libanus undique cinctus eſſet propugnaculis: quia ſcilicet non erat expoſitus injuriis hoſtium. Summa eſt, quamvis ob ſitus commoditatem exiſtiment Judæi Libanum non eſſe obnoxium ullis incommodis, eo tamen uſque perventuram libidinem hoſtium. Diximus autem cur Propheta Libano imperet ut portas ſuas aperiat: quia induit perſonam fecialis, qui minatur ac denunciat jam adeſſe ultimam Dei vindictam. Poſtea adjungit, *Ulula abies, quia cecidit cedrus.* Non dubium eſt quum Libanum Propheta nominat, quin per ſynecdocheo intelligat totam Judæam. Atque ex contextu ſatis patebit hic notari loca magis inſignia: ſed interim huc redire conſilium Prophetæ, Deum fore vindicem contra totum populum, ut nec Jeroſolymæ, nec ullis locis parcat. Ergo etiam per *abietes* & *cedros* intelligit quicquid tunc excellebat vel in Judæa, vel in aliis locis. & hac etiam ratione comparat cedris Libani: quaſi diceret, Non eſt quod abietes ſe exiſtiment extra periculum. Si enim cedris non parcitur, quid fiet abietibus, quarum non eſt tanta præſtantia & dignitas? Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ, quantum ad arbores: ſed ſub una ſpecie complectitur, quemadmodum attigi, quicquid pretioſum erat in Judæa. & hoc colligere melius licet ex progreſſu. Addit enim, *Ceciderunt* aut vaſtati ſunt *fortes.* Alii vertunt in neutro genere, Vaſtata ſunt magnifica. ſed libenter hoc refero ad perſonas. Jam ergo Propheta ſimpliciter declarat inſtare Dei vindictam præſtantiſſimis quibuſque, quos dignitas tegebat, ut eſſent quaſi extra omne diſcrimen. Eodem ſenſu etiam adjungit, *Ululate quercus Baſan.* Videmus ut conjungat montem Baſan cum monte Libani. Non eſt igitur cur in una tantum voce allegoriam ponamus, quia hæc membra ſimul inter ſe aptanda ſunt. dicit, *Cecidit enim ſylva munita:* vel hoc ad Libanum pertinet, vel in genere dicit Propheta nullum eſſe locum tam difficilem acceſſu qui non pervius ſit, ubi Dominus licentiam omnia perdendi hoſtibus dare volet. Quamvis ergo denſitas arborum protegeret montes illos, dicit Propheta nihil obſtaculo fore quominus penetret ad intimas uſque munitiones vindicta Dei. Poſtea addit, *Vox ululatus paſtorum, quia præſtantia eorum*, aut fortitudo. Eſt hic אדר: poſuit prius אדירים in genere maſculino. Videmus ergo ut Propheta eandem ſententiam confirmet aliis verbis: *Ululent jam paſtores*, inquit. Significat initium horribilis hujus judicii fore à proceribus, quia etiam cauſa erant publici exitii. Dicit ergo præſtantiam omnium procerum jam propinquam eſſe cladi: ideoque ad ululatum eos vocat. Non hortatur his verbis ad reſipiſcentiam, ſed proſequitur eundem tenorem docendi. Pro imperio Dei hic pronunciat paſtores qui ſuperbiebant in ſua potentia, non poſſe effugere quam meriti erant pœnam. Et quia paſſim hujuſmodi loquendi formæ apud Prophetas occurrunt, non diutius inſiſto. Poſtea adjungit, *Vox rugitus leonum.* Hic non dubium eſt quin metaphorice Leones vocet, qui crudeliter poteſtatem ſuam exercuerant contra populum. Sed alludit tamen ad ripas Jordanis, in quibus notum eſt verſatos fuiſſe leones. Quum ergo totum illum Jordanis tractum leones incolerent, ſicuti conſtat ex pluribus locis, comparat leonibus paſtores, nempe præfectos qui abuſi fuerant ſua auctoritate, quum ſcilicet tyrannidem exercerent contra populum. *Cecidit* ergo *ſuperbia* vel excellentia *Jordanis.* Denique nunc ſatis apparet Prophetam & regno Jehudah, & regno Iſraelis minari ultimam cladem. utrumque quidem regnum tunc abolitum fuerat: ſed loquor de ipſis terris. Summa eſt, neque Judæam, neque terram decem Tribuum immunem fore à Dei vindicta. Poſtea addit,

4. Sic dicit Jehova Deus meus, Paſce gregem occiſionis.

5. Qui poſſident ipſum, occident, (*hoc eſt, occidunt*) & non peccant: & qui vendit ipſum, (*gregem, vel ipſas oves*) dicit, Benedictus Jehova, & ditatus ſum: & qui paſcit eas, non parcit illis.

6. Quia (*vel certe*) non parcam amplius incolis terræ, dicit Jehova: & ecce ego tradam (*vel trado, vel venire faciens*) hominem quemque in manum proximi ſui, & in manum Regis ſui: & conterent terram, & non eripiam è manu eorum.

Hic ſubjicitur ratio cur Deus tam ſevere agere cogitet cum populo ſuo, nempe quoniam eorum obſtinatio nihil veniæ meretur. Sicuti ergo initio capitis minatus eſt Propheta Judæis interitum, ſic nunc admonet juſtam eſſe pœnam quæ impendet, nec poſſe ipſos mitius tractari, quoniam inſanabilis ſit prorſus eorum malitia. Nunc tenemus conſilium Prophetæ: ſed præcipue ingratitudinis accuſat Judæos, quod tam male & indigne reſponderint ſingularibus Dei beneficiis. Initio dicit *ſe juſſum paſcere gregem mactationi deſtinatum.* Hic autem non recitat Propheta ſimpliciter quale mandatum ipſe acceperit à Deo: ſed in genere docet ſemper Deum officio boni & fidi paſtoris defunctum fuiſſe erga Judæos. Suſcipit igitur Propheta in ſe perſonam omnium paſtorum: quaſi diceret, non eſſe cur obtendat populus iſte inſcitiam, vel culpam ſuam aliis titulis & coloribus fucare velit: quia Deus ſemper obtulit ſe paſtorem, & adhibuit etiam miniſtros, quorum manu regeret populum hunc. Non ſtetit igitur per Deum quin ſemper feliciter habere potuerit hic populus. Non eſt jam cur nimis anxie laboremus in hoc verſu, quemadmodum faciunt interpretes, qui reſtringunt ad ſolum Chriſtum quod hic dicitur, quaſi munus hoc à Patre ſuſceperit. ſed videbimus in contextu male ab ipſis, & violenter torqueri Prophetæ verba. Tenendum igitur eſt ejus conſilium in primis, quod Deus ſemper hunc populum regere paratus fuerit, ita ut non poſſit ab ullo accuſari, quin præſtiterit quicquid poteſt expeti aut deſiderari à bono paſtore. Si quis excipiat potuiſſe aliis verbis hoc dici: facilis eſt ſolutio, oſtenſam fuiſſe perpetuam Dei curam in gubernatione, quod non tantum ipſe paſtoris obierit partes & officium, ſed etiam ſemper miniſtros aliquos præfecit, qui etiam ſeſe interponerent. Quum ergo Deus tam fideliter & ſedulo excubuerit in ſalutem populi, videmus prorſus convinci ejus ingratitudinem. Quod autem vocat *Gregem occiſionis*, refertur ad Prophetæ ætatem. nam tunc quaſi erepti fuerant è faucibus luporum Judæi, quum liberati

eſſent ab exilio. Erant igitur quaſi mortuæ oves, quas Dominus eripuerat. deinde ſcimus quam multis moleſtiis & periculis etiam fuerint aſſidue expoſiti. Inde autem clarius enituit Dei bonitas, quod dignatus eſt tamen gregem illum curare. Ergo hic amplificat Propheta gratiam Dei, quod non aſpernatus fuerit oves quaſi mactationi devotas. Poſſet quidem longius extendi hic ſermo, quaſi referret Propheta quid pridem accidiſſet, atque ita trahi ad multas ætates: ſed mihi videtur magis probabile, proprie hic proponi quæ ad ætatem illam ſpectabant. Docet igitur Zacharias cur ad extremum rigorem deſcendere cogatur Deus: quia ſcilicet omnia expertus ut poſſet populum hunc ſanare, perdiderit tamen operam ſuam: quum malitia prorſus eſſet incurabilis, deſperatio extorſit tandem Deo ſeveritatem illam, cujus facta fuit mentio. hoc, meo judicio, eſt Prophetæ conſilium. Poſtea adjungit aliam circumſtantiam, unde iterum eluceat mira & incredibilis Dei humanitas, quod ſcilicet fuerit paſtor gregis, qui non tantum à lupis & latronibus fuerat vexatus, ſed à paſtoribus ipſis. Denique ſumma eſt, etiamſi lupi & latrones graſſati fuiſſent magna ſævitia in populum illum, tamen Deum ſemper fuiſſe paſtorem. Mox amplificat, dicens *eos qui poſſidebant occidiſſe, ita ut non parcerent*. His verbis oſtendit Propheta vilem fuiſſe etiam ducibus ipſis ſalutem populi. non potuit igitur Deum provocare ſua aliqua præſtantia, ut tantopere eſſet beneficus. Nam hæc verba diligenter notanda ſunt, quum jugulatus fuit grex, ipſos carnifices aut lanios noo fuiſſe tactos ulla miſericordia, quoniam ſcilicet putarent jure ſibi deberi hæc ſpolia. Videmus ut hic extollat Deus ſuam bonitatem, quod noo gravatus fuerit tueri & regere & paſcere illum populum, qui tamen non modo deſpectui erat in mundo, ſed pro nihilo habebatur, ut ejus mactatio poſſet videri legitima præda. *Non peccant*, inquit: hoc eſt, non ſunt ſibi conſcii crudelitatis. Quare? putant enim jure ſe ditari, dum ita gregem miſerum diripiunt. Fuit autem eo turpior & minus excuſabilis ingratitudo populi, quod quum tam clementer exceptus, & tam blande nutritus eſſet à Deo, tamen reſpuerit omnes ejus gratias, neque paſſus fuerit ſe gubernari ſub ejus manu. Et hoc etiam notare operæpretium eſt, iſtas antitheſes magis exaggerare populi crimen, ne ſeveritas Dei poſſit culpari ab hominibus: quemadmodum ſcimus multos conqueri ubi Deus profert ſua judicia. Vellent enim metiri pœnas omnes ſuo ſenſu, & vellent etiam Deum ipſum ſubjicere ſuo arbitrio. Ut ergo tales querimonias Propheta compeſcat, dicit *gregem contemptiſſimum* tamen non fuiſſe deſpectum à Deo, quin ſubierit ejus curam. Dicebant paſtores & domini, *Benedictus Deus*. ſolemus gratias agere Deo, ubi, quæ nobis obveniunt bona, poſſumus ei accepta ferre. Non dicet latro qui jugulavit innoxium, Benedictus ſit Deus. nam vellet extinctum eſſe Dei nomen potius: quia vulnerat ejus conſcientiam. Idem etiam dici poteſt de furibus. Hypocritæ ſæpe obtendunt nomen Dei: & qui maxime fallunt ſemper ita præfantur, Per gratiam Dei tantum lucratus ſum hoc anno. Hoc ſcilicet, quum fallendo, & fraudando, & rapiendo ad ſe traxeriot alienam ſubſtantiam, tamen agunt gratias Deo: ſed interea blanditiis ſe demulcent acſi licita eſſet præda: quia ſcilicet non coarguuntur homioum judicio. Hic autem Propheta uſurpat communem loquendi formam, qua ſolent teſtari juſtum & licitum lucrum, qui ſibi non ſuot male conſcii. Nunc tandem adjungit, *Et qui paſcebat eas, non pepercit*, inquit. Summa eſt, populum hunc communi opinione fuiſſe indignum miſericordia & humanitate. Unde, ſicut dixi, clarius refulget admirabilis Dei bonitas, qui deſceoderit ad curam tam contempti gregis. Nunc adjungit, *Certe non parcam*, inquit, *ſuper habitatores terræ: ecce tradam*. Quibuſdam videtur eſſe cauſæ redditio: quia nunquam, niſi irato Deo, ita expilati fuiſſent Judæi: quaſi diceret juſtam fuiſſe vindictam, dum ita expoſiti fuerunt atrocibus injuriis. Meo tamen judicio, ſimpliciter confirmat Deus quod diximus, vindictam ſuam fore juſtiſſimam io poſterum contra Judæos, quod ſcilicet operam ſuam luſerit, eos ſollicite paſcendo. Quanquam enim nondum expreſſit Propheta quod poſtea videbimus de ingratitudine, non tamen abs re abrumpit ſermonem: quia indignatio ſcilicet ſemper aliquid fervoris habet. Ergo in medio ſermone hic exclamat, *Non parcam*. Deus enim pepercerat Judæis, quum tamen impune omnes in eos exercerent ſævitiam: & quum eſſent omnibus contemptibiles, in pretio habuerat ipſorum ſalutem. Quum fuiſſent ingrati poſt accepta tot beneficia, nonne oportuit Deum excandeſcere? Hæc igitur ratio eſt cur Propheta hic inſerat comminationem Dei nomine: *Certe non parcam*, inquit: hoc eſt, quum hactenus diſtulerim vindictam meam, & ſupetaverim clementia atque humanitate omnes homines, male vero collocaverim meam bonitatem, jam non eſt cur ſuſpendam longius meum judicium. *Non parcam* ergo *amplius incolis hujus terræ*. *Dabo*, inquit, vel trado *hominem quemque in manum ſocii ſui*. Quaſi diceret, Non ſunt amplius oves, quia non ſuſtinent ſe regi manu mea, quum tamen optimum paſtorem me ſenſerint. Jam igitur fiet ut alii alios devorent, vel lacerent: & ita ſequatur horribilis diſſipatio. Nihil autem magis timendum fuit Judæis quam ut ſe conficerent mutuis cædibus, & ita atrociter ſævirent alii in alios, ut perirent ſine hoſte externo. ſed tamen hoc fore pronunciat Deus, quoniam ſcilicet nihil profecerit, quum vellet paſcere quaſi oves, & paratus eſſet obire paſtoris officium in ipſis regendis. Tandem addit, *Percutient terram, & non eripiam è manu eorum*. Significat denique interitum propinquum eſſe abſque ullo remedio, quoniam unicus erat liberator populi. Nunc autem teſtatur ſibi curæ non fore ejus ſalutem: quia ſi centies perire ipſos videat, non tamen movebitur, neque flectetur ad ferendum auxilium, quoniam præcluſerant ſibi omnem miſericordiam. Jam ſequitur,

7. Et pavi gregem occiſionis, nempe (*vel ideoque*) pauperes gregis: & ſumpſi mihi duas virgas, unam vocavi Elegantiam, (*vel Pulchritudinem*) & alteram vocavi Funiculos, (*alii vertunt, Perditores: de hac voce dicemus*) & pavi gregem.

Hic proſequitur contextum quem paulo ante abruperat. Oſtendit enim quod nondum ſatis fuerat expoſitum, ingratitudinem populi, præſertim cui conjuncta erat obſtinatio, dignam eſſe interitu, nec jam veniæ eſſe locum: quoniam nimis fœde & indigne repudiata fuerat paterna cura Dei, & tam benignus favor quem oſtenderat populo. Conqueritur ergo Deus *ſe paviſſe gregem*. alii hoc ad Zachariam referunt. Sed quemadmodum jam dixi, commemorat Deus beneficia, quæ æquabili tenore proſequutus eſt erga hunc populum, donec apparuit indignum eſſe omni gratia. Meminerimus tameo loqui Prophetam de reliquiis. nam hic non recenſet antiqua Dei beneficia, ſed ſtatum deſcribit populi poſt reditum ab exilio Babylonico. Prius viſus eſt Deus mandare has partes Zachariæ, ut paſceret: ſed quemadmodum jam dixi, noo alio ſpectavit ſermo ille, niſi ut palam fieret totam culpam reſidere io populo, quia repulerat à ſe Dei beneficentiam, & contumaciter quodammodo bellum geſſerat cum Deo, ne locum vel aditum daret ejus gratiæ. Eſt igitur hic expoſtulatio ipſius Dei nomine. *Pavi*, inquit, *gregem occiſionis, nempe*

pauperes gregis. Alii vertunt, Propter: ſed particula לכן poteſt explicative ſumi. vel poſſumus ita reſolvere, Ideoque pauperes, vel Præcipue. Quantum ad rem ipſam ſpectat, hic ſignificat Deus ſibi fuiſſe curam totius populi, quia ſperaverit adhuc reſiduas eſſe aliquas oves, quæ dignæ eſſent miſericordia. Quum ergo pauperculæ oves quædam admixtæ eſſent gregi impuro, hic dicit Deus hac ſpe ſibi non fuiſſe grave aut moleſtum, paſtorem gerere in populo regendo. *Pavi* ergo *gregem occiſionis:* nempe, inquit, quoniam erant miſellæ quædam oves. Nolui igitur eas deſerere, ſed potius tentare omnia malui, quam abjicere vel unam oviculam, ſi qua eſſet in toto grege. *Dicit ſe ſumpſiſſe duas virgas, alteram vocaſſe* נעם, *alteram* חובלים. Qui חובלים vertunt Perditores, reddunt quidem ipſam vocem Hebraicam, ſi in punctis hæremus: ſed quum חבל & in numero plurali חבלים ſignificet funes ac funiculos, non dubito quin Propheta hic intelligat Funiculos vel colligationes. Atqui non patitur hoc Grammatica. quaſi vero puncta adſcripſerit Zacharias, quæ tunc non fuerunt in uſu. Ego quidem ſcio quanta induſtria veteres ſcribæ puncta excogitaverint, quum jam linguæ non eſſet tam communis & familiaris uſus. Qui ergo puncta vel negligunt vel prorſus rejiciunt, certe carent omni judicio & ratione. ſed tamen habendus eſt aliquis delectus. Si enim legamus hic Perditores, nullus erit ſenſus. ſi legamus Funiculos, nulla litera mutatur: interea mutantur duntaxat duo puncta. Quum ergo id neceſſario poſtulet res ipſa, miror cur interpretes ita ſerviliter paſſi fuerint ſe cogi, ut non ſpectarent ipſum Prophetæ ſenſum. Dicit ergo Propheta *ſe ſumpſiſſe duas virgas*, nempe ut incumberet in officium paſtoris non vulgari modo. Quiſque paſtor uno pedo contentus eſt. nam per Virgas hic intelligit pedum paſtorale. Quum ergo ſinguli paſtores geſtent ſua peda, hic Propheta dicit ſe inſtructum fuiſſe duobus pedis aut baculis paſtoralibus, quoniam ſcilicet ſuperabat Dominus omnem hominum ſollicitudinem in regendo illo populo. Sed reliqua differam in diem craſtinum.

Da omnipotens Deus, quum tam liberaliter hactenus te paſtorem erga nos, imo etiam patrem oſtenderis, tam ſollicite etiam curaveris ſalutem noſtram, ne ingratitudine noſtra ſic nos ſpoliemus tuis beneficiis, ut etiam extremam vindictam provocemus: ſed potius ſinamus nos placide regi, & ſubjiciamus nos tibi in obſequium: & quando præfectus eſt abs te unigenitus Filius tuus nobis unicus paſtor, ut ejus vocem auſcultemus, & libenter pareamus, quo poſſimus gloriari cum Propheta tuo, pedum tuum nobis Pſal. 23.
ſufficere, ut ambulemus intrepide in ombra mortis, verſ. 4.
donec tandem perveniamus ad beatam illam & æternam quietem, quæ nobis ſanguine ejuſdem Filii tui parta eſt, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA QUINTA

IN

ZACHARIAM PROPHETAM.

CAP. XI.

DIximus heri nomen חובלים, quo Zacharias vocavit ſecundam virgam, non poſſe in malam partem accipi pro Corruptoribus, ſicuti faciunt omnes Hebræi. Deus enim docet quantum in ſe fuit partes boni & ſeduli paſtoris ita ſe egiſſe, ut populus ſua culpa pereat. atqui quum Deus obiret munus paſtoris, non potuit baculum ſumere ad perdendum. Deinde non dubium eſt quin nomen hoc conjungat Propheta cum altero נעם Poſtremo tandem dicet fractum fuiſſe baculum illum, qui vocatus fuerat חובלים, ut irrita fieret fraternitas inter Jehudah & Iſraël. Quid jam affine reperietur inter Perdere & Unire? conſtat igitur nomen חובלים ſive חבלים, hic ſumi pro funibus. Jam videndum eſt, cur virgam alteram Propheta *elegantiam* vel decorem nominet, alteram *funiculos.* Quidam putant per נעם deſignari legem naturæ, per חובלים legem Moſis. & qui vertunt Funiculum, ſicuti Hieronymus recte hoc loco vertit, putant quoniam duro jugo premebat Lex veterem populum, ideo vocari Funem, quod eum conſtringeret. Alii, ut Hie-
Deut. 32. ronymus ipſe, referunt ad locum illum Moſis, Quum
verſ. 8. projiceret Dominus funiculum ſuum, elegit locum in Iſraël: quum divideret Altiſſimus gentes, &c. Putant igitur funiculum ſumi pro hereditate. ſed prior illa interpretatio nimis remota eſt ac detorta. Quantum attinet ad ſecundam, quoniam Propheta plurali numero ponit Funiculos, non poteſt etiam quadrare quod ille affert de hereditate. & ex clauſula colligere licebit quod heri jam diximus, Funiculos accipi pro conjunctione. Senſus igitur Prophetæ eſt, Deum ſic functum fuiſſe paſtoris officio erga electum populum, ut regeret eum optimo ordine: & hoc intelligo per vocem נעם. nihil enim potuit perfectius expeti ad omnem elegantiam quam regimen illud quo uſus eſt Deus erga Iſraëlitas. Quare non abs re hic comparat paſtorale ſuum pedum pulchritudini: quaſi diceret ordinem fuiſſe ſic temperatum, ut nihil melius fingi poſſet. Secundo ponit *unitatem* vel concordiam. & hic fuit cumulus gratiæ, quod ſcilicet Deus diſperſos Iſraëlitas iterum collegit, ut eſſent unum corpus. Verum quidem eſt paucos ex regno Iſraël in patriam reverſos fuiſſe: tamen ſatis conſtat reliquias non fuiſſe ex ſola tribu Jehudah, & dimidia tribu Benjamin ac Levitis: ſed etiam fuiſſe alios permixtos. ergo optime etiam hoc convenit, non modo pulcherrimum ordinem fuiſſe inſtitutum à Deo, ſed additam ſimul fuiſſe fraternam concordiam, ut filii Abrahæ uno ſpiritu & una anima inter ſe conjuncti forent. Quum ergo tam bonum paſtorem nacti eſſent, eo fœdior ingratitudo fuit, & minus tolerabilis, quod jugum ipſius excuſſerint, neque paſſi fuerint ſe gubernari ſub ejus pedo. Nunc ergo videmus quid ſibi velint hæc Prophetæ verba, ubi Deum inducit inſtructum duobus baculis, nempe Pulchritudine & Collectione. Tandem repetit quod jam attigerat: *Pavi*, inquit, *gregem*: hoc eſt, per me non ſtetit quominus impenderem operam meam illis regendis. Nunc ſequitur,

8. Et rejeci tres paſtores menſe uno: & tædio affecta eſt *(ad verbum, coarctata eſt)* anima mea in ipſis: atque etiam anima eorum me abominata eſt.

Initio verſus continuat eandem ſententiam Propheta, quod ſcilicet Deus nullis laboribus pepercerit in regendo populo, ſed patienter ſuſtinuerit multas moleſtias. eſt enim hoc proprium boni & induſtrii patrisfamilias, gregem ſæpius inſpicere, & mutare paſtorem, ſi obſervet eſſe ignavum vel non ſatis attentum ad partes ſuas. Oſtendit igitur Deus ſe uſum fuiſſe ſumma vigilantia, *quoniam menſe uno repulerit tres paſtores:* hoc eſt, intra breve tempus delegerit ſubinde novos paſtores, & alios ſuffecerit in aliorum

locum. nam *menſis unus* hic capitur pro tempore exiguo: *tres* autem paſtores ſignificant Multos indefinite. Si paterfamilias gregem ſuum negligat, poterit falli toto anno, etiamſi inciderit in furem vel hominem inertem ac nullius pretii. Quum ergo dicit Deus *ſe mutaſſe uno menſe ſæpius paſtores*, ſignificat, quemadmodum dixi, ſummam diligentiam, quia ſcilicet gregem ſuum dilexerit, atque ita nihil omiſerit quod faceret ad ipſum tuendum. & hæc circumſtantia plurimum valet ad crimen aggravandum, quod ſcilicet non reſpoinderint Judæi tanto Dei ſtudio, quum viderent ipſum excubias agere die ac nocte pro ſalute ſua. Jam poſterius membrum verſus querimonia eſt, ubi incipit Deus narrare quam ſcelesta fuerit populi & pravitas & ingratitudo: *Tædio*, inquit, *in ipſis affecta fuit anima mea: & anima etiam ipſorum me abominata eſt*. Jam non loquitur de paſtoribus: & falluntur qui uno contextu legunt, quaſi Deus ideo repudiaverit paſtores, quoniam anima ejus faſtidio affecta fuerit. Convertit potius ſermonem ad totum populum, & oſtendere incipit quam maligni fuerint qui tot beneficiis affecti, tamen non potuerint ferre optimum illum paſtorem. dicit igitur *animam ſuam fuiſſe coarctatam in ipſis*, quoniam ſcilicet videbat ſuis gratiis non dari locum. Nam Paulus, ubi de doctrina agit, expoſtulat cum 2 Cor. 6.
Corinthiis, quod paratus ſit effundere cor ſuum, & verſ. 11.
os ingenue aperire, niſi quia anguſti ipſi erant: & ſentiebat ipſe anguſtias illas in corde ſuo. ſic etiam hic Deus conqueritur ſe fuiſſe coarctatum in Judæis, quoniam ſcilicet videbat non excipi pro merito ſua beneficia: ſed quaſi prohiberi. tanta erat populi malignitas. Clarius in fine exprimit ſe fuiſſe ab illis contemptum: *Ipſi quoque me abominati ſunt*. Fuit autem minime excuſabilis hic contemptus, quum Judæi ſcilicet non agnoſcerent quam benefice & liberaliter ageret Deus erga ipſos. Nunc tenemus conſilium Prophetæ. Poſtquam retulit quam humaniter Deus ſe accommodaſſet ad regendum populum, jam dicit hunc laborem caruiſſe profectu, quia præcluſa fuit janua Dei gratiis. Poſtea ſequitur,

9. Et dixi, Non paſcam vos: quod morti devotum eſt, moriatur: & quod ſucciſioni devotum eſt, ſuccidatur: & quæ reſiduæ erunt, devorent unaquæque carnem ſociæ ſuæ.

Hic jam pronunciat Deus quod prius breviter attigerat, judicium ſuum non poſſe argui ſævitiæ, quoniam nimis ſcelerate egerat populus, & extremis quibuſque ſuppliciis digna erat ejus malignitas. Videtur quidem ſimplex eſſe narratio: ſed Deus hic cauſam ſuam defendit, quia omnia expertus fuerit in regendo populo antequam deſcenderet ad extremum rigorem. Quis enim jam Deo obſtrepat, quum paratus fuerit obire munus paſtoris? quum ſe eo uſque demittere gravatus non ſit, ut curaret populum illum quaſi gregem ſuum? quod denique nullam diligentiæ partem omiſerit: & tamen contemptus fuerit ab illo populo, imo quaſi ludibrio habitus? Fuit enim hæc nimis indigna contumelia, quod abominati fuerint Deum, qui tamen tam comiter ipſos tractabat. Videmus ergo hic aſſeri ab omni calumnia Dei judicium, quoniam malitia populi illius prorſus inexcuſabilis fuerit, antequam Deus abjiceret illius curam. *Dixi* ergo. Notandum eſt tempus. nam ſignificat non fuiſſe nimis præcipitem in ſumenda vindicta: ſed quia nullum amplius erat remedium, tunc quaſi neceſſitate coactum fuiſſe, ut renunciaret muneri paſtoris. *Dixi* ergo, *Non paſcam vos: quod moritur, moriatur: quod ſuccidatur, ſuccidatur.* Reſignat hic officium paſtoris: & ſignificat ſe innoxium fore & immunem ab omni culpa, quicquid accidat. nam paſtor hac lege præficitur gregi, ut ipſum tueatur, imo ſingulas oves, tam à latronum injuriis quam ab incurſu luporum. Qui autem ſe abdicat paſtoris officio, caret omni culpa, ſi poſtea grex vel diripitur, vel à lupis voratur, & ſævis beſtiis. Deus ergo hic palam denunciat ſibi non eſſe imputandum, etiamſi centies pereant Judæi, quoniam non paſſi ſint ſe ab ipſo regi: & ideo ſe liberaverit paſtorali cura. *Quod ergo perit, pereat*: hoc eſt, quando non ſunt ſanabiles, neque patiuntur remedium adhiberi ſuis malis, jam relinquo eos: experientur quid ſit carere bono paſtore. Nunc clarius perſpicimus quod antea dixi, nempe hic traduci malitiam & ingratitudinem populi veteris, quoniam rejecerit Deum, qui tamen paratus fuiſſet fungi paſtoris officio: & ideo culpam interitus qui inſtabat, reſidere penes ipſos Judæos, quam cupide, ſed fruſtra tentaſſent alio transferre. Tandem adjungit, *Etiam quæ reſiduæ erunt*, nempe quæ effugient externum impetum, ut illæ *ſe comedant ultro & citro*: quando jam non ſunt oves, ſed truculentæ beſtiæ. quod etiam ſcimus fuiſſe impletum. mutuis enim diſcordiis tandem perierunt Judæi: & nemo pepercit fratri ſuo: imo quo major fuit propinquitas, eo quiſque ſævire atrocius ſibi permiſit. Tunc ergo judicium Dei palam apparuit, quod denunciaverat Propheta, ubi inteſtinis diſſidiis, imo cædibus Judæi ita perierunt. Sequitur deinde,

10. Et accepi virgam meam, nempe Pulchritudinem, & confregi eam, ut irritum facerem fœdus quod pepigeram cum omnibus gentibus. (*vel populis.*)

11. Et irritum fuit die illo, & cognoverunt ſic pauperes gregis qui me obſervabant, quod ſermo Jehovæ hic eſſet.

Confirmat eundem ſermonem, ſed figura interpoſita. dicit ergo quum ſe eximeret ab officio paſtoris, duas virgas fuiſſe confractas ſua manu, *pulchritudinem & collectionem*. Loquitur de priore baculo, quoniam res turbatæ fuerant in Judæa antequam prorſus excideret populus ille. neque enim ſtatim erupit diſſipatio, ut nulla eſſet ſocietas inter Judæos: ſed ordo politicus prolapſus ita fuit, ut ſatis conſtaret divinitus ipſos non regi. Paulatim corrupta fuit puritas doctrinæ, & obrepſit multa colluvies errorum: invaluit ſuperſtitio. Quum ergo res ita eſſent confuſæ, confracta fuit virga paſtoralis, hoc eſt, Pulchritudo vel decor. Nihil aliud igitur continet hic verſus, quam explicationem proximi. & ideo etiam dicit, *Ut irritum fieret fœdus quod pepigeram*: hoc eſt, ut jam palam fieret non regi ſub manu mea & imperio populum illum. Quidam interpretes extendunt ad totum orbem quod dicitur hic de populis: & putant idem notari à Zacharia quod dicitur ſecundo capite Hoſeæ, quod Dominus percuſſerit fœdus cum beſtiis terræ & volucribus cœli, ne qua ſcilicet noxa contingeret populo ſuo. ſed non convenit ſimilitudo illa. Probabile igitur eſt, Deum hic loqui de ſolis poſteris Abrahæ. Nec mirum eſt vocari Multos populos, quia ſic etiam loquitur Mo- Geneſ. 17.
ſes, Populi ex te naſcentur: idque ad amplificandam verſ. 6.
gratiam Dei: quoniam Tribus duodecim erant quaſi totidem populi in quibus regnabat Deus. Hoc fuit incredibile, ex uno homine prodire non modo populoſam familiam, ſed populos complures. Genuinus ergo hic ſenſus mihi videtur, quod Deus teſtatum fecerit ſe non amplius ducem eſſe illius populi: quia quum peſſundatus eſſet ordo, fœdus etiam Dei irritum factum eſt. Quid enim continuit fœdus illud,

vel quorſum ſpectavit, niſi ut omnia eſſent apte & perfecte inter ſe conjuncta? Sicuti in Eccleſia videmus curæ eſſe Deo ordinem, ne quid ſcilicet temere pro cujuſque libidine turbetur. Hoc igitur initium fuit diſſipationis, quæ tandem ſequuta eſt ubi populus defecit à legitimo Dei ordine. Concludit, *tum illo die irritum fuiſſe fœdus.* quibus verbis ſignificat non fortuito hoc factum eſſe ut Lex corrumperetur, & Judæi deſciſcerent à puro regimine Dei: ſed fuiſſe horribilem Dei vindictam. *Illo* igitur *die*. Emphatice hoc poſitum eſt: quaſi diceret Propheta, non debere adſcribi fortunæ quod res in deterius mutatæ ſint, quia hoc modo exequutus ſit Dominus judicium ſuum, poſtquam nimis patienter tulerat malitiam populi. & ideo adjungit, *vidiſſe pauperes gregis hunc eſſe ſermonem Jehovæ.* Duo hic breviter notat Propheta, quod ſcilicet vulgo non animadverſum fuerit judicium illud Dei, ſed omnes fere clauſis oculis præterierint quod acciderat: quemadmodum mundus quaſi obducit callum & obdureſcit ſponte ad omnia Dei flagella. Clamant omnes ſe eſſe miſeros: ſed nemo reſpicit ad manum percutientis, quemad-
Jeſ.6.13. modum alibi dicitur. Sic etiam Zacharias noſter hic inſimulat Judæos ſocordiæ, quod major pars etiamſi videret omnia confuſa, tamen non attenderit, ſed fere pro nihilo duxerit tam horrendam Dei ultionem. Oportet autem nimis præfractos eſſe homines, ubi non ſentiunt divinitus ſe caſtigari. ſed tamen Propheta ſtuporem hunc in Judæis accuſat, quia ſcilicet non duxerint hunc eſſe ſermonem Jehovæ, id eſt, hoc negotium gubernari Dei manu. Sed interea dicit *pauperes gregis hoc ſenſiſſe.* & ita oſtendit, etiam ubi totus populus ſeſe addicit exitio, pauculos tamen proficere ſub Dei ferulis: & ita nunquam accidere ut prorſus ſine fructu caſtiget Deus Eccleſiam ſuam. Quamvis ergo reprobi contumaciter reſiſtant Deo, & calcare etiam non dubitent pedibus ejus judicia, & quantum in ſe eſt, ipſa obruant, eſſe tamen ſemper aliquas reliquias quæ proficiunt & agnoſcunt Dei manum, ut ſeſe humilient ſub ipſa, & reſipiſcant. Poſtquam ergo Propheta conqueſtus eſt, omnes proceres, & qui honore & opibus inter Judæos pollebant, ſecure contempſiſſe illud horribile Dei judicium, adjungit aliquos fuiſſe pauperculos & ignobiles, qui reputarent ſecum hoc non fieri caſu vel fortuna, ſed Deum hic eſſe juſtum ultorem, quoniam nimis petulanter contempta fuerit ejus gratia. *Pauperes* ergo *gregis cognoverunt hunc eſſe ſermonem Domini.* Quum iſtud tempore Prophetæ acciderit, non mirum eſt ſi hodie, etiam ubi Deus quaſi fulminat è coelo, & judicia ſua manifeſtis ſignis promulgat, mundum tamen ruere in ſuam perniciem, & quaſi obſtupeſcere in ſuis malis. Sed interea danda opera eſt ut nos conjungamus pauperculis, qui ſunt quaſi mundi quiſquiliæ: & ita ad reputandam Dei vindictam ſimus attenti, ut tangamur ſerio timore: atque ita non provocemus ad extremum ejus judicia, ut pereamus cum reprobis. Notanda etiam particula eſt quam interpoſuit Zacharias, *Qui me obſervant*, inquit. hoc quaſi ſingulare vel rarum ponit, nempe quia pauci dignantur expendere Dei opera. Scimus hanc eſſe præcipuam hominum ſapientiam, ut attente conſiderent ſemper Dei manum. Atqui videntur omnes fere ſibi accerſere ſtuporem. Si Dominus ipſos percutiat, quaſi attoniti hærent, neque reſpiciunt manum percutientis, ut jam diximus. ſi autem Dominus liberaliter eos foveat & quaſi blande, exultant in ſua protervia. Sic modis omnibus ſunt intractabiles, quia ſcilicet Deum non obſervant, ſed claudunt oculos, obturant aures, aut obducunt ſibi multa vela. denique reperiemus cæcitatem mundi ſemper conjunctam eſſe cum pervicacia, ita ut fruſtra obtendant prætextum ignorantiæ, quoniam *non obſervant Deum*, ſed potius obvertunt ei tergum, & obtenebrant claram lucem ſua malitia. Nunc ergo videmus cur hæc particula interpoſita fuerit, nempe *pauperes gregis intelligere*, quoniam erigunt mentes ſuas, & applicant ſtudium ad reputanda opera Dei. Hinc ſequitur, tauros qui cornu libenter impeterent Deum, & hircos qui fœtore ſuo implent aërem, ideo manere brutos, & nihil proficere in Dei judiciis, quia ſcilicet excutiunt ſponte & propria malitia. Sequitur,

12. Et dixi illis, Si bonum eſt in oculis veſtris, (*hoc eſt, ſi vobis placet*) date mercedem meam: quod ſi non, deſiſtite. & appenderunt mercedem meam triginta argenteos.

13. Et dixit Jehova ad me, Projice hoc ad figulum, magnificentiam pretii quo æſtimatus ſum ab illis. Et ſumpſi triginta argenteos, & projeci hoc ad templum Jehovæ ad figulum.

Jam addit aliud crimen Deus quo detegit populi malitiam, quoniam fere unius feſtucæ pretio æſtimaverint quicquid inſumpſerat laboris. Prius conqueſtus eſt de ingratitudine: ſed hinc melius detecta fuit improbitas populi & flagitium, quod ita vilipenderint inæſtimabilem Dei gratiam erga ipſos. Huc ergo pertinet quod nunc dicit Propheta, Deum poſtremo tentaſſe an ſua beneficia pretii aliquid haberent apud Judæos: ſed fuiſſe tunc palam compertum, quicquid impenderat operæ & laboris, fuiſſe male locatum & perditum. Quod autem nunc in ſua perſona loquitur Zacharias, nunc vero Deum loquentem inducit, heri diximus hoc ad rem parum facere, quoniam hic deſcribit duntaxat quam turpiter abuſi fuerint Dei gratia Judæi, & quam injuſte eam contempſerint. Interea autem loquitur ipſe quaſi Dei miniſter: quoniam non modo per ſe gubernavit Deus populum illum, ſed inſtruxit virtute Spiritus ſui multos miniſtros, qui obirent paſtorum munus. Dicit ergo ſe veniſſe (& hic ſermo proprie in Deum competit) ad populum, & flagitaſſe mercedem: *Date*, inquit, *ſi ita videtur, mihi mercedem: ſin minus, deſiſtite.* Hic exprimit ſummam indignationem: quemadmodum ſi quis exprobret malitiam & ingratitudinem proximo ſuo, Agnoſce beneficium ſi voles: ſin minus, mihi perieris: ego non curo: ego video te eſſe nebulonem qui indignus fueras quem ego tam liberaliter tractarem. Ego igitur nihil moror tuas compenſationes: ſed interea tuum erat videre quid mihi deberes. Sic etiam ſtomachoſe loquitur Deus hoc loco: *Date ſaltem mercedem*, ne gratis vobis ſervierim. Abuſi eſtis meo labore: ego ſuſtinui multas injurias & moleſtias in vobis regendis: quæ erit compenſatio ſollicitudinis? nempe qualis decet hypocritas & ingratos, qui erga bene meritos contumelioſi ſunt. equidem non moror mercedem, quia etiam non ſum mercenarius. Poſtea addit, *dediſſe triginta argenteos.* Non dubium eſt quin hoc commemoret pretium quaſi vile, acſi vellent tot & tam inæſtimabiles Dei gratias compenſare vili pretio: quemadmodum ſiquis conduxerit ſubulcum aut colonum aliquem, dabit vile pretium. ſic etiam dicit Propheta Judæos egiſſe cum Deo. Interea per Vile pretium quod bubulco dignum eſſet, intelligit frivolas nugas, quibus putabant Judæi ſe poſſe ſatisfacere Deo. Scimus enim fuiſſe admodum ſedulos in ſuis ceremoniis. quaſi vero hæc compenſatio apud Deum quicquam valeat. Requirit cordis integritatem: & ideo ſe nobis addicit, ut viciſſim nos poſſideat. hoc igitur erat pretium laboris quod Dominus fuerat meritus: hæc erat juſta merces, ſi ſe in obſequium totos Judæi addicerent ejus verbo. Quid autem?

nempe

nempe defuncti ſunt ceremoniis & aliis frivolis rebus. Fuit igitur hoc ſordidum munus, quaſi vellent rependere mercedem alicui ſubulco. Ideo adjungit, *Dixit mihi Jehova, Projice hoc ad figulum*: Hæc ſcilicet digna eſt mea merces? projice ad figulum, ut emat ſibi lateres vel tegulas ad reficiendum templum: ſiquæ ſint ruinæ in templo, emat ſibi tegulas inde figulus, aut quiſpiam alius artifex ignobilis habeat ſibi tale pretium. Nam ironice poſtea vocat *Magnificentiam & gloriam pretii quo æſtimatus eſt*: Hæc ſcilicet gloria eſt mei pretii? quum ego tot moleſtias pertulerim, jam agunt mecum perinde ac cum aliquo ſordido bubulco, ego tamen eram ipſorum Dominus & paſtor. ergo quum velint ita fucoſe mihi ſatisfacere, hic etiam per contumeliam obtrudunt mihi vile pretium, quaſi dejicerent meam gloriam, vel conſpuerent in faciem meam: Projice, *projice ad figulum*, inquit: hoc eſt, reficiant templum Dei, in quo perinde ſibi placent acſi eſſent in cœlo. ſed templum illis eſt idolum: quia Deus nunquam propinquus erit, dum ita hypocritice cum ipſis agent. reficiant igitur ruinas templi ſui, & ſolvant figulo pretium, quia ego non patiar tam contumelioſe mihi pretium mea majeſtate indignum obtrudi. Nunc tenemus conſilium Prophetæ. ac primo illud quod dixi memoria tenendum eſt, hic narrari quam deſperata fuerit populi improbitas, quod rejecti à Deo, & confracta ejus virga, tamen pro nihilo duxerint quas experti fuerant ejus gratias. Quare? Putarunt enim Deo ſatis ſuperque præſtari, ſi eum colerent externis nugis: quoniam ceremoniæ ſine pietatis ſenſu duntaxat frivolæ nugæ ſunt coram Deo. Hoc ergo nunc urget Propheta, quod Judæi maligne ſepelierint Dei beneficia, quibus tamen eos ita obſtrinxerat ſibi, ut non eſſent ſolvendo. & eadem etiam ratione ſubjicit, *Projice ad figulum*. Teſtatur enim ſibi hæc nullius pretii eſſe, imo ſe abominari mercedem quam volunt rependere homines, ubi ſcilicet tam contumelioſe cum ipſo agunt: ſicuti alibi dicit ſibi eſſe faſtidio, apud Jeſaiam, Ego nauſeo ad *Jeſa. 1.*
veſtros feſtos dies: quid calcatis quotidie pavimen- *verſ. 13.*
tum templi mei? deinde, Perinde eſt qui bovem ma- *& 66: 3.*
ctat, acſi occideret hominem. Deus ergo omnibus illis locis oſtendit, quemadmodum nunc apud Zachariam, ſibi ſummæ abominationi eſſe ſacrificia quæ offerunt impii homines & hypocritæ ſine aliquo affectu pietatis. quare? nam hæc eſt ſumma contumelia quam inurunt reprobi, quaſi ſputis fœdarent ejus faciem, ubi ſcilicet eum comparant vel figulo vel bubulco, & non cogitant quid pretii mereatur, nempe ut ſe totos illi conſecrent & vere addicant abſque ſimulatione. Ubi igitur ludunt homines cum Deo, & putant ipſum oblectari frivolis nugis, comparant eum, quemadmodum dixi, vel bubulco vel opifici gregario & ignobili. hoc autem opprobrium non poteſt ferre, & merito tam graviter hic ſtomachatur per Prophetam ſuum.

Da omnipotens Deus, quando provocatus tot noſtris ſceleribus non tamen deſinis adhuc pergere in officio optimi & fideliſſimi paſtoris, & non deſinis etiam modis omnibus teſtari Chriſtum pro nobis excubias agere, ſicuti curam ſalutis noſtræ è manu tua ſuſcepit: da, inquam, ut vera reſipiſcentia tangamur, atque ita ſaltem proficiamus ſub tuis ferulis, ut reputando judicia tua, vere nos humiliemus coram potenti tua manu: & nos ita tibi ſubjiciamus, ut ſicuti nos ſenties tractabiles ac morigeros, ita etiam pergas ad extremum uſque regere, donec protecti ab omnibus injuriis ſub paſtorali unigeniti Filii tui pedo, tandem perveniamus ad beatam illam quietem, quæ nobis parta eſt ejuſdem ſanguine, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA SEXTA IN ZACHARIAM PROPHETAM.

CAP. XI.

14. Et fregi virgam meam alteram, nempe Collectionis, ad diſſipandam fraternitatem inter Jehudah & inter Iſraël.

Hic deſcribitur nobis extrema Dei ultio, ubi ſcilicet populum ita diſperſit, ut nulla eſſet amplius conjunctio inter filios Abrahæ. Videmus Prophetam ſumpſiſſe duos baculos vel duo peda, ut præſtaret officium paſtoris in regendo populo. Pedum alterum dixit fuiſſe Pulchritudinem; quia ſcilicet nihil prætermiſerat Deus quod ad optimum ordinem faceret. Jam poſtquam regimen illud ſanctum peſſundatum eſt, ſequuta etiam paulo poſt fuit diſſipatio populi. hæc ratio eſt cur nunc dicat Propheta *ſe fregiſſe alteram virgam*, vel pedum ſuum. Videmus ergo populum hoc ſua ingratitudine tandem eſſe promeritum, ut nulla eſſet amplius forma legitima gubernationis: deinde nulla eſſet conjunctio. Quantum ad vocem חובלים, ante diximus non poſſe ullo modo quadrare quod Hebræi docent, nempe tantundem valere ac Perditores. Quorſum enim hic diceret Zacharias, fractum fuiſſe baculum illum, ut nulla eſſet amplius conjunctio vel fraternitas inter regnum Jehudah & decem Tribus? & diximus etiam poſſe mutatis punctis hanc vocem ita accipi, quoniam חבל Funem & colligationem ſignificat. Tenendum autem eſt, hic eſſe ὕστερον πρότερον, quia antequam narraret Deum populo valere juſſo poſtulaſſe ſibi mercedem, debuit hæc inſerere. ſed hæc ordinis inverſio Hebræis ſatis trita eſt. Hunc igitur verſum ſic legamus, acſi poſitus eſſet ante ultimam miſſionem, qua Deus paſtoris munus à ſe rejecit. Nunc venio ad locum Matthæi. *Mat. 27.*
nam ubi narrat projectos fuiſſe triginta argenteos *verſ. 9.*
nummos à Juda, & inde emptum fuiſſe agrum à figulo, adjungit impletum tunc fuiſſe vaticinium Prophetæ. Non refert quidem ſingula verba, ſed ſatis conſtat hoc teſtimonium citari: Dederunt, inquit, triginta argenteos, pretium æſtimati, quem æſtimarunt à filiis Iſraël. Ergo quantum ad rei ſummam ſpectat, non dubium eſt quin optime conveniat quod refert Matthæus cum Prophetæ ſenſu. nam tenendum eſt illud principium, Chriſtum fuiſſe verum Jehovam ab initio. Quoniam ergo Filius Dei ejuſdem eſt cum Patre eſſentiæ, & unus etiam cum ipſo Deus: non mirum eſt viſibili modo in ejus perſona fuiſſe exhibitum, quod figurate Propheta docuit factum eſſe ſub Lege à veteri populo. nam quaſi ſolverent juſtam mercedem Deo, dederant triginta argenteos, ſordidum ſcilicet pretium: ideo conqueſtus eſt ſuum laborem quem impenderat illis regendis, inique æſtimari. Jam Chriſtus venditus fuit triginta argenteis. ergo viſibile ſpecimen hujus prophetiæ exhibitum fuit in ejus perſona. Quum dicit Matthæus Chriſtum fuiſſe æſtimatum à filiis Iſraël, accuſat impietatem electi populi. quam illic ſubaudiendus eſt articulus ὁ. Habetur quidem [illegible] legendo: ſed ita reſolvi debet oratio, tam vili pretio æſtimatum fuiſſe non à barbaris gentibus, ſed ab ipſis indigenis qui erant ex filiis Iſrael, vel ex ſemine

Abrahæ: quaſi diceret, hanc injuriam illatam fuiſſe Deo non ab extraneis, ſed à populo quem elegerat & adoptaverat ſibi in peculium. Illa autem malitia minus excuſabilis fuit. Poſtea adjungit Matthæus, Dederunt in agrum figuli, ſicut mihi Dominus præceperat. hæc etiam pars optime reſpondet vaticinio: quoniam certum eſt non fuiſſe data opera vel conſulto pecuniam illam locatam in agro emendo, ut Judæi parerent mandato Dei, ſed ſcimus Deum exequi ſua decreta per impios, etiamſi nihil tale aut velint aut cogitent. Quid autem Zacharias noſter? *Projice*, inquit, *ad figulum*. Non dicit, Ad agrum figuli: ſed expoſuimus quo ſenſu jubeat Deus triginta argenteos projici ad figulum, nempe ut emantur lateres vel tegulæ ad ruinas templi obtegendas. & hoc contemptim ac per ludibrium dicitur. Sic etiam viſibile hujus rei ſymbolum fuit in emptione agri. Figulus enim agri venditor neſcivit quid ageretur: Scribæ & Sacerdotes nihil minus putabant quam ſe implere quod prædictum olim fuerat. ſed ut palam fieret Chriſtum eſſe verum illum Deum qui ab initio loquutus fuerat per Prophetas: ideo ut quaſi oculis id ſubjiceret Deus, voluit viſibilem extare imaginem, quaſi Judæos in rem præſentem adduceret. Nunc ſequitur apud Prophetam,

15. Et dixit Jehova mihi, Adhuc ſume tibi vas paſtoris ſtulti.

16. Quia ecce ego conſtituo paſtorem in terra, quod exciſum eſt non viſitabit, quod juvenile eſt non requiret, quod confractum eſt non ſanabit, quod ſtat non paſcet: & carnem pinguis comedet, & ungulas eorum confringet.

Hic docet Propheta, ubi abjecerit Deus curam populi, fore aliquam vanam ſpeciem regiminis; ſed ex qua facile colligi poſſit, Deum non agere amplius officium paſtoris: quaſi diceret, populum ita deſerendum eſſe, ut tamen putet ſe ad tempus eſſe adhuc & manere ſub tutela Dei, quemadmodum videmus in Papatu ſuperbas illas jactantias volitare, Nunquam deſeri Eccleſiam à Deo. ergo etiamſi hactenus obruta fuerit Dei veritas; tamen fuiſſe veram Eccleſiam, quæ referta erat impiis ſuperſtitionibus. Quemadmodum ergo Papiſtæ titulo duntaxat gloriantur & contenti ſunt, ita ſcimus Judæos obtendiſſe ſua privilegia. & hæc etiam arma illorum erant, quum vellent congredi & manus conſerere cum Apoſtolis: Quid? Annon ſumus hereditas Dei? annon promiſit ſibi fore perpetuum Sanctuarium inter nos? Annon unctio Sacerdotalis certum eſt atque infallibile ſignum gratiæ ejus? Quemadmodum ergo ſtultas illas glorias efflabant Judæi contra Apoſtolos, ita etiam hodie Papiſtæ occultant omnia ſua dedecora ſub Eccleſiæ titulo. hoc intelligit nunc Zacharias, quum dicit ſe mandato Dei *ſumpſiſſe vas paſtoris ſtulti*. כלי ſignificat Hebræis quodlibet inſtrumentum. Quidam exponunt Peram pertuſam. ſed illud eſt nimis coactum. Non dubito igitur quin per Inſtrumentum paſtoris intelligat Zacharias inſignia, ex quibus colligi poterat eſſe adhuc aliquem paſtorem. ſed interea vocat *ſtultum paſtorem*, ut ſciamus fuiſſe inanem larvam & fallacem. Nomen igitur Paſtoris hic per conceſſionem ponitur, quemadmodum ſæpe loquitur Scriptura. & hodie etiam concedimus Papiſtis interdum nomen Eccleſiæ: deinde concedimus etiam cornutis Epiſcopis nomen Paſtorum, ſed improprie. Sic etiam hic Zacharias, quamvis loquatur de ſpectro & re nihili, tamen dicit adhuc fore paſtores in Judæa. & ratio ſubjicitur, quod Deus talem pœnam ſumpturus ſit de pravo & ingrato populo: *Ecce*, inquit, *ego conſtituo paſtorem in terra*. Jam ut diximus, ſe abdicaverat Deus munere paſtoris: ſed poſtea præfecit & lupos, & fures, & latrones paſtorum loco, quum ſcilicet exequi vellet horribile ſuum judicium contra Judæos. & ſimul oſtendit quales futuri ſint paſtores qui in poſterum potientur imperio, nempe *qui non requirent quod exciſum eſt*. Quidam hic הנכחדות accipiunt pro ovibus ægrotis: ſed falluntur, meo judicio: quia paſtores ſeduli requirunt ſiquid eſt perditum, vel ſiquid evanuit in grege: & hoc intelligit Zacharias per viſitationem. *Non viſitabit* ergo, hoc eſt, non inſpiciet ſiquid è grege abſciſſum fuerit. Deinde, *non requiret* הנער. Quidam intelligunt optimos agnos. ſed rectius alii exponunt teneros & qui adhuc non aſſuefacti ſunt ad ſequendum paſtorem. nam oves longo uſu ſeſe continent, ita ut non aberrent ab aliis: ſed agni magis laſciviunt: & facile huc & illuc diſperguntur. hæc igitur ratio eſt cur inter officia boni paſtoris ponat Zacharias, *requirere quod adhuc juvenile eſt*. Subjicit tertio loco de ægrotis, *ſiquid eſt confractum*, inquit, *non ſanabit*. Poſtremo, *non paſcet quod ſtat*, hoc eſt, quod eſt incolume. Ad verbum eſt, quod ſtat: ſed ſignificat plenum vigorem. *Quod ergo vegetum & incolume erit in grege, non paſcet*. Poſtea addit, *Carnem pinguis vorabit, imo confringet ungulas*. Amplificat immanitatem poſtrema hac voce, quum dicit paſtorem hunc non fore contentum carne pingui, niſi etiam confringat oſſa & ungulas, acſi ſuperaret truculentia omnes lupos & ſævas beſtias. Nunc ergo tenemus ſummam hujus vaticinii. Videtur autem hoc fuiſſe additum, ne ſibi Judæi placerent in externa & evanida ſpecie regiminis, poſtquam deſciverant à Deo: & viciſſim etiam ipſe renunciaverat fœderi, quod cum gente illa pepigerat, ne amplius eſſet aut pater, aut nutricius, aut paſtor. ſcimus hypocritas non facile exuere ſuam contumaciam: quamvis manifeſta ſit Dei ultio, tamen videmus eos obdureſcere, præſertim ubi ſub fallaci prætexto obtegunt ſua mala, quemadmodum inſigne exemplum perſpicimus in Papiſtis. Nunc ergo tenemus conſilium Spiritus ſancti, ubi jubetur Propheta ſuſcipere perſonam & veſtes & inſtrumenta ſtulti paſtoris. Siquis excipiat, hoc non fuiſſe conſentaneum vero Dei Prophetæ: facilis reſponſio eſt, Prophetam non ideo deflexiſſe à recto curſu ſuæ vocationis, quamvis præ ſe tulerit formam paſtoris ſtulti, quemadmodum alibi vidimus Hoſeam juſſum *Hoſ. 1: 2.*
fuiſſe accipere ſcortum, & gignere ſpurios ex ea meretrice quæ jam fuerat infamis. Quum ergo hæc viſio fuit oblata Hoſeæ, non ſequitur Prophetæ fuiſſe iniuſtum aliquid probri, ne poſtea exerceret ſancti doctoris munus. ſic etiam nunc ſimpliciter oſtendit Deus qualis futura ſit populi illius reprobi conditio. Jam notandum eſt, ubi apparet aliquid reſiduum veræ & ſanctæ gubernationis in externa ſpetie, non ideo tamen Deum præeſſe. nam ſicuti jam oſtendimus, illa eſt ridicula & inſulſa gloriatio, quum homines inflati ſunt ac ſuperbiunt meris titulis. Videndum igitur eſt, ut qui præſunt, rite vocati ſint à Deo: poſtea exerceant munus ſuum fideliter: alioqui poterunt centies vocari Paſtores, qui excellent gradu honoris: ſed erunt tamen vel lupi, vel latrones. neque enim ullus eſt verus paſtor, niſi quem Dominus gubernat ſuo Spiritu & qui ejus eſt miniſter. Omnes autem impii paſtores etiamſi obtendant titulum, non poſſunt tamen miniſtri Dei vocari, qui jam populum deſeruit, quemadmodum hic videmus. Interea ſimul notandum eſt, hoc non accidere niſi juſto Dei judicio, quum res in deterius labuntur, & tandem peſſum eunt. & qui jactant pleno ore, & volunt etiam ab omnibus cenſeri paſtores, ſunt prorſus inſipidi. Deus

enim

enim ipſos conſtituit : quemadmodum tata colluvies Papalis cleri hodie eſt manifeſtum ſignum iræ & furoris Dei. Ulciſcitur enim merito & contemptum verbi ſui & contumaciam qua eum nimis provocavit mundus. Quum enim Deus comiter vocaſſet totum mundum ad ſe, videmus ut repudiata fuerit ejus gratia: deinde videmus ut omnes fere perrexerint in ſua obſtinatione. Tulit quidem Deus pro immenſa ſua bonitate hanc pravitatem aliquot ſeculis: & quum inciperet punire ingratos, non ſtatim erupit ad extremam vindictam. Ferulis enim addidit graviora flagella: ſed tandem oportuit iram ejus inſtar diluvii exundare. hinc igitur horribilis illa confuſio, quæ cernitur in Papatu. & hoc ſibi volunt Prophetæ verba, quum Deus hic pronunciat præfici ſtultos paſtores ſuo mandato & ſua poteſtate, ubi ſcilicet exequi vult ſuum judicium contra impios. Quoniam autem hic enumerat Propheta quæ pugnant cum officio boni paſtoris, hinc colligimus ex oppoſito quid ſit vere & ſecundum Deum regere Eccleſiam : deinde quænam ſint dotes aut notæ boni paſtoris. Quiſquis ergo paſtor vult agnoſci in Eccleſia, quod exciſum eſt viſitet, quod juvenile eſt requirat : quod confractum eſt ſtudeat ſanare : & quicquid eſt incolume & vegetum bene paſcat. deinde abſtineat ab omni ſævitia : neque addictus ſit ventri ſuo, neque lucrum ſpectet, neque etiam violenter imperet. Quiſquis ita ſe geret, probabit reipſa ſe eſſe verum paſtorem. ſed quid magis abſurdum fingi poteſt, quam paſtores dici, qui tamen nullam curam gregis ſuſtinent? qui duntaxat rapiunt & congerunt & coacervant quod poſtea dilapident? Quum autem palam appareat, in Papatu eos omnes qui vocantur Epiſcopi non alia de cauſa appetere hoc munus, niſi ut ſumptuoſe vivant, ſine cura & labore, deliciiſque ſuis indulgeant: deinde, ut in obſcœnos etiam uſus profundant quod male quæſitum eſt : quum ergo illic ſpectentur & otioſi ventres, & crudeles tyranni, quales hic tradit Propheta, nonne videmus quam pueriliter jactent ſuam hierarchiam, & ſimul prædicent ſe originem ducere ab ipſis Apoſtolis? Qualis enim erit Petri ſucceſſor vel Pauli, qui barbaram tyrannidem exercet : deinde qui non putat ſibi incumbere ullam curam gregis? Videmus ergo hodie repræſentari quaſi ad vivum in Papatu quod hic dicit Propheta, nempe eſſe aliquam ſpeciem externi regiminis: ſed tamen Deum prorſus alienum eſſe ab illa larva, vel ab illo ſpectro. interea meminerimus mundum dare meritas pœnas ſuæ ingratitudinis, quum ita crudeliter & indigne tractatur. Æquum enim eſt qui jugum CHRISTI ſuave ferre non poſſunt, ſubjici diaboli imperio, & calcari ſub ejus pedibus, & contumelioſe etiam opprimi à tyrannis. hoc rectum eſt Dei judicium. Scimus autem Eccleſiam non fuiſſe everſam, niſi poſtquam major pars reſpuerat doctrinam ſalutis & excuſſerat omnem pietatem, ita ut Deus quodammodo in tanta & tam effreni pervicacia coactus fuerit abjicere paſtoris munus. Tandem ſequitur,

17. Heus paſtor inutilis deſerens gregem : gladius ſuper brachium ejus, & ſuper oculum dextrum ejus: brachium ejus areſcendo areſcet, & oculus dexter ejus contrahendo contrahetur. (*alii, obſcurando obſcurabitur.*)

Hoc verſu docet Propheta etiamſi Deus merito tam gravem vindictam infligat Judæis, tamen paſtores ipſos non impune elapſuros. & hoc modo admonet, etiam in rebus illis tam confuſis & perditis, ſibi tamen aliquam fore fœderis ſui memoriam. Compellat autem paſtores ipſos. neque enim de uno homine loquitur, ſed de tota illa caterva, quemadmodum jam diximus. *Paſtor*, inquit, *inutilis*. אליל ſignificat rem nihili apud Hebræos : unde etiam אלילים vocant Idola. *Tu*, inquit, *paſtor inutilis qui deſeris gregem*. Iterum demonſtrat aperto ſigno, quos nominavit paſtores, non tamen dignos eſſe tam honorifico titulo. Conceſſio igitur eſt in hac voce, quia niſi paſtor de ſalute gregis ſollicitus ſit, palam demonſtrat ſe nihil minus eſſe quam paſtorem. Poſtea denunciat pœnam: *Gladius*, inquit, *ſuper brachium, & ſuper oculum dextrum ejus*. Per Gladium quamlibet ſpeciem pœnæ deſignat: per Brachium intelligitur robur, per Oculum intelligitur prudentia: hoc eſt, Deus & in animam tuam, & in corpus pœnas exiget, quia maledictio ejus incumbet tuæ fortitudini & intelligentiæ : ideo dicit, *areſcet brachium ejus*. non videtur hoc quadrare metaphoræ gladii: ſed parum refert: quia ut diximus, Propheta complectitur omnes ſpecies pœnarum. *Areſcet* igitur *brachium ejus*, hoc eſt, vigor ejus defluet, ita ut ſit quaſi lignum putridum : deinde *oculus dexter ejus*, hoc eſt ſanitas mentis, recta intelligentia, *contrahendo contrahetur*. Vertunt quidam, ut diximus, Obtenebrari : & ſignificat Rugari proprie, ut ſatis conſtat ex pluribus locis. hic non reperio verbum, quod melius reſpondeat quam Contrahendo contrahetur. Expoſui breviter conſilium Prophetæ, nempe Deum ſic punire malitiam populi, ut tamen paſtores quorum miniſterio utitur ad vindictam ſuam exequendam, non impune evadant. Quamvis enim divinitus excitentur, tenendum tamen eſt illud principium, nihil illis commune eſſe cum Deo: nam mera eos ambitio & avaritia & crudelitas impellit. nihil ergo minus illis propoſitum eſt quam Deo obſequi: ſed extorquet ab invitis atque etiam inſciis obſequium. In quem finem? nempe ut rependat ingratis & malignis & pertinacibus in ſua malitia quam meriti ſunt mercedem. Videmus ergo rectum finem eſſe vindictæ Dei: videmus etiam miniſtros quibus utitur, eſſe impios. ac proinde non eſt quod putent ſibi impune ceſſurum, quia impleant conſilium Dei: neque enim quicquam tale cogitant. Deinde hoc etiam tenendum eſt, ubi graſſatur extremus Dei rigor, tamen manere aliquam memoriam paterni favoris, quia ſcilicet aliquod adhuc ſupereſt ſemen, licet rarum. nunquam enim ſic prorſus aboletur Eccleſia, quin maneant ſemper aliquæ reliquiæ: earum ſaluti conſulere Deus volens, poſtquam exercuit ſuam vindictam, ſimul etiam convertit manum ſuam contra miniſtros, quibus uſus eſt, quoniam ſcilicet perperam abuſi ſunt ſua poteſtate. ſic etiam hodie cornuti Epiſcopi ſentient quam pretioſa ſit Deo Eccleſiæ ſalus : quia etſi omnes fere populi & ſinguli homines digni ſunt tyrannica illa ſævitia, ſcimus tamen adhuc manere aliquos diſperſos in illo labyrintho, & Deo eſſe curam ipſorum. Quamvis ergo putent ſe eſſe innoxios, latrones & lupi qui hodie in Papatu rerum potiuntur, ſentient tamen Deum eſſe rectum judicem impiæ illius crudelitatis : quia confuſio Eccleſiæ non eſt interitus. ſervat enim Dominus ſemper aliquas reliquias. Jam ſimul etiam videmus totam hominum fortitudinem fundatam eſſe in Dei gratia: deinde pendere ab ejus Spiritu ſanam intelligentiam. nam quum utrumque auferat hominibus, hoc eſt, tam robur quam rectum judicium, hinc etiam colligimus penes arbitrium ejus eſſe utrumque largiri. ſciant igitur homines fulciri ſe occulta virtute Dei, ut vigeant ac polleant juſta fortitudine : ſciant etiam ſe gubernari ejus Spiritu, ut perſpiciant quid utile ſit. præſertim vero qui dominantur agnoſcant hoc eſſe ſingulare donum Dei ſi tranquillam poteſtatem obtinent : deinde ſi recte proſpiciunt ſuis ſubditis, & præditi ſunt ſana intelligentia, ſciant hoc ſibi totum divinitus dari.

dari. Sed quæritur quomodo hoc conveniat, ſpoliari intelligentia & fortitudine qui prius erant inutiles. Reſpondeo tantundem hoc valere acſi diceret Propheta, ejus qui inutilis fuerit paſtor turpitudinem fore omnibus conſpicuam. Ad tempus enim etiamſi longiſſime abſint à paſtorum officio, tamen decipiunt ſimplicem plebeculam: imo videmus ut hodie fallaci ſplendore perſtringant omnium fere oculos cornuti Epiſcopi & Abbates & tota illa colluvies. Creduntur ergo eſſe & Papa vicarius Dei, & alii omnes ſucceſſores Apoſtolorum. hic autem teſtatur Propheta, ubi maturum tempus advenerit, palam fore eorum flagitia, ita ut in ipſorum faciem omnes conſpuant, ut ſint omnibus deteſtationi. Quamvis ergo credantur ſapere & habeantur in admiratione, vel ſaltem in pretio, utrumque illis ablatum iri minatur Zacharias, quoniam incumbet maledictio Dei & *brachiis ipſorum & oculis etiam dexteris*. Hæc ſumma eſt. Ego cras incipiam proximum caput.

Da omnipotens Deus, quando tam patienter ſuſtinuiſti hactenus non modo noſtram pigritiem & ſtultitiam, ſed etiam & ingratitudinem & pervicaciam, ut poſthac nos tibi præſtemus morigeros & obſequentes: & quoniam dignatus es nobis præficere optimum paſtorem unigenitum Filium tuum, fac ut viciſſim eum libenter audiamus, & etiam placide nos ab eo regi ſinamus. & quamvis experiaris in nobis quæ iram tuam merito provocent, tamen ne ad extremum uſque rigorem deſcendas, ſed ita corrigas quæ in nobis vitioſa ſunt, ut pergas uſque ad ultimum in officio paſtoris, donec tandem ſub ductu manus tuæ perveniamus in cœleſte tuum regnum: & ita hodie contineas nos in ovili tuo, & ſub pedo tuo paſtorali, ut tandem ſegregati ab hœdis, fruamur illa æterna hereditate, quæ nobis parta eſt ejuſdem Filii tui ſanguine, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA SEPTIMA

IN

ZACHARIAM PROPHETAM.

CAPUT XII.

ONus verbi Jehovæ ſuper Iſraël. Dicit Jehova, qui expandit cœlos, & fundavit terram, & formavit ſpiritum hominis in medio ejus.

VIdetur hæc inſcriptio ſequentibus parum congruere, quoniam non denunciat cladem aliquam electo populo in hoc capite, ſed potius ſolatur miſeros, & promittit ſalutem Eccleſiæ fore Deo curæ. Quum ergo hic tantum de gratia & auxilio Dei concionetur Zacharias, videtur male hic poſuiſſe nomen *Oneris*, vel intempeſtive. ſcimus enim משא proprie accipi de triſtibus vaticiniis. Hoc quidem poſſet excuſari, quoniam ſic Deum fore liberatorem Eccleſiæ promittit, ut interea doceat ipſam multis incommodis & moleſtiis ſubjectam fore: ſed potius exiſtimo diverſum fuiſſe Prophetæ conſilium, nempe ut oſtenderet Iſraelitas, qui prætulerant exilium gratiæ Dei, daturos pœnam ſuæ ignaviæ & ingratitudinis, quod ſcilicet per eos tantum ſtetiſſet, quominus rurſum coaleſcerent in unum corpus, & pure colerent Deum in patria ſua. hoc ſecure prætereunt interpretes quaſi ad rem nihil faceret. Cæterum, niſi hoc tenetur, quicquid legitur in hoc capite prorſus erit inſipidum. Ego igitur ſic ſtatuo, Prophetam hic invehi contra Iſraelitas qui reſpuerant quod tamdiu expetiverant, quum eſſet divinitus illis & præter ſpem oblatum. nihil enim magis optabile illis fuit quam reditus liber in patriam. & videmus etiam quam ardenter precati fuerint Prophetæ omnes pro hac reſtitutione. Quum ergo Iſraelitæ & otio & deliciis & terrenis ſuis utilitatibus addicti, pro nihilo duxiſſent ſibi permitti reditum, ut rurſus colligerentur ſub manu Dei, hæc turpis fuit ingratitudo. Propheta igitur hic coarguit eos, & oſtendit longe alium fore ſucceſſum quam ipſi imaginentur. Notandum autem eſt, ideo torpore fuiſſe retentos, qui huc & illuc diſperſi erant, quia non putabant fore diuturnum populi ſtatum. videbant enim, ſicuti prius fuerant experti, Judæam undique cingi infeſtiſſimis hoſtibus: deinde non fore tam validum populum ut poſſet omnes impetus repellere. Jam enim aſſuefacti erant ad omnia ferenda: & ſi qua fuerat in illis generoſitas, ab ea prorſus deſciverant, quum oppreſſi fuiſſent longa ſervitute. Quum ergo hoc apud ſe reputarent decem Tribus, non uſæ ſunt præſenti Dei beneficio: ita factum eſt, ut prorſus alienatæ fuerint ab Eccleſia Dei & quaſi ſponte renunciaverint fœderi, in quo tamen fundata erat ſpes æternæ ſalutis. Quid autem tradit Zacharias hoc capite? nempe Deum fore Jeroſolymæ cuſtodem, ut eam tueatur contra omnem violentiam: & quamvis undique ſurgant populi ad eam oppugnandam, tamen non paſſurum, ut ſuccumbat. videbimus etiam alia permulta: ſed tantum hic ſufficiat ſummam attingere, quod ſcilicet Deus exiguam illam manum & infirmas ac debiles reliquias non deſeret: ſed utcunque longe inferiores ſint Judæi ſuis hoſtibus, tamen ad eos tuendos ac ſervandos unicam Dei virtutem fore parem. Jam ſi quæratur cur Propheta vocet hoc *Onus ſuper Iſraële*, in promptu eſt reſponſio, quod ſcilicet Iſraëlitæ inter exteras gentes putreſcent ſine ulla ſpe liberationis, poſtquam noluerunt colligi ſub manu Dei, quum tamen comiter & benigne invitaſſet omnes. Quoniam ergo nihil profecerat Deus brachia ſua extendens, quum vellet eos rurſus amplecti, hoc eſt *Onus* de quo loquitur Zacharias, quod ſcilicet urentur dolore & invidia, quum videbunt fratres ſuos protegi tunc Dei auxilio, ſe autem jam carere prorſus omni ſpe ſalutis. denique hic tacita eſt antitheſis inter decem Tribus & inter domum Jehudah, ut facile patebit ex contextu. Quoniam tenemus conſilium Prophetæ, jam ad verba deſcendo. Dicit, *Onus verbi Jehovæ ſuper Iſraële: dicit Jehova, qui expandit cœlos.* His epithetis Deum inſignit Zacharias ad confirmandam hujus vaticinii fidem. neque enim dubium eſt, quin hic & creationis cœli & terræ & etiam hominis facta fuerit mentio propter circumſtantiam loci. Alibi vidimus ſimiles ſententias. nam ubi de re creditu difficili agitur, niſi occurrat nobis immenſa Dei potentia, friget quicquid nobis promittitur. Deus ergo ut fidem ſuis promiſſionibus acquirat, oculos noſtros in cœlum attollit, & jubet hoc mirabile opificium diligenter aſpicere: deinde convertit nos ad terram, ubi etiam inæſtimabilis ejus virtus apparet. tertio revocat nos ad conſiderationem propriæ naturæ. Si ergo hoc vix poterat credi, fuit optimum remedium quod hic profert Zacharias, nempe ut oculos erigerent ſurſum Judæi: poſtea ad terram converterent. nam expanſio cœlorum cogit nos ad ſui admirationem, & quantumvis ſimus ſtupidi, non poſſumus tamen Solem & Lunam & Stellas, denique totum hoc expanſum quod ſupra nos eminet aſpicere ſine aliquo & quidem

ingenii

ingenti metu. Quum ergo Deus omnem humani ingenii captum ſuperet in ipſo mundi opificio, quid jam impediat quominus credamus quod tamen videtur minime eſſe conſentaneum? neque enim metiri convenit Dei opera ſenſu noſtro, quando ne centeſimam quidem eorum partem capimus, utcunque applicemus ad conſiderationem quicquid eſt in nobis. Neque etiam hoc leve eſt, quum addit Deum *formaſſe ſpiritum hominis in medio ejus*: ſentimus enim nos vivere. corpus per ſe carebit omni motu & vigore, niſi intus animetur: anima quæ corpus vegetat inviſibilis eſt. Quum ergo experientia nobis demonſtret virtutem Dei, quæ tamen non eſt oculis conſpicua, cur non expectabimus quæ promittit, etiamſi eventus nobis incredibilis videtur, & omnes ſenſus noſtros excedit? Tenemus ergo nunc cur Propheta commemoret Deum *expandiſſe cælos & fundaſſe terram & formaſſe hominis ſpiritum.* Quum dicit, *in medio ejus*, intelligit ſpiritum habitare intus: quia ſcimus corpus noſtrum eſſe inſtar tabernaculi. Pergamus.

2. Ecce ego pono Jeruſalem poſtem contritionis (*vel calicem veneni, aut mortiferum: alii vertunt, Crapulæ*) omnibus populis per circuitum: atque etiam ſuper Jehudah, erit in obſidione contra Jeruſalem.

Hic incipit Zacharias docere quod breviter expoſui, nempe Jeroſolymam fore ſub Dei præſidio, ut ſalvam & incolumem præſtet adverſus cunctos hoſtes. ſed hic figuris utitur, quæ rem ipſam magis illuſtrent. Dicit *Jeruſalem fore quaſi poſtem contritionis.* סף ſignificat Poſtem fere in tota Scriptura: ſed hic quidam accipiunt pro Calice: & ideo רעל vertunt Temulentiam, aut furorem. ſed quia etiam רעל Hebræis dicitur Contritio, non male conveniet, Jeroſolymam vocari poſtem, ad quem impingitur, ita ut qui crure ſuo poſtem illum attingit, ſibi aut os frangat, aut aliquid damni inferat. Quanquam videtur plus aliquid exprimere Propheta, quod ſcilicet quiſquis volet tranſcendere Jeroſolymam, reperiet offendiculum, quo ſibi crura frangat & conterat. Senſus igitur eſt, clauſum fore ingreſſum, ne hoſtes Jeroſolymam expugnent, etiamſi pervenerint ad ipſos muros & portas, quia ſcilicet in ipſo limine impingent, ut dicitur. Si magis arridet altera verſio, ſenſus etiam aptus erit, nempe omnes impios ubi omnia machinati fuerint contra Eccleſiam Dei, ſeſe inebriaturos ſuis conſiliis: imo potum illis fore mortiferum. eſt enim cupiditas hominum ſimilis temulentiæ. Quum ergo improbi colligunt ſuas copias contra Eccleſiam, perinde eſt acſi cupide vinum haurirent: quemadmodum temulenti homines conveniunt ut ſeſe ingurgitent. Senſus igitur Prophetæ eſſet, immodicum illum potum fore mortiferum gentibus. Sed retineo ſententiam priorem, nempe quamvis apertæ ſint ſanctæ Urbis portæ, imo etiam facilis ingreſſus per muros ipſos pateat, Deum tamen omni ex parte fore propugnatorem, ut hoſtes ad limen ipſum impingant, ac ſeipſos conterant, quemadmodum diximus. Fuit autem valde neceſſaria hæc promiſſio, quoniam Jeruſalem tunc expoſita erat omnium injuriis, neque poterat ſeſe vel foſſis, vel muris, vel aggeribus defendere: ſed Dominus hic pronunciat *fore poſtem contritionis.* Jam adjungit, *etiam contra Jehudah*, vel ſuper Jehudah, *erit in obſidione ſuper Jeruſalem.* Meo judicio, Propheta extendit promiſſionem ad totam terram: quaſi diceret, etiamſi Jeroſolymæ circuitus non capiat omnes incolas, tamen ubique fore tutos, quia Deus ſuſcipiet eos in fidem ſuam. Miror cur omittant quidam interpretes particulam על, & ita vertant, Erit etiam Jehudah in obſidione contra Jeruſalem. Eliciunt vero ſenſum prorſus contrarium, quod ſcilicet erunt quidam ex Judæis ipſis perfidi homines, qui non parcent fratribus & conſanguineis, ſed hoſtiliter ſe gerent contra ipſos, & conjungent perverſa ſua ſtudia cum profanis gentibus. Sed ego in diverſam partem refero, quod ſcilicet ubi obſidebitur Jeruſalem, Dominus obſtacula ponet omni ex parte, quæ impediant & prohibeant hoſtium impetus. Quum ergo Deus tuebitur ſanctam Urbem, inquit, etiam hoc idem erit (nam verbum, *erit*, refero ad protectionem Dei. hoc ergo idem erit) in tota terra: quaſi diceret, non tantum unius urbis cuſtodem fore Deum; ſed totius terræ Sanctæ. hoc autem acriter pungere debuit Iſraëlitas, quum viderent ſe excludi à Dei auxilio, quia gravati fuerant redire in patriam quum permiſſa illis eſſet libertas. Sequitur,

3. Et erit in die illa, ponam Jeruſalem lapidem oneroſum cunctis populis: quiſquis portabit, conciſione concidetur, (*vel laceratione lacerabitur*) & congregabuntur contra eam omnes gentes terræ. (*Sic autem reſolvi debet oratio, Licet congregentur adverſus eam cunctæ gentes terræ.*)

Hic aliam metaphoram adjungit Zacharias, quæ etiam valde appoſita eſt. Quum enim contra ſanctam Urbem bellarent impii, non fuit propoſitum redigere duntaxat eam ſub obſequium, vel imponere tributum aut vectigal: vel ſimpliciter dominari. Quid igitur? excidere funditus, & delere illius memoriam. Quum ergo tanta crudelitas hoſtes impelleret ad oppugnationem Urbis ſanctæ, Propheta hic occurrit, & teſtatur lapidem illum nimis fore oneroſum. Comparat autem hoſtes Jeroſolymæ homini qui lapidem tollere conatur ubi vires non ſufficiunt. Ille ergo concidit ſibi nervos. nam ſiquis nitatur ſupra ſuam facultatem, fit aliqua luxatio in membris, aliqua in nervis ruptura. Propheta ergo huc ſpectat, Conſpirent licet multæ gentes contra Jeruſalem, & toto conatu incumbant ad eam evertendam, hoc tandem proficient, ut ſentiant nimis oneroſam ſibi eſſe molem. Itaque frangent ſibi aut lacerabunt brachia, quoniam rumpentur eorum nervi in ipſo exceſſu conatus. Alii frigidius exponunt, lacerando lacerabitur: quia ſcilicet ubi quis accipit lapidem aſperum, ſibi manus exulcerat. ſed Propheta haud dubie aliquid gravius notare voluit: & melius etiam reſpondent hoc modo ſingula membra, quoniam, ut diximus, conſilium impiorum fuit transferre Jeroſolymam, ut lapis non maneret ſuper lapidem: Deus autem hic pronunciat nimis grave fore onus, ita ut ſentiant ſibi frangi vel abrumpi nervos, ubi intemperanter conati fuerint transferre quod moveri ſuo loco non poterat. Ratio autem hujus vaticinii eſt, quoniam Deus fundator
erat Jeroſolymæ, ſicuti dicitur, Fundamenta ejus in *Pſal. 87.*
montibus ſanctis, diligit Dominus portas Sion: *verſ. 1.*
deinde alio loco, Jehova in medio ejus, non com- *Pſal. 46.*
movebitur. Jam ſimul memoria repetendum eſt *verſ. 6.*
quod vidimus proximo verſu. Quamvis enim ideo cœli in continuo motu retineant tamen ſuam ſtationem, poſſet fieri ut ruerent: ſed etiamſi contingeret cœlum & terram miſceri, Jeruſalem quæ fundata eſt Dei manu, & quæ exempta eſt à communi ſorte hominum, & cujus peculiaris eſt conditio, manebit ſtabilis. Videmus ergo cur dicat Propheta non alium fore ſucceſſum impiis ubi evertere Jeruſalem ſtudebunt, quam ut ſeipſos lacerent. Poſtea adjungit, *Et congregabuntur contra eam omnes gentes.* Diximus hoc fuiſſe additum, ut oſtenderet

etiamſi undique confluerent hoſtes, Deum tamen ſuperiorem fore. ergo amplificationem in ſe continet hoc membrum, ut fideles perſtarent invicta conſtantia ad bene ſperandum, quamvis hoſtium multitudine viderent ſe obrui. Illa eſt ſumma. Poſtea ſequitur,

4. Die illo, inquit Jehova, percutiam omnem equum ſtupore, & ſeſſorem ejus amentia: & ſuper domum Jehudah aperiam oculos meos, & omnem equum populorum percutiam cæcitate.

Hic proſequitur eandem ſententiam, ſed aliis verbis, nempe in Dei manu eſſe multiplices modos quibus furorem hoſtium & arceat & frangat. In vocibus *equi* & *ſeſſorum* eſt ſynecdoche. intelligit enim Propheta quicquid robuſtum fuerit, tamen facile poſſe vinci divinitus. Dicit primo, *Percutiam omnem equum ſtupore*. ſcimus robur militare eſſe in equis & equitibus: equos autem dicit fore attonitos: equites vero ipſos quaſi correptos inſania, ut ſcilicet ſeipſos conficiant, neque poſſint nocere Eccleſiæ. Confirmat igitur quod nuper dixit, quamvis totus mundus conſpiret contra Eccleſiam, tamen ſatis eſſe virtutis in Deo, ut omnes impetus vel procul repellat vel conterat. & ideo ſtuporem, amentiam, cæcitatem ponit, ut diſcant fideles Deum occultis modis poſſe hoſtes ſuos vel perdere vel profligare. Quamvis ergo Deus non pugnet exertis gladiis, neque utatur communi bellandi more: dicit tamen Propheta inſtructum eſſe aliis mediis, ut hoſtes ſuos proſternat. nam qui etiam potentiſſimi ſunt in mundo, non tamen poſſint eo uſque penetrare, ut cæcitate & amentia hoſtes ſuos conturbent. ſed Propheta hic nſtendit, etiamſi non appareat nobis ratin, qua liberare Deus nos volet, bene nihilominus eſſe ſperandum, quia flatu ſuo conficiet hoſtes omnes ubi eos excæcabit, & ubi illis eripiet & mentem & conſilium & robur. Poſtea addit, *Et aperiam oculos meos ſuper domum Jehudah*. Hæc eſt cauſæ redditio, cur ſcilicet feriendi ſint nmnes hoſtes inſania & ſtupore, quoniam Dominus Eccleſiam ſuam reſpiciet. nam Aperire oculos tantundem valet, atque curam adjicere. viſus autem fuerat Deus ad tempus negligere populum ſnum: & ceſſatio illa, quaſi nblivin erat. Ideo ſæpe queruntur ſancti, Quouſque obdormies? quouſque claudes oculos? Reſpice Domine, Videas. ita hoc loco intelligit Zacharias Deum adhuc curam gerere populi ſui, nt hoſtibus occurrat. Hinc ergo percipere nunc licet utilem doctrinam, primo nihil melius eſſe nobis, quam ſub umbra protectionis Dei colligi: etiamſi Eccleſia munitione omni careat: imo ſi innumeros habeat hoſtes ſibi infeſtos, & ad reſiſtendum nullæ vires ſuppetant. Quamvis ergo ſic miſere laboret Eccleſia, atque inter multa diſcrimina verſetur, imo ſubjaceat morti, diſcamus ex hoc loco miſeros eſſe qui metu & puſillanimitate ſe ab ea ſeparant: qui vero invocant Deum, & rejiciunt in ipſum curam ſalutis ſuæ, eos fore beatos, quamvis totus mundus contra ipſos inſaniat: quamvis crepent arma omnium gentium, quamvis etiam equi tumultuentur, Dei præſidium ſatis fore ad Eccleſiæ ſuæ tutelam. hoc unum eſt. Deinde diſcamus etiam fidem noſtram exercere, ubi Deus videtur nos quaſi projicere inter dentes luporum: quia etiamſi non opponat viſibile aliquod auxilium, ſcit tamen quomodn liberandi ſimus, & habet apud ſe occulta adminicula; quæ ideo non cernimus, quia vult probare fidem & patientiam noſtram. Poſtremo diſcamus, etiam ubi connivet Deus ad noſtras miſerias, quaſi noſtri prorſus nblitus foret, tamen ſpem noſtram quæ in ipſo fundata eſt, non poſſe labefactari: quia ſi manebimus in ejus grege, tandem aperiet oculos ſuos, hoc eſt, reipſa oſtendet ſibi curam eſſe noſtræ ſalutis. Jam ſequitur,

5. Et dicent duces Jehudah in cordibus ſuis, Fortitudo mihi (*vel robur*) habitatores Jeruſalem in Jehova exercituum Deo ſuo.

Adhuc continuat eandem doctrinam, nempe quamvis grex Dei puſillus ſit & imbellis, tamen ſatis virtutis fore, quia Dominus ab eorum parte ſtabit qui ad ipſum confugient. Quamvis ergo Jeroſolyma nondum referta ſit civibus, & duntaxat ſit urbs una, teſtatur Zacharias illic fortitudinem invictam fore. ſed loquitur de ducibus Jehudah per comparationem. Olim ſcimus quanta illic fuerit hominum copia, & quanti exercitus confecti fuerint ex una illa Tribu & dimidia Tribu Benjamin. Quum ergo multæ olim fuiſſent præfecturæ, quum regio plena fuiſſet oppidis populoſis, tunc ſola fere Jeruſalem cœperat habitari. ſed Propheta hic denunciat etiamſi collectum ſit totum Eccleſiæ corpus intra unius urbis anguſtias vel cancellos, tamen illic fore ſatis virtutis ad profligandos omnes hoſtium inſultus. *Dicent* ergo *duces Jehudah*: hoc eſt, quum olim præfecti ſingulis urbibus vel Chiliarchæ numerarint ſuas copias, jam omnes reſpicient ad urbem unam, quia ſcilicet terra fere deſerta eſt & nudata incolis; tamen bene ſperabunt, quia in Domino erit fortitudo ipſorum. Quidam inſerunt copulam, Fortitudn mihi & civibus Jeruſalem: cæterum, corrumpunt ſenſum, quia uno contextu voluit dicere Propheta quod jam attigi, nempe omnium oculos fore conjectos in unam urbem duntaxat: & tamen ſatis firmam materiam fore bonæ ſpei & fiduciæ, quia ſcilicet fortes erunt, non in ſeipſis, ſed in Deo ſuo. Mutatio eſt numeri, ubi dicit, Fortitudo mihi. nam loquutus erat de ducibus. Oportuit igitur dicere, לי. ſed jam inducit ſingulos loquentes: quaſi diceret, quiſque ex ducibus non intentus erit ad ſuas terras, ſed oculos potius diriget ad ſanctam Urbem, & contentus erit defenſione paucorum hominum: ideo dicit, *In Jehova exercituum Deo ſuo*. ſignificat enim Deum tunc fore protectorem illius populi, quem ad tempus deſeruerat. & rurſus vocat Deum exercituum, ut commendet invictam ejus fortitudinem, ne ſcilicet terrore deficerent piorum animi, quum viderent ſe longe impares eſſe hoſtibus. Sequitur,

6. In die illa ponam duces Jehudah quaſi fornacem (*vel catinum fuſorium*) ignis inter ligna, & quaſi facem (*vel lampadem*) ignis in manipulo, (*hoc eſt, inter manipulos*) & comedent ad dextram & ad ſiniſtram cunctos populos in circuitu: & habitabitur (*vel manebit*) Jeruſalem adhuc ſub ſe (*hoc eſt, in loco ſuo*) in Jeruſalem.

Adjungit aliam figuram novæ confirmationis gratia. Dicit enim duces Jehudah fore ſimiles catino fuſorio. quanquam alii vertunt, Focum; ſed male, & ſine colore. Poſtea comparat eos *faci ardenti*: comparat autem profanas gentes ligno & ſtipulis vel paleæ. Alibi etiam ita loquitur Spiritus: & notanda *Job 21.*
eſt ratio, quia quum impii Eccleſiam Dei oppugnant, *verſ. 17.*
videntur omnia ſecum afferre quæ ad interitum ejus faciant. Atqui Deus pronunciat eos fore inſtar paleæ & ligni: & quemadmodum apud Jeſaiam, Erit do-

mus

mus Iſraël in ignem ardentem, & vorabit omnia ligna ſylvæ. Sic etiam hoc loco, erit quidem magna congeries hoſtium, ubi ſeſe aggregabunt contra Jeruſalem: ſed Dominus conſumet eos, quoniam erit inſtar ignis in medio populi ſui, & populus ipſe arcana Spiritus virtute erit quaſi catinus ardens, & quaſi fax quæ devoret paleas, in quibus nihil eſt ſolidi. Cæterum rurſus oſtendit Propheta liberationem Eccleſiæ ſemper eſſe mirificam: ideoque perperam eos facere qui affixi ſunt humanis & terrenis mediis: & libenter Deum aſtringerent ad ſuos ſenſus: & ideo ſimulac illis promittit Deus ſe fore illorum liberatorem, inquirunt, Sed quomodo hoc fiet? unde nobis auxilium? quomodo ad nos uſque ſeſe extendet manus Domini? unde colliget ſibi milites? Quoniam ergo ſolemus ita anxie inquirere, ut procul repellamus à nobis Dei auxilium, tenenda eſt hæc Prophetæ doctrina, quamvis hoſtes noſtri turmatim in nos ruant, tamen fore lignorum congeriem, & nos fore ſimiles fornaci: quia etiamſi in nobis nullæ ſint vires, Dominus tamen occulta ſua gratia efficiet ut ſolo acceſſu ſeſe conſumant hoſtes noſtri. Eodem etiam pertinet altera ſimilitudo, *fore vel lampadem*, vel facem, *in manipulis paleæ*. Nam hic etiam ſingularis numerus ponitur pro plurali. Tandem ſequitur explicatio, *Comedent ad dextram & ſiniſtram cunctas gentes in circuitu.* Hic videtur tribuere Zacharias inexplebilem ſævitiem, & cupiditatem vindictæ fidelibus, qui tamen reguntur manſuetudinis Spiritu, ut imitentur Patrem ſuum cœleſtem. Sed hic non agitur de affectu ipſorum: tantum oſtendit Propheta fruſtratum iri omnes impios ſuo ſucceſſu: neque id modo, ſed etiam conſumptum iri. Quo igitur furioſius inſilient contra Eccleſiam, eo magis ſubita erit ipſorum conſumptio: quia etiamſi fideles velint illis parcere, Deus tamen ipſis non parcet, qui juſtus eſt judex. Denique transfertur ad Eccleſiam opus ipſius Dei, quemadmodum aliis locis. Poſtremo repetit ſententiam illam, nempe *Jeruſalem ſtaturam in loco ſuo ubi erat.* Eſt repetitio, ut jam vidimus, quia putabant hoſtes poſſe everti Jeroſolymam, ut nihil prorſus reſiduum extaret. Propheta autem ex oppoſito dicit ſtabilem fore in loco ſuo, quia ſcilicet locum illum elegerat Deus, ubi volebat coli, & elegerat in memoriam nominis ſui, quemadmodum ſæpius dicitur apud Moſen. Denique ſignificat firmum & perpetuum fore Eccleſiæ ſtatum: etiamſi conſpirent cuncti mortales ad ejus excidium, & projiciant huc & illuc lapides, tamen fore illic æternum Sanctuarium Dei ſicuti promiſerat, nempe uſque ad Chriſtum. Nam ſcimus tunc Jeroſolymam oportuiſſe prorſus exſcindi cum Templo: quia finis omnium rerum advenerat, & renovandus erat orbis.

Da omnipotens Deus, quando hodie dura eſt, ac infelix etiam videtur eorum omnium conditio, qui ſub vexillo crucis Chriſti militant: da, inquam, ut freti his promiſſionibus; quibus nos animas, conſtanter perſtemus: neque dubitemus manere in tuo ovili, quamvis undique nos lupi obſideant, quamvis furioſe etiam nos appetant fures & latrones, ut tamen maneamus ſemper ſub manus tuæ auxilio, neque invideamus filiis hujus ſeculi ſuas delicias & ſuam quietem & omnia commoda: ſed ita patiamur nos agitari ſub continuo metu, ut tamen quietis animis expectemus, dum in ipſo ultimo mortis articulo oſtendas ſalutem nobis certam in manu tua & fidam eſſe: atque ita tandem defuncti omnibus moleſtiis, perveniamus ad beatam illam quietem, quam nobis peperit unigenitus Filius tuus ſanguine ſuo, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA OCTAVA IN ZACHARIAM PROPHETAM.

CAP. XII.

7. Et ſervabit Jehova tabernacula Jehudah ſicut initio: (*ſubaudienda enim eſt nota ſimilitudinis*) itaque non gloriabitur decor (*vel magnificentia*) domus Davidis, & decor civis Jeruſalem contra Jehudam.

ITerum docet Propheta non opus eſſe adminiculis, ubi Deus exerit manum ſuam ad ſervandum populum: quia ſatis ſuperque ſibi ſufficit. Huc autem tendit ſententia, ut diſcant Judæi acquieſcere in ſolo Deo, etiamſi videant ſe deſtitui omnibus ſubſidiis terrenis: quia ubi vult Deus ſervare, non indiget ullo auxilio, ſicuti diximus, neque aliunde mutuatur, ſed unus ipſe ſibi ſufficit. Ceterum per *tabernacula*, meo judicio, Propheta intelligit tuguria, quæ non poſſunt tueri ſuos hoſpites vel inquilinos. Verum quidem eſt, Hebræis vocari סכות tentoria: ſed idem etiam intelligunt per אהלים, nempe tabernacula, quæ præbent hoſpitium temporale, non ſunt autem ſolide extructa: & hoc colligitur ex multis locis. Fateor plerumque promiſcue vocari omnes domos Tabernacula, hoc eſt, אהלים: ſed proprie tamen nomen hoc ſignificat tentorium quod extruitur ad breve tempus: quemadmodum dicuntur Patres habitaſſe in tabernaculis, quoniam ſcilicet nuſquam illis fixa erat ſtatio. Nunc videndum eſt cur de tabernaculis loquatur Propheta. Poſſet hoc referri ad deſerti habitationem: ſed quia vereor ne illud ſit nimis remotum, ſimplicius accipio tabernacula in quibus habitabant Judæi quum redempti ex Ægypto ingreſſi eſſent terram: quia oportuit mirabiliter tunc ipſos protegi Dei manu, quum exacerbaſſent omnes vicinos, atque accendiſſent omnium in ſe odia. Erant quidem aliquæ urbes munitæ, ſed ut plurimum degebant in pagis: ſaltem major pars populi contenta erat ſuis tuguriis. Quum igitur tunc nulla eſſet munitio Iſraëlitis, jam reducit illis Propheta in memoriam, fuiſſe defenſos unius Dei præſidio, ut ſperent etiam in poſterum ſe tutos & incolumes fore, quia Deus tuebitur eos uſque ad finem. Eſt igitur hic tacita comparatio inter tuguria & urbes munitas. Et Propheta jubet ipſos conſiderare quid olim experti fuiſſent ipſorum patres: Deus enim fideliter ipſos tutatus fuerat, quum tamen non eſſent muniti contra impetus hoſtium. Primo dicit, *Servabit Jehova tabernacula*: quaſi diceret, Scitis patres veſtros olim defenſos fuiſſe manu Dei, quum tamen non habitarent ut plurimum in urbibus, ſed diſperſi eſſent in pagis. Quum ergo multis ſeculis antequam Rex creatus eſſet, Deus ſervator fuerit populi ſui, idem etiam in poſterum ab ipſo ſperate. Sed tenendum ſimul eſt quod heri diximus, promitti Judæis qui redierant in patriam, opem Dei, ut ſcirent Iſraëlitæ, quos ignavia ſua retinuerat in exilio Babylonico, ſe merito pœnam dare ſuæ ingratitudinis: quia non dederant gloriam Deo ut par erat, quo ſcilicet ejus tutelæ ſe committerent, atque ita recumberent in ejus præſidium, ut non quærerent alia adminicula in terris. *Servabit* igitur *ſicut initio*, inquit. Jam dixi particulam ſimilitudinis debere ſubaudiri. Poſtea adjungit,

Ideoque non gloriabitur decor domus David, & decor civis Jeruſalem ſuper Jehudam. Poſterius hoc membrum exegetice additum exiſtimo: & res ipſa hoc etiam oſtendit. Deus enim pronunciat ſe ita fore protectorem inopum, ut non minus victores ſemper futuri ſint, quam ſi haberent multos exercitus armatos: ſi & pecuniis, & aliis etiam bellicis inſtrumentis eſſent præditi. Quod enim hic comparat domum Davidis & incolas Jeruſalem cum Jehudah, non dubium eſt quin reſpiciat in hunc finem, quamvis nullum ſit regnum, & nullæ urbes munitæ, ſatis tameo in ſe uno eſſe præſidii, ut inermem populum, & deſtitutum tam gladiis quam virtute & aliis omnibus mediis, per ſe tueri queat. *Non gloriabitur* ergo *domus David*. Et hoc videtur conſulto fuiſſe poſitum, quoniam ſuis opibus & potentia confiſi, non ita acquieverant in Deo ut decebat. Quoniam ergo in vanam ſuperbiam elati fuerant Judæi, quum & regni dignitas floreret, deinde etiam ſuppeterent divitiæ & bellica inſtrumenta, ideo coarguit Deus perverſam illam fiduciam, qua obſcuraverant Judæi gratuitum ejus favorem. Utcunque enim congeſſerint magnos theſauros David & Solomon, & etiam formidabiles fuerint hoſtibus ſuis, & omnibus vicinis gentibus, debuerant tamen quieſcere ſub unius Dei tutela. Quum autem terrena media illis animos inflaſſent, ideo coarguit Deus perverſum illum faſtum, & oſtendit non minus beatum fore ſtatum populi, ubi neque in ſolio Rex ſedebit, neque etiam extabunt omnia ſubſidia ad defenſionem populi: ac proinde denunciat qui ita expoſiti erunt omnibus incommodis, tutos fore tameo & incolumes, quia Deus ipſos tuebitur. Hoc ſenſu dicit Propheta non fore cur glorietur poſteritas Regia contra Jehudam, quamvis in tuguriis habitaret: deinde etiam incolæ Jeruſalem, qui erant tunc quaſi aulici, quum enim ſedes Regia eſſet Jeroſolymæ, manavit inanis illa gloriatio ad omnes cives. Quum ergo deſpicerent omnes terræ incolas, ut ſplendida erat illius urbis conditio, dicit Propheta, *Non gloriabitur poſthac* Jeruſalem, & poſteritas David contra totum Jehudam, qui diſperſus erat per apertos agros. Poſtea ſequitur,

8. Die illo proteget Jehova ſuper habitatorem Jeroſolymæ: & erit qui ægrotabit inter ipſos die illo quaſi David, & domus Davidis ſicuti Angeli, (*aut Dii*) ſicuti Angelus Jehovæ coram facie ipſorum.

Proſequitur eandem ſententiam. Dicit enim Deum inſtar clypei fore ad protegendos Judæos. Quanquam enim hic ponitur verbum יגן, tamen quia inde deducitur מגן, quod Clypeum ſignificat, tenenda eſt illa ſimilitudo, nempe Judæos, quamvis neque virtute polleant, neque inſtructi ſint armis bellicis, tamen fore tutos ſub Dei protectione, quoniam clypeus iſte ſufficiet. Et opponitur hic oblique Deus omnibus aliis munitionibus, quas nimis ſollicite quærere ſolent homines, & quibus etiam perverſe confidunt. Non dubium igitur eſt quin Propheta hic vendicet Deo talem potentiam, quæ etiamſi totus mundus repugnet, neque ullum auxilium appareat, tamen ſuperior futura ſit ad hoſtes delendos, & ſervandum populum. *Jehova* ergo, inquit, *erit die illo clypeus*.) Sed videtur hic eſſe aliquid repugnantiæ, quia proxime dixerat, Judæos ubicunque agerent fore tutos, quamvis non incolerent Jeroſolymam: nunc autem reſtringit hanc promiſſionem ad cives Jeroſolymæ. ſed facilis ſolutio eſt: heri enim vidimus laudari pietatem eorum, qui maluerant ſubire maximos & graviſſimos labores in itinere, deinde ſe exponere multis periculis, quam manere in exilio, quod ita alieni eſſent à Templo. Jam quum illud fuerit Prophetæ conſilium, non mirum eſt quod nunc cives Jeroſolymæ nominat, nunc vero complectitur generaliter omnes Judæos. Quod autem proximo verſu dixit cives Jeruſalem non poſſe gloriari contra ruſticos qui in pagis diſperſi erant: hac loquendi forma voluit humiliare etiam cives Jeruſalem, non tamen excludere à promiſſione communi. Quum ergo Deus omnium defenſor futurus eſſet, iterum redit ad Jeroſolymam Propheta. Nam quia Deus illic Sanctuarium ſibi elegerat, non mirum eſt ſi locus ille pretioſus coram ipſo fuerit. Sed oportuit interea Judæis auferri omnem ſuperbiam, ne confiderent terrenis mediis, quemadmodum dictum eſt. Hoc ſenſu dicit *protectionem Dei fore ſuper habitatores Jeruſalem*. Jam adjungit, *qui infirmus erunt inter ipſos fore ſimiles Davidi*. Quidam argute exponunt, quod ſicuti David quum neque exercitatus eſſet in bello, neque etiam valde robuſtus, ſed propemodum puer: tamen confecerit gigantem illum ſuperbum Goliad: ita etiam intelligunt infirmos ex Judæis Dei virtute fore hoſtium ſuorum victores. Sed videtur mihi illud coactum. Ego itaque non dubito, quin Propheta hic contexat ſuum ſermonem, & Davidem accipiat pro Rege. Nam quum David proſtravit Goliad, adhuc erat puer nulla virtute inſignis. Poſtea quam adeptus eſt regnum, ſcimus excelluiſſe modis omnibus inter omnes terrenos Reges. Ergo hanc potentiam nunc conſiderat Propheta, quum dicit minimos quoſque vel contemptiſſimos fore ſimiles Davidi: quaſi diceret, erunt omnes inſtructi heroica & regia virtute, non modo homines plebeii, ſed etiam qui videntur ſimiles eſſe fœminis, & qui nihil virile præ ſe ferunt, illi tamen excellent heroica virtute Davidis. Poſtea ſequitur, *Et tota domus David erit quaſi Angeli*, hoc eſt, ipſa poſteritas Regia erit inſignis Angelica virtute. Hoc autem neceſſe fuit addere, ne putarent fideles jam in nihilum redigi domum Davidis, unde tamen ſperanda erat ſalus. Nam quicquid illis promiſſum fuiſſet, hoc potuit evaneſcere, niſi ſemper ſtetiſſet illa promiſſio, in qua fundata erat totius populi ſalus, Domus tua in æternum manebit. Nunc ſi *Pſal 89. verſ. 37.*
Zacharias viſus fuiſſet dejicere & prorſus evertere domum Regiam, poterat hoc venire in mentem fidelibus, Unde ergo exorietur nobis ſalus? quia ſine Chriſto certum eſt nos eſſe perditos. Chriſtus autem non poteſt niſi ex domo Davidis prodire. Ergo Propheta hic tempeſtive dicit domum Regiam fore præſtantiſſimam, acſi totidem illic eſſent Angeli, quot homines. Ponit nomen אלהים. quod etiam Deos ſignificat. Sed addit eodem ſenſu, *quaſi Angelus Jehovæ coram facie ipſorum*. Non dubium eſt, quin Propheta hic comparet poſteros Davidis Angelo, qui dux populi fuerat & miniſter redemptionis. Angelum illum colligimus fuiſſe Chriſtum, quia etſi plures Angelos Deus tunc populo ſuo deſtinavit, fuit tamen Chriſtus princeps ac caput, ut ſatis notum eſt. Propheta igitur hic ſperare jubet Judæos de perpetuo Dei auxilio: quoniam in domo Regia non modo erunt Angeli, ſed ille etiam dux patrum qui exercuerat incredibilem Dei potentiam in redimendo populo. Nunc tenemus conſilium Prophetæ: hæc ſumma eſt, Deum ita ſuſcipere populi ſui defenſionem ac tutelam, ut unus per ſe ſufficiat abſque adminiculis: deinde in domo ipſa regia fore miniſtrum ſalutis: ſicuti olim quum educti fuerant patres ex Ægypto, Deus manum ſuam exeruerat per Angelum, hoc eſt, jam præfecerat illis Mediatorem. Et hoc etiam ſenſu addit, לפניהם, *coram facie ipſorum*. Jubet enim fideles attendere ad domum Regiam, quæ tunc prorſus ſpoliata erat omni dignitate, ut nulla eſſet juvandi facultas. Nihil enim potuit tunc cerni in poſteris Davidis niſi probroſum, vel ſaltem contemptibile. Et tamen Propheta jubet ipſos ſperare ſalutem ex illa domo, quæ exciſa ſic erat, ut nihil illic eſſet ſpectabile. Nunc quæritur quando vaticinium hoc imple-

tum

tum fuerit. Magnifica enim hic prædicit Zacharias. Sed ſi percurrimus omnes hiſtorias, nihil tale reperietur, vel quod reſpondeat. Atqui notandum eſt, ideò promitti tam lætum & felicem ſtatum Judæis, quia oriturus ex illis erat Chriſtus: deinde quia Jeruſalem futura erat mater omnium Eccleſiarum, quia inde Lex proditura erat, & quia inde ſtatuerat Deus procul emittere ſceptrum regium, ut dominaretur filius Davidis in toto orbe. Quum hæc fuerit ratio, jam facile intelligimus quomodo felicior fuerit ac præſtantior conditio miſeri illius populi, quam ſub opulento & florenti regno Davidis: quia ſcilicet tandem exortus eſt Chriſtus, in quo perfecta ſperanda erat felicitas. Nunc hoc etiam addendum eſt, quamvis pauci ex Judæis Chriſti gratiam amplexi ſint, alii vero deſciverint, atque ita ceſſerint locum gentibus, tamen utcunque exigua fuerit portio fidelium, non tamen hyperbolice Prophetam ſic loqui, quia res per ſe æſtimanda fuit. Quod autem non pervenit ad Judæos fruitio, factum eſt eorum ingratitudine: ſed nihil tamen deceſſit ex hac felicitate quæ hic celebratur à Zacharia. Pergamus.

9. Et erit die illo, quæram ad perdendum omnes gentes quæ venient contra Jeruſalem.

Iterum repetit Propheta, quamvis undique turmatim Eccleſiam impetant impii & profani homines, tamen Deum fore ejus defenſorem. Quod autem dicit, *Quæram ad perdendum*, intelligit Deum intentum fore, quemadmodum ſolent homines ſolliciti, & qui ſerio aliquid procurant. Ne ergo putent fideles vel contemptu Dei, vel negligentia, vel oblivione ſe perituros, dicit ſe acrem fore ipſorum defenſorem. *Quæram* igitur, hoc eſt, ſummo ſtudio ero attentus *ad omnes gentes perdendas*. Non dubium eſt quin promiſſio hæc longius pateat quam ad Judæos. Vaticinatur enim hic de regno Chriſti: quia ſi conſideremus ſtatum populi toto illo intermedio tempore, quod à reditu populi uſque ad Chriſti adventum fuit, certe videbitur hic Propheta longe plus feciſſe ſpei, quam res ferebat. ſed reſpexit præcipue in Chriſtum. Hic ergo promittitur æterna Eccleſiæ defenſio. & hinc etiam pendet fiducia illa ſalutis, quod Deus pro nobis ſollicite excubat, ut ſcilicet ſeſe fortiter opponat omnibus noſtris inimicis. Ego breviter hæc perſtringo quæ longa meditatione & accurata opus habent. ſed mihi ſufficit breviter oſtendere Prophetæ ſenſum, modo hoc clarè fiat, ut quiſque deinde in uſum ſuum accommodet quæ hic dicuntur. Interea colligimus etiam ex Prophetæ verbis, Eccleſiam ſemper fore inquietam in mundo, quia non tantum unum hoſtium genus moleſtiam ei faceſſet, ſed etiam plurimæ gentes contra ipſam inſurgent. Sequitur,

10. Et effundam ſuper domum David, & ſuper habitatorem Jeroſolymæ Spiritum gratiæ & miſerationum, (*vel precationum, vertunt alii*) & reſpicient ad me quem confixerunt: & lugebunt ſuper ipſum tanquam luctu ſuper unigenitum, & amarulenti erunt ſuper ipſum quaſi amarulentia quæ eſt ſuper primogenitum.

Initio verſus ſignificat Propheta, quamvis miſeri tunc eſſent Judæi, & in poſterum etiam futuri eſſent, Deum tamen fore illis miſericordem: & ita hortatur eos ad patientiam, ne deficiant nimis diuturno languore. Neque enim ſatis fuit illis promittere quod ante vidimus de auxilio Dei, niſi etiam adjungeret Zacharias, tandem exorabilem illis & propitium fore Deum, ubi multa incommoda perpeſſi fuerint, ſicut eos fere tabidos muodus exiſtimet. Quantum attinet ad *effuſionem Spiritus*, videtur hæc loquutio dura primo intuitu. nam quid eſt effundere Spiritum gratiæ? potius ita loqui debuerat, Ego gratiam meam effundam ſuper ipſos. Sed intelligit Deum fore miſericordem: quia Spiritus ejus flectetur ad liberandos Judæos. Nam hic Spiritum Dei comparat hominis animo: & ſcimus humano more Scripturam ſæpe loqui. Quum ergo dicit, *Effundam Spiritum gratiæ*, ſic reſolvi poteſt commode oratio, Ego effundam viſcera mea ad miſericordiam: vel, Ego totum cor meum aperiam, ut miſerear hujus populi: vel, Spiritus meus erit inſtar animi, qui impellere ſolet hunc vel illum ad miſeros juvandos. Nunc videmus quo ſenſu apte dicatur Deus Spiritum gratiæ effundere. quanquam poteſt ſubtilius etiam hoc ſumi, quod ſcilicet Deus non tantum miſerebitur populi ſui, ſed faciet ut ſenſus miſericordiæ ſuæ ad eum perveniat. & ego in hanc ſententiam magis incliuo, quia deinde ſequitur, *Spiritum miſerationum*, vel lamentationum. nam תחנונים ſemper fere accipiunt Hebræi pro Lamentationibus. Vertunt quidam Preces, ſed improprie, quia non exprimunt efficaciam ipſius vocis, & ponunt ſemper in plurali numero, ſaltem in hac terminatione. unus tantum locus eſt ubi poſſemus vertere Miſerationes, nempe 31. Jerem. ubi dicit, In miſerationibus reducam eos. Sed illic etiam pro Lamentationibus accipitur: & expendi debet totus verſus: quia paulo ante
Jer. 31. verſ. 6. dixerat Propheta, Flebunt, & ego in lamentationibus reducam eos. Hoc etiam loco major pars interpretum accipit pro Precibus: ſed Hebræi malunt vertere Miſerationes: nempe quia non conſiderant aliud eſſe Spiritum gratiæ, quam gratiam ſimpliciter. Spiritus enim gratiæ, eſt gratia ipſa conjuncta cum ſenſu fidei: quandoquidem ſæpe Deus miſeros exaudit, & porrigit illis manum, & præſentiſſimam ſalutem affert, interea cæcutiunt, & manent ſtupidi. Hoc igitur longe excellentius eſt, *Effundam in nos Spiritum gratiæ*, quam gratiam ipſam: quia niſi Spiritus Dei penetret in animos noſtros, & inſtillet nobis ſenſum gratiæ, non modo erit nobis inutilis, ſed etiam noxia. Deus enim tandem vindictam ſumet de noſtra ingratitudine, ubi videbit gratiam ſuam ſtupore noſtro periiſſe. Hoc igitur, meo judicio, Propheta intelligit, tandem ſic Deum fore propitium Judæis, *ut effundat ſuper eos Spiritum gratiæ*: deinde *Spiritum lamentationum* ad impetrandam gratiam. Qui ſimpliciter vertunt Preces, quemadmodum jam dixi, non ſatis exprimunt vim vocis. Sed poſſemus etiam Miſerationes vertere paſſive, & eodem ſenſu. *Effundam* igitur *Spiritum gratiæ*, ut ſentiant ipſi meam gratiam: deinde *Spiritum miſerationum*, ut ſcilicet ubi deploraverint ſua mala, tandem intelligant ſe divinitus fuiſſe liberatos. Plus ergo hic promittit Zacharias Judæis, quam antehac. neque enim hic prædicat externum Dei auxilium quo ipſos tuebitur, ſed diſſerit etiam de interiore gratia, quoniam ſcilicet Deus perfundet arcana lætitia eorum animos, ut agnoſcant & certo experimento diſcant ipſum ſibi eſſe propitium. Cæterum, ſi vertere libeat תחנונים Miſerationes, ſenſus erit, quemadmodum jam attigi, Judæos Spiritu ſancto dictante & ſuggerente, ſenſuros Deum ſibi eſſe miſericordem. Si autem vertimus Lamentationes, plus aliquid dicet Propheta, nempe Judæos, qui prius obſtupuerant in malis ſuis, ita ut ad Deum non confugerent, tandem fore ſupplices, quia Spiritus afficiet intus eorum animos, ut ſuam ſortem deplorent coram Deo, atque ita ipſum exoreot ſuis querimoniis. Et doctrina hæc melius confirmatur ex reliquo contextu: *Reſpicient*, inquit, *ad me quem confixerunt*. Videmus ergo hic non externam modo gratiam promiſſam fuiſſe Judæis, ſed interiorem ſenſum fidei, cujus au-

ctor eſt Spiritus. Ipſe enim eſt qui mentes noſtras illuminat, ut percipiant Dei bonitatem: ipſe eſt etiam qui corda noſtra inflectit: & ideo ſubjicit, *Reſpicient ad me.* Nam, ut nuper admonui, Deus ſatis large cum incredulis etiam agit, ſed ipſi reſtricti ſunt, ideoque profundit ſine fructu gratiam ſuam, perinde acſi plueret ſuper ſilices, vel ſuper rupes aridas. Utcunque ergo Deus ſe liberalem præbeat incredulis, tamen areſcunt ejus gratiæ, quia ſunt ipſi ſaxei. Jam quoniam denunciat Zacharias *Judæos tandem reſpecturos in Deum*, ſequitur illis promitti Spiritum reſipiſcentiæ & fidei lucem, ſic ut agnoſcant Deum auctorem ſalutis ſuæ, atque ita ſtatuant ſe jam fuiſſe ſervatos, ut in poſterum ſe totos illi addicant. *Reſpicient* igitur *ad me*, inquit, *quem confixerunt.* Hic etiam Propheta oblique inſimulat Judæos perverſæ contumaciæ, quod ſcilicet reſtiterant Deo, & fuerant quaſi indomitæ beſtiæ. Nam metaphorice hic accipitur Confixio pro continua irritatione: acſi diceret Judæos ſua pervicacia fuiſſe quaſi accinctos ad bellum, ut Deum pungerent, ac configerent ſua malitia, vel telis rebellionis ſuæ. Quum ergo tales fuerint, jam dicit ita mutatum iri à Deo, ut alii ſint futuri: *quia reſpicere diſcent ad eum, quem prius confixerant.* Non poſſemus abſolvere.

Da omnipotens Deus, quando ſic hodie cincti ſumus hoſtibus, deinde abſque ullo præſidio, ut in ſingula momenta videatur ſalus noſtra periclitari, ut erigamus animos noſtros in cœlum, & tuo uno præſidio contenti ſpernamus quicquid minatur nobis & Satan & totus mundus: & ſic ſtemus in noſtra militia inexpugnabiles, ut tandem perveniamus ad beatam illam quietem: ubi fruemur non modo bonis iſtis, quæ nobis pollicitus es in terra, ſed triumpho illo inæſtimabili, quem agemus cum capite noſtro Chriſto, ſicuti hac conditione pro nobis vicit mundum, ut nos ad ſe colligat, & faciat ſocios & participes ſuæ victoriæ & omnium bonorum ſuorum, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA NONA
IN
ZACHARIAM PROPHETAM.

CAP. XII.

DIximus poſtrema lectione metaphorice hoc dictum fuiſſe à Propheta, *Aſpicient ad eum quem confixerunt*, ut exprimeret quod dixerat paulo ante, Judæos aliquando redituros ad ſanam mentem, quum ſcilicet præditi eſſent Spiritu gratiæ & miſerationum. Nam hæc vera converſio eſt, ubi ſerio agnoſcunt homines ſibi bellum eſſe cum Deo, & illum ſibi hoſtem eſſe, donec reconciliati fuerint. Niſi enim peccator ſe quodammodo ſiſtat ad Dei tribunal, nunquam tangetur vero ſtudio reſipiſcentiæ. Ergo neceſſe eſt venire nobis in mentem, Deum fuiſſe à nobis offenſum: & quantum in nobis erat, armatum fuiſſe ad nos perdendos, quatenus provocavimus iram & vindictam ejus. Senſus ergo genuinus Prophetæ hic eſt, Quum Judæi ſecure multis modis, & longo tempore provocaſſent Deum, aliquando pœnitentiam acturos: quia ſcilicet incipient terreri Dei judicio, quum prius nemo eorum cogitaret de reddenda vitæ ratione. Quod au-
Joan. 19. tem dicit Joannes impletum fuiſſe hoc vaticinium in
verſ. 37. Chriſto, ubi latus ejus confixum fuit lancea, veriſſimum eſt. Oportuit enim viſibile extare ſymbolum in Chriſti perſona, ut Judæi ſentirent illum eſſe Deum, qui pridem loquutus fuerat per Prophetas. & tales figuras alibi vidimus. Confixerant ergo Deum Judæi. quum mœrore afficerent ejus Spiritum. Sed Chriſtus etiam ſecundum carnem ab illis transfixus fuit. Et hoc intelligit Joannes, viſibili iſto ſymbolo Deum palam feciſſe non ſe tantum olim fuiſſe indigne provocatum à Judæis, ſed in perſona unigeniti Filii ſui tandem cumulum fuiſſe additum ſceleſtæ impietati, quod ne Chriſti quidem lateri pepercerint. Verum quidem eſt, manu Romani militis confixum fuiſſe
Actor. 2. latus Chriſti: ſed ſicut Petrus dicit crucifixum fuiſſe
verſ. 36. Chriſtum à Judæis, quoniam ſcilicet auctores fuerunt cædis & illorum impulſu prope coactus eſt Pilatus Chriſtum morti addicere: ſic etiam transfixio illa merito adſcribitur Judæis, quia ſcilicet exequuti fuerint quod ferebat ipſorum veſana impietas, per manum externi militis. Notandum vero eſt, non citari Prophetæ verba à Joanne pœnitentiæ reſpectu. neque enim illic de reſipiſcentia agitur: ſed conſilium ejus fuit, breviter oſtendere Chriſtum eſſe Deum illum, qui ab initio loquutus fuerat per Prophetas. Dicit enim, *Aſpicient ad me.* Certum eſt, unicum Deum cœli & terræ opificem hoc pronunciaſſe Spiritu ſuo per os Zachariæ. Ergo Chriſtus ille idem eſt Deus. neque tamen hoc modo confundimus perſonas: ſed colligere licet eandem & ſimplicem eſſe eſſentiam Patris & Filii, quod nebulones iſti qui hodie turbant Eccleſiam noſtram, conantur evertere. Nam fingunt Patrem eſſe unicum Deum: fatentur poſtea Chriſtum etiam eſſe verum Deum: ſed fabricant alteram divinitatem, quemadmodum ſi rivus quiſpiam oriatur à fonte. Negant igitur Chriſtum eſſe unicum Deum: & tametſi fatentur ab æterno genitum eſſe, non tamen eandem eſſentiam Patris & Filii eſſe docent: ſed volunt Chriſtum eſſe neſcio quod figmentum: quia nunquam admittent fuiſſe illum Deum, qui auctor fuit hujus vaticinii. Dicent, ſicuti neceſſe eſt, Spiritu ejus loquutum eſſe Zachariam: ſed ſemper hoc referunt ad propinquam & ſecundam cauſam, quia ſcilicet Deus Pater uſus fuerit Filio ſuo. Quicquid ſit, pertinaciter contendunt, non ejuſdem eſſentiæ Deum eſſe Chriſtum, cujus eſt Pater, quia nomen Dei proprie non competit niſi in Patrem, ut ipſi volunt. Videmus autem ut blaſphemiam hanc coarguat Spiritus, qui
per os Euangeliſtæ oſtendit non ſecundum fuiſſe *Joan.* 19.
Deum qui crucifixus eſt, ſed illum eundem qui lo- *verſ.* 37.
quitur per os Moſis, ſe unum Deum eſſe aſſerens: &
qui idem etiam affirmat per os Jeſaiæ, Non dabo *Jeſa.* 42.
gloriam meam alteri: Ego, ego ſum, & nemo præ- *verſ.* 8.
ter me. Jam ſequitur quod etiam legimus proxima lectione, ſed tempus non potuit ferre, ut exponerem: *Plangent*, inquit, *ſuper eum quaſi planctum unigeniti: & amarulenti erunt ſuper eum quaſi amaritudine ſuper primogenitum.* Proſequitur eandem doctrinam Zacharias. Nam promittit, ſicuti paulo ante, Spiritum reſipiſcentiæ Judæis: ſpeciem vero hic ſumit, ſed per ſynecdochen ſub ſpecie genus ipſum, & ſub parte totum comprehendit. Scimus initium pœnitentiæ eſſe dolorem & luctum. Ergo quoniam per verbum Aſpiciendi non ſatis expreſſerat quid vellet, jam per Luctum & dolorem clarius explicat, Deum Judæis daturum, ut tandem poſt mortem Chriſti reſipiſcant, ubi ſcilicet ab ipſis crucifixus fuerit. Mutatur quidem perſona: ſed ſcimus hoc paſſim eſſe uſitatum Prophetis, ut nunc ſub prima perſona, nunc ſub tertia Deum loquentem inducant. Siquis velit notari perſonæ diſtinctionem, non repugno: ſed vereor ne hæc argutia ſatis firma ſit. Cæterum, ſi cui placeat, hæc erit ratio, *Aſpicient ad me quem transfixerunt:*

An Deus Pater confoſſus fuit à Judæis? Minime. neque enim carnem induit in qua pateretur: ſed unigenitus Filius. Cur ergo Pater dicit, *Aſpicient ad me?* Propter eſſentiæ unitatem ſcilicet. Jam ſequitur, *Et lugebunt ſuper eum luctu, & amari erunt ſuper eum.* Hic ergo à prima perſona ad tertiam fit tranſitus, quia Chriſtus idem eſt Deus cum Patre: differt tamen ab eo ſecundum perſonam. Sed quemadmodum jam dixi, ego in hoc ſenſu nolim inſiſtere, quia phraſis Hebraica videtur alio nos ducere, quod ſcilicet nunc Deum loquentem inducat Propheta, nunc vero narret ipſe quod futurum eſt, tanquam Dei miniſter. Sed quod nuper attigi, dubitatione caret, nempe deſcribi pœnitentiam ſynecdochicas, quia præcedit eam ordine triſtitia, ſicuti etiam admonet Paulus 2. ad Corinth. 7. Et ratio etiam colligi poteſt ex eo quod dixi, fieri ſcilicet non poſſe, ut peccatum nobis diſpliceat, & reſipiſcamus, niſi reatus noſter nos pungat ac vulneret, dum agnoſcimus Deum fore ultorem ſcelerum, & nobis cum eo negotium eſſe. Jam ubi prodit in medium Judex Deus ad nos perdendos, nonne penitus nos percelli, imo etiam horribili dolore fere abſorberi neceſſe eſt? Hinc ergo amarulentia cujus fit nunc mentio, hinc luctus, dum ſcilicet terrorem concipimus ex præſenti Dei vindicta, quæ nobis imminet. Sed videtur Propheta aliud velle, quod ſcilicet lugebunt ſuper Chriſtum, non autem ſuper ſeipſos. Reſponſio facilis eſt, notari fontem & cauſam luctus, quia ingratitudo coget Judæos ad dolorem, ubi ſcilicet agnoſcent ſe perverſa contumacia bellum geſſiſſe cum Deo & unigenito Filio ejus. Non ergo intelligit amaram fore Chriſti mortem, quemadmodum ſolemus proſequi mortem amici, vel fratris, vel filii, lachrymis & luctu: ſed quia ſentient ſe fuiſſe nimium excæcatos, quod ita ſuis peccatis provocaverint Deum. Quod Hieronymus putat Chriſtum vocari unigenitum reſpectu divinæ naturæ, primogenitum quia ſit frater piorum omnium, & caput Eccleſiæ, eſt quidem vera ſententia, ſed neſcio an poſſit ad contextum Prophetæ aptari. Ideo malo ſimplicius ſumere quod hic dicitur, nempe poſtquam Judæi aſpernati fuerint Chriſtum, ſenſuros tandem fuiſſe pretioſum & inæſtimabilem theſaurum, cujus contemptus meretur horribilem Dei vindictam. Pergamus.

11. In die illo magnificabitur (*ad verbum, hoc eſt, magnus erit*) luctus in Jeruſalem, ſicut luctus Hadadrimon in planitie Megedon.

Uſque ad finem capitis idem fere dicet Propheta. Sed quoniam res memoratu digna erat, exornat eam multis figuris. Dicit igitur *luctum fore* poſt mortem Chriſti qualis fuit poſt mortem Joſiæ. Nam qui volunt Hadadrimon nomen eſſe proprium viri, ratione prorſus carent, & nimis ſibi indulgent in ſua conjectura. Atqui fere omnium conſenſu ſemper receptum fuit Hadadrimon vel oppidum conjunctum fuiſſe cum planitie Megedon, vel regiones fuiſſe contiguas prope Jezrael. Sed quantum attinet ad nomen illud, non eſt magni momenti. Ego quidem hoc habeo perſuaſum, nempe Hadadrimon vel oppidum fuiſſe vicinum, vel fuiſſe partem aliquam illius regionis, in qua erat planities Megedon. Jam notandum eſt, ſimilitudinem hanc qua utitur Propheta, optime quadrare. Quum enim occiſus eſſet Joſias à rege Ægypti, dicitur libri 2. Chron. capite quinto & trigeſimo, ſolennem luctum fuiſſe præſcriptum. Quotannis ergo ſolebant ex more Judæi ſuſcipere luctum propter mortem Joſiæ, quia ab eo tempore ſatis patuit Deum populo infenſum eſſe, & jam non eſſe ſpem aliquam reſiduam ſalutis. Imo Jeremias in lugubri ſuo carmine reſpexit proprie ad Joſiam, ſicuti teſtatur ſacra hiſtoria. Dicit autem inter alia, Chriſtus Dominus noſter, in cujus anima vivebat anima noſtra, occiſus eſt propter peccata noſtra. Jeremias ergo illic agnoſcit fuiſſe ſpeciale ſignum vindictæ Dei, quod pius ille Rex ſublatus fuerit è medio: & ita fuiſſe Judæos quaſi derelictos, & fere poſtea ſimiles fuiſſe mortuo cadaveri, quum ſcilicet tantum in anima Joſiæ ſpirarent. Et ſimul admonet quaſi ceſſaſſe regnum illud, quod voluerat Deus figuram & imaginem eſſe regni Chriſti: quia ſucceſſor Joſiæ omni regio honore ſpoliatus fuit: tandem peſſundata fuit non modo tota dignitas, ſed etiam ſalus populi. Ideo aptiſſime Propheta ad mortem Chriſti accommodat luctum illum: quaſi diceret Judæos quotannis mœſtos fuiſſe ob Joſiæ mortem, quia hæc horribilis fuerat Dei vindicta, quod privati fuiſſent ſancto illo gubernatore: ſed nunc fore luctum ſimilem, ubi ſcilicet ſentient extinctam ſibi eſſe lucem ſalutis quia filium Dei crucifixerint, niſi ſupplices agnoſcant ſcelus ſuum, & ita obtineant veniam. Nunc ergo tenemus verum Prophetæ ſenſum, quod ſcilicet luctus erit in Jeruſalem qualis fuerat olim in planitie Megedon. Jam ſiquis objiciat, mortem Chriſti non fuiſſe lachrymis & mœrore populi ornatam: reſpondeo, hic tantum deſcribi pœnitentiam fidelium, quia ſcimus paucos ex toto populo fuiſſe ad Deum converſos. Sed non mirum eſt Prophetam generaliter loqui quaſi de tota gente, etiamſi electos tantum Dei & exiguas reliquias deſignet. Nam Deus habuit pro tota ſobole Abrahæ paucos illos qui reſipuerunt. Quod alii referunt ad mulieres de quibus narrat Lucas, videtur nimis eſſe reſtrictum & coactum. Et videmus etiam luctum illum pro nihilo duci à Chriſto, Flete ſuper vos, inquit, & ſuper filios veſtros: non ſuper me. *Luc. 23. verſ. 28.* Quum ergo Chriſtus oſtendat frivolum & inanem fuiſſe illum fletum, certe tunc non dicemus completum fuiſſe quod hic legimus apud Zachariam. Et tenendum memoria eſt quod prius dixi, nempe ſub mœrore & triſtitia notari pœnitentiam qua donati fuerunt Judæi, non quidem omnes, ſed qui deſtinati erant gratuita Dei adoptione ad ſalutem. Sequitur,

12. Et lugebit terra, familiæ, familiæ ſeorſum: familia domus David ſeorſum, & uxores eorum ſeorſum: familia domus Nathan ſeorſum, & uxores eorum ſeorſum.

13. Familia domus Levi ſeorſum, & uxorẽs eorum ſeorſum: familia Simei ſeorſum, & uxores eorum ſeorſum.

14. Omnes familiæ reſiduæ, familiæ, familiæ ſeorſum, (*hoc eſt, ſingulæ familiæ ſeorſum*) & uxores eorum ſeorſum.

Videtur fruſtra plus verborum conſumere Zacharias quam opus ſit: quia plus ſatis prolixus eſt in re clara. Sed attendere oportet ad pondus ipſum, fuit enim incredibile, poſſe ex gente illa aliquos reſipiſcere, quum omnes fere dati eſſent in reprobum ſenſum. Quis enim unquam putaſſet adhuc locum eſſe gratiæ Dei, ubi quantum in ſe erat, omnes à minimo uſque ad maximum conati fuiſſent Chriſtum demergere in tenebras? Quaſi ergo extinctus eſſet Sol juſtitiæ apud Judæos, probabile fuit totam illam gentem eſſe repudiatam à Deo. Sed Propheta hic oſtendit Deum fore memorem fœderis ſui, ut ex cun-

cunctis familiis aliquos ad ſe convertat. *Lugebit terra*, inquit. Hoc quidem ſcimus non fuiſſe conſpectum in ipſa multitudine: ſed Deus, cui pretioſus eſt exiguus grex, hic totam terram nominat fideles qui ſenſerunt quam graviter peccaſſent, & ita compuncti fuerunt corde, ſicuti transfixerant unigenitum Dei Filium. Et quamvis perierint Judæi, tamen
Actor. 2. fuit hoc raræ & inſignis gratiæ, quod ad unam Petri
verſ. 41. doctrinam converſa ſint tria millia: deinde paſſim & in Græcia, & in Aſia minore, & in toto Oriente multi reſipuerint, & ubique ſurrexerint multæ Eccleſiæ, acſi Deus crearet novos populos. Hoc ergo ſi rite à nobis perpenditur, non putabimus abſurdum eſſe quod hic terræ promittit Zacharias pœnitentiam. Quod autem prius dixit de Jeruſalem, non debet ita accipi quaſi ad urbem illam reſtringat quod dicit: ſed ſub nomine illius urbis complectitur totam illam gentem, quæ tamen per longinquas mundi plagas diſperſa erat. Dicit nunc luctum fore *in ſingulis familiis ſeorſum*. Quibus verbis ſignificat non fore ceremoniam fictam & umbratilem, quemadmodum ubi quiſpiam in populo flere incipit, elicit etiam lachrymas ex omnium oculis. Propheta hic teſtatur fore ſerium dolorem, quia alius alium non imitabitur duntaxat, ſed quiſque proprio affectu inpulſus ſerio dolebit. Hæc igitur ratio eſt cur dicat familias io mœrore fore *ſeorſum*. Dare quidem operam debent fideles, ut alios incitent ſuo exemplo, atque exſtimulent ad pœnitentiam: ſed ut plurimum in turba vix decimus quiſque ſerio veniam precatur, & ſerio etiam propter peccata ſua dolet. Quum ergo ita ad hypocriſin & nati ſiot homines, & toto vitæ uſu confirmati, non mirum eſt, quod Propheta ut exprimeret verum dolorem, hic ſeparat ſingulas familias. quaſi diceret, familia Davidis ſentiet ſe peccaſſe: & familia Levi, etiamſi non cernat tale exemplum, intus tamen etiam ſuum crimen agnoſcet. Nunc videmus cur toties repetat particulam *ſeorſum* Zacharias. Quod dicit, *mulieres ſeorſum*, non dubito quin idem velit quod habetur Joelis ſecundo, Egrediatur ſponſus è thalamo ſuo, & ſponſa è ſuo cubili. In mœrore ſcimus homines abſtrahi ab omnibus deliciis & omni lætitia. Quum ergo viri ſegregare ſe ab uxoribus ſolerent in mœrore publico & ſolenni, ideo Propheta locat mulieres ſeorſum. Quanquam ſimul intelligit mulieres non expectaturas dum viri lugendi exemplum oſtendant: ſed ſponte & proprio affectu ad lugendum propenſas fore. Tenendum vero eſt quod ouper dixi, non deſcribi mœrorem quo proſequuti fuerunt mortem Chriſti Judæi: ſed potius qun tacti fuerunt ubi Deus aperuit oculos ut reſipiſcerent à ſua pertinacia. Scimus enim Chriſti mortem potius lætitiæ nobis eſſe materiam, quam doloris: ſed non poteſt nobis affulgere gaudium ex morte Chriſti, donec ſerio vulneraverit nos ſenſus reatus noſtri, ubi ſcilicet Deus vindex apparuit, & nobis minatus eſt. Ex illa igitur triſtitia naſcitur reſipiſcendi ſtudium, & verus Dei timor. Hinc fit, ut Deus ipſe nos exhilaret. Neque enim vult nos abſorberi triſtitia, ut ait Paulus: ſed proſternit nos, ut ſtatim eri- 2 Cor. 2.
gat. Cur autem nominet *domum Levi, & domum* verſ. 7.
Simei, vel Simeon, & domum Davidis, & domum Nathan potius quam alias Tribus, incertum eſt. Quanquam probabile mihi videtur, ſub familia Davidis hic notari totam Tribum Jehuda. Idem etiam dico de familia Nathan. Quantum attinet ad Tribum Levi, excelluit honore propter Sacerdotium. Sed non poteſt idem dici de Simeon. Cur ergo hic omittitur Iſachar? cur Ruben primogenitus? cur alii omnes? Fieri quidem poteſt, ut plures fuerint tunc ex Tribu Simeon, & ex Tribu Levi, quam ex Tribu Zebulon, vel Iſachar, vel Ruben: ſed quoniam res incerta eſt, nolo hic pedem figere in conjecturis. Quio potius intelligo non tam honoris, quam ignominiæ cauſa hic celebrari Davidis familiam, & Tribum Levi: quia ſcilicet & poſteri Regum, & Sacerdotes ipſi Chriſtum compunxerunt, & transfixerunt Deum in perſona unigeniti Filii. Hieronymus divinat poni familiam Nathan, quia celeberrimus fuerit Propheta, & eximius ante alios: ideo putat notari Prophetas. dicit pullulaſſe ex Tribu Simeon multos doctores. ſed neſcio unde illud ſumpſerit, quia nullum teſtimonium in medium profert. Cnotentus ſum ſimplici illa ratione quam attuli, nempe hic ſub certis familiis Prophetam deſignare totum populum, & non parcere regiæ ſoboli, neque etiam ſacerdotibus, quod illi Chriſtum crucifixerint. Scimus etiam Chriſtum originem duxiſſe à Nathan: ſed Hieronymus mavult hic Prophetam notari, quam eum ex quo Chriſtus progenitus eſt. Hæc tamen non ſunt magni momenti. Subjicit in fine *luctum hunc communem fore omnibus familiis reſiduis*. Quanquam autem pauci redierant niſi ex Tribu Jehuda, & Benjamin, & ex Tribu Levi: Zacharias tamen, meo judicio, hic Reſiduas familias vocat electos, qui mirabiliter erepti fuerunt à communi exitio. Nam cæcitas ita prævaluerat, ut abdicatio Dei manifeſta eſſet in toto populo. Sub hoc igitur nomine intelligo reliqoias gratiæ, ut Paulus loqui- Rom. 10.
tur: acſi diceret Propheta, quod hactenus dixit de verſ. 10.
mœrore non promiſcue ſpectare ad totam gentem, ſed ad partem illam quæ reſidua eſt, nempe gratuita electione Dei. Tandem ſequitur,

CAPUT XIII.

IN die illo erit fons apertus domui David, & incolis Jeroſolymæ, ad peccatum & ad immunditiem. *(vel ad expiationem & aſperſionem.)*

EX hoc verſu iterum facile colligimus Zachariam pollicitum fuiſſe Spiritum reſipiſceotiæ Judæis, ut ſcilicet Deum ſibi propitium adhuc ſentirent, ubi res ad ultimam deſperationem eſſet adducta. Neque enim ſufficeret mœrore tangi, niſi Deus ipſe occurreret facilis & miſericors. Dixerat quidem Spiritum gratiæ effuſum iri, & Spiritum miſerationum: ſed nondum ſatis clare docuerat quod nunc addit de remiſſione & venia. Poſtquam ergo narravit acerbiſſimum fore dolorem in Judæis, quod Deum compunxerant, nunc fructum pœnitentiæ adjungit. Et hinc etiam apparet
2 Cor. 7. quid ſibi velit illud Pauli, triſtitiam non eſſe pœni-
verſ. 10. tendam, quia pœnitentiam parit in ſalutem. Ubi ergo triſtitia noſtra benedicitur à Domino, ſpectandus eſt finis, ut animi noſtri erigantur io gaudium. Fructum vero pœnitentiæ ſtatuit Zacharias in ablutione: & alludit ad ritus legales, quum dicit, *Fontem domus Davidis & incolis Jeroſolymæ fore*. Scimus enim olim ſub Lege multa lavacra fuiſſe præcepta Judæis. fuit ergo remedium quoties aliquam labem contraxerant ſeſe abluere. Certum eſt, aquam nullius eſſe momenti ad purgandas animas: ſed ſcimus ſic expiata eſſe peccata hominum morte Chriſti, ut in ſanguine quem fudit conſtet nobis vera ablutio. figuras ergo Legis certum eſt debere huc referri. Summa eſt, Deum fore exorabilem Judæis ubi ita affecti fuerint ſincero dolore, & paratam illis fore reconciliationem, quia Dominus ab omni inquinamento eos purgabit. Dicit *fontem apertum*, vel expoſitum: qua voce non dubito quio diſcrimen notet Legis & Euangelii. Nam oportuit quotidie inferri aquam in Templum: deinde ſcimus etiam privatim fuiſſe lavacra in uſu. Hic vero perpetuum fluxum

aquæ

aquæ mundæ promittit Zacharias: quaſi diceret, ablutionem fore obviam ubi Deus rurſus populum ſuum in gratiam receperit. Si igitur remiſſio peccatorum olim ſub Lege fuit oblata, nunc multo nobis facilior eſt: non ut indulgeat Deus licentiæ peccandi, ſed quia Chriſti adventu clarius apparuit, ſordes omnes noſtras fuiſſe purgatas. nam Patres ſub Lege perſuaſi quidem fuerunt Deum ſibi eſſe propitium, quod peccata non imputaret: ſed ubi pignus ablutionis? nempe in ſanguinis aſperſione. Sanguis autem ille fuit vituli vel agni. nunc quum ſciamus nos redemptos fuiſſe à Chriſto, & virtute arcana Spiritus ſancti aſpergi animas noſtras ejus ſanguine, certe perinde eſt quaſi Deus nobis objiceret non modo ante oculos, ſed inter manus noſtras ablutionem, quæ obſcurior fuit Patribus, vel procul illis oſtenſa. Dicit autem, *& domus Davidis, & incolis Jeroſolymæ:* ſicuti prius reſtrinxit gratiam Dei ad urbem illam, ut ſcil. pungeret Judæos, qui prætulerant externas delicias tantæ felicitati. putabant enim ſe beatos eſſe in exilio, quòd terram amœnam & fertilem incolerent, quod otio & pace fruerentur. Ita factum fuit, ut contemnerent redemptionem ſibi oblatam. Ergo Propheta hic promittit civibus Jeruſalem, & Regiæ familiæ, fontem quo abluentur eorum ſordes: quia ſci-
Eſa. 2: 3. licet è Sion Lex exivit, & verbum Domini è Jeruſalem. Et ſcimus inde ſumptas fuiſſe primitias Eccleſiæ novæ. nec obſtat quod ante vidimus de gratia Dei longius propaganda: quia utrumque ſuo ordine impletum fuit, ut Deus benediceret tribui Jehudah, quæ confiſa promiſſionibus in patriam redierat: & poſtea longius ſparſerit eandem gratiam, colligens in unum corpus quicquid per longinquas plagas mundi fuerat diſſipatum. Addit, *ad peccatum & ad immunditiem.* Alii vertunt, Ad aſperſionem, quod minime quadraret niſi Peccati nomen pro expiatione ſumatur. Nomen hoc deducitur à נדד: ſed accipitur ſæpe pro aſperſione, aliquando pro ipſa immunditie: aliquando pro menſtruo, unde etiam alii vertunt, Ad menſtruum. & verbum נדד removere vel ſeparare ſignificat: unde נדה eſt remotio, vel ſecubitus, dum mulier immunda ad maritum non accedit. Transfertur vero ad quamlibet immunditiem. Poſſet hoc quidem per ſynecdochen de menſtruis accipi: ſed ratione contextus malui vertere Immunditiem. Nunc ſi חטאת vertamus Peccatum, נדה erit Immundities. Si vero in priore membro ponitur Expiatio, in ſecundo conveniet nomen Aſperſionis. & hunc ſenſum libenter amplector, quia ſub Lege tam victimis quam lavacris purgata fuerunt peccata. Summa eſt, quamvis modis omnibus ſeſe inquinaverint Judæi, ita ut merito fœteant coram Dei oculis, & deteſtabilis ſit eorum immundities, tamen fontem illis fore paratum, quo ſe purgent, ut ſcilicet prodeant in conſpectum Dei puri & mundi. Videmus ergo hoc fuiſſe Prophetæ conſilium, pœnitentiam de qua hactenus diſſeruit, non fore inutilem, quia conſtabit certus fructus, dum ſcilicet occurret Deus Judæis, & oſtendet ſe illis exorabilem & jam placatum: imo in ſanguine unigeniti Filii ſui proponet illis munditiem, ita ut nullæ ſordes eos impediant, quominus audacter & cum fiducia ipſum invocent: quia ſcilicet pro ceremoniis legalibus extabit ipſa veritas, ut Spiritu aſpergat eorum corda, ſic ut fide purificentur, atque ita abjiciant omnes ſordes ſuas.

Da omnipotens Deus, quando dignatus es nos inſerere in populum tuum, & ex inimicis tuis, ex profanis & reprobis facere Abrahæ filios, ut eſſemus tibi ſacra hereditas: da, inquam, ut continuo vitæ noſtræ curſu ſic meditemur pœnitentiam, ut aſpiremus ad miſericordiam, quæ nobis quotidie in Euangelio proponitur, & cujus tam certum nobis pignus dediſti in morte Filii tui, ut ita magis ac magis humiliemur in conſpectu tuo, & ſtudeamus vitam noſtram ſic componere ad regulam juſtitiæ tuæ, & ſic diſpliceamus nobis, ut tamen alliciamur dulcedine bonitatis tuæ ad te invocandum: & ſic tibi conjuncti, magis ac magis confirmemur in fide illa, donec tandem perveniamus ad beatam quietem, quæ nobis parta eſt ejuſdem Chriſti Filii tui ſanguine, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA
IN
ZACHARIAM PROPHETAM.

CAP. XIII.

2. Et erit in die illa, dicit Jehova exercituum, excidam *(vel delebo)* nomina ſimulachrorum è terra, & non erunt in memoria amplius: atque etiam Prophetas & ſpiritum immundum auferam *(vel exterminabo: ad verbum eſt, tranſire faciam)* è terra.

Hic Propheta adjungit alium fructum qui reſipiſcentiam populi ſequetur, & quem etiam Dominus inde producet. Eſt autem purgatio ab omni inquinamento ſuperſtitionum. Neque enim vere erigitur purus & legitimus Dei cultus, niſi ſordibus abſterſis: quandoquidem miſcere ſacra profanis, perinde eſt acſi quis vellet tollere diſcrimen cœli & terræ. non poteſt igitur probari Deo ulla religio, niſi quæ immunis & pura ſit ab omni labè. Videmus ergo nunc quo conſilio Propheta adjungat finem & mendaciis & aliis erroribus & Satanæ impoſturis fore, ubi Deus Eccleſiam ſuam reſtituerit: quia vigebit ſimplicitas veræ doctrinæ: & ita abolebitur quicquid Satan invexerat prius ad pietatem corrumpendam. Hinc colligimus quod jam attigi, non poſſe rite inter nos coli Deum, niſi ablatæ fuerint corruptelæ omnes, quæ pugnant cum puro & ſincero Dei cultu. ſed notandum etiam ſimul eſt, hanc efficaciam tribui Dei verbo, ut abigat & profliget ſordes omnes mendaciorum, & quicquid conſentaneum non eſt veræ pietati. Sicut ergo Solis exortu fugantur tenebræ & apparet diſtincta rerum omnium facies, ſic etiam ubi Deus emergit per ſui verbi doctrinam, neceſſe eſt procul faceſſere omnes Satanæ impoſturas. Hæc autem duo capita apprime utilia ſunt cognitu. Videmus enim ut multi non improbi quidem, ſed ſtulti & inconſiderati homines putent ſe dare juſtum honorem Deo, etiamſi impliciti ſint multis falſis erroribus, & à ſuperſtitionibus non abſtineant. Alii qui magis aſtuti ſunt, excogitant hanc rationem pacis, ut ſcilicet qui recte ſentiunt, aliquid concedant & tyrannis & Pſeudoprophetis: & ita vellent hodie nobis conflare novam religionem ex Papatu, & ſimplici Euangelii doctrina, & ita transfigurare Deum. Quoniam ergo videmus tam proclives eſſe mortales ad omnia miſcenda, ut pura Euangelii ſimplicitas contaminetur variis figmentis, tenendum eſt hoc principium, non aliter poſſe Eccleſiam rite componi, donec omnes ſuperſtitiones fugatæ & rejectæ fuerint. hoc eſt unum. Dein-

Deinde ex eo etiam alterum illud colligitur, verbum ſcilicet Dei non modo viam nobis monſtrare, ſed detegere omnes Satanæ fallacias: quia vix centeſimus quiſque ſponte ſequitur quod rectum eſt, niſi etiam admonitus fuerit quid ſit cavendum. Non ſatis igitur eſſet pronunciari unum eſſe Deum, & fiduciam in Chriſto locandam eſſe, niſi accederet etiam altera pars, nempe quibus inſidiis Satan ab initio deceperit miſeros mortales: & hodie etiam quam variis artibus abduxerit ſimplices, & parum cautos à vero Deo, & implicuerit labyrintho ſuperſtitionum. niſi ergo ſic moneantur homines, tantum dimidia ex parte verbum Dei illis proderit. Quiſquis ergo volet præſtare omnibus numeris boni & fidi paſtoris officium, hoc propoſitum habeat, non modo ut abſtineat ab omnibus impiis doctrinis, & ſimpliciter aſſerat quod verum eſt: ſed etiam ut detegat omnes corruptelas, quæ adverſæ ſunt pietati, ut revocet homines ab omnibus fallaciis Satanæ: denique ut bellum ex profeſſo gerat cum ſuperſtitionibus. Huc ergo tendit nunc Zacharias, quum dicit, *In illa die*, ubi ſcilicet Deus reſtituet Eccleſiam ſuam, *ſimul peritura nomina ſimulachrorum, ſic ut non ſint in memoria amplius.* Hac particula clarius exprimit quod jam dixi, nempe tunc ſtatui purum Dei cultum ut decet, pietatem etiam ſuum gradum tenere, ubi omnes errores & impoſturæ ceſſant, ita ut ne memoria quidem ulla ſuperſit. Verum quidem eſt, nunquam poſſe ita aboleri ſuperſtitiones, quin fiat earum mentio. Imo etiam hoc utile eſt: Recordaberis viarum tuarum, & pudefies, inquit Ezechiel. *Eze. 16. verſ. 6.* ſed hac loquendi forma intelligit Zacharias, tantam fore deteſtationem ſuperſtitionum, ut populus etiam ad nomen ipſum horreat. Et hinc diſcere convenit quantopere Deo commendata ſit puritas doctrinæ, quum ſcilicet vult nos quaſi ad portentum aliquod horrere, ubi in medium profertur nomen idoli. Poſtea adjungit de falſis doctoribus: *Exterminabo*, inquit, *& Prophetas, & ſpiritum immundum è terra.* Hæc connexio notatu digna eſt, quia hinc apparet unde prodeant omnes errores, quum ſcilicet frenum laxatum eſt perverſis doctoribus. Verum quidem eſſe fateor, ingenitum ſingulis ſemen omnium errorum, ita ut quiſque ſit ſibi magiſter ad ſe fallendum. neque enim tantum propenſi ad mendacium ſumus, ſed rapimur illuc quaſi præcipites: hæc eſt naturæ pravitas. ſed interea ubi graſſatur licentia quidvis docendi, neceſſe eſt corrumpi totam pietatem, & ſic miſceri omnia, ut nihil differat lux à tenebris. Deus ergo hic admonet, non poſſe aliter ſtare Eccleſiam, niſi ubi prohibentur falſi doctores veritatem convertere in mendacium, & garrire pro libidine ſua contra verbum Dei. & hoc diligenter notandum eſt. Videmus enim ut hodie nebulones quidam ſumant principium illud, non eſſe liberam Eccleſiam, niſi impune quiſque in medium proferat quod viſum eſt: & ſumma eſt illis crudelitas, ſumere pœnam de homine hæretico; quoniam volunt blaſphemiis dari omnem licentiam. Sed hic oſtendit Propheta Eccleſiam Dei non poſſe conſervari in puro ſtatu, denique non poſſe ſtare integram & incolumem, niſi compeſcatur eorum temeritas & audacia, qui audent pervertere ſanam & ſinceram doctrinam. Nunc tenemus ſummam hujus ſententiæ, quod ſcilicet Deus, ut ſolus colatur, & quidem rite, tollet omnia idola & omnes ſuperſtitiones, vel profligabit: deinde, *quod etiam exterminabit omnes impios doctores*, qui pervertunt ſanam doctrinam. Primo autem vocat Prophetas, deinde Spiritum immundum. Hic per conceſſionem vocantur Prophetæ, qui tamen indigni erant tam honorifico titulo. ſed quia ſemper audacter jactarunt ſe impii homines, & non dubitarunt prætexere Dei nomen, ut audacius fallerent; hæc ratio eſt cur interdum Scriptura illis concedat nomen quod falſo uſurpant. Sic etiam nomen Spiritus interdum ad illos transfertur, Probate ſpiritus an ex Deo ſint: *1 Joan. 4. verſ. 1.* Omnis ſpiritus qui negat Chriſtum veniſſe in carne, ille eſt mendax. Haud dubie Joannes ſumpſit hanc loquendi formam ex communi uſu, quia omnes falſi doctores plenis buccis ſibi ſumebant hunc titulum, quod revelatio eſſet Spiritus quicquid ſpargebant errorum. Eſto igitur: ſed eſtis ſpiritus mendaces. Nunc ergo, quod attinet ad vocem illam, non obſcurus eſt Prophetæ ſenſus. Et exegetice etiam addidit ſpiritum immundum, ut diſcernat impuros illos canes à fidelibus Dei miniſtris: quaſi diceret, Dicunt quidem ſe hauſiſſe Spiritum è cœlo: ſed eſt ſpiritus diabolicus, eſt ſpiritus immundus. Jam quum hoc Zacharias fore pronunciet in Eccleſia Dei, colligimus pluſquam ridiculos eſſe Papiſtas, dum ſolo gradu honoris contenti, ſibi arrogant ſummam poteſtatem, & volunt abſque controverſia audiri, tanquam organa Spiritus. Quid enim juris obtendunt? ſe eſſe vocatos à Domino. atqui eadem etiam ratio valere debuit pro iſtis nebulonibus, quos tamen profligari neceſſe fuit, ut iterum ſurgeret Eccleſia. Sequitur ergo non ſpectandum eſſe duntaxat quam perſonam ſuſtineat quiſque, & quo titulo ſit inſignis: ſed quam rite ſe gerat, quam fideliter obeat ſuas partes & fungatur doctoris officio. Pergamus.

3. Et erit, quum prophetaverit vir (*hoc eſt, quiſpiam*) adhuc, dicent ad eum pater ejus & mater ejus qui eum genuerunt, Non vives, quia mendacium loquutus es in nomine Jehovæ: & transfigent eum (*vel confodient. nam habetur verbum illud* דקר, *quod heri vidimus*) pater ejus, & mater ejus, qui genuerunt eum, quia prophetaverit.

Eadem etiam eſt conceſſio in hoc verſu, ubi de munere prophetandi agit Zacharias. Reſtringit enim totam hanc ſententiam ad impios doctores, quoniam pro confeſſo ſumit, tunc non fuiſſe locum ſervis Dei: quia ſcilicet conſpiraverant inter ſe illi ſpiritus mendaces, ne quid purum vel integrum maneret in Eccleſia. Quoniam igitur tunc invaluerat perverſa illa & diabolica factio, ideo Zacharias nominat Prophetas, acſi tales eſſent omnes, quia deſierant audiri ſervi Domini in illa diſſipatione, cujus fit mentio. Cæterum, hoc verſu longius progreditur quam antea, tantum ſcilicet zelum fore in filiis Dei, ubi Spiritu ejus renovati fuerint, ut ne propriis quidem liberis parcant, quin manu ſua eos occidant, ubi videbunt doctrinam Dei perverti. Non dubium eſt quin alludat Zacharias ad 13. caput Deut. ubi Deus exigit tam ſeverum rigorem in tuenda pura doctrina, ut pater inſurgat contra filium quem genuit: ut maritus uxorem ſuam ad mortem potius trahat, quam indulgens amori condonet impietatem, ſi uxor ad defectionem eum vel alios ſollicitet. Dominus ergo vult pios omnes ardere tanto zelo tuendi legitimi cultus & pietatis, ut hic neque ulla cognatio, neque ulla propinquitas, neque ullus alius carnis reſpectus valeat, quominus pœnam ſinguli exigant de proximis ſuis, ubi & violari Dei cultum, & ſanam doctrinam corrumpi viderint. hoc fuit Legis præſcriptum. Quum autem ad tempus neglecta eſſet, imo etiam fere calcata religio, dicit Zacharias, fideles ubi reſipuerint, tanto ſtudio veræ pietatis fore præditos, ut neque pater neque mater tolerent impium errorem in filio ſuo, ſed ad ſupplicium trahant: quia ſcilicet præferent carni & ſanguini Dei gloriam, præferent aliis omnibus terrenis affectibus cultum illum, qui pretioſior nobis eſſe debet propria vita. Sed interim notandum eſt,

zelum hunc ſub regno Chriſti probari Deo. neque enim Zacharias hic reſtringit ſuam doctrinam ad tempus Legis: ſed oſtendit quid futurum ſit exoriente Chriſto, nempe quod iterum ardebit in piorum omnium cordibus zelus ille, qui fere extinctus fuerat. Sequitur ergo non modo Legem illam fuiſſe Judæis poſitam, quemadmodum ougantur fanatici homines, qui vellent hodie ſibi permitti orbis turbandi licentiam: ſed extenditur ad nos etiam eadem Lex. nam ſi hodie merito puniuntur & fures & latrones, & venefici: certe qui animas quantum in ſe eſt jugulant, qui venenis ſuis inficiunt puram doctrinam, quæ eſt ſpiritualis cibus: qui Deo eripiunt ſuum honorem, qui confundunt totum ordinem Eccleſiæ: certe illi impune evadere non debent. Satius enim eſſet concedere licentiam & latronibus, & veneficis, & adulteris, quam ſinere blaſphemias quas evomunt impii adverſus Deum, ſic graſſari abſque ulla pœna & abſque ulla coërcitione. ſed hoc ſatis clarum eſt ex Prophetæ noſtri verbis. Et parum etiam conſiderate faciunt qui gentis ſuæ reſpectu ſtatim uruntur. quum coguntur fideles miniſtri & paſtores monere populum, ut ſibi à Satanæ artibus caveat, vellent ſepeliri omnem memoriam: quia hoc odioſum eſt, quia hoc ad infamiam redundat. Quid ſi trahendi eſſent ad ſupplicium filii ipſorum? quibus oculis poſſent hoc cernere, etiamſi clauſi domi manerent, quando non poſſunt audire liberam vocem à Paſtore ſuo, ubi vident coargui errores impios? quos videmus non dico tantum in vicinia noſtra, ſed etiam in ſinu noſtro graſſari, & in media hac Eccleſia. Ergo agnoſcant illi ſuam ſtultitiam, ut diſcant induere novum animum, ut ſcilicet pluris faciant gloriam Dei, & puram doctrinam pietatis, quam ſuos illos carnales affectus, quibus nimium tenentur impliciti. Et hæc ratio etiam eſt cur dicat Propheta, *qui genuerunt eum*, ac bis repetat. quemadmodum etiam non fruſtra diſertis ver-
Deut. 13. bis Deus hoc addere voluit: neque maritus uxorem
verſ. 6, 9. quæ dormit in ſinu ejus ſinet impune evadere: neque pater filio ſuo quem genuit ignoſcet, neque etiam mater propriæ ſoboli quam aluit, quam geſtavit in utero. Hæc omnia dicuntur, ut diſcamus obliviſci quicquid mundi & carnis eſt, ubi vindicanda eſt nobis Dei gloria, & puritas doctrinæ. Jam ſatis clare oſtendit Propheta de falſis doctoribus hoc totum debere intelligi: *quia mendacium loquutus es in nomine Jehovæ*, inquit. Simul tamen atrocitas ſceleris hic notatur. nam ſi rite expendimus quid ſit loqui mendacium in nomine Jehovæ, certe hoc magis deteſtabile erit, quam vel jugulare hominem innoxium, vel interficere hoſpitem ſuum veneno, vel manus violentas afferre patri ſuo, vel rapere alienum. quæcunque igitur poterunt numerari ſcelera non pervenient ad hoc crimen, nempe ubi Deus ipſe trahitur ad tantam contumeliam, ut mendacio ſerviat. Quid enim magis Deo proprium eſt, quam ſua veritas? nam & vult etiam ſub hoc titulo à nobis coli. Deus veritas eſt. jam qui corrumpit puram doctrinam, nonne perinde eſt quaſi ſubſtitueret diabolum loco Dei? aut vellet transfigurare Deum, ut nihil differat à diabolo? Nunc, quemadmodum jam dixi, cumulus omnium ſcelerum non perveniet ad iſtud tam horribile & prodigioſum flagitium. Quanto enim præcellit omnes mundi divitias ſalus animarum? deinde quanto præſtantior eſt Dei cultus & fama & opibus mortalium? Adhæc ipſa religio, quæ nobis pignus eſt æternæ vitæ, nonne quodammodo abſorbet quicquid expetitur in mundo? ſed ſacroſanctum nobis eſſe debet nomen Dei, cujus ſanctificationem quotidie, & aſſiduis votis poſcimus. ubi ergo profertur mendacium in nomine Dei, nonne, quemadmodum jam dixi, Deus trahitur violenter, ut ſubeat diaboli vicem, & jam renunciet ſibi, & Deus eſſe deſinat? Videmus ergo conſilium Prophetæ, ubi oſtendit nullum eſſe veniæ locum, dum impii ſic petulanter inſurgunt, ut puram doctrinam pervertant, & ita miſceant omnia, ut religio prorſus intereat. Addit, *Configent eum pater ejus, & mater ejus, qui genuerunt eum.* Multo hoc durius eſt, propriis manibus filium interficere, quam ſi ad judicem deferrent, & deinde quieſcerent. atqui Propheta ex Lege hoc ſumpſit, nempe tantum zelum requiri à fidelibus, ut ſi opus eſt exterminent è mundo peſtes iſtas, quæ Deum ſpoliant ſuo honore, & conantur obruere lucem veræ & integræ pietatis. Sequitur,

4. Et erit in die illa, pudefient Prophetæ quiſque à viſione ſua, ubi prophetaverint: & non induent veſtem piloſam ut mentiantur.

Proſequitur eandem ſententiam Zacharias: ſed aliis verbis, & alio etiam loquendi genere: tantam fore intelligentiæ lucem, ut cogantur erubeſcere qui prius ſe pro Eccleſiæ luminibus venditarunt. Et ſimul oſtendit unde tot & tam craſſi errores nati fuerint quum peſſundata eſſet tota religio, quia ſcilicet Satan velaverat omnium oculos & mentes, ut non diſcernerent inter album & nigrum. Talis etiam inſcitia fons omnium errorum fuit in Papatu. quanta fuit in populo ipſo ſtupiditas, quum promiſcue admitteret quicquid auſi fuerant obtrudere impii doctores? & in ipſis Epiſcopis, & in toto illo fœtido Clero, quanta etiam inſulſitas fuit, ut nihil differrent ab aſinis? nam opifices ipſi, imo bubulci ſuperarunt multos ſacrificos, & multos Epiſcopos, communi ſaltem prudentia. Quum ergo tanta eſſet ruditas in illis aſinis, non potuit ullum diſcrimen eſſe veri & falſi. & tunc quum geſtarent pretioſos annulos, deinde etiam inſignes eſſent bicorni mitra & infulis: præferrent etiam ſuum pedum, & ſplenderent pontificali ornatu: ita perſtricti erant ſimplicium oculi, ut omnes putarent novos quoſdam deos delapſos eſſe è cœlo. Superbiebant igitur ſine modo magnifici illi Prælati, donec larvam detraxit Deus. nam hodie ſatis cognoſcitur eorum inſcitia: & nemo eſt ex plebe, qui jam fallatur. Unde igitur fit, ut adhuc demerſi ſint multi in erroribus ſuis? nempe quia ita volunt: claudunt oculos ad certam lucem. Reges ipſi, & qui aliqua auctoritate pollent in mundo, volunt ſordere, & inſipidi ſunt ad omnem fœtorem: quia timent, ne, ſi quid novetur, ſtatim plebs tumultuandi occaſionem arripiat. quoniam ipſi volunt manere quieti, hinc fit ſcilicet ut tueantur pertinacia diabolica ſuperſtitiones, quarum ſatis ſuperque convicti ſunt. Populus etiam ipſe neque Deum curat, neque ſollicitus eſt de ſua ſalute. Hinc fit ergo ut omnes fere à minimo uſque ad maximum agnoſcant rudiſſimos eſſe aſinos qui vocantur Prælati, & interea ſubjiciant ſe eorum tyrannidi. Quicquid ſit, Dominus tamen detexit probrum eorum qui paulo ante adorati fuerant. Hoc prædicit nunc Zacharias, *Pudefient*, inquit, *omnes Prophetæ die illo, quiſque à viſione ſua quum prophetaverint.* Et conceſſio, de qua jam diximus, gratia non caret. Quum enim conſcenderent ſuggeſtus rabulæ illi monachi ante annos 30: deinde etiam quum Prælati, hoc eſt, hiſtriones illi peragerent ſacros ſuos ritus: nihil illic fuit niſi divinum & cœleſte. Magno igitur ſupercilio jactabant ſe eſſe & Angelos Dei, & miniſtros, & vicarios, & paſtores: quanquam fere ſordebat illis nomen paſtorum: ſed erant Chriſti vicarii, erant Angeli. denique nihil non ſibi ſumere auſi ſunt. Propheta deridet hanc ſuperbiam, quum dicit, Bene, erunt Prophetiæ omnes eorum nugæ, quicquid balbutiverint, hoc habebitur ad tempus pro oraculo: ſed ubi ita prophetaverint, tandem *Dominus pudefaciet eos, & quemque à viſione propria.*

Sequi-

Sequitur, *Et non veſtient ſe amplius piloſa veſte, ut mentiantur*: hoc eſt, non erunt ſolliciti de retinendo ſuo honore & fama, ſed libenter decedent ab illa exiſtimatione quam ſibi falſo acquiſierant. Apparet ex hoc loco Prophetas indutos fuiſſe veſte ſordida & piloſa. Quanquam non ſatis apte citant interpretes locos ex Prophetis, ubi jubentur induere ſaccum & cilicium: nam Iſaias in multis vaticiniis non fuit indutus ſacco vel cilicio: ſed quum aliquid triſte nunciaret. Idem etiam dicendum eſt de Jeremia, qui juſſus eſt nudus incedere. ſed hoc fuit in communi uſu, ut Prophetæ contenti eſſent veſte piloſa, hoc eſt, plebeia & ignobili. Etſi enim libertas eſt in rebus externis, ſervanda tamen eſt aliqua moderatio. nam ſi nunc docerem in habitu militari, hoc poſſet facile refelli ipſo communi ſenſu. Non opus eſt doctrina ex qua diſcatur hæc honeſtas & commune decorum. ſic ergo veri Prophetæ aſſueverant piloſis veſtibus, ut oſtenderent ſe parcos & frugales eſſe tam in victu quam in veſtitu. Interea non captarunt famam ſanctimoniæ, quaſi præcellerent ob ſolam veſtem: quemadmodum hodie Monachi ſancti ſunt in ſua cuculla & ſimilibus nugis. Non fuit ergo hic Prophetis ſcopus: ſed tantum ut ipſo habitu oſtenderent nihil ſibi aliud eſſe propoſitum, quam ſervire Deo, & ita eſſe à mundo ſegregatos, ut totos ſeſe addicerent ſuo miniſterio. Jam imitabantur eos Pſeudoprophetæ: ideo dicit Zacharias, *Non induent amplius veſtem piloſam*: hoc eſt, non præ ſe ferent amplius habitum Propheticum. Hæc ſumma eſt, non reprehendi in Pſeudoprophetis veſtem ipſam, quemadmodum quidam parum conſiderate arripiunt huoc locum, ut damnent & veſtes oblongas, & quicquid diſplicet eorum moroſitati: ſed Propheta ſimpliciter ſignificat, ubi illuxerit puritas doctrinæ, & vera religio obtinuerit ſuam dignitatem, tunc non fore amplius locum falſis doctoribus: quia ſponte diſcedent ab officio, neque amplius fallere tentabunt vulgus imperitum. hæc igitur genuina eſt Prophetæ ſententia: ideo dicit, *Ut mentiantur*. Videmus ergo propter certum finem damnari piloſas veſtes, nempe ut lateant ſub pelle ovium lupi rapaces, ut vulpes ſeſe inſinuent ſub aliena ſpecie. hic finis damnatur à Zacharia, non autem ipſe veſtitus. Poſtea adjungit,

5. Et dicet, Non ſum egò Propheta: vir agricola ego ſum: quia Adam (*vel homo*) docuit me paſtorem eſſe à pueritia mea.

Reſipiſcentiam hoc verſu clarius exprimit. Paulus, ubi hortari vult fideles ad vitæ novitatem, dicit, Qui furatus eſt, non furetur amplius: magis autem manibus ſuis laboret, ut ſubveniat aliorum egeſtati. (*Epheſ. 4. verſ. 28.*) Duas partes illic reſipiſcentiæ notat Paulus, nempe ut fures abſtineant ab omni maleficio & injuria: deinde ut ſtudeant etiam labore ſuo ſuccurrere aliis, & levare eorum neceſſitatem. Sic etiam utrumque membrum proſequitur Zacharias, quod ſcilicet Pſeudoprophetæ cedent à munere ſuo: deinde quod operam libenter impendent labori juſto & ſancto, ut ſine fallacia & noxa ſeipſos alant, & ſuccurrant etiam ſuis fratribus. Dixit jam de priori parte, & iterum repetit, *Non ſum Propheta.* hoc igitur principium eſt reſipiſcentiæ, ubi à mendaciis ceſſant qui prius fuerant quaſi Satanæ organa ad decipiendum, & ita imponunt finem ſuis erroribus. Jam ſequitur progreſſus, nempe quod qui prius in otio vivebant & deliciis ſub ſanctimoniæ prætextu, gnaviter ſeſe dabunt ad laborem, & non erunt amplius pigri ventres ut antea, ſed victum ſibi legitimum acquirent juſto & licito labore. Non ſatis igitur fuiſſet dicere, *Non ſum Propheta*, niſi hoc fuiſſet additum, *Ego ſum agricola*: hoc eſt, Ego paratus ſum ad laborem, quo & meipſum alam, & ſubveniam etiam fratribus meis. Reformatio dimidia forſitan hodie apud multos locum haberet. ſi hoc certum eſſet multis Monachis, ſemper pinguem illis ſaginam fore in clauſtris: ſi etiam cornuti Epiſcopi & Abbates hoc certum haberent, nihil ſibi periturum ſui quæſtus & lucri, facile concederent Euangelio curſum. Sed ſecunda pars reformationis nimis dura eſt, ubi ſcilicet ſudandum & laborandum eſt: hîc venter non habet aures, quemadmodum dicitur veteri proverbio. & tamen videmus quid dicat Propheta, eos ſcilicet vere & ex animo reſipiſcere, qui non tantum abſtinent ab impoſturis, ſed etiam qui parati ſunt victum ſibi acquirere, ubi agnoſcunt ſe fraudaſſe pauperes, & alimenta ſibi quæſita prius fuiſſe ex rapinis & furtis. Loquitur autem haud dubie Propheta de impoſtoribus, quorum tunc magna erat turba apud Judæos: ſicuti & mulieres etiam jactabant ſe eſſe donatas Prophetico ſpiritu: & bellandum fuit veris Dei Prophetis contra illas præſtigiatrices vel ſagas, quæ eo uſque ſe ingeſſerant rebus turbatis & confuſis, ut ſumerent ſibi docendi officium. Quum ergo tunc multi ignavi ventres ſeſe paſcerent ex ſuperſtitione, merito Propheta eos remittit ad agriculturam. quemadmodum hodie multi fraterculi occultant ſuam inſcitiam ſub cuculla, etiam ſacrifici omnes Papales ſub ſacra illa veſte, ut vocant. atqui detracta larva facile eſſet deprehendere illos eſſe rudiſſimos aſinos. Nunc ſi agnoſcant ſe fuiſſe impoſtores, ut Dominus ſatis detexit eorum turpitudinem, quid ſupereſt niſi ut ſponte ſubeant quod hic docentur? nempe ut fiant ex Prophetis agricolæ. Quantum attinet ad finem verſus, quidam retinent nomen Adam, alii vertunt Hominem: & generaliter etiam Adam Hominem ſignificat in Scriptura. Sed qui putant Zachariam loqui de primo homine, adducunt hanc rationem, quod ſicuti injuncta fuit humano generi hæc neceſſitas poſt lapſum, ut in ſudore vultus ſui comederet panem ſuum, ita etiam omnes poſteros ſic fuiſſe edoctos ab Adam primo ſuo parente. (*Gen. 3. verſ. 19.*) ſed videtur hæc interpretatio nimis longe petita. Ego igitur indefinite accipio: quaſi diceret, Ego non fui edoctus à magiſtro aliquo, ut poſſem ad munus Propheticum ſufficere: ſed verſatus ſum cum agricolis: & ita profeci, ut poſſim paſcere oves aut boves: ego quidem minime idoneus ſum ad obeundas doctoris partes. ſimpliciter ita accipio. Quantum attinet ad verbum הקני, קנה ſignificat Poſſidere & acquirere: ſed quoniam מקנה deducitur ab hoc verbo, quod ſignificat gregem ovium, vel armentum, ideo huc inclinant doctiſſimi quique interpretes, Docuit me homo poſſidere oves & boves. ego tamen libentius vertere auderem, Docuit me homo paſtorem agere, quemadmodum jam dixi. Summa eſt, ubi detexerit Deus inſcitiam quæ graſſata fuit in Eccleſia, ſic ut tenebræ errorum quaſi obruerent omnem lucem pietatis, tunc qui reſipiſcent fore ita modeſtos, ut minime pudeat ipſos fateri ſuam inſcitiam, & teſtari ſe fuiſſe impoſtores quantiſper hoc fallaci prætextu abuſi ſunt, quod ſcilicet eſſent Prophetæ. Requirit igitur hic Spiritus Dei hanc modeſtiam ab omnibus qui in illis fæcibus demerſi ad tempus fuerunt, ut ſi videant ſe non eſſe aptos ad docendum, dicant, Ego non fui in ſchola: ego beſtia eram; & tamen volui videri doctiſſimus magiſter: ſed tunc ſtupor populi velavit meam ignominiam. nunc autem lux doctrinæ nobis affulſit, quæ cogit me ad pudorem: & ideo jam fateor me non eſſe dignum qui audiar in cœtu, quia paratus ſum manus meas potius exercere vili & ſordido labore, ut inde mihi victum acquiram, quam amplius decipere, ſicuti hactenus feci.

Da omnipotens Deus, quando dignatus es luce Evangelii tui hodie nos educere ab horrendis illis tenebris in quibus miſere jacuimus, & ita nobis conſpicuam reddere faciem tuam in unigeniti Filii tui perſona, ut tantum noſtra ingratitudo impediat, quominus transfiguremur in gloriam tuam cœleſtem: da, inquam, nobis ſic proficere in hac luce doctrinæ, ut quemque ſuperioris ſuæ inſcitiæ pudeat: libenter & ingenue fateamur nos fuiſſe oves perditas donec revocati ſumus in viam ſalutis manu tua, & ſic progrediamur in curſu ſanctæ tuæ vocationis, donec tandem colligamur omnes in cœlum, ubi non lucebit tantum nobis doctrina, quæ ſecundum modulum carnis noſtræ nos regat, ſed etiam affulgeat nobis ſplendor gloriæ tuæ, & conformes nos reddat tibi, per eundem Chriſtum D. N., Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA PRIMA

IN

ZACHARIAM PROPHETAM.

CAP. XIII.

6. Et dicet ad eum, Quid plagæ iſtæ inter manus tuas? & dicet, Quia percuſſus ſum in domo amicorum meorum.

Hic Propheta, ut abſolvat ſententiam quam heri cœpimus exponere, dicit talem fore diſciplinam in novo populo poſtquam reſipuerit, ut privatim ſinguli in ſuis ædibus caſtigent filios ſuos & cognatos. hoc autem ſignum eſt perfecti zeli, ubi non tantum Judices officio ſuo funguntur, ut ſcelera vindicent, ſed etiam privati homines adjuvant quiſque pro ſua virili ordinem publicum. Verum quidem eſt, non permitti nobis jus gladii, ut qui peccavit pœnam ab amico ſuſtineat: ſed quia hoc etiam ſemper Lege Dei permiſſum fuit, ut amici caſtigationem infligerent, ſi res non veniret in publicum judicium; ideo Zacharias ad morem illum receptum alludens, dicit, etiamſi non trahantur ad pœnam capitalem qui abuſi ſunt Prophetico nomine, & ſparſerunt falſos & impios errores, tamen tale fore ſtudium pietatis, ut amici privatim caſtigent quoſcunque reperient tales. Siquis objiciat, contraria eſſe hæc duo, Pſeudoprophetas occidi, & verberibus tantum vel plagis caſtigari: reſpondeo, Zachariam non tam exacte de genere & modo ſupplicii loquutum: ſed ita contexuiſſe ſermonem, falſos doctores etiam judicio parentum mortis reos fore. Quod ſi clementiſſime tractentur, pœnas tamen daturos, ut tota vita mutili ſint, ac cicatrices ſemper geſtent in ſignum ignominiæ. Intereà ex reſponſo colligimus notari rurſus veram pœnitentiam: *Dicet*, (eſt indefinitus modus verbi) hoc eſt, ubi dictum fuerit, *Quid ſibi volunt plagæ iſtæ inter manus tuas? tunc dicet, Ego percuſſus ſui apud amicos.* Oſtendit Propheta eos qui prius deceperant populum, ita fore novos homines, ut patienter ferant correctionem, etiamſi videri poſſit aſperior, quemadmodum ubi vulneratæ ſunt & transfixæ manus: dicit tamen pœnam, quæ per ſe videtur acerba, fore illis mitem, quia ſcilicet præditi erunt manſuetudine, ut libenter ſuſtineant ſe corrigi. Quidam hoc traxerunt ad Chriſtum, quia dixit Zacharias manibus inflicta eſſe vulnera: ſed illud eſt nimis frivolum, quia ſatis conſtat ſermonem proſequi de falſis doctoribus, qui abuſi fuerant Dei nomine ad tempus. Quum ergo dicunt amicos fuiſſe à quibus fuerunt percuſſi, agnoſcunt ſe dignos fuiſſe tali pœna, neque obmurmurant, neque objiciunt ullam querimoniam. Sequitur nunc,

7. Gladie, (*vel framea*) expergiſcere ſuper paſtorem meum, & ſuper virum ſocium meum, dicit Jehova exercituum. percute paſtorem, & diſpergentur oves: & reducam manum meam ſuper parvulos.

Quod hactenus diſſeruit Propheta jucundum erat & delectabile auditu, quoniam pollicitus eſt fore expoſitum fontem quo expiarent omnes ſordes ſuas Judæi: & Deum poſtquam illis eſſet placatus, fore beneficum. Quum ergo tam lætum & felicem ſtatum promitteret, potuit arripi ſermo ille, etiam à bonis & veris Dei cultoribus, quaſi conditio Eccleſiæ poſt id tempus futura eſſet immunis ab omni moleſtia & incommodo. ergo anticipat Zacharias, & oſtendit non ſperandam eſſe felicitatem quam promiſit, quaſi fideles exempti forent ab omni pœna: quia interim Deus Eccleſiam duriter affliget. quamvis ergo promiſerit Deum fore liberalem Eccleſiæ ſuæ, oſtendit tamen permixtas fore multas ærumnas proſperitati: ut ſe comparent fideles ad omnia perferenda. Videri quidem poſſet abruptus ſermo, ſed ſingula membra inter ſe optime cohærent: quia ſic temperat Deus beneficia quibus proſequitur Eccleſiam in mundo, ut ſemper eam exerceat variis modis. Præſertim hæc admonitio fuit neceſſaria, quum inſtarent graviſſimæ afflictiones: ut facile patet ex hiſtoriis, tunc gentem illam fere fuiſſe obrutam deſperatione, ubi propinquus erat adventus Chriſti. hæc igitur ratio eſt cur Propheta res primo intuitu contrarias ita conjungat. Nam quod hactenus promiſit, huc tendebat ut fideles parati eſſent ad omnia toleranda, quoniam in propinquo erat liberatio. ſed interim oportuit diſertis verbis ipſos animari ad conſtantiam, ne extremis malis quæ tunc inſtabant ſuccumberent. Summa eſt, antequam Dominus Eccleſiam ſuam repurget atque revocet in perfectum ordinem, graviſſimas clades fore intermedias: quoniam accidet horrenda diſſipatio, ubi Deus paſtores ipſos percuſſerit. & apoſtrophe iſta multam in ſe emphaſin continet quum Deus gladium compellat, qui tamen ſenſu caret. plus eſt quam ſi dixiſſet, Gladius excitabitur ſuper paſtores & ſuper miniſtros meos: & ſic fiet ut totus grex diſpergatur. Hæc figura, dico, plus habet efficaciæ ubi verba ipſa Deus ad gladium dirigit: *Gladie* ergo, *expergiſcere*: quaſi gladius torperet, vel eſſet ſimilis homini ſomniculoſo, dicit, *Expergiſcere*, evigila, *gladie*. Quomodo? *ſuper paſtorem meum*. Noſtri fere omnes reſtringunt hunc locum ad perſonam Chriſti, quia Matth. 26. citatur *Mat. 26.*
ſententia illa, Percutiam paſtorem, & diſpergentur *verſ. 31.*
oves. ſed non videtur ſolida eſſe ratio, quia quod de paſtore dicitur, potius extendi probabile eſt ad ipſum ordinem totum: quemadmodum ubi dicit Deus, Prophetam excitabo vobis è medio veſtrûm, certe illic *Deut. 18.*
non fit mentio unius Prophetæ ſolum, ſed complectitur *verſ. 15.*
Deus omnes Prophetas: acſi diceret, Nunquam deſtituam vos ſalutis doctrina, & ſingulis ætatibus oſtendam me gerere curam veſtri: quia ſemper aderunt Prophetæ, quorum ore declarem me vobis eſſe propinquum. Locus ille citatur de Chriſto, & aptiſſime: quoniam ex ejus Spiritu loquuti ſunt Prophetæ

omnes: & ipſe tandem apparuit, & per os ejus familiariter demum loquutus eſt nobiſcum Pater cœleſtis, & quaſi pleno ore explicuit totam mentem ſuam, quemadmodum dicitur primo ad Hebræos capite, Multis modis olim & ſæpius loquutus eſt Deus patribus per Prophetas: nunc autem extremis temporibus per unigenitum Filium ſuum. Sicuti ergo Chriſtus primatum obtinet inter Prophetas, & ideo bene aptatur ad illum locus Moſis: ita etiam quoniam paſtorum eſt princeps & caput, merito hoc competit in ejus perſonam. ſed generalis tamen eſt Prophetæ doctrina. In ſumma, Deus minatur ac denunciat fore horrendam diſſipationem in populo, quoniam privabitur ſuis paſtoribus, ita ut gubernatio vel confuſa ſit vel nulla. & nomen עמית etiam verterunt alii Contribulem, alii Conſanguineum, alii Cohærentem Deo, quoniam perſuaſum erat locum hunc non niſi de uno Chriſto intelligi poſſe. ſed ſumpſerunt, ut jam dixi, falſum principium. Græca translatio habet τὸν πολίτην, Civem. Alii vertunt, ut Theodotion, σύμφυλον, hoc eſt, Contribulem. Hieronymus maluit, Cohærentem mihi. עמית Hebræis ſignificat Socium, vicinum vel familiarem, & quiſquis nobis conjunctus eſt aliquo jure. Non dubito quin Deus hoc titulo inſigniat paſtores, quoniam per ipſos repræſentabat ſe populo. & quo quiſque magis eminet, eo eſt propinquior Deo, ut ſcimus. Unde & Reges & Judices & quicunque præfecturam obtinent, vocantur ejus filii. ſic etiam paſtores vocantur ejus ſocii, quia ſcilicet impendunt ſuam operam ædificandæ Eccleſiæ. Ille ſummus eſt Paſtor: ſed utitur ſuis miniſtris ad opus ſuum exequendum. hæc ratio eſt cur vocentur ſocii Dei, pro-

1 Cor. 3. pter conjunctionem ſcilicet, quia ſunt cooperarii

vers. 9. Dei, quemadmodum Paulus etiam docet. Denique eodem ſenſu vocat Propheta paſtores Dei ſocios, quo Paulus vocat ipſos συνεργούς. Jam poſtquam dixit permitti gladio, ut ſurgat contra paſtorem, imo mandari has vices, mox addit, *Diſpergentur oves*. Videmus ergo deſcribi his verbis calamitatem quæ timenda erat, & quam non potuit effugere populus ille, ut fideles non percellerentur nimium, quaſi Deus falleret datam fidem: ſed ſtarent firmi inter illas graviſſimas turbas & violentos motus. Quamvis ergo propinqua eſſet diſſipatio, jubet Zacharias fideles ſtare firmos, & patienter ac quietis animis expectare, dum rurſus oſtendat Deus ſe eſſe propitium, & appareant etiam ſigna favoris ejus, de quibus ante diſſeruit. Videmus quo tendat Prophetæ conſilium. ſed jam primo notandum eſt, hoc certum eſſe præſagium ruinæ & interitus populi, quum tolluntur è medio paſtores: quia ubi Deus vult nos tueri ſalvos, utitur inſtrumento illo, hoc eſt, excitat fidos doctores, qui præſint ipſius nomine: gubernat etiam eos Spiritu ſuo, & facit ut retineant gradum ſuum & ſtationem. ubi autem illos percutit, jam non modo derelinquit populum, ſed oſtendit ſe eſſe ſcelerum ultorem, ut populus ipſe pereat. huc tendunt Prophetæ verba. Cæterum, jam attigi fuiſſe hoc impletum in Chriſto, quemadmodum ad ſe accommodat hunc locum: quia fugerunt ab eo diſcipuli omnes. quamvis facerent exiguum gregem, ut erant pauciſſimi numero, tamen fuerunt diſperſi & profligati. Illic ergo quaſi in ſpeculo apparuit quam vere dictum fuerit à Zacharia, diſſipationem propinquam eſſe, ubi paſtor percutitur. Jam per nomen Gladii intelligit afflictionem: quia etſi Chriſtus gladio vulneratus non fuit, tamen crucifixio & mors violenta hic apte notantur per nomen Gladii. Sequitur in fine verſus, *Reducam manum meam ad parvulos*. Quidam exponunt parvulos ſemper fore obnoxios multis malis, quia Dominus ſemper manu ſua ferulam tenebit qua eos caſtiget. ſed minime dubito Prophetam longe aliud velle, nempe fore locum miſericordiæ Dei, ubi corpus populi fuerit quaſi laceratum in multas partes. nam poterant animos dejicere omnes pii, quum paſtores ſublati eſſent, deinde quum populus eſſet ſimilis gregi erratico. Deus ergo occurrit, & teſtatur manum ſuam fore ſuper illos miſeros & pauperculos, qui fere oppreſſi erant malorum congerie. Hic etiam locus nobis valde utilis eſt ad præſentem ſtatum Eccleſiæ. videmus enim ut Deus pridem abſciderit paſtores omnes, ut Eccleſia, quæ vocatur, eſſet quaſi truncum corpus. Jam etiam videmus ut ſæpe Deus ſpoliet bonis & fidis paſtoribus eos qui abuſi ſunt ſua doctrina, vel eam repudiarunt impio contemptu. Poſſemus ergo hic terreri, & abjicere omnem fiduciam ſalutis, niſi in memoriam veniret quod hic docet Zacharias, nempe quamvis Eccleſia ſit contemptibilis in mundo, quamvis pauci numero ſint fideles, & omnes calamitoſi, tamen manum Dei fore ſuper eos, ut ſcilicet iterum colligat ſibi Eccleſiam ex laceris membris. Hæc ſumma eſt. Sequitur,

8. Et erit in tota terra, dicit Jehova, portio duæ (*vel duorum*) in ea excidentur, morientur, & tertia reſidua erit in ea.

Proſequitur eandem ſententiam. Admonet enim fideles, quamvis ſtatuerit Deus Eccleſiam ſuam reſtituere, & benedictio etiam ejus futura ſit conſpicua, non tamen procul abeſſe graviſſimas afflictiones: quaſi diceret, Deus & ſerenum cœlum & temperiem aëris vobis dabit, ut terra proferat fruges ſuas: ſed tamen imminet gravis tempeſtas, & non eritis immunes à procellis & grandinibus. Cæterum, ubi Deus vaſtaverit partem agrorum, benedicet ſegeti veſtræ & vitibus, ita ut ſuppetat vobis victus ad ſufficientiam. ſic etiam hoc loco, Deus Eccleſiam ſuam proteget, deinde propitius erit, quia abluet omnes ſordes ſcelerum, & dabit vobis fidos paſtores, ubi abſtulerit omnes impoſturas Satanæ: ſed interea manent vos graviſſimæ afflictiones, & expectanda eſt dura conditio & difficilis ad tolerandum: quoniam Deus videbitur populum ſuum velle perdere. talis erit diſſipatio. hac ratione dicit fore in tota terra graviſſimas clades: *Quoniam duæ partes*, inquit, *morientur, tertia duntaxat reſtabit*. Nunc videmus quam bene hæc conveniant, atque ut fluat contextus Prophetæ. Denique ſignificat quod antehac promiſit de futura Dei gratia, non ſpectare ad promiſcuum vulgus & totum corpus populi: ſed ad fideles, quos eripiet mirabiliter Deus ab interitu. nam ex populo Deus ſervabit tertiam partem duntaxat: duas autem jam decrevit perdere. Nunc minime ambiguum eſt Prophetæ conſilium. ſed hinc colligimus, quæcunque Deus quotidie promittit Eccleſiæ ſuæ, non extendi indifferenter ad omnes: quoniam multi falſo obtendunt ejus nomen: ipſe autem ſuos agnoſcit,

quemadmodum dicit Paulus: ideoque hortatur ut 2 Tim. 2.

diſcedat ab iniquitate quiſquis invocat nomen Do- vers. 16.

mini. Sciamus ergo minime ſpectare ad hypocritas promiſſiones gratiæ Dei: quoniam etſi decrevit benigne & humaniter agere cum Eccleſia ſua, non tamen deſinit eam extenuare, ut tertia pars duntaxat ſalva maneat. ideo quoties de miſericordia Dei erga Eccleſiam agitur, & de auxilio, ſemper occurrat nobis iſta purgatio de qua nunc Zacharias loquitur, quod ſcilicet Deus abſcindet tertiam partem, nempe quum major numerus ſemper in exitium ſuum ruat. Satis igitur eſt tertiam partem eripi ab interitu: quia hæc ſententia proprie referri debet ad regnum Chriſti, ut ante viſum eſt. Ad verbum legitur, *Os duorum*. ſed metaphorice פי accipitur pro Parte. Portio ergo ex duabus in ea: vel, *Duæ portiones in ea* (nam numerus pluralis conjungitur cum ſingulari, ut ſæpe fit)

peri-

peribunt, excidentur. nam repetit Propheta ſub duobus verbis excidium & cladem duarum partium כרת ſignificat Excidere: deinde גוע ſignificat Mori & peſſum ire. neque tamen, quamvis rem unam intelligat duobus verbis, ſupervacua eſt repetitio. nam potuit hoc videri & durum & abſurdum, ex populo Dei tantum ſuperſtitem fore partem tertiam. Iſta imminutio Eccleſiæ potuit exaſperare multorum animos, & potuit etiam videri fere incredibilis. ideo Propheta ut confirmet quod per ſe paradoxon erat, dicit, *Morientur, peribunt*: ita decretum eſt, neque litigandum eſt vobis cum Deo. nam devoti ſunt exitio plures quam qui manebunt ſalvi. *Tertia ergo pars ſuperſtes erit mea.* Sequitur,

9. Et ducam (*vel venire faciam*) tertiam partem per ignem: & conflabo eos ſicuti conflatur argentum: & examinabo eos ſicuti probatur aurum: ipſe invocabit nomen meum, & ego reſpondebo ei: & dixi, (*vel dicam*) Populus meus eſt: & ipſe dicet, Jehova Deus meus.

Hic longius procedit Zacharias, nempe ubi abſciderit duas partes Deus è populo, tamen tertiam ſic fore ſalvam, ut probetur multiplici examine, & ſuſtineat varias afflictiones. Quantum ad duas partes ſpectat, Dominus non afflixit eas ut ad pœnitentiam flecteret, ſed voluit in totum perdere. Tertia pars ergo duntaxat ſervatur in ſalutem: & tamen neceſſe eſt hanc quoque purgari multis afflictionibus. Valde utilis eſt hæc doctrina; quoniam primo ex ea colligimus non tantum ex orbe toto multos in exitium trahendos eſſe, ſed ex medio Eccleſiæ ſinu: quia ſi trecenti profitentur ſe Deum colere, dicit Zacharias centum duntaxat fore ſalvos: quia in turba multi ſunt ſemper hypocritæ, imo grana latent ſub paleis & quiſquiliis. Neceſſe eſt igitur peſſum ire & addici æternæ morti plures quam ſerventur: dico etiam in ipſo ovili. Nunc diſcamus non æmulari impios, etiamſi proſperitas eorum nos urat ac ſollicitet ad dolorem. Putamus illos eſſe beatos, quoniam dum illis parcit Deus & eos ſuſtinet, nos derident, & inſultant noſtris miſeriis. ſed hic Spiritus ſanctus nos hortatur ad ferendas patienter afflictiones: quia etiamſi ad tempus felicitas impiorum nos pungat, tamen pro-
Pſal. 37. verſ. 2. nunciat Deus ipſe illos ſaginari ut mactentur paulo
poſt ubi contraxerint multam pinguedinem. hoc eſt unum. Deinde additur ſecundo, poſtquam perierit major pars mundi & Eccleſiæ, (ſaltem quæ obtendit tale nomen) nos non poſſe aliter retineri in officio, niſi ſubinde Deus nos caſtiget. Veniat igitur nobis in mentem quod dicit Paulus, nos caſtigari à Domino, ne una cum mundo pereamus. & ſimilitudines quas uſurpat Propheta in hunc finem tendunt. Dicit enim, *Ducam eos per ignem.* Loquitur hic de eximiis, quos Deus ad ſalutem elegit, & quos repoſuit ut ſalvi maneant. Dicit tamen ideo illos fore ſalvos per ignem: hoc eſt, per duras ærumnas. ſed finem ipſum clarius exprimit, quod ſcilicet *probabit eos, tanquam aurum & argentum.* nam & ſtipula in ignem
Matth. 3. verſ. 12. conjicitur & paleæ, quemadmodum Joannes Baptiſta
docet: verum ſine profectu, quia & quiſquilias & paleas conſumit ignis, & quicquid corruptibile eſt. ubi autem aurum & argentum conflatur & purgatur, hoc fit ut major eniteat puritas: deinde ut quod eſt pretioſum in iſtis metallis, melius conſtet: quoniam ubi extrahitur argentum è ſuis venis, nihil fere differt à terra: idem eſt de auro. ſed fornax ſic purgat ſordes in auro & argento, ut obtineat ſuum pretium & excellentiam. dicit igitur Zacharias, quum Deus fideles ſuos in ignem conjicit, hoc facere paterno conſilio, ut ſcorias exurat: & ita ſint vere aurum & argentum qui prius ſordebant, vel in quibus redundabat multa ſuperfluitas. Videmus ergo hic diſcerni electos Dei, & qui vere inter filios ejus cenſentur, à reprobis: quamvis prætexant falſo & Dei ipſius nomen & ejus cultum. Cæterum, non pugnat hic
Jeſ. 48. verſ. 10. locus cum illo Jeſaiæ, Non purgavi te quaſi aurum
& argentum, totus enim fuiſſes conſumptus: quia etſi Deus examinat electos ſuos igne afflictionum, tamen modum imponit: quia deficerent prorſus, ſi ad vivum vellet eos purgare. interim tamen neceſſe eſt tranſire per hoc examen de quo nunc loquitur Propheta. & ita nobis hic pingitur Eccleſiæ ſtatus, quod ſcilicet oporteat ſemper & aſſidue purgari, quia toti immundi ſumus. deinde poſtquam nos Deus ſuo Spiritu abluit, adhuc tamen multæ immunditiæ in nobis reſident: præterea alias atque alias contrahimus: quia fieri non poteſt quin multa contagio ad nos perveniat ex tot vitiis quibus undique ſumus circumdati. Jam adjungit, *Ipſe invocabit nomen meum, & ego reſpondebo ei.* hac conſolatione mitigat Deus quod per ſe fuiſſet aſperum & moleſtum. Durum eſt cernere tot horribiles ruinas, quum Deus peſſundat majorem partem orbis, & in Eccleſiam ipſam perrumpit ejus vindicta, ſic ut ſeveritas ejus undique nobis metum incutiat. ſed accedit etiam illud ſecundum, nos ſcilicet quotidie ſentire ignem, quaſi Deus vellet nos urere, quamvis non conſumat. ergo Propheta oſtendit quomodo dulceſcant nobis omnes miſeriæ, & triſtitia non ſit nimium gravis: quia ſcilicet exercemur cruce & ferulis ac caſtigationibus Dei ad invocationem nominis ejus. Invocationem ſequitur exauditio: qua nihil magis optabile eſt. jam ergo à fructu demonſtrat Propheta, non eſſe cur fideles obmurmurent Deo, vel impatienter ferant ſua mala, quoniam purgati jam poſſunt letio ad eum confugere. Si quiſpiam roget, Annon Deus poſſet Spiritu ſuo adducere electos ad veram pietatem? Quorſum igitur ignis iſte afflictionum & tam durum examen? non agitur hic neque etiam diſputandum à nobis eſt quid poſſit Deus: ſed contenti ſimus hoc ejus decreto. Vult igitur ſuos adducere hac ratione, ut ſcilicet tranſeant per ignem, & examinentur variis afflictionibus, quo pure nomen ipſius invocent. Interea diſcendum eſt hanc eſſe veram præparationem, qua Dominus ad ſe revocat electos ſuos, & format etiam ad ſincerum pietatis ſtudium, quum ſcilicet cruce & variis pœnis eos exercet. nam proſperitas inſtar eſt rubiginis. Non poſſumus ergo ad Deum reſpicere claris oculis, niſi purgati. Purgatio autem, quemadmodum jam dixi, pendet ab illo Dei conſilio, quo decrevit Eccleſiam ſuam cruce domare. ergo de primo ad ultimum neceſſe eſt nos eſſe obnoxios ferulis Dei, ut eum ex animo invocemus: quia animi noſtri rebus ſecundis ita flacceſcunt, ut non poſſint ad preces aſſurgere. Cæterum, hæc conſolatio ſemper aptanda eſt ad dolores noſtros leniendos: ubi caro noſtra vel ad contumaciam vel ad deſperationem nos impellit, occurrat hoc remedium, nempe etiamſi caſtigatio dura ſit dum ſentitur, debere tamen æſtimari à ſuo fine, quemadmodum etiam Apoſtolus admonet 12. cap ad Heb. Præſertim diſcamus tunc ſerio invocari Dei nomen, ubi ſubacti ſumus, & correcta eſt in nobis omnis ferocia, omnis luxuria carnis. nam ſumus ſimiles vitulis indo- *Jer. 50. verſ. 11.*
mitis, quemadmodum dicit Jeremias, ubi nobis Dominus indulget. ergo eruditio crucis neceſſaria eſt, ut vigeant inter nos ſeriæ precationes. Tandem oſtendit quomodo invocetur Deus: quia ſcil. edocti ſumus ipſum nobis facilem & propitium fore, quoties invocabitur. neque enim ſatis eſſet ſub onere afflictionum gemere, & ita expergefieri ad orandum, niſi Deus ipſe nos alliceret, & faceret ſpem gratiæ. Ideo adjungit Propheta, *Dicam, Populus meus eſt: & ipſe dicet, Jehova Deus meus.* denique ſignificat

Propheta, niſi præluceant promiſſiones Dei, & nos invitent ad precandum, oon poſſe extorqueri à nobis ſinceram ullam precationem. Quare? primum accedimus ad Deum ſola fide, & illa nobis aperit januam: & repudiaotur omnes preces quæ in fide fundatæ non ſuot. deinde ſcimus naturaliter bomines horrere conſpectum Dei, niſi ubi guſtum præbet bonitatis ſuæ & amoris. Ergo notatu digniſſimum eſt quod bic dicit Zacharias, præire ſcilicet vocem Dei, ut cum fiducia ſequamur & poſſimus ingredi janua aperta ad orandum: quia niſi primo loco diceret, *Vos eſtis populus meus*, non poſſemus nobis tantum arrogare, ut prodiremus in ejus conſpectum cum hac voce, *Tu es Deus noſter*. Quis enim obſtrinxit nobis Deum, ut nobis ſit Deus? nempe ipſe ſponte ſe nobis obligavit, quia pollicitus eſt nos ſibi fore in populum. ergo, ut jam dixi, nullum erit rite orandi principium, donec edocti fuerimus Deum paratum eſſe ad exaudiendas preces: quemadmodum dicitur in Pſalmo, Tu Deus exaudiens preces, & omnis caro *Pſal. 45.* ad te veniet. *verſ. 3.*

Da omnipotens Deus, quando vides nos refertos eſſe tot pravis cupiditatibus, quæ inquinant quicquid in nos puritatis contuliſti per Spiritum tuum, ut proficiamus quotidie ſub tuis ferulis, & ita nos ſubjiciamus tibi regendos, ut ſimus placidi & morigeri, etiam quum eris erga nos aſperior: & ſemper guſtemus dulcedinem bonitatis tuæ in rigore tuo, quod ſcilicet ſaluti noſtræ conſulis, & adducis ad perfectam puritatem, à qua longe adhuc abſumus: ut ſic tibi ſimus ſubjecti in hoc mundo, quo aliquando participes ejus victoriæ, quam nobis peperit Chriſtus, etiam triumphum cum illo agamus in regno tuo cœleſti, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA SECUNDA IN ZACHARIAM PROPHETAM.

CAPUT XIV.

ECce dies venit Jehovæ, & dividentur ſpolia tua in medio tui.

2. Et congregabo omnes gentes contra Jeruſalem in prælium, & capietur urbs, & diripientur domus: mulieres ſtuprabuntur: & exibit dimidia pars urbis in exilium, & reſiduum populi non excidetur ex urbe.

PRoſequitur Zacharias eundem ſermonem quem vidimus. quia enim promiſerat lætum & felicem ſtatum fidelibus, qui redierant in patriam contemptis deliciis Chaldææ, jam præmonet non tantam fore eis pacem, ut habitent in Judæa ſine multis incommodis & moleſtiis. & hoc modo eos hortatur ad tolerantiam, ne deficiant in rebus adverſis, & ne pœniteat ipſos reditus: quaſi deluſi fuiſſeot magnificis illis promiſſionibus. Quidam referunt hoc caput ad tempus Antichriſti: alii trahunt uſque ad diem extremum: alii exponunt de clade urbis, quæ contigit ſub Veſpaſiani imperio. ego autem non dubito quin Propheta hic complecti voluerit clades omnes quæ inſtabant: quia nondum urbs ædificata fuerat, quum Judæi duriter vexati fuerunt à ſuis vicinis. deinde ſcimus quam atrocem tyrannidem exercuerit Antiochus. denique continua fuit ſeries malorum ex quo cœpit Templum cum urbe extrui, uſque ad Chriſti adventum. Quoniam ergo poterant Judæi qui prætulerant exteras regiones patriæ, gloriari de ſorte ſua & deſpicere fratres ſuos quaſi ſtulte & inconſiderate mutaſſent locum, & fuiſſent nimium præcipites in reditu: deinde ne etiam ipſi incolæ terræ putarent melius agi cum exulibus quam ſecum: ideo voluit Deus prædicere per os Zachariæ quicquid inſtabat malorum, ut forti animo fideles ſeſe accingerent ad obeunda certamina, neque unquam ſuccumberent ullis malis: quia ſcilicet Dominus plus illis promiſerat, quam poterant conſequi in Chaldæa, & aliis regionibus. Quaodo igitur tenemus Prophetæ conſilium, jam deſcendo ad verba. Dicit *diem venturum Jehovæ, quo dividantur ſpolia in medio urbis*. Per demonſtrativum pronomen, quemadmodum alibi dictum fuit, notatur certa fides vaticinii. Monſtrat enim quaſi digito Propheta quod tamen ſenſu humano comprehendi nondum poterat. dicit autem *diem venturum Jehovæ*, ut agnoſcant ſe daturos juſtas pœnas, quum Dominus ita eos tractabit. ſcimus enim ut ſibi indulgeant homines, ac delicias faciant: & ſi Deus noo videtur ſatis clementer cum ipſis agere, ut facile obſtrepant quaſi nimis eſſet ſeverus. Propheta igitur admonet tantam calamitatem non venturam abſque cauſa: quoniam tunc Deus judicium ſuum exercebit. non deſcribit quidem boc multis verbis: ſed perinde eſt acſi eos citaret ad Dei tribunal. Ubi autem intelligimus nobis negotium eſſe cum Deo, nihil nobis prodeſt obſtrepere. Obmuteſcere igitur ſatius eſt dum ſtatuitur nobis Deus in medio, quia certum eſt ipſum nunquam modum excedere in nobis caſtigandis. Cæterum, hic narratur dura afflictio. nam ſignificat Zacharias urbem fore expoſitam hoſtium libidini, ut ſecure ſpolia ſua dividant in medio ejus gremio: nam quod rapiunt victores, furtim poſtea inter ſe dividuot: & ſcimus multas urbes fuiſſe ſpoliatas, ubi tamen non auſi ſunt victores proferre ſuas prædas. ſed hic Propheta intelligit nihil fore virium in Judæis, ut hoſtes ſuos impediant, quominus quæ rapuerint ſpolia dividant per otium in media urbe. Poſtea adjungit, *Congregabo gentes omnes contra Jeruſalem*. Confirmat quod jam dixi, Deum ſcilicet iſtarum cladium fore auctorem: atque ita injicit frenum Judæis, ne expoſtulent de calamitate nimis aſpera. Breviter ergo ſignificat gentes oon fortuito venturas, ut oppugnent Jeroſolymam: & quicunque motus oriantur, non habituros ſuam originem à caſu, vel fortuna, vel conſiliis hominum, ſed ab ipſo decreto cœleſti. Jubet igitur eos reſpicere in Deum, ut ſeſe humilient ſub potenti ejus manu, quemadmodum etiam nos bortatur Petrus. *1 Pet. 5. verſ. 6.* Poterat brevius dicere, Gentes omnes conſpirationem inter ſe facient: ſed adſcribit hoc Deo, quod ſcilicet ipſe gentes adducet: quemadmodum ſiquis Princeps colligeret exercitum, quem juberet militare ſub auſpiciis ſuis. & *gentes omnes* nominans, admonet non fore leves tentationes: quia talis erit hoſtium conſpiratio & tam denſa congeries, ut parum abſit ab interitu Jeroſolyma. Cæterum, poſtea ſubjicit conſolationem, qua temperat gravitatem illius cladis: ſed prius dicit, *Capietur urbs, ſpoliabuntur* vel diripientur *domus, & mulieres ſtuprabuntur*. Quæcunque accidere ſolent urbi per vim captæ, hic dicit Propheta paſſuros eſſe cives Jeroſolymæ, quia ſcilicet hæc eſt extrema contumelia, videre uxores ſtuprari ab hoſtibus. deinde paupertas ſæpe gravior eſt morte: & tamen dicit, ubi fortunis ſuis exuti fuerint, viſuros etiam contumeliam illam quæ morte erit durior, nempe quod trahentur

bentur ad tantum flagitium & dedecus mulieres. Adjungit *dimidiam partem urbis exituram.* Prius dixerat tertiam partem duntaxat incolumem fore: nunc vero videtur ſecum pugnare. ſed in numeris non eſt anxie laborandum, quemadmodum alibi admonui: ſæpe enim dimidiam partem & deinde tertiam ponunt Prophetæ, quum tamen nolint aliquid diverſum notare. Perinde igitur eſt acſi diceret, fore magnam vaſtationem, ut vix dimidia pars ſalva maneat. Sequitur conſolatio, cujus memini, quod ſcilicet *reſiduum populi non exterminabitur ab urbe.* His verbis docet Propheta, etiamſi hæc conditio valde acerba ſit, quod urbs redigetur fere in vaſtitatem, beatos tamen fore qui ex animo in patriam reverſi Deum ſincere colent, quia ſemper manebit ſuperſtes Eccleſia: utcunque Dominus numerum imminuat, tamen fore corpus aliquod Eccleſiæ ſalvum, quamvis exiguum ſit. Hoc igitur eſt conſilium Prophetæ, ſolari fideles, ut ſuſtineant quæcunque inſtant mala, & expectent quod Deus promittit, nempe ut emergat rurſus aliqua Eccleſia, & reipſa oſtendat Deus Jeroſolymam non fruſtra eſſe Sanctuarium ſuum, ubi ſcilicet benedicet reliquiis quæ ſalvæ evaſerint, & quidem admirabili ejus gratia. Poſtea adjungit,

3. Et egredietur Jehova, pugnabit contra gentes iſtas, ſicut die quo præliatus eſt in die prælii.

Amplificat hic Zacharias gratiam Dei, nempe quia prodibit aperte, & ex profeſſo bellum geret contra omnes hoſtes Jeroſolymæ. Jam hæc erat non parva mitigatio malorum, quod pars Eccleſiæ ſervanda eſſet. Cæterum, hic aliquid longe præſtantius denunciat Propheta, nempe ubi Deus afflixerit Eccleſiam ſuam, & paſſus etiam fuerit violenter ab hoſtibus opprimi, tandem fore vindicem omnium injuriarum, quæ illatæ fuerint. ſcimus quam nos vulnerent iſtæ cogitationes, ubi Deus laxat frenum impiis hominibus & laſciviunt in ſceleribus ſuis, agunt etiam ſuos triumphos: inſultant contra Deum, & fere conſpuunt nubes ipſas. Ubi igitur ita petulanter exultant impii, & Deus interea diſſimulat & quieſcit, difficile eſt patienter expectare quiſnam futurus ſit exitus. Ideo Propheta Deum vindicem fore promittit, ubi Eccleſiam ſuam permiſerit ad tempus caſtigandam impiis & profanis hoſtibus. *Egredietur Jehova*, inquit. ſcimus quid valeat metaphorica iſta loquutio. Addunt aliquando Prophetæ, Egredietur Deus à loco ſuo ſancto: quaſi dicerent, Judæos certa experientia ſenſuros non fruſtra invocari in templo Dei nomen, neque etiam fruſtra illud fuiſſe dictum, Deum ſedere inter Cherubim. ſed videtur Propheta hic generaliter Deum inducere; quaſi prodeuntem è latebris armata manu, ut hoſtes Eccleſiæ ſuæ repellat. *Egredietur* ergo *Deus*: nempe quia occultaverat virtutem ſuam ad tempus: quemadmodum ſcimus Deum abſcondere faciem ſuam à nobis quoties non fert auxilium, & revera etiam putamus nos ab ipſo negligi. Quoniam ergo Deus quantiſper virtutem ſuam occultat, videtur fere deſtitui potentia, ideo Propheta hic dicit, *Egredietur Jehova, & pugnabit*, inquit, *contra gentes iſtas.* His verbis ſignificat non eſſe cauſam, cur invideant fideles hoſtibus ſuis, etiam ubi feliciter illis omnia ſuccedent: quia tandem ſentient non poſſe violari Eccleſiam, quin Deus ipſe cauſam ſuſcipiat, quemad-
Exod. 23. verſ. 22. modum promiſit, Ero hoſtis hoſtibus tuis. & quoniam res erat difficilis creditu, revocat in memoriam veteres hiſtorias: *ſicuti die*, inquit, *quo præliatus eſt in die prælii.* Reſtringunt quidam hanc partem ad tranſitum maris Rubri. ſed puto Zachariam complecti documenta omnia, quæ ediderat Deus, ut oſtenderet Judæos ſibi eſſe curæ. Deus ergo non ſemel, neque uno tempore, neque etiam uno modo virtutem ſuam exeruerat, ut palam ſentirent Judæi ſe ejus auxilio eſſe victores. Hoc intelligit Zacharias, dicens, Et vos, & patres veſtri jampridem experti eſtis ut Deus ſoleat pro Eccleſia ſua pugnare. Ornavit enim vos innumeris victoriis. ſæpiſſime fuiſtis deſperatione obruti, repente vobis affulſit ſua gratia, & preter ſpem veſtram vos liberavit. certamen ſæpe vobis fuit cum validiſſimis hoſtibus, profligati ſunt: & quum eſſetis longe impares tam numero quam viribus, Deus tamen contulit vobis faciles victorias. Quum ergo Deus toties & tam diverſis modis hoſtes veſtros dejecerit, nunc cur non idem ſperabitis ab eo? Videmus ergo cur Propheta hic commemoret vetuſta prælia Dei, nempe ut Judæos confirmet experientia ad bene ſperandum: neque dubitent Deum ſatis valida potentia inſtructum eſſe ad ſubigendos omnes impios, quia nihil ei deceſſit. Et adjungit, *In die prælii*, nempe quum opus eſſet cœleſti auxilio. Vocat enim diem Congreſſus. nam proprie hoc valet nomen קרב. Ubi igitur neceſſe fuit Deum manus conſerere cum hoſtibus, tunc apparuit ejus potentia. ideo non eſt cur in poſterum dubitetis, quin hoſtibus veſtris adhuc prævaleat. & ſcimus hunc docendi modum ſatis frequentem & tritum eſſe Prophetis, nempe dum producunt in medium exempla gratiæ & potentiæ Dei, quibus teſtatus eſt ſatis in ſe uno eſſe præſidii ad Eccleſiæ ſalutem. Jam etiam accommodare ad nos oportet quod hic dicitur: quia non tantum ætatis ſuæ hominibus, vel qui paulo poſt nati ſunt, loquutus eſt Zacharias: ſed voluit uſque ad finem mundi Eccleſiam inſtruere virtute, ne deficiant fideles in ullis tentationibus. Quoties ergo prævalent impii, & nulla ſpes nobis affulget, recordemur quam ſæpe & quam variis modis Deus mirabiliter Eccleſiam ſuam quaſi à morte eduxerit: quia voluit non ſemel tantum opitulari ſuis, ſed etiam nos animare, ne deſpondeamus animos hodie, quum eadem mala perferenda ſunt nobis, quibuſcum luctati ſunt ſancti Patres olim. Poſtea adjungit;

4. Et ſtabunt pedes ejus in die illa ſuper montem Olivarum, qui eſt è regione Jeruſalem ab Oriente: & ſcindetur mons Olivarum à dimidia parte ſui ab Oriente ad Occidentem; (*vel, verſus Orientem & Occidentem*) vallis magna valde: & diſcedet dimidia pars montis ad Aquilonem, & dimidia pars ejus ad Meridiem.

Continuat eandem ſententiam, nempe conſpicuam tunc fore Dei virtutem ad profligandos hoſtes. ſed hic figuris ſermonem ſuum illuſtrat, quaſi vellet adducere Judæos in rem præſentem. Nam proſopopœia hæc non alio ſpectat, niſi ut ſibi proponant fideles Deum quaſi viſibilem: & ita confirmat eorum fidem, ſicuti neceſſe eſt. nam, ut craſſi ſumus & implicati terrenis cogitationibus, vix mentes noſtræ in cœlum aſſurgunt, etiamſi Dominus clara voce nos ad ſe invitet. Ergo ut ruditati noſtræ ſubveniat Propheta, hic hypotypoſin adjungit; quaſi Deus nobis ſtaret ante oculos. *Stabunt*, inquit, *pedes ejus ſuper montem Olivarum.* Noluit hic promittere miraculum quale concipere poſſent imperiti ex litera: ſicuti etiam, ubi paulo poſt dicit, *Mons ipſe ſindetur, & dimidia pars verget ad Orientem, dimidia altera ad Occaſum.* Hoc nunquam contigit, ut ſcinderetur mons ille: ſed quoniam Propheta non poterat in graviſſimis tentationibus, quæ centies poterant opprimere pias animas, ſine figuris extollere quantum res

poſcebat Dei potentiam, ideo ſeſe accommodat, ſicuti dixi, ad modulum carnis. Summa eſt, tam illuſtrem fore Dei potentiam in liberanda Eccleſia, acſi Deus ipſe viſibili modo ſe oſtenderet & ſpectaretur prælium ex montis cacumine, & mandaret etiam pro imperio hoc vel illud fieri. Primo dicit, *Stabunt pedes ejus in monte Olivarum.* Cur non dicit potius, in urbe ipſa? nempe hac loquendi forma notare voluit, Deum acturum eſſe excubias, ut longe proſpiciat quid utile ſit in Eccleſiæ ſuæ ſalutem. Scio hæc omnia allegorice exponi, quod ſcilicet Chriſtus apparuit in monte Olivarum, quum aſcendit in cœlos: deinde quod diviſus mons ille fuerit, ut eſſet permeabilis & tranſirent Apoſtoli in diverſas mundi plagas, ut ita expugnarent omnes gentes. ſed argutiæ iſtæ ſicuti multis placent, ita ubi quis propius eas expendet, parum firmæ ſunt. Ego igitur ſimplicius accipio quod dicit Propheta, nempe manum Dei fore ſatis conſpicuam, ubi ſuccurrere volet miſeræ & afflictæ Eccleſiæ. Eodem etiam pertinet quod dicit, *Vallem magnam fore mediam, quia ſcindetur dimidia pars verſus Aquilonem & dimidia pars verſus Meridiem.* Perinde eſt acſi diceret, Jeroſolymam quaſi latuiſſe ſub monte illo, ut eſſet obſcurior, ſed fore poſtea in excelſo loco: quemadmodum alibi dicitur, Et elevabitur mons Domini ſupra omnes montes, *Jeſ. 2: 2.*
tam apud Michæam quam apud Jeſaiam. Scimus *Mich.4: 1.*
collem illum ſemper fuiſſe exiguum: & tamen Jeſaias & Michæas promittunt altitudinem, quæ ſuperet fere nubes ipſas. Quid hoc ſibi vult? nempe quod tanta erit gloria Dei Jeroſolymæ, ut emineat templum ſuper omnes altitudines. Sic etiam hoc loco, *Scindetur mons*, inquit, *Olivarum*, nempe ut Jeroſolyma non ſit in umbroſa valle, quemadmodum prius, & tantum habeat colliculum in parte una: ſed pateat longe & late ejus proſpectus, ita ut gentes omnes eam ſuſpiciant. hoc ſimpliciter, meo judicio, voluit Propheta. Si cui magis placeant allegoriæ, ab aliis petat. Nunc ſequitur,

5. Et fugietis in vallem montium, (*vel per vallem*) quia pertingit vallis montium ad Azal: (*alii vertunt, ad proximum: alii, ad excelſum*) & fugietis ſicuti fugiſtis à facie motus diebus Uziæ regis Jehudah: & veniet Jehova Deus meus, omnes ſancti tecum.

Hic etiam dicit Propheta terribilem fore Dei præſentiam, ut in fugam impellat ipſos Judæos. etſi enim promittat Deum fore liberatorem electi populi, quia tamen adhuc permixti erant hypocritæ electis, ideo varie loquitur. Sed interea notandum eſt, etiamſi Dominus in ſalutem noſtram appareat, fieri tamen non poſſe, quin majeſtas ejus incutiat nobis terrorem. nam ſemper carnem humiliari neceſſe eſt coram Deo. Quod ergo dicit Propheta, tantundem valet acſi dixiſſet adventum hunc Dei, cujus nuper meminit, fore omnibus formidabilem, non apertis tantum inimicis, ad quos perdendos veniet: ſed etiam ipſis fidelibus, quum tamen ſciant inſtructum eſſe potentia ad ipſos ſervandos. & ita videtur Propheta ratiocinari à minori ad majus. nam ſi fideles, qui Deum cupide expectant, tamen trepidant & expaveſcunt ad ejus præſentiam; quid neceſſe eſt hoſtibus accidere, qui ſentiunt illum ſibi eſſe adverſum? ſicuti ergo hic Propheta fideles jubet paratos eſſe ad Deum reverenter excipiendum, ita etiam oſtendit formidabilem omnibus impiis fore, ne dubitent electi confugere ad ejus auxilium, & in eo quieſcere. Dicit autem, *Fugietis per vallem montium.* Quidam interpretes divinant fuiſſe certam vallem, quæ ſic vocata fuerit, quoniam longus erat tractus per continuos montes. ſed nihil tale in Scriptura legitur. mihi probabile eſt, vocari *Vallem montium* loca omnia, quæ prius ſalebroſa erant & impedita, vel perplexa. Quum ergo multi eſſent ſaltus, & non pateret tranſitus facilis per regiones illas, Propheta dicit fore longam vallem, quæ nunquam fuerat prius, ſed quam ſciſſura illa, de qua loquutus eſt, efficiet. Et in eundem ſenſum adjungit, *Pertinget vallis montium uſque ad Azal.* Puto eſſe nomen proprium loci. Quanquam alii vertunt, Proximum: ſed non video qua ratione. Senſus igitur eſt, ubi prius erant multi colles, qui abrumperent tranſitum, aut etiam montes per quos penetrare difficile eſſet, fore continuam vallem & æquabilem uſque ad locum ſatis remotum. Dicit autem *fugam* præcipitem fore *ſicuti diebus Uziæ regis Jehudah.* nam ex ſacra hiſtoria ſatis patet tunc Judæam fuiſſe concuſſam gravi terræ motu. Judæi, ut ſunt audaces in ſuis conjecturis, divinant hoc fuiſſe factum, quum Uzias ad altare acceſſiſſet ut ſuffitum Deo offerret. Et Hieronymus eos ſequutus eſt. Cæterum, quo tempore ille motus
Amos 1. terræ contigerit, non ſatis certum eſt. Amos dicit ini-
verſ. 1. tium prophetandi ſibi fuiſſe biennio ante terræ motum. ſed quam ob cauſam terra tunc concuſſa fuerit nuſquam legimus: & tamen tam ex hoc loco, quam ex aliis colligere promptum eſt, fuiſſe illud horribile ſignum vel præſagium vindictæ Dei. Voluit igitur Deus Judæis tunc denunciare horrendam cladem, ubi terram ita concuſſit. Et in hunc finem etiam dicit nunc Zacharias fugam fore præcipitem, ſicuti quum Judæi quaſi in ultima deſperatione omnes ſe in fugam proriperent tempore illo Uziæ. *Sicuti ergo fugiſtis à facie terræ motus, ita fugietis nunc.* Interceſſerat autem jam longum tempus à morte Uziæ ad reditum populi: ideo ſignificat Propheta cladem fore inſolitam, quia non contigerit ſimilis, & quæ ita exterruerit Judæos, à pluribus ſeculis. Cæterum, memoria tenendum eſt quod dixi, hunc Dei adventum non ita formidabilem deſcribi, quaſi vellet minari Judæis: ſed potius oſtendit impios omnes non poſſe ſubſiſtere ad Dei præſentiam, quia terrebit etiam eos ipſos in quorum auxilium prodibit. Interea etiam ſimul notandum eſt quod dixi, Deum ſcilicet ſermonem variare in ſuis Prophetis, quoniam nunc Eccleſiam totam alloquitur, ubi hypocritæ permixti ſunt probis; & ita neceſſe eſt minas etiam adjungi promiſſionibus: nunc ſermonem peculiariter dirigit ad ſolos electos; quibus merum favorem oſtendit. Dicit tandem, *Et veniet Jehova Deus meus.* Propheta repetit quod paulo ante dixerat, nempe Dei virtutem fore ſenſibilem Judæis, acſi eam oculis cernerent. neque enim hic imaginari oportet aliquem deſcenſum Dei è cœlo: ſed docet, ſicut dixi, quamvis abſcondita ad tempus erit Dei virtus, tandem ſic fore propinquam ad electos liberandos, ut fere appareat, Deum ipſum è cœlo veniſſe. Vocat *Deum ſuum*, quo plus fidei conciliet vaticinio. nec dubium eſt, quin hac animi magnitudine inſurrexerit contra omnes impios, quibus ludibrio erant tam promiſſiones quam minæ: deinde etiam quin voluerit fulcire piorum animos, ne dubitarent hoc ſibi divinitus promitti, quamvis audirent vocem mortalis hominis. Propheta igitur hic magna fiducia vendicat ſibi Deum: quaſi diceret non eſſe cur judicent de ſermone ſuo vel ex terrenis mediis, vel ex ſua ipſius perſona. denique hic affirmat ſe divinitus eſſe miſſum: non temere irrumpere, ut quicquam promittat quod ipſe commentus fuerit, ſed legitima vocatione eſſe præditum, ut Dei perſonam ſuſtineat. Et huc etiam pertinet apoſtrophe, quæ à quibuſdam male negligitur, *Omnes ſancti tecum.* hoc enim habet ſpeciem indignationis, acſi Propheta ſeſe averteret à ſuis auditoribus, quos videbat magna ex parte contumaciter reſpuere cœleſtem doctrinam. convertit enim ſermonem ſuum ad Deum.

Deum. Videtur partem gratiæ perdere oratio, quum ita abrupte loquitur Propheta, *Veniet Jehova Deus meus, omnes ſancti tecum.* nam poterat dicere, Et ſancti omnes cum eo: ſed, quemadmodum jam dixi, acſi præ faſtidio jam non poſſet cum malignis & perverſis hominibus agere, Deum ipſum compellat. & hoc etiam non parum valet ad confirmandam vaticinii fidem, ubi non tantum ſecure hominibus denunciat quod futurum eſt, ſed advocat Deum ipſum in teſtem: imo quaſi in arcano colloquio eſſet, familiariter depromit quod certo cognoſcit ſibi eſſe à Deo mandatum. Porro intelligit, meo judicio, per Sanctos, ipſos Angelos. nam comprehendere ſanctos Patriarchas & Reges, durum eſſet ac longe remotum. Scimus autem Angelos etiam aliis locis vocari ſanctos, quemadmodum vidimus 3. cap. Habacuc. vocantur aliquando electi Angeli. Denique ſignificat Propheta adventum iſtum Dei fore magnificum, ut expergefiant hominum mentes in ejus admirationem, quaſi viſibili modo cum Angelis deſcenderet. Hæc ſumma eſt.

6. Et erit die illo, non erit lumen pretioſum & coagulatum. (*ad verbum eſt, non erit lumen pretioſitatum & coagulationum.*)

7. Et erit die uno (ille notus eſt Jehovæ) non dies, neque nox: & erit (*aut accidet*) ad tempus veſpertinum, ut ſit lumen.

Confirmat Propheta quod ante vidimus, nempe Eccleſiam fore obnoxiam multis moleſtiis & perturbationibus, ita ut non fruantur fideles communi luce, ſed ſint abjecti infra communem hominum ſortem. Et ſemper in eundem finem reſpicit, ut ſcilicet fideles comparent ſe ad tolerantiam, neque ſibi promittant delicias in terra Sancta, quaſi immunes eſſent ab omni examine crucis. Ne ergo ſe decipiant vana ſpe, ideo illis proponit multas calamitates, & multa incommoda, ut fortiter expectent auxilium, de quo concionatus eſt, ubi ita erunt demerſi in denſas tenebras, ut vix dijodicent inter diem & noctem. Sed cras reliqua proſequar.

Da omnipotens Deus, quando dignatus es nos ſegregare in peculium, & ſub auſpiciis tuis nos quotidie deducis, invitas etiam tam benigne ac comiter per Euangelii tui vocem: da, inquam, ne tale tantumque beneficium reſpuamus, vel indignos reddamus nos hac ſancta vocatione: & quicquid malorum nobis ferendum eſt, ut æquis animis ſuſtineamus, donec tandem defuncti certaminibus, quibus nunc exercere & probare vis fidem noſtram, recipiamur in beatam illam quietem, quæ nobis repoſita eſt in cœlo, & quam etiam nobis peperit unigenitus Filius tuus ſanguine ſuo, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA TERTIA IN ZACHARIAM PROPHETAM.

CAP. XIV.

BReviter heri expoſuimus quo ſenſu dicat Propheta non fore diſcrimen diei & noctis ad aliquod tempus, nempe ut ſe comparent fideles ad utramque fortunam, quemadmodum loquuntur vulgo: & nihil certi vel ſtabilis ſibi in mundo promittant. nam dies & noctes pro ſingulis anni temporibus habent ſuum curſum. ſed Propheta docet fore dubium tempus, perinde acſi eſſet crepuſculum: vel non fore conſtantem lucem, ſed permixtam tenebris. Conjungi autem debent ſimul duo verſus, quum dicit, *Die illo neque lumen fore pretioſum & coagulatum*, vel ex oppoſito fore denſitatem. Quod enim mox adjungit, *Die illo non fore diem vel noctem*, alii disjungunt; ſed male, ſicuti ſtatim videbimus. ſed quantum ad verba ſpectat, *Lucem pretioſitatum*, יקרות, vocari eximiam, ſatis convenit inter omnes ſcriptores. Ergo, quantum ad hoc nomen, nulla eſt ambiguitas, quin Propheta intelligat non fore diem lucidum, qualis ſolet eſſe cœlo ſereno. ſed in ſecundo nomine interpretes variant: ſcribitur יקפאון. קפא ſignificat Coagulare vel denſare: unde קפאון Denſitates, vel denſam caliginem ſignificat. ſed quidam putant י eſſe formale nominis: alii autem putant poſitum eſſe loco ו & hoc magis probabile eſt, poteſtque facile colligi ex toto contextu: quanquam adhuc poterit eſſe duplex ſenſus. ſi enim conjungimus duas iſtas voces, intelliget Propheta non fore lucem eximiam & non fore etiam craſſas tenebras. Cæterum, poſſemus accipere lucem denſitatum pro luce firma & ſtabili, quæ ita vires collegit, ut non poſſit facile obtenebrari. Mihi autem magis probatur diverſa ſententia. ſcimus copulam Hebræis ſæpe accipi loco adverſativæ particulæ: & optime conveniet hæc expoſitio, non fore lucem eximiam, quin potius denſitates, hoc eſt, caliginem, quæ Solis conſpectum obſcuret, vel impediat oculos hominum quominus fruantur plena luce. videtur omnino hoc velle Propheta noſter: *die illo non fore lucem*, hoc eſt, diem illum non fore lucidum, nempe ad eam præſtantiam, ut poſſit numerari inter pulchros & ſerenos dies, vel ſplendidos: ſed potius fore denſitates, hoc eſt, fore tempus obnubilum, quia caligo multa impediet aërem, & arcebit oculos hominum à conſpectu Solis. Quantum attinet ad ſummam rei, ſatis apparet quid voluerit Propheta, quemadmodum heri cœpimus attingere & nuper iterum admonui, nempe tempus fore dubium, ita ut ſibi metuant in ſingulas horas, vel in ſingula momenta miſeri Judæi, quia ſcilicet videbunt inſtare multa diſcrimina: & ſemper erit aliqua ſpecies mutationis ſubitæ: quemadmodum ubi videmus ſurgere Auſtralem ventum, & nubibus cœlum obduci, ſtatim metuitur imber, etiam quiſque domi ſe continet: & qui iter faciunt non audent longius progredi, ne deprehendat eos tempeſtas. ſic etiam dicit Propheta, tempus illud ſimile fore diebus turbidis & obſcuris. In eundem ſenſum addit, *Erit die uno, quo non erit dies & nox:* quaſi diceret, non erit ſtabilis aliqua temporum ratio. Interpretes longe aliter exponunt, nempe non fore diem, nec noctem. Dicunt quidam, quia Dominus gubernabit Eccleſiam ſuam ſub fide: ſcimus autem ſub fidei cuſtodia abſconditam eſſe noſtram ſalutem. Alii in contrariam partem trahunt, quod ſcilicet Dominus fulgore ſuo ſic replebit cœlum & terram, ut jam non opus ſit ſole vel luna: quemadmodum dicitur apud Jeſaiam, Non lucebit tibi ſol per diem, neque luna *Jeſ. 60.*
per noctem, ſed erit tibi Jehova in lucem æternam. *verſ. 19.*
ſed meræ ſunt argutiæ. Ego non dubito hanc eſſe genuinam Prophetæ mentem, quod ſcilicet in continua trepidatione erunt homines: quemadmodum ubi aër diverſis ventis agitatur: ubi etiam ab una

parte ſurgunt nubes, auditur tonitru: deinde evaneſcit Solis ſplendor. ubi igitur talis eſt incertitudo aeris, ſcimus homines ſibi metuere, quia vix diſcernuot inter diem & noctem. Sic etiam Propheta noſter admonet fideles de rebus futuris & eos inſtruit ad patieotiam, ne qua tempeſtas eos percellat, & etiam deprehenſi abjiciant animos, ſed expectent quod prædictum eſt, nempe renebras ſic fore permixtas luci, ut ſint quaſi in contiouo crepuſculo. Crepuſculum autem veteres dixerunt à crepero, quod eſt dubium. Sed notandum eſt etiam quod dicit *diem illum circa veſperum fore lucem.* hic enim ſignificat, ſemper lætum fore exitum fidelium ærumnis. Quamvis ergo inter multas curas æſtuent, & quaſi trepident inter varios metus, acſi eſſent in tenebris; dicit tamen *fore lucidum veſperum.* Et hoc diligenter notandum eſt, quia unico hoc ſolatio lenire ſolet Spiritus piorum dolores, quod ſcilicet ubi paulisper Deus eos exercuerit, finis omnium malorum brevi inſtabit, & quidem lætus: ita ut Deus illis affulgeat, quemadmodum ſi ſol meridie luceret. Revocat, in ſumma, fideles ad finem, quia etiam Deus ita diſcernit inter electos & reprobos. quum enim promiſcue utroſque affligat & quaſi obruat tenebris, lucem tamen repoſitam ſervat electis ſuis: & poſtquam aliquandiu eos jacere in tenebris paſſus fuerit, tandem emergere facit ad claram lucem: reprobos autem privat omni ſpe. Hanc rationem ounc ſequitur Propheta: quaſi diceret noo eſſe cauſam, cur exaoiment fideles res adverſæ, quaſi caligo undique illis incumberet: quia Dominus tandem reſtituet illis lucem, qua carere neceſſe erit ad tempus. Hic autem non loquitur Zacharias de uno die, ſed tempos illud dicit ſimile fore diei turbido, uſque dum Chriſtus adventu ſuo plenam lucem reſtituat, ſicuti eſt Sol
Mal. 4: 2. Juſtitiæ, ut videbimus apud Malachiam. Jam dicit *diem illum notum eſſe Deo*, ut fideles pendeant ab ejus arbitrio, neque inquirant nimis ſollicite de re ſibi & toti muodo abſcondita. *Diem* ergo *ſoli Deo notum eſſe* dicit Zacharias, quamvis loquatur de rebus notis, & quas etiam experientia diſcere Judæos tandem oportuit. ſed ſpectandum eſt ejus conſilium. vult enim quaſi frenare piorum animos, ne ſe diſcrucient ſupervacuis curis, quemadmodum ſolemus nimis eſſe curioſi: ubi Deus vult nos quieſcere & dare providentiæ ſuæ locum, illic titillant nos multæ cogitationes & huc atque illuc impellunt: ita torquemus oos miſera anxietate. Quum ergo morbus hic ingenitus ſit humano ingenio, Propheta opportunum remedium adhibet, nempe ut fideles ſe permittant regendos Deo, & ſequantur exemplum patris ſui Abrahæ, Dominus providebit: quum eſſet in rebus extremis, nec jam pateret ullum effugium, permittit ſe providentiæ Dei. ſic etiam Zacharias dicit hoc totum eſſe penes arbitrium onius Dei, ut ounc cœlum tenebris obducat, nunc reſtituat ſolem, nunc miſceat luci tenebras: & nihil eſſe melius quam ut homines ſeſe contineant, neque inquirant plus quam fas eſt, neque etiam detrahant quicquam Dei poteſtati. quoties enim obmurmurant homines cootra Dei judicia, perinde eſt acſi vellent penetrare in cœlum, & oihil illi concedere, niſi quod ipſi capiunt. Ergo ut hanc temeritatem Propheta compeſcat, diem hunc dicit notum fore Deo, ut patienter expectent fideles, dum maturus adſit finis: quia huc etiam impellit nos curioſitas, ut ſemper velimus eſſe certi de fine, Quouſque tandem hoc durabit? & poſſemus quidem ita apud Deum conqueri: ſed ubi non poſſumus ſubjicere mentes noſtras ejus arbitrio, tunc quaſi erumpimus in furorem. Videmus ergo quam utilem doctrinam contineat hæc particula, ubi Propheta Deum judicem & arbitrum ſtatuit rerum omnium, ita ut Eccleſiam affligat quantiſper viſum fuerit, & modum etiam imponat rebus adverſis, temperet prout fuerit viſum: deinde magis ac magis denſitate oubium cœlum obſcuret, auferat conſpectum Solis. hoc totum igitur vult Propheta eſſe ſub Dei conſilio & manu. Nunc ſequitur,

8. Et accidet die illo, exibunt aquæ vivæ è Jeruſalem: medium earum ad mare Orientale, & medium earum ad mare noviſſimum *(vel poſterius)*: æſtate & hyeme erunt.

Hic ſubjicitur vaticinium lætius, quod ſcilicet prævalebit tamen gratia Dei: utcunque fideles maneant incommoda & moleſtiæ & pericula & metus & ægritudines, tamen dicit in talibus miſeriis fore nihilominus beatos. Et hoc diligenter notandum eſt, quia nihil aptius poteſt inveniri ad levandos noſtros dolores, quam ubi quaſi in trutina locamus Dei beneficia ab una parte, & ab altera parte pœnas & caſtigationes, quas nobis infligit. nam quia ſemper longe præponderat Dei clementia & humanitas erga nos, hoc fit ut poſſimus cum ſancto Job hilariter dicere,
Job. 2: 10. Si bona ſuſcepimus è manu Domini, cur etiam mala recuſabimus? Hoc igitur ounc proponit Zacharias, nempe quamvis Eccleſia multis curis angatur, & multos metus ſuſtineat, agitetur inter pericula, denique ſit ſemper quaſi in trepidatione: tamen gratiam Dei, ſi probe expendatur, poſſe ſufficere ad inæſtimabile ſolatium: quia ſcilicet *Exibunt aquæ vivæ è Jeruſalem.* Noo dubium eſt, quin hoc vaticinium referri debeat ad regnum Chriſti, quod ſatis colligitur ex ſimilibus locis. ergo Propheta hactenus diſſeruit de multis afflictionibus, quæ ioſtabant, ne Judæi vel labaſcereot, vel prorſus deficerent: ſed nunc attollit eorum animos ad regnum Chriſti, unde ſperanda erat non tantum liberatio ab omnibus malis, ſed plena reſtitutio Eccleſiæ & quaſi renovatio mundi. oon dubium etiam eſt ſubeſſe tacitam antitheſin inter aquas vivas, & alias quæ facile exareſcunt: ideo dicit fore continuum fluxum æſtate & hyeme. Scimus Judæam laborare penuria aquarum, & per totum circuitum Jeroſolymæ ſcitur nullas fuiſſe aquas: erat duntaxat fons Siloë: & iode ſatis bona copia aquarum, & quæ ſufficeret ad omnes civium uſus. Propheta autem aquas promittit vivas, quæ ſcilicet non ſiot ſimiles torrentibus, ſed habeant continuum fluxum. quanquam videtur altius reſpicere: ut ſcilicet per aquas vivas intelligat ſpirituales: ita comparat aquas iſtas omnibus terrenis fluviis: quaſi diceret, fontem ea quo orientur duo fluvii, fore ioexhauſtum, ita ut ejus ubertas nunquam deficiat quin emittat fluvios ſuos ab uno mari uſque ad alterum mare oppoſitum, & ita longos terrarum tractus irriget. Quanquam per mare Orientale multi intelligunt lacum Aſphaltitem. ſed mihi probabilius eſt, Prophetam loqui da mari Perſico: quia ſi dixiſſet verſus lacum illum exituras aquas, erat breviſſimum iter. Atqui potius docere vult tam uberem & largam fore aquarum copiam, ut quamvis tranſeant per totam terram, nunquam tamen exareſcat earum fluxus. Per mare poſterius intelligit haud dubie mare Mediterraoeum. Summa eſt, quamvis prius terra ſicca eſſet, tamen tantam fore copiam aquarum, ut large ad omnes uſus ſufficiat, non tantum incolis Jeroſolymæ, ſicut olim, ſed etiam omnibus Judæis, in quacunque regionis parte habitent. Jam quum metaphorica ſit loquutio, tenendum eſt quod ouper dixi, nempe hic deſignari ſpiritualem Dei gratiam. oeque novum eſt transferri Aquarum nomen ad Spiritum Dei: Effundam aquas ſuper ari- *Jeſ. 44: 3.*
dam, & fluvios ſuper ſitientem: deinde, Dabo aquas *Eze. 36.*
mundas. nam duplex eſt ratio, cur Scriptura nomen *verſ. 25.*
Aquarum tribuat Spiritui ſancto: quia ſcilicet partes
habet

habet mundandi & rigandi. nos enim ſumus inſtar jejunæ & aridæ terræ, niſi Dominus è cœlo per Spiritum ſuum nobis vigorem inſpiret, ac ſuccum etiam inſtillet. Quemadmodum ergo terra haurit humorem & ſuccum è cœlo, ut fruges producat; ita etiam neceſſe eſt nobis arcana Spiritus virtute conferri quicquid eſt in nobis vigoris. Quum ergo Zacharias promittit fontem aquarum viventium, intelligit Dei gratiam fore expoſitam omnibus Judæis, ita ut ad ſaturitatem uſque bibant, & non laborent ſicuti olim aquarum penuria. Si quis objiciat, hanc interpretationem videri coactam, in promptu eſt ſolutio, quia quum certum ſit Prophetam hic concionari de regno Chriſti, tenenda etiam illa eſt regula, Quicquid de regno Chriſti prædicatur, hoc debere referri ad ejus naturam. Quum ergo ſpirituale ſit Chriſti regnum, non dubium eſt, quin ubi Scriptura dicit fore largum proventum vini & tritici, ut alibi vidimus: fore opulentiam bonorum omnium, fore pacem tranquillam, fore dies lucidos: quin hoc totum intelligat prout fert regni Chriſti natura. Videmus ergo quid Propheta intellexerit per *aquas vivas*: deinde cur dicat exituras verſus Orientem, & verſus Occaſum: poſtremo, cur addat fore perpetuas tam hyeme quam æſtate. Nunc ſequitur,

9. Et erit Jehova in Regem ſuper totam terram: die illo erit Jehova unus, & nomen ejus unum.

Hic clarius, & ſine figuris demonſtrat Propheta quod obſcurius alioqui eſſe poſſet. dicit ergo *Jehovam fore in Regem.* hic etiam comparat Zacharias regnum Chriſti cum temporibus illis miſeris & calamitoſis, quæ jam præceſſerant, quæ inſtabant uſque ad Chriſti adventum. Scimus enim fuiſſe triſtiſſimam diſſipationem in tota terra, ex quo alienatæ ſunt decem Tribus à familia Davidis. nam quum eſſent corpus unum populi, cœperunt poſt diſſidium ſemper ultro citroque ſibi ruinam machinari. Quum ergo ita hoſtiliter pugnaverint Iſraëlitæ contra Judæos, apparuit ira Dei, quæ fructus erat defectionis. Scimus enim Davidem non fuiſſe Regem creatum hominum ſuffragiis, ſed electum Dei decreto. Quum ergo deſcivit regnum Iſraël à filio Davidis, perinde fuit acſi non poſſet ferre imperium ipſius Dei: quemadmodum dicebat Samueli, Non te ſpreverunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. [1 Sam. 8. verſ. 7.] Et tamen Samuel ad tempus duntaxat præfectus fuerat regendo populo. ſed quum populus præpoſtero fervore optaſſet ſibi dari Regem, conqueritur Deus ſe fuiſſe contemptum, ne regnaret. Hoc verius impletum eſt quum decem Tribus alienarunt ſe à legitimo imperio, quod Deus ipſe ſtatuerat, & juſſerat eſſe inviolabile. Non fuit ergo Deus in Regem ab eo tempore. hoc unum eſt. Poſtea ſcimus ut Reges Iſraël conjunxerint ſe regibus Syriæ ad evertendum regnum Jehudah: ut Judæi etiam adſciverint ſibi auxilia ab Aſſyriis: poſtea ut confugerint ad Ægyptios. tandem regnum Iſraël exciſum fuit: ventum eſt ad regnum Jehudah: ſic & urbs diruta fuit, & Templum incenſum: ita ad tempus ceſſavit cultus Dei. Poſteaquam reverſi ſunt, ſcimus tamen dura & crudeli tyrannide fuiſſe ſemper oppreſſos: tunc ſenſerunt ſe eſſe diſcoopertos, quia non ſuſtinuerant latere ſub alis Dei: quum toties dixiſſet fore tutos & incolumes ſub præſidio ſuo, reſpuerant gratiam illam. tunc ergo magno ſuo damno ſenſerunt Judæi *Deum non eſſe ſibi in Regem.* Ergo quum nunc de reſtitutione Eccleſiæ verba faciat Zacharias, merito dicit *Deum fore in Regem*: hoc eſt, quamvis lacerati ſint Judæi, & quamvis expilati fuerint à tyrannis: quamvis multas contumelias & injurias perpeſſi fuerint: tamen iterum Deum illis fore in Regem, ut ſcil. eos tueatur contra omnem injuſtam violentiam, & contineat ſub cuſtodia ſua. Nihil enim felicius eſt, quam degere ſub regno Dei. & hæc etiam ſumma beatitudo ſemper proponitur fidelibus. Nunc tenemus ſenſum Prophetæ quoad partem illam. ſed continuo poſt oſtendit non poſſe hoc ſperari, niſi Judæi etiam totos ſe pietati addicant, & incipiant rurſus Deum colere, ſuperſtitionibus abjectis. Conjungit igitur hæc duo ſimul, nempe felicem ſtatum populi, quia Deus ſuſcipiet ejus curam, & fungetur optimi Regis officio: deinde ſic Deum fore in Regem, ut tamen rite & ſincere colatur ab eo populo. *Erit ergo Deus unus*, inquit. Hic breviter oſtendit Propheta non poſſe erigi legitimum Dei cultum, niſi abolitis ſuperſtitionibus. Scimus enim Deum eſſe zelotem, quemadmodum ſe nominat, ut ferre nequeat ullos rivales. [Exod. 20. verſ. 5.] nam ubi fabricamus nobis ullam deitatem, ſtatim eripimus Deo quod ſuum eſt. Propheta igitur docet non poſſe Deum vere coli niſi ſolus emineat, ut ſcilicet pura ſit & integra religio. Denique hic oblique perſtringit ſuperſtitiones quibus corrupta fuerat terra & polluta: deinde quibus adulterata fuerat religio, & violatus cultus Legalis. Hac ratione dicit *Deum fore unum.* ſed hoc idem clarius exprimit, *nomen ejus unum fore.* Poſſet quidem hoc ſecundum membrum videri ſupervacuum. nam ſub Dei unitate complexus eſt quicquid poteſt dici. Sed quoniam ſolemus variis artificiis tegere ſuperſtitiones, & ſemper excogitamus novos colores, & novos fucos, quibus ſpecioſa poſſit videri impietas noſtra, ideo Propheta hic diſerte addit *nomen unius Dei* ad *unum Deum*: quaſi diceret, non ſatis eſſe ſi homines teſtentur ſe agnoſcere unum Deum, & ſummum aliquod numen, niſi etiam conſentiant in recta & ſimplici aliqua fide, ita ut celebretur in terra nomen unius Dei. Sed clarior erit mens Prophetæ, ſi diſcrimen notemus inter Deum unum, & inter nomen unius Dei, vel nomen unum Dei. Philoſophi omnes hoc uno ore tradunt, non eſſe plures deos, ſed ſummum aliquod numen, quod ſit principium divinitatis: & hoc etiam perſuaſum fuit omnibus profanis gentibus. ſed tandem ex illo principio cœperunt ſibi fingere multiplices deos: & inde illa turba falſorum deorum, quod alii Jovem, alii Mercurium, alii Apollinem coluerunt. non quia putarent plures eſſe deos in ipſo principio deitatis: ſed quia fingebant ſibi deos prodeuntes ex illo ſummo fonte. Quia ergo poterant tergiverſari Judæi, & excipere ſibi in animo non eſſe colere plures deos, Propheta ad ſecundum gradum deſcendit; nempe ut ſit nomen unum Dei, hoc eſt, ut ſit certa aliqua colendi Dei ratio, ut ſit regula fixa, ut non ſequatur quiſque quod imaginatur rectum eſſe: ut non ſcindatur Dei majeſtas variis erroribus, neque evaneſcant homines; quiſque in ſuo ſenſu, ſed pendeant omnes ex ore Dei loquentis, & audiant quid de ſe ipſe teſtetur. Nunc ergo tenemus quid velit Propheta. Principio dicit, feliciter res habituras in Judæa, ubi fuerit Deus unus, hoc eſt, ubi terra fuerit ab omnibus inquinamentis purgata, & ubi iterum emerſerit pura religio. ſed quoniam hæc puritas difficile locum obtinet in mundo, & facile etiam ab ea declinant homines, ideo adjungit, *nomen unum Dei*, ut ſc. intelligant Judæi non poſſe coli Deum rite, niſi unus ſit: & non poſſe unum eſſe; niſi ſit una fides, & habeat aliquid præſcriptum & certum, non alternet inter diverſas opiniones: quemadmodum ſingulis gentibus non alia fuit religio, quam ſequi quod ipſæ finxerant, vel per manus traditum fuerat à majoribus. *Eſt* autem hic locus inſignis, quo Deus ſe ab omnibus idolis diſternit, & cultum ſuum ab omnibus ſuperſtitionibus. Et eo attentius expendere convenit quod docet Propheta, quoniam tanta eſt noſtra ad vanitatem propenſio, quemadmodum dixi, & experientia ipſa plus

ſatis

ſatis docet, & videmus etiam ut nos facile quaſi turbo, abripiat ſuperſtitio: imo non unum ſuperſtitionis genus, ſed innumeræ ſpecies. Quo magis incumbere nos convenit io hanc doctrinam, ut ſcilicet *vigeat unum nomen Dei inter nos*, neque quiſque ſibi licentiam permittat quidvis fingeodi: ſed ſciamus quiſnam Deus colendus ſit nobis. Et Chriſtus etiam hac ratione reprehendit omnes cultus mundi, quum dicit mulieri Samaritanæ, Vos neſcitis quid adore- *Joan. 4.* tis, nos ſoli Judæi, inquit, ſcimus. Videmus ergo *verſ. 22.* ſufficere ad damnandas omnes ſuperſtitiones hoc uuum, ubi ſcilicet aguntur homines ſuo ſenſu, & non tenent fixam & perpetuam regulam, quæ non poſſit fallere. Sequitur,

10. Vertetur tota terra quaſi planities à Geba ad Rimmon verſus Meridiem Jeruſalem: & exaltabitur, & habitabitur in loco ſuo (*ſub ſe, ad verbum*) à porta Benjamin ad locum portæ primæ, ad portam angulorum, & ab arce Chananeel ad torcularia Regis.

Hoc verſu duo promittit Propheta, nempe urbem fore in celeberrimo loco, ut procul appareat: deinde fore illi ſecuram & pacatam habitationem. Quantum attinet ad priorem partem, dicit, *Vertetur tota terra in planitiem.* ſcimus enim ſitam fuiſſe Jero-
Pſal. 87. verſ. 1. ſolymam in circuitu montium: Fundamenta ejus in montibus ſanctis, ut dicitur in Pſalmo. Quum ergo regio illa eſſet aſpera propter multos colles, Propheta dicit latam fore planitiem, ita ut iter non ſit aſperum & difficile ſicuti prius: deinde ut Jeruſalem non ſit quaſi in profundo demerſa, ſed occupet planitiem, quæ non impediat ejus proſpectum undecunque adveniant hoſpites. *Erit ergo*, inquit, *tota terra in planitiem à Geba ad Rimmon.* Quia non ſatis tenemus qualis fuerit illa tota regio, deinde ubi fuerit Geba & Rimmon, ideo ſubtiliter hic non diſſeram de ſingulis partibus. ſed ſatis eſt etiam tenere quorſum tendant hæc omnia, nempe ubi prius erant aſperi ſaltus, fore æquabilem terram, ut Jeroſolyma longe habeat ſuum proſpectum, & ſit etiam pulchrior ejus ſuperficies, ubi montes non impedient etiam è locis remotis conſpectum. Jam ſequitur ſecundum membrum, *Habitabitur in loco ſuo Jeroſolyma:* hoc eſt, etiamſi ante fuit diruta, & nunc quaſi in ſqualore adbuc jacet, & multæ ruinæ deformeot quicquid cœptum eſt ædificii, tamen *ſub ſe habitabitur*, hoc eſt, habebit eadem pomœria, eoſdem fines: denique intelligit Propheta tantam fore urbis amplitudinem, quanta olim fuerat. Scimus Zachariam functum fuiſſe doctoris officio quum inciperent Judæi non ſine maximis moleſtiis urbem exſtruere. Non poterant autem initio complecti totum circuitum, quia putabant eſſe impoſſibile, donec animati ſunt ab Eſdra & Nehemia, ſicuti colligitur ex libro utriuſque. Quum ergo eſſet urbs quæ cœperat extrui anguſta, dicit Zacharias non eſſe deſperandum, quoniam brevi recuperabit priſtinum ſuum ſplendorem, atque extendetur ad omnes ſuas portas, ſicuti antehac. Et non dubium eſt quin hic ponatur urbis vetuſtæ, & tunc everſæ deſcriptio, quum dicit *à porta Benjamin ad locum portæ primæ.* vocat *locum portæ*, quia nulla tunc porta erat. Pars enim illa urbis manebat adhuc deſerta. *Uſque ad portam angulorum, ab arce Chananeel uſque ad Regis torcularia.* quanquam non ſatis nunc tenemus & quouſque patuerit vetus Jeroſolyma, & quæ fuerit ejus poſitio, certum tamen eſt, Prophetam hoc velle, tantam fore dignitatem & opulentiam urbis, ut ejus conditio facile æquare queat priſtinum illum ſplendorem, qui tunc obſoluerat. Fuerat autem urbs ampliſſima, ut ſatis notum eſt. quanquam non conveniunt ſcriptores, tamen fere hoc receptum fuit publico conſenſu, complexam fuiſſe 30 ſtadia. Fuit certe hæc non vulgaris amplitudo: & ideo Propheta, quod omnes putabant eſſe quaſi ridiculum, teſtatur, quamvis exigua tantum portio urbis appareat, fore tamen novam Jeruſalem, quæ priori non cedat, neque amplitudine, neque opulentia, neque aliis omnibus commodis. Sed reliqua differemus in diem craſtinum.

Da omnipotens Deus, quum nos hac lege iterum collegeris, ut tibi eſſemus in populum peculiarem, & ſegregaveris nos etiam à profanis hominibus, ut vigeat inter nos legitimus tuus cultus: da, inquam, ut pendeamus omnes ex ore tuo, ſimus tibi penitus addicti: neque declinemus in dextram vel ſiniſtram partem, ſed maneamus in pura regula quam nobis præſcribis, ut ita ſentiamus continuo fluxu gratiæ tuæ te regnare in medio noſtri: & ipſa felicitate magis ac magis creſcat nobis animus ad te amandum, colendum, & timendum, ut tibi vere & ex animo corpore & anima conſecrati, proficiamus magis ac magis in vera pietate, donec tandem exuti omnibus ſordibus carnis noſtræ, perveniamus ad beatam illam hereditatem quæ nobis parta eſt ſanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA QUARTA IN ZACHARIAM PROPHETAM.

CAP. XIV.

11. Et habitabunt in ea, & excidium non erit amplius: & habitabitur Jeruſalem confidenter.

COncludit Zacharias proximam ſententiam, nempe Jeruſalem, poſtquam Deus eam reſtituerit in priſtinum ordinem, fore urbem populoſam. Indefinitum enim verbum hic tantundem valet acſi dixiſſet fore magnam frequentiam populi, ſicut ante fuerat: quum tamen exigua tantum portio reverſa eſſet. Scimus autem quam difficile ſit urbem magnam & amplam repleri incolis, poſtquam ſemel deſerta fuit, præſertim poſt longam temporis diſtantiam. atqui Propheta hic Judæos hortatur ad bene ſperandum, quia Dominus magnam hominum multitudinem rurſus colliget, ita ut urbs bene referta ſit multis civibus. Addit, *non fore amplius excidium.* non dubito quin hac voce חרם Propheta intelligat cladem incurabilem, qualis contigerat quum populus tractus eſſet in exilium. Et hac etiam ratione, & eodem ſenſu Jeſaias dicit Deum ju- *Jeſ. 54:9.* raſſe excidium urbis fore inſtar diluvii Noë, quia ſcil. nunquam ſumpturus erat tam gravem & horribilem vindictam de populo ſuo. Cæterum, licet colligere ex toto progreſſu, extendi hoc vaticinium ad Chriſti regnum, quia utcunque deleta fuerit Jeruſalem à Tito, illud tamen verum fuit, nempe Deum cuſtodem perpetuum fuiſſe urbis illius, quia jam ventum ad plenitudinem temporis erat, poſtquam exhibitus fuerat Chriſtus. Perinde eſt igitur acſi diceret Propheta talem fore moderationem iræ Dei, ut nomen urbis non intereat prorſus, neque totus populus co-

gatur illinc migrare. hoc ergo intelligit per nomen חרם. Jam addit, *habitaturos ſecure in Jeruſalem* qui illuc redierint: nempe quia Dominus eos proteget, & extenta manu defendet contra omnes hoſtes. Admonuimus alibi de Prophetæ conſilio. vult enim pungere tarditatem & ignaviam eorum, qui delicias Chaldææ tanti fecerant, ut illis grave & moleſtum eſſet redire in hereditatem ſibi divinitus promiſſam. Oſtendit igitur quanto Dei beneficio ſe privaverint, quod diſperſi inter gentes profanas non agnoſcent paratum ſibi eſſe Dei auxilium. Carebunt enim hac promiſſione, quæ peculiariter dirigitur ad reliquias illas, quæ habitabant Jeroſolymæ. interea præcipue reſpexit Propheta miſeros illos terræ incolas, qui incitati promiſſionibus Dei, omnia pericula & omnes difficultates contempſerant, deinde ſuſceperant non gravatim ingentes moleſtias, ut fruerentur ſua patria. Oſtendit igitur Propheta non eſſe cur ipſos pœniteat, quia Dominus perget illis benedicere, ut ſecure habitent inter medios hoſtes, à quibus undique ſcimus fuiſſe cinctos: deinde fore urbem populoſam, quamvis non multi tunc eſſent numero. Sequitur,

12. Et hæc erit plaga qua percutiet (*vel plagabit*) Jehova omnes populos, qui pugnaverint contra Jeruſalem: liqueſcet (*alii vertunt, tabeſcet*) caro ejus, dum ipſe ſtabit ſuper pedes ſuos: & oculi ejus liqueſcent in foraminibus ſuis: & lingua ejus liqueſcet in ore ipſorum.

Adjungit Propheta, quamvis non deſint multi improbi qui moleſtia afficiant Eccleſiam, & multa in ejus perniciem conentur: Deum tamen fore vindicem, & ſumpturum pœnas, quæ clarum & memorabile documentum præbeant favoris paterni, quo Eccleſiam ſuam proſequitur. Sed videntur hæc inter ſe non ſatis congruere, populum in tuto habitaturum Jeroſolymæ: & tamen ſemper aliquos fore hoſtes, qui violenter infeſtent urbem illam. ſed quum dicit *habitaturos in tuto*, non intelligit hoc fore, quia nemo lædere ipſos velit, ſed quia præſidio Dei confiſi, poterunt in maximis quibuſque periculis quieti manere: quia ſcilicet perſuaſi erunt Deum fore ſuperiorem, qui pollicitus eſt ſe ſtaturum ab illorum parte. Hæc eſt igitur ſecura piorum habitatio, non quod impetus hoſtium nullos formident: ſed quia certo ſtatuunt ſe tamen ſervatum iri divinitus, quamvis hinc inde diabolus multas turbas illis excitet: deinde armet atque inſtruat multos improbos, qui machinentur illis interitum. Et huc etiam animos attollere convenit, quoties tumultuantur contra nos varii hoſtes, ut tamen habitemus in tuto, & tranquillis animis expectemus dum eripiat nos Deus: quia ſalus noſtra abſcondita eſt ſub fideli cuſtodia Dei, quæ tantum uobis patefacta eſt per verbum & promiſſiones. Quicquid ſit, tenendum eſt quod hic docet Propheta, nempe ubi Deus frenum hoſtibus noſtris laxaverit, vindictam tamen ejus propinquam eſſe, ut pœnas exigat de omnibus injuriis, quas patienter tulerimus. *Hæc*, inquit, *plaga erit, qua percutiet Jehova omnes populos.* iterum nominat *omnes populos*, ne terreat fideles hoſtium multitudo, ubi vident ſe longe eſſe impares, & fere obruuntur copia hoſtium: ut tamen non dubitent prævalituram eſſe Dei manum. Poſtea adjungit, *Caro ejus ſolvetur*, vel liqueſcet. mutatio eſt numeri, ſed quæ ſenſum non obſcurat. Dicit enim, *Hæc erit plaga, qua percutiet Jehova omnes populos: caro ejus liqueſcet.* videtur nunc loqui de uno homine duntaxat. & iterum paulo poſt dicit, *dum ipſe ſtabit ſuper pedes ſuos: oculi etiam ejus liqueſcent, & lingua ejus in ore ipſorum.* Videmus ut Propheta jam tertio mutet numerum: ſed nulla eſt in re ipſa ambiguitas. intelligit nihil fore negotii Deo, ubi volet pœnam exigere de Eccleſiæ ſuæ adverſariis, quia cunctos tam facile perdet, acſi negotium eſſet cum uno homine. Sed videtur etiam aliud velle Zacharias, nempe quia graſſabitur Dei vindicta per ſingulos, neminem fore ſalvum, atque ita generalem fore Dei vindictam ſine exceptione ſuper omnes exercitus, & ſuper ſingulos homines. Notanda jam eſt nobis ſpecies pœnæ quæ deſcribitur, nempe quod Deus omnes illos conficiet abſque manu vel ſubſidio hominum: *caro*, inquit, *ejus tabeſcet*, vel ſolvetur. Hic vero clarius perſpicitur cœleſtis ultio, ubi hoſtes, quamvis nemo illis bellum inferat, tamen ſponte ſolvuntur: & ideo addit, *quum ſtabunt ſuper pedes ſuos*, & tamen caro eorum liqueſcet. nec dubium eſt,
quin Propheta ad maledictiones Legis alludat, inter *Deut.* 28.
quas hæc apprime eſt notabilis, ubi Deus arcanis *verſ.* 21.
modis conſumit reprobos, ut tabeſcant, quamvis *&* 22.
nulla appareat ratio. Summa igitur eſt, Deum inſtructum eſſe modis variis, ut hoſtes noſtros in nihilum redigat, quamvis non mutuetur hinc vel inde ſubſidium. Docemur itaque his verbis rejicere in Deum curas noſtras, quia ubi hoſtes noſtri videntur extra omnem aleam poſiti eſſe, & ſuperbiunt etiam hac confidentia, quod non putent quicquam ſibi poſſe accidere adverſum: in Deo tamen eſſe poſitam eorum mortem & vitam, ita ut ſolo ejus flatu evaneſcant. Non eſt igitur cur pendeamus à terrenis mediis quum volumus certi eſſe de hoſtium noſtrorum interitu: Deus enim ipſos intus conficiet. etiamſi videantur ſtare integri, tamen ſolventur, ut etiam oculi eorum liqueſcant in ſuis cavitatibus, hoc eſt, ut deficiant ſine vi aliqua externa. Scimus enim oculos tam bene munitos eſſe, ut dum teguntur ſuis munimentis, ſint extra noxam. ſed Propheta ſignificat occultam Dei ultionem poſſe penetrare in ipſa viſcera, uſque ad medullas: denique nihil eſſe adeo tutum, quod non ſit obnoxium Dei vindictæ. *Et lingua etiam*, inquit, *ſolvetur*, vel tabeſcet, (eſt enim idem verbum) *in ore ipſorum.* Poſtea ſubjicit,

13. Et accidet die illo, erit tumultus Jehovæ magnus in illis: & apprehendet quiſque manum ſocii ſui: & aſcendet manus ejus contra manum proximi ſui. (*vel evaneſcet: alii vertunt, excidetur manus ejus, quia* עלה *etiam ſignificat Excidere.*)

Videtur iterum Propheta ſecum ipſe pugnare. nam poſtquam aſſeruit Deum fore ultorem populi ſui, ut populos omnes in ejus gratiam perdat & deleat, nunc adjungit fore etiam inteſtina diſſidia, quibus ſe conficiant Judæi ultro & citro. Nihil autem minus conſentaneum eſt, quam populum qui ſub tutela Dei agit, ita ſcindi in partes, ut ſine externo hoſte ſeipſum tam miſere perdat. ſed non male hæc inter ſe conveniunt, modo teneamus quod ante dixi, hæc ſumenda eſſe adverſative. Propheta enim ab una parte fideles præmonet quid impendeat malorum, ne ipſa novitate concuſſi deſpondeant animos. Interea promittit felices ipſos fore, quoniam Deo ſemper curæ erunt. ſic igitur reſolvenda eſt nobis oratio, Quamvis undique hoſtes conveniant, & conſpirent contra vos, quamvis magno furore & impetu ad vos perdendos properent, quamvis etiam domi vobis multæ turbæ, & è medio ſinu urbis exoriantur domeſtici hoſtes: Deus tamen prævalebit, & miſeriæ omnes veſtræ tandem cedent in bonum & proſperum finem. Hæc igitur ratio eſt, cur Zacharias permiſceat quæ videntur inter ſe prorſus contraria,

quoniam

quoniam ſcil. utrumque cognitu utile fuit, ut fideles certo perſuaſi eſſent Deum excubias agere pro ſalute ſua, quoties volebat tueri urbem ſanctam, & eſſe æternus ejus cuſtos. Deinde, ut etiam parati eſſent animis ad ferendas multas ærumnas & moleſtias, ne ſibi lætum ſtatum promitterent, & ita indulgerent carnis ſecuritati. Poſtquam tenemus conſilium Prophetæ, jam hoc breviter de verbis notandum eſt: dicit, *fore tumultum Jehovæ magnum inter ipſos.* haud dubie ad Judæos hoc refertur, quia Propheta docet non modo obnoxios fore externis injuriis, ſed etiam aliud malum inſtare, ut ſcilicet mutuo alii contra alios arma induant, perinde acſi vellent confodere propria viſcera. Dicit ergo, *tumultum fore inter eos*, quod extremum eſt in malis, ubi agitur de ſtatu urbis vel populi. nulla enim ruina propior eſt, quam ubi intus fervent contra ſeipſos, qui debuerant quaſi unus homo vires & animos conjungere ad hoſtem repellendum. ſed locus hic notatu dignus eſt, quia deſcribitur nobis conditio Eccleſiæ qualis cernetur uſque ad finem mundi. Quamvis enim Propheta hic concionetur de tempore intermedio inter reditum populi, & Chriſti adventum, tamen depingit nobis vivam imaginem, in qua poſſumus perſpicere Eccleſiam nunquam liberam vel immunem fore ab hoc malo, ut ſcilicet fugare non poſſit hoſtes domeſticos vel profligare. Simul etiam notandum eſt quod dicit *tumultum hunc fore Jehovæ.* ſignificat enim, quoties ſcinditur Eccleſia, & ebulliunt ſectæ, & multi hypocritæ & impii, qui ad tempus ſimularunt ſe eſſe veros Dei cultores, pietatem furioſe oppugnant: ubi igitur emergunt hæc mala, Propheta dicit non contingere fortuito, ſed eſſe judicia Dei, ut probet atque examinet ſuorum fidem, ut Eccleſiam humiliet: deinde ut det ſuis materiam victoriæ & coronæ. quicquid ſit, quamvis hæreticos & omnes improbos impellat ſua ambitio ad turbandam Eccleſiam, quamvis etiam diabolus flabellis ſuis ipſos incitet, tamen Deum ſedere in ſummo gradu, & quicquid turbarum in Eccleſia fervet, proficiſci ab ipſo. Ideo dicit Paulus, Oportet hæreſes eſſe, ut qui pro- 1 Cor. 11.
bati ſunt, manifeſti fiant. certe diabolus non tendit verſ. 19.
in hunc finem: ſed oſtendit Paulus optimum eſſe hoc conſilium Dei, ut ſerio examine diſcernat inter ſinceros ſuos cultores & hypocritas, dum ſcil. tumultus non tantum permittit oriri, ſed etiam excitat. Et hinc etiam docemur nihil eſſe melius, quam confugere ad ipſum quoties tumultuantur homines improbi, & quietem noſtram perturbant: quia facile ſedabit nutu ſuo motus omnes quum eos excitaverit. Addit, *Quiſque apprehendet manum ſocii ſui, & aſcendet manus ejus contra manum proximi ſui*, vel evaneſcet. Poſſet elici duplex ſenſus, vel quod quiſque auxilii petendi cauſa manum proximi ſui arripiet, & tamen ſine profectu, quia manus evaneſcet, hoc eſt, non poterit ſeſe fulcire qui quæſierit auxilium à ſocio ſuo, & hunc ſenſum ſequuntur multi interpretes: quaſi diceret Propheta res ita fore deſperatas, ut quiſque cogatur opem petere à ſocio ſuo, & tamen non obtineat quod cupit: quoniam dum manum ſocii ſui apprehendere volet, ſentiet ipſam conjunctionem evaneſcere. Sed diverſus ſenſus melius reſpondet proximo verſui, nempe *quod quiſque apprehendet manum proximi ſui violenter, & manus ejus ſurget contra manum proximi ſui.* Ego igitur expoſitive hanc partem additam eſſe arbitror, quod ſcilicet ubi Deus excitaverit tumultum inter Judæos, quiſque ad perniciem ſocii ſui proſiliet, & manum ſuam attollet ad nocendum. Sequitur enim,

14. Atque etiam Jehudah pugnabit contra Jeruſalem, & congregabitur exercitus *(alii vertunt Opulentiam, quod etiam non male quadraret)* omnium gentium in circuitu: aurum, & argentum, & veſtes ad copiam multam. *(ad multitudinem valde, ad verbum.)*

Non dubium eſt quin de re una & eadem diſſerat Zacharias. Jam adjungit fore inteſtinum bellum terræ cum urbe ipſa. Et tamen unum erat corpus: & quum in patriam redierant, idem vexillum Dei illis oſtenſum fuerat. Deus enim ipſe fuerat dux itineris. erat denique flos reſiduus populi. Ergo hoc fuit inſtar horribilis prodigii, quod Jehudah hoſtibus ſe adjunxerit, ut perderet urbem ipſam. Propheta nihilominus hoc etiam malum inter alia dicit inſtare, ut non tantum ſuſtineant impetus hoſtium qui procul advenient, ſed ut fratres ſuos ſentiant infeſtos & capitales ſibi. *Pugnabit* ergo *Jehudah contra Jeruſalem.* Quo autem tempore hoc acciderit ſatis notum eſt, quia ſub Antiocho ſcimus & urbem ipſam, & totam terram plenam fuiſſe proditoribus. Vix enim tunc viceſimus quiſque conſtanter ſequutus eſt veram pietatem: ita factum, vt fere peſſundati fuerint omnes. Ergo non abs re hoc prædictum fuit à Zacharia, Judæos fratribus ſuis fore infenſos. & poſtea addit, *Congregabitur gentium omnium exercitus.* חיל ſignificat Copias, ſignificat opulentiam & robur. Ego libenter ſequor quod jam dixi, nempe exercitum vel robur gentium omnium collectum iri ad everſionem Jeroſolymæ, idque *per circuitum:* quibus verbis intelligit Propheta Judæos fore omnium miſerrimos in ſpeciem, ſi æſtiment ſortem ſuam ex præſenti ſtatu: quia ſcilicet intus moleſti erunt proditores, ita ut metuendæ ſint inſidiæ, & ſecreta pericula: deinde quod omni ex parte convenient diverſi populi ad ipſos delendos. Nihil poteſt fingi miſerius, quam intus & extra ſic à toto fere genere humano oppugnari. ſed mox ſequetur conſolatio. Et ideo tenendum eſt quod dixi, adverſative poni has minas, ut fortiter ſuſtineant fideles exitiales iſtos impetus, freti ſcilicet ſpe exitus melioris, quæ illis à Deo data fuerat. Interea ubi ponit *aurum, argentum, & veſtes multas*, ſignificat non venturos hoſtes, de quibus loquutus eſt, acſi famelici accurrerent ad prædam: ſed fore tam crudeles ut nihil præter ſanguinem expetant. Erunt enim inſtructi pulchra ſupellectile: erunt referti auro & argento. Quorſum igitur venient? non ut expleant ſuam avaritiam, ſed tantum ut ſorbeant humanum ſanguinem, & ita extinguant omnem memoriam electi populi. Hoc auditu fuit terribile: ſed oportuit tamen fideles mature commonefieri, ne quid ſubitum illis accideret. Poſtea addit,

15. Et talis erit plaga equi, muli, cameli, & aſini, & cujuslibet jumenti *(vel animalis)* quod erit in caſtris iſtis, ſicuti plaga hæc.

Hoc verſu erigit piorum animos Zacharias, ut ſciant nihil profecturos eſſe hoſtes; ſed ubi omnia tentaverint, profligatum tamen iri Dei virtute. Et hinc melius apparet quod jam bis repetitum fuit, nempe Prophetam non ſimpliciter denunciare clades iſtas, vt terreat Judæos, ſed ut animet ad conſtantiam, quo intrepide exultent, etiam quum putabunt ſe eſſe ingenti cladium mole oppreſſos. Summa igitur eſt, poſtquam expertus fuerit omnia Satan ad machinandum Eccleſiæ interitum, ubi etiam nihil omiſerint reprobi, ſucceſſum tamen fore optabilem fidelibus, quia Deus vindictam ſuam exeret non modo contra homines ipſos, ſed etiam contra equos, & camelos, & quælibet jumenta. ubi autem fervet

ira Dei contra animalia, quæ per ſe innoxia ſunt, hinc facile colligi poteſt, hoſtes qui eum provocarunt ſua crudelitate, non poſſe impune effugere ejus judicium, & pœnam de qua hic concionatur Propheta. Poſtea adjungit,

16. Et erit (*hoc eſt, accidet*) ut quiſquis reſiduus fuerit ex cunctis gentibus, quæ venerint contra Jeruſalem, aſcendat ab anno in annum ad adorandum (*ad ſupplicandum*) Regem Jehovam exercituum, & celebrandam celebritatem Tabernaculorum.

Hic longius progreditur Zacharias, nempe qui evaſerint ſtragem de qua loquutus eſt, humiliatum iri, ut ſponte ſe Deo ſubjiciant. Dixit nuper Deum fore ultorem, ut perdat omnes Eccleſiæ ſuæ inimicos: ſed hæc promiſſio præſtantior eſt, quod ſcilicet convertet eorum animos qui pœnam illam præſentem effugerint, ita ut ſine ulla violentia oſtendant ſe ſubactos eſſe: quia *venient*, inquit, *quotannis, ut adorent Deum in Templo ſuo*. Ergo ſumma huc redit, Deum fore victorem omnium hoſtium Eccleſiæ: ſed duobus modis, quia alios proſternet, alios vero humiliabit, ut ſint voluntarii ejus cultores, & ſponte ſe addicant ejus imperio. *Accidet* ergo *ut quiſquis fuerit reſiduus è cunctis gentibus, quæ venerint contra Jeruſalem, ille aſcendat*, inquit, *ut ſupplicet Deo*, vel ut ſuppliciter Deum adoret. Si quæritur tempus: reſpondeo, quoties Prophetæ Gentium converſionem prædicant, generaliter ſemper loqui ſolere: ſed hoc eſſe hyperbolicum, neque tamen quidquam eſſe abſurdi in hoc exceſſu, quia certe hoc fuit admirabile Dei opus, ut turmatim ſe ex Gentibus Deo ſubjicerent. Scimus enim exoſum fuiſſe nomen populi Iſraël: ut eorum religio eſſet deteſtabilis fere in toto orbe. Fuit igitur hoc incredibile quum loquutus eſt Zacharias, nempe decem homines poſſe ex ſingulis regionibus ita mutari in melius, ut colerent verum Deum Iſraël. atqui ſcimus tot Eccleſias fuiſſe erectas paſſim in mundo, ut innumeri homines nomen dederint, & libenter ſuſceperint jugum Dei, & amplexi ſint religionem illam, quæ prius contempta ab illis fuerat, imo quam ſummo odio proſequuti fuerant. Quare non mirum eſt, ſi Propheta dicat omnes reſiduos qui effugerint gladii vindictam, fore tandem ſpontaneos Dei cultores. Sed, quemadmodum dixi, notanda eſt illa communis ratio, quod Prophetæ, ut amplificent Dei gratiam, generaliter loquuntur, etiamſi reſtringi debeat ſermo ad ſolos electos. *Aſcendet*, inquit, *ab anno in annum*. Hic quoque Zacharias loquutus eſt pro captu populi. Scimus feſtos dies fuiſſe inſtitutos divinitus, ut ter præcipue quotannis aſcenderent Iſraëlitæ in Templum, ſed quia hoc nimis grave, & difficile etiam fuiſſet miſeris exulibus, qui diſperſi huc & illuc erant: ideo ut quiſque præditus erat vero ſtudio pietatis, ſolebat aſcendere ſemel quotannis Jeroſolymam. Ad hunc igitur Legalem ritum nunc alludit Propheta: quaſi diceret, quamvis Deus parcat quibuſdam, tamen ipſos tandem ſine vi externa venturos ſub obſequium, ut ſubjiciant ſe Deo Iſraël. Sed loquitur, quemadmodum dixi, ſub umbra. & de hac loquendi forma jam aliquoties admonuimus: ideo nunc levius prætereo: & in fine hujus capitis plura adhuc erunt dicenda. *Aſcendet* ergo *ut ſupplicet Regi Jehovæ exercituum*, hoc eſt, ut Deum fateatur unicum eſſe Regem. reſpicit enim ad vaticinium quod heri tractavimus, ubi dicebat Deum fore unicum Regem. Sic etiam hoc loco eandem ſententiam confirmans, dicit, illos qui prius furioſe oppugnaverant Eccleſiam, fore Deo ſupplices, quia ſcilicet intelligent ipſum eſſe Regem totius mundi. Sed reliqua in aliud tempus.

Da omnipotens Deus, quando vides Eccleſiam tuam hodie tot diſſidiis miſere lacerari, & eſſe tot perfidos Satanæ miniſtros, qui eam non deſinunt turbare: da, inquam, ut ſentiamus quod ſemel pollicitus es per Prophetam tuum, nempe ita te eſſe perpetuum cuſtodem eorum quos ſemel eligere dignatus es, & quos recepiſti in tuum amplexum, ut etiam inter hæc diſſidia fortiter pergant, & emergant tandem victores; deinde ut etiam exeras manum tuam, & vindictam hanc exequaris quam denunciaſti per eundem Prophetam tuum, ut ſcilicet perdas atque in nihilum redigas non tantum eos qui palam tibi & ſervis tuis ac filiis adverſantur, ſed ſerpentes etiam iſtos, qui inſidiis & fraudibus, & aliis indignis modis Eccleſiam tuam infeſtant, donec tandem perveniamus ad plenam victoriam, & agamus etiam triumphum in regno tuo cœleſti cum capite noſtro Chriſto, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA QUINTA IN ZACHARIAM PROPHETAM.

CAP. XIV.

17. Et erit, qui non aſcenderint è familiis terræ in Jeruſalem ad ſupplicandum Regi Jehovæ exercituum, etiam non erit ſuper eos pluvia.

18. Et ſi familia Ægypti non aſcenderit, & non venerit, etiam non ſuper eos: erit autem plaga qua percutiet Jehova (*plagabit, ad verbum*) gentes quæ non aſcenderint ad celebrandam feſtivitatem Tabernaculorum.

Hic proſequitur eandem ſententiam Zacharias, nempe celebre fore nomen veri & unius Dei per totum orbem, ita ut conſentiant omnes populi in ejus cultum, quum prius tota terra corrupta eſſet variis ſuperſtitionibus, & quiſque ſequeretur proprios deos. ſed plus exprimit quam poſtrema lectione, nempe vindictam paratam eſſe omnibus veri Dei contemptoribus. Dicit igitur maledictionem Dei repoſitam eſſe cunctis populis, qui non venerint Jeroſolymam, ut ſupplices illic Deum adorent. Diximus his verbis notari legitimum Dei cultum. neque enim poſt Chriſti adventum neceſſe eſt aſcendere Jeroſolymam, quemadmodum teſtatur ipſe Joannis quarto, Venit tempus, & jam Joan. 4.
eſt, quo veri cultores Dei neque in hoc monte, neque verſ. 21.
Jeroſolymæ Deum colent, ſed ubique terrarum. Cæterum, Prophetæ loquuntur pro temporis ſui ratione, & ſemper deſcribunt ſpiritualem Dei cultum ſub figuris Legalibus. Ergo aſcendere Jeroſolymam tantundem valet atque amplecti veram pietatem, & animum adjicere ad cultum unius Dei qualis præſcriptus erat in Lege. Summa igitur eſt, omnes fore maledictos qui contempſerint Deum Iſraëlis. Jam hoc etiam per ſynecdochen dicitur à Propheta: denunciat

ciat *non fore pluviam ſuper omnes Dei contemptores.* quaſi diceret ſenſuros Dei vindictam, quia ſcilicet auferet ab illis alimenta. Nam Pluviæ nomine intelligit Propheta quicquid ad victum pertinet. Ac ſcimus inter Dei benedictiones quæ ad ſubſidia præſentis vitæ ſpectant, hanc eſſe præcipuam, ut cœlum & terram nobis conciliet quaſi liberalitatis ſuæ miniſtros. Unde enim nobis ſuppetit victus, niſi quia terra juſſu ejus viſcera ſua aperit, & cœlum *Hoſ. 2:21.* exaudit terram, quemadmodum alibi dicitur, ut irrigans eam pluvia, fœcundam & uberem reddat, quæ alioqui ſiccitate ſterilis eſſet? Nunc ergo tenemus Prophetæ conſilium: ut ad purum Dei cultum invitet omnes gentes, pronunciat fore maledictos, qui non applicuerint ſtudium ſuum ad cultum unius Dei. Porro voluit hoc vaticinio animare Judæos, ut conſtanter pergerent in curſu pietatis uſque ad Chriſti adventum, neque dubitarent Deum quem colebant, eſſe ſummum Regem totius mundi: quia prius latuerat quaſi in angulo, quum in ſola Judæa coleretur. Significat igitur Propheta, etiamſi contemptus fuerit Deus inter omnes populos, tamen ſacrum & venerabile fore ejus nomen: deinde ſi qui eum fraudaverint legitimo cultu, illos pœnas daturos: quia ſcilicet fame & inedia tabeſcent. quoniam cœlum negabit illis pluviam, & terra etiam negabit victum. Loquitur autem diſerte Zacharias de Ægyptiis: quia ſcimus eos fuiſſe infeſtiſſimos hoſtes veræ pietatis. idem etiam potuit de Chaldæis & Aſſyriis dici: ſed quoniam Ægyptii magis propinqui erant & contigui terræ Sanctæ, ideo magis virulenta fuerunt odia inter ipſos & Judæos. Hæc ratio eſt cur præcipue de ipſis loquatur Zacharias. Quanquam poſſet videri abſurdum quod minatur, *non fore illis pluviam.* ſcimus enim Ægyptum non expectare pluviam è cœlo, quoniam peculiaris eſt ratio illius terræ: prout enim exundat Nilus, ita expectant uberem proventum tritici & omnium frugum. Non debuit igitur Propheta hoc minari Ægyptiis, quia poterant merim ridere quod negaret illis fore pluviam, cujus non magna illic erat neceſſitas. Sed Propheta ſimpliciter voluit dicere quod jam expoſui, Deum fore patrem ſolis Judæis, & aliis qui ſe adjungerent ad Legalem cultum. Tametſi ergo non opus habebant pluvis Ægyptii, tamen potuit hac figura Zacharias denunciare illis ſterilitatem, quæ pœna erat impietatis. Et hoc ſimul notandum eſt, quamvis exundatio Nili irriget totam terram ac fœcundet, tamen pluvias non *Pſal. 105.* eſſe parvo adjumento: & ideo in Pſalmo dicitur, *verſ. 32.* Vertit pluviam eorum in grandinem. ubi tamen de Ægyptiis agitur: quod ſcilicet Deus corruperit omnes fruges illic, quia pluvia in grandinem converſa eſt. Et ex hiſtoriis etiam ſatis conſtat, pluviam Ægypto eſſe optabilem, ut major ſit frugum proventus. Sed Dominus dignatus eſt terram illam peculiari hoc beneficio, ut ſcilicet Nilus ſit loco pluviæ. Ergo in Prophetæ ſenſu nulla eſt ambiguitas, quod ſcilicet Dominus coget in obſequium pietatis omnes populos, non tantum qui procul remoti erant à Judæa, ſed ipſos etiam Ægyptios, qui alieniſſimi ſemper fuerant à vero & puro cultu. Poſtea addit *fore plagam.* Generalius nunc loquitur. ergo quod ſub ſpecie una prius notavit, nunc generaliter pronunciat, Deum ſcilicet fore ultorem ut eos omnes perdat atque in nihilum redigat qui non ſubierint ejus jugum, ita ut eum pure colant ex Legis præſcripto una cum Judæis. Iterum repetit quod ante vidimus, *Qui non aſcenderint*, inquit, *Jeroſolymam.* non quod vellet reſtringere cultum Dei ad ceremonias, vel umbras Legales: ſed quia oportuit donec Chriſtus abrogaret omnes veteres figuras, ita deſcribi Dei cultum. neque enim potuit tunc ſeparari ab externis illis exercitiis. Cæterum hic merito quæri poteſt, cur Propheta præcipue loquatur de feſto Tabernaculorum, quum tamen Pezah vel Paſcha eſſet in primo gradu inter dies feſtos. Sed videtur mihi hæc eſſe ratio, quod difficile creditu erat, Judæos in patriam redituros, quia Deus iterum vellet eſſe eorum redemptor. Multi interpretes dicunt de feſto Tabernaculorum Prophetam loqui, quoniam oporteat nos eſſe peregrinos in mundo. Sed poſſet etiam ſimilis ratio eſſe aliorum dierum. Videndum igitur eſt cur Propheta hic diem feſtum Tabernaculorum nominet præ aliis. ſcimus autem quum loquuntur Prophetæ de reſtitutione ſecunda populi, ſæpe revocare in memoriam exitum illum admirabilem, quo Deus teſtatus fuerat ſibi ſatis eſſe potentiæ ad ſuos redimendos & ſervandos. Huc etiam nunc, meo judicio, alludit Zacharias, quod ſcil. Deus reducet populum mirifica & inæſtimabili virtute, ut merito celebrare debeat feſtum diem Tabernaculorum, ſicuti olim ipſorum patres. Nam ſcimus cur Deus voluerit quotannis Judæos habitare ſub ramis arborum, ut ſcilicet memores eſſent illius ſalutis, quæ collata fuerat ipſorum patribus. Habitaverant enim per annos quadraginta in deſerto: illic nullæ erant ædes, ſed tuguria duntaxat repente confecta ex arborum ramis. Quum ergo egrederentur extra ædes ſuas, & habitarent quaſi ſub dio in tentoriis, ita repetebant memoria quam mirabiliter ſervati eſſent ipſorum patres. Deus ergo ut oſtendat reditum ab exilio Babylonico non minus fore memorabilem, quam fuerat liberatio illa vetus: dicit hic *celebrandum eſſe diem feſtum Tabernaculorum.* Denique ſignificat Propheta Deum ſic fore liberatorem populi ſui, ut gentes omnes etiam ex remotiſſimis terræ plagis agnoſcant hoc inſigne eſſe miraculum. perinde igitur eſt acſi diceret, liberationem populi fore certum & illuſtre documentum, unde gentes omnes agnoſcant Deum Iſraëlis eſſe opificem cœli & terræ, præditum ſumma potentia, ut totius orbis imperio potiatur: denique unicum eſſe Deum, qui colendus ſit. Poſtea ſequitur,

19. Hæc erit pœna Ægypti, & pœna omnium gentium, quæ non aſcenderint ad celebrandam celebritatem Tabernaculorum.

Repetit eandem ſententiam, & fere iiſdem verbis: ſed tamen nihil eſt ſupervacuum, quia hic expendere convenit quam fuerit hoc difficile creditu, quum Judæi qui reverſi erant in patriam, pauci eſſent numero, & imbelles; undique etiam oppugnarentur à ſuis hoſtibus & vicinis. Quum ergo ſingulis fere momentis periclitaretur Eccleſia, non mirum eſt ſi opus habuerint fideles confirmatione in illis tentationibus, quæ ſubinde poterant animos eorum turbare ac percellere. hæc igitur ratio eſt cur idem Propheta ſæpius aſſerat. Dicit *hoc fore peccatum Ægypti, & omnium gentium.* חטאת proprie ſignificat Scelus. ſed quemadmodum Piaculum Latinis interdum ſcelus ipſum ſignificat, interdum expiationem: ita etiam חטאת Hebræi nunc peccatum ipſum nominant, nunc Sacrificium quo peccatum expiatur. Et ideo Chriſtus dicitur factus eſſe *Gal. 3:13.* peccatum: quia ſcilicet quum ſeſe obtulit in ſatisfactionem, ſuſtinuit maledictionem quæ nobis omnibus incumbit donec eam in ſe transferat. Quoniam ergo Chriſtus fuit piaculum, ideo dicitur peccatum. Et Græci nnn mutarunt nomen, quoniam videbant Hebræis חטאת accipi tam pro ſacrificio vel pœna, quam pro ipſo ſcelere: ideo promiſcue poſuerunt nomen ἁμαρτίας. Sic ergo Propheta dicit hoc fore ſcelus, vel *hanc fore pœnam Ægypti, & omnium gentium:* quaſi diceret, ſi qui contempſerint Deum Iſraelis, & aſpernati fuerint ejus cultum, talem contumaciam non fore illis impunem: quia Deus vindicem ſe oſtendet gloriæ ſuæ. Et hinc colligimus nihil nobis

nobis eſſe magis optabile, quam ut Deus ſe nobis patefaciat, ne ſcilicet temere vagemur in ſuperſtitionibus, ſed pure ipſum colamus: quia nemo rite Deum colit, niſi qui edoctus eſt ex verbo ejus. Ergo hæc ſingularis eſt gratia, quum Dominus regulam nobis præſcribit, qua pure ipſum colamus. Nam niſi conſentiamus in verum & legitimum ejus cultum, hic videmus totam vitam noſtram eſſe maledictam. Jam ſequitur,

20. Die illo erit ſuper frena (*aut Phaleras: alii vertunt, Frontalia: alii, Collaria (dicemus poſtea de hac voce) vel Stabula, hoc meum eſt, & poſtea dicam rationem. Super ſtabula igitur*) equi, (*hoc eſt, equorum: eſt mutatio numeri*) Sanctitas Jehovæ: & erit (*hoc eſt, erunt: iterum eſt mutatio numeri.*) lebetes in domo Jehovæ ſicuti phialæ (*ſic vertit Hieronymus: alii vertunt, Pelves*) coram altari.

Hoc verſu docet Zacharias ita Deum fore Regem mundi, ut omnia applicentur ad ejus cultum, & nihil tam eſſe profanum in mundo, quod non mutet naturam, ut ſanctificetur ad Deum colendum. Hæc ſumma eſt. in verbis aliqua eſt obſcuritas: ſed maxima ex parte decepti ſunt interpretes, quia non ſatis attenti fuerunt ad Prophetæ conſilium: ita factum eſt ut violenter verba ad ſenſum ſuum traherent, quia ſcilicet rem ipſam non tenebant. Dicit *fore inſcriptionem ſuper umbracula equorum, Sanctitas Jehovæ.* Nemo interpretum animadvertit hic ſubeſſe tacitam comparationem inter tiaram ſummi Sacerdotis, & inter res profanas. nam quum ſummus Sacerdos geſtaret Chriſti imaginem, erat in ejus tiara inſcriptum קדש ליהוה. Et quoniam à Sacerdotio pendebat Templi ſanctitas, & quicquid erat in cultu Legali, ideo inſcriptio illa extendi tunc debuit ad omnes Templi partes, ad altare, ad ſanctuarium, ad ſacrificia, ad oblationes reliquas, ad candelabrum, ad ſuffitus, ad omnia denique ſacra. Nunc quid ſibi vult Propheta? *Erit*, inquit, *inſcriptio illa ſolennis* quam geſtat ſummus Sacerdos in capite ſuo, ליהוה קדש, erit, inquam, *ſuper ipſa ſtabula equorum.* Quantum attinet ad nomen מצלות, hic duntaxat reperitur. Quidam deducunt à צול: alii à צלה: ſed magis recepta opinio eſt, ut veniat à צלל, ubi ל eſt duplicatum. ſed alii accipiunt pro phaleris, alii pro frenis, alii pro tintinnabulis: & omnes divinant, quia nulla eſt certa ratio. alii etiam vertunt profundum: quia poteſt etiam hic ſenſus quadrare. Sed mihi videtur probabilius quod jam attigi, notari umbras equorum, & metaphorice ſic vocari ſtabula. Quamvis ergo ſtabulum equi ſit locus ignobilis & ſordidus, imo etiam ſæpe fœteat, dicit Propheta fore ſacrum Deo. Senſus igitur eſt, nullum locum hactenus tam profanum fuiſſe, qui non ſanctificetur ubi Deus regnare incipiet per totum orbem. Cæterum, ſi quis malit de phaleris accipere, vel de ornatu bellico, non repugno: quia poterit etiam hoc eſſe conſentaneum. Nihil minus ſanctum eſt quam fundere humanum ſanguinem: & ideo Scriptura dicit eos polluere manus ſuas, etiam qui hoſtem jure in bello occîdunt: non quia cædes illa ſit nefaria per ſe, ſed quia Dominus voluit incutere terrorem hominibus, ut ne facile proſilirent ad cædes. Convenit igitur hoc non male, quod Deus ſanctitate imbuet phaleras equorum, ut ſcilicet nihil confuſe poſtea agatur in bello: ſed quiſquis arma induet, ſimul etiam agnoſcat Deum fore judicem in cœlo, ne ſcilicet abſque juſta cauſa etiam cum hoſte ſuo congredi audeat. Ridiculum eſt ac puerile quod Theodoritus lib. 1. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ hunc locum citat, quaſi tunc fuerit impletum vaticinium, ubi Helena Conſtantini mater ornavit phaleras equi clavo crucis. nam voluit hoc dare filio inſtar amuleti: clavum unum ex clavis quibus Chriſtum putabat crucifixum fuiſſe, inſeruit diademati regio: ex altero clavo confecit frenum, vel permiſcuit, quemadmodum dicit Euſebius. nam Theodoritus dicit conflatum fuiſſe frenum. Nugæ ſunt admodum putidæ: ſed tamen obiter hoc volui attingere, ut conſideretis quam inſipidum jam tunc fuerit ſeculum illud. Hieronymus quidem repudiat illud commentum: ſed quum inter multos receptum fuerit, videmus quam turpiter eo tempore deluſi fuerint multi, qui etiam tunc habiti ſunt quaſi Eccleſiæ luminaria. Redeo nunc ad genuinum ſenſum Prophetæ; dicit vel *ſuper ſtabula*, vel ſuper ornatus, *equorum fore hanc inſcriptionem*, ליהוה קדש. Jam adjungit, *Erunt omnes lebetes in domo Jehovæ, ſicuti pelves coram altari:* hoc eſt, quicquid prius tantum ad profanos uſus adhibitum fuit, etiam imbuetur ſanctitate. Ita ergo interpretor, fore lebetes, vel cacabos quaſi pelves, quoniam tota ſupellex culinaria vertetur in cultum Dei: quaſi diceret, nullas fore profanas lautitias, ſicuti ante fuerant; ſed victum communem fore ſacrum, quoniam ſcil. homines ipſi ſacri erunt Domino, & ſanctitatem colent in tota vita & in ſingulis actionibus. In hoc vero errant plerique, dum exponunt conflandas eſſe phaleras in lebetes: quia Propheta aliud voluit, nempe tam in bello quam in pacis actionibus ita ſanctitatem colendam eſſe inter homines, ut ſive militent ſive quieſcant domi, ſive edant ſive bibant, ut ſemper offerant purum ſacrificium Deo, etiam in cibo ſuo & potu, etiam in ipſa militia. Sic igitur accipere oportet Prophetæ verba, quod *omnes lebetes erunt in domo Jehovæ ſicuti pelves coram altari*: quaſi diceret, quicquid hactenus profanatum fuit intemperantia hominum & immodicis lautitiis, hoc induet poſthac novam ſanctitatem, acſi eſſent pelves ipſius Templi. Hieronymus ſubtilius hic philoſophatur, quaſi innueret Propheta ſacrificia quæ oblata fuerunt ſub Lege, nullius fore pretii: quia Deus neque carnium pinguedinem ultra appetet, neque alios omnes illos craſſos ritus, ſed tantum optabit preces, quæ ſunt ſacrificia boni odoris: & ideo Phialas vertit מזרקים, quum tamen potius ſignificet Pelves, ſaltem latius pateat ipſum nomen. Nunc videmus quid intellexerit Zacharias, nempe Deum ita ſibi vindicaturum eſſe totum orbem, ut homines ſe totos & ſua omnia conſecrent ad ejus cultum, ut nulla ſit amplius immunditia. Sive igitur edant, ſive bibant, ſive militent, aut opus aliud aggrediantur, omnia fore pura & ſancta, quoniam ſemper Deus illis erit præ oculis. Pergamus.

21. Et erit omnis lebes in Jeruſalem & Jehudah ſanctitas Jehovæ exercituum: & venient omnes qui ſacrificabunt, & accipient ex ipſis, & coquent in ipſis: & non erit Chananæus (*alii vertunt, non erit mercator*) amplius in domo Jehovæ exercituum die illo.

Hic clarius explicat Propheta quod jam vidimus, nempe tantam fore reverentiam Dei & timorem in toto mundo, ut quicquid aggrediantur homines ſit ſacrificium. Dicit ergo omnes cacabos, vel omnia ahena, vel omnes lebetes fore ſacros Deo. Hoc autem impletur dum hunc finem ſibi proponunt homines, ut Deum tota vita glorificent, quemadmodum Paulus nos hortatur. 1 Cor. 10. verſ. 31. Ergo culinæ noſtræ, & cubicula, & reliqua omnia ſancta ſunt Deo, ubi vere ſumus ei addicti, & in omnibus vitæ noſtræ actionibus tendimus in finem illum quem dixi, nempe ut reipſa teſtemur ipſum nobis eſſe Deum, & nos eſſe ſub ejus manu.

manu. Talibus ergo figuris docet Zacharias, homines fore Deo ſacros: quia nihil attinget immundum, ſed quæ prius fuerant profana ſanctificabunt in ejus gloriam. Dicit *venturos qui ſacrificent, & coċturos carnem in lebetibus*: quaſi diceret tantam fore copiam hominum qui ad offerenda Deo ſacrificia aſcendent, ut vaſa Templi, quæ prius fuerant in uſu, minime ſufficiant. Neceſſe igitur erit, accommodare in uſum illum, inquit, quicquid antehac
Jeſa. 66. v. 20,21. profanum fuit. Sic alibi dicit Jeſaias, qui prius fuerant Levitæ fore Sacerdotes primi ordinis: & qui fuerunt ex vulgo populi fore Levitas: ita ut propius omnes ad Deum accedant. Senſus ergo Prophetæ nunc clarus eſt: quia volebat hortari ad conſtantiam & fortitudinem Judæos, quibus ſua paucitas erat quaſi ſummum opprobrium, ita ut fere conciderent; quia putabant ſe fruſtra reverſos eſſe in patriam, quum Dominus totum populum non colligeret: dicit fore celebriorem Dei cultum, quam ubi res maxime florebant in Judæa: quia ſcilicet ex toto orbe convenient qui offerant Deo ſacrificia Jeroſolymæ, ita ut tota urbs cum ſua ſupellectile ſacra ſit Deo: quia neque Templi pelves, neque ſacra vaſa quæ prius fuerant ſub Lege, ſufficient. Quod autem addit, *non fore Chananæum in terra*: ſenſus eſt, puram fore Eccleſiam ab omnibus inquinamentis. Et hæc mutatio debuit non parum afferre ſolatii Judæis in ſtatu illo triſti & calamitoſo. Deus enim uſus fuerat non parva ſeveritate, quum omnes ejecti eſſent in exilium: & ſigna illius horrendi rigoris adhuc multa reſtabant, quum pauculi homines Deum colerent, & quidem eſſent omnibus contemptibiles, ita ut religio etiam ſubjecta eſſet gentium omnium ludibriis. Hæc igitur compenſatio potuit mulcere dolorem illum, quod Dominus remedio illo purgaverat Eccleſiæ ſuæ ſordes. Et hac de re alibi plura diximus. Nunc breviter promittit Zacharias Eccleſiam Dei fore puram, ut ex animo & ſincere omnes Deum colant: non ſint permixti hypocritæ, qui polluant & templum & ſacra omnia. ſed videtur hoc eſſe abſurdum, quum ſemper Eccleſia multis ſordibus contaminata fuerit: & ideo Joannes Baptiſta eam comparat areæ, ubi paleæ mixtæ ſunt tritico. com-
Mat. 13. verſ. 47. paratur etiam ſagenæ, in quam ſi contracti fuerint multi piſces, reperientur alii putridi, alii nullius ſaporis. Quum ergo hodie etiam ſub regno Chriſti Eccleſia ſubjecta ſit huic malo, ut non poſſit ejicere omnes corruptelas, videtur hyperbolice loquutus eſſe Propheta. Sed notandum eſt quod alibi diximus, fieri ſcilicet comparationem inter veterem ſtatum populi & ſecundum, ubi renovata fuit Eccleſia. Quum ergo pietas fœdum in modum corrupta eſſet, ac Judæi tantum inflatis buccis jactarent ſe eſſe ſacrum Dei populum, interim eſſent omnium ſceleſtiſſimi, merito Propheta dicit puriorem fore Eccleſiam, quæ renaſcetur: quia ſcilicet Dominus cruce eam purgabit: quemadmodum aurum & argentum non modo examinantur igne, ſed etiam magis niteſcunt, quoniam eluuntur ſcoriæ. Idem etiam nunc ſimpliciter dicit Propheta, *non fore Chananæos amplius in populo Dei*: hoc eſt, non fore extraneos & profanos homines permixtos fidelibus, qui polluant purum Dei cultum. Ergo quod alii hoc detorquent ad ultimum Chriſti adventum, nimis coactum eſt. Interea fateor deſcribi Prophetico more Chriſti regnum ab initio uſque ad finem. Deus ergo quum Eccleſiam ſuam renovare voluit, purgavit eam multis ſordibus, & quotidie adhuc purgat: neque deſinet etiam hoc facere, uſque dum abolitis omnibus inquinamentis hujus mundi recipiamur in cœleſtem vitam. Ergo quoties Prophetæ perfectionem commendant ſub Chriſti regno, non debemus hoc reſtringere ad diem unum, vel ad exiguum tempus: ſed debemus complecti totum curſum ab initio uſque ad finem. Ex quo ergo Chriſtus patefactus fuit mundo, jam tunc cœpit nitere ſplendor, de quo nunc loquitur Zacharias: ſed Dominus uſque in finem progreditur, donec ſcilicet impleat quod aſſiduo progreſſu nunc facit. Qui vertunt, Non fore amplius mercatorem, habent quidem aliquid rationis, quoniam etiam Chananæus dicitur mercator: ſed quia neceſſe eſt confugere ad allegorias, & Mercatores accipere pro impiis corruptoribus, qui exercent nundinationem ex Dei cultu: vel interpretari, quod nullus erit amplius mercator, quoniam omnes adducent gratis ſuas hoſtias: quia, inquam, illæ expoſitiones nimis ſunt coactæ, ſatius eſt ſimpliciter accipere hunc locum, quod Dominus colliget electos ſuos, ut offerantur ab omnibus pura ſacrificia, & nulli ſint amplius hypocritæ, qui Eccleſiam ipſam contaminent & corrumpant, vel adulterent ipſum Dei cultum.

Da omnipotens Deus, quando nos dignatus es eligere in peculium, & nos tibi conſecrare in perſona unigeniti Filii tui: da, inquam, ut ſanctitatem tota vita ſic colamus, ut refulgeat gloria tua in ſingulis operibus noſtris: neque quicquam aggrediamur, quod non tendat in hunc finem, ut magis ac magis illuſtretur nomen tuum: & ſic corpore & anima ſancti ſimus, atque immunes ab omni carnis & mundi inquinamento, ut ita magis confirmemur in ſpe vocationis noſtræ, & animemur etiam ad peragendum reſiduum curſum noſtrum, donec tandem perveniamus ad illam gloriam, quæ nobis parta eſt ſanguine ejuſdem unigeniti Filii tui, Amen.

JOAN-

JOANNIS CALVINI PRÆLECTIONES IN MALACHIAM PROPHETAM.

PRÆLECTIO PRIMA.

PRÆFATIO.

SEquitur liber Malachiæ, quem multi divinant fuiſſe Angelum, idque ex nomine: quia ſcimus מלאך vocari Angelum Hebræis. ſed quam abſurdum ſit commentum illud, facile eſt cognoſcere. Dominus enim eo tempore Angelos non miſit, per quos oracula ſua patefaceret, ſed uſus eſt ordinario miniſterio. Et quoniam additur in fine nominis litera י, ſicuti fieri ſolet in propriis nominibus, colligere hinc licet fuiſſe potius hominis nomen: quanquam facile concedam, inditum fuiſſe aliqua certa de cauſa, quæ tamen nos hodie latet. Libentius admittam quod alii dicunt, Eſdram fuiſſe: & ideo ſic cognominatum, quia Deus ad res præclaras & magnificas eum vocaverat. Quicquid ſit, ſtatuendum eſt unum fuiſſe ex Prophetis: & probabili ratione conjicimus fuiſſe ultimum: quia in fine libri populum hortatur ut perſtet in pura Legis doctrina. Hoc autem ideo facit, quoniam Deus poſtea non erat miſſurus continua ſerie Prophetas ſuos ſicuti antea. Voluit enim Judæos magis afficere Chriſti deſiderio, quum ad tempus carerent Prophetis. nam fuit hoc vel ſignum iræ Dei, vel venturi Chriſti præſagium, quum orbati ſunt beneficio illo, cujus fit mentio apud Moſen, Deut. 18. cap. Illic enim promiſerat Deus ſe miſſurum Prophetas, ut Judæi agnoſcerent eum gerere curam ſuæ ſalutis. Quum ergo deſtituit Deus Prophetis populum illum, vel hoc modo gravem iram oſtendit, ſicuti in exilio Babylonico: vel ſuſpenſos voluit tenere animos, ut reſpicerent ad Chriſtum majore deſiderio. Quicquid ſit, non dubito hunc Prophetam fuiſſe ultimum ordine; quia jubet populum affixum manere doctrinæ Legis uſque dum manifeſtetur Chriſtus. Summa autem libri eſt, quod quum Judæi nuper reverſi eſſent in patriam, ſtatim ſimul redierant ad ingenium; & immemores gratiæ Dei, ita ſe dediderant multis corruptelis, ut nihilo melior eſſet ſtatus eorum, quam patrum ante fuerat: quaſi Deus operam luſiſſet caſtigando eorum ſcelera. Quum ergo ſtatim Judæi iterum prolapſi eſſent ad multa vitia, hic eos durirer objurgat Propheta noſter: & exprobrat illis ingratitudinem, quod tam indignam mercedem rependant Deo liberatori ſuo. Deinde commemorat ſcelera quædam, ut teneat populum convictum, quem videbat plus ſatis tergiverſari. Compellat autem Sacerdotes, qui corruperant malis exemplis publicos mores, quum tamen longe aliud ferret eorum officium. Dominus enim præfecerat illos & pietatis & integritatis magiſtros ac doctores populo ſuo. atqui ab ipſis magna pars vitiorum profecta erat: ideo aſperius eos objurgat Propheta noſter. Interea tamen oſtendit Deum memorem fore gratuiti fœderis, quod pepigerat cum eorum patribus, ut tandem venturus ſit Redemptor. Hæc ſumma eſt. Nunc venio ad verba.

CAPUT PRIMUM.

ONus ſermonis Jehovæ ad Iſraël in manu Maleachi.

QUi משא exponunt ſimpliciter Prophetiam abſque alia notatione, falluntur, quemadmodum alibi jam admonui. neque enim ubique prophetia vocatur Onus. deinde, quoties exprimitur hoc nomen, illic ſubeſt aliquod indicium vindictæ Dei. & ex Jeremia ſatis conſtat, *Jer. 23.*
nomen hoc paſſim fuiſſe odioſum, ita ut impii vul- *verſ. 38.*
gari proverbio quum vellent notam aliquam infamiæ inurere prophetiis, dicerent, Hoc eſt onus: innuentes ſcilicet nihil aliud ſibi afferri à Prophetis

quam minas & terrores, ita ut præſtaret aures occludere, & quaſi adverſum & infelix omen fugere omnes prophetias. Et ex progreſſu etiam patebit non abs re doctrinam Malachiæ vocari *Onus*, quia ut jam aliqua ex parte dixi, & fuſius deinde ſuo loco videbitur, neceſſe fuit populum citari ad Dei tribunal, quoniam rurſus cœperant illic graſſari multa ſcelera, & quæ ferri non poſſent. & hac ratione dicit inſtare illis Dei judicium. Cæterum, ſub Iſraëlis nomine tantum eos deſignat qui reverſi erant in patriam, ſive eſſent ex tribu Jehudah & Benjamin, ſive ex tribu Levi. Quanquam credibile eſt quoſdam etiam fuiſſe illis permixtos ex aliis familiis: ſed ſoli fere Judæi cum ſuis vicinis, hoc eſt, cum tribu dimidia Benjamin reverſi ſunt, præter Levitas dico, qui fere duces fuerunt itineris, & hortati ſunt reliquum populum: ſed promiſcue vocati ſunt nomine Iſraëlis, quum tantum apud eos vigeret pura religio. Qui autem diſperſi habitabant inter exteras gentes & profanas, etſi non prorſus deſciverant à puro Dei cultu & pietate, tamen quaſi ſuum nomen perdiderant. Ergo per excellentiam vocati ſunt Iſraëlitæ, qui iterum collecti fuerunt in terra Sancta, ut illic fruerentur hereditate ſibi divinitus promiſſa. *Manus* autem, quemadmodum alibi vidimus, miniſterium ſignificat. Senſus igitur eſt, doctrinam hanc profectam eſſe à Deo; ſed miniſtrum eſſe interpoſitum, nempe Malachiam: ita ut nihil proprium ipſe afferat, ſed tantum fideliter referat quod mandatum eſt à Deo ipſo auctore. Sequitur poſtea,

2. Dilexi vos, dicit Jehova: & dixiſtis, In quo dilexiſti nos? Annon frater Eſau erat ipſi Jacob? (dicit Jehova) & dilexi Jacob,

3. Et Eſau odio habui, & poſui montes ejus ſolitudinem, & hereditatem ejus ſerpentibus deſertum. (*alii vertunt, deſerti.*)

4. Si dixerit Edom, Attenuati ſumus, ſed revertemur, & ædificabimus deſerta: ſic dicit Jehova exercituum, Ipſi ædificabunt, & ego diruam: & dicetur illis, Terminus impietatis, & populus cui infenſus eſt Jehova in perpetuum.

5. Et oculi veſtri videbunt: & vos dicetis, Magnificabitur Jehova ſuper terminum Iſraël. (*Addendus eſt etiam ſextus verſus, ſaltem initium.*)

6. Filius honorat patrem, & ſervus dominum ſuum: & ſi pater ego, ubi honor meus? & ſi dominus ego, ubi timor mei? dicit Jehova exercituum.

Coactus ſum uno contextu legere omnes iſtos verſus: quia non poterat aliter impleri ſententia. Expoſtulat enim hic Deus cum perverſo & ingrato populo, quoniam fraudetur dupliciter ſuo jure, dum ſcilicet neque amatur, neque timetur. nam merito ſibi vendicat nomen ac locum tam patris quam domini. Quum autem nullam reverentiam ei Judæi deferrent, conqueritur ſe fraudari jure patris: deinde quum nullus eſſet ejus timor, iterum eos accuſat, quod non agnoſcant dominum, quum tamen non poſſent ejus imperio ſe ſubducere. ſed antequam huc veniat, oſtendit ſe eſſe dominum & patrem. Præcipua vero demonſtrat ſe patrem eſſe, quoniam gratis eos dilexit. Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ: vult enim hic Deus oſtendere quam pravo ingenio ſint Judæi, quod neque patrem ipſum neque dominum agnoſcant: hoc eſt, non revereantur ut dominum, neque etiam colant ut patrem. ſed ſicuti jam attigi, beneficia ſua in medium producit, ex quibus colligit ſe mereri & patris & domini honorem. Dicit igitur, *Dilexi vos.* Poterat quidem Deus aliter Judæos aggredi: nam quamvis nullus fuiſſet amor, obſtricti tamen erant ejus imperio. neque enim hic de generali Dei amore agitur, quo proſequitur totum genus humanum: ſed accuſat Judæos, quod quum gratis ab ipſo fuiſſent adoptati in ſacrum populum & peculiarem, tamen quaſi obliti hujus honoris eum proterve contemnerent, & pro nihilo ducerent totam ejus doctrinam. Quum ergo hic Deus dicit ſe amaſſe Judæos, videmus ut velit potius ipſos convincere ingratitudinis hac ratione, quod ſpreverant ſingularem illam gratiam, qua ipſos ſolos dignatus fuerat, quam urgere commune imperium, cui obnoxii ſunt omnes homines. Potuit ergo Deus ſic cum ipſis agere, Ego vos creavi, & ſum vobis pater nutricius, meo beneficio ſol vobis quotidie lucet, terra producit fructus ſuos: denique ego vos innumeris beneficiis obſtrictos teneo. potuit in hunc modum Deus cum ipſis agere. ſed, quemadmodum jam attigi, potius voluit producere in medium gratuitam adoptionem, qua complexus fuerat ſemen Abrahæ: quia hæc minus tolerabilis fuit impietas, quod aſpernati fuerint incomparabilem illam gratiam. Deus enim prætulerat illos cunctis gentibus, neque id vel ullo merito, vel ulla dignitate, ſed quoniam ſic placuerat. Hæc igitur ratio eſt cur hoc exordio utatur Propheta, *Judæos fuiſſe dilectos à Deo*, quoniam ſcil. peſſime reſponderant gratuito Dei amori, quum ita ſpernerent ejus doctrinam. hoc primum eſt. Jam non dubium eſt quin oblique perſtringat eorum ingratitudinem, quum dicit, *In quo dilexiſti nos?* Poſſet quidem ita reſolvi oratio, Si dixeritis, hoc eſt, ſi quæſieritis in quo vos dilexerim: nempe, *elegi patrem veſtrum Jacob, poſthabito Eſau, quum tamen eſſent fratres germani.* Sed videbimus aliis pluribus locis Judæos tergiverſanda maligne obſcuraſſe Dei gratiam, & ſimilibus verbis perſtringi vitium illud. Ideo Propheta quia videt ſibi negotium eſſe cum pravis hominibus, qui non facile cedant Deo, & non libenter ingenua confeſſione celebrent ejus beneficium, hic inducit eos quaſi obſtrepentes, Ho! ubi dilexiſti nos? in quo? ho! non apparent ſigna hujus amoris. reſpondet Dei nomine, *Frater Eſau erat ipſi Jacob: & tamen dilexi Jacob, & odio habui Eſau.* Videmus quod nuper attigi, nempe Judæos revocari ad memoriam gratuiti fœderis, ut deſinerent excuſare ſuam malitiam, quum tam male locata fuiſſet apud eos hæc ſingularis Dei gratia. Non exprobrat ergo illis quod creati fuerint ſicut reliqui homines, quod Deus illuxerit illis per ſolem ſuum, quod alimenta illis è terra ſuppeditaverit: ſed dicit fuiſſe potiores aliis populis non proprio merito, ſed quia dignatus fuerit eligere patrem ipſorum Jacob. Potuit hic proferre Abraham in exemplum: ſed quoniam Jacob & Eſau progeniti erant ex patre Abraham, cum quo Deus fœdus ſuum pepigerat, illuſtrior fuit hæc gratia, quod quum unus fuiſſet Abraham electus à Deo, reliquis gentibus præteritis, tamen ex illa familia quam jam Dominus adoptaverat, unus fuerit electus, alio poſthabito. Si fiat comparatio Eſau cum Jacob, erant fratres: ſed notandæ ſunt etiam aliæ circumſtantiæ, quas hic non expreſſit Propheta, quod ſatis notæ erant. Sciebant enim omnes Judæi Eſau fuiſſe primogenitum: itaque præter ordinem naturæ Jacob adeptum fuiſſe primogenituram. Quum ergo hoc vulgo ſatis notum eſſet, Propheta uno verbo hoc dicere contentus fuit, nempe *Eſau fratrem fuiſſe Jacob.* Dicit autem Jacob fuiſſe divinitus electum, rejecto fratre primogenito. Si quæritur cauſa, non reperietur in ſtirpe originis. erant enim fratres germani, & nondum prodierant ex utero, quum Dominus oraculo teſtatus eſt Jacob fore majorem. *Geneſ. 25. verſ. 23.* Videmus ergo hic ſtatui primam originem totius excellentiæ, quæ erat in poſteris Abrahæ, in gratuito amore

amore Dei: quemadmodum ſæpius etiam ita loqui- Deut. 7:7. tur Moſes, Non quia præſtetis reliquis gentibus, vel ſitis plures numero, ideo vos tot beneficiis ornavit Deus. ſed quia patres veſtros dilexit. Semper ergo admoniti fuerunt Judæi non alibi quærendam eſſe adoptionis cauſam, quam in gratuito favore Dei, quia dignatus eſſet ipſos eligere: hunc eſſe fontem ſalutis ipſorum. Nunc tenemus conſilium Prophetæ, ubi dicit *Eſau fuiſſe fratrem Jacob*, neque tamen dilectum fuiſſe à Deo. Sed tenendum etiam eſt quod nuper dixi, ideo referri ſingularem hanc Dei gratiam erga filios Jacob, ut magis pudeat ipſos ſuæ ingratitudinis, quia Deus tam male apud ipſos locaverat ſuum amorem. Nam ſiquid fuiſſent promeriti, jactaſſent mercedem ſibi fuiſſe divinitus redditam: ſed quoniam Dominus gratis & mero ſuo beneplacito in ipſos contulerat hoc beneficium, ideo minus excuſabilis fuit eorum impietas. hanc igitur turpitudinem nunc traducit Propheta noſter. Sequitur ſignum odii in Eſau, quod ſcil. *Dominus montem ejus dederit*, vel poſuerit, *in ſolitudinem; & hereditatem ejus deſertum, ubi habitarent dracones.* Scimus Eſau, poſtquam expulſus fuit vel ſuo pudore vel patris odio, veniſſe in montem Seir. tota etiam regio in qua habitarunt ejus poſteri, fuit aſpera & compreſſa multis montibus. Siquis autem objiciat, non eſſe valde illuſtre hoc ſignum odii, quia ex oppoſito dici etiam poſſet, amorem Dei erga Jacob non fuiſſe ſatis oſtenſum, quia habitaverit in terra Chanaan, quum Chaldæi incolerent regionem & magis amœnam & magis fœcundam: Ægyptii etiam fuerint valde opulenti: reſponſio eſt, terram Chanaan ſymbolum fuiſſe divini amoris, non modo fœcunditatis ſuæ cauſa, ſed quia Dominus eam conſecraverat ſibi & electo populo: ſicuti Jeroſolyma non fuit præſtantior cunctis terræ urbibus, adeoque vel Samaria vel Betlehem ac ſimilibus, propter ſitum. erat enim in loco aſpero, ut ſatis notum eſt: habebat fontem Siloe duntaxat, ex quo manabat exiguus rivus: ſed neque proſpectus adeo pulcher erat, neque magna fertilitas: ſed aliis dotibus excelluit, quia Deus eam ſibi elegerat in Sanctuarium. ſic etiam de tota terra dicendum eſt. Quoniam ergo terra Chanaan erat quaſi pignus hereditatis æternæ Abrahæ filiis; ideo tantopere eam Scriptura commendat & ornat etiam magnificis elogiis. Si mons Seir fuiſſet opulentiſſimus & refertus omnibus deliciis, tamen debuit eſſe triſte exilium Idumæis, quoniam fuit ſignum reprobationis, quum Eſau relicta patris domo illuc ſe contulit. Factus enim eſt quaſi alienigena, & tunc ſe abdicavit cœleſti hereditate, ſicuti vendiderat ſuam primogenituram fratri Jacob. Hæc ratio eſt cur Deus hic commemoret Eſau fuiſſe quaſi relegatum inter montes, & privatum terra ſancta, quam deſtinaverat electo populo Deus ipſe. Cæterum, aliud etiam adjungit Propheta, nempe patefactum fuiſſe odium Dei, quum poſteritas Eſau fuit extincta. Tametſi enim non minus crudeliter ſævierant Aſſyrii & Chaldæi in Judæos quam in Edomitas, eventus tamen longe diverſus fuit: quia poſt annos ſeptuaginta reverſi ſunt in patriam Jer. 28. verſ. 10. Judæi, extructum fuit rurſus templum, ſicuti promiſerat Jeremias. Interea Idumæa non potuit reſtitui: ſed illic ſemper apparuerunt ſigna horribilis iræ Dei in illa triſti vaſtitate. Quum ergo nulla fuiſſet reſtitutio Idumææ, hinc docet Propheta, oſtenſum etiam hoc ſigno fuiſſe amorem Dei erga Jacob, & odium ejuſdem erga Eſau: quia ſcilicet non humanitus factum fuerat ut Judæis daretur libertas, deinde ut liceret etiam illis templum extruere: ſed quoniam Deus elegerat in perſona Jacob illos, & voluerat ſibi peculiarem & ſacrum eſſe populum. Quantum vero ad Edomitas ſpectat, tunc demum clarius apparuit reprobatos fuiſſe in perſona Eſau, quum ſemel vaſtati viderunt ſe damnatos eſſe ad perpetuum interitum. Huc igitur tendunt Prophetæ verba, quum addit, *datam fuiſſe poſſeſſionem Eſau draconibus.* Nam, ſicuti jam dixi, quamvis ad tempus non abſimilis fuerit conditio Judææ & Idumææ, quum tamen iterum cœpit ſurgere & reparari Jeroſolyma, tunc clare oſtendit Deus terram illam non fruſtra fuiſſe datam electis ſuis. Ubi autem regio vicina non potuit reſtitui, quum tamen minore invidia poſſent reparare domos ſuas poſteri Eſau, hinc etiam ſatis innotuit, maledictionem Dei illis incumbere. Et eodem ſenſu poſtea adjungit, *Si dixerit Edom, Attenuati ſumus, ſed revertemur, & ædificabimus domos: quod ſi ædificaverint, ego diruam, inquit Deus.* Confirmat enim quod jam dixi, nullam ſcilicet ſpem reparationis eſſe poſteris Eſau: quia, utcunque colligant animos, & ſtrenue etiam laborent in urbibus ſuis extruendis, proſpere tamen non ſuccedet, quia diruet omnia ædificia Deus: hoc igitur diſcrimen potius eſſe inſtar vivæ imaginis, in qua conſpicerent Judæi & Dei amorem erga Jacob, & ejuſdem odium erga Eſau. Nam quum uterque populus ab eodem hoſte everſus eſſet, unde hoc factum ut Judæis reddita fuerit ſua libertas, non fuerit autem permiſſum Idumæis redire in patriam? plus enim erat invidiæ in Judæis, quemadmodum dictum eſt: & tamen Chaldæi liberalius cum ipſis egerunt. ſequitur ergo hoc totum fuiſſe gubernatum admirabili Dei conſilio, & illinc etiam apparuiſſe, non irritam eſſe illam adoptionem, quæ tamen poterat videri abolita, quum tracti fuiſſent Judæi in exilium. *Sic ergo dicit Dominus exercituum, Ipſi ædificabunt*, hoc eſt, utcunque ipſi ædificent, *ego deſtruam: & dicetur illis, Terminus impietatis, & populus cui Jehova infenſus eſt in perpetuum.* Per Terminum impietatis intelligit terminum maledictum: quaſi diceret, Palam conſtabit ipſos eſſe reprobos, ita ut totus mundus judicium ferre poſſit ab eventu ipſo. Jam addendo, *Dicetur illis, Populus cui Jehova eſt infenſus*, confirmat iterum quod dixit de amore & odio. Poterat enim peræque ulciſci Deus Judæos atque Edomitas. ubi autem placatus fuit erga Judæos, & inexorabilis poſteris Eſau, hinc ſatis patefactum fuit diſcrimen inter duos populos. Notandum eſt etiam quod dicit עד עולם. Deus enim ad tempus viſus fuerat Judæos reprobaſſe: & eodem etiam hoc verbo זעם utuntur Prophetæ, quum deplorant ſortem populi: quaſi ſcilicet Deum ſentiret modis omnibus infeſtum. Sed temporalis fuit ira Dei erga Judæos, quoniam ſcilicet non potuit in totum aboleri fœderis memoria: iratus autem fuit Edomitis in perpetuum, quia reprobatus fuerat ipſorum pater. & ſcimus ſemper notari hanc differentiam inter electos & reprobos, quod quum Deus communiter in peccata animadvertat, temperat tamen iram ſuam erga electos, & imponit modum ſuæ ſeveritati: quemadmodum dicit, Si non cuſtodierint fœdus meum poſteri ejus, ſed profanaverint Legem meam, caſtigabo eos in virga hominis, miſericordiam autem meam ab ipſis non auferam. Pſal. 89. v. 31, 32 & 33. 2 Reg. 7. verſ. 14. Quantum attinet ad reprobos, proſequitur ſemper eos vindicta Dei, & incumbit ſemper eorum capitibus, & in ipſorum oſſibus & medullis infixa eſt. hac ratione dicit Propheta noſter, Deum *perpetuo infenſum fore poſteris Eſau.* Addit, *Oculi veſtri videbunt.* Jam cœperant aliqua ex parte hoc ſpectaculo frui Judæi: ſed hic quaſi de continuo actu loquitur Propheta. *Videbunt ergo oculi veſtri:* hoc eſt, quemadmodum jam apparuit quid vobis profuerit gratuita electio qua vos amplexus ſum in populum, & etiam ex oppoſito vidiſtis cognatos veſtros Edomitas pejus habere, quoniam fuiſſent in perſona Eſau patris ſui rejecti: ita etiam in poſteris hoc diſcrimen conſpicuum ſemper vobis erit. *Videbunt ergo oculi veſtri, & dicetis, Magnificetur Jehova ſuper terminum Iſraël:* hoc eſt, res ipſa vobis exprimet confeſſionem hanc, quod ego magnifice extollo bonitatem meam erga vos. Tametſi enim ubique refulgeant ſigna gratiæ Dei, &

Pſal. 104. *verſ.* 24. terra (ut in Pſalmo dicitur) referta ſit ejus bonitate: fuit tamen ſpeciale aliquid in Judæa, ut non fruſtra dicat Propheta noſter, ſemper fore materiam cur Judæi prædicent Dei laudes: quia ſcilicet liberalius cum ea agat quam cum reliquo orbe. Et minime dubium eſt quin Propheta hic oblique coarguat populi illius malitiam: quaſi diceret, Vos quidem, quantum in vobis eſt, vel ſepelitis Dei beneficia, vel ſaltem extenuatis. atqui res ipſa extorquebit hanc confeſſionem, quod Deus *magnifice agit ſuper terminum Iſraël*, hoc eſt, ſplendidius exerit illic ſuam gratiam, quam ſuper omnes gentes. Poſtquam breviter recenſuit beneficia quæ poſſent Judæis pudorem incutere, tandem deſcendit ad ipſam ſummam. eſt enim hoc præcipuum caput, ſicuti nuper dixi, quod Deus conqueritur ſe fraudari ſuo jure: idque dupliciter, quia Judæi ipſum non colant ut patrem, neque timeant ut dominum. Potuit quidem jure creationis ſe vocare & Dominum & Patrem: ſed jam expoſui cur potius adoptionem exprimat, quia hæc gratia præcellit, ubi ſcilicet Dominus ex genere humano aliquos ſibi deligit. neque enim dicemus cauſam reperire in hominibus cur hoc faciat. Quos ergo eligere dignatur, eos ſanctiore vinculo ſibi obſtringit. Quod ſi illi deficiunt, prorſus inexcuſabilis eſt eorum perfidia. & quoniam tenemus quid Propheta velit, & quorſum tendat tota hæc expoſtulatio, jam ſupereſt ut diſcamus doctrinam accommodare in uſum noſtrum. Nos quidem non ſumus progeniti ex Abraham vel ex Jacob ſecundum carnem: ſed quia Deus certas adoptionis ſuæ notas nobis inſculpſit, quibus nos diſtingueret à reliquis gentibus, quum tamen nihilo eſſemus meliores; hinc videmus poſſe nos merito coargui non aliter quam Judæos, ſi vocationi Dei non reſpondemus. Hoc ideo breviter attingere volui, ut ſciremus non minorem eſſe uſum hujus doctrinæ hodie inter nos, quam olim inter Judæos fuit: quia etſi non eadem eſt adoptionis ratio, quod ad unum ſemen vel ad unam familiam pertinet; tamen non excellimus ſupra alios propria dignitate, ſed quoniam Deus gratuito nos ſibi elegit in populum. Quum ita ſit, ergo nos ſumus ipſius: quandoquidem ubi nos redemit Filii ſui ſanguine, tam incomparabilis gratiæ nos participes reddens per Euangelium, ſimul acquiſivit in filios & ſervos. Niſi ergo ipſum ut patrem amamus & reveremur, niſi timemus ut dominum, eadem hodie in nobis & non minus fœda deprehendetur ingratitudo quam in populo illo veteri. Sed quoniam volui ſummas rerum complecti, cras diſſeram de electione, quemadmodum locus poſtulat. ſed neceſſe fuit prius breviter perſequi Prophetæ conſilium, quemadmodum feci: deinde ſingula fuſius tractabo, prout neceſſe fuerit.

Da omnipotens Deus, quando non ſolum voluiſti nobis dare communem vitam in hoc mundo, ſed ſegregaſti etiam nos à reliquis profanis gentibus: & illuxiſti nobis per Solem Juſtitiæ, unigenitum Filium tuum, ut nos adduceres in hereditatem æternæ ſalutis: da, inquam, ut erepti è tenebris mortis ſemper intenti ſimus ad lucem illam cœleſtem, qua nos ad te & dirigis & vocas: & ſic ambulemus ut filii lucis, ne unquam aberremus à curſu ſanctæ vocationis tuæ, ſed in eo conſtanter pergamus, donec tandem pertingamus ad eam metam, quam nobis proponis, ut ſcilicet exuti omnibus carnis noſtræ ſordibus, transfiguremur in illam ineſtimabilem gloriam, cujus jam imaginem habemus in eodem Filio tuo unigenito, Amen.

PRÆLECTIO SECUNDA

IN

MALACHIAM PROPHETAM.

CAP. I.

Vidimus heri quorſum tendat Propheta Malachias, dum exprobrat Judæis ipſos fuiſſe dilectos atque electos à Deo: nempe ut magis amplificet eorum ingratitudinem, quia indignam mercedem rependerint tantæ gratiæ Dei, quoniam prætulerat eos cunctis gentibus. hoc jure ſibi obſtrinxerat ad perpetuum obſequium: illi autem jugum excuſſerant, & eo contempto ſe dediderant rurſum multis corruptelis, quemadmodum heri diximus. Cæterum, ſimul etiam admonui, Prophetam non referre beneficia quibus Deus promiſcue dignatur totum genus humanum, ſed proferre in medium adoptionem qua ſibi Abrahæ ſemen quaſi in peculium ſegregaverat. Verum, ut melius appareat quam juſta fuerit hæc expoſtulatio, primo notandum eſt, hoc unum eſſe obligationis genus, quod Deus creavit nos homines ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. potuit enim tam canes & aſinos quam homines creare. Scimus Adam fuiſſe ſumptum ex terra, ſicut de aliis animalibus refertur. ergo quantum ad corpus ſpectat, nullum fuit hominis & brutorum animalium diſcrimen. Quod Deus inſpiraſſe dicitur in homi-
Gen. 2: 7. nem ſpiritum vitæ, non debemus accipere ſicuti Manichæi ſomniarunt, animam hominis ſumptam fuiſſe ex traduce: (hoc enim verbo uſi ſunt, quum dicerent animam hominis eſſe ex ſubſtantia Dei) ſed potius intelligit Moſes animam hominis creatam eſſe ex nihilo. Nos per generationem naſcimur, ſed tamen origo noſtra eſt ex luto. quod vero in nobis præcipuum eſt, creatur ex nihilo, nempe anima. Videmus ergo nos à pecudibus ideo differre, quia gratuito favore Dominus nos voluit creare homines. Merito itaque nobis objiciet ingratitudinem, niſi eum colimus: quia in hunc finem ſumus creati ad ejus imaginem. Sed hic refertur ſpecialis gratia, quod ſcil. Deus ſemen Abrahæ ſibi aſſumpſit: quemadmodum dicitur in cantico Moſis, Dei eſſe omnes *Deut.* 32.
populos, ſed tamen jeciſſe funiculum ſuum ut ſegre- *verſ.* 9.
garet ſibi Iſraël. Quum ergo totus orbis ſubeſſet Dei imperio, voluit tamen ſibi eligere familiam unam. Si cauſa quæritur, non reperietur in hominibus. Creati enim ſunt omnes ex terra: animæ autem inditæ ſunt corporibus, creatæ ex nihilo. Quum ita ſit, videmus ex fonte gratuiti favoris eſſe diſcrimen, quod Deus genus unum aliis prætulit: &, quemadmodum heri breviter attigi, ſæpius hoc repetit Mo-
ſes, non quod excellentiores eſſent Judæi reliquis *Deut.* 7.
gentibus, electos eſſe, ſed quia ſponte amaverit Deus *verſ.* 7.
patres ipſorum. Nam ſub nomine Amoris deſignat gratuitum favorem. Huc ergo nunc reſpicit Malachias, quod ſcilicet electi fuerint Judæi præ aliis gentibus non proprio merito. nam ſi hoc concedimus, poterant ſtatim excipere, Quid nobis exprobras, quod pluris æſtimaverit nos Deus quam reliquas gentes, quando dignos cenſuit, & voluit mercedem rependere meritis noſtris? ſed Propheta ſumit hoc pro confeſſo, ſicuti jam admonui, fuiſſe pares natura Judæos reliquis gentibus, ut diverſa eorum conditio non reſideat in ipſis vel in eorum dignitate, ſed pendeat à gratuito amore Dei. Quanquam tertius etiam gradus hic notandus eſt, quod ſcilicet ex ipſo genere Abrahæ Deus partem iterum ſegregavit. nam Eſau & Jacob fratres erant: & prior erat ordine Eſau, quia primogenitus: Deus tamen eo rejecto voluit

gratiam electionis reſidere in poſteris Jacob. hic ergo tertius eſt gradus electionis. Hæc diligenter tenenda ſunt, nempe homines Deo peculiariter obſtrictos eſſe, quia potuit tam aſinos & canes ipſos creare quam homines: voluit tamen formare ad imaginem ſuam. Secundus gradus eſt, quod genus Abrahæ ſibi delegit, quum tamen ſine exceptione imperium ejus pateret ad cunctos populos. Qui enim factum eſt ut Deus voluerit cenſeri & pater & ſervator unius populi duntaxat, quum imperium ejus extendatur ad totum orbem? hic refulget, quemadmodum jam dixi, gratuitus ejus favor. & præter illa Moſis teſti-

Pſal. 148. verſ. 1. monia etiam ſæpius in Pſalmis dicitur, Dilexit patres veſtros: non fecit in hunc modum aliis nationibus, nec judicia ſua patefecit illis. Mille ſunt loci ubi Deus gratuitum favorem ſuum commendat erga Judæos, quia voluerit eos diſtinguere à gentibus profanis, quum tamen prorſus æqualis eſſet omnium conditio. Jam tertius etiam gradus quem poſuit Malachias, diligenter notandus eſt, quod ſcilicet Deus non tantum pollicitus fuerit ſe Deum fore Abrahæ & ſeminis ejus, ſed diſtinxerit inter ipſos filios Abrahæ, ut alios rejiceret, alios autem ſibi aſſumeret. & in hac parte inſiſtit Paulus nono ad Romanos capite. Dicit enim non omnes qui ſunt ex Jſraële, vel qui trahunt inde originem, eſſe veros & legitimos Iſraëlitas, ſed qui vocati ſunt. Voluit enim Paulus Judæos refellere, quoniam jactabant ſe eſſe ſacrum populum, ut ſuo arbitrio rejicerent & Chriſtum & Euangelium ejus. Quum enim Apoſtoli oſtenderent miſſum eſſe Redemtorem qui promiſſus fuerat, Judæis in ore erat hæc ſuperba reſponſio, Annon ſumus Eccleſia Dei? nos autem non agnoſcimus hunc Chriſtum quem vultis nobis obtrudere. Quum ergo prætextu illo fallaci Judæi ſpernerent Dei gratiam, & vellent etiam quaſi ſub pedibus Chriſtum calcare, Paulus retundit illam arrogantiam, & oſtendit non præcellere aliis gentibus niſi reſpectu gratuitæ adoptionis: illam vero adoptionem ſic extendi ad totum genus Abrahæ, ut tamen ſimul reſtringi ad certum numerum debeat. Quemadmodum hodie Papiſtæ, quoniam æſtimant fidem ab externis ſignis, faſtuoſe objiciunt nobis ſe eſſe Eccleſiam. quaſi vero ſufficiat generalis promiſſio, niſi Spiritu ſuo, qui merito vocatur Spiritus adoptionis, eam intus obſignet Deus in cordibus noſtris. Jam Paulus adjungit teſtimonia hujus rei, & proponit in exemplum Jacob & Eſau. Dicit ex duobus germanis fratribus alterum fuiſſe electum, altero præterito: & tamen uterque erat filius Abrahæ. ſequitur ergo eſſe tertium gradum electionis, ſicuti nuper dixi. Jam ex illo tertio gradu elicitur etiam quartus, quod ſcilicet Deus ex filiis Jacob ſibi aſſumat quos elegit ante conditum orbem, alios vero rejiciat. & hujus rei certum argumentum proponit Paulus, vel certam rationem aſſignat, quoniam Jacob Deus prætulerit fratri primogenito, non ob meritum aliquod. Si ergo tantum gratuita Dei miſericordia valuit in electione Jacob, ſequitur eandem etiam adhuc regnare in poſteris. Iterum ſi quæritur unde fiat ut alii ſint fideles, alii autem reprobi: nempe

Rom. 9. verſ. 11, 12, & 13. Geneſ. 25. verſ. 23. quia ſic Domino placet. Ideo Paulus altius conſcendit & dicit, Quum nondum nati eſſent, neque quicquam boni vel mali egiſſent, dictum eſt, Major ſerviet minori, ſicuti ſcriptum eſt. & adducit vaticinium hoc Prophetæ, Jacob dilexi, Eſau autem odio habui. Ergo ſi prudenter expendimus totum illum contextum, reperiemus quod dixi, ex tertio gradu ſimul nos deduci ad quartum, quod ſcilicet ex filiis Jacob Deus ſibi elegit quos voluit, aliis rejectis. neque enim dum Jacob ſibi aſſumpſit, alio jure fuit obſtrictus quam anta: quandoquidem repetita eſt eadem promiſſio ipſi Jacob, quæ data fuerat patri ejus Abrahæ. Atqui ex Abraham genitus fuit Iſmaël, quem tamen ſcimus fuiſſe abdicatum ab Eccleſia Dei. idem etiam contigit aliis filiis Abrahæ: unus Iſaac fuit electus. Jam Iſaac quum pater eſſet Eſau & Jacob, non potuit ſuo arbitrio retinere utrumque: ſed viguit gratuita & arcana Dei electio hac in parte, ut Eſau ejiceretur, maneret autem Jacob quaſi legitimus heres ſpiritualis gratiæ. Nunc ergo melius tenemus quid ſibi hic velit Propheta: non objicit Judæis quod excuſſerint omnem Dei timorem, ad cujus imaginem creati erant: ſed exaggerat eorum ingratitudinem, quia non reſponderint adoptioni Dei gratuitæ, quod electi fuerant ex reliquis gentibus: neque id ſimpliciter, ſed etiam quod ex ipſo genere Abrahæ iterum fuerant ſegregati; erat autem illa ſecunda electio. hoc unum eſt. Jam alterum addere convenit, nempe gratuito fuiſſe electos. neque enim objurgatio hæc Prophetæ locum haberet, niſi Deus in ſua adoptione tantum reſpectum habuiſſet gratiæ ſuæ. nam ſi demus Jacob aliquid fuiſſe promeritum, vel etiam Abraham, non valebit quod dicit Propheta, *Nonne frater erat Eſau Jacob?* in promptu eſſet reſponſio, Frater quidem fuit, ſed virtus ejus pro merito ſuo eum prætulit fratri. Propheta autem hic urget Judæos, quod tot beneficiis obſtricti, tamen fuerint quaſi adulterini: nam degeneraverant ab illa gratia quam Deus ipſis contulerat. Videmus ergo verbis Prophetæ ſatis hoc probari, nempe & Abraham præ aliis gentibus, & Iſaac præ Iſmaële fratre ſuo, & Jacob præ Eſau fratre ſuo fuiſſe divinitus electos. & plena eſt, ut jam dixi, Scriptura his teſtimoniis: experientia etiam hoc ſatis demonſtrat, quemadmodum alio loco illis Moſes dicit, Non virtute tua factum eſt ut te extulerim ſupra alias gentes: ſciebam *Deut. 7. verſ. 7.*
enim quod populus eſſes rebellis, dura cervice & præfracta. Quum ergo Deus noviſſet ingenium illius gentis perverſum, voluit tamen ſpecimen illic edere miræ bonitatis. non eſt ergo cur cauſam adoptionis quæramus extra Deum. Si autem gratuita fuit electio Abrahæ, Iſaac & Jacob, ſequitur & gratis eligi ſingulos, quos diſcernit Deus à toto corpore: & ita deſcendo nunc ad quartum gradum. nam quod dicitur hic Jacob electus, non debet reſtringi ad ejus perſonam, ſed commune eſt etiam ejus poſteris. Electus ergo fuit Jacob. Qua lege? ut ſcilicet filii ejus eſſent ſacer & peculiaris populus Dei. Nunc ſi fiat examen totius ſobolis, reperiemus etiam quicunque progeniti ſunt ex Jacob, non eſſe legitimos Iſraëlitas: nam major pars fuit reprobata. Quum ergo multi traxerint carnis originem ex Jacob, qui tamen non minus fuerunt reprobi quam Eſau, ſequitur dominari in ſingulis hominibus gratuitum Dei favorem & puram miſericordiam. & hoc argumentum etiam proſequitur Apoſtolus nono illo ad Romanos capite. Videtur hoc multis aſperum quod Deus alios eligat, aliis rejectis: neque tamen reſpiciat ullam dignitatem, ſed libero ſuo arbitrio eligat quos placet, reprobet autem alios. Sed unde hic ſcrupulus, niſi quia vellent Deum cogere in ordinem, & ſubjicere ſuo judicio? nam veniendum eſt ad principium illud quod attigi. Si hoc illis abſurdum eſt, ex duobus unum eligi, alterum vero reprobari: quomodo in aſino & homine poterunt tueri Dei juſtitiam, ſi opus eſt eorum patrocinio? nam, ut jam dixi, ex eadem maſſa naſcuntur & aſini & homines quoad corpus. Jam ſiquis eſt motus & vigor in aſino, de nihilo creatur arcana Dei inſpiratione. Quantum attinet ad animam hominis, etſi eſt immortalis eſſentiæ, tamen de nihilo etiam creatur. Nunc ergo reſpondeant pro Deo boni iſti cenſores, quem putant obnoxium fieri multis calumniis, ſi dicimus ab ejus arbitrio pendere ſalutem hominum, ut alios reprobet, alios eligat. Jam in ipſa generali electione idem erit negotii, ſi velint ſatisfacere hominum judicio: nam, ut jam diximus, nullum eſt in hominibus diſcrimen, niſi ex arcana electione. Fingunt hic præſcientiam quaſi matrem electionis, ſed nimis ſtulte & pueriliter. Dicunt ergo eligi alios à Deo, aliis rejectis, quoniam Deus,

cui

cui nihil eſt abſconditum, prævidet qualis quiſque futurus ſit. Sed jam quæro, Unde uni virtus, quum alter vitioſus eſt? Si dicunt, Ex libero arbitrio: certe creatio præcedit. hoc eſt unum. Deinde in perſona Adæ ſcimus omnes homines æqualiter fuiſſe creatos. Unde enim fit ut omoes ſimus rei mortis æternæ, & vindicta Dei tranſeat ad nos omnes, & hodie graſſetur in toto mundo? unde hoc fit, niſi quia una & eadem fuit conditio omnium in radice una? Sequitur ergo, ſi integer ſtetiſſet Adam, cunctos homines in ſua integritate ſimiles fuiſſe inter ſe futuros. Nunc non diſputo de ſpecialibus donis. nam in naturæ integritate fuiſſet tamen (fateor) aliqua donorum varietas: ſed quoad æternam ſalutem, non fuiſſet diſſimilis hujus & illius conditio. nunc poſt lapſum Adæ ſumus omnes perditi. Quid ergo ſtultius & magis præpoſterum, quam imaginari in uno homine virtutem qua excellat, quum ſimus omnes æqualiter
1 Cor. 4. verſ. 7. maledicti io perſona Adæ? Quis enim te excellentiorem reddit, inquit Paulus? oſtendit nullam eſſe in hominibus præſtantiam, niſi ex mera liberalitate Dei: & ratio manifeſta eſt, quemadmodum jam dixi. Aut enim peccatum originale non pervenit ad cunctos mortales, aut Deus non poteſt præſcire hunc fore juſtum & illum injuſtum. Quare? naturaliter omnes ſunt reprobi in Adam, & addicti morti æternæ. & ratio in promptu eſt, quando in hominibus nihil reperietur præter peccatum. Præſcieotia igitur Dei non poteſt eſſe cauſa electionis noſtræ: quia poſtquam luſtraverit totum humanum genus, reperiet à primo ad ultimum omoes eſſe maledictos. Videmus ergo quam ſtulte nugentur & garriant nebulones, qui referunt ad meram & nudam præſcientiam, quod tribuere neceſſe eſt beneplacito Dei. Quod ergo patefecit ſe Deus generi Abrahæ, quod Legem ſuam deponere apud Iſraëlitas dignatus eſt, hoc peculiare fuit beneficium, & cujus nulla alia cauſa fingi poteſt præter gratuitam adoptionem. Privilegio ergo dignatus eſt Deus filios Abrahæ, quia ita placuit. nam ſi dicimus fuiſſe dignos, atque ita promeritos ſua virtute, primum Spiritus ſanctus ubique reclamat: deinde ipſa quoque experieotia: quoniam fuit horribilis pervicacia illius populi. ſed contenti ſimus Scripturæ auctoritate, ubi Deus hoc nomine gratiam ſuam celebrat & illuſtrat, quod dilexerit Abraham & filios ejus: hoc eſt, quod mera ſua bonitate propenſus fuerit in Judæos, quemadmodum etiam adhuc clarius videbimus. Jam hoc fixum maneat, cauſam noſtræ electionis non aliam eſſe quam merum favorem Dei. Quod ſi extra Deum egredimur, nos vagamur quaſi in labyrintho, ubi agitur de electione noſtra. Qood autem hoc valeat in ſingulis perſonis, jam oſtendi. Primum ſufficere
Rom. 9. v. 6, 11. & 12. nobis debet quod Paulus à perſona Jacob ad ſingulos ejus poſteros tranſit: nam proponit quaſi exemplar io duobus illis fratribus, ut ſit hoc perſuaſum, non eligi quemque reſpectu propriæ virtutis, ſed quoniam ita Deo placeat. neque enim opus fuit circumſtantias illas colligere, quod nondum natis fratribus alter fuerit electus, quum neque quicquam boni vel mali egiſſent: quod non ex operibus, ſed ex vocante dictum ſit: niſi hoc probare vellet, eſſe in arbitrio Dei eligere quos volet, reprobare etiam quos volet. & quemadmodum Auguſtinus admonet, nihil poteſt abſurdius fingi illa argutia, in qua tamen multi ſibi placent, quod ſcil. præſciverit Deus. nam Paulus excludit à gradu cauſæ illam præſcientiam, quum colligit non ex operibus, ſed ex vocante hoc fluxiſſe, quod Deus prætulerit unum alteri: quia noodum quicquam boni aut mali egerant ambo, quum ſcil. adhuc in utero incluſi eſſent. & Paulus etiam hoc
Exod. 33. verſ. 19. confirmat alio teſtimonio Moſis, Miſerebor cujus miſerebor, & miſericordiam præſtabo cujus miſertus fuero. Illic enim Deus clare pronunciat penes ſuum judicium eſſe, ex genere Jacob reprobare quos voluerit, aliis electis. Quod ergo prius de uno homine dixerat, jam convertit Deus ad totum ſemen. neque enim de exteris gentibus illic agitur, ſed de ſacro illo & electo populo. Quum interminatus eſſet Deus interitum omnibus filiis Abrahæ, ſuppliciter deprecatur Moſes ne ita fœdus ſuum aboleat: reſpondet Deus, Miſerebor cujus miſerebor. Quid hoc ſibi vult? nempe non alibi quærendam eſſe cauſam cur Deus ſibi aliquos retineat, aliis rejectis, niſi in ipſo. Videtur repetitio & ſupervacua eſſe & frigida, quum dicit, Miſerebor cujus miſerebor: ſed valde emphatica eſt: quaſi diceret, Ego potui ex orbe mihi alium deligere quam Abraham; ſed mero beneplacito eum mihi adoptavi. jam Iſmaël potuit tam charus mihi eſſe quam Iſaac, volui tamen reſidere meam benedictionem penes Iſaac. duos ille filios genuit: primogenitum repudiavi, & Jacob meus fuit. nunc ex poſteris Jacob ſcio quos velim mihi eligere: nam cauſa extra me non invenietur. Miſerebor ergo cujus miſerebor, id eſt, miſericordiæ cauſa erit ipſa miſericordia. Si ergo hic litigent homines cum Deo, & ſciſcitentur curnam hunc potius quam illum eligat: reſpondet ſatis eſſe cauſæ in una miſericordia, quooiam nemini ſit obſtrictus. Nunc ergo videmus ſtultitiam eorum evaneſcere, qui volunt præſcientiam eſſe cauſam electionis: deinde qui obmurmurant Deo, hac ratione ſatis refelli, quoniam penes ipſum ſit vel eligere vel reprobare, ubi ſcilicet nemini eſt obnoxius. Qoantum ad reprobationem ſpectat, cauſa ejus ſatis manifeſta eſt in lapſu Adæ, quia nos omnes ſecum peſſundedit, ut jam diximus. Interea notandum eſt, electionem Dei ſuperiorem eſſe ipſo Adæ lapſu; & ideo nos fuiſſe electos in Chriſto ante creatum mundum, quicunque eripimur à communi interitu: alios autem merito perire, etiamſi in Adam non eſſent perditi, quoniam Deus ita præfecit Chriſtum Eccleſiæ ſuæ caput, ut in eo ſervemur, non omnes, ſed qui ſumus electi. Quod autem ad probationem ſpectat, non opus eſt hic congerere omnia Scripturæ teſtimonia. nullus enim eſſet finis. Sed tamen ſunt quidam illuſtres loci ex quibus ſatis apparet tam ex genere Abrahæ quam ex toto mundo eligi mero arbitrio Dei aliquos, & alios reprobari: neque alibi quærendam eſſe cauſam, quia & electio noſtra in æterno & occulto Dei conſilio abſcondita eſt, & fundata in ſolo Chriſto. reprobatio autem in judicio etiam Dei abſcondita eſt. Jam ſi volumus illuc penetrare, eſt abyſſus multa & profunda: illic evaneſcent omnes ſenſus noſtri: ſed interea Deo tamen non decedit ſua libertas, quin eligat vel reprobet quoſcunque voluerit. Quantum ad electionem ſpectat, nonum illud caput ad Romanos abunde ſufficere debet: imo tria capita. nam uſque ad finem undecimi capitis idem argumentum Paulus proſequitur, & tandem exclamat eſſe incomprehenſibiles divitias ſapientiæ & bonitatis Dei, & judicia ejus eſſe imperveſtigabilia. ſed de electis etiam primo ad Epheſios capite diſſerit: & hæc ſumma eſt, ante mundi creationem quicunque nunc ſunt fideles, electos fuiſſe in Chriſto, & mero beneplacito Dei, ut oſtenderet in illis gloriam bonitatis ſuæ. Nullis argutiis effugient qui hodie conantur involvere hanc doctrinam: quia Paulus ſatis clare & breviter pronunciat non totum mundum fuiſſe electum, ſed fideles, quos donat poſtea Spiritu adoptionis. & hoc etiam modo ſatis refutatur illud commentum, debere electionem Dei conjungi cum promiſſionibus. Miror homines doctos, & præditos judicio, & exercitatos in Scriptura, tam frigide hanc rem præterire; neque ſaltem moveri ubi vident ſe multis dare occaſionem pueriliter errandi: alios vero hinc anſam maledicendi arripere: dicendum tamen eſt quod locus hic poſtulat, nimis eos deſipere qui volunt evertere aut labefactare æternam Dei electionem hac machina, quoniam Deus compellat omnes generaliter.

Venite ad me, ego ero vobis pater. Quoniam ergo offertur omnibus Dei gratia per externam verbi prædicationem, volunt etiam omnes eſſe electos. atqui Paulus dixit ideo nos eſſe fideles, quia fuimus electi. Si ergo quæritur cur alii contumaciter rejiciant Dei gratiam, alii etiam amplexentur ſpiritu manſuetudinis, Paulus rationem aſſignat, quia fideles illuminat Deus, ſicuti ipſos elegit ante mundi creationem. Sequitur ergo ita generaliter Deum loqui, ut tamen efficacia doctrinæ pendeat ab arcano ejus beneplacito. Unde enim fides niſi ex peculiari ejus gratia? Cur autem hanc gratiam non communicat omnibus? nempe quia non omnes elegit. Videmus gradatim ita Paulum procedere, ut fidem fluere doceat ex fonte gratuitæ electionis: & electionem ipſam attollat in ſummum gradum, ut nefas ſit quærere ejus cauſam. hoc ergo de electione. Quod ad reprobationem ſpectat, ſcio quantopere multi abhorreant ab illa doctrina, reprobari aliquos, & tamen non poſſe proferri cauſam in ipſis, ita ut maneant obnoxii Deo. ſed hic docilitate & modeſtia opus eſt, ad quam etiam Paulus
Rom. 9. verſ. 20. nos hortatur, dum exclamat, Homo, tu quis es qui reſpondeas Deo? Nam ſi liceret cauſam inveſtigare, Paulus certe, qui ſupra tertium cœlum evectus fuerat, potuit nobis viam aliquam oſtendere: ſed illic obmuteſcit, & arcet nos ab audacia & nimia curioſitate. Quum ergo Spiritus ſanctus per os Pauli prohibeat hominum temeritatem, ne progredi audeant ultra hunc gradum, Deum ſcilicet obdurare quos vult, & reprobare quos vult: quid jam proſiliunt homines, quaſi vellent data opera bellum gerere cum Deo? & tamen ſimulant modeſtiam, & hoc prætextu vellent ſepelire doctrinam electionis, quia de tantis myſteriis ſobrie loquendum eſt. Fateor ſane hoc poſtremum: ſed ubi noſtra ſobrietas, niſi in docilitate? quum ſcilicet amplectimur quicquid Deus pronunciat verbo ſuo, neque permittimus nobis plus inveſtigare quam doceat. Illi autem vellent extinctum eſſe verbum Dei: imo audent palam evomere ſuas blaſphemias adverſus Deum, & ſua convitia adverſus Spiritum, qui loquutus eſt per Prophetas & Apoſtolos. Denique videmus multos diabolos concionari de ſobrietate, ubi volunt opprimere lucem hanc & hoc caput doctrinæ, quod tamen præcipuum eſt fundamentum noſtræ ſalutis: & imperitis ac dormientibus extorquent nefanda edicta, quaſi eſſet in arbitrio hominum, balbutiendo de rebus ignotis, vel barbare omnia miſcendo, ita Deum quaſi e ſede ſua cœleſti detrahere. Eſt hoc horribile portentum, & quod merito deteſtari omnes oportet: quia præſtaret omnia mundi imperia in ultimas abyſſos abſorpta eſſe, quam mortales homines cornua in cœlum attollere, quibus perrumpant in adyta Dei. Sed tamen ut totus mundus vel latratu ſuo impetat hanc doctrinam, vel minis & terroribus eam proſternere tentet, vel modis omnibus ſuam rabiem ejiciant omnes, & fulmina etiam vibrent qui ſibi videntur multum poſſe: nobis ſtandum eſt in hac doctrina, Deum ſcilicet eſſe unicum auctorem ſalutis noſtræ, quia gratuito nos eligere dignatus eſt: deinde penes ipſum eſſe poteſtatem humani generis: atque ita ejus arbitrio alios eligi & alios reprobari, ut ipſe quidem juſte ſemper agat, & cauſam teneat tam electionis quam reprobationis. Nos autem non mirum eſt ideo cæcutire, quia hebetes ſumus natura, imo prorſus cæci: deinde etiamſi Angeli eſſemus, tamen reverenter ſuſpicere neceſſe eſt quam hæc multiplex ſit ſapientia Dei, quam non capit humanus ſenſus, imo ne Angelicus quidem. Alia differemus.

Da omnipotens Deus, quando hac lege nos voluiſti ſemel adoptare in populum, ut ſicuti inſerti ſumus in corpus Filii tui, ita etiam conformes ſimus capiti noſtro: da, inquam, ut tota vita ſic ſtudeamus obſignare in cordibus noſtris fidem electionis noſtræ, ut magis animemur ad veram obedientiam: deinde ut illuſtretur per nos tua gloria: & quos etiam alios nobiſcum elegiſti, eos ſtudeamus nobiſcum adducere, ut unanimes celebremus te auctorem ſalutis noſtræ: & ita tribuamus gloriam bonitati tuæ, ut abjecta & exinanita omni virtutis noſtræ fiducia, tantum feramur ad Chriſtum electionis tuæ fontem: in quo etiam propoſita eſt ſalutis noſtræ certitudo per Evangelium tuum, donec tandem colligamur cum eo in illam æternam gloriam, quam nobis ſanguine ſuo peperit, Amen.

PRÆLECTIO TERTIA

IN

MALACHIAM PROPHETAM.

CAP. I.

6. Filius honorat patrem, & ſervus dominum ſuum: ſi pater ego, ubi honor meus? & ſi dominus ego, ubi timor mei? dicit Jehova exercituum ad vos, ô Sacerdotes, qui contemnitis nomen meum: & dixiſtis, In quo contempſimus nomen tuum?

7. Qui offertis ſuper altare meum panem pollutum: & dixiſtis, In quo polluimus te? Quum dicitis, Menſa Jehovæ ipſa eſt contemptibilis. (*vel deſpecta.*)

8. Si obtuleritis cæcum ad immolandum, non malum eſt: & ſi claudum vel mutilum obtuleritis, non malum eſt. offer hoc nunc (*vel agedum, vel quæſo:* נא *dubiæ eſt ſignificationis. offer ergo, obſecro, hoc*) præfecto tuo, an complacebit ei in te, vel ſuſcipiet faciem tuam, dicit Jehova exercituum?

Probavit hactenus Deus ſe multis beneficiis fuiſſe patrem erga Judæos. Obſtrinxerat igitur eos ſibi, ſiqua fuiſſet in illis pietas & gratitudo. jam ergo ſermonem hunc concludit, quaſi diceret ſe peſſime locaſſe quæcunque in eos contulerat bona. & utitur duplici ſimilitudine. Primo comparat ſe patri, deinde hero. Dicit ſe utroque jure merito poſſe conqueri de Judæis, quia præſtiterit ſe illis patrem, illi autem non fuerint viciſſim filii, nempe morigeri & obſequentes, ut par erat: deinde quod ſibi eos acquiſierit, tamen excuſſerint jugum, neque paſſi fuerint ſe regi ejus imperio. Quantum ad nomen Patris ſpectat, jam ante oſtendimus non modo communi ratione filios fuiſſe Dei Judæos, ſed quia dignatus fuerat ipſos ſibi eligere in populum peculiarem. Adoptio igitur illa fecit illos

Dei

Dei filios præ cunctis gentibus. nam quum nihil differrent à reliquo orbe, Deus tamen ipſos ſibi adoptaverat. Quantum attinet ad jus & poteſtatem domini, primum quatenus eſt totius mundi & creator & opifex, tenebat illos ſibi obſtrictos: ſed acquiſierat etiam redemptione, ut ſatis notum eſt. Quare ut crimen exaggeret, non tantum expoſtulat quod male ſua beneficia apud ipſos locaverit; ſed accuſat etiam contumaciæ, quod non paruerint ejus imperio, quum tamen eſſet dominus. Quantum ad verba ſpectat, dicit *honorem filios patribus deferre, & ſervos dominis*: ita verbum hoc utrique membro accommodat: ſed poſtea diſtinguit, tribuens patribus honorem, timorem vero dominis. Quantum ad prius membrum ſpectat, ſcimus ubicunque eſt præfectura, illic deberi honorem. jam quum præſint domini ſervis ſuis, etiam debetur illis honos. Sed poſteriore membro diſtinctius loquitur, quum dicit *heros à ſervis ſuis metui*, patres autem honorari à filiis. nam ut ſervi non ament dominos ſuos, quia tamen non poſſunt effugere ipſorum manum, ideo timent: ſed reverentia quam deferunt filii patribus, liberalior eſt & magis voluntaria. Cæterum, hic Deus oſtendit nullo modo poſſe in officio retineri Judæos: quia tot beneficia debuerant eſſe dulces illecebræ. Dominus enim conciliaverat eos ſibi quantum fieri poterat. atqui hoc totum carebat profectu. Jam majeſtas etiam Dei aliquem terrorem debuerat illis incutere. Perinde igitur eſt acſi diceret, ita perverſo eſſe ingenio, ut neque humana & comi invitatione poſſint adduci ad obſequium, neque etiam imperio violento. Conqueritur ergo Dominus ſe fraudari à Judæis tam honore quem debent filii patribus, quam timore quem debent ſervi dominis: & ita oſtendit illos eſſe quaſi indomitas belluas, quæ non poſſint cicurari ulla dulcedine, & non poſſint etiam flecti aut ferulis, aut alio caſtigationis genere. Poſtea addit, *Ad vos ô Sacerdotes*. Certum eſt non debere reſtringi hanc querimoniam ad ſolos Sacerdotes: quandoquidem Deus generaliter, ut vidimus, loquutus eſt de toto Abrahæ genere. neque enim dixit Levi fuiſſe in honore Sacerdotali, quum alii fratres poſthabiti eſſent; ſed dixit, electum fuiſſe Jacob, rejecto Eſau: hoc autem ad duodecim tribus communiter patebat. Jam non debuit neque potuit hoc reſtringi ad tribum Leviticam, quod Deus eſſet aut pater aut dominus. Quorſum ergo nunc Sacerdotes diſerte compellat? nempe quia debuerant reliquo populo duces eſſe & magiſtri. Non liberat igitur à culpa vel reatu totum populum, ubi nunc ſermonem ad Sacerdotes dirigit: ſed oſtendit omnia uſque eo fuiſſe corrupta in populo illo, ut Sacerdotes eſſent quaſi præcipui in pietatis contemptu, in ſacrilegiis, in omni pollutionis genere. unde ſequitur nihil fuiſſe ſincerum in vulgo: nam ſi oculi ipſi jam luce omni careant, neque præſtent officium reliquo corpori, quid tandem ſequetur? Non dubium igitur eſt quin Deus oſtendat tantum valuiſſe corruptelas, & uſque eo graſſatas eſſe in populo illo, ut qui debuerant aliis præire, excuſſerint primi jugum, & alios ſecum traxerint ad effrenem licentiam. hæc ratio eſt igitur cur ſpecialiter accuſet Propheta Sacerdotes, quum tamen initio complexus fuerit totum populum, quemadmodum ex contextu ſatis liquet. Interea notandum eſt quod alibi diximus, non levari culpam populi, etiamſi gravius ſit crimen Sacerdotum: ſed omnes involvi eodem exitio, quia Deus hic non abſolvit gregarios homines, quoniam impliciti fuerunt iiſdem ſceleribus: ſed oſtendit graviſſimam culpam reſidere penes ipſos doctores, qui non caſtigaverint populum, ſed potius ſua diſſimulatione auxerint licentiam peccandi, ſicuti ſtatim iterum videbimus. Dicit *eos contemnere nomen ſuum*, non quod apud alios vigeret Dei reverentia, ſed quia Sacerdotum erat reprehendere impietatem totius populi. Quum ergo permitterent reliquis tantam licentiam, hinc facile fuit colligere nomen Dei parvipendi ab illis: quia ſi tacti fuiſſent ſerio zelo, nunquam paſſi fuiſſent ita calcari Dei cultum, vel profanari, quemadmodum ſtatim videbimus. Jam ſequitur, *Dixiſtis, In quo contempſimus nomen tuum?* Quemadmodum initio oblique perſtrinxit Propheta & hypocriſin & contumaciam populi, ita nunc mihi dubium non eſt, quin eandem ſententiam repetat ſimili figura. unde enim factum eſt, ut quærerent tam Sacerdotes quam totus populus quaſi de re obſcura, niſi quod cæcutiebant ad vitia ſua? Cauſa autem cæcitatis hypocriſis erat: deinde trahebat ſecum, ut fieri ſolet, pervicaciam. Quicunque enim ſibi indulgent, etiam cornua audent erigere contra Deum, & proterve blaterare ſi eos aſperius tractet. Nam certe non refert hic Propheta eorum voces, niſi ut oſtendat illos fuiſſe & fronte ænea & cervice etiam præfracta, ut audacter repellerent omnes objurgationes, quemadmodum videmus hodie in mundo eandem pervicaciam. quamvis enim ſatis nota ſint crimina quæ arguuntur, tamen qui ſceleſtiſſimi ſunt, ſtatim excipient ſibi fieri injuriam, nec unquam agnoſcent culpam niſi centies convicti: imo ſemper aliquid obtendent. denique niſi quotidiana experimenta docerent quam præfracti ſint homines adverſus Deum, res eſſet incredibilis. Non dubium igitur eſt quin Propheta amarulento hoc dicto pungat, imo vulneret tam Sacerdotes quam reliquum populum, quod tam craſſa eſſet eorum hypocriſis, ut auderent tergiverſari, quum tamen palam omnibus nota eſſent eorum crimina. *Dixiſtis* ergo, *In quo contempſimus nomen tuum?* Inquirunt acſi frontem ſuam fricarent, deinde acquirerent ſibi hoc modo audaciam: Quid tibi vis? nam tu nos hic accuſas tanquam ſceleratos & ſacrilegos: non ſumus nobis male conſcii. Reſpondet igitur Dei nomine, *Offertis ſuper altare meum panem pollutum.* Poſſet hic objici quæſtio, an crimen hoc debuerit Sacerdotibus imputari: ſi enim oblatæ fuiſſent victimæ, quales Deus ſibi offerri in Lege præceperat, fuiſſet hoc ex commodo & utilitate Sacerdotum. deinde ſi purum triticum allatum eſſet, etiam cedebat hoc in bonum Sacerdotibus. ſed mihi probabile eſt damnari Sacerdotes, quod tanquam homines jejuni & famelici undique raperent ſine delectu. Quidam exiſtimant Sacerdotes nimis craſſa fraude violaſſe Dei Legem, quod ſcilicet mutarent victimas. ſi aries pinguis fuiſſet oblatus, putant fuiſſe ſubreptum à Sacerdotibus, deinde ipſos ſuppoſuiſſe macilentum arietem, vel claudum, vel mutilum. ſed non videtur mihi hoc congruere. Teneamus ergo quod jam dixi, hic Deum litigare cum toto populo: ſed ſtringere interea ſtylum objurgationis contra Sacerdotes, quia duplici nomine rei erant, quum ſcilicet eſſent pars populi, deinde quum ita paterentur Deum haberi ludibrio. Quid enim magis contumelioſum erat, quam offerre victimas pollutas & panem pollutum? Nunc ſi quæratur, an Sacerdotibus debuerit hoc dari vitio, reſponſio in promptu eſt, fuiſſe tunc populum non valde opulentum. nuper enim reverſi fuerant ab exilio: terra erat deſerta & inculta, adduxerant ſecum non magnas opes. Quum ergo tanta eſſet egeſtas in populo, & intenti eſſent ſinguli privatis commodis, ut vidimus apud Prophetam Haggæum, & interim negligerent & Templum Dei & ſacrificia: non dubium eſt, quin vellent defungi utcunque erga Deum: atque ita adduxerint vel claudas pecudes, vel cæcas: unde & totus Dei cultus vitiatus fuit, pollutis ſacrificiis. Sacerdotes debuerant illa omnia rejicere, & potius claudere Templum Dei, quam ita promiſcue admittere quæ Deus ſibi offerri prohibuerat. Quum ergo illa ſocordia populi eſſet mera pro- *Hag.1:4.*

fanatio

fanatio divini cultus, Sacerdotes debuerant fortiter reſiſtere. Sed quum eſſent ipſi famelici, ſatis erat undique arripere: Quid fiet tandem? nam ſi repudiamus hæc ſacrificia, utcunque vitioſa ſint, nihil offerent: ita nos prolixe eſuriemus, & nullus erit quæſtus: & cogemur hic aperire & claudere templum, deinde offerre ſacrificia noſtro ſumptu, & erimus impares tanto oneri. Quum ergo Sacerdotes parcerent populo ob privatum lucrum, merito hic eos objurgat Propheta noſter: *Offertis*, inquit, *panem pollutum*. Erat quidem ſacerdotale munus, quotidie panes locare in menſa: ſed unde conficiebatur panis ille niſi ex oblato tritico? nihil autem peribat Sacerdotibus, quum panes coram Deo quotidie ſtatuerent. nam ſtatim recipiebant: & ita maluiſſent, ſicuti etiam utilius ipſis erat, offerre panes bene probatos, & ex ſimilagine. Sed, quemadmodum jam dixi, conniventia eorum inde fluxit, quod putabant ſe fruſtra acturos eſſe cum populo: Si irritemus iſtos homines, negabunt ſibi eſſe unde offerant: ita vacuum manebit templum, & domus etiam noſtræ vacuæ manebunt. Præſtat igitur panem cibarium ab ipſis accipere quam nihil: ſaltem alemus famulos noſtros & ancillas ex hoc pane, ubi oblatus fuerit Domino. Videmus ergo nunc quomodo pertinuerit crimen ad Sacerdotes, quum populus offerret tam panem vitioſum quam alias victimas non legitimas. Hactenus expoſui Prophetæ verba de panibus propoſitionis: non quod tam ſtricte accipi debeant, ſicuti multi interpretes fecerunt. nam quia Panis nomine ſcimus comprehendi omne eſcarum genus, ideo mihi veriſimile eſt, extendi hoc nomen ad omnia ſacrificia. ſed ſpecies una hic quaſi in exemplum poſita eſt. Et videtur etiam exegetice additum eſſe quod continuo poſt ſequitur, nempe de *ſacrificiis claudis, & cæcis, & mutilis*. Quum hæc inter ſe cohæreant, non dubito quin Deus hic per Panem alias etiam oblationum ſpecies ſignificet. ſcimus etiam panes propoſitionis non fuiſſe oblatos in altari: erat enim menſa ſeorſum dicata in hunc uſum ad latus altaris. Cur autem Panis nomine Deus ſacrificia omnia deſignet, ſolutio facilis eſt. Deus enim voluit perinde ſibi offerri ſacrificia, acſi domicilium haberet inter Judæos & menſam ſuam. Noluit quidem eos occupare in craſſis imaginationibus, quaſi ederet, vel biberet, quemadmodum ſcimus profanos homines talibus præſtigiis fuiſſe deluſos: ſed voluit tantum Judæos commonefacere de illa familiari habitatione, quam ſibi apud eos delegerat. ſed ſtatim plura de hac re dicenda nobis erunt: nunc verba proſequor. *Offertis ſuper altare meum panem pollutum: & dixiſtis, In quo polluimus te?* Iterum Sacerdotes obſtrepunt quaſi immerito eos Deus accuſet. nam obtendunt innocentiam: quia interrogatio ponitur hic vice excuſationis. *In quo* igitur *polluimus te?* negant ſe jure damnari, quia rite coluerint Deum. Sed, quemadmodum nuper attigimus, hinc colligere licet, populum illum imbutum fuiſſe craſſa hypocriſi, deinde obduruiſſe ad contumaciam: quemadmodum hodie in tanta ſcelerum colluvie, quæ paſſim regnat in mundo, imo exundat ſuper terram, nemo eſt qui ſuſtineat damnari. quiſque enim alios reſpicit: & ita dum ubique apparent in aliis non minus gravia ſcelera, quiſque etiam ſeipſum abſolvit. hanc igitur pervicaciam iterum Propheta pungit: *dixiſtis, In quo polluimus te?* non dubium eſt quin ipſe & reliqui Prophetæ accuſaverint Judæos hujus ſacrilegii, quod nomen Dei polluerint. Atque id notatu dignum eſt, quia pauci exiſtimant ſe polluere Deum & nomen ejus, ubi vel ſuperſtitioſe eum colunt, vel defunctorie, quaſi negotium eſſet cum aliquo puero. ſed videmus quid Deus ipſe pronunciet, nempe profanari totam pietatem, & nomen etiam ſuum indigne pollui, dum homines ita cum ipſo ludunt. Reſpondet, *quum dixiſtis*, (hoc eſt, in dicendo vos, ad verbum) *Menſa Jehovæ ipſa eſt contemptibilis.* hic fontem criminis detegit Propheta, & quaſi oſtendit digito, quod ſcilicet contempſerint ceremonias, quæ tamen referendæ fuerant ad cultum Dei. Sequitur ratio, *Si offertis cæcum*, inquit, *ad immolandum, non eſt malum.* Quidam interrogative legunt, Annon malum eſt? ſed hic non ponitur ה nota interrogationis: & facile colligere licet ex contextu Prophetam adhuc referre quam ſecure tam Sacerdotes quam totus populus putarent ſe poſſe abſolvi, & veniam ſibi darent: *Non eſt malum ſi offertur claudum, ſi offertur cæcum, ſi offertur mutilum* vel debile animal: hoc non eſt malum. Nunc tenemus conſilium Prophetæ. Sed res adhuc propter brevitatem obſcura eſſet, niſi accederet fuſior explicatio ad particulam illam, ubi dicit *menſam Dei fuiſſe illis contemptibilem.* Deus hic, quemadmodum nuper attigi, oſtendit cur tantopere exaſperatus fuerit contra Judæos. nihil enim pretioſius eſt ejus cultu. Atqui inſtituerat in Lege ſacrificia & alios omnes ritus, ut filii Abrahæ ſe in ſpirituali ejus cultu exercerent. Perinde igitur eſt acſi diceret ſe nihil morari oves & vitulos, & quicquid tale erat: ſed ſatis patefieri eorum impietatem, quod non reputarent ita contemni totam pietatem in externis exercitiis & in Legali cultu. Deus ergo hic revocat Judæos à brutis animalibus ad ſeipſum: quaſi diceret, Vos offertis mihi clauda & cæca animalia, quæ vetui mihi offerri. jam mala fide vos mecum agere ſatis patet. Si dicatis hæc non modo eſſe levia, ſed nullius momenti: reſpondeo ſpectandum fuiſſe in quem finem voluerim mihi offerri ſacrificia, & juſſerim mihi ſterni menſam in Sanctuario. nam his ſignis oportuit vos agnoſcere me familiariter agere in medio veſtri: deinde quicquid bibitis vel editis mihi eſſe ſacrum: quæcunque poſſidetis, vobis proficiſci à mera liberalitate mea. Quum ergo hic finis ſacrificandi apud vos neglectus fuerit, hinc apparet nullam eſſe pietatis curam vel ſtudium. Nunc tenemus cur objiciat Propheta Sacerdotibus, vocaſſe eos *menſam Dei contemptibilem*: non quod diſerte ita loquuti fuerint, ſed quia fere pro nihilo duxerint pervertere & adulterare totum Legalem cultum: qui tamen erat teſtimonium pietatis, ſi qua apud ipſos viguiſſet. Jam poſſet etiam hoc videri abſurdum, quod nunc tantopere & tam ſevere exigit Deus pura ſacrificia & in illis inſiſtit, quum tamen alibi dicat ſe non petere ſacrificia: Sacrificium nolo, *Hoſ. 6: 6.*
ſed miſericordiam. Deinde, An præcepi patribus veſtris quum eos liberavi ex terra Ægypti, ut offerrent mihi victimas? ego hoc uno fui contentus, ut obedirent voci meæ. Poſtea apud Michæam, An *Mich. 6.*
propitius vobis ero ſi obtuleritis totos greges? quin *verſ. 6.*
potius, homo, humiliare coram Deo tuo, &c. Idem habetur & Pſalmo quinquageſimo, & Jeſaiæ primo, & ultimo, & aliis innumeris locis. Quum ergo Deus extenuet alibi ſacrificia, & oſtendat ſibi non adeo pretioſa eſſe, cur nunc tam rigide expoſtulat cum Judæis, quia clauda & mutila animalia obtulerint? Reſpondeo fuiſſe cauſam cur hac objurgatione Deus impietatem populi detegeret. Si victimæ omnes fuiſſent pingues vel bene ſaginatæ, loquutus fuiſſet Propheta noſter, ut apud alios vidimus. ſed quum improbitas eorum eo uſque progreſſa eſſet, ut palam etiam pueris oſtenderent cultum Dei fere pro nihilo apud ſe duci: quum ergo eo impudentiæ progreſſi eſſent, neceſſe fuit illos impietatis convinci hoc modo; & ideo dicit, *Offertis mihi panem pollutum:* quaſi diceret, ego vobis ſuppedito alimenta: veſtrum fuerat mihi offerre primitias, decimas, & panes propoſitionis: & finis exercitii externi erat, ut reputarent ſinguli ſe quotidie à me recipere victum: deinde ut ſobrie & temperanter veſcerentur pane & carne & aliis cibis, quaſi ſederent ad menſam meam. Quum enim viderent panes confectos ex

eodem tritico eſſe coram Dei oculis, debebat hoc illis venire in memoriam, Deus, quaſi nobiſcum veſcatur, vult ſemper ex eodem pane ſibi proponi ad ſacram menſam. deinde quum offerrent victimas, non modo excitabantur hoc modo ad pœnitentiam & fidem, ſed debebant ſimul agnoſcere ſua omnia eſſe Deo ſacra. Quum enim ſiſterent coram altari aut vitulum, aut bovem, aut agnum: deinde mactatum animal cernerent, cujus aliqua portio manebat penes Sacerdotes: deinde ſanguine aſperſum altare: debebant reputare ſecum, Ecce, nobis hæc omnia ſunt cum Deo communia, acſi indutus humana forma nobiſcum habitaret, & uteretur eodem cibo & potu promiſcue nobiſcum. Debebant igitur ita ſe exercere in illo cultu externo. Merito nunc queritur Deus menſam ſuam eſſe contemptibilem: quaſi diceret reſpui gratiam ſuam, quod populus contumelioſe panes obtruderet cibarios, quaſi vellet paſcere bubulcum aliquem: ſicuti vidimus apud Za-
Zach. 11. chariam, quod Deus dicebat mercedem ſibi obla-
verſ. 12. tam fuiſſe quaſi bubulco, aut vili cuipiam mercenario. Ego vos, inquit, ſedulo pavi: nunc poſtulo mercedem: datis mihi triginta argenteos: ignobile illud & contumelioſum pretium ſcilicet. ſic etiam hoc loco, *Dixiſtis, Menſa Jehovæ ipſa eſt polluta.* In hoc pronomine demonſtrativo ſubeſt emphaſis, quia Deus oſtendit ſe hac contumelia minime eſſe dignum: Quiſnam ſum, ut menſam meam ita vilipendatis? ego eam dicavi, ut eſſet vobis propinquus ad me acceſſus, quaſi habitarem in illo viſibili Sanctuario: vos autem quaſi nullus eſſem ita contemnitis menſam meam. Poſtea adjungit, *Offer hoc nunc præfecto tuo, an complacebit ei in te?* Hic conqueritur Deus minus ſibi deferri honoris quam mortalibus. adducit enim hanc ſimilitudinem, Siquis præfecto tributum aut vectigal debeat, & afferat aliquid mutilum & vitioſum, ille non recipiet. hinc colligit ſe affici nimis gravi injuria, quod ſcilicet Judæi audeant offerre quod mortalis homo reſpueret. Ratiocinatur igitur à minori ad majus, hoc ſacrilegium non eſſe tolerabile, quod tam licenter ejus indulgentia Judæi abuterentur. Et ideo ſubjicit,

9. Et nunc deprecamini, quæſo, faciem Dei, & miſerebitur noſtri: (è manu veſtra factum eſt hoc) an ſuſcipiet ex vobis faciem, dicit Jehova exercituum?

Hic gravius vulnerat Sacerdotes, quod ſic degeneraverint, ut indigni prorſus ſint tam honorifico & munere & titulo. *Ite*, inqnit, *& deprecamini faciem Dei.* Totum hoc eſt ironicum. nam interpretes longe falluntur, quum exiſtimant Prophetam hortari Sacerdotes, ut ſuppliciter veniam à Deo poſtulent tam ſibi quam reliquo populo. Quin potius, ut jam dixi, ironice eos exagitat, quod ſint deprecatores & mediatores inter Deum & populum, & tamen ſint homines profani, nempe qui polluerent etiam pro ſua parte totum Dei cultum, & ita perverterent totam pietatem: *Ite* ergo, *deprecamini Dei faciem*, inquit. Scimus hoc munus fuiſſe Sacerdotibus injunctum, ut propius ad Sanctuarium accederent, & ſe ſiſterent coram Deo, quaſi patroni ad cauſam populi agendam: vel ſaltem deprecatores, qui Deum placarent. Quum ergo geſtarent Chriſti perſonam hac in parte, oportuit etiam ipſos ſtudere ſanctimoniæ: & quamvis vulgus ipſum ſeſe ad multa ſcelera projiceret, tamen Sacerdotes decebat expendere reverenter ad quid vocati eſſent. & quia Deus ita prætulerat eos ſuis fratribus, debebant etiam cum timore ſeſe illi dicare. nam quo excellentior erat eorum conditio, etiam debuit excellere pietas & ſanctimonia. Merito igitur hic Propheta tam duriter in ipſos invehitur, quod non cogitent ſe ornatos fuiſſe ſacerdotio, ut deprecatores eſſent coram Deo, & ita placarent iram ejus, & reconciliarent miſeros homines: *Ite*, inquit, *deprecamini faciem Dei: ſcilicet ſuſcipiet faciem veſtram.* Nunc tenemus genuinum Prophetæ ſenſum. *Et nunc*, inquit, *miſerebitur noſtri.* hoc etiam loco ſubſannat Propheta quod jactarent ſe pollere ſumma illa dignitate, ut propitium Deum redderent: *ſcilicet*, inquit, *miſerebitur noſtri.* Atqui *factum eſt hoc è manu veſtra.* Tolletisne manus veſtras ad Deum? & ipſe quum vos reſpiciet placabitur erga nos? Quum ergo ſitis polluti, etiam indigni eſtis & honore & officio, in quo tamen tam ſuperbe gloriamini. Interea, ſicuti nuper diximus, non extenuat populi culpam, ac multo minus liberat eos qui erant impliciti iiſdem vitiis: ſed oſtendit rem prorſus eſſe deſperatam, quia & vulgus ipſum ludibrio Deum habeat, & Sacerdotes neglecto omni diſcrimine, recipiant quaslibet hoſtias: tantum ne eſuriant. oſtendit ergo prorſus deſperatum eſſe ſtatum populi, quia jam nemo ſuperſit, qui poſſit Deum pro officio placare. *An ergo ſuſcipiet è vobis faciem*, vel faciem? Videtur Propheta alludere ad ipſam perſonam Mediatoris. Quia enim nondum apparuerat Chriſtus, quum ſe ſiſteret Sacerdos coram altari, perinde erat acſi Deus in faciem unius reſpiceret, & ideo propitius eſſet omnibus. hac ratione dicit jam non eſſe dignos Sacerdotes in quos reſpiciat Deus, quum ita fœdaverint ejus Sanctuarium, & corruperint totum cultum ejus. Subjicit in eundem ſenſum,

10. Quis etiam in vobis qui claudat oſtia & non incendetis altare meum gratis? non mihi placet in vobis, dicit Jehova exercituum, & oblationem non habebo gratam è manu veſtra.

Proſequitur eandem ſententiam, ut dixi, quod ſcilicet Sacerdotes peſſime in officio ſuo ſe gererent, atque ita eorum exemplo obdureſceret populus, & ita peſſum iret tota religio. Dicit ergo *non ab illis claudi oſtium.* Quidam interpretes conjungunt hæc omnia ſimul, quod non clauſerint oſtia templi & non accenderint altare gratis: ita adverbium חנם referunt ad utrumque, quaſi diceret ipſos eſſe mercenarios, qui non liberaliter impendunt operam ſuam ad colendum Deum, ſed quæſtum & lucrum ubique ſpectant. Et hæc expoſitio magis recepta eſt. Atqui videtur melius quadrare diſtinctio, ſi dicamus, *Quis etiam claudit oſtia?* tamen non gratis: ut ו copula, ſicuti multis aliis locis, ſumatur adverſative: & tamen *non accendetis gratis altare meum:* quaſi diceret Dominus, Ego locavi operas veſtras: eſtis igitur mihi quaſi conductitii. nunc quum juſſi vobis ſolvi mercedem quoties ſtatis ad altare, cur non clauditis oſtium meum? alii חנם accipiunt pro Fruſtra, & ita reſolvunt, Quis claudit oſtia? ergo ne poſthac accendatis fruſtra altare meum: quaſi rejiceret Deus totum illum cultum, qui corruptus fuerat vel avaritia vel ſocordia Sacerdotum, & ſecuritate populi. Certum quidem eſt, melius diſtingui Prophetæ verba, ut adverbium חנם, reſtringamus ad poſterius membrum. ſed, quemadmodum jam dixi, adhuc poſſet eſſe duplex ſenſus: ſi חנם accipimus pro Fruſtra, bene hoc conveniet, ut inferat Propheta eos operam temere perdere, dum ita Deo ſacrificant Lege poſthabita. debuerant enim præcipue attendere ad regulam ſibi præſcriptam. Quum ergo hanc contemnerent, merito hic dicit, Ne afferatis mihi

fru-

fruſtra: & ita futurum tempus erit vice imperativi, quemadmodum ſcimus loqui Hebræos. ſed nemo interpretum videtur ſatis diligenter expendiſſe cur Propheta dicat non claudi templi oſtia: ſcimus ideo præfectos fuiſſe templo Sacerdotes, ne quid pollutum admitterent. erant enim ex Levitis alii janitores, alii ſtabant ad atrium: denique ſingulis erat ſua ſtatio. deinde poſtquam adduxerant hoſtiam, debebant Sacerdotes de ea judicium facere, & exigere omnia ad Legem Dei. Quum ergo hoc injunctum illis munus eſſet, ne quid pollutum admitterent in templum Dei, merito hic conqueritur quod promiſcue reciperent quæ vitioſa erant & profana. hinc merito concludit, (nam illa expoſitio mihi videtur eſſe genuina) Ergo ne fruſtra offeratis. Concludit igitur Sacerdotes operam perdere dum ita ſacrificant,
Eccl. 4. quia ſcilicet Deus nolit profanari nomen ſuum, &
verſ. 17. merito obedientiam præferat omnibus ſacrificiis.

negat igitur eos facere operæpretium immolando victimas: quia debuerant hoc in primis attendere, ne quid mutarent ex verbo Dei, & ab eo ne latum unguem deflecterent. Sed non poſſum ulterius progredi.

Da omnipotens Deus, quando dignatus es pro immenſa tua miſericordia non tantum deligere ex nobis, qui tibi eſſent ſacerdotes: ſed omnes nos tibi conſecrare in Filio tuo unigenito: da, inquam, ut hodie pure te & ſincere colamus, atque ita ſtudeamus nos totos tibi addicere, ut & mente & animo & corpore puriſſimus & caſti: & ita reluceat in omnibus partibus noſtris tua gloria, ut cultus tuus apud nos ſacer ſit & purus, tibique probetur, donec tandem fruamur ea gloria, ad quam nos invitas per Evangelium tuum, & quæ nobis parta eſt unigeniti Filii tui ſanguine, Amen.

PRÆLECTIO QUARTA IN MALACHIAM PROPHETAM.

CAP. I.

HEri non potui abſolvere querimoniam, qua hic utitur Deus contra Sacerdotes, quod ſcilicet nemo ex illis claudat templi oſtia, nempe ut purum maneat ab omni inquinamento: quia ſcilicet quum inexplebilis eſſet eorum avaritia, promiſcue admitterent omnes profanationes: hinc concludit, *Ne ergo offeratis poſthac fruſtra.* nam quum dicit, *Ne accendatis altare meum*, intelligit eos perdere operam dum ſacrificia immolant, quia Deus vult rite coli & ſecundum præſcriptum Legis ſuæ. Omitto nunc duas alias expoſitiones, quas heri retuli. nam videtur hoc Propheta velle, fruſtra ſatagere Sacerdotes, dum quotidie offerunt victimas, quoniam Dominus repudiet impurum illum & vitioſum cultum. Jam adjungit, *Mihi non placet in vobis, & oblationem gratam non habebo è manu veſtra.* Priore membro dicit eos non poſſe probari Deo vel placere: poſtea adjungit, oblationes eorum repudiari. Ubi enim non eſt cor purum, illic ſcimus opera etiam omnia impura eſſe. Tenendum enim eſt quod dicit Moſes, placuiſſe Abel Deo Gen. 4: 4.
una cum ſuis ſacrificiis. Et vidimus apud alterum
Prophetam, nempe Haggæum, Deum abominari Hagg. 2.
quæcunque ſunt in magno pretio apud homines, verſ. 15.
ubi non colitur puro & ſincero corde. Idem nunc vult Propheta noſter, *Non placet mihi in vobis, & non habebo gratas victimas è manu veſtra*, inquit. Nunc ſequitur,

11. Quia (*vel certe*) ab ortu Solis uſque ad occaſum magnum nomen meum inter gentes: & in omni loco ſuffitus offeretur nomini meo, & oblatio munda: quia (*vel certe, eſt eadem particula* כי) magnum nomen meum inter gentes, dicit Jehova exercituum.

Hic oſtendit Deus nihil ſe amplius morari Judæos; quia ubique & per omnes mundi plagas jubebit ſibi erigi altaria, ut pure ab omnibus populis colatur. Atque inſigne eſt vaticinium de gentium vocatione: ſed hoc in primis tenendum eſt, quoties de illa loquuntur Prophetæ, vel beneficii loco promittere Judæis propagationem cultus Dei, vel denunciare pœnæ & ignominiæ loco. Promittunt igitur Judæis Prophetæ gentes venturas in ſocietatem: quemad-
Zach. 8. modum apud Zachariam, In illa die apprehendent
verſ. 23. decem viri fimbriam veſtis, & dicent homini Judæo, Tu ſis dux noſter: nam eundem Deum tecum colere volumus. Fuiſſet igitur hic ſummus honor, ſi Judæi fuiſſent magiſtri omnibus populis, ut eos inſtituerent in vera pietate. Jeſaias autem hoc dicit, Qui prius exteri fuerant, diſcipulos fore electi populi, ita ut libenter ſe ſubjiciant eorum magiſterio. Sed quoniam Judæi exciderunt è ſuo loco, hinc factum eſt, ut gentes ſuccederent in locum vacuum. & ideo ſæpe Prophetæ quum de gentium vocatione diſſerunt, ſimul denunciant pœnam Judæis: quaſi dicerent, ubi repudiati fuerint, fore paratos alios filios Deo, quos ſubſtituat in eorum locum: quemadmodum Chriſtus etiam minatus eſt ſuæ ætatis homini-
Mat. 21. bus, Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur gen-
verſ. 43. ti, &c. Tale eſt hoc vaticinium. neque enim ſimpliciter Propheta noſter gentibus aperit templum Dei, ut ſeſe Judæis adjungant, & conſentiant in vera religione: ſed excludit primo Judæos, & oſtendit cultum Dei fore communem gentibus, quia propagabitur ſalutis doctrina uſque ad ultimos terræ fines. Diſtinctio illa notanda eſt, quam interpretes non obſervant: quæ tamen valde neceſſaria eſt cognitu. & hinc factum eſt etiam, ut loci qui inter ſe diverſi erant, fuerint permixti ſine ullo delectu. Propheta igitur hic non promittit, quemadmodum multis locis diximus fieri, totum mundum fore ſubjectum Deo, ut pura religio ubique vigeat: ſed notat ignominia Judæos: quaſi diceret, Deus vos abdicavit: reperiet autem ſibi alios filios, qui veſtrum locum occupent. Repudiavit enim proximo verſu eorum ſacrificia. atqui ſcimus quam ſuperbe gloriati fuerint Judæi de ſanctitate ſui generis. Quum ergo tanto faſtu turgerent, putabant nullum fore Deum, niſi ipſi eſſent ſancta Eccleſia. Propheta hic reſpondet, atque antevertit, *Nomen Dei celebre erit in toto mundo:* vos eſtis exiguus populus: omnes gentes coaleſcent in unum corpus, ut adorent Deum ſimul. ergo poterit Deus carere vobis: & poſtquam vos rejecerit, tamen nihil decedet ejus regno. Putatis enim regnum ejus non fore integrum, & gloriam ejus perituram, niſi à vobis colatur: jam denuncio vobis cultum Dei fore ubique florentem, & poſtquam vos ejecerit è ſua familia. Videmus ergo quorſum tendat Propheta noſter, quum dicit *Magnum fore Dei nomen ab ortu Solis uſque ad occaſum.* In
Pſalmo ſimpliciter dicitur, Ab ortu Solis uſque ad Pſal. 113.
occaſum mirabile eſt nomen Dei. ſed illic eſt ſim- verſ. 3.

plex promiſſio, hic autem Propheta complectitur pœnam qua digni erant Judæi: acſi diceret, poſtquam ſua ingratitudine promeriti ſunt ut Deus eos rejiciat, Gentes fore Deo ſacras, quoniam ſcilicet ſubrogabit eos in locum ſceleſti illius, & impii populi. Cæterum, ideo dixi clare hic probari Gentium vocationem, vel poſſe certo elici ex hoc vaticinio, quia nomen Dei non poteſt eſſe magnum ſine doctrina. Perinde igitur eſt acſi diceret Propheta, Legem quæ data fuerat Judæis, promulgatum iri inter omnes populos, ſic ut religio ubique locum obtineat. Nam hoc eſt fundamentum pietatis, ubi cognoſcatur qualiter à nobis velit coli. obedientia enim melior eſt, quam omnes victimæ. Et neceſſe eſt incipere ſemper ab illo principio, nempe ut ſciamus quem colamus Deum. Et ideo Chriſtus ipſe deridet Joannis 4. capite omnes religiones, quæ tunc in mundo regnabant, quod ſcilicet colerent temere deos à ſe confictos. Quum igitur neceſſe ſit cultum Dei fundatum eſſe in vera doctrina, ubi Deus pronunciat nomen ſuum fore celebre in omni loco, certe oſtendit Legem ſuam fore communem cunctis populis, ita ut nota ſit ubique ejus voluntas, quæ regula eſt pietatis, quemadmodum diximus. Poſtea addit, *Ubique offeretur ſuffitus nomini meo, & oblatio munda.* Quare? *Nomen* enim *meum magnum erit.* repetitio hæc non eſt ſupervacua. Fuit enim res tunc incredibilis, quia non fruſtra ſegregaverat Deus Judæos à reliquo mundo. Et hoc etiam non vulgare eſt elogium: Oſtendite enim mihi gentes, inquit Moſes 4. cap. Deut., quibus appropinquet Deus quemadmodum vobis. Hæc eſt igitur veſtra nobilitas, inquit, & excellentia, habere Deum tam propinquum & familiarem vobis. Ideo & in
Pſal. 147. verſ. 20. Pſalmo dicitur, Non ita fecit aliis nationibus, judicia ſua non manifeſtavit illis. Fuit ergo hoc inſigne privilegium generis Abrahæ, quod illic voluit Deus & cognoſci, & invocari. Ergo novitas ipſa potuit claudere januam huic vaticinio. Et ratio hæc eſt cur Propheta iterum confirmet quod tunc creditu erat difficile: *Nomen Dei*, inquit, *erit magnum in omni loco.* Et ſimul meminerimus, non poſſe Deum legitimo ritu coli, niſi cognitus fuerit: quemadmodum
Rom. 10. verſ. 14. dicit Paulus, Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? Niſi enim præluceat doctrina, ſemper quaſi cæci palpabimus, & vagabimur etiam per invia. Ideo nulla eſt religio, quæ Deo probetur, niſi quæ fundata eſt in ejus ſermone. Cæterum, Propheta per מנחה & per Suffitum intelligit cultum Dei. Sed hæc ratio loquendi paſſim trita eſt in Scripturis, quia Prophetæ, qui ſub Lege erant, ſermonem accommodarunt ad captum populi. Ideo quoties dicere volunt totum mundum acceſſurum ad fidem & pietatem, Altare extruetur Deo, inquiunt. Per nomen Altaris non dubium eſt, quin deſignent ſpiritualem cultum: non quod poſt Chriſti adventum debeant offerri victimæ. Nunc enim nobis nullum altare eſt. nam quiſquis altare ſibi erigit, evertit crucem Chriſti in qua obtulit unicum & perpetuum ſacrificium. Sequitur ergo formas has loquendi debere ita accipi ut teneamus analogiam inter ritus legales, & inter ſpiritualem modum colendi Dei, qui nunc præſcribitur in Euangelio. Quanquam ergo ſubeſt figura in verbis Prophetæ, tamen ſimplex eſt ſenſus: quaſi diceret, ubique Deus adorabitur, & coletur. Quæ enim ſunt ſacrificia Novi Teſtamenti? Preces, gratiarum actiones, quemadmodum ultimo ad Hebræos capite dicit Apoſtolus. In Lege etiam fuit cultus Dei ſpiritualis, ut præſertim Pſal. 50. dicitur: ſed umbræ tamen ſimul erant conjunctæ. quemadmodum etiam ſignificat Chriſtus illis verbis, Nunc venit hora quando adorabi- Joan. 4.
tur Pater in ſpiritu & veritate. Neque enim prorſus verſ. 23.
negat Deum fuiſſe adoratum in ſpiritu à Patribus: ſed quia cultus ille latebat adhuc ſub figuris, ideo dicit nunc in Euangelio ſimplicem veritatem & nudam, ut ita loquar, doceri. Quod ergo de ſuffitu, quod de oblatione dicit Propheta, valuit ſub Lege: nunc autem videndum eſt quid præcipiat Deus in Euangelio, & quo ritu coli velit: non reperiemus illic ſuffitum, neque alia ſacrificia. Ergo nihil aliud continet hic locus, quam venturum eſſe tempus, quo cultus Dei purus & integer florebit in omnibus locis. Atque ita apparet quam ridiculi ſint Papiſtæ, dum hinc colligunt non coli Deum ſine aliqua ſpecie ſacrificii: quo prætextu impietatem ſuæ Miſſæ confirment, quaſi ſit ſacrificium illud de quo loquutus eſt Propheta. Sed nihil magis inſulſum, vel puerile. diximus enim Prophetam more communi loqui. Et ſi concedam proprie accipi ſuffitum, & oblationem, vel מנחה: an מנחה eſt corpus & ſanguis Chriſti? Ha! eſt ſacrificium confectum ex pane, inquiunt: vinum ſaltem ab illis acceſſit. O! Chriſtus ita mandavit. Sed ubi dixit, Sacrificate? Deinde negant eſſe panem: dicunt enim tranſſubſtantiari in corpus Chriſti. Jam ergo non eſt triticeum ſacrificium, neque ex farina. Manet enim ſola ſpecies, quæ objicitur oculis, & ſine ſubſtantia, quemadmodum ipſi fingunt. Interea non eſt cur diſputemus tam anxie de re clara. Sicuti enim apud Joëlem vidi- Joël. 2.
mus, Noviſſimis diebus effundam de Spiritu meo verſ. 28.
ſuper omnem carnem: & prophetabunt filii veſtri & filiæ veſtræ: ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, & juvenes veſtri viſiones videbunt. ita hoc loco. Nam Apoſtoli etiamſi viſionibus edocti ſunt, tamen ſcimus fuiſſe ſemel illuminatos. Deinde viſiones nunquam fuerunt ſub Euangelii exordia in communi uſu, neque etiam ſomnia: fuit hoc valde rarum. Quid ergo ſibi vult Joël? loquitur enim de toto corpore Eccleſiæ: quaſi diceret, A minimo uſque ad maximum omnes fore Prophetas. An facti ſunt Prophetæ viſionibus & ſomniis, quos illuminavit Deus per Euangelii doctrinam? minime: ſed Joel, quemadmodum dixi, accommodat ſermonem ad tempus Legale. ſic etiam hoc loco per Suffitum, & per מנחה, Propheta deſignat ſpiritualem cultum Dei. Nunc pergamus.

12. Et vos polluiſtis illud, quum dicitis, Menſa Jehovæ polluta eſt: & proventus ejus *(vel fructus: alii vertunt, Sermonem)* contemptibilis cibus ejus.

Poteſt hic verſus reſtringi ad Sacerdotes, vel exponi de toto populo: & uterque ſenſus bene conveniet. Quantum ad me ſpectat, non dubito quin Propheta hic caſtiget aſperius Sacerdotes: interea tamen objurgationem ſuam extendat communiter ad populum. Vidimus heſterna lectione quomodo polluta fuerit religio à Sacerdotibus, & quam impie profanaverint Dei cultum. Sed hoc generale fuit crimen totius populi, quemadmodum paulo poſt videbimus. Sciamus ergo tam Sacerdotes quam totum vulgus hic objurgari: ſed quoniam crimen gravius erat in Sacerdotibus, qui auctores aliis erant ſacrilegii, ideo præcipue eos aggreditur Propheta: *Vos*, inquit, *polluiſtis nomen.* Eſt redditio cauſæ, & ſimul amplificatio ſceleris. poterant enim conqueri quod non tantum Deus æquaret ipſos Gentibus, ſed etiam quod his rejectis, exteros ſubſtitueret in eorum locum. Oſtendit Deo juſtam eſſe rationem cur illos exheredet, atque ſuſcipiat Gentes pro ſuis liberis: nempe quia polluerant nomen Dei. Et ſimul amplificat crimen, quum dicit, Gentes à quibus contemptus hactenus fui, & quibus non innotuit nomen meum, repente accedent ad fidem: ita nomen meum magnum erit, hoc eſt, reverenter

coletur

coletur apud omnes gentes: vos autem polluiſtis illud. Fuit certe hoc valde abſurdum, Judæos quum peculiariter electi eſſent, & quum illuminati eſſent doctrina Legis, ita perperam cultum Dei polluere, quaſi ipſum vilipenderent: & Gentes, quæ novitiæ erant, ſtatim atque guſtarunt doctrinam pietatis, præſtare obſequium Deo, ita ut illic illuſtris eſſet ejus gloria. Poſtea oſtendit quomodo pollutum fuerit nomen Dei: *Dicitis enim menſam ejus eſſe inquinatam:* hoc eſt, non diſcernitis inter ſacrum & profanum. Repetit enim eandem ſententiam quam heri vidimus, quod ſcilicet Judæi putarint de re quaſi frivola agi, ubi Prophetæ docebant Deum ſumma reverentia colendum eſſe. Neque tamen credibile eſt, palam evomuiſſe has blaſphemias, quod *menſa Dei eſſet polluta:* ſed ex re ipſa colligere promptum fuit, menſam Dei fuiſſe illis profanam: quia ſcilicet nulla erat ejus ratio. ſanctitas menſæ debuit reputari à Judæis, ut non accederent ad Sanctuarium, niſi cum ſeria pœnitentia & fide, ut ſcirent ſibi negotium eſſe cum Deo, ut penitus eos afficeret ejus majeſtas. Quum ergo venirent in Templum, & afferrent illuc ſuam immunditiem inſtar porcorum, hinc potuit cognoſci nullam illis eſſe reverentiam vel Templi, vel altaris, vel menſæ. Sic ergo intelligi debent Prophetæ verba: non quod Judæi tam aperte ſubſannaverint Deum, ſed quod ſanctitas Templi apud eos nullius fere pretii eſſet. Quod ad nomen Menſæ attinet, heri diximus, quum juberet Deus ſibi afferri ſacrificia, perinde hoc fuiſſe acſi familiariter habitaret apud Judæos, & eſſet quaſi eorum contubernalis. Fuit hic ſummus honor, & inæſtimabilis Dei bonitas, quod tam comiter ſe ſubmiſit, ut ſciret populus non procul quærendum eſſe. Et minus excuſabilis hac de cauſa fuit impietas, quum non reputarent apud ſe, ſacrificia ideo celebrari in terra, ut eveherentur eorum mentes ſupra cœlos. In hunc enim finem ad nos deſcendit Deus, ut nos ſurſum attollat, quemadmodum alibi diximus. Fuit igitur hæc nimis turpis & pudenda ſocordia & ſtupiditas in Judæis, quod non expenderent menſam Deo paratam eſſe apud ipſos, ut poſſent fide penetrare in cœlum, & ſcirent etiam ſub ejus oculis ſe verſari. Quantum ad verba hæc pertinet, *Fructus ejus contemptibilis cibus ejus:* quidam nomen ניב accipiunt pro Sermone, & adducunt

Jeſa. 57. Jeſaiæ locum, ex cap 57. Creavi fructum labio-

verſ. 19. rum, pacem, pacem. נוב ſignificat Fructificare: inde ניב eſt Fructus aut proventus. Ut demus metaphorice accipi pro Sermone, tamen non video quæ ratio cogat nos diſcedere à ſimplici & germano ſenſu. Nam erit primo relativum ſine antecedente, ניבו, Sermo ejus. deinde erit mutatio numeri: nam referunt hoc ad Sacerdotes, *Sermo ejus:* hoc eſt, ſermo eorum: quorum? nempe Sacerdotum. Scio hoc ſatis tritum eſſe Hebræis, ponere relativum ſine antecedente: ſed, quemadmodum jam dixi, nulla ratio hoc poſtulat. Deinde optime convenit, *Proventus ejus*, nempe altaris, eſt *cibus contemptibilis Dei.* Sic igitur accipio hæc verba, quod volitaret hic ſermo in ore tam Sacerdotum quam vulgi, Ho! proventus altaris eſt quilibet cibus: ne tam ſolliciti ſimus in delectu, ut offeramus opima animalia. Deus enim contentus erit etiam macilentis & fere aridis. Hic vero iterum reprehendit Deus impietatem populi & contemptum: ſed ſimul coarguit eorum avaritiam, quod ſcilicet ſumerent peſſima quæque animalia, quæ afferrent in Templo, quaſi perderent quicquid volebant Deo conſecrare. Jam cur *cibum Dei* nominet ſacrificia, ſatis tenemus. Tantum hoc notandum eſt, patefactam fuiſſe impietatem populi, quum in exercitiis illis tam eſſet ſecurus. Deus enim non fruſtra inſtituerat ſacrificia & alias ceremonias. Contemptus ergo ſignorum palam oſtendere potuit non modo negligentiam populi, ſed profanum contemptum omnis pietatis: quemadmodum hodie ſiquis & externam doctrinam, & Sacramenta quaſi pro nihilo ducat, nonne prodet ſe eſſe impium Dei contemptorem? Atqui religio non eſt poſita in his rebus: fateor. nam hypocritæ etiamſi ardentiſſimum zelum ſimulant, profanant nomen Dei, quoties verberantur eorum aures doctrina, & cor non afficitur dum ad menſam Dei accedunt, & interea alieniſſimi ſunt à Chriſto: fateor hæc omnia: ſed quoniam nemo verus Dei cultor poterit ſpernere hæc exercitia, quæ pro communi infirmitate nobis utilia ſunt, imo quibus carere non poſſumus quamdiu peregrinamur in hoc mundo, quiſquis vel ſimplicitatem noſtram deridet ubi templum frequentamus: vel etiamſi taceat, abſtinet tamen, & pro nihilo ducit hæc, tanquam levis: ille, quemadmodum jam dixi, poteſt impietatis convinci. Hæc ratio eſt cur tam acerbe Propheta hic caſtiget Judæos, quod dicant *proventum altaris eſſe cibum Dei contemptibilem.* Sequitur,

13. Et dixiſtis, Ecce fatigatio, (*alii vertunt, Ecce ex fatigatione*) & ſufflaſtis in illud, dicit Jehova exercituum: & obtuliſtis raptum, & claudum, & debile: & obtuliſtis Minchah: (*hoc eſt, oblationem*) an gratam hanc habebo è manu veſtra, dicit Jehova?

Proſequitur eundem ſermonem, quod ſcilicet cultus Dei apud eos vilis eſſet, ac fere nullius momenti. Tenendum eſt quod nuper dixi, hic non reprehendi Judæos quaſi palam & pleno ore tam contumelioſe loquuti fuerint de cultu Dei: ſed quia ex eorum moribus ſatis patebat hoc illis perſuaſum eſſe. Dabant enim ſibi tantum licentiæ, ut facile conſtaret eos ludere cum Deo: quia excuſſerant omnem ejus metum & reverentiam. *Dixiſtis* ergo, *Ecce labor*. Poteſt hoc quadrare toti populo, & poteſt etiam competere in ſolos Sacerdotes. Vulgo exponunt de Sacerdotibus, quod queſti fuerint ſe nimis duram provinciam, quia aſſidui eſſent in templo, & ſedulo illic excubias agerent, ac valde eſſent occupati in mundandis vaſis: ſicuti Monachi hodie in Papatu, & ſacrifici, dum ſeſe venditant, dicunt, Dum omnes alii dormiunt, nos excubamus: nam ſumus in precibus noſtris aſſidui: quia ſcilicet media nocte ululant in ſuis templis. deinde quia miſſando & aliis nugis fingunt ſe intentos eſſe ad placandum Deum. Sic ergo hunc locum quidam intelligunt, quaſi Sacerdotes, ut commendarent ſuum munus, objicerent ſe multum ſudare in cultu Dei, quaſi ſcilicet multa & difficilia illis mandaſſet. Ego autem malo referre ad totum populum: neque tamen excludo Sacerdotes. generaliter enim utroſque hic condemnat Propheta, quod moleſtum illis fuerit impendere operam colendo Deo, quaſi fatigatio eſſet: quemadmodum vulgo dicimus, *Tu le fais par corvée*. Et eodem etiam ſpectat quod ſequitur, *Sufflaſtis in illud*, præ faſtidio ſcilicet. Quidam exponunt, Triſtitia affeciſtis illum: & verbum hoc in Hiphil ſæpe accipitur eo ſenſu. נפח proprie eſt Sufflare. eſt autem hic in alia conjugatione poſitum verbum: ſed etiam in Hiphil reperitur pro Sufflare, neque poteſt aliter accipi. Nam qui vertunt, Triſtitia vel mœrore affeciſtis Deum, coguntur quaſi torquere in alieniſſimum ſenſum vel nimis remotum Prophetæ verba, quod ſcilicet Sacerdotes quum nimis eſſent quæſtus ſui cupidi, coëgerint plebeios homines ad hoſtias adducendas, atque ita extorſerint non ſine mœrore & gemitu ſacrificia. videmus quam illud ſit coactum. ego igitur prorſus repudio. Alii excudunt argutum ſenſum, ſed qui etiam minime convenit: Sufflaſtis in illud, id eſt, dixiſtis quidem victimas eſſe probas & ſatis pingues, tamen poteratis flatu eas ejicere in aërem. Alii vertunt etiam Dejicere,

 quod

quod hoſtias ad pedes projecerint. Sed quid opus eſt diſcedere à genuino ſenſu, quum facile ſit colligere reprehendi hic & Sacerdotes & populum, quod non ſine tædio coluerint Deum? quemadmodum ubi aliquid nobis diſplicet, ſufflamus. Geſtum ergo faſtidientium hic exprimere voluit Propheta: ita nunc optime fluet contextus, *Dixiſtis, Ecce fatigatio, ſufflaſtis etiam*, inquit. Tandem adjungit, *Obtuliſtis raptum, & claudum, & debile.* Hoc etiam tendit in eundem finem, nempe quod defuncti fuerint erga Deum non ſine ludibrio, quum obtruderent vitioſas pecudes: & ſiquid erat apud eos vel ſcabioſum, vel aliquo vitio infectum, dicebant Deo ſacrum eſſe, quemadmodum repetet proximo verſu. Quidam male exponunt גזל pro Præda, quæ inique parta fuerat: quaſi diceret eos offerre victimas ex rapinis. ſed miror quomodo ſine ullo colore ita Prophetæ verba diſcerpant. Ponit hic tres ſpecies, raptum, claudum, & mutilum vel debile. Quis non videt vocari raptum animal quod fuit diſcerptum à feris? quemadmodum ſi quod erat animal ſemimortuum, quia inciderat in lupos, tunc putabant ſe habere paratam victimam: Ego cogor offerre Deo ſacrificium: conveniet optime hic agnus; nam lupus aurem illi voravit, & vix evaſit. quoniam igitur hæc pecus eſt mutila, ego adducam. Vocat igitur Propheta victimas raptas, quæ laceratæ erant dentibus ferarum. Nunc ſummam verborum tenemus: ſed memoria repetere convenit quod diximus, non inſiſtere Deum in externis ſacrificiis, quaſi opus habuerit cibo vel potu, vel quaſi etiam duxerit in magno pretio illas hoſtias: ſed propter finem. Sacrificia igitur quæ Deus exegit à veteri populo per ſe nihil habebant quod faceret ad pietatem. neque enim potuit oblectare Deum fœtor ex ſacrificiis: ſed finis ſpectandus fuit. Quum ergo ideo præciperet Deus, ac juberet ſibi offerri hoſtias, ut populum exerceret in pœnitentia & fide, hinc Deus æſtimavit eas. ſed quum populus prolapſus eſſet ad craſſum illum contemptum, ut quaſi per contumeliam obtruderent Deo mutilas & claudas pecudes; hinc, quemadmodum jam dixi, patefacta fuit nimis fœda & intolerabilis impietas. Hæc ratio eſt cur tam vehementer Propheta nunc objurget & Sacerdotes & totum vulgus, quod offerrent hujuſmodi ſacrificia Deo, quæ etiam mortalis homo reſpueret, quemadmodum heri vidimus. Sequitur tandem,

14. Maledictus autem doloſus, cui dum eſt in grege ſuo maſculus, & vovet, & ſacrificat corruptum Jehovæ: quia Rex magnus ego, dicit Jehova exercituum: & nomen meum terribile in gentibus.

Non poſſum hodie abſolvere: nam eſſem nimis prolixus.

Da omnipotens Deus, quando hodie non retines nos in figuris Legalibus quibus exercuiſti genus Abrahæ, ſed invitas nos ad cultum longe præſtantiorem, nempe ut & animo & corpore tibi conſecrati ſimus victimæ, & offeramus non tantum nosipſos, ſed etiam & ſacrificia laudis, & preces, quemadmodum conſecraſti omnia pietatis officia (quæ exigis à nobis) per Chriſtum Filium tuum: da, inquam, ut veram puritatem colamus, & ſtudeamus obſequia noſtra tibi probare ſinceritate integra cordis, & ita reverenter ſuſpiciamus & invocemus nomen tuum, ut vere agnoſcatur impletum in nobis quod olim teſtatus es per Prophetam tuum, Nomen ſcilicet tuum fore magnificum & celebre in toto mundo, ſicuti vere illuſtratum fuit nobis in perſona ejuſdem unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO QUINTA

IN

MALACHIAM PROPHETAM.

CAP. I.

RECitavi heſterna lectione ultimum verſum primi capitis: ſed nondum expoſui. Propheta autem hic omnes qui doloſe & mala fide agunt cum Deo, pronunciat eſſe maledictos: ſimul deſignat ſpeciem fraudis, quod ſcilicet *ex grege deligerent pecudes* vel macras, vel vitio aliquo jam infectas, ut offerrent Deo ſacrificia. Hoc autem ſignum fuit nimiæ improbitatis, ita perverſe Deo illudere: quia ſicut vidimus, mortalis homo non poſſet ferre hanc contumeliam. Ergo Propheta ut ſemel abſolvat quod cœpit, præciſe dicit *omnes eſſe maledictos.* נכל ſignificat Cogitare Hebræis: ſed accipitur fere ſemper in malam partem. Ideo non male interpretes verterunt Doloſum. ſed ſpeciem illam doli Propheta exprimere voluit, quum homines aſtute ſibi fabricant vanos prætextus: & ſi poſſunt coram mundo tegere ſuam turpitudinem, putant ſimul in cœlo ſe abſolvi. Qui ergo putant ſe poſſe elabi ex Dei judicio talibus artificiis, eos Propheta maledictos eſſe dicit. Jam venio ad ſpeciem: *Si in grege ejus*, inquit, *ſit maſculus*, hoc eſt, agnus vel aries ſit integer, *ubi voverit, tunc quod corruptum eſt offert Jehovæ.* Significat igitur quamvis præ ſe ferant aliquam pietatem, nihil tamen fieri ab illis recto ac integro animo, quia ſtatim pœnitat eos voti, ſiquid polliciti ſunt Deo: cogitant ſe poſſe redigi hoc modo ad inopiam, ſi nimium ſint liberales in ſacrificiis. Hinc igitur Propheta demonſtrat duplici animo ipſos *Deo offerre*, atque ita pollutum eſſe quicquid offerunt: quia non proficiſcitur ex recto affectu. Diximus autem heri non ideo inſiſtere Prophetam in victimis pinguibus vel macilentis, quia Deus per ſe æſtimaverit vel ſanguinem, vel carnes pecudum, ſed ob finem: quia hæc erant pietatis exercitia, quibus volebat Deus aſſuefacere Judæos ad fidem & pœnitentiam. Quum ergo tam eſſent ſordidi in ſacrificiis, facile fuit colligere ipſos eſſe craſſos & profanos Dei contemptores, & nullum eſſe ipſis ſtudium pietatis. Sequitur ratio, *Quia Rex magnus ego, inquit Jehova, & nomen meum terribile in gentibus.* Hic expoſtulat Deus nullius eſſe pretii ſuam magnitudinem apud Judæos: acſi diceret, Quocum putatis vobis eſſe negotium? Et hoc diligenter notandum eſt in toto Dei cultu. ſcimus enim hoc vitium fere omnibus ſeculis graſſatum fuiſſe in mundo, quod putarunt & cunctæ gentes, & ſinguli etiam mortales ſe Deum colere, quum tamen excogitarent quiſque ſuo arbitrio ineptos & frivolos ritus. Si ergo animus eſt nobis Deum rite colere, meminerimus quantus ſit. nam majeſtas ejus attollet nos ſupra totum mundum: & ceſſabit audacia illa qua totus fere mundus laborat, quod ſcilicet putant ſuum arbitrium inſtar Legis eſſe, quoties aliquid Deo temere obtrudunt. Magnitudo igitur Dei debet nos humiliare, ne eum colamus pro ſenſu carnis noſtræ: ſed offeramus tantum quod ejus cœleſti gloria dignum eſt. Interea re-

petit

petit quod prius vidimus, etiamſi ſpernatur à Judæis, *ſe tamen magnum eſſe Regem in toto orbe.* Quoniam ergo Judæi putabant non poſſe alibi quam Jeroſolymæ & in templo Sionis offerri ſacrificia Deo, quæ ipſe ſuſciperet: ideo teſtatur ſe magnum eſſe Regem, etiam in longinquis mundi partibus. Unde ſequitur, cultum Dei non fore incluſum in Judæa, vel in aliqua parte orbis: quia ſcilicet per Evangelium Dominus recipiet ad ſe omnes gentes, & veniet in poſſeſſionem regni ſui. Nunc ſequitur,

CAPUT II.

ET nunc ad vos præceptum hoc, ô Sacerdotes:

2. Si non audieritis, & non poſueritis ſuper cor, ut detis gloriam nomini meo, dicit Jehova exercituum; mittam (*copula hic abundat*) in vos maledictionem, & maledicam benedictionibus veſtris: atque etiam maledixi eam, (*eſt mutatio numeri, pro eas*) quia non ponitis ſuper cor.

QUanquam non ſoli Sacerdotes peccabant, diximus tamen non abs re vocari primos in crimen: quia ipſorum partes erant corrigere ſiquid perverſe ageret populus. Eorum igitur diſſimulatio perinde fuit acſi animaſſent vulgus ipſum ad peccandum. Itaque Propheta quaſi impietatis auctores eos peculiariter hic accuſat: & hoc etiam ſonant verba, ſi propius conſiderentur. *Ad vos*, inquit, *ô Sacerdotes.* poterant enim procul à ſe culpam rejicere, vel ſaltem partem ejus transſcribere in alios: Ho! quid poſſemus? nam videmus frigere populum in cultu Dei: præſtat offerri adhuc vitioſa ſacrificia quam nulla. Quoniam ergo poterant tergiverſando utcunque extenuare culpam, ideo Propheta aſperius invehitur contra eos, & dicit peculiariter *dirigi ad ipſos hoc mandatum*: debuerant enim aliis viam monſtrare. quum enim diſſimulant, eorum conniventia nihil aliud eſt quam conſenſus, acſi populo excuterent omnem Dei metum, & permitterent ita corrumpere omnem pietatem, dum adulterina ſacrificia offerrent. *Ad vos* igitur, inquit: hoc eſt, quanquam totus populus coram Deo reus eſt, ne putetis tamen ideo vos excuſari: nam oportuit vos compeſcere hanc pravitatem, quia Dominus voluit præficere vos populo ſuo magiſtros & duces. quum ergo neglexeritis munus veſtrum, quicquid alii peccant in capita veſtra merito recidet. Unde enim factum eſt ut populus auſus fuerit prorumpere eo impietatis? nempe quia nullus in vobis zelus fuit. hac enim lege præfecerat vos Deus ſacerdotio, ut cultus nominis ſui maneret integer: vos autem conſcii eſtis omnium profanationum, & tacetis: *Ad vos ergo hoc mandatum.* Poſtea addit, *Si non audieritis, & non poſueritis ſuper cor, ut detis gloriam nomini meo*, &c. Hic videtur ſolis Sacerdotibus minari. ſiquis tamen diligenter expendat totum contextum, facile agnoſcet ſermonem hunc ad totum populum extendi, ſic tamen ut ſemper obtineant primum gradum Sacerdotes: quia, ut jam dictum fuit, major pars criminis in ipſis reſidebat. Generaliter ergo gravem pœnam Deus tam Sacerdotibus quam toti populo denunciat, nempe *ſe miſſurum maledictionem.* Cæterum, ne excipiant nimis duriter ſecum agi, oſtendit Deus quam juſte ipſis ſuccenſeat, quod ſcilicet neque audiant, neque cor adjiciant ad ſuas admonitiones. quid enim minus tolerabile, quam claudere aures loquenti Deo? Sed quoniam multi exiſtimant ſatisfactum eſſe officio, ſi aurem porrigant, deinde ſtatim obliviſcantur quod dictum eſt: ideo ſequitur, *Niſi poſueritis ſuper cor*, hoc eſt, niſi attenti fueritis, & ſerio adjeceritis animos ad ſermonem meum. Videmus ergo hic Prophetam oſtendere juſtam eſſe cauſam Deo, cur ſevere ipſos puniat: quia ſcilicet ferenda non eſt hæc improbitas, ubi nullam audientiam obtinet apud homines. ſed interea Propheta oſtendit quid ſit Deum audire: ideo poſterius membrum eſt quaſi definitio, vel eſt explicatio prioris. Neque enim auditur Deus, ſi excipimus leviter ejus verba, ut paulo poſt evaneſcant: ſed ubi ponimus ſuper cor, id eſt, ubi animum adjicimus, ſicuti loquuntur Latini. Requiritur itaque ſeria attentio, alioqui perinde eſt acſi clauſæ eſſent aures ſermoni Dei. Cæterum, diſcamus ex hoc loco obedientiam tanti eſſe apud Deum, ut nihil iniquius ferat quam ſermonem ſuum vel contemni, vel negligenter audiri, ita ut nihil auctoritatis apud nos obtineat. deinde etiam notandum eſt, augeri atque exaggerari crimen coram Deo, ubi ipſe in viam nos revocat, & conſulere vult ſaluti noſtræ, dum nos admonet atque hortatur. Ubi ergo Deus ita fideliter ſaluti noſtræ ſtudet, bis ſumus inexcuſabiles, ſi pervicaciter rejicimus & doctrinam, & admonitiones, & conſilia, & quicquid remedii adhibeat Deus. Jam adjungit, *Mittam in vos maledictionem.* Quid hoc ſit, continuo poſt declarat, *Maledicam benedictionibus veſtris.* Scimus Benedicendi verbum paſſim occurrere in Scripturis pro Dei beneficentia. Dicitur ergo Deus nobis benedicere, quum liberaliter nos alit, & ſuppeditat quæcunque ad uſum noſtrum pertinent. Videtur autem inde ſumpta loquutio, quod Deus ſolo nutu poſſit nos ſatiare omni copia bonorum. Ergo Benedictiones hic vocat largum & uberem proventum frugum: deinde quietem ab hoſtibus. poſtremo ſalubritatem aëris, & quicquid tale eſt. Nam quod precationes notari quidam putant, quibus Sacerdotes benedicebant populo, nimis eſt dilutum. Deus ergo favorem ſuum declaraverat erga Judæos: denunciat nunc privatum iri omnibus ſuis beneficiis, ut ſentiant illum non eſſe ſibi propitium. Ergo benedictiones teſtimonia ſunt gratiæ Dei & paterni favoris. Sed paulo poſt adjungit, *Etiam maledixi*: qua particula coarguit eorum ſocordiam: quia ne malis quidem edocti fuerint, quæ tamen etiam apud ſtultos non carent profectu. nam ſtulti, quemadmodum vulgari proverbio dicitur, percuſſi incipiunt ſapere. Deus ergo hic perſtringit ſtuporem in Judæis, quod quum prius fuiſſent privati ejus beneficiis, & poſſent ipſa experientia ſentire minime ſibi eſſe propitium, ſed potius infenſum judicem: tamen nulla pœnitentia tacti fuerint, quemadmodum apud alios Prophetas vidimus. Nunc tenemus ſummam verborum, & ſimul quorſum tendat conſilium Prophetæ. *Maledicam* ergo *benedictionibus veſtris*, *adeoque* (iſtud וגם ita poteſt reſolvi) adeoque *jam maledixi*: ſed vos eſtis quaſi trunci, vel lapides: neque enim ferulæ ipſæ quicquam apud vos proficiunt. Iterum repetit, *Quia non ponitis ſuper cor*, ut oſtendat ſe non poſſe contemptum verbi ſui ferre, quia ſignum eſt extremæ impietatis, ut diximus. Sequitur,

3. Ecce ego corrumpo (*vel perdo*) vobis ſemen, (*verterunt Græci, Brachium: ſed decepti ſunt in una litera*) & ſpargam ſtercus ſuper facies veſtras, ſtercus ſolennitatum veſtrarum: & tollet vos ad ſe. (*alii vertunt, Tollet vos ad ipſum: ſed coacta eſt illa expoſitio.*)

Hic confirmat rurſus quod dixerat proximo verſu, nempe ſenſuros Dei maledictioonem in egeſtate & inopia. Maledictio Dei eſt quodvis genus calamitatis: ſed quia Deus præcipue declarat favorem ſuum, ubi liberalitate ſua nos alit & ſuſtentat; ideo ſterilitas terræ & frugum inopia clariſſime oſtendunt Dei maledictionem. Sub hac igitur ſpecie oſtendit Propheta qualis maledictio immineat Judæis, quod ſcilicet Deus *perdet ſemen ipſorum*. Verterunt quidam, (ſed male) Perdam vos, & ſemen. Miror quomodo docti homines tam pueriliter hallucinati fuerint, quum tamen nulla ſit ambiguitas in Prophetæ verbis. *Perdam* igitur *vobis ſemen*: hoc eſt, Seminate ut libuerit, ego tamen corrumpam ſemen veſtrum, ita ut oullus inde fructus proveniat. In ſumma, minatur Judæis inopiam & famem, quia terra nihil producet ubi fuerit maledicta à Deo. Cæterum quia Judæi ſibi placebant in ſuo genere, jactabant ſemper Patres: & illa prærogativa, qua Deus ipſos fuerat dignatus, illis erat occaſio faſtus & ſuperbiæ: Propheta hic deridet ſtultam illam confidentiam, *Ego*, inquit, *ſpargam ſtercus ſuper facies veſtras*: vos eſtis gens ſancta, vos eſtis electum Abrahæ genus, vos eſtis regale ſacerdotium: iſtæ ſunt veſtræ jactantiæ: Dominus autem fœdabit facies veſtras ſtercore: hæc erit veſtra nobilitas & excellentia. Non eſt igitur quod putetis vos fore immunes à pœna, quoniam Deus vos adoptavit. nam ſicuti abuſi eſtis ejus beneficiis, & profanaſtis ejus oomen, ita etiam viciſſim vos cooperiet omni ignominia & probro, ut merus fœtor à vobis exeat. Eritis ergo ſtercorati, non autem genus illud ſacrum Abrahæ. Cæterum, quia rurſus obſtrepere poterant, Ergo fruſtra tam ſedulo Deum coluimus? quorſum juſſit extrui ſibi Templum apud nos, & promiſit ſe illic habitaturum? Deus ergo nos fefellit: vel ſaltem valeant illæ promiſſiones. reſpondet Propheta, Una cum veſtris ſacrificiis Deus vos ignominia obruet. Sed vocat *Stercus ſolennitatum*: quaſi diceret, propter veſtram impietatem, quæ ſatis perſpicitur in ipſis ſacrificiis. Siqua erat in Judæis ſanctitas, petebant illam à ſacrificiis, quibus expiabant ſua peccata, & ſe reconciliabant Deo. Propheta autem dicit hunc eſſe præcipuum fœtorem, qui Deum offendit, & quem ipſe abominatur, nempe quod vitiaverant ſacrificia. Neque tamen diſplicet quod ex Hebræis quidam dicunt, Prophetam alludere ad boves, & vitulos, & arietes, & agnos. nam quum adducerent Judæi ex variis locis ſua ſacrificia, fieri non potuit quin eſſet magna ſtercoris congeries in illa multitudine. Eſt igitur hic concinna alluſio ad ipſas victimas: quaſi diceret, Putatis me poſſe placari veſtris ſacrificiis; nempe acſi plauſtra ſtercoris deberent mihi placere. nam quum adducitis tantam multitudinem, etiam locus ipſe vel area, quæ eſt ante Templum, fœtet propter ſtercora. Vos igitur ſcilicet ſancti eſtis, & abſterſæ ſunt omnes veſtræ ſordes ſtercoribus illis. Ite ergo cum ſtercore ſolennitatum veſtrarum: quia ego ſtercus ipſum rejiciam in capita veſtra. Nunc tenemus quid Propheta velit. Quantum ad verba ſpectat, emphaticum eſt quod dicit, *Ecce ego*. Nam Deus hic uno verbo abrumpit omnes illos prætextus, quibus ſe fallebant Judæi, & putabant ſua vitia coram Deo tegi poſſe; Ego ipſe, inquit, adſum, quem putatis probare veſtra ſacrificia. *Ego igitur corrumpam vobis ſemen*. deinde *projiciam ſtercus ſuper facies veſtras*: hoc eſt, abolebitur omnis veſtra nobilitas quam obtenditis, quia putatis vos quodam privilegio eſſe muoitos, dum jactatis vos eſſe genus Abrahæ: Stercus, ſtercus, inquit. Poſtea, quæ ſordium & fœtoris præcipua ſit materia, declarat. nam quum objicerent, Quid? an ſacrificia noſtra nihil proderunt? Imo, inquit, ego projiciam ſtercus illud ſuper vos, quia præcipua pollutio eſt in ſacrificiis ipſis: vitiatis enim & adulteratis cultum meum. Et quid aliud ſunt ſacrificia veſtra quam mera profanatio? vos eſtis ſacrilegi in veſtris iſtis inanibus pompis. Ergo quum fœteant & mihi diſpliceaot omnes veſtræ victimæ, & quum ego nauſeem ad illas, (ſicuti etiam dicitur Jeſaiæ primo & ultimo) ego ſtercora congeram in capita veſtra, quod putatis eſſe ſummum piaculum. Et tandem addit, *Rapiet vos ad ſe*: hoc eſt, toti eritis ſtercorei: & ita profectu carebunt omnes illæ jactantiæ, quod ſitis progeniti ex ſancto Patriarcha Abraham, quod ego pepigerim vobiſcum fœdus, quo promiſi vos fore mihi regnum ſacerdotale: *Stercus*, inquit, *abripiet vos ad ſe*, atque ita delebitur quicquid hactenus in vos dignitatis contuleram. Pergamus.

4. Et ſcietis quod miſerim ad vos hoc mandatum, ut ſit (*vel, ut eſſet: ſed mihi magis placet, ut ſit. eſt ad eſſendum, ad verbum: ergo ad eſſendum pactum meum, ſi poſſet dici Latine*) pactum meum cum Levi, dicit Jehova exercituum.

Hic ſermonem peculiariter dirigit ad Sacerdotes, quia quum totus populus nimium ſuperbe Deo reſiſteret, Sacerdotes tamen vincebant ipſum vulgus. Et ſcimus quam proclive ſit hominibus arripere in contrariam partem quicquid beneficiorum Deus ipſis confert. Fuit ergo communis hic morbus fere ab ioitio mundi, ut homines ſeſe attollerent, & criſtas erigerent adverſus Deum, quia videbant ſe ornatos eſſe ejus beneficiis. atqui ſcimus eo magis quemque Deo eſſe obſtrictum, quo pluribus gratiis excellit. neque enim nobis ſunt propriæ dotes, ſed ſunt beneficia, quibus nos Deus ſibi obligat. Quid habes proprium,
1Cor.4:7. inquit Paulus? non eſt quod glorieris. tamen hic morbus ſemper infixus fuit animis mortalium, ut fraudarent Deum ſua gloria, & in occaſionem faſtus traherent quaſcunque gratias ab ipſo acceperant. ſed hoc malum nimis vulgariter perſpicitur in omnibus præfectis. Quicunque ergo in aliquem honoris gradum evecti ſunt, non cogitant amplius ſe eſſe homines, ſed tantum ſibi arrogant licentiæ, quaotum vident ſe præſtare reliquis. Sic Reges, & quicunque ſunt in magiſtratu, videntur ſibi eſſe extra communem ordinem, atque ita ſecure ſolvunt ſe legibus. Putant ſibi quidvis licere, quia oemo ſe eorum libidini opponit. Idem etiam cernitur in doctoribus. nam quum Deus Sacerdotes dignatus eſſet maximo honore, ſicuti poſtea videbitur, excæcati fuerant illa Dei gratia, ut putarent ſe eſſe quaſi ſemideos. & idem etiam contigit ſub regno Chriſti. Unde enim tanta impietatum colluvies in Papatu, niſi quod paſtores ſibi ſumpſerunt tyrannidem pro regimine? neque enim reputarunt qua lege vocati eſſent ad munus illud: ſed quia paſtoris nomen per ſe honorificum eſt, ideo auſi ſunt ſeſe attollere ſupra nubes, & ad ſe trahere ipſius Dei imperium. Hinc factum eſt, ut legibus ſuis obſtringerent conſcientias, ut mutarent totam doctrinam, vel corrumperent totum Dei cultum: hinc etiam poſtea ſequuta eſt nundinatio. quare? Erant enim ſacerdotes quaſi Angeli è cœlo delapſi. & ſemper idem periculum nobis metuendum eſt. Hoc igitur vitium nunc attingit Propheta, & oſtendit noo eſſe cur Sacerdotes exiſtiment ſe poſſe jugum excutere: *Scietis*, inquit, *quod hoc mandatum ad vos pertineat*. Videmus enim quid objecerint Jeremiæ, Lex non diſcedet à Sacerdotibus, neque conſi- Jer. 18.
lium & ſapientia à ſenioribus. Hæc erant arma, qui- verſ.18.
bus hodie quoque Papiſtæ ſe defendunt, dum proferimus aperta Scripturæ teſtimonia. vident ſe coargui palam Dei verbo & convinci: ſed hic eſt Ajacis clypeus, ſub quo occultant omnia ſua flagitia, per-

inde acſi peterent ab illis impiis & ſceleratis ſacerdotibus quod refertur apud Jeremiam, Lex non auferetor à Sacerdotibus: nos ſumus Eccleſia: an poſſet errare? annon Spiritus ſanctus reſidet in me-
Mat. 28. verſ. 20. dio noſtri? Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi. Chriſtus an voluit decipere ſuam Eccleſiam quum dixit hæc Apoſtolis? atqui nos ſumus eorum ſucceſſores. Jam reſpondet Propheta, *Scietis*, inquit, *quod ad vos pertineat hoc mandatum.* Et adjungit non ſine amaritudine, *ut ſit pactum meum cum Levi*, inquit: acſi diceret, Quo titulo ita eſtis inflati? nam Deus non poteſt apud vos ſibi facere audientiam, nempe dicitis fore irritum pactum cum Levi, quaſi Deus ſubrogaverit Levi in locum ſuum, & ipſe ſpoliaverit ſe omni imperio. dum inſtituit tribum Leviticam, & voluit vos eſſe miniſtros Templi, & populi doctores, an ipſe nullus eſt? quorſum ſpectavit Dei conſilium quum vos ornaret iſta dignitate? Certe noluit ſeipſum exinanire: ſed potius voluit ſibi manere jus ſuum integrum. Ergo quum nunc reprehendo veſtra vitia, & oſtendo vos eſſe quaſi quiſquilias, imo etiam quaſi ſterquilinia, quia eſtis fœdati omnibus probris: quum igitur hæc omnia palam facio, ego non violo pactum Levi. Deus ergo ſuo jure nunc vos ad tribunal ſuum citat, & abdicat vos honore, ut firmum ſit ac ratum pactum, quod ſancivit cum Levi. Hæc eſt, ut dixi, amara ſubſannatio: ſed ex qua colligere licet utilem doctrinam. docet enim breviter Propheta, ſacerdotale munus nihil detrahere imperio Dei, quominus pure ſancteque colatur: deinde, nihil minuere ex auctoritate Legis, quin ſemper vigeat integra doctrina. Sic hodie dum inſurgimus contra ſacrificos Papales, non violamus fœdus Dei, hoc eſt, hinc nihil decedit ordini Eccleſiæ, quem oportet manere ſanctum & inviolabilem. Non ergo propter hominum vitia evertimus & munus paſtorale & doctrinæ prædicationem: ſed aggredimur homines ipſos, ut reſtituatur verus ordo, ut doctrina reverenter audientiam obtineat apud homines, ut Dei cultus purus ſit, quem nebulones illi violarunt. Nos ergo audacter poſſumus proſternere totum Papatum hac fiducia, quod nihil minuimus ex auctoritate doctrinæ. neque enim contumelioſi ſumus adverſus ipſum paſtorale officium: imo non poteſt aliter ſtare ordo Eccleſiæ, & doctrinæ prædicatio, & ipſa paſtorum dignitas, niſi Eccleſia purgetur iſtis inquinamentis, & ejiciantur iſta ſtercora. Sic etiam dicendum eſt de iſtis nebulonibus, qui nobis nimium conjuncti ſunt vel propinqui. atque utinam eſſent prorſus extincti è mundo! ſed hodie quam multæ peſtes latent ſub hoc integumento, vel ſub hac larva. Quid? annon ſumus miniſtri verbi? Ita, furciferi. utinam eſſetis in veſtris ſtercoribus, vel in clauſtris, ubi antehac nimium jam corrupiſtis mundum. ſed nunc diabolus vos adduxit in Eccleſiam Dei, ut corrumperetis quicquid integritatis adhuc reſtabat. Quum ergo ſe multi hodie venditent hoc titulo, quod ſint miniſtri verbi, & Paſtores, & quod Evangelium doceant, rejiciendi ſunt hoc reſponſo Prophetæ, nempe ubi libere & qua decet vehementia corriguntur omnes corruptelæ, tunc ſtabiliri & ſanciri pactum, quod Deus vult habere firmum cum Eccleſia ſua, & cum verbi miniſtris. Poſtea ſubjicit ad explicationem,

5. Fœdus meum fuit cum eo vitæ & pacis: & dedi illi timorem: & timuit me: & à facie nominis mei contritus fuit.

Jam clarius demonſtrat Propheta quomodo non violet Dei fœdus ubi libere objurgat Sacerdotes: & ſimul perſtringit eorum fallacias, quod perperam ad ſe traherent fœdus Dei. Quemadmodum hodie ſacrifici Papales dicunt ſe eſſe Eccleſiam. Quomodo? quia continuo ordine ſucceſſerunt Apoſtolis. Atqui ſtulta eſt illa & ridicula definitio. neque enim protinus ſucceſſor cenſeri debet qui occupat locum alterius. ſiquis latro occidat patrem familias, & involet in ejus bona, an ideo erit legitimus ejus ſucceſſor? Sic nebulones iſti, ut habeantur pro Apoſtolis, duntaxat objectant nobis ſeriem continui temporis. atqui ſimilitudo potius quærenda erat. Videndum primo eſt an vocati ſint: deinde an reſpondeant vocationi ſuæ. neutrum habent: ergo eſt illa pluſquam frivola definitio. Sic etiam Propheta noſter hic oſtendit fucum facere Sacerdotes & decipere ſimplex vulgus, dum volunt eſſe heredes pacti quod Deus percuſſerat cum Levi patre ipſorum, hoc eſt, cum tribu ipſa: Ego, inquit Deus, verax ero, & fides conſtabit pacto meo: *Pactum meum fuit cum patre veſtro vitæ & pacis.* ſed fuit aliquid mutuum. Hic non cogitatis in pacto eſſe duas partes, & eſſe reciprocam obligationem, ut vulgo dicunt. nam ego ab una parte pollicitus ſum patri veſtro me fore ejus patrem: ſed ego ſtipulatus ſum ab eo, ut ſubeſſet mihi, ut verbo meo obtemperaret, & quæ poſtea ſequuntur. Vos autem vultis me tenere vobis obſtrictum, & interea eſſe liberi ab omni obligatione. Qualis erit iſta æquitas, ut ego vobis omnia debeam, & vos mihi nihil? *Pactum* ergo *meum fuit vitæ & pacis:* ſed pactum veſtrum quale eſt? hoc eſt, quid mihi debetis? nempe quoniam mutua eſt iſta pactio inter patrem veſtrum Levi, & totum ejus genus ac me: ideo præſtate quod veſtrarum partium eſt, & reperietis me fidum & conſtantem in omnibus meis promiſſis. Non poſſum ulterius pergere.

Da omnipotens Deus, quando nos hodie tibi eligere dignatus es in ſacerdotes, & conſecraſti nos tibi ſanguine unigeniti Filii tui, & per Spiritus tui gratiam: da, inquam, ut rite & pure exhibeamus tibi noſtra officia, & ita ſimus tibi addicti, ut vere glorificetur in nobis nomen tuum, atque ita confirmemur magis ac magis in ſpe earum promiſſionum, quibus non tantum deducis nos per curſum hujus terrenæ vitæ, ſed etiam invitas ad hereditatem tuam cœleſtem: atque ita regnet Chriſtus Filius tuus in nobis, ut adhæreamus tanquam capiti noſtro, & colligamur etiam tanquam ejus membra in ſocietatem æternæ illius gloriæ, ad quam nos præceſſit, Amen.

PRÆLECTIO SEXTA IN MALACHIAM PROPHETAM.

CAP. II.

POſtrema lectione cœpimus exponere quod hic Propheta de jure ſacerdotii diſſerit. Diximus autem hanc eſſe ſummam, fruſtra prætendere titulum honoris improbos Sacerdotes, qui non funguntur bona fide ſuo officio, quia ſit mutua pactio inter Deum & ipſos. neque enim Deus in Lege Sacerdotes inſtituit, ut permitteret illis effrenem licentiam, vel ſeipſum nudaret omni poteſtate:

ſed

ſed potius præfecit Eccleſiæ ſuæ in hunc finem, ut retinerent populum in vera pietate. Quum ergo ſit reciproca obligatio, ut loquuntur, non eſt cur Sacerdotes ſibi arrogent ſummam poteſtatem cum ipſius Dei jactura. Ideo dixerat Propheta pactum Dei fuiſſe vitæ & pacis cum Levi: nempe quia Deus, qui verax eſt in ſuis promiſſis, pollicitus fuerat ſe fore propitium Levitis. Pactum ergo vitæ & pacis nominat Propheta noſter, quia Levitæ ſenſuri fuerant Deum modis omnibus beneficum, ſi viciſſim ipſi exequuti fuiſſent partes ſuas. Nunc adjungit, *Dedi ei timorem, & timuit me.* Interpretes qui hic ſubaudiunt particulam Propter, corrumpunt totum ſenſum. nam timor hic accipitur pro regula colendi Dei: quaſi diceret, Præſcripſi quomodo munus ſuum rite obiret. Dediſſe ergo Deum timorem Levitis intelligit, quia noluerit vagari pro ſua libidine, ſed continuerit eos in officio: quaſi diceret, Vos quidem polletis non vulgari honore, quia eſtis Eccleſiæ magiſtri: ſed tamen vobis etiam impoſui aliquod frenum: quemadmodum juſſi reliquum populum vobis obtemperare; ita etiam vobis mandavi quid agendum eſſet. Quum ergo dederim timorem meum Levi, hoc eſt, præſcripſerim certam Legem qua me coleret, nunc cujus impudentiæ atque improbitatis eſt, jactare nomen illud honorificum Sacerdotii, & interea non eſſe Sacerdotes? Quid enim eſt eſſe Sacerdotem Dei, niſi regere Eccleſiam ſicuti Deus ipſe præcepit? *Dedi ergo illi timorem meum, & timuit me*, hoc eſt, ſervavit Legem illam ſibi præfixam: & *contritus fuit coram nomine meo*, hoc eſt, humiliter ſe geſſit: non extulit ſe inani ſuperbia, ut opprimeret Eccleſiam meam, ut tyrannice dominaretur, ut perverteret omnem ordinem: ſed fuit exemplar modeſtiæ. Agnovit enim eo magis ſe mihi eſſe obſtrictum, quia ipſum ornaveram tanta dignitate, ut Eccleſiam meam regeret. Poſtea ſequitur,

6. Lex veritatis fuit in ore ejus, & iniquitas non fuit reperta in labiis ejus: in pace & rectitudine ambulavit mecum: & multos redire fecit (*hoc eſt, convertit*) ab iniquitate.

Pluribus verbis exponit quomodo Levi reſponderit Dei mandato, nempe quia *Legem veritatis habuit in ore*, inquit. Hoc eſt præcipuum in Sacerdote, ut viam recte vivendi oſtendat populo. nam poſſet quiſpiam tota vita eſſe integerrimus & ſanctiſſimus, non ideo tamen cenſendus eſſet Sacerdos. Ideo maxime in hac parte inſiſtit Propheta noſter, quod ſcilicet Levi populum docuerit. non agit de ipſo: ſcimus enim Levi fuiſſe mortuum ubi Aaron fuit creatus Sacerdos. verum hic non de uno homine agit Deus, ſed de ipſo genere: quaſi diceret, Aaronem, deinde Eleazar, & qui poſtea ſequuti ſunt, ſciviſſe in quem finem ornati fuiſſent ſacerdotio: ideoque probe ſuis partibus fuiſſe defunctos. Jam explicat Propheta quid præcipue Deus exigat à Sacerdotibus, nempe ut oſtendant, quemadmodum jam dixi, populo viam pie & ſancte vivendi. ſed utitur aliis verbis, quæ tamen huc ſpectant. dicit, *Legem veritatis fuiſſe in ore.* Cur non potius laudat integritatem cordis, quam ſermonem ipſum? Si de quolibet homine ſermo eſſet, vel de aliquo privato, merito Propheta diceret eum quem vellet probare ſervum Dei, pie & innoxie ſe geſſiſſe inter homines: ſed quoniam de publico munere agit, dicit Legem veritatis fuiſſe in ejus ore. neque enim dignus eſt gradu honoris qui mutus eſt: & nihil magis præpoſterum, vel etiam ridiculum, quam haberi pro Sacerdotibus qui non ſunt doctores. Hæc enim ſunt inſeparabilia, ut loquuntur, fungi ſacerdotio, & docere. Et ut clarius oſtendat ſe non loqui de re vulgari, repetit aliis verbis *non fuiſſe repertam iniquitatem in labiis ejus.* Videmus ergo hæc peculiariter referri ad ſacerdotale munus. Poſtea adjungit, *In pace & rectitudine ambulavit coram me.* Hic commendat etiam Propheta in primis Sacerdotibus ſincerum ſtudium pietatis, quod ſcilicet *ambulaverint cum Deo in pace & rectitudine*, hoc eſt, non tantum in labiis & ore geſtaverint inſignia, unde poſſent merito cenſeri Dei miniſtri & Eccleſiæ paſtores: ſed quod etiam exequuti ſint munus ſuum ex animo. & alludit ad nomen Pacis, de quo loquutus fuerat. Sicuti ergo Deus pollicitus fuerat pacem Levitis, ita etiam dicit Levitas tunc fuiſſe tranquillos coram Deo, ut ſcilicet non ruperint fœdus illud, quod Deus cum illis pepigerat. quoniam ergo ſtipulationi Dei reſponderant, dicit Ambulaſſe in pace. Sed modum ſimul declarat, quod ſcilicet ambulaverint in rectitudine. & notanda eſt particula אתי, Mecum. Confirmat enim quod prius dixit, nempe ſacerdotii honorem nihil minuere de imperio Dei: quia ſcilicet Sacerdotes retinent ſibi addictos. Significat igitur non fuiſſe evectos in tantam altitudinem, ut poſſit eorum dignitas quicquam derogare imperio Dei: quia vigere debet illa obligatio mutua, cujus mentio facta fuit, ut ſcilicet Deus fidelem ſe præſtet; Sacerdotes etiam non diſcedant à fide officii ſui, ſed probent ſe legitimos eſſe Dei miniſtros. Fructum etiam doctrinæ adjungit, quod ſcilicet Levi *converterit multos ab iniquitate*, hoc eſt, adduxerit populum ad reſipiſcentiam. Sequitur poſtea, (nam conjungi debet hic verſus)

7. Certe labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & Legem requirent ex ore ejus: quia nuncius Jehovæ exercituum eſt.

Quod de primis Sacerdotibus dixit Propheta, extendit ad totum genus Leviticum: & oſtendit perpetuam eſſe legem atque inviolabilem in ſacerdotio. Dixerat Levi præpoſitum fuiſſe Eccleſiæ, non ut ad ſe traheret Dei honorem, ſed ut ſtaret in ſuo gradu, nempe eſſet Dei & electi populi miniſter. Jam confirmat hoc ipſum, pronuncians generalem ſententiam, quod ſcilicet *labia Sacerdotis ſervare debeant ſcientiam*: quaſi diceret eſſe cellam unde victus Eccleſiæ promi debeat. Deus ergo voluit præeſſe Sacerdotes electo populo, ut populus cibum peteret quaſi ex cellis: ſicuti in communi uſu videmus hoc ſervari, ut ſcilicet paterfamilias habeat cellam vinariam, habeat horreum ſuum. Quoniam igitur promi ſolet victus toti familiæ ex cellis, ideo Propheta hanc ſimilitudinem uſurpat, quod ſcilicet Deus apud Sacerdotes depoſuerit ſcientiam, ut os cujuſque Sacerdotis ſit quoddam promptuarium, ut ita loquar; unde petant fideles ſcientiam & regulam bene vivendi. *Cuſtodient ergo labia Sacerdotis ſcientiam, & Legem requirent ex ore ejus.* Oſtendit modum cuſtodiæ, non ut ſupprimant hunc theſaurum Sacerdotes; ſed ut tota Eccleſia fruatur ſcientia, cujus ipſi ſunt cuſtodes. Petent ergo, vel requirent Legem ex ore ejus. Lex poteſt ſimpliciter accipi pro doctrina. ſed non dubium eſt quin Propheta alludat ad doctrinam Moſis, quæ fuit unicus fons omnis ſcientiæ. Scimus enim Deum Lege ſua complexum fuiſſe quicquid ad ſalutem Eccleſiæ ſpectabat: nec vero quicquam additum fuit à Prophetis. ergo Propheta noſter ſub nomine תורה ſic complectitur omnem doctrinam, ut tamen oſtendat repoſitam

eſſe

eſſe apud Moſen. Poſtremo adjungit, *Sacerdotes eſſe nuncios Jehovæ*. Breviter hic definit quid ſit Sacerdotium, nempe legatio quam Deus mandat hominibus, ut ſint ejus interpretes in Eccleſia docenda & regenda. Quid eſt igitur Sacerdos? legatus Dei & interpres. hinc ſequitur, à jure ſacerdotii non poſſe divelli docendi munus: prodigium enim eſt ſiquis Sacerdotem ſe eſſe jactet, interea non ſit doctor. Ratiocinatur igitur ab ipſa definitione Propheta, quum dicit *Sacerdotem eſſe Angelum Dei*. Poſtremo ſequitur antitheſis, ubi dicit,

8. Atqui vos declinaſtis è via, impingere (*vel ruere*) feciſtis multos in Lege: corrupiſtis fœdus Levi, dicit Jehova exercituum.

Hic docet quam procul abſint Sacerdotes ſui temporis à pacto illo, cujus meminit. hinc colligit indignos eſſe honore, cujus tamen fiducia erant inflati, & ſub cujus umbra tegere volebant ſua flagitia, quaſi Deo obſtricti non eſſent, & interea Eccleſiam poſſent impune calcare pedibus ſuis. Oſtendit igitur nimis ſtultam eſſe hanc arrogantiam, quod velint immunes eſſe ab omni lege, & interea Deum ſibi habere devinctum cum tota Eccleſia. Dicit primo *declinaſſe ipſos è via*, hoc eſt, nihil habere affine ſuo officio, unde cenſeri debeant Sacerdotes. Poſtea amplificat crimen, *quod multos impingere fecerint in Lege*. de Levi paulo ante dixerat, ambulaſſe ipſum in pace & rectitudine. Hoc autem valde contrarium eſt, quod Sacerdotes obliti religionis excuſſerint primi jugum. dixerat Levi multos reduxiſſe ab iniquitate: jam dicit Sacerdotes feciſſe multos impingere. Poſtremo adjungit, *Ergo corrupiſtis fœdus*: hoc eſt illative poſitum, & ita reſolvi debet oratio, Quum autem declinaſtis à via, & perverteritis totum Dei cultum, hoc modo pactum violaſtis, quod ſancitum fuerat cum Levi. Non eſt ergo cur jactetis inanem titulum honoris, quia defecit ſucceſſio, ubi comperti eſtis defeciſſe à fide patris veſtri Levi. Poſtremo ſequitur,

9. Atque etiam ego dedi vos probroſos & abjectos toti populo, ſecundum quod non ſervaſtis vias meas, & extuliſtis perſonas in Lege.

Concludit Propheta fruſtra gloriari Sacerdotes officii ſui honore, quia deſierint eſſe Sacerdotes Dei. jam redeamus ad principium. Tenemus quam cauſam hic tractet Propheta. Quoniam enim Sacerdotes volebant ſingulari privilegio ſe eximere ab omni reprehenſione, præcipue ipſos aggreditur: quia profecto caruiſſet doctrina apud vulgus & gregarios homines, niſi coacti fuiſſent in ordinem Sacerdotes ipſi. Non dubium igitur eſt quin blanditi fuerint populo Sacerdotes, & ita conati fuerint eripere Prophetis omnem reverentiam, ut careret pondere eorum doctrina. Hæc ratio eſt cur tam ſevere ipſos exagitet Propheta noſter. ſed hic conſiderandus eſt nobis ſtatus cauſæ. Dicebant Sacerdotes ſe divinitus fuiſſe præfectos toti Eccleſiæ, nec poſſe honore illo ſpoliari, quem à Deo acceperant. Sumebant autem partem unam fœderis duntaxat: ſed interea volebant Deum jure ſuo privare. Propheta hic reſpondet, Deum quidem ipſos dignatum fuiſſe non vulgari honore, dum Sacerdotes Eccleſiæ ſuæ præfecit: ſed ſimul reputandam eſſe pactionem, in qua mutua erat ſtipulatio. Deus enim non ſimpliciter ipſos inſtituerat Eccleſiæ duces, ſed conditione appoſita. Videmus ergo hunc eſſe cauſæ cardinem, quod Sacerdotes temere & perperam arripiant quod ſpectabat in ſuum commodum: interea negligant atque aſtute prætermittant quod primum erat, nempe ſacerdotium referri ad Dei cultum. Jam ſi adepti eſſent quod volebant, nullus fuiſſet Deus in Eccleſia, ſed traxiſſent ad ſe tyrannicum imperium. atqui Deus ſemper hunc ordinem voluit ſervari & adhuc vult, ut ipſe emineat ſupra omnes mortales. Nunc ubi tenemus conſilium Prophetæ, facile eſt colligere ſummam totius rei. ſed antequam ultra progredior, notandum eſt hic priore loco depingi nobis veros & legitimos Sacerdotes. Hic ergo Propheta non tantum diſputat de officio Sacerdotum, ſed quaſi vivam effigiem ante oculos proponit in qua falli non poſſumus. Hinc ergo agnoſcant quicunque funguntur paſtorali officio, quid ab ipſis requirat Deus. Omitto quod primo loco dicit, Deum Sacerdotibus dediſſe timorem: nam hoc jam ſatis explicui, non debere Sacerdotes abuti jure ſuo, quaſi poteſtas illis immenſa permiſſa foret. Deus enim non vult Eccleſiam ſuam tyrannidi eſſe obnoxiam: ſed vult ſolus in ea regnare hominum miniſterio. Principium ergo illud tenendum eſt, Sacerdotibus præſcriptam eſſe regulam, ut emineant quidem, & obtineant gradum honoris in populo, ſed certa lege. Hoc tantum nunc videndum eſt, quod Propheta dicit, Levi bona fide & ex animo functum fuiſſe ſuo munere, *quia ſcilicet Lex veritatis fuerit in ore ejus, & non fuerit in labiis ejus inventa iniquitas*. Simul tamen annecti debet generalis ſententia, quæ continuo poſt ſequitur, nempe *quod labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam*. Hæc igitur Lex non poteſt aboleri, quin oporteat doctores eſſe qui Sacerdotes ſunt vel Paſtores in Eccleſia. Et non inſcite Gregorius accommodat figuram illam Legis ad hanc partem. nam ſcimus in veſtitu ſacerdotali fuiſſe tintinnabula: & diſerte exprimitur apud Moſen, ne Sacerdos prodeat abſque ſonitu. Gregorius, quemadmodum jam attigi, hoc ad rationem *Exod. 28. verſ. 35.*
docendi trahit, Væ, inquit, nobis ſi egredimur abſque ſonitu, hoc eſt, ſi jactemus nos eſſe paſtores, & interea ſimus canes muti. Nihil enim minus tolerabile eſt, quam cenſeri paſtorem in Eccleſia qui non loquitur, & cujus vox clare non reſonat in ædificationem populi. hoc dixit Romanus Papa. Nunc qui tam ſuperbe & plenis buccis ſe jactant ejus ſucceſſores, ſaltem reſonent, & audiemus quid doceant. ſed quum tota eorum poteſtas ſit in barbarie poſita, hinc apparet quam fideliter cuſtodiant pactum Dei. Redeo igitur ad Prophetæ noſtri contextum. dicit Legem hanc præfixam eſſe à Deo, nec poſſe ullis hominum placitis, vel ulla conſuetudine violari, nempe *ut Sacerdos cuſtodiat ſcientiam in labiis*. Seipſum tamen explicat dum oſtendit cuſtodem eſſe ſcientiæ Sacerdotem, non ut ſibi ſapiat privatim, ſed ut totum populum doceat: *Requirent*, inquit, *ex ore ejus Legem*. hoc eſt unum. Deinde reſtringit nomen ſcientiæ ad veram doctrinam, quæ ſcilicet fluit ex Lege Dei, quia eſt unicus fons veritatis, ſicuti dixit Legem veritatis fuiſſe in ore Levi. Non ſufficiet igitur, ſiquis habeat os apertum, & expoſitus ſit ad omnes docendos, niſi accedat ipſa doctrinæ puritas. Videmus ergo non tantum requiri ſermonem quemlibet à Sacerdotibus, ſed purum, & qui petitus ſit ex ore ipſo Dei: quemadmodum apud Ezechielem tertio capite dicitur, *Ezech. 3.*
Accipies ex ore meo verbum, & annunciabis illis ex *verſ. 17.*
me. Oſtendit illic Deus non pollere tanta auctoritate Prophetas, ut futiliter proferant quicquid in buccam venerit, vel quicquid conſuerint rectum eſſe: ſed eatenus probos fore doctores, quatenus fuerint diſcipuli Dei ipſius. Jubet ergo peti ex ore

ſuo

ſuo verbum: deinde adjungit, Annunciabis illis ex *Jer. 23. verſ. 28.* ore meo. Sic etiam viceſimo tertio capite Jeremiæ dicitur, Quid paleæ ad triticum? Propheta qui ſomnium habet, annunciet ſomnium: & qui habet ſermonem meum, annunciet ſermonem meum vere, inquit. Hic limitat Deus jus Propheticum & definit: acſi diceret Prophetas non conſtitui, ut promiſcue hoc vel illud afferant, ſed quiſque ſecundum menſuram revelationis fideliter diſpenſet, ac tradat de manu in manum quod è cœlo accepit. nam per duas illas ſpecies intelligit Deum non debere admitti ullam doctrinam, niſi quam ipſe revelavit: & paleæ comparat quicquid homines proprio ingenio excogitant. Vult autem duntaxat puram Legis ſuæ doctrinam haberi pro tritico. hoc igitur ſecundum notandum in hac diſputatione Prophetæ. Sed ſimul etiam expendere convenit poſtremum illud, *quod Angelus Dei exercituum ſit Sacerdos*. Videtur quidem hoc dictum eſſe in honorem Sacerdotii: ſed potius intelligit Propheta Sacerdotes nihil habere proprium, vel ſeparatum à Deo: ſed quicquid reverentiæ illis debetur, referri ad ipſum Deum, cujus miniſtri ſunt. Dixi eum ratiocinari ab ipſa definitione: quaſi diceret, Quiſquis vult haberi Sacerdos, ſit etiam doctor. ſed interea hoc notandum eſt, ſubeſſe tacitam comparationem inter Deum & Sacerdotes: quaſi diceret, Sacerdotes nihil ſibi poſſe plus ſumere, quam ut Dei ſint interpretes. hinc colligere promptum eſt, ſacerdotium nihil derogare imperio Dei. Videmus ergo his paucis verbis Prophetam duo magni momenti capita comprehendere, quod ſcilicet nullum ſit ſacerdotium abſque doctrina, nec ullus Sacerdos, niſi qui probe docendi officio fungatur. Secundo oſtendit, nihil Deo ex ſuo jure & poteſtate decedere, quum Sacerdotes eminent in Eccleſia, quia ſcilicet tantum illis miniſterium Deus mandavit, & quidem hac lege, ut ſemper auctoritas penes unum ipſum maneat: quia alioqui non eſſet Sacerdos Angelus Dei exercituum. Inter alia ſimul etiam Propheta hoc poſtulat à Sacerdotibus, ut ſincere peragant ſuas partes. Scimus enim multos in ſpeciem defungi, & excellere doctrina: ſedulo etiam incumbere in hoc officium: ſed alios ambitio impellit, alios avaritia. Propheta igitur hic apponit alteram legem, nempe ut in rectitudine coram Deo ambulent, hoc eſt, ut non tantum ſatisfaciant hominibus, vel captent mundi plauſum, ſed pura conſcientia ſeſe exerceant in officio. Ideo dixi hic ante oculos ſtatui nobis exemplar, ut ſciamus quid à nobis Deus poſtulet poſtquam Eccleſiæ ſuæ paſtores conſtituit. Jam ſequitur exprobratio, ubi dicit Propheta, *Vos autem declinaſtis è via*. Dum tam libere caſtigat Sacerdotes, hinc colligimus etiam ipſos ſubeſſe correctioni: & nihil magis eſſe abſurdum, quam quod Clerus Papalis vult ſolutus eſſe omni lege & diſciplina. nam hic coguntur in ordinem Sacerdotes, ut agnoſcant ſua delicta: *Vos*, inquit, *declinaſtis è via*. deinde, *errare feciſtis multos in Lege*. Ubi accedit hoc ſecundum, jam nullo modo parcendum eſt Sacerdotibus. Si privatim tantum peccarent, quamvis corrumperent malis exemplis Eccleſiam, tamen hoc poſſet utcunque ferri: cæterum, ubi corrumpunt ac depravant puram doctrinam, ubi pervertunt ordinem in Lege poſitum, nullam veniam merentur. Hæc ratio eſt cur tam ſevere & libere contra eos inſurgat Malachias. Poſtremo adjungit, *Ergo corrupiſtis fœdus*. Poſſet quidem hoc tertium membrum bifariam exponi, vel quod pergat Propheta in ſua objurgatione, vel quod inferat ex ſuperioribus, merito abdicari omni honore, quia pacto non ſteterint. ſed hæc poſterior expoſitio melius convenit, quemadmodum prius eam amplexus ſum. Colligit ergo, ſicut dixi, ſtultam eſſe jactantiam, quod Sacerdotes dicant ſe eſſe ex ſancta Tribu quam Deus elegit, & ſibi voluit eſſe peculiarem. Dicit ergo fœdus Levi fuiſſe ab ipſis violatum. & opponitur ſuperiori membro, ubi dicit, ut ſciatis pactum meum fuiſſe cum Levi. Diximus enim tunc improbos ſemper fucum facere, ubi coarguuntur quaſi poſſent depellere Deum jure ſuo. Sic Levitici Sacerdotes dicebant non poſſe irritum fieri quod ſemel ſtatuerat Deus. hoc prætextu volebant haberi ſacroſancti, quod eſſent ex Tribu illa ſacra: tunc Propheta illis dicebat, Scietis pactum Dei eſſe ſacrum, & tamen vos eſſe nullos. Sic etiam hoc loco, *Violaſtis pactum Levi*, hoc eſt, fruſtra prætexitis vos fuiſſe electos à Deo, & ſancitum fuiſſe ſacerdotii veſtri honorem: Deus enim voluit ſervari Legem à ſe poſitam. Quoniam ergo *violaſtis pactum Levi*, non eſtis amplius Levitæ: hoc eſt, quoniam eſtis filii degeneres, jam hereditas à vobis merito ablata eſt, & abdicati eſtis honore illo ſacerdotii. Et optime reſpondet quod ſequitur, *Etiam ego dedi vos*, vel dabo, *probroſos & abjectos toti populo, ſicuti non ſervaſtis vias meas, & accepiſtis perſonam in Lege*. Primo oſtendit Deus ſe nulla lege jam conſtringi, quominus abjiciat improbos Sacerdotes, quia fuerint fœdifragi. Deinde adjungit, *Accepiſſe in Lege perſonas*, quia ſcilicet lucrum captaverint, atque ita in gratiam hominum flexerint ac corruperint totam pietatis doctrinam: ſicuti fieri neceſſe eſt, ubi vel ambitio, vel avaritia regnat, quia nulla erit ſinceritas, ſed ſemper adulterabitur pietatis doctrina. Non poſſem nunc abſolvere. Cras igitur erit tractanda comparatio inter vetus ſacerdotium & Eccleſiæ Chriſtianæ.

Da omnipotens Deus, quando nos dignatus es tibi in Sacerdotium accipere, & quum eſſemus non tantum ex vulgo, ſed etiam profani homines, & alieni ab omni ſanctitate, tamen nos tibi conſecraſti per Spiritum tuum, ut noſipſos offeramus tibi in ſanctas hoſtias: da, inquam, ut officii & vocationis noſtræ memores, pure nos tibi addicamus in obſequium, atque ita offeramus tibi ſtudia noſtra, & officia, ut vere in nobis glorificetur nomen tuum, & reipſa appareat nos eſſe inſitos in corpus unigeniti Filii tui: & ſicuti ipſe ſummus eſt, atque unicus & perpetuus Sacerdos, ita nos eſſe conſortes Sacerdotii, quo illum voluiſti ornare, ut ſocios etiam nos ſibi aſſumeret: atque ita in toto corpore ſicuti in capite glorificetur nomen tuum perpetuo, Amen.

PRÆLECTIO SEPTIMA IN MALACHIAM PROPHETAM.

CAP. II.

Diximus heri Sacerdotes fuiſſe veteri Eccleſiæ præfectos cum certa pactione, ut fideliter exequerentur munus ſuum: deinde ſi improbi ſacerdotes & qui perfide agunt in officio ſuo, jactant aliquem honorem, fallaciam hanc pro nihilo ducendam eſſe, ubi titulus ſine re obtenditur. Hæc duo fuerunt expoſita. Nunc videndum eſt an hoc ad ſtatum & gubernationem Chriſtianæ Eccleſiæ pertineat. Papiſtæ hoc negant, quia vellent libere, imo confuſa licentia dominari: & nihil

interea

interea Deo præſtare, acſi dignitas ipſa aboleret Dei imperium. Neque enim aliter poſſunt jugum excutere, niſi Deum omni ſuo jure ſpolient. Neque mirum eſt eos ita agere, quia etiam ſub Lege magnum fuit certamen Prophetis contra impios Sacerdotes, qui defecerant à fide officii ſui: nam ſemper illis in ore erat vocatio, quum tamen alieniſſimi eſſent à Lege illa, quam Deus Sacerdotibus præſcripſerat. Ergo nihil novum faciunt hodie Papiſtæ, ſi volunt eſſe immunes ab omni lege, ut quidvis audeant, & ſpernant omnes reprehenſiones: quia ſcilicet regnum obtinent, & quidem tyrannicum ac barbarum. Sed quid illi dicant noſtrum eſt etiam deſpicere: quia Deus interea è ſublimi pronunciat quod hic legimus apud Prophetam noſtrum, nempe ſe ita regere Eccleſiam, ut emineat ſupra cunctos mortales. Deus certe poſtquam exhibitus fuit Chriſtus in carne, noluit abjicere Eccleſiæ ſuæ curam & regimen: noluit etiam quaſi privatus quiſpiam in ordinem cogi. Si hodie ſalvum & incolume manet imperium ſuum Deo, ſequitur in jure Sacerdotii nihil eſſe mutatum, quod ad hanc partem ſpectat. ergo quicquid auctoritatis prætexant qui volunt cenſeri Eccleſiæ Paſtores, manere tamen ipſos neceſſe eſt in hoc gradu, ut fideliter munus ſuum peragant, quod divinitus injunctum eſt: quia ſicuti eos extulit in magnum honorem, ita etiam viciſſim ab ipſis ſtipulatus eſt, ut regant Eccleſiam fideliter. Cæterum, ſi clerus Papalis ſe conferat cum Sacerdotibus Leviticis, melior fuit illorum conditio. Deus enim hereditarium Sacerdotium in Lege inſtituit, quemadmodum ſatis notum eſt. Voluit ſuffragiis Eccleſiæ poſt Chriſti adventum creari Paſtores in Eccleſia. Tribus autem Levitica ſub Lege honorem illum jure ſibi vendicabat: depoſuit enim jus & honorem Sacerdotii Deus in illa Tribu. Ergo ſi contendant Papiſtæ plus ſibi deberi quam Sacerdotibus Leviticis, hoc erit ridiculum: neque enim ulla nunc eſt hereditas, ut filii patribus ſuccedant in miniſterio, vel officio paſtorali. Videmus ergo ſi comparatio hic valere debeat, Legale Sacerdotium fuiſſe quoad ſucceſſionem majoris momenti. Et ſcimus etiam quid Deus promiſerit tam Aaroni, quam reliquis. Ab Aarone tranſiit dignitas ad poſteros Phinees: viſus eſt etiam ille inviolabili jure cum tota ſua ſobole eſſe prææditus. Atqui hic Deus expoſtulat cum Sacerdotibus, quod violaverint pactum: & ideo dicit ſe non teneri amplius obſtrictum, quia ipſi fuerint fœdifragi & apoſtatæ. Nunc obtendat Papa cum omnibus ſuis quicquid poteſt. Certe hoc totum erit evanidum præ illis magnificis elogiis, quæ poterant in ſpeciem obtendere Levitici Sacerdotes. Dicit Papa fuiſſe ſedem Apo-
Mat. 16. *verſ.* 18. ſtolicam Romæ fixam, quia dictum fuerit Petro, Tu es Petrus, &c. Ego hic non inſiſtam in refutandis nugis illis: quia nihil opus eſt pluribus diſputare an hoc reſtringi ad ſolam Petri perſonam debeat, an vero extendi ad alios. ſed illic nulla fit loci mentio. Dicit Petrum fuiſſe Romanum Epiſcopum. Etiamſi hoc illi concedatur, (quod tamen poteſt etiam facile refelli ex hiſtoriis) non ſequitur tamen hereditario jure primatum fuiſſe tranſlatum ad omnes Romanos Epiſcopos. Ergo ſucceſſio, quam ipſi ſuperbe jactant, merus eſt fumus. Cæterum, ut demus illis omnia quæ poſtulant, hoc tamen excipere neceſſe eſt, non fuiſſe affixum loco Sacerdotium, ita ut quiſquis vocatur Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſimul etiam obtineat primatum, & caput reputetur totius Eccleſiæ. Deinde hoc etiam videndum ſecundo loco, quale ſit ſacerdotium Papale. Nam dum inſtituit beſtia illa ſuos ſacrificos, non ſequitur Chriſti ordinationem, neque ad eam accedit. Quid enim eſt ſacerdos in Papatu? nempe qui Chriſtum immolat, hoc eſt, qui ſpoliat Chriſtum honore quem Pater cœleſtis ſolenni jurejurando ſancivit. Chriſtus vocatus eſt Sacerdos: & fuit etiam hic honor, quemadmodum nunc dixi, ſancitus jurejurando. Omnes ſacrifici Papales inaugurantur ad munus ſuum, ut ſacrificent: Damus tibi poteſtatem offerendi placabiles hoſtias ſic enim inaugurant ipſos: & hoc verbum proprie competit in Papiſtas. nam magicæ illæ ſuperſtitiones, quibus olim uſi ſunt Romani, hodie manent in Papatu. Videmus ergo ſi exigimus ad normam Chriſti ſacerdotium Papale, penitus ipſum eſſe profanum, imo plenum ſacrilegiis. Sed ut legitima ſit eorum vocatio, ut demus illos eſſe creatos Eccleſiæ Paſtores, qui continua ſucceſſione prodierint ab ipſis Apoſtolis: negandum tamen eſt ipſos ſic debere ferri, ut omnem licentiam ſibi uſurpent, ut tyrannidem exerceant in Eccleſia ſine aliqua reprehenſione. unde enim illis tanta poteſtas? Colligimus ergo in ſumma quod hic legitur de Sacerdotibus Leviticis, non ſolum competere in ſacrificos Papales, ſed multo magis valere contra ipſos: quoniam ſcilicet neque hereditarius ſit honor, neque etiam vera & recta ſit eorum vocatio, quoniam non poſſunt cenſeri Eccleſiæ Paſtores, quin honore ſuo ſpolietur Chriſtus: imo quin ipſum quotidie ſacrificent & mactent. Hinc colligimus, minime tolerandos eſſe in Eccleſia, quoniam pactio Dei vigere debet ſicuti eſt inviolabilis. Quæ autem eſt? nempe ut cuſtodiant Legem Dei in ore ſuo, & ſint ejus nuncii & interpretes. Ubi videmus muta eſſe idola, imo ubi videmus etiam vertere in mendacium totam Dei veritatem, quomodo tolerabilis erit hæc barbaries, ut Deo excluſo diabolus ipſe ſub hominum perſona adulteret totum Dei cultum, pervertat & labefactet, imo in nihilum redigat omnem pietatem? deinde ut mendaciis ſuis repleat Eccleſiam, quæ debet eſſe ſanctuarium veritatis? Hæc poſſent fuſius tractari: ſed ſufficiat breviter oſtendiſſe quam falſo glorietur Clerus Papalis, ſe pollere honore Sacerdotii: quum tamen appareat nullum eſſe jus, nullam auctoritatem, ubi non ſervatur fides Deo & Eccleſiæ. Nunc pergamus.

10. Annon pater unus omnibus nobis? annon Deus unus creavit nos? cur fraudabimus quiſque fratrem ſuum (*alii, cur tranſgredietur quiſque in fratrem ſuum? alii paſſive accipiunt, cur decipitur quiſque à fratre ſuo?*) ad polluendum fœdus patrum noſtrorum?

Hic Judæos alio crimine accuſat Propheta, quod ſcilicet perfidi eſſent in Deum & fratres ſuos, & diſcederent ab illa prærogativa, in quam Deus ipſos extulerat, quum electi ab ipſo eſſent præ cunctis gentibus, ut eſſent populus ſacer & peculiaris: deinde ut eſſent regnum Sacerdotale. Hanc ingratitudinem Propheta exagitat, quum dicit *unum omnibus eſſe patrem, & omnes creatos eſſe ab uno Deo.* Nomen Patris tam ad Deum ipſum referri poteſt, quam ad Abraham. Et quidam interpretes volunt eſſe repetitionem, quæ trita eſt Hebræis. Dicunt igitur, unum Deum eſſe omnibus Patrem, quia omnes creavit: ut poſterius membrum exegetice ſumatur. Sed melius conveniet, meo judicio, referre ad ipſum Abraham: & contextus etiam hoc poſtulat, quia paulo poſt ſequitur (nempe in fine verſus) violatum fuiſſe fœdus, quod Dominus cum ipſorum patribus pepigerat. ſed hoc certius erit ſi teneamus Prophetæ conſilium. Sequetur paulo poſt objurgatio, quod aſſumerent ſibi plures uxores. Cæterum, nondum videtur mihi Propheta vitium illud exprimere, ſed potius generaliter loqui, quod non ſervarent illam puritatem, ad quam vocati fuerant: quia ſcilicet promiſcue ducebant uxores ex profanis gentibus.

Quoniam ergo ſine delectu miſcebant ſe incredulis, & Dei contemptoribus, Propheta conqueritur ipſos eſſe immemores illius tantæ dignitatis, ad quam evecti fuerant, quum ſcilicet Deus ipſos dignatus eſſet adoptare in ſacrum populum. Ita enim factum fuit, ut concideret nobilitas illa, quam celebrat Moſes quarto Deuteronomii capite, Quæ gens eſt
Deut. 4. verſ. 8. tam inclyta, ad quam appropinquet Deus, ſicuti vides eum tibi propinquum eſſe? Quum ergo ſeſe proſtituerent Judæi, Propheta eos damnat ingratitudinis. Deinde ſimul etiam oſtendit ipſos inhumaniter agere adverſus fratres, quibus tamen ſanctiore vinculo fuerant conjuncti. Mihi igitur probabile eſt, poni hic Deum & Abraham, quia Deus elegerat genus Abrahæ, & ſibi adoptaverat in populum: deinde quoniam depoſuerat fœdus ſuum apud Abraham & alios Patres. Ita Abraham fuerat quaſi mediator fœderis, quod Deus percuſſerat cum tota ejus ſobole. Nunc ergo ubi tenemus quam cauſam tractet Propheta, facilius erit perſpicere cur tam Abrahæ mentionem faciat, quam ipſius Dei. *Annon pater unus eſt*, inquit, *omnibus nobis?* hoc eſt, annon Deus ſelegit nos à reliquo mundo, quum pollicitus eſt patri noſtro Abrahæ ſe illi fore in Deum, & ſoboli ejus? Quum ergo ab illo fonte fluxerit ad nos Dei gratia, quænam iſta ſocordia eſt, ubi abrumpimus ſacrum illud vinculum, quo Deus nos ſibi conjunxit in perſona Abrahæ? Nam quum Judæi non reputabant ſe originem ducere à ſancto Patriarcha, ſic fiebat, ut irritum eſſet, ac nullius momenti Dei fœdus apud ipſos. hæc igitur ratio eſt cur dicat, *Deum unum omnibus eſſe patrem.* Et quoniam idem poterant jactare etiam aliæ gentes, adjungit, *Annon Deus unus creavit nos?* Oſtendit non ratione communi & ordinaria Judæos fuiſſe progenitos à ſancto patre Abraham, ſed auctorem hujus generis eſſe Deum, qui ipſos creavit. Annon etiam creavit reliquum mundum? Non eodem modo. nam creatio hæc ſpecialiter ad Eccleſiam debet reſtringi. Creavit Deus totum genus humanum: ſed creavit genus Abrahæ:
Jeſa. 60. verſ. 21. quemadmodum ſæpe apud Jeſaiam vocatur Eccleſia opus & figmentum Dei. Et Paulus etiam ſequutus eſt hanc loquendi formam 1. ad Epheſ. cap. Non intelligit ergo Propheta noſter Judæos fuiſſe à Deo creatos, ut tantum naſcerentur in hoc mundo, ſed ut eſſent ſacer populus & peculium ipſius Dei. Quum ergo Deus hoc modo creaſſet Judæos, & dediſſet illis patrem unum, ut memores ſuæ originis manerent conjuncti in vero pietatis conſenſu, hic Propheta exprobrat ſocordiam, quod abjecerint inæſtimabilem illam gratiam Dei, nempe *quod quiſque fraudaret fratrem ſuum*, atque ita polluerent fœdus Patrum. Quod ad verbum בגד pertinet, dixi varie exponi à Grammaticis. ſed in ſumma rei ſatis convenit hic damnari Judæos, quod non modo perfidi eſſent in Deum ipſum, ſed etiam fraudulenti in proximos: & ita duplicarent perfidiam, cujus ſcilicet manifeſtum erat ſignum, quod non agerent ſincere cum fratribus ſuis. *Cur ergo*, inquit, *fraudamus vir*, hoc eſt, quiſque; *fratrem ſuum, ut polluamus fœdus patrum noſtrorum?* Hic *fœdus patrum* accipitur pro illa ſegregatione, de qua diximus: quia ſcilicet Deus Abraham & poſteros ejus ſibi adoptaverat, ut differrent à cunctis gentibus mundi. Sub hoc igitur patrum fœdere includitur ipſe Deus. & quia hoc non animadverſum fuit, non mirum eſt ſi frigide expoſitus fuerit hic locus, ſicuti etiam totus Malachias certe quaſi ſepultus eſt tenebris: quum vellent interpretes lucem afferre, nihil aliud quam corrupta fuit genuina mens Prophetæ. Sed nunc puto ſatis hoc eſſe perſpicuum, nempe Judæos hic duplicis perfidiæ reos agi, quod rejicerent honorem ſibi oblatum gratuita Dei electione: deinde quod etiam fraudulenter agerent cum fratribus ſuis. Unde ſequitur *fœdus patrum*, hoc eſt, quod Deus depoſuerat apud Patriarchas, ut de manu in manum perveniret ad eorum poſteros, fuiſſe violatum & irritum ipſorum ſcelere. Notandum autem interea eſt quod jam attigimus, ſic argui Sacerdotes, ut tamen objurgatio ad totum populum pertineat. ſed hoc ſtatim iterum videbimus. Hoc etiam addam, quod Propheta conjungit Deum cum Abraham, huc ſpectare, ne evaneſcamus in quærendo Deo, ſi abſque fœdere ipſum quærimus: deinde, ne etiam mentes noſtræ ſubſiſtant in hominibus. hæc enim duo vitia nobis ſedulo cavenda ſunt. Quidam poſthabitis omnibus mediis, volunt transvolare ad Deum: ita fit ut concipiant multa figmenta, & fabricent etiam ſibi multos labyrinthos, unde nunquam emergant. Videmus quam multi ſint hodie fanatici, qui ſuperbe ebuccinent Dei verbum: interea neque cœlum neque terram attingunt. Quare? vellent enim ſuperiores eſſe Angelis, & non agnoſcunt ſe opus habere adminiculis, quibus paulatim pro ſua infirmitate conſcendant ad Deum ipſum: hoc eſt Deum quærere ſine fœdere, vel ſine verbo. Hæc ratio eſt cur Propheta hic adjungat patrem Abraham ipſi Deo, ut ſcilicet Judæi ſentiant ſe incluſos fuiſſe certis finibus, quo modeſte proficerent in ſchola Dei, & paulatim eveherentur in cœlum. Deus enim, ut dictum fuit, depoſuerat fœdus ſuum apud Abraham: interea tamen quoniam poterant ſubſiſtere in homine mortali, Propheta correctionis vice addit, *ipſos fuiſſe creatos à Deo*, ne ſepararent patrem ſuum Abraham ab ipſo auctore fœderis. Hic ergo locus apprime notatu dignus eſt: quia ab initio, & omnibus fere ſeculis propenſi fuerunt homines ad utrumque vitium, quod notavi. Et hodie videmus ut alii ſuis ſomniis indulgeant, & contemnant prædicationem externam verbi, ſicuti multi fanatici dicunt, non opus eſſe rudimentis, ubi Deus pollicitus eſt ſpirituales fore Eccleſiæ filios. Satan igitur talibus impoſturis conatur abducere nos à pura ſimplicitate doctrinæ. Ergo neceſſe eſt opponere hunc clypeum, Non proponi nobis Deum ſine Abraham, hoc eſt, ſine Propheta & interprete. Jam Papiſtæ in hoc luto demerſi ſunt, quia ſemper in ore habent ſuos patres: & interea Deus nullo apud ipſos loco cenſetur. atqui nihil eſt magis præpoſterum. Meminerimus ergo neque Deum velle à verbo ſuo divelli, neque ullius momenti eſſe hominum auctoritatem, ſi ab eo ſeparentur. & hoc confirmat Propheta in fine verſus, quum loquitur de patrum fœdere. Non enim hic ſimpliciter commendat fœdus patrum, quemadmodum facerent Turcæ, & faciunt etiam Papiſtæ ipſi, & Judæi: ſed intelligit fœdus, quod Deus tradiderat, & quod ab ipſo acceptum ſancti Patriarchæ poſteris etiam fideliter tradiderant per manus: quemadmodum vigeſimo ſecundo capite Actorum etiam Paulus religionem patriam celebrat, non abſolute, quemadmodum facerent profani homines; ſed quia principium illud ſumit pro confeſſo, quod Lex per Moſen promulgata non eſſet figmentum ipſius, ſed haberet Deum ipſum auctorem. Sequitur nunc,

11. Perfide egit Jehudah, & abominatio facta eſt in Iſraële & Jeruſalem: quia polluit Jehudah Sanctuarium Jehovæ, quod dilexit: *(vel ſanctitatem: dicemus de hac voce)* & matrimonium contraxerunt cum filia dei alieni.

Jam explicat Propheta quomodo Judæi à fœdere patrum diſceſſerint. ſed exaggerat crimen illud aliis verbis, quod ſcilicet abominatio facta ſit in Iſraële: quaſi diceret perfidiam hanc eſſe abominabilem.

Alii

Alii verbum בגד vertunt, Tranſgreſſus eſt: & ita generaliter ſæpe accipitur apud Hebræos. ſed quoniam proximo verſu dixerat Propheta נבגד, Quomodo fraudabimus quiſque fratrem ſuum? non dubito repeti in eodem ſenſu. ſed quemadmodum attigi, oſtendit crimen illud eſſe deteſtabile: & dicit, *in Jehudah & Jeruſalem.* Tribum enim illam Deus aliis prætulerat, ut ſatis notum eſt. deinde hæc non vulgaris fuerat gratia, quod ſoli Judæi in patriam reverſi fuerint, quum alii fere omnes manerent in diſperſione. Adjungit ipſam Jeruſalem non honoris cauſa, ſed majoris probri: quaſi diceret non tantum quoslibet ex genere Abrahæ obnoxios eſſe huic damnationi, ſed Judæos, quibus permiſſa fuerat libertas reditus: deinde ipſam urbem ſanctam, in qua Templum erat, ſanctuarium illud Dei, quod unicum tunc erat in mundo. his ergo circumſtantiis crimen exaggerat Propheta. Sed ſtatim deſcendit ad ſpeciem ipſam: *Polluit*, inquit, *Jehudah ſanctitatem Jehovæ, quam dilexit:* nempe quoniam promiſcue ſinguli indulgeant ſuæ libidini & accerſant ſibi uxores ex profanis gentibus. Hic קדש accipiunt quidam pro Sanctuario, vel pro Templo: alii pro Legis obſervatione. ſed ego potius ad fœdus ipſum Dei refero. Et poterimus commode accipere hoc nomen collective: niſi magis placeat ſimplicior ille ſenſus, quod polluerit Jehudah ſeparationem. Quantum ad Prophetæ conſilium, & rem ipſam ſpectat, non dubito quin Propheta hic profanationem illam accuſet, quod ſcilicet Judæi ſeſe proſtituerent, quum Deus ipſos ſibi conſecraſſet. *Polluerunt* ergo *ſanctitatem:* nempe quum ſeparati eſſent à reliquo mundo, quod pro nihilo duxerint tantum honorem, quo poterant excellere ſi integri ſtetiſſent in ſorte ſua. Si collective accipere libeat, *Polluerunt ſanctitatem*, id eſt, polluerunt gentem illam ſegregatam ab aliis populis. ſed quoniam expoſitio illa poſſet videri aſperior, & aliquantum coacta, mihi ſufficit notari hac voce ſeparationem, qua diſtincti erant Judæi à profanis gentibus. Sed tamen quod dixi, etiam nobis proderit ad tollendam obſcuritatem, quæ aliqua eſſe poſſet. Quod autem hæc ſanctitas ad electionem gratuitam referri debeat, qua Deus Judæos ſibi addixerat in peculium, patet ex contextu, nempe ubi dicit Propheta eos duxiſſe uxores alienigenas. Videmus ergo quorſum tendat hæc ſententia, nempe Judæos Deo fuiſſe ingratos, quod ita miſcerent ſe profanis gentibus, & quod ſcientes ac volentes abjicerent gloriam illam, qua Deus ipſos ornaverat, quum eli-
Exod. 20. verſ. 6. gere voluiſſet in regnum Sacerdotale, ut loquitur Moſes. Scimus quantopere commendata fuerit Judæis ſanctitas, ne ſe projicerent in ullam Gentium pollutionem. Ideo vetuerat Deus in Lege, ne acciperent uxores alienigenas, niſi bene purgatas, quem-
Deut. 21. verſ. 12. admodum dicitur Deut. 21. Siquis captivam duxerit, ne eam ducat uxorem donec caput raſum fuerit; deinde etiam ſublati fuerint omnes pili ex corpore: abſciderit etiam ungues ſuos. Quaſi diceret omnes uxores impuras eſſe, & ita contaminari viros earum concubitu, niſi prius renovatæ eſſent. Et tamen illud adhuc non carebat vitio, quum quis ſervabat legem illam in captiva: ſed libido illa Deo erat abominabilis, quum propria gente non contenti, ita arderent in mulieribus alienis. Quicquid ſit, quia Judæi, ut omnes mortales ſine exceptione, propenſi erant ad corruptelas, voluit illos Deus tenere collectos in una gente, ne ſcilicet mulier ſuis blanditiis virum abſtraheret à puro & ſincero Dei cultu. Et narrat Moſes, etiam aſtute datum fuiſſe hoc conſilium à Balaam: quum videret populum non poſſe vinci aperto Marte, tandem artificium hoc invenit ut gentes profanæ uxores & filias ſuas offerrent. hinc factum eſt, ut populus in ſe provocaverit iram Dei, quemadmodum habetur in libro Numerorum. *Num. 25. verſ. 4.*
Quum ergo poſt reditum Judæi iterum prolapſi eſſent ad illam corruptelam, non abs re tam ſevere in ipſos invehitur Propheta noſter: ac dicit, uxores alienas ducendo polluiſſe ſanctitatem, hoc eſt, ſegregationem illam, quæ erat illis pluſquam honorifica, quoniam Deus ſolos ipſos adoptaverat in populum: & dicit ſanctitatem, quam Deus dilexit. Duplicatur hoc modo crimen, quia non modo devinxerat eos ſibi Deus: ſed gratuito favore amplexus fuerat. Si enim quæritur ſegregationis cauſa, an præſtabant aliis gentibus? an attulerant aliquid dignitatis aut meriti? minime: ſed Deus gratis ipſos dilexit. Sub ipſo enim Amoris nomine deſignat Propheta meram illam Dei liberalitatem, qua dignatus fuerat Abraham & ipſius ſobolem, ſine ullo reſpectu dignitatis aut excellentiæ. Exprobrat igitur illis hanc ingratitudinem, quod non modo deſciverant à fœdere, quod Dominus cum patribus ipſorum pepigerat, ſed quod contempſerint ac neglexerint gratuitum illum amorem, qui tamen debuerat etiam ferreos animos mollire. nam ſi quicquam reperiſſet in ipſis Deus cur præferret aliis gentibus, poterant adhuc magis eſſe excuſabiles, vel ſaltem extenuare culpam: ſed quum Deus indignos, & nihil de ſe meritos, tamen adoptaſſet in peculium, certe oportuit nimis brutos eſſe qui favorem illum gratuitum Dei ita ſpernerent. Indignitas ergo, ſicuti dixi, augetur hac circumſtantia, quod non flexerit in obſequium eorum animos illa tanta Dei liberalitas. In fine verſus, quemadmodum jam attigi, profanationem oſtendit Propheta, *quod duxerint filias dei alieni.* Odioſe vocat filias dei alieni, quæ colebant falſos deos. poterat dicere exteras ſimpliciter: ſed hic voluit tacite opponere Deum Iſraelis idolis omnibus: quaſi diceret, unde genitæ ſunt vobis iſtæ uxores? nempe ab idolis. Debueratis ergo illas abominari tanquam portenta: ſi vobis eſſet cordi vera religio; quicquid ex idolis profectum eſt, nonne oportuit vobis eſſe deteſtabile? atqui animi veſtri addicti fuerunt filiabus falſorum deorum. Et videmus jam hoc vitium reprehenſum fuiſſe à Moſe, & notatum ignominia ante Legem latam, ubi dicit corruptum fuiſſe hu- *Gen. 6: 2.*
manum genus, quia filii Dei duxerint filias hominum: nempe quia poſteri Seth, qui erant ex ſancta familia nati, ſeſe proſtituerint, atque ita permiſcuerint exiguam illam manum, quæ ſancta erat & ſacrata Deo, mundi inquinamentis. Tunc enim deſciverat totus mundus à Deo, excepta illa progenie Seth. Quum ante Legem notaverit Dominus æterna ignominia libidinem illam: ubi acceſſit Lex, quæ debet inſtar eſſe repaguli, & perruperit tamen populi intemperies, annon contumacia illa prorſus fuit inexcuſabilis? Poſtea adjungit,

12. Excîdet Jehova virum qui fecerit hoc, excitantem & reſpondentem ex Tabernaculis Jacob, & qui adducit oblationem Jehovæ exercituum.

Hic docet Propheta non ceſſurum impune vel Sacerdotibus vel reliquo populo, quod ita permiſceant ſe Gentium inquinamentis, & profanent Dei fœdus ac violent. *Deus* ergo, inquit, *excidet* (nam eſt proprie eradere & delere. Excîdet ergo Deus) *virum quiſquis hoc fecerit, tam excitantem quam reſpondentem.* Hieronymus vertit, magiſtrum & diſcipulum: & interpretes hic variant. Allegorice etiam quidam exponunt de mortuis. ſed non dubito, quin per Excitantem intelligat quiſquis imperio pollet, ac poteſt alium vocare: per Reſpondentem vero intelligat famulum ipſum, qui ſubjectus eſt domini imperio. Excitant ergo Domini, quia ipſorum eſt præcipere; famuli vero reſpondent, quia ipſorum eſt ca-

peſſere juſſa & obſequi. Perinde eſt igitur acſi diceret Propheta, Deum fore vindicem hujus perfidiæ, abſque exceptione, ut neque plebeiis hominibus, neque proceribus ipſis parcat. Et adjungit in eundem ſenſum Sacerdotes: quaſi diceret, ne ipſi quidem Sacerdotes excipientur. In ſumma, denunciat pœnam Judæis: & oſtendit quamvis graſſari cœpiſſet paſſim illa impietas ut quiſque alterius exemplo putaret eſſe licitum quod venerat in receptum morem, tamen Deum vindicem forè, ut comprehendat ſub eadem pœna & magiſtros, hoc eſt, heros, & ſervos: deinde etiam ut non eximat ipſos Sacerdotes, qui tamen putabant ſe tutos eſſe ſingulari privilegio. Reliqua cras.

Da omnipotens Deus; quando tam proclives ſumus ad omne genus vitii, ut nos diſcamus continere ſub verbi tui freno, & eo etiam coërcere omnes carnis noſtræ cupiditates: & quicquid Satan machinetur ad nos huc vel illuc trahendos, ut tamen conſtanter pergamus in obedientia verbi tui: & memores æternæ illius electionis, qua nos dignatus es gratuito adoptare, & vocationis etiam, qua ſancita fuit æterna illa tua electio, & qua nos in Filio tuo unigenito amplexus es, pergamus in curſu noſtro uſque ad finem, & ita adhæreamus conſtantia fidei Chriſto Filio tuo, ut tandem cum ipſo colligamur in fruitionem æterni illius regni, quod ſanguine ſuo nobis peperit, Amen.

PRÆLECTIO OCTAVA
IN
MALACHIAM PROPHETAM.

CAP. II.

13. Et hoc ſecundo feciſtis operiendo lachrymis altare Jehovæ, fletu & ploratu, eo quod amplius non reſpicitur ad oblationem, & non ſuſcipitur beneplacitum è manu veſtra.

RUrſus culpam Sacerdotum amplificat Propheta, quod populus quum ſentiret Deum ſibi adverſum, nullam tamen rationem ejus placandi amplius reperiebat. Ubi autem concipiunt animo homines Deum ſibi inexorabilem eſſe, neceſſe eſt concidere totum pietatis ſtudium: *Pſal. 130. verſ. 4.* ſicuti etiam dicitur in Pſal., Apud te eſt propitiatio, ut timearis. Quum ergo populus nihil proficeret ſacrificando, jam proprie defecerat ab ipſius cultu. Hoc crimen, quod graviſſimum erat, dicit Propheta merito poſſe imputari Sacerdotibus. nam quum polluti eſſent, quomodo, ut ante viſum eſt, reſpecta fuiſſet eorum perſona à Deo, ut mediatores eſſent ad expianda peccata, & Deum ipſum placarent? hic eſt genuinus Prophetæ ſenſus, quem nullus interpretum attigit. Hebræi putant hic coargui Sacerdotes, quia uxores eorum altare fletu replerent, quod ſcilicet viderent maritos ſuos non bona fide, nec ſecundum legem conjugii ſecum agere: & ſubſcribunt alii fere omnes. Sic ergo hunc verſum interpretantur, *Vos ſecundo hoc feciſtis*, id eſt, Jam ſatis per ſe illud peccatum grave erat, quod paſſi eſtis macilentas hoſtias mihi offerri quaſi per ludibrium: ſed acceſſit veſtrum ſcelus erga uxores, quæ aſſidue queruntur, ac deplorant indignam ſuam fortunam coram altari Dei: nempe quod non diligantur à vobis ſicuti ferebat conjugii religio. ergo lachrymas, fletum & ploratum referunt ad Sacerdotum uxores, quæ tam inhumaniter tractatæ à maritis, nihil aliud poterant quam aſſiduis querimoniis replere altare Dei. Itaque מאן פנות vertunt, Ideo non reſpiciam, vel Nemo reſpicit. ſed utraque verſio non modo obſcurat, ſed penitus depravat ſenſum Prophetæ. Optime autem convenit quod jam dixi, nempe Sacerdotibus poſſe adſcribi quod nemo tunc ea animo Deum coleret, vel ſaltem hilari & prompto affectu. Deus enim erat populo implacabilis: quia hæc una erat ratio gratiæ obtinendæ ſub Lege, ut Sacerdotes ſuppliciter, quum geſtarent perſonam Mediatoris, deprecarentur veniam totius populi nomine. Quomodo autem potuit exaudire Sacerdotum preces Deus, quum altare ejus ſordibus ſuorum ſcelerum pollueren? Videmus ergo quid valeat hæc amplificatio. *Operitis ergo altare Jehovæ lachrymis, fletu & ploratu.* Debuerant in Templo reſonare Dei laudes, ſicuti dicitur, Te expe- *Pſal. 65.* ctat Deus laus in Sion. Et hoc præcipuum erat ſacri- *verſ. 1.* ficium, ut populus ſe exerceret in meditandis Dei beneficiis & ſolvenda gratiarum actione. Atqui dicit nullos prodire coram altari alacri animo, dum omnes ſunt queruli & triſtes, quia experiantur Deum ſeverum ac rigidum. & ratio additur, עוד פנות מאן: ad verbum eſt, Annon amplius reſpiciendo ad oblationem, & accipiendo beneplacitum è manu veſtra? Facile eſt videre quam procul diſcedant à Prophetæ ſenſu qui dicunt, Non igitur amplius offerent. nam refertur hoc ad Deum. Jam alii qui vertunt, Ideo non accipiam, corrumpunt etiam ipſam literam. Sed ſenſus commode fluit hoc modo, omnes flere & ululare coram altari, quoniam vident ſine profectu ſe venire & ſacrificia ſua non placere Deo, totum etiam cultum eſſe quaſi inutilem, quoniam Deus votis eorum non reſpondeat. Propheta hanc culpam adſcribit Sacerdotibus, quod ſcilicet Deus non flectatur ad miſericordiam, ut populo ignoſcat quoties illi ſacrificant. Fletu ergo dicit repleri vel operiri altare, quoniam non accipit *Deus beneplacitum è manu ipſorum*, hoc eſt, quoniam nullæ victimæ ipſum oblectant, quæ ſcilicet offeruntur pollutis manibus & impuris. Poſtea adjungit,

14. Et dixiſtis, In quo? *(vel ſuper quo?)* quoniam Jehova teſtificatus eſt inter te & inter uxorem adoleſcentiæ tuæ, quam tu fraudaſti, *(vel, erga quam tu prævaricatus es)* quum tamen ipſa eſſet conſors tua & uxor fœderis tui.

Refert hic Propheta, ſicut ante, quam propenſi eſſent Sacerdotes ad obſtrependum. Et hoc eſt nimis vulgare hypocritis, ut ſtatim objiciant clypeum ad tegenda ſua vitia quoties arguuntur. & hinc apparet, homines prope faſcinatos eſſe à Satana, ubi contrahunt illam duritiem, ut audeant reſponſare Deo & obſtreperis vocibus repellere omnes admonitiones. Jam aliquoties uſus eſt hac forma loquendi Malachias: unde colligimus, tunc ita obduruiſſe populum, ut non magni eſſent ponderis apud eos omnes admonitiones. ſed proponit ſpeciem unam, in qua facile conſtabat ipſos prolapſos eſſe ad flagitia, quæ ferri non poſſent. non dubium autem eſt, quin ex multis ſceleribus unum deſignet. Itaque in hoc verſu eſt ſynecdoche: quaſi diceret, hypocriſis veſtra nimis craſſa eſt. nam ut reliqua omittam,

tam, quo prætextu excuſabitis perfidiam hanc, quod nulla apud vos ratio eſt fidei conjugalis? Si qua eſt in hominibus integritas & religio, debet certe in conjugio vigere. atqui vos abjecta omni pudicitia, aſſumitis vobis plures uxores. non eſt igitur cur putetis vos poſſe elabi ullis tergiverſationibus, quoniam hoc unum flagitium ſatis vos tenet convictos. huc ergo ſpectat Prophetæ reſponſio. Vidimus aliis etiam vitiis implicitos fuiſſe Sacerdotes. Non ergo perfidiam nunc accuſat Propheta, quaſi puri eſſent ab aliis criminibus: ſed, ſicuti nuper dixi, ſub una ſpecie oſtendere vult illis quam improbe & impudenter ſubterfugiant Dei judicium, quum tamen violaſſent fidem conjugii: quod eſt prorſus abolere omnem naturæ ordinem: quia, ut jam dictum eſt, nulla erit ſocietatis humanæ ſanctitas, niſi ſervetur conjugium. eſt enim ille fons humanitatis, ut ita loquar. Cæterum, ut magis urgeat Sacerdotes, revocat ipſos ad Deum conjugii auctorem: *teſtificatus eſt*, inquit, *Jehova inter te & inter uxorem tuam*. Significat his verbis, ita contrahi inter virum & mulierem conjugium, ut Deus præſideat & ſtipuletur ab utroque fidem mutuam. Ideo Solomon Proverb. capite 2. vocat conjugium fœdus Dei, quia excellit ſupra omnes humanos contractus. Sic etiam Malachias ſtatuit Deum quaſi ſtipulatorem, qui conjungat ſua auctoritate virum uxori, & ſanciat illam ſocietatem. *Deus ergo teſtatus eſt inter te*: quaſi diceret, jam tu non modo tranſgrederis omnes humanas leges, ſed pactum quod Deus ipſe conſecravit, & quod merito præferri aliis omnibus debuerat. Quum ergo teſtificatus ſit Deus inter te & uxorem tuam,

Prov. 2. verſ. 17.

nunc ubi eam fraudas, quomodo prodire audes ad altare? & qua fiducia putas Deum poſſe tuis ſacrificiis placari, vel reſpicere ad tuas oblationes? *Adoleſcentiæ uxorem* vocat, quoniam eo fœdior eſt libido, ubi mariti abjiciunt conjugalem amorem erga uxores quas ab ipſa adoleſcentia duxerunt. Conjugium quidem ſemper eſt inviolabile, etiam inter ſenes: cæterum, hæc circumſtantia tamen auget flagitium, vel turpitudinem, ubi quiſpiam ab uxore alienatur quam duxit puellam & in ipſo flore ætatis. Conciliat enim adoleſcentia amorem. & etiam videmus, ubi per annos multos ſimul vixerunt vir & mulier, ad ultimam uſque ſenectutem vigere inter ipſos amorem mutuum, quia ab ipſa adoleſcentia conglutinati ſunt inter eos animi. Hæc igitur circumſtantia non abs reponitur, quoniam libido Sacerdotum eo fœdior erat & quaſi prodigioſa, quum ita ab uxoribus diſcederent, quas tamen amplecti debuerant tenero amore: quum duxiſſent adhuc puellas. *Tu*, inquit, *fraudaſti, quum tamen ipſa ſit conſors tua, & uxor fœderis tui.* Vocat conſortem, vel ſociam, quia ſcimus contrahi matrimonium hac lege, ut uxor ſit quaſi dimidia pars viri. Quum ergo inſeparabile ſit conjugii vinculum, Propheta hic pungit, imo confodit Sacerdotes, ubi exprobrat ipſos immemores fuiſſe naturæ, quum ita delerent in animis ſuis memoriam fœderis ſacroſancti. Uxor fœderis accipitur pro uxore fœderata, hoc eſt, quæ tibi conjuncta eſt interpoſito Dei nomine, ut nullum poſſit eſſe diſſidium, quin violetur & aboleatur quodammodo omnis ſanctitas. Poſtea addit,

15. Et non unum fecit? & exuperantia ſpiritus illi? & quorſum unum? quærens ſemen Dei. ergo cuſtodiamini in ſpiritu veſtro: & in uxorem adoleſcentiæ tuæ ne tranſgrediatur. (*vel, ne fraudes. Eſt mutatio perſonæ. ponitur enim tertia perſona loco ſecundæ.*)

In hoc verſu eſt aliqua obſcuritas: & hinc factum eſt etiam, ut nullus interpretum acceſſerit ad Prophetæ mentem. Hebræi fere omnes conſentiunt, ſermonem haberi de Abraham. Si hoc recipimus, poterit ſenſus eſſe duplex. nam poſſet eſſe objectio, Annon unus fecit? hoc eſt, annon Abraham, qui eſt unus ille pater gentis, dedit nobis exemplum? plures enim uxores duxit. & ita multi exponunt, quaſi exciperent Sacerdotes, atque exemplo Abrahæ defenderent corruptelam, quæ nuper damnata fuit: Annon unus fecit, quum tamen excellentia ſpiritus eſſet in eo? ſcimus enim quam proclive ſit hominibus, prætexere auctoritatem Patrum ubi volunt tegere ſua vitia. Alii malunt accipere in Prophetæ ipſius perſona, neque tamen negant eſſe Anthypophoram: ſed volunt hic præcidi anſam excuſationis, quaſi Propheta diceret, Annon Abraham quum eſſet unicus, hoc fecit? Quum enim Judæi ſimilitudinem Abrahæ objicerent, putant interpretes, quorum nunc ſententiam refero, hic proponi diſcrimen: quaſi diceret, Vos mala arguitis. nam quiſque veſtrûm fertur carnis ſuæ libidine ad polygamiam: Abrahæ autem alia fuit & diverſa ratio, nempe quod eſſet unus, id eſt, ſolitarius. nam apud Jeſaiam etiam vocatur Abraham Unus, orbitatis reſpectu. Hanc igitur putant ſummam eſſe, Annon Abraham neceſſitate coactus eſt, ut acciperet ſibi alteram uxorem? nempe quia erat orbus, nec ſpes erat promiſſæ ſobolis. Libido ergo non impulit patrem veſtrum Abraham, ſicuti vos: ſed deſiderium ſobolis gignendæ. & putant confirmari hoc ipſum ſequentibus verbis, ubi dicitur, Et quid unus quærens ſemen Dei? hoc eſt, longe aliud fuit propoſitum ſancto Abrahæ quam ut libidini ſuæ indulgeret. quærebat enim ſemen illud ſanctum, cujus ſpes erat ablata propter ſterilitatem uxoris: & deinde quod jam eſſet effœta. Quum ergo videret Abraham uxorem ſuam ſterilem, & videret ob ſenium non poſſe

Jeſa. 51. verſ. 2.

amplius concipere, vel parere, ideo deſcendit ad ultimum illud remedium. potuit igitur error Abrahæ excuſari, quum finis ejus rectus fuerit: quærebat enim ſemen Dei, hoc eſt, ſemen illud in quo benedicendæ erant omnes gentes. Hactenus retuli quid alii ſentiant. ſed jam ante annos duodecim in Gallicis Bibliis duxi hunc locum aliter vertendum, & אחד legendum in accuſativo caſu, *Annon igitur unum fecit?* Hieronymus videtur mihi ſubolfeciſſe aliud velle Prophetam, quam quod alii docent: tamen non potuit conſequi genuinum ſenſum: & ideo quaſi in medio ſubſiſtit. Legit in caſu nominativo, Annon unus fecit, id eſt, Deus? & poſtea adjungit, Et in uno illo erat ſpiritus exuperans, vel in Abrahami, inquit. Videmus ut nihil afferere ſtudeat, & non explicet etiam quod erat neceſſe. Semper enim ſuſpenſa erit ſententia, imo frigida, ſi dicimus, Annon unus fecit? Sed ſi ita legimus, *Annon unum fecit?* nulla erit ambiguitas. Scimus Hebræis hoc eſſe tritum, ut Dei nomen non exprimant ſæpe, ubi fit ejus mentio. Nam excellentia Dei hoc in ſe habet, ut facile intelligi poſſit ejus nomen, etiamſi non exprimitur. Non debet igitur nos turbare, quod Propheta ſubticeat nomen Dei, & verbum ponat abſque ſubjecto: quia uſus linguæ Hebraicæ talis eſt, quemadmodum dixi. Nunc venio ad ſenſum Prophetæ. *Annon fecit unum?* hoc eſt, annon Deus contentus fuit uno homine, dum inſtitueret conjugium? *& tamen reſiduum ſpiritus erat in eo.* שאר accipiunt Hebræi pro Excellentia; ſed neſcio qua ratione ducti fuerint, niſi quod auſi ſunt mutare ſignificationem vocis, quia non poterant ſe expedire. occupaverat enim eorum mentes ille error, hic tractari de ipſo Abraham. Quid eſt igitur שאר רוח? illis eſt Excellentia ſpiritus. atqui שאר ſcimus eſſe Reſiduum vel reliquias. Quod ergo ſupereſt ex re aliqua, dicitur שאר. nam שאר eſt Remanere & relinquere. hic ergo Exuperantiam ſpiritus accipit Propheta

pro virtute influentiæ, ut ita loquar. Deus enim poterat duas vel tres dare uxores uni viro. neque enim defecit eum in una muliere ſpiritus: ſicuti inſpiravit Evæ vitam, ita etiam potuit alias mulieres creare, & partiri ſuum ſpiritum. Potuit igitur tres & quatuor & decem uxores dare uni viro, quia erat ſpiritus reſiduus in ipſo. Jam tenemus quid Propheta intelligat initio hujus verſus. ſed antequam ultra progrediar, tenendum eſt ejus conſilium: ut abrumpat frivolos illos prætextus, quibus tegebant Judæi ſuam perfidiam, dicit in conjugio ſemper reputandum eſſe ordinem divinitus præſitum: vel, ut brevius loquar, inſtitutionem conjugii eſſe inſtar perpetuæ legis, quam violare nefas eſt. Non eſt igitur cur homines varias leges ſibi fabricent in conjugio, quia auctoritas Dei hic ſpectari unica debet. hoc melius poterit intelligi ex capite decimo nono Matthæi, ubi Chriſtus refellens quod objectum fuerat

Mat. 19. verſ. 8. à Judæis de Repudio, dicit, Ab initio non fuit ſic. quamvis ergo Lege permiſſum eſſet dare libellum repudii uxoribus, negat tamen Chriſtus hoc eſſe licitum. Quo argumento? nempe quia inſtitutio conjugii non ſit talis, quæ ſanctio eſt inviolabilis, ut dictum fuit. ſic nunc etiam ratiocinatur Propheta noſter, *Annon unum fecit Deus?* hoc eſt, Expendite apud vos, quum Deus creavit hominem & conjugium inſtituit, an dedit plures uxores uni viro? minime. videtis ergo adulterinum eſſe & alienum à vera & pura ratione conjugii quicquid non conſentit cum illo principio. Sed quæret hic quiſpiam, cur Propheta dicat Deum Unum feciſſe. videtur enim hoc duntaxat referri ad virum, & ita ad mulieres non ſpectare. Reſpondeo Unum vocari virum cum

Geneſ. 1. verſ. 27. uxore, ſicuti Moſes ipſe loquitur, Creavit Deus hominem, maſculum & fœminam creavit ipſos. Quum dicit hominem creatum eſſe, adjungit ea poſitive, fuiſſe creatos virum vel maſculum, & mulierem. Ergo dum loquitur de homine, maſculus quaſi dimidiam partem facit, & uxor alteram dimidiam. Nam ubi diſputatio eſt de toto genere humano, dimidia pars eſt in viris, altera vero in mulieribus. ſic etiam ubi ad ipſa individua venitur, vir eſt quaſi dimidium hominis, & mulier etiam quaſi dimidium hominis. Loquor de ratione ordinaria. nam ſiquis objiceret, cælibes non eſſe igitur homines integros, hoc eſſet frivolum. ſed quoniam creati ſunt homines, ut quiſque habeat uxorem ſuam: ideo dico virum & mulierem integrum hominem facere. Hæc ratio eſt igitur cur Propheta dicat *à Deo unum hominem fuiſſe factum*: nempe ubi virum mulieri conjunxit, & voluit eſſe compares, ut ita loquar, ſub uno jugo. Et in hac expoſitione nihil coactum eſt, quia ſatis conſtat Prophetam hic revocare Judæos ad puram conjugii naturam. hoc autem non poteſt aliunde melius cognoſci quam ea ipſa Dei inſtitutione, quæ lex perpetua eſt ac inviolabilis, ut diximus: Deus autem hominem creavit, nempe maſculum & fœminam: & quemadmodum etiam Chriſtus hanc ſententiam repetit & diligenter expendit illo quem citavimus loco. Et hic Judæos pungit, quaſi vellent Deum ſuperare, vel ſapere ſupra ipſum: *Annon*, inquit, *exuperantia ſpiritus illi*? Spiritum accipit non pro ſapientia Dei, ſed pro arcano influxu quo Deus homines vivificat. Annon potuit, inquit, diſtribuere Deus ſpiritum ſuum ut crearet plures uxores uni viro? atqui voluit par unum creare, ut efficerent hominem unum vir & mulier. quum ergo Deus non caruerit reſiduo ſpiritus, & tamen noluerit hanc menſuram excedere: hinc ſequitur violari legem conjugii, ſi vir accerſat ſibi plures uxores. Nunc puto ſatis perſpicuam eſſe Prophetæ mentem. Jam ſequitur, ומה האחד, *Et quorſum unum?* מה eſt particula interrogantis de cauſa, de fine, de forma, de modo: ideo commode vertemus, Ad quid, vel Quorſum? ergo, Quorſum Deus fecit unum? nempe *quærens ſemen Dei*. Semen Dei accipitur hic pro legitimo, quemadmodum Divinum nominant Hebræi quicquid excellit: imo vocant etiam Divinum quod purum eſt ab omni vitio & macula. *Semen* ergo *Dei quæſivit*: hoc eſt, inſtituit conjugium unde naſceretur legitima ſoboles & pura. Ergo tacite hic Propheta oſtendit ſpurios omnes fore qui ex polygamia naſcentur: quoniam non poſſunt legitimi filii cenſeri, neque debent, niſi qui ſecundum Dei inſtitutionem gignuntur. ubi autem vir fidem uxori datam violat, & ſumit ſibi alteram, ſicuti conjugii ordinem pervertit, ſic etiam non poteſt legitimus eſſe pater. Jam tenemus cur Propheta dicat Deum voluiſſe uni viro unam duntaxat uxorem adjungere, ut procrearent ſobolem legitimam, nam ab effectu oſtendit, quam frivolis ſubterfugiis utantur Judæi: quia ubi multum litigaverint, tamen ſoboles ipſa arguet ipſos mentiri, quia erit adulterina ſcilicet. Hinc concludit, *Ergo cuſtodiamini in ſpiritu veſtro.* quanquam eſt verbum paſſivum, tamen reſolvi in activum debet, *Ergo cuſtodiatis vos in ſpiritu veſtro*, hoc eſt, attenti ſitis ad cavendum ne quis uxorem fœderis ſui decipiat. Poſtquam expoſuit quam perverſe violent fidem conjugii quicunque tranſiliunt ad polygamiam, hic eos hortatur. & hæc optima eſt docendi ratio, ubi ſcilicet docemus initio quid licitum ſit, deinde adjungimus exhortationes. Voluit igitur Propheta Judæos convincere ſui flagitii, quia alioqui nulla fuiſſet exhortationis auctoritas apud ipſos. ſemper enim promptum fuiſſet excipere, Atqui fas nobis eſt, quia ſequimur patris noſtri Abrahæ exemplum: deinde permiſſum hoc fuit longo uſu: & Deus nunquam paſſus fuiſſet talem corruptelam graſſari multis ſeculis in populo ſuo. ſequitur ergo nobis licere quod tu condemnas. Oportuit initio tolli omnes iſtos fallaces prætextus. Jam ſequitur ſuo ordine exhortatio, ubi dicit, *Cuſtodiatis vos.* loquitur enim de re quaſi ſatis probata. Nunc ſequitur,

16. Si odio habeas, (*quiſquis odio habet*) dimittat, (*uxorem*) dicit Jehova Deus Iſraël: & operit (*vel texit*) violentiam ſub veſtimento ſuo, dicit Jehova exercituum: ergo cuſtodiamini in ſpiritu veſtro, & ne fraudetis.

Hic rurſus Propheta exaggerat crimen illud, quod pro nihilo ducebant Sacerdotes. dicit enim gravius eos peccare, quam ſi uxores repudiarent. Scimus tamen repudium nunquam fuiſſe permiſſum divinitus, proprie loquendo: nam etſi fuit impunitas ſub Lege, non tamen fuit permiſſio. quemadmodum Magiſtratus multa quæ non probabit cogetur tamen ferre: quia nunquam ita præclare agetur cum genere humano, ut cohibeantur omnia vitia. Eſt quidem hoc optandum, ne ullum vitium toleretur: ſed videndum quid fieri poſſit. ergo Moſes ex præſcripto ipſius Dei non inflixit pœnam pro delicti gravitate, ſiquis uxorem repudiaret: nunquam tamen hoc permiſſum fuit. Sed ſi fiat comparatio, dicit Malachias levius eſſe delictum, uxorem abjicere, quam plures ſimul ducere. hinc colligimus quam abominabilis ſit Deo polygamia. Ego Polygamiam nomino, non ut ſtulti Papiſtæ, qui vocant Polygamos, non quibus ſimul ſunt plures uxores, ſed qui priore mortua alteram ſuperinducunt. Fuit hoc factum craſſa inſcitia: ſed Polygamia proprie dicitur, ubi quis ſibi plures uxores ſumit, quemadmodum hoc communi uſu fuit receptum in Oriente. & ſcimus gentes illas ſemper fuiſſe libidinoſas: & nunquam coluiſſe fidem conjugii. quum ergo tanta illic fuerit ſalacitas, ut eſſent ſimiles fere brutis pecudibus, hinc

factum

factum eſt ut quiſque plures uxores duceret: quemadmodum adhuc hodie durat ille abuſus inter Turcas & Perſas & alios ſimiles. hic tamen ubi comparat Deus polygamiam repudio, dicit polygamiam deterius eſſe & magis deteſtabile crimen, nempe quia impure ſeſe miſcet vir cum aliena uxore: deinde non modo fraudat uxorem cui erat obſtrictus, ſed violenter quaſi latro eam detinet: ita duplex eſt crimen. nam ſi excipiat ſe retinere uxorem cui devinctus eſt, ſcortator tamen eſt in ſecunda muliere: ita miſcet ſacra profanis, ut loquuntur. deinde ad ſcortationem & impudicitiam accedit illa crudelitas, quod tenet ſub imperio ſuo miſeram fœminam, quæ mortem præferret ſuæ conditioni. nam ſcimus quantopere urat mulieres zelotypia. Ubi autem quiſpiam inducit ſcortum, quomodo feret legitima uxor tantam indignitatem, quin miſere crucietur? hæc igitur ratio eſt cur Propheta nunc dicat, *Si odio habeas, dimitte*: non quod veniam concedat repudio, quemadmodum diximus, ſed ut hac circumſtantia crimen augeat. & ideo adjungit, *Atqui operit* vel tegit *pallio violentiam*. Hic Violentiam accipiunt quidam interpretes pro Præda: & putant hoc modo vocari mulierem, quæ tyrannice cogitur manere cum adultero, quum tamen cernat domi ſuæ pellicem, à qua ejicitur è toro conjugali. ſed illud eſt nimis coactum & remotum à litera. Non dubito igitur quin Propheta hic excutiat Judæis fallacem larvam, quod putarent colorem inductum eſſe ſuo vitio, quia retinerent priores uxores. Et quid hoc aliud eſt, inquit, quam tegere velle pallio violentiam? ſaltem velle excuſare, quia vos palam non proditis ipſam? atqui Deus non fallitur, neque poteſt ullo fuco perſtringi ejus oculus. Ergo quamvis iniquitas veſtra tecta ſit pallio, tamen non eſt coram Deo abſcondita: imo duplicatur hoc modo, quoniam fovetis veſtram crudelitatem intus. Præſtaret autem latrones manere in ſylvis & illic jugulare homines ignotos, quam domum ſuam allicere hoſpites & illic jugulare & ſpoliare ſub prætextu hoſpitalitatis. Ita vos facitis, inquit. nam corrumpitis conjugium, & poſtquam feſelliſtis miſeras uxores, tamen veſtra tyrannide cogitis domui veſtræ manere: & ita excruciatis miſeras uxores, quæ poterant alioqui frui jure ſuo, ſi datum eſſet repudium. Hic iterum concludit, *Ergo cuſtodiamini in ſpiritu veſtro*: hoc eſt, attenti ſitis, quoniam intolerabile eſt hoc ſcelus coram Deo, quamvis conetur unuſquiſque veſtrûm ejus gravitatem extenuare.

Da omnipotens Deus, quamvis tam variis modis quotidie violemus fœdus quod nobiſcum paciſci voluiſti in Filio tuo unigenito, ne tamen tractemur pro merito defectionis noſtræ, imo tot defectionum quibus quotidie iram in nos tuam provocamus: ſed ut indulgenter nos ſufferas ac toleres: interea autem confirmes nos ad veram conſtantiam, ut fidem quam tibi polliciti ſumus & quam à nobis etiam ſtipulatus es in ipſo Baptiſmo, tibi præſtemus uſque ad extremum: & ſic etiam verſemur quiſque cum fratribus ſuis, viri cum uxoribus, ut foveamus illam unitatem ſpiritus, quam inter nos ejuſdem Filii tui ſanguine conſecraſti, Amen.

PRÆLECTIO NONA

IN

MALACHIAM PROPHETAM.

CAP. II.

17. Fatigaſtis Jehovam in verbis veſtris: & dixiſtis, In quo fatigavimus eum? Quum dicitis, Quicunque facit malum gratus eſt in oculis Jehovæ, & in ipſis ſe oblectat; vel ubi Deus judicii?

Propheta hic caſtigat Judæos qui expoſtulabant cum Deo in rebus adverſis, quaſi injuſte ipſos deſereret, niſi ſtatim opem ferret. ita ſolent hypocritæ, niſi Deus ſtatim ipſis opituletur, non tantum oblique obſtrepere, ſed etiam erumpere in apertas blaſphemias. putant enim Deum ſibi obſtrictum: & ideo liberius, imo majore licentia & petulantia in ipſum inſurgunt. & hæc eſt etiam probatio veræ pietatis, ubi patienter nos ſubjicimus judiciis Dei: & quemadmodum Jeremias ſuo exemplo nos admonet, Iram ejus ſuſtinemus, quia ſcimus nos peccaſſe. (*Jer. 8. verſ. 14.*) hypocritæ vero quia nullius culpæ ſibi conſcii ſunt: (ſibi enim indulgent, & ſuas conſcientias obſtupefaciunt) quoniam ergo non examinant ſeipſos, ideo exiſtimant Deum ſibi injuriam facere, niſi ſtatim ipſis ſuccurrat. Talis fuit improbitas populi, de qua nunc diſſerit Propheta. Dicit *eos fatigaſſe Deum*, hoc eſt, ſuis obſtreperis querimoniis fuiſſe ei moleſtos. nam יגע ſignificat tædio affici. dicit igitur importune ipſos conqueſtos fuiſſe de tarditate Dei. Eſt quidem tranſlatitia loquutio, quia ſcimus nullas paſſiones in Deum cadere: ſed quemadmodum alibi (*Pſal. 106. verſ. 33.*) Deus eos objurgat, quod contriſtaverint Spiritum ſuum, ſic etiam hoc loco dicit *ſibi fuiſſe moleſtos*. Nunc tenemus Prophetæ conſilium. eſt autem dilemma in verbis, quia Deum exiſtimant Judæi favore proſequi impios, quoniam non ſtatim eos ulciſcitur: vel jam diſſimilem eſſe ſui & oblitum ſuæ naturæ. Non videtur primo intuitu eſſe dilemma, ſed potius idem eos repetere. verum priore membro arguunt Deum injuſtitiæ: ſecundo objiciunt non eſſe Deum, quia non poteſt eſſe abſque judicio. ergo ſententia hæc continet duo membra quæ inter ſe differunt: vel Deus mutavit naturam, atque ita non eſt Deus: vel favet inimicis noſtris, quia non ſtatim exercet vindictam. Videmus ergo ut inferant vel Deum inique agere, vel jam nullum eſſe Deum. diximus autem quænam fuerit origo hujus mali, quia Judæi non poterant in ſeipſos deſcendere ut faterentur ſe dignos eſſe caſtigationibus illis. Erant igitur ſimiles equis ferocibus, qui calcitrant etiamſi humaniter tractentur à ſuis ſeſſoribus. Sed talis pervicacia etiam nunc conſpicitur in larvatis hominibus, qui profitentur pleno ore pietatem, ubi ex animi ſententia tractantur: at vero ubi Deus aſperius cum ipſis agit, non tantum obmurmurant, ſed quemadmodum jam dixi, evomunt impias contumelias adverſus ipſum, quaſi non rependeret dignam mercedem ipſorum juſtitiæ. Hoc exemplo admoniti diſcamus hanc eſſe veram ſapientiam, humiliare nos ſub potenti Dei manu: (*1. Pet. 5. verſ. 6.*) & quamvis ſuſpendat vota noſtra, tamen non impatienter ferre quod nobis alioqui durum eſt atque aſperum: ſed potius ſubigere affectus noſtros, & petere etiam ab ipſo Spiritum manſuetudinis, qui nos in tranquilla æquitate retineat. Dicit eos adhuc excipere, *In quo fatigavimus te?* qua parte invehitur vehementius in ipſorum duritiem, quod objurgari non ſaperent, ſed quaſi ludibrio haberent Prophetæ verba, quibus tamen aperte videmus fuiſſe convictos, niſi bis fuiſſent ſtupidi. Erat hæc

intolerabilis contumelia adverſus Deum, ipſum propitium eſſe impiis, & favore proſequi eorum ſcelera. hoc enim modo non tantum tyrannice regnaret Deus, ſed perverteret omnem ordinem. Nihil autem ejus naturæ magis contrarium quam manum porrigere impiis, quaſi haberet cum ipſis conſpirationem. Quum ergo tanta impietas nota eſſet, fuit hic prodigioſus ſtupor, rogare in quo moleſti eſſent Deo. debuerant enim ſcire nihil apud ipſum eſſe pretioſius ſuo honore: tamen quaſi immerito eos caſtiget Malachias, ſeſe opponunt ferrea fronte. ſicuti aliquot ſimilia exempla ante vidimus: quum in conjugiis eſſent fœdifragi, quum fraudarent Deum in decimis, quum facete etiam eluderent Prophetas, os tergebant, & ſciſcitabantur in quo peccaſſent. Oſtendit Propheta in hac contumacia ipſos ſic obduruiſſe, ut audacter rejicerent omnes admonitiones. neque enim hoc quærunt quaſi de re dubia: neque bis verbis colligi poteſt ipſos fuiſſe dociles: ſed perinde eſt acſi armati ad certamen deſcenderent; armati impudentia, dico, & obſtinatione. neque enim dubium eſt quin contempſerint atque etiam deriſerint Prophetæ objurgationem. Reſpondet igitur, *Quum dicitis, Quiſquis facit malum, ille gratus eſt in oculis Jehovæ*, (eſt טוב Bonum, ad verbum: ſed Hebræi accipiunt pro grato) *& in bis ſe oblectat.* Dicunt placere Deo impios & ſceleratos, nempe quia tegebant falſis blanditiis peccata ſua, ut nullius culpæ vellent coargui. Rejiciunt igitur quicquid eſt mali in ſuos inimicos. Non expoſtulant generaliter cum Deo, quia impunita ſcelera in mundo relinquat, ſed quia non ſentiunt ejus auxilium. Videmus ergo hic non odio ſcelerum tumultuari Judæos & litigare cum Deo, ſed tantum conſulere privatim ſuis commodis; nec damnare alia peccata, niſi ex quibus aliquid jacturæ vel damni ſentiunt: & nullos etiam habere pro ſceleratis, niſi à quibus læduntur. hinc colligimus non zelo probitatis ita conqueri, ſed quia vellent Deum ſibi obſtrictum eſſa ad ſuſcipiendam eorum cauſam tam Injuris quam jure, ut ſolent terreni patroni. Scimus tentari etiam interdum pios, & quaſi labefactari eorum fidem, ubi res in mundo ſunt turbatæ & confuſæ: & David hoc ſibi accidiſſe narrat Pſalmo ſeptuageſimo tertio. ſed in ſervis Dei & ſinceris cultoribus eſt aliquod rectitudinis ſtudium, quoties talem dolorem concipiunt vel perturbationem: ſicuti quum Habacuc dicit, Quouſque Domine? *Hab. 1.*
non dubium eſt quin illa querimonia procedat ex *verſ. 1.*
recto principio, quia ſcilicet optabat vere coli Deum in mundo. Sed nihil tale fuit in Judæis, cum quibus hic diſceptat Propheta noſter. nam, ut diximus, nullum fuit improbitatis odium, ſed cura privatæ utilitatis: ideo placere Deo impios dicunt, quia non ſtatim medius intercedat, ubi ſentiunt aliquid moleſtiæ ab hoſtibus. Repetitio etiam ſignum eſt majoris amarulentiæ, quia non contenti una obſtrepera voce, adjungunt, Deum oblectari in illis. Sequitur alterum membrum, *Vel ubi eſt Deus judicii?* Videntur hic non male ratiocinari, à Dei natura ſcilicet. nam homines poſſunt mutare & conſilium & animum: manent tamen ſemper homines, quia laborant inconſtantia & levitate. atqui in Deum nulla cadit obumbratio. Videtur ergo hoc non male quadrare, ubi objiciunt *non eſſe Deum niſi ſit judex mundi*, quia non poteſt exuere hoc officium, quin ſeipſum abneget. ſed maligne inſimulant Deum: imo jam nullum eſſe obtendunt, quia ſe abdicaverit ſuo judicio. ſumunt enim hoc pro confeſſo, quod Deus vindex ſcelerum eſſe defierit, quod falſiſſimum erat: ſed tamen ab ipſa experientia volunt hoc certum & clarum eſſe. hinc colligunt *nullum eſſe Deum*, quoniam abolita fuerit ejus divinitas una cum judicio. Videmus ergo quo petulantiæ in ſuis querimoniis proruperint, ut vel Deum injuſtitiæ damnarent, vel dicerent Deitatem ejus redactam eſſe in nihilum. Sequitur,

CAPUT III.

Ecce ego mitto Angelum meum, & purgabit viam coram facie mea: & mox veniet ad Templum ſuum Dominus quem vos quæritis, & Angelus fœderis quem vos expetitis: ecce venit, dicit Jehova exercituum.

Hic Propheta non affert ſolarium improbis illis obtrectatoribus, ſed contra maledicas eorum voces aſſerit conſtantiam ſuæ fidei: quaſi diceret, etiamſi jactent ſe vel fraudatos eſſe vel derelictos à Deo in quem ſperaverant, tamen fœdus ejus non fore irritum: quemadmodum
Num. 23. alibi dicitur; Etiamſi homines perfidi ſint ac men-
verſ. 19. daces, Deum tamen manere veracem, neque deſciſcere ab ingenio ſuo. Deus ergo hic magnifice inſultat Judæis, & contra impuras eorum blaſphemias aſſerit fœdus ſuum, quia non impedient improbi eorum ſuſurri quominus ſatisfaciat ipſe promiſſis ſuis, & præſtet ſuo tempore quod illi putabant nunquam futurum. Utitur autem demonſtrativo adverbio ad rei certitudinem: *Ecce*, inquit, *mitto Angelum meum, qui purgabit viam coram facie mea.* Non dubium eſt quin de Joanne Baptiſta intelligi debeat hic locus,
Luc. 7. ſicuti etiam Chriſtus exponit, quo nullus interpres
verſ. 27. quærendus eſt melior. & quum Joannes Baptiſta fuerit Angelus Chriſti, initium verſus non poteſt ad aliam perſonam referri. poſtea loquetur Pater ipſe, ut videbimus: ſed quia idem Deus eſt cum Patre ſuo, qui in carne apparuit, non mirum eſt ſi incipit ipſe loqui, deinde ſequantur verba in perſona Patris. Eſt concinna alluſio ad Moſen, cujus partes fuerant intercedere ne juſtus Dei furor populum deleret. Sicuti enim tunc Dei majeſtas intolerabilis
Exod. 20. futura erat abſque deprecatore, ut populus præ me-
verſ. 19. tu exclamet, Loquere nobiſcum, ne moriamur: ſic etiam nunc docet Malachias opus eſſe internuncio, per quem mitigetur ira Dei, quam plus æquo Judæi inflammaverant. has partes obiit Joannes Baptiſta, qui Judæos aſſuefecit ad audiendam Chriſti vocem. Quod autem dicit *ſe miſſurum Angelum qui purget viam*, tacite perſtringit Judæos, à quibus quaſi injiciebantur multæ remoræ: acſi diceret, obſtaculis ſuis ipſos impedire quominus pateſiat redemptio & ſalus promiſſa. Dicit igitur opus eſſe *Angelo qui viam purget*, quoniam impedimenta attulerant Judæi, quaſi conſulto vellent repellere gratiam quæ illis parata erat & expoſita. Cæterum, quænam fuerit purgandæ viæ ratio Baptiſtæ injuncta, tam ex 40. cap. Jeſaiæ, quam ex Evangeliſtis patet. atque inde etiam colligitur quod jam dixi, Deum fide & clementia luctatum eſſe cum obſtaculis quæ ad prohibeodum Chriſtum Judæi erexerant. Poſtea adjungit, *Et mox veniet ad Templum ſuum Dominus, quem vos quæritis*, poſtquam dixit ſe viam patefacturum ſuæ gratiæ, jam adjungit, *Veniet ille Dominus.* Hic non ponitur nomen Jehovæ, ſeu אדון: & ideo proprie de Chriſto ſermo habetur, qui etiam continuo poſt vocatur *Angelus fœderis.* Fuit autem in communi populi uſu nomen אדון pro Mediatore, ſicuti Pſ. 110. deinde Dan 9. ubi expreſſe dicitur, Exaudi Jehova propter Dominum, למען אדני, quod idem eſt. *Veniet* igitur *Dominus ille.* Ratio hujus loquutionis eſt, quoniam illis ſub umbra oſtenſus fuerit Chriſtus. Quum ergo regnum Davidis figura eſſet dominii Chriſti,

non

non mirum eſt quod Prophetæ hac voce eum deſignant: præſertim qui propiores erant manifeſtationi Chriſti. Quod autem alio elogio ornatur, nempe quod ſit *Angelus fœderis*, longe differt à priore membro. Vocavit nuper Joannem Baptiſtam Angelum, ſed *Angelum Jehovæ*: nunc autem Chriſtus vocatur *Angelus fœderis*, quia oportuit ratum fœdus Dei fieri in ejus manu. Inferior igitur titulus eſt Joannis Baptiſtæ quam Chriſti: quia etiamſi Deus ſit manifeſtatus in carne, non tamen hoc repugnat quin ſit miniſter & interpres Dei ad ſanciendum fœdus. & ſcimus non conſtare munus Chriſti niſi fœdus Dei nobis confirmet atque obſignet non modo ſua doctrina, ſed ſanguine ſuo & ſacrificio mortis ſuæ. Regem ergo & Reconciliatorem hic promittit Malachias Judæis: Regem ſub titulo Domini, Reconciliatorem ſub titulo Angeli fœderis. Scimus autem hoc fuiſſe præcipuum in tota Legis doctrina, ut veniret Redemptor, qui Eccleſiam reconciliaret Deo, & qui eam regeret. Quod autem dicit, *quæri & expeti Mediatorem à Judæis*, per quem Deus ſit illis propitius, hoc non ſonat in bonam partem. Fideles omnibus ſuis deſideriis in Chriſtum intenti ſunt etiam hodie, poſtquam in carne fuit exhibitus, nec ſcilicet ultimo adventu fructum mortis & reſurrectionis ejus percipiant. Sub Lege ſcimus gemitus & ſuſpiria omnium piorum fuiſſe ad Chriſtum: ſed hic odioſe Malachias perſtringit importunas voces, quibus ſtudebant Judæi Deum vocare in crimen, quaſi jam ipſorum ſpem & vota fruſtratus eſſet. Diximus enim, & res etiam ipſa oſtendit, perperam & indigne inſimulatum fuiſſe ab illis Deum, quaſi non vellet defungi ſuis promiſſis. ergo Propheta ironice & non ſine amarulentia dicit *expeti Chriſtum à Judæis*, quod ſcilicet obmurmurarent, quia ejus adventum Deus nimium differret: O! ubi eſt Redemptor? quando tandem nobis patefiet? Quum ergo verbis præ ſe ferrent ſe ardenter expetere adventum Chriſti, hoc illis exprobrat Propheta, & merito: quoniam his verbis incredulitatem ſuam prodebant. *Ecce venit, dicit Jehova exercituum.* Hic Patrem inducit loquentem, ut nuper dictum eſt: & inculcat particulam illam הנה, tollendæ omnis dubitationis cauſa. deinde ab auctoritate Dei confirmat quod dicit. Poterat ipſe ſub doctoris perſona hoc aſſerere, ſed ut magis commoveat Judæos majeſtas Dei, ipſum facit hujus prophetiæ auctorem. Sequitur,

2. Et quis ſuſtinebit diem adventus ejus? & quis conſiſtet in apparitione ejus? quia ipſe quaſi ignis purgans, & quaſi borith (*vel herba*) fullonum.

Hoc verſu Propheta durius congreditur cum Judæis, ac docet meram ſimulationem eſſe, quod fingunt ſe tantopere expetere adventum Mediatoris: quia ſcilicet longe ab eo diſſentiunt tota vita. Hic autem quum dicit intolerabilem fore adventum Chriſti, ſermo reſtringitur ad impios, quia ſcimus nobis optabilius nihil eſſe vel ſuavius quam ut Chriſtus nobis propinquus ſit. etſi enim nunc ab ipſo peregrinamur, præſentia tamen ejus inviſibilis ſumma eſt noſtra lætitia. deinde niſi animos noſtros fulciret expectatio adventus ejus, quam miſera eſſet noſtra conditio? ideo hac nota inſigniuntur fideles, quod expe-
Rom. 8. ctent ejus adventum. & Paulus non fruſtra hortatur
v. 22, 23. nos exemplo cœli & terræ, ut ſimiles ſimus parturientibus, donec Chriſtus appareat nobis Redemptor. ſed hic Propheta ſtylum ſuum dirigit contra impios, qui etſi videntur toti flagrare deſiderio præſentiæ Dei, non tamen propinquum habere cupiunt, ſed fugitant quantum in ſe eſt. Similem lo-
Amos 5. cum vidimus apud Amos, Væ optantibus diem
verſ. 18. Domini: ad quid vobis? nam caligo erit & tenebræ, non lux: & dies triſtitiæ, non gaudium. Illic Amos prorſus ſimilem cauſam agebat. nam Judæi falſa arrogantia inflati, putabant fieri non poſſe ut Deus ipſos deſereret, qui fidem illis ſuam obſtrinxerat. Dicit autem ſic provocatum fuiſſe Deum illorum peccatis, ut jam profeſſus ac juratus ſit hoſtis. Sic etiam hoc loco, *Veniet, veniet Redemptor*, inquit Propheta: ſed nihil vobis proderit: quin potius formidabilis erit ejus adventus. Scimus enim Chriſtum non omnibus in ſalutem apparuiſſe, ſed reliquiis duntaxat, & qui ex Jacob reſipuerant, quemadmodum
Jeſa. 10. dicit Jeſaias. quum autem iſti pervicaciter repelle-
v. 21, 22. rent gratiam Dei, non mirum eſt ſi eos excludat Propheta à gratia Redemptoris. *Quis* ergo *ſuſtinebit adventum ejus? & quis conſiſtet in apparitione ejus?* quaſi diceret, Fruſtra vobis blanditias facitis, & Deo etiam improperatis, quod Redemptorem promiſſum quaſi in ſinu ſuo occultum teneat: nam veniet ſuo tempore, ſed ſine profectu quantum ad vos. neque enim dabitur frui ejus gratia: quin potius nihil vobis afferet præter meros terrores. *Erit* enim *quaſi ignis purgans*, inquit, *& quaſi herba fullonum.* hoc poſterius membrum tam in bonam partem quam in malam accipitur, ſicuti melius liquet ex proximo verſu. Scimus duplicem eſſe vim ignis, quia exurit & purgat: exurit quod vitioſum eſt, purgat autem aurum & argentum à ſcoriis. Non dubium eſt quin utrumque notare voluerit Propheta, quoniam proximo verſu dicet Chriſtum ſeſſurum inſtar ignis, ut purget & excoquat filios Levi quaſi aurum & argentum. Ergo reſpectu populi cum quo hactenus ſermonem habuit, Chriſtum docet fore igni ſimilem, qui exuret ac conſumet ſordes illas. nam quamvis jactarent ore pietatem, ſcimus tamen inquinamenta fuiſſe Eccleſiæ Dei, ac dedecora: ideo oportuit ipſos igne perire. ſed interea docet etiam Malachias non interituram prorſus Eccleſiam, quia *Dominus purgabit filios Levi.* Hic ſynecdochica eſt loquutio: ſed tamen extenditur promiſſio hæc ad totam Eccleſiam, quoniam filii Levi erant quaſi primitiæ: totus autem populus ſub illa tribu Deo conſecratus erat. hæc igitur ratio eſt cur filios Levi nominet potius quam totum populum: quaſi diceret, etiamſi infecta ſit ac polluta Eccleſia, tamen aliquid fore reſiduum quod Deus ſervabit, ſed purgatum. Verba ſunt quæ præterieram,

3. Et ſedebit purgans & mundans argentum: & mundabit filios Levi, fundetque (*vel conflabit*) eos ſicut aurum & ſicut argentum: & erunt offerentes Jehovæ oblationem in juſtitia.

Dicit Propheta *ſeſſurum Chriſtum ad purgandos filios Levi*: quia etiamſi eſſent quaſi flos & puritas Eccleſiæ, contraxerant tamen aliquid labis ex corruptela quæ invaluerat. Talis ergo erat contagio, ut non ſolum vulgus eſſet corruptum, ſed ipſi quoque Levitæ, qui præire aliis debuerant, & qui erant in Eccleſia quaſi exemplar ſanctitatis. Quicquid ſit, Deus promittit talem fore purgationem quam afferet Chriſtus, & ita moderatam ut non conſumat totum populum, ſed purget electos, ac purget inſtar argenti, ut ſalvi maneant. Poſtea dicet, etiam Levitas ipſos opus habere examine ut mundentur: quia ne ipſi quidem careant ſordibus, propterea quod permixti erant populo tam perverſo, & qui prorſus à Lege & à timore & cultu Dei deſciverat.

Da omnipotens Deus, quando natura ita præcipites ſumus ad perperam judicandum, ut diſcamus nos tibi ſubjicere, & ita placide acquieſcere in tuis judiciis, ut patienter feramus quaſcunque nobis quotidie irrogas caſtigationes: nec dubitemus id fieri in ſalutem noſtram: neque unquam tibi obſtrepamus, ſed demus tibi gloriam in omnibus rebus adverſis: & ita ſtudeamus mortificationi carnis noſtræ; ut nos ipſos abnegando, teipſum profiteamur ſemper eſſe verum Deum & juſtum vindicem & Patrem noſtrum: atque ita deficientes à nobis, nunquam tamen declinemus à puritate verbi tui, & ſic retineamur ſub jugo tuo, ut tandem fruamur ea libertate quæ nobis parta eſt per manum unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA IN MALACHIAM PROPHETAM.

CAP. III.

PRoxima lectione deſcripſit nobis Propheta Chriſti officium, ut hypocritæ ſentirent ſe fruſtra conqueri de tarditate Dei, quaſi ipſos in articulo neceſſitatis desereret. Cæterum, dixit opus eſſe purgatione non tantum in ipſa fæce populi, ſed etiam in Sacerdotibus. unde apparet quam fuerint tunc res corruptæ in cunctis ordinibus. Interea videtur perſtringere oblique hypocriſin non modo in vulgo, ſed in Levitis: quia ſubeſt antitheſis inter ſacrificia quæ tunc ſolebant offerre, & quæ obtulerant patres ipſorum. Quum ergo dicit, *Offerent Domino* מנחה בצדקה, oſtendit ſacrificia eorum non fuiſſe legitima, quia ipſi polluti erant, ideoque non poterant rite litare Deo. Videmus ergo hic exprobrari Levitis quod polluerint cultum Dei, quoniam non offerrent juſta ſacrificia, ſicuti in Lege ſua præſcripſerat. Hoc autem non refertur ad externam ſpeciem duntaxat, ſed ad ipſos affectus, quod ſcilicet accederent ad Dei altare non bene præparati. Ratio loquendi ſatis trita eſt Hebræis, Offerre in juſtitia, pro Offerre ſicuti decet, ita ut nihil ſit vitioſum aut reprehenſione dignum. In verbo etiam מצרף notatur diuturna mora: quaſi diceret Propheta, ſordes altius eſſe infixas Levitis, quam ut uno die aut leviter abſtergi queant. denique voluit hoc verbo exaggerare corruptum ſtatum populi: nam ſi levis tantum abſterſio ſuffeciſſet ad eluendas ſordes, dixiſſet ſimpliciter, Purgabit & mundabit, & fundet vel conflabit: (utitur enim tribus illis verbis) ſed, quemadmodum notavi, dicit *ſeſſurum*, ut ſit continuus in opere, & diu inſiſtat, quoniam ſcilicet morbi inveterati non tam facile ſanantur. Tenemus ergo nunc quid velit Propheta. Poſtea adjungit,

4. Et grata erit Jehovæ oblatio Jehudah & Jeruſalem, ſicut à diebus antiquis, & ſicut annis priſtinis.

Hic verſus oſtendit, quanquam nuper loquutus ſit de filiis Levi, hoc tamen ſpectaſſe ad populum: ſed voluit reſtringere ad electos quod non debebat etiam ad omnes extendi. Fuerunt enim, ut vidimus & iterum videbimus ſtatim, in populo illo multi reprobi: imo major pars prorſus defecerat. hæc igitur ratio eſt cur Propheta ſpecialiter ſermonem dirigat ad paucos illos reſiduos qui non exciderant. Cæterum, nominat *Jehudah & Jeruſalem*, quoniam Tribus illa reverſa erat in patriam: deinde ſacrificia fiebant Jeroſolymæ, ſed non pro ſplendore antiquo. res enim erant valde attritæ inter miſeros illos exules. Ideo Propheta ut addat animum fidelibus, dicit Templum quidem nunc eſſe ignobile, & cultum Dei, qualis illic peragitur, eſſe vilem & abjectum: non eſſe tamen cur deſpondeant animos tam Levitæ quam alii, quoniam rurſus Dominus eriget Templi ſui gloriam, & oſtendet reipſa ſibi placere quæ hominibus erant ludibrio. Sequitur,

5. Et appropinquabo ad vos in judicium, & ero teſtis velox contra præſtigiatores, (*vel divinos*) & adulteros, & jurantes ad fallendum, & ſupprimentes mercedem mercenarii, viduæ & pupilli, (*aut viduam & pupillum*) & pervertentes peregrinum, & qui non timuerunt me, dicit Jehova exercituum.

Hic retorquet Propheta querimonias, quibus antehac uſi ſunt Judæi. eſt igitur antiſtrephon quum dicit, *Appropinquabo ad vos*. Nam hac calumnia gravabant Deum, quod abſconderet ſe in latebris, & procul ſpecularetur quæ fiebant in mundo, quaſi populus quem elegerat non eſſet ei curæ. Volebant autem hoc modo Deum habere quaſi mercenarium militem, qui præſto eſſet quoties aliquid accideret adverſi, ut ſtatim ad eorum nutum vel placitum armatus confligeret cum ipſorum hoſtibus. hoc ipſi volebant. Deus autem contrariam ſententiam profert, *quod ſcilicet veniet in judicium*: & alludit ad impiam illam blaſphemiam, ubi negabant Deum eſſe judicii, qui non ſe opponeret ſtrenue vel citius hoſtibus ipſorum. O! Deus jam exuit naturam ſuam, quia nullum ejus apparet judicium. Ego, inquit, non obliviſcar judicii mei quum ad vos accedam: ſed, quemadmodum jam diximus, præter eorum expectationem. volebant enim Deum arma induere in ſuum commodum: Deus autem denunciat ſe illis fore hoſtem, quemadmodum etiam nominat ſe per os Jeſaiæ. Simul autem dicit, *Ero teſtis velox*. opponit hanc celeritatem eorum calumniæ: dicebant enim Deum ſedere pigrum & ſegnem, quoniam non ſtatim, ut voluerant, proruperat contra exteros ad vindictam exercendam. dicit ex oppoſito, ſe fore ſatis celerem ubi res tulerit. Quoniam autem hodie etiam graſſantur in mundo tales blaſphemiæ, locus hic accommodandus eſt nobis in uſum, ut ſciamus Deum, quamvis ad tempus tardet vel conniveat, ſcire tamen ſuas opportunitates, ut appareat vindex ſcelerum, ſimulac opus fuerit. Sed ſemper timendum eſt, ne hæc feſtinatio ejus nobis in perniciem cedat, quia non accipit perſonas, ut improbitatem noſtram foveat, & rigidus ſit contra eos qui nobis infeſti ſunt. Videndum igitur eſt, ut dum expetimus præſentiam Dei, ſimul etiam ſiſtamus nos ad ejus tribunal pura & integra conſcientia. Poſtea enumerat quaſdam ſpecies: ſub quibus comprehendit ſcelera quibus impliciti erant Judæi. Primo loco nominat *Divinos*, vel præſtigiatores. verum quidem eſt, inter alia ſuperſtitionum genera hoc nomen poni: ſed quia hic ſolum legitur, non dubium eſt quin Propheta complecti voluerit omnes divinos, ariolos, & pythonicos, & quicunque tales ſunt. Et adhuc altera eſt ſynecdoche: nam omnes corruptelas deſi-

deſignat, quæ pugnant cum vero Dei cultu. Scimus enim Deum frenaſſe olim Judæos verbo ſuo, ne deflecterent ad incantationes & artes magicas, & quicquid tale eſt. In ſumma, oſtendit tam craſſis abominationibus tunc fuiſſe deditos, ut etiam ad incantationes, & præſtigias diaboli, & artes magicas ſeſe proſtituerent. Secundo ponit *adulteros*, quo nomine deſignat omnem impudicitiam. tertio ponit *fraudes & rapinas*. Si autem probe expendimus, tres iſtæ ſpecies continent plenam violationem totius Legis. Conſilium Prophetæ minime ambiguum eſt: vult enim oſtendere, quam perverſe expoſtulent cum Deo, quia centies perire debuerant, quum eſſent apoſtatæ, quum eſſent obſcœnis libidinibus dediti, quum eſſent crudeles, avari, perfidi. Hæc objurgatio etiam commonefacere nos hodie debet, ne provocemus judicium Dei adverſus alios, interea autem nobis blandiamur. Quoties ergo confugimus ad Dei opem, & petimus ut nobis ſuccurrat, meminerimus eum eſſe juſtum judicem, & qui perſonas non reſpicit. Ita fiet, ut quiſque dum implorat judicium Dei, ſuus ipſe ſit judex, & præveniat cognitionem quæ ipſi metuenda eſt. Ergo ne Deus armetur in noſtrum exitium, ſollicite examinemus vitam noſtram, & teneamus regulam examinis quæ hic præſcribitur à Propheta: incipiamus à cultu Dei: deinde veniamus ad ſcortationes, adulteria, & quicquid pugnat cum vera caſtitate: poſtea tranſeamus etiam ad rapinas, ad fraudes. Nam ſi puri erimus ab omni ſuperſtitione, ſi caſte & pure nos cuſtodierimus, ſi etiam abſtineamus ab omnibus rapinis, ab omni crudelitate, haud dubie probabitur Deo vita noſtra. Et ideo in fine verſus Propheta addit, *non timuerunt me*. nam ubi regnant libidines, & rapinæ, & fraudes, & corruptelæ quæ vitiant cultum Dei, ſatis patet nullum eſſe Dei timorem: ſed homines quaſi furere excuſſo jugo, etiamſi millies prætendant nomen Dei. Quod dicit *de pupillis, & viduis, & peregrinis*, amplificat ſcelerum atrocitatem, quia ſcimus pupillos, & viduas, & peregrinos eſſe ſub fide & tutela Dei, quoniam expoſiti ſunt hominum injuriis. Ergo quiſquis pupillos diripit, & viduas infeſtat, & peregrinos opprimit, ille videtur quaſi data opera bellum inferre Deo, qui pollicitus eſt eos fore tutos ſub umbra manus ſuæ. Quod ad verba ſpectat, durum eſt ſi dicamus ſupprimi mercedem viduæ & pupilli. Poteſt igitur eſſe verborum inverſio, quod evertant viduas, pupillos, & peregrinos. Sequitur,

6. Quia ego Jehova non muto, (*alii vertunt, non mutor: & ad rem ipſam parum intereſt*) & vos filii Jacob non eſtis conſumpti.

Hic clarius refellit Propheta ac compeſcit impiam illam proterviam populi. Deus enim poſtquam dixit ſe venturum, & miſſurum redemptorem; ſed non fore talem, ut Judæis ſatisfaceret: nunc jus ſuum ſibi vindicat. dicit *ſe non mutari, quia ſit Deus*. Nomine Jehovæ ratiocinatur à natura ſua Deus: ſe enim tacite mortalibus opponit, quemadmodum vidimus poſtrema lectione. nec mirum eſt ſi Deus hic à ſe procul repellat omnem inconſtantiam, quum Balaam ille impoſtor coactus fuerit celebrare immutabilem Dei perſeverantiam in juſtitia: Neque enim
Num. 23. verſ. 19. eſt Deus, ut mutetur quaſi homo, inquit, aut variet, Num. 23. Jam ergo tenemus vim hujus vocis, *Ego Jehova*. Sed addit explicative, *non muto*, vel non mutor. nam ſi active legimus *non muto*, idem manebit tamen ſenſus, quod ſcilicet Deus maneat in ſuo propoſito, neque huc & illuc flectatur: quemadmodum homines pœnitet ſuſcepti conſilii; & quia venit illis in mentem quod ante non cogitaverant, vellent eſſe infectum quod jam fecerunt, & quærunt novos retractandi modos. Deus negat quicquam ſimile in ſe reperiri, *quia ſit Jehova, & non mutet*, vel non mutetur. Poſterius membrum poteſt varie accipi. כלה Hebræis ſignificat in prima conjugatione Conſumi: in Pihel ſignificat Complere, vel finem facere. & hic ſenſus melius congrueret, niſi quod ratio Grammatica potius exigit, ut ſit verbum primæ conjugationis. Si poſſet ferre Grammatica, melius hoc quadraret, Vos filii Iſrael non feciſtis finem: quare? à diebus patrum veſtrorum, &c. uno igitur contextu legendus eſſet verſus qui mox ſequetur. Sed contenti ſimus recepta lectione. Duplex tamen adhuc poteſt elici expoſitio. Nam ו copula poteſt reſolvi in adverſativam particulam, Quamvis nondum eſtis conſumpti, ego tamen non mutor: quaſi dictum eſſet, Ne putetis vos elapſos eſſe, quamvis diu pepercerim vobis & veſtris peccatis. Quamvis ergo nondum ſitis conſumpti, ſed toleraverim vos in tanta pravitate, ego tamen maneo Jehova, neque ingenium muto, & tandem experiemini me eſſe juſtum judicem: quamvis non exequar ſtatim vindictam meam, ſed pœnæ vel ſuſpenſæ hæreant, vel quaſi ſepultæ jaceant, tamen oſtendet exitus me non eſſe propterea mutatum. Sed videtur Propheta hic potius objicere ingratitudinem Judæis, quod Deum crudelitatis accuſent, vel ſocordiæ, quia non ipſis ſtatim opituletur: interea autem non reputent ſecum, ideo ſe manere ſuperſtites, quia Deus habuerit rationem ſuæ naturæ potius, quam rependere voluerit quod meriti erant. Hæc igitur ſumma eſt, *Ego Deus qui non mutor*. vos autem an non oportuit in vobis agnoſcere admirabilem illam tolerantiam, qua vobis peperci? qui enim factum eſt, ut non perieritis, & innumeræ mortes vos abſumpſerint? quomodo adhuc agitis ſuperſtites? An quia probe vos erga me geſſiſtis, ut debuerim curam veſtri gerere? Imo eſt hoc quaſi portentum, quod non fulminaverim contra vos, ut fueritis pridem conſumpti. Videmus ergo ut illis exprobret ingratitudinem, quia ipſum accuſent, quod non ſtatim armatus proſiliat in ipſorum defenſionem. Nam excipit, ſi tam eſſet rigidus & vehemens, non potuiſſe ipſos ſubſiſtere, quia continuis ſeculis non deſierant interitum ſibi accerſere, ſicut mox ſequitur. Dicit enim,

7. A diebus patrum veſtrorum declinaſtis à ſtatutis meis, (*vel edictis*) & non ſervaſtis: revertimini ad me, & revertar ad vos, dicit Jehova exercituum. & dixiſtis, In quo revertemur?

8. An diripiet homo Deum, (*vel deos, vel judices*) quia vos diripuiſtis me? Et dixiſtis, In quo diripuimus te? (*vel expilavimus?*) In decimis, & oblationibus.

Clarius exequitur Propheta quod attigerat, nempe mirum eſſe quod non periiſſent olim Judæi, quia non deſtiterant in ſe Deum provocare. Hoc igitur clarius nunc illis objicit: *A diebus patrum veſtrorum*, inquit, *declinaſtis*. auget eorum damnationem hac circumſtantia, quod non cœperint nuper ab officio diſcedere, ſed continuaverint per multas ætates ſuam contumaciam, quemadmodum & aliis etiam locis tam Prophetæ quam Apoſtoli idem illis objectant: Vos incircumciſi corde non deſtitiſtis reſiſtere Spiritui ſancto ſicut patres veſtri: & , Nolite obdurare corda veſtra ſicuti & patres veſtri: In juſtitia patrum veſtrorum ne ambuletis. ſed nolo colligere teſtimonia, quæ ſatis frequenter occurrunt, & nota eſſe debent. Tenemus nunc conſilium Prophetæ, quod ſcilicet jam ſeculis pluribus perrexerint *Act. 7. verſ. 51. Pſal. 95. verſ. 8.*

Judæi

Judæi in ſua impietate & ſceleribus, & tamen non fuerint pro meritis ſuis à Deo tractati: quoniam pro inæſtimabili ſua bonitate & indulgentia ſuſpenderit rigorem ſuum, ne mox, ut digni erant, in ipſos animadverteret. Hinc apparet quam præpoſtere fuerint non ſolum moroſi & ſuperbi, ſed etiam furioſi contra Deum, qui arguerunt eum tarditatis, quum tamen vere ſe Deum probaſſet erga eos, diuturna illa patientia. Quod dicit, *& non ſervaſtis*, ad amplificationem valet. magis enim exprimit Legis ſuæ contemptum: quaſi diceret non ſolum fuiſſe tranſgreſſores, ſed craſſa pervicacia ſic deſciviſſe à Lege, ut pro nihilo ducerent calcare præcepta Dei ſub pedibus. Jam hortatur eos ad pœnitentiam, & comiter occurrit, atque affirmat ſe fore illis propitium & placabilem, ſi reſipuerint. Hactenus eos aſperius objurgavit, quia duræ illæ cervices opus habebant tali caſtigatione. Nam ſi humaniter & blande eos hortatus eſſet Propheta, vel calcitraſſent vel objectaſſent cornua. Oportuit igitur ſubigi illam ferociam, quæ reddebat eos prorſus indociles. Hoc fecit Propheta: nunc mitigat illam duritiem ſermonis, non reſpectu omnium, ſed ſi qui adhuc ſanabiles ſint in populo vult eos experiri: & ideo offert illis reconciliationem cum Deo: quaſi diceret, Etiamſi tot modis pervicaciter Deus à vobis fuerit offenſus, etiamſi repudiaveritis ejus gratiam, & indigni ſitis prorſus quos jam reſpiciat: tamen redite, ipſe occurret vobis. Diximus alibi omnes exhortationes fore irritas niſi accedat ſpes veniæ. Nam ſi Deus præcipiat, ut redeamus in viam, nunquam tangentur animi noſtri, imo refugient potius, niſi ſperemus ipſum fore exorabilem. Hanc rationem nunc tenet Propheta, quum in perſona ipſius Dei promittit veniam ſi ex animo Judæi reſipiſcant. Nam Deus ad nos redire dicitur, ubi deſinit pœnas exigere de peccatis noſtris, & depoſita perſona Judicis, Patrem ſe erga nos declarat. Scimus Deum nunquam accedere, neque diſcedere. nam qui implet omnia, non movetur loco: deinde ſcimus etiam in ipſo nos eſſe, & vivere: ſed externis ſignis declarat ſe à nobis alienum, & iiſdem etiam declarat ſe propitium. Nam ſi nos dignatur & proventu frugum, & pace, & aliis benedictionibus, dicitur nobis propinquus eſſe: ubi autem laxat frena iræ ſuæ contra nos, vel exponit nos Satanæ & hominum libidini, dicitur à nobis remotus eſſe. ſed hoc etiam ſatis tritum eſt, ideo non immoror longius. Hoc valet promiſſio qua nunc utitur Propheta, Deum paterni favoris ſigna oſtenſurum Judæis, ſi modo ipſi ſint tractabiles: ſed per ipſos ſtare, quominus beneficiis ejus ſentiant ipſum eſſe
Jeſa. 59. verſ. 2. Patrem, quia opponant, quemadmodum dicit Jeſaias, peccata ſua, quæ impediunt curſum illius beneficentiæ, ad quam ultro propenſus eſſet. Quod autem jubet eos reverti, inde Papiſtæ nimis ſtulte colligunt, eſſe igitur in libero hominis arbitrio pœnitentiam. Nam exigit Deus quæ ſupra vires noſtras ſunt: & tamen non eſt cur queramur nimis grave onus nobis imponi. reſpicit enim non quid poſſimus, vel quid ferat facultas noſtra, ſed quid debeamus, & quale ſit noſtrum officium. Quanquam ergo non poterit quiſpiam proprio motu ad Deum converti, non eſt propterea excuſabilis, quia videndum eſt unde ſit defectus: & quemadmodum jam dixi, utcunque impotentiam ſuam obtendat homo, non tamen ideo effugiet quominus obſtrictus ſit Deo, etiamſi plus ab eo exigitur, quam præſtando ſit. Sed de hac loquendi forma etiam alibi ſæpius dictum fuit. Summa huc redit, homines non injuſto rigore Dei, ſed propria culpa ſemper eſſe miſeros. Sequitur, *Dixiſtis, In quo revertemur?* Hoc adhuc ſignum eſt contumaciæ, ubi reſponſant homines ſe non videre ubi erraverint, & ideo converſionem fruſtra à ſe poſtulari. nam huc tendunt populi verba, *In quo revertemur?* hoc eſt, Quid à nobis flagitas? Neque enim ſumus nobis conſcii ullius defectionis: Deum colimus ut decebat: nunc ſi officia noſtra ab ipſo repudiantur, non videmus cur tam præciſe nos urgeat. ergo oſtende in quo deliquerimus, quia converſio ſupervacua erit, donec convicti fuerimus vel apoſtaſiæ, vel eorum ſcelerum, quæ Deus in nobis velit perſequi. Reſpondet hic Propheta, *An homo diripiet deos?* Quod vertunt quidam, An homo debet Deum fraudare? nimis coactum eſt, & remotum à Prophetæ verbis: & corrumpunt genuinum ſenſum. neque enim video quid poſſit inde elici, An debet homo Deum fraudare? Sed manent duo ſenſus tolerabiles. Prior eſt, An homo fraudat deos ſuos? Nomen אלוהים quamvis ſit pluralis numeri, refertur ad unicum Deum, ut ſatis notum eſt. ſed etiam idolis eſt commune: & hoc loco videtur mihi Propheta conferre Judæos cum Gentibus, ut eorum impietas melius pateat. Huc etiam tendit Jeremias, Jerem. 2. verſ. 10.
quum dicit ſecundo capite, Ite, & luſtrate inſulas, an eſt gens quæ mutaverit deos ſuos: & tamen non ſunt dii. Quum ſua cæcitas & obſtinatio Gentes teneret in tenebris, ut deos colere pergerent quibus aſſuefactæ erant, fuit hoc fœdiſſimum ſcelus in Judæis, quod edocti ſe colere verum Deum, tamen ſubinde abrepti improba levitate appeterent novos cultus: quaſi vellent ſibi fabricare alium Deum. Sic etiam hoc loco videtur Propheta adducere Gentes in medium, quod exemplum Judæis præberent, quia ſcilicet deſungerentur erga ſuos deos; Judæi autem contemnerent ſummum & unicum Deum: Ecce, inquit, circuite totum mundum, non reperietis tam effrenem licentiam in gentibus, qualis inter vos graſſatur: illæ enim obſequium aliquod reddunt diis ſuis, & ſacrilegium illis eſt abominabile; vos autem me fraudatis. An ego inferior ſum idolis? vel deterior eſt mea conditio, quam illorum? Alii אלוהים accipiunt pro Judicibus, ut etiam vocantur Judices Dii. Sed non videtur convenire ſenſus ille propter nomen Adam. Quoniam ergo hic generaliter ponitur nomen Hominis, non dubito quin Propheta ſignificet quod jam dixi, nempe incredulos etiamſi demerſi ſint in tenebris, reverentia quadam teneri, ut cœleſte numen metuant, neque audeant illudere, ubi nomen ſolum Dei in medium prodit. Quum ergo vigeat inter incredulos illa modeſtia, an excuſabilis erit improbitas ſancti illius populi, qui nutritus fuerat in Lege, & cui Deus ſemper illuxerat per Legis ſuæ doctrinam? Poſtea adjungit, *Quia vos diripuiſtis me: & dixiſtis, In quo diripuimus te? In decimis, & oblationibus.* Hic Propheta rurſus coarguit obſtinationem populi. fuit quidem hæc hypocriſis, ſed tam craſſa, ut impudentia vinceret. Nam quod quærunt *in quo Deum fraudaverint* vel expilaverint, hoc pueris ipſis notum erat. ſcimus enim, & jam vidimus alibi, tunc avaritiam dominatam fuiſſe apud eos, ut quiſque propriis commodis addictus negligeret Templum, & Sacerdotes. Quum ergo palam eſſent ſacrilegi, cujus pervicaciæ eſt, quærere in quo Deum fraudaverint? res enim palam eſt, ac vulgaris, ut pueri ipſi ferre poſſint judicium. Deus tamen ſatis habet uno verbo eos convincere, quod ſcilicet in decimis & primitiis ipſum fraudent: non quod aliqua ad eum utilitas perveniat ex oblationibus, ſicuti nulla re indiget; ſed quia ſuum merito vocat ac cenſet, quod deſtinat in cultum ſuum. Quoniam ergo ordinem illum inſtituerat apud Judæos, ut alerentur ex decimis Sacerdotes, & pars etiam erogaretur pauperibus: quoniam volebat Deus ſibi offerri & primitias, & alia omnia, ut aſſidue homines reducerent in memoriam, omnia ſe illi debere, & ſacra eſſe quæcunque ex ejus manu percipiebant: ideo prius vocavit panem ſuum, qui in menſa erat repoſitus, & ſacrificia etiam vocavit cibos ſuos, quaſi ederet & biberet. Sed quemadmodum jam dixi, debemus finem reſpicere: quia volebat hoc modo coli,

ſimul

ſimul etiam oportuit illi ſervari quaſi proprium, quicquid ad eum colendum ſpectabat. Hæc igitur ratio eſt cur nunc queratur ſe fraudari in decimis. Cæterum, ſcimus nunc alia ſacrificia nobis præſcribi. nam poſt invocationem & laudes, ſimul etiam jubet ut ſubveniamus pauperibus & egenis. Non dubium igitur eſt, quia Deus à nobis ſpolietur jure ſuo, ubi maligni ſumus erga pauperes, ubi etiam negamus illis ſubſidium in neceſſitate. Injurii quidem ſumus hominibus & crudeles: ſed crimen noſtrûm longius procedit, quod ſcilicet ſimus infidi depoſitarii. Deus enim hac lege liberalius erga nos ſe geſſit, ut perveniret ex noſtra abundantia aliqua portio ad pauperes: & quia conſecrat in eorum uſum quod nobis abundat, ideo ſacrilegi ſumus quoties non reddimus fratribus noſtris quod Deus jubet, quia ſcimus interponi ejus nomen, ſicuti dicitur, Qui pauperi largitur,
Prov. 19. verſ. 17. fœneratur Deo.

Da omnipotens Deus, quum dignatus fueris nos eligere tibi in ſacerdotes, non qui victimas pecudum offeramus, ſed qui tibi ſacri ſimus cum omnibus noſtris, ut ſtudeamus qua decet alacritate recedere ab omni immunditia, & purgare nos ab omnibus inquinamentis, ut ſacro hoc ſacerdotio erga te fungamur, & ita nos caſte & pure erga te geramus, ut abſtineamus ab omni maleficio, ab omni fraude, & ab omni ſævitia erga fratres noſtros: & ultro ac citro ita verſemur inter nos, ut teſtemur tota vita te vere nobis eſſe patrem, qui nos regis Spiritu tuo, & vera ac ſancta vigeat inter nos fraternitas: atque innoxie inter nos degamus, ut quiſque jus ſuum alteri reddat: & ita etiam probemus nos eſſe membra unigeniti Filii tui, ut tandem agnoſcat nos quum apparuerit in redemptionem ſuorum, & colligat nos in regnum ſuum cœleſte, Amen.

PRÆLECTIO UNDECIMA IN MALACHIAM PROPHETAM.

CAP. III.

9. Maledictione vos maledicti eſtis, & me vos diripuiſtis tota gens.

PRoſequitur Malachias eandem ſententiam. Reſpondet enim Dei nomine Judæis, quod injuſte querantur de immodico ejus rigore, quandoquidem totam malorum culpam ipſi ſuſtinent. per conceſſionem igitur dicit maledictos quidem ipſos eſſe, ſed adjungit hoc contingere ipſorum merito: quaſi diceret, Eſto. nam audiebantur aſſiduæ illæ lamentationes, Quid ſibi vult Deus, quod ſine fine & modo nos affligit? Deus ergo concedit illis quod ſolebant odioſe referre: ſed ex oppoſito dicit, *vos etiam me diripuiſtis:* quid mirum ſi maledictio mea vos conſumit? Quum ergo expilatus à vobis fuerim quantum in vobis erat, ego rependo vobis juſtam vicem. neque enim æquum eſt, ut largus ſim aut beneficus erga vos, dum ita me fraudatis, & rapitis quæ mea erant. Summa huc redit, verum quidem eſſe quod Judæi deflebant, nempe eſſe maledictos: ſed quærendam eſſe cauſam. ſibi autem volebant ignoſci rapinas & ſacrilegia, quibus fraudabant Deum. Atqui objicit Deus ſe ſumere juſtam de ipſis ultionem, quod ſcilicet ipſos conſumat inopia & egeſtate, quando tam maligne reddiderint quod debebant. Dicit, *tota gens:* qua particula aggravat crimen Judæorum, quod ſcilicet non pauci eſſent obnoxii ſacrilegio, cujus meminit, ſed à minimo uſque ad maximum certatim omnes raperent decimas & oblationes. Hinc ſequitur, non excedere modum Dei vindictam, quum eſſet quaſi publica conſpiratio omnium, neque vel decem, vel centum eſſent impliciti hoc crimine, ſed totus populus, quemadmodum dicit. Sequitur,

10. Adducite omnes decimas (*vel totas*) ad domum theſauri, (*vel ad repoſitorium*) & ſit cibus in domo mea: & probate me nunc in hoc, dicit Jehova exercituum, annon aperiam vobis feneſtras cœlorum, depromam vobis benedictionem, ut non ſit ſufficientia. (*vel ut non ſit modus ſufficientiæ.*)

Concludit tandem eos nihil proficere jurgando, ſed optimam rationem illis paratam eſſe, ſi ſtudeant redire cum Deo in gratiam. Poſtquam ergo repulit injuſtas eorum criminationes, nunc rurſus oſtendit illis remedium quod prius attigeras, nempe ſi bona fide agant cum Deo, fore ipſis liberalem, & benedictionem ejus illis promptam fore & expoſitam. hæc ſumma eſt. Satis autem convicti fuerant ſuæ rapacitatis, quod ſcilicet ſubducerent oblationes & decimas. Quum jam hoc ſacrilegium ſatis notum eſſet, nunc quaſi litem æſtimat Propheta, ut loquuntur: ſicuti ſolet fieri ubi reus damnatus eſt, ac cauſa eſt cognita, ut ſcilicet qui fraudatus eſt, recuperet jus ſuum. Sic etiam nunc cum Judæis agit Deus: *Adducite,* inquit, *ad repoſitorium,* (nam hoc valet domus theſauri vel annonæ) *adducite omnes decimas,* vel totas. Hinc colligimus non prorſus negaſſe ipſos decimas Sacerdotibus, ſed fraudulenter ſolviſſe, vel dimidia ex parte, vel ita ut quicquid poterant ſibi retinerent. Neque enim ſupervacuum eſt quod dicit, *adducite omnes,* vel totas. Volebant igitur ita decimas ſolvere, ut contenti eſſent Sacerdotes dimidia parte tantum, & ita illuderent Deo: ſicuti hypocritæ ſemper arrogant ſibi titulum, & ita ſtudent defungi, ut non palam appareat eorum perfidia: ſed interim non pudet eos ſuæ licentiæ, qua illudunt Deo, quemadmodum inſigne exemplum hic nobis profertur. Videmus ergo non eſſe novum vel inſolitum, ſi homines Deo ſua officia imputent, & interea manifeſte eripiant ei quod ſuum eſt, & ad ſe transferant: manifeſte dico, quoniam ſatis apparet eorum impietas, etiamſi velo ſimulationis ſit obducta. Poſtea adjungit, *ſit cibus in domo mea.* Alibi hanc loquendi formam expoſuimus: & poſtrema lectione Propheta de cibo etiam Dei loquutus eſt, non quod indigeat Deus cibo & potu, ſed quia ejus cenſeri debet quicquid ſibi dicavit. Diximus autem fuiſſe hoc noſtra cauſa præceptum, ut offerrent Judæi & panem & victimas, & quicquid tale eſt: deinde ut epularentur Jeroſolymæ velut in conſpectu Dei. Quid enim magis optabile eſt, quam ut Deus in medio noſtri habitet? quod etiam toties in Lege repetitur. Hoc autem familiarius non poteſt nobis exprimi, quam ubi Deus quodammodo ſe ſtatuit nobiſcum in menſa, acſi eſſet conviva noſter, qui vellet eodem pane, & aliis alimentis nobiſcum veſci. & ideo in Lege dicitur, Deut. 12.
Epulaberis & lætaberis coram Deo tuo. Jam quia verſ. 18.
Deus, ut dictum eſt, non indiget cibo & potu: deinde

quia

quia pro ſua craſſitie homines ad ſuperſtitionem plus æquo ſunt propenſi ; ideo ne quid terrenum Judæi imaginarentur de ipſo Deo, ſubſtituit Sacerdotes & pauperes in locum ſuum. Et hæc ratio temperamenti notanda eſt, quia Dominus ab una parte voluit familiariter ad ſe allicere homines, ſed ab altera parte voluit attrahere ſurſum in cœlos, ne quid indignum illi affingerent, quemadmodum fieri ſolet, atque nimis vulgare eſt. Sed interea ſacrilegium rurſus traducit, quum ſeipſum cibo privari conqueritur. *Sit ergo cibus in domo mea: & probate me nunc in hoc, dicit Jehova, ſi non aperuero* &c. Confirmat quod prius dixit, ſed pergit tamen in promiſſione: quia quum ſe probationi ſubjicit, ſecure calumniam eorum repellit, quod ſcilicet dicerent abſque cauſa ſe inedia confici, & Deum quaſi mutaſſe naturam, quod non daret largum proventum frugum. Deus ergo uno verbo oſtendit ſibi fieri injuriam, quia probationem vel examen admittit: quaſi diceret, Si placet litigare, facile abſolvar, quia ſi adduxeritis mihi decimas, & quidem integras, ſtatim proveniet vobis magna frugum omnium ubertas. hinc igitur patebit me non eſſe auctorem ſterilitatis, ſed cauſam oriri à veſtra malitia, quod ſcilicet ſacrilegi eſtis in me privando. Poſtea addit, *ſi non aperuero vobis feneſtras cœli.* Hoc primum eſt in terræ fertilitate, ut cœlum terram inebriet, quemadmodum loquitur Scriptura. Et
Deut. 28. ideo minatur Deus in Lege cœlum fore ferreum,
verſ. 23. & terram æneam, quia eſt mutuus quidam conſenſus inter cœlum & terram: & alibi per Prophetam dicit,
Hoſ. 2:22. Cœlum exaudiet terram, & terra exaudiet frumentum & triticum, & frumentum & triticum exaudient homines. Nam ubi nos urget fames, clamamus ad panem & vinum, quando videtur quodammodo incluſa eſſe vita noſtra in illis ſubſidiis. Si penuria ſit vini, & tritici patimur repulſam, vinum etiam & triticum clamant ad terram. Quare? nam ex ordine divinitus poſito, appetunt quaſi erumpere. Ubi autem clauſis terræ viſceribus neque frumentum, neque vinum poſſunt oriri, tunc etiam fruſtra terram invocant. Eadem eſt terræ ratio: nam terra ubi arida eſt, quaſi famelica ad cœlum clamat: ſi autem negatur pluvia, cœlum videtur repudiare terræ vota. Ergo Deus hoc loco oſtendit terram non poſſe producere ſpicam unam tritici, niſi ſuccum vel humorem ſuppeditent cœli. Potuit quidem Deus ab initio terram humectare abſque pluvia, quemadmodum refert Moſes: ſed tunc vapor ſupplebat vicem pluviæ. Quamvis ergo naturaliter defluat pluvia, monemur hoc loco Deum ipſum pluere. hoc primum eſt. Sed quia non ſufficeret pluvia ipſa, adjungit Evaginabo. ריק enim proprie eſt Evaginare. ſed quoniam aſperior eſſet metaphora, recte vertunt quidam, Depromam. Dura eſt etiam illa interpretatio, Evacuabo benedictionem: imo evertit ſenſum. Sequamur ergo quod primo loco attuli, depromi vel palam exeri benedictionem à Deo, ubi terra officio fungitur, & ferax eſt vel fructuoſa. Videmus ergo ut Deus non uno tantum modo liberalis ſit erga nos, ſed velit per certos gradus nos ſentire ſuam beneficentiam. Pluit igitur è cœlo, ut emolliat terram, quo poſſit in ſinu ſuo triticum fovere: deinde è viſceribus ſuis proferre, quemadmodum ſi mammas nobis porrigeret. Ad hæc benedictionem ſuam Deus exerit: facit enim ne inutilis ſit pluvia. Addit, עד בלי די. Quidam vertunt, Ut non ſit ſufficientia, hoc eſt, ut horrea & cellæ non capiant tantam copiam. Eliciunt igitur hunc ſenſum, tantam fore ubertatem, vel tam largum proventum, ut cellæ non ſint futuræ ſatis capaces. Alii autem vertunt, Abſque modo ſufficientiæ. די proprie ſignificat ſufficientiam, vel quod opus eſt: ſicuti יד inverſis literis. Sed quantum ad rem ſpectat, parum eſt diſcriminis. Conveniet igitur etiam hæc interpretatio, Abſque ſufficientia, id eſt, non reſpiciam quid vobis opus ſit, ut ſit quaſi demenſum, ſed erit ubertas quaſi ſuperflua. Sequitur,

11. Et increpabo vobis devorantem, & non corrumpet vobis fructum terræ: & non abortiet vobis vitis in agro, dicit Jehova exercituum.

Jam rurſus confirmat Deus ſe non uni tantum in ſpecie nobis eſſe beneficum. Poſſet quidem quotidie nobis victum erogare, quemadmodum ſcimus aluiſſe populum ſuum in deſerto: ſed vult ſemen putreſcere in terra, vult germinare, & poſtea vult ſucceſſu temporis creſcere, donec ſurgat in ſpicas. Poſtea adhuc multum eſt periculi: imo obnoxium eſt triticum variis incommodis donec in horreum colligitur: nam & locuſtæ, & vermiculi, & rubigo, & aliæ peſtes triticum infeſtant. ideo ut melius commendet Deus ſuam beneficentiam erga homines, enumerat hic varios modos conſervandi victus, quia non ſatis eſſet ſemen germinaſſe, deinde apparuiſſe ſigna magni proventus in ipſis ſpicis, & in ipſa denſitate: ſed neceſſe eſt etiam ſpicas ipſas, donec maturitas acceſſerit, divinitus conſervari, quia ſtatim obreperent ab una parte bruchi, locuſtæ, & vermiculi, & alia animalcula quæ triticum in agris devorant: deinde etiam inſtarent procellæ, & grandines, & rubigo, & aliæ labes, ut jam dixi. Hic ergo Deus oſtendit ſe aſſiduè curam noſtri gerere, & ſingulis diebus ac noctibus præſtare officium boni & ſeduli patrisfamilias, qui ſemper pro ſuis excubat. Nam ſub nomine Comedentis comprehendo omnes corruptelas, quibus videmus obnoxiam eſſe ſegetem. Ideo dicit, *Non corrumpet fructum terræ, & non orbabit vitis in agro vobis.* שכל proprie ſignificat Orbare, vel privare. Sed quoniam lectio dura eſſet, Non orbabit vitis; ideo vertunt, Vitis non abortiet: quod mihi non diſplicet. *Non abortiet* igitur *vobis vitis in agro, dicit Jehova exercituum.* Sequitur,

12. Et beatos dicent vos cunctæ gentes, quia eritis vos terra deſiderii, (*deſiderabilis*) dicit Jehova exercituum.

Verſus hic deſumptus eſt ex Lege, ubi inter alia promittit Deus tam felicem ſtatum electi populi fore, ut gentes ipſæ agnoſcant in illo Dei benedictionem. Subeſt interea antitheſis, quoniam eo miſeriæ prolapſi erant, ut eſſent quaſi deteſtabiles gentibus,
Deut. 28. quemadmodum & Lex etiam illis denunciat, Si cu-
verſ. 1. ſtodieris præcepta mea, omnes gentes beatum te dicent: ſi autem me contempſeris, eris ludibrio omnibus gentibus, omnes concutient caput, & movebunt labra, imo horrebunt ad miſeriæ tuæ aſpectum: & quiſquis audiet, aures ei tinnient. Quoniam ergo Judæi quaſi tabidi erant in ſuis malis, ideo dicit Propheta, ſi converſi fueritis, non abolita eſt illa felicitas, quam vobis Deus pollicitus eſt: habet eam in manu ſua repoſitam, ſed inſtar theſauri: quem-
admodum etiam dicitur in Pſal., Quam magna eſt Pſal. 31.
multitudo bonitatis tuæ! ſed abſcondita eſt timenti- verſ. 20.
bus te. Significat igitur Deus ſe nolle proſtituere benedictionem ſuam canibus & porcis: ſed filiis ſuis, qui ſcilicet morigeri ſunt, ſemper eſſe paratam. *Vos* igitur *dicent gentes beatos, quia vos eritis terra deſiderii.* Hæc etiam promiſſio ex Lege ſumpta eſt, ubi dicit Deus ſe non fruſtra ſegregaſſe terram illam à reliquis, quoniam futura eſſet exemplar vel imago

bene-

beneficentiæ ipſius in toto orbe. Scimus quidem Deum ſemper fuiſſe liberalem etiam erga omnes populos, ita ut ſaturati etiam fuerint abunde ejus alimentis: ſed terra Iſraël vocatur Deſiderabilis, quia ſpeciale theatrum eſt beneficentiæ Dei, non modo in cibo & potu, ſed etiam in aliis præſtantioribus beneficiis. Nunc addit,

13. Invaluerunt contra me verba veſtra, dicit Jehova: & dixiſtis, In quo loquuti ſumus contra te?

14. Dixiſtis, Fruſtra ſervitur Deo, & quæ utilitas? quia cuſtodivimus cuſtodiam ejus, & quia ambulavimus ſupplices (*vel humiles: in obſcuro vultu, ad verbum*) coram facie Jehovæ exercituum.

15. Et nunc beatos dicimus ſuperbos, &c.

Hic rurſus expoſtulat Deus cum Judæis de impia & nefanda blaſphemia, quod ſcilicet dicerent ipſum fruſtrari ſuos cultores, & nullum eſſe apud eum boni vel mali diſcrimen, quia promiſcue benefaciat improbis, & piis: deinde negligat quicquid præſtatur ei obſequii. Dicit autem *invaluiſſe verba ipſorum:* quo petulantiam denotat: quaſi diceret, *Vous avez gagné le plus haut.* Nam חזק eſt Prævalere. Significat igitur talem fuiſſe proterviam inter Judæos, quæ nullis rationibus poſſet compeſci: quemadmodum videmus homines ubi ſemel abrepti ſunt ſua amentia & rabie, vociferari, ita ut locum non relinquant vel monitionibus, vel ſanis conſiliis. Initio obmurmurant, & tantum audiuntur ſuſurri: ſed ubi acquiſierunt ſibi licentiam, tunc quemadmodum dixi, emittunt furioſos ſuos clamores in cœlum. Hoc crimen nunc coarguit Propheta, quum dicit *Judæos clamitando invaluiſſe contra Deum.* Jam iterum excipiunt, *In quo loquuti ſumus contra te?* Apparet ex tot repetitionibus, hypocriſin, quæ conjuncta erat cum impudentia, non potuiſſe facile corrigi in populo illo tam præfracto. Debuerat enim ſtatim illis in memoriam venire, quod tam ſcelerate damnaverant Deum. Sed hic quoque nullam culpam agnoſcunt: Quid tibi vis? perinde eſt acſi Prophetam vellent trahere in judicium, quod illos calumnioſe accuſet, in quo nullius vitii ſibi conſcii ſint. Subjicitur ratio cur dicat *invaluiſſe eorum verba contra Deum*, hoc eſt, ipſos nimis audacter & furioſe maledixiſſe Deo, nempe *quia dixerunt fruſtra Deum coli.* Putabant ſe perfecte Deum colere: & hoc erat illis falſum principium, quemadmodum hypocritæ ſemper arrogant ſibi plenam ſanctitatem, neque ſuſtinent fateri mala ſua: etiamſi conſcientia eos pungat, tamen & ſeipſos decipiunt vanis illecebris, & ſemper conantur obducere aliquid, ne diſcooperiatur eorum dedecus apud homines. Sibi igitur, Deo, Angelis & hominibus fucum facere vellent hypocritæ. ubi autem hac confidentia inflati ſunt, quod Deum pure & ſancte, & abſque ullo vitio coluerint, quod etiam careant omni macula, niſi Deus pro voto ipſos tractet, niſi ſe eorum arbitrio ſubjiciat, produnt ſuam virulentiam quæ latebat prius. Nam ſi proſpere habeant, Deus plenis buccis ab ipſis benedicitur: verum ſimulac ſubtrahit manum ſuam, ac vult eorum tolerantiam probare, illic quemadmodum dixi, oſtendunt quales ſint Dei cultores. Nam in cultu Dei hoc eſt præcipuum, ut homines ſeipſos abnegent, & ſe tradant ei regendos, neque obſtrepant ſiquando eos humiliet. Ergo videmus quomodo conviciati fuerint Judæi Deo, quod ſcilicet perſuaſi fuerint ſe ſatisfeciſſe officio ſuo, quod tamen erat falſiſſimum: deinde quod non poterant ſe ſubjicere Deo, & jugum ejus ſubire: quod non reputabant quam variis modis provocaſſent iram Dei, quam juſtas & multiplices cauſas habeat caſtigandi ſuos, etiamſi nihil deliquerint. Quum ergo nihil horum expenderent, hinc factum eſt, ut putarent ipſum ſibi eſſe iniquum. *Fruſtra* ergo *ſervitur Deo.* Diximus has cogitationes venire interdum fidelibus in mentem: ſed opponunt obſtaculum, ut decet. Judæi autem quaſi victores, evomebant has blaſphemias contra Deum, *Fruſtra ſervitur Deo: quæ utilitas?* inquiunt. *nam cuſtodivimus cuſtodiam ejus, ambulavimus obſcuri*, vel humiles, *coram Jehova exercituum*: & tamen cogimur *vocare beatos ſuperbos*, id eſt, impios. Hic Deum accuſant dupliciter; quod ſcilicet nullam recipiant mercedem ſuæ pietatis, quum probe erga Deum fuerint defuncti: deinde quod melius ſit impiis ac Dei contemptoribus. Videmus ergo odioſe ab ipſis exaggerari Dei injuſtitiam, ſaltem quam ipſi ſibi fingebant, nempe quod fruſtretur juſtos mercede qua digni ſunt: deinde quod arrideat impiis & ſceleratis, quaſi ipſos foveret, & quaſi vellet magis exaſperare dolorem ſervorum ſuorum, dum fideliter ipſum colendo, vident tamen hoc fieri fruſtra: quoniam diſſimulet Deus ſe reſpicere ad eorum obſequia. Quod autem diximus tentari etiam bonos hac cogitatione, non mirum eſt, quando res ita confuſæ ſunt in mundo: ſicuti etiam dicit Salomon, Omnia pariter Eccl. 9: 2.
evenire juſto, & impio, immolanti victimas, & non immolanti: unde terra impietate & contemptu referta eſt. Occaſio igitur nobis offertur & indignationis, & obtrectationum: ſed quoniam Deus conſulto examinat fidem noſtram rebus ita turbatis, meminerimus opus eſſe patientia. Quanquam non ſatis eſt ſubjicere nos judicio Dei, niſi etiam reputemus juſte nos affligi: & quamvis demus probitati operam, tamen multa vitia in nobis hærere: nos aſperſos eſſe multis maculis, quæ provocant in nos iram Dei. Diſcamus igitur reputare qualis ſit vita noſtra: deinde meminerimus plures eſſe cauſas, cur Deus nos interdum aſperius tractet: ſic fiet, ut ſtatim ceſſent omnes obtrectationes, deinde ut animi noſtri ſint compoſiti ad obedientiam. Denique illa conſideratio compeſcet quicquid in nobis eſt contumaciæ, ne aut pravæ noſtræ cogitationes aut verba contra Deum prævaleant.

Da omnipotens Deus, quando non deſinimus tot & tam varias cauſas tibi præbere, cur ſubducta tua benedictione te infeſtum nobis oſtendas: da, inquam, ut patienter feramus tua flagella, quibus nos caſtigas: deinde ut etiam proficiamus ſub tuis ferulis, & ſic pugnemus contra omnes pravos noſtros affectus, & carnis corruptelas, ut capaces ſimus tuæ paternæ beneficentiæ, quam nobis offers: deinde ut ſic guſtemus tuam bonitatem, quæ nobis expoſita eſt innumeris modis, ut retineat nos in ſtudio pietatis. Poſtremo ſic conſecratæ ſint noſtræ linguæ ad celebrandum judicium tuum, & laudandam juſtitiam, ut quicquid nobis acciderit, ſemper te colamus tota vita ut patrem: & prædicemus etiam tua erga nos beneficia, & fateamur nos merito plecti, quoties nos tua ſeveritate perſequeris, donec tandem perveniamus ad beatam illam quietem quæ nobis erit malorum omnium finis, nec modo ingreſſus in vitam, ſed in plenam gloriam & felicitatem, quæ parta eſt nobis ſanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO DUODECIMA IN MALACHIAM PROPHETAM.

CAP. III.

Vidimus poſtrema lectione indigne tuliſſe Judæos quod non humanius illos tractaret Deus, quum tamen ipſi optime defungi ſtuderent ſuo officio erga ipſum. Diximus hanc expoſtulationem nunquam poſſe ab hominibus juſte proferri, quia etiamſi rigidum ſentiant Deum, ſemper multæ ſunt cauſæ cur ipſos variis moleſtiis exerceat. ſed hypocritæ videntur ſibi omnium perfectiſſimi eſſe, quamvis duntaxat fucum ſanctitatis obtendant. Dicunt quidem ſe Legem ſervaſſe; ſed ubi ad examen ventum eſt, deprehenditur vanitas, quia quod præcipuum in Lege eſt eos deficit, integritas ſcilicet cordis: imo in externa vita deprehenduntur transgreſſores. Sed quicquid ſit, audacter jactant ſe Legem ſervaſſe, quemadmodum videmus hoc loco, *Cuſtodivimus ejus cuſtodiam.* Metaphorice vocatur doctrina Legis, Cuſtodia, quoniam nos regit, deinde continet intra metas ne vagemur incerti, cohibet pravas cupiditates: denique continet nos ſub Dei metu, & in optimo ordine. Hoc ſi reputaſſent Judæi, nunquam auſi fuiſſent tantum ſibi ſumere. ſed nomen hoc ut erat tunc in uſu, ponitur à Propheta; & ita nſtendit quam parum attenti fuerint ad conſiderandam Dei Legem: quia putant vitam ſuam conformem eſſe omnibus præceptis: & tamen vix milleſimam partem attigerant. Addunt, *Ambulavimus obſcuro vultu*, vel habitu. Eſt etiam in hac voce metaphora, quia intelligunt ſe fuiſſe coram Deo humiles & abjectos. Et hoc eſt non vulgare in cultu Dei, faſtu omni depoſito, & confidentia etiam ſubacta, timide ambulare coram ipſo. Sed hypocritæ ſimiarum more imitantur quod Deus exigit vel probat: interea de corde mutandn nulla mentio. Timnr ergo & ſollicitudo requiritur, ſicuti vidimus apud Prophetam Michæam. Nam putant hypocritæ ſufficere vultum dejectum. unde etiam ſæpe mœſtitiam ſimulant, quamvis intus ſibi placent & blandiuntur: & ideo apud Jeſaiam cap. 58. ut hoc loco, Deum accuſant quod non reſpexerit: quum incederent vultu triſti, quum ſe macerarent jejuniis, denique quum aliis omnibus exercitiis præferrent magnam ſanctitatem, Deum accuſant, quod hæc omnia deſpexerit, vel non habuerit rationem, ut debebat. Meminerimus ergo his errare Judæos, quoniam Deo obtrudunt vanam ſimulationem pro vera humilitate: quia non dubium eſt, quin turgidi fuerint prava confidentia, etiamſi judicarent ſe eſſe & abjectos & obſcuros coram Deo. deinde quod ſibi plus arrogant quam juſtum ſit; quia etiam ſiqua eſſet modeſtia & ſubmiſſio in ipſis, tamen modum excedunt: quoniam ſemper turgemus confidentia: ſaltem nunquam penitus ſumus purgati. Falſo igitur obtendunt, quod *inceſſerint obſcuri & dejecti coram Deo.* Sequitur,

15. Et nunc nos beatos dicimus ſuperbos: etiam ædificantur qui faciunt iniquitatem, etiam qui tentant Deum, & liberantur.

Cohæret hic verſus cum proximo. nam ſententia non conſtaret, quod *ambulaverint mæſti coram Deo, & ſollicite cuſtodierint præcepta ejus*, niſi accederet hoc membrum, quod videant interea florere & deliciari ſuperbos: quaſi dicerent, Nos ſtuduimus Deum promereri noſtris obſequiis: ipſe poſthabita ratione pietatis noſtræ, quaſi totam ſuam liberalitatem effundit in hoſtes noſtros, qui tamen ſunt homines impii & profani. Nunc ergo videmus conjungi iſtos duos verſus uno contextu, quod Deus fruſtretur Judæos mercede illis debita: interim vero beneficentia ſua proſequatur impios & indignos. Nam, ut ante viſum eſt, Vocare aliquem beatum, eſt agnoſcere in ipſo Dei benedictionem: ſicuti pollicitus eſt Deus, Ecce beatum te dicent omnes gentes. Ita converſio hic notatur, quod Judæi quum eſſent miſeri, vocarent alios beatos: non quod libenter hoc prædicarent, ſed æmulatio cogebat ipſos conqueri de læto & beato ſtatu gentium, quæ tamen erant impiæ. Vocant autem Superbos omnes Dei contemptores per ſynecdochen, quia ſola fides nos humiliat. Multi quidem increduli laudantur à modeſtia, ſed nemo ſeſe componit ad humilitatem, niſi qui exinanitus eſt omni opinione ſuarum virtutum. Alii inſurgunt contra Deum, quia eripiunt ei quod ſuum eſt: ideo non mirum ſi contumelioſi ſint in proximos, quando non dubitant cornua adverſus Deum attollere. Et multis Scripturæ locis increduli ſic vocantur, ut ſciamus non poſſe nos formari & aſſuefieri ad modeſtiam, donec ſubierimus jugum Dei, ita ut nos quocunque voluerit flectat: deinde etiam abjecerimus omnem fiduciam noſtri. *Etiam*, inquiunt: גם hic reſolvi debet, quia bis repetitur, in tam & quam: hoc eſt, Quicunque impie ſe gerunt, & quicunque tentant Deum, *ædificantur & liberantur.* Hic genus priore loco ſtatuitur, deinde ſpecies: tamen de iiſdem loquitur Propheta. nam impios vocat contemptores Dei: dicit poſtea eoſdem tentare Deum, quod eſt magis ſpeciale. ſumma eſt, Dei favorem eſſe conſpicuum in Legis contemptoribus, tam quia proſpere degunt, quam quod liberantur & Deum auxiliatorem ſentiunt in rebus adverſis. Verbum Ædificandi apud Hebræos accipitur pro feliciter agere, ſicuti transfertur ad multa alia. Ubi ergo quiſpiam creſcit & augetur tam honoribus quam divitiis, ubi etiam ſtabilitur, ubi accumulat ſibi opes, ubi denique ad perfectionem quaſi per gradus attollitur, illo dicitur ædificari. Jam additur, *Ipſos quoque liberari*, quia non ſatis eſſet acquirere multas opes, niſi auxilium etiam Dei accederet in rebus adverſis. Nemo enim immunis eſt ab omni incommodo: loqunr de feliciſſimis. Quare ad ædificationem adjungit Propheta hoc ſecundum, quod Deus eripit ab omnibus incommodis reprobos, quaſi eos tegeret ſub umbra ſua, vel quaſi eſſent ejus clientes. Quod ad verbum illud ſecundum ſpectat, ubi dicit impios *tentare Deum*, ſcimus hoc infidelitatis proprium eſſe, litigare cum Deo. Uſus eſt Propheta hoc verbo paulo ante, quum diceret, Probate me in hoc. Sed Deus more humano tunc ſe ſubjiciebat examini: hic autem Propheta audaciam illam perſtringit, quæ nimium vulgariter regnat in mundo, ubi ſcilicet homines volunt circumſcribere Deum, & legem illi imponere, & inquirere in judicia ipſius: denique acſi illis obnoxius eſſet, præſcribere pro ſua libidine, ut ne hoc vel illud agat: quod ſi egerit, vocare ipſum ad cauſam agendam. Nunc ergo tenemus quid ſit tentare Deum. Sequitur,

16. Tunc loquuti ſunt timentes Jehovam quiſque ad ſocium ſuum: & attendit Jehova, & audivit: & ſcriptus eſt liber memoriæ (*vel memorialis*) coram facie ejus pro timentibus Jehovam, & cogitantibus de nomine ejus. (*vel in pretio habentibus nomen ejus.*)

Hoc verſu refert Propheta ſuam doctrinam non caruiſſe fructu, quia commoti fuerunt fideles, ut alii alios animarent, atque ita reducerent ſe mutuo in rectum curſum. Qui indefinite exponunt loquutos eſſe fideles, corrumpunt Prophetæ ſenſum: deinde etiam ſupprimunt particulam אז, Tunc: & res ipſa oſtendit deſignari certum tempus: quaſi dicat Propheta, antequam verba faceret, ac vehementius inſiſteret in vitiis caſtigandis, fuiſſe multum torporem in populo: ſed tandem fideles fuiſſe expergefactos. Hinc docemur nos pigros eſſe & lentos natura, niſi Deus aures nobis vellicet: ideoque monitionibus & ſtimulis nobis opus eſſe. Sed interea diſcamus etiam horum exemplo, attendere ad doctrinam, ne apud nos frigeat. Quanquam ſimul notandum eſt, non omnes fuiſſe tactos Prophetæ exhortationibus, ut reſipiſcerent; ſed timentes Deum. Non dubium eſt quin major pars ſecure perrexerit in ſuis vitiis, imo palam deriſerit Prophetæ doctrinam. Quod ergo doctrina profuit ſolis timentibus Deum, ne miremur ſi hodie à majore turba contemnitur, quia paucis datum eſt obedire verbo Dei: & cordis converſio ſingulare eſt Spiritus ſancti donum. Itaque non eſt cur animos deſpondeant pii doctores, ſi vident non paſſim neque ab omnibus recipi ſuam doctrinam, vel ſi vident paucos in ea proficere: ſed contenti ſint, ſi Dominus apud quoſdam quamlibet paucos benedicat ipſorum laborem, atque utilem & fructuoſum reddat. Propheta vero non tantum dicit quemque privatim fuiſſe tactum reſipiſcentia, ſed *inter ſe loquutos*: quo ſignificat debere ſtudium noſtrum extendi ad fratres noſtros: & hoc teſtimonium eſſe veræ reſipiſcentiæ, ſi ſinguli quantum in ſe eſt, conantur adjungere ſibi quam plurimos ſocios, ut ſimul uno conſenſu redeant in viam, à qua deflexerant, imo redeant ad Deum, à quo deſciverant. Huc ergo ſpectarunt mutui ſermones inter cultores Dei, quos non exprimit Propheta. Dicit *Jehovam ſpectaſſe, & audiſſe, & ſcriptum fuiſſe librum coram ipſo.* Hic oſtendit non fruſtra fideles meditatos fuiſſe pœnitentiam, quia Deus teſtis ac ſpectator fuerit. Et hæc pars notatu apprime digna eſt, quod ſcilicet non ludimus operam, quoties ad Deum convertimur, quia ipſe tanquam obviis ulnis nos excipit. Hoc igitur primum voluit notare Propheta noſter, quod *Deus attenderit:* & ideo utitur tribus loquendi formis. Satis fuiſſet uno verbo, ſed addit etiam alia duo. præſertim hoc emphaticum eſt, quum dicit *ſcriptum fuiſſe librum memorialem.* voluit igitur hac congerie verborum fideles magis hortari, quoniam indubia ſit eorum merces ſimulac ſeſe Deo addixerint, quia Deus non excutiet ad ipſorum pietatem. Interea videtur etiam Propheta notare quaſi miraculum, quod tunc reperti fuerint in populo, qui eſſent adhuc ſanabiles, quum invaluiſſet tanta malitia in populo, imo obduruiſſet ad ultimam uſque contumaciam, quemadmodum vidimus. Nam illic nihil erat integrum vel ſincerum, neque in Sacerdotibus, neque in vulgo. Quum ergo diu quaſi laxis habenis graſſati eſſent in omni genere ſcelerum, fuit res incredibilis, poſſe aliquos ex ipſis converti, vel poſſe aliquid inveniri illic reſiduum pietatis & timoris Dei. Hæc igitur ratio eſt cur Propheta dicat *Deum attendiſſe*, & *audiviſſe*, & *ſcriptum fuiſſe librum* quaſi de re inſolita, & quæ poterat videri ſimilis portento in rebus adeo confuſis & perditis. Summa huc redit, ne dubitent fideles pœnitentiam ſuam ſemper reſpici à Deo, præſertim ubi ſumma deſperatio occupat animos. quia ſæpe hoc nocet piis, dum vident nihil remedii ſperandum eſſe: putant enim ſuam pœnitentiam fore inutilem: ideo Propheta tantopere inſiſtit in hac parte, ut certo ſibi perſuadeant, etiamſi nulla ſpes appareat, pœnitentiam tamen fore illis in ſalutem coram Deo. Et ideo adjungit *pro timentibus Deum fuiſſe ſcriptum hunc librum.* Quantum attinet ad participium חשבי, חשב ſignificat Supputare, & numerare. ſignificat etiam per tranſlationem Cogitare: ideo vertunt quidam, Cogitantibus de nomine Dei. Et certe hæc rara virtus eſt: quia videmus ut oblivio facile nobis obrepat, quæ extinguit omnem Dei timorem, ut licentiam nobis ſumamus, quaſi impune peccarent qui Dei obliti ſunt. Et ideo in Pſalmis ſæpius dicitur, timorem Dei eſſe præ oculis piorum. Videtur hoc frigidum eſſe primo intuitu: ſed qui Dei memor eſt, multum profecit in curſu pietatis. & experimur etiam reipſa ſolam Dei memoriam nobis eſſe ſatis validum frenum ad cohibendas omnes pravas cupiditates. Quoniam autem in ſupputatione ſubducitur pretium, poteſt altera interpretatio etiam hæc quadrare, quod fideles habeant in pretio nomen Dei. Sequitur,

17. Et erunt mihi, dicit Jehova exercituum, die illa qua ego facio, peculium: & parcam eis (*ſuper eos, ad verbum*) ſicuti parcit vir filio ſuo, qui obſequitur ei.

Oſtendit ab ipſo effectu quorſum ſcriptus fuerit liber ille memorialis, nempe ut Deus tempore opportuno Eccleſiam ſuam tuendam & fovendam rurſus ſuſcipiat. Quanquam ergo ad tempus multæ ærumnæ piis ſuſtinendæ erunt, tamen Propheta docet non fruſtra eos ſervire Deo: quia experientia tandem probabit, non fuiſſe neglecta eorum obſequia. Sed diſtinctio quam ponit, notanda eſt, quod ſcribatur liber memorialis coram Deo, poſtea exequatur Deus quod in libro ſcriptum eſt. Ubi ergo videmur fruſtra Deo ſervire, ſciamus venire in rationem obedientiam noſtram quam ei præſtamus, & ipſum juſtum eſſe judicem, quamvis non ſtatim manum ad nos uſque proferat. Priore ergo loco teſtatur Propheta Deum cognoſcere de cujuſque factis: poſtea adjungit ſuo tempore exequi quod apud ſe decrevit. Sic etiam in judiciis ſervat cognoſcendi & exequendi ordinem. Nam quum diceret
Gen. 18. verſ. 20. Abrahæ, clamorem Sodomæ veniſſe uſque ad cœlum, qualis erat tunc & quam ſupina urbis ſecuritas? uſque ad ultimum momentum quam proterve, imo quam belluino impetu ſpreverunt omne numen? Sed multo ante Deus jam conſcenderat tribunal, & examen ſumpſerat de eorum ſceleribus. Sic etiam, quamvis diſſimulet ad ſuorum obedientiam, non tamen habet clauſos oculos, vel clauſas aures, quia ſcriptus eſt liber memorialis coram ipſo. Dicit ergo, *Erunt quo die facio.* verbum hoc abſolute ponitur; ſed ex circumſtantia loci facile colligere licet, referri ad inſtaurationem Eccleſiæ. *Quo die* igitur *faciam* hoc eſt, complebo quod jam dixi. nam ante promiſit Eccleſiæ reſtitutionem. Quia igitur de re nota ſermo erat, breviter dicit, *Quo die faciam* vel complebo *opus meum, erunt mihi peculium.* Confirmat hæc loquutio quod jam dixi, nempe Deo eſſe ſuam opportunitatem, ut nimiæ ſit temeritatis præſcribere illi certum tempus, quando hoc vel illud faciat. Quo igitur die colligit Eccleſiam ſuam, tunc apparet nos eſſe ei peculium. Ita his verbis hortatur nos ad tolerantiam Propheta, ne grave ſit gemere ſub onere, & non ſentire auxi-

auxilium Dei pro voto: deinde, ne etiam grave ſit communes perferre ærumnas cum tota Eccleſia. Si unus aut alter noſtrûm cruci ſubjectus ægre & moleſte ſpiritum in hoc mundo traheret, poſſet videri indigna ejus conditio: ſed ubi à primo ad ultimum omnes pii, ſocii ſunt crucis Chriſti, & configurantur ad ejus imaginem, non eſt quod quiſquam refugiat hanc conditionem. neque enim meliores ſumus quam ſancti Patriarchæ, Apoſtoli, & tot fideles, quos Deus cruce exercuit. Quum ergo hic communis nobis Eccleſiæ reſtitutio proponitur, ſciamus nobis eſſe materiam conſtantiæ & fortitudinis, quia turpe eſſet deficere, quum tot nobis ſint duces in hac militia, qui ſuis exemplis quaſi manus porrigunt. quod enim Abraham, David, alii etiam Patriarchæ & Prophetæ, quod Apoſtoli tam multas moleſtias & tam graves perpeſſi ſunt, nonne hoc nos erigere debet? Et ſi quando vacillant & pedes, & crura, nonne hoc ſufficere debet ad confirmationem quod tot præſtantiſſimi duces ſuo exemplo nos invitant ad ſtrenuitatem? Ergo videmus non de nihilo hoc eſſe poſitum, *Quando ego facio.* Jam per nomen Peculii intelligit Deus aliam fore ſortem piorum, quam reliqui mundi: quaſi dicat, Nunc permixti ſunt alii aliis, ut videantur qui me colunt non eſſe exteris propiores: atqui tunc erunt mihi peculium. Hoc de externo effectu accipitur, quemadmodum jam attigi. Scimus enim hac lege nos fuiſſe divinitus electos ante mundum creatum, ut peculium illi eſſemus. Sed ubi promiſcue affligimur cum reprobis, vel etiam ubi videmur eſſe rejectitii: ex oppoſito autem impii habere Deum propitium: tunc nihil videtur minus verum, quam hæc promiſſio. Ideo dixi ad effectum hoc debere referri, quod ſcilicet fideles ſunt quaſi peculium Dei, hoc eſt, ſunt ei in pretio, & proſequitur eos ſingulari amore, quaſi ſuam hereditatem. Et hæc loquendi forma pluribus Scripturæ locis occurrit. Dicitur enim ſæpe Deus populum ſuum repudiaſſe: nomen Diſſidii, vel divortii ſæpe ponitur: dicitur profanaſſe hereditatem ſuam. Gravis eſt iſta tentatio ubi Deus quaſi in ſinu ſuo fovet impios, nos vero ſumus expoſiti omne genus miſeriis. Sed videmus quid contigerit veteri Eccleſiæ. Armemus igitur nos ad ſubeundum hoc certamen, & contenti ſimus interiore Spiritus teſtimonio, quamvis ſucceſſus non reſpondeant. Addit, *Et parcam eis ſicut vir parcit*, &c. Hic promiſſionem adjungit obſervatu valde utilem. continet autem duo membra, nempe quod præſtabunt Judæi qui erunt ſuperſtites ſua obſequia Deo, quibus probent ſe ex animo eſſe filios, non titulo duntaxat. Accedit altera promiſſio, *quod Deus ignoſcet illis*, & cum venia dignabitur recipere eorum obſequia, quæ alioqui nunquam placerent. Non dubium autem eſt, quin Spiritum regenerationis promittat ſub illa voce *filio ſervienti*: non quod tunc vacui prorſus eſſent timore Dei fideles, ad quos ſermo hic dirigitur: ſed Deus promittit incrementa gratiæ: quaſi diceret, ego populum mihi colligam, qui me probe & ſincere colat. Quanquam ergo non loquitur hic de initio piæ & ſanctæ vitæ, tamen perinde eſt acſi diceret ſub gubernatione ſua fore fideles, ut ſtudium ſuum applicent ad ipſum colendum. Secunda promiſſio tendit ad diverſam gratiam, nempe quod Deus pro ſua clementia probabit obedientiam piorum, quamvis indigna ſit quæ veniat in ejus conſpectum. Hæc autem indulgentia quam neceſſaria nobis ſit, ſentiunt qui vere & ſerio ſunt exercitati in Dei timore. Sophiſtæ audacter garriunt de meritis, & inflant ſeipſos & alios inani ſuperbia: ſed qui ſentiunt neminem mortalium poſſe ſtare ad tribunal Dei, illi non imaginantur ulla merita; neque confidunt ſe quicquam poſſe afferre Deo, quo favorem ejus ſibi concilient. Ita unicum refugium illis eſt, quod hic Propheta docet, nempe *ut Deus illis parcat.* Ac notandum eſt, non ſimpliciter hic Prophetam loqui de remiſſione peccatorum. Scimus ſalutem noſtram his duobus membris contineri, ut Deus nos regat ſuo Spiritu, & reformet toto vitæ curſu ad ſuam imaginem: deinde ut peccata noſtra ſepeliat. Sed hic Propheta remiſſionem peccatorum deſignat, qua opus habemus in bonis operibus. Certum enim eſt, etiam ubi (quo poſſumus fervore & conatu) nos addicimus Deo, tamen ſemper aliquid deeſſe. Hinc fit, ut nullum opus, quamlibet rectum & perfectum cenſeatur inter homines, dignum ſit hoc titulo & honore coram Deo. Ergo neceſſe eſt etiam dum enitimur ad colendum Deum, fateri ſine ejus indulgentia quicquid afferimus repulſa potius quam favore dignum eſſe. Dicit igitur Propheta, ubi Deus nos ſibi reconciliaverit, non eſſe timendum, ut nos abjiciat, quia non erimus perfecti: ſed utcunque aſperſa ſint opera noſtra multis maculis, tamen grata ei fore: utcunque laboremus multis vitiis, tamen nos fore ei gratos. Quare? nam ut filiis indulgebit. pater, ſi nævum aſpiciat in corpore filii, non ideo extrudet è domo ſua: imo ſi claudum, vel ſtrabonem habeat filium, vel notabilem alio vitio, miſerebitur, & non deſinet amare: ſic etiam, ubi Deus nos adoptat in filios, ignoſcit noſtris vitiis. & quemadmodum pater contentus eſt aliquo ſtudio mediocri, ubi videt filium morigerum: non exigit ab ipſo quod à ſervo exigeret: ſic etiam Deus non repudiat noſtram obedientiam, utcunque ſit mutila. Videmus ergo quonam tendat conſilium Prophetæ, ubi promittit veniam à Deo fidelibus, poſtquam reconciliati fuerint, quia ſervient Deo, & ſervient ut filii, liberaliter ſcilicet: & Deus etiamſi indigna ſint eorum obſequia quæ favore proſequatur, tamen grata habebit, nempe per veniam, non merito aut dignitate.

Da omnipotens Deus, quando Satan conatur nos abducere ab omni pietatis ſtudio, ubi res in mundo turbatæ ſunt, ut ſentiamus te habere curam noſtri: & ſi hoc non perſpicimus experientia, ut verbo tuo ſubnixi non dubitemus ſemper te vigilare in ſalutem noſtram, & hac conſtantia ſuffulti pergamus in curſu vocationis noſtræ. Et quando dignatus es nos facere participes teſtimonii gratiæ tuæ, quo agnoſcimus nos tibi in Filio tuo unigenito eſſe reconciliatos, adeoque eſſe ejus membra: da, inquam, ut non dubitemus alacriter tibi offerre noſtra officia quantumvis mutila, quoniam ſemel pollicitus fueris te nobis fore propitium patrem, qui ad rigidum examen non exigas quæ tibi offerimus, ſed indulgenter ita accipias, ut ſentiamus non modo peccata noſtra, in quibus palam damnatio noſtra apparet, nobis ignoſci & remitti: ſed etiam te noſtras infirmitates, noſtraque vitia ſic tolerare in operibus imperfectis, ut recipiamus tandem mercedem quam pollicitus es, & ad quam pervenire merito noſtro non poſſumus: idque ſanctificatione Spiritus tui, & aſperſione ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA TERTIA IN MALACHIAM PROPHETAM.

CAP. III.

Poſtrema lectione vidimus nulla fidelium opera placere Deo, niſi gratuita acceptatione: unde ſequitur, nihil poſſe illis aſcribi meriti, quod deroget Chriſti gratiæ. Nam ſi ex eo pendet pretium operum, quod Deus nobis eſt pater, & nos ſibi reconciliavit in Chriſto, nihil magis abſurdum eſſet, quam opponi opera, quæ ſubjici debent huic paternæ Dei indulgentiæ. Nunc videmus quomodo hæc duo inter ſe conveniant, promitti operibus mercedem, & tamen opera ipſa nihil coram Deo mereri. Nam etſi Deus jure repudiare ea poſſit, ideo tamen grata habet, quod maculis omnibus ignoſcit. Breviter rationem attigimus, cur neceſſe ſit opera noſtra probari Deo, non æſtimatione dignitatis, ſed mero beneplacito: quoniam ſcilicet nullum eſt opus, quod non ſua imperfectione diſpliceat, ſi Deus vellet illud exigere ad regulam Legis ſuæ. Ergo à Lege ſua diſcedit Deus ad æquitatem, ut opera grata habeat, quæ alioqui ut vitioſa ſunt, ita non poſſent ferre ejus conſpectum. Nunc ſequitur,

18. Et convertemini, & videbitis inter juſtum & impium: inter ſervientem Deo, & eum qui non ſervit ei.

Videtur primo intuitu ſermo hic dirigi ad fideles, quia nulla fuit unquam in reprobis converſio. ſed quoniam longe patet hoc verbum, ideo poteſt commode exponi hic locus de toto populo: quemadmodum ubi dicitur apud Zachariam, Videbunt quem confixerunt: diximus enim hoc poſſe competere in bonos & malos. Ita liceret totum populum comprehendere ſub his verbis. Sed dum propius expendo omnes circumſtantias, videtur potius Malachias alloqui impios, & adhuc retundere furioſas eorum blaſphemias. Hic enim eadem fere ſententia repetitur, quam ante vidimus, ubi dicebat, Veniet Dominus quem expetitis ad Templum ſuum, & Angelus fœderis quem quæritis. Sed interea docebat non fore deſiderabilem illis Chriſti adventum, quem dicebant nimis tardum eſſe: Ne vobis, inquit, mora hæc gravis ſit: quoniam quicquid terribile habet ejus majeſtas, in capita veſtra convertet. Veniet enim vobis infenſus judex atque ultor: ideo fruſtra ſperatis quicquam ſolatii aut levationis ex ejus præſentia. Sic etiam hoc loco dicit, *Videbitis inter juſtum & impium*: hoc eſt, ſentietis non dormire in cœlis Deum, quum impii laſciviunt in terra, & ſeſe projiciunt ad omne ſcelus. Experientia igitur eadem vos docebit, non impune homines ita protervire adverſus Deum, ſed omnia eorum ſcelera venire in rationem. Quum ergo dicit *viſuros diſcrimen inter pios & impios*, intelligit ſenſuros in pœnis, quas Deus ipſis infliget, non permitti homines ſuæ libidini, quaſi Deus officii ſui oblitus in cœlo torperet. Hæc erat eorum blaſphemia, Fruſtra colitur Deus, quæ eſt utilitas? quia obſervavimus cuſtodiam ejus: & tamen ſuperbi interea feliciter agunt. Quum ergo objicerent Deo talem conniventiam, acſi deſpiceret, atque abjiceret prorſus ſuos cultores, impiis autem faveret: hoc retorquet Malachias contra eos, & dicit, *Videbitis quantopere differant boni à malis*. Deus enim illis pepercerat: nunc dicit, tandem ſurget Deus in judicium, & armatus in vos irruet: & tunc ſcietis omnia facta hominum ab ipſo notari, neque impunitatem permitti ſceleribus, quamvis ad tempus diſſimulet. Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ, quod impii qui Deo obſtrepebant, quaſi nulla eſſet juſti & injuſti apud eum ratio, ſentient, ſed ſuo malo, ipſum eſſe ſcelerum ultorem. Jam ſi quæritur de verbo Converſionis, dixi late patere, neque ſemper intelligi de pœnitentia, vel renovatione hominis. Simpliciter igitur accipere licebit pro diverſo ſtatu: quaſi dicat, Vertetur alea: & talis erit conditio ubi Deus incipiet judicium ſuum exequi, ut tunc ſe probet non eſſe oblitum ſui officii, quamvis non ſtatim ad pœnas exigendas proſiliat. *Convertemini* igitur, *& videbitis*: quanquam ſi quis converſionem vocari malit ſenſum judicii Dei, quo etiam impii tanguntur, licet non reſipiſcant: hæc expoſitio non male conveniet. Et ego eam libenter amplector, quod ſcilicet Dominus excutiet illis ſtuporem, in quo jacent: & corriget amentiam illam, ut non audeant ita proterve vomere ſuas blaſphemias, ſicuti ſoliti erant. *Convertemini* igitur: hoc eſt, ego efficiam ut judicium meum vobis innoteſcat, neque ita præcipites ruatis, ut feræ beſtiæ; quia experientia magiſtra diſcetis eſſe diſcrimen inter bonos & malos. *Juſtum & ſervientem Deo*, pro eodem accipit. unde colligimus nullam eſſe juſtitiam, ubi non præſtatur Deo obſequium. Primum ergo caput in regula bene & juſte vivendi, eſt Dei cultus. Nam parum eſſet innoxie verſari cum hominibus, niſi reddatur Deo jus ſuum. Scimus autem Deum non rite coli, niſi ex Legis ejus præſcripto. Ergo ſemper huc veniendum eſt, ut Deo ſe ſubjiciant homines, ſi cupiant vitam ſuam recte componere. Sequitur,

CAPUT IV.

Quia ecce dies venit ardens tanquam clibanus: & erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes iniquitatem, ſtipula: & inflammabit eos dies qui venturus eſt, dicit Jehova exercituum, qui non relinquet illis radicem & ramum.

Confirmat proximam ſententiam, quia denunciat interitum omnibus reprobis, & Dei contemptoribus. Et ſimul confirmat interpretationem quam attuli, nempe opponit hanc comminationem calumniis illis quibus gravabant Deum vulgo, quod ſcilicet ceſſaret ab officio judicis. Quanquam enim loquitur in tertia perſona, non tamen minus habet vehementiæ, quum dicit, *Ecce veniet dies qui conſumet omnes impios, quaſi clibanus ardens ſtipulam*. Satis trita eſt hæc comparatio, qua utitur Propheta, ubi impios ſtipulæ dicit fore ſimiles. Non citabo igitur locos qui ſatis noti eſſe debent: & plures ſunt etiam, quam opus ſit hic vel duos, vel tres proferre. Ultio etiam Dei ſæpe confertur igni, & flammæ: quia ſcimus quam ſævum, & quam horribile ſit elementum ignis, ubi nanciſci-

tur vel lignum, vel materiam aliquam aridam. Ergo ex communi Scripturæ uſu Propheta dicit diem Domini fore ſimilem clibano, impios autem fore ſimiles ſtipulæ. Demonſtrativa particula ad certitudinem valet quum dicit, *Ecce venit.* Hic eſt mutatio temporis, quæ etiam Hebræis ſatis trita eſt, pro Veniet: ſed Propheta ne vaticinium ſit dubium, quaſi in rem præſentem vocat Judæos, ut intelligant non procul diſtare, ſed jam imminere ſuis capitibus Dei vindictam. Quæritur tamen quem diem hic deſignet. major pars putat Prophetam loqui de ultimo Chriſti adventu: quod mihi non eſt probabile. Verum quidem eſt, hæc & ſimilia, quæ paſſim in Scriptura leguntur, non habere plenum effectum in hoc mundo: ſed Deus ita tenet ſuſpenſa judicia ſua, ut tamen nunquam abſtineat à ſignis dandis, quo ſcilicet pii habeant quaſdam fidei ſuæ fulturas. Si enim Deus nullum ſpecimen aut documentum ſuæ providentiæ daret, ſtatim veniret nobis in mentem, nullum fore judicium. Sed proponit nobis quædam exempla, unde diſcamus ipſum aliquando fore mundi judicem. Mihi igitur magis probatur, Prophetam hic differere de renovatione Eccleſiæ. Nam tunc demum magis accenſa fuit ira Dei contra Judæos, poſtquam ſe alienarunt à Chriſto. Reſtabat enim illa ultima ſpes, & ultimum etiam remedium in malis, ut ſuccurreret illis Redemptor: abjecta ejus gratia oportuit Judæos ſentire horribilem ingratitudinis pœnam. Nullum enim atrocius potuit eſſe crimen, quam reſpuere gratiam illam ſibi oblatam, in qua tamen continebatur plena ipſorum felicitas, ſicut & totius mundi. Quum ergo dicit Propheta *diem venturum*, exiſtimo hoc debere ad priorem Chriſti adventum referri: quia jactabant audacter Judæi venturum Redemptorem, reſpondet venturum diem Domini, non qualem ipſi imaginabantur, ſed qui ipſos prorſus conſumeret: quemadmodum cita-
Amos 5. verſ. 18. vimus ex altero Propheta, Ad quid vobis dies Domini? dies ille non lux ſed tenebræ, caligo & non ſplendor: dies Domini vobis erit infelix occurſus, quemadmodum ſi quis evaſerit ex faucibus leonis, incidat domi ſuæ in ſerpentem. In hoc loco diem venturum dicit, qui clibani vices ſuſtineat in ipſis conſumendis. Dicit *fore omnes ſuperbos & operarios iniquitatis.* Repetit eorum verba non ſine ſpecie ironiæ. nam quum nuper dicebant ſuperbos feliciter agere, procul à ſe abigebant hoc crimen: quemadmodum etiam hypocritis exprobrat Jeſaias, quod fratres ſuos profanent. Nam cultores Dei erant tunc in maximo probro apud Judæos: contumelioſe, inquam, hypocritæ vexabant pios & ſimplices, acſi eſſent quiſquiliæ populi, & ſordes. Sic etiam iſti dicebant, Ecce cogimur non ſine maximo dolore aſpicere felicitatem impiorum. Superbi enim & Dei contemptores utuntur proſpera fortuna, vivunt in deliciis. Jam Propheta ironice excipit, *Videbitis diſcrimen*, inquit, *illud, quod tantopere optatis: nam Deus ſuperbos & impios conſumet.* De ipſis loquitur: ſed quemadmodum dixi, perinde eſt acſi diceret, Detracta larva, videbitis ubinam ſit impietas: nempe quia in vobis reſidet, ideo etiam ſuſtinebitis pœnam, quam meriti eſtis. Et hoc eſt illud Reverti, cujus ante meminit. Quamvis enim non ſerio, neque ſincere ad Deum impii redeant, coguntur tamen, velint nolint, agnoſcere ſuam impietatem, ubi Deus ipſos urget. Poſtquam ergo adacti fuerunt ad examen ſuæ vitæ, Deus ſumpſit pœnas, quibus erant digniſſimi, etiamſi proferendum illis fuiſſet judicium. Jam addit, *Et non relinquet radicem nec ramum.* Hic ſignificat plenum interitum: quaſi diceret, nihil reſiduum ex ipſis manebit. ſed quoniam fecerat illos ſimiles ſtipulis, ideo ponit *radicem & culmum.* Nam nomen Rami impropriè hic accipitur, ubi agitur de ſtipula: quia rami non ſunt niſi in arboribus & fruticibus. Sed tamen ſenſus obſcurus non eſt, talem fore conſumptionem ex qua nihil erit reliquum. Hoc quidem proprie in ultimum diem judicii competit: ſed quemadmodum attigi, hoc non impedit, quominus aliqua ejus vindictæ, quæ impios manet, documenta Deus ante oculos noſtros ſtatuat, quibus fides noſtra magis ac magis in dies confirmetur. Quantum ad nomen Diei ſpectat, quod hic bis ponitur, admonet Deum non æquabili & continuo curſu exercere ſua judicia, ſed definitum illi eſſe tempus nunc ad tolerantiam, nunc ad vindictam, prout apud ſe decrevit. Quoties ergo dies Domini in Scriptura nominatur, ſciamus Deum minime aſtringi noſtris legibus, ut pro votorum noſtrorum celeritate etiam ipſe volitet: ſed articulos temporum eſſe in manu ejus & arbitrio. Hoc autem tantum leviter attingo, quia uberius alibi explicui. Sequitur,

2. Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ, & ſanitas in alis ejus: & exibitis & ſalietis quaſi vituli ſaginæ. (*vel vituli pinguefacti.*)

Jam ſermonem convertit Propheta ad pios: unde etiam clarius apparet, hactenus minatum eſſe craſſis illis hypocritis, qui ſanctitatem ſibi ſolis arrogabant: quum tamen non deſinerent provocare in ſe iram Dei. Compellat enim alios quam prius: quum dicit, *Orietur vobis*, ſeparat timentes Deum, vel litigavit. *Orietur* ergo *vobis timentibus nomen meum.* puros Dei cultores ab illa turba, cum qua hactenus Hæc antitheſis notanda eſt. Corpus enim populi infectum erat generali labe: ſed paucos Deus ſervaverat integros. Quum hactenus diſceptaverit cum maxima parte populi, nunc colligit quaſi ſeorſum electos, & promittit Chriſtum illis veræ ſalutis auctorem fore. Nam ſcimus pios expaveſcere ad minas, & prope exanimari, niſi Deus eas mitiget. Quoties denunciat vindictam ſuam peccatoribus, major pars vel deridet, vel etiam excandeſcit, vel non afficitur. Sic fit, ut Deo fulminante, omnes impii ſecure pergant in ſuis vitiis. Pii autem ad vocem unam exhorrent: & deficerent prorſus, niſi Deus adhiberet aliquod remedium. Ergo Propheta noſter lenit quod nimis acerbum fuiſſet in comminatione quam vidimus: quaſi diceret ſe non eo conſilio denunciaſſe terribilem fore Chriſti adventum, ut metu dejiceret puſillanimas, quia ad ipſas hoc non pertinet; ſed tantum, ut impiis incuteret terrorem. Denique hæc ſumma eſt, Accedite vos qui timetis Deum: alius enim mihi eſt ſermo apud vos, nempe exoriturum Solem juſtitiæ, qui ſanitatem afferat in alis ſuis. Pereant igitur iſti Dei contemptores, qui etiamſi bellum cum ipſo gerant, volunt tamen illum habere ſibi obnoxium. Sed erigite capita veſtra, & diem illum patienter expectate, & ejus ſpe placide ſuſtinete omnes moleſtias. Nunc tenemus ſummam hujus verſus. Porro, dubium non eſt quin Solem juſtitiæ hic vocet Chriſtum Malachias: & elogium aptiſſimum eſt, ſi reputamus quid Patrum conditio à noſtra differat. Illuxit ſemper Deus Eccleſiæ ſuæ: ſed Chriſtus plenam lucem attulit, quemadmodum & Jeſaias etiam docet, Super te *Jeſa. 60. verſ. 1. 2. & 19.*
orietur Jehova, & gloria Dei in te videbitur. hoc enim competit in ſolam Chriſti perſonam. Deinde, Ecce tenebræ operient terram, &c. Et lucebit ſuper te Dominus. Item, Jam non erit ſol & luna per diem & noctem, ſed ſolus Deus fulgebit. Hæc igitur omnia oſtendunt quadrare nomen Solis Chriſto, quia clarius multo nobis affulſit Deus Pater in ejus perſona, quam olim per Legem, & omnes Legis appendices. Et hac ratione etiam Chriſtus vocat ſe lucem mundi: non quod erraverint Patres, ut

cæci

cæci in caligine; ſed quia contenti fuerint aurora duntaxat, vel luna, & ſtellis. ſcimus enim quam obſcura fuerit Legis doctrina, ut vere dicatur umbratilis. Quoniam ergo aperti fuerunt demum cœli per Euangelium, tunc etiam exortus eſt Sol, quum oſtenderet plenum diem. Unde & proprium Chriſti officium eſt illuminare. Et hac ratione etiam dicitur Joannis primo, fuiſſe ab initio veram lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum, & adhuc lucere ipſam in tenebris: quia manent ſcintillæ aliquæ rationis in hominibus, utcunque excæcati ſint lapſu Adæ, & naturæ corruptela. Sed proprie vocatur Chriſtus Lux, fidelium reſpectu, quos à cæcitate in qua demerſi erant naturaliter, eripit, & quos ſuſcipit Spiritu ſuo regendos. Hæc igitur etymologia eſt Solis, quum metaphorice hic tribuitur Chriſto, nempe vocari ipſum Solem, quia extra ipſum nihil poſſumus quam errare & vagari; ipſo autem duce tenemus certam viam, quemadmodum
Joan. 8. dicit, Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris.
verſ. 12. Notandum autem eſt, hoc non reſtringi ad Chriſti
perſonam, ſed ad Euangelium ſpectare. Unde illud
Epheſ. 5. Pauli, Expergiſcere qui dormis, & ſurge è tenebris:
verſ. 14. & illuminabit te Chriſtus. Quotidie ergo nos illuminat Chriſtus doctrina ſua, & Spiritu: & ita quamvis oculis eum non cernamus, experimur tamen ipſum eſſe Solem. Vocatur Sol Juſtitiæ, phraſi Hebraica, vel quaſi perfectæ rectitudinis, & in quo nihil erit mutilum: vel quia in eo conſpicua erit Dei juſtitia. interim tamen, ut ſciamus lucem, qua fruimur per ipſum, & quæ nobis ab eo emergit, & nos irradiat, non ſpectare ad caducos uſus, ſed potius ad ſpiritualem vitam. Hoc unum eſt, Chriſtum erga nos partibus Solis fungi, non ut pedes & manus noſtras dirigat, quoad actiones terrenas: ſed quia præfert lucem nobis, quæ viam in cœlum monſtret, & qua directrice perveniamus ad beatam & æternam vitam. Secundo notandum eſt, ſpiritualem hanc lucem non poſſe à juſtitia ſeparari. Quomodo igitur nobis Chriſtus Sol eſt? quia nos Spiritu ſuo regenerat in juſtitiam, quia eripit nos ab inquinamentis mundi, reformat etiam ad Dei imaginem. Nunc videmus quid valeat nomen Juſtitiæ. Addit, *Sanitas in alis ejus*. Alas vocat radios Solis. Et hæc ſimilitudo multum gratiæ habet, quia ſumpta eſt ex ipſa natura, & pulcherrime aptatur ad Chriſtum. Scimus nihil magis ſalubre eſſe Solis radiis: quia fœtor nos obrueret exiguo tempore, hoc eſt, intra diem unum, niſi ſol purgaret terram ſuis fæcibus. deinde ſine ſole nulla eſſet reſpiratio. Quin etiam ſentimus levationem in Solis ortu. Nox enim eſt nobis inſtar oneris: ubi ſol occubuit, ſentimus quaſi gravedinem in omnibus membris: & ægroti etiam exhilarantur mane, & ſentiunt aliquid mutationis ex propinquo Solis afflatu, nempe quia advehit nobis ſanitatem in alis. Sed plus expreſſit adhuc Propheta, nempe quod ſol lucidus ſereno cœlo, afferet ſanitatem. Eſt enim tacita oppoſitio inter tempus nubilum vel turbidum, & inter purum ac liquidum. Tempore ſereno ſumus longe alacriores, dico prout quiſque vel ſanus eſt, vel ægrotat: ſed nemo eſt, qui non concipiat aliquid alacritatis ex ſerenitate cœli: ubi autem nubilum eſt tempus, etiam robuſtiſſimus quiſque ſentit aliquid incommodi. Hoc ſenſu nunc dicit Malachias *ſanitatem fore in alis Chriſti*, quoniam piis Dei cultoribus multæ ferendæ erant afflictiones. nam ſi reputamus illorum temporum hiſtorias, fuit triſtiſſima populi illius conditio: nunc converſionem illis promittit, quia inſtauratio Eccleſiæ lætitiam ipſis afferet. En igitur quomodo intelligit ſanitatem fore in alis Chriſti, quia diſcuſſis tenebris, atque adeo nebulis, reddet purum cœlum, quod exhilaret piorum animos. Quod pios vocat *timentes Deum*, eſt ex communi Scripturæ uſu. diximus enim caput juſtitiæ & ſanctitatis eſſe in Dei cultu. Sed aliquid hic novum exprimitur. Eſt enim hoc proprium pietatis, ubi ſe homines Deo ſubjiciunt, quamvis ſit inviſibilis, quamvis non ore ad os ipſos compellet, quamvis non palam oſtendat manum ſuam armatam flagellis. Dum ergo homines ſponte Dei gloriam reverentur, & agnoſcunt mundum ab ipſo regi, & ſe eſſe ſub ejus imperio, hæc eſt vera probatio pietatis. hoc intelligit Propheta per *Nomen*. Qui ergo timent nomen Dei, illi non cupiunt eum elicere ex cœlo, nec appetunt ſigna manifeſta ejus præſentiæ; ſed patiuntur fidem ſuam ita examinari, ut Deum adorent & colant, quamvis non cernant ipſum facie ad faciem, ſed tantum per ſpeculum & in ænigmate: deinde per judicia potentiæ, juſtitiæ, & aliarum virtutum, quæ oculis noſtris objicit.

Da omnipotens Deus, quando voluiſti Filium tuum unigenitum nobis eſſe inſtar Solis, ne cæcutiamus ad ejus fulgorem, & quando ipſe dignatur nos quotidie dirigere in viam ſalutis, ut ſequamur, neque retineamur ullis hujus mundi impedimentis, quominus properemus ad cœleſtem illam vitam, ad quam nos invitat: deinde quoniam etiam pollicitus eſt ſe venturum, ut nos ſecum in æternam hereditatem colligat, ne laſciviamus interim, ſed ſobrie potius vigilemus, & attenti ſemper ſimus ad eum exſpectandum, & ne abjecta ea gratia, quam nobis proponere in ea dignatus es, torpeamus in fæcibus noſtris: ſed potius incitemur ad timorem nominis tui & verum cultum, donec tandem perveniamus ad fructum noſtræ fidei & pietatis, quum ſcilicet apparuerit iterum in ultimam redemptionem Sol ille, qui nobis ſemel apparuit: ut ne demerſi maneamus in tenebris, ſed inter medias tenebras viam teneamus, quæ nos in cœlum uſque deducat. Amen.

PRÆLECTIO DECIMA QUARTA IN MALACHIAM PROPHETAM.

CAP. IV.

POſtquam dixit Malachias exoriturum Judæis Solem juſtitiæ, nunc addit illis fore lætitiæ cauſam. nam ſicuti triſtitia conſtringit fideles ubi carent Chriſto, vel eum exiſtimant à ſe remotum: ita gratia ejus ſumma illis eſt felicitas & ſolidum gaudium. Ideo etiam Angelus paſtoribus
Luc. 2. denuncians Chriſtum eſſe natum, ita præfatur, Ecce
verſ. 10. annuncio vobis gaudium magnum. Jam quamvis ſimilitudo poſſet videri durior, non tamen abſque ratione ea uſus eſt Propheta, quum dicit *Judæos ſimiles fore vitulis ſaginatis*. erat enim incredibilis mutatio, de qua hic concionatur: ergo oportuit rem illis craſſe ob oculos ſtatui, quo plus ſpei conciperent. In verbo Exeundi ſubeſt tacita antitheſis, quia anxietas illos quaſi captivos diu tenuerat: tunc autem liberum illis fuit egredi, quemadmodum ubi res in melius mutatæ ſunt, profertimus apud alios palam gaudium cordis noſtri, & quaſi theatrum quærimus teſtandi affectus noſtri cauſa. Nunc ergo videmus cur Propheta dicat *exituros Judæos*, quod ſcilicet fuerant in duras anguſtias prius conjecti: nunc autem Deus
illis ſit daturus alacritatis materiam: ſicut dicit Pau- 2. *Cor.* 3.
lus, Ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Sequitur, *verſ.* 17.

3. Et peſſundabitis impios, quia erunt pulvis ſub plantis pedum veſtrorum, in die qua ego facio, (*alii vertunt, quam ego facio*) dicit Jehova exercituum.

Ubi Deus redemptionem promittit Eccleſiæ ſuæ, adjungere etiam ſolet contrarium membrum, de hoſtium clade & exitio: idque eo conſilio facit, ne fideles urat vel ſolliciret æmulatio, quum vident impios feliciter agere. ſic & hoc loco Malachias dicit *impios ſub pedibus fidelium contritum iri inſtar pulveris*, ne ſcilicet electi dum vident ſe proſtratos jacere ſub hoſtium pedibus, & ſuperbe ab ipſis calcati, dolori ſuccumbant: ſed expectent quod hic denunciat Propheta, ut non tantum attollantur manu Dei, ſed emineant ſupra hoſtes ſuos, atque ita opprimant viciſſim eorum faſtum. denique ſignificat ſuperiores fore omni mundi altitudine. Interea non permittit Deus filiis ſuis crudeliter appetere vindictam. Vult enim præditos eſſe Spiritu manſuetudinis, ita ut non deſinant benefacere & bene precari, quamvis injuſte reprobi eos perſequantur. Sed, quemadmodum jam dixi, vult occurrere huic morbo qui omnibus nobis ingenitus eſt, dum ſcilicet animos deſpondemus ſi hoſtes noſtri exultent & contra nos laſciviant. Ne igitur eorum temporaria felicitas animos noſtros dejiciat, medetur Deus, & ad patientiam nos erigit hac ratione, quod brevi mutabitur conditio, dum ſcilicet triumphum agemus de impiis, qui nos centies perditos putabant: ipſos vero Deus extrema ignominia afficiet, quia perperam non modo in ſuis maleficiis gloriantur, ſed cornua etiam contra ipſum attollunt. Pergamus. Dicit, *In die qua ego facio*: ubi iterum frenum injicit eorum deſideriis, ne ſcilicet nimia feſtinatione præcipites ruant, ſed expectent diem à Domino præfixum. Scimus enim quanta ſit importunitas votorum in hominibus, & quam ardenter ferantur, niſi Deus ipſos cobibeat. Quoties ergo de hoſtium noſtrorum excidio agitur, meminerimus reſpiciendum eſſe diem illum Domini, quo ſcilicet complere volet ſuum judicium. Dixi alios ſecus vertere: ſed hæc lectio, ut eſt magis recepta, ſic etiam probabilior eſt. Nunc ſequitur,

4. Memores eſtote Legis Moſis ſervi mei, quam mandavi ei in Horeb ad totum Iſraëlem, (*nempe*) ſtatuta & judicia. (*vel ſtatutorum & judiciorum.*)

Hic locus non ſatis clare expoſitus fuit aut familiariter, quoniam interpretes non tenebant conſilium Malachiæ, nec temporis circumſtantiam expendebant. Scimus ſub Chriſti adventum fuiſſe quandam ſpeciem ſilentii: quia Deus Prophetas ſubducens ad tempus è medio, voluit hoc quaſi ſtimulo pungere Judæos, ut Chriſtum expeterent majore ardore affectus. Inter extremos Prophetas fuit hic noſter. Quum ergo deſtituerentur Prophetis Judæi, oportuit eo diligentius Legi dare operam, & magis etiam ſollicite attentos eſſe ad doctrinam pietatis quæ illic continebatur. Hæc ratio eſt cur jubeat ipſos memores eſſe Legis Moſis: quaſi diceret, Poſthac veniet tempus quo carebitis Prophetis: ſed remedium erit in ipſa Lege. Accurate igitur in eam incumbite, & cavete ne unquam ejus obliviſcamini. Quia homines ſimulac Deus ad triduum ceſſavit cum ipſis loqui, feruntur poſt ſua commenta: & nihil propenſius eſt ad vanitatem, quemadmodum plus ſatis experimur. Malachias ergo ne vagentur Judæi, & ita declinent à pura Legis doctrina, admonet memoriam ejus fideliter & ſedulo colendam eſſe donec adveniat Redemptor. Siquis roget cur tantum faciat mentionem Legis, reſponſio eſt in promptu, quia etſi verum eſt
Mat. 11. illud Chriſti, Legem & Prophetas fuiſſe uſque ad
verſ. 13. Joannem: notandum tamen eſt munus Propheticum non fuiſſe ſeparatum à Lege. Prophetiæ igitur omnes quæ Legem ſequutæ ſunt, erant quaſi appendices illius, ita ut nihil novum proferrent, ſed quo populus melius retineretur in ipſa Legis obedientia. Ergo quum Prophetæ fuerint Moſis interpretes, non mirum eſt ſi eorum doctrina Legi ſubjicitur, & quaſi ſubordinatur, ut vulgo dicunt. Huc tendit Propheta ut Judæi intenti ſint in doctrinæ formam, quæ illis prodita divinitus fuit per Moſen & Prophetas, neque ab ea vel tantillum deflectant: quaſi diceret, Etiamſi diverſos nunc Deus vobis doctores alios aliis non ſubmittet, ſatis tamen eſt ad vos erudiendos in Lege ipſa: non eſt cur hoc prætextu mutetis quicquam in regimine Eccleſiæ: quia Deus ſimulac ceſſavit loqui, videtur nobis frena laxare, ut quiſque abeat incertus & vagus poſt ſuas cogitationes: non ita eſt. Lex enim ſufficit ad nos regendos, modo ne excutiamus ejus jugum, vel noſtra ingratitudine ſepeliamus lucem qua nos dirigit. Vocat Legem Moſis, non quia ejus fuerit auctor, ſed ratione mini-
Rom. 16. ſterii: quemadmodum etiam & Paulus Euangelium
verſ. 25. ſuum nominat, cujus miniſter erat & præco. Interim vero ſibi plenam auctoritatem vendicat Deus quum adjungit Moſen fuiſſe *ſervum ſuum*: quia inde colligimus nihil à ſeipſo protuliſſe. Nam nomen Servi non ad vocationem nudam reſtringitur, ſed ad ipſam fidem in exequendo officio. Deus ergo hoc elogio ornat Moſen, non tam ejus cauſa quam ut Legem ſuam ſanciat, ne quis putet doctrinam humanitus fabricatam eſſe. Hoc idem clarius ſtatim exprimit, quum dicit ſe mandaſſe Legem in valle Horeb. nam hac particula clare aſſerit, Moſen fideliter fuiſſe defunctum partibus miniſtri, quia nihil niſi divinitus ſibi traditum protulerit, quemadmodum de manu in manum, ut aiunt. Vertunt multi, Cui mandavi in valle Horeb ſtatuta & judicia: ſed mihi altera lectio magis probatur, quod ſcilicet Deus ſe hic faciat auctorem Legis, ut eam reverenter tanquam ab ipſo profectam excipiant omnes pii. Nomen Horeb idem valet quod nomen Sinai. ſed qui deſcribunt loca illa, dicunt partem montis quæ vergit ad Orientem, vocari Horeb: alteram quæ ad Occaſum tendit, vocari Sinai: ſed tamen eſt unus mons. Dicens *ad omnem Iſraëlem*, vel ad totum, confirmat quod jam dixi, ſe mandaſſe Legem: ſed quo magis tangantur Judæi, diſerte exprimit doctrinam Legis ad ipſos dirigi, & ſingulare hoc eſſe privilegium, quo dignatus eſt eos Deus:
quemadmodum in Pſalmo dicitur, Non fecit ita Pſal. 147.
alíis nationibus, nec judicia ſua manifeſtavit eis. Ne- verſ. 20.
que enim Gentes tanta religione obſtrictæ erant, ut Judæi, quibus Legem quaſi peculiarem theſaurum Deus ut filiis ſuis deſtinaverat. & ne quis ſe eximat, dicit, *totum Iſraëlem*: quaſi diceret, neque doctis, neque indoctis, neque proceribus, neque vulgo eſſe quicquam excuſationis, niſi omnes ſumma cura attendant ad Legem, à minimo uſque ad maximum. Quod ſequitur, bifariam verti poteſt. nam ſi חוקים, & משפטים referimus ad verbum זכרו, vertendum erit, ſtatutorum & judiciorum. ſed quia dicit, *quam mandavi*, poſſemus etiam exegetice accipere ſtatuta & judicia. Quantum ad rem ipſam ſpectat, parum intereſt utram legamus. non dubium eſt, quin Deus his nominibus commendet Legem ſuam ab utilitate: quaſi diceret, Legem in ſe complecti quod merito retinere debeat Judæos, nempe ſtatuta & judicia. Scimus aliis etiam nominibus Scripturam uti, ſunt etiam מצותים, פקודים, ſunt עדותים, teſtimonia, ſunt viæ: ſed hic contentus fuit Propheta noſter breviter monere Judæos, ingratitudinem eorum eo minus fore excuſabilem, ſi deficiant à Lege Dei, quia hoc ſit palam rejicere ſtatuta & judicia. hoc eſt quod dixi, hic doceri à Propheta utilem eſſe Legis doctrinam, quo ſtudium ſuum ad eam libentius applicent. Sequitur,

5. Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Jehovæ magnus & terribilis.

Continuat eandem ſententiam Propheta. nam ubi Judæis teſtatus eſt, quamvis ad tempus intermittat Deus curſum Propheticæ doctrinæ, in Lege tamen illis ſuppetere quod ad ſalutem ſatis faciat. Nunc renovationem Eccleſiæ promittit: quaſi diceret, Dominus iterum ex inſperato vocem ſuam emittet poſt diuturnum ſilentium: quemadmodum Jeſaias,
Jeſa. 40. verſ. 1. ubi de populi reditu vaticinatur, dicit, Conſolamini, conſolamini populum meum, dicet Deus veſter. In verbo futuri temporis emphaticus eſt ſenſus. Sic etiam hoc loco doctrinam Propheticam quaſi reſurrecturam aſſerit Propheta noſter, quum ſcilicet Deus populi ſui miſertus, os aperiet, ac oſtendet ſe tacuiſſe, non quod vellet deſerere populum illum, ſed alio fine, ut diximus: interea oſtendat etiam veniſſe tempus, quo per unigenitum Filium ſuum velit prophetias omnes obſignare. Hic locus Judæos faſcinavit, ut putent reſurgere homines: & hæc illis eſt reſurrectio, quod animæ tranſeant in varia corpora uſque ad tertiam vel quartam vitam. Eſt hoc quidem pudendum delirium in gente illa: ſed videmus quantus ſit hominum ſtupor, ubi alienati ſunt à Chriſto, qui eſt lux mundi, & Sol juſtitiæ, ut nuper vidimus. Contra hunc tam fœdum errorem diſputatione opus non eſt. Cæterum, Chriſtus etiam dubi-
Mat. 11. verſ. 13. tationem ſuſtulit, quum dixit Joannem Baptiſtam eſſe Eliam iſtum qui promiſſus fuerat. Et res ipſa oſtendit, etiamſi Chriſtus hoc non dixiſſet. Cur autem vocetur Joannes Baptiſta Elias, dicam tribus verbis. Quod de zelo quidam interpretantur, relinquo in medio: quod etiam multi alias atque alias ſimilitudines quærunt, non inſector, neque reprehendo: ſed hæc mihi ſimilitudo videtur omnium aptiſſima, quod ſcilicet in reſtitutione cultus ſui excitare Deus voluit Joannem Baptiſtam, ſicut olim Eliam excitaverat. nam tempore Eliæ ſcimus non modo corruptam fuiſſe doctrinam, & cultum Dei vitiatum, ſed extinctam fere omnem pietatem, ut nihil ſani reſtaret. Sub adventum Chriſti quamvis Judæi non colerent idola, ſed externam aliquam ſpeciem pietatis retinerent, tamen tota religio ſic adulterata erat, ut vere poſſet conferri tempus illud ob congeriem tot inquinamentorum, ſeculo Eliæ. Joannes ergo verus fuit Eliæ ſucceſſor, nec quiſquam alius ex Prophetis fuit Joanni ſimilior, quam Elias. unde merito transfertur hoc nomen ad ipſum. Sed objiciet quiſpiam, Prophetam hic vocari, qui tamen ſe Prophetam negat: reſponſio facilis eſt, Joannem ſibi Prophetæ titulum adimere, ne impediat curſum doctrinæ Chriſti. illis ergo verbis non intelligit ſe temere currere abſque vocatione: ſed contentus eſt haberi Chriſti præco, ne ſcilicet obſtaculo ſit ſua doctrina, quominus Chriſtus ſolus audiatur. Interea Chriſtus pronunciat eſſe & Prophetam & plusquam Prophetam, nempe quia excellentius fuit ejus miniſterium Prophetico. Dicit, *antequam veniat dies magnus & horribilis.* Videtur hic Propheta non ſatis apposite loqui de Chriſti adventu. ſed jam totum populum indiſcriminatim compellat: & quoniam in turba plures erant tardi & lenti homines, qui contemnerent Dei gratiam: alii vero protervi erant & profani: hac ratione non tam blande loquitur, ſed minas iſtas permiſcet. Tenemus ergo Prophetæ conſilium, cur deſcribat Chriſti adventum terribilem: hoc facit, non quia Chriſtus venerit ad homines terrendos: quemadmodum dicitur apud Jeſaiam, Linum fumigans non extinguet, arundi- *Jeſa. 42.*
nem quaſſatam non conteret, non audietur vox ejus *verſ. 3.*
in plateis, non tumultuabitur. Quanquam ergo placide Chriſtus ſe offerat, &, ut nuper vidimus, ſimulatque nobis apparet, uberem affert gaudii materiam: pervicacia tamen illius populi factum eſt ut coactus fuerit aſperius loqui Propheta. quemadmodum Deus etiam quotidie nobiſcum agit: dum videt nos inſipido eſſe palato, medicamentis acribus utitur, ut percipiamus guſtum aliquem ſuæ gratiæ. Ergo quoties aliquid occurrit in Scriptura quod nobis terrorem incutiat, meminerimus ideo fieri, quia ubi ſuaviter nos ad ſe invitat Deus, vel ſurdi ſumus, vel pigri, vel etiam calcitramus. Sequitur,

6. Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres: ne forte veniam & percutiam terram anathemate.

Poſſet eſſe hoc verſu promiſſio ſimplex: ego tamen malo eſſe aliquid medium inter exhortationem & promiſſionem. Hoc primum eſt, quod Deus admonet Judæos in quem finem Joannem miſſurus ſit, nempe ut convertat corda hominum, & redigat in ſacram fidei unitatem. hoc igitur notandum eſt, non modo venturum Redemptorem; ſed ubi facta intermiſſio aliqua fuerit, ut dictum eſt, tunc de integro ſalutis doctrinam habituram curſum ſuum, & initium fore à Joanne. Videtur tamen hic Propheta plus concedere homini quam par ſit: quia converſio cordis proprium eſt Dei opus, adeoque ſingulare inter reliqua opera: & ſi nemo poteſt capillum unum ex capite fratris ſui mutare, quomodo refinget cor ejus, ut faciat novum hominem? quanquam plus eſt regenerari, quam creari ut ſimus tantum incolæ hujus terræ. ergo videtur hic nimis extolli Joannes, quum tribuitur ei cordium converſio. Solutio eſt expedita, ubi ita ſplendide loquitur Deus de ſuis miniſtris, non excludi virtutem Spiritus ejus: quin potius notari quanta ſit efficacia doctrinæ, quatenus per eam operatur Deus arcana Spiritus ſui gratia. Aliquando conjungit ſe Deus cum ſervis ſuis: aliquando autem ab illis ſe ſeparat. Dum ſe conjungit, transfert ad eos quod apud ipſum tamen reſidere non deſinit: neque enim ſuas partes illis reſignat, ſed communicat duntaxat. & huc pertinent illa omnia,
Joan. 20. verſ. 23. Quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt: Quicquid ligaveritis ſuper terram, ligatum erit in cœlis.
deinde quum Paulus dicit ſe genuiſſe Corinthios, *1 Cor. 4.*
non uſurpat quod ſcit competere in unum Deum, *verſ. 15.*
ſed potius in ipſo miniſterii elogio extollit Dei gratiam, quemadmodum alibi ſatis declarat, Non ego, *1 Cor. 15.*
ſed gratia Dei quæ aderat mihi. Quum autem ſepa- *verſ. 10.*
ratur Deus à miniſtris, nihil ipſis manet reſiduum.
Qui plantat nihil eſt, inquit alibi Paulus, & qui ri- *1 Cor. 3.*
gat nihil eſt: ſed qui incrementum dat, Deus. Ubi *verſ. 7.*
igitur illud, Doctores eſſe cooperarios Dei? nempe ubi Deus Spiritu ſuo eos gubernans, ſimul benedicit eorum labori, ut fructum ſuum afferat. Nunc ergo videmus nihil derogare hanc loquendi formam Deo, ubi convertere dicitur miniſter corda: quia ſicuti ſe non ingerit proprio inſtinctu, ita etiam Deus ſuppeditat quo poſſit ſufficere ad implendum munus ſuum. Quod dicit, *Corda patrum ad filios, & corda filiorum ad patres,* non ſimplicem conſenſum deſignat: quia ſæpe homines inter ſe conſpirant ita, & tamen Deus maledicit eorum conſenſum ac deteſtatur: ſed Propheta originem populi reſpicit, nempe Abraham & alios ſanctos Patres. Si de Ægyptiis vel Aſſyriis vel aliis quibuslibet gentibus feciſſet verba, converſio hæc omni laude caruiſſet: ſed ubi agit de ſancto & electo genere, non mirum ſi pro incomparabili Dei beneficio hoc ponat, Colligi omnes, & à diſſidio revocari ad unitatem, ut coaleſcant in fidem unam. Quum ergo de mutuo conſenſu nunc agitur,
venien-

veniendum eſt ad fontem illum: quia ſumit pro confeſſo Malachias, fuiſſe olim ſinceram pietatem in populo illo, viguiſſe cultum Dei, & fuiſſe ſacro vinculo inter ſe colligatos. Quum autem ad tempus exortæ eſſent variæ opiniones, imo prodigioſa deliria, quum tota ſinceritas fuiſſet corrupta, nunc revocat illos ad ſuum principium, ut ſcilicet conſentiant filii cum patribus, & viciſſim patres cum filiis: ſed ſub illa fidei unitate quæ in Lege prodita fuerat. Siquis excipiat, non fuiſſe rationi conſentaneum ut patres filiis apoſtatis ſe de integro adjungerent, quia hoc fuiſſet defectioni eorum ſubſcribere: reſpondeo fuiſſe quoſdam adoleſcentes converſos, qui viam monſtrarunt patribus, illiſque præluxerunt. Scimus autem ſenes, ut ſunt moroſi, non modo reſpuere quod audiunt ex juvenibus, ſed quia diſcere eos pudet, obſtinatiores reddi. Tale certamen faceſſere jubet Propheta, ut tantum idem in Domino ſentire omnibus cordi ſit. *Ne forte veniam*, inquit, *& percutiam terram anathemate*. Hic iterum minatur Propheta Judæis, & quidem vehementius. Diximus neceſſitate fuiſſe coactum, quia magnus erat populi illius torpor: multi etiam obduruerant ad pervicaciam. Hæc ratio eſt cur Deus hic denunciet non fore impune Judæis, ſi contemnant Chriſti adventum. Et interea tamen monemur, quam abominabilis ſit Deo ingratitudo, ubi non excipimus Filium, quem nobis mittit. Quod ſi volumus fructum colligere ex hac Prophetæ doctrina, primum veniamus obviam Chriſto, dum nos tam comiter ad ſe vocat, imo allicit. Cæterum, ſi nos retineat carnis noſtræ pigrities, etiam hæc comminatio nos pungat: atque ubi didicerimus crimen hoc non fore impunitum, ſi Chriſtum non amplectimur, dum ſe nobis offert, ut luctemur cum noſtra tarditate. Quicquid ſit, videndum eſt ut oſculemur Filium, quemadmodum Pſal. 2. nos hortatur. *Pſal. 2. verſ. 12.*

Da omnipotens Deus, quando nihil abs te omiſſum eſt, in quo poſſemus adjuvari ad fidei noſtræ curſum, & ea eſt noſtra pigrities, ut tamen te ſtimulante vix pedem moveamus: da, inquam, ut melius proficere ſtudeamus in omnibus adjumentis, quæ nobis abs te poſita ſunt, ut Lex, Prophetæ, vox Joannis Baptiſtæ, & tandem doctrina unigeniti Filii tui nos melius expergefaciat, ut non tantum feſtinanter ad ipſum accurramus, ſed pergamus etiam conſtanter in hoc curſu, & perſeveremus, donec tandem potiamur & victoria, & palma vocationis noſtræ, ſicuti pollicitus es æternam hereditatem repoſitam eſſe in cœlis, omnibus qui non deficient, ſed expectabunt adventum magni illius Redemptoris, Amen.

Prælectionum omnium JOANNIS CALVINI *in duodecim minores Prophetas*

FINIS.

Τῷ Θεῷ δόξα.

I N D E X

Eorum quæ in his

C O M M E N T A R I I S

Præter cætera explicantur, ſervato PROPHETARUM ordine.

Prior numerus caput: poſterior verſum indicat.

A Bdias quo tempore prophetaverit, In præfat. in Abdiam.
Abdicatio Iſraëlitarum, Hoſ. 1. 10
Abnegatio ſui piis neceſſaria, Soph 3.12
Abraham quaſi mediator fœderis, Malach. 2. 10
Abrahæ filii duplices, Hoſ. 1. 3 Joël 3. 16. Mich. 2. 12. & 7. 14. Zach. 1. 17
Abſcondi, pro in nihilum redigi, Nahum 3 11
Abundantia bonorum cur piis interdum promittitur, Zach. 9. 13
Abundantia plerumque excæcat homines, Amos 3. 13
Abundantia ſobrie & frugaliter utendum, Hoſ 13.6
Abuſus ſacrificiorum, Mich. 6. 8
Acceptio munerum quam noxia, Mich. 3. 11. & 7.3
Acceptio perſonarum in Deo nulla, Zach. 3. 8
Adhortatio ad pœnitentiam, Joël 1. 13. & 2. 12. Amos 4. 12. & 5. 4 14. Soph. 2. 1. Zach. 1. 3. & 8. 16
Adoptio omnium bonorum fons & cauſa, Hoſ. 3. 1
Adoptio gratuita, Hoſ. 2. 1. & 13. 3 Amos 3. 2 & Mich. 7. 14
Adoptionis cauſa, gratuita Dei miſericordia, Hoſ. 1 6
Adoptionis cauſa gratuitus Dei favor, Mal 1. 2. 6
Adoptionis utiliſſima memoria, Jon. 2. 4
Adulatorum Principum, Amos 7. 10. Nahum 3. 4
Adulatores Papiſtarum, Amos 7. 13
Adulatorum Henrici Regis Angliæ, ibid.
Adulla civitas in tribu Jehudah, Mich. 1 15
Ægypti profeſſi Eccleſiæ hoſtes, Joël 3. 19
Ægyptii amatoribus conferuntur, Hoſ. 7. 16
Ægyptiorum fabula de ſua antiquitate, Nah. 1. 7
Aëris mutationes à Deo, Jonæ 1. 3
Ætas ferrea deſcribitur, Mich 7. 3
Æthiopum clades prædicitur, Soph. 2. 12
Afflictiones ex peccatis oriuntur, Joël 1. 18
Afflictiones & calamitates à Deo, Joël 1. 19. Amos 3. 8 & 7.4 Abd 1 Jon. 2 3. Mich 2.13. Hab. 1. 8. Soph. 1. 13. 14. & 2. 12
Afflictionum finis, Hoſ 7. 14
Afflictionum utilitas, Hoſ 2 7. 14. & 3 1 5. & 5. 15. & 8. 8. & 9. 7. Amos 4. 8. 12. Jon. 2 1 2. 3. Mich. 7. 9. Zach. 10. 2. & 13. 8
Agitatio manus quid, Zach. 2. 9
Aaron in monte Hor ſepultus, Mich. 7. 12
Alexander Judæis manſuetus & humanus, Zach. 8. 8
Alexander Macedo urbem Alexandriam amplavit, non condidit, Nah. 3. 8
Alexander Tyrum & Gazam diruit, Amos 1. 10
Alexander Magnus Tyrum expugnavit, Zach. 9 4
Alexander Magnus cur Judæos non oppreſſit, Zach. 9 18
Alexandri inexplebilis cupiditas, Hab. 1. 5
Alexandria urbs vetuſtiſſima, Nah. 3. 8
Amazias homo perfidus & aſtutus, Amos 7. 14
Ambulare in viis Domini quid, Hoſ 14. 10
Ambulans ſpiritu, pro profeſſo munus doctoris, Mich. 2. 11
Amentia Judæorum, Joël 1. 18
Amicitia cum quibus conciliãda, Abd. 8
Amor Dei, vide Dei Amor.
Amos Propheta regno Iſraël deſtinatus, in præfat. in Hoſ. & in præfat. in Amos.
Amos quo tempore prophetaverit, in Præfat. in Hoſ. & in Præfat. in Amos, & Amos 1. 1.
Amos obſcurus & ignobilis, Amos 1. 1
Amos ex tribu Jehudah oriundus, ibid.
Amos Prophetæ certa vocatio, Amos 7 14
Amplitudo regni Chriſti, Mich. 4. 2
Anabaptiſtæ refutantur, Mich. 4. 3
Anathema Monachorum, Mich. 3 5
Angeli lucta cum Jacobo, Hoſ 12. 4
Angeli cur equitibus conferuntur, Zach 6. 5
Angeli interdum homines dicti, Zach 2. 1
Angeli pietatem miniſtri, Hoſ. 7. 12
Angliæ multos hypocritas aluit, quum Evangelium illic florebat, Mich. 4. 13
Angulus, pro ædificii firmitate, Zach. 10. 4
Anima, pro homine, Hagg 2. 14
Animam ſuſtinere quid Hebræis, Hab. 2. 4
Animas levare quid, Hoſ 4. 8
Animalia bruta cur in homines ſæviant, Hoſ. 2. 18
Animalia quomodo pœnitentiam profiteantur juſſu Regis Ninevitarum, Jon. 3. 7
Animus ſuctus & fucatus requiritur, Hoſ 1. 8
Anni principium à menſe Martio, Hagg. 2 10. & Zach. 7. 8
Antichriſtus in templo Dei dominatur, Zach. 10. 8
Antichriſtus cur tot ſæculis dominatus ſit in ſanctuario Dei, Joël 2 17
Antiquitas à Papiſtis obtenditur, Amos 2. 4
Antiquitas urbis Ninive, Nah. 2. 8
Antiquitati non ſemper ſtandum, ibid.
Anxietas impiorum, Hoſ. 11. 7
Apoſtoli quam craſſi fuerint, Hagg 2. 10
Apoſtolorum libertas in citandis Scripturæ teſtimoniis, Hoſ. 13 14
Aquæ cur Spiritum ſanctum interdum ſignificent, Zach. 14 8
Aquilarum oculi perſpicaciſſimi, Hab. 1 8
Arbitrium hominis: vide liberum hominis arbitrium.
Arca fœderis certum præſentiæ Dei ſignum, Amos 3. 14. Jon 2. 7
Arcæ operculum cur propitiatorium dicebatur, Hagg 1. 8
Argutia Papiſtarum de longitudine refellitur, Amos 5. 26
Arrogantia hypocritarum: vide hypocritarum arrogantia.
Aſcalon urbs primaria Philiſtinorum, Amos 1. 8
עשׂה pro accommodare in uſum, Hoſ. 2. 8
עשׂה exegetice ſumptum, Hoſ. 12. 3
Aſſur Niniveh conditor, Jon. 1. 2
Aſſyrii divinæ vindictæ miniſtri, Joël 2. 2 Mich 1.4 Soph. 2, 13. & 3.15
Aſſyrii regno Iſraël moleſti, Nah. 2. 1
Aſſyrii amatoribus conferuntur, Hoſ 7. 18
Aſſyrii cur ebriis conferuntur, Nah 1. 10
Aſſyrii cur locuſtis conferuntur, Nah 3 15 16
Aſſyriorum inanis fiducia, Nah. 1. 14
Aſſyriorum exercitus prædicitur, Soph. 2. 13
Aſſyriorum ſubitus interitus, Nah. 1. 7
Aſtutia Herodis: vide Herodis aſtutia.
Aſtutia Satanæ: vide Satanæ vaſritie.
Avaritia malorum omnium cauſa, Mich. 3. 3
Avaritia furoris quædam ſpecies, Hab. 2. 13
Avaritia damnatur, Hoſ 4. 18. Amos 2 6. 7 2. & 8. 5. 6. Mich. 2. 2. 3 & 3 1. 10. & 8 12 Nah. 2, 9. & Hab 1. 6
Avaritia Judæorum, Mich. 6. 12
Avaritia pſeudoprophetarum, Mich. 3. 5
Avari quam miſeri & ſtulti, Hab. 2. 6
Avarorum inſania, Hab. 2. 9
Avarorum ſedulitas notatur, Amos 8. 5
Audacia Papiſtarum ſacrilega, Amos 8 15 & Hagg. 1. 12
Auguſtinus ſuperſtitioſus, Jon. 4. 8
Auguſtini locus, Jon. 3. 8. & 4. 8. & Hagg. 2. 13
Authoritas verbi Dei, Hoſ. 5. 1
Auxilia hominum vana, niſi faveat Dominus, Hoſ 5. 18
Azoti clades, Zach. 9. 8. 17

B

B Aalim, pro diis minoribus, ſeu patronis, Hoſ 2. 8. 17 & 11 3. & Joël 1 8
Babylonii ſuperſtitionibus addicti, Hab 1 11
Babyloniorum ſuperbia, ibid.
Balaam Propheta, Mich. 6. 5
Balaam an efficaciter populum Dei maledicere potuerit, ibid.
Balaam impium conſilium, Malch. 2. 13
Baptiſmus hominum vitiis minime pollutus, Amos 5. 24
Baptiſmus in papatu corruptus, Hoſ 4 15
Baſan mons valde opimus & celebris, Amos 4. 1
Belial quid proprie ſignificet, Nah. 1 11
Bellum inter Iſraëlem & Jehudah, Hoſ 12 1
Bella unde oriuntur, Hoſ 2 18
Benedictio cunctis gentibus promiſſa, Joël 2. 26
Benedictio Dei: vide Dei benedictio.
Beneficentia commendatur, Amos 5. 13
Beneficia Dei: vide Dei beneficia.
Benjamin, pro toto Iſraële, Hoſ 5. 9
Beſtiæ quomodo ad Deum clamare dicantur, Joël 1. 20
Beth-el cur Beth-aven dicta, Hoſ. 4. 15. & 10. 8
Beth-el locus quondam honorificus, Hoſ 4. 15
Beth-lehem locus nativitatis Chriſti, Mich. 5. 2
Beth-lehem urbs Davidis, ibid.
Bonum quærere quid, Amos 5. 14
Bonorum abundantia ſub regno Chriſti, Amos 9. 13
Bonorum raritas: vide fidelium paucitas.
Boni malis permixti, Joël 2. 32 Mich. 4. 3. & Zach. 14. 3
Boſra urbs ſeu regio Idumeæ fortiſſima, Mich. 2. 13

C.

C Æcitas Iſraëlitarum: vide Iſraëlitarum cæcitas.
Cæcitas mundi inexcuſabilis, Mich. 6. 8
Calamitates à Deo: vide afflictiones.
Calamitatis tempore quid agendum, Joël 2. 3
Calix quid in Scriptura ſignificet, Hab 2. 11 & Hab. 2. 16
כמרים qui, Soph. 1. 9
Cancellarius Regis Angliæ, Amos 7 13
Capita à Prophetis minime diſtincta, Mich. 2. 12
Capitum inepta ſectio, Hoſ 14. 1 & in Præfat. in Joël, & Amos 4. 1
Cardinales perfidi & aſtuti, Amos 7. 10
Carmelus locus paſcuus, Amos 1. 2
Carnis confidentia damnatur, Mich 1 9
Carnis prudentia quam noxia, Hoſ. 14. 4
Carnis ſuperbia deſtruitur, Mich. 6. 8
Caſtitas ſpiritualis populi Dei in quo ſita, Hoſ 1. 2. & 2. 4 & 4. 12. & 7. 4
Celeritas nimia fugienda: vide Patientia piis neceſſaria.
Ceremoniæ quatenus Deo gratæ, Hoſ. 3. 6
Chaldæi quam terribiles & crudeles, Hab. 1. 8. 7
Chaldæi iræ Dei miniſtri, Hab. 3. 16. & Soph. 1. 7. & 2. 11. & 2. 13
Chalneh urbs munitiſſima, Amos 6. 2
Chamath urbs Aſſyriæ celeberrima, ibid.
Chanaan cur Iſraëlitæ vocentur, Hoſ 12. 7
Charitas Evangelii fructus, Mich. 4 3
Charitas ſecundæ tabulæ ſumma, Hoſ 12. 6
Charuſiani ab uſu carnium abſtinentes, Amos 2. 12
Chion Deus commentitius Iſraëlitarum, Amos 5.26
Chriſtus verus Deus, Hoſ. 12. 4. Mich. 4. 17. & 5. 2. Zach. 3. 19. & 2. 8. 10. & 3. 9. & 12. 10
Chriſtus angelus dictus, Hoſ. 12. 4. Zach. 1. 8. 12. 19 & 12 8
Chriſtus Angelorum caput, Zach. 1. 8
Chriſtus ſemper fuit Eccleſiæ caput, Mich. 2. 13. & Zach. 10. 8
Chriſtus verus Eccleſiæ cuſtos, Mich 2 13
Chriſtus dominator in Iſraël, Mich. 5 2
Chriſtus cur germen dictus, Zach. 6 12
Chriſtus verus homo, Mich. 5 2
Chriſtus quatenus patre inferior, Zach. 1. 10
Chriſtus quo ſenſu juſtus, Zach. 9. 9
Chriſtus perpetuus inter Deum & hominem mediator, Hoſ 3. 5. & 3 4. & 11 4. Joël 2. 17 Mich. 5. 4. Hab. 3. 13. Zach. 1. 12. & 9. 9
Chriſtus verus Paſtor, Mich. 5. 4
Chriſtus ſemper nobis præſens, Malach. 1. 4
Chriſtus quomodo pauper, Zach. 9. 9
Chriſtus quo ſenſu pax Eccleſiæ dicitur, Mich. 5. 5
Chriſtus æterno Patris decreto Rex conſtitutus, Mich. 5 2
Chriſtus Rex eſt vere æternus, Amos 9. 11, & Zach. 9. 9
Chriſtus unicus Servator noſter, Abd. 21
Chriſtus quibus Servator apparuit, Malach. 3. 2
Chriſtus cur ſervus dictus, Zach. 3. 8
Chriſtus Sol juſtitiæ, Zach. 14. 7. & Malach. 4. 2
Chriſtus quatenus Deo ſubjectus, Mich. 5. 4
Chriſtus cur ſtellis conſertus, Zach. 3. 8. & 2. 10. & 6. 12
Chriſtus impiis & reprobis terribilis, Mich. 5. 4
Chriſtus quo ſenſu unigenitus, Zach 12. 10
Chriſtus quomodo ex Ægypto evocatus, Hoſ 11. 1
Chriſtus quomodo in Regem à piis eligitur, Hoſ 1. 11
Chriſtus quomodo regnet in Eccleſia, ibid.
Chriſti prior adventus, Malach 4. 2
Chriſti adventus quibus deſiderabilis, Malach. 3. 18
Chriſti egreſſus quo ſenſu æterni, Mich. 5. 2
Chriſti manifeſtatio cur in noviſſimis temporibus locatur, Hoſ. 3. 5. & Mich. 4. 1
Chriſti natura duæ, Mich 5 4
Chriſti invicta potentia, ibid.
Chriſti regnum æternum, Hoſ. 3 5. Amos 9 11. Mich. 5 4. Hab. 3. 13. & Zach. 9. 9
Chriſti regnum ſpirituale, Amos 9 13 Mich. 4. 2. 8. & Zach 14. 8
Chriſti regnum tranquillum, Zach. 9 10
Chriſti regnum nondum completum, Mich. 4. 8
Chriſti regni amplitudo, Mich. 5. 4. Zach. 9. 10
Chriſti regni exordia, Mich. 4. 2
Chriſti reſurrectio ſpeculum eſt vitæ noſtræ, Hoſ 1. 2
Chriſti ſceptrum, Hoſ. 1 11
Chriſti templum ſpirituale, Zach. 6. 13
Chriſti & Jonæ collatio, Jon. 2. 1. & 3. 6
Chriſtum non cognoſci inter Apoſtolos, dictum Papiſtarum, Hoſ. 2. 17
Chriſtiani titulo tenus, Mich. 5. 12
כי pro adverbio temporis, Hoſ. 11. 3
כי adverſative ſumptum, Soph. 3. 8. & Zach. 9. 2
כי expoſitive ſumptum, Joël 1. 6
Claudicatio, pro rebus adverſis, Mich. 4. 6
Clericorum papalium inanis jactantia, Mich. 4. 9
Cleri papalis putida jactantia, Hoſ. 3. 8
Cœlibatus Monachorum qualis, Amos 2. 12
Cognatio duplex, Joel 2, 17
Cogitatio, pro tutu vel providentia in ſervandis fidelibus, Nah. 1. 7
Cognitio Dei: vide Dei cognitio.
Cognoſcere, pro curare & ſervare, Nah. 1. 7
Colligere, in malam partem ſumptum, Hoſ 9. 6. & Mich. 2. 12 & Soph. 3. 8
Conciliationes quorundam locorum: vide Quæſtiones.
Confeſſio peccati requiritur, Hoſ. 14. 3 Jon. 1. 12
Confidentia carnis damnatur, Mich. 6. 8
Congregare, in malam partem ſumptum: vide Colligere
Conjugii ſanctitas, Malach. 2. 14
Conſenſus inter Deum & Prophetas, Amos 3. 3

Con-

Conſilia impiorum inania, Hoſ. 11. 6
Conſolatio vera ex Dei verbo petenda, Mich. 4. 18
Conſolatio fidelium: vide fidelium conſolatio.
Conſortia impiorum fugienda, Mich. 7. 7
Contemptus Dei unde naſcatur, Hoſ. 7. 8
Contemptus verbi Dei ex proſperitate, Hoſ. 8. 6
Contumacia Jonæ, Jon. 4. 2
Cor, pro interiori audacia vel magnanimitate. Nah. 1. 10
Cor, pro mente vel intelligentia, Hoſ. 7. 11
Cordis integritas fons bonorum omnium, Hagg. 1. 15
Cordis ſinceritas requiritur, Hoſ. 6. 4. & Joël 2. 12. 13. Zach. 11. 13
Cornu, pro potentia, Hab. 3. 4
Cornua pro excellentia, robore, & altitudine, Amos 8. 13
Corruptio judicii damnatur, Mich. 3. 11. & 7. 8
Crapula damnatur, Hoſ. 7. 5
Creatio nova. Hoſ 2. 20. & 8. 13
Crudelitas damnatur, Mich. 3. 2. 8
Crudelitas Jonæ arguitur, Jon. 4. 10
Cultus Dei: vide Dei cultum.
Cura fratrum noſtrorum nobis ſuſcipienda, Hoſ 4. 3
Cyrus in bello Scythico mortuus, Hagg. 1. 1.

D.

Daniel inter captivos docendi officio functus, in Præfat. in Hagg.
Danielis liber inſigne providentiæ Dei ſpeculum, ibid.
Darius Hyſtaſpis filius, Zach. 1. 1
David ex Beth-lehem oriundus, Mich. 5. 2
David typus Chriſti, Hoſ. 3. 5. & 2. 6. & 12. 1. & Hab. 2. 11
Deboræ imperium extraordinarium, Mich. 6. 4
Defectio à Deo malorum omnium cauſa, Mich. 4. 10
Deliciæ ex nimia Dei indulgentia, Mich. 1. 16
Democriti opinio, Hab. 2. 5
Demoſthenis locus, Mich. 5. 8
Deſiderare diem Domini quid, Amos. 5. 18
Deus perſonarum acceptor non eſt, Mich. 6. 10. 11. Zach. 3. 2
Deus quomodo Angelos eſſe poſſit, Hoſ. 12. 4
Deus unus in Eccleſia audiendus, Abd. 8
Deus author doctrinæ Prophetarum, Mich. 2. 7
author mali non eſt, Amos. 3. 6. & Hab. 1. 7
Deus natura beneficus, Hoſea 2. 15
natura clemens & exorabilis, Hoſ 6. 1. & 11. 9. Joël. 2. 2. 12. 13. Jon. 4. 2. Mich. 1. 7. & 7. 18. 19
ſola virtute ſua contentus, Hoſ. 1. 7
Eccleſiæ cuſtos perpetuus, Joël. 3. 17. 18. Zach. 2. 5. & 3. 2. & 9. 1. 8
unicus doctor & magiſter, Mich 4. 2
cur exercituum Dominus vocatur, Amos 6. 14
Deus fidelis & verax, Mich. 7. 20. Hag 2. 6
cur formidabilis deſcribitur, Nahum 1. 6
hoſtibus populi ſui quam formidabilis, Hoſ. 13. 11. Nah 1. 8
cur fortis deſcribitur, Soph. 1. 17
ab omni paſſione immunis, Hoſ. 11. 9
deſperatis hominibus implacabilis, Mich. 2. 4
eſt mortis interitus, Hoſ. 13. 14
quomodo ire dicatur, Hoſ 5. 15
quomodo ab omnibus populis ſuerit invocatus, Soph. 1. 9
cur Iſraëlis Deus dicitur, Hoſ. 7. 10
totius mundi judex, Hoſ. 7. 2. Joël 3. 13. Amos 5. 14. & 9. 1. Abd. 15. Jon. 4. 4. Mich 1. 5. & 6 10. 13 Nah 1. 3. 5 & 3. 11. & Hab. 2. 8. & 3. 2. & Sophon. 1. 7. 18. & Zach. 1. 5
cur leoni confertur, Hoſ. 11. 10. & 13. 7. Joël 3. 16
natura manſuetus, Hoſ. 2. 14
medico ſimilis, Hoſ 7. 1. 15
quomodo piorum pater, Malach 1. 6
nobis pater eſſe nequit quin medicus ſit, Hoſ 14. 5.
Nulli miſereri non vult, Hoſ. 4. 15. & Ion. 3. 16
ſummus Paſtor, Mich. 2. 14. Zach. 12. 7
non niſi fidelibus propitius, Hoſ. 5. 6
quomodo quærendus, Hoſ. 5. 6. & Amos 5. 4. 6. & Ion. 1. 6
Deus non niſi in Chriſto mediatore quærendus, Hoſ 3. 5
Deus cur שדי dictus, Joël 1. 15
Deus cordium ſcrutator, Amos 4. 13
Deus cur interdum ſeverus deſcribitur, Hoſ. 13. 7
Deus ſemper ſui ſimilis, Hoſ. 2. 14 19. & 11. 9. & 13. 10 14. & Joël 2 13. & 3 20 & Amos 4. 11. & 7. 3. & Jon 1. 10. & Mich. 2. 7. & 7. 4. 15. Nah. 1. 11. Hab. 1. 5. & 2. 8. & 3. 7. 13
Deus Eccleſiæ ſponſus, Hoſ. 2. 19. Soph 3. 17. & Zach. 9. 13
Deus quibus terribilis, Nah. 1. 8
Deus impiis terribilis, Soph 2. 11
Deus juſtus ſcelerum vindex, Nah. 1. 2
Deus multis modis adeſt ſuis, Hagg. 2. 6
Deus quomodo benedicere dicitur, Malach. 2. 2
Deus non niſi per Chriſtum cognoſcitur, Hoſ 3. 5
Deus vult in verbo ſuo cognoſci, Hoſ. 8. 13
Deus duobus modis congregat, Mich. 2. 11
Deus dupliciter nobis deſcribitur, Jon. 3. 10
Deus cur auxilium ſuum differat, Hoſ 2. 14. & 6. 2. & Joël 3. 2. 14 & Hab 2. 3
Deus electorum ſuorum curam gerit, Hoſ 3. 21. & 7. 11. & Joel 3. 2. 11. 17. & Hab 1. 12
Deus ſuorum, &c. Nah. 1. 2. 8. & 2. 13. Soph 2 15. Zach 8. 3. 5. & 9. 2

Deus in medio ſuorum habitat, Amos 5. 14
Deus quomodo in medio Eccleſiæ ſuæ habitet, Soph 3. 15
Deus cur alienas perſonas induit, Hoſ. 13 8
Deus cur perſonas hominum induit. Joël 2. 18
Deus varias perſonas Prophetis induit, Hoſ. 2. 8
Deus quomodo Jacobum inveniſſe dicatur, Hoſ. 12. 4
Deus dat imbrem, Joël 2. 23
Deus etiam in ultima rerum deſperatione vult invocari, Joël 2. 12
Deus quomodo inſci dicitur, Hoſ. 11. 9
Deus cur jurat, Amos 4. 2. & 6. 8
Deus cur humano more loquitur, Hoſ 10. 10. 11. & 12. 10. Joel 3. 5. Amos 6. 8. Mich. 6. 9. 10. Soph 1. 10. & 2. 9. & 3. 7
Deus cur innoxiis animalibus maleficat, Hoſ 4. 3
Deus bifariam moderatur peccata noſtra, Hoſ 14. 3
Deus quomodo ſe hominibus obligat. Hoſ. 6. 7
Deus interdum ſic per naturam operatur, ut naturæ modum excedat. Jon. 4. 6
Deus tunc parcit hominibus, ubi illis non parcit, Hoſ. 2. 7
Deus bifariam patefacit hominum cogitationes, Amos 4. 13
Deus peccata peccatis punit, Hoſ. 4. 14
Deus bifariam homines punit, Hagg 1 6
Deus non ſemper æquabili modo punit homines, Hoſ 5. 18
Deus quomodo cum hominibus redeat in gratiam, Jon. 3. 10
Deus quomodo ſacrificia repudiet, Hoſ. 6. 6
Deus cur impiorum pœnas ſuſpendat, Hoſ. 7. 2. & 8. 2. 10. & 13. 12. Joël 2. 14. 18. Amos 2. 3. & 7. 3. Nahum 1. 2. 3. & 1. 12. Soph. 2. 3. & 3. 8. 7
Deus homines tractat pro ingenio, Hoſ 2. 2. Amos 3 14
Deus quomodo videre dicatur, Zach. 9. 8
Deus bifariam homines vocat, Joël 2. 13
Deus cur angelorum opera utitur, Zach. 1. 8
Deus quomodo impiorum opera utitur, Hoſ. 8. 4. & 11. 21. & Joël 2. 2. 10. & Zach. 1. 10
Dei amor fons bonorum omnium, Hoſ 14. 7
Dei amor ex proſpero rerum ſucceſſu minime æſtimandus, Hoſ 2. 6
Dei amor erga ſuos gratuitus, Hoſ. 14 5
Dei amor erga Eccleſiam, Joël 2. 30. Soph. 3 17. Zach 8. 2.
Dei benedictio terram fœcundat, Hoſ 2. 22
Dei beneficiis non abutendum, Hoſ. 2. 8. & 13. 15. Mich. 1. 10 Zach. 9. 13
Dei bonitas homines ad ejus reverentiam adducit, Hoſ 3. 5
Dei bonitas cum hominum malitia certat, Hoſ 1. 10
Dei paterna bonitas etiam in impiis relucet, Hoſ 2. 9
Dei cognitio, pro fide vel pietate, Hoſ 6. 6
Dei cognitio neceſſario ad fidem requiritur, ibid.
Dei cognitio gloriam ipſius illuſtrat, Hab 2. 14
Dei cognitio quam neceſſaria, Hoſ. 2. 20. & 4. 1. & 6. 6. & 13. 5
Dei conſilium immutabile, Zach. 6. 1
Dei conſilium verbo patefactum, Mich. 4. 18
Dei contemptus unde oriatur. Hoſ. 7. 8
Dei cultus legitimus, Hoſ. 12. 11. & 13. 2. 4. Mich. 4. 1. & 6. 8
Dei cultus ſpiritualis eſt, Hoſ 6. 6. Joël 2. 18. Jon. 2. 9. Soph 1. 6. Hagg 2. 13
Dei cultus ſub legalibus ceremoniis deſcriptus, Soph. 3. 10 Zach 14. 17
Dei cultus in regno Iſraël vitiatus. In Præfat. operis
Dei cultus vitiatur, Hoſ 3. 13. & 7. 8 & 8. 4
Dei cultus apud Judæos corruptus, Soph 3. 1
Dei doctrina ſpeculativa non eſt, Mich 4. 2
Dei donis non abutendum, Hoſ 2. 9
Dei electio æterna & immutabilis, Zach. 1. 18
Dei electio gratuita, Hoſ. 12. 3. Joël 2. 32. & Malach 1. 6
Dei electio Adæ lapſo ſuperior, Malach 1. 6
Dei egreſſus pro nova manifeſtatione, Hoſ 6. 3
Dei faciem quærere quid, Hoſ. 5. 15
Dei ſordus irritum eſſe nequit, Hoſ 2. 12. & 2. 18. & 11. 9. Joël 3. 1. 17. Amos 4. 11. Mich. 6. 3. & 7. 14. 20. Nahum 1. 7. Habac. 1. 12. & 3. 2. 9. 13. Soph. 3. 4. Hagg 2. 6. & Malach. 1. 8
Dei gloria in remiſſione peccatorum refulget, Mich 7. 18
Dei gratia veram pacem ſecum affert, Hoſ. 2. 18
Dei gratia cum ejus benedictione conjuncta, Hoſ 14. 3
Dei gratia hominum prævenit, Hoſ. 2. 23. & 10. 12. Jon. 4. 2. Mich. 2. 12. Zach. 1. 3
Dei gratiæ guſtus in afflictionibus luci ſimilis, Mich 7. 7
Dei gratiæ tenor, Zach. 1. 3. & 8. 12. vide, Deus ſemper ſui ſimilis.
Dei erga ſuos indulgentia. Hoſ 2. 23. & 11 4. & 11. 4. Mich. 4. 3. Soph 3 17
Dei ira cur incendio confertur, Soph 1. 18
Dei ira quam terribilis, Joël 2. 3
Dei ira metuenda, Jon. 2. 5
Dei ira uſque ad inferos graſſatur, Joël 2. 16
Dei ira uſque ad bruta animalia graſſatur, Ibid.
Dei ira qualis erga electos & fideles, Hab 3. 2
Dei ira cur magis Chriſti adventu exardebit contra homines, Joël 2. 31
Dei judicium noſtro ſenſu non metiendum, Hoſ 7. 2
Dei judicium præveniendum, Joël 2. 1. Amos 4. 12. Hab. 3. 2. Soph. 2. 2

Dei judicia cur nobis proponantur, Hoſ. 10. 9
Dei judicia quomodo reputanda. Zach. 10. 8
Dei juſtitia, pro fide & veritate quam ſervat erga ſuos, Mich. 6 5
Dei juſtitia pro gratia erga fideles, Mich. 7. 9
Dei liberalitas in nobis maxime refulget, Hoſ. 2. 15
Dei longanimitas: vide Dei patientia
Dei mandatum bifariam conſiderandum, Joël 2. 20
Dei minæ metuendæ, Hoſ 1. 5
Dei miſericordia commendatur, Joel 2. 13
Dei immenſa miſericordia, Jon. 4. 10. 11. Mich. 7. 18 Hab. 3. 2
Dei myſteria ſobriis animis ſuſpicienda, Hoſ 12. 11
Dei natura qualis, Jon. 4. 2. Nah. 1. 2. 3. Hab. 1. 13. Soph. 3. 10
Dei nomen cur ſæpe ab Hebræis ſubauditur, Malach. 1. 14
Dei nomine non abutendum, Mich. 3. 18
Dei notitia pro ejus timore, Hoſ. 4. 1
Dei notitia ſpeciale ſpiritus donum, Hoſ. 5. 10
Dei oblivio ex proſperitate, Mich. 7. 10
Dei patientia erga Iſraëlitas, Hoſ 1. 6. 8 & 2. 2. 8. & 5. 2. & 9. 13. & 7. 11. & 10. 8. 13
Dei patientia non abutendum, Hoſ 9. 13. & 10. 2. Amos 4. 1. & 7. 6. & 9. 4. Mich. 1. 1
Dei pedes qui, Hab. 3. 5
Dei pœnitentia qualis, Jon. 4. 2
Dei potentia cur à Propheta celebratur, Amos 9. 6
Dei immenſa potentia, Mich. 1. 2. & 7. 17. Nah. 1. 1. 4. Hab. 2. 20. & 3. 4. 6. & 3. 14. Zach. 3. 8
Dei potentia quomodo expetenda ſit, Amos 9. 3. Zach. 8. 8. 7
Dei promiſſiones quibus deſtinentur, Hoſ 11. 9
Dei promiſſiones ad fideles duntaxat referuntur, Hoſ. 6. 4
Dei providentia quomodo reputanda, Hoſ. 7. 12. & 8 4. Amos 3. 2. Jon. 1. 6. & 4. 7. Zach 6. 5
Dei providentia ſpecialis, Amos 4. 7
Dei providentiæ everſores, Hoſ 11. 8
Dei regnum bifariam deſcribitur, Mich 4. 8
Dei timor, pro ejus cultu, Jon. 1 9
Dei timor pro ipſa pietate, Jon. 1 16
Dei timor ſapientiæ caput, Hoſ 14. 10
Dei timor quam neceſſarius, Hab 2. 8
Dei tolerantia, vide Dei patientia.
Dei verbum quibus bonum & ſuave, Mich. 2. 7
Dei verbum dupliciter conſiderandum, Joël 2. 19
Dei verbum cur dolabræ confertur, Hoſ. 6. 5
Dei verbum planum eſt & apertum, Hoſ 14. 10
Dei verbum alligari non poteſt, Mich. 3. 10
Dei verbum non inutile aut infructuoſum. Hagg. 1. 14
Dei verbum pios ſufficere debet, Habac. 2. 1
Dei verbum varie ad homines dirigitur, Jonæ 3. 1
Dei verbum bifariam ad homines dirigitur, Zach. 1. 1
Dei verbum quo ſenſu ad Joël factum, Joël 1. 1
Dei verbum fieri ad Prophetas quid, Hoſ. 1. 1
Dei verbi authoritas, Hoſ. 5. 1
Dei verbi efficacia, Amos 4. 13. Jonæ 1. 10. & 3. 6. Mich 4. 1
Dei verbi natura, Zach 1 5. 6
Dei vindicta adverſus impios quam horrenda, Joël 1 15
Dei virtus ex ſtatu noſtro minime æſtimanda, Hoſ 13. 14
Dei vocatio ſanctitati conjuncta, Hoſ. 7. 8
Dei voluntas quomodo una & ſimplex, Hoſ 11. 8. Soph. 3. 7
Dei vox, pro minis, Hab. 3. 16
Dei zelus quid, Joël 2. 18
Dei & idolorum diſcrimen, Mich. 7. 18 Hab. 2. 20. Zach. 14. 9
Deo cur varia epitheta tribuuntur, Amos 4. 13
Deum loqui quid, Hab 1 1
Deum quærere, quid. Zach. 10 8
Deum ſibilare reprobis quid, ibid.
Dii falſi cur amatoribus comparentur, Hoſ. 2. 4
Deorum multitudo non nuper nata, Ibid. 2. 5
Dicere pro præcipere, Jon. 2. 10
Dicere pro ſtatuere apud ſe, Hoſ 2. 4. Soph 1. 12
Dies Jehovæ, pro tempore ultionis, Joël 1. 15
Dies Domini cur horrificus pingitur, Amos 5. 6 18. & Soph. 2. 15
Dies nativitatis populi Dei quis, Hoſ 2. 15
Dies natalis olim celebrari ſolitus, Hoſ. 7. 5
Diem Domini deſiderare quid, Amos 5. 18
Dies feſti Papiſtarum quales, Hoſ 2. 11
Dierum extremitas in Chriſti adventu locatur, Mich. 4. 1
Diodori locus, Jon. 1. 1. & 3. 3
Diſcipuli Chriſti quinam cenſendi, Mich. 4. 3
Diſcrimen Dei & idolorum, Mich. 7. 18. Hab. 2. 20. Zach 14 9
Diſcrimen electorum & reproborum: vide electorum & reproborum diſcrimen.
Diſcrimen legis & Euangelii, Hab 2. 4. Hagg. 2. 6. Zach 2. 10
Diſcrimen Moſis & Prophetarum, Hab 1. 6
Diſcrimen Prophetarum & Sacerdotum, Mich. 3 11
Diſcrimen inter ſtatum veteris populi, & ſtatum novæ Eccleſiæ, Joël 2. 28
Diſtinctio papiſtarum futilis de remiſſione pœnæ & culpæ. Mich 7. 19
Divites ſeculi objurgantur, Amos 3. 15 & 4. 1. & 6. 4. Mich. 6. 12.
Docilitas neceſſaria, Hoſ. 14 9
Docilitas piorum ſeriorum. Soph 3 2
Doctor & Sacerdos termini ſunt convertibiles, Hoſ 4. 6
Doctores multi perniciosiores quam nulli, Hoſ 9. 7
Doctorum falſorum ſuperbia, Mich 3 5

Doctrina

Doctrina ſpiritualis animæ cibus, Amos 8. 11
Doctrina cælestis ſpeculativa non eſt, Mich. 4. 3
Doctrina Evangelii cum papatu conciliari non poteſt, Amos 5. 5
Doctrina externa ad hominis renovationem non ſufficit, Hoſ. 2. 14
Doctrina Prophetarum immortalis, Zach. 1. 5
Doctrinæ humanæ nullæ in Eccleſiam Dei admittendæ, Ioel 2. 1
Domus Ioſeph, pro regno Iſraël, Abd. 1. 8
Domus Ioſeph, pro domo Ephraim, Zach. 10. 6

E.

Eboris uſus in Aſia frequens, Amos 3. 15
Ebræi divinum vocant quicquid excellit, Ion. 3. 3
Ebræi dum precantur ſurſum verſis tempore utuntur, Ion. 2. 4
Ebræorum mos, Ion. 1. 6
Ebrietas damnatur, Hoſ. 7. 5
Ebrietas ſpiritualis, Hoſ. 4. 11. 16. Hab. 2. 16
Eccleſia ut mundus perpetua, Ioel 3. 18
Eccleſia ubique ædificanda, Ioel 3. 7. & Mich. 4. 7. & Zach. 2. 6
Eccleſia ex variis populis colligenda, Soph. 3. 10
Eccleſia fidei vinculo poſt Chriſtum exhibitum conſociata, Ioel 2. 2
Eccleſia exiguo ſæpe hominum numero conſtat, Ioel 2. 32
Eccleſia interdum mulieri confertur, Mich. 7. 10
Eccleſia ſponſa Dei, Zach. 9. 17
Eccleſiæ conditio qualis, Hoſ. 2. 10. Soph. 3. 15
Eccleſiæ miraculoſa conſervatio, Mich. 4. 6
Eccleſiæ conſervatio à mera Dei gratia pendet, Mich. 5. 2
Eccleſiæ excellentia in quo ſita, Mich. 4. 13
Eccleſiæ hoſtes domeſtici, Zach. 14. 12
Eccleſiæ hoſtes graviter puniendi, Mich. 4. 11. & 5. 5. 15. Nahum 1. 9. Zach. 12. 3
Eccleſiæ vera inſtauratio ubi ſita, Ioel 3. 18
Eccleſiæ nativitas, Hoſ. 11. 1
Eccleſiæ purgatio in quo ſita, Soph. 3. 16
Eccleſiæ reformatio vera, Hoſ. 2. 15
Eccleſiæ reformatio qualis ſub Henrico Angliæ Rege, Hoſ. 1. 3
Eccleſiæ regendæ ratio, Zach. 11. 16
Eccleſiæ reſtitutio in manu Dei, Mich. 4. 6
Eccleſiæ reſtitutio promittitur, Ioel 3. 18. Abd. 17. Mich. 4. 2. & 2. 5. 8
Eccleſiæ reſtitutio reſurrectioni ſimilis, Soph. 3. 19
Eccleſiæ reſtituendæ ratio, Mich. 4. 2
Eccleſiæ renovatio, Zach. 2. 18
Eccleſiæ latet ſæpe abſcondita, Hoſ. 1. 10
Eccleſiæ ſalus Deo chara, Soph. 2. 15
Eccleſiæ felix ſtatus, Hoſ. 14. 6
Eccleſiæ victoria qualis, Zach. 9. 10
Eccleſiæ unitas non abrumpenda, Hagg. 1. 6
Electio duplex in populo Iſraël, Hoſ. 1. 9
Electio Dei æterna & immutabilis, Zach. 1. 17
Electio Dei gratuita, Hoſ. 12. 2. Ioel 2. 32. & Malach. 1. 6
Electionis Dei hoſtes, Hoſ. 1. 8
Electionis doctrina quam neceſſaria & utilis, Zach. 9. 2
Electi ſoli promiſſionum Dei capaces, Hoſ. 11. 9
Electi perire nequeunt, Mich. 5. 7
Electorum & reproborum diſcrimen, Hoſ. 4. 4. & 12. 8. & 14. 9. Ioel 2. 10. & 3. 18. 20. Amos 5. 15. & 9. 11. Abd. 1. 17. Ion. 2. 10. & 3. 2. 2. & 4. 3. 7. Mich. 1. 9. & 2. 2. Nahum 1. 7. Hab. 1. 4. & 2. 16. Soph. 2. 1. & 3. 18. Zach. 2. 14. & 11. 12. & Mal. 2. 18
Elongandi verbum impropriè ſumptum, Zach. 2. 16
Ephraim pro toto Iſraële, Hoſ. 4. 17. Zach. 10. 16
Ephraim & Iuda interdum pro eodem ſumuntur, Zach. 9. 13
Epiſcopi corrupti quantum perfidi & aſtuti, Amos 7. 10
Epiſcopi corrupti quam bardi & brevi, Mich. 1. 8
Epiſcopi papiſtici quales, Hoſ. 4. 6. Zach. 11. 15
Eſaias Michæa paulo antiquior, Mich. 1. 1
Eſdras magna auctoritate in populo præditus, in præfat. in Haggæum.
Eſſe in benedictionem quid, Zach. 8. 13
Evangelium ſceptrum Chriſti, Hoſ. 1. 11. & Mich. 4. 2. 8
Evangelii doctrina cum papatu conciliari non poteſt, Amos 5. 5
Evangelii finis, Hoſ. 1. 8
Evangelii & legis diſcrimen, Hab. 2. 4. Hagg. 2. 7. & Zach. 2. 10
Evrus ventus admodum nocivus, Hoſ. 13. 2
Euſebii locus, Hagg. 1. 9. & Zach. 14. 10
Excuſationes ſuperſtitioſorum puériles, Mich. 6. 16
Execrationes damnantur, Hoſ. 4. 2
Exempla mala non imitanda, Mich. 7. 7
Exempla patrum, Amos 7. 9. 16. Zach. 1. 4
Exempla patrum quatenus imitanda, Hoſ. 4. 15. & Amos 6. 3
Exempla patrum fruſtra populo obtenduntur, Hoſ. 1. 2
Experientia ſtultorum magiſtra, Hagg. 1. 5
Extenſio manus Dei quid, Soph. 1. 4
Extremitas dierum de Chriſti adventu loquitur, Mich. 4. 1
Ezechias placido ac manſueto ingenio, Mich. 3. 12
Ezechiæ modeſtia, ibid.
Ezechiel inter captivos docendi officio functus, in præfatione in Haggæum.

F.

Fabula Ægyptiorum de ſua antiquitate, Nahum 1. 7
Fatum judicium quid, Soph. 2. 3
Faciem Dei quærere quid, Hoſ. 5. 15
Fames ex Dei maledictione, Mich. 6. 14
Fames à Deo duobus modis infligitur, ibid.
Felicitas qualis ſub regno Chriſti, Amos 9. 13. 14. 15. Mich. 4. 4
Felicium fidelium, vide Fidelium felicitas
Felicitas hominum in Dei amore poſita, Hoſ. 2. 23
Fideles uno Deo ſunt beati, Hab. 3. 18
Fideles de ſtatu ſuo ſolliciti, Mich. 4. 2
Fideles cur mundo onoſi, Zach. 2. 8
Fideles omnes Sacerdotes, Ioel 2. 17
Fidelium conſolatio, Hoſ. 2. 14 & 9. 1. 2. & 8. 2. & 11. 9. Ioel 2. 17. & 3. 4. 16. Abd. 17. Mich. 4. 2. 3. 9. & 5. 2. 8. & 7. 15 Nahum 1. 9. 12. Hab. 1. 12. & 3. 7. Soph. 1. 1 & 3. 4. & 3. 9. 13. 14. Zach. 3. 1. 10
Fidelium felicitas in Chriſto ſita, Hoſ. 2. 4. & Malach. 3. 17
Fidelium gaudium, Mich. 7. 10
Fidelium laborioſa militia, Hoſ. 6. 5. & 10. 9. Ion 2. 4. Mich. 3. 8. Hab. 6. 2. Zach. 3. 1
Fidelium orationes interdum vitioſæ, Ion 4. 2
Fidelium paucitas, Hoſ. 9. 17. & 14. 10. Ioel 3. 18. Amos 3. 15. Mich. 4. 3. 5. & 5. 3. 7. & 7. 2. Soph. 3. 11. 13
Fidelium pax, Zach. 3. 10
Fidelium perfectio qualis, Mich. 7. 18
Fidelium perſpicacia, Hab. 2. 1
Fidelium quotidianis in afflictionibus, Zach. 1. 12
Fidelium ſacrificia ſpiritualia, Hoſ. 5. 6. & Malach. 1. 11
Fidelium ſalus à mera Dei gratia manat, Mich. 5. 13
Fidei non ſapientia opus, Hoſ. 4. 10
Fidelium victoria, Hoſ. 13. 4. Ion. 2. 1. & Mich. 1. 9 & 7. 8
Fidelium victoria non ſine magno negotio paratur, Ion 4. 7
Fidelium omnium votum, Hab 1. 2
Fidelium zelus, Zach. 13. 3
Fides ab hominum ſuffragiis minime pendet, Mich. 4. 5
Fides ſola homines humiliat, Malach 3. 15
Fides ſola juſtificat, Hab 2. 4
Fides invocationis mater, Hoſ. 12. 6
Fides Noe qualis, Ion 2. 1
Fides Patrum ſemper in Chriſto defixa fuit, Amos 9. 11
Fidem formatam & informem quid Papiſtis, Hab 2. 4
Fides Papiſtarum implicita, Hoſ. 4. 6
Fides inter homines rara, Mich 7. 5
Fidei certitudo, Hab 1. 12
Fidei confeſſio quam neceſſaria, Hoſ. 3. 12
Fidei merita, Ion. 3. 9
Fidei præſtantia, Mich 7. 8
Fidei probatio, Ion. 2. 4. Hab. 2. 3. Hagg 2. 12
Fidei virtus & efficacia, Ion. 3. 5
Fœcunditas terræ ex Dei benedictione, Hoſ. 2. 22. & 4. 10. Ioel 2. 24
Fœdus Dei, vide Dei fœdus.
Fortitudo à Deo petenda, Hagg. 2. 4
Fumenti uſus in unguentis, Zach. 2. 1

G.

Gath Philiſtinorum urbs famoſa, Amos 6. 2
Gaudium fidelium, vide fidelium gaudium
Gaza duplex, Amos 1. 6
Gaza urbs maritima, Zach. 9. 5
Gaza ab Alexandro diruta, Amos 1. 10
Gentium vocatio, Hoſ. 1. 10. Ioel 2. 32. & 3. 7. Mich. 4. 1. & 5. 4. & 7. 14. Soph. 3. 9. Zach. 2. 11. & 8. 2. & 10. 9. & 14. 16. & Malach. 1. 11
Gilgal oppidum in Iſraël ſuperſtitionibus pollutum, Hoſ. 12. 11
Gloriatio Papiſtarum: vide Papiſtarum gloriatio.
גזם pro comeſtore, Ioel 1. 4
Gomer pro conſumptione, Hoſ 1. 3
Græci pro tranſmarinis populis, Ioel 3. 6
Gratia Dei, vide Dei gratia.
Gratia ſeptiformis à Papiſtis conficta, Zach. 3. 9
Gratiarum actio quæ neceſſaria, Hoſ. 14. 3. 4. Ioel 2. 26. Ion. 2. 9. Nah. 2. 13. Hab. 3. 19. & Soph. 1. 14
Gregorius multis erroribus imbutus, Hab 2. 19
Gregorii dictum de imaginibus, ibid.
Gregorii locus, Malach. 2. 7
Gulielmus Rondeletus, Ion. 2. 17

H.

Habacuc quo tempore prophetarit, In Præfat. in Hab.
Haggæus quando vaticinatus fuerit, In præfat. in Hagg.
Helena Adiabenorum Regina, Hagg. 2. 10
Henricus Rex Angliæ homo belluinus, Hoſ. 1. 3
Henricus Rex Angliæ quomodo Eccleſiam reformaverit, ibid.
Henrici Regis Angliæ adulterium, Amos 7. 13
Herodes ſemijudæus, Hagg. 2. 10
Herodis aſtutia in templi ædificatione, ibid.
Herodis domus quam deteſtabilis, Zach. 1. 2
Herodoti locus, Ion. 1. 3. & 1. 5
Hierarchia & ordo clericorum Papiſtici qualis, Hoſ 4. 9
Hieronymus in allegoriis ineptus, Hoſ. 1. 2
Hieronymus doctus & laborioſus, Ion 4. 7
Hieronymus cavillator, Ion. 4. 4
Hieronymi locus, Hoſ. 1. 2. & 2. 20. & 3. 2. 7. 12. & 12. 4. 12. & 13. 13. 14. Ioel 1. 1. Amos 1. 1. Ion. 4. 1. 4. & 4. 6. 10. Mich. 2. 10. Nah. 1. 1. 12. & 3. 6. Hagg. 2. 12. Zach. 1. 5. & 3. 2. & 6. 1. & 11. 7. & 12. 10. 11. 14. 20
Hieronymi ſpoliatio, Ion. 4. 6
Hiberij locus, Amos 6. 8
Homines hilariter Deo ſerviunt, Ioel 2. 19
Homines profani quo animo Scripturam legunt, Hoſ. 14. 10
Homines ſpirituales pro ſpiritualibus, Hoſ. 9. 7
Hominum auxilia vana, Hab 1. 10
Hominum vacitas voluntatis, Hoſ. 4. 16
Hominum corda in manu Dei, Malach. 2. 13. & Hab. 1. 9
Hominum felicitas in Dei amore poſita, Hoſ. 2. 21. & 2. 23
Hominis miſeria ſumma, Hoſ. 1. 10
Hominum requies in ſola fide, Hab. 2. 4
Hominibus quomodo irraſcitur quid tribuit Dei, Hoſ. 1. 11
Horatii locus, Amos 2. 7
Hoſeas Propheta regno Iſraël deſtinatus. In Præfat. in Hoſeam. & Hoſ. 13. 12. & in Præfat. in Ionam. & Mich. 1. 8
Hoſeas quo tempore prophetavit, in Præfat. in Hoſ.
Hoſeas quamdiu prophetaverit, Hoſ. 1. 6
Hoſeas quanta virtute inſtructus fuerit, ibid.
Hoſeas in ſuis ſententiis ſæpe conciſus, Hoſ. 4. 6
Hoſeas juſſu uxorem fornicariam ſibi ducit, Hoſ. 1. 2. & 3. 1
Hoſeas ſua ſapius in Sacerdotes invehitur, Hoſ. 4. 6
Hoſeas cur in decem tribuum ſchiſmate, 12. 12
Hoſeas ſub rege Ezechia mortuus, Hoſ. 1. 1
Hoſeæ vehementia, Hoſ. 4. 1
Hoſtes Eccleſiæ perdendi, Mich. 2. 2
Humanitas commendatur, Hoſ. 6. 6. Mich. 6. 8
Humeró ſervire quid, Soph. 3. 9. Zach. 7. 12
Humilitas vera ex fide, Malach. 3. 15
Hypocriſis quam deteſtanda, Hoſ. 5. 1. & 6. & 10. 4. & 11. 12. Ioel 2. 12. Mich. 3. 11. & 6. 6. 9
Hypocriſis Iſraëlitarum: vide Iſraëlitarum Hypocriſis.
Hypocritæ Deo abominabiles, Hoſ. 2. 4
Hypocritæ promiſſionum Dei minime participes, Amos 5. 18. 19. & 9. 4. Mich. 5. 3. & 7. 11. Nahum 1. 7
Hypocritæ incorrigibiles, Hoſ. 5. 2
Hypocritæ quam ſint Deo intolerabiles, Mich. 3. 12
Hypocritæ maximi ceremoniarum obſervatores, Amos 5. 14. Mich. 1. 2. & 6. 6. 8. Soph. 3. 3
Hypocritæ ſinceros Dei ſervos æmulantur, Amos 5. 12
Hypocritæ ſemper Deum fugiunt, Hoſ. 7. 16
Hypocritæ quomodo Deum quærant, Hoſ. 5. 6
Hypocritæ promiſſiones Dei ad ſe rapiunt, Ioel 1. 14. Mich. 2. 10
Hypocritæ fruſtra præſenti Dei favore ſuperbiunt, Hoſ. 1. 8
Hypocritarum arrogantia, Hoſ. 4. 4. Mich. 2. 19
Hypocritarum vana confidentia, Hoſ. 6. 4. & 7. 13. Amos 5. 16. Mich. 7. 13
Hypocritarum vanæ excuſationes, Hoſ. 6. 10
Hypocritarum mos, Hoſ. 2. 2. & 3. 8. 10. & 4. 12. 14. 15. & 8. 2. & 10. 1. 11. & 11. 12. & 12. 1. Ioel 2. 31. & 4. 4. & 5. 6. & 6. 8. & 9. 2. Ion. 3. 10. Soph. 2. 14. 15. & Malach. 2. 14
Hypocritarum objectiones adverſus Dei minas, Hoſ 1. 10. Mich. 2. 10
Hypocritarum orationes Deo abominabiles, Ion. 2. 1. & 4. 6
Hypocritarum querimoniæ, Hoſ. 4. 2. & 13. 10. Amos 5. 6. & Mich. 1. 7
Hypocritarum ſacrificia abominabilia, Amos 5. 12
Hypocritarum ſecuritas, Hoſ. 4. 1. & 6. 6. Amos 5. 12. & 3. 10 & Mich. 3. 15
Hypocritarum ſocordia, Amos 6. 2
Hypocritarum zelus, Mich. 4. 8
יהוה quid proprie, Amos 1. 2

I.

Jacob cur primogenitus, Hoſ. 12. 3
Jacob cur Iſraël dictus, Hoſ. 1. 2
Iacob homo pecuarius, Hoſ 12. 12
Iacob quomodo victor Dei, Hoſ 12. 4
Iacobi Patriarchæ probroſa conditio, Hoſ 12. 12
Iacobi lucta cum angelo, Hoſ. 12. 4
Idololatræ phreneticis ſimiles, Hoſ. 2. 7
Idololatræ hominibus ebrioſis ſimiles, Hoſ. 3. 1
Idololatrarum ſocordia, Hab 2. 19
Idololatria ſcortationi confertur, Hoſ. 4. 12. & 9. 10. Mich. 1. 7. Malac. 2. 11
Idola magiſtri mendacii & vanitatis, Hab 2. 18
Idola cur à papiſtis oſculentur, Hoſ. 13. 2
Idolorum & Dei diſcrimen, Hab. 2. 10. Mich. 7. 18. Zach. 14. 9
Idumæi profeſſi Eccleſiæ hoſtes, Ioel. 3. 19
Idumæi hoſtes Iſraëlitarum. in Præfat. in Abdiam.
Idumæorum avaritia, Abd. 16
Idumæorum falſa confidentia, Abd. 6
Idumæorum crudelitas, Abd. 12
Idumæorum interitus prædictus, Abd. 4
Jehoſuah Sacerdos figura & imago Chriſti, Zach. 3. 1. & 6. 12
Jehu prædo contentus idololatriam confirmavit, Hoſ. 1. 4
Jehudah & Ephraim quandoque pro eodem ſumuntur, Zach. 9. 13
Jejunium quo fine inſtitutum, Ioel 2. 15
Jejunium olim cum ſolenni pœnitentiæ profeſſione conjunctum, Ioel 1. 14
Jejunii verus uſus, Ioel 2. 15. & Ion 3. 6
Jejunium ſanctificare quid, Ioel 1. 14
Jejunia Papiſtarum qualia, Ioel 2. 15
Jeremias cur in carcerem conjectus, Mich. 3. 10
Jeroboam extraordinario judicio Rex creatus, Hoſ 13. 11
Jeroboam alter, Hoſ. 1. 4

Jeruſalem ubique incolis adſignata, Joël 3. 7. & Mich. 4. 7
Jeruſalem cur filia nomine dicatur, Mich. 5. 0
Jeruſalem mater eccleſiarum, Zach. 12. 8
Jeruſalem cœleſtis deſcribitur, Zach. 2. 4
Jeruſalem ſpiritualiter conſideranda, Zach. 8. 3
Jeruſalem omni ſcelerum genere infeſta, Soph. 1. 8
Jeruſalem urbs pretioſa, Zach. 14. 4
Ignavia Sacerdotum, Hoſ. 4. 8
Ignis pro graviore pœna, Amos 7. 4
Ignis pro judicio, Nahum 3. 13
Ignorantia craſſa damnatur, Hoſ. 4. 6. & Mich. 6. 0
Ignorantia homines non ſemper excuſat, Hoſ. 4. 14. & 9. 11. Hab. 3. 1. Soph. 1. 6
Iiſſe quomodo Angelus impoſitum, Hoſ. 12. 4
Jizreel metropolis regni Iſraël, Hoſ 1. 5
Imagines papiſtarum idola ſunt, Amos 5. 26
Imperia quomodo Deus conſervat, Nahum 1. 5
Impetus aliquis non homines puros conveniunt, Hoſ. 9. 4
Impii gratiæ Dei minime ſunt capaces, Hoſ. 6. 4
Impii inexcuſabiles, Hoſ. 4. 14. & 7. 4. Zach. 3. 10
Impii flagellis obdurantur, Hoſ. 5. 7. Soph. 3. 12
Impii cinis ſtatuitur quam conſiguntur, Hoſ. 2. 7
Impii quomodo tractandi, Hoſ. 4. 1. & 3. 8. & 6. 4. 5. 6. & 9. 4. 7. 14. & 11. 5. & 12. 6. & 13. 7. 8. Amos 2. 16. & 4. 1. & 5. 18. Mich. 2. 7. & 1. 8. & 7. 31. 14. Soph. 1. 3. 5
Impiorum anxietas, Hoſ. 12. 7
Impiorum arrogantia, Hab. 1. 13
Impiorum ſtulta confidentia, Mich. 4. 11
Impiorum inania conſilia, Hoſ. 11. 6. Mich. 4. 10
Impiorum fugienda conſortia, Mich. 7. 7
Impiorum interitus, Hoſ. 13. 13. Joël 2. 13. Mich. 4. 12. & 7. 10. Soph. 2. 15. & 3. 8
Impiorum interitum cur ſacrificii nomine notetur, Soph. 1. 7
Impiorum natura, Mich. 2. 9
Impiorum obſtinatio, ibid.
Impiorum opera Deus quomodo utitur, Hab. 1. 7
Impiorum orationes Deo abominabiles, Zach. 7. 13
Impiorum ſtatus proſperitas, Hoſ. 12. 8. & 13. 15. Joël 3. 10. Amos 4. 11. Mich. 7. 7. Hab. 1. 11. Zach. 13. 8
Impiorum querimoniæ à Deo non exaudiuntur, Mich. 3. 4
Impiorum ſacrificia abominabilia, Malach. 1. 10
Impiorum ſecuritas, Hoſ. 8. 8. & 4. 1. 8. Nahum 3. 2. Soph. 1. 13
Impiorum ſtupor, Mich. 7. 10
Impiorum ſuperbia retundítur, Mich. 7. 16
Impœnitentia damnatur, Mich. 2. 9
Impunitatem ſibi promittunt hypocritæ, Hoſ. 9. 7
Incredulitas omnium ſuperſtitionum cauſa, Soph. 3. 2
Incredulitas Judæorum perſtringitur, Zach. 9. 12
Infantes etiam eſtate conſtringuntur, Hoſ. 14. 1. & Joël 2. 6
Ingratitudo quam deteſtanda, Hoſ. 1. 8. & 7. 13. & 12. 10. Mich. 1. 10. & Malach. 4. 6
Ingratitudo Iſraëlitarum: vide Iſraëlitarum ingratitudo.
Ingratitudo Judæorum: vide, Judæorum ingratitudo.
Inſulæ pro regionibus procul diſſitis, Soph. 2. 12
Intentio bona papiſtarum mater eſt omnium ſcortationum, Hoſ. 4. 13
Intentio bona quid valeat, Hoſ 6. 10
Intentio bona excæcat ſuperſtitioſos, Amos 5. 25
Intentiones papiſtarum quomodo bonæ, Hoſ. 10. 1
Intentiones bonæ evertuntur, Hoſ. 8. 11. & Amos 2. 4. & 4. 4. & 5. 1. 25
Inventio finalis papiſtarum, Hoſ. 5. 6
Interrogationum uſus apud Hebræos, Hab. 2. 8. & 3. 8. Mich. 7. 11
Invocatio ex fide naſcitur, Hoſ. 12. 6
Invocatio ſummum ſacrificium, Ion. 1. 16
Invocatio præcipuum pietatis exercitium, Hoſ. 7. 8. 7. & Zach. 3. 23
Joël in regno Iehudæ prophetavit, in Præfat. in Ioëlem.
Joël quo tempore prophetavit, ibid.
Joël non ſine cauſa verboſus, Ioël 2. 1. 11
Joël cur Deum ſuum vocet, Ioel 1. 13
Joëlis vehementia, Ioel 1. 20
Joannes Baptiſta Angelus Chriſti, Malach. 3. 1
Joannes Baptiſta quomodo Elias, Malach. 4. 1
Jonas quo tempore vaticinatus ſit, in Præfat. in Jonam.
Jonas cur mandatum Domini ſubterfugerit, Jon. 1. 3
Jonas quo affectu mortem optaverit, Ion. 4. 3
Jonas an ſponte ſe offerre debuerit ad mortem, Ion. 1. 12
Jonæ concordia, Ion. 2. 1
Jonæ contumacia, Ion. 4. 2
Jonæ crudelitas reprehenditur, Ion. 4. 10
Jonæ oratio ardentiſſima, Ion. 2. 8
Jonæ zelus præpoſterus, Ion. 4. 1. 3
Jonæ & Chriſti collatio, Ion. 1. & 3. 6
Joſephi locus, Amos 1. 2. Hagg. 2. 3. Zach. 9. 16. & 11. 3
Joſias in reſtituendo Dei cultu ſtrenue laboravit, Soph. 1. 0
Ira quomodo in Deum competit, Hoſ. 13. 2
Iracundia ſancta, Hab. 1. 2. & 3. 16
Iraſci uſque ad mortem quid, Ion. 4. 9
Ire pro longius progredi, Hoſ. 14. 7
Iſraël hæreditas Dei, Ioël 3. 0
Iſraël quo ſenſu virgo appellatur, Amos 5. 2
Iſraël in priſtinum ſtatum minime reſtitutus, ibid.
Iſraëlis nomen quam honorificum, Hoſ. 1. 3
Iſraëlis nomen olim gentibus execrabile, Joel 3. 6
Iſraëlis & Iehudæ comparatio, Hoſ 4. 15
Iſraëlitæ veri qui, Joel 3. 16
Iſraëlitæ apoſtatæ, Hoſ. 8. 4
Iſraëlitæ exitii ſui cauſa, Hoſ 13. 9
Iſraëlitæ cur Chanaan dicti, Hoſ. 12. 7
Iſraëlitæ degeneres, Hoſ. 10. 4. 7. Amos 2. 4
Iſraëlitæ ſœdifragi, Hoſ. 10. 7. & 6. 7. & 8. 1. Amos 2. 6. & 4. 11. & 9. 13
Iſraëlitæ originis ſuæ immemores, Hoſ. 12. 10
Iſraëlitæ ſemper in deteriora prolapſi, Hoſ. 1. 6
Iſraëlitarum abdicatio, Hoſ. 1. 10
Iſraëlitarum abdicatio quamdiu duraverit, Hoſ. 3. 4
Iſraëlitarum cæca amentia, Hoſ. 2. 8
Iſraëlitarum apoſtaſia, Hoſ. 11. 7. & 12. 6
Iſraëlitarum obſtinata cæcitas, Hoſ 2. 2. & 4. 6. & 11. 5. Amos 2. 10. & 4. 3. 8. & 5. 26
Iſraëlitarum cæcitas ex nimia opulentia, Hoſ. 4. 11
Iſraëlitarum captivitas, Hoſ. 11. 8
Iſraëlitarum vana confidentia, Hoſ. 2. 5. & 3. 4. & 11. 1. & 12. 1. 7. Amos 5. 12. 18. & 6. 1. 2. & 7. 3. & 9. 8
Iſraëlitarum ſtulta credulitas, Hoſ 7. 11
Iſraëlitarum defectio voluntaria, Hoſ. 2. 4. & 7. 4. 14. & 13. 4. & Amos 4. 4. 5
Iſraëlitarum excæcatio, Amos 5. 25
Iſraëlitarum hypocriſis, Hoſ. 5. 2. & 8. 2. Amos 5. 25
Iſraëlitarum idololatria, Hoſ 8. 13. & 4. 10. & 8. 11. Amos 5. 26. Mich. 1. 8
Iſraëlitarum monſtroſa ignorantia, Hoſ. 5. 4
Iſraëlitarum impudentia, Hoſ. 3. 8
Iſraëlitarum ingratitudo, Hoſ. 2. 8. 13. & 3. 1. & 4. 7. 37. & 7. 10. & 9. 10. & 11. 1. 2. 3. 4. & 13. 5. 6. 9. 13. Amos 2. 9. & 3. 2. & 4. 10. & 6. 5. Amos 2. 7. Jon. 1. 5
Iſraëlitarum interitus, Hoſ. 13. 8
Iſraëlitarum obſtinatio & pervicacia, Hoſ. 1. 6. & 2. 7. & 4. 4. & 5. 3. 4. 7. & 7. 4. 10. & 8. 5. 10. & 12. 10. & 13. 6. & 14. 9. Amos 4. 6. 7
Iſraëlitarum origo, Hoſ. 2. 1. Amos 2. 2
Iſraëlitarum miſeria, Mich. 1. 10
Iſraëlitarum evanida proſperitas, Hoſ. 13. 3
Iſraëlitarum cæca ſecuritas, Amos 2. 8. & 3. 1. & 5. 1. & 6. 1. & 8. 2. 9
Iſraëlitarum ſocordia, Hoſ. 9. 8. & 7. 2. & 12. 12
Iſraëlitarum ſtupor, Hoſ. 2. 8. & 4. 18. & 7. 2. & 8. 5. & 10. 7. & 11. 2. Amos 6. 6. & 7. 2. Mich. 1. 2
Iſraëlitarum ſuperbia, Hoſ. 7. 10. Amos 3. 2
Iſraëlitarum templa lupanaria erant, Amos 2. 8. & 4. 2
Judæi apoſtatæ, Amos 2. 4
Judæi audaces, Zach. 1. 3
Judæi degeneres, Mich. 6. 16
Judæi exitii ſui cauſa, Joël 1. 7
Judæi contentioſi, Zach. 2. 8
Judæi Scripturæ corruptores, Hagg. 2. 7
Judæi olim omnibus populis exoſi, Joël 3. 8. Hagg. 2. 13
Judæi inexcuſabiles, Joël 2. 7. Mich. 2. 16
Judæi in Eccleſia primogeniti, Zach. 9. 3
Judæi ad idololatriam prolapſi, Mich. 6. 5
Judæi ſacrilegi, Malach. 3. 7
Judæorum abdicatio, Soph. 3. 17
Judæorum amentia, Mich. 6. 9. Joël 1. 16
Judæorum ſtulta arrogantia, Mich. 1. 2. & 2. 6
Judæorum avaritia, Hoſ. 1. 7. & 4. 12
Judæorum captivitas prædicitur, Mich. 2. 10. 13
Judæorum commentum de Templis, Hoſ. 8. 9
Judæorum miſera conditio, Mich. 5. 1
Judæorum vana confidentia, Joël 1. 14. 17. & 2. 9. 12. Zach. 1. 4
Judæorum defectio, Mich. 6. 5. Soph. 3. 8
Judæorum gloriatio, Joel 2. 13
Judæorum ſupina hypocriſis, Mich. 2. 11. Zach. 2. 2. & Malach. 1. 6
Judæorum idololatria, Mich. 2. 16. Hab. 2. 18
Judæorum impœnitentia, Hab. 1. 10
Judæorum incredulitas perſtringitur, Zach. 9. 12
Judæorum ingratitudo, Hoſ. 12. 2. Mich. 3. 2. & 6. 4. Soph. 1. 4. Zach. 10. 1. & 11. 6. 7. 9. Malach. 1. 0
Judæorum interitus prædicitur, Mich. 3. 12
Judæorum obſtinata malitia, Hoſ. 12. 3
Judæorum obſtinatio, Mich. 1. 2. & 6. 1. 9. Soph. 3. 12. & 3. 5. & Malach. 2. 14
Judæorum pravitas, Mich. 2. 8
Judæorum pigrities in reædificando templo, Hagg. 1. 8
Judæorum prærogativa, Hoſ 2. 12. & 12. 3. Zach. 8. 23. & Malach. 1. 3. & 4. 0
Judæorum ſocordia, Ioel 1. 1. 5. & 2. 10. Mich. 1. 2. & 7. 4. Soph. 1. 3. Hagg. 2. 4. Zach. 2. 6
Judæorum ſtupor, Ioel 1. 9. 16. 17. 18. 19. Mich. 3. 1. Soph. 1. 12. Hagg. 1. 9
Judæorum protervia, Hab. 1. 1
Judæorum ſuperbia, Soph. 3. 1. 18
Judæorum terbetiſmus, Mich. 1. 7
Judæorum vecordia, Hab. 1. 6
Judæorum veſania, Hoſ. 7. 7. 12
Judæorum victoria qualis, Zach. 10. 5
Judices mercenarii notantur, Amos 6. 3. Mich. 3. 2. 3. & 7. 1. Soph. 3. 3
Judicum avaritia notatur, Hoſ. 4. 13
Judicare pro gubernare, Mich 4. 3
Judicium pro rectitudine, Hoſ. 2. 19. & 10. 4. Mich. 3. 8
Judicium pro jure, Hab. 1. 7
Judicium pro ratione pie vivendi, Hoſ. 2. 8
Judicii corruptio reprehenditur, Amos 5. 15. Mich. 3. 11. & 7. 3. Soph. 3. 3
Judicium facere quid, Soph. 2. 3
Iuramentum cultus Dei ſpecies, Hoſ 4. 15
Iuſiurandum pro toto Dei cultu, Soph. 1. 5
Iuſtitia pro rectitudine, Hoſ. 2. 19
Iuſtitia Dei pro gratia erga fideles, Mich. 7. 9
Iuſtitiæ partialis quid papiſtis, Hagg. 2. 13
Iuſtitiam ſerere nemo in hominum arbitrio ſitum, Hoſ. 10. 13
Iuſtitiæ pro beneficiis, Mich. 6. 5

L.

ל pro על poſitum, Hoſ. 1. 6
Labiorum vituli pro ſacrificio laudis, Hoſ. 14. 3
Labor hominis cur ſanguini interdum confertur, Mich. 2. 13
Laborare in igne quid, Hab 2. 13
Lacedæmoniorum mos in bello, Nahum 2. 3
Lachis primum à Ierobeam corrupta, Mich. 1. 13
Laudis ſacrificium Deo gratiſſimum, Hoſ. 14. 2. Ion. 2. 9. Hab. 2. 1. Zach. 7. 0
Lex ad quid data, Zach. 8. 17
Lex cur Moſis dicatur, Malach. 4. 4
Legis oblivio quam grave malum, Hoſ 4. 6
Legis partes duæ, in Præfatione in Hoſeam.
Legis ſumma. ibid.
Legis uſus, Zach. 8. 17. & Malach. 2. 7
Legis & Evangelii diſcrimen, Hab. 2. 4. Hagg. 2. 7. Zach. 2. 10
Levare animos quid, Hoſ 4. 8
Levitis cur non ſuit aſſignata hæreditas, Soph 3. 4
Levitas damnatur, Hoſ. 10. 4
Libamen interdum pro Iudæis in templo, Hab. 2. 17
Libellus repudii quomodo conceſſus, Hoſ 2. 0
Libidines fœdæ damnantur, Amos 2. 7
Liberorum procreatio donum Dei, Nahum 1. 14
Liberum hominis arbitrium unde à papiſtis ſtabilitur, Hoſ. 12. 4. Malach. 1. 7
Liberum hominis arbitrium ex præceptis minime aſtruendum, Hagg. 2. 6
Liberum hominis arbitrium evertitur, Hab. 3. 4
Literarum metatheſis, Hab. 2. 16
Literarum mutatio Hebræis uſitata, Nahum 3. 13
Locutio comparativa, Hoſ. 2. 6. & 11. 12. & 12. 2. Ioel 2. 28. Soph. 3. 18
Longanimitas Dei, vide, Dei patientia.
Loqui ad cor quid, Hoſ. 2. 14
Lucta Iacobi cum Angelo, Hoſ 12. 4
Lucrativa tabe magna admodum, Ion. 4. 12
Luxuria unde dicta, Mich. 2. 10

M.

Machabæi in ſublime evecti, Zach. 10. 4
Magiſtratus à Deo conſervatus, Hoſ. 13. 8
Magiſtratus officium, Mich. 3. 12
Magiſtratus impii regnantes, Mich. 2. 8
Magnificare os, Abd. 10
Malachias ultimus Propheta, in Præfat. in Malach.
Malachiæ doctrina cur onus vocetur, Malach. 1. 1
Malum pro eo omni quod nobis adverſum eſt, Amos 3. 6
Malum pro pœnis, Ion. 4. 0
Mali bonis permixti, Mich. 4. 2
Manſuetudo commendatur, Soph. 2. 3
Manus pro miniſterio, Malach. 1. 1
Manus pro opere, Soph. 3. 16
Manus pro poteſtate, Hoſ. 13. 14
Manus agitatio quid, Zach. 2. 9
Manum eſſe ad potentiam quid, Mich. 2. 1
Manum percutere quid, Nahum 3. 19
Manum ponere ſuper os pro obmuteſcere, Mich. 7. 16
Maria ſoror Moſis inter mulieres excellait, Mich. 6. 4
Menſis pro tempore certo & ſtatuto, Hoſ. 5. 7
Meriti evertuntur, Hab. 2. 4. 19. Joël 2. 28
Michæas ſecundus, in Præfat. in Michæam.
Michæas Jeſaiæ diſcipulus, Mich. 4. 3
Michæas Judæorum doctus, Mich. 3. 3
Michæas quo tempore prophetaverit, in Præfat. in Michæam, & Mich. 1. 2
Michæas quamdiu prophetaverit, Mich. 1. 1. & 2. 2
Michææ ſimplicitas, Mich. 4. 8
Michææ vehementia, Mich. 1. 1. & 2. 3. 8
Michææ certa vocatio, Mich. 2. 4. 8
Minæ cur promiſſionibus conjunctæ, Mich. 5. 1
Minarum uſus & finis, Hoſ. 14. 10. Mich. 8. 4. Soph. 2. 3
Miniſterium verbi commendatur, Hagg 1. 12. Zach. 7. 10. & 8. 29
Miniſtri: vide, Paſtores.
Miſſa unde à papiſtis ſtabiliatur, Joel 2. 23
Miſſa ſacrificii titulo ornatur à papiſtis, Hoſ. 10. 8
Miſſa papiſtarum quam execranda, Hoſ. 4. 15
Mizpah mons excelſus, Hoſ. 5. 1
מנחה quid proprie ſignificet, Amos 5. 20
Moabitarum clades, Soph 2. 8
Moabitarum obſtinatio, Amos 2. 1
יעש quid Hebræis, Soph. 2. 18
Modeſtia commendatur, Zach. 8. 23
Moderatores præpoſteri notantur, Amos 5. 2. Mich. 1. 5
Monachi quam indocti & Barbari, Mich. 3. 6
Monachorum anathemata, Mich. 2. 5
Monachorum cœlibatus qualis, Amos 2. 10
Monachorum voracitas, Mich. 3. 3
Mons Sion cur cæteris montibus præferatur, Mich. 4. 1
Mons Sion per totum orbem diffuſus, Mich. 4. 7
Montes pro proceribus, Hoſ. 4. 10

Mors quatenus optanda, Jon. 4. 3
Moſes miniſter legis non audit, Malach. 4. 4
Moſes liberationis miniſter, Hoſ. 12. 13
Moſis & Prophetarum diſcrimen, Hab. 1. 1
[illegible] pro patribus ſumuntur, Mich. 2. 9. Hab. 2. 8
[illegible] apud Hebræos vaſe ſumptum, Soph. 1. 8. & 3. 13
Mundus Dei providentia regitur, Jon. 1. 4. & 4. 7. Hab. 1. 12. & 2. 14. Soph. 3. 5
Mundus exitialis hoc ſunt doctrina [illegible] doloris [illegible], Joel 3. 8
Mundi anticus ſemper cum pervicacia conjuncta, Zach. 12. 11
Mundo anticus inexcuſabilis, Mich. 6. 1
Mundi nova creatio, Hagg. 2. 21
Mundi ingratitudo, Hoſ. 12. 10. Joel 2. 31. & Hab. 1. 13
Mundi obſtinatio unde, Hoſ. 13. 8
Munerum acceptio quam noxia, Mich. 3. 11. & 7. 3
Muſica [illegible] damnanda, Amos 6. 5

N

NAaman Syrus ad fidem converſus, Jon. 3. 5
Nabuchodonoſor in primis Chaldæus Monarcha fuerit, Nahum 1. 1
Nahum quo tempore vaticinatus ſit, ibid.
Nahum Jonam longo tempore ſequutus, ibid.
Nahum cur contra Ninevitas vaticinatus ſit, Jon. 1. 1
Nativitas populi Dei, Hoſ. 2. 3
Natura impiorum, Mich. 5. 3
Natura Dei: vide, Dei natura.
Naturæ ordo in manu Dei, Hoſ. 2. 18
Naturæ duæ in Chriſto, Mich. 5. 4
Nazaræi cur à vino abſtinebant, Amos 2. 12
Nehemias magna authoritate præditus in populo, in Præfat. in Haggæum.
Nicodemitæ damnantur, Hoſ. 4. 15. & 7. 5. & 12. 7
Nicodemitarum excuſationes vanæ, Hoſ. 7. 7
Nihil quomodo ostendat, Amos 8. 1. & 8. 3
Nilus loco pluviæ in Ægypto, Zach. 14. 17
Ninus conditor Ninevæ conditæ, Nahum 1. 1
Ninevah ab Aſſur condita, Jon. & Nahum 1. 1
Ninevah urbs celeberrima, Nahum 1. 6
Ninevah urbs magna, Jon. 1. 2. & 3. 3
Ninevah urbis antiquitas, Nahum 2. 7
Ninevah urbis clades prædicitur, Soph. 2. 13
Ninevitarum converſio num vera fuerit, Jon. 3. 8
Ninevitarum inexcuſabilis crudelitas, Nahum 1. 1
Ninevitarum fides qualis, Jon. 3. 5
Ninevitarum ſera pœnitentia, Jon. 3. 5
No pro Alexandria, Nahum 3. 8
Noë fides qualis, Jon. 3. 5
Novati error confutatur, Mich. 7. 18
Novitas ſuſpecta eſſe ſolet, Hoſ. 3. 5
Numerus pluralis ſæpe cum ſingulari confunditur, Mich. 1. 5
Numerus ſeptenarius indefinite ſumptus, Amos 1. 3
Numerus ſeptenarius perfectionem ſignificat, Zach. 4. 2. 10

O

OBedientia piis quam neceſſaria, Hoſ. 2. 4. & 4. 13. & 8. 10. & 11. 11. & 13. 8. Amos 2. 4. & 4. 5. Mich. 4. 2. Soph. 1. 5. Hagg. 1. 12. & 2. 5
Objectiones hypocritarum, Mich. 2. 10
Obiurgationum finis, Jon. 3. 10
Oblivio legis quam grave malum, Hoſ. 4. 6
Oblivio Dei ex proſperitate, Mich. 7. 10
Obſtinatio mundi unde, Hoſ. 12. 8
Occaſione utendum, Hoſ. 10. 12
Omri pro viſione, Nahum 1. 1
Onus quid, Amos 5. 1. Zach. 9. 1. Malach. 1. 1
Opera quatenus Deo accepta, Hagg. 2. 13
Opera bona num homines Deo reconciliant, Jon. 3. 10
Oratio piis utilis & neceſſaria, Joel 1. 14. Jon. 2. 1. Mich. 7. 15
Oratio ſacrificiis præfertur, Zach. 7. 2
Orationis finis, Hab. 1. 2
Orationes quænam Deo gratæ, Hoſ. 7. 14
Orandi vera regula, Jon. 4. 2. Mich. 7. 4
Ordo in Eccleſia neceſſarius, Zach. 11. 7
Ordo non ſemper in Scripturis ſervatur, Hoſ. 13. 8. Joel 2. 14. Mich. 4. 8
Orientales mulieris quomodo deditæ, Joel 2. 23. Amos 8. 10
Orientales hiſtrionibus in dolore exercebant, Amos 5. 16
Os magnificare quid, Abd. 1. 12
Oſculum pro profeſſione cultus vel adoratione, Hoſ. 13. 2
Ovilli locus, Mich. 7. 1. Soph. 1. 17

P.

PAg pro reſtituere, Hoſ. 1. 5
Panis quotidianus à Deo petendus, Hoſ. 2. 18
Papa qualis vicarius Dei, Zach. 11. 17
Papa tyrannus, Hagg. 2. 23
Papatus cum doctrina Evangelii conciliari nequit, Amos 2. 5
Papatus innumeris ſuperſtitionibus refertus, Mich. 1. 5
Papatus fere à Platone deſcriptus, Hoſ. 4. 8
Papatus horrenda abyſſus, Mich. 7. 19
Papiſtæ apoſtatæ, Hoſ. 2. 4
Papiſtæ fœdifragi, Hoſ. 2. 10. & 2. 16
Papiſtæ inexcuſabiles, Hoſ. 2. 4
Papiſtæ aliqua ex parte populus Dei, Hoſ. 4. 15
Papiſtæ in reprobum ſenſum projecti, Hoſ. 13. 2
Papiſtæ omnes ſpuria, quoniam ad Deum ſpectat, Hoſ. 2. 4
Papiſtæ Scripturis abutuntur, Jon. 3. 9
Papiſtæ unde ſanctos invocandos colligant, Zach. 1. 12
Papiſtæ Deum pro nihilo fere ducunt, Hoſ. 14. 4
Papiſtæ quo prætextu imaginibus ſuis excuſant, Hoſ. 8. 13
Papiſtæ quo prætextu ſuperſtitiones ſuas excuſant, Habac. 2. 18
Papiſtæ innumeris habent Deorum turbam, Hoſ. 9. 1
Papiſtæ quale de Eccleſia judicium faciunt, Hoſ. 9. 10
Papiſtæ antiquitatem jactant, Amos 8. 4
Papiſtæ ſi Deum cultum obtendunt, Hoſ. 2. 19
Papiſtæ fruſtra exempla patrum obtendunt, Hoſ. 1. 2
Papiſtæ Miſſam ſacrificii titulo ornant, Hoſ. 10. 1. & Malach. 1. 11
Papiſtæ cur idola ſua oſculentur, Hoſ. 13. 2
Papiſtæ reprehendi nolunt, Soph. 3. 4
Papiſtæ nullis ſumptibus parcunt in ſuperſtitiones fovendas, Mich. 6. 6
Papiſtæ unde liberum hominis arbitrium ſtabiliant, Hoſ. 12. 4. Zach. 1. 3
Papiſtæ unde miſſam ſtabiliant, Joel 2. 28
Papiſtæ ſtatuunt quemq; cultum ſuum placere Deo, Hoſ. 4. 13
Papiſtarum adulterini, Amos 7. 13
Papiſtarum apoſtaſia, Hoſ. 4. 15
Papiſtarum argutia de integritate refellitur, Amos 5. 26
Papiſtarum arrogantia, Hoſ. 2. 10
Papiſtarum ſacrilega audacia, Hoſ. 4. 15. Amos 6. 13. Hagg. 1. 12
Papiſtarum cæcitas, Hab. 2. 19
Papiſtarum ſocietas periculoſa, Hoſ. 4. 21
Papiſtarum periculoſum & noxium conſortium, Hoſ. 7. 8
Papiſtarum brutis deceſſiodata, Hoſ. 9. 15
Papiſtarum devotio qualis, Hoſ. 10. 1
Papiſtarum dies feſti, Hoſ. 2. 11
Papiſtarum diligentia in Deo placando, Hoſ. 5. 6
Papiſtarum futilis diſtinctio de remiſſione pœnæ & culpæ, Mich. 7. 18
Papiſtarum Eccleſia à Deo rejecta, Hoſ. 2. 2
Papiſtarum frivolæ excuſationes, Soph. 1. 5
Papiſtarum inanes excuſationes, Mich. 6. 9
Papiſtarum fides implicita, Hoſ. 4. 6
Papiſtarum ſtulta gloriatio de nomine Eccleſiæ, Hoſ. 5. Mich. 2. 12
Papiſtarum gloriatio ob multitudinem, Hoſ. 4. 17
Papiſtarum gloriatio de vetuſtate, Hoſ. 5. 1
Papiſtarum inanis gloriatio, Soph. 2. 1. & Malach. 2. 10
Papiſtarum [illegible], Hoſ. 3. 4
Papiſtarum inanis jactantia, Hoſ. 2. 4. Joel 1. 12. Soph. 3. 5. Zach. 11. 15
Papiſtarum integritas idola ſunt, Amos 5. 26
Papiſtarum ingratitudo, Hoſ. 4. 12
Papiſtarum patrum, Hoſ. 2. 8
Papiſtarum opinio de jejunio, Joel 2. 15
Papiſtarum de bonis operibus frivola opinio, Joel 4. 8
Papiſtarum orationes Deo minime gratæ, Hoſ. 7. 14
Papiſtarum perverſitas non ſtatim apparet, Hoſ. 8. 5
Papiſtarum frivola placula, Jon. 1. 6
Papiſtarum quotidiana piacula, Jon. 1. 7
Papiſtarum pœnitentia qualis, Hoſ. 14. 3
Papiſtarum inanes peregrinationes, Mich. 5. 16. Hab. 2. 4
Papiſtarum religio qualis, Mich. 7. 18
Papiſtarum religio adulterina, Amos 2. 8
Papiſtarum ſecuritas, Amos 6. 3
Papiſtarum ſtupor, Hoſ. 7. 11
Papiſtarum ſuperbia, Hoſ. 2. 4. & 2. 12. Mich. 2. 4
Papiſtarum templa qualia, Hoſ. 4. 12
Papiſtarum veſtitus, Hoſ. 6. 10
Papiſtarum vota qualia, Amos 5. 12. Jon. 1. 16. & 2. 9
Papiſtarum zelus perpoſterus, Hoſ. 4. 13
Paronomaſia elegans & concinna, Hoſ. 11. 5. Mich. 1. 10. Zach. 9. 4
Paſci verbo quid, Hoſ. 12. 1
Paſtores omnes caduceatores, Hoſ. 1. 2
Paſtores quo ſenſu Dei ſocii, Zach. 13. 7
Paſtorum authoritas, Malach. 2. 6
Paſtorum legitima electio, Mich. 5. 5
Paſtorum conſidentia, Mich. 3. 8
Paſtorum conſtantia, ibid.
Paſtorum in docendo libertas, Soph. 1. 4
Paſtorum duplex officium, Mich. 3. 6
Paſtorum malitia, Mich. 3. 8
Paſtorum munus, Hoſ. 1. 2. & 4. 2. & 5. 1. & 6. 10. Amos 7. 2. 13. Mich. 3. 8. Zach. 11. 16
Paſtorum zelus, Hoſ. 4. 1
Patres quatenus imitandi, Amos 2. 4
Patrum exempla fruſtra obtenduntur à Papiſtis, Hoſ. 1. 2
Patrum exemplis quatenus inſiſtendum, Hoſ. 4. 15. Amos 6. 5. 7. 2. 16. Zach. 1. 4
Patrum fides ſemper in Chriſto defixa fuit, Amos 9. 11
Patrum veteris legis & fidelium ſub novo teſtamento diſcrimen, Joel 3. 18
Patientia cum virtus, Hoſ. 6. 2
Patientia piis neceſſaria, Hoſ. 1. 3. 5. & 6. 3. & 10. 13. Joel 3. 12. 13. Mich. 5. 3. 6. & 7. 7. 6. Soph. 3. 18. 19. Hagg. 2. 8. Zach. 10. 7. & Malach. 4. 1
Patientia Dei: vide, Dei patientia.
Patrum Papiſtarum quales, Hoſ. 2. 8
Paucitas fidelium: vide fidelium paucitas.
Pauperum oppreſſores argiuntur, Amos 5. 12. & 8. 4. Malach. 3. 5
Pax futurorum bonorum, Mich. 4. 4
Pax ſolida ex Dei gratia, Hoſ. 2. 18
Pax in regno Chriſti qualis, Mich. 4. 3
Peccati confeſſio ſequitur, Hoſ. 14. 3
Peccata non omnia æqualia, Zach. 5. 6
Peccato peccata addentes puniuntur, Hoſ. 4. 14
Peccatorum remiſſio à Deo petenda, Hoſ. 14. 3
Peccatorum remiſſio in ſola Dei natura fundatur, Mich. 7. 18
Peccata tollere pro ablutione, ibid.
Peccata in ambitur ſuam quid, Hab. 2. 10
Peregrinorum contra de Dei miſericordia conſolatur, Mich. 5. 18
Peccatorum mercenarium quid, Nahum 3. 19
Peregrinationes ultra quam prodeſſe, Hoſ. 4. 13
Perfectio piorum qualis in hac vita, Soph. 2. 8
Perſis inſignibus & ſtudiis non inſignite, Amos 5. 26
Perſi laudi, Hagg. 2. 13
Perſonarum diſtinctio in Deo, Hoſ. 12. 4. & Zach. 2. 9. 11
Pedes Dei: vide Dei pedes.
Pedes pro adventu, Nahum 1. 15
Pharaones Ægyptii Reges, Nahum 3. 8
Philiſthæi inſigni Iſraëlitarum hoſtes, Amos 1. 6
Phocula Papiſtarum ſtrovola, Jon. 1. 8
Piſtor vero in quo ſita, Mich. 4. 6
Piſcis quo Jonam excepit an ante creatus à Domino fuerit, Jon. 1. 17
Pii: vide fideles.
Platonis locus, Hoſ. 2. 19. & 4. 4
Pluvia unde naſcatur, Amos 4. 7
Pluvia ex Dei benedictione, Hoſ. 6. 11. Amos 4. 7. Jon. 1. 4
Pœnitentia donum Spiritus ſancti, Hoſ. 2. 7
Pœnitentia vera quæ ſit, ibid. & 12. 6. & 14. 2. 4. Amos 4. 5. 15. Jon. 3. 6. Mich. 7. 9. Hab. 3. 16. Zach. 13. 6
Pœnitentia quid papiſtis, Soph. 2. 4
Pœnitentia à fructibus deſcribitur, Amos 5. 14
Pœnitentia perfecta in hominibus non reperitur, Joel 2. 12
Pœnitentia ſera damnatur, Hoſ. 10. 3
Pœnitentia in Deo nulla, Hoſ. 11. 8. Joel 2. 13. Jon. 3. 10. & 4. 2. Mich. 7. 20
Pœnitentia Ninevitarum ſera, Jon. 3. 6
Pœnitentia papiſtarum qualis, Hoſ. 14. 3
Pœnitentia reprobrorum qualis, Micheæ 7. 9
Pœnitentium confeſſio, Jon. 3. 10
Pœnitentiæ fructus, Hoſ. 2. 19. & 14. 3. 4. Jon. 1. 9. Soph. 3. 12. Zach. 13. 1
Pœnitentiæ gradus, Hoſ. 5. 15. Joel 2. 14. & Hagg. 1. 8
Pœnitentiæ initium, Hoſ. 6. 2
Pœnitentiæ ſigna, Jon. 3. 6
Polygamia quid, Malach. 2. 16
Polygamia damnatur, Malach. 2. 15. 16
Ponere manum ſuper os pro obmuteſcere, Mich. 7. 16
Populi Iſraëlis malitiæ, Hoſ. 2. 9
Potentia Dei immenſa, Mich. 1. 4
Præparationes papiſtarum inanes, Mich. 5. 13
Principum adulatores, Amos 7. 10. Nahum 3. 4
Profeſſio externa quam neceſſaria, Hoſ. 2. 8
Promiſſiones ad fideles tantum pertinent, Hoſ. 6. 2
Promiſſiones cur minas miſceantur, Hoſ. 2. 2
Promiſſiones Dei: vide. Dei promiſſiones.
Prophetæ nomen largius ſumptum, Joel 2. 28
Prophetæ duodecim minores cur volumen unum conficiunt, in Præfat. in Hoſeam.
Prophetæ omnes ſunt legis divinæ interpretes, in Præfat in Hoſeam. & Soph. 1. 12
Prophetæ olim viri ſpiritus dicti, Mich. 3. 8
Prophetæ olim veſte piloſa induti, Zach. 13. 4
Prophetæ à ſeipſis minime loquuti, Mich. 3. 8
Prophetæ quomodo aliorum calamitatem lugeant, Mich. 1. 8
Prophetarum avaritia damnatur, Mich. 3. 5
Prophetarum doctrina immortalis, Zach. 1. 5
Prophetarum minæ quorſum tendant, Mich. 1. 6
Prophetarum mos, in Præfat. in Hoſeam, & Hoſ. 4. 1. 17. & 5. 7. 9. & 6. 4. 6. & 9. 10. 13. & 10. 15. & 12. 4. & 13. 2. 7. Joel 1. 5. & 2. 13. 23. & 3. 2. Amos 4. 4. 12. & 5. 1. 4. 7. & 7. 2. & 9. 13. Mich. 1. 2. & 2. 4. 12. & 3. 1. & 4. 4. 11. & 6. 1. 2. 15. & 7. 12. 13. Nahum 1. 2. 3. 6. Hab. 1. 11. & 2. 16. Soph. 1. 2. 13. & 3. 9. Hagg. 1. 10. & 2. 6. 10. Zach. 1. 4. & 7. 8. Zach. 8. 10. & 9. 9. & 10. 2. & 14. 3. 16. 17
Prophetarum querimonia, Hab. 1. 1
Prophetarum zelus, ibid.
Prophetarum & Moſis diſcrimen, Hab. 1. 6
Prophetarum & Sacerdotum diſcrimen, Mich. 3. 11
Prophetis non omnia patefacta, Amos 3. 7
Prophetiæ donum etiam impiis & incredulis tributum, Mich. 6. 5
Prophetiæ uſus, Amos 4. 14
Prophetandi ſpecies duæ, Joel 2. 28
Proſperitas piis ſuſpecta eſſe debet, Joel 2. 16
Proſperitas cur ſæpe impiis confertur, Hoſ. 9. 15
Proſperitas impiorum fluxa: vide. Impiorum fluxa proſperitas.
Proſperitas Iſraëlitarum evanida, Hoſ. 13. 15
Proſperitate non abutendum, Hoſ. 9. 1
Prudentia carnis quam noxia, Hoſ. 10. 6
Prudentia bene utendum, Abd. 8
Pſeudoprophetæ objurgantur, Soph. 3. 4
Purgatio hominis duplex, Hagg. 2. 13

Quorum

Q.

QUærere bonum quid, Amos 5.14
Quærere Deum quid, Hoſ. 5.6. Zach. 8.21
Quærere faciem Dei quid. Hoſ. 5.15
Quæſtiones variæ ac locorum quorundam ſemper conciliationes, Hoſ. 1.10. & 2.18. & 3.5. & 4.9. & 5.11. & 6.3. & 3.4. & 9.8. 4.8. & 11.9. & 12.8. 3.4. & 14.1.9. Joël 2.24. 21.29.32. & 3.7.3.9. Amos 2.4.8.9.12. & 4.12. & 5.25. & 7.9. & 8.12. & 9.9.12. Jon. 1.8.4.7.11.16.17. & 3.1.8.7.10. & 4.1.3.5. Mich. 2.1. & 3.4. & 4.3.5. & 5.5.9. Nahum 1.5. Hab 2.4. & 3.2. Soph. 1.2.4. & 2.11.15. Hagg. 1.8. & 2.2. Zach. 3.1.8. & 9.25.13. & 11.16. & 12.8.9.10.11. & 13.6. Malach. 1.6. & 4.5.8
Querimoniæ hypocritarum, Hoſ. 4.1. & 13.10. & Mich. 2.7
Querimoniæ impiorum à Deo non exaudiuntur, Mich. 3.4
Querimonia piorum in afflictionibus, Zach. 1.28
Querimonia Prophetarum, Hab. 1.2
Quies vera in quo ſita, Hab. 3.15
Quies quomodo quærenda, Hab. 3.16
קיקיון quid propriè ſignificet, Jon. 4.6

R.

RAbbini audaces in ſuis figmentis, Hoſ. 10.5. Joel 1.1. Amos 2.1. Mich. 5.2. Nah. 1.1. Hab 1.13. Hagg. 1.1. Soph. 1.1
Rapinæ damnantur, Mich. 3.3
Reconciliationis fructus, Hoſ. 14.6. Joël 2.22
Redemptionis noſtræ finis, Hoſ. 7.13. & 12.9. & 13.4
Reformatio Eccleſiæ vera, Hoſ. 2.17
Reformatio qualis in Eccleſia requiritur, Zach. 5.5
Reformatio Eccleſiæ qualis ſub Henrico Rege Angliæ, Hoſ. 1.3
Regnum Iſraëlis tempore Hoſeæ opulentum, Hoſ. 4.11
Regnum Iſraël bis afflictum, Nahum 1.9
Regnum Iſraëlis adulterum, Hoſ. 9.11.12
Regnum Chriſti: vide Chriſti regnum.
Regni Chriſti amplitudo, Mich. 4.2
Regula prima omnium actionum noſtrarum, eſt ſequi vocantem Dominum, Jon. 1.3
Reges Iſrael ex tribu Ephraim orti, Hoſ. 4.17
Reges qui excelſa non abſtulerunt pleno ore nonnunquam laudati, Mich. 5.12
Reges Ægypti Pharaones dicti, Nahum 1.1
Reges & judices mali objurgantur, Amos 5.10
Regum auctoritas à Deo proficiſcitur. Hoſ. 13.1
Regibus ac Principibus quatenus parendum, Hoſ. 5.11 & 7.3 & 9.15
Religio vera quæ, Jon. 1.8
Religio vera ex lege Dei petenda, Mich. 6.8
Religio nulla eſt, ſi deſit Dei cognitio, Hoſ. 4.6
Religio nulla eſt, ſi deſit Dei verbum, Mich. 4.2
Religio papiſtarum qualis, Mich. 7.15
Remiſſio peccati à Deo petenda, Hoſ. 14.3
Remiſſio peccatorum in ſola Dei natura fundatur, Mich. 7.18
Repetitiones Hebræis familiares, Hoſ. 6.5
Reprehenſiones quam neceſſariæ, Mich. 4.3 Soph. 1.2
Reprobatio in Dei judicio abſcondita, Malach. 1.8
Reprobi inexcuſabiles, Hoſ. 4.1
Reprobi flagellis non emendantur, Hoſ. 7.9
Reproborum amicitiæ noxiæ, Abd. 3
Reproborum miſera conditio, Amos 8.12. & Mal. 1.5
Reproborum duritiae, Hoſ. 7.8
Reproborum ingenium, Hoſ. 7.1
Reproborum natura, Hoſ. 2.10
Reproborum pœnitentia qualis, Mich. 7.9
Res Belial pro nefario ſcelere vel crimine deteſtabili, Nahum 1.11
Reſipiſcentia fructu carere non poteſt, Hoſ. 1.7
Reſpicere ad Deum quid, Mich. 7.7

S.

SAccus cur olim in uſu, Joël 1.14 & 3.6
Sacerdos ſummus figura Chriſti, Hoſ. 11.1. & Malach. 1.8
Sacerd. & doctor, termini ſunt convertibiles, Hoſ. 4.6
Sacerdotes cur miniſtri altaris dicti, Joël 1.13
Sacerdotes mali objurgantur, Zach. 10.5. & Malach. 1.6
Sacerdotum avaritia notatur, Hoſ. 4.8
Sacerdotum crudelitas, Hoſ. 6.9.10
Sacerdotum ignavia, Hoſ. 4.2
Sacerdotum officium, Joël 2.13. & 2.17
Sacerdotum & Prophetarum diſcrimen, Mich. 3.11
Sacerdotum papaliſtum inanis jactantia, Hoſ. 4.9
Sacerdotium ſpirituale, Hagg. 2.13
Sacerdotium papale quam abominandum, Mal 2.9
Sacrificium pro impiorum interitu, Soph. 1.7
Sacrificium laudis Deo gratiſſimum, Hoſ. 14.3. Jon. 2.9. Hab. 2.1
Sacrificia in quem finem inſtituta, Hoſ. 4.8. & 5.6. & 6.7. Mich. 6.2. & Malach. 1.8
Sacrificia quatenus Deo grata, Hoſ. 9.4
Sacrificia displicent reprehenduntur à Prophetis, Amos 9.4
Sacrificia quomodo à Deo repudientur, Hoſ. 8.8. & Amos 5.21
Sacrificia hypocritarum abominabilia: vide hypocritarum ſacrificia.
Sacrificia piorum ſpiritualia, Hoſ. 5.6
Sacrificiorum abuſus, Mich. 6.3
Sacrificiorum uſus legitimus, Amos 5.21
Sacrificare reti ſuo quid, Hab. 1.16
Sadducæi palam regnabant inter Judæos, Amos 5.25
Sagena pro induſtria, viribus & copiis, Hab. 1.15
סלה quid ſignificet, Hab. 3.3
Salingo pro ſtenſtatare, Soph. 2.9
Saltare ſuper limen quid, Soph. 1.9
Salus piorum ipſa Domino attribuenda, Hoſ. 1.7
Salus piorum ex mera Dei gratia, Mich. 1.13
Salus piorum in bonitate & miſericordia Dei fundata, Hoſ. 9.20
Salutis initium à Dei vocatione, Hoſ. 1.10
Samaria urbs primaria regni Iſraëlitici, Hoſ. 7.8
Samaria regno deteſtabilis, Mich. 1.1
Samariæ interitus prædicitur, Hoſ. 14.1. & Mich. 1.4
Sanctificate jejunium quid, Joel 1.14
Sanguis pro iniquitate, Mich. 3.10
Sanguinem pro graviſſimis quibuſque ſceleribus, Hoſ. 4.2
Sapientia vera quæ, Hoſ 14.10
Sapientia mundi Deo exoſa, Zach. 9.2
Satan impiorum omnium caput, Hab. 3.7
Satan tamen Dei miniſter, Joël 2.10. Hab. 1.7. & Zach. 1.8
Satan quo prætextu Dei cultum ſemper corruperit, Hagg. 2.13
Satanæ odium adverſus Eccleſiam, Zach. 3.1
Satanæ vaſritiæ, Hoſ. 4.15. & 6.3. & 7.3. Joel 2.15. Amos 7.10. Jon. 1.3. Mich. 2.2, & 7.3. Hab. 1.13. & 2.1.19. Soph. 1.2. Hagg. 2.2.10. Zach. 2.4
Satietas ferociam parit, proverbium, Hoſ. 5.3
Saturitas ex Dei benedictione, Hoſ. 4.10
Scientia duplex, Zach. 2.9.11. & 4.9. & 8.15
Scortandi verbum quid ſignificet, Hoſ. 1.2
Scriptura biſariam de regno Dei loquitur, Mich. 4.3
Scriptura cur promiſſiones minis admiſceat, Hoſ. 1.2
Scriptura de Deo humano more loquitur, Jon. 3.10. Soph. 3.17. Zach. 1.14. & 9.3 & 13.10
Sealthiel præfectus Iehudah, Hagg. 1.1
Securitas impiorum, Hoſ. 12.8
Securitas papiſtarum: vide papiſtarum ſecuritas.
Sedulitas avarorum notatur, Amos 8.3
Seminare ex nomine alicujus, pro famam ejus propagare, Nahum 1.14
Seminare ventum quid, Hoſ. 8.7
Septiformis gratia à papiſtis conficta, Zach. 3.9
Sepulchrum pro morte, Hoſ. 13.14
Sepultura etiam inter hoſtes locum habet, Amos 9.3
Sermonem Dei fieri ad prophetas quid, Hoſ. 1.2
Serveti error refutatur, Hoſ. 12.4
Servire humero quid, Soph. 3.9. & Zach. 7.11
Sicuth proprium idoli nomen, Amos 5.26
Sidonii Judæis infeſti, Joel 3.4
Sidonii quando & quomodo Sabæis vendiri à Judæis, Joel 3.8
Sidoniorum interitus prædicitur, Zach. 9.2
Silendi verbum quid denotet, Hab. 2.20. Soph. 1.7. & Zach. 2.13
Simplicitas quæ probatur, Hoſ. 7.11
Simplicitas hypocriſi conjuncta damnatur, Mich. 9.3
Sion mons per totum orbem diffuſus, Mich. 4.7
Sion montis præſtantia, Mich. 4.1.2
Socordia excutienda, Hoſ. 3.5. & 4.17. & 13.15. Joël 1.15. Jon. 1.5. Nahum 1.10. Hab. 1.5. & 2.1. Soph. 1.3. & 3.15. Hagg. 1.2. Zach. 1.3. & 2.8. & 4.4. & 8.13
Socordia Iſraëlitarum: vide Iſraëlitarum ſocordia.
Socordia Judæorum: vide Judæorum ſocordia.
Somnia & viſiones idem, Joel 2.28
Sophiſtæ quid de bonis operibus garriant, Jon. 1.16
Sophiſtarum garrulitas de meritis, Malach. 3.17
Sophonias Ieremiæ conjunctus, Soph. 1.2
Sophonias eo tempore quo Joſias domuit, Soph. 1.4
Sophon. tantum ſub Rege Joſia prophetavit, Soph. 1.1
Sortes an omnes nefariæ, Jon. 1.7
Spes noſtra duobus modis à Deo transfertur, Hoſ. 14.4
Spes ex præteritis Dei beneficiis concipienda, Hoſ. 2.14. Mich. 7.14.15. Zach. 2.8
Spiritus Dei cur liberalis dicatur, Mich. 3.1
Spiritus ſanctus quam efficaciter operetur in cordibus hominum, Hoſ. 2.12
Spiritus ſanctus ad menſuram prophetis diſtribuitur, Amos 3.7
Spiritus S. cur aquæ nomine deſignatur, Zach. 14.8
Spiritus ſancti officium, Zach. 12.10
Sterilitas ex Dei maledictione, Amos 4.7
Sterilitas ſignum iræ Dei, Joel 1.12
Stillare pro loqui, Mich. 2.6
Stoicorum commentum de peccatorum æqualitate, Zach. 5.2
Stupor Iſraëlitarum: vide Iſraëlitarum ſtupor.
Stupor Judæorum: vide Judæorum ſtupor.
Superbia ex proſperitate, Hoſ. 9.7
Superbia damnatur, Mich. 2.3. Soph. 3.10.13. Hab. 2.5
Superbia Babyloniorum, Hab. 2.11
Superbia falſorum doctorum, Mich. 3.9
Superſtitio quantopere Deo diſpliceat, Mich. 1.6
Superſtitio ſcortationi confertur, Hoſ. 4.11
Superſtitio papiſtarum eadem quæ olim apud gentes, Hoſ. 11.3
Superſtitiones quo loco habendæ, Jon. 2.8
Superſtitiones cultus ſunt voluntarii, Hoſ. 4.13
Superſtitiones omnes abjiciendæ, Amos 5.5
Superſtitionum abolitio pœnitentiam ſequitur, Hoſ. 2.18
Superſtitionum omnium origo eſt non locare ſpem ſolam in Deo, Soph. 3.2
Superſtitioſi duplicitèr peccant, Hoſ. 2.8
Superſtitioſi meretricibus ſimiles, Hoſ. 2.11
Superſtitioſi nullum probrum ferre poſſunt, Hoſ. 1.2
Superſtitioſorum pueriles excuſationes, Mich. 6.18
Syriorum clades prædicitur, Zach. 9.1

T.

TAbes morti excellſa, Hoſ 5.3
Tectum pro poſitum ignobile, Amos 1.8
Temeritas papiſtarum, Hagg 1.18
Templum pro toto Dei cultu. Jon 2.4. Soph. 3.4
Templum annis quadraginta ſex ædificatum, Hagg. 2.1
Templum in Gilgal extructum, Hoſ 4.15
Templi ornatus ſpiritualis, Hagg 2.10
Templi Jeroſolymitani præſtantia, Hab. 2.20
Templi uſus quis fuerit, Mich 4.2. Hab 2.20. Hagg. 1.2. Zach. 8.28
Templi reædificatio cur tam ſerio à prophetis exigatur, Hagg. 2.8
Templi ſecundi gloria major quam prioris, Hagg 2.10
Templa papiſtarum qualia, Hoſ. 4.12
Templa Iſraëlitarum lupanaria, Amos 14.8
Tempora non formiam variantur, Amos 4.9
Temporum mutatio Hebræis familiaris, Hoſ. 7.14. Hab. 3.18
Temporum variæ vices cur à Propheta deſcribantur, Amos 5.8
Tenebræ pro rebus adverſis, Joël 2.31
Teraphim quid ſignificet, Hoſ. 3.4
Terra Chanaan olim unicum gratiæ & amoris Dei pignus, Soph. 3.17
Terra Chanaan quies Domini, Hoſ. 9.17. Mich. 2.10
Terræ fœcunditas ex Dei benedictione, Hoſ. 2.22
Terræ ſterilitas ex Dei maledictione, Hagg. 1.6. 10.11
Terram lugere quid, Hoſ 4.3
Tharſis pro Cilicia, Jon. 1.3
Theodoreti locus, Zach. 14.20
Tollere peccata pro abolere, Mich 7.18
Tollere verbum ſuper aliquem quid, Amos 5.1
תורה pro doctrina, Mich. 4.2
Tribus Ephraim honorifica ante quam ad ſuperſtitionem prolaberetur, Hoſ. 13.1
Tribus Iehudah cur ab Hoſea laudetur, Hoſ 11.12
Triturandi mos apud Judæos, Joël 1.14
Triturandi mos varios, Mich. 4.13
Tympanorum interitus, Hab. 2.16
Tyrii quando & quomodo Sabæis venditi à Judæis, Joël 3.8
Tyrii Judæis infeſti, Joël 1.4
Tyriorum clades prædicitur, Zach. 9.3
Tyrus ab Alexandro diruta, Amos 1.10. Zach. 9.4
Tyri interitus prædicitur, Amos 1.10
Tyri & Venetiarum diſcrimen, Zach. 9.4

V.

ו pro particula adverſativa, Hoſ 1.3
ו pro particula illativa, Hoſ 2.5. & 4.5. & 10.14
Vaſritiæ Satanæ: vide, Satanæ vaſritiæ.
Vallis Joſaphat quænam ſit, Joël 3.2
Vaſa templi per Tyrios & Sidonios ablata, Joël 3.5
Venetiarum & Tyri diſcrimen, Zach. 9.4
Venetorum prudentia, Abd. 8
Ventus orientalis Judæis infeſtus, Hab. 1.9 & Hagg 2.18
Verno paſci quid, Hoſ. 12.1
Vernum ſeminare quid, Hoſ. 8.7
Venit omnes in manu Dei, Hoſ. 13.15
Varii providentia Dei excitantur, Jon. 4.7
Verbum Dei: vide Dei verbum.
Verbum tollere ſuper aliquem quid, Amos 5.1
Verbi miniſterium commendatur, Hagg. 1.12
Verbi Dei efficacia, Amos 6.18
Verbo Dei ſublato, nulla eſt religio, Mich. 4.2
Via pro toto vitæ curſu vel ratione, Jon. 3.8
Videre pro experiri & ſentire, Soph. 3.15
Videre pro ſibi jucundo ſpectaculo, Mich. 7.10
Vinum cur Nazaræis interdictum, Amos 2.12
Vir nomen generale apud Hebræos, Hoſ 2.10
Viri intelligentiæ pro docilibus, Mich. 6.9
Viri pacis qui, Abd. 7
Viri ſpiritus Prophetæ olim dicti, Mich. 2.11
Virginis nomen cur urbibus tribuatur, Amos 5.2
Viſitare in ſtercoris quid, Soph. 1.12
Viſio quid propriè ſignificet, Nahum 1.1
Viſio pro admonitione, Hab. 2.2
Viſiones & ſomnia idem, Joël 2.28
Vita præſens quomodo amanda, Jon. 4.3
Vitæ integritati ſtudendum, Hoſ. 3.3
Vitis & ficus pro bonorum omnium varietate, Hoſ 2.12
Vituli labiorum pro ſacrificio laudis, Hoſ. 14.3
Unitas inter fideles colenda, Zach. 2.13
Vocatio duplex, Joel 2.10
Vocatio Dei, vide Dei vocatio.
Vocatio gentium, vide gentium vocatio.
Voluntas Dei, quomodo una & ſimplex, Hoſ. 11.8
Voracitas Monachorum, Mich. 3.3
Vota papiſtarum, vide papiſtarum vota.
Votorum vera ratio, Jon. 2.9. Nah. 1.15
Urbes cur virginis nomine appellantur, Amos 5.2

X.

XEnophon libentime mentitus, Hagg. 2.8

Z.

ZAcharias quando prophetarit, in Præf. in Zach.
Zacharias cur ſe puerum vocet, Zach. 1.4
Zelus hypocriticus, Mich. 2.8
Zelus inconſideratus damnatur, Jon. 4.2. Hagg 1.2
Zelus Dei quid, Joel 2.18
Zelus fidelium, Zach. 13.8
Zelus Jonæ præpoſterus, Jon. 4.1.5
Zelus prophetarum, Hab. 1.2
Zelus paſtorum, Hoſ. 4.1
Zerubabel præfectus Iehudah, Hagg 1.1
Zerubabel figura Chriſti, Hagg 2.23.24

INDEX ALTER
LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ
CUM VETERIS TUM NOVI INSTRUMENTI,
Quæ in his COMMENTARIIS ab Authore citantur, & apte ad inſtitutum accommodantur.

GENESIS.

I. 16. ET dominentur piſcibus maris, et volatilibus cæli, atque jumentis, & toti terræ, Hoſ. 4. 3 & Soph. 1. 3
17. Creavit itaque Deus hominem ad imaginem ſuam, Hab. 1. 14
Creavit Deus hominem, maſculum & fœminam creavit eos. Malach. 2. 15
28. Dominamini piſcibus maris, et volatili cæli, & omni beſtiæ repenti ſuper terram, Hoſ. 2. 18. Soph. 1. 3
II. 1. Perfecti ſunt itaque cæli & terra, & omnis exercitus eorum, Soph. 1. 5
7. Inſpiraveratque in eum ſpiraculum vitæ, Malach. 1. 4
8. Plantaverat autem Jehova Deus hortum in Eden ab Oriente. Joël 2. 3
III. 2. Eritiſne dixit Deus, Hab. 2. 3
6 Deditque etiam viro ſuo ſecum, & comedit, Hoſ. 6. 7
19. In ſudore vultus tui veſceris pane, Zach. 13. 5
IV. 4. Reſpexit Dominus ad Abel & ad munera ejus, Hagg. 2. 14. Malach. 1. 10
7. Quod ſi non benefeceris, in foribus peccatum cubat, Hoſ. 7. 2
9. Neſcio numquid cuſtos fratris mei ego? Mich. 7. 3
23. Major eſt punitio mea quam ut feram. Mich. 7. 7
24. Septuplum vindicabitur Cain, & Lamech ſeptuagies ſepties, Amos 1. 3
VI. 2. Videntes filii Dei filias hominum, Malach. 6. 22
3. Non litigabit ſpiritus meus cum homine, quia caro eſt. Hoſ. 4. 1. Amos 5. 16
IX. 2. Timor veſter & pavor veſter ſit ſuper omnem beſtiam terræ, Hoſ. 2. 18
6. Qui effuderit ſanguinem hominis in homine, ſanguis ejus effundetur, Jon. 1. 14
22. Vidit autem Cham pater Chanaan turpitudinem patris ſui, Hoſ. 2. 3
X. 10. Fuitque principium regni ejus Babel, & Erech, & Achad, atque Chalneh in terra Sinaar, Amos 6. 2
11. E terra hac egreſſus eſt Aſſur, & ædificavit Ninive, Jon. 1. 2. Nahum 1. 1
XII. 3. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicentibus tibi maledicam, Zach. 14. 5
Benedicentur in te omnes familiæ terræ, Mich. 7. 14
4. Abiit itaque Abram, ſicut dixerat ei Jehova; & perrexit cum eo Loth, Amos 2. 13
XIII. 10 Antequam diſperdidiſſet Jehova Sodomam & Gomorrham, erat ſicut hortus Jehovæ, Joël 2. 3
13. Homines Sodomæ erant mali & peccatores ipſi Jehovæ. Hoſ. 2. 3
15. Omnem terram quam tu vides tibi dabo, & ſemini tuo uſque in ſeculum. Hoſ. 12. 9
XIV 14. Et armavit pueros ſuos, natos domus ſuæ, nempe octodecim & trecentos, & perſequutus eſt uſque ad Dan, Amos 6. 5
XV. 1. Poſthæc fuit verbum Jehovæ ad Abram in viſione, dicendo, ne timeas Abram, ego ſcutum tibi, &c. Hab. 2. 18
5. Suſpice nunc cælum, & numera ſtellas, ſi tamen poteris, &c. Hoſ. 1. 10
7. Ut darem tibi terram iſtam, ut eam poſſideas eam, Hagg. 1. 8
10. Vit apertus eſt ad ſociam ſuam, Hoſ. 2. 10
16. Nec dum completa eſt iniquitas, iniquitas Amorrhæi uſque adhuc, Joël 3. 13
18. Die ipſo pepigit Jehova fœdus cum Abram. Hoſ. 4. 6. & 11. 2. Joël 3. 17. Abd. 1. 13. Hab. 1. 18. & Zach. 10. 6
Semini tuo dabo terram hanc à flumine Ægypti uſque ad flumen illud magnum, Hagg. 1. 8
XVII 7. Ut ſim tibi in Deum & ſemini tuo poſt te, Hoſ. 6. 3. Joël 3. 17. Mich. 7. 20. Hab. 1. 12. & 3. 3. & Soph. 1. 2
8. Daboque tibi & ſemini tuo poſt te terram peregrinationum tuarum, nempe totam terram Chanaan in poſſeſſionem perpetuam, Soph. 2. 6
16. Regeſque populorum ex ea erunt, Zach. 11. 10
XVIII 20. Clamor Sodomæ & Gomorrhæ, quia multiplicatus eſt, & peccatum eorum, &c. Malach. 3. 17
XIX. 7. Ne quæſo fratres mei malefaciatis. Amos 5. 23 & Hab. 1. 4
9. Vim igitur fecerunt in virum, nempe in Loth valde, & acceſſerunt ut effringerent oſtium, Amos 5. 13
13. Clamor Sodomæ & Gomorrhæ, quia multiplicatus, Hoſ. 3. 13
24. Et Jehova pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem, Hoſ. 11. 8. Amos 4. 11. & 2. 3. Zach. 3. 5. & 3. 2
37. Ipſe eſt pater Moab uſque hodie. Soph. 2. 8
38. Ipſe eſt pater filiorum Ammon uſque hodie, Ibid.
XXI. 14. Et tulit panem & utrem aquæ, deditque Hagar, Hab. 2. 15
33. Plantavitque nemus in Beer-Saba, & invocavit ibi nomen Jehovæ Dei ſeculi, Amos 5. 5. & 7. 8
XXII. 1. Tentavit Deus Abraham, Hoſ. 12. 4
2. Et offer eum illic in holocauſtum, Hoſ. 13. 2
8. Reſpondit Abraham, Deus providebit ſibi pecus in holocauſtum, fili mi, Zach. 14. 7
12. Ne extendas manum tuam in puerum, neque facias ei quicquam, Hoſ. 13. 2
17. Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & ſicut arenam, &c. Hoſ. 1. 10
18. Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, Mich. 7. 14
19. Habitavit Abraham in Beer-Saba, Amos 5. 5
XXV. 23. Major ſerviet minori, Malach. 1. 2. 3
26. Et manus ejus tenebat calcaneum Eſau. Hoſ. 12. 3
33. Vendiditque primogenituram ſuam ipſi Jacob, Malach. 1. 3
XXVI. 25. Extruxit itaque illic altare, & invocavit nomen Jehovæ. Amos 7. 8
XXVII. 33. Et benedixi ei, etiam benedictus erit, Joël 2. 29
34. Quum audiſſet Eſau verba patris ſui, clamavit clamore magno, & amaritudine affectus eſt vehementiſſime, Amos 8. 12
41. Dixitque in corde ſuo, appropinquabunt dies luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum, Amos 1. 11
XXVIII. 5. Qui perrexit in Padan-Aram ad Laban, &c. Hoſ. 12. 12
13. Ecce Jehova ſtabat ſuper illam, dixitque, ego Jehova Deus patris tui, Hoſ. 12. 4
15. Ecce ego tecum & ſervabo te quocunque perrexeris, & reducam te ad terram iſtam quia non deſeram te, &c. Hoſ. 12. 4
16. Vere eſt Jehova in loco iſto, & ego neſciebam, Hoſ. 12. 4
17. Quam terribilis eſt locus iſte: non eſt locus iſte aliud quam domus Dei, & porta cæli, Hoſ. 4. 15. & 12. 4
20. Vovitque Jacob votum, dicendo, ſi fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me, &c. Amos 7. 9
XXIX 20. Servivit itaque Jacob pro Rachel ſeptem annos, Hoſ. 12. 13
XXXI. 19. Interim furata eſt Rachel idola quæ erant patri ſuo, Hoſ. 3. 4
30. Ut quid furatus es deos meos? Hoſ. 3. 4
XXXII 24. Relictus eſt itaque Jacob ſolus, & luctatus eſt vir cum eo, donec aſcenderet aurora, Hoſ. 12. 4
25. Quum videret quod non prævaleret ei, tetigit palam femoris ejus, & movit ſe pala femoris Jacob, Hoſ. 12. 4
26. Non dimittam te, niſi benedixeris mihi, Hoſ. 12. 4
28. Non Jacob dicetur ultra nomen tuum, ſed Iſraël: quia princeps, &c. Hoſ. 1. 4. & 12. 4. 13
XXXV. 9 Apparuit iterum Deus ipſi Jacob, quando rediiſſet ipſe de Padan-Aram, Hoſ. 12. 4
10. Non vocabitur ultra nomen tuum, Jacob, ſed Iſraël erit nomen tuum, Hoſ. 12. 4
XXXVI. 1. Eſau ipſe eſt Edom, Hoſ. 12. 3. Amos 1. 11. & 2. 1. & Abd. 1. 19
11. Fueruntque filii Eliphas, Theman, Omar, Sepho, Abd. 1. 9
XLVII. 6. Terra Ægypti coram te eſt, in optimo hujus regionis habitare fac patrem tuum, habitent in terra Goſen, Hoſ. 11. 3
XLVIII. 4. Dabo quoque terram hanc ſemini tuo poſt te in hæreditatem perpetuam, Hoſ. 12. 9
14. Extendens Iſraël dexteram ſuam, poſuit ſuper caput Ephraim qui erat minor natu, Hoſ. 13. 15
19. Veruntamen frater ejus minor natu creſcet magis quam ipſe. Hoſ. 4. 17
XLIX. 10. Non auferetur ſceptrum de Jehudah, nec legiſlator ex pedibus ejus, donec veniat Silo, Amos 9. 11. & Hagg. 1. 2

EXODUS.

I. 8. SUrrexit Rex novus ſuper Ægyptum, qui non noverat Joſeph. Hoſ. 11. 5
13 Et redegerunt in ſervitutem Ægyptii filios Iſraël dure, Hoſ. 2. 3 Amos 2. 10
14. Et amaritudinibus affecerunt vitam illorum opere duro in luto, & lateribus & omni opere, Hoſ. 11. 1. & 12. 13 Amos 2. 26
22. Præcepit Pharao omni populo ſuo dicens, omnem filium qui naſcetur in flumen projicite, Hoſ. 11. 3
III. 2. Apparuit autem ei Angelus Jehovæ in flamma ignis, Hoſ. 12. 4
4. Videns autem Jehova quod declinaret ad videndum. Hoſ. 12. 4
7. Videndo vidi afflictionem populi mei, Zach. 9. 6
8. Deſcendi ut liberem eum è manu Ægypti, & educam eum è terra illa ad terram bonam & latam, ad terram, inquam, fluentem lacte & melle, Zach. 7. 14
10. Nunc veni, & mittam te ad Pharaonem, & educes populum meum, filios Iſraël ex Ægypto, Hoſ. 12. 13
VII. 20. Et verſæ ſunt omnes aquæ quæ erant in flumine, in ſanguinem, Hab. 3. 5
VIII. 6. Et extendit Aaron manum ſuper aquas Ægypti, & aſcenderunt ranæ, & operuerunt terram Ægypti, Hab. 3. 5
24. Venit omne inſectorum et ſolorum genus grave in domum Pharaonis & in domum ſervorum ejus, & in omnem terram Ægypti, Hab. 3. 3
XI. 4. Sic dixit Jehova, quum media fuerit nox; ego egrediar & tranſibo per medium Ægypti. Amos 5. 17
XII. 51. Hoc ipſo die eduxit Jehova filios Iſraël è terra Ægypti, Hoſ. 1. 9
Eo ipſo die eduxit, Hoſ. 2. 14. & 6. 2. Mich. 6. 4
XIII. 9. Et erit tibi in ſignum ſuper manum tuam, & in memoriale inter oculos tuos, Hoſ. 12. 1
21. Et Jehova præcedebat eos interdiu in columna nubis, Amos 2. 10. & Mich. 6. 4
XIV 14. Jehova pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Amos 2. 9
21. Et recedere fecit Jehova mare, Nahum 1. 4. Hab. 3. 8. 15. Zach. 11. 12
27. Et excuſſit Jehova Ægyptios intra mare, Amos 4. 10
31. Crediderunt autem Jehovæ & Moſi ſervo ejus, Hagg. 1. 12
XV. 20. Tulitque Maria Propheteſſa ſoror Aaron tympanum in manu ſua, Joël 2. 29. Mich. 6. 4
XVI. 3. Ut interficeretis omnem cœtum hunc fame, Hoſ. 2. 3
14. Et ecce in ſuperficie deſerti erat minutum rotundum, Mich. 6. 5
15. Hic eſt panis quem dedit vobis Jehova ad veſcendum. Hoſ. 1. 15. & 13. 5
21. Collegerunt ergo illud ſingulis diebus mane, Amos 5. 25. & 2. 10
36. Homer decima pars eſt Epha, Hoſ. 3. 2
XVII. 6. Egredienturque ex ea aquæ quas bibet populus, Hoſ. 2. 15 & 13. 5. Amos 2. 10. Mich. 6. 5
XIX. 5. Nunc ergo ſi obediendo obedieritis voci meæ, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi tanquam theſaurus dilectus præ omnibus populis, Hagg. 2. 8
6. Vos eritis mihi regnum ſacerdotale, & gens ſancta, Hoſ. 2. 5 & 2. 3. & 9. 10. & 11. 8. & 12. 2. Amos 3. 1. & 5. 18. & 7. 3. Mich. 3. 12. & 7. 14. Habac. 1. 12. Soph. 1. 12. & 3. 3. 18. Zach. 9. 16 Malach. 2. 12
18. Mons autem Sinai fumabat totus, eo quod deſcendiſſet ſuper eum Jehova in igne, Hab. 3. 3
20. Deſcenderat autem Jehova ſuper montem Sinai, Hab. 3. 3 Hagg. 2. 7
XX. 1. Loquutuſque eſt Deus omnia verba iſta, &c. Hab. 2. 18
5. Ego enim Jehova Deus tuus, Deus Zelotes, Zach. 14. 8
Viſitans iniquitatem patrum ſuper filios in tertiam & quartam generationem, Hoſ. 14. 1 Mich. 7. 18
8. Memento ut diem Sabbathi ſanctifices, Mich. 2. 18
19 Ne loquatur nobiſcum Deus, ne forte moriamur, Malach. 3. 1
24. In omni loco, in quo memoriſſe fecero nominis mei, veniam ad te, & benedicam tibi, Hagg. 1. 8 Zach. 12. 6
XXI. 32. Si cornu petierit bos ancillam, argenti triginta ſiclos, &c. Hoſ. 3. 2
XXII. 22 Nullam viduam aut pupillum affligetis, ſi affligendo afflixeritis eum, &c. Zach. 7. 10
26. Si in pignus acceperis veſtimentum proximi tui, antequam occumberet Sol, reſtitues illud ei, Amos 2. 8
XXIII. 8. Munus excæcat videntes, & pervertit verba juſtorum, Hoſ. 4. 18 Mich. 3. 11
17. Tribus vicibus in unoquoque conſpicietur omnis maſculus tuus coram Domino Jehova, Zach. 14. 16
XXIV. 5. Et ſacrificaverunt ſacrificia pacifica ipſi Jehovæ juvenco, Hoſ. 14. 3
XXV 7 Et lapides plenitudinum pro Ephod & pectorali, Hoſ. 3. 4
17. Facies & propitiatorium ex auro mundo, Hagg. 1. 8
31. Facies item candelabrum ex auro puro, Zach. 4. 2
XXVI. 30. Eriges tabernaculum ſecundum diſpoſitionem ejus, quæ tibi oſtenſa eſt in monte, Hoſ. 12. 2
XXVIII 35 Et audietur ſonitus ejus, quando ingredietur ſanctuarium, Malach. 3. 9
36 Facies inſuper laminam ex auro puro, & ſculpes in ſculptura annuli, ſanctitas ipſi Jehovæ, Zach. 14. 20

XXIX. 6. Pones

XXIX. 6. Pones præterea cidarim ſuper caput ejus, Zach 3. 5
14. Fimumque ejus comburito igni extra, peccatum eſt, Amos 8. 13
XXXII. 1. Videns populus quod tardaret Moſes deſcendere de monte, tunc congregatus eſt contra Aaron, & dixerunt ei, ſurge, fac nobis deos qui præcedant nos, Hoſ. 8. 6
25. Vidit Moſes populum quod diſcoopertus eſſet, diſcooperuerat enim eum Aaron ad ignominiam inter hoſtes eorum, Soph. 3. 15
XXXIII. 11. Loquebatur Jehova ad Moſen facie ad faciem, Hagg. 1. 8
19. Ego prætereire faciam omne bonum meum ante faciem tuam, Hoſ. 3. 5
Miſerebor cujus miſerebor, Malach. 1. 6
XXXIV. 6. Jehova Jehova fortis miſericors & miſerator, tardus ad iram, &c. Joel 2. 13. Jon. 4. 2. Mich. 7. 18. Nahum 1. 2. 3
7. Viſitans iniquitatem patrum ſuper filios, Mich. 7. 18 & Nahum 1. 2. 3
23. Tribus vicibus in anno conſpicietur omnis maſculus tuus coram dominatore Jehova Deo Iſraël, Zach. 14. 16

L E V I T I C U S.

II. 4. QUum obtuleris oblationem Mincha coctionem clibani e ſimila placentas infermentatas, Joel 1. 9 Amos 4. 5
IV. 3. Offeret ſacrificium pro peccato ſuo quod peccavit, juvencum vitulum immaculatum, Hoſ. 14. 3
26. Atque ita expiabit eos Sacerdos, & remittetur eis, Joel 1. 17. Jon. 2. 9
V. 2. Si anima tetigerit aliquam rem immundam, Hagg. 2. 13
13. Et expiabit eum Sacerdos à peccato ſuo quod peccavit, Mich. 2. 8
X. 9. Vinum & ſiceram non bibes tu & filii tui tecum, quum intraturi eſtis tabernaculum Eccleſiæ, Amos 2. 12
XI. 44. Eſtote ſancti, Amos 2. 7. & 5. 4
XVII. 15. Omnis anima quæ comederit cadaver, aut raptum tam de indigenis quam de peregrinis, &c. Hagg 2. 13
XVIII. 5. Qui fecerit hæc vivet in ipſis, Hab. 2. 4
7. Turpitudinem patris tui & matris tuæ non revelabis, Hoſ. 2. 9
XIX. 2. Sancti eſtote, quia ego ſanctus, Hoſ. 7. 8
XXIII. 10. Tunc offeretis homer primitias meſſis veſtræ ad Sacerdotem, Joel 2. 14
24. Erit vobis Sabbathum memoriale clangoris convocatio ſancta, Hoſ. 9. 5. & 12. 9. Joel 2. 15
39. Decimoquinto die menſis ſeptimi hujus, ſolemnitas tabernaculorum erit ſeptem diebus Jehovæ, Hoſ. 12. 9 & Zach. 14. 19
XXV. 13. Anno Jobel iſto revertemini ſinguli ad poſſeſſionem, Mich. 2. 5
XXVI. 4. Dabo pluvias tempore ſuo, dabitque terra fructum ſuum, &c. Hoſ. 9. 1
5. Apprehendetque vobis tritura vindemiam, & vindemia apprehendet ſementem, Amos 9. 13
Habitabitis confidenter in terra veſtra, Mich. 2. 10. Soph. 3. 13
6. Dabo namque pacem in terra, dormietis, & non erit qui exterreat, Soph. 3. 13. & Mich. 4. 4
12. Ambulabo in medio veſtri, Joel 3. 2
15. Etſi decreta mea ſpreveritis, & judicia mea abominata fuerit anima veſtra, ut non faciatis, &c. Hoſ. 7. 12
16. Ergo ego faciam hoc vobis, conſtituam ſuper vos terrorem, tabem & febrem, &c. Mich. 4. 4. & 6. 13
Seretiſque fruſtra ſemen veſtrum, nam comedent illud inimici veſtri, Soph. 1. 13
18. Quod ſi uſque ad hæc non audieritis me, addam corripere vos ſepties propter peccata veſtra, Amos 7. 4
19. Dabo cælum veſtrum ſicut ferrum, & terram veſtram ſicut æs, Hagg. 1. 13
26. Dum confregero vobis baculum panis, Mich. 6. 14
41. Tunc ſi humiliatur cor eorum incircumciſum, Hoſ. 2. 7

N U M E R I.

VI. 9. VIr aut mulier quum ſeparaverit ſe ad vovendum votum Nazaræi, &c. Amos 2. 12
3. A vino & ſicera ſeparabit ſeſe, acetum vini, &c. Amos 2. 16
XI. 31. Et ventus egreſſus eſt à Jehova, adduxitque coturnices è mari, Jon. 4. 8
XII. 1. Et loquuta eſt Maria & Aaron contra Moſen, Mich. 6. 4
6. Si fuerit Propheta vobis, ego Jehova in viſione apparebo illi, in ſomnio loquar cum illo, Joël 2. 29. & Amos 9. 1. Nahum 1. 1
XX. 11. Elevavit Moſes manum, percuſſitque petram virga ſua duabus vicibus, tunc egreſſæ ſunt aquæ, Hab. 3. 9
23. Accipe Aaron & Eleazar filium ejus, & aſcendere fac eos in Hor montem, &c. Mich. 7. 12
28. Mortuuſque eſt Aaron ibi in vertice montis, Mich. 7. 12
XXII. 21. Surrexit Balaam mane, & ſtravit aſinam ſuam, perrexitque, Mich 6. 5
XXIII. 19. Non eſt Deus ut homo, ut mentiatur, Malach. 3. 1. 6
21. Non aſpexit iniquitatem in Jacob, nec vidit prævaricationem in Iſraële, Amos 5. 23
XXIV. 2. Et vocaverunt populum ad ſacrificia deorum ſuorum, &c. Malach. 2. 11
XXV. 1. Quum autem diſpergeretur manſiſſet Iſraël in Sittim, cœpit populus fornicari cum filiabus Moab, Joël 3. 18
3. Et adjunxit ſeſe Iſraël ipſi Baalpeor, Hoſ. 9. 10. & Mich. 6. 5
XXXIII. 39. Aſcendit Aaron Sacerdos in Hor montem juxta ſermonem Jehovæ, & mortuus eſt ibi, Mich. 7. 12

D E U T E R O N O M I U M.

IV. 6. EA eſt ſapientia veſtra, & intelligentia veſtra, Hoſ. 4. 14
7. Quæ eſt gens illa magna cui ſint ita dii propinqui, &c. Malach 3. 11. & 2. 10
27. Diſperget vos Jehova inter populos, Zach. 10. 9
43. Et Ramoth in Galaad de Gaditis, Hoſ 6. 8
V. 9. Viſitans iniquitatem patrum ſuper filios in tertiam & quartam generationem, Hoſ. 14. 1
VI. 14. Ac per nomen ejus jurabis, Hoſ 14. 15. Sophon. 1. 5
VII. 3. Neque junges te affinitate cum eis: filiam tuam non dabis filio ejus, & filiam ejus non accipies filio tuo, Hoſ 1. 7
7. Non quia plures eſſetis per omnibus populis amavit vos Jehova, & elegit vos, &c. Mal. 1. 2. 4. 5
X. 7. Nunc ergo Iſraël quid Jehova Deus tuus petit à te, niſi ut timeas Jehovam Deum tuum, &c. Hoſ 10. 2. Soph 3. 2. & Zach. 7. 10
XI. 17. Unde iraſcetur furor Jehovæ in vos, & claudat cœlos, ac non ſit pluvia, &c. Hagg. 1. 10
XII. 7. Comedetiſque illic coram Jehova Deo veſtro, & lætabimini in omni re, &c. Joël 1. 16. Malach. 3. 10. Zach. 7. 6. & 8. 15
12. Et lætabimini coram Jehova Deo veſtro vos & filii veſtri, Joël 1. 16. Soph. 1. 7. Nah. 1. 15. Zach. 8. 19
13. Cave tibi ne offeras holocauſta in omni loco quem videris, ſed in loco quem elegerit Jehova, &c. Hoſ. 4. 13. & 12. 11. Amos 3 14. & 5. 5
14. Sed in loco quem elegerit Jehova, in una tribuum tuarum ibi offeres holocauſta tua. Amos 3. 3
XIII. 3. Tentat Jehova Deus veſter vos, ut ſciat an diligatis Jehovam Deum veſtrum, &c. Mich. 3. 5
6. Si incitaverit te frater tuus filius matris tuæ aut filius tuus, aut uxor ſinus tui, vel amicus tuus, qui ſit, &c. Zach. 13. 3
XIV. 22. Decimando decimabis omnem proventum ſeminis tui, Amos 4. 4
XVI. 19. Munus excæcat oculos ſapientum, & deſtruit verba juſtorum, Hoſ. 4. 18 Mich. 3. 11
XVII. 12. Vir qui fecerit per ſuperbiam ut non obediat Sacerdoti, &c. Hagg. 2. 13
15. Conſtituendo conſtitues ſuper te Regem quem delegerit Jehova Deus tuus è medio fratrum tuorum, conſtitues ſuper te Regem, non poteris conſtituere, &c. Hoſ. 8. 4
XVIII. 3. Iſtud autem erit jus Sacerdotum à populo è ſacrificantibus, &c. Soph. 2. 3
11. Neque incantator, neque interrogans pythonem, Mich 5. 12
15. Prophetam excitabo è medio tui, &c. Zach. 7. 2. & 13. 7. & in Præfat. in Malachiam.
XXI. 13. Siquis captivam duxerit, ne eam ducat uxorem, &c. Malach. 2. 11
XXIV. 1. Et ſcripſerit libellum repudii, ac poſuerit in manum ejus, Hoſ 2. 1 & Malach. 2. 13
XXVII. 26. Maledictus qui non ſtabilierit verba legis iſtius, faciendo illa, Zach. 5. 3
XXVIII. 4. Benedictus fructus ventris tui & fructus terræ tuæ, Hoſ 9. 3. 14
5. Si audiendo audieris vocem Jehovæ Dei tui, ut cuſtodias faciendo omnia præcepta, Malach. 3 12
8. Mandabit Jehova tecum benedictionem in horreis tuis, & in omni ad quod miſeris manum tuam, Hoſ. 9. 1
11. Abundare faciet te Jehova in bonum fructus ventris tui, &c. Hoſ. 9. 9
12. Aperiet Jehova tibi theſaurum ſuum optimum cælum, ut det pluviam terræ tuæ in tempore ſuo, Zach. 14. 17
Et benedicat omni operi manus tuæ, Zach. 8. 10
16. Maledictus eris in urbe, & maledictus in agro, Mich. 6. 15
21. Adjunget Jehova tibi peſtilentiam, donec conſumat te de terra ad quam tu ingrederis ut poſſideas eam, Zach. 14. 12
22. Percutiet te Jehova phthiſi, & febre, & ardore, & æſtu, & gladio, & ariditate, ibid.
23. Eruntque cæli tui qui ſunt ſuper caput tuum æneï, & terra, &c. Malach. 3. 10
30. Domum ædificabis, & non habitabis in ea: vineam plantabis, & non vindemiabis eam, Soph. 1. 13
31. Nec erit fortitudo in manu tua, Mich. 2. 1
37. Et eris in ſtuporem, & proverbium, & fabulam omnibus populis, Zach. 8. 13
42. Omnem arborem tuam, & fructum terræ tuæ, abſumet locuſta, &c. Hoſ 2. 18
64. Et diſperget te Jehova in omnes populos, Zach. 10. 9
XXXII. 1. Audite cæli quæ loquar, audiat terra verba oris mei, Mich. 6. 1
9. Quando hæreditates diſtribuit excelſus gentibus, quando ſeparavit filios hominum, ſtatuit terminos populorum, &c. Soph. 1. 8. Zach. 14. 7
9. Quum diſtribueret excelſus, Malach. 1. 4
11. Ut aquila quæ excitat nidum ſuum ſuper pullos ſuos cubat, Hoſ. 11. 3
15. Impinguatus eſt Iſraël & recalcitravit; impinguatus es, incraſſatus es, &c. Hoſ. 4. 7. & 13. 6
17. Sacrificaverunt dæmoniis, non Deo, Hoſ. 9. 1
50. Quemadmodum mortuus eſt Aaron frater tuus in Hor monte & congregatus eſt ad populos ſuos, Mich. 7. 12
XXXIII. 10. Docebunt judicia tua ipſum Jacob, Hoſ. 4. 8 Soph. 3. 4
28. Et habitabit Iſraël fons Jacob confidenter ſolus, Mich. 2. 10. & 4. 4

J O S U A.

II. 1. MIſit autem Joſua filius Nun è Sittim duos viros exploratores, Joel 3. 18
III. 16. Conſtiterunt aquæ quæ deſcendebant deſuper, & aſſurrexerunt in acervum unum, &c. Hab. 3. 9. 10. 15
IV. 20. Duodecim lapides illos quos tulerant ex Jordane, ſtatuit Joſua in Gilgal, Hoſ. 4. 15
V. 3. Et fecit ſibi Joſua cultros acutos, circumciditque filios Iſraël in colle præputiorum, Amos 4. 5
9. Et vocavit nomen loci illius Gilgal uſque in hodiernum diem, ibid.
VII. 5. Percuſſeruntque ex eis viri Ai circiter triginta & ſex viros, Hoſ. 2. 15. & Jon. 1. 6
16. Surrexit itaque Joſua mane, & accedere fecit Iſraël per tribus ſuas, & deprehenſa eſt tribus Jehudah, Jon. 1. 7
24. Univerſus Iſraël qui erat cum eo deduxerunt eos in vallem Achor, Hoſ. 2. 15
XVIII. 1. Congregata eſt autem univerſa multitudo filiorum Iſraël in Silo, & collocaverunt ibi tabernaculum Eccleſiæ, Amos 8. 2
XXIV. 19. Quia Deus ſanctus eſt, Hoſ. 11. 12

J U D I C E S.

III. 9. CLamaverunt filii Iſraël ad Jehovam, ſuſcitavitque Jehova Servatorem filiis Iſraël, Abd. 1. 21
10. Tradidit Jehova in manum ejus Cuſan-riſathaim Regem Aram, Hab. 3. 7
IV. 4. Debora autem mulier Propheta uxor Lappiduth judicabat Iſraëlem tempore illo, Mich. 6. 4
VII. 20. Gladius Jehovæ & Gideonis, Hagg. 2. 22
22. Quum clangerent trecenti illi tubis, poſuit Jehova gladium cujuſque in proximum ejus, & in omnibus caſtra, &c. Hab. 3. 7
XVIII. 9. Vidimus enim terram, & ecce bona valde & vos ſiletis, Abd. 1. 5
XIX. 22. Viri impii gyraverunt ſuntu domum pulſantes oſtium, dixeruntque viro illi Domino domus, ſeni illi, educ virum, &c. Hoſ. 4. 5 & 10. 9
25. Et cognoverunt eam, abuſique ſunt ea tota nocte uſque mane, Hoſ. 9. 9
XX. 46. Fuerunt autem omnes qui ceciderunt de Benjamin, viginti quinque millia virorum, Hoſ. 9. 9

I S A M U E L.

I. 9. AScendebat autem vir ille ab urbe ſua annuatim ad adorandum & immolandum Jehovæ exercituum in Silo. Amos 8. 2
II. 30. Honorantes me honorabo, contemnentes autem me, contemnentur, Hoſ 4. 14
V. 4. Quum mane poſtridie ſurrexiſſent, ecce Dagon ceciderat in faciem ſuam in terram coram Arca Jehovæ, &c. Soph 1. 9
5. Ideo non calcant Sacerdotes Dagon & omnes qui ingrediuntur domum Dagon ſuper limen Dagon, &c. ibid.
VIII. 7. Non te ſpreverunt, ſed me ſpreverunt, Hoſ 1. 5 & 13. 10. & Zach 14. 9
XIV. 40. Vos eritis in latere uno, ego autem & Jonathan filius meus erimus in latere altero, Jon. 1. 7
XV. 22. Ecce parere quam ſacrificium melius eſt, Hoſ. 4. 13
Melior eſt obedientia quam victimæ, Mal. 1. 10. Hoſ. 3. 2. & 8. 12. & 12. 11. & 13. 2. Amos 4. 5
XVI. 13. Accepit Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum ſuorum, Hoſ. 1. 11
XVII. 33. Non poteris ire ad Philiſthæum iſtum ut pugnes cum eo, quia puer es, Zach. 12. 8
49. Et mittens David manum ſuam ad inſtrumentum illud, tulit, &c. Zach. 9. 16
XXII. 1. Profectus illinc David, ſervavit ſe in ſpeluncam Adullam. Mich. 1. 15

I I. S A M U E L.

V. 7. CEpit tamen David Arcem Sion, ipſa eſt civitas Davidis, Zach. 9. 7
11. Miſit autem Hiram Rex Tyri legatos ad Davidem & ligna cedrina, & fabros lignarios artificeſque lapidis parietis, Amos 1. 9
VII. 12. Statuam ſemen tuum poſt te quod egredietur è ventre tuo, & firmabo regnum ejus, Joël 2. 13
14. Arguam eum virga hominum & plagis filiorum hominum, miſericordia autem mea non recedet ab eo, Hoſ. 11. 9
Fueruntque omnes Idumæi ſervi Davidis. Abd. 1. 19. & Mich. 4. 8
XIX. 10. Nunc itaque, ut quid ſiletis in reducendo Rege? Abd. 1. 5
XXII. 29. Et Jehova illuminabis tenebras meas, Joël 2. 31
XXIII. 13. Venerunt in meſſe ad Davidem in ſpeluncam Adullam. Mich. 1. 15

I. R E G U M.

I N D E X.

I. R E G U M.

III. 2. Tamen in excelſis immolabat & ſuffitus. Mich. 1. 13

V. 4. Quia dilexerit filium Davidem omnibus diebus. Amos 1. 2

VI. 13 Habitabo in medio filiorum Iſraëlis, Zach. 2. 7

VII. 16. Fundamentum autem erat lapidibus pretioſis, lapidibus magnis, &c. Amos 6. 5

VIII. 10. Tu quidem exaudies de loco habitationis tuæ, id eſt, de cœlo, &c. Hagg. 1. 8

44. Et oraverint Jehovam contra viam civitatis quam elegiſti, &c. Jon. 2. 7

XI. 26. Jerobeam filius Nebat Ephratæi de Seredah, Hoſ. 1. 1. & 13. 8

31. Ecce ego ſcindo regnum de manu Salomonis, & dabo, &c. Hoſ. 1. 11. & 3. 4. & 13. 11

XII. 16. Quæ nobis portio in Davide? neque hæreditas eſt nobis in filio Iſai, Hoſ. 3. 4

19. Et prævaricati ſunt Iſraëlitæ in domum Davidis uſque hodie, Hoſ. 2. 4. & 11. 11 Zach. 14. 9

20. Non fuit poſt domum Davidis, niſi tribus Jehudah ſola. Amos 9. 11 Mich. 4. 8

Et Regem conſtituerunt eum ſuper univerſum Iſraëlem, Hoſ. 13. 11

26. Dixit Jerobeam in corde ſuo, nunc revertetur, &c. in Præfat. in Hoſ.

28. Conſilio itaque inito fecit Rex duos vitulos aureos, Hoſ. 4. 15 & 8. 4. Mich. 1. 7

Sufficiat vobis haſtenus aſcendiſſe in Jeruſalem, Hoſ. 2. 4. & 11. 1

29. Et poſuit unum in Bethel, alterum poſuit in Dan, Hoſ. 10. 5. Amos 5. 5

30. Fuitque res iſta in peccatum, ita ut iret populus, &c. in Præf. in Hoſ. & Hoſ. 1. 2. & 5. 3. & 7. 8

XV. 14. Excelſa autem non ſuſtulerunt, Mich. 5. 12

XVI. 31. Et abiit, & ſervivit Baal, incurvavitque ſe ei. Hoſ. 11. 2

XVIII. 27. Clamate voce magna, quia Deus eſt, aut quoniam illi forte eſt ſermo, &c. Hoſ. 10. 5

XIX. 18. Reſervavi autem in Iſraële ſeptem millia, omnia genua quæ non, &c. Hoſ. 1. 10. & 11. 9. & 13. 2. Joel 2. 32

XXII. 44. Veruntamen excelſa non removerunt adhuc populo immolante, Mich. 1. 12

II. R E G U M.

III. 4. MEſah Rex Moab habebat greges, Amos 1. 3

IV. 38. Et filii Prophetarum habitabant coram eo, Amos 7. 14

Fames autem erat in terra, in Præfat. in Joel.

V. 15. En nunc novi quod non eſt Deus in tota terra, niſi in Iſraële, Jon. 2. 1

VI. 1. Dixerunt filii Prophetarum ad Eliſæum, en quæſo locus, &c. Amos 7. 14

17. Et aperuit oculos pueri, viditque, & ecce mons plenus, &c. Zach. 1. 10

VIII. 9. Abiit igitur Hazael in occurſum ejus, & tulit munus, &c. Amos 1. 4

IX. 3. Unxi te in Regem ſuper Iſraëlem, in Præfat. in Hoſ.

6. Unxi te in Regem ſuper populum Jehovæ, Hoſ. 1. 11

7. Et percuties domum Achab Domini tui, Hoſ. 1. 4

X. 30. Percuſſitque Jehova omnes qui erant de domo Achab in Iſraële, ibid.

XII 3. Veruntamen excelſa non receſſerunt: adhuc populus, &c. Mich. 1. 12

XIV. 4. Duntaxat excelſa non abſtulerunt: adhuc populus immolabat, &c. ibid.

25. Is reſtituit terminum Iſraëlis ab introitu Hamath uſque ad mare ſolitudinis, &c. Hoſ. 1. 1. Amos 1. 3. & 4. 11. & 7. 9. Mich 1. 7. & in Præfat. in Jonam.

28. Quomodo item reſtituerit Damaſcus & Hamath ipſi Jehudah, &c. Hoſ. 7. 8

29. Regnavitque Zacharias filius ejus pro eo, Hoſ. 1. 5

XV. 5. Percuſſit autem Jehovah Regem, fuitque leproſus, &c. ibid.

10. Conjuravit autem adverſus eum Sellum filius Jabes, &c. ibid & Amos 7. 9

29. In diebus Peca Regis Iſraëlis venit Tiglat-Peleſar Rex Aſſur, &c. Nahum 1. 2

33. Et ſedecim annis regnavit in Jeruſalem, Hoſ. 1. 1

XVI 1. Viginti annorum erat Achas quando regnare cœpit, &c. ibid.

11. Extruxitque Urias Sacerdos altare, juxta omnia, &c. Hoſ. 12. 12

XVII 25. Et timebant Jehovam, Jon. 1. 16

XVIII. 9. Aſcendit Salmanaſar Rex contra Samariam, &c. Nahum 1. 8

10. Anno ſexto Ezechiæ capta eſt Samaria, Hoſ. 10. 14

XIX. 35. Nocte illa egreſſus angelus Jehovæ, & percuſſit in caſtris Aſſur, &c. Mich. 1. 12. Nahum 1. 12

37. Et ſuit eo adorante in domo Niſroc Deum ſuum, &c. Nahum 1. 14

XX. 13. Et audivit eos Ezechias, oſtenditque eis univerſam domum deſiderabilem ſuam, argentum, &c. Amos 6. 6

XXII. 14. Abiit ergo Hilkias Sacerdos & Ahicam, & Saphan, &c. Joel 2. 19

XXIII. 4. Et combuſſit ea extra Jeruſalem in campeſtribus Kidron, &c. Soph. 1. 3

5. Ceſſare quoque fecit Sacerdotes Idolorum, quos poſuerant Reges Jehudah, Hoſ. 13. 1. & Soph. 1. 2. 9

25. Præcepit autem Rex univerſo populo, dicendo, facite, &c. Nahum 1. 15

30. Tulit populus terræ Jehoachaz filium Joſiæ, & unxerunt eum, &c. Soph. 1. 2

XXV. 6. Comprehenderunt, inquam, Regem & abduxerunt eum, &c. Amos 9. 1

7. Filios autem Zedechiæ jugulaverunt in oculis ejus, atque oculos Zedechiæ excæcavit, ibid.

8. Menſe quinto ſeptima menſis (ipſe eſt annus decimusnonus Nabuchodonoſor Regis Babel) venit Nabuzaradan magiſter, &c. Zach. 7. 2. & 8. 18

25. Fuit autem menſe ſeptimo, venit Iſmaël filius Nethaniah filii Eliſama de ſemine, &c. ibid.

I. P A R A L I P.

III. 19. FIlii autem Pedaiæ Zerubbabel & Simi, Hagg. 1. 1

XV 28. Univerſus vero Iſraël educebant arcam fœderis Jehovæ in jubilo, & ſonitu buccinæ, & tubis, & cymbalis reſonabant in Pſalteriis, &c. Amos 8. 5

II. P A R A L I P.

XX. 20. JEhudah autem venit ad Miſpe, quæ eſt in deſerto, &c. Joel 3. 2

26. Idcirco nomen loci illius vallem benedictionis uſque ad hodiernum diem, Joel 3. 2

XXIV 20. Spiritus Dei induxit Zachariam filium Jojadæ Sacerdotis, Zach. 1. 1

XXVI. 3. Quinquaginta duobus annis regnavit in Jeruſalem, Hoſ. 1. 1

19. Quumque iraſceretur contra Sacerdotes, lepra exorta eſt in fronte ejus coram Sacerdotibus in domo Jehovæ. Amos 1. 1

XXX. 1. Miſit autem Ezechias ad univerſum Iſraëlem & Jehudah, & etiam epiſtolas ſcripſit ad Ephraim & Manaſſem, ut venirent, &c. Nahum 2. 15

XXXV. 25. Lamentatus eſt quoque Jeremias ſuper Joſia, dixeruntque omnes cantatores & cantatrices in lamentationibus ſuis ſuper Joſia uſque hodie, &c. Zach. 12. 11

E S D R A S.

I. 1. EXcitavit Jehova ſpiritum Cyri Regis Perſarum, qui edictum promulgavit per univerſum regnum, &c. Hagg. 1 1. & 2. 2

2. Sic dicit Cyrus Rex Perſarum, omnia regna terræ dedit mihi Jehova, &c. ibid.

8. Protulit, inquam, ut Cyrus Rex Perſarum per manum, &c. Zach. 2. 3

III. 12 Senes qui viderant domum priorem dum fundaretur, &c. Zach. 4. 10

V. 2. Tunc ſurrexerunt Zerubbabel filius Sealtiel, & Joſue filius Joſadac, & cœperunt ædificare, &c. Hagg. 1. 2

VI. 14. Deus qui habitare facit nomen ſuum ibi, diſſipet, &c. Hagg. 1. 2

IX. 2. Tulerunt de filiabus eorum ſibi & filiis ſuis, Zach. 1. 1

N E H E M I A S.

XI. 25. IN Zanoah, Adullam, & in villis earum, Mich. 1. 15

J O B.

I. 6. QUadam die venerunt filii Dei, ut aſtarent coram Jehova, Zach. 1. 9

15. Irruerunt Sabæi, ac tulerunt eos, Hoſ. 8. 4

21. Dominus dedit, Dominus abſtulit, Hoſ. 12. 4

II. 10. Si bonum ſuſcepimus à Deo, & malum non ſuſcipiemus? Zach. 14. 8

XXI. 18. Erunt ſicut palea contra ventum, & ſicut favilla, &c. Zach. 11 5

XXVIII. 28. En timor Domini eſt ſapientia, Jon. 1 18

XXIX. 3. Ad lumen ejus ambulabam in tenebris, Joel 2. 31

XXX. 22. Elevaſti me ad ventum, cui impoſuiſti me, Hoſ 10 11

XXXVIII. 8. Et quis clauſit oſtiis mare, dum erupit è vulva, &c. Nah. 1. 4

XL. 20. Nam extrahes Leviathan hamo & fune, quem demerſeris, &c. Amos 4. 2

P S A L M I.

II. 7. FIlius meus es tu, ego hodie genui te, Hoſ. 13. 11

8. Poſtula à me, & dabo tibi gentes in hæreditatem tuam, ibid.

12. Oſculamini filium, Hoſ. 13. 2

III. 3. Non eſt ſalus ipſi in Deo, Nah. 1. 13

IV. 1. Profecto in Neginoth canticum Davidis, Hab. 3. 19

3. Inquiretis mendacium, Selah. Hab. 3. 13

7. Exalta ſuper nos lumen vultus tui Jehova, Jon. 2. 6

V. 1. Profecto ſuper Nehiloth canticum Davidis, Hab. 3. 19

5. Non Deus volens impietatem tu, Hab. 1. 13

9. Jehova deduc me in juſtitia tua, Mich. 6. 3

VII. 1. Sighajon Davidi quod cecinit Domino, Hab. 3. 1

12. Scrutans corda & renes Deus, Amos 4. 13. & 6. 13

XI. 6. Pluet ſuper impios laqueos, ignem & ſulphur, &c. Nah. 1. 15

XIII. 4. Reſpice, exaudi me Domine, &c. Zach. 13. 6

XIV. 1. Dixit impius in corde ſuo, non eſt Deus, Hoſ. 4. 1. Soph. 1 13

XV. 1. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, &c. Joël 2 32

XVII 8. Cuſtodi me ſicut pupillam oculi, Zach. 2. 8

XVIII. 11 Volavit ſuper alas venti, Hoſ 4. 19

26. Cum ſancto, &c. Hoſ. 8. 7 Mich. 1. 2. Zach. 8 16

27 Cum perverſo, &c. Hoſ. 11. 7 Mich. 2. 7. Nahum 1. 9

45 Filii alieni mentiti ſunt, Mich. 4. 10

46 Trepidabunt ex penetralibus ſuis, Mich. 7. 17

XIX. 8. Lex Domini immaculata convertens animam, Hoſ 14. 8

XXII. 10. Super veſtem meam miſerunt ſortem, Zach. 2. 2

32. Venient, & annunciabunt juſtitiam ejus, Mich. 6. 5

XXIII. 4. Etiamſi ambulavero in valle umbræ mortis, non timebo, &c. Zach. 11. 7

Virga tua, & pedum tuum ipſa me conſolabuntur, Mich. 7 14

XXIV. 3. Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit, &c. Joël 2. 13

XXXI 20. Quam magna bonitas tua, quam abſcondiſti timentibus te, Nah 1. 4

XXXIV. 8. Caſtrametatur angelus Jehovæ circum timentes eum, Zach. 1. 9

17. Vultus Domini in facientes malum, ut ſuccidat de terra, &c. Zach. 1. 6

XXXV. 6. Sit via illorum tenebræ, &c. Jon. 1. 8

15. Sed ipſi in claudicatione mea lætati ſunt, Mich. 4. 6

XXXVI. 7. Judicia tua abyſſus multa, Hab. 1 2

Juſtitia tua ſicut montes Dei, Hab. 1 4

XXXVII. 1. Ne ſuccenſeas ob malos, neque æmulatione tangaris, &c. Zach. 1. 15. & 14. 7

6. Et educet quaſi lumen juſtitiam tuam, & judicium tuum ſicut, &c. Amos 5. 24

24. Quum ceciderit non colliditur, quoniam Dominus, &c. Mich. 7. 8

34. Quum exterminabuntur impii, videbis, Mich. 7 10

XXXVIII. 18. Quoniam ego ad claudicationem paratus ſum, Mich. 4. 6

XXXIX. 7. Veruntamen in imagine ambulabit vir, Nah. 1 6

10. Obmutui, non aperiam os, &c. Jon. 2. 5

XL. 5. Et non reſpexit ad ſuperbos, & qui divertunt ad mendacium, Hoſ. 8. 1

XLI. 10. Etiam homo pacis meæ, in quo ſperavi, comedens panem, &c. Abd. 1. 8

XLII. 2. Quemadmodum cervus deſiderat ad ſontes aquarum, Joel 1. 20

XLIV 23 Uſque quo obdormis, Zach. 13. 6

24. Suſcita te, ut dormiens Domine? Zach. 9. 8

XLVI. 6. Deus in medio ejus non commovebitur, Zach. 2. 5. & 12. 5. Soph. 3. 15

12. Ceſſate, & ſcitote quoniam ego ſum Deus, exaltabor in gentibus, exaltabor in terra, Hab. 2. 20

XLVII. 5. Gloriam Jacob quem dilexit, Amos 8. 7

L. 14. Immola Deo confeſſionem, Hoſ. 14. 3

Sacrifica Deo laudem, Jon. 1. 16. & 2. 9. Zach 7. 5

23. Qui ſacrificat, Jon. 1. 16 & 2. 9

P R O V E R B I A.

I. 7. PRincipium ſapientiæ, timor Domini, Hoſ. 14. 10

II. 17. Et pacti Dei ſui oblita eſt, Malach. 2. 14

III. 29. Quum manus tua ad potentiam erit, Mich. 2. 1

XVI. 17. Ante contritionem eſt ſuperbia, & ante ruinam elatio ſpiritus, Soph. 3. 10

33. In ſinum projicitur ſors, & à Jehova eſt omne judicium ejus. Jon. 1. 7

XVIII. 3. Impius quum in profundum venerit peccatorum, contemnit, Hoſ 9. 9

XIX. 31. Fœneratur Domino qui largitur pauperi, Malach. 1. 8

XXIV. 16. Septies cadit juſtus, &c. Mich. 7. 8

XXVII. 22. Si contuderis ſtultum in mortario in medio, &c. Soph. 1. 11

E C C L E S I A S T E S.

IV. 17. CUſtodi pedem tuum quando ibis ad domum Dei, &c. Malach. 1. 10

IX. 2. Omnia eveniunt ſimiliter omnibus, eventus unus eſt, &c. Malach. 3 14

J E S A I A S.

I. 2. AUdite cœli & auribus percipe terra, Mich. 6. 1

5. Propter quid percutiemini adhuc? Hoſ. 4. 4. Soph. 1. 3

6. A planta pedis uſque ad verticem capitis, Hoſ 8 4

8. Et derelinquetur filia Sion ſicut umbraculum in vinea, &c. Mich. 4. 8

10. Audite verbum Domini principes Sodomæ, Mich. 1. 7

11. Ut quid mihi offertis multitudinem victimarum veſtrarum? Malach. 1. 8

12 Quando veneritis ut appareatis coram facie mea, quis, &c. Zach. 11 13

13. Incenſum abominatio eſt mihi, neomenia, &c. Zach. 11. 11 Amos 5. 20

14. Sunt mihi oneri, fatigatus ſum ſuſtinendo, Amos 5. 21

15. Etiamſi multiplicaveritis orationem, ego non exaudiam, &c. Zach. 7. 13

25. Frangam tui declinatum, & ſociis ſarum, Hoſ. 4. 2

16. Heu conſolationem capiam de hoſtibus meis, Malach. 2. 8

II. 2. Acce-

II. 2. Accidet in noviſſimo dierum, &c. tus, &c. Zach. 14. 4
3. De Sion exibit, &c. Zach. 7. 2. & 8. 20. & 11. 9. & 13. 1
Concident gladios ſuos in ligones, & hastas ſuas in falces, &c. Zach. 3. 10. Joël 3. 10. Mich. 4. 3
10. Abſconde te in pulvere à facie formidinis Jehovæ, &c. Amos 9. 8
IV. 3. Et erit qui reliſtus fuerit in Sion, & reſidens in Jeruſalem, &c. Jon. 3. 10
V. 1. Cantabo nunc dilecto meo canticum ejus vineæ ſuæ, Joel 1. 7
4. Quid faciendum fuit vineæ meæ quod non feceram ei? quomodo, &c. Hoſ 6. 4. & 11. 3. Soph. 3. 7
16. Væ trahentibus iniquitatem in funibus vanitatis, &c. Hoſ. 4. 6
VI. 10. Impingua cor populi hujus. Hoſ 13. 6
VII. 13. Num quid parum eſt vobis moleſtos afficere homines? &c. Hoſ. 4. 1. & 9. 17
14. Vocabitur nomen ejus Immanuel, Zach. 6. 11
VIII. 1. Sume tibi volumen grande, & ſcribe in eo, &c. Hab. 2. 2
17. Expectabo Jehovam, qui abſcondit faciem ſuam à domo Jacob, Hoſ 6. 17
18. Ecce ego & pueri quos dedit mihi Dominus in ſigna, &c. Zach. 3. 8
IX. 4. Jugum oneris ejus, & virgam humeri ejus, &c. Michææ 7. 11
6. Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, conſiliarius. Michææ 4. 9
8. Verbum miſit Deus in Jacob, & cecidit in Iſrael, Zach. 9. 1
13. Populus non eſt reverſus ad percuſſorem ſuum, Zach. 11. 11. Hoſ. 7. 9. Amos 4. 6. & 7. 1. Soph. 1. 13
X. 5. O Aſſur, virga furoris mei, &c. Soph. 3. 18. Nahum 1. 13
6. Ad gentem impiam mittam eum, &c. Hoſ. 10. 10
12. Sed accidet, quum perfecerit Dominus omne opus ſuum, &c. Nahum 1. 5
17. Et erit lux Iſraël in ignem, & ſanctus ejus in flammam, &c. Zach. 12. 6
22. Quod ſi fuerit populus tuus Iſraël velut arena, &c. Hoſ 1. 10. Malach. 3. 2
23. Conſummationem & quidem deciſam Dominus Jehova exercituum facit in medio terræ, Joël 3. 14
26. Et elevabit eam ſuper eum in via Ægypti, Amos 4. 10
XI. 1. Et ſurculus de radicibus ejus fructus edet, Zach. 3. 8. & 4. 10. & 6. 10
2. Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ, &c. Zach. 3. 0
9. Quoniam implebit terra ſcientia Domini tanquam aquis mare operientibus, Hab. 2. 14
10. In die illa eum qui egredietur de radice Iſai, qui ſtabit, &c. Hagg. 2. 6
XIII. 6. Ululate, quia propè eſt dies Jehovæ, Joel 1. 13
9. Ecce dies Jehovæ venit crudelis & indignatio, &c. Joel 1. 15
12. Pretioſiorem reddam virum auro puro, & hominem Maſſa auri ex Ophir. Amos 1. 13
19. Et erit Babel gloria regnorum, decus ſuperbiæ Chaldæorum, &c. Amos 4. 11
XVI. 7. Audivimus ſuperbiam Moab, Soph. 2. 8
14. In tribus annis, tanquam anni mercenarii, Hoſ. 5. 7
XVIII. 4. Quieſcam & conſiderabo in tabernaculo meo, Hoſ. 5. 15
XX. 2. 3. Vade, & ſolve ſaccum de lumbis tuis, & calceamentum tuum extrahe, &c. Zach 13. 4.
XXII. 12. Et vocavit Dominus Jehova exercituum in die illa ad fletum, &c. Joël 2. 16. Amos 6. 1. 6
13. Et ecce gaudium & lætitia occidere boves & jugulare pecudes, &c. Joël 2 16. Zach. 1. 16
14. Ne expiabitur iniquitas hæc vobis donec moriamini, Joël 2. 16. Amos 6. 3. 4
XXVI. 1. Salutem ponet Deus muros, & antemurale, Joël 3. 17. Zach. 2. 12
18. Concepimus, parturivimus tanquam ſi pepeliſſemus ventum, Michææ 5. 3
21. Ecce Jehova egreditur de loco ſuo, ut viſitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum, Mich. 1. 3
XXVIII. 8. Omnes menſæ repletæ ſunt vomitu & ſorde, &c. Hoſ 1. 7
10. Præceptum ad præceptum, inſtructio ad inſtructionem, &c. Zach. 1. 6
15. Dixiſtis enim, percuſſimus fœdus cum morte, & cum ſepulchro fecimus pactum. Hoſ. 7. 2. Amos 8. 3. & 9. 10
16. Ecce ego ponam in Sion lapidem, lapidem probationis, &c. Zach 3. 9
XXIX. 1. Heus Ariel, Ariel, Soph. 1. 7
6. A Jehova exercituum viſitabitur in tonitru & in concuſſione, &c. Abd. 1. 16
13. Propterea quod appropinquarit populus iſte ore ſuo, &c. Hoſ 14. 1
15. Væ iis qui profundi ſunt ut à Jehova abſcondant conſilium, Hoſ. 14. 10
XXX. 1. Væ filiis contumacibus, dicit Jehova, ut capiant conſilium, &c. Hoſ 7. 12
15. In requie & quiete ſalvi eritis, in tranquillitate, &c. Hab. 2. 1. Hoſ 7. 11
16. Dixiſtis nequaquam: ſed ſuper equum fugiemus, ideo fugietis: & ſuper levem equitabimus; ideo levas erunt perſequutores veſtri. Hoſ. 14. 4
XXXI. 1. Væ deſcendentibus in Ægyptum ad auxilium, &c. Hoſ 7. 11
4. Quemadmodum rugit leo & catulus leonis ſuper prædam ſuam, &c. Joël 3. 16
XXXII. 5. Non vocabitur ultra ſtultus liberalis, & avarus, &c. Hagg. 2. 2
XXXIII. 1. Heus qui ſpolias, nec fuiſti ſpoliatus, &c. ubi deſieris ſpoliare, ſpoliaberis, Amos 5. 11. Mich. 3. 2. Nahum 2. 9
XXXIV. 6. Gladius Jehovæ repletus eſt ſanguine, impinguatus eſt adipe, Mich. 1. 12
XXXVII. 16 Jehova exercituum Deus Iſraël, qui habitas ſuper Cherubim, Hoſ. 1. 7. Amos 6. 7. Hab. 2. 20. Mich. 3. 19.
36. Egreſſus eſt autem angelus Jehovæ, & percuſſit in caſtris Aſſur centum & octoginta quinque millia, Mich. 2. 12 Nahum 1. 10
38. Et accidit eo adorante in domo Niſroch Deum ſuum, Adramelech & Sareſer filii ejus percuſſerunt eum gladio, Nahum 1. 14
XL. 1. Conſolamini, conſolamini populum meum, Zach. 1. 13. 14. & 9. 6. Malach. 4. 5
2. Loquimini ad cor Jeruſalem, Hoſ. 2. 14
Accepit a manu Domini duplicia in peccatis ſuis, Zach. 9. 12
6. Omnis caro ut herba, & omnis, &c. Hoſ. 13. 13
19. Artifex parat ſculptile, aurifaber aurum apiat illi, Hab. 2. 18
XLI. 15. Ecce ponam te ut traham & tribulam novam habentem ora, triturabis montes, & contrures colles, Joël 3 14. Mich. 6. 1
XLII. 3. Linum fumigans non extinguet, Malach. 4. 5
8. Ego Jehova, hoc eſt nomen meum, & gloriam meam, &c. Zach. 12. 10
XLIII. 3. Dedi pretium tuum Ægyptum, Soph. 2. 14
XLIV. 3. Effundam aquas ſuper ſitientem, & flumina ſuper aridam, Zach 14. 6
28. Dicens Cyro, paſtor meus, & omnem voluntatem meam perficiet, Hagg. 1 1
XLV. 1. Sic dico Jehova Meſſiæ ſuo Cyro, cujus apprehendi dexteram, &c. Hagg. 1. 1. & 9
7. Formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum, Amos 3. 6
23. Mihi curvabitur omne genu, per me jurabit omnis lingua, Soph. 3. 9
XLVII. 6. Quæ dicis in corde tuo, ego ſum, & non eſt præter me ultra: non ſedebo vidua, &c. Soph. 2. 15
XLVIII. 1. Audite hoc domus Jacob, qui vocamini ex nomine Iſraëlis, Hoſ. 1. 4. Mich. 3. 1
10. Ecce examinavi te, & non inſtar argenti, Zach. 13. 9. & Joël 3. 21
XLIX. 8. In tempore beneplaciti exaudivi te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tibi, Joël 3. 10
19. Nunc arcta eris præ habitatoribus, & elongabunt ſe perdentes te, Hagg. 2. 2
23. Et erunt Reges nutritii tui, & Reginæ eorum nutrices tuæ, Amos 7. 13
L. 1. Quiſnam eſt liber iſte repudii matris veſtræ? Hoſ. 2. 2
Et propter tranſgreſſiones veſtras repudiata eſt mater veſtra. Soph. 3. 17
LI. 1. Aſpicite ad petram unde exciſi eſtis, Hoſ. 12. 13
2. Unicum vocavi eum, Malach. 2. 15
LII. 7. Quam ſpecioſi ſuper montes pedes annunciantis, publicantis pacem, annunciantis bonum! Nahum 1. 15
LIII. 1. Quis credidit auditui noſtro? Abd. 1. 1. & Hab. 3. 2
LIV. 8. In momento iræ abſcondi faciem meam paulisper à te: at clementia ſempiterna miſertus ſum tui, Nahum 1. 12
9. Quoniam aqua Noë, hoc mihi quandoquidem juravi non fore, ut amplius tranſirent aquæ, &c. Zach. 14. 11
LV. 6. Quærite Dominum dum invenitur, Hoſ. 10. 12. Joël 2. 12
8. Non ſunt cogitationes meæ cogitationes veſtræ, nec viæ, &c. Hoſ. 11. 9
9. Quanto altiores ſunt cœli quam terra tanto altiores ſunt viæ meæ quam veſtræ, &c. ibid.
LVI. 7. Domus mea domus orationis vocabitur omnibus populis, Hoſ. 11. 7
LVII. 10. Fatigatus es in multiplici itinere tuo, nec dixiſti, deſperatum eſt, Hoſ. 5. 6
19. Creavi fructum labiorum pacem, pacem, &c. Malach. 1. 13
LVIII. 3. Ut quid jejunavimus, & non aſpexiſti, afflixi nos, &c. Hoſ. 2. 2. & 6. 7
8. Tunc erumpet velut aurora lumen tuum, Amos 5. 24
LIX. 1. Ecce non eſt abbreviata manus Jehovæ, ut ſervare non poſſit, Hoſ. 13. 9. Mal. 3 7
4. Non eſt qui clamet pro juſtitia, neque eſt qui judicet pro veritate, Hab. 1 4
9. Elongatum eſt judicium à nobis, & non apprehendit nos juſtitia.
LX. 1. Super te orietur Jehova, & gloria ejus in te videbitur. Malach. 4. 2
2. Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos. ibid.
6. Multitudo camelorum operiet te, pulli camelorum Madian & Ephad: omnes iſti de Seba venient, aurum & thus deferent, Joel 2. 18. Hagg. 1. 10
19. Nec erit tibi amplius Sol in lucem diurnum, nec ſplendor Lunæ lucebit tibi: ſed erit tibi Jehova in lucem perpetuam, &c. Zach. 14. 3. Malach. 4. 2
21. Opus manuum mearum, Malach. 2. 10
LXIII. 10. Triſtitia affecerunt Spiritum ſanctum ejus, Hoſ. 4. 1
LXV. 12. Numerabo vos ad gladium, & omnes ad cædem corruetis, eo quod vocavi, nec reſpondiſtis, loquutus ſum, nec audiſtis, &c. Zach. 7. 13
20. Non erit ibi amplius infans dierum, nec ſenex qui non impleat dies ſuos, quoniam filius centum annorum morietur adoleſcens, &c. Zach. 8. 4
LXVI. 3. Qui immolat bovem perinde facit ac qui interficit virum, qui immolat pecus, ac qui jugulat canem, Hoſ. 6. 8. & 9. 4. Zach. 11 18
20. Et adducent omnes fratres veſtros ex omnibus gentibus oblationem Jehovæ, &c. Zach. 14. 21
21. Adeoque aſſumam ex illis aliquos in Sacerdotes & Levitas, dicit Dominus. ibid.

JEREMIAS.

II. 10. Tranſite ad inſulas Chitthim, & videte, & in Kedar mittite, &c. Malach. 1. 7
13. Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt venam aquæ vivæ, Jon. 2. 8. & Zach. 10. 2
21. Ego plantavi te optimam vitem, &c. Soph. 3. 7
III. 20. Ut prævaricata eſt uxor à ſocio ſuo, &c. Hoſ. 5. 6
IV. 1. Si reverteris Iſraël, dixit Jehova, ad me revertere, Hoſ. 7. 16. Joël 2. 12
2. Et juraberis, vivit Jehova, Hoſ. 4. 15
3. Arate vobis arvum, & ne ſeratis ſuper ſpinas, Hoſ 10. 12
V. 3. Jehova nonne oculi tui ſunt ad veritatem? Joel 2. 13
22. Qui poſui arenam terminum mari ſtatutum ſempiternum, nec prætereibit illud, commovebuntur quidem & non prævalebunt, &c. Nahum 1. 4
24. Qui dat pluviam temporaneam & ſerotinam in tempore ſuo. Joel 2. 23
31. Prophetæ prophetaverunt mendaciter & Sacerdotes acceperunt munera in manus, &c. Mich. 3. 7
VII. 4. Nolite confidere in verbis mendacii, dicendo, templum Jehovæ, templum Jehovæ, &c. Hoſ. 10 8. Soph. 3. 11
11. Num ut ſpelunca latronum facta eſt domus hæc? Hoſ. 4. 1. & 3. 6. & 8. 6. Amos 6. 10
12. Sed ite quæſo ad locum meum qui erat in Silo, Amos 6. 2
22. Non loquutus ſum cum patribus veſtris nec præcepi eis die quo eduxi eos e terra Ægypti, Hoſ. 8. 6 Malach. 1. 8
VIII. 14. Jehova Deus noſter tacere nos fecit, Malach. 1. 19
IX. 1. Quis ponat caput meum aquam, & oculum meum fontem lachrymarum, ut defleam, &c. Amos 5. 1
26. Omnis domus Iſraël præputiata eſt corde, Hoſ 1. 7
X. 24. Corripe me Jehova, verum in judicio, Soph. 3. 2
XIV. 6. Onagri ſteterunt in excelſis, attraxerunt ventum tanquam dracones, defecerunt oculi eorum, &c. Hoſ 2. 9
XV. 10. Væ mihi mater mea quod genuiſti me virum rixæ & virum diſcordiæ toti terræ, Hab. 1. 3
XVII. 1. Peccatum Jehudah ſcriptum eſt ſtylo ferreo, & ungue adamantino, Hoſ. 13. 12
XVIII. 18. Non peribit lex à Sacerdote, Malach. 2. 4
XIX. 8. Ponam civitatem hanc in ſtuporem & ſibilum, Soph. 2. 15
XXII. 24. Quod ſi eſſet Choniah filius Jehojakhis Regis Jehudah tanquam annulus in dextra mea, &c. Hoſ 9. 13. Hagg. 2 24
XXIII. 24. Annon cœlum & terram ego impleo, dixit Jehova, Jon. 1. 3
28. Quid paleæ ad triticum, Malach. 1. 9
38. Et ſi onus Jehovæ, dixeritis, propterea ſic dixit Jehova, quia dixiſtis verbum iſtud, onus Jehovæ, &c. Malach. 1. 1
XXV. 9. Ecce mittam & aſſumam univerſas cognationes aquilonis, &c. Hagg. 1 9
11. Et ſervient gentes iſtæ Regi Babel ſeptuaginta annis, Hoſ. 1 10
12. Eritque quum impleti fuerint ſeptuaginta anni viſitabo ſuper Regem Babel, Hoſ 1 10. Hagg. 1. 1. & 1. 4. Zach. 1. 2
XXVI. 8. Quum finem loquendi feciſſet Jeremias omnia quæ præceperat Jehova, ut loqueretur ad univerſum populum, apprehenderunt eum Sacerdotes, &c. Mich. 3. 12
XXVII. 11. Introducite colla veſtra in jugum Regis Babel, & ſervite ei, Amos 9. 4
XXIX. 10. Ut impletis ſummis in Babel ſeptuaginta anni viſitabo vos, &c. Hoſ. 3. 4. Hagg. 1 1. 4. & Malach. 4. 5
XXX. 11. Verumtamen ex te non faciam conſummationem, ſed caſtigabo te in judicio, nec ſuccidendo ſuccidam te, Joël 2. 21
18. Ædificabiturque civitas ſuper tumulum ſuum & templum ſecundum conſuetudinem ſuam manebit. Hagg. 2. 2
XXXI. 9. Cum fletu venient, & cum miſericordiis reducam eos, Zach. 12 10
15. Vox in excelſo audita eſt, ploratus & fletus amaritudinum Rachel, &c. Hoſ. 11. 1
18. Caſtigaſti me & caſtigatus ſum, ut vitulus non aſſuetus ferre jugum, Soph. 2. 1. Hoſ. 10. 11. Zach. 13. 9
32. Irritum fecerunt pactum meum, Hoſ. 2 19. Zach. 6. 8

I N D E X.

34. Non docebit ultra unuſquiſque proximum ſuum & unuſquiſque fratrem ſuum, &c Hoſ 2 16
XXXI. 18. Et reddes iniquitatem patrum in ſinum filiorum eorum poſt eos. Hoſ 14. 1
37. Et habitare faciam eos confidenter. Mich 4. 4
XLIV. 17. Sic faciendo faciemus omne verbum quod egreſſum eſt de ore noſtro, ſuffiendo Reginæ cæli, &c. Hoſ. 9. 1
29. Ut ſciatis quod confirmando confirmabuntur verba mea ſuper vos in malum. Hoſ 5. 9
XLVI 10. Dies ille Domino Jehovæ exercituum dies ultionis. Joel 1 15
XLVIII 11 Et requievit ipſe in fecibus ſuis. Hoſ 1 22
29 Audivimus ſuperbiam Moab. ſuperbus eſt valde. Soph. 2. 8
XLIX 9. Si vindemiatores venerint tibi, non relinquent racemos: ſi fures in nocte, vaſtabunt quod opus fuerit eis. In Præfat. in Abd.
12. Ecce quorum non erat judicium ut biberent calicem, bibendo bibent & tu innunis exſiſtendo, immunis eris? non eris immunis, ſed bibendo bibes. Abd. 1. 15. Nahum 1. 18
14. Auditum audivi à Jehova. Abd. 1. 1
LI 14. Juravit Jehova exercituum per animam ſuam. Amos 6 8
LII 9 Comprehenderunt igitur Regem & aſcendere eum fecerunt ad Regem Babel. Amos 3 2
10. Et jugulavit Rex Babel filios Zedechiæ in oculis ejus. ibid.
11, Oculos autem Zedechiæ excæcavit, & vinxit compedibus? ibid.

T H R E N I.

II. 15 Sibilaverunt & moverunt caput ſuum ſuper filiam Jeruſalem. Soph. 2. 15
III. 38 An ſi ex ore altiſſimi non egredientur mala & bona, Amos 3. 6
IV 20 Spiritus narium noſtrarum Chriſtus Jehovæ captus eſt in foveis eorum, Mich. 4. 9
Chriſtus Dominus noſter, in cujus anima vivebat anima noſtra, occiſus eſt propter peccata noſtra, Zach. 13. 12

E Z E C H I E L.

III. 8 Ecce dedi faciem tuam contra facies eorum, & frontem tuam fortem contra frontem eorum, Mich. 3. 8
9 Ut adamantem fortiorem ſilice dedi frontem tuam, ne igitur timeas eos, &c. ibid. & Zach. 7 12
17. Fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſraël, Hoſ 9 8
Accipies ex ore meo verbum & annunciabis illis ex me, Malach. 2 6
IV. 2. Pone adverſus eam obſidionem, Hoſ 1 10. & 5 9
16. Ecce contero baculum panis in Jeruſalem, Hoſ. 4. 10 Mich. 6 14
VI. 2 Pone faciem tuam ad montes Iſraël, & Propheta contra eos, Hoſ 6. 10
X. 4. Et receſſit gloria Jehovæ à Cherubim ad limen domus, Hoſ. 10. 2 Mich. 1 3. Zach. 8. 3
XIII. 19 Et vivificetis animas quæ non vivent, mentientes, &c Hoſ. 4. 9
XIV 11. Ne errent ultra domus Iſraël, non eundo poſt me, Hoſ. 6 10
14. Et ſi fuerint tres viri iſti in medio ejus, Noë, Daniel & Job, ipſi juſtitia ſua, &c. Zach. 3. 25
XVI 2. Notas fac urbi Jeruſalem abominationes ſuas. Hoſ. 6 20

D A N I E L.

II 32 Hujus ſtatuæ caput erat ex auro optimo, pectus ejus & brachia ejus argentea, venter ejus & femora ejus ærea, Zach. 1 18
45. Quemadmodum vidiſti quod de monte abſciſſus eſt lapis, qui manibus abſciſſus non eſt, Zach. 4. 10
V. 30. In ipſa nocte interfectus fuit Belſazar Rex Chaldæus, Hagg 1. 2
31 Porro Darius Medus ſuſcepit regnum, ibid.
VI 10. Daniel quum intellexiſſet quod ſcriptum eſſet ſcriptum, ingreſſus eſt domum ſuam, & feneſtris apertis in cœnaculo ſuo verſus Jeruſalem, &c. Jon. 2 7
VII. 25. Poſt tempus, tempora & dimidium temporis, Hoſ 7 2
IX 2 Anno primo ego Daniel intellexi in libris numerum annorum de quo factum eſt verbum Jehovæ. &c Hagg. 1 1 Hoſ 1. 20
17 Illuſtra faciem tuam ſuper ſanctuarium tuum deſolatum propter Dominum, Malach. 3. 2
27 Et propter extenſionem abominationum deſolabit donec conſummatam & quidem decreta effundetur ſeſe ſuper admirantem, Joël 3. 17

E C C L E S I A S T I C U S.

XX. 31. Xenia & munera excæcant oculos ſapientum, Mich. 9. 23

I. M A C H A B.

IX. 2 Hi itinere quo ad Galgala ducit, profecti, quum ad Maſaloth (quæ in Arbelis eſt) caſtra poſuiſſent, &c. Hoſ. 10. 14

M A T T H Æ U S.

II. 6. Et tu Beth-lehem terra Juda, nequaquam minima es inter Principes Juda. Mich. 5 2
18. Vox in Ramah audita eſt, ploratus & ululatus, &c. Hoſ. 11. 2

III. 12. Repurgabit aream ſuam & congregabit triticum ſuum in horreum, paleam autem exuret igni inexſtinguibili. Zach. 13. 9. & 14. 22
V. 14. Vos eſtis lux mundi, Hoſ. 6 9
34. Nolite jurare neque per cælum, quia thronus, &c. Soph. 1. 5
45 Qui ſolem ſuum, &c. Amos 7. 8
VI. 33. Primum quærite regnum Dei & juſtitiam ejus. Hoſ. 7 14. Zach 16. 2 Joel: 18
11. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, Zach. 8 12
VII. 2. Eadem menſura qua menſi fueritis, Abd. 1. 15 & Mich. 1. 5
7. Quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis, Amos 8. 12
IX. 17. Neque mittunt vinum novum in utres veteres, alioqui rumpuntur utres, Hab. 2. 15
13. Miſericordiam volo & non ſacrificium, Hoſ. 6 6
15. Non poſſunt filii ſponſi lugere quamdiu cum illis eſt ſponſus. Zach. 6. 19
X. 16 Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Hoſ 7 12
29. Et unus ex illis non cadet in terram ſine patre veſtro, Jon. 4 7
XI 8. Ecce qui mollia geſtant in domibus Regum ſunt, Soph. 1. 8
9. Certe dico vobis & excellentiorem Propheta, Malach. 4. 5
12. Regnum cælorum vim patitur, Mich. 2. 13
13. Lex & Prophetæ uſque ad Joannem, Malach 4. 4
14. Et ſi vultis recipere, ipſe eſt Elias qui venturus erat. Malach. 4. 5
30. Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve, Zach. 11. 16
XII. 7. Quod ſi ſciretis quid ſit miſericordiam volo & non ſacrificium. Hoſ. 6. 6
36. Generatio prava & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei niſi ſignum Jonæ Prophetæ, Jon 1. 2
41. Viri Ninevitæ ſurgent in judicio, Jon. 3. 6
XIII. 47. Simile eſt regnum cælorum verriculo jacto in mare, & ex omni genere congreganti, Zach. 14. 21
XV. 14. Si cæcus cæco dux fuerit ambo in foveam cadent, Hoſ. 4 15 Zach. 10. 3
26. Non eſt honeſtum ſumere panem filiorum, & objicere catellis, Hoſ 6 6
XVI. 18. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c. Malach. 2. 6
XVII. 5. Ipſum audite, Abd. 1. 1
XVIII 1. In illo tempore acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum dicentes, quis maximus eſt in regno cælorum? Hagg 2 18
XIX. 8. Ab initio non fuit ſic, Malach. 2 15
XX 21. Dic ut ſedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam, & alter ad ſiniſtram, &c. Hagg 1. 10
XXI. 13. Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum, Hoſ. 6 8. Amos 2. 9
43 Auferetur à vobis regnum Dei & dabitur genti, Malach. 1. 11
XXIII. 8. Unus eſt magiſter veſter nempe Chriſtus, Abd 1. 2
23. Reliquiſtis quæ graviora ſunt legis, judicium & miſericordiam ac fidem, Zach. 7 22
24. Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes, Zach. 7. 7
35 A ſanguine Abel juſti uſque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ quem occidiſtis, &c Zach. 1 2
XXIV 2 Non relinquetur lapis ſuper lapidem qui non deſtruatur, Mich. 1 6
3. Dic nobis quando hæc erunt. Et quod ſignum adventus tui & conſummationis ſeculi, Joël 2. 30
4. Videte ne quis vos ſeducat, ibid.
6. Audituri eſtis bella & rumores bellorum, videte ne turbemini, ibid.
37. Sicut erant dies Noë, ita erit & adventus filii hominis, Amos 8 5
XXVI. 7. Acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum unguenti pretioſi & effudit ſuper caput ipſius recumbentis, Amos 6. 6
15. Quid vultis mihi dare, & ego vobis tradam illum? at illi conſtituerunt illi triginta argenteos, Zach 11. 14
31. Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves gregis, Zach 13. 7
56. Tunc diſcipuli omnes relicto eo fugerunt, ibid.
XXVII 4. Dicens, peccavi prodens ſanguinem innoxium, Mich. 7. 9
5. Et projectis argenteis in templo receſſit, Zach. 11 14
XXVIII. 20. Ecce ego vobiſcum ſum uſque, &c. Malach. 2. 4

L U C A S.

I. 33. Et regni ejus non erit finis, Amos 9. 12
II. 10 Ecce annuncio vobis gaudium magnum, Malach. 4 2
III. 23. Jeſus incipiebat eſſe annorum ferme triginta, Zach 5. 2
VII. 27. Hic eſt de quo ſcriptum eſt, ecce mitto angelum meum, Malach. 3. 2
38. Et deoſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat, Amos 6 6
VIII. 18. Quicunque non habet, etiam quod putat ſe habere, auferetur ab illo, Hoſ 3 23
XI. 13 Panem noſtrum quotidianum da nobis quotidie, Zach 9. 13
XII. 47. Ille ſervus qui cognovit voluntatem Domini ſui, &c. Joël 2. 31. Amos 2. 4 Mich 6: 6

XXII. 24. Facta eſt autem & contentio inter eos, &c. Hagg 2. 10
XXIII. 27. Sequebatur autem illum multa turba populi, &c. Zach 12 12
28. Filiæ Jeruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper, &c. ibid.
29 Ecce venient dies in quibus dicent, beatæ ſteriles, &c. Hoſ. 9 14
30. Tunc incipient dicere montibus, cadite ſuper nos, &c. Hoſ. 10. 8
31. Si in viridi ligno hæc faciunt, Hoſ. 13. 2. Mich. 7. 18

J O A N N E S.

I. 18 Unigenitus Dei filius, Hoſ. 11. 1
21 Et tu propheta? & reſpondit non, Malach. 4. 5
47. Vidit Jeſus Nathanaëlem, &c Joel 3. 16
51. Poſthac videbitis cælum apertum, &c. Zach. 1 18
II. 20. Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt, &c. Hagg 1. 8
III. 20. Omnis qui male agit odit, &c. Hoſ 7. 1
IV. 20. Patres noſtri adoraverunt in monte hoc, Amos 7. 9
21. Venit hora quando nec in monte hoc, &c. Zach. 14. 17
22. Nos adoramus quod ſcimus, &c. Joël 3. 18. Malach. 1. 11. Amos 5, 25. Zach 14. 9
23. Venit hora quando, &c. Malach. 1. 11
24. Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, &c. Zach. 7 2
V. 23. Qui non honorat filium, non &c. Hoſ 1 5
VI. 45. Nemo poteſt venire ad me niſi pater, &c. Hagg. 1 14
VIII. 12. Qui ſequitur me non ambulat in tenebris, Malach. 4. 2
44. Ille homicida erat ab initio, & in veritate, &c. Amos 7 10. Zach. 10. 2 & 3. 5
IX. 31. Scimus quod peccatores Deus non audit, Zach. 7 13
X. 28. Neque rapiet eas quiſpiam, &c. Hoſ 12 9
35. Si illos dixit deos ad quos ſermo Dei, &c. Hoſ. 2. 2. Mich. 3 10 Jon 2. 2
XI 26. Domine jam fœtet, quatriduanus enim eſt, Hoſ. 6 2
48. Ne forte veniant Romani, &c. Amos 7. 10
XII. 32. Et ego quum exaltatus fuero à terra, &c. Zach 9. 9
XIII. 18. Sed ut adimpleatur Scriptura, qui edit, &c. Abd. 1. 12
XVI 8. Quum venerit ille arguet, &c. Mich. 3 12
21. Mulier quum parit dolorem habet, quia &c. Hoſ. 13. 13. Mich. 5. 9
XIX. 34. Unus militum lancea latus ejus aperuit, Zach. 3. 9. & 13. 10
37. Videbunt in quem pupugerunt, Zach. 12. 10
42. Ibi propter paraſceven Judæorum, &c Hoſ. 6. 2
XX. 21. Quorum remiſeritis peccata, &c. Mal. 4. 6

A C T A.

I. 6. Illi igitur ubi convenissent, percontabantur, &c. Hagg. 2 20
26. Et dederunt ſortes eorum & cecidit ſors ſuper Matthiam, Jon. 1. 7
II 3 Seditque ſuper ſingulos eorum, Amos 7. 14
17. Et erit in noviſſimis diebus dicit Deus, effundam. &c Joël 2. 28
36. Hunc Jeſum quem vos, &c. Zach. 12 10
41. Et acceſſerunt in die illo animæ circiter tria millia, Zach. 13. 12
III. 15. Authorem vero vitæ interfeciſtis. Zach. 12 10
IV. 13 Videntes autem Petri ac dicendo libertatem ac Joannis, &c Amos 7. 14
V 30. Quem vos interemiſtis ſuſpendentes, &c. Zach. 11 10
VII 42. Sicut ſcriptum eſt in libro Prophetarum, num victimas, &c. Amos 5. 25
51 Dura cervice & incircumciſi cordibus & auribus, &c. Amos 2 4. Malach. 3. 7
VIII. 22 Roga Deum ſi forte, &c. Joël 2. 14
26. Vade meridiem verſus ad viam, &c. ad Gazam, hæc eſt deſerta, Amos 1 2
X. 17. Dum apud ſeſe hæſitaret Petrus quænam, Jon. 1 9
XIII. 22. Inveni David filium Jeſſe, ſecundum, &c. Hoſ 3. 5
41 Videte contemptores & admiramini & evaneſcite, &c. Hab. 1. 5
XV. 6. Fide purificans corda ipſorum, Soph. 3. 6. Hagg 2. 14
29. Viſum eſt Spiritui ſancto ac nobis, Hagg. 1 12
XXII. 3. Inſtitutus accurate patriæ legis, Malach. 2. 10

Ad R O M A N O S.

I. 17 Sicuti ſcriptum eſt, Juſtus ex fide vivet, Hab. 2. 4
25. Qui commutarunt veritatem ejus mendacio, Soph. 1. 4
26. Tradidit eos Deus in cupiditates ignominioſas, Hoſ 4. 14
28. Quemadmodum non probaverunt ut Deum agnoſcerent, ita tradidit eos Deus in reprobam mentem, ibid.
II 4 An divitias bonitatis, &c. Hoſ. 9 23 Amos 8 9
11. Non eſt reſpectus perſonarum, &c Zach. 3. 2
12. Quicunque ſine lege peccaverunt, Amos 2. 4
III. 4. Sit Deus verax, omnis autem, &c. Malach. 3. 6
IV. 13 Non per legem promiſſio contigit Abrahamo, &c. Hab. 2. 4
15 Lex iram operatur, Zach. 1. 9
97. Vocat

INDEX

27. Vocat eos qui non ſunt populus ſuus, Hoſ. 1. 10
30. Ad permiſſionem Dei non heſitabat, &c. Zach. 8. 6
VI. 21. Quem fructum habebatis tunc in his, &c. Soph. 3. 11
VII. 13. Peccatum ut appareret peccatum, &c. Zach. 1. 8
14. Lex ſpiritualis eſt, Zach. 8. 17
24. Miſer ego quis me liberabit, &c. Jon. 4. 3
VIII. 3. Ac de peccato condemnavit peccatum per carnem, Zach. 14. 19
20. Vanitati creatura ſubjecta non volens, Soph. 1. 3
22. Scimus quod omnis creatura ingemiſcit & parturit, &c. Malach. 3. 2
23. Non ſolum autem ſed & nos ipſi qui, &c. ibid.

I. CORINTH.

I. 2. UNa cum omnibus qui invocant nomen Domini, &c. Soph. 3. 9
27. Quæ imbecilla ſunt in mundo delegit Deus ut, &c. Amos 1. 1
XV. 54. Tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt, abſorpta eſt, &c. Hoſ. 13. 14

II. CORINTH.

I. 20. PRomiſſiones Dei per ipſum ſunt etiam, & amen, Amos 9. 11. Hab. 2. 3
II. 11. Non enim illius cogitationes ignoramus, Hoſ. 4. 3
III. 17. Ubi Spiritus Domini ibi libertas, Malach. 4. 2
IV. 7. Habemus theſaurum hunc in teſtaceis vaſculis, Joel 2. 1
V. 20. Nomine Chriſti legatione fungimur, Hoſ. 1. 2 & Joel 2. 1
XI. 14. Ipſe Satan transfiguratur in angelum lucis, Amos 3. 19. & 7. 10

Ad GALATAS.

I. 8. ETiamſi nos aut angelus, Amos 7. 14
IV. 9 Nunc poſteaquam cognoviſtis Deum quin, &c. Hoſ. 13. 5

PHILIPP.

I. 23. COarctor ex his duobus, deſiderans diſſolvi, &c. Jon. 4. 3

COLOSS.

I. 15. PRimogenitus univerſæ creaturæ, Mich. 5. 2
II. 12. Quæ omnia ipſo pereunt abuſu, juxta, &c. Hoſ. 13. 8

II. THESS.

I. 6 JUſtum eſt apud Deum reddere iis qui, &c. Soph. 2. 14
II. 12. Ut judicentur omnes qui non crediderunt, &c. Hoſ. 9. 7

I. TIMOTH.

II. 4. QUi vult omnes homines ſalvos, Soph. 3. 7
III. 2. Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem, &c. Hoſ. 1. 2

Ad TITUM.

I. 2. QUem promiſit is qui mentiri neſcit, Deus. Mich. 4. 3
7. Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, &c. Amos 8. 10

Ad HEBRÆOS.

III. 5. MOſes quidem fidelis fuit in tota domo illius velut miniſter, Mich. 4. 3
IV. 12. Vivus eſt ſermo Dei & efficax & penetrantior, &c. Amos 4. 13. & 6. 11
XI. 7. Per fidem admonitus oraculo Noë, ex quo, &c. Jon. 1. 3

I. PETRI.

I. 16. SAncti eſtote, nam & ego ſanctus ſum, Hoſ. 7. 1
23. Renati non ex ſemine mortali, ſed &c. Hoſ. 2. 4
IV. 17. Tempus eſt ut incipiat judicium à domo Dei, Abd. 1. 15 Soph. 3. 8. Mich. 7. 10
V. 6. Humiliamini ſub potenti manu Dei, Soph. 2. 3. Malach. 2. 17

I. JOANNIS.

II. 18. FIlioli noviſſimum tempus eſt, Hoſ. 3. 5. & Mich. 4. 1
III. 12. Non ſicut Cain qui ex malo illo erat, &c. Amos 7. 10
V. 4. Victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra, Jonæ 2. 3. Soph. 3. 4. Mich. 7. 8

APOCAL.

VI. 16. ET dicunt montibus & petris, cadite ſuper nos, Amos 6. 10

FINIS INDICIS.

AMSTELODAMI,
Ex Typographia BORRITII JANSONII SMIT.
M. DC. LXVII.